CAII PLINII
SECUNDI
HISTORIÆ NATURALIS
LIBRI XXXVII.

QUOS INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JOANNES HARDUINUS

E SOCIETATE JESU,

JUSSU REGIS CHRISTIANISSIMI

LUDOVICI MAGNI,

IN USUM SERENISSIMI DELPHINI.

Editio altera emendatior & auctior.

TOMUS SECUNDUS.



PARISIIS,
Typis ANTONII-URBANI COUSTELIER, Sereniſſimi Aurelianenſium Ducis, Typographi.

M. DCC. XXIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XVI.

I. POMIFERÆ arbores, quæque mitioribus succis voluptatem primæ cibis attulerunt, & necessario alimento delicias miscere docuerunt, sive illæ ultro, sive ab homine didicere blandos sapores [1] adoptione & connubio, [2] idque munus etiam feris volucribusque dedimus, intra prædictas constant. Proximum erat narrare glandiferas quoque, quæ primæ victum mortalium aluerunt, nutrices inopis ac feræ sortis, ni præverti cogeret admiratio usu comperta, quænam qualisque esset vita, sine arbore ulla, sine frutice viventium. [3] [4] Diximus & in Oriente quidem juxta Oceanum complures ea in necessitate gentes. Sunt vero in Septemtrione visæ nobis CAP. I. [4] Chaucorum, qui majores minoresque appellantur. [5] Vasto ibi meatu, bis dierum noctiumque singularum intervallis, effusus in immensum agitur oceanus, [6] æternam operiens rerum naturæ controversiam: dubiumque terræ sit, an parte in maris. Illic misera gens [7] tumulos obtinet altos, [8] aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis: navigantibus similes, [a] cum integant aquæ circumdata: [9] naufragis vero, cum recesserint: fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contigit, omni procul abacto frutice. Ulva & palustri junco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia: captumque manibus [10] lutum ventis magis, quam Sole siccantes: terra cibos, & rigentia septemtrione viscera sua urunt. Potus non nisi ex imbre servato scrobibus in vestibulo domus. Et hæ gentes, si vincamur hodie a Populo Romano, servire se dicunt. Ita est profecto: Multis fortuna [11] parcit in pœnam.

II. Aliud e silvis miraculum: totam reliquam Germaniam replent, adduntque frigori umbras: altissimæ tamen haud procul supra dictis Chaucis, [1] circa duos præcipue lacus. Litora ipsa obtinent quercus, maxima aviditate nascendi: suffossæque fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratæ stantes navigant ingentium ramorum [2] armamentis, sæpe territis classibus nostris, cum velut industria fluctibus agerentur in [b] proras stantium noctu, inopesque remedii illæ, prælium navale adversus arbores inirent.

In eadem septemtrionali plaga Hercyniæ silvæ roborum vastitas intacta ævis, & congenita mundo, prope immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide cari- CAPUT II.

INTERPRETATIO.

a *Cum integant.*] Cum integant aquæ circumjectam *planitiem.*

b *In proras.*] In proras navium, *quæ* noctu stabant *immotæ.*

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Adoptione.*] Insitione.

2. *Idque munus.*] Ut jucundioribus nempe jam fructibus, mitioribusque, opera nostra, vescantur.

3. *Diximus & in Oriente*] Libro 13. sect. 50. *At in Oriente mirum est, statim a Copto per solitudines nihil gigni præter spinam, quæ sitiens vocatur, & hanc raram admodum.*

4. *Chaucorum.*] De his dictum est lib. 4. sect. 29.

5. *Vasto ibi meatu.*] Cursu, fluctuque late discurrentis aquæ: diei unius noctisque spatio bis ibi maris æstu ex alto se se incitante, ad ingentem altitudinem: eodemque impetu, quo effusum est, relabente.

6. *Æternam.*] Tractum ingentem obtegit oceanus, de quo lis esse æterna possit, terrane, an maris pars sit appellanda.

7. *Tumulos.*] Terrenæ molis aggeres.

8. *Aut tribunalia.*] Tuguriola & casas, quæ aggerum parti imponuntur, quo altissimum maris æstum minime pertingere sæpe experti sunt, sive [illegible], sive [illegible], quod sint in loco sublimi posita, tribunalia vocat.

9. *Naufragis.*] In vado hærentibus.

10. *Lutum ventis.*] Bituminosas nigrasque glebas intelligit, cespitesque ustiles, quos Belgæ *Turfas* vocant, nostri *des Tourbes.* Hæ in segmenta quadrata sectæ, sic apte disponuntur, ut vento perflante magis, quam Sole siccentur. Harum usus in Belgio & Picardia frequens: nec iis aliter in culina usuque domestico, quam ligno, aut carbone utuntur. Singularem de iis diatribam Lud. Guicciardinus subjunxit Hollandiæ delineationi Geographicæ a se institutæ. Scripsere de hoc argumento & alii, quos laudat V. Cl. Du-Cangius in Glossario, verbo *Turba.*

11. *Parcit in pœnam.*] MSS. *parcior.*

Sect. II. 1. *Circa duos lacus.*] Ubi nunc mare, quod appellant *Zuderzee*, ut diximus lib. 4. sect. 29.

2. *Armamentis.*] Ut ingentibus armis, ceu velis na-

tura: constat [3] attolli colles occursantium inter se radicum repercussu: aut ubi secuta tellus non sit, [4] arcus ad ramos usque, & ipsos inter se [5] rixantes, curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant: * glandiferi maxime generis omnes, quibus honos apud Romanos perpetuus.

* CAP. III.

CAP. IV. 5 III. [1] Hinc civicæ coronæ, [2] militum virtutis insigne clarissimum: jam pridem vero [3] & clementiæ Imperatorum, postquam civilium bellorum [4] profano [5] meritum cœpit videri, civem non occidere. Cedunt his murales, vallaresque, [6] & aureæ, quamquam pretio antecedentes. Cedunt [7] & rostratæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres: [8] M. Varrone e piraticis bellis, dante Magno Pompeio: itemque [9] M. 10 Agrippa, tribuente Cæsare e Siculis, quæ & ipsa piratica fuere. Antea rostra navium tribunali præfixa fori decus erant, veluti populo Romano ipsi corona imposita. Postquam vero tribuniciis seditionibus calcari ac pollui cœpere, postquam vires ex publico in privatum magis, singulisque civium quæri, & sacrosancta omnia profana fecere, tum a pedibus eorum subiere in capita civium rostra. Dedit hanc Au- 15 gustus coronam Agrippæ: [10] sed civicam a genere humano accepit ipse.

IV. Antiquitus quidem nulla, nisi Deo, dabatur: ob id Homerus cælo tantum eas, & prælio universo tribuit: viritim vero ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium [1] Liberum Patrem imposuisse capiti suo ex edera. Postea Deorum honori [2] sacrificantes sumpsere, [3] victimis simul coronatis. Novissime & in sacris 20 certaminibus usurpatæ: in quibus hodieque non victori datur, [4] sed patriam ab eo coronari pronunciatur. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferrentur in templis dicandæ: mox ut & ludis darentur. Longum est, nec instituti operis, disserere quisnam Romanorum primus acceperit: neque enim alias noverant, quam bellicas. Quod certum est, uni gentium huic plura sunt genera, quam cunctis.

25 V. Romulus frondea coronavit [1] Hostum Hostilium, quod Fidenam primus irrupis-

NOTÆ.

vium, & armamentis, classes, quæ his occurrerent, terrerentur.

3. *Attolli colles.*] Ob radicum molem & occursum, in colles solum intumescere.

4. *Arcus.*] Ubi terra fuerit levior, erumpentibusque radicibus cesserit, ibi attigere se se radices in arcum, seu fornicem, ad ramos usque.

5. *Rixantes.*] Collisu veluti dimicantes.

Sect. III. 1.] *Hinc civica corona.*] Nempe e glandifero genere arborum. Huic coronæ duplex e re nomen inditum: ut a cive servato, & servatore, civica diceretur: a materia, unde plectebatur, quercea, vel querna.

2. *Militum.*] Illi uni reposita hæc olim corona fuit, qui e manibus hostium civem Romanum eripuisset. Sic olim Coriolano data. quoniam sic lege cautum erat, inquit Plutarch. in ejus vita, pag. 214. *Τότε γὰρ ὁ νόμος τῷ πολίτην ὑπερασπίσαντι τὸν δρυὸς στέφανον ἀπεδίδου.*

3. *Et clementiæ.*] Cæsari Dictatori post bella civilia decretam esse coronam civicam, tamquam patriæ servatori, auctor est Appianus, lib. 2. bell. Civil. pag. 494. *Καὶ στέφανος ἐκ δρυὸς ... ὡς σωτῆρι τῆς πατρίδος.* Ex eo deinde postea Augustæ domus sempiterna gloria querceu triumpharunt, ut verbis utar Valerii Max. lib. 2. cap. 3. Fuit nempe in vestibulo quercea corona.

4. *Profano.*] Scelere & calamitate. Ita MSS. omnes.

5. *Meritum.*] Hanc Imperatorum clementiam oblique perstringit, ad id mihi visus alludere, quod Tullius dixit, 2. Philip. *Quod est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint.*

6. *Et aureæ.*] Tergeminum hic coronæ genus intellige: murale, vallare, aureum, Sic in vetustis inscriptionibus apud Gruterum distinguendæ, p. 375. CORONA MVRALI. VALLARI AVREA. quod Scaligero latuit, qui Gruterianum Indicem concinnavit: constatque liquido ex altera inscriptione, pag. 430. CORONIS. MVRALIBVS. II. VALLARIBVS. II. CLASSICIS. II. AVRATIS. II. Aureas a Plinio intelligi arbitror *triumphales*, quas ex auro fieri solitas Gellius testatur, lib. 5. cap. 6. quamquam & murales idem, castrensesque seu vallares, & classicas ex auro perinde esse factitatas ait: quod & Plinius ipse videtur innuere, sect. 5. Neque tamen semper fuere, ut ex Tranquillo liquet, in Augusto, cap. 25. *Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime, & sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit.* Prælatam autem auro civicam præterea declarat hic Augusti jocus apud Fabium, lib 6. cap. 3. *Cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, & Dolabella per jocum, tentans tamen joci sui eventum, dixisset: Imperator, torque me dona: Malo te, inquit, civica donare.* Muralis porro corona est, inquit Gellius, lib. 5. cap. 6. pag. 329. qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit: idcirco quasi muri pinnis decorata est. Castrensis, (eademque vallaris,) est corona, qua donat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introivit. Ea corona insigne valli habet.

7. *Et rostratæ.*] Sive navales, eædemque classicæ: quibus donabatur is, qui primus in hostium navem armatus vi transiliret: ea quasi navium rostris insignita est. Ita Gellius, loc. cit.

8. *M. Varrone.*] De eo diximus lib. 7. sect. 31.

9. *M. Agrippa.*] Epitome Livii, lib. 129. *M. Agrippa navali corona a Cæsare* (Augusto) *donatus est: qui honos nemini ante eum habitus est*, nempe a Cæsare. Virgilius, lib. 8. Æneid. v. 628.

Parte alia, ventis & Dis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens: cui belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Sicula bella sunt, quæ adversus Lepidum & Sextum Pompeium gessit Augustus.

10. *Sed civicam.*] Et quidem aspicientibus Augusti domum hæc corona primum se se offerebat, ut quæ esset in ejus fastigio collocata. Vide Suetonium in Augusto: Valer. Max. lib. 2. cap. 3. aliosque. Verum non civica modo, sed & obsidionali donavit Augustum Senatus, ut dicetur lib. 22. sect. 6.

Sect. IV. *Ob id Homerus.*] Quo loco Homerus cælo coronam dederit, nunc quidem non occurrit. *Prælio universo* tribuit, Iliad. ν. versu 736.

Πάντη γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηε.
Undique enim te circum corona prælii flagrat.

1. *Liberum Patrem.*] Quem idcirco Acharnenses Κισσὸν, poëta vetus κισσοστέφανον, Homerus κισσοκόμην agnominavit.

2. *Sacrificantes.*] Lauro, olea, auro. Vide Paschal. lib. 4. cap. 13. pag. 244.

3. *Victimis*] Cupressu, pinu, floribus, denique fronde illius numinis propria, cui immolarentur. Paschal. lib. 4. cap. 17. pag 256.

4. *Sed patriam.*] Non soli victori, sed ejusdem patriæ decus hoc parari dicebatur. Quod de Pompeio ante dixit, lib. 7. sect. 27. *Hos retulit patriæ titulos, more sacris certaminibus vincentium.* Præconium quo Nero renunciatus est victor, fuit ejuscemodi: *Nero Cæsar certamen vincit, & populum Romanum coronat, & proprium imperium.* Τὸ δὲ κήρυγμα ἦν· Νέρων Καῖσαρ νικᾷ τόνδε τὸν ἀγῶνα, καὶ στεφανοῖ τόν τε τῶν Ῥωμαίων δῆμον, καὶ τὴν ἰδίαν οἰκουμένην. Xiphilin. in Nerone, pag. 721. Vide quæ diximus lib. 7. sect 17.

Sect. V. 1. *Hostum Hostilium.*] Meminit hujus Hostilii Plutarchus in Romulo, pag. 29. eumque Hostilii, qui post

ser. Avus hic Tulli Hostilii fuit. [2] P. Decium patrem, Tribunum militum, frondea donavit exercitus ab eo servatus, Impetatore [3] Cornelio Cosso Consule, Samnitium bello. [4] Civica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo [5] Jovi sacra. Variatumque & cum quercu est, [6] ac data ubique, quæ fuerat, custodito tamen honore glandis. Additæ [7] leges arctæ, & ideo superbæ, quasque conferre libeat cum illa [8] Græcorum summa, quæ [9] sub ipso Jove datur, [10] cuique muros patria gaudens rumpit. Civem servare, hostem occidere: [11] Utque eum locum, in quo sit actum, obtineret hostis eo die. Ut servatus fateatur: alias testes nil prosunt. [12] Ut civis fuerit: [13] Auxilia, quamvis rege servato, decus id non dant. Nec crescit honos idem Imperatore conservato: quoniam [14] conditores in quocumque cive summum esse voluere. Accepta licet uti perpetuo. Ludos ineunti semper assurgi, etiam ab Senatu, in more est. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, & avo paterno. Quatuordecim eas accepit Siccius Dentatus, [15] ut retulimus suo loco: sex [16] Capitolinus. Is quidem & de duce Servilio. [17] Africanus de patre accipere noluit [18] apud Trebiam. O mores æternos, qui tanta opera honore solo donaverint: & cum reliquas coronas auro commendarent, salutem civis in pretio esse noluerint: clare professi, ne servari quidem hominem fas esse lucri causa.

CAPUT V.

VI. Glandes opes esse nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium, constat, Necnon & inopia frugum arefactis molitur farina, spissaturque in panis usum. Quin & hodieque [1] per Hispanias, secundis mensis glans inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta. Cautum est præterea, lege XII. tabularum, ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Genera earum multa. [2] Distant fructu, situ, sexu, sapore. Namque alia fageæ glandi figura, alia quernæ, & alia ilignæ: atque inter se quoque generum singulorum differentiæ. Præterea sunt aliquæ silvestres, aliæ placidiores, quæ culta obtinent. Jam etiam in montosis, planisque distant: sicut & sexu mares ac feminæ: item sapore. Dulcissima omnium fagi, ut qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio tradat Cornelius Alexander. [3] Genera distinguere non datur

NOTÆ.

Numam regnavit, pariter avum facit. Hunc eodem, quo nepotem, nomine, Tullum Hostilium appellat Dionys. Halic. lib. 3. Antiq. statim initio, pag. 136. Hostium Hostilium Livius, lib. 1. pag. 6. Ex lapide Capitolino *Hostum* legi debere Sigonius in notis ad Livium asseverat.

2. *P. Decium.*] Hæc Livius, lib. 7. pag. 133.

3. *Cornelio Cosso.*] Anno Urbis CCCCXI. M. Valerio Corvino tertium, collega. Cornelio decretum bellum Samniticum est. Livius, lib. 7. pag. 130. & 131.

4. *Civica iligna.*] De ilice hæc Gellius, lib. 5. cap. 6. pag. 326. *Quod genus superiori*, nempe quercui, *proximum est, sicuti scriptum est in quadam comœdia Cæcilii: Advehuntur, inquit, cum iligneа corona, & chlamyde.*

5. *Jovi sacra.*] Urbium præsidi, ac civium: maxime vero rei Romanæ, & Capitolii: unde ipse Capitolinus dictus est: quamobrem ex arbore ei sacra dari coronam cive servato justum esse veteres fortassis censuerunt, inquit Plutarch. in Coriolano, pag. 214. [illegible] *Hæc Sacra Jovis quercus, de semine Dodonæo*, ut canit Ovidius, lib. 7. Metamorph.

6. *Ac data ubique.*] Mos, inquit, demum invaluit, dandi civicam e qualibet quercu: hoc tantum e prisca institutione religiose servato, ut glans in ea eligeretur optima, & grandissima.

7. *Leges arctæ.*] Arduæ, ac difficiles.

8. *Græcorum summa.*] Præcipua, atque adeo unica lege.

9. *Sub ipso Jove.*] Jove ipso Olympico teste advocato, cujus ante statuam a Phidia elaboratam, ea lex recitabatur. Nugantur, qui *sub Jove*, hoc loco, sub dio, vel in arena media, interpretantur.

10. *Cuique muros.*] Disjicere mœnia certo quodam loco veteres solebant, qua transvectio Olympionicæ, & triumphalis in urbem curru super mœnia disjecta ingressus foret: quod Plutarchus aperte docet, lib. 2. Sympos. quæst. 5. pag. 639. causamque subdit eam fuisse, quod significare eo ritu voluerint, non magnam in ea civitate utilitatem murorum esse, in qua viri essent qui pugnare possent, & vincere. Xiphilinus, de reditu Neronis in Urbem: *Quiddam, inquit, murorum disjectum est, ac portarum: quibusdam asseverantibus ita sancitum esse, ut ita fieret iis qui e certaminibus coronati revertuntur.* [illegible]. In Nerone, pag. 723. In patriam suam quadrigis sic invehi solemni pompa, Græci *εἰσελαύνειν* dicebant. Hinc in nummis antiquis, CERT. ISEL, hoc est, *Certamina Iselastica*. Et Plinius alter ad Trajanum, *εἰσελαστικόν*, *Iselasticum*.

11. *Utque eum locum.*] Has leges luculenter Gellius his verbis exponit, lib. 5. pag. 326. *Masurius Sabinus, inquit, civicam coronam tum dari solitam dicit, cum is qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat: aliter jus civicæ coronæ negat concessum. Tiberium tamen Cæsarem consultum, an civicam coronam capere posset, qui civem in prælio servasset, & hostes ibidem duos interfecisset: sed locum, in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent: rescripsisse dicit, eum quoque civica dignum videri: quod appareret tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit.*

12. *Ut civis fuerit.*] Qui servatus fuerit, qui coronam dederit. Gellius loc. cit. *Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est, in prælio testem vitæ, salutisque perceptæ dat.*

13. *Auxilia.*] Prærogativa hæc est civitatis Romanæ. Miles auxiliaris, aut mercenarius, nullam partem habet hujusce laudis & gloriæ.

14. *Conditores.*] Legis auctores, de corona civica danda.

15. *Ut retulimus.*] Libro 7. sect. 29.

16. *Capitolinus.*] M. Manlius, servati Capitolii decore inclytus, & ob id Capitolini cognomen sortitus: ex illo ipso, quod tutatus erat, Tarpeio saxo dejectus, anno V. C. CCCLXX. Livius, lib. 6. pag. 115. civicas octo hunc retulisse ait, servatos ex hostibus cives produxisse, inter quos Servilium Magistrum Equitum absentem nominatum. Vide quæ diximus lib. 7. sect. 29.

17. *Africanus.*] Scipio Africanus sequens, qui Carthaginem postea Numantiamque delevit. Vide Florum, lib. 2. cap. 6. pag. 60.

18. *Apud Trebiam.*] Id facinus ad Trebiam quoque contigisse refert, lib. 15. Florus *inter Padum & Ticinum*. Item Valerius Max. lib. 5. cap. 4. pag. 267. & Seneca, lib. 3. de benef. cap. 33. pag. 49.

Sect. VI. 1. *Per Hispanias.*] Hodieque venales Salmanticæ, alibique, Octobri mense proponuntur, teste Carolo Clusio.

2. *Distant fructu.*] Fructu: silvestres enim aliæ sunt, aliæ placidæ, & mitiores: & omnium inter se figura dispar. Situ: nam aliæ montuosis locis, aliæ planis gaudent. Sexu: mares & feminæ.

3. *Genera distinguere.*] Hodieque disceptant inter se eruditi, de variis quercuum generibus, nominibusque. Nos, quid sentiamus, breviter interim aperimus. Robur Theophrasto *δρῦς ἀγρία* est, nec habet in Gallica lingua nomen: nec receptum usu est, quod quidam inculcant, *le Roure*. Quercus, ἡ φηγὸς Theophrasto, *le grand chesne*. Fa-

nominibus, quæ sunt alia alibi. Quippe cum robur quercumque vulgo nasci videamus, esculum non ubique. Quartam vero generis ejusdem, quæ cerrus vocatur, ne Italiæ quidem majore ex parte notam esse. Distinguemus ergo proprietate, naturaque: & ubi res coget, etiam Græcis nominibus.

CAP. VI. 5 VII. [1] Fagi glans nucleis similis, triangula cute includitur. Folium tenue, atque e levissimis, populo simile, celerrime [2] flavescens: & media parte plerumque gignens superne parvulam [3] baccam viridem, cacumine aculeatam. Fagi glans muribus gratissima est, & ideo animalis ejus unâ proventus: [4] glires quoque saginat: expetitur & turdis. Arborum fertilitas omnium fere [5] alternat, sed maxime fagi.

10 VIII. Glandem, quæ proprie intelligitur, ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, [1] suber. Continetur hispido calyce, [2] per genera plus minus cutem complectente. Folia, præter ilicem, gravia, carnosa, procera, sinuosa lateribus, nec cum cadunt, flavescentia, ut fagi: pro differentia generum breviora, vel longiora. Ilicis duo genera. Ex iis in Italia [3] folio non multum ab oleis distant, [4] smilaces a quibusdam Græcis 15 dictæ. In provinciis [5] sunt aquifoliæ. [6] Ilicis glans utriusque brevior & gracilior, quam [7] Homerus acylon appellat, eoque nomine [8] a glande distinguit. Masculas ilices negant ferre.

Glans optima in quercu, atque grandissima: mox esculo: nam roboris parva: [9] cerro tristis, horrida, echinato calyce, ceu castaneæ. Sed & in querna, alia dulcior, 20 molliorque feminæ: mari spissior. Maxime autem probantur [10] latifoliæ ex argumento dictæ. [11] Distant inter se magnitudine, & cutis tenuitate. Item quod aliis subest tunica rubigine scabra, aliis protinus candidum corpus. Probatur & ea, cujus in balano utrimque [12] ex longitudine, extrema lapidescit duritia: melior, cui in cortice, quam cui in corpore: utrumque non nisi mari. Præterea aliis ovata, [13] aliis rotun- 25 da, aliis acutior figura. Sicut & colos nigrior, candidiorve, qui præfertur. Amaritudo in extremitatibus, mediæ dulces. [14] Quin & pediculi brevitas proceritasque differentiam habet.

In ipsis vero arboribus, quæ maximam fert, [15] hemeris vocatur, brevior, & in orbem comosa, [16] alasque ramorum crebro cavata. [17] Fortius lignum quercus habet 30 & incorruptius: ramosa & ipsa: [18] proceriot tamen, & crassior caudice. [19] Excelsissima autem ægilops, incultis amica, [20] Ab hac proxima latifoliæ proceritas, sed minus

NOTÆ.

gus Latinorum, Theophrasto, αἰγίλωψ, *le Hêtre*, ou *le Fouteau*. Esculus, Theophrasto φηγὸς, *le petit Chesne*, ut dicemus sect. 8. Cerrus, ἀξία: nec ortum in Gallia, nec nomen habet. Ilex, Theophrasto πρῖνος, *l'Euse*, ou *chesne verd*. Hæc iis nomina idoneis argumentis suo quæque loco vindicabimus.

Sect. VII 1. *Fagi glans.*] Galli has nuces faginas *Faines* vocant. Arboris & glandis iconem accuratam exhibet Dodonæus, lib. 4. Pemptad. 6. cap. XI. pag. 810.

2. *Flavescens.*] De hac voce diximus superiore libro, sect. 36.

3. *Baccam.*] Tuberculum duriusculum baccæ simile, quod in medio fere folio superne enascitur.

4. *Glires quoque.*] Refert Matthiolus, in lib. 1. Diosc. pag. 206. cum fagi maturitas appetit, innumeros capi glires in Carniola, Carinthia, Stiriaque: mures ea esca illectos e longinquo silvas petere gregatim: sciuris, turdis, merulis, esse pariter in cibatu gratam.

5. *Alternat.*] Alternis tantum annis maximo ferunt proventu glandem.

Sect. VIII. 1. *Suber.*] Φελλὸς, *du liege*. Recte delineatur a Dodonæo, Pemptad. 6. lib. 4. cap. 6. pag. 818.

2. *Per genera.*] Pro differentia generum: qua loquendi forma mox ipse abutitur. Itaque pro arborum diversitate major minorve calycis amplitudo est, majorem calyx vel minorem cutis glandisve partem amplectitur.

3. *Folio non multum.*] Non igitur aculeato: & hoc primum ilicis genus est, quod in Italia provenit. Alterius generis in provinciis reperiuntur, quæ proprie ilices, πρῖνοι, eædemque æquifoliæ, aculeatis nimirum foliis, appellantur. In Provincia frequentes: *Yeuses*, ut diximus, & *Euses*.

4. *Smilaces a quibusdam.*] Nempe ab Arcadibus, auctore Theophr. lib. 3. hist. cap. 16. Οἱ δὲ περὶ Ἀρκαδίαν δένδρον τι σμίλακα καλοῦσιν, ὃ ἐστιν ὅμοιον τῷ πρίνῳ. *Smilacem Arcades vocant arborem ilici similem, foliis tamen non aculeatis*, καὶ τὸ φύλλον οὐκ ἀκανθῶδες ἔχει. Vox est σμίλαξ πολύσημος, multa significans. Hesychius: Σμίλαξ, δένδρον, οἱ δὲ πρῖνον· ἄλλοι σμίλακα, ἢ στρουθίον.

5. *Sunt aquifoliæ.*] Alterum scilicet ilicis genus. Vide Notas & Emend. num. I.

6. *Ilicis glans utriusque.*] Tam smilacis, quam aquifoliæ. Theophr. loc. cit.

7. *Homerus acylon*] Odyss. κ'. vers. 242. Theocritus quoque, Idyll. ε. Et Galenus, tom 6. lib. de alim. bonis & mali succi, pag. 427. Τὰς δὲ τῶν πρίνων βαλάνους, ἃς ἀκύλους ὀνομάζουσιν ἔνιοι.

8. *A glande.*] Quæ proprie glans appelletur, βάλανος. Homericum versum Plinius recte sic distinxit:

Πὰρ δ' ἄκυλον, βάλανόν τ' ἔβαλε.

Etsi in editis aliter.

9. *Cerro tristis.*] Quercus est procera, glande majore, calyce echinato. A Dodonæo recte depingitur, pag. 819. qualem in Horto Regio vidimus: sed is ægilopem perperam vocat.

10. *Latifoliæ.*] Πλατύφυλλοι Theophrasto appellatæ, lib. 3. hist. cap. 9. e quercuum genere: In Andegavorum agro perpetuo viret.

11. *Distant inter se.*] Nempe glandes generatim & universe.

12. *Ex longitudine.*] Ima summaque parte glans durescit in lapidem: ἀπολιθοῦσθαι ἐν τοῖς ἄρρεσι καλυμμένας, ἐξ ἄκρου τῆς βαλάνου ἑκατέρωθεν. αἱ μὲν ὥσπερ τῷ κελύφει, αἱ δὲ ὥσπερ αὐτῇ τῇ σαρκί. Theophr. loc. cit.

13. *Aliis rotunda*] Ut quercui: φηγὸς τοῖς στρογγύλαις. Theophr. lib. 3. hist. cap. 10.

14. *Quin & pediculi.*] Quo glans arbori adhærescit.

15. *Hemeris vocatur.*] Ἡμερὶς, Latinis esculus appellata, a suavitate glandis, ut diximus sect 6. quam breviorem quercu cum Plinius asseverat, omnino docet hemerim esse quam nos dicimus *Petit chesne*. Iconem vide apud Dodon, pag. 821.

16. *Alasque.*] Alis ramorum cavatis, κοιλομασχάλην. De his dicemus lib 25. sect. 18.

17. *Fortius . . . quercus habet.*] Et Theophr. de sua φηγῷ, lib. 3 hist. cap. 9 Τοῦτο γὰρ ἰσχυρότατον, καὶ ἀσηπτότατον. Nec Glossis credo, quæ esculum φηγὸν vocant

18. *Procerior tamen.*] Quam hemeris: sed ægilope minor, inquit Theophr. *Le grand chesne.*

19. *Excelsissima.*] Theophr. loc. cit. Ἡ δὲ αἰγίλωψ ὀρθοφυέστατον, καὶ ὑψηλότατον. . . φύεται δ' ἐν τοῖς ἐργασίμοις σπανίως. Est autem ægilops, ut diximus sect. 6. Latinorum fagus. Eadem ramosa, ut Plinius notat: unde Virgilius cecinit, *patulæ sub tegmine fagi.*

20. *Ab hac.*] Theophr. loc. cit.

utilis ædificiis, [21] atque carboni: dolata vitiis obnoxia est: quamobrem solida utuntur: carbo in ærariorum tantum officinis compendio: quoniam desinente flatu protinus emoriens, sæpius recoquitur: cetero plurimis scintillis. [22] Idem e novellis melior. [23] Acervi confertis [24] taleis recentibus luto caminantur: accensaque strue contis pungitur [25] durescens calyx, atque ita sudorem emittit. 5

Pessima [a] & carboni & materiæ [26] haliphlœos dicta, cui crassissimus cortex atque caudex, & plerumque cavus fungosusque. Nec alia putrescit ex hoc genere, etiam cum vivit. [27] Quin & fulmine sæpissime icitur, quamvis altitudine non excellat: ideo ligno ejus nec ad sacrificia uti fas habetur. [28] Eidem raro glans, & cum tulit, amara, quam [29] præter sues nullum attingat animal: ac ne hæ quidem, si aliud 10 pabulum habeant. [30] Hoc quoque inter reliqua neglectæ religionis est, quod emortuo carbone sacrificatur.

Glans fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem, ac levem & utilem stomacho: iligna, [31] suem angustam, nitidam, strigosam, ponderosam: [32] querna, diffusam: gravissima & ipsa glandium, [33] atque dulcissima. Proximam huic cerream tradit Nigidius: 15 nec ex alia [34] solidiorem carnem, sed duram. Iligna tentari sues, nisi paulatim detur. Hanc novissimam cadere. Fungosam carnem fieri [35] esculo, robore, subere.

IX. [1] Quæ glandem ferunt, omnes & gallam, alternisque annis glandem. [2] Sed gallam hemeris optimam, & coriis perficiendis aptissimam. Similem huic latifolia, [3] sed læviorem, multoque minus probatam. Fert & nigram. Duo enim genera sunt. [4] Hæc tin- 20 gendis utilior. * [5] Nascitur autem [6] Sole de Geminis exeunte, erumpens noctu semper universa. [7]. Crescit uno die candidior. [8] Et si æstu excepta est, arescit protinus, neque ad justum incrementum pervenit: hoc est, [9] ut nucleum fabæ magnitudine habeat. Nigra diutius viret: crescitque, ut interdum mali compleat magnitudinem. Optima Commagena, deterrima ex robore. [10] Signum ejus, quod cavernæ translucent.. 25

* CAP. VII

X. [1] Robur, præter fructum, plurima & alia gignit. Namque fert & gallæ [2] utrumque genus, & quædam [3] veluti mora, ni distarent arida duritie: [4] plerumque tauri caput imitantia, quibus fructus inest nucleis olivæ similis. [5] Nascuntur in eo & pilulæ, nucibus non

INTERPRETATIO.

a *Et carboni.*] Tum ad *faciendum* carbonem parum apta, tum ad materiam *ædificiorum*.

NOTÆ.

21. *Atque carboni.*] Ad carbonem faciendum. Vide Notas & Emend. num. II.

22. *Idem e novellis.*] Nempe carbo. Ita MSS. Reg. &c. non *item.* Theophrast. lib. 5. hist. cap. 10. Χείρυς δὲ καὶ οἱ τῶν πρεσβυτέρων τῶν νέων, καὶ μάλιστα οἱ τῶν γεγηρακότων, &c. *Vetustioris arboris, & potissimum annosæ, deterior est, quam novellæ, carbo: summa enim siccitate constat, ideoque cum ardet, dissilit,* &c.

23. *Acervi. .... luto caminantur.*] In camini formam oblinuntur. *Cædunt componuntque*, inquit Theophr. loc. cit. *ad carbonem conficiendum taleas recentes & rectas: has autem quam densissime componi ad concremationem oportet. Cum vero fornacem luto oblenierint, accendunt, & contis pungunt a latere.* Τέμνουσι δὲ καὶ ζητοῦσιν εἰς τὰς ἀνθρακίας τὰ ὀρθὰ... καὶ τὰ νέα. δεῖ γὰρ ὡς πυκνότατα θεῖναι αὐτὰ τὴν κατάκαυσιν. ὅταν δὲ περιαλείψωσι τὴν κάμινον, ἐξάπτουσι, παρακεντοῦντες ὀβελίσκοις.

24. *Taleis.*] Frustis ligni ex utraque parte præcisis.

25. *Durescens calyx.*] Lutosa crusta, quæ carbonis struem integit.

26. *Haliphlœos.*] Ἁλίφλοιος Theophrasto, lib. 3. histor. cap. 9. hoc est, crassicortex. ἡ γὰρ ἁλίφλοιος παχὺ μὲν ἔχει τὸ στέλεχος, χαῦνον δὲ καὶ κοῖλον, &c. Gallis incognita, nec in ullius Latini nominis possessionem venit.

27. *Quin & fulmine.*] Theophr. loc. cit. qui Æoles negat eam ob causam ad sacrificia lignum id adhibere.

28. *Eidem raro.*] MSS. omnes, *rare.*

29. *Præter sues.*] Hoc pariter Theophrastus, lib. 3. hist. cap. 10. de ea arbore narrat, quam ἄσπριν Macedones vocant.

30. *Hoc quoque.*] Hanc etiam ob causam, inquit, præter ceteras causas, in religionibus non adhibetur, quod facile carbo emoriatur, dum res sacra peragitur.

31. *Suem angustam.*] Macilentam: &, ut subditur, strigosam. Laudat tamen *aprum iligna glande motatum* Horatius lib. 2. Satyr. vers. 40.

32. *Querna, diffusam.*] Pinguem, ac probe saginatam.

33. *Atque dulcissima.*] Querna, inquit, glandium dulcissima est: quod de sua φηγῷ tradit Theophrast. lib. 3. histor. cap. 9. γλυκύτατον δὲ ὁ τῆς φηγοῦ.

34. *Solidiorem.*] Ita MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. &c. non, ut in editis hactenus legitur, *sordidiorem.*

35. *Esculo.*] Glande esculea, &c.

Sect. IX. 1. *Quæ glandem.*] Sic Theophr. loc. cit. Κηκίδας δὲ πάντα φέρει τὰ γένη. Verum ea eo numero eximenda ilex, quippe quæ nec glandem proprie appellatam, sed ἄκυλον, quam recte Homerus, ut dictum est sup. sect. a glande distinxit, nec proinde gallam ferat. Hic Plinium immerito coarguunt Pintianus, & Sepulveda, lib. 3. epist. 45. ad Pintian. pag. 180. Galla, *noix de galle.*

2. *Sed gallam.*] Hæc pariter apud Theophr. loc. cit.

3. *Sed leviorem.*] Theophr. πολὺ λειοτέραν.

4. *Hæc tingendis.*] MSS. *tinguendis*, nempe lanis, vel coriis. Theophr. φέρει δὲ καὶ τὴν ἑτέραν τὴν μέλαιναν, ᾗ τὰ ἔρια βάπτουσι.

5. *Nascitur autem.*] Hæc totidem fere verbis Theophrast. lib. 3. hist. cap. 6.

6. *Sole de Geminis.*] Theophr. Circa desinentem Junium, ἀπὸ Σκιρροφοριῶνος λήγοντος.

7. *Crescit.*] Quæ candida est, crescit die uno.

8. *Et si æstu.*] Theophr. loc. cit.

9. *Ut nucleum.*] Nuclei voce abutitur, ut gallam significet: quod iterum facit, lib. 24. sect. 5.

10. *Signum ejus.*] Deterrima, inquit, ex eo se signo prodit, quod sit multis foraminibus pervia, τετρυπημένη, inquit Diosc. lib. 1. cap. 146.

Sect. X. 1. *Robur.*] Theophr. lib. 3. histor. cap. 8. Πλεῖστα δὲ πάντων ἡ δρῦς φέρει παρὰ τὸν καρπόν, &c. Et Græcorum δρῦν Maro quoque robur interpretatur, cum ad hunc Homeri versum alludens,

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης,

ita in Æneide cecinit,

Gensque virûm truncis, & duro robore nata.

2. *Utrumque genus.*] Album, ac nigrum. Theophr. loco citato.

3. *Veluti mora.*] Quiddam quod speciem mori refert, συκαμινῶδες ἄλλο: sed durum illud oppido, fractuque difficile.

4. *Plerumque tauri.*] *Ab hac aliud quoque gignit, quod cum plane crevit, tauri caput quodammodo imitatur:* Καὶ ἕτερον.... συμφερὲς τελέως πως τῷ ἐν καὶ ταύρου κεφαλῇ, περιρρηγνύμενον δὲ ἐντὸς ἔχει πυρῆνα ἐλαίας ὁμοφυῆ. Theophr. loc. cit.

5. *Nascuntur.*] Theophr. loc. cit.

absimiles, intus habentes flocos molles [6] lucernarum luminibus aptos. Nam [7] & sine oleo flagrant, sicuti galla nigra. Fert & aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tamen tempore [8] melligeni succi. Gignunt & alæ ramorum ejus pilulas, [9] corpore, non pediculo, adhærentes: candicantes umbilicis: cetera nigra varietate dispersa. [10] Media cocci
5 colorem habent. [11] Apertis amara inanitas est. Aliquando [12] & pumices gignit: necnon [13] & e foliis convolutas pilulas: [14] & in folio rubente [15] aquosos nucleos, candicantes ac translucidos, quamdiu molles sint, in quibus [16] & culices nascuntur: maturescunt in modum gallæ.

CAP. VIII. XI. Ferunt robora & [1] cachryn: ([2] ita vocatur pilula in medicina urendi vim habens.)
10 [3] Gignitur & in abiete, larice, picea, tilia, nuce, platano: postquam folia cecidere, hieme durans. [4] Continet nucleum pineis similem: is crescit hieme, aperitur vere pilula tota: cadit, cum folia cœpere crescere. Tam multifera sunt, tot res præter glandem pariunt robora. [5] Sed & boletos, [6] suillosque, gulæ novissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur: quercus probatissimos: [7] robur autem, & cupressus,
15 [8] & pinus, noxios. [9] Robora ferunt & viscum, & mella, ut auctor est Hesiodus. Constatque rores melleos, cælo, [10] ut diximus, cadentes, non aliis magis insidere frondibus. [11] Cremati quoque roboris cinerem nitrosum esse certum est.

XII. Omnes tamen has ejus dotes ilex solo [1] provocat cocco. Granum hoc, primoque [2] ceu scabies fruticis, [3] parvæ aquifoliæ ilicis: [4] cusculium vocant:
20 [5] pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat. Usum ejus gratiorem in con-

NOTÆ.

6. *Lucernarum.*] Vicem ellychnii in lucernis præbentes.

7. *Et sine oleo.*] Theophr. Καίεται γὰρ καλῶς ἄνευ τῆς ... ἡ μέλαινα κηκίς.

8. *Melligeni succi.*] Quæ melleum succum tactu gustatuque refert. Theophr. φύει δὲ καὶ ἕτερον σφαιρίον κομήτην ... τὸ μὲν ἄλλο ἀχρεῖον, κατὰ δὲ τὴν ἐαρινὴν ὥραν ἐπιβάπτεται χυλῷ μελιτηρῷ, καὶ κατὰ τὴν ἁφὴν, καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν.

9. *Corpore.*] In ramorum alis, inquit, pilulas gignit alias, quæ per se ipsæ, suo corpore, ac sine pediculo, ramis adhærescant: quæ umbilicos candicantes habeant, reliquum corpus variegatum e nigro. Ita Theoph. loc. cit. φύει δ' ἐνδοτέρω, ... σφαιρίον ἄμισχον... τοὺς μὲν γὰρ ἐπανεστηκότας ὀμφαλοὺς ἐπιλεύκους, ἢ ἐστιγμένους ἔχει μέλανας. Sic enim admonitus a Plinio medicus Constantinus, vitiato huic alioqui Græci scriptoris loco medicinam fecit.

10. *Media.* [Theophr. Τὸ δὲ μεσαίτατον κοκκοβαφὲς καὶ λαμπρόν. Cocci colorem, miniatum intellige: uti de psittaci torque in cervice Plinius ait, lib. 10. sect. 58.

11. *Apertis.*] Apertam pilulam nigram videri & subputridam dixit Theophr. loc. cit. Ἀνοιγόμενον δὲ ἐστι μέλαν, καὶ σαπρόν. Fungosam tamenque lanuginem, quæ intus est, *inanitatem* vocat.

12. *Et pumices.*] Pumiceum lapillum, ... δὲ ... φύει καὶ λιθάριον κισσηρώδες ἐπὶ πολλοῖς. Theophr.

13. *Et e foliis.*] Sic Theophr. φυλλικὸν σφαιρίον συμπεπιλημένον.

14. *Et in folio.*] In ipsa folii spina, quæ per medium tergum recta discurrit, ἐπὶ τοῦ φύλλου κατὰ τὴν ῥάχιν, inquit Theophrastus.

15. *Aquosos.*] Pilulas aquosas, albas, pellucidas, quamdiu molles sunt, σφαιρίον λευκὸν, διαφανὲς, ὑδατῶδες, ὅταν ἁπαλὸν ᾖ. Theophr. Vulgo pilulas asininas vocant.

16. *Et culices.*] Μύας Theophrastus dixit, hoc est, *muscas*.

Sect. XI. 1. *Cachryn.*] Habet hæc vox Κάχρυς apud Hesych. aliosque, multos significatus. Est autem hæc Pliniana κάχρυς ab ea quam Theophrastus affert, & forma, & nascendi modo dispar. Huic pilulæ instar est, cui nihil simile Theophrastea habet: hæc, postquam folia cecidere, hieme durat, autumno nata: illa primo vere gignitur. Adjicit tamen statim idem Theophr. lib. 3. hist. cap. 7. quiddam in robore peculiare autumno nasci, quod per hiemem duret: eamque facile adducor, ut credam κάχρυν Plinianam esse. Sed nihil est eo Theophrasti loco corruptius. Τὸ δ' ἴδιον ... μετοπώρου μετὰ τὴν φυλλοβολίαν &c.

2. *Ita vocatur.*] Eo quoque nomine, inquit, appellatur pilula quædam in medicinæ usu. quam scilicet κάχρυν, vel potius κάχρυς vocat Dioscor. lib. 3. cap. 88. qui proprie fecundi rosmarini fructus: nec pilula, sed semen est: pariter urendi vim habens, καυστικὴν δύναμιν.

3. *Gignitur.*] Dissimile est, quod in iisdem fere arboribus gigni Theophrastus prodit, lib. 3. hist. cap. 7.

4. *Continet nucleum.*] Iisdem plane nucis avellanæ usum Theophr. describit, loc. cit.

5. *Sed & boletos.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 9. Οἱ γὰρ μύκητες ἀπὸ τῶν ῥιζῶν, καὶ παρὰ τὰς ῥίζας φυόμενοι, &c.

6. *Suillosque.*] Id fungorum tertium genus nomen habet: veneni accommodatissimum, ut dicetur lib. 22. sect. 47.

7. *Robur autem.*] Δρῦς Græcis, ut diximus. Subscribit in Georgicis Nicander his versibus: apud Athen. lib. 2. pag. 60.

Ἐχθρὴ δ' ἰλαιὴ,
Πρίνου τε, πρίνου τε, δρυὸς τ' ἀπὸ πήγματα πάντη,
Οἰδαλέα, τ' ἰξώδη, βαρύ, πνίξοντα μυκήτων.

Hoc est, *noxia olea*, *Punica*, *ilicis*, *roborisque purgamenta faciunt*, *tumida*, *glutinosi*, *malefica*, *strangulantes fungi*. De his dicetur opportunius, lib. 22. sect. 47.

8. *Et pinus.*] Athenæus, lib. 2. pag. 61. ex Diphilo, pineos inter edules accenset, & ulmeos: οἱ ἐπὶ πτελέαις καὶ πίτυσι γινόμενοι.

9. *Robora.*] Theophrast. loc. cit. ... ἡ ἰξία ... ἔτι γε δὴ καθ' Ἡσίοδον φέρει μέλι καὶ μελίττας, &c. Hesiodi versus hi sunt, in Ἔργοις, vers. 230.

Οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας.

10. *Ut diximus.*] Libro XI. sect. 12. Huc pertinet quod Maro cecinit, Ecloga IV.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Et quod Naso, lib. 1. Metam. vers. 112.

Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

11. *Cremati.*] Theophr. loc. cit. Φασὶ δὲ καὶ ... ὅτι σποδὸν, λίτρον ἐξ αὐτῆς.

Sect. XII. 1. *Provocat cocco.*] Æquat, vel etiam superat. Theophr. lib. 3. hist. c. 16. Ὁ δὲ πρῖνος... φέρει καὶ παρὰ τὴν βάλανον κόκκον τινὰ φοινικοῦν. *Ilex fert præter glandem, granum quoddam puniceum.* In Gallia Narbonensi, nunc *Vermillon* vocant, vel *graine d'écarlate*. Quoniam ea grana vermiculis scatent, quorum sanies coccino tingendo idonea est, efficitque eum colorem, quem & nos miramur, & veteres impense laudarunt. Hinc *emblemate vermiculatum* dixere, coccineo colore tinctum.

2. *Ceu scabies.*] Ac veluti arboris excrementum, seu purgamentum quoddam. Vide Notas & Emendat. num. III.

3. *Parvæ aquifoliæ.*] Et parvam ilicem, & fruticem vocant, ut ab eo utroque genere ilicis, de quo dictum est sect. 8. diversum illud esse intelligas. Et est ex illo sane id genere, quod aquifolium ipse alibi, aliique dixere, alii agrifolium: Galli, *le petit Houx*: minime, ut priora duo, glandiferum. Diosc. lib. 4. cap. 48. Κόκκος βαφική, θάμνος ἐστὶ μικρὸς, φρυγανώδης, ᾧ ἀπήρτηνται οἱ κόκκοι ... φακοῖς, &c. *Frutex est parvus*, *surculosus*, *cui grana*, *ceu lentes*, *adhærent*. Tamen & in ilice πρίνῳ gigni Theophrastus paulo ante censuit. Hæc aquifolia eadem ἀγρία dicitur, l. 3. histor. cap. 4 unde & Latinis *agrifolium*. In Notis quæ falso Tironi adscribuntur, apud Gruterum, pag. 170. ubi arborum genera recensentur: *Fraxinus*. *Acrifolium*. *Ilex*.

4. *Cusculium.*] Κοσκύλια, quoniam e cortice eraduntur. Græcis κοσκυλμάτια est excrescentes minutias præsecare.

5. *Pensionem alteram.*] Alterum ex horto, ex agro alterum pauperes tributum pendebant. Nam & hortensia in macello distrahebant, coccum iidem passim nascentibus fruticibus decerpebant: atque ex gemina ea merce corradebant, unde tributum penderent. E cocco igitur pensio altera tributi peti solita a Plinio nunc dicitur: altera ex horto, lib. 19. sect. 19. his verbis: *cum crederetur pensio ea pauperum.* Accepit hunc locum aliter longe Salmasius in Solin. pag. 175. Tributi collationem ait duplicem fuisse;

chylii mentione [6] tradidimus. [7] Gignitur & in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia: pessimum in Sardinia.

XIII. Galliarum [1] glandiferæ maxime arbores [2] agaricum ferunt. Est autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens. Signum hoc ejus, quo in tenebris decerpitur. E glandiferis sola quæ [3] vocatur ægilops, fert pannos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modo, verum & e ramis dependentes cubitali magnitudine, odoratos, [4] ut diximus inter unguenta. 5

Suberi [5] minima arbor, glans pessima, rara: [6] cortex tantum in fructu, [7] præcrassus ac [8] renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus. Usus ejus ancoralibus maxime navium, piscantiumque [9] tragulis, [10] & cadorum obturamentis: præterea in hiberno feminarum calceatu. Quamobrem [11] non infacete Græci corticis arborem appellant. [12] Sunt & qui feminam ilicem vocent: atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utantur, in carpentariis præcipue fabricis, ut circa Elin & Lacedæmonem. [13] Nec in Italia tota nascitur, [14] aut in Gallia omnino. 10 15

CAP. IX. XIV. Cortex & fagis, tiliæ, abieti, piceæ, in magno usu agrestium. Vasa, corbesque, ac patentiora quædam messibus convehendis vindemiisque faciunt, atque [1] prætexta tuguriorum. Scribit in recenti ad duces explorator, [2] incidens litteras a succo. Nec non in quodam usu sacrorum religiosus est fagi cortex. Sed non durat arbor ipsa. 20

CAP. X. XV. [1] Scandulæ e robore aptissimæ, mox e glandiferis aliis, fagoque: facillimæ ex omnibus quæ resinam ferunt: sed minime durant, præterquam e pino. [2] Scandula contectam fuisse Romam, [3] ad Pyrrhi usque bellum, annis CCCCLXX. Cornelius Nepos

NOTÆ.

aliam in capite, aliam in censu. Posteriori tributo pendendo non fuisse obnoxios eos, qui agrum aut prædia non haberent: cum pensione capitis omnes tenerentur, qua divites, qua pauperes. Sed neque hoc loco capitationis vim, quidve vox ea valeat, intellexisse Salmasium, non optimum sane Jurisconsultum, disces ex iis quæ de capitatione disputat Gothofredus in Cod. Theod. lib. XI. tit. 1. de annona & tributis, pagg. 17. & 43. item lib. 13. tit. 10. de censu, pag. 116. Capitatio enim & genus illud tributi dicebatur, quod pro possessionum quoque numero, si quæ essent, imponeretur. Salvianus, lib. 5. de gubern. Dei: *Cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit: proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur.* Vide & Glossarium Du-Cangii, verbo *Capitatio*, & *Caput*. Neque vero de tributo gemino nunc sermonem esse Plinius ipse haud obscure indicat, cum *pensionem tributi alteram* hunc cocci proventum, non *tributi alterius pensionem* vocat: hoc est, in cocco alterum esse solvendo tributo subsidium, non tributo alteri.

6. *Tradidimus.*] Lib. 9. sect. 65.

Gignitur, &c.] Diosc. lib. 4. cap. 48.

Sect. XIII. 1. *Glandiferæ.*] Præcipue larices, oculato teste Nic. Chorier, lib. 1. hist. Delphin. pag. 58. Sunt enim in ea regione plurimæ.

2. *Agaricum.*] Ἀγαρικὸς, & apud Gallos retinet nomen, *Agaric*, fungi genus. A Dodonæo pingitur, Pempt. 3. lib. 5. cap. 14. pag. 477. De eo rursum Plinius, lib. 25. sect. 57. quem locum vide.

3. *Vocatur ægilops.*] Fagus hæc est Latinorum, ut diximus sect. 6. Hæc porro Theophr. lib. 3. cap. 9. Ὁ δὲ καλούμενος φάγος... [Greek partly illegible] &c. *Quod autem φάσκος quidam vocant, pannis simile, ægilops sola fert, canum & muscosum, cubitali longitudine pendens, ut vestis laceras longusque pannus: nascitur e cortice, non e surculorum cacumine: unde glans: neque ex gemma, sed ex latere ramorum anni exacto, &c.*

4. *Ut diximus.*] Libro 13. sect. 50.

5. *Minima arbor.*] Neiope e glandiferis.

6. *Cortex tantum in fructu.*] In usu: quod in ea arbore nihil ad vitam utile colligas, præter corticem.

7. *Præcrassus.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 16. φλοιὸν ἔχει παχὺν σφόδρα.

8. *Renascens.*] Intra annos tres: ἐν τρισὶν ἔτεσιν, Theophrast. loc. cit.

9. *Tragulis.*] Piscatorum verricula tragulas vocat, sine controversia a trahendo nomen adeptas, ut vidit jamdudum Turnebus, lib. 22. Adversf. cap. 14. pag. 711. Et Glossæ Isidori: *Tragum, genus piscatoria.* Glossar. Lat. Gallic. *Tragum, Rets à pescher.* Catholicon Armoricum: *Tramaill: c'est un rets à pescher.* Latine, *hoc tragum, verriculum.* Gallis, *Tremail.* Italis, *Tramaglio*: quod tribus maculis, vel triplici macularum ordine constat, quas *Mailles* nostri appellitant.

10. *Et cadorum.*] Nunc quoque subere lagenis amphorisque obturandis utimur: & a calceariis suberem experti ad conficiendas crepidas, nemo nescit. Hæc obturamenta Galli vocant, *bondons*: obturare cadum, *bondonner un muid.*

11. *Non infacete Græci.*] Videtur φελλὸν, quasi φλοιὸν, dicere a Græcis velle. Φελλὸς certe Hesychio φλοιὸς δένδρου, καὶ ξύλον ἐλαφρὸν, *arboris cortex, & lignum leve.* Suberem etiam simpliciter corticem Latini dixere: Horatius, lib. 3. Ode 9. v. 22.

Tu levior cortice.

Et lib. 1. Satyr. 4. versu 119.

Simul ac duraverit ætas

Membra, animumque tuum, nabis sine cortice.

12. *Sunt & qui.*] Hæc Theophrastus iisdem plane verbis, lib. 3. hist. cap. 16. de arbore quam φελλόδρυν Arcades vocabant: camdem esse cum φελλῷ seu subere, ex aliis auctoribus Plinium didicisse credimus.

13. *Nec in Italia tota.*] Sed in Etruria tantum. Theophr. loc. cit.

14. *Aut in Gallia.*] Galliæ nomine Narbonensis provincia hoc loco minime comprehenditur. Nam, ut ait lib. 4. sect. 31. *Gallia omnis Comata uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur*, Belgas nimirum, Celtas & Aquitanos. In Provincia certe, quæ pars est provinciæ Narbonensis, indigenam esse suberem, nec adscititiam aliunde, argumento est, quod dumosis & squalentibus locis ibi luxuriose prosilit, ut prodidere Petr. Quiqueranus, lib. 2. fol. 50. Honor. Bouche, lib. 1. cap. 8. pag. 49. ipsaque experientia comprobat.

Sect. XIV. 1. *Prætexta tuguriorum.*] Tecti tuguriorum marginem seu oram extimam, quæ eo corticis genere prætexitur. Ducta metaphora videtur a prætexta nobilium, quæ purpura circumtexta erat. Forte *protecta* rectius, quod in MSS. *protecta* legitur. *Prominentiæ* tectorum, Vitruvio, lib. 4. cap. 2. & lib. 2. cap. 8. *protectura*: *Saillies, egouts.* Vide quæ dicturi sumus in Notis & Emend. ad librum XVII. num. XVIII.

2. *Incidens litteras.*] Surci madidi beneficio litteras incidit, inscribitque cortice, minime conspicuas: easdem siccato cortice, apparentes.

Sect. XV. 1. *Scandulæ.*] Asseres, seu tabellæ parvæ, hoc est, in exiguas laminas fissæ Columella, lib. 8. cap. 3. fenestellis scandulas jungi præcipit, quibus ab corte irrepant aves ad requiem nocturnam. *Scandulas*, non *Scindulas* habent MSS. omnes. Adde his ea quæ V. Cl. Du-Cangius habet in Gloss. verbo *Scandula*.

2. *Scandula.*] Ligneis assulis, sectilibusque asserculis. Mirum est *ardesias* nostras incognitas veteribus fuisse, quæ hodie passim habentur. *Nostri*, inquit Philander ad Vitruv. l. 1. c. 2. *utuntur carulei in nigro sectilibus laminis crustisque. Is lapis ferro dentato, ut lignum secatur, assulatimque frangitur. Ardesiam vocamus, credo ab ardendo, quod e tectis ad solis radios veluti flammas jaculetur.*

3. *Ad Pyrrhi .... bellum.*] Quod cœptum esse anno Urbis 472. diximus lib. 8. sect. 6.

auctor est. [4] Silvarum certe distinguebatur insignibus. Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus fageus fuit: porta [5] Querquetulana: colle in quem vimina petebantur, totque lucis, quibusdam & geminis. Q. Hortensius Dictator, [6] cum plebs secessisset in Janiculum, legem [7] in Esculeto tulit, ut quod ea jussisset, omnes [8] Quirites teneret.

5 XVI. Peregrinæ tum videbantur, quoniam non erant suburbanæ, [1] pinus atque abies, omnesque quæ picem gignunt, de quibus nunc dicemus, simul ut tota condiendi vina origo cognoscatur. Quædam ferunt in Asia, aut Oriente, e prædictis picem. In Europa sex genera cognatarum arborum ferunt. Ex iis pinus atque pinaster folium habent capillamenti modo prætenue, longumque, & mucrone aculeatum.
10 Pinus fert minimum resinæ, interdum [2] & nucibus ipsis, de quibus dictum est, vixque ut adscribatur generi.

XVII. [1] Pinaster nihil aliud est, quam pinus silvestris, mira altitudine, & a medio ramosa, sicut pinus in vertice. [2] Copiosiorem dat hæc resinam, [3] quo dicemus modo. Gignitur & in planis. Easdem arbores alio nomine esse per oram Italiæ,
15 [4] quos tibulos vocant, plerique arbitrantur, sed graciles succinctioresque, & enodes, [5] liburnicarum ad usus, pæne sine resina.

XVIII. [1] Piceæ montes amat, atque frigora: [2] feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens: jam tamen & [3] in domos recepta, tonsili facilitate. Hæc plurimam resinam fundit, [4] interveniente candida gemma, tam simili
20 thuris, ut mixta visu discerni non queat: unde [5] fraus Seplasiæ.

Omnibus his generibus folia [6] brevi seta, & crassiore, duraque, ceu cupressis. Piceæ rami pæne statim ab radice modici, velut brachia, lateribus inhærent. [7] Similiter abieti, expetitæ [8] navigiis. [9] Situs in excelso montium, ceu maria fugeret: [10] nec forma alia. Materies vero præcipua trabibus, & plurimis vitæ operibus. [11] Resina ei
25 vitium: unde fructus unus piceæ: exiguumque sudat aliquando contactu Solis. E diverso materies, quæ abieti pulcherrima, [12] piceæ ad fissiles scandulas, cupasque, & pauca alia secamenta.

XIX. Quinto generi situs idem, eadem facies: [1] larix vocatur. Materies præstantior

NOTÆ.

4. *Silvarum.*] Erant in urbe silvæ insignes, quibus regiones quamplurimæ distingui solerent. Nam vel in una regione Urbis quinta, Lucus Fagutalis fuit, de quo Festus: *Fagutal, sacellum Jovis, in quo fuit fagus arbor, quæ Jovi sacra habebatur.* Fuit & collis campusque Viminalis, a viminum silva cognominatus, & Ara Viminei Jovis. Fuit & lucus Petelinus.

5. *Querquetulana.*] Ubi & Querquetulanum sacellum, de quo Varro, lib. 4. de ling. Lat. pag. 15. Festus: *Querquetulana porta Romæ dicta, quod querquetum* (quercetum) *intra muros Urbis juxta se habuerit.*

6. *Cum plebs.*] Tres plebis secessiones factæ memorantur. Prima, in montem sacrum, trans Anienem amnem, tria ab Urbe millia passuum, æris alieni causa, anno Urbis CCLXI. de qua Livius, lib. 2. pag. 32. Secunda secessio facta est anno CCCV. ob Decemvirorum insolentiam, & Appii Claudii Decemviri scelus, auctore L. Virginio. De ea Livius, lib. 3. pag. 60. Tertia, de qua nunc sermo, rursus æris alieni causa, facta in Janiculum, anno CCCLXVII. De hac Epitome Livii, lib. XI. *Plebs propter æs alienum, & graves, & longas seditiones, ad ultimum secessit in Janiculum: unde a Q. Hortensio Dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decessit.*

7. *In Esculeto.*] Locus fuit esculis consitus.

8. *Quirites teneret.*] Hoc est, Romanos ex Urbe & in Urbe tantum. Hæ ferebantur leges a Tribuno plebis. Huic vero Dictatoris Hortensii legi similem primum L. Valerio, M. Horatio Coss. latam legimus apud Liv. lib. 3. pag. 60. secessione secunda: *Cum velut in controverso jure esset, tenerenturne Patres plebiscitis: legem centuriatis Comitiis tulere, ut quod tributim plebes jussisset, populum teneret.* Repetita igitur ab Hortensio est. Gellius, lib. 15. cap. 27. pag. 848. *Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.*

Sect. XVI. 1. *Pinus.*] Quæ Græcis fere πίτυς, nostris un pin, Archiæ Epigramma, a nobis relatum lib. 15. sect. 5. ubi inter Olympionicarum coronas πίτυς numeratur, Ausonius ita reddidit in Eclogario:

Quatuor antiquos celebravit Achaia ludos:
Serta quibus, pinus, malus, oliva, apium.

2. *Et nucibus.*] Interdum, inquit, fert resinam in ipsis nucibus pineis, de quibus dictum est lib. 15. sect. 9. sed eam quidem adeo exiguam, ut resiniferarum arborum generi vix pinus adscribatur.

Sect. XVII. 1. *Pinaster.*] Πίτυς ἀγρία, *pin sauvage.* Pingitur a Dodonæo, pag. 848.

2. *Copiosiorem dat hæc.*] Nempe pinus silvestris.

3. *Quo dicemus modo*] Sect. 23.

4. *Quos tibulos.*] Harum iconem Dalecampius exhibet, lib. 1. pag. 47. Mox *succinctiores*, magis compactas interpretor.

5. *Liburnicarum*] Genus est bellicæ navis velocissimæ, a Liburnis Illyrici populis conditoribus nuncupata. His struendis pinastes arbos idonea.

Sect. XVIII. 1. *Picea*] Hæc Theophrasto, πίτυς, aliis πεύκη, *Pesse* Gallis. Hinc Pityocampas, (erucæ genus est) in picea Plinius lib. 29. sect. 30. in pinu alii nasci produnt. Pingitur a Dodonæo, pag. 851. accuratius a Matthiolo, in lib. 1. Diosc. pag. 97.

2. *Feralis arbor*] Quæ funeribus adhibetur. Unde illud Maronis, lib. 6. Æneid. Miseni funus describentis, v. 180.

Procumbunt piceæ, &c.

3. *In domos.*] Etiam, si Virgilio credimus, Eclog. 7. vers. 65.

Pulcherrima pinus in hortis.

4. *Interveniente*] Quæ sponte manat resina, inquit, e picea, in gemmam interdum candidam coit, quæ est micæ thuris simillima.

5. *Fraus Seplasiæ.*] Hoc est, Seplasiariorum. Festus: *Seplasia, forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant.* Ascon. Pedian. in orat. Cic. contra Pison. *Dictum est in dissuasione legis Agrariæ apud populum, plateam esse Capuæ, quæ Seplasia appellatur, in qua unguentarii negotiari sunt soliti.*

6. *Brevi seta*] Instar setæ brevia, exiliaque, & gracilia.

7. *Similiter abieti*] *Le sapin.* Theophr. lib. 3. hist. cap. 10. ἐλάτη θήλεια, abies femina. A Clusio recte pingitur, lib. 1. hist. plant. pag. 34 & a Matthiolo, in lib. 1. Diosc. pag. 107.

8. *Navigiis.*] Virgil. 2. Georg. v. 68.

Casus abies visura marinos

9. *Situs in excelso*] Idem Eclog. 7. vers. 66.

Abies in montibus altis

10. *Nec forma alia.*] Quam picea. Adeo sane inter se affines ambæ, ut observat Matthiolus pag. 106. ut fabros lignarios similitudine sæpe fallant: etiam peritos, inquit Plinius sect. seq.

11. *Resina ei.*] Resinæ fluxus ex abiete, arbori exitiosus est: e picea ad vitæ usum perutilis, nec matri noxius.

12. *Picea ad*] Piceæ materies, inquit, idonea tantum parandis scandulis fissilibus, cupisque, hoc est, vasis vinariis, aliisque sectilibus operibus paucis.

Sect. XIX. 1. *Larix vocatur*] Iisdem fere verbis a Vitruvio describitur, lib. 2. cap. 9. pag. 35. Theophrasto longe,

longe, incorrupta vis, mori contumax: rubens præterea, & dolore acrior. [2] Plusculum huic erumpit liquoris, melleo colore, atque lentiore, numquam durescentis.

Sextum genus [3] est teda proprie dicta, abundantior succo quam reliqua, parciore liquidioreque quam in picea: flammis ac [4] lumini sacrorum etiam grata. [5] Hæ, mares dumtaxat, ferunt & eam, quam Græci syceu vocant, odoris gravissimi. Laricis morbus est, [6] ut teda fiat.

Omnia autem hæc genera accensa, fuligine immodica, carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu, ejaculanturque longe: [7] excepta larice, quæ nec ardet nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur, quam lapides. [8] Omnia ea perpetuo virent, nec facile discernuntur in fronde, etiam a peritis: tanta natalium mixtura est. Sed picea minus alta quam larix. [9] Illa crassior, leviorque cortice, folio villosior, pinguior & densior, molliorque flexu. [10] At piceæ rariora siccioraque folia, & tenuiora, ac magis algentia: totaque horridior est, & persusa resina. [11] Lignum abieti similius. [12] Larix ustis radicibus non repullulat, ut in Lesbo accidit, incenso nemore Pyrrhæo.

Alia etiamnum [13] generibus ipsis in sexu differentia. Mas brevior & durior: femina procerior, pinguioribus foliis & [14] simplicibus, atque [15] non rigentibus. [16] Lignum maribus durum, & in fabrili opere contortum: feminæ mollius, publico discrimine in securibus. [a] Hæ in quocumque genere deprehendunt marem: quippe respuuntur, & [17] fragosius sidunt, ægrius revelluntur. Ipsa materies retorrida, & [18] nigrior maribus radix. [19] Circa Idam in Troade & alia differentia est, montanæ, maritimæque. [20] Nam in Macedonia & Arcadia, circaque Elin, permutant nomina, nec constat auctoribus, quod cuique generi attribuant: nos ista Romano discernimus judicio. Abies e cunctis amplissima est, & femina etiam prolixior: materie mollior utiliorque, arbore rotundior, [21] folio pinnato densa, ut imbres non transmittat, atque hilarior in totum. E ramis generum horum [22] paniculorum modo [23] nuca-

INTERPRETATIO.

a *Hæ in.*] Secures in omni arborum genere deprehendunt quæ arbos mascula, quæ femina sit.

NOTÆ.

πεύκη. Sed nondum hæc arbos in certi alicujus nominis Gallici possessionem venit: etsi eruditi viri eam esse existimant, quam *Meleze* vulgus appellat: res nihilominus habet dubitationem, ut pluribus argumentis inferius demonstrabimus. Melesia ea porro in Delphinatu & Alpibus frequens. Vide Nic. Chories, lib. 1. hist. pag. 57. A Dodonæo pingitur, pag. 856.

2. *Plusculum .... liquoris.*] Resinæ. Eam quæ ex *Melezis* manat, officinæ pro terebinthina venditant: interdum etiam pro benjoino.

3. *Est teda.*] Ignota hæc Theophrasto arbos, in Allobrogum & Italorum agro frequens. Pingitur a Dalecampio lib. 1. pag. 47. *Pinus silvestris*, *Cembro* a Matthiolo appellatur, qui eam & ipse accurate delineat in lib. 1. Diosc. pag. 106.

4. *Lumini sacrorum*] Ad faces quæ in sacris ritibus accenduntur. Unde & tedas faces ipsas vocamus. Apuleius, lib. XI. Asin. aur. ubi de expiata nave: *Sacerdos*, inquit, *teda lucida, & ovo, solemnissimas preces de casto præfatus ore*, &c.

5. *Hæ, mares.*] E tedarum genere, mares dumtaxat. Sed & τοῖς πεύκαις id quoque subnascitur, quod συκῆν Græci, hoc est, ficum vocant, si Theophrasto credimus, lib 3. hist. cap. 10.

6. *Ut teda fiat.*] Ut, instar tedæ, abundantiorem succum, resinamque fundat: est enim ea copia exitiosa arbori. Hæc de larice, quam πεύκην vocat, etiam prodidit Theophrastus, lib. 3. hist. cap. 10.

7. *Excepta larice*] Vitruvius eadem tradit conceptis verbis. *Larix vero*, inquit ille, lib. 2. cap. 9. pag. 35. *quæ non est notus, nisi his municipibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi, & litora maris Adriatici, non solum ab carie aut a tinea non nocetur: sed etiam flammam ex igni non recipit, nec ipse potest per se ardere, nisi uti saxum in fornace ad calcem coquendam, aliis lignis uratur: nec tamen tum flammam recipit, sed longo spatio tarde comburitur.* Eadem de larice Palladius, lib. 12. in Novemb. tit. 13. Quæ tamen valde vereor ut vere dicta, nec temere credita sint a summis viris: nihil enim resiniferis arboribus, cujusmodi in primis larix est, quæ liquida resina turget, concipiendo igni aptius videtur. Abest ea sane dos a melesiis arboribus quas veterum larices esse eruditi volunt. Harum enimvero carbo, præsertim in ærariorum officinis, mire expetitur.

8. *Omnia .... virent.*] At larici nostræ, siquidem Melesia ea sit, folia hieme decidunt: etsi coniferæ arbores ceteræ perpetuo virent.

9. *Illa crassior.*] Nempe larix, quæ Theophrasto πεύκη, ut diximus. Nam quæ de larice Plinius, ea de πεύκη totidem verbis Theophr. lib. 3. cap. 10. Καὶ τὰ φύλλα τῆς μὲν πεύκης ἔχει ἁπαλά, καὶ λιπαρά, καὶ δασέα, καὶ κεκλιμένα, inflexa.

10. *At piceæ.*] Quæ Theophrasto, loc. cit. πίτυς. Τῆς δὲ πίτυος, inquit, ὀλίγα τε, καὶ πεφρικότα μᾶλλον, pauciora, squalidiora, horridiora.

11. *Lignum abieti.*] Piceæ lignum similius: nec totius arboris formam fere aliam esse dixit sect. sup. Theophr. loc. cit. Καὶ πίτυος τὰ ξύλα ἐλατωδέστερα, καὶ ὁμοιότερα τῇ ἐλάτῃ.

12. *Larix ustis.*] Laricem iterum vocat, quæ Theophrasto πεύκη est: quæ πίτυς, iterum piceam. Sic enim ille, loc. cit. Πεύκης μὲν γὰρ ἐμπυρισθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαστάνειν· τὴν πίτυν δέ φασί τινες ἀναβλαστάνειν· ὥσπερ καὶ ἐν Λέσβῳ ἐμπρησθέντος τοῦ Πυῤῥαίων ὄρους τοῦ πιτυώδους. Eam ob causam lib. 24. sect. 86. chamæpeucen sic appellatam tradit a similitudine foliorum cum larice.

13. *Generibus ipsis.*] In sex commemoratis resiniferarum arborum generibus, sexus quædam differentia est.

14. *Simplicibus.*] Apud Theophr. loc. cit. ἁπαλὰ mollia: ἁπλᾶ simplicia legisse Plinius videtur apud alium.

15. *Non rigentibus.*] Non subrectis, sed languidis.

16. *Lignum maribus*] Hæc iisdem verbis Theophr. loc. cit. Ἔστι δὲ τὰ ξύλα τῶν μὲν ἀρρένων στρεφότερα, καὶ σκληρότερα, ἐν ταῖς ἐργασίαις στρεφόμενα· τῶν δὲ θηλειῶν εὐεργά, καὶ ἀστραβῆ, καὶ μαλακώτερα. Σχεδὸν δὲ κοινή τις ἡ διαφορὰ πάντων τῶν ἀρρένων καὶ θηλειῶν, ὡς οἱ ὑλοτόμοι φασίν· ἅπαν γὰρ τὸ ἄῤῥεν τῇ πελέκει τραχύτερον καὶ ὑποσπωμένον μᾶλλον, καὶ δυσεργότερον, καὶ τῷ χρώματι μελάντερον, &c.

17. *Fragosius.*] Major, cum finditur, fit fragor, & in ictu hæret securis.

18. *Nigrior .. radix.*] Tota materies, non radicis modo, sed corporis ac ligni, nigrior in maribus esse a Theophrast. dicitur: καὶ τῷ χρώματι μελάντερον.

19. *Circa Idam*] Theophr. loc. cit.

20. *Nam in Macedonia*] Theophr. loc. cit.

21. *Folio pinnato.*] Folia pinnas avium referunt, tam densa, ut neque nivem, neque imbrem transmittant, inquit Theophr. loc. cit. Ἔχει δὲ ὥσπερ πτερυγῶδες τὸ φύλλον.... πυκνὸν δὲ ἄγαν, ὥστε μήτε χιόνα διιέναι, μήθ' ὑετόν. Hic vero recte Constantinus observat, φύλλον vocari, non singula folia abietis, veluti capillamenta: sed eorum in singulis ramulis, surculisque, totam seriem pectinatim dispositam. Itaque hic φύλλον collective dicitur.

22. *Paniculorum.*] Panicula in arundinibus, milio, juglandibus, aliisque, ea coma dicitur, in qua pendent semina. *L'épy du millet, les chatons des noyers*, &c.

23. *Nucamenta.*] Coni, nuces, κῶνοι. Nucamenta pinea dicimus, *Pommes de pin.*

nienta squamatim compacta dependent, [24] præterquam larici. [25] Hæc abietis masculæ, primori parte nucleos habent: non item feminæ. Piceæ vero totis paniculis, minoribus gracilioribusque, minimos ac nigros. Propter quod Græci phthirophoron eam appellant. In eadem nucamenta compressiora maribus sunt, ac minus resina
5 roscida.

XX. [1] Similis his etiamnum aspectu est, ne quid prætereatur, taxus, [2] minime virens, gracilisque & tristis, ac dira, nullo succo, [3] ex omnibus sola baccifera. [4] Mas noxio fructu. Letale quippe baccis, [5] in Hispania præcipue, venenum inest. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum
10 est. Hanc Sextius [6] smilacem a Græcis vocari dixit: & esse [7] in Arcadia tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea, cibumve capiant, moriantur. [8] Sunt qui & taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur. Repertum, innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus æreus adigatur.

CAP. XI. 15 XXI. Pix liquida in Europa [1] e teda coquitur, [2] navalibus muniendis, multosque [3] alios ad usus. [4] Lignum ejus concisum, furnis undique igni extra circumdato, fervet. Primus sudor aquæ modo fluit canali: [5] hoc in Syria [6] cedrium vocatur: cui tanta vis est, [7] ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur.

XXII. Sequens liquor, crassior jam, [1] picem fundit. Hæc rursus in cortinas æreas con-
20 jecta, aceto spissatur: & coagulata Brutiæ cognomen accepit: doliis [2] dumtaxat, vasisque ceteris utilis, [3] lentore ab alia pice differens: item colore [4] rutilante, & quod pinguior est reliqua. [5] Omnia illa fiunt e picea, resina [6] ferventibus cocta lapidibus, in alveis validi roboris: aut si alvei non sint, [7] struis congerie, velut in carbonis usu. [8] Hæc in vinum additur, farinæ modo tusa, nigrior colore. Eadem resina si cum aqua levius deco-
25 quatur coleturque, rufo colore lentescit, ac stillatitia vocatur. [9] Seponuntur autem ad id

NOTÆ.

24 *Præterquam larici.*] Unde intelligas haud certam satis conjecturam esse eorum qui laricem esse meleziam arbitrantur: sunt enim huic, ut pino, coni, etsi minores, cupressinisque similes.

25 *Hæc abietis*] Hæc nucamenta, inquit, in mascula abiete nucleos anteriore parte gerunt, qua sunt acuminata: in picea toto nucamenti corpore nuclei sparguntur, sed minimi, quos Græci φθεῖρας vocant: unde arbori nomen φθειροφόρος: neque enim, ut visum est Dalecampio, ea vox φθεὶρ tantum pediculum sonat, sed & piceæ nucleum: Hesychius: φθεὶρ. ὁ τῆς πίτυος καρπός. Eustathius, in Iliad. β. φθεῖρες. τὰ μικρὰ φύλλα.

Sect. XX. 1. *Similis his*] Nempe resiniferis arboribus, maxime vero abieti: sed aspectu tantum similis, non resina, nec squamato fructu. Taxus, *l'if.*

2. *Minime virens.*] At nostra taxus perpetuo viret, in Gallico cælo.

3. *Ex omnibus.*] Nempe ex resiniferis proxime memoratis.

4. *Mas noxio.*] Manifestum est hæc Plinium a Theophrasto non hausisse: is enim, lib. 3. hist. cap. 10. taxi baccas edules esse & innoxias homini scribit: & sane sunt ejuscemodi in Anglia, teste Pena, in Adversar. pag. 450.

5. *In Hispania.*] Etiam in Italia baccas venenatas esse Diosc. prodidit: sed falso. Honor. Bouche, lib. 1. hist. cap. 8. cap. 49. experimento se comprobasse ait, largiorem taxi esum equis esse letalem: bubus certe esse, rustici nobis liquido affirmarunt.

6. *Smilacem*] Diosc. lib. 4. pag. 80. Σμῖλαξ ... Ῥωμαῖοι δὲ τάξον καλοῦσι. A Sextio forte Dioscorides, ut Plinius, hausit. Et smilacem de ilice dici superius vidimus, sect. 8.

7. *In Arcadia.*] Etiam in Narbonensi Gallia, si Dioscoridi fides, loc. cit. ἐν τῇ Ναρβωνησίᾳ. Apud nos umbra taxi minus aliquanto exitiosa est: dolorem modo capitis facit iis qui diutius sub ea hærent.

8. *Sunt qui & taxica.*] Quod ex arbore taxo sagittæ fierent, quæ venenis tingebantur, quibus inde toxicorum, sive taxicarum est appellatio indita. Liber Mirac. S. Martini, laudatus a Du-Cangio in Glossar. verbo, *Ivus*: *Est autem id genus arboris aptum spiculis & arcubalistis: vulgo enim dicitur Ivus.* Alii ἀπὸ τῶν τόξων toxica credunt appellata, quod iis venenis sagittas barbari tingebant: Diosc. in Alexiph. cap. 10. Τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὀνομάζεσθαι, ὅτι τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεται.

Sect. XXI. 1. *E teda*] Sexto illo resiniferarum arborum genere, de quo sect. 19. Ex eo ignis vi pix elicitur.

2. *Navalibus.*] Ita MSS. hoc est, omni navigiorum generi & instrumento picando.

3. *Alios ad usus.*] Quos ipse proferet, lib. 24. sect. 23.

4. *Lignum ejus.*] Hunc picis conficiendæ modum Theophrastus quoque prodit, lib. 9. hist. cap. 3. ubi multo prolixius tractatur.

5. *Hoc in Syria.*] Nempe hic primus sudor, *Poix vierge*: quod enim primum in omni liquore manat, id præstantissimum. Sic in oleo prima unda prælis ceteris anteponitur, lib. 15. sect. 2.

6. *Cedrium.*] Quoniam Syri ex cedro tantum & terebintho picem urunt: pino, picea, ceterisque resiniferis arboribus carent: teste Theophr. lib. 9. hist. cap. 3.

7. *Ut in Ægypto.*] Hæc Plinius ex Herodoto, lib. 2. Euterpe, num. 87. pag. 121. adhiberi ad hos usus prodente, τῷ ἀπὸ τῆς κέδρου ἀλείφατι, quam τὴν κεδρίην vocat. Vide & Diod. Sic. lib. 1. Bibl. pag. 74. & ante ceteros Galenum, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 187. Mortuorum ita condita cadavera, *Mumias*, & *Gabbaras* vocant. Et prior illa quidem appellatio vulgaris est, de qua alii satis multa. Posterioris meminit Augustinus, serm. 120. de diversis, cap. 12. *Ægyptii soli credunt resurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum: morem enim habent siccare corpora, & quasi ænea reddere: Gabbaras ea vocant.*

Sect. XXII. 1. *Picem fundit.*] Quæ proprie pix appelletur. Nam primus sudor id nomen vix obtinet, liquidior. Hæc pix sicca, quæ e liquida pice decoquitur: ἀρχιπισσα Græcis, *Poix seche*. Nonnullis παλίμπισσα, quasi pix iterum cocta, teste Diosc. lib. 1. cap. 97. In Indice libri hujus locus iste ita signatur, *Quibus modis spissa pix fiat.*

2. *Doliis dumtaxat*] Non item navalibus, ut liquida. Nam alioqui multos habet in medicina usus, uti dicetur lib. 24. sect. 23.

3. *Lentore.*] Hæc enim visci modo lentescit: qua dote alia pix caret, quæ sicca omnino est. Nam Brutia picis ac resinæ dotes in se colligit. Dioscor. loc. cit.

4. *Rutilante.*] Diosc. ὑπόπυρρος καὶ ῥητινώδης, subrutila & resinosa.

5. *Omnia illa.*] Nempe pix liquida, & geminum siccæ genus. Vide Notas & Emendat. num. IV.

6. *Ferventibus.*] Unde hæc frixa resina vocatur φρυκτὴ ῥητίνη, quam esse eamdem cum Colophonia quidam putant.

7. *Struis congerie*] Consertis congestisque lignis, iisdemque luto caminatis, quo plane modo fieri carbonem antea dictum est sect. 8. Multo hæc fusius Theophrastus, lib. 9. hist. cap. 3.

8. *Hæc in vinum*] Hac resina frixa, vina condiuntur. Plinius, lib. 14. sect. 24. *Resina condire musta vulgare est Italiæ, provinciisque finitimis.*

9. *Seponuntur.*] Ad picandum, inquit, condiendumque vinum eligitur vetustior, ac minus laudata, quæ instar corticis & crustæ dura est. Vide Notas & Emendationes, num. V.

fere vitia resinæ cortexque. Alia tempeties. [10] ad crapulam. Namque flos crudus resinæ, cum multa assula tenui brevique avulsus, conciditur [11] ad cribri minuta: deinde ferventi aqua, donec coquatur, perfunditur. [12] Hujus expressum pingue, præcipua resina fit, atque rara, nec nisi paucis in locis Subalpinæ Italiæ, conveniens medicis. [13] Resinæ albæ congium in duobus aquæ pluviæ coquunt. Alii 5 utilius putant sine aqua coquere lento igne tota die, utique vase æris albi. Item terebinthinam in sartagine referventi, [14] hanc ceteris præferentes. Proxima ex lentisco.

XXIII. Non omittendum, apud eosdem [1] zopissam vocari derasam navibus CAP. XII. maritimis picem cum cera, nihil non experiente vita, multo efficaciorem ad omnia, 10 quibus pices resinæque prosunt, videlicet adjecto [2] salis callo.

[1] Aperitur picea [3] e parte solari [a], [4] non plaga, sed vulnere ablati corticis, cum plurimum bipedali hiatu, ut a terra cubito cum minimum [5] absit. [6] Nec corpori ipsi parcitur, [7] ut in ceteris, quoniam [8] assula [b] in fructu est. [9] Verum hæc terræ proxima laudatur: altior [c] amaritudinem affert. [10] Postea humor omnis 15 e tota confluit in hulcus: [11] item in teda. [12] Cum id manare desiit, simili modo ex alia parte aperitur, ac deinde alia. Postea tota arbor succiditur, & [13] medulla ejus uritur. [14] Sic & in Syria terebintho detrahunt cortices, ibi quidem & e ramis, ac radicibus, [15] cum resina damnetur ex his partibus. [16] In Macedonia laricem masculam urunt, feminæ radices tantum. Theopompus scripsit; in 20 Apolloniatarum agro [17] picem fossilem, non deteriorem Macedonica, inveniri. [18] Pix optima ubique ex apricis, Aquilonis situ. Ex opacis horridior, virusque præferens. [19] Frigidâ hieme, deterior, ac minus copiosa, & decolor. [20] Quidam arbitrantur in montuosis copia præstantiorem ac colore, & dulciorem fieri, odo-

INTERPRETATIO.

a *E parte solari.*] Qua solem aspicit.
b *In fructu est.*] Utilitatem habet.
c *Amaritudinem affert.*] Resinam amariorem facit.

NOTÆ.

10. *Ad crapulam.*] Ad id faciendum quod crapulam vocant ii qui vina condiunt. Est porro flos crudus resinæ, ut diximus lib. 14. sect. 25. resina ipsa, nuper avulsa arbori, necdum passa cocturam: eadem percocta, quo nunc dicitur modo, crapula nuncupatur. Hæc porro totidem verbis refert Diosc. lib. 1. cap. 93. Pro assula, de qua lib. 13. sect. 49. MSS. *assula* legunt: qua de voce dicemus sect. seq.

11. *Ad cribri minuta.*] Ita minutatim conciditur, ut cribro excerni, sive, ut passim loquitur Theod. Priscianus, *cribellari* possit.

12. *Hujus expressum.*] Nempe cum coquitur, ut Plinius ait, lib. 15. sect. 7. velleribus supra halitum ejus expansis, atque ita expressis. In pice quod est ita expressum, florem picis Scribonius Largus appellat, Compos. 40.

13. *Resinæ albæ.*] Quæ ad crapulam parandam in primis expetitur. Quid congius sit, vide lib. 14. sect. 19. Quid æs album, lib. 34. sect. 20.

14. *Hanc ceteris præferentes.*] Plinius supra, lib. 14 sect. 25. de pice ac resina: *In Oriente optimam tenuissimamque terebinthi fundunt: deinde lentisci.* Vide & lib. 24. sect. 22.

Sect. XXIII. 1. *Zopissam.*] Diosc. lib. 1. cap. 98. iisdem verbis: Ζώπισσαν δὲ οἱ μὲν εἶναι τὴν ἐκ τῶν πλοίων ξυσμένην ῥητίνην μετὰ τοῦ κηροῦ, &c. Hanc in linendis navibus cum cera miscebant: unde *cerata puppes*, apud Ovidium, aliosque.

2. *Salis callo.*] Duritie quadam a sale sive marina aqua accepta, & adstringendi, siccandique vi.

3. *Aperitur picea.*] Ad eliciendam resinam. Hæc fere sectio integra apud Theophrastum exstat, lib. 9. hist. cap. 2.

4. *Non plaga.*] Aliud plaga, aliud vulnus est. Plaga τομή, ubi cutis laxatur, & scinditur. Vulnus, τὸ ἕλκος, quando avellitur, distrahiturque a corpore: est enim ἕλκος ab ἕλκω, traho. Hic ergo vulnus est, cum cortex detrahitur, nec tantum incisione dividitur.

5. *Absit.*] Subintellige vulnus, & hiatus. Theophr. lib. 9. hist. cap. 2. Ἀναξύουσι δὲ τὸ πρὸς ἥλιον μέγεθος ἐπὶ δύο ἢ τρεῖς πήχεις ἀπὸ τῆς γῆς.

6. *Nec corpori.*] Nec corticem, inquit, solum vellunt, sed in corpus ipsum, seu caudicem arboris securim impingunt: quoniam quæ inde assula effringitur, eximiturque cum cortice, habet magnos usus.

7. *Ut in ceteris.*] In abiete, pinu, larice, quarum corpori parcitur, ne securis ictu violetur. Theophr. ἐν τῇ ἐλάτῃ, καὶ τῇ πίτυϊ, ubi sui oblitus πίτυος & πεύκης vices dotesque permutat.

8. *Assula.*] Ita MSS. omnes, pro *assula*. Astulas quoque dixit Plinius Valer. lib. 1. cap. 39. *Tedas pingues, inquit, in astulas concides.* Hastulam silicis Celsus pariter dixit, lib. 5. cap. 26. tit. *Curatio gangrænæ* Σχίδακας, Diosc. lib. 2. cap. 83. Festus, *assulas. Fomites*, inquit, *sunt assulæ ex arboribus, dum ceduntur, excussæ.* Nostris, *eclat*. Hinc *assulatim* Plautus in Captivis, act. 4. sc. 2. vers. 52.

Aperite hasce ambas fores,
Priusquam pultando vel assulatim foribus exitium affer

In Mercat. act. 1. sc. 2. vers. 20.

At etiam adsto? at etiam cesso foribus facere hasce assulas?
Aperite aliquis.

9. *Verum hæc.*] Astula, sive assula.

10. *Postea humor.*] Resina quæ ex tota manat arbore, vulnus explet.

11. *Item in teda.*] Ut e picea, inquit, sic etiam e teda, sexto nempe illo resiniferarum arborum genere, de quo sect. 19. resina exprimitur: ac simili ratione vulnus coit.

12. *Cum id.*] Ita libri omnes: subintellige, vulnus, seu hulcus.

13. *Medulla ejus.*] Quam arboris cor vocant. Hæc pars facienda tedis ob pinguedinem aptissima: ideoque tum uritur. Theophr. loc. cit.

14. *Sic & in Syria.*] Theophr. loc. cit.

15. *Cum resina.*] Cum in Europæ tractu, inquit, resina omnis damnetur, quæ ex piceæ, laricis, abietisque ramis ac radicibus elicitur: in Syria contra laudatur, quæ ex iisdem terebinthi partibus manat. Hic Dalecampius, ut sæpe alias, cespitavit.

16. *In Macedonia.*] Macedones, inquit, ad exprimendam picem e larice, masculam quidem urunt totam: feminæ radices tantum: hac enim maxime parte resinosa est. Οἱ γὰρ περὶ Μακεδονίαν, οὐδὲ τὴν ... ἀλλὰ τὴν ἄρρενα· τῆς δὲ θηλείας ... τὰς ῥίζας λαμβάνουσιν· ... ῥίζαι.

17. *Picem fossilem.*] Πισσάσφαλτον intellexit, cui nomen ex cognatione picis ac bituminis, ut dicemus lib. 35. sect. 51. de eo prolixius ibi disputaturi. Picis fodinæ *picariæ* appellatæ, de quibus Cicero in Bruto, num. 85. *Iobeti societates vius, qua picarias de P. Cornelio & L. Mummio Censoribus redemisset.* Et Ulpianus, lib. 50. Dig. tit. de verb. signific. l. *Inter publica: Vectigal salinarum, metallorum & picariarum*

18. *Pix optima.*] Optima, inquit, quam aprica loca, & Aquiloni ostenta præbent. Hæc iisdem verbis Theophr. loc. cit.

19. *Frigida hieme.*] Ὅταν ἰσχυρὸς χειμών. Theophrast.

20. *Quidam.*] Theophr. loc. cit.

rem quoque gratiorem, [21] dum resina fit: [22] decoctam autem minus picis reddere, quoniam [23] in serum abeat: [24] tenuioresque esse ipsas arbores, quam in planis: sed has & illas serenitate steriliores. [25] Fructum quædam proximo anno ab incisu largiuntur, aliæ secundo, quædam tertio. Expletur autem plaga resina, non 5 cortice, nec cicatrice, quæ in hac arbore non coït.

Inter hæc genera proprium quidam fecere [26] sappium, quoniam [27] ex cognatione earum seritur, qualis dicta est [28] in nucleis: ejusque arboris imas partes tedas vocant: cum sit illa arbor nil aliud, quam picea, feritatis paulum mitigatæ satu: [29] sapinus autem materies cæsarum e genere sit, sicuti docebimus.

CAP. XIII 10 XXIV. Materiæ enim causa reliquas arbores natura genuit, copiosissimamque fraxinum. Procera hæc ac teres: [1] pinnata & ipsa folio: multumque Homeri præconio, & [2] Achillis hasta nobilitata. Materies est ad plurima utilis. Ea quidem, quæ fit in Ida Troadis, in tantum [3] cedro similis, ut ementes fallat, cortice ablato. [4] Græci duo genera ejus fecere: longam, enodem: alteram brevem, du15 riorem, [5] fusciorenque, laureis foliis. [6] Bumeliam vocant in Macedonia amplissimam, [7] lentissimamque. Alii situ divisere. [8] Campestrem enim esse crispam, montanam spissam. Folia earum jumentis mortifera, ceteris ruminantium innocua, [9] Græci prodidere. [10] In Italia, nec jumentis nocent. [11] Contra serpentes vero succo expresso ad potum, & imposita hulceribus, opifera, ac nihil æque, reperiuntur. 20 [12] Tantaque est vis, ut ne matutinas quidem, occidentesve umbras, quamvis sint longissimæ, serpens arboris ejus attingat, adeo ipsam procul fugiat. [13] Experti prodimus: si fronde ea gyroque claudatur ignis & serpens, in ignes potius, quam in fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, prius quam hæ prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere.

CAP. XIV. 25 XXV. [1] In tilia mas & femina differunt omni modo. Namque & materies mari dura, [2] rufiorque, ac nodosa, & odoratior: [3] cortex quoque crassior, ac detractus inflexibilis. Nec semen fert, aut florem, [4] ut femina, quæ crassior arbore, materie candida præcellensque est. [5] Mirum in hac arbore, fructum a nullo animalium attingi: [6] foliorum corticisque succum esse dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tu30 nicæ multiplici membrana, e quibus vincula, tiliæ vocantur: tenuissimæ earum

NOTÆ.

21. *Dum resina fit.*] Ante nimirum quam in picem coquatur, eo quo dictum est modo, sect. 22. his verbis: *Omnia ista fiunt e picea, resina collecta.* Hunc locum Dalecampius ut intelligeret, corrupit.

22. *Decoctam.*] Seu frixam, ut diximus sect. 22. Hæc Theophrast. totidem verbis, tum lib. 3. hist. cap. 10. tum lib. 9. cap. 2.

23. *In serum*] Ut lac, serescit.

24 *Tenuioresque.*] Aliunde certe hæc Plinius, quam ex Theophrasto, qui tenuiorem resinam fore, non arborem, dixit. Nec tamen abludit a veritate, quod de ipsis nunc arboribus proditur.

25. *Fructum.*] Hoc est, resinam Theophr. lib. 9. hist. cap. 2.

26. *Sappium.*] Ita MSS Reg. Colb. Thuan. Glossæ: *Sappinus*: πεύκη. Et *Sapinus*, πίτυς.

27. *Ex cognatione.*] Ex cognatarum arborum semine, ut piceæ, pinus, laricisque.

28. *In nucleis.*] Libro 15. sect. 9. ubi de nucibus pineis, nucleisque dictum est: ubi sappiniæ nucis mentio, nempe e sappio arbore, & e sativa picea.

29. *Sapinus autem.*] Sapinus, inquit, non arboris nomen est, sed materiei, e parte nimirum inferiore cæsæ jam abietis, & decorticatæ: sicuti docebimus sect. 76. libri hujus. Vide Notas & Emend. num. VI.

Sect. XXIV. 1. *Pinnata & ipsa*] Sicuti de abiete diximus sect. 19. Fraxinus, *le Frêne*. Pingitur a Dodonæo, pag. 821.

2. *Achillis hasta.*] Apud Homer. Iliad. σ'. vers. 277. Πηλιάδα μελίην. Hinc apud Ovid. lib. 10. Metam. vers. 93. *Et fraxinus utilis hastis.* Hodieque oblongiores hastæ, *les Piques*, ex majore fraxino, βουμελία, & ex corno fiunt.

3. *Cedro similis.*] Id vero Theophrastus, non de fraxino, seu μελία, sed de taxo, quæ μίλος, refert. Vide Notas & Emend. num. VII.

4. *Græci duo.*] Theophr. totidem verbis, lib. 3. hist. cap. XI.

5. *Fusciorenque*] Ita libri omnes: at Theophr. *flaviorem*: ξανθοτέραν. Forte Itali cæli solive natura mutatus color.

6. *Bumeliam.*] Βουμελίαν, quam *fraxinum bubulam* vertit Gaza. Forte, quod fraxini folia ad boum pabulum reponuntur, ita prodente Colum. lib. 6. cap. 3. Ego sero *fraxinum magnam* libentius dixerim: quod in compositionibus præfixa nomini ea vocula βου, significatum ejus vocis auget, ut in βουλιμος.

7. *Lentissimamque.*] Teneram at flexibilem. Ut *lenta salix* Virgilio dicitur.

8. *Campestrem*] Theophr. loc. cit.

9. *Græci prodidere.*] Quorum in libris vereor ne μελίαν iterum pro μίλον, hoc est, pro taxo fraxinum legerit. De vi taxi venenata diximus sect. 20.

10 *In Italia.*] Etiam boum pabulo, ut diximus, fraxineæ frondes, cum ulmeis, populeisque autumno reponuntur.

11. *Contra serpentes.*] Diosc. lib. 1. cap. 108. περὶ μελίας, *de fraxino.* Τῶν φύλλων ὁ χυλὸς, καὶ αὐτὰ σὺν οἴνῳ πινόμενα, καὶ καταπλασσόμενα, ἐχιδνῶν βοηθεῖ. *Foliorum succus, & folia ipsa e vino pota, atque etiam imposita, viperarum morsibus opitulantur.* Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 22. *de aspidum percussibus, vel scorpionum, ceterorumque serpentium. Et fraxini folia cum vino trita, bibenti dentur.*

12. *Tantaque*] Simile est quod de σμίλακι Callimachus affert apud Ælian. lib. 9. histor. anim. cap. 27. ut μίλον rursum pro μελίᾳ accepisse Plinius videri possit, hoc est, taxum cum fraxino confudisse.

13. *Experti prodimus.*] Plane aliter se rem habere, experiundo sibi compertum Charasius contestatur, lib. de Viperis, pag. 515. viperam a se nimirum fronde fraxinea circumclusam, statutamque in medio, statim ad eam frondium struem insiluisse, ac sub eas abdidisse se. Alia forte vis est fraxineæ frondi ingenita in Italo solo, cæloque, quam sit in nostro. De Vettonica Plinius idem tradit, lib. 25. sect. 55.

Sect. XXV. 1. *In tilia.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 10. Nostris *Tilleul*, & *tillau*. Græcis φιλύρα. Pingitur a Lobelio recte in Observ. pag. 606.

2. *Rufiorque.*] Theophr. ξανθὴ, quæ vox interdum rubrum ex flavo sonat. Et mox: ἔτι δὲ εὐωδέστερον τὸ τοῦ ἄρρενος ξύλον τοῦ ἄρρενος.

3 *Cortex.*] Theophr. loc. cit.

4. *Ut femina*] Quæ florem & fructum edit. Theophr.

5 *Mirum.*] Theophr. lib. 1. histor. plant. cap. 20. Ο' δὲ καρπὸς οὐδενὶ βρωτός.

6. *Foliorum, &c.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 10. τὰ δὲ φύλλα, καὶ ὁ φλοιὸς, γλυκέα, καὶ γλισχρα.

[7] philyræ, coronarum [8] lemniſcis celebres, antiquorum honore. Materies teredinem non ſentit, proceritate perquam modica, verum utilis.

XXVI. [1] Acer ejuſdem fere amplitudinis, operum elegantia ac ſubtilitate [2] citro ſecundum. Plura ejus genera. [3] Album quod præcipui candoris, vocatur Gallicum in Tranſpadana Italia, tranſque Alpes naſcens. [4] Alterum genus criſpo macularum diſcurſu: qui cum excellentior fuit, a ſimilitudine caudæ [5] pavonum nomen accepit, in Iſtria, Rhætiaque præcipuum. E viliore genere, [6] craſſivenium vocatur. Græci ſitu diſcernunt. Campeſtre enim candidum eſſe, nec criſpum, [7] quod glinon vocant: montanum vero criſpius, duriuſque: etiamnum [8] e maſcula criſpius ad lautiora opera. Tertium genus [9] zygiam, rubentem, fiſſili ligno, cortice livido, & ſcabro. Hoc alii generis proprii eſſe malunt, & Latine carpinum appellant.

CAPUT XV.

XXVII. Pulcherrimum vero eſt bruſcum, multoque excellentius etiamnum molluſcum. Tuber utrumque [1] arboris ejus: bruſcum intortius criſpum: molluſcum [2] ſimplicius ſparſum. [3] Et ſi magnitudinem menſarum caperet, haud dubie præferretur citro. Nunc intra pugillares, lectorumque [4] ſilicios, aut laminas, raro uſu ſpectatur. E bruſco fiunt & menſæ nigreſcentes. Reperitur [5] & in alno tuber: tanto deterius, quanto ab acere alnus ipſa diſtat. Aceris mares prius florent. Etiamnum in ſiccis natæ præferuntur aquaticis, ſicut & fraxini. Eſt & trans Alpes arbor, ſimillima aceri albo materia, quæ vocatur [6] ſtaphylodendron. Fert ſiliquas, & in iis nucleos, ſapore nucis avellanæ.

CAPUT XVI.

XXVIII. In primis vero materies honorata buxo eſt, raro criſpanti, nec niſi radice: cetero [1] lenis quies materiæ, ſilentio quodam, & duritie, ac pallore commendabilis: [2] in ipſa vero arbore topiario opere. Tria ejus genera: Gallicum, quod [3] in metas emittitur, amplitudinemque proceriorem. [4] Oleaſtrum in omni uſu damnatum, gravem præfert odorem. Tertium genus noſtrates vocant ſilveſtre, ut credo, mitigatum ſitu: diffuſius, & denſitate parietum; virens ſemper, [5] ac tonſile. [6] Buxus Pyrenæis, ac Cytoriis montibus plurima, & Berecyntio tractu: craſſiſſima

NOTÆ.

7. *Philyra*] Vetus Horatii interpres, in Oden ult. lib 1. *Philyra eſt cortex*, nempe tenuiſſimus, *tiliæ arboris*.

8. *Lemniſcis*] Vide Turneb. lib. 18. Adverſ. cap. 3. pag. 536. & quæ dicturi ſumus lib. 21. ſect. 4.

Sect. XXVI. 1. *Acer.*] In indice, *aceris genera decem* ſpondet auctor: nunc fidem datam præſtat. Primum enim eſt, Album ſeu Gallicum. 2. Pavonaceum. 3. Craſſivenium. Deinde genera bina, ex Græcorum campeſtri & montano. Quæ genera quinque, ſi in marem ac feminam ſingula dividas, decem omnino efficient. De acere mare Plinius ſect. ſeq. De campeſtri ſexus utriuſque, Theophr. lib. 3. hiſt. cap. XI. De montano item duplice, Plinius ipſe plane modo. Græcis σφένδαμνος dicitur, noſtris *Erable*.

2. *Citro ſecundum*] Atlanticæ arbori, de qua diximus lib. 13. ſect. 29. Vide Notas & Emend num VIII.

3. *Album.*] Eſt acer majus Valerii Cordi, lib. 3. de hiſt. plant. cap 5. Noſtris *Sycomore*, & quibuſdam *Plaine*, a ſimilitudine platani: & *Bois blanc*.

4. *Alterum*] *Erable madré*. Dalecampiu, lib. 1. hiſt. plant. cap. 28. opulus montana dicitur. Vidimus in horto Regio. Ovidio, lib. 10. Metam. verſ. 95. *Acerque coloribus impar*.

5. *Pavonum.*] Ut acer pavonaceum nuncuparetur. Sic & de citri maculis, lib. 13. ſect. 19. *Sunt*, inquit, *& undatim criſpæ: majore gratia, ſi pavonum caudæ oculos imitentur*.

6. *Craſſivenium*] Ob craſſiorem ac rudiorem venarum macularumque diſcurſum. Idem a Theophr. loc. cit. κλινότροχον vocatur, ſeu quod lecti ex eo fierent torno currente, ſeu quod rotulæ ex eo tornarentur, ſubjectæ pedibus lectorum.

7. *Quod glinon.*] Γλεῖνος Theophraſto, lib 3 hiſtor. cap. XI γλῖνος eidem, cap. 4 Forte vilius acer vox ea ſonat: nam Suidæ γλίνη, ῥύπος, *ſordes*

8 *E maſcula*] Hodie quoque lignatores Sequani, inquit Dalec loc cit acer montanum mare feminaque diſtinguunt: colore magis flavo in mare, pallidiore in femina: ligno in mare duriore, venoſiore, magiſque criſpo: in femina laxiore, molliore, ſolutioreque, ac minus criſpo Et mas quidem prius floret, quod Plinius quoque agnovit, ſect ſeq femina tardius

9 *Zygiam*] Ζυγία Theophr lib 3. hiſtor. cap XI Carpinum recte Gaza vertit Vitruvius, lib 2 cap 9 pag 34 *Item Carpinus .... habet utiliſſimam tractabilitatem Itaque Græci quod ex ea materia juga jumentis comparant, quod apud eos juga ζυγὰ vocitantur, item & eam ζυγίαν appellant.* Gallis, *Charme* A Matthiolo pingitur in lib. 1. Dioſcor. pag 145. Gallia igni potius quam lautis operibus dicat.

Sect. XXVII. 1. *Arboris ejus.*] Nempe aceris.

2. *Simplicius*] Recto ac ſimplice, non criſpo aut contorto, venarum macularumque diſcurſu, nec nodis interrupto.

3. *Et ſi.*] Si menſarum ex eo tubere tanti orbes, quanti ex citro, forent: haud dubie citro præferretur id aceris tuber De magnitudine menſarum citrearum dictum eſt lib 13 ſect 29 De acerna menſa Martialis, lib. 14. Epigr. 90. Utræque ex arboris ſuæ tubere factæ

4 *Silicios.*] Ita libri omnes, etiam ſcripti, & quos terimus, & quos Salmaſius vidit, ipſo prodente, in Solin. pag 416 Sed latet adhuc ejus vocis ſignificatus, niſi forte pro operimento laminæ lectis menſiſve addito, accipi quis velit Quod indicare Plinius videtur, cum ſubjicit ſtatim, *aut laminas*. Sunt qui *filaceas laminas* hic legant, hoc eſt, filis colore tinctas, qua voce Plinius iterum abutitur, lib 35. ſect 32.

5. *Et in alno.*] Alnus, κλήθρα, *l'Aune*.

6 *Staphylodendron*] Piſtaciam ſilveſtrem alii vocant: Galli, *Nez coupés*. Pingitur a Dodonæo, pag 806. Vidimus in horto Regio.

Sect. XXVIII. 1. *Lenis quies.*] Materiei perpetuus lævor, qui & ſit enodis, & criſpo venarum diſcurſu careat. Et quietem & ſilentium dici μεταφορικῶς hoc loco palam eſt Buxus, *du Buis*. Græci πύξος vocant.

2 *In ipſa vero*] In arbore, inquit, ipſa, commendabilis maxime quies & patientia topiarii operis exhibendi, natura buxi tonſilis

3. *In metas*] In conum, & acuminatam arborem creſcens. Herbarii buxum arboreſcentem vocant

4 *Oleaſtrum.*] Genus id eſt nomenque buxi humilis, quale a Dodonæo pingitur, Pempt 6 lib 2 cap 22 pag. 770. Niſi forte feſtinatio in legendo nimia Plinium tranſverſum egit, effecitque, ut cum ἄγριον ὅλως totum id ſilveſtre buxi genus eſſe apud ſcriptorem aliquem Græcum inveniſſet, vidiſſe ſe ἀγριέλαιον putarit

5 *Ac tonſile*] Et *tonſile buxetum* Martiali eſt, lib. 3. Epigr. 58. Tam denſum illud, ut in hortis parietum vicem obtineat

6. *Buxus Pyrenæis.*] Et Cyrene quoque, ἐν Κυρήνῃ, inquit Theophr lib 3 hiſt cap 15 quam vocem cum Πυρήνῃ permutaſſe incaute Plinium, quidam falſo putant De Cytoro Virgil lib 2. Georg verſ 437 *Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum.* Nos de Berecynthio tractu lib. 5 ſect. 29.

in Corsica, flore [7] non spernendo: [8] quæ causa amaritudinis mellis. Semen illius cunctis animantibus invisum. [9] Hæc in Olympo Macedoniæ gracilior, sed brevis. [10] Amat frigida, aprica. In igne quoque duritia, quæ ferro: nec flamma, nec carbone utilis.

CAP. XVII. XXIX. [1] Inter has atque frugiferas, materie vitiumque amicitia, accipitur ulmus. [2] Græci duo ejus genera novere: [3] montuosam, quæ sit amplior: campestrem, quæ [4] fruticosa. [5] Italia Atinias vocat excelsissimas, & ex iis siccanas præfert, quæ non sint riguæ. [6] Alterum genus Gallicas. Tertium nostrates, densiore folio, & ab eodem pediculo numerosiore. Quartum silvestre. Atiniæ non ferunt [7] samaram: ita vocatur ulmi semen: omnesque [8] radicum plantis proveniunt: [9] reliquæ semine.

CAP. XVIII. XXX. Nunc celeberrimis arborum dictis, quædam in universum de cunctis indicanda sunt. [1] Montes amant cedrus, larix, teda, & ceteræ, e quibus resina gignitur. [2] Item aquifolia, buxus, ilex, juniperus, terebinthus, [3] populus, [4] ornus, cornus, carpinus. Est & in Apennino frutex, qui vocatur [5] cotinus, ad [6] linamenta modo conchylii colore insignis. Montes & valles [7] diligit abies, robur, castaneæ, tilia, ilex, cornus. Aquosis montibus gaudent acer, fraxinus, sorbus, tilia, [8] cerasus. Non temere in montibus visæ sunt prunus, Punicæ, oleastri, juglans, morus, sambuci. [9] Descendunt & in plana, cornus, corylus, quercus, ornus, acer, fraxinus, fagus, carpinus. Subeunt & in montuosa, ulmus, malus, pirus, laurus, [10] myrtus, sanguinei frutices, ilex, [11] tingendisque vestibus nascentes genistæ. [12] Gaudet frigidis sorbus, & magis etiam [14] betulla. Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis [15] magistratuum virgis. Eadem circulis flexibilis, item [16] corbium costis. [17] Bitumen ex ea Galliæ excoquunt. In eosdem situs comitatur [18] & spi-

NOTÆ.

7 *Non spernendo.*] Ob elegantem speciem, & jucundum colorem, ab apibus adeo non spernitur, ut ultro etiam appetatur.

8 *Quæ causa.*] Theophr. lib. 3. histor. cap. 15. *Διὸ καὶ τὸ μέλι οὐχ ἡδὺ, ἄζον τ' ὄζει.*

9 *Hæc in Olympo*] Theophr. loc. cit.

10 *Amat*] Theophr. loc. cit. *Φύεται δ' ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις καὶ τραχέσι. Nascitur locis frigidis, asperisque.*

Sect. XXIX. 1 *Inter has.*] Inter silvestres, ac frugiferas. Inter silvestres quidem, bonitate materiæ: inter frugiferas, affinitate vitium: hæ enim maritantur ulmis, quæ uvas, racemos, palmitesque sustinent, ac veluti partus suos ostentant. Ulmus, *l'Orme*.

2 *Græci duo.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 14.

3. *Montuosam.*] Theophr. *Ὀρειπτελέα ὀρειλεύκος*. Pingitur a Dodonæo, Pemptad. 6. lib. 4. cap. 15. pag. 825.

4 *Fruticosa*] Frutici similis, *θαμνωδέστερος*. Iconem habet Lobelius in Observ. pag. 607.

5 *Italia ... excelsissimas.*] Nempe montuosas, quæ sunt, uti dictum est, ampliores. Siccanæ sunt, in siccis natæ. Sic Columellæ, lib. 2. cap. 17. *Prati duo genera: alterum siccaneum, alterum riguum.*

6. *Alterum*] Gallicum genus ab Atinia, Columella non secernit. *Ulmorum*, inquit, *duo esse genera convenit: Gallicum, & vernaculum. Illud Atinia, hoc nostras dicitur.* Libro 5. cap. 6. pag. 183.

7. *Samaram.*] Columella, loc. cit. pag. 184. *Atiniam ulmum*, inquit, *Tremellius Scrofa non ferre samaram, quod est semen ejus arboris, falso est opinatus: nam rariorem sine dubio creat, & idcirco plerisque sterilis videtur, seminibus inter frondem, quam prima germinatione edit, latentibus.* At enimvero samaram Plinius vocat, non minutum illud semen quod sub foliis latitat, sed majores baccas, quales in ulmo campestri Lobelii delineatæ apparent: quod hæ solæ in satione utiles.

8. *Radicum plantis.*] Hoc est, plantis cum radice ex ulmario vulsis: ut dicemus lib. 17. sect. 9. & 15. Columella, loc. cit. *Nemo jam serit ex samera, sed ex sobolibus.*

9. *Reliquæ semine.*] Sive samara, quam reliqua, præter Atiniam, genera creant. De his enim Plinius, libro 17. sect. 15. *Ulmorum, priusquam folio vestiantur, samara colligenda est circa Martias Calendas, cum flavescere incipit.*

Sect. XXX. 1. *Montes amant.*] Theophrast. lib. 3. histor. plant. cap. 4.

2. *Item aquifolia.*] Parva nempe ilex, de qua sect. 12. *Ἀγρία* hoc loco a Theophrasto nuncupatur.

3. *Populus*] At Theophr. lib. 3. hist. cap. 1. populum utramque, albam & nigram, lucos & aquas desiderare ait. Notum quoque Virgilii carmen, Eclog. 7. vers. 65.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis.

4 *Ornus*] Virgil. lib. 2. Georg. vers. 111.

Steriles saxosis montibus orni.

Ornus ea esse arbos existimatur, quæ silvestris fraxinus Columellæ. *Frêne sauvage.* Sed a *βουμελίᾳ* Macedonica discrepat.

5 *Cotinus.*] Est ea coriaria cotinus, quam Dodonæus describit ac delineat, Pempt. 6. lib. 1. cap. 19. pag. 767. & 768. atque in Galliæ plerisque Italiæque montibus reperiri ait. Sabaudi vocant, *du fustet.* Anguillara, part. 4. pag. 85. *Scotano* ab Italis appellari, radicem tingendis lanis pannisque purpureo colore utilem tradit. Est & *κότινος* Græcis, nempe olea sylvestris, quæ ab hoc frutice multum discrepat.

6 *Linamenta*] Ad fila tantum vestesque lineas conchylii colore tingendas, idoneus. In editis hactenus libris perperam legebatur *lineamenta*. In MSS. *lignamenta*.

7. *Diligit abies*] Sic Theophr. lib. 4. hist. cap. 1.

8. *Cerasus.*] Sic Palladius, lib. XI. in Octob. tit. XI. pag. 152.

9. *Descendunt*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 4.

10. *Myrtus.*] Myrtum montanam Diosc. lib. 1. pag. 133. reliquis generibus anteponit: etsi Virgilius canit, lib. 4. Georg. vers. 124. esse *amantes litora myrtos.* Et lib. 2. vers. 112. *Litora myrtetis lætissima.*

11. *Sanguinei frutices.*] A colore corticis sanguineo nomen ei frutici inditum: hodieque vulgus *Sanguen* vocat. Joan. de Janua, in Cathol. *Sanguinus, quædam parva arbor, quod cortex & fructus ejus sit sanguinei coloris: unde sanguinetum, locus ubi abundant sanguini.* Virgam sanguineam Plinius appellat, lib. 24. sect. 43. Hæc Theophrasto, loc. cit. *θηλυκρανεία* est, hoc est, cornus femina. A Dodonæo delineatur, pag. 770.

12. *Tingendisque.*] Non genista quælibet, sed quæ a re ipsa *genista tinctoria* nominatur. Describit eam, delineatque Dodonæus, pag. 751. Galli vocant, *Fleur à teindre*, ou *Herbe à jaunir.*

13. *Gaudet .... sorbus.*] Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 15. pag. 44. *Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, & solum pinguissimum.*

14. *Betulla*] *Du Bouleau.*

15. *Magistratuum*] Nunc quoque pueros virgis e betulla pædagogi terrent. His Consulares olim fasces plerumque constabant. Consulares, inquam: nam, ut recte Plinius, libro superiore, sect. 40. fasces Imperatorum laurus decorabat. Nunc betulla baculis præterea scopisque nascitur.

16 *Corbium costis.*] Sic MSS. omnes, & quos habemus præ manibus, & quos Turnebus laudat, lib. 4. Advers. cap. 16. pag. 118. non *sportis.* Corbium costæ veluti statumina sunt, crassioraque & firmiora vimina, quibus reliqua quæ tenuiora subtilioraque firmantur, atque nectuntur. Vide inferius sect. 68. Sic *navium costas* Plinius ipse superius dixit, lib. 13. sect. 19.

17. *Bitumen*] Sane bitumine scatet: & in facibus resinosum quoddam emittit, picis instar nigræ. Matthiol. in Diosc. lib. 1. cap. 93.

18. *Et spina.*] Non quælibet, sed ea modo, ex qua fie-

na, nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores qui tapuetunt Sabinas, ut auctor est Masurius. Nunc facibus carpinus & [17] corylus familiarissimæ.

XXXI. Aquas odere cupressi, juglandes, castaneæ, [1] laburnum. Alpina & hæc arbor, nec vulgo nota, dura ac candida materie, cujus florem cubitalem longitudine apes non attingunt. Odit & quæ appellatur [2] Jovis barba, in opere topiario tonsilis, & in rotunditatem spissa, argenteo folio. Non nisi in aquosis proveniunt [3] salices, alni, populi, [4] siler, [5] ligustra [6] tesseris utilissima. Item vaccinia, [7] Italiæ mancupiis sata: Galliæ vero etiam [8] purpuræ tingendæ causa ad servitiorum vestes. [9] Quæcumque communia sunt montibus planisque, majora sunt, aspectuque pulcriora in campestribus: meliora materie, crispiotaque in montibus: exceptis malis, pirisque. 5 10

XXXII. Præterea arborum aliis decidunt folia: aliæ sempiterna coma virent. Quam differentiam antecedat necesse est prior. Sunt enim arbores quædam urbaniores, quas his placet nominibus distinguere. Hæ mites, quæ fructu, aut aliqua dote, umbrarumve officio humanius juvant, non improbe dicantur urbanæ. CAP. XIX. 15

XXXIII. [1] Harum generi non decidunt: oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupresso, pinis, ederæ, rhododendro, & ([2] quamvis herba dicatur) sabinæ. Rhododendron, ut nomine apparet, a Græcis venit. Alii nerion vocarunt, alii rhododaphnen, sempiternum fronde, rosæ similitudine, caulibus fruticosum. [4] Jumentis caprisque & ovibus venenum est. [5] Idem homini contra serpentium venena remedio. CAP. XX. 20

[6] Silvestrium generis folia non decidunt abieti, [7] larici, pinastro, junipero, cedro, terebintho, [8] buxo, [9] ilici, [10] aquifolio, suberi, taxo, [11] tamarici. [12] Inter utraque genera sunt adrachne in Græcia, & ubique unedo. Reliqua enim folia decidunt his, præterquam in cacuminibus. Non decidunt autem & in fruticum genere cuidam rubo, [13] & calamo. [14] In Thurino agro, ubi Sybaris fuit, ex ipsa urbe prospiciebatur quercus una, numquam folia dimittens, nec ante mediam æstatem germinans. Idque mirum est, CAP. XXI. 25

NOTÆ.

ri in nuptiis solitæ facet, hoc est, spina alba: ut Varro testatur, lib. 2 de vita populi Rom. apud Nonium, cap. 2 num 340 Et Festus, verbo *Patrimi Patrimi & matrimi pueri prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert ex spina alba, quia noctu nubebant: duo qui tenent nubentem* Ideo autem spina alba adhibita, quod pollere ea plurimum in avertendis malis noxis crederetur, teste Nasone, lib. 6. Fast.

> *Sic fatus, spinam qua tristes pellere posset*
> *A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.*

Et mox:

> *Virgaque Janalis de spina sumitur alba*, &c.

Varro denique in Ætiis, apud Carisium, lib. 1. pag. 117. *Fax ex spina alba præfertur, quod purgationis causa adhibetur.*

17. *Corylus.*] De corylo diximus, lib. 15. sect. 24 E coryli genere avellana est.

Sect. XXXI. 1. *Laburnum.*] Est hoc Dalecampii Laburnum alterum, ab eo pictum lib 1. histor. plant. cap. 36. pag 104 De eo plura dicemus lib. 17 sect 35.

2. *Jovis barba.*] Hic frutex recte a Dalec. pingitur, lib. 2 histor. plant. cap 35. pag 194. Nondum in certi nominis Gallica lingua possessionem venit. In Bæterrensi Galliæ agro frequens, ipso teste: & in Italia juxta Livornum, ita prodente Anguillara.

3 *Salices.*] *Les Saules.* Cato, de re rustic. cap 9. pag 14. *Salicta locis aquosis, humectis, umbrosis propter amnes ibi seri oportet.* Virgil. lib 2. Georg. vers. 110.

> *Fluminibus salices, crassisque paludibus alni*
> *Nascuntur.*

4 *Siler.*] Fruticem vocat lib. 24 sect. 44. ex quo baculos rustici conficiunt, ad serpentes fugandos. Anguillara latifoliam esse salicem putat, cujus e cinere, sulfure, & aphronitro mixtis, pulvis efficitur excutiendis tormentis bellicis. Sed verius fruticem ignotum remur.

5. *Ligustra*] Gallis, *Troesne.* Pingitur a Matthiolo, in lib. 1 Diosc pag. 170.

6. *Tesseris.*] Nempe vel militaribus, vel iis quas imperatores in publicis largitionibus virittm dabant. His enim frustis ligni quadratis, certa insignitis notatisque forma, qui a principe donati erant, jus eis deinde fuit petendi frumenti publici.

7. *Italiæ mancupiis.*] MSS editique libri, *in aucupiis* præferunt, manifesto errore, quem Turnebus ante nos vidit, lib 4 Advers cap. 6 pag 118. Emendationis causam repetit ex Plinii verbis, lib 21 sect. 97 quam & nos probamus Geminum itaque distingui vaccinium a Plinio scito: Italicum alterum, quod mancupiis feratur: alterum Gallicum, sive hyacinthum, qui & gladiolus vocetur, de quo dicemus lib. 21. sect 97.

8. *Purpuræ tingendæ.*] Sic MSS. omnes Vitruvius lib. 7. cap. ultimo, pag. 148. *Vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpuram faciunt elegantem.*

9. *Quæcumque.*] Theophr. lib 3. hist cap 4 Ἄνωθεν δὲ ὅσα κοινὰ τῶν ὀρῶν καὶ τῶν πεδίων, μείζω μὲν καὶ καλλίω τῇ ὄψει τὰ ἐν τοῖς πεδίοις γίνεται, κρείττω δὲ τῇ χρείᾳ τὰ ξύλα καὶ τοὺς καρποὺς τὰ ὀρεινά, πλὴν ἀχράδος, καὶ ἀπίου, καὶ μηλέας, αὗται δ' ἐν τοῖς πεδίοις κρείττους, ὑγρὸν τοῖς καρποῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ξύλοις.

Sect. XXXIII. 1. *Harum generi.*] Hoc est, mitiorum e genere, & urbaniorum. Theophr. lib. 1. hist. cap. 19. Eadem habet auctor Geopon lib XI. cap. 1 pag 305.

2. *Quamvis herba.*] Herba, inquit, vocatur, inter frutices tamen numeranda Virgilius in Culice:

> *Herbaque thuris opes priscis imitata Sabinis.*

Arborem tamen δένδρον Diosc. vocat, lib. 1 pag 104. Sed quoniam pumila est, & coactæ brevitatis, herbam Romani appellavere Dicemus de ea uberius lib. 24. sect 61.

3. *Rhododendron.*] Lauream rosam Apuleius vocat. Ῥοδοδάφνη Theophr lib 1. hist. cap. 15. Diosc lib. 4 cap 82. Νήριον, οἱ δὲ ῥοδοδάφνην, οἱ δὲ ῥοδόδενδρον καλοῦσι, &c Pingitur a Matthiolo, in lib 4. Diosc pag 1103 Gallis, *Laurier rose.* Italis, *oleandro*, teste Anguillara, lib. de simpl. par. 4. pag 82.

4 *Jumentis.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. de fac. simp med pag 215 Prudentius in Hamartigenia, v. 232.

> *Noxius en teneris sapor æstuat ecce frutetis:*
> *Cum prius innocuas tulerit natura cicutas:*
> *Roscidus & viridem qui vestit flos rhododaphnen,*
> *Pabula lascivis dederis sincera capellis.*

5. *Idem homini.*] Diosc loc. cit.

6. *Silvestrium.*] Theophr. lib. 1. hist. cap 15. & lib. 3. cap. 4.

7. *Larici.*] Melezix arbori, quam esse laricem quidam volunt, decidunt hieme folia: & quidem soli, e coniferis arboribus.

8 *Buxo.*] *Perpetuoque virens buxus.* Ovid. lib. 10. Metam. vers. 97.

9 *Ilici*] Πρῖνος, Theophr. locis cit.

10. *Aquifolio.*] Ἀχία, Theophr. lib 1. hist. cap. 15. De ea diximus sect. 12.

11. *Tamarici.*] Folia tamarici omnia in hortis nostris hieme delabuntur De eo diximus lib. 13 sect. 37

12. *Inter utraque.*] Inter ἀείφυλλα videlicet, & φυλλοβόλα, ea quæ perpetuo virent, & quibus folia decidunt. Sic Theophr. lib. 1. hist. cap. 15. Δοκεῖ δὲ ἡ ἀνδράχνη, καὶ ὁ κόμαρος (forte rectius, ὁ κόμαρος) τὰ μὲν κάτω φυλλοβολεῖν, τὰ δ' ἐσχατα τῶν ἀκρεμόνων ἀείφυλλα ἔχειν. *Folia infima demittunt, cacuminibus perpetuo virent.* De adrachne & unedone diximus lib 13. sect. 40.

13. *Et calamo.*] Hoc est, arundini. Theophr. loc. cit. τῶν δὲ θαμνωδῶν, βάτος, ῥάμνος, κάλαμος.

14. *In Thurino.*] Theophr. loc. cit.

Græcis auctoribus proditum, [15] apud nos postea fileri. [16] Nam locorum tanta vis est, ut circa Memphim Ægypti, & in Elephantine Thebaidis nulli arbori decidant, ne vitibus quidem.

CAP. XXII. XXXVI. Ceteræ omnes extra prædictas, (etenim enumerare longum,) folia deperdunt: observatumque non arescere, nisi tenuia, & lata, & mollia. Quæ vero non decidant, [1] callo crassa, & angusta esse. [2] Falsa definitio est, non decidere his, quarum succus pinguior fit. Quis enim potest in ilice intelligere? Decidere Timæus Mathematicus Sole Scorpionem transeunte, sideris vi, & quodam veneno aëris, putat. Cur ergo non eadem causa adversum omnes polleat, jure miremur. Cadunt plurimis autumno. [3] Quædam tardius amittunt, atque in hiemes prorogant moras. [4] Neque interest maturius germinasse: utpote cum quædam primæ germinent, & inter novissimas nudentur; ut amygdalæ, fraxini, sambuci. [5] Morus autem novissima germinat, cum primis folia dimittit. Magna & in hoc vis [6] soli. Prius decidunt in siccis macrisque: & vetustæ prius arbori: multis etiam, antequam maturescat fructus. In serotina ficu, & hiberna piro, & malo granato est [7] pomum tantum aspici in matre. [8] Neque his autem, quæ semper retinent comas, eadem folia durant: sed subnascentibus aliis, tum arescunt vetera: quod evenit [9] circa solstitia maxime.

*CAP. XXIII. XXXV. [1] Foliorum unitas in suo cuique genere permanet, præterquam populo, ederæ, crotoni, quam & cici [2] diximus vocari. * [3] Populi tria genera: [4] alba, ac nigra, & quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungisque [5] enascentibus laudatissima. Alba folio bicolor, superne candicans, inferiore parte viridi. [6] Huic, nigræque, & crotoni, folia in juventa circinatæ rotunditatis sunt: vetustiora in angulos exeunt. E contrario ederæ angulosa rotundantur. Populorum foliis grandissima [7] lanugo evolat: [8] candidæ, traditæ folio numerosiore, candida, [9] & ut villi. Folia granatis & amygdalis rubentia.

XXXVI. Mirum in primis, quod ulmo, tiliæque, & oleæ, & populo albæ, & salici evenit. [1] Circumaguntur enim folia earum per solstitium: nec alio argumento certius intelligitur [2] sidus confectum. *CAP. XXIV. * Est & publica omnium foliorum [3] in ipsis differentia. [4] Namque pars inferior a terra herbido viret colore. [5] Ab eadem læviora, nervos, callumque, & articulos in superiore habent parte: incisuras vero subter, ut manus humana. [6] Oleæ superne candidiora, & minus lævia: item ederæ. Sed omnium folia quotidie ad Solem [7] oscitant, [8] inferiores partes tepefieri volentia. Superior pars omnium lanuginem quantulamcumque habet, quæ [9] in aliis gentium lana est.

NOTÆ.

15. *Apud nos.... fileri.*] Recitat tamen Varro, lib. 1. de re rust. cap. 7. pag. 51.

16. *Nam locorum.*] Theophr. & Varro, locis cit.

Sect. XXXIV. 1. *Callo crassa.*] Corpore, carne, & quadam veluti pulpa.

2. *Falsa*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 15. ea perpetuo virere ait, quæ & angustiore folio & pinguitudine quadam prædita essent, & odore jucundo: cum absint hæ dotes ab ilice. Πάντα δὲ τὰ ἀειφυλλα, τὰ στενόφυλλα, καὶ λιπαρότητά τινα ἔχοντα, καὶ εὐωδίαν.

3. *Quædam tardius.*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 15.

4. 4. *Neque interest.*] Hæc verbis totidem Theophr loc. citato.

5. *Morus autem.*] Theophr. loc. cit.

6. *Vis soli.*] Δοκεῖ δὲ καὶ ἡ χώρα συμβάλλεσθαι πρὸς τὸ ἐπιμένειν τὰ διαμένειν, &c. Theophr. loc. cit. In libris quibusdam, *vis solis*, male: cum sequatur proxime causa ejusce placiti: *Prius decidunt in siccis, macrisque*.

7. *Pomum tantum.*] Decussis hieme foliis universis, arbori adhuc pomum adhærescit.

8. *Neque his autem.*] Theophr. loc. cit.

9. *Circa solstitia maxime.*] Ita MSS omnes. Apud Latinos, qui caste integreque in eloquendo versati sunt, non dicitur solstitium fere, nisi de æstivo. Nam tametsi motus eadem proportio cum hiberno, tamen id Romani numquam dixere, sed brumam. Theophr. loc. cit. τοῦτο δὲ αἰεὶ τροπὰς μάλιστα γίνεται θερινάς.

Sect. XXXV. 1. *Foliorum unitas.*] Idem color, inquit, foliis in suo cuique genere, eadem forma, in juventa, & cum senescunt. At in populo, edera, & crotone, sunt diversa. Theophr. lib. 1. hist. cap. 16.

2. *Cici diximus.*] Libro 15. sect. 7.

3. *Populi tria.*] Ab his verbis ductum hactenus capitis primordium est: quam inepte, ex totius orationis serie liquet.

4. *Alba, ac nigra.*] *Peuplier blanc, & noir.* Libycam vulgo Tremulam vocant, a tremulorum foliorum crepitu strepituque assiduo, *Tremble*. Triplex id populi genus a Dodonæo accurate delineatur, Pempt. 6. lib. 4. cap. 14. pag. 823. & 824.

5. *Enascentibus*] Ramo, aut caudici adnascentibus.

6. *Huic.*] Hoc est, populo albæ. Theophr. loc. cit. τῆς δὲ λεύκης, ἢ αἰγείρου, καὶ τῆς ἀνδράχνης πρότερον ....., τὰ νέα (φύλλα) περιφερῆ· τὰ δὲ παλαιότερα, γωνιώδη.

7. *Lanugo.*] Seu βρύον, ut diximus lib. 12. sect. 62.

8. *Candidæ, traditæ.*] Hoc est, quæ traditur esse folio numerosiore. Ita MSS Reg. Colb. Th.

9. *Et ut villi.*] In MSS proxime laudatis, *& ut ville*. Forte, *& ut uvæ*. Nam ut lib. 12. sect. 62. bryon uva populi albæ dicitur.

Sect. XXXVI. 1. *Circumaguntur.*] Vertunt partes supinas statim post æstivum solstitium: eoque argumento solstitium exactum rustici intelligunt. Theophr. lib. 1. hist. cap. 16. Tractat hoc argumentum uberrime & eleganter Plinius, lib. 18. sect. 68.

2. *Sidus confectum.*] Solstitium peractum. Auctor Geopon. lib. 9. cap. 2. pag. 219. Παραπομπεῖν δὲ καὶ τὰς τροπὰς λέγεται στρέφοντα τὰ φύλλα τῆς ἐλαίας, ὥσπερ ἡ φιλύρα, καὶ ἡ πτελέα, καὶ ἡ λεύκη. Causam ejus rei aperit Theophr. lib. 2. de causis, cap. 26. pag. 261.

3. *In ipsis.*] In ulmo scilicet, tilia, olea, populoque alba; de quibus dictum est proxime. Sic Theophr. lib. 1. hist. cap. 16.

4. *Namque pars.*] Hæc a Plinio verissime pronunciata: etsi nonnihil discrepare Theophrastus videtur, lib. 1. hist. cap. 16.

5. *Ab eadem.*] Cum ab inferiore parte læviora sint folia, in superiore nervos habent & callum, & articulos: tenuiores fibras, atque incisuras, seu veluti venas in inferiore, Theophr. loc. cit. ἶνας καὶ φλέβας, ὥσπερ τὰς νευρώσεις, ὥσπερ ἡ χείρ. Quæ venæ Græco auctori, & ἶνες, Latino incisuræ appellantur.

6. *Olea.*] Theophr. loc. cit. τῆς ἐλαίας δὲ λευκότερα, καὶ ἧττον λεῖα.

7. *Oscitant.*] Superne convertuntur. Theophr. Πάντα δὲ ὡς εἰπεῖν πλεῖστα ἀναφαίνει τὰ ὕπτια, καὶ πάντα γίνεται τὰ ἡλίῳ φανερά.

8. *Inferiores.*] Eædem & inferiores, terramque spectant.

9. *In aliis gentium.*] Apud Seras, aliosque, ut dictum est libro 6. sect. 20.

XXXVII.

XXXVII. [1] In Oriente funes validos e palmæ foliis fieri dictum est, eosque in humore utiliores esse. Et apud nos fere palmis a messe decerpuntur. Ex his meliora, quæ sese non diviserint. Siccantur sub tecto quaternis diebus: mox in Sole expanduntur, & noctibus relicta [a] [2] donec candore inarescant, postea [3] in opera finduntur.

XXXVIII. [1] Latissima fico, viti, platano: angusta myrto, Punicæ, oleæ: [2] capillata pino, cedro: aculeata aquifolio, & [3] ilicum generi: nam junipero spina pro folio est: carnosa cupresso, tamarici: [4] crassissima alno: longa arundini, salici: [5] palmæ etiam duplicia: circinata piro, mucronata malo, angulosa ederæ, divisa platano: [6] insecta pectinum modo piceæ, abieti: sinuosa toto ambitu robori: spinosa cute, rubo. Mordacia sunt quibusdam, ut urticis. Pungentia pino, piceæ, abieti, larici, cedro, [7] aquifoliis. Pediculo brevi oleæ, & ilici: longo vitibus: tremulo populis, & iisdem foliis inter se crepitantia. Jam & in pomo ipso, [8] mali quodam in genere, per medios emicant folia, interim & gemina. [9] Præterea aliis circa ramos, aliis & in cacumine ramorum: robori, & in caudice ipso. Jam densa, ac rara, semperque lata rariora. [10] Disposita myrto, concava buxo, inordinata pomis. Plura [11] eodem pediculo exeuntia malis pirisque. [12] Ramulosa ulmo, & cytiso. Quibus adjicit [13] Cato decidua, populea quernaque, animalibus jubens dari non perarida: bubus quidem & ficulnea, ilignaque, & ederacea. Dantur & ex arundine, ac lauro. Decidunt sorbo universa, ceteris paulatim. Et de foliis hactenus.

Cap. XXV.

XXXIX. Ordo autem naturæ annuus ita se habet. Primus est conceptus, flare incipiente vento Favonio, [1] circiter fere sextum Idus Februarii. [2] Hoc maritantur vivescentia e terra: quippe cum etiam equæ in Hispania, [3] ut diximus. Hic est genitalis spiritus mundi, [4] a fovendo dictus, ut quidam existimavere. Flat ab occasu æquinoctiali, ver inchoans. [5] Catulitionem rustici vocant, gestiente natura semina accipere, [6] eoque animam inferente omnibus satis. Concipiunt variis diebus, & pro sua quæque natura. Alia protinus, ut animalia: tardius aliqua, & diutius gravida partus gerunt: quod germinatio ideo vocatur. Pariunt vero cum florent, flosque ille ruptis constat [7] utriculis. Educatio [8] in pomo est: [a] hoc, & germinatio, [9] laborum.

XL. Flos est pleni veris indicium, & anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se novas, aliasque quam sunt, ostendunt: tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant. Sed hoc negatum plerisque. Non enim omnes florent: & sunt tristes quædam, quæque non sentiant gaudia annorum. [1] Nam neque ilex, picea, larix, pinus,

INTERPRETATIO.

a *Hoc.*] Est & hæc educatio, & germinatio, plena laboris.

NOTÆ.

Sect. XXXVII. 1. *In Oriente . . . . dictum est.*] Libro 13. sect. 7.

2. *Donec candore.*] Donec se arida probent candore.

3. *In opera finduntur.*] In funes vitiliumque nexus, & capitum levia umbracula, uti dictum est loco proxime appellato, lib. 13. sect. 7.

Sect. XXXVIII. 1. *Latissima fico, &c.*] Hæc maximam partem apud Theophr. leges, lib. 1. hist. cap. 16.

2. *Capillata.*] Vel, ut alibi, capillacea, τριχόφυλλα.

3. *Ilicum generi.*] Hoc est, ilici geminæ, de qua sect. 8. diximus.

4. *Crassissima alno.*] Theophr. nervosa dixit: ἰνώδη, lib. 3. hist. cap. 14.

5. *Palmæ . . . . . duplicia.*] Quamobrem bifidata foliorum palmæ latera vocat, lib. 13. sect. 7.

6. *Insecta.*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 16. ἐσχισμένα, καθάπερ τὸ τῆς ἐλάτης, &c. Probe secta, fissaque. Sic lib. 9. sect. 56 *pectinum insecto* dixit.

7. *Aquifoliis.*] Hoc est, & aquifolio simul, & aquifoliæ ilici. De utroque genere, sect. 8. & 12.

8. *Mali quodam in genere.*] Quod melofolium ex ea re appellatum vidimus, lib. 15. sect. 15.

9. *Præterea aliis.*] Hæc etiam Theophr. loc. proxime citato.

10. *Disposita myrto*] Ei præsertim, quam hexasticham vocant, ut diximus lib. 15. sect. 37 a senis foliorum versibus.

11. *Eodem pediculo.*] Eodem potius petiolo: unde cum suis pediculis folia plura pendent.

12. *Ramulosa*] Venosa, ut quidem reor: sic enim cytisum Diosc. lib. 4. cap. 113. ait ῥάχιν ἔχειν μείζονα, spina dorsi prominentiore esse.

13. *Cato decidua.*] Decidua pro *cadua* dixit paulo licentius. Sic enim MSS. omnes. Catonis verba sunt ea, e cap. 5. pag. X I. *Frondem populneam, ulmeam, querneam caedito: per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus.* Et cap. 30. pag. 28. *Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam, usque dum habebis, dato.* Denique cap. 45. pag. 42. *Bubus . . . . si fenum non erit, frondem iligneam, & ederaceam dato.* Vide Columellam, lib. 6. cap. 3.

Sect. XXXIX. 1. *Circiter fere sextum.*] Ut dictum est lib. 2. sect. 47.

2. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 67.

3. *Hoc maritantur.*] Hoc vento fecundantur, stimulantur, illiciuntur, invitantur ad conceptum. Sic palmæ mares *afflatu visuque* dicuntur feminas *maritare*, lib. 13. sect. 7.

4. *A fovendo*] Ita MSS. omnes. Græcis pariter Ζέφυρος, qui Favonius est, quasi Ζωηφόρος, *vitam afferens*, appellatur. Sic Favonius a fovendo, quoniam foveat sata, *genitabilis aura Favoni*, ut canit Lucretius, lib. 3. Isidorus, lib. 9. Orig. cap. 5. *Favonios appellabant, quia quædam animalia Favonio spiritu hausto concipere existimantur.*

5. *Catulitionem.*] MSS. Reg. Colb. Th. *Catulitionem.* Catulire Grammatici novitiu aiunt idem esse, atque in Venerem incitari.

6. *Eoque animam.*] Eo vento scilicet, Favonio.

7. *Utriculis.*] Hoc est, calyculis, unde flos erumpit. Ἔλυτρα sunt Dioscoridi, lib. 2. cap. 114.

8. *In pomo.*] Quamdiu pendet a matre pomum, quasi quædam fetus educatio intelligitur.

9. *Laborum*] Est nutritio pomi, inquit, est & germinatio arbori, ut fere mulieri partus, & educatio fetus, plena laboris: flos autem, res plena gaudii. Vide Notas & Emend. num. IX.

Sect. XL. 1.] *Nam neque ilex.*] Ilicem tamen florere Theophrastus asseverat, extremo cap. 5. lib. 3. hist. Πρῖνος ἀνθεῖ.

ullo flore exhilarantur, natalesve pomorum recursus annuos versicolori nuncio promittunt: [2] nec fici, atque caprifici. Protinus enim fructum flores gignunt. In ficis mirabiles sunt & abortus, qui numquam maturescunt. [3] Nec juniperi florent. [4] Quidam earum duo genera tradunt: alteram florere, nec ferre: quæ vero non floreat, ferre protinus baccis nascentibus, quæ biennio hæreant. Sed id falsum: omnibusque iis dura facies semper. Sic & hominum multis fortuna [5] sine flore est.

XLI. Omnes autem germinant, etiam qui non florent, magna & locorum differentia. Quippe cum ex eodem genere quæ sunt in palustribus, priora germinent: mox campestria, novissima in silvis. Per se autem tardius piri silvestres, [2] quam cetera. [3] Primo Favonio cornus, proxime laurus, pauloque ante æquinoctium tilia, acer. [4] Inter primas vero populus, ulmus, salix, alnus, nuces. [5] Festinat & platanus. Ceteræ [6] vere cœpturo, aquifolium, terebinthus, paliurus, castanea, [7] glandes. [8] Serotino autem germine malus, tardissimo suber. [9] Quibusdam geminatur germinatio, nimia soli ubertate, aut invitantis cæli voluptate: quod magis in herbis segetum evenit. In arboribus tamen nimia germinatio [10] elassescit.

Sunt aliæ naturales quibusdam, præterque vernas, [11] quæ suis constant sideribus, quorum ratio aptius reddetur tertio ab hoc volumine. Hiberna Aquilæ exortu, æstiva Canis ortu, tertia Arcturi. Has duas quidam omnibus arboribus communes putant: sentiri autem maxime in fico, vite, Punicis: causam afferentes, quoniam in Thessalia Macedoniaque plurima tum ficus exeat. Maxime tamen in Ægypto apparet hæc ratio. [12] Et reliquæ quidem arbores, ut primum cœpere, continuant germinationem: Robur & abies, & larix, [13] intermittunt tripartito, ac terna germina edunt: [14] ideo & ter squamas corticum spargunt: quod omnibus arboribus in germinatione evenit, quoniam prægnantium rumpitur cortex. [15] Est autem prima earum incipiente vere, circiter XV. diebus. Iterum germinant [16] transeunte Geminos Sole. [17] Sic fit, ut prima cacumina impelli secutis appareat, geniculato incremento. Tertia est earumdem ad solstitium brevissima, nec diutius septenis diebus. Clareque & tunc cernitur excrescentium cacuminum [18] articulatio. [19] Vitis sola bis parturit: cum primum emittit uvam: iterum cum digerit. Eorum quæ non florent, partus tantum est & maturitas. Quædam statim in germinatione florent, properantque in eo: sed maturescunt tarde, ut vites. Serotino quædam germinatu florent, maturantque celeriter, [20] sicuti morus, quæ novissima urbanarum germinat, nec nisi exacto frigore: ob id dicta sapientissima arborum. Sed cum cœpit, in tantum universa germinatio erumpit, ut una nocte peragat, etiam cum strepitu.

XLII. Ex his, quæ hieme Aquila exoriente ([1] ut diximus) concipiunt, floret prima omnium amygdala mense Januario: Martio vero pomum maturat. Ab ea proxime florent [2] Armeniaca, dein tuberes, & [3] præcoces: illæ peregrinæ, [4] hæ coactæ. Ordine au-

NOTÆ.

2. *Nec fici.*] Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 16 pag. 378. *Nec hoc ignorandum*, inquit, *ficum solam ex omnibus arboribus non florere.*

3. *Nec juniperi.*] Itane se res habeat, an secus, amplius considerandum Theophr. admonet, σκεπτέον, lib. 3. hist. cap. 6. Jumpetus, *Genevrier*, & *Genévre*.

4. *Quidam earum.*] Sic etiam Theophr. loc. cit. suffragante nunc quoque in Gallus experientia.

5. *Sine flore.*] Numquam benigna, aut blande arridens.

Sect. XLI. 1. *Novissima in silvis.*] In montibus, Theophr. Ἔσχατα δὲ τὰ ἐν τοῖς ὄρεσιν, loc. cit.

2. *Quam cetera.*] Quam urbanæ, inquit Theophr. loc. cit. Ἀγρίας δὲ μακρῷ ὕστερον τῆς ἡμέρου.

3. *Primo Favonio.*] Etiam ante Favonium in Græcia, πρὸ ζεφύρου, teste Theophr. loc. cit.

4. *Inter primas.*] Theophr. loc. cit.

5. *Festinat.*] Sic tamen ut paulo serius germinet, quam proxime appellatæ. Theophr. loc. cit.

6. *Vere cœpturo.* Sic libri omnes. Theophr. ἀρχομένου τοῦ ἦρος, *ineunte vere*.

7. *Glandes.*] Vel *juglandes* scribi necesse est, ex Theophr. loc. cit. qui καρύα dixit: vel Jovis glandes intelligendæ.

8. *Serotino.*] Theophr. loc. cit.

9. *Quibusdam geminatur.*] Ita MSS. omnes: sincerior tamen lectio haud dubie, *geminatur*.

10. *Elassescit.*] Arborum fecunditatem exhaurit, efficitque sæpenumero, ut fructus suos alternent.

11. *Quæ suis constant.*] Quæ certorum exortu, occasuve siderum eveniunt: quorum ratio expedietur uberrime lib. 18. sect. 57. & sequentibus.

12. *Et reliquæ.*] Hæc totidem verbis Theophr. lib. 3. hist. cap. 6.

13. *Intermittunt tripartito.*] Ter intermittunt germinationem, terque turgent. Πεύκην δὲ καὶ ἐλάτην καὶ δρῦν διαλείπειν. καὶ τρεῖς ὁρμὰς εἶναι, καὶ τρεῖς ἀφιέναι βλαστούς. Theophr. loc. cit. En rursum δρῦς Plinio robur est, abies ἐλάτη, πεύκη laria, ut diximus Sed meleza, quam laricem esse eruditi volunt, non intermittit.

14. *Ideo & ter squamas.*] Ter corticem, qui squamarum instar est, genitali, qui interlabitur insinuatque se se, humore respergunt: quod in unaquaque germinatione evenire vel ex eo intelligitur, quod tum facile cortex absistat, detrahaturque corpori Hæc plane mens Theophrasti, Pliniique est, quæ interpretes hactenus male vexavit. Vide Notas & Emend. num. X.

15 *Est autem prima.*] Alia ratio est Græciæ, quam Theophrastus explicat, loc. cit. alia Italiæ, quam Plinius nunc declarat.

16. *Transeunte Geminos.*] Theophr. loc. cit. περὶ τὸν Σκιρροφοριῶνα λήγοντα. Vide quæ dicturi de mensibus Græcis sumus, lib. 27. sect. 37. circa finem.

17. *Sic fit ut prima.*] Priora cacumina sequentibus, quæ adnascuntur, apparet impelli: & articulis quibusdam seu nodis incrementa distinguuntur. Ruellius, lib. 1. de nat. stirp pag. 29. legit ita. *Sic fit ut dum prima cacumina propelluntur, fis cutis aperiat*, &c. Sed male.

18 *Articulatio.*] Geniculatum cacuminum incrementum, ut dictum est proxime Fit illud, cum cacumina crescunt ramorum, medulla ante se tendente, & novam impellente materiam, ut dicetur lib. 17 sect. 35. num. 1.

19. *Vitis .... bis parturit.*] Bis germinat.

20. *Sicuti morus.*] Quæ propter frigiditatem soli tarde germinat, eadem propter debilitatem cito maturat. Theophr lib. 1. de causis, cap. 22. Vide quæ dicturi de moro sumus, lib. 18. sect. 67. num. 1.

Sect. XLII. 1. *Ut diximus*] Sect. sup.

2 *Armeniaca*] Scilicet prunus, de qua lib. 15. sect. 12.

3. *Præcoces.*] Nempe præcocia Persica, de quibus lib 15. sect. XI.

4. *Hæ coactæ*] Ad velociorem maturitatem arte evocatæ,

tem naturæ, silvestrium primæ, [5] sambucus, cui medulla plurima: & cui nulla, cornus mascula. Urbanarum, malus: parvoque post, ut simul videri possit, pirus, & cerasus, & prunus. Sequitur laurus, illamque cupressus: dein Punica, fici. At vites & oleæ florentibus jam iis germinant. Concipiunt [6] Vergiliarum exortu. Hoc sidus illarum est. Floret autem solstitio vitis, & quæ paulo serius incipit, olea. Deflorescunt omnia septenis diebus, non celerius: quædam tardius, sed nulla pluribus bis septenis. Omnia & intra VIII. Idus Julii [7] etesiarum præcursu.

XLIII. Nec statim fructus sequitur in aliquibus. * [1] Cornus enim circa solstitia reddit primo candidum, postea sanguineum. Ex eo genere femina post autumnum fert baccas acerbas, & ingustabiles cunctis animantibus: ligno quoque fungosa & inutilis, cum mas e fortissimis quoque sit: tanta differentia [2] ab eodem genere fit. [3] Sed & terebinthus messibus reddit semen, & acer, & fraxinus: nuces, & mala, & pira, præterquam hiberna, aut præcocia, autumno. [5] Glandiferæ serius etiamnum, Vergiliarum occasu: esculus tantum autumno. Incipiente autem hieme quædam genera mali, pirique, & suber. [7] Abies flores croci colore circa solstitium, semen reddit post Vergiliarum occasum. [8] Pinus autem & picea præveniunt germinatione quindecim fere diebus. [9] Semen vero post Vergilias & ipsæ reddunt. CAP. XXVI.

XLIV. [1] Citreæ, & juniperus, & ilex, [a] anniferæ habentur: novusque fructus in his cum annotino pendet. In maxima tamen admiratione pinus est: habet fructum maturescentem: habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio. Nec ulla arborum avidius se promittit. Quo mense nux ea decerpitur, eodem maturescit alia: & sic dispensatur, ut nullo non mense maturescant. Quæ se in arbore ipsa divisere, [2] azaniæ vocantur: læduntque ceteras nisi detrahantur.

XLV. Fructum arborum solæ nullum ferunt, hoc est, ne semen quidem, [1] tamarix scopis tantum nascens, [2] populus, [3] alnus, [4] ulmus Atinia, [5] alaternus, cui folia inter ilicem & olivam. [6] Infelices autem existimantur, damnatæque religione, quæ neque seruntur umquam, neque fructum ferunt. Cremutius auctor est, numquam virere arborem, [7] ex qua Phyllis se suspenderit. Quæ gummi gignunt, post germinationem [8] aperiuntur: gummi vero non nisi fructu detracto spissatur.

XLVI. Novellæ arbores carent fructu quamdiu crescunt. [1] Perdunt facillime ante maturitatem, palma, ficus, amygdala, malus, pirus: item Punica, quæ etiam roribus nimiis & pruinis florem amittit. Qua de causa inflectunt ramos ejus, ne subrecti humorem infestum excipiant, atque contineant. [2] Pirus & amygdala, etiamsi non pluat, sed fiat Austrinum cælum, aut nubilum, amittunt florem, & primos fructus; si, cum de-

INTERPRETATIO.

a *Annifera.*] Toto anno ferre fructum existimantur.

NOTÆ.

præter insitam a natura indolem.

5. *Sambucus*] *Du sureau*, arbor notissima, & passim in dumetis obvia.

6. *Vergiliarum exortu.*] De quo, lib. 18. sect. 66.

7. *Etesiarum præcursu.*] Sic plane ut etesiarum ortum antevenian: qui ortus incidit in VIII. Calend. Aug. ut dicetur lib. 18. sect. 68.

Sect. XLIII. 1. *Cornus enim*] Hæc habet iisdem verbis Theophr. lib. 3. hist. cap. 6. Κρανεία μὲν . . . περὶ τροπὰς θερινὰς, &c.

2 *Ab eodem genere.*] Tanta est, inquit in sexu differentia, in arboribus etiam ejusdem generis. Theophr. Τοσαύτη δ' ἡ διαφορὰ περὶ ἄμφω.

3 *Sed &* . . . . *messibus.*] Theophr. περὶ πυροῦ ἀμητὸν, *circa messem tritici.*

4. *Et acer* . . . *autumno.*] Hæc pariter omnia Theophr. loc. cit.

5. *Glandiferæ.*] Ut robur, & castanea, δρῦς καὶ διὸς βάλανος, Theophr.

6. *Vergiliarum occasu.*] De quo lib. 18. sect. 59.

7. *Abies flores.*] Theophr. loc. cit. Καὶ ἡ ἐλάτη ἄνθος κρόκινον, &c.

8 *Pinus autem, &c.*] Theophr. Πεύκη δὲ καὶ πίτυς ἀποτρέχει τῇ βλαστήσει μικρὸν, &c.

9. *Semen vero.*] Theophr. loc. cit. Μετὰ Πλειάδα, hoc est, μετὰ δύσιν Πλειάδος.

Sect. XLIV. 1. *Citrea.* De citreis jam verissime superius affirmavit, lib. 12. sect. 7. De junipero & ilice, Theophr. loc. cit.

2. *Azaniæ vocantur*] Hoc est, exarescentes, ab ἀζαίνω, *exaresco*, vel ab ἀζαίνω *exsicco*, quod vel siccitate aeris, vel longiore mora in arbore factæ aridiores dehiscant nuces eæ pineæ. Ita porro M S S. Reg. Th. Colb. Chiffl. non *Zamia.*

Sect. XLV. 1. *Tamarix.*] Nempe silvestris, & nostras, quæ plane est sterilis, ut dicetur lib. 24. sect. 41. non sativa, quæ in Ægypto Syriaque fert fructum.

2. *Populus*] Alba nimirum λεύκη. Nam nigræ semen in comitialibus morbis ipse commendat, lib. 24. sect. 32.

3. *Alnus.*] Alnos in Creta fructum ferre scribit auctor lib. de Mirab. Auscult. pag. 1155. Apud nos oblongum quiddam emittit, ex multis compactum squamulis, quod pro fructu habetur: iis dehiscentibus semen autumno excidit.

4. *Ulmus Atinia.*] Diximus de ea ulmo, sect. 29.

5. *Alaternus.*] Et hanc Macrobius inter infelices arbores reponit, lib. 2. Saturn. cap. 16. pag. 878. A Clusio pingitur, lib. 1. histor. plant. cap. 33. pag. 50. Gallis *Alaterne.* Plura ejus sunt genera in horto Regio.

6. *Infelices.*] Felices arbores vocant, quæ fructum ferunt: infelices, quæ non ferunt. Livius, lib. 5. pag. 95. *Nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum.*

7 *Ex qua Phyllis.*] Fuit hæc Lycurgi Thraciæ regis filia, quæ Demophoonta Thesei regis Atheniensis ex Phædra filium amavit, excepitque e Trojano bello redeuntem. Is cum Athenas ad componenda regni negotia reversus, illic longiores contra datam fidem traheret moras, Phyllis se spretam rata, amoris impatientia vitam laqueo finivit, & in arborem amygdalum folus carentem est mutata. Reversus deinde Demophoon, cum arborem amplexus esset, illa sponsi adventum veluti sentiens emisit folia, quæ ab ejus nomine φύλλα deinde dicta sunt, quæ prius πέταλα dicebantur. Vide Hygin. fab. 143.

8. *Aperiuntur.*] Dehiscunt, ut gummi emittant.

Sect. XLVI. 1. *Perdunt facillime*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 9.

2. *Pirus & amygdala.*] Plinius ipse, lib. 17. sect. 2. *Adeo ut amygdala & piro, etiamsi omnino nubilum fuit, Austrinusve flatus, amittant fetus.*

floruere, tales dies fuerint. [3] Ocyssime autem salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dicta [4] Homero frugiperda: [5] secuta ætas scelere suo interpretata est hanc sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis [6] medicamentum esse constat. Sed in hoc quoque providens natura, facile nascenti, [7] & depacto sur-
5 culo, incuriosius semen dedit. [8] Una tamen proditur ad maturitatem perferre solita, in Creta insula, ipso descensu Jovis speluncæ, torvum ligneumque, magnitudine ciceris.

XLVII. Fiunt vero quædam loci vitio infructuosa, sicut in Paro silva cædua, quæ nihil fert. [1] Persicæ arbores in Rhodo florent tantum. [2] Fit hæc differentia &
10 ex sexu: in iisque mares non ferunt. [3] Aliqui hoc permutantes, mares esse, quæ ferant, tradunt. Facit & densitas sterilitatem.

XLVIII. [1] Gignentium autem quædam & lateribus ramorum, & cacuminibus ferunt: ut pirus, Punica, ficus, myrtus: [2] cetero eadem natura, quæ frugibus. Namque & in eis spica in cacumine nascitur, legumina in lateribus. Palma sola ([3] ut dictum
15 est) in spathis habet fructum, racemis propendentem.

XLIX. Reliquis sub folio pomum, ut protegatur, excepta fico, cui folium maximum umbrosissimumque, & ideo supra id pomum: ei demum serius folium nascitur, quam pomum. Insigne proditur in quodam genere Ciliciæ, Cypri, Helladis, [1] ficos sub folio, grossos vero post folium nasci. Ficus & præcoces habet,
20 quas Athenis prodromos vocant, [3] In Laconico genere maxime sunt.

CAP. XXVII. L. [1] Sunt & biferæ in eisdem. [2] In Cea insula caprifici triferæ sunt. Primo fetu sequens evocatur, sequenti tertius: [3] hoc fici caprificantur. Et caprifici autem [4] ab adversis foliis nascuntur. Biferæ & in malis ac piris quædam, sicut & præcoces. Malus silvestris bifera. Sequens ejus fructus [5] post Arcturum in apricis maxime. [6] Vites quidem &
25 triferæ sunt, quas ob id insanas vocant: quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. [7] M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ [8] apud Matroum biferam, & malum in agro Consentino. Hoc autem evenit perpetuo in Tacapensi Africæ agro, de quo [9] plura alias: ea est soli fertilitas. Trifera est & cupressus. Namque baccæ ejus colliguntur mense Januario, & Maio, & Septembri: [10] ternasque
30 earum gerit magnitudines.

Est vero & in ipsis arboribus etiam onustis peculiaris differentia. [11] Summa sui parte fertiliores, arbutus, quercus: inferiore, juglandes, [12] fici mariscæ. Omnes, quo magis senescunt, hoc maturius ferunt, & in apricis locis, nec pingui terra. Silvestriora omnia tardiora. Quædam ex iis omnino nec maturescunt. [14] Item quæ sub-

NOTÆ.

3. *Ocyssime.... salix*] Apud Theophr. lib. 3. histor. cap. 1. quod Plinius ipse iterum repetit, lib. 24. sect. 38. Id porro semen, quod in araneam abit, ante quam percoquatur, etsi Theophr. καρπὸν appellat, Galenus, Ægineta, & alii, malunt florem vocare.

4. *Homero.*] Odyss. κ'. vers. 510.

Μακραί τ' αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Ubi Didymus interpres: Ὠλεσίκαρποι· ἐπειδὴ τὸ ἄνθος ἀποβάλλουσιν· ἢ ἐπεὶ οἱ πίνοντες ἄνθος ἰτέας, ἄγονοι διαφθείρονται. Quoniam florem amittit: vel quod in potu sumptus sterilitatem inducit.

5. *Secuta ætas.*] Theophrastus ὁ Φυτικός, citante Didymo loc. cit. Democritus in Geopon lib. XI. cap. 14. pag. 312. ubi Homericus versus ita scribitur,

Κλῆθραι τ', αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Diosc. lib. 1. pag. 136. Ælian. lib. 4. histor. animal. cap. 23. ac Plinius ipse rursum lib. 24. sect. 38.

6. *Medicamentum.*] Φάρμακον, quod sterilitatem affert.

7. *Et depacto surculo.*] Cum vel depacto, inquit, in terram nulla fere arte, vel cultura, facile hæc nascatur arbos, indiligentius ei natura semen dedit, quod vix perfert ad maturitatem.

8. *Una tamen*] In ejusdem speluncæ aditu fuisse & populum nigram, quæ fructum ferret. Theophr. lib. 3. hist. cap. 5.

Sect. XLVII. 1. *Persicæ arbores.*] Id jam superius memoratum lib. 15. sect. 13. Idem de arbore Persea Theophr. lib. 3. histor. cap. 5. quoniam arbos utraque Ægypti indigena fuit.

2. *Fit hæc.... & ex sexu.*] Apud Theophr. lib. 3. hist. cap. 6.

3. *Aliqui hoc*] Theophr. loc. cit.

Sect. XLVIII. 1. *Gignentium.*] Theophr. lib. 1. histor. cap. 23.

2. *Cetero eadem natura.*] Cetero constant hæ arbores eadem natura, quæ frugibus inest. Namque & in ipsis frugibus, spica est in cacumine, ut in frumento: legumina sunt in lateribus, ut in faba. Hæc Plinius vere, sed alio certe ex fonte, quam ex Theophrasto.

3. *Ut dictum est.*] Libro 13. sect. 7. ubi spathas, quæ vox Græca est, palmites transtulit. Pollux, lib. 1. cap. ult. ἐξ ὧν ἀρμόζονται οἱ βάλανοι, σπάθη.

Sect. XLIX. 1. *Ficos sub folio.*] Hoc est, infra folium. Grossos vero post folium, hoc est, a tergo foliorum, & uti nos loquimur, supra folia. Hæc quoque recitat Athenæus ex Theophrasto, lib. 3. pag. 77. τὸ μὲν σῦκον ἔμπροσθεν φύεται τοῦ φύλλου· ὁ δ' ὄλυνθος ἐξόπισθεν. Grossus est pomum serotinum, vel raro, vel numquam maturescens.

2. *Ficus & præcoces*] Theophr. lib. 5. de caus. cap. 1. & in hoc argumento habitat, & causas ejus rei investigat.

3. *In Laconico.... maxime sunt.*] Vide Notas & Emend. num. X3.

Sect. L. 1. *Sunt & biferæ.*] In ficubus, ut dictum est lib. 15. sect. 19.

2. *In Cea.*] Ἐν Κέῳ Theophr. lib. 2. de plantis, apud Athen. lib. 3. pag. 77.

3. *Hoc fici.*] Hoc nempe tertio caprifici fetu, fici urbanæ caprificantur, quo dictum est modo lib. 15. sect. 21.

4. *Ab adversis foliis.*] Supra folia, ut fici: non sub ipsis, ut reliqua poma.

5. *Post Arcturum.*] Μετ' Ἀρκτοῦρον, Theophr. lib. 1. hist. cap. 23. post Arcturi exortum, de quo dicemus lib. 18. sect. 74.

6. *Vites quidem.*] Theophr. lib. 1. de causis, cap. XI. p. 211.

7. *M. Varro*] Lib. 1. de re rust. cap. 7. pag. 51.

8. *Apud Matroum.*] Matris Deûm Cybeles fanum. Vide Notas & Emend. num. X3I.

9. *Plura alias.*] Libro 18. sect. 51.

10. *Ternasque earum.*] Tergemina est, inquit, magnitudinis baccarum differentia.

11. *Summa sui parte*] Vide Notas & Emend. num X3II.

12. *Fici mariscæ.*] De his egimus lib. 15. sect. 19.

13. *Silvestriora.*] Tardius ea fructus suos perficiunt. Theophr. lib. 3. histor. cap. 3. Ὀψικαρπότερα γὰρ ὀψιαίτερα.

14. *Item quæ subarantur*] Subarare, est subtus arando terram movere: idem fere quod ablaqueare.

atantur, aut quæ ablaqueantur, celeriora neglectis: [15] hæc & fertiliora.

LI. Est etiamnum ætatis differentia. Amygdala enim & pirus in senecta fertilissimæ: ut & glandiferæ, & quoddam genus ficorum. Ceteræ in juventa tardiusque maturantes, quod maxime notatur in vitibus. Vetustioribus enim vinum melius: novellis copiosius. Celerrime vero senescit, & in senecta deteriorem fructum gignit malus: namque & minota poma proveniunt, & vermiculis obnoxia. Quin & in ipsa arbore nascuntur. Ficus sola ex omnium arborum fetu, maturitatis causa [1] medicatur: jam quidem [2] ex portentis, quoniam majora sunt pretia præposteris. Omnia autem celerius senescunt [3] præfecunda. Quin & protinus moriuntur aliqua, [4] cælo fecunditatem omnem eblandito: quod maxime vitibus evenit. * Contra morus tardissime senescit, [5] fructu minime laborans. Tarde & quorum crispa materies: ut acer, palma, populus. Et subarata ocyus senescunt. * Silvestria autem tardissime. Atque in totum, omnis cura fertilitatem adjicit, fertilitas senectam: ideo & [6] præflorent talia, & prægerminant, atque in totum præcocia fiunt: quoniam omnis infirmitas [7] cælo [8] magis obnoxia est.

10 * CAPUT XXVIII. * CAPUT XXIX.

LII. Multæ vero plura gignunt, [1] ut diximus in glandiferis: inter quas laurus [2] uvas suas: [3] maximeque sterilis, quæ non gignit aliud: ob id a quibusdam mas existimatur. Ferunt & avellanæ [4] iulos compactili callo, ad nihil utiles. * Plurima vero buxus. Nam & semen suum, & granum, [5] quod cratægum vocant, & a septemtrione [6] viscum, a meridie hyphear: de quibus plura [7] mox paulo. Interdumque pariter tres quaternas habent.

15 * CAPUT XXX.

LIII. [1] Arbores quædam simplices, quibus a radice caudex unus: & rami frequentes, ut olivæ, fico, viti. [2] Quædam fruticosi generis, ut paliurus, myrtus: item nux avellana: quin immo melior est, & copiosior fructu, in plures dispersa ramos. [3] In quibusdam omnino nullus, ut in suo genere buxo, loto transmarinæ. Quædam bifureæ, atque etiam in quinas partes diffusæ. [4] Quædam dividuæ, nec ramosæ, ut sambuci. Quædam [5] individuæ, ramosæ, ut piceæ. Quibusdam ramorum ordo, sicut piceæ, abieti. Alias inconditus, ut robori, malo, piro. [6] Et abieti quidem subtecta divisura, ramique in cælum tendentes, non in latera proni. [7] Mirum, cacuminibus eorum decisis moritur: totis vero detruncatis durat. [8] Et si infra, quam rami fuere, præcidatur, quod superest, vivit, [9] si vero cacumen tantum auferatur, tota moritur. Alia ab radice brachiata, ut ulmus. Alia in cacumine ramosa, ut pinus, [10] lotos, sive faba Græca: quam Romæ a suavitate fructus silvestris quidem, sed cerasorum pæne natura, loton appellant. Præcipue domibus expetitur ramorum petulantia, brevi caudice latissima exspatiantium umbra, & in vicinas domos sæpe transiluentium. Nulli opacitas brevior: nec aufert Solem hieme,

20 25 30

NOTÆ.

15 *Hæc & fertiliora*] Nempe, quæ subarantur. Nam ut paulo post ipse verissime, *Omnis cura fertilitatem adjicit.*

Sect. LI. 1. *Medicatur.*] Sparso ad radices hordeo, milioque, terraque obruto. Qua arte ficus præsertim humiles ac pumilæ in vasis fictilibus satæ nutriuntur: & citius eæ, quam reliquæ, germinant, & fructum edunt. Neque enim de caprificatione hic sermo, ut Dalecampius est arbitratus.

2. *Ex portentis.*] Portentosæ, inquit, cujusdam luxuriæ est, majore esse in pretio eas quæ sic medicatæ coguntur ad maturitatem, ac præpostere nec legitimo tempore perficiuntur: cum sint eæ minus salubres. Plinius iterum lib. 23. sect. 63. *Novissimæ ficus salubriores, quam primæ: medicatæ vero, numquam.* Dalecampius hallucinatur, qui præposteras hoc loco novissimas putat esse.

3. *Præfecunda.*] Quorum coacta medicamentis fecunditas est, quæ domini aviditas ad fertilitatem celerius quam par est, evocat. Simili fato, similique forte de causa, *fecundis prudentia præmatura mortis signum est*, ut ait Plinius, lib. 7. sect. 52.

4. *Cælo.*] Cæli & aeris benignitate ad fecunditatem arbores invitante.

5. *Fructu minime.*] Ita Reg. 2. & alii Reg. 1. Colb. Th. *fructus.* Haud multum, inquit, in edendo fructu morus laborat: ideo tardius senescit.

6. *Præflorent talia.*] Nempe silvestria.

7. *Cælo magis.*] Cæli vires affectionesque sentit.

8. *Magis obnoxia est.*] MSS. Reg. Th. Colb. &c. *magis obnoxia est.*

Sect. LII. 1. *Ut diximus.*] A sect. 9. ad sect. 14.

2. *Uvas suas.*] Quiddam uvæ simile.

3. *Maximeque.*] Et sativa quidem, inquit, & sterilis: sed hæc maxime, quæ fructum alium nullum gignit. Theophr. lib. 3. hist. cap. 8. Ἡ δὲ δάφνη τὸ βοτρύδιον· φέρει μὲν καὶ καρποφόρος, οὐ μὴν καὶ πᾶσα, ἀλλὰ καὶ χεῖρον τι αὐτῆς· ἡ μὲν ἄλλη πᾶσιν, ἡ ἀκαρπος. ἣν δὴ καὶ ἄρρενα τινες καλοῦσιν.

4. *Iulos.*] Theophr. loc. cit. Ἡ ἡρακλεωτικὴ καρύα, τὸν ἴουλον. Est autem iulus, quem avellanæ florem Suidas vocat, callo seu squamula plurima ex qua compingitur: & tamdiu quidem compactilis dicitur, donec in flosculos exiguos dehiscat. Galli vocant, *des chatons.*

5. *Quod cratægum.*] MSS omnes hoc loco, *gratægum.* In Indice, *gratæcum.* Nos utrobique cratægum rescripsimus. In editis perperam *carthegon.*

6. *Viscum.*] Viscum & hyphear ilici pariter, πρίνῳ attribuit Theophrastus, lib. 3. histor. cap. 16. Nec tamen illos audio, qui buxum pro ilice acceptum hoc loco a Plinio volunt: aut κόκκος aliud nullum esse, præter arborem eam, quam Theophr. cap. 15. extremo, post buxum describit.

7. *Mox paulo.*] Sect. 93. ubi & ilici viscum assignat.

Sect. LIII. 1. *Arbores quædam.*] Dissimilia plane sunt quæ Theophrastus affert lib. 1. histor. cap. 13. & ab hoc argumento, in quo Plinius habitat, valde discrepantia. οὐδὲν πρὸς ἔπος, ut aiunt. Ut plane frustra sint Rob. Constantinus, Dalecampius, ceterique, qui Plinianam orationem ex Theophrastea metiri, falsique coarguere moliuntur.

2. *Quædam fruticosi.*] Hoc est, fruticibus annumeranda. Est autem frutex, qui ad justam arboris magnitudinem, crassitudinemve non assurgit: lignoso tamen & ipse caudice, qui non perarescat, ut in herbis accidit, sed perennis edurat.

3. *In quibusdam .... nullus*] Subintellige, nullus caudex: sed statim pullulat a radice ramorum silva, ut in buxi genere quodam, lotoque Africana, de qua diximus lib. 13. sect. 32.

4. *Quædam dividuæ.*] Caudice bifurco, vel in plures partes diffisso.

5. *Individuæ.*] Simplici, nec usquam scisso vel bifurco caudice.

6. *Et abieti.*] Theophr. lib. 1. histor. cap. 13. Iconem vide abietis apud Matthiol. pag. 107.

7. *Mirum.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 8.

8. *Et si infra*] Theophr. loc. cit. ἐὰν δὲ τὰ κατωτέρω, &c.

9. *Si vero cacumen.*] Theophr. ἐὰν τὸ ἄκρον μόνον ἀφαιρεθῇ, vel solo deciso cacumine moritur.

decidentibus foliis. Nulli cortex jucundior, aut oculos excipiens blandius. Nulli rami longiores validioresque, aut plures, ut dixisse totidem arbores liceat. Cortice pelles tinguntur, radice lanas. [11] Malis proprium genus: ferarum enim rostra reddunt, adhærentibus uni maximo minoribus.

5 LIV. [1] Ramorum aliqui cœci, qui non germinant: quod natura fit, [2] si non evaluere: aut pœna, cum deputatos cicatrix hebetavit. [3] Quæ dividuis in ramo natura est, hæc viti in oculo, arundini in geniculo. Omnium terræ proxima crassiora. In longitudinem excrescunt abies, larix, palma, cupressus, ulmus, & si qua [4] unistirpia. Ramosarum cerasus etiam [5] in XL. cubitorum trabes, æquali per totam duûm cu-10 bitorum crassitudine reperitur. * [6] Quædam statim in ramos sparguntur, ut mali.

*CAPUT XXXI. LV. [1] Cortex aliis tenuis, ut lauro, tiliæ: aliis crassus, ut robori. Aliis lævis, ut malo, fico. Idem scaber robori, palmæ. Omnibus in senecta rugosior. [2] Quibusdam rumpitur sponte, ut viti. Quibusdam etiam cadit, ut malo, unedoni: carnosus, suberi, populo: [3] membranaceus, ut viti, arundini: libris similis, ceraso: multiplex tuni-15 cis, ut vitibus, tiliæ, abieti. Quibusdam simplex, ut fico, arundini.

LVI. [1] Magna & radicum differentia. Copiosæ fico, robori, platano: breves & angustæ, malo: singulares [2] abieti, larici. Singulis illis innituntur, quanquam minutis in latera dispersis. Crassiores lauro & inæquales: item oleæ, [3] cui & ramosæ. At robori carnosæ. [4] Robora suas in profundum agunt. [5] Si Virgilio quidem credimus, esculus, quan-20 tum corpore eminet, tantum radice descendit. Oleæ, malisque, & cupressis, [6] per summa cespitum. [7] Aliis recto meatu, ut lauro, oleæ: aliis flexuoso, ut fico. Minutis hæc capillamentis hirsuta, ut abies, multæque silvestrium: e quibus montani prætenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas, & alia vasa nectunt. [8] Quidam non altius descendere radices, quam Solis calor tepefaciat, [9] idque natura loci tenuioris crassio-25 risve dixere, quod falsum arbitror. [10] Apud auctores certe invenitur, abietis planta cum transferretur, [11] VIII. cubitorum in altitudine: nec totam refossam, sed abruptam. Maxima spatio atque plenitudine [12] & citri est. [13] Ab ea platani, roboris, & glandiferarum. Quarumdam radix vivacior superficie, ut lauri. Itaque cum trunco inaruit, recisa etiam lætius fruticat. Quidam brevitate radicum celerius senescere ar-30 bores putant: quod coarguunt fici, [14] quarum radices longissimæ, & senectus ocyssima. Falsum arbitror & quod aliqui prodidere, radices arborum vetustate minui. Visa etenim est annosa quercus eversa vi tempestatis, [15] & jugerum soli amplexa.

NOTÆ.

10. *Lotos, sive faba.*] Gallis, *l'Alisier*, arbor Biturigibus Cubis valde familiaris. Recte a Dodonæo pingitur, & describitur eadem accurate, Pempt. 6 lib. 4. cap. 24. pag. 834.

11. *Malis proprium*] Arbori, inquit, quæ malus vocatur, peculiaris est ramorum forma seu facies: ferarum enim rostra referunt nodis suis: unus est eorum prægrandis: complures exigui circumadhærescunt. Theophr. lib. 1. hist. cap. 13. [illegible]

Sect. LIV. 1. *Ramorum aliqui.*] Ramorum, inquit, ὄζους Theophrastus vocat, (quod eodem recidit: nam ὄζοι nodi sunt, unde rami exeunt,) alii cœci, (sic enim vocantur infertiles, ἄβλαστοι,) qui non germinant: quod & natura fit, genitali ibi deficiente succo: & læsione, deputatis ramis, excisis, avulsis. Theophr. loc. cit. [illegible] Index hujus loci, *De ramis.*

2. *Si non evaluere.*] Plinianum hoc *evalescere* respondere Theophrasteæ voci [illegible], ex loco citato, falso credidit Constantinus in Lexico: cum isti Latine *aut pœna*, &c. Græca æquivaleat.

3. *Quæ dividuis in ramo.*] Quod in arboribus, quarum caudex dividitur, ramus est, hoc in vite oculus, sive gemma, in arundine geniculum est: omnium natura similis, calamitas par: iisdem obvia cuncta casibus, sive naturæ vitio, sive læsione ea injuriaque hominum accidant. Theophr. loc. cit. [illegible]

4. *Unistirpia.*] Quæ simpliciore assurgunt caudice, μονοστελέχη. Theophr. lib. 1. hist. cap. 14.

5. *In XL. cubitorum*] Vide Notas & Emend. num. XIV.

6. *Quædam statim*] Theophr. loc. cit. [illegible], οἷον ἡ μηλέα.

Sect. LV. 1. *Cortex aliis.*] Quæ de corticis multiplici natura hic produntur, a Theophrasto quoque traduntur, lib. 1. hist. cap. 8.

2. *Quibusdam rumpitur.*] [illegible]: sic enim apud Theophr. legi oportere, non ῥιζόφλοια, & Plinius admonet, & experientia docet.

3. *Membranaceus*] Nervosus gracilisque, ac minime carnosus, [illegible], &c.

Sect. LVI. 1. *Magna & radicum.*] Hæc radicum differentia proditur totidem fere verbis a Theophr. lib. 1. hist. cap. 9.

2. *Abieti, larici.*] Aliis una tantum radix, ut abieti & larici. Τὰ δὲ μονόρριζα, καθάπερ ἐλάτη, πεύκη. En iterum πεύκη larix, ut diximus sect. 19.

3. *Cui & ramosæ.*] Theophr. loc. cit. ὀζώδεις. Plinius ramosas recte scripsit; Gaza *nodosas* perperam interpretatus est.

4. *Robora*] Theophr. [illegible] δρῦς. Robur Plinio δρῦς est, ut diximus sæpius.

5. *Si Virgilio.*] Lib. 2. Georg. v. 291.

Esculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.

6. *Per summa cespitum*] In summa terra adrepunt. Theophr. [illegible]

7. *Aliis recto.*] Etsi aliquantum obliquæ radices lauro, oleæque sint, tamen illæ æquabiliore cursu per summa cespitum repunt: ficus, flexuoso magis & contorto. Hæc e re ipsa, non e Theophrasto, petita.

8. *Quidam non altius.*] Theophrastum in eam sententiam ivisse liquet, lib. 1. hist. cap. XI.

9. *Idque natura.*] Conferre ii dixere, inquit, ad βαθυρριζίαν, & teporem Solis, & tenuitatem soli: [illegible], inquit Theophr. In MSS Reg. &c. *idque natura loci tenuiores, crassissime dixere.* Haud recte, ut alii ante nos intellexere.

10. *Apud auctores.*] Quod de abietis radice Plinius, hoc ipsum de larice Theophr. lib. 2. hist. cap. 7. [illegible] &c.

11. *VIII. cubitorum.*] Subintellige, radicem fuisse.

12. *Et citri.*] Uti dictum est superius, lib. 13. sect. 29.

13. *Ab ea platani.*] De platani radicibus XXXIII cubitorum, dictum est lib. 12. sect. 5. ex Theophrasto & Varrone.

14. *Quarum radices.*] Theophrast lib. 1 hist cap XI.

15. *Et jugerum soli.*] Partim corpore & ramis, partim radicibus, jugerum amplexa.

L VII. [1] Prostratas restitui plerumque, & quadam terræ cicatrice [2] vivescere, vulgare est. [3] Et familiarissimum hoc platanis: quæ plurimum ventorum concipiunt propter densitatem ramorum: quibus amputatis, [4] levatæ onere in sua scrobe reponuntur. Factumque jam est hoc in juglandibus, oleisque, ac multis aliis. [5] Est in exemplis, & sine tempestate, ullave causa alia quam prodigii, cecidisse multas ac sua sponte resurrexisse. [5] Factum hoc [6] populi Rom. Quiritibus ostentum [7] Cimbricis bellis Nuceriæ in luco Junonis, ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita ut protinus floreret: a quo deinde tempore [8] majestas populi Romani resurrexit, quæ ante vastata cladibus fuerat. [9] Memoratur hoc idem factum & in [10] Philippis, salice procidua atque detruncata: [11] & Stagiris in Museo populo alba: omnia fausti ominis. [12] Sed maxime mirum, Antandri platanus etiam [13] circumdolatis lateribus [14] restibilis sponte facta, vitæque reddita longitudine quindecim cubitorum, crassitudine quatuor ulnarum.

CAPUT XXXII.

L VIII. [1] Arbores quas naturæ debeamus, [2] tribus modis nascuntur: sponte, aut semine, aut ab radice. Cura numerosior exsistit: de qua [3] suo dicemus volumine: nunc enim totus sermo de natura est, multis modis mirisque memorabili. Namque non omnia in omnibus locis nasci [4] docuimus, nec translata vivere. Hoc alias fastidio, alias contumacia, sæpius imbecillitate eorum, quæ transferantur, evenit: alias cælo invidente, alias solo repugnante.

LIX. Fastidit balsamum alibi nasci: [1] nata Assyria malus alibi ferre: nec non & palma nasci ubique aut nata parere: [2] vel cum promisit etiam, ostenditque ea educare, quæ tamquam invita peperit. Non habet vires frutex cinnami in Syriæ vicina perveniendi. Non ferunt amomi nardique deliciæ, ne in Arabia quidem ex India, [3] & nave peregrinari. Tentavit enim Seleucus rex. Illud maxime mirum, ipsas arbores plerumque exorari ut vivant, atque transmigrent: aliquando & a solo impetrari, ut alienas alat, advenasque nutriat: cælum nullo modo flecti. [4] Vivit in Italia piperis arbor: casiæ vero etiam [5] in septemtrionali plaga: vivit [6] in Lydia thuris. [7] Sed unde sorbentes succum omnem ex iis Soles, coquentesque lacrymam?

NOTÆ.

Sect. LVII. 1. *Prostratas.*] Hæc sunt etiam apud Theophr. lib. 4. hist. cap. 19.

2. *Vivescere.*] Sic MSS. omnes, non *reviviscere*.

3. *Et . . . platanis.*] Theophr. loc. cit.

4. *Levata onere.*) MSS. omnes: *levato onere*. At lib. XVII. sect. XXXIX. *Arboribus putatione levatis onere.*

5. *Factum hoc.*] Julius Obseq cap 103. pag 54. *Nuceriæ ulmus vento eversa, sua sponte erecta in radicem coaluit.*

6. *Populi Romani Quiritibus.*] *Populi Romani Quirites* sunt e populo Romano non quilibet, (nam toto orbe Romano sparsus populus Romanus fuit:) sed is qui in ipsa Urbe regia, ἐν τῇ βασιλείᾳ πόλει, domicilium haberent. Auctor Virgilius, qui libro IV Georgicon, versu 200. de apibus sic cecinit;

Verum ipsæ foliis natos & suavibus herbis
Ore legunt; ipsæ REGEM, parvosque QVIRITES
Sufficiunt, aulasque, & cerea REGNA refingunt.

Ubi *parvi Quirites* sunt apes, quæ regem sui quique alvearis assidue ac proxime circumcingunt, ut regi suo olim cives urbis regiæ Romæ proxime aderant. Inde est & *Quirinus*, qui proinde conditor regiæ civitatis est, nempe Romulus. Plinius, libro XV. sect XXXVI. *Inter antiquissima delubra habetur QVIRINI, hoc est, ipsius Romuli.* Est Quirini nomen etiam in nummo vetere familiæ Memmiæ, apud Patinum, pag. 174. capite Romuli laureato, vultu senili & barbato, cum hac epigraphe pone caput QVIRINVS: e regione, C. MEMMIVS C. F. Triumvir monetalis: qui nempe ex aliqua Romuli filia se genus trahere gloriabatur. Est ergo *Quirinus*, ut diximus, Urbis regiæ conditor, vel rector. Unde nomen illud etiam Cæsari Augusto tribuitur a Virgilio, lib. III Georg. versu 26.

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma QVIRINI.

Hoc est, Romani Principis, qui Romæ in urbe regia sedem habet Denique legitur etiam in Vitellii & Galbæ nummis hæc epigraphe: VESTA P. R. QVIRITIVM. *Vesta populi Romani Quiritium*: hoc est, Religio Pietasque Populi Romani, nempe eorum qui in Urbe regia Roma degunt. In singulari numero dixit *Quiritem* Horatius, lib. 2. epist V. versu 7. *Quid plausus, & amici dona Quiritis?* Verisimiliora certe hæc videntur esse, quam quæ Festus comminiscitur de voce *Curis* & *Curitis*. Vide Notas & Emend. num. XV.

7. *Cimbricis bellis.*] Cimbros Marius cum Catulo vicit anno Urbis DCLIII. Vide Plutarch. in Mario.

8. *Maiestas populi Rom.*] Simile ostentum de majestate Senatus primum florente, deinde & marcescente, relatum est superiore libro, sect. 36.

9. *Memoratur.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 19. & lib. 5. de causis, cap. 4. pag. 328.

10. *Philippis.*] Thraciæ oppido, de quo lib 4. sect. 18.

11. *Et Stagiris.*] Theophr. ἐν Σταγείροις ἐν τῷ Μουσείῳ lib. 4. hist cap. 19.

12. *Sed maxime.*] Theophr loco mox cit.

13. *Circumdolatis.*] Duobus lateribus circumdolatis, περιπελεκηθεῖσα δ' ἑκατέρωθεν εἰς τὰ δύο μέρη. Theophr. loco cit.

14. *Restibilis.*] Regerminans, restituta fecunditate, ἀναβλαστάνει.

Sect. LVIII. 1. *Arbores, quas naturæ.*] Non arti, non curæ, aut industriæ Unde in Indice hujus libri locus hic notatur his verbis: *Quot modis sponte nascuntur arbores.*

2. *Tribus modis.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVI.

3. *Suo dicemus volumine.*] Libro 17. a sect. 9. *Nunc de his arboribus dicemus, quæ cura hominum atque arte proveniunt.*

4. *Docuimus.*] Libro 12. sectione 7.

Sect. LIX. 1. *Nata Assyria malus.*] Voculam *nata* ex MSS. Reg Colb. Thuanoque adjecimus Negat alibi feracem malum eam esse, quamvis alibi natam Sic statim de palma: *Necnon & palma nasci ubique* fastidit, *aut nata parere.*

2. *Vel cum promisit.*] Alludit ad ea quæ superius ipse notavit, lib. 13. sect. 6. de palmis: *Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, verum immitem: dulcem in Africa, sed statim evanescentem.*

3. *Et nave*] Etiam nave, quod transvectionis genus mollissimum est

4. *Vivit in Italia.*] Ut dictum est lib 12. sect 14.

5. *In septemtrionali.*] Vide lib. 12. sect 43. De casia porro aromatica accipi hæc oportere, Columella testis est, cujus hæc oratio, lib. 3. cap. 8. *Tmolon & Corycium florere croco animadvertimus: Judæam & Arabiam pretiosis odoribus illustrem haberi. Sed nec nostram civitatem prædictis egere stirpibus: quippe cum pluribus locis Urbis jam casiam frondentem conspicimus: jam thuream plantam, florentesque hortos myrrha & croco.*

6. *In Lydia.*] Nempe Sardibus, ut diximus lib. 12. sect. 31.

7. *Sed unde.*] Sed sunt eæ arbores, inquit, in alieno cælo soloque, sine succo, sine lacryma, absumente fortassis utrumque vi Solis, &, si superis placet, sorbente.

Illud proxime mirum, [8] mutari naturam in iisdem, atque [9] pro indiviso valere. [10] Cedrum æstuosis partibus dederat: [11] & in Lyciis Phrygiisque montibus nascitur. Frigus inimicum lauro fecerat: [12] sed in Olympo copiosior nulla est. [13] Circa Bosphorum Cimmerium in Panticapæo urbe, omni modo laboravit Mithridates rex, & ceteri incolæ, 5 [14] sacrorum certe causa, laurum myrtumque habere: [15] non contigit, cum [16] teporis arbores abundent ibi, [17] Punicæ, ficique, jam mali & piri laudatissimæ. [18] Frigidas eodem tractu non genuit arbores, pinum, abietem, piceam. Et quid attinet in Pontum abire? juxta Romam ipsam castaneæ cerasique ægre proveniunt: Persica in Tusculano, nec non nuces Græcæ cum tædio inseruntur, Terracina silvis scatet 10 earum.

CAPUT XXXIII

LX. [1] Cupressus advena, & difficillime nascentium fuit, ut de qua verbosius sæpiusque, quam de omnibus aliis, prodiderit [2] Cato. [3] Natu morosa, [4] fructu supervacua, [5] baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, [6] materie rara, ut pæne fruticosi generis, [7] Diti sacra, & ideo funebri signo 15 [8] ad domos posita. [9] Femina sterilis diu. [10] Metæ demum aspectu non repudiata, distinguendis tantum [11] pinorum ordinibus: nunc vero tonsilis facta [12] in densitate parietum, coërcitaque gracilitate [13] perpetuo tenera. Trahitur etiam in picturas [14] operis topiarii, venatus, classesve, & imagines rerum tenui folio, brevique, & virenti semper vestiens. Duo genera earum: Meta in fastigium convoluta, quæ & fe-20 mina appellatur. Mas spargit extra se ramos, depuraturque. [16] Utraque autem immittitur in perticas, asseresve, amputatione ramorum, qui XIII. anno [17] denariis singulis veneunt. [18] Quæstuosissima in satus ratione silva: vulgoque, [19] dotem filiarum antiqui plantaria appellabant. [20] Huic patria insula Creta, cum [21] Caro Tarentinam

NOTÆ.

8. *Mutari naturam in iisdem*] In iisdem scilicet arboribus: cum eas, quæ æstuosis fere nascuntur locis, etiam edant frigida, & versa vice. Vide Notas & Emendationes, num XVII.

9. *Pro indiviso.*] Perinde. Sic Reg 2. aliique, & editi omnes. Ea voce usus idem superius lib. 9. sect 64.

10. *Cedrum æstuosis*] Syriæ. Theophr. lib 4 hist. cap 6.

11. *Et in Lyciis.* Theophr. loc. cit. Κέδρος δὲ καὶ περὶ Λυκίαν ὄρη, καὶ περὶ Φρυγίαν.

12. *Sed in Olympo.*] Nempe Pierico, de quo lib 4 sect. 15 Quem νιφόεντα montem nivosum Homerus alter vocat, hymno in Hercul Theophr loc. cit.

13. *Circa Bosphorum.*] Theophr loc cit.

14. *Sacrorum certe.*] Quoniam in sacris adhiberi myrtus laurusque soleret, ad purgationes, ad suffimenta, ut dictum est libro sup. sect. 36. & 40. diceturque uberius, lib. 25. sect 59.

15 *Non contigit.*] Frigus perferre negat posse myrtum Virgilius, Eclog 7. v 6.

— Dum teneras defendo a frigore myrtos.

Et Plinius junior, lib. 5. ep 6 villam suam membratim describens: *Cælum*, inquit, *est hieme frigidum & gelidum: myrtos, oleas, quæque alia assiduo tepore lætantur, aspernatur ac respuit.* Apud Aremoricos, qui Britones nominantur, multa myrtus est, cælum tamen hieme frigidum satis, gelidumque

16. *Teporis arbores.*] Tepido calidoque cælo feliciter provenientes.

17. *Punicæ, &c.*] Theophr loc cit.

18. *Frigidas.*] Theophr. rursum loc. cit.

Sect LX. 1. *Cupressus advena.*] Quoniam ei patria a Creta fuit, ut mox dicetur.

2 *Cato.*] Libro de re rust. cap. 48. & cap 151 pag 80. & 81.

3. *Natu morosa.*] Δυσκολὴς, Theophr. lib 1. de causis, cap. 9. crescens ægre admodum. Unde poetis dicta *Lenta cupressus.* Plinius, lib. 17. sect. 34 de esculo, *Minus morosa nasci.*

4 *Fructu supervacua*] Cessit ea res in proverbium, Κυπαρίττου καρπὸς. *Cupressi fructus*, de re pulcra quidem, & aspectu speciosa, sed prorsus inutili. Vide Cælium Rhodig. lib 25. cap 2

5 *Baccis torva.*] Quæ gustanti faciem torvam reddunt, cum *ora*, ut Virgilius cecinit, lib. 2 Georg vers. 247.

Tristia tentantum sensu male torquet *amaror.*

Baccas ejusscemodi galbulos appellat Varro, lib de re rust cap 40. & tamquam pilas corticias ait esse, in quibus semina natura concluserit Pilulas Plinius lib. 17. sect. 14. Theophr 1. de causis, cap 5 καρπὸν σφαιροειδῆ.

6. *Materie rara.*] Macilenta. Quod de cupresso femina verissimum, quam Dodonæus delineavit, pag 844. *Cypressus femella.* Quid fruticosum sit, diximus sect 53.

7. *Diti sacra.*] Festus: *Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia hujus generis arbor excisa non renascitur: sicut ex mortuo nihil est jam sperandum: quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur.*

8. *Ad domos.*] Nobilium scilicet. Lucanus, lib. 3. versu 442.

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Neque ad domos tantum, sed & ad sepulcra. Horatius, lib. 2. Ode 14.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor, neque harum quas colis arborum,
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.

Et apud Maronem, lib 6. Æneidos, vers. 215. in Miseni funere, *ferales ante* pyram *cupressos constituunt.*

9. *Femina sterilis diu*] Tarde fructum edit Sed mas omnino non gignit, ut dicetur inferius, lib. 17. sect 14 Et Geopon. auctor diserte monet, lib. XI cap. 6. pag 308. Κυπάρισσος ἡ ἄρρην ἄκαρπός ἐστι.

10. *Metæ demum*] Acuminato fastigio placuit, sive cono. Unde *conifera cyparissi*, apud Virgil. lib. 3. Æneid. vers. 680.

Et metas imitata cupressus,

apud Ovid. lib. 10. Metam. vers 106

11. *Pinorum ordinibus*] Sic libri omnes, etiam MSS. non *vinearum*, uti reponere ex Varronis lib. 1. cap. 26. nititur Pintianus. Et aliud Varro voluit, lib. 1. de re rust. cap 15. de limitatione agrorum, ita scribens: *Serunt alii circum fines prædiorum pinos, ut habet uxor in Sabinis: alii cupressos, ut ego habeo in Vesuvio* Aliud Plinius, qui ipsos pinorum ordines claudi cupressis interfitis ac distingui monet.

12. *In densitate.*] Tam densum, ut in hortis parietum vicem obtineat Simili modo & de buxo superius, sect. 28. *Densitate parietum virens semper, ac tonsile.*

13. *Perpetuo tenera.*] Tonsili.

14. *Operis topiarii*] Sic hodie in hortis elegantioribus cupressos tractas in acies, classes, & Centauros videmus In MSS. *operis ssoriarum.* In editis, *opere historiali*, quæ defendi utcumque scriptura potest Pintianum secuti sumus

15. *Accipit vitem.*] Maritantur & cupresso vites. Varronem vide, lib 1. de re rust. cap 26. Fiunt & e cupressu pedamina vitium teretia, teste Columella, lib. 4. cap. 26.

16 *Utraque autem*] Cupressus mas feminaque crescere sinitur in ramos longiores, quibus amputatis perticæ fiunt, asseresve.

17. *Denariis singulis.*] Monetæ Gallicæ assibus octo.

18. *Quæstuosissima.*] Inter ea quæ seruntur. Solinus, cap. XI pag 30.

19. *Dotem.*] Cupressorum plantaria dotem filiarum nominabant: nam dotis usum & commoditatem præstabant, quod ex iis pecuniam ad illas maritandas conficerent. Ita Petavius notis in Miscell Exerc

20. *Huic patria.*] Theophr lib 4. hist cap 6.

21. *Cato.*] Libro de re rust. cap. 151. *Semen cupressi Tarentinum per ver legi oportet, &c.*

eam

eam appellet : credo, quod primum eo venerit. [22] Et in Ænaria succisa regerminat. [23] Sed in Creta quocumque in loco terram moverit quispiam, [24] vi naturali hæc gignitur, protinusque emicat : [25] illa vero etiam non appellato solo, [26] ac sponte, maximeque [27] in Idæis montibus, & quos Albos vocant, summisque jugis, unde nives numquam absunt, plurima, quod miremur : alibi non nisi [28] in tepore provenients, & [29] nutricem magnopere fastidiens. 5

L X I. Nec terræ tantum natura circa has refert, aut perpetua cæli, verum & quædam temporaria [1] vis imbrium. Aquæ plerumque semina afferunt : & [2] certo fluunt genere, aliquando etiam incognito : [3] quod accidit Cyrenaïcæ regioni, cum primum ibi laserpitium natum est : ut in herbarum natura [4] dicemus. [5] Nata est & silva urbi ei proxima, imbre piceo crassoque, circiter urbis Romæ annum [6] CCCCXXX. 10

CAPUT XXXIV.

L X I I. Edera jam dicitur in Asia nasci : negaverat [1] Theophrastus ; nec in India, nisi in monte Mero. Quin & Harpalum omni modo laborasse, ut fereret eam [2] in Medis, frustra : [3] Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi Patris : cujus Dei & nunc adornat thyrsos, galeasque etiam ac scuta, in Thraciæ populis, in solemnibus sacris. [4] Inimica arbori, satisque omnibus : sepulcra, muros rumpens : [5] serpentium frigori gratissima, ut mirum sit ullum honorem habitum ei. 15

[6] Duo genera ejus prima, [7] ut reliquarum, mas, & femina. Major traditur mas corpore, & folio duriore etiam ac pinguiore, & flore ad purpuram accedente. Utriusque autem flos similis est rosæ silvestri, nisi quod caret odore. [8] Species horum generum tres. Est enim candida, & nigra edera, tertiaque quæ vocatur helix. [9] Etiamnum hæ species dividuntur in alias : quoniam est aliqua fructu tantum candida, alia & folio : fructum quoque candidum ferentium aliis densus acinus, & grandior, racemis in orbem circumactis, qui vocantur [10] corymbi. [11] Item selenitium, cujus est minor acinus, sparsior racemus. [12] Simili modo in nigra. [13] Alicui & semen nigrum, alii [14] crocatum : cujus coronis [15] Poëtæ utuntur, foliis minus nigris : quam quidam Nysiam, [16] alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis. Quidam apud Græcos 20 25

NOTÆ.

22. *Et in Ænaria.*] De qua diximus lib. 3. sect. 12. Vide Notas & Emend. num XVIII.

23 *Sed in Creta*] Vide Notas & Emend. num XIX.

24 *Vi naturali.*] Per se se, ac nullo satu, nativa quadam terræ vi cupressus erumpit. Vide Notas & Emendationes, num. XX.

25 *Illa vero etiam.*] In eadem insula, inquit, non solum impressa leviter tellure, nullo satu ac sponte gignitur cupressus, quod unum Theophrastus de illa scripsit: verum etiam non commota terra, hoc est, non appellato ac fossionibus solicitato solo, & quasi ad pariendum compulso, sed sponte

26 *Ac sponte.*] Ita libri, & MSS. omnes Etsi *ex sponso* legi Petavio τῷ μνηστεύειν placet, in Miscell. Exerc. cap XI quoniam dum colitur exercetureque terra, quasi nexu quodam obligatur, ut ex sponso, vel ut alii aiunt, ex sponsu, citari cogique possit ad reddendum mutuum. *Sponsu* pro sponsione in Dig. tit de verborum signif legitur *sponsio*.

27. *In Idæis.*] Theophr. lib. 4. hist cap. 1. Ἐν Κρήτῃ γοῦν φασὶν ἐν τοῖς Ἰδαίοις ὄρεσι, καὶ ἐν τοῖς Λευκοῖς καλουμένοις ἐπὶ τῶν ἄκρων, ὅθεν οὐδέποτε ἐπιλείπει χιών, κυπαρίττους εἶναι. Hinc apud Virgilium, lib. 2. Georg. vers. 84

Idæa cyparissi.

28. *In tepore.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 6. ἐν τοῖς ἀλεεινοῖς, καὶ τοῖς πρὸς μεσημβρίαν, *locis apricis, & meridiano Soli expositis.*

29. *Et nutricem.*] Et ab eo loco transferri magnopere cupiens, ubi primum alta & enutrita est.

Sect. L X I 1. *Vis imbrium.*] Theophr lib. 1. de causis, cap 5. Vide Notas & Emend num X X I.

2. *Certo fluunt*] Nunc certa vehunt amnes, & cognita nobis semina: nunc etiam prius incognita. Theophr. lib. 3. hist. cap. 2 Εἰσαχθῆναι ... ὕλης πλῆθος. Quare Salmasius in Solin. pag. 173. perperam *certe* reponit, vel libris invitis.

3 *Quod accidit.*] Refert hoc ipsum Theophr. loc. cit. Accidisse autem anno Urbis Romæ CXXXVI. Plinius ipse admonet, lib. 19 sect. 15.

4. *Dicemus.*] Libro 19. sect. 15.

5. *Nata est & silva.*] Theophr loc. cit Refert quiddam simile in Peruvia occidentalis Indiæ regione accidisse, Jos. a Costa, lib. 4. cap 31.

6. *CCCXXX.*] Anno Quo Darium devicit Alexander M.

Sect. L X I I. 1. *Theophrastus.*] Libro 4 hist cap. 4.

2. *In Medis.*] Non in ipsa Media, sed Babylone, quæ Medorum ditionis fuit Theophr. loc. cit. ἐν τοῖς παραδείσοις τῶν περὶ Βαβυλῶνα, Ἅρπαλος φυτεύων ... οὐδὲν ἴσχυσε πλέον. De Harpalo, quem olim Alexander inter fidissimos, mox inter hostes habuit, vide Curtium, lib. 10. cap. 6. pag. 393. De monte Mero diximus, lib. 6. sect. 23.

3. *Alexandrum.*] Theophr. loc. cit. & ex eo Arrianus, lib. 6. sect. 23.

4. *Inimica arbori.*] Quoniam arbores necat, ut mox dicetur. Edera, Gallis *Lierre.*

5. *Serpentium frigori.*] Quoniam edera frigidis locis gaudet, sub ea serpentes libenter latent, quarum est etiam natura perfrigida.

6. *Duo genera.*] Quæ [illegible] vel [illegible] tribuenda erant, ea ederæ imprudenter assignasse quibusdam videtur, sed falso. Vide Notas & Emend. num. X X I I.

7. *Ut reliquarum.*] Arborum scilicet: arborum enim nomine & vites & ederæ continentur, ut dicitur in Lexico Juris civilis.

8 *Species horum*] Tria pariter ederæ summa genera Theophrastus habet, lib. 3. hist. cap. 18. ἥ τε λευκὴ, καὶ ἡ μέλαινα, καὶ τρίτη ἡ ἕλιξ. Helix a Dodonæo pingitur, pag. 408. Ἕλιξ ab ἑλίσσω, quod circumvoluta magis est ista: vel quod cincinnos, qui ἕλικες vocantur, magis conspicuos habet.

9. *Etiamnum.*] Theophr. loc. cit.

10. *Corymbi.*] Racemus in edera est, ut in vite, ex quo grana plura pendent: hunc quidam corymbum vocant: ἐν ἀκλαδεῖ τοῖς κορύμβοις, inquit Theophr.

11. *Item selenitium.*] An ei generi a σελήνη nomen? An *selinicium*, ut in MSS. Reg aliisque, ab aliqua acinorum, sive granorum similitudine cum semine apii, quod Græci σέλινον vocant? In Anthol. lib. 3. cap 24 Epigr 40 mentio est κισσοῦ σκηνῶν, hoc est, tabernacula integentis, seu topiariæ ederæ. An denique Silenicum, a Sileno pædagogo & comite Bacchi, quem & edera pariter coronari Plinius asseverat, sect. 63.

12. *Simili modo in nigra.*] Ut in candida proxime dictum est: sic in nigra, aliqua fructu tantum nigra est, alia & folio: alia majore fructu, seu acino, alia minore. Theophr. loc. cit. Ἔχει δὲ ὁ μέλας διαφοράς. At mox idem subjicit, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως φανεράς, *sed non ad eumdem modum conspicuas.*

13. *Alicui.*] Nempe e genere nigrarum ederarum.

14. *Crocatum.* Croceo colore. Diosc. lib 2. pag. 210. Ὁ δὲ μέλανα (καὶ τοῦτ' ἔχει) ἢ κροκίζοντα.

15. *Poetæ.*] Virgil. Eclog. 7. v. 25.

Pastores edera nascentem ornate Poetam.

16. *Nysiam.*] Sic MSS. omnes. Nempe a Nysa Bacchi

etiamnum duo genera hujus faciunt, a colore acinorum: [17] erythranum, & [18] chrysocarpum.

Plurimas autem habet differentias helix, quoniam folio [19] maxime distat. [20] Parva sunt & angulosa, concinnioraque, cum reliquorum generum simplicia sint.
5 [21] Distat & longitudine internodiorum: præcipue tamen sterilitate, quoniam fructum non gignit. [22] Quidam hoc ætatis esse, non generis existimant: primoque helicem esse, fieri ederam vetustate. Horum error manifestus intelligitur: quoniam helicis plura genera reperiuntur, sed tria maxime insignia: herbacea ac virens, quæ plurima est: altera candido folio: tertia versicolori, [23] quæ Thracia vocatur. Etiamnum
10 herbaceæ tenuiora folia, & in ordinem digesta densioraque. [24] In alio genere diversa omnia. Et in versicolori alia tenuioribus foliis, similiter ordinatis densioribusque est: alteri generi neglecta hæc omnia. Majora quoque aut minora sunt folia, macularumque habitu distant: & in candidis alia sunt candidiora. Adolescit in longitudinem maxime herbacea.
15 [25] Arbores autem necat candida, [26] omnemque succum auferendo tanta crassitudine augetur, ut ipsa arbor fiat. [27] Signa ejus, folia maxima atque latissima, [28] mammas erigentis, quæ sunt ceteris inflexæ: racemi stantes, ac subrecti. Et quanquam omnium ederarum generi [29] radicosa brachia, [30] huic tamen maxime ramosa ac robusta: ab ea nigræ. [31] Sed proprium albæ, quod inter media folia emittit brachia, utrim-
20 que semper amplectens: hoc & in muris, quamvis ambire non possit. [32] Itaque etiam pluribus locis intercisa, vivit tamen duratque: & totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis & solida arbores sugit ac strangulat. [33] Est & in fructu differentia albæ nigræque ederæ: quoniam aliis tanta amaritudo acini, ut aves non attingant. Est & rigens edera, quæ sine adminiculo stat, sola om-
25 nium generum ob id [34] vocata cissos. E diverso numquam nisi humi repens [35] chamæcissos.

CAPUT XXXV. LXIII. Similis est ederæ, e Cilicia primum quidem profecta, sed in Græcia frequentior, quam vocant [1] smilacem, [2] densis geniculata caulibus, [3] spinosis fruticosa ramis, [4] folio ederaceo, parvo, non angulosa, [5] a pediculo emittente
30 pampinos, flore candido, [6] olente lilium. [7] Fert racemos labruscæ modo, non ederæ, colore rubro, [8] complexa acinis majoribus nucleos ternos, minoribus singulos, nigros durosque: infausta omnibus sacris & coronis: quoniam sit lugubris,

NOTÆ.

nutrice, de qua lib. 5. sect. 16. vel ab urbe Nysa, in qua ipse nutritus est, de qua lib. 6. sect. 23. Dionysiam ab ipso Baccho vocat Diosc. loc. cit. Vide Ovid. lib. 3. Fastor. vers. 769.

17. *Erythranum.*] A rubro acinorum colore, qui Græcis ἐρυθρός.

18. *Chrysocarpum.*] Diosc. in Nothis, ad cap. de edera, οἱ δὲ χρυσόκαρπος. Apuleius, c. 119. *Chrysocanthon*, pro *chrysocarpon* vocat: & sic appellari ait, quod grana aurei coloris ferat. Idem habet & Plinius Valer. lib. 3. de re med. cap. 12.

19 *Maxime distat.*] Nempe ab aliis generibus, albæ, nigræque ederæ. Theophrastus, lib. 3. histor. cap. 18.

20 *Parva sunt.*] Hæc totidem verbis Theophr. loc. cit.

21. *Distat & longitudine.*] Theophr. loc. cit. Διαφέρει καὶ τῷ μήκει τῶν ἀλλοιωμάτων, καὶ ἔτι τῷ ἄκαρπος εἶναι.

22. *Quidam.*] Hæc rursum totidem verbis Theophr. loc. citato.

23. *Quæ Thracia.*] Theophr. ἣν δὴ καλοῦσί τινες Θρᾳκίαν.

24 *In alio genere*] In alio herbaceæ genere: ubi mox geminum versicoloris ederæ genus distinguitur. Theophr. loc. cit. Καὶ γὰρ ἡ χλοώδης, ἡ μὲν λεπτοφυλλοτέρα, καὶ εὐταξιφυλλοτέρα, καὶ ἔτι πυκνοφυλλοτέρα· ἡ δ' ἑτέρα πάντα ταῦτ' ἔχουσα. Καὶ ἡ ποικίλη, ἡ μὲν μεῖζον, ἡ δ' ἔλαττον τὸ φύλλον, καὶ τῇ ποικιλίᾳ διαφέρουσι.

25. *Arbores autem.*] Theophr. loc. cit. Eo alludit Poeta Laberius apud Macrobium, lib. 2. Saturn. cap. 7. pag. 344.

Ut edera serpens vires arboreas necat,
Ita me vetustas amplexu annorum enecat:
Sepulcri similis nil nisi nomen retineo.

Ederæ nomen factum, quia id, cui adhæserit, edat, Festus innuit, verbo *Hedera.*

26. *Omnemque.*] Theophr. loc. cit.

27. *Signa ejus.*] Candidæ nimirum ederæ, in vetustatem inclinantis.

28. *Mammas.*] Quid mamma sit, dicemus lib. 17. sect. 26.

29. *Radicosa.*] Radicum in morem efformatæ claviculæ, & sarmenta, προσφύσεις.

30. *Huic tamen.*] Albæ.

31. *Sed proprium.*] Theophr. totidem fere verbis, loco citato.

32. *Itaque etiam.*] Theophr. loc. cit.

33. *Est & in fructu.*] Est, inquit, fructus alius gustu jucundus, alter peramarus, tam in candida, quam in nigra: ὁ μὲν γὰρ ἐπιγλυκύς ἐστιν· ὁ δὲ σφόδρα πικρὸς, καὶ τῆς λευκῆς, καὶ τῆς μέλανος. Theophr.

34. *Vocata cissos.*] Sunt qui ὀρθόκισσος malint, quasi subrecta edera, & assurgens. At si ea quæ humi serpit χαμαίκισσος recte vocatur, sane ex τῆς ἀντιθέσεως, ea quæ surrecta est & rigens, erit recta κισσός.

35. *Chamæcissos*] Quæ ἐπίγειος edera Theophr loc. cit. Est edera terrestris, quæ in horto Regio visitur, minor & elegantior, quam vulgaris: et fere similis quam Dodonæus delineavit, pag. 390. Gallis, *Lierre terrestre*, ou *Terrete.*

Sect. LXIII. 1. *Smilacem.*] Σμίλαξ τραχεῖα est Diosc. lib. 4. cap. 144. A Clusio recte pingitur, lib. 1 hist. plant. pag. 112. qualem in horto Regio vidimus. Gallis, *Liseron.*

2. *Densis.*] Denso geniculorum seu internodiorum numero distinctos caules habet.

3. *Spinosis.*] Rubi instar spinosa ei sarmenta sunt, inquit Diosc. loc. cit.

4. *Folio.*] Theophr. lib. histor. cap. 18 τὸ δὲ φύλλον κιττώδες, μικρὸν, ἀγώνιον: ipsaque id experientia oculorum probat.

5. *A pediculo.*] Ex eodem pediculo, ex quo folia enascuntur, emicant & claviculæ, quales in ederis cernuntur. Pampinos interdum Plinius & hos & vitium capreolos vocat: quorum a similitudine & polyporum cirrhos seu crines, tortilem pampinum appellavit, lib. 9. sect. 74. *Pavent*, inquit, *vere ova, tortili vibrata pampino.*

6 *Olente lilium.*] Aliter hæc Theophrastus, qui odoratum modo florem dixit, & ἐαρινὸν verno tempore provenientem: non λειρινόν, quod etsi Theophr. scripsisset, non odorem lilii eo vocabulo, sed formam modo, effigiemque is expressisset. Occupavit hoc fere Dalecampius, Salmasius arripuit, objecitque Plinio, in præfat. pag. 90.

7. *Fert racemos.*] Theophr. & Diosc. locis cit.

8 *Complexa acinis.*] In singulis granis nuclei sunt bini,

virgine ejus nominis, propter amorem [9] juvenis Croci, mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans, plerumque festa sua polluit, [10] ederam existimando: sicut in poëtis, aut Libero Patre, aut Sileno, quis omnino nescit quibus coronentur? E similace fiunt codicilli: propriumque materiæ est, ut admota auribus lenem sonum reddat. [11] Ederæ mira proditur natura ad experienda vina: si vas fiat e ligno ejus, vina transfluere, ac remanere aquam, si qua fuerit mixta. 5

L X I V. Inter ea, quæ frigidis gaudent, & aquaticos frutices dixisse conveniat. Principatum in his tenebunt arundines, [1] belli pacisque experimentis necessariæ, atque etiam [2] deliciis gratæ. [3] Tegulo earum domus suas Septemtrionales populi operiunt, durantque ævis tecta alta. Et in reliquo vero orbe [4] cameras levissime suspendunt. [5] Chartisque serviunt calami, [6] Ægyptii maxime, [7] cognatione quadam papyri. Probatiores tamen [8] Gnidii, & qui in Asia circa [9] Anaïticum lacum nascuntur. Nostratibus [10] fungosior subest natura, cartilagine bibula; quæ cavo corpore intus, superne tenui inarescit ligno: fissilis [11] præacuta semper acie: geniculata. Cetero gracilitas nodis distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina, crassiore [12] paniculæ coma, neque hæc supervacua. Aut enim [13] pro pluma strata cauponarum replet, aut ubi [14] lignosiore callo induruit, sicut in Belgis, contusa, & interjecta navium commissuris, [15] ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. 10 15

L X V. Calamis Orientis populi bella conficiunt: calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis. Fitque & ex ipso telum aliud fracto in vulneribus. His armis Solem ipsum obumbrant. Propter hoc maxime serenos dies optant: odere ventos & imbres, qui inter illos pacem esse cogunt. Ac si quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes & Orientis, omniaque Parthorum regna diligentius computet, æqua ferme pars hominum in toto mundo calamis superata degit. Præcipuus hic usus [1] in Creta bellatores suos præcipitavit. Sed in hoc quoque, ut ceteris in rebus, vicit Italia: quando nullus sagittis aptior calamus, [2] quam in Rheno Bononiensi amne, cui & plurima inest medulla, [3] pondusque volucre: & contra flatus quoque pervicax libra. Quippe non eadem gratia Belgicis. [4] Hæc & Creticis commendatioribus: quamquam præferantur Indi, quorum alia quibusdam videtur natura, quando & hastarum vicem præbent additis cuspidibus. [5] Arundini quidem Indicæ arborea amplitudo: qualem vulgo in templis videmus. Differre mares ac feminas in his quoque Indi tradunt. 20 25 30

N O T Æ.

terni: *περὶ τῶν δύο ἢ τριῶν.* Theophr. loc. cit.

9 *Juvenis Croci*] Cujus fabellam recitat Galenus ipse, l. 9. *περὶ φαρμ.*, cap. 4. p. 608. & Ovid. lib. 4. Metam. v. 283.

Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.

10. *Ederam existimando.*] Quam in coronis Liberi Patris & Sileni, adhiberi nemo nescit.

11. *Edera mera.*] Cato, de re rust. cap. CXI pag. 61. *Si voles scire in vinum aqua addita sit, nec ne, vasculum facito de materia ederacea. Vinum id quod putabis aquam habere, eodem mittito. Si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit. Nam non continet vinum vas ederaceum.*

Sect. L X I V. 1. *Belli pacisque*] Belli quidem, ad jacula: pacis, ad calamos, queis scribimus.

2. *Deliciis*] In tibiarum usu.

3. *Tegulo.*] Iis pro tegumento utuntur ædium suarum. Quo Plautus allusit in Rudente, act. 1. sc. 2. vers. 34.

Quin tu is paludem et, exsecasque arundines,
Qui pertegamus villam, dum sudum est. D Æ. tace

4. *Cameras.*] Fornices interiorum ædium fiunt levissimi.

5. *Chartisque.*] Calamis chartæ exarantur in scribendo. Persius, Satyr. 3.

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo:
Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat humor.

6. *Ægyptii.*] Martialis, lib. 14. Epigr. 38. pag. 741.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

7. *Cognatione.*] Quoniam & eodem veluti natali solo papyrus nascitur.

8. *Gnidii.*] Hinc Cnidus arundinosa dicitur a Catullo, Carm. 37. pag. 58. Calamus ipse scriptorius, Gnidius nodus Ausonio, epist. 4. ad Theonem Grammat. & alibi, si memini, *Cnidiæ filius arundinis.*

9. *Anaiticum.*] In regione Armeniæ cognomine, de qua lib. 5. sect. 20

10. *Fungosior.*] Rarior, laxiorque, carne spongiosa, sub lignoso cortice, quo superne, hoc est, exterius circumvestitur. Cartilago Theophr. lib 4 histor. cap. 12. ξύλα.

11. *Præacuta.*] Quia cum finditur, in præacutam aciem assulæ ejus desinunt.

12. *Panicula.*] Sic comam eam appellat, unde semina dependent, in arundinibus, juglandibus, milio, similibusque. Nomen habet ab affinitate: est enim panus, & panicula, sive panuncula, lana bene elaborata, carpta, ac depexa, & ad nendum concinnata, cujus similitudinem hæc coma refert. Notæ quæ falso Troni adscribuntur, apud Gruterum, pag. 160. *Licium. Panuncula. Floccus.* Festus: *Panus facit diminutivum, panicula.*

13. *Pro pluma.*] Sic gluma, quæ hordei frumentique tunicula est, rustici, quibus res angustior, pro pluma culcitas hodieque farciunt.

14. *Lignosiore callo.*] In M S S. *limosiore.*

15. *Ferruminat textus.*] Commissuras tabularum & compages, rimasque, si quæ sint, obstruunt, obturantque iis folliculis, quos diximus, contusis: ut musco injecto alii

Sect. L X V. 1. *In Creta.*] Bello postremo Cretico, unde Cretici Metellus cognomen tulit. Vide Florum, lib. 3. cap. 7. Sagittarum usus Cretenses fecit audaciores promptioresque ad bellum cum Romanis ineundum, quod ipsis postremum fuit, & exitiosum. Prudentius, hymn. 5. vers. 51.

Ille volantia
Præfigit calamis spicula Gnosiis.

2. *Quam in Rheno.*] Hujus arundinis, quæ in eo amne gignitur, iconem exhibent Jac. Zanoni, Bononiensis horti præfectus, in historia Botanica, pag. 62.

3. *Pondusque volucre.*] Adeo nihil pondus velocitati detrahit, ut libramentum quoddam potius & nisum addat contra ventorum flatus.

4. *Hæc.*] Hæc libra, hoc pondus volucre, hæc gratia.

5. *Arundini quidem Indicæ.*] Ctesiæ de Indicis rebus hoc fragmentum Photius recitat in Bibl. cod. LXXIII. pag. 144. *Ἐν οἷς καὶ ὁ λεγόμενος Ἰνδικὸς κάλαμος φύεται, παχὺς μὲν ὅσον δύο ἄνδρας περιλαμβανομένους περιλαβεῖν· τὸ δὲ ὕψος, ὅσον μεσοφόρου νεὼς ἱστός .... εἶναι δὲ τῶν καλάμων καὶ ἄῤῥενας καὶ θηλείας· ὁ μὲν οὖν ἄῤῥην, ἐντεριώνην οὐκ ἔχει, καὶ ἔστι καρτερὸς ἰσχυρός· ἡ δὲ θήλεια ἔχει.* In iis locis calamum, quem vocant Indicum, tantæ crassitudinis, quantam duo simul homines expansis ulnis complecti possint: amplitudinis vero, quanta est mali ingentis onerariæ navis. ... In his differre mares ac feminas: marem corpus esse validum ac firmum: sine medulla. feminam medullam esse, &c.

Spissius mari corpus, feminæ capacius. [6] Navigiorumque etiam vicem præstant (si credimus) singula internodia. [7] Circa Acesinem amnem maxime nascuntur.

[8] Arundo omnis ex una stirpe numerosa, atque etiam recisa fecundius resurgit. [9] Radix natura vivax, geniculata & ipsa. Folia Indicis tantum brevia. Omnibus vero [10] a nodo orsa, complexu tenues per ambitum inducunt tunicas: atque a medio internodio cum plurimum delinunt vestire, procumbuntque. [11] Latera arundini calamoque in rotunditate bina, super nodos alterno semper inguine, ut alterum ad dextra fiat, alterum superiore geniculo ad læva per vices. Inde exeunt aliquando rami, qui sunt calami tenues.

LXVI. [1] Plura autem genera. Alia spissior, densiorque geniculis, brevibus internodiis. [2] Alia rarior, majoribus: tenuiorque & ipsa. Calamus vero alius totus concavus, quem [3] syringiam vocant, utilissimus fistulis, [4] quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis. [5] Orchomenius est continuo foramine pervius, quem [6] auleticum vocant: hic tibiis utilior, fistulis ille. [7] Est alius crassiore ligno, & tenui foramine, hunc totum fungosa replet medulla. Alius brevior, alius procerior, exilior, crassiorque. Fruticosissimus, qui vocatur [8] donax, non nisi in aquaticis natus: quoniam & hæc differentia est: [9] multum prælata arundine, quæ in siccis provenit. Suum genus sagittario calamo, [10] ut diximus: [11] sed Cretico longissimis internodiis, [12] obsequentique, quo libeat flecti, calefacto. Differentias faciunt & folia non multitudine, [13] verum & colore. Varia [14] Laconicis, & ab ima parte densiora, quales in totum circa stagna gigni putant, dissimiles amnicis, longisque [15] vestiri tunicis, [16] spatiosius a nodo scandente complexu. [17] Est & obliqua arundo, non in excelsitatem nascens, sed juxta terram fruticis modo se spargens, suavissima in teneritate animalibus. Vocatur a quibusdam [18] elegia. [19] Est & in Italia nascens adarca nomine, palustris, ex cortice tantum sub ipsa coma, utilissima dentibus, quoniam vis eadem est quæ sinapi.

De Orchomenii lacus arundinetis accuratius dici cogit admiratio antiqua. [20] Characian vocabant crassiorem firmioremque, [21] plotian vero subtiliorem: hanc in insulis fluitanti-

NOTÆ.

6. *Navigiorumque.*] Theophrast. lib. 4. histor. cap. 12. τῷ μεγέθει μεγάλος καὶ δίπηχεις, ὥστε ἀκατίου χρεῖαν. Vide quæ de his navigiis, arundinum internodio uno compactis, diximus l. 7. sect. 2. Pro navigiis Mela & Solinus lembum dixere.

7. *Circa Acesinem.*] Circa hunc amnem nasci eas arundines, quæ sagittarum præbent usum, scribit Theophrast. loc. cit. Ibi & ceteras reperiri simile veri est.

8. *Arundo omnis.*] Theophr. lib. 4. histor. cap. 12.

9. *Radix.*] Theophr. loc. cit.

10. *A nodo orsa.*] A geniculo.

11. *Latera arundini.*] Arundini vulgari, inquit, & calamo, in sua rotunditate, duo sunt latera ex utroque latere folia uti ex inguine alterna vice exeunt. a dextro latere in inferiore nodo sive geniculo alterum, alterum a lævo latere, in superiore nodo: ac deinceps ita per vices. Theophr. lib. 6. histor. cap. 2. de ferula similiter: Βλαστάνει δὲ παραλλὰξ τὰ φύλλα· λέγω δὲ παραλλὰξ, ὅτι οὐκ ἐκ τῶν αὐτῶν μερῶν τῶν γονάτων, ἀλλ' ἐναλλὰξ· περιλαμβάνει δὲ τὸν καυλὸν ἐπὶ πολὺ καθάπερ τὰ τῶν καλάμων. *Folia alternatim erumpunt e geniculis: alternatim dico, quod non ex eodem latere geniculorum exeunt: sed permutatis vicibus: caulemque maxima parte amplectuntur, ut arundinacea.*

Sect. LXVI. 1. *Plura autem genera.*] Hæc Theophr. totidem fere verbis, lib. 4. histor. cap. 12.

2. *Alia rarior.*] Minus densa, minus numerosa ab una stirpe, sed majoribus internodiis.

3. *Syringiam.*] Hoc est, ut habetur in Indice libri hujus, *fistulatorium.* Fistulas e calamis compingi solitas docent in primis poetæ. Ovidius lib. 1. Metam. vers. 705.

> *Panaque, cum prensam sibi jam Syringa putaret,*
> *Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres.*
> *Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos*
> *Effecisse sonum tenuem, similemque querenti.*
> *Atque ita disparibus calamis compagine ceræ*
> *Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.*

Græci namque fistulam syringa vocant. Συριγγίας alii calamum dictum volunt, quod instar fistulæ, concavus sit & inanis.

4. *Quoniam nihil.*] Theophr. Οὐδὲν γὰρ ἔχει οὔτε ξύλου οὔτε σαρκός.

5. *Orchomenius.*] Ab Orchomeno lacu Bœotiæ, quem alio nomine Copaida appellarunt.

6. *Auleticum*] Αὐλητικὸς, quoniam est tibiis utilis, quas αὐλοὺς Græci vocant.

7. *Est alius.* Theophr. loc. cit.

8. *Donax.*] Δόναξ. Gallis *Canne*: ex qua mulierum colus.

9. *Multum prælata*] Theophr. loc. cit.

10. *Ut diximus.*] Sect. sup.

11. *Sed Cretico &c.*] Theophr. loc. cit.

12. *Obsequentique.* Restitui ex MSS. Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. &c. *obsequiumque.* Theophr. Μάλιστα καμπτὸς ὁ Κρητικὸς, καὶ ὅλως ἁπλῶς δυνάμενος, ὡς ἄν θέλῃ τις θερμαινόμενος.

13. *Verum & colore.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIII.

14. *Laconicis.*] Arundo Laconica, seu variegata, *Canne Royale.*

15. *Vestiri tunicis.*] Hoc est, foliis: quæ, uti dictum est sup. sect. *complexu arundinis tenues per ambitum inducunt tunicas*, nempe circa nodum, unde ipsa exeunt.

16. *Spatiosius.*] Folia, quæ a nodo seu geniculo exeunt, caulem alte vestiunt, tunicæ in morem, ac circumplectuntur: & priusquam pendeant ac procumbant, alte subriguntur.

17. *Est & obliqua.*] Theophr. loc. cit. Est, inquit, genus quoddam arundinis, ἐπίγειος, quod per humum repit, nec in aerem subrectum attollitur, sed graminis modo per terram funditur, ἀφίησι καυλοὺς χαμαιζήλους.

18. *Elegia.*] Sic MSS. etiam omnes. Frustra sunt qui *epigea* ex Theophr. malunt: quam vocem ne grammaticæ quidem leges ferunt, pro ἐπίγειος. Sed ita fingunt scriptum a Plinio, ut errorem deinde summo viro exprobrent, quod Salmasius facit, in libello cui titulus, *Præfatio ad Plinium*, pag. 102 & 103.

19. *Est & in Italia.*] Et in Italia, inquit, circa palustres arundines, ex cortice tantum, & sub ipsa coma nascens adarca. Quo nomine intelligitur concreta salsilago, ut ait Diosc. lib. 5. cap. 137. quæ locis humidis & palustribus siccitate emergit, & circa arundines concrescit: Ὁ δὲ καλαμοχνοῦς ... ὥσπερ ἐπίπαγος ἁλμυρὸς ... ἐπιπεριπλεκόμενος καλάμοις. Plinius ipse rursum, lib. 20. sect. 88. *Sinapis naturam effectusque eosdem habere traditur adarca .... in cortice calamorum sub ipsa coma nascens.* Iterumque lib. 32. sect. 52. *Inter aquatilia dici debet & calamochnus, Latine adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues e spuma aquæ*, &c. Ex quibus intelligas calumniari Dalecampium, qui Plinium dicat adarcam inter arundinum genera inepte censere.

20. *Characian.*] Χαρακίας Theophr. lib. 4. histor. cap. 12. Non ea arundo est, quam Diosc. φραγμίτης, nos vulgarem dicimus, Galli *Roseau*. Quamquam si solam etymon spectes, eadem fere vis est utriusque vocis, χαρακίας, & φραγμίτης, ut τὸ φραγμὸς & χάραξ. Sepimentum enim & munimentum sonant. At φραγμίτης tenuis arundo est, ex Diosc. lib. 1. pag. 114. & gracilis: characias Plinio ac Theophrasto crassior.

21. *Plotian.*] Ita etiam MSS. Πλωτίας Plinius scribi censuit

bus natam, illam in ripis exspatiantis lacus. Tertia arundo est tibialis calami, quem [22] auleticon dicebant: nono hic anno nascebatur. [23] Nam & lacus incrementa hoc temporis spatio servabat: prodigiosus, si quando amplitudinem biennio extendisset: quod notatum apud Chæroniam [24] infausto Atheniensium, & sæpe: Lebaïda vocatur influente Cephisso. Cum igitur anno permansit inundatio, proficiunt [25] in aucupatoriam quoque amplitudinem: vocabantur zeugitæ. [26] Contra bombyciæ, maturius reciproco, [27] graciles: feminarum, latiore folio atque candidiore, modica lanugine: aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus. Hinc erant [28] armamenta ad inclusos cantus: [29] non silendo & reliquo curæ miraculo, ut venia sit, [30] argento jam potius cani. [31] Cædi solebant tempestive usque ad [32] Antigenidem tibicinem, [33] cum adhuc simplici musica uterentur, [34] sub Arcturo: sic præparatæ aliquot post annos utiles esse incipiebant. Tunc quoque multa domandæ exercitatione, & canere tibiæ ipsæ docendæ, [35] comprimentibus se ligulis, quod erat illis theatrorum moribus utilius. Postquam varietas accessit, & cantus quoque luxuria, cædi ante solstitia cœptæ, & fieri utiles in trimatu, apertioribus earum ligulis ad flectendos sonos, [36] quæ inde sunt & hodie. [37] Sed tum ex sua quamque tantum arundine congruere persuasum erat: & eam, [38] quæ radicem antecesserat, [39] lævæ tibiæ convenire: quæ cacumen, dextræ: immensum quantum prælatis, [40] quas ipse Cephissus abluisset. [41] Nunc sacrificæ Tuscorum [42] e buxo, ludicræ vero [43] loto, ossibusque [44] asininis, & argento fiunt. Aucupatoria arundo a [45] Panhormo laudatissima: piscatoria [46] Abaritana ex Africa.

L X V I I. Arundinis Italiæ usus [1] ad vineas maxime. [2] Cato seri eam jubet in humidis agris, bipalio subacto prius solo, oculis dispositis intervallo ternorum pedum.

NOTÆ.

oportere: quoniam sciret nasci id arundinis genus, ἐπὶ τῶν πλοάδων in fluitantibus insulis. Nunc in editis Græce Theophrasti libris ... legitur: quod ex ejus foliis storeæ, tegetes, aliaque fierent.

22. *Auleticon.*] A tibiis, ut diximus sup. sect.

23. *Nam & lacus*] Hæc totidem verbis Theophr. loc. cit. Toto novennio crescere lacum aiebant: calamum tibialem post id tempus exactum nasci.

24. *Infausto Atheniensium.*] Hoc est, infortunio. Prælium illud significat, quo & Athenienses & Bœoti cum Philippo Macedone conflixere, a quo victi fuerunt. Vide Notas & Emend. num. XXIV.

25. *In aucupatoriam*] In eam crescunt amplitudinem, propter quam mutato jam nomine ζευγῖται, hoc est, aucupatorii calami appellantur. Ζεῦγοι Hesychio, βρόχοι ὀρνίθων, laquei captandis aviculis destinati. In eo genere aucupii, quod calamis peragebatur, arundo ad arundinem sic adhiberi jungique consueverat, ut sensim cumulus cresceret, donec alitis ejus quæ captabatur, alas viscum tangeret. Hinc arundo crescens dicitur Martiali, lib. 14. Epigr. 218. cujus lemma, *Calami aucupatorii*:

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita crescit arundo manu.

Et lib. 9. Epigr. 55.

Aut crescente levis traheretur arundine præda,
Pinguis & implicitas virga teneret aves.

Petron. in Satyr. pag. 141.

Parati aucupes cum arundinibus fuerunt.

26. *Contra bombyciæ.*] Cum anno, inquit, integro non manet inundatio, sed citius aqua subsidit: quæ tum crescunt arundines, eæ bombyciæ appellantur: ei tibiarum generi utiles, quod βόμβυκας appellat Arist. lib. περὶ ἀκουστῶν, pag. 1201. Longæ fuere tibiæ, quæ difficilius inflarentur. Hæc etiam Theophr. loc. cit.

27. *Graciles.*] Sunt eæ arundines, inquit, graciles: ex his feminæ appellatæ, quæ laxiore folio, & modica lanugine: quæ nulla, spadones. Sic etiam Theophr.

28. *Armamenta.*] Ex spadonibus, inquit, tibiæ fiebant. Sunt enim tibiæ armamenta sive instrumenta inclusi cantus. Sunt autem cantus inclusi iidem qui tibiales, inclusi nempe tibiis: ad discrimen assæ vocis, quæ sola voce linguæ, ut Nonius interpretatur, proferri solebat, statimque in aerem effundi, nec inclusa teneri instrumentis. Theophr. Ἐντατικὰς· ἐξ ὧν ἄγειν μὲν φασὶ τοὺς γλῶττας καὶ ζεύγη. Sunt porro ζεύγη compacta simul in tibiis calamorum internodia.

29. *Non silendo.*] Neque prætereundum silentio, inquit, quantum curæ veteres in tibiis concinnandis & explorandis adhibuisse videantur.

30. *Argento jam.*] Tibiis ex argento: quibus concinnandis levior multo opera danda, quam olim e calamis.

31. *Cædi solebant.*] Hæc deinceps apud Theophrastum, ut priora, e lib. 4. histor. cap. 12.

32. *Antigenidem.*] Sic MSS. Reg. Colbert. Th. non *Antigenem*. Ἀντιγενίδης Theophr. loc. cit. Plutarch. in Apophtheg. pag. 193. & Tatianus orat. contra Græcos, pag. 177. Antigenidam tibicinem laudat & Valer. Max. lib. 3. cap. 7. Gellius lib. 15. cap. 17. pag. 857. & Apuleius, lib. 1. Florid. pag. 6. De eo Tullius in Bruto, pag. 509. *Antigenidas dixit discipulo, Mihi cane & Musis.* Alexandri M. temporibus vixit.

33. *Cum adhuc simplici.*] Theophr. ἡνίκα ηὔλουν ἀπλάστως, sine modulorum varietate, & multiplici flexu.

34. *Sub Arcturo.*] Theophrast. ὑπ' Ἀρκτοῦρον Βοηδρομιῶνος μηνός. Sub Arcturi exortum, mense Septembri. Vide lib. 18. sect. 74.

35. *Comprimentibus.*] Erant compressiores, nec satis apertæ, ligulæ tibiarum. Vide Notas & Emend. num. XXIV. Postea vero cæsæ solstitio in trimatu utiles, apertioresque ad flectendos sonos: ut statim dicetur. De voce *ligula*, sive *lingula* in tibiis, Vossium & Festum vide. Gallis, *Anche*.

36. *Quæ inde.*] Quales ab eo ævo, inquit, hodieque sunt.

37. *Sed tum ex sua.*] Persuasum erat, lingulas tibiarum ex eodem arundinis internodio eximi oportere, unde tibia ipsa constaret: alias non fore congruas: Συμφωνεῖν δὲ τὰς γλώττας, inquit Theophr. τὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ μεσογονατίου· τὰς δὲ ἄλλας οὐ συμφωνεῖν.

38. *Quæ radicem.*] Quæ proxima radici, inquit Theophr. læva ponitur: quæ cacumini, dextera. Hæc Plinius ad dextram lævamque tibiam perquam apte refert.

39. *Lævæ tibiæ.*] Festus: *Dexterarum tibiarum genus est, quæ dextra tenentur.* & lævarum igitur versa vice, quæ læva. Dextera simul & sinistra, impares tibiæ vocabantur, quia & impari erant foraminum numero, & soni diversi. Pares, duæ dextræ, vel duæ sinistræ.

40. *Quas ..... Cephissus.*] Amnis, de quo supra, & in Geographicis lib. 4. sect. 12. qui in Copaidem paludem influebat.

41. *Nunc sacrificæ.*] In sacris adhibitæ. Seneca similiter:

Sacrifica dulces tibia effundat modos.

De tibiarum usu in sacris, dicetur libro 28. sect. 3.

42. *E buxo.*] Ovid. lib. 12. Metam. vers. 157.

Non illos carmina vocum,
Longave multifori delectat tibia buxi.

43. *Loto.*] Africana arbore, de qua lib. 13. sect. 32. De hoc tibiarum genere Athenæus, lib. 4. pag. 182. Οἱ δὲ καλούμενοι λώτινοι αὐλοί, &c. Festus: *Lotos, arboris genus, ex cujus materia frequenter tibiæ fiebant: cujus baccis pasti quondam Lotophagi dicti.*

44. *Asininis.*] In eam rem multa lepide Æsopus & Niloxenus, apud Plutarch. in Convivio septem Sapientum, pag. 150. Fuere & e cruribus hinnuli, teste Athenæo, lib. 4. & e tibiis gruum.

45. *Panhormo.*] Siciliæ oppido.

46. *Abaritana.*] Pars est Africæ, incomperti adhuc situs. Vide Victorem Vitensem, lib. 1.

Sect. LXVII. 1. *Ad vineas.*] Unde *arundo viniticia* in Indice hujus libri est nuncupata. Usus illius ad juga vinearum & pedamenta. Varro, lib. 1. de re rust. cap. 8.

2. *Cato.*] De re rust. cap. 6. pag. 12. *Sicuti in his locis ...*

* CAPUT XXXVII. Simul & corrudam, unde asparagi fiant: concordare enim amicitiam. [*] [3] Salicem vero circa: qua nulla aquaticarum utilior, licet populi viribus placeant, & Cæcuba educent: licet alni sepibus muniant, contraque erumpentium amnium impetus, riparum muro in tutela ruris excubent in aqua satæ, cæsæque densius innumero [4] herede prosint.

LXVIII. [1] Salicis statim plura genera. [2] Namque & in proceritatem magnam emittunt [3] jugis vinearum perticas, pariuntque [4] baltheo corticis vincula: [5] & aliæ virgas sequacis ad vincturas lentitiæ. [6] Aliæ prætenues viminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliæ firmiores corbibus, ac plurimæ agricolarum supellectili: candidiores ablato cortice lenique tractatu, [7] vilioribus vasis, quam ut e corio fiant: atque etiam [8] supinarum in delicias cathedrarum aptissimæ. Cædua salici fertilitas, densior tonsura, [9] ex brevi pugno verius, quam ramo: non, ut renur, in novissimis euranda arbore. Nullius quippe tutior est reditus, minorisve impendii, aut tempestatum securior.

LXIX. Tertium locum ei in æstimatione ruris [1] Cato attribuit, prioremque quam olivetis, quamque frumento, aut pratis: nec quia desint alia vincula. [2] Siquidem & genistæ, & populi, & ulmi, & sanguinei frutices, & betullæ, & arundo fissa, & arundinum folia, ut in Liguria, & vitis ipsa, recisisque aculeis [3] rubi alligant, & intorta corylus. Mirumque contuso ligno alicui majores ad vincula esse vires. [4] Salici tamen præcipua dos. Finditur [5] Græca rubens: candidior [6] Amerinæ, sed paulo fragilior, [7] ideo solido ligat nexu. In Asia tria genera observant. [8] Nigram, utiliorem viminibus: candidam [9] agricolarum usibus: tertiam, quæ brevissima est, [10] helicem vocant. Apud nos quoque multi totidem generibus nomina imponunt: [11] vimineam vocant, eamdemque purpuream. Alteram [12] nitelinam a colore, quæ fit tenuior. Tertiam [13] Gallicam, quæ tenuissima.

LXX. Nec in fruticum, nec in veprium cauliumve, neque in herbarum, aut alio ullo, quam suo genere, numerentur jure [1] scirpi fragiles palustresque, [2] ad tegulum, [3] teges-

NOTÆ.

pa. aut locus humectus erit, ibi....serito, & arundinetum. Id hoc modo serito. Bipalio vortito: ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio serito. Ibi corrudam serito, unde asparagi fiant: nam convenit arundinetum cum corruda, eo quia foditur, & incenditur, &c. Sic rursum idem, cap 47 Bipalium instrumentum est ad fodiendum. *Oculi* in arundine qui dicantur, ipse aperit lib. 17. sect. 33. statim initio. Colum. lib de arboribus, cap 29. *Arundo optime seritur, quos alii bulbos, alii oculos vocant.* De corruda sive asparago, in herbarum volumine dicetur.

3. *Salicem vero circa.*] Nempe circa arundinem, de qua dictum est proxime. Unde intelligas perperam a superiore sententia hanc distraxisse Plinii editores, ut inde novi capitis exordium sumerent. Nam Cato verbis modo laudatis hæc statim subnectit · *Salicem Græcam circum arundinetum serito, uti siet qui vineam alliges.*

4 *Herede.*] Numeroso stolone.

Sect. LXVIII. 1. *Salicis.... genera.*] Gallis *Saule.* Sunt in horto Regio salicis genera omnino quindecim.

2. *Namque &c.*] Est hæc salix alba, vulgaris arborescens, ab aliis perticalis appellata · a Dodonæo pingitur, pag 831.

3. *Jugis vinearum.*] Ad vinearum juga struenda. Jugum in vinea dicitur, quum duabus pluribusve perticis fixis aliæ super eas alligantur, in quibus vites conjunguntur, & quasi jugum in summitate faciunt, ut jam alibi monuimus. Columella, lib. 4. cap. 12 *Arundines binas singulis vitibus applicabimus: aut si regionis conditio permittit, veteris deponemus hastilia: quibus annectuntur singulæ transversa pertica in unam partem ordinis: quod genus jugi canterium vocant rustici.* Nostri *Vignes perchées*

4. *Balthëo corticis.*] Cortex in balthei modum a summo rami capite imum usque sectus, vinculi præbet vicem.

5. *Et aliæ.*] Ut nitelinæ, *le franc ozier*, & Amerinæ, *l'ozier.*

6. *Aliæ prætenues.*] Quæ folio sunt amygdalino, purpureæ nigræ viminales dictæ. Iconem vide apud Dalec. lib. 2. hist. pag 276.

7. *Vilioribus.*] MSS. Reg. Colb. Th. *melioribus vasis, quæ ut ex corio fiant eadem: atque etiam, &c.*

8. *Supinarum.*] Supina cathedra est, quæ desidentes, ac molliter resupinos excipit: *une chaise à dos.*

9. *Ex brevi pugno.*] Cacumen tonsæ salicis, unde rami fruticant, brevi pugni verius, quam rami, nomen obtineat.

Sect. LXIX. 1. *Cato*] De re rust. cap 6. *De omnibus agris, optimoque loco si emeris jugera agri centum, vinea est prima, si vino multo siet: secundo loco, hortus irriguus tertio, salictum: quarto, oletum: quinto, pratum: sexto, campus frumentarius: septimo, silva cædua: octavo, arbustum: nono, glandaria silva.*

2. *Siquidem.*] Columella, lib. 4. cap. 13. pag. 136. *Optima est ergo ad vitem ligandam genista, vel paludibus defectus juncus, aut ulva non pessime tamen in umbra siccata fariunt in hunc usum arundinum quoque folia.* De sanguineis fruticibus diximus sect. 3. De genista dicemus lib. 24. sect. 40.

3. *Rubi alligant.*] Colum. lib. 4 cap. 31.

4. *Salici tamen.*] Etiam contusæ, vel contortæ.

5. *Græca rubens.*] Columellæ, lib. 4 cap. 30. pag. 161. Græca flavi coloris est, haud dubie, quæ mox nitelina dicitur. *Le franc Ozier.*

6. *Amerina.*] Amerina salix Columellæ loc. cit. gracilem virgam & rutilam gerit. *L'ozier.* Est salix minor viminalis a Dodonæo delineata, pag. 831.

7. *Ideo solido.*] Ideo non finditur, ut Græca: sed solido ramo seu virga nectit.

8. *Nigram.*] Quæ cortice nigro aut purpureo est, inquit Theophr. lib. 3 histor. cap. 13. nigra dicitur: candida, quæ candido. Virgas pulcriores, & ad texendum commodiores nigra profert: candida, spissiores. Nigræ iconem Dalecampius exhibet, ut ante monuimus: albæ, Dodonæus.

9. *Agricolarum usibus.*] Corbibus, & reliquæ agricolarum supellectili.

10. *Helicem.*] Ἑλίκην. Theophr. loc. cit παρὰ τὸ ἑλίσσεσθαι, quod sic τοῖς πλεκτοῖς ἑλίσσεται. tortilis ac plectilis est, & ad viminum textus idonea. Eadem cum Amerina nobis esse ea videtur.

11. *Vimineam.*] Quæ nigra & viminalis prius a nobis est appellata.

12. *Nitelinam.*] Ita MSS. omnes. A colore flavo vel rubro. eadem quæ Græca rubens De nitelis vide quæ diximus lib. 8. sect. 82.

13. *Gallicam.*] Columellæ, loc. proxime cit. Gallica obsoleti purpurei & tenuissimi viminis dicitur.

Sect. LXX. 1. *Scirpi.*] Glossæ: *Scirpus* φλοῦς, σχοῖνος. Festus · *Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur, leve, & procerum, unde tegetes fiunt. Inde proverbium est, in eas natum res, quæ nullius impedimenti sunt, In scirpo nodum quærere,* quia nihil rectius & enodius junco.

2. *Ad tegulum.*] Ad tegumentum ædium. Qua voce jam ante usus initio sect 64

3. *Tegetesque.*] Glossæ: ψίαθοι φλόϊναι, *tegetes scirpea*, stragula scilicet e junco, scirpoque. Sic etiam, auctore Festo, *Tegillum, cucullamentum ex scirpo factum Plautus: Tegillum mihi aret: id, si vis, dabo.* Genus vestis nimirum a tergo pendentis, quod pluviam arcebat a capite · dictum a tegete: quod, ut tegetes, e scirpo fieret. Sunt & e lino, palma, cannabique tegetes. *Des nattes.*

que, e quibus detracto cortice, [4] candelæ luminibus [5] & funeribus serviunt. Firmior quibusdam in locis eorum rigor. Namque iis [6] velificant non in Pado tandum nautici, verum & in mari piscator Africus, præpostero more vela [7] intra malos suspendens. Et [8] mapalia sua Mauri tegunt, proximeque æstimanti hoc videantur esse, quo inferiore Nili parte papyri sunt, usu.

LXXI. Sed fruticosi generis sunt inter aquaticas & [1] rubi, atque sambuci fungosi generis: aliter tamen, quam ferulæ: quippe plus ligni utrique sambuco. Ex qua magis canoram buccinam tubamque credit pastor, ibi cæsa, ubi gallorum cantum frutex ille non exaudiat. Rubi mora ferunt: [2] & alio genere similitudinem rosæ, qui vocatur cynosbatos. Tertium genus [3] Idæum vocant Græci a loco. [4] Tenuius est quam cetera, minoribusque spinis, & minus aduncis. [5] Flos ejus contra lippitudines illinitur ex melle: [6] & igni sacro. [7] Contra stomachi quoque vitia bibitur ex aqua. [8] Sambuci acinos habent nigros atque parvos, humoris lenti, inficiendo maxime capillo: qui & ipsi aqua decocti manduntur.

CAPUT XXXVIII.

LXXII. [1] Humor & cortici arborum est, qui sanguis earum intelligi debet, non idem omnibus. Ficis lacteus: huic ad caseos [2] figurandos coaguli vis. Cerasis [3] gummosus, ulmis salivosus: lentus ac pinguis malis, vitibus ac piris aquosus. Vivaciora, quibus lentior. [4] Atque in totum corpori arborum, ut reliquorum animalium, cutis, sanguis, caro, nervi, venæ, ossa, medullæ, pro cute cortex. [5] Mirum: is [6] in moro medicis succum quærentibus, [7] vere, hora diei secunda, lapide, [8] incussus manat: altius fractus siccus videtur. Proximi plerisque adipes: ii vocantur a colore [9] alburnum: mollis ac pessima pars ligni, etiam in robore facile putrescens, teredini obnoxia: quare semper amputabitur. Subest huic caro, cui ossa: id est, materiæ optimum. [10] Alternant fructus, quibus siccius lignum, ut olea: magis quam quibus carnosum, ut cerasus. Nec omnibus adipes carnesve largæ, sicuti nec animalium acerrimis. Neutrum habent buxus, [11] cornus, olea: nec medullam minimumque etiam [12] sanguinis: sicut ossa non habent sorba, carnem [13] sambuci; (& plurimam ambæ medullam:) nec arundines majore ex parte.

LXXIII. In quarumdam arborum carnibus [1] pulpæ venæque sunt. Discrimen

NOTÆ.

4. *Candelæ.*] Addita cera, & quidem odorata. Paulinus Natali 3.

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Nam & scirpos eos Latini papyrum dixere, non Ægyptiam illam quidem, de qua dictum est lib. 13 sed Italicam, ut Glossæ mox laudatæ docent. Has scirpeas papyraceasve faces cerea imbutas tunica, λαμπάδας κηροχύτους eleganter Antipater in Anthol. Papyros cera circomdatas vocat Isidorus lib. XI. Orig. cap. a Fortunatus, lib. a. vitæ S. Hilarii, sub finem: *Quantum fuit cerei longitudo, cera jacens inventa est, papyro consumpta, &c. Fila scirpea, stuppam calentem*, non invenuste vocat Prudentius, hym. 5. ad incensum lucernæ, vers. 15.

Quin & fila favis scirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.
Vivax flamma viget ....
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

5. *Et funeribus.*] Ita libri omnes, etiam MSS. non ut quibusdam placet, *funalibus.*

6. *Velificant.*] Ex his vela texunt.

7. *Intra malos.*] Ita ut cum venti intendunt vela, ea in malos ipsos impellant: sunt enim ad proram mali: ex his, qua parte puppim aspectant, vela pendent.

8. *Mapalia.*] Ædificia Numidarum agrestium, de quibus Sallust. in bello Jugurth. Festus: *Mapalia, casæ Pœnicæ appellantur, &c.*

9. *Inferiore Nili.*] Inferiore Ægypto, quam Delta vocant. In MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. *quo in interiore mundi parte papyrum usu*: sincertiore sane scriptura. Extima mundi Romani pars Mauritania est: interior, hæc quam colimus.

Sect. LXXI. 1. *Rubi.*] Rubus vulgaris fructu nigro, *Ronce.* Iconem vide apud Dalec. lib. 2. hist. plant. cap. 1. pag. 119.

2. *Et alio.*] Et aliud, inquit, rubi genus est: cynosbaton vocant. Fructum id subrutilum parit, malo Punico similem: est inter fruticem, arboremque, rosæ non absimile. Theophr. lib. 3. hist. cap. 18. Τὸ δὲ κυνόσβατον τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχει, καὶ παραπλήσιον τῷ τῆς ῥόας· ἔστι δὲ δένδρου καὶ θάμνου μεταξὺ, παρόμοιον τῇ ῥοδῇ. Non est id rubi genus, in quo rosa nasci dicitur. lib. 24. sect. 73. Cynosbaton hunc, qui florem ac fruticem rosæ silvestris promat, vidisse se Lobelius testatur in Advers. pag. 446.

3. *Idæum.*] Ab Ida monte, in quo nascitur copiosius quam alibi, inquit Diosc. lib. 4. cap. 38. Gallis *Framboisier.* Pingitur a Dodonæo, pag 371.

4. *Tenuius est.*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

5. *Flos ejus.*] Diosc. loc. cit. ad oculorum inflammationem adhibet.

6. *Et igni sacro.*] Subintellige, igni sacro medendo illinitur. Erysipelata restinguere dicitur a Dioscoride, quod eodem pertinet, ut alibi dicturi sumus.

7. *Contra stomachi.*] Diosc. loc. cit. & Plinius iterum lib. 24. sect. 25.

8. *Sambuci.*] Theophr. lib. 3. cap. 13. Habet eadem Diosc. lib. 4. cap. 175.

Sect. LXXII. 1. *Humor & cortici.*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 19.

2. *Figurandos.*] Cogestendos, figendos. Ita MSS. omnes. Arist. lib. 3. hist. anim. cap. 16. pag. 390. Πήγνυται δὲ τὸ γάλα, ὀπῷ τε συκῆς, καὶ πυτίᾳ. *Cogitur lac succo ficulneo, & coagulo.*

3. *Gummosus.*] MSS. omnes, *comminosus.*

4. *Atque in totum.*] Theophr. id habet, lib. 1. histor. cap. 4

5. *Mirum: is.*] Cortex videlicet, qui si leviter incidatur, succo manat: si altius frangatur, siccus manet.

6. *In moro.*] Hoc de sycomoro Dioscorides retulit, lib. 1. cap. 181. sed de moro Marcellus Empir. cap 12. qui succum ejus ad dolorem dentium impense commendat.

7. *Vere.*] Sic MSS. non *fere*. Diosc. ἔαρος ἀρχομένου.

8. *Incussus.*] Ita MSS. omnes: hoc est, leviter, ac superficie summa incisus.

9. *Alburnum.*] Non arboris id modo nomen est, sed vitium arborum. Lignarii fabri appellant *l'Aubour.*

10. *Alternant.*] Alterno quoque anno edunt. Columel. lib 5. cap 9. *Optimum est constitutum jam & maturum olivetum in duas partes dividere, quæ alternis annis fructu induantur: neque enim olea continuo biennio uberat.*

11. *Cornus.*] Nempe mascula, cui medulla quoque nulla inest, ut dictum est sect. 42. De olea, num medulla careat, vide Theophrast. lib. 5. histor cap. 6. De buxo, cap 7.

12. *Sanguinis.*] Humoris in cortice.

13. *Sambuci*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 19. In MSS. omnibus, *sabuci*, & Q. Serenus Samonicus, cap. de phrenesi, & capite curando:

Vungitur & succis dederis quos parva sabucus.

Sect. LXXIII. 1. *Pulpæ.*] Pulpam pro nervo accipit, quem ἶνα Theophr vocat. Similitudo ducitur ab animantium corpore, in quibus pulpa dicitur *caro sine pingui dine, sicut est tumida & grossa caro crurium & brachiorum*, inquit Joan. de Janua, in Catholico.

carum facile. Venæ latiores candidioresque pulpæ fissilibus insunt. [1] Ideo fit ut aure ad caput trabis quamlibet prælongæ admota, ictus ab altero capite vel graphii sentiatur, penetrante rectis meatibus sono. Unde deprehenditur, an torta sit materies, nodisque concisa. Quibus sunt tubera, sic sunt in carne [3] glandia. In iis nec venas, 5 nec pulpa, quodam callo carnis in se convoluto. Hoc pretiosissimum [4] in citro, & acere. Cetera mensarum genera [5] fissis arboribus circinantur in pulpam: alioqui fragilis esset vena in orbem arboris cæsa. Fagis [6] pectines transversi in pulpa. [7] Apud antiquos inde & vasis honos. [8] Manius Curius juravit se ex præda nihil attigisse, præter [9] guttum faginum, quo sacrificaret. Lignum in longitudinem [10] fluctuatur: ut quæ pars fuit ab radice, validius 10 sidit. Quibusdam pulpa sine venis, mero stamine & tenui constat. Hæc maxime fissilia. [11] Alia frangi celeriora, quam findi, quibus pulpa non est: ut oleæ, vites. At e contrario totum e carne corpus fico. [12] Tota ossea est ilex, cornus, robur, cytisus, morus, ebenus, lotos, & quæ sine medulla [13] esse diximus.

[14] Ceteris nigricans color. Fulva cornus, [15] in venabulis nitet, [16] incisuris nodata propter decorem. Cedrus, & larix, & juniperus rubent. * [17] Larix femina habet, quam Græci vocant ægida, [18] mellei coloris. Inventum est [19] pictorum tabellis immortale, nullisque fissile rimis, hoc lignum. Proximum medullæ est. In abiete [20] leuson Græci vocant. Cedri quoque durissima, quæ medullæ proxima, ut in corpore ossa, deraso modo [21] limo. [22] Et sambuci interiora mire firma traduntur. Namque [23] qui venabula ex ea faciunt, præferunt 20 omnibus: constat enim ex cute & ossibus.

CAPUT XXXIX. (15)

LXXIV. [1] Cædi tempestivum quæ decorticentur [2] ut teretes, ad templa ceteraque usus rotundi, cum germinant, [3] alias cortice inextricabili, & carie subnascente ei, materiaque nigrescente. [4] Tigna & quibus aufert securis corticem, a bruma ad Favonium: aut si prævenire cogamur, [5] Arcturi occasu, & ante eum Fidiculæ: novissima ratione, solstitio. Dies siderum horum reddentur suo loco. [6] Vulgo satis putant

NOTÆ.

1. *Ideo fit.*] Id jam delibatum a nobis, lib XI. sect 112. Quotidiani hujus experimenti causam Kircherus explicat in Phonurgia nova, pag. 65. Est autem graphium, ut vulgo etiam notum est, stilus ferreus, quo in tabellis ceratis, aliisve, quidquid libuerit, exarare solemus.

3. *Glandia*] Glandulæ. Dicemus de hac voce opportunius, lib 36. sect. 2.

4. *In citro, & acere.*] Ita MSS Reg. Colb Th. Chiffl. &c. non *cedro* Et de citri quidem tubere diximus lib. 13. sect 29 de tubere aceris, libri hujus sect. 27

5. *Fissis arboribus.*] Ad mensas struendas e reliquis arborum generibus, finduntur primum arbores in longitudinem dein puppa, hoc est, pars ligni fissa ad opus circinatur: nec statim in orbem, sive per latitudinem ac transversim arbos dividitur. quoniam fragilis tum vena foret, seu facile frangeretur.

6. *Pectines.*] Sic appellantur lineæ quædam ductusque per longitudinem arborum latitudinemque, amnium anguiumve more serpentes: qui ductus in polita præcipue materia, non sine quadam colorum varietate, conspicui sunt *undatis*. Venarum cursus appellat, sect. 76 Gallis, *veines*.

7. *Apud antiquos.*] Virgil. Eclog 3. vers. 36. *Pocula ponam fagina.* Ovid. lib 8. Metam. vers. 669.

Cælatus eodem
Sistitur argento crater, fabricataque fago
Pocula

8 *Manius Curius.*] De quo jam diximus lib 7. sect 15. Vide Valerium Max. lib. 4. cap. 3. pag. 208

9. *Guttum.*] Poculi genus, quo in sacrificiis mensisque utebantur, & quo guttatim infundebatur aqua. Plautus: *Ut guttulam haurire ex guttulo.*

10. *Fluctuatur.*] Mari immergitur, ut veluti condiatur, ac maceretur, & firmitatem accipiat Theoph. lib. 5 hist. cap 6. Robur & laricem, inquit, cum in mari condiunt, [illegible], ea quæ radici propiora sunt: citius in aqua merguntur, ac plus ceteris sidunt, [illegible].

11. *Alia frangi*] In assulas dissilire.

12. *Tota ossea.*] Os esse materiæ optimum sup. sect interpretatus est.

* 13. *Esse diximus*] Sup. sect. Buxum, cornum, oleam.

14. *Ceteris.*] E proxime appellatis: ilici, corno, robori, &c. præter cornum.

15. *In venabulis*] Venabulum, [illegible], telum quondam venationi aptum: e corno ut plurimum arbore. Ovid. Epist 4. vers. 83.

Sive tenes lato venabula cornea ferro.

16. *Incisuris nodata.*] Erant aspera nodis venabula, ubi rami a caudice amputati: nam cæsuræ manebant vestigia.

17 *Larix femina*] Theophr. l. 3. hist c. 10. [illegible] (En nunc rursum larix) [illegible]. *Est autem ægis arboris veluti cor, ac medullæ interiori proximum.*

18 *Mellei coloris.*] Theophr. loc. cit. [illegible], *coloris elegantis & boni.*

19. *Pictorum tabellis.*] [illegible] vocat Theophr. loc. cit. Galli, *Palettes*, pollliculares assulas, quibus colores insident. Nisi mavis pro tabulis ligneis accipere, in quibus olim, uti nunc in tela, pingebatur: unde tabula plerumque apud antiquos usurpata pro pictura est.

20. *Leuson.*] Theophr loc. cit. [illegible], &c. In Sequanis fabri lignarii, inquit Rob. Coustantinus, adhuc *Lencbon* vocant, & ex ea materia pyxides conficiunt.

21. *Limo.*] Alburnum, credo, intelligit, de quo sect. sup.

22. *Et sambuci.*] MSS omnes, *sabuci*, ut diximus sect. sup. Interiora porro non medullam vocat, sed ossa, hoc est, lignum ipsum, materiæque optimum, quod cortice, ceu cute vestitur.

23. *Qui venabula.*] Baculos fieri leves e sambuco dixit Theophr. loc. cit. [illegible].

Sect LXXIV. 1. *Cædi tempestivum*] Theophr. lib. 5. hist. cap. 1. [illegible]. *Cædi tempestivum est · materiem quidem rotundam, & quæ decorticanda est, cum germinare incipit. Tunc enim cortex extricari facile potest · id quod surgere appellant, ob humorem qui sub eo cortice est, &c.*

2. *Ut teretes.*] Quæ caudice sunt terete & procero: ut abies, pinus, picea De abiete speciatim, sect. 80. circa germinationes cædi eam tempestive, pronunciatur.

3. *Alias cortice.*] Alias cortex, nisi æger admodum, avelli non potest · nigrescitque materies, &c Theophr.

4 *Tigna.*] Et alia hujusmodi, quæ quadrari debent, [illegible], Theophr

5. *Arcturi occasu*] Theophr. [illegible]. Post vindemiam & Arcturi occasum, ut recte Plinius etiam dixit: non post Arcturi ortum, ut Dalecampius.

6. *Vulgo satis.*] Theophr loc. cit. [illegible]. *Omne quod validum esse debet, tempestivius cæditur, non solum cum germinare desierit, verum etiam cum fructum perduxerit.*

observare;

observare, ne qua dedolanda arbos sternatur ante editos suos fructus. [7] Robur vere cæsum, teredinem sentit: bruma autem, [8] neque viatur, neque pandatur, alias obnoxium etiam ut torqueat sese findatque: quod in subere tempestive quoque cæso evenit. [9] Infinitum refert & lunaris ratio: nec nisi a vicesima in tricesimam cædi volunt. [10] Inter omnes vero convenit, utilissime in coïtu ejus sterni, quem diem alii interlunii, alii silentis lunæ appellant. Sic certe Tiberius Cæsar concremato [11] ponte naumachiario, [12] larices ad restituendum cædi in Rhætia præfinivit. [13] Quidam dicunt, ut in coïtu & sub terra sit Luna: quod fieri non potest nisi noctu. At si competant coïtus in novissimum diem brumæ, illa fit æterna materies: [14] proxime, cum supra dictis sideribus. Quidam & Canis ortum addunt, & sic cæsas materies [15] in forum Augustum. Nec novellæ autem ad materiem, nec veteres utilissimæ. [16] Circumcisas quoque ad medullam aliqui non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus defluat. [17] Mirum apud antiquos primo Punico bello classem Duillii Imperatoris ab arbore excisa LX. die navigasse. [18] Contra vero Hieronem regem CCXX. naves effectas diebus XLV. tradit L. Piso. Secundo quoque Punico bello, [19] Scipionis classis XL. die a securi navigavit. Tantum tempestivitas etiam in rapida celeritate pollet.

LXXV. Cato hominum summus in omni usu, de materiis hæc adjicit. [1] Prelum e sapino atra potissimum facito: Ulmeam, pineam, nuceam: hanc atque aliam materiam omnem cum effodies, Luna decrescente eximito post meridiem, sine vento Austro. Tunc erit tempestiva, cum semen suum maturum erit. Caveroque ne per rorem trahas, aut doles. [2] Idemque mox: Nisi [3] intermestri, Lunaque dimidiata, ne tangas materiem. Tunc ne effodias aut præcidas ab terra. [4] Diebus septem proximis, quibus Luna plena fuerit, optime eximitur. Omnino [5] caveto nigram materiam doles, neve cædas, neve tangas, nisi siccam: neve gelidam, neve rorulentam. [6] Tiberius idem & in capillo tondendo servavit interlunia. M. Varro adversus defluvia præcepit [7] observandum id a pleniluniis.

LXXVI. I. [1] Larici & magis abieti succisis, humor diu defluit. Hæ omnium arborum altissimæ ac rectissimæ. [2] Navium malis antennisque propter levitatem præfertur abies. Communia his pinoque, ut [3] quadripartitos venarum cursus bifidosque habeant,

NOTÆ.

7. *Robur vere.*] Theophr. *Δρῦς δ' ἐαρινὴ μὲν*, &c. Robur, inquit, serissime cædendum, hieme post autumnum: quod si cæditur, dum turgescit, (id quod fieri verno tempore Vitruvius monet, lib. 2. cap. 9. pag. 32.) citissime omnium fere computrescit, *σήπεται*. *Vere enim*, inquit Vitruvius, *omnes arbores fiunt prægnantes, & omnes suæ proprietatis virtutem efferunt in frondes, anniversariosque fructus Cum ergo inanes & humidæ temporum necessitate fuerint, vanæ fiunt, & raritatibus imbecillæ. Uti etiam corpora muliebria cum conceperint, a fœtu ad partum non judicantur integra. neque in venalibus ea quæ sunt prægnantia, præstantur sana: ideo quod in corpore præseminatio crescens, ex omnibus cibi potestatibus detrahit alimentum in se. & quo firmior efficitur ad maturitatem partus, eo minus patitur esse solidum id ipsum ex quo procreatur, &c.*

8. *Neque viatur.*] Ita MSS. Reg. In Chiffl. *vitiatur*. Neque putredinem sentire, neque vermibus erodi robur bruma cæsum dixit Theophr. loc. cit.

9. *Infinitum &c.*] Hæc rursum Theophr. lib 5 hist. cap. 1. & Columella, lib. XI. cap. 2. pag. 370. *quoniam*, inquit Colum. *omnis materia sit cæsa judicatur carie non infestari*

10. *Inter omnes vero*] De hoc argumento multa Fursenrius, lib. 1. Hydrogr. cap. 23. pag. 37. Vide & auctorem Geopon. lib. 3. cap. 1. pag. 63.

11. *Ponte naumachiario.*] Junctæ fuere plures ponte naves: ex quo ponte naumachiarii inter se dimicabant. P. Victore teste, Naumachiæ quinque Romæ fuere, XIV. Urbis regione, in Circum effossæ, quo Tiberis aqua immittebatur, ut ibi navalis pugnæ specimen ederetur.

12. *Larices . . . . cædi*] Caussam Palladius edocet, lib. 12. in Novemb. tit. 15. pag. 173. quoniam neque flammam recipiunt, nec carbones creant, ut dictum est sect. 19.

13. *Quidam dicunt.*] Sic auctor Geopon. loc. cit.

14. *Proxime, cum.*] Ad bonitatem, perennitatemque materiæ ejus quæ tum cæditur, cum coïtus incidit in ipsum brumæ diem, accedit ea proxime, cujus cæsura fit, cum idem coïtus in occasum incidit supra dictorum siderum, Fidiculæ, & Arcturi.

15. *In forum Augustum.*] Ita MSS. omnes: hoc est, ad forum Augusti exædificandum, quod in octava Urbis regione fuit, ut P. Victor prodidit.

16. *Circumcisas.*] Habet Vitruvius eadem, lib. 2. cap. 9. pag. 33. Palladius quoque, loc. cit. pag. 172. *Materies*, inquit, *ad fabricam cædenda est, cum Luna decrescit: sed arbores quæ cæduntur, usque ad medullam securibus recisas, aliquandiu stare patieris, ut per eas partes humor, si quis in venis continetur, excurrat.*

17. *Mirum quid.*] Florus lib. 2. cap. 2. pag. 42. *Duillio Corneliοque Coss. etiam mari congredi Populus Rom. ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparata auspicium fuit. Intra enim LX. diem quam cæsa silva fuerat, CLX. navium classis in anchoris stetit: ut non arte facta, sed quodam munere Deorum conversæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur.* Fuit hic annus Urbis CCCCXCIII. belli Punici primi quartus: quinto primus idem Romanorum Duillius navalem victoriam adeptus est.

18. *Contra . . . . Hieronem.*] Syracusanum Regem. Egit de hoc bello, victoriæque celeritatem commendavit Florus, loc. cit. Hiero sub initium primi Punici belli victus a Romanis, victorum in partes postea amicitiamque transiit.

19. *Scipionis.*] Africani prioris.

Sect. LXXV. 1. *Prelum e sapino.*] Ita nunc Cato, cap. 31. pag. 29. *Prelum e sapino atra potissimum facito: aut ulmeam, aut pineam, vel nuceam. hanc atque aliam materiem omnem cum effodies*, ceteraque, ut Plinius.

2. *Idemque mox.*] Cap. 37.

3. *Intermestri.*] Interlunio, & in coïtu Lunæ.

4. *Diebus septem.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXV.

5. *Caveto nigram.*] Ita MSS. Libentius tamen, *caveto nequam materiam* ex Catone agnoverim, cujus verba referemus in Notis & Emend. num. cit. Dalecampius legit *nigra*, subintelligique Lunam jubet. Quid porro sit Luna nigra, nescio.

6. *Tiberius idem.*] De quo nempe proxime, sect. sup. Ita MSS.

7. *Observandum id.*] Nempe tonderi a pleniluniis tempestivius esse. Varro, lib. 1. de re rust. cap. 37. *Ego ista etiam*, inquit *Agrasius*, *non solum in ovibus tondendis, sed in meo capillo a patre acceptum servo, ne decrescente Luna tondens calvus fiam.* Ubi Fulvius Ursinus male emendat, *ne decrescente Luna.*

Sect. LXXVI. 1. *Larici, &c.*] Theophr. lib. 5. hist. cap. 2. *Ὄζει δὲ τρηθεῖσι, ῥεῖ καὶ ἐκ τῆς ἐλάτης, καὶ ἐκ τῆς πεύκης ἐπὶ πολὺν χρόνον ὀχετός· καὶ μάλιστα ἐκ τῆς ἐλάτης.* Rursum *πεύκη* larix est.

2. *Navium malis.*] Theophr. loc. cit.

3. *Quadripartitos.*] Pectines quatuor, seu venarum cursus, quos in polita maxime materia cernimus amnium instar, anguiumve serpere. Si quaterni fuerint, quadripartitos venarum cursus materies habere dicitur; vel, ut Vitruvius ait, quadrifluviis esse disparata: si bini modo, bifido venarum cursu: si unicus, simplice.

vel omnino simplices. Ad fabrorum [4] intestina opera [5] medulla sectilis: [6] optima quadripartitis materies, & mollior quam ceteræ. [7] Intellectus in cortice protinus peritis. [8] Abietis quæ pars a terra fuit, enodis est: hæc, [9] qua diximus ratione, fluviata [10] decorticatur, atque ita [11] sapinus vocatur: superior pars nodosa, duriorque, [12] fusterna. [13] Et in ipsis autem arboribus robustiores Aquiloniæ partes. Et in totum deteriores ex humidis opacisque: spissiores ex apricis, ac diuturnæ. Ideo Romæ [15] infernas abies supernati præfertur. Est per gentium quoque regiones in iis differentia. Alpibus, Apenninoque laudatissimæ: [16] in Gallia, Jura, ac monte [17] Vogeso: [18] in Corsica, Bithynia, Ponto, Macedonia. Deterior [19] Æneatica, & Arcadica. Pessimæ Parnassia, & Euboïca: quoniam [20] ramosæ ibi & contortæ, putrescentesque facile. [21] At cedrus in Creta, Africa, Syria laudatissima. [22] Cedri oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit. [23] Junipero eadem virtus, quæ cedro. Vasta hæc in Hispania, maximeque [24] Vaccæis: medulla ejus ubicumque solidior etiam, quam cedrus. Publicum omnium vitium vocant [25] spiras, ubi convolvêre se venæ atque nodi. Inveniuntur in quibusdam, sicut in marmore, [26] centra, id est, duritia clavo similis, inimica serris. [27] Et quædam forte accidunt, lapide comprehenso aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo.

2. [28] Megaris diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat. Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonitæ oraculo, cum arbor arma peperisset: [29] quod succisæ accidit, ocreis galeisque intus repertis. Ferunt lapides ita inventos, ad continendos partus esse remedio. * Amplissima arborum ad hoc ævi existimatur Romæ visa, quam propter miraculum Tiberius Cæsar [30] in eodem ponte naumachiario exposuerat advectam cum reliqua materie: duravit ad Neronis Principis amphitheatrum. Fuit autem trabs e larice, longa pedes CXX. bipedali crassitudine æqualis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, fastigium ad cacumen æstimantibus. Fuit memoria nostra & in porticibus [31] septorum a M. Agrippa relicta, æque miraculi causa, quæ [32] diribitorio superfuerat, XX. pedibus brevior, sesquipedali crassitudine. Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto [33] Caii princi-

*CAPUT XL.

Notæ.

4. *Intestina opera.*] Hoc est, opera lignariæ fabricæ subtilioris & elegantioris: *Menuiserie.* Intra domum fere tantùm locum habet, & in ædium interiore parte: inde nomen. *Intestinarii* artifices, leg. 2. Cod. Theod. de excusat. artif. qui intestinum opus faciebant.

5. *Medulla.*] Quæ Theophrasto, lib. 5. histor. cap. 2. ἐντεριώνη, cor ligni, sive matrix, & pars interna materiei.

6. *Optima.*] Optima materies est, quæ quadripartitos habet venarum cursus. Theophr. loc. cit. ubi de quadrifissis arboribus: Εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς ἐργασίας αὗται κάλλισται· πυκνότατα γὰρ ἔχουσι τὰ ξύλα. *Sunt illa ad opera præstantes: materiem enim spississimam habent.*

7. *Intellectus.*] Discrimen, inquit Theophr. loc. cit. arbores ipsæ vel cortice ipso ostendunt. Quamobrem periti, ubi arborem videre, probe dijudicant quænam ea sit. Quibus enim venæ egregiæ sunt, his cortex lævis rectusque: quibus e contrario, scaber & contortus. Διαφορὰς δ' ἔχουσι καὶ φλοιὰς, καθ' ἃς γνωρίζουσιν ἰδόντες ὅσοι τὸ δένδρον πραγματεύονται · τῶν μὲν γὰρ ἀκιναδίστων, καὶ ὁ φλοιὸς λεῖος καὶ ὀρθός. τῶν δ' ἐναντίων τραχὺς τε καὶ διεστραμμένος.

8. *Abietis quæ pars a terra.*] Quæ terræ proxima. Vitruvius, lib. 2. cap. 9. pag. 33.

9. *Qua diximus.*] Sect. 73. his verbis: *Lignum in longitudinem fluctuatur:* ubi fluctuari, seu fluviari, diximus esse idem quod macerari aqua, & veluti condiri: ταριχεύεσθαι. Gallis, *Bois flotè* Neque enim hic sermo, ut quibusdam visum est, de multifluvio, seu multiplici venarum cursu.

10. *Decorticatur.*] Vide Notas & Emend. num. XXVI.

11. *Sapinus.*] Sic Vitruvio loc. cit. una sapinea, summa pars fusterna dicitur, propter nodationis duritiem.

12. *Fusterna.*] Quia nodosa, ut solent esse fustes & baculi, crebris utplurimum nodis asperi.

13. *Et in ipsis.*] Theophr. lib. 5. hist. cap. 2.

14. *Et in totum.*] Theophr. lib. 5. histor. cap. 3.

15. *Infernas abies.*] Tyrrhenum mare Inferum vocatur, superum vero Adriaticum, ut diximus lib. 3. sect. 10. Quæ abietes igitur ex Apennini ea parte, quæ ad Tyrrhenum mare protenditur, advehi solent, eæ dicuntur infernates. Quæ ab ea vero quæ vergit in Adriaticum, supernates nominantur. Vitruvius, lib. 2. cap. 10. pag. 36. *Ideo infernates, quæ ex apricis locis apportantur, meliores sunt, quam quæ ab opacis de supernatibus advehuntur.*

16. *In Gallia, Jura.*] MSS. omnes, & editiones vetustæ, *Juribus*. ut lib. 3. sect. 5.

17. *Vogeso.*] *Le Mont de Vauge*, in Lotharingiæ Alsatiæque confinio. Ex eo amnis Mosella oritur.

18. *In Corsica.*] Corsicas arbores, inprimisque abietes laudat impensius Theophr. lib. 5. histor. cap. 9.

19. *Æneatica.*] Theophr. Αἰνιανή. Forte Αἰνιανικὴ, ab Ænianibus, quorum in regione mons Oeta fuit, silvis consitus, ubi sibi rogum Hercules struxit. De his egimus lib. 4. sect. 3.

20. *Ramosæ.*] Theophrasto, *nodosa*, ὀζώδη.

21. *At cedrus, &c.*] Hæc etiam Vitruvius, lib. 2. cap. 9. pag. 35.

22. *Cedri oleo.*] Vitruvius, loc. cit. pag. 34. *Quemadmodum ex cupressu & pinu, resina: sic ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, nascitur: quo reliquæ res cum sunt unctæ, uti etiam libri, a tineis & a carie non læduntur.*

23. *Junipero.*] Vitruv. loc. cit. *Cedrus & juniperus easdem habent utilitates.*

24. *Vaccæis.*] Hispaniæ gens ea est, de qua lib. 3. sect. 4. Vide Notas & Emendat. num. XXVII.

25. *Spiras.*] Σπεῖραν quoque Theophr. vocat, lib. 5. histor. cap. 3. convolutionem eam complurium orbium, quam neque nodum, inquit, neque crispitudinem merito dixeris: fabris longe molestior ea, difficiliorque tractatu, quam nodi.

26. *Centra.*] Græcam adhibuit vocem: nam κέντρα pariter a Theophr. appellantur hi duriores nodi, clavorum instar, in intima ligni parte, aut marmoris, aut gemmæ. Sic enim lib. 37. sect. 39. inutilis scalpturæ sapphirus dicitur, intervenientibus crystallinis centris. Et sect. 10. ejusdem libri, *prædurum ac fragile centrum* in crystalli vitiis censetur.

27. *Et quædam.*] Alia centrorum in arboribus origo. Lapide nimirum inculcato, atque amplexu incrementi circum obducti demum occultato: vel alterius arboris, quæ in proximo fuerit, ramo in alterius ramum coagmentato. Theophr. loc. cit.

28. *Megaris.*] Et hæc a Theophr. traduntur, loc. cit.

29. *Quod succisæ accidit.*] Cum a Pericle vastata est Megaris, bello Peloponnesiaco, ut quidem refert Diod. Sic. lib. 12.

30. *In eodem ponte.*] De quo jam dictum est sect. 7. De Neronis amphiteatro dicetur lib. 19. sect. 6.

31. *Septorum.*] *Septa* dictus est locus, quo populus conveniebat ad ferenda suffragia in Comitiis: qui locus ligneis primum cancellis, post marmoreis septus est. Inde nomen.

32. *Diribitoria.*] Locus fuit in quo censebantur milites & stipendiis donabantur: a diribendo, hoc est, distribuendo dictum. Magnificum in primis ædificium ab Agrippa inchoatum, perfecit post ejus obitum Augustus. Vide Dionem, ad an. DCCLVII. lib. 55.

33. *Caii principis.*] Quem Caligulam alii appellarunt; nunquam ita Plinius.

pis jussu, [34] obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est: CXX. M. modiûm lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. [35] Ibi namque demersa est a Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis [36] obiter Puteolano pulvere, advectisque. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Vulgoque audiuur [37] LXXX. nummûm & pluris malos venumdari ad eos usus, rates vero connecti [38] XL. HS. plerasque. [39] At in Ægypto & Syria reges inopia abietis cedro ad classes feruntur usi. [40] Maxima ea in Cypro traditur, ad undeciremem [41] Demetrii succisa, [42] centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. Germaniæ prædones singulis arboribus cavatis navigant, quarum quædam & triginta homines ferunt.

3. [43] Spississima, ex omni materie, [44] ideo & gravissima, judicatur ebenus, & buxus, graciles natura, [45] neutra in aquis fluitat, nec suber, si dematur cortex: [46] nec larix. [47] Ex reliquis siccissima lotos, [48] quæ Romæ ita appellatur. Deinde robur [49] exalburnatum: & huic nigricans color, magisque etiam cytiso, quæ proxime accedere ebenum videtur. [50] Quanquam non desint, qui Syriacas terebinthos nigriores affirment. Celebratur & [51] Thericles nomine, calices ex terebintho solitus facere torno, [52] per quem probatur materies. [53] Omnium hæc sola ungi vult, meliorque oleo fit. Colos mire adulteratur juglande ac piro silvestri tinctis, atque in medicamine decoctis. Omnibus, quæ diximus, spissa firmitas. [54] Ab his proxima est cornus: quanquam non potest videri materies propter exilitatem, sed lignum [55] non alio pæne, quam ad radios rotarum, utile: aut [56] si quid cuneandum sit in ligno, clavisve figendum, ceu ferreis. [57] Ilex item, & oleaster, & olea, atque castanea, carpinus, populus. [58] Hæc & crispa aceris modo, si ulla materies [59] idonea esset ramis sæpe deputatis: castratio illa est, adimitque vires. [60] De cetero plerisque eorum, sed utique robori, tanta duritia est, ut terebrari nisi madefactum non queat, & ne sic quidem adactus avelli clavus. E diverso clavum non tenet cedrus. [61] Mollissima tilia: eadem videtur & calidissima: argumentum afferunt, quod citissime [62] ascias retundat. [63] Calidæ & morus, laurus, edera, & omnes e quibus igniaria fiunt.

NOTÆ.

34. *Obeliscum*] De quo dicemus lib. 37. sect. 15.

35. *Ibi namque*] Sueton. in Claudio, cap. 20. *Portum Ostiæ exstruxit . . . . ubi navem demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus*, &c.

36. *Obiter.*] Cum Puteolis navis ea transiret, Romamque contenderet. De Puteolano pulvere dicemus lib 35. sect. 45.

37. *LXXX. nummûm*] Ita MSS. omnes. Hoc est, octoginta nummûm, sive sestertiorum millibus. Gallicæ monetæ, libræ sunt octingentæ.

38. *XL. HS.*] Quadraginta sestertiûm millibus: seu libris Gallicis omnino quadringentis. Hoc pretio ex hoc abietis genere connectebantur rates, *des radeaux*.

39. *At in Ægypto.*] Hæc Theophr. lib. 5 hist. cap. 9. Sesostris Ægypti regis navium cedrinum laudat Diodorus Sicul. lib. 1. Bibl. pag. 52. Fabricasse etiam Caligula dicitur de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, &c. Sueton. in Caio, cap. 37.

40. *Maxima ea*] Maxima cedrus. Theophr. loc. cit.

41. *Demetrii.*] Ejus qui Poliorcetæ cognomen adeptus est, Antigoni F.

42. *Centum triginta.*] Theophr. loc. cit. τρὶς καὶ δέκα ὀργυιῶν. Ergo unaquæque ὀργυιὰ decem metitur pedes. Nempe major ὀργυιά. De minore, lib. 8 sect. 16.

43. *Spississima.*] Hæc Theophr. lib. 5. hist. cap. 4.

44. *Ideo & gravissima.*] Etiam eum utraque aruit. Theophr. lib. 1. hist. cap. 8.

45. *Neutra in aquis.*] Ebenum decorticatam in aqua sidere, buxum cum ipso cortice demergi, ait Theophr.

46. *Nec larix.*] Vitruv. lib. 2. cap. 9.

47. *Ex reliquis siccissima.*] Ita MSS. Theophr. loc. cit. τῶν δ' ἄλλων, ὁ λωτὸς πυκνότατος, *spississima*. Sed de Africana.

48. *Quæ Romæ ita.*] Plinius supra, sect. 53. *Lotos, sive faba Græca, quam Romæ a suavitate fructus . . . loton appellant.*

49. *Exalburnatum.*] Dempto alburno, seu torulo *L'aubour.*

50. *Quanquam.*] Theophr. loc. cit.

61. *Thericles.*] Vixit is Aristophanis ætate. Videtur Plinius velle Thericlem τορευτὴν, non figulum fuisse. Sed Araros apud Athen. lib. XI. pag. 471. aperte fictorem figlinorum operum facit.

Ὦ γαῖα κεραμῖτι: σὲ ὁ Θηρικλῆς ποτε
Ἔπηξε, &c

Theophr. ipse, lib. 5. hist cap. 4. & qui eum laudat Athen. loc. cit. pag. 470. Thericlea aiunt ex terebintho vasa adeo affabre elaborata fuisse, ut a fictilibus discerni ægre possent. Non igitur ipse Thericles, aut certe diversus ab eo, e terebinthino ligno vasa tornavit: sed figlina, e nigra nempe terra, egregii nitoris. Hesychius: Θηρίκλειον, κύλικος εἶδος ἀπὸ Θηρικλέους κεραμέως. Quæ porro ad pocula ea proxime accederent, sive ex ligno forent, sive ex argento, vitrove, Thericlea dicebantur. Suidas, Θηρίκλειον ποτήριον, ὑάλινον exponit.

52. *Per quem probatur.*] Torno, inquit, materiæ bonitas firmitasque agnoscitur, & coloris nitor. Ita MSS. omnes.

53. *Omnium hæc sola.*] Terebinthos sola perungi prius quam tornetur, postulat: sic enim melior, nigriorque efficitur. Juglans & pirus, si decoquantur in colore nigro, quo tinguntur, referent terebinthi similitudinem.

54. *Ab his proxima.*] Theophr. lib. 5. hist. cap. 8. Ἰσχυρότατον δὲ καὶ ἡ κρανία.

55. *Non alio pæne.*] Sed & hastilia ex corno arbore facta Festus refert, quæ columna ex eo dicerentur Glossæ: Κρανία, δένδρον. Colurnum, cornus. Virgil. lib. 2 Georg. vers. 396.

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Quæ ex corylo arbore, perperam, ut remur, Servius, aliique, qui sunt subsecuti, facta interpretantur. Maro, 9. Æneid. vers. 698. *Volat Itala cornus.*

56. *Si quid cuneandum.*] Si quid findendum cuneo is enim e corno fieri apte & utiliter potest. Cuneare, est ea quæ natura juncta sunt, per vim distrahere, ut ait Quintil. lib. 4. cap. 3. Et e corno clavi fiunt, qui ferreorum duritiem repræsentent.

57. *Ilex item, &c.*] Theophr. lib. 3. histor. cap. 12.

58. *Hæc & crispa.*] Supra sect. 51. *Quorum crispa materies, ut acer, palma, populus.* An utrobique *opulus* legendum, cujus arboris meminit Columella passim?

59. *Idonea esset.*] Operibus intestinis: si rami sæpe deputarentur in arbore: sed castratio illa est, quæ ligno firmitatem duritiemque adimit.

60 *De cetero.*] Theophr. lib. 5 histor. cap. 4. Σκληρότατον δὲ ἡ δρῦς . . . καὶ γὰρ ἐμβρέχουσι πάντα ταῦτα τοῖς τρυπῶσι μαλάξεως χάριν.

61. *Mollissima.*] Theophr loc. cit. totidem verbis.

62. *Ascias retundat.*] Indicio est, inquit, quod ferri aciem vehementer hebetet, & calore suo obtundat. Ascia ferreum instrumentum est, quo fabricæ materiæ perdolantur. *Une doloire.*

63. *Calidæ, & morus, &c.*] Theophr. loc. cit Et de lauro, Porphyrius quoque, apud Euseb lib. 3. Præpar. pag 112. ὅτι πυρὸς μετέχει τὸ φυτὸν, &c. Denique Seneca, lib. 2. Na-

LXXVII. Exploratorum hoc usus in castris, pastorumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est. [1] Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facillimo conceptu. Sed nihil edera præstantius quæ teratur, lauro quæ terat. Probatur & vitis silvestris 5 [2] alia quam labrusca, & ipsa ederæ modo arborem scandens. [3] Frigidissima quæcumque aquatica: [4] lentissima autem, & ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, & ob id contumacius transmittit ferrum: in quo sunt genere fici, salix, tilia, betulla, sambucus, populus utraque. [5] Levissima ex his ficus & salix, ideoque utilissimæ. Omnes autem ad cistas, quæque [6] flexili crate constant. Habent 10 & candorem, rigoremque, & in sculpturis facilitatem. Est lentitia platano, sed madida, sicut alno. Siccior eadem ulmo, fraxino, moro, cerasio, sed ponderosior. [9] Rigorem fortissime servat ulmus: ob id cardinibus, [10] crassamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur: [11] permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. [12] Palmæ est mollis, & suberis materies: spissæ & malus, pirusque: nec non acer, 15 sed fragile: [13] & quæcumque crispa. [14] In omnibus silvestria & mascula differentias cujusque generis augent. Et infecunda firmiora fertilibus, nisi quo in genere mares ferunt, sicut cupressus & cornus.

LXXVIII. [1] Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, juniperus, oleaster, & olea: ex reliquis tardissime [2] larix, robur, suber, [3] ca- 20 stanea, juglans. [4] Rimam fissuramque non capit sponte cedrus, cupressus, olea, buxus.

LXXIX. [1] Maxime æterna putant ebenum & cupressum, cedrumque, claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ: utpote cum tota Asia exstruente [2] quadrin-

NOTÆ.

tur. quæst. cap. 22. pag. 852. *Duobus modis*, inquit, *apud nos fit ignis: uno, si excitatur, sicut ex lapide percussio: altero: si attritu invenitur, sicut cum duo ligna inter se diutius trita sunt. Non omnis hoc ubi materia præstabit, sed idonea eliciendis ignibus: sicut laurus, edera, & alia in hunc usum nota pastoribus.*

Sect. LXXVII. 1. *Teritur ergo.*] Theophr. lib. 5. histor. cap. 10. Et hoc solerter faciunt hodie Canadenses.

2. *Alia quam labrusca.*] Vitis illius appellatio propria, apud Theophr loc. cit. ἀθραγένη. Πυρεῖον δέ φασι, inquit, ἄριστον μὲν ἐκ τῆς ἀθραγένης καλουμένης ὑπό τινων. Τοῦτο δ' ἐστὶ δένδρον ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ, καὶ τῇ οἰνάνθῃ καὶ ἀγρίᾳ· ὥσπερ ἐκεῖνο γὰρ καὶ τοῦτο ἀναβαίνει πρὸς τὰ δένδρα.

3. *Frigidissima.*] Theophr. lib. 5 hist. cap 4.

4. *Lentissima.*] Theophr. loc. cit. totidem fere verbis.

5. *Levissima.*] Theophr. κουφὰ δὲ τὰ ἄκαπνα, καὶ τὰ σομφὰ.

6. *Flexili crate.*] Et ad ea quæ vimine flexili texuntur, ut crates.

7. *Rigoremque.*] Hoc est, non pandantur, non flectunt se, torquentve.

8. *Est lentitia.*] Obsequens natura quo libeat flecti. Theophr. loc. cit. Τὸ δὲ τῆς πλατάνου γλισχρότητα μὲν ἔχει· ὑγρὸν δ' ὑγρότερον τοῦτο καὶ τὸ τῆς αἰγείρου, *sicut ulmo.* Quare an ita scribendum & in Pliniano quoque contextu, facili transitu characterum *a* in *u*, amplius cogitandum. Et lib. 5. histor. cap. 8. lentitiam cum firmitate, γλισχρότητα καὶ ἰσχὺν platano attribuit, moro, fraxino, ulmo: sed deteriore conditione platani, quod celeriter ea computrescit.

9. *Rigorem fortissime.*] Non flectit se, non cedit ponderi, non torquetur ulmus, διὸ καὶ στροβίζουσι τὰ τῶν πυλῶν, inquit Theophr lib. 5. hist. cap 4. Et Vitruvius lib. 2. cap. 9 pag. 34. *Ulmus vero, & fraxinus maximos habent humores, minimumque aeris & ignis. . . . Sunt in operibus, cum fabricantur, lenta: & sub pondere, propter humoris abundantiam, non habent rigorem, sed celeriter pandant. Simul autem vetustate sunt arida facta, aut in agro perfectæ, qui in eis inest liquor, stantibus emoritur, fiuntque duriores: & in coagmentationibus ab lentitudine firmas recipiunt catenationes.*

10 *Crassamentisque*] Hoc est, crassioribus portarum coagmentationibus. Sic porro MSS. omnia, Reg. Colbert. Th. Chiffl. Paris. &c.

11. *Permutanda tantum*] Dum bina cardinum tigna coassantur, ita contrario sunt disponenda situ, ut arboris cacumen spectet inferius, superius vero radix: sic enim inter se coarctata, alterum alterius impetum cohibebit: alioqui totum flecteretur lignum, & contorqueretur. Ita fere Theophr. lib 5. hist cap. 4 Ποιεῖν δὲ αὐτὰς (τὰς στροφεῖς τῶν θυρῶν) ἐναλλὰξ κελεύουσι τὰ ξύλα· τὸ μὲν ἀπὸ τῆς ῥίζης, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ φύλλου ἄνω.

12. *Palma est mollis, & suberis materies.*] Ita Reg. 2. cod. In Reg. 1. *Palma mitis.* Theophr loc. cit. Palma levis, tractatu facilis, mollisque est, quemadmodum suber: Ὁ δὲ φοῖνιξ κοῦφος καὶ εὐεργὸς, καὶ μαλακὸς ὥσπερ ὁ φελλός.

13. *Et quæcumque crispa.*] Crispa, inquit, materie pariter spissa sunt, ut acer. Theophr. loc. cit. Πυκνὸν δὲ καὶ τὸ σφένδαμνος, καὶ ὅλως πάντα τὰ οὐλα.

14. *In omnibus.*] In omni, inquit, arborum genere & silvestres & masculæ, dotes eas habent, quas retulimus, potiore cum laude, quam urbanæ & feminæ. Sunt enim spissiores, duriores, robustiores. Theophr lib. 5. hist. cap. 5. Ἅπαντα δὲ τὰ ἄγρια τῶν ἡμέρων, καὶ τὰ ἄρρενα τῶν θηλειῶν πυκνότερά τι καὶ σκληρότερα, καὶ βαρύτερα, καὶ τὸ ὅλον ἰσχυρότερα . . . . ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ τὰ ἀκαρπότερα τῶν καρπίμων, καὶ τὰ χείρω τῶν καλλικαρποτέρων. εἰ μὴ τὸ καρπιμώτερον τὸ ἄρρεν, ὥσπερ ἄλλα τέ φασι, καὶ τὴν κυπάριττον, καὶ τὴν κρανίαν. Quæ sunt orationi Plinianæ simillima.

Sect. LXXVIII. 1. *Cariem, &c.*] Theophr. loc. cit.

2. *Larix.*] Theophrasto πίτυς.

3. *Castanea, juglans.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVIII.

4. *Rimam, &c.*] In Indice, *Quæ cariem non sentiant, quæ rimam.*

Sect. LXXIX 1 *Maxime æterna putant.*] Vide Notas & Emend. num. XXIX

2. *Quadringentis.*] Quot nimirum anni fluxere ab Alexandri principatu ad illud tempus quo Plinius hæc scriberet, hoc est, usque ad annum Urbis Romæ DCCCXXX. Ergo anno Urbis CCCCXXX. docet cœptum exstrui templum Ephesinum a tota Asia, hoc est, eo anno quo vicit Darium Alexander: perfectumque annis ducentis & viginti, ut dicetur lib 36. sect. 21. Judicium vero Asiæ totius exstruentis de perennitate materiarum, quadringentorum denique annorum experimento peractum esse: ut postea de earum æternitate reliquus nullus sit disceptandi locus. Templum Dianæ a communi Asiæ fuisse exstructum testatur Domitiani Aug. nummus ex ære mediocri: ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. Capite laureato .)(. Supra, ΕΦΕϹΙΩΝ. Infra, ΜΑΓΝΑϹ. Dea capite turrito decumbit, provincia scilicet, imponit templo dextram, qua tenet arundinem: retro serpens, Asiæ symbolum; & ex urna profluens aqua, ut videtur. Cave autem hic ΜΑΓΝΑϹ vocem aliquam unam esse, aut dei Marnæ nomen. Lege: Μεγάλης Ἀρτέμιδος Ναὸν Ἀσία Συνίδρυσε. *Magnæ Dianæ Templum Asia simul condidit* Hæc *magna Diana Ephesiorum* in Actis est, cap. XIX. Μεγάλη Ἄρτεμις Ἐφεσίων. Similiter in nummo Hadriani, ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ.)(In templo duobus columnis ornato, stant dextrorsum Diana cum arcu, & veste succincta: sinistrorsum Apollo cum arcu similiter. Hinc ΓΑΖΑ; inde ΜΑΡΝΑ. Cave, inquam, cuiquam hic quoque credas, esse Marnam Jovem; cum id pictura neget; & ipse titulus, cujus hæc sententia est: Μεγάλη Ἄρτεμις, Νεβροχαρὴς Ἀπόλλων: *Magna Diana, hinnulis gaudens Apollo*: quæ duo sola scilicet in nummo sunt insculpta, ob venationem cervinam in eo tractu celebratissimam, cui præesse hæc duo numina veteres credidere. Propterea, lib 1. Epigram, tit. Τρανῷ Παιᾶνα, μέγαν θεὸν Ἀπόλλωνα, Νεβροχαρὴς Apollo vocatur. In uno numismate litteræ sunt ΓΕΗΙΔΑϘ: quas alibi dudum exposuimus. Est hic nummus ex ære magno in Thesauro Regio. Denique nummum affert ex ære minimo Seguinus, pag. 63. cum Deæ vultu, & epigraphe, ΑΡΤ ΣΕΒΑ. In altera parte cervus est sine inscrip-

gentis annis peractum sit, [3] convenit tectum ejus esse e cedrinis trabibus. De ipso simulacro Deæ ambigitur: [4] ceteri ex ebeno esse tradunt. Mucianus ter Consul, ex his qui proxime viso eo scripsere, [5] vitigineum, & numquam mutatum septies restituto templo. Hanc materiam elegisse [6] Pandemion: etiam nomen artificis nuncupans: quod equidem miror, [7] cum antiquiorem Minerva quoque, non modo Libero Patre, vetustatem ei tribuat. Adjicit multis foraminibus nardo rigari, ut medicatus humor alat, teneatque juncturas, quas & ipsas esse [8] modico admodum miror. [9] Valvas esse e cupresso, & jam quadringentis prope annis durare materiem omnem novæ similem. Id quoque notandum, valvas [10] in glutinis compage quadriennio fuisse. [11] Cupressus in eas electa, quoniam præter cetera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æternus. Nonne simulacrum [12] Vejovis [13] in arce e cupresso durat, a condita Urbe [14] DCLXI. anno dicatum? Memorabile & Uticæ templum Apollinis, ubi [15] Numidicarum cedrorum trabes durant, ita ut positæ fuere prima urbis ejus origine, annis MCLXXVIII. Et in Hispania Sagunti aiunt templum Dianæ a Zacyntho advectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Trojæ, ut auctor est Bocchus, infraque oppidum ipsum id haberi. Cui pepercit religione inductus Hannibal, juniperi trabibus etiam nunc durantibus. Super omnia memoratur ædes in Aulide ejusdem Deæ, sæculis aliquot ante Trojanum bellum exædificata: [17] quonam genere materiæ scientia obliterata. [18] In plenum dici potest, utique quæ odore præcellant, ea æternitate præstare.

[19] A prædictis morus proxime laudatur, quæ vetustate etiam nigrescit. Et quædam tamen in aliis diuturniora sunt usibus quam alia. [20] Ulmus in perflatu firma, [21] robur defossum, & in aquis quercus obruta. Eadem supra terram rimosa facit opera, torquendo sese. [22] Larix in humore præcipua, & [23] alnus nigra. [24] Robur marina aqua corrumpitur. Non improbatur [25] & fagus in aqua, & juglans: hæ quidem in his quæ defodiuntur, vel principales. Item juniperus: eadem & [26] subdialibus aptissima. [27] Fagus & cerrus celeriter marcescunt. Esculus quoque humoris impatiens. Contra adacta in terram in palustribus [28] alnus æterna, onerisque quantilibet patiens: cerasus firma: ulmus & fraxinus lentæ, sed facile pandantur; flexiles tamen, stantesque [30] a circumcisura siccatæ fideliores. [31] Lari-

NOTÆ.

tione. Legendum pronunciat, ΑΡΤεμιν ΣΕΒαστὴν: & Dianam Augustam appellari Liviam censet. At si Livia foret, de nomine certe Livia diceretur. ut in nummo ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ, *Liviam Junonem.* Nec matronam decet jam ætate provectam venatu delectari, quam cervus hic pictus designat.: nec proinde conveniens erat, Augustam Dianam appellari. Lege: Ἄρτεμιν Τρίμορφον ΣΕΒαζεται Ἀσία. *Dianam triformem Asia veneratur.*

3. *Convenit tectum.*] Vitruvius, lib. 2. cap. 9. pag. 35.

4. *Ceteri ex ebeno.*] Vitruv. loc cit. e cedro.

5 *Vitigineum.*] Ex vite. Ita libri omnes.

6. *Pandemion.*] Vide Notas & Emend. num. XXX.

7. *Cum antiquiorem Minervæ.*] Quæ parens artium habita semper fuit: atque adeo artifice quolibet vetustior. Ἀργεστινα qui cælo lapsum hoc simulacrum innui modo a Plinio putat, ut Exercitator in Solin. pag. 816.

8. *Modico.*] Cum sit modicum simulacrum, qui possunt esse in eo juncturæ, quæ vel in maximis vix ullæ sunt. Iterum hic Muciani fidem elevat.

9. *Valvas esse.*] Vide Notas & Emend. num. XXXI.

10. *In glutinis compage.*] Valvæ, inquit, compactæ & conglutinatæ, priusquam affixæ sunt, aptatæque foribus, quadriennio toto sub dio relictæ, ut ligni humor omnis effluerer. Et hoc Plinius a Muciano.

11. *Cupressus in eas.*] Theophr. lib. 5. histor. cap. 5.

12. *Vejovis.*] Gellius, lib. 5. cap. 12. pag. 337. *Quum Jovem igitur, & Dijovem a juvando nominassent: eum quoque contra Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet, (nam deos quosdam, ut prodessent, celebrabant, quosdam, ne obessent, placabant:) Vejovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi facultate.... Simulacrum igitur Dei Vejovis, quod in æde est, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. Quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt,* &c. De Vejovis vocabulo, vide & Ovid. lib. 3. Fastor. vers. 445.

13. *In arce.*] In æde, quæ inter arcem & Capitolium. Gellius loc. cit. pag. 336. Sic P. Victor, in regione octava Urbis Romæ: *Ædes Vejovis inter arcem & Capitolium, prope Asylum.*

14. *DCLXI.*] Ita Reg. 1. 2. Colb. aliique. In Th. DLI.

15. *Numidicarum cedrorum.*] Vide Notas & Emend. num. XXXII.

16. *MCLXXVIII.*] Ita MSS. omnes, recte: non ut editi, MCLXXXVIII. Cum porro hæc Plinius scripserit anno ab U. C. DCCCXXX. Uticam necesse est conditam fuisse ante Urbis Romæ originem, annis CCCXLVIII. anno Heli Pontificis Hebræorum circiter XXXV. anno fere a Troja capta centesimo octogesimo quarto.

17. *Quonam genere.*] Sic libri editi, & MSS. Reg. &c.

18. *In plenum dici potest.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. non dici par est, ut vult Salmas. pag. 42. in Solin. Hæc vox, *in plenum*, summatim, universe, omnino, sonat.

19. *A prædictis.*] Hoc est, post prædictas: cedrum, ebenum, cupressum. Theophr. lib. 5. hist. cap. 5.

20. *Ulmus in perflatu.*] Si ad ea opera adhibetur, quæ aeri pateant, eoque perflentur. Theophr. Πτελέα μὲν ἐν τοῖς αἰθρίοις.

21. *Robur.*] Δρῦς δὲ κατορυττομένη, καὶ ἐν ὕδατι καταβρεχομένη. Theophr. loc. cit. Et de quercu, Pallad. lib. 12. in Novemb. tit. 15. pag. 173.

22. *Larix in humore.*] In aquis, ad palationes & fundamenta: vel ad naves.

23. *Alnus nigra.*] Vitruvius de ea arbore magnifice, lib. 2. cap. 9. pag. 34. *Alnus autem, inquit, quæ proxime fluminum ripis procreatur, & minime materies utilis videtur, habet in se egregias rationes: etenim.... in palustribus locis infra fundamenta ædificiorum, palationibus crebre fixa, recipiens in se quod minus habet liquoris, permanet immortalis ad æternitatem, & sustinet immania pondera structuræ, & sine vitiis conservat. Ita quæ non potest extra terram paulum tempus durare, ea in humore obruta, permanet ad diuturnitatem,* &c. Palladius, loc. cit. *Alnus fabrica inutilis, sed necessaria, si humidus locus ad accipienda fundamenta palandus est.*

24. *Robur marinæ.*] Theophr. loc. cit. Δρῦς ἐν τῇ θαλάττῃ σήπεται.

25. *Et fagus.... & juglans.*] Theophr. nec fago, nec juglandi hanc dotem adjudicat, sed ὀξύᾳ & καρύᾳ εὐβοικῇ, hoc est, cerro & castaneæ.

26. *Subdialibus.*] Ad ea opera, quæ sub dio sunt.

27. *Fagus & cerrus.*] Vitruvius, loc. cit. pag. 34. *Cerrus, suber, fagus, quod parvam habent mixtionem humoris, & ignis, & terreni aeris plurimum, per raritatem humores penitus recipiendo, celeriter marcescunt.* Palladius, in Novembri, pag. 15. *Fagus in sicco utilis, humore corrumpitur.*

28. *Alnus æterna.*] Vitruvius & Palladius, locis paulo ante citatis.

29. *Ulmus & fraxinus.*] Vitruvius, loco a nobis sup. sect. laudato. Pallad. loc. cit. breviter: *Ulmus & fraxinus, si siccentur, rigescunt: ante curvabiles.*

30. *A circumcisura.*] Postquam circumsectæ sunt, eo quo dictum est modo, sect. 74. *Fideliores* autem firmiores in opere interpretor, hoc est, quæ haud facile pandentur: cum vitio obnoxias esse ulmum & fraxinum, dictum est proxime.

31. *Laricem in.*] Πεύκην Theophrastus, quæ Plinio, ut diximus, semper est larix.

cem in maritimis navibus obnoxiam teredini tradunt: omniaque, præterquam oleastrum & oleam. Quædam enim in mari, quædam in terra vitiis opportuniora.

CAPUT XLI.

LXXX. [1] Infestantium quatuor genera. [2] Teredines capite ad portionem gravissimo: rodunt dentibus. Hæ tantum in mari sentiuntur: [3] nec aliam putant teredinem proprie dici. Terrestres, tineas vocant: culicibus vero similes, [4] thripas. Quartum est & e vermiculorum genere: [5] & eorum alii putrescente succo ipsa materie: alii pariuntur, sicut in arboribus, ex eo qui cerastes vocatur. Cum tantum eroserit, ut circumagat se, generat alium. [6] Hæc nasci prohibet in aliis amaritudo, ut cupresso: in aliis duritia, ut buxo. [7] Tradunt & abietem circa germinationes decorticatam, [8] qua diximus Luna, aquis non corrumpi. Alexandri Magni comites prodiderunt, [9] in Tylo Rubri maris insula arbores esse, ex quibus naves fierent: [10] quas c c. annis durantes inventas: & si mergerentur, incorruptas. [11] In eadem esse frutices baculis tantum idoneæ crassitudinis, [12] varium tigrium maculis, ponderosum: & [13] cum in spissiora decidat, vitri modo fragilem.

CAPUT XLII.

LXXXI. Apud nos materiæ finduntur aliquæ sponte: ob id architecti eas fimo illitas [1] siccari jubent, ut afflatus non noceant. Pondus sustinere validæ, [2] abies, larix, etiam in transversum positæ. Robur & olea incurvantur, ceduntque ponderi. Illæ renituntur, nec temere rumpuntur: priusque carie, quam viribus deficiunt. Et palma [3] arbor valida: [4] in diversum enim curvatur: [5] & populus. Cetera omnia inferiora pandantur: palma e contrario [7] fornicatim. Pinus & cupressus adversus cariem tineasque firmissimæ. Facile pandatur [8] juglans: fiunt enim & ex ea trabes. Frangi se prænunciat [9] strepitu: quod [10] in Antandro accidit, cum e balneis territi sono profugerunt. Pinus, piceæ, alni ad aquarum ductus in tubos cavantur. Obrutæ terra plurimis durant annis. Eædem si non integantur, cito senescunt: mirum in modum fortiores, si humor extra quoque superfit.

LXXXII. [1] Firmissima in rectum abies. Eadem [2] valvarum repagulis, & ad quæcumque libeat [3] intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis: [4] ramentorum crinibus, pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem & curribus maxime sociabilis glutino, in tantum, [5] ut findatur ante, qua solida est.

CAP. XLIII.

LXXXIII. Magna autem & glutini ratio, propter ea quæ [1] sectilibus laminis, ac [2] in

NOTÆ.

Sect. LXXX. 1. *Infestantium.*] Quæ hac sectione continentur, ad verbum fere habet Theophr. lib. 5. histor. cap. 5.

2. *Teredines.*] Τερηδόνες Theophr. Sunt eæ capite pro portione corporis grandissimo: τὴν μὲν μεγάλην μικρὰν, κεφαλὴν δ᾽ ἰσχὺ μεγάλην, καὶ ὀδόντας.

3. *Nec aliam putant.*] Hæc sane Theophrasti sententia loc. cit. Plinius tamen lib 8. sect. 74. & ad terrestres id vocabulum transtulit, cum Servii Tullii prætextas dixit teredinum non sensisse injurias, annis DLX. Et apsyrto τερηδόνες sunt equorum lumbrici. Vide Constant. in Lexic.

4. *Thripas.*] Θρῖπας, Theophr.

5. *Et eorum alii.*] Vermium, inquit, quibus lignum eroditur, alii ex ipsa materie fiunt, putrescente succo, ἐκ τῆς οἰκείας σήψεως, inquit Theophr. Alia a verniculis aliis pariuntur, οἱ δ᾽ ἐκ τικτόντων ἑτέρων. Pariunt enim vel in cæsa materie vermes, quemadmodum in ipsa arbore is qui κεράστης, hoc est, cornutus appellatur: qui cum tantum corroserit, ut circumagere se commode possit, tum gignit alium. Sic Theophr. loc. cit. In fico præsertim nasci cerasten dicetur lib. 17. sect. 37.

6. *Hæc.*] Omnia nempe hæc vermium infestantium genera.

7. *Tradunt, &c.*] Theophr loc. cit. Φασὶ δὲ καὶ τὴν ἐλάτην φλοιωθεῖσαν ὑπὸ τὴν βλάστησιν ἄσηπτον διαμένειν ἐν τῷ ὕδατι.

8. *Qua diximus.*] Sect. 74.

9. *In Tylo.*] Theophr. lib. 5. histor. cap. 6.

10. *Quas CC. annis.*] Quas arbores per annos ducentos in aquis obrutas, omnis noxiæ expertes invenere, inquit Theophr. loc. cit. Διαμένειν γὰρ τὰ ξύλα ἔτη πλείω ἢ διακόσια κατακεχωσμένα.

11. *In eadem.*] Theophrasto, loc cit.

12. *Varium.*] Colorum varietate tigrium maculosæ pelli assimilem.

13. *Cum in spissiora.*] Cum in solidiora corpora aut sponte deciderit, aut quis de industria projecerit. Theophr. Ὅταν δέ τις ῥίψῃ αὐτὸ σκληρότερον τόπον, κατάγνυται, καθάπερ τὰ κεράμια, fictilium modo.

Sect. LXXXI. 1. *Siccari jubent.*] Materias, sive arbores: ne aere perflante findantur. Fimum bubulum adhibet Theophrast. lib. 5. hist. cap. 7.

2. *Abies, larix.*] Theophr. loc cit. Βάρος δὲ ἀνέχειν ἰσχυρὰ, καὶ ἡ ἐλάτη, καὶ ἡ πεύκη. Plinio rursum πεύκη larix. Porro hellenismus est, *valide sustinere*, pro *sustinent valid.*

3. *Arbor valida.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXIII.

4. *In diversum.*] Contra quam ceteræ arbores: nam eæ in inferiora curvantur: palma se fornicatim flectit.

5. *Et populus.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXIV.

6. *Pandantur.*] Curvantur, ceduntque ponderi. Plinius, lib. XI. sect. 10 de apibus: *Totaque angusta remeant fastigia pandata.*

7. *Fornicatim*] Fornicis in morem sursum versus curvatur. Plinius, lib. XI sect. 10. *Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerivis a solo fornicatis.* Et *fornicatio* Vitruvio Seneca vox est.

8. *Juglans.*] Non juglandem Theophrastus, loc. cit. sed castaneam dixit, καρύαν Εὐβοϊκήν. Verum ea vide quæ dicturi sumus in Notis & Emendationibus, num. XXVIII.

9. *Strepitu.*] Crepitu, ψόφῳ. Theophr. lib. 5. hist cap. 7.

10. *In Antandro.*] Theophr. loc cit. de castaneæ materie, trabibusque, ut diximus, non juglandis. In MSS. *in Andro.* At Theophr. ἐν Ἀντάνδρῳ.

Sect. LXXXII. 1. 1. *Firmissima in rectum.*] Si recta statuatur. Vide Notas & Emendationes, num. XXXV.

2. *Valvarum repagulis.*] In MSS. omnibus, *valvarum paginis*: haud pœnitenda lectione: videntur enim paginæ valvarum appellari asseres, quibus ipsæ compinguntur, coagmentanturque, ac veluti compaginantur valvæ.

3. *Intestina.*] De his, sect. 76.

4. *Ramentorum.*] Ramenta, inquit, abietis, dum singuli runcinæ ictus rapiunt, raduntque, ea tum convolvuntur in modum crinium, & in orbem, instar tortilis pampini, hoc est, claviculæ vitium. Runcina instrumentum est ferreum, quo ligna aspera lignarii fabri lævigant: *le Rabot.* Pampinum pro clavicula, capreoloque vitis accipi monuimus, sect. 63.

5. *Ut findatur ante*] Ante, inquit, sociata glutino materies, ea parte finditur qua solida est, quam qua agglutinatur. Nunquam enim dissociatur, quod semel glutinatum sit: οὐδὲ γὰρ ὅλως οὐδὲ ῥήγνυσθαι φασὶν, ἐὰν κολληθῇ. Theophr. lib. 5. hist cap. 7.

Sect. LXXXIII. 1. *Sectilibus laminis.*] E pretiosiore maxime ligno: ut exempli gratia, e citro. Sectiles laminæ a nostris appellantur *Pieces de rapport*: mensæ, pavimenta, ceteraque) quæ his operiuntur, *Ouvrages de marqueterie.*

2. *In alio genere.*] In alio genere ligni ac materiei: cum diversi generis ligna socianda sunt, & conglutinanda. Sed præterea & secamenta testudinum signari hoc loco a Plinio cum Dalecampio arbitramur. Vide sect. seq.

alio generet operiuntur. [3] Stamineam in hoc usu probant venam, & vocant [4] feruleam, argumento similitudinis, quoniam laciniose crispa, in omni genere. Et glutinum abdicant quædam, & inter se & cum aliis insociabilia glutino, sicut robur: nec fere cohærent, [5] nisi similia natura: [6] ut si quis lapidem lignumque conjungat. Cornum maxime [7] audit sorbus, carpinus, buxus, postea tilia. [8] Cuicumque operi facilia, flexilia omnia, quæ [9] lenta diximus: præterque, morus & caprificus. [10] Serrabilia, ac sectilia, quæ modice humida. [11] Arida enim lentius serræ cedunt: viridia, præter robur & buxum pertinacius resistunt, ferrarumque dentes replent [12] æqualitate inerti: qua de causa [13] alterna inclinatione egerunt scobem. Obedientissima quocumque in opere fraxinus, [14] eademque hastis corylo melior, cornu levior, sorbo lentior. Gallica vero, etiam [15] ad currus flexibilis, vitem æmularetur ulmus, ni pondus esset in culpa.

LXXXIV. Facilis & fagus, quanquam fragilis & tenera. Eadem sectilibus laminis [1] in tenui flexilis, capsisque ac scriniis sola utilis. Secatur in laminas prætenues & ilex, colore quoque non ingrata: sed maxime fida iis quæ terantur, [2] ut rotarum axibus: ad quos lentore fraxinus utilis, sicut duritia ilex, [3] & utroque legitur ulmus. [4] Sunt vero & parvi usus fabrilium ministeriorum insignes. Ideoque proditum [5] terebris vaginas ex oleastro, buxo, ilice, ulmo, fraxino, utilissimas fieri. Ex iisdem malleos, majoresque e pinu & ilice. [6] Est his autem major ad firmitatem causa tempestivæ cæsuræ, quam immaturæ: quippe cum ex olea, durissimo ligno, cardines in foribus diutius immoti, plantæ modo germinaverint. [7] Cato vectes aquifolios, laureos, ulmeos fieri jubet. Hyginus manubria rusticis carpinea, iligna, cerrea.

Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, acetis genera, buxum, palma, [8] aquifolium, ilex, sambuci radix, populus. Dat & alnus, [9] ut dictum est, tuber sectile, sicut citrum, acerque. Nec aliarum tubera in pretio. Media pars arborum crispior, & quo propior radici, minoribus magisque [a] flexilibus maculis. Hæc prima origo luxuriæ, arborem alia integi, & viliores ligno pretiosiores [b] cortice fieri: [10] Ut una arbor sæpius veniret, excogitatæ sunt & ligni bracteæ. Nec satis: cœpere tingi animalium cornua: [11] dentes secari: lignumque ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. [12] Testudo in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur: [13] sic terebinthum vinci jubent, sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi. Modo luxuria non fuerat contenta ligno: [14] jam lignum enim e testudine facit.

INTERPRETATIO.

a *Flexilibus.*] Flexuosis

b *Cortice.*] Ob laminam superadditam pretiosiores haberi arbores.

NOTÆ.

3. *Stamineam in hoc usu.*] In eo ligno quod cum altero fuciandum est, staminea maxime vena deligitur, hoc est, rectissima: longissimaque, instar staminis: *la maitresse veine*,

4. *Feruleam.*] Ob similitudinem cum caule ferulaceo: crispa nimirum vena, & in tenues veluti scissa lacinias, ut sunt ferulæ folia: quod in omni arborum genere evenit. Sic plantaginis *laciniosa folia* Plinius appellat, lib. 25. sect. 77. Vide Notas & Emendat. num. XXXVI. Ducta translatio a laciniis vestimentorum, quæ cæsuratim sectæ & quasi divisæ sunt.

5. *Nisi similia.*] Ὁμοιοπαθῆ, inquit Theophr. lib. 3. hist. cap. 8.

6. *Ut si quis.*] Is sane frustra foret, & glutinum perderet, & operam

7. *Audit sorbus.*] Admittit, eique glutini ope cohæret, ac sociatur. Ita libri omnes, etiam MSS.

8. *Cuicumque operi.*] Hæc apud Theophr. lib. 5. hist. cap. 7. Εὔεργα μὲν ἦ, ὡς μὲν ἁπλῶς εἰπεῖν, ὅσα γλισχρὰ· διαφέρειν δὲ δοκεῖ συκάμινος καὶ ἐρινεός.

9. *Lenta diximus.*] Sect. 77.

10. *Serrabilia.*] Quæ secari serra facile possunt. Sectilia, quæ securi. Χύλεια καὶ σχιστά. Vide Notas & Emend. num. XXXVII.

11. *Arida enim.*] Arida, inquit, cedunt ignavius, nec appressum occursumque serræ sustinent, τὰ μὲν γὰρ ξηρὰ ... Viridia resistunt & obluctantur, τὰ δὲ ... Theophr. lib. 5. hist. cap 8. Et prius, cap 6. Σιδήρια δύναται τέμνειν μᾶλλον τὰ ... &c.

12. *Æqualitate inerti.*] Ita replent serræ dentes, & inæquales projecturas æquant scobe impacta, & adhærescente, ut serram deinde ipsam inertem reddant, neque aptam ad secandum.

13. *Alterna inclinatione.*] Serræ dentes alterna inclinatione permutant, ut scobs facilius egeratur. Διὸ καὶ παραλλάττουσι ἀλλήλων τοὺς ὀδόντας, ἵνα ἐξάγηται τὰ πρίσματα. Theophr. lib. 5. histor. cap. 8.

14. *Eademque hastis.*] Vide quæ diximus sect. 24.

15. *Ad currus flexibilis.*] Facile curvatur, flectiturque in rotas, ulmus Gallica, de qua sect. 29. eaque ligni bonitate vitem æmularetur, ni ponderosior foret.

Sect. LXXXIV. 1. *In tenui.*] Modo tenues ex laminæ fuerint, erunt eædem & flexiles

2. *Ut rotarum axibus.*] Theophr. loc. cit. Πρῖνος δὲ ... ἄξονάς τε, καὶ μονοστρόφους ἁμάξας, &c.

3. *Ex utroque.*] Et ob utramque dotem, lentitiam nimirum, duritiemque, ad rotarum axes ulmus seligitur.

4. *Sunt vero & parvi usus.*] Parva instrumenta in fabrili arte, sed ea tamen insignia.

5. *Terebris vaginas.*] Terebra, instrumentum quo ligna perforantur: *une tariere, un vilebrequin.* Vagina manubrium est, *le manche, & la poignée.*

6. *Est his autem.*] Materiæ illi firmitas major, quæ sit tempestive cæsa, quam illi quæ immature.

7. *Cato.*] De re rust. cap 31. pag. 29. *Vectes ilignos, aquifolios, laureos, ulmeos, facito uti sient parati.*

8. *Aquifolium.*] Aquifolia ilex, de qua sect. 8.

9. *Ut dictum est.*] Sect. 27.

10. *Ut .... sæpius veniret.*] Ut sæpius venalis esset: primum quidem, prius quam secaretur in laminas: iterumque, cum secta esset in eas laminas, bracteasve.

11. *Dentes secari.*] Ebur

12. *Testudo in hoc.*] In hos usus.

13. *Sic terebinthum.*] Sic terebinthum, inquit, vinci volunt, picta testudine terebinthini ligni colore: testudinem instar citri pictam, citro ipso fieri pretiosiorem: denique eamdem aceris colore imbutam, pro acere vero ac nativo accipi.

14. *Jam lignum enim e testudine facit.*] Testudine picta

Cap. XLIV.

LXXXV. Vita arborum quarumdam immensa credi potest, si quis profunda mundi & saltus inaccessos cogitet. Verum ex his quas memoria hominum custodit, durant in Liternino Africani prioris manu satæ olivæ. Item myrtus eodem loco conspicuæ magnitudinis. Subest specus, in quo manes ejus custodire draco traditur. Romæ vero lotos in Lucinæ area, ¹ anno qui fuit sine magistratibus CCCLXXIX. Urbis, æde condita, incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, cum ab eo luco ² Lucina nominetur: ³ hæc nunc circiter annum CCCCL. habet. ⁴ Antiquior illa est, sed incerta ejus ætas, quæ capillata dicitur, quoniam ⁵ Vestalium virginum capillus ad eam defertur.

LXXXVI. Verum altera lotos ¹ in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria ² de decumis, æquæva Urbi intelligitur, ut auctor est Masurius. Radices ejus in forum usque Cæsaris ³ per stationes municipiorum penetrant. ⁴ Fuit cum ea cupressus æqualis, circa suprema Neronis principis prolapsa atque neglecta.

LXXXVII. Vetustior autem Urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis litteris Etruscis, religione arborem jam tum dignam fuisse significat. Tiburtes quoque originem multo ante urbem Romam habent. Apud eos exstant ilices tres, etiam ¹ Tiburto conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur. Fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit ² una ætate ante Iliacum bellum.

LXXXVIII. ¹ Sunt auctores & Delphicam platanum Agamemnonis manu satam: & alteram in Caphyis Arcadiæ luco. Sunt hodie ex adverso Iliensium urbis, juxta Hellespontum, ² in Protesilai sepulcro arbores, ³ quæ omnibus ævis cum in tantum accrevere, ut Ilium aspiciant, inarescunt, rursusque adolescunt. Juxta urbem autem quercus, in ⁴ Ili tumulo tunc satæ dicuntur, cum cœpit Ilium vocari.

LXXXIX. Argis olea etiamnum durare dicitur, ad quam Io in vaccam mutatam Argus alligaverit. In Ponto circa Heracleam aræ sunt ¹ Jovis Stratii cognomine: ibi quercus duæ ab Hercule satæ. In eodem tractu ² portus Amyci est Bebryce rege interfecto clarus. Ejus tumulus a supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant: quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abjiciatur. Regionem ³ Aulocrenen diximus, per quam ab Apamia in Phrygiam itur: ⁴ ibi platanus ostenditur, ex qua pependerit Marsyas victus ab Apolline, quæ jam tum magnitudine electa est. ⁵ Nec non palma Deli ab ejusdem Dei ætate conspicitur. Olympiæ oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiose. ⁶ Athenis quoque olea durare traditur ⁷ in certamine edita a Minerva.

XC. ¹ E diverso brevissima vita est Punicis, fico, malis: ² & ex his, præcocibus bre-

Notæ.

in ligni similitudinem. Vide Notas & Emend. n. XXXVIII.

Sect. LXXXV. 1. *Anno . . . CCCLXXIX*] Vide Notas & Emendationes num. XXXIX.

2. *Lucinæ.*] Ovid. lib. 2. Fastor. vers. 449.

Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus:
Aut quia principium tu Dea lucis habes.

3. *Hæc nunc.*] Ædes Lucinæ.

4. *Antiquior illa.*] Arbor scilicet, cujuscumque illa generis fuit. Festus: *Capillatam, vel Capillarem arborem dicebant, in qua capillum tonsum suspendebant.*

5. *Vestalium . . . capillus.*] Tondebantur eæ, priusquam in collegium receptæ certo carmine a Pontifice Deo manciparentur & sacrarentur. Sic apud Christianos capillorum positio in viris feminisque Deo dicatis, symbolum servitutis est, qua se Numini, instar servorum, mancipant: unde *Servi Dei* nuncupantur: quod erant olim servi tonsi. Vide Du-Cangium in Glossar. verbo *Capilli.* Tonsos deinde crines prisci illi vel Apollini Delio, vel alteri numini consecrabant, vel suspendebant ex arbore.

Sect. LXXXVI. 1. *In Vulcanali.*] P. Victor in descriptione Urbis Romæ, regione quarta: *Area Vulcani, cum Vulcanali, ubi lotos a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit.* Vulcanal ædicula fuit Vulcano sacra.

2. *De decumis.*] De parte spoliorum & prædæ decima.

3. *Per stationes*] Stationes Municipiorum inter Forum Augusti, a P. Victore statuuntur, in descript. Urbis Romæ, regione octava. Locus videtur fuisse publicus, in quo post negotia cives convenirent, confabulandi gratia. Juvenalis, Satyr. XI. v. 4. *Omnis*

Conventus, thermæ, stationes, omne theatrum, &c.

Plinius junior, lib. 1. epist. 13. *Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt,* &c.

4. *Fuit cum ea cupressus.*] Eane quam Vespasiani ævo resurrexisse sponte, auctor est Tacitus, lib. 2. hist. pag. 53.

Sect. LXXXVII. 1. *Tiburto conditore.*] Maro, Æneid. lib. VII.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem.

2. *Una ætate.*] Annis XXXVII. Vide Clem. Alex. lib. 1. Strom. Ætas & de annis triginta dicitur, auctore Servio in lib. 3. Georg. Et sæculum Druidis olim, teste Plinio inferius, sect. 95.

Sect. LXXXVIII. 1. *Sunt auctores*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 14. Τινὲς δέ φασι καὶ τὴν ἐν Δελφοῖς πλάτανον Ἀγαμέμνονα φυτεῦσαι, καὶ τὴν ἐν Καφύαις δ' Ἀρκαδίας.

2. *In Protesilai sepulcro*] De hujus delubro diximus lib. 4. sect. 18. Harum arborum meminit Philostratus, in Heroic. pag. 644.

3. *Quæ omnibus ævis.*] Ita rescripsimus ex Colb. 3. Ita Vossius in suis libris scribi asseverat, Observ. in Melam, p. 118.

4. *Ili tumulo.*] Ilum Trois filium fuisse docet Homerus, in Iliad. ύ. Quæ Plinio quercus, ea Theophrasto hoc ipsum referenti, lib. 4. histor. cap. 14. φηγὸς dicitur, ut ante monuimus, sect. 6.

Sect. LXXXIX. 1.] *Jovis Stratii*] Διὸς Στρατίου meminit Herod. in Terpsichore, lib. 5. pag. 333. Jovis Militaris.

2. *Portus Amyci.*] De eo diximus lib. 5. sect. 43.

3. *Aulocrenen diximus*] Libro 5. sect. 29.

4. *Ibi platanus.*] Hyginus, fab. 165. *Apollo victum Marsyam ad arborem religatum, Scythæ tradidit, qui eum membratim separavit.* Non platanum eam, sed pinum fuisse Archias ait in Antholog. lib. 3. cap. 8. Epigr. ἐκ λασίου πίτυος. Nicander quoque in Alexipharm. pag. 151. & Philostrat. in Icon.

5. *Nec non palma Deli.*] Cic. lib. 1. de Legib. *Nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut quam Homericus Ulysses Deli se proceram & teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eamdem.* &c. Locus Homeri est Odyss. ζ'. v. 163. Vide & Ælian. lib. 5. Var. hist. cap. 4. & Theophr. lib. 4. hist. cap. 14. &c.

6. *Athenis.*] Cic. loc. cit. Herod. lib. 8. Uran. pag. 480.

7. *In certamine.*] Fabulantur Græci de Athenarum principatu cum Neptuno Minervam certasse. Litem Jupiter sic diremit: ut is potiretur loco, qui de civibus optime mereretur. Urbem portu ac navalibus Neptunus instruxit. Minerva oleam in arce edidit: ea re vicisse Palladem pronunciatum est. Auctor Geopon. lib. 9. cap. 1. pag. 218. & 219.

Sect. XC. 1. *E diverso.*] Hæc apud Theophr. lib. 4. hist. cap. 14. De Punicis etiam Martialis subscribit, lib. 1. Epigr. 44.

Aut imitata breves Punica mala rosas.

Breves dixit, quia brevis ævi.

2. *Et ex his.*] Ex malorum genere.

vior

vior quam serotinis, dulcibus quam acutis: [3] & dulciori in Punicis. [4] Item in vitibus, præcipueque fertilioribus. Græcinus auctor est, sexagenis annis durasse vires. [5] Videntur & aquaticæ celerius interire. [6] Senescunt quidem velociter, [7] sed e radicibus repullulant, laurus, & mali, & punicæ. [8] Firmissimæ ergo ad vivendum oleæ, ut quas durare annis cc. inter auctores conveniat.

X C I. Est in suburbano Tusculani agri colle, [1] qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianæ sacratus [2] a Latio, velut arte tonsili coma fagei nemoris. In hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit [3] Passienus Crispus bis consul, orator: Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior postea: osculari complectique eam solitus, modo cubare sub ea, vinumque illi affundere. Vicina luco est ilex, & ipsa nobilis x x x i v. pedum ambitu caudicis, x. arbores mittens singulas magnitudinis visendæ: silvamque sola facit.

X C I I. [1] Edera necari arbores certum est. Simile quiddam & in visco: tametsi tardiorem [2] earum injuriam arbitrantur: namque & hoc [3] præter fructus agnoscitur non in novissimis mirabile. [4] Quædam enim in terra gigni non possunt, & in arboribus nascuntur. Namque cum suam sedem non habeant, in aliena vivunt, sicut viscum. [5] Est & in Syria herba quæ vocatur cadytas, non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese: [6] Item circa Tempe Thessalica, quæ polypodion vocatur, & quæ dolichos, ac serpyllum. Oleastro quoque deputato quod gignatur, [7] vocant phaunos. Quod vero in spina fullonia [8] hippophæston, capitulis inanibus, foliis parvis, radice alba, cujus succus ad [9] detractiones in comitiali morbo utilissimus habetur.

X C I I I. [1] Visci tria genera. Namque in abiete ac larice [2] stelin dicit Eubœa nasci, hyphear Arcadia. Viscum autem in quercu, robore, [3] pruno silvestri, terebintho, nec aliis arboribus adnasci, plerique. Copiosissimum [4] in quercu, quod dryos hyphear vocant. In omni arbore, excepta ilice & quercu, differentiam facit odor virusque, & folium non jucundi odoris, utroque visci amaro & lento. [6] Hyphear ad saginanda pecora utilius. Vitia modo purgat primo: dein pinguefacit, [7] quæ suffecere purgationi. Quibus sit aliqua tabes intus, negant durare. Ea medendi ratio, æstatis quadragenis diebus. Adjiciunt discrimen, visco in his quæ folia amittant, & ipsi decidere: contra inhærere nato in æterna fronde. Omnino autem satum nullo modo nascitur, [8] nec nisi per alvum avium redditum, maxime palumbis ac turdis. Hæc est natura, ut nisi maturatum in ven-

NOTÆ.

3. *Et dulciori.*] In Punicorum genere, dulcia, quæ & apyrina dicuntur, ex arbore gignuntur minus vivace. De Punicis apyrinis, lib. 13. sect. 34. Theophr. loc. cit. [illegible]

4. *Item in vitibus.*] Theophr. loc. cit.

5. *Videntur & aquaticæ.*] Ut salix, populus, sambucus. Theophr. loc. cit. & lib. 2. de causis, cap. 15. pag. 249. Et animalium quoque aquaticis, quam terrestribus, vitæ brevius spatium est.

6. *Senescunt quidem.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 14.

7. *Sed e radicibus.*] Theophr. [illegible], emittit adnata germina: quod e latere interdum fit: e radice non raro.

8. *Firmissimæ.*] Hæc iisdem verbis Theophr. loc. cit.

Sect. X C I. 1. *Qui Corne.*] Ita Reg. 2. aliique. & editi.

2. *A Latio.*] Ita libri omnes. An *a Latino*? An a communi Latii?

3. *Passienus Crispus.*] De eo Seneca, lib. 4. Natur. quæst. in præfat. pag. 883. *Crispus Passienus, quo ego nihil cognovi subtilius in omnibus rebus, &c.* Passieni oratoris dictum in Caium Principem, Tacitus refert lib. 6. Annal. pag. 140. Ex Suetonio, in Nerone cap. 6. apparet Claudii temporibus obiisse.

Sect. X C I I. 1. *Edera necari.*] Id prolixe Theophr. docet. lib. 2. de causis, cap. 25. pag. 25. Vide quæ diximus sect. 62.

2. *Earum injuriam.*] Ederæ & visci. Viscum, *le Guy de chesne.*

3. *Præter fructus.*] Præter gallam, glandesque.

4. *Quædam enim.*] Hæc deinceps totidem verbis Theophr. lib. 2. de causis, cap. 23. pag. 259.

5. *Est & in Syria*] Theophr. loc. cit. [illegible] Καδύτας [illegible]

6. *Item circa.*] Theophr. loc. cit. [illegible] *quibusdam innascitur arboribus.* Aliunde Plinius hæc mutuatus est, ubi legisse videtur, [illegible]. Vocant autem Græci, Hesychius, ceterique, Tempe, [illegible]. Nec porro Theophrastus, aut Plinius, de polypodio, dolicho, serpylloque tractant eo loci, quod aliis ea plantis innasci putent, ut viscum: sed quod ea vitam non habent, nisi aliis circumvolvant sese, iisque ceu adminiculo innitantur, ut edera: [illegible], &c. Polypodium pingit Dodonæus, Pempt. 3. lib. 5. pag 461. Latini Filiculam vocant: Gallis, *Polypode.* Δόλιχος idem qui phaseolus: Gallis, *Févrolle, Féve de mer.* Ab eodem Dodonæo pingitur Pempt. 4. lib. 2 cap 6. pag. 509. Vide quæ dicturi sumus lib. 18. sect. 33. De serpyllo dicemus libro 20 sect. 90

7. *Vocant phaunos.*] Ita libri omnes: neque eos audio, qui ut Plinium erroris insimulent, Theophrastum ipsum corrumpunt. apud quem, lib 2. hist. cap. 3. non [illegible], sed [illegible], hoc est, olivas, scriptum olim fuisse volunt, insigni fraude. Nam cum sint hæc Græci scriptoris verba: [illegible]. Quis non intelligit, similitudine vocum [illegible] & [illegible] lusisse eum? Quid porro hoc loco valeat vox ea [illegible], tam incompertum est, quam quid Latina *phaunos.*

8. *Hippophæston*] Apud ceteros scriptores, hippophæston ipsa spina fullonia est, non aliquid ei adnatum, ut dicemus lib 27. sect. 66. ubi hæc iterum repetuntur.

9. *Detractiones.*] Ad dejiciendos alvo pravos humores.

Sect. X C I I I. 1. *Visci tria &c.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 15. Visci fruticosi iconem vide apud Dodon. pag. 814

2. *Stelin.*] Theophr. l. 3. de causis, c. 16. [illegible] Ἀρκαδίς. [illegible]. En rursum [illegible] larix.

3. *Pruno silvestri.*] Vide Notas & Emend. num. XL.

4. *In quercu, quod dryos hyphear.*] MSS. omnes, *adasphear vocant.* Nusquam Plinio [illegible] quercus est, sed robur.

5. *Differentiam facit*] A visco differt stelis & hyphear, & gravi odore, & folii. habet enim utrumque, gravium, foliumque, in visco amaritudinem, & lentorem. fœtet utrumque in gemino illo grano, quod viscum imitatur.

6. *Hyphear ad saginanda.*] Theophr. loc. cit.

7. *Quæ suffecere.*] Pinguefacit ea animalia, quibus suffecere vires ad eam purgationem ferendam. Nam multis est ea letalis, nempe iis qui tabe latius laborent aliqua

8. *Nec nisi per alvum.*] Οἰνάς, hoc est, columba silvestris, vel ut alii interpretantur, turdus, si devorato visci semine in arbore aliqua saturitatem egerit, viscum aiunt enasci. Athen. lib. 9. pag. 394. Vide Erasm. Chiliad. 1. Cent. 1. Adag. 55. *Turdus ipse sibi malum cacat.* At multis tamen in regionibus turdi non sunt, in quibus visci copia est.

tre avium, non proveniat. Altitudo ejus non excedit cubitalem, semper frutectosi ac viridis. Mas fertilis, femina sterilis. Aliquando non fert.

XCIV. [1] Viscum constat ex acinis, qui colliguntur messium tempore immaturi: nam si accessere imbres, amplitudine quidem augentur, [a] [2] visco vero marcescunt. Siccantur deinde, & aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt duodenis fere diebus. Unumque hoc rerum putrescendo gratiam invenit: [b] Inde in profluente, rursus malleo tusi, amissis corticibus interiore carne lentescunt. Hoc est viscum pennis avium tactu ligandis, oleo subactum, cum libeat insidias moliri.

XCV. Non est omittenda in ea re & Galliarum admiratio. Nihil habent Druides (ita suos appellant magos) visco, & arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint [1] Druides videri. Enimvero quidquid adnascatur illis, e cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, & repertum magna religione petitur: & ante omnia sexta Luna, quæ principia [2] mensium annorumque his facit, & sæculi post tricesimum annum, quia jam virium abunde habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulisque rite [3] sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit: falce aurea demetit: candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animalium sterili arbitrantur: contra venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est.

INTERPRETATIO.

a *Visco vero.*] Visco vero faciendo sunt minus utiles.

b *Inde*] Deinde in aqua profluente iterum malleo contusi, abjectis corticibus, remanet interior caro quæ lentescit, *dum tractatur.*

c *Quia.*] Quia Luna tum satis virium habet, nec pervenit adhuc ad dimidiam sui magnitudinem, *quam die tantum septima habet.*

NOTÆ.

Sect. XCIV. 1. *Viscum constat*] Glutinum nempe quod ad aucupium pertinet: *la glu.* Id fit ex visci jam laudati acinis sive granis: *des grains de guy.* Ita etiam Diosc. lib. 3. cap. 103.

2. *Visco vero.*] Nec tanta copia viscum reddunt, nec tam eximia bonitate.

Sect. XCV 1. *Druides.*] A Græca dictione δρῦς, quæ robur significat: vel, ut alii malunt, a Celtica *Drud*, quæ fortem, strenuum ac fidelem sonat: quod quidem etymon Bucherius noster probat in Belgio romano, lib. 5. cap. 4. §. 14. De his multa Cæsar, lib. 6. bell. Gall. Diu etiam post inductam Christi Religionem invaluisse in Gallia, Italia, Germania, Africa, aliisque locis, arborum lucorumque cultum, multis proditum est testimoniis, quæ vide apud Du-Cangium in Glossario, v. *Arbor.*

2. *Mensium annorumque*] Ergo annis illi mere lunaribus Arabicisque utebantur, ut hic aperte quidem Plinius docet. Sed quod hic obiter adnotandum est, mirum profectu nullum apud Romanos, Græcosve, vel hos etiam Druidas, hebdomadarum usum fuisse. Cyclus scilicet septem dierum Deum ipsummet habet auctorem: sed Abrahæ temporibus neglectus ab hominibus est, quoniam essent in idololatriam omnes fere prolapsi. Sola hunc servavit Abrahæ domus; & mox solis Abrahæ posteris est cognitus. Unde populo Israelitico dicitur, veluti non novo dato, sed vetere renovato mandato, quod abierat in desuetudinem apud ceteras gentes; *Memento tu ut diem sabbati sanctifices*, quomodo fecit Noë, subsecutique proxime filii ejus ac nepotes, Exod. xx. 8. Nullum diei septimi in orbem redeuntis vestigium est apud Plinium: id quod certissimo argumentu est, apud eos qui Plinium norunt, & scripta ejus perlegerunt, non fuisse hunc cyclum Romanis cognitum. Quid quod nec Livius, Tacitusve, in historiis, nec in Fastis Ovidius, nec e profanis scriptoribus alii, quod quidem nunc sciam, appellant diem Solis, aut Jovis, aut Lunæ, aut Martis, aut Mercurii, aut Veneris, aut Saturni: tametsi Philaster in Catalogo hæresum auctorem harum appellationum Hermen facit? Illud quidem Horatii, libro 2. Satyra III. versu 288 ubi mater orans pro salute pueri inducitur:

> *Juppiter, ingentes qui das adimisque dolores,*
> *Mater ait pueri menses jam quinque cubantis;*
> *Frigida si puerum quartana reliquerit, illo*
> *Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus*
> *In Tiberi stabit.*

Hæc, inquam, verba interpretes nonnulli de die Jovis dicta accipiunt, sed sine ullo probabili argumento. Verius aliquis fuit in vetere Romanorum Kalendario dies, qui semel in anno occurreret, quo die scriptum erat *Jejunium Jovi:* sicut est apud Judæos dies Expiationis, decimus dies Tisri, jejunii dies. Unde & hic præter jejunium, veluti culparum piamentum lavatio pueri sanati in Tiberi Jovi promittitur.

Apud Sinas non est cyclus ille septem dierum. Apud Arabes semper fuit, ut in notis ad Alcoranum nondum editis ostendimus, ab Ismaele Abrahæ filio. Mahumetani ubicumque sunt, habent illum a Mahomete Arabe. Non est apud Americanos ullos, exceptis illis qui Christianis sunt sacris imbuti. Non est denique apud ullas gentes quæ verum Deum non norunt: quoniam ab iis qui colere ipsum desierunt, abjectus septimi diei cultus neglectusque est: quem præscriptum ab eo fuisse ob sui reverentiam, prædicare possunt ii dumtaxat qui eum norunt & colunt. Siamenses sabbatum non noverunt Mosaicum, sive Christianum, quamvis nonnulli secus affirmant: sed quatuor festos dies agitant in novilunio, plenilunio & lunæ quadrantibus. Scribit Ulug Beg, in libro quem inscripsit, Tavarikh, hoc est, Epochæ, Persas non habere hebdomadas; sed singulos dies cujusque mensis appellare proprio nomine. At ex quo Mahometani sunt, numerant Persæ dies hebdomadæ, ut Arabes: & diem Veneris sacrum habent, ut nos Dominicum. Ita & Turcæ, ut diximus, ex Mahumetismo. Cathaini denique & Turcæ orientales non habent hebdomadas, sed cyclum sexaginta dierum. Cathaiani tamen habent etiam cyclum alterum quindecim dierum. Vide Bibliothecam Orientalem D. D'Herbelot, pagg. 122. & 417. Hebræi dicunt primam sabbati, secundam, tertiam, &c. Latini Christiani, diem Lunæ, Martis, Mercurii, &c. Græci non sic, sed *δευτέραν, τρίτην, τετάρτην*, &c. *τῆς ἑβδομάδος.*

3. *Sub arbore preparatis.*] MSS. omnes, *comparatis.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XVI.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. SMILACES *a quibusdam Græcis dictæ. In provinciis sunt aquifolia*] Locum ita nos interpunximus, voculamque *sunt* adjecimus, ex fide MSS. Reg. Colb. Parif. additamque consulto ab auctore palam est, ne quis censeret idem esse ilicis genus, cui smilacis, & cui aquifoliæ nomen esset attributum: maxime cum statim sequatur ex iisdem exemplaribus, librisque editis, *Ilicis glans utriusque*, &c.

Ibid. II. *Sed minus utilis ædificiis, atque carboni: dolata vitiis obnoxia est: quamobrem solida utuntur: carbo in ærariorum tantum*, &c] Prius legebatur, nulla plane sententia, *Atque carbone dolata*. Et mox, *carbone ærariorum*. Emendandi auctor, præter MSS. Reg. Colb. & Th Theophrastus fuit, lib. 3. hist. cap. 10. a quo eadem traduntur plane totidem verbis. Μοχθηρὰ δὲ, inquit, ἡ πλατύφυλλος εἰς ξύλα· παλαιοῦται μὲν, ὅλως ἀχρεῖα· κατακαίεται γὰρ καὶ διαπίπτει, ἀπελέκητος δὲ βελτίων, διὰ τὸ ὑπὸ χειρὸς· μοχθηρὰ δὲ καὶ εἰς ἄνθρακα, καὶ εἰς ἀνθρακείαν· ἀχρεῖος γὰρ ὅλως ὁ ἄνθραξ, διὰ τὸ πηδᾷν, καὶ σπινθηρίζειν, πλὴν τοῖς χαλκεῦσι· τούτοις δὲ χρησιμώτερος τῶν ἄλλων, διὰ τὸ ἀποσβέννυσθαι ἀεὶ, ὅταν παύσηται φυσώμενος· διὸ ὀλίγος ἀναλίσκεται. *Materies quoque latifoliæ improba: & dolata quidem omnino inutilis: rumpitur enim, & cadit: non dolata autem melior: ideoque fic ea utuntur. Minus utilis etiam ad cremandum, & ad carbonem faciendum: quippe cum carbo ejus omnino nullius utilitatis sit, quod dissiliat, scintilletque: præterquam in ærariis officinis. His enim utilior ceteris carbonum generibus hic habetur: nam quia flata desinente protinus extinguitur, adeo parum ex eo absumitur.* Vocem τὴν πλατύφυλλος, quæ in vulgatis Theophrasti libris nunc desideratur, confidenter adjecimus: tum quod addendam esse ex Plinio, hujus loci fidissimo emendatore, liquido apparet: tum ex Theophrasto ipso, qui eadem fere superiore ejusdem libri capite de πλατυφύλλῳ refert.

Sect. 22. III. *Cen scabies fruticis, parvæ aquifoliæ ilicis.*] In libris hactenus editis, *ceu scapes*. At in Reg. 1. Colb & Th. *ceu scapes*. In Reg. 2. planissime *ceu scabies*, quæ sincerissima lectio est, dudum a Turnebo e suis quoque libris eruta, lib. 4. Adverf. cap. 16. pag. 118. Fulcitur egregie hæc emendatio vel re ipsa, fruticisque & cocci natura, quam Petri Quiquerani verbis, lib. 2. de laud. Prov. fol. 48. operæ pretium duximus hoc loco repræsentare. *Vermiculum*, inquit, *Hispani olim large collegere, testimonio C. Plinii: nec scio an hodie quoque.... Certe Provincia nostra uberrimum ejus fœtura beneficium sentit, ut inde in ipsam quoque Hispaniam asportari a mercatoribus sciam. Maxima omnium copia atque præstantia ex Campis Lapideis, Arelatensium agro. Igitur quæ mihi super hoc nota sunt atque comperta, dicam. Coccum granum, seu coccus ilicis, nostris popularibus Vermilionum appellatur. An sit κόκκος βαφικὴ Græcis non dico: quod de eo Dioscorides omnino somnolenter tractarit. Itaque non placet digladiantes super hoc Medicos in gratiam revocare, ea tanti otii penuria: quæ nec ab Arabibus vacat exquirere, sitne illud suum Kermes. Pergent ipsi sententiam suam..... Ilicis nobis duæ sunt species: Earum una nulla dote, ut arborem adolescit. Altera, frutex exiguus, sesquipedali proceritate, latissime viret: foliis lævore præfulgidis, spinarum vallo ambitis, numeroso stolone assurgit in morem rosarii. A nostris fagi appellationem sortitur, quanquam nullam fagi imaginem repræsentet.... Vere medio roratis imbribus frutices, coccum hoc modo ordiuntur. Ac primum omnium, ut fere fit in fruticibus, qui non arborum modo, trunco in altum evehuntur, sed pullulant densa propagine: ubi imus scapus se in duo brachia partitur, ia horum modo instar fecanes palmitis increscit rotundum quoddam, magnitudine & colore pisi. Hoc matrem vocant, quod ex eo cetera grana producuntur. Matres porro habet ut plurimum quinque qualibet cæspitum familia: quæ ineunte æstate, æstuque, minutissimorum vermiculorum, ut tantum visum non effugiant, catervam profundunt, fatiscuntque in summitate. Ia animalia prorepit nova soboles colore candida, pro se quisque in sublime... Hi incrementis aucti, milii magnitudine sunt. Inde libri ius adolescentibus albus color in cinericium transit, jamque non animal, sed pisum rursus apparent. Tuncque ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam colorata vermiculis feta. Dumque asportantur, ambiens pellicula præ teneritate rumpitur.... Torpent interim vermiculi, ac immobiles jacent. Ceterum, cum primum tempestivitas adest, in linteo præcipitati, Soli exponuntur. Tum libato calore statim prorepunt, atque aufugere nituntur: sed a custode, qui continuus assidet, concussa lintea in medium eo usque rejiciuntur.... Si qua vero grana legentis effugerint sedulitatem, ea mox paulo alatorum animalium numerosum exercitum in auras effundunt. Observatum est hoc anno (1550) ex Campo Lapideo Arelatensi agro, hunc proventum undecim aureorum millibus æstimatum.* Ita Quiqueranus, cujus elegantissimam orationem, librarii vitio fœdissime deformatam, suo nitori restituimus. Habet his plane similia G. de Catel, lib. 1. hist. pag. 50.

Sect. 22. IV. *Quod pinguior est reliqua. Omnia illa fiunt e picea, resina ferventibus cocta lapidibus.*] Sic restituimus ex certissima conjectura, & vetustiorum codicum admonitu. Nam in Reg. 1. Colb. Parif. &c. sic totidem plane apicibus syllabisque legitur: Quæ dum Salmasius in Solin. pag. 504. sic emendat, *Quod pinguior est reliqua illa omni. Fit e picea resina*, & Plinianum textum interpolat, & alienam a scriptoris mente sententiam, eamque falsissimam, ut ipse confitetur, eidem affingit a qua quantum is abhorruerit, & ipsa per se oratio, & nostra, ut remur, interpretatio palam facit. Est enim sententia hujus loci picem liquidam, & eam quæ crassior est, spissaque dicitur, & eam quæ Brutia nuncupatur, non e teda modo coqui, quod ante monuerat: sed & ex picea, quanquam diversa ratione, fieri: nemque resina cocta. Quod ipse mox egregie constabilit, sect. seq. dum *aperiri piceam* tradit *e parte solari*, atque *item ut teda fieri*. In libris hactenus editis legebatur, *Quod pinguior est, E teda omnia illa fiunt. E picea resina*.

Ibid. V. *Sepemuntur autem ad id fere vitia resinæ, corticeque.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. &c. Editi, *in id*. Sed & libentius fortassis agnoverit quispiam, *vetus resina*. Nam Columella in hoc ipso argumento versatus, lib. 12. cap. 23. cui titulus, *De pice qua utuntur Allobroges ad condituram vini picati. Picea corticata appellatur*, inquit, *qua utuntur ad conditurat Allabroges. Ea sic conficitur, ut dura sit: & quanto facta est vetustior, eo melior in usu est. Nam omni lentore misso facilius in pulverem resolvitur, atque cribratur. Hanc ergo conteri & cribrare oportet*, &c.

Sect. 23. VI. *Sapinus autem materiei cæsarum e genere fit, sicuti docuimus.*] Quem Plinius nunc signat locum, is nimirum est e sect. 76. libri hujus: *Abietis*, inquit, *quæ pars a terra fuit, enodis est: hæc fluviata decorticatur, atque ita sapinus vocatur.* Quo cum respexisse Plinium minime ambiguum sit, miror id fugisse Salmasium: tantumque deinde indulsisse cum conjecturæ suæ, ut legendum hoc loco pronunciarit, *Sapinus autem materies cæsa regenerascat*, in Solin. pag. 903. quæ nec Latina sunt, & a scriptoris mente abhorrent.

Sect. 24. VII. *Ea quidem, quæ fit in Ida Troadis, in tantum cedro similis, ut ementes fallat, cortice ablato*] *Cedro* pro *citro* rescripsimus, tum vetustiorum codicum, Reg. 1. 2. Colb. Th. &c. tum ipsius Theophrasti admonitu: etsi ea de fraxino, quæ μελία Græcis, nunc commemorat, nominum similitudine forte delusus, quæ ille de taxo seu μίλος. Sunt enim hæc Græci scriptoris verba, lib. 3. hist. cap. 10. Ἡ δὲ μίλος ἐν τῇ Ἴδῃ, ξανθὴ σφόδρα (ξύλον ἔχει) καὶ ὅμοιον τῇ κέδρῳ· διὸ καὶ τοὺς πωλοῦντας φασὶν ἐξαπατᾷν, ὡς κέδρον πωλοῦντας· πᾶν γὰρ εἶναι καρδίαν, ὅταν ὁ φλοιὸς ἀφαιρεθῇ. Sed habet etiam fortassis hanc cum cedro cognationem Idæa fraxinus, quam ab aliis auctoribus acceptam nunc prodit.

Sect. 26. VIII. *Citro secundum.*] Non *cedro*, ut in libris hactenus editis legebatur, præter Parm. edit. quæ vetustiorum codicum fidem secuta, *citro* habet quemadmodum & Reg. Colb. Th. Chiffl. &c. Martialis certe lib. 14. Epigr. 90 cui lemma præfigitur, *Mensa acerna*, acerem cum citro confert.

Non sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Et Plinius ipse seq. sect. de acere, *Si magnitudinem mensarum caperet: haud dubie præferretur citro.* Sic enim exemplaria omnia, Reg. Colb. Chiffl Th. tum edita typis, tum manu exarata præferunt: etsi Turnebus lib. 4. Adverf. cap. 16. pag. 118. *cedro* reponit.

Sect. 39. IX. *Educatio in pomo est: hoc, & germinatio, laborum. Flos*

est pleni roris indicium, &c. Sic restituimus ope codicum Reg. Colb. Th. cum prius perperam legeretur, *Hoc*, & *germinatio. Arborum flos est*, &c. Sinceram, quam nos edidimus, lectionem, vel nostra una interpretatio, & orationis series ipsa constabilit.

Sect. 41. X. *Ideo & ter squamas.*] Hactenus legebatur, *Ideo & inter squamas*: nulla plane aut inepta sententia. Theophrasti locus ejusmodi est, e lib. 3. hist. plant. cap. 6. Διὸ καὶ τριέλωμά φασιν εἶναι τὸ δένδρον ὅταν βλαστάνη λεπῷ. Porro τριέλωμα δένδρα dicuntur arbores, quæ terna germinatione genitali humore turgescunt. Λεπῷν dicuntur arbores, cum pinguescunt. Quod si tum una parte castrentur, per forulum effluet ille liquor, humorque pinguis, ceu salivarius lentor emanabit. Idem Theophr. sub finem ejus capitis, abietis cædendæ tempus opportunum esse circa solstitium monet, διὰ τὸ λεπᾷν, (edit. Ald. λοπᾷν,) quia tunc cortex facile absilit, avelliturque a corpore, ut ipse statim explicat, ἀποπεριαιρεῖται ὁ φλοιός. Neque tamen admodum reluctabor, si quis simpliciore usus interpretatione malit ternis corticum squamis, triplicem intelligi corticem: quoniam in unaquaque germinatione & partu adnasci corticem, qui arborem circumvestiat, auctor est Theophrastus idem lib. 1. de causis, cap. 6. pag. 104. Ἅμα γὰρ τῇ αὐξήσει καὶ βλαστήσει ὁ φλοιὸς ἐπιφύεται καὶ ἀπολαμβάνει.

Sect. 42. XI. *In Laconico genere maxime sunt.*] Ita MSS. omnes, non ut hactenus editum, *maxime*. Neque enim sententia est, in Laconico genere nasci ficus mole priores: sed in eo potissimum genere præcoces seu prodromos reperiri. Sunt enim hæc Theophrasti verba, apud Athen. lib. 3. pag. 77. & apud Theophr. ipsum, lib 5. de causis plant. cap. 1. Πάλιν δὲ τῶν ἀνθρώπων αἱ μὲν φέρουσι, ὥσπερ Λακωνική, καὶ ἡ λευκομφάλιος, καὶ ἕτεραι πλείους· αἱ δ᾽ οὐ φέρουσι. Ficus quædam præcoces fructus gignunt, ut Laconica, & Leucomphaliæ: quædam minime.

Ibid. XII. *M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ apud Matroum biferam.*] Castigandus hoc loco Varronis locus est, qui ad ea pertinet quæ modo recitantur, de vite Smyrnensi bifera. Cum enim in libris Plinii vulgatis hactenus legeretur, *M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ apud mare biferam*: atque ita sane, ut nunc sunt libri editi, apud ipsum Varronem legatur: utrobique mendum exstare haud leve ex MSS. Plinii exemplaribus deprehendimus. Nam in Reg. 1. 2 Colb. 1. 2. 3. Th. Chiffl. ipsoque Tolet. teste Pintiano, scribitur, *apud Matream triferam*. cum scribi haud dubie par sit, *apud Matroum biferam*. Et Μητρῷον certe Smyrnæ fuisse Matris Deûm Cybeles fanum, Strabo lib. 14. pag. 646. locupletissimus est auctor. Plinius quoque ipse lib. 14. sect. 6. ubi de vino Pramnio: *Nascitur Smyrnæ regione, juxta delubrum Matris Deum.* Hinc hymnos Cybeles μητρῷα vocarunt, quos primus tibia cecinit Sirites, teste Athenæo, lib. 14. pag. 618. & Julio Polluce, lib. cap. 10. Σειρίτης κατηύλησε τὰ Μητρῷα μέλη, Dalecampio τὰ μητρῷα *Cereales hymnos* nequicquam reddente. Biferam autem ibi fuisse, non triferam, ex eo efficimus, quod in Tacapensi etiam agro non alia quam bifera fuerit, ut dicetur lib. 18. sect. 51. cui agro Smyrnensis ou ic confertur.

Ibid. XIII. *Summa sui parte fertiliores, arbutus, quercus: inferiore, juglandes, ficus marisca.*] Hæc loci hujus sincerissima lectio, quam partim ex re ipsa, partim Varronis ipsius testimonio tuemur. Sic enim ille, lib. 1. de re rust. cap. 6. *Sursum fertiliora, ut arbutus ac quercus: deorsum, ut nuces Græcæ, & mariscæ fici.* Varro tamen eo toto capite cum *sursum* ac *deorsum* dicit, non partem arboris signat, superiorem inferioremve: sed soli, in quo est, situm, montanum scilicet, vel planum & campestrem. Prius legebatur: *Summa sui parte fertilior est arbutus: quercus inferiore, juglandes, fici, marisca.* Multiplici, ut patet, errore.

Sect. 54. XIV. *Cerasus autem in XL. cubitorum trabes.*] Ita libri omnes, etiam manu exarati. Rectius tamen fortassis pro *quadraginta*, scripseris *quatuor & viginti*. Nam ita suadent hæc Theophrasti verba. lib. 3. hist. cap 13. Ἴδιον δὲ τῷ φύσει δένδρον ὁ κέρασός ἐστι. μεγέθει μὲν μέγα· καὶ γὰρ εἰς τέτταρας καὶ εἴκοσι πηχῶν αὔξεται· ἔστι δ᾽ ὀρθοφυὲς σφόδρα· πάχος δὲ, ὥστε διπήχυν τὴν περίμετρον ἀπὸ τῆς ῥίζης ἔχειν.

Sect. 57. XV. *Populi Rom. Quiritibus.*] Sincerissima hæc est omnium librorum scriptura, tum manu exaratorum, tum etiam typis editorum, ante Dalecampium, qui *Populo Rom. Quiritibus* scripsit. Accepit hunc modum loquendi, credo, a Brissonio, lib. 1, de formul pag. 62. ubi antiquo receptum usu multis veterum testimoniis probat, quæ tu consule. Verum ista, *Populi Romani Quirites*, genuina esse libri omnes conditivi clamant, Reg Colb. Th. Chiffl. Paris. aliique, & quid illa verba significent, abunde in prioribus Notis, ex Virgilio in libris Georgicoo, Plinioque, & nummis antiquis ostendimus.

Sect. 58. XVI. *Arbores, quas natura debeamus, tribus modis nascuntur: sponte, aut semine, aut ab radice.*] Tergeminam arborum originem tam paucis verbis perstrinxit, quam luculenter Virgilius explicat, lib. 2. Georg. vers. 9. exemplisque illustrat, quæ juvat hic commemorare:

> *Principio arboribus varia est natura creandis.*
> *Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ*
> *Sponte sua veniunt, camposque & flumina late*
> *Curva tenent: ut molle siler, lentæque genistæ,*
> *Populus, & glauca canentia fronde salicta.*
> *Pars autem posito surgunt de semine, ut altæ*
> *Castaneæ; nemorumque Jovi quæ maxima frondet*
> *Esculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.*
> *Pullulat ab radice aliis densissima silva,*
> *Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnassia laurus*
> *Parva sub ingenti matris se protegit umbra.*
> *Hos natura modos primum dedit: his genus omne*
> *Silvarum, fruticumque viret, nemorumque sacrorum.*
> *Sunt alii quos ipse via sibi repperit usus.*

Quam multa noster quam paucis contraxit.

Sect. 59. XVII. *Mutari naturam in iisdem.*] Adjecere hic voculam interpolatores, *in iisdem locis*, quæ Plinianam sententiam labefactat. Nos secuti scriptoris mentem, fidemque codicum vetustiorum, inter quos Chiffl. & Paris. eamdem erasimus.

Sect. 60. XVIII. *Et in Ænaria succisa regerminat*] Sic libri omnes conspirante consensu: prorsus ut mirari subeat esse aliquos, qui hanc lectionem sollicitent, scribique velint, *Et in Tarrha*, ex Theophr. lib. 2. hist. cap. 2. qui hoc ipsum ἐν Τάῤῥᾳ contingere prodidit: perinde ac si non & alibi cupressi, quam in Tarrhensi agro, vim eam obtineant. Certe nihil de Tarrha Plinium cogitasse, cum hæc scriberet, argumento est, quod statim ipse subjungit. *Sed in Creta* &c. cum sit ipsius Cretæ oppidum Τάῤῥα, Stephano teste.

Ibid. XIX. *Sed in Creta*] Salmasius in Solin. pag 173. legit invitis omnibus libris, *sed in Tarento*, ita necessario, ut sibi videtur, flagitante sententia. At de Tarento ne quidem Plinius somniavit. sed Cretam dicere sane voluit, quod Theophrasti locus evincit, libro nimirum tertio hist. cap. 2. Ἐνιαχοῦ δ᾽ ἂν μόνον ὑπεργασθῶσι καὶ κινηθῶσι, εὐθὺς ἀναβλαστάνει τὰ οἰκεῖα τῇ χώρᾳ, ὥσπερ ἐν Κρήτῃ κυπάριττοι. *Alicubi, si leviter sulcum impresserint, ac moverint, statim emergere familiaria illi terræ, ut in Creta cupressi.*

Ibid. XX. *Vi naturali hæc gignitur.*] Sic vetus codex Dalec. satis sane probabiliter. Neque tamen improbanda penitus librorum impressorum lectio, *nisi seratur alia*, (nempe arbos,) *hæc gignitur.* Cum in Reg. 2. *ni seratur alia*, scriptum agnoverimus. In Reg. 1. Colb. 1. 2. & Th. *nisi naturalia.* In Colb. 3. *ni naturali.* Mox vero pro *emicat*, MSS. omnes *emigrat* præ se ferunt. Salmasius, pag. 173. *Si naturalis hæc*: quam durum istud? quam ridiculi sensus? Nempe si propria & naturalis ei hæc terra fuerit.

Sect. 61. XXI. *Vis imbrium. Aquæ plerumque semina afferunt*] MSS. Reg. Colb &c. *vis imbrium aliqua* &c. Libri editi: *vis imbres aliqua* &c. Mallem *imbres aliqua*. Sed sincerior ea lectio est, quam conjectura nostra excudit.

Sect. 62. XXII. *Duo genera eius prima.*] Theophrasti Græca, quæ hic repræsentari vulgo creduntur, hæc sunt, e lib. 6. histor plant. cap. 2. Καὶ γὰρ αὐτοῦ δύο γένη διαιροῦσι, τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ. τὸ μὲν μεῖζον καὶ σκληρότερον, καὶ λαμπρότερον φύλλον ἔχει, τὸ δὲ ἄνθος ὑποπυρρίζον· ἀμφοῖν δὲ ὅμοια τοῖς ἀγρίοις ῥόδοις, πλὴν ἐλάττω καὶ ἄοσμα. Quæ omnia sunt Plinianis simillima. Sed Plinio impoluisse existimatur mendum illud quod jam tum ab illius ævo in Theophrasti codicibus inolevisse aiunt, hodieque perseverare, ut κισσὸς pro κίσθος vel κισθὸς legatur, unde ederæ incautus adscripserit, quæ cisthi fruticis sunt propria. Cur enimvero Theophrastus hoc libro sexto ederam iterum retractandam sumeret inter frutices, quam libro jam tertio, cap. ult. fuse explicarat? Neque vero ederæ flos ullam habet cum rosa similitudinem: cisthi flos habet. Verum ab invidis obtrectatoribus, & malevolis ad objectum Plinio arbitramur, cum ederam ipsi viderimus, in horto Regio, attrectaverimusque, plane ea facie, eoque purpureo flore, quo donata a Plinio est. Ibi & altera est edera saxatilis magno flore, quam asarinam alii vocant, eaque a Dalecampio pingitur, sub Asarinæ Lobelii nomine, lib. 8. histor. cap. 17. pag. 915.

Sect. 66. XXIII. *Differentias faciunt & folia non multitudine, verum & colore. Varia Laconicis* &c.] In MSS. *Valida.* Unde Pliniani interpolatores & voculam proxime antea adjiciendam ita putarunt, *verum robore & colore.* Ego vero nec quod sit robur foliorum, intelligo, nec genus illud, cui a robore foliorum differentia sit potius, quam cui a colore, assignatum a Plinio putem: præsertim cum illud ipsum Laconicum genus variegato esse folio, tum ex re ipsa constet, tum ex Theoph. Ἔχουσι δὲ, inquit, lib. 4. histor. c. 12. καὶ αἱ τῶν φύλλων μεγάλας διαφορὰς, ἀπλῶς καὶ μεγέθει μόνον. ἀλλὰ καὶ χροιᾷ· ποικίλος γὰρ ὁ Λακωνικὸς καλάμος. Itaque *varia* non *valida* in Pliniano contextu scribendam, moxque ea fide codicum Reg. Colb. Th. Chiffl. atque ex re ipsa. & *ab ima parte densiora*, non ut editi libri habent, & *ab una* Theophrastus & hic quoque favet, qui & in foliorum situ hoc ipsum discrimen agnoscit: Κάτωθεν γὰρ ἴσως πυκνότερα φέρουσι τὰ φύλλα.

Ibid. XXIV. *Infausto Athenienfium, & sæpe. Lebadia vocatur influente Cephisso*] In libris vulgo editis interpolatorum opera sic legitur, *Atheniensium prælio: & apud Lebadiam sæpe vocatur influente Cephisso.* quæ oratio mire inops sententiæ est. In MSS. Reg. 1. 2. Colb. Paris. *Infesto Atheniensium & sæpe Lebadia vocatur* &c. Itaque omnia intacta & integra liquis

mus: etsi Lebaïda vox est haud satis cognita, nec dubitamus Copaidem paludem hic intelligi, in quam Cephissus influit, ut dictum est lib. 4. sect. 12. cui forte altera ista attributa appellatio sit, qua parte Cephissum excipit. *Infausto Atheniensium* porro dici simpliciter ac nullo adjuncto, pro *infortunio*, & calamitate præsignificata, haud temere quidem, ut credimus, auguramur: cum & hoc ipso libro, sect. 3. *bellorum civilium prosano*, haud insolentiore loquendi norma, neque huic multum absimili, dixerit. Quod quidam adjecta hac vocula, *infausto Atheniensium exitu & sæpe*, legunt, audacis nimium conjecturæ nobis videtur, quibus consilium est non Plinii textum novum cudere, sed veterem ac genuinum fide integra repræsentare. *Et sæpe* autem cum adjecit, hoc prodigium alias rursum accidisse innuit, nec semel. Sic lib. 2. sect. 57. *Lacte & sanguine pluisse, M. Acilio Cos. & sæpe alias.* Id vero & Theophrastus ipse haud obscure innuit, qui lib. 4. hist. cap. 12. simili prodigio pestem alias prænunciatam significat, alias penuriam arundinum consecutam. Μετὰ δὲ ταῦτα ὕστερον, ὡς ὁ λοιμὸς ἐγένετο σφοδρὸς, &c. Denique Salmasii conjectura, Exercit. in Solin. pag. 117. statuentis legi oportere, *Pelecania vocatur influente Cephisso*, & abest longius a vestigiis veteris scripturæ, nec Theophrastum, quo niti se putat, suffragatorem habet. Ait enim ille, lib. 4. histor. cap. 12. nasci plurimam arundinem inter Melanem & Cephissum: locum eum Pelecaniam vocari. Hujus loci partes quasdam esse, quæ Χύτροι dicerentur, hoc est, voragines, nempe a forma ollarum, quibus arundo laudatissima provenirет: omnium autem optimam nasci circa Oxeam Campen, qui locus Cephissi ostium est: atque in totum, ubi crassum, lætum, fæcusumque solum sit, Cephissusque se permisceat, amplior que sit lacus altitudo, ibi probatissimam arundinem oriri: atque hæc omnia utique circa Oxeam Campen & Boedriam reperiri: habere enim amnem eum vim maximam ad arundinum commendationem. Γίνεσθαι δὲ πλείστην μὲν μεταξὺ τοῦ Κηφισοῦ καὶ τοῦ Μέλανος· εἶναι δὲ ὁ τόπος προσαγορεύεσθαι Πελεκανίαν. τούτου δ' εἶναι ἄττα Χύτρους καλουμένους, βαθύσματα τῆς λίμνης, ἐν οἷς καλλίστην φασί.... Καλλίστην δὲ δοκεῖ γίνεσθαι πάντων περὶ τὴν Ὀξεῖαν καλουμένην Καμπὴν, ὁ δὲ τόπος αὐτὸς ἐστιν ἐμβολὴ τοῦ Κηφισοῦ... Τὸ δὲ ὅλον ὁ αὐτὸς βαθύγεός τε καὶ εὔγεως χωρίον καὶ ἰλυῶδες, καὶ ὁ Κηφισὸς ἀναμίγνυται, καὶ αὐτὸς τόπος βάθος τῆς λίμνης, φέρει γενναίαν κάλαμον· ὡσαύτως γὰρ τὸν Βοηδρίαν τόπον ταῦτα ὑπάρχει. ὅτι δὲ ὁ Κηφισὸς μεγάλην ἔχει ῥοπὴν εἰς τὸ καλοῦ πλείονα κάλαμον, &c. Quibus verbis quis non intelligit, laudatissimum calamum tibialem non ex eo loco oriri Theophrastum velle, qui Pelecania vocaretur: sed in aliis quibusdam locis pinguibus ac lætis, ubi se Cephissus amnis immisceret, aut ubi ostium Cephissi foret? nec Pelecaniam vocari locum lacumve eum quo Cephissus amnis influeret: sed Oxeam Campen, & Boedriam, auctore Theophrasto: & præter istas appellationes, alio fortassis latere, Plinio auctore, Lebaidam? Mitto ea commemorare quæ Salmasius eo loci congerit de voce πελεκανίαν, quam in πελεκανία commutat: atque ut ejus verbi vim interpretetur, Græci scriptoris verba sententiamque pervertit: mitto ea, inquam, & negligo, quod properandum sit ad majora.

Est enim operæ pretium hic obiter animadvertere, quam eleganti & concisa brevitate Plinius perstrinxerit, quidquid de veterum tibiis, de earum materia, forma, usu, aut scitu jucundum, aut a ceteris scriptoribus pariter est memoriæ proditum: ubertiusque nunc versari in eo argumento, quod in prioribus Notis, pro instituta brevitate, quam maxime sequimur, leviter modo delibavimus.

1. Nam quod ad materiam primum attinet, fuisse eam multiplicem docet: *Nunc sacrificæ, inquit, Tuscorum e buxo: ludicræ vero loto, ossibus asininis, & argento fiunt.* Fieri & ex auro, orichalco, cervorum, asinorumque cruribus Philostratus admonet, lib. 5. de vita Apoll. cap. 7. pag. 228. Χρυσοῦ τε καὶ ὀρειχάλκου, καὶ ἐλάφου κνήμης.... οἱ δὲ καὶ ὄνου. Julius Pollux, lib 4. cap. 9. tit. 6. Ἡ δὲ ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος, ἢ χαλκὸς, ἢ λωτὸς, ἢ πύξος, ἢ κέρας, ἢ ὀστοῦν ἐλάφου, ἢ δάφνης τῆς χαμαὶ ξύλον κλαδὶον, τὴν ἐντεριώνην ἀφῃρημένον, &c. Fuisse significat ex calamo, ære, loto, buxo, cornu, osse cervino, ligno chamædaphnes exempta medulla. &c. E buxo quidem in sacris adhibitas esse tibias, non Plinius modo, sed & Statius auctor est, lib. 4. Theb. vers. 94.

Cum sacra vocant, Idæaque suadet Buxus.

Atque ea tibi ἔλυμος vocabatur. Pollux, lib. 4. cap. 10. ubi varia tibiarum genera enumerat: Ἔλυμοι, τὴν μὲν ὕλην πύξινοι· τὸ δὲ εὕρημα, Φρυγῶν. Alias in sacris ex ebore fuit: Virgilius, lib. 2. Georg.

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Hoc est, tibicen, qui in sacris tibiam inflavit eburneam. E loto vero, præter Plinium & Athenæum, quem in prioribus Notis ad hunc locum, & Pollucem, quem proxime appellavimus, prodidere alii, quos retulimus lib 13. sect. 32.

Sed vetustissima tibiarum materies, ut ex Plinio ac ceteris liquet, calamus tibialis fuit, antequam in crassitudinem aucupatoriam cresceret, diceretur que zeugites: quod erat tum aucupiis tantum utilis, non tibiis: atque hæc ei crassitudo appellatioque adveniebat tum, cum lacus inundatio anno permansisset: ea vero maturius recedente ac subsidente, gracilior calamus fiebat, idemque tibiis aptus, & bombycias cognominatus, ob similitudinem soni: & spado, quod lanugine omnino nulla esset. Plinii hæc verba sunt ex hac sectione: *Tertia arundo est tibialis calamo, quem auletem dicebant: nono hic anno nascebatur: nam & lacus incrementa hoc temporis spatio servabat..... Cum igitur anno permansit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem: vocabantur zeugitæ. Contra bombycias, maturius reciproco, graciles: feminarum latiore folio atque candidiore, modica lanugine: aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus. Hinc erant armamenta ad inclusos cantus*, &c. Theophrastus totidem ferme verbis, lib 4. hist. cap. 12. Φασὶ γὰρ καὶ δυοῖν ἐνιαυτοῖν ... λίμνης, μάλιστα τῷ ἐπιόντι ἐνιαυτῷ, ἀδρύνεσθαι· καὶ γίνεσθαι τὸν μὲν ἁδρυνθέντα ζευγίτην· τὸν δ' ἂν μὴ συμπληρωθῇ τὸ ὕδωρ, βομβυκίαν.... Διαφέρειν δὲ τῶν ἄλλων καλάμων, ὡς ἁπλῶς λαβεῖν, εὐτροφίᾳ τινὶ τῆς φύσεως· εὐπληθέστερον γὰρ εἶναι, καὶ σαρκωδέστερον, καὶ ὅλως δὲ θῆλυν τῇ προσόψει· καὶ γὰρ τὸ φύλλον, πλατύτερον ἔχειν καὶ λευκότερον, τὴν δὲ ἀνθήλην ἐλάττω τῶν ἄλλων, τινὰς δὲ ὅλως οὐκ ἔχειν, οὓς καὶ προσαγορεύουσιν εὐνούχους· ἐξ ὧν ἀρίστους μέν φασί τινες γίνεσθαι τὰ ζεύγη· κατορθοῦν δ' ὀλίγα παρὰ τὴν ἐργασίαν. *Pariter nasci, videturque, nulla latitudine lacus, durante que inundatione, crassiore arundineas: & fieri quidem crassiorem, zeugitem: bombyciam vero, cum aqua non permanserit..... Distat autem bombycias a reliquis arundinibus, universe loquendo, nutrimenti natura: uberior enim est, & gracilior: atque in totum femina arundo aspectu intelligitur: latius enim ei folium est, candidiusque: lanuginis minus, quam ceteris. Quædam etiam omnino lanuginis nihil habent, quas spadonum nomine indigitat. Ex his optima tibiarum paria fieri aiunt, sed pauca tamen recte in opere succedere.* Quibus ex verbis intelligas præpostera interpunctionis vitio ante nos hunc Plinii locum laborasse, cum sic ederetur: *Feminarum latiore folio atque candidiore: modica lanugine, aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus.*

2. Jam forma tibiæ in eo præcipue posita, quod & foraminibus multis constaret, & ligulis. De foraminibus res obvia est, nec eget explicatu. Papias, in Vocabulario: *Tibia est instrumentum musica, cum diversis foraminibus, quæ ore inflatur.* Hinc *multifora tibia* Senecæ, Nasoni *multiforum buxum*. Ligulæ vero, seu lingulæ, frusta erant duo excisa ex arundine, tibiæ ori inserta, sic admota invicem, compactaque inter se, ut tenuis modo immittendo spiritui aditus inter utrumque foret: Gallis, *Anche de haut-bois, de cornemuse, de musette*. Polluci, lib. 4. cap. 9. tit. 5. Γλῶτται. Hesychio, γλῶσσαι, & γλωσσίδες τῶν αὐλῶν. Festo, *lingulæ*. Ab his concinnatores tibiarum γλωσσοποιοί, uti a foraminibus αὐλοτρύπαι vocabantur, auctore Polluce, tit. 6. pag. 189. Tibicinium in eo ars elucebat in primis, ut labia lingulam bene complecterentur, neque ardenti idcirco ore canerent: Εὐφημία δὲ, ἣν τὰ χείλη συμβάλλει, τῆς τοῦ αὐλοῦ γλώττης, μὴ περιπεφυσημένα τῷ στόματι, αὐλεῖ, inquit Philostr. lib. 5. de vita Apoll. cap. 7. pag. 228.

Compressiores porro inter se lingulæ, contentionem utique majorem poscebant: atque id genus tibiæ bombyces vocabantur, a similitudine soni, inflabanturque difficilius, & erant longiusculæ. Arist. l. περὶ ἀκουστῶν, p. 1202. Πάντες γὰρ χαλεπῶς πληροῦσι τοὺς βόμβυκας, καὶ μετὰ συνθλίψεως πολλῆς, διὰ τὸ μῆκος τῆς διαστάσεως. Hinc & calami bombyciæ a Plinio appellati. Hatum vero tibiarum præcipuus in theatris usus. Plinius: *Tunc quoque multo domanda exercitatione, & canere tibia ipsa docenda, comprimentibus se lingulis, quod erat theatrorum moribus utilius.* Et idem legere est apud Theophrastum, lib. 4. histor. cap. 12. Συμμύσεις δὲ τὸ στόμα τῶν γλωττίδων, ὃ πρὸς διακελευσμὸν εἶναι χρήσιμον. *Sed linguarum ora comprimi, quod ad ingressum nunciorum in scenam maxime est accommodatum.* Διακέλευσμα scilicet ingressum significat nunciorum in scenam, in quo tibiarum utique contentione opus fuerit, hoc est, graviore concentu, qui apertis deinde tibiis acutior fuit

Eædem processu temporis *apertiores* factæ sunt, inquit auctor, *ad flectendos sonos*. Scilicet ut assa vox in cantu cum flectitur, varietatem modulationis facit, quod qui præstant πολυφωνίαν Græci vocant: sic in tibiarum modulatione spiritus tibicinis vertitur ac temperatur, ut varios edat sonos. Quo spectasse Plautus videtur, Merc. act. 1. sc. 2.

Perii: animam nequeo vertere: nimis nihili tibicen siem.

Atque ejusmodi tibicines, camptulas vocat Flavius Vopiscus in Carino, pag. 254

3. Usus denique tibiarum in sacris: unde *sacrificæ Tuscorum tibiæ* apud auctorem. Gruteri inscriptio, pag. 269. TIBICINES. ROMANI. QVI. SACRIS PVBLIC. PRAEST. SVNT. Et pag 175. COLLEGIO TIBICINVM ET. FIDICINVM. ROMANORVM. QVI. S. P. P. S. hoc est, *qui sacris publicis præsto sunt*. Vide quæ dicturi sumus lib. 28. sect. 3. Usus & in ludis nuptiis, choreis, unde *ludicræ* Plinio appellatæ. Sed de tibiis ac tibicinibus satis.

XXV. *Diebus septem proximis.*] In libris hactenus editis legitur *Diebus quatuor proximis*. In MSS. Reg. 1. 2. Colb. Th. & alis, *diebus VII. proximis*. Fecit utrumque affinitas notarum IIII. & VII. ut hi numeri sæpius ab amanuensibus permutarentur. At Cato *septem* habet. *Nisi intermestri, inquit, Lunaque dimidiata materiam ne tangas. Materiam, quam effodies aut præcides abs terra diebus septem, quibus Luna plena fue-*

Sect. 75.

...ri, optime eximetur. Omnino caveto, ne quam materiam dolet, neu cadas, neu tangas, nisi siccam, neu gelidam, neu rorulentam. Et auctor Geopon. Δεχετόμα ἄνευ τῶ τι μεταίλησεν.

Sect. 76. XXVI. *Hæc, qua diximus ratione, fluviata decorticatur.*] Legit Salmasius in Solin. pag. 1033. ex suis MSS. *decoratur*, explicatque τὴν πελέκησιν sive perdolationem, quæ materiei decoratio est. Sane contra scriptoris sententiam, quam planam Vitruvii oratio facit. *Ex abiete autem*, inquit ille lib. 2. cap. 9 pag. 33. *ameoquam est excisa, quæ pars est proxima terræ, per radices excipiens ex proximitate humorem, enodis & liquida efficitur: quæ vero est superior . . . . propter nodationis duritiem dicitur esse fusterna. Ima autem, cum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo, ex eadem arbore ad intestina opera comparatur, & sapinea vocatur.* Quadrifluviis, inquit, disparata materies, quæ est optima, ut diximus, postquam fluviata est, seu amni mersa, ejecto torulo, hoc est, alburno cum cortice, ad intestina opera comparatur.

Ibid. XXVII. *Junipero eadem virtus quæ cedro. Vasta hæc in Hispania, maximeque Vaccæis.*] Prius legebatur, *maximeque baccæ eius* At in Reg. 1. 2. Colb 1. 3. Th. & reliquis, *vacca sis.* In edit. Parm. *baca eis.* Nos sinceram inde lectionem eruimus. De vastitate atque amplitudine materiæ juniperi omne sermo est: de baccis juniperi plane aliena hoc loco mentio.

Sect. 78. XXVIII. *Suber, castanea, juglans*] An ea conjunctim legenda, *castanea juglans?* Nam de juglande ipsa, ut a castanea vulgo secernitur, nihil Theophrastus hoc loco: ἀπλῶς modo Διὸς βάλανον dixit, sive castaneam. Et quod de eadem καρύᾳ Εὐβοϊκῇ contigisse Antandri idem Theoph. narrat, id in juglande factum Plinius ait sect. 81. lib. hujus. Prorsus ut ipsam castaneam, quam Διὸς βάλανον Græci appellarunt, ut dictum est lib. 15. sect. 25. ipse Latine juglandem, quasi Jovis glandem appellari potuisse, existimasse Plinius videatur. Sic libro sequente sect. X. ambigere merito quis possit, an non conjunctim legi oporteat, *castanea juglandes?*

Sect. 79. XXIX. *Maxime æterna putant ebenum, & cupressum, cedrumque*] Sic restituimus eum locum secuti cod. Reg. 2. aliosque. Prius legebatur, avulso præpostere ex superiore sententia vocabulo, *Buxum maxime æternam putant, ebenum, & cupressum, cedrumque.* Sane cum ejusremodi lignorum perennitatem, uno templi Ephesini argumento comprobet: in eoque templo, quæ genera fuerint adhibita dum commemorat, cedrum, cupressum, ebenumque laudet, taceat de buxo: annon palam facit, se tergeminæ tantum hujus materiæ æternitatem commendare?

Ibid. XXX *Hanc materiam elegisse Pandemion, etiam nomen artificis nuncupans.*] Prius insulse legebatur, *elegisse eandem, Canetiam nomen* &c. In MSS. Reg. Colb. Chiffl. Th. &c. *elegisse eandem cvn etiam.* Unde nos servatis fere totidem apicibus litterarum, *Pandemion etiam*, eruimus. Felicius, ut quidem remur, quam Salmasius, qui pag. 316. in Solin. *Demonicon, etiam* reponit. Pandemion tamen si Mucianus, cujus verba rectitantur a Plinio, nomen esse singularis cujuspiam artificis putavit, lapsus errore haud sane mediocri videtur: cum aliud nihil vox ea significet Πανδημία, quam commune Asiæ, τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας, vel uti Plinius ante dixit, tota Asia, qua exstruente, & ut cuique libuit, conferente operam, Dianæ Ephesiæ templum perfectum est, atque absolutum.

Ibid. XXXI. *Valvas esse e cupresso, & jam quadringentis prope annis durare.*] Et hoc rursum Plinius ex Muciani relatu & fide refert, ut ex ipsa verborum structura perspicuum est: neque ex Theophrasto hausit, ut visum est Salmasio, in libello quem inscripsit, *Judicium de Plinio.* Aliud longe est quod Græcus scriptor, lib. 5. histor. cap. 5. aliud quod Latinus narrat. Ille, veteres templi valvas, factas vetustate inutiles, reconditas jacuisse per ætates quatuor, *αἱ θύραι τοῦ νῦν τεθησαυρισμένου τέτταρας ἔκειντο γενεάς.* Iste, non modo non jacere, sed stare jam ab annis propemodum quadringentis, hoc est, ipso quoque ævo Pliniano, eo nitore materiæ, ac firmitate plane eadem, ac si nova foret.

Ibid. XXXII. *Numidicarum cedrorum*] Ita libri omnes, etiam MSS non, ut quidam mutant, *citrorum.* Et vero de tergemino solum ligni genere nunc est instituta oratio, quod æternitatem sibi quamdam vindicat, ebeno, cupresso, cedro: obiterque de junipero, cui virtus eadem, quæ cedro, est attributa, ut diximus sect. 76 Et in Africa cedrum provenire, eamque laudatissimam, ibidem ex Plinio, Vitruvioque abunde docuimus.

Sect. 81. XXXIII. *Et palma arbor valida.*] Sic restituimus tum ope codicum, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. &c. tum maxime ex re ipsa, & admonitu Theophrasti, cujus Græca verba sunt ejuscemodi cum Plinio mire consentientia: libro nempe 5. cap. 7. Ἰσχυρὸς δὲ καὶ ὁ φοῖνιξ. Ἀνάπαλιν γὰρ καὶ ἡ κάμψις ἢ ἐπὶ τῶν ἄλλων γίνεται. τὰ μὲν γὰρ εἰς τὸ κάτω κάμπτεται, ὁ δὲ φοῖνιξ εἰς τὸ ἄνω. Prius *arbor invalida* insulse legebatur.

Ibid. XXXIV. *In diversum enim palma curvatur, & populus. Cetera omnia inferiora pandantur: palma e contrario fornicatim.*] Intricata ac plane obscurra sententia, vel potius nulla, prius legebatur: *In diversum enim curvatur. At populus contra omnia inferiora pandatur: palma e contrario fornicatur.* Habent hæc verba *& populus* MSS. omnes: quamobrem ea expungere religio fuit. Alias nec agnoscit ea Theophrastus, loco proxime allato: nec de populo idne sit verum, perinde scilicet atque palmam reniti, sursumque pandari, experiri adhuc licuit. Deinde *pandantur* unanimi consensu eadem exemplaria manu exarata exhibent: & *fornicatim*: Nos ex conjectura, ut remur, haud temeraria, *cetera* pro *contra* sublituimus, Theophrastum ad verbum secuti: ἄλλα μὲν γὰρ &c. Nam *contra omnia inferiora pandari* nec Plinius certe dixerit, nec quid illud sit demum, Oedipus ipse sane intellexerit.

Sect. 82. XXXV. *Firmissima in rectum abies.*] Ita Chiffl. codex, aliique probatissimi. At libri omnes editi, *firmissima ad tectum.* Minus certe sincere. Nam Theophrastus. lib. 5. hist. cap. 7. ficum validam esse dicit, cum recta statuitur: magis vero abietem: ἰσχυρὸς δὲ καὶ ἡ συκῆ, πλὴν εἰς ὀρθόν· ἡ δὲ ἐλάτη μᾶλλον εἰς αὐτὴν ἰσχυρός.

Sect. 83. XXXVI. *Ferulceam, argumento similitudinis, quoniam lacunose crispa, in omni genere. Et glutinum abdicant quædam, &c*] Secuti sumus summa fide vestigia codicum Reg. Colb. Th. Chiffl. & vet. Dalec. in quibus *ferulceam*, & *lacunose* legitur: quæ vox totidem ductus & apices litterarum habet quot ista, *lacunose*. non, uti in editis *fertolem*, & *lacrymose crispa. In omni genere & glutinum abdicant quædam*, &c. aut uti Salmasius in Solin. pag. 317. *festuceam*, quam secum ipse pugnans & probari maxime in hoc usu cupit, hoc est, in glutinatione, & glutinum simul abdicare. Sic enim interpungi jubet: *In hoc usu probam venam, & vocant festuceam, quoniam lacunose crispa in omni genere & glutinum abdicat Quædam & inter se* &c. Nam omnibus libris vel ipso fatente, *probant*, constantissime legitur. Itaque nova conjectura mox paulo legi censet oportere: *in hoc usu probant: improbam venam* &c. Denique de staminea vena, & de lacunoso crispatu, & de festuca dicit, quæ festucea videri possint: nec sibi ipse satisfacit: nobis vero multo minus.

Ibid. XXXVII. *Serrabilia, ac fictilia, quæ modice humida. Arida enim &c.*] In libris omnibus editis hactenus legebatur, *Ducabilia ac sectilia.* Dalecampius reponere nitebatur, *Dolabilia.* In MSS. Reg. Colbert. & aliis, *furabilia*, legimus. At haud dubie *serrabilia* scripsit auctor: ut & Theophrastus l. 5. hist. c. 8. Εὐπρίστα δὲ καὶ ἄλλα τὰ ἐνικμότερα τῶν ξηρῶν.

Sect. 84. XXXVIII. *Jam lignum enim e testudine facit.* Summa fide sinceram hujus loci lectionem repræsentamus, a nobis e codice Regio 2. erutam, & Colb. In Reg. 1. *jam lignum enim e testudine.* Corruptius ab interpolatoribus editum in libris vulgatis, *emo testudinem.* Longe libentius tamen sic agnosceremus, *jam lignum etiam e testudine facit*: ut mutabilem luxuriæ libidinem coargui intelligas, quæ modo ligno contenta non fuerat, nunc vel in ipsa testudine lignum quærit.

Sect. 85. XXXIX. *Anno qui fuit sine magistratibus* CCCLXXIX. *Urbis, ade condita . . . . hæc nunc circiter annum* CCCCL. *habet.*] Quo nempe anno hæc Plinius litteris consignabat, qui fuit Urbis, ut sæpius adnotavimus, DCCCXXX. qui numerus annorum ex utraque illa summa exilit, si annum unicum exceperis: quamobrem is *circiter* caute adjecit. In libris porro ante nos editis, detracta denarii nota legebatur modo CCCLXIX. Ut & in MSS. Reg. 4763. & 4972. in Vaticano autem, aliisque, CCCCLXIX. errore minime obscuro, vel duplici ex capite. Nam & utraque summa indicat haud dubie Plinius annos Urbis conditæ, ad illud usque tempus quo hæc commentabatur: & annum CCCLXIX. non sine magistratibus fuisse, Chronologi omnes confitentur, sed sub Tribunis militum Consulari potestate: cum tidem perhibeant, anno CCC. LXXIX. ἀναρχίαν illam quinque annorum cœpisse: quod altercatione orta patricios inter & plebeios, ob legem latam a Tribunis plebis anno anteriore, de plebeio altero creando Consule, patribusque acerrime obsistentibus, nullum curulem Magistratum passi sunt fieri Tribuni.

Sect. 93. XL. *Pruno silvestri.*] In MSS. *Primo.* Mallem *piro silvestri*, in qua frequentius, quam in alia quavis arbore viscum reperitur: in pruno autem silvestri, qui observarit, nondum scio.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XVII.

I. NATURA arborum, terra marique sponte sua provenientium, dicta est. Restat earum, quæ arte & humanis ingeniis [1] fiunt verius, quam nascuntur. Sed prius mirari succurrit, [2] qua retulimus penuria [3] pro indiviso possessa a feris, depugnante cum iis homine circa caducos fructus, circa pendentes vero & cum alitibus, in tanta deliciarum pretia venisse, clarissimo (ut equidem arbitror) exemplo L. Crassi, atque Cn. Domitii [4] Ahenobarbi. [5] Crassus orator fuit in primis nominis Romani: domus ei magnifica: sed aliquanto præstantior [6] in eodem Palatio, [7] Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo vero pulcherrima consensu omnium ætate ea [8] in colle Viminali, C. Aquilii, Equitis Romani, [a] clarioris illâ etiam, quam juris civilis scientiâ, cum tamen objecta Crasso sua est. [9] Nobilissimarum gentium ambo, Crassus atque Domitius, [10] Censuram [11] post Consulatus simul gessere, anno conditæ Urbis DCLXII. frequentem jurgiis propter dissimilitudinem morum. Tum Cn. Domitius, ut erat vehemens natura, præterea accensus odio, quod ex æmulatione avidissimum est, graviter increpuit tanti Censorem habitare, pro domo ejus [12] sestertiûm millies identidem promittens. Et Crassus, ut præsens ingenio semper, & faceto lepore solers, addicere se respondit, exceptis sex arboribus. Ac ne uno quidem denario, si adimerentur, emptam volente Domitio: Crassus, Utrumne igitur ego sum, inquit, quæso, Domiti, [b] exemplo gravis, ab ipsa mea Censura notandus, qui in domo, quæ mihi hereditate obvenit, comiter habitem: an tu, qui H-S millies sex arbores æstimes? Eæ fuere loti, patula ramorum opacitate lascivæ, Cæcina Largo e proceribus crebro in juventa nostra eas in domo sua ostentante. Duraveruntque, quoniam & de longissimo ævo arborum [13] diximus, ad Neronis principis incendia, quibus [14] cremavit

CAPUT I. 5 10 15 20

INTERPRETATIO.

a *Clarioris.*] Qui clarior ob illam *domum* fuit, quam ob juris civilis scientiam.

b *Exemplo*] Ob *pravum* exemplum minime ferendus.

NOTÆ.

Sect. I. 1. Fiunt verius] Adoptione, insitione, connubio.

2. *Qua retulimus penuria.*] Mirari subit ea quæ ab feris hominibusque pariter & ex æquo possidentur, ut ante retulimus, hoc est, arborum fructus, perinde ac si annonæ penuria communicare alimenta cum feris homines cogat, tantis olim venisse pretiis, in tantis fuisse deliciis. Vide Notas & Emend. num. I.

3. *Pro indiviso.*] Ex æquo Vide quæ de hac voce diximus in Notis & Emend. ad lib. 9. num. CIX. & lib. 16. sect. 59.

4. *Ahenobarbi.*] Sic enim in Nummis scribitur, apud Patin. in gente Domitia, pag. 99. CN. DOMITIVS IMP. & ex adversa parte, AHENOBARBVS. Sic etiam antiquæ Inscript. apud Gruter. pag. 113. & 119. A rutila barba, ærique assimili nomen. In hunc dixit Licinius Crassus orator, is ipse de quo mox sermo, non esse mirandum quod æneam barbam haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum. Sueton. in Nerone, cap. 1. & 2.

5. *Crassus orator.*] Is est qui cum Antonio a Cicerone introducitur in libris de Oratore: idem M. Crassi patruus, ejus qui Romanorum ditissimus appellatus est, & cum Pompeio ac Cæsare Triumviratum iniisse fertur.

6. *In eodem palatio.*] Regione Urbis decima, in qua palatium fuit. P. Victor in descript. Urbis: *Regio X. Palatium .... Domus Q. Catuli Domus Ciceronis.*

7. *Q. Catuli.*] Q. Luctatius Catulus Mario adversus Cimbros collega datus a Senatu, cum eo vicit, ac triumphum egit. Plutarch. in Mario, pag. 413. 421. & 431. & Velleius, lib. 2. num. 22.

8. *In colle Viminali.*] P. Victor, in descript. Urbis: *Regio V. Esquilina, cum turri & colle Viminali .... Domus Aquilii Jureconsulti, Q. Catuli, & M. Crassi* Aquilii crebra mentio apud Tullium, cujus collega in Prætura fuisse dicitur.

9. *Nobilissimarum gentium.*] Crassus, Liciniæ: Domitiæ, Ahenobarbus.

10. *Censuram.*] Censorum nomina, L. LIC. CN. DOMIT. in denariis quinque signata exstant apud Patin. loc. cit. In Fastis, C. Claudio Pulcro, M. Perpenna Coss. lustrum fecisse dicuntur LXVI.

11. *Post Consulatus.*] Cum ante Censuram Consulatum quisque gessisset. Crassus quidem, anno Urbis DCLIX. Ahenobarbus DCLVIII. Ahenobarbi Consulatus mentio apud Gruter. in Inscript. pag. 113.

12. *Sestertiûm millies.*] In MSS. *sestertiûm* tantum legas: numerus tum hoc loco, tum paulo inferius desideratur. Valerius Max lib. 9. cap. 1. num. 4. pag. 419. scribit a Domitio Crassi domum æstimatam in illo jurgio sexagies sestertiûm fuisse: mox interrogatum a Crasso, quanto minoris eam æstimaturus esset, decem arbusculis detractis, Domitium tricies sestertiûm dixisse. Sunt porro sestertiûm millies centena millia, (id enim, ut sæpe monuimus, subintelligendum est:) Gallicæ monetæ, libræ 10000000. seu decem milliones. Sexagies, 600000. libræ. Tricies, libræ 300000.

13. *Diximus.*] Libro superiore, sect. 85. & seq.

14. *Cremavit Urbem.*] Quo de incendio multa flebiliter

Urbem, annis CLXXX. Postea cultu virides juvenesque, ni princeps ille accelerasset etiam arborum mortem. Ac ne quis vilem de cetero Crassi domum, nihilque in ea jurgante Domitio fuisse dicendum præter arbores judicet, jam [15] columnas quatuor [16] Hymettii marmoris, Ædilitatis gratia ad scenam ornandam advectas, in atrio ejus domus statuerat, cum in publico nondum essent ullæ marmoreæ. Tam recens est opulentia: tantoque tunc plus honoris arbores domibus afferebant, [17] ut sine illis ne inimicitiarum quidem pretium servaverit Domitius.

[c] Fuere ab iis & cognomina antiquis: Fronditio militi illi, qui præclara facinora, Vulturnum transnatans, fronde capiti imposita, adversus Hannibalem edidit: [18] Stolonum Liciniæ genti: [19] ita appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis: unde & [20] pampinatio inventa primo Stoloni dedit nomen. Fuit & arborum cura legibus priscis: cautumque est [21] XII. tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas, lueret in singulas æris XXV. Quid existimamus, [22] venturasne eas credidisse ad supradictam æstimationem illos, qui frugiferas tanti taxaverant? Nec minus miraculum in pomo est, multarum circa suburbana fructu annuo addicto [23] binis millibus nummûm: majore singularum reditu, quam erat apud antiquos prædiorum. Ob hoc insita, & arborum quoque adulteria excogitata sunt, [24] ut nec poma pauperibus nascerentur. Nunc ergo dicemus, quo maxime modo tantum ex his vectigal contingat, veram colendi rationem absolutamque prodituri. Et ideo non vulgata tractabimus, nec quæ constare [25] animadvertimus; sed incerta atque dubia, in quibus maxime fallitur vita. Nam diligentiam in supervacuis affectare, non nostrum est. Ante omnia in universum, & quæ ad cuncta arborum genera pertinent in commune, de cælo terraque dicemus.

CAPUT II. II. [1] Aquilone maxime gaudent, densiores ab afflatu ejus lætioresque, & materiæ firmioris. [2] Qua in re plerique falluntur, cum in vineis pedamenta non sint [3] a vento eo opponenda, & id tantum [4] a septemtrione servandum. Quin immo tempestiva frigora plurimum arborum firmitati conferunt, & sic optime germinant: alioquin, si blandiantur Austri, defatiscentes, ac magis etiam in flore. [5] Nam si cum defloruere, protinus sequuntur imbres, in totum poma depereunt: adeo ut amygdalæ & piri, [6] etiam si omnino nubilum fuit, Austrinusve flatus, amittant fetus. [7] Circa Vergilias quidem pluere inimicissimum viti & oleæ: quoniam tunc [8] coitus est earum: hoc est illud quatriduum oleis decretorium, hic articulus Austrinus nubili spurci, [9] quod diximus. Fruges quoque pejus maturescunt Austrinis diebus, sed celerius. Illa sunt noxia frigora, quæ [10] septemtrionibus, aut præposteris fiunt horis. [11] Hiemem quidem Aquiloniam esse, omnibus satis utilissimum.

INTERPRETATIO.

c *Fuere ab iis.*] Fuere ab arboribus imposita etiam cognomina antiquis.

NOTÆ.

Tranquillus in Nerone, cap. 38. Liberat porro ab eo crimine Christianos Plinius, dum Neronem unum incusat.

15. *Columnas quatuor.*] Sex omnino quidem in ea domo fuere, ut Plinius ipse prodit lib. 36. sect. 3 & 24. & Valer. Max. loc. cit. sed non omnes in scenam Ædilitatis gratia ornandam advectæ. MSS. constantissime, *quatuor.*

16 *Hymettii.*] Ex Hymetto Atticæ monte, de quo in Geographicis egimus.

17. *Ut sine illis.*] Ut sine illis ne stare quidem ingenti pretio Domitius voluerit, quod ex inimicitia & æmulatione pro Crassi domo condixerat.

18. *Stolonum.*] In nummis Liciniæ gentis apud Patin pag 151. & 152. P. LICINIVS STOLO IIIVIR. A. A. A F. F De Stolonibus iterum dicetur lib. 18. sect. 4.

19. *Ita appellatur.*] Stolo igitur, quasi stolida fruticatio ex arborum radicibus Unde vox ipsa *stolo*, μεταφορικῶς pro stolido sumitur ab Auson epigr. 5.

Sed jam non potes, o stolo, doceri.

20 *Pampinatio.*] Effossio fruticantium stolonum circa arborum radices.

21 *XII. tabulis.*] Verba legis, tab 2. cap. 4. *de arboribus furtim cæsis*, sunt ejusce modi: *Si injuria alienas arbores casit, in singulas XXV. æris luito.* Hoc est, asses XXV. qui Gallicæ monetæ efficiunt asses omnino ex ære vicenos. Capitale fuisse supplicium arbores alienas incidere ait Servius ad illud Virgilii:

Atque mala vites incidere falce novellas.

Adde his quæ Paulus, Caius, Ulpianus, ceterique Jurisperiti de eo argumento afferunt, lib. 47. Dig. tit. 7. *Arborum furtim cæsarum.*

22. *Venturasne*] An putamus credidisse veteres, venturas lotos ad HS. millies, qui frugiferas æris XXV. taxassent?

23. *Binis millibus nummûm.*] Sive sestertiorum. Nostræ monetæ libras ea ducentas efficiunt.

24. *Ut nec poma.*] Ut poma divitibus tantum nascerentur, qui poma inserere varia, ac veluti fetus arborum adulterare vario insitorum genere nossent.

25. *Animadvertimus.*] MSS. omnes, *animo advertimus.*

Sect. II. 1. *Aquilone maxime*] Theophr. lib. 2. de causis, cap. 4. Aquilonem interim a septemtrione diversum esse scito, uti docuimus lib. 2. sect. 46.

2. *Qua in re plerique.*] Columellæ hæc oratio est, lib. 4. cap. 16. *Palus sic ponendus, ut frigorum & Aquilonum excipiat violentiam, vitemque protegat, &c.*

3. *A vento eo.*] Adversus vim ejus venti.

4 *A septemtrione.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap 26. *In omni vinea diligenter observant, ut ridica vitis ad septemtrionem versus figatur*

5. *Nam si cum defloruere.*] Est hoc apud Theophr. lib. 2. de causis, cap. 3.

6. *Etiam si omnino.*] Si vel nubilum fuerit, Austrinusve flatus: sereno tantum gaudent. Libro sup. sect. 46. *Perdunt facillime fructum ante maturitatem: amygdala, malus, pirus.... Pirus & amygdala, etiamsi non pluat, sed fiat Austrinum cælum, aut nubilum, amittunt florem, & primos fructus, si cum defloruere, tales dies fuerunt.*

7. *Circa Vergilias,*] Hoc est, circa earum exortum, de quo lib. 18. sect. 66.

8. *Coitus est earum.*] Primus conceptus, de quo lib. 16. sect. 39 sive germinatio. Et sect 45. *At vites & olea.... conceptum Vergiliarum exortu: hoc sidus illarum est.*

9 *Quod diximus.*] Libro 16. sect 46. De quatriduo autem oleis decretorio dicetur libri hujus sect. 30

10. *Septemtrionibus.*] Ab Aquilone septemtrionem differre supra monuimus.

11. *Hiemem quidem.*] Theophr. lib. 2. de causis, cap. 1. pag. 231.

[12] Imbres vero tunc expetendi evidens causa est, quoniam arbores fetu exinanitas, & foliorum quoque amissione languidas, naturale est avide esurire. Cibus autem earum imber. Quare tepidam esse hiemem, ut absumpto partu arborum, sequatur protinus conceptus, id est, germinatio, ac deinde alia [13] florescendi exinanitio, inutilissimum experimentis creditur. Quin immo si plures ita continuentur anni, etiam ipsæ moriantur arbores, [14] quando nemini dubia pœna est in fame laborantium. [15] Ergo qui dixit hiemes serenas optandas, [16] non pro arboribus vota fecit. Nec per solstitia imbres vitibus conducunt. [17] Hiberno quidem pulvere lætiores fieri messes, [18] luxuriantis ingenii fertilitate dictum est. Alioqui vota arborum frugumque communia sunt, nives diutinas sedere. Causa, non solum quia [19] animam terræ evanescentem exhalatione includunt & comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque radices: verum quod & liquorem sensim præbent, purum præterea levissimumque, quando nix aquarum cælestium spuma est. Ergo humor ex his [20] non universus ingurgitans diluensque, sed [21] quomodo sititur distillans, velut ex ubere alit omnia quæ non inundat. Tellus quoque illo modo [22] fermentescit, & succi plena, ac lactescentibus satis non effeta, [23] cum tempus aperit, tepidis arridet horis. Ita maxime frumenta pinguescunt, præterquam ubi calidus semper aer est, ut in Ægypto. [24] Continuatio enim & ipsa consuetudo, idem quod modus alibi efficit: plurimumque prodest, ubicumque non esse quod noceat. [25] In majore parte orbis, cum præcoces excurrêre germinationes, evocatæ indulgentia cæli, secutis frigoribus exuruntur. Qua de causa. [26] serotinæ hiemes noxiæ, silvestribus quoque: quæ magis etiam dolent urgente [27] umbra sua, nec adjuvante medicina: quando vestire teneras intorto stramento in silvestribus non est. [28] Ergo tempestivæ aquæ hibernis primum imbribus, deinde germinationem antecedentibus. Tertium tempus est, cum educant poma: nec protinus, sed jam valido fetu. Quæ fructus suos diutius continent, longioresque [29] desiderant cibos, his & serotinæ aquæ utiles: ut viti, oleæ, Punicis. Hæ jam pluviæ generis cujusque arboribus diverso modo desiderantur, aliis alio tempore maturantibus. Quapropter eisdem imbribus aliqua lædi videas, aliqua juvari, etiam in eodem genere, sicut in piris: alio die hiberna quærunt pluvias, alio vero præcocia, ut pariter quidem omnia desiderent. Hibernum tempus est ante germinationem, quæ Aquilonem Austro utiliorem facit. Ratio eadem mediterranea maritimis præfert: sunt enim plerumque frigidiora: montuosa planis, & [30] nocturnos imbres diurnis. Magis fruuntur aquis sata, non statim auferente eas Sole.

Connexa & situs vinearum, arbustorumque ratio est, quas in oras debeant spectare. [31] Vir-

NOTÆ.

12. *Imbres vero.*] Theophr. loc. cit.

13. *Florescendi*] Florum emissio, quo vis omnis arborum exhauriatur.

14. *Quando nemini.*] Quando dubium nemini est, quin defatiscant ea tandem, quæ in labore careant naturali, familiari, & assueto cibo. Cibus autem arborum imber est.

15. *Ergo qui dixit.*] Virgilium notat, ita canentem, lib. 1. Georg. vers. 100.

Humida solstitia, atque hiemes orate serenas,
Agricolæ. hiberno lætissima pulvere farra.

16. *Non pro arboribus*] Sane: sed pro farre ac frugibus. Nam de arboribus libro tantum Georgicorum sequenti Virgilius agit, ut ipsius carminis principia indicant:

Hactenus arvorum cultus & sidera cæli.
Nunc te, Bacche, canam, nec-non silvestria tecum
Virgulta, & prolem tarde crescentis olivæ.

Plinium hoc loco nonnulli reprehendunt, ac Virgilium aliter interpretantur, quos tu vide apud Lacerdam, in lib. 1. Georg. vers. 100 pag. 218.

17. *Hiberno quidem.*] Festus, verbo *Flaminius. Habetur*, inquit, *in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura præciperet: Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra metes.* Et Macrobius, lib. 5. Saturn. cap. 20. pag. 516. *In libro vetustissimorum carminum*, inquit, *qui ante omnia quæ a Latinis scripta sunt, compositus ferebatur, invenitur hoc rusticum vetus canticum. Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.*

18. *Luxuriantis.*] Non utique vera dicentis, si ubique pulverulentam hiemem segetibus optandam putavit. Galliæ certe plurimisque orbis regionibus est id e re agraria maxime, ut, quemadmodum Plinius ait, diutinæ nives sedeant. Nutriri hoc nivium frigore repercutiente semina terræ commissa, agnoscunt & agricolæ nostri: & ex nivium copia futuras lætas messes præsagiunt.

19. *Animam terræ.*] Terrenos halitus, qui radicibus & fovendis & nutriendis prosunt: itemque calorem concludens nix coquit arvum.

20. *Non universus.*] Non statim totus, ἀθρόως, sed paulatim sese insinuans.

21. *Quomodo sititur*] Pro modo sitis.

22. *Fermentescit*] Hoc est, ut recte Turnebus, lib. 10. Advers. cap. 3 diluitur nive tabescente, remollescit, putris & soluta redditur.

13. *Cum tempus aperit.*] Cum solvuntur nives, & jam ver aperit terras: *Zephyrique tepentibus auris laxant arva sinus*, ut Virgilius canit, lib. 2. Georg. vers. 330.

24 *Continuatio.*] Caloris, & mollioris cæli. Hæc vero de conditione cæli solique Ægypti, etiam Theophrastus habet, lib. 2. de causis, cap. 2 pag. 233.

25. *In majore.*] Theophr. loc. cit. totidem plane verbis.

26. *Serotinæ hiemes.*] Quæ intempestive ac serius adveniunt. διὸ καὶ ὀψιμοὶ χειμῶνες χαλεποὶ τοῖς δένδροις. Theophr. loc. cit.

27. *Umbra sua*] Ramorum densitate Solem haud admittente: cum & silvestres arbores nemo sit qui curet, nemo qui his medeatur, nemo qui stramento, dum sunt adhuc teneræ, circumvestiat, ut defendat a frigore. Cato, cap. 40. *Stramentis circumdato, alligatoque, ne gelus noceat.* Ὅπως μὴ ψύχηται, μηδ᾽ ἀποξηραίνηται, *ne frigeant, vel subarescant*, inquit Theophr. lib 4. hist. cap. 18.

28. *Ergo tempestivæ.*] Tempestivi omnium maxime imbres hiberni notantur: deinde qui germinationem antecedunt, tertium obtinent locum, qui postquam arbores defloruerunt, accessere: pabulum enim, consummationemque fructibus præstare incipiunt, cum non confestim secuti sunt, sed ubi fructus convaluerunt. Hæc totidem plane verbis Theophr. lib 2. de causis, cap. 3. pag. 234. ubi & singulorum causam investigat.

29. *Desiderant cibos.*] Imbres. Theophrast. loco proxime cit. Ὅσοι δ᾽ οἱ καρποὶ χρονιώτεροι, καὶ πλείονος δέονται τροφῆς καὶ πέψεως, τούτοις ἁρμόττει καὶ τὸ ὀψιαίτερον (ὕδωρ) οἷον τῇ ἀμπέλῳ, ῥοιᾷ, ἐλαίᾳ, τοῖς ἄλλοις. *Quibus vero fructus diuturniores, plusque alimenti coctionisque desiderantes, his seriores etiam imbres tempestivi accedunt: ut viti, Punica, oleæ, ceterisque.*

30. *Nocturnos imbres.*] Quoniam humorem ebibere largius plantæ valent, cum is a Sole non prorsus absumitur. Theophr. loc. cit.

31. *Virgilius.*] Ea de re Colum. lib. 3. cap. 12. pag. 109. *Cæli regionem quam spectare debeant vineæ, vetus est dissensio. Saserna maxime probante Solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum. Tremellio Scrofa præcipuam positionem meridianam censen-*

gilius ad occasus seri damnavit. [32] Aliqui sic maluere, quam in exortu. A pluribus meridiem probari adverto: nec arbitror perpetuum quidquam in hoc præcipi posse. [33] Ad soli naturam, ad loci ingenium, [34] ad cæli cujusque mores dirigenda solertia est. [35] In Africa meridiem vineas spectare, viti inutile, colono insalubre est, quoniam ipsa meridianæ subjacet plagæ: quapropter qui ibi in occasum aut septemtriones conseret, optime miscebit solum cælo. Cum Virgilius occasus improbet, nec de septemtrione [36] relinqui dubitatio videtur. Atqui in Cisalpina Italia magna ex parte vineis ita positis, compertum est [37] esse fertiliores.

Multum rationis obtinent & venti. In Narbonensi provincia atque Liguria, & parte Etruriæ, [38] contra Circium serere imperitia existimatur: eumdemque obliquum accipere, providentia. Is namque æstates ibi temperat: sed tanta plerumque violentia, ut auferat tecta. * [39] Quidam cælum terræ parêre cogunt: ut quæ in siccis serantur, orientem ac septemtriones spectent: quæ in humidis, meridiem. Necnon ex ipsis vitibus causas mutuantur, [40] in frigidis præcoces serendo, ut maturitas antecedat algorem. Quæ poma vitesque rores oderint, contra ortus, ut statim auferat Sol: quæ ament, ad occasus, vel etiam ad septemtriones, ut diutius eo fruantur. Ceteri fere rationem naturæ secuti, in Aquilonem obversas vites & arbores poni suasere: odoratiorem etiam fieri talem fructum [41] Democritus putat. * Aquilonis situm, ventorumque reliquorum, diximus [42] secundo volumine, dicemusque proximo plura cælestia. Interim manifestum videtur salubritatis argumentum, quoniam in meridiem etiam spectantium semper ante decidant folia.

(* Cap. III. — * Cap. IV.)

Similis & in maritimis causa. Quibusdam locis afflatus maris noxii, in plurimis iidem utiles: [a] quibusdam satis e longinquo aspicere maria jucundum: propius admoveri satis [b] halitum, inutile. Similis & fluminum stagnorumque ratio. [43] Nebulis adurunt, aut æstuantia refrigerant. Opacitate, atque etiam rigore gaudent, [44] quæ diximus. Quare experimentis optime creditur.

III. A cælo proximum est terræ dixisse rationem, haud faciliore tractatu: quippe non eadem arboribus convenit & frugibus plerumque: [1] nec pulla, qualem habet Campania, ubique optima vitibus: [2] aut quæ tenues exhalat nebulas: nec rubrica multis laudata. Cretam in [3] Albensium Pompeïanorum agro, & argillam, [c] cunctis ad vineas ge-

INTERPRETATIO.

a *Quibusdam satis*] Quibusdam frugibus.
b *Halitum.*] *Maritimum* afflatum.
c *Cunctis.*] Cunctis *terrarum* generibus, quæ vineis *putantur idonea.*

NOTÆ.

te: *Virgilio de industria occasum sic repudiante:*

Neve tibi ad Solem vergant vineta cadentem.

Libro nempe Georg. 2. vers. 298.

32. *Aliqui sic maluere.*] Democritus, lib. 5. Geopon. cap. 4. *Μάλιστα μέντοι ἀνατολικὰ .... Ἐνίοτε δὲ καὶ δυτικὰ ἐστὶν ἀμεινότερα μᾶλλον, ὅταν μακρὰν ὄντα τῆς θαλάσσης ἐπιπνέηται ὑπὸ τοῦ ζεφύρου. Magis tamen orientales. ... Aliquando vero & occidentales potiores erunt, cum procul a mari dissita Favonium aspirantem habent.*

33. *Ad soli.*] Columella loc. cit. *Nobis in universum præcipere optimum visum est, ut in locis frigidis meridiano vineta subjiciantur, tepidis orienti advertantur, si tamen non infestabantur Austris, Eurisque .... Sin autem regiones prædictos ventos fuerint obnoxiæ, melius Aquiloni, vel Favonio committentur.*

34. *Ad cæli .... mores.*] Statum, habitumque aëris. Vide Notas & Emend num. II.

35. *In Africa.*] Vide Notas & Emend. num. III.

36. *Relinqui dubitatio.*] MSS. Reg &c. *reliqua.* Non est, inquit, dubitandi locus, quin vineta male septemtrioni opponantur: quandoquidem magis noxius est septemtrionalis situs, quam sit occidentalis: occasum autem improbat Virgilius. Atque nihilominus in Italia Cisalpina, &c. Cisalpinam vocat, non eam quæ cis Apenninum est, spectatque Inferum mare: nam quis Transalpinam quoque Italiam dici posse quisquam arbitretur, quæ trans Apenninum altero latere in Superum seu Adriaticum vergit? sed plane censemus *Italiam Cisalpinam* dixisse eum, pro Gallia Cisalpina, quod sit illa Italiæ pars: quam & Subalpinam idem appellat, lib. superiore, sect. 22.

37. *Nullas esse fertiliores.*] Apposite Palladius, lib. 1. cap. 6. pag. 8. *Aquilo vites sibi objectas fecundat: Auster nobilitat. Ita in arbitrio nostro est, utrum plus habeamus, an melius.* Aquilonem Palladius pro septemtrione usurpat. Præiverat Columella, loc. cit. *Democrito & Magone*, inquit, *laudantibus cæli plagam septemtrionalem: quia existiment ei subjectas feracissimas fieri vineas, quæ tamen bonitate vini superentur.*

38. *Contra Circium*] De eo diximus lib. 2. sect. 46.

39. *Quidam cælum.*] Quidam cælum solo, qualecumque illud sit, servire cogant: nam cum ratio fere suadeat, ut, quemadmodum paulo ante dictum est, cælum solo misceatur, & quæ feruntur in humido, orienti opponantur, qui siccior est: quæ in sicco, meridiei, hoc est, Austro, qui humidus est: hi contra, cælum terræ servire cogunt: atque etiam e sicco solo cælique statu uvas ac fruges expoliunt: & ex humido pariter solo cæloque.

40. *In frigidis, &c.*] Colum. lib 3. cap. 1. pag. 82. *Frigidaque aut nebulosa cæli qualitas duorum generum vites aptabit: seu præcoques, quarum maturitas frugum præcurrit hiemem: seu firmi durique acini, quarum inter caligines uvæ deflorescunt, & gelicidiis ac pruinis, ut aliæ caloribus mitescunt.* Sic idem, lib. 5. cap. 10 de ficis: *Locis frigidis, autumni temporibus, & aquosis, præcoques ponito, ut ante pluviam fructum delegas.* Forte, *ante brumam*: quanquam & libro de arboribus, cap. 21. etiam *ante pluviam* legitur.

41. *Democritus putat.*] Alio id certe loco prodidisse necesse est, quam quem a Columella paulo ante laudari vidimus.

42. *Secundo volumine.*] Libro 2. sect. 46 & 47.

43. *Nebulis adurunt.*] Emittunt enim flumina stagnaque nebulas aurasque frigidas, quæ rubigines deinde creent, vitibus admodum satisque noxias, si ea nempe viciniora sint: eadem alibi, sata in æstu refrigerant. Quare ad soli naturam dirigenda solertia est. Ita fere Democritus in Geopon. lib. 5. cap. 5. pag. 123. Vide Notas & Emendationes, num. IV.

44. *Quæ diximus.*] Libro 16. sect. 30. & 31.

Sect. III. 1. *Nec pulla.*] Columella 10 præfat. pag. 8. *Atque in aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, ut in Campania, est laudabilis: in aliis pinguis rubrica melius respondet, &c.* Et lib. 2 & 10. *Putre solum, quod Campani pullum vocant.*

2. *Aut quæ tenues.*] Virgilium notat ita canentem, lib. 2. Georg. vers. 217.

Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres,
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos, &c.

3. *Albensium.*] Ab Alba Pompeia, de qua lib. 3. sect. 7.

neribus anteponunt, quanquam præpingues, [4] quod excipitur in eo genere. Invicem sabulum album in Ticinensi, multisque in locis nigrum, itemque rubrum, etiam pingui terræ permixtum, infecundum est.

[5] Argumenta quoque judicantium sæpe fallunt. [6] Non utique lætum solum est, in quo proceræ arbores nitent, præterquam illis arboribus. Quid enim abiete procerius? 5
[7] aut quæ vixisse possit alia in loco eodem? [8] Nec luxuriosa pabula pinguis soli semper indicium habent: nam quid laudatius Germaniæ pabulis? & tamen statim subest arena tenuissimo [9] cespitum corio. Nec semper aquosa est terra, cui proceritas herbarum: non hercules magis, quam pinguis, [11] adhærens digitis, quod in argillis arguitur. [12] Scrobes quidem regesta in eos nulla complet, ut densa atque rara ad hunc modum 10
deprehendi possit: [13] ferroque omnis rubiginem obducit. [14] Nec gravis aut levior, justo deprehenditur pondere: quod enim pondus terræ justum intelligi potest? [15] Nec fluminibus aggesta semper laudabilis, [b] quando senescant sata quædam aqua. Sed neque illa quæ laudatur, diu, [16] præterquam salici, utilis sentitur. [c] Inter argumenta stipulæ crassitudo est, tanta alioqui in Laborino Campaniæ nobili campo, ut ligni vice utantur: sed 15
idem solum ubicumque arduum opere, difficile cultu, [d] bonis suis acrius pæne quam vitiis possit, affligit agricolam. [17] Et carbunculus terra, quæ ita vocatur, emendari vite macra putatur. [18] Nam tofus scaber naturâ friabilis, expetitur quoque ab auctoribus. [19] Virgilius & quæ filicem ferat, non improbat vitibus. [20] Salsæque terræ multa melius creduntur, tutiora a vitiis innascentium animalium. [21] Nec colles opere nudantur, si 20
quis perite fodiat. [22] Nec campi omnes minus Soles atque perflatus, quam opus sit, ac-

INTERPRETATIONES.

a *Quando.*] Quandoquidem senescunt quædam, quæ sunt in aquis sata.

b *Inter.*] Inter *optimæ terræ* argumenta, crassitudo stipulæ censetur.

c *Bonis suis.*] Bonitate sua magis fatigat agricolam, quam si magis vitiosum foret.

NOTÆ.

4. *Quod excipitur.*] Cum ea pinguitudo ad vites plerumque damnetur. Columella, lib. 3. cap. XI. *Cretosa humus utilis habetur viti. nam per se ipsa creta, qua utuntur figuli, quamque nonnulli argillam vocant, inimicissima est.*

5. *Argumenta.*] Virgilii nunc fere placita reprehendit, de signis terrarum.

6. *Non utique.*] Ut Virgilius censuit, lib. 2. vers. 207.
Aut unde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos, &c.

7. *Aut quæ vixisse. . . . in loco eodem.*] Nempe, quod abietis umbra, ut dicetur inferius sect. 18. subditis fruticibus noverca est & quæcumque attigerit, non dubie venenum est.

8. *Nec luxuriosa.*] Quæ Virgilius laudat, vers. 219.
Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Illa tibi lætis, &c.

9. *Cespitum corio.*] Arenam integit tenuissimus cespes, instar cutis, aut crustæ, vel corii. *In Africa* quoque ac *Numidia*, teste Columella, in præf. *putres arenæ fecunditate vel robustissimum solum vincunt.*

10. *Nec semper.*] Virgilii versus, eodem libro, vers. 251.
Humida majores herbas alit, ipsaque justo
Lætior.

11. *Adhærens.*] Idem, vers. 248.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud unquam manibus jactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Virgilio tamen Columella subscribit, lib. 2. c. 2. p. 42. *Itaque considerandum erit, ut solum quod excolere destinamus, pingue sit. Per se tamen id parum est, si dulcedine caret, quod utrumque satis expedita nobis ratione contingit discere. Nam perexigua conspergine aquæ gleba, manuque subigitur: ac si glutinosa est, & quoties levissime tacta pressa inhærescit, & picis in morem ad digitos lentescit habendo, ut ait Virgilius, eademque illisa humo non dissipatur: ea res admonet nos, inesse tali materiæ naturalem succum & pinguitudinem.* Item Pallad. lib. 1. cap. 5. pag. 5.

12. *Scrobes. . . . in eos.*] In eos scrobes regesta, unde effossa est. Columella, loc. cit. *Sed & si velis scrobibus egestam humum recondere, & recalcare, cum aliquo quasi fermento abundaverit, certum erit eam esse pinguem: cum defuerit, exilem: cum æquaverit, mediocrem, &c.* Simile est quod Virgilius præcipit, lib. 2. Georg. vers. 226.
Nunc quo quamque modo possis dignoscere, dicam:
Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho.
Sin in sua posse negabunt
Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager: glebas cunctantes, crassaque terga
Exspecta, & validis terram proscinde juvencis.

13. *Ferroque omnis.*] Cum tamen eam solam Virgilius damnet, vers. 220.
Quæ scabie & salsa lædit rubigine ferrum.

14. *Nec gravis.*] Virgilius, vers. 254.
Quæ gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quæque levis.

15. *Nec fluminibus.*] Virgil. vers. 184.
At quæ pinguis humus . . . .
. . . . Huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum.
At *videntur aquaticæ* arbores *celerius interire*, ut Plinius ait, lib. 16. sect. 90.

16. *Præterquam salici.*] Nam, ut alibi diximus cum Virgilio, vers. 110. *Fluminibus salices nascuntur.*

17. *Et carbunculus.*] Carbunculus Vitruvio, lib. 2. cap. 6. pag. 24. arenæ genus, quod in Etruria, adusta nimiam vehementia vaporis materia, procreatur. Id terræ vitium quomodo vite macra sanetur, docet Cato, cap. 37. *Vinea*, inquit, *si macra erit, sarmenta sua concidito minute, & ibidem inarato, aut suffodito.*

18. *Nam tofus.*] Quamlibet a Virgilio damnatus, v. 214.
Et tofus scaber, & nigris exesa chelydris Creta.
Tofus est lapidis genus molle ac friabile, de quo dicetur uberius lib. 36. sect. 48. Refellere non vacat noritium hominis eruditi commentum, tofum existimantis uliginosam esse palustremque terram. Columella, lib. 3. cap. XI. *Quis enim, inquit, vel mediocris agricola nesciat, etiam durissimum tofum, vel carbunculum, simul atque sint confracti, & in summo regesti, tempestatibus, gelu, nec minus æstivis putrescere caloribus, ac resolvi: eosque pulcherrime radices vitium per æstatem refrigerare, succumque retinere? quæ res alendo surculo sunt accommodatissima.*

19. *Virgilius.*] Libro 2. Georg. vers. 189.
Quæ filicem curvis invisam pascit aratris,
Hic tibi prævalidas olim, multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro.

20. *Salsæque.*] A Virgilio tamen damnatæ, vers. 238. quod saporem vini corrumpit, & incrementa vitium virentium velutii quadam scabra rubigine coercet, inquit Columella, lib. 3. cap. 1. ubi & Virgilii versus ipse recitat:
Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix: ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.
At certe in terra salsa palmas seri oportere docet auctor Geopon. lib. 2. cap. 9. pag. 48. ipseque Plinius lib. 13. sect. 8. & libri hujus sect. 47. palmas ait & lentiscum salsis aquis ali. Alia multa etiam Theophr. lib. 2. de causis, cap. 7. pag. 240.

21. *Nec colles.*] Nec in collibus male opera collocatur, quanquam hos Virgilius improbat, vers. 179.
Difficiles primum terræ, collesque maligni.

22. *Nec campi.*] Id nempe reprehendit quod vulgus jactitat, venitque in usum proverbii, & est apud Nasonem,

cipiunt. Et quasdam pruinis ac nebulis pasci [23] diximus vites. Omnium rerum sunt quædam in alto secreta, & suo cuique corde pervidenda.

Quid quod mutantur sæpe judicata quoque ac diu comperta? [24] In Thessalia circa Larissam emisso lacu frigidior facta ea regio est, oleæque desierunt, quæ prius fuerant. [25] Item vites aduri, quod non antea, Ænos sensit admoto Hebro. [26] Et circa Philippos cultura siccata regio mutavit cæli habitum. [27] At in Syracusano agro advena cultor [28] elapidato solo, perdidit fruges luto, donec regessit lapides. [29] In Syria levem tenui sulco imprimunt vomerem, quia subest saxum exurens æstate semina. Jam in quibusdam locis similes æstûs immodici, & frigorum effectus. Est fertilis Thracia frugum, rigore: æstibus, Africa & Ægyptus. [30] In Chalcia Rhodiorum insula locus quidam est in tantum fecundus, ut suo tempore satum demetant hordeum, sublatumque protinus serant, & cum aliis frugibus metant. [31] Glareosum oleis solum aptissimum in Venafrano, pinguissimum in Bætica. [32] Pucina vina in saxo coquuntur. Cæcubæ vites [33] in Pontinis paludibus madent. Tanta est argumentorum, ac soli varietas, ac differentia. [34] Cæsar Vopiscus, cum causam apud Censores ageret, [35] campos Roseæ dixit Italiæ sumen esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret: sed non nisi ad pabulum probantur. [36] Non tamen indociles natura nos esse voluit, & vitia confessa fecit, etiam ubi bona certa non fecerat. Quamobrem primum crimina dicamus.

CAP. V. [37] Terram amaram, sive macram, si quis probare velit, demonstrant eas atræ degeneresque herbæ: frigidam autem, [38] retorride nata. Item [39] uliginosam, tristia: rubricam oculi, argillamque, operi difficillimas, quæque rastros ac vomeres ingentibus glebis onerent: quanquam non quod operi, hoc & fructui sit adversum. Item e contrario cineraceam, & sabulum album. a Nam sterilis densa callo facile deprehenditur, vel uno ictu cuspidis. Cato breviter atque ex suo more vitia determinat: [40] Terram cariosam cave neve plaustro, neve pecore impellas. Quid putamus hac appellatione ab eo tantopere reformidari, ut pæne vestigiis quoque interdicat? [41] Redigamus ad ligni cariem, & inveniemus illa, quæ in tantum abominatur, vitia, [42] aridæ, fistulosæ, scabræ, canescentis, exesæ, & pumicosæ. Plus dixit una significatione quam possit ulla copia sermonis enarrari. Est enim intepretatione vitiorum quædam, [43] non ætate, (quæ nulla in ea intelligi potest,) sed natura sua, anus terra: & ideo infecunda ad omnia, atque imbecilla.

[44] Idem agrum optimum judicat ad radicem montium planitie in meridiem excurrente: [45] qui est totius Italiæ situs: [46] terram vero teneram quæ vocetur pulla. Erit igitur hæc

INTERPRETATIO.

a *Nam sterilis.*] Nam quæ sterilis est terra, densa est, ac *duritie* quæ calli instar est, facile deprehenditur.

NOTÆ.

ut citari quidem ab aliis video, tantummodo *perflare altissima ventos.*

23. *Diximus vites.*] Nempe in Ravennate agro, lib. 14. sect. 4.

24. *In Thessalia.*] Hæc Theophr. lib. 5. de causis, cap. 20. pag. 345.

25. *Item vites.*] Theophr loc. cit. etsi corrupto Græco codice Ænos ibi prætermissa sit. Cætera singularum ejuscemodi mutationum causas erudite Græcus scriptor persequitur. De Æno oppido, Hebroque amne, & Philippis, diximus in Geographicis, lib. 4.

26. *Et circa Philippos.*] Theophr. loc. cit

27. *At in Syracusano.*] Theophr. lib. 3. de causis, cap 25. pag. 290.

28 *Elapidato solo.*] Cum lapides ex agro sustulisset.

29. *In Syria.*] Theophr. loco proxime cit.

30. *In Chalcia.*] Sive Chalce, de qua lib 5. sect. 36.

31. *Glareosum.*] Colum lib. 5 cap. 8. pag. 194. *Aptissimum genus terræ est oleis, cui glarea subest, si superposita creta sabulo admixta est. Non minus probabile est solum, ubi pingues sabulo est,* &c.

32. *Pucina vina.*] Crescunt, inquit, maturanturque vina Pucina in saxoso solo. Plinius, lib. 14. sect. 8. *Livia Augusta LXXXII. annos vita Pucino vino retulit acceptos. . . . . Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul a Timavo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu, paucas coquente amphoras.* In quibusdam libris *Punica* perperam legas.

33. *In Pontinis.*] Sive Pomptinis, de quibus lib 3. sect. 9.

34. *Cæsar Vopiscus.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 7. pag. 51. *Cæsar Vopiscus ædilitius, causam cum ageret apud Censores, Campos Rosea Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.*

35. *Campos Rosea.*] De his egimus lib. 3. sect. 17.

36. *Non tamen.*] Non tamen nescire nos natura voluit, quæ sciri oporteret.

37 *Terram amaram, sive macram.*] Hoc est, sive amaram, salsamque, sive macram, (sunt enim diversæ,) iisdem signis deprehendes. Vide Notas & Emend. num. V.

38. *Retorride nata.*] Velut frigore adustæ herbæ, & ut Palladius ait, lib. 1 cap. 5. pag 5. ubi vim ejus vocis explanat, naturalis succi egentes.

39. *Uliginosam.*] Semper humidam, quod in loco præsertim æquo contingit, cum aquæ non habent delapsum, ut loquitur Varro, lib 1. de re rust. cap 6. Quod si modice humida terra sit, tunc *dulci uligine læta* intelligitur, qualis a Virgilio laudatur, lib 2. Georg. vers. 184

40. *Terram cariosam.*] Cato, lib 2. de re rust. cap. 5. pag. XI. *Terram cariosam caveto ne ares, neve plostrum, neve pecus impellas: si ita non caveris, quo impuleris, triennii fructum amittes.*

41. *Redigamus.*] Ita MSS. Reg. &c. non *redeamus*, ut in editis prave.

42. *Aridæ, fistulosæ.*] Columella, lib. 2. cap. 4. pag. 47. *Quam terram rustici variam cariosamque appellant, ea est, cum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefacit, inferiorem non attingit . . . . Quæ sic subacta sunt arva, continuo triennio sterilitate afficiuntur.* Vide quæ de terra varia dicturi sumus lib. 18. sect. 49.

43. *Non ætate, quæ nulla.*] *Falso credidit Tremellius*, inquit Columella lib. 2. cap. 1. pag. 37. *parentem omnium terram, sicut muliebrem sexum, ætate anili jam confectam, progenerandis esse fœtibus inhabilem*, &c.

44. *Idem agrum.*] Cato, cap. 1. pag 6. *Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet.*

45 *Qui est totius Italiæ.*] Plinius, lib. 3. sect. 6. de Italia: *Incedit per maria, cæli regione ad meridiem quidem: sed si quis id diligenti subtilitate exigat, inter sextam horam primamque brumalem.*

46. *Terram vero teneram, &c.*] Cato, cap 151. *Quo pacto in resecta seri oporteat. . . . Per ver serito in loco, ubi terra te-*

optima [47] & operi, & fatis. Intelligere modo libeat dictam mira significatione teneram: & quidquid optari debet, in eo vocabulo invenietur. Illa temperatæ ubertatis, illa mollis facilisque culturæ, nec madida, nec sitiens. Illa post vomerem nitescens: qualem fons ingeniorum [48] Homerus in armis a Deo cælatam dixit, [49] addiditque miraculum nigrescentis, quamvis [50] fieret in auro. Illa quam recentem exquirunt improbæ alites, vomerem 5 comitantes, [51] corvique aratoris vestigia ipsa rodentes.

Reddatur hoc in loco luxuriæ quoque sententia & aliqua in propositum. Certe Cicero, [52] lux doctrinarum altera: Meliora, inquit, unguenta sunt, [53] quæ terram, quam quæ crocum sapiunt. Hoc enim maluit dixisse, quam redolent. Ita est profecto: illa erit optima, quæ unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille qui quæ- 10 ritur, contingit sæpe etiam [54] quiescente ea sub occasum Solis, [55] in quo loco arcus cælestis dejecerit capita sua: [56] & cum a siccitate continua immaduit imbre: tunc emittit illum suum halitum divinum ex Sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit. Is esse odor in commota debebit, repertusque neminem fallet: ac de terra odor optime judicabit. Talis fere est in novalibus [57] cæsa vetere silva, quæ consensu laudatur. 15

Et in frugibus quidem ferendis eadem terra utilior intelligitur, quoties intermissa cultura quievit: quod in vineis non fit. Eoque diligentius eligenda est, ne vera exsistat [58] opinio eorum, qui jam Italiæ terram existimavere lassam. [59] Operis quidem facultas in aliis generibus constat & cælo: nec potest arari post imbres aliqua, [60] ubertatis vitio lentescens. Contra, [61] in Byzacio Africæ illum centena quinquagena fruge fertilem campum, nullis, 20 cum siccus est, arabilem tauris, post imbres [62] vili asello, & a parte altera jugi, anu vomerem trahente, vidimus scindi. Terram enim terra emendari ([63] ut aliqui præcipiunt) super tenuem pingui injecta, aut gracili bibulaque super humidam ac præpinguem, dementia operæ est. Quid potest sperare qui talem colit?

IV. Alia est ratio, quam Britannia & Gallia invenere [1] alendi eam ipsa: quod genus 25 CAPUT VI. vocant [2] margam. [a] Spissior ubertas in ea intelligitur. Est autem quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, [3] ibi densante se pinguitudinis nucleo. * Non omisere & hoc Græci: quid enim intentatum illis? [4] Leucargillon vocant candidam argillam, qua in Megarico agro utuntur, sed tantum in humida frigidaque terra. * CAP. VII.

Illam Gallias Britanniasque locupletantem cum cura dici convenit. Duo genera fuerant. 30 Plura nuper exerceri cœpta proficientibus ingeniis. Est enim alba, rufa, columbina, argil-

INTERPRETATIO.

a *Spissior.*] Major frugum ubertas in marga posita esse deprehenditur.

NOTÆ.

uberrima erat, quam pullam vocant.

47. *Et operi, & fatis.*] Et rastris vomeribusque facilis, & frugibus læta. Vide Notas & Emend. num. VI.

48. *Homerus.*] Iliad. σ'. vers. 541.

Ἐν δ' ἐτίθει νειὸν μαλακὴν, πίειραν ἄρουραν, &c.

49. *Addiditque.*] Versu 547.

Ἡ δὲ μελαίνετ' ὄπισθεν, ἀρηρομένῃ δὲ ἐῴκει,
Χρυσείη περ ἐοῦσα· τὸ δὴ περὶ θαῦμα τέτυκτο.

Novale, quod erat proscissum, nigrescebat a tergo: & arata terra simile erat, quamvis in auro id exhiberetur: id vero ingens miraculum fuit.

50. *Fieret in auro.*] MSS. omnes, *ex auro.*

51. *Corvique.*] Id vero corvis familiare idcirco potius quod semina, quam quod recentem terram exquirant. Nam, ut Macrobius ait, lib. 7. Saturn. cap. 5. *corvus videmus universis insidiare seminibus*: quod & sacri codices commemorant, Luc. 12. vers 24.

52. *Lux doctrinarum altera.*] Post Homerum, qui, uti dictum est proxime, fons ingeniorum fuit.

53. *Quæ terram.*] Vide quæ jam antea diximus lib. 13. sect. 4.

54. *Quiescente ea.*] Nec aratro scissa, aut commota.

55. *In quo loco arcus.*] Egimus de ea re jam dudum lib. 12. sect. 52.

56. *Et cum a siccitate.*] Cum æstivo tempore solo adusto imbres accesserint, inquit Theophr. lib. 6. de causis, cap. 25. pag. 381. Martialis, lib. 3. Epigr. 65.

Pallidus Eoa thure quod ignis olet:
Gleba quod æstivo leviter cum spargitur imber. &c.

57. *Cæsa vetere silva.*] Quam potissimum Virgilius laudat, ut diximus paulo antea,

Vnde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit, &c.

58. *Opinio eorum.*] Etiamque Tremellii Scrofæ aliorumque, quos Columella appellat: cujus perelegans de hoc argumento oratio est, tum in præfatione operis, tum lib. 2. cap. 1. *Quæris, inquit, ex me, Publi Silvine, cur priore libro veterem opinionem fermе omnium, qui de cultu agrorum locuti sunt, a principio confestim repulerim, falsamque sententiam repudiaverim, censentium longo ævi situ, longique jam temporis exercitatione fatigatam, & effœtam humum consenuisse. Nec te ignoro, cum & aliorum illustrium scriptorum, tum præcipue Tremellii auctoritatem revereri, qui cum plurima rusticarum rerum præcepta simul eleganter & scite memoriæ prodiderit, videlicet illectus nimio favore priscorum, de simili materia disserentium, falso credidit parentem omnium terram, simul muliebrem sexum, ætate anili jam confectam, progenerandis esse fœtibus inhabilem,* &c. De Scrofa Tremellio egimus in auctorum indice, tomo 1.

59. *Operis quidem.*] Arandi proscindique soli facilitas in aliis terrarum generibus a cælo pendet.

60. *Vbertatis vitio.*] Ob pinguitudinem, quæ ubertatem facit, cum vomere scinditur, lentescit, nec friabilis est, solubilisque in pulverem.

61. *In Byzacio*] De eo jam diximus lib. 5. sect. 3. Sed ibi centesima tantum fruge reddere fœnus terra dicitur forte mendose, pro centena quinquagena. Cum libro XVIII. sect. XXI. *e modio*, ut ait ipse, *in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur*

62. *Vili asello.*] De asinorum ministerio in arando diximus lib. 8. sect. 68

63. *Vt aliqui*] Apud Theophr. lib 3. de causis, cap. 25. pag. 289. quod & ipse Theophrastus probat, argumentis non adeo pœnitendis. Atque id quidem Ubios, quanquam gentium solos, usurpare, sect seq. dicetur.

Sect. IV. 1. *Alendi eam ipsa*] Terram terra alendi.

2. *Margam.*] Ita MSS omnes. Posteriores margilam dixere, mox & Marlam, unde nostri *Marle*, *Margue*, & *Marne*. Edictum Pictense Caroli Calvi, laudatum a D. Du-Cange, §. 29. *Margilam, & alia quoque carricare.* Multa de ea Cæsius, lib. 2. de Mineral. cap. 2. sect 2. pag. 144. & Georg. Agricola, lib. 2. de natura fossil. pag. 158 & 189. Fossas unde marga seu marla eruitur, Galli vocant *Marlieres.*

3. *Ibi densante.*] Ibi densante se & cogente velut in nucleum callumque terræ pinguitudine.

4. *Leucargillon*] Voce conflata e duabus, λευκὸς & ἄργιλ[illegible]

lacea, tofacea, arenacea. Natura duplex: aspera, aut pinguis. Experimenta utriusque [a] in manus: ususque geminus, aut ut fruges tantum alant, [5] aut edant & pabulum. Fruges alit tofacea alba, quæ si sit inter fontes reperta, est ad infinitum fertilis: verum aspera tractatu, & si nimia injecta est, exurit solum. Proxima est rufa, quæ vocatur [6] acaunumarga, intermixto lapide terræ minutæ, arenosæ. Lapis [7] contunditur in ipso campo: primisque annis [8] stipula difficulter cæditur propter lapides. Impendio tamen minimo [b] levitate, dimidio minoris quam ceteræ, invehitur. Inspergitur rara: sale eam misceri putant. Utrumque hoc genus semel injectum [9] in quinquaginta annos valet, & frugum & pabuli ubertate.

CAPUT VIII. Quæ pingues esse sentiuntur, ex his præcipua alba. [10] Plura ejus genera. Mordacissimum, quod supra diximus. Alterum genus albæ cretæ argentaria est. Petitur ex alto, in centenos pedes actis plerumque puteis, ore angustatis: [11] intus, ut in metallis, spatiante vena. Hac maxime Britannia utitur. [12] Durant annis LXXX. Neque est exemplum ullius qui bis in vita hanc eidem injecerit. Tertium genus candidæ, [13] glissomargam vocant. Est autem creta fullonia mixta pingui terra, pabuli quam frugum fertilior; ita ut messe sublata ante sementem alteram [14] lætissimum secetur. Dum in fruge est, [15] nullum aliud gramen emittit. Durat XXX. annis: densior justo [16] Signini modo strangulat solum. Columbinam Galliæ suo nomine [17] eglecopalam appellant: [18] glebis excitatur lapidum modo: Sole & gelatione ita solvitur, ut tenuissimas bracteas faciat. [19] Hæc ex æquo fertilis. Arenacea utuntur, si alia non sit: in uliginosis vero, & si alia sit. Ubios gentium solos novimus, qui fertilissimum agrum colentes, [20] quacumque terra infra tres pedes effossa, & pedali crassitudine injecta lætificent. Sed ea non diutius annis X. prodest. Hedui & Pictones calce uberrimos fecere agros: quæ sane & oleis, & vitibus utilissima reperitur. Omnis autem marga [21] arato injicienda est, ut medicamentum rapiatur: & fimi desiderat aliquantulum, quæ primo plus aspera & quæ in herbas non effunditur: alioqui novitate, quæcumque fuerit, solum lædet, ne sic quidem primo post anno fertilis. Interest & quali solo quæratur. Sicca enim humido melior, arido pinguis. Temperato alterutra, creta vel columbina, convenit.

CAPUT IX. V. Transpadanis [1] cineris usus adeo placet, ut anteponant fimo jumentorum: quod quia levissimum est, ob id exurunt. Utroque tamen pariter non utuntur in eodem arvo, nec in arbustis cinere, nec quasdam ad fruges, [2] ut diximus. [3] Sunt qui pulvere quoque uvas ali judicent, pubescentesque pulverent, & vitium arborumque radicibus aspergant. Quod certum est Narbonensi provinciæ, & vindemias certius sic eo coqui, quia plus pulvis ibi, quam Sol, confert.

INTERPRETATIONES.

a *In manus*] Manu, ac *tractatu*, differentia utriusque agnoscatur.

b *Levitate*] Ob levitatem, dimidio minore quam ceteræ sumptu invehitur.

NOTÆ.

5. *Aut edant & pabulum.*] Non frugum modo fertiles sint, verum etiam & pabuli. Sic glissomarga versa vice mox dicetur pabuli, quam frugum, fertilior.

6. *Acaunumarga.*] Sic MSS. Reg. Colb. Thuan Chiffl. non *capnumarges*. Hoc est, extra amarorem marga, ab *α* privativo, & *καυνὸς*, amarum, atque ob id malum.

7. *Contunditur.*] Plerique nunc sinunt gelu resolvi, & tempestatibus.

8. *Stipula.*] Ægre stipula secatur, messisque peragitur, occursu assiduo lapidum.

9. *In L. annos.*] In Gallia ad decem tantum, hac ætate.

10. *Plura ejus genera.*] Margæ, nimirum albæ: alterum genus mordacissimum, quod & asperum, & exurens solum, de quo proxime dictum est: pingue alterum, e genere albæ cretæ, argentarium vocatur: quoniam nitorem argento reddit, ut dicetur lib. 36 sect 58. non, uti Cardanus somniavit, quod ex ea creta possit argentum detrahi. Utuntur ea fabri argentarii, ad argentea vasa polienda: ut Tripoli, seu Tripolitana terra, ad aurea æreave.

11. *Intus &c.*] Intus exspatiante fossura, ut in fodinis metallicis: quarum os pariter angustum, subterranei deinde meatus longissime exspatiantur.

12. *Durant.*] Ita MSS. Albæ nimirum cretæ geminæ.

13. *Glissomargam.*] Sic restituimus eam vocem, ex fide codicum Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. Chiffl. etsi in editis *Glischromargon* legitur, quod ex Anglisco *Glister* fulgere, deduci volunt, qui vocum origines sectantur. Alii a *γλύκων*, deducunt, quam vocem Aristophanes pro *γλυκύτερος*, *dulcior*, usurpavit: ut hoc margæ genus videlicet, cum altero collatum, quod acaunumargam veteres dixere, hoc est, sine amaritudine, dulcius eo esse intelligatur.

14. *Lætissimum secetur.*] Nempe pabulum.

15. *Nullum aliud.*] Gramen aliud nasci non finit

16. *Signini modo.*] Glissomarga, inquit, quum densius quam par est, injecta fuerit, Signini operis modo, strangulat, consternit, occluditque solum, ut sata veluti suffocatum haud proferat. Signini operis pavimentique faciendi ratio a Plinio traditur, lib. 35. sect. 48. Vide Notas & Emend. num VII

17. *Eglecopalam.*] Ita MSS. omnes Celticum nomen esse Plinius aperte monet: quare displicet Hermolai conjectura, legentis e Græco *pelan* · ut sit sententia, Gallias a Græco acceptum nomen corrupisse in suam. Græce enim *πέλειας* columba dicitur, quæ livido colore: unde & nomen margæ columbinæ.

18. *Glebis excitatur.*] E terra majores ejus margæ moles seu glebæ extrahuntur, ut lapides e lapicidinis: eædem in tenues bracteas Sole ac gelu solvuntur

19. *Hæc ex æquo fertilis.*] Pabuli nimirum, ac frugum.

20. *Quacumque terra.*] Lætum agrum, inquit, uberemque faciunt, cum terram infra tres pedes effossam, sterilioti solo injiciunt pedali crassitudine.

21 *Arato injicienda.*] Ubi jam solum aratum est: ut terra facilius vim margæ medicatam & salubrem hauriat. In libris quibusdam *aratro*, male.

Sect. V. 1. *Cineris usus.*] De quo Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 80.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola: neve
Effetos cinerem immundum jactare per agros.

Quæ porro traduntur a Virgilio agricolationis præcepta, ea sunt ex Italiæ Circumpadanæ ritu petita, ut Plinius adnotavit, lib. 18. sect. 30.

2. *Ut diximus.*] Sect. 3. his verbis: *Quippe non eadem arboribus convenit & frugibus plerumque.*

3. *Sunt qui pulvere.*] Hanc pulveris excitationem, quæ

VI. Fimi plures differentiæ: ipsa res antiqua. Jam [1] apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus lætificans reperitur. [2] Augeas rex in Græcia excogitasse traditur: divulgasse vero Hercules in Italia, quæ regi suo [3] Stercuto Fauni filio ob hoc inventum immortalitatem tribuit. [4] M. Varro principatum dat turdorum fimo ex aviariis: [5] quod etiam pabulo boum suumque magnificat: neque alio cibo celerius pinguescere asseverat. 5 [6] De nostris moribus bene sperare est, si tanta apud majores fuere aviaria, ut ex his agri stercorarentur. [7] Proximum Columella columbariis, mox gallinariis facit, natantium alitum damnato. [8] Ceteri auctores consensu [9] humanas dapes ad hoc in primis advocant. [10] Alii ex his præferunt hominum potus, in coriariorum officinis pilo madefacto. [11] Alii per sese, aqua iterum, largiusque etiam, quam cum bibitur, admixta. [12] Quippe plus jam ibi mali domandum est, cum ad virus illud vini homo accesserit. Hæc sunt 10 certamina, quibus invicem ad tellurem quoque alendam utuntur homines. [13] Proxime spurcitias suum laudant. [14] Columella solus damnat. Alii cujuscumque quadrupedis ex cytiso: [15] aliqui columbaria præferunt. [16] Proximum deinde caprarum est, ab hoc ovium, deinde boum, novissimum jumentorum. Hæ fuere apud priscos differentiæ, simulque præ- 15 cepta (ut invenio) re tali utendi, quando & hic [17] vetustas utilior: visumque jam est apud quosdam provincialium, in tantum abundante [18] geniali copia pecudum, [19] farinæ vice cribris superinjici, fœtore aspectuque, [20] temporis viribus, in quamdam etiam gratiam mutato. Nuper repertum, oleas gaudere maxime cinere [21] e calcariis fornacibus.

[22] Varro præceptis adjicit, equino, quod sit levissimum, segetes alendas: prata vero 20 graviore, & quod ex hordeo fiat, multasque gignat herbas. Quidam etiam bubulo [23] jumentorum præferunt, ovillumque caprino, [24] omnibus vero asininum, quoniam lentissime mandunt. E contrario usus [25] adversus utrumque pronunciat. [26] Inter omnes autem

NOTÆ.

fossione fit, cum pubescunt uvæ, hoc est, cum nigrescere incipiunt, laudat etiam Theophr. lib. 3. de causis, cap. 22. pag. 285. Τὴν δ' ὑποκόπρισιν..... ὅπως ἀζζοντης περιβάλλω οἱ φίτοια, &c.

Sect. VI. 1. *Apud Homerum regius senex.*] Laërtes. Cic. lib. de Senect. sect. 54. *Quid de utilitate loquar stercorandi? Homerus...., Laërtem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit.* Homeri versus est ejuscemodi, Odyss. ω. vers. 225.

Τὸν δ' οἷον πατέρ' εὗρεν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ,
Λισσεύοντα φυτόν.

Ubi illud λισσεύοντα stercorantem Cicero & Plinius reddiderunt.

2. *Augeas.*] Ille Eleorum rex, quem Hercules sustulit. Inde parœmia, *Augia stabulum.*

3. *Stercuto.*] Ita M S S. non *Stercutio.* Isidorus, lib. 17. Orig. cap. 1. *Stercorandi agri rationem primus induxit quidam nomine Stercutus in Italia, cujus ara a Pico dedicata est Romæ.* Sed rectius forte *Sterculus*, ut legimus apud Tertull. Apolog. cap. 25. & lib. 2. ad Nation. cap. 9. & apud Prudentium, in hymno S. Laurentii, vers. 450. Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 7. pag. 218. Saturnum hunc fuisse censet, *Stercutum dictum, quod primus stercore fœcunditatem agris comparaverit.*

4. *M. Varro.*] Libro 1. de re rust. cap. 38. *Stercus optimum scribit Cassius esse volucrum, præter palustrium, ac nantium. De his præstare columbinum, quod sit calidissimum, ac fermentare possit terram. Id ut semen aspergi in agro oportere, non ut de pecore acervatim poni. Ego arbitror præstare ex aviariis turdorum, ac merularum: quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum, ita bubus, ac suibus, ut fiant pingues.*

5. *Quod etiam pabulo.*] Ad pabulum & cibum boum suumque.

6. *De nostris.*] Non adeo damnandi mores nostri videntur.

7. *Proximum.*] Columella, lib. 2. de re rust. cap. 15. pag. 70. *Tria igitur stercoris genera sunt præcipua: quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus confit. Avium primum habetur, quod ex columbariis egeritur. deinde, quod gallinæ, ceteræque volucres edunt, exceptis tamen palustribus, aut nantibus, ut anatis & anseris: nam id noxium quoque est. Maxime tamen columbinum probamus.... Secundum deinde, quod homines faciunt,* &c.

8. *Ceteri auctores.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 5. Varro & Colum. loc. cit.

9. *Humanas dapes.*] Excrementa ciborum sic caste circumloquitur.

10. *Alii ex his.*] Alii, inquit, humanum lotium anteponunt, cum pilo qui in coriariorum officinis fuerit eo lotio madefactus. Hæc coriariorum retrimenta sordesque cum lotio pariter commendat in primis auctor Geopon. lib. 2. cap. 20. pag. 59. Καὶ ὁ μίγνυσιν, ... ὑπὸ τῶν μαζῶν ... φωνί.... τὸ οὖρον, τὸ ἀνθρώπινον.... ἅμα καὶ τῶν τῶν σκυτοδεψῶν ἀναλωμάτων. Quin & Theophr. addit, lib. 3. de causis, cap. 23. pag. 287. eo stercore nonnulla ex silvestrium numero in urbanum habitum transiisse.

11. *Alii per se.*] Alii lotium seu urinam adhibent solam, ac sine coriariorum retrimentis admixtis, addita tantum aqua, ne agrum perurat. Columella, lib. 2. cap. 15. *Aptior est tamen surculis hominis urina, quam sex mensibus passus fueris veterascere: si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat: nec solum ea res majorem facit proventum, sed etiam saporem, & odorem vini pomorumque reddit meliorem.*

12. *Quippe plus jam ibi mali.*] Plus, inquit, vitii corrigendum emendandumque est: cum ad virus quod vinum habet in se, etiam illud accesserit, quod ex humano traxit corpore, per quod potus transmeat. In quibusdam libris *male*, pessime.

13. *Proxime.*] Theophr. loc. cit.

14. *Columella solus.*] E Latinis. Nam e Græcis auctor Geopon. lib. 1. cap. 29. pag. 58. Columellam sequutus est Palladius. lib. 1. cap. 33.

15. *Aliqui columbaria.*] Colum. loc. cit. Geopon. auctor, pag. 57.

16. *Proximum deinde.*] Cato, cap. 36. Varro, loc. cit. Auctor Geopon. loc. cit. pag. 58.

17. *Vetustas utilior.*] Utilius est vetustiorum sequi præcepta. Cave enim de stercoris vetustate accipias. Enimvero, ut recte Columella, lib. 2. cap. 15. *Stercus omne, quod tempestive repositum, anno requieverit, segetibus est maxime utile: nam & vires adhuc solidas habet, & herbas non creat. Quanto autem vetustius sit, minus prodest, quoniam minus valet: itaque pratis quam recentissimum debet injici, quod plus herbarum progeneret,* &c. Quæ Palladius, lib. 1. cap. 33. de sterquilinio, totidem fere verbis exscripsit.

18. *Geniali.*] Fecunda.

19. *Farinæ vice.*] In modum farinæ crebro agris superinjici.

20. *Temporis viribus.*] Progressu temporis, ac vetustate.

21. *In calcariis.*] Quin & calcem ipsum ad emendandum terræ vitium, in qua olea seritur, Columella adhibet, lib. 5. cap. 9. *Solent etiam*, inquit, *vitio soli fructum oleæ necare: cui rei sic medebimur. Altis gyris ablaqueabimus eas, deinde calcis pro magnitudine arboris plus minusve circumdabimus, sed minima arbor modicum postulat.*

22. *Varro.*] Libro 1. de re rust. cap. 38. *Minime bonum equinum, sed ut segetes: in prata enim vel optimum, ut ceterarum veterinarum, quæ hordeo pascuntur, quod multam facit herbam.*

23. *Jumentorum.*] Ut equinum, mulinum. Sic Colum. lib. 2. cap. 15. pag. 71.

24. *Omnibus.... asininum.*] Colum. loc. cit. iisdem verbis.

25. *Adversus utrumque.*] Varronis scilicet & Columellæ placitum modo allatum.

26. *Inter omnes*] Colum. lib. 2. cap 14. pag. 69. *De lupino nihil dubito, atque etiam de pabulari vicia: si tamen eam cum eandem defectam confestim aratrum subsequatur, & quod falx reliquerit, priusquam inarescat, vomis rescindat, atque obruat: id enim cedit pro stercore,* &c. In eodem habitat argumento cap. 16. pag. 73.

constat nihil esse utilius lupini segete, priusquam [27] siliquetur, aratro vel bidentibus versa, manipulisve desectæ, circa radices arborum ac vitium obrutis. [28] Etiam ubi non sit pecus, culmo ipso, vel etiam filice, stercorare arbitrantur.

[29] Cato: Stercus unde fiat, stramenta, lupinum, paleas, [30] fabalia, ac frondes iligneas, quernasque. E segete evellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam auctam, ulvamque: eam substernito ovibus, frondemque putidam. [31] Vinea si macra erit, sarmenta sua comburito, & ibidem inarato. [32] Itemque ubi saturus eris frumentum, oves ibi delectato.

VII. Nec non & satis quibusdam ipsis pasci terram dicit. [1] Segetem stercorant fruges: lupinum, faba, vicia. Sicut e contrario cicer, quia vellitur, & quia salsum est: hordeum fenum Græcum, ervum: hæc omnia segetem exurunt, & omnia quæ velluntur: nucleos in segetem ne indideris. [2] Virgilius & lino segetem exuri, & avena, & papavere arbitratur.

VIII. [1] Fimeta sub dio concavo loco, [2] & qui humorem colligat, stramento intecta, ne in Sole arescant; palo e robore depacto fieri jubent: ita fore ne innascantur his serpentes. Fimum miscere terræ, plurimum refert Favonio flante, ac [3] Luna sitiente. Id plerique prave intelligunt a Favonii ortu faciendum, [4] ac Februario mense tantum: cum id pleraque sata aliis postulent mensibus. Quocumque tempore facere libeat, curandum ut ab occasu æquinoctiali flante vento fiat, [5] Lunaque decrescente [6] ac sicca. Mirum in modum augetur ubertas effectusque ejus observatione tali.

CAP. X. IX. Abunde prædicta ratione cæli ac terræ, nunc de his arboribus dicimus, quæ cura hominum atque arte proveniunt. [1] Nec pauciora prope sunt genera: tam benigne naturæ gratiam retulimus. [2] Aut enim semine proveniunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut avulsione, aut surculo, [3] aut insito & consecto arboris trunco. [4] Nam folia palmarum

NOTÆ.

27. *Siliquetur.*] Priusquam siliquas faciat.

28. *Etiam ubi.*] Colum lib. 2. cap. 15. *Nec ignoro quoddam esse ruris genus, in quo neque pecora, neque aves haberi possint: attamen inertis est rustici eo quoque loco desici stercore. Licet enim quamlibet frondem, licet e vepribus compitisque congesta colligere: licet filicem sine injuria vicini, etiam cum officio decidere, & permiscere cum purgamentis cortis.*

29. *Cato.*] De re rust. cap. 37. pag. 32. *Stercus unde facias: Stramenta, lupinum, paleas, frondem ilignean, querneam. Ex segete vellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam altam, ulvamque: eam substernito ovibus, bubusque frondem putidam.* Ita libri omnes, etiam Pliniani MSS. non *putridam.*

30. *Fabalia.*] Stipulæ fabales.

31. *Vinea si.*] Cato, cap. 37. pag. 32. *Vinea si macra erit, sarmenta sua concidito minute, & ibidem inarato, aut infodito.*

32. *Itemque ubi.*] Cato, cap. 30. pag. 28. *Ubi sementim facturus eris, ibi oves delectato.* Apud Catonem alii legunt *delegato.* Sententia hæc est: oviarium septum, caulasque campestres ibi statuito, uti fimo locum stercorent. Fimum Latini lætamen appellant, ut inferius dicturi sumus, lib. 18. sect. 40.

Sect. VII. 1. *Segetem.*] Cato, cap. 37. pag. 32. *Quæ segetem stercorent fruges. Lupinum, faba, vicia.* Et paulo ante: *Cicer, quod vellitur, & quod salsum est, eo malum. Hordeum, fenum Græcum, ervum, hæc omnia segetem exurunt, & omnia quæ velluntur. Nucleos in segetem ne indideris.* A Catone & Plinio stat & Saserna apud Colum. lib. 2. de rust. cap. 14. pag. 69.

2. *Virgilius.*] Libro 2. Georg. v. 77.

Urit enim lini campum seges, urit avena.
Urunt Lethæo perfusa papavera somno.

Vide & Colum. loc. cit. pag. 70.

Sect. VIII. 1. *Fimeta.*] Varro lib. de re rust. cap. 38. *Sterquilinium secundum villam facere oportet .... In eo si in medio robustea aliqua materia sit depacta, negant serpentem nasci.* Colum. lib. 1. cap. 15. *Licet depressa fossa, qualem stercori reponendo primo volumine fieri præcepimus, cinerem, cœnumque cloacarum, & culmos, ceteraque quæ everruntur, in unum congerere. Sed eodem medio loco robusteam materiam defigere conveniet: namque ea res serpentum noxiam latere in stercore prohibet.*

2. *Et qui humorem.*] Proditum illud & a Columella, lib. 1. cap. 6. *Sterquilinia quoque duo sint: unum quod nova purgamenta recipiat, & in annum conservet: alterum, ex quo vetera vehantur. Sed utrumque more piscinarum devexum leni clivo, & exstructum, pavitumque solum habeat, ne humorem transmittant. Plurimum enim refert non adsiccato succo fimum vires continere, & assiduo macerari liquore: ut si qua interjecta sint stramentis aut paleis, spinarum vel graminum semina intereant, nec in agrum exportata segetes herbidas reddant. Ideoque periti rustici quidquid ovilibus stabulisque conversum proruerunt, superpositis virgeis cratibus tegunt, nec arescere ventis fimum, aut Solis incursu patiuntur exuri.*

3. *Luna sitiente.*] Hoc est, sicca, ut Plinius ipse ait, hac sect. & 24 sive, non imbrifera. Nugantur qui sitientem, aut siccam dici autumant, Turnebum secuti, quod Lunam aquis alı, sive fluvialibus, sive marinis Stoici putarent: sitire, cum exapera luminis foret: udam, cum plena esset: uti nos sicum pro sobrio, pro ebrio madidum dicimus. Apud Catonem hodie non *sitiente*, sed *silente* legitur: tamen *sitiente* exhibent Pliniani MSS omnes. Catonis verba sunt, cap. 29. pag. 28. *Stercus sic dividito.... quartam partem in pratum reservato: idque tum maxime opus erit, ubi Favonius flabit evehito Luna silenti*, pro *sitienti*. Itaque *sitiente Luna* eodem significatu dici nunc a Plinio palam est, quo ipse prius, lib. 13. sect. 7. *anno sitienti* dixit: & quo Columella, lib. 2. cap. 8. *sitienti solo, & sicco solo*, hoc est, imbrium expete.

4. *Ac Februario.*] Columellæ hæc oratio est, lib. 2. cap. 18. *Sed in totum curandum est, ut secundum Favonii exortum, mense Februario, circa Idus, immixtis seminibus feni, macriora loca, & utique celsiora stercorentur.*

5. *Lunaque decrescente.*] Sic Geopon. Auctor, lib. 2. cap. 19. pag. 59. & Columella, lib. 2. cap. 16. Item Palladius in Februario, tit. 20.

6. *Ac sicca.*] Hoc est, minime pluvia, ut diximus. Usus ea voce Propertius, lib. 2. Eleg. 17.

Nec licet in triviis sicca requiescere Luna.

Et Eleg. 28.

Incipit & sicco fervere terra Cane.

Ubi Sirio exardescente carere pluviis æstatem haud obscure significat: sive, ut Tibullus ait, lib. 1. Eleg. 4.

Æstivi tempora sicca Canis.

Sect. IX. 1. *Nec pauciora.*] Nec pauciora serendi genera ars hominum & cura invenit, quam natura: quæ tribus modis arbores edit, ut diximus lib. 16. sect. 58. Sponte, aut semine, aut radice: semine, inquam, fortuito labente ex arbore, non facta ex arte & industria seminatione. Sic naturæ paria retulimus.

2. *Aut enim semine.*] Modos sex enumerat, quibus arbores per artem proveniant: hos & Virgilius fere recenset, lib. 2. Georg. v. 23. Theophrastus Plinio consentit, lib. 2. hist. 1. c. 1. Seminationem. 2. Plantarum cum radice translationem e seminario in alium locum: hunc modum Theophrastus ἀπὸ ῥίζης vocat: plantas radicum Galli, *du Plant.* 3. Propagationem, quæ præsertim in vitibus nota est, *Provigner, Faire des Provins.* 4. Avulsionem, qua stolones, *les rejettons*, una cum fibris & radiculis e stirpe aut corpore arboris abscinduntur, & sulcis seu scrobibus mandantur: quod in arboribus ferme omnibus usurpatur. 5. Surculum, sive taleam e cacumine rami amputatam, quæ infossa sine radice crescit ac virescit: vulgo *planter des cions.* 6. Insitionem, cum surculus unius arboris alteri immittitur, quæ quasi in ejus naturam transit: *enter.*

3. *Aut insito, & consecto.*] Hoc est, insitione, quæ fit etiam secto ac fisso arboris summo trunco, quo vel unus vel plures surculi in fissuram inserantur. *Enter en fente.* Vide Notas & Emend. num. VIII.

4. *Nam folia.*] Vix credit Theophrastus iis qui etiam e apud

apud Babylonios seri, atque ita arborem provenire, Trogum credidisse demiror. Quædam autem [5] pluribus generibus seruntur, quædam omnibus.

X. Ac pleraque ex his ipsa natura docuit, & in primis semen serere, cum decidens exceptumque terra vivesceret. [1] Sed quædam non aliter proveniunt, ut castaneæ, juglandes: [2] cæduis dumtaxat exceptis. Ex semine autem, quanquam dissimili, ea quoque, quæ & aliis 5 modis seruntur: ut vites, & mala, atque pira. Namque iis pro semine nucleus, non ut supra dictis fructus ipse. [3] Et mespila semine nasci possunt. [4] Omnia hæc tarda proventu, ac degenerantia, & [5] insito restituenda. Interdum etiam castaneæ.

XI. [1] Quibusdam natura contra omnino non degenerandi, quoquo modo serantur: ut cupressis, lauris. Namque & laurus pluribus modis seritur. [2] Genera ejus diximus. Ex 10 his Augusta, & baccalis, & tinus, simili modo seruntur. Baccæ mense Januario, Aquilonis afflatu siccatæ leguntur, expanduntur que raræ, ne calefiant acervo. [3] Postea quidam fimo ad satum præparatas, urina madefaciunt. Alii in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis. [4] Alioquin uligo infestat, nec patitur nasci. In sulco [5] repastinato palmi altitudine vicenæ fere acervatim [6] mense Martio: eædem & propagine serun- 15 tur: [7] triumphalisque talea tantum. [8] Myrti genera omnia in Campania baccis seruntur, Romæ propagine Tarentina. [9] Democritus & alio modo seri docet, grandissimis baccarum tusis leviter, ne grana frangantur, eaque intrita reste circumlini, atque ita seri: [10] parietem fore densitatis, ex quo virgulæ differantur. Sic & spinas sepis causa serunt, [11] tomice moris spinarum circumlita. [12] Pilas autem laurus & myrti inopia a trimatu tem- 20 pestivum est transferre. Inter ea quæ semine seruntur, Mago [13] in nucibus operosus est. Amygdalas in argilla molli meridiem spectante seri jubet. [14] Gaudere & dura, calidaque terra: in pingui aut humida mori, ac sterilescere. [15] Serendas quam maxime falcatas, & e novella, fimoque diluto maceratas per triduum, aut pridie quam serantur, aqua mulsa. [16] Mucrone defigi, aciem lateris in Aquilonem spectare: ternas simul serendas trian- 25 gula ratione, palmo inter se distantes: [17] denis diebus adaquari, donec grandescant. Juglandes nuces porrectæ seruntur [18] commissuris jacentibus. Pineæ nucleis septenis fere in ollas perforatas additis: [19] aut ut laurus, quæ baccis seritur. [20] Citrea grano & propagine:

NOTÆ.

virgis ἀπὸ τῶν ῥάβδων τῶν Βαβυλώνι palmas provenire aiunt: lib. 2. hist. cap. 2.

5. *Pluribus generibus.*] Pluribus modis e sex proxime appellatis.

Sect. X. 1. *Sed quædam non aliter.*] Quam semine. Virgil. lib. 2. Georg. vers. 14.

Pars autem posito surgunt de semine, ut altæ
Castaneæ.

2. *Cæduis.*] Quæ succisæ, rursus e stirpibus aut radicibus renascuntur.

3. *Et mespila.*] Palladius, in Martio, tit. *Mespilum. Seritur & semine: sed in longiorem speratur ætatem.*

4. *Omnia hæc.*] Virgilius, lib. 2. Georg. vers. 57.

Jam quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant succos oblita priores.

Vide & Pallad. lib 3. in Febr. tit. 25 pag 71. Theophr. lib. 2. hist. cap. 3. Ὅσα δ᾽ ἀπὸ τοῦ σπέρματος ... χείρω. ... ἄμπελος, μηλέα, συκῆ, ῥοιά, ἄπιος, &c. *Quæ semine quoque proveniunt, ea fere deteriora redduntur. Quædam etiam omnino degenerant, ut vitis, malus, ficus, Punica, pyrus.*

5. *Et insito.*] Insitione.

Sect. XI. 1. *Quibusdam.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 3. hæc paulo enucleatius.

2. *Genera quæ diximus.*] Libro 15. sect. 39.

3. *Postea quidam fimo.*] Sic paulo post fimo diluto macerari semen jubet. In quibusdam libris, *fumo* male.

4. *Alioquin uligo.*] Cuticulæ, quæ baccas vestit, nimius humor, erumpere semen inclusum non patitur.

5. *Repastinato.*] Refosso.

6. *Mense Martio.*] Palladius mense Februario seri jubet, lib. 3. sive Februar. tit. 23.

7. *Triumphalisque.*] Laurus triumphalis, de qua cum reliquis generibus lib. 15. sect. 39. talea tantum sive surculo seritur, qui modus est e sex enumeratis quintus.

8. *Myrti genera.*] De his egimus lib. 15. sect 37.

9. *Democritus.*] Et Florentinus in Geopon. lib XI. cap. de plantatione myrti, pag. 310. Οἱ δὲ τῶν μύρτων ... *Sunt qui baccas lectissimas tundant leviter, restemque e palustri herba tortum, (quam butomum vocant) circumlingant: & sic in fossam injiciunt.*

10. *Parietem fore.*] Sic fore sepem e myrto densissimam, parietis vice, e qua surculi deinde cædi plures possint, qui alio transferantur.

11. *Tomice.*] Hoc est, junceo, lineo, palmeove funiculo, moris, quæ rubi vel spinæ ferunt, funeque nunc seminis vice, circumligato Palladius, in Februario, tit. 24. de hortis: *Circa Idus Februarias sepes hortorum ex congesto in funibus spinarum semine facienda est, sicut dictum est, cum de munimine loqueremur hortorum.* Nempe, lib. 1. tit. 34. de locis horti, pomarii, & sepibus. *Alii spinarum plantas aut semina in munitione disponunt. Sed melius erit rubi semina, & spinæ quæ rubus caninus vocatur, matura colligere, & cum farina ervi ex aqua macerata miscere: funes deinde sparteos veteres hoc genere mixtionis sic inducere, ut intra funes semina recepta serventur usque ad verni temporis initia. Tunc ubi sepes futura est, duos sulcos tribus a se pedibus separatos sesquipedis altitudine faciemus: & per utrosque, funes cum seminibus obruemus levi terra.*

12. *Pilas autem.*] Baccas intelligit laurus ac myrti, tomice sive teste, ut proxime dictum est, in pilæ modum circumlitas, atque ita satas. has, ubi cogit inopia, statim a trimatu ait tempestive transferri. Vide Notas & Emendat. num. IX.

13. *In nucibus.*] Amygdalinis, juglandibus, pineisque.

14. *Gaudere, &c.*] Palladius a Magone facit, lib. 2. in Januar, tit. 15. pag. 45. *Amant, inquit, agrum durum, siccum, calculosum, calum calidissimum: & quia mature florescere consueverunt, ita statuenda sunt, ut arbores ad meridiem spectent.*

15. *Serendas.*] Pallad. loc. cit. *Sed ipsa amygdala ad ponendum, & nova legamus, & grandia. Quæ antequam ponamus, pridie mulsa aqua, ita ut ne nimis maceremus, ne germen extinguat ex multo melle mordacitas. Alii prius fimo liquido per triduum nuces eas macerant: deinde die & nocte esse patiuntur in mulsa, sed quæ suspicionem tantum possit habere dulcedinis.* Sic & Florentinus in Geopon lib. 10. cap. 57. pag. 282.

16. *Mucrone.*] In carinæ similitudinem composita amygdala est: carinæ acumen Plinio mucro est acies lateris, carina ipsa ima, latusque, qua falcis aciem imitatur. Aliter tamen Pallad. loc. cit. tit. 16. pag. 47. *Ponemus nuces transversas, ut latus, id est, carina ipsa figatur in terra: cacumen ipsum cum ponimus nucem, in Aquilonis partem dirigemus.* Stare a Plinio Damogeron videtur, lib. 17. Geopon. cap. 63.

17. *Denis diebus.*] Decimo quoque die. Pallad. loc. cit. tit. 15. pag 45. *Cum in seminario amygdala disponimus, si siccitas intercesserit, ter in mense rigemus, & herbis nascentibus circumfodiendo sæpe purgemus.*

18. *Commissuris.*] Qua parte bifores putaminum valvulæ connectuntur.

19. *Aut ut laurus.*] Quæ quemadmodum baccis seratur, dictum est principio sectionis hujus.

20. *Citrea grano.*] Palladius, lib. 4. in Martio, tit. 10. pag. 94. *Mense Martio citri arbor quatuor modis seritur: semine,*

[21] sorba semine, [22] & a radice planta, & avulsione proveniunt. [23] Sed illa in calidis: sorba & in frigidis & humidis.

XII. Natura & plantaria demonstravit, [1] multarum radicibus pullulante sobole densa & pariente matre [2] quas enecet. Ejus quippe umbra turba indigesta premitur: [3] ut in lauris, Punicis, platanis, cerasis, prunis. Paucorum in hoc genere rami parcunt soboli, ut ulmorum, palmarumque. Nullis vero [4] tales pulluli proveniunt, nisi quarum radices amore Solis atque imbris in summa tellure spatiantur. Omnia ea non statim moris est [5] in sua locari, sed prius nutrici dari, atque in seminariis adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam silvestres: sive arborum quoque, ut hominum natura, novitatis ac peregrinationis avida est: sive discedentes virus relinquunt, mansuescuntque tractatu, ceu feræ, [6] dum radici avellitur planta.

XIII. [1] Et aliud genus simile natura monstravit, avulsique arboribus stolones vixere. Quo in genere & [2] cum perna sua avelluntur, partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt secum [3] fimbriato corpore. [4] Hoc modo plantantur Punicæ, coryli, mali, sorbi, mespili, fraxini, fici, in primisque vites. Cotoneum ita satum degenerat. [5] Ex eodem inventum est surculos abscissos serere. [6] Hoc primo sepis causa factum, sambucis, cotoneo, & rubis depactis: mox & culturæ, ut populis, alnis, salici, quæ [7] vel inverso surculo seritur. Jam ea ibi disponuntur, ubi libeat esse eas. Quamobrem seminatii curam ante convenit dici, quam transeatur ad alia genera.

XIV. [1] Namque ad id præcipuum eligi solum refert, [2] quoniam nutricem indulgentiorem esse, quam matrem, sæpe convenit. [3] Sit ergo siccum, succosumque, bipalio subactum, advenis hospitale, & quam simillimum terræ, in quam transferendæ sint. Ante omnia elapidatum, munitumque ad incursum etiam gallinacei generis: quam minime rimosum, ne penetrans Sol exurat fibras: [4] intervallo sesquipedum seri: nam si inter se contingant, præter alia vitia, etiam [5] verminosa fiunt; ideo sarriri convenit sæpius, herbasque evelli. Præterea semina ipsa fruticantia supputare, ac falcem pati consuescere. [6] Cato & surcis crates imponi jubet, altitudine hominis, ad [7] Solem recipiendum: atque integi culmo ad frigora arcenda: [8] sic pirorum malorumque semina nutriri, sic pineas nuces, [9] sic cupressos semine satas & ipsas. [10] Minimis id granis constat, ut vix perspici quædam possint, non omittendo naturæ miraculo, e tam parvo gigni arbores:

Notæ.

ramo, talea, clava .... Si granis velis serere, ita facies: Terram in duos pedes fodies, cinerem miscebis, &c.

21. *Sorba semine, &c.*] Palladius in Januario, tit. 15. *Mense Januario, Februario & Martio, locis frigidis .... sorba seruntur egregie, ita ut matura in seminario ipsa poma pangantur.... Plantas etiam si quis ponere voluerit, habebit arbitrium... Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, & solum pinguissimum, &c.*

22. *Et a radice planta.*] Seu plantis radicis, qui secundus modus e sex recensitis serendi generibus.

23. *Sed illa in calidis.*] Pallad loc. cit. de citreo: *Amat terram rarioris naturæ, cælum calidum, humoremque continuum ... Sed si quis hoc genus, ut in regione frigida nutriatur, extorquet, loco vel parietibus munito, vel in meridianam partem verso disponat hanc arborem, &c.*

Sect. XII. 1. *Multarum radicibus.*] E multarum arborum radicibus. Secundum serendi genus superius memoratum explanat.

2. *Quas enecet.*] Ramorum opacitate. Virgil. libro 2. Georg. vers. 53.

Necnon & sterilis, quæ stirpibus exit ab imis:
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.

3. *Ut in lauris,*] Virgil. lib. 2. Georg. vers. 17.

Pullulat ab radice aliis densissima silva,
Ut cerasis, ulmisque: etiam Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se protegit umbra.

4. *Tales pulluli.*] Stolones. Pullos & Cato vocat, cap. 51. *Propagatio pomorum, aliarumque arborum. Ab arbore abs terra pulli qui nascentur, eos in terram deprimito, extollitoque primorem partem, ut radicem capiat, &c.* Nos vulgo, *Rejettons.* Hinc verbum *pullulare* deductum, quasi pullulos emittere, quod & pullulascere Columella dixit, lib. 4. cap. 21.

5. *In sua locari.*] Ita MSS. Reg. Colb. &c In sua terra, stabili, certa, in qua semper consistant, unde transferre nefas.

6. *Dum radici.*] Dum ei terræ eripitur, ubi radices primum egit.

Sect. XIII. 1. *Et aliud genus.*] Quod ἀπὸ παρασπάδος Theophr. vocat, lib. 2. hist. cap. 1. avulsione stolonum, sive a radice, sive a corpore. Quartum id serendi genus supra memoratum A Virgilio tactum, lib. 2. Georg vers. 23.

Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis.

2. *Cum perna.*] Cum parte corporis, seu matricis, quæ sic avulsa pernæ similitudinem habet. Calcem idem ipse appellat, sect. 35.

3. *Fimbriato.*] Sive fibratu, hoc est, cum quibusdam radicum fibris Theophr. lib. 2. hist. cap 7. ἀπόρριζα.

4. *Hoc modo.*] Theophr. loc. cit.

5. *Ex eodem.*] Ex cotoneo, quod talea quoque & cacumine deciso e ramis, satum provenit. Hic quintus serendi modus e sex superius laudatis. Theophr. lib. 2. hist. cap. 1. ἀπὸ κλωνός. Virgil. lib. 2. Georg. vers. 28.

Nil radicis egent aliæ, summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.

Palladius, in Februario, tit. de malo: *Servant aliqui cotoneum cacuminibus & talea: sed tardus est in utroque proventus.*

6. *Hoc primo.*] Theophr. lib. 1. de causis, cap. 1.

7. *Vel inverso surculo.*] Ita ut pars acuminatior in terram abdatur: εἰς ... appellat Theophr. lib. 2. hist. cap 8.

Sect. XIV. 1. *Namque ad id.*] Seminarium, sive plantarium.

2. *Quoniam nutricem.*] Nutrix ea tellus appellatur, cui primum semina committuntur, qualis in seminariis est: mater, in quam translatæ omni deinde ævo degant.

3. *Sit ergo.*] Cato, cap. 46. pag. 38. *Seminarium ad hunc modum facito: Locum quam optimum, & apertissimum, & stercorosissimum poteris, & quam simillimum genus terræ ea ubi semina positurus eris, &c.*

4. *Intervallo.*] Cato, loc. cit. *In sesquipedem quoquoversum taleam demittito, opprimitoque pede.*

5. *Verminosa.*] Columella, lib. 5. cap. 10. *Si eodem scrobe duas aut tres arbusculas voles constituere, curato ne inter se contingant: quoniam mutuo contactu aut putrescent, aut vermibus interibunt.*

6. *Cato.*] Cap. 48. cap. 39. *Eam terram tabula aut pedibus complanato: furcas circum affigito: eo perticas intendito: eo sarmenta, aut crates ficarias imponito, quæ frigus defendant & Solem: ubi subtus homo ambulare possit, facito.*

7. *Solem recipiendum.*] Ut cum crates ea Solem receperint, a satis defendant.

8. *Sic pirorum, &c.*] Cato, loc. cit.

9. *Sic cupressos.*] Cato, cap. 151. pag. 180. & 181. *Semen cupressi quando legi, seri, propagarique oporteat, &c.*

10. *Minimis.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 40. *Quædam ad oriendum sunt usque adeo parva, ut sint obscura, ut cupressi*

tanto majore tritici & hordei grano: ne quis fabam reputet. Quid simile originis fuæ habent malorum pirorumque femina? His principiis respuentem secures materiam nasci, indomita ponderibus immensis prela, [11] arbores velis, turribus murisque impellendis arietes? Hæc est naturæ vis, hæc potentia. Super omnia erit, e lacryma nasci aliquid, ut [12] suo loco dicemus. Ergo e cupresso femina (mas enim, [13] ut diximus, non gignit) pilulæ collectæ, [14] quibus docui mensibus, ficcantur Sole: ruptæque emittunt semen, formicis mire expetitum: ampliato etiam miraculo, tantuli animalis cibo absumi natalem tantarum arborum. [15] Seritur mense Aprili, [16] area æquata cylindris, aut volgiolis, [17] densum: terraque cribris supercernitur pollicis crassitudine. Contra immane pondus attollere se non valet, torqueturque sub terra. [18] Ob hoc pavitur vestigiis. Leniter rigatur a Solis occasu [19] in trinis diebus, ut æqualiter bibat, donec erumpant. [20] Differuntur post annum dodrantali filo, custodita temperie, [21] ut viridi cælo serantur, ac sine aura. Mirumque dictu, periculum eo tantum die est, si roraverit quantulumcumque imbrem, aut si afflaverit. De reliquo tutæ sunt perpetua securitate, [22] aquasque odere. [23] Et zizipha grano seruntur mense Aprili. [24] Tuberes melius inseruntur in pruno silvestri, & malo cotoneo, & in calabrice: ea est spina silvestris. [25] Quæcumque optime & myxas recipit, utilirer [26] & sorbos. [27] Plantas ex seminario [27] transferre in aliud, priusquam suo loco ponantur, operose præcipi arbitror, licet translatione folia latiora fieri spondeant. *Cap. XI.

XV. [1] Ulmorum, priusquam foliis vestiantur, samara colligenda est circa Martias Calend. cum flavescere incipit. Deinde biduo in umbra siccata serenda, densa [2] in refracto, terra super minutatim cribrata, [3] crassitudine quæ in cupressis. Pluviæ si non adjuvent, [4] rigandum. [5] Deferendæ ex arearum venis [6] post annum in ulmaria, intervallo [7] pedali in quamque partem. [8] Maritas ulmos autumno serere utilius, quia carent semine: nam ex e plantis seruntur. [9] In arbustum quinquennes [10] sub Urbe transferunt, aut (ut quibusdam placet) quæ vicenúm pedum esse cœperunt. Sulco, [11] qui novena-

NOTÆ.

Non enim galbuli qui nascuntur, tamquam pile parvæ corticea, id semen: sed in his intus primigenia semina dedit natura. Habet eadem Theophr. lib. 1. de causis, cap. 5 pag. 203.

11. *Arbores velis.*] Arbores pro malis dixit, e quibus antennæ & vela pendent.

12. *Suo loco dicemus.*] Ut de hipposelino, lib. 19. sect. 43. de lilio, lib. 21. sect. XI.

13. *Ut diximus.*] Libro 16. sect 47.

14. *Quibus docui.*] Nempe sect. XI. hoc est, mense Januario, Februarioque.

15. *Seritur mense.*] Per ver seri Cato ait, loc. cit. *Semen cupressi Tarentinæ per ver legi oportet. maturum est, ubi hordeum flavescet. Semen ubi legeris, in Sole ponito et ad purgato, id aridum condito.... Per ver serito in loco ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant,* &c.

16. *Area æquata.*] Complanato solo, vel cylindro, vel pavicula. Columella, in Hortulo, lib. 10.

Ocyma comprimite, & gravibus densate cylindris.

Cylindrus, columna est lapidea rotatilis, qua rei rusticæ scriptores aream æquari jubent. A volubilitate nomen accepit: κυλίνδειν enim volvere est. Simile instrumentum pavicula est. Utramque a Catone copulatur, cap. 129 *Ubi bene comminuta terra fuerit, cylindro aut paticula coæquato.* Quamobrem *volgiolis*, vel uti in MSS. scribitur, Reg. 1 s. Colb. 1, 2. 3. &c. *vulgiolis*, de pavicula accipiendum putamus.

17. *Densum.*] Cato, cap. 151. *Semen serito crebrum, ita ut linum seri solet: Eo cribro terram incernito: dimidiatum digitum terram altam incernito.*

18. *Ob hoc pavitur.*] Complanatur pedibus, non rursum cylindro æquatur. Vide Notas & Emend. num. X.

19. *In trinis diebus.*] Tertio quoque die, ut sect. XI. denis diebus, pro decimo quoque die.

20. *Differuntur.*] Ita etiam MSS. Transferuntur, inquit, post annum, cum jam caule sunt dodrantali, seu pollicum novem. Filum cupressi tenerum caudicem vocare videtur, uti in asparago cymam Columella lib. XI. cap. ult. filum vocat. Et in Hortulo, lib. 10.

Et asparagi corruda simillima filo.

Vel potius transferri ait in cupressera post annum, ita ut intervallum dodrantale servetur inter eas, ut de ulmis dicetur sect. seq quod verius arbitramur.

21. *Ut viridi cælo.*] Sudo ac sereno, & a nubibus ita puro, ut viride appareat.

22. *Aquasque odere.*] Plinius, lib. 16. sect. 31. *Aquas odere cupressi.* Et Theophr. lib. 2. hist. cap. 8.

23. *Et zizipha.*] Pallad. in Aprili, tit 4. *Locis calidis Aprili mense zizyphum conseremus, frigidis vero Maio vel Junio. Amat loca calida, aprica. Seritur ossibus,* &c. Grana Plinio, Palladio ossa sunt.

24. *Tuberes.*] Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 16. pag 47. *Hoc mense tuberes inseruntur cydonio.* Et lib. 10. in Septembri, tit. de Pomis. *Mense Januario ultimo, vel Februario, tuberum surculus mirabiliter prosicit cydonio insitus. Inseritur autem malis omnibus, & piris, & prunis, & calabrice, melius trunco fisso, quam cortice,* &c.

25. *Quæcumque.*] Cuilibet spinæ apte inseruntur myxæ. Pallad. lib 3. in Februar. tit. 25. pag. 78. *Myxa inseruntur mense Martio sorbis, vel spinis.*

26. *Et sorbos.*] Saltem spina alba. Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 15 pag. 45. *Mense Aprili sorba inseruntur in se, in cydoneo, in spina alba, vel trunco, vel cortice.*

27. *Transferre in aliud.*] In alterum seminarium.

Sect. XV. 1. *Ulmorum.*] Columella, lib. 5. cap. 6. pag 184. & seqq *Samaram deinde, quæ jam rubicundi coloris erit, & compluribus insolata diebus, ut aliquem tamen succum & lentorem habeat, inspergemus areis, & eas totas seminibus spisse contegemus: atque ita cribro putrem terram duos alte digitos incernemus, & modice rigabimus,* &c. Digna sunt cetera quæ legantur: longiora, quam ut exscribi hic oporteat.

2. *In refracto.*] Hoc est, in terra bipalio pastinata, diligenter occata & resoluta, & in aream demum composita. His enim verbis Columella vim ejus verbi explanat, loco citatu.

3. *Crassitudine.*] Pollicari, ut dictum est sect. sup. in cupressis.

4. *Rigandum*] Columella, loc. cit. *Æstate deinde, priusquam Sol oriatur, aut ad vesperum, conspergi potius, quam rigari debent.*

5. *Deferendæ.*] Ex areolis ubi crevere, & sulcis iis, in aliud seminarium post annum transferendæ, ut de cupressis dictum est sup. sect. Venas arearum vocat areas ipsas longo tractu ductas. Sic venas in metallis dicimus. Ita porro MSS Reg Colb. &c. non *differendæ*. Ulmarium Galli vocant *une ormaye*, locum ulmis consitum.

6. *Post annum.*] Columella, loc. cit. *Cum ternûm pedum planta fuerint, in aliud seminarium transferri debent.*

7. *Pedali.*] Columella: *Oportebit non maximos scrobiculos sesquipede inter se distantes fodere.*

8. *Maritas ulmos.*] Queis vites aptius maritantur, ut sunt ulmi Atiniæ, quæ excelsissimæ, ut dictum est sect. 29. lib. 16. Columella, loc. cit. pag 185. *Possunt etiam collecta cum stirpibus plantæ eadem ratione disponi: quod in Atinia ulmo fieri necesse est, quæ non serit e samera. Sed hæc ulmus autumni tempore melius quam vere disponitur,* &c. Has plantis radicum seri dictum est, lib. 16. sect 29.

9. *In arbustum.*] Arbustum locus est arboribus consitus ad sustinendas vites: qui & arbustivus idcirco locus Columellæ dicitur, lib. 3. cap. 13. unde & arbustiva vitis.

10. *Sub Urbe.*] In agro Romano.

11. *Qui novenarius*] Novenûm pedum ambitu: cum sit latitudine, ternûm. Columella, lib. 5. cap. 6. *Igitur in reticulata terra ternûm pedum quoquoversus faciendi scrobes: at in densis*

vari oportet. Breves sunt, quamvis magnarum arborum, quæ in orbem ramos circinent, ut in malis, pirisque. Eædem enormes cerasis, lauris.

XVIII. Jam quædam umbrarum proprietas. [1] Juglandium gravis & noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis. [2] Necat gramina & pinus: sed ventis utraque resistit, [3] qua jam & protecta vinearum ratione egent. Stillicidia pinus, quercus, ilicis, ponderosissima. [4] Nullum cupressi, umbra minima, & in se convoluta. [5] Ficorum levis, quamvis sparsa: ideoque inter vineas seri non vetantur. Ulmorum lenis, etiam nutriens, quacumque opacat. [6] Attico hæc quoque videtur e gravissimis: nec dubito, si emittantur in ramos. [7] Constrictæ quidem ullius noxiam esse non arbitror. Jucunda & platani, quanquam crassa: [8] licet gramini credere non soli, haud alia lætius operiente toros. Populo nulla ludentibus foliis: pinguis alno, sed pascens sata. Vitis sibi sufficit, mobili folio, jactatuque crebro Solem umbra temperans, [9] eodem gravi protegens in imbre. Omnium fere levis umbra, quorum pediculi longi. Non fastidienda hæc quoque scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra aut nutrix, aut noverca est. Juglandium quidem, pinorumque, & picearum, & abietis, quæcumque attigere, non dubie venenum est.

XIX. Stillicidii brevis definitio est. [1] Omnium quæ projectu frondis ita defenduntur, ut per ipsas non defluant imbres, stilla sæva est. [2] Ergo plurimum intererit hac inquisitione, terra in qua seremus, in quantum arbores quasque alat. [3] Jam per se colles minora quærunt intervalla. Ventosis locis crebriores seri conducit. [4] Olea tamen maximo intervallo, de qua [5] Catonis Italica sententia est: in XXV. pedibus minimum, plurimum XXX. seri. Sed hoc variatur locorum natura. Non alia major in Bætica arbor. In Africa vero (fides penes auctores erit) milliarias vocari multas narrant a pondere olei, quod ferant annuo proventu. Ideo [6] LXXV. pedes Mago intervallo dedit undique: aut in macro solo, aut duro, atque ventoso, cum minimum XLV. Bætica quidem uberrimas messes inter oleas metit. Illam inscientiam pudendam esse conveniet, adultas [7] interlucare justo plus, & in senectam præcipitare, aut (plerumque ipsis, qui posuere, coarguentibus impetitam suam) totas excidere. [8] Nihil est fœdius agricolis, quam gestæ rei pœnitentia, [a] multo jam ut præstet laxitate delinquere.

CAPUT XIII.

XX. [1] Quædam autem natura tarde crescunt, & in primis semine tantum nascentia, & longo ævo durantia. [2] At quæ cito occidunt, velocia sunt, ut ficus, Punica, prunus,

INTERPRETATIO.

a *Multo.*] Ut jam multo satius sit *initio* peccasse, positis laxius olearum ordinibus.

NOTÆ.

Sect. XVIII. 1. *Juglandium gravis.*] Nervorum afferre solutionem (paralysin vocant) scribit Aldrovandus Grevinus, lib. 5. de venen. cap. 22. refrigerationem membrorum, maximumque ac diuturnum capitis dolorem: somnia dura, defluviumque capillorum, Marcellus Donat. hist. med. mirab. lib. 1. cap. 1.

2. *Necat gramina*] Dissidere videtur a Plinio nostro Palladius, lib 12. in Novemb. tit. 7. p. 165. cap. de pinu *Pinus creditur prodesse omnibus quæ sub ea seruntur*: plantis fortasse robustioribus lauro, myrto, non gramini.

3. *Quæ jam, &c.*] Quo genere arborum ideo jam protecta vinearum egent: hoc est, & earum propterea arborum opposita vineæ jam percommode proteguntur. Vide Notas & Emend. num. XVIII.

4. *Nullum cupressi.*] Feminæ nimirum, quæ in metam fastigatur, ut dictum est lib. 16. sect. 60. Hæc nullum mittit stillicidium.

5. *Ficorum levis.*] Umbra.

6. *Attico.*] Julio Attico, de quo in Auctorum Indice.

7. *Constrictæ.*] Cui arbori compactiores rami sunt, hujus umbra gravis non est.

8. *Licet gramini.*] Quam sit umbra platani jucunda, vel ex gramine intelligimus, quod sub nulla alia arbore tam læte provenit: nulla alia arbos felicius operit graminum & herbarum toros.

9. *Eodem gravi.*] Eodem folio in gravi imbre se vitis protegit.

Sect. XIX. 1.] *Omnium quæ projectu.*] Exemplum statuit Palladius lib. 5. in Januar. tit 16. pag 47. in nuce juglande: *Desiderat intervalla majora*, inquit, *pro arboris magnitudine: quia stillicidiis foliorum suorum, proximos, vel sui generis, necabit arbores.* In quibusdam libris perperam *diffunduntur*. Defenduntur projectu frondis arbores eæ, quarum per folia non perpluit, nec madescit imbre, aut ipsius arboris corpus caudexve, aut circumjecta tellus.

2. *Ergo plurimum.*] Plurimum interest in hac inquisitione prospicere quodnam genus arborum ea terra alat, in qua serere quidpiam aliud libuerit.

3. *Jam per se colles.*] Locis montuosis intervalla breviora, quam planis relinquenda sunt: montibus enim minus radices & comæ augescunt, inquit Theophr. lib 3. de causis, cap 8. pag. 573. Ἐν γὰρ τοῖς ὀρεινοῖς ἐλάττω (διαστήματα) ἢ ἐν τοῖς πεδινοῖς· ἐπ' ἔλαττον γὰρ αἵ τε ῥίζαι ἀποτείνονται, καὶ αἱ κόμαι.

4. *Olea tamen.*] Vide Colum. lib. 5. cap. 9. pag. 198.

5. *Catonis Italica.*] Hoc est, pro cæli solique Italici ratione. Vide Notas & Emend. num. XIX.

6. *LXXV. pedes Mago.*] Et ex Magone Columella, loco citato.

7. *Interlucare.*] Interlucari arbores dicuntur, quoties adempta ramorum parte, quantum earum opacitati detrahitur, tantum luci accedit: unde & *interlucare* dictum. Plinius sect. 35. libri hujus: *Interlucata densitate ramorum, qui sint supervacui*, &c. Vide quæ de vocibus *collucare* & *sublucare* dicturi sumus in calce hujus libri.

8. *Nihil est.*] In eam sententiam egregie Columella, lib. 1. cap. 8. *Nam cum multum prodest peritè quid facere, tum plus obest perperam fecisse. Unum enim ac solum dominatur in rusticatione: quidquid exigit ratio culturæ, semel facere. Quippe cum emendatur vel imprudentia, vel negligentia, jam res ipsa decoxit: nec in tantum postmodum exuberat, ut & rem amissam restituat, & quæstum temporum præteritorum resarciat.*

Sect. XX. 1. *Quædam autem.*] Virgilius, lib. 2. Georg. vers. 57.

Jam quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, &c.

Varro, lib. 1. de re rust. cap. 41. *Omnia minuta & arida, ad crescendum tarda: & quæ laxiora, ea & fecundiora: ut femina, quam mas: ex proportione in virgultis item. Itaque ficus, malus Punica, & vitis, propter femineam mollitiem ad crescendum prona. Contra palma, & cupressus, & olea, in crescendo tarda*, &c.

2. *At quæ cito.*) Plinius, lib. 16. sect. 51. *Omnia autem celerius senescunt præfecunda.*

[3] malus, pirus, myrtus, salix: & tamen antecedunt divitiis. In trimatu enim ferre incipiunt, ostendentes & ante. Ex his lentissima pirus. Ocyssima omnium [4] cyprus, & pseudocyprus frutex. Protinus enim floret, semenque profert. Omnia vero celerius adolescunt [5] stolonibus ablatis, unamque in stirpem redactis alimentis.

XXI. Eadem natura & propagines docuit. Rubi namque curvati gracilitate & simul proceritate nimia, defigunt rursus in terram capita, iterumque nascuntur ex sese: repleturi omnia, ni resistat cultura: prorsus ut possint videri homines [1] terræ causa geniti: ita pessima atque exsecranda res propaginem tamen docuit, [2] ac viviradicem. Eadem autem natura est ederis. [3] Cato propagari præter vitem tradit ficum, oleam, Punicam, malorum genera omnia, laurum, prunos, myrtos, nuces avellanas, & Prænestinas, platanum. Propaginum duo genera: ramo ab arbore depresso in scrobem quatuor pedum quoquo, & post biennium amputato flexu, plantaque translata post trimatum: [4] quas si longius ferre libeat, in qualis statim, aut vasis fictilibus defodere propagines aptissimum, ut in iis transferantur. [5] Alterum genus luxuriosius, radices in ipsa arbore sollicitando, trajectis per vasa fictilia vel qualos ramis, terraque [6] circumfartis: atque hoc blandimento impetratis radicibus, [7] inter poma ipsa & cacumina (in summa etenim cacumina hoc modo petuntur) audaci ingenio arborem aliam longe a tellure faciendi: eodem, quo supra, biennii spatio abscissa propagine, & cum qualis illis sata. Sabina herba propagine seritur & [8] avulsione. Tradunt fæce vini, aut e parietibus latere tuso mire ali. Iisdem modis rosmarinum seritur, & ramo, quoniam [9] neutri semen. Rhododendron, propagine & semine.

Cap. XIV.

XXII. [1] Semine quoque inserere natura docuit, raptim avium fame devorato, solidoque, & alvi tepore madido, cum fecundo fimi medicamine abjecto in mollibus [2] arborum lecticis, & ventis sæpe translato in aliquas corticum rimas: unde vidimus cerasum in salice, platanum in lauro, laurum in ceraso, & baccas simul discolores. Tradunt & monedulam condentem semina in thesauros cavernarum ejusdem rei præbere causas.

XXIII. Hinc nata [1] inoculatio, sutoriæ simili [2] fistula aperiendi in arbore [3] oculum cortice exciso, semenque includendi eadem fistula sublatum ex alia. In ficis autem & malis hæc fuit inoculatio antiqua. [4] Virgiliana quærit [5] sinum in nodo gemmæ expulsi corticis, gemmamque ex alia arbore includit. Et hactenus natura ipsa docuit.

XXIV. Insitionem autem casus, magister alius, & pæne numerosior, ad hunc modum. Agricola sedulus casam sepis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limen subdidit ex edera. [a] At illæ vivaci morsu apprehensæ, suam ex aliena fecere vitam,

INTERPRETATIO.

a *At illæ.*] At illæ *sudes fissura & quasi morsu* viventis ederæ comprehensæ, ex ea ipsa edera vitam traxere, fuitque ederæ truncus & *alimenti* vice.

NOTÆ.

3. *Malus, pirus.*] Ita recte: non, *pinus.* Sequitur enim, *Ex his lentissima pirus.*

4. *Cyprus.*] Frutex, sive arbor, de qua lib. 12. sect. 51.

5. *Stolonibus ablatis.*] Stolo in arboribus, fruticatio inutilis est, ut dictum est sect. 1. succum omnem matri, veroque arboris fetui adimens.

Sect. XXI. 1. *Terræ causa.*] Ut terram colerent, ac perpurgarent: quod eam ruborum alias silva occuparet, & obrueret.

2. *Ac viviradicem.*] Plantas, quæ cum viva radice seri possint.

3. *Cato.*] Cap. 51. pag. 41. *Propagatio pomorum, aliarumque arborum. Ab arbore abs terra pulli qui nascentur, eos in terram deprimito, extollitoque primorem partem, uti radicem capiat: inde biennio post effodito, seritoque. Ficum, oleam, malum Punicum, cotoneum, aliaque mala omnia, laurum, myrtum, nuces Prænestinas, platanum: hæc omnia a capite propagari, eximique, serique eodem modo oportet.*

4. *Quas si longius.*] Cato, cap. 52. *Quæ diligentius propagari voles, in aulas aut in qualos pertusos propagari oportet, & cum iis in scrobem deferri oportet.*

5. *Alterum genus.*] Et illud Cato pariter habet, cap. 133. pag. 69. his verbis: *In arboribus radices uti capiant, calicem pertusum sumito tibi, aut quasillum: per eum ramulum transserito: eum quasillum terra impleto, calcatoque: in arborem relinquito. Ubi bimum erit, ramum tenerum infra præcidito: cum quasillo serito. Eo modo quodvis genus arborum facere poteris uti radices bene habeant.*

6. *Circumfartis.*] Sic MSS. omnes, non, ut editi, *circumpactis*, nulla plane sententia.

7. *Inter poma.*] Inter ipsa poma, atque in ipso arboris cacumine: nam vel ex ipso summo cacumine rami ad propaginem seliguntur.

8. *Avulsione.*] De qua diximus sect. 9.

9. *Neutri semen.*] Sabinæ sane rarum admodum semen est, rosmarino sterili, de quo Plinius lib. 24. sect. 59. plane nullum.

Sect. XXII. 1. *Semine quoque.*] Acinis nucleisve mali, piri, cerasi, in aliarum arborum rimas immissis. Hunc locum Carolus Stephanus in Prædio rustico, pag. 515. perperam interpretatur.

2. *Arborum lecticis.*] Sic partem eam arboris vocat, & caudicis, unde se rami dividunt in brachia.

Sect. XXIII. 1. *Inoculatio.*] Græcis ἐνοφθαλμισμὸς, & inde ἐνοφθαλμίζειν. Recessit omnino nobis hoc inserendi genus ab usu. Altera hæc insitio est, quam Columella affert, lib. 5. cap. 11. de insitione arborum, pag. 203. *Tria genera porro*, inquit, *insitionum antiqui tradiderunt. Unum quo resecta & fissa arbor resectos surculos accipit. Alterum, quo resecta inter librum & materiam semina admittit. . . . Tertium quo ipsas gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam recipit, quam vocant agricolæ emplastrationem, vel ut quidam, inoculationem.*

2. *Fistula.*] Acuto scalpro seu ferramento, quale sutores habent (fistulam vocant) cortex exciditur simul cum oculo sive gemma: non eximitur tamen: in eam deinde plagam semen alterius arboris includitur, eadem fistula sublatum. Est autem hoc loco semen, non acinus nucleusve, qualis in malis, piris, ac cerasis intelligitur: sed surculus ipse inserendus: quo significatu familiaris ea in primis Columellæ vox. *Une greffe:* Theophrasto, ἔνθεμα, lib. 1. de causis. Sic idem Plinius iterum inferius, sect. 35. num. 4. de vitium surculis agens: *Interesse*, inquit, oportet *in plantario sesquipedes inter bina semina.*

3. *Oculum.*] Germina, quibus in flores aut folia arbos protuberat, oculum & gemmam vocant: oculum in primis, propter corrugationem corticis, quæ circumplicatam oculorum cuticulam imitatur. *Un bourgeon.*

4. *Virgiliana.*] Libro 2. Georg. vers. 73.

Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex,
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.

5. *Sinum.*] Fissuram. Hæc Virgiliana ratio, nec veterum

cipiunt. Et quasdam pruinis ac nebulis pasci [23] diximus vites. Omnium rerum sunt quædam in alto secreta, & suo cuique corde pervidenda.

Quid quod mutantur sæpe judicata quoque ac diu comperta? [24] In Thessalia circa Larissam emisso lacu frigidior facta ea regio est, oleæque desierunt, quæ prius fuerant. [25] Item vites aduri, quod non antea, Ænos sensit admoto Hebro. [26] Et circa Philippos culturâ siccata regio mutavit cæli habitum. [27] At in Syracusano agro advena cultor [28] elapidato solo, perdidit fruges luto, donec regessit lapides. [29] In Syria levem tenui sulco imprimunt vomerem, quia subest saxum exurens æstate semina. Jam in quibusdam locis similes æstûs immodici, & frigorum effectus. Est fertilis Thracia frugum, rigore: æstibus, Africa & Ægyptus. [30] In Chalcia Rhodiorum insula locus quidam est in tantum fecundus, ut suo tempore satum demetant hordeum, sublatumque protinus serant, & cum aliis frugibus metant. [31] Glareosum oleis solum aptissimum in Venafrano, pinguissimum in Bætica. [32] Pucina vina in saxo coquuntur. Cæcubæ vites [33] in Pontinis paludibus madent. Tanta est argumentorum, ac soli varietas, ac differentia. [34] Cæsar Vopiscus, cum causam apud Censores ageret, [35] campos Roseæ dixit Italiæ sumen esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret: sed non nisi ad pabulum probantur. [36] Non tamen indociles natura nos esse voluit, & vitia confessa fecit, etiam ubi bona certa non fecerat. Quamobrem primum erlmiha dicamus.

CAP. V. [37] Terram amaram, sive macram, si quis probare velit, demonstrant eas atræ degeneresque herbæ: frigidam autem, [38] retorride nata. Item [39] uliginosam, tristia: rubricam oculi, argillamque, operi difficillimas, quæque rastros ac vomeres ingentibus glebis onerent: quanquam non quod operi, hoc & fructui sit adversum. Item e contrario cineraceam, & sabulum album. [a] Nam sterilis densa callo facile deprehenditur, vel uno ictu cuspidis. Cato breviter atque ex suo more vitia determinat: [40] Terram cariosam cave neve plaustro, neve pecore impellas. Quid putamus hac appellatione ab eo rantopere reformidari, ut pæne vestigiis quoque interdicat? [41] Redigamus ad ligni cariem, & inveniemus illa, quæ in tantum abominatur, vitia, [42] aridæ, fistulosæ, scabræ, canescentis, exesæ, & pumicosæ. Plus dixit una significatione quam possit ulla copia sermonis enarrari. Est enim intepretatione vitiorum quædam, [43] non ætate, (quæ nulla in ea intelligi potest,) sed natura sua, anus terra: & ideo infecunda ad omnia, atque imbecilla.

[44] Idem agrum optimum judicat ad radicem montium planitie in meridiem excurrente: [45] qui est totius Italiæ situs: [46] terram vero teneram quæ vocetur pulla. Erit igitur hæc

INTERPRETATIO.

a *Nam sterilis.*] Nam quæ sterilis est terra, densa est, ac *duritie* quæ calli instar est, facile deprehenditur.

NOTÆ.

ut citari quidem ab aliis video, tantummodo *perstare altissima Demos.*

23. *Diximus vites.*] Nempe in Ravennate agro, lib. 14. sect. 4.

24. *In Thessalia.*] Hæc Theophr. lib. 5. de causis, cap. 20. pag. 345.

25. *Item vites.*] Theophr loc. cit. etsi corrupto Græco codice Ænos ibi prætermissa sit. Cætera singularum ejuscemodi mutationum causas erudite Græcus scriptor persequitur. De Æno oppido, Hebroque amne, & Philippis, diximus in Geographicis, lib. 4.

26. *Et circa Philippos.*] Theophr. loc. cit.

27. *At in Syracusano.*] Theophr. lib. 3. de causis, cap 25. pag. 290.

28 *Elapidato solo.*] Cum lapides ex agro sustulisset.

29. *In Syria.*] Theophr. loco proxime cit.

30. *In Chalcia.*] Sive Chalce, de qua lib 5. sect. 36.

31. *Glareosum.*] Colum. lib. 5 cap. 8. pag. 194. *Aptissimum genus terræ est oleis, cui glarea subest, si superposita creta sabulo admixta est. Non minus probabile est solum, ubi pingue sabulo est*, &c.

32. *Pucina vina.*] Crescunt, inquit, maturanturque vina Pucina in saxoso solo. Plinius, lib. 14. sect. 8. *Livia Augusta LXXXII. annos vita Pucino vino retulit acceptos. . . . Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul a Timavo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu, paucas coquente amphoras.* In quibusdam libris *Punica* perperam legas.

33. *In Pontinis.*] Sive Pomptinis, de quibus lib 3. sect. 9.

34. *Cæsar Vopiscus.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 7. pag 51. *Cæsar Vopiscus ædilitius, causam cum ageret apud Censores, Campos Roseæ Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam*

35. *Campos Roseæ.*] De his egimus lib. 3. sect. 17.

36. *Non tamen.*] Non tamen nescire nos natura voluit, quæ sciri oporteret.

37 *Terram amaram, sive macram.*] Hoc est, sive amaram, falsamque, sive macram, (sunt enim diversæ,) iisdem signis deprehendes. Vide Notas & Emend. num. V.

38. *Retorride nata.*] Velut frigore adustæ herbæ, & ut Palladius ait, lib. 1. cap. 5. pag 5. ubi vim ejus vocis explanat, naturalis succi egentes.

39. *Uliginosam.*] Semper humidam, quod in loco præsertim æquo contingit, cum aquæ non habent delapsum, ut loquitur Varro, lib 1. de re rust cap 6. Quod si modice humida terra sit, tunc *dulci uligine læta* intelligitur, qualis a Virgilio laudatur, lib 2. Georg. vers. 184

40. *Terram cariosam.*] Cato, lib 1. de re rust. cap 5. pag. XI. *Terram cariosam caveto ne ares, neve plostrum, neve pecus impellas: si ita non caveris, quo impuleris, triennii fructum amittes.*

41. *Redigamus.*] Ita MSS. Reg. &c. non *redeamus*, ut in editis prave.

42. *Aridæ, fistulosæ.*] Columella, lib. 2. cap. 4. pag. 47. *Quam terram rustici variam cariosamque appellant, ea est, cum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefacit, inferiorem non attingit . . . . Quæ sic subacta sunt arva, continuo triennio sterilitate afficiuntur.* Vide quæ de terra varia dicturi sumus lib. 18. sect. 49.

43. *Non ætate, quæ nulla.*] *Falso credidit Tremellius*, inquit Columella lib. 2. cap. 1. pag. 37. *parentem omnium terram, sicut muliebrem sexum, ætate anili jam confectam, progenerandis esse fetibus inhabilem*, &c

44. *Idem agrum.*] Cato, cap. 1. pag 6. *Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet.*

45 *Qui est totius Italiæ.*] Plinius, lib. 3. sect. 6 de Italia: *Incedit per maria, cæli regione ad meridiem quidem: sed si quis id diligenti subtilitate exigat, inter sextam horam primamque brumalem.*

46. *Terram vero teneram, &c*] Cato, cap 151. *Quo pacto cupresseta seri oporteat. . . . Per ver serito in loco, ubi terra te-*

optima [47] & operi, & satis. Intelligere modo libeat dictam mira significatione teneram: & quidquid optari debet, in eo vocabulo invenietur. Illa temperatæ ubertatis, illa mollis facilisque culturæ, nec madida, nec sitiens. Illa post vomerem nitescens: qualem fons ingeniorum [48] Homerus in armis a Deo cælatam dixit, [49] addiditque miraculum nigrescentis, quamvis [50] fieret in auro. Illa quam recentem exquirunt improbæ alites, vomerem comitantes, [51] corvique aratoris vestigia ipsa rodentes.

Reddatur hoc in loco luxuriæ quoque sententia & aliqua in propositum. Certe Cicero, [52] lux doctrinarum altera: Meliora, inquit, unguenta sunt, [53] quæ terram, quam quæ crocum sapiunt. Hoc enim maluit dixisse, quam redolent. Ita est profecto: illa erit optima, quæ unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille qui quæritur, contingit sæpe etiam [54] quiescente ea sub occasum Solis, [55] in quo loco arcus cælestis dejecerit capita sua: [56] & cum a siccitate continua immaduit imbre: tunc emittit illum suum halitum divinum ex Sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit. Is esse odor in commota debebit, repertusque neminem fallet: ac de terra odor optime judicabit. Talis fere est in novalibus [57] cæsa vetere silva, quæ consensu laudatur.

Et in frugibus quidem ferendis eadem terra utilior intelligitur, quoties intermissa cultura quievit: quod in vineis non fit. Eoque diligentius eligenda est, ne vera exsistat [58] opinio eorum, qui jam Italiæ terram existimavere lassam. [59] Operis quidem facultas in aliis generibus constat & cælo: nec potest arari post imbres aliqua, [60] ubertatis vitio lentescens. Contra, [61] in Byzacio Africæ illum centena quinquagena fruge fertilem campum, nullis, cum siccus est, arabilem tauris, post imbres [62] vili asello, & a parte altera jugi, anu vomerem trahente, vidimus scindi. Terram enim terra emendari ([63] ut aliqui præcipiunt) super tenuem pingui injecta, aut gracili bibulaque super humidam ac præpinguem, dementia operæ est. Quid potest sperare qui talem colit?

CAPUT VI.

IV. Alia est ratio, quam Britannia & Gallia invenere [1] alendi eam ipsa: quod genus vocant [2] margam. [a] Spissior ubertas in ea intelligitur. Est autem quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, [3] ibi densante se pinguitudinis nucleo. * Non omisere & hoc Græci: quid enim intentatum illis? [4] Leucargillon vocant candidam argillam, qua in Megarico agro utuntur, sed tantum in humida frigidaque terra.

* CAP. VII.

Illam Gallias Britanniasque locupletantem cum cura dici convenit. Duo genera fuerant. Plura nuper exerceri cœpta proficientibus ingeniis. Est enim alba, rufa, columbina, argil-

INTERPRETATIO.

a *Spissior.*] Major frugum ubertas in marga posita esse deprehenditur.

NOTÆ.

uberrima erit, quam pullam vocant.

47. *Et operi, & satis.*] Et rastris vomeribusque facilis, & frugibus læta. Vide Notas & Emend. num. VI.

48. *Homerus.*] Iliad. σ'. vers. 541.

Ἐν δ' ἐτίθει νειὸν μαλακήν, πίειραν ἄρουραν, &c.

49. *Addiditque.*] Versu 547.

Ἡ δὲ μελαίνετ' ὄπισθεν, ἀρηρομένῃ δὲ ἐῴκει,
Χρυσείη περ ἐοῦσα· τὸ δὴ περὶ θαῦμα τέτυκτο.

Novale, quod erat proscissum, nigrescebat a tergo: & aratæ terræ simile erat, quamvis in auro id exhiberetur: id vero ingens miraculum fuit.

50. *Fieret in auro.*] M S S. omnes, *ex auro.*

51. *Corvique.*] Id vero corvis familiare idcirco potius quod semina, quam quod recentem terram exquirant. Nam, ut Macrobius ait, lib. 7. Saturn. cap. 5. *corvos videmus universis inhiare seminibus*: quod & sacri codices commemorant, Luc. 12. vers 24.

52. *Lux doctrinarum altera.*] Post Homerum, qui, uti dictum est proxime, fons ingeniorum fuit.

53. *Quæ terram.*] Vide quæ jam antea diximus lib. 13. sect. 4.

54. *Quiescente ea.*] Nec aratro scissa, aut commota.

55. *In quo loco arcus.*] Egimus de ea re jam dudum lib. 12. sect. 52.

56. *Et cum a siccitate.*] Cum æstivo tempore solo adusto imbres accesserint, inquit Theophr. lib. 6 de causis, cap. 25. pag. 382. Martialis, lib. 3. Epigr. 65.

Pallidus Eoo thure quod ignis olet:
Gleba quod æstivo leviter cum spargitur imbre, &c.

57. *Cæsa vetere silva.*] Quam potissimum Virgilius laudat, ut diximus paulo antea,

Unde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit, &c.

58. *Opinio eorum.*] Etiamque Tremellii Scrofæ aliorumque, quos Columella appellat: cujus perelegans de hoc argumento oratio est, tum in præfatione operis, tum lib. 2. cap. 1. *Quæris, inquit, ex me, Publi Silvine, cur priore libro veterum opinionem ferme omnium, qui de cultu agrorum locuti sunt, a principio confestim repulerim, falsamque sententiam repudiaverim, censentium longo ævi situ, longaque jam temporis exercitatione fatigatam, & effœtam humum consenuisse. Nec te ignoro, cum & aliorum illustrium scriptorum, tum præcipue Tremellii auctoritatem revereri, qui cum plurima rusticarum rerum præcepta simul eleganter & scite memoriæ prodiderit, videlicet illectus nimio favore priscorum, de simili materia disserentium, falso credidit parentem omnium terram, simul muliebrem senium, ætate anili jam confectam, progenerandis esse fœtibus inhabilem, &c.* De Scrofa Tremellio egimus in auctorum indice, tomo 1.

59. *Operis quidem.*] Arandi proscindique soli facilitas in aliis terrarum generibus a cælo pendet.

60. *Ubertatis vitio.*] Ob pinguitudinem, quæ ubertatem facit, cum vomere scinditur, lentescit, nec friabilis est, solubilisque in pulverem.

61. *In Byzacio*] De eo jam diximus lib. 5. sect. 3. Sed ibi centesima tantum fruge reddere fœnus terra dicitur forte mendose, pro centena quinquagena. Cum libro XVIII. sect. XXI. *e modio*, ut ait ipse, *in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur.*

62. *Vili asello.*] De asinorum ministerio in arando diximus lib. 8 sect. 68.

63. *Ut aliqui*] Apud Theophr. lib 3. de causis, cap. 25. pag. 289. quod & ipse Theophrastus probat, argumentis non adeo pœnitendis. Atque id quidem Ubios, quanquam gentium solos, usurpare, sect. seq. dicetur.

Sect. IV. 1. *Alendi eam ipsa*] Terram terra alendi.

2. *Margam.*] Ita M SS omnes. Posteriores margilam dixere, mox & Marlam, unde nostri *Marle*, *Marghe*, & *Marne*. Edictum Pictense Caroli Calvi, laudatum a D. Du-Cange, §. 29. *Margilam, & alia quæque carricare.* Multa de ea Cæsius. lib. 2. de Mineral cap. 2. sect 2. pag 144. & Georg. Agricola, lib. 2. de natura fossil. pag. 188 & 189. Fossas unde marga seu marla eruitur, Galli vocant *Marlieres.*

3. *Ibi densante.*] Ibi densante se & cogente velut in nucleum callumque terræ pinguitudine.

4. *Leucargillon.*] Voce conflata e duabus, λευκὸς & ἄργιλλος,

lacea, tofacea, arenacea. Natura duplex: aspera, aut pinguis. Experimenta utriusque [a] in manus: usiusque geminus, aut ut fruges tantum alant, [5] aut edant & pabulum. Fruges alit tofacea alba, quæ si fit inter fontes reperta, est ad infinitum fertilis: verum aspera tractatu, & si nimia injecta est, exurit solum. Proxima est rufa, quæ vocatur [6] acaunumarga, intermixto lapide terræ minutæ, arenosæ. Lapis [7] contunditur in ipso campo: primisque annis [8] stipula difficulter cæditur propter lapides. Impendio tamen minimo [b] levitate, dimidio minoris quam ceteræ, invehitur. Inspergitur rara: sale eam misceri putant. Utrumque hoc genus semel injectum [9] in quinquaginta annos valet, & frugum & pabuli ubertate.

CAPUT VIII. Quæ pingues esse sentiuntur, ex his præcipua alba. [10] Plura ejus genera. Mordacissimum, quod supra diximus. Alterum genus albæ cretæ argentaria est. Peritur ex alto, in centenos pedes actis plerumque puteis, ore angustatis: [11] intus, ut in metallis, spatiante vena. Hac maxime Britannia utitur. [12] Durant annis LXXX. Neque est exemplum ullius qui bis in vita hanc eidem injecerit. Tertium genus candidæ, [13] glissomargam vocant. Est autem creta fullonia mixta pingui terra, pabuli quam frugum fertilior; ita ut messe sublata ante sementem alteram [14] lætissimum secetur. Dum in fruge est, [15] nullum aliud gramen emittit. Durat XXX. annis: densior justo [16] Signini modo strangulat solum. Columbinam Galliæ suo nomine [17] eglecopalam appellant: [18] glebis excitatur lapidum modo: Sole & gelatione ita solvitur, ut tenuissimas bracteas faciat. [19] Hæc ex æquo fertilis. Arenacea utuntur, si alia non sit: in uliginosis vero, & si alia sit. Ubios gentium solos novimus, qui fertilissimum agrum colentes, [20] quacumque terra infra tres pedes effossa, & pedali crassitudine injecta lætificent. Sed ea non diutius annis x. prodest. Hedui & Pictones calce uberrimos fecere agros: quæ sane & oleis, & vitibus utilissima reperitur. Omnis autem marga [21] arato injicienda est, ut medicamentum rapiatur: & fimi desiderat aliquantulum, quæ primo plus aspera & quæ in herbas non effunditur: alioqui novitatę, quæcumque fuerit, solum lædet, ne sic quidem primo post anno fertilis. Interest & quali solo quæratur. Sicca enim humido melior, arido pinguis. Temperato alterutra, creta vel columbina, convenit.

CAPUT IX. V. Transpadanis [1] cineris usus adeo placet, ut anteponant fimo jumentorum: quod quia levissimum est, ob id exurunt. Utroque tamen pariter non utuntur in eodem arvo, nec in arbustis cinere, nec quasdam ad fruges, [2] ut diximus. [3] Sunt qui pulvere quoque uvas ali judicent, pubescentesque pulverent, & vitium arborumque radicibus aspergant. Quod certum est Narbonensi provinciæ, & vindemias certius sic eo coqui, quia plus pulvis ibi, quam Sol, confert.

INTERPRETATIONES.

a *In manus.*] Manu, ac tractatu, differentia utriusque agnoscitur.

b *Levitate*] Ob levitatem, dimidio minore quam ceteræ sumptu invehitur.

NOTÆ.

5. *Aut edant & pabulum.*] Non frugum modo fertiles sint, verum etiam & pabuli. Sic glissomarga versa vice mox dicetur pabuli, quam frugum, fertilior.

6. *Acaunumarga.*] Sic MSS. Reg. Colb. Thuan Chiffl. non *capnumargos*. Hoc est, citra amarorem marga, ab α privativo, & καυνος, amarum, atque ob id malum.

7. *Contunditur.*] Plerique nunc sinunt gelu resolvi, & tempestatibus.

8. *Stipula.*] Ægre stipula secatur, messisque peragitur, occursu assiduo lapidum.

9. *In L. annos.*] In Gallia ad decem tantum, hac ætate.

10. *Plura ejus genera.*] Margæ, nimirum albæ: alterum genus mordacissimum, quod & asperum, & exurens solum, de quo proxime dictum est: pingue alterum, e genere albæ cretæ, argentarium vocatur: quoniam nitorem argento reddit, ut dicetur lib. 36 sect 58. non, uti Cardanus somniavit, quod ex ea creta possit argentum detrahi. Utuntur ea fabri argentarii, ad argentea vasa polienda: ut Tripoli, seu Tripolitana terra, ad aurea ærcave.

11 *Intus &c.*] Intus exspatiante fossura, ut in fodinis metallicis: quarum os pariter angustum, subterranei deinde meatus longissime exspatiantur.

12. *Durant.*] Ita MSS. Albæ nimirum cretæ geminæ.

13. *Glissomargam.*] Sic restituimus eam vocem, ea fide codicum Reg. 1. 2. Colb. 1. 2 3. Th. Chiffl. etsi in editis *Glisthromargen* legitur, quod ex Anglico *Glister* fulgere, deduci volunt, qui vocum origines sectantur. Alii a γλύκιον deducunt, quam vocem Aristophanes pro γλυκύτερος, *dulcior*, usurpavit: ut hoc margæ genus videlicet, cum altero collatum, quod acaunumargam veteres dixere, hoc est, sine amaritudine, dulcius eo esse intelligatur.

14. *Lætissimum secetur.*] Nempe pabulum.

15. *Nullum aliud.*] Gramen aliud nasci non sinit

16. *Signini modo.*] Glissomarga, inquit, quum densius quam par est, injecta fuerit, Signini operis modo, strangulat, consternit, occluditque solum, ut sata veluti suffocatum haud proferat. Signini operis pavimentique faciendi ratio a Plinio traditur, lib. 35. sect. 48. Vide Notas & Emend. num VII.

17. *Eglecopalam.*] Ita MSS. omnes Celticum nomen esse Plinius aperte monet: quare displicet Hermolai conjectura, legentis e Græco *pelan* ut sit sententia, Gallias a Græco acceptum nomen corrupisse in suum. Græce enim πέλειας columba dicitur, quæ livido colore: unde & nomen margæ columbinæ.

18. *Glebis excitatur.*] E terra majores ejus margæ moles seu glebæ extrahuntur, ut lapides e lapicidinis: eædem in tenues bracteas Sole ac gelu solvuntur

19. *Hæc ex æquo fertilis.*] Pabuli nimirum, ac frugum.

20. *Quacumque terra.*] Lætum agrum, inquit, uberemque faciunt, cum terram infra tres pedes effossam, sterilio-ri solo injiciunt pedali crassitudine.

21 *Arato injicienda.*] Ubi jam solum aratum est: ut terra facilius vim margæ medicatam & salubrem hauriat. In libris quibusdam *aratro*, male.

Sect. V. 1. *Cineris usus.*] De quo Virgilius, lib 1. Georg. vers. 80.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola: neve
Effetos cinerem immundum jactare per agros.

Quæ porro traduntur a Virgilio agricolationis præcepta, ea sunt ex Italiæ Circumpadanæ ritu petita, ut Plinius adnotavit, lib. 18. sect. 30.

2. *Ut diximus.*] Sect. 3. his verbis: *Quippe non eadem arboribus conveniunt & frugibus plerumque.*

3. *Sunt qui pulvere.*] Hanc pulveris excitationem, quæ

VI. Fimi plures differentiæ: ipsa res antiqua. Jam [1] apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus lætificans reperitur. [2] Augeas rex in Græcia excogitasse traditur: divulgasse vero Hercules in Italia, quæ regi suo [3] Stercuto Fauni filio ob hoc inventum immortalitatem tribuit. [4] M. Varro principatum dat turdorum fimo ex aviariis: [5] quod etiam pabulo boum suumque magnificat: neque alio cibo celerius pinguescere asseverat. [6] De nostris moribus bene sperare est, si tanta apud majores fuere aviaria, ut ex his agri stercorarentur. [7] Proximum Columella columbariis, mox gallinariis facit, natantium alitum damnato. [8] Ceteri auctores consensu [9] humanas dapes ad hoc in primis advocant. [10] Alii ex his præferunt hominum potus, in coriariorum officinis pilo madefacto. [11] Alii per sese, aqua iterum, largiusque etiam, quam cum bibitur, admixta. [12] Quippe plus jam ibi mali domandum est, cum ad virus illud vini homo accesserit. Hæc sunt certamina, quibus invicem ad tellurem quoque alendam utuntur homines. [13] Proxime spurcitias suum laudant. [14] Columella solus damnat. Alii cujuscumque quadrupedis ex cytiso: [15] aliqui columbaria præferunt. [16] Proximum deinde caprarum est, ab hoc ovium, deinde boum, novissimum jumentorum. Hæ fuere apud priscos differentiæ, simulque præcepta (ut invenio) re tali utendi, quando & hic [17] vetustas utilior: visumque jam est apud quosdam provincialium, in tantum abundante [18] geniali copia pecudum, [19] farinæ vice cribris superinjici, fœtore aspectuque, [20] temporis viribus, in quamdam etiam gratiam mutato. Nuper repertum, oleas gaudere maxime cinere [21] e calcariis fornacibus.

[22] Varro præceptis adjicit, equino, quod sit levissimum, segetes alendas: prata vero graviore, & quod ex hordeo fiat, multasque gignat herbas. Quidam etiam bubulo [23] jumentorum præferunt, ovillumque caprino, [24] omnibus vero asininum, quoniam lentissime mandunt. E contrario usus [25] adversus utrumque pronunciat. [26] Inter omnes autem

Notæ.

fossione fit, cum pubescunt uvæ, hoc est, cum nigrescere incipiunt, laudat etiam Theophr. lib. 3. de causis, cap. 22. pag. 285. *Τὰς δ' ὑποκόπτειν . . . . ὅπως ὀργῶντες περκάζωσι οἱ βότρυες*, &c.

Sect. VI. 1. *Apud Homerum regius senex.*] Laërtes. Cic. lib. de Senect. sect. 54. *Quid de utilitate loquar stercorandi? Homerus . . . . Laertem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit.* Homeri versus est ejuscemodi, Odyss. ω. vers. 225.

Τὸν δ' οἶον πατέρ' εὗρεν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ.

Λιστρεύοντα φυτόν.

Ubi illud *λιστρεύοντα* stercorantem Cicero & Plinius reddiderunt.

2. *Augeas.*] Ille Eleorum rex, quem Hercules sustulit. Inde parœmia, *Augeæ stabulum.*

3. *Stercuto.*] Ita M S S. non *Sterculio.* Isidorus, lib. 17. Orig cap. 1. *Stercorandi agri rationem primus induxit quidam nomine Stercutus in Italia, cujus ara a Pico dedicata est Romæ.* Sed rectius forte *Sterculus*, uti legimus apud Tertull. Apolog. cap. 25. & lib. 2. ad Nation. cap. 9 & apud Prudentium, in hymno S. Laurentii, vers 450. Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 7. pag. 218. Saturnum hunc fuisse censet, *Stercutum dictum, quod primus stercore fœcunditatem agris comparaverit.*

4. *M. Varro.*] Libro 1. de re rust. cap. 38. *Stercus optimum scribit Cassius esse volucrum, præter palustrium, ac nantium. De his præstare columbinum, quod sit calidissimum, ac fermentare possit terram. Id ut semen aspergi in agro oportere, non ut de pecore acervatim poni. Ego arbitror præstare ex aviariis turdorum, ac merularum: quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum, ita bubus, ac suibus, ut fiant pingues.*

5 *Quod etiam pabulo.*] Ad pabulum & cibum boum suumque.

6. *De nostris.*] Non adeo damnandi mores nostri videntur.

7. *Proximum.*] Columella, lib. 2. de re rust. cap. 15. pag. 70. *Tria igitur stercoris genera sunt præcipua: quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus confit. Avium primum habetur, quod ex columbariis egeritur: deinde, quod gallinæ, ceteræque volucres edunt, exceptis tamen palustribus, aut nantibus, ut anatis & anseris: nam id noxium quoque est. Maxime tamen columbinum probamus, . . . Secundum deinde, quod homines faciunt,* &c.

8. *Ceteri auctores.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 5. Varro & Colum. loc. cit.

9. *Humanas dapes.*] Excrementa ciborum sic caste circumloquitur.

10. *Alii ex his.*] Alii, inquit, humanum lotium anteponunt, cum pilo qui in coriariorum officinis fuerit eo lotio madefactus. Hæc coriariorum retrimenta sordesque cum lotio pariter commendat in primis auctor Geopon. lib 2. cap. 20. pag. 59. *Καὶ ἡ μὲν γνώμη ἐστὶ, ἢ καθ' ἑαυτὸ μεῖζον ὠφελεῖ πάντων τι φασί . . . τὸ οὖρον, τὸ ἀνθρώπειον . . . . ἅμα τῇ τῶν τῶν σκυτοδεψῶν ἀναλύσει.* Quin & Theophr. addit, lib. 3 de causis, cap. 23. pag. 287. eo stercore nonnulla ex silvestrium numero in urbanum habitum transiisse.

11. *Alii per se.*] Alii lotium seu urinam adhibent solam, ac sine coriariorum retrimentis admixtis, addita tantum aquæ, ne agrum perurat. Columella, lib. 2. cap. 15. *Aptior est tamen surculis hominis urina, quam sex mensibus passus fueris veterascere: si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat: nec solum ea res majorem facit proventum, sed etiam saporem, & odorem vini pomorumque reddit meliorem.*

12. *Quippe plus jam ibi mali.*] Plus, inquit, vitii corrigendum emendandumque est: cum ad virus quod vinum habet in se, etiam illud accesserit, quod eo humano traxit corpore, per quod potus transmeat. In quibusdam libris *mali*, pessime.

13. *Proxime.*] Theophr. loc. cit.

14. *Columella solus.*] E Latinis. Nam e Græcis auctor Geopon. lib. 1. cap. 29. pag. 58. Columellam sequutus est Palladius, lib 1. cap. 33.

15. *Aliqui columbaria.*] Colum. loc. cit. Geopon. auctor, pag. 57.

16. *Proximum deinde*] Cato, cap. 36. Varro, loc. cit. Auctor Geopon. loc. cit. pag. 58.

17. *Vetustas utilior.*] Utilius est vetustiorum sequi præcepta. Cave enim de stercoris vetustate accipias. Enimvero, ut recte Columella, lib. 2. cap. 15. *Stercus omne, quod tempestive repositum, anno requieverit, segetibus est maxime utile: nam & vires adhuc solidas habet, & herbas non creat. Quanto autem vetustius sit, minus prodest, quoniam minus valet: itaque pratis quam recentissimum debet injici, quod plus herbarum progeneret*, &c. Quæ Palladius, lib. 1. cap. 33. de sterquilinio, totidem fere verbis exscripsit.

18. *Geniali.*] Fecunda.

19. *Farinæ vice.*] In modum farinæ crebro agris superinjici.

20. *Temporis viribus.*] Progressu temporis, ac vetustate.

21. *In calcariis.*] Quin & calcem ipsum ad emendandum terræ vitium, in qua olea seritur, Columella adhibet, lib. 5. cap 9. *Solent etiam*, inquit, *vitio soli fructum oleæ necare: cui rei sic medebimur. Altis gyris ablaqueabimus eas, deinde calcis pro magnitudine arboris plus minusve circumdabimus, sed minima arbor modicum postulat.*

22. *Varro.*] Libro 1. de re rust. cap. 38. *Minime bonum equinum, sed in segetes: in prata enim vel optimum, ut ceterarum veterinarum, quæ hordeo pascuntur, quod multam facit herbam*

23. *Jumentorum.*] Ut equinum, mulinum. Sic Colum. lib. 2. cap. 15. pag. 71.

24. *Omnibus . . . asininum*] Colum. loc. cit. iisdem verbis.

25. *Adversus utrumque.*] Varronis scilicet & Columellæ placitum modo allatum.

26. *Inter omnes*] Colum. lib. 2, cap. 14. pag. 69. *De lupino nihil dubito, atque etiam de pabulari vicia: si tamen eam viridem desectam confestim aratrum subsequatur, & quod falx reliquerit, priusquam inarescat, vomis rescindat, atque obruat: id enim cedit pro stercore*, &c. In eodem habitat argumento cap. 16. pag. 73.

constat nihil esse utilius lupini segete, priusquam [27] siliquetur, aratro vel bidentibus versa, manipulisve desectæ, circa radices arborum ac vitium obrutis. [28] Etiam ubi non sit pecus, culmo ipso, vel etiam filice, stercorare arbitrantur.

[29] Cato: Stercus unde fiat, stramenta, lupinum, paleas, [30] fabalia, ac frondes ilignas, quernasque. E segete evellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam auctam, ulvamque: eam substernito ovibus, frondemque putidam. [31] Vinea si macra erit, sarmenta sua comburito, & ibidem inarato. [32] Itemque ubi satutus eris frumentum, oves ibi delectato.

VII. Nec non & satis quibusdam ipsis pasci terram dicit. [1] Segetem stercorant fruges: lupinum, faba, vicia. Sicut e contrario cicer, quia vellitur, & quia salsum est: hordeum fenum Græcum, ervum: hæc omnia segetem exurunt, & omnia quæ velluntur: nucleos in segetem ne indideris. [2] Virgilius & lino segetem exuri, & avena, & papavere arbitratur.

VIII. [1] Fimeta sub dio concavo loco, [2] & qui humorem colligat, stramento intecta, ne in Sole arescant; palo e robore depacto fieri jubent: ita fore ne innascantur his serpentes. Fimum miscere terræ, plurimum refert Favonio flante, ac [3] Luna sitiente. Id plerique prave intelligunt a Favonii ortu faciendum, [4] ac Februario mense tantum: cum id pleraque sata aliis postulent mensibus. Quocumque tempore facere libeat, curandum ut ab occasu æquinoctiali flante vento fiat, [5] Lunaque decrescente [6] ac sicca. Mirum in modum augetur ubertas effectusque ejus observatione tali.

CAP. X. IX. Abunde prædicta ratione cæli ac terræ, nunc de his arboribus dicimus, quæ cura hominum atque arte proveniunt. [1] Nec pauciora prope sunt genera: tam benigne naturæ gratiam retulimus. [2] Aut enim semine proveniunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut avulsione, aut surculo, [3] aut insito & consecto arboris trunco. [4] Nam folia palmarum

NOTÆ.

27. *Siliquetur.*] Priusquam siliquas faciat.

28. *Etiam ubi.*] Colum lib. 2 cap. 15. *Nec ignoro quoddam esse rursus genus, in quo neque pecora, neque aves haberi possint: attamen inertis est rustici eo quoque loco deesse stercore. Licet enim quamlibet frondem, licet e vepribus compitisque congesta colligere: licet filicem sine injuria vicini, etiam cum officio decidere, & permiscere cum purgamentis cortis.*

29. *Cato.*] De re rust. cap. 37. pag. 32. *Stercus unde facias: Stramenta, lupinum, paleas, frondem iligneam, quernam. Ex segete vellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam altam, ulvamque: eam substernito ovibus, bubusque frondem putidam.* Ita libri omnes, etiam Pintiani MSS. non putridam.

30. *Fabalia.*] Stipulæ fabales.

31. *Vinea si.*] Cato, cap. 37. pag. 32. *Vinea si macra erit, sarmenta sua concidito minute, & ibidem inarato, aut infodito.*

32. *Itemque ubi.*] Cato, cap. 30. pag. 28 *Ubi sementim facturus eris, ibi oves delectato.* Apud Catonem alii legunt *delegato.* Sententia hæc est: oviarium septum, caulasque campestres ibi statuito, uti fimo locum stercorent. Fimum Latini lætamen appellant, ut inferius dicturi sumus, lib. 18. sect. 40.

Sect. VII 1. *Segetem.*] Cato, cap. 37. pag. 32 *Quæ segetem stercorent fruges. Lupinum, faba, vicia.* Et paulo ante: *Cicer, quod vellitur, & quod salsum est, eo malum. Hordeum, fenum Græcum, ervum, hæc omnia segetem exurunt, & omnia quæ velluntur. Nucleos in segetem ne indideris.* A Catone & Plinio stat & Saserna apud Colum. lib. 2. de rust. cap. 14. pag 69.

2. *Virgilius.*] Libro 1 Georg. v. 77.

Urit enim lini campum seges, urit avena,
Urunt Lethæo perfusa papavera somno.

Vide & Colum. loc. cit. pag. 70.

Sect. VIII. 1. *Fimeta*] Varro lib. de re rust. cap 38. *Sterquilinium secundum villam facere oportet... In eo si in medio robustea aliqua materia sit depacta, negant serpentem nasci.* Colum. lib 1. cap. 15. *Licet depressa fossa, qualem stercori reponendo primo volumine fieri præcepimus, cinerem, cænumque cloacarum, & culmos, ceteraque quæ everruntur, in unum congerere. Sed eodem medio loco robusteam materiam defigere convenit: namque ea res serpentem noxiam latere in stercore prohibet.*

2. *Et qui humorem.*] Proditum illud & a Columella, lib. 1. cap. 6. *Sterquilinia quoque duo sint: unum quod nova purgamenta recipiat, & in annum coerceat: alterum, ex quo vetera vehantur. Sed utrumque more piscinarum devexum leni clivo, & exstructum, pavitumque solum habeat, ne humorem transmittant. Plurimum enim refert non adsiccato succo fimum vires continere, & assiduo macerari liquore: ut si qua interjecta sint stramentis aut paleis, spinarum vel graminum semina intereant, nec in agrum exportata segetes herbidas reddant. Ideoque periti rustici quidquid ovilibus stabulisque conversum progesserunt, superpositis virgeis cratibus tegunt, nec arescere ventis sinunt, aut Solis incursu perurere.*

3. *Luna sitiente.*] Hoc est, sicca, ut Plinius ipse ait, hac sect. & 24 sive, non imbrifera. Nugantur qui sitientem, aut siccam dici autumant, Turnebum secuti, quod Lunam aquis ali, sive fluvialibus, sive marinis Stoici putarent: sitire, cum expers luminis foret: udam, cum plena esset: uti nos siccum pro sobrio, pro ebrio madidum dicimus. Apud Catonem hodie non *sitiente*, sed *silente* legitur: tamen *sitiente* exhibent Pintiani MSS omnes. Catonis verba sunt, cap. 29. pag. 28. *Stercus sic dividito.... quartam partem in pratum reservato: idque tum maxime opus erit, ubi Favonius flabit evehito Luna silenti*, pro *sitienti*. Itaque *sitiente Luna* eodem significatu dici nunc a Plinio palam est, quo ipse prius, lib 13, sect. 7. *anno sitienti* dixit: & quo Columella, lib. 2. cap. 8. *sitiente solo*, & *sicco solo*, hoc est, imbrium experte.

4. *Ac Februario.*] Columellæ hæc oratio est, lib. 2. cap. 18. *Sed in totum curandum est, ut secundum Favonii exortum, mense Februario, circa Idus, immixtis seminibus fenum, macriora loca, & usque celsiora stercoremus*

5. *Lunaque decrescente.*] Sic Geopon. Auctor, lib. 2. cap. 19. pag 59. & Columella, lib. 2. cap. 16. Item Palladius in Februario, tit. 20.

6. *Ac sicca.*] Hoc est, minime pluvia, ut diximus. Usus ea voce Propertius, lib. 2. Eleg 17.

Nec licet in triviis sicca requiescere Luna.

Et Eleg. 28.

Incipit & sicca fervere terra Cane.

Ubi Sirio exardescente carere pluviis æstatem haud obscure significat: sive, ut Tibullus ait, lib. 1 Eleg. 4

Æstiva tempora sicca Canis.

Sect. IX. 1. *Nec pauciora.*] Nec pauciora serendi genera ars hominum & cura invenit, quam natura: quæ tribus modis arbores edit, ut diximus lib. 16. sect. 58 Sponte, aut semine, aut radice: semine, inquam, fortuito labente ex arbore, non facta ex arte & industria seminatione. Sic naturæ patria retulimus.

2. *Aut enim semine.*] Modos sex enumerat, quibus arbores per artem proveniant: hos & Virgilius fere recenset, lib 2 Georg v. 23. Theophrastus Plinio consentit, lib. 2. hist 1 c. 1. Seminationem. 2 Plantarum cum radice translationem e seminario in altum locum · hunc modum Theophrastus ἀπὸ φυτῶν vocat: plantas radicum Galli, *du Plant.* 3. Propagationem, quæ præsertim in vitibus nota est, *Provigner, Faire des Provins* 4 Avulsionem, qua stolones, *les rejettons*, una cum fibris & radiculis e stirpe aut corpore arboris abscinduntur, & sulcis seu scrobibus mandantur: quod in arboribus ferme omnibus usurpatur. 5. Surculum, sive taleam e cacumine rami amputatam, quæ infossa sine radice crescit ac virescit: vulgo *planter des cions* 6. Insitionem, cum surculus unius arboris alteri immittitur: quæ quasi in ejus naturam transit. *enter.*

3. *Aut insito, & consecto*] Hoc est, insitione, quæ fit etiam secto ac fisso arboris summo trunco, quo vel unus vel plures surculi in fissuram inserantur. *Enter en fente.* Vide Notas & Emend. num. VIII.

4 *Nam folia.*] Vix credit Theophrastus iis qui etiam e

apud

apud Babylonios feri, atque ita arborem provenire, Trogum credidisse demiror. Quædam autem [5] pluribus generibus feruntur, quædam omnibus.

X. Ac pleraque ex his ipsa natura docuit, & in primis femen ferere, cum decidens exceptumque terra vivesceret. [1] Sed quædam non aliter proveniunt, ut castaneæ, juglandes: [2] cæduis dumtaxat exceptis. Ex femine autem, quanquam dissimili, ea quoque, quæ & aliis modis feruntur: ut vites, & mala, atque pira. Namque iis pro femine nucleus, non ut supra dictis fructus ipse. [3] Et mespila femine nasci possunt. [4] Omnia hæc tarda proventu, ac degenerantia, & [5] insito restituenda. Interdum etiam castaneæ. 5

XI. [1] Quibusdam natura contra omnino non degenerandi, quoquo modo ferantur: ut cupressis, lauris. Namque & laurus pluribus modis feritur. [2] Genera ejus diximus. Ex his Augusta, & baccalis, & tinus, simili modo feruntur. Baccæ mense Januario, Aquilonis afflatu siccatæ leguntur, expanduntur que raræ, ne calefiant acervo. [3] Postea quidam fimo ad fatum præparatas, urina madefaciunt. Alii in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis. [4] Alioquin uligo infestat, nec patitur nasci. In sulco [5] repastinato palmi altitudine vicenæ fere acervatim [6] mense Martio: eædem & propagine feruntur: [7] triumphalisque talea tantum. [8] Myrti genera omnia in Campania baccis feruntur, Romæ propagine Tarentina. [9] Democritus & alio modo feri docet, grandissimis baccarum tusis leviter, ne grana frangantur, eaque intrita reste circumlini, atque ita feri: [10] parietem fore densitatis, ex quo virgulæ differantur. Sic & spinas sepis causa ferunt, [11] tomice moris spinarum circumlita. [12] Pilas autem laurus & myrti inopia a trimatu tempestivum est transferre. Inter ea quæ femine feruntur, Mago [13] in nucibus operosus est. Amygdalas in argilla molli meridiem spectante feri jubet. [14] Gaudere & dura, calidaque terra: in pingui aut humida mori, ac sterilescere. [15] Serendas quam maxime falcatas, & e novella, fimoque diluto maceratas per triduum, aut pridie quam ferantur, aqua mulsa. [16] Mucrone defigi, aciem lateris in Aquilonem spectare: ternas simul ferendas triangula ratione, palmo inter se distantes: [17] denis diebus adaquari, donec grandescant. Juglandes nuces porrectæ feruntur [18] commissuris jacentibus. Pineæ nucleis septenis fere in ollas perforatas additis: [19] aut ut laurus, quæ baccis feritur. [20] Citrea grano & propagine: 10 15 20 25

NOTÆ.

virgis ἀπὸ τ῀ ῥάβδων ἐν Βαβυλῶνι palmas provenire aiunt: lib. 2. hist. cap. 2.

5. *Pluribus generibus.*] Pluribus modis e sex proxime appellatis.

Sect. X. 1. *Sed quadam non aliter.*] Quam femine. Virgil. lib. 2. Georg. vers. 14.

Pars autem posito surgunt de femine, ut alta
Castanea.

2. *Caduis.*] Quæ succisæ, rursus e stirpibus aut radicibus renascuntur.

3. *Et mespila.*] Palladius, in Martio, tit. *Mespilum. Seritur & femine: sed in longiorem speratur ætatem.*

4. *Omnia hæc.*] Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 57.

Jam qua feminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant succos oblita priores.

Vide & Pallad. lib. 3. in Febr. tit. 25. pag. 71. Theophr. lib. 2. hist. cap. 3. Ὅσα δὲ ἀπὸ τοῦ σπέρματος ἐνδέχεται καὶ ἄλλως βλαστάνειν, ἅπαντα εἰς τὸ χεῖρον. τὰ δὲ καὶ ὅλως ἐξίσταται τοῦ γένους· οἷον ἄμπελος, μηλέα, συκῆ, ῥοὰ, ἄπιος, &c. *Qua femine quoque proveniunt, ea fere deteriora redduntur. Quadam etiam omnino degenerant, ut vitis, malus, ficus, Punica, pirus.*

5. *Et insito.*] Insitione.

Sect. XI. 1. *Quibusdam.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 3. hæc paulo enucleatius.

2. *Genera qua diximus.*] Libro 15. sect. 39.

3. *Postea quidam fimo.*] Sic paulo post fimo diluto macerari femen jubet. In quibusdam libris, *fumo* male.

4. *Alioquin uligo.*] Cuticulæ, quæ baccas vestit, nimius humor, erumpere femen inclusum non patitur.

5. *Repastinato.*] Refosso.

6. *Mense Martio.*] Palladius mense Februario feri jubet, lib. 3. sive Februar. tit. 23.

7. *Triumphalisque.*] Laurus triumphalis, de qua cum reliquis generibus lib. 15. sect. 39. talea tantum sive surculo feritur, qui modus est e sex enumeratis quintus.

8. *Myrti genera.*] De his egimus lib. 15. sect. 37.

9. *Democritus.*] Et Florentinus in Geopon. lib. XI. cap. de plantatione myrti, pag. 310. Οἱ δὲ τοῦ μύρτου σπέρματα λεπτῶς περιτρίψαντες, ἐκ βουτόμου πεπλεγμένῳ εἰς τάφρον ὀρύξαντες. *Sunt qui baccas lectissimas tundant leviter, restemque e palustri herba tortum, (quam butomum vocant) circumligent: & sic in fossam injiciunt.*

10. *Parietem fore.*] Sic fore sepem e myrto densissimam, parietis vice, e qua surculi deinde cædi plures possint, qui alio transferantur.

11. *Tomice.*] Hoc est, junceo, lineo, palmeove funiculo, moris, quæ rubi vel spinæ ferunt, suntque nunc feminis vice, circumligato. Palladius, in Februario, tit. 24. de hortis: *Circa Idus Februarias sepes hortorum ex congesto in funibus spinarum femine facienda est, sicut dictum est, cum de muniminе loqueremur hortorum.* Nempe, lib. 1. tit. 34. de locis horti, pomarii, & sepibus. *Alii spinarum plantas ac femina in munitione disponunt. Sed melius erit rubi femina, & spina qua rubus caninus vocatur, matura colligere, & cum farina ervi ex aqua macerata miscere: funis deinc sparteos veteres hoc genere mixturæ se inducere, ut intra funes femina recepta serventur usque ad verni temporis initia. Tunc ubi sepes futura est, duos sulcos tribus a se pedibus separatos sesquipedis altitudine faciemus: & per utrosque, funes cum feminibus obruemus levi terrâ.*

12. *Pilas autem.*] Baccas intelligit laurus ac myrti, tomice sive reste, ut proxime dictum est, in pilæ modum circumlitas, atque ita fatas. has, ubi cogit inopia, statim a trimatu ait tempestive transferri. Vide Notas & Emendat. num. IX.

13. *In nucibus.*] Amygdalinis, juglandibus, pineisque.

14. *Gaudere, &c.*] Palladius a Magone facit, lib. 2. in Januar. tit. 15. pag. 45. *Amant, inquit, agrum durum, siccum, calculosum, cælum calidissimum: & quia mature florescere consueverunt, ita statuenda sunt, ut arbores ad meridiem spectent.*

15. *Serendas.*] Pallad. loc. cit. *Sed ipsa amygdala ad ponendum, & nova legamus, & grandia. Quæ antequam ponamus, pridie mulsa aqua, ita ut ne nimis maceremus, ne germen extinguat ex multo melle mordacitas. Alii prius fimo liquido per triduum eas macerant: deinde die & nocte esse patiuntur in mulsa, sed qua suspicionem tantum possit habere dulcedinis.* Sic & Florentinus in Geopon lib. 10. cap. 57. pag. 281.

16. *Mucrone.*] In carinæ similitudinem composita amygdala est: carinæ acumen Plinio mucro est: acies lateris, carina ipsa ima, latusque, qua falcis aciem imitatur. Aliter tamen Pallad. loc. cit. tit. 16. pag. 47. *Ponemus autem transversas, ut latus, id est, carina ipsa figatur in terra: cacumen ipsum cum ponimus nucem, in Aquilonis partem dirigemus.* Stare a Plinio Damogeron videtur, lib. 17. Geopon. cap. 63.

17. *Denis diebus.*] Decimo quoque die. Pallad. loc. cit. tit. 15. pag. 45. *Cum in feminario amygdala disponimus, si siccitas intercesserit, ter in mense rigemus, & herbis nascentibus circumfodiendo sæpe purgemus.*

18. *Commissuris.*] Qua parte bifores putaminum valvulæ connectuntur.

19. *Aut ut laurus.*] Quæ quemadmodum baccis feratur, dictum est principio sectionis hujus.

20. *Citrea grano.*] Palladius, lib. 4. in Martio, tit. 10. pag. 94. *Mense Martio citri arbor quatuor modis feritur: femine,*

[21] forba femine, [22] & a radice planta, & avulfione proveniunt. [23] Sed illa in calidis: forba & in frigidis & humidis.

XII. Natura & plantaria demonftravit, [1] multarum radicibus pullulante fobole denfa & patiente matre [2] quas enecet. Ejus quippe umbra turba indigefta premitur: [3] ut in lauris, Punicis, platanis, cerafis, prunis. Paucorum in hoc genere rami parcunt foboli, ut ulmorum, palmarumque. Nullis vero [4] tales pulluli proveniunt, nifi quarum radices amore Solis atque imbris in fumma tellure fpatiantur. Omnia ea non ftatim moris eft [5] in fua locari, fed prius nutrici dari, atque in feminariis adolefcere, iterumque migrare. Qui tranfitus mirum in modum mitigat etiam filveftres: five arborum quoque, ut hominum natura, novitatis ac peregrinationis avida eft: five difcedentes virus relinquunt, manfuefcuntque tractatu, ceu ferae, [6] dum radici avellitur planta.

XIII. [1] Et aliud genus fimile natura monftravit, avulfique arboribus ftolones vixere. Quo in genere & [2] cum perna fua avelluntur, partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt fecum [3] fimbriato corpore. [4] Hoc modo plantantur Punicae, coryli, mali, forbi, mefpili, fraxini, fici, in primifque vites. Cotoneum ita farum degenerat. [5] Ex eodem inventum eft furculos abfciffos ferere. [6] Hoc primo fepis caufa factum, fambucis, cotoneo, & rubis depactis: mox & culturae, ut populis, alnis, falici, quae [7] vel inverfo furculo feritur. Jam ex ibi difponuntur, ubi libeat effe eas. Quamobrem feminarii curam ante convenit dici, quam tranfeatur ad alia genera.

XIV. [1] Namque ad id praecipuum eligi folum refert, [2] quoniam nutricem indulgentiorem effe, quam matrem, faepe convenit. [3] Sit ergo ficcum, fuccofumque, bipalio fubactum, advenis hofpitale, & quam fimillimum terrae, in quam transferendae fint. Ante omnia elapidatum, munitumque ad incurfum etiam gallinacei generis: quam minime timofum, ne penetrans Sol exurat fibras: [4] intervallo fefquipedum feri: nam fi inter fe contingant, praeter alia vitia, etiam [5] verminofa fiunt: ideo farriri convenit faepius, herbafque evelli. Praeterea femina ipfa fruticantia fupputare, ac falcem pati confuefcere.

[6] Cato & furcis crates imponi jubet, altitudine hominis, ad [7] Solem recipiendum: atque integi culmo ad frigora arcenda: [8] fic pirorum malorumque femina nutriri, fic pineas nuces, [9] fic cupreffos femine fatas & ipfas. [10] Minimis id granis conftat, ut vix perfpici quaedam poffint, non omittendo naturae miraculo, e tam parvo gigni arbores:

NOTAE.

ramo, talea, clava . . . . Si gravis velis ferere, ita facies: Terram in duos pedes fodies, cinerem mifcebis, &c.

21. *Sorba femine, &c.*] Palladius in Januario, tit. 15. *Menfe Januario, Februario & Martio, locis frigidis . . . . forba feruntur egregie, ita ut matura in feminario ipfa poma pangantur. . . . Plantas etiam fi quis ponere voluerit; habebit arbitrium. . . . Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, & folum pinguiffimum, &c.*

22. *Et a radice planta.*] Seu plantis radicis, qui fecundus modus e fex recenfitis ferendi generibus.

23. *Sed illa in calidis.*] Pallad loc. cit. de citreo: *Amat terram rarioris naturae, caelum calidum, humoremque continuum . . . Sed fi quis hoc genus, ut in regione frigida nutriatur, extorquet, loco vel parietibus munito, vel in meridianam partem verfo difponat hanc arborem, &c.*

Sect. XII. 1. *Multarum radicibus.*] E multarum arborum radicibus. Secundum ferendi genus fuperius memoratum explanat.

2. *Quas enecet.*] Ramorum opacitate. Virgil. libro 2. Georg. verf. 53.

Necnon & fterilis, quae ftirpibus exit ab imis:
Nunc alta frondes, & ramis matris opacant,
Crefcentique adimunt fetus, uruntque ferentem.

3. *Ut in lauris.*] Virgil. lib. 2. Georg. verf. 17.

Pullulat ab radice aliis denfiffima filva,
Ut cerafis, ulmifque: etiam Parnaffia laurus
Parva fub ingenti matris fe protegit umbra.

4. *Tales pulluli.*] Stolones. Pullos & Cato vocat, cap. 51. *Propagatio pomorum, aliarumque arborum. Ab arbore ubi terra pulli qui nafcentur, eos in terram deprimito, extollitoque primorem partem, uti radicem capiat, &c.* Nos vulgo, *Rejettons.* Hinc verbum *pullulare* deductum, quafi pullulos emittere, quod & pullulafcere Columella dixit, lib. 4. cap. 21.

5. *In fua locari.*] Ita MSS. Reg Colb. &c. In fua terra, ftabili, certa, in qua femper confiftant, unde transferri nefas.

6 *Dum radici.*] Dum ei terrae eripitur, ubi radices primum egit.

Sect. XIII. 1. *Et aliud genus.*] Quod ἀπὸ παρασπάδος Theophr. vocat, lib 2. hift. cap. 1. avulfione ftolonum, five a radice, five a corpore. Quartum id ferendi genus fupra memoratum A Virgilio tactum, lib. 2. Georg verf. 23.

Hic plantas tenero abfcindens de corpore matrum
Depofuit fulcis.

2. *Cum perna.*] Cum parte corporis, feu matricis, quae fic avulfa pernae fimilitudinem habet. Calcem idem ipfe appellat, fect. 35.

3. *Fimbriato.*] Sive fibrato, hoc eft, cum quibufdam radicum fibris. Theophr. lib. 2. hift. cap 7. συνρριζα.

4 *Hoc modo.*] Theophr. loc. cit.

5. *Ex eodem.*] Ex cotoneo, quod talea quoque & cacumine decifo e ramis, fatum provenit. Hic quintus ferendi modus e fex fuperius laudatis. Theophr lib. 2. hift. cap. 1. ἀπὸ κλωνός. Virgil. lib. 2. Georg. verf. 28.

Nil radicis egent aliae, fummumque putator
Haud dubitat terrae referens mandare cacumen.

Palladius, in Februario, tit de malo: *Serunt aliqui cotoneum cacuminibus & talea: fed tardus eft in utroque proventus.*

6. *Hoc primo.*] Theophr lib. 1. de caufis, cap. 1.

7. *Vel inverfo furculo.*] Ita ut pars acuminatior in terram abdatur: εἰς ἀνάπαλιν τιθεὶς appellat Theophr. lib. 2. hift. cap 8.

Sect. XIV. 1. *Namque ad id.*] Seminarium, five plantarium.

2. *Quoniam nutricem.*] Nutrix ea tellus appellatur, cui primum femina committuntur, qualis in feminariis eft: mater, in quam tranflatae omni deinde aevo degant.

3. *Sit ergo.*] Cato, cap. 46. pag. 38 *Seminarium ad hunc modum facito: Locum quam optimum, & apertiffimum, & ftercorofiffimum poteris, & quam fimillimum genus terrae ea ubi femina politurus eris, &c.*

4. *Intervallo.*] Cato, loc. cit *In fefquipedem quoquoverfum taleam demittito, opprimitoque pede.*

5. *Verminofa*] Columella, lib. 5. cap. 10. *Si eodem fcrobe duas aut tres arbufculas voles conftituere, curato ne inter fefe contingant: quoniam mutuo contactu aut putrefcent, aut vermibus interibunt.*

6. *Cato.*] Cap. 48. cap. 39. *Eam terram tabula aut pedibus complanato: furcas circum affigito, eo perticas intendito: eo farmenta, aut crates ficarias imponito, quae frigus defendant & Solem: ubi fubtus homo ambulare poffit, facito.*

7. *Solem recipiendum.*] Ut cum crates eae Solem receperint, a fatu defendant.

8. *Sic pirorum, &c.*] Cato, loc. cit.

9 *Sic cupreffos*] Cato, cap. 151. pag. 180. & 181. *Semen cupreffi quando legi, feri, propagarique oporteat, &c.*

10 *Minimis.*] Varro, lib. 1. de re ruft. cap. 40. *Quaedam ad oriendum funt ufque adeo parva, ut fint obfcura, ut cupreffi*

tanto majore tritici & hordei grano : ne quis fabam reputet. Quid simile originis suæ habent malorum pirorumque semina ? His principiis respuentem secures materiam nasci, indomita ponderibus immensis prela, [11] arbores velis, turribus murisque impellendis arietes ? Hæc est naturæ vis, hæc potentia. Super omnia erit, e lacryma nasci aliquid, ut [12] suo loco dicemus. Ergo e cupresso semina (mas enim, [13] ut diximus, non gignit) pilulæ collectæ, [14] quibus docui mensibus, siccantur Sole : ruptæque emittunt semen, formicis mire expetitum : ampliato etiam miraculo, tantuli animalis cibo absumi natalem tantarum arborum. [15] Seritur mense Aprili, [16] area æquata cylindris, aut volgiolis, [17] densum : terraque cribris supercernitur pollicis crassitudine. Contra immane pondus attollere se non valet, torqueturque sub terra. [18] Ob hoc pavitur vestigiis. Leniter rigatur a Solis occasu [19] in trinis diebus, ut æqualiter bibat, donec erumpant. [20] Differuntur post annum dodrantali filo, custodita temperie, [21] ut viridi cælo serantur, ac sine aura. Mirumque dictu, periculum eo tantum die est, si roraverit quantulumcumque imbrem, aut si afflaverit. De reliquo tutæ sunt perpetua securitate, [22] aquasque odere. [23] Et zizipha grano seruntur mense Aprili. [24] Tuberes melius inseruntur in pruno silvestri, & malo cotoneo, & in calabrice : ea est spina silvestris. [25] Quæcumque optime & myxas recipit, utiliter [26] & sorbos. * Plantas ex seminario [27] transferre in aliud, priusquam suo loco ponantur, operose præcipi arbitror, licet translatione folia lariora fieri spondeant.

* Cap. XI.

XV. [1] Ulmorum, priusquam foliis vestiantur, samara colligenda est circa Martias Calend. cum flavescere incipit. Deinde biduo in umbra siccata serenda, densa [2] in refracto, terra super minutatim cribrata, [3] crassitudine quæ in cupressis. Pluviæ si non adjuvent, [4] rigandum. [5] Deferendæ ex arearum venis [6] post annum in ulmaria, intervallo [7] pedali in quamque partem. [8] Maritas ulmos autumno serere utilius, quia carent semine : nam eæ e plantis seruntur. [9] In arbustum quinquennes [10] sub Urbe transferunt, aut (ut quibusdam placet) quæ vicenûm pedum esse cœperunt. Sulco, [11] qui novena-

NOTÆ.

Non enim galbuli qui nascuntur, tamquam pilæ parvæ corticiæ, id semen : sed in his intus primigenia semina dedit natura. Habet eadem Theophr. lib. 1. de causis, cap. 5. pag. 203.

11. *Arbores velis.*] Arbores pro malis dixit, e quibus antennæ & vela pendent.

12. *Suo loco dicemus.*] Ut de hipposelino, lib. 19. sect. 48. de lilio, lib. 21. sect. XI.

13. *Ut diximus.*] Libro 16. sect 47.

14. *Quibus docui.*] Nempe sect. XI. hoc est, mense Januario, Februarioque.

15. *Seritur mense.*] Per ver seri Cato ait, loc. cit. *Semen cupressi Tarentinæ per ver legi oportet. maturum est, ubi hordeum flavescit. Semen ubi legeris, in Sole ponito : id purgato, id aridum condito.... Per ver serito in loco ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant, &c.*

16. *Area æquata.*] Complanato solo, vel cylindro, vel pavicula. Columella, in Hortulo, lib. 10.

Ocyma comprimite, & gravibus densate cylindris.

Cylindrus, columna est lapidea rotatilis, qua rei rusticæ scriptores aream æquari jubent. A volubilitate nomen accepit : κυλινδεῖν enim volvere est. Simile instrumentum pavicula est. Utrumque a Catone copulatur, cap. 129. *Ubi bene comminuta terra fuerit, cylindro aut pavicula coæquato.* Quamobrem *volgiolis*, vel uti in MSS. scribitur, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. &c. *volgiolis*, de pavicula accipiendum putamus.

17. *Densum.*] Cato, cap. 151. *Semen serito crebrum, ita ut linum seri solet : Eo cribro terram incernito : dimidiatum digitum terram altam succernito.*

18. *Ob hoc pavitur.*] Complanatur pedibus, non rursum cylindro æquatur. Vide Notas & Emend num X.

19. *In trinis diebus.*] Tertio quoque die, ut sect. XI. denis diebus, pro decimo quoque die.

20. *Differuntur.*] Ita etiam MSS. Transferuntur, inquit, post annum, cum jam caule sunt dodrantali, seu pollicum novem. Filum cupressi tenerum caudicem vocare videtur, uti in asparago cymam Columella lib. XI. cap. ult. filum vocat. Et in Hortulo, lib. 10.

Et asparagi corrudæ simillima filo.

Vel potius transferri ait in cupresseta post annum, ita ut intervallum dodrantale servetur inter eas, ut de ulmis dicetur sect. seq quod verius arbitramur.

21. *Ut viridi cælo.*] Sudo ac sereno, & a nubibus ita puro, ut viride appareat.

22. *Aquasque odere.*] Plinius, lib. 16. sect. 31. *Aquas odere cupressi* Et Theophr. lib. 2. hist. cap. 8.

23 *Et zizipha.*] Pallad. in Aprili, tit 4 *Locis calidis Aprili mense ziziphum conseremus, frigidis vero Maio vel Junio Amat loca calida, aprica. Seritur ossibus, &c.* Grana Plinio, Palladio ossa sunt

24. *Tuberes.*] Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 16. pag 47. *Hoc mense tuberes inseruntur cydonio* Et lib. 10. in Septembri, tit. de Pomis. *Mense Januario ultimo, vel Februario, tuberum surculus mirabiliter proficit cydonio insitus. Inseritur autem malis omnibus, & piris, & prunis, & calabrice, melius trunco fisso, quam cortice, &c.*

25. *Quæcumque.*] Cuilibet spinæ apte inseruntur myxæ. Pallad. lib 3. in Februar. tit. 25. pag. 78. *Myxa inseruntur mense Martio sorbis, vel spinis.*

26. *Et sorbos.*] Saltem spina alba. Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 15 pag. 45. *Mense Aprili sorba inseruntur in se, in cydonio, in spina alba, vel trunco, vel cortice.*

27. *Transferre in aliud.*] In alterum seminarium.

Sect. XV. 1. *Ulmorum*] Columella, lib. 5. cap. 6. pag 184. & seqq. *Samaram deinde, quæ jam rubicundi coloris erit, & compluribus insolata diebus, ut aliquem tamen succum & lentorem habeat, inscienmus areis, & eas totas seminibus spisse contegemus : atque ita cribro putrem terram duos alte digitos incernemus, & modice rigabimus, &c.* Digna sunt cetera quæ legantur : longiora, quam ut exscribi hic oporteat.

2. *In refracto.*] Hoc est, in terra bipalio pastinata, diligenter occata & resoluta, & in aream demum composita. His enim verbis Columella vim ejus verbi explanat, loco citato.

3. *Crassitudine.*] Pollicari, ut dictum est sect. sup. in cupressis.

4. *Rigandum*] Columella, loc. cit. *Æstate deinde, priusquam Sol oriatur, aut ad vesperum, conspergi potius, quam rigari debent.*

5. *Deferendæ.*] Ex areolis ubi crevere, & sulcis iis, in aliud seminarium post annum transferendæ, ut de cupressis dictum est sup. sect. Venas arearum vocat areas ipsas longo tractu ductas. Sic venas in metallis dicimus. Ita porro MSS Reg Colb. &c. non *differendæ*. Ulmarium Galli vocant, *une ormaye*, locum ulmis consitum.

6. *Post annum.*] Columella, loc. cit. *Cum ternûm pedum plantæ fuerint, in aliud seminarium transferri debent.*

7. *Pedali.*] Columella : *Oportebit non maximos scrobiculos sesquipede inter se distantes fodere.*

8. *Maritas ulmos.*] Queis vites aptius maritantur, ut sunt ulmi Atiniæ, quæ excelsissimæ, ut dictum est sect. 29. lib. 16. Columella, loc. cit. pag 185. *Possunt etiam collecta cum stirpibus plantæ eadem ratione disponi : quod in Atinia ulmo fieri necesse est, quæ non seritur e samera. Sed hæc ulmus autumni tempore melius quam vere disponitur, &c.* Has plantis radicum seri dictum est, lib. 16. sect. 29.

9. *In arbustum.*] Arbustum locus est arboribus consitus ad sustinendas vites : qui & arbustivus idcirco locus Columellæ dicitur, lib. 3. cap. 13. unde & arbustiva vitis.

10. *Sub Urbe.*] In agro Romano.

11. *Qui novenarius*] Novenûm pedum ambitu : cum sit latitudine, ternûm. Columella, lib. 5. cap. 6. *Igitur in resoluta terra ternûm pedum quoquoversus facienda scrobes : at in densa,*

rius dicitur, altitudine pedum trium, pari latitudine, & eo amplius, [12] circa positas, pedes terni undique e solido adaggerantur. Atulas id vocant in Campania. [13] Intervalla ex loci natura sumuntur. [14] Rariores serendas in campestribus convenit. Populos & fraxinos, quia festinantius germinant, disponi quoque maturius convenit, hoc est, ab Idibus Febr. plantis & ipsas nascentes. In disponendis arboribus, arbustisque ac vineis, [15] quincuncialis ordinum ratio vulgata & necessaria, [16] non perflatu modo utilis, verum & aspectu grata, quoquo modo intueare, in ordinem se porrigente versu. [17] Populis eadem ratio semine, qua ulmos serendi: transferendi quoque e seminariis eadem & silvis.

XVI. [1] Ante omnia igitur in similem transferri terram, aut meliorem oportet. [2] Nec e tepidis aut præcocibus in frigidos aut serotinos situs, ut neque ex his in illos. Præfodere scrobes ante (si fieri posset) tanto prius, donec pingui cespite obducantur. [3] Mago ante annum jubet, ut Solem pluviasque combibant: aut si id conditio largita non sit, ignes in medio fieri ante menses duos, nec nisi post imbres in his seri. Altitudinem eorum in argilloso, aut duro solo, trium cubitorum esse in quamque partem: [4] In pronis palmo amplius: & ubique [5] caminata fossura ore compressiore sint. [a] Nigrâ vero terrâ duo cubita, & palmum, quadratis angulis. Eadem mensura Græci auctores consentiunt, non altiores [6] quino semipede esse debere, nec latiores duobus pedibus. [7] Nusquam vero sesquipede minus altos, [8] quoniam in humido solo ad vicina aquæ perveniat.

[9] Cato: Si locus aquosus sit, inquit, latos [b] pedes ternos in faucibus, imosque palmum & pedem, altitudine quatuor pedum: [10] eos lapide consterni, aut si non sit, perticis salignis viridibus: si neque eæ sint, sarmentis: [11] ita ut in altitudinem semipedem trahantur. Nobis adjiciendum videtur ex prædicta arborum natura, ut altius demittantur ea quæ summa tellure gaudent, tamquam fraxinus, olea. Hæc & similia quaternos pedes oportet demitti. Ceteris sat est, si altitudinis pedes ternos effecerint. [12] Excide, inquit, radicem istam, Papirius Cursor Imperator, ad terrorem Prænestinorum Prætoris. Destringi secures jussit. [13] Est innoxium abradi partes, quæ se nudaverint. [14] Testas, aliqui lapides rotundos subjici malunt, [15] qui & contineant humorem, & transmittant: [c] non item planos facere, & a terreno arcere radicem existimantes. Glarea substrata inter utramque sententiam fuerit.

Interpretatio.

a *Nigra.*] *Ubi* vero terra nigra fuerit, *ibi scrobes fient alti* cubita duo, & palmum, & erunt quadrati.

b *Pedes.*] Lati sint scrobes ternos pedes in summa sui parte, in ima palmum & pedem.

c *Non item.*] Existimant *enim* planos lapides non idem præstare: ac *præterea* arcere radicem, ne terræ adhærescat.

Notæ.

fr... *ejusdem altitudinis, quo arbores recipiant, præparandi.*

12. *Circa positas.*] Circa arbores novissime translatas, terra adaggeratur e vicino solo, atque fulto. Hunc aggerem Campani arulam vocant, quasi brevem humilemque aram.

13. *Intervalla.*] Arborum inter se distantia.

14. *Rariores.*] Laxius serendæ. Vide Notas & Emendat. num. XI.

15. *Quincuncialis.*] Quincuncialis figura, sive quincunx, ita dicebatur a figura quinti numeri V, quam singuli trianguli exprimunt: fuitque maxime commendata in disponendis arboribus, ab antiquis rei rusticæ magistris. *En échiquier.*

Quincunx.

O O O O O
 O O O O
O O O O O
 O O O O
O O O O O

16. *Non perflatu.*] Ventorum flatui admittendo aptior.

17. *Populis eadem.*] Forte legendum *Opulis*, ex Colum. lib. 5. cap. 5. Populi enim aut nullum aut rarissime semen ferunt. Vitem vero maxime opulus videtur alere, deinde ulmus, post etiam fraxinus, inquit Colum.

Sect. XVI. 1. *Ante omnia.*] Columella, lib. de arbor. cap. 20. & lib. 3. cap. 9. Virgilius quoque, lib. 2. Georg. vers. 265. & Geopon. Auctor, lib. 2. cap. 46. pag 81.

2. *Nec e tepidis.*] Uti fere *neque homini ex salubri loco in gravem, neque gravi in salubrem transitus satis tutus est*, inquit Celsus, lib. 1. cap. 3.

3. *Mago ante annum.*] Et Columella, lib. 5. cap. 10. & lib. de arboribus, cap. 19. *Ante annum, quam pomaria disponere voles, scrobes fodito: ita Sole pluviaque macerabuntur: & quod posueris, cito comprehendet. Sed si quo anno scrobes feceris, etiam semina ponere voles, minimum ante duos menses, fodito scrobes, postea stramentis eos completo & incendito.*

4. *In pronis.*] In locis declivibus. Vide Notas & Emend. num. XII.

5. *Caminata.*] In modum fornacis, fornicisve arcuata fossura, angusto ore, latiore fundo, Columella, lib 5. cap. 10. *Scrobi clibano similis fiat, cujus imum summo patentius est, ut laxius radices vagentur, ac minus frigoris hieme, minusque æstate vaporis per angustum os penetret: etiam ut clivosis locis terra, quæ in eum congesta est, a pluviis non abluatur.* Quæ totidem fere verbis repetit, lib. de arbor. cap. 19. Plinius supra, sect. 4. *Puteis ore angustatis intus spatiatæ terræ.*

6. *Quino semipede.*] Hoc est, duobus integris pedibus, & semisse. Vide Notas & Emend. num. XIII.

7. *Nusquam vero.*] Vide Notas & Emend. num. XIV.

8. *Quoniam in humido.*] Si nempe ultra sesquipedem fodias. Vide Notas & Emend. num. XV.

9. *Cato.*] Cap. 43. pag. 37. cui titulus est: *Vites & olea, quomodo infodiantur. Sulcos, si locus aquosus erit, alveatos esse oportet, latos summos pedes tres, altos pedes quatuor, infimum latum pedem unum & palmum. Eos lapide consternito. Si lapis non erit, perticis saligneis viridibus quoquoversus collatis consternito. Si pertica non erit, sarmentis colligatis itidem facito.*

10. *Eos lapide consterni.*] Ut aquæ pluviæ ibi receptæ; detentæque, temporibus siccis refrigerandæ arbori sufficere possint: atque ob eam causam alii sarmenta substernunt. &c. Ita Theophr. lib. 3. de causis, cap. 5. pag. 168 & 169.

11. *Ita ut in altitudinem.*] Ita ut sarmenta semipedis altitudine exstent. Hoc illud est quod ait Columella, lib. de arboribus, cap. 20. *Cum semina depones, dextra ac sinistra singulis, usque in imum scrobem, fasciculos sarmentorum brachii humani crassitudine deponito: ita ut supra terram paululum exstent: per quos æstate parvo labore aquam radicibus subministres.*

12. *Excide.*] Aurel. Victor, lib. de Viris illustr. cap. 31. *L. Papirius Cursor a voracitate* . . . *comis & jocorum studiosus, cum Prænestinum Prætorem gravissime increpuisset: Expedi, inquit, lictor, secures. Et cum eum metu mortis attonitum vidisset, incommodam ambulantibus radicem excidi jussit.* Refert idem Livius, lib. 9. pag. 157.

13. *Est innoxium.*] Subintellige, est nempe innoxium radices excidere, quæ se terra nudaverint. Hoc & Theophr. lib. 3. de causis, cap. XI. p. 275. In aliquibus MSS. *abradi.*

14. *Testas, aliqui lapides.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVI.

15. *Qui & contineant.*] Qui & quantum satis est, contineant: & quod abundat, leniter transmittant.

Arborem nec minorem bima, nec majorem trima transferri quidam præcipiunt: alii, cum annum impleat. [16] Cato crassiorem quinque digitis. [17] Non omisisset idem, si attineret, meridianam cæli partem signare in cortice, ut translata in iisdem & assuetis statueretur horis: ne Aquiloniæ meridianis oppositæ Solibus finderentur, & algerent meridianæ Aquilonibus. [18] Quod e diverso affectant etiam quidam in vite, ficoque, permutantes 5 in contrarium. Densiores enim folio ita fieri, magisque protegere fructum, & minus amittere: ficumque sic etiam [19] scansilem fieri. Plerique id demum cavent, ut plaga deputati cacuminis meridiem spectet, [20] ignari fissuris nimii vaporis opponi. Id quidem [21] in horam diei quintam vel octavam spectare maluerim. Æque latet non negligendum, [a] ne radices mora [22] inarescant, neve a septemtrionibus, aut ab ea parte cæli usque ad exortum 10 brumalem vento flante effodiantur arbores, aut certe non adversæ iis ventis radices præbeantur: propter quod emoriuntur, ignaris causæ agricolis. [23] Cato omnes ventos, & imbrem quoque in tota translatione damnat. Et ad hæc proderit quam plurimum terræ, in qua vixerint, radicibus cohærere, ac totas cespite circumligari: [24] cum ob id Cato in corbibus transferri jubeat, procul dubio utilissime. [25] Idem summam terram conteutus est 15 subdi. [26] Quidam Punicis malis substrato lapide non rumpi pomum in arboribus tradunt. [27] Radices inflexas poni melius. Arborem ipsam ita locari, ut media sit totius scrobis, necessarium. [28] Ficus, si in scilla (bulborum hoc genus est) feratur, ocyssime ferre traditur pomum, neque vermiculationi obnoxium: [29] quo vitio carent reliqua poma similiter sata. Radicum ejus magnam adhibendam curam, ut exemptas appareat, non evulsas, quis du- 20 bitet? Qua ratione & reliqua confessa omittimus: sicut terram circa radices [30] fistucato spissandam, [31] quod Cato primum in ea re esse censet: plagam quoque [32] a trunco oblini fimo, & foliis præligari præcipiens.

XVII. Hujus loci pars est ad intervalla pertinens. [1] Quidam Punicas, & myrtos, & CAP. XII. lauros densiores seri jusserunt, in pedibus tamen novenis. [2] Malos amplius paulo, vel ma- 25 gis etiam piros, magisque amygdalas, & ficus: quod optime dijudicabit ramorum amplitudinis ratio, locorumque, & umbræ cujusque arboris: quoniam has quoque obser-

INTERPRETATIO.

a *Ne radices.*] Ne *diuturniore* mora *jaceant humi semina cum radicibus, &* radices *interim* inarescant.

NOTÆ.

16. *Cato.*] Cap. 28. *Posthac arbores crassiores digitis quinque quæ erunt, eas præcisas serito,* &c.

17 *Non omisisset.*] Dum plurimum Catoni tribuis, gravissimorum scriptorum auctoritati detrahit, qui ita censuerunt facto opus esse. Theophr. lib. 2. hist. cap. 7. & Virgil. lib 2. Georg vers. 265.

Quin etiam cæli regionem in cortice signant:
Ut quo quæque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Restituant: adeo in teneris assuescere multum est.

Quod imitatus deinde Columella, lib. 5. cap. 6. pag. 188. *Hanc observationem,* inquit, *non solum in vitium positione, sed in ulmorum, ceterarumque arborum præcipio: uti cum de seminario eximuntur, rubrica notetur una pars, quæ nos admoneat, ut aliter arbores constituamus, quam quemadmodum in seminario steterint. Plurimum enim refert, ut eam partem cæli spectent, cui ab tenero consueverunt.*

18. *Quod e diverso.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 8 Græca sunt ejusce modi. Συμβαίνειν δὲ τοῦτό φασι καὶ ἐπὶ τῆς συκῆς. οὐ γὰρ ἀποβάλλειν ἀνάπαλιν φυτευθεῖσαν· ἔτι δὲ εὐβατὴν γίνεσθαι, &c. *Hoc idem fieri in fico aiunt: nam si in contrarium permutata feratur, fructum non amittere, scansilemque fieri pronunciant.* Verum permutari in contrarium non idem Theophrasto, ac Plinio est: illi est, inverso surculo seri, ut de salice diximus sect. 13. isti, latus arboris aversum ab ea cæli parte statuere, cui prius adversum erat.

19. *Scansilem.*] Εὐβατὴν γίνεσθαι, Theophr loc. cit. Scansilis arbor dicitur, quæ assurgit, ut scandi facile possit: contra Ἄβατος inaccessa.

20. *Ignari.*] Non intelligunt vel sic opponi nimio calori, quo finditur cortex.

21. *In horam diei.*] Hoc est, in eam cæli regionem obverti maluerim, ubi Sol, cum undecima est, vel post meridiem secunda, stare videtur. Sic enim horas partiebantur antiqui, ut sexta in meridiem caderet. Vide quæ diximus in Notis & Emendationibus ad lib. 6. num CXIX.

22. *Inarescant.*] Ut de vite dicturi sumus, sect. 35 num. 3.

23 *Cato omnes.*] Cap. 28. pag. 27. *Cavito autem ne cum ventus siet, aut imber, effodias, aut feras: nam id maxime cavendum est.*

24. *Cum ob id Cato.*] Loco cit. *Oleas, ulmos, ficos, poma, vites, pinos, cupressos cum seres, bene cum radicibus eximito cum terra sua quamplurima, circumligatoque uti ferre possis: in alveo aut in corbula ferri jubeto.*

25. *Idem.*] Loc. cit. *In scrobe cum pones, summam terram subdito: postea operito terra,* &c. Sic etiam Columella, lib 5. cap. 6. *Arbores ita conserendæ sunt, ut summam terram, quæ aratro subacta sit, semipedem alto substernamus, radices omnes explicemus, & depositas stercoremus, ut ego existimo: si minus, terra subacta operiamus,* &c.

26. *Quidam Punicis.*] Palladius, lib. 4. in Martio, tit 10. pag. 92. *Qui in scrobe deponis, si tres lapillos in ipsa radice constituas, providebis ne poma findantur.* Et ante eum Colum. lib. 5. cap. 10. pag 201. *Mala Punica, ne in arbore rumpantur, remedio sunt lapides tres,* &c.

27. *Radices inflexas.*] Leviter flexas. Sic alibi, ut notavimus, infectum pro fecto dixit. Falluntur enim qui *inflexas* nove ab eo dictum putant, quasi *non flexas*: etsi Theophrasti auctoritate tueri id omni ope nituntur, ex lib. 2. hist. cap. 7. Tutior in hoc negotio agricolarum fides, quam eruditorum conjecturæ.

28. *Ficus, si in scilla.*] Theophr. lib. 2. histor. cap. 7. Ἡ συκῆ δὲ ἐὰν ἐν σκίλλῃ φυτευθῇ, θᾶττόν τε γίνεται, καὶ ἧττον ὑπὸ σκώληκας κατεσθίεται. *Ficus, si in scilla feratur, ocyus crescit, minusque a vermibus infestatur.* Palladius, in Martio, tit. de fico: *Aliqui multum prodesse confirmant, ut generosiora poma producat, si plantam fico diviso squillæ bulbo interfixam, strictamque vinculis collocemus.* Didymus quoque in Geopon lib. 10. cap. 46. pag 276. Latini veteres *squillam* pro *scilla* scripsere. De scilla dicemus lib. 19. sect. 30.

29. *Quo vitio carent.*] Vide Notas & Emend. num XVII.

30. *Fistucato.*] Fistucatione. Fistuca, machina est utrimque ansata, qua pavitores utuntur, ut pavimenta magna vi in terram adigantur. Pavitores Galli vocant *Hie*, aut *Demoiselle.*

31. *Quod Cato.*] Cap. 28. *Oleas, ulmos, ficos .... in scrobe cum pones .... operito terra radicibus feni, deinde calcato pedibus bene, deinde fistucis, vectibusque calcato, quam optime poteris. Id erit in primum. Post hæc arbores crassiores digitis quinque quæ erunt, eas præcisas serito, oblinitoque fimo summas, & foliis alligato.*

32. *A trunco.*] A summo trunco, ubi plaga deputati cacuminis.

Sect. XVII. 1. *Quidam Punicas,* &c.] Hæc Theophr. lib. 2. histor. cap. 7. & ubi prolixius multo tractantur, lib 3. de causis, cap. 8. pag. 272.

2. *Malos amplius,* &c.] Theophr. locis citatis.

vari oportet. Breves sunt, quamvis magnarum arborum, quæ in orbem ramos circinent, ut in malis, pirisque. Eædem enormes cerasis, lauris.

XVIII. Jam quædam umbrarum proprietas. [1] Juglandium gravis & noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis. [2] Necat gramina & pinus: sed ventis utraque resi-
5 stit, [3] qua jam & protecta vinearum ratione egent. Stillicidia pinus, quercus, ilicis, ponderosissima. [4] Nullum cupressi, umbra minima, & in se convoluta. [5] Ficorum levis, quamvis sparsa: ideoque inter vineas seri non vetantur. Ulmorum lenis, etiam nutriens, quacumque opacat. [6] Attico hæc quoque videtur e gravissimis: nec dubito, si emittantur in ramos. [7] Constrictæ quidem ullius noxiam esse non arbitror. Jucunda & platani, quan-
10 quam crassa: [8] licet gramini credere non soli, haud alia latius operiente toros. Populo nulla ludentibus foliis: pinguis alno, sed pascens sata. Vitis sibi sufficit, mobili folio, jactatuque crebro Solem umbra temperans, [9] eodem gravi protegens in imbre. Omnium fere levis umbra, quorum pediculi longi. Non fastidienda hæc quoque scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra aut nutrix, aut noverca est. Juglandium
15 quidem, pinorumque, & picearum, & abietis, quæcumque attigere, non dubie venenum est.

XIX. Stillicidii brevis definitio est. [1] Omnium quæ projectu frondis ita defenduntur, ut per ipsas non defluant imbres, stilla sæva est. [2] Ergo plurimum interest hac inquisitione, terra in qua seremus, in quantum arbores quasque alat. [3] Jam per se colles minora
20 quærunt intervalla. Ventosis locis crebriores seri conducit. [4] Olea tamen maximo intervallo, de qua [5] Catonis Italica sententia est: in XXV. pedibus minimum, plurimum XXX. feri. Sed hoc variatur locorum natura. Non alia major in Bætica arbor. In Africa vero (fides penes auctores erit) milliarias vocari multas narrant a pondere olei, quod ferant annuo proventu. Ideo [6] LXXV. pedes Mago intervallo dedit undique: aut in macro solo,
25 aut duro, atque ventoso, cum minimum XLV. Bætica quidem uberrimas messes inter oleas metit. Illam inscientiam pudendam esse conveniet, adultas [7] interlucare justo plus, & in senectam præcipitare, aut (plerumque ipsis, qui posuere, coarguentibus imperitiam suam) totas excidere. [8] Nihil est fœdius agricolis, quam gestæ rei pœnitentia, [a] multo jam ut præstet laxitate delinquere.

CAPUT XIII. 30 XX. [1] Quædam autem natura tarde crescunt, & in primis semine tantum nascentia, & longo ævo durantia. [2] At quæ cito occidunt, velocia sunt, ut ficus, Punica, prunus,

INTERPRETATIO.

a *Multo.*] Ut jam multo satius sit *initio* peccasse, positis laxius olearum ordinibus.

NOTÆ.

Sect. XVIII. 1. *Juglandium gravis.*] Nervorum afferre solutionem (paralysin vocant) scribit Aldruvandus Grevinus, lib. 2. de venen. cap. 22. refrigerationem membrorum, maximumque ac diuturnum capitis dolorem: somnia dura, defluviumque capillorum, Marcellus Donat. hist. med. mirab. lib. 1. cap. 1.

2. *Necat gramina*] Diffidere videtur a Plinio nostro Palladius, lib 12. in Novemb. tit. 7. p. 165. cap de pinu. *Pinus creditur prodesse omnibus quæ sub ea feruntur*: plantis fortasse robustioribus lauro, myrto, non gramini.

3. *Qua jam, &c.*] Quo genere arborum ideo jam protecta vinearum egent: hoc est, & earum propterea arborum oppositu vineæ jam percommode proteguntur. Vide Notas & Emend. num. XVIII.

4. *Nullum cupressi.*] Feminæ nimirum, quæ in metam fastigatur, ut dictum est lib. 16. sect. 60. Hæc nullum mittit stillicidium.

5. *Ficorum levis.*] Umbra.

6. *Attico.*] Julio Attico, de quo in Auctorum Indice.

7. *Constrictæ.*] Cui arbori compactiores rami sunt, hujus umbra gravis non est.

8. *Licet gramini.*] Quam sit umbra platani jucunda, vel ex gramine intelligimus, quod sub nulla alia arbore tam læte provenit: nulla alia arbos felicius operit graminum & herbarum toros.

9. *Eodem gravi.*] Eodem folio in gravi imbre se vitis protegit.

Sect. XIX. 1.] *Omnium quæ projectu.*] Exemplum statuit Palladius lib. 2. in Januar. tit 16. pag 47. in nuce juglande: *Desiderat intervalla majora*, inquit, *pro arboris magnitudine: quia stillicidiis foliorum suorum, proximos, vel sui generis, nocebit arboribus.* In quibusdam libris perperam *diffunduntur* Defenduntur projectu frondis arbores eæ, quarum per folia non perpluit, nec madefit imbre, aut ipsius arboris corpus caudexve, aut circumjecta tellus.

2. *Ergo plurimum.*] Plurimum interest in hac inquisitione prospicere quodnam genus arborum ea terra alat, in qua serere quidpiam aliud libuerit.

3. *Jam per se colles.*] Locis montuosis intervalla breviora, quam planis relinquenda sunt: montibus enim minus radices & comæ augescunt, inquit Theophr. lib 3. de causis, cap 8. pag. 273. [illegible Greek]

4. *Olea tamen.*] Vide Colum. lib. 5. cap. 9. pag. 198.

5. *Catonis Italica.*] Hoc est, pro cæli solique Italici ratione. Vide Notas & Emend. num. XIX.

6. *LXXV. pedes Mago.*] Et ex Magone Columella, loco citato.

7. *Interlucare.*] Interlucari arbores dicuntur, quoties ademptа ramorum parte, quantum earum opacitati detrahitur, tantum luci accedit: unde & *interlucare* dictum. Plinius sect. 35. libri hujus: *Interlucata densitate ramorum, qui sint supervacui*, &c. Vide quæ de vocibus *conlucare* & *sublucare* dicturi sumus in calce hujus libri.

8. *Nihil est.*] In eam sententiam egregie Columella, lib. 1. cap. 8. *Nam non multum prodest perite quid facere, tum plus obest perperam fecisse. Unum enim ac solum dominatur in rusticatione quidquid exigit ratio culturæ, semel facere. Quippe cum emendatur vel imprudentia, vel negligentia, jam res ipsa decoxit. nec in tantum postmodum exuberat, ut & rem amissam restituat, & quæstum temporum præteritorum resarciat.*

Sect. XX. 1. *Quædam autem*] Virgilius, lib. 2. Georg. vers. 57.

Jam quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, &c.

Varro, lib. 1. de re rust. cap. 41. *Omnia minuta & arida, ad crescendum tarda: & quæ laxiora, ea & fecundiora: ut femina, quam mas ex proportione in virgultis item. Itaque ficus, malus Punica, & vitis, propter femineam mollitiem ad crescendum prona. Contra palma, & cupressus, & olea, in crescendo tarda*, &c.

2. *At quæ cito.*) Plinius, lib. 16. sect. 51. *Omnia autem cclerius senescunt præfecunda.*

[3] malus, pirus, myrtus, salix: & tamen antecedunt divitiis. In trimatu enim ferre incipiunt, ostendentes & ante. Ex his lentissima pirus. Ocyssima omnium [4] cyprus, & pseudocyprus frutex. Protinus enim floret, semenque profert. Omnia vero celerius adolescunt [5] stolonibus ablatis, unamque in stirpem redactis alimentis.

XXI. Eadem natura & propagines docuit. Rubi namque curvati gracilitate & simul proceritate nimia, defigunt rursus in terram capita, iterumque nascuntur ex sese: repleturi omnia, ni resistat cultura: prorsus ut possint videri homines [1] terræ causa geniti: ita pessima atque exsecranda res propaginem tamen docuit, [2] ac viviradicem. Eadem autem natura est ederis. [3] Cato propagari præter vitem tradit ficum, oleam, Punicam, malorum genera omnia, laurum, prunos, myrtos, nuces avellanas, & Prænestinas, platanum. Propaginum duo genera: ramo ab arbore depresso in scrobem quatuor pedum quoquo, & post biennium amputato flexu, plantaque translata post trimatum: [4] quas si longius ferre libeat, in qualis statim, aut vasis fictilibus defodere propagines aptissimum, ut in iis transferantur. [5] Alterum genus luxuriosius, radices in ipsa arbore sollicitando, trajectis per vasa fictilia vel qualos ramis, terraque [6] circumfartis: atque hoc blandimento impetratis radicibus, [7] inter poma ipsa & cacumina (in summa etenim cacumina hoc modo petuntur) audaci ingenio arborem aliam longe a tellure faciendi: eodem, quo supra, biennii spatio abscissa propagine, & cum qualis illis sata. Sabina herba propagine seritur & [8] avulsione. Tradunt fæce vini, aut e parietibus latere tuso mire ali. Iisdem modis rosmarinum seritur, & ramo, quoniam [9] neutri semen. Rhododendron, propagine & semine.

XXII. [1] Semine quoque inserere natura docuit, raptim avium fame devorato, solidoque, & alvi tepore madido, cum secundo fimi medicamine abjecto in mollibus [2] arborum lecticis, & ventis sæpe translato in aliquas corticum rimas: unde vidimus cerasum in salice, platanum in lauro, laurum in ceraso, & baccas simul discolores. Tradunt & monedulam condentem semina in thesauros cavernarum ejusdem rei præbere causas. **CAP. XIV.**

XXIII. Hinc nata [1] inoculatio, sutoriæ simili [2] fistula aperiendi in arbore [3] oculum cortice exciso, semenque includendi eadem fistula sublatum ex alia. In ficis autem & malis hæc fuit inoculatio antiqua. [4] Virgiliana quærit [5] sinum in nodo gemmæ expulsi corticis, gemmamque ex alia arbore includit. Et hactenus natura ipsa docuit.

XXIV. Insitionem autem casus, magister alius, & pæne numerosior, ad hunc modum. Agricola sedulus casam sepis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limen subdidit ex edera. [a] At illæ vivaci morsu apprehensæ, suam ex aliena fecere vitam,

INTERPRETATIO.

a *At illæ.*] At illæ *sudes fissinæ & quasi morsu* viventis ederæ comprehensæ, ex ea ipsa edera vitam traxere, fuitque ederæ truncus & *alimenti vice*.

NOTÆ.

3. *Malus, pirus.*] Ita recte: non, *pinus.* Sequitur enim, *Ex his lentissima pirus.*

4. *Cyprus.*] Frutex, sive arbor, de qua lib. 12. sect. 51.

5. *Stolonibus ablatis.*] Stolo in arboribus, fruticatio inutilis est, ut dictum est sect. 1. succum omnem matri, veroque arboris fetui adimens.

Sect. XXI. 1. *Terræ causa.*] Ut terram colerent, ac perpurgarent: quod eam ruborum alias silva occuparet, & obrueret.

2. *Ac viviradicem.*] Plantas, quæ cum viva radice seri possint.

3. *Cato.*] Cap. 51. pag. 41. *Propagatio pomorum, aliarumque arborum. Ab arbore abs terra pulli qui nascentur, eos in terram deprimito, extollitoque primorem partem, uti radicem capiat: inde biennio post effodito, seritoque. Ficum, oleam, malum Punicum, cotoneum, aliaque mala omnia, laurum, myrtum, nuces Prænestinas, platanum: hæc omnia a capite propagari, eximique, serique eodem modo oportet.*

4. *Quas si longius*] Cato, cap. 52. *Quæ diligentius propagari voles, in aulas aut in qualos pertusos propagari oportet, & cum iis in scrobem deferri oportet.*

5. *Alterum genus.*] Et illud Cato pariter habet, cap. 133. pag. 69. his verbis: *In arboribus radices uti capiant, calicem pertusum sumito tibi, aut quasillum: per eum ramulum transerito: eum quasillum terra impleto, calcatoque: in arborem relinquito. Ubi bimum erit, ramum tenerum infra præcidito: cum quasillo serito. Eo modo quodvis genus arborum facere poteris uti radices bene habeant.*

6 *Circumfartis.*] Sic MSS. omnes, non, ut editi, *circumpactis*, nulla plane sententia.

7. *Inter poma.*] Inter ipsa poma, atque in ipso arboris cacumine: nam vel ex ipso summo cacumine rami ad propaginem seliguntur.

8 *Avulsione.*] De qua diximus sect 9.

9. *Neutri semen*] Sabinæ sane rarum admodum semen est rosmarino sterili, de quo Plinius lib. 24 sect. 59. plane nullum.

Sect. XXII. 1. *Semine quoque.*] Acinis nucleisve mali, piri, cerasi, in aliarum arborum rimas immissis. Hunc locum Carolus Stephanus in Prædio rustico, pag. 215. perperam interpretatur.

2. *Arborum lecticis.*] Sic partem eam arboris vocat, & caudicis, unde se rami dividunt in brachia.

Sect. XXIII. 1. *Inoculatio.*] Græcis ἐνοφθαλμισμός, & unde ἐνοφθαλμίζειν. Recessit omnino nobis hoc inserendi genus ab usu. Altera hæc insitio est, quam Columella affert, lib. 5. cap. 11 de insitione arborum, pag 203. *Tria genera porro,* inquit, *insitionum antiqui tradiderunt. Unum quo resecta & fissa arbor resectos surculos accipit. Alterum, quo resecta inter librum & materiam semina admittit. . . . Tertium quo ipsas gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam recipit, quam vocant agricolæ emplastrationem, vel ut quidam, inoculationem.*

2. *Fistula.*] Acuto scalpro seu ferramento, quale sutores habent (fistulam vocant) cortex exciditur simul cum oculo sive gemma: non eximitur tamen: in eam deinde plagam semen alterius arboris includitur, eadem fistula sublatum. Est autem hoc loco semen, non acinus nucleusve, qualis in malis, piris, ac cerasis intelligitur: sed surculus ipse inserendus: quo significatu familiaris ea in primis Columellæ vox *Unsesse*: Theophrasto, ἔνθημα, lib. 1. de causis Sic idem Plinius iterum inferius, sect. 35. num 4. de vitium surculis agens: *Interesse*, inquit, oportet *in plantario sesquipedes inter bina semina.*

3. *Oculum.*] Germina, quibus in flores aut folia arbos protuberat, oculum & gemmam vocant: oculum in primis, propter corrugationem corticis, quæ circumplicatam oculorum cuticulam imitatur. *Un bourgeon.*

4. *Virgiliana.*] Libro 2. Georg. vers. 73.

Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex.
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.

5. *Sinum.*] Fissuram. Hæc Virgiliana ratio, nec veterum

[1] apparuitque truncum esse pro terra. Aufertur ergo serra æqualiter superficies: lævigatur falce truncus. [a] Ratio postea duplex: Et prima inter corticem lignumque inserendi. Timebant prisci truncum findere: [2] mox imperare ausi medio: ipsique in eo medullæ [3] calamum imprimebant, unum inserentes, neque enim plures capiebat medulla. [4] Subtilior postea ratio vel senos adjicit, [5] mortalitati eorum & numero succurrere persuasa, per media trunco leniter fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus.

Multa in hoc servanda. Primum omnium, quæ patiatur coïtum talem arbor, & cujus arboris calamus. Varie quoque & non iisdem in partibus [6] subest omnibus succus. [b] [7] Vitibus ficisque media sicciora, & e summa parte conceptus, ideo illinc surculi petuntur. Olei circa media succus: inde & surculi: cacumina sitiunt. [8] Facillime coalescunt, quibus eadem corticis natura, quæque pariter florentia ejusdem horæ germinationem succorumque societatem habent. Lenta enim res est, quoties humidis repugnant sicca, mollibus corticum duri. Reliqua observatio, ne fissura [9] in nodo fiat: repudiat quippe advenam inhospitalis duritia. [10] Ut in parte nitidissima, ne longior multo tribus digitis, ne obliqua, ne translucens. [11] Virgilius ex cacumine inseri vetat. Certumque est, ab humeris arborum [12] orientem æstivum spectantibus surculos petendos, & e feracibus, & e germine novello, nisi vetustæ arbori inserantur: ibi enim robustiores esse debent. Præterea ut prægnantes, [13] hoc est, germinatione turgentes, qui parere illo speraverint anno. Bimi utique, nec tenuiores digito minimo. Inseruntur autem & universi, cum id agitur, [14] ut minor altitudo in latitudinem se fundat. Ante omnia gemmantes nitere conveniet, nihil usquam hulcerosum esse, aut [15] retorridum. [c] Spei favet medulla calami commissuræ, [16] si in matre ligni corticisque jungatur. Id enim satius, quam foris cortici æquari. [17] Calami exacutio medullam ne nudet. Tenui tamen fistula detegat, ut fastigatio lævi descendat cuneo, tri-

Interpretatio.

a *Ratio.*] Ratio postera *inserendi* gemina.

b *Vitibus.*] Vitibus & ficis media pars *flagelli seu rami* siccior: & in summa parte vis *omnis* concipiendi est.

c *Spei*] Spei commissuræ medulla calami fovet, si in matre, *sive arbore in quam inseritur*, ligno *simul* corticique jungatur.

Notæ.

inoculatio fuit, nec posteriorum emplastratio: quanquam ita Dalecampio aliisque visum est.

Sect. XXIV. 1. *Apparuitque.*] Proditum hoc & a Theophr. lib. 2. de causis plant. cap 17. pag. 255. *ὥσπερ γὰρ γῆ γίνεται τῷ ἐνοφθαλμισθέντι ἐμφυτευόμενον, ἢ ἐνοφθαλμιζόμενον. Surculus qui inseritur, vel inoculatur, truncum subditum loco telluris usurpat*, inquit Gaza. Quod & ante idem Theophr. dixerat, lib. 1. de causis, cap. 6. pag. 204 *ὥσπερ γὰρ γῆ γίνεται τῷ ἐνοφθαλμισθέντι ἢ ἐμφυτευθέντι.*

2. *Mox imperare.*] Sic MSS. omnes: non, ut editi, *inforare*: quam vocem eo significatu, pro *perforare*, Latium non agnoscit. Est enim *inforare* Plauto, in forum vocare. Ac si pro *perforare* diceretur, *mediam* postea, non *medio*, subsequi verius foret. At imperare viti, arvis, arboribusque, hoc est, cogere ut id ferant quod volumus, Virgilio, Plinio, & aliis familiare est. Denique nec forari hoc loco truncum, sed findi necesse est.

3. *Calamum*] Surculum vocant, qui inseritur, *Une greffe*.

4. *Subtilior postea ratio.*] Insitio hæc est quæ fit in scissura trunci, vel fisso trunco, *enter ou greffer en fente*: in quem si plures in orbem surculi immittantur, vulgo appellant, *enter en couronne*. Hæc pariter Colum. lib. 5. cap. de insitione arborum, ipso fere principio.

5. *Mortalitati*] Plures idcirco calami, surculive in rimam inseruntur, ut imbecillitati eorum numerus succurrat, ac si quis casus, cælive injuria perdat ea ex aliquos, vel unus superstes remaneat. In quibusdam MSS. *ex numero* non improbabili lectione.

7. *Subest omnibus succus.*] Humorem Columella vocat, lib. 5. cap. 10. *Itaque custodiemus, ut a prædictis locis, quos humorosos rustici vocant, semina legamus*, &c. Gallis, *la seve*.

7. *Vitibus.*] Sentire contra Columella videtur, loc. cit. *Feracissima autem semina sunt non ut veteres auctores tradiderunt, extrema pars ejus, quod caput vitis appellant: id est, ultimum ac productissimam flagellum*, &c.

8. *Facillime coalescunt.*] Eadem habet Theophrastus, lib. 1. de causis plant. cap. 6. pag. 205. Columella vero, loc. cit. *Omnis arbors inseri potest, si non est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. Si vero etiam similem fructum, & eodem tempore affert, sine scrupulo egregie inseritur.* Et post quædam interjecta: *Sed cum antiqui negaverint posse omne genus surculorum in omnem arborem inseri, & illam finitionem, qua nos paulo ante usi sumus, veluti quamdam legem sanxerint, eos tantum surculos posse coalescere, qui sint cortice ac libro & fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur: existimavimus errorem hujus opinionis discutiendum, tradendamque posteris rationem, qua possit omne genus surculi omnibus arboribus inseri*, &c.

9. *In nodo fiat.*] In arboris nodo, hoc est, crassiore callo eo, circa quem colligati simul se rami projiciunt. Hoc vero præcepit etiam Virgilius, lib. 2 Georg. vers. 78.

> *Aut rursum enodes trunci resecantur, & alte*
> *Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces*
> *Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens*
> *Exiit ad cælum ramis felicibus arbos.*

10. *Ut in parte*] Columella, loc. cit. *Arborem quam inserere voles, serra diligenter exsecato ea parte qua maxime nitida, & sine cicatrice est: dabisque operam, ne librum lædas. Cum deinde truncum recideris, acuto ferramento plagam levato: deinde cuneum tenuem ferreum vel osseum inter corticem & materiam ne minus digitos tres, sed considerate demittito, ne lædas aut rumpas corticem*, &c. Et mox: *Si pusillam arborem inserere voles, imam abscindito.... & medium truncum acuto scalpello permodice findito, ita ut fissura digitorum trium sit ea*, &c.

11. *Virgilius.*] Loco mox allato, cum plantas solum feraces in hos usus adhiberi jussit: quales fere surculi non sunt, qui cacumen obtinent, sed qui humeros potius, seu media arborum. Sic Colum. lib. de arbor cap 3. ad vites serendas semina ait optima haberi a lumbis, secunda ab humeris, tertia summa in vite lecta, quæ feraciora quidem, sed celeriter senescunt.

12. *Orientem æstivum.*] Colum loc. cit. *Ex qua arbore inserere voles, & surculos ad insitionem sumpturus es, videto ut sit tenera & ferax, nodisque crebris: & cum primum germina tumebunt de ramulis anniculis qui Solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito crassitudine digiti minimi*, &c. Et libro de arboribus, cap. 20. *Semina si ex arboribus sumes, de iis potissimum sumito, quæ omnibus annis bonos & uberes ferunt fructus. Observabis autem ab humeris, qui sunt contra Solem orientem, ut eosdem decerpas.*

13. *Hoc est, germinatione.*] De germinatione ea dictum abunde est lib. 16. sect. 39. 40. & 41. Vide Notas & Emend. num. XX.

14. *Ut minor altitudo.*] Ut instar pumilarum arborum humiles sint, & in latitudinem se fundant: inversi seruntur calami, ita ut pars acutior in truncum immittatur: exiliet ea, quæ crassior.

15. *Retorridum.*] Non Sole, vel æstu, vel gelu etiam torridum ac corrugatum.

16. *Si in matre.*] Sic arborem vocat, in quam inseritur calamus. Nostri vulgo, *le Sauvageon*.

17. *Calami.* Calamus ita acuatur, ut ne medulla ejus nudetur: tenui tamen fistula, hoc est, scalpello, ut dictum est,

bus,

bus, non ampliore digitis. Quod facillime contingit [a] tinctum aqua radentibus. Ne exacuatur in venro, ne cortex a ligno decedat alterutri. Calamus ad corticem usque suum deprimatur. Ne luxetur dum deprimitur: neve cortex replicetur in rugas. [18] Ideo lacrymantes calamos inseri non oportet, non hercule magis, quam aridos: quia illo modo labar humore nimio cortex: [b] hoc, vitali defectu non humescit, neque concorporatur. Id 5 etiam religionis servant, ut [19] Luna crescente, ut calamus utraque deprimatur manu. Et alioqui in hoc opere duæ simul manus minus nituntur, necessario temperamento. Validius enim demissi tardius ferunt, fortius durant [20] contrarii, ex diverso. Ne hiscat nimium rima, laxeque capiat, aut ne parum: [21] & exprimat, aut compressum necet. Hoc maxime præcavendum, ut prævalide accipientis trunco in media fissura relinquatur. [22] Quid. in 10 vestigio fissuræ falce in truncis facto, salice præligant marginem ipsum. Postea cuneos figunt, continente vinculo libertatem dehiscendi. Quædam in plantario insita eodem die transferuntur. [23] Si crassior truncus inseratur, inter corticem & lignum inseri melius, cuneo optime osseo, [24] ne cortice rumpatur laxato. [25] Cerasi libro dempto finduntur. [26] Hæ solæ & post brumam inseruntur. [27] Dempto libro habent veluti lanuginem, quæ si comprehendit 15 insitum, putrefacit. [28] Incolume cuneo adactum utilissime adstringitur. [29] Inserere aptissimum quam proximum terræ, si patiatur nodorum truncique ratio. [30] Eminere calami sex digitorum longitudine non amplius debent.

[31] Cato argillæ, vel cretæ arenam, fimumque bubulum admisceri, atque ita usque ad lentorem subigi jubet, idque interponi & circumlini. [32] Ex iis quæ commentatus est, facile apparet 20 illa ætate inter lignum & corticem, nec alio modo inserere solitos, aut ultra latitudinem & duûm digitorum calamos demittere. [33] Inseri autem præcipit pira ac mala per ver, & post solstitium diebus L. & post vindemiam: [34] Oleas autem & ficos per ver tantum, Luna sitiente, hoc est, sicca. Præterea post meridiem, ac sine vento Austro. Mirum quod non contentus insitum munisse, [35] ut dictum est, & cespite ab imbre frigoribusque protexisse, 25 ac mollibus [36] bifidorum viminum fascibus, [37] lingua bubula [38] (herbæ id genus est) insuper obtegi jubet, eamque illigari opertam stramentis. Nunc abunde arbitrantur [39] paleato

INTERPRETATIO.

a *Tinctum.*] Si tinctus aqua calamus radatur.
b *Hoc, vitali.*] Hoc modo, vitalis humoris defectu non humescit, nec cum matre coalescit.

NOTÆ.

deradendus: ut in morem cunei acuminatus, seu fastigatus, leviter in trunci fissuram descendat, trium fere digitorum altitudine. Ita fere Colum. loc. cit. & Theophr. lib. 1. de caussis, cap 6. pag. 205.

18. *Ideo lacrymantes.*] Qua de causa vitem aliquot antea diebus præsecant, ut lacryma effluat, neque putrescat, neque vermiculetur, inquit Theophr. lib. 1. de causis, cap 6. pag. 205.

19. *Luna crescente.*] Palladius, in Febr tit. 17. *Sed hoc utrumque genus* insitionis *vernum est, & fit crescente Luna, ubi incipit gemma arborum turgescere.* Sequitur Columellam, lib. de arboribus, cap. 26. *Omnes arbores*, inquit, *simul atque gemmas agere coeperint, Luna crescente inserito.*

20. *Contrarii ex diverso.*] Eorum e contrario diversa ratio est, qui fuerint lentius imbecilliusque demissi: nam & ocyus ferunt ii, intereuntque celerius.

21. *Et exprimat.*] Premendo ejiciat, excludatque surculum: aut comprimat, necetque, si angustius habitet.

22. *Quidam vestigio*] Antequam truncus findatur, quidam fissuræ vestigium in ipso falce signant: deinde truncum ipsum in margine vinculo saligneo præligant. Palladius in Febr. tit. 17. *Plerosque delectat strictum primo secta arboris truncum vinculis arctioribus, in medio findere, & ibi surculos ex utraque parte rasos in modum cunei, ut integra sit medulla, demergere, præmisso ante cuneolo: quo subducto depositus surculus, coeunte in plagam materia, possit adstringi.*

23. *Si crassior.*] Si in crassiore trunco fiat insitio.

24. *Ne cortice.*] Ne truncus cortice laxato rumpatur.

25. *Cerasi.*] Truncus nimirum, in quem insitio fit.

26. *Hæ solæ.*] Palladius, lib XI. in Octob. tit. 12. pag. 152. *Inseritur cerasus mense Novembri melius: vel si necesse sit, extremo Januario. Alii & Octobri inserenda esse dixerunt.*

27. *Dempto.*] Pallad. loc. cit. *Cerasum Martialis in trunco inseri jubet: mihi inter corticem & lignum feliciter semper evenit. Qui in trunco conserunt, sicut Martialis dicit, omnem lanuginem quæ circa est, auferre debebunt: quæ si remanserit, insitis nocere manifestat.*

28. *Incolume.*] Si cuneo, vel malleo insitum adigatur, ita ut non lædatur, sed sit incolume, utilissime tum adstringitur Vide Notas & Emendationes, num. XXI.

29. *Inserere.*] De pumilis præsertim arboribus ita Columella, loc cit. *Si pusillam arborem inserere voles, imam abscindito, ita ut sesquipede a terra extet.*

30. *Eminere.*] Colum. loc cit. *Surculos sic inserito, ut semipede, nec amplius de arbore exstent.* Sunt autem in pede digiti sedecim.

31. *Cato*] Cap. 40. pag. 35. *Argillam, vel cretam coaddito, arenæ paululum, & fimum bubulum: hæc una bene condepsito, quam maxime uti lentum fiat: capito tibi scissam salicem: ea stirpem præcisam circumligato, ne liber frangatur.*

32. *Ex iis.*] Cato de re rust. cap 40. *Surculum aridum præacutum inter librum & stirpem artito primores digitos duos. Postea capito tibi surculum, quod genus inserere voles: eum primorem præacuito obliquum primores digitos duos, &c. Artito*, est inserito, adigito, immittito.

33. *Inseri autem.*] Cap. 41. pag. 36. *Pirorum ac malorum insitio per ver, & per solstitium dies quinquaginta, & per vindemiam. Oleæ & ficorum insitio est per ver.*

34. *Oleas.*] Cato cap. 40. pag. 35. *Ficos, oleas, mala, pira, vites inseri oportet Luna silenti post meridiem, sine vento Austro.* De Luna sive silente, sive sitiente diximus sect. 8. Sed ex Plinio *sitienti* legi oportere palam est.

35. *Ut dictum est*] Nempe proxime, argilla, creta, &c.

36. *Bifidorum viminum.*] Scissam salicem dixit Cato, loco citato.

37. *Lingua bubula.*] Catonis hæc verba, loco proxime cit. *Salicem Græcam amplius circumligato, luto depsto, stirpem oblinito, digitos crassos tres: Insuper lingua bubula obtegito, si pluat, ne aqua in librum permanet: eam linguam insuper librum alligato, ne cadat. Postea stramentis circumdato, alligatoque, ne gelus noceat.*

38. *Herbæ id genus.*] Alii non herbæ genus intelligi volunt, sed ligulam e corio bubulo factam. Plinius βούγλωσσον accepit, de qua dicetur lib. 25. sect. 40 Hac muniri ac circumlini insita voluit, ut superius, sect. 11. tomice mora spinarum, baccasque lauri.

39. *Paleato luto.*] Cum luto palea admixta plagam farcire vimine circumligato, ita ut surculus qui inseritur, duobus digitis exstet. Sic MSS. omnes: prius legebatur, nulla prorsus sententia, aut falsa, *libros farcire* Emendationem nostram Columella constabilit, lib. de arboribus, cap. 26 *Cum omnes surculos, quos arbor patietur, demiseris, libro ulmi vel vimine arborem adstringito. Postea paleato luto bene subacto oblinito totam plagam, & spatium quod est inter duos surculos, usque eo ut duobus digitis insita exstent.*

luto libro farcire, duos digitos insito exstante. Verno inserentes tempus urget, [40] incitantibus se gemmis, [41] præterquam in olea, cujus diutissime oculi parturiunt, minimumque succi habent sub cortice, qui nimius insitis nocet. [42] Punicam vero & ficum, quanquam alias sicca sint, recrastinate minime utile. [43] Pirum vel florentem inserere licet, & in Maium quoque mensem protendere insitionem. Quod si longius afferantur pomorum calami, rapo infixos optime custodire succum arbitrantur: servari inter duos imbrices juxta rivos, vel piscinas, utrimque terra obstructos: [44] Vitium vero in scrobibus siccis stramento opertos, ac deinde terra obrutos, ut cacumine exsistant. (CAP. XV.)

XXV. [1] Cato vitem tribus modis inserit. [2] Præfectam findi jubet per medullam, in eam surculos exacutos ([3] ut dictum est) addi, [4] medullas jungi. [5] Altero, si inter sese vites contingant, utriusque in obliquum latere contrario adraso junctis medullis colligari. [6] Tertium genus est, terebrare vitem in obliquum ad medullam, calamosque addere longos pedes binos, atque ita ligatum insitum, [7] intritaque illitum operire terra, calamis subrectis. [8] Nostra ætas correxit, ut Gallica uteretur terebra, quæ excavat, nec urit: quoniam adustio omnis hebetat: [9] atque ut gemmascere incipiens legatur calamus: nec plus quam binis [10] ab insito emineret oculis, [11] ulmeo vimine alligatus, binaque circumcideretur acie a duabus partibus; ut inde potius distillaret [12] mucor, qui maxime vires infestat. Deinde cum evaluissent flagella pedes binos, vinculum insiti incideretur, ubertati crassitudine permissa. [13] Vitibus inserendis tempus dedere [14] ab æquinoctio autumno ad germinationis initia. Sativæ plantæ silvestrium radicibus inseruntur natura ficcioribus. [15] Si sativæ silvestribus inserantur, degenerant in feritatem. Reliqua cælo constant. [16] Aptissima insitis siccitas. [a] Hujus enim remedium appositis fictilibus vasis modicus humor per cinerem distillans. [17] Inoculatio rores amat leves.

XXVI. [1] Emplastri ratio & ipsa ex inoculatione nata videri potest. Crasso autem maxime cortici convenit, sicut est ficis. Ergo amputatis omnibus ramis, ne succum avo-

Interpretatio.

a *Hujus enim.*] Nam pro remedio adversus siccitatem, *si nimia sit*, apponuntur *tantum* vasa fictilia, ex quibus modicus humor per cinerem *leniter* distillet.

Notæ.

40. *Incitantibus se.*] Erumpentibus, prorepentibus. Sic Columella locutus, lib. 4. cap. 4. *Palmes quem vitis mox in germinatione eiecerit.*

41. *Præterquam in olea.*] Hæc iisdem verbis Theophrast. lib. de causis, cap. 6. pag. 205. Ἔτι δὲ τοῖς μὲν ἄλλοις βραχὺς ὁ χρόνος, διὰ τὸ ταχεῖαν εἶναι τὴν βλάστησιν. τῇ ἐλαίᾳ δὲ πλείων χρόνος, διὰ τὸ πλείω χρόνον ποιεῖν τοὺς ὀφθαλμούς. *Sed & ceteris tantum temporis datum propterea est, quia germen celeriter exit. Oleæ plus temporis destinatum est, cum diutius suos parturiat oculos.*

42. *Punicam vero.*] Theophr. loc. cit. Χρὴ δὲ καὶ τὸ ὑγρὸν καὶ τὸ αὐτοῦ συμμετρίαν τινὰ ὑπάρχειν· διὸ καὶ τὰς μὲν ἀμπέλους προαποτέμνουσιν ἡμέραις τισὶ πρότερον, ὅπως προαπορρυῇ τὸ δάκρυον, καὶ μὴ σήπηται, μηδὲ σκωληκιᾷ. Ῥόαν δὲ καὶ συκῆν καὶ ὅσα ξηρότερα, παραχρῆμα. *Sed satis quoque & humoris eorum modum observari quemdam oportet. Qua de causa vitem aliquot ante diebus præsecant, ut lacryma effluat, neque putrescat, neque vermiculetur. Punicam, & ficum, quæque his sicciora sunt, protinus inserere solent.*

43. *Pirum.*] Sic Palladius in Februar. tit. 25.

44. *Vitium vero.*] Subintellige calamos, sive surculos. Gallis, *Marquotes.* Habet hæc etiam Colum. lib. 4. cap. 29. pag. 158. Hos ait in scrobibus rite servari, dum inserantur.

Sect. XXV. 1. *Cato vitem.*] Cap. 41. pag. 36. Eadem habet etiam Colum. loc. cit.

2. *Præfectam.*] Truncum vitis præfectum, in quem surculus inserendus.

3. *Ut dictum est.*] Sup. sect.

4. *Medullas junge.*] Cato: *Quot inseres, medullam cum medulla componito.*

5. *Altero.*] Cato: *Altera insitio est: si vitis vitem contingat, vitis utriusque latus alterum præradito oblique, & inter se se medullam cum medulla libro colligato.*

6. *Tertium.*] Cato & Columella, locis citatis Græcis est ἐμπυρισμός.

7. *Intrita.*] Luto paleato.

8. *Nostra ætas.*] Columella hæc multo uberius, lib. 4. cap. 27. pag. 158. *Sed aliud est ferramentum, quo priores vitam perforabant, aliud quod ipse usu nunc magis aptum comperi. Nam antiqua terebra, quam solam veteres agricolæ noverant, scobem faciebat, perurebatque eam partem, quam perforaverat: deusta porro raro revirescebat, vel cum priore coalescebat.... Nos terebram, quam Gallicam dicimus, ad hanc insitionem commenti longe habiliorem, utilioremque comperimus,* &c. Didymus quoque in Geopon. lib. 4. cap. 12. pag. 112. hunc insitionis modum explanans, τρυπάνῳ τῷ καλουμένῳ Γαλλικῷ utitur: unde recentiorem hunc esse scriptorem apparet. Ea terebra Gallis modo *Villebrequin.*

9. *Atque ut gemmascere.*] Columella, lib. de arboribus, cap 8. *Cum vitem inserere voles, optimi generis farmenta fructuaria tum cum gemmas agere incipiant, vento Austro a matre præcidito.*

10. *Ab insito.*] Ab insitione non plus quam gemmæ duæ exstarent. Plinius, sect. 35. Oculi, inquit, in arborum surculis proprie vocantur unde germinant.

11. *Ulmeo vimine, &c.*] Non abludit ab hac ratione Columella, loc. cit. *Quidquid inserueris vitis, diligenter libro ligato, atque luto subacto paleato oblinito .... Infra insitionem alligaturam falce acuta leviter vitem vulnerato ex utraque parte, ut ex his potius plagis humor defluat, quam ex insitione ipsa abundet: nocet enim nimius humor, nec patitur surculos insertos comprehendere.*

12. *Mucor*] Humor, seu lacryma, ut dictum est ex Theophr. sect. sup. & proxime ex Columella.

13. *Vitibus inserendis.*] Columella, lib. 4. pag. 29. pag. 157. *Tempus inserendi Julius Atticus tradidit ex Calendis Novembribus in Calendas Julias, quoad posse custodiri surculum, sive gemmam affirmat.* Ut ab illo deinde dissideat; edisserit: locum vide.

14. *Ab æquinoctio autumno.*] Sic MSS. omnes, ac rursum infernus, lib. 19. sect 33. lib. 21. sect. 15. &c. Autumnum scilicet pro autumnali veteres dixere: *Autumnum tempus*, Manilius: *Autumnum frigus*, Naso, lib. 3. Metam. *Autumnam tempestatem*, Gellius, lib 9. cap. 7. *Autumnos fetus*, Cod. Theod lib. 2. tit. 8 de Feriis, lege 2.

15. *Si sativæ.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 40. *Si in pirum silvaticam inseveris pirum quamvis bonam, non fore pirum tam jucundum, quam si in eam quæ silvestris non sit.*

16. *Aptissima*] Columella, lib. 5. cap. XI. *Hoc genus insitionis æstivo tempore optime usurpatur.*

17. *Inoculatio.*] Theophr. lib. 1. de causis, cap. 6. pag. 205. Τὸ δ' ὕδωρ τῷ μὲν ἐνοφθαλμισμῷ πολέμιον, &c. *Aqua inoculationi vehementer officit: putrefacit enim,* &c.

Sect. XXVI. 1. *Emplastri ratio.*] Quam & inoculationem quidam, ut auctor est Columella, sed perperam, appellabunt. *Tertium*, inquit, lib. 5. cap. XI. pag. 103. *insitionis genus est, quo ipsas gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam recipit arbor, quam vocant agricolæ emplastrationem, vel ut quidam, inoculationem.* Galli, *Enter en écusson.*

cent, nitidiſſima in parte, quaque præcipua cernatur hilaritas, [2] exempta ſcutula (ita ne deſcendat ultra ferrum) cortici, imprimitur ex alia cortex par, [3] cum ſui germinis mamma: ſic compage denſata, ut cicatrici locus non ſit, & ſtatim fiat unitas, nec humorem, nec afflatum recipiens: nihilominus tamen & luto munire, [4] & vinculo melius. Hoc genus non pridem repertum volunt, qui novis moribus favent. Sed id etiam apud veteres Græcos invenitur, & [5] apud Catonem, qui oleam ficumque ſic inſeri juſſit, menſura etiam præfinita ſecundum reliquam diligentiam ſuam: cortices ſcalpro excidi quatuor digitorum longitudine, & trium latitudine, atque ita coagmentari, & [6] illa ſua intrita oblini: eadem ratione & in malo.

Quidam huic generi [7] miſcuere fiſſuram in vitibus, exempta cortici teſſella, ſurculo a latere plano adigendo. Tot modis inſitam arborem vidimus juxta Tiburtes [8] Tullias, omni genere pomorum onuſtam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, Punicis, malorumque generibus. Sed huic brevis fuit vita. Nec tamen omnem experimentis aſſequi naturam poſſumus. Quædam enim naſci, niſi ſponte nullo modo queunt: eaque immitibus tantum & deſertis locis proveniunt. [9] Capaciſſima inſitorum omnium ducitur platanus, poſtea robur: verum utraque ſapores corrumpit. [10] Quædam omni genere inſeruntur, ut ficus & Punicæ. Vitis non recipit emplaſtra: nec quibus tenuis, ac caducus, rimoſuſque cortex: neque inoculationem ſiccæ, aut humoris exigui. Fertiliſſima omnium inoculatio, poſtea emplaſtratio. Sed utraque infirmiſſima. Et quæ cortice nituntur tantum, vel levi aura ocyſſime deplantantur. [11] Inſerere firmiſſimum, & fecundius, quam ſerere.

CAP. XVII. Non eſt omittenda raritas unius exempli. [12] Corellius Eques Rom. Ateſte genitus, inſevit caſtaneam [13] ſuometipſum ſurculo in Neapolitano agro. Sic facta eſt caſtanea, quæ ab eo nomen accepit inter laudatas. [14] Poſtea Etereïus libertus Corellianam iterum inſevit. Hæc eſt inter eas differentia, illa copioſior, hæc Etereïana melior.

XXVII. Reliqua genera caſus ingenio ſuo excogitavit, ac defractos ſerere ramos docuit, cum [1] pali defixi radices cepiſſent. Multa ſic feruntur, in primiſque ficus, [2] omnibus aliis modis naſcens, [3] præterquam talea: [4] optime quidem, ſi vaſtiore ramo pali modo exacuto adigatur alte, exiguo ſuper terram relicto capite, eoque ipſo arena cooperto. [5] Ramo feruntur & Punica, [6] palis laxato prius meatu: item myrtus. Omnium horum longitudine trium pedum, craſſitudine minus brachiali, [7] cortice diligenter ſervato, [8] trunco exacuto.

XXVIII. [1] Myrtus & taleis ſeritur: [2] morus talea tantum; [3] quoniam in ulmo eam inſeri religio fulgurum prohibet. Quapropter de talearum ſatu nunc dicendum eſt. [4] Servan-

NOTÆ.

2. *Exempta ſcutula.*] Scutulam corticeam eximimus, lignum tamen non oſtendentes: alia deinde ſimilis ex altera arbore in locum prioris imprimitur. Quod in ſcutulæ formam cortex eximitur, inde Galli inſitioni huic nomen fecere: Quod id ipſum, quod inſeritur, veluti emplaſtrum quoddam eſt, inde Latinis emplaſtratio dicta eſt.

3. *Cum ſui germinis mamma.*] Mammæ appellatione parvam illam corticis exuberantiam intelligo, unde primum rami proſiliunt, ac germina.

4. *Et vinculo.*] Lineo, vel, ut olim, vimineo: vel tilia denique: nam & e tilia vincula, ut dictum eſt libro ſuperiore, ſect. 25.

5. *Apud Catonem.*] Cap 42 pag. 36. Ficos & oleas altero modo inſerito. *Quod genus aut ficum, aut oleam eſſe voles, inde librum ſcalpro eximito: alterum librum cum gemma de eo fico, quod genus eſſe voles, eximito: apponito in eum locum, unde exſecaveris in alterum genus, facitoque uti conveniat. Librum longum facito digitos III. S* (hoc eſt, tres & ſemis: Plinius quatuor ſolidos dixit:) *latum digitos tres: ad eumdem modum oblinito, integito: uti cetera.*

6. *Illa ſua intrita.*] Luto paleato, ut Plinius ipſe ait ſectione 24.

7. *Miſcuere fiſſuram.*] Vites inſeruere gemina ratione: primum fiſſo cortice in teſſellæ modum, quæ emplaſtratio eſt: & præterea terebrato trunci latere, inſertoque ſurculo, qui Græcis ἐνοφθαλμισμὸς, a nobis ſup. ſect explicatus.

8. *Tullias.*] MSS. *Thulias.*] Sunt qui *tiliam* ſcribant

9. *Capaciſſima.*] Quæ plures diverſorum generum ſurculos admittere in ſe ac recipere poſſit.

10. *Quædam omni genere.*] Omni inſitionum genere, quas hactenus attigimus.

11. *Inſerere firmiſſimum.*] Columella, lib. de arboribus, cap. 20. *Arbos inſita fructuoſior eſt, quam quæ inſita non eſt: id eſt, quam quæ cum ramis aut plantis ponitur.*

12. *Corellius.*] In Inſcript. Gruteri, *Corellius*, non ſemel. Diverſus certe a Corellio Ruſo, cujus obitum Plinius alter deflet, lib. 1. epiſt. 12.

13. *Suometipſum.*] Caſtaneam inſevit exempto ſurculo ex ea ipſa arbore quæ inſerebatur.

14. *Poſtea Etereius.*] Vide Notas & Emend. num. XXII.

Sect. XXVII. 1. *Pali defixi.*] *Des pieux.* Hunc ſignare modum Virgilius videtur, lib. 2. Georg verſ. 25. cum ait:

Hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos

2. *Omnibus aliis.*] Sex modis ſuperius recenſitis, ſect. 9.

3. *Præterquam talea.*] Hoc eſt, præciſo exacutoque ab utraque parte ligno, quod in terram depangitur Græci ξύλον. Varro, lib. 1. de re ruſt. cap 40. taleam & clavolam vocat: Galli, *bille*: & talia ſerere, *planter de bille* Vide Notas & Emend. num. XXIII.

4. *Optime quidem.*] Subintellige, naſcitur. Hæc totidem verbis Theophr. lib. 2. hiſtor. cap. 7. Φυτεύεται καὶ ἡ συκῆ, ἐάν τις κορύνην παχυτέραν διωθήσας σφύρᾳ πήξῃ, ἄχρις οὗ ἂν ὀλίγη μικρὸν ὑπὲρ τῆς γῆς, εἶτ᾽ ἐπ᾽ αὐτὴν ἄμμον ἐπιβάλῃ ἀναχώσῃ. *Seritur ficus, & ſi quis ramum vaſtiorem exacutum malleo adigat, quoad ſuper terram paulum exſtet, ac deinde arena ſuperinjecta operiat.*

5. *Ramo feruntur.*] Theophr. lib. 2. hiſt. cap. 1. Ἡ ῥόα τῷ ῥάβδῳ.

6. *Palis laxato.*] Palo prius laxari ac dilatari ſcrobem ſeu foramen neceſſe eſt, quo ramus immittitur. Prius paxillo perforato ſolo, inquit Columella. lib 4. cap. 26.

7. *Cortice diligenter.*] Theophr. lib 2. hiſt. cap. 7 Καὶ τοῦ φλοιοῦ ἀπεριῃρημένου, *cortice minime detracto.* Craſſitudinem vero ramis brachialem & in olea Columella requirit, lib. 5. cap. 9.

8. *Trunco exacuto.*] Pali trunco, qui in terram defigi debet, parte duriſſima exacuta.

Sect. XXVIII. 1. *Myrtus & taleis.*] Etiam taleis. Theophraſt. loc. cit. Καὶ γὰρ ὁ μύρρινος ἀπὸ τῶν ξύλων καὶ τῶν πρέμνων φύεται.

2. *Morus talea.*] Pallad. lib. 3. in Febr. tit. 25. pag. 77. *Morus ſerenda eſt taleis vel cacuminibus: melius autem taleis ſeſquipedalibus, &c.*

3. *Quoniam in ulmo.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIV. De hac religione fulgurum diximus, lib. 15. ſect. 17.

4. *Servandum in eo.*] Columella, lib. 5. cap. 8. cui titulus eſt, *de ſeminariis olivarum.*

dum in eo ante omnia, ut taleæ ex feracibus fiant arboribus: ne curvæ, neve scabræ, aut bifurcæ: neve tenuiores, quam ut manum impleant: ne minores pedalibus: ut illibato cortice: [5] atque ut sectura inferior ponatur semper, & quod erit ab radice: [6] accumuleturque germinatio terra, donec robur planta capiat.

CAP. XVIII. 5 XXIX. Quæ custodienda in olearum cura [1] Cato judicaverit, ipsius verbis optime præcipiemus. Taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas facito: diligenterque tractato, [2] ne liber laboret cum dolabis, aut secabis. Quas in seminario saturus eris, pedales facito: eas sic inserito: [3] Locus bipalio subactus sit, [4] beneque glutus. [5] Cum taleam demittes, pede taleam opprimito. Si parum descendat, malleo aut [6] mateola adigito: 10 cavetoque, ne librum scindas, cum adiges. [7] Palo prius locum si feceris, quo taleam demittas, ita melius vivet. Taleæ ubi trimæ sunt, tum denique curæ sint, [8] ubi liber se vertet. Si in scrobibus aut in sulcis seres, ternas taleas ponito: easque divaricato supra terram, ne plus quatuor digitos transversos emineant, [9] gemma vel oculo servato. Diligenter eximere oleam oportet, & radices quam plurimas cum terra ferre. Ubi radices bene 15 operueris, calcare bene [10] ne quid noceat.

XXX. 1. [1] Si quis quærat quod tempus oleæ serendæ sit, agro sicco per sementem, agro læto per ver. [2] Olivetum diebus XV. ante æquinoctium vernum incipito putare. [3] Ex eo die dies XL. recte putabis. Id hoc modo putato. [4] Qua locus recte ferax erit, quæ arida erunt, & si quid ventus interfregerit, inde ea omnia eximito. Qua locus ferax 20 non erit, id plus concidito, aratoque bene, [5] enodatoque, stirpesque leves facito. [6] Circum oleas autumnitate ablaqueato, & stercus addito. [7] Qui olivetum sæpissime & altissime miscebit, is tenuissimas radices exarabit. Radices si sursum abibunt, crassiores fient, [8] & eo in radices vires oleæ abibunt.

2. Quæ genera olearum, vel in quo genere terræ vivere & seri debeant, quoque spec25 tate oliveta, [9] diximus in ratione olei. [10] Mago in colle & siccis, & argilla, inter autumnum & brumam seri jussit. In crasso aut humido, aut subriguo, a messe ad brumam. Quod præcepisse eum Africæ intelligitur. Italia quidem nunc vere maxime serit. Sed si & autumno libeat, post æquinoctium XL. diebus ad Vergiliarum occasum, [11] quatuor soli dies sunt, quibus seri noceat. Africæ peculiare quidem in oleastro eft inserere. [12] Qua30 dam æternitate consenescunt proxima adoptioni virga emissa, atque ita alia arbore ex eadem juvenescente: iterumque & quoties opus sit, ut ævis eadem oliveta constent. [13] Inseritur autem oleaster calamo, & inoculatione.

3. [14] Olea, ubi quercus effossa sit, male ponitur: quoniam vermes [15] qui raucæ vocan-

NOTÆ.

5. *Atque ut sectura.*] Ut parte ima, & crassiore, & radici propiore, qua secta est ab arbore, & exacuta, terram: cacumine, cælum spectet. Colum. loc. cit.

6. *Accumuleturque.*] Dum arbos germinat, terra assidue aggeratur, ad robustam usque ætatem ὀλαιωσάντων δ᾽ αἰεὶ προσχωννύειν, ἄχρις ἂν ὦσι γένωνται ἀργοὺν. Theophr. loc. cit.

Sect. XXIX. 1. *Cato.*] Cap. 45. *Taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito, diligenterque tractato, ne liber laboret, cum dolabis, aut secabis*, &c. Pedales circiter Varro facit, lib. 1. de re rust cap. 40.

2. *Ne liber laboret.*] Hoc est, ut ait Colum. lib. 5 cap. 9. pag. 255. *ne corticem lædas, aliamve partem, quam qua ferro praciderit.* Ut ipse Cato, cap 40. *ne librum convellas.*

3. *Locus bipalio.*] Bipalium Græcis σκαπάνη, instrumentum est ad fodiendum. *Vne bêche.*

4. *Beneque glutus.*] Cato, cap. 45. *beneque glutus siet*: hoc est, unitus, æquatus, complanatus.

5. *Cum taleam.*] Cato: *Cum taleam demittes, pede tantum opprimito*, &c.

6. *Mateola.*] Nos mateolam, bipalii manubrium interpretamur: aliter alii

7. *Palo prius.*] Cato, loc. cit. totidem apicibus, ac syllabis. Plinius supra, sect. 27. *Palis laxato prius meatu.*

8. *Ubi liber se vertet.*] Cato, *Ubi liber se se vertet.* Catonis sententia est, ut quidem remur, oleas, cum trimæ sunt, priusquam transferantur, rubrica notandas, ut cum serentur, easdem cæli partes liber aspiciat, sive cortex, quas etiam in seminario conspexerat: alioqui frigore vel calore laboraturas ab ea parte, quas præter consuetudinem sub alio tractu expositas habuerant. Ita enim Colum. lib. de arboribus, cap. 17. de olivetis.

9. *Gemma vel oculo servato.*] Oculo uno, seu gemma exstante a terra: Vide Notas & Emend. num. XXV.

10. *Ne quid noceat.*] Cato, *Calcato bene ne aqua noceat.*

Sect. XXX. 1. *Si quis quærat.*] Cato, c. 27. & 40 & Columella, lib 5. cap. 9. *Plantæ autem in oliveto disponentur optime, siccis minimeque uliginosis agris, per autumnum: latis & humidis, verno tempore, paulo antequam germinent.*

2. *Olivetum diebus.*] Cato, cap 44.

3. *Ex eo die.*] Cato: *Ex eo die dies quadraginta quinque recte putabis.*

4. *Qua locus recte.*] Cato, *Qui locus recte ferax erit*, &c.

5. *Enodatoque.*] Ramos inutiles amputato: arborem interlucato: stirpem onere levato. Cato totidem verbis ac Plinius.

6. *Circum oleas.*] Cato, cap. 5. pag XI. *Circum oleas autumnitate ablaqueato, & stercus addito.* MSS etiam Pliniani omnes *autumnitate*, non *autumno* habent. Usus ea voce iterum Cato, cap. 155.

7. *Qui olivetum.*] Cato, cap. 61. pag 44. *Qui olivetum sæpissime & altissime miscebit, is tenuissimas radices exarabit. Si male arabit, radices sursum abibunt, crassiores fient, & in radices vires olea abibunt.*

8. *Et eo.*] Et ea re, ob eam rem.

9. *Diximus in ratione olei.*] Libro 15. sect. 6.

10. *Mago.*] Et post eum Columella, lib. de arboribus, cap. 17. de olivetis, ubi Magonem laudat.

11. *Quatuor soli.*] Vide Notas & Emend. num XXVI.

12. *Quadam.... consenescunt.*] Æterno fere ævo oleæ durant, quoniam virgas seu stolones emittunt quotannis, qui seri alio & transferri possint. Simili sententia Columella, lib. 4. cap. 17. *Neque enim ea quæ feruntur a nobis immortalia esse possunt: attamen æternitati eorum sic consulimus, ut de mortuis seminibus alia substituamus*, &c.

13. *Inseritur.... calamo.*] Hoc est, surculo, quo dictum est modo initio sectionis 24.

14. *Olea, ubi quercus.*] Amplius eo Varro dicit, lib. 1. de re rust. cap. 16. dum ait, *Si ad limitem quercetum habet ager, non posse recte secundum eam silvam seri oleam*, &c. Aliquid similius Columella, lib. 5. cap de generibus olearum: *Fossa*, inquit, *olea in agro frumentario seri, vel ubi arbutus, aut ilex steterant. Nam quercus etiam excisa radices noxias oliveto relinquit, quarum virus enecat oleam.* Sed de vermibus idem expressius, libro extremo de arboribus, cap 17. de olivetis: *Si olivam posueris eo loco, unde quercus effossa est, moritur: ideo quod vermes quidam sunt, qui in radice quercus nascuntur, & educantur, atque maxime semina olea consumunt.*

15. *Qui raucæ.*] Ita etiam MSS Sunt qui *erucæ* malint: sed imperite, ac nimium confidenter.

tur, in radice quercus nascuntur, & transeunt. [16] Non inhumare taleas, aut siccare prius quam ferantur, utilius compertum. Vetus olivetum ab æquinoctio verno intra Vergiliarum exortum [17] interradi alternis annis, melius inventum: [18] item muscum circumdare radici. Circumfodi autem omnibus annis a solstitio duûm cubitorum scrobe pedali altitudine: [19] stercorari tertio anno.

4. [20] Mago idem amygdalas ab occasu Arcturi ad brumam seri jubet. Pira non eodem tempore omnia, quoniam non æque floreant. Eadem oblonga, aut rotunda, ab occasu Vergiliarum ad brumam. Reliqua genera media hieme ab occasu Sagittæ, Subsolanum, aut Septemtriones spectantia. Laurum ab occasu Aquilæ ad occasum Sagittæ. Connexa enim de tempore serendi æque ratio est. Vere & autumno id magna ex parte fieri decreve. Est & alia hora circa Canis ortus, paucioribus nota, quoniam non omnibus locis pariter utilis intelligitur; sed haud omittenda nobis, non tractûs alicujus rationem, [21] verum naturæ totius indagantibus. In Cyrenaïca regione [22] sub etesiarum flatu conserunt: necnon & in Græcia: oleam maxime in Laconia. Cos insula & vites tunc serit: ceteri apud Græcos, inoculare & inserere non dubitant: sed arbores non serunt. Plurimumque in eo locorum natura pollet. Namque in Ægypto omni serunt mense, & ubicumque imbres [23] æstivi non sunt, ut in India & Æthiopia. [24] Necessario post hæc autumno seruntur arbores.

5. [25] Ergo tria tempora eadem germinationis, ver, & Canis, Arcturique ortus. Neque enim animalium tantum est ad coïtus aviditas, sed multo major est terræ ac satorum omnium libido: qua tempestive uti, [a] plurimum interest conceptûs. Peculiare utique in insitis, cum sit mutua cupiditas [26] utrimque coëundi. Qui ver probant, ab æquinoctio statim admittunt, prædicantes germina parturire, [b] ideo faciles corticum esse complexus. Qui præferunt autumnum, ab [27] Arcturi ortu, quoniam statim radicem quamdam capiant, & ad ver parata veniant, atque non protinus germinatio auferat vires. [28] Quædam tamen statutum tempus anni habent ubique, ut cerasi & amygdalæ circa brumam, serendi vel inserendi. De pluribus locorum situs optime judicabit. Frigida enim & aquosa verno conseri oportet, sicca & calida autumno.

6. Communis quidem Italiæ ratio tempora ad hunc modum distribuit: [29] Moro ab Idibus Februariis in æquinoctium, piro autumnum: ita ut brumam quindenis nec minus diebus antecedant. Malis æstivis, & cotoneis, item sorbis, prunis, post mediam hiemem in Idus Februarias. [30] Siliquæ Græcæ, & Persicis, ante brumam per autumnum. [31] Nucibus, juglandi, & pineæ, & avellanæ, & Græcæ, atque castaneæ, a Calendis Martiis [32] ad Idus easdem. [33] Salici, genistæ, circa Martias Calendas. [34] Hanc in siccis semine, illam in humidis virga seri, diximus.

INTERPRETATIO.

a *Plurimum.*] Plurimum interest ad conceptum *arborum & germinationem.*

b *Ideo faciles.*] Ideo cortices, *arboris pariter & surculi insiti, facile coire.*

NOTÆ.

16. *Non inhumare taleas.*] Quanquam ita fieri præcipit Columella, lib. 5. cap. 9. pag 195. *Sed oportebit talearum capita & imas partes mixto fimo cum cinere oblinere, & ita totas eas immergeri, ut putris terra quatuor digitis alte superveniat. Sed binis indicibus ex utraque parte humantur.* &c. In Chiffl. cod. *intumare*, male.

17. *Interradi alternis.*] Quid sit interradi diximus lib. 15. sect. 2. Somniant vocabulariorum concinnatores, qui hac voce præcipi putant, ut qui solet innasci arboribus muscus eradatur. Quod Plinius alternis annis interradi hoc loco ait, tonsuram oleæ alternam vocat ipse sect. 45. cum alternis nimirum annis amputari ramos inutiles olearum vetustiorum jubet, ne alimentum omne in materiem insumatur. Sic Colum. lib 5. cap. 9. de seminariis olivarum *Quin etiam*, inquit, *compluribus interpositis annis olivetum putandum est..... Quod tamen satis erit octavo anno fecisse*, &c.

18. *Item muscum.*] Columella, lib. XI. cap. 2. *Hoc eodem mense (Maio) in pastinato seminario novissima positio est olearis talea: eamque oportet, cum panxeris, fimo & cinere mixtis oblinire, & superponere muscum, ne Sole findatur.* &c.

19. *Stercorari.*] Colum. loc. cit. *Tertio quoque anno fimo vel pabulanda sunt olea.*

20. *Mago idem.*] Et Palladius, lib 2. in Januar. tit. 15. pag. 45. *Amygdalus seritur mense Januario & Februario: item locis calidis Octobri & Novembri.* De occasu Arcturi, lib. 18. sect. 74. De occasu Vergiliarum, lib. 18. sect. 59. Sagittæ, sect. 74. Aquilæ demum, sect. 69.

21. *Verum naturæ totius*] In MSS. *potius.*

22. *Sub etesiarum.*] De his egimus lib. 2. sect. 47. dicemusque iterum lib. 18. sect 68.

23. *Æstivi non sunt.*] In MSS. *æstivi sunt:* Male. Idem Plinius lib. 19. sect 4. *In desertis adustisque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres.* Sic etiam Ctesias in eo volumine quod de Indicis rebus conscripsit, cujus exstant fragmenta apud Photium in Bibl. quæ sunt sæpius laudata a nobis in hoc opere.

24. *Necessario.*] Columella, lib 5. cap. 10. *Arbores ac semina cum radicibus autumno serito, hoc est, circa Calendas & Idus Octobres.*

25. *Ergo tria.*] Plinius, lib. 16. sect. 41. *Sunt aliæ naturales quibusdam* germinationes, *præterque vernas, quæ suis constant sideribus..... Hiberna, Aquila exorto: æstiva, Canis ortu: tertia Arcturo: has duas quidam omnibus arboribus communes putant, &c.*

26. *Utrimque coëundi.*] Vel, ut in MSS. *utrique*, surculo arborique.

27. *Arcturi ortu.*] De eo dicemus lib. 18. sect. 74.

28. *Quædam tamen.*] Columella, lib. XI. cap. 2. *Possunt etiam his diebus* (mense Decembri exeunte) *cerasi, & tuberes, & Armeniaca, atque amygdala, ceteraque arbores, quæ prima florent, inseri commode*

29. *Moro ab Idibus.*] Colum. lib. 5. cap. 10. pag. 202. *Mala, sorba, pruna, post mediam messem usque in Idus Febr. feritо. Mororum ab Idibus Februar. usque ad æquinoctium vernum satio est.*

30. *Siliquæ Græcæ.*] De quibus diximus lib. 15. sect. 26. Colum. loc. cit. *Siliquam Græcam, quam quidam xylokeration vocant, & Persicum, ante brumam per autumnum serito.*

31. *Nucibus, &c.*] Colum. loc. cit. pag. 201. *Cum ferula fuerit enata, eam findito, & in medulla ejus sine putamine nucem Græcam, aut avellanam abscondito, & ita adobruito. Hoc ante Calendas Martias facito, vel etiam inter Nonas & Idus Martias. Eodem tempore juglandem, & pineam, & castaneam serere oportet.* De his nucum generibus dictum est lib. 15. sect. 24. & 25.

32. *Ad Idus easdem.*] Hoc est, Martias.

33. *Salici.*] Colum. lib. de arbor cap. 29. *Salicem & genistam crescente Luna vere circa Calendas Martias serito. Salix humida loca desiderat, genista etiam sicca.*

34. *Hanc in siccis.*] In montibus genistas sponte nasci Plinius ante admonuit, lib. 16. sect 30. In fluminibus salic

CAP. XIX. 7. Est etiam nunc nova inserendi ratio, ne quid sciens quidem præteream; quod usquam invenerim, [15] Columellæ excogitata, ut affirmat ipse, qua vel diversæ insociabilesque naturæ arborum copulentur, ut fici atque oleæ. Juxta hanc seri ficum jubet non ampliore intervallo, quam ut contingi large possit ramo oleæ quam maxime sequaci at- 5 que obedituro: cumque omni interim tempore edomari [a] [16] meditatione curvandi. Postea fico adepta vires, (quod evenire trimæ, aut utique quinquenni solet,) [17] detruncata superficie, [18] ipsumque deputatum, & ut dictum est, adraso cacumine, defigi in crure fici, custoditum vinculis, ne curvatura fugiat. Ita quodam propaginum insitorumque temperamento, triennio communi inter duas matres coalescere. Quarto anno abscissum totum 10 adoptantis esse, nondum vulgata ratione, aut mihi certe satis comperta.

XXXI. Cetero eadem illa de calidis frigidisque, & humidis & siccis [1] supra dicta ratio, & scrobes fodere monstravit [2] In aquosis enim neque altos, neque amplos facere expediet: aliter in æstuoso solo & sicco, ut quam maxime accipiant aquam, contineantque. Hæc & veteres arbores colendi ratio est. Ferventibus enim locis [3] accumulant æstate ra- 15 dices operiuntque, ne Solis ardor exurat. [4] Aliubi ablaqueant, perflatusque admittunt. Iidem hieme cumulis a gelu vindicant. [5] Contra illi hieme aperiunt, humoremque sitientibus quærunt. Ubicumque circumfodiendi arbores ratio [6] in circuitu pedes in orbem ternos: neque id in pratis, quando amore Solis humorisque in summa tellure oberrant. Et de arboribus hæc quidem fructus gratia serendis inserendisque in universum sint dicta.

CAP. XX. 20 XXXII. [1] Hinc restat earum ratio, quæ propter alias seruntur, ac vineas maxime, cæduo ligno. Principatum in iis obtinent salices, quarum satio fit [2] loco madido: [3] tamen refosso duos pedes & semipedem, [4] talea sesquipedali, vel pertica, quæ utilior, quo plenior. [5] Intervallo esse debent pedes seni. [6] Trimæ pedibus binis a terra putatione coërcentur, ut se in latitudinem fundant, ac sine scalis tondeantur. Salix enim fecundior est, quo 25 terræ propior. Has quoque omnibus annis [7] confodi jubent mense Aprili. Hæc est viminalium cultura. Perticalis [8] & virga & talea seritur, fossura eadem. Perticas ex ea cædi justum est quarto fere anno. [9] Et ex autem senescentium propagine resarciunt locum, pertica immersa, ac post annum recisa. [10] Salicis viminalis jugera singula sufficiunt xxv. vineæ jugeribus. [11] Ejusdem rei causa populus alba seritur [12] bipedaneo pastinatu, talea sesquipedali, [13] biduo siccata, [14] palmipede intervallo, terra superinjecta duorum cubitorum 30 crassitudine.

XXXIII. [1] Arundo etiamnum dilutiore, quam hæ, solo gaudet. [2] Seritur bulbo radi-

INTERPRETATIO.

a *Meditatione.*] Assuetudine.

NOTÆ.

ces, vel depacto temere surculo, ejusdem libri sect. 46. 67 & 68.

35. *Columella*] Libro 5. cap. XI. pag. 205.

36. *Meditatione curvandi.*] Ut assidue curvata, fissuræ assuefiat.

37. *Detruncata superficie.*] Arboris fici præsecto cacumine. Columella: *Tunc arborem fici detrunca, plagamque leva, & mediam cuneo finde. Cacumina deinde olivæ, sicuti matri cohærent, ex utraque parte abrade, & ita fissura fico insere, cuneumque exime, diligenterque ramulos colliga, ne qua vi revellantur. Sic interposito triennio convalescet ficus cum olea: & tum demum quarto anno, cum bene coierint, velut propagines, ramulos olivæ a matre resecabis.*

38. *Ipsumque.*] Ipsum oleæ ramum, matri adhuc adhærentem, sed deputatum tamen, hoc est, ex utraque parte cuspidatim decisum, ut dictum est sect. 24. defigi jubet in ficum, qua parte facta est fissura: hanc μεσοφυγανον crus appellant: alias truncum.

Sect. XXXI. 1. *Supra dicta ratio.*] Sup sect. 7. num. 6.

2. *In aquosis.*] Hæc Theophrast. lib. 3. de causis, cap. 5. pag. 268.

3. *Accumulant.*] Accumulantur terra radices. Græci ἀποχωννύειν vocant, ut Theophr. a nobis laudatus sect. 28.

4. *Aliubi ablaqueant.*] Circum radices terra foditur, ut illæ aere ventisque perflentur.

5. *Contra illi.*] Columella, de vitibus, lib 5. cap. 9. *Ubi semina jam corroborata fuerint, nihil dubium est, quin cælestibus aquis plurimum juventur. Itaque locis, quibus clementia hiemis permittit, adapertas vites relinquere, & tota hieme ablaqueatas habere conveniet.*

6. *In circuitu.*] MSS. *In circuitum.*

Sect. XXXII. 1. *Hinc restat earum ratio.*] MSS. Reg. Colb. *natio*, haud ita sincere, ut remur.

2. *Loco madido.*] Vide quæ dicta sunt sect. 30. num. 6.

3. *Tamen refosso.*] Columella item de viminali salice, lib 4. cap 30. pag. 161. *Ita enim præcipiunt veteres, in duos pedes & semissem salicto destinatum solum.*

4. *Talea . . . . . vel pertica.*] Utroque enim modo seritur viminalis, ut mox dicetur. Et de eo genere Columella, lib. 4 cap. 30. pag. 162. *Atque hæ*, inquit, *vel cacuminibus vel taleis deponuntur. Perticæ cacuminum modica plenitudinis, quæ tamen dipondiarii orbiculi crassitudinem non excedant, optime panguntur. . . . Talea sesquipedales terreno immersæ paululum obruantur.*

5. *Intervallo.*] Colum. loc cit.] *Riguus locus spatia laxiora desiderat, eaque senum pedum per quincuncem recte faciunt*, &c.

6. *Trimæ.*] Etiam anniculæ, vel si fuerit ager siccior, bimæ, inquit Columella, lib. 4. cap. 31. pag. 163.

7. *Confodi jubent.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVII.

8. *Et virga.*] Hoc est, surculo, de quo dictum est sect. 9. ubi de talea, sect. 17. Columella, loc cit. *Perticalis fere eundem agrum, quem viminalis, desiderat: melior tamen riguo provenit: neque ea salcis conseritur. . . . crebroque foditur, atque exherbatur . . . . sic culta quarto demum anno caditur.*

9. *Et ea autem.*] De viminalibus tradit Colum lib. 4. cap 30. pag. 162. mergis in terram curvatis defossisque, & post annum decisis a stirpe propagari eas: quod multo est de perticali verius.

10. *Salicis viminalis.*] Columella, loc. cit. pag. 161. *Viminalium, ut Atticus putat, singula jugera sufficere possunt quinis & vicenis jugeribus liganda vineæ: arundineti singula jugera vicenis jugandis: castaneti jugerum totidem palandis, quot arundineti jugandis.*

11. *Ejusdem rei.*] Vineæ ligandæ.

12. *Bipedaneo.*] Terra duos pedes refossa.. Pastinare est terram fodere.

13. *Biduo siccata.*] Priusquam feratur: contra quam de oleis præceptum est, sect. 31. *Taleas non siccare prius quam serantur, utilius compertum.*

14. *Palmipede intervallo.*] Serantur arbores palmi unius inter se & pedis intervallo. Palmipedalem mensuram vocat Columella, lib. 3. cap. 19

Sect. XXXIII. 1 *Arundo*] Columella eleganter, lib. 4. cap. 32. pag. 163. *Arundo*, inquit, *cum sit vivacissima, nec recuset ullum locum, prosperius resoluto, quam denso: humido, quam sicco . . . . vallibus, quam clivis: fluminum ripis & limitibus ac vepretis commodius, quam mediis agris deponitur.* Dilutum solum, madidum humidumque intellige.

2. *Seritur.*] Colum. loc. cit. *Seritur bulbus radicis: seritur*

cis, quem alii oculum vocant, [3] dodrantali scrobe, [4] intervallo duûm pedum & semipedis: reficiturque ex sese vetere arundineto exstirpato, quod utilius repertum, [5] quam castrare, sicut antea. Namque inter se radices serpunt, mutuoque [6] discursu nentur. [7] Tempus conserendi, priusquam oculi arundinum intumescant, ante Calendas Martias. [8] Crescit ad brumam usque: desinitque, cum durescere incipit: Hoc signum tempestivam habet cæsuram. [9] Et hanc autem quoties & vineam fodiendam putant. [10] Seritur & transversa, non alte terra condita: erumpuntque e singulis oculis totidem plantæ. Seritur & deplantata pedali sulco: binis obrutis gemmis, ut tertius nodus terram attingat: prono cacumine, ne rores concipiat. Cæditur decrescente Luna. Vineis anno siccata utilior, quam viridis.

XXXIV. [1] Castanea pedamentis omnibus præfertur facilitate tractatus, perdurandi pertinacia, regerminatione cædua vel salice lætior. [2] Quærit solum facile, [3] nec tamen arenosum: maximeque sabulum humidum, aut [4] carbunculum, vel tofi etiam farinam, quamlibet opaco, septemtrionalique & præfrigido situ, vel etiam declivi. [5] Recusat eadem glaream, rubricam, cretam, omnemque terræ fecunditatem. [6] Seri nuce diximus: sed nisi ex maximis non provenit, [7] nec nisi quinis acervatim satis. [8] Perfringi solum debet supra, ex Novembri mense in Februarium: quo solutæ sponte cadunt ex arbore, atque subnascuntur. [9] Intervalla sint pedalia, undique sulco drodantali. Ex hoc seminario transferuntur in aliud, bipedali intervallo, plus biennio. [10] Sunt & propagines, nulli quidem faciliores. Nudata enim radice, tota in sulco prosternitur. Tum ex cacumine supra terram relicto renascitur, & alia ab radice. [11] Sed translata nescit hospitari, pavetque novitatem. Biennio fere postea prosilit. Ideo nucibus potius, quam viviradicibus, plantaria cædua implentur. [12] Cultura non alia, quam supradictis, fodiendis supputandisque per biennium sequens: de cetero ipsa se colit umbra stolones supervacuos enecante. [13] Cæditur intra septimum annum. [14] Sufficiunt pedamenta jugeri unius vicenis vinearum jugeribus, [15] quando etiam ea bisida stirpe fiunt: durantque ultra alteram silvæ suæ cæsuram.

NOTÆ.

& talea calami: nec minus toto prosternitur corpore. Διὰ τῶν βολβῶν. Geopon. auctor, lib. 5. cap. 51. pag. 162. De arundinis oculis egimus libro superiore, sect. 67.

3. *Dodrantali.*] Pollicum novenûm.

4. *Intervallo duûm.*] At Colum. loc. cit. *Bulbus tripedaneis intervacantibus spatiis obrutus, anno celerius maturam perticam præbet.*

5. *Quam castrare.*] Qui mos Columellæ ævo obtinuit. Is castrare quid hoc loco sit, aperit. *Ea est autem arundineti senectus,* inquit loc. cit *cum vel exaruit situ & inertia plurium annorum: vel ita densatum est, ut gracilis & cannæ similis arundo prodeat. Sed illud de integro refodi debet: hoc potest intercidi & disarari, quod opus rustici castrationem vocant, &c.* Castrari igitur arundinetum aiunt, cum ubi densius quam par est satum fuerit, evelluntur e silva eæ quæ minus utiles censentur, & sic laxiores arundinum ordines fiunt.

6. *Discursu nentur.*] Implicantur invicem, dum per terram serpunt discurruntque. Tamen in MSS. *decursu necantur,* ut legendum videatur, *decussu necantur:* sitque sententia, unius arundinis avulsione, quod in castratione fit, & proximas quoque decuti atque interire, ob mutuam radicum implicationem.

7. *Tempus conserendi.*] Vide Notas & Emendationes, num XXVIII.

8. *Crescit, &c.*] Colum. lib 4. cap 32 pag. 164. *Caditur deinde post brumam: nam usque in id tempus incrementum capit: ac tum compescitur, cum obriguit hiberno frigore.* Geopon. lib 5. cap. 51 pag. 163.

9. *Et hanc autem.*] Colum, loc. cit. *Fodiendum, quoties & vinea, &c.*

10. *Seritur & transversa.*] Diversum ab isto genus, quod affert Theophr. lib. 2 hist. cap 2. Φύεται δέ τις καὶ κάλαμος, ἐάν τις διατεμὼν τὰς ἠλακάτας πλαγίας, ἢ καὶ κατακρύψῃ κόπρῳ καὶ γῇ. *Provenit etiam quoddam arundinis genus, si quis in obliquum colos præcisas fimo terraque abscondat.* Quanquam Dalecampius idem putavit. Sed Pliniana hæc arundinis satio a Columella improbatur ad fructum, lib de arboribus, cap. 29. *Sunt qui arundines integras sternant, quoniam ex omnibus nodis sata arundines emittunt: sed fere hoc genus evanidam, exilemque & humilem arundinem affert.* Idem, lib. 4. pag. 32. *toto* tum *prosterni corpore* arundinem dixit.

11. *Seritur & deplantata.*] Translata in sulcum pedalem ita ut gemmæ duæ obruantur, tertia exstet a terra &c. Colum. lib. 4. cap. 32. pag 163. *Sive recisa in dipondium & semissem talea, sive tota arundines prostrata deponantur, exstent earum cacumina oportet. quod si obruta sunt, tota putrescunt.*

Sect. XXXIV. 1. *Castanea pedamentis.*] Pedamenta sunt sustentacula viti fulciendæ, *des Echalas.* Colum. lib. 4. cap. 33. pag. 164. *Castanea roboribus proxima est, & ideo stabiliendis vineis habilis.*

2. *Quærit.*] Colum. loc. cit. *Ea pullam terram & resolutam desiderat: sabulonem humidum, vel refractum tophum non respuit: opaco & septemtrionali clivo lætatur: spissum solum & rubricosum reformidat.* Palladius in Novemb. cap. de castaneis: *Amant solum molle & solutum, non tamen arenosum. In sabulone proveniunt, sed humecto. Nigra terra illis apta est, & carbunculus, & tofus diligenter infractus, &c.*

3. *Nec tamen arenosum.*] Sic MSS. Reg. Colb. & Chiffl. ipseque Palladius, loc. cit. In editis perperam, *nec non arenosum.* Ex eorum hæc emendatio officina prodierat, qui sabulonem, quo lætari castanea mox dicitur, ab arena puraruunt nihil discrepare: cum sabulum sit arena tenuior, minutiorque A Varrone ceterisque Latinitatis auctoribus, arena, sabulo, ceu genera diversa terrarum simul appellantur. De sabulo accipiendum illud est auctoris Geopon. lib. 10. cap 63. pag. 284. τὸ κάρυον, ὃ καὶ Διὸς βάλανον καλοῦσι, ψαμμώδει γῇ καὶ ψυχροῖς τόποις χαίρει.

4. *Carbunculum.*] De eo diximus sect. 3.

5. *Recusat eadem glaream.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIX.

6. *Seri nuce diximus.*] Libro 15. sect. 25. ubi castaneas excellentiores satu factas Διὸς βαλάνους appellatas scribit.

7. *Nec nisi quinis.*] Colum loc. cit *Spissius autem semen propter varios casus deponitur: nam interdum priusquam enascatur, aut siccitatibus nux inarescit, aut aquarum abundantia putrescit: interdum subterraneis animalibus, sicuti muribus & talpis infestatur, &c.*

8. *Perfringi .... supra.*] Supra candicem, procul ab arboris trunco, quo nuces ex arbore solutæ decidant. Columella, loc. cit. *Seritur ab Novembri mense per totam hiemem sicca terra, &c.*

9. *Intervalla sint pedalia.*] Ita etiam MSS. omnes. At Colum. loc. cit. *Nuces in ordinem semipedalibus spatiis .... in altitudinem dodrantis depressis sulcis committuntur, &c.*

10. *Sunt & propagines.*] Propagine, inquit, facilius quam ceteræ arbores, castaneæ proveniunt. Hæc etiam Colum. loc. cit pag. 165.

11. *Sed translata.*] Colum. loc. cit. *Melius pertica (* mergi more *) declinata propagata, quam exempta reseritur. Hæc enim velut inmota sua sede vehementer germinat. At quæ radicitus exempta & deposita est, biennio reformidat. Propter quod compertum est commodius nucibus, quam viviradicibus ejusmodi silvas institui.*

12. *Cultura ... quam supradictis.*] Salici & arundinibus. Colum. loc cit. *Cultus ejusdem est fossionis positionisque, qui vineæ: supputari debet bima, quin etiam trima, &c.*

13. *Cæditur.*] Colum. loc cit. *Post quinquennium cæsa more salicti recreatur.*

14. *Sufficiunt.*] Colum. lib. 4. cap. 30. pag. 161. laudatus a nobis sect. 32.

15. *Quando etiam.*] Paulo aliter Atticus Julius, apud Colum. lib 4 cap 33. *Talea propius stirpem recisa quadrifidas plerumque: ac deinde secunda talea ejusdem arboris bifidas ridicas*

Esculus similiter provenit, cæsura triennio senior, [16] minus morosa nasci. In quacumque terra feritur, nascitur [17] e balano, sed non nisi esculi: scrobe dodrantali, intervallis duorum pedum: [18] feritur leviter quater anno. Hoc pedamentum minime putrescit, cæsumque maxime fruticat. Præter hæc, sunt cædua quæ diximus, fraxinus, laurus, Persica, corylus, malus, sed tardius nascuntur: terramque defixa vix tolerant, non modo humorem. Sambucus contra firmissima ad palum taleis feritur, ut populus: nam de cupresso [19] satis diximus.

CAP. XXI. XXXV. Er prædictis velut armamentis vinearum, restat ipsarum natura præcipuâ tradenda curâ.

1. Vitium surculis, & quarumdam arborum, [1] quibus fungosior intus natura est, [a] geniculati scaporum nodi intersepiunt medullam. Ferulæ ipsæ breves & ad summa breviores, articulis utique duobus internodia includunt. [2] Medulla, sive illa vitalis anima est, ante se tendit [3] longitudinem impellens, quamdiu [4] nodi pervia patet fistula. Cum vero concreti ademere transitum, repercussa erumpit, ab ima sui parte, juxta priorem nodum alternis laterum semper inguinibus, [5] ut dictum est in arundine ac ferula: quorum dextrum ab imo intelligitur articulo, lævum in proximo, atque ita per vices. Hoc vocatur in vite gemma, [6] cum ibi cespitem fecit. Ante vero quam faciat, in concavo oculus: & in cacumine ipso, germen. Sic [7] palmites, nepotes, uvæ, folia, pampini gignuntur. Mirumque, firmiora esse in dextra parte genita.

2. Hos ergo in surculis nodos, cum feruntur, [8] medios secare oportet, ita ne profluat medulla. Et in fico quidem dodrantales paxilli solo patefacto feruntur, sic ut descendant quæ proxima arbori fuerint, duo oculi extra terram emineant. Oculi autem in arborum surculis proprie vocantur, unde germinant. Hac de causa & in plantariis aliquando eodem anno ferunt, quos fuere laturi fructus in arbore: cum tempestive sati prægnantes, [9] inchoatos conceptus alibi pariunt. Ita satas ficos, tertio anno transferre facile. [10] Hoc pro senescendi celeritate attributum huic arbori, ut citissime proveniat.

3. Vitium numerosior satus. Primum omnium nihil feritur ex his, nisi inutile, & deputatum in sarmento. Opputatur autem quidquid proxime tulit fructum. [11] Solebat capitulatus utrimque [12] e duro surculus seri: eoque argumento [13] malleolus vocatur etiam nunc. Postea avelli [14] cum sua calce cœptus est, ut in fico: neque est aliud vivacius. Tertium genus adjectum etiamnum expeditius sine calce, propter quod [15] sagittæ vocantur, cum intorti panguntur: iidem cum recisi nec intorti, [16] trigemmes. Plures autem ex eodem sur-

INTERPRETATIO.

a *Geniculati*] Genicula, sive nodi, quibus scapi seu flagella constant, medullam includunt. Ferulacei vitium caules ipsi breves, sed in summa parte breviores, nodis sive articulis duobus includunt *singula* internodia.

NOTÆ.

subministrant: quod genus fissilis adminiculi manet diutius, quam teres palus.

16 *Minus morosa.*] Vide Notas & Emend. num. XXX.

17. *E balano.*] E glande. Eadem porro ferme de quercu Columella prodidit, lib. 4 pag. 33. *Potest etiam quercus simili ratione seri: verum biennio tardius quam castanea deciditur.*

18. *Seritur leviter.*] Glande una, aut altera, non quinis, aut pluribus, ut in castanea, acervatim satis.

19. *Satis diximus*] Libro 16. sect. 60.

Sect. XXXV. 1. *Quibus fungosior*] Uti est sambuco, quemadmodum dictum est libro 13 sect. 42.

2. *Medulla.*] Columella, lib. 3. cap. 10. *Reliquas trunci partes humor omnis & alimentum, quod a solo ministratur, transcurrit, dum ad ultimum perveniat. Naturali enim spiritu omne alimentum virentis, quasi quadam anima, per medullam trunci, veluti per siphonem, quem διαβήτην vocant mechanici, trahitur in summum: quo cum pervenerit, ibi consistit, atque consumitur.*

3 *Longitudinem.*] Palmitis eam longitudinem, quæ inter nodos geminos intercedit.

4. *Nodi pervia.*] Pervia, quæ in ipso nodo est fistula, per quam medulla meat.

5. *Ut dictum est*] Libro 16. sect. 65. in fine, de arundine: de ferula, lib. 13. sect. 42.

6. *Cum ibi cespitem fecit.*] Cum ibi medulla erumpens globulum fecit: *un bouton.*

7. *Palmites.*] Vitium ii sarmenta sunt, sic appellata, quod in modum palmarum humanarum virgulas quasi digitos edunt. Nepotes, virgæ sunt quas e radicibus aut caudicis lateribus vitis ciet, quasi nepotum partu gravida: alii sobolem, alii suffraginem dixere.

8. *Medios secare*] In medio internodio. Vide Notas & Emend. num. XXX.

9 *Inchoatos conceptus.*] Conceptos jam fetus. Sup. sect. 32. num. 5. *Plurimum interest conceptus*, hoc est, fetus.

10 *Hoc pro senescendi.*] Omnia nempe celerius senescunt præfecunda, ut ait ipse lib. 16. sect. 51.

11. *Solebat.*] Sed hic mos postea obsolevit, damnatusque est ab agricolis: malleoli tantum mansit appellatio. Columella, lib. 3 cap. 17. *Malleolus sic ab antiquis pangebatur, ut novello sarmento pars aliqua veteris hæreret. Sed hanc positionem damnavit usus: nam quidquid ex vetere materia relictum erat, pressum atque obrutum celeriter humore putrescebat.... Mox Julius Atticus, & Cornelius Celsus.... cum suo capitulo sarmentum depresserunt.*

12. *E duro.*] E duriore sarmento, sive trunco: surculus cum vetere sarmento junctus. Virgam e duro pariter appellat Columella: lib. 3. cap. 6. E duro natam virgam, cap. 10. atque alibi passim.

13 *Malleolus vocatur*] Columella lib. 3. cap. 6. *Malleolus autem novellus est palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatusque a similitudine rei: quod in ea parte quæ deciditur ex vetere sarmento prominens utrimque, malleoli speciem præbet.* Gallis *Marquote, crocete, maillelon.*

14 *Cum sua calce.*] Cum sua perna dixit, sect. 13. Vide quæ ibi adnotavimus.

15. *Sagittæ vocantur.*] Colum. lib. 3. cap. 17. *Sagittam rustici vocant novissimam partem surculi: sive quia longius recessit a matre, & quasi emicuit, atque prosiluit: seu quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit.* At Plinio *sagitta* is ipse surculus est, cum intortus pangitur, ut mox dicetur.

16. *Trigemmes.*] Colum. lib. 3. cap. 19. pag. 120. *Malleolus non ab eo trigemmis dictus est, quod omnino trium oculorum est: cum fere circa plagam qua matri abscissus est, plenus sit gemmarum: sed, quod his exceptis, quibus est frequens in ipso capite, tres deinceps articulos, totidemque gemmas habeat.*

culo

culo hoc modo fiunt. [17] Serere e pampinariis sterile est, [18] nec nisi fecundo oportet. Quæ raros habet nodos, infecunda judicatur. At densitas gemmarum, fertilitatis indicium est. Quidam seri vetant, nisi eos qui floruerint, surculos. [19] Sagittas serere minus utile, quoniam in transferendo facile rumpitur quod intortum fuit. [20] Seruntur pedali, non breviores longitudine, quinque sexve nodorum. [21] Pauciores tribus gemmis in hac mensura esse non poterunt. [22] Inseri eodem die, quo deputentur, utilissimum. Si multo postea necesse sit serere custoditos [23] uti præcepimus, caveri utique, ne extra terram positi Sole inarescant, ventove aut frigore hebetentur. Qui diutius in sicco fuerint, prius quam serantur, in aqua pluribus diebus reviviscant.

4. Solum apricum & quam amplissimum in seminario, sive in vinea, [24] bidente pastinari debet [25] ternos pedes bipalio alto: marra rejici [26] quaternûm pedum fermento, [27] ita ut in pedes binos fossa procedat. [28] Fossum purgari, & extendi, [29] ne crudum relinquatur: verum & [30] exigi mensura. Male pastinatum deprehendunt [31] scamna inæqualia. Metienda est & ea pars, quæ interjacet [32] pulvini. Surculi seruntur & in scrobe & in sulco longiore, super quos tenerrima ingeritur terra. Sed in gracili solo frustra, nisi substrato pinguiore. Nec minus quam duos integi oportet, & proximam attingi terram: [33] eodem paxillo deprimi & spissari. Interesse in plantario sesquipedes a inter bina semina in latitudinem, in longitudinem b [34] semisses. [35] Ita satos malleolos quarto & vicesimo mense recidere ad imum articulum, [36] nisi ipsi parcatur. Oculorum inde materia emicat, cum qua sexto ac tricesimo mense viviradix transfertur.

Interpretatio.

a *Inter bina.*] Inter binos surculos.

b *Semisses.*] Semipedem.

Notæ.

17. *Serere e pampinariis.*] E pampinario palmite sagittas serere. Quis palmes ita vocetur, dicemus inferius hac sect. Interim ex Columella, lib. 3. cap. 10 pampinarium sarmentum scito appellari, quod est ex duro trunco enatum. Columella, loc. cit. *Hoc* inquit, *præceptum a magistris vinitor accepit, ne pampinariam virgam deplantet.* Et mox. *Quanquam & hos surculos sciam non in totum sterilitate affectos. Nam confiteor pampinarios quoque, cum e duro prorepserint, tempore anni sequentis acquirere fecunditatem: & ideo in resectem submitti & progenerare posse.* Vinitores nostri vocant, *Drageons qui sortent du tronc.*

18. *Nec nisi fecundo.*] Nec malleolum serere oportet, nisi qui fructum tulerit. Columella, lib. 3. cap 10. *Nos autem primum rationem secuti, nunc etiam longi temporis experimentum, non aliud semen eligimus, nec frugiferum esse ducimus, nisi quod in parte genitali fructum attulerit. Nam illud quidem, quod loco sterili latum robustumque sine fetu processit, fallacem fecunditatis imaginem præfert, nec ullam generandi vim possidet.* Et paucis deinde interjectis: *Itaque ne ad consuetudinem agricolarum revertar, ejusmodi surculos, qui nihil attulerint, spadones appellant; quod non facerent, nisi eos suspicarentur inhabiles frugibus: quæ & ipsa appellatio rationem nobis subjecit non eligendi malleolos, quamvis probabili parte vitis enatos, si fructum non tulissent.* Hæc Plinius mirabili brevitate contractius.

19. *Sagittas serere.*] Sagittæ vocantur ii surculi, qui intorti panguntur. De his cum Plinio facit Colum. lib 3. cap 18. pag 118. *Vitiosa est*, inquit, *Julii Attici satio, quæ contortis capitibus malleolum recipit: ejusque rei vitandæ non una ratio est. Primum, quod nulla stirps ante quam deponatur, vexata & infracta, melius provenit, quam quæ integra & inviolata sine injuria deposita est: deinde quidquid recurvum*, &c. Et cap. 10 pag. 105. *Majores nostri pampinarium & sagittam velut inutiles ad deponendum prudentissime damnaverunt.*

20. *Seruntur pedali.*] Colum. lib. 3. cap. 19. pag 120. & lib de arbor. cap 3.

21. *Pauciores*] Colum. loco prius allato.

22. *Inseri.*] Seri, conseri, pangi.

23. *Uti præcepimus.*] Si nempe longius afferantur vitium surculi, ut de pomorum calamis dictum est in fine sect. 24. Columella, lib. 3 cap. 19. *Super cetera illud quoque sive viviradicem, sive malleolum serentem præmoneo, ne semina exarescant, immodicum ventum Solemque vitare, qui utrique non incommode arcetur obiectu vestis*, &c.

24. *Bidente pastinari.*] Colum lib 3. cap 18. *Quidquid emoti soli vineis preparatur, repastinatum vocant.* Gallis, *Hoüer la vigne.* Bidens instrumentum fossorium a gemino dente sic appellatum. *Un hoyau à deux dents ou à deux cornes.*

25. *Ternos pedes, bipalio alto: marra, &c.*] Bipalium bidentis pars ferrea est, qua terra foditur. Colum. lib 5 cap 5. *Bipalio terram pastinabimus.* Et lib XI cap 2 in Febr *Bipalio, cui est altitudo duorum pedum.* Bipalium non altum idem Columella lib XI cap 9 pag 392 *minus quam duos pedes ferramentum* vocat. *Altum* Plinius, cui terni pedes. Columella rursum, lib. de arboribus, cap. 1. *Ejusmodi bipalio . . . . si eodem loco, quo vineam ordinaturus es, facere voles seminarium, tribus pedibus alte repastinabis jugerum.* De marra idem Colum. lib. 10. de cultu hortor pag 348.

> *Mox bene cum glebis vivacem cespitis herbam*
> *Contundat marra, vel fracti dente ligonis,*
> *Putria maturi solvantur ut ubera campi.*

Plinius lib 18. sect. 43. marris herbas radi ad solum dixit. Italis, *marra.* Gallis, *Houe*, & *marre de vigneron.* Papias in Vocabul. *Marra, sappa, instrumenta rusticorum.*

26. *Quaternûm pedum fermento.*] Ita MSS. omnes, non *fermenta.* Hoc est, humus e fossa duûm altitudinis pedum extracta, ad pedum quatuor altitudinem debet crescere, cum laxior facta est, pastinationis ope. Columella, lib. 4. cap. 1. pag. 126. *Quid quod repastinata humus, dum est recens soluta, laxataque, velut fermento quodam intumescit? cum deinde non longissimam cepit vetustatem, condensata subsidit*, &c. Iterumque: *Ager, si bipalio movetur, altitudo bipedanea fit: deprimantur deinde semina in regesto, quod est fermentatum plus dupondio semisse: Nam semper in plano refusius egesta humus tumidior est, quam gradus soli crudi.*

27. *Ita ut in pedes binos.*] Hæc fossæ altitudo est. Colum. lib 3 cap. 9. *Ergo mediocris & modice siccus ager vinetario est aptissimus: isque bipalio prius subigi debet, quæ est altitudo pastinationis*, &c.

28. *Fossum purgari.*] Terra quæ effossa est, stirpibus, herbisque noxiis liberanda.

29. *Ne crudum.*] Immotum, quod non sit probe pastinatione solutum & fermentatum. Pallad lib. 2. in Januar. tit. 10. pag 40. *Pastini vero quod omne versabitur, trium vel duorum semis pedum altitudine terra universa fodietur, in quo erit diligentia, ne crudum fraude occulta fossor includat.*

30. *Exigi mensura.*] Ad certam regulam, seu mensuram exigi, cujus ad altitudinem humus omnis emota pertingat æqualiter. Hæc multo uberius Columella, lib 3. cap. 13. pag 112. cujus verba utique plurimum lucis orationi Plinianæ sunt allatura. *Opus est*, inquit, *porro ne vigilanti exactore, qui ripam erigi jubeat, sulcumque vacuari, ac totum spatium crudi soli cum emota jam terra committi . . . Sed huic operi exigendo quasi quamdam machinam commenti majores nostri, regulam fabricaverunt: in cujus latere virgula prominens ad eam altitudinem, qua deprimi sulcum oportet, contingit summam ripæ partem. Id genus mensuræ ciconiam vocant rustici.*

31. *Scamna.*] Colum. lib. 2. cap. 2. *Necubi crudum solum & immotum relinquat, quod agricolæ scamnum vocant.* Et lib. 3. cap. 13. *Necubi scamna eruditantur, & quod est durum summis glebis obtegatur.* Scamna rustici in Gallia vocant, *des veaux, des barres.*

32. *Pulvini.*] Agri effossi & pastinati quæ pars inter scrobes interjacet.

33. *Eodem paxillo.*] Sive bipalio.

34. *Semisses.*] Semipedes. Ut Latini veteres pro integra quacumque re assem dixere, sic pro dimidia semissem.

35. *Ita satos.*] Sic Colum. lib. de arbor. cap. 3.

36. *Nisi ipsi parcatur.*] Nisi nodum imum servare velint.

5. [37] Est & luxuriosa ratio vites serendi, ut quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur [38] in parte luxuriosa: atque ita vel per ossa bubuli cruris, vel per [a] colla fictilia trajecti, obruantur binis eminentibus gemmis. Humescunt hoc modo; recisique palmitem emittunt. Postea [39] fistula fracta radix libere capit vires, uvaque fert omnium [40] corporum suorum acinos. [41] In alio genere inventu novitio finditur malleolus, medullaque erasa, in se colligantur ipsi caules, ita ut gemmis parcatur omni modo. Tum malleolus in terra fimo mixta seritur, & cum spargere cœpit caules, deciditur, foditurque sæpius. Talis uvæ acinos nihil intus ligni habituros [42] Columella promittit: cum vivere [b] semina ipsa perquam mirum sit, medulla adempta. [43] Nasci surculos etiam, quibus non sit articulatio arboris, non omittendum videtur. Namque e buxi tenuissimis quinis senisve colligatis depacti proveniunt. Quondam in observatione erat, ut defringerentur ex imputata buxo, aliter vivere non crediti: detraxere hoc experimenta.

6. Seminarii curam sequitur vinearum ratio. Quinque generum hæ: [44] Sparsis per terram palmitibus, [45] aut per se vite subrecta, [46] vel cum adminiculo sine jugo, aut pedatæ [47] simplici jugo, aut compluviatæ quadruplici. Quæ pedatæ ratio erit, eadem intelligitur ejus quoque, in qua sine adminiculo vitis per se stabit. [48] Id enim non fit, nisi pedamenti inopia. Simplici jugo constat porrecto ordine, [49] quem canterium appellant. [50] Melior ea vino, quando sibi ipsa non obumbrat, assiduoque Sole coquitur, & afflatum magis sentit, & celerius rorem dimittit: pampinationi quoque & occationi omnique operi facilior. Super cetera deflorescit utilius. [51] Jugum fit pertica, aut arundine, aut crine, funiculove, ut in Hispania, Brundisiique. Compluviata copiosior vino est, dicta a cavis ædium compluviis. Dividitur in quaternas partes totidem jugis. Hujus serendi ratio dicetur, eadem valitura in omni genere, in hoc vero numerosior tantum.

7. [52] His vero tribus seritur modis: Optime in pastinato, [53] proxime in sulco, novissime in scrobe. De pastinatione dictum est. * Sulco latitudo palæ satis est, [54] scrobibus ternorum pedum in quamque partem. [55] Altitudo in quocumque genere tripedalis, ideo nec vitis minor transferri debet [56] exstatura etiamnum duabus gemmis. [57] Emolliri terram minutis in scrobe imo sulcis, fimoque misceri, necessarium. [58] Clivosa altiores poscunt scro-

* CAP. XXII.

INTERPRETATIO.

a *Colla fictilia.*] Tubulos fictiles. b *Semina.*] Surculos.

NOTÆ.

illæsum & integrum, quia multo est, quam ceteri, ad germinationem fecundior.

37. *Est & luxuriosa.*] Quam luxuria monstravit. Tradit hunc modum Columella, quo tales uvæ creantur, in quibus varii generis colorisque reperiantur acini: lib de arboribus, cap. 9. *Hoc autem*, inquit, *ratione tali efficitur. Quatuor vel quinque, sive etiam plures voles, virgas diversi generis sumito, easque diligenter & æqualiter compositas colligato: deinde in tubulum fictilem, vel cornu, arcte inserito, ita ut aliquantum exstent ab utraque parte, easque partes, quæ exstabunt, resolvito: in scrobem deinde imponito, & terra stercorata obruito, & rigato, donec gemmas agant. Cum inter se virgæ coluerint, post biennium, aut triennium, facta jam unitate, dissolvito tubulum: & circa medium fere crus, ubi maxime videbuntur coisse, ictum ferra præcidito, & plagam levato, terramque minutam aggerato, ita ut tribus digitis alte plagam operiat. Ex eo caudice cum egerit caules, duos optimos submittito, reliquos dejicito: sic uvæ nascentur, quales proposuimus.*

38 *In parte luxuriosa.*] Maxime læta, ac viridi.

39. *Fistula fracta.*] Seu osse bubulo, seu collo tubuloque fictili, quo inclusi surculi tenebantur.

40. *Corporum suorum*] Hoc est, omnium surculorum, qui sunt pariter colligati. Tot generum acinis uva constabit, quot fuerint malleoli simul conjuncti: si quaterni, erunt quaternûm generum grana in uva: si quini, quinûm. Colum. loc. cit.

41. *In alio genere.*] Colum loc. cit. *Ut autem uvæ sine vinaceis nascantur, malleolum scindito, ita ne gemmæ lædantur, medullamque omnem eradito: tum demum in se compositum colligato, sic ne gemmas allidas: atque ita terra stercorata deponito, & rigato. Cum caules agere cœperit, sæpe & alte refodito. Admita vitis tales uvas sine vinaceis creabit.*

42. *Columella.*] Loc. cit. Adde & Palladium, lib. 3. in Febr. tit. 29. pag. 81. ubi hic modus fuse describitur: & e Græcis Theophr. lib 5. de causis, cap. 5. pag 329. ac Democritum in Geopon. lib. 4. cap 6. pag 105.

43. *Nasci surculos.*] Nasci surculos inter se colligatos, (ut de vite dictum est proxime) etiam qui sint ex ea arbore quæ careat medulla, quam articuli nodique intersepiant, quales in vite esse docuimus initio hujus sectionis, haud omittendum videtur. De hac articulatione rursum libro 16. sect. 41. Vide Notas & Emend. num. XXXI.

44. *Sparsis.*] *Vignes courantes*, de quibus jam egimus lib. 14 sect. 3. De his Columella, lib. 5. cap. 4. *Ultima conditio est, stratarum vitium, quæ ab enata stirpe confestim velut projectæ per humum porriguntur*

45. *Aut per se*] Ὀρθαμπελις, de qua lib. 14. sect. cit. *Velut arbusculæ brevi crure per se stantes*, inquit Colum. lib. 5. cap. 4. pag. 178.

46. *Vel cum adminiculo.*] *Vigne échalassée*, ut jam superius diximus loc. cit.

47. *Simplici jugo.*] Quæ pedaminibus adnixa, inquit Columella, loc. cit. jugo imponitur. Jugum in vineis quid sit, diximus lib. 16. sect 68. Ubi jugum simplex esset, jugata vinea dicebatur. *Simple treille*: quales eæ sunt, quibus hortorum parietes vestiuntur: ubi quadruplex, compluviata: a compluviis ducta metaphora, hoc est, ab ædium cavo, quo pluviæ aquæ confluunt. *Treille à quatre pentes.* Quadrato quasi circumliminatam agmine vocat Columella, lib. 4. cap. 17.

48 *Id enim.*] Quod scilicet adminiculo careat.

49. *Quem canterium,*] Et canteriatas vites Colum loc. cit.

50. *Melior ea vino, &c.*] Hæc totidem fere verbis Colum. lib. 4. cap. 19.

51. *Jugum fit pertica, &c.*] Colum. lib. 4. cap. 17. p. 139.

52 *His vero tribus.*] Colum. lib. 5 cap. 4. pag. 178.

53. *Proxime in sulco.*] Palladius lib. 2. in Januar. tit. 10. pag. 40 *Sulcis melius erit, quia humorem in tota spatia pastinata transmittunt.*

54. *Scrobibus.*] Scrobes ternarios appellat Columella, id est, quoquoversus pedum trium, lib. de arbor. cap 4.

55. *Altitudo.*] Sive in sulco, sive in scrobe. Colum. lib. 5. cap. 5. pag. 178. *Scrobs in longitudinem altitudinemque defossus tripedaneus abunde est: latitudine tamen bipedanea: vel si quaternum pedum spatia inter ordines relicturi sumus, commodius habemus eamdem quoquo versus dare mensuram scrobibus, non amplius tamen quam in tres pedes altitudinis depressis. Ceterum quatuor angulis semina applicabuntur, subjecta minuta terra, & ita scrobes adobruentur* Pallad. quoque, loc. cit.

56. *Exstatura.*] Colum. lib. 3. cap. 3. pag. 110. & cap. 16. *Duabus gemmis tantum supra terram relictis.*

57. *Emolliri.*] Colum. lib. de arboribus, cap. 4. *Cum semina depones, imum scrobem, vel sulcum bidentibus fodito, mollemque reddito.*

58. *Clivosa.*] Colum. loc. cit pag. 113 *Campestris locus*

bes, prætérea [59] pulvinatis a devexitate labris. Qui ex his longiores fient, ut vites binas ae cipiant e diverso, alvei vocabuntur. Esse vitis radicem in medio scrobe oportet: sed ipsam innixam solido in [60] orientem æquinoctialem spectare: adminicula prima a e calamo accipere.

[61] Vineas limitari decumano XVIII. pedum latitudinis ad contrarios vehiculorum transitus, aliisque transversis limitibus denûm pedum distingui per media jugera. Aut si major modus sit, totidem pedum [62] cardine, quot decumano, limitari. Semper vero quintanis [63] seminari, hoc est, ut quinto quoque palo singulæ jugo paginæ includantur.

8. Solo spisso, non nisi repastinato, nec nisi viviradicem seri: [64] tenero, soluto, vel malleolum, sulco, vel scrobe. [65] In colles sulcos agere transversos, melius quam pastinare, ut defluvia palis eorum contineantur. Aquoso cælo, vel sicco solo malleolos serere autumno, nisi tractus ratio mutavit. [66] Siccus enim & calidus autumno poscit seri, humidus frigidusque etiam veris exitu. [67] In arido solo viviradix quoque frustra seritur. Male & in siccis malleolus, nisi post imbrem. At in riguis, vel frondens vitis, & usque ad solstitium recte, ut in Hispania. Quiescere ventos sationis die utilissimum. Plerique austros optant, [68] Cato abdicat.

9. [69] Interesse medio temperamento, inter binas vites oportet pedes quinos: minimum autem læto solo pedes quaternos: tenui plurimum octonos. [70] Umbri & Marsi ad vicenos intermittunt arationis gratia in his, quæ vocant [71] porculeta. Pluvio & caliginoso tractu rariores poni, sicco densiores congruit. [72] Subtilitas parcimoniæ [73] compendia invenit, cum vinea in pastinato seritur, obiter seminarium faciendi: ut & viviradix loco suo, & malleolus qui transferatur, inter vites & ordines seratur. [74] Quæ ratio in jugero circiter sedecim millia viviradicum donat. [75] Interest autem biennium fructus, quo tardius in sato provenit, quam in translato. Viviradix posita in vinea post annum resecatur usque ad terram, ut unus tantum emineat oculus, adminiculo juxta affixo, & fimo addito. [76] Simili modo & secundo anno reciditur, viresque concipit, & intra se pascit [77] suffecturas oneri: alias festinatione pariendi gracilis atque [78] ejuncida, ni cohibeatur castigatione tali, [79] in fetum exeat tota. Nihil avidius nascitur: ac nisi ad pariendum vites serventur, tota fit fetus.

INTERPRETATIO.

a *E calamo.*] Ex arundine.

NOTÆ.

altæ duos pedes & semissem infodiendus est: acclivis regio tres: præruptior vero collis in quatuor pedes vertendus: quoniam cum a superiore parte in inferiorem detrahatur humus, vix justum pastinationi præbet regestum, nisi multo editiorem ripam quam in plano feceris.

59. *Pulvinatis*] Attumulata tellure in pulvini morem, inferiore labro seu ripa scrobis, qua parte vergit in devexitatem clivus.

60. *In orientem.*] Colum. loc. cit. *Vitem quam ponis fac ad orientem spectet, adminiculo religata.*

61. *Vineas limitari.*] Vineas, inquit, æquum est in hortulos ita dividi, ut singularum modus omnis in semijugera dirimatur. Limitentur eædem via seu itinere XVIII. pedum latitudinis, ab ortu in occasum procedente (hoc decumanum vocant:) ut occurrentia e diverso vehicula faciles transitus habeant. Sint & aliæ semitæ denûm pedum transversæ, quibus media vinearum jugera distinguantur, a meridie in septemtrionem: has cardinem appellant. Vide Colum. lib 4. cap. 18. & lib. 3. cap. 20. pag. 121. ubi vineas singulas ait in proprios hortos digerendas, semitisque ac decumanis distinguendas esse.

62. *Cardine, quot decumano.*] De limite decumano & cardine, dicetur lib. 18. sect. 77.

63. *Seminari.*] Surculos ita poni in jugata vite & compluviata præcipit, ut compluviato quoque palo seu pedamento, cui suum semen surculusve innititur, jugum imponatur: atque is vineæ jugatæ modus, pagina nuncupatur.

64. *Tenero & soluto.*] Columella, lib. 3. cap. 14. *Potest malleolus in vicem viviradicis conseri, soluta & facili terra.*

65. *In colles sulcos agere transversos.*] Non declives a vertice collis ad radices, sed ab uno latere transversos ad alterum latus: ut aquarum eluvione terram defluentem pali malleorum, seu viviradicum, contineant. In MSS. Reg. 1. *ut defluvias tales.* Reg. 2. *ut defluviatiles.*

66. *Siccus enim.*] Colum. lib. 3. cap. 14. *Vere melius, si aut pluvius aut frigidus status cæli est, aut ager pinguis, aut campestris, & uliginosa planities. Rursus autumno, si sicca, si calida est aëris qualitas, si exilis atque aridus campus, si macer, præruptusve collis.*

67. *In arido solo.*] Theophr. lib. 3. de causis, cap. 17. pag 280. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ τὰ μοσχεύματα δεῖν ἐν τοῖς ἐπομβρίοις μᾶλλον ἐμβάλλειν, &c. *Qua de causa viviradices quoque solo pluvio deponendas potius censent*, &c.

68. *Cato abdicat.*] Cap. 40. *Ficos, oleas, mala, pira, vites inseri oportet Luna silenti post meridiem, sine vento Austro.*

69. *Interesse.*] Paulo aliter Columella, libro 3. cap. 15. pag. 115.

70. *Umbri.... ad vicenos.*] Vicenûm ii pedum intervallo vitium ordines distinguunt, arationis gratia, quoniam in eo spatio frumenta serunt.

71. *Porculeta.*] Ita pulvinos & areas appellabant, in quibus diversi generis olera conserebantur.

72. *Subtilitas.*] Affinis huic est ea parcimoniæ ratio, quam affert Colum. lib. 3. cap. 13. pag. 111. *Avarius quidam.... viviradices, vel decisos quam recentissimos palmites novellos eruunt, consitis compluribus inter ordinaria seminaria malleolis*, &c. Et aliquanto planius, cap. 16. pag. 116. *Coæquato solo, deinceps pastinato, malleolus ordinariis vitibus interserendus est: cumque sat erit medio spatio quod vacat inter vites per unam lineam depangere..... In eadem deinde linea in qua viviradix obtinebit ordinem suum, præsidii causa, quorum in numero propagare possit in locum demortuæ vitis, quinque malleoli pangendi sunt.... Tali consitione Julius Atticus abunde putat esse malleorum sedecim millia.*

73. *Compendia.*] Compendium, lucrum est temporis, pecuniæ, operæ.

74. *Quæ ratio.*] Julius Atticus apud Colum lib. 3. cap. 16. pag. 117. sedecim malleolorum, non viviradicum, millia abunde putat esse. *Nos tamen*, inquit ille, *plus quatuor millibus conserimus, quia negligentia cultorum magna pars deperit, & intervum seminum cetera quæ virent, rarescunt.* Ex c. 3. *Nos jam enim vicena millia malleolorum per vinea jugerum inter ordines pangimus. Ille* (Julius Atticus) *minus quatuor millibus deponit*, &c. Adjicitque singula millia viviradicis sestertiis sexcentis rusticos mercari solitos, hoc est, libris Gallicæ monetæ 60.

75. *Interest autem.*] Colum. lib. 3. cap. 4. *Biennii spatium longum esse minime existimandum est, intra quod utrque tempestivitas seminum respondet*, &c.

76. *Simili modo.*] Damnare hoc Columella videtur, lib. 4. cap XI. quanquam Virgilio, Sasernæ, Stoloni, & Catoni probatum.

77. *Suffecturas oneri.*] Tum oneri sarmentorum, tum fructus ferendo, ut loquitur Colum. lib. 4. cap. 17. pag. 140. Varro, lib 1. de re rust. cap 31.

78. *Ejuncida.*] Junci instar tenuis, macilenta, exilis. Vide Notas & Emend. num. XXXII.

79. *In fetum.*] In materiem & sarmenta.

10. Pedamenta optima, [80] quæ diximus: [81] aut ridicæ e robore, oleaque: aut si non sint, pali e junipero, cupresso: [82] laburno, sabuco. [83] Reliquorum generum sudes omnibus annis reciduntur. [84] Saluberrima in jugo arundo connexa fasciculis, durat quinis annis. Cum breviores palmites sarmento junguntur inter se funium modo, [85] ex hoc arcus funeta
5 dicuntur.

11. Tertius vineæ annus palmitem velocem robustumque emittit, & quem facit ætas vitem. Hic in jugum insilit. Quidam tunc excœcant eum, supina falce auferendo oculos, ut longius evocent, [86] noxia injuria. Utilior enim consuetudo pariendi, [87] satiusque pampinos adjugatæ detergere, usque quo placeat roborari eam. [88] Sunt qui vetant tangi pro-
10 ximo anno quam translata sit: neque ante LX. mensem falce curari: tunc autem ad tres gemmas recidi. Alii & proximo quidem anno recidunt, sed ut ternos quaternosve singulis annis adjiciant articulos, quarto demum perducant ad jugum. [89] Id utrumque fructum tardum, præterea retorridum & nodosum reddit, pumilionum incremento. Optimum autem, matrem esse firmam, postea fetum audacem. Nec tutum est quod
15 [90] cicatricosum, magno imperitiæ errore. Quidquid est tale, [a] plagis nascitur, non e matre. Totas enim habet illa vires dum roboratur: & annuos accipit tota fetus, cum permissum fuerit nasci. [b] Nil natura portionibus parit. Quæ cum excreverit, satis firma protinus in jugo collocari debebit: sin etiamnum infirmior erit, sub ipso jugo hospitari recisa. Viribus, non ætate decernitur. Temerarium est, ante crassitudinem pollicarem
20 [91] viti imperare. [92] Sequenti anno palmites salventur pro viribus matris singuli aut gemini. [93] Iidem & secuto, si coget infirmitas, nutriantur: tertioque demum duo adjiciantur. Nec sunt plures quaternis unquam permittendi. Breviterque, non indulgendum est, & semper inhibenda fecunditas. Ea est enim natura, ut parere malit, quam vivere. Quidquid materiæ adimitur, fructui accedit. [94] Illa semina mavult, quam fructum gigni, quo-
25 niam fructus caduca res est. Sic perniciose luxuriat: nec ampliat se, [95] sed egerit.

12. Dabit consilium & soli natura. In macro, etiamsi vires habebit, recisa intra jugum moretur, ut omnis fetura sub eo exeat. Minimum id esse debebit intervallum, ut attingat jugum, speretque, non teneat: adeo non recumbat in eo, nec delicate se spargat. Ita temperetur hic modus, ut crescere etiam malit, quam parere.

30 13. [96] Palmes duas tresve gemmas sub jugo habere debet, ex quibus materia nascatur: tunc per jugum mergi, alligarique, [97] ut sustineatur jugo, non pendeat. Vinculo mox adstrictus a tertia gemma alligari: quoniam & sic [98] coërcetur impetus materiæ, densioresque citra pampini exsultant: cacumen religari vetant. [99] Natura hæc est: dejecta pars,

INTERPRETATIO.

a *Plagis.*] *Per vim* & plagas, non *sponte* ex matre nascitur.

b *Nil natura.*] Nihil natura interruptis vicibus parit.

NOTÆ.

80. *Quæ diximus*] E castanea scilicet, esculo, ceterisque arboribus antea appellatis, sect. 34.

81. *Aut ridicæ.*] Ridicæ appellantur pedamenta ex olea & robore: ex alia quavis materia, pali. *Des echalas.* Columella, lib. 4 cap. 26 pag. 153. *Sequitur adminiculandæ, jugandæque vineæ cura: cui stabiliendæ melior est ridica palo: neque ea quælibet: nam est præcipua cuneis fissa olea, quercus, & suber, ac si qua sunt similia robora. Tertium obtinet locum pedamen teres, idque maxime probatur ex junipero, & lauru, & cupresso. Recte etiam faciunt ad eam rem silvestres pinus: atque etiam sambuci probabilis usus*, &c.

82. *Laburno.*] De eo diximus lib. 16. sect. 31. Ex eo sane pedamenta optima, & perpetuo durantia factitari scimus apud D. Claudii fanum Sequanorum, ad Vogesum montem, & tractu Segusiano, & Brixino. arcus etiam meliores, quam e taxo fieri, Brixiæ Galliæ togatæ solent.

83. *Reliquorum. . . . reciduntur.*] Post putationem vitium retractandæ sunt, partesque eorum putres dedolandæ, inquit Colum. loc. cit.

84. *Saluberrima.*] Columella, lib. 4. cap. 17. pag. 139. *Cum jugum in fascem pluribus arundinibus alterna cacuminum vice ordinatum est, fere quinquennii præbet usum.*

85. *Ex hoc arcus.*] Ex hoc palmitum, ceu funium, nexu, cum vitis in arcum flectitur, Funetum vocant.

86. *Noxia injuria.*] Sic paulo post, hac sect. *suffocante injuria.*

87. *Satiusque.*] Satius est non ante vineam pampinare, quam fuerit jugata. Sic locutus etiam Colum. lib. 5. cap. 5. *Insequitur pampinator, & supervacuos deterget*, &c.

88. *Sunt qui vetant.*] Colum. lib. 4. cap. XI. pag. 134. *Illam veterem opinionem damnavit usus, non esse ferro tangendos anniculos malleolos, quod aciem reformident: quod frustra Virgilius, & Saserna, Stolonesque & Catones timuerunt*, &c.

89. *Id utrumque.*] Hæc utraque ratio, inquit, & eorum qui proximo anno tangi vetant, & eorum qui tum recidunt, fructum tardum reddit: hoc est, sarmentorum incrementum lentius facit, idemque nodosum ac retorridum, quale est in pumilis arboribus. *Scabras & retorridas* plantas Columella vocat, lib. 3. cap. 12. quæ propter nimiam siccitatem naturali destituuntur alimento. Scabras, jejunas, aridas, macilentas, petulias vox ea significat.

90. *Cicatricosum.*] Quod ex cicatrice repullulascit. Vitem quoque cicatricosam dixit Columella, lib. 4. cap. 27. & lib. 5. cap. 5. *Quidquid circa cicatricem exstiterit.*

91. *Viti imperare.*] Vitem vel quo lubet flectere, vel resecare, vel quovis modo cogere Sic Colum. lib. 4. cap. XI. pag. 134. *Nam post largos fructus parcendum est vitibus, & ideo anguste putandum: post exiguos, imperandum.*

92. *Sequenti anno. . . . salventur.*] Serventur incolumes, ceteris excisis. Vide Notas & Emend. num. XXXIII.

93. *Iidem & secuto.*] Anno sequenti etiam nutriendi, hoc est, crebris putationibus in justam materiam educandi, ut loquitur Columella, palmites ii qui anno priore servati sunt, si nondum pleni sunt, ac justæ crassitudinis.

94. *Illa semina.*] Surculos qui seminari possint. Gallis *Complant.*

95. *Sed egerit.*] Temere vim omnem in sarmenta effundit.

96. *Palmes duas, &c.*] Hæc apud Columellam, lib. 5. cap 6 pag. 190

97. *Ut sustineatur.*] *Jugo superponatur, ut potius innixa pertica, quam e vinculo pendeat*, inquit Columella, lib. 4. cap. 26.

98. *Coërcetur.*] Ne sursum tendat, sed citra vinculum densiores se palmites extent.

99. *Natura hæc est.*] Hæc apud Columellam exstant, lib. 4. cap. 20. pag. 142.

aut præligata, fructum dat; plurimumque [100] ipsa curvatura. [101] Quod citra est, materiem mittit, [102] offensante crebro spiritu, & illa, [103] quam diximus, medulla. Quæ ita emicuerit materia, fructum dabit anno sequente.

[104] Sic duo genera palmitum. Quod e duro exit, materiamque in proximum annum promittit, pampinarium vocatur: at ubi supra cicatricem est, fructuarium. Alterum ex anniculo palmite, semperque fructuarium. [105] Relinquitur sub jugo & qui vocatur custos. Hic est novellus palmes, non longior tribus gemmis, proximo anno materiam daturus, si vitis luxuria se consumpserit. Et alius juxta eum, verrucæ magnitudine, [106] qui furunculus appellatur, si forte custos fallat.

14. Vitis antequam septimum annum a surculo compleat, evocata ad fructum [107] ejuncescit, ac moritur. [108] Nec veterem placet palmitem in longum, & ad quartum usque pedamentum emitti, quod alii [109] dracones, alii juniculos vocant, ut faciant quæ masculeta appellant. Cum induruit vitis, pessimum in vinea [110] traducere. Quinto anno & ipsi palmites intorquentur, singulæque e singulis [111] materiæ emittuntur, ac deinde e proximis: prioresque amputantur. Semper custodem relinqui melius: sed is proximus viti esse debet, [112] nec longior quam dictum est: & si luxuriaverint palmites, intorqueri: ut quatuor materias vel duas, [113] si unijuga erit vinea, emittat.

15. [114] Si per se vitis ordinabitur sine pedamento, qualecumque initio adminiculum desiderabit, dum stare condiscat & recta surgere. [115] Cetera a primordio eadem. [116] Dividi autem putatione pollices [a] æquali examine undique, ne prægravet fructus parte aliqua, [117] obiter idem deprimens prohibebit [118] in excelsum emicare. [119] Huic vineæ trium pedum altitudo excelsior nutat: ceteris a quinto, dum ne excedat hominis longitudinem justam. Iis quoque quæ sparguntur in terra, breves ad innitendum [120] cannas circumdant,

INTERPRETATIO.

a *Æquali.*] Æqua portione ab utroque latere.

NOTÆ.

100. *Ipsa curvatura.*] Colum. loc. cit. *Ex eo loco quod proximum jugo ligatum est, brachia disponuntur in diversas partes palmæque superposita deorsum versus curvantur a vinculo. Itaque id quod jugo dependet, fructu impletur: rursusque curvatura juxta vinculum materiam exprimit.*

101. *Quod citra est.*] Quod infra vinculum, inquit Colum. lib. 4. cap 24. pag. 150.

102 *Offensante.*] Inhibentibus nodis in curva distortaque vite, & ipso flexu cursum terreni humoris, seu medullæ, ac vitalis spiritus, per quem ceu quodam itinere matris alimenta meant, veluti salebris retardante, inquit Colum. lib 6. cap. 20. pag 142.

103 *Quam diximus.*] Hac ipsa sect. num. 1. his verbis: *Medulla, sive illa vitalis anima est, ante se tendit, longitudinem impellens, quamdiu nodi pervia patet fistula.*

104. *Sic duo genera.*] Colum. lib. 5. cap. 6. pag. 190. *Sed ipsorum palmitum duo genera sunt. Alterum, quod ex duro provenit: quod quia primo anno plerumque frondem sine fructu affert, pampinarium vocant. Alterum, quod ex anniculo palmite procreatur, quod quia protinus creat, fructuarium appellant: cujus ut semper habeamus copiam in vinea, palmitis partes ad tres gemmas religanda sunt, ut quidquid intra vinculum est, materias exigat.*

105. *Relinquitur.*] Columella, lib. 4. cap 24. *Una tantummodo materia jugo proxima, & unus infra eam custos erit summittendus, qui vitem mox in annum renovet.* Idem cap. 21. *In pollicem tondeatur, quem quidam custodem, alii resecem, nonnulli præsidiarium appellant: id est sarmentum gemmarum duarum vel trium, ex quo cum processere fructifera materia, quidquid est supra vetusti brachii amputatur: & ita ex novello palmite vitis pullulascit.*

106. *Qui furunculus.*] *Plerumque germen de cicatrice procedit*, inquit Colum. lib. 4. cap. 22. pag. 145. *quod sive longe prosiluerit, in flagellum summittitur: sive brevius, in pollicem: sive admodum exiguum, in furunculum.* Et cap 24. pag 148. *Ne verrucæ similis furunculus relinquatur, nisi si jugo superjecta vitis desiderabit ab inferiore parte revocari.* Iterumque: *Sed si resecis facultas non erit, circumspiciendus est furunculus, qui quamvis angustissime præcisus in modum verrucæ proximo vere materiam exigit, quam vel in brachium, vel in fructuarium remittamus.*

107. *Ejuncescit.*] Gracilescit, in junci morem. Ita MSS. Reg. Colb. &c. non, ut editi, *evanescit.* Vide quæ dicturi sumus in Notis & Emend. num. XXXII.

108. *Nec veterem placet.*] Causam hujus placiti mox ipse affert: quoniam cum vitis induruit, operosum est traducere, seu propagare. Traditum istud & a Columella, lib. 4. cap. 23. *At si duramenta vitis longius excesserint, aut in quartum, vel etiam in quintum statumen prorepserint, majore sumptu restituentur mergis. His namque, quod nobis maxime placet, propagata celerrime provenit. Hoc tamen, si vetus & exesa est superficies trunci, majorem: at si robusta & integra, minorem operam desiderat.*

109. *Dracones.*] Ita vocamus, inquit ipse paulo post hac sect. palmites emeritos, pluribusque induratos annis. Columella, loc. dit. *duramenta.* Masculeta vero dici videntur consita vitibus masculis loca, hoc est, iis quæ non sint subactæ ut alios emittant palmites, sed crescunt altius, & attollere se permittuntur.

110. *Traducere.*] MSS. *transducere*: hoc est, mergis propagare: cum, uti explicat Colum. lib. 4. cap 15. pag. 137. vitis curvatur, atque ex alto scrobe summersa perducitur ad vicinum palum, &c.

111. *Materiæ emittuntur.*] Novelli palmites crescere sinuntur.

112. *Nec longior.*] Nec longior tribus gemmis, ut paulo ante dictum est.

113. *Si unijuga.*] Seu canteriata, ut diximus, *simple treille.*

114. *Si per se vitis.*] Si jam vitis erectæ & per se stantis, ὀρθοπαῖλω, ratio exigitur, quæ sine pedamento est. Columella, lib. 5. cap. 5. pag. 180. *Depositam ergo stirpem, id est, malleolum, vel viviradicem formare sic convenit, ut vitis sine pedamine consistat. Hoc autem protinus effici non potest. Nam nisi adminiculo tenera viti atque infirmæ contribueris, prorepens pampinus terra se applicabit. Itaque posito seminis arundo adjicitur, quæ velut infantiam ejus tueatur, atque educet, producatque in tantam staturam, quantam permiserit agricola, &c.*

115. *Cetera a primordio.*] Cultura reliqua a prima terræ pastinatione, eadem quæ hactenus explicata est, a num. 7. hujus sectionis.

116. *Dividi autem pollices.*] Palmites, e brachiis enatos, quos & custodes, & pollices, & resecem, & præsidiarios vidimus paulo ante a Columella appellari. Hoc illud porro est, quod idem Colum. ait, lib. 4. cap. 24. pag. 149. *Sed meminisse oportebit, ne in eadem linea, uno que latere brachii esse duas materias, pluresve patiamur: namque id maxime vitem infestat, ubi non omnis pars brachii pari vice laborat, neque æqua portione succum prolis sua dispensat, sed ab uno latere exsugitur: quo fit, ut ea vena, cujus omnis humor assumitur, velut icta fulgure arescat.*

117. *Obiter idem.*] Idem utique fructus deprimens vitem eam, prohibebit in excelsum emicare.

118. *In excelsum emicare.*] MSS. Reg. & Colb. forte sincerius, *emittere.*

119. *Huic vineæ trium pedum altitudo excelsior.*] Hoc est, quæ ternos pedes excedat. Et hanc loquendi formam Latinitas recipit. Nam Columella, lib. de arboribus, cap. 16. non minorem decem pedum vitem dixit: & a Plinio rursum inferius hac ipsa sect. dicitur, *Nulla fere XX. pedum altiore arbore.*

120. *Cannas circumdant.*] Vide Notas & Emendat. num. XXXIII.

scrobibus per ambitum factis, ne vagi palmites inter se pugnent occursantes: majorque pars terrarum ita supinam in tellure vindemiam metit. Siquidem & in Africa, & in Ægypto, Syriaque, ac tota Asia, & multis locis Europæ hic mos prævalet. Ibi ergo juxta terram comprimi debet vitis, eodem modo & tempore nutrita radice, quo in jugata vinea: [120] ut semper pollices tantum relinquantur: fertili solo, cum tribus gemmis: graciliore, quinis: præstatque multos esse, quam longos. Quæ de natura soli diximus, tanto potentiora sentientur, quanto propior fuerit uva terræ.

16. [122] Genera separari, ac singulis conseri tractibus utilissimum. [123] Mixtura enim generum etiam in vino, non modo in musto discors: aut si misceantur, non alia quam pariter maturescentia, jungi necessarium. [124] Juga altiora, quo lætior ager, & quo planior: item roscido, nebuloso, minusque ventoso conveniunt. Contra, humiliora gracili & arido, æstuoso, ventisque exposito. [125] Juga ad pedamentum quam arctissimo nodo vinciri oportet, [126] vitem levi contineri. [127] Quæ genera vitium, & in quali solo cæloque essent conserenda, cum enumeraremus naturas earum & vinorum, notavimus.

17. De reliquo cultu vehementer ambigitur. Plerique æstate tota post singulos rores confodi jubent vineam. [128] Alii vetant gemmantem: decuti enim oculos, [129] tractuque intrantium deteri: [130] & ob id arcendum procul omne quidem pecus, sed maxime lanarum, quoniam facillime auferat gemmas. Inimicos & [131] pubescente uva rastros: satisque esse vineam [132] ter anno confodi, ab æquinoctio verno: [133] ad Vergiliarum exortum, & Canis ortum, [134] nigrescente acino. Quidam ita determinant: Veterem semel a vindemia ante brumam, [135] cum alii ablaqueare & stercorare satis putent. Iterum ab Idibus Aprilis, antequam concipiat, hoc est, in VI. Idus Maias. Deinde prius quam florere incipiat, & cum defloruerit, & variante seuva. Peritiores affirmant, si justo sæpius fodiatur, in tantum tenerescere acinos, ut rumpantur. [136] Quæ fodiantur, ante ferventes horas diei fodiendas convenit: sicuti lutum neque arare, neque fodere. [137] Fossione pulverem excitatum contra Soles nebulasque prodesse.

18. [138] Pampinatio verna in confesso est, ab Idibus Maiis, intra dies X. utique antequam florere incipiat: & eam infra jugum debere fieri. [139] De sequente variant sententiæ. Cum defloruerit aliqui pampinandum putant: alii sub ipsa maturitate. Sed de his Catonis præcepta decernent. Namque & putationum tradenda ratio est.

19. [140] Protinus hanc a vindemia, ubi cæli tepor indulget, adoriuntur. [141] Sed hoc fieri

NOTÆ.

121. *Vt semper pollices.*] Seu custodes, & reseces, uti dictum est paulo ante. Colum. lib. 5. cap. 5. pag. 182. *Nec magna est putationis differentia cubantis, & stantis recta vineæ: nisi quod jacenti viti breviores materiæ summitti debent: resecesque quoque* (pollices Plinius, & custodes vocat.) *angustius in modum surunculorum relinqui.*

121. *Genera separari.*] Colum lib. 3. cap. 20. pag. 131. *Nil dubito quin per species dirigendæ vites, deponendæque sint in proprios hortos, semitis ac decumanis distinguendæ.* Horti Columellæ, Plinio tractus sunt.

123. *Mixtura enim*] Prolixe hæc, & uti solet, eleganter Columella, lib 3. cap. 21. pag 123. Plinius, lib. 14. sect. 9. *Dulcia utique inter se non congruunt.*

124. *Juga altiora.*] Rei hujus causas plures affert, easque probabiles, Colum. lib. 4. cap 19 pag 142.

125. *Juga ad pedamentum.*] Sive, ut loquitur Columella, lib 4. cap. 16. ad statumen. *Statuminibus, inquit, firmiora juga sunt alliganda, eaque vel saligneis perticis, vel compluribus quasi fasciculis arundinum colligantur, ut rigorem habeant, nec pandentur onere fructuum.*

126. *Vitem levi.*] Columella, lib 4. cap 13. *Vinculi genus quale sit, quo religentur semina* vitium, *plurimum refert: nam dum novella vinea est, quam mollissimo nectenda est: quia si viminibus salicis aut ulmi ligaveris, increscens vitis seipsam præcidet. Optima est ergo genesta, &c.*

127. *Quæ genera.*] Supra lib 14. sect 4. & 5.

128. *Alii vetant.*] Colum. lib 4. cap. 27. pag. 155. *Si palmis incipientibus, progemmantibusque fossorem immiseris, magnam partem vindemiæ decusseris. Igitur antequam gemment, per divortium veris atque hiemis quam altissime fodiendæ vineæ sunt, quo lætius atque hilarius pullulent.*

129. *Tractuque.*] Ita MSS. recte: non *tactu*. Attractu vestium, ac lanarum decuti gemmas indicat.

130. *Et ob id arcendum.*] Id vero acceptum a Virgilio, lib. 2. Georg. vers. 371.

> *Texendæ sepes etiam, & pecus omne tenendum est,*
> *Præcipue dum frons tenera, imprudensque laborum, &c.*

131. *Pubescente uva.*] Cum nigrescere incipit, variante se uva. Pubescentem & quasi adolescentem dixit Columella, lib 4 cap 28. pag. 156.

131. *Ter anno confodi*] Colum. loc. cit *Non infitior plerosque ante me rusticarum rerum magistros tribus fossuris fuisse contentos: ex quibus Græcinus... Celsus quoque & Atticus, consentiunt tres esse motus in vite, seu potius in omne surculo naturales: unum, quo germinet. alterum, quo floreat: tertium, quo maturescat. Hos ergo motus censent fossionibus concitari.*

133. *Ad Vergiliarum.*] De hoc exortu, quem præpostere assignat Dalecampius, dicemus lib 18. sect. 66.

134. *Nigrescente acino.*] Acinum uvæ nos granum appellamus.

135 *Cum alii ablaqueare.*] Columella, lib. 5. cap. 4. cujus verba retulimus sect. 31.

136. *Quæ fodiantur.*] Colum. lib. de arborib. cap. 12. *Simul atque uva variari cœperit, fodito tertiam fossuram. & cum jam maturescet, ante meridiem prius quam calere incipiet, & cum deferit, post meridiem fodito, pulveremque excitato: ea res & a Sole, & a nebula maxime uvam defendit. Lutulentam terram, neque arare, neque fodere oportet: quia valde durescit, & finditur.*

137. *Fossione.*] Columella, loc. cit. & lib. 4. cap. 28. pag. 156.

138 *Pampinatio.*] Pampinorum, seu foliorum vitis, quæ supervacua sunt, avulsio. Vineas pampinare, *épamprer la vigne, ôter les feuilles & les bourgeons superflus.* De pampinationis tempore facit cum Plinio Columella, loc. cit. & Palladius, lib. 6. in Maio, tit. 2. pag. 115. *Hoc mense*, inquit ille, *pampinari convenict: sed tunc est opportuna pampinatio, cum teneri rami digitis stringentibus crepabunt sine difficultate carpentis.*

139. *De sequente*] De secunda pampinatione.

140. *Protinus.*] Colum. lib. 4 cap. 10 pag. 134. *Putandi autem duo sunt tempora: melius autem, ut ait Mago, vernum.* Et extremo capite: *Sed nec utique verna omnibus regionibus melior putatio est: ubi vero aprica loca sunt, mollesque hiemes, optima & maxime naturalis est autumnalis*, &c. Item cap. 23 *Placet ergo, si mitis ac temperata permittit, in ea regione quam colimus, cæli clementia, facta vindemia secundum Idus Octobris auspicari putationem: cum tamen æquinoctiales pluviæ præcesserint... nam siccitas seriorem putationem facit* Geopon. auctor, lib. 5. cap. 23 pag. 141. μετὰ τρυγητόν, *post vindemiam.* Vineam putare, *tailler la vigne.*

141. *Sed hoc fieri.*] Plinius, lib. 18 sect. 69. ubi de exor-

numquam debet [a] ratione naturæ ante [142] Aquilæ exortum, ut in siderum causis docebimus proximo volumine. Immo vero Favonio, [143] quoniam anceps culpa sit præproperæ festinationis. Si saucias [144] recenti medicina mordeat quædam hiemis [b] ruminatio, certum est gemmas earum frigore hebetari, plagasque findi, & cæli vitio exuri oculos lacryma distillante. Nam gelu fragiles fieri quis nesciat? [145] Operarum ista computatio est in latifundiis, non legitima naturæ festinatio. [146] Quo maturius putantur aptis diebus, eo plus materiæ fundunt: quo serius, eo fructum uberiorem. [147] Quare macras prius conveniat putare, validas novissime. [148] Plagam omnem obliquam fieri, ut facile decidant imbres: [149] & ad terram verti quam levissima cicatrice [150] acie falcis exacta, plagaque conlævata. [151] Recidi autem semper inter duas gemmas, ne sit vulnus oculis in recisa parte. Nigram esse eam existimant, & donec [152] ad sincera veniatur, recidendam: quoniam e vitioso materia utilis non exeat. Si macra viris idoneos palmites non habeat, [153] ad terram recidi eam, novosque elici utilissimum. In pampinatione non hos detrahere pampinos, qui cum uva sint: id etenim uvas supplantat, præterquam in novella vinea. Inutiles judicantur in latere nati, non ab oculo: [c] quippe etiam uva, quæ nascatur e duro rigescente, ut nisi ferro detrahi non possit. [154] Pedamentum quidam inter duas vites utilius putant statui: & facilius ablaqueantur ita: meliusque est [155] unijugæ vineæ, si tamen & ipsi jugo sint vires, nec flatu infesta regio. [156] In quadripartita quam proximum oneri adminiculum esse debet: ne tamen impedimentum sentiat ablaqueatio, [157] cubito abesse non amplius: ablaqueari autem prius, quam putari, jubent.

20. [158] Cato de omni cultura vitium ita præcipit. Quam altissimam vineam facito, alligatoque recte, dum ne nimium constringas, hoc modo eam curaro: Capita vitium putata circumfodito, arare incipito. Ultro citroque sulcos perpetuos ducito. Vites teneras quamprimum propagato, veteres quam minimum castrato. Potius, si opus erit, dejicito bienioque post præcidito. Vitem novellam resecari tum erit tempus, ubi valebit. Si vinea ab vite [159] calvata erit, sulcos interponito, ibique viviradicem serito. [160] Um-

INTERPRETATIO.

a *Ratione naturæ.*] *Ob occultas, quas* habet natura, causas.
b *Ruminatio.*] Iterata hiemis acerbitas.
c *Quippe etiam.*] Quippe etiam *inutilis* est uva, quæ nascatur e duriore, atque ita rigescente trunco, ut nisi ferro detrahi non possit, *non digito decuti.*

NOTÆ.

tu Aquilæ dixit, statim subjungit: *Nec patitur ratio naturæ quidquam in satis ante eum diem spei esse certæ.*

142. *Aquilæ exortum.*] De quo dicemus lib. 18 sect. 69. Et de Favonii flatu, eodem libro, sect. 59.

143. *Quoniam anceps.*] Quoniam dubitari possit, an præpropera festinatione peccatum sit, cum post exortum Favonii contingere adhuc possit quædam hiemis iteratio, quæ suo frigore gemmas hebetet, plagasque findat. prohibeatque ne cortex moveatur, qui cicatricem consanet, ut loquitur Columella, lib. 4. cap. 29

144 *Recenti medicina.*] Recenti putatione.

145. *Operarum ista.*] Quod gemmæ sic frigore interdum adurantur, non id naturæ tribuendum, sed agricolis, qui in latifundiis nimis præpropere festinant. Namque *ubi ruris vastitas* (sic loquitur Columella. lib. 4 cap. 23. pag. 147.) *electionem temporis negat, valentissimam quamque vineis partem frigoribus deputant.*

146. *Quo maturius.*] Colum. loc. cit. *Nec dubium quin sit horum virgultorum natura talis, ut quanto maturius detonsa sint, plus materiæ: quanto serius, plus fructus afferant.*

147. *Quare macras.*] Colum. loc. cit. *Valentissimam quamque partem vineis, frigoribus: macerrimam, vere vel autumno.*

148. *Plagam omnem.*] Colum. lib. 4. cap. 9. pag 133. *Medio fere internodio ea plaga obliqua falce fit, ne si transversa fuerit cicatrix, cælestem superincidentem aquam contineat.* Et cap 24. *Plaga, quas in duro vitis accipit, obliqua rotundæque fieri debent, &c.*

149. *Et ad terram.*] Colum. loc. cit. pag. 134. *Sed nec ad eam partem quo est gemma, verum ad posteriorem plaga declinatur, ut in terram potius devexa, quam in germen delacrymet. Namque defluens humor cæcat oculum, nec patitur frondescere.*

150. *Acie falcis exacta*] Ductu falcis acutæ plaga sic effici debet, ut sit levissima cicatrix, & uno vestigio allævetur. *Duris enim*, ut ait Columella, lib 4. cap. 24. *& acutissimis ferramentis totum istud opus exsequendum est, obtusa & hebes, & mollis falx putatorem moratur, &c.* Ex cap 25. *Tutior & utilior putatio est, quæ ductu falcis, non ictu conficitur. Nam ea plaga quæ sic efficitur, uno vestigio allævatur.* Quo ex loco intrepide, *plagaque conlævata* rescripsimus in Pliniano contextu, cum prius *convelata* legeretur: nulla prorsus, aut inextricabili certe sententia. Sic idem Columella, lib. 5. cap 6. de stirpe arborum, *Post annum præcidi & allævari oportet.* Et mox: *Si fieri poterit, uno ictu arborem præcide: si minus, ferro desecari, & plagam falce allævari oportet*, hoc est, lævigari, seu lævio-rem fieri: Id acuto ferramento fit, ut ait idem, lib 5. cap XI.

151. *Recidi. . . . inter duas.*] *Medio fere internodio*, inquit Columella, lib. 4. cap 24. pag 151. *Optimum est tendere palmitem, devexamque resectionem facere post gemmam, ne superlacrymet, & gemmantem cæcet oculum.* Et cap. 9. pag. 133. *Putatio non debet secundum articulum fieri, ne reformidet oculus, sed medio fere internodio ea plaga obliqua falce fit, &c.*

152. *Ad sincera.*] Ad tenera & viridia, inquit Colum. lib. 4. cap. 24.

153. *Ad terram recidi.*] Quod in macra vite fieri sapienter monet, id in omni viviradice faciendum olim putarunt Virgilius, Saserna, Stolo, Cato, qui, ut recte Columella animadvertit. lib. 4. cap. XI. *non solum in eo errabant, quod primo anno capillamenta seminum intacta patiebantur, sed & post biennium, cum viviradix recidenda erat, omnem superficiem amputabant solo tenus juxta ipsum articulum, ut e duro pullularet*; quod ipse merito multis nominibus improbat.

154 *Pedamenta quidam inter duas vites.*] Sive, ut Columella loquitur lib. 4. cap 16. *medio internodio.*

155. *Unijugæ.*] Quæ jugo simplici constat, ut superius diximus: *simple treille.* Columella, lib 4. cap. 17. *Potest tamen, si vel parum late disposita vinea, vel parum fructuosa, cælumque non turbidum nec procellosum habeat, uno jugo contenta esse. Nam ubi magna vis & incursus est pluviarum, procellarumque . . . . ibi quasi quadrato circumfirmanda est agmine.*

156. *In quadripartita.*] Vinea scilicet, quæ unijugæ opponitur, & superius, in vinearum divisione compluviata cognominata est. Columellæ loc. cit.. quadrato quasi circumfirmata agmine. *Vigne à quatre pantes.* Frustra sunt qui brachiatam Columellæ vitem huc putant attinere, de qua ille lib. 5. cap. 5. pag. 180.

157. *Cubito abesse.*] Pedale modo Columella intervallum assignat, lib 4. cap. 16. *Prope truncum si defigitur palus, pedalis spatii recedendum est, ne aut premas, aut radicem vulneres, & ne fossor ab omni parte semina circumfodiat.*

158. *Cato.*] De re rust. cap. 33 pag. 29. & 30. quod caput ferme integrum simile huic loco Plinii est.

159. *Calvata erit.*] Calvata vinea appellatur, in qua raræ vites seu trunci sunt: ut calvi homines dicuntur, quibus vel nullus est, vel rarus capillus. Columella, lib. 4. cap. 29. vitis calvitium dixit. Item lib. 4 cap. 33. *Propter quæ*, inquit, *sæpe nova castaneta calvescunt*, hoc est, rarescunt, & minus frequentia ac densa sunt.

160. *Umbram a sulcis.*] Sunt hæc etiamnum apud Cato-

btam a fulcis removeto: crebroque fodito. In vinea vetere ferito ocymum. [161] Si macra erit, quod granum capit ne fe ito: & circum capita addito ftercus, paleas, vinaceas, [162] aut aliquid horumce. Ubi vinea frondere cœperit, pampinato. Vineas novellas alligato crebro, ne caulis præftringatur. [163] Et quæ jam in perticam ibit, ejus a pampinos teneros alligato leniter, [164] porrigitoque. Ubi recte fteterint, b ubi uva varia fieri cœperit, vites fubligato.

21. [165] Vitis infitio una eft per ver, altera cum uva floret: ea optima eft. [166] Vineam veterem fi in alium locum transferre voles, dumtaxat brachium craffum licebit. Primum deputato. Binas gemmas, nec amplius relinquito. Ex radicibus bene effodito. Et cave radices ne faucies. Ita uti fuerit, ponito in fcrobe aut in fulco, operitoque, & bene occulcato. Eodemque modo [167] vineam ftatuito, alligato, [168] flexatoque uti fuerit, crebroque fodito. [169] Ocymum, quod in vinea feri jubet, antiqui appellabant pabulum, umbræ patiens, quod celerrime proveniat.

22. [170] Sequitur arbufti ratio, mirum in modum damnata Safernæ patri filioque, celebrata Scrofæ, vetuftiffimis poft Catonem, peritiffimifque: ac ne a Scrofa quidem, nifi Italiæ, conceffa: cum tam longo judicetur ævo, nobilia vina non nifi in arbuftis gigni, & in his quoque laudatiora fummis, ficut uberiora imis: [171] adeo excelfitate proficitur. [172] Hac ratione & arbores religantur. Prima omnium ulmus; [173] excepta propter nimiam frondem atinia. [174] Deinde populus nigra, eadem de caufa, minus denfa folio. Non fpernunt plerique & fraxinum, ficumque, etiam oleam, fi non fit umbrofa ramis. Harum fatus cultufque abunde tractatus eft. [175] Ante tricefimum fextum menfem attingi falce vetantur. Alterna fervantur brachia: alternis putantur annis: fexto anno maritantur. Tranfpadana Italia, præter fupra dictas, [176] cornu, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu, [177] arbuftat agros: Venetia falice, propter uliginem foli. Et ulmus detruncata a medio [178] in ramorum fcamna digeritur, [179] nulla fere XX. pedum altiore arbore. Tabulata earum ab octavo pede altitudinis dilatantur in collibus ficcifque agris: a XII. in campeftribus & humidis. [180] Meridianum Solem fpectare palmæ debent.

Interpretatio.

a *Pampinos.*] Palmites.

b *Ubi uva.*] Ubi mutare colorem uva cœperit.

Notæ.

nem. Herbam temere reponit Dalec. pro umbra. A fulcis, hoc eft, a viribus quæ funt in fulcis.

161. *Si macra erit.*] Cato: *Si macra erit, quod granum capiat ne ferito*: hoc eft, fi vitis eft macrior, ne vineæ interferas id quod in frugem & granum folet maturefcere: fed pabulum vel farraginem, quæ viridia fubfecantur, prius quam fpicam capiant.

162. *Aut aliquid horumce.*] Cato: *aut aliquid horum, five horumce, quo rectius valeat.*

163. *Et quæ jam in perticam.*] Cui longiora jam farmenta feu flagella erunt.

164. *Porrigitoque.*] Cato: *Corrigitoque, uti recte fpectent. Ubi uva varia fieri cœperit, vites fubligato, pampinato*, &c. Hactenus ille, cap. 33.

165. *Vitis infitio.*] Cato, cap. 41. pag. 36 totidem verbis.

166. *Vineam veterem.*] Hæc deinceps Cato, cap. 49. plane ad verbum.

167. *Vineam ftatuito.*] Statuminibus, feu pedamentis fulcito. Sic MSS. omnes, & Cato: non, ut libri editi, *ftatuminato.*

168. *Flexatoque.*] Ita Cato, & MSS. non *laxatoque.*

169. *Ocymum.*] Differt ocymum ab ocimo, de quo Plinius lib. 19. fect. 35. & alibi. Utrumque diftinguit Varro, lib. 1. de re ruft. cap. 31. *Ocymum*, inquit, *dictum a Græco verbo ὠκέως, quod valet cito. Similiter quoque ocimum in horto. Hoc amplius dictum ocymum, quod citat alvum bubus, & ideo datur ut purgentur. Id genus pabuli funt fegetes fectæ virides antequam gerant filiquas.* Vult igitur ocymum æque ac ocimum ab ὠκέως ὄζειν nomen traxiffe: illud, quod celerrime nafcatur, ut Plinius mox cit. illud quod bubus alvum citet. Eft igitur ocymum, boum, equorum, aliorumve animalium pabulum, ex frugum leguminumque mixtura. Nos farraginem vulgo dicimus, *du Fourage* Agricolæ, *de la Dragée.* Vide quæ de farragine dicturi fumus lib. feq. fect. 10. n. 1. Catonis locus eft e cap. 33. ut ante diximus.

170. *Sequitur arbufti.*] Quid arbuftum fit, diximus fect. 15.

171. *Adeo excelfitate.*] Pallad. lib. 3 in Febr. tit. 13. pag. 59. *Qui fructum volunt maximum, materias vitium plures per ramos arboris fubmittunt. Qui vinum melius, farmenta in cacumen extendunt.*

172. *Hac ratione.*] Sic & arbores, inquit, pati vincula docuimus. Prius *oliguntur* in libris editis legebatur: nos conditivu ac vetufta exemplaria, quæ funt fincetiora & faniora fequimur.

173. *Excepta.*] Ne hanc quidem excipit Columella, lib. 5. cap. 6. pag. 184. & lib. de arboribus, cap. 16.

174. *Deinde populus, &c.*] De populo nigra, & fraxino, eadem Pallad loc. cit. pag. 56.

175. *Ante tricefimum.*] Columella, lib. de arboribus, cap. 16. *Ante triennium ferro ne attigeris. Completis fex & triginta menfibus ad recipiendam vitem formabis, & fupervacuos ramos amputabis, alterna brachia in modum fcalarum relinquens*, &c.

176. *Cornu, populo.*] Ita MSS omnes. De alba populo accipiendum id eft: nigræ enim facta jam fuperius mentio. Alii hic *opulo* ex Columella fubftituunt: fed vide Notas & Emend noftras ad lib. 14. num. III.

177. *Arbuftat agros.*] Arbuftare, eft arboribus agrum conferere ad maritandas vites. Itaque falices vinitores Veneti conferunt, quod fint uliginofi in eo tractu agri, hoc eft, naturali humore madentes, qui nunquam ab ipfis recedit. Sunt autem aquaticæ falices, & in aqua fere fatæ, ut dictum eft lib. 16. fect. 67.

178. *In ramorum fcamna.*] Scamna ramorum, & tabulata vocat, ramos prominentes in arbore, multiplici quafi contignatione in circuitum ordinatos: *Branches difpofées en divers etages.* Defcribit hæc Columella, lib. 5. cap. 6. pag. 187. *Ulmum*, inquit, *novellam fic formare conveniet: Loco pingui octo pedes a terra fine ramo relinquendi, vel in arvo gracili feptem pedes: fupra quod fpatium deinde per circuitum in tres partes arbor dividenda eft, ac tribus lateribus finguli ramuli fummittendi, primo tabulato affignentur. Mox de ternis pedibus fuperpofitis alii rami fummittendi funt, ita ne iifdem lineis, quibus in fuperiore pofiti funt: in eademque ratione ufque ad cacumen ordinanda erit arbor.* Et paulo ante: *Tabulata inter fe ne minus ternis pedibus abfint*, &c.

179. *Nulla fere XX.*] Columella, lib. 5. cap. 7. detruncari præcipit ad altitudinem XV. pedum. *Poteft etiam ulmus fic difponi, ut adhuc tenera decacuminetur, ne altitudinem XV. pedum excedat. Nam fere ita conftitutam rumpotinetum animadverti, ut ad octo pedes locis ficcis & clivofis, ad duodecim locis planis & uliginofis tabulata difponantur.*

180. *Meridianum ... palmæ.*] A fimilitudine palmæ, feu volæ manus, palmam vocat in ulmo partem eam teretem trunci, feu caudicis, cujus ab utroque latere rami ceu digiti enafcuntur. *Palmites ipfi vitium farmenta appellantur*, inquit Feftus, *quod in modum palmarum humanarum virgulas quafi digitos edunt.* Palmæ arboris feu caudici primum vitis innititur: mox in ramos etiam palmites diducuntur: ramos fpectare orientem folem, vel occidentem convenit, ut me-

181 Rami

[182] Rami a projectu digitorum modo subrigi, tonsili in his tenuium quoque virgultorum [183] barba, [183] ne obumbrent. [184] Intervallum justum arborum, si aretur solum, quadrageni pedes in terga frontemque, in latera viceni. Si non aretur, [185] hoc in omnes partes. [186] Singulis denas sæpe adnutriunt vites, damnato agricola minus ternis. [187] Maritare, nisi validas, inimicum, enecante veloci vitium incremento. [188] Serere tripedaneo scrobe necessarium distantes inter sese arboremque singulis pedibus. Nihil ibi malleolis atque pastinationi, nulla fodiendi impendia: utpote cum arbusti ratio hac peculiari dote præstet, quod in eodem solo seri fruges & vitibus prodest. Superque, quod vindicans se altitudo, [189] non, ut in vinea, ad arcendas animalium injurias pariete, vel sepe, vel fossarum utique impendio muniri se cogat. 10

23. [190] In arbusto e prædictis sola viviradicum ratio, item propaginum, & hæc gemina, ut diximus. [191] Qualorum in ipso tabulato maxime probata, quoniam a pecore tutissima est. [192] Altera, deflexa vite vel palmite juxta suam arborem, aut circa proximam [193] cœlibem. Quod supra terram est e matre, radi jubetur, ne fruticet. In terra non pauciores gemmæ quatuor obruuntur ad radicem capiendam: extra in capite binæ relinquuntur. [194] Vitis in arbusto quatuor pedes in longo constat, omni sulco tres lato, alto duos cum semipede. Post annum propago inciditur ad medullam, ut paulatim radicibus suis assuescat: [195] caulis a capite ad duas gemmas reciditur: tertio totus mergus abscinditur, reponiturque altius in terram, ne ex reciso frondeat. Tolli viviradix a vindemia protinus debet. 20

24. Nuper repertum, draconem serere juxta arborem: ita appellamus palmitem emeritum, pluribusque induratum annis. Hunc præcisum quam maxima amplitudine, tribus partibus longitudinis deraso cortice, quatenus obruatur, (unde & rasilem vocant,) deprimere sulco, reliqua parte ad arborem erecta: ocyssimum in vite. Si gracilis sit vitis aut terra, usitatum est quam proxime solum decidi, donec firmetur radix: [196] sicut neque roscidam seri, neque a Septemtrionis flatu. Vites Aquilonem spectare debent ipsæ, palmites autem earum meridiem. 25

25. [197] Non est festinandum ad putationem novellæ: sed primo in circulos materies colligenda, nec nisi validæ putatio admovenda: seriore fere anno ad fructum arbusta vite, quam jugata. Sunt qui omnino putari vetant, priusquam arborum longitudinem æquaverit. Prima falce sex pedes a terra recidatur, flagello infra relicto, & nasci coacto incurvatione materiæ. [198] Tres ei gemmæ, non amplius, deputato supersint. Ex his emissi palmites proximo anno imis [199] ingerantur scamnis, ac per singulos annos ad superiora scan- 30

NOTÆ.

ridiano palma objecta sit, vitisque ei applicata plus caloris accipiat, inquit Columella lib. 5. cap. 6. pag. 186. Palmas in populo pariter jam superius, lib. 14. sect. 3. Plinius appellavit: *Populus arbor*, inquit, *cum tabulata in orbem patula replent, per quæ perducto vites dracone in palmam ejus, inde subrectos ramorum digitos flagella dispergunt.* Qui palmas hoc loco de sarmentis accipiunt, aut *palmites* legi suadent, nec quo nunc in argumento Plinius habitet, considerant, & inscitiam suam produnt. Nam de palmitibus vitium infeceptis verbis conceptis agitur.

181. *Rami.*] Ulmorum, aliarumque arborum, ex quibus arbustum constat: Hi se se ab arbore projiciunt.

182. *Barba.*] Ramuli tenuiores, qui e crassioribus pullulascunt. Virgæ sunt Columellæ, lib 5. cap. 7. *Plerumque autem ea arbor in tres ramos dividitur, quibus singulis ab utraque parte complura brachia summittuntur: tum omnes pene virgæ, ne obumbrent, eo tempore quo vitis putatur, abraduntur.*

183. *Ne obumbrent.*] *Ne æmula umbra vitis noceat*, ut ait Columella, lib 5. cap. 6.

184. *Intervallum.*] Columella lib. 5. cap. 7. pag. 193. *Arboribus rumpotinis* (hoc est, arbustivis, ut diximus lib. 14. sect. 3.) *si frumentum non inserimus, in utramque partem XX. pedum spatia intervenient. At si segetibus indulgemus, in alteram partem XL. pedes, in alteram XX. relinquemus.*

185. *Hoc in omnes.*] Id est, viceni pedes in omnem partem. Colum. loc. cit. & cap. 6 pag 186.

186. *Singulis.*] Singulis arboribus denas sæpe alligant vites: damnatur incuriæ & imperitiæ agricola, qui tantum ternas applicet.

187. *Maritare.*] Eleganter Columella, lib. 5. cap. 6 *At si teneram ulmum maritaveris, nondum sufferet vitem: si vetustam junxeris, conjugem necabis: ita sibi pares esse ætate & viribus arbores vitesque convenit.*

188. *Serere.*] Vites nimirum: quas ab arbore sua distare sesquipedis spatio, Palladius jubet, lib 3. in Febr tit. 10 pag 57. Pedali tamen, ut Plinius, ita & Columella, lib. de arbor cap 16.

189. *Non, ut in vinea.*] Et in arbusto quoque, nisi in eodem solo satæ sunt fruges, *ab injuria pecoris caveis emuniri vites*, caute Columella admonet, lib. 5 cap. 6.

190. *In arbusto.*] Vitis, inquit, in arbusto, viviradice tantum & propagine seritur: propagine quidem gemina, quam sect. 2. explicuimus.

191. *Qualorum.*] Subintellige, ratio vitem propagandi per qualos pertusos, explicata a nobis sect. 21. Hanc rationem optime Palladius describit loc cit. *Est & aliud*, inquit, *de transferenda ex arbusto vite compendium. Fit ex vimine parva corbicula. .... Hæc ad arborem, cui vitis inhæret, fertur: & in fundo media parte pertunditur, quo sarmenti virgam possit admittere. Inducto itaque sarmento vitis ejus, de qua transferre disponis, corbicula ipsa ex aliqua arboris parte suspenditur, & vivæ terra repletur, ut sarmentum terra possit includi, quod sarmentum prius intorquetur Ita exacto anno temporis spatio sarmentum, quod clausum est, radices creabit intra prædictam corbiculam. Tunc sub fundo corbis incisum radicatum sarmentum cum ipsa corbe portabitur ad locum, quem vitibus arbustivis destinabis implere, ubique obruetur circa arboris maritandæ radices.*

192. *Altera.*] Altera serendæ vitis arbustivæ ratio.

193. *Cælibem.*] Cui maritata vitis nulla sit. Viduam infra vocat.

194. *Vitis in arbusto.*] Viti in arbusto serendæ sulcus paratur, in quatuor pedes longus, in tres altus, in dupondium & semissem latus, inquit Colum. lib. de arboribus, cap. 16. ex quo corrigendus Plinii locus videtur, ac permutandæ invicem latitudinis altitudinisque mensuræ: nisi diversa cæli ac soli ratio habeatur.

195. *Caulis.*] Palmes.

196. *Sicut neque roscidam.*] Colum. lib 5. cap 6. *Cavendum, ne aut septemtrionalibus ventis, aut roralenta, sed sicca serantur.*

197. *Non est festinandum*] Colum. lib 5. cap 6. pag 188. *Proxima putatione melius existimat Celsus ferro abstinere, ipsosque caules in modum coronæ conversos arbori circumdari, ut flexura materias profundat, quarum validissimam sequente anno caput vitis faciamus. Me autem longus docuit usus, multo utilius esse primo quoque tempore falcem vitibus admovere*, &c. Celsum Columella deserit.

198. *Tres ei.*] Columella, loc. cit *Materiam ferro coercendam censeo, atque in alteram vel tertiam gemmam*, &c.

199. *Ingerantur scamnis.*] Ita MSS. Reg Colb. Chiffl. non *castrantur*.

dant, relicto semper [200] duramento in singulis tabulatis, [201] & emissario uno, [a] qui subeat usque quo placuerit. De cetero putatione omni, flagella quæ proxime tulerunt, recidantur: nova circumcisis undique [202] capreolis spargantur in tabulatis. [203] Vernacula putatio dejectis per ramos vitium crinibus circumvestit arborem, crinesque ipsos uvis: Gallica in traduces porrigitur: [204] Æmiliæ viæ in radices atiniarum ambitu, frondem earum fugiens.

26. Est quorumdam imperitia sub ramo vitem vinculo suspendendi, [205] suffocante injuria: contineri debet vimine, non arctari. Quin immo etiam quibus salices supersunt, molliore hoc vinculo facere malunt, herbaque, Siculi quam vocant [206] ampelodesmon: Græcia vero universa junco, cypero, [207] ulva. Liberatam quoque vinculo per aliquot dies vagari, & inconditam spargi, atque in terra, [208] quam per totum annum spectaverit, recumbere. [b] Namque ut veterina a jugo, & canes a cursu volutatio juvat, ita tum & vitium porrigi lumbos. Arbor quoque ipsa gaudet assiduo levata onere, similis respiranti. [209] Nihilque est in opere naturæ, quod non exemplo dierum noctiumque aliquas vices feriarum velit. Ob id protinus a vindemia putari, & lassas etiamnum fructu edito, improbatur. Putatæ rursus alligentur alio loco: [210] namque orbitas vinculi sentiunt, vexatione non dnbia.

Traduces [211] Gallica cultura bini utrimque lateribus, [212] si pars quadrageno distet spatio: quaterni, si viceno: inter se obvii miscentur, alliganturque una conciliati, virgultorum comitatu obiter [c] [213] rigorati qua deficiant: aut si brevitas non patiatur ipsorum, [214] adalligato protenduntur in viduam arborem unco. Traducem bimum præcidere solebant. Oneratis enim vetustate melius donare tempus, [215] ut transilem faciant, si largiatur crassitudo: alias utile [d] toros futuri draconis pasci.

27. Unum etiamnum genus est medium [216] inter hoc & propaginem: totas supplantandi in terram vites, cuneisque findendi, & in sulcos plures simul ex una propagandi, gracilitate singularum firmata circumligatis hastilibus, nec recisis qui a lateribus excurrant [e] pampinis. Novariensis agricola traducum turba non contentus, nec copia ramorum, impositis etiamnum patibulis palmites circumvolvit. Itaque præter soli vitia, cultura quoque torva fiunt vina. Alia culpa juxta Urbem [217] Varracinis, quæ alternis putantur annis: non quia id viti conducat; sed quia vilitate, reditum impendia exsuperant. Medium temperamentum in Carſeolano sequuntur: cariosasque tantum vitis partes, incipientesque inarescere deputando, ceteris ad uvam relictis, detracto onere supervacuo, pro nutrimento omni est raritas vulneris. Sed nisi pingui solo talis cultura degenerat in labruscam.

Interpretatio.

a *Qui subeat.*] Qui *scandat.*

b *Namque.*] Nam ut veterina *jumenta, postquam liberata sunt* a jugo, & canes *post cursum* volutatio juvat *in pulvere*, ita & vitium porrigi *palmites, quasi latera & lumbos.*

c *Rigorati.*] Rigidiora, *firmioresque facta.*

d *Toros.*] Crassitiem ac robur.

e *Pampinis.*] Palmitibus.

Notæ.

200. *Duramento.*] Duriore sarmento, quod duramentum & Columella vocat, lib. 4 cap. 21. duramen, capite 22. materiam, lib. 5. cap 6. *Cum palmites primum tabulatum apprehenderint, proxima putatione disponetur* vitis *omnibus annis: alioqui in superius tabulatum excitabitur, relicta semper una materia, quæ applicata trunco cacumen arboris spectet.*

201 *Et emissario.*] Novello palmite, cui in putatione parcitur, ut subeat usquequo placuerit.

202 *Capreolis.*] *Capreolus*, inquit Varro, lib. 1. de re rust. cap. 31. *cauliculus est vitens intortus, ut cincinnus: is enim vites ut teneat serpit, ad locum capiundum: ex quo a capiendo capreolus dictus.*

203. *Vernacula.*] Italica putatio ita peragitur, ut per ramos immissis vitium palmitibus, omnis vite circumvestiatur arbos: atque ex ipsis deinde ramis uvæ dependeant: Galli sic deputant, ut simul in traduces vitis putata porrigatur: qui viam Æmiliam & Bononiensem agrum colunt, vitem circum radices ulmorum atiniarum alligant, frondibus earum applicare reformidant. De via Æmilia vide Strabonem, lib. 5.

204. *Æmiliæ viæ in radices.*] Vide Notas & Emendationes, num XXXV.

205. *Suffocante injuria.*] Sic ante paulo, hac ipsa sect. *noxia injuria* dixit. Eadem habet Columella, lib. 4. cap. 26. pag. 154. *Ne vinculum incidat, seu cumque strangulet.*

206. *Ampelodesmon.*] A liganda vite ei herbæ nomen. Ἄμπελος vitis est, vinculum δεσμός. In Sicilia hodieque *Dis* vocari, auctor est Anguillara, par 12. pag. 214.

207. *Ulva.*] Ulva, herba palustris est. Vox nota Virgilio, & aliis.

208. *Quam per totum annum.*] Vide Notas & Emendat. num. XXXVI.

209. *Nihilque est.*] Huc spectat illud Nasonis,

Quod caret alterna requie, durabile non est.

210. *Namque orbitas.*] In Colb. 3 *Namque arbita vinculi vexatio est non dubia.* Alii, *namque orbitam vinculi sentiunt, vexationem non dubiam.* Vide Colum lib 5. cap. 6. pag 190.

211. *Gallica cultura.*] Ut quidem moris est in arbustis Galliæ Transalpinæ. Traduces sunt palmites ii qui ex una arbore, cui alligantur, deducti, cum palmitibus alterius arboris proximæ connectuntur.

212. *Si pars quadrageno.*] Si pedibus quadragenis arbores inter se dissideant: quod spatium arationi destinatur. Si vicenis tantum, traduces esse possunt quaterni; quoniam, ut superius dictum est, non ibi aratur. Hoc plane videtur esse quod ait Columella lib. 5. cap 7. de arbusto Gallico: *Curetur ut novi traduces omnibus annis inter se ex arboribus proximis connectantur, & veteres decidantur. Si tradux traducem non contingit, media virga inter eas deligetur: cum deinde fructus pondere urgebit, subjectis adminiculis sustineatur.*

213 *Rigorati.*] Rigidiores, firmioresque facti. Sic Columella, lib. 4. cap. 16. *Compluribus arundinum fasciculis convelluntur, ut rigorem habeant.* Idem lib. 5. cap 7. quod *rigorare* Plinius, *adminiculis sustinere* dixit, ut proxime antea retulimus.

214. *Adalligato... unco.*] *Junco* fortassis sincerius fuerit; com laudatus a nobis proxime Columella, virgam ad eosdem usus adhibeat.

215. *Ut transilem.*] Ut deduci commode in vicinam arborem possit.

216. *Inter hoc.*] Inter traducem & propaginem.

217. *Varracinis.*] Ita MSS. At rectius forsan *Tarracinis*, ab urbe Tarracina, de qua lib 3. in Geographicis: vel *Marracinis* potius, in quarta Italiæ regione positis, in qua & Carseolani. De utrisque egimus lib 3. sect. 17.

18. Arbusta arari quam altissime desiderant, [218] etsi tantum frumenti ratio non exigit. Pampinari ea non est moris: & hoc compendium operæ. Deputantur cum vite pariter [219] interlucata densitate ramorum qui sint supervacui, & absumant alimenta. [220] Plagas ad septemtriones, aut ad meridiem spectare vetuimus: melius, si neque in occasus Solis. Diu dolent talia quoque hulcera, & difficile sanescunt, algendo nimis, æstuandove. [221] Non eadem in vite, quæ in arbustis, libertas: [222] quoniam certa latera est facilius abscondere, & detorquere, quo velis, plagas. In arborum [223] tonsura supiniore velut calices faciendi, ne consistat humor.

XXXVI. Viti adminicula addenda, quæ scandat apprehensa, si majora sint. * Vitium generosarum [1] pergulas [2] Quinquatribus putandas, & quarum servare uvas libeat, decrescente Luna tradunt. Quæ vero interlunio sint putatæ, nullis animalium obnoxias esse. Alia ratione plena Luna noctu tondendas, cum sit ea in Leone, Scorpione, Sagittario, Tauro: atque in totum serendas plena, aut crescente utique, censent. Sufficiunt in Italia cultores deni in centena jugera vinearum.

*Cap. XXIV.

XXXVII. 1. At abunde satu cultuque arborum tractato, quoniam [1] de palmis ac cytiso in peregrinis arboribus affatim diximus, ne quid desit, indicanda reliqua natura sit, magnopere pertinens ad omnia ea. [2] Infestantur namque & arbores morbis. Quid enim genitum caret his malis? Et silvestrium quidem perniciosos negant esse, vexarique tantum grandine in germinatione aut flore. Aduri quoque fervore, aut flatu frigidiore, præpostero die: [3] quoniam suo frigora etiam prosunt, ut diximus. Quid ergo? non & vites algore intereunt? Hoc quidem est, quo deprehendatur soli vitium, quoniam non evenit nisi in frigido. [4] Itaque per hiemes cæli rigorem probamus, non soli. Nec infirmissimæ arbores gelu periclitantur, sed maximæ: vexatisque ita cacumina prima inarescunt, quoniam præstrictus gelu non potuit eo [5] pervenire humor.

2. [6] Arborum quidam communes morbi, quidam privati generum. [7] Communis vermiculatio est, sideratio, ac dolor membrorum, unde partium debilitas: societate nominum quoque cum hominum miseriis. Trunca dicimus certe corpora, & [8] oculos germinum exustos, ac multa simili sorte. Itaque laborant & fame, [9] & cruditate, quæ fiunt humoris quantitate. Aliquæ vero [10] & obesitate: ut omnia quæ resinam ferunt, nimia pinguitudine in tedam mutantur: [11] & cum radices quoque pinguescere cœpere, intereunt, ut animalia, nimio adipe: aliquando & pestilentia per genera, sicut inter homines, nunc servitia, nunc plebs urbana, vel rustica.

NOTÆ.

218. *Etsi tantum*] Etsi frumentum quod interseritur, tam alte arari non postulat.

219. *Interlucata.*] Præcisis ramis, qui ob nimiam densitatem lumini officiunt. De ea voce egimus sect. 19. nota 7.

220. *Plagas.... vetuimus.*] Libri hujus cap. 16. *Plerique id demum cavent, ut plaga deputati cacuminis meridiem spectet, ignari fissuris nimii vaporis opponi. Id quidem in horam diei quintam vel octavam spectare maluerim.* Vide & sect. 7.

221. *Non eadem in vite.*] In vinea sive pedata, sive per se stante.

222. *Quoniam certa latera.*] Quoniam infirmiora vitium latera in arbustis facile est abscondere, & plagas ab æstu & algore, objectu frondium, sub quibus eæ detorquentur, defendere.

223. *Tonsura supiniore.*] Infra sect. 37. num. 6. *Vitibus in supinum excisis.* Sic tonderi arborem jubet, ut cum tonsura ramorum, sive cæsura, supina fit, hoc est, ita ut cælum spectet, sic falcis cultrive sinu plaga sursum retrahatur, ut cava quodam modo sit: ita enim decidens imber per illud cavum facilius elabetur. *Nam si transversa foret cicatrix*, ut ait Columella lib. 4. cap. 9. *superincidentem cælestem aquam contineret.*

Sect. XXXVI. 1. *Pergulas.*] *Les treilles.* Vide quæ diximus lib. 14. sect. 3.

2. *Quinquatribus*] Feriæ sunt Palladi sacræ, de quibus dicetur sect. 56 lib. 18.

Sect. XXXVII. 1. *De palmis ac cytiso.*] De palmis quidem lib. 13. sect. 6. de cytiso, ejusdem libri sect. 47.

2. *Infestantur.*] Prodita hæc a Theophrasto, lib. 4. histor. cap. 16. totidem verbis: Νοσήματα δὲ τοῖς μὲν ἀγρίοις οὐ φασι λαμβάνειν, ὑφ' ὧν ἀναιρεῖται· φαύλως δὲ διατίθεσθαι, καὶ μάλιστα ἐπιδήλως, ὅταν χαλαζοκοπηθῇ, καὶ βλαστάνοντα μέλλοντα, ἢ ἀρχόμενα, ἢ ἀνθοῦντα· καὶ ὅταν ἢ πνεῦμα ψυχρὸν ἢ θερμὸν ἐπιγένηται κατὰ τούτους τοὺς χρόνους· ὑπὸ δὲ τῶν χειμώνων οὐδὲν ἀνωμαλοῦντα ἐᾶσιν, οὐδὲ σφόδρα, ἀλλὰ καὶ συμφέρειν, &c. *Morbos silvestribus negant accidere, quibus intereant: tamen eas quoque male affici aiunt: ac præcipue, cum vel paulo post germinatura, vel germinare incipientes, vel florentes, grandine vexantur: cumque flatus frigidior aut æstuosior his iisdem temporibus successerit: tempestiva autem hieme, nec si violentior fuerit, quidquam lædi: sed omnibus algorem prodesse volunt*, &c.

3. *Quoniam suo.*] Suo die ac tempore. Theophr. ἀλλὰ καὶ ξυμφέρειν πᾶσι χειμασθῆναι· μὴ χειμασθέντα γὰρ, ἀποβλαστάνειν. *Omnibus algor prodest: quippe nisi afferit, deterius germinant.* In quibusdam MSS *præpostere die quam suo. Frigora etiam absunt, ut diximus*, nempe sect. 35. ubi de putatione vinearum Sed frustra nam & prosunt, ut dictum est sect. 2. qui locus a Plinio nunc spectatur.

4. *Itaque per hiemes*] Hunc locum codex unus MS. sic exhibet: *Ita per hiemes cæli rigorem probamus Non solum enim infirmissima*, &c. Sed adstipulantur ceteri vulgatis ad hunc diem libris: & recte. Est enim hæc illius loci sententia: soli, hoc est, terræ vitio evenire, ut vites algore intereant: neque enim id accidit nisi in frigido solo Itaque per hiemem, inquit, cæli rigorem optamus & probamus: soli vitium seu frigus improbandum damnandumque est. Nec vero infirmissimæ arbores, &c.

5. *Pervenire humor.*] Seu medulla illa vitalis, quæ ab radice serpit ad cacumen, totique arbori præbet alimentum.

6. *Arborum quidam.*] Theophr. loc. cit. Τοῖς δὲ ἡμέροις πλείω νοσήματα. καὶ τὰ μὲν, ὥσπερ κοινὰ πάντων ἢ τῶν πλείστων· τὰ δ' ἴδια καὶ κατὰ γένη κοινά. *Urbanis arboribus morbi plures eveniunt: alii omnibus quasi communes, aut pluribus: alii privati, per genera arborum.* Sic & lib. 5. de causis, cap. 9. pag. 334. ac sequentibus.

7. *Communis, &c.*] Morbus hic tergeminus Theophrasto, lib. 4. hist. cap. 16. & lib. 5. de causis, cap. 10. pag. 335. σκωλήκωσις vermiculatio, ἀστροβολησία sideratio, σφακελισμὸς dolor membrorum cum partium debilitate.

8. *Oculos.... exustos.*] Frigore hebetatos dixit sect. 35. ubi de putatione vitium, & cæli vitio exustos.

9. *Et cruditate*] Caloris inopia, non probe percocto humore. In MS. quibusdam, *& nuditate*. male. Theophrast. lib. 5. de causis, cap. XI. pag. 336. δι' ἀπεψίαν, *cruditate.* Et cap seq. Ἀτροφεῖ γὰρ τὸ μὴ κρατοῦν, μηδὲ πέττον. *Fame laboret necesse est, quod pabulum evincere nequit, & concoquere.*

10. *Et obesitate.*] Theophr. lib. 5. de causis, cap. 15 pag. 340 δι' εὐτροφίαν, καὶ δι' ὑπερβολὴν, nutritionis abundantia & excessu: affertque exemplum idem de resiniferis arboribus, quæ in tedam mutantur, ut diximus lib. 16. sect. 19.

11. *Et cum radices.*] Ut in ficu. Theophr. lib. de causis, cap. 12. pag. 337. Τῇ δὲ συκῇ νόσημά τι συμβαίνειν φασὶ τὸ ..., ὃ καλοῦσι λευκὴν· τοῦτο δ' εἶναι μάδησίς τε ἐν τῇ ῥίζῃ, καὶ μικρὰ ἐλάσις, διὰ τὴν πολυυγρασίαν. *Ficus morbum quemdam &*

3. [12] Vermiculantur magis minusve quædam, omnes tamen fere: [13] idque aves cavi corticis sono experiuntur. [14] Jam quidem & hoc in luxuria esse cœpit: prægrandesque roborum delicatiore sunt in cibo: [15] cossos vocant: atque etiam farina saginati, hi quoque altiles fiunt. [16] Maxime autem arborum hoc sentiunt piri, mali, fici: minus, quæ amaræ sunt & 5 odoratæ. [17] Eorum qui in ficis exsistunt, alii nascuntur ex ipsis: alios parit, qui vocatur cerastes: omnes tamen in ceraften figurantur, sonumque edunt parvuli stridoris. [18] Et sorbus arbor infestatur vermiculis rufis & pilosis, atque ita emoritur. [19] Mespilus quoque in senecta obnoxia ei morbo est.

4. [20] Sideratio tota e cælo constat. Quapropter & grando in his causis intelligi debet: 10 & [21] carbunculatio, & quod pruinarum injuria evenit. [22] Hæc enim verno tepore invitatis, & erumpere audentibus satis mollibus insidens, adurit [u] lactescentes germinum oculos, quod in flore carbunculum vocant. [23] Pruinæ perniciosior natura, quoniam lapsa persidet, gelatque, ac ne aura quidem ulla depellitur, quia non fit nisi immoto aëre & sereno. [24] Proprium tamen siderationis est, [25] sub ortu Canis siccitatum [b] vapor, cum insita 15 ac novellæ arbores moriuntur, præcipue ficus & vites. [26] Olea præter vermiculationem, quam æque ac ficus sentit, clavum etiam patitur, sive fungum placet dici, vel patellam. Hæc est Solis exustio. Nocere [27] tradit Cato & muscum rubrum. [28] Nocet plerumque vitibus atque oleis & nimia fertilitas. Scabies communis omnium est. [29] Impetigo, & quæ adnasci solent, cochleæ, peculiaria ficorum vitia: nec ubique: sunt enim quædam ægritudi- 20 nes & locorum.

[30] Verum ut homini nervorum cruciatus, sic & arbori, ac duobus æque modis. [31] Aut enim in pedes, hoc est, radices, irrumpit vis morbi: aut in articulos, hoc est, cacuminum digitos, qui longissime a toto corpore exeunt. [32] Inarescunt ergo: & sunt apud Græcos sua nomina utrique vitio. Undique primo dolor, mox & macies earum partium 25 fragilis, postremo [33] tabes, morsque, non intrante succo, [34] aut non perveniente: maximeque id fici sentiunt. [35] Caprificus omnibus immunis est, quæ adhuc diximus. [36] Sca-

Interpretatio.

u *Lactescentes.*] Lacteo succo turgentes germinum oculos adurit, quod quidem vitium cum florem exussit, carbunculus dicitur.

b *Vapor.*] Calor.

Notæ.

in radicibus, at paulo supra radices sentit, quod vocant pinguescere: qui certe morbus ex mutatione humoris solet accidere. Et lib. 4. hist. c 16. Καὶ ἐὰν ἐπομβρία γένηται, καὶ γὰρ τότε περὶ τὴν ῥίζαν ὥσπερ μυδᾷ. *Ac si nimius imbres fuerint, quæ sunt ad radicem, quasi humectantur: hoc autem vocant pinguescere:* τοῦτο δὲ καλοῦσι λιπαίνειν vel λιπαρ[illegible].

12. *Vermiculantur.*] Vermibus infestantur, quos in cortice generant. Hæc Theophr lib. 4. hist. cap. 16. [illegible] *Omnes enim fere vermes etiam gignunt: sed quædam pauciores, quædam plures: ut ficus, malus, pirus*

13. *Idque aves.*] Maxime vero pici Martii, ut diximus lib 10 sect. 20.

14. *Jam quidem & hoc*] Hoc cibi genus luxuria excogitavit.

15. *Cossos vocant.*] Plinius ipse lib. XI sect 38. *Nec enim cossi tantum in eo, &c.* Festus quoque: *Cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur.* Iidem cosses Plinio, lib. 30. sect 39.

16. *Maxime autem ..... odoratæ.*] Totidem verbis hoc Theophr. loc. cit & lib. 5. de causis, cap. XI. pag 335.

17. *Eorum qui in ficis.*] De his egimus lib. 16 sect. 80. Exstant hæc totidem verbis apud Theophr lib. 4. cap. 16. [illegible] Cerastes itaque vermis in ficu est. Est & serpens ejus nominis, de quo nos libro octavo egimus.

18. *Et sorbus.*] Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 15. de sorbo, pag. 44. *Si vermes patietur infestos, qui intra rufi ac pilosi solent medullæ interna sectari, aliquos ex his sine arboris injuria detractos, vicino crememus incendio: creduntur hoc genere vel fugere, vel interire.* Theophr. quoque, lib 3. hist. cap. 12.

19. *Mespilus.*] Palladius, lib. 4 in Martio, cap. de Mespilo, pag 96. *Si vermibus mespilus occupatur, stilo æreo purgandi sunt, & amurca, vel humana vetere urina, &c.* Adde & Theophrast. loc cit.

20 *Sideratio.*] Morbus arborum afflatarum sidere, quocumque id modo acciderit.

21. *Carbunculatio.*] Arborum morbus est, quem vulgari sermone *pruinam* vocamus: cum flores adussit, carbunculum Latini dixere. *De la bruine.*

22. *Hæc enim.*] Carbunculatio.

23. *Pruinæ.*] Hæc e rore gelido nascitur, a perurendo, quasi perurina dicta, quod fruges perurat: quo genere vites alternis ferme annis in Gallia vitiantur. *La gelée: gelée blanche.*

24. *Proprium tamen.*] Hæc totidem verbis Theophr. lib. 5. de causis, cap 10. pag. 335.

25. *Sub ortu Canis.*] Ita MSS. Theophr. ὑπὸ ἄστρον.

26. *Olea præter.*] Hæc Theophr lib 4. hist cap 16. Ἡ δ' ἐλάα πρὸς τῷ τοὺς σκώληκας ἴσχειν [illegible]

27. *Tradit Cato.*] Eo quem diximus loco in Notis & Emend. ad librum 15 num. IV. Tradit & Colum lib. 5. cap. 9. *Plerumque etiam locis siccis & humidis arbores musco infestantur; quem nisi ferramento rasseceris, nec fructum, nec latam frondem olea inducet.*

28 *Nocet plerumque.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 16.

29. *Impetigo .... & locorum.*] Hæc omnia Theophr. loc. cit. Ἡ δὲ ψώρα καὶ οἱ προσφυόμενοι κοχλίαι, συκῆς ἴδια [illegible] Est autem ψώρα Græcis scabies, ab impetigine haud multum discrepans: corticis nimirum aspera scabrities, imbris & roris putrescentis contactu excitata.

30. *Verum ut homini*] Nunc quid sit σφακελισμὸς, seu dolor membrorum, aperit, Theophrasti verbis, loc. cit. plane congruenter.

31. *Aut enim in pedes.*] Σφακελισμὸς dicitur, cum pedes, seu radices nigrescunt Κράδη cum in articulos, hoc est, in ramos, vis morbi erupit, iique denigrantur. Καλεῖται δὲ σφακελισμὸς μὲν, ὅταν αἱ ῥίζαι μελανθῶσι· κράδη δὲ ὅταν οἱ κλάδοι. Theophr. loc. cit. qui & illud adjungit, κράδας appellari ficulneos ramos: unde & Græcum huic morbo nomen.

32. *Inarescunt.*] Ac postea nigrescunt, ὅταν μελανθῶσι, Theophr.

33. *Tabes, morsque.*] Vide Not. & Emendationes, num. XXXVII

34. *Aut non perveniente*] Usque ad cacumen arboris, & ramorum digitorumve cacumina

35. *Caprificus*] Neque σφακελισμῷ infestatur, neque κράδῃ, neque scabie, nec denique radicibus vermiculatur. Theophr. lib. 4. hist. cap. 16. & lib. 5. de causis, cap XI. pag 336

36. *Scabies.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 16.

bies gignitur roribus lentis [37] post Vergilias. [38] Nam si rariores fuere, perfundunt arborem, non scalpunt scabie. Et grossi cadunt, si vel imbres nimii fuere. [39] Alio modo ficus laborat radicibus madidis.

[40] Vitibus præter vermiculationem & siderationem morbus peculiaris [41] articulatio, tribus de caussis: una, vi tempestatum germinibus ablatis: altera, ut notavit Theophrastus, [42] in supinum excisis: tertia, culturæ imperitia læsis. Omnes enim earum injuriæ [43] in articulis sentiuntur. Siderationis genus est in his deflorescentibus, [44] roratio: aut cum acini, priusquam crescant, [45] decoquuntur in callum. [46] Ægrotant & cum alsere, [47] læsis uredine attonsarum oculis. Et calore hoc evenit intempestivo: quoniam omnia modo constant, certoque temperamento. [48] Fiunt & culpa vires colentium, [49] cum præstringuntur, ut dictum est: aut circumfossor injurioso ictu verberavit: vel etiam subarator imprudens luxavit radices, corpusve [50] desquamavit. [51] Est & quædam contusio falcis hebetioris. Quibus omnibus caussis difficilius tolerant frigora aut æstus: quoniam in hulcus penetrat omnis a foris injuria. [52] Infirmissima vero malus, maximeque quæ dulcis est. Quibusdam debilitas sterilitatem, non necem affert: [53] ut si quis pino cacumen auferat, vel palmæ: sterilescunt enim, nec moriuntur. [54] Ægrotant aliquando & poma ipsa per se sine arbore, si necessariis temporibus imbres aut tepores vel afflatus defuere, aut contra abundavere. decidunt enim, aut deteriora fiunt. [55] Pessimum est inter omnia, cum deflorescentem vitem & oleam percussit imber, quoniam simul defluit fructus.

7. [56] Sunt ex eadem caussa nascentes & erucæ, dirum animal, erodunrque frondem, [57] aliæ florem, olivarum quoque, ut in Mileto: ac depastam arborem turpi facie relinquunt. Nascitur hoc malum [58] tepore humido, & lento. [59] Fit aliud ex eodem, si Sol acrior insecutus inussit ipsum vitium, ideoque mutavit. Est etiamnum peculiare olivis & vitibus, [60] (araneum vocant, cum veluti telæ involvunt fructum, & absumunt. [61] Adu-

NOTÆ.

37 *Post Vergilias.*] Theophr. ἐπὶ πλειάδι, post Vergiliarum ortum, de quo dicemus lib. 18 sect. 66

38 *Nam si rariores.*] Si rariores, inquit, fuere rores, arborem totam scabie perfundunt ac vitiant, non eluunt. Eleganter autem Plinius, cum arbores elui scabiem significare vellet, arborem scabie scalpi dixit, quod scalpendo scabies detrahi de corporibus solet. Vide Notas & Emend. num. XXXVIII.

39. *Alio modo.*] Vel, alio morbo, qui ad radices pertinet: non ad ramos. Diversum hunc esse morbum putamus ab eo, quo pinguescere radices incipiunt, ut Plinius superius annotavit, cum Theophrasto, lib 5. de caussis, cap. 12 & lib. 4. hist. cap. 16.

40. *Vitibus præter.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 16.

41. *Articulatio.*] Ab articulis, hoc est, palmitum nodis, in quibus hæc potissimum tergemina sentitur injuria, ut mox Plinius asseverat, nomen is morbus habet. Inde evenit, ut fructu vites careant, fronde luxurient, & uti Palladius loquitur in Novembri, cap. 9. *pauperiem fetuum compensent ubertate foliorum.* Auctor Geopon. lib. 5 cap. 38. ὑλομανεῖν morbum hunc vocat. Theophr. lib. 4 hist cap. 16. ἡ δ' ἀμπελος τομή, *vitis hir. ulatio.* Unde hirculationem pro articulatione legi hoc loco Turnebus voluit, in explicatione Jocorum Ciceron Sed frustra.

42. *In supinum excisis.*] Subintellige vitibus, seu palmitibus qui vitium articuli. Theoph verba hæc sunt: loc. cit. Ἡ δ' ἀμπελος τομή .... ἡ ὅταν ὑπὸ πνεύματος τὰ βλαστήματα ἀφαιρεθῇ· ἢ ὅταν τῇ ἐργασίᾳ συμβῇ, ὡ [illegible].

43. *In articulis*] In nodis palmitum, unde gemma erumpit. Tullius de Senect. num. 53. *Ineunte vere in iis (vitibus) exsistit tamquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur.*

44. *Roratio.*] Quoties uva deflorescente ros frigidior acinos infestarit: tunc enim hi defluunt: ὅτι ἀπορρεῖ τὰς ῥᾶγας, inquit Theophr. loc. cit. Vulgus nostrum vocat *Couture*: *la vigne coule.*

45. *Decoquuntur.*] Durescunt, strigosique fiunt & exiles. Libro seq. sect. 69. num. 4 caloris omni vitio *præcoqui in callum acinos* ait: nempe nimio Solis vapore. Rura nostra hoc morbi genus in vite vocant, *Rissure*, quod uvæ tum torreantur. Theophrasto, lib. 5. de caussis, cap. 13. pag 338. [illegible].

46. *Ægrotant, &c.*] Theophrast. iisdem verbis lib. 4. hist. cap 16. Ἔτι δ' ἡ ῥιγώσασα νοσεῖ, καθάπερ ἡ ἄμπελος. ἀμβλυνθέντων γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ [illegible] · καὶ [illegible] · [illegible] γὰρ καὶ τούτοις τὴν συμμετρίαν, ὥσπερ καὶ τῆς τροφῆς. Ὅλως δὲ πᾶν τὸ παρὰ φύσιν ἐπισφαλές. Vide lib. 5. de caussis, cap. 13. pag. 338.

47. *Læsis uredine.*] Gemmis frigore ac gelu perustis.

48. *Fiunt & culpa.*] Morbi vitium scilicet Theophr. lib. 4. hist. cap 16. Μεγάλα δὲ ξυμβάλλεται καὶ τὰ ἐργάσματα, ἐν καὶ αἱ πληγαὶ [illegible], οἷς τὸ μὴ φέρειν τὰς μεταβολὰς ἢ καυμάτων ἢ χειμώνων· ἀσθενεῖς γὰρ ὄντες διὰ τὴν ἕλκωσιν καὶ τὴν [illegible], ἀσχολοῦνται ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς. *Vulnera quoque ictus circumfodientium magnopere faciunt, ut mutationes æstuum vel frigorum minime tolerentur: cum enim propter hulcus ac laborem debile fiat, facillime ab excessu caloris frigorisque devincitur.*

49. *Cum præstringuntur.*] Cum palmes excæcatur, ablatis supina falce oculis, ut dictum est sect. 35. num XI.

50 *Desquamavit*] Corticem a corpore vi detraxit.

51. *Est & quædam.*] Recte Columella, lib. 4. cap. 24. *Super cetera illud etiam censemus, ut duris tenuissimisque & acutissimis ferramentis totum istud opus exsequamur. Obtusa enim & hebes, & mollis falx putatorem moratur, & plus laboris affert vinitori. Nam sive curvatur acies, quod accidit molli: sive tardius penetrat, quod evenit in retuso & crasso ferramento, majore nisu opus est Tum etiam plagæ asperæ atque inæquales, vites lacerant: neque enim uno, sed sæpius repetito ictu res transigitur. Quo plerumque fit, ut quod præcidi debeat, perfringatur: & sic vitis lancinata scabrataque putrescat humoribus, nec plagæ consanentur.*

52. *Infirmissima.*] Theophr. lib. 4 hist cap. 16 Ἀσθενέστατον ἡ μηλέα ἡ ἐαρινή, καὶ τούτων ἡ γλυκεῖα.

53. *Vi si quis pino.*] Hoc etiam Theophr loc. cit. de picea, quam ipse πίτυν vocat: ἐάν τε τῆς πίτυος ἀφέλῃ τὸ ἄκρον, ἢ τὸν φοίνικα. In palma porro cacumen intellige. truncí cacumen, in quo cerebrum est: hujus enim decacuminatio integra quidem necem affert, ut dictum est lib. 13. sect. 9. mutilatio levis, sterilitatem. Theophr. loc. cit. & lib. 5. de caussis, cap. 24. pag. 349

54. *Ægrotant aliquando.*] Theophr. loc. cit. totidem verbis.

55. *Pessimum est.*] Theophr. loc. cit. & lib. 5. de caussis, cap. 14. pag. 338.

56. *Sunt ex eadem.*] Theophr. locis citatis. Erucæ κάμπαι, *Chenilles*

57. *Aliæ florem.*] Hoc est, diversi generis erucæ. Theophr. lib. 4 hist cap. 16 Ἐν Μιλήτῳ δὲ τὰς ἐλαίας, ὅταν ὦσιν ἐν τῷ ἀνθεῖν, κάμπαι κατεσθίουσιν· αἱ μὲν τὰ φύλλα, αἱ δὲ τὰ ἄνθη, ὥσπερ τῷ γένει, καὶ ψιλοῦσι τὰ δένδρα.

58. *Tepore humido.*] Austrino tempore, madido quidem, sed & eodem tepido: ὅταν ἢ νότια καὶ τὰ ἀλεεινά. Theophr. lib. 4. hist. cap 16.

59. *Fit aliud ex eodem.*] Ex eodem tepore humido aliud malum gignitur, cum Sol acrior consecutus ipsas erucas inusserit, & immutarit. Theophr. lib. 4. hist. cap. 16. ubi de erucis. Γίνονται δὲ ὅταν ἢ νότια καὶ τὰ ἀλεεινά. ἐὰν δὲ ἐπιλάβῃ καύματα, ῥήγνυνται. *Nascuntur tempore austrino & tepido: & si Sol acrior fit insecutus, erumpuntur.* Sic vero ruptæ, alia jam ratione arbores ac fructus infestant, fitque vitium aliud haud levius priore. Non est hujus loci ἀστροβολισμὸς Theophrasti, lib. 5. de caussis, cap. 13.

60. *Araneum vocant.*] Hoc est, telam araneæ similem. Τὸ ἀράχνιον, Theophr. loc cit. & lib. 4 hist. cap 17.

61. *Adurunt & flatus.*] Calidi videlicet venti, & æstivi. Theophr. lib. 4 hist cap 17. Ἐπικάει δὲ καὶ πνεύματα τοῦ ἐλαίου, καὶ βότρυς, καὶ ἄλλους καρπούς.

runt & flatus quidam eas maxime, sed & alios fructus. [61] Vermiculationem & poma ipsa per se quibusdam annis sentiunt, mala, pira, mespila, Punica. In oliva ancipiti eventu, [63] quando sub cute nati fructum adimunt: augent, si in ipso nucleo fuere erodentes eum. [64] Gigni illos prohibent pluviæ, quæ fiunt [65] post Arcturum: eædem si Austrinæ fuere, generant, [66] in drupis quoque, quæ maturescentes tum sunt præcipue caducæ. [67] Id riguis magis evenit, etiamsi non cecidere, fastidiendis. [68] Sunt & culicum genera aliquibus molesta, ut glandibus, fico, qui videntur ex humore nasci, tunc dulci subdito corticibus. Et ægrotatio quidem fere in his est.

8. [69] Quædam temporum causæ, aut locorum non proprie dicantur morbi, quoniam protinus necant: sicut tabes cum invasit arborem, [70] aut uredo vel flatus alicujus regionis proprius, ut est in Apulia [71] Atabulus, in Eubœa [72] Olympias. Hic enim, si flavit circa brumam, frigore exurit arefaciens, ut nullis postea Solibus recreari possint. [73] Hoc genere convalles & apposita fluminibus laborant, præcipueque vitis, olea, ficus. [74] Quod cum venit, detegitur statim in germinatione: in oliva tardius: sed in omnibus signum est revivescendi, si folia amisere: alioqui, quas putes prævaluisse, emoriuntur. [75] Nonnunquam inarescunt folia, eademque revivescunt. [76] Aliæ in septemtrionalibus, ut Ponto, Phrygia, frigore aut gelu laborant, si post brumam continuavere XL. diebus. Et ibi autem, & in reliquis partibus, si protinus ediris fructibus gelatio magna consecuta est, etiam paucis diebus necat.

9. [77] Quæ injuria hominum constant, alias habent causas. [78] Pix, oleum, adeps, inimica præcipue novellis. [79] Cortice in orbem detracto necantur, [80] excepto subere, quod sic etiam juvatur: crassescens enim præstringit & strangulat. [81] Nec adrachne offenditur, si non simul incidatur & corpus. [82] Alioquin & cerasus, & tilia, & vitis corticem mittunt, sed non vitalem, nec proximum corpori: verum eum qui subnascente alio expellitur. [83] Quarumdam natura rimosus cortex, ut platanis. Tiliæ renascitur paulo minus quam totus. [84] Ergo his, quarum cicatricem trahit, medentur luto fimoque. [85] Et aliquando prosunt, si non vehementior frigorum aut calorum vis secuta est. Quædam tardius ita moriuntur, ut robora & quercus. [86] Refert & tempus anni. [87] Abieti enim & pino si quis detraxerit, [88] Sole Taurum vel Geminos transeunte cum germinant, statim moriuntur.

NOTÆ.

61. *Vermiculationem*] Theophr. loc. cit

63. *Quando sub cute nati.*] Hoc est, sub pellicula quæ fructum circumvestit. Theophr. lib. 5 de causis, cap. 13. pag. 338. Ἐὰν μὲν ὑπὸ τὸ δέρμα γίνωνται, διαφθείρουσιν, ἐξεσθίουσι γάρ· ἐὰν δὲ ὑπὸ τὸν πυρῆνα διαφθειρόμενον, ὠφελοῦσιν. Prius hic legebatur, *quando subeunt nati.*

64.] *Gigni illos*] Qui nempe sub cute gignuntur, ut ex Theophrasto liquet, mox laudando

65. *Post Arcturum.*] Post Arcturi ortum, de quo lib. 18. sect. 74. Sic paulo ante post Vergilias dixit Theophr loc. cit. Κωλύονται δ' ὑπὸ τῶν πιπτομένων ὑετῶν, ἢ ὕδατος ἐπ' Ἀρκτοῦρω γινομένων. Et lib 4 hist. cap. 17. Κωλύονται δὲ ὑπὸ τῶν ὕδατων ὄντων, ὕδατος ἐπ' Ἀρκτούρῳ γινομένου.

66. *In drupis quoque.*] Theophr. loc cit. De drupis egimus lib 15. sect. 2.

67. *Id riguis*] Theophr. lib 4 hist. cap. 17.

68. *Sunt & culicum.*] Theophr. loc. cit. Ἐγγίνονται δὲ κνῖπες ἔν τισι τῶν δένδρων· ὥσπερ ἐν τῇ δρυΐ, καὶ τῇ συκῇ, καὶ δοκοῦσιν ἐκ τῆς ὑγρότητος συλλαμβάνεσθαι [illegible] ὑπὸ τῶν φλοιῶν συνισταμένης· αὕτη δὲ ἐστι γλυκεῖα γεννώμενοις. *Gignuntur & culices in quibusdam arborum: ut in robore & fico: & consistere ex humore videntur, qui subditus est cortici, dulcisque est, dum illi gignuntur.*

69. *Quædam temporum.*] Theophr. loc. cit. totidem plane verbis.

70. *Aut uredo.*] Cum arbores frigidus afflatus caurit, atque adeo aridas siccasque facit, ut ne Sol quidem tempusque longum afficere ita possint: quocirca uredinem vocant: ἄνεμοι ψυχροὶ· [illegible] τὰ δένδρα· καὶ ὥστε [illegible] καὶ ξηρά, ὡς οὐδ' ἂν ὑφ' ἡλίου καὶ χρόνου πολλοῦ γένοιτ' ἂν διὸ καὶ καλοῦσι καῦσιν. Theoph. loc. cit. cujus verba cave existimes a Plinio reddi.

71. *Atabulus.*] Horatius, lib. 5. Serm. Satyr. 7. vers. 77.

Incipit ex illo montes Apulia notos
Ostentare mihi quos torret Atabulus.

Terret, inquam, quodsiam frugibus infestus. Alii *torret* legunt, minus recte

72. *Olympias.*] De hoc vento egimus lib 2. sect 46. Circa brumam eum spirare prodidit Theophr. loc. cit. Ἐν Χαλκίδι τῆς Εὐβοίας Ὀλυμπίας ὅταν πνεύσῃ μικρὸν πρὸ τροπῶν, ἢ μετὰ τροπὰς χειμερινάς.

73. *Hoc genere.*] Theophr loc. cit. Πονοῦσι δὲ μάλιστα τῶν τόπων οἱ κοῖλοι, οἱ αὐλῶνες, καὶ ὅσοι πρὸς τοῖς ποταμοῖς, καὶ ἁπλῶς οἱ ἀπνούστατοι τῶν δένδρων καὶ μάλιστα συκῆ, &c.

74. *Quod cum venit.*] Theophrast. loc. cit plane ad verbum.

75. *Nonnunquam.*] Theophr. loc. cit totidem verbis.

76. *Aliæ in.*] Theophr loc. cit In M S S. *Aliæ inter.* Nos *in terris* conjicimus.

77. *Quæ injuria.*] Genus alterum morborum in arboribus, inquit, illud est, quod ab hominum injuria oritur.

78. *Pix, oleum, &c*] Hæc apud Theophr. lib. 5. de causis, cap. 26. pag. 348

79. *Cortice in orbem.*] Theophr. lib 5. de causis, cap. 24. pag. 349. & lib. 4. hist. cap. 18. totidem verbis

80. *Excepto subere.*] Theophr. πλὴν εἰ ἄρα φελλοῦ. Et sane placet hic naturæ solertiam demirari, quæ suberi ad decorticationem natæ arbori duplicem corticem attribuit: ut eo spoliata, adhuc convestita libro, non nuda remaneret. Vide quæ dicta sunt lib. 16. sect. 13.

81. *Nec adrachne.*] In M S S. *andracle.* De ea egimus lib. 13. sect 40.

82. *Alioqui, &c.*] Theophr. lib 4. histor. cap. 18. Ἐκδύει καὶ τὸν κερασίων ἀποπεριπτεῖ, καὶ τὸν ἄμπελον, καὶ ἡ φιλύρας· ἐξ ὧν τὰ σχοινία .... ἀλλ' οὐχ ὁ κύριος, οὐδ' ὁ πρῶτος, ἀλλ' ὁ ἐπιπολῆς· ὃς καὶ ἀντιφύεται ἄλλου ὑποφυομένου.

83. *Quarumdam.*] Theophr loc. cit. Καὶ γὰρ φλοιοῤῥαγής μὲν τῶν δένδρων ἐστὶν, ὥσπερ καὶ ἡ ἀνδράχνη καὶ ἡ πλάτανος.

84. *Ergo his.*] His quibus cortex rimosus cicatricem facit, luto medentur, &c. Theophr. loc. cit. Διαπλάττοντες πηλῷ, καὶ [illegible] φλοιοῖς καὶ καλάμοις, καὶ τοιούτοις, ὅπως μὴ ψύχηται, μηδ' ἀποξηραίνηται.

85. *Et aliquando prosunt.*] Medicina ea prodest. Theophr. loc. cit. Καὶ ἤδη φασὶ συμφῦναι .... Δεῖ δ' ἄγειν τῇ τῆς χώρας ἀρετῇ, καὶ τῇ τοῦ ἀέρος ἀγωγῇ τὰ ἐπιγινόμενα ποιεῖσθαι. χειμῶνες γὰρ ἢ καὶ καύματα ἐπιγινόμενα σφοδρῶς, διέφθειραν. *Etiam nonnunquam restitui ac regerminare sic aiunt .... Sed præter virtutem soli, temperamentumque cœli, reliqua quoque respondeant opus est. Frigora enim, aut calores nimii si supervenerint, statim intereunt.*

86 *Refert & tempus.*] Hæc rursum apud Theophr. loc. cit Διαφέρουσι δὲ καὶ ὧραι, &c.

87. *Abieti enim & pino.*] Hoc Theophr de abiete & πεύκῃ, quæ alias ubique Plinio larix est, non pinus. Sed sunt arbores cognatæ larix & pinus, ut diximus.

88. *Sole Taurum, &c*] Recte. Nam Theophr. scripsit, τὸν Θαργηλιῶνα, ἢ Σκιῤῥοφοριῶνα. Hic ultimus anni mensis est, circa solstitium, ut Suidas prodidit. hunc Θαργηλιὼν antecedit: Maium igitur Theophrastus, Juniumque designat, quod & Plinius facit. Sic rursum idem Plinius lib. 16. sect. 41 *transeunte Geminos Sole dixit*, id quod Julio mense peragi intelligitur, ut Theophrastus lib. 3. hist. cap. 6. περὶ τὸν Σκιῤῥοφοριῶνα λέγοντι, circiter diem Junii XXI.

Eamdem injuriam hieme passæ diutius tolerant. Similiter ilex, & robur, & quercus. [90] Quæ si angusta decorticatio fuit, nihil nocetur supra dictis. [91] Infirmiores quidem & in solo gracili, vel ab una tantum parte detractus interimit. [92] Similem & decacuminatio rationem habet, cupressi, piceæ, cedri: hæ enim detracto cacumine aut ignibus adusto, intereunt. [93] Similem & depastio animalium. Oleam quidem etiam si lambat capra, sterilescere, auctor est Varro, [94] ut diximus. [95] Quædam hac injuria moriuntur: aliqua deteriora tantum fiunt, [96] ut amygdalæ: ex dulcibus enim transfigurantur in amaras. Aliqua vero etiam utiliora; [97] ut apud Chios pirus, quam Phocida appellant. [98] Nam detruncatio diximus quibus prodesset. [99] Intereunt pleraque & fissa stirpe, exceptis vite, malo, fico, Punica: [100] Quædam vel ab hulcere tantum. [101] Ficus hanc injuriam spernit, & omnia [102] quæ resinam gignunt. [103] Radicibus amputatis mori, minime mirum est. Pleræque tamen non omnibus, sed maximis, aut quæ sunt inter illas vitales abscissis moriuntur.

XXIX. [104] Necant invicem inter sese umbra, vel densitate, atque alimenti rapina. [105] Necat & edera vinciens. [106] Nec viscum prodest: [107] & cytisus necatur eo quod halimon vocant Græci. [108] Quorumdam natura non necat quidem, sed lædit odore, aut succi mixtura: [109] ut raphanus, & laurus, vitem. [110] Olfactrix enim intelligitur, & tangi odore mirum in modum: ideo cum juxta sit, averti & recedere, saporemque inimicum fugere. [111] Hinc sumpsit Androcydes medicinam contra ebrietates, raphanus ut mandatur præcipiens. [112] Odit & caulem, & olus omne: [113] odit & corylum; ni procul absint, tristis atque ægra. Nitrum quidem & alumen, marina aqua calida, [114] & fabæ putamina, vel ervi, [115] ultima venena sunt.

XXXVIII. [1] Inter vitia arborum est & prodigiis locus. [2] Invenimus enim sine foliis natas: vitem & malum Punicam stirpe fructum tulisse, non palmite, aut ramis: vitem, uvas sine foliis: oleas quoque amisisse folia baccis hærentibus. Sunt & miracula fortuita. [3] Nam & oliva in totum ambusta revixit: [4] & in Bœotia derosæ [5] a locustis ficus germinavere. [6] Mutantur arbores & colore, fiuntque ex nigris candidæ, non semper prodigiose: eæ maxime quæ ex semine nascuntur, ut populus alba in nigram transit. [7] Quidam & sorbum, si in calidiora loca venerit, sterilescere putant. Prodigio [8] autem fiunt ex dulcibus acerba poma, aut dulcia ex acerbis, e caprifico fici: aut contra: gravi ostento, cum in deteriora mutantur, ex olea in oleastrum, ex candida uva & fico, in nigras: ut Laodiceæ, Xerxis adventu platano in oleam mutata: qualibus ostentis Aristandri apud Græcos volumen scatet, ne in infinitum abeamus: apud nos vero [9] C. Epidii commentarii, in quibus arbores locutæ quoque reperiuntur. Subsedit in Cumano arbor gravi os- CAP. XXV.

NOTÆ.

89. *Eamdem*] Theophr. lib. 4. hist. cap 18. Τὸ δὲ χειμῶνος πλείω χρόνον ἀντέχει· καὶ ἐπὶ μᾶλλον τοὶ ἰσχυρότεραι, καθάπερ πρῖνος, καὶ δρῦς. Quercum etiam Plinius addidit.

90. *Quæ si angusta.*] Theophr. loc. cit. Δεῖ δὲ καὶ τὴν περιαίρεσιν ἰσχυρὰν καὶ πλάτος· πάντως μὲν, μάλιστα δὲ τῶν ἰσχυροτάτων. ἐπεὶ ἐάν τις ἀπελθῇ μικρὸν, οὐδὲν αὐτοῖς τι μὴ διαφθαρῇ. *Latitudinem quoque aliquam decorticatio habeat oportet: omnium quidem, sed maxime robustiorum. Nam si angustam feceris, nihil mirum est si non interierint.*

91. *Infirmiores.*] Theophr. loc. cit. totidem verbis.

92. *Similem & decacuminatio.*] Hæc pariter Theophr. lib. 4. hist. pag. 19. & lib. 5. de causis, cap. 24. pag 349. totidem plane verbis.

93. *Similem & depastio.*] Theophr lib. 4. histor. cap. 19. & lib. 5. de causis, cap. 25. pag. 350.

94. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 76. & lib. 15. sect. 8.

95. *Quædam hac injuria.*] Theophr. lib. 5. de causis, cap. 25. pag. 350.

96. *Ut amygdala, &c.*] Sic Theophr. lib. 5. de causis, cap. 25. pag. 350. Καὶ γὰρ ἡ ἀμυγδαλῆ πικρὰ γίνεται, &c. Et Palladius, in Januario, tit. 15. de amygdalis: *Servanda sunt a pecore, quia si rodantur, amarescunt.*

97. *Ut apud Chios.*] Ἔνια δὲ καὶ βελτίω ποιοῦμεν ὥσπερ γίνεται καθάπερ οἱ Χῖοι τὴν ἄπιον τὴν Φωκίδα. Theophr. lib. 2. de causis, cap 20. pag 255.

98. *Nam detruncatio.*] Prodesse quidem palmarum generi cuidam, dictum est lib. 13. sect. 9. Etiam & oleæ, adnascente stolone, qui in arborem adoptatur, quæ vetustæ succedat, libri hujus sect. 29.

99. *Intereunt.*] Hæc pariter ad verbum Theophr. lib. 4. hist. cap. 19.

100. *Quædam vel ab hulcere.*] Vel paulo altiore: & in profundo Ἔνια δὲ καὶ ἐλκωθῇ, καὶ μεῖζον, καὶ βαθύτερον ἀπόλλυται. Theophr. loc. cit.

101. *Ficus, &c.*] Theophr. loc. cit. Κοινῇ ..... καὶ ἐξ ἀνάγκης [illegible] ῥητίνην συμβέβηκεν, οἷον ἐλάτας, τερμίνθους.

102. *Quæ resinam.*] Ut abies, pinus, picea, larix, terebinthus.

103. *Radicibus.*] Theophr. lib. 4. hist cap. 20. Κοινῇ δὲ φθείρεται πάντων, ἐὰν αἱ ῥίζαι ἀφαιρεθῶσιν, ἢ αἱ πλεῖσται, καὶ μέγισται, καὶ κυριώταται τῶν ζῆν.

104. *Necant invicem.*] Theophr. lib 5. de causis, cap. 22. pag 347. Plinius, lib. 16. sect. 47. *Facit & densitas sterilitatem.*

105. *Necat & edera.*] Vide quæ dicta sunt lib. 16. sect. 62.

106. *Nec viscum.*] Theophr. loco proxime cit. Ἔτι καὶ ἡ ἰξία δοκεῖ, καὶ ἄλλο τι ἐμβλαστάνοντα φθείρειν.

107. *Et cytisus necatur, &c.*] Vide Notas & Emendat. num. XXXIX. De halimo dicemus, lib. 22. sect. 33.

108. *Quorumdam.*] Theophr. lib. 4. histor. cap. 20. totidem verbis.

109. *Ut raphanus.*] Theophr. loc. cit. οἷον ἡ ῥάφανος καὶ ἡ δάφνη τὴν ἄμπελον. Theophrasto, ῥάφανος brassica est: id quod raphanum appellamus, ῥαφανίς. Sed & de raphano id esse verum docebimus lib. 19. sect. 26.

110. *Olfactrix.*] Ita MSS. De vite loquitur Theophr. loc. cit. *Et angi* mox rectius, quam *& tangi.* Etsi in Chiffl. *& tingui.*

111. *Hinc sumpsit.*] Et hæc apud Theophr loc. cit. Sed ῥαφάνου nomine, ut monuimus, brassicam intellexit.

112. *Odit & caulem.*] Hoc est, brassicam.

113. *Odit & corylum*] Unde præceptum illud Virgilianum manavit, lib. 2. Georg. vers. 299.

Neve inter vites corylum sere.

114. *Et fabæ putamina.*] Theophr. lib. 5. de causis, cap. 21. pag. 347.

115 *Ultima venena sunt.*] Vitium

Sect. XXXVIII. 1. *Inter vitia arborum*] Vide Notas & Emend. num. LX.

2. *Invenimus enim.*] Hæc Theophr. lib 2. hist. cap. 4.

3. *Nam & oliva.*] Theophr. loc cit

4. *Et in Bœotia.*] Theophr. de olea, simile prodigium, loc. cit. refert.

5. *A locustis.*] Τὰ ἀττελαβῶν. Vide infra lib. 29. sect. 29.

6. *Mutantur arbores.*] Theophr. loc. cit. & lib. 5. de causis, cap. 8. pag. 333.

7. *Quidam & sorbum.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 3.

8. *Prodigio autem.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 4.

9. *C. Epidii.*] In quibusdam MSS. *Copidii*, male. Γάιον Ἐπίδιον vocat Dio, lib. 44. pag. 244. Vide quæ in Auctorum syllabo diximus.

tento, paulo ante Pompeii Magni bella civilia, paucis ramis eminentibus. Inventum Sibyllinis libris internecionem hominum fore, tantoque eam majorem, quanto propius ab Urbe postea facta esset. Sunt prodigia, & cum alienis locis enascuntur, ut in capitibus statuarum, vel aris, & cum in arboribus ipsis alienæ. [10] Ficus in lauro nata est [11] Cyzici 5 ante obsidionem. [12] Simili modo Trallibus palma in basi Cæsaris Dictatoris circa bella civilia ejus. Necnon & Romæ in Capitolio, [13] in capite bis bello Persei enata palma, victoriam triumphosque portendit: hac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est, [14] M. Messalæ, C. Cassii Censorum lustro. A quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit. Super omnia quæ umquam audita sunt, erit prodigium in nostro 10 ævo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino, [15] Vectii Marcelli e primis equestris ordinis oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde e contrario in locum oliveti profectis.

CAP. XXVI. XXXIX. Nunc expositis arborum morbis, consentaneum est dicere & remedia. Ex his quædam sunt communia omnium, quædam propria quarumdam. Communia: [1] ab-15 laqueatio, [2] accumulatio, [3] afflari radices, aut cooperiri, riguis dato potu vel ablato, fimi succo refectis, putatione levatis onere. [4] Item succo emisso quædam veluti detractio sanguinis: [5] circumrasio corticis: vitium [6] extenuatio, & domitura palmitum; gemmarum, si frigus retorridas hurtasque fecerit, [7] repumicatio, & quædam polítura. [8] Arborum iis aliæ magis, aliæ minus gaudent: veluti cupressus & aquam aspernatur & fimum, & cir-20 cumfossuram, amputationemque, & omnia remedia odit: [9] quin etiam necatur riguis: & vitis, [10] & Punicæ præcipue aluntur. [11] Ficus arbor ipsa riguis alitur, pomum vero ejus [12] marcescit. [13] Amygdalæ si colantur fossione, florem amittunt. Nec insitas circumfodere oportet, priusquam validæ ferre cœperint poma. [14] Plurimæ autem amputari sibi volunt onerosa ac supervacua, sicut nos ungues & capillum. [15] Reciduntur veteres totæ, ac 25 rursus a stolone aliquo resurgunt: sed non omnes, nisi quarum naturam [16] pati diximus.

XL. [1] Rigua æstivis vaporibus utilia, hieme inimica, autumno varia, & ex natura soli: quippe cum vindemitor Hispaniarum stagnante solo uvas demetat. Cetero majore in parte orbis etiam pluvias autumni aquas [2] erivari convenit. Circa Canis ortum rigua

NOTÆ.

10. *Ficus in lauro.*] Sic laurum aliquando in platano provenisse refert Theophr. lib. 3. de causis, cap. 4.

11. *Cyzici.*] De obsidione Cyzicenorum facta a Mithridate, vide Strabonem, lib. 12. pag. 575. & 576.

12. *Simili modo.*] Valerius Max. lib. 1. cap. 6. num. 12. pag. 47. *Palmam viridem*, inquit, *Trallibus in æde Victoriæ sub Cæsaris statua inter coagmenta lapidum justæ magnitudinis enatam.* Refert hoc & Julius Obseq. cap. 125. L. Paulo, C. Marcello Coss. biennio fere ante Cæsaris Dictaturam. Dio quoque, lib. 41. pag. 182. Simile miraculum illud est in quod egregie lusit Philippus epigrammate haud inficeto, lib. 1. Anthol. tit. 20.

Φοίβου ἀνηρεφθεῖσα ποτὲ Δάφνη, νῦν ἀνέτειλας
Καίσαρος ἐκ βωμοῦ, κλῶνα μελαμπέταλον·
Ἐκ δ' ἦν Ζηνὸς ἄδρυν ἀμείψασα. Λητοΐδην γὰρ
Ἐχθαίρουσα, φιλεῖ Ζῆνα τὸν Αἰνεάδην.
Ῥίζαν δ' οὐκ ἀπὸ γῆς μητρὸς βάλεν, ἀλλ' ἀπὸ πέτρης·
Καίσαρσι μὴ πάντα οὐδὲ λίθος δύναται.

Hoc est, interprete Grotio:

Cæsaris ex ara fundit sua germina Daphne,
Quam frustra Phœbi sollicitarat amor:
Mutatus meliore Deo Deus: oderat olim
Latoiden: Latium nunc amat ecce Jovem.
Radicem non fundit humus, sed saxea moles:
Cæsaribus partum non negat ipse lapis.

13. *In capite bis.*] Forte, *in capite Jovis*: nam paulo ante in *capitibus statuarum* dixit. Forte *in ara Jovis*: nam fragmentum Festi, verbo *Religionis præcipua*, hæc habes: *In Capitolio in ara.... sive nata fuerat*: supple, *bello Persico nata fuerat.*

14. *M. Messalæ.*] Lustrum hi fecisse LV. dicuntur in Fastis, anno Urbis DC.

15. *Vectii Marcelli.*] Hoc jam superius retulit, l. 2. sect. 85.

Sect. XXXIX. 1. *Ablaqueatio.*] Ablaqueantur arbores, vitesque, cum circum illas terras foditur, & radices superiores reciduntur. *Déchausser la vigne ou les arbres.*

2. *Accumulatio.*] Fit ea, cum post hiemem aggeratur terra, ac circumfunditur, & veluti circummuniuntur arbores terra optima, ne calore nimio radices exarescant, *Rechausser.*

3. *Afflari radices.*] Radices aperire, ut perflatus ventorum admittant.

4. *Item succo emisso.*] Uti de ulmo dicetur sect. 43. & de amygdalis, & fico.

5. *Circumrasio.*] Cum cortici muscus detrahitur, quo infestatur: id quod vere fit, ut dicetur sect. 45.

6. *Extenuatio.*] Extenuantur vites, domanturque palmites, cum resecantur in pollices, cum hospitari sub jugo coguntur, cum perniciosa luxuria compescitur, ut dictum est superius sect. 35. num. XI. & alibi sæpius.

7. *Repumicatio.*] Fit ea, cum gemmæ propter frigus retorridæ, hoc est, exustæ, decutiuntur a vite, quæ polituram inde quamdam accipit, cum ex solæ sunt residuæ, in quibus spes anni est. Texit insignem calumniam adversus Plinium Salmasius, in Solin. pag. 517. qui cum legisse asseverat apud Theophr. lib. 5. de causis, cap. 12. pag. 337. ἀποκαύσεις τῶν οἰνάρων τῶν μοσχίων, non ἀποκνίσεις, & repumicationem imprudenter reddidisse: nam si in ea voce Plinius aberrarit, & sequentes pariter præpostero sensu accepisse necesse est, τῶν οἰνάρων τῶν μοσχίων, quas de gemmis retorridis a Plinio intellectas esse, sobrius homo nullus dixerit. Quare neque hunc Theophrasti locum Plinius respexit, cum de gemmarum repumicatione scribere instituit: sed alios, quod sæpe facit, auctores sequitur, ipsamque, quod gravius est, experientiam rerum.

8. *Arborum iis.*] Iis remediis. Traduntur hæc a Theophr. lib. 2. hist. cap. 8.

9. *Quin etiam necatur.*] Si, dum novella est, copiosius adaquetur. Theophrast. loc. cit. Οἷον ἡ ἀμυγδαλῆ. καὶ ἡ φιλόκηπος, οὐδὲ φίλυδρος, ἀλλὰ καὶ ἀποξηραίνεσθαί φασι, ἐάν γε πίνῃ ὕδωρ σφοδρότερον πολύ. Ῥοὰ δὲ καὶ ἄμπελος φίλυδρα.

10. *Et Punicæ.*] Palladius lib. 4. in Martio, tit. 10. pag. 92. *Creduntur*, inquit, *acida Punica fieri, si rigentur assidue: nam siccitas in his & suavitatem præstat, & copiam: cujus tamen nimietati aliquid debet humoris apponi.*

11. *Ficus arbor.*] Theophr. loc. cit.

12. *Marcescit.*] Fructus deterior fit, τὸν δὲ καρπὸν ἴσχει χείρονα. Theophr. Sed ficum idem Laconicam ab eo genere eximit, quæ riguis gaudet in primis.

13. *Amygdalæ.*] Palladius, in Januario, tit. 15. de amygdalis: *Circumfodi non debent, quoties florent: quia inde flos ejus excutitur.* Sic & Theophr. lib. 3. de causis, cap. 23. pag. 188.

14. *Plurimæ autem.*] Subintellige, arbores. Et hæc Theophrast. lib. 2. hist. cap. 8. Δεῖται ἀνακαθαίρεσθαι δὲ πάντα ξηρά, &c.

15. *Reciduntur.*] Theophr. loc. cit.

16. *Pati diximus.*] Ut de lauro in primis, lib. 16. sect. 56. *Itaque cum trunco inaruit, recisa etiam lætius fruticat.* De abiete item, eodem libro, sect. 53. De arundine, sect. 66. de alnis, sect. 67. De Punica & malo, sect. 90.

Sect. XL. 1. *Rigua æstivis vaporibus.*] Æstivo calore. Vide lib. 2. sect. 40.

2. *Erivari convenit.*] Rivis factis educi: quoniam eæ tum satis arboribusque inutiles. Idcirco mense Novembri elices & sulcos aquarios fieri Columella præcipit, lib. XI. cap. 2.

maxime

maxime prosunt, ac ne tunc quidem nimia, quoniam inebriatis radicibus nocent. Et ætas modum temperat. Novellæ enim minus sitiunt. Desiderant autem maxime rigari, quæ assuevere. Contra siccis locis genita non experunt humorem, nisi necessarium.

XLI. Asperiora vina rigari utique cupiunt in Sulmonensi Italiæ agro, pago Fabiano, ubi & arva rigant: mirumque, herbæ aqua illa necantur, fruges aluntur, [1] & riguus pro sarculo est. In eodem agro bruma, tanto magis si nives jaceant, geletve, ne frigus vites adurat, [2] circumfundunt riguis, quod ibi tepidare vocant: memorabili natura in amne solo. Sed idem æstate vix tolerandi rigoris.

Cap. XXVII.

XLII. Carbunculi ac rubiginum remedia [1] demonstrabimus volumine proximo. Interim est [2] scarificatio quædam in remediis: cum macie corticis ex ægritudine adstringente se, justoque plus [3] vitalia arborum comprimente, exactam falcis aciem utraque manu imprimentes, perpetuis incisuris deducunt, ac veluti cutem laxant. [4] Salutare id fuisse, argumento sunt dilatatæ cicatrices, & internato corpore expletæ.

XLIII. Magnaque ex parte similis hominum medicina & arborum est, quando [1] earum quoque terebrantur ossa. [2] Amygdalæ ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite, & ab ima parte circumforato defluens pituita abstergeatur. [3] Et ulmis detrahitur succus inutilis, supra terram foratis usque ad medullam in senecta, aut cum alimento nimio abundare sentiuntur. Idem & ficorum turgido cortice incisuris in obliquum levibus emittitur: ita fit ne decidant fructus. [4] Pomiferis, quæ germinant, nec ferunt fructum, fissa radice inditur lapis, fertilesque fiunt. [5] Hoc idem & amygdalis, e robore cuneo adacto. [6] In piris sorbisque, e teda, ac cinere & terra cooperto. [7] Etiam radices circumcidisse prodest vitium luxuriantium ficorumque, & circumcisis cinerem addidisse. [8] Fici serotinæ fiunt, si primæ grossi, cum fabæ magnitudinem excessere, detrahantur: subnascuntur enim quæ serius maturescunt. [9] Eædem cum frondere incipiunt, si cacumina rami cujusque detrahantur, firmiores fertilioresque fiunt: [10] nam caprificatio maturat.

XLIV. [1] In ea culices nasci e grossis manifestum est: quoniam cum evolavere, non inveniuntur intus grana, quæ in eos versa apparet. [2] Exeundi tanta est aviditas, ut plerique aut pede relicto, aut penna pariter erumpant. [3] Est & aliud genus culicum, quos vocant centrinas, fucis apium similes ignavia malitiaque, cum pernicie [4] verorum & utilium: interimunt enim illos, atque [5] ipsi moriuntur. Vexant & tineæ semina ficorum. Contra quas remedium, in eodem scrobe defodere [6] taleam lentisci, inversa parte, quæ fuerit a cacumine. [7] Uberrimas autem ficus rubrica amurca diluta, & cum fimo infusa radicibus frondere incipientium, facit. [8] Caprificorum laudantur maxime nigræ, & in petrosis, quoniam frumenta plurima habeant: [9] caprificatio ipsa post imbrem.

NOTÆ.

Sect. XLI. 1. *Et riguus.*] Rivus ex amne ductus, & vitibus circumfusus, dum harum radicibus adnascentes herbas necat, sarculi vice est.

2. *Circumfundunt riguis.*] Rivis ex amne deductis, cujus aqua hieme tepidior, cujusmodi puteorum fontiumque est.

Sect. XLII. 1. *Demonstrabimus.*] Libro seq sect. 45. & 72.

2. *Scarificatio.*] Apertio facta scalpello. In Indice hujus loci, *castratio* legitur, ex MSS quos sumus secuti: at iidem hoc loco, *scariphatio*, præ se ferunt. Scarificatio dicitur a Theod. Prisciano, lib. 2. parte 2. cap. 1.

3. *Vitalia arborum.*] Pulpam interiorem, materiem, ac medullam

4. *Salutare id.*] Ad crassitudinem arbori parandam: nam dilatatæ cicatrices expletæ sunt ipso arborum corpore ac ligno, quod ibi natum est.

Sect. XLIII. 1. *Earum quoque terebrantur ossa.*] Ut hominum scilicet, ubi carie vitiata sunt. De terebra ad eos usus idonea, Celsum vide, lib. 8. cap. 3.

2. *Amygdalæ ex amaris.*] Sic Theophr. lib. 2. hist. cap. 8. & auctor Geopon. lib. 10. cap. 59. E Latinis, Palladius, lib. 2. in Januar. tit. 15. pag. 46. Causam hujus rei aperit idem Theophr. lib. 2. de causis, cap. 19. pag. 255. Simile est quod de ceraso Palladius prodit in Octobri, tit. 12. *Si cerasus concepto humore putrescit, in trunco foramen accipiat, quo possit educi.*

3. *Et ulmis.*] Columella, lib. 5. cap. 6. pag. 187. *Cum deinde arbor (ulmus) vetustatem fuerit adepta, propter ramum vulnerabitur, ita ut excavetur usque in medullam, qua sit exitus humori, quem ex superiore parte conceperit.*

4. *Pomiferis.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 8.

5. *Hoc idem.* Theophr. & Palladius, locis citatis.

6. *In piris sorbisque, e teda.*] In his, inquit, e teda fit cuneus, qui adigatur. Columella, lib. 5. cap. 10. pag. 201. *Pirus ut sit ferax, cum adoleverit, abe eam ablaqueato, & juxta ipsam radicem truncum findito, & fissuram cuneo teda pinea adigito, & ibi relinquito: deinde absumpta ablaqueatione, cinerem supra terram invicito.* Eadem Palladius habet, loc. cit. pag. 45. de sorbo *Si minus ferre coeperit, teda cuneus ejus radicibus inferatur: vel circa partem ultimam fossa facta cumulo ingesti cineris adæquetur.*

7. *Etiam radices.*] Theophr. lib. 2. hist. cap. 8. & Pallad. lib. 4. in Martio, tit. 10. pag. 98.

8. *Fici serotinæ.*] Colum. loc. cit. pag. 200. *Si voles ficum, quamvis non natura, seram facere, tum grossulos, prioremve fructum decutito: iterum alterum edet, quem in hiemem differet. Nonnunquam etiam, cum frondescere coeperunt cacumina fici, ferro summa prodest amputare: sic firmiores arbores & feraciores fiunt,* &c. Palladius item in Martio, lib. 4. tit. 10 de ficu, pag. 99.

9. *Eædem cum.*] Columella & Palladius, locis citatis.

10. *Nam caprificatio.*] Vide Notas & Emend. num. XLI.

Sect. XLIV. 1. *In ea culices.*] Hæc ad verbum Theophr. lib. 2. hist. cap. 9. De his jam antea egimus lib. 15. sect. 21.

2. *Exeundi tanta.*] Theophr. loc. cit.

3. *Est & aliud.*] Theophr. Γένος δέ τι καὶ ἕτερόν ἐν τῷ ψηνὶ, ὃ καλοῦσι κεντρίνας. Hesychius: Κεντρίναι, γένος τι ζῴων. Et MSS. Reg. Colb. Th. *centrinas.* Et mox, *fucis apium,* non *apum.*

4. *Verorum & utilium.*] Verorum culicum, qui caprificationi sunt utiles, quos illi qui fucorum malitiam ignaviamque æmulantur, interimunt. Theophr. loc. cit.

5. *Ipsi moriuntur.*] Theophr. *intus moriuntur*: ἐναποθνήσκουσιν.

6. *Taleam lentisci.*] Vide Notas & Emend. num. XLII.

7. *Uberrimas.*] Columella, lib. 5. de re rust. cap. 10. pag. 100. *Semper conveniet, simul atque folia agere coeperint ficus, rubricam amurca diluere, & cum stercore humano ad radicem infundere: ea res efficit uberiorem fructum, & farctum fici pleniorem ac meliorem.*

8. *Caprificorum.*] Sic Theophr. lib. 2. histor. cap. 7. αἱ μέλαιναι αἱ ἐκ τῶν πετρωδῶν χωρίων. Frumenta vero grana sunt ficorum: qua voce jam antea usus, lib. 15. sect. 21.

9. *Caprificatio.*] Post imbrem ea recte peragitur, ὕειν ὕοντος. Theophr.

XLV. In primis autem cavendum, ne ex remediis vitia fiant: quod evenit nimia aut intempestiva medicina. [1] Interlucatio arboribus prodest: sed omnium annorum trucidatio inutilissima. Vitis tantum tonsuram annuam quærit, alternam vero myrtus, Punicæ, oleæ, quia celeriter fruticescunt. Ceteræ rarius tondentur, nulla autumno. [2] Ac ne raduntur quidem, nisi vere. [3] Putatione plagæ ad vitalia sunt omnia quæcumque non supervacua.

XLVI. Similis fimi ratio. Gaudent eo, sed cavendum ne in fervore Solis admoveatur, ne immaturum, ne validius quam opus sit. Urit vineas suillum, nisi quinquennio interposito, præterquam si riguis diluatur: & [1] e coriariorum sordibus, nisi admixta aqua. [a] item largius. Justum existimant in denos pedes quadratos, tres modios. Id quidem soli natura decernet.

XLVII. Columbino ac suillo plagis quoque arborum medentur. [1] Si mala Punica acida nascantur, ablaqueatis radicibus fimum suillum adhibent: eo anno vinolenta, proximo dulcia futura. [2] Alii urina hominis aqua mixta riganda censent quater anno, singulis amphoris: aut cacumina spargi vino lasere diluto. [3] Si findantur in arbore, pediculum intorqueri. [4] Ficis utique amurcam affundi. [5] Ceteris arboribus ægris fæcem vini, aut lupinum circum radices earum seri. Aqua quoque lupini decocti circumfusa pomis prodest. Fici, cum [6] Vulcanalibus tonuit, cadunt. Remedium est, ut ante stipula hordeacea [7] areæ stringantur. Cerasos præcoces facit, cogitque maturescere calx admota radicibus. [8] Et hoc autem, & omnia poma intervelli melius est, ut quæ relicta sint, grandescant.

CAP. XXVIII. Quædam pœna emendantur, [9] aut morsu excitantur, ut palmæ & lentisci. [10] Salsis enim aquis aluntur. Salis vim & cineres, sed leniorem, habent: [11] ideo fici asperguntur, rutaque, ne fiant verminosæ, neve radices putrescant. [12] Quin & vitium radicibus, aquam salsam jubent affundi, si sint lacrymosæ: [13] si vero fructus earum decidant, cinerem aceto aspergi, ipsasque illini, aut sandaracha, si putrescat uva. [14] Si vero fertiles non sint, aceto acri subacto cinere rigari atque oblini. [15] Quod si fructum non maturent, prius inarescentem, præcisarum ad radices plagam, fibrasque, aceto acri & urina vetusta madefacere, atque eo luto obruere, sæpe fodere. [16] Olearum, si parum promisere fructus, nudatas radices hiberno frigori opponunt, eaque castigatione proficiunt. Omnia hæc annua cæli ratione constant: & aliquando serius poscuntur, aliquando celerius. Necnon ignis aliquid prodest, ut arundini: ambusta namque densior mitiorque surgit.

[17] Cato & medicamenta quædam componit, mensuræ quoque distinctione, ad majo-

INTERPRETATIO.

a *Item.*] Item *quodvis fimum vineas urit*, si largius *fit*.

NOTÆ.

Sect. XLV. 1. *Interlucatio.*] Quid ea sit, diximus sect. 19.

2. *Ac ne raduntur.*] Raduntur arbores, ut muscus detrahatur, quibus infestantur. *Muscus, qui more compedis crura vitium devincta comprimit, situque & veterno macerat, ferro distringendus & eradendus est*, inquit Columella, lib. 4. cap. 24 Palladius, in Febr. tit. 12. *Muscus radatur, ubicumque repertus*. Idem Colum. lib. XI. cap. 2. in Maio: *Olea putantur, & emuscantur*. Salmasium mirot, contra librorum omnium fidem, legi hic velle: *Ac ne eradicantur quidem*: cum præsertim tonsuræ ac putationi rasio belle componatur: eradicatio, nullo modo.

3. *Putatione plagæ.*] Dum vites, inquit, & arbores putantur, plagæ fiunt usque ad vitalia omnia, quæ non sunt supervacua. Hoc est, lignum omne materiesque demitur in ramis, usque ad eam quæ non sit omnino supervacua. Brevius, deputatur quidquid inutile.

Sect. XLVI. 1. *E coriariorum.*] De his egimus sect. 6. Theophrastu, lib. 3. de causis, cap. 25. pag. 287. σκυτοδέψικὸν dicitur.

Sect. XLVII. 1. *Si mala Punica.*] Colum lib 5. cap. 201. *Quod si acidum, aut minus dulcem fructum feret, hoc modo emendabitur. Stercore suillo & humano, urinaque vetere radices rigato. Ea res & fertilem arborem reddit, & primis annis fructum vinosum, & post quinquennium dulcem & apyrenum facit. Nos exiguum admodum laseris vino diluimus, & ita cacumina arboris summa oblevimus: ea res emendavit acorem malorum.* Hæc quoque Palladius, aliaque suggerit similia medicamenta, lib. 4. in Martio, tit. 9. pag 92.

2. *Alii urina.*] Pallad. loc. cit.

3. *Si findatur.*] Colum. loc. cit. *Mala Punica ne in arbore rumpantur . . . . ramulos, quibus dependent, intorqueto . eodem modo servabuntur incorrupta etiam toto anno.* Palladius item loc. cit.

4. *Ficis utique.*] Pallad. loc. cit. tit. 10. de ficu, post Columellam lib. 5. cap. 10. pag 200.

5. *Ceteris arboribus.*] Pallad. lib. XI in Octob. tit. 12. de pomis: *Si ægra est arbor, faces vini veteris ablaqueata oportet infundi*, &c. De piro similiter, in Febr. tit. 25.

6. *Vulcanalibus.* De his libro sequente, sect. 35.

7. *Areæ stringantur*] Sic MSS. editique omnes: recte. Sententia est, adversus vim tonitrui, ne ficus decidant, remedium illud a rusticantibus hominibus adhiberi: areas nimirum stipula hordeacea spisse ac dense spargi. Id enim vox ea, *stringi*, hoc loco sonat.

8. *Et hoc autem, & omnia.*] Cerasum, inquit, & alia poma Hoc illud est quod Palladius ait, in Junio, tit. 5. *Nunc pira, vel mala, ubi ramos multa poma densabunt, interleganda sunt quæcumque vitiosa, ut succus qui ingrate his posset impendi, ad meliora vertatur.* Affinis est earum vocum significatio, *interlegi, intervelli, interradi*. Vide quæ de hac postrema diximus lib. 15. sect. 2. *Intervelli* dixit pariter Columella, lib 4. cap 33.

9. *Aut morsu.*] Si acria affundantur radicibus, quibus hæ quasi morsu ac vellicatione quadam excitantur. Theophr. lib 3 de causis, cap 23 pag 287. Αἱ δὲ ῥίζαι δέονται τοῦ κνίζεσθαι . . . . Καὶ γὰρ οὖρον παραχέουσι καὶ τὰ ὄμφακα, καὶ τὰ σκυτοδέψικὰ παραβάλλουσι. *Et radices arborum mordere desiderant . . . Idcirco his affundunt urinam, & pellium faces accumulant.*

10. *Salsis enim.*] Vide quæ diximus sect 3. nota 20.

11. *Ideo fici . . . . rutaque.*] Hoc de ruta speciatim Palladius in Martio, tit. 9. Ficu idem, ne verminosa fiat, amurcam affundit, aut veterem urinam.

12. *Quin & vitium.*] Auctor Geopon. lib. 5. cap 37. ἀπὸ ῥυάδος ἀμπέλου

13. *Si vero fructus*] Geopon. loc. cit.

14. *Si vero fertiles*] Geopon. lib. 5. cap 35.

15 *Quod si fructum.*] Geopon. lib. 5 cap. 32. & 33. Pallad. lib. 4. in Martio, tit. 7. pag. 86. *Ægras vites, vel quibus fructus arescit, circumfodies, & urinam veterem suffundes. Item cinerem farmenti vel quercus aceto mixtum subjice*, &c.

16 *Olearum.*] Plura sterilitatis olearum remedia suggeret auctor Geopon. lib. 9. cap 10

17. *Cato.*] De re rust. cap. 93. pag 55. *Olea, si fructum non feret, ablaqueato: postea stramenta circumponito Postea amur-*

rum arborum radices amphoram, ad minorum urnam amurcæ, & aquæ portionem æquam, ablaqueatis prius radicibus paulatim affundi jubens. In olea hoc amplius, stramentis ante circumpositis: item fico. [18] Hujus præcipue vere terram adaggerari radicibus: ita futurum, ut non decidant grossi; majorque fecunditas, nec scabra proveniat. [19] Simili modo, ne convolvulus fiat in vinea, amurcæ congios duos decoqui in crassitudinem mellis: rursusque cum bituminis tertia parte, & sulphuris quarta sub dio coqui, quoniam [20] exardescat sub tecto. Hoc vites circa capita ac sub brachiis ungi: ita non fore convolvulum. Quidam contenti sunt fumo hujus mixturæ suffire vineas secundo flatu, continuo triduo. [21] Plerique non minus auxilii & alimenti arbitrantur in urina, quam Cato in amurca, addita modo aquæ pari portione, quoniam per se noceat. [22] Alii volucre appellant animal prærodens pubescentes uvas: [23] quod ne accidat, falces, cum sint exacutæ, fibrina pelle detergent, atque ita putant: sanguine ursino liniri volunt post putationem easdem. Sunt arborum pestes & formicæ. [24] Has abigunt, rubrica ac pice liquida perunctis caudicibus: nec non & pisce suspenso juxta in unum locum congregant: aut lupino trito cum oleo radices linunt. [25] Multi & talpas amurca necant: [26] contraque erucas, & mala ne putrescant, lacertæ viridis felle tangi cacumina jubent. [27] Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas a [28] muliere incitati mensis, nudis pedibus, recincta. Item ne quod animal pastu malefico decerpat frondem, fimo boum diluto aspergi folia, quoties imber interveniat, [29] quoniam ita abluatur virus medicaminis: mira quædam excogitante solertia humana. Quippe cum averti carmine grandines credant plerique: cujus verba inserere non equidem serio ausim, quanquam [30] a Catone prodita, contra luxata membra, jungenda [31] arundinum fissuræ. [32] Idem arbores religiosas lucosque succidi permisit, sacrificio prius facto: cujus rei rationem precationemque eodem volumine tradidit.

Notæ.

eam cum aqua commisceto æquas partes. Deinde ad oleam circumfundito: ad arborem maximam amphoram commistis sat est: ad minores arbores pro ratione indito. Et idem hoc si facies ad arbores feraces, eæ quoque meliores fient: ad eas tamen stramenta ne addideris.

18. *Hujus præcipue vere*] Ita MSS. Cato, cap 94. pag. 56. *Fici uti grossos teneant, facito omnino, quo modo olea, & hoc amplius. Cum ver appetet, terram adaggerato bene. Si ita feceris, & grossi non cadent, & fici scabræ non fient, & multo feraciores erunt.* Prius infulse *veterem terram* in libris hactenus editis legebatur.

19. *Simili modo*] Et hoc Cato totidem verbis, cap. 95. pag 56 *Convolvulus in vinea ne fiet, amurcam condito, puram bene facito, in vas ahenum indito congios duos: postea igni leni coquito, rudicula agitato crebro, usque adeo dum fiat tam crassum quam mel. Postea sumito bituminis tertiarium, & sulphuris quartarium. Conterito in mortario seorsum utrumque. Postea infriato quam minutissime in amurcam caldam, & simul rudicula miscetato, & denuo coquito sub dio. Nam si in tecto coquas, cum bitumen & sulfur additum est, exardescet. Ubi erit tam crassum quam viscum, sinito frigescat. Hoc vitem caput & sub brachia unguito, convolvulus non nascetur.* Convolvulus Græcis ἴξ, inquit dicitur: vermiculus vitium foliis sese involvens: quocirca involvulum Plautus appellat, in Cistel. act. 4. sc. 2 vers. 63.

Imitatur nequam bestiam & damnificam. PH. *Quamnam amabo?*

LA. *Involvulum, quæ in pampini folio intorta. implicat se.*

Festus: *Involvulus, vermiculi genus, qui se involvit pampino.*

20. *Exardescat.*] Ita MSS. recte. Cato haud magis proprie, *excandescet.*

21. *Plerique non.*] Columella, lib. 5 cap. 9 pag. 198. de olea: *Sed & sine ablaqueatione adjuvanda est amurca insulsa, vim stilla vel nostra urina vetere: cujus utriusque modus servatur. nam maxima arbori, ut tantumdem aqua misceatur, urna abunde erit.*

22. *Alii volucre.*] Diversum a convolvulo animal. Neque enim convolvulus pubescentes prærodit uvas: sed vermiculus erucæ minimæ specie, colore cinereo, ex ipsius erucæ ovis natus. Pedunculos φθεῖρας vocat Auctor Geopon. lib. 5. cap. 30 pag. 147. Vide Notas & Emendationes, num. LXIII.

23. *Quod ne accidat, &c.*] Colum. lib. de arboribus, cap. 15. & Geopon. auctor, loc. cit. Pallad. lib. 1. cap. 35. pag. 28. ursinum adipem pariter ad eos usus laudat.

24. *Has abigunt.*] Palladius, lib. 4 in Martio, tit 10. cap de ficu, pag. 98 *Si formicæ molestæ sunt, rubrica, butyro, & pice liquida mixta circa truncum debet induci. Alii coracinum piscem contra formicas in arbore suspendendum esse confirmant.* Idem & lupinum ad eam rem commendat, lib. 1. tit. 35.

25. *Multi & talpas.*] Alia adversus illas remedia Palladius affert, in Martio, tit 9 *Contra talpas prodest cattos frequentre habere in mediis carduetis. Mustelas habent plerique mansuetas. Aliqui foramina illarum rubrica & succo agrestis cucumeris impleverunt. Nonnulli juxta cubilia talparum plures cavernas aperiunt, ut illæ territa fugiant Solis admissu. Plerique laqueos in aditu earum feris pendentibus ponunt.*

26. *Contraque erucas.*] MSS. omnes ubique *urucas* praferunt.

27. *Privatim autem.*] Vide quæ dicturi sumus libro 29. sect. 23.

28. *Mulieri incitati mensis.*] Mulieri quæ in menstruis est, cui menses fluunt.

29. *Quoniam ita.*] Quoniam adveniente mox imbre simo virus omne abluitur.

30. *A Catone prodita.*] Cap. 160. de re rust. pag. 89. *Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet. Arundinem prende tibi viridem P. IV aut V. longam Mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in malo. S. F.* (hoc est, luxatis fracto:) *motas danatas darie dardaries astataries. Dis. una pares usque dum coeant.... Ubi coierint, & altera alteram tetigerit, &c.*

31. *Arundinum fissuræ.*] Carmini adjungitur arundo fissa: luxato membro applicatur: carmen recitatur, dum arundo gemina coeat.

32. *Idem arbores.*] Cato, de re rust cap. 139. pag. 53. *Lucum conlucare Romano more sic oportet Porco piaculo facito Sic verba concipito. Si Deus, si Dea es, quoium illud sacrum est, uti tibi jus fiet porco piaculo facere illiusce sacri coercendi ergo, &c.* Luci sacri scilicet erant incædui Ovid. lib. 8. Metam. vers. 743.

Ille etiam Cereale nemus violasse securi

Dicitur, & lucos ferro temerasse vetustos.

Itaque modum voluit ducere Cato, quo rite & sine piaculo id fieret *Conlucare*, inquit Festus, (verbo *sublucare*) *est succisis arboribus locum implere luce. Sublucare arbores, est ramos earum supputare, & veluti subtus lucem mittere.* Et verbo ipso *conlucare*: *Conlucare dicebant, cum profanæ silvæ rami decideretur officientes lumini* Glossæ Græco-Lat. Διακλαδεύω Nideo, conluco.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XVII.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. SED *prius mirari succurrit, quæ vetustimus pomaria pro indiviso possessa a feris.*] Sincerissima hæc est omnium codicum lectio, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. Chiffl. aliorumque, nunc primum a nobis restituta: cum interpolatorum scelere in vulgatis libris ita legeretur: *qua absolutimus pomaria*, vel *pene injuria*, labefactata prorsus hujus loci sententia. Innuit enim Plinius haud obscure, docuisse se aliquanto prius arborum fetus non hominum modo, sed & ferarum quoque, volucriumque usibus destinatos: Atque id sane verbis conceptis prodidit ipso libri superioris exordio, ubi de pomiferis arboribus agens, *ad manus etiam*, inquit, *feris volucribusque dedimus.*

Sect. 2. II. *Ad cæli cunctique mores.*] Prius legebatur insulse, *minores.* At præterquam *mores* habent exemplaria omnia manu exarata, Reg. Colb. Th. est usu recepta Latinorum ea forma loquendi, *cæli mores*. Plinioque ipsi lib. 14. sect. 3 ubi cæli mores dixit, solique ingenia. Virgilio quoque lib. 1. Georg. vers. 51.

> *Ventos, & varium cæli prædiscere morem*
> *Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum.*

Cæli statum dixit Columella, lib. 1. de re rust. cap. 1.

Ibid. III. *In Africa meridiem vineas spectare, cum inutile, colono insalubre est.* Columella Plinio suffragatur, lib. 3. de re rust. cap. 12. pag. 10. *Fervestibus provinciis, ut Ægypto & Numidia, uni septemtrioni recitus opponentur*, vineta scilicet. Quapropter visa longe est potior scriptura codicum MSS. in quibus *colono insalubre* legitur, quam editorum, in quibus, plane contra scriptoris mentem, & a veritate prorsus abhorrente sententia, *colono salubre*. Irrepserat & alterum paulo post insigne mendum, præpostera interpunctione, quam nos omnium primi sanavimus. Sic enim libri editi exhibent. *Quapropter qui ibi*, in Africa, *in occasum aut septemtriones conseret, optime miscebit solum cælo, cum Virgilius occasus improbet. Nec de septemtrione relinqui dubitatio videtur. Atqui in Cisalpina Italia magna ex parte vineis positis, compertum est nullas esse fertiliores.* Cui vero, amabo, idonea ea ratio videatur, cur probetur occasus in Africa, quod Virgilius occasum improbet? Scribi nempe, ut curavimus, oportuit: *optime miscebit solum cælo. Cum Virgilius occasus improbet, nec de septemtrione relinqui dubitatio videtur.* quam emendationem & ipsa orationis series, & interpretatio nostra corroborat.

Ibid. IV. *Stimulis & fluminum, stagnorumque ratio. Nebulis adurunt, aut æstuantia refrigerant. Opacitate, atque etiam rigore gaudent, quæ diximus.*] Locum hunc partim ope codicum ante laudatorum refinximus, partim ex indubitata conjectura aliter, quam olim interpunximus. Sic enim prius legebatur: *Nebulis adurunt, & æstuantia refrigerant opacitate, atque etiam, &c.* In MSS omnibus, *aut.* Atqui prior pars hujus orationis, *nebulis adurunt*, &c. ad flumina & stagna spectat, ut diximus. Posterior, *opacitate*, &c. ad arbores, quæ varios cæli situs postulant.

Sect. 3 V. *Terram amaram, sive macram, si quis probare velit, demonstrant eas atræ, degeneresque herbæ.*] Sic totidem plane litteris & apicibus Colb. 2. 3 & Paris. nisi quod *eam* habent, non *eas.* At in Reg. 1. 2. Colb. 2. Thuan. & aliis, *eas* legitur. In his tamen posterius appellatis mutila sententia est in hunc modum. *Terram amaram probaturum, demonstrant eas*, &c. Unde Salmasius ita refingit, in Solin. pag. 114. *Terram amaram probaturum demonstrantis atræ degeneresque herbæ*, &c.

Ibid. VI. *Erit igitur hæc optima & operi, & satis.*] In edit. Parm. *& operi fatiosa.* Hermolaus, *& operi fatior.* Reg. 1. & Colb. ut Chiffl. *& operi fatia.* Reg. 2. & Tolet. *& operiet fata.* Unde Pintiani conjectura fuit, quam consecuti sumus, *& operi, & satis.* Conjecturam egregie firmamus, ex auctore Geoponicon, lib. 2. cap. 8. pag. 46. ita statuente, laudatissimum esse solum terræ nigræ, quia & ad sata percommoda sit, nec repugnet operi, *καὶ τοῖς ἀρότροις ὑπακούειν ἔχουσαν, καὶ μὴ δυσεργῆ.* Sed & haud paulo validiore argumento, ex ipsius Plinii verbis, qui paulo ante, cum de argilla & rubrica ageret, ubi operi difficillimas has esse dixit, subjecit idem: *Quanquam non quod operi, hoc & fructus sit adversum.* Unde liquido intelligas in probatione terræ dotem hanc geminam ab eo desiderari, ut & operi optima sit, & satis, seu frugibus.

Sect. 4. VII. *Signino modo.*] Prius legebatur, *cymini modo.* Cyminum vero nocere solo nusquam legere me memini. Neque vero *cymini* habent MSS. ulli codices, sed uti curavimus edi, *Signino*, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. Chiffl. vet. Dalec. Glyssomargam vero recte intelligimus, quum densius justo immittitur, instar pavimenti Signini sua spissitate hoc afferre incommodi, quod Theophr. lib. 3. de causis, cap. 20. pag. 293. cavari monet ab humido limosoque solo, cum siccatur, ut commissa semina oblinat, obstruatque, adeo ut transmittendi potestatem adimat. Signini operis densitatem, præter ea quæ sumus alibi dicturi, illud Columellæ dictum arguit, lib. 1. cap. 6. *Solum terrenum . . . velut Signinum opus, pavimentis condensatur.*

Sect. 9. VIII. *Aut insito & confecto arboris trunco.*] Forte sincerior lectio Reg. 2. & Tolet. quem Pintianus laudat, *aut insito in confecto arboris trunco.* Modum enim insitionis explicat, quem diximus, qui confecto fieret fissoque summo arboris trunco, insertisque eo surculis, *inter eu fente*. De eo inserendi modo Virgilius, lib. 2. Georg. vers. 78.

> *Aut rursum enodes trunci resecantur, & alte*
> *Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces*
> *Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens*
> *Exiit ad cælum ramis felicibus arbos:*
> *Miraturque novas frondes, & non sua poma.*

Alteram simul inserendi viam, quæ fiebat semine, uti dictum est sect. 22. subobscure Plinius indicat: cum & altera ratione, hoc est, & confecto arboris trunco, fieri insitionem docet. Cave porro Dalecampium audias, hæc verba, *confecto arboris trunco*, sic interpretantem, *concisis frustulatim & in terram demisso*: quod quemadmodum fieri possit, nemo qui agriculationi studuerit, novit: etsi Dalecampium hac parte Virgilii quosdam interpretes secutos intelligimus.

Sect. 11. IX. *Sic & spinas sepis causa serunt, tomice moris spinarum circumlita. Pilas autem lauros & myrti inopia a trimatu tempestivum est transferre.*] Sic libri omnes, tum exarati manu, tum typis editi. Has vero *pilas* concoquere Dalecampius cum minime posset, nec capere quid eæ sibi vellent, quid ea vox valeret, sic immutare, seu verius pessumdare locum hunc omni ope nitebatur: *Pullas autem lauros & myrtos μαύρας, a trimatu*, &c. Lauros deinde ac myrtos ait, cum sint grandiores, a colore subnigro *μαύρας* vocari. Quosdam legere addit idem: *Pullos autem lauri & myrti in inopia.* Alios, *Pullulos autem.* Sed nec a germana hujus loci scriptura, quam exemplaria omnia præ se ferunt, discessisse oportuit, & quid *pilæ* essent decuit indagare solertius. Est enim hujus loci sententia, ut diximus, baccas lauri myrtique, recte, seu tomice, ut dictum est, circumlitas, atque adeo pilarum effigiem exhibentes, atque ita satas, ubi cogit inopia, statim a trimatu tempestive transferri. Myrtum quidem ita seri, non ex Plinio modo, hac ipsa sect. liquet, sed & ex Florentino, in Geoponicis, ut diximus prioribus Notis. Sic Palladius in Martio, tit. de citreo: *Potest hinc trima planta transferri.*

Sect. 14. X. *Ob hoc pariter vestigiis.*] Sinceriorem hanc arbitrati sumus Chiffl. codicis lectionem, quam librorum hactenus editorum, *ob hoc pariter vestigiis*. Catonis in primis auctoritate adducti, a quo manasse hæc videntur. Is enim lib. de re rust. cap. 151. ubi terram supercernis seminibus cribratam jussit, *id bene tabula*, inquit, *manibus, aut pedibus complanato*: quibus verbis, gravius onus excipitur.

Sect. 15. XI. *Rariores serendas in campestribus.*] Hoc est, versu & ordine laxiore. In libris hactenus editis *ardiores* perperam. In MSS Reg. Colb. Th. & Tolet. *arares*: unde nos *rariores* elicuimus. Antecedit enim, *Intervalla ex loci natura sumuntur.* Vox autem *rariores* spatii & intervalli laxitatem notat. Sic ipse Plinius, sect. 35. pluvio & caliginoso tractu rariores vineas poni jubet, sicco densiores. Et, quod caput rei est, sicut rariores hoc loco monet serendas in campestribus arbores, sic versa vice sect. 19. hujus libri *per se colles munera* arborum *quærere intervalla* docet: quod

Theophrasti quoque calculo, ipsaque experientia comprobatur.

Sect. 16. XII. *In pronis palmo amplius.*] In libris hactenus editis modo *pronis* modo *prunis* legitur. Nos ex indubitata conjectura *pronis* admisimus: scrobium enim distinctionem ex terrenæ diversitate facit: Præcessit enim, *Altitudinem earum in argilloso, aut duro solo trium cubitorum esse*: unde apposite sequitur, *In pronis* vero *palmo amplius.* Et plane constat Columellam lib. 3. cap. 13. acclivibus locis semipedem amplius alte fodiendum, quam campestribus, præcipere. *Campestris locus*, inquit, *alte duos pedes & semissem infodiendus est: acclivis regio, tres.*

Ibid. XIII. *Quino semipede.*] Hoc est, ut diximus, pedibus binis & semisse: non, uti Dalecampius putavit, & Casaubonus, ad Theophr. Charact. pag. 113. quatuor pedibus & semisse. Xenophon similia tradit, cujus hæc oratio de scrobibus in Oeconomico, pag. 864. Τίνα δὲ αὐτῶν εἶδες βαθύτερον τριπόδου; οὐδὲ μὰ Δί', ἔγωγε ἔφην, πενθημιποδίου. *Vidistine*, inquit, *scrobem tribus pedibus altiorem? Sed neque me hercule*, inquam, *duobus pedibus & semisse.* Πενθημιπόδιον vertere Plinius potuisset, sestertium pedem, ut erat in XII. Tabulis, teste Volusio Mæciano, sed Græco more maluit, *quinto semipede* dicere. Pergit porro idem Xenophon de latitudine pronunciare pariter cum Plinio: Τί δέ; τὸ πλάτος ἤδη τινὰ τριπόδου πλέον εἶδες; οὐδὲ μὰ Δί', ἔφην ἐγώ, διπόδου. *Quid autem? unquamne vidisti scrobem aliquando, cujus latitudo tres pedes excederet? Imo*, inquam, *non supra duos pedes.*

Ibid. XIV. *Nusquam vero sesquipede minus altos.*] Pintianus frustra reponere nititur, *Nunquam vero*, contraria plane sententia. Plinius Græcos scriptores sequitur, quorum placita de scrobibus ex scribi nunc a se ipse prodit. Sic certe Xenophon loco cit. Ἴθι δή, καὶ τόδε ἀπόκριναί μοι, τίνα εἶδες τὸ βάθος ἐλάττονα ποδιαῖον; οὐδὲ μὰ Δί', ἔφην ἔγωγε τριημιποδίου. *Age vero, etiam hoc mihi respondeto, num quam vidisti scrobem, quæ non esset pedem unum alta? Imo vero, nullam, quæ non tertium semipedem, hoc est, sesquipedem alta foret*, inquam ego. Ac paulo post denique colligit scrobem fodi nullum, duobus pedibus ac semisse profundiorem, hoc est, quino semipede: nullum sesquipede: ἀπὸ βαθύτερον πενθημιποδίου: ὅτι, βραχύτερον τριημιποδίου. Theophr. quoque lib. 2. hist. cap. 7. τριῶν ἡμιποδίων dixit, ubi recte Gaza *ternis semipedibus*, hoc est, sesquipede. Sic libro 26. sect. 46. sesquiobolum Plinius dicit, ubi Dioscorides lib. 4. cap. 177. τριῶν ἡμιωβολίων.

Ibid. XV. *Quoniam in humido solo.*] Dalecampius contra fidem omnium exemplarium, contra scriptoris sententiam, atque adeo contra rem ipsam, scribit, *Quamvis in humido solo.* Negat Plinius ultra sesquipedem proferri fossuram oportere, in humido solo, quoniam ibi nocet aquæ vicinitas. Græcorum disciplinam, ac Xenophontis instituta amplectitur, qui totidem fere verbis loc. cit. Ἐπεὶ ὅ γε τῇ ὑγρᾷ ὀρύττοιτο βαθύς, ὕδωρ ἂν ἀνίζανοι, καὶ οὐκ ἂν δύναιο ἔτι ἐν ὕδατι φυτεύειν. Suffragatur etiam Columella, lib. 3. cap. 13. pag. 112. *Nisi tamen, si scaturigo palustris obstat, sicut in agro Ravennate, plusquam sesquipedem prohibeat infodere.*

Ibid. XVI. *Testas, aliqui lapides.*] Ita rescripsimus admonitu codicum Reg. Colb. ceterorumque, cum prius perverse legeretur, *terra. Aliqui lapides.* Haud dubie Plinius Virgilium notat in Georgicis ita præcipientem, lib. 2. vers. 348.

> *Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas.*
> *Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit*
> *Halitus, atque animos tollent sata. Jamque reperti*
> *Qui saxo super atque ingentis pondere testæ*
> *Vrgerent: hoc effusos munimen ad imbres:*
> *Hoc, ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.*

Ibid. XVII. *Quæ vitio carent reliqua poma similiter sata.* Vel ipsa orationis structura clamat supersluere negationem, quæ hoc loco irrepserat, *quæ vitio non carent.* Eam igitur intrepide erasimus, non admonitu modo codicum Reg. Colb. Th. aliorumque, a quibus ea abest, sed Theophrasti magis, docentis, lib. 5. de causis, cap. 7. pag. 332. & cap. XI. pag. 336. quæ lentisco aut scillæ inserta terræ mandantur, & meliora evadere, nec vermiculationem sentire: ὅπερ ὑπὸ σχίνῳ φυτεύουσιν, ἢ σκίλλῃ, πάντα τὰ βλαστάνει ἄμεινον καὶ ἀσκώληκα φυτεύεται . . . ἐν σχίνῳ δὲ φυτευόμενα, καθ' ἀσκωληκα γίνεται.

Sect. 18. XVIII. *Necat gramina & pinus: sed utraque* (pinus & juglans) *ventis resistit: quæ jam & protecta vinearum ratione egent.*] Non uno vitio laborabat hic locus, antequam et medicinam faceremus. Editi hactenus libri, *Necat gramina*: at MSS. omnes *gramina* incredibili consensu exhibent: & mox auctor ipse graminis se in primis ratiocin habuisse suadet, cum ait: *Jucunda & platani umbra: licet gramini credere, haud alia latius operiente toros.* Partem deinde alteram hujus loci sic libri omnesvtum exarati manu, tum editi, repræsentant: *Quoniam & protecta vinearum rationi egent.* Quibus verbis cum nulla subesse legitima sententia possit, alii aliter emendare conati. In editione Elzeviriana, satis sane confidenter, vocum sedibus permutatis, nec satis tamen feliciter, cum nulla ob id elici sententia probabilis possit, legitur: *ventis quoniam resistit, protecta vinearum ratione egent.* Fuit cum legendum putarem, *quoniam procellis*, (vel *protecto*) *vinearum rationi egent*, Pellicerium secutus in Notis MSS. Sed in ea voce, *quoniam*, indicari causam cur ventis resistat; vis quidem vocabuli exigit; at reddi hoc loco nec oratio patitur, nec ratio. Itaque non infelici, ut reor, conjectura, *quæ jam* pro *quoniam* restituimus: qua levissima mutatione jam sua constat orationi Plinianæ integritas, sententiaque. Vult enim eo nomine, quod ventis arbor utraque resistit, utroque illo genere protecta vinearum egere. Sunt autem *protecta*, (sive *proiecta*, ut quidam MSS exhibent, quod idem valet; nam est vox utraque ejus significatus:) quæcumque imbres aut ventos arcent. Sic libro 16. sect. 14 *projecta*, sive *protecta tegurriorum*: est enim protegere, tectum projicere, ut ex Tullio discimus in Topicis. Usus ea voce Ulpianus, leg Quemadmodum, dig. Ad legem Aquiliam: *Si protectum meum, quod supra domum tuam & nullo jure habebam, recidisses.* &c. Porro *qua ratione*, neque enim id omitti debet, familiaris Plinio locutio est; ut ex indice apparebit.

Sect. 19. XIX. *Olea, . . . de qua Catonis Italica sententia est: in XXV. pedibus minimum, plurimum XXX. seri.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Quanquam non placet ea lectio Pintiano, qui legendum censet, *de qua catholica sententia*: Nam *Catonis* ut legatur, inquit, nullo pacto procedit: cum apud Catonem hoc præceptum nusquam appareat. At apparet sane: nam exstat illud planissime, cap. 16. pag. 12. *Hoc genus*, inquit, *in XXV. aut in XXX. pedes conserito.* Id vero placitum Italico tantum cælo congruere Plinius admonet, cum subjungit statim, *sed hoc variatur locorum natura*: agitque de Bætica deinde, & Africa.

Sect. 24. XX. *Hoc est, germinatione turgentes . . . nec tenuiores digito minimo.*] Ita rescripsimus, tum ope codicum Reg. Colb. Th. & Chiffl. tum ipsius Columellæ, e libro nempe sexto, cap. de insitione arborum: *Ex qua arbore*, inquit, *inserere voles, & surculos ad insitionem sumpturus es, videto ut sit tenera & ferax, nodisque crebris: & cum germina tumebunt, de ramis anniculis, qui solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito crassitudine digiti minimi. Surculi sint bifurci, vel trifurci*, &c. Prius legebatur, *Hoc est, gemmatione turgentes . . . . digito medio*: cum in MSS. codicibus *germinatione*, & *minimo* planissime scriptum sit. Nec tamen *gemmatione* legi penitus improbamus, cum ipsam *gemmam* legi oporteat, ut ait Columella, loc. cit. *quæ bene apparebit, certamque spem germinis habebit.* Et Palladius, in Martio, tit. 10. de pomis: *Melius proveniet, si ponendus ramus gemmata jam matre sumatur.* Et in Febr. tit. 17. *Vbi incipit gemma arborum turgescere.* Sed veterum exemplarium vestigiis integra fide insistere magis placet.

Ibid. XXI. *Incolume cuneo adactum.*] Nempe insitum. Ita MSS. omnes, Reg. Colb. Paris. Th. Alii obscuriore, vel plane nulla sententia *involumi cuneo* legunt. Nostram emendationem, interpretationemque adjuvat egregie Theophr. lib. 2. de causis, cap. 6. pag. 205. Καὶ ὅπως σχίσαντες ἐνθῶσι τὸ ἔνθεμα, ἐφαρμόσαντες, ἐν ὀρθῷ ἐλαύνουσιν, ὅπως ὅτι μάλιστα συνάπτῃ. Hoc est, interprete Gaza: *Cumque trunco less fisso inserendum jam est, surculum cuspidatim decisum malleo adigunt, ut quam maxime deprimatur, & committatur.*

Sect. 26. XXII. *Postea Etereias . . . hac Etereiana melior.* In libris hactenus editis, *Postea heres ejus . . . . hac Corelliana melior.* In MSS. Reg. Colb. Th. Paris. &c. *Postea heretotus . . . . hac terretana melior.* Quæ etsi sunt amanuensium vitio inquinata, vestigia tamen nobis monstravere lectionis sincerioris eruendæ: neque hujus tantum loci, sed & alterius, caligandi viam aperuere: libro nempe 15. sect. 25. in quo cum ad hunc diem legeretur, *Laudatior Corelliana castanea, & ex ea facta, quæ diximus in insitis modo, Meterana*, indubitata conjectura *Etereiana* reposuimus: hunc enim a Plinio signari locum, quem tractamus, minime dubium est. Ex Inscriptionibus Gruteri, pag. 678. *Etereius* & *Etereia* familiæ Romanæ nomen fuisse, intelligimus.

Sect. 27. XXIII. *Præterquam talea.*] Sic libri omnes etiam manu exarati, quos vidimus: etsi contrario sensu, *præterque talea*, reponere nititur Pintianus. Cum Plinio hoc loco, ut fere alias, Theophrastus facit, cujus hæc verba lib. 2. hist. cap. 2. Συκῆ δὲ τοὺς μὲν ἄλλους τρόπους φύεται πάντας· πλὴν δὲ τοῦ πρέμνου, καὶ τοῦ ξύλου, οὐ φύεται. *Ficus quoque omnibus modis emergit, præterquam ramo avulso, & talea.*

Sect. 28. XXIV. *Quoniam in ulmo eam inseri.*] Sincerissima hæc omnium librorum scriptura est, Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. Paris. &c. vetustiorumque etiam editionum, Parm. Venet. & Brix. ante Hermolaum, qui *Quoniam ramo eam seri* maluit: quod subsecuti deinceps editores ultro amplexi sunt: sed frustra. Non serendi, sed inserendi modum Plinius notat, quem fulgurum religio prohibet: quoniam, ut dictum est lib. 15. sect. 17. *non omnia insitis miscere fas est*: ac ne morus in primus ulmo inseratur, etiamnunc hodie servari audio. & Palladius, in Febr. tit. 25. pag. 78. id confirmat, veluti hunc locum subsignans: *Inseritur autem*, inquit, *morus in fico, & in se tantum sub cortice: Vlmo insita comprehendit: sed parturit magna infelicitatis argumenta.*

Sect. 29. XXV. *Gemma vel oculo servato.*] Ita ex Catone rescripsimus, cum prius insulse legeretur, *vel oculos serito.* Oculum servari, hoc est, gemmam e terra extare unam præcipit. Sic ipse Plinius de vite imperat, sect. 25. libri hujus, ut gemmascere incipiat calamus, nec plus quam binis ab infimo emineat oculis.

Sect. 30. XXVI. *Ad Vergiliarum occasum, quatuor soli dies sunt, quibus feri nocent*] Oleas nimirum. Sed cum in libris fere omnibus legatur, *XIV. soli dies sunt*, evenisse id librariorum incuria haud temere suspicamur, qui pro *quatuor* legerint *quatuordecim*. Nec felicior Pintiani conjectura, qui levissimis ductus argumentis, *VIII. soli dies* scribi censet oportere. Detegit utrorumque errorem ipse Plinius sect. 2. hujus libri. *Circa Vergilias quidem pluere*, inquit, *inimicissimum viti & oleæ, quoniam tunc coitus est earum: hoc est illud quatriduum oleis decretorium*, &c. Et lib. 18. sect. 69. illud ipsum argumentum persecutus: *Aliud hoc*, inquit, *quatriduum est, . . . decretorio die florentibus oleis, vitibusque*, &c.

Sect. 32. XXVII. *Omnibus annis confodi jubent.*] Sunt qui *configi* legant ex quibusdam MSS. male, cum sequatur statim, *Perticalis, & virga, & talea feritur, fossura eadem*, nempe quæ in seminali recepta est, de qua nunc sermo. Et Columella, lib. 4. cap. 30. pag. 162. *Fodienda sunt primo triennio salicta crebrius, ut nonnulla vineta: cum deinde convaluerint, tribus fossuris contenta sunt: aliter culta celeriter deficiunt.*

Sect. 33. XXVIII. *Tempus conserendi.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. non uti est hactenus editum, *inserendi*. Et sane Columella, lib. 4. cap. 31. pag. 164. *Tempus repastinandi & conserendi est prius quam oculi arundinum egerminent.* Tamen & *inseri* dictum alibi a Plinio pro *conseri* scimus.

Sect. 34. XXIX. *Recusat eadem glaream, rubricam, cretam.*] De castanea loquitur. In libris ad hunc diem editis legitur, *Gallicam*. In MSS. Reg. t. 2. Colb. t. 2. 3. & vet. Dalec. *gallam*: nos *glaream* certissima conjectura admisimus, adstipulante Palladio, lib. 12. in Novemb. cap. de castanea: *In spisso agro*, inquit, *& rubrica vix provenit: In argilla & glarea non potest nasci.* Columella quoque ipso, lib. 4. cap. 33. *Dumosi glareosique montes, atque ea genera terræ quæ diximus*, (spissum & rubricosum,) *glandem magis, quam castaneam postulant.*

Ibid. XXX. *Minus morosa nasci.*] Sincerior visa hæc lectio est codicum Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3 Paris. & vet. Dalec. quam librorum hactenus editorum, *nimis morosa*. Sententia enim est, esculum non uti castaneam, recusare glaream, rubricam, cretam; sed, ut proxime subjungitur, *in quacumque terra seri*. Plinius, lib. 16. sect. 60. de cupresso, *natu morosa*. Post paulo, ubi prius legebatur, *lasumque maxime sentiat*, nos *easumque* rescripsimus, tum quorumdam admonitu codicum, ipso Dalecampio attestante, tum ita postulante in primis loci illius sententia. Est enim id ab auctore eo loci idcirco additum, quod prolixe subsequatur: *Præter hæc, sunt cadua quæ diximus.* Denique sect. seq. quæ XXXV. est, num. 2. sic ex MSS. omnium exemplarium fide edidimus: *Et in fico quidem dodrantales paxilli solo patefacto feruntur*: cum prius legeretur, *& in fico quidem dodrantales paxillo solo patefacto feruntur*: quod ipsum quoque nihilominus tolerabile est: ut sententia sit dodrantales circulos, (nam hæc vox subintelligi ex superiore sententia commode potest) paxillo prius facta scrobe seri. Sic enim Plinius, sect. 27. *Ramo seruntur & Punica, palis laxato prius meatu.* Et sect. 29. Ex Catone: *Palo prius locum si feceris, quo taleam demittas, ita melius vivet.* Columella quoque lib. 4. cap. 16. *Vel defodiendus est, vel prius paxillo perforato solo altius adigendus.*

Sect. 38. XXXI. *Medulla adempta. Nasci surculos etiam quibus non sit articulatio arboris, non omittendum videtur.*] Prius legebatur, *medulla adempta nasci. Surculis etiam quibusquam sit articulatio arboris*, &c. Nostram emendationem tum MSS. exemplarium confirmat auctoritas, in quibus pertinaciter legitur, *quibus non*, non *quibusdam*: tum loci ipsius sententia, quæ hactenus inexplicata, nunc primum nitori suo restituitur. Nam uti prius perquam mirum esse dixit vivere semina medulla adempta: ita nunc vicissim haud omittendum videri miraculum ait, etiam surculos arboris, cui nulla ea medulla sit, ut in buxo accidit, simul depactos colligatosque provenire. Sequitur enim ejus placiti statim id exemplum: *Namque e buxi tenuissimis quasi sensere* surculis *colligatis depactis proveniunt.* Buxo medullam esse nullam, observatum est libro superiore, sect 71.

Ibid. XXXII. *Atque ejuncida.*] Ita scribimus, pro *emucida*, (quam vocem Latinitas numquam agnovit, neque hic locus recipit.) Sane *ejuncida* in MSS legitur, Reg. t. 2 Colb. Th. &c. Et ea vox tenuitatem, maciem, exilitatemque, qualis in junco deprehenditur, peraccommodate exprimit. Enimvero apud Varronem lib 1. de re rust cap 31. (quem locum Plinius, dum hæc scriberet, habuit certe ante oculos,) ita ex optima Stephani editione legitur. *In vinario primum cum enat vitis, tota resecari solet, ut firmiore sarmento e terra exeat, atque in pariendis caulibus vires habeat majores. Ejuncidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile, neque ex se potest ejicere vitem, quam vocant minorem flagellum: matrem etiam, unde uvæ nascuntur, palmam.* Eodem sensu paulo post ipse Plinius: *Vitis . . . evocata ad fructum ejunescit, ac moritur.* Sic palmarum genus a prælonga gracilitate junceum superius appellatum vidimus, lib. 13. sect 9.

Ibid. XXXIII. *Sequenti anno palmites salventur pro viribus matris singuli aut gemini*] In libris hactenus editis, *salutentur*. Dalecampius *summittantur*, reponere nititur, atque eo pertinere putat Columellæ locum ex lib. 4. cap. 16. pag. 193. ubi aliud plane tractat argumentum ab eo, in quo nunc Plinius habitat. Nos unius litterulæ obliteratione *salventur* rescripsimus, & orationi alioqui obscuræ lucem addidimus. Usus hac voce, ne quis barbaram putet, Tullius ipse, orat. in Pison. num 78. *Me posse iterum Rempubl. salvare, si cessissem: infinctam eadem fore, si restitissem.* Nostram emendationem tum ipsa loci sententia, tum Columellæ verba constabiliunt Sic enim ille, lib. 4. cap. 21. pag 143. *Cum aliquot annos quasi juvenilem ætatem vinea ceperint, quot palmites relinqui debeant, incertum est. Nam loci latitia plures, exilitas pauciores desiderat*, &c.

Ibid. XXXIV. *Iis quoque quæ spargantur in terra, breves ad innitendum cannas circumdant.*] *Cannas* certe, non *caveas*, ut libri omnes pertinaciter retinent, legi oportere ratio ipsa, oratioque Pliniana clamat. Nam caveis qui tandem possit vitis inniti, quamvis id Gallicus interpres velit? At cannis potest. Sic Palladius lib. 3. in Febr tit. XI. pag. 57. *Aliud genus est in quo cannis pluribus circa dispositis, ipsa vitis per cannas sarmentis ligatis in orbiculos flectitur se sequentes.* Ex tit. 14. pag 60. *Vites autem, quæ cannis in orbem cinguntur*, &c.

Ibid. XXXV. *Æmulæ vie in radices atimarum ambitu, frondem earum fugiens.*] Prius legebatur, obscura, vel potius nulla plane sententia, *Æmulæ vie in radicas, atimearum ambitu frondem earum fugiens.* Colb. 3. *in radices atimarum*, quem ut sequeremur, & codicis ipsius auctoritas, & sententiæ necessitas fecit.

Ibid. XXXVI. *Atque in terra, quam per totum annum spectaverit recumbere.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Pelicerius tamen in notis marginalibus admonet, sibi videri vocem eam *annum* adjectam a sciolo quopiam: legi *per torum* oportere, hoc est, e cubili arboris requiescendo. allusionem videri *in terra*, & *per torum*. Toros a Columella lib. 5. cap. 6 appellari, partes eas vitis quibus arbori applicatur. Judicent periti.

Sect. 37. XXXVII. *Tabes, morsque.*] Sic restituimus, pro *tabes morbusque*, tum auctoritate codicum, Reg. 2 Colb. Chiffl. &c. tum ipso admonente Plinio, qui eadem plane sententia de vite dixit, sect. 35 *ejunescit ac moritur.*

Ibid. XXXVIII. *Nam si rariores fuere, perfundunt arborem, non scalpunt scabie. Et grossi cadunt, si vel imbres nimii fuere. Alio modo &c.*] Hactenus legebatur, *ceterum si cadunt, sive imbres nimii fuere, alio modo* &c. plane insulse. Locum miseris modis vitiatum Pintianus exclamat, atque ita refingere nititur, ex Theophrasto: *Nam si rariores fuere, perfundunt arborem scabie. Ceterum si cadunt imbres nimii, eluunt rorem aut scalpunt.* Dalecampius: *Nam si largiores fuere* &c. tunc enim, inquit, Plinii sequentia verba interpretans, eluunt causam scabiei, non vitiant. Hoc vero est Plinii contextum integerrimum præpostera emendatione depravare, & nihilo meliore interpretatione corrumpere. In MSS. Reg. 2. 2 Colb. &c. constantissime legitur, *Nam si rariores fuere, perfundunt arborem non scalpunt scabie ceterossi cadunt*, &c Unde nos & sinceram lectionem postremæ partis eruimus, & interpretatione, ut remur, sincera priorem fulsimus De grossis certe, seu ficis, hic esse sermonem, admonente Theophrasto didicimus, totum id tradente lib. 4 histor cap. 16 Ἡ δὲ ψώρα μάλιστα γίνεται, ὅταν ὕδωρ ἐπὶ Πλειάδι μικρὸν ᾖ, μὴ πολύ. Ἐὰν δὲ πολύ, ἀποκλύζεται. Συμβαίνει δὲ τότε καὶ τὰ ἐρινὰ ἀπορρεῖν καὶ τοὺς ὀλύνθους. *Scabies potissimum gignitur, cum aqua parum post Vergilias inciderit: nam si multum fuerit, causa contrahendæ scabiei omnis abluitur: Et accidit tunc, ut & caprificus & grossi decidant.*

Ibid. XXXIX. *Nec cyticum prodest, & cytisus necatur eo quod halimon Græci vocant.*] Ante legebatur, *& cytisus, nec aurio, quod halimon* &c. Salmasius in Solin pag. 117. *Et cytisus necat viro, & quod halimon Græci vocant.* Viro, hoc est, succi improbi virtute cytisum, halimonque, necare ea quæ sibi sunt vicina, interpretans. At vox ea *viro* obsoleta Plinii ævo eruditis videri sane potest: quanquam a Lucretio usurpata, lib 2. vers. 852 In MSS Reg. Colb. Th. &c. *& cytisus nec aurio quod halimon*, &c. Unde Hermolaus & Gaza, *nec aurio* legendum esse confidenter pronunciarunt: atque *aurionem* latine appellari, quod ἅλιμον græce Nos adjectâ litterulâ, *necatur eo.* Emendationi nostræ, quæ vel sua se simplicitate defendit, Theophrasti verba admodum suffragantur, e libro 4. histor. cap. 20. Χαλεπὸς δὲ καὶ ὁ κύτισος· ἀπόλλυσι γὰρ πάντα, ἀλλ' ἀσθενῶς. Ἰσχυρότερον δὲ τούτου τὸ ἅλιμον· ἀπόλλυσι γὰρ τὸν κύτισον. *Molestus & cytisus: nam omnia ferme necat: sed eo valentius est quod halimon vocant: cytisum enim ipsum interimit* Plinius: *& cytisus necatur eo quod halimon Græci vocant* Idcirco & Theophrastus idem, lib. 5. de causis, cap. 22. pag. 347. halimon esse reliquis perniciosius prodidit, quod plus habeat salsuginis: ἰσχυρότερον δὲ τὸ ἅλιμον, διὰ τὸ [illegible] ἁλμυρώδη ἔχειν.

Sect. 38. XL. *Inter vitia arborum, est & prodigiis locus.*] Divellenda nonnemini pars prior hujusce sententiæ, a posteriore forsitan videatur, & superioribus connectenda in hunc modum: *Natrum quidem, & alumen . . . , ultima venena sunt inter vitia arborum. Est & prodigiis locus*, &c. Vel, *ultima venena sunt & internecio arborum Est & prodigiis*, &c. Tolerabilior tamen recepta dudum lectio est: cum inter ipsa prodigia arbores ferantur sine foliis natæ, aliisque similibus casibus obno-

xiæ; quæ sane in vitiis non immerito censeantur. Et sane prodigiis arborum ipsis quoque enumeratis subjicit auctor: *Nunc expositis arborum morbis, consentaneum est docere & remedia:* ut inter morbos arborum ipsa censeri prodigia intelligas.

Sect. 43. XLI. *Nam caprificatio maturat. In ea culices nasci, &c.*] Locum ita postulante sententia eo modo interpunximus, divisimus: cum prius conjunctim sic ea legerentur: *Nam caprificatione maturata in ea culices, &c.* MSS. omnes, *caprificatio maturat in ea, &c.*

Sect. 44. XLII. *Taleam lentisci inversa parte, qua fuerit a cacumine.*] Sic restituere non dubitavimus, etsi libri hactenus editi habeant, *Italicam lentiscum*: cum in MSS. Reg. aliisque, *Italiam lentisci*; certioresque fiant emendandi auctores, Columella, lib. 5. cap. 10. pag. 200. *Ac ne tinea molesta sit seminibus ficulneis, in imum scrobem lentisci taleam inverso cacumine demittito.* Quod iterum repetit, lib. de arboribus, cap. 20. Palladius quoque, lib. 4. in Martio, tit. 10. cap. de ficu, pag. 98. *Ne vermes patiatur ficus, ramum terebinthi, vel lentisci taleam cum plantis fici cacumine ponemus inverso.*

Sect. 47. XLII. *Alii volucre appellant animal.*] Sic MSS. Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. & ceteri omnes: *Volvocem*, ut in libris impressis legitur, plane nullus. Quin & Columella, lib. de arboribus, cap. 15. *volucram* vocat. *Genus est animalis*, inquit, *volucra appellatur: id fere praerodit teneros adhuc pampinos & uvas: quod ne fiat, falces, quibus vineam putaveris, peracta putatione sanguine ursino linito. Vel si pellem fibri habueris, in ipsa putatione quoties falcem acueris, ea pelle aciem detergito, atque ita putare incipito.*

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XVIII.

CAPUT I. I.

SEQUITUR natura frugum, hortorumque ac florum, quæque alia præter arbores aut frutices benigna tellure proveniunt, [1] vel per se tantum herbarum immensa contemplatione, si quis æstimet varietatem, numerum, flores, odores, coloresque, & succos, ac vires earum, quas salutis aut voluptatis hominum gratia gignit. Qua in parte primum omnium patrocinari terræ, & adesse cunctorum parenti juvat, quanquam [2] inter initia operis defensæ. Quoniam tamen ipsa materia [3] intus accendit ad reputationem ejusdem parientis & noxia, nostris eam criminibus urgemus, culpamque nostram illi imputamus. Genuit venena: ecquis invênit illa præter hominem? [4] Cavere ac refugere alitibus ferisque satis est. Atque cum arbore exacuant limentque cornua elephanti, & uri: saxo rhinocerotes, & utroque apri dentium sicas, sciantque ad nocendum se præparare animalia: quod tamen eorum rela sua, excepto homine, venenis tingit? [5] Nos & sagittas tingimus, ac ferro ipsi nocentius aliquid damus. Nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa. Ipsum quoque quo vivitur, [6] aërem in perniciem vertimus. Neque est ut putemus ignorari ea ab animalibus: quæ quidem quæ præpararent [7] contra serpentium dimicationes, quæ post prælium ad medendum excogitarent, indicavimus. Nec ab ullo præter hominem, veneno pugnatur alieno. Fateamur ergo culpam, ne iis quidem, quæ nascuntur contenti: etenim quando plura eorum genera humana manu fiunt. Quid? non & homines quidem ut venena nascuntur? Atra ceu serpentium lingua vibrat, [a] [8] tabesque animi contrectata adurit, culpantium omnia, ac dirarum alitum modo, tenebris quoque suis, & ipsarum noctium quieti invidentium, gemitu, quæ sola vox eorum est: [9] ut inauspicatarum animantium vice obvii quoque vetent agere, aut prodesse vitæ. Nec ullum aliud [10] abominati spiritus præmium novere, quam odisse omnia. Verum & in hoc eadem naturæ majestas, tanto plures bonos genuit ac frugi, quanto fertilior in iis quæ juvant aluntque: quorum æstimatione & gaudio nos quoque, [11] relictis æstuationi suæ istis [12] hominum turbis, pergemus excolere vitam: eoque con-

INTERPRETATIO.

a *Tabesque.*] Et livor animi adurit omnia quæ contrectat: *livor, inquam, hominum* culpantium omnia, ac dirarum volucrum more, quæ tenebris quoque suis, & ipsi noctium quieti *obstrepunt*, invidentium *cæterorum hominum laudi & quieti*, vel solo gemitu, quæ sola vox eorum hominum est: ita ut, inauspicatarum avium ritu, vel occursu suo vetent agere, ac prodesse hominibus.

NOTÆ.

Sect I. 1 *Vel per se.*] Et erat jam sola per se herbarum contemplatio immensa.

2 *Inter initia operis.*] Libro 2. sect. 63.

3 *Intus accendit.*] Etiam in ipso progressu, nec tantum initio operis, sed & in interiore libro, argumentum ipsum impellit ad contemplationem ejusdem naturæ, cum pariat res noxias. Rhenanus legit, *intus accedit.*

4 *Cavere.*] Venena cavent alites ac feræ, non excogitant: homines soli inveniunt & comminiscuntur.

5. *Nos & sagittas.*] Sagittas tinxisse Gallos medicamento, quod venenum cervarium appellabant, dicetur lib. 27. sect 76 Elleboro quoque, lib. 25 sect 25.

6. *Aërem in perniciem.*] Tum tetro halitu oris, tum emisso letali spiritu e scrobibus, quos homines ipsi fodiunt, tum alias ob caulas, tum ut metalla eruant.

7. *Contra serpentium.*] Vide lib. 8. sect. 36. 41. &c.

8. *Tabesque animi*] Livor animi, & invidia, omnia quæ contingit, veluti adurens: quando culpat omnia.

9. *Ut inauspicatarum.*] Inauspicatarum avium animantiumque occursu dirimebantur auspicia, hoc est, irrita fiebant, dissolvebantur, discutiebantur, ac disturbabantur. Plinius, lib 2. pag 82. *Sorricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus.* Et lib 10. sect. 16. *Bubo funebris, & maxime abominatus publicis præcipue auspiciis, deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in urbibus, aut omnino in luce visus, dirum ostentum est*

10. *Abominati spiritus*] Ingenia detestatione, exsecratione digna. Plinius, lib. 10. sect. 16. *Bubo abominatus publicis auspiciis.* Horatius, Epod. Ode 16.

Parentibusque abominatus Hannibal.

11. *Relictis æstuationi suæ.*] MSS. Reg Colb Chiffl. *exustioni suæ*, quod defendi quoque potest, ut respondeat ei quod prius dixerat, *contrectata adurit.*

12. *Hominum turbis*] In MSS. *hominum urbis.* Quid si *hominum umbris* dicam scripsisse Plinium videri? sicut de iisdem paulo ante, *tenebris quoque suis incidentium* dixit? Vel hominum turbas appellat, qui in humano genere turbas cient, ceu faces generis humani.

stantius

ftantius, [13] quo [a] operæ nobis major, quam famæ, gratia expetitur. Quippe fermo circa rura eft, agreftefque ufus; fed quibus vita honofque apud prifcos maximus fuerit.

CAPUT II.

II. [1] Arvorum facerdotes Romulus inprimis inftituit, feque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice fua genitos, fpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in facerdotio eis pro religiofiffimo infigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honofque is [2] non nifi vita finitur: & exfules etiam captofque comitatur. [3] Bina tunc jugera populo Romano fatis erant, nullique [4] majorem modum attribuit: quo fervos paulo ante principis Neronis, contemptis hujus fpatii viridariis, pifcinas juvat habere majores: gratumque, fi non aliquem & culinas. Numa inftituit Deos fruge colere, & [5] mola falfa fupplicare: atque (ut auctor eft Hemina) far torrere, [6] quoniam toftum cibo falubrius effet. Id uno modo confecutum, ftatuendo non effe purum ad rem divinam, nifi toftum. Is & [7] Fornacalia inftituit farris torrendi ferias, & [8] æque religiofas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maxime noverant: [9] Sejamque a ferendo, Segeftam a fegetibus appellabant: quarum fimulacra [10] in Circo videmus. [11] Tertiam ex his nominare fub tecto religio eft. [12] Ac ne deguftabant quidem novas fruges aut vina, antequam facerdotes primitias libaffent.

CAPUT III.

III. [1] Jugum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari poffet. Actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu jufto. Hic erat e x x. pedum: duplicatufque [2] in longitudinem jugerum faciebat. Dona ampliffima Imperatorum ac fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaraviffet. [3] Item quartarii farris, aut heminæ, conferente populo. Cognomina etiam prima inde: [4] Pilumni, qui pilum piftrinis invenerat: Pifonis, a pifendo. [5] Jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut

INTERPRETATIO.

a *Operæ.*] Operam *utiliter collocatam*, quam famam *avidius quæfitam*, gratulari nobis homines malumus.

NOTÆ.

13. *Quo operæ.* Huc referenda Livii caftigatio, quæ exftat in præfat. ad Titum. *Profiteor mirari me T. Livium ... fic erfum fatis jam fibi gloria quæfitum ... Majus meritum effet, operis amore, non animi caufa perfeveraffe*, &c.

Sect. II. 1. *Arvorum.*] Gellius, lib 6. cap 7. pag. 377. *Sabinus Mafurius in primo Memorialium, Accam Laurentiam Romuli nutricem fuiffe dicit. Ea, inquit, mulier, ex duodecim filiis maribus unum morte amifit. In illius locum Romulus Accæ Laurentiæ fe fe filium dedit, feque & ceteros ejus filios Fratres Arvales appellavit. Ex eo tempore collegium manfit Fratrum Arvalium numero duodecim, cujus facerdotii infigne eft fpicea corona, & albæ infulæ.* Varro, lib 4 de ling. Lat pag. 23. *Fratres Arvales dicti funt, qui facra publica faciunt propterea ut fruges ferant arva.* Inde Feftus: *Ambarvales hoftiæ appellabantur, quæ pro arvis a duobus fratribus facrificabantur.*

2. *Non nifi vita.*] Sic Auguratus, & Pontificale facerdotium, perpetua fuere munera. nec nifi cum vita eripi potuerunt. Vide Sueton in Augufto, cap 31. & Senec. lib. 1. de Clement. cap. 10. Sic in Galliæ magiftratibus fummis, Cancellarii dignitas, & aliæ quædam ea donatæ prærogativa funt.

3. *Bina tunc jugera.*] Varro, lib. 1. de re ruft. cap. 10. *Antiquus nofter ager ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod a Romulo primum divifa dicebantur viritim*, &c.

4. *Majorem modum.*] Majorem menfuram: modus enim de agri dicitur menfura. Horatius, lib. 2. Satyr. 6.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus.

5. *Mola falfa.*] Far fale mixtum id fuit, ut docet Ovid. lib. 1. Faftor. verf. 128.

Cum Cereale facerdos
Imponit libum, mixtaque farra fali.

6. *Quoniam toftum.*] Ovidius lib 2. Faft. verf. 521.

Ufibus admoniti flammis torrenda dedere, &c.

7. *Fornacalia.*] Feftus: *Fornacalia, feriæ inftitutæ funt farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in piftrinis erat, facrificium fieri folebat. Fornacalia facra erant, cum far in fornaculis torrebant.* Excogitata fimul Fornace Dea, quod in fornacibus precarentur farra recte torreri. Ovidius, loc. cit. verfu 525.

Facta Dea eft Fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa fuas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, &c.

Non erant hæ feriæ ftatæ, fed indictitiæ.

8. *Æque religiofas.*] Ferias alteras notat, Terminalia appellata, a Deo agrorum Termino. Ovid. loc. cit. verf. 639.

Nox ubi transferit, folito celebretur honore
Separat indicio qui Deus arva fuo.
Termine, five lapis, five es defoffus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
Te duo diverfa domini de parte coronant:
Binaque ferta tibi, binaque liba ferunt, &c.

Februario menfe Terminalia peragebantur.

9. *Sejamque.*] Ita libri omnes, recte. Auguft lib. 4. de Civit. cap. 8. *Sata frumenta, quamdiu fub terra effent, præpofitam voluerunt habere Deam Sejam: cum vero jam fuper terram effent, & fegetem facerent, Deam Segetiam: frumentis vero collectis atque reconditis ut tuto fervarentur, Deam Tutelinam præpofuerunt.* At in nummo Saloninæ Auguftæ infcripto, DEAE SEGETIAE, cave hanc Deam Segeftam pingi putes. Genius civitatis ftat manibus expanfis intra triumphalem arcum, fed abfque lunæ crefcentis effigie, quam Triftanus addidit, tomo III. pag. 103. Sententia enim illius tituli hæc eft: *Decuriones Edux Auguftæ Edicto Senatus Egnatio Gallieno Egregiis Triumphis Infignem Arcum Erexere.* Nummus eft argenteus, in Mufeo noftro.

10. *In Circo.*] In Circo maximo, regione Urbis undecima.

11. *Tertiam.*] Segeftam, quæ ex Diis proxime appellatis tertium locum obtinet, nempe poft Deum agrorum Terminum, Sejamque. Vide Notas & Emend. num. I.

12. *Ac ne deguftabant.*] Sic etiam Cenforinus in præfat. Tibullus, lib. 1. Eleg. 1

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.

Sect. III. 1. *Jugum vocabatur.*] Hæc etiam Varro prodidit. Vide Notas & Emend. num. II. Aliud jugum, aliud jugerum eft. Jugum hodie Arverni vocant, *Joug de terre.*

2. *In longitudinem.*] *Ergo duo actus*, inquit Columella, lib. 5. cap. 1. *jugerum efficiunt longitudine pedum CCXL. latitudine pedum CXX. Galli femijugerum arepennem vocant.* Bætici quoque, tefte Ifidoro, lib. 15. cap. 15. Nunc vero quod Gallis jugerum dicitur, perticis centum conftat: perticæ fingulæ pedibus octo & decem: jugerum igitur, pedum eft MDCCC. *Un arpent.* Sed varia eft in Galliis pro regionum diverfitate arpenti menfura: qua de re Du-Cangium in Gloffario confule, verbo *Arepennis.* Notæ, quæ vulgo Tironis dicuntur, pag. 163. *Jugerum. Aripennes. Juclus*, forte pro *Actus.*

3. *Item quartarii.*] Fuit quartarius congii quarta pars: uti fexta, fextarius. De congio lib. 14 fect. 19. De hemina, lib. 21. fect. 109.

4. *Pilumni.*] De eo Servius, initio libri 9 Æneid. *Pilumnus*, inquit, *pinfendi frumenti ufum invenit: unde a piftoribus colitur. Ab ipfo etiam pilum dicitur.*

5. *Jam Fabiorum.*] Ergo a fabis ferendis Fabiorum, a lentibus Lentulorum, feu *Lentinorum*, ut MSS. habent: Ciceronum, a cicere, non quidem quod in vultu gereret, ut vulgus exiftimat, fed quod in agro optime feretet gentis ejus auctor, cognomen inventum. At Fabatorum quoque nomen a fabis quia FABATI. legitur in nummo vetere apud Patin in Rofcia gente, pag. 240. deductum effe, vulgo, fed falfo creditur.

quisque aliquod optime genus sereret. Juniorum familiæ [6] Bubulcum nominaverunt, qui bubus optime utebatur. Quin & in sacris nihil religiosius [7] confarreationis vinculo erat: Novæque nuptæ farreum præferebant. Agrum male colere, [8] Censorium probrum judicabatur. Atque ([9] ut refert Cato) quem virum bonum colonum dixissent, amplissime laudasse existimabant. Hinc & locupletes dicebant, loci, hoc est, agri plenos. [10] Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis Censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat. [11] Multatio quoque non nisi ovium boumque impendio dicebatur: non omittenda priscarum legum benevolentia. Cautum quippe est, ne bovem, priusquam ovem, nominaret, qui indiceret multam. Ludos boum causa celebrantes, Bubetios vocabant. Servius rex, ovium boumque effigie [12] primus æs signavit. Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse, ac secuisse, puberi [13] XII. tabulis capitale erat: suspensumque Cereri necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum: impubem [14] Prætoris arbitratu verberari, noxiamque duplione decerni.

Jam distinctio honosque civitatis ipsius non aliunde erat. [15] Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent. Urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro. [16] Itaque quatuor solæ erant a partibus urbis, in queis habitabant, [17] Suburrana, Palatina, Collina, Exquilina. Nundinis urbem revisitabant, [18] & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur. [19] Quies somnusque in stramentis erat. [20] Gloriam denique ipsam a farris honore adoream appellabant. Equidem ipsa etiam verba priscæ significationis admiror. Ita enim est in commentariis Pontificum: [21] Augurio canario agendo dies constituantur, priusquam frumenta [22] vaginis exeant, & antequam in vaginas perveniant.

Notæ.

6. *Bubulcum.*] In Junia gente familiæ unius cognomen Bubulcorum fuit: ex qua C. Junius Bubulcus, bis Consul, post Dictator & Magister Equitum, apud Livium, lib. 9. pag. 159 & 162. Et inter Ædiles anni 197. C. Junius, L. F. C. N. Brutus Bubulcus. in Pighii Fastis.

7. *Confarreationis.*] Usus ea voce Tacitus, lib. 4. *Patritos confarreatis parentibus genitos.* Et mox: *Omissa confarreandi adsuetudine, aut inter paucos retenta.* Est autem confarreatio, novorum conjugum, aut amicorum, adhibito libo farreo, conjunctio. Contra, diffarreatio, conjugii amicitiæve, auctore Festo, per idem libum farreum dissolutio. Vide Dionys. Halic. lib. 2. Rom. Antiq. pag. 95. Festus: *Farreum, genus libi ex farre factum.* Isidori Glossæ: *Confarrea io, Consacrorum communicatio. Confarreatus, consecratus.* Glossæ Philoxeni: *Confarreatus, συμβιώσας χώραν ζεύξεις.* Vide Glossarium V. Cl. Du-Cangii.

8. *Censorium.*] Hoc est, animadversione, ignominia, & castigatione Censoria dignum. Notationem Censoriam dixit Cicero pro Cluent. num. 128. Castigationem Censoriam Plinius hoc libro, sect. 7. Gellius, lib. 4. cap. 12. pag. 302. *Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat, neque purgaverat: sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id sine pœna fuit: sed erat opus Censorium, Censoresque ærarium faciebant*, &c.

9. *Ut refert Cato.*] Cato in præf. libri de re rust. pag. 5. *Et virum bonum*, inquit, *cum laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonumque colonum: amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur.*

10. *Pecunia ipsa.*] Vide quæ dicturi sumus lib. 33. sect. 13.

11. *Multatio.*] Gellius, lib. XI. cap. 1. pag. 577. *Multa quæ appellatur suprema*, inquit, *instituta est in singulos duarum ovium, boum triginta pro copia scilicet boum, proque ovium penuria.... Postea lege Ateria constituti sunt in oves singulas æris deni, in boves æris centeni. Minima multa est ovis unius*, &c. Festus: *Multam Osce dici putant pœnam quamdam. M. Varro ait pœnam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in libro primo quæstionum epistolicarum refert. Maximam multam dixerunt trium millium & viginti assium* (Monetæ Gallicæ libræ sunt 120. cum assibus sedecim:) *quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus quemquam multare: æstimabanturque bos centussibus, ovis decussibus.* Et verbo *Ovibus*: *Ovibus duabus multabantur apud antiquos in minoribus criminibus*, &c. Judiciorum multas in vaccis exsolvi solitas apud Scotos, aliasque nationes, multis comprobat testimoniis V. Clar. Du-Cangius in Glossario, verbo *Vacca*.

12. *Primus æs signavit.*] More Græcorum, ac præcipue Atheniensium, qui pecuniam suam bove signabant. Unde apud eos nata parœmia, *Bovem habet in lingua*, in eos jaci solita, qui accepto pretio libere id quod vere sentiunt, effari non audent. Hesych. pag. 197. *Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ. Παροιμία ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παῤῥησιάζεσθαι.... Διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων νόμισμα ἔχειν βοῦν ἐγκεχαραγμένον*, &c. Quod & Scholiastes Aristoph. testatur in Avibus, pag. 594. & Eustath. in Iliad. α vers. 449. pag. 252. Vide quæ dicenda sunt lib. 33. sect. 13.

13. *XII. tabulis.*] Ex tabula VII. c. 2. repetita lex est: *Qui frugem aratro quæsitam furtim nox pavit, secuitque, suspensus Cereri necator. Impubes Prætoris arbitratu verberator, noxiamque duplione decernito.* Hoc est, ut Gothofr. interpretatur: Qui frugem aratro partam furtim noctu paverit immaturam, vel maturam secuerit, Cereri sacer & devotus suspendio necator. Impubes tamen si id fecerit, arbitrio Prætoris verberator, damnumque datum in duplum sarcito.

14. *Prætoris.*] Hoc est, Judicis sive Consulis. Nam regibus exactis iidem erant Prætores, qui Consules: iidem quoque a judicando dicti Judices. Ita vulgo statuunt eruditi, sed falso, opinor: quæ multo tractata prolixius vide apud Vossium in Etymol.

15. *Rusticæ.*] Colum. in præfat. *At mehercule vera illa Romuli proles.... semper rusticam plebem præposuit urbanæ. Ut enim qui in villis intra consepta morarentur, quam qui foris terram molirentur, ignaviores habiti, sic eos qui sub umbra civitatis intra mœnia desides cunctarentur, quam qui rura colerent,... segniores visi.*

16. *Itaque quatuor.*] Tres modo fuisse, aliisque nominibus scribit Asconius Ped. in orat. 3. contra Vert. nempe Tatiensem unam a Tatio rege: Ramnensem alteram a Romulo: Lucerem aliam a Lucumone: post de nominibus Sabinarum plures fuisse: ad postremum XXX. & quinque factas. Sed Varro, lib. 4. de ling. Lat. *Ab hoc quoque quatuor partes Urbis, tribus dictæ, ab locis Suburrana, Collina, Palatina.* Et Festus: *Urbanas tribus appellabant, in quas urbs erat dispartita a Servio Tullio rege: id est, Suburrana, Palatina, Esquilina, Collina.*

17. *Suburrana.*] Et tribus & regio Urbis sic est appellata, auctore Festo, quasi Succurrana, a stativo præsidio, quod solitum esset succurrere Exquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabiniis. Fuisse in regione Urbis tertia, auctor est P. Victor. Palatium, a quo Palatina, in regione decima fuit: Exquiliæ, cum porta Collina, in quinta.

18. *Et ideo Comitia nundinis.*] Vide Notas & Emendat. num. III.

19. *Quies.*] Ovidius, lib. 5. Fastor. vers. 205. de Saturni ævo.

> *Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,*
> *Et fœnum capiti supposuisse suo.*

Et lib. 3. Fastor. vers. 183. de Romulo:

> *Aspice de canna, stramentibusque domum.*
> *In stipula placidi capiebant munera somni:*
> *Et tamen ex illo venit in astra toro.*

20. *Gloriam.*] Festus: *Adoream laudem, sive gloriam dicebant: quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.* Vel potius, qui farre a populo donatus esset: nam, ut Plinius paulo ante, dona populi amplissima fuere quartarii aut heminæ farris. Horatius, lib. 4. Carm. 4.

> *Et pulcher fugatis*
> *Ille dies Latio tenebris*
> *Qui primus alma risit adorea.*

21. *Augurio canario.*] Sacrum id erat, quod ex rufa cane fiebat, uti fusius docebimus sect. 69.

22. *Vaginis exeant.*] *Primitus spica cum oritur, in vagina*

IV. [1] Ergo iis moribus non modo sufficiebant fruges, nulla provinciarum pascente Italiam, verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat. [2] Manius Marcius Ædilis plebis primum frumentum populo in modios [3] assibus donavit. [4] Minucius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit undecimus plebei Tribunus: qua de causa [5] statua ei extra portam [6] Trigeminam, a populo stipe collata statuta est. [7] Trebius in Ædilitate assibus populo frumentum præstitit: quam ob causam & ei statuæ in Capitolio ac Palatio dicatæ sunt: ipse supremo die populi humeris portatus in rogum est. [8] Verum quo anno Mater Deûm advecta Romam est, [9] majorem ea æstare messem, quam antecedentibus annis decem, factam esse tradunt. M. Varro auctor est, cum [10] L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse: [11] item vini congios, ficique siccæ pondo XXX. olei pondo X. carnis XII. [12] Nec e latifundiis singulorum contingebar arcentium vicinos: quippe etiam lege Stolonis Licinii [13] incluso modo quingenrorum jugerum, & ipso sua lege damnato, cum substituta filii persona amplius possideret. Luxuriantis jam Reipublicæ fuit ista mensura. [14] Manii quidem Curii, post triumphos immensumque terrarum adjectum imperio, nota concio est: Perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non essent satis. Hæc autem mensura plebei [15] post exactos reges assignata est.

Quænam ergo tantæ ubertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri: ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato & triumphali aratore: sive illi eadem cura semina tractabant, qua bella; eademque diligentia arva disponebant, qua castra: sive honestis manibus omnia lætius proveniunt, quoniam & curiosius fiunt. Serentem invenerunt [16] dati honores Seranum, unde cognomen. [17] Aranti quatuot sua

NOTÆ.

est, inquit Varro lib. 1. de re rust. cap. 48. Idem, cap 32. *Frumentum decem quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere, cum sit maturum.*

Sect. IV 1. *Ergo iis moribus.*] Egregie hæc amplificat Columella, in præfat. pag. 7.

2. *Manius Marcius.*] Contigisse id Pighio videtur anno Urbis CCXCVIII. hoc est, M Valerio Maximo, Sp. Virginio Tricosto Coss. Exstat hujus M' Marcii nummus ex ære apud Patin pag. 166. quem Marcum Marcium, pro Manio Marcio falso appellat.

3. *Assibus donavit.*] Vetus Romanorum as, Gallicæ monetæ facit denarios æreos octonos Vide quæ diximus lib. 15 sect 1.

4 *Minucius.*] Lucius ei prænomen est in cod Reg Colb. Thuan In aliis MSS. & in libris editis nullum habet prænomen. Vide lib XXXIV. sect. XI. ubi *Publius* est. Anno Urbis CCCXVII. præfectus annonæ Sp. Melii consilia retexit, qui tum regnum largitionibus affectabat Livius, lib. 4. pag. 72. *L. Minucius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi divisit. Hunc Minucium apud quosdam auctores transisse a Patribus ad plebem, undecimumque Tribunum plebis cooptatum, seditionem motam ex Meliana cæde sedasse, invenio.* Cum Minucium Plinius tradit undecimum fuisse Tribunum plebeii, haud obscure significat unicum semper fuisse, ac sua ipsius ætate, Tribunom plebis, non plures simul.

5. *Statua ei*] Exstat insigne hujus rei monumentum in vetere nummo familiæ Minuciæ, apud Patin. pag. 179. expressa ei columna, cui imposita viri statua est, adjecto annonæ symbolo, spicis duabus, &c Dicetur de eo iterum lib. 34. sect XI Aurato præterea bove donatum, ut diximus, prodidit Livius, loc. cit. Simile grati animi monumentum in simili beneficio Nervæ nummus exhibet, cum hac epigraphe: PLEBEI URBANAE FRUMENTO CONSTITUTO.

6. *Trigeminam.*] Qua tergemini fratres Horatii exierunt. Inde ei portæ nomen. Eadem Ostiensis ab Ammiano. Procopio, ceterisque ejus ævi scriptoribus appellatur. Hodie Porta S. Pauli, ab æde vicina.

7. *Trebius.*] Anno Urbis CCCXLV. Trebii apud Gruter. frequens mentio; Trebii nulla, quem hoc loco substituere quidam volunt.

8. *Verum quo anno.*] M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss anno DL. qui belli Punici secundi quintus-decimus fuit, inquit Livius lib. 29. pag. 342.

9. *Majorem ea æstate messem.*] Aberat hæc vox postrema *messem*, a libris omnibus ad hunc diem editis, mutila idcirco obscuraque sententia. Adjecimus eam ductu admonituque codicum MSS. Reg. &c. in quibus *majorem ea æstatem esse* legimus: quod & ante nos Turnebus vidit, lib. 1. Adversf. cap. 20. pag. 21.

10. *L. Metellus.*] Diximus lib. 8 sect. 6. contigisse id anno Urbis DCIV. bello Punico primo. Quin & Catonis ævo, scribens de fertilitate & copia Galliæ Cisalpinæ Polybius, lib. 2. *Suis etiam temporibus*, ait, *medimnum frumenti Siculum, quatuor obolis venisse hordei, duobus; metretam autem vini, tantidem quanti hordeum.* Lipsium vide, lib. 4. de Magnitudine Rom. cap. 9.

11. *Item vini congios.*] Assibus fuisse subintellige, quod & subsequentium mercium tum pretium fuit. De hac annonæ vilitate dictum, lib. 15 sect. 1.

12. *Nec e latifundiis.*] Nec tanta vilitas annonæ contingebat e latis amplisque fundis, quales nunc singuli possident, qui & vicinos suos arcent, immodica possidendi cupiditate.

13. *Incluso modo.*] Definita agri mensura, quingentis jugeribus. Varro, lib. 1 de re rust. *Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus quingenta jugera habere civem Romanum, & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen, &c.* Valer. Maxim lib 8. cap. 6 n. 3. pag. 381. *C. Licinius Stolo.... cum lege sanxisset, ne quis amplius, quam quingenta agri jugera possideret, ipse mille comparavit: dissimulandique criminis gratia, dimidiam partem filio emancipavit. Quam ob causam a M. Popilio Lænate accusatus, primus sua lege cecidit: ac docuit, nihil aliud præcipi debere, nisi quod quisque sibi imperaverit.* Decem millibus æris damnatum a Popilio, hoc est, monetæ Gallicæ libris quadringentis. Livius prodidit, lib. 7. pag 126. quod emancipando filium legi fraudem fecisset. Vide & Colum. lib. 1. cap. 3 pag 18. & Plutarch. in Camillo, pag. 150.

14. *Manii quidem.*] Vide Plutarch in Apophtheg. pag. 194 Μάνιο̋ Κύριο̋, &c. Valerius Max. lib. 4 cap. 3. pag. 209. de Manio Curio: *Decretis a Senatu decem jugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum Reip. civem existimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non esset.* Idem etiam refert Columella, lib. 1. cap. 3. pag. 18. De eo jam diximus lib. 7. sect. 15.

15. *Post exactos reges.*] Varro loc. cit. *Ejusdem gentis Stolonum C. Licinius Tribunus plebis cum esset post Reges exactos annis CCCLXV. primus populum ad leges accipiendas in septem jugera forensia e Comitio eduxit.*

16. *Dati honores*] Nempe Consulatus, quem gessit is cum Cn. Cornelio Blasio, anno Urbis CCCCXCVII. Fuit ei M. Atilius Regulus nomen: cognomen Seranus, a serendo, ut volunt: quo Maro allusit, lib 6. Æneid versu 844.

Et te sulco, Serane, serentem.

Tamen in nummis veteribus quam plurimis Atiliæ gentis, Saranum scribi, non Seranum vidimus Vide & apud Patin. in Atilia familia, pag. 42. Vide Valerium Maxim. lib. 4. cap. 4. pag. 237.

17. *Aranti.*] Non minus eleganter Livius, lib. 3. pag. 51. *Spes unica imperii populi Romani L. Quinctius trans Tiberim quatuor jugerum colebat agrum, quæ Prata Quinctia vocantur. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cum araret: operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute data invicem, redditaque: rogatus ut...., togatus mandata Senatus audiret, admiratus, rogitansque, Satin' salva essent omnia, togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jubet: qua simul abstersa pulvere ac sudore velatus processit, &c.* Vide etiam Colum in præfat. pag 6 Gessit is Dictaturam anno Urbis CCXCVI. Ut Fasti quidem prodidere.

jugera in Vaticano, quæ [18] Prata Quinctia appellantur, Cincinnato [19] viator attulit Dictaturam, & quidem, ut traditur, nudo, plenoque pulveris etiamnum ore. Cui viator, Vela corpus, inquit, ut proferam Senatus populique Romani mandata. Tales tum etiam viatores erant: quod ipsum nomen inditum est subinde & ex agris Senatum ducesque arcessentibus. [20] At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, [21] inscriptique vultus exercent: [22] non tamen surda tellure, quæ parens appellatur, colique dicitur ipsa: [a] honore his assumpto, ut non invita ea, & indignata, credatur id fieri. Sed nos miramur [23] ergastulorum non eadem emolumenta esse, quæ fuerint Imperatorum.

V. Igitur de cultura agri præcipere principale fuit & apud exteros. [1] Siquidem & reges fecere, Hiero, Philometor Attalus, Archelaus: & duces Xenophon, & Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine capta, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidisset: [2] peritisque linguæ Punicæ dandum negotium, in quo præcessit omnes vir [3] clarissimæ familiæ D. Silanus. Sapientes vero complures, [4] quos sequentes prætexuimus in hoc volumine, [5] non ingrate nominando M. Varrone, qui [6] octogesimum primum annum agens, de ea re prodendum putavit.

Cap. IV. Apud Romanos multo serior vitium cultura esse cœpit. Primoque, ut necesse erat, arva tantum coluere: quorum nobis ratio nunc tractabitur non vulgari modo: verum, ut adhuc fecimus, & vetustis & postea inventis omni cura perquisitis, causaque rerum & ratione simul eruta. Dicemus & sidera, siderumque ipsorum terrestria signa dabimus indubitata: quandoquidem qui adhuc ea diligentius tractavere, quibusvis potius, quam agricolis, scripsisse possunt videri.

VI. Ac primum omnium oraculis majore ex parte agemus, quæ non in alio vitæ genere plura certiorave sunt. Cur enim non videantur oracula, a [1] certissimo die maximeque veridico usu profecta?

Cap. V. Principium autem a Catone sumemus. * [2] Fortissimi viri & milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque male cogitantes. Prædium ne cupide emas. In re rustica operæ ne parcas, in agro emendo minime. Quod male emptum est, semper pœnitet. Agrum paraturos ante omnia intueri oportet: [3] aquam, viam, & vicinum. [4] Singula magnas interpretationes habent, nec dubias. [5] Cato in conterminis hoc amplius æstimari jubet, quo pacto niteant: In bona enim, inquit, regione bene nitent. [6] Atilius Regulus, ille

Interpretatio.

a *Honore.*] Honorem iis *nominibus sibi habitum* tellus sumit *ultro*, *eoque contenta est*: ut non ab invita ea & indignata fieri istud credatur, *quod fructus edat quos rogatur, nec surda sit.*

Notæ.

18. *Prata Quinctia.*] Festus: *Quinctia Prata dicta sunt a Quinctio Cincinnato, quod sibi damnato filio venditis omnibus quatuor jugerum agrum trans Tiberim paraverat.* Fuere hæc prata inter vineam Mediceam & molem Hadriani, sive Castellum S. Angeli: hodieque campo ei nomen, *i Prati.*

19. *Cui viator.*] *Un Huoffier.* Columella, in præfat. pag. 7. *Illis*, ait, *temporibus proceres civitatis in agris morabantur: & cum consilium publicum desiderabatur, a villis arcessebantur in Senatum. Ex quo qui eos evocabant, Viatores nominati sunt.* Vide etiam Festum, verbo *Viatores.*

20. *At nunc.*] Eadem Columellæ conquestio oratione pereleganti, præfatione operis. *Nec post hæc reor intemperantia cœli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici noxiæ dedimus, quam majorum nostrorum optimus quisque optime tractaverit.* Cetera consule.

21. *Inscriptique.*] Notata frons stigmate, quod inuri servis soleret. Ausonius de Pergamo scriptore servo & fugitivo:

Tam segnis scriptor, quam lentus, Pergame, cursu
Fugisti, & primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerasti, Pergame, vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

De hisce stigmatibus vide Gothofredum in Cod. Theod. lib. 9. tit. 40. de pœnis, pag. 194.

22. *Non tamen surda.*] Quanquam vilissimorum hominum manibus colitur, quod ipsa poscitur, benigne producit.

23. *Ergastulorum.*] Hoc est, servorum, qui in ergastulis diu detenti.

Sect. V. 1. *Siquidem & reges.*] De his egimus in Auctorum Indice.

2. *Peritisque linguæ Punicæ.*] MSS. Reg. &c. *peritisque Punice*, ut sit adverbium, sicut Græce, Latine.

3. *Clarissimæ familiæ.*] Nam ex ea familia fuere, ut jam diximus, A. Licinius Nerva Silanus, Triumvir Monetalis sub Augusto: Silanus Orienti præfectus, in nummis ANTIOXEΩN, sub Tiberio: M. Silanus, nepos neptis Augusti apud Plinium, lib. VII. sect. XI & ex eo natus Ælius Silanus, frater Nervæ Imp. in nummo inscripto AE SILLAS, quem alibi explicuimus. Clarissimæ igitur familiæ *Decimus Silanus* iste fuit.

4. *Quos sequentes.*] Qui priorum tempora subsecuti sunt, quosque hujus operis initio appellavimus, nempe libro primo. In MSS. Reg. 2. *quos sequeremur*, scriptura haud penitus improbanda.

5. *Non ingrate.*] Ex infinito numero libenter Varronem appellamus. In MSS. Reg. 2. *non in grege*, quasi extra gregem nominando, quia antecellit.

6. *Octogesimum primum.*] Varro statim in ipso operis ingressu, lib. 1. de re rust. cap. 1. *Cogitans*, inquit, *esse properandum, quod (ut dicitur) si est homo bulla, eo magis senex. Annus enim octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam ante quam proficiscar e vita.* In quo Varronis loco unitatis notam excidisse e numero annorum Varronis, Fulv. Ursinus in Notis, pag. 10. recte admonuit.

Sect. VI. 1. *Certissimo die.*] Nam dies usum affert, qui optimus omnium est magister. MSS. omnes, *die*, recte: non *deo*, ut Lipsio visum. In hanc sententiam Columella egregie lib. 1. cap. 1. *Usus & experientia dominantur in artibus: neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur*, &c.

2. *Fortissimi.*] Hæc Cato in præf. libri de re rust. pag. 5.

3. *Aquam, viam, & vicinum.*] Vide Notas & Emendat. num. IV.

4. *Singula magnas.*] Has interpretationes ex Columella dabimus in Notis & Emend. num. cit.

5. *Cato in cont.*] Cato, loc. cit. *Vicini quo pacto niteant, id animum advertito: in bona regione bene nitere oportebit*, &c.

6. *Atilius Regulus.*] Hæc iisdem verbis Columella, lib. 1. de re rust. cap. 4. pag. 19. *In universum tamen quasi testificandum, atque sæpius prædicandum habeo, quod primo jam Punico bello dux inclytissimus M. Atilius Regulus dixisse memoratur: fundum, sicuti ne fœcundissimi quidem soli, cum sit insalubris: ita nec

[7] Punico bello bis Consul, aiebat, neque fecundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effetis saluberrimum. Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentibus durant. Præterea sunt quædam partibus anni salubria: nihil autem salutare est, nisi quod toto anno salubre. [8] Malus est ager, cum quo dominus luctatur. [9] Cato inter prima spectari jubet, ut solum sua virtute valeat, [10] qua dictum 5 est positione: [11] ut operariorum copia prope sit, oppidumque validum: ut navigiorum evectus vel itinerum: ut bene ædificatus & cultus, in quo falli plerosque video. Segnitiem enim prioris domini pro emptore esse arbitrantur. Nihil est damnosius deserto agro. [12] Itaque Cato, De bono domino melius emi, nec temere contemnendam alienam disciplinam: agroque, ut homini, quamvis quæstuosus sit, si tamen & sumptuosus, [13] non 10 multum superesse. [14] Ille in agro quæstuosissimam judicat vitem: non frustra, quoniam ante omnia de impensæ ratione cavit. Proxime hortos riguos: nec id falso, si sub oppido sint. [15] Et prata antiqui parata dixere. [16] Idemque Cato interrogatus, quis esset certissimus quæstus, respondit, si bene pascas. Quis proximus? Si mediocriter pascas. Summa omnium in hoc spectando fuit, ut fructus is maxime probaretur, qui quam minimo 15 impendio constaturus esset. Hoc ex locorum occasione aliter alibi decernitur. [17] Eodemque pertinet, quod agricolam vendacem esse oportere dixit. [18] Fundum in adolescentia conserendum sine cunctatione, ædificandum non nisi consito agro: tunc quoque cunctanter: optimumque est (ut vulgo dixere) aliena insania frui; sed ita, ut villarum tutela non sit oneri. [19] Eum tamen qui bene habitet, sæpius ventitare in agrum: frontemque domini 20 plus prodesse quam occipitium, non mentiuntur.

VII. 1. [1] Modus hic probatur, ut neque fundus villam quærat, neque villa fundum. CAP. VI.

NOTÆ.

effeti sit, si vel saluberrimus sit, parandum. Quod Atilius ætatis suæ agricolis majore cum auctoritate suadebat peritus usu. Nam Pupiniæ pestilentis simul & exilis agri cultorem fuisse eum loquuntur historiæ. De eo multa Seneca, lib. de Consol. ad Helv. c. 12. pag. 811.

7. *Punico bello.*] Primo

8. *Malus est ager.*] Columella, lib. 1. cap 3. pag. 18.

9. *Cato inter.*] Catonis verba, loc cit. *Uti bonum cælum habeat, ne calamitosum siet: solum bonum sua virtute valeat*

10. *Qua dictum est.*] Quo proxime dictum est, sito, juxta amnem, aut mare, iterque commodum, &c. vel quo dictum est lib. 17. sect. 3. agrum optime situm esse oportere.

11. *Ut operariorum.*] Cato, loc. cit.

12. *Itaque Cato.*] Loc cit. *Caveto alienam disciplinam temere contemnas. De domino bono colono, bonoque ædificatore melius emetur.... Videto, quam minimi instrumenti, sumptuosusque ager ne siet. Scito idem agrum, quod hominem, quamvis quæstuosus siet, si sumptuosus erit, relinqui non multum.*

13. *Non multum superesse.*] Post factas impensas non multum superesse fructuum, & quæstus.

14. *Ille in agro.*] Cato, loc. cit. Varro, lib. 1. de re rust. cap. 7. *Cato quidem, inquit, gradatim præponens, alium alio agrum meliorem dicit esse in novem discriminibus: quod sit primus, ubi vinea possint esse bono vino & multo: secundus, ubi hortus irriguus: tertius, ubi salictu: quartus, ubi olivetu: quintus, ubi pratum: sextus, ubi campus frumentarius: septimus, ubi cædua silva: octavus, ubi arbustum: nonus, ubi glandaria silva. Scrofa: Scio, inquit, scribere illum: sed de hoc non consentiunt omnes, quod alii dant primatum bonis pratis, ut ego quoque: a quo antiqui prata parata appellarunt, &c.*

15. *Et prata.... parata*] *Quod protinus essent parata,* inquit Colum. l. 2. de re rust cap. 17. pag 74. *nec magnum laborem desiderarent.* Vel qood paratus & annuus sit hic terræ fetus: nam & idcirco *fenum quoque pratorum*, auctore Festo: *a fenore est appellatum, quando idipsum manens, quotannis novum parit.*

16. *Idemque Cato.*] Refert id quoque Columella, lib. 6. pag. 208. in præfatione: *Ut etiam, inquit, M. Cato credidit, qui consulenti quam partem rei rusticæ exercendo celeriter locupletari posset, respondit, si bene pasceret: Rursusque interroganti quid deinde faciendo satis uberes fructus percepturus esset, affirmavit, si mediocriter pasceret.* Refert hoc ipsum Tullius, lib. 2. de Offic. num. 88.

17. *Eodemque.*] Cato, lib. de re rust cap. 2. *Patrem familias vendacem, non emacem esse oportet.* Et paulo ante: *Vendat oleum.... vinum, frumentumque quod supersit. Vendat boves vetulos,* &c.

18. *Fundum.*] Verba Catonis plena elegantiæ, lib de re rust. cap. 3. *Prima adolescentia patrem familiæ agrum conserere studere oportet: ædificare diu cogitare oportet: conserere cogitare non oportet, sed facere. Ubi ætas accessit ad annos XXXVI. tum ædificare oportet, si agrum consitum habeas.*

19. *Eum tamen.*] Cato, cap. 4. *Ruri si recte habitaveris, libentius & sæpius venies: Fundus melior erit: minus peccabitur, fructus plus capies. Frons occipitio prior,* hoc est, potior, meliorque. Sic ille Persa apud Xenoph. in Oeconom. pag. 854 interrogatus, quæ res potissimum saginaret equum, respondit, Oculus domini. ὀφθαλμός [illegible]. Festive ut semper, Phædrus, lib. 2. fab. 8.

> *Cervus nemorosis excitatus latibulis,*
> *Ut venatorum fugeret instantem necem,*
> *Cæco timore proximam villam petit,*
> *Et opportuno se bovili condidit.*
> *Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,*
> *Infelix ultro qui ad necem cucurreris,*
> *Hominumque tecto spiritum commiseris?*
> *At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite,*
> *Occasione rursus erumpam data.*
> *Spatium diei noctis excipiunt vices,*
> *Frondem bubulcus affert, nec ideo videt.*
> *Eunt subinde & redeunt omnes rustici.*
> *Nemo animadvertit: transit etiam villicus,*
> *Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus*
> *Bobus quietis agere cœpit gratias,*
> *Hospitium adverso quod præstiterint tempore.*
> *Respondit unus: Salvum te cupimus quidem,*
> *Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,*
> *Magno in periclo vita vertetur tua.*
> *Hæc inter, ipse dominus a cœna redit:*
> *Et quia corruptos viderat nuper boves,*
> *Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?*
> *Stramenta desunt? tollere hæc aranea*
> *Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,*
> *Cervi quoque alta conspicatus est cornua:*
> *Quem convocata jubet occidi familia,*
> *Prædamque tolli. Hæc significat fabula,*
> *Dominum videre plurimum in rebus suis.*

Sic Columella, lib. 1 cap. 1. eleganter: *Ac ne ipsa quidem præsidia.... tantum pollent, quantum vel una præsentia domini: quæ nisi frequens operibus intervenerit, ut in exercitu cum abest imperator, cuncta cessant officia: maximeque reor hoc significantem Pœnum Magonem suorum scriptorum primordium talibus auspicatum sententiis: Qui agrum parabit, domum vendat; ne malit urbanum, quam rusticum larem colere. Cui magis cordi fuerit urbanum domicilium, rustico prædio non erit opus.* Et lib. 4. cap. 18. *Oculi & vestigia domini, res agro saluberrima.*

Sect. VII. 1. *Modus hic.*] Ædificandi videlicet. Cato, c. 3. *Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam.* Sic & Columella, lib. 1. cap. 4. ex Catone. Quærit fundus villam, cum villa minus magna est, quam modus fundi postulat. Quærit villa fundum, cum major est villa: quæ tuenda est sumptu majore. Ita fere Varro, lib. 1. de re rust. cap. 11. Villam hoc loco urbanam intellige, hoc est, eam partem, quam ruri dominus sibi recepit: quæ quia elegantius instrui solet, urbana dicitur, quasi urbani nitoris *Maison de campagne.*

[2] Non ut fecerunt juxta diversis eadem ætate exemplis L. Lucullus, & Q. Scævola, [3] cum villa Scævolæ fundus careret, villa Luculli agro. Quo in genere [4] Censoria castigatio erat, minus arare, quam verrere. Nec hoc sine arte quadam est. Novissimus villam [5] in Misenensi posuit C. Marius septies Consul, sed peritia castrametandi: sic ut comparatos ei ceteros etiam [6] Sylla Felix cœcos fuisse diceret.

2. [7] Convenit nec juxta paludes ponendam esse, [8] neque adverso amne: quanquam [9] Homerus omnino e flumine semper antelucanas auras insalubres verissime tradidit. [10] Spectare in æstuosis locis septemtriones debet, meridiem in frigidis: in temperatis exortum æquinoctialem. Agri ipsius bonitas, quibus argumentis judicanda sit, quanquam de terræ optimo genere differentes [11] abunde dixisse possumus videri, etiamnum tamen traditas notas subsignabimus, [12] Catonis maxime verbis: [13] Ebulum, vel prunus silvestris, vel rubus, bulbus minutus, trifolium, herba pratensis, quercus, silvestris pirus, malusque, frumentarii soli notæ. Item nigra terra, & cinerei coloris. Omnis creta coquit, nisi permacra: sabulumque, nisi id etiam pertenue est: & multo campestribus magis, quam clivosis, respondent eadem.

3. [14] Modum agri in primis servandum antiqui putavere: quippe ita censebant; Satius esse minus serere, & melius arare: qua in sententia & Virgilium fuisse video. Verumque confitentibus latifundia perdidere Italiam, jam vero & provincias. Sex domini [15] semissem Africæ possidebant, cum interfecit eos Nero princeps: [16] non fraudando magnitudine hac quoque sua Cn. Pompeio, qui numquam agrum mercatus est conterminum. [17] Agro empto domum vendendam, inclementer, atque non ex utilitate publici status Mago censuit, hoc exordio præcepta pandere ingressus, ut tamen appareat assiduitatem desideratam ab eo.

4. Dehinc peritia villicorum in cura habenda est: multaque de iis [18] Cato præcepit. Nobis satis sit dixisse, [19] quam proximum domino corde esse debere, & tamen sibimetipsi non videri. Coli rura ab ergastulis pessimum est, & quidquid agitur a desperantibus. Temerarium videatur unam vocem antiquorum posuisse, & fortassis incredibile penitus æstimetur: Nihil minus expedire, quam agrum optime colere. [20] L. Tarius Rufus infima natalium humilitate, Consulatum militari industria meritus, antiquæ alias parcimoniæ,

NOTÆ.

2. *Non ut fecerunt.*] Colum. lib. 4. de re rust cap. 20. *Multos enim deerrasse memoria prodidit, sicut præstantissimos viros L. Lucullum & Q. Scævolam, quorum alter majores, alter minus amplas, quam postulavit modus agri, villas exstruxit, cum utrumque sit contra rem familiarem, &c.*

3. *Cum villa.*] Nam & villa Scævolæ fructibus deerat, cum parva nimis esset: villam Luculli ingentem & magnificam vix amplectebatur ager.

4. *Censoria.*] Censorum animadversioni obnoxius erat: qui lautiorem villam pararet, quæ verri deberet, quam ampliorem agrum, quem araret.

5. *In Misenensi.*] In Campania. Vide lib. 3. sect. 9. De hac Misenensi villa multa disserit Plutarchus in Mario, pag. 424.

6. *Sylla Felix.*] Qui Marii hostis fuit. Dignum videri laude vel inimico, præclarum.

7. *Convenit.*] Colum. lib 1. de re rust. cap 5 pag. 22. *Nec paludem quidem vicinam esse oportet ædificiis, ... quod illa caloribus noxium virus eructat, & infestis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos densissimis examinibus involant. Tum etiam natricum serpentiumque pestes, hiberna destitutas uligine, cœno & fermentata colluvie, venenatas emittit, ex quibus sæpe contrahuntur cæci morbi. ... sed & anni toto tempore situs atque humor instrumentum rusticum, supellectilemque, & inconditos conditosque fructus corrumpit.* Varro, lib. 1. de re rust. cap. 12. *Advertendum etiam si qua erunt loca palustria, & quod arescunt, & quod in iis crescunt animalia quædam minuta, quæ non possunt oculi consequi, & per aera intus in corpus per os ac nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos.*

8. *Neque adverso.*] Columella, loc. cit. *Cavendum tamen erit, ut a tergo potius, quam præ se villa flumen habeat, ... cum plerique omnes æstate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligent.*

9. *Homerus.*] Odyss. ε. vers. 469. frigidas esse auras antelucanas scribit:

Αὔρη δ' ἐκ ποταμοῦ ψυχρὴ πνέει ἠῶθι πρό.

10. *Spectare.*] Colum. lib. 1. cap. 5. pag. 23.

11. *Abunde dixisse.*] Libro superiore, sect. 3.

12. *Catonis.*] Hæc apud Catonem huc usque minime reperta. Sunt quædam ex iis apud Colum. lib. 2. cap. 2. *Plurimos antiquorum*, inquit, *qui de rusticis rebus scripserunt, memoriæ repeto, quasi confessa, nec dubia signa pinguis ac frumentarii fertilis agri prodidisse, dulcedinem soli propriam, herbarum & arborum proventum, nigrum colorem vel cinereum*, &c. Et post quædam interposita: *Multa sunt quæ terram frumentis habilem significent, ut juncus, ut calamus, ut gramen, ut trifolium, ebulum, rubi, pruni silvestres, & alia complura, quæ etiam indagatoribus aquarum nota, nonnisi dulcibus terræ venis educantur.*

13. *Ebulum, &c.*] De his suo loco dicemus. De bulbo in primis, lib. 19. sect. 30. Herba pratensis Catoni, Columellæ ac ceteris gramen est.

14. *Modum agri.*] In eam rem scite & eleganter Columella, lib. 1. cap. 3. pag. 18. *Nos ad cetera præcepta illud adjicimus, quod sapiens unus de septem in perpetuam posteritati pronunciavit, μέτρον ἄριστον, adhibendum modum mensuramque rebus: idque ut non solum aliud acturis, sed & agrum paraturis dictum intelligatur, ne majorem, quam ratio calculorum patiatur, emere velit. Nam huc pertinet præclara nostri poetæ sententia:*

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Quod vir eruditissimus, ut mea fert opinio, traditum vetus præceptum numeris signavit: quippe antiquissimam gentem Pœnos dixisse convenit, imbecilliorem agrum quam agricolam esse debere: quoniam cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum. Nec dubium quin minus reddat laxus ager non recte cultus, quam angustus eximie.

15. *Semissem Africæ.*] Mediam Africæ partem, hoc est, Zeugitanæ regionis, de qua dictum est lib. 5. sect. 3.

16. *Non fraudando.*] Familiaris scriptori nostro loquendi modus: Sic paulo ante, sect. 5. *non ingrate nominando M. Varrone*, &c. Quo loco, inquit, fraudari non debet merita laude Pompeius, &c.

17. *Agro empto.*] Colum. lib. 1. cap. 1. cap. 14. *Nisi præsentia domini frequens operibus intervenerit, ut in exercitu cum abest imperator, cuncta cessant officia. Maximeque reor hoc significantem Pœnum Magonem, suorum scriptorum primordium talibus auspicatum sententiis: Qui agrum parabit, domum vendat: ne malit urbanum, quam rusticum larem colere: Cui magis cordi fuerit urbanum domicilium, rustico prædio non erit opus*, &c.

18. *Cato præcepit.*] Libro de re rust. cap. 5. pag. 10.

19. *Quam proximum domino corde.*] Peritia quam simillimum domino esse debere. *Egregie cordatus homo*, egregie peritus. Optime scire oportet villicum, quæ dominus velit, ut obsequatur, & possit aliis præcipere: & tamen sibimetipsi non videri: hoc est quod Cato cap. 5. dicit, pag. 10. *Ne plus censeat sapere se, quam dominum: consideretque, ut quæ dominus imperaverit, fiant.*

20. *L. Tarius Rufus.*] Anno Urbis DCCXXXVII. gessit Consulatum ex Kalendis Julius, Augusti principatu, ut quidem Fasti tradunt.

circiter [21] millies H-S. liberalitate Divi Augusti congestum, usque [22] ad detrectationem heredis exhausit, agros in Piceno coëmendo, colendoque. [23] In gloria internecionem ergo famemque censemus? Immo hercules, [24] Modum judicem rerum omnium utilissimum. Bene colere necessarium est: optime, damnosum, [25] præterquam sobole, suo colono, aut pascendis. Alioqui colente domino aliquas messes colligere non expedit, [26] si computetur impendium operæ. [27] Nec temere olivam: nec quasdam terras diligenter colere, sicut [28] in Sicilia, tradunt: itaque decipi advenas.

VIII. 1. Quonam igitur modo utilissime colentur agri? Ex oraculo scilicet, malis bonis. Sed defendi æquum est abavos, qui præceptis suis prospexere vitæ. Namque cum dicerent malis, intelligere voluere vilissimos. Summum providentiæ illorum fuit, ut quam minimum esset impendii. Præcipiebant enim ista, [1] qui triumphali denas argenti libras in supellectile crimini dabant: [2] qui mortuo villico relinquere victorias, & reverti in sua rura postulabant: [3] quorum prædia colenda suscipiebat Respublica; exercitusque ducebant, Senatu illis villicante.

Inde illa reliqua oracula: Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset. Malum patrem familias, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate cæli. Pejorem, qui profestis diebus ageret, [4] quod feriatis deberet. Pessimum, qui sereno die sub tecto potius operaretur, quam in agro.

2. Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiterque defendi soliti sint illi viri. C. Furius [5] Cresinus e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas; in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a [6] Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit familiam validam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque, & sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est. Profecto, operâ, non impensâ, cultura constat. Et ideo majores fertilissimum in agro [7] oculum domini esse dixerunt.

3. Reliqua præcepta reddentur suis locis, quæ propria generum singulorum erunt. Interim communia, quæ succurrunt, non omittemus. Et in primis Catonis humanissimum

NOTÆ.

21. *Millies H-S.*] Millies centena sestertiûm millia: quæ Gallicæ monetæ faciunt libras, ut vocant, 10000000. seu milliones decem

22. *Ad detrectationem.*] Ut gerere se pro herede, eo mortuo, nemo non detrectaret.

23. *In gloria internecionem.*] Neglectum agri. Nomquid satius igitur, ut negligenter agrum colendo dominus esuriat?

24. *Modum judicem.*] Μέτρον ἄριστον esse censuerim.

25. *Præterquam sobole.*] Nisi ad colendum agrum opera liberorum utatur, vel coloni sui, aut aliorum, quos aliequi pasci aliquæ a domino opus sit.

26. *Si computetur.*] Cum sumptus fructum superet, si colere per se dominum ipsum oporteat.

27. *Nec temere olivam.*] Subintellige, diligenter colere oportet: Quoniam non ulla est oleis cultura, uti ex Virgilio observavimus, lib. 15. sect. 28.

28. *In Sicilia.*] Theophr lib. 8. histor. cap 6. Παρ' ἐνίοις δὲ τὸ λίαν ἐργάζεσθαι βλάπτει, καθάπερ ἐν Σικελίᾳ. *Apud alios cultus nimius obest, ut in Sicilia.* Adde ejusdem Theophrasti historiam, lib. 3. de causis, cap. 25. pag 209 de colono illo Corinthio in Syracusani agri cultura aberrante: quam Plinius & antea retulit, lib. 17 sect 3. & nunc iterum indicat, cum subjungit, *Itaque decipi advenas.*

Sect. VIII. 1. *Qui triumphali.*] Hoc est, triumphali viro. Quem Plinius notet hoc loco, indicabimus libro 33. sect 50. Signat hoc tempus egregio versiculo Ovidius, lib. 1. Fastor. vers 208.

Cum levis argenti lamina crimen erat.

2. *Qui mortuo.*] Atilium Regulum intelligit, qui maritimo ac terrestri prælio fractis Carthaginiensium viribus, postea victus ab iis & in acie captus, anno Urbis duodequingentesimo. Valer. Max lib. 4. c. 4. n. 6. *Ejusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli gloria cladesque maxima: cum in Africa insolentissimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset: Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem jugerum habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium amoto inde rustico instrumento discessisse: Ideoque petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquam Senatus a Consulibus accepit, agrum Atilii illico colendum locari, & alimenta conjugi ejus ac liberis præberi, resque quas amiserat, redimi publice jussit.*

3. *Quorum prædia.*] MSS *harendia.* Forte, *heredia*, ut visum est Turnebo, lib. 30. Advers cap. 18. pag. 1106.

4. *Quod feriatis.*] Ut Virgilius cecinit, lib. 1. Georg. vers. 268.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & jura sinunt. Rivos deducere nulla
Relligio vetuit: segeti prætendere sepem,
Avibus insidias moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Quanquam Pontifices, inquit Columella, *negant segetem feriis sepiri debere: vetant quoque lanarum causa lavari oves, nisi propter medicinam: ... Feriis autem ritus majorum etiam illa permisit: far pinsere, faces incidere, candelas sebare*, &c. Et Cato, cap. 2. *Per ferias vero fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri*, &c. *M. Porcius Cato*, inquit Columella, loc. cit. *mulis, equis, asinis nullas esse ferias dixit*, &c.

5. *Cresinus.*] MSS. *Cresimum.* Apud Gruter. pag. 35. *Cresima Secunda* legitur. Habet aliquid huic narrationi persimile Plinius ipse, de Remmio Palæmone, lib. 14. sect 5. Ad hanc gentem Furiam nummus pertinet argenteus e Museo nostro, & apud Patinum, pag. 117. num 3. in quo Jani bifrontis imago est, cum epigraphe, M FOVRI L F .Ж. Trophæum portis civitatis impositum: hinc aquila legionaria, inde Roma stans galeata, sinistra hastam gerit, sive sceptrum, dextra coronam imponit trophæo. Retro, ROMA. Infra, ЖLI, pro PHILI. Non est hic Furius cognomine Philus. Certe si nomen his litteris designaretur, *Philum* esset, non *Philus*: ut SERGI. scribi solet, pro *Sergius*, & cetera similiter omnia. At hic sententia est: *Marcus Fourius Lucii filius Philippis Legionem Imposuit*, præsidiariam scilicet, post prælium Philippense, anni Urbis conditæ DCCXII.

6. *Sp. Albino.*] Sp. Postumio Albino, ædili tum curuli. In hac narratione cum prius legeretur, *filiam validam*, reposuimus, *familiam validam*; admoniti dicto Catonis, quod proxime sequitur, *Ne familia male sit.*

7. *Oculum domini.*] Vide quæ in eamdem sententiam attulimus sect 6. extrema. Quibus adde hunc Æschyli versum:

Ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω, δεσπότου παρουσίαν.

utilissimumque: [8] Id agendum, ut diligant vicini. [9] Causas reddit ille: nos existimamus nulli esse dubias. Inter prima idem cavet, [10] ne familiæ malæ sint. [11] Nihil sero faciendum in agricultura omnes censent, iterumque suo quæque tempore facienda. Ex tertio præcepto, prætermissa frustra revocari. [12] De terra cariosa exsecratio Catonis abunde indicata est. 5 Quanquam prædicere non cessat is: Quidquid per asellum fieri potest, vilissime constat. [13] Filix biennio moritur, si frondem agere non patiaris. Id efficacissime contingit, germinantis ramis baculo decussis. Succus enim ex ipsa defluens, necat radices. Aiunt & circa solstitium avulsas non renasci, nec arundine sectas, aut exaratas vomeri arundine imposita. [14] Similiter & arundinem exarari filico vomeri imposita præcipiunt. Juncosus 10 ager verti pala debet: at in saxoso bidentibus. [16] Fruteta igni optime tolluntur. [17] Humidiorem agrum fossis concidi atque siccari, utilissimum est: fossas autem cretosis locis apertas relinqui: in solutiore terra sepibus firmari, ne procidant: [18] aut supinis lateribus procumbere: [19] quasdam occæcari, & in alias dirigi majores patentioresque: si sit occasio, silice vel glarea sterni. [20] Ora autem earum binis utrimque lapidibus statuminari, & alio su-15 perintegi. Silvæ exstirpandæ rationem Democritus prodidit, lupini flore in succo cicutæ uno die macerato, sparsisque radicibus.

CAP. VII. IX. Et quoniam præparatus est ager, natura nunc indicabitur frugum. [1] Sunt autem duo prima earum genera. Frumenta, ut triticum, hordeum: & legumina, ut faba, cicer. Differentia vero notior quam ut indicari deceat.

20 X. 1. Frumenti ipsius totidem genera, [1] per tempora satu divisa. Hiberna, quæ circa [2] Vergiliarum occasum sata terra per hiemem nutriuntur, ut triticum, far, hordeum. Æstiva, quæ æstate ante Vergiliarum exortum seruntur, ut milium, panicum, sesama, horminum, irio, Italiæ duntaxat ritu. Alioqui [3] in Græcia & Asia omnia Vergiliarum occasu seruntur. Quædam autem utroque tempore in Italia. [4] Ex his quædam & tertio, 25 veris scilicet. Aliqui verna, milium, panicum, lentem, cicer, [5] alicam appellant. [6] Sementiva autem, triticum, hordeum, fabam, napum, rapam. Et in tritici genere pars aliqua pabuli est quadrupedum causa sati, [7] ut farrago: & in leguminibus, ut vicia. At commune quadrupedum hominumque usui, lupinum.

2. [8] Legumina omnia singulas habent radices, præter fabam, easque [a] surculosas:

Interpretatio.

a *Surculosas.*] Lignosas.

Notæ.

8. *Id agendum ut.*] Cato, cap. 4. *Vicinis bonus esto*, &c.

9. *Causas reddit.*] Quas afferemus in Notis & Emendat. num. V.

10. *Ne familiæ malæ sint.*] Vide Notas & Emend. num. proxime cit.

11. *Nihil sero.*] Cato, cap. 5. *Opera omnia mature conficias face. Nam res rustica sic est, si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies.*] His adde quæ ex Columella diximus lib. 17, sect. 19. nota 8.

12. *De terra cariosa.*] Diximus de ea, lib. 17. sect. 3.

13. *Filix biennio.*] Colum. lib. 2 cap. 2 pag. 41.

14. *Similiter.*] Arundinis cum filice odia & ἀντιπάθειαν, altero vide exemplo firmata, lib. 24. sect. 50. Habet hæc quoque Dioscor. lib. 4 cap 187.

15. *Juncosus ager verti pala.*] Pastinari. Colum. loc. cit

16. *Fruteta.*] Colum. loc cit. *Nemorosi, frutetosique tractus duplex cura est, vel exstirpandis radicitus arboribus, & removendis: vel, si rara sint, tantum succidendis, incendendisque, & inarandis.*

17. *Humidiorem*] Columella, lib. 2 cap. item 2 *Si locus humidus erit abundantia uliginis, ante siccetur fossis. Earum duo genera cognovimus, cæcarum, & patentium. Spissis atque cretosis regionibus aperta relinquuntur. At ubi solutior humus est, aliquæ fiunt patentes: quædam etiam obcæcantur, ita ut in patentes ora hiantia cæcarum competant.*

18. *Aut supinis.*] *Declives fossas*, inquit Colum loc. cit. *& ad imum solum coarctatas, imbricibus supinis similes facere convenit: nam quarum recta sunt latera, celeriter aquis vitiantur, & superioris soli lapsibus replentur.*

19 *Quasdam occæcari.*] Obtegi, in subterranei cuniculi modum.

20. *Ora autem.*] In principio atque exitu fossæ, bina saxa pilarum vice constituantur, & iisdem singula superimponantur, more ponticulorum: ut ejusdem constructio ripam sustineat, ne præcludatur humoris illapsus, atque exitus. Colum. loc. cit.

Sect. IX. 1 *Sunt autem duo*] Ab hisce verbis ad eum locum, num. 2. *Ex hordeo alterum capus*, &c. exhibet omnia Theophr. lib 8. histor. cap. 1. & 2. Et quidem cap 1. Δύο δὴ γένη τὰ μέγιστα τυγχάνει· τὰ μὲν γὰρ σιτώδη, οἷον πυρὸς, κριθαὶ, &c. Σῖτος igitur frumentum est, *du Blé*. Πυρὸς triticum, *du froment*. Κριθὴ hordeum, *de l'orge*.

Sect. X. 1. *Per tempora satu divisa.*] Vel *satus*: hoc est, sationis tempore inter se discreta ac divisa. Theophrasto: *duo δὲ ὥσπερ τῶν σπόρων δύο. Satus vel sementis tempora ut plurimum duo notantur.*

2. *Vergiliarum occasum.*] De quo dicetur sect 59 de exortu, sect. 66. Columellam & Virgilium sequitur Is enim lib. 2. de re rust cap. 8. *Placet nostro poetæ*, inquit, *adoreum, atque etiam triticum, non ante seminare, quam occiderint Vergiliæ: quod ipsum numeris sic edisserit:*

At si triticeam in messem, robustaque farra,
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Absconduntur autem altero & trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono Calendas Octobres: propter quod intelligi debet tritici satio diebus sex & quadraginta, ab occasu Vergiliarum, qui fit ante diem IX Calendas Novembris, ad brumæ tempora.

3. *In Græcia.*] In Bœotia, ut dicetur sect. 56.

4 *Ex his quædam.*] Ut milium, ita prodente Virgilio, lib. 1. Georg. vers. 216.

Vere fabis satio . . . .
. . . Et milio venit annua cura.

5. *Alicam appellant.*] Et genus esse tritici alica hic videtur, ut ait Galenus, lib de alim. facult. cap 6. pag. 314. tom. 6 Τὸ γένος τῶν πυρῶν ἐστὶν ὁ χόνδρος, &c Nempe alicam Plinius, tum hoc loco, tum lib. 22 sect. 61. pro ea fruge accipit, ex qua sorbitio seu puls ejusdem nominis concinnatur. Et a Catone pariter sic videtur accipi, cap. 76. *Placentam sic facito. Farinæ siligineæ libras II. . . farinæ libras IV. & alicæ primæ lib. II. Alicam in aquam infundito*, &c Et cap. rursum 85.

6 *Sementiva.*] Theophr lib. 8. hist. cap. 1. Πρώιμα μὲν οὖν ἐστι, πυρὸς, κριθὴ . . . . κύαμος, &c. *Quæ mature seri oportet triticum, hordeum . . . faba*, &c. Unde intelligas quæ sementiva proprie appellentur.

7. *Ut farrago.*] Vulgo, *du fourage, de la dragée*, ut diximus superiore libro, sect. 35. num. 21. de ocymo Festus: *Farrago appellatur id quod ex pluribus satis pabuli causa datur jumentis.* Columella, lib 2. cap. XI. *Farraginem in restibili stercoratissimo loco . . . . serere convenit. Ea sit optima, cum cantherini hordei decem modiis jugerum obseritur, . . . Frigoribus cum alia pabula defecerunt, ea bubus, cæterisque pecudibus optime desecta præbetur.* Fit ex farre, hordeo, tritico, vicia, &c. Vide sect. 41.

8. *Legumina omnia.*] Legumina omnia singulari nituntur

quia

quia non [a] in multa dividuntur: altiſſimas autem cicer. Frumenta multis radicantur fibris, ſine ramis. [9] Erumpit a primo ſatu hordeum die ſeptimo: legumina quarto, vel cum tardiſſime, ſeptimo: [10] faba a XV. ad XX. legumina in Ægypto tertio die. [11] Ex hordeo alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ & prior floret. [12] Radicem craſſior pars grani fundit, tenuior florem. Ceteris ſeminibus eadem pars, & radicem, [13] & florem.

3. [14] Frumenta hieme in herba ſunt: verno tempore faſtigantur in ſtipulam, quæ ſunt hiberni generis: at milium & panicum in culmum geniculatum & concavum, ſeſama vero in ferulaceum. [15] Omnium ſatorum fructus, aut ſpicis continetur, ut tritici, hordei: munitur que vallo ariſtarum quadruplici: aut includitur ſiliquis, ut leguminum: aut vaſculis, ut ſeſamæ, ac papaveris. Milium, & panicum tantum [16] pro indiviſo, & parvis avibus expoſitum eſt. Indefenſa quippe membranis continentur. [17] Panicum a paniculis dictum, cacumine languide nutante, paulatim extenuato culmo pæne [18] in ſurculum, prædenſis acervatur granis, cum longiſſima [19] pedali obba. Milii comæ granum complexæ [20] fimbriato capillo curvantur. Sunt & panico genera: [21] Mammoſa, e pano parvis racemata paniculis: & cacumine gemino. Quin & colore diſtinguitur: candido, nigro, ruſo, etiam purpureo. Panis multifarie [22] & e milio fit, e panico rarus. Sed nullum frumentum ponderoſius eſt, aut quod coquendo magis creſcat: LX pondo panis e modio reducunt, modiumque pultis ex tribus ſextariis madidis. [23] Milium intra hos decem annos ex India in Italiam invectum eſt nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adoleſcit ad pedes altitudine ſeptem, prægrandibus culmis; [24] lobas vocant: omnium frugum fertiliſſimum. Ex uno grano terni ſextarii gignuntur. Seri debet in humidis.

4. [25] Frumenta quædam in tertio genu ſpicam incipiunt concipere, quædam in quarto, ſed etiamnum occultam. Genicula autem ſunt tritico quaterna, farri ſena, hordeo octona. Sed non ante ſupradictum geniculorum numerum conceptus eſt ſpicæ: [26] qui ut ſpem ſui fecit, quatuor aut quinque tardiſſime diebus florere incipiunt: [27] totidemque aut paulo pluribus defloreſcunt. [28] Hordea vero cum tardiſſime ſeptem. [29] Varro quater novenis diebus fruges abſolvi tradit, & menſe nono meti.

5. Fabæ in folia exeunt, ac deinde caulem emittunt, [30] nullis diſtinctum internodiis. [31] Reliqua legumina ſurculoſa ſunt. [32] Ex his ramoſa, cicer, ervum, lens. Quorumdam

Interpretatio.

a *In multa.*] In multos ramos.

Notæ.

radice, eamque radicem lignoſam habent, quia non in multos ſuperne ramos ea legumina dividuntur, nec numeroſo caule & ramulo ſe attollunt, præter fabam. Frumenta vero e diverſo multis radicantur fibris, ſed quæ ramos minime mittant. Hæc Plinii, hæc Theophraſti mens, lib. 8 hiſt. cap. 2. Τὰ μὲν χέδροπα ξυλώδη, μονόῤῥιζα, διὸ καὶ πολύκλαδα. καὶ πολύκαυλα. καὶ πλεῖστα ἀναβλαστάνει ἀπὸ τῆς καυλοῦ ἀποφύσεις ἔχοντα, πλὴν κυάμου. Τὰ δὲ σιτηρὰ ἐναντίως, πολύῤῥιζα, καὶ ἀπαραβλαστα.

9. *Erumpit.*] Theophr. lib. 8. hiſt. cap. 1. Vide & Varronem, lib. 1. de re ruſt. cap. 45.

10. *Faba a XV. ad XX.*] Theophr. Faba, inquit, quibuſdam in locis die XV. alias etiam viceſimo: hæc enim omnium difficillime provenit: ac ſi frequens poſt ſationem imber ſucceſſerit, omnino difficilis proventu redditur: Κύαμος δὲ ὀψιαίτατα καὶ πεντεκαιδεκαταῖος· ὅτι δὲ καὶ εἰκοσαῖος, &c.

11. *Ex hordeo.*] Theophr. lib. 8. hiſt. cap. 2.

12. *Radicem.*] Theophr. loc. cit.

13. *Et florem.*] Hoc eſt, ut dictum eſt proxime, in herbam exit, quæ & prius floret, ſive germinat. Theophr loc. cit. *& radicem, & caulem ſeu ſpicam* dixit. Κύαμος καὶ τὰ ἄλλα χέδροπα, οὐκ ὁμοίως, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ τὴν ῥίζαν καὶ τὸν καυλόν. *Faba, ceteraque legumina non eodem modo emittunt: ſed eadem ex parte radicem fundunt, & caulem.*

14. *Frumenta hieme.*] Theophr. loc. cit. & cap. 3.

15. *Omnium ſatorum.*] Theophr. lib. 8. hiſtor. cap. 3.

16. *Pro indiviſo.*] Hoc eſt, ex æquo. Diximus de ea voce lib. 9. ſect. 64.

17. *Panicum.*] Grani minuti genus, milii inſtar: noſtris, *Panis.* Joan. de Janua: *Panicum, a panis derivatur.... quoddam genus annonæ, quod in quibuſdam locis ro homines ſuſtentantur vice panis: unde dicitur panicum, quaſi panis vicium, quod vice panis fungatur. ſecundum quoſdam.* Gothorum rex Vitiges *de horreis Ticinenſibus & Dertonenſibus panicum populo eſurienti diſtrahi præcepit,* auctore Caſſiodoro, lib. 12. Var. epiſt. 27.

18. *In ſurculum.*] In duritiem ligni.

19. *Pedali obba.*] In MSS *obſa.* Libentius multo agnoverim, litteris permutatis *foba*, vel potius *phoba.* Eſt enim φόβη Theophraſto, lib. 8. hiſt. cap. 3. arundinacea coma frugum omnium, quæ ad milii ſimilitudinem accedunt: τὰ μὲν γὰρ σιτηρὰ στάχυν· τὰ δὲ χέδροπα, λοβόν. τὰ δὲ κεγχρώδη, φόβην. ἡ δὲ κεγχρώδης ἀνθέρικα, φόβη. Hanc Latine panum Plinius ipſe plane modo vocat.

20. *Fimbriato capillo.*] Inſtar crinium fimbriarumque, ſolutæ videri poſſint.

21. *Mammoſa.*] Mammoſum panici genus eſt, inquit, cui panus ineſt racemoſus, exiguiſque conſtans paniculis. Panicum eſt illud ſativum Dalecampii in hiſt. plant. pag. 16. & idem vulgare Cluſii, pag. CCXV.

22. *Et e milio fit.*] Milii nunc in pulte uſus, qualis olim, auctore Feſto, cum *puls miliacea ex melle, forma appellaretur: cum lacte non faſtidienda*, inquit Columella, lib. 2 cap 9. In panificio raro. Sed is olim uſus, teſte etiam Columella, lib. 2. cap 9. pag 56. *Panis*, inquit, *e milio fit, qui antequam refrigeſcat, ſine faſtidio poteſt abſumi.*

23. *Milium intra hos.*] De milio Indico, eximiæ magnitudinis, culmique arundinei, vide Philoſtr. lib. 3. de vita Apollon. cap. 1. pag. 112. Hoc *Surgum* vocari apud populares ſuos auctor eſt Scaliger, Exercit. 292. pag. 869.

24. *Lobas vocant.*] Ita MSS. omnes. Rectius tamen *phobas* dixeris, ex laudato proxime Theophraſti loco, qui leguminibus χεδρόποις λοβὸν, miliaceis φόβην aſſignat.

25. *Frumenta quædam.*] Habet hæc & Theophr. lib. 8. hiſt. cap. 2. & Columella, lib. 2. cap. 12. pag. 67. Genua porro, ſive genicula, ſunt veluti nodi & articuli, quibus herbacei caules & ſtipulæ diſtinguuntur.

26. *Qui ut ſpem.*] Qui conceptus ſcilicet, ſeu ſpicæ partus. Theophr. loc. cit.

27. *Totidemque.*] Poſt dies totidem elapſos. Theophraſt. loc. cit.

28. *Hordea vero.*] Theophr. πυρὸν καὶ κριθὴν, triticum, hordeumque.

29. *Varro.*] In libris deperditis.

30. *Nullis diſtinctum.*] Nullis certe geniculis interſeptum, glabrum, inanemque caulem fabæ cernimus, etſi Theophr. lib. 8 hiſt cap 2. γονατώδη καυλὸν κυάμου vocat.

31. *Reliqua .... ſurculoſa ſunt.*] Hoc eſt, plures e ſua radice caules emittunt: τὰ μὲν χέδροπα πολύκαυλα. Theophr. loc. cit.

32. *Ex his ramoſa.*] Πολύκλαδα, quorum caulis in plures ſe fundit ramulos.

caules sparguntur in terram, si non habeant adminiculum, ut pisorum. Quod si non habuere, deteriora fiunt. [33] Leguminum unicaulis faba sola, unus & lupinis: ceteris [34] ramosus prætenui surculo: omnibus vero fistulosus.

Folium quædam ab radice mittunt, quædam a cacumine. Frumentum vero, & hordeum, [35] viciaque, & quidquid in stipula est, in cacumine unum folium habet. Sed hordeo scabra sunt, ceteris lævia. Multiplicia contra fabæ, ciceri, piso. [36] Frumentis folium arundinaceum, fabæ rotundum, & magnæ leguminum parti. Longiora [37] erviliæ, & piso. [38] Faseolis venosa: [39] sesamæ, & irioni sanguinea. Cadunt folia lupino tantum, & papaveri. [40] Legumina diutius florent, & ex his ervum ac cicer: sed diutissime faba XL. diebus. [41] Non autem singuli scapi tamdiu, quoniam alio desinente alius incipit: nec tota seges, sicut frumenti, pariter. [42] Siliquantur vero omnia diversis diebus, & ab ima primum parte, paulatim flore subeunte.

6. [43] Frumenta, cum defloruere, crassescunt, maturanturque cum plurimum diebus quadraginta: item faba: paucissimis cicer. [44] Id enim a semente diebus XL. perficitur. [45] Milium, & panicum, & sesama, & omnia æstiva, XL. diebus maturantur a flore, magna terræ cælique differentia. In Ægypto enim hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo metuntur. [46] In Hellade, hordeum. In Peloponneso octavo, & frumenta etiamnum tardius. [a] Grana in stipula crinito textu spicantur. In faba leguminibusque, alternis lateribus siliquantur. [47] Fortiora ad hiemes frumenta, legumina in cibo.

7. Tunicæ frumento plures. Hordeum maxime nudum, [48] & arinca, sed præcipue avena. Calamus altior frumento, quam hordeo. Arista mordacior hordeo. In area exteruntur triticum, & siligo, & hordeum. Sic & [49] seruntur pura, qualiter moluntur, quia tosta non sunt. E diverso far, milium, panicum purgari, nisi tosta, non possunt. [50] Itaque hæc cum suis folliculis seruntur cruda. Et far in vaginulis suis servant ad satus, atque non torrent.

XI. Levissimum ex his hordeum, [1] raro excedit XV. libras, & faba XXII. Ponderosius far, magisque etiamnum triticum. [2] Far in Ægypto ex olyra conficitur. [3] Tertium genus spicæ hoc ibi est. Galliæ quoque suum genus farris dedere: quod illic [4] bracem vocant, apud nos [5] sandalam, nitidissimi grani. Et alia differentia est, quod fere quaternis libris plus reddit panis, quam far aliud. Populum Romanum farre tantum e frumento CCC. annis usum, Verrius tradit.

XII. 1. Tritici genera plura, quæ fecere gentes. [1] Italico nullum equidem compara-

Interpretatio.

a *Grana.*] Grana in stipulis spica continentur *quæ subtiliter texitur*, desinitque in crinem. In faba & leguminibus, modo dextro latere, modo lævo, siliquâ semina continentur.

Notæ.

33. *Leguminum unicaulis.*] De faba Græca loquitur, seu Latina: ei enim quam nos fabam vulgo dicimus, caulem non unum ex singulari radice erumpere, ut unicum lupino, experientia commonstrat.

34. *Ramosus.*] Ceteris, inquit, caulis in ramos spargitur ligno prætenui, sed eodem instar fistulæ concavo.

35. *Viciaque.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

36. *Frumentis.*] Theophr. lib. 8. hist. cap. 3.

37. *Erviliæ.*] Ervilia Græcis ὦχρος est, pisum minus est. Nostris, *des Pois.* De majore piso, Dodonæus pag. 511. de minore, pag. 512.

38. *Faseolis.*] In MSS rectius *phasiolis.* De his egimus lib. 16. sect. 92.

39. *Sesamæ.*] MSS. ubique, *sesima*: Græci tamen σήσαμον vocant, nempe ut Μασσαλίαν Massiliam Latini dixere, & Μιθριδάτην, quem nos Mithridatem. Gallis, *de la Jugeoline.* Accurate pingitur a Dodonæo, loc. cit. cap. 22. pag 522.

40. *Legumina diutius, &c.*] Theophr. lib. 8. hist. cap. 2.

41. *Non autem singuli.*] Theophr. lib. 8 hist cap. 2.

42. *Siliquantur.*] Siliquas faciunt. Theophr. loc. cit. Neque ut frumenti, sic & fabarum scapi singuli, aut seges integra simul floret, sed particulatim.

43. *Frumenta, cum.*] Theophr lib. 8. hist. cap 3. Columella, lib 2. cap 12. pag. 67. *Omne autem frumentum & hordeum, quidquid denique non duplici semine est, spicam a tertio ad quartum nodum emittit: & cum totam edidit, octo diebus deflorescit, ac deinde grandescit diebus quadraginta, quibus post florem ad maturitatem devenit. Rursus quæ duplici semine sunt, ut faba, pisum, lenticula, diebus quadraginta florent, simulque grandescunt.*

44. *Id enim.*] Theophr loc. cit.

45. *Milium, &c.*] Theophr loc cit.

46. *In Hellade hordeum.*] Hoc est, septimo mense metitur. Theophr. Περὶ δὲ ἐν τῇ ἑβδόμῃ· περὶ τὴν Ἑλλάδα, κριθαί.

47. *Fortiora.*] Theophr loc. cit. Validiora, inquit, ἰσχυρότερα contra hiemem, cælique mutationes varias, frumentacea sunt, τὰ σιτηρά. Legumina vero in cibis valentiora putantur, πρὸς δὲ τὴν τροφὴν, τὰ χεδροπά. Vide Celsum, lib. 2. cap. 18. *Ex leguminibus valentior rapa, napique, & omnes bulbi, &c.* Locum consule.

48. *Et arinca*] Dicetur de ea, sect. 20.

49 *Seruntur pura.*] Sine suis folliculis.

50. *Itaque hæc.*] In primis far, sive adoreum, quod in siccis humidisque locis seri Columella ait, lib. 2. cap. 8. *quoniam folliculum, quo continetur, firmum & durabilem adversus longioris temporis humorem habet.*

Sect. XI. 1 *Raro excedit.*] In singulos nimirum modios.

2. *Far....ex olyra.* Far cibus hoc loco est, non, uti acceptum est hactenus, singulare aliquod frumenti genus. Far e frumento Plinius mox agnoscit, hoc est, ex iis frumenti generibus quæ commemoravit initio sup. sect. Far ex olyra, nunc etiam in Ægypto Far ex hordeo, Palladius, lib. 1. tit. 29. de phasianis. Modum conficiendi farris docet Archigenes apud Aetium, serm. 9. cap. 45 pag. 124.

3. *Tertium genus.*] Post triticum, hordeumque.

4. *Bracem vocant.*] Ita MSS. R. Colb Th Chiffl. non ut editi, *brance. Le blé blanc de Dauphiné.* Vide Nic. Chorier, lib. 1. hist Delph. pag 54

5. *Sandalam.*] Sic MSS. Colb. Th. aliique Libri vulgati, *Sandalum. Sandalium* Charta Rogerii Regis Siciliæ, an. 1137. apud Ughellum, tom. 7. pag 564.

Sect. XII. 1. *Italico.*] Insignis propterea liberalitas Augustorum fuit, cum triticum plebi Rom. erogarent. Ejusmodi largitionis mentionem faciunt nummi duo in primis eximii, prave hactenus intellecti Prior est Pertinacis Augusti, alter Severi Alexandri Cæsaris. Prior est argenteus in Thesauro Regio, a Seguino delineatus, pag. 124. primæ editionis. IMP. CAES. P. HELV. PERTIN. AVG. capite laureato. *Imperator Cæsar Publius Helvius Pertinax Augustus.* .)(. Stat

verim candore ac pondere, quo maxime discernitur: montanis modo comparetur Italiæ agris externum, in quo principatum tenuit [2] Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa. Tertium pondus erat Thracio, [3] Syrioque, deinde & Ægyptio, [4] athletarum cum decreto, quorum capacitas jumentis similis, quem diximus ordinem fecerat. Græcia & Ponticum laudavit, quod in Italiam non pervenit. Ex omni eadem genere grani prætulit [5] dracontiam, strangiam, & Selenusium, argumento crassissimi calami: ita pingui solo hæc genera assignabat. Levissimum & maxime inane, seu tenuissimi calami, in humidis seri jubebat, quoniam multo egeret alimento. Hæ fuere senteutiæ Alexandro Magno regnante, cum clarissima fuit Græcia, atque in toto terrarum orbe potentissima: ita tamen, ut ante mortem ejus annis [6] fere CXLV. Sophocles Poëta in fabula [7] Triptolemo frumentum Italicum ante cuncta laudaverit, ad verbum translata sententia:

Et fortunatam Italiam frumento canêre candido.

Quæ laus peculiaris hodieque Italico est. Quo magis admiror, posteros Græcorum nullam mentionem hujus fecisse frumenti.

2. Nunc ex his generibus, [8] quæ Romam invehuntur, levissimnm est Gallicum, atque e Chersoneso advectum: quippe non excedunt in modium vicenas libras, si quis granum ipsum ponderet. Adjicir Sardum [9] selibras, Alexandrinum [10] & trientes: hoc & Siculi pondus. Bœoticum totam libram addit: Africum [11] & dodrantes. In Transpadana Italia scio vicenas quinas libras farris modios pendere: [12] circa Clusium & senas. Lex certe naturæ, [13] ut in quocumque genere pani militari tertia portio ad grani pondus accedat: sicut optimum frumentum esse, [14] quod in subactu congium aquæ capiat. Quibusdam generibus per se pondus, sicut Balearico: modio panis pondo XXXV. reddit: [15] Quibusdam binis mixtis, ut Cyprio & Alexandrino, [16] XX prope libras non excedentibus. Cyprium fuscum est, panemque nigrum facit: itaque miscetur Alexandrinum candidum, redduntque XXV. pondo. [17] Thebaïcum libras adjicit. Marina aqua subigi, quod plerique maritimis in locis faciunt, occasione lucrandi salis, inutilissimum. Non alia de causa opportuniora morbis copora exsistunt. Galliæ & Hispaniæ [18] frumento in potum resoluto, [19] quibus diximus generibus, spuma ita concreta pro fermento utuntur. Qua de causa levior illis, quam ceteris, panis est.

3. Differentia est & calami. Crassior quippe meliotis est generis. [20] Plurimis tunicis Thracium triticum vestitur, ob nimia frigora illi plagæ exquisitum. Eadem causa [21] & trimestre invenit, detinentibus terras nivibus, quod tertio fere a satu mense & in reliquo orbe metitur. Totis hoc Alpibus notum, & hiemalibus provinciis nullum hoc frumento

NOTÆ.

Dea Liberalitas, ut pingi solet in nummis inscriptis, LIBERALITAS AVG. cum tabella, quam dextra manu gerit, quæque modicum tritici pretium indicaret: & cum cornucopiæ, quod lævo brachio tenet. Inscriptio, LIBERATIS CIVIBVS. Ejus hæc inscriptio est: LIBERalitas Augusti Triticum Italicum Suppeditavit CIVIBVS Alioquin non conveniret titulus cum argumento, sive pictura Alterius nummi, qui est Severi Alexandri, ingeniosior aliquanto inscriptio est, M AVREL ALEXANDER CAES. Caput nudum. .)(Corona laurea, in qua S. P. Q. R. Hanc tenet Aquila Romana In circuitu, METROPOLIS. Hoc est, *Munificentissime Erogato Tritico ROmanæ Plebi, Omnium Liberalitatem Imperatorum Superavit*, scilicet Cæsar Alexander Est hic nummus, ut prior, argenteus, apud Occonem, pag 409.

2. *Bœotia.*] Consentit Theophrastus, lib. 4 de caussis, cap. 10. pag 310. Τὰ μὲν ὅλα περὶ Ἀθήνας Ἀθληταὶ κατεσθίοντες, ὁ Σικελικὸς ἰσχυρότερος εἶναι· πάντων δ' ἐν βαρύτερος μᾶλλον ὁ Βοιώτιος, ὥσπερ ἐν τοῖς ἰσχυροῖς εἴρηται.

3. *Syrioque.*] Defuit anno uno in Syria, cum agris Sidoniorum serendis triticum suppeditavit Antoninus Severus Augustus: quamobrem percussere ejus honori nummum ex ære magno, qui est in Cimelio D. de BOZE. hoc titulo, AETERNVM BENEFICIUM SID. DAT. Hoc est, *Sidoniis datum*. Implet nummi aream modius, e quo spicæ emicant Pars prior, cum Antonini Severi capite, hos exhibet titulos: M AVREL. ANTONINVS PIVS AVG P B G MAX. *Parthicus, Britannicus, Germanicus Maximus.*

4. *Athletarum*] Athletis ita censentibus, quorum edacitas, seu voracitas potius, jumentorum similis, hunc quem modo diximus in pondere frumentorum ordinem fecit. Theophr. lib. 8. Hist cap 4. In Bœotia, inquit, ternos semisextarios tritici absumunt: Athenis Siculi, facile quinos.

5. *Dracontiam.*] Pro his tritici generibus, tergeminum Theophrastus affert, lib. 8 hist. cap. 4. Καγχρυδίαν, Στλεγγίν, Ἀλεξανδρεῖον.

6. *Fere CXLV.*] Egit ergo Sophocles eam fabulam Olymp LXXXVIII. anno quarto, ætatis suæ vicesimo, si Suidæ credimus. Obiit enim Alexander Olymp. CXX. anno primo. Olympiadibus Pliniano calculo computatis, Vrbis conditæ anno CCCCXLII.

7. *Triptolemo.*] In ea fabula Ceres Triptolemum edocet, quantum terrarum necesse sit peragrari seminandis a se datis frugibus, Italiamque præ ceteris laudat. Vide Dionys. Halic. lib. 1. Antiq Rom. pag. 20.

8 *Quæ Romam.*] MSS omnes, *qua Roma.*

9. *Selibras*] Dimidiam libram.

10. *Et trientes.*] Gallici, inquit, tritici pondus, non selibra tantum, sed præterea triente, hoc est, tertia libræ parte, ab Alexandrino Siculoque superatur.

11. *Et dodrantes.*] Et præterea dodrantem, hoc est, libræ partes tres quartas.

12. *Circa Clusium.*] Hoc est, circa Clusium farris modios pendere non vicenas quinas tantum libras, sed & senas: hoc est, vicenas senas. Dalecampius perperam existimat *senas* hoc loco Senensis esse in Etruria oppidi nomen. De farre Clusino, ejusque parandi modo, vide Aetium serm. 9. cap. 45. pag. 325. Columella, lib. 2. pag. 6. *Far, quod appellatur Clusinum, candoris nitidi.* Martialis, in Xeniis, lib. 13. Epigr. 8. *Far:*

Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas, &c.

13. *Ut in quocumque.*] Ut cujuscumque frumenti modius in panem subactus militarem, sive castrensem. (*le pain de munition*) triente toto, seu tertia parte ponderosior sit, quam granum ipsum, prius quam molatur, & subigatur in panem.

14. *Quod in subactu.*] Dum subigitur in panificio.

15. *Quibusdam binis.*] Subintellige, pondus est.

16. *XX prope libras.*] Antequam in panem subigantur.

17. *Thebaïcum libras.*] Sive granum ipsum per se alteri e duobus illis misceatur, Cyprio vel Alexandrino: sive cum altero subigatur, libram ad pondus adjicit. Thebaïcum porro ex Ægypto intellige.

18. *Frumentum in potum.*] Cum e madida fruge parant sibi potus, zythum scilicet, Gallis *Biere*, Hispanis *Cerveza*.

19. *Quibus diximus.*] Tritico nempe Balearico, in Hispaniis: in Galliis farris genere, quod bracem vocabant, ut dictum est, tum ista sect. tum superiore.

20. *Plurimis tunicis.*] Theophr. lib. 8. hist. cap. 4. ὁ Θρᾴκιος πολυχιτώνλαμος.

21 *Et trimestre.*] Tritici genus, quod intra tres menses maturescit: bimestre, quod intra binos. De his Theophr.

lætius. [22] Unicalamum præterea, nec usquam capax: seriturque non nisi tenui terra. [23] Est & bimestre circa Thraciæ Ænum, quod quadragesimo die, quam satum est, maturescit: mirumque, nulli frumento plus esse ponderis, & furfuribus carere. Utitur eo & Sicilia, & Achaïa, montuosis utraque partibus. Eubœa quoque circa Carystum. In tantum fallitur
5 [24] Columella, qui ne trimestris quidem proprium genus existimaverit esse, cum sit antiquissimum. [25] Græci setanion vocant. [26] Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, ut singula spicas nostras æquent.

X I I I. Primum ex omnibus frumentis seritur hordeum. Dabimus & dies serendo cuique generi, natura singulorum exposita. Hordeum Indis sativum & silvestre, [1] ex quo pa-
10 nis apud eos præcipuus, [2] & alica. [3] Maxime quidem oryza gaudent, [4] ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. [5] Oryzæ folia carnosa, porro similia, sed latiora: altitudo cubitalis, flos purpureus, radix gemmeæ rotunditatis.

X I V. [1] Antiquissimum in cibis hordeum, sicut [2] Atheniensium ritu Menandro auctore apparet: [3] & gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur. [4] Polentam quoque
15 Græci non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte una, ac postero die frigunt, [5] deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius tostum rursus exigua aqua aspergant, & siccent prius, quam molant. Alii vero virentibus spicis decussum hordeum recens purgant, madidumque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac siccatum Sole rursus tundunt, & purgatum molunt. Quocumque autem genere
20 præparato, vicenis hordei libris, ternas seminis lini, & coriandri selibram, salisque [6] acetabulo, torrentes ante omnia miscent in mola. Qui diutius volunt servare, cum polline ac furfuribus suis condunt novis fictilibus. Italia sine perfusione tostum in subtilem farinam molit, iisdem additis, aque etiam milio. Panem ex hordeo antiquus usitatum vita damnavit, [7] quadrupedumque fere cibus est.

25 X V. Ptisanæ inde usus validissimus saluberrimusque tantopere probatur. Unum laudibus ejus volumen dicavit [1] Hippocrates e clarissimis medicinæ scientia. Ptisanæ bonitas præcipua Uticensi. In Ægypto vero est, quæ fit ex hordeo, cui sunt bini anguli. In Bætica & Africa genus, ex quo fiat, hordei, glabrum appellat Turranius. Idem olytam & otyzam eamdem esse existimat. Ptisanæ conficiendæ vulgata ratio est.

30 X V I. Simili modo [1] ex tritici semine tragum fit, in Campania dumtaxat & Ægypto.

X V I I. [1] Amylum vero ex tritico ac siligine, sed optimum [2] e trimestri. Inventio ejus Chio insulæ debetur: & hodie laudatissimum inde est: [3] appellatum ab eo, quod

N O T Æ.

loc. cit. *Καὶ τὸ τῶν τριμήνων, καὶ τὸ τῶν διμήνων, καὶ ἀπυρῆνον ἐν ἐλάττοσιν ἡμέραις τελειοῦται.* Trimestre, siliginis genus esse docet Colum. lib. 2. cap. 6. de generibus seminum.

22. *Unicalamum.*] Unicum e radice calamum trimestre id triticum emittit: nec potest ferre plures. Theophr. loc. cit. *Τρίμηνον δὲ πυρὸν ... μονοκάλαμοι, καὶ τὴν ἔκφυσιν, καὶ τὸ ὅλον ἀσθενεῖς.*

23. *Est & bimestre.*] Theophr. loc. cit. etsi de Æno Thraciæ silet: in Eubœa solum reperiri illud affirmat, & in Sicilia, Achaiaque.

24. *Columella.*] Ita etiamnum legitur apud Columellam, libro 2. cap. 9. pag. 53. *Negat enim est ullum, sicut multi crediderunt, natura trimestre semen: quippe idem jactum autumno melius respondet.* Non negat is peculiare tritici genus dictum ab antiquis esse trimestre: sed ab eo quod autumno seritur, quodque melius ita provenit, differre negat. Et cap. 6. triticum trimestre, & trimestre alicastrum agnoscit.

25. *Græci setanion.*] Ita MSS. non *trimenon*, ut editi. *Σητάνιος πυρὸς*, sive *σητάνειος*, triticum quod hoc anno, id est, vere ineunte satum est. Vide Rob. Constant. in Lexico.

26. *Tradunt in Bactris.*] Theophr. loc. cit. nucleis olivæ singula Bactrici frumenti grana æquiparat.

Sect. XIII. 1. *Ex quo panis.*] Vide Notas & Emend. n. VII.

2. *Et alica.*] Hoc est, ptisana ex hordeo Indico, ut ipse loquitur, lib. 22. sect. 66.

3. *Maxime quidem.*] Theophr. lib. 4. hist. cap. 8.

4. *Ex qua ptisanam.*] Ptisana pultis genus est, quod ex farina fit hordeacea, aliisque frugibus. Hanc quæ ex oryza conficitur, nostri ipsius oryzæ nomine, *du Ris* vocant: quæ ex hordeo, *Orge mondé.*

5. *Oryzæ.*] Depictam vide apud Dodon. pag. 500.

Sect. XIV. 1. *Antiquissimum.*] Vide Dionys. Halic. lib. 2. Rom. Antiq. pag. 95.

2. *Atheniensium.*] Quoniam in Eleusinio certamine præmium victori hordeum fuit, uti testatur Pindari Scholiastes, Olymp. Ode 9. pag. 93. *Ἄγεται δὲ αὐτόθι* (de Eleusine loquitur) *ἀγὼν Κόρης καὶ Δημήτρος, ὃ καλοῦσιν Ἐλευσίνια· τὸ δὲ ἆθλον κριθαί.* Hoc ipsum scribunt Aristides, Suidas, & auctor Etymologici.

3. *Et gladiatorum.*] Et præterea, inquit, id ex quodam gladiatorum genere intelligitur, qui hordearii appellantur, quod vetustiore ævo eo cibi genere uterentur. Milites etiam *qui parum in armorum prolusione profecerant*, inquit Vegetius, lib. 1. cap. 13. pag. 14. *pro frumento hordeum cogebantur accipere: nec ante eis in tritico reddebatur annona, quam sub præsentia Tribunorum experimentis datis ostendissent se omnia, quæ erant in militari arte, complesse.*

4. *Polentam.*] Polentam Græci *ἄλφιτα* vocant, torrefacti hordei farinam. In Gallia vocant, *du Gruau.* Spissandis carnium juribus venalis circumfertur: cœpitque & ex avena retorrida fieri, & eadem nominis ambage proferri.

5. *Deinde molis.*] Veteres hordeum, similesque fruges prius torrebant, deinde molebant. Unde Virgilius, lib. 1. Æneid. vers. 183.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Nec ullum ibi *ὕστερον πρότερον*, ut sibi vulgus interpretum fingit. Vide quæ dicenda sunt sect. 23.

6. *Acetabulo.*] De hoc mensuræ genere dicetur, lib. 21. sect. 109.

7. *Quadrupedumque.*] Equorum: quibus olim non avena dabatur, sed hordeum. Unde Festus: *Hordearium æs*, inquit, *quod pro hordeo Equiti Romano dabatur.*

Sect. XV. 1. *Hippocrates.*] Hic liber est, qui alias de ptisana, ut auctor est Athenæus, lib. 2. pag. 57. nunc de victu in morbis acutis, vel contra Cnidias sententias inscriptus legitur, tomo undecimo operum Galeni, qui quatuor in eum librum Commentarios edidit.

Sect. XVI. 1. *Ex tritici semine.*] Hoc est, ex zea, ut ipse explicaturus est. Galenus in Comm. 1. ad librum Hippocr. de victu in morbis acutis, pag. 14. tom. XI. *Ζειῶν, ἐξ ὧν ὁ καλούμενος τράγος γίνεται.* In Indice hujus loci, Plinius, *De trago.* Celsus, lib. 4. cap. 4. de difficultate spirandi, inter cibos non nimium acres, cum lenticula ptisanaque tragum recenset.

Sect. XVII. 1. *Amylum vero.*] Et ex zea parari amylum scribit Diosc. lib. 2. cap. 123. Gallis, *Amidon.*

2. *E trimestri.*] Hoc est, ex trimestri tritico, de quo sect. 12. Sic Diosc. loc. cit. *Ἄριστον δέ ἐστι τὸ σκευαζόμενον ἐκ πυροῦ σητανίου.*

3. *Appellatum ab eo.*] Diosc. loc. cit. *Ἄμυλον ὠνόμασται,*

fine mola fiat: [4] Proximum trimestri, quod e minime ponderoso tritico. [5] Madescit dulci aqua ligneis vasis, ita ut integatur, quinquies in die mutata. Melius si & noctu, ita ut misceatur pariter. Emollitum, prius quam acescat, [6] linteo aut sportis saccatum, tegulæ infunditur illitæ fermento, atque ita in Sole densatur. [7] Post Chium maxime laudatur Creticum, mox Ægyptium: Probatur autem lævore, & levitate: atque ut recens sit: jam & [8] Catoni dictum apud nos. 5

XVIII. [1] Hordei farina & ad medendum utuntur. Mirumque, in usu jumentorum, ignibus durato, ac postea molito, offisque humana manu demissis in alvum, majores vires, torosque corporis fieri. [2] Spicæ quædam binos ordines habent, quædam plures usque ad senos. [3] Grano ipsi aliquot differentiæ: longius, leviusque, aut brevius, aut rotundius, candidius, nigrius, vel cui purpura est, [4] ultimo ad polentam. [5] Contra tempestates candido maxima infirmitas. Hordeum frugum omnium mollissimum est: [6] seri non vult, nisi in sicca & soluta terra, ac nisi læta. [7] Palea ex optimis: stramento vero nullum comparatur. Hordeum ex omni frumento minime calamitosum: quia ante tollitur, quam triticum occupet rubigo. Itaque sapientes agricolæ triticum [8] cibariis tantum serunt. [9] Hordeum sarculo seri dicunt, propterea celerrime redit: fertilissimumque, quod in Hispaniæ Carthagine Aprili mense collectum est: hoc seritur eodem mense in Celtiberia, eodemque anno bis nascitur. Rapitur omne a prima statim maturitate festinantius, quam cetera. Fragili enim stipula & tenuissima palea granum continetur. [10] Meliorem etiam polentam fieri tradunt, si non excocta maturitate tollatur. 10 15 20

XIX. Frumenti genera non eadem ubique: nec ubi eadem sunt, iisdem nominibus. Vulgatissima, far, [1] quod adoreum veteres appellavere, siligo, triticum. Hæc plurimis terris communia. [2] Arinca Galliarum propria, copiosa & Italiæ est. Ægypto autem ac Syriæ, Ciliciæque & Asiæ, ac Græciæ peculiares, [3] zea, olyra, tiphe. Ægyptus similaginem conficit e tritico suo, nequaquam Italicæ parem. Qui zea utuntur, [4] non habent far. Est & hæc Italiæ in Campania maxime, semenque appellatur. Hoc habet nomen res præclara, [5] ut mox docebimus: propter quam [6] Homerus ζείδωρος ἄρουρα dixit: non ut aliqui arbitrantur, quoniam vitam donaret. Amylum quoque ex ea fit, [7] priore crassius. Hæc sola differentia est. CAP. VIII. 25

Ex omni genere durissimum far, & contra hiemes firmissimum. Patitur frigidissimos locos, & minus subactos, vel [8] æstuosos, sitientesque. [9] Primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adoreæ donis, [10] sicuti diximus, [11] Pulte autem, non pane, vixisse 30

Notæ.

ἀλφ τὸ χρῶμα μέλαν κατακεκάξιαξ.

4. *Proximum trimestri.*] Vide Notas & Emend. num. VII.

5. *Madescit.*] Diosc. loc. cit.

6. *Linteo, aut sportis saccatum*] Hoc est, per saccum colatum: quo modo vinum Hippocraticum colant pharmacopolæ. Vide Notas & Emend. num. IX.

7. *Post Chium.*] Creticum pariter laudat Diosc loc. cit. non Ægyptium. Chii non meminit. Alexandrinum commendat & Theodorus Priscianus, lib 4.

8. *Catoni dictum apud nos*] Etsi res sit exotica amylum, inquit, jam tum ætate tamen Catonis, Romæ id cognitum est. Verba hæc sunt Catonis, cap 87. *Amylum sic facito. Siliginem purgato bene, &c.*

Sect. XVIII. 1. *Hordei farina.*] Ad aurium dolorem utitur ea Marcellus Empir. cap. 9. pag 78. In pluribus vero morbis Galenus, quos in Indice Brassavoli leges.

2. *Spicæ quædam.*] Hordei scilicet. Theophr. lib. 8. hist. cap. 4. τῶν μὲν κριθῶν αἱ μὲν εἰσι δίστιχοι, αἱ δὲ τρίστιχοι . . . πλείστων καὶ ἑξάστιχοι.

3. *Grano ipsi.*] Theophr. loc cit.

4. *Ultimo ad polentam.*] Postremum, hoc est, purpurascens, imbecille in polenta: etsi plurimum farinæ reddit: αἱ δὲ ὑποπορφυρίζουσαι, ἀσθενεῖς καὶ πολυάλφιτοι δοκοῦσιν εἶναι. Theophr loc. cit.

5. *Contra tempestates.*] Contra hiemem, ventosque, & cæli mutationes varias. Theophr. de purpurascente hordeo: καὶ πρὸς τοὺς χειμῶνας δὲ, τοὺς πνεύματα, καὶ ὅλως τὸν ἀέρα τῆς λευκῆς ἰσχυροτέρας, candido firmius.

6. *Seri non vult.*] MSS. *Sero non volet*, forte pro *non volt*. Non placet certe legi, *non valet*.

7. *Palea.*] Didymus in Geopon. lib 4 cap 14 pag 114 ad certos quosdam usus hanc reliquis anteponit: τὸ δὲ ἄχυρον τὸ κρίθινον αἱρετώτερον.

8. *Cibariis tantum.*] Tantum tritici serunt, quantum ad familiæ cibaria satis est.

9. *Hordeum sarculo.*] Terra levissime mota, ac veluti suspensa quemadmodum fere fit sarriendo: sarculo opus est, non aratro: atque idcirco celerrime erumpit, & maturescit. *Agros findere sarculo* dixit Horatius, lib. 1 Ode 1. vers. 11.

10. *Meliorem etiam.*] Galenus quoque lib. 1. de anim. facult. cap. XI. pag. 317. tom. 6. ex recenti hordeo mediocriter frixo laudatissimam fieri polentam docet: odoris etiam eximii: si arista non omnino sicca: Ἐκ τῶν νέων κριθῶν φρυγείσης συμμέτρως τὸ κάλλιστον ἄλφιτον γίνεται. . . . μάλιστα ἐὰν ἀπ' αὐτῶν τῶν ἀγρῶν ἡ νέα κριθὴ γεγονυῖα, μὴ πάνυ ξηρὸν ἔχουσα τὸν στάχυν.

Sect. XIX. 1. *Quod adoreum.*] Unde *adorea liba* apud Maronem, lib. 7. Æneid. vers. 109. Festus: *Ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo: vel quod aduratur, ut fiat tostum: unde in sacrificio mola salsa efficitur.*

2. *Arinca.*] Nunc corrupto vetere vocabulo, in Delphinatu *Riguet* id tritici genus appellant. Nic. Chorier, lib. 1. hist. pag 54. De arinca plura dicemus sect. 20.

3. *Zea, olyra, tiphe.*] Tiphen & olyram rem alii eamdem esse, alii diversam, veteres prodiderunt, referente eorum sententias Galeno, loc. cit cap. 13. pag 319. περὶ τιφῶν, καὶ ὀλυρῶν, καὶ ζειῶν. Ipse Galenus, tom. 2. in explic. vocum Hippocr. pag. 91. Ζειάς, ὀλύρας, interpretatur, perinde ac si res una sit, nominibus diversis. Hæc tria tamen & nominibus & re distinguit Anguillara, par 6. pag 98. Tipham ait Italis appellari *spelta*: Olyram, *Scandella*: Zeam, *Farro*. Asclepiad. apud Galen lib. 9 κατὰ τόπους, cap. 3. Φάρρας ὁ καλοῦσι ζειάς. Et quod Straboni lib. 5. pag. 242. ζειά dicitur, id Plinius sect. 29 far appellat. Et Dionys. lib. 4. Antiq Rom. pag. 95. Φάρρος, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. Ægyptios porro panem ex τῆς ὀλυρέων fecisse auctor est Herodotus lib. 2. Euterpe, pag 128. num. 77.

4. *Non habent far.*] Sed zeam pro farre habent. Nam & ipsa zea far est: nec semen tantum appellatur, ut Plinius ait, sed cum farre nomen alterum commune habet, adoreum, teste Isidoro, lib. 17. cap. 3. *Adoreum, tritici genus, quod idem vulgo semen dicitur.*

5. *Ut mox docebimus.*] Sect. 29. ubi e zea quæ conficitur, alicam commendat.

6. *Homerus.*] Iliad. β. vers. 548. & alibi passim. Quod ζειὰς ferret: non ἀπὸ τοῦ ζῆν *vivere*.

7. *Priore crassius.*] Priore amylo, de quo sect. 17.

8. *Æstuosos.*] In MSS. ubique *æstivosos*.

9. *Primus antiquis.*] Vide Dionys. Halic. lib. 2. Rom. Antiq. pag. 95. ubi far zeam esse docet.

10. *Sicuti diximus.*] Sect. 3

11. *Pulte autem.*] Valerius Maxim. lib. 2. cap. 5. *Erant*

longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde & [12] pulmentaria hodieque dicuntur. Et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens, [13] offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie sacra prisca, [14] atque natalium, [15] pulte fritilla conficiuntur: videturque tam puls ignora Græciæ fuisse, quam Italiæ polenta.

XX. 1. Tritici semine [1] avidius nullum est, nec quod plus alimenti trahat. [2] Siliginem proprie dixerim tritici delicias: candor est, & sine virtute, & sine pondere, conveniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt, & Galliæ Comatæ. Sed & trans Alpes in Allobrogum tantum Meminorumque agro pertinax: in ceteris ibi partibus biennio in triticum transit. [3] Remedium, ut gravissima quæque grana ejus ferantur. * E siligine lautissimus panis, [4] pistrinarumque opera laudatissima. Præcellit in Italia, si Campana Pisis natæ misceatur. Rufior illa, at Pisana candidior, ponderosiorque [5] cretacea. Justum est e grano Campanæ, quam [6] vocant castratam, [7] e modio redire sextarios quatuor [8] siliginis, vel e gregali sine castratura sextarios quinque, præterea floris semodium: [9] Et cibarii, quod secundarium vocant, sextarios quatuor: furfuris sextarios totidem. E Pisana autem siliginis sextarios quinque: [10] cetera paria sunt. Clusina Aretinaque etiamnum sextarios [11] siliginis assumunt: [12] in reliquis pares. [13] Si vero pollinem facere libeat, XVI. pondo panis redeunt, [14] & cibarii tria, furfurumque semodius. Molæ discrimine hoc constat. Nam quæ sicca moluntur, plus farinæ reddunt: quæ salsa aqua sparsa, candidiorem [15] medullam: verum plus retinent in furfure. Farinam a farre dictam nomine ipso apparet. Siligineæ farinæ modius Gallicæ XXII. libras panis reddit, [16] Italicæ duabus tribusve amplius in artopticio pane. Nam furnaceis binas adjiciunt libras in quocumque genere.

* Caput IX

Caput X.

2. Similago e tritico fit laudatissima. Ex Africo justum est e modiis redire semodios, & pollinis sextarios quinque. [17] Ita autem appellant in tritico, quod florem in siligine. [18] Hoc ærariæ officinæ chartariæque utuntur. Præterea secundarii sextarios quatuor, furfurumque tantumdem. Panis vero e modio similaginis [19] CXXII. e floris modio CXVII. Pretium huic [20] annonâ mediâ in modios farinæ, [21] XL. asses: similagini castratæ [22] octonis

Notæ.

majores nostri adeo continentia intenti, ut frequenter apud eos pultis usus, quam panis esset. Et ad hunc veterem morem Juvenalis respiciens, Satyra 14. vers. 171.

Grandes fumabant pultibus ollæ.

12. *Pulmentaria.*] Varro, lib 4. de ling. Lat. *Pulmentum,* inquit, *quod idem cum pulte essent*, hoc est, cum pulte comederent: *inde pulmentarium dictum.* Pulmentarium igitur obsonium quodvis dicebatur, non quod ex pulte esset, ut Lexicorum auctoribus videtur: sed quod, uti postea cum pane, sic olim cum pulte, ederetur: inde nomen. Græcis προσφάγιον inde dictum est, quod addatur pani, ut notat Erasmus in cap. 21 Joan. ubi Latinus interpres *pulmentarium* transtulit Joan de Janua; *Pulmentum vel pulmentarium dicitur quilibet cibus extra panem.* Apud Phædrum, lib 3 Fabular. Canis ad lupum:

Affertur ultro panis, de mensa sua
Dat ossa dominus, frusta jactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.

Et Seneca ficus caricas pulmentarii vicem habere dixit, obsonii Plinius, ut annotavimus lib. 15. sect 21.

13. *Offam eripuisse.*] Offa enim antiquis fuit, auctore Festo quoque, glomerata puls

14. *Atque natalium.*] Subintellige, natalium sacra. Sequioribus tamen temporibus, superstitione crescente, etiam cruentas in natalitiis sacris hostias mactavere. Horatius, lib. 4 Ode XI. die natali Mæcenatis dicta:

Ara castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Lampridius, in Alexandro Severo: *Cum eius natalem aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum: idcirco quod hostia de ea villa, quæ esset Severi Imp. adducta essent.*

15. *Pulte fritilla.*] Sic MSS. omnes: forte pro *frictilla,* seu *frictili*, a frigendo, quoniam esset ea puls e farina fricta. An huc pertinet quod habet Varro, lib. 1. de vita populi Rom. apud Nonium, cap 4. num. 291. *Quod Calendis Juniis & publice & privatim fabaciam pultem Diis mactat.* Apud Arnobium, lib. 7 pag. 230 fitilla dici videtur.

Sect. XX. 1. *Avidius nullum.*] Quod plus ex terra alimenti trahat.

2. *Siliginem.*] Candidi, levissimique tritici genus, vulgo *Blé blanc.* Juvenalis, Satyra 5. vers. 70.

Sed tener & niveus, mollique siligine factus
Servatur domino, panis videlicet.

Columella, lib. 2 cap 6 de generibus seminum: Tritici genera complura cognovimus. *Verum ex his maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam pondere & nitore præstat. Secunda conditio est habenda siliginis, cujus species in pane præcipua pondere deficitur.* Et cap. 9. humido statu cæli recte hanc provenire ait.

3. *Remedium.*] Columella, lib. 2. cap. 9 pag. 55 ubi & post tertiam sationem omne triticum solo uliginoso converti ait in siliginem.

4 *Pistrinarumque.*] Huc pertinet CORPVS PISTORVM SILIGINARIORVM, cujus mentio in inscriptione vetere apud Gruter. pag. 81.

5. *Cretacea.*] Cui ob candorem cretæ similem, inditum id nomen videtur aut cui creta potius Campana admixta est, ad conciliandum alicæ candorem, ut dicetur sectione 29.

6. *Vocant castratam.*] Purgatam, diligentiusque excretam cribro pollinario *Bluter la farine.*

7. *E modio.*] Capit modius sextarios sedecim Nam amphora, seu quadrantale, sextarii sunt duodequinquaginta, inquit Festus amphora eadem modios tres continet, auctore Volusio Mæciano. De sextariis diximus lib. 14. sect. 6.

8. *Siliginis.*] Farinæ e siligine

9. *Et cibarii*] Cibarium appellat, farinam crassiorem, quæ post pollinem vel florem excutitur, quam furfures sequuntur Ex ea panis conficitur, quem cibarium quoque, & secundarium vocant, *Pain bis.*

10. *Cetera paria.*] Ut in Campana siligine, quæ reddit in modios singulos, floris semodium, cibarii sextarios quatuor, &c.

11. *Siliginis assumunt.*] MSS. *adscunt.* Forte *adjiciunt.* Clusina, inquit, & Aretina farinæ reddunt non sextarios modo quinque, ut Pisana, verum etiam senos. De Clusino farre dictum est sect. 15

12. *In reliquis pares.*] Reddunt nimirum floris semodium, cibarii sextarios quatuor, &c.

13. *Si vero pollinem.*] Hoc est, si tenuissimam libet farinam excernere, quæ tenuitate etiam id superet, quod florem farinæ siligineæ diximus appellari.

14. *Et cibarii.*] Quid cibarium vocetur, paulo ante diximus.

15. *Medullam.*] Farinam.

16. *Italicæ.*] Farina, inquit, e siligine Italica panis libras reddit XXIV. aut etiam vicenas quinas, si fit artopticius panis. De eo panis genere dicemus sect. 27.

17. *Ita autem.*] Similaginem, inquit, appellant in tritico, quod in siligine florem. *Fleur de farine de froment.*

18. *Hoc ærariæ ... utuntur*] Quæ farina cum argilla mixta operum suorum formas effingunt, ut recte Dalecampius.

19 *CXXII.* Subintellige, pondo, seu libræ redeunt.

20. *Annona media.*] Moderatiore annona, cum nec omnino gravis est, nec omnino laxa.

21. *XL. Asses.*] E nostris assibus, asses [illegible] XXXII.

22. *Octonis ... amplius.*] Hoc est, XLVIII. assibus: monetæ nostræ asses efficiunt circiter octo & triginta.

assibus amplius, siligini castratæ [23] duplum. [a] Est & alia distinctio, [24] semel tempore L. Pauli nata, XVII. pondo panis reddere visa, XVIII. Tertia XIX. cum triente: & secundarii panis quinas selibras, totidem cibarii, & furfurum sextarios sex.

3. Siligo numquam maturescit pariter, nec ulla segetum minus dilationem patitur, propter teneritatem, iis quæ maturuere, protinus granum dimittentibus. Sed minus, 5 quam cetera frumenta, in stipula periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam: nec rorem continet, qui rubiginem faciat.

4. [25] Ex arinca dulcissimus panis: ipsa spissior, quam far, & major spica, eadem & ponderosior. Raro modius grani non XVI. libras implet. [26] Exteritur in Græcia difficulter: ob id jumentis dari [27] ab Homero dicta. Hæc enim est, quam olyram vocat. Ea- 10 dem [28] in Ægypto facilis, fertilisque. [29] Far sine arista est: item siligo, excepta quæ Laconica appellatur. Adjiciuntur his genera, [30] bromos, [31] siligo excepta, & tragos, externa omnia ab Oriente invecta, oryzæ similia. [32] Tiphe & ipsa ejusdem est generis, ex qua fit [33] in nostro orbe oryza. Apud Græcos est zea. Traduntque eam ac tiphen, cum sint degeneres, redire ad frumentum, [34] si pistæ serantur: nec protinus, sed tertio anno. 15

XXI. Tritico nihil est fertilius: hoc ei Natura tribuit, quoniam eo maxime alebat hominem: utpote cum e modio, si sit aptum solum, [1] quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur. Misit ex eo loco Divo Augusto [2] Procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadraginta paucis minus [3] germina, exstantque de ea re epistolæ. Misit & Neroni similiter CCCLX. stipulas ex uno grano. Cum centesimo 20 quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, aliique, & tota Bætica, & in primis Ægyptus. Fertilissima tritici genera, ramosum, aut quod centigranium vocant. Inventus est jam & scapus unus centum fabis onustus.

XXII. [1] Æstiva frumenta diximus, sesamam, milium, panicum. Sesama ab Indis venit: [2] ex ea & oleum faciunt: color ejus candidus. Huic simile est in Asia Græciaque 25 [3] erysimum; idemque erat, nisi pinguius esset: quod apud nos vocant irionem: medicaminibus annumerandum potius, quam frugibus. Ejusdem naturæ & [4] horminum, a Græcis dictum, [5] sed cymino simile, seritur cum sesama: [6] hoc, & irione, nullum animal vescitur virentibus.

XXIII. Pistura non omnium facilis: quippe Etruria spicam farris tosti pisente pilo 30 præferrato, [1] fistula serrata, & stella intus denticulata, ut nisi intenti pisant, concidantur grana, ferrumque frangatur. Major pars Italiæ [2] ruido utitur pilo: totis etiam quas aqua verset obiter, & molat. De ipsa ratione [3] pisendi Magonis proponetur sententia: Triticum ante perfundi aqua multa jubet, [4] postea evalli, deinde Sole siccatum pilo repeti. Simili

INTERPRETATIO.

a *Est & alia*] Est & alia bonitatis distinctio in similagine, semel tempore L. Pauli nata, cum XVII. libras panis reddere primum visa est: *secunda* bonitas, cum XVIII. Tertia, quando XIX. cum triente.

NOTÆ.

23. *Duplum.*] Hoc est, asses XCVI. monetæ Gallicæ asses circiter LXXVI.

24. *Semel tempore.*] Vide Notas & Emend. num. X.

25. *Ex arinca.*] De ea diximus sect. sup.

26. *Exteritur.*] In area difficulter teritur.

27. *Ab Homero.*] Iliad. ε vers. 195.

[illegible]
[illegible]

Ubi Didymus interpres: [illegible] Id rursum Homerus habet Iliad. β. vers. 560.

28. *In Ægypto facilis.*] Haud difficulter exteritur.

29. *Far sine arista.*] In Ægypto.

30. *Bromos.*] Hoc est, avena sativa, *de l'Avoine.* Βρόμος Galeno, lib. 1. de alim facult. cap. 14. pag. 322. tom. 6. semen est in Asia frequens, præsertim in Mysia supra Pergamum: jumentorum cibus, non hominum, nisi in fame.

31. *Siligo excepta.*] Ita MSS non *exceptecia.* Laconicam siliginem intelligit, diversi generis a communi siligine, propter peculiarem aristam.

32. *Tiphe.*] Scaliger Exerc. 292. pag. 868. existimat esse nostrum Secale, *le Segle*: sed falso. De secali dicemus sect. 40.

33. *In nostro orbe oryza.*] Hoc est, ptisana oryzæ similis.

34. *Si pistæ serantur.*] Hoc est, si purgatæ, sive decorticatæ. Theophr. lib. 2. histor. cap. 5. [illegible] Varia hujus vocis [illegible] significatio est. Hesychius: [illegible] igitur Græcis est tundere, pinsere, purgare, decorticare.

Sect. XXI. 1. *Quale in Byzacio.*] Supra, lib. 17. sect. 3. *In Byzacio Africæ illum centena quinquagena fruge fertilem campum, &c.*

2. *Procurator ejus.*] Procurator Cæsaris, vectigalia colligebat, fisci jura tuebatur, &c.

3. *Germina.*] Stipulas, sive culmos.

Sect. XXII. 1. *Æstiva.... diximus.*] Initio sect. 10.

2. *Ex ea & oleum.*] Σήσαμον Diosc. lib. 2, cap. 121. [illegible]

3. *Erysimum.*] Ἐρύσιμον Theophrasti, lib 8. hist. cap. 7. [illegible] Hoc de semine accipiendum, non de Caule. Gallis *Cameline*, a Dodonæo pingitur, pempt. 4. lib. 2. cap. 23. pag. 523. Irio Latinorum est: Vidimus in horto Regio

4. *Horminum.*] Ὅρμινον Theophr. lib. 8. hist. cap. 7. Diosc. lib 3. cap 145. Ὅρμινος. Nostris *Orvale & Toutebonne.* A Dodonæo delineatur, pag. 290. Genus illius alterum, pag. 292.

5. *Sed cymino*] Theophr. loc. cit. [illegible]

6. *Hoc & irione*] Hormino scilicet & irione. De sesama quidem & irione id Theophr. asseverat, lib. 6. de causis, cap 19. pag. 374. De hormino considerandum ait, lib. 8. histor. cap. 7.

Sect. XXIII. 1. *Fistula serrata.*] Fistula in rustico instrumento, quid esset, diximus lib. 17. sect. 23. sed hæc serrata dicitur, in quo ab illa altera discrepat. Fistulam ferrariam appellat Cato, cap 10. Ait igitur Plinius in extremo ambitu præferrati pili fistulam esse serratam, sive culeri serrati similitudinem, prætereaque in medio denticulatæ stellæ effigiem: ut nisi erecto semper pilo pinsatur, frangi ferrei illi denticuli possint.

2. *Ruido utitur pilo.*] Aspero & impolito, ut recte Hermolaus.

3. *Pisendi.*] Sic MSS ubique: *pisendi*, & *pisente*, & *pisant*, & *pisi*. nusquam, ut nunc fere usus obtinuit, *pinsendi*, *pinsente*, *pinsant*, *pinsi*, &c.

4. *Postea evalli.*] Vallo suo excludi, deglubi, gluma, cor-

modo hordeum. Hujus ſextarios x x. ſpargi duobus ſextariis aquæ. Lentem torrere priùs, deinde cum furfuribus leviter piſi. Aut addito in ſextarios x x. lateris crudi fruſto, & arenæ ſemodio. Erviliam iiſdem modis, quibus lentem: Seſamam in calida maceratam exporrigi: deinde confricari, & frigida mergi, [5] ut paleæ fluctuent, iterumque exporrigi in Sole ſuper lintea: quod niſi feſtinato peragatur, lurido colore muceſcere. Et ipſa autem quæ evelluntur, variam piſturarum rationem habent. Acus vocatur, [6] cum per ſe piſitur ſpica, tantum [7] aurificum ad uſus. Si vero in area teritur cum ſtipula, palea, ut majore in terrarum parte, ad pabula jumentorum. Milii, & panici, & ſeſamæ purgamenta [8] apludam vocant, & alibi aliis nominibus.

XXIV. [1] Milio Campania præcipue gaudet, pultemque candidam ex eo facit. [2] Fit & panis prædulcis. Sarmatarum quoque gentes hac maxime pulte aluntur, & cruda etiam farina, equino lacte, vel ſanguine e cruris venis admixto. Æthiopes non aliam frugem quam milii hordeique novere.

XXV. [1] Panico & Galliæ quidem, præcipue Aquitania utitur. Sed & Circumpadana Italia [2] addita faba, ſine qua nihil conficiunt. Ponticæ gentes nullum panico præferunt cibum. Cetero æſtiva frumenta riguis magis etiam, quam imbribus gaudent. [3] Milium & panicum aquis minime, cum in folia exeunt. Vetant ea inter vites arboreſve frugiferas ſeri, [4] terram emacrari hoc ſatu exiſtimantes.

CAPUT XI.

XXVI. [1] Milii præcipuus ad fermenta uſus, [a] e muſto ſubacti in annuum tempus. Simile fit ex tritici ipſius furfuribus minutis & optimis, e muſto albo [2] triduo maturato ſubactis, ac Sole ſiccatis, Inde paſtillos in pane faciendo dilutos, [3] cum ſimilagine ſeminis ferveſaciunt, atque ita farinæ miſcent, ſic optimum panem fieri arbitrantes. Græci in binos ſemodios farinæ ſatis eſſe [4] beſſes fermenti conſtituêre. Et hæc quidem genera [b] vindemiis tantum fiunt. Quo libeat vero tempore, ex aqua hordeoque bilibres offæ ferventi foco, vel fictili patina torrentur cinere & carbone, uſque dum rubeant. Poſtea operiuntur in vaſis, donec aceſcant: hinc fermentum diluitur. Cum fieret autem panis hordeaceus, [c] ervi aut cicerculæ farina ipſe fermentabatur: juſtum erat, duæ libræ in quinque ſemodios. Nunc fermentum fit ex ipſa farina, quæ ſubigitur prius quam addatur ſal, ad pultis modum decocta, & relicta donec aceſcat. Vulgo vero nec ſufferveſaciunt, ſed tantum pridie aſſervata materia utuntur. [5] Palamque eſt naturam acore fermentari: ſicut & validiora eſſe corpora, quæ fermentato pane aluntur: quippe cum apud veteres ponderoſiſſimo cuique tritico præcipua ſalubritas perhibita ſit.

XXVII. Panis ipſius varia genera perſequi ſupervacuum videtur: alias ab obſoniis appellati, [1] ut oſtrearii: alias a deliciis, ut [2] artolagani: alias a feſtinatione, ut [3] ſpeuſtici: nec non a coquendi ratione, ut [4] furnacei, vel artopticii, aut in clibanis cocti: non pri-

INTERPRETATIO.

a *E muſto.*] Cum muſto triti.
b *Vindemiis.*] Vindemiæ tempore.
c *Ervi.*] E farina ervi aut cicerculæ fermentum adhibebatur.

NOTÆ.

ticeque ſuo ſpoliari. *Gluma proprie hordei tunicula eſt*, apud Feſtum.

5. *Ut paleæ fluctuent.*] MSS. omnes, *fluctuentur.*

6. *Cum per ſe.*] A calamo, ſtipula, ſtramento, deciſa ac ſeparata. Acus, acêris, eſt tritici purgamentum: glumam complectitur, ariſtam, & ſpicæ ſcapum Græcis, ἄχυρος. Hinc *acerosum far* apud Nonium, ex Lucilio. Feſtuſque, verbo *obacerare*. *Obacerare*, inquit, *obloqui*, *atque alterius sermonem moleſte impedire: quod ſumptum videtur a paleis, quas Græci* ἄχυρα *vocant. Itaque & frumentum, & panis non ſine paleis, aceroſus dicitur: item lutum aceratum, paleis mixtum.*

7. *Aurificum ad uſus.*] Forte quoniam, ut Plinius ipſe ſcribit, lib. 33. ſect. 19. palea citiſſime ardeſcit aurum, hoc eſt, acere: nam *acus palea eſt*, Varroni, apud Feſtum: *& quædam paleæ de frumento acus dicuntur.*

8. *Apludam.*] Feſtus: *Apluda eſt genus minutiſſimæ paleæ frumenti, ſive panici*, &c. Vix Gellium audio, qui lib. XI. *apludam* ait *veteres ruſticos frumenti furfurem appellaſſe.*

Sect. XXIV. 1. *Milio Campania.*] Vide quæ diximus ſect. 10. num. 3. Colum. lib. 2. cap. 9. pag. 56. *Milium quoque pultem, maxime cum lacte, non faſtidiendam præbet.* Gallis, *Millet.*

2. *Fit & panis.*] Vide Galenum, lib. 1. de alim. facult. cap. 15. pag. 323. tom. 6. & ea adjice quæ diximus ſect. 10. num. 3.

Sect. XXV. 1. *Panico.*] De eo diximus ſect. 10. num. 3.

2. *Addita faba.*] Paulinus, epiſt. 3. ad Severum: *Fabam intrivit panicio.* Et infra: *Fabam tantum milio, panicioque confundens.*

3. *Milium & panicum.*] Theophr. lib. 8. hiſtor. cap. 7.

4. *Terram emacrari.*] MSS. Reg. Colb. &c. *emaciari.* Forte *emaciari*: qua voce Colum. uſus, lib. 2. cap. 10. de lupino.

Sect. XXVI. 1. *Milii præcipuus*] Ita plane Geopon auctor, lib. 2. cap. 31. pag. 61. Εἰ δὲ θέλοις εἰς ὅλον ἐνιαυτὸν ζύμην, &c. *Si vero in totum annum*, inquit, *fermentum habere vis, quum in doliis muſtum ebullierit, ſpumoſum illud quod efferbuit, eximito, cum farina milii commiſceto, diligenterque tritum in maſſas cogito, quas ad Solem ſiccatas in humido loco reponens & inde ſufficiens accepta quantitas pro fermento miſcetur.*

2. *Triduo maturato.*] Muſto recenti & triduano. MSS quidam, *macerato*, male.

3. *Cum ſimilagine ſeminis.*] Hoc eſt, zeæ, quam peculiari nomine ſemen diximus appellari ſect. 19.

4. *Beſſes fermenti.*] Uncias octo, ſeu duas tertias, ut vocant, libræ partes.

5. *Palamque eſt naturam.*] Ita MSS. Reg. ceterique. Naturam vocat ſubactam farinam, quæ interveniente acore fermentatur.

Sect. XXVII. 1. *Ut oſtrearii.*] Quo genere panis veſci cum oſtreis veteres ſolebant.

2. *Artolagani*] Delicati panes, quos e vino modico, pipere, lacte, oleo vel adipe, & farina parari ſolitos, ait Athenæus lib. 3. pag. 113. Ἄρτος panem, λάγανον placentam ſonat.

3. *Speuſtici.*] A σπεύδω, *accelero*: quod nec fermentum apponitur, nec calefit aqua: ſed ſtatim ſubacta farina igni committitur. Is eſſe videtur, quem Cato, cap. 74. depſticium vocat, *Panem depſticium ſic facito. Manus, mortariumque bene lavato. Farinam in mortarium indito: aquæ paulatim addito, ſubigitoque pulcre: ubi bene ſubegeris, defingito, coquitoque ſub teſtu.*

4. *Furnacei.*] Qui in furnis coquuntur ἰπνῖται appellat-

dem

dem etiam e Parthis invectus, quem aquaticum vocant, quoniam [5] aqua trahitur, tenuem & spongiosa inanitate, alii Parthicum. Summa laus siliginis bonitate & cribri tenuitate constat. Quidam ex ovis aut lacte subigunt. Butyro vero gentes etiam pacatæ, ad operis pistorii genera [6] transeunte cura. Durat sua Piceno in panis inventione gratia, [7] ex alicæ materia. Eum novem diebus [8] macerant: decimo [9] ad speciem tractæ subigunt uvæ passæ succo: postea in furnis, ollis inditum, quæ rumpantur ibi, torrent: neque est ex eo cibus, nisi madefacto: [10] quod fit lacte maxime mulso.

XXVIII. [1] Pistores Romæ non fuere [2] ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe condita super DLXXX. Ipsi panem faciebant Quirites; mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium. [3] Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus Poëtæ sit illius: certumque fit, A. Ateii Capitonis sententia [4] coquos tum panem lautioribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui far pisebant, nominatos. Nec coquos vero habebant in servitiis, eosque ex macello conducebant. Cribrorum genera Galli e setis equorum invenere, Hispani e lino [5] excussoria & pollinaria, Ægyptus e papyro atque junco.

XXIX. Sed inter prima dicatur & alicæ ratio, præstantissimæ saluberrimæque: quæ palma frugum indubitata Italiam contingit. Fit sine dubio & in Ægypto, sed admodum spernenda. In Italia vero pluribus locis, sicut Veronensi Pisanoque agro: [1] in Campania tamen laudatissima. Campus est subjacens montibus nimbosis, totis quidem XL. M. passuum planitie. Terra ejus (ut protinus soli natura dicatur) pulverea summa, inferior bibula, & pumicis vice fistulosa: montium quoque culpa in bonum cedit. Crebros enim imbres percolat atque transmittit: [2] nec dilui aut madere voluit propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, & concoquens intra se [3] vice succi continet. [4] Seritur toto anno, panico semel, bis farre. Et tamen vere [5] segetes, quæ interquievere, fundunt rosam odoratiorem sativa: adeo terra non cessat parere. Unde vulgo dictum, [6] Plus apud Campanos unguenti, quam apud ceteros olei fieri. Quantum autem universas terras campus Campanus antecedit, tantum ipsum pars ejus, [7] quæ Laboriæ vocantur, quem Phlegræum Græci appellant. [8] Finiuntur Laboriæ via ab

NOTÆ.

Tryphon apud Athen. lib 3 pag. 109. Ἀρτοπτίκιοι apud eumdem, pag 113. nomen habent a vase, sive testo, in quo ii excoquebantur, quod & ἀρτοπτίκιον & ἀρτόπτην vocabant. Pollux lib. 10. Denique κριβανίτην (sic enim Attici pronunciant apud eumdem Athen. pag 109.) in clibanis coctum vocant. hoc est, in furnaculo ferreo, æneove, sive testaceo, in quo pruna subjecta, vel superne congesta panificium coquitur: vulgo *une Tartiere*.

5. *Aqua trahitur.*] Dum in panificium massa subigitur, aqua plurima addita diducitur, protrahiturque: & ante coctionem levis spongiosusque redditur.

6. *Transeunte cura.*] Bellorum immunes, ad opera pistoria transferunt curam.

7. *Ex alicæ materia.*] Ex eodem frumenti genere, quo fit & alica. De pane Piceno, Martialis mox appellandus.

8. *Macerant.*] Aqua. *Placentam*, inquit Cato, cap. 76. *sic facito.... Alicam in aquam infundito*, &c.

9. *Ad speciem tractæ.*] Tracta, ut ex Catone liquet, subacta manibus farina est, depsita, agitata, in longum protracta: ut ea agitatione melius fermentetur. Cato loc. cit. *Alicam in aquam infundito: ubi bene mollis erit, in mortarium purum indito, siccatoque bene. Deinde manibus depsito: ubi bene subactum erit, farina libras quatuor paulatim addito: id utrumque tracta facito. In qualo ubi arescant, componito*, &c. Tracta neutro genere Cato pronunciavit: tractam feminino Plinius. Tractam Turnebus, lib 22. Adversf. cap. 10. pag. 775. putat esse quam *Tartam* vulgo vocant, cui minime nos assentimur. Vide Rob. Constant. in Lexico, verbo, Τρακτός.

10. *Quod fit lacte mulso.*] Hoc est, melle admixto. Eo lacte madefactus panis turgebat eximie, & erat sic in deliciis. Martialis, lib 13. Epigr. 47. cujus lemma, *Panes Picentini*: *Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,*
Ut levis accepta spongia turget aqua.

Sect. XXVIII. 1. *Pistores Romæ non fuere.*] *Des Boulangers.* Varro, in περὶ Μεσίμαυ, referente Nonio: *Nec pistorem ullum nossent, nisi eum qui in pistrino pinseret farinam.* Et lib. 1. de vita populi Rom. *Nec pistoris nomen erat, nisi ejus qui far pinsebat*. hoc est, molebat. Nam, ut Festus ait, *Pistum a pinsendo pro molitum antiqui usurpabant.* Sic Plautus pistor fuit, cum molas trusatiles versando operam locaret. Minutius Felix: *Octavius homo Plautina prosapia, ut pistorum præcipuus, ita postremus Philosophorum.* Ævo tamen subsequente, florente Rep. ac deinceps, pistores, ut notum est, *artopœi* appellati. Apud Plautum sane, coquum sæpius, pistorem numquam offendas, nisi pro eo qui far pinsit, hoc est, molit.

2. *Ad Persicum.*] Usque ad bellum cum Perseo Macedonum rege, quod quidem tam illius, quam totius Macedonici imperii clade ac servitute finitum est, anno Urbis conditæ DLXXXVI. Macedonia in provinciæ formam cedente.

3. *Artoptam Plautus.*] In Aulularia, act. 2. sc. 9. vers. 4.
Ego hinc artoptam ex proximo utendum peto
A Congrione.
Vas illud fuit, ut diximus, in quo panis tostus coquebatur. In MSS. tamen Plinianis omnibus, *Artopœsiam* hoc loco legitur: ut pro muliere panifica accepta ea vox a Plinio videatur, desumptaque ex alio quopiam Plauti versiculo, qui ex ea fabula nunc exciderit: vel pro ipsa arte coquendi, ut Fulvio Ursino visum, in appendice ad lib. P. Ciacconii, de Triclinio, pag. 160.

4. *Coquos tum.*] Ita recte Turnebus emendavit, lib. 28. Adversf. cap. 42 pag. 1027. cum prius legeretur, *tostum.* In Reg 2. *costum.* Non placet Fulvii Ursini conjectura, loc cit. legentis, *testo panem*: etsi Vossius approbat in Etymologico. Quos pistores scilicet posterior appellavit ætas, prisca coquos vocitabat Festus: *Coquum & pistorem apud antiquos eumdem fuisse accipimus. Nævius: Coquus, inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem. Significat, per Cererem, panem: per Neptunum, pisces: per Venerem, olera.*

5. *Excussoria.*] Excussoria sunt, quæ ad excutiendam farinam facta: pollinaria, quæ ad purgandum pollinem

Sect. XXIX. 1. *In Campania.*] Hinc *alicariæ meretrices*, & *alicariorum pistrina in Campania*, auctore Festo.

2. *Nec dilui aut madere.*] Ne si in lutum abiret, non tam facilis esset culturæ.

3. *Vice succi continet.*] MSS. omnes, *vice fusi.*

4. *Seritur toto anno.*] Strabo idem Græce, lib. 5. pag. 242. de Campaniæ agro: Ἱστορεῖται δ᾽ ἔνια τῶν πεδίων σπείρεσθαι δι᾽ ἔτους, δὶς μὲν τῇ ζειᾷ, τὸ δὲ τρίτον ἐλύμῳ· τινὰ δὲ καὶ λαχανεύεσθαι τῷ τετάρτῳ σπόρῳ. *Traditum memoria est quædam Campaniæ arva toto anno conseri: bis zea, tertium panico: quædam etiam quarto satu olera producere.* Ubi far appellavit zeam perspicue Strabo.

5. *Segetes.*] Seges hic ipsa humus est, quæ ad accipiendum semen apta est. Hanc Plinius ait in eo tractu, cum interquievit a frugibus, sponte rosam fundere, quæ sit odoratior sativa.

6. *Plus.... unguenti.*] Quoniam rosæ in unguenta transeunt.

7. *Quæ & Laboriæ.*] Plinius lib 3 sect. 9. *Ibi Laborini campi sternuntur, & in delicias alicæ populatur messis.* Vide quæ ibi diximus in Notis.

8. *Finiuntur.*] Laborini campi finiuntur, inquit, utrim-

utroque latere Consulari, quæ a Puteolis, & quæ a Cumis Capuam ducit.

2. [9] Alica [10] fit e zea, quam semen appellavimus. Tunditur granum ejus [11] in pila lignea: ne lapidis duritia conterat. Nobilius, ut notum est, pilo, vinctorum pœnali opera. [13] Primori inest pyxis ferrea. Excussis inde tunicis, iterum iisdem armamentis nudata [14] conciditur medulla. [15] Ita fiunt alicæ tria genera: minimum, ac secundarium: grandissimum vero [16] aphæresma appellant. Nondum habent candorem suum quo præcellunt: jam tamen Alexandrinæ præferuntur. Postea (mirum dictu) admiscetur creta, quæ [17] transit in corpus, coloremque, & teneritatem affert. Invenitur hæc inter Puteolos & Neapolim, in colle [18] Leucogæo appellato Exstatque Divi Augusti decretum, quo [19] annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari jussit e fisco suo, coloniam deducens Capuam. Adjecitque caussam afferendi, quoniam negassent Campani alicam confici [20] sine eo metallo posse. In eodem reperitur & sulphur: emicantque [21] fontes Oraxi oculorum claritati, & vulnerum medecinæ, dentiumque firmitati.

3. [22] Alica adulterina fit maxime quidem e zea, quæ in Africa degenerat. Latiores ejus spicæ, nigrioresque, & brevi stipula. Pisunt cum arena, & sic quoque difficulter deterunt utriculos, [23] fitque dimidia nudi mensura. Posteaque [24] gypsi pars quarta inspargitur: atque [25] ut cohæsit, farinario cribro subcernunt. Quæ in eo remansit, exceptitia appellatur, & grandissima est. Rursus quæ transit, arctiore cernitur, & secundaria vocatur. Item cribraria, quæ simili modo in tertio remansit cribro angustissimo, [26] & tantum arenas transmittente. Alia ratio ubique adulterandi. Ex tritico candidissima & grandissima eligunt grana, ac semicocta in ollis, postea arefaciunt Sole [27] ad initium, rursusque leviter asperfa molis frangunt. Ex zea pulcrius, quam ex tritico, [28] fit granum, [29] quamvis id alicæ vitium sit. Candorem autem ei pro creta lactis incocti mixtura confert.

CAPUT XII. XXX. Sequitur natura leguminum, inter quæ maximus honos [1] fabæ: quippe ex qua tentatus sit etiam panis. [2] Lomentum appellatur farina ea, [3] aggravaturque pondus illa, & omni legumine. [4] Jam vero & pabulo venalis fabæ multiplex usus omnium quadrupedum generi, præcipue homini. [5] Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes, & [6] maxime panico solida, ac [7] delicarius fracta. Quin & prisco ritu [8] fabacia suæ religionis

NOTÆ.

que via gemina Consulari: quarum altera a Capua Puteolos, altera Cumas ducebat. Plinium hoc loco carpit immerito Cluverius, lib. 4 Ital. antiq. cap 2.

9. *Alica.*] Alica Plinio genus sorbitionis ac pultis est, cujusmodi fere nos ex oryza conficimus.

10 *Fit e zea, quam semen.*] Sect. 19. Zeam Strabonis farrem esse Plinianum jam ante monuimus. Idem Strabo loc. cit. fieri alicam e tritico ait in hoc ipso Campaniæ tractu, omni oryza potiorem: *Αἴρω δὲ τὸ μέγιστόν ἐστι, ἐξ ἧς καὶ ὁ χόνδρος κρείττων ὢν πάντη καὶ ὀρύζης*, Diosc. lib. 2. cap. 118. e zea: *Ὁ δὲ χόνδρος γίνεται μὲν ἐκ τῆς διχόκκου ζειᾶς*, &c.

11. *In pila lignea.*] Pila, sive mortarium, *un mortier*, vas concavum, quo antiqui siccata frumenta pinsebant, ac contundebant. Cato, cap. 14. in rustico instrumento recenset, *paululum latam pilam, ubi triticum pinsant, unam: fullonicam unam.* Et cap. 10. *Pilam ligneam unam, fullonicam unam* dixerat. Marcellus Empir. cap. 26. ad calculosos: *Hoc medicamentum*, inquit, *tunditur vel componitur in pila lignea, & pilo ligneo.*

12. *Ne lapidis.*] Ne duritia lapideæ pilæ, ferreique pili farinæ in modum grana conterat: quæ nunc satis est ita contundi, ut suis tunicis seu folliculis spolientur, solaque medulla supersit, detritis utriculis.

13. *Primori.*] In extrema pili ferrei parte.

14. *Conciditur medulla*] Non conteritur, ut farina, ad lævorem usque: sed in particulas quaternas quinasve grana singula franguntur. *Concasser.*

15 *Ita....tria genera.*] Infra, num. 3. quod in farinario primum cribro remansit, grandissimum est: quod arctiore deinde cernitur, secundarium vocatur: quod angustissimo, cribrarium ac minimum. Nunc vero grandissimum alicæ genus appellatur, quod leviter tusum est, cui excussæ modo sunt tunicæ: secundarium, medulla ipsa in crassiores concisa partes: minimum, in tenuiores.

16. *Aphæresma.*] Ἀφαίρεμα, forte a cortice, seu tunicis zeæ ablatis.

17. *Transit in corpus.*] Nempe in corpus & naturam alicæ, cui colorem & teneritatem affert. Sic in fine hujus sectionis, candorem alicæ conferre lactis incocti mixtura vice cretæ dicitur.

18. *Leucogæo.*] A terræ seu cretæ albedine id ei colli nomen. Hodie *la Lumera.* Vide Camill. Pellegr. in Campan. Felice, pag. 145. & 266.

19. *Annua vicena.*] In MSS. *annoadocena.* Forte *annua ducena.*

20. *Sine eo metallo.*] Quidquid e terræ visceribus effoditur, id metallum dicitur. Multa affert exempla Rosvveydus noster, in Notis ad Paulinum, pag 859.

21. *Fontes Oraxi.*] MSS. *Araxi.*

22. *Alica adulterina.*] Prorsus hunc alicæ conficiendæ modum Geopon. auctor expressit, lib. 3. cap. 7. pag. 90. tit. *Χόνδρα ποιεῖν.*

23. *Fitque dimidia.*] Nudati tunicis suis grani mensura dimidio minor est, quam erat circumvestitu.

24. *Gypsi.*] Tenuissime cribrati. Geopon. auctor, loc. cit.

25. *Ut cohæsit.*] Ubi cum farina probe permixta est, & in unum veluti corpus coiit.

26. *Et tantum arenas.*] Admixtas scilicet, ut dictum est prius: *Pisunt cum arena*, &c.

27. *Ad initium.*] MSS. Reg. Colb. Chiffl. *ad initum.* Forte, *ad motum.*

28. *Fit granum.*] Vel potius graneum, quod pultis vel ptisanæ genus e tritico fuisse videtur. Vide Notas & Emend. num XI.

29. *Quamvis id alicæ.*] Quamvis hæc sit alica inferioris notæ, minusque nutriat.

Sect. XXX 1. *Fabæ.*] Quæ faba veterum fuerit, haud ita est proclive statuere: Palam enim est non esse eam quam eo nomine vulgus indigitat, *Feve*: cui faseli nomen accommodari verius censet Dodonæus, Pempt. 4. lib. 2. cap. 505. Certe Græcorum *κύαμον*, Latinorumque fabam, & rotundam esse, & exiguæ molis, ex variis antiquorum testimoniis perspicuum est: quæ dos utraque a faba nostra vulgari abest.

2. *Lomentum.*] Farina fabacea *ἐρέγμινον ἄλευρον, κυάμινον*, & *ἄλευρον.*

3. *Aggravaturque pondus.*] Frumenti, vel panici, cui immiscetur in panificio.

4 *Jam vero & pabulo.*] Pellicerius conjiciebat in notis sinceriorem forte lectionem fore: *Jam vero & pabulo venalium, fabæ multiplex usus*, &c Nos vix assentimur.

5. *Frumento.*] Quem morem hodieque Allobroges tenent, ut fiat solidior panis.

6. *Et maxime panico.*] Vide quæ diximus sect. 25.

7. *Delicatius.*] Levius, molliusque fracta, nec in tenuem omnino farinam.

8. *Fabacia.*] A jactandis fabis deducta vox, ut suspicari quidem licet ex eo Varronis loco, lib. 1. de vita populi Rom apud Nonium, cap 2 pag. 513. *Quibus temporibus*, inquit, *in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se Lemures domo extra januam jacere.* Fabacis pulte Carnæ Deæ, Jani uxori, sacrificari solitum, Calendis Juniis, quas fabarias appellabant, auctor est Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 12.

Diis in sacro est, prævalens [9] pulmentari cibo, [10] & hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. [11] Ob hæc Pythagorica sententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de causa [12] parentando utique assumitur. Varro & ob hæc [13] Flaminem ea non vesci tradit, & quoniam in flore ejus litteræ lugubres reperiantur. In eadem peculiaris religio: namque fabam utique e frugibus referre mos est auspicii causa, [14] quæ ideo referiva appellatur. [a] Et auctionibus adhibere eam lucrosum putant. [15] Sola certe frugum etiam excsa repletur crescente Luna. [16] Aqua marina, aliave salsa non percoquitur.

[17] Seritur ante Vergiliarum occasum leguminum prima, ut antecedat hiemem. [18] Virgilius eam per ver seri jubet, Circumpadanæ Italiæ ritu. Sed major pars malunt [19] fabalia maturæ sationis, quam trimestrem fructum. Ejus namque siliquæ caulesque gratissimo sunt pabulo pecori. [20] Aquas in flore maxime concupiscit: cum vero defloruit, exiguas desiderat. [21] Solum, in quo sata est, lætificat stercoris vice. [22] Ideo circa Macedoniam, Thessaliamque, cum florere cœpit, vertunt arva.

Nascitur & sua sponte plerisque in locis, sicut septemtrionalis oceani insulis, quas ob id nostri [23] Fabarias appellant: item in Mauretania silvestris passim, sed prædura, & quæ percoqui non possit.

[24] Nascitur in Ægypto [25] spinoso caule: qua de causa crocodili oculis timentes refugiunt. [26] Longitudo scapo quatuor cubitorum est, amplissima [27] crassitudo: nec genicula habet, molli calamo: [29] simile caput papaveri, colore roseo: in eo fabæ [30] non supra tricenas: folia ampla: fructus ipse amarus & odore: [31] sed radix perquam lauta incolarum cibis, cruda, & omnino decocta, arundinum radicibus similis. [32] Nascitur & in Syria, Ciliciaque, & in Torone Chalcidis lacu.

XXXI. Ex leguminibus [1] autem Novembri seruntur lens: & in Græcia pisum.

INTERPRETATIO.

a *Et auctionibus.*] Et in venditionibus publicis, si faba simul proponeretur venalis, lucrum ex ea re, *& ex eo omine*, maximum futurum putabant.

NOTÆ.

pag. 248. hunc ritum instituente Tarquinio post exactos reges. In M S S. Reg. Colb. Th. non *fabacia*, sed *fabata* legitur: & Græci recentiores fabas coctas hodieque φάβατα vocant: & pultem fabatam Festus appellat, verbo *Refriva*. Apicius tamen, lib 5 cap 6 Fabacias virides, fabacias frictas, fabacias Baianas in obsonium parandi modum edocet.

9. *Pulmentari cibo.*] Pulmentarii vice. Vide quæ diximus sect. 19.

10. *Et hebetare.*] Didymus in Geopon. lib. 2. cap. 33. pag. 69. Οἱ δὲ φυσικοί φασι τὰς κυάμους ἀμβλύνειν τὰς καρδίας τῶν ἐσθιόντων αὐτούς· διὸ καὶ ἐμποδίζειν τὰς ὀνειρογμούς ... τοὺς τῶν ... [illegible]

11. *Ob hæc Pythagorica.*] Pythagorici hujusce placiti quæ sententia fuit, fuse disputatur a Gellio, lib 4. cap. XI. pag. 296. Facit cum Plinio Apollonius, hist. Comm. cap. 46. & Tullius, lib. 1. de Divin num. 62. *Jubet Plato*, inquit, *sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo Pythagoreis interdictum putatur, ut faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitatem mentis quærentibus contrariam.* Et lib 2. n. 119 *Faba quidem Pythagorici utique abstinuère: quasi vero eo cibo mens, non venter infletur.* Trahit alio eam Pythagoræ sententiam Plutarchus, lib. de educ. pueris, pag. 12. rursumque in quæst. Rom. pag 286.

12. *Parentando.*] Parentalibus sacrificiis fabas adhiberi solitas, Festus affirmat. Parentalia autem epulæ erant in parentum aut propinquorum funeribus datæ.

13. *Flaminem.*] Gellius, lib. 10. cap 15. pag 530. ex Fabii Pictoris Annalibus: *Fabam neque tangere Diali mos est, neque nominare.* Quæ verba Festus transscribens, etiam causas adjicit *quod ea putatur ad mortuos pertinere nam & lemuralibus jactatur larvis, & parentalibus adhibetur sacrificiis, & in flore ejus litteræ apparere videntur.* Vide Erasm. Chil. 1. Cent. 1. pag. 15 Adag. *A fabis abstineto.* Adde auctorem Geopon. lib 2. cap. 33. pag 70.

14. *Quæ ideo referiva.*] Ita M S S. Reg Colb. Th. non *refriva*. Festus: *Refriva*, (vel *referiva* potius) *faba dicitur, ut ait Cincius, quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocet fruges. Ælius dubitat an ea sit, quæ prolata in segetem domum referatur, an quæ refrigatur, quod est, torreatur. Sed opinionem Cincii adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata Diis datur, nominatur refriva.* Dictis Plinius adstipulatur.

15. *Sola certe*] Didymus loc cit Φησὶ ... [illegible]

16. *Aqua marina.*] Didymus loc. cit. Et pisa nos observavimus puteana etiam aqua vix, fluviali haud ægre coqui.

17. *Seritur ante*] De Vergiliarum occasu, sect. 59 Pallad. lib. 12 in Novembri, tit. 1. pag. 61. *In principio Novembris fabam spargimus*, &c.

18. *Virgilius.*] Libro 1. Georg. vers. 215.

Vere fabis satio.

Extremo mense Junio fabam seri eodem die metique, visum a se Seneca prodit epist. 87.

19. *Fabalia.*] Siliquas fabales, seu grandiorea culmos, ex quibus siliquæ pendent Columella, lib 2 cap. 10. de faba: *Post brumam parum recte seritur: pessime vere: quamvis sit etiam trimestris faba, quæ mense Februario seratur . . . . sed exiguas paleas, nec multam siliquam facit. Veteres itaque rusticos plerumque dicentes audio, malle se matura fabalia, quam fructum trimestrem.*

20. *Aquas in flore.*] Theophr. lib 8. hist. cap. 6.

21. *Solum, in quo.*] Theophr. lib. 8. hist. cap. 9. Columella, lib. 2. cap. 10. pag 57. *Sunt etiam qui putent in arvis hanc eamdem vice stercoris fungi: quod sic ego interpretor, ut existimem non fationibus ejus pinguescere humum, sed minus hanc quam cetera semina vim terræ consumere. Nam certum habeo frumentis uberiorem agrum esse, qui nihil, quam qui istam siliquam proximo anno tulerit.* Vide etiam Palladium in Novemb. tit. 1. pag. 161.

22 *Ideo circa.*] Theophr loc cit.

23. *Fabarias.*] De his dictum est lib. 4. sect. 17.

24. *Nascitur & in Ægypto.*] Hæc Theophr lib. 4 histor. cap. 10 quæ transscripsit Athenæus, lib. 3. pag. 72. A solo in quo provenit, faba Ægyptia vocitatur: sed colocasiam esse cave credas.

25 *Spinoso caule.*] Theophr loc. cit. non *caule spinoso* dixit, sed *radice spinosa*, [illegible] Legisse Plinius videtur apud scriptores alios, καυλὸς δ' ἀκανθώδης.

26. *Longitudo*] Theophr. loc. cit.

27. *Crassitudo.*] Digitalis, πάχος δὲ δακτυλιαῖος. Theophr.

28 *Nec genicula.*] Non habet genicula, sed calamum mollem: ὅμοιος δὲ καλάμῳ μαλακῷ ἀγονάτῳ. Theophr.

29. *Simile caput.*] Flos scilicet. Τὸ δὲ ἄνθος διπλάσιον ... μήκωνος· χρῶμα δὲ ὅμοιον ῥόδῳ κατακορές. Theophr.

30. *Non supra tricenas.*] Πλῆθος δὲ οὐ πλείους τριάκοντα.

31. *Sed radix.*] Theopht. loc cit. & Athen.

32. *Nascitur & in.*] Theophr. & Athen. loc cit.

sect XXXI. 1. *Autem Novembri.*] Vide Notas & Emend. num. XII.

[2] Lens amat solum tenue magis, quam pingue, cælum utique siccum. Duo genera ejus [3] in Ægypto: alterum rotundius nigriusque, alterum [4] sua figura. Unde vario usu translatum est [5] in lenticulas nomen. Invenio apud auctores, [6] æquanimitatem fieri vescentibus ea. [7] Pisum in apricis seri debet, frigorum impatientissimum. Ideo in Italia, & in 5 austeriore cælo non nisi verno tempore, terra facili ac soluta.

XXXII. Ciceris natura est gigni [1] cum salsilagine: [2] ideo solum urit. [3] Nec nisi madefactum pridie, seri debet. [4] Differentiæ plures, magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim arietino capiti simile, [5] unde ita appellatur, [6] album nigrumque. Est & columbinum, quod alii Venerium vocant, candidum, rotundum, leve, arietino minus, quod religio 10 pervigiliis adhibet. [7] Est & cicercula minuti ciceris, inæqualis, angulosi, veluti pisum. Dulcissimum autem id, [8] quod ervo simillimum: [9] firmiusque quod nigrum & rufum, quam quod album.

XXXIII. [1] Siliquæ rotundæ ciceri, ceteris leguminum longæ, & ad figuram seminis latæ: piso [2] cylindratæ: [3] faseolorum cum ipsis manduntur granis. Serere eos qua 15 velis terra licet ab Idibus Octobris in Calendas Novembres. Legumina, cum maturescere cœperunt, rapienda sunt, quoniam cito exsiliunt, latentque cum decidêre, sicu t & lupinum: * [4] quanquam prius de rapis dixisse conveniat.

* CAP XIII. XXXIV. In transcursu ea attigere nostri, paulo diligentius Græci, & ipsi tamen inter hortensia: si justus ordo fiat, a frumento protinus aut certe faba dicendis, [1] quando alii usus præstantior ab his non est. [2] Ante omnia namque cunctis animalibus nascuntur, 20 nec in novissimis satiant ruris alitum quoque genera, magisque si decoquantur aqua. Quadrupedes & fronde eorum gaudent. Et homini non minor [3] rapaciorum suis horis gratia, quam cymarum: [4] flavidorum quoque, & in horreis enecatorum, vel major 25 quam virentium. Ipsa vero durant & in sua terra servata: & [5] postea passa, pæne [a] ad alium proventum, famemque sentiri prohibent. A vino, atque messe, tertius hic Transpadanis fructus. Terram non morose eligit, pæne ubi nihil aliud seri possit. Nebulis, & pruinis, [6] ac frigore ultro aluntur, [7] amplitudine admirabili. [8] Vidi XL. libras excedentia.

INTERPRETATIO.

a *Ad alium.*] Usque ad aliam messem.

NOTÆ.

2. *Lens amat.*] Ita Colum. lib. 2. cap. 10. pag. 59. *Lentem sementis media, crescente Luna usque in duodecimam, solo tenui & resoluto, vel pingui, & sicco maxime loca fert contenti: nam in flore facile luxuria & humore corrumpitur.* Nostris, *Lentille.* Pingitur a Dodon. pag. 217.

3. *In Ægypto.*] De ea lente Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 228.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Et Martialis, lib 13 Epigr 9.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem.

4. *Sua figura.*] Qualis est lenti vulgari.

5. *In lenticulas.*] Maculas in facie, quas & lentigines vocant: Græci φακοὺς. ut lentem ipsam, cujus a similitudine deductum lenticulæ nomen, φακός.

6. *Æquanimitatem.*] Auctor Geopon. lib. 2 cap. 35. pag. 71. Ἡ δ' Αἰγυπτία φακὴ, εὐθυμίαν παρέχει τοῖς ἐσθίουσι. *Ægyptia lens in cibo sumpta lætitiam affert vescentibus ea.* Lenticulam videri volunt sic appellatam, quoniam lenes, & lentos, & moderatos reddit eos qui eam in cibos adhibent.

7. *Pisum*, &c.] Columella. lib 2. cap. 10. pag 57. *Similis quoque ratio est pisi. quod tamen facilem & solutam terram desiderat, tepidumque locum, & cælum frequentis humoris.* Vulgo, *Pois.*

Sect. XXXII. 1. *Cum salsilagine*] Cum quodam liquore salis, qui ei leguminis peculiaris & insitus: quem si nimii imbres abluant, legumen ipsum tabe interit, & ab erucis erosum perit, inquit Theophr lib. 8. hist. cap. 6 Ἐρέβινθοι ἀπολλυμένης τῆς ἅλμης σφακελίζοντες, καὶ ὑπὸ καμπῶν κατεσθιόμενοι. Cicer nostris, *Pois chiche.*

2. *Ideo solum*] Colum. lib 2. cap. 10. pag. 60.

3. *Nec nisi.*] Colum. loc. cit. Pallad. lib 4 in Martio, tit. 4. pag 85 & auctor Geopon lib. 2. pag 34 pag. 78.

4 *Differentiæ.*] Theophr. lib. 8 hist. cap. 5

5. *Unde ita appellatur.*] Cicer arietinum, Columellæ loc. cit. Theophr. κριοὶ ἐρέβινθοι Athen. lib 2. pag 54. Ὁ ἐρέβινθος τινὰς καλοῦσι κριοὺς. Iconem arietini ciceris habet Dodonæus, pag. 515.

6. *Album, nigrumque.*] In his regionibus non sunt arietini ciceris differentiæ ullæ ex colore · est enim omne ex purpura subnigrum Neque vero Theophrasti verba illa, quibus similia Plinius hoc loco habet, in arietino genere nigrum candidumque esse persuadent: οἱ δ' ἐρέβινθοι καὶ τοῖς χρώμασι, καὶ τοῖς μορφαῖς διαφέρουσιν· οἷον κριοὶ, ὀροβιαῖοι . . . ἐπὶ πᾶσι δὲ τὰ λευκὰ γλυκύτερα. Nam ἐπὶ πᾶσι non in omni genere ciceris, album reperiri significat, sed in omni leguminum genere, ut in cicere, lente, aliisque, album nigro antecellere.

7. *Est & cicercula.*] Dioscoridi, lib. 2. cap. 126. ἐρέβινθος ὁ ἥμερος, cicer sativum, ut dicemus lib. 22. sect. 72. Colum. lib. 2. cap 10. pag 60. *Cicercula, quæ piso est similis.*

8 *Quod ervo.*] Unde ὀροβιαῖος ἐρέβινθος a Theophr appellatur, ab ervi similitudine, quod Græci ὄροβος vocant.

9. *Firmiusque.*] Theophr. lib. 8. hist. cap. 6.

Sect XXXIII. 1. *Siliquæ.* &c.] Theophr. totidem verbis, lib. 8. hist. cap. 5. Καὶ οἱ κελυφοὶ λοβοί, σχεδὸν ἀνάλογοι τοῖς σπέρμασιν εἰσι, &c.

2. *Cylindratæ.*] Theophr. καυλοειδεῖς, ad similitudinem cylindri.

3. *Faseolorum.*] Subintellige, *siliquæ.* Faseolos porro eos intellige, de quibus egimus lib. 16 sect. 92. vulgo *Feverolles* Dioscoridi, lib 2 cap. 176 σμίλαξ κηπαία est, cujus siliquam cum semine, asparagi modo elixam, oleris instar edi pariter prodidit. Græci scriptores alii δολίχους & φασιόλους vocant. Virgilius, vilem faselum, uti ex Plinio liquet, faseolos appellasse libri hujus sect. 56. quos poeta faselos vocat.

4. *Quanquam prius.*] Quam de lupino dicamus.

Sect. XXXIV. 1. *Quando alii.*] Cum aliud nullum sit legumen præstantioris usus, quam rapa: de iis statim post frumentum fabamve instituenda videbatur oratio. Rapum Græcis γογγυλὶς & γογγύλη, nostris *une Rave.*

2. *Ante omnia.*] Colum. lib. 2. cap. 10 *Boves pascunt*, inquit, *præcipue in Gallia*, &c.

3 *Rapaciorum*] Rapacia, sive rapicia, cauliculi sunt teneri raporum, qui decocti sumuntur in cibis: sicuti cymæ, ipso teste Plinio lib. 19. sect. 41. sunt brassicæ caulium teneriores pariter, delicatioresque cauliculi De rapaciis Cato, cap 35 *Rapinam & caules rapicii unde fiant, & raphanum in loco stercorato bene, aut in loco crasso serito.*

4. *Flavidorum.*] Ita MSS. omnes: non *flaccidorum.* Vide quæ de voce *flavescere*, quæ Plinio familiaris est, congessimus lib. 15. sect 36.

5. *Postea passa.*] Sub dio siccata.

6. *Ac frigore ultro*] Martialis. lib. 13. Epigr. 16.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cælo Romulus esse solet.

Adde Nicandrum in Georg. lib. 2. cujus carmen recitat Athen. lib. 14 pag. 133.

7. *Amplitudine.*] Quoniam incrementum omne, non in folia, sed in radicem vertitur, ut ait Theophr. lib. 7. hist. cap. 4.

8. *Vidi XL.*] Matthiolus in lib. 2. Diosc. cap. 104. vis

In cibis quidem nostris pluribus modis commendantur: durantque ad alia, [9] sinapis acrimonia domita, etiam coloribus picta, præter suum, sex aliis, purpureo quoque: neque aliud in cibis tingi decet.

[10] Genera eorum Græci duo prima fecere, masculum, femininumque, & ea serendi modo ex eodem semine: [11] densiore enim satu masculescere, item in terra difficili. [12] Semen præstantius, quo subtilius. Species vero omnium tres. [13] Aut enim in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari. [14] Tertiam speciem silvestrem appellavere, in longitudinem radice procurrente, raphani similitudine, & folio anguloso scabroque, succo acri: [15] qui circa messem exceptus oculos purget, medeaturque caligini, admixto lacte mulierum. [16] Frigore dulciora fieri existimantur & grandiora: [17] tepore in folia exeunt. [18] Palma in Nursino agro nascentibus. Taxatio in libras sestertii singuli, & [19] in penuria bini. Proxima [20] in Algido natis.

XXXV. [1] Napi vero Amiternini, quorum eadem fere natura, gaudent æque frigidis. Seruntur & ante Calendas Martias, [2] in jugero sextarii quatuor. Diligentiores [3] quinto sulco napum seri jubent, rapa quarto, utrumque stercorato. Rapa lætiora fieri, si cum palea seminentur. Serere nudum volunt, precantem sibi & vicinis serere se. Satus utrique generi justus, inter duorum numinum dies festos, [4] Neptuni atque Vulcani. Feruntque subtili observatione, [a] quota Luna præcedente hieme nix prima ceciderit, si totidem luminum die intra prædictum temporis spatium serantur, mire provenire. Seruntur & vere in calidis atque humidis.

CAP. XIV.

XXXVI. [1] Lupino est [2] usus proximus, cum sit & homini, & quadrupedum generi ungulas habenti, communis. [3] Remedium ejus, ne metentes fugiat exsiliendo, ut ab imbre tollatur. [b] Nec ullius quæ seruntur, natura [4] assensu terræ mirabilior est. [5] Primum omnium cum Sole quotidie circumagitur, horasque agricolis etiam nubilo demonstrat. [6] Ter præterea floret: terram amat, [7] terraque operiri non vult. Et unum hoc seritur [8] non arato. [9] Quærit maxime sabulosa, & sicca, atque etiam arenosa. [10] Coli utique non vult

INTERPRETATIO.

a *Quota Luna.*] Si tot diebus post Neptuni festum serantur, quota Luna fuerat præcedente hieme, cum nix prima cecidit.

b *Nec ullius.* Nec ullius *eorum* quæ seruntur natura, terra ei admodum favente, miserabilior est.

NOTÆ.

disse se innumera scribit, quæ xxx. libras penderent, & quibusdam locis centenas: magno certe naturæ miraculo, e tam exiguo semine, tribus fere mensibus tantas radices gigni.

9. *Sinapis.*] Ita Nicander in Georg. loc. cit.

10. *Genera eorum.*] Theophr. loc. cit a quo & Athenæus accepit, lib. 9. cap. 369.

11. *Densiore enim.*] Theophr. totidem verbis: *Γίνεσθαι δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος ἄμφω. ὅταν δὲ τὸ ἀποθηλύνεσθαι, πυκνότερον δεῖ σπείρειν. ἐὰν γὰρ πυκνὰ, πάντα ἀπαρρενοῦσθαι, τὸ αὐτὸ δὲ τρόπον, κἂν ἐν γῇ μοχθηρᾷ σπαρῶσι.*

12. *Semen.*] Theophr. *Βέλτιον λεπτόν.*

13. *Aut enim in.*] Hanc speciem Nicander prætermisit: duas reliquas expressit eo carmine quod Athenæus recitat loc. cit.

Γογγυλίδας δοιαὶ γὰρ ἰδ' ἐν ῥαφάνοισι γενέθλη,
Μακρή τε, σφαιρή τε φαίνεται ἐν πρασιῇσι, &c.

Tria hæc raporum genera depicta vide apud Dalec. lib. 5. histor. pag. 640. Orbiculatum Galli vocant. *Naveau rond.*

14. *Tertiam speciem.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 6.

15. *Qui circa messem.*] Et hanc vim lactucæ silvestris folio Theophrastus attribuit, loc. cit. Plinius ex aliis auctoribus, & raporum succo, qui ex caule exciso excipitur.

16. *Frigore.*] Nicander, lib. 2. Georg. apud Athenæum, Theophr. lib. 7. histor. cap. 4. & Martialis, allato paulo ante epigrammate.

17. *Tepore.*] Austrino tempore incrementum omne & succus abit in folia, non in radicem. Theophr. loc. cit.

18. *Palma in Nursino.*] Columella in Hortulo:

Quin & Tardipedi sacris jam rite solutis,
Nube nova seritur, cali pendentibus undis,
Gongylis illustri mittit quam Nursia campo,
Quaque Amiterninis defertur bunias arvis.

19. *In penuria bini.*] Bini sestertii, monetæ nostræ asses sunt quaterni. Mille aureis rapum emisse a Conone rustico Ludovicum XI. Regem Galliarum, ferunt.

20. *In Algido.*] Mons est in agro Tusculano, conjunctus Albano monti ab urbe Roma XV. mill. pass. quem ab algendo dictum Grammatici volunt. Vide Strabonem, lib. 5. pag. 257.

Sect. XXXV. 1. *Napi vero.*] Martialis, lib. 13. Epigr. 20. cujus lemma, *Napi.*

Hos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Nursinæ pilæ rapa sunt in rotunditatem globata, de quibus dictum est proxima sect. Napus Græcis, & Columellæ paulo ante laudato, *Βουνιάς*: nostris, *un Navet.* Pingitur a Dodon. pag. 663. Ut olim porro Nursinis, sic modo Sabaudis rapis Lemovicisque palma tribuitur.

2. *In jugero sextarii,* &c.] Columella, lib. 2. cap. 10. pag. 61.

3. *Quinto sulco.*] Terram ante quinquies arandam, quam napus seratur. Vide infra, sect. 49. num. 3. *Quarto seri sulco,* &c.

4. *Neptuni atque Vulcani.*] In Calendario rustico, apud Gruter p. 139. Augusto mensi Neptunalia: Vulcanalia Septembri dicantur. Et pag. 133. Vulcanalia decimo Calend. Septemb. Neptunalia decimo Calend. Aug.

Sect. XXXVI. 1. *Lupino.*] Nostri, *Lupin*, Græci *θέρμος ἥμερος* vocant.

2. *Usus proximus.*] Post rapa, quæ cunctis pariter animalibus nasci diximus sect. 34. *Boves enim lupinum*, inquit Colum. lib. 2. cap. 10. pag. 56. *per hiemem collum maceratumque probe alit: Famem quoque, si sterilitas annonæ incessit hominibus, commode propulsat.* Qui *promiscuus* hoc loco quam *proximus* legi malunt, & a MSS. fide, & a Plinii mente desciscunt.

3. *Remedium ejus.*] Lupinum, inquit Theophrast. lib. 8. histor. cap. 10. non prius metunt, quam imber incesserit; quoniam alioqui inter metendum e vaginulis exsiliret, atque ita periret semen. Sic etiam auctor Geopon. lib. 2. cap. 37. pag. 72. Post dies ferventes, aere madefacto, mane demeti oportere scribit Theophr. lib. 4. de causis, cap. 14. pag. 318.

4. *Assensu terræ.*] MSS. *adsensu terra que.*

5. *Primum omnium.*] Hæc totidem verbis Geopon. auctor, ex Apuleio, loc. cit.

6. *Ter præterea.*] Geopon. loc. cit.

7. *Terraque operiri.*] Theophr. lib. 8. hist. cap. XI. *Καὶ τὸ ὅλον δὲ οὐκ ἐθέλει θέρμος κρύπτεσθαι τῇ γῇ· διὸ καὶ οὐχ ὑποσπείρουσι μαρμ...* Vide & ejusdem scriptoris librum 3. histor. cap. 12.

8. *Non arato.*] Subintellige, solo. Sic etiam Geopon. auctor, loc. cit. Colum. lib. 2. cap. 10. *Crudis novalibus licet ingeras: & qualitercumque obruas, sustinet coloni negligentiam.*

9. *Quærit.*] Hoc iterum inculcat sect. 46. ut & Theophr. lib. 8. histor. cap. XI.

10. *Coli.*] Theophr. & Geopon. auctor, locis citatis.

[11] Tellurem adeo amat, ut quamvis frutectoso solo conjectum inter folia vepresque, ad terram tamen radice perveniat. Pinguescere hoc satu arva [12] vineasque diximus. [13] Itaque adeo non eget fimo, ut optimi vicem repræsentet. Nihilque aliud nullo impendio constat, ut quod ne serendi quidem gratia opus sit afferre. Protinus seritur [14] ex arvo: ac ne spar-
5 gi quidem postulat decidens sponte. [15] Primumque omnium seritur, novissimum tollitur: utrumque [16] Septembri fere mense: quia si non antecessit hiemem, frigoribus obnoxium est. Impune præterea jacet, vel derelictum etiam, si non protinus secuti obruant imbres, ab omnibus animalibus [17] amaritudine sua tutum. Plerumque tamen levi sulco integunt. [18] Ex densiore terra rubricam maxime amat. Ad hanc alendam post tertium florem verti debet, in
10 sabulo post secundum. Cretosa tantum, limosaque odit, & in iis non provenit. [19] Maceratum calida aqua homini quoque in cibo est. [20] Nam bovem unum modii singuli satiant, validumque præstant: quando etiam impositum [21] puerorum ventribus, pro remedio est. [22] Condi in fumo maxime convenit, quoniam in humido vermiculi umbilicum ejus in sterilitatem castrant. Si depastum sit in fronde, inarari protinus solum
15 opus est.

CAPUT XV. XXXVII. [1] Et vicia pinguescunt arva, nec ipsa agricolis operosa: [2] uno sulco sata non sarritur, non stercoratur, nec aliud quam [3] deoccatur. [4] Sationis ejus tria tempora: Circa occasum [5] Arcturi, [6] ut Decembri mense pascat: [7] tunc optime seritur in semen. Æque namque fert depasta. Secunda satio mense Januario est: novissima Martio: tum ad
20 frondem utilissima. [8] Siccitatem ex omnibus, quæ seruntur, maxime amat: non aspernatur etiam umbrosa. Ex semine ejus, si lecta matura est, palea ceteris præfertur. Viribus præripit succum: languescuntque, [9] si in arbusto feratur.

XXXVIII. [1] Nec ervi operosa cura est. Hoc amplius, quam vicia, [2] runcatur: & ipsum [3] medicaminis vim obtinens. Quippe per ervum Divum Augustum curatum,
25 epistolis ipsius memoria exstat. [4] Sufficiunt singulis boum jugis modii quini sati. [5] Martio mense satum, noxium esse bubus aiunt, item autumno gravedinosum: innoxium autem fieri primo vere satum.

XXXIX. [1] Et silicia, hoc est, fenum Græcum, [2] scatificatione seritur: non altiore

NOTÆ.

11. *Tellurem.*] Theophr. loc. cit.

12. *Vineasque diximus.*] Libro 17. sect. 6. & 7. Colum. lib. 2. cap. 10. de lupino: *Maxime ex iis quæ seruntur, juvat agrum. Nam vineis jam emaciatis, & arvis, optimum stercus præbet,* &c.

13. *Itaque adeo.*] Auctor Geopon. loc. cit.

14. *Ex arvo.* Unde metitur. Ita MSS. omnes, librique editi: non *ex area*, uti reponere nititur Pintianus, contra scriptoris sententiam; etsi emendationi suffragari Columella videtur, lib. 2. cap. 10. pag. 56. *Spargitur*, inquit, *statim ex area. Atque id solum omnium leguminum non desiderat requiem in horreo, sive Septembri mense,* &c.

15. *Primumque omnium.*] Theophr. lib. 8. cap. 1.

16. *Septembri.*] Columella, loc. cit. *Sive Septembri mense ante æquinoctium, seu protinus a Calendis Octobris crudis novalibus ingeras qualitercumque obruas, sustinet coloni negligentiam: Teporem tamen autumni desiderat, ut celeriter confirmetur. Nam si non ante hiemem cotaluerit, frigoribus affligitur.* Adde Geopon. loc. cit.

17. *Amaritudine sua.*]. Theophr. lib. 8. histor. cap. 7. Auctor Geopon. loc. cit.

18 *Ex densiore.*] Colum. lib. 2. cap. 10. pag. 57. *Lupinum exilem amat terram, & rubricam præcipue: nam cretam reformidat, limosoque non exit agro.*

19. *Maceratum.*] Galenus, lib. 6. de facult. simpl. medic. pag. 177. [illegible] *Lupinum edi potest coctum, multis ante diebus per macerationem amarore in aqua deposito.* Auctor Geopon. loc. cit. farina hordei, aut frumenti admixta, panificio aptum esse prodidit. Multum alere id cibi genus, Diphilus Siphnius medicus, apud Athen lib. 2. pag. 55.

20. *Nam bovem unum.*] Annuo bovis cibario modios lupini sexaginta Cato requirit, cap. 60. pag. 44.

21. *Puerorum ventribus.*] Marcellus Empir. cap. 28. pag. 199 *Farina lupinorum decocta ex aqua, & more cataplasmatis ventri imposita lumbricos vel lineas necat.* Sic etiam auctor Geopon. loc. cit. [illegible] Galenus autem, non impositum modo, sed etiam ex melle potum, ei morbo mederi scribit, loc. cit. [illegible] &c.

22. *Condi in fumo.*] Colum. lib. 2. cap. 10. pag. 56. *Reliquum, quod seminis superest, in tabulatum, quo fumus pervenit, optime reponis: quoniam si humor invasit, vermes gignit, qui simul atque ocellis lupinorum ederunt, reliqua pars nasci non potest.* Palladius quoque, lib. 7. in Junio, tit 3. pag. 123 Rodunt igitur vermes umbilicum (*le germe*) & sterilem reddunt.

Sect. XXXVII. 1. *Et vicia*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 31. *Vicia dicta a vinciendo, quod item capreolos habet, ut vitis: quibuscumque sursum versum serpit, ad scapum lupini, aliumve quem, ut hæreat, id solet vincire.* Vide plura apud Voss. in Etymol. Gallis, *de la Vesse*. Pingitur a Dodon. pag. 521. Arva ea pinguescere jam diximus lib 17. sect. 7.

2. *Uno sulco.*] Terra semel tantum proscissa.

3. *Deoccatur.*] Glebæ confringuntur, & comminuuntur. Varro, loc. cit. *Occare, id est, comminuere, ne sit gleba: quod ita occidunt, occare dicunt.* Rusa nostra vulgo, *Herser*.

4. *Sationis.*] Duo priora serendi tempora agnoscit etiam Columella, lib. 2. cap. XI. pag. 63. alterum, circa æquinoctium autumnale: Januario mense alterum, vel serius etiam.

5 *Arcturi.*] De quo sect. 74.

6 *Ut Decembri .... pascat*] Ut eo mense, viciam teneram depascat in herba molle pecus, uti cecinit Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 112.

7. *Tunc optime.*] Circa Arcturi occasum.

8. *Siccitatem.*] Colum. lib. 2 de re rust. cap. XI. pag. 63. *Id genus præcipue non amat rores, cum seritur: itaque post secundam diei horam, vel tertiam, spargendum est, cum jam omnis humor Sole ventove detersus est: neque amplius projici debet, quam quod eodem die possit operiri: nam si nox incessit, quantulocumque humore, prius quam obruatur, corrumpetur.*

9 *Si in arbusto.*] Si in loco serantur, ubi vites sunt arboribus applicitæ.

Sect. XXXVIII. 1 *Nec ervi.*] Ervum Græcis [illegible], Gallis *Ers*. a Dodonæo ciceris sativi nomine describitur, pag. 514. a Dalecampio, lib. 4. histor. plant. cap. 47. pag 468.

2. *Runcatur.*] Runcare segetes, est herbas e segetibus expurgare, quod Græci [illegible] & [illegible] vocant: runcationem ipsam [illegible], ipso teste Plinio, sect. 47. *Nettoyer les blés, en arracher les mechantes herbes.*

3 *Medicaminis.*] Vide lib. 22 sect 73.

4. *Sufficiunt.*] Colum lib. 2. de re rust. cap. XI. pag 64.

5 *Martio mense.*] Colum. loc cit. *Mensem Martium universum negant agricolæ huic legumini convenire quod eo tempore satum pecori sit noxium, & præcipue bubus, quos pabulo suo cerebrosos reddat* Palladius lib 3 in Febr. tit. 7 *Martio ervum serendum non est, ne pastu suo pecoribus noceat, & boves reddat insanos.* Theophr. lib 2. histor cap 5. primo vere satum ait esse innoxium autumno, gravedinosum.

Sect. XXXIX. 1. *Et silicia.*] In Indice, *silicia*. Columellæ lib 2. cap. XI. *siliqua*. Plinio ipsi lib. 24 sect. 110. ex MSS. omnibus, *silica* Gallis, *Senegre*, ou *Fenugrec*. Pingitur a Dodonæo, pag. 526.

2. *Scarificatione*] Hoc est, proscissa leviter tellure, nec

quatuor digitorum sulcō: quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius. Rarum dictu, esse aliquid, cui prosit negligentia. Id autem quod [1] secale, ac farrago appellatur, occari tantum desiderat.

XL. [1] Secale Taurini sub Alpibus asiam vocant, deterrimum, & tantum ad arcendam famem: fecunda, sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere præcipuum. [2] Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem ejus: & tamen sic quoque ingratissimum ventri est. Nascitur qualicumque solo cum centesimo grano: ipsumque [a] [3] pro lætamine est.

XLI. [1] Farrago ex [b] recrementis farris prædensa seritur, admixta aliquando & vicia. Eadem in Africa fit ex hordeo. Omnia hæc [c] pabularia: degeneransque ex leguminibus quæ vocatur [2] cracca: in tantum columbis grata, ut pastas ea negent fugitivas illius loci fieri.

XLII. Apud antiquos erat pabuli genus, [1] quod Cato ocymum vocat, [2] quo sistebant alvum bubus. Id erat e pabulis, segete viridi desecta, [3] antequam gelaret. Sura Mamilius id aliter interpretatur, & tradit fabæ [4] modios decem, viciæ duos, tantumdem erviliæ in jugero autumno misceri & seri solitum. Melius & [5] avena Græca, cui non cadit semen, admixta. Hoc vocitatum ocymum, boumque causa seri solitum. [6] Varro appellatum a celeritate proveniendi, e Græco quod ὠκέως dicunt.

XLIII. [1] Medica externa etiam Græciæ est, ut a Medis advecta per bella Persarum, [2] quæ Darius intulit: sed vel in primis dicenda, [3] tanta dos ejus est: cum ex uno satu amplius quam tricenis annis duret. [4] Similis est trifolio: caule, foliisque geniculata: [5] quidquid in caule assurgit, folia contrahuntur. Unum de ea & cytiso volumen Amphilochus fecit confusum. [6] Solum, in quo seratur, elapidatum purgatumque subigitur [7] autumno: mox aratum, & occatum integitur crate iterum ac tertium, quinis diebus interpositis, & fimo addito. Poscit autem siccum succosumque, vel riguum. Ita præparato seritur [8] mense Maio: alias pruinis obnoxia. Opus est densitate seminis omnia occupari, internascentesque herbas excludi. Id præstant in jugera modia vicena. [9] Movendum ne aduratur, terraque protinus integi debet. Si sit humidum solum herbosumve, vincitur, & desciscit in pratum. Ideo protinus altitudine unciali herbis omnibus liberanda est, manu potius, quam sarculo. Secatur incipiens florere, & quoties refloruit. [10] Id sexies evenit per annos; cum minimum, quater. In semen maturescere prohibenda est, quia pabulum utilius est usque ad trimatum. [11] Verno seri debet, liberarique ceteris herbis: ad trimatum, [12] marris ad solum radi. Ita reliquæ herbæ

INTERPRETATIO.

a *Pro lætamine.*] Fimi loco est.
b *Recrementis.*] Purgamentis.
c *Pabularia.*] Pabulo animalium nata.

NOTÆ.

alte arata. Columella, loc. cit. de feno Græco: *Datur opera, ut spisse terra aretur, nec tamen alte: nam si plus quatuor digitis adobrutum est, semen ejus non facile prodit: propter quod nonnulli prius quam serant, minimis aratris proscindunt, atque ita jaciunt semina, & sarculis adobruunt.*

3. *Secale ac farrago.*] Res sunt duæ diversissimæ, quod Plinius evidenter ostendit, utriusque historiam seorsim persecutus: & de utroque diversissima prodens.

Sect. XL. 1. *Secale.*] Apud Gallos veteris nomenclaturæ vestigia retinet: *le Ségle*: ut recte Dodonæus, a quo pingitur, pag. 490. & Joan. Ruellius, aliique.

2. *Admiscetur.*] In panificio.

3. *Pro lætamine.*] Lætamen pro fimo dicitur, quod agros lætos, hoc est, pingues & uberes facit. Usus est ea voce Palladius, in Februar. tit. 20 aliique.

Sect. XLI. 1. *Farrago.*] De ea diximus, sect. 10 num. 1. Ex hordeo quoque cantherino, sive hexastico, fieri Columella admonet, lib. 2. cap. XI.

2. *Cracca.*] Sic MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice. Viciæ id genus adulterinum videtur.

Sect. XLII. 1. *Quod Cato.*] Cap. 54 & 60. atque alibi passim. De ocymo egimus lib. 17. sect. 35.

2. *Quo sistebant.*] Ita libri omnes: at Varro, lib. 1. de re rust. cap. 31. *quo cibabant.* Varronis verba retulimus lib. 17. sect. 35. Forte *cibabant* hic agnoscendum. Aut, quod aliis quoque accidit, alia vis est ei, si parcius: alia, si sumatur largius.

3. *Antequam gelaret.*] Ita MSS. at ex Varrone sincerius, *antequam siliquaret*, vel *generet siliquas.* Itaque ocymum ex fabali caule, ervo, vicia, ceterisque ejusmodi parabatur, quæ siliquas habent.

4. *Modios decem.*] Modius, sive modium, ea mensura est quam Parisienses vocant, *un boisseau.*

5. *Avena Græca.*] Quæ Græcis βρόμος, ut diximus sect. 20. *L'Avoine.*

6. *Varro.*] Loco proxime citato.

Sect. XLIII. 1. *Medica.*] Nunc trifolium magnum vocant, fenumque Burgundicum, *Grand trefle, ou foin de Bourgogne, ou Luzerne*: vulgatiore vero nomenclatura, *Sain foin.* A Clusio pingitur, lib. 6 rarior. plant. pag. CCXLII. vocaturque Medica Legitima. A Lobelio quoque, in Observ. stirpium, pag. 498. feni Burgundiaci nomine.

2. *Quæ Darius.*] Darius Hystaspæ F. vel Xerxes, si credimus Isidoro, lib. 17. Orig. cap. 4. *Medica dicta, quia a Medis translata est in Græciam tempore quo eam Xerxes rex Persarum invasit.*

3. *Tanta dos.*] Vide Colum. lib. 2. cap. XI. pag. 62. ex quo Isidorus accepit, loc. cit. & Pallad. in April. tit. 1. Non hi *tricenis*, sed *denis* habent.

4. *Similis est.*] Diosc. lib. 2. cap. 177.

5. *Quidquid in caule.*] Caule crescente fiunt angustiora folia, [illegible], &c. Diosc. loc. cit.

6. *Solum in quo.*] Iisdem fere verbis Colum. loc. cit.

7. *Autumno.*] Circa Calendas Octobris, Colum.

8. *Mense Maio.*] Mense ultimo April. Colum. & Pallad. lib. 5. in April. tit. 1.

9. *Movendum.*] Semen scilicet, terræ commissum. Ita MSS. non *cavendum*, ut editi. Colum. loc. cit. *Ligneis rastris: id enim multum confert, statim jacta semina obruuntur, nam celerrime Sole aduruntur.*

10. *Id sexies.*] Colum. & Pallad. loc. cit.

11. *Verno seri.*] Ita etiam MSS. sed *sarriri* malim.

12. *Marris.*] De marra dixi lib. sup. sect. 35. Colum. loc. cit. *Atque, ut dixi, ligneis rastris sarriendus, & identidem runcandus est, ne alterius generis herba invalidam medicam perimat.*

intereunt sine ipsius damno, propter altitudinem radicum. Si vicerint herbæ, remedium unicum est aratio, sæpius vertendo, donec omnes aliæ radices intereant. [13] Dari non ad satietatem debet, ne deplere sanguinem necesse sit. Et viridis utilior est. [14] Arescit surculose, ac postremo in pulverem inutilem extenuatur. [15] De cytiso, cui & ipsi principatus datur in pabulis, affatim diximus inter frutices. Et nunc frugum omnium natura peragenda est: cuius in parte de morbis quoque dicatur.

CAP. XVII. XLIV. 1. Primum omnium frumenti vitium [1] avena est: & hordeum in eam degenerat: sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cum Germaniæ populi serant eam, neque alia pulte vivant. Soli maxime cælique humore hoc evenit vitium. [a] Sequentem causam habet imbecillitas seminis, si diutius retentum est terra, prius quam erumpat. Eadem est ratio, [2] si cariosum fuit cum sereretur. Prima autem statim eruptione agnoscitur, ex quo apparet in radice esse causam. [3] Est & aliud ex vicino avenæ vitium, cum amplitudine inchoata granum, sed nondum matura, prius quam roboretur corpus, afflatu noxio cassum & inane in spica evanescit [4] quodam abortivo.

2 [5] Venti autem tribus temporibus nocent frumento & hordeo: in flore, aut protinus cum defloruere, [6] vel maturescere incipientibus. Tum [7] enim exinaniunt grana: [8] prioribus causis nasci prohibent. [9] Nocet & Sol creber e nube. [10] Nascuntur & vermiculi in radice, cum sementem imbribus secutis, inclusit repentinus calor humorem. Gignuntur & in grano, [11] cum spicæ pluviis calor infervescit. [12] Est & cantharis dictus scarabæus parvus, frumenta erodens. [13] Omnia ea animalia cum cibo deficiunt. Oleum, pix, adeps, contraria seminibus, cavendumque ne contacta eis serantur. [14] Imber in herba utilis tantum: florentibus autem frumento & hordeo nocet, leguminibus innocuus, præterquam ciceri. [15] Maturescentia frumenta imbre læduntur, & hordeum magis. Nascitur & herba alba, panico similis, occupans arva, pecori quoque mortifera. [16] Nam lolium, & tribulos, & carduos, lappasque, non magis quam rubos, inter frugum morbos potius, quam inter ipsius terræ pestes numeraverim. Cæleste frugum vinearumque malum, nullo minus noxium est [17] rubigo. [18] Frequentissima hæc in roscido tractu, convallibusque, ac perflatum non habentibus: [19] e diverso carent ea ventosa & excelsa. Inter vitia segetum & [20] luxuria est, cum oneratæ fertilitate procumbunt. Commune autem omnium satorum vitium [21] urica, [22] etiam ciceris, cum salsilaginem ejus abluendo imber dulcius id facit.

INTERPRETATIO.

a *Sequentem.*] Secunda causa *cur in avenam semen degeneret*, oritur ex imbecillitate seminis.

NOTÆ.

13. *Dari non ad.*] Colum. loc. cit. p. 63 *Teneram jumentis prebeas, sed inter initia parcius, dum consuescant, ne novitas pabuli noceat: inflat enim, & multum creat sanguinem.* Sic etiam Pallad. loc. cit.

14. *Arescit surculose.*] Utilior est, inquit, dum virescit: nam cum cœpit arescere, lignosa tota est.

15. *De cytiso*] Libro 13. sect. 47.

Sect. XLIV. 1. *Avena est.*] Hæc ipsa sativa, ex qua pultem hodieque conficiunt rustici. Græcis βρόμος, ut diximus sect. 50. *L'Avoine.* Aliunde certe hæc Plinius hausit, quam a Theophrasto: nam quæ ille de ægilope retulit, lib. 8. hist. cap. 8. quæ spectari nunc a Plinio nonnulli putant, eadem, sed aliunde accepta, recitat, ægilopem appellans: quam festucam verius appellari Latine ipse monet.

2. *Si cariosum.*] Si vetustum, aut exesum fuit.

3. *Est & aliud*] Avena hæc silvestris est, quæ sativæ similis, asperiores tantum, longioresque aristas habet, & in folliculis fere vacuis semen evanidum. De hac Virgilius cecinit,

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Steriles, inquit Servius, *ad discretionem earum quæ seruntur.* Avenam hanc inter frumenti vitia Naso quoque enumerat, lib. 1. Fastor. vers. 691.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec sterilis culto surgat avena solo.

4. *Quodam abortivo.*] Ita MSS omnes; hoc est, quodam abortivo partu, quodam abortu.

5. *Venti autem.*] Hæc Theophr lib. 8. hist. cap 10.

6 *Vel maturescere.*] Ἐν τῷ ἁδρύνεσθαι, cum crassescunt, inquit Theophr.

7 *Exinaniunt.*] Exsiccat & arefacit grana vis venti vehementior, quæ tunc ingruit, cum maturescere ea cœperunt· ξηραίνει καὶ ἀφαυαίνει. Theophr.

8. *Prioribus causis.*] Cum vel in flore, vel protinus ubi defloruerint, venti vehementiores incidunt.

9 *Nocet & Sol.*] Theophr. loc cit. Ἀπόλλυσι δὲ καὶ ἥλιος ὁ διανεφέλας λάμπων, hordeum scilicet, triticumque.

10. *Nascuntur.*] Altera ratione, inquit, vermis ingignitur, cum humor imbrium effundi nequit conclusus siccitate aeris circumfusi. Tunc enim calor confecta putredine animal contrahit. Theophr. lib. 3. de causis, cap. 27. pag. 293.

11. *Cum pluviis.*] Cum calore imbres secuto spica fervescit.

12. *Est & cantharis.*] Hoc tantum Theophr. lib. 8. hist. cap. 10 Ἐπιγίνεται δὲ ἡ μὲν κανθαρὶς ἐν τοῖς πυροῖς. At sane simile veri est, erodendo plus, quam insidendo animal id officere frugibus. Est autem id non muscarum generis, quas vulgo cantharidas dicimus: sed scarabæorum, de quibus lib. XI. sect. 34.

13. *Omnia .... cum cibo.*] Cibo consumpto ac deficiente intereunt.

14. *Imber in herba.*] Hæc totidem verbis Theophr. lib. 8. histor cap 6.

15. *Maturescentia.*] Theophr. loc. cit.

16. *Nam lolium.*] Habuit hoc Virgilii carmen ante oculos, e lib. 1. Georg. vers. 150.

Mox & frumentis labor additus: ut mala culmos
Esset rubigo, segnisque horreret in arvis
Carduus: intereunt segetes: subit aspera silva,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ

17 *Rubigo.*] Vitii genus, quo culmi nigrescunt: *Nielle*: E rore nascitur, cum Solis superventu excalefactus putrescit.

18 *Frequentissima.*] Tradidit hæc & Theophr. lib. 8. hist. cap 10.

19. *E diverso.*] Theophr. loc. cit.

20 *Luxuria est*] Non foliorum modo, quod Theophr. lib. 8 hist. cap. 7. φυλλομανεῖν vocat: sed & spicarum, cum gravidis procumbit culmen aristis, ut Virgilius canit lib. 1. Georg. vers. 111.

21. *Urica.*] Ita veteres appellavere, quam nos erucam dicimus, Græci κάμπην, nostri *Chenille*, ut ante monuimus lib XI sect 37.

22. *Etiam ciceris.*] Vide quæ diximus sect. 32

3. [12] Est

3. [23] Est herba, quæ cicer enecat & ervum, circumligando se: vocatur [24] orobanche: [25] Triticum simili modo æra: [26] Hordeum festuca, quæ vocatur ægilops: [27] Lentem herba securidaca, quam Græci [28] a similitudine pelecinon vocant. Et hæ quidem [29] complexu necant. [30] Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, qua in macro, cum udam quidam ventus afflavit. [31] Æræ granum minimum est in cortice aculeato. [32] Cum est in pane, celerrime vertigines facit: aiuntque in Asia & Græcia balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus id semen injicere. [33] Nascitur & phalangion in ervo, bestiola aranei generis, si hiems aquosa sit. Limaces nascuntur in vicia: & aliquando e terra cochleæ minutæ, mirum in modum erodentes eam. Et morbi quidem fere hi sunt.

XLV. Remedia eorum, quæcumque pertinent ad herbas, [1] in sarculo: [2] & cum semen jactatur, cinere. Quæ vero in semine & circa radicem consistunt, [3] præcedente cura caventur. [4] Vino ante semina perfusa minus ægrotare existimant. [5] Virgilius nitro & amurca perfundi jubet fabam: sic etiam grandescere promittit. [6] Quidam vero, si triduo ante satum urina & aqua macerentur, præcipue adolescere putant. Ter quidem sarritam [7] modium fractæ e modio solidæ reddere. [8] Reliqua semina cupressi foliis tusis si misceantur, non esse vermiculis obnoxia: [9] nec si interlunio serantur. Multi [10] ad milii remedia, rubetam noctu arvo circumferri jubent, prius quam sarriatur, defodique in medio inclusam vase fictili: ita nec passerem, nec vermes nocere: sed eruendam prius quam metatur, alioqui amarum fieri. Quin & armo talpæ contacta semina uberiora esse. [11] Democritus succo herbæ, quæ appellatur aizoon, in tegulis nascens rabulisve, Latine vero sedum, aut digitellum, medicata seri jubet omnia. Vulgo vero, [12] si dulcedo nocerat, & vermes radicibus inhæreant, [13] remedium est, amurca pura, ac sine sale spargere, deinde sarrire: [14] si in articulum seges ire cœperit, runcare, ne herbæ vincant. Pestem a milio atque panico, sturnorum passerumve agmina, scio abigi herba, cujus nomen ignotum

NOTÆ.

23. *Est herba.*] Sic Theophr. lib. 8. histor. cap. 8. & Geopon. auctor, lib. 2. cap 41 pag 75. Ἡ ὀροβάγχη φθείρει τὰς κυάμους, καὶ τὰς ἐρέβινθος περιπλεκομένη.

24. *Orobanche.*] Quod ὄροβον ἄγχει, ervum necat, ὀροβάγχη dicta. Sed alia est Dioscoridis ὀροβάγχη, quæ a Dodonæo pingitur, 543. ut recte admonuit Anguillara, par 5. pag. 89. & post eum Dodonæus, loc. cit. Hanc quæ ervi pestis est, Dodonæus idem delineavit, sub Aphacæ nomine, pag 535. Nam & ἀφάκη Dioscoridis est, non Theophrasti. Est autem hæc, ut arbitror, quæ Festo *Scandala* dicitur, *genus herbæ frugibus inimica, quod eas velut edera implicando necat.*

25. *Triticum .... æra.*] Hoc est, lolium, quæ Græcis αἶρα. Utralibet voce Plinius promiscue utitur, Geopon. auctor, loc. cit. Τὸ ζιζάνιον τὸ λεγόμενον αἶρα, φθείρει τὸν σῖτον. Gallis, *de l'yuraye.* Iconem vide apud Dodon pag 529.

26. *Hordeum ... ægilops.*] Theophr. lib. 8 hist. cap. 8. Καὶ ὁ αἰγίλωψ δὲ ὁμοίως φθείρει ἐν ταῖς κριθαῖς. Geopon. auctor, loc. cit. Τὰς δὲ κριθὰς βλάπτει αἰγίλωψ. In eam rem multa egregie Galenus, lib. 1. de alim. fac. cap. 37. pag. 333. tom. 6. A Dodonæo pingitur festucæ prioris nomine, 530. Rustici in Gallia *Coquiole* vulgo vocant. Avenam ipsa refert, unde & ei aliquando apud Latinos id nomen: Glossæ Philoxeni: Αἰγίλωψ, *avena.* Et in Nothis Diosc. pag 471: Αἰγίλωψ, οἱ δὲ βρόμος, Ῥωμαῖοι ἀβένα.

27. *Lentem herba.*] Auctor Geopon. loc. cit. Φακὸν, (lege ex Plinio φακὸν) βλάπτει ἡ πέλεκινος καλουμένη βοτάνη. Gallis, *Grate, ou Feve de loup.* In MSS. *Securiclata.*

28. *A similitudine.*] Quoniam ejus siliquæ sunt instar securicularum, quas Græci πελέκεις vocant. Dioscor. lib. 3. cap. 146.

29. *Complexu necant.*] Non quidem quod circumligent se, ut orobanche: sed quod densitate sua fruges complectantur, & obruant.

30. *Circa Philippos.*] Vide Notas & Emend. num XIII.

31. *Æra granum.*] Lolii, ut modo diximus.

32. *Cum est in pane.*] Auctor Geopon. lib 2. cap. 41. pag. 75. de æra seu lolio: ἄρτοις δὲ μιγνυμένη, σκότος τοῖς ἐσθίουσι, *panibus admixtum obducit tenebras vescentium oculis.*

33. *Nascitur & phalangion.*] Theophr. lib. 8 hist. cap. 10. Ælianus quoque lib. 9. hist. anim. cap. 39. ὀρόβῳ γίνεται φαλάγγια ἄγρια. De phalangio, lib. XI. sect. 28.

Sect. XLV. 1. *In sarculo.*] Instrumentum rusticum quo purgantur & sarriuntur segetes. *Un sarcloir, un instrument à sarcler.*

2. *Et cum semen.*] Et quando simul cum semine cineres jactantur. Ad illud Virgilianum alludit, lib. 1. Georgic. vers. 81.

Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effetos cinerem immundum jactare per agros.

3. *Præcedente cura.*] Adhibita cura ante sationem.

4. *Vino ante.*] Apuleius in Geopon. lib. 2. cap. 16. pag. 54. Τὰ οἴνῳ ἐμβρεχθέντα σπέρματα, ἔλαττον νοσεῖ, &c.

5. *Virgilius.*] Libro 1. Georg vers. 93.

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset.

Fabarum nempe siliquis. Colum. lib. 2. cap. 10 *Prisci rusticis, nec minus Virgilio prius amurca vel nitro macerari fabam, & ita seri placuit: Nos quoque sic medicatam comperimus, cum ad maturitatem perducta sit, minus a curculione infestari* Et Pallad. lib. 12. in Novemb tit. 1. pag. 161. *Græci asserunt fabæ semina .... nitrata aqua respersa, cocturam non habere difficilem.*

6. *Quidam vero.*] Auctor Geopon. lib. 2. cap 16 pag. 15.

7. *Modium fractæ.*] E modio fabæ integræ cum tenui cuticula qua involvitur, modium fractæ seu molitæ, sine furfuribus rediturum. Colum lib. 2 cap 12 *Aliquie fabam sarriendam censeo, ut existimant debere ter sarriri. Nam sic cultam comperimus non solum multiplicare fructum, sed exiguam portionem in valvulis habere: fresaque ejus & expurgatæ modium pæne tam plenum esse, quam integræ, cum vix minuatur mensura detractis putaminibus.*

8. *Reliqua semina*] Auctor Geopon totidem verbis, loc. cit. pag 53. Εἰ δὲ φύλλα κυπαρίσσου τρίψας, ἀναμίξεις τοῖς σπέρμασιν, ἄβρωτα ταῦτα φυλαχθήσεται. Simile quiddam refert Columella, lib 2. cap 9.

9. *Nec interlunio.*] Geopon. auctor, loc. cit. nec si Luna semiplena. ἄβρωτα δὲ μένει καὶ τὰ διχομηνίας σπειρόμενα. Interlunium de coitu silentis Lunæ accipiendum.

10. *Ad milii rem dia.*] Ne vermiculi aut passeres milio noceant. Habet hæc totidem fere verbis auctor Geopon. loc. cit. pag. 55. Sed uti circumferendam ait arvo rubetam, prius quam arvum fodiatur, sic & eruendam monet, prius quam feratur, ne fructus amarescat. MSS omnes *ad multa*, unde quidam *ad similia* auguraotur, male.

11. *Democritus, &c.*] Tradit hoc rursum lib. 19. pag. 58. De aizoo dicemus lib. 25. sect. 102. Columella, lib XI. cap 3. pag 904. *Veteres quidam auctores, ut Democritus, præcipiunt semina omnia succo herbæ, quæ sedum appellatur, medicare, eodemque remedio adversus bestiolas uti: quod verum esse nos experientia docuit.* Iterumque, lib. 2. cap 9. pag. 53 *Quædam etiam subterraneæ pestes adultas radicibus subsectis enecant. Id ne fiat, remedio est aquæ mixtus succus herbæ, quam rustici sedum appellant: nam hoc medicamine una nocte semina macerata jaciuntur.* Adde & Geopon. auctorem, lib. 12. cap 7. pag. 329. & lib. 2. cap 16. pag. 53.

12. *Si dulcedo.*] Soli dulcedo, vermes generans.

13. *Remedium est*] Columella, loc. cit. pag. 54

14. *Si in articulum.*] Cum genicula seu nodos culmi ostendunt. Columella, lib. 2. cap. 12. de sarritione: *Transactio æquinoctio verno statim peragi oportet intra dies viginti, ante quam seges in articulum eat: quoniam serius sarrita corrumpitur*

est, in quatuor angulis segetis defossa: mirum dictu: ut omnino nulla avis intret. Mures abiguntur cinere mustelæ, vel felis diluto, & semine sparso [15] vel decoctarum aqua. Sed redolet virus animalium eorum etiam in pane. [16] Ob id felle bubulo semina attingi utilius putant. [17] Rubigo quidem, maxima segetum pestis, lauri ramis in arvo defixis, transit in ea folia ex arvis. [18] Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba dumtaxat: & depastæ quidem vel sæpius, nullam in spica injuriam sentiunt. [19] Retonsarum etiam semel omnino certum est granum longius fieri, sed inane cassumque, ac satum non nasci. [20] Babylone tamen bis secant, [21] tertio depascunt: alioqui folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fenore messes reddit [22] exilitas soli: verum diligentioribus [23] cum centesimo. Neque est cura difficilis: quam diutissime [24] aquari gaudet, ut præpinguis & densa ubertas diluatur. [25] Limum autem non invehunt Euphrates Tigrisque, sicut in Ægypto Nilus. [26] Nec terra ipsa herbas gignit. [27] Ubertatis tamen tantæ sunt, ut sequente anno sponte [28] restibilis fiat seges, [29] impressis vestigio seminibus: quæ tanta soli differentia admonet terræ genera in fruges describere.

XLVI. [1] Igitur Catonis hæc sententia est: In agro crasso & læto frumentum seri: si vero nebulosus sit idem, raphanum, milium, panicum. [2] In frigido & aquoso prius serendum, postea in calido. [3] In solo autem rubricoso vel pullo, vel arenoso, si non sit aquosum, lupinum. [4] In creta & rubrica, & aquosiore agro adoreum. [5] In sicco & non herboso, nec umbroso, triticum. [6] In solo valido fabam. Viciam vero quam minime in aquoso herbidoque. Siliginem & triticum in loco aperto editoque, qui Sole quam diutissime torreatur. Lentem in frutectoso & rubricoso, qui non sit herbidus. Hordeum in novali, & in arvo, quod [7] restibile possit fieri: trimestre, ubi sementem maturam facere non possis, & cujus crassitudo sit restibilis. [8] Subtilis & illa sententia: Serenda ea in tenuiore terra, quæ [9] non multo indigent succo, ut cytisus: [10] &, cicere excepto, legumina quæ velluntur e terra, non subsecantur. Unde & legumina appellata, quia ita leguntur. [11] In pingui autem, quæ cibi sunt majoris, ut olus, triticum, siligo, linum. Sic ergo tenue solum hordeo dabitur: minus enim alimenti radix poscit: [12] lenior terra, densiorque tritico. [13] In loco humili far adoreum, potius quam triticum, seretur: temperato, & triticum, & hordeum. [14] Colles robustius, sed minus, reddunt triticum. [15] Far & siligo, & cretosum, & uliginosum solum sortiuntur. * [16] Et frugibus ostentum semel (quod equidem invenerim) accidit, [17] P. Ælio, Cn. Cornelio Coss. quo anno superatus est Hannibal: in arboribus enim tum nata produntur frumenta.

* Caput XVIII.

XLVII. Et quoniam de frugum terræque generibus abunde diximus, nunc de aran-

NOTÆ.

picur insequentibus æstivis siccitatibus & caloribus.

15. *Vel decoctarum.*] Mustelæ & felis.

16 *Ob id felle.*] Sic radices arborum felle taurino oblini auctor Geopon. jubet, lib. 10. cap. ult ut nec senescat cito, nec vermes producat. Apuleius ibidem, lib. 13. cap. 5. felle bubulo semina illinit, ne mures attingant.

17. *Rubigo.*] Apuleius in Geopon. lib. 5. cap. 31. pag. 150. [illegible] *Si lauri ramos in arvum projeceris, transit in ipsos rubiginis noxa.*

18. *Luxuria segetum*] Sunt hæc & apud Theophr. lib. 8. hist. cap. 7. descripta ex Virgilio, lib. 1. Georg. v. 111.

Quid qui ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Cum primum sulcos æquant sata?

19. *Retonsarum*] Theophr. loc. cit.

20. *Babylone.*] Theophr loc. cit.

21. *Tertio depascunt.*] Hoc est, in segetes pecus immittunt: [illegible]. Sic enim caulem mittit, alioquin foliis tantum luxuriat, [illegible]. Theophr.

22. *Exilitas soli.*] Ubi maxime exile solum, & leviter cultum.

23 *Cum centesimo.*] Theophr. [illegible]

24 *Aquari gaudet.*] Nempe solum, quod cum per se crassum ac pingue sit, dilui copiosa aqua necesse est. Vide Notas & Emendat. num XIII.

25. *Limum autem.*] Theophr loc. cit.

26. *Nec terra.*] Theophr.

27 *Ubertatis.*] Theophr. loc. cit.

28. *Restibilis.*] Seges restibilis ager appellatur, cujus fecunditas non uno anno exhausta, in sequentem etiam annum perseverat, etiam si segnius aretur.

29. *Impressis vestigio.*] Vel conculcatis, inquit, depressisque seminibus: ut cum exercitum transeunte decussa semina in terram corruunt. Theophr. loc. cit.

Sect. XLVI. 1. *Igitur Catonis.*] Cap 6. pag. 12.

2. *In frigido.*] Vide Notas & Emend. num. XIV

3. *In solo.*] Cato, cap 34. pag. 32.

4. *In creta.*] Cato, loc. cit.

5. *In sicco.*] Cato, loc. cit.

6. *In solo valido.*] Quæ deinceps sequuntur, sunt & apud Catonem, cap. 35 pag. 31. usque ad ea verba, *Subtilis & illa sententia.*

7. *Quod restibile.*] Quod anno etiam sequente ferre fruges possit

8 *Subtilis.*] Varronis sententia, loco mox citando, & auctoris Geopon. lib. 2. cap 10. pag 49.

9 *Non multo .... succo.*] Succum & Plinius & Varro appellant alimentum quod seges ad nutritionem attrahit, ingitque e terra. Τροφὴν appellat Theophr. lib. 3. de causis, cap. 26 pag. 291. [illegible] Plinius etiam mox *cibum* vocat.

10. *Et cicere excepto.*] Hæc leguntur & apud Varronem, ut dicemus in Notis & Emendat. num. XV.

11. *In pingui.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 23.

12. *Lenior terra.*] Magisque tractabilis. Vide Notas & Emend. num XVI.

13 *In loco humili.*] Atque adeo humido: nam in loca depressa aquæ confluunt Colum. lib 2. cap 6. pag. 49. *Triticum autem sicco loco melius coalescit: adoreum minus infestatur humore.* Et Varro lib 1. cap 9. *Itaque periti in loco humidiore far adoreum potius serunt.* Quare videndum an in contextu Pliniano *humido* quoque sincerius fuerit. Nam temperato, quod proxime sequitur, non humile, sed humidum opponitur. MSS tamen omnes, *humile.*

14. *Colles.*] Colum. lib. 2. cap. 9. pag. 52. *Collis enim, quamvis robustius aliquanto, minus tamen tritici reddit.*

15. *Far & siligo.*] Colum. loc cit. *Densa, cretosaque, & uliginosa humus, siliginem & far adoreum non incommode alit.*

16. *Et frugibus ... semel.*] At etiam postea, quo tempore in Numantia res male gestæ, Bononiæ fruges in arboribus natas refert Julius Obseq. cap. 85. pag. 45 Iterumque, cap 90. pag. 49. Et Julius Capitolinus in Antonino Pio, inter ostenta, pag 20. *Hordeum, inquit, in Mœsia in culminibus arborum natum est.*

17. *P. Ælio.*] P. Ælio Pæto, Cn. Cornelio Lentulo Coss. anno Urbis DLIII. quo finitum esse bellum Punicum secundum, auctor est Livius, lib. 30. pag. 367. victo Hannibale a Scipione Africano majore.

di ratione dicemus, ante omnia Ægypti facilitate commemorata. Nilus ibi coloni vice fungens, evagari incipit, [1] ut diximus, solstitio, & nova Luna: ac primo lente, deinde vehementius, quamdiu in Leone Sol est. Mox pigrescit in Virginem transgresso, atque in Libra residet. [2] Si duodecim cubita non excessit, fames certa est. Nec minus, si sedecim exsuperavit. Tanto enim tardius decedit, quanto abundantius crevit, & sementem arcet. Vulgo credebatur, ab ejus decessu serere solitos; mox sues impellere vestigiis semina deprimentes in madido solo: [3] & credo antiquitus factitatum. Nunc quoque non multo [4] graviora opera: sed tamen inarari certum est abjecta prius semina in limo digressi amnis, hoc est, Novembri mense incipiente: postea pauci runcant, quod [5] botanismon vocant. [6] Reliqua pars non nisi cum falce arva visit paulo ante Calendas Aprilis. Peragitur autem messis Maio, stipula numquam cubitali: quippe sabulum subest: [7] granumque limo tantum continetur. Excellentius Thebaïdis regionibus frumentum, quoniam palustris [8] Ægyptus. Similis ratio, sed felicitas major Babyloniæ Seleuciæ, Euphrate atque Tigri restagnantibus, quoniam rigandi modus ibi manu temperatur. [9] Syria quoque tenui sulco arat, cum multifariam in Italia [10] octoni boves ad singulos vomeres anhelent. In omni quidem parte culturæ, sed in hac quidem maxime, valet oraculum illud, [11] Quid quæque regio patiatur.

XLVIII. [1] Vomerum plura genera: [2] Culter vocatur, prædensam, prius quam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. Alterum genus est vulgare, [3] rostrati vectis. Tertium in solo facili, nec toto porrectum [4] dentali, sed exigua cuspide in rostro. [5] Latior hæc quarto generi, & acutior in mucronem fastigata, eodemque gladio scindens solum, & acie laterum radices herbarum secans. Non pridem inventum [6] in Rhætia Galliæ, ut duas adderent alii rotulas, quod genus vocant [7] planarati. Cuspis effigiem palæ habet. Serunt ita non nisi culta terra, & fere nova. Latitudo vomeris cespites versat. Semen protinus injiciunt, [8] cratesque dentatas supertrahunt. Nec sarrienda sunt hoc modo sata. [9] Sed protelis binis ternisque sic arant. [10] Uno boum jugo censeri anno facilis soli quadragena jugera, difficilis tricena, justum est.

Notæ.

Sect. XLVII 1. *Ut diximus.*] Libro 5. sect. 10. Nilus hic caute coloni vice fungi dicitur, non tamen haberi pro Deo dicitur. Itaque cave te fallat nummus ex ære minimo, qui est in Thesauro Regio sic inscriptus, DEO SANCTO SERAPIDI. Caput Serapis, cui modius est impositus.)(. DEO SANCTO NILO. Fluvii decumbentis effigies, quæ urnæ innititur, arundinem dextra tenet, sinistra Cornu copiæ. Infra, ALE. Flavii Claudii Juliani Augusti gratia cusus hic nummus est, non Ægyptiæ certe, sed prorsus perelegantis fabricæ, hoc est, Gallicanæ. Cusus, inquam, ALE. hoc est, *Prima Lugdunensi Edicto*, ad amnem Rhodanum. Sententia prioris inscriptionis hæc est: *Dudum Expertum Orbi, Servator Primæ Narbonensis, Civitatum Tutator Omnium*, SERAPis *Iulianum Dedit Imperatorem.* Ista posterioris: *Dudum Expertum Orbi, Serapis Primæ Narbonensis Civitatum Tutator, Omnibus Negotiatoribus Iulianum Liberatorem Obtulit.* Fluvius hic depictus certe Nilus non est, cum crocodilus hippopotamusque absit: sed Rhodanus est, Ararisve, qui Lugdunensem primam alluunt vel secant. Nihil vatem moramur, qui apud Athenæum, libro 5. pag. 203. cecinit, Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε. Nec *Deus sanctus* quid sit, intellexere falsorum numinum cultores, ac ne sic quidem eorum aliquis verba hæc duo copulavit. Et gravi demum errore ducuntur recentes Grammatici, qui sine teste idoneo scriptore Latino, produnt aut ab *Apis* in genitivo casu *Apidis*, aut a *Serapis*, *Serapidis* posse deduci. *Apis* in eo casu Plinius habet, libro VIII. sect. LXXI Strabonem, similesque Græculos, qui Σαράπιδος scripsere, nec tamen ausi sunt Ἄπιδος sic inflectere, haud magni facimus.

2. *Si duodecim*] Vide quæ diximus loco mox citato libri quinti. De Nili fluentis, cum intra duodecimum tantum cubitum excrevisset, ullam aquæ partem elici ruptis aggeribus, sub ignis pœna, vetuit Arcadius Imp. anno Christi CCCCIX. leg. 1. de Nili aggerib. lib. 9. Cod. Theod. tit. 32 quo anno fames, seu annonæ penuria ingens Constantinopoli fuit, teste Marcellino, in Chron.

3. *Et credo . . . . factitatum.*] Ita sane prodidit Herodotus, lib. 2. Euterpe, pag. 95. num. 14. Diodorus Siculus, lib. 1. Bibl. pag. 52. immitti pecora ait, τὰ βοσκήματα.

4. *Graviora opera.*] Sic MSS quos vidi, editique: Dalec. in suis, *graviore opera*, quod nec displicet.

5. *Botanismon vocant.*] Ut diximus sect. 35.

6. *Reliqua pars.*] Reliqui, inquit, ne runcant quidem segetes: nec arva revisunt post sementem, nisi cum falce, ad messem.

7. *Granumque limo. . . . continetur.*] Alitur, nutritur, sustinetur.

8. *Ægyptus.*] Pars Ægypti inferior, quæ proprie Ægyptus, & nomine alio Delta.

9. *Syria quoque.*] Theophr. lib. 3. de causis, cap. 25. pag. 290 & illud adjicit, τοῖς μικροῖς ἀρότροις οἱ Σύροι χρῶνται. *Idcirco pusillis aratris Syri utuntur.*

10. *Octoni boves.*] Non illi quidem sub jugum unum missi, sed protelo, hoc est, alii post alios juncti.

11 *Quid quæque.*] Ad illud Virgilianum alludit, lib. 1. Georg. vers. 53.

Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.

Hoc multo tractat uberius Columella in præfatione operis.

Sect. XLVIII. 1. *Vomerum.*] Vomer, id ferrum dicitur, quod in aratro liras facit, & utrumque vomit: unde nomen. *Soc de charue.*

2. *Culter.*] Brevioris vomeris genus, quod nostri agricolæ vocant, *Coutre.* In lege Salica, tit. 29. §. 12. cultellus dicitur: *Si quis alienum cultellum furaverit*, &c. Hinc *cultellare agrum* Frontino, de limitib. agror. *est agrum eminentiorem ad planitiem redigere*, & quasi cultello decidere tumores.

3. *Rostrati vectis.*] Seu pali e ferro rostrati.

4. *Dentali.*] Dentale lignum illud est ad quod vomer includitur, inquit Servius, ad illud Virgilii, lib. 1. Georg. vers. 172.

Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.

Usus ea voce Columella, lib. 2. cap. 2. *Censeo*, inquit, *reformidans impensam, quæ scilicet largior est amplioribus armentis, censet exiguis vomeribus & dentalibus terram subigere, quo minoris formæ bubus administrari id possit.*

5. *Latior hæc.*] Cuspis videlicet.

6. *In Rhætia Galliæ.*] In parte Rhætiæ, quæ Galliæ Togatæ adscripta est, ubi Verona, &c.

7. *Planarati.*] Rectius *plaustrarati*, ob rotulas aratro additas, similitudinemque plaustri vel currus. Vide Notas & Emend. num. XVII.

8. *Cratesque.*] Crates pro occa accipitur, *une Herse.* Quid sit occare, diximus sect. 37. Virgilius, lib. 1. Georgic. vers. 94.

Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates, juvat arva,

9. *Sed protelis.*] Ita rescripsimus ex MSS. Reg. Colb. &c. pro *porcellis*. Sic Plinius ipse, lib. 9. sect. 17 protelis boum extrahi pisces vastæ molis dixit: ubi vide quæ sunt a nobis adnotata.

10 *Uno boum.*] Unum boum jugum arandis jugeribus quadragenis, si solum est facile, par est: si difficile, tantum tricenis.

Cap. XIX. XLIX. In arando magnopere servandum est [1] Catonis oraculum: Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundum? Bene arare. Quid tertium? Stercorare. [2] Sulco vario ne ares. Tempestive ares. [3] Tepidioribus locis a bruma proscindi arva oportet: frigidioribus ab æquinoctio verno. Et maturius sicca regione, quam humida. Maturius densa terra, quam soluta, pingui quam macra. Ubi siccæ & graves æstates, terra cretosa aut gracilis, utilius inter solstitium & autumni æquinoctium aratur. Ubi leves æstus, frequentes imbres, pingue herbosumque solum, ibi mediis caloribus. Altum & grave solum etiam hieme moveri placet: tenue valde & aridum, paulo ante sationis tempus.

2. Sunt & hic suæ leges: [4] Lutosam terram ne tangito. Vi omni arato: prius quam aras, [5] proscindito. Hoc utilitatem habet, quod inverso cespite herbarum radices necantur. Quidam utique ab æquinoctio verno proscindi volunt. Quod vere semel aratum est, a temporis argumento [6] vervactum vocatur. Hoc in novali æque necessarium est. [7] Novale est, quod alternis annis seritur. [8] Araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent: sic minime colla contundunt. Si inter arbores vitesque aretur, [9] fiscellis capistrari, ne germinum tenera præcerpant. [10] Securiculam [11] infixivam pendere, qua intercidantur radices. Hoc melius, quam convelli aratro, bovesque luctari. [12] In arando versum peragi, [13] nec strigare in actu spiritus. Justum est proscindi [14] sulco dodrantali jugerum uno die, iterari sesquijugerum, si sit facilitas soli: si minus, [15] proscindi semissem, iterari assem, quando & animalium labori natura leges statuit. [16] Omne arvum rectis sulcis, mox & obliquis subigi debet. [17] In collibus transverso tantum monte aratur, sed modo in superiora, modo in inferiora, [18] rostrante vomere. Tantumque est laboris homini, ut etiam boum vice fungatur. Certe sine hoc animali montanæ gentes [19] sarculis arant. [20] Arator, nisi incurvus, prævaricatur. Inde translatum hoc crimen

NOTÆ.

Sect. XLIX. 1. *Catonis.*] Cap. 61. pag 44. ex vet. cod. Meursii, *Quid est primum? Agrum bene colere. Quid secundum? Arare. Quid tertium? Stercorare.*

2. *Sulco.*] Varro, lib 1. de re rust. cap. 29. *Qua aratrum vomere lacunam fecit, sulcus vocatur* (une raye, un rayon) *Quod est inter duos sulcos, dicitur porca,* (un sillon.) Sulcum varium dicit, qui in terra varia imprimitur, id est, superne tantum & leviter in superficie irrorata, penitus & inferne sicca, quam describit Columella disertissime, lib. 2. cap. 4. *Sed quandocumque arabitur,* inquit, *observabimus ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici variam, cariosamque appellant. Ea est cum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefacit, inferiorem non attingit,* &c. Vide quæ de terra cariosa diximus lib. 17. sect 3 Theophr. lib 3. de causis, cap. 28. pag. 293. id terræ genus ὑπόξηρον vocat, & vehementer improbat Catonis verba sunt loc. cit *Agrum frumentarium cum aras, bene & tempestive ares: sulco vario ne ares.*

3. *Tepidioribus.*] Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 43.

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit:
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

Vide Columellam, lib. 2. cap. 4. *quo anni tempore campi arandi sint.*

4. *Lutosam.*] Pallad. lib. 2 in Januar cap. 3. pag. 38. *Observandum est, ne lutosus ager aretur... Nam terra, quæ lutosa tractatur in primordiis, fertur toto anno non posse tractari* Columellam sequitur, lib. 2. cap. 4 *Quandocumque arabitur, observabimus ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici variam cariosamque appellant... Nam quæ limosa versantur arva, toto anno desinunt posse tractari: nec sunt habilia sementi, aut occationi, aut sationi. At rursus quæ varia subacta sunt, continuo triennio sterilitate afficiuntur.*

5. *Proscindito.*] Varro, lib. 1. cap 29. *Terram cum primum arant, proscindere appellant*

6. *Vervactum.*] Quasi vere actum, hoc est, aratum.

7. *Novale est*] Ager novalis proprie is est, qui numquam antea proscissus, numquam cultus. Sic Plinius ipse alibi vocat agrum novalem, unde vetus silva excisa est: sed usu tamen auctorum jam vox traducta est ad signandum agrum illum qui alternis cessat, alternis seritur. Gaius, lib. 50. Dig. tit. de verb. signif. leg. *Silva: Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit, quam Græci νέανιν vocant.* Lege νέασιν. Glossæ · νέασις, *novalia, novalis terra.* Festus: *Novalis ager, novæ relictus sementi.* Isidorus: *Novalis ager est primum proscissus, sive qui alternis vacat, novandarum sibi virium causa. Novalea enim semel cum fructu erant, & semel vacua.*

8. *Araturos.*] Colum. lib 2. de re rust. cap. 2. pag. 43. *Igitur in opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur: jugumque melius aptum cervicibus insidat. hoc enim genus juncturæ maxime probatum est.*

9. *Fiscellis.*] Sunt veluti sportæ quædam e viminibus funiculisve contextæ, quibus ora boum, equorum, mulorumque cernimus capistrari. Cato, cap. 54. *Boves fiscellas habere oportet, ne herbam sectentur, cum arabunt.* Græcis φιμὸς dicitur.

10. *Securiculam.*] Dolabram vocat Columella, loc. cit. pag 45. *Nec minus dolabra,* inquit, *quam vomere bubulcus utatur, & præfractas stirpes, summasque radices, quibus ager arbusto consitus implicatur, omnes refodiat, ac persequatur.* MSS. omnes, *sericulam,* forte pro *ferriculam,* quam ferrulam minorem in instrumento rustico Palladius vocat, lib. 1. cap. ult.

11. *Infixivam.*] Ita MSS. quidem: sed cum Pinciano malim, *in stiva.*

12. *In arando versum.*] Alii versuram vocant, cum sulco ad finem perducto, iterum eo revertimur, unde arationis principium est susceptum. Columella, lib. 2 cap. 2

13. *Nec strigare.*] Nec requiescere, aut cessare imperfecto sulci versu, qui uno veluti spiritu agendus est. Vide Not. & Emend. Num. XVIII.

14. *Sulco dodrantali*] Sulco novem pollicibus alto, seu pedis unius, ut vocant, tribus quartis. Inter duos porro sulcos terra eminens, id enim monere obiter operæ pretium est, porca vocatur: hoc est, *medius cumulus, qui interdum latius distantes sulcos,* ut ait Columella, lib. 1. cap. 4. *siccam sedem frumentis præbet.*

15. *Proscindi semissem.*] Hoc est, jugeri partem mediam proscindi: iterari totum. As enim pro integra quacumque re accipitur, quam in semisses duas, unciasque duodecim, & partes alias, ita ut assem, antiqui dividebant.

16. *Omne arvum.*] Præceptum illud Virgilianum est, e lib. 1. Georg. vers. 65.

Neque illum
Flava Ceres alto nequicquam spectat Olympo:
Et qui proscisso quæ suscitat æquore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

Adi & Colum. lib. 2. cap. 2 pag 44 *Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, & alternis recto plenoque sulcare: sed ita ut nusquam crudum solum & immotum relinquat, quod agricolæ scamnum vocant.*

17. *In collibus.*] Aliquanto planius Columella idem, lib. 2 cap 4. pag. 48. *Sed in arando maxime est observandum, semper ut transversus mons sulcetur. Nam hac ratione difficultas acclivitatis infringitur, laborque pecudum & hominum commodissime sic minuitur. Paulum tamen quotiescumque iterabitur, modo in elatiora, modo in depressiora clivi, obliquum agi sulcum oportebit, ut in utramque partem rescindamus, nec eodem vestigio terram moliamur.*

18. *Rostrante vomere.*] Rostrum oblique impingente vomere. Vel rostrato forte vomere dixit, hoc est, simplici, non aurito, quo utuntur in planis, auctore Palladio, lib. 1. cap. extremo.

19. *Sarculis arant.*] Ut ante dictum est, sect. 18.

20. *Arator nisi.*] Proverbii speciem, inquit Erasmus, Chiliad. 4. Cent. 5. adag. 85. pag 869. habet quod refert

in forum. [21] Ibi itaque caveatur, ubi inventum est. Purget vomerem subinde stimulus [22] cuspidatus rallo. [23] Scamna inter duos sulcos cruda ne relinquantur, glebæ ne exsultent. [24] Male aratur arvum, quod satis frugibus occandum est. [25] Id demum recte subactum erit, ubi non intelligetur utro vomer ierit. In usu est [26] & collicias interponere, si ita locus poscat, ampliore sulco, quæ in fossas aquam educant.

CAPUT XX.

3. [27] Aratione per transversum iterata, [28] occatio sequitur, ubi res poscit, crate vel rastro: & sato semine iteratio. Hæc quoque ubi consuetudo patitur, [29] crate dentata, vel tabula aratro adnexa, [30] quod vocant lirare, operiente semina: unde primum appellata [31] deliratio est. [32] Quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, cum dixit optimam esse segetem, quæ bis Solem, bis frigora sensisset. Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono. At fabam & viciam non proscisso serere sine damno, compendium operæ est.

4. Non omittemus unam etiamnum arandi rationem, in Transpadana Italia, bellorum injuria excogitatam. Salassi cum subjectos Alpibus depopularentur agros, panicum miliumque jam excrescens [33] tentavere. Postquam respuebat natura, inararunt. At illæ messes multiplicatæ docuere, quod nunc vocant [34] artrare, id est, aratrare, ut credo tunc dictum. Hoc fit vel incipiente culmo, cum jam is bina ternave emiserit folia. Nec recens subtrahemus exemplum, in Treverico agro tertio [35] ante hunc annum compertum. Nam cum hieme prægelida captæ segetes essent, reseverunt, resartientes campos mense Martio, uberrimasque messes habuerunt. Nunc reliqua cultura tradetur per genera frugum.

CAP. XXI.

L. Siliginem, far, triticum, semen, hordeum occato, sarrito, runcato, [1] quibus dictum erit diebus. [2] Singulæ operæ cuique generi in jugero sufficient. [3] Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis, novosque Soles admittit. [4] Qui sarriet, caveat ne frumenti radices suffodiat. Triticum, hordeum, semen, [5] fabam bis sarrire melius. [6] Runcatio, [7] cum seges in articulo est, evulsis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, segetemque discernit a cespite. Leguminum cicer eadem, quæ far, desiderat. [8] Faba runcari non gestit: quoniam evincit herbas lupinum, [9] runcatur tantum.

NOTÆ.

Plinius: Arator, nisi incurvus, prævaricatur. Præcipit ut arator arvum primum rectis sulcis proscindat: mox & obliquis subigat: id fieri vix potest, nisi toto corpore incumbat labori, unde & Virgilio dictus *Curvus arator*. Ceterum prævaricari, est a recto sulco divertere. Unde & in causis prævaricari dicuntur, qui causam diversam adjuvant. Videlicet hoc est illud quod ait Plinius, *Inde translatum hoc crimen in forum.*

21. *Ibi itaque.*] In agro, unde in forum translata paræmia.

22. *Cuspidatus rallo.*] Hoc est, rallo præfixus. Est autem rallum ferramentum quo raditur vomer, & inhærente terra liberatur, atque purgatur, ut Turnebus admonet, lib. 24. Adversf. cap. 1 pag. 809.

23. *Scamna.*] Agricolæ scamna appellant grandiores glebas, quæ solent excitari prima aratione, cum in proscisso crudum solum immotumque relinquitur: quod cavendum esse præcipit lex rusticationis. Hac voce utitur Columella, lib. 2. cap. 2. pag. 44 ut paulo ante retulimus, & alibi passim.

24. *Male aratur.*] Colum. lib 2. cap. 4. pag 48 *Sed & complaribus iterationibus sic resolvatur vervactum in pulverem, ut vel nullam, vel exiguam desideret occationem, cum seminaverimus. Nam veteres Romani dixerunt male subactum agrum, qui satis frugibus occandus sit.*

25. *Id demum.*] Colum. loc. cit. *Pingues campi tam frequentibus densisque sulcis arandi sunt, ut vix dignoscatur in utram partem vomer actus sit: quoniam sic omnes radices herbarum perrupta necantur.*

26. *Et collicias.*] In agris colliciæ sunt sulci ampliores, qui & porcæ dicti, per quos aquam deliberabant. In urbibus colliciæ, sive conliciæ, sive colliquiæ, dicebantur olim canales qui aquam e stillicidio defluentem excipiebant. Columella, lib. 2. cap. 8. *Cavebitur, ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes derivemus.* Festus: *Elices, sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris.* Simili forma & *inlices* dicti canales, *in quos aqua confluit in viis lapide stratis, ab eliciendo dicti*, ex eodem Festo.

27. *Aratione .... iterata.*] Offringi autem *terra dicitur*, auctore Festo, *cum iterum transverso sulco aratur.*

28. *Occatio sequatur.*] Græci βωλοκοπεῖν vocant, qua franguntur glebæ: occare Galli, *herser*: occant, *une herse*: unde *hercia* & *herciare*: de quibus V. Cl. Du-Cangius in Glossario consulendus.

29. *Crate dentata.*] Hinc *bidentare* veteres occare dicebant, quod occa dentata infringebantur iterum glebæ. Glossæ Philoxeni: Σκαφητὸς. *Fossura, bidentatio, occatio, iteratio.*

30. *Quod vocant lirare*] Varro, lib. 1 de re rust. cap 29. *Tertio cum arant jacto semine, boves lirare dicuntur, id est, cum tabellis additis ad vomerem, simul & satum frumentum operiunt in porcis, & sulcant fossas, quo pluvialis aqua delabatur.*

31. *Deliratio.*] Delirare quasi a lira, rectoque sulco discedere.

32. *Quarto seri sulco.*] Hoc est, post quartam arationem, ut dictum est sect. 35. Virgilii locus est e lib. 1. Georg. vers. 47.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora sensit.

Qua loquendi forma nihil aliud voluit is intelligi, quam quater sive quatriduo proscindi terram oportere: ut bis diurnum vernæ tempestatis teporem, bis nocturnum ejusdem frigus sentiat. Sed longe aliter hunc poetæ locum vulgus interpretum accipit. Sic Columella, lib. 1. cap XI. *primo vel altero sulco seri ciceram* dixit, *mense Martio.* Hoc est, terra semel iterumve arata. Plinius ipse supra, de napis sect. 35. *Diligentiores quinto sulco napum seri jubent, rapa quarto.* Et sect. 37. *Vicia uno sulco sata non sarritur*, &c. Atque hoc ipso loco plane statim, *Quinto sulco seri*, &c.

33. *Tentavere.*] Subintellige, depopulari, immisso, ut fit, exercitu.

34. *Artrare.*] Hoc est, segetes jam natas rursus arando proscindere

35. *Ante hunc annum*] Qui Urbis annus erat DCCCXXX. ut diximus lib 14. sect 5.

Sect. L. 1. *Quibus dictum erit.*] Sect. 65. num. 2.

2. *Singulæ operæ.*] Paulo aliter Columella, lib. 2. cap 13. cui titulum fecit, *Pro modo cujusque agri quot operæ desiderentur.*

3. *Sarculatio.*] Sive sarritio.

4. *Qui sarriet.*] Columella, lib. 2. cap. 12 pag 65. Palladius, lib. 2. in Januar. cap. 9. pag. 39. *Sarculanda frumenta: quod opus plerique negant fieri debere, quia radices eorum detegantur, aut incidantur, & necentur frigore subsecuto. mihi autem videtur herbosis locis tantum esse faciendum.*

5. *Fabam bis sarrire.*] Ter sarriendam monet Columella, lib. 2. cap. 12 pag 66. Palladius, bis: lib. 2. in Januar. tit. 9 pag. 39.

6. *Runcatio.*] Columella, lib. 2. cap. 12. *Subjungenda sarritioni runcatio*, &c. De runcatione dixi sect. 38

7. *Cum seges in articulo.*] Cum seges in articulum ierit, ut loquitur Columella, loc. cit. hoc est, cum nodum fecerit. Plinius ipse supra, sect. 45 *Si in articulum seges ire coeperit.*

8. *Faba runcari.*] Vide Notas & Emendat. num. XIX. Cur porro faba runcari non gestiat, in causa est, inquit Columella, lib. 2. cap. 12. ex Corn Celsi sententia, quod internatæ herbæ feno reserventur. At Columella frugibus his detrahi plurimum scribit, si runcatio relinquitur

9. *Runcatur tantum.*] Non sarculatur.

Milium, & panicum occatur, & sarritur: non iteratur, non runcatur: [10] silicia & faseoli occantur tantum. Sunt genera terræ, quarum ubertas [11] pectinari segetem in herba cogit: (cratis & hoc genus, dentatæ stilis ferreis:) eademque nihilominus & [12] depascuntur. Quæ depasta sunt, sarculo iterum excitari necessarium. At in Bactris, Africa, Cyrene, omnia hæc supervacua fecit indulgentia cæli: a semente [13] non nisi messibus in aream redeunt: quia siccitas coercet herbas, fruges nocturno tactas rore nutriens. [14] Virgilius alternis cessare arva suadet: & hoc, si patiantur ruris spatia, utilissimum procul dubio est. Quod si neget conditio, far serendum, unde & lupinum, aut vicia, aut faba sublata sint, & quæ terram faciant lætiorem. In primisque & hoc notandum, quædam propter alia seri obiter: sed parum provenire [15] priori diximus volumine, ne eadem sæpius dicantur: plurimum enim refert soli cujusque ratio.

CAP. XXII. LI. Civitas Africæ in mediis arenis, petentibus Syrtes Leptinque magnam, vocatur Tacape, felici super omne miraculum riguo solo: ternis fere millibus passuum in omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spatiis dispensatur inter incolas. Palmæ ibi prægrandi subditur olea, huic ficus, fico Punica, illi vitis: sub vite seritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno: omniaque aliena umbra aluntur. [1] Quaterna cubita ejus soli in quadratum, nec ut a porrectis metiantur digitis, sed in pugnum contractis, [2] quaternis denariis venumdantur. Super omnia est, biferam vitem bis anno vindemiare. Et nisi multiplici partu exinaniatur ubertas, pereunt luxuria singuli fructus. Nunc vero toto anno metitur aliquid: constatque fertilitati non occurrere homines. Aquarum quoque differentia magna riguis. Est in Narbonensi provincia nobilis fons, Orge nomine est: in eo herbæ nascuntur in tantum expetitæ bubus, ut mersis capitibus totis eas quærant. Sed illas in aqua nascentes certum est non nisi imbribus ali. Ergo suam quisque terram aquamque noverit.

CAPUT XXIII. LII. Si fuerit illa terra, [1] quam appellavimus teneram, poterit sublato hordeo milium seri: eo condito, rapa: his sublatis, hordeum vel triticum, sicut in Campania: satisque talis terra aratur, cum seritur. Alius ordo, ut ubi adoreum fuerit, cesset quatuor mensibus hibernis, & vernam fabam recipiat, [2] ita ut ante hiemalem ne cesset. Nimis pinguis alternari potest ita, si frumento sublato legumen tertio feratur. Gracilior, & in annum tertium cesset. Frumentum quidam seri vetant, nisi in ea quæ proximo anno quieverit.

LIII. Maximam hujus loci partem stercorationis obtinet ratio, de qua & [1] priori diximus volumine. Hoc tantum enim in confesso est, nisi stercorato seri non oportere, quanquam & hic leges sunt propriæ. Milium, panicum, rapa, napus nisi in stercorato non serantur. [2] Non stercorato frumentum potius quam hordeum serito. Item in novalibus, tametsi in illis fabam seri volunt, eamdem ubicumque quam recentissime stercorato solo. Autumno aliquid saturus, Septembri mense [3] fimum inaret post imbrem. Utique si verno erit saturus, per hiemem fimum disponat. [4] Justum est vehes octodecim jugero tribui: dispergere autem [5] prius quam arescat, aut jacto semine. Si hæc omissa sit stercoratio, [6] sequens est, priusquam sarriat, aviarii pulvere. [7] Quod ut hanc quoque curam determinemus, justum est singulas vehes fimi [8] denario ire, in singulas pecudes minores: in majores denas: nisi contingat hoc, male subtravisse pecori colonum appareat. Sunt

NOTÆ.

10. *Silicia.*] Hoc est, fenum Græcum, de quo sect. 39.

11. *Pectinari.*] Dentata crate agitari. Ovidius, a quodam citatus in hanc rem:

Et tonsam raro pectine verris humum.

12. *Depascuntur*] Immissis, ut dictum est, in arva pecudibus.

13 *Nonnisi messibus.* Hoc est, messis tempore. Vide Notas & Emend. num XX.

14. *Virgilius*] Libro 1. Georg. vers. 71.

Alternis idem tonsas cessare novales
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres mutato sidere farra,
Vnde prius lætum siliqua quassante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos, silvamque sonantem.

15. *Priori diximus.*] Libro sup. initio sect 7. *Nec non & satis quibusdam ipsis pasci terram dixit. Segetem stercorant fruges, lupinum, faba, vicia,* &c.

Sect. LI. 1. *Quaterna cubita.*] Petita mensura ex hominis vendentis cubito, ac ne porrectis quidem digitis, sed iisdem in pugnum contractis.

2. *Quaternis denariis.*] Asses sunt monetæ nostræ triceni bini

Sect. LII. 1. *Quam appellavimus.*] Libro 17 sect 3.

2. *Ita ut ante hiemalem*] Ita ut ante hiemalis fabæ proventum duret. Hiemalis faba ea est, quam superius dixit, sect. 30. seri ante Vergiliarum occasum, ut antecedat hiemem. Verna, quam Virgilius seri per ver jubet, Circumpadanæ Italiæ situ. Vide Notas & Emend. num. XXI.

Sect. LIII. 1. *Priori diximus.*] Libro 17. sect. 6.

2. *Non stercorato*, &c.] Theophr. lib. 8. hist. cap. 6.

3. *Fimum inaret.*] Columella, lib. 2. *Disjectum protinus fimum inarari & obrui convenit, ne Solis halitu vires remittat: & ut permixta humus prædicto alimento pinguescat*, &c.

4. *Justum est.*] Colum. loc. cit. *Jugerum autem desiderat, quod spissius stercoratur, vehes quatuor & viginti: quod rarius, duodeviginti.* Idem lib. xi. c. 2. in Novembri subdit: *Vehes autem stercoris habet modios octoginta.* Vehis aliud nihil fuit quam plaustri onus, *une charetée*, & quidem quantum protelo boum vehi solet. Cod. Theod. lib. 14. tit. 6. leg. 2. *Coctoribus calcis per ternas vehes singula amphora vini præbeantur: Vecturariis vero amphora . . . . A Vecturariis etiam trecentos boves præcipimus dari.*

5. *Priusquam arescat.*] Ne Solis halitu, ut dictum est, vires remittat: *Itaque*, ut subdit Columella loc. cit. *cum in agro disponentur acervi stercoris, non debet major modus eorum dissipari, quam quem bubulci eodem die possint obruere. Sed disjectum protinus fimum inarari & obrui convenit, ne Solis halitu vires amittat, & ut permixta humus prædicto alimento pinguescat.*

6. *Sequens est.*] Secunda stercoratio fiet ante sarritionem, jacto pulvere ex aviariis Vide Notas & Emend. num. XXII.

7. *Quod ut hanc.*] Hoc est, *Sed ut hanc.* Cicero, lib. 14. ep. 4 *Quod utinam minus vitæ cupidus fuissem.*

8. *Denario ire.*] Hoc est, venire denario singulas fimi vehes, quas tricenis diebus singulæ pecudes minores efficiunt:

qui optime stercorari putent, sub dio nunc [9] retibus inclusa pecorum mansione. [10] Ager si non stercoratur, alget: si nimium stercoratus est, aduritur: satiusque est id sæpe, quam supra modum facere. [11] Quo calidius solum est, eo minus addi stercoris, ratio est.

LIV. [1] Semen optimum, anniculum, bimum deterius, trimum pessimum, ultra sterile. Et in uno omnium definita genere ratio est: [2] Quod in ima area subsedit, ad semen reservandum est. Id enim optimum quoniam gravissimum: neque alio modo utilius discernitur. Quæ spica per intervalla semina habebit, abjicietur. [3] Optimum granum quod rubet, & dentibus fractum, eumdem habet colorem: deterius, cui plus intus albi est. [4] Certum terras alias plus seminis recipere, alias minus. [5] Religiosumque inde primum colonis augurium, cum avidius accipiat, esurire creditur, & comesse semen. Sationem locis humidis celerius fieri ratio est, ne semen imbre putrescat: siccis serius, ut pluviæ sequantur: ne diu jacens atque non concipiens, evanescat. Itemque festinata satione densum spargi semen, quia tarde concipiat: serotina rarum, quia densitate nimia necetur. Artis quoque cujusdam est, spargere. Manus utique congruere debet cum gradu, semperque cum dextro pede. [6] Fit quoque quorumdam occulta ratione, quod sors genialis atque fecunda est. Non transferendum est ex frigidis locis semen in calida, neque ex præcocibus in serotina: idque in contrarium præcepere quidam falsa diligentia.

CAP. XXIV.

LV. [1] Serere in jugera temperato solo justum est, tritici aut siliginis modios V. farris aut seminis, (quod frumenti genus [2] ita appellamus,) X. Hordei VI. [3] Fabæ quintam partem amplius quam tritici: [4] viciæ XII. ciceris & [5] cicerculæ, & pisi, III. [6] lupini X. lentis III. sed hanc cum fimo arido seri volunt: [7] ervi VI. [8] siliciæ VI. faseolorum IIII. pabuli XX. milii, panici, sextarios quatuor. Pingui solo plus, gracili minus. Est & alia distinctio: In denso, aut cretoso, aut uliginoso solo, tritici aut siliginis [9] modios sex: in soluta terra nuda, & sicca, & læta, quatuor. [10] Macies enim soli, nisi rarum culmum habeat, spicam minutam facit & inanem. Pinguia arva ex uno semine fruticem numerosum fundunt, densamque segetem e raro semine emittunt. Ergo inter quatuor & sex modios pro natura soli, alii quinque non minus seri, pluresve præcipiunt: item in consito, aut clivoso, ut in macro. Huc pertinet oraculum illud magnopere custodiendum: [11] Segetem ne defruges. Adjecit iis Accius in Praxidico, ut sereretur, cum Luna esset in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. Zoroastres Sole duodecim partes Scorpionis transgresso, cum Luna esset in Tauro.

LVI. Sequitur hue dilata & maxima indigens cura de tempore fruges serendi quæstio, magnaque ex parte ratione siderum connexa. Quamobrem sententias omnium in primis ad id pertinentes exponemus. Hesiodus, qui princeps omnium de agricultura præcepit, unum tempus serendi tradidit a Vergiliarum occasu. Scribebat enim in Bœotia Helladis,

NOTÆ.

denario item denas, quas pecudes majores pariter mense reddunt. Colum. lib. 2. cap. 15. *Parum autem diligentes existimo esse agricolas, apud quos minores singulæ pecudes tricenis diebus minus quam singulas, itemque majores denas vehes stercoris efficiunt*, &c.

9. *Retibus.*] Vel, ut fere fit, cratibus.

10. *Ager.*] Colum. lib. 2. cap. 16. *Nec ignorare colonos oportet, sicuti refrigescere agrum, qui non stercoretur: ita peruri, si nimium stercoretur: magisque conducere agricolæ frequenter id potius quam immodice facere.*

11. *Quo calidius.*] Colum. loc. cit. *Nec dubium quin aquosus ager majorem stercoris copiam, siccus minorem desideret: alter, quod assiduis humoribus rigens hoc adhibito regelatur. alter, quod per se tepens siccitatibus, hoc assumpto largiore, torretur: propter quod nec deesse ei talem materiam, nec superesse oportet.*

Sect. LIV. 1. *Semen optimum.*] Hæc Theophr. lib. 8. histor. cap. 21. Eadem habet auctor Geopon lib. 2. cap. 14. pag. 52.

2. *Quod in ima.*] Tractat hoc diserte Columella, lib. 2. cap. 9. *Optimam quamque spicam legere oportet .... & semper quod propter magnitudinem ac pondus in ima subsederit, ad semen reservandum. .... Neque enim dubium est, ex robusto semine posse fieri non robustum: quod vero protinus exile natum sit, numquam robur accipere manifestum est. Ideoque Virgilius, cum & alia, tum hoc de seminibus praclare sic disseruit.*

Vidi ego lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

3. *Optimum granum.*] Colum. lib 2. cap. 9. *Granum autem rubicun, si cum diffisum est, eumdem colorem interiorem habet, integrum esse non dubitamus. Quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum, leve ac vanum intelligi debet.* &c.

4. *Certum terras.*] Theophr. lib. 8. histor. cap. 6.

5. *Religiosumque.*] Ridet id merito Theophr. loc. cit.

6. *Fit quoque.*] Fit ex arte quadam occulta, indiroque a natura solerti membrorum motu, satio læta & fecunda.

Sect. LV. 1. *Serere in jugero.*] Colum lib. 2 cap. 9. pag. 52. *Jugerum agri pinguis, plerumque modios tritici quatuor: mediocris*, sive temperati, *quinque postulat: adoris modios novem, si est latum solum*, &c. Idem pag. 55. de hordeo: *Jugerum sex modios postulat.* Vide & Varron lib. 1. de re rust. cap. 44.

2. *Ita appellamus.*] Appellavimus sane sect. 19.

3. *Faba.*] Ita fere Columella, lib. 2. cap. 10. pag. 57.

4. *Viciæ XII.*] Subintellige modios, ut in sequentibus.

5. *Cicerculæ*, &c.] Colum lib. 2. c. 10. pag. 62. *Cicerculæ, quæ piso est similis .... tres modii jugerum implent.* Ac paulo post de cicere, pag. 61. *Jugero modii tres abunde sunt.* De lupino, pag. 57. *Jugerum decem modii occupant.* Et pag. 59. de lente: *Jugerum agri paulo plus quam modius occupat.* Et pag. 57. de faseolis idem cum Plinio sentit: de milio quoque, & panico, pag. 56. Vide rursus eumdem Columellam in Octobri, lib. XI. cap. 2.

6. *Lupini X.*] Columella, lib 2. cap. 10. de lupino: *Jugerum decem modii occupant.* Et mox de piso: *Eadem mensura jugerum, vel modio minus quam phaseolum, licet obserere*

7. *Ervi VI.*] Quinque dumtaxat modios desiderat Palladius lib. 2. in Januar. cap 8. de ervo.

8. *Siliciæ VI.*] Hoc est, feni Græci. Ita Palladius loc. cit. cap. 7. pag. 39.

9. *Modios sex.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

10. *Macies enim.*] Columella, lib. 2 cap 9. *Et e contrario macer locus tantumdem seminis poscit. Nam nisi rare conseritur, vanam & minutam spicam facit. At ubi ex uno semine pluribus culmis fruticavit, etiam ex rara segete densam facit.*

11. *Segetem ne defruges.*] Cato, lib de re rust cap. 5. *Segetem ne defruget: nam id infelix est.* Defrugare segetem videtur, inquit Hermolaus, qui vel nimia fetura exinanit agros, vel per inscitiam, aut negligentiam perdit. MSS. quidem omnes, *defruges*, præ se ferunt. At Catonis, ut quidam aiunt, antiqui libri, *defrudet*. Atque ut defrudat, sive defraudat genium suum homo, qui sibi non indulget, & misere vivit, & tamquam demenso suo detrahit: idem facit, inquiunt, qui segeti & agro culturam & opera justa non

[1] ubi ita seri diximus. Inter diligentissimos convenit, ut in alitum quadrupedumque genitura, esse quosdam ad conceptum impetus & terræ: Hoc Græci ita definiunt: cum sit calida & humida. [2] Virgilius triticum & far à Vergiliarum occasu seri jubet, [3] hordeum inter æquinoctium autumni & brumam: [4] viciam vero, faseolos & lentem, Boote occidente:
5 Quo fit, ut horum siderum aliorumque exortus & occasus digerendi sint in suos dies. Sunt qui & ante Vergiliarum occasum seri jubeant, dumtaxat in arida terra, calidisque provinciis: [a] Custodiri enim semen, [5] corrumpente humore, & a proximo imbre uno die erumpere. Alii statim ab occasu Vergiliarum sequi imbres, a septimo fere die. Aliqui in frigidis ab æquinoctio autumni: in calidis serius, ne ante hiemem luxurient. Inter
10 omnes autem convenit [6] circa brumam serendum non esse, magno argumento: quoniam hiberna semina, cum ante brumam sata sint, septimo die erumpant: si post brumam, vix quadragesimo. [7] Sunt qui properent, atque ita pronuncient, festinatam sementem sæpe decipere, serotinam semper. E contrario alii, vel vere potius serendum, quam malo autumno. Atque ubi fuerit necesse, [8] inter Favonium & vernum æquinoctium.
15 Quidam omissa cælesti cura, ut inutili, temporibus definiunt. Vere linum, & avenam, & papaver: atque uti nunc etiam Transpadani servant, usque in [10] Quinquatrus: fabam, siliginem Novembri mense: far Septembri extremo usque in Idus Octobris. Alii post hunc diem in Calendas Novembris. Ita his nulla naturæ cura est: illis nimia, & ideo cœca subtilitas: cum res inter rusticos geratur, litterarumque expertes, non modo siderum. Et con-
20 fitendum est, cælo maxime constare ea: quippe Virgilio jubente prædisci ventos ante omnia, [11] ac siderum mores: neque aliter, quam navigantibus, servari. Spes ardua & immensa, misceri posse cælestem divinitatem imperitiæ: sed tentanda tam grandi vitæ emolumento. Prius tamen sideralis difficultas, quam sensere etiam periti, subjicienda contemplationi est: quo deinde lætior mens discedat a cælo; & facta sentiat, quæ futura prænosci
25 non possint.

CAP. XXV. LVII. Primum omnium dierum ipsorum anni Solisque motus prope inexplicabilis ratio est. Ad CCCLXV. adjiciunt etiamnum [1] intercalarios diei noctisque quadrantes. Ita fit, ut tradi non possint certa siderum tempora. Accedit confessa rerum obscuritas, [2] nunc præcurrente, nec paucis diebus, tempestatum significatu, quod προχειμάζειν Græci vocant:
30 nunc postveniente, quod ἐπιχειμάζειν: & plerumque alias citius, alias tardius cæli effectu ad terram deciduo: [3] vulgo serenitate reddita confectum sidus audimus. Præterea cum om-

INTERPRETATIO.

a *Custodiri.*] Custodiri enim *in arida terra* semen, *quemadmodum a contrario* humore corrumpitur.

NOTÆ.

tribuit: sed vel de aratione, vel lætamine, vel semente deducit.

Sect. LVI. 1. *Ita seri diximus*] Initio sect 10.

2. *Virgilius.*] Et eum secutus Columella, lib. 2. cap 8. pag. 50. *Placet nostro poetæ adoreum, atque etiam triticum, non ante seminare, quam occiderint Vergiliæ: quod ipsum numeris sic adstrinxit:*

At si triticeam in messem, robustaque farra,
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Absconduntur autem altero & trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono Calend. Octobris, &c.

3. *Hordeum inter.*] Virgil. lib 1 Georg. vers. 208.

Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem:
Exercete viri tauros, serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.

4. *Viciam vero.*] Idem, vers. 227.

Si vero viciamque seres, vilemque faselum,
Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis:
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes:
Incipe, & ad medias sementem extende pruinas.

Hoc est, ab occasu Bootæ ad brumam usque, seri vicia, lens, faselus potest. Bootæ porro occasum, Arcturi intelligo, quæ stella in Boote est. Dicemus de occasu eo, sect. 74

5. *Corrumpente humore.*] Quod alioqui ab humore corrumperetur. Sunt hæc apud Columellam, lib. 2. cap. 8 *Si sicci sunt imbres, quamvis sitienti solo recte semen committitur; idque etiam in quibusdam provinciis, ubi status cæli talis est, usurpatur. Namque quod sicco solo ingestum & inoccatum est, perinde ac si repositum in horreo, non corrumpitur Atque ubi venit imber, multorum dierum sementis uno die surgit.* Eodem fere sensu legi hic posset, *non corrumpente humore.*

6. *Circa brumam*] Vide Notas & Emend num XXIV. Tradita hæc maxima ex parte & a Varrone, lib. 1. de re rust. cap 34

7. *Sunt qui properent.*] Columella, lib. XI. de re rust. cap. 2. *Sed cum omnia in agricultura strenue facienda sunt, tum maxime sementis. Vetus agricolarum proverbium: Maturam sationem sæpe decipere solere: seram nunquam, quin mala sit.*

8. *Inter Favonium.*] Quo tempore Favonii spirent, diximus lib 2 sect. 47

9. *Vere linum*] Virgilius tamen lib 1 Georg. vers. 212. lini ac papaveris sationem autumno adjudicat.

10 *Quinquatrus.*] Dies festus Minervæ fuit: sic dictus, quod esset post diem quintum Idus Martias, hoc est, XIV. Calend. Aprilis. Vide Voss. in Etymol. De his multa Ovidius, lib. 3. Fastor. vers. 810. Festus, verbo, *Quinquatrus*, aliique.

11. *Ac siderum mores.*] Locus Virgilii est, lib. 1. Georg. vers. 204.

Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Hædorumque dies servandi, & lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis
Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.

Sect. LVII. 1. *Intercalarios.*] Dies intercalarius is est, qui quarto cuique anno vertenti accessit, quem sex horæ appendices quater ductæ, hoc est, diei unius quadrans, seu quarta pars quater repetita colligit.

2. *Nunc præcurrente.*] Nunc maturius & ante sui sideris tempus, ortumve & occasum, hiberna, æstivaque, ac ceteræ deinceps tempestates antevertunt: id quod Græci προχειμάζειν: nunc tardius eædem alio anno recurrunt, quod ἐπιχειμάζειν, vel ut alii, μεταχειμάζειν vocant. Festus, Paulusve: *Præsiderare dicitur, cum maturius hiberna tempestas movetur, quasi ante sideris tempus.* Vegetius, lib. 4. cap 40 *Aut enim circa diem statutum, aut ante, vel postea, tempestates fieri compertum est: unde præcedentes, προχειμάζειν: nascentes die solemni, ἐπιχειμάζειν; subsequentes, μεταχειμάζειν, Græco vocabulo nuncupaverunt.* Eleganter Columella in Præf *Neque enim semper eumdem cælum & annus velut ex præscripto habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æstas, aut hiems,* &c.

3 *Vulgo serenitate.*] Cum a sideribus oriri tempestates vulgus existimet, ubi hæ præteriere, & sua cælo reddita

nia

nia hæc statis sideribus cæloque affixis constent, interveniunt motu stellarum grandines, imbres, & ipsi non levi effectu, [4] ut docuimus, turbantque conceptæ spei ordinem. Idque ne nobis tantum putemus accidere, & reliqua fallit animalia [5] sagaciora circa hoc, ut quo vita eorum constet: æstivasque alites præposteri aut præproperi rigores necant, hibernas æstus. [6] Ideo Virgilius errantium quoque siderum rationem ediscendam præcipit, admonens observandum frigidæ Saturni stellæ transitum. Sunt qui certissimum veris indicium arbitrentur ob infirmitatem animalis, papilionis proventum. Id eo ipso anno, cum commentaremur hæc, notatum est, proventum eorum ter repetito frigore extinctum, [8] advenasque volucres a. d. VI. Calendas Februarii spem veris attulisse, mox sævissima hieme conflictatas.

Res anceps: primum, omnium a cælo peti legem: deinde eam [a] argumentis esse quærendam. Super omnia est [b] mundi convexitas, terrarumque globi differentia, eodem sidere alio tempore aliis aperiente se gentibus: [9] quo fit ut causa ejus non iisdem diebus ubique valeat. Addidere difficultatem & auctores diversis in locis observando, mox etiam in iisdem diversa prodendo. [10] Tres autem fuere sectæ: Chaldæa, Ægyptia, Græca. His addidit apud nos quartam [11] Cæsar Dictator, annos ad Solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiæ ejus adhibito. Et ea ipsa ratio postea [12] comperto errore correcta est: ita ut XII. annis continuis non intercalaretur, quia cœperat sidera annus morari, qui prius antecedebat. Et Sosigenes ipse trinis commentationibus, quanquam diligentior ceteris, non cessavit tamen addubitate, ipse semet corrigendo. Auctores prodidere ea, [13] quos prætexuimus volumini huic, raro ullius sententia cum alio congruente. Minus hoc in reliquis mirum, quos diversi excusaverint tractus. Eorum qui in eadem regione dissedere, unam discordiam ponemus exempli gratia: Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus (nam hujus quoque nomine exstat [14] Astrologia) tradidit fieri, cum æquinoctium autumni conficeretur: Thales vigesimo quinto die ab æquinoctio, Anaximander vigesimo nono: [15] Euctemon XLVIII.

Nos sequemur observationem Cæsaris: maxime hæc erit Italiæ ratio. Dicemus tamen & aliorum placita: quoniam non unius terræ, sed totius naturæ interpretes sumus: non auctoribus positis (id enim verbosum est) sed regionibus: legentes tantum meminerint, brevitatis gratia, cum Attica nominata fuerit, simul intelligere Cycladas insulas: cum Macedonia, Magnesiam, Thraciam: cum Ægyptus, Phœnicen, Cyprum, Ciliciam: cum Bœotia, Locridem, Phocidem, & finitimos semper tractus: cum Hellespontus, Cherronesum, & continentia usque Atho montem: cum Ionia, Asiam, & insulas Asiæ: cum Peloponnesus Achaiam [16] & ad Hesperum jacentes terras. Chaldæi Assyriam & Babyloniam demonstrabunt. Africam, Hispanias, Gallias sileri non erit mirum. Nemo enim observavit in iis, qui siderum proderet exortus. [17] Non

INTERPRETATIO.

a *Argumentis.*] Certis signis.

b *Mundi.*] Cæli.

NOTÆ.

serenitas est, tunc sidus confectum dicitur.

4. *Ut docuimus.*] Libro 17. sect. 2.

5. *Sagaciora.*] In eo præsensionum genere alioqui sagacissima.

6. *Ideo Virgilius*] Libro 1. Georg. vers. 335.

Hoc metuens, cæli menses & sidera serva:
Frigida Saturni quo se se stella receptet, &c.

7. *Id eo ipso anno.*] Urbis DCCCXXX. ut diximus libro 14. sect. 5.

8 *Advenasque volucres.*] Hirundines.

9. *Quo fit ut causa ejus.*] Vis ejus & efficientia.

10 *Tres autem fuere*] Apud Chaldæos Astrologiæ inventorem fuisse Abrahamum, auctor est Eusebius, lib. 9. Præpar. pag 419. cap. 17. & Berosus apud ipsum, cap. 16. De Chaldæis, Ægyptiisque, Cicero, lib. 1. de Divin. num. 93. *Ægyptii & Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt.* Græci ab utraque gente Calendaria & ἐφημερίδας accepere. Sic enim Theon de iis scribit, in Διοσημεία Arati: Ἐδίξαντο δὲ αὐτὰ Ἕλληνες παρὰ Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων. Chaldaica anni forma, eadem ac Judaica est. De Ægyptia autem & Græca vetere, vide Herodotum, lib. 2. num. IV.

11. *Cæsar Dictator.*] Sueton. in Julio, cap. 40 *Fastos correxit, jampridem vitio Pontificum, per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent, annumque ad cursum Solis accommodavit, ut CCCLXV. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur, &c.*

12. *Comperto errore.*] Hæc quæ angustiore sermone Plinius contraxit, fusius a Macrobio explicantur, lib. 1. Saturn. toto cap. 14 pag. 255. *Sacerdotes*, inquit, *sibi errorem novum ex ipsa emendatione fecerunt. Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare, illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit: quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum deberent intercalari novem. Sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit Augustus: qui annos duodecim sine intercalari die transigi jussit: ut illi tres dies, qui per annos triginta & sex vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato, devorarentur. Post hoc unum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente anno intercalari jussit: & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit.* Iisdem pæne verbis rem narrat Solinus, cap 1. pag. 5. Vide apud Petav. lib. 4 de Doct. Temp. cap 3. pag. 319. diagramma, in quo bissextiles dies tam vitiosi, quam emendati apertissime subjiciuntur oculis.

13. *Quos prætexuimus.*] Supra, num. V.

14 *Astrologia.*] Laudatur hic Hesiodi liber a Theone, & vocatur Ἀστρικὴ βίβλος: idque Hesiodi genuinum opus fuisse Callimachus docet in Epigrammate, quod exstat in Arati vita, quam Petavius edidit in Uranologio, pag. 270. De hac Hesiodi, Thaletisque & Anaximandri sententia eumdem Petavium consule, lib. 2. Var. Dissert. in Uranol. cap. 9. pag 97.

15. *Euctemon.*] Εὐκτήμων. De eo in Auctorum Indice. Sic libri omnes. Perperam *Eudemon* reponere nititur Pithœus, lib. 2 Advers. cap. 13. pag. 434.

16. *Et ad Hesperum.*] Elidem, Arcadiam, Messeniam.

17. *Non tamen.*] Tamen in promptu ratio est, qua id noscatur, per segmenta scilicet & circulos, ut est a nobis libro sexto extremo traditum: unde & cæli habitus, & positio, non gentium modo, sed quod majoris diligentiæ est, singu-

tamen difficili ratione dignoscentur in illis quoque terris digestione circulorum, quam in sexto volumine fecimus: qua cognatio cæli, non gentium modo, verum urbium quoque singularum intelligitur, nota ex his terris, quas nominavimus, sumpta convexitate circuli pertinentis ad quas quisque quæret terras, & ad earum siderum exortus, per omnium circulorum pares umbras. Indicandum & illud, tempestates ipsas [18] ardores suos habere quadrinis annis: & easdem non magna differentia reverti ratione Solis: octonis vero augeri easdem, centesima revolvente se Luna.

LVIII. Omnis autem ratio observata est tribus modis: exortu siderum, occasuque, & ipsorum temporum [1] cardinibus. Exortus occasusque binis modis intelliguntur. [2] Aut enim adventu Solis occultantur stellæ & conspici desinunt, aut ejusdem abscessu proferunt se. Emersum hoc melius, quam exortum consuetudo dixisset: & illud occultationem potius, quam occasum. [3] Alio modo, quo die incipiunt apparere vel desinunt, oriente Sole, aut occidente, matutini vespertinive cognominati, prout alterutri eorum mane vel crepusculo contingit. [4] Dodrantes horarum cum minimum intervalla ea desiderant ante Solis ortum, vel post occasum, ut aspici possint. [5] Præterea bis quædam exoriuntur & occidunt. Omnisque sermo de his est stellis, quas adhærere cælo diximus.

LIX. [1] Cardo temporum quadripartita anni distinctione constat, per incrementa lucis. Augetur hæc a bruma, & æquatur noctibus verno æquinoctio diebus XC. horis tribus. [2] Deinde superat noctes ad solstitium diebus XCIII. horis duodecim, usque ad æquinoctium autumni. Et tum æquata die procedit ex eo ad brumam diebus LXXXIX. horis tribus. Horæ nunc in omni accessione [3] æquinoctiales, non cujuscumque diei significantur: omnesque eæ differentiæ fiunt [4] in octavis partibus signorum. Bruma Capricorni, [5] a. d. VIII. Calendas Januarii fere: æquinoctium vernum, Arietis: solstitium, Cancri: alterumque æquinoctium, Libræ: qui & ipsi dies raro non aliquos tempestatum significatus habent. [6] Rursus hi cardines singulis etiamnum articulis temporum dividuntur, per media omnes dierum spatia. Quoniam inter solstitium & æquinoctium autumni, Fidiculæ occasus autumnum [7] inchoat die XLVI. At ab æquinoctio eo ad brumam, Vergiliarum matutinus occasus [8] hiemem die XLIV. Inter brumam & æquinoctium [9] die XLV. flatus Favonii vernum tempus. Ab æquinoctio verno initium [10] æstatis die XLVIII. Vergiliarum exortu matutino. Nos incipiemus a sementibus frumenti, hoc est, Vergiliarum occasu

NOTÆ.

larum urbium, cognoscitur. Assumpta enim per Africam exempli gratia, aliasve terras, quas observator adierit, convexitate circuli, hoc est, delecto segmento, vel ex gnomone, vel ex quantitate diei ac noctis: regionem deinde vel urbem desumet, paribus umbris respondentem: unde pares colliget siderum ortus atque occasus.

18. *Ardores suos.*] Regressus, ac vices majore cum vi & efficientia. Id ex Eudoxi manasse schola ipse antea prodidit, lib. 2. sect. 48. Redire vices easdem tempestatum, annorum quaternûm circuitu, videtur etiam sensisse Columella, lib. 3. cap. 6. extremo. *Quo tempore*, inquit, *Sol in eamdem partem signiferi per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium ceperat: quem circuitum meatus dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta unius ἀποκατάστασιν vocant studiosi rerum cælestium.*

Sect. LVIII. 1. *Cardinibus.*] Qui cardines anni vocentur, mox ipse aperiet.

2. *Aut enim adventu.*] Aut adventu Solis orientis, occultantur stellæ, nec tam is occasus stellarum, quam occultatio dici debet. Aut ejusdem Solis occidentis abscessu proferunt se se stellæ omnes, immenso illo cæli tractu quem cernimus: atque is emersus potius quidam dici debet, quam exortus. Nihil dum Plinius hoc loco de ortu matutino vespertinoque stellarum, seu vero, seu heliaco & apparente: quanquam ita visum viris alias eruditis. Cum nihil aliud velit auctor, quam quod lib. 2. dixit, sect. XI. *affixas cælo stellas Solis fulgore non cerni interdiu.* Neque in tota hac concertatione subtilitatem nimiam affert, cum, ut ipse præmonuit sect. 56. res inter rusticos geratur, litterarumque expertes.

3. *Alio modo.*] Hic alter modus ortûs occasûsque stellarum, bifariam dividitur. Ortus matutinus dicitur, cum apparere stella incipit, paulo ante Solis ortum horizontem superans. Ortus vespertinus, cum occidente Sole ab horizonte ortivo stella emergit. Occasus matutinus, cum stella infra occiduum horizontem conditur, sole exoriente. Occasus vespertinus, cum paulo post Solis occasum, in eumdem occiduum horizontem demergitur.

4. *Dodrantes.*] Tres horæ quadrantes.

5. *Præterea bis quædam.*] Ut Arcturus Maiis Idibus, Juniisque, occidit matutino, ut dicetur sect. 69. Aquila bis exoritur, ut dicemus sect. 69.

Sect. LIX. 1. *Cardo temporum.*] Cardinem vocat, unde anni quarta quæque pars incipit: ver, æstas, &c.

2. *Deinde superat.*] Vide Notas & Emend. num. XXV.

3. *Æquinoctiales.*] Græci ἰσημερινὰς vocant, horas inter se æquales, cujusmodi sunt æquinoctiali die: cum hora quælibet diurna cuilibet nocturnæ per se est æqualis. Aliæ præterea sunt Inæquales dictæ, & Temporales, quarum quælibet duodecima pars est diei cujusvis, noctisve, seu brevior illa, seu longior sit. Harum in Italia hodieque usus. Ex dierum noctiumque inæqualitate, bruma vel solstitio, die vel nocte, horarum hujuscemodi inæqualitas oritur.

4. *In octavis partibus.*] Cum Sol octavum signi cujuspiam gradum perlustrat. Verum cum priscis illis scriptoribus visum est cardines annuos, non in signorum initiis, sed in octavis partibus statuere: non tam eos ad exacta Solis æquinoctia, solstitiave, respexisse arbitror, quam uti populo servirent, cui accommodata magis ea ratio fuit, ad tempestatum significatus: quod non in ipso præcise signi capite, sed aliquantum in eo spatio provectus vim suam efficientiamque monstraret. Audi Columellam, lib. 9. cap. 14. *Nec me fallit Hipparchi ratio, quæ docet solstitia & æquinoctia, non octavis, sed primis partibus signorum confici. Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi & Metonis, antiquorumque fastos Astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis: quia & notior est ista vetus agricolis concepta opinio*, &c.

5. *A. d. VIII.*] Hoc est, ante diem octavum Calend. Ita Sosigenes Solis ingressum in arietem, VIII. Cal. April. seu XXV. Martii: in Capricornum, VIII. Cal. Janu. seu XXV. Decemb. & sic de aliis constituendum censuit: quod quamobrem ita censuerit, explicat erudite Petavius, lib. 4. de Doctr. Temp. cap. 27. pag. 369. Verus tamen & ἀκριβὴς Solis ingressus non in hos dies incidit.

6. *Rursus hi cardines.*] Hæ quatuor anni partes intervallis aliis & sectionibus singulæ dividuntur.

7. *Inchoat die XLVI.* Ita MSS. Reg. Colb. aliique: sic quoque ratione calculi exposcente Columella, lib. XI. cap. 2. *Pridie Idus Augusti, Fidis occidit mane, & Autumnus incipit.*

8. *Hiemem die XLIV.*] Ita MSS. ipseque Plinius, lib. 2. sect. 47. ubi & id tempus in III. Idus Novembris ait incidere. Etsi Columella, lib. XI. cap. 2. *Sexto Idus Novembris, Solis exortu, Vergiliæ mane occidunt, significat tempestatem, hiemat. Quinto Idus Novembris, hiemis initium.*

9. *Die XLV. flatus Favonii.*] Is dies sextus est ante Februarias Idus, ut dictum est lib. 2. sect. 47.

10. *Æstatis, die XLVIII.*] Colum. lib. XI. cap. 2. *Septimo Idus Maias, æstatis initium. . . . Sexto Idus, Vergiliæ tota apparent.* De matutino exortu hæc accipe. Consule etiam ea quæ

matutino. Nec deinde parvorum siderum mentione [a] concidenda ratio est, & difficultas rerum augenda, [11] cum sidus vehemens Orionis iisdem diebus [b] longo decedat spatio.

L X. Sementibus tempora plerique [c] præsumunt, & ab undecimo die autumnalis æquinoctii fruges serunt, adveniente [1] Coronæ exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso. [2] Xenophon, antequam Deus signum dederit. [3] Hoc Cicero Novembris imbre 5 fieri interpretatus est: cum sit vera ratio non prius serendi, quam folia cœperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant aliqui, a. d. 111. Idus Novembris, [4] ut diximus. Servantque id sidus etiam [5] vestis institores, & est in cælo notatu facillimum. Ergo ex occasu ejus de hieme augurantur, [6] quibus est cura insidiandi negotiatoris avaritiâ. Nubilo occasu pluviosam hiemem denunciat: statimque augent lacernarum pretia: sereno aspe- 10 rum, [7] & reliquarum vestium accendunt. Sed ille [d] indocilis cæli agricola, hoc signum habeat inter suos vepres, humumque suam aspiciens, cum folia viderit decidua. Sic indicatur anni temperies, alibi tardius, alibi maturius. Ita enim sentitur, ut cæli locique afficit natura: idque in hac ratione præcellit, quod eadem & in mundo publica est, & unicuique loco peculiaris. Miretur hoc, qui non meminerit ipso brumali die pulegium 15 [8] in carnariis florere: adeo nihil occultum esse Natura voluit. Et serendi igitur hoc dedit signum. Hæc est vera interpretatio, [e] argumentum naturæ secum afferens. Quippe sic terram peti suadet, promittitque quamdam stercoris vicem, & contra rigores terram flatusque [9] operiri a se nunciat, & monet festinare.

L X I. [1] Varro in fabæ utique satu hanc observationem custodiri præcepit. [2] Alii ple- 20 na Luna serendam. Lentem vero a vigesimo quinto ad trigesimum. [3] Viciam quoque iisdem Lunæ diebus: ita demum sine limacibus fore. Quidam pabuli causa sic seri jubent, seminis autem vêre. Est & alia manifestior ratio, mirabiliore Naturæ providentia, in qua [4] Ciceronis sententiam ipsius verbis subsignabimus:

> Jam vero semper viridis, semperque gravata 25
> Lentiscus, triplici solita est grandescere fetu:
> [5] Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Ex his unum hoc erit, idem & lino ac papaveri serendo. Cato de papavere ita tradit: Virgas & sarmenta, [6] quæ tibi usioni supererunt, in segete comburito. Ubi eas combusseris, ibi papaver serito silvestre, [7] quod in miro usu est melle decoctum ad faucium remedia. 30 Visque somnifera etiam sativo. Et hactenus de hiberna semente.

INTERPRETATIO.

a *Concidenda.*] Breviter expedienda.
b *Longo.*] Longum cæli spatium decurrat, cum occidit.
c *Præsumunt.*] Antevertunt.
d *Indocilis.*] Qui cæli signa nosse nequit.
e *Argumentum.*] Signum a natura datum.

NOTÆ.

dicturi sumus sect. *66.*

11. *Cum sidus vehemens.*] De quo Maro, lib. 1. Æneid. vers. 539.

> *Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.*

Et Horatius, lib. 1. Ode 28. ubi Austrum pluvium comitem vocat occidentis Orionis.

> *Me quoque devexi rapidus comes Orionis*
> *Illyricis Notus obruit undis.*

Constat id sidus stellis amplius quingentis, telescopio deprehensis: quarum insignes sex eæ sunt, quæ in Orionis ense jam pridem adnotatæ: aliæque tres in cingulo, quas S Jacobi baculum, vel Tres Reges agricolæ vulgo vocant. De occasu illius dicetur sect 74.

Sect. L X. 1. *Coronæ exortu.*] Borealis scilicet, sive Gnossiæ, Thesei, aut Ariadnæ. Quo die oriatur, dicemus sect. 74 Hunc exortum Coronæ matutinum Virgilius intellexit, ac sementis initium esse voluit, lib. 1. Georg vers. 221.

> *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,*
> *Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ,*
> *Debita quam sulcis committas semina: quamque*
> *Invitæ properes anni spem credere terræ.*

Democritus tamen in Geopon. lib. 2. cap 12. pag. 50. circa Coronæ occasum seri jubet, quia tunc imbres plurimi: *Δημόκριτος δὲ .... περὶ τὴν τοῦ Στεφάνου δύσιν σπείρειν συμβουλεύει· τότε γὰρ οἱ μάλιστα ὄμβροι συμπίπτουσι πολλοὶ ἐπὶ ἡμέραις,* &c.

2. *Xenophon.*] Legitur in Oeconom. pag. 860. de sementis tempore: *Ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἔλθῃ, πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν Θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. Cum autumni tempus advenerit, homines omnes ad Deum respiciunt, quando terra irrigata seminandi potestatem eis facturus sit.*

3. *Hoc Cicero.*] In M S S. Reg. 1. & 2. *Cicero NR.* At editiones omnes, Romana, anni 1470. Parmensis, Veneta, aliæque vetustissimæ, *Novembris imbre*, rectissime, ut suadet quod proxime sequitur, *a. d III. Idus Novembris*

4. *Ut diximus.*] Libro 2. sect 47. Vergiliarum ergo occasus in diem D. Martini festum incidit: qui dies solemnis πιθοιγιῶν, in quo dolia relinuntur, & potum vini recentis gustandum amici propinant.

5. *Vestis institores.*] Mercatores. Apud Juvenal. Satyr. 7.

> *Institor hibernæ tegetis.*

Vide Notas & Emend. num. X X V I.

6. *Quibus est cura.*] Sincerius fortasse ac planius fuerit, *Quibus est cura insidiandi negotiatoribus, avaritia.* Adjectitiam illam esse Pintianus sensit avaritiæ voculam. Sic Plinius sect. 74. damnat sævitiam insidiantium caritati annonæ.

7. *Et reliquarum*] Hoc est, & tum reliquarum vestium pretia augent, annonamque urunt.

8. *In carnariis.*] Carnarium locus est, ubi salitæ carnes domi reponuntur. Vide Notas & Emend. num X X V I I. Interim id observandum, quod in carnariis suspenso pulegio accidere Plinius ait, id in tectis pariter suspenso contingere ab eodem observatum jam antea, lib. 2. sect 41.

9. *Operiri.*] Foliis cadentibus.

Sect. L X I. 1. *Varro in faba*] Varro, libro primo de re rust cap. 34 *Fabam optime seri in Vergiliarum occasu.*

2 *Alii plena.*] Pallad. lib 12. in Novemb tit. 1 pag. 161.

3. *Viciam quoque.*] Columella, lib. 2. cap. X I. *Viciæ autem duæ sationes sunt. Prima, quam pabuli causa circa æquinoctium autumnale serimus, septem modios ejus in unum jugerum. Secunda, qua sex modios mense Januario, vel etiam serius jacimus semini progenerando.... observandum erit, ne ante quintam & vigesimam Lunam terræ mandetur. Aliter sata fere limacem nocere comperimus.*

4. *Ciceronis.*] Exstat nunc ea in libro 1. de Divin num 15.

5. *Ter fruges.*] Vide Notas & Emend. num. X X V I I I.

6 *Quæ tibi usioni.*] Quod post tuum usum supererit. Vide Notas & Emend. num X X I X.

7. *Quod in miro usu.*] Q. Serenus Samonicus, cap. Uvæ,

CAP. XXVI. L X I I. Verum ut pariter omnis culturæ [1] quoddam breviarium peragatur, eodem tempore convenit & arbores stercorare, accumulare item vineas: [2] sufficit in jugerum opera: & ubi patietur loci ratio, arbusta ac vineas putare, seminariis solum bipalio præparare, [3] incilia aperire, aquam de agro pellere, [4] torcular lavare & recondere. A Ca-
5 lendis Novembris gallinis ova supponere nolito, donec bruma conficiatur. [5] In eum diem ternadena subjicito æstate tota, hieme pauciora, non tamen infra novena. Democritus talem futuram hiemem arbitratur, qualis fuerit brumæ dies, & circa eum terni: item solstitio æstatem. Circa brumam plerisque [6] bis septem, halcyonum fetura, ventorum quiete, mollius cælum: sed & in his & in aliis omnibus ex eventu significationum
10 intelligi sidera debebunt, non ad dies utique præfinitos exspectari tempestatum vadimonia.

L X I I I. [1] Per brumam vitem ne colito. Vina tum defæcari, [2] vel etiam diffundi Hyginus suadet, [3] a confecta ea septimo die, utique si septima Luna competat. [4] Cerasa circa brumam seri. [5] Bubus glandem tunc aspergi convenit in juga singula modios. Largior
15 valetudinem infestat, & quocumque tempore detur, si minus xxx. diebus continuis data sit, narrant verna scabie pœnitere. [6] Materiei cædendæ tempus hoc dedimus. Reliqua opera nocturna maxime vigilia constant, cum sint noctes tanto ampliores. [7] Qualos, crates, fiscinas texere: [8] faces incidere: ridicas præparare interdiu x x x. palos L x. [9] In lucubratione vespertina ridicas v. palos x. totidem antelucana.

20 L X I V. [1] A bruma in Favonium [2] Cæsari nobilia sidera significant, [3] tertio Calendas Januarii matutino Canis occidens. Quo die Atticæ & finitimis regionibus Aquila vesperi occidere traditur. Pridie Nonas Januarii Cæsari [4] Delphinus matutino exoritur, [5] & postero die Fidicula, quo Ægypto Sagitta vesperi occidit. Item ad v i. Idus Januarii ejusdem Delphini vespertino occasu continui dies hiemant Italiæ, & cum Sol in Aqua-
25 rium sentitur transire, [6] quod fere x v i. Calendas Februarii evenit: v i i i. Calendas [7] stella

Notæ.

faucibus, &c medendis:

Disce etiam mitram ex humili medicamine curam:
Actiaco melli jungas agreste papaver,
Decoctumque simul mandes, mansumque vorabis.

De vi papaveris somnifica dicetur inferius suo loco.

Sect. L X I I. 1. *Quoddam breviarium.*] Quod veteres summarium, Græci epitomen, nunc vulgus Compendium vocat. Hujus vocis usus apud Sueton. in Augusto, cap 101. & in Galba, cap. 12. Seneca, ep 39. pag. 241. *Commentarios, quos desideras, diligenter ornatos, & in angustum coactos, ego vero componam Sed vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam hæc quæ nunc vulgo Breviarium dicitur, olim cum Latine loqueremur, summarium vocabatur.*

2. *Sufficit.... opera.*] *Opera*, pro diurno opere, seu labore dici unius accipi, tralatitium est Sic Colum lib 2. cap. 13. *Pro modo cujusque agri quot operæ desiderentur.* Et mox: *Legumina occupant operas* L X. *id est, menses duos.* Et paulo ante: *Segetes sarriuntur sesquiopera.* Et lib. IX. cap 2. in Octobri: *Antiqui singulis operis singula jugera sarriri & arari volunt: quod an recte fieri possit, affirmare non ausim.* Galli dicunt, *par journées, les journées des ouvriers.*

3. *Incilia.*] Incilia sunt principia fossarum, quibus e flumine vel e lacu deduci aquæ possint. Cato, cap. 155. *Per hiemem aquam de agro depellere oportet ... Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, & incilia aperire, aquam deducere in vias, & segetem curare oportet, uti fluat.* Elices & sulcos aquarios appellat Columella, loc. cit. Incilia idem, lib. 5. cap 9. *Si olea in clivo sit, incilia excitentur, quæ limosam aquam deducant.*

4. *Torcular lavare.*] Vide Notas & Emend. num. X X X

5. *In eum diem.*] Vide lib. 10. sect. 74. & 75.

6. *Bis septem.*] Diebus scilicet circa brumam. Id vero plerisque ita visum ait, nam alius aliter. Columella, lib. X I. cap. 2. Halcyoneos dies in extremum Februarium rejiciente. *VIII. Calendas Maias*, inquit, *Halcyones dies vocantur: in Atlantico quidem mari summa tranquillitas notata est.*

Sect. L X I I I. 1. *Per brumam.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 35. *Septimo intervallo inter Vergiliarum occasum, & brumam .... vineas, arbustumque putare: dum in XV. diebus ante & post brumam .... ne facias.* Columella, lib de arboribus, cap. 5 *Per brumam vitem ne colito, &c.*

2. *Vel etiam diffundi.*] Quid sit vina diffundi, diximus lib 14. sect. 16.

3. *A confecta ea.*] Post brumam confectam.

4. *Cerasa.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 39 *Circiter solstitiam inseri ficum solet: nec non brumalibus diebus cerasus.*

5. *Bubus glandem.*] Cato, cap. 54 *Ubi sementim patraveris, glandem parari, legique convenit, & in aquam conjici. Inde semodios singulis bubus in dies dari oportet, &c.* Columella, lib. X I. cap 2. in Octobri *Glandis quoque non inutile est singulis jugis modios singulos dare: nec tamen amplius, ne laborent: nec minus diebus X X X. præbueris. Nam si paucioribus diebus detur, ut ait Hyginus, per ver scabiosi boves fiunt.*

6. *Materiei .... dedimus.*] Libro 16. sect. 74.

7. *Qualos, crates.*] Columella, lib. X I. cap. 2. in Decembri: *Sed etiam longis noctibus ad diurnum tempus aliquid adjiciendum est. Nam multa sunt quæ in lucubratione recte aguntur. Sive enim vineas possidemus, pali & ridicæ possunt dolari, exacuique .... sive palmæ spartive feconda est, fiscinæ, sportæque, sive virgultorum corbes ex vimine, &c.*

8. *Faces incidere.*] Virgilii hoc præceptum est, lib. 1. Georg. vers. 291.

Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.

9. *In lucubratione.*] Colum. lib. X I. cap 2. in Februar. pag 370. *Item ad lucubrationem vespertinam palos decem, vel ridicas quinque conficere: totidemque per antelucanam lucubrationem, &c.*

Sect L X I V. 1. *A bruma.*] Concinnavit Calendarium vetus Romanorum, notato ortu occasuque stellarum, ex hoc Plinii libro, e Columella, Ovidioque Fastis, Petavius noster in Uranologio, pag. 102 & seqq.

2. *Cæsari.... significant.*] Ex sententia Cæsaris, tempestatem, aut aliud quidpiam præsignificant. Frequens ea locutio & familiaris Ptolemæo, lib. de Appar. Καιομα ἐπισημαίνει. Καλίππῳ ἐπισημαίνει, &c. Simplex, at celebris vox apud Græcos, ἐπισημασία, *Præsignificatio*, seu simpliciter magis, *significatio*: quod sidera nempe, prout orirentur, aut occiderent, *significarent*, tum tempestates, quibus arandum, metendum, simile quid agendum foret: tum dies quibus speraretur, metueretur ve pluvia, ventus, aut is quæpiam in aere. Notanda hic Columellæ verba, lib. I X. cap. 2. pag. 369. *Siderum occasus tempestatem facit: interdum tantummodo significat.*

3. *Tertio Calend*] Colum. loc. cit. pag. 388. *Tertio Calend. Januarias Canicula vespere occidit, tempestatem significat. Quarto Calendas Januar. Aquila vespere occidit. hiemat.* De ortu & occasu stellarum matutino aut vespertino abunde egimus sect. 58

4. *Delphinus.*] Ovidio, lib. 1. Fastor. vers. 457. v i. Idus oritur matutino.

5. *Et postero die.*] Nempe Nonis. Ita Columella: *Nonis Januariis Fidis exoritur mane: tempestas varia.* Ovidius quoque, libr. 1. Fastor. vers. 315.

Institerint Nonæ · missi tibi nubibus atris
Signa dabunt imbres exoriente Lyra.

6. *Quod fere XVI.*] Columella, loc. cit. *XVII. Calend. Januar. Sol in Aquarium transit · Leo mane incipit occidere XVI. Calend. hiemat.* Plinio concinit Ovidius, lib. 1. Fastorum, vers. 651.

7. *Stella regia.*] Quæ & Cor Leonis a situ vocatur, & βασιλίσκος seu regulus: quod quibus ea in ortu præest, iis

Regia appellata Tuberoni in pectore Leonis occidit matutino. [8] Et pridie Nonas Februarias Fidicula vesperi. [9] Hujus temporis novissimis diebus, ubicumque patietur cæli ratio, terram ad rosarum & vineæ satum vertere bipalio oportet. Jugero operæ LX. sufficiunt. Fossas purgare, aut novas facere. [10] Antelucanis ferramenta acuere, manubria aptare, dolia quassa sarcire, [11] ipsorumque laminas scabendo purgare, aut novas facere. 5

LXV. 1. A Favonio in æquinoctium vernum Cæsari significat, XIV. Calendas Martii [1] triduum varie. [2] Et VIII. Calendas hirundinis visu, & postero die Arcturi exortu vespertino. Item tertio Nonas Martii Cæsar Cancri exortu [3] id fieri observavit. Major pars auctorum [4] Vindemitoris emersu, [5] octavo Idus Aquilonii Piscis exortu, & postero die Orionis. In Attica Milvum apparere observatur. Cæsar & [6] Idus Martias ferales sibi adnotavit [7] Scorpionis occasu: XV. vero Calendas Aprilis Italiæ [8] Milvum ostendi: duodecimo Calendas [9] Equum occidere matutino. 10

2. Hoc intervallum temporis [a] vegetissimum agricolis, maximeque operosum est, in quo præcipue falluntur. Neque enim eo die vocantur ad munia, quo Favonius flare debeat, sed quo cœperit. Hoc acri intentione servandum est. Hoc illo mense signum Deus haber, observatione minime fallaci aut dubia, si quis attendat. Unde autem spiret is ventus, quaque parte veniat, [10] diximus secundo volumine, & dicemus mox paulo operosius. Interim ab eo die (quisquis ille fuerit) quo flare cœperit, non utique VI. Idus Februarii, sed sive ante, [b] quando prævernat, sive post, quando hiemat: post eam diem, inquam, innumera rusticos cura distringat, & prima quæque peragantur, quæ differri nequeunt. [11] Trimestria serantur. Vites putentur, [12] qua diximus, ratione. Oleæ curentur. Poma serantur, inserantur que. Vineæ pastinentur. Semina digerantur, instaurentur alia. Arundines, salices, genistæ serantur, cædanturque. Serantur vero ulmi, populi, platani, [13] uti dictum est. Tum & segetes convenit purgare, sarrite hibernas fruges, maximeque far. [14] Lex certa in eo, [c] cum quatuor fibrarum esse cœperit. Faba vero non antequam trium foliorum. [15] Tunc quoque levi sarculo purgare verius, quam fodere. Florentem utique XV. primis diebus non attingere. [16] Hordeum nisi siccum ne sarrito. [17] Putationem æquinoctio peractam habeto. [18] Vineæ jugerum quaternæ operæ putant alligantque: in arbusto singulæ 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Vegetissimum.*] Vegetos maxime poscit agricolas, & maxima affert opera.

b *Quando prævernat.*] Quando ver præmature incipit.

c *Cum quatuor.*] Cum quatuor fibras habere radix cœperit.

NOTÆ.

regiam habere nativitatem videantur, inquit Geminus, Elem. Astron. cap. 2. pag. 12. Columella, lib. XI. cap. 2. in Januario: *VI Calend. Januar. Leonis quæ est in pectore clara stella occidit: nonnunquam significatur hiems bipartita.* Ovidio, ut videtur, lib. 1. Fastor. vers. 615. VIII. quoque Calend. Januar. ea stella occidit.

8. *Et pridie Nonas.*] Columellæ, *Tertio Nonas.*

9. *Hujus temporis.*] Columella, lib. XI. cap. 2. in Februar. pag. 371. & 372.

10 *Antelucanis.*] Columella, loc. cit. in Decembri.

11. *Ipsorumque laminas.*] MSS. omnes, *lanas.* Ut ut est, tabulas asseresque intelligit, quibus dolia compinguntur.

Sect. LXV. 1. *Triduum varie.*] Per triduum varia tempestas. Vide Notas & Emend. num. XXXI.

2. *Et VIII. Calendas.*] Subintellige, varia tempestas est, quo die hirundo conspicitur: & postero, quo Arcturus vespertino exoritur. Columella, loc. cit. *VII. Calendas Martias, Ventosa tempestas. hirundo conspicitur.* Ex quo hic forte, *Et VII. Calendas* scribendum, ut dixi lib. 2. sect. 47. Et prius: *IX. Calend. Mart. Arcturus prima nocte oritur: frigidus dies Aquilone vel Coro: interdum pluvia.* Arcturum biduo posterius oriri Plinius facit.

3. *Id fieri observavit.*] Nempe varium incertumque tempus. Et Colum. loc. cit. pag. 373. *IV. Nonas Martii, Favonius, interdum Auster, hiemat.*

4. *Vindemitoris.*] Ita MSS. Ovidius quoque lib. 3. Fast. vers. 407. *At non effugiet Vindemitor*, quem oriri is ait tertio Nonas Martias. Columella, sexto, loc. cit. *VI. Nonas Martii, Vindemiator apparet, quem Græci προτρυγητὴρ dicunt. Septemtrionales venti.* Emersum porro intellige, matutinum.

5. *VIII. Idus.*] Subintellige, ut prius, varia tempestas. Colomella, loc. cit. *III. Idus Martii, Piscis Aquilonius desinit oriri. Septemtrionales venti.* De exortu matutino hæc accipe.

6. *Idus Martias ferales.*] De Idibus Martiis, quo die Cæsar in Senatu dicitur interfectus, vide Plutarch. in Cæsare, pag. 737. Celebratum eo die Cæsaris funus fuisse, Plinius eo verbo indicat. At non eo pertinere nummum inscriptum, BRVT IMP. *Brutus Imperator*, cum vultu Bruti prioris: & altera parte, EID. MAR. cum pileo inter pugiones duos; jamdudum monuimus.

7. *Scorpionis occasu.*] Nempe vespertino. Columella, loc. cit. *Idibus Martii: Nepa incipit occidere: significat tempestatem.* Nepa, Scorpio est.

8. *Milvum ostendi.*] Oriri matutino. Milvum, alii Cycnum & Olorem: Milvium Naso vocat, unoque die ortum ejus stellæ anticipat: assignat enim decimo sexto Calendas Aprilis, lib. 3. Fastor. vers. 793.

Stella Lycaoniam vergit declivis ad Arcton
Milvius: hæc illa nocte videnda venit.
Quid dederit volucri, si vis cognoscere, cælum, &c.

9. *Equum occidere.*] Columella, loc. cit. pag. 374. *XII. Calendas Aprilis, Equus occidit mane.*

10. *Diximus secundo.*] Libro 2. sect. 46. & 47.

11. *Trimestria.*] Hæc hujus intervalli opera, quæ verna dicuntur, eadem Varro præcipit, lib. 1. de re rust. cap. 29. pag. 62. & cap. 30. Columella, lib. XI. cap. 2. in Februario, & Pallad. in Febr. tit. 3.

12. *Qua diximus.*] Libro 17. sect. 35.

13. *Uti dictum est.*] Libro 17. sect. 15. etsi de ulmis ibi, populis, fraxinisque actum est: non de platanis: sed & harum par ratio est: cum seminaria omne genus ut serantur hoc temporis intervallo, Varro præcipiat, loc. cit.

14. *Lex certa in eo.*] In sarriendo farre. Colum. lib. 2. cap. 12. *Triticum & adoreum, cum quatuor fibras habere cœperint, hordeum cum quinque: faba & cetera legumina, cum quatuor digitis a terra exstiterint, recte sarrientur.* Pallad lib. 2 in Januar. tit. 9. pag. 39. *Triticum & far sarritur quatuor foliorum: hordeum quinque*, &c.

15. *Tunc quoque*] Hæc vero non ad fabam tantum, verum ad omnia quæ sarriuntur, refert Columella, lib. 2. cap. 12. sicut & de florentibus non attingendis. *Curandum*, inquit, *ne florentem segetem tangamus: sed aut antea, aut mox cum defloruerit.*

16. *Hordeum.*] Columella, loc. cit. Vide Notas & Emend. num. XXXII.

17. *Putationem.*] Colum. lib. XI. cap. 2. *A Calendis Martiis eximia est vitium putatio, usque in decimum Calendarum Aprilium, si tamen se gemmæ nondum movrant.*

18. *Vineæ jugerum*] Columella, lib. de arboribus, cap. 5. *Jugerum valentis & jam constituta vinea quatuor operis putatur, sive alligatur. Arbusto nihil ejusmodi potest apte finiri*, &c.

operæ arbores xv. Eodem hoc tempore [19] hortorum rosariorumque cura est, quæ separatim proximis voluminibus dicetur: eodem & topiariorum. Tunc optime scrobes fiunt. Terra in futurum proscinditur, [20] Virgilio maxime auctore, ut glebas Sol coquat. Utilior sententia, quæ non nisi temperatum solum [21] in medio vêre arari jubet: [22] quoniam in pingui statim sulcos occupant herbæ, gracili insecuti æstus exsiccant: tum namque succum venturis seminibus auferunt. Talia autumno melius arari certum est.

3. [23] Cato verna opera sic definit: Scrobes fieri, seminaria propagari: in locis crassis & humidis ulmos, ficos, poma, oleas seri: prata stercorari [24] Luna sitiente, quæ rigua non erunt: ab afflatu Favonii defendi, purgari, herbas malas radicitus erui, ficus interpurgari, seminaria fieri, & vetera sarciri. Hæc antequam vinea florere incipiat. [25] Itemque piro florente arare incipiat macra arenosaque. Postea uti quæque gravissima & aquosissima, ita postremo arato. Ergo hæc aratio has habebit notas, [26] lentisci primum fructum ostendentis, ac piri florentis. Erit & tertia in bulborum satu, [27] scillæ. Item in coronamentorum, narcissi: namque & hæc ter florent, primoque flore primam arationem ostendunt, medio secundam, tertio novissimam, quando inter sese alia aliis notas præbent. Ac non in novissimis cavetur, ne fabis florentibus attingatur edera: id enim noxium & exitiale ei est tempus. Quædam vero & suas habent notas, sicuti ficus. Cum folia pauca in cacumine [28] acetabuli modo germinent, tunc maxime serendas ficus.

LXVI. 1. Æquinoctium vernum a. d. VIII. Calendas Aprilis peragi videtur. Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum, [1] Cæsari significant Calendæ Aprilis. III. Nonas Aprilis in Attica Vergiliæ vespere occultantur. Eædem postridie in Bœotia: Cæsari autem [2] & Chaldæis Nonis: Ægypto Orion & gladius ejus incipiunt abscondi. [3] Cæsari sexto Idus significatur imber Libræ occasu. [4] XIV. Calendas Maii Ægypto Suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens, & terra marique turbidum: decimosexto Atticæ: XV. Cæsari, continuoque triduo significat. Assyriæ autem XII. Calendas. Hoc est vulgo appellatum sidus [5] Parilicium, quoniam XI. Calendas Maii urbis Romæ natalis, quo fere serenitas redditur, claritatem observationi dedit: nimborum argumento Hyadas appellantibus Græcis has stellas. [6] Quod nostri a similitudine cognominis Græci propter sues impositum arbitrantes, imperitia appellavere Suculas. Cæsari a. d. VIII. Calendas [7] notatur dies. VII. Calendas Ægypto Hœdi exoriuntur: VI. Calendas Bœotiæ & Atticæ Canis vesperi occultatur, [8] Fidicula mane oritur: V. Calendas Assyriæ Orion totus absconditur, [9] tertio autem Canis: [10] VI. Nonas Maii Cæsari Suculæ matutino exoriuntur, & [11] VIII. Idus Capella pluvialis. Ægypto autem eodem die Canis vesperi occultatur. Sic fere in VI Idus Maii,

NOTÆ.

19. *Hortorum*, &c.] Colum. loc. cit *Rosarium serotinum perfossum & cultum habere jam tempus est.* Et paulo ante: *His diebus commode instruuntur horti*, &c.

20. *Virgilio*] Libro 1. Georg. vers. 63.

> *Ergo age terræ*
> *Pingue solum, primis extemplo a mensibus anni*
> *Fortes invertant tauri, glebasque jacentes*
> *Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.*

Primos anni menses appellat, quod paulo antea ver novum dixerat.

21. *In medio vere.*] Anni tempore jam incalescente, inquit Colum. lib. 2. cap. 4.

22. *Quoniam in pingui.*] Quæ duo gemino versu complexus est eleganter Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 69.

> *Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ:*
> *Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.*

23. *Cato verna.*] De re rust. cap 40. pag. 35. *Per ver hæc fieri oportet. Sulcos & scrobes fieri seminariis: vitiariis locum verti: In locis crassis & humectis ulmos, ficos, poma, oleas seri oportet*, &c.

24. *Luna sitiente.*] Cato, cap. 50. pag. 40. *Luna silente*, ut puto, mendose. De priore voce diximus lib. 17. sect. 8. Posteriorem Plinius ipse interpretatur, lib. 16. sect. 74. Catonis verba hæc sunt, quæ institutam a nobis loci hujus interpunctionem defendunt: *Prata primo vere stercorato, Luna silente, quæ irrigua non erunt. Ubi Favonius flare cœperit, tum prata defendito: depurgato, herbasque malas omnes radicitus effodito.... Ficos interputato, & in vinea ficos succidito alte.... Seminarium facito, & vetera resarcito. Hæc facito antequam vineam fodere incipias.*

25. *Itemque piro.*] Cato, cap. 131. pag. 68. *Dapem pro bubus piro florente facito. Postea verno arare incipito: ea loca primum arato, quæ rudecta arenosaque erunt: postea uti quæque gravissima atque aquosissima erunt, ita postremo arato.*

26. *Lentisci.*] Ut dictum est sect. 61.

27. *Scillæ.*] Subintellige, florentis. Nam uti lentiscum, sic etiam ter florere scillam Aratus prodidit, in Διοσημείαις:

> [illegible]
> [illegible]

De narcisso prodit idem Theophr. lib. 7 histor cap. 13. ut quidem videtur.

28. *Acetabuli modo.*] Cum frondes e gemma cœperint aperire se se, & explicare: ac calculorum similitudinem quamdam præ se ferre.

Sect. LXVI. 1. *Cæsari significant.*] Tempestatem. Scripserat in Calendario suo Cæsar, *Calendis Aprilis: Tempestas.*

2. *Et Chaldæis Nonis.*] Postridie Columellæ, lib. IX. cap. 2. pag. 375. *Octavo Idus Aprilis, Vergiliæ vespere celantur.*

3. *Cæsari sexto Idus.*] Biduo post Columellæ, loc. cit. *Quarto Idus Aprilis. Sole oriente Libra occidere incipit: interdum tempestatem significat.*

4. *XIV. Calend. Maii.*] Sic etiam Columellæ, loc cit. *XIV. Calendas Maias, Sucula se vespere celant: pluviam significat.*

5. *Parilicium.*] Ita MSS non *Palilicium*. Quoniam, cum sit natura pluvium sidus, tamen XI. Calend. Maii, quo Romæ Parilia, urbisque natales, celebrantur, serenitatem adducere solebat: ejusque idcirco observatio insignis fuit. *Parilia* melius scribi quam *Palilia*, tum MSS. omnes monent, tum fusius ipsi docebimus, lib 19 sect. 24.

6. *Quod nostri.*] Cujusdam Tullii Tironis in Pandectis verba Gellius recitat, lib. 13. cap. 9 pag 667. *Adeo, inquit, veteres Romani litteras Græcas nescierunt, & rudes Græcæ linguæ fuerunt, ut stellas, quæ in capite Tauri sunt, propterea Suculas appellarint, quod eas Græci ὑάδας vocant: tamquam id verbum Latinum Græci verbi interpretamentum sit: quia Græce ὕες sues Latine dicuntur. Sed ὑάδες οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, ita ut nostri Opici putaverunt, sed ab eo quod est ὕειν appellantur: nam & quum oriuntur & cum occidunt, tempestates, pluvias, largosque imbres cient. Pluere autem & Græca lingua ὕειν dicitur.* Ita ille: quem cum Gellius reprehendere conatur, nihil nisi nugas affert.

7. *Notatur dies.*] Tempestatem eo die significat

8. *Fidicula mane*] In nonum Calendas Fidiculæ ortum conjicit Columella, loc. cit.

9. *Tertio autem.*] Postero die Columella, loc. cit *Pridie Calendas Maias, Canis se vespere celat: tempestatem significat.*

10. *VI. Nonas Maii.*] Et Columella, loc. cit. pag. 376. *VI. Nonas Maias Sucula cum Sole exoritur.*

11. *Et VIII. Idus Capella pluvialis.*] Ipsis Maii Calendis

qui est [11] Vergiliarum exortus, decurrunt sidera.

2. [13] In hoc temporis intervallo, XV. diebus primis agricolæ rapienda sunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non suffecerit, [14] dum sciat inde natam exprobrationem fœdam, putantium vites, per imitationem cantus [15] alitis temporarii, quem cuculum vocant. Dedecus enim habetur, opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id [16] petulantiæ sales etiam cum primo vere ludantur. Auspicio tamen detestabiles videntur. Adeo minima quæque in agro naturalibus trahuntur argumentis. [17] Extremo autem hoc tempore panici miliique satio est. Justum est hoc seri maturato hordeo: Atque etiam in eodem arvo est signum illius maturitati, & horum sationi commune, lucentes vespere per arva [18] cicindelæ. Ita appellant rustici stellantes volatus, Græci vero lampyridas, incredibili benignitate Naturæ.

CAP. XXVII.

LXVII. [1] Jam Vergilias in cælo notabiles caterva fecerat: non tamen his contenta, terrestres fecit alias, veluti vociferans: Cur cælum intuearis agricola? cur sidera quæras rustice? jam te breviore somno fessum premunt noctes. Ecce tibi inter herbas tuas spargo [2] peculiares stellas, easque vespere & [3] ab opere disjungenti ostendo: ac ne possis præterire, miraculo [a] sollicito. Videsne ut fulgor igni similis alarum compressu tegatur, secumque lucem habeat & nocte? Dedi tibi herbas horarum indices: [4] & ut [b] ne Sole quidem oculos tuos a terra avoces, heliotropium ac lupinum circumaguntur cum illo. Cur etiam nunc altius spectas, ipsumque cælum scrutaris? Habes ante pedes tuos [5] ecce Vergilias. In certis eæ diebus proveniunt, durantque [c] fœdere sideris hujusce: partumque eas illius esse certum est. Proinde quisquis æstivos fructus ante illas severit, ipse frustrabitur sese. Hoc intervallo & apicula procedens fabam florere indicat: fabaque florescens eam evocat. Dabitur & aliud finiti frigoris indicium. [6] Cum germinare videris morum, injuriam postea frigoris timere nolito.

2. [7] Ergo opera, taleas olivarum ponere, ipsasque oleas [8] interradere, rigare prata, æquinoctii diebus primis. Cum herba creverit in festucam, arcere aquas: vineas pampinare. [9] Et huic lex sua, cum pampini quatuor digitos longitudine expleverint. Pampinat una opera jugerum. [10] Segetes iterare. Sarritur vero diebus viginti. Ab æquinoctio sartura nocere & vineæ & segeti æstimatur. [11] Et oves lavandi hoc idem tempus est.

3. A Vergiliarum exortu significant Cæsari, [12] postridie Arcturi occasus matutinus:

Interpretatio.

a *Sollicito.*] Hoc te *prætereuntem fulgore* sollicito ac moneo.

b *Ne Sole.*] Ne Solis quidem causa.

c *Fœdere.*] Quasi icto fœdere cum Vergiliis.

Notæ.

oriri Ovidius censet, lib. 5. Fastor. vers. 112.

Ab Jove surgat opus: prima mihi nocte videnda
Stella est in cunas officiosa Jovis.
Nascitur Oleniæ sidus pluviale Capellæ:
Illa dati cælum præmia lactis habet.

12. *Vergiliarum exortus*] Nempe matutinus. Columella, loc. cit. *Nonis Maii Vergiliæ exoriuntur mane. . . . VI. Idus, Vergiliæ tota apparent.* Ovidius, lib 5, Fastor. vers. 599.

Pleiadas aspicies omnes, totumque sororum
Agmen, ubi ante Idus nox erit una super.
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit æstas:
Et tepidi finem tempora veris habent.

13. *In hoc temporis.*] Columella, loc. cit.

14. *Dum sciat inde natam.*] Probro nimirum solebat objici vindemiatoribus, si cuculus eos deprehendisset putantes vineam: & a viatoribus cuculi vocabantur, per imitationem cantus hujus avis. Horatius, lib. 1. Satyra 7. vers. 28.

Tum Prænestinus salso multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator & invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.

Ubi Porphyrio: *Solent*, inquit, *rustici circa viam arbusta vindemiantes, a viatoribus cuculi appellari: quum. illi provocati tantam verborum amaritudinem in eos effundunt, ut viatores illis cedant, contenti eos cuculos iterum atque iterum appellare.* Deridebatur itaque vinitor, & appellabatur avis pigra, ac nidi sui immemor.

15. *Alitis temporarii.*] Est enim cuculus avis æstiva. Vide quæ dicta sunt libro 10 sect. XI.

16. *Petulantiæ sales.*] Suadet pudor, ut multo malim ex alio te, optime lector, quam ex me discere, quos petulantiæ sales appellet. Itaque, si ita lubet, Erasmum adi, Chiliad. 4. Cent. 5. Adag. 84 *Cuculus*. pag. 869.

17. *Extremo autem.*] Confer ista cum iis quæ habet Columella lib. 2. cap. 9. fere sub finem, de milii ac panici satione.

18 *Cicindelæ.*] De his lib. XI. sect. 34. *Stellantes volatus* lepide appellat lucida stellularum instar animalcula, quæ subsiliant ac volitent.

Sect. LXVII. 1. *Jam Vergilias.*] In Galliis vulgus appellat, *La Poussiniere.*

2. *Peculiares stellas*] Nimirum cicindelas.

3. *Ab opere disjungenti.*] Cum vesperi cessas ab opere rustico.

4. *Et ne ne Sole.*] Ne vel propter Solem cælum aspicias.

5. *Ecce Vergilias.*] Cicindelas, quæ cum Vergiliarum tempore oriantur, instar earum esse possint.

6. *Cum germinare.*] Ideo sapientissima arborum dicta morus, quod nisi exacto frigore non germinat, ut dictum est lib. 16. sect. 41. Passeratius in eam rem carmine singulari de moro:

Sit pudor infantis, Morus sapit, illa doloso
Nil temere credit zephyro: nam veris adulti
Jam certum exspectans Solem, non germinat ante,
Frigoris infesti quam cuncta recesserit aura:
Tum floretque, viretque simul. longæque rependit
Damna moræ: atque una totam se nocte profundit:

Et mox:

Insidias cœli ne tunc vereare serenî
Amplius, & vasto quæ cæca pericula ponto:
Ut bene subductam deducas navita puppim,
Sunt tibi Vergiliæ, videns cum germine mori.

7. *Ergo opera.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap 31.

8. *Interradere.*] Sive ut Cato loquitur, cap. 150. *interputare.* Egimus de hac voce lib. 15. sect. 2. Columella, lib. XI. cap. 2. pag 376. *Oleæ putantur, & emuscantur.* Palladius in Maio, tit. 4. pag. 116. *Nunc locis prægelidis & pluviosis oleæ putantur, & eis muscus abraditur.*

9. *Et huic lex sua.*] Columella, lib. de arboribus, cap. 5. *Vineam novellam omnes gemmas agere finito: simul atque pampinus instar quatuor digitorum erit, tum demum pampinato, &c.*

10. *Segetes iterare.*] Iterato sarrire. Vide Columellam, lib. 2. cap. 12.

11. *Et oves lavandi.*] Colum. lib. XI. cap. 2. in Aprili: *Oves Tarentinæ radice lanariæ lavari debent, ut tonsuræ præparentur.*

12. *Postridie Arcturi.*] Hoc est, v. Idus Maias, occidit matutino Arcturus. Et hic occasus tempestatem significat. Nam

[13] tertio Idus Maii Fidiculæ exortus: XII. Calendas Junii Capella vesperi occidens, & in Attica Canis. XI. Calendas Cæsari Orionis gladius occidere incipit: tertio Nonas Junii Cæsari & Assyriæ Aquila vesperi oritur: [14] octavo Idus Arcturus matutino occidit, Italiæ sexto: & quarto Idus Delphinus vesperi exoritur: decimo septimo Calendas Julii gladius Orio-
5 nis oritur, quod Ægypto post quatriduum. Undecimo Calendas, ejusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit. VIII. Calendas Julii vero longissima dies totius anni, & nox brevissima solstitium conficiunt.

4. In hoc temporis intervallo vineæ pampinantur: curaturque ut vinea vetus semel fossa sit, bis novella. Oves tondentur: lupinum stercorandi causa vertitur: terra proscindi-
10 tur: vicia in pabulum secatur: faba metitur, [15] dein concutitur.

CAP. XXVIII. Prata circa Calendas Junii cæduntur, quorum facillima agricolis cura ac minimi impendii, hæc de se postulat dici. [16] Relinqui debent in læto solo vel humido, vel riguo, eaque aqua pluvia rigari via publica. Utilissimum simul & herbæ arare, deinde cratire, serere florem ex fenilibus, atque ex præsepibus feno dilapsum spargere, prius quam cratiantur.
15 Nec primo anno rigari, [17] nec pasci ante secunda fenisecia, ne herbæ vellantur, obtritu- que hebetentur. [18] Senescunt prata, restituique debent faba in his sata, vel rapis, vel milio. Mox insequente anno frumento, rursusque in prata tertio relinqui. Præterea quoties secta sint, [19] siciliri, hoc est, quæ fenisecæ præterierunt, secari. Est enim in primis inutile, enasci herbas [20] sementaturas. Herba optima in prato trifolii, proxima graminis,
20 [21] pessima nummuli, siliquas etiam diras ferentis. Invisa [22] & equisetis est, a similitudine equinæ setæ. Secandi tempus, cum spica deflorescete cœpit, atque roborari: [23] secandum antequam inarescat. [24] Cato fenum, inquit, ne sero feces: prius quam semen maturum sit, secato. Quidam pridie rigant, ubi sunt rigua. [25] Noctibus roscidis secari melius. Quædam partes Italiæ post messem secant.

25 5. Fuit hoc quoque majoris impendii apud priores. [26] Creticis tantum transmarinisque cotibus notis, nec nisi oleo falcis aciem excitantibus. Igitur cornu propter oleum ad crus ligato fenisex incedebat. Italia aquarias cotes dedit, limæ vice imperantes ferro. Sed aquariæ protinus virent. Falcium ipsarum duo genera: Italicum brevius, ac vel inter vepres quoque tractabile. Galliarum latifundia majoris compendii: quippe medias cædunt her-
30 bas, brevioresque prætereunt. Italus fenisex dextra una manu secat. [27] Justum est una opera jugerum in die desecari: alligarique manipulos mille ducentos, quaterna pondo. [28] Sectum verti ad Solem, nec nisi siccum construi oportet: nisi fuerit hoc observatum diligenter, exhalare matutino nebulam quamdam, [29] metasque mox Sole accendi, & conflagrare certum est. [30] Rursus rigari desecta oportet, ut secetur autumnale fenum,
35 quod vocant cordum. Interamnæ in Umbria quater anno secantur: etiam non rigua. Ter vero plerisque in locis: & postea [31] in ipso pabulo non minus emolumenti est, quam a

NOTÆ.

▼I Idus Vergiliæ oriuntur.

13. *Tertio Idus.*] Colum. loc cit. *Tertio Idus Maias, Fidis oritur, significat tempestatem.*

14. *Octavo Idus Arcturus.*] Colum. loc cit.

15. *Dein concutitur.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXIII.

16. *Relinqui debent.*] In herbæ fenique proventum summitti. Tractat hæc etiam Columella, lib. 2. cap 17. pag. 74. Palladius in Septembri, tit 10.

17. *Nec pasci ante.*] Nec immitti pecora nisi post fenisecia anni secundi. Columella, lib. 2. cap 18. pag. 76. *Nec pecora quidem oportet teneris adhuc & subsidentibus pratis immittere: sed quoties herba prosilierit, desecare. Nam pecudes molli solo infigunt ungulas, atque interruptas non sinunt herbarum radices serpere, & condensare. Altero tamen anno minora pecora post fenisecia permittemus admitti..... Tertio deinde, cum pratum solidius ac durius erit, poterit etiam majores recipere pecudes*, &c.

18. *Senescunt prata.*] Eleganter hæc Columella, lib. 2. de re rust. cap. 18 pag. 75. *Igitur eum locum, quem prato destinaverunt*, &c & Palladius, loc. cit.

19 *Siciliri.*] Hinc sicilimenta de prato Cato vocat, lib. de re rust. cap 5. ea desegmina. Veteres *sicilire* pro *secare* usurpabant Varro, lib de re rust. cap. 49. pag. 68 *Quo facto siciliendа prata, id est, falcibus consectanda quæ fenisecæ præterierunt: ac quasi barba tuberosum reliquerunt campum.*

20. *Sementaturas.*] Sementare est semen producere, Gallis, *Greiner, venir à grene*

21. *Pessima nummuli.*] Haud satis compertum herbæ genus. Vide Notas & Emend. num XXXIV.

22. *Et equisetis.*] De qua lib 26. sect. 83. *Equisetum hippuris a Græcis dicta, & in pratis vituperata nobis, &c.*

23. *Secandum.* Columella, lib 2. cap. 19. pag. 77. *Fenum autem demetitur optime ante quam inarescat: nam & largius percipitur, & jucundiorem cibum pecudibus præbet.*

24. *Cato.*] Cap. 53. pag. 41. *Fenum, ubi tempus erit, secato: caveto que ne sero feces. Priusquam semen maturum siet, secato: & quod optimum fenum erit, seorsum condito.*

25. *Noctibus roscidis.*] Virgil lib. 1. Georg. vers. 289.
Nocte leves stipulæ melius, nocte arida prata
Tondentur: noctes lentus non deficit humor.

26. *Creticis tantum.*] Cum ad acuendas falces non nisi Creticis & trans mare vectis cotibus usus foret. De his cotibus, lib. 36. sect. 47. ubi & de aquariis dicetur.

27. *Justum est.*] Columella, lib. XI. cap. 2. in Maio: *Per hos dies fenisecia instituenda. Bonus operarius prati jugerum desecat, nec minus mille ducentos manipulos unus obligat, qui sint singuli quaternarum librarum.*

28. *Sectum verti.*] Columella, lib. 2. cap. 19. *Nonnunquam etiam cum cecidimus, imber oppressit: quod si permaduit, inutile est udum movere, meliusque patiemur superiorem partem Sole siccari: tunc demum convertemus*, &c.

29. *Metasque mox.*] Columella, lib. 2. cap. 19. *Est autem modus in siccando, ut neque perаridum, neque rursus viride colligatur: alterum, quod omnem succum si amisit, stramenti vicem obtinet: alterum, quod si nimium retinuit, in tabulato putrescit: ac sæpe concalescit, ignem creat & incendium.... Certe quidquid ad eum modum, quo debet, siccatum erit, in metas exstrui conveniet, easque ipsas in acutissimos vertices exacui. Sic enim commodissime fenum defenditur a pluviis: quæ etiamsi non sint, non alienum tamen est prædictas metas facere, ut si quis humor herbis inest, exsudet, atque excoquatur in acervis.* Meta porro dicitur feni congeries vel strues in acutissimum verticem exacuta.

30. *Rursus rigari.*] Colum. lib 2. cap. 18. totidem verbis.

31. *In ipso pabulo*] Columella, lib. 2. cap. 17. *Pratum*, inquit, *minime sumptus egens, per omnes annos præbet reditum: neque eum simplicem: cum etiam in pabulo non minus reddat, quam in feno.*

feno.

feno. Armentorum id cura, jumentorumque progeneratio suum cuique consilium dabit, optimo maxime quadrigarum quæstu.

LXVIII. [1] Solstitium peragi in octava parte Cancri, & octavo Calendas Julii diximus. Magnus hic anni cardo, magna res mundi. In hoc usque a bruma dies creverunt, sex mensibus. Sol ipse ad Aquilonem scandens, ac per ardua enisus ab ea meta incipit 5 flecti, & digredi ad Austrum, aucturus noctes aliis sex mensibus, ablaturusque diei mensuram. Ex hoc deinde rapiendi convehendique fructus alios atque alios tempus, & præparandi se contra sævam feramque hiemem: decebatque hoc discrimen indubitatis notis signasse Naturam. Quamobrem eas manibus ipsis agricolarum ingessit, vertique jussit ipsa die folia, [2] & esse confecti sideris signum: nec silvestrium arborum remotarumque, ne 10 in saltus devios montesque eundum esset quærentibus signa: non rursus urbanarum, & quæ topiario tantum coluntur, quanquam & in his illa visantur. Vertit oleæ ante pedes satæ, vertit tiliæ ad mille usus petendæ: vertit populi albæ etiam vitibus nuptæ. Adhuc parum, inquit: ulmum vite dotatam habes: & hujus vertam. [3] Pabulo folia ejus stringis, vitem deputas. Aspice, & tenes sidus. Alia parte cælum respiciunt, quam qua spectavere 15 pridie. Salice omnia alligas, humillima arborum, ipse toto capite altior: & hujus circumagam. Quid te rusticum quereris? Non stat per me, quominus cælum intelligas, & cælestia scias. Dabo & auribus signum. Palumbum utique exaudi gemitus. Transisse solstitium caveto putes, nisi cum incubantem videris palumbum.

3. A solstitio ad Fidiculæ occasum sexto Calendas Julii Cæsari Orion exoritur: zona 20 autem ejus quarto Nonas Assyriæ: Ægypto vero Procyon matutino æstuosus: quod sidus apud Romanos non habet nomen, [4] nisi Caniculam hanc velimus intelligi, hoc est, minorem canem, ut in astris pingitur. [5] Est autem magnopere pertinens, [6] sicut paulo mox docebimus. [7] Tertio Nonas Chaldæis Corona occidit matutino, Atticæ Orion totus eo die exoritur. Pridie Idus Julii & Ægyptiis Orion desinit exoriri: XVI. Calend. Augusti As- 25 syriæ Procyon exoritur, [8] Dein postridie fere ubique, confessum inter omnes sidus indicans, quod Canis ortum vocamus, [9] Sole partem primam Leonis ingresso. Hoc fit post solstitium [10] XXIII. die. [11] Sentiunt id maria, & terræ, multæ vero & feræ, [12] ut suis locis diximus. Neque est minor ei veneratio, quam descriptis in Deos stellis. Accenditque Solem, & magnam æstus obtinet causam. [13] XIII. Calendas Augusti Ægypto Aquila occidit 30 matutino, [14] etesiarumque prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar X. Calendas sentire Italiam existimavit. [15] Aquila Atticæ matutino occidit: III. Calendas regia in pectore Leonis stella matutino [16] Cæsari immergitur. [17] VIII. Idus Aug. Arcturus medius occidit:

NOTÆ.

Sect. LXVIII 1. *Solstitium .... diximus.*] Libri hujus sect. 59.

2. *Et esse confecti.*] Confecti solstitii. Sic lib. 16. sect. 36. *Mirum in primis id, quod ulmo, tiliæque, & oleæ, & populo albæ, & salici evenit. Circumaguntur enim folia earum post solstitium: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum.* Vide etiam Varronem, lib. 1. de re rust. cap. 46. Gellium quoque, lib. 9. cap. 7. pag. 471. *Volgo & scriptum*, inquit, *& creditum est, folia olearum arborum brumali & solstitiali die converti: & quæ pars eorum fuerat inferior atque occultior, eam supra fieri atque exponi ad oculos, & ad Solem, quod nobis quoque semel atque iterum experiri volentibus ita esse propemodum visum est.* Adde & Schol. Nicandri in Theriac. pag. 32. Ἡ ἐλαία τὴν γλαυκὴν τῶν φύλλων ἄνω ἔχει ἐν θέρει ... πέλλα, χειμῶνος.

3. *Pabulo.*] Jumentorum. Vide quæ diximus lib. 16. sect. 38. nota 13. Stringere porro folia dici pro decutere, tralatitium est. Virgilius in Eclogis:

Hic ubi densas
Agricolæ stringunt frondes.

4. *Nisi Caniculam.*] Nisi Caniculam, inquit, appelles, quæ vox minorem canem sonat. Caniculam Plinius vocat, quem alii Σείριον, quæ stella lucidissima est, & flagrantissima in ore majoris Canis: quæ & Προκύων dicta est, quod ante Canem oritur. Ita Galenus, lib. 1. Epidemicon Hippocr. Sirium ἀντίκυνα vocat ... inquit, ... ὁ ἐπὶ τῷ στόματι ἄστρον Σείριος, ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι Προκύονα. Sirium addit appellari a nonnullis κύνα, quod totius nomen est sideris: rectius tamen *Antecanem*, ἀντίκυνα appellari, quam canem. Hæc & alia multa Lælius Bisciola Soc. Jesu, libro 12. horar. Subcesivar tom. 2. cap. 2. *Est enim benignum*, (Plinii verbis utor) *& plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, non ut plerique faciunt. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse* a Salmasio in Solin. pag. 430. hæc aliaque quam plurima ex Bisciola transcripta ad verbum, *nec* Bisciolam *tamen nominatum*.

5. *Est autem.*] Magna vis hujus sideris est, lateque pertinet, magna efficientia. Vide Notas & Emendationes, num. XXXV.

6. *Sicut paulo mox.*] His verbis proxime fere sequentibus: *Sentiunt id maria .... & magnam æstus obtinet causam.*

7. *Tertio Nonas.*] Columella, lib. XI. cap. 2. pag. 378. *Quarto Nonas Julias Corona occidit mane.*

8. *Dein postridie.*] Hoc est, XV. Calendas Augusti. Sic ipse, lib. 2. sect. 47. *Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV. ante Augustas Calendas est.* Adde his ea quæ ibi diximus. Vide Notas & Emend. num. XXXVI.

9. *Sole partem primam.*] Hoc ex veterum sententia scripsit. Reipsa anno primo Juliano, ortus Sirii matutinus heliacus, de quo nunc sermo est, Romæ contigit in gradu Leonis 7. 43′ Augusti fere 2. Nunc in Leonis 20. 40′ incurrit, Augusti circiter 14. Itaque Canicularium dierum initium ab ortu illo heliaco descivit: ac semper longius deinde recedet. Hanc μετάπτωσιν orbis stellati, seu progressionem astrorum in consequentia, prisca ætas ignorabat: ideoque designatos semel a majoribus suis ortus occasusque constanter tenebat.

10. *XXIII. die.*] Hoc iterum repetit sect. seq. Est igitur is dies XVIII. Julii, sive ut dictum est lib. 2. sect. 47. XV. Calendas Augusti.

11. *Sentiunt id maria.*] De hoc argumento vide Geminum, cap. 14. pag. 58. & Petavium, lib. 2. Var. Dissert. cap. 10. in Uranol. pag. 101.

12. *Ut suis locis diximus.*] Libro 2. sect. 40. & libro 9. sect. 25. His adde ea quæ Cicero habet, lib. 1. de Divin. pag. 209. & Manil. lib. 1. vers. 388.

13. *XIII. Calend. Augusti.*] Vide Notas & Emend. num. XXXVII.

14. *Etesiarumque.*] De his egimus lib. 2. sect. 47.

15. *Aquila Atticæ.*] Columella quoque, lib. XI. cap. 2. pag. 379. *Tertio Calendas Augustas Aquila occidit, tempestatem significat.*

16. *Cæsari immergitur.*] Matutinum exortum hæc verba demonstrant, quem pridie Columella statuit: loc. cit. *Quarto Calendas Augusti, Leonis in pectore clara stella exoritur, interdum tempestatem significat.* In MSS. *immergit.* Mallem, *emergit.*

17. *VIII. Idus Aug.*] Columella, pag. 380. *VII. Idus Augusti Aquarius, (lege Arcturus) occidit medius: nebulosus æstus.*

III. Idus Fidicula occasu suo autumnum inchoat, uti is adnotat: sed ut vera ratio id fieri invenit, sexto Idus ejusdem.

3. In hoc temporis intervallo res summa vitium agitur, decretorio uvis sidere illo, quod Caniculam appellavimus. [18] Unde carbunculare dicuntur, ut quodam uredinis carbone exustæ. Non comparantur huic malo grandines, procellæ, [19] quæque numquam annonæ intulere caritatem. Agrorum quippe mala sunt illa: carbunculus autem regionum late patentium, non difficili remedio, nisi calumniari Naturam rerum homines, quam sibi prodesse, mallent. [20] Ferunt Democritum, qui primus intellexit, ostenditque cum terris cæli societatem, spernentibus hanc curam ejus opulentissimis civium, prævisa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, [21] qua diximus ratione, ostendemusque jam plenius, magna tum vilitate propter spem olivæ, coëmisse in toto tractu omne oleum, mirantibus qui paupertatem & quietem doctrinarum ei sciebant in primis cordi esse. Atque ut apparuit causa, & ingens divitiarum cursus, [22] restituisse mercedem anxiæ & avidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cum vellet, fore. Hoc postea [23] Sextius e Romanis sapientiæ affectatoribus Athenis fecit eadem ratione. Tanta litterarum occasio est: quas equidem miscebo agrestibus negotiis, quam porero dilucide atque perspicue. Plerique dixere rorem inustum Sole acri, frugibus rubiginis causam esse, & carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, Sole innoxio. Id manifestum fiet attendentibus. Nam primum omnium non hoc evenire, nisi noctibus & ante Solis ardorem, deprehenditur, [24] totumque lunari ratione constat: quoniam talis injuria non fit nisi interlunio, plenave Luna, hoc est, prævalente: utroque enim habitu plena est, [25] ut sæpius diximus: sed interlunio omne lumen, quod a Sole accepit, cælo regerit. Differentia utriusque habitus magna, sed manifesta: namque interlunio æstate calidissima est, hieme gelida. E diverso in plenilunio æstate frigidas facit noctes, hieme tepidas. Causa evidens: sed alia redditur a Fabiano, Græcisque auctoribus. Æstate enim interlunio necesse est cum Sole nobis proximo circulo currat, igne ejus cominus recepto candens: eademque interlunio absit hieme, quando abscedit & Sol. Item plenilunio æstivo procul abeat adversa Soli: hieme autem ad nos per æstivum circulum accedat. Ergo per se roscida quoties alget, infinitum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat.

LXIX. 1. Ante omnia autem duo genera esse cælestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur: quæ cum acciderint, [1] vis major appellatur. Hæc ab horridis sideribus exeunt, ut sæpius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hœdis. Alia sunt illa, quæ silente cælo serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt. Publica hæc, & magnæ differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero sterilitatem. De his nunc dicimus, a nullo ante nos prodita, priusque causas reddemus.

CAP. XXIX. 2. Duæ sunt præter lunarem, paucisque cæli locis constant, Namque Vergiliæ privatim attinent ad fructus, [2] ut quarum exortu æstas incipiat, occasu hiems, semestri spatio intra se messes vindemiasque & omnium maturitatem complexæ. Est præterea in cælo, qui vocatur lacteus circulus, etiam visu facilis. [3] Hujus defluvio, velut ex ubere aliquo, sata cuncta lactescunt, duorum siderum observatione, Aquilæ in septemtrionali parte, & in austrina Caniculæ, cujus mentionem [4] suo loco fecimus. Ipse circulus fertur per Sagittarium atque Geminos, Solis centro bis æquinoctialem circulum secans,

NOTÆ.

Pridie Idus Augusti, Fidis occidit mane, & Autumnus incipit.

18. *Unde carbunculare.*] De carbunculatione diximus lib. 17. sect. 37.

19. *Quæque numquam.*] Sic MSS. quos vidimus. Forte, *quæque umquam.*

20. *Ferunt Democritum.*] Thaleti hoc Cicero adscribit, lib. 2. de Divin. pag. 201. Arist. quoque, lib. 1. Polit cap 7. & Laertius in Thalete. Plinius omne oleum coemisse ait: Cicero, omnem olivam, antequam florere cœpisset: Aristoteles & Laertius, τὰ ἐλαιουργεῖα, hoc est, trapeta sive torcularia oleo premendo.

21. *Qua diximus.*] Initio sect superioris.

22. *Restituisse mercedem.*] Ita MSS. Forte sincerius, *mercem.*

23. *Sextius.*] De eo Seneca, epist. 59. pag. 288. *Sextium ecce cum maxime lego, virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philosophantem*, &c. *Q. Sextium patrem* appellat, ep. 64. pag 295.

24. *Totumque Lunari.*] A Luna vitium rubiginis oritur. Theophr. lib. 3. de caussis, cap. 27. pag. 292. Ἡ δ' ἐρυσίβη, ... ὑπὸ τῆς σελήνης ... *olov τῷ θερμῷ ... Rubigo autem putredo quædam est: nec putridum esse quidquam potest sine alieno calore. Triticum plenilunii potissimum rubiginem capit. Ratio in calore est, quo etiam noctu Luna putrefacere potest.*

25. *Ut sæpius diximus.*] In primis libro 2. sect. 6. ubi *in ipso coitu non cerni* Lunam admonet, *quoniam haustum omnem lucis aversa illo regerat, unde acceperat.*

Sect. LXIX. 1 *Vis major.*] Græci θεοῦ βίαν vocant; Latine vim divinam dixit Ulpianus, leg. *fluminum.* §. *Sextus*; Dig. *damni infecti.* Idem, leg. 19. Dig. tit. a *locati conducti*, §. *Ex conducto*, vim tempestatis calamitosæ Et §. *Culpæ autem*, eodem titulo: *Vis major quam Græci θεοῦ βίαν appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus quam tolerabile est, læsi fuerint fructus.* Cœli vim majorem appellat Colum. lib 1. cap. 7.

2. *Ut quarum exortu*] Sic Aratus, & qui Aratum transtulere, Tullius & Avienus. Vide Petavium, lib. 2. Var. Dissert cap. 9 in Uranolog. pag. 100.

3. *Hujus defluvio*] Hoc veterum commentum hodie merito Philosophi rident. Vide Fromondum, lib 2. Meteorol. art ult. pag 86.

4. *Suo loco fecimus.*] Sect. sup circa initium. Mox centra

commissuras eorum obtinente hinc Aquila, illinc Canicula. Ideo effectus utrinsque ad omnes frugiferas pertinent terras: quoniam in his tantum locis Solis terræque centra congruunt. Igitur horum siderum diebus, si purus atque mitis aër genitalem illum lacteumque succum transmiserit in terras, læta adolescunt sata. Si Luna, [5] qua dictum est ratione, roscidum frigus asperserit, admixta amaritudo, ut in lacte, [6] puerperium necat. Modus in terris hujus injuriæ, quem fecit in quacumque convexitate comitatus utriusque causæ. Et ideo non pariter in toto orbe sentitur, ut nec dies. [7] Aquilam diximus in Italia exoriri a. d. XIII. Calendas Januarii. Nec patitur ratio Naturæ quidquam in satis ante eum diem spei esse certæ. Si vero interlunium incidat, omnes hibernos fructus & præcoces lædi necesse est.

3. Rudis fuit priscorum vita atque sine litteris: non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem apparebit, quam nunc esse rationem. Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos, [8] Rubigalia, [9] Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur a. d. septimum Calendas Maii, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. [10] Hoc tempus Varro determinat Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quod [11] post dies undeviginti ab æquinoctio verno, [12] per id quatriduum, varia gentium observatione in IV. Calendas Maii, Canis occidit, sidus [13] & per se vehemens, & cui [14] præoccidere caniculam necesse sit. Itaque iidem Floralia quarto Calendas ejusdem instituerunt, [15] Urbis anno DXVI. ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges & omnia quæ florebunt, lædi necesse erit. Vinalia priora, quæ ante hos dies sunt IX. Calendas Maii [16] degustandis vinis instituta, nihil ad fructus attinent: nec quæ adhuc diximus, ad vites oleasque: quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit a. d. VI. Idus Maii, [17] ut docuimus. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint: exhorrent enim frigidum sidus Arcturi [18] postridie occidens: & multo minus plenilunium incidere.

4. [19] IV. Nonas Junii iterum Aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium in eum incidat. Equidem & solstitium VIII. Calendas Junii simili causa duxerim, & Canis ortum post dies a solstitio XXIII. sed interlunio accidente: [20] quoniam vapore constat culpa, [21] acinique præcoquuntur in callum. Rursus plenilunium nocet a. d. IV. Nonas Julii, cum Ægypto Canicula exoritur; [22] vel certe

NOTÆ.

Solis ac terræ vocat, cæli terræque partem mediam a Sole signatam, cum circulum æquinoctialem describit.

5. *Qua dictum est.*] In fine sect. sup.

6. *Puerperium necat.*] Puerperium de prole quoque ipsa, fetuque, dicitur. Plinius, lib. 7. sect. 9. *Uno partu duodecim puerpera egesta.* Et sect. 3. *Aut puerpera, aut puerperio.*

7. *Aquilam diximus.*] Ante mensem Januarium, sed non appellato die, oriri Aquilam subobscure innuit, libro 16. sect. 45. ubi amygdalam concipere Aquila exoriente ait, eamdem florere mense Januario.

8. *Rubigalia.*] Varro, lib. 5. de ling. Lat. pag. 47. *Robigalia dicta ab Robigo. Secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.* Paulus ex Festo: *Robigalia, dies festus, septimo Kal. Maias, quo Robigo Deo suo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant.* Ovidius, lib. 4. Fastorum, vers. 907.

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem,
Edidit hæc flamen verba, Quirine, tuus.
Aspera Rubigo, parcas cerealibus herbis, &c.

Vetus inscriptio apud Reines. pag. 218 ROBIGO. ET. CERERI. ET. FLORÆ. SACRUM.

9. *Floralia.*] Varro, lib 1. de re rust. cap. 1. *Quarto invoco Robigum ac Floram, quibus propitiis neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent Itaque publica Robigo feria Robigalia · Flora ludi Floralia sunt instituti.* Arnobius, lib. 4 adversus Gent. *Flora illa genitrix & famula, obscenitate ludorum bene curat ut arva florescant.* Ludorum Floralium mentio est in nummo Serviliæ gentis argenteo, apud Patinum, in Famil. pag. 260. n 4 & in Musæo nostro. Hinc duos exhibet gladiatores: in imo, C. SERVIL. M. F. (quas duas postremas litteras Patinus omisit; vidit etiam, ut in nostro sunt, Begerus in Thesauro Brandeburgico, pag. 585.) In altera parte caput Deæ Floræ est: retro lituus, insigne G. Servilii auguratus: inscriptio, FLORAL. PRIMVS. Quod cave legas, ut vulgo fit, *Floralia primus* · nam ubi verbum, aut quale subintelligitur? Lege ergo: FLORALia PRoprius IMpensis Veneri Sacravit · nempe *Servilius*, cujus nomen in parte nummi priore legitur. In tutela Veneris sunt horti, ut Varro dicet infra, n. 23.

10. *Hoc tempus Varro.*] De hac Varronis sententia Petavium vide, lib. 2. Var. Dissert in Uranol. cap 10. pag. 104.

11. *Post dies undeviginti.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXVIII.

12 *Per id quatriduum.*] A VII Calendas ad IV.

13. *Et per se vehemens.*] Ut in ortu suo immodicos æstus excitare Caniculam, sic occidentem frigora & inimicas frugibus pruinas commovere, Plinius his verbis significat. Columella, lib. XI. cap. 2. *Pridie Calend. Maias: Canis se vespere celat, tempestatem significat.* Hoc Manilius voluit, lib. 1. vers. 388.

Subsequitur rapido contenta Canicula cursu,
Qua nullum terris violentius advenit astrum,
Nec gravius cedit.

14. *Præoccidere caniculam.*] Rutilam canem immolari necesse est ad placandum sidus. Vide Notas & Emend. num. XXXIX.

15. *Urbis anno DXVI.*] Vide Notas & Emendat. num. XL.

16 *Degustandis vinis.*] Et antequam degustarent, libandis. Nam in his festis vinalibus, priusquam e dolio vinum gustarent, Jovi libabant: ni ita fecissent, reliquum omne vinum sacrum fiebat, & usibus humanis eripiebatur. Festus: *Calpar, vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa antequam gustetur. Jovi enim prius sua vina libabant, quæ appellabant Festa Vinalia.*

17. *Ut docuimus.*] Tum libro 16. sect. 45. tum hujusce libri sect 66

18. *Postridie occidens.*] Nempe X. Calendas Maii: ut etiam sensit Columella, lib. XI. cap. 2.

19 *IV. Nonas.*] Columella, loco cit. *IV. Nonas Junii, Aquila exoritur, tempestas ventosa, & interdum pluvia.*

20. *Quoniam vapore.*] Calore, ut diximus libro 2. sect, 40.

21. *Acinique præcoquuntur.*] Superiore libro, sect. 37. num 6. *Siderationis genus est in viribus . . . . . cum acini, priusquam crescant, decoquuntur in callum.*

22. *Vel certe XVI. Calendas*] Biduo ante Columella loco cit. hoc est, Idibus, Procyonis sive Caniculæ exortum matutinum assignat.

XVI. Calendas Augusti, cum Italiæ. Item XIII. Calendas Augusti, cum Aquila occidit, usque in X. Calendas ejusdem. Extra has causas sunt [23] Vinalia altera, quæ aguntur a. d. decimum tertium Calendas Septembris. Varro a Fidicula incipiente occidere mane, determinat, quod vult [24] initium autumni esse, & hunc diem festum tempestatibus leniendis institutum. [25] Nunc Fidiculam occidere a. d. VI. Idus Augusti servatur.

5. Intra hæc constat cælestis sterilitas. Neque negaverim posse eam permutari arbitrio legentium, locorum æstimantium naturas. Sed a nobis rationem demonstratam esse satis est: reliqua observatione cujusque constabunt. Alterutrum quidem fore in causa, hoc est, plenilunium aut interlunium, non erit dubium. Et in hoc mirari benignitatem Naturæ succurrit: jam primum hanc injuriam omnibus annis accidere non posse, propter status siderum cursus: nec nisi paucis noctibus anni: idque quando futurum sit, facile nosci. Ac ne per omnes menses timeretur, [26] earum quoque lege divisum, æstate interlunia præterquam biduo secura esse, hieme plenilunia: nec nisi æstivis [27] brevissimisque noctibus metui, diebus non idem valere. [28] Præterea tam facile intelligi, ut formica minimum animal interlunio quiescat, plenilunio etiam noctibus operetur. [29] Avem parram, oriente Sirio, ipso die non apparere, donec occidat. E diverso vireonem prodire ipso die solstitii. Neutrum vero Lunæ statum noxium esse, ne noctibus quidem, nisi serenis, & omni aura quiescente: quoniam neque in nube, neque in flatu cadunt rores: sic quoque non sine remedio.

LXX. [1] Sarmenta, aut palearum acervos, & evulsas herbas fruticesque, per vineas camposque, cum timebis, incendito: fumus medebitur. Hic e paleis & contra nebulas auxiliatur, ubi nebulæ nocent. [2] Quidam tres cancros vivos cremari jubent in arbustis, ut carbunculi non noceant. [3] Alii siluri carnem leviter uri a vento, ut per totam vineam fumus dispergatur. Varro auctor est, si Fidiculæ occasu, quod est initium autumni, uva picta consecretur inter vites, minus nocere tempestates. Archibius ad Antiochum Syriæ regem scripsit, si fictili novo obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates.

LXXI. [1] Opera rustica hujus intervalli, terram iterare, arare, arbores circumfodere: ubi æstuosa regio poscat, accumulare. Germinantia, nisi in solo luxurioso, fodienda non sunt. Seminaria purgari sarculo. Messem hordeaceam facere. [2] Aream ad messem creta præparare, Catonis sententia amurca temperata, Virgilii operosius. Majore ex parte æquant tantum, & fimo bubulo dilutiore illinunt. Id satis ad pulveris remedium videtur.

Cap. XXX. LXXII. Messis ipsius ratio varia. [1] Galliarum latifundiis [2] valli prægrandes dentibus in margine infestis, duabus rotis per segetem impelluntur, jumento in contrarium juncto: ita direptæ in vallum cadunt spicæ. [3] Stipulæ alibi mediæ falce præciduntur, atque [4] inter duas mergites spica distringitur. Alibi ab radice vellunt: quique id faciunt, proscindi ab se obiter agrum interpretantur, cum extrahant succum. Differentia hæc: Ubi stipula domos

Notæ.

23. *Vinalia altera.*] Nempe rustica. Varro, lib. 5. de ling Lat pag. 47. *Vinalia a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio. Nam aliquot locis vindemiæ primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiam nunc*, &c. Et pag. 48. *Vinalia rustica dicuntur ante diem XII. Calend.* (lego XIII.) *Septemb. quod tum Veneri dedicata ædes, & horti ejus tutelæ adsignantur, ac tum sunt feriati olitores.* Festus quoque: *Rustica Vinalia appellantur, mense Augusto, quarto decimo* (lego XIII. *tertio decimo*, non XIIII.) *Cal. Septemb Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt: eodem autem die Veneri templa sunt consecrata .... quia in ipsius Deæ tutela sunt horti.*

24. *Initium autumni.*] Jam id attigit sect. 59.

25. *Nunc Fidiculam.*] Quæ & Lyra dicitur, ut ante monuimus Pridie Idus oriri Columella existimat, loc cit.

26. *Earum quoque lege.*] Noctium earum, quæ sunt metuendæ frugibus, hanc legem, hanc conditionem esse: ut interlunia noctu nonnisi duo æstate, plenilunia hieme, nisi biduo pariter, metuenda sint: cum uti dictum est num 2. roscidum frigus Luna forsan aspergit, admisceatque amaritudinem satis.

27. *Brevissimisque noctibus.*] Ut minor sit nocendi mora.

28. *Præterea .... intelligi.*] Quando interlunium fit.

29. *Avem parram.*] De parra & vireone vide quæ diximus lib. 10. sect. 45.

Sect. LXX. 1. *Sarmenta.*] Nunc remedia proponit adversus rubiginem, quæ & Columella, lib. de arborib. cap. 13. *Ne rubigo vineam vexet. Palearum acervos inter ordines verno tempore positos habeto in vinea: cum frigus contra temporis consuetudinem intellexeris, omnes acervos incendito: ita fumus nebulam & rubiginem removebit.* Habet hoc ipsum & Diophanes in Geopon. lib. 5. cap 31.

2. *Quidam tres.*] Sic Apuleius in Geopon loc. cit.

3. *Alii siluri*] Auctor Geopon. loc. cit. pag. 150. Τινὲς δὲ σίλουρον τὸν ἰχθὺν κατατεμόντες, καίουσι κατ᾽ ἄνεμον, κατὰ πᾶν μέρος τοῦ χωρίου ὅθεν ὁ ἄνεμος πνέει. *Quidam silurum piscem concisum urunt secundum ventum, ac per omnes regionis partes odorem spargunt.*

Sect. LXXI. 1. *Opera rustica.*] Columella, lib. XI. cap. 2. in Augusto.

2. *Aream .... creta præparare.*] Cato, cap. 129. *Aream ubi frumentum teratur, sic facito. Confodiatur minute terra, & amurca bene conspergatur, ut combibat quam plurimum. Ubi bene comminuta terra fuerit, & amurcam combiberit, cylindro aut pavicula coæquato:* &c. Cato cretam non nominat: sed Plinius cretam dixit amurca temperandam. Virgilius vicissim amurcam non nominat, sed cretam: libro 1. Georg. vers. 178.

Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat.

Sect. LXXII. 1. *Galliarum.*] In Galliarum fundis latioribus, fit vehiculum, seu carpentum, in vanni seu valli grandioris modum, cujus in fronte seu margine denticuli plurimi ac rari sint: id duabus rotis brevibus fertur, impellente bove, qui capite in vehiculum verso a tergo ipsius jugo aptetur & vinculis, qui sit mansuetus, nec modum compulsoris excedat. Hic ubi vehiculum per messes cœpit impellere, omnis spica in carpentum denticulis comprehensa decidit, abruptis relictisque paleis: & ita per paucos itus ac reditus brevi horarum spatio tota messis impletur. Ita fere Palladius, lib. 7. in Junio, tit. 2. pag. 122.

2. *Valli.*] Vallus hoc loco vehiculum nobis esse videtur, vanni grandioris instar, compactum. Vallum pro vanno Varro dixit lib. 1. de re rust. cap. 52.

3. *Stipulæ.*] Varro, lib 1. de re rust. cap. 56. sub urbe Roma id fieri solitum ait

4. *Inter duas mergites.*] Mergas appellat Columella, lib. 2. cap. 21. pag. 78. ferramenta metendis frugibus idonea.

contegunt, quam longiſſimam ſervant. Ubi ſeni inopia eſt, ſtramento paleam quærunt. Panici culmo non tegunt. Milii culmum fere inurunt. Hordei ſtipulam bubus gratiſſimam ſervant. Panicum & milium ſingulatim [5] pectine manuali legunt Galliæ.

[6] Meſſis ipſa alibi [7] tribulis in area, [8] alibi equarum greſſibus exteritur, [9] alibi perticis flagellatur. Triticum, quo ſerius metitur, copioſius invenitur: quo celerius vero, [10] hoc ſpecioſius ac robuſtius. [11] Lex aptiſſima, antequam granum indureſcat, & cum jam traxerit colorem. Oraculum vero, biduo celerius meſſem facere potius, quam biduo ſerius. [12] Siliginis & tritici etiam ratio in area horreoque. Far, quia difficulter excutitur, convenit cum palea ſua condi: & ſtipula tantum & ariſtis liberatur.

Palea plures gentium pro feno utuntur. Melior ea, quæ tenuior, minutiorque, & pulveri propior: [13] ideo optima e milio, proxima ex hordeo, peſſima ex tritico, præterquam jumentis opere laborantibus. Culmum ſaxoſis locis cum inaruit, baculo frangunt, [14] ſubſtratu animalium. Si palea defecit, & culmus teritur. Ratio hæc: maturius deſectus, muria diu reſperſus, dehinc ſiccatus in manipulos convolvitur, atque ita pro feno bubus datur. Sunt qui accendant in arvo & ſtipulas, magno [15] Virgilii præconio. [16] Summa autem ejus ratio, ut herbarum ſemen exurant. Ritus diverſitatem magnitudo facit meſſium, & caritas operariorum.

LXXIII. Connexa eſt ratio frumenti ſervandi. [1] Horrea operoſe tripedali craſſitudine, pariete lateritio, exædificari jubent aliqui. [2] Præterea ſuperne impleri, nec afflatus admittere, aut feneſtras habere ullas. Alii ab exortu tantum æſtivo, [3] aut ſeptemtrione, [4] eaque ſine calce conſtrui, quoniam ſit frumento inimiciſſima: [5] nam quæ de amurca præceperint, indicavimus. [6] Alibi contra ſuſpendunt granaria lignea columnis, & perflari undique malunt, atque etiam a fundo. Alii omnino pendente tabulato extenuari granum arbitrantur: & ſi tegulis ſubjaceat, conferveſcere. [7] Multi ventilari quoque vetant: [8] curcu-

NOTÆ.

Sunt autem, inquit, *metendi genera complura: multi falcibus verriculatis, atque iis vel roſtratis, vel denticulatis, medium culmum ſecant: multi mergis: alii pectinibus ſpicam ipſam legunt*, &c. Feſtus: *Merga, Furculæ, quibus acervi frugum fiunt, dictæ a volucribus mergis, quia ut illi ſe in aquam mergunt, dum piſces perſequuntur: ſic meſſores eas in fruges demergunt, ut elevare poſſint manipulos.* Plautus in Pœnulo, act. 5. ſc. 2. verſ. 58.

Palas vendendas ſibi ait, & mergas datas,
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.

Joan de Janua: *Merga a mergo dicitur, id eſt, furca cum qua cona ſegetis portatur.*

5. *Pectine manuali.*] Cum pectine ſubdito, ut fit in tondendis hominum capillis, exilantes ſpicæ præſcinduntur, & ſingulæ quidem, nec, ut fit in frumentis, plures comæ vel jubæ ſimul.

6. *Meſſis ipſa.*] Seges, ſeu fruges demeſſæ.

7. *Tribulis in area.*] Tribula, ſive tribulum, vehiculum eſt terendis frumentis deſtinatum: unde nomen quoque ſuum habet, velut teribula, quoniam terat & extundat. Virgilius, lib. 1. Georg. verſ. 164.

Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri.

Ubi Servius: *Tribula genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utuntur.* Varro neutrius generis facit, lib. 1 de ruſt. cap 52 *E ſpicis*, inquit, *in aream excuti grana: quod fit apud alios jumentis junctis, ac tribulo: id fit e tabula lapidibus aut ferro exaſperata, quæ impoſito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat e ſpica grana: Aut fit ex aſſibus dentatis cum orbiculis: quod appellant plauſtrum Pœnicum.* Nonius femininum, cap. 3. *Tribulæ*, inquit, *femininum. Virgilius Georg. lib. 1. Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri.*

8. *Alibi equarum.*] Varro, loc. cit. *Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis e ſpica exteruntur grana.* Sic pariter Columella, lib. 2. cap 21.

9. *Alibi perticis.*] Uti nunc maxima parte Galliarum. Has perticas etiamnum flagella vocant, *des Fleaux.* Baculis excuti, ac tundi fuſtibus, dixit Columella, lib. 2. cap. 21. pag. 78.

10 *Hoc ſpecioſius.*] In area & in acervo melius quam in agro frumenta grandeſcere, ac ſi tempeſtive decisa ſint, poſtea capere incrementum, auctor eſt etiam Columella loc. cit.

11. *Lex aptiſſima.*] Columella, loc. cit. *Procraſtinari non debet, ſed æqualiter flaventibus jam ſatis, antequam ex toto grana indureſcant, cum rubicundum colorem traxerint, meſſis facienda eſt, ut potius in area & in acervo, quam in agro grandeſcant frumenta*, &c.

12. *Siliginis.*] Hoc eum arbitror velle, quod ſtatim ex Columella diximus, in area & in acervo magis, quam in agro, frumenta grandeſcere.

13. *Ideo optima e milio &c.*] Ad pabulum ſcilicet jumentorum. Columella, lib. 6. cap 3 *Minus commode tuemur armentum paleis, quæ ubique, & quibuſdam regionibus ſola præſidio ſunt: ea probantur maxime ex milio, tum ex hordeo, mox etiam ex tritico.*

14 *Subſtratu animalium.*] Ut ſtramenti vice animalibus ſubſternatur in hiberna ſtabulatione.

15. *Virgilii præconio.*] Libro 1. Georg. verſ. 84.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiunt: ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor, &c.

16 *Summa autem.*] Præcipua, inquit, optimaque ratio Virgilii eſt, ut herbarum inutilium ſemina igne exurantur. Hunc igitur intellectum Plinius putavit eſſe horum verborum, *Omne per ignem Excoquitur vitium.* Alii *ſumma autem ratio* legunt, dempta vocula *ejus*: ut ſit ſententia, prætermiſſam ab eo vate rationem validiſſimam, quæ hunc ritum probaret. Sed MSS. omnes reclamant.

Sect. LXXIII. 1. *Horrea... tripedali.*] Bipedali contentus Palladius, lib. 1. cap 19. pag. 18.

2. *Præterea ſuperne.*] Non per feneſtras, ſed per tabulatum, cameramve, in horreum grana conjici.

3. *Aut ſeptemtrione.*] Hunc ſitum approbat Vitruvius, lib. 1. cap. 4. pag. 8.

4. *Eaque ſine calce.*] Amurcam immiſcet calci Columella loc. cit. ad ſolum ſternendum, pavimentaque coagmentanda. Item Geopon. auctor, lib 2. cap 25.

5. *Nam quæ.... indicavimus.*] Libro 15. ſect. 8. Adde iis Columellam, lib. 1. cap. 6. *Neque me præterit ſedem frumentis optimam quibuſdam videri horreum camera contectum, cujus ſolum terrenum priuſquam conſternatur perfoſſum, & amurca recenti, non ſalſa, madefactum, velut Signinum opus, paviculis condenſatur.*

6. *Alibi contra.*] Sic libri omnes. Varro, lib. 1. de re ruſt. cap 57. pag 70. *At triticum condi oportet in granaria ſublimia, quæ perflentur vento ab exortu, ac Septemtrionum regione, ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis adſpiret.* Et paulo poſt: *Granaria in agro quidam ſublimia faciunt, ut in Hiſpania citeriore, & in Apulia. ita ut non ſolum a lateribus per feneſtras, ſed etiam ſubtus a ſolo ventus refrigerare poſſit.*

7. *Multi ventilari.*] Columella, lib 1. cap. 6. pag. 26. *Sic emunita ſola & latera horreorum, ut retuli, prohibent curculionem: quod genus exitii cum incidit, multi opinantur arceri poſſe, ſi eruſæ fruges in horreo ventilentur, & quaſi refrigerentur. Id autem falſiſſimum eſt: neque enim hoc facto expelluntur animalia, ſed immiſcentur totis acervis: qui ſi maneant immoti, ſummis tantum partibus infeſtantur: quoniam infra menſuram palmi non naſcitur curculio: longeque præſtat id ſolum, quod jam vitiatum eſt, quam totum periculo ſubjicere*, &c.

8. *Curculionem.*] Refert hoc ipſum Palladius loc. cit. ex Columella. Virgil. lib. 1. Georg. verſ. 185.

Populatque ingentem farris acervum Curculio.

Vermis eſt frumenta corrodens, vulgo *Calendre, Charenſon.* Plautus in ea fabula, quam de paraſito cujuſdam nomine Cur-

lionem enim non descendere infra quatuor digitos, nec amplius periclitari. [9] Columella & Favonium ventum conferre frumento præcipit: quod miror equidem, [10] siccissimum alioqui. Sunt qui rubeta rana in limine horrei pede e longioribus suspensa, invehere jubeant. Nobis referre plurimum tempestivitas condendi videbitur. Nam si parum tostum atque robustum sit, aut calidum conditum, [11] inimica innasci necesse est.

[12] Diuturnitatis causæ plures. Aut in ipsius grani corio, cum est numerosius, ut milio: aut succi pinguedine, qui pro humore sufficit tantum, ut sesamæ: aut amaritudine, ut lupino & cicerculæ. In tritico maxime crescunt animalia, quoniam spissitate sua concalescit, & furfure crasso vestitur. Tenuior hordeo palea, exilis & legumini: ideo non generant. Faba crassioribus tunicis operitur, ob hoc effervescit. [13] Quidam ipsum triticum diuturnitatis gratia aspergunt amurca, mille modios quadrantali. Alii Chalcidica aut Carica creta, aut etiam absinthio. [14] Est & Olynthi ac Cerinthi Eubœæ terra, quæ corrumpi non sinat. Nec fere condita in spica læduntur. Utilissime tamen servantur in scrobibus, [15] quos siros vocant, ut in Cappadocia & in Thracia. In Hispania & Africa, ante omnia ut sicco solo fiant, curant: mox ut palea substernatur. Præterea cum spica sua conduntur. Ita frumenta si nullus spiritus penetret, certum est nihil maleficum nasci. [16] Varro auctor est, sic conditum triticum durare annis quinquaginta, milium vero centum. [17] Fabam & legumina in oleariis cadis oblita cinere, longo tempore servari. Idem fabam a Pyrrhi regis ætate, in quodam specu Ambraciæ usque ad piraticum Pompeii Magni bellum durasse, annis circiter centum viginti. Ciceri tantum nullæ bestiolæ in horreis innascuntur. [18] Sunt qui urceis cinere substratis, & illitis acetum habentibus, leguminum acervos superingerant, ita non nasci [19] maleficia credentes. [20] Alii qui in salsamentariis cadis gypso illinant; alii qui lentem aceto laserpitiato respergant, siccatamque oleo inungant. Sed brevissima observatio, quod vitiis carere velis, interlunio legere. Quare plurimum refert condere quis malit, an vendere. [21] Crescente enim Luna, frumenta grandescunt.

Cap. xxxi. LXXIV. Sequitur ex divisione temporum autumnus a Fidiculæ occasu ad æquinoctium, ac deinde Vergiliarum occasum, initiumque hiemis. In his intervallis [1] significant, pridie Idus Augusti Atticæ Equus oriens vesperi: Ægypto & Cæsari [2] Delphinus occidens. [3] XI. Calend. Septembris Cæsari & Assyriæ, stella quæ Vindemitor appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens. Ejus argumentum erunt acini colore mutati. Assyriæ v. Calendas & Sagitta occidit, & etesiæ desinunt. Vindemitor Ægypto Nonis exoritur, Atticæ Arcturus matutino, & Sagitta occidit mane. [4] Quinto Idus Septembris, Cæsari Capella oritur vesperi. Arcturus vero medius pridie Idus, [5] vehementissimo significatu terra marique per dies quinque. Ratio ejus hæc traditur: Si Del-

NOTÆ.

lionem inscripsit, act. 4. sc. 4. vers. 30.

Ubi nunc Curculionem inveniam? CA. In tritico facillime
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.

9. *Columella.*] Libro 2. cap. 21. pag. 79. *At ubi paleis intermixta sunt frumenta, vento separentur. Ad eam rem Favonius habetur eximius, qui lenis, æqualisque, æstivis mensibus perflat.* Sic etiam auctor Geopon. lib. 2. cap. 25.

10. *Siccissimum.*] Tepidum Favonium, sed Subsolano tamen sicciorem esse dixit, lib. 2. sect. 48.

11. *Inimica innasci.*] Formicam, & curculionem.

12. *Diuturnitatis.*] Theophr. lib. 4. de causis, cap. 16. pag. 320. Πρὸς δὲ θησαυρισμὸν ἄριστα μὲν κέγχρος, καὶ ἔλυμος, καὶ σήσαμος, καὶ θέρμος, καὶ ἐρέβινθος· ταῦτα μὲν, ὅτι πολυχίτωνα [illegible], τὰ δ' ὅτι λιπαρά. ὁ δὲ θέρμος καὶ ὁ ἐρέβινθος, πικρότητά τινα ἔχουσι καὶ δριμύτητα· καὶ διατηροῦσι δὲ ταῦτα ἀπαθῆ, ὥσπερ εἴρηται. *Omnium optime recondi possunt, milium, panicum, sesama, lupinum, cicer. Milium & panicum, quia tunica multiplici integuntur, & sicca sunt: sesama, ob succi pinguitudinem: lupinum & cicer amaritudinem quamdam & acrimoniam habent, quæ conservare ea sine noxa possunt, ut dictum est.* Cicerculam Theophrasti ἐρέβινθον dici obiter animadverte.

13. *Quidam ipsum.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 57. *Quidam ipsum triticum amurca conspergunt, cum addant in circiter mille modium, quadrantal amurcæ. Item alius aliud adfriat, aut aspergit: ut Chalcidicam, aut Caricam cretam, aut absinthium.* De quadrantali seu amphora, dixi lib. 14. sect. 5.

14. *Est & Olynthi.*] Creditur & terram apud quosdam haberi, inquit Theophrastus, lib. 8. histor. cap. extremo, qua illitum triticum servari unice potest: Δοκεῖ δὲ καὶ γῆ τις εἶναι παρά τισιν, ἣ διαφυλάττει τὸν πυρόν. οἷον ἔν τε Ὀλύνθῳ, καὶ ἐν Κηρίνθῳ τῆς Εὐβοίας.

15. *Quos siros vocant.*] Varro, loc. cit. *Quidam granaria habent sub terris, speluncas, quas vocant σιροὺς, ut in Cappadocia ac Thracia. Alii, ut in Hispania citeriore puteos, ut in agro Carthaginiensi & Oscensi. Horum solum paleis substernunt, & curant ne humor aut aër tangere possit, nisi cum promitur ad usum: quo enim spiritus non pervenit, ibi non oritur curculio.* Habet eadem Columella, lib. 1. cap. 6. Hesychius; Σιροὶ, ὀρύγματα, ἐν οἷς [illegible] τὰ σπέρματα.

16. *Varro.*] Loco citato. In Bibliotheca Cæsarea Viennæ Austriæ capsulam asservari, scribit Lambecius ei Bibliothecæ præfectus, lib. 6. pag. 316. qua in capsula frumentum sit conditum, quod anno 1664. trecentorum jam ac tricenûm esset annorum, ut ex affixis ei capsæ publicis instrumentis ac monumentis liquet.

17. *Fabam &c.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 58.

18. *Sunt qui urceis.*] Fictilibus æneisve vasis, coopertis, intus acetum habentibus, foris cinere illitis, inferne cinere rursum substratis.

19. *Maleficia.*] Bestiolas frugibus inimicas.

20. *Alii qui in.*] Quod de leguminibus generatim Plinius & universe pronunciat, hoc in primis de lente Columella, lib. 2. cap. 10. *Ea, inquit, ne curculionibus absumatur, . . . in Sole siccetur, & radice silphii trita cum aceto aspergatur, defricetur que: atque ita rursus in Sole siccata, & mox refrigerata recondatur, si major est modus, in horreo: si minor, in vasis olearis, salsamentarisque, quæ repleta confestim gypsata sunt. Quandocumque in usus prompserimus, integram lentem reperiemus. Potest tamen etiam citra istam medicationem cineri mixta commode servari.*

21. *Crescente.*] Frumenta Luna crescente lecta grandescunt in area.

Sect. LXXIV. 1. *Significant.*] Hoc est, ut sæpe diximus, tempestatum significatus habent dies aut sidera mox appellanda.

2. *Delphinus occidens.*] Occasu vespertino: quem Idibus Columella adjudicat: *Idibus Augusti, Delphini occasus, tempestatem significat.* Et postero die, *XIX Calend. Septemb. ejusdem sideris matutinus occasus tempestatem significat.*

3. *XI. Calend. Septemb.*] Quatriduo post Columellæ, lib. XI. cap. 2. *VII. Calend. Septemb. Vindemiator exoritur mane, & Arcturus incipit occidere: interdum pluvia.*

4. *Quinto Idus.*] Columellæ, *Septimo Idus Capra exoritur, tempestatem significat.*

5. *Vehementissimo.*] Plautus in Rudente, Prolog. vers. 69.

Increpui hibernum, & fluctus movi maritimos:

phino occidente imbres fuerint, non futuros per Arcturum. Signum orientis ejus sideris servetur hirundinum abitus : [6] namque deprehensæ intereunt. Decimo sexto Calendas Octobris Ægypto Spica, quam tenet Virgo, exoritur matutino, etesiæque desinunt. [7] Hoc idem Cæsari XIV. Calendas, XIII. Assyriæ significant : & XI. Calendas Cæsari [8] commissura Piscium occidens, ipsumque [9] æquinoctii sidus VIII. Calend. Octobris. Deinde consentiunt (quod 5 est rarum) Philippus, Callippus, Dositheus, Parmeniscus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus, IV. Calendas Octobris Capellam matutino exoriri, & III. Calendas Hœdos. Sexto Nonas Octobris Atticæ Corona exoritur mane. Asiæ & Cæsari V. Calendas Heniochus occidit matutino. Tertio Calendas Cæsari Corona exoriri incipit : & postridie occidunt Hœdi vesperi. VIII. Idus Octobris Cæsari fulgens in Corona stella oritur. 10 Et III. Idus Vergiliæ vesperi. Idibus Corona tota. Sexto Calendas Novembris Suculæ vesperi exoriuntur. Pridie Calendas Cæsari Arcturus occidit : & Suculæ exoriuntur cum Sole. Quarto Nonas Arcturus occidit vesperi. Quinto Idus Novembris gladius Orionis occidere incipit. Deinde III. Idus Vergiliæ occidunt.

In his temporum intervallis opera rustica, napos, raphanos serere, [10] quibus diebus 15 diximus. Vulgus agreste & rapa [11] post ciconiæ discessum male seri putat. Nos omnino post Vulcanalia, [12] & præcocia cum panico. A Fidiculæ autem occasu viciam, faseolos, [13] pabulum : [14] hoc silente Luna seri jubent. Et frondis præparandæ tempus hoc est. Unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die justum habet. Si decrescente Luna præparetur, non putrescit : Aridam colligi non oportet. 20

Vindemiam antiqui numquam existimavere maturam ante æquinoctium : jam passim rapi cerno. Quamobrem & hujus tempora notis argumentisque signentur. Leges ita se habent : Uvam calidam ne legito, hoc est, in ejus siccitate, [15] ac nisi imber intervenerit. Hanc ne legito rorulentam, hoc est, si ros nocturnus fuerit; nec prius, quam Sole discutiatur. Vindemiare incipito, cum ad palmitem pampinus procumbere cœperit, aut cum 25 exempto acino ex densitate intervallum non compleri apparuerit, acinum non augeri. Acinos plurimos fert, si contingat crescente Luna vindemiare. Pressura una [16] culeos XX. implere debet. [17] Hic est pes justus. Ad totidem culeos [18] & lacus, XX. jugeribus unum sufficit [19] torculum. [20] Premunt aliqui singulis, utilius binis, [21] licet magna sit vastitas singulis. Longitudo in his refert, non crassitudo : [22] spatiosa melius premunt. [23] Antiqui funibus 30 vittisque loreis ea [a] detrahebant, & vectibus. [24] Intra centum annos inventa [b] [25] Græcanica, mali rugis per cochleas [26] bullantibus, palis affixa arbori stella, a palis arcas lapidum [27] attollente secum arbore : quod maxime probatur. [28] Intra viginti duos hos annos inventum, parvis prelis, & minori torculari, ædificio breviore, [29] & malo in medio de-

INTERPRETATIO.

a *Detrahebant.*] Deprimebant *prela.*

b *Græcanica.*] Græcanica *torcula*, in quibus rugæ *torcularis mali* per cochleam torquentur : imposita arbori affixaque *ex altero trabis capite* stella *lignea* e palis *decussatim positis* : quibus e palis arcæ lapidum pendeant, quas secum attollat arbos.

NOTÆ.

Nam Arcturus signum sum omnium acerrimum :
Vehemens sum exoriens : cum occido, vehementior.
Stella est eximie conspicua in signo Bootæ sive Arctophylacis, post caudam majoris ursæ : unde nomen habet, quasi *ἄρκτου οὐρά*. Cicero, in Phænom de Arctophylace :
Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, &c.
Huic autem subter præcordia fixa videtur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.

6. *Namque deprehensæ.*] Quæ ab eo sidere deprehenduntur, nec ante abierint, quam exoriatur, frigore intereunt.

7. *Hoc idem Cæsari.*] Et Columellæ, lib XI. cap. 2. pag. 381. *XIV. Calend. Octob. Spica Virginis exoritur.*

8. *Commissura Piscium.*] Ea tæniola est, qua uterque Piscis connectitur, ut quidem in globo pingitur. Columella eodem die Pisces occidere matutino ait.

9. *Æquinoctii sidus.*] Sol æquinoctium faciens.

10. *Quibus diebus diximus*] Sect. 35. *inter duorum numinum dies festos, Neptuni atque Vulcani*

11. *Post ciconiæ.*] De ejus discessu diximus, sect. 31.

12. *Et præcocia.*] Rapa nimirum, cum panico, quod seri diximus ante Vergiliarum exortum initio sect. 10.

13. *Pabulum.*] Sive ocymum, ut dictum est lib. 17. sect. 35. *Ocymum quod in vinea seri Cato jubet, antiqui appellabant pabulum,* &c.

14. *Hoc silente Luna.*] Hoc est, in interlunio, ut dictum est lib. 16. sect. 74 Adde Marbodæum, lib. de lapid. pretios. cap. 19. qui Lunam silentem Lunam primam interpretatur.

15 *Ac nisi imber.*] Simile est quod Cato præcipit, cap. 112. de vino Coo faciendo : *Uvas relinquito in vinea, sinito ut bene coquantur : & ubi pluerit, & siccaverit, tunc delegito,* &c.

16. *Culeos XX.*] De culeo diximus, lib. 14. sect. 5. De lacu, sect. 7.

17. *Hic est pes justus.*] Hæc mensura pressuræ justa ac legitima.

18 *Et lacus.*] *Pour vingt cuvées.*

19. *Torculum.*] *Un Pressoir.* Torculum, torcular, torcularium, dixere promiscue vetusti scriptores.

20. *Premunt aliqui singulis.*] Torculis, sive prelis scilicet. Est autem prelum torcularium, *l'arbre du pressoir.*

21. *Licet magna sit vastitas.*] Duobus prelis longitudinem pedum quadragenûm Vitruvius assignat, lib. 6. cap. 9. pag. 116. latitudinem, XXIV.

22. *Spatiosa.*] Quæ nempe longiora sunt & eadem latiuscula.

23. *Antiqui.*] Meminit ejus moris loco cit. Vitruvius : *Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus,* &c.

24 *Intra centum annos.*] Augusti principatu.

25. *Græcanica.*] Subintellige torcula : *Pressoir à vis.*

26. *Bullantibus.*] Decurrentibus per cochleam spiris crassioribus, torosis, exstantibus, in bullæ morem rotundatis. Plus etiam dixisse videtur una significatione vocis hujusce *bullantibus*, quam possit ulla copia sermonis enarrari.

27. *Attollente secum arbore.*] Ad æquipondium videlicet; interim dum ea altero capite arbos deprimitur : uti in tollenonibus fieri quotidie promptum est intelligere. De tollenonibus, libro seq. sect. 20.

28. *Intra viginti duos.*] Anno igitur Urbis DCCCVIII. Neronis, tertio : hæc enim auctor commentabatur anno DCCCXXX.

29. *Et malo.*] Malus torcularius in medio statuitur, *La vis du pressoir.*

creto, [30] tympana imposita vinaceis superne toto pondere urgere, & super prela construere [31] congeriem.

Hoc & poma colligendi tempus, & observatio, cum aliquod maturitate, non tempestate deciderit: hoc & fæces exprimendi: [32] hoc & defrutum coquendi silente Luna noctu: aut si interdiu, plena: ceteris diebus aut ante exortum Lunæ, aut post occasum. Nec de novella vite, aut palustri, nec nisi e matura uva, nec nisi foliis despumandum: quia si ligno contingatur vas, adustum ac fumosum fieri putant. [33] Justum vindemiæ tempus ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum dies XLIIII. Ab eodem die oraculum occurrit, [34] frigidum picari pro nihilo ducentium. Sed jam & Calendis Januarii, defectu vasorum, vindemiantes vidi, piscinisque musta condi, aut vina effundi priora, [35] ut dubia reciperentur. Hoc tam sæpe proventu nimio evenit, quam sævitia insidiantium caritati civili. Sed æqui patrisfamilias modus, annona cujusque anni uti. Id peræque etiam lucrosissimum. Reliqua de vinis affatim dicta sunt. Item vindemia facta olivam esse rapiendam, & quæ ad oleum pertinent, quæque ad Vergiliarum occasum agi debent.

CAPUT XXXII.

LXXV. His, quæ sunt necessaria adjicientur de Luna, ventisque, & præsagiis, ut sit tota sideralis ratio perfecta. [1] Namque Virgilius etiam in numeros Lunæ digerenda quædam putavit, Democriti secutus ostentationem. Nos legum utilitas, quæ in toto opere, in hac quoque movet parte. [2] Omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decrescente Luna, quam crescente fiunt. [3] Stercus, nisi decrescente Luna, ne tangito. Maxime [4] intermenstrua dimidiaque stercorato. Vetres, juvencos, arietes, hœdos, decrescente Luna castrato. Ova Luna nova supponito. Scrobes Luna plena noctu facito. Arborum radices Luna plena operito. Humidis locis interlunio serito, & circa interlunium quatriduo. Ventilari quoque frumenta ac legumina, & condi circa extremam Lunam jubent: seminaria, cum Luna supra terram sit, fieri: calcari musta, cum Luna sub terra: [5] item materies cædi, quæque alia suis locis diximus. Neque facilior est observatio ac jam dicta a nobis [6] secundo volumine: sed quod intelligere vel rustici possint, quoties ab occidente Sole cernetur, prioribusque noctis horis lucebit, crescens erit, & oculis dimidiata judicabitur: cum vero occidente Sole orietur ex adverso, ita ut pariter aspiciantur, tum erit plenilunium. [7] Quoties ab ortu Solis orietur, prioribusque noctis horis detrahet lumen, & in diurnas extendet, decrescens erit, iterumque dimidia. In coïtu vero (quod interlunium vocant) cum apparere desierit. Supra terras autem erit, quamdiu & Sol, interlunio, & prima tota die: secunda, horæ unius [8] dextante sicilico: ac deinde tertia usque ad quintam decimam, multiplicatis horarum iisdem portionibus: quintadecima tota supra terras noctu erit, eademque sub terris tota die. Decima sexta ad primæ horæ nocturnæ dextantem sicilicum sub terra aget, easdemque portiones horarum per singulos dies adjiciet usque ad interlunium. Et quantum primis partibus noctis detraxerit, quod sub terris agat, tantumdem novissimis ex die adjiciet supra terram. Alternis autem mensibus XXX. implebit numeros, alternis vero detrahet singulos. Hæc erit ratio lunaris.

CAPUT XXXIII.

LXXVI. Ventorum paulo scrupulosior. Observato Solis ortu quocumque libeat die, stantibus [1] hora diei sexta, sic ut ortum eum a sinistro humero habeant, contra mediam faciem meridies, a vertice septemtrio erit. Qui ita limes per agrum currit, [2] cardo appellatur. Circumagi deinde melius est, ut umbram suam quisque cernat: alioqui post hominem erit. Ergo permutatis lateribus, ut ortus illius diei a dextro humero fiat, occasus a sinistro, tunc erit hora sexta, cum minima umbra contra medium fiet hominem. Per hujus mediam longitudinem duci sarculo sulcum: vel cinere lineam, verbi gratia, pedum viginti conveniet: mediamque mensuram, hoc est, in decimo pede, circumscribi

NOTÆ.

30. *Tympana.*] Asseres planos ac latos, uvis quæ sunt premendæ impositos.

31. *Congeriem.*] Lapidum videlicet, ad pondus augendum.

32. *Hoc & defrutum.*] Ita Columella, lib. 12. cap. 19. pag. 427.

33. *Justum vindemiæ.*] Varro, lib. 1. de re rust. cap. 34.

34. *Frigidum picari.*] Hoc est, inutile esse & tempestivum, ac nihili, vasa seu dolia parare, picare, instruere, post eum diem, cum cælum esse tum frigidum cœpit: serum esse tum comparare, quæ prompta esse prius oportuit.

35. *Ut dubia.*] Nova scilicet, quibus vetusta vina præstant. Sunt enim ex dubiæ bonitatis, quorum tam sera pressura, quæque serius sunt vasis condita.

Sect. LXXV. 1. *Namque Virgilius*] Libro 1. Georg. versu 276. Mox *quædam Lunæ*, hoc est, quædam de Luna.

2. *Omnia quæ.*] Vide quæ dicta sunt lib. 2. sect. 74.

3. *Stercus.*] Auctor Geopon. lib. 2 cap. 19. pag. 59. ὅτι ἢ πλῆνας αὐξανούσης ἢ χρὴ κοπρίζειν, &c.

4. *Intermenstrua.*] Sive intermestri, ut dictum est lib 16. sect. 75.

5. *Item materies.*] Vide lib. 16. sect. 74.

6. *Secundo volumine.*] Libro 2. sect 11.

7. *Quoties ab ortu.*] Quoties ab exortiva cæli parte orietur, sed serius, ita ut noctu suum lumen per aliquot horas neget.

8 *Dextante sicilico.*] Secunda die, inquit, Luna supra terras erit per dextantem sicilicum unius horæ vesperi, hoc est, 51. min. ½. seu per quinque sextas partes unius horæ, & aliquanto amplius. Finge horam unam in partes duodenas tribui: dextans ex illis denas complectitur: sicilicus, partis undecimæ quartam partem.

Sect LXXVI. 1. *Hora diei sexta.*] Quæ nobis meridies est, & duodecima diei hora.

2. *Cardo.*] Limiti, fossæ, viæ, quæ a meridie ad septemtrionem ducebatur, cardinis nomen inditum est a mundi cardine, ut Hyginus admonet initio libri de limitibus constituendis.

circulo

circulo parvo, [3] qui vocetur umbilicus. Quæ pars fuerit a vertice umbræ, hæc erit ventus ſeptemtrionalis. Illo tibi, putator, arborum plagæ ne ſpectent, neve arbuſta vineæve, niſi in Africa, Cyrenis, Ægypto. Illinc flante ne arato, quæque alia præcipimus. Quæ pars lineæ fuerit a pedibus umbræ, meridiem ſpectans, hæc ventum Auſtrum dabit, quem a Græcis Notum diximus vocari. Illinc flatu veniente, materiam, vineamque, agricola, ne tractes. [4] Humidus aut æſtuoſus Italiæ eſt. Africæ quidem incendia cum ſerenitate affert. In hunc Italiæ palmites ſpectent, ſed non plagæ arborum vitiumve. [5] Hunc oliveti metator Vergiliarum quatriduo, hunc caveat inſitor calamis, gemmiſque inoculator. De ipſa regionis ejus hora præmonuiſſe conveniet. Frondem media die, arborator, ne cædito. Cum meridiem adeſſe ſenties, paſtor, [6] æſtate contrahente ſe umbra, pecudem a Sole in opaca cogito. Cum æſtate paſces, in occidentem ſpecta ante meridiem, poſt meridiem in orientem: aliter noxium, [7] ſicut hieme & vere, ſi in rotulentum duceres. Ne contra ſeptemtrionem paveris [8] ſupradictum. [9] Clodunt ita, lippiuntve ab afflatu, & alvo cita pereunt. [10] Qui feminas concipi voles, in hunc ventum ſpectantes iniri cogito.

CAPUT XXXIV.

LXXVII. 1. [1] Diximus ut in media linea deſignaretur umbilicus. Per hunc medium tranſverſa currat alia. Hæc erit ab exortu æquinoctiali ad occaſum æquinoctialem: & limes qui ita ſecabit agrum, [2] decumanus vocabitur. Ducantur deinde aliæ duæ lineæ in decuſſes obliquæ, ita ut a ſeptemtrionis dextra lævaque ad Auſtri dextram lævamque deſcendant. Omnes per eumdem currant umbilicum, omnes inter ſe pares ſint, omnium intervalla paria. Quæ ratio ſemel in quoque agro ineunda erit: vel ſi ſæpius libeat uti, e ligno facienda, regulis paribus in [3] tympanum exiguum, ſed circinatum, adactis. Ratione qua doceo, occurrendum ingeniis quoque imperitorum eſt. Meridiem excuti placet, quoniam ſemper eſt idem: Sol autem quotidie ex alio cæli momento, quam pridie, oritur: ne quis forte ad exortum capiendam putet lineam. Ita cæli exacta parte, quod fuerit lineæ caput ſeptemtrioni proximum a parte exortiva, ſolſtitialem habebit exortum, hoc eſt, [5] longiſſimi diei, ventumque [4] Aquilonem, Boream Græcis dictum. In hunc ponito arbores viteſque. Sed hoc flante ne arato: frugem ne ſerito: ſemen ne jacito. Præſtringit enim atque percellit hic radices arborum, quas poſiturus afferes. Prædoctus eſto: alia robuſtis proſunt, alia infantibus. Nec ſum oblitus, in hac parte ventum Græcis poni, quem Cæciam vocant. Sed idem Ariſtoteles, vir immenſæ ſubtilitatis, qui id ipſum fecit, rationem convexitatis mundi reddit, qua contrarius Aquilo Africo flat. Nec tamen eum toto anno in prædictis timet agricola. [5] Mollitur ſidere æſtate media, mutatque nomen, & Eteſias vocatur. Ergo cum frigidum ſenties, caveto: ac quacumque Aquilo prædicitur, tanto pernicioſior ſeptemtrio eſt. [6] In hunc Aſiæ, Græciæ, Hiſpaniæ, maritimæ Italiæ, Campaniæ, Apuliæ arbuſta vineæque ſpectent. [7] Qui mares concipi voles, in hunc paſcito, ut ſic ineuntem ineat. Ex adverſo Aquilonis ab occaſu brumali Africus flabit, quem Græci Liba vocant. [8] In hunc a coïtu cum ſe pecus circumegerit, feminas conceptas eſſe ſcito.

2. Tertia a ſeptemtrione linea, quam per latitudinem umbræ duximus, & decumanam

NOTÆ.

3. *Qui vocetur umbilicus.*] Umbilicum Plinius admonet appellari, ſpatium inſtar circuli circumſcriptum, in medio agri, vel regionis. Sic libro 3. ſect. XVII. *Cutiliæ lacum* dixit idem a Varrone appellari *Italiæ umbilicum.* Eo ſenſu etiam in Cantico Canticorum dicitur, cap. VII. 2. *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis* Nam ibi populus Juda Hieroſolymitanæ toparchiæ præconium facit, & Bethlehem oppidum, quod in medio illius toparchiæ ſive regionis eſt, ciſternam dicit habere ſimilem crateri bene tornato, quo nihil effici poſſit rotundius, nec umquam potus egentem. Ciſterna hæc eſt, cujus fit mentio, 2. Reg. XXIII. 15. *Deſideravit ergo David, & ait: O ſi quis mihi daret POTUM aquæ, de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem juxta portam!* *Pocula* enim pro ipſo potu dixere Latinitatis auctores optimi. Sic *viventia pocula* dixit Plinius, libro XXVIII. ſect. 2. Sic etiam Horatius, libro 2. Satyra VI. verſu 70.

Siccat inæquales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis: ſeu quis capit acria fortis
Pocula, ſeu modicis humeſcit lætius.

4. *Humidus aut.*] Vide quæ diximus in Notis & Emend. ad librum 2. num. XLV.

5. *Hunc . . . . quatriduo.*] Quo de quatriduo egimus lib. 17. ſect. 2.

6. *Cum æſtate.*] Vide quæ in eam rem diximus lib. 8. ſect. 75. Adde Palladium, lib. 12. in Novemb. tit. 13. pag. 171.

7. *Sicut hieme*] Colum. lib. 7. cap 3 pag. 256. *Hieme & vere, matutinis temporibus intra ſepta contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahat: nam pruinoſa iis diebus herba pecudi gravedinem creat, ventremque proluit, &c.* Vide & cap 5. ejuſdem libri, pag. 263. Palladium quoque loc. cit.

8. *Supra dictum.*] Libentius agnoverim, *ſit prædictum:* quaſi dicat, prædoctus eſto, ut ſect. ſeq. Quo enim loco id ante dixerit, non occurrit.

9. *Clodunt ita.*] Oculos nimirum, ut qui lictatione laborant. Inde fortaſſis Clodia gens apud Romanos nomen traxit.

10. *Qui feminas . . . . in eum ventum.*] In ſeptemtrionem videlicet, qui noxius eſt, non in Aquilonem, qui ſalubrior: in quem quæ ſpectare coguntur oves, mares edunt, ut diximus ex Ariſtotele, ceteriſque, lib. 8. ſect 72. dicemuſque iterum ſect. ſeq.

Sect LXXVII. 1. *Diximus.*] Sup ſect.

2. *Decumanus vocabitur.*] Feſtus quoque: *Decumanus appellatur limes, qui fit ab ortu Solis ad occaſum: Alter ex tranſverſo currens, appellatur Cardo.* Atque eam ob cauſam quoniam litteræ X figuram exhibet, quæ nota denarii eſt, decumano limiti factum id nomen Alia cauſa appellationis decumani ovi, decumanique fluctus, apud Feſtum, quem conſule Vide plura apud Voſſ in Etymol.

3. *Tympanum*] Hoc eſt, tabulam ſolidam, ac planam.

4. *Aquilonem, Boream.*] De varia appellatione ventorum diximus abunde lib. 2. ſect. 46. &c

5. *Mollitur ſidere*] Aquilo nimirum, qui eteſias appellatur: de quo jam antea Plinius lib. 2 ſect. 47. *Aquilones, inquit, quos eteſias appellant. Mollire eos creditur Solis vapor geminatus ardore ſideris*

6. *In hunc Aſiæ.*] In Aquilonem, aut Cæciam, non in Septemtrionem.

7. *Qui mares . . . . in hunc.*] In Aquilonem adhuc, aut Cæciam. Vide quæ dicta ſunt lib. 8. ſect. 72.

8. *In hunc.*] In Africum.

vocavimus, exortum habebit æquinoctialem, ventumque Subsolanum, Græcis Apelioten dictum. In hunc salubribus locis villæ vineæque spectent. Ipse leniter pluvius: tamen est siccior. Favonius, ex adverso ejus ab æquinoctiali occasu, Zephyrus Græcis nominatus. In hunc spectare olivera [9] Cato jussit. Hic ver inchoat, aperitque terras tenui frigore saluber. Hic vites putandi, frugesque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi jus dabit, afflatuque [10] nutritium exercebit.

3. Quarta a septemtrione linea, eadem Austro ab exortiva parte proxima, brumalem habebit exortum, ventumque Vulturnum, Eurum Græcis dictum, sicciorem & ipsum, tepidioremque. In hunc apiaria & vineæ Italiæ, Galliarumque, spectare debent. Ex adverso Vulturni flabit Corus, ab occasu solstitiali & occidentali latere septemtrionis, Græcis dictus Argestes, ex frigidissimis & ipse, sicut omnes qui a septemtrionis parte spirant. Hic & grandines infert, cavendus & ipse, non secus ac septemtrio. Vulturnus si a serena cæli parte cœperit flare, non durabit in noctem: at Subsolanus in majorem partem noctis extenditur. Quisquis erit ventus, si fervidus sentietur, pluribus diebus permanebit. Aquilonem prænunciat terra siccescens repente, Austrum humescens rore occulto.

CAP. XXXV. LXXVIII. Etenim prædicta ventorum ratione, ne sæpius eadem dicantur, transire convenit ad reliqua tempestatum præsagia, quoniam & hoc placuisse [1] Virgilio magnopere video. Siquidem in ipsa messe sæpe concurrere prælia ventorum damnosa imperitis refert. Tradunt eumdem Democritum metente fratre ejus [2] Damaso ardentissimo æstu orasse, ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum, paucis mox horis sævo imbre vaticinatione approbata. Quin immo & arundinem non nisi impendente pluvia seri jubent, & fruges insecuturo imbre. Quamobrem & hæc breviter attingemus, scrutati maxime pertinentia.

Primumque a Sole capiemus præsagia. [3] Purus oriens, atque non fervens, serenum diem nunciat: at hibernam pallidus grandinem. [4] Si & occidit pridie serenus, & oritur, tanto certior fides serenitatis. [5] Concavus oriens pluvias prædicit: [6] idem ventos, cum ante exorientem eum nubes rubescunt: quod si & nigræ rubentibus intervenerint, & pluvias. [7] Cum orientis atque occidentis radii rubent, coïre pluvias. Si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondent. [8] Si in exortu spargentur partim ad Austrum, partim ad Aquilonem, pura circa eum serenitas sit licet, pluviam tamen ventosque significabunt. [9] Si in ortu aut in occasu contracti cernentur radii, imbrem. Si in occasu ejus pluet, aut radii in se nubem trahent, asperam in proximum diem tempestatem significabunt. Cum orienti radii non illustres eminebunt, quamvis circumdati nube non sint, pluviam portendent. Si ante exortum nubes globabuntur, hiemem asperam denunciabunt. Si ab ortu repellentur, & ad occasum abibunt, serenitatem. Si nubes Solem circumcludent, quanto minus luminis relinquent, tanto turbidior tempestas erit: si vero etiam duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quod si in exortu fiet, ita ut rubescant nubes, maxima ostendetur tempestas. Si non ambibunt, sed incumbent, a quocumque vento fuerint, eum portendent. Si a meridie, & imbrem. Si oriens cingetur orbe, ex qua parte is se aperit, exspectetur ventus. Si totus defluxerit æqualiter, serenitatem dabit: Si in exortu longe radios per nubes porriget, & medius erit inanis, pluviam significabit. Si ante ortum radii se ostendent, aquam & ventum. Si circa occidentem candidus circulus erit, noctis levem tempestatem: Si nebula, vehementiorem: Si candente Sole, ventum: Si ater circulus fuerit, ex qua regione is ruperit se, ventum magnum.

LXXIX. Proxima sint jure Lunæ præsagia. [1] Quartam eam maxime observat Ægyptus. [2] Si splendens exorta puro nitore fulsit, serenitatem: [3] si rubicunda, ventos: [4] si ni-

NOTÆ.

9. *Cato jussit.*] Ut diximus lib. 15 sect. 6

10. *Nutritium exercebit.*] Tenui frigore nutritium, arborum agricolam exercebit, Hic Pinetus, ut sæpe, cespitat.

Sect. LXXVIII. 1. *Virgilio.*] Libro 1. Georg. 313.

Sæpe ego ventorum concurrere prælia vidi.

2. *Damaso*] Refert hoc ipsum Clemens Alexandr. lib 6. Stromat. pag. 631. ubi & Damasum fratrem Democriti vocat: Laertius quoque in Democrito, lib. 9. pag. 247.

3. *Purus oriens.*] Theophr. lib de signis seren. pag. 128.

4. *Si & occidit.*] Theophr loc. cit.

5. *Concavus oriens.*] Sol abditus in cavo nubis. Theoph. lib. de signis vent. pag. 118. Virgil. lib 1. Georg. vers. 441.

Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conceavus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres, &c.

6 *Idem ventos.*] Festus Rufus Arati interpres, pag. 69.

Ignea si fulgor præcurrit plurimus ora,
Flamina crebra salis quatiunt vada, &c.

7 *Cum orientis.*] Theophr lib. de sign. pluv. & vent. pag. 111.

8. *Si in exortu.*] Festus Avienus, pag. 69. de Sole:

Sed non ora cavo similis, medioque recedens
Ore quasi, vel si radios discinguitur ultro,
Figat ut Australem porrectis sidere partem,
At Borean rigido jaculetur luminis igne,
Et vento & pluviis reparata luce carebit.

9. *Si in ortu aut.*] Rufus Avienus, loc. cit.

Sect. LXXIX. 1. *Quartam eam.*] Vide Festum Avienum, pag. 65. & 67.

2. *Si splendens.*] Virgil. lib 1. Georg. vers 432.

Sin ortu in quarto, namque is certissimus auctor,
Pura nec obtusis per cælum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt.

3. *Si rubicunda.*] Virgil. lib. 1. Georg vers. 430.

At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.

4. *Si nigra.*] Virgil. vers. 427.

Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,

pra pluvias portendere creditur. In quinta cornua ejus obtusa, pluviam: erecta & infesta ventos semper significant: quarta tamen maxime. Cornu ejus septemtrionale acuminatum atque rigidum, illum præsagit ventum: inferius, Austrum: utraque recta, noctem ventosam. Si quartam orbis rutilus cingit, ventos & imbres præmonebit. Apud Varronem ita est: Si quarto die Luna erit directa, magnam tempestatem in mari præsagiet, nisi si coronam circa se habebit, & eam sinceram: quoniam illo modo non ante plenam Lunam hiematurum ostendit. Si plenilunio per dimidium pura erit, dies serenos significabit: si rutila, ventos: nigrescens, imbres. Si caligo orbis nubem incluserit, ventos, qua se ruperit: si gemini orbes cinxerint, majorem tempestatem. Et magis, si tres erunt, aut nigri, interrupti atque distracti. Nascens Luna, [5] si cornu superiore obatro surget, pluvias decrescens dabit: si inferiore, ante plenilunium: si in media nigritia illa fuerit, imbrem in plenilunio. Si plena circa se habebit orbem, ex qua parte is maxime splendebit, ex ea ventum ostendet. Si in ortu cornua crassiora fuerint, horridam tempestatem. Si ante quartam non apparuerit, vento Favonio flante, hiemalis toto mense erit. Si decimo sexto vehementius flammea apparuerit, asperas tempestates præsagiet. [6] Sunt & ipsius Lunæ octo articuli, quoties in angulos Solis incidit, plerisque inter eos tantum observantibus præsagia ejus, hoc est, tertia, septima, undecima, decimaquinta, decimanona, vigesimatertia, vigesimaseptima, & interlunium.

LXXX. Tertio loco stellarum observationem esse oportet. [1] Discurrere eæ videntur interdum, ventique protinus sequuntur, in quorum parte ita præsagivere. Cælum cum æqualiter totum erit splendidum, [2] articulis temporum, quos proposuimus, autumnum serenum præsagibunt, & frigidum. [3] Si ver & æstas non sine riguo aliquo transierint, autumnum serenum & densum, minusque ventosum facient. Autumni serenitas ventosam hiemem facit. Cum tepente stellarum fulgor obscuratur, & id neque nubilo, neque caligine, pluvia aut graves denunciantur tempestates. [4] Si volitare plures stellæ videbuntur, quo feruntur albescentes, ventos ex iis partibus nunciabunt. Aut si cursitabunt, certos: si id pluribus partibus fiet, inconstantes ventos effundent. Si stellarum errantium aliquam orbes incluserint, imbres. [5] Sunt in signo Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli appellatæ, exiguum inter illas spatium obtinente nubecula, quam Præsepia appellant. Hæc cum cælo sereno apparere desierit, atrox hiems sequitur. Si alteram earum Aquiloniam caligo abstulit, Auster sævit: si Austrinam, Aquilo. [6] Arcus cum sunt duplices, pluvias nunciant: a pluviis, serenitatem non perinde certam: Circuli novi circa sidera aliqua, pluviam.

LXXXI. Cum æstate vehementius tonuit quam fulsit, ventos ex ea parte denunciat: contra si minus tonuit, imbrem. Cum sereno cælo fulgetræ erunt & tonitrua, abhiemabit. [1] Atrocissime autem, cum ex omnibus quatuor partibus cæli fulgurabit. Cum ab Aquilone tantum, in posterum diem aquam portendit. Cum a Septemtrione, ventum eum. Cum ab Austro, vel Coro, aut Favonio, nocte serena fulguraverit, ventum & imbrem ex iisdem regionibus demonstrabit. Tonitrua matutina ventum significant, imbrem meridiana.

LXXXII. Nubes cum sereno cælo feruntur, a quacumque parte id fiet, exspectentur venti: si eodem loco globabuntur, appropinquante Sole discutientur. Et hoc si ab Aquilone fiat, ventos: si ab Austro, imbres portendent. Sole occidente si ex utraque parte ejus cælum petent, tempestatem significabunt. Vehementius atræ ab oriente, in noctem aquam minantur: ab occidente, in posterum diem. [1] Si nubes, ut vellera lanæ, spargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præsagient. [2] Cum in cacuminibus mon-

NOTÆ.

Maximus agricolis pelagoque paratur imber.

5. *Si cornu .... obatro.*] MSS. *obatrato.*

6. *Sunt .... octo articuli.*] Octo veluti puncta seu stationes, ac positus Lunæ, unde si una cum Sole a terra conspiciatur, diversos tum octo angulos facere ambo videntur. Aspectum octilem Astronomi seu octogonum vocant.

Sect. LXXX. 1. *Discurrere.*] Vide quæ in eam rem diximus lib. 2. sect. 6. & 36.

2. *Articulis..... quos proposuimus.*] Sect. 59 his verbis: *Rursus hi cardines singulis temporum articulis dividuntur, per media omnes dierum spatia. Quoniam inter solstitium & æquinoctium autumni, Fidiculæ occasus autumnum inchoat*, &c.

3. *Si ver & æstas.*] Vide Theophr. lib. de signis tempest.

4. *Si volitare.*] Virgil. lib. 1. Georg. vers. 365.

Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctisque per umbras
Flammarum longos a tergo albescere tractus.

Recte vero admonuit Seneca, lib. 1 Natur. quæst cap 1. pag. 832. *Argumentum tempestatis nautæ putant, cum multæ transvolant stellæ: quod si signum ventorum est, ibi est, ubi venti sunt, id est, in aere, qui medius inter Lunam & terram est.* Vide etiam Avienum, pag. 71.

5. *Sunt in signo.*] Geminus in Elem. Astron. cap. 2 pag. 12. Ἐν τῷ Καρκίνῳ νεφελοειδὴς συστροφὴ ἀστέρων [καλεῖται Φάτνη]· οἱ δὲ πλησίον αὐτῆς δύο ἀστέρες κείμενοι, Ὄνοι προσαγορεύονται]. *Quæ stellæ in Cancro nebulosæ, stellarum congregationi similes sunt, vocantur Præsepe: duæ stellæ præsepi vicinæ, vocantur Asini.* Vide & Festum Avienum, fol 79. & Theophrastum, lib. de sign. pluv. & vent. pag. 113.

6. *Arcus cum sunt.*] Aratus in Prognosticis, interprete Avieno, fol. 71.

Si discolor Iris
Demittat gemino se fornice .....
Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.

Sect. LXXXI. 1. *Atrocissime*] Theophr. lib. de sign. vent. pag 119.

Sect. LXXXII. 1. *Si nubes, ut vellera.*] Aratus, loco citato.

Vellera si cælo volitent, &c.

Theophr quoque, lib. de sign. pluv. & vent. pag. 121.

2. *Cum in cacuminibus.*] Theophr. lib. de signis tempest. Ὀρέων κορυφαὶ περισχόμεναι ὑπὸ νεφελῶν, χειμέριον.

tium nubes confident, hiemabit. Si cacumina pura fient, [3] differenabit. Nube gravida candicante, quod vocant tempestatem albam, grando imminebit. Cælo quamvis sereno nubecula quamvis parva ventum procellosum dabit.

LXXXIII. Nebulæ e montibus descendentes, aut cælo cadentes, vel in vallibus sidentes, serenitatem promittunt.

LXXXIV. Ab his terreni ignes proxime significant: pallidi namque, murmurantesque, tempestatum nuncii sentiuntur: pluviæ etiam [1] in lucernis fungi. Si flexuose volitet flamma, ventum. [2] Et lumina cum ex sese flammas elidunt, aut vix accenduntur. Item cum in eo pendentes coacervantur scintillæ, vel cum tollentibus ollas carbo adhæreseit, aut cum contectus ignis e se favillam discutit, scintillamve emittit: vel cum cinis in foco concrescit, & cum carbo vehementer perlucet.

LXXXV. Est & aquarum significatio. Mare si tranquillum in portu a cursu stabit, & murmuraverit intra se, ventum prædicit. Si identidem, & hiemem, & imbrem. [1] Litora ripæque si resonabunt tranquillo, asperam tempestatem: item maris ipsius tranquillo sonitus, spumæve dispersæ, aut aquæ bullantes. Pulmones marini in pelago, plurium dierum hiemem portendunt. Sæpe & silentio intumescit, [2] flatuque altius solito jam intra se esse ventos fatetur.

LXXXVI. Equidem & montium sonitus, nemorumque mugitus prædicunt: & sine aura, quæ sentiatur, [1] folia ludentia. [2] Lanugo populi, aut spinæ, volitans: aquisque pluma innatans. Atque etiam in campis tempestatem venturam præcedens suus fragor: cæli quidem murmur non dubiam habet significationem.

LXXXVII. Præsagiunt & animalia. [1] Delphini tranquillo mari lascivientes, flatum, ex qua veniunt parte: item spargentes aquam turbato, tranquillitatem. [2] Loligo volitans, conchæ adhærescentes, [3] echini affigentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa sunt. [4] Ranæ quoque ultra solitum vocales. [5] Et fulicæ matutino clangore. Item mergi, anatesque, pennas rostro purgantes, ventum: ceteræque aquaticæ aves concursantes: [6] Grues in mediterranea festinantes: [7] Mergi maria aut stagna fugientes. [8] Grues silentio per sublime volantes, serenitatem: [9] sic noctua in imbre garrula: at sereno, tempestatem: [10] Corvique singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos: si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. [11] Gracculi sero a pabulis recedentes, hiemem. [12] Et albæ aves, cum congregabuntur. [13] Et cum terrestres

NOTÆ.

3. *Differenabit.*] Dies serenus erit. Theophr lib. de signis seren. Τὰ ὄρη, ὅταν τὰς κορυφὰς καθαρὰς ἔχωσιν, εὐδίαν σημαίνει. *Montes cum habent pura cacumina, serenitatem significant.*

Sect. LXXXIV. 1. *In lucernis fungi*] Theophr. lib de signis pluv. & vent pag 111. Καὶ οἱ μύκητες, ἐὰν νότια ᾖ, ὕδωρ σημαίνουσι. *Fungi in lucernis, flantibus Austris, aquas prænunciant.* Virgil. lib 1. Georg vers. 390.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

2. *Et lumina.*] Theophr. lib. de signis temp. pag 124.

Sect LXXXV. 1. *Litora ripæque.*] Theophr. loc. cit. & lib de signis vent. pag 118. Virgil lib. 1. Georg. vers. 356.

Continuo ventis surgentibus aut freta Ponti
Incipiunt agitata tumescere: & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut resonantia longe
Litora misceri, & nemorum increbrescere murmur.

2. *Flatuque.*] Forte, *inflatuque.*

Sect. LXXXVI. 1. *Folia ludentia.*] Virgil. lib. 1. Georg. vers. 368.

Sæpe levem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut summa nantes in aqua colludere plumas, &c.

2. *Lanugo . . . aut spinæ.*] Spinæ albæ. Aratus, in Διοσημείαις, pag 117.

Ἢ δὴ καὶ πάππος λευκῆς γήρειον ἀκάνθης.

Sic enim apud aliquem Græcum scriptorem Plinius legisse intelligitur, & λευκῆς de alba populo accepisse: & quidem recte. Sunt autem albæ spinæ, quam Arati schol. ὠίαγρον vocat, pappi, carduorum flores, ut Festus explanat. Avienus Aratum sic reddidit,

Jamque super latices florum volitare senectam, &c.

Mox *suus fragor* idem valet, ac peculiaris, qui in campis solet audiri, fragor.

Sect. LXXXVII. 1. *Delphini.*] Cic. lib. 2. de Divin. pag. 270. *Loligines & Delphini exsultantes tempestatem futuram significant.*

2. *Loligo volitans.*] Plutarch. in quæst. natur. pag. 916. Διὰ τί τευθὶς φαινομένη σημεῖόν ἐστι μεγάλου χειμῶνος; *Cur loligo conspecta signum est magnæ tempestatis?* Causam ejus rei investigat. Adi & Theophr lib de signis tempest. pag. 124.

3. *Echini.*] Vide lib. 9. sect. 51.

4. *Ranæ quoque.*] Sic Aratus, interprete Avieno, loco citato.

Sic repetunt veterem ranæ per stagna querelam.

Et Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 378.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

5. *Et fulicæ*] Idem Arati interpres, pag. 71.

Et cum parva fulix trepido petit arva volatu,
Stagna sinens, longasque ciet clangore querelas:
Indicat insanis freta mox canescere ventis:
Latipedemque anatem cernes excedere ponto
Sæpius

De mergis & anatibus, Theophr. lib. de signis pluv. & vent. pag. 112. & lib. de signis vent pag 118.

6. *Grues in.*] Aratus, eodem interprete, fol. 72.

Si Threicia pes aperta
Sponte grues trepidant, nec sese audacibus æthra
Committunt pennis . . . .
Mox tempestates & nubila tetra cientur.

Adde & Ælian. lib. 7. hist. anim. cap. 7.

7. *Mergi maria.*] Lucanus eleganter, lib. 5. vers. 552.

Nec placet incertus qui provocat æquora Delphin:
Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
Ardea sublimis pennæ confisa natanti.

Adde Virgil. lib. 1. Georg vers. 360. & Cassiod. lib. 3. var. Ep. 48.

8. *Grues silentio.*] Theophr. de signis seren. pag. 128. & Ælian. locis cit.

9. *Sic noctua.*] Theophr. & Ælian. locis citatis.

10. *Corvique.*] Aratus, loc. cit.

Agmine cum denso circumvolitare videtur
Gracculus, & tenui cum stridunt gutture corvi,
Convenit instantes prænoscere protinus imbres.

11. *Gracculi.*] Theophr. lib de signis tempest. pag 125.

12. *Et albæ aves.*] Theophr. loc. cit. & Ælianus.

13. *Et cum terrestres.*] Servius in lib. 1. Georg. vers. 375. *Hic locus,* inquit, *omnis de Varrone est,* Atacino scilicet: *Ille enim sic:*

Tum liceat pelagi volucres, tardæque paludis
Cernere inexpleto studio certare lavandi:
Et velut insolitum pennis infundere rorem:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo. &c.

De hirundine etiam Theophr. lib. de sign. pluv. & vent. pag. 111.

volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes sese: sed [14] maxime cornix. Hirundo tam juxta aquam volitans, ut penna sæpe percutiat. Quæque in arboribus habitant, fugitantes in nidis suis. [15] Et anseres continuo clangore intempestivi. [16] Ardea in mediis arenis tristis.

LXXXVIII. Nec mirum, aquaticas, aut in totum volucres præsagia aëris sentire. 5 [1] Pecora exsultantia, & indecora lascivia ludentia, eamdem significationem habent. [2] Et boves cælum olfactantes, seque lambentes [3] contra pilum. [4] Turpesque porci alienos sibi manipulos feni lacerantes: segniterque & contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, [5] aut ova progerentes. [6] Item vermes terreni erumpentes.

LXXXIX. Trifolium quoque inhorrescere, & folia contra tempestatem subrigere 10 certum est.

XC. Necnon & in conviviis mensisque nostris, vasa quibus esculentum additur, sudorem [1] repositoriis linquentia, diras tempestates prænunciant.

NOTÆ.

14. *Maxime cornix.*] Geopon. auctor. lib. 1. cap 3. pag. 7. Καὶ κορώνη ἐπ' αἰγιαλῷ τὴν κεφαλὴν διαβρέχουσα, ἢ πᾶσα νηχομένη . . . . ὄμβρους σημαίνει. Lucanus. lib 5. vers. 555.

Quodque caput spargens undis, velut occupet imbrem,
Instabili gressu metitur litora cornix.

15. *Et anseres.*] Theophr loc. cit pag. 124.

16. *Ardea.*] Inter signa tempestatis Lucanus illud affert, lib. 5. vers. 549.

Quodque ausa volare
Ardea sublimis pennæ confisa natanti

Sect. LXXXVIII. 1. *Pecora*] Hoc illud est quod Virgilius dicit, lib 1. Georg. vers. 423.

Et lætæ pecudes, &c.

Aratus, interprete Avieno, pag. 74.

Pastor id indicium pluvialis frigoris edet,
Et si perfultans aries lascivius herbas
Appetat: aut sese sustollant saltibus hædi:
Vel si juge gregi cupiant hærere, &c.

Vide etiam Ælian lib. 7. hist. anim. cap 8.

2. *Et boves.*] Virgilius lib. 1. Georg vers. 375.

Aut bucula cælum
Suspiciens, patulis captavit naribus auras.

Id quod ex Varrone Atacino hausisse Virgilium auctor est Servius in eum locum, ubi Varronis carmen laudat ejusce modi:

Et bos suspiciens cælum, mirabile visu,
Naribus aereum patulis decerpsit odorem.

Theophr quoque, lib de sign pluv & vent. pag. 112.

3. *Contra pilum*] Sic pecti capillos dixit Cælius Aurel. lib. 2. cap 4. nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam MSS. omnes, *contra pluviam.* Diversa paululum sententia Avienus loc. cit.

Bubus arator idem trahit atra signa procellæ,
Lambere si lingua prima bos vestigia forte
Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum.

4. *Turpesque porci.*] Explicat id Politianus, in Rust.

Cum sibi non factos sus dissipat ore maniplos.

5. *Aut ova progerentes.*] Atacinus Varro, loc. cit.

Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Virgil. lib. 1 Georg vers. 380.

Sæpius & tectis penetralibus extulit ova,
Angustum formica terens iter.

6. *Item vermes.*] Theophrast. lib. de signis temporum. pag. 124.

Sect. XC. 1. *Repositoriis.*] Quid repositorium olim diceretur, aperiemus opportunius lib. 33. sect. 40.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XVIII.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 2. I. TERTIAM *ex his nominare sub tecto religio est.*] Tutelinam, cujus Augustinus & alii meminere, eam esse Deam, quam nominare sub tecto religio fuit, existimant Turnebus, lib. 20. Advers. cap. 36. & Cælius Rhodig. lib 21. cap. 29. pag. 1005. quoniam fortassis, ut Macrobius admonet, lib. 1. Saturn. cap. 16. pag. 264. *apud veteres qui nominasset Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutelinam, ferias observabat.* Verum ex eo ipso Macrobii testimonio plane efficitur, non aliam hac in parte Tutelinæ Deæ, quam Sejæ Segestæque, conditionem fuisse: cum tamen dispares eas fuisse hac silentii religione sub tecto, Plinius velit. Et cur autem non liceret Tutelinam nominare, quam & in navi & in ædibus passim nominari & advocari cernimus apud Petronium in Satyrico? An Meja potius intelligenda dea est, a messibus nominata? Nam Tertull. lib. de spectac. cap. 8. *Singula*, inquit, *ornamenta Circi, singula templa sunt.... Sessias a Sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutela fructuum sustinent columnæ. Ante has tres aræ trinis Diis parent, magnis, potentibus. Eosdem Samothracas existimant.* Ut igitur Sessia in Sejam, sic Messia Dea, quæ altero nomine Segesta appellata fuit, forte in Mejam commutata, propterea quod ea vox putidum quid olet ac sonat, sub tecto eo nomine nominare religio fuit. Sed Segestam ipsam verius, ut arbitror, intellexit, quam nominari sub tecto idcirco religio fuit, quod ad aliam vocem mollendam, quæ turpicula foret, vel inauspicata, nempe *Egesta*, vel *Egestas*, conficta illa existimaretur. Sic enim & de Siciliæ oppido Festus refert: *Segesta, quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. Sed præposita est ei S littera, ne obsceno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento, quod Beneventum dictum est.* Sane si eam, quam nominari sub tecto religio est, non ipse jam appellasset, minime nunc ipse diceret, *Tertiam ex his*: nam quid est aliud, *ex his*, quam ex proxime appellatis Diis?

Sect. 3. II. *Jugum vocabatur.*] Prius legebatur *jugerum*: at *jugum* scribi oportere vel ex eo perspicuum est, quod de jugero postea agitur. Adde Varronem lib. de re rust. cap. 10. ita scripsisse: *Modos*, inquit, *quibus metirentur rura, alius alios constituit. Nam in Hispania ulteriore metiuntur jugis: in Campania versibus: apud nos in agro Romano ac Latino, jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possunt. Versum dicunt centum pedes quoquoversum quadratum. Jugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus est pedes CXX. & longus totidem: is modus Acnua latine appellatur.* Lege, *Agna*, ex Columella, libro 5. cap. 1. ubi & agna quid sit, & porca, definit.

Sect. 6. III. *Et ideo Comitia nundinis.*] Qui *nisi nundinis* reponi volunt, & omnium exemplarium auctoritati refragantur, & Festo in fragmento, pag. 21. *Nundinas feriatum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique causa: eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Qui suam emendationem Varronis, Columellæ & Dionysii Halicarnassei testimonio corroboratam putant, recentiorem Urbis morem cum prisco majorum instituto commutant.

Sect. 6. IV. *Aquam, viam, & vicinum.*] In MSS. Reg. aliisque, *aquam, vim.* In editis, *aquarum vim*, male. Cato in præf. libri de re rust. pag. 4. *aquam, viam*, scribendum suggerit. *Loco*, inquit, *salubri ager siet, bonumque aquarium* (alii codd. *bonumque aquarum*) *oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulent, aut via bona celebrisque.* Columella quoque, lib. 1. cap. 3. pag. 16. *Post hæc duo principalia subjungebat Cato illa non minus intuenda: viam, & aquam, & vicinum. Multum conferre agris iter commodum: primum, quod est maximum, ipsam præsentiam domini, qui libentius commeaturus sit, si vexationem viæ non reformidet: deinde ad vehenda & exportanda utensilia.... De bonitate aquæ ita omnibus clarum est, ut pluribus non sit disserendum... De vicini commodo non est quidem certum, quem nonnumquam mors, aliæque nobis non diversæ causæ mutant*, &c.

Sect. 8. V. *Ne familia mala siet.*] Ita libri hactenus vulgati, cum Reg. 1. cod. forte propter illud Catonis, cap. 4. *Vicinis bonus esto: Familiam ne siveris peccare*, nimirum in vicinos. *Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facile conduces. Si ædificabis, operis, jumentis, materia juvabunt*, &c. In Reg. 2. cod. haud minus forte sincere, *Ne familia male sit*, Propter illud ejusdem scriptoris, cap. 5. *Familiæ male ne sit, provideat, ne algeat, ne esuriat*, &c.

Sect. 10. VI. *Frumentum vero, & hordeum, viciaque.*] Prius legebatur, *Frumentum & hordeum utrumque*: ubi se torquet mirum in modum Dalecampius, ut quodnam sit hordeum utrumque, explanet. Nos sinceram hanc lectionem, ope codicis Colb. 3. & Paris. repræsentamur.

Sect. 13. VII. *Ex quo panis apud eos præcipuus, & alica. Maxime quidem oryza gaudent*, &c.] Prius legebatur, *panis apud eos præcipuus Italica maxime quidem*, &c. Atque ita sane codices exarati omnes præ se ferunt, sed rejecta interpunctionis nota, post vocem *Italica* Dalecampius scribendum ita conjiciebat: *Oryza quidem maxime ut Itali gaudent.* Alii aliter: Salmasius, nihil. Facilis tamen emendatio, vel literulæ unius immutatione, ut patet. Auctor emendandi Theophrast. lib. 4. hist. cap. 5. *Est*, inquit, *& hordeum, & triticum, & genus quoddam aliud hordei silvestris, ex quo panis præcipuæ suavitatis, & alica perbona.* Κριθαὶ δὲ, καὶ πυροὶ καὶ ἄλλο ἐπὶ γένος ἄγριον κριθῶν, ἐξ ὧν καὶ ἄρτοι ἡδεῖς, καὶ χόνδρος καλός. Peculiaria Indiæ semina ibi Græcus scriptor persequitur. Moxque subjicit, paucis admodum interjectis: Μάλιστα δὲ σπείρουσι τὸ καλούμενον ὄρυζον, ἐξ οὗ τὸ ἀφέψημα· τοῦτο δὲ ὅμοιον τῇ ζειᾷ, καὶ ἀποπτισθὲν, οἷον χόνδρος. *Maxime quidem oryzam serunt, similem zeæ: tamquam alica pinsitur*, &c. Ex oryza & oleum facere Indos dictum est lib. 15. sect. 7.

Sect. 17. VIII. *Proximum trimestri, quod e minime ponderoso tritico.*] Sic totidem plane litteris apicibusque Reg. Cod. ceterique, quibus usi sumus: & Tolet. quoque, quo Pintianus. Est enim sententia, primas tribui amylo, quod fit e trimestri: dixerat enim proxime antea, *Amylum vero ex omni tritico ac siligine, sed optimum e trimestri*: Secundas vero a trimestri tribui amylo, quod fiat e tritico minime ponderoso. Hactenus libri editi sic habuere: *Proximum e trimestri quidam minime ponderoso tritico.* Atqui hanc præcipuam esse tritici trimestris dotem ac laudem, paulo ante Plinius insinuarat, sect. 12. ut nulli frumento plus esset ponderis: ex interpolatorum igitur officina prodiit trimestre illud ponderosum, non ex Museo Pliniano.

Ibid. IX. *Linteo aut sportis siccatum.*] Non *ficcatum*, ut in libris omnibus legitur, qui sunt hactenus editi. Erroris admonuit Dioscorides, lib. 2. cap. 123. de amylo: Καὶ τὸ λοιπὸν διηθήσαντες ἐμβάλλουσιν εἰς ὀλίγον, ... ψύχουσι· ἐπὶ κεραμίδος καινῆς ἐν ἡλίῳ ὀξυτάτῳ. ... μικρὸν ἐπ' ὀλίγον μείνῃ, ὀξίζει. *Reliquum vero colo trajiciendum: moxque ut excolatum fuerit, super tegulis novis ardentissimo sub Sole siccari, densarique oportet. Namque si paulisper udum manserit, acescit.* Est autem ea vox *siccatum* Plinio ceteroqui perfamiliaris qua sursum abutitur, lib. 20. sect. 79. lib. 29. sect. 39. &c.

Sect. 20. X. *Semel tempore L. Pauli nata, XVII. pondo panis reddere visa, XVIII Tertia, XIX. cum triente.*] Exemplarium MSS. vestigia summa fide secuti sumus: sic enim habent Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. 3. Th. &c. *Semel tempore L. Pollinatam XVII.* ceteraque, ut edidimus: discrepante ab his longissime librorum editorum scriptura, quæ est ejuscemodi: *Similago L. polam autem XVII. pondo panis reddere visa, tritici XXX cum triente*, &c. Ambiguum nihilominus hunc locum, nec satis adhuc sanum esse non negaverim: sed jactura, ut reor, facili.

Sect. 29. XI. *Ex zea pulcrius, quam ex tritico, fit granum.*] MSS. Reg. 1. Colb. 1 *granacum*. Reg. 2. & Th. *gracum* Colb. 2. omnium optime, *granaum*. Cato, cap. 86. *Graneam triticeam sic facito. Selibram tritici puri in mortarium purum indat, lavetque bene, corticemque deterat bene, eluatque. Postea in ollam indat*, &c. Turnebus lib. 2. Advers. cap. 42. pag. 1027. legendum putabat, *fit tragum*. Sed de trago jam superius pronunciatum a Plinio est, sect. 16. *Simili modo e tritici semine tragum fit*, &c.

Sect. 31. XII. *Ex leguminibus autem Novembri feruntur lens*, &c.] In MSS Reg. Colb. Th. *Ex leguminibus autumno vere feruntur*, forte pro *autumno & vere*. Nam lentis sationes duas agnoscit Columella, lib. 2. cap. 10. *Sationes ejus duas*, inquit, *servamus: alteram maturam, per mediam sementem: serotinam alteram, mense Februario*. De Februario etiam subscribit Palladius, lib. 3. in Febr. tit. 4. pag. 51. *Hoc etiam mense lenticulam seres*, &c.

Sect. 44. XIII. *Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, qua in macro, cum udam quidam ventus afflavit.*] Hoc loco Plinium supinæ negligentiæ Dalecampius arguit, eumque secutus Salmasius, in eo libro quem sic inscripsit, *Præfatio ad Plinium*: Ruellius utrique præivit, lib. 2. de nat. stirp. pag. 337. Censent enim it descriptum ac perperam acceptum ab eo hunc Theophrasti locum, e lib. 4. de causis cap. 14. pag. 316. *Μαρτυρεῖ δὲ τὸ περὶ Φιλίππους συμβαῖνον περὶ τοὺς κυάμους. ἐκεῖ γὰρ σφόδρα ψυχρὸς πνέων ... ἀτεράμονας ποιεῖ γίνεσθαι. Testatur & illud quod apud Philippos evenit fabis: ventus enim eo loco vehementer frigidus est: ideoque fabæ incoctiles nonnullæ efficiuntur.* Id quod Plutarchus quoque narrat, lib. 7. Sympos. quæst. 2. pag. 701. *Ἐπιτυχὼν δὲ ὁ πνεῦμα ... ἀτεράμονας ποιεῖ, διὰ τὸ ψῦχος ... ἐν Φιλίπποις τῆς Μακεδονίας ... Cum ventus quidam ventilantibus supervenit, frigore suo fruges praduras & incoctiles facit, quod Philippis Macedoniæ oppido aiunt evenisse.* Itaque cum fabas ii dicant alias esse coctiles, alias incoctiles, sive quæ coqui nisi admodum ægre non possent: (*τεράμονας* & *ἀτεράμονας* Græci vocant:) ex his duabus vocibus herbarum duo nomina, vel Plinium, vel librarium, ejus qui Græca volumina scriberet, puerilites somniasse pronunciant. At longe ex alio fonte hæc hausisse Plinium, quam ex Theophrasto, duo præter alia apertissime produnt: Primum est, macri pinguisque soli discrimen, cujus apud eum scriptorem vestigium nullum exstat. Alterum, quod teramnon ex indiviso pariter, & ateramnon ex vitio dicatur esse: cum fabas coctiles sive *τεράμονας* ille palam in pretio ponat, nec sane immerito.

Sect. 45. XIII. * *Aquari gaudet, ut praepinguis & densa ubertas diluatur.*] Multo id sincerius visum, uti est in editione Parmensi, quam *aque rigandi*, ut in ceteris. Favet enim admodum tum ipsa per se orationis structura, tum ipse etiam Theophrastus. Sic enim ille lib. hist. cap. 7. *Ἡ δὲ ἐργασία, τὸ ὡς πλεῖστον χρόνον ἐμμένειν τὸ ὕδωρ .... παχεῖαν γὰρ οὖσαν καὶ πυκνὴν τὴν γῆν, δεῖ ποιεῖν μανήν. Cultura omnis in eo est, ut quam diutissime aqua permaneat: tum enim ea terra crassa, spissaque fit, raram atque solutam reddere opus est.*

Sect. 46. XIV. *In frigido & aquoso*] Hæc a superiore sententia, quicum temere connectebantur antea, divelli sejungique, ex Catone liquet. Sic enim ille, cap. 6. pag. 12. *Ubi ager crassus & lætus est sine arboribus, cum agrum frumentarium esse oportet: Idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum, id maxime seri oportet.* Hæc tantum eo loci affert. Mox cap. 34. pag. 30. *Redeo ad sementim. Ubi quisque locus frigidissimus, aquosissimusque erit, ibi primum serito. In caldissimis locis sementim postremum fieri oportet.*

Ibid. XV. *Et cicere excepto, legumina quæ velluntur e terra &c.*] Perturbata admodum sententia prius legebatur, *Et cicer exceptis leguminibus &c.* Admonuit erroris Varro: sunt enim hæc illius verba, lib. 1. de re rust. cap. 23. *Neque in pingui terra omnia seruntur recte, neque in macra nihil. Rectius enim in tenuiore terra ea, quæ non multo indigent succo, ut cytisum, & legumina, præter cicer: hoc enim quoque legumen, & cetera quæ velluntur, legumina dicta. In pingui rectius, quæ cibi sunt majores, ut olus, triticum, siligo, linum.*

Ibid. XVI. *Lenior terra, densiorque tritico.*] Ita recte MSS. Reg. ceterique, non uti prius legebatur in editis, *levior*. Nam pugnant inter se, *levior, densiorque*. Adde Theophr. lib. 8. hist. cap. 9. emendationi huic mire suffragantem: *Πυρός*, inquit, *ἀγαθὴν ζητεῖ χώραν, ἡ δὲ κριθὴ ὁμοίως καὶ τὰς ψαφαρωτέρας ἐκφέρει.* Multoque expressius Plutarchus, in quæst. natur. pag. 915. *Διὰ τί πυροφόρος ἡ πίων καὶ βαθεῖα χώρα, κριθοφόρος δὲ μᾶλλον ἡ λεπτόγεως; Quare pinguis & profunda terra tritici ferax est: hordei ea potius quæ tenuior est?* Cum præsertim, eodem Plutarcho teste, illud agricolis in ore sit: *Σῖτον ἐν πηλῷ φύτευε, τὴν δὲ κριθὴν ἐν κόνει. Triticum in cœno serito, hordeumque in pulvere.* Lenior autem terra, uda est & madida hoc loco, & aqua copiosa diluta solutaque.

Sect. 48. XVII. *Non pridem inventum in Rhætia Galliæ, ut duas adderent alis rotulas, quod genus vocant planarati.*] Sic libri fere omnes editi, tantum post Frobenium: Priores *plaumorati* habent. MSS. Reg. Colb. aliique, *Plaumorati*. Goropius Becanus, lib. 1. Gallicor. pag. 25. mavult *Plomerat* legi: quod Cimbrorum lingua, seu vetere Gallica, *Plogrut* aratri rotam notet, *Plog met rut*, aratrum cum rota. Nos simplicius *Plaustraratri* malumus. Servius ad lib. 1. Georg. versu 173. Mantuæ, quæ in Gallia Togata & Cisalpina exsistit, aratra habuisse rotas, ex eo Virgilii versu colligit:

> *Cæditur & tilia ante jugo levis, altaque fagus,*
> *Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos.*

Currus autem dixit, inquit Servius, *propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur.* Ut minime mirum sit, gentes eas Latine composita voce, quæ significatum & usum ejus exprimeret, *Plaustraratri* extulisse. Rhæti enim, ut Galli Togati, Latina lingua, vel Plinii certe tempore, utebantur. Verum non uni huic dumtaxat voculæ, sed & sententiæ integræ medicinam attulimus, quæ prius ita legebatur: *Id non pridem inventum in Rhætia. Galliæ duas addiderunt tali rotulas, quod genus vocant planarati.*

Sect. 49. XVIII. *Nec strigare in actu spiritus.*] Scripserat Hermolaus contra omnium codicum fidem, editionumque Parm. aliarumque vetustarum, *Nec striare in actu sepius*. Antiquam sinceramque lectionem repræsentamus, ex Reg. 1. 2. Colbert. aliisque exemplaribus: eamdem V. Cl. Guill. Pelliceri judicio defendimus, cujus hæc verba Turnebus recitat, lib. 24. Advers. cap. 1. pag. 808. *Est*, inquit, *strigare in actu spiritus, in agendo sulco interquiescere: Nam striga, Hygino auctore, in libello de castrorum metatione, ordo est & series equorum in castris tendentium. Ut autem in striga quiescunt equi, & ut in strigam dum colligantur strigare dicuntur: ita quoque cum in versu, qui uno spiritu agendus est, ad interspirandum requiescunt, strigare dicuntur.* Utitur in eumdem pæne sensum de labore strenuo, sed gravi, metaphorice strigandi verbo Seneca, epist. 31. *Quid ergo est bonum? Laboris contemptio. Itaque in vanum operosos culpaverim, rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor: & clamabo: Tanto melior surge, & respira: & clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera.* Adjicimus & nos ad ea, ne videamur ἀσύμβολοι, lepidam Phædri fabellam, e tertio libro depromptam:

> *Musca in temone sedit, & mulam increpans:*
> *Quam tarda es, inquit, non vis citius progredi?*
> *Vide ne dolone collum compungam tibi.*
> *Respondit illa: Verbis non moveor tuis:*
> *Sed illum timeo sella qui prima sedens*
> *Jugum flagello temperat lento meum,*
> *Et ora frenis continet spumantibus.*
> *Quapropter aufer frivolam insolentiam:*
> *Namque ubi strigandum est, & ubi currendum, scio.*

Hoc illud est quod pariter præcipit Columella, lib. 2. cap. 2. sub finem. *Ne in media parte versura bubulcus consistat: detque requiem in summa, ut spe cessandi totum spatium bos agilius emetiatur. Sulcum autem ducere longiorem, quam pedum cxx. contrarium pecori est, quoniam plus æquo fatigatur, ubi hunc modum excessit. Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat, & boves inhibeat, ut colla eorum refrigescant, quæ celeriter conflagrant, nisi assidue refrigerentur*, &c.

Sect. 50. XIX. *Faba runcari non gestit: quoniam evincit herbas lupinum, runcatur tantum.*] Locum hunc sic interpunximus, adducti tum re ipsa, tum scriptorum veterum auctoritate. Columella enim, lib. 2. cap. 12. pag. 66. *Excepto lupino*, inquit, *cujus semini contraria est sarritio: quoniam unam radicem habet, quæ sive ferro succisa est, seu vulnerata, totus frutex emoritur. Quod etiamsi non fieret, supervacuus tamen esset cultus, cum sola hæc res adeo non infestetur herbis, ut ipsa herbas perimat.* Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 9. pag. 39. *Lupinus vero, qui unam radicem habet, si sarculetur, exstinguitur: quod nec desiderat: quia herbas præter auxilium cultoris affligit.* Sic locus ille prius legebatur, ut ea verba, *quoniam evincit herbas*, priori affigerentur sententiæ, quæ de faba est.

Ibid. XX. *Ita a fenis ne nonnisi messibus in aream redeunt.*] In libris hactenus editis, *nonnisi nonis mensibus*. At vox ea *nonis* abest a MSS. exemplaribus, Reg. Colb. Chiffl. &c. palamque est crevisse eam ex superioris vocabuli, *nonnisi*, perquam importuna repetitione. *Messibus* vero haud cunctanter rescribendum esse, ut fecimus, suadet tum Plinius ipse, tum Columella: Is enim, lib. 2. cap. 12. ubi de sarritione agit: *Sed nec istud ubique*, inquit, *fieri censemus, verum incolarum consuetudine uti. Sunt enim regionum propria munera, sicut Ægypti, & Africæ, quibus agricola post sementem, ante messem segetem non attingit: quoniam cæli conditio, & terræ bonitas ea est, ut vix ulla herba exeat, nisi ex semine jacto: sive quia rari sunt imbres, seu quia qualitas humi sic se cultoribus præbet.* Præterea facit, ut dixi, id quod ipse Plinius superius insinuavit de Ægypti incolis, sect. 47. *Reliqua pars*, inquit, *nonnisi cum falce arva visit, paulo ante Calendas Apriles: peragitur autem messis Maio.* Quid quod & in MSS. iisdem non *in aream* sed *in area* legimus? ut *in arva* legi probabilius merito cuipiam videatur.

Sect. 52. XXI. *Ita ut ante hiemalem ne cesset. Nimis pingue alternari potest, &c.*] Sic rescripsimus ex codicum MSS fide, ita etiam loci ejus postulante sententia. Legebatur ante in editis, *Aut ante hiemalem ne cesset. Nec non nimium pinguis*, &c. Sed vocula *nec non* nusquam in MSS. exstat: & de pingui nimium terra nunc agi vel ex eo liquet, quod vel tergeminæ anno uno sationi par esse dicitur: & mox gracilior eidem opponitur, quæ in tertium usque annum e contrario cessare præcipitur.

Sect. 53. XXII. *Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est, priusquam sarriat, aviaris pulvere.*] In MSS Reg. 1. *priusquam serat*. Reg. 2. *sariat*. In editis, *priusquam serat, ante pulverem*, nulla penitus sententia. At Columella, lib. 2. cap. 61. *Si tamen aliqua causa*, inquit, *tempestivam stercorationem facere prohibuerit, secunda ratio est antequam sarrias, more seminantis ex aviariis pulverem stercoris per segetem spargere. Si & is non erit, capri-*

num manu jacere, atque terra sarculis permiscere. ea res lætas segetes reddit. Quamobrem non jam ullus de nostra emendatione dubitandi locus, cum hæc stercoratio, quæ nunc præcipitur, in subsidium sit prioris, quæ prætermissa fuerit. Nam cum illa prior peracta jam satione fieri opportune potuerit, hæc quæ sequens appellatur, qui fieri tamdem possit, priusquam seras?

Sect. 55. XXIII. *In denso, aut cretoso . . . . tritici aut siliginis modios sex.*] Defendit hanc scripturam librorum omnium mira consensio, contra Pintianum, cui *modios quinque* legi verius videtur: quoniam Columella, lib. 2. cap. 9. *Siliginis autem,* inquit, *vel tritici, si mediocriter cretosus, uliginosusve ager est, etiam paulo plus quam, ut prius jam dixi, quinque modios ad sationem opus est. At si siccus & resolutus locus, idemque vel pinguis vel exilis est, quatuor,* &c. Sed suo ipsius telo perimitur Pintianus: nam cum paulo plus quinque modiis Columella exposcat: mox vero Plinius inter quatuor & ses pro ratione soli sationis modum definiendum pronunciet, quis non intelligit *modios sex* hoc loco scribi oportuisse?

Sect. 56. XXIV. *Circa brumam serendum non esse.*] Emendat hunc locum Fulvius Ursinus in Notis ad Varron. pag. 46. ac *citra brumam*, ex Varrone, libro 1. de re rust. cap. 34. legi præcipit. At quidquid demum aut senserit Varro, aut sentire porro debuerit, defendit egregie librorum omnium constantem scripturam Columellæ locus, e lib. 2. cap. 8. *Quod sit seminandi tempus*. pag. 50. *Sic enim serviant*, inquit, *prudentes agricolæ, ut quindecim diebus prius quam conficiatur bruma, totidemque post eam confectam, neque arent, neque vitem aut arborem putent,* &c. Idem Varro, lib. 1. cap. 35. diebus ante & post brumam quindecim, quidquam seri vetat, præter ulmos.

Sect. 59. XXV. *Deinde superat noctes ad solstitium diebus XCIII. horis duodecim, usque ad æquinoctium autumni.*] Ita libri omnes, etiam manu exarati: sed manifestissimo mendo locus hic tenetur. Desideratur enim intervalli circumscriptio, quod a solstitio æstivo ad autumnale pertinet. Legendum itaque: *diebus XCIII. horis duodecim: & inde minuitur diebus XCII. horis duodecim, usque ad æquinoctium autumni.* Nam tria intervalla quæ in vulgatis libris exprimuntur, dies conficiunt 262. horas 18. Ea detracta de diebus 365. ¼. residuos faciunt dies 92. horas 12. Quare ex mente Plinii Julius Cæsar annua hæc intervalla descripsit.

Ab æquinoctio verno ad solstitium, dies 93. horas 12.

A solstitio ad æquinoctium autumnale, dies 92. horas 12.

Ab æquinoctio autumnali ad brumam, dies 89. horas 3.

A bruma ad vernum æquinoctium, dies 90. horas 3.

Quod si æquinoctium vernum statuatur in xxv. Martii, ut Columella Pliniusque asseverant, additis diebus 93. calculus desinet in 25. Junii, ½. Ab eo die exclusive, ad æquinoctium autumnale, quod conjicitur in 26. Septembris, dies 92. horæ 12. A die 26. Septemb. ad brumam, in: 4. Decemb. ⅛. dies 89. horæ tres: ut inde exclusive ad vernum æquinoctium, 25. Martii, ¼. dies reliqui sint 90. ⅛. minima aliqua diversitate neglecta. Ita fere Petav. lib. 2. Var. Dissert. cap. 5. pag. 81. & Riccioli, tom. 1. Almag. lib. 3. cap. 135.

Sect. 62. XXVI. *Servantque id sidus etiam vestis institores.*] Hunc locum ex fide codicum Reg. & Colb. repræsentamus. Præpostera interpunctione perturbata omnia prius erant miserum in modum: cum sic legeretur: *Vergiliarum occasu seri putant. Atque ad III. Idus Novembres, ut diximus, servant: quoniam id sidus etiam vestis institor est,* &c. Ubi sidus vestis institorem appellari Sipontinus existimavit, aliique post eum. Nugæ meræ.

Ibid. XXVII. *Ipso brumali die pulegium in carnariis florere.*] Placuit nonnullis, *in coronariis* potius legi, quam in *carnariis*. Frustra. In carnariis suspendi carnes mos antiquus fuit: quo more & suspendi pulegium nunc Plinius innuit. Columella, lib. 12. cap. 53. *A duodecima die ad lacum salsuram deferri oportebit, & salem prius excuti, deinde aqua dulci diligenter perlui, necubi sal inhæreat, & paululum assiccatam in carnario suspendi.* Varro lib. 1. de re rust. cap. 54. de uvis pensilibus: *Alia*, inquit, *quæ in pistrinam in amphora picata descendat: alia quæ in aram, ut in carnarium adscendat.* Corrigo, *quæ in horream, ut in carnariis adscendat.*

Sect. 61. XXVIII. *Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.*] Ita libri omnes, etiam MSS. ipseque Tullius, apud quem carmen illud occurrit, lib. 1. de Divin. num. 15. An vero nihilominus, *ter flores*, sincerius videri possit, considerandum. Nam post eos versiculos subjicit Cicero statim: *Ne hoc quidem quæro, cur hæc arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet.* Tamen Geopon. auctor, lib. 11. cap. 13. τῇ δ᾽ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρει &c. post Aratum, quem Cicero transtulit:

Τριπλόα δ᾽ σχῖνος κυίει· τρισσαὶ δ᾽ οἱ αὖξαι
Γίνοντ᾽ καρποῖο· φέρει δέ τε σήματ᾽ ἑκάστῳ
Ἑξείης ἀρότρῳ, &c.

Ibid. XXIX. *Virgas & sarmenta, quæ tibi usum supererunt.*] Hoc est, quæ supererunt post tuum usum. In libris vulgatis hactenus legebatur, *quæ tibi in satione superant.* MSS. Reg. 1. *Quæ tibi ussioni.* Reg. 2. *quæ tibi usioni.* Verum ex Catone ipso, qui eadem habet, *usioni* legi oportere perspicuum est. Sic enim ille, lib. de re rust. cap. 38. pag. 34. *Si ligna & virgas non poteris vendere, neque lapidem habebis unde calcem coquas, de lignis carbones coquito: virgas & sarmenta, quæ tibi usioni supererunt, in segete comburito: ubi eas combusseris, ibi papaver serito.* Usionis autem voce usus iterum idem Cato, cap. 145. ubi de lege oleæ faciundæ: *Si tarde oleum fiet, facito accedat oleum & sal sua usione, quod satis siet, & vasa vinnea.* Et rursum cap. 149. Scævola quoque apud Gellium, lib. 4. cap. 1. pag. 271. *Quæ longa usionis gratia contrahuntur, & recondantur.* Sic & abusionem pro abusu dicimus.

Sect. 62. XXX. *Torcular lavare.*] Sic libri omnes, tum publici, tum etiam conditivi, ante Dalecampium, quo auctore in libris deinceps editis *levare* legitur. Sed sane perperam. Nam Columella lib. 2. cap. xi. cum hujus ipsius intervalli rusticum opus definit, *Opercula, cola, & cetera sine quibus probe confici mustum non potest, diligenter lota marina & aqua salsa* tum jubet esse: *Torcularia vero & fora diligenter emundata, lotaque.*

Sect. 65. XXXI. *XIV. Calendas Martii triduum varie.*] Prius legebatur, *XVII. Calendas.* At sedecim omnino Calendæ sunt Martiæ, etiam cum intercalatur annus: nam tum *bis sexto Calendas* dicitur.

Ibid. XXXII. *Hordeum nisi siccum ne sarrito.*] Locum hunc ope codicum Reg. & Colb. sanavimus, in quibus *sarito* legitur: adstipulante Columella, lib. 2. cap. 12. *At alia segetes, quæ vel humidæ moveri possunt, melius tamen sicca sarriuntur, quoniam sic tractata non infestantur rubigine: hordeum vero nisi siccissimum tangi non debet.* Palladio quoque, lib. 2. in Januar. tit. 9. pag. 39. *Hoc mense serenis & siccis diebus, dum gelicidium non est, sunt sarculanda frumenta. . . . si siccas segetes sarculaveris, aliquid contra rubiginem præstitisti: maxime si hordeum siccum sarrietur.* Prius legebatur, *ne serito.* At de sarritione & purgatione hibernarum segetum hic sermo est, non de satione.

Sect. 68. XXXIII. *Faba metitur, & in conciditur.*] Ita libri omnes, etiam MSS. quos videre licuit: frustra emendante Pintiano, *dein cuditur*, nec merito in eam sententiam illud Comici trahente, *In me hæc cuditur faba.* Nam Palladius hæc ipsa hujus intervalli opera describens, lib. 7. in Junio, tit. 3. pag. 123. *Colligemus viciam*, inquit, *fœnum Græcum resecabimus ad pabulum . . . . Nunc & faba Luna minuente vellitur. Ante lucem sane, & ante quam Luna procedat, excussa & refrigerata ponatur. Ita gurgulionés non patietur infestos.*

Ibid. XXXIV. *Herba optima in prato, trifolii . . . . pessima nummuli, siliquas etiam diras ferentis.*] Significat non caule modo, sed & siliqua nocere in prato nummulum. Sunt qui *ranunculi* legi suspicentur commodius posse: vetant MSS. codices: quorum ex fide, cum illi exhibeant diserte, *siliqua etiam dira ferentis*, hunc locum ita expressimus. In libris hactenus editis: *Pessima nummuli: siliqua etiam dira fenisecis invisa & equisetis est.*

Sect. 68. XXXV. *Est autem magnopere pertinens.*] De Sirio sive Canicula agitur. Ita porro MSS. omnes, quos quidem vidimus. At scripsit in ora codicis sui Pelicerius, *Ad æstum magnopere pertinens*, ut jamdudum observavit Petavius, lib. 2. Var. Dissert. in Uranol. cap. 10. pag. 103. Pertinere ad æstum dicitur, si vera ea lectio est, quod ingentem æstum denunciat, immo & ex parte facit. Hinc Horatius, lib. 3. Ode 29.

Jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.

Procyonem Horatius, quemadmodum & Plinius, pro Sirio accipit, quoniam prima hæc assensum Canis stella ante ceteras, adeoque ante totum ipsum canem apparet.

Ibid. XXXVI. *Dein postridie.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Sic & ratio calculi exigit, uti ex Plinio ipso docuimus. Unde Cæsaris Tabulam emendabis, ex qua Hadrian. Junius, & post ipsum Salmasius, in Solin. pag. 430. *post triduum* legi malunt.

Ibid. XXXVII. *XIII. Calend. Augusti . . . . etesiarumque prodromi flatus.*] In libris omnibus editis, plurimisque MSS. legitur, *XVIII. Calend.* At quis hunc diem XVIII. Calendas Augustas vidit umquam? Nos audacter, dempta quinaria nota, XIII. rescribimus: tum quia series dierum ita postulat: nam dixit antea de XVI. Calendas: quare nonæ aliquis subsequentium dierum appellari debet: tum quia XIII. Calendas Augusti etesias flare ipse admonuit, lib. 2. sect. 47. his verbis, *Post biduum vero exortus*, &c.

Sect. 69. XXXVIII. *Quod post dies undeviginti ab æquinoctio verno.*] Ita MSS. omnes: at rectius forte, ut Petavius emendavit, lib. 2. Var. Dissert. in Uranol. cap. 10. pag. 104. *post dies unum & triginta.* A VII. Calendas Maias ad quartum, totum hoc quatriduum frugibus decretorium esse Plinius dicit: & ab æquinoctio verno dies numerat undeviginti. At æquinoctium vernum ipse contulit in VIII. Calend. April. a quo die secundus & trigesimus dies est VI. Calend. Maias.

XXXIX.

Ibid. XXXIX. *Sidus & per se vehemens, & cui praeoccidere caniculam necesse sit.*] Hac voce *caniculam*, Sirium hoc loco rursum intelligi, seu Procynem, pronunciat Salmasius, in Solin. pag. 435. quam stellam ante Canem oriri ait & occidere. At ejus viri errorem quisquis ad pictam sphaeram & globum oculos applicet, quamvis plumbeus sit, intelliget. Etenim quae ad Boream declinant stellae, earum quae ad Austrum vergunt uti ortus antecedunt, sic occasus sequuntur, praesertim si boreales situ posteriores sunt: ut in Procyne & Cane contingit. Canis quippe hoc tempore positus est in gradu circiter nono Cancri, & ad Austrum declinat: Procyon ad Boream situs est in gradu fere 21. Cancri: ergo ille prius oritur, quam Canis: occidit autem post ipsum. Quod autem Plinius ait canis sideri praeoccidere caniculam necesse esse, id rectissime interpretamur de canario sacrificio, in quo ad placandum caniculae sidus, frugibus inimicum, rufae canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur: unde & Catularia porta nomen accepit, ut auctor est Paulus ex Festo, verbo *Catularia*. Atque idem Festus in Fragm. pag. 93 *Rutilae canes, id est, non procul a rubro colore immolantur, ut ait Atteius Capito, canario sacrificio pro frugibus, deprecandae saevitiae causa sideris caniculae.* Ob unam nominis affinitatem, ea sacro illi delecta hostia est. Ovidius lib. 4. Fastor vers. 939.

> *Est canis, Icarium dicunt, quo sidere mota*
> *Tosta sitit tellus, praeripiturque seges.*
> *Pro cane sidereo canis hic imponitur arae:*
> *Et quare fiat, nil nisi nomen habet.*

In Rubigalibus feriis haec caerimonia peragebatur, ut Plinius significat, quod in id tempus Caniculae occasus incideret. Itaque Robigo Deo canis mactabatur, ut rubiginem averteret: Columella, lib. 10. de cultu hortor. pag. 357.

> *Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,*
> *Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.*

Atque ipse Naso, libro citato:

> *Flamen in antiquae lucum Rubiginis ibat,*
> *Exta canis flammis, exta daturus ovis.*

Et mox:

> *Thura focis, vinumque dedit, fibrasque bidentis,*
> *Turpiaque obscoena vidimus exta canis.*

Ibid. XL. *Itaque iidem Floralia. . . instituerunt. Urbis anno DXVI.*] Ita libri omnes: quanquam auctor est Velleius, lib. 1. *Torquato Semproniöque Coss. Brundisium* colonos missos esse, *& post triennium Spoletium, quo anno Floralium ludorum factum est initium.* Incidit autem prior ille Consulatus in annum Urbis DX ex Liviana Chronologia: quo fit, ut triennio interjecto Floralium celebritas ludorum incurrat in annum DXIII.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XIX.

I SIDERUM quoque tempestatumque ratio, vel imperitis facili, atque indubitato modo monstrata est: vereque intelligentibus [1] non minus conferunt rura deprehendendo cælo, quam sideralis scientia agro colendo. Proximam multi hortorum curam fecere: nobis non protinus transire ad ista tempestivum videtur. Miramurque quosdam scientiæ gratia, eruditionis suæ gloriam ex his petentes tam multa præteriisse, nulla mentione habita tot rerum sponte curave provenientium, præsertim cum plerisque earum, pretio usuque vitæ, major etiam, quam frugibus, perhibeatur auctoritas. Atque ut a confessis ordiamur utilitatibus, quæque non solum terras omnes, verum etiam maria replevere: seritur, ac dici neque inter fruges, neque inter hortensia potest, linum. Sed in qua non occurret vitæ parte, quodve miraculum majus, [2] herbam esse quæ admoveat Ægyptum Italiæ: in tantum, ut Galerius a freto Siciliæ Alexandriam septima die pervenerit, [3] Babilius sexta, ambo præfecti: æstate vero proxima Valerius Marianus ex Prætoriis Senatoribus, a Puteolis nono die lenissimo flatu? Herbam esse, quæ Gades ad Herculis columnas septimo die Ostiam afferat, [4] & citeriorem Hispaniam quarto, provinciam Narbonensem tertio, Africam altero: quod etiam mollissimo flatu contigit [5] C. Flavio legato Vibii Crispi Proconsulis? [6] Audax vita, scelerum plena: aliquid seri, ut ventos procellasque recipiat: & parum esse fluctibus solis vehi. Jam vero nec vela satis esse majora navigiis. Sed quamvis amplitudini antennarum singulæ arbores sufficiant, super eas tamen addi velorum alia vela, præterque alia in proris, & alia in puppibus pandi, ac tot modis provocari mortem. Denique tam parvo semine nasci, quod orbem terrarum ultro citroque portet, tam gracili avena, tam non alte a tellure tolli, neque id viribus suis necti; [7] sed fractum tusumque & in mollitiem lanæ coactum, injuria ac summa audacia, [8] eo pervenire. Nulla exsecratio sufficit contra inventorem [9] dictum suo loco a nobis: cui satis non fuit hominem in terra mori, nisi periret & insepultus. [10] At nos priore libro imbres & flatus cavendos, frugum causa victusque, præmonebamus. Ecce seritur hominis manu, metitur ejusdem hominis ingenio, quod ventos in mari optet. Præterea ut sciamus [11] favisse pœnas, nihil gignitur facilius: ut sentiamus [12] nolente id fieri Natura, [13] urit agrum, deterioremque etiam terram facit.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Non minus conferunt rura.*] Vide quæ de hoc argumento præclare & ornate dixit auctor, libro sup. sect. 69. num 1.

2. *Herbam esse.*] Textis ex ea herba velis. Linum Græci, Latini, & Galli, pariter vocant, herbam vulgo notam, quæ cannabis modo tunditur in lanæ mollitiem, ad linteorum texturas.

3. *Babilius*] De eo Seneca, lib. 4. Natur. quæst. cap. 2. pag. 816. *Babillus virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse Præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse* &c Delphinorum pugnam describit cum crocodilis, de qua nos libro 8 diximus, sect 38. Favore Agrippinæ Ægypto Præfectum a Nerone fuisse auctor est Tacitus lib. 13. Annal pag. 205. Babilum Astrologum, ut opinor, Suetonius vocat, in Nerone, cap. 36. Prænomen ei Caio fuit.

4 *Et citeriorem Hisp.*] Et merces a citeriore Hispania Ostiam afferat die quarto, &c.

5. *C Flavio.*] Ita MSS. omnes: non *Flacco.* Is esse omnino videtur, C FLAV. HEMIS. qui prius fuisse Legatus Proprætore, LEG. PROPR. legitur in nummo argenteo Q. Cæpionis Bruti Imp. Q. CAEP. BRVT. IMP. apud Patinum in Famil. pag. 113.

6. *Audax vita.*] Audax, ut ille cecinit, Iapeti genus! Nam vitam dicere pro hominibus, seu mortalium genere, familiare Plinio est. Quid hic Salmasius movet, dum pro acri ea oratione, illud jacens & languidum obtrudit, in Solin pag 260 *Audax id, at sceleris plenum?*

7. *Sed fractum, tusumque.*] Nam maceratur aqua, tunditurque, semper injuria melius, ut dicetur in fine sect. 3. Vide Notas & Emend. num. I.

8. *Eo pervenire*] Ut nempe orbem terrarum vel sic ultro citroque portet.

9. *Dictum suo loco.*] Libro 7 sect. 57. *Vela Icarus, malum & antennam Dædalus* invenit, &c. Huc etiam refer quod habet Horatius, lib 1 Ode 3.

Illi robur & æs triplex, &c.

10. *At nos priore libro.*] Superiore libro 18. sect. 76. & alias passim.

11. *Favisse pœnas.*] Hoc est, ea ultro crescere, quæ gignuntur in hominum pœnam.

12. *Nolente id fieri.*] Ita MSS omnes. Alii, *nolentes id fieri.*

13. *Urit agrum.*] Vide quæ diximus lib. 17. sect 7.

II. 1. [1] Seritur sabulosis maxime, [2] unoque sulco: nec magis festinat aliud. [3] Vere satum æstate vellitur: [4] & hanc quoque terræ injuriam facit. Ignoscat tamen aliquis [5] Ægypto serenti, ut Arabiæ Indiæque merces importet: itane & Galliæ censentur hoc reditu? [6] montesque mari oppositos esse non est satis, & a latere oceani obstare ipsum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum existimati Morini, immo vero Galliæ universæ vela texunt. Jam quidem & [7] Transrhenani hostes: nec pulcriorem aliam vestem eorum feminæ novere. Qua admonitione succurrit, quod M. Varro tradit, in Seranorum familia gentilitium esse, feminas linea veste non uti. [8] In Germania autem defossi atque sub terra id opus agunt. Similiter & in Italia [9] regione Alliana inter Padum Ticinumque amnes, ubi [10] a Setabi tertia in Europa lino palma: secundam enim in vicino Allianis capessunt [11] Retovina, & in Æmilia via Faventina. Candore Allianis [12] semper crudis Faventina præferuntur: Retovinis tenuitas summa densitasque, candor æque ut Faventinis, sed lanugo nulla, quod apud alios gratiam, apud alios offensionem habet. [13] Nervositas filo æqualior pæne quam araneis, tinnitusque, [14] cum dente libeat experiri: ideo [15] duplex, quam ceteris, pretium.

2. Et Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, [16] qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primum [17] carbasis repertis. Non dudum ex eadem Hispania [18] Zoëlicum venit in Italiam, plagis utilissimum. Civitas ea Gallæciæ & oceano propinqua. [19] Est sua gloria & Cumano in Campania, ad piscium & alitum capturam. [20] Eadem & plagis materia. Neque enim minores cunctis animalibus insidias, [21] quam nobismetipsis lino tendimus. Sed Cumanæ plagæ [22] concidunt apros, [23] & hi casses vel ferri aciem vincunt. Vidimusque jam tantæ tenuitatis, ut anulum hominis [24] cum epidromis transirent, uno portante multitudinem qua saltus cingerentur: (nec id maxime mirum, sed singula earum stamina centeno quinquageno filo constare:) sicut paulo ante Julio Lupo, qui in præfectura Ægypti obiit. Mirentur hoc ignorantes in Ægyptii quondam regis, quem Amasim vocant, thorace, in Rhodiorum insula ostendi in templo Minervæ, CCCLXV. filis singula fila constare: quod se expertum nuper Romæ prodidit Mucianus ter Consul, parvasque jam reliquias ejus superesse hac expe-

NOTÆ.

Sect. II. 1. *Seritur sabulosis.*] Pinguissimum locum, & modice humidum poscit, nec macrum respuit, inquit Columella, lib. 2. cap. 10.

2. *Unoque sulco.*] Terra vel semel arata.

3. *Vere satum.*] Gratius in Cyneget vers. 57.

Idcirco & primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis accenderit annus
Ignibus, & claro Pleias se prompserit ortu.

Vergiliarum exortu æstatem incipere superiore libro diximus sect. 69.

4. *Et hanc . . . terræ injuriam.*] Quod nempe velli a radice illud oporteat, non ut frumenta, meti: quod dum ita fit, terræ succus omnis extrahitur, ut Plinius admonuit libro superiore sect. 72. *Alibi*, inquit, frumenta *ab radice vellunt: quique id faciunt, profcindi ab se obiter agrum interpretantur, cum extrahant succum.*

5. *Ægypto serenti.*] Laudat Ægyptia vela Hermippus apud Athenæum, lib. 1. pag 27.

6. *Montesque.*] Nec satis fuit, ne maria Galli tentarent, oppositos a natura montes Mediterraneo mari, Alpes ac Pyrenæos: ab Oceani vero parte ipsum inane, spatiumque illud æquoris & aeris immense fusum, in quo nullum occurrere creditur litus adversum, quo possit appelli.

7. *Transrhenani hostes.*] Batavos, opinor, intelligit, qui insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populum, dum trans Rhenum degerent, ut Tacitus ait lib. de morib German pag. 134. Etiam nunc Hollandicum linum, & candore, & firmitate, & filamentorum exilitate præfertur ceteris omnibus. *Toile de Hollande, toile de Frise.* Parisino secunda palma.

8 *In Germania.*] Sed & in Gallia quoque: propter frigus, æstusque, lino inimica.

9. *Regione Alliana.*] Ex qua linis nomen Allianis: quibus post Retovina mox palma defertur. Prius legebatur *ratione alia.* In Reg. 1. 2. *ratione aliena.* In Colb. 2. *regione aliena.*

10. *A Setabi.*] Post lina Setaba, de quibus egimus in præfatione ad T. Vespas. De Setabi oppido diximus lib. 3. sect. 4. Silius Ital. lib. 3.

Setabis & telas Arabum sprevisse superba,
Et Pelusiaco filum componere lino.

Gratius quoque in Cyneget. vers. 41.

Hispanique alio spectantur Setabes usu.

11. *Retovina.*] Ab oppido Retovio, sive Ritobio, quod Livio dici Litubium, lib. 32. Cluverius arbitratur, in Ital. antiq pag. 78.

12. *Semper crudis.*] Semper flavis, quæ nulla maceratione aut politione candorem trahunt. Sic Maro, in nono Æneid. corticem crudum dixit pro viridi.

13. *Nervositas.*] Firmitas ei filo est, æqualitasque, hoc est, lævor, ac perpetua sine ulla offensione politura.

14. *Cum dente.*] Si dentes morsu filum prehendas, idemque digito tendas, ac subinde quatias, dente tum tinnitum sentias, sonitumque.

15. *Duplex quam.*] Hac loquendi forma usus etiam Columella, lib. 1. cap. 8.

16. *Quo alluit Tarraconem.*] Flumine Subi allui Tarraconem diximus lib. 3. sect. 4.

17. *Carbasis.*] Velis e tenuissimo. De carbasi voce Servius ad illud 3. Æneid.

Et aura
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.

Carbasus genus lini est, quod abusive plerumque pro velo ponitur. Quam telam Baptistæ *Toile batiste* Galli vocant, primæ tenuitatis, hanc Latine carbasum merito appellaris.

18. *Zoelicum.*] A Zoelis Hispaniæ populis, de quibus lib. 3. sect. 4.

19. *Est . . . & Cumano.*] Gratius in Cyneget. vers. 34.

Optima Cinyphiæ, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt: bonus Æolia de valle Sibylla
Fetus: & aprico Tuscorum stupea campo
Messis, &c.

20. *Eadem & plagis.*] Plagæ, retia sunt ad capiendas feras: quæ retia funibus tenduntur circa imam & summam partem. *Des toiles.* Unde familiares eæ venatoribus formulæ, *Mettre les bestes noires dans les toiles: tendre les toiles: tirer les toiles: lever les toiles.*

21. *Quam nobismetipsis.*] Qui post inventa e lino vela mortem provocamus navigatione mari suscepta, ut dictum est sup sect.

22 *Concidunt apros.*] Erunt fortassis quibus magis arrideat, *concludunt.* Est enim *concludere* in venatione usitata vox. Gratius in Cyneget. vers. 49.

Includas retibus ursos.

Et Seneca, lib. 1. de Clem. *Sic feras lineis & pinna conclusas contine.* Sed concidi plagis apros cum dixit auctor, concludi eo loco intellexit, in quo concidi nullo negotio deinde possint: quod sola ferri acies præstare non valeret: itaque, ut statim subjungit idem, ferri aciem eo nomine hi casses vincunt.

23. *Et hi casses vel ferri aciem vincunt.*] Vide Notas & Emendationes, num. II.

24. *Cum epidromis.*] Hoc est, cum imis summisque funibus quibus tenduntur retia, ipsa per hominis anulum transibant;

rientium injuria. Italia & Pelignis etiamnum linis honorem habet, [25] sed fullonum tantum in usu: Nullum est candidius, lanæve similius: sicut in culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent. [26] Galliarum hoc, & tomenta pariter, inventum. [27] Italiæ quidem mos etiam nunc durat in appellatione stramenti.

5 3. Ægyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri. Quatuor ibi genera: Taniticum, ac Pelusiacum, Buticum, Tentyriticum, cum regionum nominibus, in quibus nascuntur. Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant, plures [28] xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque [29] barbatæ nucis defert fructum, cujus [30] ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt 10 eis candore mollitiave præferenda. [31] Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ. Quartum genus [32] Orchomenium appellant. Fit e palustri velut arundine, dumtaxat [33] panicula ejus. [34] Asia e genista facit lina ad retia præcipua, in piscando durantia, frutice madefacto denis diebus. Æthiopes Indique e malis, Arabes cucurbitis, in arboribus, [35] ut diximus, genitis.

15 III. [1] Apud nos maturitas ejus duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, aut colore flavescente. Tum evulsum, & in [2] fasciculos manuales colligatum, siccatur in Sole, pendens conversis superne radicibus uno die, mox quinque aliis, in contrarium inter se versis fascium cacuminibus, ut semen in medium cadat. Inter medicamina huic vis, [3] & in quodam rustico ac prædulci Italiæ Transpadanæ cibo, sed jam pridem [4] sa-20 crorum tantum gratia. Deinde post messem triticeam virgæ ipsæ merguntur in aquam Solibus tepefactam, pondere aliquo depressæ: nulli enim levitas major. Maceratas indicio est membrana laxatior. Iterumque inversæ, ut prius, Sole siccantur: mox arefactæ in saxo tunduntur [5] stupario malleo. Quod proximum cortici fuit, stupa appellatur deterioris lini, lucernarum fere luminibus aptior. [6] Et ipsa tamen pectitur ferreis hamis, 25 donec omnis membrana decorticetur. [7] Medullæ numerosior distinctio, candore, mollitia. Linumque nere & viris decorum est. Cortices quoque decussi clibanis & furnis præbent usum. Ars depectendi digerendique: Justum e quinquagenis fascium libris quinas denas carminari. Iterum deinde in filo politur, illisum crebro [8] in silice ex aqua: textumque rursus [9] tunditur clavis, semper [10] injuria melius.

30 IV. [1] Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant,

Notæ.

Itaque nullo negotio vel unus homo cassium multitudini gestandæ par fuit, qua saltus integer cingeretur, ut Julius Lupus fecit.

25. *Sed fullonum*] Qui nempe ex eo lino culcitas concinnabant, opplebantque deinde stramine seu tomento. Vel potius quod subuculas ex eo lino sibi fullones, indusiaque conficerent.

26. *Galliarum hoc &c.*] Nimirum tomentum Lingonum, culcita Cadurcorum inventum fuit. Unde alterum *tomentum Lingonicum*, & *Lingonicum stramen* dictum est, uti monuimus, lib. 8. sect. 73. ex Martiali. Culcitam veteres nomine gentis, quæ invenit, cadurcum vocavere. Juvenalis, Satyr. 7. vers. 221.

Institor hibernæ tegetis, niveique Cadurci.

Idemque Satyr. 6. vers. 535.

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Sulpicia Poetria in vetere epigrammate *Cadurcas fascias*, e lino Cadurcino fascias vocat:

Ne me Cadurcis destitutam fasciis
Molli Caleno concubantem proferat.

27. *Italiæ quidem mos*] Ita MSS. Salmasius in Solin. pag. 938. *vox* legi, non *mos* jubet. Frustra. Qui mos fuerit antiquus Italiæ, inquit, auctor, vel ex quotidiano sermone palam est: nam torum saltem castrensem vulgo stramentum vocamus, quoniam, ut dictum est, lib. 8. sect. 73. *antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris*, ubi hæc potissimum stramenti appellatio perseverat.

28. *Xylon.*] Ξύλον lignum sonat: quare Ulpianus, in leg. *Si cui lana legetur*, Dig. de legat. 3. ἐρεόξυλον *ligneam lanam* reddit.

29. *Barbatæ nucis.*] Cujusmodi sunt Ponticæ nuces, quas mollis barba protegit, ut dictum est lib. 15. sect. 24. Sic etiam Jul. Pollux lib. 7. cap. 17. Ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λίνου ἂν τις μᾶλλον φαίη ἀπεοικέναι, πλὴν τοῦ πάχους· ἔστι γὰρ παχύτερον· τὸ δὲ δένδρον καρπὸν ἐκφύει, ἀμύγδαλα μάλιστα προσεοικότα, &c.

30. *Ex interiore bombyce.*] Hoc est, lanugine, quam Itali *Bombace* appellant, nos *Coton* dicimus: unde *Bombazin* vocamus telas bombacinas, aut lintea ex bombace confecta. Jacobus de Vitriaco, lib. 1. cap. 85. *Sunt ibi in oriente præterea arbusta quædam quæ feminantur, ex quibus colligunt bombacem, quæ Francigenæ Cotonem seu Coton appellant: & est quasi medium inter lanam & linum, ex quo subtilia vestimenta contexuntur.* Nascitur his frutex jam in Gallia, ex India delatus: Cotonem pariter vocant, *le Coton*. In horto Regio primum vidimus, quod cum patens dehisceret, inculcatum flocci glomum exhiberet.

31. *Vestes inde.*] Ex gossipio, qui regionis illius peculiaris frutex, lini vices habet. Unde Gratius in Cyneget. vers. 42. linum appellat:

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes æstivo turba Canopi.

32. *Orchomenium.*] De arundine Orchomenia diximus lib. 16. sect. 66.

33. *Panicula ejus.*] Lanosam comam in milio, panico, arundine, & qualem in arvis complures herbæ, & in palustribus junci gerunt, Latini paniculam, Græci ἀνθήλην dixere. De ea voce diximus lib. 16. sect. 64.

34. *Asia e genista.*] Vide quæ dicturi sumus, lib 24. sect. 40.

35. *Ut diximus.*] Libro 12. sect. 21.

Sect. III. 1. *Apud nos*] In orbe Romano, qui Arabum Indorumque terris opponitur.

2. *Fasciculos manuales.*] Qui manum impleant. Δεσμίον χειρόπληθες, fasciculum manualem appellat Hippocrates in Veterin. pag. 879.

3. *Et in quodam ... cibo.*] Galenus lib. 1. de alimentor. facult. cap. 32. pag. 331. tom. 6. lini tosto semine, obsonii vice, quosdam vesci tradit ex sale & garo: iisdem melle conspersum edi: panibus denique a nonnullis inseri: ἐμπάσσεται δὲ ἐνίοτε καὶ τοῖς ἄρτοις αὐτό.

4. *Sacrorum ... gratia.*] Forte ad suffimenta, ut quidam volunt: vel potius ad epulas sacras, quas feriatis diebus privatus quisque domi institueret.

5. *Stupario malleo.*] Quo lina stupæque tunduntur.

6. *Et ipsa .... pectitur.*] Linum ita pectere Galli dicunt, *serancer du lin, du chanvre*: Ferreum hamum, *un seran*.

7. *Medullæ.*] Delicatioris substantiæ, quæ ad nendum reservatur.

8. *In silice.*] In alveo siliceo, sive lapideo.

9. *Tunditur clavis.*] Fustibus, qui clavas capite referant.

10. *Injuria melius.*] Sic de salice pronunciavit lib. 16. sect. 69. *Mirumque, contuso ligno alicui majores ad vincula esse vires.*

Sect. IV. 1. *Inventum ... quod ignibus.*] De lino asbestino non vetustatis modo plena monumenta sunt, sed & idonea eruditorum hujus ævi testimonia. *Habeo & ego in Museo*, inquit Kircherus noster, tom. 2. Mundi subterran. lib.

ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ, [2] ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cetero colos, spendescit igni. Cum inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis [3] asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe.

Proximus [4] byssino, mulierum maxime deliciis [5] circa Elim in Achaïa, genito: [6] quaternis denariis [7] scripula ejus [8] permutata quondam, ut auri, reperio. Linteorum lanugo, e velis navium maritimarum maxime, in magno usu medicinæ est: & cinis spodii vim habet. [9] Est & inter papavera genus quoddam, quo candorem lintea præcipuum trahunt.

V. Tentatum est tingi linum quoque, & vestium insaniam accipere, in Alexandri Magni primum classibus, ludo amne navigantis, cum duces ejus ac præfecti in certamine quodam variassent insignia navium: stupueruntque litora, flatu versicoloria implente. [1] Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit. Hoc fuit imperatoriæ navis insigne.

VI. [1] Postea in theatris tantum umbram fecere: [2] quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur [3] Lentulus Spinter Apollinaribus ludis. Mox Cæsar Dictator totum forum Romanum intexit, [4] viamque sacram ab domo sua ad clivum usque Capitolinum, quod [5] munere ipso gladiatorio mirabilius visum tradunt. Deinde & sine ludis Marcellus Octavia sorore Augusti genitus, in Ædilitate sua, avunculo XI. Consule, a. d. Calendas Augusti, velis forum inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent: quantum mutatis moribus Catonis Censorii, qui sternendum quoque forum [6] muricibus censuerat? [7] Vela nuper colore cæli, stellata, per rudentes iere etiam [8] in amphiteatro Principis Nero-

NOTÆ.

8. pag. 67. *integrum scrinium asbestinis frustis plenum. Chartam ex hisce confectam habeo, quæ litteris scribendis fervit, quas ubi in ignem injeceris, consumptis mox litteris, charta veluti igne lota, integra & candidior exit, novisque litteris inscribendis fervit.... Donavit & mihi Eminentiss. Cardinalis de Lugo redimiculum asbestino lino contortum, quod igni injectum, si sordibus pollutum fuerit, inde nitidissimum exit. Memini quoque me ellychnium hujusmodi asbestinum lucernæ indiutum ad biennium conservasse, sine ulla sui consumptione, haud dubie perpetuo duraturum, nisi nescio quo casu id subductum esset*, &c. Vide & Aldrovand. lib. 4. de metall. cap. 26. pag. 664.

2. *Ubi non cadunt.*] Vide quæ diximus lib. 17. sect. 30. nota 23. Columella, lib. 1 cap. 6. *Æstas in transmarinis regionibus pluvia caret.*

3. *Asbestinum.*] Ἄσβεστον, quæ vox Græca inextinctum sonat.

4. *Byssino*] Byssus genus fuit lini tenuissimi, ex quo textæ vestes purpureum colorem non raro imbiberent: unde in sacris paginis toties byssus, & purpura, vel purpura & byssus pro purpurea bysso, per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Inde factum ut byssus ab Hesychio & Suida pro purpura acciperetur. Rectius vero Pollux loc. cit. Καὶ μὴν ἐκ τοῦ ξύλου· ἐκ τῆς βύσσου λίνον τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς. Philostrato. lib. 2. de vita Apoll. cap. 9. pag. 79. ex arbore βύσσου legitur, quæ arbos altitudine populi, folio salicis est.

5. *Circa Elim.*] Pausanias in Eliac. prior. negat uspiam tota Græcia byssum nasci, nisi in Eleo agro, de quo egimus, lib. 4. sect. 6.

6. *Quaternis denariis.*] Monetæ nostræ asses sunt triceni bini.

7. *Scripula ejus.*] Libra scripula continet 288.

8. *Permutata quondam.*] Priorum scilicet Cæsarum ævo, quo denarius aureus argenteis denariis quinque & viginti æstimabatur, ut dicemus lib. 33. sect. 13. Sic Aureliani ævo libra auri libra serici fuit, & auro fila pensabantur, inquit Vopiscus in Aureliano, pag. 224.

9. *Est & inter papavera*] De hac re dicemus lib. 20. sect. 79.

Sect. V. 1. *Velo purpureo.*] Huc refer & Agrippæ vexillum cæruleum, de quo Dio, lib 51. pag. 458.

Sect. VI. 1. *Postea in theatris.*] Hunc morem inducendi vela theatris describit eleganter Lucretius, lib. 4. vers. 73.

Et vulgo faciunt id lutea, russaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos vulgata trabesque trementia pendent.
Namque ibi consessum caveaï subter, & omnem
Scenaï speciem patrum, matrumque, Deorumque,
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore: &c.

2. *Quod primus omnium*] Valerius Max. lib. 2. cap. 4. num. 6. *Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit.* Ab eo Capitolium Sylla mortuo dedicatum diximus lib. 7. sect. 44.

3. *Lentulus Spinter.*] Plus hoc etiam præstitit: nam teste eodem Valerio Max. loc. cit. *argenteis choragiis*, hoc est, scenarum instrumentis, *P. Lentulus Spinter adornavit* scenam, cum *translati* sunt *antea* foret *Persicis indui tunicis*.

4. *Viamque sacram.*] Fuit ea in quarta Urbis regione, teste P. Victore, in descrip. Urbis Romæ. Sericis cortinis inumbratam fuisse auctor est Dio, lib. 43. pag. 226. παραπετάσμασι σηρικοῖς ὑπερπετάσας.

5. *Munere ipso glad*] Quod munus a Suetonio describitur in Julio, cap. 39. Quod vero Plinius addit, Kalendis Augusti forum fuisse a Marcello velis inumbratum, Augusto XI. consule; significare videtur, id ob recentem appellationem mensis Augusti, qui prius Sextilis dicebatur, factum fuisse: anno Urbis scilicet DCCXXXV. vel sequente.

6. *Muricibus.*] Acutis lapidibus, ne fora litigiosa tam crebro litigantes adirent. Muricem veteres dicebant saxi acumen. Virgilius, lib. 5. Æneid.

Concussæ cautes, & acuto murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.

Ubi id Servius adnotat: & ejusdem loci auctoritate Nonius Marcellus: *Murices, inquit, vetustas etiam saxorum asperitates dici voluit.*

7. *Vela nuper*] Vela nuper, inquit, coloris cærulei visa, ac distincta stellis, per rudentes extenta cucurrere, in amphitheatro Neronis. Sunt & rubra in cavis ædium, quæ muscum virentem a Solis ardore defendant.

8. *In amphitheatro*] Hoc amphitheatrum esse censuerim, quod Tranquillus in Nerone, cap. 12. ligneum fuisse dicat, in regione Martis Campi intra anni spatium fabricatum. De quo & Tacitus lib. 13. Annal. pag. 208. *Nerone secundum, L. Pisone Coss. pauca memoria digna evenere: nisi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, queis molem amphitheatri apud Campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina implere.* De velis ibi extentis Dio, lib. 63. pag. 718 dum res gestas iis diebus enumerat, quibus a Nerone Armeniæ regnum Tiridati concessum est. Τά γε μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαταθέντα, ὅπως τὸν ἥλιον ἀπείργοι, ἁλουργὰ ἦν· καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο· πέριξ δὲ ἀστέρες χρυσοῖ ἐπέλαμπον. *Vela per aërem extensa, Solis arcendi causa, purpurea erant: quorum in medio Nero acu pictus currum agitabat: circa hunc undique sidera lucebant aurea*, &c.

nis. Rubent in cavis ædium, & muscum a Sole defendunt. [9] Cetero mansit candori pertinax gratia. Honor etiam & Trojano bello. Cur enim non & præliis interfit, ut naufragiis? Thoracibus lineis paucos tamen pugnasse, testis est [10] Homerus. Hinc fuisse & navium armamenta apud eumdem interpretantur eruditiores: [11] quoniam cum sparta di-
5 xit, significaverit sata.

CAP. II. VII. [1] Sparti quidem usus multa post sæcula cœptus est: nec ante [2] Pœnorum arma, quæ primum Hispaniæ intulerunt. Herba & hæc sponte nascens, [3] & quæ non queat seri, [4] juncusque proprie [5] aridi soli, uni terræ dato vitio. Namque id malum telluris est: nec aliud ibi seri aut nasci potest. In Africa exiguum & inutile gignitur. [6] Carthaginiensis
10 Hispaniæ citerioris portio, nec hæc tota, sed quatenus parit, montes quoque sparto operit. [7] Hinc strata rusticis eorum, hinc ignes facesque, hinc calceamina, & pastorum vestis: animalibus noxium, præterquam cacuminum teneritate. Ad reliquos usus laboriose evellitur, ocreatis cruribus, manu, textisque manicis, convolutum osseis [8] ilgneisve conamentis. [9] Nunc jam in hiemem juxta. Facillime tamen ab Idibus Maiis in Junias: hoc
15 maturitatis tempus.

VIII. [1] Vulsum fascibus in acervo animatum biduo, tertio resolutum, spargitur in Sole siccaturque, & rursus in fascibus redit sub tecta. Postea maceratur aqua marina optime, sed & dulci, si marina desit: siccatumque Sole, iterum rigatur. [a] Si repente urgeat desiderium, perfusum calida [2] in solio, ac siccatum stans, compendium operæ fatetur.
20 Hoc autem tunditur, [3] ut fiat utile, præcipue in aquis marique invictum. In sicco præferunt e cannabi funes. At spartum alitur etiam demersum, veluti [4] natalium sitim pensans. [5] Est quidem ejus natura interpolis: rursusque quam libeat vetustum novo miscetur. Verumtamen complectatur animo, qui volet miraculum æstimare, quanto sit in usu, omnibus terris, navium armamentis, machinis ædificationum, aliisque desideriis vitæ. Ad
25 hos omnes usus quæ sufficiant, minus triginta millia passuum in latitudinem a litore Carthaginis novæ, [6] minusque C. in longitudinem esse reperientur. [7] Longius vehi impendia prohibent.

INTERPRETATIO.

a *Si repente.*] Si statim uti sparto desideras.

NOTÆ.

9. *Cetero*] Diuturnior fuit gratia candoris in lino: sive candor in lino ceteris coloribus potior visus est.

10. *Homerus.*] Iliad. β. ubi λινοθώρηκας ejusmodi Bellatores vocat. Et linteam loricam induisse Galbam Tranquillus scribit, cap 19. quanquam non dissimulantem parum adversus mucrones profuturam.

11. *Quoniam cum sparta.*] Hic versus ille Homericus, quem respicit, ex Iliad. β. 135.

Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

Error hic fuit eruditorum illorum, quos Plinius nunc appellat, qui τὰ σπάρτα in eo versu sata interpretati sunt, aut funes rudentesque nauticos ex rebus sativis factos, uti ex lino, stupa, cannabe: quia σπείρειν serere significat. Σπάρτα νεῶν Homerus vocat, funiculos e lino vel cannabe, quibus suebantur naves, non quia e sativis rebus nectebantur: sed quia ad nectendum idonei. Nam σπείρειν Græcis, ut *serere* Latinis, non solum terræ semen committere, sed & nectere significat, & conjungere invicem. Τὸ σπαρτὸν est sativum, quod seri potest: at σπάρτον est funis qui seritur, id est, nectitur.

Sect. VII. 1. *Sparti quidem.*] Hoc spartum Latinorum est diversum a sparto Græcorum, de quo dicemus alias. Describitur, pingiturque a Clusio, lib. 6. rarior plant. cap. 40. pag. 220. Hispanis, apud quos id provenit, etiamnum *Sparto* vocatur.

2. *Pœnorum arma.*] Bello Punico secundo, quo totam intra flumen Iberum Hispaniam sibi subjecit Hannibal.

3. *Et quæ non queat seri.*] Contra seri Varro jubet, lib. 1. de re rust. cap. 32. *Sic ubi cannabim*, inquit, *seras, linum, juncum, spartum, unde lineas, funes facias*, &c. Sed ægre admodum scimus ex semine pullulare.

4. *Juncusque.*] Ob folia juncea, & aspera.

5. *Aridi soli.*] Siticulosi, aquarum penuria laborantis. Strabo, lib. 3. pag. 60. de campo spartario: Τοῦτο δ' ἐστὶ μέγα καὶ ἄνυδρον, τὴν σχοινοπλοκικὴν φύον σπάρτον, ἐξαγωγὴν ἔχον εἰς πάντα, τόπον, καὶ μάλιστα εἰς τὴν Ἰταλίαν.

6. *Carthaginiensis.*] Gignit nunc quoque hæc regio ab limitibus Granatensis regni, seu Bæticæ fine, usque ad eam urbem quæ nunc Murcia dicitur. Fuit eo tractu, campus Spartarius, Carthagoque nova, *Cartagena*, & ipsa inde a Plinio lib. 31. sect. 43. & ab Isidoro lib. 15. cap. 1. Spartaria appellata: Καρχηδὼν Σπαρταγενής Appiano, in Iber. pag. 261. Crescit & in Valentino Hispaniæ regno spartum

7. *Hinc strata.*] Eodem est hodie apud Hispanos usu: nam ex crudo exsiccatoque sparto tapetes sive aulæa, storeas, corbes, rudentesque conficiunt. Corbes ii certe, in quibus ficus & uvæ passæ advehuntur, e sparto contexti sunt. Ex eo denique in lini morem aqua macerato, deinde siccato, tusoque, calceamenti genus paratur, quod ipsi *Alpergates* vocant. Hæc omnia ex Clusio, qui vidit, loc. cit.

8 *Ilgneisve conamentis.*] Conamenta ossea ligneave interpretor, ossa, ligneosque fustes teretes, quibus spartum convolvitur, ut vellentium conatus juvetur, & minuatur labor. Ita sane libri omnes etiam MSS. Nugantur, qui *incamentis*, vel *cum amentis* malunt.

9 *Nunc jam in hiemem juxta.*] Subintellige, vellitur pariter hieme, ut æstate: sed multo facilius ab Idibus Maiis &c. Ita porro MSS. omnes: non, ut editi, *in hiemem vix*.

Sect. VIII. 1. *Vulsum fascibus in acervo animatum.*] Ita libri omnes: hoc est, nondum exanime, sed viride adhuc & integrum: cum eo spiritu quem exhalat, cum recens est: atque uti de palmæ fructu Plinius ait, lib. 13. sect. 9. *cum sui ardoris anima*. Resolvi deinde porro necesse est, vertique ad Solem, uti de feno dictum est, lib. 18. sect. 67. num. 5. alioqui, ut fenum, sic & spartum incensa illa anima nebulam exhalaret, accenderetur que, & conflagraret. Dalecampius, & post eum Salmasius legunt *manuatum*, interpretanturque, ut Plinius ipse loquitur initio sect. 3. *in fasciculos manuales colligatum*: quod vereor ut cuiquam probent.

2. *In solio.*] Solium pro vase iligneo aut abiegno ponitur. Sic vasa ea, in quibus cum lixivio calido & cinere pannos emaculamus, solia dicimus.

3. *Ut fiat utile.*] Funibus texendis, ceterisque usibus.

4. *Natalium sitim.*] Quoniam in arido solo, ut dictum est, nascitur.

5. *Est . . . natura interpolis.*] Ea sparti natura, ut interpolandis, resarciendis, renovandis operibus, quæ ex eo fiunt, aptissime adhibeatur, & vetustum secure misceatur novo. Interpolis mulier a Plauto appellatur ea, quæ se pigmentis interpolat, atque reconcinnat, ut ex vetusta anu nova quasi puella fiat, in Mostell. act. 1. sc 3. vers. 117.

6. *Minusque C. in longitudinem.*] Sic Apuleius in Herbario suo: quod etiam Salmasius vidit, in Solin. pag. 261. *Ad quos omnes usus minus XXX. M. passuum in latitudinem e litore Carthaginis Novæ.... Centum in longitudinem nascitur.*

7. *Longius vehi.*] Ex interiore Hispaniæ tractu advehi, impendia terrestris itineris vetant. Falluntur, qui *longius seri* hic

IX. Junco Græcos ad funes usos [1] nomini credamus, quo herbam eam appellant: postea palmatum foliis, [2] philuraque, manifestum est: & inde translatum a Pœnis sparti usum, perquam simile veri est.

X. [1] Theophrastus auctor est, esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem, eamque partem qua vescuntur, esse laneam naturam, [2] ex qua 5 impilia vestesque quædam conficiant. Sed neque regionem, in qua fiat, neque quidquam diligentius, præterquam [3] eriophoron id appellari, in exemplaribus, quæ quidem invenerim, tradit: [4] neque omnino ullam mentionem habet, cuncta cura magna persecutus [5] CCCXC. annis ante nos, ut jam & alio loco diximus: quo apparet, post id temporis spatium in usum venisse spartum. 10

XI. Et quoniam a miraculis rerum cœpimus, sequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum est, aliquid nasci aut vivere sine ulla radice. [1] Tubera hæc vocantur, undique terra circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utique exuberante loco in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud quam terræ cal- 15 lum. Siccis hæc fere & sabulosis locis, fruticosisque nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Duo eorum genera, arenosa dentibus inimica, & altera sincera. Distinguuntur & colore, rufo, nigroque, & intus candido: laudatissima Africæ. Crescant, anne vitium id terræ (neque enim aliud intelligi potest) ea protinus globetur magnitudine, qua futurum est: & vivantne, an non, haud facile ar- 20 bitror intelligi posse. Putrescendi enim ratio communis est iis cum ligno. [2] Lartio Licinio Prætorio viro jura reddenti in Hispania Carthagine, paucis his annis scimus accidisse, mordenti tuber, ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret: quo manifestum erit, [3] terræ naturam in se globari. Quod certum est, [4] ex iis erunt quæ nascantur, & seri non possint. 25

XII. [1] Simile est & quod in Cyrenaïca provincia vocant misy, præcipuum suavitate odoris ac saporis, sed carnosius: [2] & quod in Thracia iton, & quod in Græcia geranion. CAP. III.

XIII. [1] De tuberibus hæc traduntur peculiariter: Cum fuerint imbres autumnales, [2] ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maxime e tonitribus: nec ultra annum durare: tenerrima 30 autem verno esse. [3] Quibusdam locis accepta riguis feruntur: sicut Mytilenis negant nasci, nisi exundatione fluminum invecto semine ab Tiaris. Est autem is locus, in quo plurima nascuntur. Asiæ nobilissima circa Lampsacum, & Alopeconnesum: Græciæ vero, circa Elin.

XIV. Sunt & in fungorum genere a Græcis dicti [1] pezicæ, qui sine radice aut pediculo nascuntur. 35

NOTÆ.

legunt: herbam enim esse Plinius ante monuit, quæ non queat seri.

Sect. IX. 1. *Nomini credamus*] Habent enim Græci commune nomen, quo juncum funemque nominent, perinde ac si ex junco funes olim contextos significarent: Σχοῖνος. Vide Rob. Constant. in Lexico.

2. *Philuraque.*] Hoc est, tenuissimis arboris tiliæ membranis, seu tunicis: hæc enim φιλύρα Græcis dicitur

Sect. X. 1. *Theophrastus.*] Libro 7. hist. cap. 13. & ex eo Athenæus, lib. 2. pag. 64.

2. *Ex qua impilia.*] Ita MSS. Reg. Colb. Chifll. Th. non, ut editi perperam, *mapalia.* Sunt autem *impilia* succula. Theophrasto πιλήματα. Ὑφαίνεται δ' ἐξ αὐτοῦ, inquit, καὶ πιλία ἄλλα ἱμάτια. Πιλία sunt pedum tegumenta ex coacta lana. Impilia igitur coactilia erunt, pedibus involvendis calceandisque utilia. *Des chaussons de feutre.* Pollux, lib. 2. cap. 4. pag. 116. Πιλία δὲ τοὺς περὶ τοῖς ποσὶ πίλους. Hesychius: Νάκτα, τοὺς πίλους, καὶ περιειλήματα. Usus hac voce *impilia* Ulpianus. Vide Turnebum, lib. XI. Adverf. cap. 14. pag. 334.

3. *Eriophoron.*] Ἐριοφόρον, ob tomenti copiam, quam gerit, quæ lanæ modo in stamina deduci potest. Bulbi eriophori geminam iconem exhibet Dodonæus, pag. 681. Ex his alterum in Regio horto vidimus, qualem & Clusius pinxit. Peruanum præterea alteram, & tertium Orientalem appellatum.

4. *Neque .... mentionem.*] Ejus nimirum quod nunc describitur.

5. *CCCXC annis.*] Vide Notas & Emend. num. III.

Sect. XI. 1. *Tubera.*] Vulgo, *des Trufes.*

2. *Lartio Licinio.*] Vetus inscriptio, sed suspecta illa quidem nobis, apud Gruterum, pag. 180.

LARTIVS. LICINIVS.
CVM. GVBERNASSET. HISPAN.
HVNC. AQVÆDVCTVM.
IVSSIT. ÆDIFICARI.

Apud Plinium juniorem, lib. 2. Epist. 14. Largius Licinius, pro Lartio, mendose appellatur.

3. *Terræ naturam*] Substantiam teneriorem, ex qua tuber gignitur, sic in se convolvi, ut incidentia quoque includat. De hoc argumento vide Dissertationem D. Geoffroy junioris, in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1711. pag. 23.

4. *Ex iis erunt.*] Ex eorum genere tubera erunt, quæ seri non possint.

Sect. XII. 1. *Simile est, . . . misy.*] Tuberis genus, & iton, & geranion.

2. *Et quod in Thracia.*] Vide Notas & Emendationes, num IV.

Sect. XIII. 1. *De tuberibus*] Hæc totidem verbis Athenæus, lib. 2 pag 62. ex Theophrasto.

2. *Ac tonitrua.*] Sic etiam sensit Juvenalis, Satyr 5. vers. 116.

Post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Majores.

Vide & Plutarchum, lib. 4. Sympos. quæst. 2. pag 664.

3 *Quibusdam locis.*] Quibusdam in locis tuberum origo debetur aquis, & exundationibus fluminum, semina secum devehentium. Theophrastus apud Athen. loc cit. Οὐ μὴν ἀλλ' ἐνιαχοῦ γε εἰς ἀνθρώπους ὥσπερ τὴν ἀρχὴν ὑπολαμβάνουσιν, οἷον περὶ τὸν αἰγιαλὸν τῶν Μιτυληναίων· οὐ φασὶ πρότερον εἶναι πρὶν ἢ γενομένης ἐπομβρίας τὸ σπέρμα κατενεχθῇ ἀπὸ Τιαρῶν, τοῦτο δ' ἐστὶ χωρίον ἐν ᾧ πλεῖστα γίνεται.... Φύεται δὲ καὶ περὶ Λάμψακον, καὶ ἐν Ἀλωπεκοννήσῳ, καὶ περὶ τὴν Ἠλείαν. Quæ totidem verbis apud Plinium Latine legimus. Tiaræ porro collis nomen fuit, imminentis litori Mytilenæorum. In nummis antiquis, ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ scribitur.

Sect. XIV. 1. *Pezicæ.*] Πέζιας appellat Theophr. apud Athen. lib. 2. pag 61. quasi fungos sessiles dixeris: sunt ii globosæ formæ, & instar rotundi orbis terræ adhærent, nullo pede aut cauliculo fulti: qui dum resiccati rumpuntur, tenuissimum pulverem instar fumi evomunt: vulgo Lupi crepitus vocant: nec sunt ii fungi edules.

XV. Ab his proximum dicetur auctoritate clarissimum laserpitium, quod [1] Græci silphion vocant, [2] in Cyrenaica provincia repertum: cujus [3] succum vocant laser: magnificum in usu medicamentisque, & ad pondus argentei denarii pensum. [4] Multis jam annis in ea terra non invenitur: [5] quoniam publicani, qui pascua conducunt, majus ita lucrum sentientes, depopulantur pecorum pabulo. Unus omnino caulis nostra repertus memoria, Neroni Principi missus est. Si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo: ove, cum comederit, dormiente protinus, capra sternuente. Diuque jam non aliud ad nos invehitur laser, quam [6] quod in Perside, aut Media, & Armenia nascitur large, sed multo infra Cyrenaicum: id quoque adulteratum gummi, [7] sagapeno, aut faba fracta. Quo minus omittendum videtur, [8] C. Valerio, M. Herennio Coss. Cyrenis advecta Romam publice laserpitii pondo XXX. Cæsarem vero Dictatorem initio belli civilis, inter aurum argentumque protulisse ex ærario laserpitii [9] pondo M. D. [10] Id apud auctores Græciæ evidentissimos invenimus natum imbre piceo repente madefacta tellure, circa [11] Hesperidum hortos Syrtimque majorem, septem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum est Urbis nostræ [12] anno CXLIII. Vim autem illam per [13] quatuor millia stadiûm Africæ valuisse. In ea laserpitium gigni solitum, [14] rem feram ac contumacem; & si coleretur, in deserta fugientem: radice multa crassaque, caule ferulaceo, [15] aut simili crassitudine. [16] Hujus folia maspetum vocabant, apio maxime similia. [17] Semen erat foliaceum, [18] folium ipsum vero deciduum. [19] Vesci pecora solita, primoque purgari, mox pinguescere, carne mirabilem in modum jucunda. [20] Post folia amissa, caule ipso & homines vescebantur decocto, [21] asso, elixoque: eorum quoque corpora XL. primis diebus purgante a vitiis omnibus. [22] Succus duobus modis capiebatur: e radice, atque caule. Et hæc duo erant nomina: rhizias, atque caulias [23] vilior illo ac putrescens. [24] Radici cortex niger. [25] Ad mercis adulteria, succum ipsum in vasa conjectum, [26] admixto furfure, subinde concutiendo [27] ad maturitatem perducebant: ni ita fecissent, putrescentem. Argumentum erat maturitatis, color, siccitasque [28] sudore finito. Alii tradunt laserpitii radicem fuisse majorem cubitali, [29] tuberque in ea supra terram. [30] Hoc inciso, profluere solitum succum, ceu

NOTÆ.

Sect. XV. 1. *Græci silphion.*] Columella, lib. 6. cap. 17. *Et radix quam Græci σίλφιον vocant, vulgus autem nostra consuetudine laserpitium appellat.* Aliquando & ea caulis ejus plantæ appellatio fuit. Diosc. lib. 3. cap. 94. ἔνιοι δὲ τὸν μὲν καυλὸν σίλφιον ἐκάλεσαν. Pro tota planta Galenus, lib. 4. de morbis acutis, Comment. 95. Τὴν ῥίζαν τὸ σιλφίου καλεῖ, ἔθος τοῖς ἀνθρώποις ὁμωνύμως ὅλη τῇ βοτάνῃ.

2. *In Cyrenaica.*] Inde Cyrenas laserpiciferas vocat Catullus, prave, pro *laserpitiferas.*

3. *Succum vocant laser.*] Philoxenus in Glossis, λασάρ[illegible].

4. *Multis jam annis.*] Sic lib. 22. sect. 48. *Extincto omni Cyrenaico silphio, ut diximus.* Scribonius Largus, qui Tiberii ætate vixit, cap. 16. ad anginam, Compos. 67. *Medicamenta autem simplicia quidam hæc faciunt. Laser Cyrenaicum, si potest inveniri: sin minus, Syriacum aqua dilutum, &c.*

5. *Quoniam publicani.*] Mancipum avaritia non patitur laserpitium in caulem assurgere quia illud depopulantur pecorum pabulo: adeo ut unus caulis, qui pecoris aviditatem fefellerat, pro miraculo Neroni sit missus. Statim in herba tenerove caule depascuntur pecudes, neque sinunt in terrulam assurgere. Arcebant prius ipsi incolæ greges ab ea planta, ne florem depascerentur, radicemque suffoderent, teste Arriano, lib. 3. de exped. Alex.

6. *Quod in Perside.*] De lasere Mediæ, Eustathius in Dionys. vers. 1017. pag. 127. De Syria, Media, Armeniaque, Diosc. lib. 3. cap. 94. Apicius, lib. 1. cap. 30. *Laser Parthicum* vocat.

7. *Aut sagapeno, &c.*] Sic Diosc. lib. 3. cap. 94. Δολοῦται δὲ μιγνυμένου αὐτῷ τοῦ σαγαπηνοῦ ἢ κόμμεως, ἢ ἀλεύρου ὀρόβου, &c.

8. *C. Valerio.*] In annum Urbis DCLXI incidit Consulatus C. Valerii Flacci, & M. Herennii. Vide Cassiod. Jul. Obseq. & Fragm. Capitol.

9. *Pondo M. D.*] Hoc est, pondo mille quingenta. Ita MSS. Reg. 2. & Colb. non, ut editi, *pondo CXI.*

10. *Id apud auctores.*] Est & apud Theophr. l. 6. hist. c. 3.

11. *Hesperidum hortos.*] Vide lib. 5. sect. 5. Theophr. loc. cit. ut quidem in libris editis vulgo habetur, περὶ τὴν Σύρτιν ἀπὸ τῆς Ἑσπερίδων, circa Hesperiam seu Berenicen oppidum Syrti vicinum.

12. *Anno CXLIII.*] Olympiadis XLV. annus hic secundus fuit. Theophr. loc. cit. conditam Cyrenen ait annis fere trecentis antequam Archon Athenis Simonides foret: fuit autem is Archon Olymp. CXVII. anno secundo, Urbis Romæ CCCCXLII. Quare cum Plinio Theophrastus facit, cum a trecentorum annorum numero unicus desideretur. Solinus Urbis Cyrenes ortum adscribit Olympiadi V. & XL. post Trojam captam anno DLXXXVI. Eusebius in Chron. vicennio fere ante, Olymp. XXXVII. anno IV. *Battus*, inquit, *Cyrenen condidit.*

13. *Quatuor millia stad.*] Theophr. πλεῖον ἢ τετρακισχιλίους σταδίους. Sunt ea passuum L. millia.

14. *Rem feram.*] Quæ cultum aspernetur omnem, & loca culta fugiat: vel, uti de cupresso dictum est, quæ sit natu morosa.

15. *Aut simili crassitudine.*] Vide Notas & Emend. n. 5.

16. *Hujus folia.*] Theophr. loc. cit. Τὸ δὲ φύλλον ὃ καλοῦσι μάσπετον, ὅμοιον τῷ σελίνῳ, &c. Pollucis lib. 6. cap. 10. pag. 287. eadem sententia est, ἡ δὲ ῥίζα σίλφιον . . . . τὸ δὲ φύλλον μάσπετον. Diosc. vero lib. 3. cap. 94. caulem maspetum: ὁ δὲ καυλὸς μάσπετον καλεῖται, ἐμφερὴς νάρθηκι. Idem nihilominus aliorum sententiam recitat: ἔνιοι δὲ τὸν καυλὸν σίλφιον ἐκάλεσαν, τὴν δὲ ῥίζαν μαγύδαρις, τὰ δὲ φύλλα μάσπετα.

17. *Semen . . . . foliaceum.*] Theophr. Σπέρμα δ' ἔχει πλατὺ, φυλλῶδες, ὅ καὶ λέγουσι φύλλον. Et ipsum quoque semen a planitie foliacea, folium est appellatum, ut ex Galeno dicemus statim.

18. *Folium . . . . vero deciduum.*] Vide Notas & Emendat. num. VI.

19. *Vesci pecora.*] Theophr. loc. cit.

20. *Post folia amissa.*] Decidere enim ea a Canis ortu, Austro flante, quidam tradidere.

21. *Asso, elixoque.*] Theophr. ἑφθὸν, ὀπτόν.

22. *Succus duobus.*] Theophr. loc. cit. & Diosc. totidem verbis. Καυλίαν vocant succum qui e caule, ῥιζίαν qui ex radice exprimeretur.

23. *Vilior illo.*] Vide Notas & Emend. num. VII.

24. *Radici.*] Theophr. loc. cit.

25. *Ad mercis adulteria.*] Ad mercem eam sive succum adulterandum. Legit Salmasius in Solin. pag. 1024. *ad merces ad ultera*, & ad ultera esse ait, quod Græci εἰς τὸ πέραν dicant. At id quis unus, amabo, dixit idoneus satis Latinitatis auctor?

26. *Admixto furfure.*] Theophr. admixta farina, ἄλευρα μίξαντες.

27. *Ad maturitatem.*] Ad perfectionem integritatemque eam, quam hominum industria & opera obtineret, ut a putredine defenderetur.

28. *Sudore finito.*] Omni humore sicci excocto, siccato.

29. *Tuberque in ea.*] In eaque radice extuberare capitulum quoddam, quod sublime penitus exstet, ut fere in summa tellure esse appareat. Οἱ δὲ τὸ σιλφίον τὴν ῥίζαν φασὶ μείζω πηχυαίαν ἢ μικρῷ μείζονα. Ταύτης δὲ ἔχειν ἐπὶ τὸ μέσον κεφαλὴν· ὃ καὶ ὑπερπέπτωκεν, καὶ σχεδὸν ὑπὲρ γῆς. Theophr. loc. cit.

30. *Hoc inciso.*] Theophr. loc. cit. Sed quem ex Plinio,

lactis,

lactis, superenato caule, quem magydarin vocarunt. [31] Folia aurei coloris pro semine fuisse, cadentia a Canis ortu, Austro flante. Ex his laserpitium nasci solitum, [32] annuo spatio & radice & caule consummantibus sese. [33] Hoc & circumfodi solitum prodidere. Nec purgari pecora, [34] sed ægra sanari, aut protinus mori, quod in paucis accidere. Persico silphio prior opinio congruit. 5

XVI. [1] Alterum genus ejus est, quod magydaris vocatur, tenerius & minus vehemens, sine succo: quod [2] circa Syriam nascitur, non proveniens in Cyrenaica regione. [3] Gignitur & in Parnasso monte copiosius, quibusdam laserpitium vocantibus: [4] per quæ omnia adulteratur rei saluberrimæ utilissimæque auctoritas. [5] Probatio sinceri prima, in colore modice rufo, & cum frangitur, candido intus, mox translucente: gutta, aqua salivaque 10 liquescit. [6] Usus in multis medicaminibus.

XVII. [1] Sunt etiamnum duo genera, non nisi sordido nota vulgo, cum [2] quæstu multum polleant. [3] In primis rubia tingendis lanis & coriis necessaria. Laudatissima [4] Italica, & maxime suburbana: & omnes pæne provinciæ scatent ea. [5] Sponte provenit, seriturque [6] similitudine erviliæ. [7] Verum spinosus ei caulis: geniculatus hic est, quinis circa ar- 15 ticulos in orbe foliis. [8] Semen ejus rubrum est. Quos in medicina usus habeat, [9] suo dicemus loco.

XVIII. [1] At quæ vocatur radicula, lavandis demum lanis succum habet: mirum quantum conferens candori mollitiæque. Nascitur sativa ubique, [2] sed sponte præcipua in Asia Syriaque, saxosis & asperis locis. Trans Euphratem tamen laudatissima, caule ferulaceo, 20 tenui, & ipso cibis indigenarum expetito, [3] & unguentis, quidquid sit cum quo decoquatur: folio oleæ. Struthion Græci vocant: floret æstate, grata aspectu: verum sine odore, spinosa, & caule lanuginoso. Semen ei nullum, radix magna, quæ conditur [4] ad quem dictum est usum.

XIX. 1. Ab his superest reverti ad hortorum curam, & suapte natura memorandam, 25 CAP. IV. & quoniam antiquitas nihil prius mirata est, quam Hesperidum hortos, ac regum [1] Adonis

NOTÆ.

aliisque sic legas: Μετὰ ταῦτα δὲ τὸ καυλὸν· καλεῖσθαι δὲ μαγύδαριν: ἐκ δὲ τούτου τὸ καλούμενον φύλλον. Quanquam alii, ut diximus, radicem magydarin vocant, non caulem: semen ipsum fructumque Galenus, tomo 5. in explic vocum Hippocr. pag. 93. Ὁ καὶ καρπὸν, σιλφίου σπέρμα, ὥσπερ φύλλον εἶναι, καὶ μαγύδαρις ὑπό τινων καλεῖται. *Succi fructus, silphii semen dicitur, quod & folium simpliciter, & magydaris a quibusdam vocatur.* Et Julius Pollux, lib 6. cap. 10. pag. 287. Σιλφίου τὸ σπέρμα καλεῖται μαγύδαρις, &c.

31. *Folia aurei.*] Foliacea, ut diximus, semina ei sunt: hæc post Canis ortum, Austro flante, decussa novellas silphii seu laserpitii plantas gignunt. Semen silphii folium simpliciter appellatum esse, ex vetustis scriptoribus antea demonstratum est. Theophrasti hæc verba sunt loc. cit. Τὸ καλούμενον φύλλον εἶναι σπέρμα, ὃ καὶ ὅταν νότος λαμπάδος πνεύσῃ μετὰ Κύνα, διασπείρεται, ἐξ οὗ φύεται τὸ σίλφιον.

32. *Annuo spatio.*] Eodem anno radix consummatur, perficiturque, & caulis: τῷ αὐτῷ δὲ ἔτει τήν τε ῥίζαν γίνεσθαι, καὶ τὸν καυλόν.

33. *Hoc & circumfodi.*] Theophrast. Δεῖν ὀρύττειν ἐπέτειον, *pastinari annis singulis oportere.*

34. *Sed ægra sanari.*] Aut sanari protinus, aut protinus mori: mori autem protinus, rarum.

Sect. XVI. 1. *Alterum genus.*] Theophr. loc. cit. Adde Hesychium, pag. 614. Μαγύδαρις, ὅπως σιλφίου· οἱ δὲ ἕτερον σιλφίου εἶναι εἶδος μαγύδαρις.

2. *Circa Syriam.*] Περὶ Συρίαν Theophr. At Diosc. lib. 3. cap. 94. ἐν Λιβύῃ.

3. *Gignitur.*] Theophr. loc cit.

4. *Per quæ omnia.*] Per Syriacum, Parnassiumque silphium, verum ac sincerum adulteratur.

5. *Probatio sinceri.*] Diosc. quoque, loc. cit. Διαφέρει δὲ αὐτοῦ ὁ ὑπόπυρρος, ἢ διαυγὴς, σμυρνίζων... μὴ δὲ ἀηδὴς τὴν γεῦσιν· εὐχερῶς τε διαλυόμενος ἐπὶ τὸ λευκὸν, &c. *Præfertur modice ruber, atque transflucens, myrrhæ similis.... neque saporis ingrati: qui denique & facile liquefcit ac diluitur, & albescit.*

6. *Usus in multis.*] Quæ referentur inferius, lib. 22. sect. 48. & 49.

Sect. XVII. 1. *Sunt... duo genera*] Earum scilicet plantarum, quarum confessæ sunt utilitates, ut dictum est sect. 1.

2. *Quæstu multum.*] Diosc. de rubia: ὠφελίμως σπείρεται, διὰ τὸ γίνεσθαι ἐκ τούτου πλείστην πρόσοδον.

3. *In primis rubia.*] Græci ἐρυθρόδανον vocant; Galli, *Garance*: officinæ, *Rubeam tinctorum.* Radicis liquore apud nos singulis annis in Paschali festo mulieres ova tingunt. A Dodonæo pingitur, pag. 349. qualem in horto Regio vidimus. A vocabulo Gallico deductus garaneus color, cujus Ugutio meminit; qui nempe accedit ad rubiam: cujusmodi est color cervorum: *Couleur de cerf, garancé.*

4. *Italica.*] Ravennatem rubiam laudat in primis Diosc. lib. 3 cap. 160.

5. *Sponte.... seriturque.*] Hoc est, una silvestris est, sativa altera, quod & Diosc. loc cit. ait: addens & inter oleas & in arvis seri.

6. *Similitudine erviliæ.*] Semen, inquit, seritur, similitudine erviliæ, seu pisi minoris. De ervilia diximus lib. 18. sect. 10. nota 37.

7. *Verum spinosus.*] Τραχὺς asper, Diosc. Εἰσὶ δὲ αὐτοῦ οἱ καυλοὶ τετράγωνοι, μακροὶ, τραχεῖς.... ἔχοντες ἐν διαστήμασι τὰ φύλλα καθ' ἕκαστον γόνυ, ὥσπερ ἀστέρας εἰς κύκλον περικείμενα. *Foliis in orbem per intervalla, nempe circa singula genicula, stellæ modo decussatim radiatis.*

8. *Semen..... rubrum.*] Semen rotundum, inter initia viride, mox rubrum, postremo cum maturuit, nigrum, inquit Diosc. Καρπὸν στρογγύλον, τὸ πρῶτον χλωρὸν, εἶτα ἐρυθρὸν, εἶτα πεπανθέντα μέλανα.

9. *Suo dicemus*] Libro 24. sect. 56.

Sect. XVIII. 1. *At quæ.... radicula*] Dioscoridi, lib. 2. cap. 193. Στρούθιον... ᾧ οἱ ἐριοπλύται χρῶνται πρὸς κάθαρσιν τῶν ἐρίων. *Struthium sive radicula, qua fullones purgandis lanis utuntur.* Ea est quæ communi officinarum consensu saponaria dicitur, quoniam eluendis vestimentorum maculis, sordibusque lanarum expurgandis, saponis vicem exhibet. Quidam herbam fullonum etiam nominant, *l'herbe au foulon*, quod ea interpolandis vestibus & mangonio poliendis fullones utuntur. Eadem apud Diosc in Nothis: Στρούθιον, Ῥωμαῖοι, ἕρβα λαναρία, ἢ ῥάδιξ λαναρία. Et Columella, lib 11. cap 2. in Aprili: *Oves Tarentinæ radice lanaria lavari debent, ut tonsura præparentur.* Pingitur a Dodonæo, pag. 179.

2. *Sed sponte.*] Hoc est, quæ silvestris est, & alterius fere naturæ, caule nempe ferulaceo & eduli, qualem saponaria non habet: etsi radicem eam Syriacam ῥίζιον quoque & στρούθιον vocant.

3. *Et unguentis.*] Vide Notas & Emend. num. VIII.

4. *Ad quem dictum est.*] Ad lavandas scilicet lanas.

Sect. XIX. 1. *Adonis.*] Est hic *Adonis* in genitivo, ex Græco Ἄδωνις, Ἄδωνος. Tamen Adonidis hortos antiqui vocant, in quibus alsiosæ plantæ educantur, intra περιφερέους testas, seu dolia. Ἀδώνιδος κῆποι, inquit Suidas, pag. 83. λέγονται οἱ μετέωροι κῆποι. Meminit & Plato, in Phædro, pag. 276. Fuit Adonis Cinyræ filius Cypriorum regis, ut fabulæ ferunt. At apud Ezechielem, cap. VIII. 14. *mulieres plangentes Adonidem*, feminæ sunt lamentantes, velut ob Lunæ morbum, nempe ob varium Lunæ imbecillitatem, usque ad ipsam quintam Lunam totam: unde die *quinta mensis* factum hoc vidit Propheta, Ezech. VIII. 1. Triplex abominatio a Judæis patrata describitur eo capite, & gra-

& [2] Alcinoi : [3] itemque pensiles, [4] sive illos Semiramis, [5] sive Assyriæ rex Cyrus fecit; de quorum opere [6] alio volumine dicemus. Romani quidem reges ipsi coluere. Quippe etiam Superbus [7] Tarquinius nuncium illum sævum atque sanguinarium filio remisit ex horto. In XII. tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper [8] in significatione ea hortus: in horti vero, [9] heredium. Quam rem comitata est & religio quædam; [10] hortoque & foco tantum [11] contra invidentium effascinationes, dicari videmus in remedio [12] satyrica signa, quanquam hortos tutelæ Veneris [13] assignante Plauto. Jam quidem hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros, villasque possident. Primus hoc instituit Athenis Epicurus [14] otii magister. Usque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura. Romæ quidem per se hortus ager pauperis erat.

2. [15] Ex horto plebei macellum, quanto innocentiore victu! Mergi enim, credo, in profunda satius est, & ostrearum genera naufragio exquiri, aves [16] ultra Phasidem amnem peti: [17] & fabuloso quidem terrore tutas, immo sic pretiosiores, alias in Numidiam, [18] atque Æthiopiæ sepulcra: aut pugnare cum feris, [19] mandique capientem quod mandat alius. Ar hercule quam vilia hæc, quam parata voluptati satietatique; nisi eadem, quæ ubique, indignatio occurreret! Ferendum sane fuerit exquisita nasci poma, alia sapore, alia magnitudine, [20] alia monstro, pauperibus interdicta: inveterari vina, [21] saccisque ca-

NOTÆ.

datim refertur. Prima est, thurificatio Idolorum, versu 9. 10. 11. Altera, planctus Adonidis, 12. 13. 14. Tertia, adoratio Solis orientis, 15. 16 Judææ ergo mulieres sic Lunam colebant, ut viri Solem, abominatione hi certe majore: nam viros idololatria se contaminare tetrius est quam feminas. Hæ præterea faciebant *placentas reginæ cæli*, Lunæ scilicet, Jerem. VII. 18. Eidem sacrificabant & viri *in urbibus Juda & in plateis Jerusalem*, acceptum ei referentes, quod *abundarent panibus*, ibidem XLIV. 17. quo nomine & Ceres vocatur a Virgilio, in ipso initio libri 1. Georgicon. *Adonis* propterea Luna appellatur, hoc est, Dominatrix: facto nomine eo feminino ex Hebræo masculino *Adon* אדון. Adonis ergo Luna, eo quod in segetes dominatur, ut dictum est. *Quinta mensis* autem hoc se vidisse Ezechiel testatur, quod *sexta die abunde virium habeat Luna*, ut Plinius loquitur, qui propterea ab ea die *mensium annorumque initia* fecisse Druidas in Galliis refert, libro XVI sect. XCV. Quamobrem dies illa *quinta mensis* ab Ezechiele idcirco notata credi potest admodum verisimiliter, quod usque ad eam ipsam totam protraherent mulieres lamentum Adonidis, hoc est, Lunæ. Apud Virgilium autem, Ecloga x. versu 17. *Adonis* nomen pastoris est, quem *Adoneum* Plautus vocat in Menæchmis, act. 1 sc. 2. vers 34 sed defletum eum a mulieribus aut viris neuter dicit. Fabulosus alius Adonis est, quem Theocritus, Bion, aliique commemorant. Sed quid cum illo Judæis mulieribus, præsertim Ezechielis ævo?

2. *Alcinoi.*] Phæacum regis in insula Corcyra ditissimi, cujus silvas laudat Virgilius, lib. 2. Georg *Pomaria* Statius, lib 1. Silvar 3. Pometum Tertullianus, lib. de Pallio. Secuti omnes Homerum, in Odyssea.

3. *Itemque pensiles*] De pensilibus Babylonis hortis multa poetæ, multa historici narrant. Describit eos luculenter Diodorus, lib 2. Bibl. pag 99 Item Philo Byzantius, lib. de septem orbis spectaculis, pag. 3 Berosos lib. 3 rerum Chald. apud Josephum, lib. 10 Antiq. cap. XI. ait saxeas moles fuisse, quæ montium speciem referrent, superne consitas variis arborum generibus, &c. Pendentes recte dixeris in aere silvas

4 *Sive illos Semiramis.*] Supersunt ex Berosi annalibus monumenta, proxime apud Josephum laudata, in quibus scriptum est, non Semiramidem, Cyrumve, sed Nabuchodonosorem ex spoliis quæ ex Judæa devastata reportarat, templum Belo exstruxisse, urbemque Babylonem pro majestate impetu auctam coctilibus cinxisse muris: Ad hæc hortos aerios, & nemora pensilia fecisse, in gratiam uxoris, quæ in montanis Mediæ educata, silvas spectare, in edito quæ essent, amabat. Berosum sequitur Cedrenus in synopsi historica Curtius lib. 5. num. 5. pag 185. *Syriæ* (hoc est Assyriæ) *regem Babylone regnantem*, quisquis demum is fuerit, *hoc opus esse molitum* scribit.

5. *Sive Assyriæ.*] Cujus olim metropolis Babylon fuit. Strabo, lib. 16. pag. 743.

6 *Alio volumine dicemus.*] Morte præventus non præstitit fidem: neque est illud in Indice voluminum ab eo exaratorum, quem Plinius junior concinnavit.

7. *Tarquinius.*] Rem narrat admodum eleganter Valerius Maxim. lib. 7. cap. 4. num. 2. pag. 350 Vide quæ dicturi sumus sect. 53 Cum Superbi nomen Plinius Tarquinio præponit, cognomen id ei fuisse admonet in ipso principatu datum, ob magnificentiam.

8. *In significatione ea.*] Festus: *Hortus apud antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi qui arma capere possent, orirentur.*

9. *Heredium.*] In Tabula VIII. Legis quartæ, hæc tantum hodie verba supersunt: HORTVS .. HEREDIVM. .. TVGVRIVM ... Varro, lib. 1 de re rust. cap 10. *Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim: quæ quod heredem sequebantur, heredium appellarunt.* Festus: *Heredium, prædium parvulum.* Vide plura apud Voss. in Etymol. verbi *Heres*

10 *Hortoque & foco.*] Vide Notas & Emend. num IX.

11. *Contra invidentium.*] Invidiæ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam sola voluntate, & ipso afflatu, & contagione, maleficam & venenatam esse, & hominibus, quibus male vellet, obesse graviter censerent. Superstitiose

12. *Satyrica signa.*] Perinde est, sive Satyrorum intelligat ipsa signa, hoc est, simulacra, Priapive, qualis in eo lapide pingitur, qui a Grutero memoratur, pag 95. cum hac epigraphe, quæ & effigiem Dei & munera luculenter expedit: ΙΩΤΟΦΑΛΛΩ. ΚΟΡΥΝΗΦΟΡΩι. ΚΗΠΟΦΥΛΑΚΙ. ΚΑΕΠΤΟΜΑΣΤΙΓΙ, &c Sive vi *αἰδοῖα* tantum virilia, figuramque illam, ut Martialis ait, lib. 3 Epigr. 68.

Custodem merito flauit quam villicus horto,
Opposita spectat quam proba virgo manu.

13. *Assignante Plauto.*] Quo loco Plautus id prodat, nobis hactenus incompertum. At Varro, tum lib. 5. de ling. Lat pag 48 *Horti*, inquit, *Veneris tutelæ assignantur*, hoc est, munditiei, elegantiæ, venustatis, tum lib 1. de re rust. cap 1. Sic etiam Festus, verbo *Rustica vinalia*. *Veneri templa sunt dicata, cujus in tutela sunt horti* Et in hortis Sallustianis Romæ fuisse templum Veneris accepimus, cui hæc apposita epigraphe fuerit, quam Gruterus affert, pag. 39. AEDITVI. VENERIS. HORTORVM. SALLVSTIANORVM.

14. *Otii magister.*] In MSS. *hortorum magister*. Emit quidem certe hortum minis octoginta, in eoque philosophiæ ludum aperuit, Laertio teste in ejus vita, lib. 10. pag. 271. Meminit Pausanias in Atticis regiunculæ Athenarum, quam *Hortos κήπους* fuisse appellatam scribit. eam verisimili conjectura, propter hæc Plinii verba, de hortis Epicuri Gassendus accepit, lib. de vita Epicuri, cap. 6 Si codicum MSS. lectio arriserit, *hortorum Magister* Epicurus sane dicatur, quod in hortis doctrinæ magisterium exercuit.

15. *Ex horto plebei macellum.*] Non aliud plebi macellum quam hortus fuit: non aliunde fercula Eodem sensu Tullius in Catone, num. 56. *Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant.*

16. *Ultra Phasidem.*] Phasianas intelligit, e Colchis olim peti solitas, ut dictum est lib. 10. sect. 67.

17. *Et fabuloso.*] Quanquam deterriti ab earum avium aucupio homines poterant jure videri, vel solo terrore, quem de iisdem avibus, totoque cæli tractu quem incolerent, fabulæ injecissent.

18. *Atque Æthiopiæ*] Memnonidas aves signat, de quibus lib. 10. sect. 37. Cum *in Numidiam* dicit, Meleagridas, de quibus eodem libro, sect. 38.

19. *Mandique capientem.*] Dum apros venatur.

20. *Alia monstro.*] Quorum natura a ceterorum pomorum conditione dispar, ut sunt spadonia, item melofolia, ceteraque, de quibus lib. 15. sect 15. vel intempestive orta. Plinius, lib. 17. sect 1. *Ob hoc insita, & arborum quoque adulteria excogitata sunt, ut nec poma pauperibus nascerentur.*

21 *Saccisque castrari.*] Sacco frangi vini vires, ut dictum est lib. 14. sect. 28.

ſtrari : nec cuiquam adeo longam eſſe vitam , a ut non ante ſe genita potet : 22 e frugibus quoque quoddam alimentum ſibi excogitaſſe luxuriam , ac medullam tantum earum : 23 ſuperque piſtrinarum operibus & cælaturis vivere, alio pane procerum, alio vulgi, tot generibus uſque ad infimam plebem deſcendente annona. Etiamne in herbis diſcrimen inventum eſt, 24 opeſque differentiam fecere in cibo , etiam uno aſſe venali ? In his quo- 5 que aliqua ſibi naſci 25 tribus negant , caule in tantum ſaginato , ut pauperis menſa non capiat. Silveſtres fecerat Natura corrudas , ut quiſque demeteret paſſim : 26 Ecce altiles ſpectantur aſparagi : 27 Et Ravenna ternos libris rependit. Heu prodigia ventris ! Mirum eſſet non licere pecori carduis veſci : non licet plebi. Aquæ quoque ſeparantur, & ipſa naturæ elementa vi pecuniæ diſcreta ſunt. 28 Hi nives , illi glaciem potant , 29 pœnaſque mon- 10 tium in voluptatem gulæ vertunt. 30 Servatur algor æſtibus, excogitaturque ut alienis menſibus nix algeat. 31 Decoquunt alii aquas : mox & illas hiemant. Nihil utique homini ſic , quomodo rerum naturæ placet. Etiamne herba aliqua b divitiis tantum naſcitur ? 32 Nemo Sacros Aventinoſque montes , & iratæ plebis ſeceſſus circumſpexerit : 33 mox enim certe æquabit , quos pecunia ſeparaverit. Itaque hercule nullum macelli vectigal majus Ro- 15 mæ , clamore plebis incuſantis apud omnes c Principes , donec remiſſum eſt portorium mercis hujus : 34 compertumque non aliter quæſtuoſius cenſum haberi aut tutius , ac minore Fortunæ jure , cum credatur 35 penſio ea pauperum. 36 Is in ſolo ſponſor eſt , & ſub dio reditus , ſuperficieſque cælo quocumque gaudens.

3. Hortorum 37 Cato prædicat caules. Hinc primum agricolæ æſtimabantur priſci , & 20 ſic ſtatim faciebant judicium , 38 nequam eſſe in domo matrem familias , (etenim hæc cura feminæ 39 dicebatur :) ubi indiligens eſſet hortus : 40 quippe e carnario , aut macello vivendum eſſe, Sed nec caules , ut nunc , maxime probabant , damnantes pulmen-

INTERPRETATIO.

a *Ut non*] Ut non & vetuſtiora multo vina potet.
b *Divitiis.*] Divitibus.
c *Principes.*] Imperatores.

NOTÆ.

22. *E frugibus quoque quoddam alimentum.*] Alicam intelligit, de qua prolixe Plinius, lib. ſup. ſect. 29. num. 1. *Sed inter prima dicatur & alicæ ratio, præſtantiſſima ſaluberrimaque : quæ palma frugum indubitata Italiam contingit.* Et num. 2. *Alica fit e zea, . . Nudata conteritur medulla*, &c.

23. *Superque piſtrinarum.*] Piſtrinarum opera ac cælaturas interpretor, varias rerum imagines, quas panificiis ſuis, cruſtuliſque, quod etiamnum hodie fit, piſtores effingunt. Cave enim intelligas, quod viſum eſt nonnullis, piſtrinulas ædificari etiam ac cælari ſolitas, quibus procerum panis moleretur, ſeorſum a pane vulgi.

24. *Opeſque . . . . in cibo.*] In herbis , quæ vix aſſe veneunt.

25. *Tribus negant.*] Tribuum nomine plebem infimam monet intelligi oportere, cujus menſa ſaginatos caules, altileſque aſparagos minime capiat.

26. *Ecce altiles.*] Ponderoſi , quaſi ex ſagina pingues.

27. *Et Ravenna ternos libris.*] Ravennates aſparagi , inquit, ita ſunt ſaginati, ut terni libram pendant.

28. *Hi nives.*] Hujus moris indicia ſignat Martialis paſſim, ut lib. 9. Epigr. 23.

Non labris niſi magna meis cryſtalla terantur.
Et faciant nigras noſtra Falerna nives.

Et lib. 12. Epigr 17.

Nec niſi poſt niveum Cæcuba potat aquam.

Sed & nivem meram bibebant. A. Gellius, lib. 19. cap. 5. *Is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coercebat , ſeveriuſque increpabat.* Vel ibi forſan *ex nive*, cum nive admixta ſonat, quæ loquendi forma Plinio quoque ipſi familiaris eſt.

29. *Pænaſque montium.*] Glaciei moles , ac nivium globos, quibus montium juga premuntur.

30 *Servatur algor.*] Nix in foſſis eam ob rem cavatis aſſervatur in æſtatem uſque. Athenæum vide, lib. 3. pag. 124.

31. *Decoquunt.*] Vide quæ dicenda ſunt lib. 31. ſect. 23.

32. *Nemo Sacros.*] De ſeceſſione plebis in Sacrum montem, ob injurias potentium ac divitum contemptus, vide Livium lib. 2. pag 32. in Aventinum, lib. 3. pag. 59.

33. *Mox enim certe.*] Nemo, inquit, in tanto divitum faſtidio, qui ipſis quoque herbis pauperibus interdicunt, plebis iram ſeceſſumque, ut quondam, deſideret : mox enim certe intelliget abunde iratam : & cum utroſque componet, divites, pauperesque, æquabit eos inter ſe, quos pecunia ſeparavit. Nam cum macelli vectigali aliud majus Romæ nullum eſſet, tanta inſecuta eſt plebis indignatio , tantus clamor, tanta apud omnes Principes conqueſtio, ut portorium mercis hujus remitti oportuerit : compertumque æquas eſſe fere pauperum ac locupletum opes : pauperumque divitias non in nummo quidem, ſed in ſolo : nec in area reditum , ſed ſub dio eſſe. In libris hactenus editis, *mors enim certe*, ſatis pie quidem , at non ſincere cum in MSS. Reg. Th. Colb. aliiſque, quos Pintianus vidit, *mox* planiſſime legatur Aliis *mos* legi placet , nimium ſubtiliter, nec ſatis congruenter orationi reliquæ. Vectigalia ſibi remitti ſæpe flagitavere civitates : remiſſa ſibi ſunt ſæpe gratulatæ. Teſtes nummi veteres plurimi , cujus generis ſunt illi inſignes duo , Carauſii Auguſti. IMP. CARAVSIVS P F AVG. Caput radiatum.)(EXPECTATE VENI. Auguſtus & civitatis Genius dextras jungunt. Argenteus , olim apud D. FOUCAULT. Hic ſi legi oportet , *Expectate veni*, fingi oportet rebellem provinciam aliquam auxilio Carauſium evocaſſe , non per litteras , ut fit , vel per legatos , ſed per numiſma. At in pictura jam in provinciam & in ipſam Urbem adveniſſe perhibetur : cur ergo etiam tum diceretur, *Expectate veni* ; cum vetius tum diceretur, *Expectatus veniſti*, ut titulus picturæ reſponderet ? Latet igitur ſub his litteris alia ſententia ; nempe iſta , qua civitas Auguſtum alloquitur, cujus dextram tenet : EXPECTat Adventu Tuo Edua Vectigalium Exemplo Narbonis Immunitatem. Gallice : *La ville d'Autun s'attend , qu'a votre avenement elle ſera exemte d'impoſts ſur le pie de Narbonne.* In alio, qui in Anglia adſervatur , ſcriptum eſt · EXPECTATE VENIES : hac ſententia : EXPECTat Adventu Tuo Edua Vectigalium Exemplo Narbonis Immunitatem Et Securitatem oratione etiam aliquanto pleniore : cum ſi legendum ſit, *Expectate venies*, congrua omnino non ſit oratio. Claudii Gothici nummus eſt ſingularis in Cimelio Domus Profeſſæ Societatis Jeſu Pariſiis , hac epigraphe, conſpicua maxime, in ipſa nummi priore pagina , quæ vultum Imperatoris exhibet : IMPOCET AVCI. Sententia eſt : IMPerator Optimus Claudius , Eduorum Tutator , Auguſtodunenſibus Vectigalium Conceſſit Immunitatem. In parte nummi averſa litteræ ſunt uſu detritæ De titulo Imperatoris Optimi, vide librum VII. ſect. XXVII. & quæ alibi diximus.

34. *Compertumque non aliter.*] Subintellige , non aliter quam ſi res herbaria immunis ab omni vectigali foret.

35. *Penſio ea pauperum.*] Quoniam ex eo reditu pauperes extunderent, unde capitis tributum penderent. Vide quæ diximus lib. 16. ſect. 12.

36. *Is in ſolo ſponſor.*] Hortus, inquit, pro ſponſore eſt, ſoli bonitate. Satis tuta res familiaris eſt hominis illius, cui hortus eſt ſolo feraci ; nec alio is ſponſore eget.

37. *Cato.*] Nunc libro de re ruſt. cap. 156. & 157. ubi de braſſica.

38. *Nequam eſſe.*] Hoc eſt, parum frugi, nec ad rem augendam ſatis acrem, ut recte Budæus, lib 3. fol. 68.

39. *Dicebatur.*] Sic etiam MSS. non *dicubatur*.

40. *Quippe e carnario, aut macello.*] Carnarium dicebatur is locus , ubi carnes : macellum vero tunc , ubi olera diſtrahebantur. Varro libro quarto de ling. Lat.

taria, quæ egerent alio pulmentario: id erat, oleo parcere: [41] nam gari desideria etiam in exprobratione erant. Horti maxime placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno, expedita res & parata semper: [42] unde & acetaria appellantur, facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo, & quæ minime accenderent desiderium panis. [43] Pars eorum ad condimenta pertinens fatetur domi versuram fieri solitam: atque non Indicum piper quæsitum, quæque trans maria petimus. Jam in fenestris suis plebs urbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam [a] [44] præfigi prospectus omnes coëgit multitudinis innumeræ sæva latrocinatio. Quamobrem sit aliquis & his honos, neve auctoritatem rebus vilitas adimat, cum præsertim etiam cognomina procerum inde nata videamus: Lactucinosque [45] in Valeria familia non puduisse appellari: & contingat aliqua gratia operæ curæque nostræ, [46] Virgilio quoque confesso, quam sit difficile verborum honorem tam parvis perhibere.

XX. Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat, præfluo amne: si minus, [1] e puteo rota, organisve [2] pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos. Solum proscindendum a Favonio: in autumnum præparandum est post XIV. dies, iterandumque ante brumam. [b] Octo jugerum operis [3] palari justum est, fimum tres pedes alte cum terra misceri, areis distingui, easque resupinis [4] pulvinorum toris, ambiri singulas tramitum sulcis, qua detur accessus homini, scatebrisque decursus.

XXI. In hortis nascentium [1] alia bulbo commendantur, [2] alia capite, [3] alia caule, alia folio, alia utroque, alia semine, [4] alia cortice, alia cute, aut cartilagine, [5] alia carne, [6] alia tunicis carnosis.

XXII. Aliorum fructus in terra est, aliorum & extra, aliorum non nisi extra. Quædam jacent crescuntque, ut cucurbitæ & cucumis. Eadem pendent, quanquam graviora multo etiam iis quæ in arboribus gignuntur: sed cucumis cartilagine. Cortex huic uni maturitate transit in lignum. Terra conduntur raphani, napique, & rapa: atque alio modo inulæ, siser, pastinacæ. Quædam vocabimus ferulacea, ut anethum, malvas. [1] Namque tradunt auctores, in Arabia malvas septimo mense arborescere, baculorumque usum præ-

INTERPRETATIO.

a *Præfigi.*] Præcludi pergulas vel fenestras, quibus prospectus pateret in vicum.
b *Octo.*] Operas octo jugerum unum pastinare æquum est.

NOTÆ.

pag. 35. *Forum olitorium: hoc erat antiquum macellum, ubi olerum copia. Ea loca etiamnum Lacedæmones vocant μακέλλωτας: sed Iones ostia hortorum & castella, μακέλλους. Secundum Tiberim ad Junium. Forum piscarium . . . . Hæc omnia postquam contracta in unum locum quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus, appellatum macellum, ut quidam scribunt quod ibi fuerit hortus*, &c.

41. *Nam gari.*] De garo dicemus lib. 31. sect. 43

42. *Unde & acetaria.*] Olera sunt, quæ cruda sumuntur ex aceto.

43. *Pars eorum.*] Hortorum scilicet. Ut piper Indicum & condimenta trans mare nascentia sibi gulæ proceres compararent, cogebantur plerumque versuram foris facere, hoc est, pecuniam aliunde mutuari. At homines frugi & sobrios, qui condimentis in horto suo nascentibus erant contenti, domi versuram facere dixit eleganter Plinius, quasi qui domi sumerent, non ex aliena arca, quo cibos suos condirent. Hæc Salmasii interpretatio est, in Confut. Cercoetii, pag. 119. Multo simplicior veriorque Petavii, in Mastigoph. 2. pag 10, Eleganter ille, inquit, versuram domi facere, hoc est, ab horto fenerari scribit eum, qui ut gulæ, tamquam δανειστῇ satisfaciat, non ab alio quam ab horto suo mutuum accipit. Ita versura propriè est creditoris mutatio.

44 *Præfigi prospectus.*] Præfigere interdum præcludere est. Caius, in Digest. lib. 8. tit de servitutibus urbanorum prædiorum, lege 6. *Hæc autem jura. Veluti si ædes tuæ*, inquit, *ædibus meis serviant, ne altius tollantur, ne luminibus mearum ædium officiatur: & ego per statutum tempus fenestras meas præfixas habuero, vel obstruxero, ita demum jus meum amitto*, &c. Virgil. lib. 3. Georg. versu 398.

Multi jam excretos prohibent a matribus hœdos,
Primaque ferratis præfigunt ora capistris.

Prospectus vero pergulæ est, seu fenestra, seu quilibet situs altus, unde prospicere in vicum licet. Infra lib. 21. sect. 7. *Populus, qua præferebatur funus, flores ex prospectu omni sparsit.*

45. *In Valeria familia.*] In una gente plures familiæ fuerunt agnominibus distinctæ: Volusiorum, qui & Publicolæ postea appellati: Maximorum, in quibus Lactucæ, seu Lactucini. Apud Diodor. lib. 12. pag. 74. Consul legitur M. Valerius Lactuca: Μάρκον Οὐαλέριον Λακτοῦκαν vocat. Eidem & Maximi cognomen fuit: gessit Consulatum anno Urbis CCCXCVIII.

46. *Virgilio quoque.*] Libro 4. Georg vers. 6.

In tenui labor.

Sect. XX. 1. *E puteo rota.*] Sic recte Turnebus, ex MSS. vestigiis, lib. XI. Advers. cap. 20. cum prius *pertica* insulse legeretur. Rota ea machina est ad hauriendam aquam, quæ a Vitruvio describitur cum tympano, lib 10. cap. 9.

2. *Pneumaticis.*] Inter machinarum genera, πνευματικὸν fuit, seu spiritale, quod vi flatus ac spiritus aquam hauriret & attraheret: cujusmodi fistulæ nostræ sunt, vulgo *Pompes*. Aliud κηλώνειον appellatum, juxta puteos positum, ad hauriendam facilius aquam, alteram partem prægravante pondere: tollenonem pariter vocant Festus & Vegetius: Galli, *une Bascule*. Vide Vegetium, lib. 4 cap 21.

3 *Palari.*] Hoc est, ut Plinius ait lib sup. sect 8. num. 3 verti pala, seu pastinari. Est enim pala rusticum instrumentum ad fodiendam terram.

4. *Pulvinorum toris.*] Sic libro 17. sect 35. num 7. *Pulvinatis à devexitate labris.* Pulvinus dicitur areolæ terra elata inter duos sulcos in hortis, a similitudine pulvinorum in quibus sedemus: idcirco & torus dicitur. *Combe de jardin, de melons, de concombres*, &c

Sect. XXI. 1. *Alia bulbo.*] Rotundæ radices suis membranis tunicatæ, bulbi nominantur: sive pluribus capitulis coagmententur, uno folliculo omnes ambiente, sive quadantenus distinctæ separentur: quales sunt croci, liliorum, narcissi, scillæ, arundinum. Hæ bulbosæ radices sic sub terra crescunt, ut ad novam quotannis sobolem decerpi aliqua portio possit.

2. *Alia capite.*] Id quod sursum deorsumve in globum extuberat, aut in orbem glomeratur, caput dici consuevit: ut in papavere: si magnitudine cesserit, capitulum: a quo multa herbarum capitulata visuntur fastigia. Radices nonnullæ, ut porri & ceparum, extuberant in capita: unde & capitatum porrum sibi nomen arrogavit.

3. *Alia caule.*] Quem & scapum Latini vocant.

4. *Alia cortice.*] Cortice, ut cucurbitæ: cortice & cartilagine, raphani: ut dicetur inferius, sect. 26.

5. *Alia carne.*] Ut poma, pira, pepones.

6. *Alia tunicis.*] Ut cepæ.

Sect. XXII. 1. *Namque tradunt.*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 5.

bere extemplo. Sed & arbor est malva in Mauretania Lixi oppidi æstuario, ubi Hesperidum horti fuisse produntur e e. pass. ab Oceano, juxta delubrum Herculis, antiquius Gaditano, ut ferunt. Ipsa altitudinis pedum xx. crassitudinis quam circumplecti nemo possit. In simili genere habebitur [2] & cannabis. Necnon & carnosa aliqua appellabimus, [3] ut spongias in humore pratorum enascentes. Fungorum enim callum, in ligni arborumque natura [4] diximus, & alio genere tuberum [5] paulo ante.

CAP. V. XXIII. Cartilaginei generis, extraque terram est [1] cucumis, mira voluptate [2] Tiberio Principi experitus. Nullo quippe non die contigit ei, [3] pensiles eorum hortos promoventibus in Solem rotis olitoribus: rursusque hibernis diebus [4] intra specularium munimenta revocantibus. [5] Quin lacte mulso semine eorum biduo macerato, [6] apud antiquos Græciæ auctores scriptum est seri oportere, ut dulciores fiant. [7] Crescunt qua coguntur forma. In Italia virides, & quam minimi: in provinciis quam maximi: [8] & cerini, aut nigri. Placent copiosissimi Africæ, grandissimi Mœsiæ: cum magnitudine excessere, pepones vocantur. [9] Vivunt hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis, non insalubres tamen plurimum. Natura oleum odere mire: nec minus aquas diligunt. Desecti quoque ad eas modice distantes adrepunt: aut si quid obstet, versi pandantur, curvanturque: id vel una nocte deprehenditur, [10] si vas cum aqua subjiciatur a quatuor digitorum intervallo, descendentibus ante posterum diem: [11] at si oleum eodem modo sit, in hamos curvatis. [12] Iidem in fistula flore demisso, mira longitudine crescunt. Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum: mox semine ex illo genus factum: [13] melopeponas vocant. Non pendent hi, sed humi rotundantur. [14] Mirum in his, præter figuram coloremque, & odorem, quod maturitatem adepti, quanquam non pendentes, statim a pediculo recedunt. [15] Columella suum tradit [a] commentum, ut toto anno contingant. Fruticem rubi quam vastissimum in apricum locum transferre, & recidere, duûm digitorum relicta stirpe, circa vernum æquinoctium: ita in medulla rubi semine cucumeris insito, terra minuta fimoque circumaggeratas resistere frigori radices. [16] Cucume-

INTERPRETATIO.

a *Commentum.*] Excogitatam a se rationem, ut melopeponas toto anno habere liceat.

NOTÆ.

2. *Et cannabis.*] Et beta quoque, si Theophrasto fides, loc cit.

3. *Ut spongias.*] Conservam intelligit, de qua lib. 27. sect. 45.

4. *Diximus.*] Libro 16. sect. xt.

5. *Paulo ante*] Sect. xt. 12. 13. & 14. hujus libri.

Sect. XXIII. 1 *Cucumis.*] Ut apud Græcos σίκυος, sic apud Latinos cucumis late patentis significatus est: Nam & quos proprie cucumeres appellamus, *Concombres* · & pepones, *Pompons*: & melones denique complectitur, *Melons.* Cum magnitudine excesserunt, aut in longitudinem processere, quales multis locis nascuntur, pepones quondam vocari cœperunt, ut inter omnes constat, a maturitate ducto nomine: ita ut veri cucumeres, qui quanto maturescunt magis, tanto solidiore cartilagine constant, lignosaque crusta durantur, in pristinæ nomenclationis ambage remanserint. Sed qui jam mites ac teneri maturitate flaccescunt, pristino nomine defuncti, pepones dici voluerunt: quasi mites & maturitate teneri cucumeres. Sed cum formam & effigiem mali referunt, & humi rotundantur, melopepones Græci vocant, facto ex pepone & malo nomine: quasi inter eos nihil nisi figuræ varietas intersit. Ita fere Ruellius, lib 1. pag 87.

2. *Tiberio.*] Columella, lib. xt. cap. 3. pag. 402. *Possunt etiam cucumeres, si sit opera pretium, vasis majoribus rotula subjectis, quo minore labore producantur, & rursus intra tecta recipiantur, Sed nihilominus specularibus integi debebunt, ut etiam frigoribus, serenis diebus, tuto producantur ad Solem. Hac ratione fere toto anno Tiberio Cæsari cucumis parabatur. Nos autem leviore opera,* &c. Gulius illa insignis voluptas Tiberio expetita, meloni nostro, quam cucumeri, aptius competit.

3. *Pensiles . . . hortos.*] Sic vasa majora vocat, Gallis *des Caisses*, cujusmodi fere sunt, quibus aureæ mali continentur.

4. *Intra specularium*] De specularibus dicemus lib. 36. sect. 45. Horum vicem ac similitudinem referunt vasa vitrea, quibus melones integimus: *des Cloches.* Lepide conqueritur Martialis, lib. 8. Epigr 14 se pejus ab amico exceptum, quam soleat esse hortus pensilis in quo tenera arborum semina sunt: ut qui non haberet in cella specularia, quibus vim ventorum, & injurias temporum propulsaret.

5. *Quin & lacte mulso.*] Hoc est, lacte in quo mel additum. Colum. loc. cit. pag. 401. *Cucumis tener & jucundissimus fit, si ante quam feras, semen ejus lacte maceres: nonnulli etiam quo dulcior exsistat, aqua mulsa idem faciunt.* Palladius lib. 4 in Martio, tit. 9 pag. 88. *Nunc melones serendi rarius. . . . semina mulso & lacte per triduum maceranda sunt, & tunc jam siccata ponenda: hinc suaves efficiuntur. Odorati autem fiunt,* &c.

6 *Apud antiquos Græciæ.*] Theophr lib. 7 hist. cap 1. & lib 3. de causis, cap 12. pag. 277. Hodieque id fit in satu nostrorum melonum: quorum genus illud, quod dulcedinem gustui repræsentat, vulgus inde *Sucrinos*, quasi saccharinos appellat: *Melons sucrez.* Hæc præmaceratio seminis in cucumerum nostratium satu non adhibetur.

7. *Crescunt.*] Pallad. loc. cit. de cucumere: *Si ejus florem sicut in sua vite est, in forma fictili clauseris, ac ligaveris, qualem vultum forma vel hominis vel animalis habuerit, talem cucumis figuram præstabit.*

8 *Et cerini.*] Sic recte Thuanæus codex: minus recte prius, *citrini* legebatur. De ea voce egimus lib. 15. sect. 12.

9. *Vivunt hausti.*] Vide Athenæum lib. 3 pag. 74. ubi eadem de cucumere Diphilus Siphnius medicus fere commemorat, quæ Plinius.

10 *Si vas cum aqua.*] Palladius loc. cit. pag. 89. de cucumeribus: *Longi, inquit, & teneri cucumeres fient, si aquam in patenti vasculo sub eis ponas, duobus palmis inferiorem, ad quam festinando tales efficiuntur*

11. *At si oleum.*] Palladius, loc cit. de cucumere: *Oleum sic metuit, ut si juxta posueris, velut hamus flectatur.*

12. *Iidem in fistula.*] Palladius loc. cit. *Aliqui florem cucumeris cum viticula sua captivæ cannæ inserunt, cui prius omnes nodos perforaverint: ubi cucumis nascetur in nimiam longitudinem tensus.*

13. *Melopeponas.*] Alii melones, ut diximus, qu. si μηλοπέπονας, id est, pomosos: quod fere nomen in omnem Italiam & Galliam abiit. Melones Hortenses laudat Julius Capitol. in Albino, pag. 83 A Theophr. σίκυος, a Julio Polluce quandoque σπερματίας, quasi seminatus nominantur. Et Hesychius: Σικυος σπερματίας, [illegible] μηλοπέπων.

14. *Mirum in his.*] In melonibus.

15. *Columella.*] Libro xt de re rust. cap. 3. pag 402. & ex Columella Palladius, lib. 4. in Martio, tit. 9. pag. 89.

16. *Cucumerum Græci.*] Theophr lib. 7. hist cap. 4 ubi hæc cucumerum genera tria, Λακωνικός, Σκυταλίας, Βοιώτιος.

rum Græci tria genera fecere: Laconicum, Scytalicum, Bœoticum. [17] Ex his tantum Laconicum aqua gaudere. [18] Sunt qui herba, quæ vocatur culix nomine, trita, semen eorum maceratum feri jubeant, ut sine semine nascantur.

XXIV. [1] Similis & cucurbitis natura, dumtaxat in nascendo. Æque hiemem odere. [2] Amant rigua ac fimum. [3] Seruntur ambo semine in terra sesquipedali fossura, inter æquinoctium vernum, & solstitium: [4] Parilibus tamen aptissime. Aliqui malunt ex Calendis Martii cucurbitas, & Nonis cucumeres, & [5] per Quinquatrus serere, simili modo reptantibus flagellis scandentes parietum aspera in tectum usque, natura sublimitatis avida. Vires sine adminiculo standi non sunt, velocitas pernix, levi umbra cameras ac pergulas operiens. Inde hæc duo prima genera: [6] Camerarium: & plebeium, quod humi repit. [7] In priore mire tenui pediculo libratur pondus immobile auræ. Cucurbita quoque omni modo fastigatur, [8] vaginis maxime vitilibus, conjecta in eas postquam defloruit: crescitque qua cogitur forma, plerumque & draconis intorti figura. Libertate vero pensili concessa, jam visa est novem pedum longitudinis. [9] Particulatim cucumis floret, sibi ipse superflorescens: & ficciores locos patitur, candida lanugine obductus, magisque cum crescit.

Cucurbitarum numerosior usus. [a] [10] Et primus caulis in cibo. [11] Atque ex eo in totum natura diversa. Nuper in balinearum usum venêre urceorum vice, jampridem vero etiam cadorum ad vina condenda. Cortex viridi tener: deraditur nihilominus in cibis. [12] Cibos salubres ac lenes pluribus modis existimant, qui perfici humano ventre non queant, sed non intumescant. [13] Semina quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt: item ab imis, sed non comparandas supra dictis: quæ in medio, rotundas: quæ in lateribus, crassas breviore sque. Siccantur in umbra, & cum libeat serere, in aqua macerantur. Cibis, quo longiores tenuioresque, eo gratiores. Et ob id salubriores, quæ pendendo crevere: minimumque seminis tales habent, [b] duritia ejus in cibis gratiam terminante. [14] Eas quæ semini serventur, ante hiemem præcidi non est mos. Postea fumo siccantur, condendis [15] hortensiorum seminibus rusticæ supellectili. [16] Inventa est ratio, qua cibis quoque servaventur: eodemque modo cucumis, usque ad alios pæne proventus: & id quidem [17] in muria fit. [18] Sed & scrobe, opaco in loco arena substrato, fenoque sicco opertos, ac deinde terra, virides servari tradunt. Sunt & silvestres in utroque genere, & omnibus fere hortensiis. [19] Sed & his medica tantum natura est. Quam ob rem differentur in sua volumina.

XXV. Reliqua cartilaginum naturæ terra occultantur omnia. In quibus [1] de rapis

Interpretatio.

a *Et primus.*] Et primus quidem caulis in cibos admittitur. At ex eo tempore, *postquam increvit & induruit*, omnino diversæ naturæ ille est, *nec in cibis ultra recipitur.*

b *Duritia.*] Duritia seminis gratiam in cibis cucurbitis auferente.

Notæ.

17. *Ex his tantum Lacon*] Ex his Laconicum melius rigatum provenire: reliqua non rigata præstantiora esse. τούτων δ' ὁ μὲν Λακωνικὸς ὑδρευόμενος βελτίων· οἱ δ' ἕτεροι ἀνύδρευτοι. Theophr. loc. cit.

18. *Sunt qui herba.*] Pallad loc. cit de cucumeribus. *Sine semine nascentur, si prius eorum semina oleo sabino perunguntur, & herba ea quæ culex dicitur, trita confricentur.* Ubi pro *oleo sabino*, legimus, *oleo sesamino*, ex auctore Geopon. eadem referente, lib. 12. cap 17. pag. 341 Culex porro forsan eadem est quæ ψύλλιον & pulicaris dicitur. *l'herbe aux puces* Hosce cucumeres ex eventu rei ἀσπερμίας appellat Plato Comicus apud Athen. lib. 2. pag 68.

Sect. XXIV. 1. *Similis & cucurbitis.*] Vulgo, *Courges, ou Calbaces.*

2. *Amant &c.*] Pallad loc. cit. pag. 91.

3. *Seruntur ambo.*] Cucumeres, cucurbitæque. Pallad. loc. citato

4 *Parilibus*] Ita libri omnes, etiam MSS Sic libro superiore sect 66. *Parilicium* scribi monuimus oportere, non *Palilicium.* Auctor Marius Victorinus, lib 1. artis Gramm. pag. 2470. *Parilia dicuntur, non Palilia: non a Pale dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque, & herba parturiant, pariantque.*

5. *Quinquatrus.*] Columella, lib. xi. cap. 3 pag. 402. de cucumere: *satio secunda ejus seminis Quinquatribus observatur.* De Quinquatribus dixi lib. 18. sect. 56.

6. *Camerarium.*] Quod in cameras, testudinesve, & pergulas scandit. Pergulæ, *des treilles, & des cabinets de jardin.*

7. *In priore.*] In camerario genere.

8. *Vaginis vitilibus*] Forte rectius, *fictilibus.* Nam forma fictili includi cucumeres Palladius jubet, paulo ante laudatus a nobis, ut crescant qua coguntur forma. Vase testaceo, auctor Geopon. lib. 12. cap. 19 pag. 342.

9. *Particulatim.*] Non tota simul planta flores emittit, sed partes aliæ deinceps ex aliis flore induuntur

10 *Et primus caulis.*] Ut in brassicis cymæ, qui delicatiores sunt ipsorum caulium, teneríoresque cauliculi, ut dicetur sect. 41. Forte haud perperam legas, *Et primus, caulis in cibo.* Primus usus scilicet.

11. *Atque ex eo in totum.*] Sic MSS. omnes: non, ut vulgati libri, *ex eo totum diversa natura*: quæ ne Oedipus quidem explanarit. Familiaris hæc Plinio loquendi formula *in totum*

12. *Cibos salubres.*] Vide Ruellium, lib 2 pag 378.

13. *Semina quæ.*] Pallad. lib. 4. in Martio, tit. 9. pag. 91. *Hoc in cucurbitis insigne est, quod longas faciunt & exiles semina quæ in earum cervice nascuntur: quæ in ventre fuerant cucurbitas faciunt crassiores: quæ in fundo, latas, si inversis cacuminibus obruantur.* Qua ratione ex eodem seminio hæc varietas fieri possit, suo carmine Columella demonstrat, lib. 10. in hortulo.

14. *Eas quæ semini.*] Pallad. loc. cit. *Quæ servantur ad semina, usque ad hiemem in sua vite dependeant: deinde sublata in Sole ponantur, aut fumo: aliter semina putrefacta depereunt.*

15. *Hortensiorum.*] Ita MSS. omnes. Hortensia sunt quæ in hortis seruntur.

16. *Inventa est ratio.*] Describit hanc fuse Nicander in secundo Georgicorum, apud Athen lib 9. pag. 372.

17. *In muria fit.*] Modum edocet auctor Geopon. loc. cit. pag. 344.

18. *Sed & scrobe.*] Sic etiam auctor Geopon. loc. cit. pag. 443.

19 *Sed & his medica.*] Nullus horum in cibis usus: omnia in medicina.

Sect. XXV. 1. *De rapis abunde.*] Libro 18. sect 34.

abunde dixisse poteramus videri, [2] nisi medici masculini sexus facerent in his rotunda: latiora vero & concava feminini, præstantiora suavitate, [3] & ad condiendum faciliora: [4] quæ sæpius sata transeunt in marem. [5] Iidem naporum quinque genera fecere: Corinthium, Cleonæum, [6] Liothasium, Bœoticum, [7] & quod per se viride dixerunt. [8] Ex iis in amplitudinem adolescit Corinthium, nuda fere radice. Solum enim hoc genus superne tendit, non ut cetera in terram. [9] Liothasium quidam Thracium appellant, frigorum patientissimum. [10] Ab eo Bœoticum dulce est, rotunditate etiam brevi notabile, neque ut Cleonæum prælongum. [11] In totum quidem, quorum tenuia folia, ipsi quoque dulciores: quorum scabra, & angulosa, & horrida, amariores. [12] Est præterea genus silvestre, cujus folia sunt erucæ similia. Palma Romæ [13] Amiterninis datur, inde Nursinis: [14] tertia nostratibus. Cetera de satu eorum [15] in rapis dicta sunt.

XXVI. 1. [1] Cortice & cartilagine constant raphani: multisque eorum cortex crassior etiam, quam quibusdam arborum. [2] Amaritudo plurima illis est, & pro crassitudine corticis. Cetera quoque aliquando lignosa. [3] Et vis mira colligendi spiritum, laxandique ructum: ob id cibus illiberalis, utique si proxime olus mandatur: si vero cum olivis drupis, rarior ructus fit, minusque fœtidus. [4] Ægypto mire celebratur propter olei fertilitatem, quod e semine ejus faciunt. Hoc maxime cupiunt serere, si liceat: quoniam & quæstus plus quam a frumento, & minus tributi est, nullumque copiosius oleum.

2. [5] Genera raphani Græci fecère tria, foliorum differentia, crispi, atque lævis, & tertium silvestre. [6] Atque huic lævia quidem, sed breviora ac rotunda, copiosaque: [7] atque fruticosa: sapor autem asper, & medicamenti instar [8] ad eliciendas alvos. [9] Et in prioribus tamen differentia a semine est: quoniam aliqua pejus, aliqua admodum exiguum ferunt. [10] Hæc vitia non cadunt, nisi in crispa folia.

3. Nostri alia fecere genera: [11] Algidense a loco, longum atque translucidum. Alterum rapi figura, quod vocant Syriacum, suavissimum fere ac tenerrimum, hiemisque patiens. Præcipuum tamen est, quod e Syria non pridem advectum apparet, quoniam apud auctores non reperitur: id autem tota hieme durat. [12] Etiamnum unum silvestre Græci agrion vocant, Pontici armon, alii leucen, nostri armoraciam, fronde copiosius quam

NOTÆ.

2. *Nisi medici.*] Medicis prævit Theophrastus, lib. 7. hist. cap. 4. Medicos suisse Græcos ipse Plinius admonuit loco proxime appellato.

3. *Et ad condiendum.*] De condiendis rapis vide Palladium, in Decembri, tit. 5.

4. *Quæ sæpius sata.*] Ita MSS quoque. Theophr. loc. cit. monet, si densius spissiusve ferantur, in marem transire. Γογγυλίδος δὲ οἱ μὲν φασιν εἶναι γένη, οἱ δ' οὔ φασιν· ἀλλὰ καὶ τῷ ἄῤῥενι καὶ τῷ θηλείᾳ διαφέρειν· γίνεσθαι δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος ἄμφω· ὅταν δὲ πυκνὸν φυτευθῇ, μεταβάλλειν εἰς ἄῤῥενας. ἐὰν γὰρ πυκνὰ, πάντως ἀποῤῥενοῦσθαι.

5. *Iidem naporum.*] Igitur ii medici, quorum nunc placita referuntur, napos appellavere, quos raphanos sive radiculas verius appellassent: nam Theophrastus lib. 7. hist. cap. 4. quinque hæc ipsa τῶν ῥαφανίδων genera agnoscit, ita prodente Athenæo, lib. 2. pag. 56 ex quo Theophrasti locus, qui nunc in mendo cubat, refingi debet: Θεόφραστος δὲ ἐν τοῖς περὶ φυτῶν, inquit, γένη ῥαφανίδων φησὶν εἶναι πέντε· Κορινθίαν, Λειοθασίαν, Κλεωναίαν, Ἀμωρέαν, Βοιωτίαν· καλεῖσθαι δ' ὑπό τινων τὴν Λειοθασίαν Θρᾳκίαν, &c. *Des raiforts.*

6. *Liothasium.*] Sic Athenæus, mox citatus Theophr loc. cit. Λειοθηλαίωνας, cui favere Hesychius videtur, in Ἀωτοῦται ῥαφανίδες. Has ipsas tamen, quæ illotæ ἄπλυτοι vocitantur, Θασίας Athenæus vocat.

7. *Et quod per se viride.*] Id videtur esse, quod Ἀμώριον Athenæus appellat.

8. *Ex iis.*] Theophr. loc. cit. de raphanis Ἐπαυξητικὴν δέ φασι τὴν Κορινθίαν, ἣ καὶ τὴν ῥίζαν ἔχει γυμνήν· ὠθεῖται γὰρ εἰς τὸ ἄνω, καὶ οὐκ εἰς τὸ κάτω, &c.

9. *Liothasium.*] Theophr. ex Athenæo, loco proxime allato.

10. *Ab eo Bœoticum.*] Theophrast loc. cit. iisdem verbis.

11. *In totum quidem.*] Theophr. loc. cit. Ὅσαι δ' αὖ καὶ λεῖα τὰ φύλλα, &c.

12. *Est præterea.*] Theophr. Γίνεται δέ τι καὶ ἄγριον, ὃ ἔχει τὸ φύλλον εὐζώμῳ ὅμοιον. De eruca, lib. 20. sect. 49.

13. *Amiterninis.*] Vide quæ diximus libro superiore, sect. 35. Rapi vero hi proprie sunt, non raphani, ut priores.

14. *Tertia nostratibus.*] Romani agri.

15. *In rapis dicta sunt.*] Libro sup. sect. 34.

Sect. XXVI. 1. *Cortice .... raphani.*] Quas Græci ῥαφανίδας vocant; Galli, *des Raiforts.* Radices quæ sunt edendo, multa carne sunt indutæ, velut raphani, napi, rapa: immo nonnullæ quamdam cartilaginis speciem præ se ferre conspiciuntur: quapropter & cartilagineæ nominantur, ut raphani.

2. *Amaritudo.*] Δριμύτης, acrimonia dicitur a Theophr. loc. cit. Sed amaritudinem appellare saporem eum acutum, qualis in raphano sentitur, familiare Plinio est.

3. *Et vis mira.*] Inflationem habere hunc cibum ait, ac vim ciendi ructus. Quod & Diosc. edocet, lib. 2. cap. 137. ῥάφανος καὶ αὐτὴ πνευματώδης γίνεται.... ἐρευκτικὴ δὲ, &c.

4. *Ægypto.*] Plinius ipse, lib. 15. sect. 7. *Plurimum autem in Ægypto fit oleum e raphani semine.*

5. *Genera raphani*] Genera ejus quod Græci ῥάφανον appellarunt, fecere illi tria. Verum ne quempiam nomenclatio remoretur, attendendum est apud Atticos appellatione raphani brassicam venire: sic Aristophanem, sic etiam Theophrastum, & alios plerosque pro brassica constat usurpasse. Atque ut in Theophrasto potissimum moret, cujus orationem similem esse Plinianæ perspicuum est, sic ille habet, lib. 7. hist cap. 4. Τῆς δὲ ῥαφάνου τρία διαιροῦσιν, ἥ τε οὐλόφυλλος, καὶ λειόφυλλος, καὶ τρίτη ἡ ἀγρία, &c. Ea brassicæ, non raphano proprie dicto referuntur: siquidem Marcus Cato ultima voluminis parte, quam brassicæ dicavit, tria fecit eadem illius vestigia: tres pariter notas attulit. Prima est lævis, altera crispa, tertia quæ proprie crambe nominatur: singula deinde genera suis notis describit, quas omnes Theophrasti verbis suffragari constat. Hesychius: Ῥάφανος, καὶ ῥάφανος διαφέρει παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς· ῥάφανος μὲν γὰρ ἡ κράμβη· ῥαφανὶς δὲ ἡ παρ' ἡμῖν ῥάφανος. Habet eadem Apollodorus Carystius apud Athen. lib. 1. pag. 34. Vide plura in eam rem apud Galenum, lib. 2. de alim. facult. cap. 44. pag. 361.

6. *Atque huic lævia.*] Theophr. iisdem verbis, de brassica.

7. *Atque fruticosa.*] Ramosa πολύκλαδος, Theophr.

8. *Ad eliciendas alvos.*] Ad dejiciendam, ad ciendam alvum atque purgandam. De brassica, Theophr. loc. cit. ἡ δὲ χυλὸν ἔχουσα δριμὺν καὶ φαρμακώδη· διὸ καὶ αὐτῇ πρὸς κοιλίας αὐτῇ χρῶνται οἱ ἰατροί.

9. *Et in prioribus.*] In crispa, lævique brassica. Theophr. loc. cit. de brassica: Ὁμοίως δὲ .... αὗται διαφέρουσι καὶ σπέρμα· ἐνίαις ἀσπερμὸς τι γίνεται αὐτῶν, ἢ ὀλιγόσπερμος, &c.

10. *Hæc vitia.*] Seminis parvitas, aut imbecillitas.

11. *Algidense*] Ab Algido monte Romæ vicino, de quo nos alibi. Sed nunc de Italis vernaculisque raphanis, atque adeo veris ac proprie dictis agit, non de brassica.

12. *Etiamnum unum.*] Raphani nimirum, non brassicæ, silvestre genus. Philoxenus in Glossis: Ῥαφανίδες, armoraciæ. Isidorus, lib. 17. cap. 10 armoraciam esse lapsanam falso putat. Utramque distinguit Columella, lib. 9. cap. 4. *Jam vero*, inquit, *notæ vilioris innumer biles nascuntur herbæ. ... ut vulgares lapsana, nec his pretiosior armoracia.* Italia rerum an-

corpore. In omnibus autem probandis maxime spectantur caules: immitium enim rotundiores crassioresque, ac longis canalibus. Folia ipsa tristiora, & angulis horrida.

4. Seri vult raphanus terra soluta, humida. Fimum odit, palea contentus. Frigore adeo gaudet, ut in Germania infantium puerorum magnitudinem æquet. Seritur post Idus
5 Febr. ut vernus sit: iterumque [13] circa Vulcanalia, quæ satio melior. Multi & Martio, & Aprili serunt, & Septembri. Incipiente incremento, confert alterna folia circumobruere, [14] ipsos vero accumulare. [15] Nam qui extra terram emerfit, durus fit atque fungosus. [16] Aristomachus detrahi folia per hiemem jubet: &, ne lacunæ stagnent, accumulare: ita in æstatem grandescere. Quidam prodidere, si palo adacto caverna palea inster-
10 natur sex digitorum altitudine, deinde in semen fimumque & terra congeratur, ad magnitudinem scrobis crescere. Præcipue tamen salsis aluntur. Itaque etiam talibus aquis irrigantur, [17] & in Ægypto nitro sparguntur, ubi sunt suavitate præcipui. In totum quoque salsugine amaritudo eorum eximitur, fiuntque coctis similes. Namque & cocti dulcescunt, & in naporum vicem transeunt. Crudos medici suadent, ad colligenda acria
15 viscerum, [18] dandos cum sale jejunis esse, atque ita vomitionibus præparant meatum. Tradunt & præcordiis necessarium hunc succum: quando [19] phthisin cordi intus inhærentem non alio potuisse depelli compertum sit in Ægypto, regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus. Atque, ut est Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis adeo ceteris cibis prælatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento,
20 rapum e plumbo. Scires non ibi genitum [20] Manium Curium Imperatorem, quem Samnitium legatis aurum repudiaturo afferentibus, rapum torrentem in foco inventum Annales nostri prodidere. Scripsit & Moschion Græcus unum de raphano volumen. Utilissimi in cibis hiberno tempore existimantur: iidemque dentibus semper inimici, quoniam atterant. Ebora certe poliunt. [21] Odium his cum vite maximum, refugitque juxta satos.

25 XXVII. Lignosiora sunt reliqua, in cartilaginum genere a nobis posita. Mirumque, omnibus vehementiam saporis inesse. Ex iis pastinacæ unum genus agreste sponte provenit: [1] staphylinos Græce dicitur. [2] Alterum seritur radice vel semine, primo vere vel autumno: ut Hygino placet, Februario, Augusto, Septembri, Octobri, solo quam altissime resosso. Annicula utilis esse incipit, bima utilior, gratior autumno, parinisque
30 maxime: & sic quoque [a] virus illi intractabile est. [3] Hibiscum a pastinaca gracilitate distat, damnatum in cibis, sed medicinæ utile. [4] Est & quartum genus in eadem similitudine pastinacæ, quam nostri Gallicam vocant, Græci vero daucon: [5] cujus genera etiam quatuor fecere: [b] inter medica dicendum.

XXVIII. [1] Siser & ipsum Tiberius Princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis e

INTERPRETATIO.

a *Virus*] Sapor.

b *Inter medica.*] In libris de medicina.

NOTÆ.

t...uarum parens, adhuc *Aramoracci* & *Remolaci* nominat, teste Anguillara, part. 7 pag. 112. Nostri, *Rave sauvage.* Diosc. lib. 2 cap. 138. *Ῥάφανος ἀγρία, ἣν Ῥωμαῖοι ἀρμορακίαν καλοῦσι*, &c.

13. *Circa Vulcanalia.*] Columella, lib. XI. cap. 3. *Ceterum Augusto circa Vulcanalia, tertia satio est: eaque optima radicis*, (hoc est, raphani) *& rapæ, itemque napi, & siseris*, &c. Ac multo post: *Raphani radix bis anno seritur: Februario mense, cum vernum fructum exspectamus: & Augusto mense circa Vulcanalia, cum maturum. Sed hæc satio sine dubio melior habetur.*

14 *Ipsos vero accumulare.*] Aggerare terram, circumfundere. Colum. loc. cit.

15. *Nam qui extra.*] Columella iisdem verbis, loc. cit.

16. *Aristomachus.*] Theophr. quoque, lib. 5. de causis, cap 5. pag 330. Ὁμοίως δὲ τοῦτο συμβαίνει καὶ ἐν τοῖς λαχάνοις· ἵνα ἀντιπαχύνῃ τὰς ῥίζας, τὰ μὲν ἀφαιροῦντες τὰ φύλλα, καθάπερ τὰς ῥαφανίδας, ὅταν μάλιστα ὑπαιθρίζωσι τοῦ χειμῶνος, καὶ κατακαλύπτοντες τὴν γῆν, ὅπως καὶ τὸ ὕδωρ ἀποστέγῃ· ἐν γὰρ τῷ θέρει γίνονται θαυμάσιαι τῷ μεγέθει.

17. *Et in Ægypto*] Plinius, lib 31. sect. 46. num 4. *Salis vice utuntur ad raphanos nitro Ægyptii: teneriores eos facit: olera viridiora*: ubi raphanos ab oleribus, hoc est, a brassica secernit.

18. *Dandos cum sale*, &c.] Eadem de raphano Dioscor. lib. 2 cap. 137. Ἀρμόζει δὲ καὶ τοῖς ἐμεῖν μέλλουσι προεσθιομένη. De radicula Celsus, ut dicemus lib. seq. sect. 13.

19. *Phthisin.*] Leotam ea vox tabem sonat. De hoc cordis vitio egimus lib. 21. sect. 69. Vide Notas & Emendat. num. X.

20. *Manium Curium.*] Rem narrat eleganter, ut solet, Valerius Max. lib. 4. cap. 3. pag. 208. Cicero in Catone: Megacles quoque, libro de Viris illustribus, apud Athen. lib. 10. pag 419. Plutarchus, in Apophth.

21. *Odium his.*] Raphanis scilicet: nec minus brassicæ, uti ex Theophrasto vidimus, lib. 17. sect. 37 & ea Plinio ipso visuri sumus, lib. 24. sect. 1. *Perniciales & brassicæ cum vite odia.* Palladius, lib. 9. in Augusto, tit. 5. *Raphanum tamen, sive brassicam, constat esse vitibus inimicum: nam si circa se serantur, natura discordante refugiunt* Ῥάφανον de brassica recte accepit. Sed & raphano proprie dicto, hoc est, ῥαφανίδι, vis eadem est.

Sect. XXVII. 1. *Staphylinos.*] Σταφυλῖνος Athenæo, lib. 9. pag. 371. Hæc pastinaca tenuifolia silvestris, quæ pingitur a Dodonæo, pag. 668. visa a nobis in horto Regio.

2. *Alterum seritur*] Pastinaca sativa, quæ in Gallia vulgo *Panais* nominatur. Dodonæo, pag. 669. Pastinaca sativa latifolia est

3. *Hibiscum*] Pastinaca latifolia silvestris Dodonæi hæc est, pag 669 *Panais sauvage.*

4. *Est & quartum*] In quo genere est illud haud postremum, quod vulgo notum *Carota* nomine, & Dauci officinarum, ut recte Anguillara, part. 7. pag 129. prædulci radice, odorata, lutea, rufa, vel interdum purpurea, quam cum farina & oleo frigunt ad mensarum usus, aut coctam in aceto & oleo manducant. Tenuifolia sativa pastinaca dicitur Dodonæo, pag 667.

5. *Cujus genera etiam quatuor.*] De his dicemus opportunius lib 25. sect. 64. inter medica, ut Plinius ait.

Sect. XXVIII 1. *Siser &c.*] Dioscoridi, lib. 2. cap. 139. Σίσαρον. Nostris, *Cherui.* Iconem Dodonæus exhibet, pag. 670. Quanquam an siser Græciæ, cum siser Geldubæ sive Germanorum sit idem, subdubitat Anguillara, par. 7. pag. 112.

Germania.

Germania. [2] Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis convenire. Inest longitudine nervus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta: quæ mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. Nervus idem & pastinacæ majori, dumtaxat anniculæ. Siseris satus mensibus Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, Octobri. 5

XXIX. Brevior his est, sed [a] torosior, [1] amariorque, inula, per se stomacho inimicissima: eadem dulcibus mixtis saluberrima. [2] Pluribus modis austeritate victa gratiam invenit. Namque & in pollinem tunditur arida, [3] liquidoque dulci temperatur: & [4] decocta posca, aut asservata, vel [5] macerata pluribus modis, & tunc mixta defruto, aut subacta melle, uvisve passis, aut pinguibus caryotis. Alio rursus modo cotoneis malis, vel sorbis, aut prunis, aliquando pipere aut thymo variata, defectus præcipue stomachi excitat, illustrata maxime [6] Juliæ Augustæ quotidiano cibo. [b] Supervacuum ejus semen: [7] quoniam oculis ex radice excisis, ut arundo, seritur. Et hæc autem, & siser, & pastinaca, utroque tempore, vere & autumno, magnis seminum intervallis: [8] inula ne minus quam ternorum pedum, quoniam spatiose fruticat. Siser autem transferre melius. 10 15

XXX. [1] Proxima his est bulborum natura, quos Cato in primis serendos præcepit, celebrans [2] Megaricos. Verum nobilissima est [3] scilla, quanquam medicamini nata, [4] acetoque exacuendo. Nec ulli amplitudo major, sicut nec vis asperior. Duo genera medica: masculus albis foliis, femina nigris. [5] Et tertium genus est cibis gratum: epimenidium vocatur, angustius folio, ac minus aspero. Seminis plurimum omnibus. Celerius tamen proveniunt satæ bulbis circa latera natis. [6] Et ut crescant, folia quæ sunt his ampla, deflexa circa obruuntur: Ita succum omnem in se trahunt capita. Sponte nascuntur copiosissime in Balearibus Ebusoque insulis, ac per Hispanias. Unum de iis volumen condidit Pythagoras philosophus, colligens medicas vires, quas proximo reddemus libro. [7] Reliqua bulborum genera differunt colore, magnitudine, suavitate. [8] Quippe cum quidam crudi mandantur, ut in Cherroneso Taurica. [9] Post hos in Africa nati maxime 20 25

INTERPRETATIO.

a *Torosior.*] Carnosior.

b *Supervacuum.*] Sationi inutile.

NOTÆ.

2. *Gelduba.*] Ex Tacito Geldubæ situm agnovimus haud procul fuisse Novesio, *Nuys*, in citeriore Rheni ripa, ubi nunc pagus est cum prisci nominis vestigio *Gelb.* Vide Tacitum, lib. 4. hist pag 95. & 96. Castra Rheno imposita scito plurima fuisse, in quibus Romanæ cohortes præsidii causa excubarent. In Conc. Agrippinensi, anno CCCXLVI. *Epistola plebis Agrippinensium, sed & omnium castrorum Germaniæ secundæ.*

Sect. XXIX. 1. *Amariorque inula.*] Hoc est, acrioris succi. Sic Horatius, lib. 2. Satyra 2. vers 44. *acidas inulas* appellat, de quibus idem postea, Satyra 8. vers. 51.

Inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere.

Græcis ἑλένιον dicitur: nostris, *de l'Aunée.* Officinis, *Enula Campana.* Iconem vide apud Dodon pag. 342.

2. *Pluribus modis.*] Tres quatuorve inulæ conditutas, quibus amaritudinem dimittat omnem, affert Columella, lib. 12. cap 46

3. *Liquidoque dulci.*] Liquore aliquo dulci.

4. *Decocta posca.*] Decoqui inulam jubet ex posca. Poscam Latini vocant id quod Græci ὀξύκρατον, quod potionis genus ex aquæ & aceti mixtura fit. Decoqui ex aceto Columella præcipit, loc. cit. quod idem est: nam aceti solius nomine sæpe posca exprimitur. Plautus in Rudente:

Sed hic rex cum aceto pransurus est, & sale.

Spartianus in Pescennioo: *Jussit vinum in expeditione neminem habere, sed aceto universos esse contentos.* Vulcatius in Avidio: *Præter laridum, & buccellatum, & acetum.*

5. *Macerata pluribus.*] Præsertim muria, ex Columella. Cum succo rutæ, schola Salernitana:

Enula Campana reddit præcordia sana,
Cum succo rutæ succus si sumitur ejus,
Affirmant rupsis quod prosit potio talis.

6. *Julia Augusta.*] Quæ Cæsaris Augusti filia, Tiberii Augusti conjux fuit. Vixit illa perhonorifice usque ad quartum saltem Tiberii Aug annum: teste nummo singulari, ex ære minimo, apud D. Abb. DE FONTENU: hac epigraphe Græca, in corona laurea, TIB. KAICAP. In aversa parte, spica erecta, fertilitatis Judææ symbolum: hinc IOY. inde ΛIA. Infra, L. Δ. *anno quarto* Juliæ Tiberii conjugis, cujus causa imperium ille in Judæa obtinebat. Nam Cæsar ipse fuit & heres Augusti, ob illud conjugium. Adde Achaten Tiberianum, ut appellant, quem alibi explicuimus; & nummum perrarum argenteum ex Museo nostro, consecrationis ejus indicem, DIVA JULIA AUGUSTA, ut jam superius diximus ad librum VII. sect. XLVI.

7. *Quoniam oculis.*] Sive bulbis, ut diximus lib. 16. sect. 67. Palladius in Febr. tit. 24. *Hoc mense inula seritur, quo cannæ ponuntur. Seritur oculis, sicut calami,* &c

8. *Inula ne minus.*] Colum. lib XI. cap 3. *Pastinaca, siser, atque inula convalescunt alte pastinato, & loco stercorato: sed quam rarissime poncada sunt, ut majora capiant incrementa. Inulam vero intervallo trium pedum fere contenti, quoniam vastos facit frutices.* Sic enim Palladius loc. cit. *Seritur inula oculis, sicut calami, quos abscindere, & terra leviter debemus obruere, terra fossa & subacta, excitatis ad lineam pulvinis, quibus eius oculos oportet infodere: trium pedum inter se spatio separantur.*

Sect. XXX 1. *Proxima .... bulborum.*] Diosc. lib. 2. cap. 200. βολβὸς ἐδώδιμος . . . Bulborum facies notior est visa Dioscoridi, Plinioque, quam quæ deberet repræsentari: nunc incognita omnibus fere cum medicis, tum officinis habetur: quoniam bulbi omnes ii edi jam desiere. Inveniuntur tamen hodieque cæpæ modo tunicati bulbi, quibus rura sibi vorandi facultatem moliuntur: mirum enim excitant aviditatem: quare *Appetits* appellationem in agris sibi vendicarunt

2. *Megaricos.*] Μεγαρέων βολβοὺς laudat etiam Nicander, apud Athen. lib. 2. pag 64 Damnat Ovidius, ob Venerem scilicet, quem mirumin modum stimulat, his numeris:

Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
An veniat Megaris: noxius omnis erit.

3. *Scilla.*] Squillam exemplo Varronis omnes nunc vocant officinæ. Græci σκίλλαν & σκίλλαν. Nostri, *Oignon marin*, ou *Squille.* Scilla Hispanica Clusii est, lib. 2. rariora. plant. pag 171. radice alba Vidimus in horto Regio.

4. *Acetoque.*] Fit enim ex ea scillinum acetum, uti dicemus lib. 20. sect 39

5. *Et tertium.*] Neque omnem scillæ radicem in cibis approbat Theophrastus, lib 7. hist. cap XI. Sed illius tantum quæ Epimenidia appellatur, ἀλλὰ τ' Ἐπιμενίδειον καλουμένης, quæ angustiore folio ac læviore est, στενοφυλλοτέρα καὶ λειοτέρα.

6. *Et ut crescant.*] Theophr. loc. cit.

7. *Reliqua bulborum.*] Theophr. lib. 7. hist. cap 13.

8. *Quippe cum.*] Theophr. loc. cit. & ex eo Athenæus, lib. 2. pag 64.

9. *Post hos in Africa.*] Ἀφρικανοὺς laudat pariter Athenæus,

laudantur, mox Apuli. [10] Genera Græci hæc fecere: Bulbinen, setanion, pythion, [11] acrocorion, ægilopa, sisyrinchion. [12] In hoc mirum imas ejus radices crescere hieme: verno autem, cum apparuerit viola, minui & contrahi, tum deinde bulbum pinguescere.

[13] Est inter genera & quod in Ægypto aron vocant, scillæ proximum amplitudine, foliis lapathi, caule recto duûm cubitorum, baculi crassitudine, radice mollioris naturæ, [14] quæ edatur & cruda. Effodiuntur bulbi ante ver, aut deteriores illico fiunt. Signum maturitatis, folia inarescentia ab imo. Vetustiores improbant: item parvos & longos. Contra rubicundis rotundioribusque laus, & grandissimis. Amaritudo plerisque in vertice est. Media eorum dulcia. Bulbos non nasci, nisi e semine, priores tradiderunt. Sed & in Prænestinis campis sponte nascuntur, ac sine modo etiam in Remorum arvis.

Cap. VI. XXXI. [1] Hortensiis omnibus fere singulæ radices, ut raphano, betæ, apio, malvæ. [2] Amplissima autem lapatho, ut quæ descendat ad tria cubita. [3] Silvestri minor & humida: effossa quoque diu vivit. Quibusdam tamen [4] capillatæ, ut apio, malvæ: quibusdam [5] surculosæ, ut ocimo. Aliis carnosæ, [6] ut betæ, aut magis etiamnum [7] croco: [8] aliquibus ex cortice & carne constant, ut raphano, rapis: quorumdam [9] geniculatæ sunt, ut graminis. [10] Quæ rectam non habent radicem, statim plurimis nascuntur capillamentis, ut atriplex, & blitum. Scilla autem, & bulbi, & cæpe, & allium, non nisi [11] in rectum radicantur. [12] Sponte nascentium quædam numerosiora sunt radice, quam folio, ut aspalax, perdicium, crocum.

[13] Florent confertim serpyllum, abrotonum, napi, raphani, menta, ruta: & cetera quidem cum cœpere, deflorescunt: [14] ocimum autem particulatim & ab imo incipit: qua de causa diutissime floret. [15] Hoc & in heliotropio herba evenit. [16] Flos aliis candidus, aliis luteus, aliis purpureus. [17] Folia cadunt a cacuminibus, origano, inulæ, & aliquando rutæ injuria læsæ. [18] Maxime concava sunt cæpæ, gethyo.

XXXII. [1] Allium cæpasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus. [2] Cæpæ genera apud Græcos: Sardia, Samothracia, Alsidena, Setania, Schista, Ascalonia, ab oppido Judææ nominata. Omnibus etiam [3] odor lacrymosus, & præcipue [4] Cypriis, mi-

NOTÆ.

loc. cit. Libycos, Dauniosque, sive Apulos, Ovidius paulo ante appellatus.

10. *Genera Græci.*] Theophr. in primis, loc. cit. ubi hæc genera recensentur: *Τὰ βολβίνη, καὶ σητάνιον, καὶ ὁ πύθιον, καὶ αἰγίλωψ, καὶ τρίτον περὶ τὸ σισυρίγχιον.* Rectius forsan, *συοςρύγχιον*, a rostri suilli similitudine. Hujus iconem apud Dodonæum vide, pag. 210. Est & in Eystettensi horto

11. *Acrocorion.*] An *acroscorodon*? Ut ut est, bulborum ejusdemodi ignota facies, uti & pythionis.

12. *In hoc mirum.*] Nempe in sisyrinchio. Hæc Theophr. loc. cit

13. *Est inter genera.*] Nempe bulborum. De aro autem Ægyptiaca loquitur, quæ diversa a Dioscoridis aro vulgari. Ægyptiaca colocasiæ genus est alterum, quod cum faba Ægyptia plerique confuderunt: Plinius apte distinguit. Pingitur a Dodonæo, pag. 318. Vidimus in horto Regio.

14. *Quæ edatur.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. XI.

Sect. XXXI. 1. *Hortensiis .... ut raphano.* [Theophr. lib. 1. hist. plant. cap. 9. *Σχεδὸν δὲ καὶ τῶν λαχανωδῶν τὰ πολλὰ μονόῤῥιζα· οἷον ῥάφανος, τεῦτλον*, &c. *Ῥάφανος*, ut monuimus, brassica Theophrasto est, non raphanus, quem ille *ῥαφανίδα* vocat. Verum aut *ῥαφανὶς* hoc loco scripsit, aut raphanum nunc ipse intellexit: nam brassicam *μονόῤῥιζον* esse falsum est. Et sane idem lib. 7. histor cap 2. ubi ea recenset quæ singulari radice constant, appellat *σέλινον* apium, *τεῦτλον* betam, *ῥαφανίδα* raphanum, *γογγυλίδα* rapam. *ῥάφανον* non appellat.

2. *Amplissima.*] Theophr. lib 7. histor cap. 2. *Μονοῤῥιζότατον δὲ εἶναι πάντων τὸ λάπαθον .... ἔχει γὰρ μείζω τριῶν ἡμιποδίων*, *majores habet radices terno semipede*, hoc est, sesquipede.

3. *Silvestri minor.*] Nempe silvestri lapatho. Vide Notas & Emend. num. XI.

4. *Capillatæ.*] Quæ fibras habent, hoc est, minores radiculas, oblongas, in capilli modum extenuatas, in quas velut extremas, crassiores effusæ sparguntur.

5. *Surculosæ,*] Hoc est, lignosæ. Theophr lib. 7. histor. cap. 3. *Τῶν δὲ ῥιζῶν ξυλώδεις ... τοῦ ὠκίμου ... ὁ καυλός.* Addit idem, cap. 2. blitum, atriplicem, erucam, anethum, brassicam, coriandrum: & lib 1. hist. cap. 10. magnam silvestrium partem.

6. *Ut betæ.*] Theophr lib. 7. histor. cap. 2.

7. *Croco.*] Theophr. lib. 1. histor. cap. 9 *Εἰσὶ μὲν τῶν σαρκώδεις, καθάπερ ῥαφανίδος, γογγυλίδος, ἄρου, κρόκου.* Idem repetit lib. 7. hist. cap 3.

8. *Aliquibus.*] Theophr lib. 1 hist. cap. 10.

9. *Geniculatæ.*] Geniculatæ radices vocantur, quæ nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotundæ & leviter capitulatæ. *Γονατώδεις*, Theophr lib. 1. hist. cap. 10.

10. *Quæ rectam.*] Theophr lib. 1. hist cap. 9.

11. *In rectum radicantur.*] Radicum natura est a lateribus radiculas alias fundere, quas *ἐμφυάδας* appellamus, inquit Theophrast lib. 1. hist. cap. 10. at ejusmodi nullam bulbi habent Omnes enim radices bulborum in rectum tendunt: nec a latere funduntur, sed a capite.

12. *Sponte nascentium*] Theophr lib. 1. hist. cap. XI. iisdem fere verbis. Sed quæ sit aspalax, incompertum

13. *Florent confertim*] Hoc est, simul universum florem emittunt, non particulatim. Vide Notas & Emendationes, num. XII.

14. *Ocimum autem.*] Theophr lib 7. hist. cap. 9.

15. *Hoc & in heliotropio.*] Theophr. lib. 7 hist cap 3.

16. *Flos aliis*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 9.

17. *Folia cadunt*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 15 quem locum Gaza non satis fideliter vertit.

18. *Maxime concava.*] Theophr lib. 1. histor. cap. 16. *Ἴδιον δὲ ἐπὶ τῶν λαχανωδῶν, οἷον κρομμύου, γηθύου, τὸ κοιλόφυλλον.*

Sect XXXII. 1. *Allium cæpasque.*] Ægyptii, inquit, cum jurant per deos suos, simul per opes suas jurant, quæ sunt allium & cæpæ. Non dicit inter deos reponi vel coli ab Ægyptiis allium & cæpas: quantumvis scribat Juvenalis, Satyra 15. vers. 1.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? ....
Porrum & cæpe nefas violare, & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

De his Prudentius quoque eleganter, *περὶ στεφάνων*, hymno X. in S Romanum, vers. 255. & lib 2. in Symmach. vers. 866 quem consule. At Horatius, lib. 1. epist. XII. *Verum seu pisces, seu porrum, & cæpe trucidas*, jocose dixit atque ironice, pro eo quod est, si nihil aliud occidis in cœnam. Hoc tantum.

2. *Cæpæ genera.*] Theophr lib. 7. hist. cap 4. a quo hæc enumerantur: *Σάρδια, Κνίδια, Σαμοθρᾴκια, καὶ πάλιν Σητάνια, καὶ Σχιστά, καὶ Ἀσκαλώνια.* *Des [illegible].* Alsidenorum mentio alibi nulla.

3. *Odor lacrymosus.*] Lacrymas ciens. Lucilius, libro 5. Satyr.

Flebile cæpe simul, lacrymosaque ordine tallæ.

Tallas Festus appellat interiores cæparum tunicas. Vaporem lentum ac tenuem exspirat cæpa, qui ad oculos irreptans lentitia cohæret, & sui tenuitate lancinans dolorem excitat, & sic lacrymas exigit Vide Ruell. lib. 2 pag 399

4. *Cypriis.*] Cyprias cæpas laudat Marcellus Empiricus,

nime Gnidiis. [5] Omnibus corpus totum pinguitudinis earum cartilagine. [6] E cunctis ferania minima, excepta Tusculana, sed dulcis. Schista autem & Ascalonia condiuntur. Schistam hieme cum coma sua relinquunt, vere folia detrahunt, & alia subnascuntur iisdem divisuris: [7] unde & nomen. [8] Hoc exemplo reliquis quoque generibus detrahi jubent, ut in capita crescant potius, quam in semina. [9] Ascaloniarum propria natura. [10] Etenim velut steriles sunt ab radice, & ob id semine seri illas, non deponi jussere Græci. Præterea serius circa ver, cum germinant, transferri: ita crassescere, & tunc properare præteriti temporis pensitatione. [11] Festinandum autem in his est, quoniam maturæ celeriter putrescunt. [12] Si deponantur, caulem mittunt & semen, ipsæque evanescunt. Est & colorum differentia. [13] In Isso enim & Sardibus candidissimæ proveniunt. Sunt in honore & Creticæ, de quibus dubitant, an eædem sint, quæ Ascaloniæ, [14] quoniam satis capita crassescunt: depositis, caules & semina. Distant sapore tantum dulci.

Apud nos duo prima genera. Unum condimentariæ, quam illi [15] gethyon, nostri pallacanam vocant. Seritur mensibus, Martio, Aprili, Maio. [16] Alterum capitatæ, quæ ab æquinoctio autumni, vel a Favonio. Optima genera ejus austeritatis ordine, Africa, Gallica, Tusculana, Ascalonia, Amiternina. Optima autem quæ rotundissima. Item rufa acrior quam candida, sicca quam viridis, & cruda quam cocta, sicca quam condita. Seritur Amiternina frigidis & humidis locis, & sola allii modo capite, reliquæ semine. Proxima quæ æstate nullum semen emittunt, sed caput tantum, quod inarescit. Sequenti autem anno permutata ratione semen gignitur, caput ipsum corrumpitur. Ergo omnibus annis separatim semen cæpæ causa seritur, separatim cæpe seminis. Servantur autem optime in paleis. [17] Gethyum pæne sine capite est, cervicis tantum longæ, & ideo totum in fronde: sæpiusque resecatur, ut porrum. Ideo & illud serunt, non deponunt. [18] Cetero cæpas ter fosso solo seri jubent, exstirpatis radicibus herbarum, [19] in jugera denas libras. [20] Intermisceri satureïam, quoniam melius proveniat. [21] Runcari præterea, & sarriri, si non sæpius, quater. [22] Ascaloniam mense Februario serunt nostri. [23] Semen cæpatum nigrescere incipiens, antequam marcescat, metunt.

XXXIII. [1] Et de porro in hac cognatione dici convenіat, præsertim cum sectivo nuper auctoritatem dederit Princeps Nero, [2] vocis gratia, ex oleo statis mensium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo. Seritur semine ab æquinoctio autumno: [3] si sectivum facere libuit, densius. In eadem area secatur, donec deficiat, stercoraturque semper. [4] Si nutritur in capita, antequam secetur, cum increvit, in aliam aream transfertur, summis foliis leviter recisis ante medullam: & capitibus retractis, tunicisve extremis. [5] Antiqui silice vel tegula subjecta capita dilatabant: Hoc item in bulbis. Nunc sarculo leviter convelluntur radices, ut delumbatæ alant, neque distrahant. Insigne, quod cum fimo lætoque solo gaudeat, rigua odit: & tamen proprietate quadam

NOTÆ.

cap. 15. ad anginam, pag 105.

5. *Omnibus.... cartilagine.*] Subintellige, constat: vel *e cartilagine* legito.

6. *E cunctis.*] Theophr. loc. cit.

7. *Unde & nomen.*] Ut nempe σχισταὶ, hoc est, cæpæ fissiles appellentur. Sic Theophr. loc. cit.

8. *Hoc exemplo.*] Palladius, lib. 3. in Febr. tit 24. pag 68. *Si capita voluerimus his esse majora, folia omnia debemus auferre, & sic succus ad inferiora cogetur.*

9. *Ascaloniarum.*] Has adhuc hodie Galli nominant *Eschalotes*, quasi Ascalotas, relictis pristini vocabuli rudimentis. Vide Glossarium Du-Cangii, verbo *Alogna*.

10. *Etenim velut.*] Apud nos tamen & radice melius, seu bulbo, feruntur.

11. *Festinandum.*] Cito evellendæ: alioqui putrescunt: [Greek illegible] Theophr. loc. cit.

12. *Si deponantur.*] Si plantentur, φυτευθέντα. Theophr.

13. *In Isso enim.*] Vide Notas & Emend. num. XIII.

14. *Quoniam satis.*] Hoc est, quoniam cum feruntur semine, capita eis crassescunt: σπειρόμεναι μὲν, inquit Theophrastus: cui φυτευόμεναι opponitur, depositum sive plantatum.

15. *Gethyon.*] Γήθυον, quod fere sine capite est, cervicis tantum longæ: ideoque totum in frondem luxuriat. Vulgus nostrum sua consuetudine *cebulam*, quasi cæpulam vocat; alii *siboulam*, *Ciboule*; nonnulli *crius*, vel *crionet*, quasi cæpinas vernaculo sermone proferunt.

16. *Alterum capitatæ.*] Quod fere citra cervicem in caput extuberat. Hanc vocant unionem veteres rustici, ut testatur Columella, lib. 12. cap. 10. quod nomen apud Gallos velut triviale hactenus usurpatum est: siquidem quod singulari constat capite, nec pluribus coagmentatur bulbis, unionem Gallica lingua nominat. *Oignon.*

17. *Gethyum pæne.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 4.

18. *Cetero cæpas.*] Columella, lib. xi. cap. 3.

19. *In jugera.*] Denas seminis cæparum libras in singula jugera seri jubet.

18. *Intermisceri.*] Colum. loc. cit. & Pallad. lib. 3. in Febr. tit. 24. pag. 68.

21. *Runcari*, &c.] Colum loc. cit.

22. *Ascaloniam.*] Sic Columella, loc. cit.

23. *Semen .... antequam marcescat.*] Columella: *Sed nec paviendum est, ut perarescat*, &c.

Sect. XXXIII. 1. *Et de porro.*] Gallis, *Porreau.*

2. *Vocis gratia.*] Cui splendorem affert, ut dicetur lib. 20. sect. 21.

3. *Si sectivum facere.*] Colum. lib. xi. cap. 3. *Porrum si sectivum facere velis, densius satum præceperunt priores relinqui, & ita, cum increverit, secari. Sed nos docuit usus*, &c. Porrum sectivum est, quod sæpius secatur, demeticurque in usum culinæ. *Sectile porrum* Juvenalis appellat: Martialis, *tonsile*: *sectivum*, auctor Moreti. Rursum de hoc Martialis, lib. 13. Epigr. 18. cujus lemma, *Porri sectivi*:

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

4. *Si nutritur in capita.*] Si vis porrum esse capitatum. Vide Notas & Emend. num. XIV. Capitatum porrum a radice quæ in caput extuberat, sibi nomen usurpavit.

5. *Antiqui silice.*] Ita Sotion, in Geopon. lib. 12. cap. 29. pag 351. [Greek illegible] *Similiter porri magni fient, si dum ipsos transfers, testam, latamve lapidem supposueris, nec rigabis.* Columella quoque, lib. xi. cap. 3. *In eo autem quod magni capitis efficere voles, servandum sit, ut antequam translatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarum summas partes incondeas. Tum testula vel concha, quasi sedes in singulis subjecta seminibus adobruuntur, ut fiant capita latioris incrementi.*

ſoli conſtant. Laudatiſſimus in Ægypto, mox Oſtiæ, [6] atque Ariciæ. Sectivi duo genera: Herbaceum folio inciſuris ejus evidentibus, quo utuntur medicamentarii. [7] Alterum genus pallidioris folii, rotundioriſque, inciſuris levioribus. [8] Fama eſt, Melam equeſtris ordinis, reum ex procuratione a Tiberio Principe acceritum, in ſumma deſperatione ſucco porri ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto, confeſtim exſpiraſſe ſine cruciatu. Ampliorem modum negant noxium eſſe.

XXXIV. [1] Allium ad multa ruris præcipue medicamenta prodeſſe creditur. Tenuiſſimis, & quæ ſeparantur, in univerſum velatur membranis: mox pluribus coagmentatur [2] nucleis, & his ſeparatim veſtitis. Aſperi ſaporis: quo plures nuclei fuere, hoc eſt aſperius. Tædium huic quoque halitu, ut cæpis: nullum tamen coctis. [3] Generum differentia in tempore: præcox matureſcit ſexaginta diebus: [4] tum in magnitudine. [5] Ulpicum quoque in hoc genere Græci appellavere allium Cyprium, alii antiſcorodon, præcipue Africæ celebratum [6] inter pulmentaria ruris, grandius allio. Tritum in oleo & aceto, mirum quantum [7] increſcat ſpuma. Quidam ulpicum & allium in plano ſeri vetant, [8] caſtellatimque grumulis imponi, diſtantibus inter ſe pedes ternos. Inter grana digiti intereſſe debent: [9] ſimul atque tria folia eruperunt, ſarriti. Grandeſcunt, quo ſæpius ſarriuntur. [10] Matureſcentium caules depreſſi in terram obruuntur: ita cavetur ne in frondem luxurient. [11] In frigidis utilius vere ſeri, quam autumno. [12] Cetero ut odore careant, omnia hæc jubentur ſeri, cum Luna ſub terra ſit: colligi, cum in coitu. [13] Sine his Menander e Græcis auctor eſt, allium edentibus, ſi radicem betæ in pruna toſtam ſupererderint, odorem extingui. Sunt qui & allium ulpicum inter [14] Compitalia ac Saturnalia ſeri aptiſſime putent. [15] Allium & ſemine provenit, ſed tarde. [16] Primo enim anno porri craſſitudinem capite efficit: [17] ſequenti dividitur, tertio conſummatur: [18] pulcriuſque tale exiſtimant quidam. In ſemen exire non debet, ſed intorqueri caulis [19] ſatûs gratia, uti caput validius fiat. Quod ſi diutius allium cæpamque inveterare libeat, aqua ſalſa tepida ungenda ſunt. Ita diuturniora fient, melioraque uſui, ſed in ſatu ſterilia. Alii contenti ſunt primo ſuper prunas ſuſpendiſſe, abundeque ita profici arbitrantur ne germinent: quod facere allium cæpamque extra terram quoque certum eſt, & cauliculo acto evaneſcere. Aliqui & allium palea optime ſervari putant. [20] Allium eſt & in arvis ſponte naſcens, alum hoc vocant: quod adverſus improbitatem alitum depaſcentium ſemina co-

Notæ.

6. *Atque Ariciæ.*] Martialis, lib. 13. Epigr. 19. cui titulus, *Porri capitati.*

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros,
In niveo virides ſtipite cerne comas.

7. *Alterum .... pallidioris folii.*] Hoc eſt, dilutioris viriditatis. In MSS. *faſtidioris.* Eo ſint, *flavidioris*, qua de voce diximus lib. 18. ſect. 34. ut [illegible] herbaceo opponatur.

8. *Fama eſt Melam.*] Mela is falſo eſſe creditur, cujus Geographici nunc manibus omnium teruntur libri.

Sect. XXXIV. 1. *Allium*] *De l'Ail.* Simeon Sethi, lib. de alim. tit. Σκόροδον, ex Galeno, allium vocat θηριακὴν τῶν ἀγροίκων, *theriacam ruſticorum.*

2. *Nucleis.*] Cohærentes bulbi, in quos allii caput extuminat, qui ſeorſum conſiti novam creant ſobolem, & nuclei, & ſpicæ, Latinis auctoribus appellantur: ſicut Græcis γέλγεις & ἀλγῖθες grana dicuntur, quibus allii caput compactum eſt. Theophr. lib. 7. hiſt. cap. 4. & Dioſcor. lib. 2. pag. 182.

3. *Generum differentia.*] Quoniam aliud præcox, aliud ſerotinum, πρώϊον, καὶ ὄψιμον. Theophr. loc. cit.

4. *Tum in magnitudine.*] Differunt etiam magnitudine & parvitate. Magnitudine ſiquidem præſtat ceteris genus illud quod Cyprium vocant. Καὶ μεγέθει, καὶ μικρότητι. Καὶ γὰρ τῷ μεγέθει γένος τι διαφέρον ἐστί. μέγιστα δὲ τὰ Κύπρια καλούμενα πάντων. Theophr. loc. cit.

5. *Ulpicum.*] In eo eſt illud genere, quod ceteris mole capitis antecellit. Columella, in Hortulo, pag. 349.

Alliaque infractis ſpicis & olentia late
Ulpica.

Et lib. xi. cap. 3. pag. 394. *Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longe majoris eſt incrementi quam allium .... habet velut allium plures cohærentes ſpicas,* &c.

6. *Inter pulmentaria.*] In moretis utuntur, inquit Gaza illud Theophraſti vertens αὐτὰ τοῖς μυττωτοῖς χρῶνται. Recte: eſt enim id pulmentarium ruris moretum, cui allium immixtum intritumque eſt: inde ei *alliato* nomen. Meminit Plautus in Moſtel. act. 1. ſc. 1. verſ. 44.

Tu tibi iſtos habeas, turtures, piſces, aves:
Sine me alliato fungi fortunas meas.

7. *Increſcat ſpuma.*] Hinc ἀφροσκόροδον, ut arbitror, alii apud Columellam vocant.

8. *Caſtellatimque grumulis.*] Caſtellatim idem fere quod acervatim, σωρηδόν. Grumulos, ſive cumulos ſpicarum allii ſeri jubet ita, ut cumuli multis in orbem conſtent granis: inter grana ſingula digiti unius intervallum ſit: ternûm pedum, inter cumulos ſingulos: qui cumuli ſic diſpoſiti caſtellorum ſpeciem quamdam referunt. Namque in limitibus Imperii ad finium cuſtodiam adverſus incurſiones hoſtium caſtella ſtatuebantur, aliquot inter ſe diſcreta paſſibus. Anonymus auctor, de rebus bellicis: *Eſt præterea inter commoda Reip. utilis limitum cura, ambientium abſque latus Imperii. Quorum tutela aſſidua melius caſtella proſpicient: ita ut millenis interjecta paſſibus ſtabili muro & firmiſſimis turribus erigantur,* &c. Uſus ea voce Livius, lib. 27. ubi *caſtellatim diſpoſitos circa collem* milites ait. Aliter ſeri præcipit Columella, loc. cit.

9. *Simul atque tria folia.*] Columella, lib. xi. cap. 3. *Cum ternas fibras emiſerunt ſpicæ, ſarriuntur: nam quo ſæpius id factum, majus ſemina capiunt incrementum.* Sic Palladius in Novembri, tit. 6.

10. *Matureſcentium.*] Columella, loc. cit. *Ante quam caulem faciant, omnem viridem ſuperficiem intorquere, & terram proſternere conveniet, quo vaſtiora capita fiant.*

11. *In frigidis.*] Vide Colum. loc. cit.

12. *Cetero, ut odore.*] Columella, loc. cit. *Sed quandocumque conſeremus ... ſervabimus ... ut Luna infra terram ſit: nam ſic ſata, & rurſus ſic recondita, exiſtimantur neque acerrimi ſaporis exſiſtere, neque mandentium halitus* *moderare.* Idem habet auctor Geopon. lib. 12. cap. 30. Ἄνευ μὲν δὲ ἱμ, &c. Palladius in Novembri, tit. 6.

13. *Sine his.*] Hoc eſt, citra hanc operam, ſive hac præceptione neglecta, quam proxime attulimus, ut ſint allia odoris expertia.

14. *Compitalia.*] In Calendario ruſtico apud Gruter. pag. 133. Compitalia, ſexto Nonas Maii; Saturnalia, decimo ſexto Calendas Januarii aſſignantur.

15. *Allium & ſemine.*] Theophr. lib. 7. hiſt. cap. 4.

16. *Primo enim.*] Theophr. loc. cit.

17. *Sequenti dividitur.*] Hoc eſt, diſcernitur in nucleos. γελγιοῦται.

18. *Pulcriuſque.*] Cum nihil ſit eo deterius, quidam tamen præſtantius putant, quam ſi deponatur, ſive plantetur: τῷ εἶδει χεῖρον· ἐνίοις γὰρ καὶ κάλλιον φασὶ τῶν φυτῶν.

19. *Satûs gratia.*] Nucleis enim ſerere ſatius eſt, quam ſemine.

20. *Allium eſt & in arvis.*] Illud eſſe arbitrantur, quod agreſte allium, & ὀφιοσκόροδον Galenus, lib. 8. de fac. ſimp.

ctum, ne renasci possit, abjicitur: statimque quæ devoravere aves, stupentes manu capiuntur: [21] & si paulum commovere, sopitæ. [22] Est & silvestre, quod ursinum vocant, odore molli, capite prætenui, foliis grandibus.

XXXV. [1] In horto satorum celerrime nascuntur ocimum, blitum, napus, eruca: tertio enim die erumpunt: anethum quarto, lactuca quinto, raphanus sexto, cucumis & cucurbitæ septimo, prior cucumis: nasturtium ac sinapi quinto, beta æstate sexto, hieme decimo: atriplex octavo, cæpe XIX. aut vigesimo, gethyum decimo, aut duodecimo. [2] Contumacius coriandrum. [3] Cunila quidem, & origanum post XXX. diem. Omnium autem difficillime apium: quadragesimo enim die cum celerrime, quinquagesimo majore ex parte emergit. (CAP. VII.)

[4] Aliquid & seminum ætas confert, quoniam recentiora maturius gignuntur, in porro, gethyo, cucumi, cucurbita: ex vetere autem celerius proveniunt apium, beta, cardamum, cunicula, origanum, coriandrum. Mirum in betæ semine: non enim totum eodem anno gignit, sed aliquid sequente, aliquid tertio. Itaque ex copia seminis modice nascitur. Quædam anno tantum suo pariunt, quædam sæpius, sicut apium, porrum, gethyum. Hæc enim semel sata pluribus annis [5] restibili fertilitate proveniunt.

XXXVI. [1] Semina plurimis rotunda, aliquibus oblonga, paucis foliacea & lata, ut atriplici. Quibusdam angusta & canaliculata, ut cumino. Differunt & colore, nigro candidoque: [2] item duritie surculacea. [3] In folliculo sunt, raphano, sinapi, rapo. [4] Nudum semen apii, coriandri, anethi, feniculi, cumini. [5] Cortice obducta bliti, betæ, atriplicis, ocimi. [6] At lactucis in lanugine. [7] Nihil ocimo fecundius: [8] cum maledictis ac probris serendum præcipiunt: [9] ut lætius proveniat, sato pavitur terra. [10] Et cuminum qui serunt, precantur ne exeat. [11] Quæ in cortice sunt, difficillime inarescunt, maximeque ocimum & git: [12] siccantur omnia, ac sunt fecunda. [13] Utique meliora nascuntur acervatim sato semine, quam sparso. Ita certe porrum & allium serunt [14] in lacinus colligatum. [15] Apium etiam paxillo caverna facta, ac fimo ingesto.

[16] Nascuntur autem omnia aut semine, aut [17] avulsione. [18] Quædam semine, & surculo: ut ruta, origanum, ocimum: præcidunt enim & hoc, cum pervênit ad palmum altitudinis. [19] Quædam & radice & semine, ut cæpa, allium, bulbi, [20] & si quorum ra-

NOTÆ.

med pag. 280. Diosc lib. 2. cap 182. aliique vocant. Nos suspicamur esse silvestre tenuifolium Dodonæi, pag 672. quale visum a nobis in Horto Regio.

21. *Etsi paulum commovere.*] Si ita satum aves ex vel paululum commoverint. Ita MSS. etsi fortasse rectius, *commoventur.*

22. *Est & silvestre.*] Allium silvestre latioris folii, sive Allium Ursinum Dodonæi, loc. cit. in prædicto etiam horto observatum a nobis.

Sect. XXXV. 1. *In horto satorum.*] Quæ hac sectione continentur, totidem fere verbis sunt in Theophrasti libro 7. hist. cap 1. Τάχιστα μὲν ὤκιμον, &c. Causas singulorum idem investigat, lib 4. de causis, cap 3. pag. 299.

2. *Contumacius.*] Difficilius, morosius Causam cur ægre proveniat, aperit Theophr. lib. 4. de causis, cap. 3.

3. *Cunila quidem.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 1. Θύμβρα δὲ καὶ ὀρίγανον.

4. *Aliquid & seminum.*] Theophr loc. cit. Apii vetus semen celerius nasci, novellum serius, scribit etiam Pallad lib. 5. in Aprili, tit. 3. pag 110.

5. *Restibili fertilitate.*] Assidua plurium annorum fertilitate. Διαμένει χρόνον πλείονα, καὶ ἀν᾽ ἔτος ἐκφέρει. Theophrast.

Sect. XXXVI. 1. *Semina plurimis.*] Hæc deinceps etiam Theophr. lib. 7. hist cap 2.

2. *Item duritie surculacea.*] Hoc est, lignosa, ut alibi monuimus. Theophr. lib. 7. hist cap. 3. Τὰ μὲν μέλανα, τὰ δὲ λευκότερα· καὶ τὰ μὲν ξυλώδη. Sic enim scripsisse eom oportet: etsi in libris vulgatis trajectione laborat hic locus.

3. *In folliculo.*] Quadruplex seminum genus distinguit: 1. quod in folliculis: 2. quod nudum: 3 quod obductum cortice: 4. quod lanugine continetur. Theophrastus, loc. cit. ἐλλοβοσπέρματα, ἢ γυμνοσπέρματα, ἢ ἐμφλοιοσπέρματα, ἢ [illegible] · Ῥάφανος μὲν γὰρ, καὶ [illegible], καὶ γογγυλὶς, ἐλλοβοσπέρματα, &c

4. *Nudum.*] Theophr. loc. cit. Γυμνοσπέρματα, quæ nec folliculo, nec vasculo continentur.

5. *Cortice.*] Theophr. loc. cit.

6. *At lactucis.*] [illegible] . Theophr.

7. *Nihil ocimo*] Vide Notas & Emend. num XV.

8. *Cum maledictis.*] Et hoc de cumino Theophr. lib. 7. hist. cap. 3. de ruta Palladius, lib 4. in Martio, tit. 9.

9. *Ut lætius*] Columella, lib. XI. cap 3. *Fere etiam his diebus ocima seruntur, quorum cum semen obrutum est diligenter inculcatur pavicula vel cylindro: nam si terram suspensam relinquas, plerumque corrumpitur.* Idem & in Horto repetit.

10. *Et cuminum.*] Theophr. lib. 9. cap. 9.

11. *Quæ in cortice.*] Δυσξηρότατα δὲ τὰ ἐμφλοιοσπέρματα, καὶ τούτων μάλιστα ὤκιμον. Theophr. lib. 7. hist cap 3.

12. *Siccantur . . . ac sunt fecunda.*] Hoc est, atque ita fiunt fecunda. Theophr [illegible]

13. *Utique meliora.*] Theophr Εἰς τὸ ἀθρόον [illegible] . . . [illegible]

14. *In lacinus.*] In linteolo. De apio Columella, lib XI. cap 3. *Quod si quis velit apium lati folii facere, quantum seminis possunt tres digiti comprehendere, raro linteolo illiget, & ita in areolas dispositum releget.*

15. *Apium etiam.*] Cum apium transfertur, adigi paxillum tam alte præcipiunt, quam apium fieri magnum placet. Quin etiam & apii semen panniculo exceptum, stercore terraque pleno, in cavernam paxillo jam antea reclusam dimitti. Sic Theophr. lib 7. hist. cap. 3 Plinius supra, lib. 17. sect. 27. *Palis laxato prius meatu:* & Columella, lib. 4. cap. 16. *prius paxillo perforato solo.*

16. *Nascuntur autem.*] Theophr. sic ista deinceps, lib. 7. hist. cap. 2.

17. *Avulsione.*] Avulsionem fieri nunc intellige, cum vel ramus e matre avulsus cum parte radicis aliqua, in terram depangitur, quod in brassica fieri Theophrastus admonet, loc cit. Φύεται δὲ πάντα [illegible]

18. *Quædam semine &c.*] Theophr loc. cit Ἀπὸ δὲ [illegible] Ramo feruntur, ruta, origanum, ocimum: transferunt enim & hoc, cum pervenit ad palmum, aut plus altitudinis, mediumque præcidunt Apud nos recusat ita provenire ocimum: novo quotannis semine nascitur: plantaque annua est: in Græcia, de qua Theophrastus hæc scripsit, diuturnior. Columella, lib. XI. cap 3. *Mense autem Februario, vel planta, vel semine ruta, &c.*

19. *Quædam & radice.*] Theophr loc cit.

20. *Et si quorum.*] Hoc est, & quorum radices longiori temporis spatio durant, quanquam annuo tantum caule constant. Sic enim Theophr. loc. cit. Φύεται δὲ καὶ εἴ τινων αἱ ῥίζαι διαμένουσιν ἐπὶ πλείονα χρόνον, ἐπετειόκαυλα ὄντα.

dicem anniferorum relinquunt. [21] Eorum vero quæ a radice nascuntur, radix diuturna & fruticosa est, ut bulbi, gethyi, scillæ. [22] Fruticant alia [23] & non capite, ut apium & beta. Caule reciso fere quidem omnia regerminant, [24] exceptis quæ non scabrum caulem habent: [25] & in usum vero ocimum, raphanus, lactuca. [26] Hanc etiam suaviorem putant a regerminatione. [27] Raphanus utique jucundior detractis foliis [28] antequam decaulescat. Hoc & in rapis. Nam & eadem direptis foliis cooperta terra crescunt, durantque in æstare.

XXXVII. [1] Singula genera sunt ocimo, lapatho, blito, nasturtio, erucæ, atriplici, coriandro, anetho. Hæc enim ubique eadem sunt, neque aliud alio melius usquam. [2] Rutam furtivam tantum provenire fertilius putant, [3] sicut apes furtivas pessime. Nascuntur etiam non sata, mentastrum, nepeta, intubum, pulegium. Contra, plura genera sunt eorum quæ diximus, dicemusque: & in primis apio. * Id enim quod sponte in humidis nascitur [4] helioselinum vocatur, uno folio, nec hirsutum. Rursus in siccis [5] hipposelinum, pluribus foliis, simile helioselino. Tertium est [6] oreoselinum, cicutæ foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tantum. [7] Et sativi autem differentiæ in folio denso, crispo, aut rariore [8] & leviore: Item caule tenuiore aut crassiore. [9] Et caulis aliorum candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius.

* Cap. VIII.

XXXVIII. [1] Lactucæ Græci tria fecere genera: unum lati caulis, [2] adeo ut ostiola olitoria ex his factitari prodiderint. [3] Folium his paulo majus herbaceo, & angustissimum, ut alibi consumpto incremento. Alterum rotundi caulis: [4] tertium sessile, quod Laconicon vocant. [5] Alii colore, & tempore satûs, genera discrevere. Esse enim nigras, quarum semen mense Januario feratur: albas, quarum Martio: rubentes, quarum Aprili. Et omnium earum plantas post binos menses deferri. Diligentiores plura genera faciunt: purpureas, crispas, [6] Cappadocas, Græcas. Longioris has folii, caulisque lati: præterea longi & angusti, intubi similis. Pessimum autem genus cum exprobratione amaritudinis appellavere [7] picrida. Est etiamnum alia distinctio atræ, [8] quæ meconis vocatur, a copia la-

NOTÆ.

21. *Eorum vero.*] Theophr. loc. cit. Fruticosa porro radix vocatur, quæ sub terra crescit ita, ut ad novam sobolem decerpi quotannis ex ea portio aliqua possit, ut alii nuclei sive spicæ.

22. *Fruticant alia.*] Theophr. Παραβλαστάνει δ' ἔνια καὶ τῶν μὴ κεφαλοῤῥιζῶν, χρονιώτερα δὲ, οἷον σέλινον καὶ τεῦτλον.

23. *Et non capite.*] Non radice fruticant, quam capitatam non habent: sed coma, quæ secta regerminat.

24. *Exceptis quæ.*] Πλὴν τῶν λειοκαύλων. Scilla tamen, apium, lapathumque, quæ sunt lævi caule, deciso caule sæpe regerminant.

25. *Et in usum.*] Manifestum vero hæc maxime regerminare caule reciso, quæ in usum quotidianum veniunt: cujusmodi sunt ocimum, raphanus, lactuca. In brassica Theophrastus, non in raphano, exemplum posuit: Ἐμφανέστατα δὲ αὐτὸ καὶ εἰς χρείαν, ὤκιμον, θρίδαξ, ῥάφανος.

26. *Hanc etiam.*] Theophr. loc. cit. Καὶ τὴν μὲν θρίδακα ἡδίω φασὶ τὰς παλιμβλαστεῖς εἶναι καυλάς. *Et lactuca quidem regerminatos caules suaviores esse affirmant.*

27. *Raphanus utique.*] Ut Plinium critici reprehendant, de raphano accepisse ea fingunt, quæ de brassica Theophrastus prodidit, loc. cit. atque omnia fœde miscuisse. Verum tam sunt affinia quæ Theophrastus, & quæ Plinius refert, quam ovis est ovo similis. Quæ de raphano rapisque nunc adstruuntur, sunt verissima, & ex alio fonte, quam ex Theophrasto, hausta.

28. *Antequam decaulescat.*] Sive caulescat. Nam idem est. Sic ἀποκαυλίζειν apud Græcos, & erumpere in caulem sonat: & simul est contrariæ significationis, quoniam ἀποκαυλεῖν etiam dicuntur ea, quorum caules marcescunt.

Sect. XXXVII. 1. *Singula genera.*] Theophr lib. 7. hist. c. 4.

2. *Rutam.*] Pallad. in Martio, tit. 9. pag. 90. *Hoc mense ruta seritur .... sed, ut asserunt, melius furtiva proveniet. Sub fici arboris umbra libentius acquiescit.*

3. *Sicut apes.*] Plinius, lib. XI. sect. 15. de apibus: *Et furem odere.*

4. *Helioselinum.*] Ἑλειοσέλινον, hoc est, Apium palustre, & Apium idem officinarum: Gallis, *Ache.* A Dodonæo pingitur, pag. 683. A paludibus nomen habet: Theophr. lib. 7. hist. cap. 6. Τὸ μὲν γὰρ ἑλειοσέλινον, τὸ παρὰ τὰς ὀχετοὺς, καὶ ἐν τοῖς ἕλεσι φυόμενον, μανόφυλλόν τε καὶ οὐ δασὺ γίνεται. *Paludapium enim, quod apud aquæductus, & in paludibus provenit, folio raro, nec hirsuto constat.* Ubi μανόφυλλον legisse perperam Plinium aiunt. Rectius multo Palladius, in Aprili, tit. 3. Theophrastum accurate interpretatus *heleoselinon molli folio, & caule tenero, quod nascitur in lacunis, & hipposelinon durius austeriusque* dixit.

5. *Hipposelinum.*] Theophr. loc. cit. Τὸ δ' ἱπποσέλινον, φύλλον μὲν ἐμφερὲς τῷ ἑλειοσελίνῳ· δασὺ δὲ καὶ μεγαλόκαυλον. Officinæ petroselinum Macedonicum vocant. Galli, *l'Alexandre.* Depingitur a Dodonæo, pag. 686. & a Lobelio in Observ. pag 406.

6. *Oreoselinum.*] Ὀρεοσέλινον, a locis montuosis, in quibus nascitur, nomen adeptum, Apium montanum: quod delineatur a Dodonæo, pag. 684. a Clusio, pag. CXCV. lib. 6. rarior plant. Pliniana hæc oreoselini descriptio etiam apud Theophrastum est, loc. cit. Anguillara, part. 7. pag. 123. existimat esse vulgare *Cerfoglio.*

7. *Et sativi autem.*] Apii videlicet hortensis, quod vulgo *Persil* dicimus, seu petroselinum. Iconem apud Dodonæum vide, pag 682. Aliud crispum, latifolium aliud in horto Regio vidimus.

8. *Et leviore.*] Vide Notas & Emend. num. XVI.

9. *Et caulis aliorum.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 4. de generibus apii: Τὸ μὲν γὰρ λευκόκαυλον, τὸ δὲ πορφυρόκαυλον, τὸ δὲ ποικιλόκαυλον.

Sect. XXXVIII. 1. *Lactucæ Græci.*] Theophr loc. cit. Candidæ lactucæ, quæ dulcior teneriorque est, tria hæc esse genera admonet: Γένη δὲ λευκῆς ἐστιν ἄλλα τρία· τὸ τε πλατύκαυλον, καὶ στρογγυλόκαυλον, καὶ τρίτον Λακωνικόν. *Des Laitues.*

2. *Adeo ut ostiola.*] Theophr. loc. cit. Τῶν δὲ πλατυκαύλων ἔνιοι πλατύκαυλοι γίνονται, ὥστε τινάς φασι καὶ θύραις χρῆσθαι κηπευτικαῖς. *Inter latas lactucas quasdam adeo laticaules fieri, ut pro valvis hortorum his nonnulli utantur.*

3. *Folium his.*] His, inquit, candidis lati caulis lactucis folium oblongius est, quam herbaceis, seu viridioribus: idemque angustum, consumpto alibi, nempe in caulem, nutrimento. Et hic multi falso Plinium coarguunt, quos refellere nec otium fert, nec ingenium.

4. *Tertium sessile.*] Sessilis lactuca dicitur, quæ in altum non assurgit, nec in caulem crescit: sed in latitudinem potius, & in plano se spargit. Græci χαμαίζηλον vocant. Sunt qui sessilem vocent, quam alii capitatam appellant, *Laitue pommée*, sed errore illi ducti haud sane levi. *Sessiles lactucas* Martialis quoque commendat, inter beati copias ruris, lib. 3. Epigr. 47.

5. *Alii colore.*] Apud Columellam hæc multo uberius tractata, lib. XI. cap. 3. atque etiam in Hortulo, lib. 10. numeris elegantibus, pag. 351.

Altera crebra viret, fusco nitet altera crine, &c.

6. *Cappadocas.*] Viles Cappadocæ, Martiali lib. 5. Epigr. 79. Columella, in Hortulo, pag. 351.

Tertia, quæ spisso, sed puro vertice pallet,
Hæc sua Cappadocæ servat cognomina gentis.

Et lib. XI. cap. 3. pag. 396. *Cappadocia, quæ pallido, & pexo, densoque folio viret, &c.*

7. *Picrida.*] Est enim πικρίζειν Græcis *amarescere.* Exodi cap 12. Φάγονται τὰ κρέα τῇ νυκτὶ ταύτῃ ὀπτὰ πυρί, καὶ ἄζυμα ἐπὶ πικρίδων ἔδονται. Vulgata: *Edent carnes hac nocte assas igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus.* Vide quæ diximus lib. 8. sect. 41.

8. *Quæ meconis.*] Diximus de ea lib. 20. sect. 26.

ctis soporiferi, quanquam omnes [9] somnum parere creduntur. Apud antiquos Italiæ hoc solum genus earum fuit, [10] & ideo lactucæ nomen adeptæ. Purpuream maximæ radicis, [11] Cæcilianam vocant. Rotundam vero ac minima radice, latis foliis, [12] astyrida: quidamque eunuchion, quoniam hæc maxime refragetur [13] Veneri. [14] Est quidem natura omnibus refrigeratrix, & ideo æstate gratæ stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. Divus certe Augustus lactuca conservatus [15] in ægritudine fertur prudentia [16] Musæ medici, [17] cum prioris Camelii religio nimia eam negaret: in tantum recepta commendatione, [18] ut servari etiam in alienos menses eas oxymelite repertum sit. Sanguinem quoque augere creduntur. Est etiamnum, quæ vocatur caprina lactuca, [19] de qua dicemus inter medicas. Et ecce cum maxime cœpit irrepere sativis admodum probata, quæ Cilicia vocatur, folio Cappadocæ, nisi crispum latiusque esset.

XXXIX. Neque ex eodem genere possunt dici, neque ex alio [1] intubi, hiemis patientiores, virusque præferentes, sed caule non minus grati. Seruntur verno plantæ eorum: ultimo vere transferuntur. [2] Est & erraticum intubum, quod in Ægypto cichorium vocant, [3] de quo plura alias. Iuventum [4] omnes thyrsos, vel folia lactucarum, prorogare urceis conditos, ac recentes in patinis coquere.

[5] Seruntur lactucæ anno toto lætis & riguis, stercoratisque, binis mensibus inter semen, plantamque, & maturitatem. Legitimum tamen, a bruma semen jacere, plantam Favonio transferre: aut semen Favonio, plantam æquinoctio verno. Albæ maxime hiemem tolerant. Humore omnia hortensia gaudent, & stercore præcipue lactucæ, & magis intubi. [6] Seri etiam radices illitas fimo interest, [7] & repleri ablaqueata humo. Quidam & aliter amplitudinem augent: recisis, cum ad semipedem excreverint, fimoque suillo recenti illitis. [8] Candorem verno putant contingere iis dumtaxat quæ sint seminis albi, si arena de litore a primo incremento congeratur in medias, atque increscentia folia contra ipsas religentur.

XL. Beta hortensiorum levissima est. [1] Ejus quoque a colore duo genera Græci faciunt, nigrum, & candidius, quod præferunt, parcissimi seminis: appellantque Siculum, candoris sane discrimine præferentes & lactucam. Nostri betæ genera faciunt, vernum & autumnale, a temporibus satûs, quanquam & Junio seritur. Transferuntur autem in planta hæ quoque, & oblini fimo radices suas, locumque similiter madidum amant. Usus iis & cum lente ac faba, idemque qui oleris: & præcipuus, ut lenitas excitetur acrimonia sinapis. [2] Medici nocentiorem [3] quam olus, esse judicavere. Quamobrem appositas non memini: degustare etiam religio est, ut validis potius in cibo sint. Gemina iis natura, &

NOTÆ.

9. *Somnum parere.*] Diosc. lib. 2. cap. 165. & 166. sativam, silvestremque lactucam *ὑπνωτικὴν* esse pariter admonet. Galenus lib. 2. de alim. facult. cap. 40 pag. 359 tomo 5 lactucam vespere commanducatam fuisse sibi adversus vigilias remedio singulari prodit.

10. *Et ideo lactuca*] Quod abundantia lactis exuberent, inquit Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 14. pag. 44.

11. *Cæcilianam.*] *Cæcilia de nomine dicta Metelli*, ut canit in Hortulo Columella. pag 351. ejus nimirum, qui primo Punico bello Romæ Consulatum gessit, anno Urbis DIII.

12. *Astytida.*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

13. *Veneri*] Genituræ profluvium cohibere, auctor est Galenus, loco mox citando. Vide & Marcellum, cap. 33. pag 228.

14. *Est quidem natura.*] Diosc. lib. 2. cap. 165. Galenus lib 6. de facult simpl medic pag. 178. & alii.

15 *In ægritudine.*] Idcirco lactuca Columellæ dicitur ea esse,

Tristia quæ relevet longi fastidia morbi.

In Hortulo, pag. 352 Incidit in morbum eum Augustus, anno V. C. DCCXXXI ipso undecimum, Calpurnio Pisone Coss ut quidem Dio ponit, lib. 53. pag. 517. & Sueton. in Aug. cap 81.

16. *Musæ medici.*] Fuit is Antonius Musa, cui idcirco statuam ære collato, juxta signum Æsculapii plebs statuit, ut auctor est Tranquillus in Augusto, cap 59. Exstat hujus libellus, de herba Vettonica, cum notis Humelbergii. De eo rursum dicemus lib. 29. sect 5.

17. *Cum prioris Camelii.*] Prioris medici, quo usus ante Musam Augustus, fuisse id nomen videtur. Vide Notas & Emend. num. XVIII.

18. *Ut servari.*] Muria condiri solitas auctor est Diosc. loc. cit. De usu lactucæ in mensis veterum Martialis, lib. 3. Epigr

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes?

19. *De qua dicemus.*] Libro 20. sect. 24.

Sect. XXXIX. 1. *Intubi.*] Intybus sativa, sive Endivia vulgaris, a Dodonæo pingitur, pag. 623. Cichorium hortense vulgus appellat. De hoc Columella, lib. 11. cap 3. *Eadem est ratio etiam intybi, nisi quod hiemem magis sustinet: ideoque vel frigidis regionibus autumno seri potest.*

2. *Est & erraticum.*] Erratica dicuntur, quæ sua sponte nata, omni humano cultu carent, nullaque olitoris lege coercita, libere vagantur & errant.

3. *De quo plura alias.*] Libro 20. sect. 29. & lib. 21. sect. 52.

4. *Omnes thyrsos.*] Caules, qui in virgulæ modum, seu teli rectitudinem consurgunt, thyrsi nomen sibi vindicant. Hos itaque urceis conditos in alienos quoque menses prorogabant, viridesque servabant: extractosque urceis quasi recentes percoquebant. Vide quæ de brassica dicenda sunt, sect. 41. num. 3 ac de ferulæ semine, sect. 56.

5. *Seruntur lactucæ.*] Palladius, lib. 2. in Januar. tit. 14. pag. 43. *Mense Januario lactuca serenda est, vel Decembri, ut planta ejus Februario seratur, ut possis Aprili mense transferre. Sed certum est eam toto anno bene seri, si locus sit lætus, stercoratus, irriguus.*

6. *Seri etiam.*] Pallad. loc. cit. *Antequam pangantur, radices ejus resecemus æqualiter, & liquido fimo linamus: vel quæ jam pactæ sunt, undatæ lætamen accipiant.*

7. *Et repleri.*] Fimo videlicet, sive lætamine, ut Palladius vocat.

8. *Candorem vero.*] Pallad. loc. cit. *Candidæ fieri putantur, si fluminis arena, vel litoris, frequenter spargatur in medias, & collectis ipsæ foliis alligentur.*

Sect. XL. 1. *Ejus quoque.*] Theophr. lib. 7. hist. cap 4. *Inter betas*, inquit, *candida sapore præstat nigra, & paucioris est seminis: hanc Siculam quidam appellarunt. Pari modo in genere lactucarum candida dulcior atque tenerior est.* Εὐχυλότερος δὲ ὁ τεῦτλος ὁ λευκὸς τοῦ μέλανος, καὶ ὀλιγοσπερμότερος, ὃ καλοῦσί τινες Σικελικόν· ὥσπερ καὶ τῆς θριδακίνης ἡ λευκὴ γλυκυτέρα καὶ ἁπαλωτέρα. Gallis, *de la Poirée, ou Bete*: Carnosæ foliorum partes in cibis familiares, *des Cardes de poirée.* In officinis vetere retento nomine, Beta alba Sicla nominatur.

2. *Medici nocentiorem.*] Galenus quidem, lib 2. de alim. facult cap. 43 tomo 6. pag. 360. stomacho noxiam ait esse, si largius sumatur.

3. *Quam olus*] Hoc est, brassicam. Tamen melioris succi esse betam, quam brassicam, ac magis alere, auctor est Di-

oleris, [4] & capite ipso exsilientis bulbi: [5] species summa in latitudine. [6] Ea contingit, ut in lactucis, cum cœperint colorem trahere, imposito levi pondere. Neque alii hortensiorum latitudo major. In binos pedes aliquando se pandunt, multum & soli natura conferente. Hæ quidem in Circeïensi agro amplissimæ proveniunt. [7] Sunt qui betas Punica 5 malo florente optime seri existiment: transferri autem, cum quinque foliorum esse cœperint. [8] Mira differentia, si vera est, candidis solvi alvos modice, nigris inhiberi. Et cum brassica corrumpatur in dolio vini sapor, odore betæ foliis demersis restitui.

XLI. 1. Olus caulesque, quibus nunc principatus hortorum, apud Græcos in honore fuisse non reperio. [1] Sed Cato brassicæ miras canit laudes, quas in medendi loco redde- 10 mus. [2] Genera ejus facit tria: unam extentis foliis caule magno: alteram crispo folio, quam [3] apianam vocat: tertiam minutis caulibus, lenem, teneram, minimeque probat. Brassica toto anno seritur, quoniam & toto secatur. Utilissime tamen ab æquinoctio autumni: [4] transferturque, cum quinque foliorum est. [5] Cymas a prima sectione præstat proximo vere. Hic est quidam ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, [6] Apicii 15 luxuriæ, & per eum Druso Cæsari fastiditus, non sine castigatione Tiberii patris. Post cymam ex eadem brassica contingunt æstivi autumnalesque cauliculi, mox hiberni, iterumque cymæ, nullo æque genere multifero, donec sua fertilitate consumatur. [7] Tertia circa solstitium: ex qua si humidior locus est, æstate: si siccior, autumno plantatur. Humor fimusque si defuere, major saporis gratia est: si abundavere, lætior fertilitas. Fimum asininum 20 maxime convenit.

2. Est hæc quoque res inter opera ganeæ: quapropter non pigebit verbosius persequi. Præcipuus fit caulis sapore ac magnitudine, primum omnium si in repastinato seras: dein si terram fugientes cauliculos seces, a terraque attollentes se proceritate luxuriosa [8] exaggerando aliam accumules, ita ne plus quam cacumen emineat. Tritianum hoc genus vo- 25 catur, bis computabili impendio, tædioque.

3. Cetera genera complura sunt. [9] Cumanum sessili folio, capite patulum. [10] Aricinum altitudine non excelsius, folio numerosius, quam tenuius. Hoc utilissimum existimatur, quia sub omnibus pæne foliis fruticat cauliculis peculiaribus. [11] Pompeïanum procerius, caule ab radice tenui, intra folia crassescit. Rariora hæc angustioraque: sed te-

NOTÆ.

philus Siphnius medicus apud Athen. lib. 9 pag. 371. Δίφιλος δ' ὁ Σίφνιος τὸ σεῦτλόν φησι ἀγαθώτερον εἶναι τῆς κράμβης, καὶ θρεπτικώτερον. Et sane Pliniani codices MSS. hoc loco *innocentiorem* exhibent: sed *nocentiorem* legi sententia poscere videtur.

4. *Et capite ipso.*] Radicis capite in quo est aliqua similitudo bulbi.

5. *Species summa.*] Jo Priapeus:

Nec hortus educat latas meus betas

6. *Ea contingit.*] Imposito lapillo latiore, aut testa fictili, quo ponderculo cohibitam betam in latum se distendere, candoremque contrahere Sotion asseverat, in Geopon. lib. 12. cap 15.

7. *Sunt qui betas.*] Columella, lib. XI. cap. 3. *Beta florenti Punico malo semine obruitur, & simul atque quinque foliorum est, ut brassica differtur æstate, si riguus est hortus: at si siccaneus, autumno, cum jam pluviæ incesserint, disponi debebit*

8 *Mira differentia.*] Habet quiddam simile Diphilus Siphnius, loc. cit. cum ait, alvos candida beta magis solvi: nigra vehementius urinas cieri: εὐεκκριτώτερον δὲ τὸ λευκόν, τὸ δὲ μέλαν οὐρητικώτερον. Sed aperte Diocles Carystius apud eumdem Athen. lib. 3 pag. 110. hoc discrimen agnoscit: betam candidam egestionem irritare: nigram, cohibere: τεῦτλον τὸ λευκὸν ὑπάγειν τὴν κοιλίαν· τὸ δὲ μέλαν καθεκτικὸν εἶναι σκληρότερον. Ita & Dioscorides, lib. 2. cap 249.

Sect. XLI. 1. *Sed Cato.*] Libro de re rust. cap. 156. & 157.

2 *Genera ejus facit*] Cap. 156. pag. 83. *Nunc uti cognoscas naturam earum: prima est levis, quæ nominatur λεία, grandibus & latis foliis, caule magno: validam hæc habet naturam, & vim magnam habet. Altera est crispa, apiacon vocatur: hæc est natura & aspectu bona: ad curationem validior est quam quæ supra scripta est. Item est tertia, quæ lenis vocatur,* (vet. cod. Meursii, & editio Aldi, *quæ κράμβη,*) *minutis caulibus, tenera,* (vet cod. & Ald. *tenuioribus foliis*) *& acerrima omnium est istarum, tenui succo vehementissima.*

3. *Apianam.*] Ita Reg cod. At Colb. Th. & Chiffl. *Apiacam* Σελινοειδῆ a Catone vocatur, cap 157. ob similitudinem apii. Foliorum densitate & crispitudine hæc brassicæ cum apio similitudo constat. Est Dodonæi brassica selinoides, pag. 611. *Choux frisez.*

4. *Transfertur cum quinque.*] Colum lib XI. cap 3. pag. 395. *Brassica cum VI. foliorum erit, transferri debet, &c.*

5. *Cymas*] Cymæ quidam sunt scaporum delicatiores, ut Plinius ait, teneriores que cauliculi. Namque ubi vernum tempus appetit, primo quoque foliorum pullulatu, præclusis adhuc florum calycibus, quosdam quasi turiones olus subministrat, in quibus floris primum, mox seminis fetus concluditur. Græci κύημα quasi partum dicunt, teste Galeno. L. 2. de alim fac. c. 58 p. 365. & contracte κῦμα, ducta felici translatione a ventrem ferentibus feminis ad brassicam, quæ ineunte vere turgens succo, & plurimum cymosa sobole gravida, cauliculos enititur. Cyma porro licet muliebri sexu frequentius soleat usurpari, nonnumquam genere neutro Græcorum imitatione legitur, ut apud Columellam, carmine quod hortorum cultus nuncupavit, lib. 10. pag. 350.

Frigoribus caules, & veri cymata mittit.

Tamen idem & cymam vocat, lib. XI. cap. 3. pag. 395. & lib. 12. cap. 7 pag. 416.

6. *Apicii.*] De eo diximus lib. 8. sect. 77. Est & alter Apicius, cujus libri exstant, de obsoniis & condimentis, sive de arte coquinaria: cymas & coliculos condiendi modum is edocet, lib 3. cap. 9. De his Martialis quoque, lib. 5. Epigr. 79. inter cœnæ fercula:

Ponetur digitis tenendus unctis
Nigra cauliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum.

7. *Tertia circa.*] Nempe tertia cyma.

8. *Exaggerando aliam.*] Terram aggerando, ac circumfundendo.

9. *Cumanum.*] Brassicarum hæc genera, aliaque commemorat Columella, lib. 10. qui de cultu hortorum agit, pag. 350.

Quæ pariunt veteres cæsposo litore Cumæ,
Quæ dulces Pompeia palus vicina salinis
Herculeis, vitreoque Siler qui defluit amni:
Quæ duri præbent cymosa stirpe Sabelli,
Et Turrilacus, & pomosi Tiberis arva,
Brutia quæ tellus, & mater Aricia porri.

Et nostra ætas non pauciora quoque observat, forma vel colore dispari. In horto Regio amplius vicena notata a nobis. Cumanam brassicam, sive rubram, a Dodonæo delineatam, pag 610. Galli vocant *Chou rouge.*

10 *Aricinum.*] Ab Aricino agro, de quo lib. 3. sect. 9.

11. *Pompeianum*] A Pompeiis, Campaniæ oppido, de quo lib 3. sect 9. uti ex Columella mox vidimus. Videtur hæc Dodonæo, pag. 613. brassica cauliflora, *Choux fleurs.* Sed peregrina hæc Italiæ est: semenque optimum caulifloræ Alepo Syriæ oppido asportatur, diligenterque coli vult, aut a propria laude degenerat.

neritas in dote, si frigora non tolerat: quibus etiam aluntur [12] Brutiani, prægrandes foliis, caule tenues, sapore acuti. [13] Sabellico usque in admirationem crispa sunt folia, quorum crassitudo caulem ipsum extenuat: sed dulcissimi perhibentur ex omnibus. Nuper subiere [14] Lacuturres ex convalle Aricina, ubi quondam fuit lacus, turrisque quæ remanet: capite prægrandes, folio innumeri: alii in orbem porrecti, alii in latitudinem torosi. Nec 5 plus ullis capitis post Tritianum, cui pedale aliquando conspicitur, & cyma nullis serior. Cuicumque autem generi [15] pruinæ plurimum suavitatis conferunt: & nisi [16] obliquo vulnere defendatur medulla, plurimum nocent. Semini destinati non secantur. Est etiam sua gratia numquam plantæ habitum excellentibus: [17] halmyridia vocant, quoniam nisi in maritimis non proveniunt, navigatione quoque longinqua viridibus asservatis. Statim de- 10 secti ita ne humum attingant, in cados olei quam proxime siccatos obturatosque conduntur, omni spiritu excluso. [18] Sunt qui plantam in transferendo alga subdita pediculo, nitrove trito, quod tribus digitis capiatur, celeriorem ad maturitatem fieri putent. [19] Sunt qui semen trifolii nitrumque simul tritum aspergant foliis. [20] Nitrum in coquendo etiam viriditatem custodit: aut Apiciana coctura, oleo ac sale, priusquam coquantur, maceratis. 15 Est inter herbas genus inserendi, præcisis germinibus caulis, & in medullam semine ex aliis addito. Hoc & in cucumere silvestri. Nec non olus quoque silvestre est trium foliorum, Divi Julii carminibus præcipue jocisque militaribus celebratum: alternis quippe versibus exprobravere [21] lapsana se vixisse apud Dyrrachium, præmiorum parcimoniam cavillantes: est autem id cyma silvestris. 20

XLII. Omnium hortensiorum lautissima cura [1] asparagis. De origine eorum in silvestribus curis [2] abunde dictum, & quomodo eos juberet Cato in arundinetis seri. Est & aliud genus incultius asparago, mitius corruda, passim etiam montibus nascens, refertis superioris Germaniæ campis, non inficeto Tiberii Cæsaris dicto, herbam ibi quamdam nasci simillimam asparago. Nam quod [3] in Neside Campaniæ insula sponte nascitur, lon- 25 ge optimum existimatur. [4] Hortensium seritur [5] spongiis: est enim plurimæ radicis, altissimeque germinat. Viret thyrso primum emicante: qui caulem educens, tempore ipso fastigatus [6] in toros striatur. Potest & semine seri.

Nihil diligentius comprehendit [7] Cato, novissimumque libri est, ut appareat repentinam ac novitiam viro curam fuisse. Locum subigi jubet humidum & crassum: [8] semipe- 30

NOTÆ.

12. *Brutiani.*] Frigoribus, inquit, Brutii agri caules aluntur.

13. *Sabellico.*] Huic generi a Sabellis nomen, qua de gente egimus lib. 3. sect. 17. Crispa Dodonæi brassica, pag. 611. Lobelio in Observ. pag. 124. fimbriata: *Chou crespu.*

14. *Lacuturres.*] Et hoc genus Columellæ superius memoratum vidimus. Ruellius, lib. 2. pag. 360. hos esse putat, quos vulgaris sermo noster *Choux cabus*, quasi capitulatus appellat, quoniam in capitis formam extuberant.

15. *Pruinæ.*] *La gelée, gelée blanche.*

16. *Obliquo vulnere.*] Cum secantur.

17. *Halmyridia.*] Meminit Eudemus Atheniensis, in libro de oleribus, laudatus ab Athen. lib. 9. pag 369 brassicæ illius quam *ἁλμυρίδα* vocant. Brassica marina ea est, quam Lobelius delineat, describitque, in Adversariis, pag 92. Locis Angliæ maritimis nascitur: vidimus & in horto Regio. Italis *Soldanella*, teste Anguillara, part. 7. pag. 113.

18. *Sunt qui plantam.*] Colum. lib 11. cap. 3. pag. 395. *Brassica, cum sex foliorum erit, transferri debet, ita ut radix ejus liquido fimo prius illita, & involuta tribus algæ taeniolis pangatur: hæc enim res efficit, ut in coctura celerius madescat, & viridem colorem sine nitro conservet.* Refert id quoque Palladius ex Colum. lib. 3 in Febr. tit. 24.

19. *Sunt qui semen.*] Ad celeriorem scilicet maturitatem promovendam.

20. *Nitrum incoquendo.*] Apicius, lib. 3 cap. 1. *Omne olus smaragdinum fiet, si cum nitro coquatur.* Pallad. loc. cit *Celerius coquitur virore servato, si dum est trium vel quatuor foliorum, nitrum tritum cribello desuper spargas, ut speciem pruinæ candentis imitetur.* Sic totidem fere verbis auctor Geopon. lib. 12. cap. 17. Et Martialis, lib. 13. Epigr. 17. cui lemma *Coliculi.*

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

21. *Lapsana.*] Diosc. lib. 2. cap. 142. *Λαμψάνη* dicitur olus silvestre, cujus folia caulesque in cibo coquuntur: *λαμψάνη ἐστὶ λάχανον ... οὗ τὰ φύλλα καὶ ὁ καυλὸς ἑψητὰ ἐσθίεται.* Dionys. Exig. in vita S. Pacomii, cap. VIII. *Lapsanas enim, id est, agrestia olera, & herbas alias præter oleum consueverant dare.* Porro præter id olus, quod trium foliorum fuisse Plinius ait, & cymam silvestrem, aliud in cibis Cæsariani milites adhibuerunt: radicem nimirum edulem, pani conficiendo idoneam, cujusmodi lapsanæ radix non est, tenuis & lignosa. Hanc radicem Cæsar ipse lib. 3. de bello Civili, *charam* vocat. *Est etiam genus radicis*, inquit, *inventum ab iis qui fuerant cum Valerio, quod appellatur chara, quod admixtum lacte multum inopiam levabat. Id ad similitudinem panis efficiebant: ejus erat magna copia. Ex hoc effectos panes, cum in colloquiis Pompeiani famem nostram objectarent.* &c. Suetonius in Julio, cap. 68. *Dyrrachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, cum feris sibi rem esse dixit.* Diceret fortean *ex radice* commodius: quanquam & eo verbo utitur Appian lib. 2. bell. Civil. pag. 465. idipsum narrans, *ῥίζαν πόας ἀρτοποιοῦν.* Ea nobis videtur esse pastinaca Gallica, quam Diosc. in Nothis, pag. 454 ab aliis *αἴγυς*, a Romanis *καρότα* vocitari tradit: quo nomine etiamnum vulgo nota. Insigniter errant, qui hoc trium foliorum olus, de quo nunc agitur, aut cum armoracia confundunt, de qua sect. 26. quæ fronde copiosa est, aut cum eo genere pastinacæ, quod pariter *πολύφυλλον.*

Sect. XLII. 1. *Asparagis.*] Græc *ἀσπάραγος* & *ἀσφάραγος* dicunt. Nostri, *Asperge.* Apud Dodonæum iconem vide, pag. 691. asparagi hortensis.

2. *Abunde dictum.*] Libro 16. sect. 67.

3. *In Neside.*] Meminit hujus insulæ Seneca, epist. 53. pag. 168. Cicero quoque lib. 16. Epist. ad Attic. 1. statim initio. Hodie *Nisita*, haud procul Puteolis. Vide Cluver. Ital. antiq. pag 1167.

4. *Hortensium.*] Genus subintellige, quod alii hortense vocant.

5. *Spongiis.*] Radicibus. Palladius, lib. 4. in Martio, tit. 9. pag. 89. *Hoc mense asparagos seremus, circa Aprilis Cal. Sed expeditior ratio est, si asparagorum spongias ponas, quæ cito fructum ministrent. Hæc sic fient: Semina asparagi quanta tribus digitis comprehendere possis, post Idus Febr. pingui & stercorato solo in singulis fossis ponis, & leviter obruis. His coeuntibus, radix connexa nascetur, quæ appellatur Spongia:* &c. Implicatas radices, quæ quasi unitatem faciunt, sic illigatas, atque connexas, olitores spongias vocant, inquit Colum. lib. 11. pag. 3.

6. *In toros.*] Toros appellat, ut quidem videtur, spicam asparagi maxime cibis expetitam: hæc caro, hæc pulpa asparagi est.

7. *Cato.*] Libro de re rust. cap. 161 pag. 90. ea exstant, quæ Plinius hoc loco refert, ad ea usque verba, *Nec quicquam postea sematum* &c.

8. *Semipedali.*] Cato: *Cum areas deformabis hoc est, delineabis, intervallum facito inter eas semipedem latum in omnes partes, deinde serito.*

dali undique intervallo seri, ne calcetur. [9] Præterea ad lineam grana bina aut terna paxillo demitti: videlicet semine tum tantum serebantur: id fieri secundum æquinoctium vernum. Stercore satiari, crebro purgari, caveri ne cum herbis evellatur asparagus. Primo anno stramento ab hieme protegi: vere aperiri, sarriri, runcari: [10] tertio incendi verno. Quo maturius incensus est, hoc melius provenit. Itaque arundinetis maxime convenit, [11] quæ festinant incendi. Sarriri jubet idem, non antequam asparagus natus fuerit, ne in sarriendo radices vexentur. Ex eo velli asparagum ab radice: nam si destringatur, stirpescere, & intermori. Velli, donec in semen eat. [12] Id autem maturescere ad ver, incendique: ac rursus, cum apparuerit asparagus, sarriri ac stercorari. Ac post annos novem, cum jam vetus sit, digeri subacto solo stercoratoque. [13] Tum spongiis seri, singulorum pedum intervallo. Quin & ovillo fimo nominatim uti, quoniam aliud herbas creet. Nec quidquam postea tentatum utilius apparuit, [14] nisi quod circa Idus Februarii defosso semine acervatim parvulis scrobibus serunt, plurimum maceratum fimo. Dein nexis inter se radicibus spongias factas post æquinoctium autumni disponunt pedalibus intervallis, fertilitate in denos annos durante. Nullum gratius his solum quam [15] Ravennatium hortorum.

[16] Indicavimus & corrudam. Hunc enim intelligo silvestrem asparagum, quem [17] Græci hormenum, aut [18] myacanthon vocant, aliusve nominibus. [19] Invenio nasci & arietis cornibus tusis atque defossis.

XLIII. Poterant videri dicta omnia quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore dicenda. Certum est quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipue, [1] sestertiûm sena millia e parvis reddere areis: quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes consciæ. [2] Carduos ergo duobus modis serunt: autumno planta, & semine ante Nonas Martias: plantæque ex eo disponuntur ante Idus Novembris, aut in locis frigidis circa Favonium. [3] Stercorantur etiam, si diis placet, lætiusque proveniunt: condiunturque aceto melle diluto, addita laseris radice, & cumini, ne quis dies sine carduo sit.

XLIV. Cetera in transcursu dici possunt. [1] Ocimum Parilibus optime seri ferunt: [2] quidam & autumno: jubentque, cum hieme feratur, aceto semen perfundi. [3] Eruca quoque & nasturtium, vel æstate vel hieme facillime nascuntur. Eruca præcipue frigorum [4] contemptrix, diversæ est, quam lactuca, naturæ, concitatrix Veneris: idcirco [5] jungitur illi

NOTÆ.

9. *Præterea ad lineam.*] Cato, loc. cit. *Ad lineam palo grana bina aut terna demittito.* Sic Pallad. loc. cit & Didymus in Geopon. lib. 12. cap. 18 pag. 340

10. *Tertio.*] Cato: *Post annum tertium quam severis, incendito vere primo*

11. *Quæ festinant incendi*] Plinius, lib. 17. sect 47. *Nec non ignis aliquid prodest, ut arundini: ambusta namque densior mitiorque surgit.*

12 *Id autem, ... ad ver.*] At Cato maturum id fieri ad autumnum dixit, ut quidem videtur, rectius, ita rerum natura exigente.

13. *Tum spongiis.*] Hoc est; radicibus, ut ante monuimus. Cato: *Deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas: intervallum sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi.*

14. *Nisi quod circa Idus.*] Columella, & Pallad. locis citatis.

15. *Ravennatium.*] Vel silvestribus tamen asparagis cedere hos innuit Martialis in Xeniis, lib. 13. Epigr. 21. cui titulus, *Asparagi*:

Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Sativus, inquit, asparagus, non erit silvestri gratior. *In totum spina est asparagus*, inquit Plinius, lib. 21. sect 54

16. *Indicavimus.*] Tum lib. 16 sect 67. tum etiam libri hujus sect. 19. Corruda porro silvestris asparagus est, foliis acutis, qualis a Clusio depingitur, lib 5. rarior plant. cap. 60 pag. CLXXVII Hanc toto Castellæ Granatensique regno nasci prodit: nos hic in horto Regio vidimus. Sed & sativum asparagum a rusticis corrudam appellari Columella est auctor, lib 11. cap 3.

17. *Græci hormenum.*] Apud Hesych. Ὄρμενος legitur. Ὄρμενος, inquit, ὄνομα κύριον, καὶ πόλις Θετταλίας .... οἱ δὲ τὸν ἄγριον ἀσπάραγον Julius Pollux, lib 6 cap. 9. non silvestrem, sed sativum asparagum ὄρμενον vocari scribit: nimirum ut corrudæ apud Latinos, sic apud Græcos ὀρμένου communis utrique generi appellatio fuit.

18. *Myacanthon.*] Quasi muris spinam Diosc. lib. 2. cap. 152. Ἀσπάραγος πετραῖος, ὃν μυάκανθον καλοῦσι. Galenus lib. 6. de facult. simpl. med. pag. 160 Ἀσπάραγος πετραῖος ἢ μυακάνθινος.

19. *Invenio.*] Nempe apud auctores haud sane satis idoneos, quorum fidem hac in parte Dioscorides elevat, loc. cit. quamvis suffragari iis videatur Didymus in Geopon. lib. 12. cap. 18 pag 340.

Sect. XLIII. 1. *Sestertiûm sena millia.*] Quæ monetæ nostræ Gallicæ efficiunt libras sexcentas

2. *Carduos ergo.*] Eos intellige, quorum e genere scolymus est, uti ex oratione Plinii liquet, lib. 20. sect. 99. ubi de carduorum medicinis agit, quorum nunc tempora satûs explanat, 10 primisque Scolymi, *l'Artichaut*, quam Latini cinaram quoque appellarunt Nam quæ de carduorum satu nunc afferuntur a Plinio, eadem ferme retulit Columella de cinara, lib. 11. cap 3. *Cinaræ sobolem*, inquit, *melius per autumni æquinoctium disponemus: semen commodius circa Calendas Martis seremus, ejusque plantam circa Calendas Novembres deprimemus, & multo cinere stercorabimus. id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.* Est & cinara spinosa, quæ Matthiolo in lib 3. Diosc. pag. 667. carduus aculeatus dicitur, *Cardon d'Espagne*

3 *Stercorantur.*] Pallad lib 4 in Martio, tit. 9 pag 87. *Terram stercoratam & solutam diligit carduus, quamvis in pingui possit melius provenire.*

Sect XLIV. 1. *Ocimum.*] Basilicum Lobelio dictum, in Advers pag. 215. & Gallis quoque *Basilic*. A Matthiolo, in lib. 2 Diosc. pag. 533 pingitur accurate, & ocimum medium nuncupatur. In horto Regio vidimus Parilia Romæ celebrata 11. Calend Maias, diximus sup. libro, sect. 60. num. 1. Columella, lib 11. cap. 3. seri ocimum circa Idus jubet.

2 *Quidam & autumno.*] Columella, lib. 11 cap. 3. Etiam Aprili cum seritur, ut cito nascatur, aqua calida perfundi Palladius jubet, in Aprili, tit. 3.

3. *Eruca quoque*, &c.] Ita Pallad. lib. 2. in Januar. tit. 14. pag. 44. Nostris, *Roquette*. A Matthiolo pingitur, in lib. 2. Diosc. pag. 530.

4. *Concitatrix.*] Sic Diosc. lib. 2. cap. 170. Galenus, lib. 2. de alim. facult. cap. 53. pag 364. Columella in Hortulo:

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,
Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.

Marcellus Empir cap. 33 pag. 228 *Ad abundantiam seminis præparandam, erucam decoctam bibat, quoties quisque inopia seminis se laborare perspexerit: vel potius assidue incoctam manducet* Idcirco *salaces erucas* Ovidius vocat.

5. *Jungitur illi*] Lactuca scilicet. Hoc ipsum fieri Galenus præcipit, loc cit.

fere in eibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum æquet. [6] Nasturtium nomen accepit a narium tormento. Et inde vigoris significatio [7] proverbio id vocabulum usurpavit, veluti torporem excitantis. In Arabia miræ amplitudinis dicitur gigni.

XLV. [1] Ruta quoque seritur Favonio, & ab æquinoctio autumno: [2] odit hiemem, & humorem, ac fimum. [3] Apricis gaudet & siccis, terra quam maxime lateraria. [4] Cinere vult nutriri: hic & semini miscetur, ut careat erucis. Auctoritas etiam peculiaris apud antiquos ei fuit. Invenio mustum rutatum populo datum a Cornelio Cethego, [5] in Consulatu collega Quintii Flaminini, comitiis peractis. [6] Amicitia est ei & cum fico, in tantum, ut nusquam lætior proveniat, quam sub hac arbore. Seritur & surculo, [7] melius in perforatam fabam indito, quæ succo nutrit comprehendendo surculum. [8] Seritur & a seipsa. Namque incurvato cacumine alicujus rami, cum attigerit terram, statim radicatur. [9] Eadem & ocimo natura, nisi quod difficilius crescit. Sed durata runcatur non sine difficultate, [10] pruritivis hulceribus, ni munitis manibus id fiat, oleove defensis. Conduntur autem & ejus folia, servanturque fasciculis.

XLVI. [1] Ab æquinoctio verno seritur apium, semine paululum [2] in pila pulsato. Crispius sic putant fieri, aut si satum calcetur cylindro pedibusve. Proprium ei, quod colorem mutat. [3] Honos ipsi in Achaia, coronare victores sacri certaminis Nemeæ.

XLVII. [1] Eodem tempore seritur menta planta: vel si nondum germinat, spongia. [2] Minus hæc humido gaudet. Æstate viret, hieme flavescit. Genus ejus silvestre [3] mentastrum est. Ex hoc propagatur, ut vitis, [4] vel si inversi rami serantur. [5] Mentæ nomen suavitas odoris apud Græcos mutavit, cum alioqui mintha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt. Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Semel sata, diutina ætate durat. [6] Congruit pulegio, cujus natura in carnariis reflorescens sæpius dicta est. Hæc quoque servantur simili genere, mentam dico, pulegiumque, [7] & nepetam.

Condimentorum tamen omnium fastidiis [8] cuminum amicissimum. Nascitur in summa tellure vix hærens, & in sublime tendens. In putridis & calidis maxime locis, medio serendum vere. Alterum ejus genus silvestre, quod rusticum vocant, alii Thebaïcum: si tritum ex aqua potetur, [9] in dolore stomachi prodest. [10] In Carpetania nostri orbis ma-

NOTÆ.

6 *Nasturtium.*] *Nasturtium nonne vides*, inquit apud Nonium Varro, *ab eo dici quod nasum torqueat?* Et auctor Moreti,

Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu.

Porro nasturtii iconem apud Lobelium vide, in Observ. pag. 107. Nostris *Cresson Alenois*: Narbonensibus, *Nasitort.*

7 *Proverbio.*] Adagium id est, ὄζει κάρδαμον, dictum olim in socordem, ignavum, hebetem. Vossium vide in Etymol. verbo Nasturtium. Auctor Geopon. lib. 12. cap. 27. Φασὶ δὲ τοὺς ἐσθίοντας κάρδαμον, ὀξυτέραν τὴν διάνοιαν γίνεσθαι. *Aiunt vescentes nasturtio mentes acumine subtiliores evadere.*

Sect. XLV. 1. *Ruta quoque.*] Pingitur a Lobelio ruta hortensis, in Observ. pag. 506. Gallis, *de la Rue.* Et hanc autumno seri, differri mense Martio præcipit Columella, lib. XI. cap. ult.

2. *Odit hiemem*, &c.] Theophr. lib. 7. histor. cap. 5 *Aquas & fimum*, inquit, *omnia olera diligunt, præter rutam*. Φιλόκοπρα δὲ πάντα τὰ ἄλλα λάχανα, καὶ φιλόϋδρα, πλὴν πηγάνου.

3. *Apricis*, &c.] Palladius, lib. 4. in Martio, tit. 9. pag. 90. *Prosequuntur etiam maledictis, & maxime in terra soluta lateris ponunt, quod prodesse certissimum est.* Columella, lib. XI. cap. 3.

4 *Cinere vult.*] Pallad. loc. cit. *Hoc mense ruta seritur, locis apricis, solius cineris inspersione contenta.*

5 *In Consulatu.*] Anno Urbis CCCCXXI. Sed vitio facti Consules abdicarunt, ut in Fastis quidem est adnotatum.

6. *Amicitia.*] Pallad loc. cit. *Sub fici arboris umbra libentius acquiescit.* Adde & Arist. sect. 10 problem. 18. pag. 773. quærentem, *Quam ob causam ruta insita in ficum, pulcherrima, plurimaque proveniat.*

7. *Melius in perforatam.*] Pallad loc. cit. *Nonnulli ramulos rutæ pertusæ fabæ inserunt, vel bulbo, atque ita obruunt, alieno vigore servandos.*

8. *Seritur & a se ipsa.*] Nempe propagine, uti fere de rubis dictum est lib. 17. sect. 21. Sic etiam Pallad loc. cit.

9. *Eadem & ocimo.*] Ut propagine nimirum, æque atque ruta, seratur.

10. *Pruritivis hulceribus.*] Natis hulceribus ex prurigine. Vide Notas & Emend. num. XIX.

Sect. XLVI. 1. *Ab æquinoctio.*] Pallad. lib. 5. in Aprili, tit. 3. pag. 110. & Colum. lib. XI. cap. 3.

2. *In pila pulsato.*] Hoc est, in vase concavo, sive mortario, pinsi prius necesse est. De pilæ vocis usu, eo intellectu, alibi egimus. Columella, lib. XI. cap 3 pag. 397. *Si crispas frondes apium fieri malueris, semen ejus inditum pilæ, & saligneo pilo pinsitum, exspoliatumque in linteolis ligatum obruet. Potest etiam citra hanc operam fieri crispum qualitercumque satum, si cum est natum, incrementum ejus supervoluto cylindro coerceat.* Sic etiam Pallad. loc. cit. & Theophr. lib 2. hist. cap. 5. & lib. 5. de causis, cap 6. pag. 331.

3. *Honos ipsi.*] Juvenalis, Satyr. 8. vers. 226.

Gratæque apium meruisse coronæ.

Idcirco Nemeæum apium Nicandro dicitur in Theriac. pag. 47. Suidas, tom. 2. pag. 113. Νεμέας σέλινα. Vide Plutarch. lib. 5. Sympos. quæst. 3. pag. 676. quibus adde quæ diximus lib 19 sect. 5

Sect. XLVII. 1. *Eodem ... planta.*] Transferri mentam in planta ait æquinoctio verno: ac si nondum germinaverit, radice seu spongia, ut diximus. Pingitur a Dodonæo menta prima, pag 95. *De la Mente, du Baume.*

2. *Minus hæc.*] Vide Notas & Emend. num XX.

3. *Mentastrum.*] Dioscorid lib 3. cap 42. ἡδύοσμον ἄγριον, menta silvestris: officinis, alba menta. Iconem exhibet idem Dodonæus, pag. 96 Græci καλαμίνθην vocant, inquit Apuleius, cap 91 Gallis, *Mente sauvage.* In Nothis Dioscor. pag. 454. τὸ δὲ ἡδύοσμον ἄγριον, οἱ Ῥωμαῖοι μέντα [illegible] [illegible].

4. *Vel si inversi rami.*] Columella, lib. XI. cap. 3. *Menta si forte semina defecerunt, licet de novalibus silvestre mentastrum colligere, atque ita inversis cacuminibus disponere, quæ res feritatem detrahit, atque edomitam reddit.*

5. *Mentæ nomen.*] Diosc. lib. 3. cap. 41. Ἡδύοσμον, οἱ δὲ μίνθην. Et Galenus, lib. 6. de simp. medic. facult. pag. 176. Ἡδύοσμον, ἔνιοι δὲ μίνθην [illegible].

6. *Congruit pulegio.*] Nostri *Pouliot* vocant. Regium vulgatum *Pouliot royal*: delineatur a Lobelio, in observat. pag. 266. De pulegio porro in carnariis reflorescente diximus lib. 18 sect. 60.

7. *Et nepetam.*] Quæ silvestre pulegium etiam appellatur, *Pouliot sauvage.* Vide Dodonæum, pag 98 Alia est nepeta vulgaris officinarum, quæ menta cataria, *l'herbe au chat.* Alii nepitam scribunt.

8. *Cuminum.*] Cuminum Latini juxta & Galli vocant: Hebræi ipsi כמן *cammon* · ruta nostra, *comin.* Utrumque genus, sativum & silvestre, quale nos vidimus, a Dodonæo pingitur pag. 298.

9. *In dolore stomachi.*] Adversus tormina & inflationes, bibi tritum ex aqua: ex vino ad imbecillitatem stomachi, jubet Diosc. lib. 3. cap. 69.

10. *In Carpetania.*] Diosc. loc. cit. in Carthagine Hispaniæ oppido. Toletum in Hispania est Carpetanorum caput.

xime laudatur : alioqui [11] Æthiopico Africoque palma est. Quidam huic Ægyptium præferunt.

XLVIII. [1] Sed præcipue olusatrum miræ naturæ est. Hipposelinum Græci vocant, alii smyrnium. E lacryma caulis sui nascitur. Seritur & radice. [2] Succum ejus colligunt, 5 myrrhæ saporem habere dicunt. [3] Auctorque est Theophrastus, myrrha sata natum. [4] Hipposelinum veteres præceperant in locis incultis, lapidosis, juxta maceriam seri: nunc & repastinato seritur, & a Favonio post æquinoctium autumni. [5] Quippe cum cappari quoque feratur siccis maxime, area in defossu cavata, ripisque undique circumstructis lapide : alias evagatur per agros, & cogit solum sterilescere. [6] Floret æstate : viret 10 usque ad Vergiliarum occasum, [7] sabulosis familiarissimum. [8] Vitia ejus, quod trans maria nascitur, diximus inter peregrinos frutices.

XLIX. Peregrinum & [1] Careum, gentis suæ nomine appellatum, culinis principale. In quacumque terra seri vult, ratione eadem, qua olusatrum. Laudatissimum tamen in Caria, proximum Phrygia.

15 L. [1] Ligusticum silvestre est in Liguriæ suæ montibus: seritur ubique: suavius sativum, sed sine viribus. [2] Panacem aliqui vocant. [3] Cratevas apud Græcos cunilam bubulam eo nomine appellat : ceteri fere conyzam, id est, cunilaginem : thymbram vero, quæ sit cunila. Hæc apud nos habet vocabulum & aliud, [4] satureïa dicta in condimentario genere. Seritur mense Februario, origano æmula. Nusquam utrumque additur, quippe si-20 milis effectus. Sed cunilæ Ægyptium origanum tantum præfertur.

LI. Peregrinum fuit & [1] lepidium. Seritur a Favonio : dein cum fruticavit, [2] juxta terram præciditur : tunc runcatur, stercoraturque: per biennium hoc. Postea iisdem fruticibus utuntur, si non sævitia hiemis ingravat, quando impatientissimum est frigorum. Exit & in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, sed mollibus: ususque ejus non sine lacte.

25 LII. [1] Gith pistrinis, anisum & anethum culinis & medicis nascuntur. [2] Sacopenium & ipsum in hortis quidem, sed medicinæ tantum.

NOTÆ.

11. *Æthiopico.*] Quod Hippocrates regium vocat, quoniam illud palmare putat, inquit Diosc. lib. 3. cap. 68. secundas defert Ægyptio.

Sect. XLVIII. 1. *Sed.... olusatrum.*] Sive atrum olus, sic dictum a semine & radice atra. Columella, lib. xi. c. 3. p. 3,8. *Atrum olus, quod Græcorum quidam vocant ἱπποσέλινον*, nonnulli σμύρνιον, &c. Adde Apuleium, lib. de virtutibus herb. cap. 107. In Græcis vero Hesychius : Σμύρνιον, ὃ ἱπποσέλινον καλοῦσι, καὶ αὐτὸ ἡ βοτάνη. Schol. Nicandri, in Theriac. pag. 39. Τὸ Σμύρνιον ὅμοιόν ἐστι τῷ μεγάλῳ σελίνῳ· ὃ καὶ ἱπποσέλινον καλοῦσιν· σμύρνιον δὲ, ἐπειδὴ ὀσφραίνεται τῇ σμύρνῃ τὴν ὀσμήν. Et Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 130. Σμύρνιον, οἱ δὲ ἱπποσέλινον ὀνομάζουσιν ἄγριον. Cave porro agi nunc existimes de hipposelino, de quo instituta oratio est sect. 37. quanquam & illud smyrnium nuncupatum sit, teste Diosc. lib. 3. cap. 78. De smyrnio vere ac proprie dicto nunc sermo est, cui etiam in Cilicia hipposelini tributa appellatio est, ut prodidit ipse Diosc. cap. seq. Hipposelinum illud Theophrasti est, idemque smyrnion Dioscoridis, a Matthiolo delineatum, pag. 773. quale in Horto Regio visum a nobis. De eo rursum lib. 27. sect. 109.

2. *Succum ejus*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 6. Γίνεται δὲ καὶ τὸ δάκρυον ἐξ αὐτοῦ ὅμοιον τῇ μύρρῃ· οἱ δὲ φασιν ὅλως μύρραν. *Lacryma ex eo fluit myrrhæ assimilis : quidam omnino myrrham id esse asseverant.* E radice potius quam e caule succum manare scimus.

3. *Auctorque*] Verba hæc sunt Græci scriptoris, lib. 9. hist. cap. 1. Καὶ τινες ἀκούσαντες ὡς σμύρνη φύεται ἐκ σμύρνης ... ἐκ τοῦ ἱπποσελίνου· φυτεύεται γὰρ καὶ ἀπὸ δακρύου τὸ ἱπποσέλινον. *Cum ex hipposelino myrrham nasci quidam audivissent, hipposelinum ex myrrha provenire etiam putarunt, quæ lacryma hipposelini est. Seritur & hipposelinum sua lacryma.*

4. *Hipposelinum veteres.*] Columella, loc. cit. de hipposelino, quod & olusatrum & smyrnium pariter appellat : *Pastinato*, inquit, *loco semine debet conseri, maxime juxta maceriam : quoniam & umbra gaudet, & qualecumque convalescit loco.*

5. *Quippe cum cappari.*] *Cappare* neutro genere dicitur, & *capparis* feminino. Columella, lib. xi. cap. 3. *Capparis .... si serenda fuerit, siccum locum desiderabit : isque debebit ante circumdari fossula, quæ repleatur lapidibus & calce, vel Punico luto, ut sit quasi quædam lorica, ne possint eam perrumpere prædicti seminis frutices : qui fere per totum agrum vagantur, nisi munimento aliquo prohibiti sint .... Et noxium virus habent, succoque suo sterile solum reddunt.* Capparis in Gallia, *du Caprier*, vel, ut aliis visum est efferre, *du Capier.* Capparis retuso folio apud Lobel. in Observat. pag. 359. Monspelii in hortis pulchre & copiose fruticat.

6. *Floret .... viret*, &c.] Hæc quoque Theophrastus, lib. 6. hist. cap. 5.

7. *Sabulosis.*] Theophr. loc. cit. Χαίρει δὲ ὑφάμμοις καὶ λεπτογείοις χωρίοις.

8. *Vitia ejus.*] Dicta hæc lib. 13. sect. 44.

Sect. XLIX. 1. *Careum.*] Apicio quoque, lib. 7. cap. 2. *Careum.* Dioscoridi, lib. 3. cap. 66. Κάρος. Pingitur a Dodonæo, pag. 297. In officinis *Carvi* nominari : apud Germanos Bohemosque, non in Caria modo, unde origo nominis, frequens nasci prodit.

Sect. L. 1. *Ligusticum.*] Diosc. lib. 3. pag. 58. Λιγυστικὸν φύεται μὲν πλεῖστον ἐν Λιγυρίᾳ, ὅθεν καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχηκεν. Πάνακες δὲ αὐτὸ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, &c. Eadem habet Oribas. lib. xi. fol. 204. Siler montanum Dodonæi est, a quo accurate delineatur, quale in Horto Regio vidimus, pag. 308. Gallis, *Sermontaine.* Officinis nonnullis, *Seseli*, sed falso.

2. *Panacem.*] Quoniam panaci heracleotico & viribus simile est, & radice atque caule, inquit Dioscorides, loco citato.

3. *Cratevas.*] Græcorum inconstantiam in assignandis plantarum nominibus obiter indicat, non usquequaque approbat. Et falso quidem cunilæ bubulæ nomen esse Ligustico inditum, diserte admonet, lib. 20. sect. 60.

4. *Satureia dicta.*] Thymbra igitur gemina, & utraque affinis alteri : altera Græcorum, Latinorum altera, quæ & satureia, thymbræ quidem æmula, & cunila appellata : sed discrepans tamen a thymbra. Columella, lib. 9. cap. 4. pag. 320. *Thymbra, vel nostratis cunila, quam satureiam rustici vocant.* Et in Hortulo :

Et satureia thymi referens, thymbræque saporem.

Scribonius Largus, Compos. 124. *Cunila, quam satureiam quidam vocant.* Satureiam seu cunilam Galli nunc *Sarriette* nominant. Pingitur a Dodonæo, pag. 288. Thymbra, pag. 187. Utramque Regio in horto vidimus. Thymbra in Græcia frequens, maximeque in Chio, teste Anguillara, part. 12. pag. 203.

Sect. LI. 1. *Lepidium.*] Gallis, *Passerage.* Iconem vide apud Dodonæum, pag. 704. nos plantam ipsam in horto Regio vidimus.

2. *Juxta terram*] Columella, lib. xi. cap. 3. *Lepidium velut porrum sectivum demetere poteris, rursus tamen*, &c.

Sect. LII. 1. *Gith pistrinis.*] Gith Dioscoridi, lib. 3. c. 93. μελάνθιον dicitur, cujus semen inspergi gratissime panibus condiendis monet : idcirco pistrinis nascitur. De eo rursum, lib. 20. sect. 71. Sativum melanthium depictum vide apud Dodon. pag. 301. Gallis, *de la Nielle* : etsi dubitat Anguillara, part. 12. pag. 216.

2. *Sacopenium.*] De eo dicemus lib. 20. sect. 75.

LIII. Sunt quædam comitantia aliorum satus, ut papaver. Namque cum brassica seritur ac portulaca, & eruca cum lactuca. Papaveris sativi tria genera. [1] Candidum, cujus semen tostum [2] in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. [3] Hoc & panis rustici crustæ inspergitur, affuso ovo inhærens, ubi inferiorem crustam apium githque cereali sapore condiunt. [4] Alterum genus est papaveris nigrum, cujus scapo inciso lacteus succus excipitur. [5] Tertium genus [6] rhoam vocant Græci, id nostri erraticum. Sponte quidem, [7] sed in arvis cum hordeo maxime nascitur, erucæ simile, cubitali altitudine, flore rufo & protinus deciduo: [8] unde & nomen a Græcis accepit. [9] De reliquis generibus papaveris sponte nascentis dicemus in medicinæ loco. Fuisse autem in honore apud Romanos semper, indicio est [10] Tarquinius Superbus, qui legatis a filio missis decutiendo papavera in horto altissima, sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit.

LIV. Rursus alio comitatu æquinoctio autumni seruntur coriandrum, anethum, atriplex, malva, lapathum, cærefolium, [1] quod pæderota Græci vocant: [2] & acerrimum sapore, [3] ignei effectus, ac saluberrimum corpori, [4] sinapi, nulla cultura, [5] melius tamen planta tralata. Quin e diverso vix est sato semel eo liberare locum, quoniam semen cadens protinus viret. Usus ejus etiam pro pulmentario in patellis decocto, [a] citra intellectum acrimoniæ. [6] Coquuntur & folia, sicut reliquorum olerum. [7] Sunt autem trium generum: Unum gracile, alterum simile rapi foliis, tertium erucæ. Semen optimum Ægyptium. [8] Athenienses napy appellaverunt, alii thapsi, alii saurion.

LV. [1] Serpyllo & sisymbrio montes plerique scatent, sicut in Thracia: utique deferunt ex his avulsos ramos, [2] seruntque. [3] Item Sicyone ex suis montibus, & Athenis ex Hymetto. [4] Simili modo & sisymbrium serunt. [5] Lætissimum nascitur in puteorum parietibus, & circa piscinas ac stagna.

LVI. Reliqua sunt ferulacei generis, ceu [1] feniculum, anguibus ([2] ut diximus) gratissimum, ad condienda plurima, cum inaruit. Eique perquam similis thapsia, [3] de qua diximus inter externos frutices. Deinde utilissima funibus [4] cannabis seritur [5] a Favonio. CAP. IX.

INTERPRETATIO.

a *Citra.*] Sine ullo sensu acrimoniæ.

NOTÆ.

Sect. LIII. 1. *Candidum.*] *Pavot blanc.* Vide apud Dodon. pag. 442.

2. *In secunda mensa.*] *Coctum*, inquit Festus, *edulii genus ex melle & papavere factum.*

3. *Hoc & panis.*] Annon idcirco dictum est a Virgilio, *Cereale papaver?*

4. *Alterum genus.*] *Pavot noir*, apud eumdem Dodon. loc. cit.

5. *Tertium genus.*] Quod libro sequente, sect. 77. inter silvestria sativaque medium genus facit. Est illud erraticum Dodonæi, pag. 444. Lobelii quoque, in Observat. pag 143. Apud Gallos *Coquelicot*, vel *Pavot sauvage.*

6. *Rhoeam vocant.*] Galenus, lib 7. de fac. simp. med pag. 207. Ῥοιὰς ὀνομάζεται. Et paulo post, [illegible]. Rhœada sane rectius diceret: sed Latino ritu ac sono efferre maluit, quod & alias ei familiare est. Sic Q. Serenus, caput 38. pag 150. *de ischia* inscripsit, cum *de ischiade* dici ars Græcorum postulet.

7. *Sed in arvis.*] In segetibus, ἐν ἀρούραις φύεται, inquit Diosc. lib. 4. cap. 64. a quo iisdem fere verbis describitur, uti & a Theophr. lib. 9 hist. cap 13.

8. *Unde & nomen.*] Ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod fluere ac decidere sonat Diosc. [illegible].

9. *De reliquis.*] Libro 20. sect. 76.

10. *Tarquinius.*] Simile Thrasybuli factum inaudierat, de quo Herod. lib. 5. Terpsich. pag 324. Vide Livium, lib. 1. pag. 19. Florum, lib. 1 cap. 7. pag. 18. Frontinum. lib. Strateg. cap. 1. Valerium denique Max. lib. 7. cap. 4. num. 2. Dissidet a ceteris scriptoribus Ovidius, qui in liliis id factum ait, quod in papaveribus alii: libro 2. Fastorum, vers. 703.

> *Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,*
> *Sectus humum rivo lene sonantis aquæ.*
> *Illic Tarquinius mandata latentia nati*
> *Accipit, & virga lilia summa metit.*
> *Nuncius ut redit, decussaque lilia dixit:*
> *Filius, Agnosco jussa parentis, ait.*
> *Nec mora, principibus cæsis ex urbe Gabina:*
> *Traduntur ducibus mœnia nuda suis.*

Sect. LIV. 1. *Quod pæderota.*] Sic Apuleius, cap. 104. *Græci pæderota vocant.... Latini cærefolium.* Columella in Hortulo: *Jam breve chærephylum.* Et lib. 11. cap. 3. *Chærephyllum, itemque olus atriplicis, circa Calend. Octobr. obrui oportet non frigidissimo loco..... Papaver & anethum eamdem habet conditionem sationis, quam chærephyllum & atriplex.* Gallis, *Cerfeuil.* A Dodonæo delineatum. pag. 688. Aliud porro ab isto olere acanthi genus est, de quo dicturi sumus lib. 22. sect. 34. quanquam & istud aliqui, ut Plinius admonet, pæderota similiter vocant.

2. *Et acerrimum sapore.*] Ad sinapi hæc pertinent, de quo statim fit mentio, quanquam ad cærefolium Plinius alter retulit, lib 4. de remed. cap. 37. *Cerifolio*, inquit, *ignea vis, & ac crema est.* Falso.

3. *Ignei effectus.*] Impositum certe corpori pustulas, instar ignis, excitat: quod in quibusdam morbis expetitur: atque hæc curatio σιναπισμὸς dicitur, de qua Cælius Aurelianus, Celsusque ipse passim.

4. *Sinapi.*] *Moutarde.* Vide iconem apud Lobel. in Observ. pag. 100. *Sinapi sativum erucæ aut rapi folio.*

5. *Melius tamen planta.*] Pallad. lib. 11. in Octob. tit. 11. pag. 150. *De quo semen longiore disponis, suo loco esse patieris: quod ad escam parabis, robustius facies transferendo.*

6. *Coquuntur & folia.*] Et cymæ, de quibus Columella, lib. 11. cap 3.

7. *Sunt autem trium.*] Hoc tergeminum sinapis genus, nec Dioscoridi, nec Theophrasto notum.

8. *Athenienses.*] Νᾶπυ, Attici, pro σίναπι dixere, teste Athenæo, lib 9. De reliquis nominibus vide Notas & Emendationes, num XXI.

Sect. LV. 1. *Serpyllo.*] Nostri *Serpolet* vocant. Pingitur a Matthiolo in lib. 3. Diosc. pag 714. Vide Notas & Emend. num. XXII.

1. *Seruntque.*] Planta serunt. Pallad. in Martio, tit. 9. *Nunc etiam serpyllum seritur plantis & semine.* Colum. lib. 11. cap. 3. *Thymum & transmarina cunila & serpyllum,... hæ tres & semine & plantis circa æquinoctium vernum seruntur.*

3. *Item Sicyone.*] Theophr. lib. 6 hist. cap. 7.

4. *Simili modo.*] Hoc est, etiam planta. Auctor Geopon. lib. 12. cap. 35. Σισύμβριον Theophr. lib. 1. cap. 1 Dicemus de eo lib. 20. sect. 91.

5. *Lætissimum.*] Theophr. lib. 6. hist. cap. 7. [illegible] φρέαρ.

Sect. LVI. 1. *Feniculum.*] Græcis μάραθρον, *Fenoüil*, vulgo notum. Pingitur a Dodon. pag. 295.

2. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 41.

3. *De qua diximus.*] Libro 15. sect. 43.

4. *Cannabis.*] *Chanvre.* Iconem vide apud Dalecamp. lib. 4. hist. plant. cap. 64 pag 467.

5. *A Favonio.*] Ultimo mense Februario seri Palladius præcipit, lib. 3. in Febr. tit. 5.

[6] Quo densior est, eo tenuior. Semen ejus cum est maturum, ab æquinoctio autumni distringitur, & Sole, [7] aut vento, aut fumo siccatur. Ipsa cannabis vellitur post vindemiam, [8] ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima [9] Alabandica, plagarum præcipue usibus. Tria ejus ibi genera. [10] Improbatur cortici proximum, aut medullæ: laudatissima est e medio, [11] quæ mesa vocatur: Secunda [12] Mylasea. Quod ad proceritatem quidem attinet, [13] Rosea agri Sabini arborum altitudinem æquat. [14] Ferulæ duo genera in peregrinis fruticibus diximus. [15] Semen ejus in Italia cibus est. Conditur quippe, duratque in urceis vel anni spatio. [16] Duo ejus genera: caules, & racemi. Corymbiam hanc vocant, [17] corymbosque quos condiunt.

CAP. X. LVII. Morbos hortensia quoque sentiunt, sicut reliqua terræ sata. [1] Namque & ocimum senecta degenerat in serpyllum, & sisymbrium [2] in calamintham. [3] Et ex semine brassicæ veteris rapa fiunt, atque invicem. Et necatur cuminum [4] ab limodoro, nisi repurgetur. Est autem unicaule, radice bulbo simili, non nisi in solo gracili nascens. [5] Alias privatim cumini morbus scabies. [6] Et ocimum sub Canis ortu pallescit. [7] Omnia vero accessu mulieris menstrualis [8] flavescunt. Bestiolarum quoque genera innascuntur. [9] Napis culices, raphano erucæ, & vermiculi. Item lactucis & oleri: utrisque hoc amplius, limaces & cochleæ. [10] Porro vero privatim animalia, quæ facillime stercore injecto capiuntur, condentia in id se. Ferroque non expedire tangi rutam, cunilam, mentam, ocimum, auctor est Sabinus Tiro in libro Cepuricôn, quem Mæcenati dicavit.

LVIII. Idem contra formicas, non minimum hortorum exitium, si non sint rigui, remedium monstravit, limum marinum, [1] aut cinerem, obturandis earum foraminibus. Sed efficacissime heliotropio herba necantur. Quidam & aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Naporum medicina est, [2] siliquas una seri: [3] sicut olerum cicer: [4] arcet enim erucas. Quo si omisso jam natæ sint, remedium est absinthii succus decocti inspersus: [5] & sedi, quam aïzoum vocant: genus hoc herbæ diximus. Semen olerum si succo ejus madefactum seratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. [6] In totum vero nec erucas, si palo imponantur in hortis ossa capitis ex equino genere, feminæ dumtaxat. [7] Adversus erucas & cancrum fluviatilem in medio horto suspensum

NOTÆ.

6. *Quo densior est, eo tenuior.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIII.

7. *Aut vento, aut fumo.*] Gratius, in Cyneget.

Illa vel ad flatus Helices appende serenæ,
Vel caligineo laxanda reponito fumo.

8. *Ac lucubrationibus.*] Lucubratione vespertina, vel antelucana, ut dictum est lib. 18. sect. 63. Est enim illud e nocturnis operibus, quæ vigilia constant, cum sint noctes tum tanto ampliores. *Malus est autem paterfamilias*, ut dictum est lib. sup. 8. *quisquis interdiu faceret quod nocte posset, nisi in tempestate cæli.*

9. *Alabandica.*] Gratius, in Cyneget. vers. 46.

At pauper rigua custos Alabandicus horti
Cannabias nutrit silvas, quam commoda nostro
Armamenta operi! gravis est tutela sed ipsi,
Tu licet Æmonios includas retibus ursos.

Valide, inquit, prædam sibi concreditam tuebuntur plagæ ex cannabi Alabandica, ne qua perrumpat: ne Æmonii quidem ursi.

10. *Improbatur.*] Stupa vocatur id quod lini cannabisve cortici vel medullæ est proximum.

11. *Quæ mesa.*] Μέση Græcis media est.

12. *Mylasea.*] A Mylasis oppido Cariæ, de quo lib. 5. sect. 29.

13. *Rosea.*] Id ei cannabi nomen a Roseæ campis, de quibus in agro Sabino dictum est lib. 3. sect. 17. & lib. 17. sect. 3.

14. *Ferulæ... diximus.*] Libro 13. sect. 42.

15. *Semen ejus.*] Sic umbellam vocat, quæ semen complectitur, cum cauliculis.

16. *Duo ejus genera.*] Ejus nempe seminis, seu fructus, qui edulis est, duo sunt genera: alterum e caulibus petitum, alterum e racemis quos condiunt. De ferulæ conditura Columellam vide, lib. 12. cap. 7.

17. *Corymbosque.*] Corymbi proprie dicuntur ederarum uvæ, dependentibus acinis coactæ: transferuntur tamen ad multos herbarum fructus, quarum fastigia acini jucunda vetustate comant.

Sect. LVII. 1. *Namque & ocimum.*] Pallad. lib. 5. in Aprili, tit. 3. pag. 10. *Rem miram de ocimo Gargilius Martialis affirmat, quod modo purpureos, modo albos flores, modo roseos pariat: & ex eo semine frequenter serator, modo in serpyllum, modo in sisymbrium mutetur.* Hoc vero Theophr. habet, lib. 5. de causis, cap. 8. pag. 333.

2. *In calamintham.*] Quam superius mentastrum, & silvestre mentæ genus vocavit, sect. 47. In mentam mutari, εἰς μίνθην, dixit Theophr. lib. 2. hist. cap. 5. & lib. 6. hist. cap. 7. & lib. 2. de causis, cap. 8. Uterque recte.

3. *Et ex semine.*] Hæc totidem verbis Varro, lib. 1. de re rust. cap. 40. pag. 65. & Palladius, lib. 3. in Februar. tit. 24. pag. 68.

4. *Ab limodoro.*] Vide Notas & Emend. num. 24. Limodorum statim ab radice cumino adnasci, nec caule esse absimili prodidit Theophr. lib 8. hist. cap. 8. οἷον ἀμπεφυκὸς τῷ καυλῷ, &c.

5. *Alias privatim.*] Theophr. lib. 8. cap. 10. Ἔστι δὲ καὶ ψώραις καὶ ἅλμαις, καθάπερ τὸ κύμινον. *Nonnulla etiam scabie atque salsugine pereunt, ut cuminum.*

6. *Et ocimum.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 5. Τὸ δὲ ὤκιμον ὑπὸ κύνα λευκαίνεται.

7. *Omnia vero.*] Vide quæ diximus lib. 17. sect. 13.

8. *Flavescunt.*] Ita MSS. recte, ut diximus libro 15. sect. 36.

9. *Napis culices.*] Auctor Geopon. lib. 12. cap. 7. & Theophr lib. 7. hist. cap. 5.

10. *Porro vero privatim.*] Quæ in porro animalia nascuntur, ἐν τῷ πράσῳ, inde πρασοκουρίδες appellantur: hæc stercus avide appetunt, in illudque subeunt, & ibi quiescunt. Tunc venari ea facile est: alias capiendi nulla facultas datur. Theophr. lib. 7. hist. cap. 5.

Sect. LVIII. 1. *Aut cinerem.*] Pallad. lib. 1. c. 35. p. 28.

2. *Siliquas una seri.*] Præcipue ervinas. Theophr. loc. cit. Pallad. loc. cit. *Ut olera animalia infesta non generent.... prestare ferunt ervum aliquantulum satum, præcipue ubi radices & rapa nascuntur.* Eadem habet Anatolius in Geopon. lib. 12. cap. 7. pag. 319.

3. *Sicut olerum cicer.*] Pallad. loc. cit. *Cicer inter olera, propter multa portenta, serendum est.*

4. *Arcet enim.*] Arcet erucas ab olere cicer. Has tamen ciceri ipsi innasci auctor est Ælianus, lib. 9. hist animal. cap. 39.

5. *Et sedi, quam.*] Subintellige, quam herbam. Id vero jam superius attigit, lib. 18. sect. 45. Vide quæ ibi diximus. Columella, lib. 11. cap. 3. pag. 405. *Ubi aprici regionibus post pluvias noxias incesserunt animalia, quæ a nobis appellantur erucæ, Græce autem κάμπαι nominantur, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti... Id tamen supervacuum est facere, si ante sationem semina, uti jam prædixi, succo herbæ sedi macerata sunt: nihil enim sic medicatis nocent erucæ.*

6. *In totum vero.*] Pallad. lib. 1. cap. 35. pag. 31. *Omnia semina horti vel agri feruntur ab omnibus malis & monstris tuta servari, si.... equæ calvaria, sed non virginis, intra hortum ponatur, vel etiam asinæ: creduntur enim sua præsentia fecundare quæ spectant.*

7. *Adversus erucas.*] Pallad. loc. cit. pag. 28. *Aliqui flo-*

auxiliari narrant. [8] Sunt qui sanguineis virgis tangant ea, quæ nolunt his obnoxia esse. Infestant culices hortos riguos præcipue, si sint arbusculæ aliquæ. [9] Hi galbano accenso fugantur.

[10] Nam quod ad permutationem seminum attinet, quibusdam ex iis firmitas major est, ut coriandro, betæ, porro, nasturtio, sinapi, erucæ, cunilæ, & fere acribus. Infirmiora autem sunt atriplici, ocimo, cucurbitæ, cucumi: & æstiva omnia hibernis magis durant: minime autem gethyum. Sed ex his quæ sunt fortissima, nullum ultra quadrimatum utile est, dumtaxat ferendo. [11] Culinis & ultra tempestiva sunt. CAP. XI. 5

LIX. [1] Peculiaris medicina raphano, betæ, rutæ, cunilæ, in salsis aquis, quæ & alioqui plurimum suavitati & fertilitati conferunt. [2] Ceteris dulcium aquarum rigua prosunt. Utilissimæ ex iis, quæ frigidissimæ, & quæ potu suavissimæ. [3] Minus utiles e stagno, [4] & quas elices inducunt, quoniam herbarum semina invehunt. Præcipue tamen imbres alunt. [5] Nam & bestiolæ innascentes necantur. 10

LX. [1] His horæ rigandi, matutina atque vespera, ne infervescat aqua Sole. [2] Ocimo tantum & meridiana: etiam satum celerrime erumpere putant, inter initia ferventi aqua aspersum. [3] Omnia autem translata meliora grandioraque fiunt, maxime porri, napique. [4] In translatione & medicina est, desinuntque sentire injurias, ut gethyum, porrum, raphani, apium, lactucæ, rapæ, cucumis. [5] Omnia autem silvestria fere sunt & foliis minora, & caulibus, succo acriora: sicut cunila, origanum, ruta. [6] Solum vero ex omnibus lapathum silvestre melius: [7] hoc in sativis rumex vocatur, nasciturque fortissimum: traditur certe semel satum durare, nec vinci umquam a terra, maxime juxta aquam. Usus ejus cum ptisana tantum in cibis leviorem gratioremque saporem præstat. [8] Silvestre ad multa medicamina utile est. Adeoque nihil omisit cura, ut carmine quoque comprehensum reperiam, [9] in fabis caprini fimi singulis cavatis, si porri, erucæ, lactucæ, apii, intubi, nasturtii semina inclusa serantur, mire provenire. [10] Quæ sunt silvestria, eadem in sativis sicciora intelliguntur, & acriora. CAP. XII. 15 20 25

LXI. Namque & succorum saporumque dicenda differentia est, vel major in his [1] quam pomis. [2] Sunt autem acres cunilæ, origani, nasturtii, sinapis. Amari, absinthii, centaurei. [3] Aquatiles, cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. [4] Acuti, thymi, cunilæ. [5] Acuti & odorati, apii, anethi, feniculi. Salsus tantum e saporibus non nascitur, aliquando extra insidit pulveris modo, [6] ut ciceculis tantum. 30

LXII. Atque ut intelligatur vana, ceu plerumque, vitæ persuasio: panax piperis saporem reddit, & magis etiam siliquastrum, ob id piperitidis nomine accepto. Libanotis odorem thuris, [1] smyrnium myrrhæ. [2] De panace abunde dictum est. [3] Libanotis locis putribus & macris ac roscidis seritur semine. [4] Radicem habet olusatri, nihil a thure 35

NOTÆ.

viales cancros pluribus locis intra hortum clavis figunt.

8. *Sunt qui sanguineis.*] E sanguineo frutice, de quo lib. 16. sect. 30.

9. *Hi galbano.*] Pallad. lib. 1. cap. 35. pag. 29

10. *Nam quod ad permutationem.*] Adversus permutationem, ne mutentur, ne vetustate deteriora fiant. Theophrastus, lib. 7. hist. cap. 6. Τῶν δὲ σπερμάτων τὰ μὲν εἶναι ἰσχυρότερα, τὰ δὲ ἀσθενέστερα πρὸς διαμονήν, &c. Nam quæ reliqua hac sectione continentur, ea totidem verbis Græce habet.

11. *Culinis.*] Ad usum culinarum. Vide Notas & Emend. num. XXV.

Sect. LIX. 1. *Peculiaris.*] Theophr. lib. 2. de causis, cap. 7. pag. 240. *In olerum genere*, inquit, *humoribus salsis juvantur* ῥάφανος, τεῦτλον, πήγανον, σίζυμβρος, *brassica, beta, ruta, eruca: hæc enim cum aquis salsis rigantur, longe meliora evadunt.*

2. *Ceteris dulcium.*] Reliqua deinceps Theophr. lib. 7. hist. cap. 5.

3. *Minus utiles e stagno.*] Verba hæc sunt Græci scriptoris, loc. cit. Χείριστα δὲ τὰ ἑλώδη, καὶ ὀμβρία. Plinius vero καὶ τὰ λίμνης, aliunde accepit, ut cetera.

4. *Et quas elices.*] Elices sunt sulci aquarii, teste Columella, lib. 2. cap. 8. Theophrastus, loc. cit. Διὸ καὶ οἱ ἐκ τῶν ὀχετῶν ἧττον δοκιμάζονται. συμφέρουσι γὰρ σπέρματα τῆς πόας.

5. *Nam & bestiolæ.*] Theophr. Ἀγαθοὶ δὲ καὶ οἱ ἐκ Διός. τοῦτο γὰρ δοκεῖ καὶ φθείρειν τὰ θηρία γεννώμενα, καὶ γύρισμα ἀναλίσκειν.

Sect. LX. 1. *His horæ.*] Et hæc Theophr. lib. 7. hist. cap. 5.

2. *Ocimo tantum.*] Theophr. loc. cit. & Pallad. lib. 5. in Aprili, tit. 3. pag. 110.

3. *Omnia autem.*] Theophr. loc. cit. qui pro napis, ῥαφανίδας habet, *raphanos*.

4. *In translatione.*] Theophr. loc. cit. ubi pro raphano, ῥάφανον in exemplum affert, hoc est, brassicam: quam Plinius vocabulo Græco expressit.

5. *Omnia autem silvestria*] Hæc deinceps Theophr. lib. 7. hist. cap. 6. ubi pro cunila θύμβραν adducit, de qua diximus sect. 50.

6. *Solum vero.*] Lapathum silvestre, inquit Theophr. loc. cit. sativo suavius est ad gustum, succo tamen acidiore est: τὸ δὲ χυλὸν ὀξύτερον ἴσχει.

7. *Hoc in sativis rumex*] Cum in hortis seritur. Vide lib. 20. sect. 85.

8. *Silvestre.*] Dicemus de eo, libro seq. sect. 85.

9. *In fabis caprini.*] In globulis fimi, fabæ magnitudine, si cujusque generis semina condantur.

10. *Quæ sunt silvestria.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 6. Πάντα δὲ καὶ ξηρότερα τῶν ἡμέρων· καὶ ὅσα κατὰ ταῦτα πλείω καὶ δριμύτερα καὶ ἰσχυρότερα.

Sect. LXI. 1. *Quam pomis.*] Quot in pomis saporum sint genera, dictum est antea, lib. 15. sect. 32.

2. *Sunt autem acres.*] Theophr. lib. 1. histor. cap. 19. Οἱ δὲ δριμεῖς, οἷον ὀριγάνου, θύμβρας, καρδάμου, νάπυος, οἱ δὲ πικροί, ἀψινθίου, κενταυρίου.

3. *Aquatiles.*] Theophr. loc. cit. Ἄλλαι δὲ ὑδαρεῖς .... οἷον σικύου, κολοκύντης, θριδακίνης.

4. *Acuti, thymi.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVI.

5. *Acuti & odorati.*] Theophr. loc. cit. Αἱ δὲ καὶ εὐώδεις, ὥσπερ αἱ τοῦ σελίνου, ἀνήθου, μαράθου, καὶ τῶν τοιούτων.

6. *Ut ciceculis tantum.*] Vide Notas & Emendat. num. XXVII. Theophrasti ἐρεβίνθους, Plinius ciceculas ubique vocat.

Sect. LXII. 1. *Smyrnium myrrhæ.*] Vide Notas & Emendat. num. XXVIII.

2. *De panace.*] Libro 12. sect. 58.

3. *Libanotis.*] Oribasii interpres, lib. 11. fol. 204. *Libanotis vero, quam rosmarinum Romani vocant, qua utuntur ii qui coronas nectunt.* Est seseli Æthiopicum herba Dodonæi, pag. 310. non rosmarinum hortense nostrum, quod vulgo Romarin appellamus. Libanotidem in horto Regio vidimus.

4. *Radicem habet.*] Foris nigricantem, intus candidam.

differentem. Usus ejus post annum stomacho saluberrimus. Quidam eam nomine alio rosmarinum appellant. [5] Et smyrnium olus seritur iisdem locis, myrrhamque radice resipit. Eadem & siliquastro satio. Reliqua a ceteris & odore & sapore differunt, ut anethum. Tantaque est diversitas atque vis, ut non solum [6] aliud alio mutetur, sed etiam in totum
5 auferatur. [a] Apio eximunt coqui obsoniis acetum: eodem cellarii in saccis odorem vino gravem.

Et hactenus hortensia dicta sint, ciborum gratia dumtaxat. Maximum quidem opus in iisdem Naturæ restat, [7] quoniam proventus tantum adhuc, summasque quasdam tractavimus. Vera autem cujusque natura non nisi medico effectu pernosci potest, opus ingens
10 occultumque divinitatis, & quo nullum reperiri possit majus. Ne singulis id rebus contexeremus, justa fecit ratio, cum ad alios medendi desideria pertinerent: longis utriusque dilationibus futuris, si miscuissemus. Nunc suis quæque partibus constabunt, poteruntque a volentibus jungi.

Interpretatio.

a *Apio.*] Apio *admixto* in obsoniis coqui mitigant aceti vim.

Notæ.

Diosc. lib. 3. cap. 87. Ῥίζα δὲ λευκὴ, ἀμυγδάλης, ὄζουσα λιβάνου. Et paulo ante, genus libanotidis alterum agnoscit, quod radicem habeat, ῥίζαν δὲ μὴν τῷ ἐκτὸς μέλαιναν· ἔνδοθεν δὲ λευκήν.

5. *Et smyrnium.*] Illud nimirum, de quo superius dictum est, sect. 48. De eo rursum Plinius lib. 27 sect. 109. Radicis *odor myrrhæ habet qualitatem: unde & nomen.* Galenus, lib. de alim. facult. cap. 52. pag. 363. tom 2. *τὸ σμύρνιον* ait Romæ maxima copia distrahi, & habere quiddam aromaticum, *καί τι καὶ ἀρωματῶδες ἔχει.*

6. *Aliud alio*] Alius sapor alio vincitur

7. *Quoniam.*] Quoniam uti quæque proveniant, explicuimus: ac de singulorum natura summatim atque generatim tractavimus.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XIX.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. I. 2. SED *fractum tusumque.*] Ita rescripsimus ex cod. Reg. 2. cum prius legeretur, *sed passum tusumque.* Adstipulatur ei lectioni Apuleius in libro de Remediis salutaribus, quem Salmasius quoque vidit, in Solin. pag. 261. Sic enim Plinianum locum hunc totum compilavit: *Parvo ergo semine nascitur, quod orbem terrarum ultro citro portat, tam gracili avena, tam non alte a tellure sublata: nec viribus suis nexum, sed fractum tusumque, & in mollitiem lanæ coactum.*

Sect. 2. II. *Et hi casses vel ferri aciem vincunt.*] Prius legebatur, *& hi cassesve ferri*, &c. MSS. *& hi casses ve.* Nos ex conjectura ita rescripsimus. In MSS. *ve* pro *vel* nobis haud semel occurrit, ut alibi rursum monituri sumus.

Sect. 10. III. *CCCXC. annis ante nos.*] Nempe anno Urbis conditæ CCCCXL ut dictum est lib. 13. sect. 30. & lib. 15. sect. 1. Hæc vero Plinius commentabatur anno DCCCXXX. ut ipse fatetur lib. 14. sect. 5. Quare a Theophrasto ad Plinium intervallum fuit CCCXC. annorum, non ut libri hactenus editi exhibent, CCCCXC. addita perperam centenarii nota, quæ superfluit.

Sect. 12. IV. *Et quod in Thracia iton, & quod in Græcia geranion.*] Mutilus hic locus in libris hactenus editis fuit, hoc modo: *& quod in Thracia ceraunium.* Nos refinximus fideliter, ut remur, ex libri hujus Indice, in quo diserte legitur, ex MSS. omnium fide, *Misy, iton, geranion.* Nec paulo sane certius ex ipso Theophrasto, hæc tria tuberum genera iisdem fere verbis laudante, apud Athen. lib. 2. pag. 62. Λέγει δὲ περὶ αὐτῶν Θεόφραστος· Τὸ ὕδνον ὃ καλοῦσί τινες γεράνιον, καὶ εἴ τι ἄλλο ὑπόγειον. Καὶ πάλιν· Ἡ τῶν ὑπογείων τούτων γένεσις ἅμα καὶ φύσις, οἷον τῶν ὕδνων, καὶ τῆς φυομένης περὶ Κυρήνην, ὃ καλοῦσι μίσυ. Δοκεῖ δ᾽ ἡδὺ σφόδρα τοῦτ᾽ εἶναι, καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχει κρεώδη. Καὶ τὸ ἐν τῇ Θρᾴκῃ γινόμενον ἴτον, &c. De tuberibus hæc Theophrastus: *Tuber quod geranion quidam nuncupant, & si quod aliud sub terra generatur.* Ac rursum: *Eorum quæ sub terra pariuntur, ejusmodi natura est atque generatio: quemadmodum tuberis & misy: sic enim vocant quod circa Cyrenen gignitur, & suavissimi gustus esse credunt, & odore carnis. Est & ejusmodi iton, quod in Thracia effodiunt*, &c. Adde & Apuleium, qui cum librum suum de salutaribus herbarum remediis (ut alii multi sua volumina) ex Plinio concinnarit, hunc locum integrum fere sic repræsentat: ut Salmasius etiam vidit, in Solin. pag. 708. *Simile est quod in Cyrenaica provincia vocant misy, præcipuum suavitate odoris ac saporis: & quod in Thracia iton, & quod in Græcia geranion.* Eustathius in Iliad λ. tuber geranium pariter vocari auctor est: ἔστι γὰρ εἶδος τῆς μώλυος καὶ τὸ ὕδνον, τὸ καὶ γεράνιον καλοῦσί τινες.

Sect. 15. V. *Caule ferulaceo, aut simili crassitudine.*] Ita MSS omnes, Reg. Colb. Th. & Chiffl. non uti hactenus editi, *haud simili.* Favet Theophr. lib. 6. histor. cap. 3. Τὸν δὲ καυλὸν ἔχειν νάρθηκι, σχεδόν τι τῷ πάχει παραπλήσιον.

Ibid. VI. *Folium ipsum vere deciduum.*] Hactenus *vero* legebatur: unde arrepta statim a Criticis, quos Salmasius secutus est in libello, cui titulum fecit Præfationis ad Plinium, pag. 104. occasio scribendi, perverse omnino reddita esse a Plinio hæc Theophrasti verba, e lib. 6. hist. cap. 3. ἅμα μὲν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον ἀφίησι, quibus ille non amitti vere, sed emitti tum potius folia significat: At suspicionem omnem erroris abstulit sincera lectio codicum MSS Reg. 1. Colb. Chiffl. &c. in quibus *vere*, non *vero* legitur. Quo porro tempore ea decidant, Plinius ipse post paulo declarat: *Folia aurei coloris pro semine fuisse, cadentia a Canis ortu Austro flante.* Cui sententiæ Theophrastus ipse suffragatur, ut in prioribus Notis monuimus.

Ibid. VII. *Rhizeas, atque caulias, vilior ille, ac putrescens.*] Constans hæc est exemplarium omnium scriptura, Reg. Colb. Th. Chiffl. &c. qua succum cauliam appellatum viliorem esse, præstantiorem esse rhizian, haud obscure declaratur. Favet Theophrastus, lib. 9. hist. cap. 1. qui eadem habet: Καλοῦσι δὲ τῶν ὀπῶν τούτων τὸν μὲν καυλίαν, τὸν δὲ ῥιζίαν, καὶ ἔστι βελτίων ὁ ῥιζίας. καθαρός τε γὰρ καὶ διαφανής, καὶ ξηρότερος· ὁ δὲ καυλίας ὑγρότερος. Nequicquam refragante Apuleio, qui dum locum transcriberet ex vitioso codice, in lib. de remediis herbarum, *vilior ille*, legisse in eo videtur.

VIII. *Caule ferulaceo, tenui, & ipso cibis indigenarum expetito, & unguento, quidquid sit tam quo decoquatur.*] Libri hactenus editi, *& ungenti.* MSS. omnes, Reg. Colb. Th. etiam quos Pintianus vidit, *unguenti*: quod ille approbat, ac veteri more dictum pro *ungenti* putat. Nos ex conjectura, & cibis caulem eum, & unguentis expetitum interpretamur, quidquid sit demum cum quo decoquatur, seu rosa, seu lilium, aliudve simile quidpiam, unde unguenta constant: quæ planissima hujus loci sententia est. *Sect.* 18.

Sect. 19. IX. *Hortoque & foco tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedia satyrica signa.*] Sic totidem plane apicibus ac litteris, teste Dalecampio, Chiffletianus codex, sic & alii probatissimi quos habemus. Prius legebatur: *Hortosque & fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedia satyrica signa.* Salmasius Exercit. in Solin pag. 310. *Hortoque & foro* mavult: cetero a nobis facit. Hortos certe dicari ac fores, nulla veterum monumenta indicant: dicari signa, tralatitium est: uti vel ex hac inscriptione palam est, quam Gruterus affert, pag. 66. LIBERO AVG. SIGNVM. SILENI. ET. SATYRI. Ut vero *horto & foco*, cum MSS. exemplaribus, quam *horto & foro*, ex Salmasii conjectura, quam nullis ille argumentis constabilit, libentius amplectamur, hæc faciunt. Primum, conditivorum exemplarium auctoritas, a quibus discedere religio est. Deinde quod fabri quoque ante caminos ipsi suos suspendere soliti erant signa ejuscemodi, resque turpiculas, arcendæ invidiæ causa: Græci βασκάνια, *muttonia* Latini dixere, in vetere Glossario. Testis Julius Pollux, lib. 7. cap. 24. pag. 351. περὶ δὲ τὰς καμίνους τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοῖά τινα καταρτᾶν, ἢ ἐπιπλάττειν, ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ· ἐκαλεῖτο δὲ βασκάνια, &c. Ut ab meriorum ædium focis ad fabrorum officinas hæc consuetudo transiisse videri possit. Denique quod fluxisse hic mos a nobis credatur, ab illo foci exemplo, quod a Plinio recitatur, libro 36. extremo, his verbis: *Non præteribo & unum foco exemplum, Romanis litteris clarum. Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco ejus comparuisse genitale e cinere masculini sexus: eamque quæ insederat ibi, Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisium captivam, consurrexisse gravidam. Ita Servium Tullium natum, qui regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium. Ob id compitalia & ludos Laribus primum instituisse.* Hoc & alii scriptores referunt, quos ibi appellaturi sumus. Quid porro similius veri, quam ob id quoque foco deinceps dicata signa Satyrica fuisse, quæ ipsa esse τὰ αἰδοῖα in Notis prioribus animadvertimus?

Sect. 26. X. *Quando phthisin cordi intus inhærentem, &c.*] Phthisin certe, ut libri omnes editi habent, hoc est, tabem, congruere huic loco aptius, quam phthiriasin, hoc est, morbum pedicularem, nemo, opinor, inficias ierit. Tamen, ne quid dissimulem, in MSS Reg. 1. *tiriasin*, in Reg. 2. *phthiriasin* diserte legimus. Quin Plinius alter Valerianus appellatus, lib. 4. de re Medica, cap. 1. hunc Plinii nostri locum exscribens, legisse sic omnino videtur. Nam de raphani virtutibus disputans, *Contra phthiriasin*, inquit, *succus ejus adhibetur, qui solus potest tenuitate subtili ad imo corporis limamenta cor penetrare. Ægyptii enim reges, quibus erat studium scrutari corpora mortuorum, & causas valetudinum, occulta fide recognoscere, in corde ipso nasci ejusmodi vitium prodiderunt.* Quid si φθειριάσεως, seu pedicularis morbi causas, quod medicis omnibus adhuc latet, ex pravo cordis habitu, repeti jubeat?

Sect. 31. XI. *Silvestris minor & humida.*] Perperam in libris editis, *silvestris minores tumidæ*, cum sequatur proxime, *effossa quoque diu vivit.* In MSS. Reg. &c. *minore tumida.* Firmat emendationem Theophrastus, libro 7. hist. cap. 2. Τὸ δ᾽ ἄγριον ξηρότερον· πολυχωρητικώτερον δὲ τὸ ἄγριον .... ἰσχνὸν δὲ σαρκῶδες τὴν σάρκα, καὶ ἄνικμον. διὸ καὶ ἐξαιρεθεῖσα ζῇ πολὺν χρόνον.

Ibid. XII. *Florent confertim serpyllum, abrotonum.*] Prius legebatur, *florent cum fraxino.* Atqui florere fraxinum mature, & quidem priusquam serpentes prodeant, ipse monet admonuit, lib. 16. sect. 24. sero abrotonum, serpyllumque: abrotonum, certe æstate, ut ait ipse lib. 21. sect. 34. Ex Theophrasto medicinam huic loco fecimus. Sic enim ille lib. 7.

hist. cap. 3. Ἀνθεῖ δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἕκαστον ἀθρόον· τὸ δὲ κατὰ μέρος ὥσπερ πρῶτον· οὐδ' ὅταν πάντα ἀποκρύψῃ, καὶ ἄνω· διὸ καὶ πολυχρονιώτατον ἐν τῷ ἀνθεῖν, καθάπερ ὁ νόκαμος, καὶ τὸ πό... τὸ ἡλιοτρόπιον, &c. Ubi perspicuum est, tum a Græco scriptore, tum a Plinio, opponi ea inter se quæ confertim, & quæ particulatim, seu primum ab imo florescunt. Id enim Latinus auctor statim subjicit, *Ocimum autem particulatim, & ab imo incipit.*

Sect. 32. XIII. *Et & colorum differentia. In ipsa enim & Sardibus, &c.*] Prius legebatur, *Samis enim & Sardibus.* In MSS Reg. Colb. Chiffl. *differentia amisso enim & Sardibus.* Nostram egregie constabilit conjecturam Theophrastus, libro 7. hist. cap. 4. Ἐν Ἰωνίᾳ γὰρ μὲν ἄλλα ὅμοια ὥσπερ λεύκινα· λευκὰ δὲ σφόδρα τῇ χρόᾳ· φέρει δὲ φασιν ὅμοια ὥσπερ Σαρδιανά.

Sect. 33. XIV. *Si nutritur in capita.*] Voculam *si*, quam libri hactenus editi omiserant, magno totius sententiæ detrimento, ex Reg. cod. & Colb. supplevimus: & quod certius aliquanto est, ex Columella. Sic enim ille lib. xi. cap. 3. *In eo autem porro, quod magni capitis efficere voles, servandum est, ut antequam translatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarum summas partes intondeas. Tum testula vel concha, &c.* Fibras pro foliis eo capite haud raro usurpat.

Sect. 36. XV. *Nihil ocimo fecundius.*] Ita libri omnes, etiam manu exarati: reponere frustra conante Pintiano, *Nihil cumino fecundius.* Facit enim pro recepta lectione Theophrastus, lib. 7. hist cap. 3. Πολυκαρπότατον δὲ τὸ ὤκιμον.

Sect. 37. XVI. *Aut rariore, & leviore.*] Sic pertinaciter libri omnes habent. Verum, an *latiore* rectius? nam læve, nec hirsutum, heleoselini folium paulo ante commendat. An *latiore* sincerius? Nam Theophrastus, lib. 7. hist. cap. 4. *Apii*, inquit, *tum in foliis, tum in caulibus discrimen constat: Aliud enim folio spisso, crispo, densoque: aliud rariore ac latiore, caulesque majore.* Τοῦ δὲ σελίνου καὶ ἐν τοῖς φύλλοις, καὶ ἐν τῷ καυλῷ αἱ διαφοραί· τὸ μὲν γὰρ πυκνὸν, καὶ οὖλον, καὶ δασὺ τὸ φύλλον ἔχει· τὸ δὲ μανότερον καὶ πλατύτερον· καυλὸν δὲ μείζω.

Sect. 38. XVII. *Astytida, quidamque eunuchion, quoniam hac maxime refrænetur Veneri.*] Astytida legi oportere, non uti prius, *Astylida*, evincit planissime hic Eustathii locus, unde & quæ vis subsit ei voci, intelligas. Sic igitur ille in Iliad. χ. pag. 1283. Διδάσκοντες ἄνακτα (nempe pag. 849.) ὅτι ἐν τῷ σώματι γίνεται καὶ ὁ ἄστυτος· οἷος παρὰ Εὐστάθιῳ, Πολεμάδης ἄστυτος· ἤγουν ἀκόρητος· ἄστυτος.... Φασὶ δὲ καὶ τὴν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἰσχάδα, καὶ θριδακίνην τὴν ἐν φύλλοις πλατύφυλλον, καὶ τὸ σίλφιον, καὶ ἄκαυλον, ἀστυτίδα καλεῖσθαι ὑπὸ γυναικῶν· διότι [illegible] Πυθαγορείων· ἐπειδὴ, φασὶ, ἀσθενεῖς εἰσὶ πρὸς τὰ τῆς Ἀφροδίτης οἱ συνεχῶς χρώμενοι θριδακίνῃ, &c. Athenæi locus quem spectat, e libro secundo est, pag. 69. Eadem habet Florentinus in Geopon lib. 12. cap. 13. pag. 333 Plura apud Eustathium vide, tum loco cit. tum pag. 849. & 862 quæ aut Græce transcribere, aut Latine reddere, pudor vetat. Porro ἀστυλὶς apud Hesychium longe est aliud, nempe planta unde viscum legitur. Eubuli vero Poetæ Comici, apud Athen. lib 2. pag 69. tragœdiam scimus Ἀστύτους appellatam, in qua de lactucæ viribus disputatur.

Ibid. XVIII *Cum prioris Camelus religio nimia eum negaret.*] Visa nobis potior ea lectio est, quam quæ recepta hactenus, excogitata ab Hermolao est, *cum priores caverent, religione nunc omni caret.* In codice Reg. 1. *cum priores cameli religio minime omne caret* Apuleius, libro de remediis salutaribus, qui nondum editus in lucem, exstat in Bibliotheca Regia, totus ex Plinii verbis concinnatus, hunc locum ita expressit: *Divus certe hac lactuca confertatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ Medici, cum prioris Cameli religio nimia ei abnegaret*, vel ipso teste Salmasio, qui pariter vidit, in Solin pag 1270 In Chiffl. cod. *Cameli religio nimia omni caret.* Cameli nomen ei medico fuisse videtur: & in Gruteri sane inscriptionibus Camelium haud semel legimus. Cur in diversam plane conjecturam Hermolaus abierit, causa hæc fuit, quod ab esu lactucæ abstinuisse veteres existimaret, religione ductos, quoniam sub ea sepultum Adonin ferunt, ab apro interfectum: quam ob rem & mortuorum edulium νεκύων βρῶμα ab Eubulo in Astytis, lactuca nominatur, apud Athen. lib. 2. pag. 69. Unde & Pellicerius in Notis MSS. num restitui locus hic ita posset, ambigebat: *Cum prior ætas eam religione Adonis nimia devitaret.* Sed hæc abesse nobis visa sunt longius a vestigiis veterum codicum, quibus institisse propius videmur Quanquam & vox illa *prioris* haud facit animo sane delicato satis: visumque aliquando satius legi, *Cum Artorii Camelo religio* &c Artorium enim Augusti medicum in castris Philippensi prælio fuisse tradunt Eusebius in Chron. Lactantius lib. 2. cap 8. Cælius Aurelian. lib. 3. cap. xi. & 14. Velleius Pater. lib. 2. Valer. Max. lib. 7. cap. 1. Utrum igitur ita legi præstabilius fuerit, permittimus legentium arbitrio. Ut in lactuca porro, sic in beta ægris danda, priscorum religio fuit, de qua Plinius ipse hujus libri sect. 40. *Medici nocentiorem betam, quam olus, esse judicavere. Quamobrem appositas non meminim: degustare etiam religio est, ut validis potius in cibo sint.*

Sect. 45. XIX *Sed durata runcatur, non sine difficultate, pruritibus ulceribus, ut munitis manibus id fiat.*] In libris hactenus editis, *protementibus ulceribus.* In MSS. Reg & Colb. *proritibus.* Unde nos *pruritibus* effecimus. Adjuvat Columella lib. xi. cap. 3. *Sed velata manu debet runcari, quam nisi contexeris, perniciosa nascuntur ulcera. Si tamen per ignorantiam nuda manu runcaveris, & prurigo atque tumor incesserit, oleo subinde perungito.*

Sect. 47. XX *Minus hæc humido gaudet, æstate viret.*] Ita sane libri omnes. At ego libentius multo agnoverim, *Nam minus hæc humido gaudet*, ut ad apium, de quo proxime sermo, respiciat: illud enim perinde ac mentam humido lætari Columella scribit lib. xi. cap 3. *Apium*, inquit, *præcipue aqua lætatur, & ideo secundum fontem commodissime ponitur.* Et paulo post: *Menta dulcem desiderat uliginem quam ob causam juxta fontem mense Martio recte ponitur.* Nisi forte, id quod simile veri arbitramur, de cælo, non de solo humido, intellexit auctor, quoniam proxime sequitur, *æstate viret.*

Sect. 54. XXI. *Athenienses napy appellaverunt, alii thapsi, alii saurion*] De prima appellatione νάπυος, suo loco egimus: θάψι, ob similitudinem cum ferulæ thapsiæ semine, quade egimus lib. 13. sect. 43. dici suspicabamur: Σαύριον, quod acrimonia sua, ceu lacerta, mordeat: est enim Græcis lacerta σαῦρος. Quam ob causam & σινάπιον, dixere nasturtium, quod nares torquet. Verum pro *thapsi*, num legi *thlaspi* sit satius, considerandum: Nam lib. 27. sect. 113. thlaspi quidam napy vocant: & Hesychius, Θλάσπι, inquit, νάπυ, ἢ εἶδος σινάπεως. Dictum autem thlaspi tum sinapi fuerit, a θλάω, quod molitur frangiturque.

Sect. 55. XXII. *Serpyllo & sisymbrio montes plerumque scatent.*] Ita libri omnes: quanquam sunt qui malint, *montes planaque scatent.* Sed non admodum favet ei conjecturæ Theophrastus, libro nempe hist. plant. sexto, cap. 4. Παρ' ἐνίοις δὲ ὄρη πλήρη εἰσὶ τούτων, καθάπερ ἐν τῇ Θρᾴκῃ. Quod porro proxime sequitur apud Plinium, *Sicut in Thracia: Utique deferunt ex iis avulsos ramos, seruntque:* sic restitutum a nobis intelligito, cum prius legeretur, *ubi aqua deferunt.... seruntque*, quod insulsum per se apparet. In MSS. *ut eaque deferunt.* At Theophrastus, loc. cit. & nostram fulcit emendationem, & quæ sit loci sententia, aperit. Καὶ γὰρ ἑρπυλλός ἐστιν ἄγριος, ὃν κομίζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν φυτεύουσι· καὶ ἐν Σικυῶνι καὶ Ἀθήνησιν ἐκ τοῦ Ὑμηττοῦ. *Et serpyllum silvestre est, quod deferunt e montibus, seruntque: item Sicyone ex suis montibus, & Athenis ex Hymetto.*

Sect. 56. XXIII. *Quo densior est, eo tenuior.*] Ita scribi oportere, non *tenerior*, rei fides historiaque comprobat, non modo in cannabi, sed in omni plantarum genere, ut quo densius spissiusque sata sunt, eo graciliora surgant: alioqui quid cannabis teneritate opus, quando in usum cibi planta non veniat?

Sect. 57. XXIV. *Et cuminum necatur ab limodoro, nisi repurgetur.*] Hactenus editum, *ab imo dorso*, quod plane insulsum est. Auctor emendandi Theophrastus exstitit, lib. 8. hist. cap. 8. Τὸ δὲ ἀποφυόμενον εὐθὺς ἐκ τῆς ῥίζης τοῦ ὀροβίου... τὸ λιμόδωρον, μονόκαυλον.... ῥίζαν δὲ ἔχει ὑποστρογγύλον. *Quod autem statim ab radice ervo subnascitur, & limodorum vocatur, unicaule est.... & radice subrotunda innititur.* Sic enim in edit. Ald. & Basil. legitur. Alii αἱμόδωρον. ἱμόδωρον alii legi malunt, Dalecampius in hist. plant. pag 485. Sed λιμόδωρον omnino scribendum cum Pellicerio sentimus, in Notis marginalibus MSS. ad Theophrasti locum citatum.

Sect. 58. XXV. *Cunilas & ulica tempestiva sunt.*] Libri antehac editi, *Cumlas*, inepte. Errorem Theophrastus retegit, lib. 7. hist. cap. 6 ubi in eodem argumento habitat: Πρὸς δὲ τὴν μαγειρικὴν χρείαν ἐπὶ πλεῖον διαμένει. *Ad usum culinarium, sive cibarium, diutius perdurant.* Vidit hoc ante nos Pintianus.

Sect. 61. XXVI. *Acuto, thymo, cunila.*] Prius legebatur, *acuto tantum cunila.* At in MSS Reg. 2. Colb. &c. *acuti tam* &c. In Reg. 1. *Acuto tum.* Nos *thymo* auctore Theophrasto rescripsimus: Sic enim ille lib. 1. hist. cap. 19. αἱ δὲ ἤδη δριμύτητά τινα ἔχουσιν: καθάπερ ἡ τοῦ θύμου καὶ θύμβρας. *Nonnulli acrimoniam quamdam sortiuntur, ut thymus & satureia.*

Ibid. XXVII. *Ut cicerculis tantum. Atque ut.*] Insigniter corruptus ad hunc diem locus hic exstitit, cum ita legeretur, *& circulis tantum aquæ.* Auctor emendandi fuit Theophrastus, lib. de causis plant. cap. 14. pag. 366. Οὐδὲν τῶν φυομένων ἁλμυρόν· ὥστε καὶ ἐν ἑαυτῷ τοιοῦτον ἔχειν τὸν χυλὸν· ἀλλ' ἐν τοῖς ἄκροις [illegible] ἁλμυρὸς, οἷον καὶ τοῖς ἐρεβίνθοις. *Nihil in genere plantarum salsum percipitur: scilicet ita ut in se talem habeat saporem. Sunt enim quorum summam partem duntaxat salsugo quædam obducit, ut ciceri.* Hujus loci vitium subodoratus est ante nos Pintianus, qui ex eodem Theophrasti loco legi censuit oportere, *ut ciceris tantum cutis.*

Sect. 62. XXVIII *Smyrnium myrrha.*] Subintellige, saporem reddit Prius legebatur, *myrrha myrrhæ*, insulse Ipsa loci sententia prodit, tergeminam modo plantam laudari, libanotidem, siliquastrum, smyrnium: quarum naturæ deinceps explanantur.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XX.

I. **M**AXIMUM hinc opus Naturæ ordiemur, & cibos suos homini narrabimus, faterique cogemus ignota esse, per quæ vivat. Nemo id parvum ac modicum existimaverit, nominum vilitate deceptus. Pax simul in his aut bellum Naturæ dicetur, odia, amicitiæque rerum surdarum ac sensu carentium: &, quo magis miremur, omnia ea hominum causa, quod Græci sympathiam appellavere: [1] quibus cuncta constant, ignes aquis restinguentibus, aquas Sole devorante, Luna pariente, altero alterius injuria deficiente sidere. Atque ut a sublimioribus recedamus, ferrum ad se trahente magnete lapide, [2] & alio rursus abigente a sese: adamantem opum gaudium, infragilem omni cetera vi & invictum, sanguine hircino rumpente, quæque alia in suis dicemus locis, paria, vel majora mira. Tantum venia sit, a minimis, sed a salutaribus ordienti, primumque ab hortensis.

II. [1] Cucumim silvestrem esse diximus, multo infra magnitudinem sativi. Ex eo fit medicamentum, quod vocatur [2] elaterium, succo expresso [3] e semine. Cujus causa [4] nisi maturius incidatur, semen exsilit, oculorum etiam periculo. [5] Servatur autem decerptus una nocte: postero die inciditur arundine. [6] Semen quoque cinere conspergitur, ad coërcendam succi abundantiam: qui expressus suscipitur aqua cælesti, atque subsidit: deinde Sole cogitur in pastillos, ad magnos mortalium usus. [7] Obscuritates & vitia oculorum sanat, genarumque hulcera. Tradunt hoc succo tactis radicibus vitium, non attingi uvas ab avibus. [8] Radix autem ex aceto cocta podagris illinitur, succoque dentium dolori medetur. [9] Arida cum resina impetiginem & scabiem, [10] quæ psoram & lichenas vocant,

CAP. I.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Quibus cuncta constant,*] Mira est, inquit, rerum etiam sensu carentium consensio & conspiratio ad hominum utilitates procurandas: quam conspirationem, ac veluti condolentiam & commiserationem Græci συμπάθειαν vocant: etsi ignes & aquæ quibus cuncta constant, Sol ac Luna, quibus cuncta gignuntur, perpetuum sibi bellum indixisse videantur. Hunc locum Pintianus cum non intelligeret, mutilum esse ac vitiatum falso existimavit: & *antipathiam* addi hic oportere.

2. *Et alio rursus abigente.*] Nempe Theamede lapide, de quo lib. 36 sect. 25. Vide Notas & Emend. num I.

Sect. II. 1. *Cucumim … diximus.*] Superiore libro, sect. 24. Diosc. lib. 4. cap. 154 Σίκυος ἄγριος τῷ καρπῷ μόνῳ διαφέρει τοῦ ἡμέρου σικύου· ἐλάσσονα πολὺ ἔχει, &c.

2. *Elaterium.*] Ita vocatur a Celso, lib. 5. cap. 12 Galenus, tom. 2 in Explic. vocum Hippocr. pag. 89. Ἐλατήριον, οὐ μόνον τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγρίου σικύου γεγονὸς, ἀλλὰ καὶ πᾶν τὸ κάτω κοιλίαν καθαῖρον. *Elaterium, non solum ex silvestri cucumere factum, sed etiam omne quod alvum purgat per inferna parte.* Hesychius: ἐλατήριον, φάρμακον καθαρτικόν. Scribonius Largus, Compos. 70. *Elaterium, quod est succus cucumeris silvatici.* Ἀπὸ τοῦ ἐλᾶν, pellere, quasi depulsorium, quod vim purgandi habet acrem.

3. *E semine*] Hoc est, e fructu. Theophrastum consule, ita statuentem, lib. 9. histor. cap. 10. Τὸ δὲ σπέρμα χυλισθὲν ποιεῖ τὸ ἐλατήριον. *Succus expressus e semine facit elaterium.* At Diosc. lib. 4. cap. 155. Τὸ δὲ λεγόμενον ἐλατήριον ἐκ τοῦ καρποῦ τοῦ σικύου σκευάζεται, &c. ubi parandi idem artificium suse edocet, quod a Plinio paulo contractius.

4. *Nisi maturius.*] Ante nimirum quam maturitatem sit assecutus. Nam si maturitas exspectetur, tum tactu vel impulsu tenuissimo pediculus cucumim destituit, factoque ostiolo statim internus humor summo cum impetu, una cum semine, ejaculatur. Cucumim asininum vocant: ut recte Anguillara, part. 14 pag. 291. Vidimus in horto Regio: est & in Eystetensi: A Dodonæo pingitur, pag. 651.

5. *Servatur autem.*] Diosc. loc. cit.

6. *Semen quoque.*] Semen iterum pro fructu usurpat. Nunc Diosc. parum ab eo discedit.

7. *Obscuritates &c.*] Diosc. loc. cit.

8. *Radix autem.*] Diosc lib. 4. cap. 154. Marcellus Empir. cap. 36. pag 250. Plinius Valer. lib. 3. cap. 14. Apuleius, cap. 113. tit. 1. *Ad nervorum dolorem, & podagram: Cucumeris silvatici radices in oleo cibario pondo tribus decoques ad tertias, & exinde perunges, sanabuntur.* Et tit. 4. *Cum aceto decocta radix valet contra podagram.* Accepere isti a Celso, lib 4. cap. 24. *Fovere oportet spongia, quæ in aquam calidam demittatur, in qua cucumeris silvestris radix decocta sit.*

9. *Arida cum resina.*] Diosc. loc. cit. Μιγεῖσα ῥητίνῃ τερμινθίνῃ. Aridam autem radicem intellige: ξηρὰ δὲ ἡ ῥίζα ἀλφοὺς, λειχῆνας, καὶ λευκὰς ἀποξύει. Adde & Theophr. lib. 9. hist. cap. 10.

10. *Quæ psoram.*] Ψώρα scabiei genus est, corporis summam cutem varia erosione depascens, furfurosaque magis quam squamosa ex se remittens Vulgo, *le mal saint Main* At λειχὴν impetiginosi morbi genus, quod mentagram Latinos vocasse Plinius auctor est, lib. 26. sect. 2. fœdo pariter cutis furfure totos primum vultus, deinde vero & colla, pectusque, & manus occupante, oculis tantum immunibus. Martialis lib. 11. Epigr. 99.

Nec triste mentum, sordidique lichenes.

Gallis, *Dartre farineuse.*

[11] parotidas [12] & panos sanat, & cicatricibus colorem reddit. [13] Et foliorum succus auribus surdis cum acero instillatur.

III. [1] Elaterio tempestivus est autumno : [2] nec ullum ex medicamentis longiore ævo durat. [3] Incipit a trimatu. Si quis recentiore uti velit, pastillos io novo fictili igne leuro in acero domer. Melius, quo vetustius: fuitque jam ducentis annis servatum, ut auctor est [4] Theophrastus. [5] Et usque ad quinquagesimum lucernarum lumina extinguit. Hoc enim veri experimentum est, si admotum prius quam extinguat, scintillare sursum ac deorsum cogat. [6] Pallidum ac læve herbaceo ac scabro melius, ac leniter amatum. [7] Putant cooceptus adalligato semine adjuvari, si terram non attigerit. Partus vero, si in arietis lana alligatum inscientis lumbis fuerit, ita ut protinus ab enixu rapiatur extra domum.

Ipsum cucumim qui magnificant, nasci præcipuum in Arabia, mox in Arcadia, Cyrenis alii tradunt, [8] similem heliotropio, cujus inter folia & ramos provenire magnitudine nucis juglandis. [9] Semen autem esse ad speciem scorpionum cauda replexa, sed candida. Aliqui etiam ab eo scorpionium cucumim vocant, efficacissimum cootra scorpionum ictus & semine & elaterio, & ad purgandum uterum alvosque. Modus portione virium ab dimidio obolo [10] ad solidum. Copiosius necat. Sic & contra [11] phthuriasin bibitur : [12] & hydropises. [13] Illitum anginas [14] & arterias cum melle & oleo vetere sanat.

CAP. II. IV. Multi hunc esse apud nos [1] qui anguinus vocetur, ab aliis erraticus, arbitrantur. Quo decocto sparsa mures non attingunt. Iidem podagris cum articuli morbis decoctum in aceto illinunt, præsentaneo remedio. Lumborum vero dolori semine Sole siccato, dein trito, triginta denariorum pondere in hemina dato aquæ. Sanat & tumores subitos illitum cum lacte mulierum. [2] Purgat eas elaterium. [3] Sed gravidis abortum facit. Suspiriosis prodest. [4] Morbo vero regio in nares conjectum. [5] Lentigines ac maculas e facie tollit in Sole illitum.

V. Multi eadem omnia sativis attribuunt. Magnum etiam in eis momentum. Namque & eorum semen, quantum tres digiti apprehenderint, cum cumino tritum, potumque in vino, tussientibus aoxiliatur. Sed & phreniticis in lacte mulieris. [1] Et dysentericis acetabuli mensura. [2] Purulenta autem exspuentibus, cum cumino pari pondere, & jocineris

NOTÆ.

11. *Parotidas.*] Παρωτίς. *Tumores repentinos sub auribus innatos, parotidas vocamus*, inquit Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 8. de parotidibus. Gallis, *Parotide*.

12. *Et panos.*] Diosc. φύματα ῥήσσει. Φῦμα tumor est præter naturam obortus in quacumque corporis parte, cum inflammatione : & hos appellant aliqui panos. Celso lib. 5. cap. 25. panus tumor dicitur non altus, latus, in quo quiddam pustulæ simile est. Sunt qui φύγεθλον dici Græce velint, & a phymate differre. Vide Gorræum in Definit. Med. Apuleius, cap. 113. tit 3. pro panis tumores dixit.

13. *Et foliorum*] Diosc loc. cit. Ἁρμόζει δὲ ὁ τῶν φύλλων χυλὸς [illegible]. Sic & radicis succum ad sonitum aurium emendandum prodesse Celsus monet, lib. 6. cap. 7.

Sect. III. 1. *Elaterio.*] Theophr. lib. 9 histor. cap. 10. [illegible] (τὸ σπέρμα,) [illegible] βέλτιον. *Legitur autumno fructus: tunc enim optimus* ad elaterium concinnandum.

2. *Nec ullum.*] Theophr. lib 9. hist. cap. 14.

3. *Incipit a.*] A bimatu ad decennium utile esse dejectionibus scribit Dioscor. loc cit.

4. *Theophrastus.*] Nunc est in libro 9 histor. cap. 14.

5. *Et usque.*] Humorem servat ad illud usque tempus : quare etiam tum lucernis admotum, lucem extinguit, ob humoris copiam : [illegible]. Theophrastus loc. cit.

6. *Pallidum.*] Sic Dioscor lib. 4. cap. 154 candidum ac læve, gustuque amarum, [illegible] anteponit alteri quod scabrum est, & porracei herbidive coloris : [illegible].

7. *Putant.*] Superstitiose.

8. *Similem heliotropio*] Tricocco nimirum, sive scorpiuro heliotropio, de quo lib 22 sect. 29. Hæc vero non de cucumere quovis, sed Arabico, Arcadico, Cyrenaicoque accipienda sunt.

9. *Semen autem esse.*] Semen cucumere illo peregrino inclusum intellige.

10. *Ad solidum.*] Ad integrum obolum. Diosc loc cit. [illegible].

11. *Phthiriasin.*] Φθειρίασις, pedicularis morbus est, in quo pediculi acervatim per cutim erumpunt Gignuntur vero ii non in superficie cutis, ut furfures : *sed in ejus profundo*, loquit Gorræus io Defin Med.

12. *Et hydropises.*] M S S. omnes, *hydropicis.* Sed *hydropises* legi structura orationis jubet. Est autem hydrops morbus, quem Latini aquam inter cutem vocant: ejus tres species Celsus definit, lib. 3. cap. 21.

13. *Illitum*] Diosc. loc. cit. [illegible]. De angina Celsus libro & cap. quarto. *Pestiferum acutumque morbum in faucibus nostri anginam vocant: apud Græcos nomen, prout species est Interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet, sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra solvuntur, id* συνάγχην *vocant. Interdum lingua faucesque, cum rubore intumescunt, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallet, singultusque est. id vis* συνάγχη *vocatur. Illa communia sunt: æger non cibum devorare, non potionem potest: spiritus ejus includitur. Levius est, ubi tumor tantummodo & rubor est, cetera non sequuntur, id* παρασυνάγχην *appellant*

14. *Et arterias.*] Hoc est fauces, angina scilicet & suffocatione spiritus laborantes In faucibus enim aspera arteria est, quæ spiritus conceptaculum, quo vox editur.

Sect. IV 1. *Qui anguinus.*] Cucumis flexuosus Lobelio, a quo pingitur in Observat pag. 363, ita dictus a figura fructus, qualem in horto Regio vidimus.

2. *Purgat eas.*] Mulieres.

3 *Sed gravidus.*] Dioscor. lib 4. cap 154. [illegible]. *Menses ciet, & partus necat elaterium in pesso subditum.*

4 *Morbo vero.*] Diosc loc cit. [illegible], &c. *Cum lacte naribus infusum, regium morbum pellit*, &c. Quis sit morbus regius, dicemus sect. XXXIV.

5. *Lentigines.*] Sic etiam Marcellus Empir. cap. 19. pag 129.

Sect. V. 1. *Et dysentericis.*] Inter intestinorum mala, inquit Celsus, lib. 4. cap 25 tormina esse consueverunt, δυσεντερία Græce vocatur. Intus intestina exhulcerantur : ex his cruor manat : isque modo cum stercore aliquo, semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur : interdum simul quædam carnosa descendunt Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in anu est, &c. Plinius Valer. lib. 4 cap. 15 *Semen cucumeris dysentericis ex lacte muliebri acetabuli mensura datum prodest.*

2. *Purulenta.*] Plinius Valer. loc. cit. ad verbum.

vitiis in aqua mulsa. [3] Urinam movet ex vino dulci, & in renum dolore clysteribus simul cum cumino infunditur.

VI. [1] Pepones qui vocantur, refrigerant maxime in cibo, & emolliunt alvum. [2] Caro eorum epiphoris oculorum aut doloribus imponitur. [3] Radix sanat hulcera concreta in modum favi, [4] quæ ceria vocant. [5] Eadem contrahit vomitiones: siccatur, & in farinam tusa datur quatuor obolis in aqua mulsa, ita ut qui biberit, quingentos postea passus ambuler. [6] Hæc farina & in smegmata adjicitur. Cortex quoque vomitionem movet, faciem purgat. [7] Hoc & folia cujuscumque sativi illita. Eadem cum melle & [8] epinyctidas sanant: [9] cum vino, canis morsus. [10] Item millepedæ: [11] sepa Græci vocant, oblongam, pilosis pedibus, pecori præcipue [12] nocivam. Morsum tumor insequitur, & putrescit locus. [13] Ipse cucumis odore defectum animi. Coctos deraso cortice, ex oleo & melle, jucundiores esse certum est.

CAP. III.

VII. Cucurbita quoque silvestris invenitur, [1] spongos a Græcis appellata, inanis (unde & nomen) digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens. Hujus commanducatæ succus stomacho admodum prodest.

VIII. [1] Colocynthis vocatur alia, ipsa plena, sed melior quam sativa. [2] Utilior pallida, quando ejus sunt medicinæ. [3] Herbacea arefacta per se inanit alvum. [4] Infusa quoque clysteribus, intestinorum omnibus vitiis medetur, & renum, & lumborum, & paralysi: ejecto semine, aqua mulsa in ea decoquitur ad dimidias: [5] tutissimo infunduntur oboli quatuor. Prodest & stomacho, farinæ aridæ pilulis cum decocto melle sumptis. In morbo regio utiliter semina ejus sumuntur, & protinus aqua mulsa. [6] Carnes ejus cum absinthio & sale dentium dolorem tollunt. [7] Succus vero cum aceto calefactus mobiles sistit. [8] Item spinæ, & lumborum, ac coxendicum dolores, cum oleo si infricetur. [9] Præterea, mirum dictu, semina ejus si fuerint pari numero adalligata febribus, sanare dicuntur, quas [10] Græci periodicas vocant. [11] Sativæ quoque rasæ succus tepefactus auribus medetur. Caro ejus interior sine semine, clavis pedum, & suppurationibus, quæ [12] Græci vocant apostemata. [13] Decoctæ autem universæ succus, dentium motus stabilit,

NOTÆ.

3 *Urinam movet.*] Plinius Valer. loc cit. Diocles item Carystius, libro primo de tuenda valetudine, apud Athen. lib 2. pag 68. cucumin elixum ad ciendam urinam laudat in primis.

Sect. VI. 1. *Pepones.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 4. cap. 14.

2. *Caro eorum.*] Plinius Valer. loc. cit. & Diosc. lib. 2. cap 164. Ἡ δὲ τοῦ σικυοῦ σὰρξ ... ὀφθαλμῶν φλεγμοναῖς πραΰνει.

3. *Radix sanat.*] Iisdem verbis Marcellus Empir cap. 4. pag. 42. & Plinius Valer. lib. 3. cap 22. Diosc quoque loc. cit. Ὑγιάζει δὲ καὶ κηρία καταπλασθεῖσα μετὰ τοῦ μέλιτος.

4. *Quæ ceria.*] Κηρία, & μελικηρίς, a favi mellisque similitudine, propter foramina, & mellei coloris emanantem humorem, ut testis Aetius serm. 8. cap 15. pag. 8. *Tubercula, quæ* μελικηρίδας, *id est, favi,* inquit Celsus, lib. 5. cap. 18.

5. *Eadem contrahit vomitiones.*] Vomitionem movet. Vide Notas & Emend num 11.

6. *Hæc farina & in smegmata.*] Etiam & smegmatis vicem obtinet, & faciei nitorem conciliat, succus cum semine, auctore Diosc. lib. 2. cap. 164. Ὁ δὲ χυλὸς σὺν τῷ σπέρματι μιγεὶς ἀλεύρῳ καὶ ξηρανθεὶς ἐν ἡλίῳ, σμῆγμα γίνεται ῥυπτικὸν καὶ λαμπρυντικὸν προσώπου. De radice vero in farinam tusa consentit Plinio Galenus, lib. 8 de simpl. medic. facult. pag. 228. Est autem σμῆγμα medicamentum ad tergendum. Unde & dentifricia tergendis dentibus sic appellantur.

7. *Hoc & folia.*] Hoc præstant, inquit, nempe faciem purgant & folia sativi cucumeris, trita, & illita.

8. *Epinyctidas.*] Corn Celsus, lib. 5. cap. 28. *Pessima pustula est, inquit, quæ* ἐπινυκτὶς *vocatur: colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit. Circa hanc autem vehemens inflammatio est: & cum adaperta est, reperitur intus exhulceratio mucosa. Color est humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem ejus est. neque enim faba ea major est. Atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus, & fere noctu: unde nomen quoque a Græcis ei* ἐπινυκτὶς *impositum est* Hactenus Celsus. Est & alia ei voci vis, de qua dicemus sect. 21.

9. *Cum vino, canis morsus.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 15.

10. *Item millepedæ.*] Subintellige, morsus sanat. Multipedam vocat idem, sect 20.

11. *Sepa Græci.*] Σῆψ, a tabe quam infligit suo morsu, in quo vis tabifica inest, σηπτικὴ δύναμις De hac millepeda dicetur uberius lib. 29. sect 39. Alius ab isto seps est, de quo Lucanus lib. 9. vers. 723 & Diosc. lib. 2. cap. 70. serpentis nimirum genus, aut lacertæ potius.

12. *Nocivam.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Usus & ea voce Phædrus, lib. 1 fab. 29.

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi distringunt alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.

13. *Ipse cucumis .... defectum animi.*] Subintellige, insequitur, ex antecedentibus: hoc est, pellit. Diosc. lib. 2. cap. 163. de cucumere sativo: ἀνακτητικὴ λειποθυμιῶν ὀσφραινόμενος, *olfactu defectos animo recreat.*

Sect. VII. 1. *Spongos a Græcis.*] Ita MSS omnes, a fungosa nimirum laxitate, instar spongiæ. Libri editi, *somphos*, σομφὸς, quæ vox pariter inanem & fungosum sonat. Marcellus Empir. cap. 12. pag. 92. *Cucurbitæ radix quam Græci sonchon appellant:* Forte *spongon* rectius.

Sect. VIII. 1. *Colocynthis.*] Sive cucurbita silvestris. Diosc. lib. 4. cap. 178. Κολοκυνθὶς, οἱ δὲ κολόκυνθα ἀγρία, οἱ δὲ σικύα πικρὰ, &c.

2. *Utilior pallida.*] Sic eligendam cucurbitam Dioscorides admonet, loc. cit. cum cœperit ad colorem pallidiorem vergere, πρὸς χλωρὸν μεταβάλλουσα ἐπὶ τὸ ὠχρότερον.

3. *Herbacea.*] Viridior, herbidique coloris.

4. *Infusa quoque*] Diosc. loc. cit.

5 *Tutissimo.*] Ita codex Chiffletianus, & alii: quæ lectio ut nobis magis arrideat, quam quæ recepta hactenus, *sic sufficiens infunditur obolis quatuor*, facit ipsa orationis series, & medicinæ ratio.

6. *Carnes ejus.*] Decoqui in eum usum cum aceto nitroque, jubet Diosc lib 4. cap. 178

7. *Succus vero.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 66.

8 *Item spinæ &c.*] His vero morbis non succum prodesse, sed semen contritum, Marcellus Empir. prodidit, cap 25. pag. 173. At succum Galenus quoque ischiadicis utilem fatetur, lib 7. de facult. simpl. med. pag 193. & Diosc. loc. cit.

9. *Præterea.*] Superstitiosum.

10. *Græci periodicos.*] Περιοδικοὶ πυρετοὶ, febres circulares, febrium circuitus, febres reduces, quæ statis certisque diebus recurrunt.

11. *Sativæ quoque.*] Ita Diosc lib. 2. cap. 162. Marcellus Empiricus, cap. 9. pag. 77. & Plinius Valer. lib. 4. cap. 6. ubi ejus rei auctorem Galenum laudat. Galeni locus est e lib. 7. de facult. simpl. med. pag. 193 Scribonius Largus, Compos. 39. *Ad auricula & tumorem & dolorem sine hulcere, prodest cucurbitæ ramentorum succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus.*

12. *Græci .... apostemata.*] Diosc. loc. cit. Οἰδήματα καὶ ἀποστήματα πραΰνει. Ἀπόστημα suppurationem sonat: Galenus in definitionibus, ait esse transitum corporis ab inflammatione ad pus. Gallis, *une Apostume.*

13. *Decoctæ autem.*] Diosc. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 36.

& dolores inhibet. [14] Vinum cum ea fervefactum, oculorum etiam impetus. Folia ejus cum recentibus cupressi, contusa, & imposita: ipsa quoque tosta in argilla, ac trita cum adipe anseris, vulneribus medetur. [15] Nec non ramentis corticis recentes podagras refrigerat, [16] & ardores capitis, infantium maxime. [17] Et ignes sacros, [18] de strigmentis, vel his impo- 5 sitis, vel seminibus. [19] Succus ex strigmentis, illitus cum rosaceo & aceto, febrium ardores refrigerat. [20] Aridæ cinis impositus mire combusta sanat. Chrysippus medicus damnabat eas in cibis. Sed omnium consensu stomacho utilissimæ judicantur, & interaneorum vesicarumque exhulcerationibus.

IX. [1] Est & rapo vis medica. [2] Perniones fervens impositum sanat. [3] Item frigus pel- 10 lit e pedibus. [4] Aqua decocti ejus fervens podagris etiam frigidis medetur: & crudum tusum cum sale, cuicumque vitio pedum. [5] Semen illitum & potum in vino, contra serpentes & toxica salutare esse proditur. [6] A multis vero antidoti vim habere in vino & oleo. [7] Democritus in totum ea abdicavit in cibis, propter inflationes. Diocles magnis laudibus tulit, [8] etiam Venerem stimulari ab eis professus: Item Dionysius: magis- 15 que, [9] si eruca condirentur. [10] Tosta quoque articulorum dolori cum adipe prodesse.

X. [1] Silvestre rapum in arvis maxime nascitur, fruticosum, [2] semine candido, duplo majore, quam papaveris. Hoc [3] ad lævigandam cutem in facie, totoque corpore, utuntur, [4] mixta farina, pari mensura, ervi, hordei, tritici, & lupini. Radix ad omnia inutilis.

CAP. IV. 20 XI. [1] Naporum duas differentias & in medicina Græci servant. [2] Angulosis foliorum caulibus florentis, quod bunion vocant, [3] purgationibus feminarum, [4] & vesicæ & urinæ utile decoctum, potum ex aqua mulsa, vel succi drachma. [5] Semen dysentericis tostum, tritumque in aqua calida, e cyathis quatuor. [6] Sed urinam inhibet, si non lini semen una bibatur. [7] Alterum genus buniada appellant, & raphano & rapo simile: se-

NOTÆ.

14. *Vinum cum ea.*] Diosc. loc. cit.

15. *Nec non ramentis.*] Diosc. loc cit & Plinius Valer. lib. 4. cap 6. Vide Notas & Emend. num. III

16. *Et ardores capitis &c.*] Diosc & Plin. Valer locis cit. Marcell. Empir. cap. 1. pag. 35 Hunc capitis ardorem in pueris Græci *σειρίασιν* vocant: hoc est, ex vehementi Solis æstu capitis inflammationem. Adustionem infantium appellat idem lib. 30. sect 47.

17. *Et ignes sacros.*] Ignis sacer morbi genus ex pustulis perexiguis, in quibus semper fere pus est, & sæpe rubor cum calore. Vulgo S. Antonii ignem appellant, *le Feu S. Antoine.* Sæpius tamen ubi Dioscorides *ἐρυσιπέλατα* dicit, Plinius qui ex iisdem fontibus hausit, sacros ignes reddit: vix ut aliud multi genus intellexisse eum existimandum sit. Et in Glossis sane Græco-Lat MSS. *ἐρυσίπελας, sacer ignis* dicitur. Sacer autem, hoc est, *crudelis & pessimus*: quomodo Donatus ad 7. Æneid. Virgilii vocem *sacer* interpretatur: *unde*, subdit ille, *& ignis sacer dicitur morbus, qui hominem perniciose persequitur.* Virgil lib. 3. Georg.

Nec longo moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

Liber Miraculorum S. Theodorici Abbatis Remensis: *Ea tempestate sacer ignis, quem Græci herisipelam dicunt.* &c Qui eo morbo correpti *Ardentes* dicebantur olim: in Gallias sæpe pervasit hæc lues: cui D. Genovefæ patrocinium remedium fuit: quare Lutetiæ Parisiorum extructa ei ædes, *Ardentium* cognomine Qui ex hoc argumento scripserunt auctores, vide apud Du-Cangium in Gloss v. *Ardentes*

18. *De strigmentis*] Hoc est, de ramentis.

19. *Succus ex strigmentis.*] Diosc. loc. cit. *Ὁ δὲ χυλὸς τῶν ξυσμάτων*, &c. Hæc iisdem verbis Plinius Valer lib 4. cap. 6.

20. *Aridæ cinis.*] Ad verbum hæc quoque idem Plinius Valer. lib 3. cap. 36.

Sect. IX. 1. *Est & rapo.*] Plinius Valer. iisdem verbis, lib. 4. cap. 34.

2. *Perniones.*] Plinius Valer. loc cit Marcellus, cap. 34. pag 236 & Diosc lib. 2 cap. 134. Est autem pernio *χίμετλον*, morbus pedum ex nimio frigore proveniens, & calcaneum maxime infestans hieme: unde & nomen Græcum *χίμετλα*, perniones, & ambusta frigore. Vulgus in Gallia *mules* vocat, *avoir les mules aux talons.*

3. *Item frigus*] Plinius Valer. loc cit

4. *Aqua decocti ejus.*] Iisdem verbis Plinius Valer. loc. cit. *Aqua in qua discocta sunt, frigidis podagris salubre fomentum est.* Diosc. quoque, loc cit. *Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς, ποδάγρας καὶ χιμέτλοις ἐστὶ καταντλήμα.*

5. *Semen illitum*] Diosc. & Plinius Valer. loc. cit.

6 *A multis.*] A Diocle & Dionysio, ut refert Plinius Valer. loc. cit. Adde Galenum, lib. 2. de antidotis, cap. 1. pag. 899

7. *Democritus.*] Ad verbum hæc quoque Plinius Valer lib. 4. cap 44. Democrito Galenus subscribit, lib. 6 de facult. simpl. med. pag 168. Hinc carmen illud in ore vulgi:

Ventum sæpe rapis, si tu vis vivere rapis.

Et Schola Salernitana:

Rapa juvat stomachum, novit producere ventum, &c.

8. *Etiam Venerem.*] Diosc. & Galenus, locis cit.

9. *Si eruca condirentur*] Si eruca admisceretur, quæ herba concitatrix Veneris est, ut dictum est superiore libro, sect. 44. Ita Plinius Valer loc. cit. Audaculus nescio quis emendabat, *si muria condirentur.*

10 *Tosta quoque.*] Plinius Valer. loc. cit. Vide Notas & Emend. num. IV

Sect. X. 1. *Silvestre rapum.*] Iisdem verbis Diosc. describitur, lib. 2. cap. 135. *γογγύλη ἀγρία.* A Dodonæo pingitur, pag. 163.

2. *Semine candido.*] Foris nigro, intus candido. Dioscor. loc cit.

3. *Ad lævigandam.*] Dioscor. ad detergendam. Q. Serenus, cap. 12. de cutis & faciei vitiis propellendis, pag. 131.

Candaque dulcacido miscebis rapa liquori.

Dulcacidum liquorem acetum vocat

4. *Mixta farina, pari mensura ervi, &c.*] Vide Notas & Emend. num. V.

Sect. XI. 1. *Naporum.*] Hæc iisdem fere verbis Plinius Valer. lib 4. cap. 33. *Non unam eamdemque virtutem in omnibus napis experta est medicina Id enim quod angulosis foliorum caulibus ad anethi flores similitudinem, vesica laborantis, itemque cessantibus menstruis feminarum decoctum ex aqua mulsa utile existimant*, &c. Has porro differentias, quas in napis Græci agnoscunt, Plinius quidem affert in medium, nec tamen probat Caute vulclicet, nam quod *βούνιον* vocant, diversa longe planta a napo est: Efficit enim, præter cetera, similitudo cum anetho, apioque, quam in bunio Diosc lib 4 cap. 124. & Plinius Valer. proxime laudatus, agnoscunt, ut non aliam esse existimem, quam saxifragam Dodonæi, pemptad. 2 lib. 5 cap. 21. pag. 312 quæ ob radicis affinitatem napi quoque appellatione venire forte potuerit apud Medicos Græcos.

2. *Angulosis.*] Utile, inquit, decoctum foliorum ejus generis quod est angulosis caulibus · bunion Græci vocant: utile, inquam, purgationibus feminarum, & Diosc. quoque loc. cit. caule esse quadrangulo animadvertit, *καυλὸν ἀφίησι τετράγωνον.*

3 *Purgationibus*] Galenus lib 6 de facult. simpl. med. pag. 164 & Plinius Valer loc. cit.

4. *Et vesicæ & urinæ.*] Forte, *& vesicæ & reni*, cum Diosc. loc cit *Σπλῆνί τε, καὶ νεφροῖς, καὶ κύστει ἐπιτήδειος.* Verum & per se urinas ciere, *οὐρητικὸν εἶναι*, idem prodit.

5. *Semen dysentericis.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 33. ad verbum.

6. *Sed urinam*] Plinius Valer loc cit totidem verbis.

7. *Alterum genus buniada.*] Diosc. lib 2. cap. 126. Hæc Græcorum *βουνιὰς* Latinorum napus est, eademque quæ *γογγυλὶς* Galenus, lib 2. de alim. facult. cap. 62. pag. 367.

minis præclari contra venena : [2] ob id & in antidotis utuntur illo.

XII. [1] Raphanum & silvestrem esse diximus. Laudatissimus in Arcadia : quanquam & alibi nascitur, utilior urinæ dumtaxat ciendæ. [2] Cetero æstivo usus in Italia, & armoraciam yocant.

XIII. Et sativi vero, [1] præter ea quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant, bilem detrahunt. Prætetea cortices in vino decocti, mane poti ad ternos cyathos, comminuunt & ejiciunt calculos. Iidem in posca decocti contra serpentium morsus illinuntur. [2] Ad tussim etiam mane jejunis raphanus prodest cum melle : Semen eorum tostum, ipsumque commanducatum, [3] ad lagonoponon : Aquam foliis ejus decoctis bibere, vel succum ipsius cyathis binis contra phthiriases : phlegmonæ ipsos illinere tusos, [4] livori vero recenti corticem cum melle : [5] veternosis autem quam acerrimos mandere : [6] semenque rostum, dein contritum cum melle, suspiriosis. [7] Iidem & contra venena prosunt. [8] Cerastis & scorpionibus adversatur : [9] vel ipso, vel semine infectis manibus impune tractabis : [10] impositoque raphano scorpiones moriuntur. Salurares & contra fungorum aut hyoscyami venena æque, ut [11] Nicander tradit : Et contra viscum quoque dari [12] Apollodori duo jubent : sed Citieus semen ex aqua tritum, Tatentinus succum. [13] Lienem item extenuant : jocineri prosunt, & lumborum doloribus. [14] Hydropicis quoque ex aceto aut sinapi sumpti, & lethargicis. Praxagoras & iliosis dandos censet : Plistonicus [15] & cœliacis. Intestinorum hulcera sanant : ac putulenta præcordiorum, si cum melle edantur. Quidam ad hæc coquere eos in luto malunt : sic & feminas purgari. [16] Ex aceto & melle sumpti, intestinorum animalia detrahunt. [17] Item ad tertias decocto eorum poto cum vino. [18] Enterocelis prosunt : [19] sanguinem quoque inutilem sic extrahunt. [20] Medius ad hæc & sanguinem exscreantibus coctos dari jubet : [21] & puerperis ad lactis copiam augendam. [22] Hippocrates capitis mulierum defluvia fricari raphanis : [23] & super umbilicum imponi contra tormenta vulvæ. [24] Reducunt & cicatricem ad colorem. [25] Semen quoque ex aqua impositum, sistit hulcera, quæ [26] phagedæ-

Notæ.

Εἰτε χρυσολίδα καλεῖς, εἴτε βουνιάδα τὸ φυτὸν τοῦτο λαχανῶδες De napis egimus lib 18. sect. 35. & lib. 19. sect 25. Transscripsit & hunc locum Plinius Valer lib. 4. cap 33.

8. *Ob id & in antidotis.*] Plinius Valer. loc. cit. Andromachus junior, Andromachi senioris F. ejus qui Neronis *ἀρχίατρος* exstitit, apud Galen. lib. 1. de antid. cap 7. pag 877. *βουνιάδος σπέρματος*, e semine buniadis certum adhibet modum, theriacæ e viperis concinnandæ.

Sect. XII. 1. *Raphanum . . . diximus.*] Libro 19. sect. 26.

2. *Cetero æstivo usus.*] Æstivo nempe raphano. Vide Notas & Emendationes, num. VI. De armoracia diximus lib. 19. sect. 26.

Sect. XIII. 1. *Præter ea, quæ circa eos.*] Præter ea remedia, quæ circa raphanos jam dicta sunt.

2. *Ad tussim.*] Sic Florentinus in Geopon. lib. 12. cap. 22. pag. 346. Nec multum discrepat Diosc. lib. 2. cap. 137. *Ἑφθὴ δὲ καὶ λαμβανομένη βήχεσι χρονίαις, & τοῖς πάχος γεννῶσιν ἐν θώρακι.* *Elixa vero si sumatur, valet ad eos qui diuturna tussi infestantur, quique crassiores succos in pectore cumulant.*

3. *Ad lagonoponon.*] *Λαγόνων πόνους* iliorum dolorem.

4. *Livori vero.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 47 Marcellus Empir. cap. 19. pag. 132. *Radicis*, inquit, *quæ manducatur, id est, raphani cortex tritus diligenter, & cum melle permixtus, illitusque, sugillationes atque livores, qui ex ictibus eveniunt, celeriter absterget.*

5. *Veternosis.*] Veternosus est, qui gravi somno premitur, inquit Festus.

6. *Semenque tostum &c.*] Plinius Valer lib. 4. cap. 1.

7. *Iidem & contra.*] Diosc. lib. 2. cap. 137. & Florentinus loc. cit.

8. *Cerastis & scorpionibus.*] Vide Notas & Emendationes, num. VII.

9. *Vel ipso, vel semine*] Ita etiam MSS. omnes Sic & Florentinus in Geoponicis, libro 12. cap. 22. pag. 346. *Εἰ δέ τις χυλῷ ῥαφανίδος ἐπιμελῶς τὰς χεῖρας ἑαυτοῦ χρίσει ἢ τρίψει, ἀφόβως & ἀκινδύνως σκορπίους ἐπιλήψεται.* Habet eadem Diophanes, lib 13. cap. 9 pag. 367.

10. *Impositoque.*] Florentinus, & Diophanes locis citatis.

11. *Nicander.*] Contra hyoscyamum prodesse scribit Nicander in Alexiph. pag. 159. adversus fungos, pag 167. De fungis quoque Diosc. lib. 2. cap. 137. Et Scribonius Largus, Compos. 198. *Ad fungos venenatos : Adjuvantur autem radice ea quam nos edimus, acri, quamplurima, per se, vel cum sale manducata : ejusque semine, si ipsa non fuerit, poto ex vino.*

12. *Apollodori duo.*] De his in Auctorum Indice.

13. *Lienem item.*] Dioscor. loc cit. Seminis raphani hanc vim adjudicat, quod ex aceto bibatur. Florentinus quoque loc. cit.

14. *Hydropicis*] Diosc. & Florentinus, locis citatis.

15. *Et cœliacis.*] Cœliacus dicitur, qui morbo ventriculi cœliaco laborat · De quo Celsus lib. 4. cap. 12. *In ipsius ventriculi porta consistit is, qui & longus esse consuevit, κοιλιακὸς a Græcis nominatur. Sub hoc, venter indurescit, dolorque ejus est. Alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit : extremæ partes frigescunt : difficulter spiritus redditur.* Aliter & brevius, Scribonius Largus, Compos. 95. *Cœliacus, qui subito universa dejicit.* Marcellus Empiricus similiter, cap 27. pag. 186. *Ad cœliacos*, inquit, *id est, qui subito & multa defundunt.*

16. *Ex aceto & melle.*] Vide Notas & Emend num. VIII.

17. *Item ad tertias.*] Marcellus Empir. cap. 28. pag. 200. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 21. ad tineas ejiciendas.

18. *Enterocelis.*] *Ἐντεροκήλη*, ramex intestinorum, descensus intestini in alterum naturæ locum. Celsus lib. 7. cap. 18. de scroto loquens : *Interdum vel ex morbo primum inflammatur, deinde postea pondere abrumpitur · vel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus intestina debuit : tum pondere eo devolvitur aut omentum, aut etiam intestinum . . . . ἐντεροκήλην, & ἐπιπλοκήλην Græci vocant : apud nos indecorum, sed commune his herniæ nomen est.*

19. *Sanguinem inutilem*] E pectore

20. *Medius.*] De eo in Auctorum Indice. Suffragatur ei quoque Diosc. lib. 2. cap. 137. Marcellus, cap. 16 pag. 120. & Florentinus in Geopon. lib. 12. cap 22. pag. 346.

21. *Et puerperis.*] Plinius Valer. lib. 4 cap. 1.

22. *Hippocrates.*] Libro 2. de morbis mulierum, sect 67. *Ἢν δὲ ῥέωσιν αἱ τρίχες . . . τὴν κεφαλὴν, κνήσασα ῥαφανῖδι, ἢ ῥάφανον τρώγειν*, &c. *Ῥάφανος* Hippocrati ubique raphanus est : brassica, *κράμβη*. Alopecias raphani affrictu sanari scribit & Florent loc cit.

23. *Et super umbilicum.*] Libro 2. de morbis mulierum, sect 78.

14. *Reducunt & cicatricem.*] Sic Florentinus, loc. cit Et ad sugillata tollenda Galenus raphanum commendat, lib. 8 de simpl. med. fac pag. 224.

25. *Semen quoque.*] Iisdem verbis hæc Marcellus Empir. cap. 4. pag 42. & Plinius Valer lib. 3. cap 22. sed apud hunc *furdines* corrupte legitur in libris editis, pro *phagedænas.*

26. *Phagedænas.*] *Φαγέδαινα*, hulceris nomen ab exedendo. Est autem hulcus, quod huc atque illuc serpendo, cutem ac subjectam illi carnem, sed extimam tantum, & in superficie constitutam, depascitur ac rodit. Celsus lib. 6. cap. 18. caput inscripsit, de phagedænæ in cole nascentis curatione, atque esse cancri genus. Vide Palladium in hist. Lausiaca, cap XXX. de Stephano abbate. Alia, præter istam, phagedæna est, stomachi affectus, de quo alibi dicturi sumus.

nas vocant. [27] Democritus Venerem hoc cibo stimulari putat: [28] ob id fortassis voci nocere aliqui tradiderunt. Folia quæ in oblongis dumtaxat nascuntur, excitare oculorum aciem dicuntur. Ubi vero acrior raphani medicina admota sit, hyssopum dari protinus imperant: [29] Hæc antipathia est. [30] At aurium gravitati succum raphani instillant. [31] Nam vomituris summo cibo esse eos, utilissimum est.

XIV. [1] Pastinacæ simile hibiscum, quod molochen agriam vocant, & aliqui pistolochiam, hulceribus cartilaginis & ossibus fractis medetur. Folia ejus ex aqua pota alvum solvunt, serpentes abigunt. Apum, vesparum, crabronum ictibus illita medentur. Radicem ejus ante Solis ortum erutam involvunt lana coloris, [2] quem nativum vocant, præterea ovis quæ feminam peperit, strumisque vel suppuratis alligant. Quidam ad hunc usum auro effodiendam censent: cavendumque ne ferram attingat. [3] Celsus & podagris quæ sine tumore sint, radicem ejus ex vino decoctam imponi jubet.

Cap. v. XV. Alterum genus est [1] staphylinos, quod pastinacam vocant. [2] Ejus semen contritum & in vino potum, tumentem alvum, & suffocationes mulierum, doloresque lenit in tantum, ut vulvas corrigat: illitum quoque e passo ventri earum prosit: viris vero prodest, cum panis portione æqua tritum, ex vino potum contra ventris dolores. [3] Pellit & urinam: [4] & phagedænas hulcerum sistit recens cum melle impositum, vel aridum farina inspersum. [5] Radicem ejus Dieuches contra jocineris, ac lienis, ilium, lumborum, & renum vitia, ex aqua mulsa dari jubet. Cleophantus [6] & dysentericis veteribus. [7] Philistion in lacte coquit, & [8] ad stranguriam dat radicis uncias quatuor: [9] Ex aqua hydropicis, similiter & [10] opisthotonicis, & pleuriticis, & comitialibus. [11] Habentes eam feriri a serpentibus negantur: [12] aut qui ante gustaverint, non lædi. Percussis imponitur cum axungia. Folia contra cruditates manduntur. Orpheus amatorium inesse staphylino dixit, fortassis quoniam [13] Venerem stimulari hoc cibo certum est: [14] ideo conceptus adjuvari aliqui prodiderunt. [15] Ad reliqua & sativa pollet. Efficacior tamen silvestris, magisque in petrosis nata. [16] Semen sativæ quoque contra scorpionum ictus, ex vino aut posca, salutare est. [17] Radice ejus circumscalpti dentes, dolore liberantur.

XVI. Syria in hortis operosissima est: indeque proverbium Græcis: [1] Multa Syrorum olera. Simillimam staphylino herbam serit, quam alii [2] gingidion vocant, tenuius

Notæ.

27. *Democritus.*] Et Plinius Valer lib. 4. cap. 1.

28. *Ob id fortassis voci.*] Hoc ipsum auctoritate Florentini tradit auctor Geopon. lib. 12. cap. 22. Ex quo intelligis ea quæ libidinem incitant, vocem quoque lædere: uti e diverso, quæ Venerem inhibent, vocem juvare Nam Plinius lib. 26. sect. 61. auctor est, radicem Nymphææ inhibere Venerem, & affluentiam geniture, ob idque corpus ac vocem alere.

29. *Hæc antipathia.*] Raphanum humectare, hyssopum vero calidum natura esse, docet Hippocr. lib. 2. de diæta, sect 25. & 26

30. *Et aurium gravitati.*] Marcell. Empir. lib. de medic. cap. 9. pag. 75. *Raphanus quoque, inquit, id est, radices quæ manducatur, succus infusus auricula dolenti, infusum prodest.*

31. *Nam vomituris summo cibo*] Hoc est, primo cibo, & a jejunis. Dioscor. lib. 2. cap. 137. Ἀρμόζει δὲ καὶ τοῖς ἐμεῖν μέλλουσιν ἀπὸ δείπνου. Atque ipse quidem Plinius, libro superiore, sect 26. de raphanis, *Medici suadent*, inquit, *dandos cum sale jejunis esse, atque ita vomitionibus præparant meatum.* Ita etiam Celsus. lib. 1. cap. 3. *Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere: si difficilius, aquæ, vel salis, vel mellis paulum adiicere. At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse radiculam debet.* Quando præterea juvet ex raphano ciere vomitum, vide apud Galenum, lib. 2. τῶν ἐμέτων.

Sect. XIV. 1. *Pastinacæ .... hibiscum*] Illud ipsum, de quo egimus libro sup sect. 27. Id vero a nonnullis perperam appellari μολόχην sive μολόχην ἀγρίαν, hoc est, malvam agrestem, & πιστολοχίαν, obiter admonet.

2. *Quem nativum vocant.*] Is pullus scilicet colos est. De nativis coloribus egimus lib. 8 sect. 73.

3. *Celsus.*] Libro 4. cap. 24. de articulorum doloribus in manibus, pedibusque: *Ubi dolor*, inquit, *vehemens urget, interest sine tumore is sit, an tumor cum calore. . Nam si tumor nullus est, calidis fomentis opus est... ac deinde noctu cataplasmata calefacientia imponere, maximeque hibisci radicem ex vino coctam*

Sect. XV. 1. *Staphylinos.*] Pastinacæ genus agreste intelligit, de quo lib. 19. sect. 27. Dioscoridi lib 3. cap. 59. est σταφυλῖνος ἄγριος.

2. *Ejus semen.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 32.

3. *Pellit & urinam.*] Ita Diocles Caryst. libro primo de tuenda valetud. apud Athen. lib. 9 pag. 371. Galenus, lib. 8. de fac simp. med. pag. 231.

4. *Et phagedænas.*] Galenus loc. cit. Plinius Valer. lib 4. cap. 32. Dioscor loc. cit.

5. *Radicem ejus.*] Plinius Valer loc. cit.

6. *Et dysentericis.*] Sic etiam Plinius idem Valer. *Dysentericis veteribus.*

7. *Philistion in lacte coquit.*] Nempe ad dysenteriam, & præterea ad stranguriam: uti ex Plinio Valeriano intelligimus.

8. *Ad stranguriam.*] Στραγγουρίαν Græci dixere, urinæ stillicidium, dum scilicet urina nonnisi per intervalla stillis fluit.

9. *Ex aqua hydropicis &c.*] Plinius Valer loc cit. & Dioscor. lib. 3. cap. 59.

10 *Opisthotonicis.*] Ὀπισθότονος dicitur, cui cervix in posteriorem partem ita contractis nervis dirigitur, ut flecti non possit Plinius lib 28. sect. 52 *dolorem inflexibilem* ὀπισθότονον definit. Vide & quæ dicturi sumus lib. 23. sect. 24.

11. *Habentes eam.*] Sic Plinius Valer. loc. cit.

12. *Aut qui ante.*] Diosc loc. cit. & Plinius Valer.

13. *Venerem stimulari.*] Diphilus Siphnius apud Athen lib. 9. pag. 371. qui & idcirco ait φίλτρον id a nonnullis appellari. Sic Plinius Valer. loc. cit.

14. *Ideo conceptus.*] Dioscoc loc. cit. Συνεργεῖ δὲ καὶ συλλήψει.

15. *Ad reliqua, &c.*] Dioscor. loco citato.

16. *Semen sativæ.*] Plinius Valer. lib 4. cap. 32.

17. *Radice ejus.*] Plinius Valer loc. cit.

Sect. XVI. 1. *Multa Syrorum.*] Πολλὰ Σύρων λάχανα: quo de proverbio, vide Cæl. Rhodig. lib. 25. cap. 25. pag. 1188. & Erasmum, Chiliad. 1. Cent. 8. Adag. 56. Id ad Syrorum ignaviam Cælius refert.

2. *Gingidion.*] Galenus, lib. 2. de alim. fac. cap. 55. pag. 364. tom. 6. Πλεῖστον ἐν Συρίᾳ τὸ γιγγίδιον φύεται. Simillimum pastinacæ silvestri pariter Dioscorides facit, lib. 2. cap. 167. sed tenuius, amariusque. Græci scriptoris verba sic legenda esse ex Crateva suo prodit Anguillara, part. 7. pag 107. Φύεται πλεῖστον ἐν Κιλικίᾳ τε καὶ Συρίᾳ, βοτάνιον σταφυλίνῳ μὲν ἐοικὸς ἀγρίῳ, λεπτότερον δὲ καὶ πικρότερον, ὅπερ τῇ χώρᾳ. Vulgo *Visnagha* & *Busnagha* vocant. A Matthiolo pingitur, in lib. 2. Diosc. pag. 525. quale in horto Regio vidimus. Glossæ Philoxeni. *Cerepolium*, γιγγίδιον: ubi eruditi. *Cerefolium* legi monent oportere: idque adeo esse gingidion censent, quod Galli *Cerfeuil*, vocitant: falso imperiti Glossarum concinnatoris errore delusi: neque enim cerefolium, γιγγίδιον est.

tantum

tantum & amarius, ejusdemque effectus. [3] Estur coctum crudumque stomachi magna utilitate. [4] Siccat enim ex alto omnes ejus humores.

XVII. [1] Siser erraticum sativo simile est, & effectu: [2] stomachum excitat, fastidium absterget, ex aceto [3] laserpitiato sumptum, aut ex pipere & mulso, vel ex garo. Urinam ciet, ut [4] Opion credit, & Venerem. In eadem sententia est & Diocles. Præterea 5 cordi convenire convalescentium, aut post multas vomitiones perquam utile. Heraclides contra argentum vivum dedit, [5] & Veneri subinde offensanti, ægrisque se recolligentibus. Hicesius [6] ideo stomacho utile videri dixit, quoniam nemo tres siseres edendo [7] continuaret: esse tamen utile convalescentibus ad vinum transeuntibus. Sativi privatim succus cum lacte caprino potus sistit alvum. 10

XVIII. Et quoniam plerosque similitudo nominum Græcorum confundit, contexímus [1] & de sili: sed hoc est vulgatæ notitiæ. Optimum [2] Massiliense: lato enim grano & fulvo est. Secundum Æthiopicum, nigrius. Creticum odoratissimum omnium. [3] Radix jucundi odoris est. Semen esse & vultures dicuntur. [4] Prodest homini ad tussim veterem, [5] rupta, convulsa, in vino albo potum. [6] Item opisthotonicis, & jocinerum vitiis; & tor- 15 minibus, & stranguriæ, duarum aut [7] trium ligularum mensura. [8] Sunt & folia utilia, ut quæ partus adjuvent etiam quadrupedum. [9] Hoc maxime pasci dicuntur cervæ parituræ. Illinuntur & igni sacro. [10] Multumque in summo cibo concoctionibus confert, vel folio, vel semine. Quadrupedum quoque alvum sistit, sive tritum potui infusum, sive mandendo commanducatum e sale. [11] Boum morbis tritum infunditur. 20

XIX. [1] Inula quoque a jejunis commanducata, dentes confirmat, si ut eruta est, terram non attingat: [2] condita tussim emendat. [3] Radicis vero decoctæ succus [4] tineas pellit: siccatæ autem in umbra farina tussi, & convulsis, & inflationibus, & arteriis medetur. Venenatorum morsus abigit. [5] Folia ex vino lumborum dolori illinuntur.

XX. Cæpæ silvestres non sunt. Sativæ olfactu ipso [1] & delacrymatione caligini me- 25

NOTÆ.

3. *Estur coctum*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit. *Λαχανίζεται δὲ ὠμὸν καὶ ἑφθὸν, καὶ ταριχευθὲν ἐσθίεται. ἔστι δὲ εὐστόμαχον.* Vide & Galen lib. 6. de simpl. medic. fac. pag. 166.

4. *Siccat enim ex alto.*] Ita libri omnes. Fuit cum *ex alvo* mallem. Sed *ex alto* idem valet atque ex imo ac profundo stomachi recessu, sinuve.

Sect. XVII. 1. *Siser erraticum.*] De sativo dictum est sup. libro, sect. 28.

2. *Stomachum excitat.*] Diosc. lib. 2. cap. 139. Stomacho prodest, urinam ciet, appetentiam invitat: *εὐστόμαχος, οὐρητικὴ, ὀρέξεως παρακλητική.* Vide Notas & Emendationes, num. IX.

3. *Laserpitiato.*] Quod fuerit prius laserpitii succo dilutum.

4. *Opion credit.*] In MSS. *Opinion.* Nos *Ophelion*, ut in Indice diximus, sincerius arbitramur.

5. *Et Veneri, ... offensanti.*] Deficienti.

6. *Ideo stomacho utile.*] Ita libri omnes. Sunt qui velint *inutile* legi: Frustra: Idcirco utile Hicesius stomacho credidit, quod periculi nihil sit ne largius sumatur: neminem enim esse qui siseres tres edere continuo possit: modice porro sumptos, prodesse: nocere, si copiosius edantur.

7. *Continuaret.*] Sic Horatius, lib. 2. Serm. 6. *Continuatque dapes.*

Sect. XVIII. 1. *Et de sili.*] Veteribus Græcis Σέλι sive Σίλι, idem fuit, quod recentioribus deinde σέσελι. Herodoto, in Euterpe, *σιλλικύπριον*, quod Dioscoridi, lib. 4. c. 164. *σέσελι Κρητικόν.* Nec Græcis modo, sed & Latinis scriptoribus. Festus: *Silatum antiqui, pro eo quod nunc jentaculum dicimus, appellabant: quia jejuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant.*

2. *Massiliense.*] Tria hæc genera in horto Regio vidimus. Massiliense a Lobelio pingitur, in Observ. pag. 457. Creticum sive Tordylion ab eodem, pag. 425. Æthiopicum seseli frutex a Dodonæo, pag. 310.

3. *Radix jucundi*] In triplici nempe genere proxime laudato. Dioscor. quoque, lib. 3. cap. 60. de Massiliensi, *ῥίζα μακρὰ, εὐώδης.*

4. *Prodest . . . . ad tussim veterem.*] Diosc. loc. cit.

5. *Rupta, convulsa.*] *Ῥήγματα καὶ σπάσματα* Græci dicunt, ut Diosc. lib. 2. *Εὐπορ.* sect. 34. pag. 78. *Ῥῆγμα* nervorum tendonumque fractura est (alii arteriarum & venarum esse volunt) *σπάσμα* eorumdem nervorum convulsio, retractio, & quædam quasi complicatio.

6. *Item opisthotonicis.*] Orthopnoicis & stranguriæ mederi prodidit similiter Galenus, lib. 8. de fac. simpl. medicam. pag. 227.

7. *Trium ligularum.*] In MSS. *trium linguarum.* Lingua, seu ligula, mensuræ genus est, quæ & cochlear dicitur: est autem pars quarta cyathi, de quo lib. 21. sect. 109.

8. *Sunt & folia.*] Et semen quoque capris, ceterisque pecudibus ad partum juvandum dari, scribit Diosc. lib. 3. cap. 60. *Δίδοται δὲ καὶ αἰξὶ καὶ τοῖς λοιποῖς κτήνεσι πρὸς εὐτοκίαν.*

9. *Hoc maxime.*] Vide quæ diximus lib. 8. sect. 50.

10. *Multumque in summo cibo.*] Primo cibo, ut supra, sect. 13. Semen quidem e vino potum, conferre concoctioni plurimum, auctor est Diosc. loc. cit. Et vinum silatum idcirco ante meridiem bibere solitos veteres fuisse paulo ante ex Festo diximus.

11. *Boum, ... infunditur.*] Faucibus scilicet.

Sect. XIX. 1. *Inula quoque.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. & Apuleius, cap. 95. tit. 2.

2. *Condita tussim.*] Nempe condita melle. Plinius Valer. lib. 1. cap. 58. *Inula pulvere*, inquit, *ligula plena melle mixto & cocto, unam mane, & alteram sero accipies: hoc tussi medetur, & arterias lenit.*

3. *Radicis vero decoctæ.*] In vino videlicet. Nam Marcellus Empir. cap. 28. pag. 200. *Radix inulæ*, inquit, *in vino decoquitur: dein succus ejus exprimitur, potuique datur ad tineas enecandas. Sed ea radix posteaquam eruta est, terram non debet attingere.* Eadem habet pæne totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 21. De foliis Apuleius, cap. 95. tit. 3. *Ad lumbricos: Herba inula folia ex vino trita, mirifice cum bibuntur, necant lumbricos.*

4. *Tineas pellit.*] Sive tænias. *Ταινίας* vocantur lati longissimique vermes, qui totius intestini longitudinem interdum adæquant. Veteres tænias & tineas indiscrete dixerunt. Sic Cato de re rust. cap. 126. *Si tineæ & lumbrici molesti erunt.* Scribonius Largus, Compos. 140. *Ad tineas & lumbricos necandos.* Apuleius item, cap. 35. tit. 4. *Ad lumbricos & tineas.* Plinius Valer. lib. 2. cap. 21. *Tinea quoddam vitium ventris est*, &c. Q. Serenus, cap. 31. de lumbricis & tineis purgandis, pag. 145.

Quid non adversum miseris mortalibus addit
Natura, interno cum viscere tinea serpens,
Et lumbricus edax, &c.

Alias etiam Plinio nostro tineæ, lib. 11. sect. 41. eæ sunt fere, quas idem blattas appellat, lib. 29. sect. 39. quas simul, ceu diversas, appellat Horatius, lib. 2. Satyr. 3.

Stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ.

5. *Folia ex vino.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 36. *Lumbis dolentibus curandis: Inulæ foliorum, sive radicis pulveris denarii duo ex vini cyatho uno bibiti, emendant.*

Sect. XX. 1. *Et delacrymatione.*] Delacrymatio, inquit, acrimonia cæparum excita, oculorum caligini depellendæ prodest.

dentur, magis vero [2] succi inunctione. [3] Somnum etiam facere traduntur, & hulcera oris sanare, commanducatæ cum pane. [4] Et canis morsus, virides ex aceto illitæ, aut siccæ cum melle & vino, ita ut post diem tertium solvantur. [5] Sic & attrita sanant. Co-
ctam in cinere & epiphoris multi imposuere cum farina hordeacea, & genitalium hulce-
5 ribus. [6] Succo & cicatrices oculorum, & albugines, & argema inunxere: & serpentium morsus, & omnia vulnera cum melle. Item auricularum cum lacte mulierum: [7] & in iis-
dem sonitum ac gravitatem emendantes, cum adipe anserino, aut cum melle stillavere. [8] Et ex aqua bibendum dedere repente obmutescentibus. [9] In dolore quoque ad dentes colluendos instillavere, & plagis bestiarum omnium, privatim scorpionum. [10] Alopecias
10 fricuere, & psoras, tusis cæpis. [11] Coctas dysentericis vescendas dedere, & contra lumbo-
rum dolores: purgamenta quoque earum cremata in cinerem illinentes ex aceto serpen-
tium morsibus, [12] sepisque multipedæ ex aceto. [13] Reliqua inter medicos mira diversitas. [14] Proximi utiles esse præcordiis & concoctioni, inflationemque, & sitim facere dixerunt. Asclepiadis schola, [15] ad colorem quoque validum profici hoc cibo. [16] Et si jejuni quo-
15 tidie edant, firmitatem valetudinis custodiri: stomacho utiles esse, [17] spiritus agitatione: ventrem mollire, [18] hæmorrhoïdas pellere, subditas [19] pro balanis: succum cum succo feniculi contra incipientes hydropises mire proficere. [20] Item contra anginas, cum ruta & melle. [21] Excitari eisdem lethargicos. Varro, quæ sale & aceto pista est arefactaque, ver-
miculis non infestari, auctor est.

CAP. VI. 20 XXI. [1] Porrum sectivum profluvia sanguinis sistit in naribus contrito eo obturatis, vel gallæ mixto, aut mentæ: Item ex abortu profluvia, poto succo cum lacte mulierum. [2] Tus-
si etiam veteri, ac pectoris & pulmonis vitiis medetur. Illitis foliis sanantur & ambusta, & epinyctides: [3] ita vocatur hulcus, quæ & syce, in angulo oculi perpetuo humore ma-
nans. [4] Quidam eodem nomine appellant pusulas liventes, ac noctibus inquietantes. [5] Et
25 alia hulcera cum melle trito: vel bestiarum morsus ex aceto: [6] item serpentium. [7] Au-
rium vero vitia cum felle caprino, vel pari mensura mulsi: stridores cum lacte mulieris:

NOTÆ.

2 *Succi inunctione.*] Sic Diosc. lib. 2. cap. 181. & Galenus, lib. 7. de facult. simp. med. pag. 198 E Latinis Plinius Valer lib. 1. cap 18. Hippocratem secutus, cujus illud effatum est, lib. de diæta, *κρόμμυον τῇ ὄψει ἀγαθόν*.

3. *Somnum etiam.*] Plinius Valer. lib. 4 cap 26.

4 *Et canis morsus.*] Dioscor. & Plinius Valer. locis citatis.

5. *Sic & attrita.*] Attritus nempe calceamentorum. Vide Notas & Emend. num X.

6. *Succo*, &c.] Diosc. loc. cit. Cicatrix porro *νεφέλιον* est, vitium scilicet oculorum, quod nubeculam vocant. Paulus Ægineta, lib. 3. albugines & cicatrices ita distinguit, ut has in superficie consistere dicat, & non solum *οὐλὰς*, sed & *νεφέλια* appellari: illas vero *λευκώματα* dictas, altius progressas cicatrices esse. *Ἄργεμα* vero tum dicitur, quoties circa orbem iridis, propinquasque ei partes sic exhulceratio fit, ut extimæ irides partes rubere, interiores vero albescere videantur. *Ἄργεμον* vocat Hippocr. lib. 1. de morb. mul.

7 *Et in iisdem sonitum.*] Diosc. lib 2. cap. 181. Marcellus Empir lib de medic. cap 7. pag. 80. *Cepæ succus cum melle permixtus, & auricula instillatus, graviter audientes emendat, dolorem sedat, purulenta expurgat, vermes enecat: aquam etiam, quæ ingressa fuerit, & omnem humorem educit.* Plinius Valer. lib. 1. cap. xi. *Cepæ succum cum melle, quod in carbonibus calefacies, & auricula infundes, mire sanat.* Theodor. Priscianus, lib. 1. cap 7. *de aurium causatione: Sed & ceparum succum, cum anserinis adipibus mixtum similiter injecto, & ovi alborem cum lacte mulieris.*

8. *Et ex aqua.*] Plinius Valer lib. 4. cap. 26.

9. *In dolore quoque.*] Plinius Valer. loc. cit.

10. *Alopecias.*] Plinius Valer. locis citatis. Marcellus Empir. cap. 6. pag. 45. Schola Salernitana:

Contritis cæpis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.

E Græcis Diosc & Galenus, locis citatis.

11. *Coctas dysentericis.*] Plinius Valer loc. cit.

12. *Sepisque multipeda.*] Subintellige, morsibus. De sepe multipeda, sive millepeda, superius sect. 6.

13 *Reliqua inter.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib 4. cap. 26.

14. *Proximi.*] Inter medicos novissimi, quos etiam Plinius Valer. secutus est, cap. cit. de cæpis: *Dioscorides, inquit, putat ex cibo earum sitim accendi, inflationes fieri, caput prægravari.* Dioscoridis verba referenda ex libro 2. cap. 181.

15. *Ad colorem quoque.*] Plinius Valer. loc. cit. Schola Salernitana, de cæpis:

Non modicum sanas Asclepius asserit illas,
Præsertim stomacho, pulcrumque creare colorem.

16. *Et si jejuni.*] Plinius Valer. loco cit.

17. *Spiritus agitatione*] Ea ratione quod spiritus agitet, inquit Plinius Valer. loc cit.

18. *Hemorrhoidas.*] Galenus, lib 7. de fac. simp. medic. pag. 198.

19 *Pro balanis.*] Balani sunt glandes, & id quod glandis forma ad subducendam alvum in podicem manu inditur. Suppositorium vulgus officinarum vocat, *Donner un suppositoire à un malade.*

20. *Item contra anginas.*] Dioscorid. lib 2. cap 181.

21. *Excitari eisdem.*] Cæpis scilicet, si largius edantur. Vide Celsum, lib. 3. cap 20. & Diosc. loc cit.

Sect XXI. 1. *Porrum sectivum.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 83. *De porro sectivo trito nares fluentes recte obturantur.* Et Plinius Valer. lib 1. de re med. cap. 26. *Ad profluvium narium In hoc casu*, inquit, *porro sectivo trito nares obturantur.* De galla in hunc usum admiscenda meminit idem Marcellus. Addi mannæ vel thuris micam jubet Diosc. lib. 2. cap. 179

2. *Tussi etiam.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 63. cui titulus, *Ad sanguinem exscreantes, & phthisicos affectus: Porri sectivi succum cum lacte mulieris, cyathos duos jejuno dabis tepefactum.* Adde & Diosc. lib. 2. cap. 179.

3. *Ita vocatur . . . . quæ & syce.*] Alia *ἐπινυκτίδος* acceptio hæc est, præter eam quam sect 6. attulimus. Est porro *συκῆ*, hulcus in capite, superciliis, mento, ac podice, cui a fici similitudine nomen est: tuberculum videlicet hulcerosum, rotundum, subdurum, rubicundum, cum dolore, in partibus præcipue quæ pilo vestiuntur: capite, palpebris, mento, &c. *Σύκωσις* Celso dicitur, lib. 6. cap 3. Et Scribon. Largus, Compos. 38. *Excrescentem carnem, σύκωσιν quam vocant.* Lusit in hoc morbi genus Martialis, lib. 1. Epigr 66.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Et *ficos* Plinius non semel de arborum fetu dixit: at feminèo, ut vocant, genere, non virili.

4. *Quidam.*] Quos inter Celsus a nobis laudatus sectione 6.

5 *Et alia hulcera.*] Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17.

6. *Item serpentium.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 22. *de apum percussibus, vel scorpionum, ceterorumque serpentium Et porrum tritum impositum, statim curat.*

7 *Aurium vero vitia.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 10. & lib. 4. cap. 10. de porro. *Aurium quoque dolores*, inquit, *cum felle caprino, vel pari mensura usi* (lege *mulsi*) *compescuerunt.* Plinius ipse noster, lib. 28 sect. 48 taurinum fel ad aurium dolores & vitia commendat, cum porri succo Diosc. quoque

capitis dolores, si in nares fundatur: [8] dormiturisve, in aurem duobus ſucci cochlearibus, uno mellis. [9] Succus & ad ſerpentium ſcorpionumque ictus bibitur cum mero, [10] & ad lumborum dolores cum vini hemina potus. [11] Sanguinem vero exſcreantibus & phthiſicis, diſtillationibus longis, vel ſuccus, vel ex ipſo cibus prodeſt. [12] Item morbo regio, vel hydropicis. Et ad renum dolores, cum ptiſanæ ſucco acetabuli menſura. Idem modus cum 5 melle, vulvas purgat. Eſtur vero & contra fungorum venena: imponitur & vulneribus. [13] Venerem ſtimulat, ſitim ſedat: ebrietates diſcutit: [14] Sed oculorum aciem hebetare traditur: inflationem quoque facere, quæ tamen ſtomacho non noceat, ventremque molliat. [15] Voci ſplendorem affert.

XXII. [1] Capitato major eſt ad eadem effectus. [2] Sanguinem rejicientibus ſuccus ejus 10 cum gallæ aut thuris farina, vel acacia, datur. [3] Hippocrates & ſine alia mixtura dari jubet: vulvaſque contractas aperire putat: fecunditatem etiam feminarum hoc cibo augeri. [4] Contritum ex melle hulcera purgat. [5] Tuſſim & diſtillationes thoracis, pulmonis & arteriæ vitia ſanat, datum in [6] ſorbitione ptiſanæ: vel crudum, [7] præter capita, ſine pane, ita ut alternis diebus ſumatur: [8] vel ſi pura exſcreentur. [9] Sic & voci, vel Ve- 15 neri, ſomnoque multum confert. [10] Capita bis aqua mutata cocta, alvum ſiſtunt, & fluxiones veteres. Cortex decoctus illituſque [11] inficit canos.

XXIII. [1] Allio magna vis, magnæ utilitates [2] contra aquarum & locorum mutationes. [3] Serpentes abigit, & ſcorpiones odore: [4] atque ut aliqui tradidere, & beſtiarum omnium ictibus medetur, potu, vel cibo, vel illitu. [5] Privatim contra hæmor- 20 rhoïdas prodeſt, cum vino redditum vomitu. [6] Ac ne contra araneorum murium venenatum morſum valere miremur, aconitum, quod alio nomine pardalianches vocatur, debellat: item hyoſcyamum: [7] canum morſus, in quæ vulnera cum melle imponitur. [8] Ad ſerpentium quidem ictus potum [9] cum reſtibus ſuis efficaciſſime ex oleo illinitur: attritiſque corporum partibus, [10] vel ſi in veſicas intumuerint. [11] Quin & ſuffi- 25 tu eo ſecundas partûs evocari exiſtimavit Hippocrates: [12] cinere eorum cum oleo,

NOTÆ.

his adjungendus, lib. 2. cap. 179. & Marcellus Empir. cap. 9. pag. 80.

8. *Dormiturisve*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 20. & Marcellus Empir. cap. 1. *Porri ſectivi ſuccum cochlearia duo, & unum mellis, permixta, ituro dormitum, vel in nares, vel in auriculam tepidum infunde, ſtatim proderit.*

9. *Succus & ad ſerpentium.*] Dioſc. lib. 2. cap. 179. Sotion in Geopon. lib. 12. cap. 29. pag. 352. Theod. Priſcianus, loc. cit.

10. *Et ad lumborum.*] Marcellus Empir. cap. 25. pag 172. & Plinius Valerianus, lib. 2. cap 36. & lib. 4. pag. 20.

11. *Sanguinem vero.*] Marcellus Empir. cap. 16. pag. 120. & Plinius Valer. lib. 4 cap. 20.

12. *Item morbo*] Plinius Valer. lib 2. cap. 59.

13. *Venerem ſtimulat*] Dioſc. loc. cit.

14. *Sed oculorum aciem*] Dioſc. loc. cit

15. *Voci ſplendorem.*] Dioſc loc. cit. *Καθαίρει δὲ καὶ τὴν ἀρτηρίαν*, purgat arteriam. Ariſt. ſect. 11. problem. 39. pag. 741. *Διὰ τί τὸ πράσον συμφέρει πρὸς εὐφωνίαν, ἐπεὶ καὶ τοῖς πέρδιξι;* *Cur porrum voci confert? nam & perdici id ea re conferre ſcimus.* Sotion quoque in Geopon. loc. cit. Vide quæ de Nerone dicta, lib. 19 ſect. 33.

Sect. XXII. 1. *Capitato major.*] Hæc Plinius Valer. a noſtro plane ad verbum, lib. 4 cap. 20.

2. *Sanguinem.*] Plinius Valer. loc. cit.

3. *Hippocrates.*] Libro 2. de morbis mulier. tex. 89. pag 612. ac lib. de ſterilibus, tex 13. pag 630. Item Plinius Valer. loc. cit. In vulvæ præcluſione ac duritie, *πρὸς μύσεις καὶ σκληρίας ὑστέρας*, porri capitati comam in aceto coctam dari Dioſc. jubet, lib. 2. cap. 179.

4. *Contritum.*] Marcellus Empir. cap. 4 pag. 42. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 21. & lib. 4 cap 20.

5. *Tuſſim.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 4. cap. 20. Marcellus Empir. cap. 16. pag. 116. *Porro contuſi ſuccus expreſſus, cum oleo decoctus, & epotus, plurimum tuſſientibus prodeſt.*

6. *Sorbitione ptiſanæ.*] Sive ptiſanæ dicatur, de qua lib 18. ſect. 15 ſive alicæ, de qua libro eodem ſect. 29. nihil intereſt. Marcellus Empir. cap. 15. pag. 106. *Pulticulam ex alica facies, in quam capita porrorum contuſa mittes, & ſimul decoques, & deinde colabis, & ſorbitione ea contra faucium moleſtias, cum volueris, uteris.* Et cap. 17 pag. 124. *Utiles ſunt inter multa quamvis moleſta, ſuſpirioſis ſorbitiones de porro capitato facta, & ex urtica, atque naſturtii ſemine.* Hauſere iſti a Celſo, lib. 4 cap. 4. qui ad tuſſim *ſorbitiones* commendat, *in quibus porrum incoctum fuerit: cibumque mollem, ut malvam, & urticam.*

7. *Præter capita.*] Demptis capitibus, folia uti cruda edantur. Sic in morbo haud multum abſimili, Plinius Valer. lib. 1. cap. 28 *Ad ſtillationem narium ex humore: Porri capitati folia cruda ſine pane eduntur.* Idem de ſectivo Marcellus, cap. 14. pag. 102. *Uvæ diſtillationi .... proſunt porri ſectivi folia non cocta, ſine pane, aſſidue manducata.*

8. *Vel ſi pura.*] Etiam ſi e thorace pus exſcreetur. Dioſc. lib. 2. cap. 179. *Ἀνάγει τὰ ἐκ θώρακος.*

9. *Sic & voci,* &c.] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib 4. cap. 20.

10. *Capita bis.*] Plinius Valer. loc. cit.

11. *Inficit canos.*] Canitiem pellit, capilloſque denigrat.

Sect. XXIII. 1. *Allio magna.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 4. cap. 17.

2. *Contra aquarum.*] Plinius Valer. loc. cit. *Peregrinantibus ejus datum, minime patitur eos aquarum ac locorum mutatione perturbari.*

3. *Serpentes abigit,* &c.] Plinius Valer. loc. cit. & Simeon Sethi, lib. de alim. fac. de allio: *Φυγαδεύει δὲ τοῦτο καὶ τὰ ἑρπετά, ὥσπερ καὶ τὰ σκορπία,* &c.

4. *Atque ut aliqui.*] Plinius Valer. loc. cit. & auctor Geopon. lib. 12. cap. 30. pag. 353.

5. *Privatim contra hæmorrhoïdas.*] Αἱμοῤῥοῒς non morbi hoc loco, ſed ſerpentis quoddam genus eſt, ex eo dictum, quod morſu ſanguinem eliciat, & diſſolutis venarum commercis, quidquid animæ eſt, evocet per cruorem, ut refert Solinus, cap. 27. pag 51. De eo Lucanus, lib. 9. verſ. 708.

At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem,
Squamiferos ingens hæmorrhoïs explicat orbes.

Vide Sarraceni notas in Dioſc lib 2. cap. 182. De ſerpente porro hic agi, non de morbo venarum ani, qui hæmorrhois quoque appellatur, vel ex orationis ſerie ipſa conſtat.

6 *Ac ne contra.*] Dioſc. lib 2 pag 182.

7. *Canum morſus.*] Dioſc. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 51. & lib. 4. cap. 17.

8. *Ad ſerpentium.*] Hæc ad verbum Plinius Valer. lib. 4. cap. 17.

9. *Cum reſtibus ſuis.*] Cum foliis.

10. *Vel ſi in veſicas.*] Etiamſi partes eæ attritæ, in veſicæ morem intumeſcant. Plinius Valer. loc. cit. *Quæque in veſica (lege, in veſicas) intumeſcunt, leniter impoſitum.*

11. *Quin & ſuffitu eo.*] Et eſu quoque allii, ſecundas evocari auctor eſt idem Hippocrates, lib. 1. de morbis mulier ſect 74 Suffitu vero Plinius Valer. loc. cit. ex eodem Hippocrate, & Dioſc. lib. 2. cap. 182. Secundas porro *ὕστερα*, Latini pariter ac Græci membranam eam vocant, qua partus obvolutus utero prodit, quæ & ſecundina dicitur. Vulgo ab Anatomicis. *l'Arrierefaix.*

12. *Cinere eorum.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 17. & Marcellus Empir. cap. 4 pag. 40 *Allium cum ſua veſte comburitur, cinisque ejus ex oleo capitis hulceroſo imponitur.*

capitis hulcera manantia sanitati restituens. [13] Suspiriosis coctum, aliqui crudum id tritum dedere. [14] Diocles hydropicis cum centaurio, [15] aut in fico duplici ad evacuandam alvum: quod efficacius præstat viride cum coriandro in mero potum. [16] Suspiriosis aliqui & tritum in lacte dederunt. [17] Praxagoras & contra morbum regium vino miscuit: & contra ileum in oleo & pulte: sic illinens strumis quoque. Antiqui & insanientibus dabant crudum. [18] Diocles phreneticis elixum. Contra anginas tritum imponi, & gargarizare prodest. [19] Dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis imminuit, vel si decocti aqua colluantur, addaturque ipsum in cava dentium. [20] Auribus etiam instillatur succus cum adipe anserino: [21] phthiriases [22] & porrigines potum, tusum item cum aceto & nitro compescit: distillationes cum lacte, vel tritum, permixtumve caseo molli: quo genere & raucitatem extenuat: vel phthisin, in fabæ sorbitione. [23] In totum autem coctum utilius est crudo, elixumque tosto: Sic & voci confert. [24] Tineas & reliqua animalia interaneorum pellit, in aceto mulso coctum. [25] Tenesmo in pulte medetur. [26] Temporum doloribus illitum elixum: & pusulis coctum cum melle, deinde tritum. [27] Tussi cum adipe vetusto decoctum, vel cum lacte: Aut si sanguis etiam exscreetur, vel pura, sub pruna coctum, & cum mellis pari modo sumptum: Convulsis, ruptis, cum sale & oleo. Nam cum adipe [28] tumores suspectos sanat, [29] Extrahit fistulis vitia cum sulphure & resina, [30] etiam arundines cum pice. [31] Lepras, lichenas, lentigines exhulcerat, sanatque cum origano: [32] vel cinis ejus ex oleo & garo illitus. [33] Sic & sacros ignes. [34] Sugillata aut liventia ad colorem reducit, combustum ex melle. [35] Credunt & comitialem morbum sanari, si quis eo in cibo utatur ac potione. [36] Quartanas quoque excutere potum caput unum cum laserpitii obolo in vino austero. [37] Tussim & alio modo, ac pectorum suppurationes quantaslibet sanat, [38] fractæ incoctum fabæ, atque ita in cibo sumptum, donec sanitatem restituat. Facit & somnos, atque in totum rubicundiora corpora. Venerem quoque stimulat cum coriandro viridi tritum, potumque e mero. [39] Vitia ejus sunt, quod oculos hebetat, inflationes facit, stomachum lædit copiosius sumptum, sitim gignit. [40] Cetero contra pituitam, & gallinis & gallinaceis prodest mixtum farre in cibo. Jumenta urinam reddere, atque non torqueri tradunt, si trito [41] natura tangatur.

XXIV. [1] Lactucæ sponte nascentis primum est genus ejus, [2] quam caprinam vocant,

Notæ.

13. *Suspiriosis*, &c.] Vide Notas & Emend. num. X I.

14. *Diocles.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. loc. cit.

15. *Aut in fico duplici.*] Plinius Valer. lib 3. cap. de hydropisi: *Allium viride*, inquit, *cum fico duplici malum evocat.* Et lib. 2. de allio: *Viride cum coriandro & fico datum, alvum mollire perhibetur.* Ficus duplex ea est quæ reliquis major, amplorisque formæ, quæ & marsica appellata est, lib. 15. sect. 19. Vegetius, lib. 1. Artis Veterin. *Addisque notem duplices ficus.* Idem alio loco: *Ficus duplices viginti, ruta fasciculum.* Horatius, lib. 2. Satyr. 2. vers. 122.

At nux ornabat mensas, cum duplice ficu.

16. *Suspiriosis*] Plinius Valer. lib 4. cap 17.

17. *Praxagoras.*] Plinius Valer. hæc iisdem verbis, loc. cit & lib 2. cap 59. Q. Serenus, cap. 59. de Regio morbo pellendo, pag. 161.

Allia trina dabis vino madefacta calenti.

18 *Diocles.*] Et Plinius Valer. lib. 3. cap. 9.

19. *Dentium .... vel si decocti aqua.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. & Dioscor. lib. 2 cap 182.

20. *Auribus etiam.*] Plinius Valer lib. 4. cap. 17. Rursum hoc medicamentum proponitur ad aurium vitia, lib. 29. sect. 39

21 *Phthiriases.*] Q. Serenus, cap. 6. de phthiriasi arcenda, pag 128.

Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi:
Vel nitro ac sale permixtis, acidove liquore
Laxatis, ut fiat simul allia, tangere corpus.

22. *Et porrigines.*] Porrigo, Græce πιτυρίασις, est ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, eæque acutæ resolvuntur, in modum furfuris, & interdum madent, multo sæpius siccæ sunt. Fere in capillo fit, rarius in barba, aliquando in supercilio. Celsus, lib. 6. cap 2. Describitur satis eleganter a Q. Sereno, cujus carmen recitabimus sect. 84 Vide Notas & Emend. num. X I I.

23. *In totum autem.*] Plinius Valer. lib 4. cap. 17.

24. *Tineas*, &c.] Marcellus Empir. cap. 28. pag. 200. Plin Valer. lib. 2. cap. 21. & lib. 4. cap 17. Scribonius Largus, Compos 140 *Ad tineas necandas, ejiciendas, per triduum allium plurimum edat*, &c.

25. *Tenesmo.*] Plinius Valer lib. 4. cap. 17.

26. *Temporum.*] Plinius Valer. loc. cit.

27. *Tussi cum adipe.*] Crudum coctumve allium in cibo sumptum, tussim lenire ait Diosc. lib. 2 cap. 182. Q. Serenus, cap. 18 pag. 136.

Interdum fauces tussi quatiuntur acerba:
Allia tum sumes decocta, & molle peruncta.

Celsus, lib. 4 cap. 4. ubi de tussientibus: *Utilis est*, inquit, *cibus interdum mollis, ut malva, ut urtica. interdum acer, ut lac cum allio coctum.*

28. *Tumores suspectos.*] Quos esse pestilentes jure suspiceris.

29. *Extrahit fistulis.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 3. cap 22. Et Marcellus Empir. cap. 4. pag. 42. *Allium contritum cum sulphure & resina, hulcerum & fistularum quælibet vitia extrahit.*

30. *Etiam arundines.*] Arundinum infixas corpori assulas. Vide Notas & Emend. num. X I I I.

31. *Lepras*, &c.] Diosc. lib 2. cap 182.

32. *Vel cinis ejus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 34.

33. *Sic & sacros.*] Plinius Valer. loc cit.

34. *Sugillata.*] Diosc. loc. cit & Plinius Valer. lib. 3. cap 47. iisdem verbis. Sugillata Græcis, τὰ ὑπώπια, partes sunt circa oculos percussionibus contusæ & lividæ: sed & de omni contusione corporis, & livore, in qualibet parte, ea vox tum Latina, tum Græca effertur. Glossarium: *Sugillare*, πλήσσειν, ὑπωπιάζειν.

35. *Credunt &c.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 58.

36. *Quartanas quoque.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap 6.

37. *Tussim & alio modo.*] Præter allatum proxime his verbis, *Tussi cum adipe vetusto decoctum, vel cum lacte.* Hic Gelenius cespitavit.

38. *Fractæ incoctum fabæ.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 17. ubi hæc transscripsit, *in faba coctum* dixit.

39. *Vitia ejus.*] Hæc pariter Diosc. lib. 2. cap. 182 Oculos hebetare prodidit etiam Hippocr lib. 2. de diæta sect. pag. 214.

40. *Cetero contra.*] Vide quæ diximus lib. 10. sect. 78.

41 *Natura tangatur*] Naturæ nomen pro genitalibus usurpat, verecundiæ causa. Vide inferius lib 21. sect. 15.

Sect XXIV. 1. *Lactuca sponte nascentis.*] Hoc est, silvestris, quæ a sativa distat.

2. *Quam caprinam*] Hanc eo nomine jam superius indicavit, libro 19. sect. 39. Marinam vocat Celsus, lib. 2. cap. 12. *Lactuca marina lac, inquit, cujus gutta panis adjecta abunde purgat.* Et lib. 3 cap 21. de aqua inter cutem: *Prodest etiam lactuca marina, quæ grandis juxta nascitur, semen cum aqua potui datum.* Eadem τιθύμαλλος est, uti dicetur lib. 26 sect. 39. Et testis quoque Celsus, lib 5. cap. 7. *Lactuca marina, inquit, quæ a Græcis τιθύμαλλος nominatur.* Igitur istud est tithymali genus, quod paralium vocant, purgationibus aptum, de quo lib. 26. Plinius ipse ejusdem lib. 26. sect. 39. *Tithyma-*

qua pisces in mare dejecta protinus necantur, qui sunt in proximo. [3] Hujus lac spissatum, mox in aceto pondere obolorum duûm, adjecto aquæ uno cyatho, hydropicis datur. Caule & foliis contusis, asperso sale, [4] nervi incisi sanantur. [5] Eadem trita ex aceto, colluta matutinis bis mense, dentium dolorem prohibent.

XXV. Alterum est genus quod [1] Græci cæsapon vocant. Hujus folia trita, & cum 5 polenta illita, hulceribus medentur. Hæc in arvis nascitur. [2] Tertium genus est in silvis nascens, isatin vocant. [3] Hujus folia trita cum polenta vulneribus prosunt. [4] Quarto infectores lanarum utuntur: simile erat lapatho silvestri foliis, nisi plura haberet, & nigriora. [5] Sanguinem sistit. Phagedænas & putrescentia hulcera, quæ serpunt, sanat: item tumores ante suppurationem. Contra ignem sacrum radice vel foliis prodest: [6] vel ad lienes pota. Hæc propria singulis. 10

XXVI. [1] Communia autem sponte nascentibus, candor, caulis interdum cubitali longitudine, [2] & ipso, & foliis scabritia. Ex his rotunda folia & brevia habentem sunt [3] qui hieraciam vocent, quoniam accipitres scalpendo eam, succoque oculos tingendo, obscuritatem, cum sensere, discutiant. Succus omnibus candidus, viribus quoque papaveri similis: carpitur per messes inciso caule, conditur in fictili novo, ad multa præclarus. [4] Sanat omnia oculorum vitia cum lacte mulierum: argema, nubeculas, cicatrices, [5] adustionesque omnes: præcipue caligines. Imponitur etiam oculis in lana [6] contra epiphoras. [7] Idem succus alvum purgat, in posca potus ad duos obolos. [8] Serpentium ictibus medetur in vino potus. Et folia, thyrsique triti, ex aceto bibuntur. Vulneri illinuntur maxime contra scorpionum ictus. Verum contra phalangia commixto vino ex acero. Aliis quoque venenis resistunt, exceptis quæ strangulando necant, aut iis quæ vesicæ nocent: item psimmythio excepto. Imponuntur & ventri ex melle atque aceto, ad detrahenda vitia alvi. Urinæ difficultates, succus emendat. Cratevas eum & hydropicis obolis duobus in aceto & cyatho vini dari jubet. 15 20 25

[9] Quidam & e sativis colligunt succum minus efficacem. [10] Peculiares earum vires partim jam dictæ sunt, somnum faciendi, Veneremque inhibendi, æstum refrigerandi, stomachum purgandi, sanguinem augendi. Non paucæ restant: quoniam & inflationes discutiunt, ructusque lenes faciunt. [11] Nec ulla res in cibis aviditatem incitat, inhibetque eadem: [a] in causa alterutraque modus est. Sic & alvum copiosiores solvunt, mo- 30

INTERPRETATIO.

a *In causa.*] Utrumque præstat, pro diverso sumendi modo.

NOTÆ.

lam nostri herbam lactariam vocant, alii lactucam caprinam, &c.

3. *Hujus lac.*] Diosc. lib. 2. pag. 166. hanc vim eamdem lactucæ silvestris lacti adscribit, eumdemque fere dandi modum imperat: lactucæ marinæ semini. Celsus, lib. 3. cap. 21.

4. *Nervi incisi.*] Ad hos usus adhibitum a se tithymali succum Galenus ipse prodidit, lib. 3. τῶν κατὰ γένη, cap. 2. pag. 716.

5. *Eadem trita.*] Idem fere de tithymalo Diosc. lib. 4. cap. 165.

Sect. XXV. 1. *Græci cæsapon.*] Sic libri omnes etiam MSS. tum hoc loco, tum hujus loci indice. Dalecampius *æsapon* legit: sed in ea voce nugari cum recte Salmasius admonuit, in Solin. pag. 258.

2. *Tertium genus.*] Lactucæ videlicet: quo nomine nunc comprehenduntur genera herbarum omnia, quæ lacteum succum fundunt. Hanc porro isatin, quam in silvis nasci Plinius admonet, silvestrem intelligi ab eo perspicuum est, atque adeo diversam ab ea qua infectores uti consuevere: hæc enim sativa est, uti mox ex Oribasio docebimus: quod Salmasium fugit, loc. cit.

3. *Hujus folia.*] Sic Diosc. lib. 2. cap. 216. nec paulo etiam expressius Galenus, lib. 6. de simp. medicam. fac. pag. 179.

4. *Quarto.*] Isati nimirum sativa. Oribasius, lib. 11. fol. 199. post Diosc. lib. 2. cap. 215. & Galenum, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 179. *Isatis sativa herba est, qua tingendis lanis infectores utuntur: folia plantaginis habet, pinguiora tamen & nigriora. Silvestris vero isatis est sativæ similis: folia tantum habet majora ad lactucæ foliorum similitudinem*, &c. De isati plura dicemus lib. 22. sect. 2. Silvestris iconem exhibet Dodonæus, pag. 79. Sativæ idem, & Lobelius in Observat. pag. 189.

5. *Sanguinem sistit*, &c.] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 215. de sativa isati; & Galenus loc. cit. Uterque post Hippocr. lib. de hulceribus, tex. 7. pag. 669.

6. *Vel ad lienes.*] Et isati quoque silvestri hanc vim attribuit Diosc. loc. cit.

Sect. XXVI. 1. *Communia autem sponte nascentibus.*] Hoc est, silvestribus, superius explicatis. De sativis inferius.

2. *Et ipso.*] Et in ipso caule, & in folia quædam scabrities inest.

3. *Qui hieraciam.*] Galli vocant *Laitué sauvage.*] Apuleius, cap. 30. *Græcis thridax agria dicitur, alii hieracion .... Itali lactuca silvatica.* Et tit. 1. *Ad oculorum caliginem: Dicunt aquilam, cum in altum volare voluerit, prospicere rerum naturas, lactucæ silvaticæ folium evellere, & succo ejus sibi oculos tingere, & maximam inde claritudinem accipere. Herbæ igitur lactucæ silvaticæ succum cum vino optimo vetere, & melle acapno, quod sine fumo collectum est, mixtum in ampullam vitream condito, & eo utaris: summam medicinam experieris.* Hoc ipsum refert de accipitre Ælianus, lib. 2. hist. anim. cap. 43.

4. *Sanat omnia.*] Apuleius, loc. cit. & Diosc. lib. 2. cap. 166. Ἀποσμήχει δὲ καὶ ἄργεμα, ἀχλύς. Ποιεῖ καὶ πρὸς ἐπικαύματα ἐγχριόμενον σὺν γυναικείῳ γάλακτι. Hoc loco ἐπίκαυμα oculorum est sordidum, impurum, crustosumque hulcus.

5. *Adustionesque omnes.*] Hulcera oculorum exusta putat hic Dalecampius intelligi: nos ambusta (nisi de iis paulo post sermo foret) hoc est, adustiones a fervente aqua vel igni factas. De his enim Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17. *De ustione calida, vel ignis .... Et lactuca trita cum salibus, pro cataplasmate imposita, continuo curant. ... Alumine scisso cum oleo contrito omnes ustiones ungo.*

6. *Contra epiphoras.*] Ἐπιφορά, oculi præcipue morbus est, qui fit ab humorum influxu atque impressione. Is cum cetera membra obsidet, partis in quam fit impetus ingruentis humoris semper nomen adjici consuevit, ventris puta, aut uteri, aut testium epiphoras appellando.

7. *Idem succus.*] Diosc. loc. cit. Καθαίρει δὲ μετ' ὀξυκράτου ποθεὶς ὁ ὀπὸς δυοῖν ὀβολοῖν ὁλκῇ, ὑδρωπικοὺς κατὰ κοιλίαν.

8. *Serpentium.*] Diosc. loc. cit. *Scorpionum.*

9. *Quidam & e sativis.*] Diosc. loc. cit. iisdem verbis.

10. *Peculiares .... jam dictæ sunt*] Libro 19. sect. 38 Has quoque lactucæ dotes complexus est Diosc. lib. 2. cap. 165. & 166.

11. *Nec ulla res.*] Forte, *nec alia res.*

dicæ sistunt. Lenitiam pituitæ digerunt, atque ut aliqui tradiderunt, [11] sensus purgant. Stomachi dissoluti utilissime adjuvantur: in eo usu & [12] oxypori obolis asperitatem addito dulci ad intinctum aceti temperantes: si crassior pituita sit, scillite aut vino absinthite: & si tussis sentiatur, hyssopite admixto. Dantur cœliacis cum intubo erratico, & ad duritiam præcordiorum Dantur & melancholicis candidæ copiosiores, & ad vesicæ vitia. Praxagoras & dysentericis dedit. Ambustis quoque prosunt recentibus, priusquam pustulæ fiant, cum sale illitæ. Hulcera etiam, quæ serpunt, coërcent, initio cum aphronitro, mox in vino. Tritæ igni sacro illinuntur. Convulsa & luxata caulibus tritis cum polenta ex aqua frigida leniunt. [14] Eruptiones papularum, ex vino & polenta. In cholera quoque coctas patinis dederunt: ad quod utilissimæ quam maximi caulis & amaræ. [a] Quidam lacte infundunt. Defervefacti hi caules & stomacho utilissimi traduntur: sicut somno æstiva maxime lactuca, & amara lactensque, quam [15] meconidem vocavimus. [16] Hoc lac & oculorum claritati cum muliebri lacte utilissimum esse præcipitur, dum tempestive capiti inunguntur. [17] Oculorum quoque vitiis, quæ frigore in iis facta sunt. Miras & alias invenio laudes: Thoracis etiam vitiis prodesse, non secus quam abrotonum, cum melle Attico. Purgari & feminas hoc cibo. Semen sativarum contra scorpiones dari. Semine trito ex vino poto & libidinum imaginationes in somno compesci. [18] Tentantes aquas non nocere lactucam edentibus. Quidam tamen frequentiores in cibo officere claritati oculorum tradiderunt.

CAP. VIII. XXVII. Nec beta sine remedio est utraque. Sive candidæ, sive nigræ radix recens, & madefacta, suspensa funiculo, contra serpentium morsus efficax esse dicitur. [1] Candida beta cocta, & cum allio esitata contra tineas: nigræ radices ita in aqua coctæ, [2] porriginem tollunt: atque in totum efficacior esse traditur nigra. Succus ejus capitis dolores veteres, & vertigines: [3] item sonitum aurium sedat, infusus iis: ciet urinam. Medetur dysentericis injecta, [4] & morbo regio. Dolores quoque dentium sedat illitus succus. Et contra serpentium ictus valet, sed hujus radici duntaxat expressus. [5] Ipsa vero decocta, pernionibus occurrit. [6] Albæ succus epiphoras sedat, fronte illita: aluminis pauco admixto, [7] ignem sacrum. [8] Sine oleo trita licet, [9] adustis medetur. [10] Et contra eruptiones papularum, coctaque eadem contra hulcera quæ serpunt, illinitur: [11] & alopeciis cruda, & hulceribus quæ in capite manant. [12] Succus ejus cum melle naribus inditus caput purgat. Coquitur & cum lenticula addito aceto, [13] ut ventrem molliat. [14] Validius cocta fluxiones stomachi sistit & ventris.

INTERPRETATIO.

a *Quidam.*] Quidam cum lacte infundunt clysteribus.

NOTÆ.

11. *Sensus purgant*] Sic paulo inferius sect. 34 brassicæ esu sensus purgari dicit.

13 *Oxypori obolis.*] Lactucis, inquit, stomachi adjuvantur, cum oxyporo, quod oboli mensura capiatur, cujus asperitatem addito passo (γλυκεῖ dulci) mitigant ad intinctum aceti Si crassior pituita in stomacho videbitur, non oxyporo dulcibus edomito, sed scillite aceto, aut absinthite vino utendum cum lactucis. Ὀξύπορα dicebantur, quæ aceto condita ad intinctus servabantur. Apud Columellam, lib. 12. caput postremum inscribitur, *Moretum oxyporum*, vel ut alii, *oxygarum, quemadmodum componas.* Muria conditis lactucas auctor est Diosc. lib. 2. cap 165. Oxymelite, Plinius, cap. 19. sect. 38.

14 *Eruptiones papularum*] Quæ Græci ἐξανθήματα, Plinius nunc papulas, nunc eruptiones pituitæ vocat: tubercula videlicet, quæ jejunæ salivæ defricatione curantur Papulis cutis exasperatur, & rubet, leviterque roditur. Celsum vide, lib. 5. cap. postremo, *ut de papulis*

15. *Meconidem vocamus.*] Libro 19. sect 37. Μηκωνὶς atræ lactucæ & amaræ genus, cui nomen est a lactis soporiferi copia Laudat eam Galenus, lib. 8. κατὰ τόπους, cap. 4. pag. 577.

16. *Hoc lac.*] Diosc loc. 2. pag. 166.

17. *Oculorum quoque vitiis.*] Adustionibus forte ex frigore, quas ἐπικαύματα eo loco appellat Dioscorides.

18. *Tentantes aquas.*] Aquas quæ sensum cerebrumve tentent, quales memorantur, lib 31. sect. 11. 12. &c.

Sect. XXVII. 1. *Candida beta.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 21.

2. *Porriginem tollunt.*] Marcellus Empir. cap. 4. pag 40. *Beta viridis contusa expressaque succo porriginosum caput frequenter in balneo lotum, omni tabe purgatur.* Diosc lib 2. cap. 149. Τὸ δὲ τῆς ῥίζης καὶ τῶν φύλλων ἀφέψημα, πίτυρα καὶ κονίδας σμήχει, &c

3. *Item sonitum.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 10. *Gummi edera,* inquit, *cum beta nigra succo tritum & tepefactum auribus infundis: ita tamen ut & rubi teneri succum misceas . . . . ventositatem & dolorem tollit.*

4. *Et morbo regio.*] Celsus, lib. 3. cap. 42. *potui dat ictericis cum aqua betam albam contritam.*

5. *Ipsa vero decocta.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 10. de beta. *Pernionibus in fomento adhibita prodest.* Theod. Priscianus, lib. 1. cap. de pernionibus. *Prosunt & decoctiones betarum, quibus alumen scissum infuderis.* Diosc loc. cit. Τὸ δὲ τῆς ῥίζης καὶ τῶν φύλλων ἀφέψημα χίμετλα πραΰνει προκαταντλούμενον. *Decoctum radicum ac foliorum perniones fotu mitigat.*

6. *Albæ succus.*] Plinius Valer lib. 1. cap. 14. *Ad oculorum dolorem: Beta alba trita fronti imponitur.*

7. *Ignem sacrum.*] Hanc medendi facultatem utriusque betæ radici Dioscorides adjudicat, lib 2 cap 149.

8. *Sine oleo trita licet*] Forte rectius, *sine oleo trita elixave.* Nam Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17. *De ustione calidæ, vel ignis: Beta elixa contrita imponitur*

9. *Adustis medetur.*] Sive ambustis, πυρικαύστοις. Dioscor. loco cit de radice betæ coctæ.

10. *Et contra eruptiones.*] Dioscorides loco citato.

11. *Et alopeciis.*] Diosc. loco cit. & Plinius Valer. libro 4 cap. 10.

12. *Succus ejus.*] Diosc. loco cit. & Marcellus Empir. cap 5. pag. 44.

13 *Ut ventrem molliat.*] Alba nimirum beta, quæ mollit alvum: ut dos est nigræ contraria, sistendi: Diosc. loco cit. Τεῦτλον διαφόρως ἐστί, ὧν τὸ μὲν μέλαν σταλτικώτερον κοιλίας σὺν φακῷ ἑψηθέν· τὸ μᾶλλον ἡ ῥίζα· τὸ δὲ λευκὸν, εὐκοίλιον. Martialis, lib. 3. Epigr 47.

Pigroque ventri non inutiles betas.

Injusta accusatione hoc loco Dalecampius Plinii famæ notam inurit, quem rei medicæ fuisse rudem ait: quod convicium quidem cum ingerit, suam magis inscitiam prodit

14. *Validius cocta.*] Ut brassicam constat inter auctores, quemadmodum dicetur sect. 34. non percoctam alvum solvere, bis coctam sistere: idem & in beta fieri indicat: ut non percocta ventrem molliat, validius cocta sistat. Quare sic & Celsus accipiendus est, qui lib 2. cap. 30. inter ea quæ ventrem adstringunt, lenticulam affert, cui beta ad-

XXVIII. [1] Est & beta silvestris, quam limonion vocant, alii nevroïdes, multum minoribus tenuioribusque ac densioribus foliis, undecim sæpe, caule lilii. Hujus folia ambustis utilia, [2] gustantium os adstringunt. [3] Semen acetabuli mensura dysentericis prodest. Aqua & e radice coctæ maculas vestium elui dicunt, [4] itemque membranarum.

XXIX. [1] Intubi quoque non extra remedia sunt. [2] Succus eorum cum rosaceo & aceto capitis dolores lenit. [3] Idemque cum vino potus, jocineris, & vesicæ: & epiphoris imponitur. Erraticum apud nos quidam [4] ambulam appellavere. [5] In Ægypto cichorium vocant, quod silvestre sit. Sativum autem serin, quod est minus & venosius.

XXX. [1] Cichorium refrigerat. In cibo sumptum & illitum collectiones, succusque decocti ventrem solvit. Jocineri, renibus, & stomacho prodest. Item si in aceto decoquatur, urinæ tormina discutit. Item morbum regium e mulso, si sine febre sit. Vesicam adjuvat. Mulierum quidem purgationibus decoctum in aqua adeo prodest, ut emortuos partus trahat. Adjiciunt Magi, succo totius cum oleo perunctos favorabiliores fieri, & quæ velint, facilius impetrare. Quod quidem propter singularem salubritatem [2] aliqui chreston appellant, alii pancration.

XXXI. [1] Et silvestre genus, alii hedypnoida vocant, latioris folii. Stomachum dissolutum adstringit cocta: crudaque sistit alvum. Et dysentericis prodest, magis cum lente. Rupta & convulsa utroque genere juvantur. [2] Item quibus genitura valetudinis morbo effluat.

XXXII. [1] Seris & ipsa lactucæ simillima, duorum generum est: silvestris melior. Nigra ista, & æstiva. [2] Deterior hiberna, & candidior. Utraque amara, stomacho utilissima, præcipue [3] quem humor vexat. [4] Cum aceto in cibo refrigerant vel illitæ: [5] discutiuntque & alios, quam stomachi. [6] Cum polenta silvestrium radices stomachi causa sorbentur: [7] & cardiacis illinuntur super sinistram mammam ex aceto. Omnes hæ & podagricis utiles, & sanguinem rejicientibus: Item quibus genitura fluat, [8] alterno dierum potu. Petronius Diodotus, qui [9] anthologoumena scripsit, in totum damnavit serin multis modis arguens. Sed aliorum omnium opinio resistit.

XXXIII. Brassicæ laudes longum est exsequi, [1] cum & Chrysippus medicus privatim volumen ei dicaverit, per singula membra hominis digestum, & Dieuches: ante omnes autem Pythagoras & Cato non parcius celebrarint. Cujus sententiam vel eo diligentius persequi par est, ut noscatur qua medicina usus sit [2] annis DC. Romanus populus. In tres

CAP. IX.

NOTÆ.

jecta sit, brassicamque bis decoctam.

Sect. XXVIII. 1. *Est & beta.*] Hæc iisdem verbis Oribasius, lib xi. fol 504. Oribasio Dioscorides prævit, lib. 4. cap. 16. Vide Notas & Emendat. num. XIV. Pingitur a Matthiolo λειμώνιον, seu νευροειδὲς, in lib. 4. Dioscor. pag 980. quale in Horto Regio observavimus. Λειμώνιον porro scito vocitari, quod in pratis nascitur, ut Diosc ait, ἐν λειμῶσι.

2. *Gustantium os.*] Vide Notas & Emend. num. XV.

3. *Semen acetabuli*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 7. de facult. simp. medic. pag. 201.

4. *Itemque membranarum.*] Pergamenarum membranarum elui sordes ait aqua ea, in qua cum sua radice cocta beta sit.

Sect. XXIX. 1. *Intubi quoque.*] Intubus vel intubum Latinis, genera duo complectitur: sativum, sive serin: & cichorium, quod silvestre sive erraticum.

2. *Succus eorum.*] Plinius Valer. ad verbum, lib 4. cap. xi de intubo.

3. *Idemque cum vino*] Plinius Valer loco cit. *Jecoris & vesica vitia intubus cum vino haustus emendat.* Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 13. *Intuba frequenter comesta semper hepaticos juvant.*

4. *Ambulam appellavere.*] Ita MSS. omnes, quos vidimus, quasi indita appellatione ab ambulando, quo satis apte convenit cum altera erratici intubi nomenclatione. Iidem tamen libri in Indice, *Ambubaia.* Celsus, lib. 2. cap 30. *Vel intubus, vel ambubeia*, non semel. Est cichorium silvestre, sive picris Dodonæi, pag. 624. *Chicorée sauvage.*

5. *In Ægypto cichorium vocant*] Erraticum scilicet illud genus, de quo dictum proxime. Ita Galenus, libro 8 de fac. simp. medic pag. 227. πικρίδα & κιχώριον vocat silvestre genus: σέριν sativum. Quanquam & ipsum silvestre cichorium Aëtius σέριν vocat.

Sect. XXX. 1. *Cichorium.*] Erraticum videlicet intubum, sive πικρίς.

2. *Aliqui chreston.*] Χρηστὸν, a bonitate, παγκράτιον ab eximia vi, efficientiaque omnimoda.

Sect. XXXI. 1. *Et silvestre genus.*] Cichorium latioris folii, apud Dodon. pag. 623 Quod in cibo sumptum jucundiorem animam, suavioremque faciat, id apud Græcos nomen invenit, ἡδύπνοις.

2. *Item quibus genitura*] Genitale semen.

Sect. XXXII. 1. *Seris & ipsa.*] Columella, lib. 8. cap. 14. *Genus intubi, quod Græci σέριν appellant*: Sativum videlicet, sive hortense, *Chicorée* Hæc duum generum, Dioscoride etiam auctore, est lib. 2. cap. 160 quanquam is diversas discriminis notas affert. De vocis hujus *Seris* intellectu, vide Galenum, lib. 2. de alim. fac. cap. 41. pag. 360.

2. *Deterior .... & candidior.*] Quæ a similitudine lactucæ, alba lactuca a Plinio Valeriano dicitur, eo quem mox afferemus loco. Silvestris eadem appellatur, quod est, ut ait Diosc angustiore folio, & amariore.

3. *Quem humor vexat.*] Ita MSS. Reg. Colbert. &c. In Chiffl. *quem uror vexat* Diosc. loco cit. prodesse ait dissoluto & æstuanti stomacho, εὐστόμαχοι, στόμαχον παρηγοροῦσι, καὶ καυσούμενον.

4. *Cum aceto.*] Diosc loco cit.

5. *Discutiuntque & alios.*] Humores videlicet, quæ vox ex antecedentibus subintelligi hoc loco debet.

6. *Cum polenta.*] Cum farina bordeacea, σὺν ἀλφίτῳ. Diosc. loc. cit.

7. *Et cardiacis.*] Diosc. loco cit. & totidem fere verbis Didymus in Geopon. lib 12. cap. 28 pag. 350. Plinius Valer. lib. 3. cap. 21. *Cardiacis sanandis Lactuca albæ nomen est feris: qua trita & imposita mammæ sinistræ, magnifice sudorem minuit.* Cardiacus dicitur, qui morbo laborat cardiaco. Ait autem Celsus, lib. 3. cap. 19 cardiacum morbum aliud nihil esse, quam nimiam imbecillitatem corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Καρδίαν veteres stomachum appellabant, hoc est, os ventriculi.

8. *Alterno dierum potu.*] Si alternis diebus sumatur. Didymus in Geopon. loc. cit. Αἱμοπτυικοῖς ὁ χυλὸς ὠφελιμώτατος, εἰ παρὰ μίαν πίνοιεν.

9. *Anthologoumena.*] Ἀνθολογούμενα, (sic enim MSS. Reg. Colb. & Chiffl. ooo, ut libri editi, *antilegomena*.) hoc est, florilegia.

Sect. XXXIII. 1. *Cum & Chrysippus &c.*] Transcripsit hæc Plinius Valer. lib. 4. de re med. cap. 29

2. *Annis DC.*] Quot ab Urbe condita anni fluxere ad Catonis ævum. Elegans est Plinii Valeriani paraphrasis in hunc locum, cap cit. *Cato tradit populum Romanum, inquit, sexcentis fere annis medicina brassicæ usum: nondum enim in Ur-*

[3] species divisere eam Græci antiquissimi. Crispam, quam selinoïdea vocaverunt, a similitudine apii foliorum, stomacho utilem, alvum modice mollientem. Alteram leam, latis foliis e caule exeuntibus. Unde caulodem quidam vocavere, nullius in medicina momenti. Tertia est proprie appellata crambe, tenuioribus foliis, & simplicibus, densissimisque: amarior, sed efficacissima. [4] Cato crispam maxime probat, dein lævem grandibus foliis, caule magno. [5] Prodesse tradit capitis doloribus, oculorum caligini scintillationique, lieni, stomacho, præcordiis crudam ex aceto & melle, coriandro, ruta, menta, laseris radicula, sumptam acetabulis duobus matutino: tantamque esse vim, ut qui terat hæc, validiorem fieri se sentiat. Ergo vel cum his tritam, sorbendam, vel ex hoc intinctu sumendam. [6] Podagræ autem morbisque [7] articularis illini cum rutæ, coriandri, & salis mica, hordei farina. [8] Aqua quoque ejus decoctæ, nervos articulosque mire juvari, [9] si foveantur vulnera, & recentia & vetera, etiam carcinomata, quæ nullis aliis medicamentis sanari possint. Foveri prius aqua calida jubet, ac bis die tritam imponi. [10] Sic etiam fistulas, & luxata, & humores evocari, quæque discuti opus sit. [11] Insomnia etiam, vigiliasque tollere decoctam, si jejuni edant quamplurimam ex oleo, & sale. [12] Tormina, si decocta iterum decoquatur, addito oleo, sale, cumino, polenta. Si ita sumatur sine pane, magis profuturam. [13] Inter reliqua bilem detrahi per vinum nigrum pota. [14] Quin & urinam ejus qui brassicam esitaverit, asservari, calefactamque nervis remedio esse. Verba ipsius subjiciam, ad exprimendam sententiam: [15] Pueros pusillos si laves ea urina, numquam debiles fieri. [16] Auribus quoque ex vino succum brassicæ tepidum instillari suadet. Idque etiam tarditati audientium prodesse asseverat. [17] Et impetigines eadem sanari sine hulcere.

XXXIV. Græcorum quoque opiniones jam & Catonis causa poni convenit, in iis dumtaxat, quæ ille prætermiserit. Biles detrahere non percoctam putant. [1] Item alvum solvere, eamdemque bis coctam sistere. [2] Vino adversari, ut inimicam vitibus. [3] Antecedente in cibis caveri ebrietatem, postea sumpta crapulam discuti. [4] Hunc cibum & oculorum claritati conferre multum: [5] succum vero crudæ vel angulis tantum tactis cum Attico melle, plurimum. Facillime concoqui, ciboque eo sensus purgari. Erasistrati schola clamat, nihil esse utilius stomacho nervisque, ideo & paralyticis [6] & tremulis dari jubet, & sanguinem exscreantibus. [7] Hippocrates cœliacis & dysentericis bis coctam cum sale. Item ad tenesmon, & renum causa: [8] lactis quoque ubertatem puerperis hoc cibo fieri judicans, [9] & purgationem feminis. [10] Crudus quidem caulis si mandatur, partus

Notæ.

hem commeaverant medici, quæ in artem redegerunt, quemadmodum magno salutis constet, & peregrina secum pigmenta attulerunt, ut aliis imponerent pretia quæ vellent. Ceterum militares viri gloriosas cicatrices grossitio olere curabant. eodem horto cura usi ad salutem, dum illos pascit, & sanat.

3. *In tres species.*] De his actum est libro sup. sect. 41. Græci vocant σελινώδια, λεῖαν sive καυλώδη, κράμβην.

4. *Cato crispam.*] De re rust. cap. 157. pag. 85.

5. *Prodesse tradit.*] Ibidem, pag. 86. Hæc ad verbum Plinius alter Valerianus, lib. 4. cap. 29. ubi hoc Catonis antidotum vocat.

6. *Podagræ autem.*] Idem Cato, pag. 86. *Verum morbum articularium nulla res tantum purgat, quantum brassica cruda, si eam edes cum ruta, & coriandro concisam.* Ita etiam Paxamus in Geopon. lib. 12. cap. 17. pag. 337. & Plinius Valer. loc. cit.

7. *Articularis.*] Ita MSS omnes. Plinius Valer. *articularibus.* Quædam Catonis exemplaria *articularem* morbum habent.

8. *Aqua quoque ejus.*] Plinius Valerianus, lib. 4. cap. 29.

9. *Si foveantur.*] Cato, cap. 157. pag. 85. Plinius Valer. lib. 3. cap. 22. Paxamus in Geopon. loc. cit.

10. *Sic etiam fistulas.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVI.

11. *Insomnia etiam.*] Cato, loc. cit. pag. 86.

12. *Tormina.*] Cato, cap. 156. pag. 84. & cap. 157. pag. 87.

13. *Inter reliqua.*] Hæc paulo enucleatius Cato, cap. 156. pag. 84.

14. *Quin & urinam.*] Cato, cap. 157. pag. 87.

15. *Pueros.*] Cato, loco cit. & Plinius Valer. libro 4. cap. 29.

16. *Auribus quoque.*] Verba hæc sunt Catonis, cap. 157. fere extremo: *Auribus si parum audies, terito cum vino brassicam, succum exprimito, in aurem intro tepidum instillato: cito intelliges te plus audire.* Habet hoc ipsum Plinius Valer. lib. 2. cap. 12. & Paxamus in Geopon. lib. 12. cap. 17. pag. 338.

17. *Et impetigines.*] Cato, loc. cit. *Deinde impetigini parce brassicam apponito, sanam faciet, & hulcus non faciet.* Paxamus in Geopon. loc. cit. Λειχῆνα δὲ ἰᾶται καὶ φύλλα προσεχθέντα. Impetigo, fœdatio cutis est, serpens cum prurita, quam alii scabiem siccam, asperam, & prominentem intelligunt: alii morbum similem scabiei squamosum. Plerique λειχῆνα Græcis dici existimant, de quo jam sect. 2. egimus. Delicias Turnebus facit, dum *porca petigines* hoc loco legit.

Sect. XXXIV. 1. *Item alvum solvere, eamdemque.*] Hæc quoque tradit Galenus, lib. 3. de simp. med. facult. cap. 15. pag. 70. & Dioscor. lib. 2. cap. 145. & 146. *Brassicam bis decoctam alvum adstringere* Celsus pariter admonet, lib. 2. cap. 30. *movere, si subcruda est*, cap. 20.

2. *Vino adversari.*] Si quis dum coquitur brassica, vini paululum instillet, minime percoctum iri, ait Geopon. auctor, lib. 5. cap. 11. pag. 131. De hac antipathia rursum sect. 36.

3. *Antecedente*] Hoc pariter auctor Geopon. loco citato. Theophrastus, Eubulus, Apollodorus, Carystius, Timæus, Nicochares, aliique apud Athæneum, lib. 1. pag. 34. Aristotelis quoque, sect. 3. problem. 17. pag. 697. Διὰ τί ἡ κράμβη παύει τὴν κραιπάλην. E Latinis etiam Cato, cap. 156. pag. 83. *Si voles in convivio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam esto crudam brassicam quantum voles ex aceto. & item, ubi cœnaveris, comesto aliqua quinque folia: reddent te quasi nihil ederis, biberisque: bibesque quantum voles.*

4. *Hunc cibum.*] Ita etiam Paxamus in Geopon. lib. 12. cap. 17. pag. 338. Diosc. quoque, lib. 2. cap. 146.

5. *Succum vero crudæ.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 55. *Brassica cruda, inquit, trita, cum pane candido madefacto subacta, ac fronti illita, dolorem oculorum plurimum relevat.*

6. *Et tremulis.*] Diosc. lib. 2. cap. 146. Τρομώδεσι, quibus sunt artus tremuli.

7. *Hippocrates*] Libro 2. de morb. mul.

8. *Lactis quoque.*] Hippocr. lib. 1. de morb. mul. textu 73. pag. 460.

9. *Et purgationem.*] Hippocr. lib. de nat. mul. tex. 29. pag. 376. & tex. 32. pag. 391. Item lib. 1. de morb. mul. tex. 74. pag. 461.

10. *Crudus quidem.*] Hippocr. loco citato proxime, commanducatam brassicam menses trahere prodidit: affricatam, partum ejicere, pag. 377.

quoque

quoque emortuos pellit. [11] Apollodorus adversus fungorum venena semen aut succum bibendum censet. Philistion opisthotonicis succum ex lacte caprino cum sale & melle. Invenio & a podagra liberatos edendo eam, decoctæque jus bibendo. Hoc & cardiacis datum & comitialibus morbis addito sale. [12] Item splenicis in vino albo per dies XL. [13] Ictericis, nec non & phreneticis radicis crudæ succum gargarizandum bibendumque demonstrat. Contra vero singultus cum coriandro & anetho, melle ac pipere, ex aceto. Illitam quoque prodesse [14] inflationibus stomachi. Item serpentium ictibus, & sordidis hulceribus, ac vetustis, vel ipsam aquam cum hordeacea farina: succum ex aceto, [15] vel cum feno Græco. Sic aliqui & articulis, podagrisque imponunt. [16] Epinyctidas, ac quidquid aliud serpit in corpore, imposita levat. [17] Item repentinas caligines: has & si manditur ex aceto. Sugillata vero & alios livores pura illita. [18] Lepras, & psoras cum alumine rotundo ex aceto. [19] Sic & fluentes capillos retinet. Epicharmus testium & genitalium malis hanc utilissime imponi asserit. Efficacius eamdem cum faba trita. Item convulsis cum ruta. Contra ardorem febrium & stomachi vitia cum rutæ semine: [20] & ad secundas. Et muris aranei morsus, foliorum aridorum farina [21] alterutra parte exinanit.

XXXV. Ex omnibus brassicæ generibus suavissima est [1] cyma, etsi inutilis habetur, difficilis in coquendo, & renibus contraria. Illud quoque non est omittendum, aquam decoctæ, ad tot usus laudatam, foetere humi effusam. Stirpium brassicæ aridorum cinis, [2] inter caustica intelligitur. Ad coxendicum dolores cum adipe vetusto. At cum lasere & aceto [3] in vicem psilothri evulsis illitus pilis, nasci alios prohibet. Bibitur & cum oleo subfervefactus, vel per se elixus, ad convulsa & rupta intus, lapsumque ex alto. Nulla ergo sunt crimina brassicæ? Immo vero apud eosdem animæ gravitatem facere, dentibus & gingivis nocere; [4] & in Ægypto propter amaritudinem non estur.

XXXVI. Silvestris, sive erraticæ, immenso plus effectus [1] laudat Cato: [2] adeo ut aridæ quoque farinam [3] in olfactorio collectam, vel odore tantum naribus rapto, vitia earum graveolentiamque sanare affirmet. Hanc alii [4] petræam vocant, [5] inimicissimam vino, quam præcipue vitis fugiat: aut si non possit fugere, moriatur. [6] Folia habet una, parva, rotunda, lævia, plantis [7] oleris similior, candidior sativa, & hirsutior. Hanc inflationibus mederi, melancholicis quoque, ac vulneribus recentibus, cum melle, ita ne solvantur ante diem septimum: strumis, fistulis, in aqua contritam, Chrysippus auctor est. Et alii vero compescere mala corporis quæ serpant: [8] nomas vocant. Item excrescentia absumere. Cicatrices ad planum redigere. Oris hulcera & tonsillas, manducatam & coctam, succo gargarizato cum melle tollere. Item psoras & lepras veteres, ipsius tribus partibus cum duabus aluminis in aceto acri illitis. Epicharmus satis esse eam contra canis rabiosi morsum imponi. Melius si cum lasere, & aceto acri. Necari quoque canes ea, si detur, ex carne. Semen ejus tostum auxiliatur contra serpentes, fungos, [9] tauri sangui-

NOTÆ.

11. *Apollodorus.*] Paxamus quoque in Geopon. loc. cit.

12. *Item splenicis.*] Hæc pariter Paxamus loco cit. & Diosc. σπληνικοῖς ὠφελεῖ, loc. cit.

13. *Ictericis.*] Et his quoque in vino albo dari per dies XL. Paxamus præcipit loco cit. Sunt autem icterici, qui ictero morbo laborant, quem Varro vocat regium morbum, ut dicemus lib. 22. sect. 53. Vulgus in Gallia a colore flavo, *la Jaunisse.*

14. *Inflationibus stomachi.*] Ita libri omnes, etiam MSS. non, ut quidam voluêre, *inflammationibus.* Sunt enim diversæ ex affectiones stomachi, ut Celsus docet, libro 4. cap. 5. de morbis stomachi: *Modo ingens calor*, inquit, *modo inflammatio, modo exhulceratio afficit.*

15. *Vel cum feno Græco.*] Cum aceto, & feni Græci farina, podagricis articularioque morbo prodesse, hulceribus quoque sordidis ac vetustis, auctor est Dioscorides, lib. 2. cap. 146.

16. *Epinyctidas.*] Diosc. loc. cit.

17. *Item repentinas.*] Diosc. loco cit. brassicam ait auxiliari plurimum iis, quibus est obtusior oculorum acies: ἀμβλυωποῦσι δὲ βοηθεῖ ἐσθιομένη.

18. *Lepras &c.*] Paxamus loc. cit. iisdem fere verbis.

19. *Sic & fluentes.*] Diosc. loc. cit. Ἴσχει δὲ καὶ ῥύσιν τῶν ἐν κεφαλῇ τριχῶν.

20. *Et ad secundas.*] Subintellige, ejiciendas: ἐκβάλλει χορία dixit Hippocrates, lib. 1. de morb. mul. sect. 122.

21. *Alterutra parte.*] Sive superne vomitum, sive inferne alvum ciendo.

Sect. XXXV. 1. *Cyma.*] In omni, inquit, brassicæ genere, cyma quidem suavissima est, ut agnoscunt omnes subtilioris gulæ magistri: est enim, ut dictum est libro superiore, sect. 41. ipsorum caulium tenerior delicatiorque cauliculus: sed idem tamen est medicinæ inutilis: quippe difficilis in coquendo, &c. Cave credas brassicæ genus cymam appellari.

2. *Inter caustica.*] Καυστικὰ medicamenta sunt, quæ adurendi vim habent.

3. *In vicem psilothri.*] Ψίλωθρον, φάρμακον ὠστε ψίλωσιν τῶν τριχῶν, medicamentum ad evellendos pilos, quasi depilatorium.

4. *Et in Ægypto.*] Dioscor lib. 2. cap. 145.

Sect. XXXVI. 1. *Laudat Cato.*] Cap. 157. pag. 87. & 88.

2. *Adeo ut aridæ.*] Cato, loc. cit. pag. 88. *Si polypus in naso introierit, brassicam erraticam aridam tritam in malum conjicito, & ad nasum admoveto: ita subducito sursum animam quamplurimum poteris: in triduo polypus excidet*, &c.

3. *In olfactorio.*] Olfactorium, inquit Joan. de Janua, *vas est unguentarium muliebre, in quo odoramenta gestantur*, nempe ex Isidoro, lib. 19. cap. 31.

4. *Petræam vocant.*] Quod in locis petrosis, præruptisque nascitur ἐν κρημνώδεσι τόποις, ut ait Diosc. lib. 2 cap. 147. a quo hæc ἀγρία κράμβη vocatur. Hæc eadem illa est, inquit Ruellius lib. 2. cap. 132. pag. 446. quæ tot exercuit, immo fere occidit Grammaticos, illo Satyrici senariolo vaticinante, quantam crucem nostris Criticis olim poneret,

Occidit miseros crambe repetita magistros.

5. *Inimicissimam vino.*] Quippe cui si vitis adseratur, a brassica recedat ea quam possit longissime, ut quidem prodit auctor Geopon. lib. 5. cap 11. pag. 131. Paxamus apud eumdem auctorem, lib. 12 cap. 17. pag. 339. ait aut tabe tum brassicam, aut vitem interituram esse. De hac inimicitia iterum Plinius lib. 24. sect. 1.

6. *Folia habet una.*] Ita Reg. 1. cod. Alii *bina* legunt: sed falso. *Una* vero idem est, atque unius generis, ac modi.

7. *Oleris similior.*] Hoc est, brassicæ sativæ.

8. *Nomas vocant.*] Νομαὶ sunt τὰ νεμόμενα τῶν ἑλκῶν, hulcera serpentia quæ depascunt.

9. *Tauri sanguinem.*] Et adversus taurini sanguinis epoti venenum auxiliari brassicæ semen, auctor est Diosc. in Alexipharm. cap. 25.

nem. Folia cocta splenicis in cibo data, & cruda illita cum sulphure & nitro prosunt. Item mammarum duritiæ. Radicum cinis uvæ in faucibus tumenti tactu medetur: & parotidas cum melle illitus reprimit: serpentium morsus sanat. Virium brassicæ unum & magnum argumentum addemus, & mirabile. Crustæ si occupent intus vasa omnia, in 5 quibus aquæ fervent in tantum, ut non sit eas avellere, si brassica in iis decoquatur, abscedunt.

XXXVII. Inter silvestres brassicas & [1] lapsana est, pedalis altitudinis, hirsutis foliis, napi simillimis, nisi candidior esset flore. [2] Coquitur in cibo. Alvum lenit & mollit.

XXXVIII. [1] Marina brassica vehementissime ex omnibus alvum ciet. [2] Coquitur 10 propter acrimoniam cum pingui carne, stomacho inimicissima.

XXXIX. [1] Scillarum in medicina alba est quæ masculus, femina nigra. Quæ candidissima fuerit, utilissima erit. [2] Huic aridis tunicis direptis [3] quod reliquum e vivo est, consectum suspenditur lino, modicis intervallis. [4] Postea arida frusta in cadum aceti quam asperrimi pendentia immerguntur, ita ne ulla parte vas contingant. [5] Hoc fit ante sol- 15 stitium, diebus XLVIII. Gypso deinde oblitus cadus ponitur sub tegulis, totius diei Solem accipientibus. Post eum numerum dierum tollitur vas, scilla eximitur, acetum transfunditur. [6] Hoc clariorem oculorum aciem facit. [7] Salutare est stomachi laterumque doloribus, parum sumptum binis diebus. Sed tanta vis est, ut avidius haustum extinctæ animæ momento aliquo speciem præbeat. Prodest & gingivis, & dentibus, vel per se 20 commanducata. Tineas & reliqua ventris animalia pellit ex aceto & melle sumpta. [8] Linguæ quoque recens subjecta præstat, ne hydropici sitiant. [9] Coquitur pluribus modis: in olla, quæ conjiciatur in clibanum aut furnum, [10] vel adipe aut luto illita, aut frustatim in patinis. [11] Et cruda siccatur, deinde conciditur, coquiturque in aceto, tum serpentium ictibus imponitur. [12] Tosta quoque purgatur, & medium ejus iterum in aqua co- 25 quitur. [13] Usus sic coctæ ad hydropicos, ad urinam ciendam tribus obolis cum melle & aceto potæ. [14] Item ad splenicos, & stomachicos, ([15] si non sentiant hulcus,) quibus innatet cibus. [16] Ad tormina, regios morbos, tussim veterem cum suspirio. [17] Discutit & foliis strumas, quadrinis diebus soluta. [18] Furfures capitis, & hulcera manantia illita,

NOTÆ.

Sect. XXXVII 1. *Lapsana.*] De qua superiore libro, sect. 41.

2. *Coquitur in cibo.*] Et caulis & folia, inquit Diosc. lib. 2. cap. 142.

Sect XXXVIII. 1. *Marina brassica.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 148. Galenus item, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 196. A Lobelio pingitur id brassicæ genus in Observ. pag. 319. quale in horto Regio vidimus.

2. *Coquitur propter*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit.

Sect. XXXIX. 1. *Scillarum.*] Delibata hæc jam superiore libro, sect 30.

2. *Huic aridis tunicis.*] Hanc ipsam aceti scillini concinnandi rationem vide apud Columellam, lib. 12. cap. 33. Marcellum Empir. cap. 20. pag. 149. & apud Diosc. lib. 5. cap 25.

3. *Quod reliquum e vivo.*] E medio, quod tenerius, interiusque est Marcellus Empir. cap 34. pag. 232. *Scillæ bulbi, inquit, quod interius est.* Τὸ μεσαίτατον, quod intimum est meditullium, inquit Diosc. lib. 2. cap 202.

4. *Postea arida.*] In umbra siccata. Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. Sectas taleolas vocat Columella, lib. 12. cap. 33.

5. *Hoc fit ante solstitium.*] Discrepat Columella, qui diebus ante vindemiam XL. id fieri præcipit.

6. *Hoc clariorem.*] Dioscor. lib. 5. cap. 25.

7. *Salutare est.*] Stomachicis, & iis qui ægre cibum concoquunt. Diosc. loco proxime cit.

8. *Linguæ quoque.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 11. plane ad verbum. Apuleius quoque, cap 42. tit. 4.

9. *Coquitur pluribus*] Ita Diosc. lib. 2. cap. 202.

10. *Vel adipe aut luto.*] Dioscor. loc. cit Σταιτὶ δὲ ἢ πηλῷ περιπλασθεῖσα, καὶ δίδοται εἰς κλίβανον ἢ ἄνθρακας ἐμβάλλεται, μέχρις ἂν ὀπτηθῇ ἱκανῶς τὸ περικείμενον αὐτῇ. *Farina subacta, lutove oblinitur, & in clibanum conjicitur, aut prunis obruitur, donec ambiens crusta sufficienter tosta sit.* Ex aliis haud dubie fontibus Plinius hæc hausit. Nam vocem ambiguam στέατος, quæ & adipem, & farinam subactam fermentumve significat, *de la paste*, cur adipem potius redderet, quam farinam, non liquet. Hesychius, pag. 862. Σταῖς, ἄλευρα, ζύμη. Σταῖτος. λίπος. Nisi forte numero solum multitudinis, ut Hesychius innuit, fermentum significet, ac farinam: numero singulari, adipem. At adipe involvi, incoquique scillam, minus commodum videtur, quam si id farina fiat subacta.

11. *Et cruda.*] Hæc quoque Diosc. lib. 2. cap. 202 Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 22. de apum percussibus, vel scorpionum, ceterorumque serpentium. *Scilla cruda trita imponitur, & statim curat.*

12. *Tosta quoque.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 22. ad verbum: & Scribonius Largus, Compos. 76.

13 *Usus sic coctæ*] Diosc loco cit. Apuleius quoque, cap. 42. tit. 1. & ante hos Celsus, lib. 3. cap. 21. Plinius Valer. loc. cit. *Scillæ bulbus torretur, deinde purgatur, & medium ejus in aqua coquitur: cum madidum est, ex eo tres oboli dantur potui ex melle & aceto: evacuatur per urinam.* Theodorus Priscianus, lib. 4. *Ad hydropem: Squilla, id est, bulbus sub prunis furno assatur: deinde circumpurgatur, & medietas ejusdem bulbi in aqua coquitur: posteaquam coquendo colorem mutaverit, tollitur. Ex quo bulbo scrupulus unus & dimidius teratur cum oxymelle: tribus cyathis calefactum, bibendum datur: omnem calamitatem per urinam evacuat.*

14 *Item ad splenicos & stomachicos.*] Diosc. loc. cit. Καὶ σπληνικοῖς, καὶ στομαχικοῖς οἷς ἐπιπολάζει τὰ σιτία. *Stomachicis quibus innatat cibus.* Celsus lib. 4 cap. 9. in lienis morbo *acetum acre sorbere per se, & magis etiam quod scilla conditum sit, expedire ait.* Σπληνικὸς est lienosus, sive qui lienis indurationem patitur. Vide Galenum, lib. 9. κατὰ τόπους, cap 2. pag. 598. Στομαχικὸς, qui stomacho, hoc est, ventriculi orificio laborat, & cibum continere nequit. Vocis hujus acceptionem alias vide apud eumdem Galenum, lib. 8. κατὰ τόπους, cap. 1. pag 563.

15. *Si non sentiant hulcus*] Cavendus enimvero scillæ usus iis, quibus interna quæpiam exhulceratio est, inquit Dioscor lib 2. cap. 202. Φυλάττεσθαι δὲ αὐτῆς τὴν δόσιν δεῖ, ἐφ' ὧν ἕλκωσίς τις ἔσω ἐστίν.

16. *Ad tormina, &c.*] Diosc. loc. cit. Καὶ ἐπὶ ἰκτερικῶν, στροφουμένων, βησσόντων χρονίως, ἀσθματικῶν, αἱμοπτυϊκῶν. Celsus lib. 4 cap. 4. ad tussim pariter veterem *delingere scillam* jubet. Scribonius Largus, Compos. 76. *Ad suspiriosos faciunt bene inter simplicia quidem acetum scillites, quod vocant, cochleario ter quaterve sumptum in die. Prodest & ipsa scilla, argilla circumdata, & furno cocta, purgatis exterioribus putaminibus, & quod tenerrimum est ejus mellis duabus partibus Attici admixtum & tritum, cochleario semel in die bisve sumptum profuit multis.*

17. *Discutit & foliis.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 9. ubi de furunculis & strumis: *Scilla quoque, inquit, si contrita in vicem cataplasmatis imponatur, quatuor diebus permanens continuus, duritias solvit.*

18. *Furfures &c.*] Hanc vim bulbis adscribit Diosc. lib. 2. cap. 20. cum nitro cocto.

ex oleo cocta. [19] Coquitur & in melle cibi gratia, maxime uti coctionem facias. [20] Sic & interiora purgat. [21] Rimas pedum sanat in oleo cocta, & mixta resinæ. Semen ejus lumbotum dolori ex melle imponitur. [22] Pythagoras scillam in limine quoque januæ suspensam malorum medicamentorum introïtum pellere tradit.

XL. Ceterum bulbi ex aceto & sulphure vulneribus in facie medentur. Per se vero triti nervorum contractioni, & ex vino [1] porrigini: cum melle, [2] canum morsibus: Erasistrato placet cum pice. Sanguinem idem eos sistere tradit illitos cum melle. Alii si e naribus fluat, coriandrum & farinam adjiciunt. [3] Theodorus & lichenas ex aceto bulbis curat: [4] & erumpentia in capite, cum vino austero aut ovo. Et bulbos epiphoris idem allinit, & sic lippitudini medetur. Æque vitia quæ sunt in facie, [5] eorum rubentes maxime, in Sole illiti cum melle & nitro, emendant: [6] lentiginem cum vino aut cucumi cocto. [7] Vulneribus quoque mire prosunt per se: [8] aut, ut Damion, ex mulso, si quinto die solvantur. [9] Iisdem & auriculas fractas curat, [10] & testium pituitas: In articulorum doloribus miscent farinam. [11] In vino cocti illiti ventri, duritiam præcordiorum emolliunt. [12] Dysentericis in vino ex aqua cælesti temperato dantur. Ad convulsa intus, cum silphio pilulis fabæ magnitudine. [13] Ad sudorem tusi illinuntur. [14] Nervis utiles: ideo & paralyticis dantur. [15] Luxata in pedibus, qui sunt rufi ex his, citissime sanant cum melle & sale. [16] Venerem maxime Megarici stimulant: [17] hortensii, partum cum sapa aut passo sumpti: silvestres, interaneorum plagas & vitia, cum silphio pilulis devoratis sedant. Et sativorum semen contra phalangia bibitur in vino. Ipsi ex aceto illinuntur contra serpentium ictus. Semen antiqui bibendum insanientibus dabant. Flos bulborum tritus crurum maculas varietatesque igne factas emendat. [18] Diocles oculos hebetari ab iis putat. Elixos assis minus utiles esse adjicit, & difficile concoqui ex vi uniuscujusque naturæ.

XLI. [1] Bulbinem Græci vocant herbam porraceis foliis, rubicundo bulbo. Hæc traditur vulneribus mire utilis dumtaxat recentibus. [2] Bulbus quem vomitorium vocant ab effectu, folia habet nigra, ceteris longiora.

XLII. [1] Utilissimus stomacho cibus asparagi traduntur. [2] Cumino quidem addito inflationes stomachi colique discutiunt: [3] iidem oculis claritatem afferunt. [4] Ventrem leniter molliunt. Pectoris & spinæ doloribus, intestinorumque vitiis prosunt, vino cum coquuntur addito. [5] Ad lumborum & renum dolores, semen trium obolorum ponde- CAP. X.

NOTÆ.

19. *Coquitur &c.*] Diosc. totidem verbis, lib 2. cap. 202.

20. *Sic & interiora.*] Quoniam sic sumpta, viscida excrementa alvo detrahit, inquit Diosc. loc. cit.

21. *Rimas pedum.*] Diosc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232. totidem verbis.

22. *Pythagoras.*] Et Diosc. quoque loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ ἀλεξιφάρμακον ὅλη πρὸ τῶν θυρῶν κρεμαμένη. Sic etiam Zoroastres in Geopon. lib. 15 cap. 1. pag. 406. Quin & vulpes quoque, gnara lupo & scillam adversari, pro speluncæ foribus scillam suspendit, quæ lupum ab ingressu arceat, teste Habdarrahmano Ægyptio, cap. 23 pag. 96. Scilla vim expiandi habere credita olim: quare apud Theophr in Charact. superstitiosus subinde se scillæ circumlatione purificat. Vide Casauboni Notas in eum locum.

Sect. XL. 1. *Porrigini.*] Furfuribus, πιτύροις, Diosc. lib. 2 cap. 200 & Marcellus Empir. cap. 4. pag 40.

2. *Canum morsibus.*] Diosc. loc. cit. cum melle, ac pipere trito.

3. *Theodorus & lichenas.*] Proximum certe lichem & affine malum elephantiasin, hoc medicamento sanari auctor est Plinius Valer lib 2. cap 57. & Q. Serenus, cap. 21. huic propellendo malo, inquit,

Non frustra bulbos, & sulphura jungis aceto.

4. *Et erumpentia.*] Subintellige hulcera: ἀχῶρας dixit Diosc. loc cit.

5. *Eorum rubentes.*] E bulbis ii maxime, quorum cortex radicis ruber. Dioscoridi lib. 2. cap. 200. βολβὸς πυῤῥός.

6. *Lentiginem cum vino.*] Cum melle maluit Q. Serenus, cap. 12.

Proderit & bulbus mellis dulcedine victus.

7. *Vulneribus quoque.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap 20.

8. *Aut, ut Damion, ex mulso.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVII.

9. *Iisdem & auriculas*] Diosc lib. 2. loc. cit cap 200.

10. *Et testium pituitas.*] Sic, opinor, aquosos testium tumores vocat Dolorem testium simpliciter Marcellus Empir. appellat, cap. 33 pag. 228. *Bulbi ex mulso triti atque illiti, dolentibus testiculis medentur.*

11. *In vino cocti.*] Plinius Valer. lib. 2 cap. 15. *Bulbi triti*, inquit, *illiti ventri, bene molliunt, & præcordiorum tumorem curant.*

12. *Dysentericis.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 28. *Dysenteria compescenda: Per se bulbi triti dantur, & in vino austero potio miscetur.*

13. *Ad sudorem.*] Compescendum. Diosc. lib. 2. cap. 200.

14. *Nervis.*] Largiore tamen cibo sumptos nervis nocere bulbos ait Diosc. lib 2. cap. 200.

15. *Luxata.*] Diosc. lib. 2. cap. 200. Græci σπάσματα luxata, seu artus luxatos vocant, cum suo loco mota ossa legitimos naturæ in ea parte motus cum dolore remorantur.

16. *Venerem maxime*] Hoc de bulbis satis universe prodidit Galenus, lib. 6 de fac. simp med. pag. 164 & Diosc. loc. cit. De Megaricis in primis Ovidius a nobis laudatus, lib. 19. sect. 30 De Regiis appellatis, Athenæus lib. 2. pag. 64. Referri huc forte potest vulgata illa apud eumdem Athenæum, loc. cit parœmia ἡ δὲ παροιμία φησιν,

Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς.

Nervos carentem juverit bulbus nihil.

De qua Erasmum consule, Chiliad. 4. Cent. 2. Adag. 42.

17. *Hortensii.*] Iidemque sativi, esculentique appellati.

18. *Diocles oculos.*] Diphilus quoque Siphnius apud Athen. lib. 2. pag 64.

Sect. XLI. 1. *Bulbinem.*] Βολβίνη dicitur Theophrasto, lib. 7. hist. cap. 13. & Matroni apud Athen. lib. 2. pag. 64.

2. *Bulbus quem.*] Oribasii interpres, lib. 11. pag. 193. post Diosc lib 2. pag. 201. *Bulbus qui ad ciendum vomitum accommodatus dicitur, folia habet.... multo longiora, quam is qui edendo est, &c.* Dioscoridi, βολβὸς ἐμετικὸς, &c. A similitudine quam folio cum junco habet, Hispanis Jonquillas nuncupant: a quibus & Galli *Jonquille: Jonquille d'Espagne grande Jonquille: petite Jonquille.* Pingitur a Dodonæo, pag. 226. Sed & quisquis bulbus vomitum ciet, vomitorius dici potest. Vide Anguillaram, par. 7. pag. 119.

Sect. XLII. 1. *Utilissimus.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib. 4. cap 30.

2. *Cumino quidem.*] Plinius Valer loc. cit.

3. *Iidem oculis*] Plinius Valer loc. cit.

4. *Ventrem leniter.*] Plinius Valer. loc. cit. Diosc. lib. 2. cap. 152. & Diocles apud Athen. lib 3. pag. 120.

5. *Ad lumborum.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 36. *Asparagi semen & cumini*, inquit, *pari pondere tritum, & ex vino vel aqua calida potui datum, emendat lumborum & renum vitia.* Et Q. Serenus, cap. 26. de lumbis & renibus sanandis:

Aut caput asparagi cum vino sume vetusto,
Seu mavis, appone: modus conducit uterque.

re, pari cumini bibitur. [6] Venerem stimulant. [7] Urinam cient utilissime, præterquam vesicam exhulcerant. [8] Radix quoque, plurimorum prædicatione, trita, & ex vino albo pota, calculos quoque exturbat, [9] lumborum & renum dolores sedat. [10] Quidam & ad vulvæ dolorem radicem cum vino dulci propinant. [11] Eadem in aceto decocta contra ele-
5 phantiasin proficit. Asparago trito ex oleo perunctum pungi ab apibus negant.

XLIII. Silvestrem asparagum aliqui [1] Libycum vocant, [2] Attici hormenum. [3] Hujus ad supra dicta omnia efficacior vis, & candidiori major. [4] Regium morbum extenuat. Veneris causa aquam eorum decoctam bibi jubent ad heminam. Ad idem & semen valet cum anetho, ternis utriusque obolis. Datur & ad serpentium ictus succus decoctus.
10 Radix miscetur radici marathri inter efficacissima auxilia. Si sanguis per urinam reddatur, semen asparagi, & apii, & cumini ternis obolis in vini cyathis duobus, quinis diebus, Chrysippus dari jubet. Sic & hydropicis contrarium esse, quamvis urinam moveat, docet: [5] Item Veneri. Vesicæ quoque, nisi decoctum: [6] quæ aqua si canibus detur, occidi eos: [7] In vino decoctæ radicis succum, si ore contineatur, dentibus mederi.

Cap. xi. 15 XLIV. [1] Apio gratia in vulgo est. Namque rami largis portionibus per jura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. [2] Præterea oculis illitum cum melle, ita ut subinde foveantur ferventi succo decocti, aliisque membrorum epiphoris: per se tritum, aut cum pane, vel polenta impositum, mire auxiliatur. Pisces quoque si ægrotent in piscinis, apio viridi recreantur. Verum apud eruditos non aliud erutum terra in
20 majore senrentiarum varietate est. Distinguitur sexu. Chrysippus feminam esse dicit crispioribus foliis & duris, crasso caule, sapore acri & fervido. Dionysius nigriorem, brevioris radicis, vermiculos gignentem: Ambo neutrum ad cibos admittendum, immo omnino nefas: [3] nam id defunctorum epulis feralibus dicatum esse: visus quoque claritati inimicum. Caule feminæ [4] vermiculos gigni. [5] Ideoque eos qui ederint, sterilescere,
25 mares feminasque. In puerperiis vero ab eo cibo [6] comitiales fieri qui ubera hauriunt. Innocentiorem tamen esse marem. Eaque causa est, ne inter nefastos frutices damnetur. [7] Mammarum duritiam impositis foliis emollit. [8] Suaviores aquas potui incoctum præstat. Succo maxime radicis cum vino lumborum dolores mitigat. Eodem jure instillato gravitatem aurium. [9] Semine urinam ciet, menstrua, [10] ac secundas partûs. Et, si fo-

Notæ.

6. *Venerem.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 30.

7. *Urinam.*] Plinius Valer. loc. cit.

8. *Radix quoque.*] Diosc. lib. 2. cap. 152. Plinius Valer. lib 2. cap. 36. & lib 4 cap 30. cap. 176. & cap. 179. Marcellus Empir. cap. 25 pag 173 & cap. 26. pag. 176.

9. *Lumborum & renum.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap 25. pag. 173. Plinius Valer. lib. 2. cap. 36. & lib. 4. cap. 30. Apuleius, cap. 84. tit. 4.

10. *Quidam & vulvæ.*] Plinius Valer. lib. 4. cap 30.

11. *Eadem in aceto.*] Plinius Valer. loc. cit. *Contra elephantiasin efficax creditur.* Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130. *Radix asparagi decocta in aceto, & elephantiosis rationabiliter imponitur.* Apuleius, cap 84 tit. 3. *Ad elephantiosos. Herba asparagi radix cocta contrita imponatur elephantiaco, liberabitur.*

Sect. XLIII. 1. *Libycum vocant*] Apuleius, cap. 84 *Græci myacanthan, alii asparagon agrion, Latini corrudam, alii asparagum agrestem, alii asparagum rusticum, alii asparagum nostrum.* Nostrum cum dicit, Libycum, opinor, intelligit. Fuit enim is ex Africa, oppido Madaura.

2. *Attici hormenum.*] Vide quæ diximus superiore libro, sect. 42.

3. *Hujus ad supra dicta.*] Athenæus, lib. 2. pag. 62.

4. *Regium morbum.*] Diosc. lib 2. cap. 152.

5. *Item Veneri.*] Chrysippum secutus Diosc. loc. cit. docet decoctum radicis asparagi haustum, ποιεῖν ἀτόκους καὶ ἀγόνους, partum impedire, ac sterilitatem inducere.

6. *Quæ aqua si canibus.*] Et hoc ex aliorum sententia refert Diosc. loc. cit.

7. *In vino decocta.*] Marcellus Empir. cap. 12. pag. 94 Apuleius, cap. 84. tit. 1. *Ad dentium dolorem. Herbæ asparagi succum in ore oportet continere.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. *Asparagi silvatici radicem in vino decoques: ex hoc in ore contineas: dolorem sedat: succusque ejus similiter facit.* Adde his Diosc. loc. cit. & Galenum, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 160.

Sect. XLIV. 1. *Apio.*] Sativum intelligit, sive hortense: vulgo *Persilum* dicitur: etsi aliter sentire intelligo Aloisium Anguillara, par. 7 pag. 121.

2. *Præterea oculis.*] Oculorum inflammationibus, πρὸς ὀφθαλμῶν φλεγμονάς, inquit Diosc. lib 3. cap 74. Oculorum epiphoris, (quæ Plinii hoc loco mens est, cum sequatur statim, *aliisque membrorum epiphoris*) Apuleius, cap. 118. tit 1. *Ad epiphoras oculorum: Herba apio trita bene cum pane molli, oculi tegantur: mirifice sanat.* Eadem habet Plinius Valer. lib. 1. cap 24. Oculis tumentibus, vel dolentibus, apium imponi cum lacte mulieris Marcellus Empir. jubet, cap. 9. pag. 56. Theod. Priscianus, lib. 2. cap. 10. *de oculorum causis. Et caseus recens, inquit, cum apiorum foliis contritus impositus, sæpe oculos liberavit: & panis mundus vino infusus, & cum oleo roseo tritus, par beneficium præstat.*

3. *Nam id defunctorum.*] In feralibus epulis usi convivæ corona ex apio. Suidas: Σελίνου στέφανος. Πένθιμος· τὸ γὰρ σέλινον νεκροῖς προσῆκον, ὡς ἔφη καὶ Διοκλῆς ἐν τῷ Περὶ ἀρίστων. Adde, ut Plutarchus est auctor, in vita Timoleontis, coronari apio sepulcra: unde vetus illud, *Indigere apio*, de iis qui profligata valetudine utuntur. Suidas, tom. 2. pag. 930. verbo. Τὰ σελίνου δεῖται, ἐπὶ τῶν ἀσφαλῶς νοσούντων· Καὶ γὰρ νῦν τὰ μνήματα στεφανοῦν σελίνοις, ὥς φασι Πλούταρχος. Arnobius lib. 5. contra Gent. pag 169. *Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interempti est sanguine Apium natum, prohibitum mensis olim illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.*

4 *Vermiculos gigni.*] Cum e terra erutus Soli exponitur.

5. *Ideoque eos . . . sterilescere.*] Dissentire a Chrysippo videtur auctor Geopon. lib. 12. cap 23. Βρωθὲν δὲ τὸ σέλινον καταφερεστέρους εἰς τὰ ἀφροδίσια ποιεῖ τὰς γυναῖκας, &c. Habet eadem Simeon Sethi, lib. de alim. tit. Σέλινον.

6. *Comitiales.*] Comitiales fieri, qui apio in cibis utantur, auctor est Simeon Sethi, loc. cit. Galenus tamen in Consilio, pro puero epileptico, tom 10. cap 4 pag. 491. apium smyrniumque, quod genus apii est, degustari ab ejusmodi ægrotis utilissime admonet. Πεπέρι δὲ καὶ σελίνου, καὶ σμυρνίου προσάψασθαί ποτε συνοίσει, &c.

7. *Mammarum*] Diosc lib. 2. cap. 74 Mammas, inquit, χονδρώδεις, grumoso lacte turgentes reprimit.

8. *Suaviores aquas.*] Hinc ægris, quibus vino interdictum est, vel hydromeli, vel apiatam aquam præscribit Theod. Priscianus, lib 2. parte 2. cap 2 & 6.

9. *Semine urinam*] Diosc. loc cit. Plinius Valer lib. 4 cap. 2. *de facultate apii: Nulla res fortius vel urinæ difficultates resolvit, vel feminarum menstruis imperat.*

10. *Ac secundas partûs.*] Ita MSS. Reg & Colb. 1. ut sect. 23. hoc est, secundas a partu. Prius legebatur, *ut secundos partus*, aliena a Plinii mente sententia.

veantur semine decocto, sugillata reddit colori. [11] Cum ovi albo illitum, [12] aut ex aqua coctum potumque renibus medetur: In frigida tritum oris hulceribus. Semen cum vino, vel radix cum veteri vino, vesicæ calculos frangunt. Semen datur & arquatis ex vino albo.

XLV. [1] Apiastrum Hyginus quidem melissophyllon appellat. [2] Sed in confessa damnatione est venenatum in Sardinia. [3] Contexenda enim sunt omnia, ex eodem nomine apud Græcos pendentia. 5

XLVI. [1] Olusatrum quod hipposelinum vocant, adversatur scorpionibus. Poto semine torminibus, & intestaneis medetur. [2] Itemque difficultatibus urinæ semen ejus decoctum ex mulso potum. [3] Radix ejus in vino decocta calculos pellit, & lumborum ac lateris dolores. Canis rabiosi morsibus potum & illitum medetur. [4] Succus ejus algentes calefacit potus. [5] Quartum genus ex eodem faciunt aliqui oreoselinon, palmum alto frutice ac recto semine, [6] cumino simili, [7] urinæ & menstruis efficax. Heleoselino vis privata contra araneos. [8] Sed & oreoselino feminæ purgantur e vino. 10

XLVII. Alio genere petroselinon quidam appellant in saxis natum, præcipuum ad vomicas, cochlearibus binis succi additis in cyathum marrubii succi, atque ita aquæ calidæ tribus cyathis. Addidere quidam [1] buselinon, differens brevitate caulis a sativo & radicis colore rufo, ejusdem effectus. [2] Prævalere contra serpentes potu & linitu. 15 CAP. XII.

XLVIII. [1] Ocimum quoque Chrysippus graviter increpuit, inutile stomacho, urinæ, [2] oculorum quoque claritati. [3] Præterea insaniam facere, & lethargos, & jocineris vitia: ideoque capras id aspernari, hominibus quoque fugiendum censet. [4] Addunt quidam tritum si operiatur lapide, scorpionem gignere: commanducatum & in Sole positum, vermes afferre. [5] Afri vero, si eo die feriatur quispiam a scorpione, quo ederit ocimum, servari non posse. Quin immo tradunt aliqui manipulo ocimi cum cancris decem marinis vel fluviatilibus trito, convenire ad id scorpiones ex proximo. Diodotus in empiricis, [6] etiam pediculos facere ocimi cibum. 20 25

[7] Secuta ætas acriter defendit: nam id esse capras. Nec cuiquam mentem motam:

NOTÆ.

11. *Cum ovi albo.*] Vel sic sugillatis sanandis, de quibus dictum est proxime, adhiberi jubet Marcellus Empir. cap. 19. pag. 131. *Apium viride*, inquit, *subtiliter tritum, cum ovi albo illitum, livoribus prodest.*

12. *Aut ex aqua coctum.*] Hoc vero ad verbum Marcellus exscripsit, cap. 26. pag. 177.

Sect. XLV. 1. *Apiastrum.*] Μελισσόφυλλον, ab apibus, quæ ea herba plurimum lætantur. Illud est quod in coronamenta venire dicitur, lib. 21 sect. 29. Alii citraginem aut Melitænam, Galli Melissam vocant, *Melisse*, ou *citronelle*. Apiastrum ab Hygino vocari cœpit, eruditissimo alioqui viro, sed quem omnes hac in parte damnent. & quod magis mirere, sequantur tamen. Nam Marcus Varro ita appellat, lib. 3 de re rust. cap. 16 & Diosc. in Nothis pag. 457. Μελισσόφυλλον, οἱ δὲ μελίτταιον, οἱ δὲ μελίφυλλον .... Ῥωμαῖοι ἀπιάστρουμ, οἱ δὲ κιτράγω, &c. A Matthiolo pingitur, in lib. 3. Diosc. pag. 826. In horto Regio septem melissæ genera diversa vidimus.

2. *Sed & in confessa.*] Damnatur id vero, inquit, quod affinitatem habet nominis cum apiastro seu melissophyllo, quoniam & ipsum apiastrum vocatur: non eo sane, quod sit apibus gratum, ut melissophyllum. de quo proxime diximus: sed quod apium æmuletur: nam quæ ita desinunt, imitationem quamdam, ut Grammaticis placet, important. Istud enim ipsum est, quod batrachion, & ranunculum appellant. Agemus de eo iterum, lib 25. sect. 109. Apuleius, cap. 8. de scelerata: *Græci*, inquit, *batrachion dicunt .... alii rhuselinon. .... alii selinon agrion .... Latini apium rusticum, iidem apium risus, iidem apiastellum*, &c. Hæc Sardonia herba est, de qua historici multa, & Diosc. in Alexiph. cap. 14. Ruellium vide, lib. 2. de nat. stirp. cap. 116. pag. 420. Agresti apio, hoc est, apiastro similem herbam eam Sallustius facit. Adversus ad venenum remedia plura Sennertus affert, lib. 6. Pract. pag 1055.

3. *Contexenda enim.*] Etiam ea, inquit, interdum connectimus, quorum tractatio & natura dissimilis, sed nominis affinitas maxima. Sic libro 23. sect 65. cum erineo, hoc est, caprifico arbore, erinei quoque herbæ vires explicat, *propter gentilitatem*, inquit, hoc est, propter similitudinem nominis. Ea cautione admonet se melissophyllon ab apiastro Sardo secernere: nec alterutrius fieri mentionem, alterius admonitione, nisi propter quamdam cognationem nominis.

Sect. XLVI. 1. *Olusatrum.*] De quo lib. 19. sect. 48. Hæc traduntur similiter a Nicandro in Theriac. pag 60.

2. *Itemque difficultatibus.*] Diosc. lib. 3. cap. 78. totidem verbis Apuleius, cap. 106. tit. 1. *Ad vesicæ dolorem, & stranguriam: Herba olusatrum trita ex passo in potu sumpta, stranguriam potenter emendat.* E Græcis quoque, unus instar omnium Theophr. lib. 7. hist. cap. 6.

3. *Radix ejus.*] Et petroselino has vires assignat Dioscorides, lib. 3. cap. 77. At hipposelino sive olusatro, Theophr. loc. cit.

4. *Succus ejus.*] Hipposelino suo easdem vires attribuit Diosc. lib. 3. cap. 78. θερμαίνει τοὺς ῥιγῶντας, πινόμενος καὶ ἐγχριόμενος.

5. *Quartum genus.*] Primum enim genus apii hortensis, seu sativi, statuitur. Alterum apiastri. Tertium, hipposelini.

6. *Cumino simil.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVIII.

7. *Urinæ & menstruis.*] Urinæ ciendæ, menstruisque pellendis. Diosc. lib. 3. cap. 76

8. *Sed & oreoselino.*] Totidem verbis hoc Diosc loc. cit.

Sect. XLVII. 1. *Buselinon.*] Βουσέλινον, quasi majus apium: ut ab hortensi apio, cui brevitas caulis palmum non excedit, magnitudine dirimatur. Nam particula βοῦ in compositione dictiones auget: a bovis magnitudine, qui βοῦς dicitur. Sic enim, auctore Festo, & *Bulimum Græci magnam famem dicunt, assueti magnis & amplis rebus præponere βοῦ, a magnitudine scilicet bovis. Hinc est, quod grandes pueros bupædas appellant. & mariscam ficum, busycon.*

2. *Prævalere.*] Alii *peculiare* legunt

Sect. XLVIII. 1. *Ocimum quoque.*] Hæc Plinius Valer, ad verbum, lib. 4. cap. 21.

2. *Oculorum quoque.*] Plinius Valer. loc. cit. Copiosiore cibo si sumatur scilicet, oculis nocere prodidit Diosc. lib 2. cap. 171.

3. *Præterea insaniam.*] Plinius Valer. loc. cit.

4. *Addunt quidam.*] Plinius Valer. loc. cit *Ocimum*, inquit, *edere nonnulli reformidant, quod commanducatum, & in Sole positum vermiculos gignit*: Φυλάσσονται δέ τινες αὐτὸ, καὶ μὴ ἐσθίουσι, διὰ τὸ μασσηθὲν καὶ τεθὲν ἐν ἡλίῳ σκώληκας γεννᾶν. Quod vero scorpionem gignat, falsum esse Galenus admonet, lib. 2. de alim. facult. cap. 55. pag. 365. tom 6. Vide quæ diximus lib. 9. sect. 51.

5. *Afri vero.*] Plinius Valer. loc. cit. Dioscorides contra loc. cit. Afros ait in ea esse hæresi, ut existiment, si scorpione quis feriatur, qui eo die ocimum ederit, incolumem eum fore.

6 *Etiam pediculos.*] Pediculis infestari eos, qui ocimum adhibeant in cibis.

7. *Secuta ætas.*] Posteriores medici, inquit, innocuum esse ocimi esum defenderunt, contra Chrysippum: neque officere oculorum claritati, quandoquidem illud capræ edunt, quibus est visus acutissimus, ut dictum est lib. 8. sect. 76. nec

[8] & scorpionum terrestrium ictibus, marinorumque venenis mederi ex vino, addito aceto exiguo. Usu quoque compertum deficientibus ex aceto odoratum salutare esse. Item lethargicis, & inflammatis refrigerationi. [9] Illitum capitis doloribus cum rosaceo, aut myrteo, aut aceto: [10] Item oculorum epiphoris impositum ex vino. [11] Stomacho quoque utile, [12] inflationes & ructum ex aceto dissolvere sumptum. [13] Alvum sistere impositum, [14] urinam ciere. Sic & morbo regio & hydropicis prodesse. [15] Choleras eo & distillationes stomachi inhiberi. Ergo etiam cœliacis Philistion dedit: & coctum dysentericis, [16] & colicis Plistonicus. Aliqui & in tenesmo, & sanguinem exscreantibus, in vino: duritia quoque præcordiorum. Illinitur mammis, [17] extinguitque lactis proventum. Auribus utilissimum infantium, præcipue cum adipe anserino. [18] Semen tritum & haustum naribus sternutamenta mover, & [19] distillationes quoque capiti illitum: vulvas purgat in cibo, ex aceto. [20] Verrucas mixto atramento sutorio rollit. Venerem stimulat. Ideo etiam equis asinisque, admissuræ tempore ingeritur.

℞ [21] Silvestri ocimo vis efficacior ad eadem omnia: peculiaris ad vitia, quæ vomitionibus crebris contrahuntur. Vomicisque vulvæ, contraque bestiarum morsus e vino radice efficacissima.

XLIX. [1] Erucæ semen scorpionum venenis & muris aranei medetur. [2] Bestiolas omnes innascenres corpori arcet: [3] Vitia cutis in facie cum melle illitum. [4] Lentigines ex aceto. [5] Cicatrices nigras reducit ad candorem cum felle bubulo. [6] Aïunt verbera subituris potum ex vino duritiam quamdam contra sensum inducere. [7] In condiendis obsoniis tanta est suavitas, ut Græci [8] euzomon appellaverint. Putant subtrita eruca si foveantur oculi, claritatem restitui: [9] Tussim infantium sedari. [10] Radix ejus in aqua decocta fracta ossa extrahit. [11] Nam de Venere stimulanda diximus: [12] tria folia silvestris erucæ sinistra manu decerpta, & trita, in aqua mulsa si bibantur.

L. E contrario nasturtium [1] Venerem inhibet, animum exacuit, [2] ut diximus. Duo ejus genera: [3] Alvum purgat, detrahit bilem potum in aqua [4] x. pondere. [5] Cum lomento strumis illitum, opertumque brassica, præclare medetur. Alterum est nigrius, quod [6] capitis

NOTÆ.

que insaniam facere, cum nemini compertum sit motam ex eo cibo mentem esse &c.

8. *Et scorpionum &c.*] Diosc. loc. cit

9 *Illitum capitis.*] Apuleius, cap. 117. tit. 1. *Capitis dolori medendo: Herbam ocimum tritam cum oleo rosaceo, aut myrtino, vel aceto, fronti imponas: mirabiliter capitis dolorem sanat.*

10. *Item oculorum*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14. ad verbum. Et Apuleius, cap 117. tit. 2. *Ad epiphoras oculorum: Ocimum ex vino optimo tritum, oculis illinitur.* Vide & Diosc. lib. 2. cap. 171.

11. *Stomacho quoque &c.*] Plinius Valer. lib 4. cap. 15.

12. *Inflationes.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 20. & Diosc. loc. cit.

13. *Alvum sistere.*] Plinius Valer. loc. cit. & lib. 2. cap 27.

14. *Urinam ciere.*] Hoc de ocimi semine Diosc. loc. cit.

15. *Choleras eo.*] Χολέρα stomachi, intestinorumque pariter vitium est: nam & dejectio & vomitus est, intestina torquentur, bilis supra infraque erumpit: *Debordement de bile.*

16. *Et colicis Plistonicus.*] In MSS *Et contra Plistonicum aliqui*: ut adhuc varietatem & contrarietatem opinionum de ocimo tractet

17. *Extinguitque.*] Quinimmo Dioscoride auctore loc cit. lactis proventum facit: tanta fuit olim sententiarum de ocimo varietas, ut Plinius animadvertit, inter vetustos scriptores, ut de ejus viribus discrepantia pugnantiaque prodiderint.

18. *Semen tritum.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 20. iisdem verbis Diosc. quoque lib. 2. cap. 171.

19. *Et distillationes.*] Diosc loc. cit. ocimo succo fluxiones capitis siccari quoque prodidit.

20. *Verrucas.*] Plinius Valer. totidem syllabis, loc cit.

21. *Silvestri ocimo.*] Præter sativum ocimum, de quo suo loco egimus, plura alia in horto Regio a nobis sunt diligenter observata: ex quibus quodnam sit illud quod silvestre Plinius nunc appellat, incertum. Cave interim Dalecampio credas aienti ὠκιμοειδὲς a Plinio intelligi, de quo Diosc lib 4. cap 28. cum silvestris ocimi radicem Plinius laudet, ὠκιμοειδοῦς supervacuam esse Dioscorides haud obscure testetur.

Sect. XLIX. 1. *Erucæ semen*] Plinius Valer lib. 4. cap. 13. & Florentinus in Geopon. lib 12. cap 26 pag 349.

2. *Bestiolas omnes.*] Pediculos, credo, pulicesque intelligit. Forte & lumbricos: nam Florentinus, loc cit de eruca, ἕλμινθας ἐξάγει, inquit, *lumbricos educit* Sed hos nusquam Plinius bestiolas vocat.

3. *Vitia cutis.*] Plinius Valer. loc. cit

4 *Lentigines.*] Plinius Valer. loc. cit & Q. Serenus, cap. 12 pag. 131.

Intuda si maculat faciem lentigo decoram,
Nec prodesse valent natura dona benigna,
Erucam, atque acidum laticem simul illine malis.

5. *Cicatrices.*] Plinius Valer. loc. cit. & lib. 3. cap. 46. & Florentinus, loco citato

6. *Aiunt verbera.*] Plinius Valer. lib. 4 cap 13. & Florentinus loc. cit.

7. *In condiendis.*] Plinius Valer. loco citato

8. *Euzomon.*] Εὔζωμον, παρὰ τὸ εὖ & ζωμὸς, propter suavitatem quam juribus præbet, quasi juribus grata.

9. *Tussim infantium.*] Plinius Valer. lib 4. cap 13.

10 *Radix ejus*] Plinius Valer loco citato.

11. *Nam de Venere.... diximus.*] Libro 19. sect. 44.

12. *Tria folia*] Vide Notas & Emend. num. XIX.

Sect L. 1. *Venerem inhibet.*] Plinius Valer. lib. 4 cap 12. Auctor Geopon. lib 12. cap. 27 pag. 350. At dissentit ab utroque Diosc. lib 2. cap. 185. Conciliare ambos inter se Pseudo-Macer videtur, cum eam vim inhibendi Venerem nasturtio tum solum adscribit, cum usu frequenti adhibetur.

Dicunt fervente quod habent nasturtia vires,
Et siccas: hac re Venerem cum ruta coercent,
Secundo semen: fuerint si sumpta frequenter.

2. *Ut diximus.*] Libro 19. sect 44.

3. *Alvum purgat.*] Illud nimirum, quod minus nigrum est. Nam alterum genus, ut mox dicetur, est nigrum. De hoc igitur Marcellum Empir. intellige, cap. 30. cujus lemma est. *Ad ventrem resolvendum*, &c Sic enim ille, pag. 215. *Prodest & ad hoc nasturtium potum ex vino: nam & calefacit, & mollit viscera, & urinam movet. Prodest & intestinorum doloribus, & inflationibus.* &c. *Album* pro *alvum* legi hoc loco, etsi ita contendente Barbaro, plane nolim, libris invitis.

4. *X pondere.*] Hoc est, denarii argentei pondere.

5. *Cum lomento*] Hoc est, cum farina fabacea. Florentinus in Geopon lib. 12. cap. 27. pag. 350. καρδάμου σπέρμα μιχθὲν ἀλεύροις κυαμίνοις, ἀπολύει πάντας μύρας, ἤτοι χοιράδας, ... χρηστὸν δὲ καὶ ἐλέγχει φύμασι καὶ .... Plinius Valer. lib. 3. cap. 19. Cum alumine contritum, inlitum, vel impositum, strumis opitulari ait Marcellus Empir. cap. 15. pag. 108. Cum lomento, idem pag. 109. & Apuleius, cap 20. tit. 4.

6 *Capitis vitia purgat*] Ope sternutationis, quam provocat. Apuleius, cap. 20. de nasturtio, tit. 1. *Ad caput deplendum: Herba nasturtii succum naribus injicis, caput deplet, & de phlegmate purgat. Hoc nasturtium non seritur, sed per se nascitur.* Ita MS.

vitia purgat. [7] Visum compurgat. Commotas mentes sedat ex aceto sumptum. [8] Lienem ex vino potum, vel cum fico. [9] Tussim ex melle, si quotidie jejuni sumant. [10] Semen ex vino omnia intestinorum animalia pellit: efficacius addito mentastro. Prodest & contra suspitia & tussim, cum origano & vino dulci. [11] Pectoris doloribus decoctum in lacte caprino. [12] Panos discutit cum pice, [13] extrahitque corpori aculeos. Et maculas illitum ex aceto. Contra carcinomata adjicitur ovorum album. Et lienibus illinitur ex aceto. Infantibus vero e melle utilissime. [14] Sextius adjicit, ustum serpentes fugare, scorpionibus resistere. Capitis dolores contrito, [15] & alopecias emendari addito sinapi: [16] gravitatem aurium trito imposito auribus cum fico. [17] Dentium dolores infuso in aures succo. [18] Porriginem & hulcera capitis cum adipe anserino. [19] Furunculos concoquit cum fermento. [20] Carbunculos ad suppurationem perducit, & rumpit. Phagedænas hulcerum expurgat cum melle. [21] Coxendicibus & lumbis cum polenta ex aceto illinitur: [22] Item licheni: Item unguibus scabris: quippe natura ejus caustica est. [23] Optimum autem Babylonium. Silvestri vero ad omnia ea effectus major.

LI. In præcipuis autem medicaminibus ruta est. Latiora sativæ folia, rami fruticosiores. [1] Silvestris horrida ad effectum est, & ad omnia acrior. Succus exprimitur, tusa & aspersa modice, & in pyxide Cypria asservatur. Hic copiosior datus veneni noxiam obtinet, [2] in Macedonia maxime juxta flumen Aliacmonem. Mirumque, cicutæ succo extinguitur: adeo etiam venenorum venena sunt, quando cicutæ succus prodest [3] manibus colligentium rutam. [4] Cetero inter prima miscetur antidotis, præcipueque Galatica. [5] Quæcumque autem ruta & per se pro antidoto valet, foliis tritis, & ex vino sumptis. [6] Contra aconitum maxime, [7] & viscum. [8] Item fungos, sive in potu detur, sive in cibo. [9] Simili modo contra serpentium ictus, utpote cum [10] mustelæ dimicaturæ cum his, rutam prius edendo se muniant. [11] Valent & contra scorpionum, & contra araneorum, apum, crabronum, vesparum aculeos, [12] & cantharidas, ac salamandras, [13] canisve rabiosi morsus: [14] acetabuli mensura succus e vino bibitur, & folia trita vel commanducata imponuntur cum melle & sale, vel cum aceto & pice decocta. Succo vero perunctos aut eam

NOTÆ.

7. *Visum compurgat.*] Ita MSS. omnes.

8. *Lienem &c.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. libro 4. cap. 12. Celsus, lib. 4. cap. 9. *Nasturtium lienem extenuat.* Diosc. lib. 2. cap. 185. ex melle, non ex vino, adhibet.

9. *Tussim ex.*] Plinius Valer. loco citato. Florentinus in Geopon. loc. cit.

10. *Semen ex vino.*] Plinius Valer. & Florentinus, locis citatis, & Diosc. lib. 2. cap. 185. sed hic minus distincte, quam ceteri.

11. *Pectoris doloribus.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 57. & Florentinus in Geopon. loc. cit. Dat Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 17. ipsum nasturtium ex melle coctum: ac mentæ viridis pariter decoctum laudat.

12. *Panos discutit.*] Marcellus Empir. cap. 32. pag. 224.

13. *Extrahitque .... aculeos*] Plinius Valerianus, libro 3. cap. 49.

14. *Sextius adjicit.*] Et Florentinus loc. cit. & Dioscorid. lib. 2. cap. 185. & Plinius Valer. lib. 4. cap. 12. Columella denique, lib. 10. pag. 353

Spargantur cœcis nasturtia dira colubris.

15. *Et alopecias.*] Marcellus Empir. iisdem verbis, cap. 6. pag. 46 & Plinius Valer. lib. 1. cap. 6. E Græcis Florentinus, ac Diosc. locis citatis.

16. *Gravitatem aurium.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 82. *Nasturtium tritum cum fico, atque auriculæ inditum, his qui gravius audiunt, prodesse fertur.* Eadem habet Plinius Valer. lib. 1. cap. 12.

17. *Dentium dolores.*] Florentinus loc. cit. & Plinius Valer. ad verbum, lib. 4. cap. 12.

18. *Porriginem.*] Iisdem verbis Plinius Valer. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 4. pag. 40. *Nasturtii semen mixtum adipi anserino, tritumque, furfures capitis assidua levatione depellit.* Apuleius cap. 20. tit. 2. *Ad capitis vitia, porrigines, vel furfures: Herba nasturtii semen* &c. Florentinus item loc. cit. Σίναπι δὲ χήνειον στέαρ ... τὰ πίτυρα ἐν κεφαλῇ ἰᾶσθαι, καὶ πιτυριάσεις θεραπεύει. Hulcera capitis Plinius intelligit ea, quæ favi dicuntur, κηρία de quibus sect. 6.

19. *Furunculos.*] Florentinus loc. cit. Δοθιῆνας μετὰ ζύμης πέττει. Sic & Plinius Valer. lib. 3. cap. 32. & Apuleius, loc. cit. tit. 5. Dioscorides loc. cit. pro fermento muriam adscifcit. Porro furunculus, ut Celsus ait lib. 5. cap. 28. *tuberculum est acutum cum inflatione* (legi malim, *cum inflammatione*) *& dolore: maximeque ubi jam in pus vertit. Qui ubi adapertus est, & exit, super apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta, subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant.* Gallis, *Froncle.*

20. *Carbunculos.*] Dioscor. lib. 2. cap. 185. Et Plinius Valer. lib. 3. cap. 32. *Carbunculo medendo; Nasturtium fermento mixtum utiliter medetur.* Et lib. 4. cap. 12. de nasturtio: *Fermentum mixtum & appositum furunculos, itemque carbunculos provocat, ac suppurata dirumpit.*

21. *Coxendicibus.*] Dioscor. loc. cit. Marcellus, cap. 25. pag. 173. Plinius Valer. lib. 2. cap. 36. & lib. 4. cap. 12.

22. *Item licheni.*] Diosc. loc. cit.

23. *Optimum autem.*] Diosc. loc. cit. Κάλλιστον μὲν εἶναι δοκεῖ τὸ ἐν τῇ Βαβυλῶνι κάρδαμον. Nicander, τὸ ἀπὸ Μήδων κάρδαμον laudat in primis.

Sect. LI. 1. *Silvestris horrida.*] Vehemens, acris Diosc. lib. 3. cap. 51. Πήγανον ὄρεινόν καὶ ἄγριον, τοῦ ἡμέρου καὶ κηπευτοῦ δριμύτερον, ἄθετον πρὸς βρῶσιν. *Ruta montana & silvestris acrior est quam sativa & hortensis, & in cibis damnata.* Apuleius, cap. 89 de ruta: *Altera est usualis, altera agrestis atque virtutis acrioris: sed utraque ferventissima comprobantur.*

2. *In Macedonia.*] Dioscor. loc. cit. Τὸ δὲ ἐν Μακεδονίᾳ φυόμενον παρὰ τὸν Ἁλιάκμονα ποταμὸν, ἀναιρεῖν φασὶ βρωθέν.

3. *Manibus colligentium.*] Alioqui enim, ut Columella est auctor, lib. 11. cap. 3. debet ruta velata manu runcari, quam nisi contexeris, perniciosa nascentur hulcera, prurigo atque tumor incesset, &c.

4. *Cetero inter prima.*] Dioscor. loc. cit. Galenus, lib. 2, de antidotis, cap 1. pag. 898 & 899.

5. *Quæcumque autem.*] Sive sativa, sive silvestris. Diosc. lib 2. cap. 52.

6. *Contra aconitum.*] Scribonius Largus, Compos. 188. ad aconitum: *sed adjuvantur facile qui id sumpserint ruta, quamplurima pota cum vino.* Sic etiam Theopompus Chius, apud Athen. lib. 3. pag. 85.

7. *Et viscum.*] Hoc est, adversus chamæleonis herbæ venenatum succum, quem ἰξίαν Græci vocant, a visco, quod ad ejus radices quandoque invenitur. Idem de ruta ad ixiam Scribonius Largus prodit, Compos. 192.

8. *Item fungos.*] Scribonius, Compos. 198. ad fungos: *Item ruta ex aceto trita & pota proficit.*

9. *Simili modo.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib. 4. cap. 3. Diosc. item loc. cit.

10. *Mustela dimic.*] Vide quæ dicta sunt lib. 8. sect. 41.

11. *Valent & contra.*] Apuleius, lib. 115. tit. 7. *Ad eos quos scorpio percusserit, rutæ silvaticæ semen contritum ex vino dabis potui: dolorem sedat.*

12. *Et cantharidas.*] Scribonius, Compos 189. *Ad cantharidas: Item oleum irinum ex ruta tritum, & potum.*

13. *Canisve rabiosi.*] Apuleius, cap. 89. tit. 7. *Ad morsum canis rabidi: Herba rutæ pondus denariorum sex ex vino bibatur: plagæ vero imponantur rutæ folia trita cum melle, sale & pice: liberabitur.*

14. *Acetabuli mensura.*] Dioscor. loc. cit.

habentes, negant feriri ab his maleficiis : [15] serpentesque, si uratur ruta, nidorem fugere. Efficacissima tamen est silvestris radix cum vino sumpta. Eamdem adjiciunt efficaciorem esse sub dio potam. Pythagoras & in hac marem minoribus herbaceique coloris foliis a femina discrevit : eam lætioribus foliis & colore. Idem oculis noxiam putavit : Fal-
5 sum, quoniam scalptores [16] & pictores hoc cibo utuntur oculorum causa, cum pane vel nasturtio : [17] capræ quoque silvestres [18] propter visum, ut aiunt. [19] Multi succo ejus cum melle Attico inuncti discusserunt caligines, [20] vel cum lacte mulieris puerum enixæ, vel puro succo angulis oculorum tactis. [21] Epiphoras cum polenta imposita lenit. [22] Item capitis dolores pota cum vino, aut cum aceto & rosaceo illita. Si vero sit [23] cephalæa, cum
10 farina hordeacea, & aceto. Eadem cruditates discutit, [24] mox inflationes, [25] dolores stomachi veteres. [26] Vulvas aperit, [27] corrigitque conversas, illita in melle, toto ventre & pectore. [28] Hydropicis cum fico, & decocta ad dimidias partes, potaque ex vino. [29] Sic bibitur & ad pectoris dolores, laterumque, & lumborum, tusses, suspiria : pulmonum, jocinerum, renum vitia, [30] horrores frigidos. [31] Ad crapulæ gravedines decoquuntur
15 folia poturis. Et in cibo vel cruda, vel decocta conditave prodest. [32] Item torminibus in hyssopo decocta, & cum vino. [33] Sic & sanguinem sistit interiorem, [34] & narium indita : sic & collutis dentibus prodest. [35] Auribus quoque in dolore succus infunditur, custodito, [36] ut diximus, modo, in silvestri. Contra tarditatem vero sonitumque, cum rosaceo, vel cum laureo oleo, aut cumino & melle. [37] Succus & phreneticis ex aceto
20 tritæ instillatur in tempora & cerebrum. Adjecerunt aliqui & serpyllum, & laurum, illinentes capita, & colla. [38] Dederunt & lethargicis ex aceto olfaciendum. [39] Dederunt & comitialibus bibendum decoctæ succum in cyathis quatuor ante accessiones, quarum frigus intolerabile est : [40] alsiosisque crudam in cibo. [41] Urinam quoque vel cruentam pellit. [42] Feminarum etiam purgationes, secundasque, etiam emortuos partus, [43] ut
25 Hippocrati videtur, ex vino dulci nigro pota. Itaque illitam & vulvarum causa etiam suffire jubet. [44] Diocles & cardiacis imponit ex aceto & melle cum farina hordeacea. Et contra ileum decocta farina in oleo, & velleribus collecta. Multi vero & contra pu-

NOTÆ.

15. *Serpentesque.*] Odorem rutæ odisse viperam & alia venenata ait Albertus M. lib 8. de animal. tract. 5 cap. 1. pag 251.

16 *Et pictores.*] Simeon Sethi, pag. 97. post Actium, lib. 1. cap. 327. Λέγεται γὰρ καὶ εἰς ὀξυδερκίαν ὅτι ἐσθιόμενον, καὶ διὰ τοῦτο οἱ περὶ ζωγράφοι συνεχῶς αὐτοῦ ἀπογεύονται. *Dicitur etiam visum comesta movere : atque idcirco pictores olim eam assidue degustabant.*

17. *Capræ quoque silvestres.*] Vide Notas & Emendat. num. XX

18. *Propter visum.*] Idcirco Ovidius *acuentes lumina rutas* appellat.

19. *Multi succo.*] Sic Florentinus in Geopon. lib. 12. cap. 25. pag. 349 Diosc. lib. 3. cap 52. cum feniculi succo & melle rutæ succum adhibet. Simeon Sethi, loc. cit Τοῦτο δὲ καὶ τὸ πήγανον χυλὸς μέλιτι μιγνύμενος, ἐξάπτει πρὸς φάρμακον. Plinius Valer. lib. 1. cap 16. *Ad lacrymosos oculos : Ruta sicca & melle Attico æquis ponderibus mixta, oculos sunges : certum est* Apuleius, cap 89. tit 9. *Ad caligines oculorum : Herba ruta rorem matutinum, aut matutino madentis succos collectos in vasculo habeto, & ex eo sunges.*

20. *Vel cum lacte mulieris.*] Florentinus, loc cit.

21. *Epiphoras.*] Oculorum videlicet. Plinius Valer. lib. 1. cap. 4. *Ad epiphoras oculorum, & tumores. Ruta in polenta contrita, & imposita, lenit dolorem.* Apuleius, cap. 89. tit. 5 *Ad epiphoras oculorum : Herba ruta cum polenta bene trita & imposita lenit epiphoras : nam & radix ejus contusa & indita eas emendat.* Diosc. lib. 3. cap. 52. Τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς φλεγμονὰς σὺν ἀλφίτῳ καταπλασθὲν πραΰνει.

22. *Item capitis.*] Diosc. loc. cit. Apuleius, cap. 89. tit 13. *Ad capitis dolorem : Herba ruta ex vino potui detur, & trita capiti instilletur cum aceto & rosaceo oleo.* Q. Serenus, cap. 8. de capite purgando, pag. 119.

Aut mixtum ruta cerebro instillatur acetum.

23. *Cephalæa.*] Κεφαλαία, capitis dolor est inveteratus, atque ægre cedens, in quo differt ἀπὸ τῆς κεφαλαλγίας. Vide Celsum, lib. 4. cap. 2. & Galenum, lib. 2. κατὰ τόπους, cap. 2. pag. 377.

24 *Mox inflationes.*] Marcellus Empir. cap. 20 pag. 143. *Ruta hortensis paululum cibo sumptum, vel in potione dilutum atque epotum, inflationes stomachi compescit.* Sic etiam Apuleius, cap. 89. tit. 2.

25. *Dolores stomachi.*] Marcellus Empir. loc cit. Apuleius, cap 89. tit. 9 *Ad stomachi dolorem : Herbæ rutæ semen cum sulphure vivo, & aceto, jejunus gustato : prodesse dicimus.*

26. *Vulvas aperit.*] In eo nempe morbi genere, quod suppressionem mensium medici appellant : cujus morbi causas, signa, curationesque varias Sennertus affert, lib 4 pract. part. 2 sect. 2. cap. 3. pag. 663. Hoc illud est quod Q. Serenus cecinit, cap. 35. pag. 148.

Sed si forte cruor clausa remorabitur alvo,
Aut molles nepeta, aut ruta quæcumque libantur.

27. *Corrigitque conversas.*] Mutat enim situm interdum uterus, cum suffocatione : Vide Hippocr lib. 2. de morb mulier. sect. 16. & sect. 33. ac seqq. Vulvæ strangulatui mederi rutam, auctor est Diosc. lib. 3. cap. 52. καὶ ὑστέρας ἀφ' ἑαυτῆς ἐπιτεθέν.

28. *Hydropicis.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis.

29 *Sic bibitur*, &c.] Diosc. loc. cit. Plinius Valer. lib. 1. cap. 57. Marcellus Empir cap 22. pag. 156.

30. *Horrores frigidos.*] Rigores febrium circuitu repetentes, ῥίγη περιοδικά, inquit Diosc. loc. cit.

31. *Ad crapulæ.*] Apuleius, cap. 115. tit. 6. *Ad fervente vino : Ruta silvatica semen cum vino potum mire facit.*

32. *Item torminibus.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 195. ad verbum, & Plinius Valer lib. 2. cap 22.

33. *Sic & sanguinem sistit interiorem.*] Hoc est, quem ex pectore hæmoptoici rejiciunt : item sanguinem narium, ubi dem indita ruta sistit Vide Notas & Emend. num XXI.

34. *Et narium.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 85. *Ruta sæpius olfacta, vel trita, salita, sanguinem ex naribus nimis fluentem retundit.* Sic etiam Apuleius, cap. 89. tit. 1.

35. *Auribus quoque.*] Diosc. lib. 3 pag 52. Plinius Valer. lib. 1. cap 10. & lib. 4. cap. 3.

36. *Ut diximus.*] Paulo ante : nam copiosior scilicet datus, veneni noxiam obtinet.

37. *Succus & phreneticis.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 9.

38. *Dederunt & lethargicis.*] Plinius Valer totidem verbis, lib. 3. cap. 7. Apuleius, cap 89. tit 9. *Ad lethargicos excitandos : Herba ruta trita ex aceto infundatur fronti.* Item Q. Serenus, cap 57. lethargiæ expellendæ, pag. 160.

39. *Dederunt & comitialibus.*] Diosc. loc. cit.

40. *Alsiosisque.*] Alsiosi dicuntur qui naturæ sunt plus nimio frigescentis, quique facile læduntur a frigore.

41. *Urinam quoque.*] Apuleius, cap 115. tit. 4.

42 *Feminarum etiam.*] Apuleius, cap. 115. tit. 5. *Si mulier intrinsecus aliquid mali habuerit,* (hoc est, si menstruorum vel secundæ retentione laborat :) *Herba ruta silvatica semen contritum ex vino austero da bibat, præter partum* (hoc est, quando non est gravida) *liberabitur.* Adde & Dioscor. libro 3. cap. 52.

43. *Ut Hippocrati.*] Libro 1. de morb. mulier. sect. 118. Alia expulsoria idem affert, sect. 110. Hippocratem sequitur Diosc. loc. cit.

44. *Diocles & cardiacis.*] Iisdem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 21. Apuleius quoque, cap 89 tit. 8. *Ad cardiacos : Herba ruta fasciculus cum rosaceo decoquitur, adjecta aloe aceto & oleo : perunctio dolorem sistit.*

rulentas

rulentas exscreationes siccæ drachmas duas, sulphuris unam & dimidiam sumi censent: Et contra cruentas, ramos tres in vino decoctos. Datur & dysentericis cum caseo in vino contrita. [45] Dederunt & cum bitumine infriatam potioni propter anhelitum. Ex alto lapsis seminis tres uncias. Olei libra vinique sextario illinitur cum oleo coctis foliis, partibus quas frigus adusserit. [46] Si urinam movet, ut Hippocrati videtur, [47] mirum est quosdam dare velut inhibentem potui, contra incontinentiam urinæ. Psoras & lepras cum melle & alumine illita emendat. [48] Item vitiligines, verrucas, strumas, & similia, cum strychno & adipe suillo ac taurino sevo. [49] Item ignem sacrum ex aceto & oleo, vel psimmythio: [50] carbunculum ex aceto. Nonnulli laserpirium una illini jubent, sine quo epinyctidas pustulas curant. Imponunt & mammis turgentibus decoctam, [51] & pituitæ eruptionibus cum cera. [52] Testium vero epiphoris cum ramis lauræ teneris, adeo peculiari in visceribus his effectu, ut silvestri ruta cum axungia veteri illitos ramices sanari prodant. Fracta quoque membra semine trito cum cera imposito. Radix rutæ sanguinem oculis suffusum, & toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat. Ex reliquis quæ traduntur, mirum est, cum ferventem rutæ naturam esse conveniat, [53] fasciculum ejus in rosaceo decoctum addita uncia aloës, perunctis sudorem reprimere. [54] Itemque generationes impediri hoc cibo: [55] ideo in profluvio genitali datur, & Venerem crebro per somnia imaginantibus. [56] Præcavendum est gravidis abstineant hoc cibo: [57] necari enim partus invenio. Eadem ex omnibus satis quadrupedum quoque morbis in maximo usu est, sive difficile spirantibus, [58] sive contra maleficorum animalium ictus, infusa per nares ex vino: aut si sanguisuga exhauserit, ex aceto: & quocumque in simili morborum genere, ut in homine, temperata.

CAP. XIV.

LII. Mentastrum silvestris menta est, differens specie foliorum, quæ sunt figura ocimi, [1] pulegii colore. [2] Propter quod quidam silvestre pulegium vocant. [3] Iis commanducatis & impositis sanari elephantiasin, Magni Pompeii ætate, fortuito cujusdam experimento propter pudorem facie illita compertum est. [4] Eadem illinuntur bibunturque adversus scolopendras, & serpentium ictus, drachmis duabus in vini cyathis duobus. Adversus scorpionum ictus cum sale, oleo, & aceto. Item adversus scolopendras jus decocti: adversus omnia venena servantur folia arida, ad farinæ modum. [5] Substratum vel accensum fugat etiam scorpiones. [6] Potum feminas purgat a partu: sed partus necat. [7] Ruptis, convulsis, sed parcius: [8] Orthopnoïcis, torminibus, choleris, efficacissi-

NOTÆ.

45 *Dederunt & cum bitumine.*] Hoc medicamentum phthisicis, & iis qui pura exscreant, præcipit Marcellus Empir. cap. 16. pag. 121. *Ruta tenera contrita*, inquit, *cum ramusculis suis, & expressa succus, cum aliquantulo bitumine, ex vino vetere calido, phthisicis celeriter, similiter & empyicis in pota medetur.*

46. *Si urinam..... ut Hippocrati.*] Libro 2. de diæta, sect. 26.

47. *Mirum est quosdam.*] Quos Dioscorides sequitur, lib. 3. cap. 52.

48. *Item vitiligines.*] Diosc. loco citato.

49. *Item ignem sacrum.*] Marcellus Empir. cap. 4. pag. 43. sed pro psimmythio sive cerussa, argenti spumam adhibet. Psimmythium prætermisit Apuleius, cap. 89. tit. 9. de ruta: *Eadem ignem sacrum ex aceto & oleo illiniata sanat.* Plinius Valer. similiter, lib. 3. cap. 34. At idem, lib. 4. cap. 3. de ruta: *Ignes sacros*, inquit, *cum aceto & oleo rosaceo, & cerussa temperata, illico extinguit.* Ad erysipelata quoque rutam cum aceto & psimmythio, rosaceoque inungi jubet Dioscor. loco citato.

50. *Carbunculum*] Ita Plinius Valer lib. 3. cap. 30. Apuleius, cap. 89. tit. 6. & Theodor. Priscianus, lib. 1. cap. 18. *Ruta viridis folia cum aceto.*

51. *Et pituitæ eruptionibus.*] His papularum eruptionibus cum cerato myrteo prodesse rutam sativam auctor est Diosc. loc. cit. De papulis diximus sect. 26.

52. *Testium vero.*] Diosc. lib. 3. cap. 52. Τὰς δὲ τῶν διδύμων φλεγμονὰς σὺν δάφνης φύλλοις καταπλασθὲν ὠφελεῖ. *Testium inflammationibus cum lauri foliis imposita medetur.*

53. *Fasciculum ejus.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap. XI.

54 *Itemque generationes.*] Plinius Valer. loc. cit. Dioscor. lib. 3 cap 52. Γονήν τε σβέννυσιν ἐσθιόμενον, καὶ πινόμενον. *Sea esitata ruta, seu bibita, genituram extinguit.* Simeon Sethi, pag. 97. de ruta. Τὴν πρὸς τὰ ἀφροδίσια προθυμίαν ἐπέχει, καὶ ξηραίνει γονήν.

55. *Ideo profluvio.*] Apuleius, cap. 89. tit. 12. *Si fluit semen: Herba ruta manducetur ex vino cum liquamine.*

56. *Præcavendum.*] Occurrit huic Plinii cautioni Plinius alter medicus, lib. 4. cap. 3. *Stultissime quidam*, inquit, *rutæ vitia dixere, quod ventrem inhibeat, genitale semen extinguat, infantes in utero necet. Facit enim hæc non ipsa, sed quo virtutis ejus obliti, nec modum, nec tempus aspiciunt: ideo temperare prudentis est, ut de auxilio non fiat venenum.*

57. *Necari enim partus.*] Florentinus in Geopon lib 12. cap. 25. pag. 349. Ὁ καρπὸς τῆς ἀγρίας εὐζώμου ποθεὶς ἐπὶ ἡμέρας ιε', ἔμβρυα φθείρει, *Semen silvestris erucæ potatum per dies quindecim, fœtus necat*, &c.

58. *Sive contra maleficorum.*] Florentinus, loc. cit. Καὶ πρὸς τὰς θηρίων βλάβας μετὰ οἴνου πινόμενον.

Sect. LII. 1. *Pulegii colore.*] Quia nigriora paulo, minusque incana folia, cujusmodi mentastrum est campense & Zvvolense Lobelii in observ. pag. 273 Dalecampii, lib 5. hist. plant pag. 573. Nos in horto Regio vidimus. Nullum est e tribus calaminthæ generibus quæ a Dioscoride describuntur, lib. 3. cap. 43. etsi vires utrobique vix dispares. Sed neutra silvestris, ab eodem delibata, cap 42. ut diximus lib. 19. sect. 47. Quare frustra hoc loco Dalecampius Censoriam notationem distringit in Plinium. Est tamen Galeni καλαμίνθη, lib. 7. de fac. simp. med. cap. 10. pag. 176. & 182.

2. *Propter quod quidam.*] Scholiastes Nicandri, pag. 8. de calamintha: ἔνιοι δὲ ἀγρίαν γλήχωνα αὐτὴν καλοῦσι. Apuleius item, cap. 90.

3. *Iis commanducatis.*] Galenus & Schol. Nicandri, locis cit. Apuleius, cap. 90. tit. 3. ad elephantiosos: *Herba mentastri folia frequenter commanducato. Sanare verum est* Q. Serenus, cap. XI. de elephantiasi propellenda, pag. 130

Mentastri folium potu, appositumque salubre est.

Et Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130. *Mentastri folia commanducata, vel contrita adposita, elephantiosis medentur.* Plinius Valer. similiter, lib. 2. cap. 57. Hoc ipsum de calamintha refert Diosc. lib. 3. cap 43. Ὠφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶντας βρωθεῖσα, ἐπιπινομένου ὀρροῦ γάλακτος. *Esitata juvat elephantiacos, si serum lactis superbiberint.*

4 *Eadem illinuntur.*] Galenus, loc. cit. pag. 182.

5. *Substratum*, &c] Nicander, in Theriac. pag. 4. & de calamintha Dioscor lib. 3. cap 43.

6. *Potum feminas.*] Galenus loc. cit. & de sua calamintha idem refert Diosc. lib. 3. cap. 43.

7. *Ruptis, convulsis*, &c.] Vide Notas & Emendat. num. XXII.

8. *Orthopnoïcis.*] Ὀρθόπνοια morbi genus est, quum quis spirare non vales, nisi recta cervice spiritus trahatur. Asthmaticis prodesse calaminthan scribit Galenus, loc. cit.

mum : [9] item lumbis , podagris impositum. [10] Succus auribus verminosis instillatur. [11] In regio morbo bibitur. [12] Strumis illinitur. Somnia Veneris inhibet. [13] Tineas pellit ex aceto potum. Contra porriginem ex aceto infunditur capiti in Sole.

LIII. [1] Mentæ ipsius odor animum excitat , & sapor aviditatem in cibis , [2] ideo embammatum mixturæ familiaris. [3] Ipsa acescere , aut coïre , [4] denserique lac non patitur. Quare lactis potionibus additur , ne hujus coagulati potu strangulentur. Datur in aqua aut mulso : eadem vi resistere generationi creditur, cohibendo [5] genitalia denseri. Æque maribus ac feminis sistit sanguinem : & purgationes feminarum inhibet : [6] Cum amylo ex aqua pota , cœliacorum impetus. [7] Syriation & vomicas vulvæ curavit illa. Jocinerum vitia ternis obolis ex mulso datis. [8] Item sanguinem exscreantibus in sorbitionem. [9] Hulcera in capite infantium mire sanat. [10] Arterias humidas siccat , siccas adstringit. Pituitas corruptas purgat in mulso & aqua. Voci succus sub certamine utilis dumtaxat , qui & gargarizatur uva tumente , adjecta ruta & coriandro ex lacte. Utilis & contra tonsillas cum alumine : [11] linguæ asperæ cum melle. Ad convulsa intus per se , vitiisque pulmonis. [12] Singultus & vomitiones sistit cum succo granati , ut Democritus monstrat. Recentis succus narium vitia spiritu subductus emendat. Ipsa trita choleras , in aceto quidem pota. Sanguinis fluxiones intus. Ileum etiam imposita cum polenta : [13] & si mammæ tendantur. [14] Illinitur & rempotibus in capitis dolore. Sumitur & contra scolopendras , & scorpiones marinos , & ad serpentes. Epiphoris illinitur , & omnibus in capite eruptionibus : [15] item sedis vitiis. [16] Intertrigines quoque vel si teneatur tantum , prohibet. [17] Auribus cum mulso instillatur. Aiunt & lieni mederi eam in horto gustatam , ita ne vellatur : si is qui mordeat , dicat se lieni mederi , per dies IX. [18] Aridæ quoque farinam tribus digitis apprehensam , & stomachi dolorem sedare in aqua : & similiter aspersam in potionem , [19] ventris animalia expellere.

LIV. Magna societas cum hac [1] ad recreandos defectos animo pulegio , cum surculis suis in ampullas vitreas aceti [2] utrisque dejectis. Qua de causa dignior e pulegio corona [3] Varroni , quam e rosis , [4] cubiculis nostris pronunciata est. [5] Nam & capitis dolores imposita dicitur levare. [6] Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusque

NOTÆ.

9 *Item lumbis.*] Ischiadicis pariter calamintham suam prodesse Dioscorides tradidit , loc. cit.

10. *Succus auribus.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 10. Apuleius , cap. 90. tit. 1. *Ad aurium vermes : Herbæ mentastri succus cum vino austero mixtus , & in auriculam confectus , vermes necare traditur.* Q. Serenus , cap 13. pag. 132. *De aurium vitiis succurrendis :*

Mentastri liquor expressus conducere fertur.

Adde & e Græcis Galenum , loc. cit. pag. 183. Vermes minutos , quales in caseis semiputridis inveniuntur , ex auribus prodire , etiam & majores , exemplis compluribus confirmat Schenckius , lib. 1. Observ. Medic. cap 192.

11. *In regio morbo.*] Galenus , loc. cit. & Diosc. lib. 3. cap. 43 Schol. Nicandri , pag. 8.

12. *Strumis.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107. cum vino idcirco gargarizari jubet.

13 *Tineas pellit.*] Galenus & Diosc. locis citatis. Plinius ipse superius sect 50. ubi de nasturtio : *Intestinorum animalia pellit : efficacius mentastro addito.*

Sect. LIII. 1. *Mentæ ipsius.*] Plinius Valer. lib. 4 cap. 20.

2 *Ideo embammatum*] Ἔμβαμμα , jurulentum est , quod ad intinctum paratur : liquidum illud quo panem in vasculis , obsoniumve intingimus.

3. *Ipsa acescere.*] Ita Diosc. lib. 3. cap 41. Coïre lac , inquit , densarique in caseum non patitur , si folia ei immergantur. Florentinus item in Geopon lib 12 cap. 24. pag. 348. Εἰ δὲ καὶ εἰς γάλα ἐμβληθῇ , καὶ μετὰ ταῦτα ἡ πυτία ἐπιβληθῇ , οὐ πηγνύεται τὸ γάλα. *In lac si injiciatur , & coagulum postea immittatur , lac non coagulabitur.*

4 *Denserique lac.*] Ita M S S. Reg Colb. &c. non *densare* , vel *densari*. Sic Lucretius , lib. 1. vers. 647.

Nil prodesset enim calidum denserier ignem.

Et vers. 656.

Denseri poterunt ignes.

5. *Genitalia denseri.*] Hoc est , vel τὰ αἰδοῖα ἐντείνεσθαι , vel densari potius & veluti coagulari genitale semen : nam & sect. 84. genitale pro genitura seu semine genitali accipit. Sic Hippocrates , lib. 2. de diæta , sect. 26. Μίνθη θερμαίνει . . . . καὶ ἤν τις πολλάκις ἐσθίῃ τις , τὸ σπέρμα αὐτοῦ τήκει , ὥστε ῥέειν καὶ ἐντείνεσθαι κωλύει , καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιεῖ. *Menta calfacit . . . . & si quis sæpe comedat , semen genitale colliquefacit , ut diffluat , & arrigere prohibet , & corpus debile facit.*

6. *Cum amylo* , &c.] Ita fere Q. Serenus , cap .27. pag. 143.

7. *Syriation.*] In M S S. Reg. & Colb. *Siratione . . . . curavit illa.* Medici nomen , vel obstetricis priore vocabulo contineri , haud dubium est : quodnam sit illud , adhuc obscurum. An *Serapion* , de quo nos in Auctorum Indice , tomo priore ? Antiochensis medicus scilicet. Inepte nescio quis *Satyriasin* legi hic censuit oportere : voce nec latina , nec pudica , nec Pliniani proinde ingenii. Adde quod si morbi nomen hic latet , quis est qui *curavit* ?

8. *Item sanguinem.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 23. Diosc. lib. 3. cap. 41.

9. *Hulcera in capite.*] Apuleius , cap. 120. tit. 2.

10. *Arterias humidas.*] Fauces.

11. *Linguæ asperæ.*] Diosc. loc. cit.

12. *Singultus* , &c] Diosc. lib. 3. cap. 41.

13 *Et si mammæ tendantur.*] Distentas mammas , & nimio lacte turgentes compescit. Diosc. loc cit.

14. *Illinitur & temporibus.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 23. Fronti , Diosc. loc. cit.

15. *Item sedis vitiis.*] Sedes a medicis pro natibus accipitur , totaque ea parte corporis , super qua sedentes innitimur.

16. *Intertrigines.*] Intertrigo malum est , quo femina equitatu , aliave simili de causa atteruntur , aduruntur. Alias attrita dicuntur. *Intertrigo* , inquit Varro , lib. 4. de lingua Lat. *ab eo quod duo inter se trita.*

17. *Auribus cum mulso.*] Diosc. lib. 3. cap. 41 cum mulsa : Ἐνσταζομένη δὲ ὁ χυλὸς σὺν μελικράτῳ ὠφελεῖ. Plinius Valer. Similiter lib. 4. cap 3 At M S S *mulso*

18 *Aridæ quoque.*] Hæc iisdem verbis Plinius Valer. lib. 4. cap. 23.

19. *Ventris animalia.*] Hoc est , lumbricos. Plinius Valer. & Diosc. locis cit. Theod. Priscianus , lib. 2. parte 2. c. 17. mentæ viridis decoctum in hoc usu laudat in primis.

Sect. LIV. 1. *Ad recreandos.*] Vel solum pulegium naribus admotum cum aceto , defectos animo recreare , auctor est Diosc. lib. 3 cap. 36.

2. *Utrisque dejectis.*] Mentæ , pulegiique surculis.

3. *Varroni.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

4. *Cubiculis nostris.*] In quibus , ut nunc quoque fit , clavis alligabantur acervi florum & herbarum odoratarum ad medicos usus. Petronius in Satyr. pag. 493.

Mista sorba

Inter odoratas pendebant texta coronas ,

Et thymbra veteres , & passis uva racemis.

5 *Nam & capitis.*] Q. Serenus , cap. 2. pag. 126. inter remedia capiti medendo :

Vel turno ex arbore sertum.

Pulegiumve potens una super aure levabis :

Aut illud mixto coctum clementer aceto

Cauta nare trahes.

Sic etiam Apuleius , cap. 92. tit. 6.

6. *Quin & olfactu.*] Apuleius , cap. 92. tit. 1. *Capiti ne*

injuriam, & ab siti traditur: neque æstuare eos, qui duos e pulegio surculos impositos auribus in Sole habeant. Illinitur etiam in doloribus cum polenta & aceto. [7] Femina efficacior. Est autem hæc flore purpureo: mas candidum habet. [8] Nauseas cum sale & polenta in frigida aqua pota inhibet. Sic & pectoris ac ventris dolorem. [9] Stomachi autem ex aqua item rosiones sistit, & vomitiones cum aceto & polenta. Intestinorum vitia melle decocta & nitro sanat. [10] Urinam pellit ex vino: & si ammineum sit, [11] & calculos, & interiores omnes dolores. [12] Ex melle & aceto sedat menstrua, & secundas. [13] Vulvas conversas corrigit. [14] Defunctos partus ejicit. [15] Semen obmutescentibus olfactu admovetur. Comitialibus in aceto cyathi mensura datur. Si aquæ insalubres bibendæ sint, tritum aspergitur. [16] Salsitudines corporis, si cum vino tradatur, minuit. [17] Nervorum causa, & in contractione, cum sale & aceto, & melle confricatur in opisthotono. [18] Bibitur ad serpentium ictus decoctum: ad scorpionum & in vino tritum, maxime quod in siccis nascitur. Ad oris exhulcerationes, ad tussim efficax habetur. Flos recentis incensus, [19] pulices necat odore. [20] Xenocrates pulegii ramum lana involutum, in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subjici, & ita collocari ægrum, inter remedia tradit.

LV. Silvestri ad eadem vis efficacior est, quod simile est origano, minoribus foliis, quam sativum: & a quibusdam dictamnus vocatur. Gustatum a pecore caprisque, [1] balatum concitat. [2] Unde quidam Græci litera mutata blechona vocaverunt. Natura tam fervens est, ut illitas partes exhulceret. [3] Tussi in perfrictione fricari ante balnea convenit: & ante accessionum horrorem, [4] convulsis, & torminibus. [5] Podagris mire prodest. Hepaticis cum melle & sale bibendum datur: [6] pulmonum vitia exscreabilia facit. [7] Ad lienem cum sale utile est, & vesicæ, & suspiriis, [8] & inflationibus: [a] decoctum succo æqualiter, & [9] vulvas corrigit: & contra scolopendram terrestrem vel marinam: item scorpiones: privatimque valet contra hominis morsum. Radix [10] contra increscentia hulcera recens potentissima. Arida vero cicatricibus decorem affert.

LVI. Item pulegio est nepetæque societas. Decocta enim in aqua ad tertias [1] discutiunt frigora, [2] mulierumque menstruis prosunt. Et æstate sedant calores. [3] Nepeta quoque vires contra serpentes habet. Fumum ex ea nidoremque fugiunt, quam & substernere

INTERPRETATIO.

a *Decoctum.*] Decoctum æqualiter prodest succo, & simol vulvas corrigit.

NOTÆ.

nocceat æstus aut frigus: Herbam pulegium tecum, aut super aurem, aut sub anulo portato: hoc & hieme tota facies, nec gravedinem senties, nec perfrictionem.

7. *Femina.*] Apuleius, cap. 92. *Duo genera ejus sunt, masculus & femina. Masculus florem album habet, femina rubrum, sive purpureum: utrumque utile est & mirabile.*

8. *Nauseas.*] Marcellus Empir. cap. 20. pag. 138. Apuleius, cap. 92. tit. 3. *Contra nauseam stomachi: Pulegium tritum, vel in aqua maceratum cum aceto potui dabis: nauseam sedat.* Diosc. lib. 3. cap. 36. ad nauseam μετ' ὀξυκράτου ex posca bibi præcipit.

9. *Stomachi .... rosiones.*] Sive morsus. Dioscor. δηγμοὺς στομάχου.

10 *Urinam pellit.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 181. Id vero vini genus *puleiatum* a Lampridio appellatur, in Elagabalo, pag 103. Græcis οἶνος γληχωνίτης.

11. *Et calculos.*] Apuleius, cap. 91. tit. 11.

12. *Ex melle.*] Bibitum ejicere menstrua & secundas, scribit pariter Diosc. loc. cit.

13. *Vulvas conversas.*] Dioscor. lib. 3. cap. 36. Πρὸς τὰς ἀναστροφὰς ὑστέρας ἁρμόζει.

14. *Defunctos.*] Diosc. loc. cit. Apuleius, cap. 92. tit. 7. *Si infans in utero mulieris mortuus fuerit: Pulegii cauliculos tres recentes, qui adolent suaviter, tritos in vino vetere optimo, sextarii quartario da bibat, liberabitur.*

15. *Semen obmutescentibus.*] Illud nimirum est quod Apuleius aliquanto planius, cap. 91. tit. 14. *Si mulier obticuerit:* nempe in partu: *Pulegium contritum & in pulverem redactum lana convolutum subjiciatur ab obstetrice.*

16. *Salsitudines.*] Forsan, *Lassitudines*, rectius. Idcirco enim & tueri capita dicitur, contra æstus frigorumque injuriam, quæ causæ sunt lassitudinum: & idem nervorum confricationi prodesse, quod lassitudinem pariter respicit.

17. *Nervorum causa.*] Apuleius, cap. 92. tit. 13. *Contra spasmum: Pulegium in aceti cyathis duobus jejunus bibat, si spasmus molestus fuerit.* Spasmus, nervorum distentio est atque convulsio. Tetanus, eorumdem rigor, auctore Celso, lib. 2. cap. 1. Opisthotonum spasmum Plinius dixit, lib. 22. sect. 9. De opisthotono diximus sect. 15. Est enim opisthotonos e tribus spasmi generibus quæ fusius explanaturi sumus lib 23. sect. 24.

18. *Bibitur ad serpentium ictus.*] Diosc. lib. 3. cap. 36.

19. *Pulices necat.*] Atque inde fortassis pulegii nomen.

20. *Xenocrates.*] Apuleius quoque, cap. 91. tit. 6. *Ad tertianas: Pulegii ramulos tres lana involutos odoret ante accessionem.*

Sect. LV. 1. *Balatum concitat.*] Diosc. lib. 3. cap. 36. iisdem verbis: Καλοῦσι δέ τινες αὐτὴν βλήχωνα, ἐπειδὴ τὰ πρόβατα ... [illegible]

2. *Unde quidam Græci.*] Hesychius: Βλήχων, γλήχων, ... λέγεται. Apuleius quoque, cap. 91. ... [illegible] quæ vox balatum sonat.

3. *Tussi in perfrictione.*] Eos, inquit, qui tussi laborant, quam ex perfrictione collegerint, ut Marcellus Empir. loquitur, cap. 16. pag. 115. silvestri pulegio fricari ante balnea convenit. Perfrictio Græcis κατάψυξις vehemens frigus est (a *perfrigesco*) qualis affectio illa est febre laborantium, quæ præcedit horrorem, hoc est, φρίκην. Hoc frigore pars aliqua una tantum corporis laborat, quo & rigescit, torpescitque: onde κατεψυγμένη καὶ τραυλὴ γλῶσσα, rigens & balbutiens lingua dicitur.

4. *Convulsis.*] Convulsis, τοῖς σπωμένοις, cum melle & sale auxiliari ait Diosc. lib. 3. cap. 36.

5. *Podagris.*] Diosc. loc. cit.

6. *Pulmonum vitia.*] Cum melle item & sale: Diosc. loc. cit. Vide & Galenum, lib. 6. de fac simpl med. pag. 167.

7. *Ad lienem.*] Diosc. loc. cit. Ex aceto propinat Apuleius ad splenis dolorem, cap. 92. tit. 17.

8. *Et inflationibus.*] Apuleius, cap. 91. tit. 15. *Ad inflationem stomachi, vel intestinorum: Pulegium ex aqua calida contritum, vel ex vino, aut per se dato: rem miraberis illico.*

9. *Vulvas corrigit.*] Conversas scilicet, ut dictum est sect. 51.. Ad inflationes præterea duritiamque vulvæ egregie facere scribit Diosc. loc. cit.

10. *Contra increscentia.*] In quibus caro supra modum excrescit.

Sect. LVI. 1. *Discutiunt frigora.*] Quæ febrium horrorem antevertunt.

2. *Mulierumque menstruis.*] Eam vim pulegio vel soli Q. Serenus vindicat, cap. 35. pag. 148.

Pulegio calido purgatur femina potu.

3. *Nepeta quoque.*] Apuleius, cap. 94. *Morsibus serpentum*

[4] in metu obdormituris utile est. [5] Tusa ægilopiis imponitur, & capitis doloribus recens cum tertia parte panis temperata aceto illinitur. [6] Succus ejus instillatus naribus supinis, profluvium sanguinis sistit. Item radix, quæ cum myrti semine in passo tepido gargarizata anginis medetur.

5 LVII. [1] Cuminum silvestre est prætenue, quaternis aut quinis foliis veluti serratis. Sed & sativo magnus usus, [2] in stomachi præcipue remediis. [3] Discutit pituitas, [4] & inflationes, tritum & cum pane sumptum, vel potum ex aqua vinoque: [5] tormina quoque & intestinorum dolores. Verumtamen omne [6] pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt [7] Porcii Latronis, clari inter magistros dicendi, assectatores, similitudinem 10 coloris studiis contracti imitatos: & paulo ante [8] Julium Vindicem assertorem illum a Nerone libertatis, [9] captatione testamenti sic lenocinatum. [10] Narium sanguinem pastillis inditum vel ex aceto recens sistit. [11] Et oculorum epiphoris per se impositum, [12] tumentibus cum melle prodest. Infantibus imponi in ventre satis est. [13] Morbo regio in vino albo a balineis datur: [a] Æthiopicum maxime in posca, & [14] in ligmate cum 15 melle. Africano paularim urinæ incontinentiam cohiberi putant. Sativum datur ad jocineris vitia tostum, tritum in aceto. Item ad vertiginem. Iis vero quos acrior urina mordeat, in dulci tritum vino. [15] Ad vulvarum vitia in vino: præterque, impositis vellere foliis: [16] testium tumoribus, tostum, tritumque cum melle, aut cum rosaceo & cera.

[a] Cap. xv.

Silvestre ad omnia eadem efficacius. Præterea ad serpentes cum oleo, ad scorpiones, 20 ad scolopendras. Sistit & vomitionem nauseasque ex vino, quantum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoque bibitur illiniturque, [17] vel penicillis fervens adprimitur fasciis. Strangulationes vulvæ potum in vino aperit, tribus drachmis in tribus cyathis vini. [18] Auribus instillatur ad sonitus atque tinnitus cum sebo vitulino, vel melle. [19] Sugillatis illinitur cum melle, & uva passa, & aceto. [20] Lentigini nigræ ex aceto.

25 LVIII. [1] Est cumino simillimum, quod Græci vocant ammi. [2] Quidam vero Æthiopicum cuminum id esse existimant. [3] Hippocrates regium appellat, videlicet quia [4] effi-

NOTÆ.

curandis: *Herba nepita montana ex vino trita succus expressus cum vino potui datur: cujus etiam folia contrita plagæ utiliter imponuntur.* Est hæc fortassis Dioscoridis [illegible].

4. *In metu obdormituris.*] In eo loco obdormituris, in quo serpentes metuendæ.

5. *Tusa ægilopiis.*] Αἰγίλωψ oculi vitium est, quod in angulo oculi, qui est ad nares, fieri omnes testantur: esseque tumentem abscessum, qui in ea parte supparet, & fistulæ modo distillet. Nostri *Fistulæ lacrymale*, ex ea te vocant: Græci [illegible] & [illegible], quæ vox oculum caprinum sonat, a vitio scilicet & labe, quæ capris fere propria est & continua. Vide Celsum, lib. 7. cap. 7.

6. *Succus ejus.*] Quin & narium morbis medetur, si Theodor. Priscianum audimus. *Naribus vero specialiter sic medeberis*, inquit ille, lib. 1 cap. XI. *de narium morbis*: *Succum nepitæ, quam Græci calaminthen vocant, frequenter infunde: aut ejusdem siccatæ & contusæ pulverem per canalem exsufflato.*

Sect. LVII. 1. *Cuminum silvestre.*] Hæc totidem verbis interpres Oribasii, lib. XI. fol. 502. post Dioscoridem, lib. 3. cap. 69.

2. *In stomachi præcipue.*] Marcellus Empir. cap. 20. pag. 141. *Cuminum teres, & vino mixtum dabis bibendum jejuno, si non febricitabit: si febricitabit, ex aqua tritum dabis: continuo emendabis stomachi dolorem.* Apud Diosc. lib. 3. cap. 68. [illegible] hodie legitur, hoc est, ori gratum, forte pro [illegible]. Nam silvestre cuminum cap. 69. ad stomachi imbecillitatem levandam in primis laudatur.

3. *Discutit pituitas.*] Crassiores humores ac pituitosos, per alvum & urinas educit: eosdem a capite evocat.

4. *Et inflationes*, &c.] Hæc deinceps iisdem verbis Diosc. tum de cumino sativo, tum de silvestri, lib. 3. cap. 68. & 69.

5. *Tormina quoque.*] Diosc. loc. cit. Qu. Serenus, cap. 27. de ventris dolore mitigando, pag. 142.

Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum
Convenit, quod jam nobis documenta probarunt.

6. *Pallorem.*] Unde cuminum pallens Q. Sereno, cap. 14. & Persio Satyra 5. Exangue cuminum, Horatio, lib. 1. Epist. 20. Et hoc pariter notat Diosc. loc. cit.

7. *Porcii Latronis.*] M. Porcius Latro, genere Hispanus, primus clari nominis Professor, ut auctor est Quintil. lib. 10. cap. 5. pag. 775. Hunc Seneca pater, in Præf. Controv. pag. 59. tam egregie commendat, ut egregiis declamatoribus, qui Augusti seculum illustrarunt, præripuisse gloriam videatur.

8. *Julium Vindicem.*] Qui primus adversus Neronem conspiravit: natione Gallus, stirpe regia, ordinis Senatorii. Vide Dionem, lib. 63. pag. 724.

9. *Captatione testamenti.*] Cum ejus testamentum & hereditatem Nero captaret: sic ille Principis cupiditati lenocinabatur, ut ejus amicitia summos honores adipisceretur: dum pallido interim colore simularet adversa valetudine se premi, atque adeo brevi interiturum.

10. *Narium sanguinem.*] Diosc. lib. 3. cap. 68.

11. *Et oculorum epiphoris.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIV.

12. *Tumentibus.*] Oculis. Quem morbum ita Serenus expressit, cap. 14. pag. 133.

Si tumor infestat, rufos & gliscit in orbes:

Vel ut alii libri habent:

Si tumor insolitus typho se tollat inani,
Turgentes oculos vili circumline cumino.

13. *Morbo regio.*] Plinius Valerianus, lib. 2. cap. 59. ad verbum.

14. *In ligmate.*] Vel ut alii, in ecligmate Ἐκλειγμα antériaca compositio est, quæ linctu absumitur, non vorando, ut catapotia. Vulgo Electuaria vocant. Τὰ ἐκλείγματα, quæ ori opposita sensim liquescunt, ac deinde deglutiuntur: a λείχειν, hoc est, lingendo.

15. *Ad vulvarum vitia.*] Hippocr. lib. 1. de morb. mulier. tex. 56 pag. 450.

16. *Testium tumoribus.*] Testium inflammationibus auxiliari Diosc. ait, cum uva passa, & fabarum lomento, vel cum cerato impositum: [illegible]. Theodor. Priscianus, lib. 1. cap. 24. *Fervores testium, vel indignationes, cuminum cum melle & oleo tritum, & appositum curat.*

17. *Vel penicillis.*] Hoc est, linteolis conceptis fervens cuminum imponitur, deinde fasciarum ope ventri adprimitur.

18. *Auribus instillatur.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 80. *Cuminum silvestre contritum, & succo rutæ commixtum, instillatumque auriculæ, dolorem levat: ventos quoque interius sonantes removet, atque omne vitium potenter emendat.*

19. *Sugillatis.*] Diosc. lib. 3. cap. 69. [illegible].

20. *Lentigini nigræ.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 32. *Sunt quibus certis ex accidentibus maculæ in corporibus frequenter inhæserunt. Sunt nigræ, sunt albæ, velut elephantiasim annunciantes.... Cuminum cum aceto tritum sæpe profuit.*

Sect. LVIII. 1. *Est cumino.*] Hæc totidem verbis interpres Oribasii, lib. XI pag. 189. post Diosc. lib. 3. cap. 70. Ammi vulgare a Dodonæo pingitur, pag. 299. quo officinæ passim utuntur.

2. *Quidam vero.*] Dioscor. loc. cit. Ἄμμι ἔνιοι καὶ τοῦτο Αἰθιοπικὸν, &c.

3. *Hippocrates.*] Κύμινον Αἰθιοπικὸν Ἱπποκράτης βασιλικὸν καλεῖ. Diosc. lib. 3. cap. 68.

4. *Efficacius Ægyptio.*] Vide Notas & Emendat. num. XXV.

tacius Ægyptio judicavit. [5] Plerique alterius naturæ in totum putant, quoniam sit exilius & candidius. Similis autem & huic usus: Namque & panibus Alexandrinis subjicitur, & condimentis interponitur. Inflationes & [6] tormina discutit. [7] Urinas & menstrua ciet. [8] Sugillata & oculorum epiphoras mitigat. Cum lini semine [9] scorpionum ictus in vino potum drachmis duabus, privatimque cerastarum, cum pari portione myrrhæ. [10] Colorem quoque bibentium similiter mutat in pallorem. Suffitum cum uva passa & resina, vulvam purgat. Tradunt facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

LIX. [1] De cappari satis diximus inter peregrinos frutices. [2] Non utendum transmarino: innocentius Italicum est. Ferunt, eos qui quotidie id edunt, paralysi non periclitari, nec lienis doloribus. [3] Radix ejus vitiligines albas tollit, si trita in Sole fricentur. [4] Splenicis prodest in vino potus radicis cortex duabus drachmis, dempto balineatum usu. [5] Feruntque xxxv. diebus per urinam & alvum totum lienem emitti. [6] Bibitur in lumborum doloribus, ac paralysi. [7] Dentium dolores sedat tritum ex aceto semen decoctum, vel manducata radix. [8] Infunditur & aurium dolori decoctum oleo. [9] Hulcera quæ phagedænas vocant, folia & radix recens cum melle sanant. [10] Sic & strumas discutit radix: [11] parotidas, [12] vermiculosque cocta in aqua. Jocineris quoque malis medetur. Dant & ad tænias in aceto & melle. Oris exhulcerationes in aceto decocta tollit: [13] stomacho inutiles esse inter auctores convenit.

LX. Ligusticum ([1] aliqui panacem vocant) [2] stomacho utile est. Item convulsionibus [3] & inflationibus. Sunt & qui cunilam bubulam appellaverint, [4] ut diximus, falso.

Cap. xvi.

LXI. Cunilæ [1] præter sativam plura sunt in medicina genera. [2] Quæ bubula appellatur, semen pulegii habet, utile ad vulnera commanducatum impositumque, ut quinto post die solvatur. [3] Et contra serpentes in vino bibitur, ac tritum plagæ imponitur. Vulnera ab iis facta perfricantur. [4] Item testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt: quidamque in hoc usu panaceam vocant. Sedat & tumores, & virilium mala, ficca, vel foliis tritis, in omni usu mire congruens ex vino.

LXII. [1] Est alia cunila, gallinacea appellata nostris, Græcis origanum Heracleoticum. Prodest oculis trita addito sale. [2] Tussim quoque emendat, & jocinerum vitia. Late-

NOTÆ.

5. *Plerique alterius.*] Diosc. lib. 3. cap. 7.

6. *Tormina discutit.*] Diosc loc. cit.

7. *Urinas*, &c.] Diosc. loc. cit.

8. *Sugillata.*] Diosc. loc. cit. *Καὶ ὑπώπια ἀπαμαλαχθεῖσα σὺν μέλιτι αἴρει.*

9. *Scorpionum.*] Omnium venenatorum morsibus opitulari ex vino, scribit Diosc. loc. cit.

10. *Colorem quoque.*] Ex potu, & illitu similiter colorem pallidiorem efficere, ut cuminum, Diosc. etiam auctor est loc. cit.

Sect. LIX. 1. *De cappari, . . . diximus.*] Libro 13. sect. 44.

2. *Non utendum transmarino.*] Africano scilicet, eo præsertim quod apud Marmaridas nascitur, vel quod ex Arabia & Rubro mari defertur: nam id in ore pustulas excitat, & gingivas osse tenus exedit, &c. Vide Dioscor. lib. 2. cap. 204. & Galenum, lib. 7. de fac. simpl. medicam. pag. 185.

3. *Radix ejus vitiligines.*] Diosc. loc. cit. *'Αλφοὺς τε λευκοὺς ἀποσμήχει σὺν ὄξει λεία*, *cum aceto trita lentigines albas exterit.* Sic etiam Galenus, lib. 7. de fac. simpl. med. pag. 184.

4. *Splenicis.*] Marcellus Empir. cap 13. pag. 167. Plinius Valer. lib. 2. cap. 18. *Corticis ex radice capparum cochlear plenum teres, & dabis bibere cum aqua calida, addens, si volueris, permodicum acetum: hocque per triduum facies, & sanus eris.* Aliter Celsus, lib. 4. cap. 9. de lienis morbo: *Multis modis huic rei cappari aptum est. Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam ejus cum aceto sorbere commodum est. Quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem ejus cum furfuribus, aut ipsum cappari cum melle contritum imponere expedit.*

5. *Ferunt XXXV.*] Diosc. loc cit. post dies XL. Galenus, loc. cit. spatium dierum nullum assignat.

6. *Bibitur*, &c.] Diosc. loc. cit.

7. *Dentium dolores.*] Diosc. & Galenus, locis citatis.

8. *Infunditur.*] Dioscor. loc. cit. *Σκώληκάς τε τοὺς ἐν ὠσὶν ὁ χυλὸς ἐγχυματισθεὶς κτείνει. Aurium vermiculos infusus succus enecat.* Sic etiam Galenus, loc. cit. pag. 185.

9. *Hulcera.*] Diosc. & Galenus, locis citatis.

10. *Sic & strumas.*] Galenus, *καὶ χοιράδας διαφορεῖ*, loc. cit. pag. 184. Sic & Diosc. loc. cit. Struma, inquit Celsus, lib. 5. cap 28. tumor est, in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriuntur. Latini etiam scrofulas appellant, vulgo, *les Ecrouelles*. Celsus eas maxime in cervice ait oriri, sed in aliis etiam partibus, inguinibus, lateribusque, & mammis feminarum.

11. *Parotidas.*] Theod. Priscianus, lib 1. cap. 8. *de parotidibus: Capparis corticem in aqua coques: & cum vino commisces, & cataplasma facies.*

12. *Vermiculosque.*] Aurium scilicet, de quibus dictum est proxime.

13. *Stomacho inutiles.*] *Κακοστόμαχοι* & caulem & fructum perinde esse, auctor est Diosc. loc. cit.

Sect. LX. 1. *Aliqui panacem.*] Ut dictum est libro 19. sect. 50.

2. *Stomacho utile.*] Ita MSS omnes, & Parm. edit. Diosc lib. 3. cap 58. de ligustico: *εὐστόμαχον δ' ἐστι*, &c. In libris editis perperam ad hunc diem *inutile*, uti & ea sequentibus liquet.

3. *Et inflationibus.*] Subintellige, utile est. Diosc. loc. cit. *Δύναμις ἢ τε σπέρματος ἢ τ ῥίζης . . . θερμαίνουσα πρὸς ἐμπνευματώσεις, ἢ μάλιστα τὰς περὶ τὸν στόμαχον*, &c. Sic etiam Galenus, lib. 7. de fac. simp med. pag 203. *ἀφυσητικὸν* ait esse, hoc est, flatus extinguere.

4. *Ut diximus.*] Libro superiore, sect. 50.

Sect. LXI 1. *Præter sativam.*] Quæ saturcia, ut diximus, lib. 9 sect. 50.

2. *Quæ bubula.*] Cunila hæc bubula, uti indicavimus lib. 8. sect. 41. origanum silvestre est, quod ab aliis Heraclei panacis, ab aliis, quos inter Nicander est, teste Diosc. lib. 3. cap. 34. cunilæ nomen accepit. Extat adhuc certe Nicandri carmen in Theriac. pag 44

Πανάκειόν τε χύλλην,
Ἥν τε καὶ Ἡρακλέους ὀρίγανον ἀμφενέπουσι.
Non panacica cunila,
Quam quidam Heracleon origanon indigitarunt.

Vulgo *Origan.* Accurate a Lobelio pingitur, in Observat. pag. 263. a quo Agnoriganon sive Onitis major vocatur. Vidimus in horto Regio. Est origanon vulgare Matthioli in lib. 3. Diosc. pag 701.

3. *Et contra serpentes.*] Contra venenatorum morsus. Diosc. loc. cit.

4. *Item testudines.*] Id jam antea indicatum, libro 8. sect. 41.

Sect. LXII. 1. *Est alia cunila.*] Apuleius, cap 122. *Origanum a Græcis Heracleoticum. . . . Latini cunilam Gallicam* (lege ex Plinio, *gallinaceam*, sic enim MSS. omnes) *& origanum nominant.* Diosc. lib. 3. cap. 31. *Ὀρίγανος Ἡρακλεωτικὴ, οἱ δὲ κονίλην καλοῦσιν, φύλλον ἔχει ὑσσώπῳ ὅμοιον*, &c. Delineatum accurate a Matthiolo in lib. 3. Dioscor pag. 699. quale nos vidimus. De eo rursum Plinius, lib. 25. sect. 12.

2. *Tussim quoque.*] Diosc lib. 3. cap. 32. cum melle delingi ad tussim jubet. Apuleius, loc. cit. *Tussi medendo. Herbam origanum commanducet*, &c.

rum dolores cum farina, oleo & aceto in sorbitionem temperata. [3] Præcipue vero serpentium morsus.

LXIII. [1] Tertium genus est ejus, quæ a Græcis mascula, a nostris cunilago vocatur, [2] odoris fœdi, radicis lignosæ, folio aspero. Vires ejus vehementissimas [3] in omnibus generibus earum tradunt. [4] Manipulo quoque ejus abjecto, omnes e tota domo blattas convenire ad eam. Privatim adversus scorpiones ex posca pollere. [5] Tribus foliis ex oleo perunсто homine, fugari serpentes.

LXIV. [1] E contrario quæ mollis vocatur, pilosioribus foliis ac ramis aculeatis, trita mellis odorem habet, digitis tactu ejus cohærescentibus. [2] Altera thuris, quam libanotidem appellamus. [3] Medetur utraque contra serpentes ex vino vel aceto. [4] Pulices etiam contritæ cum aqua sparsæ necant.

LXV. [1] Sativa quoque suos usus habet. Succus ejus cum rosaceo auriculas juvat. Ipsa ad ictus bibitur. [2] Fit ex ea montana, serpyllo similis, efficax contra serpentes. [3] Urinam movet: purgat & a partu mulieres. Concoctionem mire adjuvat, & ad cibos aviditatem utraque, vel in cruditate jejunis in potione aspersa. Luxatis quoque utilis. Contra vesparum & similes ictus, ex farina hordeacea & posca, utilissima. [4] Libanotidis alia genera suis dicentur locis.

CAP. XVII. LXVI. Piperitis, quam & siliquastrum [1] appellavimus, contra morbos comitiales bibitur. [2] Castor & aliter demonstrabat, caule rubro & longo, densis geniculis, foliis lauri, semine albo, tenui, gustu piperis, utilem gingivis, dentibus, oris suavitati, & ructibus.

LXVII. [1] Origanum quod in sapore cunilam æmulatur, [2] ut diximus, plura genera in medicina habet: [3] onitin vel prasion appellant, non dissimile hyssopo. [4] Privatim ejus usus contra rosiones stomachi in tepida aqua, & contra cruditates: contra araneos scorpionesque in vino albo: [5] luxata & incussa in aceto, & oleo, & lana.

LXVIII. [1] Tragoriganum similius est serpyllo silvestri. [2] Urinam ciet, tumores discutit, [3] contra viscum potum, viperæque ictum efficacissimum, [4] stomachoque acida ructanti, & præcordiis. [5] Tussientibus quoque cum melle datur, & pleuriticis, [6] & peripneumonicis.

LXIX. [1] Heraclium quoque tria genera habet: nigrius, latioribus foliis, glutino-

NOTÆ.

3. *Præcipue vero*] Dioscor loc. cit.

Sect. LXIII. 1. *Tertium genus.*] Hæc conyza mascula est, de qua rursum dicetur lib. 21. sect. 32. Eadem conyza major Dioscoridis, lib. 3. cap. 136. cujus iconem Lobelius exhibet in Adversariis, cap. 146. qualem nos in horto Regio vidimus.

2. *Odoris fœdi.*] Βαρύοσμον, Diosc loc. cit.

3 *In omnibus generibus.*] Sive mascula sit, sive femina: sive silvestris, sive sativa.

4. *Manipulo.*] Substratu, suffituque venenatas fugare bestias, abigere culices, pulices necare, tradit Diosc. lib. 3. cap. 136.

5. *Tribus foliis*] Folia serpentium morsibus imponuntur utiliter, inquit Diosc. loc cit.

Sect. LXIV. 1. *E contrario quæ mollis.*] Eadem conyza femina Theophrasto lib. 6. histor. cap. 2. Conyza minor, Diosc. loc. cit. a Lobelio picta accurate in Adversar. pag. 146. Visa a nobis in horto Regio.

2. *Altera thuris.*] Altera conyza, inquit, hoc est, mascula, thuris odorem habet: quapropter & ipsa libanotis appellatur, quanquam id nomen & aliæ plantæ veteres sortiuntur Plinius ipse, lib. 21. sect. 32. *Folia feminæ mellis odorem habent. Masculæ radix a quibusdam libanotis appellatur, de qua diximus*, hoc nimirum loco.

3. *Medetur utraque.*] Diosc. loco cit.

4. *Pulices etiam.*] Diosc. loc. cit. ut paulo antea diximus. Democritus in Geopon. lib. 13 cap 11. pag. 370. ubi de culicibus necandis, αἱ δὲ κώνωπες. Φεύξονται δὲ, εἰ κόνυζαν ἑψήσας, ἢ τὸ ζέμα ῥανεῖς τὴν οἰκίαν. *Fugient, si conyzam decoxeris, decoctoque domum resperseris.* Et cap. 15 de pulicibus, περὶ ψυλλῶν, pag. 374. necari hos ait, κόνυζαν ἑψήσας, ἢ ζέματι ἐπιρραινόμενον

Sect. LXV. 1. *Sativa quoque.*] Sativa nempe cunila: nam, ut dictum est initio sect. 61. cetera genera hactenus, præter sativam, descripta sunt. Hæc est quam θύμβραν aliqui, rectius alii cunilam nostram & satureiam vocarunt, ut diximus lib. 19. sect. 50.

2. *Fit ex ea montana.*] Satureia montana, quæ Thymbra Dodonæi, pag. 287. visa a nobis in Horto Regio.

3. *Urinam &c.*] Diosc. loc. cit.

4 *Libanotidis.*] Aliarum herbarum, quibus est libanotidis pariter nomen inditum, genera viresque suis locis dicentur: nempe lib. 24. sect. 59 ubi rosmarinum tractabitur, quod alio nomine libanotidem appellari dictum est superiore libro, sect. ult. ac genera quidem illius duo afferentur.

Sect LXVI. 1. *Appellavimus.*] Libro 19. sect. 62. Illud est quod piper Indicum appellant vulgo, quod quidem quadrigemino genere a Dodonæo pingitur, sub nomine Capsici, pag 704 & 705. nempe oblongioribus, recurvis, latis, minimisque siliquis. Nostris, *Poivre d'Inde.*

2. *Castor & aliter.*] Alterum intelligi vult piperitidis genus, a Castore descriptum.

Sect LXVII. 1. *Origanum, quod in sapore cunilam.*] Sive satureiam.

2. *Ut diximus.*] Libro 19 sect. 50.

3. *Onitin.*] Diosc. lib 3. cap. 33. Ἡ δὲ ὀνῖτις καλουμένη, λευκοτέρα τοῖς φύλλοις ἐστὶ, καὶ μᾶλλον ὑσσώπῳ ἐμφερής, &c. Sic etiam interpres Oribasii, lib. 12. fol. 209. Galeno, lib. 7. de fac. simp med pag 215. ὀνῖτις scribitur. Marcellus Empir. cap 30. pag. 212 *Cunila, quam Græci onitin vocant.* Id ei nomen inditum, quod ab asinis præcipue expetatur: Schol Nicandri: Ὀνῖτιν λέγει, ὅτι οἱ ὄνοι ἐσθίουσι. Πράσιον a viridi foliorum colore. Vidimus in horto Regio.

4 *Privatim ejus usus.*] Plinius Valer. lib 4. pag 36. De origano: *Ex vino albo tritum, & in potione sumptum, scorpionum & araneorum venenis resistit: cruditates discutit: morsus stomachi ex aqua calida datum lenit.*

5. *Luxata, &c.*] Plinius Valer loc. cit.

Sect. LXVIII. 1. *Tragoriganum*] Diosc. lib. 3. cap. 35. Τραγορίγανος θαμνίσκος ἐστὶν ὅμοιος ἑρπύλλῳ ἀγρίῳ καὶ φύλλοις καὶ τῇ ἀλωσίᾳ. Ab hircis, quibus gratum illud pabulum est, nomen habere, ut ab asinis onitin, auctor est scholiastes Nicandri. Est Thymbra legitima Clusii, quam ille pinxit, lib 3. hist. rar. plant. pag. 358. nos in horto Regio observavimus.

2. *Urinam ciet, &c*] Diosc. loco citato.

3. *Contra viscum*] Hoc est, contra ἰξίαν, ut diximus sect. 51. Diosc loc. cit. Nicander in Alexiph. pag. 151. tragoriganum valere ait contra ἰξιόεν ἀλοφόεσσαν.

4. *Stomachoque.*] Diosc. loc. cit. Τοῖς κακοστομάχοις, καὶ ὀξυρεγμιῶσι δίδοται· καὶ ἐφ' ὧν ἀλυσμὸς, καὶ ναυτία, καὶ θέρμη ὑποχονδρίων παρακολουθεῖ. *Stomacho male affectis, & acida ructantibus exhibetur, & iis quos qualis ex maris agitatione anxietas, nausea, & præcordiorum æstus comitantur.*

5. *Tussientibus, &c.*] Diosc. loc. cit.

6. *Et peripneumonicis.*] Diosc Βηχί τε καὶ περιπνευμονικοῖς σὺν μέλιτι ἐν ἐκλεικτῷ δίδοται, *in eclegmate.*

Sect. LXIX. 1 *Heraclium*] Sic in Indice hujus loci: *De origano heraclio: Genera tria.* Illud ipsum quod Heracleoticum appellatum est sect. 62. hoc tragorigani genus quod-

ſum. [2] Alterum exilioribus, mollius, ſampſucho non diſſimile, quod aliqui praſion vocare malunt. Tertium eſt inter hæc medium, minus quam cetera efficax. [3] Optimum autem Creticum. Nam & jucunde olet. Proximum [4] Smyrnæum, odorius. Heracleoticum, ad potum utilius, [5] quod onitin vocant.

[6] Communis autem uſus ſerpentes fugare, percuſſis eſui dare decoctum, potu urinam ciere, ruptis, convulſis mederi cum panacis radice, hydropicis cum fico, aut cum hyſſopo, acetabuli menſuris decoctum ad ſextam. Item ad ſcabiem, pruriginem, ſporas, [7] in deſcenſione balinearum. Succus auribus infunditur cum lacte. [8] Tonſillis quoque & uvis medetur, & capitis hulceribus. [9] Venena opii & gypſi extinguit decoctum, ſi cum cinere in vino bibatur. [10] Alvum mollit acetabuli menſura. [11] Sugillatis illinitur. Item dentium dolori, quibus etiam & candorem facit, cum melle & nitro. Sanguinem narium ſiſtit. Ad parotidas decoquitur cum hordeacea farina. Ad arterias aſperas cum galla & melle teritur: ad lienem folia cum melle & ſale. [12] Craſſiores pituitas & nigras extenuat coctum cum aceto & ſale, ſumptum paulatim. Regio morbo tritum [13] cum oleo in nares infunditur. Laſſi perunguntur ex eo, ita ut ne venter attingatur. Epinyctidas cum pice ſanat. Furunculos aperit cum fico trito: Strumas cum oleo & aceto & farina hordeacea. Lateris dolores cum fico illitum. Fluxiones ſanguinis in genitalibus tuſum, & aceto illitum. Reliquias purgationum a partu.

LXX. [1] Lepidium inter urentia intelligitur. [2] Sic & in facie cutem emendat exhulcerando, ut tamen cera & roſaceo facile ſanetur. [3] Sic & lepras, & pſoras tollit ſemper facile, & cicatricum hulcera. [4] Tradunt in dolore dentium adalligatum brachio qua doleat, [5] convertere dolorem.

LXXI. [1] Gith ex Græcis, alii melanthion, alii melanſpermon vocant. [2] Optimum, quam excitatiſſimi odoris, & quam nigerrimum. Medetur ſerpentiûm plagis & ſcorpionum. Illini ex aceto ac melle reperio, [3] incenſoque ſerpentes fugari. [4] Bibitur drachma una & contra araneos. [5] Diſtillationem narium diſcutit tuſum in linteolo olfactum. [6] Capitis dolores illitum ex aceto & infuſum naribus. Cum irino oculorum epiphoras & tumores. [7] Dentium dolores coctum cum aceto. Hulcera oris tritum aut commanducatum. [8] Item lepras & lentigines ex aceto. [9] Difficultates ſpirandi addito nitro potum. [10] Duritias, tumoreſque veteres, & ſuppurationes, illitum. [11] Lacte mulierum auget continuis diebus ſumptum. Colligitur ſuccus ejus, [12] ut hyoſcyami. [13] Similiterque largior, venenum eſt,

NOTÆ.

dam lætius Dioſcorides appellat, lib. 3. cap. 35.

2. *Alterum exilioribus.*] Alterum tragorigani genus apud Dioſc. loc. cit. Ἡ δέ τι τραγορίγανος λεπτόκαρφος, καὶ λεπτόφυλλος, ὃ καὶ πράσιον ἔνιοι καλοῦσι.

3. *Optimum.*] Dioſc. loc cit. Ἀρίστη δὲ ἡ Κιλίκιος, καὶ ἡ ἐν Κῷ, καὶ Χίῳ, καὶ Σμύρνῃ, καὶ Κρήτῃ.

4. *Smyrnæum, odorius.*] Ita MSS Reg. 2. Colb. 2 Chiffl. &c. ut ſit ſententia, jucundius Smyrnæum origanum olere, quam Creticum. Sunt qui *ſmyrneum* legant, falſo: quanquam eſſe percommode hic poſſit videri σμύρνιον, ſive σμυρνεῖον, a σμύρνα, hoc eſt, a myrrha. Eſt autem *odorius* ab *odorus*, quæ vox cum ſæpius in abſoluto gradu apud idoneos Latinitatis auctores occurrat, tum vero eſt in comparativo infrequens.

5. *Quod onitin vocant.*] Hoc eſt, eo quod onitin vocant. Vide Notas & Emend. num XXVI.

6. *Communis autem.*] Communes heracleotici & onitidis vires. Sic Dioſcor. lib. 3. cap. 32. & 33.

7. *In deſcenſione balinearum.*] Dioſc. lib. 3. cap. 32. Κνησμοὺς δὲ καὶ ψώρας, καὶ ἰκτέρους τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ἐν λουτρῷ ὠφελεῖ. *Pruriginis, pſoræ, ac morbo regio decoctum ipſius in balneo prodeſt.*

8. *Tonſillis, &c.*] Dioſc. loc. cit. Παρίσθμια, καὶ σταφυλὰς, καὶ ἄφθας θεραπεύει.

9. *Venena opii, &c.*] Dioſc. loc. cit. iis qui cicutam biberint, opiumve, præbet ex vino dulci, ſeu paſſo: ex oxymelite, ſeu aceto mulſo, iis qui gypſum.

10. *Alvum mollit.*] Dioſc. loc. cit. Ξηρὰ δὲ πινομένη ὀξυβάφου πλῆθος σὺν μελικράτῳ, μέλανα κάτω κοιλίας ἄγει. *Aridum acetabuli menſura cum aqua mulſa epotum, atros humores per alvum extrahit.*

11. *Sugillatis.*] Marcel. Empir. cap 19. pag. 132.

12. *Craſſiores pituitas.*] Has per alvum extrahit, inquit Dioſc. loc. cit.

13. *Cum oleo in nares*] Cum oleo irino in nares infuſum caput purgare, ſcribit Dioſc. loc. cit.

Sect. LXX. 1. *Lepidium.*] Dioſc. lib. 2. pag. 205. Λεπίδιον. Δύναμις δὲ ἐστὶ τῶν φύλλων δριμεῖα ἑλκωτική, &c. *Vis foliorum acris & exhulcerans, &c.*

2. *Sic & in facie.*] Inde nomen habet, quod faciei nempe maculas, τὰς λεπίδας delet. Servi compoſiti notas tollebant lepidio: quare, id ubi animadverſum eſt, candenti ferro inuri eos invecta conſuetudo eſt.

3. *Sic & lepras.*] Dioſc. loc. cit.

4. *Tradunt in dolore.*] Totidem verbis hæc Dioſc. Sed collo lepidium jubet appendi.

5. *Convertere dolorem.*] Sic MSS. omnes. Reg. Colb. Th. Chiffl. In libris editis, *compeſcere*, male. Excitat enim puſtulam, quæ humoris impetum, quo dens vexatur, ad brachium revocet. Sic quidam in eo morbo hodieque aurium radici medicamenta admovent, quæ puſtulas gignunt.

Sect. LXXI. 1. *Gith ex Græcis.*] Et Celſo quoque, lib. 2. cap. poſtremo, *git.* Item Scribonio Largo, Compoſ. 131. Dioſcoridi μελάνθιον, ceteris a nigritia ſeminis, μελάνσπερμον, μήκων ἄγριος μέλας, Γαιμάλαις καπνὸς ἐίγγρυμ, ut eſt in Nothis ejuſdem, pag. 456.

2. *Optimum quam.*] Dioſc. lib. 3. cap. 93. Μέλαν, δριμὺ, εὐῶδες.

3. *Incenſoque .... fugari.*] Dioſc. loc. cit.

4. *Bibitur.*] Contra phalangiorum etiam araneorum morſus: Βοηθεῖ δὲ καὶ φαλαγγιοδήκτοις ἐπὶ ... μεθ' ὕδατος ποθέν. Dioſc, loco, cit.

5. *Diſtillationem.*] Iiſdem verbis Dioſc. loc. cit. Λεανθὲν δὲ καὶ ἐν ὀθονίῳ δεθὲν, καὶ ὀσφραινόμενον, τοὺς κατάρρῳ ῥιγοῦμένους ὠφελεῖ. Sic etiam Galenus, lib. 7. de facult. ſimp. med. pag. 206. Κατάῤῥους ἰᾶται, θερμὸν ἐν ὀθονίῳ προσφερόμενον, &c.

6. *Capitis dolores*] Dioſc. loc. cit. Ἁρμόζει δὲ καὶ κεφαλαλγίαις καταπλασσόμενον τῷ μετώπῳ καὶ τὰς ἀρχομένας ὑποχύσεις ἐγχεόμενον εἰς τὰς ῥῖνας μετ' ἰρίνου λείον.

7. *Dentium dolores.*] Dioſc loc. cit. Ὠφελεῖ δὲ καὶ ὀδονταλγίαν μετ' ὄξους .... ἑψηθὲν καὶ διακλυζόμενον. Theod. Priſcianus, lib. 1. cap. 14. *de dentium curationibus. Quibus putres caverne obvenerint, melanthium elixum in aceto commixtum.*

8. *Item lepras & lentigines.*] Dioſc. Αἴρει δὲ καὶ φακοὺς καὶ λέπρας, &c. Lentigo φακὸς, macula eſt ſubruſa, vel nigricans in facie, ad lentis ſimilitudinem.

9. *Difficultates.*] Dioſ. & Galenus, locis cit. Vide Saraceni notas in Dioſc.

10. *Duritias.*] Dioſc. loc. cit.

11. *Lacte mulierum.*] Dioſc loc. cit. Πινόμενον δὲ πλείοσιν ἡμέραις γάλα ἄγει. *Lacte* porro vetuſto more MSS omnes exhibent, pro *lac*, quod & antea obſervatum a nobis & in Plauto, aliiſque, ad librum Plinii XV ſect. 16 nota 4.

12. *Ut hyoſcyami.*] De quo dicetur lib. 25 ſect. 17.

13. *Similiterque.*] Ut in hyoſcyamo evenit, cujus folia

quod mitemur: [14] cum semen gratissime panes etiam condiat. Oculos quoque purgat: [15] urinam & menses ciet. Quin immo linteolo deligatis tantum granis XXX. secundas trahi reperio. [16] Aiunt & clavis in pedibus mederi tritum in urina: culices suffitu necare: item muscas.

LXXII. [1] Et anisum adversus scorpiones ex vino bibitur, Pythagoræ inter pauca laudatum, sive crudum, sive decoctum. Item viride aridumve, omnibus quæ condiuntur, quæque intinguntur, desideratum. Panis etiam crustis inferioribus subditum. [2] Saccis quoque additur: Cum amaris nucibus vina commendat. [3] Quin ipsum oris halitum jucundiorum facit, fœtoremque tollit manducatum matutinis cum smyrnio, & melle exiguo, mox vino collutum. Vultum juniorem præstat. Insomnia levat suspensum in pulvino, ut dormientes olfaciant. Appetentiam ciborum præstat, quando id quoque inter artificia deliciæ fecere, ex quo labor desiit cibos poscere. Ob has causas quidam [4] anicetum id vocavere.

LXXIII. [1] Laudatissimum est Creticum, proximum Ægyptium. Hoc ligustici vicem præstat in condimentis. [2] Dolores capitis levat suffitum naribus. Epiphoris oculorum [3] Evenor radicem ejus tusam imponit: Iollas ipsum cum croco pari modo & vino, & per se tritum cum polenta ad magnas fluxiones, extrahendisque, si qua in oculos inciderint. [4] Narium quoque carcinodes consumit illitum ex aqua. Sedat anginas cum melle & hyssopo ex aceto gargarizatum. [5] Auribus infunditur cum rosaceo. Thoracis pituitas purgat tostum: cum melle sumptum, melius. Cum acetabulo anisi nuces amaras L. purgatas tere in melle ad tussim. Facillime vero anisi drachmæ tres, papaveris duæ miscentur melle ad fabæ magnitudinem, & ternis diebus sumuntur. [6] Præcipuum autem est ad ructus: [7] ideo inflationibus stomachi, & intestinorum torminibus, [8] & cœliacis medetur. Singultus & olfactum decoctum, potumque, inhibet. [9] Foliis decoctis digerit cruditates. Succus decocti cum apio olfactus [10] sternumenta inhibet. Potum somnum concitat: calculos pellit: vomitiones cohibet, & præcordiorum tumores. Et pectorum vitiis, [11] nervis quoque, quibus succinctum est corpus, utilissimum. Prodest & capitis doloribus instillari succum cum oleo decocti. Non aliud utilius ventri & intestinis putant: ideo dysentericis & in tenesmo datur tostum. Aliqui addunt & opium, pilulis in die ternis lupini magnitudine in vini cyatho dilutis. Dieuches & ad lumborum dolores succo usus est. [12] Semen hydropicis & cœliacis dedit tritum cum menta: [13] Evenor radicem ad renes. Dalion herbarius parturientibus ex eo cataplasma imposuit cum apio: item vulvarum dolori: deditque bibendum cum anetho parturientibus. Phreneticis quoque illinivit recens eum polenta. Sic & infantibus comitiale vitium, [14] aut contractiones sentientibus. Pythagoras quidem negat corripi vitio comitiali in manu habentes: Ideoque quamplurimum domi serendum. Parere quoque facilius olfactantes. Et statim a partu dandum potui polenta aspersa. Sosimenes contra omnes duritias ex aceto usus est eo, & contra lassitudines, in oleo decoquens addito nitro. Semine ejus poto, lassitudinis auxilium viatoribus spopondit. Heraclides ad inflationes stomachi semen tribus digitis cum castorei obo-

NOTÆ.

constat mentem corrumpi, ut suo loco dicetur proxime appellato, si plura quam quatuor bibantur. De melanthio Diosc. loc. cit. φασὶ δὲ καὶ ἀναιρεῖν αὐτὸ πλεῖον ποθέν.

14. *Cum semen*] Libro sup. sect. 52.

15. *Urinam*, &c.] Si nempe pluribus diebus continuis sumatur, ut ait Diosc. loc. cit. Vide etiam Galenum, lib. 7. de fac. simpl. med. pag. 106.

16. *Aiunt & clavis.*] Diosc. loc. cit. Καὶ ἥλους περιχαραχθέντας ἐκκόπτει σὺν οὔρῳ παλαιῷ. *Clavos circumscarificatos excutit cum urina vetere impositum.* Vulgati codices habent σὺν ὄξει. At Serapio, ut Plinius, σὺν οὔρῳ habet.

Sect. LXXII. 1. *Et anisum.*] Ita Nicander in Theriac. pag. 44. ubi ἄννησον scribitur: quod Atticæ consuetudinis esse geminato σ Scholiastes admonet, pag. 31. Sic etiam Diosc. lib. 3. cap. 65. apud quem ἄνισον vulgari more, *de l'Anis* Iconem apud Dodon. vide, pag. 297. In MSS. omnibus, Reg. Colb. &c. *anesum* legitur.

2. *Saccis quoque.*] Quibus vina saccantur, sive percolantur, ut dictum est lib. 14. sect. 18. & lib. 18. sect. 17. Vide Hieron. Mercurial. lib. 2. Var. cap. 17.

3. *Quin ipsum.*] Diosc. lib. 3. cap. 65.

4. *Anicetum.*] Ἀνίκητον, invictum, quod omnibus medicamentis antecellat. Non aniso id nomen, sed anetho in Nothis, pag. 455. Pseudo-Dioscorides attribuit.

Sect. LXXIII. 1. *Laudatissimum*, &c. Sic Diosc. loc. cit. Auctor libri de simp. med. ad Paternianum, qui Galeno adscribitur, tom. 13. pag. 985. *Anisum optimum est Creticum, deinde Ægyptium: Gallicum inertissimum*, &c.

2. *Dolores capitis*, &c.] Totidem verbis Dioscorides, loco citato.

3. *Evenor.*] Ita eruimus e vestigiis codicum Reg. Colb. &c. in quibus *Evenor* legitur. In editis, *e vino* perperam. De Evenore & Iolla, in Auctorum Indice.

4. *Narium . . . . carcinodes.*] Exstat ea vox apud Celsum, lib. 6. de polypo. Καρκινώδης ὄγκος hoc loco intelligitur a Plinio, tumor cancro similis, qui absque exesione est. In MSS. Reg. & Colb. *narium cardines.*

5. *Auribus.*] Cum rosaceo tritum, inquit Dioscor. lib. 3. cap. 65. & instillatum fractis auribus medetur. Καὶ ῥήξεσι δὲ τῶν ὤτων λεῖον σὺν ῥοδίνῳ ἐνσταζόμενον ἰᾶται.

6. *Præcipuum . . . ad ructus*] Ad ructum modice ciendum. Vide quæ de anetho dicenda sunt sect. 74. statim initio.

7. *Ideo inflationibus.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. de fac. simpl. med. cap. 48. pag. 157.

8. *Et cœliacis.*] Alvum enim sistere scribit Diosc. loc. citato.

9. *Foliis decoctis.*] Ita fere Galenus & Dioscor. locis citatis, cum aniso vim pariter digerendi attribuunt, δύναμιν διαφορητικήν.

10. *Sternumenta inhibet.*] Ita MSS. fere ubique: infrequentius, *sternutamenta.* Aetius quoque, lib. 6. cap. 99. pag. 249. anisum cohibere sternutationem scribit.

11. *Nervis quoque, quibus.*] Hoc verborum ambitu septum transversum signat, quod alii præcordia, hoc est, φρένας, plures διάφραγμα appellant. Id enim membranis constat, quibus cor & pulmo a jocinere & liene dispescuntur.

12. *Semen hydropicis.*] Potum semen, inquit Diosc. lib. 3. cap. 65. hydropicis sitim sedat.

13. *Evenor radicem.*] Ita rursum MSS. omnes: non ut libri editi, *e vino.*

14. *Aut contractiones.*] Nervorum σπασμόν.

lis

lis duobus ex mulso dedit. Similiter ad ventris aut intestinorum inflationes. Et orthopnoïcis, quod ternis digitis prehenderit seminis, tantumdem hyoscyami cum lacte asinino. Multi vomituris acetabula ejus & folia lauri decem trita in aqua, bibenda inter cœnam suadent. [15] Strangulatus vulvæ, si manducetur & linatur calidum, vel si bibatur cum castoreo in aceto & melle, sedat. Vertigines a partu cum semine cucumeris & lini pari mensura ternûm digitorum, vini albi tribus cyathis discutit. [16] Tlepolemus ad quartanas ternis digitis seminis anisi & feniculi usus est in aceto & mellis cyatho uno. Lenit articulares morbos, cum amaris nucibus illitum. [17] Sunt qui & aspidum venenis adversari naturam ejus putent. [18] Urinam ciet. Sitim cohibet. [19] Venerem stimulat. Cum vino sudorem leniter præstat. Vestes quoque a tineis defendit. [20] Efficacius semper recens, & quo nigrius. Stomacho tamen inutile est, [21] præterquam inflato.

LXXIV. [1] Anethum quoque ructus movet, & tormina sedat. Alvum sistit. [2] Epiphoris radices illinuntur ex aqua vel vino. [3] Singultus cohibet semen fervens, olfactum. Sumptum ex aqua, [4] sedat cruditates. [5] Cinis ejus uvam in faucibus levat: [6] oculos & genituram hebetat. CAP. XVIII.

LXXV. Sacopenium, quod apud nos gignitur, in totum [1] transmarino alienatur. [2] Illud enim Hammoniaci lacrymæ simile, sagapenon vocatur. [3] Prodest laterum & pectoris doloribus, convulsis, tussibus vetustis, [4] exscreationibusque, præcordiorum tumoribus. [5] Sanat & vertigines, tremulos, opisthotonicos, lienes, lumbos, [6] perfrictiones. [7] Datur & olfactandum ex aceto in strangulatu vulvæ. Ceteris & potui datur, & cum oleo infricatur. Prodest & contra mala medicamenta.

LXXVI. [1] Papaveris sativi tria diximus genera: & sponte nascentis alia promisimus. [2] E sativis calyx ipse teritur, & e vino bibitur somni causa. Semen elephantiasi medetur. E nigro papavere [3] sopor gignitur scapo inciso, ut Diagoras suadet, [4] cum turgescit: ut Iollas, cum deflorescit, [5] hora sereni diei, hoc est, cum ros in eo exaruerit. Incidi jubent [6] sub capite & calyce. Nec in alio genere ipsum inciditur caput.

Succus & hic, & herbæ cujuscumque lana excipitur: aut si exiguus est, ungue pollicis, [7] ut lactucis, & postera die magis quod inaruit. [8] Papaveris vero largus densatur, & in pastillos tritus in umbra siccatur, non vi sopotifera modo, verum si copiosior hau-

NOTÆ.

15. *Strangulatus vulvæ.*] Ita MSS. *non strangulationes.* Uterina suffocatio, quæ Dioscoridi ὑστερικὴ πνὶξ, Plinio sæpenumero vulvæ conversio, & vulva convulsa dicitur: Est uteri ad superna decursus, quo fit ut strangulari & suffocari feminæ videantur.

16. *Tlepolemus ad quartanas.*] Vide Notas & Emend. num. XXVII.

17. *Sunt qui & aspidum.*] Virulentorum animalium venenis adversari ait Diosc. lib. 3. cap. 65.

18. *Urinam ciet.*] Diosc. loc. cit.

19. *Venerem.*] Diosc. loc. cit.

20. *Efficacius.*] Commendat in primis Diosc. loc. cit. quod recens, quod odore vehementi, quod plenum, ac minime furfurosum.

21. *Præterquam inflato.*] Nam prodest ad inflationes, [illegible]. Diosc. loc. cit. & Plinius ipse supra.

Sect. LXXIV. 1. *Anethum quoque.*] Nempe, ut anisum, de quo dictum est paulo ante. Plinius Valer. id paulo uberius, lib. 4. c. 27. de anetho: *Stomachi querelas*, inquit, *coctum in aqua cyathis tribus potum, miro modo relevat: indicio est ructus, per quem intelligere datur aperta omnia quæ clausa torquebant: digestiones adjuvat: ventrem videtur inhibere.* Diosc. lib. 3. cap. 67. [illegible] Aquam anethinam cum melle commendat ad sedanda tormina Marcellus Empir. cap. 27. pag. 176. & cap. 28. pag. 201. Nostris, *Aneth.* Pingitur a Dodonæo, pag. 296.

2. *Epiphoris.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14. *Ad epiphoras oculorum, & tumores .... Anethi radix ex vino trita illinitur.* Et lib. 4. cap. 27. de anetho: *Trita radices & imposita fervoribus medentur oculorum.*

3. *Singultus.*] Diosc. lib. 3. cap. 67.

4. *Sedat cruditates.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 27. Q. Serenus, cap. 29. pag. 137.

At male digestis si crapula sæviet escis,
Aut cubitum pergens succum cape tristis anethi, &c.

5. *Cinis ejus.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 27. de anetho: *Cinis ejus suspendit uvam faucibus ingravescentem.* Q. Serenus, cap. 16. pag. 135.

Si vero afflictam languor dejecerit uvam,
Tunc horas aliquot pronus recubare memento:
Aut illam pulvis tosti relevabit anethi,
Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.

6. *Oculos*, &c.] Diosc. totidem verbis, lib. 3. cap. 67. [illegible] Leontius in Geopon lib. 12. cap. 34. pag. 355. [illegible] ἀμβλύνει τὴν ὄψιν.

Sect. LXXV. 1. *Transmarino.*] Longe discrepat a transmarino.

2. *Illud enim.*] Transmarinum videlicet, de quo Diosc. lib. 3. cap. 95. [illegible] *Sagapenum ferulaceæ herbæ liquor est, quæ quidem in Media nascitur.* Id & frutici & liquori, qui manat ex frutice, nomen esse, Galenus ait, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 226. In officinis Sagapenum & Serapinum appellatur, quoniam odore pinum refert. Describitur a Charasio, in Pharmac. pag. 298.

3. *Prodest laterum.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap. 95.

4. *Exscreationibusque.*] Quoniam crassos humores pulmonis molestos expurgat, inquit Diosc. loc. cit.

5. *Sanat*, &c.] Diosc. loc. cit.

6. *Perfrictiones.*] [illegible], inquit Diosc. *Datur perfrigeratis*, frigidis, quorum vel pars aliqua corporis, vel totum pariter perfrixerit.

7. *Datur & .... vulvæ.*] Diosc. loco citato.

Sect. LXXVI. 1. *Papaveris .... tria diximus.*] Libro 19. sect. 53.

2. *E sativis, albi calyx.*] Hæc pariter Dioscorides, lib. 4. cap. 65.

3. *Sopor gignitur.*] Ita MSS. omnes, Reg. 1. 2. Colbert. 1. 2. 3. &c. tum hoc loco, tum in hujus libri Indice: non *sapor*. Soporem poetice usurpavit, quem opium vocant, ut mox dicetur.

4. *Cum turgescit.*] Cum germinat, & florere incipit.

5. *Hora sereni diei.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVIII.

6. *Sub capite & calyce.*] Diosc. loc. cit. [illegible], &c. *At opii faciendi ratio hæc est: Cum ros exaruerit, stellulam quæ in summo papaveris capite visitur, cultello ita scarificare oportet, ut ne penitus intro adigatur: & a capitis lateribus per directum summam cutem incidere, & erumpentem lacrymam digito excipere*, &c.

7. *Ut lactucis.*] Perinde, inquit, ut in lactucis fieri mos est, cum ex iis incisis succus lacteus excipitur. Sic Dioscor. lib. 4. pag. 65. [illegible] digito hunc succum excipi jubet, & in conchulam deinde abstergi. Hunc idem adjicit succo silvestris lactucæ sæpe adulterari.

8. *Papaveris vero.*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

riatur, etiam mortifera [9] per somnos: [10] opion vocant. Sic scimus interemptum Licinii Cæcinæ Prætorii viri patrem [11] in Hispania Bavili, cum [12] valetudo impatibilis odium vitæ fecisset: item plerosque alios. Qua de causa magna concertatio exstitit. [13] Diagoras & Erasistratus in totum damnavere, ut mortiferum, infundi vetantes: præterea, quoniam
5 visui noceret. [14] Addidit Andreas, ideo non protinus excæcari eo, quoniam adulteraretur Alexandriæ. Sed postea usus ejus non improbatus est medicamento nobili, [15] quod diacodion vocant. [16] Semine quoque ejus trito in pastillos, e lacte utuntur ad somnum: [17] Item ad capitis dolores cum rosaceo: [18] cum hoc & aurium dolori instillatur. [19] Podagris illinitur cum lacte mulierum. Sic & foliis ipsis utuntur. [20] Item ad sacros ignes & vulnera ex aceto. [21] Ego tamen damnaverim collyriis addi: [22] multoque magis quas vocant [23] lexipyretos, quasque pepticas & cœliacas. Nigrum tamen cœliacis in vino datur. Sativum omne majus: rotunda ei capita: [24] At silvestri longa ac pusilla, & ad omnes effectus valentiora. [25] Decoquitur & bibitur contra vigilias: eademque aqua fovent ora. Optimum in siccis, & ubi raro pluat. [26] Cum capita ipsa & folia decoquuntur, succus meco-
15 nium vocatur, multum opio ignavior.

Experimentum opii est primum in odore: sincerum enim [27] perpeti non est: [28] mox in lucernis, ut pura luceat flamma, & ut extinctum demum oleat: quæ in fucato non eveniunt. Accenditur quoque difficilius, & crebro extinguitur. Est sinceri experimentum & in aqua, [29] quoniam in nubila innatat: fictum in pustulas coït. Sed maxime mirum, æsti-
20 vo Sole deprehendi. Sincerum enim sudat, & se diluit, donec succo recenti simile fiat. Mnesides optime servari putat hyoscyami semine adjecto: alii in faba.

CAP. XIX. LXXVII. Inter sativa & silvestria medium genus, [1] quoniam in arvis, sed sponte nasceretur, [2] rhœam vocavimus & erraticum. Quidam id decerptum protinus cum toto calyce mandunt. [3] Alvum exinaniunt capita quinque decocta in vini tribus heminis po-
25 ta, & somnum faciunt.

LXXVIII. [1] Silvestrium unum genus, ceratitin vocant, nigrum, cubitali altitudine, radice crassa & corticosa, [2] calyculo inflexo, ut cornicula. Folia minora, & tenuiora quam ceteris

NOTÆ.

9. *Per somnos.*] Ita recte Reg. 2. aliique: non, *per somnum.*

10. *Opion vocant.*] Ὄπιον, succus lacteus qui papaveris scapo inciso manat. Ὀπὸς succum lacteum sonat, qui non sponte, ut lacryma, id est, τὸ δάκρυον, emanat: sed castratione, scarificatione, terebratione, vel alio quovis vulnere effluit.

11. *In Hispania Bavili*] Vel *Bavuli* potius: ut nomen id magistratus fuerit, quem nos *Baillif* vocamus. Vide Notas & Emend. num. XXIX.

12. *Valetudo impatibilis,*] In MSS. omnibus, *impetibilis,* quod idem valet: hoc est, non ferenda, nimia, intoleranda.

13. *Diagoras,* &c.] Ex Diagora quoque & Erasistrato, opii usum damnat Dioscorides, lib. 4. cap. 65. tum in aurium doloribus, tum in lippitudine oculorum: quoniam & visus aciem hebetet, & somnum inducat.

14. *Addidit Andreas.*] Diosc. loc. cit. Ἀνδρέας δέ φησιν, ὅτι εἰ μὴ ἐδολοῦτο, ἐτυφλοῦντο ἂν οἱ ἐγχριόμενοι ὑπ' αὐτοῦ. *Addidit Andreas, protinus excæcatum iri, quo illinerentur, nisi adulteraretur.*

15. *Quod diacodion,*] Διὰ κωδειῶν, ut dicetur sect. 79.

16. *Semine quoque.*] Diosc. loc. cit.

17. *Item ad capitis.*] Diosc. loc. cit.

18. *Cum hoc.*] Hoc est, cum rosaceo, quod & rosam veteres appellaverunt: ut ceram pro cerato dixerunt. Marcellus, cap. 9. pag. 78. *Virentis papaveris succus cum rosa, vel amygdalino.... infusus dolentibus auribus prodest.* Adhibet Diosc. loc. cit. amygdalinum, myrrham & crocum.

19. *Podagris*] Diosc. loc. cit.

20. *Item ad sacros ignes.*] Diosc. loc. cit. Καὶ αὐτὸς ἐρυσιπέλασι δὲ καὶ τραύμασιν σὺν ὄξει.

21. *Ego tamen.*] Ita Galenus, lib. 3. κατὰ τόπους, cap. 1. pag. 369. collyria ex Opio multa tanto fuisse detrimento ait, ut etiam ἀμβλυωπίαν & βαρυηκοΐαν, visus hebetudinem, & aurium gravitatem induxerint. Sunt autem collyria, & medicamenta oculorum, & glandulæ quæ ano, & pessi qui vulvæ subduntur, & quæ induntur naribus.

22. *Multoque magis.*] Subintellige, damnaverim addi iis, quas, &c.

23. *Lexipyretos*] Ληξιπυρέτους. Medicinæ sunt quæ febres fugant· λήγειν enim λέγουσι. Marcellus Empir. cap. 16. pag. 114. *Prodest & his qui sine horrore circuitu febrium vexantur: quamobrem lexipyretos hæc compositio dicitur.* Alexander Iatros, lib 3. cap. 66 *Lyxoperita apithemata febrientibus*: lege *Lexipyreta epithemata.* Interpres eo loci in margine, *febrifuga* *quæ lenire reddit* Πεπτικαὶ sunt quæ abscessuum collectiones maturant, & quæ stomachi concoctionem adjuvant Κοιλιακαὶ, quæ cœliacis medentur. Succum papaveris nigri, concoctionem cam juvare, & cœliacorum affectibus auxiliari, scribit Diosc. lib. 4. cap. 65.

24. *At silvestri.*] Diosc. loc. cit.

25. *Decoquitur,* &c.] Diosc. loc. cit.

26. *Cum capita.*] Μηκώνιον, sive *meconium* parari, tusis papaverum capitibus, prelo expressis, tritis in mortario, digestisque demum in pastillos, docet Diosc. loc. cit. Sed, priusquam torculari exprimantur, excoqui folia & capita juvat.

27. *Perpeti non est.*] Quoniam vel solo odore soporem inducit: ἐν τῇ ὀσμῇ καρωτικός, inquit Diosc. loc. cit.

28. *Mox in lucernis,* &c.] Hæc omnia pariter Dioscor. loc. cit.

29. *Quoniam in nubila innatat.*] Quoniam in nubium morem sparsum diluitur, & in aqua innatat: adulteratum contra in grumos coit, instar pustularum. Diosc. loc. cit. *Præstantissimus est.... qui facile aqua diluitur.... neque asper, neque grumosus*: Κράτιστος δέ ἐστιν.... ὕδατι.... οὐ τραχὺς, οὐκ θρομβώδης, &c. Ita porro MSS. omnes: alius magis placet, *quoniam in nubecula:* qua forma dictum est ab eodem Plinio, lib. 28 sect. 19. de urina: *Mala, & in qua veluti furfures & nubecula apparent.*

Sect. LXXVII. 1. *Quoniam in arvis.*] Theophr. lib. 9. hist. cap. 13. Ἐν τοῖς ἀρούραις, μάλιστα ἐν ταῖς κριθαῖς, maxime inter hordea quæ cibaria sunt & sativa: sed ipsum tamen inter illa sponte, non satu provenans: idcirco medii generis censetur.

2. *Rhœam vocavimus.*] Libro 19. sect. 53.

3. *Alvum exinaniunt.*] Paulo aliter Diosc. lib. 4 cap. 64. Ait enim capita papaverum quina vel sena, in vini cyathis tribus decocta, dum ad duos redeant, somnum pota inducere: semen autem acetabuli mensura ex aqua mulsa potum, alvum leniter emollire. Theophr. lib. 9. hist. cap. 13. hoc tantum, καθαίρει δὲ κάτω.

Sect. LXXVIII. 1. *Silvestrium.*] Hæc iisdem verbis Theophr. loc. cit. Μήκωνος δ' εἰσὶν ἄγριαι ... ἡ μὲν κερατῖτις καλουμένη, lego ἡ δὲ μέλαινα. Papaver, ut reor, corniculatum violaceum est, quod in horto Regio vidimus, quale depictum est a Clusio lib. 5. hist. rarior. plant. cap. 6. pag. XCII. Aliud præterea corniculatum vidimus luteo, aliud phœniceo flore.

2. *Calyculo inflexo.*] Siliqua longa, in corniculi modum inflexa, unde & nomen accepit, inquit Diosc. lib. 4 cap. 66. Καρπὸν δὲ μακρὸν, κεράτιον ὅμοιον ... ἐπικεκαμμένον.

silvestribus. [3] Semen exile ; [4] tempestivum est messibus : [5] alvum purgat dimidio acetabulo in mulso. [6] Folia trita cum oleo, argema jumentorum sanant. [7] Radix acetabuli mensura cocta in duobus sextariis ad dimidias, datur ad lumborum vitia & jocineris. [8] Carbunculis medentur ex melle folia. Quidam hoc genus [9] glaucion vocant, [10] alii paralion. Nascitur enim in afflatu maris, [11] aut nitroso loco.

LXXIX. [1] Alterum e silvestribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron, foliis (si procul intuearis) [2] speciem passerum præbentibus, [3] radice in summa terræ cute, semine spumeo. [4] Ex hoc lina splendorem trahunt æstate. [5] Tunditur in pila [6] comitialibus morbis, acetabuli mensura in vino albo : vomitionem enim facit. Medicamento, quod [7] diacodion & [8] arteriace vocatur, utilissimum. Fit autem hujus papaveris [9] aut cujuscumque silvestris [10] capitibus CXX. in aquæ cælestis sextariis tribus biduo maceratis, in eademque discoctis : [11] deinde saccatis, iterumque cum melle decoctis ad dimidias partes vapore tenui. Addidere postea [12] drachmas senas croci, hypocisthidis, thuris, acaciæ, & passi Cretici sextarium. Hæc ostentatione : simplex quidem & antiqua illa salubritas papavere & melle constat.

LXXX. [1] Tertium genus est tithymalon, mecona vocant, alii paralion, [2] folio lini, albo, capite [3] magnitudinis fabæ. [4] Colligitur uva florente. Siccatur in umbra. [5] Semen potum purgat alvum, dimidio acetabulo in mulso. Cujuscumque autem papaveris caput viride, vel siccum, illitum epiphoras oculorum lenit. Opium ex vino meraculo si protinus detur, scorpionum ictibus resistit. Aliqui hoc tantum nigro tribuunt, si capita ejus vel folia terantur.

LXXXI. [1] Est & porcilaca, quam peplin vocant, [2] non multum sativa efficacior : cujus memorabiles usus traduntur. Sagittarum venena, & serpentium hæmorrhoïdum, [3] & presterum restingui : pro cibo sumpta, & plagis imposita, extrahi. Item hyoscyami, pota

CAP. XX.

NOTÆ.

3. *Semen exile.*] Diosc. lib. 4. cap. 68. *Σπέρμα δὲ μικρὸν, μέλαν*, &c.

4. *Tempestivum est.*] Theophr. loc. cit. *Συλλέγεται δὲ περὶ πυροτομίαν, per messem legitur.*

5. *Alvum purgat.*] Theophr. *Δύναται δὲ καθαίρειν κοιλίαν. Τὸ δὲ σπέρμα πλῆθος ὀξυβάφου πινόμενον σὺν μελικράτῳ, κοιλίαν ἱκανῶς καθαίρει.*

6 *Folia trita.*] Theophr. & Diosc. locis cit. Hujus verba sunt : *Τὰ δὲ φύλλα καὶ τὰ ἄνθη . . . . ἐγχριόμενα, τὰ ἐπὶ κτηνῶν ἄργεμα καὶ νεφέλια ἀποκαθαίρει.*

7. *Radix &c.*] Diosc. loc cit.

8 *Carbunculis.*] Dioscor. loc. cit. *Τὰ δὲ φύλλα . . . . ἐσχάρας ἀποῤῥήσσει καταπλασθέντα σὺν ἐλαίῳ.* Illita ex oleo folia crustas emarginant, crustulas hulcerum erodunt, carbunculos rumpunt.

9. *Glaucion vocant*] Atque idcirco, ut ait Diosc. loc. cit. glaucion ex eo factitari, (qui succus herbæ est in Syria nascentis, foliis similibus corniculato papaveri, ut idem ait lib. 3. cap 100.) falso existimarunt, decepti quadam foliorum similitudine.

10. *Alii paralion.*] Diosc. loc. cit. *Μήκων κερατῖτις, οἱ δὲ παράλιον, οἱ δὲ ἀγρίαν μήκωνα, οἱ δὲ θαλάσσιον*, quod nempe in maritimis præsertim sponte nascitur : nunc ubique fatum provenit. Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. cap. 208. *Καλεῖται δ' ὑπό τινων παράλιος μήκων, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ πλησίον τῆς θαλάττης φύεται.*

11. *Aut nitroso loco.*] Quoniam nitri natura haud multum a sale, marinique afflatus virtute distat. Ita MSS. Theophr. lib hist. cap 13 addit etiam petroso loco provenire : *φύεται δὲ περὶ τὴν θάλατταν, ἢ ἂν ᾖ πετρώδη χωρία.*

Sect. LXXIX. 1. *Alterum.*) Theophrastu, loc. cit *Μήκων Ἡράκλεια.* Diosc. lib. 4 cap. 67. *Μήκων ἀφρώδης, ὑπὸ δὲ τινων Ἡράκλεια κληθεῖσα*, &c. *Papaver spumeum : ab aliquibus Heracleum vocatum, &c.* Nisi Latino ritu ac sono Græca sæpius pronunciaret Plinius, rectius sane aphrodes, ut lib. 27. sect. 93. quam *aphron* diceret Spumeum porro appellatum est a colore : nam spumam candore refert, inquit Galenus, loc. cit. Peplos est, sive esula rotunda, picta a Joan. Bauhino, tom. 3. pag. 669. & a Dodonæo, pag 371. Visa a nobis in horto Regio. Nostris vulgo dicitur *Réveille matin des vignes.* Sic etiam Ruellius, pag. 654. & Dalec. lib. 16 pag. 1658.

2. *Speciem passerum.*] Sicuti *στρούθιον*, hoc est, herba lanaria, sive radicula, de qua lib. 19. sect. 18. cui id nomen quoque inditum a similitudine aliqua cum ea ave. Vide Notas & Emend. num. XXX.

3. *Radice in summa.*] Theophr. lib. 9. hist cap. 13. *Ῥίζαν δὲ λεπτὴν ἐπιπόλαιον.* Diosc. lib 4. cap. 67. *Ῥίζαν δὲ λεπτὴν ἐπιπολαίον*, lege ex Theophr. *ἐπιπόλαιον.* Sic ipse Diosc. lib. 4. cap. 66. radicem papaveris corniculati tradidit *ἐξ ἐπιπολῆς φυομένην*, per summa cespitum nasci.

4. *Ex hoc lina.*] Supra, lib. 19 sect. 4. *Est inter papavera genus quoddam, quo candorem lintea præcipuum trahunt.*

5. *Tunditur in pila.*] Hoc est, in mortario, ut alibi monuimus.

6. *Comitialibus*] Acetabuli mensura, inquit Dioscor. loc. cit. in aqua mulsa sumptum, vomitione purgat : privatimque hujuscemodi purgatio comitialibus prodest. Theophr. hoc tantum : *Καθαίρει ἄνω ταύτης ἡ ῥίζα. Χρῶνται δὲ πρὸς τοὺς ἐπιλήπτους ἐν μελικράτῳ*, ex mulso.

7. *Diacodion.*] *Διὰ κωδειῶν*, hoc est, ex capitibus papaveris, est enim *κώδεια* papaveris caput Compositionis hujus concinnandæ modos multiplices vide apud Galenum, lib. *κατὰ τόπους*, cap. 2. pag. 535.

8. *Arteriace.*] Est arteriace, omne medicamentum ad arteriæ asperæ vitia faciens, ut auctor est Aetius, serm. 8. cap. 51. pag. 38.

9. *Aut cujuscumque silvestris.*] Vide Notas & Emend. num. XXXI.

10. *Capitibus CXX.*] Sequitur fere in arteriace paranda Heræ medici placitum apud Galenum loc. cit.

11. *Deinde saccatis*] Id est, colatis. Sic Heras medicus apud Galen. loc. cit. pag. 536. *Καὶ διηθήσας* &c.

12. *Drachmas senas.*] Non singulorum, sed omnium simul generum. Sic Heras, Damocrates, Soranus, apud Galen. loc. cit.

Sect. LXXX. 1. *Tertium genus.*] De quo Diosc. lib 4. cap. 165. *Ὁ δὲ παράλιος τιθύμαλος, ὃν ἔνιοι τιθυμαλίδα ἢ μήκωνα ἐκάλεσαν.* Vidimus hoc genus in horto Regio, quale a Dodonæo pingitur, pag. 366. Dicitur de eo rursum, lib. 26. sect. 41. In Indice quoque Reg. 1. &c. paralium vocatur.

2. *Folio lini.*] Vide Notas & Emend. num. XXXII.

3 *Magnitudinis fabæ.*] Capite, inquit Diosc. loc. cit. in cacumine orbiculato, in quo semen ervi simile continetur : *κεφαλὴν δὲ ἐπ' ἄκρου σφαιροειδῆ, ἐν ᾗ ὁ καρπὸς ὡς ὄροβος.* Est autem faba, quemadmodum ervum, plane rotunda, ut diximus, lib. 18. sect. 30.

4. *Colligitur.*] Theophr. lib. 9. hist cap. 12.

5 *Semen potum.*] Diosc. loc cit. *πλῆθος ὀξυβάφου ποτιζόμενον.*

Sect. LXXXI. 1. *Est & porcilaca, quam peplin.*] Ita MSS. omnes, tum hoc loco, cum in Indice hujus libri. Editi, *Est & portulaca, quam peplion.* Hippocrates tamen peplion vocat, inquit Oribasius, lib. 12. pag 212.

2. *Non multum sativa.*] Quod sane mirum : quoniam in reliquis fere herbarum generibus, vis efficacior silvestribus est. Sativa certe, sive hortensis, ac domestica, quæ *ἀνδράχνη* Dioscoridis est lib. 2. cap. 150. ut diximus, lib. 13. sect. 40. vulgatissima est, *le Pourpier, le Pourpier doré.* Silvestris angustifolia, visa a nobis in horto Regio, a Dodonæo pingitur, pag. 650. De ea Dioscor. in Nothis : *Ἀνδράχνη ἀγρία . . . . οἱ δὲ πέπλιον, Ῥωμαῖοι πορτουλάκα*, &c.

3. *Et presterum.*] Ad hæmorrhoi, dipsadisque morsus, portulacam pariter commendat Diosc. in Theriacis, cap. 30. Est

e paſſo expreſſo ſucco. Cum ipſa non eſt, ſemen ejus ſimili effectu prodeſt. Reſiſtit [4] & aquarum vitiis, [5] capitis dolori, hulceribuſque, in vino ruſa & impoſita. Reliqua hulcera commanducata cum melle ſanat. Sic & infantium cerebro imponitur, umbilicoque procidu. In epiphoris vero omnium, fronti temporibuſque cum polenta. Sed ipſis oculis,
5 e lacte & melle. Eadem, [6] ſi procidant oculi, foliis tritis cum corticibus fabæ. Puſtulis cum polenta & ſale & aceto. Hulcera oris tumoremque [7] gingivarum commanducata cruda ſedat: item [8] dentium dolores. Tonſillarum hulcera, ſuccus decoctæ. Quidam adjecere paulum myrrhæ. Nam & mobiles dentes ſtabilit commanducara. Cruditates ſedat, vocemque firmat, [9] & ſitim arcet. Cervicis dolores, cum galla, & lini ſemine, & melle,
10 pari menſura ſedat. Mammarum vitia, cum melle, aut Cimolia creta. Salutaris eſt ſuſpirioſis, ſemine cum melle hauſto. [10] Stomachum in acetariis ſumpta corroborat. [11] Ardentibus febribus imponitur cum polenta. [12] Et alias manducata refrigerat etiam inteſtina. Vomitiones ſiſtit. [13] Dyſenteriæ & vomicis eſtur ex aceto, vel bibitur cum cumino. Teneſmis autem cocta, & comitialibus cibo vel potu prodeſt. [14] Purgationibus mulierum,
15 acetabuli menſura in ſapa. Podagris calidis, cum ſale illita, & ſacro igni. Succus ejus potus renes juvat, ac veſicas. [15] Ventris animalia pellit. Ad vulnerum dolores ex oleo cum polenta imponitur. Nervorum duritias emollit. Metrodorus, qui ἐπιτομὴν τ῀ ῥιζοτομουμένων ſcripſit, purgationibus a partu dandam cenſuit. Venerem inhibet, Venerique ſomnia. [16] Prætorii viri pater eſt, Hiſpaniæ princeps, quem ſcio propter impatibiles uvæ morbos,
20 radicem ejus filo ſuſpenſam e collo gerere, præterquam in balineis: ita liberatum incommodo omni. Quin etiam inveni apud auctores, caput illitum ea diſtillationem anno toto non ſentire. Oculos tamen hebetare putatur.

LXXXII. [1] Coriandrum inter ſilveſtria non invenitur. Præcipuum tamen eſſe conſtat Ægyptium. Valet contra ſerpentium genus unum, quod amphiſbænas vocant, porum
25 impoſitumque. Sanat & alia vulnera. [2] Epinyctidas, puſtulas, tritum. [3] Sic & omnes tumores collectioneſque cum melle, aut uva paſſa. [4] Panos vero ex aceto tritum. [5] Seminis grana tria in tertianis devorari jubent aliqui ante acceſſionem: vel plura illini fronti. [6] Sunt qui & ante Solis ortum cervicalibus ſubjici efficaciter putent. [7] Vis magna ad refrigerandos ardores viridi. [8] Hulcera quoque, quæ ſerpunt, ſanat cum melle vel uva paſ-
30 ſa: [9] item teſtes, ambuſta, carbunculos, aures: [10] cum lacte mulieris epiphoras oculorum: [11] ventris & inteſtinorum fluxiones ſemen ex aqua potum. Bibitur & in choleris cum ruta. [12] Pellit animalia interaneorum, cum mali Punici ſucco & oleo ſemen potum.

NOTÆ.

autem preſter ſerpentis genus haud abſimile, de quo Lucanus, lib. 9. pag. 722.

Oraque diſtendens avidus ſpumantia Preſter.

4. *Et aquarum vitiis.*] Prohibet ne aquæ potæ noceant.

5. *Capitis dolori*] Impoſitam cum polenta capitis dolori Dioſc mederi dixit, lib. 2. cap. 150. Καταπλασσομένη μετ' ἀλφίτων κεφαλῆς ἀλγήμασι καὶ ὀφθαλμῶν φλεγμοναῖς, καὶ ταῖς ἄλλαις, καὶ πρὸς ἔρυσιπέλας, &c.

6. *Si procidant.*] Subintellige, *tunc imponitur*, ex antecedentibus. Oculorum procidentia, morbus eſt uveæ tunicæ proci duæ, ab eroſione aut ruptura corneæ. Celſus, lib. 6. cap. 6. *Nonnunquam*, inquit, *ingens inflammatio erumpit tanto impetu, ut oculos ſua ſede propellat*: πρόπτωσιν *id, quoniam oculi procidant, Græci appellant.* Scribonius Largus, Compoſ. 27. *Vaſtus tumor, quem quia a loco interdum videtur propellere oculum*, πρόπτωσιν *vocant*

7. *Gingivarum.*] Quin *ſi ex gingivis ſanguis exit*, inquit Celſus lib. 4. cap. 4. portulacam manducaſſe ſatis eſt

8. *Dentium dolores.*] Stuporem, inquit Dioſc. loc. cit. αἱμωδίαν, & Galenus, lib. 6. de fac. ſimpl. med. cap. 43. pag. 156. poſt. Ariſt. ſect. 1. problem. 38. pag. 683. Marcellus Empir. cap. 12. pag. 94. *Portulaca aſſidue commanducata, ſtridorem dentium tollit.*

9. *Et ſitim arcet.*] Auctor Geopon. lib. 12. cap. 42. Τὸ δὲ φύλλον αὐτῆς ὑποτιθέμενον τῇ γλώττῃ ἀδιψοτέρους ποιεῖ. *Folium ejus linguæ ſubditum, ſitim arcet.*

10. *Stomachum.*] Marcellus, 20. pag. 141. *Portulaca*, inquit, *coquitur diligentiſſime: & cocta bene editur ex aceto ab eo qui ſtomachum dolebit, vel vitioſum habebit: cito proderit.*

11. *Ardentibus.*] In febribus etiam potu prodeſſe ſcribit Dioſc. loc. cit. Impoſitam ventri & hypochondriis, æſtuantes juvare plurimum in febribus hecticis, Galenus lib. 6. de fac. ſimp. med. pag. 156.

12. *Et alias.*] Sic etiam Dioſc. lib. 2. cap. 150.

13. *Dyſenteriæ & vomicis.*] Hoc eſt, cruentis exſcreationibus: αἵματός τε πτύσεις, καὶ δυσεντερίας. Dioſc. lib. 2. cap. 150. Celſus lib. 4. cap. 15. inter dyſenteriæ remedia, affert & illud: *Portulacam vel coctam, vel ex dura muria ediſſe.*

14. *Purgationibus.*] Profluvio mulierum ſiſtendo, commendat Galenus, loc cit.

15. *Ventris animalia.*] Dioſc. loc. cit. ἕλμινθας στρογγύλας, *teretes lumbricos.*

16. *Prætorii viri.*] Licinii Cæcinæ, de quo ſuperius ſect. 76.

Sect. LXXXII. 1. *Coriandrum*] Non eſt, inquit, ſilveſtris coriandri forma diſpar a ſativo, nec ſunt vires diverſæ. Alias enim & ſponte ſua provenit in pratis, campeſtribuſque locis. Et Nicander in Theriac. pag. 63. adverſus ſerpentes & ſcorpiones, laudat in primis κορίου ὀρεινοῦ σπέρμα, montani coriandri ſemen. Nicandri Schol. ſativum a ſilveſtri quibuſdam notis ſecernit: ſed nemine ipſi, quod quidem ſciam, ſuffragante. Noſtris æque, ac Latinis, *Coriandre.* Pingitur a Dodonæo, pag. 300.

2. *Epinyctidas.*] Dioſc lib. 3. cap. 71. ſanari has ait, coriandro, cum melle & uva paſſa, impoſito.

3. *Sic & omnes.*] Plinius Valer. iiſdem verbis, lib. 4. cap. 4. & de teſtium privatim tumoribus, Theod. Priſcianus, lib. 1. cap. 24.

4. *Panos.*] Dioſc. loc. cit. panos ait & ſtrumas diſcutere cum faba freſa, μετ' ἐρεβίνθου.

5. *Seminis grana.*] Plinius Valer. loc. cit.

6. *Sicut qui & ante*] Plinius Valer. loc. cit.

7. *Vis magna.*] Dioſc. lib. 3. cap. 71. Δύναμιν ἔχει ψυκτικήν.

8. *Hulcera quoque.*] Plinius Valer. loc. cit. ad verbum. Addit hoc loco Dalecampius ex Dioſcoride, etiam ignes ſacros coriandro ſanari, cum pane aut polenta. At eo nomine reprehendi Dioſcoridem a Galeno, lib. 7. de fac. ſimp. med. pag. 174 bonus medicus neſcivit. Id igitur a Plinio caute prætermiſſum.

9. *Item teſtes.*] Plinius Valer. loco citato.

10. *Cum lacte mulieris.*] Plinius Valer. loc. cit. & lib. 1. cap. 14. *Coriandrum viride tritum, & mixtum lacte mulieris, ſuper tumorem oculorum inunguet: & ſtatim ſanat.* Habet eadem Marcellus Empir. cap. 8. pag. 56.

11. *Ventris &c.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 4. cap. 4.

12. *Pellit animalia.*] Lumbricos videlicet. Ita Dioſcor. lib. 3. cap. 71. & Plinius Valer. loc. cit. Apuleius, cap. 102. tit. 1. infundi clyſteribus jubet.

[13] Xenocrates tradit rem miram, si vera est: menstrua contineri uno die, si unum granum biberint feminæ: biduo, si duo: & totidem diebus quot, grana sumpserint. Marcus Varro, coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam æstate servari putat.

LXXXIII. [1] Atriplex & silvestre & sativum est. Pythagoras, tamquam faceret hydropicos, morbosque regios, & pallorem, concoqueretur difficillime: ac ne in hortis quidem juxta id nasci quidquam, nisi languidum, culpavit. Addidere Dionysius & Diocles, plurimos gigni ex eo morbos. Nec nisi mutata sæpe aqua coquendum: stomacho contrarium esse, lentigines & papulas gignere. Miror, quare difficulter in Italia id nasci tradiderit Solon Smyrnæus. [2] Hippocrates vulvarum vitiis id infundit cum beta. Lycus Neapolitanus contra cantharidas bibendum dedit. [3] Panos, furunculos incipientes, duritias omnes, vel cocto vel crudo utiliter illini putavit. [4] Item ignem sacrum, cum melle, aceto nitroque: similiter podagras. [5] Ungues scabros detrahere dicitur sine hulcere. [6] Sunt qui & morbo regio dent semen ejus cum melle, arterias & tonsillas nitro addito perfricent, alvum moveant: cocto vel per se, vel cum malva aut lenticula, concitantes vomitiones. Silvestri capillos tingunt, & ad supra scripta utuntur.

LXXXIV. E contrario in magnis laudibus [1] malva est utraque, & sativa & silvestris. *Cap. XXI.* [2] Duo genera earum amplitudine folii discernuntur. [3] Majorem Græci malopen vocant in sativis. [4] Alteram [5] ab emolliendo ventre dictam putant malachen. E silvestribus, cui grande folium [6] & radices albæ, [7] althæa vocatur, [8] ab excellentia effectus: a quibusdam [9] plistolycia. Omne solum, in quo serantur, pinguius faciunt. [10] Huic contra omnes aculeatos ictus efficax vis, præcipue scorpionum, vesparum, similiumque, & muris aranei. [11] Quin & trita cum oleo [12] qualibet earum peruncti ante, vel habentes eas, non feriuntur. Folium impositum scorpionibus torporem affert. [13] Valent & contra venena. Aculeos omnes extrahunt illitæ crudæ cum nitro: [14] potæ vero decoctæ cum radice sua, leporis marini venena restinguunt: [15] & ut quidam dicunt, si vomatur.

De eisdem mira & alia traduntur. Sed maxime, si quotidie quis succi ex qualibet earum sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum. [16] Hulcera manantia in capite

NOTÆ.

13. *Xenocrates.*] Hæc Plinius Valer. iisdem verbis, loc. citato.

Sect. LXXXIII. 1. *Atriplex.*] Dioscoridi, lib. 2. cap. 145. Ἀτράφαξις, οἱ δὲ χρυσολάχανον. Cælius Aurel. lib. 5. Chron. cap. xi. *Atriplex, quam Græci ἀνδράφαξιν vocant.* Genera sedecim diversa in horto Regio observata a nobis Sativam Galli vocant *Arroche & Bonne-Dame.* Iconem sativæ apud Lobelium videsis in Observ. p. 127. Silvestrium, apud Matthiolum, pag 460. 461 & 462.

2. *Hippocrates.*] Libro 2. de morbis mul. tex. 57. pag. 588. Μητρέων ὀδυνέης ἔγχυτον· ἢν ὀδύνη μοῦνον ἡ σφῦξις καὶ βίαιος, ἀχλὺς ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἔνι, καὶ οὐκ ἔξεισιν ἡ πνεῦμα, ἀλλ' αὐτόθι μένει· αἰτίη. Δεῖ οὖν ὧδε θεραπεύειν· Ἀνδραφάξιος ἀγρίης σπέρμα, καὶ τεῦτλα τρίψας ὁμοῦ λεῖα, χλιήνας ἔγχεε ἐς τὰς μήτρας. *Ad dolorem uterorum medicamentum quod infundi debet. Si dolor solum fuerit vehemens ac violentus, caligo in uteris inest, nec flatus exitum habet, sed manet ibi. Malum. Oportet igitur sic curare: Atriplicis silvestris semen, & betas, simul trita ac tepefacta, in uteros infundito.* Hæc vulvarum vitia, quam falso Dalecampius, & medicus tamen, inflammationem uteri interpretatus sit, ex Hippocrate liquet, cui similia Plinius refert.

3. *Panos, furunculos.*] Hæc deinceps verbis iisdem Plinius Valer. lib 4. cap. 7. Galenus quoque, lib. 6. de fac simp. med pag 161.

4. *Item ignem*] Plinius Valer. loc. cit. de atriplice: *Ignes sacros sedat: podagræ fervorem cum nitro & aceto, cum melle restinguit.*

5. *Ungues scabros.*] Plinius Valer. loco cit.

6. *Sunt qui & morbo*] Ut Dioscor. lib. 2. cap. 145. Galenus loco mox citato & Plinius Valer. lib. 4. cap. 7.

Sect. LXXXIV. 1. *Malva est utraque.*] Sativa, quæ & hortensis appellatur flore simplici, in Eystetensi horto: eadem malva major unicaulis, apud Matthiolum, pag 457. Præter istos etiam & a Dodonæo pingitur, pag 641. priore loco: a colore florum roseo nostris dicitur, *Rose d'Outremer*, ou *de Tremier.* Vidimus in horto Regio Silvestris commune retinuit nomen, *Mauve.* Pumila, proceriorque pingitur a Dodonæo, pag. 642

2. *Duo genera earum.*] Duo sativæ genera, totidem silvestris.

3. *Maiorem.*] Quæ malva hortensis, multiplici flore apud Dodon. pag. 641. Malva major Matthioli, pag. 456.

4. *Alteram.*] E sativis scilicet: quæ malva hortensis prior Dodonæi, pag. 641.

5. *Ab emolliendo.*] Μαλάχην Græci dixere, ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, a ventre molliendo. Unde Martialis, lib. 3. Epigram. 89.

Utere lactucis, & mollibus utere malvis.

Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Forte dictum in Vespasianum, qui erat vultu veluti nitentis, inquit Suetonius in ejus vita, cap. 20. Schola Salernitana:

Dixerunt malvam veteres, quod molliat alvum, &c.

6. *Et radices albæ.*] Iutus albæ, ῥίζαν λευκὴν ἔνδοθεν, inquit Diosc. lib. 3. cap. 163. Sed dum is folia althææ attribuit, quæ sint ut cyclamino rotunda, φύλλα στρογγύλα ὅμοια κυκλαμίνῳ, & ceteris adversatur, nec visam a se althæam prodit.

7. *Althæa vocatur.*] Diosc. loc. cit. Ἀλθαία, ἔστι δὲ εἶδος μαλάχης ἀγρίας, μαλάχης ἐστὶν ἀγρίας εἶδος... Ὠνόμασται δὲ ἀλθαία, διὰ τὸ πολυαλθὲς καὶ πολύχρηστον αὐτῆς. Apuleius, cap. 38. *Græcis appellatur althan: alii althæan rhizan, alii elaomalochen, alii molochen agriam.... Itali ibiscum vocant.* Ibiscus Dodonæi est, pag. 644. Nostris *Guimauve.* Capitulare de Villis, cap. 70. *Bismalvas, hoc est, alteas.*

8. *Ab excellentia.*] Διὰ τὸ πολυαλθὲς, ut ait Diosc. a verbo ἀλθαίνω, sive ἀλθέω, *medeor, curo, sano.*

9. *Plistolycia.*] Πλειστολυκία, forte quod instar Lycii medicamenta præbeat plurimi effectus. Alii πλειστολοχία malunt: quo nomine & altera nominatur herba, lib. 25. sect. 54. In Reg 1. 2. Colb 2. Chiffl. *plistolicea* In Indice, *plistolocia.* Interpolatores *aristalthea* hic scripsere, nempe ex Diosc.

10. *Huic contra.*] Hæc Diosc. totidem verbis loc. cit. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 22. de apum percussibus, vel scorpionum, &c.

11. *Quin & trita.*] Habet eadem Nicander in Theriac. pag 7. Descripsit ab eodem etiam Dioscor. lib. 2. cap. 144.

12. *Qualibet earum.*] Nempe silvestrium.

13. *Valent & contra.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXIII.

14. *Potæ vero*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 54 Avicenna, tomo 2. lib. 4. pag. 201. semen althææ laudat, contra venenum leporis marini. Albi juvare ait & malvæ cauliculos, & althææ folia recens elixata Caules cum radice, Diosc lib. 2. Εὐπορ. cap. 156. pag. 123.

15. *Et ut quidam dicunt.*] Hos secutus Aetius, serm. 13: cap 53. pag. 263 de iis qui leporis marini venena senttiunt: *Hos,* inquit, *lac asininum recens multum cum passo assidue præbeatur: aut si hoc non adsit, bubulum, aut malvæ decoctum: indeque confestim vomant,* &c. Diosc. quoque lib. 2. cap. 144.

16. *Hulcera manantia.*] Diosc. lib. 2. cap. 144. & Marcellus Empiricus cap. 4. pag. 40. *Malva erratica cum urina humana, id est, pueri, trita & imposita, valde siccat capitis humores.* De capitis hulceribus ibi sermo.

sanant in urina putrefactæ, lichenas & hulcera oris cum melle. [17] Radix decocta, furfures capitis & dentium mobilitates. [18] Ejus, quæ unum caulem habet radice circa dentem qui doleat pungunt, donec desinat dolor. Eadem strumas & parotidas panosque, addita hominis saliva, purgat citra vulnus. Semen in vino nigro potum a pituita & nauseis liberat. [19] Radix mammarum vitiis occurrit, adalligata in lana nigra. [20] Tussim in lacte cocta, & sorbitionis modo sumpta, quinis diebus emendat. Stomacho inutiles [21] Sextius Niger dicit. Olympias Thebana, abortivas esse cum adipe anseris: aliqui purgari feminas, foliis earum manus plenæ mensura in oleo & vino sumptis. Utique constat parturientes foliis substratis celerius solvi: [22] protinus a partu revocandum, ne vulva sequatur. Dant & succum bibendum parturientibus jejunis, in vino decoctæ hemina. Quin & semen adalligant brachio [23] genitale non continentium. Adeoque eæ Veneri nascuntur, ut [24] semen unicaulis aspersum genitali, feminarum aviditates augere ad infinitum Xenocrates tradat: Itemque tres radices juxta adalligatas: Tenesmo & dysentericis utilissime infundi: [25] Item sedis vitiis, vel si foveantur. Melancholicis quoque succus datur cyathis ternis tepidus: & insanientibus, quaternis. Decoctæ comitialibus heminæ succi. His & calculosis, & inflatione, & torminibus, aut opisthotonico laborantibus, tepidus illinitur. [26] Et sacris ignibus, [27] & ambustis, decocta in oleum folia imponuntur: & ad vulnerum impetus cruda cum pane. [28] Succus decoctæ nervis prodest, & vesicæ, & intestinorum rosionibus. Vulvas & cibo [29] & infusione emollit in oleo: succus decoctæ [30] pori meatus suaves facit.

[31] Althææ in omnibus supra dictis efficacior radix: præcipue convulsis ruptisque. Cocta in aqua alvum sistit. [32] Ex vino albo strumas, & parotidas, & [33] mammarum inflammationes, [34] & panos in vino folia decocta & illita tollunt. Eadem arida in lacte decocta, quamlibet perniciosæ tussi citissime medentur. Hippocrates vulneratis, sitientibusque defectu sanguinis, radicis decoctæ succum bibendum dedit: & ipsam vulneribus cum melle & resina: item contusis, luxatis, tumentibus, & musculis, [35] nervis, articulis imposuit: [36] & asthmaticis ac dysentericis in vino bibendum dedit. [37] Mirum, aquam radice ea addita addensari [38] sub dio, atque lactescere. Efficacior autem, quo recentior.

LXXXV. [1] Nec lapathum dissimiles effectus habet. [2] Est autem & silvestre, quod alii oxalidem appellant, sapore proximum, foliis acutis, colore betæ candidæ, radice minima: [3] nostri vero rumicem, alii [4] lapathum cantherinum, [5] ad strumas cum axungia ef-

Notæ.

17. *Radix decocta.*] Diosc. loc. cit. Q. Serenus, cap. 4. pag. 227. *Porrigini depellendæ.*

Est insensibilis morbus, sed noxia forma
Cum caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita saxis:
Hanc poterit malvæ radix decocta levare.

18. *Ejus quæ unum.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 5. *Radix unius caulis*, inquit, *admota denti, pellit dolorem.* Hæc malva major unicaulis Matthioli, de qua superius dictum est.

19. *Radix mammarum*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 5.

20. *Tussim*] Malvam in cibo commendat pariter ad tussim Celsus, lib. 4. cap. 4.

21. *Sextius Niger*] Et qui Sextium transcribit, etsi eumdem in præfatione vituperat, Dioscorides lib. 2. cap. 144. Κακοστόμαχος δὲ καὶ εὐκοίλιος &c. Plinius Valer. lib. 4. cap. 5. *Olympias Thebana abortivas putat esse malvas cum adipe anseris genitali parti subjectas. Sextius Niger & Dioscorides stomacho inutiles arbitrantur.*

22. *Protinus a partu revocandum.*] Removendum a partu medicamentum.

23. *Genitale.*] Seminis profluvio laborantium. Genitale pro semine accipi monuimus, sect. 53.

24. *Semen unicaulis.*] Malvæ majoris unicaulis, de qua dictum est superius. Plinius Valer. lib. 4. cap. 5. de radice malvæ unius caulis: *Eadem femori alligata stimulat Venerem.*

25. *Item sedis.*] Dioscor. lib. 2. cap. 144.

26. *Et sacris ignibus*] Althææ hanc vim Dioscorides attribuit, lib. 3. cap. 163. quam & ad hæc morborum genera efficaciorem esse reliquis, Plinius ipse mox tradit. Erysipelatis sanandis malvam idem commendat, lib. 2. cap. 144.

27. *Et ambustis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 36. *Ambustis sanandis. Malvæ folia ex aqua decoquuntur, & ex ea aqua foventur combusta.* Diosc. item, lib. 2. cap. 144. Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17. *De ustione calida, vel ignis .... Malvarum folia elixa, & cum oleo superintrita impones.*

28. *Succus decoctæ.*] Dioscorides, lib. 2. cap. 144. Apuleius, cap. 40. tit. 1. Ad vesicæ dolorem. Et tit. 2. Ad nervorum dolorem.

29. *Et infusione.*] Clysteribus. Alii *insessione* legunt, invitis MSS. Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς [illegible] ... *Eum decoctum insessione vulvas emolli: quin & ad intestinorum, vulvæ, sedisque rosiones, commode infunditur.*

30. *Pori meatus.*] Ita libri editi, cum Colb. 1. At Reg. 2. & Colb. 2. cum Chiffl. *Permeatus.* Urinæ credo meatum intelligit: nam vesicæ utiles malvæ caules esse prodidit Diosc. loc. cit. οἱ καυλοὶ κύστει εὔθετοι [?].

31. *Althæa.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 5.

32. *Ex vino albo*] Diosc. lib. 3. cap. 163. [illegible] ... παρωτίδας, χοιράδας, ἀποστήματα, μαστῶν φλεγμονὰς, &c.

33. *Mammarum inflam.*] MSS. *inflationes*, quod fere idem valet: cum ex inflatione inflammatio fere consequi soleat. Theod. Priscianus, in Gynæciis, sive lib. 3. cap. 1. *Mamillas cum tensione tumentes vel dolentes, quod post partum quam maxime mulieribus evenire consuevit, quas ex eo etiam gravis dolor inquietat, &c.* Et mox: *Si indignatio illa his minime potuerit prohiberi, & lactis aggregatio maximum fervorem locis intulerit, &c.*

34. *Et panos in vino.*] Ita Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 170. [illegible], panos difficiles concoquit, sive discutit.

35. *Nervis, articulis.*] Ad nervos articulosque vulneratos althææ radicem Galenus commendat, lib. 3. [illegible], cap. 7. pag. 729.

36. *Et asthmaticis.*] MSS. Reg. & Colb. *Imposuit, ut supra: spasticis, dysentericis*, &c. De dysentericis, subscribunt Diosc. lib. 3. cap. 163. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. cap. 5. pag. 170.

37. *Mirum, aquam.*] Dioscor. lib. 3. cap. 163. [illegible]. Accepit a Theophrasto, e lib. 9. histor. cap. 19.

38. *Sub dio*] MSS. omnes, *sub divo.*

Sect. LXXXV. 1. *Nec lapathum*] Hortense videlicet, Dodonæi Lapathum sativum, pag. 637. Gallis, *la Patience.*

2. *Est autem & silvestre.*] Id esse quod Gallicum vulgus oxalim adhuc imitatione Græca nuncupat, aliqui *ozellam*, *l'Ozeille* alii *acetosam* e recentioribus herbariis pleraque asseverant: quibus ut assentiar, vehementer laboro: cum absit ab ozellæ foliis color betæ candidæ: sunt enim e nigro viridia. De hoc genere Diosc. lib. 2. cap. 140. [illegible] ... ὀξαλίδα, ἢ ... λάπαθον ...

3. *Nostri vero rumicem.*] Cum in hortis seritur. Sed & alii rumicem silvestre lapathum appellarunt: ut Plinius Valer. lib. 1. cap. 38.

4. *Lapathum cantherinum.*] Forte quod cantheriis, hoc est, jumentis pabulo datur. Sic hordeum cantherinum vocat Columella, lib. 2. cap. 9. pag. 55. *quod & alia animalia quæ rure sunt melius quam triticum, & hominem salubrius quam malum triticum pascit.*

5. *Ad strumas.*] Vide Notas & Emend. num. XXXIV.

ficacissimum. [6] Est & alterum genus fere, [7] oxylapathon vocant, sativo idem similius, & acutiora habet folia ac rubriora, non nisi in palustribus nascens. [8] Sunt qui hydrolapathon tradunt in aqua natum. [9] Est & aliud hippolapathon majus sativo, candidiusque, ac spissius. [10] Silvestria scorpionum ictibus medentur, & ferire prohibent habentes. [11] Radix aceto decocta si coletur, succus dentibus auxiliatur: si vero bibatur, [12] morbo regio. [13] Semen stomachi inextricabilia vitia sanat. [14] Hippolapathi radices privatim ungues scabros detrahunt. [15] Dysentericos semen duabus drachmis in vino potum liberat. Oxylapathi semen lotum in aqua cælesti, sanguinem rejicientibus adjecta acacia lentis magnitudine prodest. Præstantissimos [16] pastillos faciunt ex foliis & radice, addito nitro & thure exiguo. In usu aceto diluunt.

LXXXVI. Sed sativum in epiphoris oculorum illinunt frontibus. [1] Radice lichenas & lepras curant. [2] In vino vero decocta, strumas, & parotidas, & calculos: [3] Pota vino & lienes illita, cœliacos æque, & dysentericos, & tenesmos. [4] Ad eademque omnia efficacius jus lapathi: & ructus facit, & urinam ciet, & caliginem oculorum discutit: [5] item pruritum corporis, in solia balinearum additum, aut prius ipsum illitum sine oleo. [6] Firmat & commanducata radix dentes. Eadem decocta cum vino, sistit alvum: [7] folia solvunt. Adjecit Solon (ne quid omittamus) [8] bulapathon, radicis tantum altitudine differens, & erga dysentericos effectu, potæ ex vino.

CAP. XXII.

LXXXVII. [1] Sinapi, cujus in sativis tria genera diximus, Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublime vis feratur, judicavit, quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret. [2] Ad serpentium ictus & scorpionum tritum cum aceto illinitur. [3] Fungorum venena discutit. [4] Contra pituitam tenetur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa. Ad dentium dolorem manditur: [5] ad uvam gargarizatur cum aceto & melle. [6] Stomacho utilissimum contra omnia vitia, pulmonibusque. Exscreationes faciles facit in cibo sumptum: datur & suspiriosis. [7] Item comitialibus tepidum cum succo cucumerum. [8] Sensus, atque sternutamentis caput purgat, alvum mollit, menstrua & urinam ciet. [9] Hydropicis imponitur, cum fico & cumino tusum ternis par-

NOTÆ.

6. *Est & alterum genus fere.*] Ita libri omnes: nequicquam *feri*, hoc est, silvestris, reponere tentante Pintiano. Fere hoc genus alterum recte a Plinio dicitur, quod sit nempe sativo, etiam quam illud quod est proxime antea memoratum, similius affiniusque: vix ut diversi generis esse putes.

7. *Oxylapathon.*] Id ei nomen ob acutiora folia datum: ob id officinæ nostrates *Lapatium acutum* nominant. *Grandem oxillam* officinæ dicunt: vulgus Parellam, *Parelle.* Lapathum silvestre seu Oxylapathum Dodonæi est, pag. 637.

8. *Sunt qui hydrolapathon.*] Hanc hippolapatho congenerem herbam esse nemo diffitebitur, cum aquarum vernacula & ea sit, ambæque paludibus exsiliant: sed oleribus repudiatur. Galenus, lib. 7. de fac. simp. medic. pag. 201. Ἱππολάπαθον, ἐν ἕλεσι φύεται.

9. *Est & aliud hippolapathon.*] A folii amplitudine id nomen sortitur: Ἵππος enim in compositione amplitudinem supra modum designat. Hoc genus plerique Rhabarbarum Monachorum nominant, quod ejus radice rhabarbari loco nonnulli utuntur. Sic Anguillara, part. 7. pag 210. Pingitur a Dodonæo, pag. 637.

10. *Silvestria scorpionum.*] Seu semen, seu radix decocta bibatur, Diosc. lib. 2. cap. 140.

11. *Radix . . . . si coletur*] Si per vas aliquod aut linteolum pauxillatim stillatimque exprimatur. Vide Notas & Emend. num XXXV.

12. *Morbo regio.*] Plinius Valer lib. 2. cap. 59 & Dioscor. loco citato. Item Africanus in Geopon. lib 12. cap 38. pag. 357.

13. *Semen stomachi.*] Stomachi tantum fastidia, ἄσην στομάχου, semine poto depelli Diosc prodidit loc cit.

14 *Hippolapathi.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 8. *de Lapatho. Scabros ungues sine injuria detrahit.* Theod. Priscianus, libro 1 cap. 30. *Scabiosos, veluti elephantiosos, si quis forte ungues habuerit, ... Lapathi agrestis radix in aceto cocta & contrita curat.* Et Diosc lib 2 cap. 140. λειχῆνας, ὄνυχας λεπρούς.

15. *Dysentericos.*] Plinius Valer. loc. cit. & Diosc. Πινόμενον σπέρμα μεθ' ὕδατος ἢ οἴνου πρὸς δυσεντερίας. Galenus quoque, lib. 7. de fac. simp medic. pag. 205.

16 *Pastillos*] Τροχίσκους Græci vocant ab orbiculari forma. Pastilli medicis arida sunt medicamenta, contrita humore non pingui, aut vino vel aceto incocta, quæ a coctione rursus inaruerunt: quæ quum utendum est, subinde ejusdem generis humore diluuntur, deinde vulneribus illinuntur: non autem imponuntur, ut emplastra. Ita Budæus.

Sect. LXXXVI 1. *Radice lichenas.*] In MSS. Reg. 1. 2. &c. *licherias* male Sed unde *lichenas* erui sincerius a nobis intelligas, quam ab Hermolao, ceterisque qui sunt deinde secuti, *melicerides.* Impetigines sive lichenas radice lapathi cum aceto decocta ad tertias, sanari ait Marcellus Empir. cap. 19. pag 129.

2. *In vino vero.*] Plinius Valer. lib. 4. cap 8. & Diosc. lib. 2. cap. 140.

3. *Pota vino.*] Ita Colb. 1. recte: non *poto.* Marcellus Empir. cap. 27. pag. 194. *Herba oxylapathos cum semine suo arida, contrita & ex vino arido pota, magnum incontinentiæ veneris præstat remedium.* Plinius Valer. loc cit. *Radices ex aceto cocta & posita, duritiem lienis confringunt.* Idcirco scilicet, & potari Plinius & illini voluit.

4. *Ad eademque*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 4 cap. 8.

5. *Item pruritum.*] Ita Diosc. loco cit. Πραΰνει δὲ καὶ κνησμοὺς τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ἐπαντλούμενον, ἢ λουτρῷ μιγνύμενον. Radicum decoctum pruritus corporis sedat, vice fotus affusum, aut in solia balinearum additum.

6. *Firmat &c.*] Ita fere Marcellus Empir. cap. 12. pag. 92.

7. *Folia solvunt.*] Lapathi folia pariter alvum solvere, semen vero sistere, scribit Galenus, lib de theriaca ad Pison. cap 4 pag 935.

8 *Bulapathon*] Quod idem cum hippolapatho videtur, aut affine certe: Nam βοῦς & ἵππος apud Græcos in compositione solam magnitudinem indicant: non similitudinem ullam cum bove, nisi ea forte utraque compositæ vocis parte designetur: ut in βούγλωσσον, & βούκερας, linguæ cornuque bubuli notatur effigies.

Sect. LXXXVII. 1. *Sinapi . . . . , tria genera diximus.*] Libro 19 sect. 54.

2. *Ad serpentium.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, libro 4. cap. 28.

3. *Fungorum.*] Plinius Valer loc. cit & Diosc lib. 2. Εὐπορ. cap. 160. pag. 124. & in Alexiph. cap. 23.

4 *Contra pituitam.*] Marcellus Empir cap. 5. pag 45. *Mellis & sinapis tritis æqualiter mixtæ partes tepefiant: & humor mulcus e capite post longam gargarizationem deducitur.* Sic Dioscor. lib. 2. cap. 184. Ἀποφλεγματίζει διαμασσώμενον, *commanducatum ad pituitam capitis eliciendam valet.*

5. *Ad uvam.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 43.

6. *Stomacho &c.*] Marcellus Empir. cap 20. pag 150.

7. *Item comitialibus*] Diosc. lib. 2. cap. 184. In MSS. non *tepidum*, sed *comitialibus tedis* legitur: unde *tædis* forsan legendum, ut Pellicerius in Notis MSS. monet.

8. *Sensus, atque &c.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 28.

9. *Hydropicis.*] Celsus quoque, lib. 3. cap. 21. & ad hydropises crebrius imponi ventri sinapi jubet, donec cutem erodat. Vide Notas & Emend. num. XXXVI.

ribus. [10] Comitiali morbo, & vulvarum conversione suffocatas excitat odore, aceto mixto: [11] item lethargicos. [12] Adjicitur tordylion. Est autem id semen ex seseli. [13] Et si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur cum fico ex aceto. [14] Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacumque parte corporis [15] ex alto vitia extrahenda sunt, illitum caustica vi emendat, pustulas faciendo. At in magna duritia sine fico impositum: vel si vehementior ustio timeatur, [16] per duplices pannos. [17] Utuntur ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras, [18] phthiriases, [19] lithanicos, opisthotonicos. [20] Inungunt quoque scabras genas, aut caligantes oculos cum melle. [21] Succusque tribus modis exprimitur in fictili, calescitque in eo Sole modice. [22] Exit & e cauliculo succus lacteus, qui ita cum induruit, dentium dolori medetur. [23] Semen ac radix, cum immaduere musto, conteruntur, manusque plenæ mensura sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensusque omnes: mulierum etiam lassitudines, [24] saluberrimæ genere medicinæ. Calculos quoque discutit potum in aceto. [25] Illinitur & livoribus sugillatisque cum melle & adipe anserino, aut cera Cypria. [26] Fit & oleum ex eo semine madefacto in oleo expressoque, quo utuntur ad nervorum rigores, lumborumque & coxendicum perfrictiones.

LXXXVIII. Sinapis naturam effectusque eosdem habere traditur [1] adarca, inter silvas tacta, in cortice calamorum sub ipsa coma nascens.

LXXXIX. [1] Marrubium plerique inter primas herbas commendavere, quod Græci prasion vocant, alii linostrophon, nonnulli philopæda, aut philochares, notius quam ut indicandum sit. Hujus folia semenque contrita prosunt [2] contra serpentes, pectorum & [3] lateris dolores, tussim veterem. [4] Et iis qui sanguinem rejecerint, eximie utile, [5] scopis ejus cum panico aqua decoctis, ut asperitas succi mitigetur. [6] Imponitur strumis cum adipe. Sunt qui viridis semen quantum duobus digitis capiant, cum farris pugillo decoctum, addito exiguo olei & salis, sorbere jejunos ad tussim jubeant. [7] Alii nihil comparant in eadem causa marrubii & feniculi succis ad sextarios ternos expressis, decoctisque ad sextarios duos, tum addito mellis sextario, rursus decocta ad sextarios duos, si cochlearii mensura in die sorbeatur in aquæ cyatho. [8] Et virilium vitiis tusum cum melle mire prodest, Lichenas purgat ex aceto. Ruptis, convulsis, [9] spasticis nervis salutare. Potum

Notæ.

10. *Comitiali morbo, & vulvarum*] Diosc. lib. 2. cap. 184. *Ἐπιληπτικοῖς τε βοηθεῖ, καὶ ὑστερικαῖς πνιγομέναις ὀσφραινόμενον.*

11. *Item lethargicos.*] Celsus, lib. 3. cap. 10. *Præcipueque proficit, & ad excitandum hominem, naribus admotum, & ad morbum ipsum depellendum, capiti frontive impositum sinapi.* Quin & in sopore qui ex vulvæ conversione oritur, sinapi jubet idem, lib. 4. cap. 10. *Super imum ventrem tertio quoque aut quarto die imponi, donec corpus rubeat.*

12. *Adjicitur tordylion.*] Dioscor. lib. 3. cap. 63. *Τορδύλιον, ὅ τινες ἤ σέσελι Κρητικὸν καλοῦσι.* Ejusdem nominis fuerit, cum ipsa herba, semen id quod ex ea prodit. De Cretico seseli sive tordylio, dictum est superius sect. 18. *Ὀρδύλον* a Nicandro dicitur in Theriac. pag. 60. Additum a Diosc. articulum, ut *Τόρδυλον* diceret, a Nicandro neglectum, ait Anguillara, parte 5. pag. 92.

13. *Et si vehementior*] Diosc. lib. 2. cap. 184. *Καὶ ἐπὶ ληθαργικῶν καταπλάσσεται ξυρηθείσης τῆς κεφαλῆς.* *Quin & lethargicorum capiti deraso illinitur.* Plinius Valer. lib. 4. cap. 28. *Aiunt & lethargos excitari, si pedes eorum simul tritis sinapi & fico arida perfricentur.*

14. *Veteres dolores.*] Et hic quoque ficos admisceri vult Dioscor loco citato. *Μίσγε δὲ σύκῳ, καὶ ἐπιτίθει ἄχρι φοινίξεως, ἁρμόζει ἰσχιάσιν, σπλῆνι, καὶ καθόλου εἰς πᾶν χρόνιον ἄλγημα.* Plinius quoque tacite ficum subintelligit hic adhibendam: cum proxime sequatur, *At in magna duritia sine fico.* MSS. omnes paulo post *ustio*, non, ut editi, *urigo*, exhibent.

15. *Ex alto vitia.*] Cum ex alto in summam cutem evocare humores animus est, translato scilicet in extimam partem morbo interius latente: *ὅταν μεταγαγεῖν τι ἐκ τοῦ βάθους εἰς τὴν ἐπιφάνειαν βουλώμεθα, τοῦ ἐπισπαστικοῦ λόγου.* Dioscor. lib. 2. cap. 184. Hanc curationem medici sinapisinum vocant: cujus vis hujusmodi est, ut quemadmodum Cælius Aurel. loquitur, lib. 2. cap. 2. *corpus valeat papulare lacessendo*, hoc est, pusulas facere.

16. *Per duplices.*] Supra, *vel per duplicatum pannum.*

17. *Utuntur ad.*] Diosc. loc. cit.

18. *Phthiriasis.*] Q. Serenus, cap. 6. de phthiriasi arcenda, pag. 128.

Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi.

19. *Lithanicos.*] Ita libri omnes. Alii *tetanicos*: ego, *lichenas* malim.

20. *Inungunt quoque.*] Diosc. lib. 2. cap. 184.

21. *Succusque tribus modis.*] E semine, radice, cauliculo. De succo eo, qui debet in fictili a Sole calescere, Dioscor. loco citato.

22. *Exit & e cauliculo.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 4. cap. 28. *Est & alius succus qui caule colligitur: hic quum expressus fuerit, lacteam facit guttam, utilem dentibus, si in dolore illinatur.*

23. *Semen ac radix.*] Plinius Valer loco cit. totidem verbis.

24. *Saluberrimæ.*] Sic MSS. omnes.

25. *Illinitur & livoribus &c.*] Iisdem verbis Plinius Valer. lib 3. cap 47.

26. *Fit & oleum.*] Plinius Valer ad verbum, lib. 4 cap. 28.

Sect. LXXXVIII. 1. *Adarca, inter silvas tacta.*] Hoc est, libro 16. quo silvestrium arborum naturæ pertractantur, obiter indicata ibi, sect. 66. in arundinum tractatione, circa quas adarca nascatur.

Sect. LXXXIX. 1. *Marrubium.*] Diosc. in Nothis, pag. 457. *Πράσιον, οἱ δὲ λινόστροφον, οἱ δὲ φιλοχαρές ... Ῥωμαῖοι μαρρούβιουμ.* Nostris, *du Marrube.*

2. *Contra serpentes.*] Et sane in theriacæ compositionem adsciscitur marrubium virens, ab Andromacho apud Galen. lib. 1. de theriaca ad Pison. cap. 7. pag. 939.

3. *Lateris dolores, tussim.*] Sic Diosc. lib 3. cap. 119. Apuleius, cap 45. tit. 1. *ad tussim gravem: Herbam marrubium decoques ex aqua, & dabis bibere eis qui graviter tussiunt: mire sanat.* Et Q. Serenus, cap. 35. pag. 148. Prætvit omnibus Celsus, lib 4. cap. 4. qui ad tussim veterem jubet *porri vel marrubii succum assumi.*

4. *Et iis qui sanguinem.*] Plinius Valerianus, lib. 1. cap. 64. *Ad exscreationem cruentam .... Marrubii quoque scopa cum pane,* (ex Plinio nostro scribe, *cum panico*,) *decoquuntur, atque ex aqua bibuntur.* Marcellus Empir cap. 16. pag. 119. *Marrubii viridis fasciculum, & ambrosiæ fasciculum .... postea decoque ad crassitudinem mellis: ex eo uteris jejunus .... ad sanguinis rejectionem sedandam, & stomachum confirmandum.*

5. *Scopis ejus.*] Manualibus fasciculis.

6. *Imponitur strumis*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 109. Apuleius, cap. 45. tit. 8. *Ad omnem duritiam: Herba marrubium tusa cum axungia, & imposita, mire sanat.*

7. *Alii nihil comparant.*] Ita fere Marcellus Empir. cap. 16. pag. 116. & 117.

8. *Et virilium vitiis.*] Hulceribus sordidis genitalium. Dioscor. lib. 3. cap. 119.

9. *Spasticis nervis*] Contractis, ac rigentibus. Apuleius, cap 45. tit. 9. *Si quis ab opere lassus inciderit in languorem, & nervorum habuerit dolorem & spasmum: herba marrubii succo cum oleo rosaceo permixto perunges eum: sine mora sanabitur.*

alvum

alvum ſolvit cum ſale & aceto. [10] Item menſtrua & ſecundas mulierum. [11] Arida farina cum melle ad tuſſim ſiccam efficaciſſima eſt. Item ad gangrænas, [12] & pterygia. [13] Succus vero auriculis, & naribus, & morbo regio, minuendæque bili cum melle prodeſt. [14] Item contra venena inter pauca potens. [15] Ipſa herba ſtomachum & exſcreationes pectoris purgat, cum iride & melle. Urinam ciet: [16] Cavenda tamen exhulceratæ veſicæ, & renum vitiis. [17] Dicitur ſuccus & claritatem oculorum adjuvare. [18] Caſtor marrubii duo genera tradit: nigrum, & quod magis probat, candidum. [19] In ovum inane ſuccum addit is, ipſumque ovum infundit melle æquis portionibus, tepeſactum: vomicas rumpere, purgare, perſanare promittens: [20] illitis etiam vulneribus a cane factis tuſo cum axungia veteri.

XC. [1] Serpyllum a ſerpendo putant dictum. [2] Quod in ſilveſtri evenit, in petris maxime. [3] Sativum non ſerpit, [4] ſed ad palmæ altitudinem increſcit. [5] Pinguius voluntarium, & candidioribus foliis ramiſque, [6] adverſus ſerpentes efficax, [7] maxime cenchrin, & ſcolopendras terreſtres ac marinas, & ſcorpiones, decoctis ex vino ramis foliiſque. [8] Fugat & odore omnes, ſi uratur. [9] Et contra marinorum venena præcipue valet. [10] Capitis doloribus decoctum in aceto illinitur temporibus ac fronti cum roſaceo. [11] Item phreneticis, lethargicis: [12] contra tormina, & urinæ difficultates, anginas, vomitiones, drachmis quatuor datur. Ex aqua bibitur & [13] ad jocinerum deſideria. [14] Folia obolis quatuor dantur ad lienem ex aceto. [15] Ad cruentas exſcreationes teritur in cyathis duobus aceti & mellis.

XCI. [1] Siſymbrium ſilveſtre a quibuſdam thymbræum appellatum, pedali non amplius altitudine. [2] Quod in riguis naſcitur, [3] ſimile naſturtio eſt. [4] Utrumque efficax adver-

Notæ.

10. *Item menſtrua.*] Dioſc. loc. cit. & Q. Serenus, cap. 35. pag. 148. ex editione Pithœi.

11. *Arida farina.*] Dioſc. loc. cit.

12. *Et pterygia.*] Celſus, lib. 6. cap. 19. *In digitis recedere ab ungue caruncula cum magno dolore conſuevit: πτερύγιον Græci appellant.* Sunt ab his diverſa πτερύγια τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς, ungues in oculis orientes: de quibus idem Celſus, libro & cap. 7. *Unguis vero, quod πτερύγιον Græci vocant, eſt membranula nervoſa, oriens ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoque pervenit, eique officit. Sæpius a narium, interdum etiam a temporum parte naſcitur, &c.* De priore πτερυγίων genere, τῶν ἐν δακτύλοις, hic locus accipiendus eſt. Concinit Plinio Dioſc. lib. 3. cap. 119.

13. *Succus vero.*] Dioſc. loc. cit. Galenus quoque, libro 8. de fac. ſimp. med. pag. 221.

14. *Item contra venena.*] Contra aconita, Nicander in Alexiph. pag. 130. Dioſc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 137. pag. 120. Apuleius, cap. 45. tit. *Contra venenum, ſi quis ſumpſit: Herba marrubii ſuccum dabis ex vino vetere, &c.*

15. *Ipſa herba.*] Vide Notas & Emend. num. XXXVII. & Apuleium ad, cap. 45. tit. 2. *Ad ſtomachi dolorem: Herba marrubii ſuccus potus, &c.*

16. *Cavenda tamen.*] Dioſc. lib. 3. pag. 119. Κύστει μέντοι καὶ νεφροῖς ἀσύμφορον.

17. *Dicitur ſuccus.*] Cum vino ſcilicet ac melle inunctus. Dioſc. loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. ſimp. med. pag. 221. Oleo quoque in quo marrubii folia maduerint. Theodoc. Priſcianus, lib. 1. cap. 10. *de oculorum cauſis.*

18. *Caſtor marrubii duo genera.*] Hoc etiam Dioſc. loc. cit. hoc & Theophr. lib. 6. hiſt. cap. 2. hoc alii faciunt. Πράσιον candicans a Dioſc. deſcribitur lib. 3. cap. 119. Μέλαν πράσιον, quod nigrum eſt Caſtoris marrubium, βαλλώτη etiam Græce dicebatur: de qua Dioſc. idem, lib. cit. cap. 117. Βαλλώτη, οἱ δὲ μέλαν πράσιον καλοῦσι. Nigri marrubii formam ac vires perſequitur uberius paulo Plinius lib. 27. cap. 30. Hujus iconem Dodonæus exhibet, pag. 90. Candidi, Matthiolus in lib. 3. Dioſc. pag. 828. Utrumque in horto Regio vidimus.

19. *In ovum inane.*] Marcellus Empir. hoc medicamentum ita digerit cap. 17. pag. 125. *Ovum involutum in calicem defunditur, & teſta ejus ſucco marrubii impletur, & in ipſum calicem defunditur, & mellis optimi deſpumati tantumdem: omnia hæc in ſe permiſcentur, ac tepefacta hauriuntur: miro modo vomicas rumpunt, & ad ſanitatem laborantem ſtomachum perducunt.*

20. *Illitis etiam.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 3. cap. 51.

Sect. XC. 1. *Serpyllum a ſerpendo.*] Et Græce ἕρπυλλος ἀπὸ τοῦ ἕρπειν, inquit Dioſc. lib. 3. cap. 46. quoniam radicatur, quacumque ſui parte terram attingit.

2. *Quod in ſilveſtre.*] Eſt illud ſerpyllum vulgare repens, quod a Cluſio pingitur lib. 3. hiſt. rarior. plant. pag. 359. viſum a nobis in Horto Regio.

3. *Sativum non ſerpit.*] Ut Theophraſti, lib. 6. hiſt. cap. 7. ſic etiam Plinii ſativum ſerpyllum, ſive hortenſe, non aliud eſt quam ſilveſtre Dioſcoridis in hortis ſatum, uti ante nos Matthiolus, etſi paulo obſcurius, animadvertit in lib. 3. Dioſc. pag. 725. Ut intelligas temere Dalecampium Cenſoriam animadverſionem hoc loco in Plinium diſtrinxiſſe, perinde ac ſi ſativi ſilveſtriſque ſerpylli formam imprudenter miſcuerit.

4. *Sed ad palmæ.*] Ita recte Colbert. 2. non *palmi*, ut editi: vel *palmum*, ut alii MSS.

5. *Pinguius voluntarium.*] Illud ipſum quod in hortis ſeritur, cum ſponte provenit: quamobrem ſilveſtre, ut diximus, a Dioſc. appellatur.

6. *Adverſus ſerpentes.*] Dioſc. lib. 3. cap. 46. Καὶ πρὸς ἑρπετῶν πληγὰς ... [illegible]

7. *Maxime cenchrin.*] Genus id ſerpentis eſt, quod & κεγχρίδιον Dioſc. in Theriac. nominat, cap. 22. Pluribus hunc maculis variatam tingere alvum Lucanus docet, lib. 9. verſ. 713. quæ quoniam milii ſeminibus ſimiles ſunt, quam frugem Græci κέγχρον vocant, nomen hoc ſerpenti fecerunt.

8. *Fugat & odore.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 38.

9. *Et contra marinorum.*] Leporis marini, draconis, paſtinacæ.

10. *Capitis doloribus.*] Dioſc. lib. 3. cap. 46. Plinius Valer. loc. cit. & Apuleius, cap. 99. tit. 1. ambo iiſdem verbis Scribonius Largus, Compoſ. Medic. cap. 1. Ad capitis dolorem.

11. *Item phreneticis, &c.*] Dioſc. loc. cit.

12. *Contra tormina, &c.*] Dioſc. & Plinius Valer. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196. *Serpyllum ad pondus victoriati argentei tritum bene valenti in vino, febriculenti ex aqua potui datum, omnes ventris dolores ſedat.*

13. *Ad jocinerum deſideria.*] Ad ea omnia quæ jecur deſiderat, quæ opus habet. Sic oris deſideria dixit idem lib. 22. ſect. 50. Thoracis præcordiorumque deſideria, lib. 27. ſect. 109. Corporum deſideria ſuperius, lib. 21. ſect. 111. Ad jocineris inflammationes prodeſſe ſerpyllum ſcribit Dioſcorides, loc. cit.

14. *Folia obolis.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 38.

15. *Ad cruentas.*] Plinius Valer. loc. cit.

Sect. XCI. 1. *Siſymbrium.*] A quibuſdam ſerpyllum ſilveſtre appellatum, inquit Dioſc. lib. 2. pag. 155. Σισύμβριον, οἱ δὲ ἕρπυλλον ἄγριον καλοῦσι. Theophraſtum, credo, indicat, qui lib. 6. hiſt. cap. 7. ἕρπυλλον ἄγριον in montibus ait θυμβρώδη naſci, thymbræ ſimilem: atque inde thymbræi appellatio ſiſymbrio indita. Siſymbrium eſt hortenſe Matthioli, in lib. 2. Dioſc. pag. 485.

2. *Quod in riguis.*] Hoc ſiſymbrium Dioſcoridis alterum, lib. 2. cap. 156. Σισύμβριον ἕτερον .... ἐνυδρὸν ἐστιν. Prius enim in culto ſolo oritur, ἐν χέρσοις φύεται. Aquaticum a Dodonæo pingitur, pag. 97. idem ſiſymbrium ſilveſtre Matthioli, in lib. 2. Dioſc. pag. 486. *Mente ſauvage*, quoniam ſilveſtris mentæ genus eſt.

3. *Simile naſturtio.*] Naſturtium guſtu repræſentat, atque idcirco cardaminen vocant, inquit Dioſc. lib. 2. cap. 156. Καρδαμίνην ἔνιοι λέγουσι, διὰ τὸ ἐοικέναι καρδάμῳ τῇ γεύσει.

4. *Utrumque efficax.*] Hoc de ſolo priore quod in ſicco naſcitur, Dioſcorides prodidit, qui conciſæ nimium brevita-

ſus aculeata animalia, ut crabrones, & ſimilia. [5] Quod in ſicco ortum, odoratum eſt, & inſeritur coronis, [6] anguſtiore folio. [7] Sedant utraque capitis dolorem. Item epiphoras, ut Philinus tradit. Alii panem addunt: alii per ſe decoquunt in vino. [8] Sanat & epinyctidas, cutiſque vitia in facie mulierum intra quartum diem noctibus impoſitum, diebuſque detractum. [9] Vomitiones, ſingultus, tormina, ſtomachi diſſolutiones cohibet, ſive in cibo ſumptum, ſive ſucco potum. Non edendum gravidis, niſi mortuo conceptu. Quippe etiam impoſitum ejicit. [10] Movet urinam cum vino potum: [11] ſilveſtre & calculos. [12] Quos vigilare opus ſit, excitat infuſum capiti cum aceto.

XCII. Lini ſemen cum aliis quidem in uſu eſt: [1] & per ſe mulierum [2] cutis vitia emendat in facie. Oculorum aciem ſucco adjuvat. [3] Epiphoras cum thure, & aqua, aut cum myrrha ac vino ſedat: [4] parotidas cum melle, adipe, aut cera: ſtomachi ſolutiones inſperſum polentæ modo: [5] anginas in aqua & oleo decoctum, & cum aniſo illitum. Torretur, ut alvum ſiſtat. [6] Cœliacis, & dyſentericis imponitur ex aceto. Ad jocineris dolores eſtur cum uva paſſa. [7] Ad phthiſin utiliſſime e ſemine fiunt ecligmata. Muſculorum, nervorum, articulorum, [8] cervicum duritias, [9] cerebri membranas mitigat farina ſeminis, nitro, aut ſale, aut cinere additis. Eadem cum fico idem concoquit ac maturat. [10] Cum radice vero cucumeris ſilveſtris extrahit [11] quæcumque corpori inhæreant. [12] Sic & fracta oſſa. [13] Serpere hulcus in vino decocta prohibet, [14] eruptiones pituitæ cum melle. Emendat ungues ſcabros [15] cum pari modo naſturtii: [16] teſtium vitia & ramices cum reſina & myrrha: & gangrænas ex aqua. [17] Stomachi dolores cum feno Græco ſextariis utriuſque decoctis in aqua mulſa. Inteſtinorum & thoracis pernicioſa vitia, clyſtere in oleo, aut melle.

XCIII. [1] Blitum iners videtur ac ſine ſapore, aut acrimonia ulla. [2] Unde convicium feminis apud Menandrum faciunt mariti [3] Stomacho inutile eſt. [4] Ventrem adeo turbat, ut choleram faciat aliquibus. [5] Dicitur tamen adverſus ſcorpiones potum e vino prodeſſe, & clavis pedum illini: item lienibus, & [6] temporum doloti, ex oleo. [7] Hippocrates menſtrua ſiſti eo cibo putat.

Notæ.

ta ſtudens, multa prætermiſit.

5. *Quod in ſicco.*] Hortenſe Matthioli ſiſymbrium, ut diximus: quod, quemadmodum Dioſc. ait, loc. cit. foliis latioribus eſt, quam menta hortenſis, odoratus idem, & coronis inſeritur.

6. *Anguſtiore folio.*] Quam quod in riguis naſcitur.

7. *Sedant utraque.*] Hoc de ſolo priore rurſum Dioſc. lib. 2. cap. 155 ſed negligentius, ut opinor: Τὰ δὲ φύλλα ἐπιπλάττεται πρὸς κεφαλαλγίαν καὶ τῶν κροτάφων καὶ τοῦ μετώπου.

8. *Sanat &c.*] Hoc vero de ſolo poſteriore, ſive aquatico, Dioſc. lib. 2. cap. 156. Ἀποσμήχει δὲ καὶ φακοὺς καὶ ἐφήλεις καταπλασθὲν δι' ὅλης τῆς νυκτὸς, ἕωθεν δὲ ἀπολουθέν.

9. *Vomitiones, &c.*] Hæc de priore pariter, quod in ſicco oritur, Dioſc. lib. 2. pag. 155. Galenus, lib. 8. de fac. ſimp. med pag. 219.

10. *Movet urinam.*] Hoc de utroque etiam Dioſc. prodit, lib. 2. pag. 155. & 156. Marcellus item Empir cap. 26. pag. 180. & Apuleius, cap. 105. tit. 1 *Ad veſica dolorem, & ſtranguriam: Herba ſiſymbrii contrita exceptos ſuccos unciis duabus .... ex vino potui dato, &c*

11. *Silveſtre.*] Illud ſilveſtre quod in ſicco oritur. Dioſc. lib. 2. cap. 155.

12. *Quos vigilare.*] Somnolentos, veternoſos, lethargicos.

Sect. XCII 1. *Et per ſe.*] Sine ulla admixtione rei cujuſcumque: quo ſenſu *per ſe* uſurpatur a Scribonio Largo, Compoſ. 2. 10. 19 23. 189. Etiam & Compoſ. 108. *Vomitus per ſe factus*, id eſt, ſponte.

2. *Cutis vitia.*] Ἐφήλεις etiam, hoc eſt, vitia cutis in facie ab inſolatione. Dioſc lib. 2 cap. 125.

3. *Epiphoras.*] Omnem inflammationem. Dioſcor. loc. citato.

4. *Parotidas.*] Iiſdem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 13. At pro melle lixivium Dioſcorides adhibet, loc. cit. σὺν κονίᾳ.

5. *Anginas in aqua.*] Vide Notas & Emendat. num. XXXVIII.

6. *Cœliacis, &c.*] Dioſc. lib. 2. pag. 125.

7. *Ad phthiſin.*] Plinius Valer. lib. 1. pag. 63. Quid ſit phthiſis, ex Celſo diſcet, lib. 3. cap. 22 *Tertia eſt*, inquit, *longeque perículoſiſſima ſpecies tabis, quam Græci φθίσιν nominaverunt. Oritur fere a capite: inde in pulmonem deſtillat: huic exhulceratio accidit: ex hac febricula levis fit: quæ etiam cum quievit, tamen & repetit. Frequens tuſſis eſt, pus exſcreatur, interdum cruentum aliquid. Quidquid exſcreatum eſt, ſi in ignem impoſitum eſt, mali odoris eſt.* Educi ea quæ pectori intus hærent, eo ecligmate etiam Dioſcor. affirmat, loc. cit. Et Theod. Priſcianus, lib 2. parte 2. cap. 10. de empyicis: *Eclegmate utor, quod ex lini ſemine frixo, cum nucleis & melle deſpumato conficitur.*

8. *Cervicum duritias.*] Rigorem. Marcellus Empir. cap. 18. pag. 127. *Farina lini ſeminis addito nitro ex vino calido, in modum malagmatis temperatur, & imponitur: cervicum dolori ſtatim medetur.*

9 *Cerebri membranas.*] Inflammatas. Inde eſt quod ad dolores capitis puerorum lini ſemen tritum ex aqua commendat Marcellus Empir. cap. 1. pag. 88. Et phreneticorum, quibus *jugis inſomnietas eſt ex meningis tenſione, ſucco lini ſeminis irrigari articulos* præcipit Theod. Priſcianus, lib. 2. parte 1. cap. 2.

10. *Cum radice vero.*] Ad verbum hæc Marcellus Empir. cap. 34. pag. 233. & Plinius Valer lib. 3. cap. 49.

11. *Quæcumque corpori inhæreant*] Aculeos, ſpicula.

12. *Sic & fracta.*] MSS. Reg. Colbert. Chifl. *ſic effracta.*

13. *Serpere hulcus in vino decocta.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 22. pariter *in vino decocta.* Marcellus Empir. cap. 4. pag. 42. *ex melle adpoſita.*

14. *Eruptiones pituitæ.*] Marcellus Empir. & Plinius Valer. loc. cit.

15. *Cum pari modo naſturtii.*] Adjicit Dioſc. lib. 2. cap. 125. & parem etiam mellis menſuram.

16. *Teſtium vitia.*] Marcellus Empir. cap. 33. pag. 228. *Farina lini ſeminis, cum reſina & myrrha pari pondere permixta, & impoſita teſticulis, dolori ac tumori eorum ſubvenit.* Sic etiam Plinius Valer lib. 2. cap. 42. Adde & Theod Priſcianum, lib. 1. cap. 25. *ad veretri dolores.*

17. *Stomachi dolores.*] Plinius Valer. iiſdem verbis, lib. 2. cap 15.

Sect. XCIII. 1. *Blitum iners.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 4. cap. 9. Gallis, *Blettes*, ou *Betes.* Iconem apud Lobelium vide, in Obſervat. pag. 125. In Narbonenſi Gallia *Turgon* vocant, inquit Ruellius, lib. 2. pag 356.

2. *Unde convicium.*] Plautus, in Trucul. act. 4 ſc. 4. *Blitea & lutea eſt meretrix, niſi quæ ſapit in vino ad rem ſuam.* Viles, abjectas, fatuaſque mulieres βλιτάδας antiqui vocabant Suidas: Βλιτάδας οἱ παλαιοὶ τὰς ἀνοήτους γυναῖκας ἔλεγον. Quod nomen adhuc in noſtrum vulgus manavit, ſocordes ignavoſque homines *Beliteros* Græca imitatione nominans, inquit Ruellius, lib. 1 pag 75. Feſtus: *Blitum, genus oleris a ſaporis ſtupore appellatum eſſe e Græco putatur, quod ab his βλὰξ dicatur ſtupidus.* At Græcis quoque βλίτον eſt. Heſych. Βλίτον, λαχάνου εἶδος. Schol. Ariſtoph. Βλίτον μωρὸν εἶναι δοκεῖ λάχανον. *Blitum videtur olim eſſe inſipidum*

3. *Stomacho.*] Tamen bonam alvum facere Dioſc. vere dixit, lib. 2 cap. 143

4. *Ventrem adeo.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 4. cap. 9.

5. *Dicitur tamen.*] Plinius Valer. loc. cit.

6. *Temporum dolori, &c.*] Sic Apollonius apud Galenum, lib. 2. κατὰ τόπους, cap. 1. pag 368. Βλίτου τρίψας σὺν ἐλαίῳ δίεις, χρῶ.

7. *Hippocrates menſtrua ſiſti.*] Ita libri omnes, & Plinius

XCIV. [1] Meum in Italia non nisi a medicis seritur, & iis admodum paucis. Duo genera ejus. Nobilius Athamanticum vocant, illi tamquam ab Athamante inventum, hi quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur, [2] foliis aniso simile, & caule aliquando [3] bicubitali, radicibus multis [4] & obnigris, quibusdam altissimis: Minus rufum, [5] quam illud, alterum. [6] Ciet urinam in aqua potum, radice trita vel decocta. [7] Inflationes stomachi mire discutit. Item tormina, [8] & vesicæ vitia: [9] vulvarumque articulis cum melle, [10] infantibus cum apio illitum imo ventri urinas movet.

XCV. [1] Feniculum nobilitavere serpentes gustatu, [2] ut diximus, senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo: [3] unde intellectum est, hominum quoque caliginem præcipue eo levari. Colligitur hic [4] caule turgescente. In Sole siccatur, inunguiturque ex melle. Ubique hoc est. [5] Laudatissimus in Iberia e lacrymis fit, & ex semine recenti. [6] Fit etiam & e radicibus prima germinatione incisis.

XCVI. Est & in hoc genere silvestre, quod alii hippomarathron, [1] alii myrsineum vocant, foliis majoribus, gustu acriore, procerius, brachiali crassitudine, radice candida. Nascitur in calidis, sed saxosis. [2] Diocles & aliud hippomarathri genus tradit, longo & angusto folio, semine coriandri. [3] Medicinæ in sativo, ad scorpionum ictus & serpentium, semine in vino poto. [4] Succus & auribus instillatur, vermiculosque in his necat. Ipsum condimentis prope omnibus inseritur: oxyporis etiam aptissime. Quin & panis crustis subditur. [5] Semen stomachum dissolutum adstringit, vel in febribus sumptum. [6] Nauseam ex aqua tritum sedat. [7] Pulmonibus & jocinetibus laudatissimum. [8] Ventrem sistit, cum modice sumitur, [9] urinam exciet, & tormina mitigat decoctum, [10] lactisque defectu potum mammas replet. [11] Radix cum ptisana sumpta renes purgat, sive decocto succo, sive semine sumpto. [12] Prodest & hydropicis radix ex vino cocta. Item convulsis. [13] Illinuntur folia tumoribus ardentibus ex aceto. Calculos vesicæ pellunt. Genituræ abundantiam quoquo modo haustum facit. Verendis amicissimum, sive ad fovendum radice cum vino cocta, sive contrita in oleo illitum. Multi tumoribus & sugillatis cum cera illinunt. [14] Et radice in succo vel cum melle contra canis morsum utuntur, & contra multipedam ex vino.

NOTÆ.

quoque Valer. lib. 4. cap. 9 *Hippocrate*, inquit, *præcipiente ad sistenda omnia menstrua feminarum in cibo dandum.* Hippocrates sane, lib. 2. de diæta, cap. 26. Βλιτὸν θερμὸν, οὐ διαχωρητικόν. *Blitum calidum est, non movens alvum.*

Sect. XCIV. 1. *Meum.*] Diosc. lib. 1. cap. 3. Μῆον τὸ καλούμενον Ἀθαμαντικὸν γεννᾶται πλεῖστον ἐν Μακεδονίᾳ καὶ Ἱσπανίᾳ. Galeno, lib. 1. de Antidotis, cap. 7. pag. 878. Μεῖον Ἀθαμαντικόν. Vidimus in horto Regio, quale depingitur a Dodonæo, pag. 302. Meum in Italia reperiri, & in Calabria quidem ab incolis *Imperatrice* appellari, in montibus Nursinis *Specura*, alibi aliter, scribit Anguillara, lib. de simp. part. 1. pag. 20. Etiam & in Gallia obvium. Describitur a Charasio in Pharmac. pag. 134 Nostris officinis, inquit Ruellius lib. 2. pag. 284. anethum silvestre hodie vocatur, quod anethum plane videatur imitari foliis, & umbella, & caule: unde quidam herbarii tortuosum anethum appellaverunt.

2. *Foliis aniso.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXIX.

3. *Bicubitali.*] Sic Diosc. lib. 1. cap 3. Δίπηχυ τὸ ἀναβαῖνον. Sic Oribasii interpres, lib. 11. fol. 206. Sic rerum ipsa natura postulare videtur. Tamen MSS. omnes, Reg. Colb. Chiffl. *bipedali.*

4. *Et obnigris.*] In MSS. Reg. Colb. &c *obolis, nigris.* Forte, *oblongis, nigris.* Diosc. μακροῖς. Oribasii interpres, *longis.*

5. *Quam illud.*] Quam Athamanticum

6. *Ciet urinam.*] Diosc. loc. cit. Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 209.

7. *Inflationes . . . discutit.*] Diosc. loc. cit. Galenus quoque loc. cit. sed hanc exceptionem ille adjicit, quod simul caput lædat: si tamen largius bibatur, inquit Dioscor.

8. *Et vesicæ.*] Diosc loc. cit.

9. *Vulvarumque articulis.*] Subintellige ex sequentibus, illitum urinas movet.

10. *Infantibus.*] Dioscorides, lib. 1. cap. 3. apium prætermisit.

Sect. XCV. 1. *Feniculum.*] Hæc iisdem verbis Plinius Valer. lib. 4 cap. 24.

2. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 41. Habet & istud Diosc. lib. 3 cap. 81.

3. *Unde intellectum.*] Plinius Valer. loc. cit. Q. Serenus, cap. 14. pag. 133.

> *Si tenebras oculis obducit pigra senectus,*
> *Expressa marathro gutta cum melle liquenti*
> *Detergere malum poterunt: vel vulturis atri*
> *Fella, chelidonia fuerint quæis gramina mixta.*

Adde Galenum, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 206.

4. *Caule turgescente.*] Quod fit cum primo germinat, καὶ τὴν πρώτην ἐκβλάστησιν, inquit Diosc. lib. 3. cap 81.

5. *Laudatissimus.*] Diosc loc. cit Caulem, inquit, medium, dum floret herba, demetunt indigenæ, ignique admovent: quo facilius vi caloris veluti exsudans, lacrymam seu gummi remittat.

6. *Fit etiam.*] Iisdem verbis Diosc. loc cit.

Sect. XCVI. 1. *Alii myrsineum.*] Mallem trajecta litterula *smyrneum* legi. Nam Anacreon in libro rei herbariæ, seu ὁ ῥιζοτομικὸς, σμύρνιον vocari scribit, teste Nicandri Scholiaste, in Theriac. pag 28. Smyrnium porro dici potuit, quod, uti de altero smyrnio Plinius refert, lib. 19. sect. 62. myrrham radice resipit. Vidimus in horto Regio quale describitur a Lobelio in Adversf. pag. 347.

2. *Diocles & aliud.*] Hæc Dioscorides lib. 3. cap. 82. totidem verbis, tacito modo Dioclis nomine. Galenus item lib. 7. de fac. simp med. pag. 206. Sed id feniculi genus a nemine adhuc cognitum ait Matthiol. in lib. 3. Dioscor. pag. 777.

3. *Medicinæ in sativo.*] Iisdem verbis hæc Plinius Valer. lib. 4. pag. 14. Quæ de feniculo scilicet accipienda sunt.

4. *Succus & auribus.*] Plinius Valer loc. cit.

5. *Semen stomachum.*] Iisdem hæc iterum verbis Plinius Valer loc. cit. Q. Serenus, cap. 19. de digestione & stomacho medendo, pag. 136.

6. *Nauseam.*] Plinius Valer. loc. cit. has vires semini pariter, Diosc lib 3 cap. 81. foliorum decocto attribuit.

7. *Pulmonibus.* &c.] Plinius Valer. loc. cit.

8. *Ventrem sistit*, &c] Plinius Valer. loc. cit.

9 *Urinam.*] Diosc. lib 3 pag. 81. Apuleius, cap 124. *Urinam movet cibo datum, hoc provocat.* &c. Galenus item, lib. de fac. simp. med. pag. 206.

10. *Lactisque defectu.*] Id vero de hippomarathro Diosc, lib. 3. cap 82. De marathro sativo, seu feniculo, Apuleius loc. cit & Galenus, lib. 7. de fac. simp medic pag. 206. Et de semine quidem feniculi, Plinius Valer. lib 4. cap. 24. cum Hippocrate, lib de nat. mul. tex. 88. pag 405. qui parem hippomarathro quoque vim ac dotem asserit.

11. *Radix cum.*] Plinius Valer. lib 4. cap 24. & lib. 2. cap. 37. *Radix feniculi cum ptisana decocta, & in cibo data, renum densitates relaxat: & ejusdem radicis succus ad cyathos duos in vino potui datus mirabiliter vitia sanat.*

12. *Prodest &c.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 24.

13 *Illinuntur.*] Plinius Valer loc. cit. *Tumores, & quæ icta vel repentina indignatione commota sunt, folia ex aceto trita dissolvunt.*

14. *Et radice.*] Plinius Valer. loc. cit. hoc ipsum refert de fe-

Hippomarathron ad omnia vehementius. [15] Calculos præcipue pellit. [16] Prodest vesicæ cum vino leni, & feminarum menstruis hærentibus. Efficacius in eo semen, quam radix. Modus in utroque, quod duobus digitis tritum additur in potionem. Petrichus, qui Ophiaca scripsit, & [17] Micton, qui rhizotomumena, adversus serpentes nihil hippomarathro efficacius putavere. [18] Sane & Nicander non in novissimis posuit.

5

XCVII. [1] Cannabis in silvis primum nata est, nigrior foliis, & asperior. [2] Semen ejus extinguere genituram virorum dicitur. [3] Succus ex eo vermiculos aurium, & quodcumque animal intraverit, ejicit, sed cum dolore capitis. [4] Tantaque vis ei est, ut aquæ infusa, coagulare eam dicatur. [5] Et ideo jumentorum alvo succurrit pota in aqua. [6] Radix contractos articulos emollit in aqua cocta: item podagras, & [7] similes impetus. Ambustis cruda illinitur, sed sæpius mutatur priusquam arescat.

10

XCVIII. Ferula semen anetho simile habet. Quæ ab uno caule dividitur in cacumine, femina putatur. [1] Caules eduntur decocti, commendanturque musto ac melle, stomacho utiles. [2] Sin plures sumpti, capitis dolorem faciunt. [3] Radix denarii pondere in vini cyathis duobus, bibitur adversus serpentes. Et ipsa radix imponitur. [4] Sic & torminibus medetur. [5] Ex oleo autem & aceto, contra sudores immodicos, vel in febribus proficit. [6] Succus ferulæ alvum solvit fabæ magnitudine devoratus. [7] E viridi medulla vulvis utilis, & ad omnia ea vitia. [8] Ad sanguinem sistendum decem grana seminis bibuntur, in vino trita, vel medulla. Sunt qui comitialibus morbis dandum putant Luna quarta, sexta, septima, [9] ligulæ mensura. Natura ferularum murænis infestissima est: tactæ siquidem ea moriuntur. Castor radicis succum & oculorum claritati conferre multum putavit.

15

20

XCIX. [1] Et de carduorum satu inter hortensia diximus: quapropter & medicinam ex iis non differamus. Silvestrium genera sunt duo, [2] unum fruticosius a terra statim: [3] alterum unicaule crassius. Utrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus. Sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescentem, & abeuntem cum aura: scolymon Græci vocant. [4] Hic antequam floreat contusus atque expressus, illito succo alopecias replet. Radix cujuscumque ex aqua decocta [5] potoribus sitim facere narratur. [6] Stomachum corroborat: [7] & vulvis, (si credimus) etiam conferre aliquid traditur, ut mares gignantur. Ita enim Chæreas Atheniensis scripsit, & Glaucias, qui circa carduos diligentissimus videtur. [8] Masticha cardui odorem commendat oris.

25

30

CAP. XXIV. C. Sed discessuri ab hortensiis, unam compositionem ex his clarissimam subtexemus,

NOTÆ.

mine: de radice, Diosc. lib. 2. cap. 81.

15. *Calculos præcipue.*] Dioscor. lib. 2. cap. 82. Galenus loc citato.

16 *Prodest vesicæ.*] Diosc loc cit. Στραγγουρίας ἴαμα.

17. *Micton.*] In MSS. Reg. Colb & Chiffl. *Miccon* · male. Vide Auctorum indicem. Mictoni interim Dioscorides suffragatur, loc. cit

18. *Sane & Nicander.*] Nunc legitur in Theriacis, pag. 43. adversus serpentes.

Ἠὲ καὶ ἱππείου μεγάλην πολυαυξέα ῥίζαν.

Aut magnas grandis radices hippomarathri.

Sect. XCVII. 1. *Cannabis &c.*] Diosc. lib. 3. cap. 166. *Κάνναβις ἀγρία .... τὰ φύλλα ἔχει ὅμοια τῇ ἡμέρῳ, τραχύτερα δὲ καὶ μελάντερα.*

2. *Semen ejus.*] Dioscor. lib. 3. cap. 165. de sativa cannabi: Galenus quoque, lib. 7. de facult. simp. medic. pag. 184

3. *Succus ex eo.*] Ex recenti semine, inquit Dioscor & post eum Galenus, locis citatis, sunt qui succum exprimant, ad aurium dolores, ex obstructione, ut mihi quidem videtur, *ex ἐμφράξεως*, natos, accommodatum maxime. At Plinius Valer. lib. 1. cap. 10. & Marcellus Empir. cap. 76 & 80. hunc Plinii locum summa fide transscribunt, & suo defendunt calculo.

4. *Tantaque ei.*] Quam ipse vim experimento non didicit, timide profert, nec audet asseverare. Caute id quidem.

5. *Et ideo.*] Alvum sistit jumentorum, cum est concitatior: quoniam vim spissandi habeat, & desiccandi.

6. *Radix contractos.*] Diosc lib. 3 cap 166.

7. *Similes impetus*] Ἐμφράξεις, inflammationes & tumores.

Sect. XCVIII. 1. *Caules eduntur.*] Vide quæ dicta sunt lib. 19. sect. 56.

2. *Sin plures.*] Sic pariter Dioscor lib. 3. cap. 91.

3. *Radix denarii.*] Q. Serenus, cap. de serpentium morsibus:

Aut ferula radix potatur in imbre Lyæi.

Diosc. loc. cit. non radicem adversus serpentes, sed medullam commendat. Nicander quoque in Theriac. pag 43.

4. *Sic & torminibus*] Hoc de poto semine, Dioscor. loc. citato.

5. *Ex oleo.*] Plinius Valer lib 3. cap. 1x. *Radix item ferulæ ex oleo & aceto perunctione sudorem minuit.*

6. *Succus ferulæ alvum solvit.*] Sistere congruentius forsan diceret: nam cœliacis medullam epotam prodesse scribit Diosc. loc cit. nisi succus expressus e ferula, medullaque ipsa, dispares habent facultates.

7. *E viridi medulla.*] Vide Notas & Emendationes, num. XL.

8. *Ad sanguinem*] Hæmoptoïcis medullam epotam prodesse scribit Dioscor. lib 3. cap. 91. Galenus similiter, lib. 8. de fac. simp. medic. pag 213.

9. *Ligulæ mensura.*] MSS. Reg. Colb. Chiffl. *lingulæ*. Sed utrumvis dixeris, nihil interest.

Sect. XCIX. 1. *Et de carduorum,... diximus*] Libro 19. sect 43.

2. *Unum fruticosius.*] Scolymos est Theophrasti, de quo lib. 22. sect. 43 Eryngium idem luteum Monspeliensium, visum a nobis in horto Regio, quale a Lobelio delineatur, in Observ pag. 478.

3. *Alterum unicaule*] Cinara hæc hortensis aculeata, Dioscoridis *σκόλυμος*, lib 3. cap. 16. Forte Theophrasti *κάκτος* lib. 6. cap 4. *L'Artichaut.* Adstipulatur etiam Anguillara, part. 8. pag 136

4. *Hic antequam floreat*] Plinius Valer. lib. 4. cap 16. & Marcellus Empir. cap. 6. pag. 46. iisdem verbis. *Herbam cardui agrestis in mortario usque ad levitatem terito: succoque ejus expresso locum alopeciæ novem diebus oblinito: sed bis per dies singulos perunctione renovata.*

5. *Potoribus sitim.*] Plinius Valer. lib. 4. cap 16. de carduo: *Radix ex aqua cocta, cupiditatem bibendi potoribus subministrat.* Columella, lib. de cultu hortorum, qui decimus operis est, pag. 353.

Hispida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho

Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.

6. *Stomachum corroborat*] Si non aridius sumatur, inquit Plinius Valer. lib. 4. cap 16.

7. *Et vulvis.*] Transscripsit & istud Plinius Valer. loc. cit. ubi Glauciam pariter laudat auctorem.

8. *Masticha cardui.*] Vide Notas & Emendationes, num. XLI. Masticha cardui, tenuior ille est & quodam modo lacteus succus, quem cinaræ radix, ubi defloruit ac durescit, scarificata emittit, ut & experientia docet & Theophrastus conceptis verbis admonuit, lib 6 hist. cap. 4.

adversus venenata animalia, incisam lapide [1] versibus [2] in limine ædis Æsculapii. [3] Serpylli duûm denariorum pondus: opopanacis, [4] & mei, tantumdem singulorum, trifolii pondus denarii: anesi, & feniculi seminis, & ammii, & apii, denariorum senûm singulis generibus, ervi farinæ duodecim. Hæc tusa cribrataque vino quam possit excellenti, digeruntur in pastillos, victoriati pondere. Ex his singuli dantur ex vini mixti cyathis ternis. Hac theriaca [5] magnus Antiochus Rex adversus omnia venena usus traditur. 5

NOTÆ.

Sect. C. 1. *Versibus.*] Quos recitat Galenus, lib. 2. de Antidotis, cap. 14. pag. 912. ex Eudemo medico. Sunt omnino sedecim.

2. *In limine ædis.*] Apud insulam Coum in templo Æsculapii, inquit Plinius Valer. lib. 3. cap. 57.

3. *Serpylli &c.*] Galenus loc. cit. recitatis Eudemi versibus, medicamenta quæ iis continentur, ita breviter colligit: Μήου ῥίζης, ἑρπύλλου, ὀποπάνακος, ἀνὰ < β'. Τριφύλλου σπέρματος, < α'. Ἀνίσου, μαράθρου, ἄμμεως, σελίνου σπέρματος, ἀνὰ ἑξώβολον. Ἀλεύρου ὀροβίνου λιπτοτάτου ὀξύβαφα β'. Οἴνου παλαιοῦ εἰς ἀνάληψιν ὅσον ἐξαρκεῖ. Ἀνάπλασσε τροχίσκους, καὶ ξήραινε ἐν σκιᾷ. καὶ δίδου τροχίσκον μετ' οἴνου κυάθων γ'. Quæ totidem ferme verbis Plinius habet: modo tantum medicamentorum paululum discrepante.

4. *Et mei.*] Ita ex Galeno modo laudato rescripsimus: cum prius *milii* perperam legeretur. Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. insulse mel pro meo desiderat: & pro ammi amyalum, lib. 4 cap. 38.

5. *Magnus Antiochus*] Eo nomine secundus, Syriæ regum quintus, Antiochi Θεοῦ sive Epiphanis pater. Hunc Philometora Eudemus vocat iis versibus, quibus hæc theriacæ compositio continetur:

Ἴσθι μὲν ἥ τινάδε πρὸς ἑρπετά, ᾗ Φιλομήτωρ
Νικήσας πεῖραν ἀνεύρατο Ἀντίοχος.

Hæc tape præsidium ad serpentia, quod Philometor
Usu præcipuum repperit Antiochus.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XX.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. ET *allio rursus abigente a se se.*] Allio nempe lapide, ut diximus, abigente ferrum. Ita MSS. omnes, ipsaque loci sententia ita legi postulat. Frustra sunt Majolus, Cæsius, aliique, qui *allio* hic scriptum a Plinio autumant, quo ejus viri auctoritate magnetis & allii dissensionem & antipathiam stabiliant, quasi magnes allio confricatus ac perunctus ferrum non trahat. Albertum tamen Magnum scimus ita sensisse, lib. 2. Mineral. tract. 2. cap. 11. & ante eum, Zoroastrem in Geopon. lib. 15. cap. 1. & Jo. Tzetzen, Chiliad. 4. histor. 140. vers. 407. Sed illud haud dubie nunc Plinius spectat, quod alibi planius expressit, libro nempe 36. sect. 25. *Alius rursus*, inquit, *in eadem Æthiopia non procul mons gignit lapidem theamedem, qui ferrum omne abigit, respuitque. De utraque natura sæpius diximus.* & quidem nunc primum de utraque dicit.

Sect. 6. II. *Eadem contrahit vomitiones: siccatur, &c.*] Contraria plane sententia prius legebatur, *Eadem contra vomitiones siccatur.* Quid igitur illa sibi volunt, quæ proxime sequuntur, *Cortex quoque vomitionem movet?* An non ea aperte significant eamdem modo cortici assignari vim, quæ radici fuerat prius attributa? Adde Dioscoridem, lib. 2. cap. 164. ubi de peponis facultatibus: Ἡ δὲ ῥίζα ξηρὰ, inquit, ποθεῖσα σὺν ὑδρομέλιτι < ὁλκῇ, ἐμεῖ τοὺς κτλ. *Sicca radix ex mulsa drachmæ pondere bibita, vomitum ciet.*

Sect. 8. III. *Nec non ramentis corticis recentes podagras refrigerat, &c.*] In MSS. *recens.* Plinius Valer. *recentis* legisse videtur, hoc est, viridis. Sic enim ille, lib. 4. cap. 6. de cucurbita: *Dioscorides*, inquit, *ramenta corticis viridis in cucurbita laudat, earumque effectus sic tradit: Plinbrrasim* (lege ex Diosc. lib. 2. cap. 162. *Siriasim*) *infantium, cui imposita depellunt cum polenta: podagræ æstuanti, & ignibus sacris cum pane subveniunt.* Verba sunt hæc Græci scriptoris: Τὸ δὲ ξύσμα αὐτῆς παιδίοις σειρίασιν ἀφελήσει κτλ. τῶν βρέγματος καταπλασσόμενον. Item Marcellus Empir. cap. 1. pag. 35. *Cucurbitæ viridis ramenta cerebro imposita, infantibus quoque, qui ex dolore capitis nauseam patiuntur, validissime prosunt.*

Sect. 9. IV. *Tosta quoque.*] Rapa videlicet. Prius *costa* legebatur; ab aliis *cocta*: a Salmasio, *Cato quoque*. nos *Tosta*, tum ex MSS. Reg. Colb. &c. tum ex Plinio Valeriano, libro 4. cap. 34. hæc totidem verbis ac syllabis describente, defendimus.

Sect. 10. V. *Mixta farina, pari mensura, ervi, hordei, tritici, & lupini. Radix ad omnia inutilis.*] Naporum videlicet silvestrium radix inutilis. Insigniter corruptus hic locus ad hunc diem fuit: sic quippe legebatur: *mixta urina pari mensura. Ervi, hordei, tritici, & lupini radix ad omnia inutilis.* Quid causæ est, amabo, cur de ervi, hordei, ceterorumque radice agat, ubi tota in rapis oratio habitat? Et lupini radicem, ut ceteras omittam, commendat in primis ad pellendam urinam, lib. 22. sect. 74. Detexit errorem Dioscorides. Sic enim ille, libro secundo, cap. 135. de rapo silvestri: Μίγνυται δὲ σμήγμασι τοῖς τὸ πρόσωπον ... ὅταν δὲ ἀλεύρων γίνεται θερμίνου, ἢ πυρίνου, ἢ ὀροβίνου, ἢ κρίθινου. *Admiscetur in smegmata, quibus ad detergendam cutem in facie, reliquoque corpore utuntur: quæ quidem ex lupini, tritici, lolii, aut ervi farina fiunt.* Et de ervo sane diserte Plinius, lib. 22. sect. 73. *Farina ejus maculas toto corpore emendat.* De lupinorum & ervi farina, ad eosdem usus Hippocr. lib. 2. de morb. mulier. sect. 67. pag. 596.

Sect. 12. VI. *Cetero æstivo usus in Italia, & armoraciam vocant. Et sativi vero, præter ea quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant, bilem detrahunt. Præterea cortices in vino decocti, mane poti ad ternos cyathos, &c.*] Hunc locum ita restituimus ex fide Reg. 2. codicis, cum omnia mire perturbata prius, depravataque, sic legerentur: *Cetero bilem detrahunt. Præterea cortices in vino. Præterea, quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant. Est & sativis usus in Italia, & armoraciam vocant. Et sativi vero decocti, mane poti ad ternos cyathos, &c.* Proh Superi! Tantumne in bonos auctores aut criticis aut librariis licuit, ut miscerent omnia ac pessumdarent? Ineamus, si fieri potest, mendorum quæ latent, numerum. *Cetero bilem detrahunt.* Orationis structura *detrahit* legi postulabat: antecedit enim, *Laudatissimus in Arcadia .... alibi nascitur ..., utilior urinæ.* Mox, *præterea cortices ... præterea quæ circa eos:* Geminata tam repente ea vox *præterea*, Pliniane stilum & ingenium sapit? *Est & sativis usus in Italia, & armoraciam vocant.* At armoraciam constat esse silvestris generis, quod ipse Plinius diserte confirmavit superiore libro, sectione 26. Deinde, quam frigida rursum repetitio earumdem vocum, *Est & sativis usus*, statimque, *Et sativi vero*. In MSS. *Cetero æstivosus.* Pintianus legi volebat, *Cetero æstivosum ipse.* Nos, uti speramus, paulo felicius, *Cetero æstivo usus in Italia, &c.*

Sect. 13. VII. *Cerastis & scorpionibus adversatur.*] Legebatur ante, *Cetero & scorpionibus.* In MSS. Reg. 1. 2. &c. *Ceterasses.* At emendatione locum egere Dioscorides admonuit, libro 2. cap. 137. de raphano: ubi contra cerastæ morsum ex vino potum auxiliari tradit: Καὶ πρὸς κεράστου δῆγμα σὺν οἴνῳ πινόμενος βοηθεῖ. Haud penitus tamen improbanda prior scriptura.

Ibid. VIII. *Ex aceto & melle sumpti, intestinorum animalia detrahunt.*] Num locus hic mutilus sit, considerandum amplius. Nam Plinius Valer. qui totum fere opus suum ex Plinii nostri verbis contexuit, lib. 4. cap. 1. de raphani virtutibus, ita habet: *Semine raphani cum melle trito & sumpto, suspirium mitigatur, & tussis arcetur. Solus cum sale sumptus ventris animalia exstinguit.* Nihil tamen fine vade movere ausim. Quod vero ad periodum proxime insequentem attinet, quæ hactenus ita legebatur perpetua serie, *Item ad tertias decocto eorum poto cum vino enterocelis prosunt:* in duas distrahendam esse partes ex Plinio Valeriano, Marcelloque Empirico constat: ut prior illa, *ad tertias decocto eorum poto, cum vino*, ad superiorem morbum spectet, nempe ad intestinorum animalia detrahenda. Posterior, nova ibi instituta periodo, ad enterocelas. Marcelli hæc verba sunt, cap. 28. pag. 200. *Raphanus ex aqua ad tertias decoquitur, eaque vino mixta, ad exstirpandas tineas utiliter bibitur.* Plinii vero Valeriani, lib. 2. cap. 21. *Tineis purgandis: Raphani decoquuntur ex aqua ad tertias, & ea aqua vino miscetur.*

Sect. 17. IX. *Stomachum excitat, fastidium abstergit, ex aceto ... vel ex garo. Urinam ciet, &c.*] Præpostera interpunctione locus hic ante laborabat, in hunc modum: *Stomachum excitat, fastidium abstergit, Ex aceto .... vel ex garo urinam ciet.* Ut sic restitueremus, auriculam vellit Galenus, & admonuit, lib. 2. de alim. facult. cap. 55. pag. 364. de gingidio: Προσφέρονται δ' αὐτὸ ἔνιοι δι' ἐλαίου, καὶ γάρου· τινὲς δὲ καὶ οἴνου ἢ ὄξους ἐμβάλλοντες· καὶ πολλῷ μᾶλλον εὐστόμαχόν τ' ἐστι, καὶ τοὺς ἀνορέκτους προτρέπει μετ' ὄξους ἐσθιόμενον. *Sunt qui ipsum cum oleo & garo mandant: alii autem vinum etiam, vel acetum injiciunt: multoque magis ita stomachum juvat, collapsumque cibi appetentiam, si cum aceto sumatur, excitat.*

Sect. 20. X. *Sic & attrita sanant.*] Prius legebatur, *sic & trita sanant.* In MSS. *trita.* Emendandi Dioscorides auctor fuit, qui lib. 2. cap. 181. contra calceamentorum attritus utiles cæpas esse prodidit: πρὸς ὑποδημάτων θλίμματα χρήσιμον.

Sect. 23. XI. *Suspiriosis coctum, aliqui crudum id tritum dedere.*] Vocem hanc *tritum* adjecimus, tum ex exemplarium MSS. fide, tum ex vetustis scriptoribus geminis, quorum alter a Plinio nostro, ab altero Plinius ipse hausisse creditur. Nam Plinius Valer. lib. 4. cap. 17. de allio: *Suspiriosis quidam*, inquit, *per se crudum, aliqui & cum lacte tritum dedere.* Celsus, lib. 4. cap. 4. *de difficultate spirandi. Datur etiam utiliter frictum allium, deinde contritum, & cum melle mixtum.*

Ibid. XII. *Et porrigines.*] Prius *& prurigines* legebatur. At errorii admonuit Marcellus Empir. cap. 4. pag. 40. *Ad pityriasin*, inquit, *& porrigines capitis ... prodest ungere caput allio trito ex aceto & nitro.* Nec non Dioscorides, qui lib. 2. cap. 82. τὰ πίτυρα allio quoque exími prodidit. Adde consensum exemplarium manu scriptorum, Reg. Colb. Chiffl. &c. in quibus *porrigines*, non *prurigines* scribitur.

Ibid. XIII. *Etiam arundines cum pice.*] Subintellige, allium extrahit. Ita libri omnes, etiam MSS. Plane ut suspecta sit fides antiqui exemplaris, ex quo Pintianus *hirudines*, hoc est, sanguisugas, reponere conatus est. Præsertim Marcello Empirico, Pliniogue Valeriano, huic lectioni mire suffragantibus: scriptoribus quidem non eruditissimis, sed qui-

bus tamen concedendum in hac parte plurimum, cum opus ambo suum ex Plinii fere sententiis verbisque concinnarint. Et ille quidem, cap. 34. pag. 233. *Allium elixum*, inquit, *cum pice impositum, arundines extrahit corpori adfixas. Filix radix trita arundinem extrahit: rursum arundinis radix*, &c. Iste, lib. 3. cap. 49. *Ad extrahenda ea quæ corpori infixa sunt: Allium elixum cum pice, arundines extrahet*, &c.

Sect. 28. XIV. *Est & beta . . . . foliis, undecim sæpe, caule liliis.*] Libri hactenus editi, *undecim sæpe caulium.* Repugnat ipsa plantæ natura, quam nos in horto Regio vidimus: ipseque Dioscorides, qui ex iisdem quibus fontibus commentatus est, & ea quæ de limonio prodidit, mutuatus, librariorum in hac parte vitium retegit. Sic enim ille lib. 4. cap. 16. Λειμώνιον, αἱ δὲ νευροειδὲς, τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὅμοια τεύτλῳ, λεπτότερα δὲ καὶ μακρότερα, δέκα ἢ πλείω. Καυλὸν λεπτὸν, ὄρθιον, ἴσον, κρίνῳ, &c. *Limonium, aliis neuroides dictum, folia habet betæ, verum tenuiora & minora, decem aut plura: Caulem tenuem, rectum, liliaceo æqualem*, &c.

Ibid. XV. *Gustantium os adstringunt.*] Prius legebatur, *gustantia adstringunt*, nulla plane sententia. In Reg. 1. & Colb. 1. 2. *gustantia musats stringunt.* In Reg. 2. *gustantium os atstringunt.* Diosc. lib. 4. cap. 16. rem decidit, cum semen limonii prodit gustu adstringere, στύφοντα καρπὸν τῇ γεύσει.

Sect. 33. XVI. *Sic etiam fistulas & luxata, & humores evocari.*] Recepta hactenus lectio fuit ejuscemodi, *sic etiam fistulas eluxatas, & tumores evocari.* At quæ fistulæ eluxatæ auditæ unquam fuerint, aut vero esse possint, quive tumores exocandi, non satis intelligo. Locum sanavimus ex auctore genuino ille enim qui Plinius Valerianus dictus est, lib. 4. cap. 29. de brassica: *Fistulas*, inquit, *atque luxata discutit, humores aut evocat, aut spargit imposita, insomnia atque vigilias compescit*, &c. Cato vero, cap. 157. pag. 85. *Si cancer ater est, is olet, & saniem spurcam mittit. Si albus, purulentus est. Sed si fistulosus, subtus suppurat sub carne. In ea vulnera hujuscemodi tere brassicam, sanum faciet. . . . Et luxatum si quod est, bis die calida foveto, brassicam tritam apponito: cito sanum faciet.*

Sect. 40. XVII. *Profuit per se, aut, ut Damion, ex mulso.*] Plinium Valerianum miror, qui & medicum haberi & dici voluit, dum hunc scriptoris nostri locum exscriberet, tam fœdo errore prolapsum, ut pro mulso muscum legerit, & suum nobis deinde errorem intrepide obtruserit: sic enim ille, lib. 3. de remed. cap. 20. *Efficaces*, inquit, *sunt & bulbi triti per se, ad vulnera glutinanda: Adjiciebat tamen illis Damon medicus muscum qui in aqua gignitur, & die quinto solvebat.* At multo cautius ex mulso legit Marcellus Empiric. cap. 33. pag. 228.

Sect. 46. XVIII. *Semine recto, cumino simile.*] Non, ut prius editum erat, *simile*: ad ipsum enim semen vox ea refertur, cujus similitudo notatur cum cumini semine. Diosc. lib. 3. pag. 76. Ὀρεοσέλινον, καυλὸς ἐκ ἀπηρτημένης ἐκ ῥίζης λεπτῆς. . . . , ὁ καρπὸς ἐπιμήκης, δριμὺς, λεπτὸς, εὐώδης, ἐοικὼς κυμίνῳ.

Sect. 49. XIX. *Nam de Venere stimulanda diximus: tria folia silvestris erucæ sinistra manu decerpta, & trita in aqua mulsa si bibantur.*] Non ad stimulandam Venerem, sed ad regium morbum pellendum hoc medicamento Florentinus utitur in Geopon. lib. 12. cap. 26. pag. 349. Ἀγρίας δὲ εὐζώμου φύλλα γ' ἀριστερᾷ χειρὶ ἀποσπασθέντα, ἴκτερον ἰᾶται. Quin & Plinius alter Valerianus, qui suum opus ex Plinii nostri verbis sententiisque concinnavit, lib. 2. cap. 59. ad morbum regium sanandum hæc refert: Capitis lemma est, *Regio morbo pellendo*: atque inter medicamenta accensetur, *Erucæ silvestris tria folia sinistra manu decerpta ex aqua mulsa bibuntur.* Nihil hic porro manu scripti codices juvant: nihil conjectura: quanquam aut mutilatione aliqua verborum, aut trajectione sententiæ laborare hunc locum non levis suspicio est. Ad Venerem non folia, sed semen ipsum erucæ adhibet auctor libri qui falso Kiranus inscribitur, pag. 24.

Sect. 61. XX. *Idem oculis noxiam rutam putavit. Falsum: quoniam scalptores & pictores hoc cibo utuntur oculorum causa, cum pane vel nasturtio: capræ quoque silvestres propter visum, ut aiunt. Multi succo ejus cum melle Attico inuncti discusserunt caligines*, &c.] In libris hactenus editis sic legebatur: *Idem oculis noxiam putavit falsa, quoniam . . . . oculorum causa. Cum pane quoque vel nasturtio sativæ atque silvestris propter visum. Ut aiunt, multi succo ejus*, &c. Quo in loco mire grassata interpolatorum audacia est: nam, ut omittam *falso* pro *falsum*, quod levissimum est, primum voculam *quoque* suo loco movere: adjecere deinde alteram *sativæ*, quæ nusquam in libris conditivis apparet: ac de sativa silvestrique ruta locum hunc accepere: quem errorem Roellius, Dalecampius, & alii qui Plinium exscripsere, secuti sunt. Denique & inepta constructione verborum, cui nulla legitima sententia subest, & præpostera interpunctione omnia corrupere. In MSS. omnibus sic plane legitur: *Falsum . . . . cum pane vel nasturtio, atque quoque silvestres propter visum, ut aiunt. Multi*, &c. Unde nos ea conjectura, quam esse certissimam fidenter asseveramus, *capræ quoque silvestres*, legi oportere pronunciamus, quod uti nunc de ruta Pythagoram, sic ipse Plinius sect. 47. Chrysippum in ocimo coarguit, quod iste oculorum claritati inimicum aiebat, secuta deinde ætas cum Plinio falsum esse deprehendit, *nam id esse capras.* Mox paulo eadem sect. ubi prius legebatur, *Epiphoras cum polenta imposita, Lenit autem capitis do-lores*, ex MSS. fide rescripsimus, *Epiphoras cum polenta imposita lenit. Item capitis dolores.*

Ibid. XXI. *Sic & sanguinem sistit interiorem, & narium indita.*] Ita libri omnes, etiam manu exarati. Mirum est laborasse nonnullus uti hanc vocem *interiorem*, vel omnino expungerent, vel in deterius immutarent. Alii *sanguinem interioribus indita*, alii *trita & naribus indita*, legi voluere. At *interiorem sanguinem* Plinii sedulus imitator Marcellus Empir. cap. 17. pag. 123. eruptionem sanguinis ex interioribus partibus vocat. Et Plinius Valer. lib. 1. pag. 64. cui titulum fecit, *Sanguinem rejicientium curatio: Aqua, ait, in qua rosa, & ruta, & hyssopum decocta sunt, vino miscetur, & ita potui propinatur.*

Sect. 52. XXII. *Ruptis, convulsis, sed parcius: orthopnoicis, torminibus, choleris*, &c.] Prioribus verbis prætermissis recepta hactenus editio id solum exhibuit, *orthopnoicis, torminibus, choleris*, lacunam intrepide supplevimus, tum ex fide codicum MSS. Reg. Colbert. & vet. Dalec. tum ex Diosc. qui easdem calaminthæ suæ vires adscribit, quas mentastro Plinius. Sic enim ille lib. 3. cap. 43. Βοηθεῖ δὲ καὶ ῥήγμασιν, σπάσμασιν, ὀρθοπνοίαις, στρόφοις, χολέρᾳ, καὶ ῥίγει.

Sect. 54. XXIII. *Dignior e pulegia corona Varroni, quam e rosis, cubiculis nostris pronunciata est.*] Sincera hæc lectio est Reg. 2. cod. & Chiffl. In aliis, *contra Varronis*: In editis, *corona vertiginis*, legitur satis insulse. Et certe *dignior corona cubiculis* cum dicitur, ad cubiculorum magis ornatum, quam ad remedium vertiginis suggerendum spectat haud dubie hæc loquendi forma. Deinde, ne quis temere Varronem a nobis huc insertum putet, in ipso hujus libri Indice, inter primos appellatur. Et justum hoc loco ac verum fuit, auctorem eum qui digniorem e pulegio coronam, quam e rosa pronunciasset, appellasse. Id vero obiter quoque animadvertendum, non pulegium veteres, sed extrita littera g, puleium ubique scripsisse. Martialis, lib. 12. Epigr. 32.

Quadrima nigri nec corona pulei.

Sect. 57. XXIV. *Et oculorum epiphoris . . . . tumentibus cum melle prodest.*] Ex Dioscoride, *Testiculorum epiphoris*, hoc est, inflammationibus, reponere Dalecampius omni ope nititur: vocemque *tumentibus*, quæ mox sequitur, de hernia nescio qua flatuosa accipit: qua in re vereor magnopere ut suffragatores habeat medicæ rei magistros. Nos qui nihil attutius meditamur, pertinacem omnium codicum consensionem secuti de oculorum epiphoris, ac tumore accipimus: cum præsertim de testium tumore mox ex ipso cumino medicina præscribatur, quam proinde hoc loco ante delibare, non fuit operæ pretium.

Sect. 58. XXV. *Quam efficacius Ægyptio judicaverit.*] In libris hactenus editis, *quia efficacius in Ægypto judicavit.* Quid porro istud rei est? idcircone cuminum Æthiopicum Hippocrates regium appellaverit, quoniam illud in Ægypto efficacius judicarit? An cohærent ista inter se satis apte? In MSS. Reg. Colb. &c. *quia efficacius Ægypto judicavit*: Nos ex indubitata conjectura *Ægyptio* reponimus: cui post Æthiopicum Dioscorides pariter lib. 3. cap. 68. secundas partes ac vires assignat: Κύμινον τὸ ἥμερον εὔστομον· καὶ τούτε μᾶλλον τὸ Αἰθιοπικὸν, ὅπερ Ἱπποκράτης βασιλικὸν ἐκάλεσε· δεύτερον τὸ Αἰγύπτιον, &c.

Sect. 59. XXVI. *Heracleoticum ad potum utilius, quod onitin vocant.*] Sincerius, credo, legas, *eo quod onitin vocant*: vel *quam quod onitin vocant.* Discrepat enim onitis, de quo sect. 67. ab Heracleotico, de quo sect. 62. Galenum adde, cujus eadem fere sententia est, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 215. Ὀρίγανος ὁ μὲν Ἡρακλεωτικὸς δραστικώτερος τῆς ὀνίτιδος, *efficacior est onitide.* Subscribit & Dioscor. lib. 3. cap. 33. Atque hanc esse Plinii mentem, vel ex verbis, quæ proxime subsequuntur, perspicuum est: Subjicitur enim statim, *Communis autem usus*, utriusque scilicet origani, Heracleotici, onitidisque; quorum forma dispar, ad potum dissimilis usus, eædem in medicina vires.

Sect. 73. XXVII. *Tlepolemus ad quartanas ternis digitis seminis anisi & feniculi usus est in aceto, & mellis cyatho uno.*] Hoc medicamentum dum Q. Serenus a Tlepolemo, Plinio ore, transcriberet, pro aniso, anethum reposuit. Sic enim ille, cap. de quartana medicanda:

Sume tribus digitis apprensum semen anethi,
Tantumdem marathri, mulsum nec desit aceti:
In cujus cyatho prædicta salubriter hauris.

Nisi forte amanuensium id incuria factum est, qui pro *aniso*, ut vetustiores libri omnes manu exarati, habent *anetho* de suo inseruerint.

Sect. 76. XXVIII. *Hora sereni diei.*] Sic libri omnes, etiam conditivi, quos vidimus: Reg. Colb. Th. &c. Rectius forsan, ut in suis membranis vidisse Gronovius contestatur, *hora sereni diei tertia*: si probatæ admodum fidei forent. Certe hora diei tertia, hoc est, medio inter Solis exortum & meridiem intervallo, ros inarescere solet, æstusque incipere: quare Columella, lib. 11. cap. 2. in Augusto monet, *Quascumque vineas culturi sumus per æstatem sed mane usque in tertiam: & a decima usque in crepusculum fodiamus.* Sextam horam, meridiem intelligi oportet.

Ibid. XXIX. *P. Licinius Cæcina Prætorii viri patrem in Hispania Baculi.*] In MSS. Reg. 1. 2. &c. *Posthilini.* Forte pro *Posthu-*

mi Licinii. Sed quod ad vocem *Bavili* attinet, quam libri omnes pertinaciter retinent, ea si mutari debet, non in Bilbilis, quod nomen oppidi quidem in Hispania est, sed quod a veteris scripturæ vestigiis recedit paulo longius: quanquam ea fuit Dalecampii conjectura, quam Salmasius avide arripuit, in Solin. pag. 876. Sed in *Bajuli* potius, quod multo affinius est, cum totidem plane vox ea constet apicibus, converti crediderim oportere. Fuisse enim jam tum videtur in Hispania, ut modo in Gallia, id Prætoris nomen: Nam quos Ballivos dicimus, a voce *Bajulus* dictos omnino constat, ut egregie observavit V. Cl. D. Du Cange in Glossario, pag. 436 apud quem & Bajuli vocem pro Ballivo usurpari sæpe, & pro Mercatorum Prætore, & pro aliis magistratibus, videre licet. Stabilis egregie conjecturam nostram, quod is ipse qui nunc in Hispania Bajulus appellatur, idem paulo mox sect. 81. Hispaniæ Princeps vocatur.

Sect. 79. XXX *Foliis... speciem passerum præbentibus. Ex hoc lina splendorem.*] Quoniam Theophrastus, lib. 9. hist. cap. 32. de papavere Heraclio ita prodidit. τὸ μὲν φύλλον ἔχουσα οἷον στρουθίον, ᾧ τὰ ὀθόνια λαμπρύνουσι. Hoc est, *folium habet simile struthio, quo lintea dealbantur.* Idcirco geminum errorem a Plinio nunc admissum clamat Salmasius in libello quem inscripsit, *Præfatio in Plinium*, pag. 110. Primum, quod vocis στρουθίον ambiguitate deceptus, de passeribus interpretatus est, quod de struthio herba dicere debuit, qua de egimus lib. 19. sect. 18. Alterum, quod virtutem eam dealbandi lina, quia ad passerem non poterat, ad heraclium papaver transtulit, quod struthii herbæ proprium ac peculiare est. Sed ne hoc primum a Salmasio animadversum putes, id antea Hermolaus Barbarus, & Leonicenus Pliniomastix, id deinde Mattiolus, in lib. 4. Diosc. pag. 1061. id Dalecampius in Notis, auctori nostro jampridem objecerant. Sed frustra omnes: Est enim ille tum Plinii mos, tum herbariorum omnium, ut non herbas modo, sed & animalia, resque fœdas interdum, ac diversissimas in exemplum afferant. Quod si, ut nominis, ita & formæ similitudinem aliquam cum passere στρουθίον herba habet, quid causæ demum esse potest, cur non & cum eadem ave affinitatem habeat papaver heraclium, quod ei herbæ simillimum ultro agnoscitur, quæ cum ea ave quandam cognationem formæ ac nominis habeat? Sic & in silvestris quoque papaveris genere, corniculatum unum dici Theophrastus ipse scribit, quod fructus inflexi, ut cornicula, figurantur. Sic cum psyllium describunt herbam, flores caninis capitibus similes pingunt: cum echion, vipereis: cum antirrhini fructum, vitulinis naribus: cum alectorolophon, cristis gallinaceis, &c. Plura apud Collinutium vide, in defensione Plinii adversus Leonicenum, unde hæc fere decerpsimus. Sunt & apud nos quæ ab hujusmodi affinitate nomen vernaculum habent, *Pied d'alouette*, *Gueule de loup*, &c.

Ibid. 3. XXXI. *Fit autem huius papaveris, aut cujuscumque silvestris.*] Hic falli Plinium Dalecampius iterum asseverat: quod Dioscorides ex sativo tantum papavere diacodion concinnari dicat. Bene se res habet. Exhausisse naturam omnem, viresque singularum rerum attigisse, Dioscoridem unum putat. Quid igitur fiet Critoni medico, & qui Critonem sequitur, Galeno, qui lib. 7. κατὰ τόπους, cap. 7. pag. 535. ad arteriacen parandam κωδείας ἀγρίας desiderat? Quid Damocrati, cujus hæc carmina apud eundem exstant, pag. seq.

> Μηκωνος ἐπὶ λέγουσιν οἱ γεγηκότες
> Μήκωνα ἀγρίαν· οὐδὲ γάρ τι ποιεῖ...
> Κεφαλὰς ἐπὶ χλωρὰς, ἃς λέγομεν καὶ κωδείας.

Quid denique Scribonio Largo, ut & Latinos afferam, qui Compos. Medic. 18. *Ad tumorem & raucitatem arteriæ, & vocis abscissionem*, num. 73. *Ad tumorem arteriæ*, inquit, *papaveris silvatici jam maturi, viridis tamen adhuc, capita quam plurima vase fictili conteruntur, aquaque superfunduntur, &c. Hoc medicamentum ad arteriæ tumorem, & ad tussim facit.*

Sect. 80. XXXII. *Alii paralion, folio lini.*] Prius legebatur, *folio levi.* In MSS Reg. Colb. &c. *folio levi.* Nos intrepide *lini* rescribimus, a Dioscoride admoniti, cujus hæc oratio est in describendo tithymalo paralio, lib. 4. cap. 165. φύλλα ἐοικότα λίνῳ.

Sect. 84. XXXIII. *Valent & contra venena.*] Sic libri omnes editi. In MSS Reg. 1. Colb. 1. 2. *Valent & contra physsim venena.* In Reg. 2. *& contra phsim venena.* Ut legi videatur oportere, *Valent & contra presterum venena.* Est enim prester e serpentium genere, quarum de venenis in præsenti agitur. Vel certe, *Valent & contra psimmithii venena*, hoc est, cerussæ: nam contra cerussam epotam, valere malvæ cum radicibus decoctum, auctor est Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 163. pag. 125. ψιμμυθίῳ δὲ ποθέντι .... μαλάχης ἀφέψημα σὺν τῇ ῥίζῃ.

Sect. 85. XXXIV. *Lapathum cantherinum, ad strumas cum axungia efficacissimum. Est & alterum genus fere, oxylapathon vocant.*] Num mutata interpunctione legi in hunc modum oporteat, *Lapathum cantherinum. Ad strumas cum axungia efficacissimum est & alterum genus fere &c.* Scrupulum Apuleius injicit. Is enim cap. 33. tit. 1. *Si qua duritia in corpore. Herba oxylapathon*, inquit, *cum axungia vetere pisata, & cum pane domestico facta quasi malagma, & imposita mirifice sanat.* Sed oxylapathum is pro oxalide accepit haud dubie, quam & oxylapathon appellari prodidit Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 39. Ὀξαλίς, καὶ ὀξυλάπαθον, ...

Ibid. XXXV. *Radix aceto decocta si colatur, fotu dentibus auxiliatur.*] *Si colluatur*, aliqui legi malunt, ad differentiam bibiti. Sequitur enim, *Si vero bibatur, morbo regio.* Favere ei conjecturæ Marcellus Empir. videtur, cap. 12. pag. 95. *Lapathi radix*, inquit, *in aceto acerrimo coquitur, atque eo aceto dentes colluuntur, vel foventur.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 38. *Agrestis Lapathi, quod alii rumicem dicunt, radix.... cum aceti cyathis quinque cocta, in ore aceto tento, dolorem dentium tollit.* Diosc. quoque, lib. 2. cap. 140. Παρηγορεῖ δὲ ... ὀδονταλγίαν ἑψηθεῖσαι ἐν οἴνῳ, καὶ διακλυζόμεναι. Nihilominus omnium exemplarium, quæ videre licuit, fidem secutus, nihil muto. Colari enim radicis succum oportere Plinius ait ad utrumque medicamentum: sive ad dentium dolorem leniendum, quos eo collui necesse est: sive ad potum, regio morbo pellendo. Plinius Valer. lib. 2. cap. 59. *Lapathi radices conteres ex vino austero, colabisque, & potui dabis: more auruginem tollit.*

Sect. 87. XXXVI. *Hydropicis imponitur cum fico & cumino tusum tertiis partibus Comitiali morbo, & vulvarum conversione suffocatas excitat odore, aceto mixto.*] Præpostera interpunctione perturbata hactenus omnia hoc loco fuere, & quæ hydropicis adhibita remedia, eadem epilepticis attributa. Sic enim legebatur: *Hydropicis imponitur: cum fico & cumino tusum tertiis partibus comitiali morbo: vulvarum conversione suffocatas excitat odore, aceto mixto.* Erroris admonuere scriptores duo: alter qui de hydropicis, alter qui de epilepticis & vulvarum conversione suffocatis eadem prodidere. Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. de hydropisi: *Sinapi*, inquit, *& ficus, & cuminum, æquis partibus tusa, ventri imponuntur.* Cælius Aurel. lib. 1. Chron. cap. 4. de epilepsia. *Articulos quoque omnes*, inquit, *ligatione constringentes, sternutamento commoto ex aceto, naribus interius flato, cum sinapi.... vel iis quæ ad matricis præfocationem incendenda posuerunt.*

Sect. 89. XXXVII. *Ipsa herba.... exscreationes pectoris purgat cum iride & melle. Urinam ciet.*] Prius legebatur, *pectoris purgat. Cum iride & melle urinam ciet.* Vitiosam hanc interpunctionem esse Dioscorides admonuit, cujus hæc verba lib. 3. cap. 119 de marrubio agentis: Ἀνάγει καὶ μετὰ ἴρεως ξηρᾶς, ... Crassam quoque pituitam pectore contentam, admixto iride sicca, exscreatione purgat.

Sect. 92. XXXVIII. *Anginas.... & cum aniso illitum.*] In MSS. ubique, ut monuimus, hoc loco *aneso* pro *aniso*, scribatur. Sed anethum legerunt, Marcellus Empir. cap. 15. pag. 106. *Lini semen*, inquit, *& anethum, cum sale: & oleo. & aceto decoctum, bene contra faucium dolores gargarizabitur.* Et pag. 108. ad fauces curandas rursum anethum adhibet. Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 52. cui lemma inscriptum, *Anginæ medendo: Lini semen*, inquit, *& anethum in oleo & aqua decoctum ad tertias, imponitur: acetum item & sal gargarizetur.* Et cap. 45. de tonsillarum vitio: *Lini semen*, inquit, *& anethum in oleo & aqua decoctum imponitur, & acetum gargarizatur.*

Sect. 94. XXXIX *Foliis aniso simile.*] Et hic rursum in MSS. omnibus, Reg. Colb. &c. ut proxime ante monuimus *aneso* legitur. Verum haud dubie *anetho* legendum, res ipsa & similitudo mei anethique foliorum admonet. Adde Diosc. lib. 1. cap. 3. Μῆον .... φύλλοις ... Habet eadem quoque interpres Oribasii, lib. 11. fol. 206.

Sect. 98. XL. *E viridi medulla, vulvis utilis, & ad omnia ea vitia.*] Libri hactenus editi. *Et viridi ferula ramusculus utilis est ad omnia ea vitia.* Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. &c. *Et viride medulla vulvi utile est ad omnia ea vitia.* In Chiffl. *vultus*: unde nos satis feliciter, ut remur, *vulvis* effinximus. Vocibus deinde illis, *omnia ea vitia*, quæ MSS omnes editique conspirante consensu exhibent, ante dicta morborum genera signari intelligimus.

Sect. 90. XLI. *Masliche cardui odorem commendat oris.*] Interpolatores sic prius ediderant, *Mandu-catus carduus.* At in MSS. Reg. 1. 2. Colb. 1. 2. &c. *Masliche cardui.* Errorem auctore Plinio altero Valeriano corrigimus, ita scribente lib. 4. cap. 16. *Masticha carduorum odorem oris commendabilem reddit.*

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXI.

I. IN hortis feri coronamenta juffit Cato, inenarrabili florum maxime fubtilitate: quando nulli poteft facilius effe loqui, quam rerum Naturæ pingere, lafcivienti præfertim, & in magno gaudio fertilitatis tam variæ ludenti. Quippe reliqua ufus alimentique gratia genuit: ideoque fæcula annofque tribuit iis. Flores vero odorefque in diem gignit: magna, ut palam eft, admonitione hominum, quæ fpectatiffime floreant, celerrime marcefcere. Sed ne pictura quidem fufficiente imagini colorum reddendæ, mixturarumque varietati, [1] five alterni atque multiplices inter fe nectantur, five privatis generum funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum, quædam coronæ per coronas currunt. — CAP. I. 5 10

II. [1] Tenuioribus utebantur antiqui, [2] ftroppos appellantes: unde nata ftrophiola. Quin & vocabulum ipfum tarde communicatum eft, inter facra tantum & bellicos honores coronis fuum nomen vindicantibus. Cum vero e floribus fierent ferta, [3] a ferendo serviæ appellabantur: [4] quod apud Græcos quoque non adeo antiquitus placuit. — CAP. II.

III. Arborum enim ramis coronari [1] in facris certaminibus, mos erat primum. [2] Poftea variari cœptum mixtura verficolori florum, quæ invicem odores coloresque accenderet, [3] Sicyone, ex ingenio Paufiæ pictoris atque Glyceræ coronariæ, dilectæ admodum illi, cum opera ejus pictura imitaretur, & illa provocans variaret, effetque certamen Artis ac Naturæ: quales etiam nunc extant artificis illius tabellæ, atque in primis appellata [4] Stephaneplocos, qua pinxit ipfam. Idque factum eft poft Olympiadem centefimam. Sic coronis e floribus receptis, paulo mox fubiere, quæ vocantur [5] Ægyptiæ, ac deinde [6] hibernæ, cum terra flores negat, ramento e cornibus tincto. Paulatimque & Romæ fubrepfit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis: mox & corollariis, poftquam e lamina ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur. — 15 20

IV. Craffus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis fuis coronas dedit. Acceffeeruntque & [1] lemnifci, quos adjici ipfarum coronarum honos erat, propter [2] Etruf- — 25 CAP. III.

NOTÆ.

Sect. I. *Sive alterni.*] Sive alterni flores atque multiplices nectantur in coronam: five fingulorum generum diverfi funiculi modo in orbem ducantur, modo in obliquum: etiam quandoque toto coronæ ambitu, coronæ complures in una corona ductæ videantur.

Sect. II. 1. *Tenuioribus.*] Coronis videlicet, non e floribus quidem, fed e duabus tribufve tæniis, five corollis invicem tortis: fic ut e pluribus una fieret. Στρόφια dicebantur, hoc eft, fafciæ capitis. Nomen ex eo, quod effent eæ tortiles. Virg. in Copa:

Et gravidum rofeo necte caput ftrophio.

2. *Stroppos appellantes.*] Hoc eft, ftrophia. Vide Notas & Emendationes, num. I.

3. *A ferendo servia*] Vide Notas & Emend num. II. Serere porro intellige *ligare* · unde & conferere.

4. *Quod apud Græcos.*] Ἐνείροντα recentiores Græcos, a εἴρω, quod & *fero* feu *necto* fignificat, pro fertis dixiffe inquit: Quod & ftabilire Hefychius videtur, cum ἐνείροντα interpretatur ῥάμματα, & βοστρύχια.

Sect. III. 1. *In facris certaminibus.*] Vide Archiæ Epigramma allatum a nobis, lib. 35. fect 5.

2. *Poftea variari.*] *Pancarpiæ*, inquit Feftus, *dicuntur coronæ ex vario genere florum factæ*

3. *Sicyone, &c.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. De Glycera, Paufiaque, hæc multo traduntur uberius, lib. 35. fect. 40.

4. *Stephaneplocos.*] Ita MSS. laudati, non *ftephanoplocos*. Στεφανοπλόκος, ut apud Theophr legitur lib. 6. hift cap 7. qui, vel quæ nectit, & texit coronas De hac pictura feu tabula dicetur fufius loco cit.

5. *Ægyptia.*] Ex edera, narciffo, mali Punicæ floribus, aliifque quas Athenæus enumerat, lib 15. pag. 679. & 680.

6. *Hibernæ.*] Quales nunc fiunt e charta picta atque concifa, flores multiplices repræfentante.

Sect. IV. 1. *Lemnifci.*] Feftus: *Lemnifci funt fafciæ coloriæ dependentes ex coronis, quod antiquiffimum fuit genus coronarum lanearum.* Hefychius: Λημνίσκος, ταινία· Συρακούσιοι ταινίας. Capitolinus in Vero, pag 37. *Coronas quin etiam datas, lemnifcis aureis interpofitis, & alieni temporis floribus* Nempe ad imitationem veterum, ex lauro foliifque nexæ coronæ: quibus lemnifci aurei additi. Antiquitus ex auro, nunc e ferico fafciolæ funt, quibus lemnifcorum poffit appellatio tribui, *des rubans*. Non coronis modo, fed & palmis, quæ præmia Circenfis victoriæ, lemnifci addebantur: unde utræque lemnifcatæ dictæ.

2. *Etrufcas.*] Tertullianus, lib. de Corona Mil. anteponi ait reliquis coronis Etrufcas · fubjicitque, *Hoc vocabulum effe coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis, ob Jovem infignes, ad deducendas tenfas cum palmatis togis fumebant.* Plinius ipfe lib. 33. fect. 4. *Corona ex auro Etrufca.*

cas, quibus jungi nisi aurei non debebant. Puri diu fuere ii. Cælare eos primus instituit [3] P. Claudius Pulcher, [4] bracteasque etiam philyræ dedit.

V. [a] Semper tamen auctoritas vel ludicro quæsitarum fuit. Namque ad certamina in Circum per ludos & ipsi descendebant, & servos suos quique mittebant. Inde [1] illa XII. 5 tabularum lex: Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergo [2] duitor ei. Quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici, nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, [3] parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita. Alias in usu promiscuo ne ludicræ quidem erant.

VI. Ingensque & hic severitas. L. Fulvius [1] argentarius, bello Punico secundo, cum 10 corona rosacea interdiu e pergula sua in forum prospexisse dictus, ex auctoritate Senatus in carcerem abductus, non ante finem belli emissus est. P. Munatius, cum demptam [2] Marsyæ coronam e floribus capiti suo imposuisset, atque ob id duci eum in vincula Triumviri jussissent, appellavit Tribunos Plebis. [3] Nec intercessere illi: [4] aliter quam Athenis, ubi comessabundi juvenes ante meridiem conventus sapientium quoque doctri-15 næ frequentabant. Apud nos exemplum licentiæ hujus non est aliud quam [5] filia Divi Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam, [6] litteræ illius Dei gemunt.

VII. Florum quidem populus Romanus honorem Scipioni tantum habuit. [1] Serapio cognominabatur, propter similitudinem suarii cujusdam negotiatoris. Ob id erat in Tribunatu plebi admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Nec erat in bonis funeris 20 impensa. [2] Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit: quaque præferebatur, [3] flores e prospectu omni sparsit.

VIII. Et jam tunc coronæ [1] Deorum honos erant, & [2] Larium publicorum privato-

Interpretatio.

a *Semper.*] Semper magna fuit auctoritas coronarum, etiam earum quæ ludo parabantur.

Notæ.

3. *P. Claudius Pulcher*] Is qui Consulatum Romæ gessit, anno V. C. DLXX. L. Porcio Licinio collega, ex Fastis.

4 *Bracteasque*] Tenuibusque jam, philyræ instar, ex auro argentove laminis, quibus lemnisci constabant, adjecit tenuiores bracteas alias, quæ tæniarum instar adtextæ ac pendulæ forent.

Sect. V 1. *Illa XII. tabularum.*] Sic ab Ursino emendata; QUEI. CORONAM PARET. IPSUS. PECUNIAEVE EJUS. VIRTUTISVE. DIDITOR. IPSEIQUE. MORTUO. PARENTALIBUS. EJUS. QUOM ENTUS POSITOS. EST. QUOMQUE FORIS. EXFERTOR. IMPOSITAD SE. FRAUDE. ESTOD. Sententia est: ut qui coronam vel ipse virtute peperisset, vel servorum ministerio & quadrigis, eidem ea donaretur: eique etiam mortuo acquisita corona sine fraude imponeretur: non tantum illis septem diebus, quibus intus, id est, domi positus esset, sed eo etiam die, quo cum pompa & ornatu in forum ad Rostra afferretur.

2. *Duitor ei.*] Ἀρχαϊκῶς, more vetusto, pro *dator ei.* In MSS. Reg. 2. &c. *duidetur*: non, ut editi, *arguitur*.

3. *Parentibusque ejus*] Haud legisse satis diligenter eam legem Ursinus, vel ex eo loco intelligitur, cum PARENTIBUS, pro PARENTIBUSQUE scripsit. Nam præter Plinium accedit Tullii ipsius auctoritas, ita legem referentis, lib. 2. de Legibus: *Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Vide & Suidam, verbo Κωμάζειν.

Sect. VI. 1. *Argentarius.*] Τραπεζίτης, un Banquier.

2. *Marsyæ coronam*] Capiti ejus dei impositam. Marsyas minister Liberi Patris per civitates liberas in Foro positus, libertatis indicium est, qui erecta manu testatur nihil urbi deesse, inquit Servius, in lib. 4 Æneid vers. 58.

3. *Nec intercessere.*] Sed castigandum censuere.

4. *Aliter quam.*] Contrario Atheniensium more, apud quos juvenes comessabundi ludum Philosophicum petebant.

5. *Filia Divi*] Julia, de qua diximus lib. 7. sect. 46. Ut ad statuam Marsyæ in Foro positam, meretriculæ convenirent, impudicitiæque suæ testem corollam alicui minorum gentium Deo imponerent, malo te a Lipsio, si pudor suadet, ediscere, lib 3. de Antiq. Lect. pag. 120. quam immorari me in ista tenebris Stygiis digna fœditate. De Julia, Seneca, lib. 6 de Benef. cap. 32. *Augustus flagitia principalis domus in publicum emisit, admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus urbem .... quotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quæstuariam versa* &c.

6. *Litteræ illius Dei*] Ita MSS. omnes. Sic dolenter scriptas litteras eas innuit, ut ingemiscere quodammodo viderentur. Deum autem vocat, ut lib. 7. sect. 46. *In summa Deus ille, cælumque nescio adeptus magis, an meritus,* &c.

Sect. VII. 1 *Serapio.*] Is quem Serapionem quoque cognominatum vidimus lib 7. sect 10. Quem cum & Tribunum fuisse plebis, & dignum Africanorum familia, Plinius dicit, servili origine fuisse eum, sed manumissum ab aliquo e Scipionibus, propterea que Scipionem cognominatum, oblique significat.

2. *Asses ergo.*] Factitatum id & alias, ut in funere Valerii Publicolæ regum exactoris: Menenii Agrippæ, qui populum cum Senatu in gratiam adduxerat: Q. quoque Fabii Maximi, ut Valerius Max. prodidit, lib 5. cap. 2. pag 253. His ære collato a populo Rom. justa sunt peracta. Huc pertinet vetus inscriptio, apud Gruter. pag 488.

M VINICIO P F.
POST. MORTEM.
MUNICIPES. SUI.
AERE CONLATO.
PIETATIS. CAUSA.
PP.

3. *Flores e prospectu*] E pergulis, e fenestris, unde prospectus in vicum. Supra lib. 19 sect 19. num 3. *Præfigi prospectus*, hoc est, obstrui fenestras. Has αὐθῶν βολὰς florum sparsiones receptas in eos, quos honore volebant affectos, Lipsius ad XV Taciti jam olim ex variis Auctoribus adnotavit. Id observatum quoque in Bruti funere, auctor est Dionys. Halic. lib. 5. In funere etiam filiæ Virginii, lib. XI.

Sect. VIII. 1. *Deorum honos*] Vetus inscriptio in thesauro Goltzii, pag 272. CORONAE. CENTENAE. FORTUNAE. PRIMIGENIAE. DEDICATAE

2. *Larium publicorum*] Compitalium scilicet, de quibus diximus in Notis & Emend. ad lib. 3. num. XLIV. Adi quoque Notas & Emend ad hunc librum, num II. De privatis atque domesticis, Cato de re rust. cap 143. *Villica focum purum circumversum, quotidie priusquam cubitum eat, habeat Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, CORONAM in focum indat, perque eos dies Lari familiari pro copia supplicet.* Plautus in Trinummo, act. 1 sc. 2.

Larem corona nostrum decorari volo.

Juvenalis, Satyra 9.

O parvi nostrique Lares, quos thure minuto,

Aut farre, aut tenui soleo exornare corona!

rumque, [3] ac sepulcrorum, & Manium: summaque auctoritas [4] pactili coronæ. [5] Sutiles [6] Saliorum sacris invenimus, & solemnes cœnis. Transiere deinde [7] ad rosaria: eoque luxuria processit, ut non esset gratia [8] nisi mero folio: sutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur e nardi folio eas dari, aut veste serica versicolores unguentis madidas. Hunc habet novissime exitum luxuria feminarum. 5

IX. Et apud Græcos quidem de coronis privatim scripsere Mnesitheus atque Callimachus medici, [1] quæ nocerent capiti: quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate præcipue odorum vi surrepente fallaciter, scelerata Cleopatræ solertia. Namque in apparatu belli Actiaci gratificationem ipsius reginæ Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente, fertur pavore ejus lusisse, extremis coronæ floribus 10 veneno illitis, ipsaque capiti imposita, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret insidias? Ergo concerpta in scyphum incipienti haurire opposita manu: En ego sum, inquit, illa, Marce Antoni, quam tu nova prægustantium diligentia caves: [2] adeo mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest. [3] Inde eductum custodia bibere jussit, illico exspirantem. De floribus [a] supra dictos scri- 15 psit [4] Theophrastus apud Græcos. Ex nostris autem inscripsere aliqui libros [5] Anthologicon: flores vero persecutus est nemo, quod equidem inveniam. Nec nos nunc scilicet coronas nectemus: id enim frivolum est: sed de floribus, quæ videbuntur digna, memorabimus.

X. Paucissima nostri genera coronamentorum inter hortensia novere, ac pæne violas 20 rosasque tantum. * Rosa nascitur spina verius, quam frutice, [1] in rubo quoque proveniens, illic etiam jucundi odoris, [2] quamvis angusti. Germinat omnis primo inclusa [3] granoso cortice. Quo mox intumescente, & [4] in virides alabastros fastigaro, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, [5] in calycis medio sui stantis complexa luteos apices. Usus ejus [6] in coronis prope minimus est. Oleo maceratur, idque jam a Trojanis tem- 25 poribus, [7] Homero teste. Præterea in unguenta transit, [8] ut diximus. Per se medicas artes præbet. Emplastris atque collyriis inseritur mordaci subtilitate. Mensarum etiam deliciis perungendis minime noxia.

* CAP. IV.

Genera ejus nostri fecere celeberrima, [9] Prænestinam & [10] Campanam. Addidere alii

INTERPRETATIO.

a *Supra dictos.*] Præter dictos ante scriptores.

NOTÆ.

3. *Ac sepulcrorum.*] Idem Tibullus, lib. 2. Eleg. 4.

Atque aliquis senior veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo.

Aram sepulcralem coronari solitam, ex vetere inscriptione scito, quæ apud Gruterum exstat, pag. 715.

4. *Pactili corona*] Seu plectili, quod idem est. E multiplici flore folioque textæ. *Plexa*, inquit Festus, *colligata significat, ex Græco πλέκω*, id est, concinno, texo, necto. Πλεκτὸν Græci dicunt, & πακτὸν a πηγνύω compono.

5. *Sutiles.*] Hæc pactilibus opponuntur: e rosarum foliis consutæ. Martialis, lib. 5. Epigr. 65.

Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Et lib. 9. Epigr. 91. ad Flaccum:

Perfundas glaciem triente rubro:
Frontem sutilibus ruber coronis &c.

Et Epigr. 94.

Sutilis aptetur decies rosa crinibus.

Sic & *lapillos sutiles* Prudentius appellat, hymno 7. vers. 158. & hyacinthos sutiles, in Hamartigenia, vers. 268.

6. *Saliorum sacris.*] Salii sacerdotes Romæ fuere, a saliendo dicti, quod vage per urbem cursitantes salire soliti. Varro, lib. 4. de Ling. Lat. *Salii a saltando, quod facere in Comitio in sacris, quotannis & solent, & debent.* Inde saliares epulæ, pro lautis & opiparis, qui ætales erant Saliorum. Vide Festum.

7. *Ad rosaria.*] Ut e solis rosis coronæ necterentur.

8. *Nisi mero folio.*] Rosarum foliis, e quibus sutiles coronæ: cum antiquitus totæ rosæ sutilibus insererentur. Sed eo tandem luxuria processit, & fastidita gratia floris pulcherrimi, ejus tantum folia retenta sint, quæ ut alia aliis veluti squamatim insererentur, inventa est conditurae ratio, qua sic macerarentur, ut manus artificis, & puncturas quibus necterentur, pati possent. Tradit eam rationem Apicius, lib. de re culinar. cap. 1.

Sect. IX. 1. *Quæ nocerent capiti.*] Aristoteles ἐν τοῖς φυσικοῖς προβλήμασι, inquit Athen. lib. 15. pag. 692. hoc quærit, cur magis canescant, qui unguento magis caput illinunt causasque aliquas affert, quæ in Problematum libro hodie non leguntur.

2. *Adeo mihi*] Εἰρωνικῶς.

3. *Inde eductum.*] Reum unum aliquem.

4. *Theophrastus*] Theophrastus de hoc argumento scripsit in primis, libro 6 hist. plant. cap 6 & 7.

5 *Anthologicon.*] Ἀνθολογικόν. Vox ea florilegium, seu librum Collectaneorum sonat: non quod de floribus hortorum hi libri tractarent, sed quod sententiarum flores ex variis scriptoribus collectos continerent.

Sect. X. 1. *In rubo quoque.*] In cynosbato, de quo lib. 16. sect. 71.

2. *Quamvis angusti.*] Nec late se se spargentis.

3. *Granoso cortice.*] Intus veluti quibusdam granis scabro. Nodum enim, seu globulum eum quo semen continetur, corticem Plinius nuncupat, non semel. Nam infra: *Tardissime proveniunt semine, quod in ipso cortice est.* Μῆλον Theophrastus appellat, lib. 6. hist. cap. 6. Umbilicum ὀμφαλὸν Arist. sect. 12. problem. quæst 8.

4. *In virides alabastros.*] Alabastrum vocat rosæ calycem, antequam ea sit expansa: a similitudine nimirum cum alabastro, vase unguentario, cujus est longitudo fastigata, in pleniorem orbem desinens, ut Plinius ipse ait, lib. 9. sect. 56 Poeta quidam pyramides vocat, quos Plinius alabastros: & calathos, quos ille calyces:

Prima dies ostendit spicula florum,
Altera pyramides nodo majore tumentes:
Tertia jam calathos.

5. *In calycis.*] Forte sincerius, *se se pandit in calyces, medio sui stantes complexa luteos apices.* Calyx vocatur, qui lutea stamina seu apices, & floris folia continet

6. *In coronis prope minimus.*] Præ ceteris utilitatibus, quas rosa præbet: nam & oleo præterea maceratur, & in unguenta transit, & emplastris inseritur, &c. Hunc locum Barbarus prave intellexit: dum *nimius*, contra codicum fidem, & mentem scriptoris reposuit

7. *Homero teste.*] Iliad. ψ. vers. 186. ubi oleum rosaceum memoratur:

Ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ.

8 *Ut diximus.*] Libro 13 sect. 2.

9. *Prænestinam.*] Ea est quam vulgus Provinialem appellat, *Roses de Provins*, ut quidem Clusius arbitratur, lib. 1. hist. rar. plant. cap. 114.

10. *Campanam.*] Ubi nimirum biferi, ut Maro cecinit, rosaria Pæsti.

Milesiam, cui sit ardentissimus colos, non excedenti duodena folia. Proximam ei [11] Trachiniam minus rubentem. Mox Alabandicam viliorem, albicantibus foliis. [12] Vilissimam vero plurimis, sed minutissimis, spineolam. [13] Differunt enim multitudine foliorum, asperitate, lævore, colore, odore. Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora: cum sit genus ejus, quam [14] centifoliam vocant: quæ est in Campania Italiæ, Græciæ vero circa Philippos: sed ibi non suæ terræ proventu. [15] Pangæus mons in vicino fert, numerosis foliis ac parvis: unde accolæ transferentes conserunt, ipsaque plantatione proficiunt. [16] Non autem talis odoratissima est, nec cui latissimum maximumque folium. [17] Breviterque indicium est odoris, scabritia corticis. Cæpio Tiberii Cæsaris principatu, negavit centifoliam in coronas addi, præterquam extremos velut ad cardines. [18] Nec odore, nec specie probabilis est, quæ Græca appellatur a nostris, a Græcis [19] lychnis, non nisi in humidis locis proveniens, nec umquam excedens quinque folia, violæque magnitudine, odore nullo. Est & alia Græcula appellata, convolutis [20] foliorum paniculis, nec dehiscens nisi manu coacta, semperque nascenti similis, latissimis foliis. [21] Alia funditur e caule malvaceo, folia oleæ habente, [22] mosceuton vocant. Atque inter has media magnitudine autumnalis, quam coroneolam vocant. Omnes sine odore, præter coroneolam & in rubo natam: tot modis adulterantur. Et alias vera quoque plurimum solo prævalet. [23] Cyrenis odoratissima est: ideoque ibi unguentum pulcherrimum. Carthagine Hispaniæ, hieme tota præcox. Refert & cæli temperies. Quibusdam enim annis minus odorata provenit. [24] Præterea omnis siccis quam humidis odoratior. Seri nec pinguibus vult, nec argillosis locis, nec riguis, contenta raris, proprieque [25] ruderatum agrum amat. Præcox Campana est, sera Milesia. Novissime tamen definit Prænestina. Fodiuntur altius quam fruges, levius quam vites. Tardissime proveniunt semine, [26] quod in ipso cortice est, sub ipso flore, opertum lanugine: ob id potius [27] caule conciso inseruntur: [28] & ocellis radicis, ut arundo, unum genus inseritur pallidæ, spinosæ, longissimis virgis, quinquefoliæ, quæ [29] e Græcis altera est. [30] Omnis autem recisione atque ustione proficit: translatione quoque, ut vitis, optime ocyssimeque provenit, surculis quaternûm digitorum longitudine aut ampliore, post Vergiliarum occasum sata: dein per Favonium translata, pedalibus intervallis crebroque circumfossa. [31] Qui præcocem faciunt, pedali circa radicem scrobe aquam calidam infundunt, germinare incipiente calyce.

Cap. V.

XI. Lilium rosæ nobilitate proximum est, & quadam cognatione unguenti oleique, [1] quod lirinon appellatur. [2] Et impositum etiam maxime rosas decet, medio proventu earum incipiens. Nec ulli florum excelsitas major, interdum cubitorum trium, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri. Candor ejus eximius, foris striati, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo, & semine, stantibus in medio crocis. Ita odor, colorque duplex, & alius calycis, alius staminis, differentia angusta. In unguenti vero oleique usu, & folia non spernuntur.

Notæ.

11. *Trachiniam.*] Ab Heracleæ agro, quæ Trachin appellata est, ut vidimus lib. 4 sect 14.

12. *Vilissimam.*] Ita M S S. Reg. Colb. Chiffl. non *utilissimam.* Recte: antecedit enim *viliorem.* Spineola vero a spinarum densitate, quibus est obsita, traxisse nomen videtur.

13. *Differunt.*] Hæc pariter tradit Theophr. lib. 6. hist. cap. 6.

14. *Centifoliam.*] Et nos trecentifoliam maximam in horto Regio vidimus, flore, ut aiunt, incarnato: eamque odoris perjucundi. Centifoliam quoque Batavicam, qualis a Clusio delineatur, lib. 1. hist. rarior. plantar. pag. 113.

15. *Pangæus.*] Theophr. ἐν τῷ Παγγαίῳ.

16. *Non autem talis.*] Theophr. loc. cit.

17. *Breviterque.*] Theophr. Εὐοσμότεραι δὲ τῶν μεγάλων ὧν τραχὺ τὸ κάτω. *Odoratiores sunt inter amplas, quibus pars ima scabra.*

18. *Nec odore, nec specie.*] Vide Notas & Emendationes, num. III.

19. *Lychnis.*] Dioscoridis hæc coronaria lychnis est, sive sativa, de qua concisa brevitate Græcus auctor, lib. 3. cap. 114. Λυχνὶς στεφανωματική, ἄνθος ἐστὶν ὅμοιον λευκοΐῳ, ἐμπόρφυρον, ᾗ, πλεαίρμος εἰς τὰ στέφανα. Pingitur a Dodonæo, pag. 170. Galli vocant *Oeillet-Dieu*, ou *Passe-rose.*

20. *Foliorum paniculis.*] Quidquid sublonga & subrotunda forma tumet, ut hic rosæ foliorum globulus, panicula appellatur.

21. *Alia.... e caule malvaceo.*] Forte althæa, *rose d'outremer*, sed peregrina, ab unicauli malva, de qua diximus superiore libro, diversa, etsi commune nomen utrique vulgus imposuit. Vidimus in horto Regio.

22. *Mosceuton.*] In quibusdam M S S. *muceuton.* In aliis, *aceton.*

23. *Cyrenis.*] Theophr. lib. 6 histor. c. 6. Εὐοσμόταται δὲ αἱ ἐν Κυρήνῃ· διὸ καὶ τὸ μύρον ἥδιστον.

24. *Præterea omnis*] Omnis rosa scilicet. Didymus in Geopon. lib. XI. cap. 19. pag. 315. Εἰδέναι χρή, ὅτι τὰ τοῖς ἀνύδροις ῥόδα, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ξηρὰ εὐωδέστερα ἐστι.

25. *Ruderatum agrum.*] In quo rudera, veterumque ædificiorum materies plurima inest.

26. *Quod in ipso cortice.*] Sic Theophr. loc. cit. Φύεται μὲν δὲ ἡ ῥοδωνία καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος· ἔχει δὲ ὑπὸ τὸ ἄνθος ἐν τῷ μήλῳ.... ἔχον δὲ τινα χνοῦν. Quid cortex sit, superius diximus.

27. *Caule conciso.*] Malleolis a caule decisis. Theophr. lib. 6 hist cap. 6. Κατακόπτοντες τὸ καυλὸν φυτεύουσι.

28. *Et ocellis, ut arundo.*] Quid sint in arundine oculi, diximus lib. 16. sect. 67. Quod genus illud sit rosæ pallidæ, spinosæ, Græculæ, quinquefoliæ, non satis compertum.

29. *E Græcis altera.*] Quæ paulo ante Græcula appellata.

30. *Omnis autem.*] Sic Theophr. loc. cit.

31. *Qui præcocem*] Palladius, lib 3. in Februar. tit. 21. *Si rosam temperius habere volueris, duobus palmis ab ea in gyrum fodies, & aqua calida bis rigabis in die.* Sic Didymus in Geopon. loc cit.

Sect. XI. 1. *Quod lirinon.*] Λείρινον: nam Græci λείριον lilium appellant. Iidem & σούσινον nuncupavere, ut diximus lib. 13. sect. 2. Diosc. lib. 3. cap. 16 de lilio: Ἀφ' οὗ καὶ τὸ χρῖσμα κατασκευάζεται, ὃ τινὲς λείρινον, οἱ δὲ σούσινον καλοῦσι.

2. *Et impositum.*] Mallem *interpositum.* Intelligit enim, opinor, gratiam hortorum, vel coronarum, esse non levem, quemadmodum Maro cecinit, lib. 12. Æneid.

Mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa.

Est flos non dissimilis illi in herba, quam [3] convolvulum vocant, nascens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus: candorem tantum referens, ac veluti Naturæ rudimentum lilia facere condiscentis. [4] Alba lilia iisdem omnibus modis seruntur, quibus rosa: & hoc amplius [5] lacryma sua, [6] ut hipposelinum: nihilque est fecundius, una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos. [7] Est & rubens lilium, quod Græci crinon vocant. 5 Alii florem ejus [8] cynorrhodon. Laudatissimum in Antiochia, & Laodicea Syriæ, mox in [9] Phaselide. Quartum locum obtinet in Italia nascens.

XII. [1] Sunt & purpurea lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice, majorisque bulbi, sed unius: [2] narcissum vocant. Hujus alterum genus flore candido, [3] calyce purpureo. Differentia a liliis est & hæc, quod narcissis folia [4] in radice sunt, pro- 10 batissimis in Lyciæ montibus. Tertio generi cetera eadem, calyx herbaceus. [5] Omnes serotini. Post Arcturum enim florent, ac per æquinoctium autumnum.

XIII. Inventa est & in his [1] ratio inserendi, monstrificis hominum ingeniis. Colliguntur namque mense Julio scapi arescentes, liliaque suspenduntur in fumo. Dein nudantibus se [2] nodulis, in fæce nigri vini, vel Græci, mense Martio macerantur, ut co- 15 lorem percipiant, atque ita in scrobiculis seruntur, heminis fæcis circumfusis. Sic fiunt purpurea lilia: mirumque, tingi aliquid, ut nascatur infectum.

XIV. [1] Violis honos proximus. Earumque plura genera, [2] Purpureæ, luteæ, albæ: CAP. VI. [3] plantis omnes, ut olus, satæ. [4] Ex iis vero, quæ sponte apricis & macris locis proveniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnoso, exeunt: solæque Græco nomi- 20 ne a ceteris discernuntur, appellatæ ia, [5] & ab his ianthina vestis. E sativis maxima auctoritas luteis. Genera iis; Tusculana, & quæ marina appellatur, [6] folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum vero sine odore, minutoque folio [7] calathiana, munus autumni, ceteræ veris.

XV. [1] Proxima ei caltha est concolori amplitudine. Vincit numero foliorum marinam, 25

NOTÆ.

3. *Convolvulum.*] Gallis, *Liseret.* Smilax lævis minor a Dodonæo vocatur, apud quem iconem ejus vide.

4. *Alba lilia.*] Sic Theophrast. lib. 2. histor. cap. 2. Φυτεύεται δὲ καὶ κρίνον, &c.

5. *Lacryma sua.*] Theophr. lib. 6. hist. cap. 6. Ποιεῖ δέ τινα καὶ δακρυώδη σύῤῥοιαν, ἣν καὶ φυτεύουσι. *Reddit lilium lacrymarum confluxum quemdam, quem & serunt.* Et lib. 2. ejusdem operis, cap. 2. Ἰδιωτάτη δὲ γένεσις ἡ ἀπὸ δακρύου· καὶ γὰρ τοῦτο δοκεῖ τὸ κρίνον φύεσθαι, ὅταν ξηρανθῇ τὸ ἀποῤῥυέν· φασὶ δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἱπποσελίνου· καὶ γὰρ τοῦτο ἀφίησι δάκρυον. *Peculiaris generatio, quæ ex lacryma fit: quippe lilium ita exire videtur, cum id quod defluxit, Sole exaruerit*, &c.

6. *Ut hipposelinum.*] De quo lib. 19. sect. 48.

7. *Est & rubens.*] Lilium illud purpureum majus Dodonæi est, pag. 198. quod in horto Regio vidimus. Galli vocant, *Lis orangé.* Dioscorid. lib. 3. cap. 116. Πορφυροῦν ἄνθος ἀνθεῖν.

8. *Cynorrhodon.*] Ita libri omnes: & Hesychius: Κυνόῤῥοδον, ἄνθος ὅμοιον ὑακίνθῳ.

9. *Phaselide.*] Convallis est Judææ, ut Plinius admonet, lib. XIII. sect. IX. unde lilium Phaselidis olim appellatum est *lilium convallium*, Cant. 2, 1.

Sect. XII. 1. *Sunt & purpurea.*] Cave accepta hæc putes a Theophr. lib. 6. hist. cap. 6. ut visum iis, qui censoriam animadversionem distringere in Plinium, ponunt in lucro.

2. *Narcissum vocant*] Purpureus hic Virgilii narcissus, Eclog. 5. vers. 38. Nondum id a nobis genus animadversum.

3. *Calyce purpureo.*] Calycem id vocat, quod in medio flore, circuli instar, & stamina & apices continet. Narcissum medio purpureum Dodonæus vocat, & delineat, pag. 223. Nascitur plerisque Galliæ locis, in pratis, *Narcisse.* Dioscorides commendat eum qui ἐν ὀρεινοῖς τόποις gignatur, lib. 4. cap. 161.

4. *In radice sunt.*] Bulbo, non cauli, hærent. Quare narcissi caulem Theophrastus, lib. 6. histor. cap. 6. ἄφυλλον vocat.

5. *Omnes serotini.*] Sic Theophr. loco cit. de narcisso universim: Ὄψιον δὲ σφόδρα. μετὰ γὰρ Ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις, καὶ περὶ ἰσημερίαν. Post Arcturi occasum, de quo lib. 18. sect. 74.

Sect. XIII. 1. *Ratio inserendi*] Hoc est, nova serendi ratio excogitata est, non e bulbo, sed e radicula quam caulis emittit, ut mox dicemus. Ita MSS. omnes: nullus Pintiano favet, qui *inficiendi* mavult. Hunc porro modum totidem fere verbis expressit Anatolius in Geopon. lib. XI. cap. 21 pag 317.

2. *Nodulis.*] E singulis enim nodis radiculæ quædam tum enascuntur, quæ seri debent. Anatolius, loco cit.

Sect. XIV. 1. *Violis honos proximus.*] A rosis & liliis.

2. *Purpureæ &c.*] Sic auctor libri de simp. med. ad Paternian. tomo 13. operum Galeni, pag. 1002. *Viola*, inquit, *species habet tres: est enim alba, & purpurea, & aureo colore: floresque de radice ejus excrescunt: quibus melior habetur, quæ est purpurea.* Purpurea, quæ Theophrasto, lib. 6. histor. cap. 6. nigra dicitur, τὸ μελάνιον, Virgilio quoque, Ecloga 10. ceteris ἴον & ἴον πορφυροῦν, a Dodonæo pingitur, pag. 156. *Violette.* Candida, quæ Græcis λευκόιον, visa a nobis in horto Regio, ab eodem Dodonæo delineatur, pag. 159. Luteam Clusius exhibet, lib. 3. histor. rarior. plant. pag 309. quam violam montanam vocat. Galli, *Giroflée jaune.* Adde his & tricolorem, quæ hos simul colores in se una colligit, purpureum, luteum, candidumque, apud eumdem Clusium, pag 310. sæpius a nobis observatam in horto toties appellato, cum generibus violarum aliis fere duodecim.

3. *Plantis omnes.* In nostris regionibus nec lutea, nec alba, plantis propagatur, sed semine: nigra vero, seu purpurea etiam plantis.

4. *Ex iis vero.*] Sic Theophr. loc. cit. ubi viola nigra dicitur πλατύφυλλος, καὶ ἰσχνόφυλλος, καὶ σαρκόφυλλος.

5. *Et ab iis ianthina vestis.*] Hoc est, purpurea & violacea. *Violet pourpre* Martialis, lib. 2. Epigr. 39.

Coccina famosæ donas, & ianthina mœchæ, &c.

Hinc *violarii* apud Plautum, in Aulul act. 3. sc. 5. qui vestes violacea purpurea infectas distraherent.

6. *Folio .... latiore.*] Folia intellige, quibus flos constat.

7. *Calathiana.*] A calathi effigie. Alii *calthiana* legunt, a similitudine calthæ Pintianus, & ex illo Salmasius in Solin pag 1160. Calatina, a Calatia oppido Italiæ. His favet codex Reg. 2.

Sect. XV. 1. *Proxima ei caltha.*] Et hæc e violarum lutearum genere est, non ut a Ruellio primum, deinde a Salmasio creditum est, loc. cit. flos ille, quem solsequium dicimus, *le souci*, plane diversi generis. Nam & in Indice hujus loci sic legitur: *Violæ colores III. Luteæ genera V. De caltha: Regius flos.* Genera porro violæ luteæ tria duntaxat appellantur hoc loco, Tusculana, marina, calathiana: nisi ad eum numerum caltha quoque, & regius flos, seu regia scopa, accesserint. Et sane inferius cum singulorum florum medicinæ narrantur, quorum modo tractantur naturæ, de violis universim, sigillatimque de luteis, atque purpureis, longissima habetur oratio: de caltha scopaque regia, ne γρῦ quidem: satis probabili argumento eas scilicet idcirco taceri, quod lutearum nomine censeantur, quod & fecisse Columella videtur in Hortulo, duo violarum genera carmine uno complexus: candidum, luteumque,

Candida leucoia, & flaventia lumina calthæ.

Caltham nos suspicamur esse, aut ei certe affinem, quæ viola lutea multiplex a Dalecampio appellatur, lib. 7. histor. plant pag. 803. quæ cultu mangonioque evadit in florem densissimis foliolis stipatum atque congestum, præstantissimi ac suavissimi odoris.

quinque non excedentem. Eadem odore superatur: est enim gravis calthæ. [2] Non levior ei, quam scopam regiam appellant: quanquam folia ejus olent, non flores.

XVI. [1] Bacchar quoque radicis tantum odoratæ est, [2] a quibusdam nardum rusticum appellatum. Unguenta ex ea radice fieri solita apud antiquos, [3] Aristophanes priscæ Co-
5 mœdiæ Poëta testis est. Unde quidam errore falso [4] barbaricam eam appellabant. [5] Odor est ei cinnamomo proximus. [6] Gracili solo nec humido provenit. Simillimum ei, [7] combretum appellatur, foliorum exilitate usque in fila attenuata, & procerius quam bacchar: [8] hæc sunt tantum. Sed eorum quoque error corrigendus est, qui bacchar rusticum nardum appellavere. Est enim alia herba sic cognominata, quam [9] Græci asaron vocant,
10 cujus speciem figuramque diximus in nardi generibus. Quin immo asaron invenio vocitar, [10] quoniam in coronas non addatur.

XVII. [1] Crocum silvestre optimum: serere in Italia minime expedit, [2] ad scrupula usque singula areis decoquentibus. Seritur radicis bulbo. [3] Sativum latius, majusque, & nitidius, sed multo lenius, degenerans ubique, nec fecundum [4] etiam Cyrenis, [5] ubi sem-
15 per flores laudatissimi. [6] Prima nobilitas Cilicio, & ibi in Coryco monte: dein Lycio monte Olympo: mox Centuripino Siciliæ. [7] Aliqui Phlegræo secundum locum dedere. [8] Adulteratur nihil æque. Probatio sinceri, si imposita manu crepat, [9] veluti fragile. Humidum enim, quod evenit adulteratione, cedit. Altera probatio: si manu prolata ad ora leniter faciem oculosque mordeat. Est per se genus sativi blandissimum vulgo, [10] cum sit
20 mediocre, dialeucon vocant. Contra Cyrenaïco vitium, quod omni croco nigrius est, & celerrime marcescit. Optimum ubicumque quod pinguissimum, & brevis capilli: pessimum vero, quod situm redolet. Mucianus auctor est, in Lycia anno septimo aut octavo [11] transferri in locum subactum, atque ita degenerans renovari. [12] Usus ejus in coronis nusquam. [13] Herba enim est folio angusto pæne in capillamenti modum. [14] Sed vino mire congruit,

NOTÆ.

2. *Non levior.*] Perinde gravis, atque calthæ, odor est ei luteæ violæ generi, quam scopam regiam, sive, ut est in Indice, regium florem vocant: qui quo nomine hodie appelletur, certo statui non potest Porro cum gravis odor dicitur, cave injucundum dici continuo putes: nam, ut Plinius ait, sect. 10. quorumdam florum suavitati etiam gravitas inest, ut lilio.

Sect. XVI. 1. *Bacchar quoque.*] Dioscoridi, lib. 3. pag. 51. Βάκχαρις, βοτάνη ἐστὶ στεφανωτικὴ, εὐώδης, καὶ στεφανωματική, &c. Idem & Crateras habet, cujus fragmentum antea ineditum recitat Aloys. Anguillara, part. 1. pag. 26. etsi de asaro sermonem ibi esse falso contendit, cum & asaron στεφανωματικὸν esse Plinius paulo post neget: & quæ vires ei herbæ tribuuntur a Crateva, eas ipsas idem inferius sect. 77. bacchari adjudicet.

2. *A quibusdam*] Libro 12. sect. 27 *Baccharis vocatur nardum rusticum, de quo dicemus inter flores.* Rura apud nos, inquit Ruellius lib. 3. pag. 517. *Divæ Mariæ chirothecas* appellant, *Gants Nostre-Dame*, eamque nectunt in coronas. Dodonæus, a quo delineatur, pag 169. & Fuchsius, Digitalem: Galli interdum etiam *Digitale.* Vidimus in horto Regio, purpureo, luteo, rubente, candido, ferrugineoque colore conspicuam.

3. *Aristophanes.*] In fabula cui titulum fecit, Θεσμοφοριάζουσαι, teste Athenæo, lib. 15. pag. 690. hæc poetæ carmina recitante, quæ ad propositum attinent:

Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', οἷον ἐπνευσ' ἡ μυρίς
Φαίνουσ' ἀλάβαστρος ἀπὸ τοῦ μύρου,
Καὶ βακχάριδος.

O venerande Jupiter, ut oboluit soluta confestim pera unguentum mihi, & baccharim. Adde & Galenum, tom. 2. in Explicat. vocum Hippocr. pag 88 Βάκχαρις, λάδανόν τι μύρον. Hippocr. ipsum, lib. de nat mulier text. 6. pag. 362. βακχάριος ἔλαιον vocat. Erotianum ibidem, pag 115. Βάκχαρις. εἶδος βοτάνης καὶ μύρου. οὗ καὶ Ἀριστοφάνης μέμνηται. Adde Hesychium, Jul. Pollucem, lib. 6. cap. 19. pag. 296. Simonidem poetam apud Clement. Alexand. lib. 2. Pædag. pag. 177. &c.

4. *Barbaricam.*] Ita MSS omnes: hoc est, exoticam & peregrinam, nec in orbe Romano natam. Medicamenti meminit Marcellus Empir cap. 8. pag 65 & 66. quod barbaricum similiter vocat: nempe ex rebus conflatum extra hunc orbem Romani imperii natis. Error fallit veterum in eo fuit, quod barbaricam radicem vocarent, quæ foret domestica. Hunc locum ut interpolet, expliceque, Salmasius frustra desudat, in Solin. pag. 1068. cum *baccharida* pro *barbaricam* reponit.

5. *Odor est ei.*] Radici scilicet Dioscor. lib. 3. cap. 51. Ῥίζαν δὲ ὁμοίαν ταῖς τοῦ μέλανος ἐλλεβόρου, ἐοικυῖαν τῇ ὀσμῇ κινναμώμῳ.

6. *Gracili solo.*] Diosc. loc. cit. Φιλεῖ δὲ τραχεῖα χωρία, καὶ ἄνικμα.

7. *Combretum.*] In Indice, *Combetrum.* In Tuscia, *Herba Lazula*, inquit Anguillara, part. III. pag. 179.

8. *Hæc sunt tantum.*] Hac re solum, inquit, affinitatem habet combretum cum bacchare: cetera absunt: odor, unguentique in radice dos. Vide Notas & Emendationes, num. IV.

9. *Græci asaron.*] De quo lib. 12. sect. 28.

10. *Quoniam in coronas.*] Quoniam coronas non ornet. Ἄκοσμος, non ornatus. Vide Lexicon Constantini, & Voss. in Etymol.

Sect. XVII. 1. *Crocum.*] Mauritanorum appellatione *Zaffarano* vocamus: *du Safran*, inquit Ruellius, lib. 2. pag. 294.

2. *Ad scrupula.*] Sive, ut MSS. *scripula.* Decoquunt areæ, inquit, quod acceperunt: ut vix reddant singula singula scripula. Scripulum est pars quarta & vicesima unciæ, assis ducentesima octogesima octava. As est area, vel totum quod seritur in area. Ea area decoquit ad singula scripula, id est, ad quartam & vicesimam partem unciæ: ut vix ea superesit ex tota area.

3. *Sativum latius.*] Ita MSS. Forte *latius.* Depictum vide in Eystetensi horto.

4. *Etiam Cyrenis.*] Sic Theophr lib. 6. cap. 6 cujus oratio ex Athenæo corrigenda est, lib 15. pag. 682.

5. *Ubi semper flores.*] Reliqui flores, præterquam croci. Athen loc. cit

6. *Prima nobilitas.*] Diosc. lib. 1. cap. 25. Transcripsit hæc Solinus, cap 38. pag. 68

7. *Aliqui Phlegræo.*] Cave hic Plinium ex Diosc. corrigas, quod Turnebus tentavit, lib. 16. Adversf. cap. 16. pag. 642.

8. *Adulteratur.*] Vide Galenum, lib. 1. de Antidotis, cap. 14 pag 886.

9. *Veluti fragile.*] Cum inaruit. Sic Dioscoridi, ex optima edit. Ald. κρόκος ἀσθενὴς laudatur: improbatur ἐνικμάζων, humidus.

10. *Cum sit mediocre.*] Ita MSS. omnes, Reg. 1. 2. Colbert. 1. 2. Th. & alii: non, ut editi hactenus, *cum sit medio candidum.* Quin etiam in Reg. 1. cod. *dileacon.* In Colbert. 3. *dialeacon* legitur, forte pro *Delsacon.*

11. *Transferri.*] Ita fit & in Gallia passim. Nullibi vegetius est, quam in Agennensi agro & Narbonensi provincia.

12. *Usus ejus in coronis nusquam.*] Nisi in conviviis ad arcendam ebrietatem, ut dicetur sect. 81.

13. *Herba enim.*] Hæc totidem verbis Theophr. lib. 6, hist. cap. 6.

14. *Sed vino.*] Hoc illud est fortasse quod idem paulo explanatius, sect. 81. *Qui crocum prius biberint, crapulam non sentiunt: ebrietati eo resistunt.* Vel potius, diluti croco trito commode vinum innuit, ad theatra replenda.

præcipue dulci: tritum [15] ad theatra replenda. [16] Floret Vergiliarum occasu paucis diebus, [17] folioque florem expellit. [18] Viret bruma, & colligitur: [19] Siccatur umbra, melius etiam hiberna. [20] Carnosa & illi radix, vivaciorque quam ceteris. [21] Gaudet calcari & atteri, pereundoque melius provenit. [22] Ideo juxta semitas ac fontes lætissimum. * Trojanis temporibus jam erat honos ei. Hos certe flores [23] Homerus tres laudat, loton, crocon, hyacinthum. * CAP. VII. 5

XVIII. Omnium autem odoramentorum, atque adeo herbarum differentia est in colore, & odore, & succo. Odorato sapor raro ulli non amarus: [1] e contrario dulcia raro odorata. [2] Itaque & vina mustis odoratiora, [3] & silvestria magis omnia sativis. [4] Quorumdam odor suavior e longinquo, propius admotus hebetatur, ut violæ. [5] Rosa recens 10 a longinquo olet, sicca propius. [6] Omnis autem verno tempore acrior, & matutinis: quidquid ad meridianas horas diei vergit, hebetatur. [7] Novella quoque vetustis minus odorata. Acerrimus tamen odor omnium æstate media. Rosa & crocum odoratiora, cum, serenis diebus leguntur: [8] & omnia in calidis, quam in frigidis. [9] In Ægypto tamen minime odorati flores, quia nebulosus & roscidus aër est [10] a Nilo flumine. Quorumdam 15 suavitati gravitas inest. [11] Quædam, dum virent, non olent, propter humorem nimium: ut buceros, quod est fenum Græcum. Acutus odor non omnium sine succo est, ut violæ, rosæ, croco. Quæ vero ex acutis succo carent, eorum omnium odor gravis, [12] ut in lilio utriusque generis. [13] Abrotonum & amaracus acres habent odores. [14] Quorumdam flos tantum jucundus, reliquæ partes ignavæ, ut violæ, ac rosæ. [15] Hortensiorum odoratissima quæ 20 sicca: ut ruta, menta, apium, & quæ in siccis nascuntur. [16] Quædam vetustate odoratiora, ut cotonea: [17] eademque decerpta, quam in suis radicibus. Quædam non nisi defracta, aut ex attritu olent: alia non nisi detracto cortice: quædam vero non nisi usta: sicut thura myrrhæque. [18] Flores triti omnes amariores, quam intacti. [19] Aliqua arida diutius odorem continent, ut melilotos. [20] Quædam locum ipsum odoratiorem faciunt, ut iris? 25 quin & arborem totam, cujuscumque radices attingit. [21] Hesperis noctu magis olet, inde nomine invento. [22] Animalium nullum odoratum, nisi si de pantheris, [23] quod dictum est, credimus.

XIX. Illa quoque non omittenda differentia est, odoramentorum multa nihil pertinere

NOTÆ.

15 *Ad theatra replenda.*] Subintellige, congruit. Lucretius, lib. 2. vers. 416.

Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.

Spartianus in Hadriano, pag. 9. *In honorem Trajani balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit.* Et aqua crocata, qua veteres uti pro rosacea soliti, & vinum crocatum, & crocus per se spargebatur in theatris. Vide Martialem, lib. 8. Epigr. 33.

16. *Floret*, &c.] Hæc apud Theophrastum, lib. 6. hist. cap. 6.

17. *Folioque florem.*] Cum folio florem emittit: Ἐκφύει δ' ἅμα τῷ φύλλῳ καὶ ἄνθος αὐτῷ, ὥσπερ καὶ πρότερον. Theophr. Sic etiam Florentinus in Geopon. lib. xi. cap. 27.

18. *Viret bruma.*] Theophr. loc. cit.

19. *Siccatur*, &c.] Diophanes in Geopon. lib. xi. cap. 27. Διοφάνης δέ φησιν ὅτι τὸ ἀβρότονον ἐν σκιᾷ χρὴ ψύχειν. Hunc ipsum Diophanem Plinius in hujus libri Indice laudat auctorem.

20. *Carnosa.*] Theophr. loc. citato. Ῥίζα δὲ παχεῖα, καὶ σαρκώδης, καὶ τὸ ὅλον δίζωον.

21. *Gaudet calcari.*] Vide Notas & Emend. num. V.

22. *Ideo juxta semitas.*] Theophr. loc. cit.

23. *Homerus.*] Iliad. ξ. vers. 348.

Λωτόν θ' ἑρσήεντα, ἰδὲ κρόκον, ἠδ' ὑάκινθον.

Sect. XVIII. 1 Sic Theophr. lib. 6. de causis, cap. 22. pag. 377. Τῶν δὲ γλυκέων οὐδὲν ὡς εἰπεῖν (εὔοσμον) ἢ ἐπὶ μικρόν. Ἐπεὶ καὶ τὰ μῆλα τὰ γλυκέα πάντων ἥκιστα εὔοσμα, καὶ ὅσα ἂν γλυκύτερα, ἧττον. Rationem ejusce rei diligenter investigat.

2. *Itaque & vina.*] Theophr. loc. cit. pag. 378.

3. *Et silvestria.*] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 24. pag. 349. Διὰ τί δ' οἱ ἄγριοι καρποὶ τῶν ἡμέρων εὐοσμότεροι τῶν ὁμογενῶν, οἷον μῆλά τε, καὶ ἀχράδες, &c.

4. *Quarumdam odor.*] Theophr. cap. 23. pag. 378.

5. *Rosa recens.*] Theophr. loco proxime cit.

6. *Omnis autem.*] Theophrast. lib. 6. de causis, cap. 25. pag. 382.

7. *Novella quoque.*] Theophr. loc. cit.

8. *Et omnia in calidis.*] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 22. pag. 377.

9. *In Ægypto.*] Theophr. lib 6. de causis, cap. 27. pag. 384. *In Ægypto flores, coronamentaque deterrima fere omnium generantur: quia cælum caliginosum ac roscidum est.* Ἐν Αἰγύπτῳ γὰρ χείριστα τὰ ἄνθη, καὶ τὰ στεφανώματα ὡς εἰπεῖν· ὅτι ὁ ἀὴρ ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος.

10. *A Nilo flumine.*] In Reg. 1. *a multo flumine.* Reg. 2. *a multo flumine.* Nullus *a Nilo*.

11. *Quædam dum virent.*] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 22. pag. 378. Συμβαίνει δὲ καὶ τῶν παθῶν ἔνια, χλωρὰ μὲν ὄντα μὴ ὄζειν διὰ τὴν ὑγρότητα· ξηρανθέντα δὲ καθάπερ, οἷον καὶ τὸ βούκερας.

12. *Ut in lilio utriusque generis.*] Albo, quod λείριον Græci, & rubente quod κρίνον vocant, ut diximus sect. xi. Theophr. lib. 4. de causis, cap. 21. pag. 376. Ὅσα δὲ αὐτῶν μὴ ἔχυλα, καὶ ἐν ταῖς ὀσμαῖς ἐμφαίνει γέ τινα βαρύτητα, καθάπερ τὸ κρίνον, καὶ τὸ λείριον, καὶ τὰ σχεδὸν τοιαῦτα.

13. *Abrotonum*, &c.] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 22. pag. 378.

14. *Quorumdam flos.*] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 15. pag. 369.

15. *Hortensiorum*, &c.] Iisdem verbis Theophr. lib. 6. de causis, cap. 22. pag. 377.

16. *Quædam vetustate.*] Theophr. loc. cit.

17. *Eademque decerpta.*] Theophr. loc. cit. pag. 378.

18. *Flores triti.*] Theophr. lib. de odoribus, pag. 443. Τὰ δ' ἄνθη πικρότερα τριβόμενα.

19. *Aliqua arida.*] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 23. pag. 378. Ὁ δὲ μελίλωτος καὶ ἐπὶ πλείω χρόνον εὔοσμος διαμένει, &c.

20. *Quædam locum ipsum.*] De iride verba qui hoc proderet, nemo veterum adhuc occurrit: De iride seu arcu cælesti, Theophr. ad verbum, lib. 6. de causis, cap. 25. pag. 382. Καὶ γὰρ τὸ περὶ τὴν ἶριν λεγόμενον, ὡς ὅπου ἂν κατίσχῃ, τὰ δένδρα καὶ τὸν τόπον εὐώδη, τοιοῦτόν ἐστι. Ποιεῖ γὰρ οὐ πάντως, ἀλλ' ἐὰν ὕλη τις ᾖ νεόκαυστος· οὐ δι' ἐκείνην καθ' αὑτήν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκός. ἐφίησι γὰρ ὅπου ἂν ἐφίζῃ. *Nam & quod de arcu cælesti referunt, arbores & loca reddere odorata, ubicumque constiterit, tale est. Reddit enim non omnibus modis odorata: sed si qua materia recenter sit adusta: nec id forsitan per se agit, sed quodammodo per accidens: implent enim iis locis in quibus constiterit*, &c. Hoc ipsum Plinius antea delibavit, lib. 12. sect. 53.

21. *Hesperis.*] Theophr. loco proxime allato: Ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς ἑσπερίδος καλουμένης· αὕτη γὰρ τῆς νυκτὸς ὄζει μᾶλλον ἢ καθ' ἡμέραν, &c.

22. *Animalium.*] Ad verbum hæc Theophr. lib. 6. de causis, cap. 26. pag. 383. Arist. pantheras jucunde olere plane affirmat, sect. 13. problem. 4. pag. 748.

23. *Quod dictum est.*] Libro 8. sect. 13. Vide quæ diximus in Notis & Emendationibus, ad eumdem librum, num. XLVIII.

ad coronamenta, ut irin, atque saliuncam, quanquam nobilissimi odoris utramque. [1] Sed iris radice tantum commendatur, unguentis & medicinæ nascens. [2] Laudatissima in Illyrico, & ibi quoque non in maritimis, sed in silvestribus Drilonis & Naronæ. [3] Proxima in Macedonia, longissima hæc & candicans, & exilis. [4] Tertium locum habet Africana, amplissima inter omnes, gustuque amarissima. Illyrica quoque duorum generum est: [5] Raphanitis a similitudine: [6] & quæ melior, rhizotomos subrufa. [7] Optima, quæ sternumenta [8] tactu movet. Caulem habet cubitalem, erectum. [9] Floret diversi coloris specie, sicut arcus cælestis, unde & nomen. Non improbatur & Pisidica. [10] Et fossuri tribus ante mensibus mulsa aqua circumfusa, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscripta mucrone gladii orbe triplici: & cum legerint eam, protinus in cælum attollunt. [11] Natura est fervens, tractataque pustulas ambusti modo facit. Præcipitur ante omnia, ut casti legant. Teredines non sicca modo, verum & in terra celerrime sentit. [12] Optimum antea irinum Leucade & Elide ferebatur: jampridem enim & seritur: nunc e Pamphylia: sed Cilicium maxime laudatur, [13] atque e septemtrionalibus.

XX. [1] Saliunca folio quidem subbrevi, & quod necti non possit, radici numerosæ cohæret, herba verius quam flos, densa veluti manu pressa, breviterque cespes sui generis. Pannonia hanc gignit & Norici, Alpiumque aprica: urbium, Eporedia: tantæ suavitatis, [2] ut metallum esse cœperit. Vestibus interponi eam gratissimum.

XXI. [1] Sic & apud Græcos polion herbam, inclytam Musæi et Hesiodi laudibus, ad omnia utilem prædicantium, superque cetera ad famam etiam ac dignitates: prorsusque miram, si modo ([2] ut tradunt) folia ejus mane candida, meridie purpurea, Sole occidente cærulea aspiciuntur. [3] Duo genera ejus: campestre, majus: silvestre, quod minus est. Quidam teuthrion vocant. [4] Folia canis hominis similia, a radice protinus, numquam palmo altiora.

CAPUT VIII. XXII. Et de odoratis floribus satis dictum: [*] in quibus unguento vicisse Naturam gaudens luxuria, vestibus quoque provocavit eos flores qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales. [1] Rubentem, in cocco: qui a rosis migrante gratia, idem trahitur [2] suspectu & in purpuras [3] Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas. Alium in

NOTÆ.

Sect. XIX. 1. *Sed iris.*] Ex qua unguentum irinum, de quo nos obiter lib. 13. sect. 2. plura prolixe Dioscor. lib. 1. cap. 66.

2. *Laudatissima.*] Theophr lib. 9 hist. cap. 7. Ἶρις δ' ἀρίστη ἐν Ἰλλυρίοις, οὐκ ἐν τῇ πρὸς θάλατταν χώρᾳ· ἀλλ' ἐν τῇ ἀνωτέρω, ... *Iris optima, quæ apud Illyrios exit, non tamen prope maritima, sed mediterranea magis & deserta regione*, &c. Nicander in Thericae. pag. 43.

Ἶριν θ' ἣν ἐθρέψε Δρίλων καὶ Νάρωνος ὄχθη.

Naronam coloniam Plinius maluit, quam proximum amnem, signare Porro in officinis retinuit iris appellationem: rura nostra partim *Flambe*, partim *Glaieul* vocant, a similitudine florum cum gladiolo, lilioque, ut Lobelius animadvertit in Adversar. pag. 13. Incolis Drilonis & Naronæ *Macemaco* appellari ait Anguillara, lib. de simp. par. 1. pag. 17. Vide Ruellium, lib 2. cap 5. pag. 282.

3. *Proxima in Macedonia.*] Theophr. lib. 6. de causis, cap. 28. pag. 386.

4. *Tertium... Africana.*] Diosc. lib 1. cap. 1. & Galenus, lib 1 de Antid. cap. 12.

5. *Raphanitis.*] A similitudine radicis cum raphano: Galenus lib. περὶ ... cap. 1. ῥαφανίτιν vocat.

6. *Et quæ melior ... subrufa.*] Plinius infra sect. 38. *Iris rufa melior quam candida.* Quam sententiam Diosc probat loc. cit. & Anguillara, qui non foris, sed intus rufam esse radicem recte admonet, pag 18.

7. *Optima, quæ.*] Auctor libri de simp. med. ad Patern. tom. 13 operum Galeni, pag. 992. *Optima*, inquit, *est iris Illyrica, & Macedonica: est enim spississima .... & dum tunditur, sternutare facit.*

8. *Tactu movet.*] In MSS R. 1 2. *tractu.* Reg. 2. *tractatu.* Ego *tritu* malim, tum ex auctore proxime appellato, tum ex Diosc lib 1. ubi de iride, πταρμοὺς τε ἐν τῷ κόπτεσθαι κινοῦσα. Mox tamen ipse Plinius *tractatu* videtur agnoscere, dum ait, *Tractata pustulas ambusti modo facit.*

9 *Floret diversi.*] Sic Dioscor. loc cit.

10. *Et fossuri.*] Hæc quoque Theophr ad verbum, lib. 9. hist cap. 9. de silvestri iride, quæ & ξυρὶς vocatur.

11. *Natura est.*] Theophr. lib. de odoribus, pag. 189. Θερμὴ δὲ καὶ σύντηκτι ἡ ἶρις· Καθ' ὑπερβολὴν δὲ ... καὶ τὸ χρῶμα τὸ ... ἐφελκοῖ.

12. *Optimum antea.*] Vide quæ diximus libro 13. sect. 2.

13. *Atque e septemtrionalibus.*] Hoc est, ex iride concinnatum, quæ in septemtrionalibus Ciliciæ nata sit. Vide Notas & Emend. num. VI.

Sect. XX. 1. *Saliunca*] Quæ saliunca sit hodierna die, haud facile est statuere. Neque Lavendula nostra est, neque nardus Celtica, ut recte Matthiolus animadvertit, in lib. 1. Diosc. pag 34. & ea est quam Virgilius breviter indicavit in Eclogis,

Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.

2. *Metallum.*] Ut in vectigali redituque publico esse cœperit, haud secus ac metalli fodina.

Sect. XXI. 1. *Sic & apud Græcos.*] Ut Romanis, inquit, saliuncam, sic & apud Græcos polion vestibus interseri mos est, ad tineas necandas Hæc iisdem verbis Theophr lib. 9. hist. cap. 21. Καὶ ὡς δή φασι, τὸ πόλιον, καθ' Ἡσίοδον καὶ Μουσαῖον εἰς πᾶν πρᾶγμα σπουδαῖον χρήσιμον εἶναι· διὸ καὶ ὁρμῶντες αὐτὸ ἔσωζον, &c. Et lib. 1. hist. cap 16. Πόλιον δὲ καὶ ... τὰς σῆτας τὰς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθόν. Est autem σὴς, ut Glossæ admonent, *tinea*, sive tinea vestes corrodens. Unde herba tintaria appellata, recte Scribonio Largo Compos. 83. *Ad sanguinis eruptionem, sive ex arteriis, sive a pulmone, ... prodest & herba quam πόλιον vocant, nos, ut opinor, tiniariam, fasciculum*, &c.

2. *Ut tradunt.*] Famæ, opinionisque vulgi, vadem se præbere non audet: quod eruditi nonnulli cani dotem, non polio, sed tripolio assignarent: quos inter Dioscorides censendus, lib. 4 cap. 135.

3. *Duo genera ejus.*] Utrumque a Dodonæo pingitur, pag. 282. Utriusque Dioscorides meminit, lib. 3. cap. 124. Πόλιον, τὸ μὲν ἐστὶν ὀρεινὸν, ὃ καὶ τεύθριον καλεῖται, &c.

4. *Folia canis hominis.*] Polium Salmasius non vidit, qui negat in Præfat ad Plinium, pag 10 & 11. ea canescere: quoniam id Dioscorides sileat, affirmetque hoc tantum, capitula in summo esse, quadam corymbi specie, cæsariei canæ simili. Vel si Dodonæum legisset, Plinium erroris insimulando, suum non proderet.

Sect. XXII. 1. *Rubentem in cocco.*] Rubens, inquit, color in cocco micat (est enim coccum rubens granum, ut dictum est lib 9. sect. 65.) cujus coloris gratia omnis a rosa profecta, sive a rosæ similitudine: inde trahitur & in purpuras, dibapasque, & Laconicas, in quibus idem color deprehenditur suspectu, hoc est, cum in sublimi positæ spectantur Vide Notas & Emend. num. VII.

2. *Suspectu.*] Usus iterum ea voce Plinius, lib. 37. sect. 40 *Precellens*, inquit, *debet esse in suspectu, veluti ex carbunculo refulgens, quidem in purpura leviter rubens color.* Vim vocis aperte egregie Seneca in hoc ipso purpuræ argumento habetans, lib. 1. Quæst. Natur. cap. 5. *Sunt etiam quidam colores qui ex intervallo vim suam ostendunt. Purpura Tyria, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat*, &c

3. *Tyrias*, &c.] De his egimus lib 9. sect 60. 62. & 63.

amethysto,

amethysto, [4] qui a viola, & ipse in purpureum, [5] quemque ianthinum appellavimus. Genera enim tractamus, in species multas sese spargentia. [6] Tertius est, qui proprie conchylii intelligitur, multis modis: unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque saturatior: [7] alius in malva, ad purpuram inclinans: alius in viola serotina, conchyliorum vegetissimus. Paria nunc componuntur, & Natura atque luxuria depugnant. Lutei video 5 honorem antiquissimum, [8] in nuptialibus flammeis totum feminis concessum: & fortassis ideo non numerari inter principales, hoc est, communes maribus ac feminis, [a] quoniam societas principatum dedit.

XXIII. [1] Amaranto non dubie vincimur. Est autem spica purpurea verius, quam flos aliquis, & ipse sine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi & lætius renasci. Provenit 10 Augusto mense: durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mireque, postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua revivescit, & hibernas coronas facit. [2] Summa ejus natura in nomine est, appellato, quoniam non marcescat.

XXIV. In nomine & [1] cyani colos: item [2] holochrysi. Omnes autem flores non fuere in usu Alexandri Magni ætate, quoniam proximi a morte ejus auctores siluere de 15 illis: quo manifestum est postea placuisse. A Græcis tamen repertos quis dubitet: non aliter Italia usurpante nomina illorum?

XXV. At hercules [1] petilio [b] ipsa nomen imposuit, autumnali, circaque vepres nascenti, & tantum colore commendato, qui est rosæ silvestris. Folia parva, quina. Mirumque in eo flore, inflecti cacumen, & non nisi retorto folia nasci, parvo calyce, ac 20 versicolori, luteum semen includente.

[2] Luteus & bellio [3] pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur. Pratenses hi flores, ac sine usu plerique, & ideo sine nominibus. Quin & his ipsis alia alii vocabula imponunt.

XXVI. [1] Chrysocome sive chrysitis non habet Latinam appellationem. [2] Palmi 25 altitudine est, comantibus fulgore auri corymbis, radice nigra, ex austero dulci, in petrosis opacisque nascens.

XXVII. Et fere peractis colorum quoque celeberrimis, transeat ratio ad eas coronas, quæ varietate sola placent. Duo earum genera, quando aliæ flore constant, aliæ folio. Florem esse dixerim genistas: (namque & iis decerpitur luteus:) item rhododen- 30 dron: item zizipha, quæ & Cappadocia vocantur: his odoratus, similis olearum floribus. In vepribus nascitur cyclaminum, [1] de quo plura alias. [2] Flos ejus colossinus in coronas admittitur.

CAP. IX.

INTERPRETATIO.

a *Quoniam societas.*] Quoniam qui colores societatem habent, *ut communes maribus feminisque sint*, ii principatum obtinent.

b *Ipsa.*] Italia nomen petilio flori dedit.

NOTÆ.

4. *Qui a viola.*] Subintellige ex antecedentibus, qui a violæ migrante gratia & ipse trahitur in purpureum colorem. Est enim quidam purpuræ fulgor, non ex toto igneus, sed qui in violam desinat, & vini colorem, ut ait Plinius lib. 37. sect. 40. Hujus coloris veste qui indutus sit, *amethystinatus* Martiali dicitur, lib. 2. Epigr. 57.

5. *Quemque ianthinum appellavimus.*] Ubi vestis ianthinæ facta mentio est, sect. 14. Utriusque coloris nomen in Notis quæ falso Tironi adscribuntur, apud Gruterum, pag. 159. *Amtexinum. Ianinum.* Lege, *Amethystinum, Ianthinum.*

6. *Tertius est*] Locum hunc jam superius explicuimus, lib. 9. sect. 53.

7. *Alius in malva.*] Græcis malva μαλάχη est, ut omnes probe norunt. Hinc qui colorem tingebant ad purpuram inclinantem, qualis in malvæ flore spectatur, *molochinarii* a Plauto nuncupati, in Aulularia, act. 3. sc. 5. verso 40. Qui violaceum, violarii: & auctore Festo, *Flammearii*, *infectores flammei coloris*, de quo mox dicemus.

8. *In nuptialibus flammeis.*] Sive *flammeolis.* Petronius in Satyr. pag. 70 *Consurrexi ad officium nuptiale. Jam Psyche puellæ caput involverat flammeolo.* Amiculum fuit, quo amiciebantur nubens, inquit Festus, verbo *Flamineo*, boni ominis causa: quod eo flaminica, hoc est, Flaminis Dialis uxor, cui divortium facere nefas erat, assidue utebatur, atque hinc nomen traxit, non a flammæ colore: nam erat luteum. Lucanus, lib. 2. vers. 361.

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Flammeum vocat Sulpicius Severus, hist. sacræ, lib. 2. de Nerone. Nonius Marcellus, cap. 14. num 41 *Flammeum, vestis vel tegmen, quo capita matronæ tegunt.* Flammea, Juvenalis Satyr. 6. vers. 224. ubi vetus Schol. *Genus amictus, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum.* Vide alia multa de flammeo apud Brissonium, lib. de ritu nuptiarum, pag. 178. & 179.

Sect. XXIII. 1. *Amaranto.*] Amarantus spicatus vocatur in Eystetensi horto, qualem in Regio vidimus.: *Amarante*, ou *Passe-velours: amarante à crête de coq*, ou *crêtée.* Italis, *Fior di velluto.*

2. *Summa ejus natura.*] Ita MSS. non ut vult Salmasius in Solin. pag 966. *Summa ejus naturæ.* Ἀμάραντον porro dici Plinius affirmat: ὅτι οὐ μαραίνεται, & vere id quidem.

Sect. XXIV. 1. *Et cyani colos.*] Cyanus vulgaris, in Horto Regio, qualis a Lobellio pingitur, in Observ. pag. 296. Nostris, *Bluet*, ou *Aubifoin.*

2. *Holochrysi.*] Ita MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice, tum deinque hujus libri sect 85. Inter ignotas herbas censenda.

Sect. XXV. 1. *Petilio.*] MSS. Reg. Colb. Th. *petellio.* At in Indice, *petilium*, in recto casu. Genus esse rosæ silvestris videtur, cui a Petilia forte nomen inditum, magnæ Græciæ oppido.

2 *Luteus & bellio.*] Lutei coloris, inquit, & bellio est. Ipsa bellis lutea est, quam Chrysanthemum segetum Lobelius vocat in Observat pag 298 & in Adversi. pag. 237. Eadem poetarum caltha, *le Souci.*

3. *Pastillicantibus.*] Pastilli rotundam figuram repræsentantibus.

Sect. XXVI. 1. *Chrysocome.*] Χρυσοκόμη Dioscor. lib. 4. cap. 55 Et in Nothis, pag. 465. Χρυσοκόμη, οἱ δὲ χρυσῖτις, οἱ δὲ χρυσάνθεμον, &c. Galenus, lib 8. de fac. simpl. med. pag 242. Χρυσοκόμη, καλεῖται δὲ καὶ χρυσῖτις . . . . Ἐμφαίνει, λέγει ῥίζαν. Nec vidisse se, nec nosse quæ sit, scribit Anguillara, part. 14. pag. 264 Forte Stœchas citrina Dodonæi, pag. 267.

2. *Palmi altitudine.*] Diosc. loc cit. Χρυσοκόμη θαμνίον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, ἔχον κόμην κορυμβώδη, ὁμοίαν ὑσσώπῳ, &c.

Sect. XXVII. 1. *De quo plura alias.*] Libro 25. sect. 67. 68. & 69.

2. *Flos ejus colossinus.*] Purpureus, a Colossis urbe Troadis, ubi simile pigmentum paratur. Vide Strabon. lib. 13.

XXVIII. Folia in coronamentis smilacis & ederæ, corymbique earum obtinent principatum, de quibus in fruticum loco [1] abunde diximus. Sunt & alia genera nominibus Græcis indicanda, quia nostris majore ex parte hujus nomenclaturæ defuit cura. Et pleraque eorum in exteris terris nascuntur, nobis tamen consectanda, quoniam de Natu-5 ra sermo, non de Italia est.

XXIX. Ergo in coronamenta folio venere [1] melothron, spiræa, origanon, cneoron, [2] quod casiam Hyginus vocat: & [3] quod cunilaginem, quæ conyza: melissophyllon, [4] quod apiastrum: [5] meliloton, quod sertulam Campanam vocamus. Est enim in Campania Italiæ laudatissima, Græcis in Sunio: [6] mox Chalcidica & Cretica: ubicumque ve-10 ro asperis & silvestribus nata. [7] Coronas ex ea antiquitus factitaras, indicio est nomen sertulæ, quod occupavit. [8] Odor ejus croco vicinus est, & flos, ipsa cana. Placet maxime foliis brevissimis atque pinguissimis.

XXX. Folio coronat & trifolium. Tria ejus genera. [1] Minyanthes vocant Græci, [2] alii asphaltion, majore folio, quo utuntur coronarii. [3] Alterum acuto, oxytriphyllon. Ter-15 tium ex omnibus minutissimum. [4] Inter hæc nervosi cauliculi quibusdam, ut marathro, hippomarathro, [5] myophono. [6] Utuntur e ferulis & corymbis, [7] & ederæ flore purpureo. [8] Est & in alio genere earum silvestribus rosis similis. Et in iis quoque colos tantum delectat, odor autem abest.

[9] Et cneori duo genera, nigri atque candidi. Hoc & odoratum: ramosa ambo. Florent CAP. X. 20 post æquinoctium autumnum. [10] Totidem & origani in coronamentis species. Altera ..us enim nullum semen. [11] Id, cui odor est, Creticum vocatur.

XXXI. [1] Totidem & thymi: candidum, ac nigricans. [2] Floret autem circa solstitia, cum & apes decerpunt, & augurium mellis est. Proventum enim sperant apiarii large florescente eo. [3] Læditur imbribus, amittitque florem. [4] Semen thymi non potest depre-25 hendi: cum origani perquam minutum, non tamen fallat. Sed quid interest occultasse id Naturam? In flore ipso intelligitur, satoque eo nascitur. Quid non tentavere homines?

NOTÆ.

pag. 578. Etsi id Scaliger negat, Exercit. 325. in Card. pag. 1044. Plinius, lib. 25. sect. 67. de cyclamino: *Caule exiguo, inani, floribus purpureis*, &c.

Sect. XXVIII. 1. *Abunde diximus.*] Libro 16. sect. 62. & 63.

Sect. XXIX. 1. *Melothron.*] Ex his hæc recenset Theophrastus, lib. 6. hist. cap. 1. *μήλωθρον, σπειραία, ὀρίγανον, κνέωρον, κόνυζα, μελισσόφυλλον, καὶ ἕτερα τοιαῦτα.* Melothron, vitem albam esse arbitramur, de qua lib. 23. sect. 16. Origanon illud est, de quo lib 20. sect. 69. Spiræa, si Dalecampio credimus, & Rob. Constantino in Lexico, verbo Σπειραία, ea est quam pro viburno Matthiolus, rei herbariæ alioqui peritissimus accepit: vulgo, *Blanche-putain.* Alia est Spiræa Clusii, lib. 1 hist. ratior. plant pag. 84 quam ipse viciniorem Theophrasteæ, seu Plinianæ putat: & nos in horto Regio vidimus.

2. *Quod casiam.*] Non aromaticam quidem illam, de qua lib. 12. sect 43. sed alteram, de qua mox, cui id nomen inditum ab Hygino, quod juxta casas agricolarum nascitur.

3. *Quod cunilaginem.*] De qua lib. 20 sect. 63.

4. *Quod apiastrum.*] Non ab apio illud quidem, sed ab apibus dictum, quibus illud pabulum suave est. Vide quæ de eo diximus lib. 20. sect 45.

5. *Meliloton.*] Diosc. lib. 3. cap. 48 *Μελίλωτος, κράτιστος, ὁ Ἀττικός, καὶ ὁ ἐν Κυζίκῳ, καὶ ὁ ἐν Χαλκηδόνι γεννώμενος, κροκίζων καὶ εὐώδης· φύεται καὶ ἐν Καμπανίᾳ.* Græco nomine Gallis, ipsisque adeo officinis notior quam Latino: *Melilot.* Lobelii Melilotus Germanica est, in Observationibus, pag. 501.

6. *Mox Chalcidica.*] Forte *Chalcedonica*, ex Diosc.

7. *Coronas ex ea.*] Melilotinæ coronæ, apud Athenæum perquam odoratæ, lib 14. pag 678. Unde nunc etiam in Campania Romana retinet nomen, *Coronello.* Anguillara, part. 12. pag. 205. Reperitur frequens in Marsis.

8. *Odor ejus.*] Auctor libri de simpl medic. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 1001. *Sertula herba est humilis, odore suavi, subalbida, flosculum habens subrufum*, &c. Et Diosc. loc. cit. ex quibusdam libris, *ὑπὸ κροκίζων* dixit.

Sect. XXX. 1. *Minyanthes.*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 25. *Τὸ τρίφυλλον Διονύσιος μὲν ἐν τοῖς Ῥιζοτομικοῖς, μινυανθὲς καλεῖ.* Tria genera complectitur Diosc. his verbis, lib. 3. cap. 123. *Τρίφυλλον, οἱ δὲ ὀξύφυλλον, οἱ δὲ μινυανθές, οἱ δὲ ἀσφάλτιον, οἱ δὲ κνήκιον καλοῦσι.* Vulgo *Trefle.* Oxytriphyllon officinæ *Alleluia* & Trifolium vocant.

2. *Alii asphaltion.*] Quoniam, ut Nicander cecinit, in Theriac. pag. 36. *Οἷόν τ' ἀσφάλτου ἀποπνείουσα, asphalto fragrat gravis*, inquit interpres Gorræus. Columella, lib. 6 cap. 17 pag. 227. *Semenanum trifolium, quod invenitur confragosis locis, efficacissimum traditur*, ad ictus serpentis videlicet, & noxiorum animalium, *odoris gratia, neque absimilis bitumini, & ideirco Græci eam ἀσφάλτιον appellant: nostri autem propter figuram vocant acutum trifolium: nam longis & hirsutis foliis viret, caulemque robustiorem facit, quam pratense.*

3. *Alterum acuto.*] Scribonius Largus, Compos. 163 *Trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Græci appellant. Nascitur & hoc Siciliæ plurimum: nam in Italiæ regionibus nusquam eam vidi herbam, nisi in Lunæ portu.... plurimum super circumdatos montes. Est autem foliis, & specie, & numero, similis communi trifolio, nisi quod hujus pleniora sunt, & quasi lanuginem quamdam super se habent, & in extrema parte velut aculeum eminentem. Sed hujus frutex duorum pedum interdum, aut etiam amplius conspicitur, & odorem gravem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium invenitur.*

4. *Inter hæc nervosi.*] Theophr lib. 6. hist. cap. 1.

5. *Myophono.*] Quod & *μυοκτόνον* vocant, sive aconitum, de quo lib. 27. sect. 2. Theophr. loc. cit. *μυόφωνον.*

6. *Utuntur e ferulis*, &c.] Utuntur, inquit, ad coronamenta & corymbis, sive umbellis ferularum. *Ἀκροβαφεῖ* Scaliger, lib. 1. Epist. 17. ad Vertunianum, cum libris invitis omnibus, *spherulis* hoc loco reponit.

7. *Et edera flore.*] De quo dictum est lib. 16. sect. 62.

8. *Est & in alio.*] Vide quæ diximus lib 16. sect. proxime appellata.

9. *Et cneori.*] Sive casiæ, ut dictum est Theophr lib 6 hist. cap. 2. *Δύο δὲ εἴδη καὶ τοῦ κνεώρου· ὁ μὲν γὰρ λευκός, ὁ δὲ μέλας, ... ἔστι δὲ εὐώδης· ὁ δὲ μέλας ἄοσμος ... καὶ τὰς ἀνθήσεις ποιεῖ ... βλαστάνει δὲ καὶ αὐτοὶ μετ' ἰσημερίαν μετοπωρινήν.* De hac casia Virgilius, lib. 4. Georg. vers. 304. *Thymum, casiasque recentes.* Non est autem ea Lavendula, *la Lavende*, ut Dalecampio visum, post Anguillaram, part. 1. pag. 32. reclamante merito Dodonæo, pag. 273. & Matthiolo, pag. 45 & 56 Nigrum vero cneoron forte thymelæa est, ut Dodonæus suspicatur, pag. 360. & post eum Salmasius, pag. 405.

10. *Totidem & origani.*] Subintellige genera, ut cneori, nigra atque candida: hujus quidem fructuosi, illius infecundi. Theophr. loc. cit. *Καὶ τῆς ὀριγάνου δὲ ἡ μὲν μέλαινα ἄκαρπος· ἡ δὲ λευκὴ κάρπιμος.*

11. *Id cui odor.*] Plinius, lib. 20. sect. 69. de origano: *Optimum autem Creticum: nam & jucunde olet.*

Sect. XXXI. 1. *Totidem & thymi*, &c] Hæc iisdem verbis Theophr. loc. cit.

2. *Floret autem.*] Ad verbum hæc iterum Theophr. loco cit.

3. *Læditur.*] Theophr. loc. cit.

4. *Semen thymi.*] Theophr loc cit & lib. 1. de causis, cap 5 pag. 103. *Κατὰ μὲν οὖν ὁ φανερά, τὰ δὲ τῆς θύμου φανερά. συνεροδίαν γὰρ τῶν ἄνθων γεννῶσι*, &c.

Mellis Attici in toto orbe summa laus existimatur. [5] Ergo translatum est ex Attica thymum, & vix flore (uti docemus) satum. Sed alia ratio naturæ obstitit, non durante Attico thymo, [6] nisi in afflatu maris. Erat quidem hæc opinio antiqua in omni thymo, ideoque non nasci [7] in Arcadia. Tunc oleam non putabant gigni, [8] nisi intra ccc. stadia a mari. Thymis quidem nunc etiam lapideos campos in provincia Narbonensi refertos scimus: hoc pæne solo reditu, e longinquis regionibus pecudum millibus convenientibus, ut thymo vescantur.

XXXII. [1] Et conyzæ duo genera in coronamentis, mas ac femina. Differentia in folio, Tenuius feminæ, & constrictius, angustiusque: [2] imbricatum maris, & ramosius. Flos quoque magis splendet ejus, serotinus utrique post Arcturum. Mas odore gravior, [3] femina acutior: & ideo contra bestiarum morsus aptior. [4] Folia feminæ mellis odorem habent. Masculæ radix a quibusdam libanotis appellatur, [5] de qua diximus.

XXXIII. [1] Et tantum folio coronant Jovis flos, amaracus, hemerocalles, abrotonum, helenium, sisymbrium, serpyllum, omnia [2] surculosa, rosæ modo. [3] Colore tantum placet Jovis flos, odor abest: sicut & illi, qui Græce phlox vocatur: Et ramis autem & folio odorata sunt, [4] excepto serpyllo. [5] Helenium e lacrymis Helenæ dicitur natum, & ideo in Helene insula laudatissimum. Est autem frutex humi se spargens dodrantalibus ramulis, folio simili serpyllo.

XXXIV. [1] Abrotonum odore jucunde gravi floret: Est autem [2] flos aurei coloris. [3] Vacuum sponte provenit. Cacumine suo se propagat. [4] Seritur autem semine melius, quam radice aut surculo: semine quoque non sine negotio: plantaria transferuntur. [5] Sic & Adonium. Utrumque æstate. [6] Alsiosa enim admodum sunt: & Sole tamen nimio læduntur. Sed ubi convaluere, [7] rutæ vice fruticant. Abrotono simile odore [8] leucanthemum est, flore albo foliosum.

XXXV. [1] Amaracum Diocles medicus & Sicula gens appellavere, quod Ægyptus & Syria sampsuchum. [2] Seritur utroque genere, & semine & ramo, [3] vivacius supradictis, & odore melius. Copiosum amaraco æque, quam abrotono, semen: sed abrotono radix una

CAP. XI

NOTÆ.

5. *Ergo translatum.*] Theophr. loc. cit.

6. *Nisi in afflatu*] Nisi quo flatus e mari possit pertingere: Οὐ γὰρ φασὶ δύνασθαι ἐκλαμβάνειν, ὅπου μὴ ἀναπνοὴ ἀφικνεῖται ἀπὸ τῆς θαλάσσης. Theophr.

7. *In Arcadia.*] Theophrastus ergo errat, ita de thymo & olea sentiens, loc. cit.

8. *Nisi intra CCC.*] Vide quæ diximus lib. 15. sect. 1.

Sect. XXXII. 1. *Et conyzæ.*] Et his quoque Theophrastea simillima sunt, e lib. 6. histor. cap. 2. De utroque genere jam diximus superiore libro, sect. 63. & 64.

2. *Imbricatum.*] Imbricis modo curvum & obtortum. Imbrex tegula curva est, per quam imber defluit.

3. *Femina acutior.*] Theophr. Δριμυτέρα δὲ ἡ θήλεια. Hesychius: Δριμύ, ὀξύ. Ita porro M S S. non, ut editi prius, *acrior*. Aliud enim odor acris est, aliud acutus.

4. *Folia feminæ.*] Scilicet dum teruntur, ut dictum est libro superiore, sect. 64.

5. *De qua diximus.*] Libro 20 sect. 64.

Sect. XXXIII. 1. *Et tantum folio coronant.*] Nempe conyzæ duo genera proxime memorata: nam quæ subsequuntur, etiam flore coronant, rosæ modo. Theophr. lib. 6. histor. cap. 1. Ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς ἐστι, ῥοδωνιά, ἰωνιά, Διὸς ἄνθος, ἀμάρακος, ἡμεροκαλλές· ἔτι δὲ ἕρπυλλος, σισύμβριον, ἑλένιον, ἀβρότονον· ἅπαντα γὰρ ταῦτα ξυλώδη, καὶ μικρόφυλλα. Ut de ceteris sileam, Catullus certe, Carm. 62.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.

2. *Surculosa.*] Ξυλώδη, lignosa. Theophrast. loc. cit. & cap. 6.

3. *Colore tantum.*] Theophr. lib. 6. hist. cap. 6. Ἄνοσμον, ὥσπερ Διὸς ἄνθος, φλόξ. Jovis florem, inquit Ruellius, lib. 2. pag 448. rura nostra *cocolundas*, *Coquelourdes* nominant. Φλόγα, sive Φλόγινον, seu flammeam, nos violæ inodoræ genus esse remur, quam vulgus Gallicum Penseam, *Pensée* vocat, suffragante nobis Ruellio, pag 449. & Dodonæo, pag. 558. a quo viola tricolor assurgens appellatur

4. *Excepto serpyllo.*] Serpyllum tamen Theophrastus, ut cetera, & ramis & folio esse odoratum scribit, lib. 6. hist. cap. 6. Τῶν δὲ καὶ οἱ κλῶνες, καὶ τὰ φύλλα, καὶ ὅλως ἡ πᾶσα φύσις εὔοσμος· οἷον ἑρπύλλου, ἑλενίου, σισυμβρίου.

5. *Helenium e lacrymis.*] Fabulam apud Nicandrum in Theriacis vide, & apud Phavorinum. Ælianum quoque, si lubet, adi, lib. 9. hist. anim. cap. 21. Helenium istud Ægyptium est, orbi huic nostro incognitum, de quo eadem fere Diosc lib. 1. cap. 28. ex Crateva recitat. In Etymologico Phavorini: Ἑλένιον, βοτάνη ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γενομένη. εἴρηται ἐκ τῶν τῆς Ἑλένης δακρύων ἀναφῦναι. ὅτι ἐπὶ Κανώβῳ τῷ κυβερνήτῃ Μενελάου δηχθέντι ὑπὸ αἱμοῤῥοΐδος ἀποθανόντι. Hoc & nectarion appellavere, ob suavitatem succi, quam dotem Plinius animadvertit inferius, sect. 91. Hinc nectarites vinum, de quo lib. 14. sect. 19. num. 5.

Sect. XXXIV 1. *Abrotonum.*] Ἀβρότονον. Galli nunc vocant, Latinos imitati, *Aurone*: aliqui vestiarum custodem, *Garderobe*, quod armariis sparsum vestes a tineis vindicet. A Lobelio pingitur mas & femina, duo enim sunt ejus genera, in Observ. pag. 443. Diosc. lib. 3. cap 29. Ἀβρότονον... ἄνθους... ἄνθει χρυσίζοντι, εὐώδες μετὰ βάρους, πικρὸν τῇ γεύσει.

2. *Flos aurei.*] Ita Diosc. loc. cit.

3. *Vacuum sponte.*] Hoc est, ut quidem interpretor, semine vacuum, vel sine semine sponte provenit. Causa subjungitur, quoniam cacumine suo se propagat, dum vertex suo pondere delapsus terra excipitur, & radices agit. Libris omnibus adversantur, qui vel *vacuus sponte*, vel, ut Pelicerio placuit in Notis M S S. *vasculis depositum* legunt.

4. *Seritur autem semine.*] Vide Notas & Emendat. num. VIII.

5. *Sic & Adonium.*] In Indice pariter, *De Abrotono: Adonium*. Quid Adonium sit Plinio, satis ex Theophrasti verbis potest colligi, id esse abrotoni genus, quod in turbinibus cadorum, aut testa, viviradice comprehendit, in quem modum Adonidis hortulos pangebant. Sic enim Græcus auctor, lib. 6. hist. cap. 7. de abrotono: Προμοσχεύεται ἐν ὀστράκοις, ὥσπερ οἱ Ἀδώνιδος κῆποι. Τῷ σπέρματι δὲ σπείρεται, &c. Hic tragice, pro suo more, infeliciter tamen, in Plinium Salmasius invehitur, in Præfat. pag. 100. & 101. errorisque insimulat, quem ut Plinio objiceret, a Dalecampio, quem tamen non laudat, est mutuatus.

6. *Alsiosa.*] Facile læduntur a frigore. Theophr. loc. cit. de abrotono. Τῷ σπέρματι δὲ σπείρεται· δυσεργὸν γὰρ σφόδρα, καὶ ὅλως ἐπίκηρον, ὅταν καὶ ὁ ἥλιος σφόδρα λάμπῃ.

7. *Rutæ vice.*] Vide Notas & Emend. num. IX.

8. *Leucanthemum.*] Differt ab ea quæ anthemis appellatur, & leucanthemon, lib. 22. sect. 26. De ea nobis nihil compertum

Sect. XXXV. 1. *Amaracum.*] Diosc. lib. 3. cap. 47. Σάμψυχον... καλεῖται δὲ ὑπὸ Κυζικηνῶν, καὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ ἀμάρακον. Majorana nostra. *La Marjolaine*, vulgus officinarum existimat esse veterum sampsuchum, amaracumve: sed falso errore: πολύκλωνος enim, ut cetera argumenta sileam, per terram repit, πολὺ ἕρπουσα ἐπὶ τῆς γῆς, teste Diosc. Majorana in altum assurgit.

2. *Seritur utroque*] Theophr lib. 6 hist. cap. 7. Ὁ δὲ ἀμάρακος ἀμφοτέρως φύεται, καὶ ἀπὸ παρασπάδος, καὶ ἀπὸ σπέρματος.

3. *Vivacius prædictis.*] Abrotono, & adonio.

& alte descendens: ceteris in summa terra leviter hærens. Reliquorum satio autumno fere incipiente, nec non & vere quibusdam locis, quæ umbra gaudent, & aqua, ac fimo.

XXXVI. [1] Nyctegretum inter pauca miratus est Democritus, [2] coloris hysgini, folio spinæ, nec a terra se attollentem, præcipuam in Gedrosia narrat. Erui post æquinoctium vernum radicitus, siccarique ad Lunam triginta diebus, ita lucere noctibus. Magos Parthorumque reges uti hac herba ad vota suscipienda. Eamdem vocari [3] chenomychon, quoniam anseres a primo conspectu ejus expavescant: ab aliis [4] nyctalopa, quoniam e longinquo noctibus fulgeat.

XXXVII. [1] Melilotos ubique nascitur: laudatissima tamen in Attica: ubicumque vero recens nec candicans, & croco quam simillima: quanquam in Italia odoratior candida.

XXXVIII. [1] Florum prima ver nunciantium viola alba. [2] Tepidioribus vero locis etiam hieme emicat. Postea quæ ion appellatur, & purpurea. [3] Proxime flammea, quæ & phlox vocatur, silvestris dumtaxat. [4] Cyclaminum bis anno, vere & autumno: æstates hiemesque fugit. [5] Seriores supra dictis aliquando narcissus & lilium trans maria: in Italia quidem, [6] ut diximus, post rosam. Nam in Græcia tardius etiamnum anemone. [7] Est autem hæc silvestrium bulborum flos, aliaque quam quæ [8] dicetur in medicinis. [9] Sequitur œnanthe, [10] melianthum: ex silvestribus heliochrysos. Deinde alterum [11] genus anemones, quæ limonia vocatur. Post hanc gladiolus comitatus hyacinthis. [12] Novissima rosa: eademque prima deficit excepta sativa: [13] e ceteris hyacinthus maxime durat, & viola alba, & œnanthe: [14] sed hæc ita, si divulsa crebro prohibeatur in semen abire. Nascitur locis tepidis. Odor idem ei, qui germinantibus uvis, atque inde nomen.

Hyacinthum comitatur [15] fabula duplex, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut Græcarum litterarum figura AI legatur inscripta.

[16] Heliochrysos florem habet auro similem, folium tenue, cauliculum quoque gracilem, sed durum. [17] Hoc coronare se Magi, si & unguenta sumantur ex auro, [18] quod

NOTÆ.

Sect. XXXVI. 1. *Nyctegretum.*] Νυκτέγρετον, quasi nocturnas agens excubias. Sunt qui hanc esse censeant, quam Chimistæ Lunariam nominant, noctibus cum Luna lucentem: inde nomen, inquit Ruellius, lib. 2. pag. 457.

2. *Coloris hysgini.*] Ita MSS. Reg. Colb. &c. non *ignei*.

3. *Chenomychon.*] Χηνόμυχον, quod anseres χῆνες ea visa in recessus locaque abdita, εἰς τοὺς μυχοὺς, fugiunt.

4. *Nyctalopa.*] Ita MSS. Reg. Colb. Th. tum hoc loco, tum in Indice, non ut olim, *nyctilopa*. Νυκτάλωπας similiter quos Græci vocent, dicemus lib. 28. sect. 47.

Sect. XXXVII. 1. *Melilotos &c.*] Hæc verbis iisdem interpres Oribasii, lib. 11. fol. 205. post Dioscor. lib. 3. cap. 48.

Sect. XXXVIII. 1. *Florum prima.*] Totidem verbis hæc traduntur a Theophrasto, lib. 6. histor. cap. 7. Transcripsit & Athenæus, lib. 15. pag. 680.

2. *Tepidioribus.*] Theophr. loc. cit.

3. *Proxime flammea.*] Flos ille nimirum, quem & φλόγα & φλόγινον appellari diximus sect. 33. Theophr. Ἅμα δὲ τῷ ἴῳ, ἢ μικρὸν ὕστερον τὸ φλόγινον καλούμενον τὸ ἄγριον. Jovis flamma eadem appellatur, lib. 27. Hic Plinium immerito Salmasius carpit, in Solin. pag. 1361.

4. *Cyclaminum.*] Ita MSS. veteres, ipso Pintiano teste. In Reg. 1. Colb. 1. *Cochaminum.* In Reg. 2. *Clyclaminum.* In Thuanæo, *Cilaclaminum.* In editis, insulse *Coclaminum.*

5. *Seriores .... lilium*] Album scilicet, quod λείριον appellavimus, sect. 11. Theophr. lib. 6. histor. cap. 7. Μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος, καὶ τὸ λείριον, καὶ τῶν βολβῶν ἄνθος.

6. *Ut diximus.*] Sect. 11. ubi lilium medio rosarum proventu incipere dicitur.

7. *Est autem hæc.*] Theophrasti oratio ex Athenæo refingenda est, a quo ea transcripta accuratius est, quam in libris nunc editis legitur: Καὶ λείριον, inquit, lib. 15. pag. 680. καὶ ἐκ τῶν ἀγρίων ἀνεμώνης γένος τὸ καλούμενον ὄρειον, καὶ τὸ τοῦ βολβοῦ κώδιον. *Postea lilium, & ex tribus anemones generibus genus illud, quod montanum vocant, & bulbi codion.* Sed quod sit genus illud anemones, nec se nosse quidem, quod ingenui viri est, palam præ se fert.

8. *Dicetur in medicinis.*] Infra, sect. 94.

9. *Sequitur œnanthe.*] Ea quæ describetur inferius, sect. 95. Theophr. lib. 6. hist. cap. 7. & ex illo Athenæus, loc. cit. Ἐπὶ δὲ τούτοις ἡ οἰνάνθη, καὶ τὸ μελάνθιον, καὶ τῶν ἀγρίων ὅ τε ἑλειόχρυσος, καὶ τῆς ἀνεμώνης ἡ λειμωνία καλουμένη, καὶ τὸ ξίφιον, καὶ ὑάκινθος.

10. *Melianthum.*] Vide Notas & Emend. num. X.

11. *Genus anemones.*] Et hoc hortense, & coronarium: *l'Anemone* diversum a silvestribus ac medicis anemones generibus, de quibus sect. 94. Centum & quinquaginta anemones genera in horto Regio vidimus. Hanc Theophrastus λειμωνίαν vocat, quasi pratensem.

12. *Novissima rosa &c.*] Et hæc habet Theophr. loc. cit.

13. *E ceteris hyacinthus &c.*] Theophr. loc. cit.

14. *Sed hæc ita.*] Ita diutissime floret, inquit, si crebro florem vellas auferasque, nec semenescere sinas, nec solum apricum desit: Theophr. Πολυχρονιώτατον δὲ καὶ ἡ οἰνάνθη· καὶ γὰρ τοῦ χειμῶνος μὲν ... ἐάν τις ἀποτίλλῃ τὸ ἀφαιρῇ τὸ ἄνθος, καὶ μὴ ἐᾷ σπερματοῦσθαι, καὶ ὅταν τόπος εὐήλιος ᾖ.

15. *Fabula duplex.*] Alteram describit Ovidius lib. 10. Metam. a vers. 162. ad 220. ubi Hyacinthi pueri, quem Apollo adamarat, in florem sui nominis conversionem enarrat. Alteram, lib. 13. vers. 135. ubi Ajacem in eumdem quoque florem mutatum scribit: in quo

Littera communis mediis pueroque, viroque,
Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.

Nam in illo flore inscripta diphthongus Græca AI, querimoniæ simul index est occisi ab Apolline puerili, dum simul disco luderent: & Ajaci eadem, nominis nota. De Apolline puerum lugente, Ovidius:

Ipse suos gemitus foliis inscribit, & AI AI
Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.

Prudentius quoque, περὶ στεφάνων, hym. 10. in S. Romanum, vers. 191.

Mox flevit imparatus accisum gratis
Disco, & dicavit floruleutum succubam:

Nempe Hyacinthum Apollo. De nomine Ajacis lugubri, ipse Ajax apud Sophoclem:

Αἰαῖ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοί,
Καὶ τρίς.

16. *Heliochrysos.*] Theophr. lib. 9. hist. cap. 21. Ἔχει δὲ ὁ ἑλειόχρυσος τὸ μὲν ἄνθος χρυσοειδὲς, φύλλον δὲ λεπτὸν (non λευκὸν) καὶ τὸ καυλὸν δὲ λεπτὸν καὶ σκληρόν. Nomen ei a gemina causa: & ab aureo flore, & a paludibus in quibus oritur. Hanc amaranti nomine Galenus intellexit, nec aliter vocavit. Rura nostra, inquit Ruellius, lib. 3. pag. 604. vocant *Chanesum matiu.* Hujus corymbos rustici, ut qui non facile marcescant, ad hibernas reservant coronas. A Dodonæo pingitur, pag. 267. Dicemus de ea iterum sect. 96.

17. *Hoc coronare.*] Theophr. loc. cit. Εὐδοξεῖ δὲ καὶ ἐάν τις τῷ ἑλειοχρύσῳ τῷ ἄνθει στεφανῶται, μύρῳ ῥαίνων ἐκ χρυσίου ἀπύρου.

18. *Quod apyron.*] Quod ignem non sit expertum.

apyron vocant, ad gratiam quoque vitæ gloriamque pertinere arbitrantur. Et verni quidem flores hi sunt.

XXXIX. Succedunt illis æstivi, [1] lychnis, & Jovis flos, [2] & alterum genus lilii. [3] Item tiphyon, & amaracus, quem Phrygium cognominant. [4] Sed maxime spectabilis pothos. Duo genera hujus: unum, cui flos hyacinthi est: alterum candidius, [5] qui fere 5 nascitur in tumulis, quoniam [6] fortius durat. [7] Et iris æstate floret. Abeunt & hi, marcescuntque. Alii rursus subeunt autumno: [8] Tertium genus lilii: & crocum in utroque genere: unum hebes, alterum odoratum: primis omnia imbribus emicantia. [9] Coronarii quidem & spinæ flore utuntur: quippe cum spinæ albæ cauliculi inter oblectamenta gulæ quoque condiantur. Hic est trans maria ordo florum. In Italia violis succedit rosa: huic in- 10 tervenit lilium: rosam cyanus excipit, cyanum amarantus. Nam [10] vincapervinca semper viret, [11] in modum lineæ foliis geniculatim circumdata, [12] topiaria herba. Inopiam tamen florum aliquando supplet. Hæc a Græcis chamædaphne vocatur.

XL. [1] Vita longissima violæ albæ est trimatu. Ab eo tempore degenerat. [2] Rosa & quinquennium perfert, nec recisa, nec adusta. Illo enim modo juvenescit. [3] Diximus & 15 terram referre plurimum. [4] Nam & in Ægypto sine odore hæc omnia: [5] tantumque myrtis odor præcipuus. Alicubi etiam binis mensibus antecedit germinatio omnium. Rosaria a Favonio fossa oportet esse, iterumque solstitio: Et id agendum, ut intra id tempus perpurgata ac pura sint.

XLI. Verum hortis coronamentisque maxime alvearia & apes conveniunt, res præci- 20 CAP. XII. pui quæstus compendiique, cum favit. [1] Harum ergo causa oportet serere thymum, [2] apiastrum, rosam, violas, lilium, cytisum, fabam, erviliam, [3] cunilam, papaver, conyzam, [4] casiam, melilotum, [5] melissophyllum, cerinthen. [6] Est autem cerinthe folio candido, incurvo, cubitalis, capite concavo, mellis succum habente. Horum floris avidissimæ sunt, atque etiam sinapis, quod miremur, [7] cum olivæ florem ab his non attingi 25 constet: ideoque hanc arborem procul esse melius sit: [8] cum aliquas quam proxime seri conveniat, quæ & evolantium examina invitent, nec longius abire patiantur.

XLII. Cornum quoque arborem caveri oportet: [1] flore ejus degustato, alvo cita moriuntur. Remedium, sorba contusa e melle præbere his, [2] vel urinam hominum, vel

NOTÆ.

Sect. XXXIX. 1. *Lychnis.*] Theophr. lib. 6. hist. cap. 7. *Τὰ δὲ θέρινα μᾶλλον, ἥ τε λυχνὶς, καὶ τὸ Διὸς ἄνθος.*

2. *Et alterum genus lilii.*] Rubens scilicet, quod Græci κρίνον vocant, ut dictum est sect. xi. Candidum enim inter vernos flores sup. sect. recensitum est.

3. *Item tiphyon.*] Theophr. loc. cit. & ex eo Athenæus lib. 15. pag. 679. *Καὶ τὸ τίφυον, καὶ ὁ ἀμάρακος ὁ Φρύγιος.* In MSS. Reg. & Colb. *Tiphon.* In Indice, *Tiphyon.* In Thuan. *typhyon.* Theophr. ipse lib. 7. hist. cap. 12. τὸ τίφυον scripsisse videtur. Et lib. 1. de causis, cap. 10. τὸ τίφυον. Quid sit porro tiphyon, nescit Anguillara, part. 12. pag. 212. neque nos exploratum habemus.

4. *Sed maxime .... pothos. Duo genera &c.*] Traduntur hæc quoque a Theophr. lib. 6. histor. cap. 7. Πόθος nos arbitramur esse, quem modo florem Constantinopolitanum vocant, Galli *Croix de Hierusalem*, in horto Eystettensi pictum apprime, & apud Dodon. pag. 178.

5. *Qui fere nascitur in tumulis.*] Forte, *qui fere jacitur in tumulis*: Nam ita Theophr. lib. 6. hist. cap. 7. *ᾧ χρῶνται πρὸς τοὺς τάφους.* Sic enim legit Athenæus, lib. 15. pag. 679.

6. *Fortius durat.*] Χρονιώτερος, Theophr. *diutius vivit.*

7. *Et iris.*] Theophr. loc. cit. *Ἀνθεῖ δὲ καὶ ἡ ἶρις τοῦ θέρους.*

8. *Tertium genus lilii.*] Purpureum videlicet, sive narcissum, de quo superius sect. 12. quod Theophrasto lib. 6. hist. cap. 6. alterum λειρίου genus est, ὁ δὲ ναρκισσος, ἢ τὸ λείριον. Quare rursum secundum lilii genus appellat, cap. 7. Τὸ δὲ λείριον τὸ ἕτερον, καὶ ὁ κρόκος, ὁ τε ὀρεινὸς ἄοσμος, καὶ ὁ ἥμερος· τοῦτο γὰρ ἀνθοῦσι τοῖς πρώτοις ὕδασιν, subintellige ex antecedentibus, μετοπώρου.

9. *Coronarii .... & spinæ flore.*] Dum spinæ florem audis, acanthi duplex genus intellige, de quo lib. 22. sect. 34. *Brancam Ursinam* vocant. Plinius in indice hujus loci id satis perspicue admonet, cum ea appellat ex ordine, quæ nunc explanat uberius: *Pothi genera duo. Ursinæ genera duo: Vincapervinca*, &c. De spina alba dicetur, lib. 24. sect. 66.

10. *Vincapervinca.*] Retinet in officinis nomen *Pervenche.* Delineatur a Dodonæo, pag. 401. ubi ab eo Clematis daphnoides major appellatur. Vidimus in horto Regio.

11. *In modum lineæ.*] Alii, *in modum lini.* Dodonæus, loc. cit. *in modum lauri.* Utrique male. Linea hoc loco est, quam formidinem alii in venatione appellitant, vario plumarum nexu discolorem, qua terrentur apri, cervique. Hanc, foliorum congerie, plane repræsentat vincapervinca.

12. *Topiaria herba.*] Topiarium intelligitur opus, quod ex arbore, frutice, vel herba, ad decorem componebatur in testudines, aut cameras fornicatum: hinc topiariæ dici merentur arbores, vel herbæ, quæ nimirum huic operi, quod flexiles sunt, & suo lentore sequaces, accommodantur.

Sect. XL. 1. *Vita longissima.*] Theophr. lib. 6. hist. cap. 7.

2. *Rosa &c.*] Theophr. loc. cit. *Ῥοδωνίας δὲ πέντε τὰ ἔτη ... μὴ ἐπικαομένας ... ἐπιτεμνομένας.*

3. *Diximus.*] Sect. 10.

4. *Nam in Ægypto.*] Theophr. loc. cit.

5. *Tantumque myrtis.*] Theophr. loc. cit. Cur porro myrtus in Ægypto odoratissima sit, reliquæ inodoratæ gignantur, causam idem investigat, lib. 6. de causis, cap. 27. pag. 385.

Sect. XLI. 1. *Harum ergo causa.*] Traduntur hæc etiam a Varrone, lib. 3. de re rust. cap. 9. pag. 320.

2. *Apiastrum.*] Hoc est, agreste apium, ἀγριοσέλινον, non melissophyllon, de quo mox. Columella, lib. 9. cap. 8. pag. 328. *Sunt qui per initia veris apiastrum, atque (ut ille vates ait) trita meliphylla, & cerinthæ ignobile gramen, aliasque colligant similes herbas, quibus id genus animalium delectatur, & ita alvos perfricent, ut odor & succus vasis inhæreat.*

3. *Cunilam.*] Sive satureiam, de qua lib. 19. sect. 50.

4. *Casiam.*] Seu cneorum, de quo sect. 30.

5. *Melissophyllum.*] Quod & apiastrum Hyginus vocavit, sect. 29.

6. *Est autem cerinthe.*] Ea est quæ cerinthe quorumdam major versicolore flore appellatur a Clusio, delineaturque lib. 5. hist. rar. plant. pag. clxvij. visa a nobis in horto Regio. Cave Ruellio credas qui Pasquetam putat esse, lib. 2. pag. 446.

7. *Cum olivæ.*] Vide quæ diximus lib. xi. sect. 8.

8. *Cum aliquas quam proxime.*] Ut palmam, & oleastrum, Virgil. lib. 4. Georg. vers. 20.

Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbret:
Ut cum prima novi ducent examina reges,
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.

Sect. XLII. 1. *Flore ejus degustato.*] Et floribus tithymalli, ulmique samera degustatis, alvi profluvio apes interire Columella prodidit, lib. 9. cap. 13.

2. *Vel urinam &c.*] Sic etiam Hyginus apud Columellam, loc. cit.

boum, [3] aut grana Punici mali, ammineo vino conspersa. At genistas circumseri alveariis gratissimum.

XLIII. Mirum est dignumque memoratu, de alimentis quod comperi. [1] Hostilia vicus alluitur Pado. Hujus inquilini pabulo circa deficiente imponunt navibus alvos, noctibusque quina millia passuum contrario amne naves subvehunt. Egressæ luce apes pastæque, ad naves quotidie remeant, mutantes locum, donec pondere ipso pressis navibus plenæ alvi intelligantur, revectisque eximantur mella. * Et in Hispania mulis provehunt, simili de causa.

* Cap. XIII.

XLIV. Tantumque pabulum refert, ut mella quoque venenata fiant. [1] Heracleæ in Ponto, quibusdam annis perniciosissima existunt, ab iisdem apibus facta. Nec dixere auctores, e quibus floribus ea fierent. Nos trademus, quæ comperimus. Herba est ab exitio & jumentorum quidem, sed præcipue caprarum, appellata [2] ægolethron. Hujus flores concipiunt noxium virus, aquoso vere marcescentes. Ita fit, ut non omnibus annis sentiatur hoc malum. Venenati signa sunt, quod omnino non densatur, quod color magis rutilus est, odor alienus, [3] sternumenta protinus movens, quod ponderosius innoxio. Qui edêre, abjiciunt se humi, refrigerationem quærentes: [4] nam & sudore diffluunt. Remedia sunt multa, quæ [5] suis locis dicemus. Sed quoniam statim repræsentari aliqua in tantis insidiis oportet, [6] mulsum vetus e melle optimo & ruta: salsamenta etiam, si rejiciantur sumpta crebro. Certumque est id malum [7] per excrementa ad canes etiam pervenire, similiterque torqueri eos. Mulsum tamen ex eo inveteratum, innocuum esse constat: & feminarum cutem nullo melius emendari cum costo, sugillata [8] cum aloë.

XLV. [1] Aliud genus in eodem Ponti situ, gente Sannorum, mellis, quod ab insania, quam gignit, [2] mænomenon vocant. Id existimatur contrahi flore rhododendri; quo scatent silvæ. Gensque ea, cum ceram in tributa Romanis præstet, mel (quoniam exitiale est) [3] non vendit. Et in Perside, & in Mauretaniæ Cæsariensis Gætulia, contermina Massæsylis, venenati favi gignuntur: quidamque a parte, quo nihil esse fallacius potest, nisi quod livore deprehenduntur. Quid sibi voluisse Naturam iis arbitremur insidiis, ut ab iisdem apibus, nec omnibus annis fierent, aut non totis favis? Parum erat genuisse rem, in qua venenum facillime daretur: etiamne hoc ipsa in melle tot animalibus dedit? Quid sibi voluit, nisi ut cautiorem minusque avidum faceret hominem? [4] non enim & ipsis jam apibus cuspides dederat, & quidem venenatas? remedio adversus has utique non differendo. [5] Ergo malvæ succo, aut foliorum ederæ perungi salutare est, vel percussos eas bibere. [6] Mirum tamen est, venena portantes ore, fingentesque ipsas non mori: nisi quod illa domina rerum omnium hanc dedit repugnantiam apibus: sicut contra serpentes [7] Psyllis Marsisque inter homines.

Cap. XIV.

XLVI. Aliud in Creta miraculum mellis. [1] Mons est Carina IX. M. passuum ambitu: intra quod spatium muscæ non repetiuntur, natumque ibi mel nusquam attingunt. Hoc experimento singulare medicamentis eligitur.

XLVII. [1] Alvearia orientem æquinoctialem spectare convenit. Aquilonem evitent: nec Favonium minus. [2] Alvos optimas e cortice, secundas ferula, tertias vimine. [3] Multi eas & e speculari lapide fecere, ut operantes intus spectarent. [4] Circumlini alvos fimo bu-

NOTÆ.

3. *Aut grana Punici.*] Columella, loc. cit. & Palladius, lib. 4. in Martio, tit. 15. pag. 106.

Sect. XLIII. 1. *Hostilia.*] Hostilia vicus Veronensium, inquit Tacitus, lib 3 hist. pag. 63 Nunc est Ferrariensis agri, & nomen servate *Ostiglia.*

Sect. XLIV. 1. *Heraclea.*] Sic Diosc. lib 2. cap. 103. & lib. 2. Εὐπορ. cap. 138. pag. 121.

2. *Ægolethron.*] Quod sit αἰγῶν ὄλεθρος, caprarum pernicies D. de Tournefort, in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1704 pag. 351. hunc Plinii locum insigniter laudat; & ægolethron potat esse plantam, quam ipse Chamærhododendron Ponticam appellat, delineatque pag. 348

3. *Sternumenta.*] Diosc. loc cit.

4. *Nam & sudore.*] Diosc loc. cit.

5. *Suis locis dicemus*] Libro 29 sect. 31 &c.

6. *Mulsum vetus*] De mulso & salsamentis, concinit Plinio Diosc loc. cit. sed ita ut salsamenta vomitione rejiciantur, quæ Plinii quoque mens est

7. *Per excrementa*] Sic libri vulgati, cum Reg. 1. cod. At Reg. 2. & Chifl. *per excrementa* An excreationes intelligunt, quas lambere canes solent? De excremento seu stercore, Diosc. lib 2. Εὐπορ. cap. 138 accepit. Τὴν ἄφοδον ἢ τῶν φαγόντων τὸ μέλι αὐτὸ, ἢ κύνες φαγόντες, τὸ αὐτὸ πάσχουσι.

8 *Cum aloe.*] Sic etiam MSS. Diosc. loc. cit. *cum sale*, μετ' ἢ ἁλὸς, πλάσματα.

Sect. XLV. 1. *Aliud genus.*] De eo melle insano, vide Diodor Sicul. lib. 14. pag 260 Ælianus, lib 5. hist. anim. cap. 42 & auctor libri de Mirab. auscult. e buxo legi mel istud aiunt.

2. *Mænomenon.*] Μαινόμενον Græce *insania.*

3 *Non vendit.*] Forte rectius, *non pendit.*

4. *Non enim & ipsis.*] Hoc est, quasi non apes ipsæ haberent, quo lædere possent, & hominem esse cautiorem cogerent.

5. *Ergo malvæ succo.*] Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 121. pag. 116.

6 *Mirum tamen.*] Mirari subit, cur apes ipsæ non moriantur, quæ venena portant ore, & venena fingunt.

7. *Psyllis Marsisque.*] De quibus dictum est lib. 7. sect. 2.

Sect. XLVI. 1. *Mons est Carina.*] Sic MSS. Reg Colb 2. &c Quidam *Carma.* Colb. 1. *Narina.* Forte *Carnia*: cujus nominis montem in Arcadia esse auctor est Callimachus, hym. in Dian vers. 109 Montem Cretæ, melle nobilem, ut Atticæ Hymettum, auctor Geopon. lib. 15. cap. 7. Ἀνχυκομμαχίον vocat.

Sect. XLVII. 1. *Alvearia orientem.*] Deflecti in orientem brumalem præcipit Columella, lib. 9. cap. 7. pag 315. Palladius quoque, lib. 1. cap. 38 pag. 33.

2. *Alvos optimas*] Columella, lib. 9. cap. 6. pag 313. *Igitur ordinatis sedibus, alvearia fabricanda sunt pro conditione regionis: sive illa ferax est suberis, haud dubitanter utilissimas alvos faciemus ex corticibus, quia nec hieme rigent, nec candent æstate: sive ferulis exuberat, iis quoque, cum sint natura corticis similes, e quibus commode vasa texuntur. Si neutrum aderit, opere textorio salicibus connectuntur*, &c. Sic etiam Palladius loc. cit. Deoique Varro, lib. 3. de re rust. cap. 16. pag. 110.

3. *Multi eas.*] Et e vitro, & e cornu laternæ condita alvearia vidimus, lib. XI. sect. 16.

4. *Circumlini.*] Varro, loc. cit. *Vitiles fimo bubulo oblinunt intus & extra, ne asperitate absterreantur.*

bulo utilissimum, operculum a tergo esse [5] ambulatorium, ut proferatur intus, si magna sit alvus, aut sterilis operatio, ne desperatione curam abjiciant: [6] id paulatim reduci, fallente operis incremento. [7] Alvos hieme stramento operiri, crebro suffiri, maxime [8] fimo bubulo. [9] Cognatum hoc iis, innascentes bestiolas necat, araneos, papiliones, teredines: apesque ipsas excitat. Et araneorum quidem exitium facilius est: papilio pestis major. [10] Tollitur vere, cum maturescit malva, noctu, interlunio, cælo sereno, accensis lucernis ante alvos. In eam flammam sese ingerunt.

XLVIII. [1] Si cibus deesse censeatur apibus, uvas passas siccasve, ficosque tusas, ad fores earum posuisse conveniat. [2] Item lanas tractas madentes passo, aut defruto, aut aqua mulsa. Gallinarum etiam [3] crudas carnes. Quibusdam etiam æstatibus iidem cibi præstandi, cum siccitas continua florum alimentum abstulit. Alvorum, cum mel eximitur, illini oportet exitus, melissophyllo aut genista tritis: aut medias alba vite præcingere, ne apes diffugiant. Vasa mellaria aut favos lavari aqua præcipiunt: hac decocta, fieri saluberrimum acetum.

XLIX. [1] Cera fit expressis favis, sed ante purificatis aqua, & triduo in tenebris siccatis, quarto die liquatis igni in novo fictili, aqua favos tegente, tunc sporta colatis. Rursus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua, excipiturque alia frigida, vasis melle circumlitis. Optima, [2] quæ Punica vocatur. [3] Proxima quam maxime fulva, odorisque mellei, pura, natione autem Pontica, quam constare equidem miror [4] inter venenata mella: [5] deinde Cretica, plurimum enim ex propoli habet, [6] de qua diximus in natura apum. Post has Corsica, quoniam ex buxo fit, habere quamdam vim medicaminis putatur. [7] Punica fit hoc modo. Ventilatur sub divo sæpius cera fulva. Deinde fervet in aqua marina, ex alto petita, addito nitro. [8] Inde lingulis hauriunt florem, id est, candidissima quæque, transfunduntque in vas, quod exiguum frigidæ habeat. Et rursus marina decoquunt separatim: dein vas ipsum refrigerant. Et cum hæc ter fecere, juncea crate sub dio siccant Sole, Lunaque: hæc enim candorem facit. Sol siccat: & ne liquefaciat, protegunt tenui linteo. Candidissima vero fit post insolationem etiamnum recocta. Punica medicinis utilissima. Nigrescit cera addito chartarum cinere, sicut anchusa admixta rubet. Variosque in colores pigmentis traditur, ad edendas similitudines, & innumeros mortalium usus, [9] parietumque etiam & armorum tutelam. Cetera de melle apibusque in natura earum dicta sunt. Et hortorum quidem omnis fere ratio peracta est.

L. Sequuntur herbæ sponte nascentes, quibus pleræque gentium utuntur in cibis, maximeque Ægyptus, frugum quidem fertilissima, sed ut prope sola iis carere possit: tanta est ciborum ex herbis abundantia. In Italia paucissimas novimus, fraga, [1] tamnum, [2] ruscum, [3] batin marinam, batin hortensiam, quam aliqui asparagum Gallicum vocant. Præter has [4] pastinacam pratensem, [5] lupum salictarium, eaque verius oblectamenta, quam cibos. CAP. XVI.

NOTÆ.

5. *Ambulatorium.*] Mobile, ut proferatur intus, cum opus, & sic coangustetur alveare, si majus æquo sit, ne in vasto loco & inani despondeant animum Varro. loc. cit.

6. *Id paulatim reduci.*] Subintellige, utilissimum. Quod autem sequitur, *fallente operis incremento*, simili forma loquendi Seneca usus, lib. 3. Nat. quæst. cap. 27. *Natura parce utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus.*

7. *Alvos hieme.*] Sic MSS. omnes ubique: sic Varro, & alii, alvos femineo genere pro alveari dixere.

8. *Fimo bubulo.*] Columella, lib. 9. cap. 14 pag 336.

9. *Cognatum hoc iis &c.*] Columella, loc. cit. & Pallad. lib. 4. in Martio, tit. 15. pag. 107.

10. *Tollitur vere.*] Colum. lib. 9. cap. 14 pag. 338. *Quo tempore florent... si vas aneum simile miliario vespere ponatur inter alvos, & in fundum ejus lumen aliquod demittatur, undique papiliones concurrunt: dumque circa flammulam volitant, aduruntur.* Ita Pallad. lib. 5 in Aprili, tit. 8 pag. 113. Sic porro MSS. omnes: non, ut editi, *Tollitur vero.*

Sect. XLVIII. 1. *Si cibus.*] Varro, lib. 3. de re rust. cap. 16. pag. 110. *Praparandus his cibus, ne tum melle cogantur solo vivere... Igitur ficorum pinguium... in assas prope apponunt... Alii aquam mulsam in vasculis prope ut sit, curant: in qua addunt lanam purpuream, per quam sugant: uno tempore, ne pota nimium impleantur, aut ne incidant in aquam... Alii uvam passam, & ficum cum pinserunt, affundunt sapam &c.* Vide etiam Colum. loc. cit pag 339.

2. *Item lanas tractas.*] Carminatas, pexas.

3. *Crudas carnes.*] Ita libri vulgati, cum Colb. 1. Rectius forte, cum Reg. 1. 2. Colb. 2. Th. & Chiffl. *nudas carnes*, hoc est, a pelle exutas, ac pingui, ut exhiberi ægris solet.

Sect. XLIX. 1. *Cera fit.*] Eleganter Columella, lib. 9. cap. 16. pag. 344 *Expressa favorum reliquia, postea quam diligenter aqua dulci proluta sunt, in vas aneum conjiciuntur: adjecta deinde aqua liquantur ignibus: quod ubi factum est, cera per stramenta vel juncos defusa colatur: atque iterum similiter de integro coquitur, & in quas quisque voluit formas, aqua prius dejecta, defunditur.*

2. *Quæ Punica.*] Candoris eximii.

3. *Proxima quam.*] Sic Diosc lib. 2. cap. 105.

4. *Inter venenata mella.*] Quæ in eodem Ponti situ nascuntur, ut dictum est sect 44. & 45.

5. *Deinde Cretica.*] Diosc loc. cit.

6. *De qua diximus*] Libro 11. sect. 6.

7. *Punica fit.*] Hunc fere modum candidissimæ ceræ concinnandæ tradit Diosc. loc. cit.

8. *Inde lingulis.*] Ita MSS. sive, ut editi, *ligulis*. hoc est, cochlearibus.

9. *Parietumque*] Ad tutelam picturæ, qua parietes, clypeosque, & arma reliqua ornabant, quasi cujusdam tectorii vice, ceræ tenuissimæ crustam cortumve inducere, mos veterum fuit, nunc antiquatus. Cereorum nulla fit mentio.

Sect. L. 1. *Tamnum.*] Ita MSS. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. tum hoc loco, tum in Indice: non *tamum*, ut editi. Vitis silvestris Dodonæi est, pag. 398. Vitis nigra Matthioli, pag. 1285. cujus fructus uva taminia appellatur. Hæc Martio mense mittit asparagos seu prima germina: quæ digesta in fasciculos venalia circumferunt, & asparagorum more decocta mandunt.

2. *Ruscum*] Seu myrtum silvestrem, cujus cauliculi quoque incipientes, asparagorum modo in cibo sumuntur, ut dicemus lib. 23. sect. 83

3. *Batin.*] De ea dicemus lib. 26 sect. 50.

4 *Pastinacam.*] Gallicam, opinor, cui *carota* nomen vulgus affinxit, ut diximus lib. 19. sect. 27.

5 *Lupum.*] Lupulum officinæ passim vocant, lupumque salictarium: Galli, *du Houblon*. Pingitur a Dodonæo, pag. 404. Asparagi, seu primi turiones, qui vere erumpunt, minores sunt, & in edulia recipiuntur.

LI. In Ægypto nobilissima est [1] colocasia, quam [2] cyamon aliqui vocant. Hanc e Nilo metunt, caule, cum coctus est, [3] araneoso in mandendo: thyrso autem, qui inter folia emicat, spectabili: foliis latissimis, si arboreis comparentur, ad similitudinem eorum [4] quæ personata in nostris amnibus vocamus. Adeoque Nili sui dotibus gaudent, ut implexis colocasiæ foliis in variam speciem vasorum, potare gratissimum habeant. [5] Seritur jam hæc in Italia.

LII. [1] In Ægypto proxima auctoritas cichorio est, quam diximus intubum erraticum. [2] Nascitur post Vergilias. [3] Floret particulatim. [4] Radix ei lenta, quare etiam ad vincula utuntur illa. [5] Anthalium longius a flumine nascitur, mespili magnitudine & rotunditate, sine nucleo, sine cortice, folio cyperi. [6] Mandunt igni paratum: mandunt [7] & œtum, cui pauca folia minimaque, verum radix magna. [8] Arachidna quidem & aracos, cum habeant radices ramosas ac multiplices, nec folium, nec herbam ullam, aut quidquam aliud super terram habent. [9] Reliqua vulgarium in cibis apud eos herbarum nomina, [10] condrilla, [11] hypochœris & caucalis, [12] anthriscum, [13] scandix, quæ ab aliis tragopogon vocatur, foliis croco simillimis: [14] parthenium, strychnum, corchorus, [15] & æquinoctio nascens aphace, acinos: [16] epipetron vocant, quæ numquam floret. [17] At e contrario aphace subinde marcescente flore emittit alium, tota hieme, totoque vere, usque in æstatem.

LIII. [1] Multas præterea ignobiles habent: sed maxime celebrant [2] cnicon Italiæ

NOTÆ.

Sect. LI. 1. *Colocasia.*] Quam in Ægypto colocasiam videre Bellonius, & Prosper Alpinus, & ab incolis *Colcas* appellari tradunt, radice prædulci, edulique, non a Pliniana modo descriptione discrepat, sed alterius plane formæ est, quam qualem esse dixere Herodotus, Theophrastus, Dioscorides, aliique. Vide Bellonium, lib. 2. Observ. cap. 19. Alpinum, lib. de plantis Ægypti, cap 33. pag. 102. Clusium, lib. 4 hist. rar. plant. cap. 50. ex quibus multa Salmasius in suum prægrande volumen Plinianarum Exercit. transtulit, pag. 972 & seqq. Sed neque arum Ægyptium est colocasium istud, seu *Colcas* hodiernum, quanquam ita Salmasio visum est, pag 975. ut conferenti ea quæ de aro dicta sunt lib. 19. sect. 30. cum icone colocasiæ a prædictis auctoribus delineata, constabit.

2. *Cyamon aliqui.*] Κύαμον, fabam. Sed unde isti hanc colocasiæ appellationem affinxerint, unde hæc nata appellatio, incompertum. Hodierna Ægypti colocasia, & fructu, & flore, & caule, atque adeo similitudine fabæ omni caret. Cave enim fabam Ægyptiam intelligi hic putes, quæ a colocasia diversissima est, uti ex illius descriptione liquet, quam Plinius affert lib. 18 sect. 30.

3. *Araneoso.*] Hoc est, caule filis minutis, cujusmodi aranea sunt, fibrisque nervoso. Diphilus Siphnius, apud Athen. lib. 3. pag 73. fabæ quoque Ægyptiæ radicem (quam & κολοκάσιον quidam imperite dixere) ἐριώδη ait esse, hoc est, lanosam. Idem de colocasiæ caule Martialis, lib. 13. Epigr. 57. cujus lemma, *Colocasia*:

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila manuque trahes.

Et lib. 8 Epigr. 33.

Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.

4. *Quæ personata in nostris amnibus*] MSS. omnes, Reg. 1. 2. Colb 1. 2. Th. &c. *quæ personata in nostris manibus.* Forte, *amnibus*. rectius. Nam personata, de qua lib. 25. sect. 58 in amnibus non nascitur. Salmasius, pag. 970. legit, *quæ per se nata in nostris amnibus notamus*, sed nec scriptis secundis, in quibus *vocamus* legitur: nec oratione satis perspicua: quid enim illud est *per se nata?* Quin statim Nymphæam dicebat, quam probe norat, quam prolixe describit lib. 25 sect. 37. si Nymphæam, ut Salmasius putat, intellexit?

5. *Seritur jam.*] Ipsa colocasia Ægyptiaca, etsi peregrina, alienique cæli ac soli, serebatur olim in Italia. Testis Maro in Ecloga 4 vers. 40.

Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

Dicit inter acanthos, notissimam tum in hortis herbam colocasia quoque sponte sua nascitura passim, quæ peregrina erat herba. Est & alia vulgaris colocasia, quam Palladius describit in Februario, tit. 24.

Sect. LII. 1. *In Ægypto .... cichorio.*] De quo diximus lib. 19 sect. 40. & lib. 20 sect. 29.

2. *Nascitur.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 10.

3. *Floret &c.*] Theophr. loc cit.

4. *Radix ei lenta.*] De caule id prodidit Theophr. Ὁ δὲ τῆς κιχορίου καυλὸς μέγας .... ἔτι δὲ γλίσχρος καὶ δυσδιάσπαστος· διὸ καὶ δεσμῷ χρῶνται.

5. *Anthalium longius.*] In locis arenosis, inquit Theophrastus lib. 4. hist. cap. 10. haud procul a flumine: Ἐν δὲ τοῖς ἀμμώδεσι χωρίοις, ἃ ἐστὶν οὐ πόρρω τοῦ ποταμοῦ, φύεται ὑπὸ γῆς ὃ καλοῦσι μαλινάθαλλη. Anthalium, ex ἀνὰ & θάλλω, regermino: quam vim habet & Theophrastea vox μαλινάθαλλη, ex μάλα, valde, & ἀναθάλλω, regermino. Iisdem notis delineatur a scriptore Græco: Στρογγύλον τῷ σχήματι, μέγεθος δὲ ἡλίκον μέσπιλον, ἀπύρηνον δὲ, ἄφλοιον· φύλλα ἀφίησιν ἀπ᾽ αὐτοῦ ὅμοια κυπείρῳ.

6. *Mandunt igni.*] Theophr. ἑψοῦσιν ἐν βρύτῳ, *decoquunt in bryto*, quod potionis genus est ex hordeo, inquit Athenæus libro 10. pag. 446. aut ex radicibus, ut Hellanicus, ἐκ ῥιζῶν.

7. *Et œtum.*] Theophr. lib. 1. hist. cap. 21. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οἶτον. Hesychius: Οἰτόν, τὸ ὑπ᾽ Αἰγυπτίων εἶδος.

8. *Arachidna.*] Theophr loco proxime cit. de ἀραχίδνῃ & ἀράκῳ habet plane paria. Herbæ hoc ævo ignotæ.

9. *Reliqua vulgarium.*] Hæc apud Theophr. lib. 7. hist. cap. 7. similiter leguntur.

10. *Condrilla.*] Κονδρίλη Dioscoridi, lib. 2. cap. 161. Apud Theophr. loco cit ἀνδρύαλα, pro κονδρύαλα. Nam MSS. Pliniani omnes tum hoc loco, tum in Indice, Reg. Colb Th. habent *candryala*. Herba est cichorio similis, ob idque καὶ κιχόριον καὶ σέριδα quidam vocarunt, teste Diosc. & agrestis intybi genus esse dixerunt, inquit Oribasii interpretes, fol. 201. lib. 21.

11. *Hypochæris &c.*] Ὑποχοιρίς, καυκαλίς, Theophrast. loco cit.

12. *Anthriscum.*] Vitiose legitur apud Theophr. ἀνθέρικον. Hesychius: ἄνθρισκον, λάχανον ἄγριον ὅμοιον καρύῳ. Auctor Etymolog Ἄνθρισκα, ἀγρία λάχανα τὰ σκιαδοειδῆ. Folio hæc similitudo constat, non umbella, aut semine.

13. *Scandix.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 8. Σκάνδιξ. Et cap. 7. Κόμη, ἣν τραγοπώγωνα καλοῦσιν, ὃ τὴν μὲν ῥίζαν ἔχει μακρὰν καὶ γλυκεῖαν, τὰ δὲ φύλλα τῷ κρόκῳ ὅμοια, &c.

14. *Parthenium &c.*] Παρθένιον, στρύχνον, κόρχορος. Theophrast. lib 7. hist cap 7.

15. *Et æquinoctio.*] Primis post æquinoctium imbribus germinationem fieri, ἀφάκης, καὶ τοῦ κοικίνου, scribit Theophr. lib. 7. hist cap. 8. ubi κόκκινος Turnebus ait legendum. In MSS Reg 2. Colb. Th Chiffl. tum hoc loco, tum in Indice, *acynos*. Tamen iidem inferius, sect. 101. *acinon* vocant. Et Reg. 1. qui codex est optimæ notæ, hoc loco, sic habet: *aphace, acino, epipetron vocant, &c.* In eo Theophrasti loco ἐχινόποδα legit Salmasius in Solin. pag. 1292. Sed diversam echenopoda ab acino puto. Aphace hæc Theophrastea, ex olerum genere est, & intubaceorum, soli Ægypto cognita. De acino dicemus sect 101. ubi de cognatarum simul herbarum, batis, colocasiæ, anthalis, strychni, corchori, medicinis agetur.

16. *Epipetron.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 8. Ἔνια δὲ τῷ βλαστάνειν ἀνθεῖ, καθάπερ καὶ τὸ ἐπίπετρον. Meminere hujus & alii: Arist lib 4. de part. anim. cap 5. Galenus, lib. 4. Meth. med. cap. 5. Hesychius, aliique.

17. *At e contrario.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 8. & cap. 11. totidem verbis.

Sect. LIII. 1. *Multas præterea .... habent.*] Ægyptii nimirum.

2. *Cnicon.*] De qua Theophr. lib. 6. hist. cap. 4. Τοῦ κνίκου δύο γένη, &c. Alii κνῆκον scribunt, Galenus, Aristoteles, ceteri, præter Hesychium. Cnicus sativus, seu Carthamum officinarum a Clusio pingitur, libro 5. pag. cliii. cnici vulgaris nomine. In horto Regio vidimus. Galli vo-

ignotam

ignotam, ipsis autem oleo, non cibo gratam. [3] Hoc faciunt e semine ejus. Differentia prima, silvestris & sativæ. Silvestrium duæ species: [4] Una mitior est, simili caule, [5] tamen rigido: [6] itaque & colu antiquæ mulieres utebantur ex illis: quare quidam [7] atractylida vocant. [8] Semen ejus candidum & grande, amarum. [9] Altera hirsutior, [10] torosiore caule, [11] & qui pæne humi serpat, minuto semine. [12] Aculeatarum generis hæc est: 5 quoniam distinguenda sunt & genera.

LIV. Ergo quædam herbarum spinosæ sunt, quædam sine spinis. Spinosarum multæ species. [1] In totum spina est asparagus, [2] scorpio: nullum enim folium habet. [3] Quædam spinosa, foliata sunt, ut carduus, eryngion, [4] glycyrrhiza, urtica. Iis enim omnibus foliis inest aculeata mordacitas. [5] Aliqua & secundum spinam habent folium, ut 10 tribulus, & ononis. [6] Quædam in folio habent & in caule, [7] ut pheos, quod aliqui stœben appellavere. [8] Hippophaës spinis geniculatum: [9] tribulo proprietas, quod & fructum spinosum habet.

LV. Ex omnibus his generibus [1] urtica maxime noscitur, [2] acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus, sæpe altior binis cubitis. Plures ejus differentiæ: Silve- 15 stris, quam & feminam vocant: mitiorque. Et in silvestri, [3] quæ dicitur cania, acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. Quæ vero etiam odorem fundit, Herculanea vocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam, & tactu tantum leni pruritum, [4] pusulasque confestim adusto similes exsistere. Notum est & remedium olei. Sed mordacitas non protinus cum ipsa her- 20 ba gignitur, nec nisi Solibus roborata. Incipiens quidem ipsa nasci vere, non ingrato, multis etiam religioso in cibo est, ad pellendos totius anni morbos. Silvestrium quoque radix omnem carnem teneriorem facit, simulque cocta innoxia est. Morsu carens, [5] lamium vocatur. [6] De scorpione dicemus inter medicas.

LVI. [1] Carduus & folia & caules spinosæ lanuginis habet. Item acorna, leucacan- 25 CAP. XVI. thos, chalceos, cnicos, polyacanthos, onopyxos, helxine, scolymos. Chamæleon in foliis non habet aculeos. [2] Est & illa differentia, quod quædam in iis multicaulia ramosaque sunt, ut carduus. Uno autem caule, nec ramosum, cnicos. Quædam cacumine

NOTÆ.

cant; *Saffran bastard, ou Graine de Perroquet.*

3 *Hoc faciunt.*] Oleum videlicet.

4. *Una mitior est.*] Atractylis ea est, a Dodonæo delineata, pag. 724. & a Lobelio in Observ. pag. 483. Græcis ἀτρακτυλὶς, & κνῆκος ἀγρία, ut Aetio, Hesychio & Galeno, lib. 6. de fac simp. med pag. 161. Cnico, sativæ scilicet, similem dicit Diosc. lib. 3 cap. 140. Visa a nobis in horto Regio.

5. *Tamen rigido.*] Hoc est, erecto, sive rectiore: ὀρθοκαυλότερος dixit Theophrastus.

6. *Itaque & colu.*] Theophr loc. cit. Διὸ καὶ ποιοῦσιν ἀτράκτους αἱ ἀρχαῖαι ἐχρῶντο γυναῖκες. Ἠλάκατον & ἄτρακτος colum interdum sonant.

7. *Atractylida.*] Scholiastes Theocriti ad vers. 52. Idyll. 4. Ἀτρακτυλὶς, εἶδος βοτάνης, ἡ ἀκανθώδης· εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ τὰς ἀρχαίας γυναῖκας ἀτράκτους ποιεῖν ἐξ αὐτῶν.

8. *Semen ejus.*] Fructus: καρπὸν δὲ ἔχει μέλανα καὶ μέγαν, καὶ πικρόν. Theophr. lib. 6 hist. cap 4. versus.

9. *Altera hirsutior*] Altera Dodonæi atractylis, seu carduus benedictus, pag 725. a Lobelio item delineatus, pag. 484. *Chardon benit.*

10 *Torosiore.*] Crassiore, pinguiore.

11. *Et qui pæne humi.*] Theophr. loc. cit. τρόπον τινὰ ἐπιγειότερος.

12. *Aculeatarum.*] Theophr. lib. 6. hist. cap 3. Καὶ ὁ κνῆκος τῶν γε φύσει ἀκανθωδῶν ἐστι. Sic etiam Galenus, lib. 6. de fac. simp. med pag. 161.

Sect. LIV. 1. *In totum spina.*] Quæ tantum spinas pro foliis habent, simpliciter ἀκανθώδη vocat Theophrast. lib. 6. hist. cap. 1. Τὰ μὲν ἁπλῶς οἷον ἀκανθώδη, καθάπερ ἀσπάραγος καὶ σκορπίος· οὐδὲ γὰρ ἔχουσι φύλλον οὐδὲν παρὰ τὰς ἀκάνθας. Quod iterum cap. 3. repetit. De Ravennate asparago Martialis, lib 13. Epigr. 21.

Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna.

2. *Scorpio.*] De eo dicemus lib. 22. sect. 17.

3. *Quædam spinosa, foliata.*] Hoc est, quædam folia habent spinis aculeata: φυλλάκανθα ea vocantur a Theophr lib. 6. hist. cap. 3. adducente σκόλυμον carduum in exemplum: ἤρύγγιον & κνῆκον, cap. 1.

4. *Glycyrrhiza.*] Vide quæ de ea dicturi sumus lib. 22. sect. 10.

5. *Aliqua & secundum.*] Theophr. lib. 6. histor cap. 3. παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχουσι φύλλον, juxta aculeum folium gerunt.

6. *Quædam in folio.*] Theophr. loc. cit. Ὅτι φλέως, καὶ ὁ τρίβολος, καὶ ἡ κάππαρις, ἴδιον ἔχει, τὸ μὴ μόνον τὸν καυλὸν ἀκανθώδη ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τὸ φύλλον ἐπακανθίζον. *Phleos, tribulus, capparisque, peculiare hoc habent, ut non solum caulem aculeatum, sed etiam folium hispidum habeant.* Et cap. 1. ἡ ὄνωνις, καὶ ὁ τρίβολος, καὶ ὁ φλέως, ὃ δή τινες καλοῦσι στοιβήν.

7. *Ut pheos.*] Ita libri omnes, etiam MSS. tum hoc loco, tum in Indice. Theophrasto nihilominus, φλέως. Sed eidem, lib 6. histor. cap. 5. ἱππόφεως, quæ & ipsa στοιβὴ nuncupatur.

8. *Hippophaës.*] In MSS. *hippophes* Græcis, ἱππόφεως, ἱππόφαιστος, ἱππόφαες, & ἱππόφεως promiscue dicitur. Vide lib. 22. sect 14. & Diosc in Notis, pag. 474.

9. *Tribulo proprietas*] Theophrast. lib. 6 hist. cap 4. Ὁ δὲ τρίβολος ἴδιον ἔχει, διότι ἀκανθόκαρπός ἐστι. *Id vero tribulus peculiare habet, quod fructus integumentum spinosum sive aculeatum habet.* In MSS. *tribuo*, pro *tribulo.*

Sect. LV. 1. *Urtica.*] *De l'Ortie:* cui cognatam minorem novimus, *l'Ortie griesche.*

2. *Acetabulis.*] Vasculis quibusdam, quibus semen & lanugo continentur, quæ acetabuli speciem repræsentant.

3. *Quæ dicitur cania.*] Ita MSS omnes. Sunt qui *canina* legi malint.

4. *Pusulasque.*] Sic libri omnes MSS non *pustulas*. Celsus, lib 5. cap. 28. *Pustularum plura genera sunt. Nam modo circa totum corpus, partemve, asperdo quædam fit similis his pusulis, quæ ex urtica, vel ex sudore nascuntur: ἐξανθήματα Græci vocant: eaque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt. Nonnumquam plures similes variis oriuntur, nonnumquam majores pustulæ, lividæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato: subestque his humor. Ubi hæ ruptæ sunt, infra quasi exulcerata caro apparet: φλυκταίναι Græce nominantur. Fiunt vel ex frigore, vel ex igni, vel ex medicamentis.* Gallis, *des pustules, des ampoules, des elevures.*

5. *Lamium vocatur.*] Sive urtica iners, cujus triplex genus a Dodonæo depingitur, pag. 135. visum a nobis in horto Regio: *Ortie morte.* Galeopsis est Dioscoridi, lib. 4. cap. 95.

6. *De scorpione dicemus.*] Libro 22. sect. 17.

Sect. LVI. 1. *Carduus.*] Theophrasto σκόλυμος est, eadem recensenti, lib 6. histor. cap. 3. Σκόλυμος, ἄκορνα, λευκάκανθος, χαλκειος, κνῆκος, πολυάκανθος, ὀνόπυξος, ἑλξίνη, χαμαιλέων, πλὴν ὅτι οὐ φυλλάκανθος.

2. *Est & illa.*] Traduntur hæc quoque a Theophrasto, loco cit. sed mutilum scriptoris Græci locum ante nos alii agnovere.

tantum spinosa sunt, [3] ut eryngium. [4] Quædam æstate florent, ut tetralix, & helxine. [5] Scolymus quoque floret sero & diu. [6] Acorna colore tantum rufo distinguitur, & pinguiore succo. [7] Idem erat atractylis quoque, nisi candidior esset, [8] & nisi sanguineum succum funderet. [9] Qua de causa phonos vocatur a quibusdam, odore etiam gravis, sero maturescente semine, nec ante autumnum: quanquam id de omnibus spinosis dici potest. Verum omnia hæc & semine & radice nasci possunt. Scolymus carduorum generis ab iis distat, quod radix ejus [10] vescendo est decocta. [11] Mirum, quod sine intervallo tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Aculei arescente folio desinunt pungere. [12] Helxine rara visu est, neque in omnibus terris: est [13] a radice foliosa, ex qua media veluti malum extuberat, contectum sua fronde. Hujus vertex summus lacrymam continet jucundi saporis, [14] acanthicen mastichen appellatam.

LVII. [1] Et cactos quoque in Sicilia tantum nascitur, suæ proprietatis & ipse: in terra serpunt caules, a radice emissi, lato folio & spinoso. [2] Caules vocant cactos: nec fastidiunt in cibis, inveteratos quoque. [3] Unum caulem rectum habent, quem vocant pternica, ejusdem suavitatis, sed [4] vetustatis impatientem. [5] Semen ei lanuginis, quam pappon vocant: quo detracto & cortice, teneritas similis cerebro palmæ est: [6] vocant ascalian.

LVIII. [1] Tribulus non nisi in palustribus nascitur, dira res alibi, juxta Nilum & Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in vadum, folio ad effigiem ulmi, pediculo longo. [2] At in reliquo orbe genera duo: [3] uni cicerculæ folia, [4] alteri aculeata. [5] Hic & serius floret, magisque sepra obsidet villarum. [6] Semen ei rotundius, nigrum, in siliqua: [7] alteri arenaceum. [8] Spinosorum etiamnum aliud genus ononis. In ramis enim spinas habet, [9] apposito folio rutæ simili, toto caule foliata in modum coronæ: [10] sequitur a frugibus, aratro inimica, [11] vivaxque præcipue.

LIX. [1] Aculeatarum caules aliquarum per terram serpunt, ut ejus quam [2] corono-

Notæ.

3. *Ut eryngium.*] MSS. *ut erynge.* Theophr. non eryngium in exemplum affert, sed rutrum, herbam incognitam: loc. cit. Ἔνια δὲ ἀκανθώδη ἐστὶ ἐξ ἄκρου (λαπάθους,) οἷον ἡ [illegible] τὸ ῥύτρον. Eryngium campestre pingit Dodonæus, pag. 718. Nos *Chardon Roland* dicimus.

4. *Quædam æstate.*] Theophr. lib. 6. hist. cap. 3. Ἔνια δὲ καὶ τὸ θέρος, ὥσπερ ἡ τετράλιξ ὑπό τινων καλουμένη, καὶ ἡ ἰξίνη.

5. *Scolymus quoque*] Theophr. loc cit. Ἐξανθεῖ γὰρ ὁ σκόλυμος, ἐπὶ πολλὴν χρόνον.

6 *Acorna colore.*] Theophr. lib. 6 hist. cap. 4. Acorna, inquit, quoad figuram cnico sativo similis est, colore flavicans, succo pinguis. Ἡ δ᾽ ἄκορνα παρεμφερὴς ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, καὶ τὴν περιφέρειαν τῇ κνήκῳ τῇ ἡμέρῳ· Χρῶμα δ᾽ ἐπίξανθον ἔχει, καὶ λιπαρὸς χυλός. Hesychius: Ἄκορνα, ἀκανθῶδες φυτόν. In Illyrico reperiri scribit Anguillara, part. 8. pag. 146

7. *Idem erat*] Sic Virgilius, *Laurus erat.* Similis esset, inquit, acornæ atractylis, nisi candore antecelleret. Et idem tradit Theophr lib. 6 hist. cap 4.

8. *Et nisi sanguineum.*] Theophrast. loc. cit. ait decerpta folia, & carni admota, sanguineum succum effundere, αἱματώδη ποιεῖ τὸν χυλὸν, τῇ σαρκὶ προσφερόμενος. Idcirco & ἀνδρόφαιμον dictam a veteribus scribit Aetius, lib 1.

9. *Qua de causa.*] Theophrast. loc. cit. Διὸ καὶ φόνον ἔνιοι καλοῦσι τὴν ἄκανθαν ταύτην. Est enim φόνος Græcis sanguis effusus.

10. *Vescendo est decocta.*] Etiam & cruda, τὴν ῥίζαν ἐδώδιμον ἔχει καὶ ἑφθὴν, καὶ ὠμήν, inquit Theophr. De hoc scolymo diximus libro 20 sect. 99. Non est is sane articactus noster: quis enim radicem hujus edulem dixit?

11 *Mirum quod sine.*] Theophr. loc. cit.

12. *Helxine rara.*] Quæ Theophrasto ἰξίνη dicitur, ubique Plinio helxine est. Ἡ ἰξίνη, inquit ille, οὐ φύεται πολλαχοῦ. Contra permutatis vocibus, ut facere vulgus solet, quæ helxine ab omnibus sive perdicium appellatur, eadem ixine agria ab Apuleio nominatur, cap. 81. Diversa hæc porro ab ea de qua dicemus lib. seq. sect. 19.

13. *A radice foliosa.*] Theophr loc cit. Ῥιζόφυλλος δ᾽ ἐστὶ [illegible] ὥσπερ [illegible] ἐπὶ τῶν φύλλων.

14. *Acanthicen.*] Ἀκανθικὴν μαστίχην, quasi spinalem mastícham, inquit Gaza.

Sect. LVII 1. *Et cactos.*] Ad verbum leguntur hæc apud Theophr. lib. 6. hist. cap 4. quæ transscripsit etiam Athenæus, lib. 2 pag. 70 Ἡ δὲ κάκτος καλουμένη περὶ Σικελίαν μόνον, &c. In Indice, *Ectacus*, sive *cactus.* Forte idem cum cinara, seu articacto nostro, cujus edulis est globus foliorum cum stipitis medulla summa, uti indicavimus libro sup. sect 99. Phanias quoque apud Athen. loc. cit. peculiarem Siciliæ cactum facit: κάκτος Σικελική. In Græcia reperiri Theophrastus negat.

2. *Caules vocant.*] Theophr loc cit. cactus vocari similiter tradit, in cibis gratos, si decorticentur, nonnihil subamaros, muria condiri & inveterari.

3 *Unum caulem.*] Theophr. Ἕτερον δὲ καυλὸν ὀρθὸν ἀφίησιν, ὃν καλοῦσι πτέρνικα.

4. *Vetustatis.*] Qui sale, ut ceteri, condiri nequeat.

5. *Semen ei.*] Hæc Theophrastus ad verbum, loc cit.

6 *Vocant ascalian.*] Theophr Καλοῦσι δὲ αὐτὸ ἀσκαλίαν.

Sect. LVIII. 1. *Tribulus nonnisi.*] Hæc tribuli palustris descriptio pariter Theophrasti est, lib 4 cap. 11. Ὁ δὲ τρίβολος αὐτὸς [illegible] τὸ δὲ φύλλον ἐστὶ [illegible] τὸν δὲ μίσχον [illegible] μακρόν.

2. *At in reliquo.*] Hæc deinceps sunt apud Theophr. lib. 6. hist. cap 5.

3. *Uni cicerculæ.*] Hoc est, ciceris exigui, ut diximus lib. 19. sect. 61. Theophr. loc cit. Τὸ μὲν γὰρ ἔχει φύλλον ἐρεβινθῶδες. Tribulus terrestris est Clusii, lib. 6. rarior. Plant. pag. cxlj & Dodonæi, cap 347.

4. *Alteri aculeata.*] Quem idcirco φυλλάκανθον vocat. Magnam hic habet affinitatem cum tribulo Dioscoridis, lib 4 cap. 15.

5. *Hic & serius.*] Theophrast. loc cit. Dioscorides item, loc. cit.

6. *Semen ei.*] Theophr. loc. cit

7. *Alteri arenaceum.*] Σησαμώδης dixit Theophr. sesamæ vicinum. Est fortassis ei tribulo, ob formam [illegible], ob duritiam idem ἀμμώδης.

8. *Spinosorum . . . . ononis.*] Græcis ὄνωνίς: de qua quæ hic referuntur, apud Theophr sunt, lib. 6 hist. cap. 5. Dioscoridi, lib. 3. cap. 21. Ἄνωνις, οἱ δὲ ὄνωνίδα καλοῦσι. Herbarii hanc Resta bovis, *Arreste-beuf*, quod in opere boves subinde sistat, nominantur; frustra negante Anguillara, part. 8. pag 147. Delineatus a Dodonæo, pag. 731.

9 *Apposito folio.*] Appositumque spinis folium habet rutæ simile, [illegible]... φύλλον ἔχει [illegible], [illegible] καυλόν, [illegible] Ramis aculeigera est, . . . folio rutæ similis, sed per totum apposito caulem, ut veluti coronam ex intervallis tota species repræsentet.

10 *Sequitur a frugibus*] Post fruges in segetibus atque cultis sponte nascitur, &c. Theophr loc. cit.

11. *Vivaxque præcipue.*] Theophr loc. cit. Καὶ ἔτι [illegible], difficile tota evellitur, exscinditurve

Sect. LIX 1. *Per terram serpunt.*] Hoc est, ut ipse ait lib. 18. sect. 10. earum caules per terram sparguntur, si non habeant adminiculum, ut pisa. Hæc apud Theophrastum non exstant.

2. *Coronopum.*] Dioscor lib. 2 cap. 158. Κορωνόπους [illegible] *herbula humi*

pum vocant. [3] E diverso stant, anchusa inficiendo ligno cerisque radice apta: & e minoribus [4] anthemis, & phyllanthes, & anemone, & aphace. [5] Caule foliato est & crepis, & lotos.

LX. [1] Differentia foliorum & hic, quæ in arboribus, brevitate pediculi ac longitudine, angustiis ipsius folii, amplitudine, angulis, incisuris, odore, flore. [2] Diuturnior hic quibusdam per partes florentibus, ut ocimo, heliotropio, aphacæ, onochili. * [3] Multis inter hæc æterna folia, sicut quibusdam arborum: in primisque heliotropio, adianto, polio. 5 * CAP. XVII.

LXI. [1] Aliud rursus spicatarum genus, ex quo est [2] cynops, [3] alopecuros, stelephuros, (quam quidam ortygem vocant, alii plantaginem, de qua plura dicemus inter medicas:) [4] thryallis. Ex iis alopecuros spicam habet mollem, & lanuginem densam, non dissimilem vulpium caudis, unde ei & nomen. [5] Proxima est ei & stelephuros, nisi quod illa particulatim floret. Cichorion, & similia, circa terram folia habent, germinantibus ab radice [6] post Vergilias. 10

LXII. [1] Perdicium & aliæ gentes, quam Ægyptii, edunt: nomen dedit avis, id maxime eruens. Crassas plurimasque habet radices. Item [2] ornithogale, caule tenero, candido, semipedali radice, bulbosa, molli, [3] tribus aut quatuor agnatis. Coquitur in pulte. 15

LXIII. [1] Mirum, loton herbam, & ægilopa, nonnisi post annum e semine suo nasci. [2] Mira & anthemidis natura, quod a summo flore incipit: cum ceteræ omnes, quæ particulatim florent, ab ima sui parte incipiant. 20

LXIV. [1] Notabile & in lappa, quæ adhærescit, quoniam in ipsa flos nascitur, non evidens, sed intus occultus, [2] & intra seminat, velut animalia, quæ in se pariunt. Circa Opuntem [3] Opuntia est herba, etiam homini dulcis. [4] Mirumque e folio ejus radicem fieri, ac sic eam nasci.

LXV. [1] Iasione unum folium habet, sed ita implicatum, ut plura videantur. [2] Condrylla amara est, & actis in radice succi. [3] Amara & aphace, [4] & quæ picris nominatur, & ipsa toto anno florens: nomen ei amaritudo imposuit. 25

NOTÆ.

strata. Ea est quam nostri Cornu Cervi vocant, *Corne de Cerf*, ut placere video Scaligero, in lib. 2. Theophr. de causis plant. cap. 8 pag. 117. aliisque omnibus. Pingitur a Dodonæo, pag. 110. In multis Italiæ locis *Herba stella* dici auctor est Anguillara, part. 7. pag. 115.

3. *E diverso stant.*] Per terram non serpit istarum caulis, anchusæ, anthemidis, &c. De anchusa dicetur libro seq. sect. 23.

4. *Anthemis*, &c.] Græcis, ἀνθεμὶς, φυλλανθὲς, ἀφάκη. De anthemide, libro seq. sect. 26. Φυλλανθὲς Gaza frondifloram reddidit: Jacea nigra Dodonæi est pag. 114. Ἀφάκην esse eam, quam rura nostra agrestem viciam vocant, scribit Ruellius, lib. 2. pag. 395. Ἀνεμώνην, ob floris præstantiam, & pulcritudinem Passiflorem appellari, *Passe-fleur*, pag. 428. Diversa hæc ab aphace intubacea est, de qua superius, sect. 52.

5. *Caule foliato.*] Vide Notas & Emend. num. XI. Crepis inter ignotas herbas censetur.

Sect. LX. 1. *Differentia.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 9.

2. *Diuturnior.*] Theophr. loc. cit. de ὠκίμῳ, ἡλιοτροπίῳ, πιχωρίῳ. De ἀφάκῃ, & ὀνοχιλεῖ, cap. 10.

3. *Multis inter hæc.*] Sic Theophr. lib. 7. hist. cap. 10. Ἀείφυλλα τῶν τοιούτων ἔστιν ἔνια, καθάπερ τὸ πόλιον, καὶ τὸ ἡλιοτρόπιον, καὶ τὸ ἀδίαντον.

Sect. LXI. 1. *Aliud rursus.*] Theophrasto, loc. cit. Σταχυώδη μὲν δέ ἐστιν, ὅτι χύνωψ (alii κυνωψ) ὑπό τινων καλούμενος, τελείους ἔχει ἰδίας ἐν ἑαυτῷ· καὶ ὁ ἀλωπέκουρος, καὶ ὁ στελέφουρος, ὃν ἔνιοι δὲ ὀρτυγίκωσαν, τὸ δὲ ὄρτυξ καλούμενος. Παρόμοιον δὲ τοῦτο τρόπον τινὰ καὶ ἡ θρυαλλίς.

2. *Cynops.*] In MSS. *stanops*. In Indice *stanyspos*. Theophrasti codices hac parte vitiati. Quia sub eo nomine ignota est hæc herba nobis, auspicato nihil geri potest.

3. *Alopecuros.*] Quasi caudam vulpinam dixeris, *Queue de renard.* Pingitur a Dodonæo, pag. 532. Rura caudati frumenti nomine norunt.

4. *Thryallis.*] Hæc Θρυαλλὶς spicata, omnino pimpinella sanguisorba Dodonæi est, pag. 105. *La Pimprenelle.*

5. *Proxima est ei.*] Theophr. loc. cit. Ὅμοιος δὲ τούτῳ καὶ ὁ στελέφουρος. πλὴν οὐχ ἅπαξ ἀνθεῖ κατὰ μέρος, ἀλλὰ δι' ὅλου τοῦ στάχυος, ὥσπερ ὁ πυρός. *Huic plantago similis est, nisi quod florem non quemadmodum illa particulatim edit, sed per totam spicam, tritici modo.*

6. *Post Vergilias.*] Post Vergiliarum exortum, de quo lib. 18. sect. 66.

Sect. LXII. 1. *Perdicium.*] Theophrastus de perdicio hoc solum tradit: crassas id habere radices, pluresque quam folia: nomen ei ea re esse, quod perdices ad id se volutent, terramque suffodiant. De hoc perdicio dicitur iterum lib. 22. sect. 19. Diversum illud a Celsi perdicio, de quo sect. 104 hujusce libri.

2. *Ornithogale.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 174. Ὀρνιθόγαλον καυλίον ἐστὶ, &c. Depingitur a Dodonæo, pag. 221. Est in horto Regio. Tota nasci Italia tradit Anguillara, part. 7. pag. 117.

3. *Tribus aut quatuor.*] Tribus aut quatuor in cacumine mollibus agnatis, seu propaginibus, unde flores prodeunt: ἄνω παραφυάδας ἔχον τρεῖς ἢ τέσσαρας ἁπαλάς, ἀφ' ὧν ἄνθη, &c. Diosc. loc. Potest & Plinii locus accipi, de bulbis minoribus, qui majori adnascuntur.

Sect. LXIII. 1. *Mirum, loton.*] Sic Theophr. lib. 7. hist. cap 12. καθάπερ τὸν αἰγίλωπά φασι, καὶ τὸν λωτόν. Ægilops bulbi genus est, cujus facta jam superius mentio, lib. 19. sect. 30.

2. *Mira & anthemidis.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 13.

Sect. LXIV. 1. *Notabile & in lappa.*] Theophr. lib. 7. hist cap. 14. Lappa, Græcis ἀπαρίνη: nostris, *de la Bardane, du Glouteron.* Contactu vestibus adhæreseit, quare φιλάνθρωπος ab Aetio appellatur. A Dodonæo pingitur, pag. 38.

2. *Et intra seminat*] Vide Notas & Emend. num. XII.

3. *Opuntia.*] Hanc depictam egregie vide in Eystettensi horto. Habet hæc Theophr. lib. 1. hist cap. 12.

4. *Mirumque.*] Quod & de ficu Indica, quæ est in Eystetensi horto, narrant ii qui in eo opere ejus horti plantas αὐτόπται testes descripserunt. De ficu Indica hoc ipsum Plinius admonuit, lib. 13. sect. 21. De Euphorbio quoque narrant hodierni Herbarii. Vide Dodon. pag. 375.

Sect. LXV. 1. *Iasione.*] Theophr. lib. 1. hist. pag. 21. Ἔνια δὲ μονόφυλλα φύεται, διαχωρισθὲν ἔχοντα μόνον τὴν πλειόνων αἴσθησιν τὸ τῆς ἰασιώνης. Florem iasiones ait unico constare folio, sed similitudinem plurium foliorum in ambitu ostendere: est enim, ut lilium, fere calathi figura. Vulgo Campanulas vocant, *Clochettes.* Vide quæ dicturi sumus lib. 22. sect. 39.

2. *Condrylla.*] Quæ intybi agrestis genus est, ut diximus sect. 52. Theophr. lib. 7. hist. cap. 11. Ἡ χονδρίλλη . . . . ἀφροειδής, καὶ ἐν τῇ ῥίζῃ δριμὺν ὀπὸν ἔχει καὶ πολύν.

3. *Amara*] Theophr. loc. cit. Ἀκρατὴς δὲ καὶ πικρὰ ἡ ἀφάκη. Aphace hæc intubacea est, de qua sect. 52.

4. *Et quæ picris.*] Theophr. Ὁμοίως δὲ καὶ ἡ πικρὶς καὶ γὰρ αὕτη πρὸ ἔαρ ἀνθεῖ, καὶ παραμένει δι' ὅλου τοῦ χειμῶνος, καὶ τοῦ θέρους παρακμάζει· τῷ γεύσει δὲ πικρά, δι' ὃ καὶ τοὔνομα εἴληφε. Quæ Plinius totidem fere verbis. Est autem πικρὶς hæc, non silvestre intubum, de quo diximus lib. 8 sect. 41. sed peculiare quodpiam genus, necdum satis nobis compertum, quod rotundo esse folio dicitur, lib. 22. sect. 31. quale ex intybis nullum habet.

LXVI. [1] Notabilis & scillæ crocique natura, quod cum omnes herbæ folium primum emittant, mox in caulem rotundentur, in iis caulis prior intelligitur, quam folium. Et in croco quidem flos impellitur caule: in scilla vero caulis exit, deinde flos ex eo emergit. Eademque ter floret, [2] ut diximus, tria tempora arationum ostendens.

LXVII. Bulborum generi [1] quidam annumerant & cypiri, hoc est, gladioli, radicem. [2] Dulcis ea est, & quæ decocta panem etiam gratiorem faciat, ponderosioremque simul subacta. [3] Non dissimilis est & quæ thesion vocatur, gustu aspera.

LXVIII. Ceteræ ejusdem generis folio differunt. [1] Asphodelus oblongum & angustum habet, scilla latum & tractabilie, gladiolus simile nomini. Asphodelus manditur, [2] & semine tosto, & bulbo: sed hoc in cinere tosto, dein sale & oleo addito: [3] præterea tuso cum ficis, præcipua voluptate, ut videtur [4] Hesiodo. Traditur & ante portas villarum satum, remedio esse contra veneficiorum noxiam. Asphodeli mentionem & [5] Homerus fecit. Radix ejus napis modicis similis est: neque alia numerosior, [6] LXXX. simul acervatis sæpe bulbis. Theophrastus, & fere Græci, princepsque Pythagoras, caulem ejus cubitalem, & sæpe duum cubitorum, [7] foliis porri silvestris anthericon vocavere: radicem vero, id est, bulbos, asphodelon. [8] Nostri illud albucum vocant, & asphodelum hastulam regiam, [9] caulis acinosi: ac duo genera faciunt. [10] Albuco est scapus cubitalis, amplus, purus, lævis. De quo Mago præcipit, exitu mensis Martii, & initio Aprilis, cum floruerit, nondum semine ejus intumescente, demetendum: findendosque scapos, & quarto die in solem proferendos: ita siccatis manipulos faciendos. Idem pistanam dicit a Græcis vocari, quam inter ulvas [11] sagittam appellamus. Hanc ab Idibus Maii usque ad finem Octobris mensis decorticari, atque leni Sole siccari jubet. Idem & gladiolum alterum, quem cypiron vocant, [12] & ipsum palustrem, Julio mense toto secari jubet ad radicem, tertioque die in Sole siccari, donec candidus fiat. Quotidie autem ante Solem occidentem in tectum referri, quoniam palustribus delectis nocturni rores noceant.

Cap. XVIII. LXIX. Similia præcipit & de junco, [1] quem mariscon appellat, ad texendas tegetes: & ipsum Junio mense eximi ad Julium medium præcipiens. Cetera de siccando, eadem quæ de ulva [2] suo loco diximus. [3] Alterum genus juncorum facit, quod marinum, & a Græcis oxyschœnon vocari invenio. [4] Tria genera ejus: acuti, sterilis, quem marem, & oxyn Græci vocant: [5] reliqua feminini, ferentis semen nigrum, quem melancranin vocant. Crassior hic & fruticosior: Magisque etiamnum tertius, qui vocatur [6] holoschœnos. [7] Ex his melancranis sine aliis generibus nascitur. Oxys autem & holoschœnos eodem cespite. [8] Utilissimus ad vitilia holoschœnos, quia mollis & carnosus est. [9] Fert fructum ovorum cohærentium modo. [10] Nascitur autem is, quem marem appellavimus, ex

Notæ.

Sect. LXVI. 1. *Notabilis.*] Hæc sunt pariter apud Theophrast. lib. 7. hist. cap 12.

2. *Ut diximus.*] Libro 18. sect. 65.

Sect. LXVII. 1. *Quidam annumerant.*] Quoniam scilicet radix bulborum similitudinem habet, ut ait Diosc. lib. 4. caput 20. qui illud ξίφιον vocat. seu gladiolum, & φασγανίον, a gladii figura. Theophr. lib. 7. hist. cap. 11. φασγανον. Est gladiolus utrimque floriferus apud Dodon. pag. 209 Est in horto Regio. Nec κύπειρος Græcorum is, nec κύπερος fuit, sed Latinorum dumtaxat: Apuleius, cap. 46. *Græcorum quidem xiphion, alii phasganon vocant, Itali gladiolum dicunt.* Scribonius Largus, Compos 20. num 82 *Cypiri radices, quem nos gladiolum appellamus.*

2. *Dulcis ea est.*] Theophr. loc cit. Ἀλλ' ἡ τ̃ φασγανίου καλουμένου γλυκεῖα ἡ ῥίζα ἑψηθεῖσα, καὶ τριφθεῖσα μιγνυμένη τῷ ἀλεύρῳ, ποιεῖ τ̃ ἄρτον γλυκὺν καὶ ἀστεῖον.

3. *Non dissimilis.*] Theophr loc. cit Ἡ δὲ τ̃ θησείου τοῦ μὲν γλύκει πικρά, τρωγομένη δὲ κοιλίαν ἀποκαθαίρει. Similem gladiolo hanc herbam Plinius ait esse, quoniam pariter bulbosa est. Radix est cava minor Dodonæi, pag. 325.

Sect. LXVIII 1. *Asphodelus oblongum.*] Sunt ista pariter apud Theophr. lib 7. hist. cap. 12. Gallis *Asphodelle.* Iconem apud Clusium vide, lib. 2. pag. 196. Est in horto Regio.

2. *Et semine tosto.*] Theophr loc. cit. Καὶ ὁ ἀνθέρικος ἐδώδιμος ταγηνιζόμενος, καὶ τὸ σπέρμα φωγνύμενον.

3. *Præterea tuso.*] Theophr. loc. cit.

4. *Hesiodo.*] Dissimile est quod legitur, Ἔργων, vers. 41.

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

5. *Homerus.*] Odyss. λ. vers. 538. & ω. vers. 13.

6. *LXXX. simul*] Centenarium sæpe numerum excedere ait Matthiolus in lib 2. Diosc. pag 602.

7. *Foliis porri.*] Diosc. lib. 2. cap. 199. Φύλλα ἔχει πράσῳ μεγάλῳ ὅμοια.

8. *Nostri illud albucum.*] Scribonius Largus, Compos. 254. *Hastula regia, quam* ἀσφόδελον *Græci dicunt.* Apuleius, cap. 32. *A Græcis dicitur asphodelos, Latinis hastula regia, aliquibus albucus.*

9. *Caulis acinosi.*] Ferentis semen rotundum, instar acinorum. Diosc. loc. cit. καρπὸν δὲ στρογγύλον.

10 *Albuco est scapus.*] Diosc. loc cit. lævoris modo scapi meminit: καυλὸν δὲ λεῖον.

11. *Sagittam appellamus.*] Recentiores sagittalem, alii Linguam serpentis. Pingitur a Dodonæo, pag 577. Patavii frequentem esse ait Anguillara, par 11. pag. 182.

12. *Et ipsum palustrem.*] Quemadmodum & palustris sagitta est, de qua dictum proxime. Forte gladiolus est aquatilis Dodonæi, pag. 590.

Sect. LXIX. 1. *Quem mariscon.*] Mariscus juncus, major juncus videtur esse. ut ficum mariscam majorem ficum esse diximus lib. 15. sect 19.

2. *Suo loco diximus*] Libro 18. sect. 67. num. 5. ubi de feni sectione ac siccatione agitur.

3. *Alterum genus.*] Hæc apud Theophr. lib. 4. histor. cap. 13.

4. *Tria genera ejus*] Totidem verbis hæc Theophr. loco cit.

5. *Reliqua feminini.*] Nempe melancranis & holoschœnos: utrumque enim fert nigrum semen. Dioscor. lib. 4. cap 52.

6. *Holoschœnos.*] Ὁλόσχοινος, idem qui juncus mariscus. Sic Theophr. loc. cit. & Diosc. lib 4. cap. 52. Pingitur a Dodonæo, pag. 595.

7. *Ex his melancranis.*] A nigro fructu seu semine id ei nomen. Theophr. loc. cit. Ἡ μὲν οὖν μελαγκρανὶς αὐτὴ καθ' αὑτήν, ὁ δ' ὀξὺς καὶ ὁλόσχοινος ἐκ τ̃ αὐτοῦ ἐκχρέμματος φύονται. *Melancranis per se suo genere provenit: acutus autem, atque holoschœnus eodem ex cespite exeunt.* Hesychius, Μελαγκρανίς, ὀξύσχοινος.

8. *Utilissimus.*] Theophr loc. cit.

9. *Fert fructum.*] Theophr. Καρπὸν ἐκφέρει κυκλικὰ ᾠά.

10. *Nascitur autem.*] Is nempe, quem oxyn, acutum, sterilem, & marem appellavit.

semetipso, [11] cacumine in terram defixo: melancranis autem suo semine. [12] Alioqui omnium radices omnibus annis intermoriuntur. Usus ad nassas marinas, vitilium elegantiam; lucernarum lumina, præcipua medulla, amplitudine juxta maritimas Alpes tanta, ut inciso ventre impleant pæne [13] unciarum latitudinem: in Ægypto vero cribrorum longitudinem, [14] non alias utiliorem.

Quidam etiamnum unum genus faciunt junci trianguli: cyperon vocant. Multi vero non discernunt a cypiro vicinitate nominis. Nos distinguemus utrumque. Cypirus est gladiolus, [15] ut diximus, radice bulbosa, laudatissimus in insulis Creta, dein Naxo, & postea in Phœnice. Cretico candor odorque vicinus nardo, Naxio acrior, Phœnicio exiguum spirans, nullus Ægyptio. Nam & ibi nascitur. [16] Discutit duritias corporum. Jam enim remedia dicemus: quoniam & florum odorumque generi est magnus usus in medicina. [17] Quod ad cypiron attinet, Apollodorum quidem sequar, qui negabat bibendum: quanquam professus efficacissimum esse adversus calculos, os eo fovet. [18] Feminis quidem abortus facere non dubitat. Mirumque tradit, barbaros suffitum hujus herbæ excipientes ore, lienes consumere: & non egredi die omni, nisi ab hoc suffitu: vegetiores enim firmioresque sic etiam in dies fieri. Intertriginum & alarum vitiis, perfrictionibusque cum oleo illitum, non dubie mederi.

L X X. [1] Cyperos juncus est, [2] qualiter diximus, angulosus, juxta terram candidus, cacumine niger, pinguisque. [3] Folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ est semen. [4] Radix olivæ nigræ similis, quam, cum oblonga est, cyperida vocant, magni in medicina usus. Laus cypero prima Hammoniaco, secunda Rhodio, tertia [5] Theræo, novissima Ægyptio: [6] quod & confundit intellectum, quoniam & cypiros ibi nascitur. [7] Sed cypiros durissima, vixque spirans. [8] Ceteris odor & ipsis nardum imitans. [9] Est & per se Indica herba, quæ cypira vocatur, zingiberis effigie: commanducata croci vim reddit. [10] Cypero vis in medicina psilothri. Illinitur pterygiis, hulceribusque genitalium, [11] & quæ in humore sunt omnibus, sicut oris hulceribus. [12] Radix adversus serpentium ictus, & scorpionum, præsenti remedio est. [13] Vulvas aperit pota. Largiori tanta vis, ut expellat eas. [14] Urinam ciet, & calculos, ob id utilissima [15] hydropicis. [16] Illinitur & hulceribus, quæ serpunt, sed his præcipue, quæ in stomacho sunt, ex vino vel aceto illita.

L X X I. [1] Junci radix in tribus heminis aquæ decocta ad tertias, tussi medetur. Semen tostum & in aqua potum, sistit alvum, & feminarum menses. [2] Capitis dolores facit, qui vocatur holoschœnos: [3] ejus quæ proxima sunt radicis, commanducantur adversus araneorum morsus. Invenio etiamnum unum junci genus, [4] quod euripicen vocant. Hujus semine somnum allici, sed modum servandum, ne sopor fiat.

L X X I I. Ob id & odorati junci medicinæ dicentur, quoniam & in Syria Cœle ([1] ut suo loco retulimus) nascitur. [2] Laudatissimus ex Nabatæa, cognomine teuchites,

Notæ.

11. *Cacumine in terram.*] Bulbi nempe radicis cacumine in terram defixo, ex quo junci radices quotannis pullulant. Hæc etiam Græci scriptoris sententia est, cum ἀπὸ τ̃ κεφαλῆς τ̃ χόνου dixit, lib. 4. histor. cap 13. Cave enim existimes ipsius junci cacumen intelligi, quo demisso in terram, ut in aliis vidimus, propagatio fiat.

12. *Alioqui.*] His radicibus, inquit Theophr. peculiare est, quod singulis annis intereant, & rursum superne ex radicis capite pullulent: Ἀποσήπονται μὲν ὅσαι ἔτη, ἐκ δὲ ἄνωθεν πάλιν ἡ γένεσις.

13. *Unciarum.*] Unciæ unius, quæ pars est pedis duodecima.

14. *Non alias.*] In MSS. *non aliis.* Sententia est, non ex aliis rebus fieri in Ægypto cribra utilius, quam e junco.

15. *Ut diximus.*] Sect. 67. Ξίφιον ibi Dioscoridis esse monuimus.

16. *Discutit duritias.*] Et ξίφιον Dioscoridis lib. 4 cap. 20. panos discutit, διαφορεῖ φύγεθλα, quod genus est tumoris ac duritiei.

17. *Quod ad cypirum.*] Sive gladiolum, ξίφιον, ut diximus.

18. *Feminis quidem.*] Sterilitatem induci pota τ̃ ξιφίου superiore radice e vino, scribit Diosc. loc. cit.

Sect. L X X. 1. *Cyperos juncus.*] Hic Græcorum κύπειρος & κύπερος est. Cyperus officinarum, Dodonæi pag. 336. Cyperus longus, Gallis *Souchet.* Vidimus in horto Regio. Scribonius Largus, Comp. 12. num. 61. *Cypiro, hoc est, junci radicis*, &c.

2. *Qualiter diximus.*] Sup. sect. *Quidam etiamnum unum genus faciunt junci trianguli &c.* Sunt qui quadratum vocent, ut Celsus, lib. 3. cap. 21. & lib. 4. cap. 20.

3. *Folia ima.*] Ita Diosc. lib. 1. cap. 4.

4. *Radix olivæ.*] Diosc. loc. cit.

5. *Theræo.*] Vide Notas & Emend. num. XIII.

6. *Quod & confundit.*] Vocum affinitas, inquit, cyperi & cypiri, multos inducit in errorem.

7. *Sed cypiros*] Gladiolus, ξίφιον.

8. *Ceteris*] Cypero nimirum Græco seu κυπέρῳ vel κυπείρῳ, & radici quam κυπερίδα vocant. Hic enim cyperus est, quo propter vicinitatem odoris adulterari nardum admonuit, lib. 12. sect. 27.

9. *Est & per se.*] Diosc. lib. 1. cap. 4. Γεννᾶται δὲ καὶ ἕτερον εἶδος κυπείρου ἐν Ἰνδίᾳ ζιγγιβέρει παραπλήσιον, ὃ διαμασηθὲν κροκίζει, ... ψιλοῖ τὰς τρίχας, *depilat illico.* Hæc porro *cypira*, in Reg. Colb. Chiffl. & Thuan. scribitur, tum hoc loco, tum in Indice: non, ut hactenus editi, *cyperis*, quod cyperi radicis nomen est.

10. *Cypero vis.*] Hanc Indicæ cyperidi Dioscorides vim adscribit, ut proxime vidimus: nec tamen cypero idcirco abjudicat.

11. *Et quæ in humore.*] Sic infra sect. 76. Hulcera vocat, quæ in humidis sunt.

12. *Radix.*] Diosc. lib. 1. cap. 4.

13. *Vulvas.*] Vide Notas & Emend. num. XIV.

14. *Urinam ciet & calculos*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 198.

15. *Hydropicis.*] Diosc. loc. cit. & Celsus, lib. 3. cap. 21.

16. *Illinitur.*] Diosc. loc. cit.

Sect. L X X I. 1. *Junci radix.*] Diosc. lib. 4. cap. 52.

2. *Capitis dolores.*] Diosc loco proxime cit.

3. *Ejus quæ proxima.*] Folia nimirum radici vicina. Diosc. lib. 4. cap. 52. Τὰ δὲ πρὸς τῇ ῥίζῃ ἁπαλὰ φύλλα καταπλαττόμενα, φαλαγγιοδήκτοις ἁρμόζει.

4. *Quod euripicen.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis: Ἡ δὲ ... ὑπνωτικὸν ἔχει τὸ σπέρμα· φυλάττεσθαι δὲ δεῖ ... τὸ πλῆθος· καροῖ γὰρ λίαν.

Sect. L X X I I. 1. *Ut suo loco retulimus.*] Libro 12. sect. 48.

2. *Laudatissimus.*] Ita fere Diosc. lib. 1. cap. 16. sed ...

proximus Babylonius, pessimus ex Africa, ac sine odore. [3] Est autem rotundus, vinosæ [4] mordacitatis ad linguam. [5] Sincerus in confricando odorem rosæ emittit, rubentibus fragmentis. [6] Discutit inflationes, ob id stomacho utilis, bilemque & sanguinem rejicientibus. Singultus sedat, ructus movet, [7] urinam ciet, vesicæ medetur. [8] Ad muliebres usus decoquitur. Opisthotonicis cum resina arida imponitur [9] excalfactoria.

LXXIII. [1] Et rosa adstringit, refrigerat. Usus ejus dividitur in folia, & flores, & capita. Foliorum partes quæ candidæ, [2] ungues vocantur: in flore aliud est semen, [3] aliud capillus: in capite, aliud cortex, aliud calyx. Folium siccatur, aut tribus modis exprimitur. Per se, cum ungues non detrahuntur: ibi enim humoris plurimum: aut cum detractis unguibus, reliqua pars aut oleo aut vino maceratur in Sole vasis vitreis. Quidam & salem admiscent, & anchusam nonnulli, aut asphalathum, aut juncum odoratum: quia talis maxime prodest vulvæ ac dysentericis. [4] Exprimuntur eadem folia detractis unguibus, trita per linteum spissum in æreum vas, lenique igni succus coquitur, donec fiat crassitudo mellis. Ad hoc eligi oportet odoratissima quæque folia. * [5] Vinum quomodo fieret e rosa, diximus inter genera vini. [6] Usus succi ad aures, oris hulcera, gingivas, tonsillas, gargarizatus, stomachum, vulvas, sedis vitia, capitis dolores. In febre per se, vel cum aceto ad somnos, nauseas. [7] Folia uruntur in calliblepharum. [8] Et siccis femina asperguntur. Epiphoras quoque arida leniunt. Flos somnum facit. Inhibet fluxiones mulierum, maxime albas, in posca potus: & sanguinis exscreationes. Stomachi quoque dolores, quantum in vini cyathis tribus. Semen his optimum crocinum, nec anniculo vetustius: & in umbra siccatur. Nigrum inutile. Dentium dolori illinitur. Urinam ciet. Stomacho imponitur. Item igni sacro non veteri. Naribus subductum caput purgat. [9] Capita pota ventrem & sanguinem sistunt. Ungues rosæ epiphoris salubres. Hulcera enim oculorum rosa sordescunt, præterquam initiis epiphoræ, ita ut arida cum pane imponatur. Folia quidem [10] vitiis stomachi, rosionibus & vitiis ventris, & intestinorum, [11] & præcordiis utilissima, vel illita. Cibo quoque lapathi modo condiuntur. [12] Cavendus in his situs celeriter insidens. Et aridis & expressis aliquis usus. [13] Diapasmata inde fiunt [14] ad sudores coercendos, ita ut a balineis inarescant corpori, dein frigidâ abluantur. [15] Silvestris pilulæ cum adipe ursino alopecias mirifice emendant.

* CAP. XIX.

LXXIV. [1] Lilii radices multis modis florem suum nobilitavere, contra serpentium ictus ex vino potæ, & contra fungorum venena. Propter clavos pedum in vino decoquuntur, triduoque non solvuntur. Cum adipe aut oleo decoctæ, pilos quoque adustis reddunt. E mulso potæ inutilem sanguinem cum alvo trahunt. Lienique, & ruptis, [2] vulsis prosunt, & mensibus feminarum [3] In vino vero decoctæ, impositæque cum melle nervis præcisis medentur. [4] Lichenas, & lepras, & furfures in facie emendant. [5] Erugant corpora. [6] Folia in aceto cocta, vulneribus imponuntur: [7] epiphoris testium, melius cum hyoscyamo &

NOTÆ.

[illegible] is Babylonium, non Nabatæum vocat. Τευχίτης porro cognominari videtur, quod e Syria afferebatur vasis: τεῦχος, ἀγγεῖον est.

3 *Est autem rotundus.*] Talis a Celso inter aromata censetur, lib. 3. cap. 21. *Junci rotundi semen, inquit, σχοῖνον hoc Græci vocant, &c.*

4. *Mordacitatis.*] Qui linguam multo cum fervore mordeat: Δάκνουσα τὴν γλῶσσαν μετὰ πολλῆς πυρώσεως. Dioscor. loc. cit.

5. *Sincerus &c.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

6 *Discutit &c.*] Diosc. loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει πνευματώσεων διαλυτικήν, &c.

7. *Urinam*] Diosc. loc. cit.

8 *Ad muliebres.*] Ad vulvæ inflammationes insessione prodesse scribit Diosc. loc. cit.

9 *Excalfactoria.*] Cui resinæ vis est excalfactoria. Vide Notas & Emend. num. XV.

Sect. LXXIII 1. *Et rosa*] Diosc. lib. 1. cap. 130. Peracta jam hortorum ac florum ratione, herbarumque sponte nascentium explanata natura, nunc ad horum omnium vires medicas enarrandas transilit. Et rosa, primum, inquit, adstringit, refrigerat, ut juncus, qui idcirco bilem & sanguinem rejicientibus utilis.

2. *Ungues.*] Et Diosc. loc. cit. ὄνυχας appellat, ὅπερ ἐστὶ τὸ λευκὸν τὸ ἐν τῷ φύλλῳ.

3 *Aliud capillus.*] Capillum vocat luteos, qui intra florem stant, apices. Corticem, id quod semen complectitur, ut dictum est sect. 10. Calycem denique, id quod luteos apices, & folia floris continet, remanetque foliis decussis.

4. *Exprimuntur eadem.*] Diosc. loc cit.

5. *Vinum . . . diximus.*] Lib. 14 sect 19.

6. *Usus succi.*] Hæc omnia Diosc. lib. 1. cap. 130. de liquore expresso ex aridis rosis in vino decoctis.

7. *Folia uruntur.*] Diosc. Καίονται δὲ καὶ εἰς τὰ καλλιβλέφαρα. Καλλιβλέφαρον medicamentum est quo fucantur, ornanturque palpebræ.

8. *Et siccis femina.*] Femorum intertrigines. Diosc. Ξηρὰ δὲ λεῖα παρὰ μηροῖς ἐπιπάσσεται. Ubi Marcellus interpres, παρατρίμμασι μηρῶν. Dalecampius Plinium immerito reprehendit, quod μηροῖς pro μύροις legerit.

9. *Capita pota.*] Diosc loc cit. Αἱ κεφαλαὶ δὲ πινόμεναι, κοιλίας ἵστασι, καὶ αἵματος ἀναγωγὴν ἐπέχουσι.

10. *Vitiis stomachi.*] Celsus, lib 4. cap 5. *Ubi stomachus exæstuat, aceto cum rosa extrinsecus subinde fovendus est. &c.*

11. *Et præcordiis*] Inflammatis: Ἐπιπλασσόμενα φύλλα ποιεῖ πρὸς ὑποχονδρίων φλεγμονάς. Diosc. loc. cit.

12. *Cavendus.*] Idcirco, dum siccantur, assidue versanda, ne situm contrahant, aut a vermiculis erodantur.

13. *Diapasmata.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 1. cap. 131.

14. *Ad sudores.*] Ad sudorum graveolentium, πρὸς τὴν τῶν ἱδρώτων δυσωδίαν

15. *Silvestris.*] Rosæ silvestris.

Sect. LXXIV 1. *Lilii . . . contra serpentium.*] Apuleius, cap. 107. tit. 1. *Ad morsum serpentis: Herba lilii bulbum contentito, & expressos succos potui dato: ipsum etiam bulbum tritum morsui apponas*

2. *Vulsis.*] Convulsis, de quibus lib. 20 sect. 18

3. *In vino . . . nervis præcisis.*] Diosc. lib. 3. cap. 116. & Galenus, lib. 7. de fac simp. med. pag. 197.

4 *Lichenas &c.*] Diosc. loc. cit.

5 *Erugant*] Erugari faciem trita radice, prodidit etiam Diosc. loc. cit

6. *Folia in aceto cocta.*] Condita maluit dicere Diosc. loc. cit. ταριχευθέντα ἐν ὄξει. In vino vetere oleoque decoctis lanari ambusta Celsus prodidit, lib. 5. cap. 27 sub finem

7. *Epiphoris testium*] Hoc est, inflammationibus. Diosc. loc. cit. Σὺν ὄξει δὲ λεία (ῥίζα) ἢ σὺν ὑοσκυάμου φύλλοις, καὶ ἀλεύρῳ πυρίνῳ, ὄρχεων φλεγμονὰς παρηγορεῖ.

farina tritici. [1] Semen illinitur igni facro: flos & folia hulcerum vetuftati. Succus qui flore expreffus eft, ab aliis mel vocatur, [9] ab aliis fyrium, [10] ad emolliendas vulvas, fudoresque faciendos, & fuppurationes concoquendas.

L X X V. Narciffi duo genera in ufu medici recipiunt. [1] Unum purpureo flore, & alterum [2] herbaceum. Hunc ftomacho inutilem, [3] & ideo vomitorium, alvofque folventem, nervis inimicum, caput gravantem, [4] & a narce narciffum dictum, [5] non a fabulofo puero. Utriufque radix mulfei faporis eft. [6] Ambuftis prodeft cum exiguo melle. [7] Sic & vulneribus, & luxatis. [8] Panis vero cum melle & avenæ farina. [9] Sic & infixa corpori extrahit. [10] In polenta tritus oleoque, contufis medetur, & lapide percuffis. [11] Purgat vulnera permixtus farinæ. [12] Nigras vitiligines emaculat. [13] Ex hoc flore fit narciffinum oleum ad emolliendas duritias, calfacienda quæ alferint. Auribus utiliffimum: fed & capitis dolores facit.

L X X V I. Violæ filveftres, & fativæ. [1] Purpureæ refrigerant. [2] Contra inflammationes illinuntur ftomacho ardenti. Imponuntur & capiti in fronte. [3] Oculorum privatim epiphoris, & fede procidente, vulvave: & contra fuppurationes. [4] Crapulam, & [5] gravedines capitis impofitis coronis olfactuque difcutiunt. Anginas ex aqua potæ. [6] Id quod purpureum ex iis, comitialibus medetur, maxime pueris, in aqua potum. Semen violæ fcorpionibus adverfatur. Contra flos albæ fuppurata aperit: ipfa difcutit. [7] Et alba autem & lutea extenuant menftrua, urinam cient. Minor vis eft recentibus: [8] ideoque aridis poft annum utendum. Lutea dimidio cyatho in aquæ tribus, menfes trahit. [9] Radices ejus cum acero illitæ fedant lienem: [10] item podagram: oculorum autem inflammationes cum myrrha & croco. [11] Folia cum melle purgant capitis hulcera: [12] cum cerato rimas fedis, & quæ in humidis funt. Ex aceto vero collectiones fanant.

L X X V I I. Bacchar in medicinæ ufu aliqui ex noftris [1] perpreffam vocant. [2] Auxiliatur contra ferpentes, capitis dolores fervorefque: item epiphoras. Imponitur mammis tumentibus a partu, & ægilopis incipientibus, & ignibus facris. Odor fomnum gignit.

NOTÆ.

8. *Semen illinitur.*] Diofc. loc. cit. Ἐρυσιπέλατα δὲ καταπλάσμα &c.

9. *Ab aliis fyrium.*] Ita etiam MSS Dalecampio legi *firenum* placuit, hoc eft, fapam, ut diximus lib. 14. fect. 11.

10. *Ad emolliendas.*] Hanc vim affignat unguento lirino Diofc. loc. cit.

Sect. L X X V. 1. *Unum purpureo.*] Primum eft narciffi genus, quod & purpureum lilium vocat, fect. 12.

2. *Herbaceum.*] Tertium narciffi genus, de quo fect. 12. cui calyx herbaceus. Ποῤῥίζων ait Diofc. lib. 4. cap. 161. porrum referre. Abeant cum fuo helvaceo colore, quibus eft omnia corrumpendi verius, quam corrigendi, prurigo.

3. *Et ideo vomitorium.*] Q. Serenus, cap. 20. pag. 137.

Ad vomitum radix narciffi pota movebit.

Sic etiam Apuleius bulbum vomitorium vocat, cap. 55. Diofcoridem adde, lib. 4. cap. 161.

4. *Et a narce.*] Ἀπὸ τῆς νάρκης, hoc eft, a torpore. Eamdem appellationis rationes afferunt Plutarchus & Clemens Alex. apud Voffium in Etymol.

5. *Non a fabulofo puero.*] Narciffo adolefcente, a quo flori nomen inditum fabulantur. Vide Ovidium, lib. 16. Metam & auctorem Geopon, lib 11. cap 25. aliofque.

6. *Ambuftis.*] Diofcorides, lib. 4. cap. 161.

7. *Sic & vulneribus.*] Diofc. loc cit. præcifos nervos glutinari radice impofita: luxatis malleolis, diuturnifque articulorum doloribus tritam ex melle & illitam prodeffe narrat. Cum oleo & farina ad vulnera Apuleius jubet adhiberi, cap. 55. tit. 1.

8. *Panis vero.*] Hoc eft, tumoribus abfceffibufque ægre maturefcentibus. Pro avenæ farina ervinam admifcet Diofcorides, lib 4 cap. 161. Σὺν ὀρόβῳ δὲ καὶ μέλιτι .... τὰ δυσεκπύητα τῶν φυμάτων ῥήσσει.

9. *Sic & infixa.*] Diofc. loc. cit. cum ærinea, loliaceave farina impofita, σὺν αἰρίνῳ ἀλεύρῳ καὶ μέλιτι ἐπιπλασσομένη.

10. *In polenta &c.*] Diofc. loc. cit.

11. *Purgat*] Diofc. loc. cit.

12. *Nigras vitiligines.*] Diofc. ἀλφούς. Vitiligo, cutis vitium eft, ex malo corporis habitu. Hujus duo funt genera, quæ diverfi humores faciunt: nam ex pituitofo humore fit candida: ex atra bile, nigra. Galenus, tom. 2. in medico, cap. 18. pag. 393. ἀλφοὺς λευκούς, & ἀλφοὺς μέλανας vocat. Sic etiam lib. 1. κατὰ τόπους, cap. 3. pag. 342. Cum vitiligo profundius agit, tum eam λεύκην vocat: ἄλφος fummam tantum corporis cutem immutat Vide Pollucem, lib. 4. cap. 25. pag. 120 & Celfum, lib. 5. cap ult. cui titulus, *De vitiliginis fpeciebus, id eft, de Alpho & Mela, & Leuce, & earum curatione.*

13 *Ex hoc flore*] Sic Diofc. lib. 1. cap. 63. ἔλαιον ναρκίσσινον, cujus concinnandi modum edocet: dotes ad eadem vulvæ auriumque vitia commendat: fed cavendum capiti monet. Ποιεῖ δὲ πρὸς τὰ ἐν ὑστέρᾳ, μαλάσσει τὰς περὶ αὐτὴν σκληρίας, καὶ μύσεις, ἔστι δὲ κεφαλαλγές.

Sect. L X X V I. 1. *Purpureæ.*] Sic Diofc. lib 4. cap. 122.

2. *Contra inflammationes.*] Diofc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. fimp. med. pag. 179.

3. *Oculorum*] Diofc. pariter, lib. 4. cap 122. Καὶ ὀφθαλμῶν φλεγμοναῖς, καὶ ἕδρας τῆς ἐξοχῆς προσπλάσσεται.

4. *Crapulam &c.*] Plutarchus, in Sympof. lib 3. probl. 1. pag 647. Αἱ τῶν ἀνθῶν ἀπόῤῥοιαι πρὸς τὰς ἐκ τοῦ μεθύειν βλάβας, καὶ ἀποτειχίζουσι τῆς κεφαλῆς ἀπὸ μέθης ὡς ἀκροπόλεως, τῶν μὲν θερμῶν μαλακῶς ἀναχαλῶντα τοὺς πόρους καὶ ἀναπνοὴν τῷ οἴνῳ διδόντων· ὅσα δὲ ψυχρὰ ψυχρῶς τοῦ μετρίου, ἐπιψαύοντα ἀνακρουομένων τὰς ἀναθυμιάσεις, ὥσπερ ὁ τῶν ἴων καὶ ῥόδων στέφανος· εὔφει γὰρ ἀμφότερα, καὶ στέλλει τῇ ὀσμῇ τὰς καρηβαρίας. *Florum halitus mire huic malo medentur, caputque veluti arcem muniunt contra ebrietatem: nam & calidi flores molliter aperiendo meatus faciunt ut perfpirare vinum poffit: & quæ funt modice frigida moderato contactu vapores cohibent, ut violacea & rofacea corona: utrumque enim horum adftringit, reprimitque odore fuo ea quibus corpus gravatur.* Schola Salernitana, de viola:

Crapula difcutitur, capitis dolor, atque gravedo.

5. *Gravedines capitis.*] Τὰς κεφαλῆς βαρύτητας intelligit. Gravatum caput dixit Columella, lib. 6. cap. 9. de febre boum. *Pefanteur de tefte.*

6. *Id quod purpureum.*] Diofc. loc. cit. Φασὶ δὲ τὸ πορφυρίζον τοῦ ἄνθους &c. Schola Salernitana:

Purpuream violam dicunt curare caducos.

7. *Alba autem.*] Diofc lib. 3. cap 138. & Galenus, lib. 7. de fac fimp. med. pag. 202.

8 *Ideoque aridis.*] Diofc. & Galenus, locis cit. Sic etiam MSS. Reg Colb. &c. non *auritis.*

9 *Radices ejus.*] Diofc. loc. cit. Marcellus Empir. cap 23. pag. 166 *Sedant lienis dolorem radices violæ luteæ, fi ex aceto fplenii vice emplaftri apponantur.* Plinius Valer. lib 2. cap. 18 *Radices violæ lotæ,* (lege *luteæ*) *ex aceto illinuntur.*

10. *Item podagram.*] Diofc. loc. cit.

11. *Folia cum melle.*] Folia quibus flos conftat, intellige, non quæ ambiunt. Sic & oris hulcera his fanari auctor eft Diofc. loc. cit.

12. *Cum cerato.*] Diofc loc. cit. Ἀναλαμβάνεται δὲ κηρωτῇ, ῥαγάδας τὰς ἐν δακτυλίῳ θεραπεύει. Ceratum five cerotum κηρωτόν, medicamentum eft cera temperatum *Du Cerat.*

Sect. L X X V I I. 1. *Perpreffam vocant.*] Vide Notas & Emend. num. X V I.

2. *Auxiliatur.*] Vires plane eafdem bacchari Diofcorides attribuit, lib. 3. cap. 51. & Cratevas item, cujus fragmentum recitat Anguillara, part. 2. pag. 26.

Radicem decoctam bibere spasticis, [3] eversis, convulsis, suspiriosis, salutare est. [4] In tussi vetere radices ejus tres quatuorve decoquuntur ad tertias partes. Hæc potio mulieres ex abortu purgat. Laterum punctiones tollit, & vesicæ calculos. [5] Tunditur & in diapasmata. Vestibus odoris gratia inseritur. [6] Combretum, quod simile ei diximus, tritum 5 cum axungia, vulnera mire sanat.

LXXVIII. Asarum jocinerum vitiis salutare esse traditur, uncia sumptum in hemina mulsi mixti. [1] Alvum purgat ellebori modo. [2] Hydropicis prodest, & præcordiis, vulvisque, ac morbo regio. In mustum si addatur, facit vinum urinis ciendis. Effoditur cum folia emittit. Siccatur in umbra. Situm celerrime sentit.

CAP. XX. 10 LXXIX. Et quoniam quidam, [1] ut diximus, nardum rusticum nominavere radicem baccharis, contexemus & Gallici nardi remedia in hunc locum dilata [2] in peregrinis arboribus. [3] Ergo adversus serpentes duabus drachmis in vino succurrit. Inflammationibus coli, vel ex aqua, vel ex vino. [4] Item jocineris, & renum: [5] suffusisque felle. Et hydropicis per se, vel cum absinthio. Sistit purgationum mulierum impetus.

15 LXXX. [1] Ejus vero quod phu eodem loco appellavimus, radix datur potui trita, vel decocta ad strangulatus, vel pectoris dolores, [2] vel laterum. [3] Menses quoque ciet. Bibitur cum vino.

LXXXI. Crocum melle non solvitur, nulloque dulci: facillime autem vino, aut aqua. Utilissimum in medicina. [1] Asservatur cornea pyxide. [2] Discutit inflammationes omnes, 20 quidem, [3] sed oculorum maxime ex ovo illitum. Vulvarum quoque strangulatus, stomachi exhulcerationes, pectoris, & renum, jocinerum, pulmonum, vesicarumque: peculiariter inflammationi earum vehementer utile. Item tussi & pleuriticis. Tollit & pruritus. [4] Urinas ciet. [5] Qui crocum prius biberint, crapulam non sentient, ebrietati resistent. Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem. [6] Somnum facit. Caput leniter movet. 25 Venerem stimulat. Flos ejus igni sacro illinitur cum creta Cimolia. Ipsum plurimis medicaminibus miscetur.

LXXXII. [1] Collyrio uni etiam nomen dedit. [2] Fæx quoque expressi unguento crocino, quod [3] crocomagma appellant, [4] habet suas utilitates contra suffusiones oculorum, [5] urinas. [6] Magis excalfacit, quam crocum ipsum. [7] Optimum, quod gustatu salivam den- 30 tesque inficit.

LXXXIII. Iris rufa melior quam candida. Infantibus eam circumligari salutare est, dentientibus præcipue, & tussientibus, [1] tinearumve vitio laborantibus instillari. Ceteri effectus ejus non multum a melle differunt. Hulcera purgat capitis, præcipue suppurationes veteres. Alvum solvit duabus drachmis cum melle. [2] Tussim, tormina, 35 inflationes, pota: [3] Lienes ex aceto. Contra serpentium & araneorum morsus, ex posca

NOTÆ.

3. *Eversis.*] Ex alto præcipitatis, πλήμασι, Diosc. loc. citato.

4. *In tussi vetere radices.*] Ita Reg 1. Colb. 2 & 3. ipseque Diosc loc cit. At Reg 2. Th. & Chiffl *ramos* non *radices* legit.

5. *Tunditur & in diapasmata.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ εἰς διαπάσματα χρησιμεύει, εὐώδη ἔχουσα τὴν ὀσμήν.

6. *Combretum, quod . . . . . diximus.*] Sect 16.

Sect. LXXVIII. 1. *Alvum purgat &c.*] Diosc. lib. 1. cap. 9. ait radices bibitas drachmis sex ex aqua mulsa, ellebori modo purgare

2. *Hydropicis*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXXIX. 1. *Ut diximus.*] Sect. 16.

2. *In peregrinis arboribus.*] Libro 12. sect. 26.

3 *Ergo adversus.*] Totidem verbis Diosc. lib. 1. cap. 7.

4 *Item jocineris.*] Subintellige ex antecedente sententia *inflammationibus.* Diosc. loc. cit. Ὠφελεῖ δὲ καὶ τὰς περὶ τὸ ἧπαρ φλεγμονάς, καὶ ἰκτερικούς, καὶ πνευματουμένους στομάχους, μετ' ἀψινθίου ἀφεψήματος πινόμενον.

5. *Suffusisque felle.*] Ictericis.

Sect. LXXX. 1. *Ejus vero quod phu.*] Libro 12. sect. 26. Nardum Creticam sic veteres appellaverunt.

2. *Vel laterum.*] Dioscor. lib. 1. cap. 10. πρὸς πλευρῶν πόνους.

3. *Menses quoque.*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXXXI. 1. *Asservatur cornea.*] Nostri plumbea magis utuntur.

2. *Discutit.*] Mitigat erysipelata, inquit Dioscor. lib. 1. cap 25 quæ sunt cum inflammatione conjuncta: aurium quoque inflammationibus prodest.

3. *Sed oculorum.*] Diosc lib. 1. cap 25. Ῥεῦμά τε ὀφθαλμῶν ἐπέχει ἐγχριόμενος σὺν γυναικὸς γάλακτι. *Oculorum fluxiones illitus ex lacte muliebri cohibet.*

4. *Urinas ciet.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. simp med. pag 218.

5. *Qui crocum.*] Plutarch lib. 3. Sympos. quæst. 1. pag. 647. Dioscorides loc. cit. bibi idcirco crocum ex passo jubet; Ἀκραιπαλίας ἐστὶ μετὰ γλυκέος πινόμενος.

6. *Somnum facit.*] Celsus, lib. 3. cap 18. ubi de phreneticis: *Omnibus vero sic affectis, inquit, somnus & difficilis, & præcipue necessarius est: sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id, atque etiam ad mentem ipsam componendam crocinum unguentum cum irino in caput datum.*

Sect. LXXXII. 1. *Collyrio uni.*] Quod Διὰ κρόκου dicitur, descriptum a Celso, lib. 6. cap 6. tit. *Dia crocu collyrium. Proprie etiam ad caligationem oculorum quæ ex lippitudine oritur, componitur quod* Διὰ κρόκου *vocant. Habet piperis* P. X. I. *Croci Cilicis, papaveris lacrymæ, cerussæ, singulorum* P. X. II. *psorici, gummi, singulorum* P. X. IIII. hoc est, pondo denariûm quaternûm. In collyriis oculorum plurimis admiscetur a Marcello Empirico, cap 8.

2. *Fæx quoque expressi.*] Ita MSS. tum nostri, tum Pintiani: non, ut editi, *ex eo quoque expresso*

3. *Crocomagma.*] Diosc. lib. 1. cap 26. Τὸ δὲ κροκόμαγμα γίνεται ἐκ τοῦ κροκίνου μύρου, τῶν ἀρωμάτων ἐκθλιβέντων καὶ ἀναπλασθέντων. *Crocomagma fit ex unguento crocino, expressis aromatis, & in pastillos digestis.* Crocomagma igitur fæx est & recrementum olei unguentive crocini. Celsus, lib. 5. cap. 18. *Crocomagma, quod quasi recrementum ejus est*

4. *Habet suas.*] Diosc. loc. cit Δύναμιν δὲ ἔχει σμηκτικὴν τῶν ἐπισκοτούντων ταῖς κόραις *Vim habet ea detergendi, quæ pupillis oculorum caliginem offundunt.*

5. *Urinas.*] Subintellige, habet utilitates & contra urinas, quas admodum ciet: δύναμιν ἔχει οὐρητικήν, inquit Dioscor. loc. cit.

6. *Magis excalfacit.*] Et vim ei θερμαντικὴν Dioscorides assignat loc. cit.

7. *Optimum quod*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXXXIII. 1. *Tinearumve vitio*] Hoc est, verminum, seu lumbricorum.

2 *Tussim, tormina*] Diosc. lib 1. cap. 1. πρὸς βῆχας, καὶ στρόφους.

3. *Lienes &c.*] Diosc. loc. cit Μετ' ὄξους δὲ πινόμενα βοηθεῖ σπληνικοῖς καὶ σπασμοῖς ... πλευριτικοῖς.

valet.

valet. Contra scorpiones, duarum drachmarum pondere in pane vel aqua sumitur. Contra canum morsus, ex oleo imponitur: & contra perfrictiones. Sic & nervorum doloribus. [4] Lumbis vero & coxendicibus cum resina illinitur. [5] Vis ei concalfactoria. Naribus subducta, sternumenta movet, caputque purgat. [6] Dolori capitis cum cotoneis malis aut strutheis illinitur. Crapulas quoque & orthopnœas discutit. Vomitiones ciet, duobus obolis sumpta. [7] Ossa fracta extrahit, imposita cum melle. Ad paronychias farina ejus utuntur cum vino, ad clavos, vel verrucas, triduoque non solvitur. Halitus oris commanducata abolet, alarumque vitia. Succo duritias omnes emollit. [8] Somnum conciliat, [9] sed genituram consumit. Sedis rimas, [10] & condylomata, omniaque in corpore excrescentia sanat. Sunt qui silvestrem, [11] xyrin vocent. [12] Strumas hæc, vel panos, vel inguina discutit. Præcipitur, ut sinistra manu ad hos usus eruatur, colligentesque dicant, cujus hominis utique causa eximant. [13] Scelus herbariorum aperietur in hac mentione. Partem ejus servant, & quarumdam aliarum herbarum, sicut plantaginis: & si parum mercedis tulisse se arbitrantur, rursusque opus quærunt, partem eam quam servavere eodem loco infodiunt: [14] credo ut vitia, quæ sanaverint, faciant rebellare.

Saliuncæ radix in vino decocta sistit vomitiones, corroborat stomachum.

LXXXIV. [1] Polio Musæus & Hesiodus perungi jubent dignationis gloriæque avidos: polium tractari, coli: [2] Polium contra serpentes substerni, uri, [3] vel portari: In vino decoqui recens, vel aridum, illinique. [4] Splenicis propinant ex aceto: [5] morbo regio in vino: [6] & hydropicis incipientibus in vino decoctum. [7] Vulneribus quoque sic illinunt. Secundas mulierum, partusque emortuos pellit: item dolores corporis. Vesicas inanit: & epiphoris illinitur. Nec magis alia herba convenit medicamento, quod [8] alexipharmacon vocant. [9] Stomacho tamen inutile esse, caputque eo impleri, & abortum fieri poto, aliqui negant. Ad religionem addunt, ubi inventum sit, protinus adalligandum contra oculorum suffusiones, cavendumque ne terram attingat. Hi & folia ejus thymo similia tradunt, nisi quod molliora sunt, & lanatiore canitie. Cum ruta silvestri, & si teratur ex aqua cælesti, aspidas mitigare dicitur: & non secus atque cytinus adstringit, & cohibet vulnera, prohibetque serpere.

LXXXV. Holochrysos medetur stranguriæ in vino pota, & oculorum epiphoris illita. Cum fæce vero vini cremata & polenta, lichenas emendat. [1] Chrysocomes radix calfacit, & stringit. [2] Datur potui ad jocinerum vitia: item pulmonum: vulvæ dolores in aqua mulsa decocta. Ciet menstrua: & si cruda detur, hydropicorum aquam.

LXXXVI. Melissophyllo [1] sive melittæna si perungantur alvearia, non fugient apes. Nullo enim magis gaudent flore. [2] Copia istius examina facillime continentur. [3] Idem præsentissimum est contra ictus earum vespatumque, & similium, sicut araneorum: item scorpionum. [4] Item contra vulvarum strangulationes, addito nitro: contra tormina, e vino. [5] Folia ejus strumis illinuntur, & sedis vitiis, cum sale. [6] Decoctæ succus feminas

Notæ.

4. *Lumbis vero.*] Diosc. loc. cit.

5. *Vis ei concalfactoria.*] Δύναμις ἔχει θερμαντικὴ, Diosc. loc. cit.

6. *Dolori capitis.*] Ex aceto ad id & rosaceo applicari Dioscorides præcipit, σὺν ὄξει κ. ῥοδίνῳ.

7. *Ossa fracta.*] Diosc. loc. cit.

8. *Somnum.*] Diosc. loc. cit.

9. *Sed genituram consumit.*] Consumendoque, ne effluat, facit. Unde Diosc. loc. cit. auxiliari ait iisdem potam iis, quibus genitura effluit, τοῖς γόνον ἀποῤῥέουσι.

10. *Et condylomata.*] Scribonius Largus, Compos. 225 ad condylomata: *Mulsis & ovis contusa, & ex vino mixta, cocta, & posita velut farina hordeacea profuit.* Κονδύλωμα, excrescentia carnis est circa anum, & tubercula quædam in locis muliebribus sanguinem fundentia: sic dicta a similitudine extremorum in quatuor digitis pugno clauso nodorum.

11. *Xyrin vocent.*] Ξυρὶς est Dioscoridi, lib. 4. cap. 21.

12. *Strumas hæc.*] Collectiones omnes, οἰδήματα, ea apposita discuti auctor est Diosc. loc. cit.

13. *Scelus herbariorum.*] Herbarii sunt qui medicas herbas legunt, venduntque. Firmicus, lib. 8. cap. 13. *Herbarios faciet, qui scilicet herbas solerti arte collectas ad medelam laborantium servent.* Græci ῥιζοτόμους & βοτανολόγους vocant. Alias *herbarius* etiam veneficum sonat. Vide Du-Cangium in Glossario.

14. *Credo, ut vitia.*] Eruenter, inquit, colligentesque eam herbam, si dicant, cujus hominis causa eximant, prodesse ægro tum creduntur: quid igitur existimandum est aliud velle eos, dum infodiunt rursus eodem loco, ubi parum mercedis tulisse se credunt, quam rebellare iterum ac recrudescere eos morbos, quos ante sanaverint? Horum verborum quis esset sensus, aut quo illa pertinerent, negabat Salmasius se percipere, in Præexercit. ad Plinium, pag. 44. Plinius, de batrachio herba, lib. 25. sect. 109. *Credunt eâ rursus fatâ, rebellare, quæ curaverint, vitia: quo scelere & plantagine utuntur.*

Sect. LXXXIV. 1. *Polio Musæus.*] Vide quæ diximus sect. 21.

2. *Polium contra.*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

3. *Vel portari.*] Vide Notas & Emend. num. XVIII.

4. *Splenicis.*] Dioscor. lib. 3. cap. 124.

5. *Morbo regio.*] Diosc. loc. cit.

6. *Et hydropicis.*] Diosc. loc. cit.

7. *Vulneribus.*] Diosc. loc. cit.

8. *Alexipharmacon.*] Ἀλεξιφάρμακον, remedium adversus venena, amuletum contra veneficia.

9. *Stomacho tamen*] Prodesse certe stomachicis polion cum melle tritum, auctor est Marcellus, cap. 20. pag. 139. Contra Diosc. loc. cit. & male stomachum habere, & ciere capitis dolorem scribit.

Sect. LXXXV. 1. *Chrysocomes.*] Diosc. quoque, lib. 4. cap. 55. Δύναμιν δὲ ἔχει θερμαντικὴν, καὶ στυπτικὴν ἡ ῥίζα.

2. *Datur potui*] Diosc. loc. cit. tum illud, tum cetera chrysocomes remedia totidem verbis affert.

Sect. LXXXVI. 1. *Sive melittæna.*] Vide Notas & Emendationes, num. XIX.

2. *Copia istius.*] Respicit illud Virgilii, lib. 4. Georg. vers. 63.

Huc tu jussos asperge sapores,
Trita melisphylla, & cerinthæ ignobile gramen:
Ipsæ consident medicatis sedibus: ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.

3. *Idem præsentissimum.*] Diosc. lib. 3. cap. 118.

4. *Item contra vulvarum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XX.

5. *Folia ejus*] Diosc. loc. cit. Καταπλασσόμενα δὲ (φύλλα) σὺν ἁλσὶ, διαφορεῖ χοιράδας &c.

6. *Decoctæ succus.*] Καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτοῦ ... πρὸς ἐπ-

purgat, & inflammationes discutit, & hulcera sanat. [7] Articularios morbos sedat, canisque morsus. [8] Prodest dysentericis veteribus, & cœliacis, & orthopnoïcis, lienibus, hulceribus thoracis. Caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur.

L X X X V I I. Melilotos quoque oculis medetur [1] cum luteo ovi, aut lini semine. Maxillarum quoque dolores lenit: [2] & capitis cum rosaceo: [3] item aurium e passo, quæque in manibus intumescunt, vel erumpunt. [4] Stomachi dolores in vino decocta, vel cruda tritaque. [5] Idem effectus & ad vulvas. [6] Testes vero, & sedem prociduam, quæque ibi sint vitia, recens ex aqua decocta, vel ex passo. Adjecto rosaceo illinitur ad carcinomata. Defervescit in vino dulci. [7] Peculiariter & contra meliceridas efficax.

CAP. XXI. L X X X V I I I. [1] Trifolium scio credi prævalere contra serpentium ictus & scorpionum, ex vino aut posca, seminis granis viginti potis; vel foliis, & tota herba decocta: serpentesque numquam in trifolio aspici. Præterea celebratis auctoribus, contra omnia venena pro antidoto sufficere x x v. grana ejus, quod [2] minyanthes ex eo appellavimus, tradi. Multa alia præterea in remediis ejus, adscribi. Sed me contra sententias eorum gravissimi viri auctoritas movet. Sophocles enim Poëta venenatum id dicit. [3] Simus quoque e medicis, decocti, aut contriti succum infusum corpori, [4] easdem uredines facere, quas si percussis a serpente imponatur. Ergo non aliter utendum eo, quam contra venena, censuerim. Fortassis enim & his venenis inter se contraria sit natura, sicut multis aliis. Item animadverto, semen ejus, cujus minima sint folia, utile esse ad custodiendam mulierum cutis gratiam, in facie illitum.

L X X X I X. Thymum colligi oportet in flore, & in umbra siccari. Duo autem sunt genera ejus: candidum, radice lignosa, in collibus nascens, quod & præfertur: alterum nigrius, [1] florisque nigri. [2] Utraque oculorum claritati multum conferre existimantur, & in cibo, & in medicamentis. Item diutinæ tussi: in ecligmate faciles exscreationes facere [3] cum aceto & sale. [4] Sanguinem concrescere non pati e melle: Longas faucium distillationes extra illita cum sinapi, extenuare: [5] item stomachi & ventris vitia. Modice his tamen utendum est, quoniam exscalfaciunt, quamvis sistunt alvum: quæ si exhulcerata sit, denarii pondus in sextarium aceti & mellis addi oportet. Item si lateris dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace. Præcordiis medentur ex aceto cum melle: quæ potio datur & in alienatione mentis melancholicis. [6] Datur & comitialibus, quos correptos olfactus excitat thymi. Aiunt & dormire eos oportere in molli thymo. [7] Prodest & orthopnoïcis, & anhelatoribus, mulierumque mensibus retardatis. [8] Vel si emortui sint in utero partus, decoctum in aqua ad tertias. Et viris vero contra inflationes cum melle & aceto. Et si venter turgeat, testesve, [9] aut si vesicæ dolor exigat, e vino tumores [10] & impetus tollit impositum. [11] Item cum aceto callum & verrucas. [12] Coxendicibus imponitur, cum vino: articulariis morbis, & luxatis, tritum ac lanæ inspersum ex oleo. Dant & potionem articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus aceti & mellis. Et in fastidio, tritum cum sale.

X C. [1] Hemerocalles pallidum e viridi & molle folium habet, radice odorata atque

NOTÆ.

μένοι ἀγαγεῖν αὐθιτιῖ. Diosc loc. cit.

7. *Articularios.*] Hoc folia præstare cum sale imposita Diosc. ait loco. cit. & contra canis rabidi morsus eadem cum vino pota prodesse.

8. *Prodest dysentericis &c.*] Dioscor. loc. cit.

Sect. LXXXVII 1. *Cum luteo ovi.*] Vide Notas & Emendationes, num XXI.

2. *Et capitis*] Dioscor lib. 3. cap. 48. Καὶ κεφαλαλγίαν πραΰνει ἐμβρεχόμενος μετ' οἴνου ἢ ῥοδίνου.

3. *Item aurium &c.*] Diosc loc. cit.

4. *Stomachi dolores.*] Diosc loc. cit.

5. *Idem effectus.*] Diosc. loc. cit.

6. *Testes vero &c.*] Diosc. loc. cit.

7. *Peculiariter.*] Dioscor. loc. cit. Θεραπεύει ἢ μελικηρίδας &c.

Sect. LXXXVIII. 1. *Trifolium scio.*] Vide auctorem libri de simp. med. tomo 13. operum Galeni. pag. 1002. Dioscoridem quoque, lib. 3. cap. 123. Et quæ de trifolio acuto refert Scribonius Largus, Compos 163.

2. *Minyanthes*] Μινυανθὲς Galeno, lib. 8. de fac. simp. med. pag 236. qui quæ sit ejusce vocis originatio nescire se fatetur. Forte a minuendo dolore: ἄνθος enim florem, μινύω *minuere* Græce sonat.

3. *Simus quoque.*] Simo Galenus adstipulatur, lib de theriaca ad Pisonem, cap 4. pag 935

4. *Easdem uredines*] Eosdem pruritus.

Sect LXXXIX. 1. *Florisque nigri.*] Hoc est, purpurascentis, πορφυρίζοντος, ut ait Dioscor lib. 3. cap. 44. atque adeo in nigredinem vergentis, ut violæ.

2. *Utraque oculorum.*] Dioscor. loc. cit. Ἀμβλυωποῦσιν ἁρμόζει σὺν τροφῇ ἀφειδῶς. *Hebetiore oculorum acie præditis in cibo confert.* Sic etiam Plinius Valer. lib. 4. cap. 35. de utroque thymo.

3. *Cum aceto & sale.*] Cum melle, Dioscor. loc. cit. Cum vino Marcellus Empir cap. 17. pag 23.

4. *Sanguinem concrescere*] Dioscor. loc. cit. Καταπλασθεὶς μετ' ὄξους αἷματα θρομβοῦντα διαλύει.

5. *Item stomachi.*] Quoniam cum sale & aceto potum, vim habet pituitam per alvum detrahendi, inquit Dioscor. loco citato.

6. *Datur & comitialibus.*] Scribonius Largus, Compos. Med. cap. 2. num. 15. *Ad recentem comitialem morbum cito proficit: ad veterem tardius: Thymi albi X. P. III. ex aceti cyathis tribus, & mellis boni pondo uncia: ut dilutum jejunus bibat per dies XLV.*

7. *Prodest &c.*] Diosc. lib. 3. cap. 44. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 178.

8. *Vel si emortui*] Diosc. & Galenus, locis citatis. Plinius Valer. lib 4. cap. 35. *Emortuos partus extrahit*

9. *Aut si vesicæ dolor.*] Urinam ciere thymum produnt Diosc. & Galenus, loc. cit.

10. *Et impetus*] Quas Græci ἐπιφορὰς appellant, de quibus lib 20. sect. 26.

11. *Item cum aceto .... verrucas.*] Et hæc pariter Dioscorides, loc. cit.

12. *Coxendicibus*] Diosc. loc. cit. Καὶ ἰσχιαδικοῖς μετ' οἴνου ἢ ἀλφίτων ἐπιτεθὲν ἁρμόζει.

Sect. XC. 1. *Hemerocalles.*] Iisdem fere verbis describitur a Dioscor. libro 3. cap. 137 Ἡμεροκαλλὶς φύλλα ἔχει καὶ καυλὸν ὅμοια κρίνῳ, χλωρὰ δὲ ὡς πράσου. *Caulem ac folia lilii habet, porri instar virentia.* Lilium est rubrum miniatum seu Byzantinum Clusii, lib. 2. hist. rarior. plant. pag. 131. Est

bulbosa: [2] quæ cum melle imposita ventri, aquas pellit, & sanguinem etiam inutilem. [3] Folia epiphoris oculorum, mammarumque post partum doloribus illinuntur.

XCI. Helenium ab Helena, [1] ut diximus, natum, favere creditur formæ: cutem mulierum in facie reliquoque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu ejus quamdam gratiam iis veneremque conciliari. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque quem habuerit nepenthes illud prædicatum [2] ab Homero, quo tristitia omnis aboleatur. [3] Est autem succi prædulcis. Prodest & orthopnoicis radix ejus in aqua jejunis pota. Est autem candida intus & dulcis. Bibitur & contra serpentium ictus ex vino. Mures quoque contrita dicitur necare.

XCII. [1] Abrotonum duorum traditur generum, campestre ac montanum: hoc feminam, illud marem intelligi volumus. [2] Amaritudo absinthii in utroque. Siculum laudatissimum, dein Galaticum. [3] Usus & foliis, sed major semini ad excalfaciendum: ideo nervis utile, tussi, [4] orthopnoeæ, convulsis, ruptis, lumbis, urinæ angustiis. Datur bibendum [5] manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur & semen tusum in aqua drachmæ pondere. [6] Prodest & vulvæ. [7] Concoquit panos cum farina hordeacea, & oculorum inflammationibus illinitur, cum cotoneo malo cocto. [8] Serpentes fugat. Contra ictus earum bibitur cum vino, illiniturque. Efficacissimum contra ea, quorum veneno tremores & frigus accidunt, ut scorpionum & phalangiorum: & contra venena alia pota prodest, [9] & quoquo modo algentibus, & ad extrahenda ea, quæ inhærent corporibus. [10] Pellit & interaneorum mala. Ramo ejus, si subjiciatur pulvino, Venerem stimulari aiunt: efficacissimamque esse herbam contra omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur.

XCIII. Leucanthemum suspiriosis medetur, duabus partibus aceti permixtum. [1] Sampsuchum sive amaracum, in Cypro laudatissimum & odoratissimum, scorpionibus adversatur, ex aceto ac sale illitum. [2] Menstruis quoque multum confert impositum. Minor est eidem poto vis. [3] Cohibet & oculorum epiphoras cum polenta. [4] Succus decocti tormina discutit. [5] Et urinis & hydropicis utile. Movet & aridum sternutamenta. [6] Fit ex eo & oleum, quod sampsuchinum vocatur aut amaracinum, [7] ad excalfaciendos molliendosque nervos: & vulvas calfacit. [8] Et folia sugillatis cum melle, & luxatis cum cera prosunt. (Cap. XXII.)

XCIV. [1] Anemonas coronarias tantum diximus: nunc reddemus & medicas. [2] Sunt qui phrenion vocent. [3] Duo ejus genera: Silvestris prima, altera in cultis nascens, utraque sabulosis. [4] Hujus plures species. Aut enim phoeniceum florem habet, quæ copiosissima est: aut purpureum, aut lacteum. [5] Harum trium folia apio similia sunt. Nec teme- (Cap. XXIII.)

NOTÆ.

& in horto Eystetensi, ibi Hemerocallis Chalcedonica appellata. Vidimus in horto Regio.

2. *Quæ cum melle*] Cum melle lana subdita in pesso adhiberi Diosc. præcipit, loc. cit. Ῥίζα λεία προστεθεῖσα, ἐν ἐρίῳ μετὰ μέλιτος ἀποσπᾷ, ὑδραγωγεῖ, & αἱμαγωγεῖ.

3. *Folia epiphoris.*] Diosc. loco cit.

Sect. XCI. 1. *Ut diximus.*] Sect. 33.

2. *Ab Homero.*] Odysseæ δ'. vers. 221.

> Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
> Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Esse vero nepenthes, quam subsecuta ætas buglosson vocavit, nos borraginem, Plutarchus innuit, lib. 1. Sympos. quæst. 1. pag. 614. Nos plane affirmamus, vel eo ducti argumento, quod vis buglosso plane par adscribitur a summis viris, ut dicturi sumus lib. 25. sect. 40. Nam in vinum dejecta animi voluptates auget, atque ex ea re vocatur & εὐφρόσυνον.

3. *Est autem succi prædulcis.*] Helenium scilicet. Quare & nectaream appellavere alii, & ex ea vinum nectarites concinnatum olim, ut Plinius superius adnotavit, lib. 14. sect. 19 num 5.

Sect. XCII. 1. *Abrotonum.*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 9. Τοῦ ἀβροτόνου δύο γένη εἰσί· τὸ μὲν κηπαῖον, τὸ ὀρεινόν. Diosc. lib. 3. cap 29 duo genera pariter agnoscit, marem, feminamque: illud Galaticum, illud vero Siculum.

2. *Amaritudo.*] Feminæ quidem hanc inesse Diosc. prodidit, loc. cit.

3. *Usus est & foliis &c.*] Dioscor. loco cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. cap. 1 pag 145.

4. *Orthopnoicis &c.*] His quoque morbis reliquis mederi abrotonum Diosc. admonet loc. cit.

5. *Manualibus fasciculis.*] Qui manum oppleant.

6. *Prodest & vulvæ.*] Menlibus commorantibus, ἐμμήνων ἐποχῇ, Diosc. loc. cit.

7. *Concoquit, &c*] Dioscor. loco cit. & Galenus totidem verbis, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 146.

8. *Serpentes.*] De serpentibus, phalangiis, ac venenis eadem tradit Diosc. loco cit. post Nicandrum in Theriac. pag. 7.

9. *Et quoquomodo algentibus.*] Etiam periodicis febrium rigoribus, inquit Galenus, lib. 6. de facult. simpl. med. pag. 145.

10. *Pellit &c.*] Galenus loc. cit. ἕλμινθας ἀναιρεῖ. Item Ælianus, lib. 9. hist anim. cap 33.

Sect. XCIII. 1. *Sampsuchum, &c.*] Diosc. lib. 3. cap 47. totidem verbis.

2. *Menstruis .... impositum*] In pesso subditum, ἐν προσθέτῳ. Diosc. loc. cit.

3. *Cohibet &c.*] Diosc. loc. cit.

4. *Succus decocti.*] Diosc. loc. cit.

5. *Et urinis &c.*] Diosc. loc. cit.

6. *Fit ex eo.*] Seorsim ac diversis capitibus de amaracino oleo, & sampsuchino Dioscorides egit: ac de isto quidem, cap. 58. de illo, cap 68 libri primi: non quod amaracum a sampsucho differre velit: sed quod unguenta ea concinnandi modos tradat geminos: quos ut confectionis genere, sic & appellatione secerni voluit.

7. *Ad excalfaciendos.*] Diosc. lib. 1. cap. 68.

8 *Et folia.*] Hæc totidem fere verbis Dioscorides, libro 3. cap 47.

Sect. XCIV. 1. *Anemonas ... diximus.*] Sect. 38.

2. *Sunt qui phrenion.*] Vide Notas & Emendationes num. XXII.

3. *Duo ejus genera.*] Eadem leges pariter apud Dioscor. lib. 2. cap. 207. Ἀνεμώνη διττή, ἡ μὲν ἀγρία, ἡ δὲ ἥμερος. Recentiores herbarii centum amplius genera norunt, ut diximus sect 38.

4 *Hujus plures.*] Sativæ scilicet. Diosc. loco cit. Καὶ τῆς ἡμέρου ἡ μὲν τις φοινικοῦν φέρει τὸ ἄνθος· ἡ δὲ ὑπόλευκον ἢ γαλακτίζοντα, ἢ πορφυροῦν.

5. *Harum trium folia apio.*] Coriandro, quod eodem ferme recidit, Diosc. loc. cit. & Oribasius, lib. 11. pag. 190. Sed sunt tamen apio, quam coriandro propiora.

re semipedem altitudine excedunt, [6] cacumine asparagi. [7] Flos numquam se aperit, nisi vento spirante: unde & nomen accepere. [8] Silvestri amplitudo major, latioribusque foliis, flore phœniceo. [9] Hanc, errore ducti, [10] argemonem putant multi: alii rursus papaver, [11] quod rhœan appellavimus. [12] Sed distinctio magna, quod utraque hæc postea floret. Nec
5 aut succum illarum anemonæ reddunt, aut calyces habent, nec nisi asparagi cacumen. [13] Prosunt anemonæ capitis doloribus & inflammationibus, vulvis mulierum, lacti quoque. [14] Et menstrua cient cum ptisana sumptæ, aut vellere appositæ. [15] Radix commanducata pituitam trahit, dentes sanat: [16] decocta oculorum epiphoras, & cicatrices. Magi multum quidem iis tribuêre, quamprimum aspiciatur eo anno tolli jubentes: dicique, colligi
10 eam tertianis & quartanis remedio. Postea alligari florem panno roseo, & in umbra asservari, ita cum opus sit adalligari. Quæ ex his phœniceum florem habet, radice contrita, cuicumque animalium imposita, hulcus facit [17] septica vi. [18] Et ideo expurgandis hulceribus adhibetur.

CAP. XXIV. XCV. [1] Oenanthe herba nascitur in petris, folio pastinacæ, radice magna, numero-
15 sa. Caulis ejus & folia cum melle ac vino nigro pota, facilitatem pariendi præstant, secundasque purgant. Tussim e melle tollunt: urinam cient. Radix & vesicæ vitiis medetur.

CAP. XXV. XCVI. [1] Heliochrysum, quod alii chrysanthemon vocant, ramulos habet candidos, folia subalbida, abrotono similia: ad Solis repercussum, aureæ lucis in orbem veluti corym-
20 bis dependentibus, qui numquam marcescunt: qua de causa Deos coronant illo, quod diligentissime servavit Ptolemæus rex Ægypti. [2] Nascitur in fruteetis. [3] Ciet urinas e vino pota, & menses. Duritias & inflammationes discutit. [4] Ambustis cum melle imponitur. [5] Contra serpentium ictus, [6] & lumborum vitia bibitur. [7] Sanguinem concretum ventris aut vesicæ absumit cum mulso. Folia ejus trita trium obolorum pondere sistunt [8] pro-
25 fluvia mulierum in vino albo. [9] Vestes tuetur odore non ineleganti.

CAP. XXVI. XCVII. [1] Hyacinthus in Gallia maxime provenit. [2] Hoc ibi fuco hysginum tingunt. [3] Radix est bulbacea, [4] mangonicis venalitiis pulchre nota: [5] quæ e vino dulci illita,

NOTÆ.

6. *Cacumine asparagi.*] Nec calyces habens anemonæ, nec capita, seu vascula: sed cacumen instar asparagorum est. *Οὔτε καλίκα ἔχουσιν, ἀλλ' οἱονεὶ ἀσπαράγου ἄκρον.* Dioscorid. loc. cit. Vide iconem anemones primæ apud Dodon. pag. 431.

7. *Flos numquam.*] At nostræ etiam tranquillo se se aperiunt. Verius forsan nomen iis inditum, quod facile flos vento decutitur. Hesychius: *Ἀνεμώνη . . . . . . [illegible]*

8. *Silvestri amplitudo.*] Dioscor. hæc totidem verbis, lib. 2. cap. 207.

9. *Hanc, errore.*] Totidem verbis Diosc. & Oribasius, locis citatis.

10. *Argemonem.*] Hanc depictam vide apud Lobelium in Observat. pag. 144. Est & in horto Regio. Similis fere papaveri rhœadi. Ceteras ejus notas disce a Dioscor. lib. 2. cap. 208. Plinioque ipso, lib. 25 sect. 56.

11. *Quod rhœan.*] Libro 19. sect. 53.

12. *Sed distinctio, &c.*] Eadem discrimina afferunt auctores mox appellati. Quod & argemone & rhœas papaver serius florent: nec croceum, ut argemone, dum caulis conciditur: nec candidum, ut papaver succum reddit, &c.

13. *Prosunt anemonæ.*] Radicis succo naribus infuso valere Dioscorides ait, loco cit. ad purgandum caput: folia cum ptisana decocta, & in cibo sumpta, fecunditatem lactis præstare. Habet hæc etiam Galenus, libro 6. de facult. simp. med. pag. 157.

14. *Et menstrua.*] Diosc. loc. cit.

15. *Radix, &c.*] Diosc. & Galenus, locis citatis.

16. *Decocta oculorum, &c.*] Decocta in passo, *ἐν γλυκεῖ.* Diosc. loc. cit. De cicatricibus Galenus loc. cit. *[illegible]*. Has voculas, *& cicatrices*, ex MSS. addidimus.

17. *Septica vi.*] *Σηπτικὴ δύναμις*, vis putrefaciendi. Celsus, lib. 7 cap. 21. *Medicamenta, quæ sic exedunt, ut erodant, σηπτικὰ Græci vocant.*

18. *Et ideo.*] Galenus, loc. cit.

Sect. XCV. 1. *Oenanthe herba.*] Filipendula Dodonæi, pag. 56 Oenanthe staphylini folio, Joan. Bauhini, tom. 3. pag. 191. Dioscor. lib. 3. cap. 135. *Οἰνάνθη . . . . [illegible]*, &c. De forma œnanthes, ac viribus ejusdem, paria prorsus cum Plinio tradit. Radicem ad stranguriam adhibet Apuleius, cap. 54. tit. 1.

Sect. XCVI. 1. *Heliochrysum.*] De quo jam superius, sect. 38. Diosc. iisdem fere verbis, lib. 4. cap. 57. *[illegible]* &c.

2. *Nascitur in fruteetis.*] Dioscorid. loc. cit. *[illegible]*, *in asperis & salebrosis.* Interpres Oribasii, lib. 11. pag. 196. *in asperis & aquosis convallibus.*

3. *Ciet urinas, &c.*] Diosc loco cit.

4. *Ambustis.*] Theophr. lib. 9. hist. cap. 21. *[illegible]*

5. *Contra serpentium.*] Theophr loc. cit. *[illegible]* *Usus illius ad serpentium morsus e vino.* Diosc. quoque loc. cit.

6. *Et lumborum.*] Diosc. loc. cit.

7. *Sanguinem, &c.*] Hæc iisdem verbis Diosc. loc. cit.

8. *Profluvia mulierum.*] Diosc. loc. cit *[illegible]* *Sistit & destillationes trium obolorum pondere tritum potui data in vino albo diluto.* Alios secutus auctores Plinius videtur, aut *[illegible]* perperam pro mulierum profluvio accepisse, cum ea vox destillationem pituitæ, & catharrum significet.

9. *Vestes tuetur.*] Vestibus interponi ait Dioscor. loc. cit. ut eas a teredinum injuriis tueatur.

Sect. XCVII. 1. *Hyacinthus.*] Hyacinthus iste, vacciniumve Gallicum, quo hysginum vel purpura inficitur, gladiolus est, & hyacinthus, ut verbis Columellæ utar, lib. 9. cap. 4. cælestis nominis, hoc est, qui & iris vocatur, ut ex Palladio liquet, lib. 1. cap 37. nec tamen iris est, de qua diximus sect. 19. quæ radix medicinæ tantum & unguentis nascitur, non tingendis lanis: sed quam Galli Glaiutum vocant, quasi gladiolum, *du Glaieul.* Ita Anguillara, par. 9. pag. 153. quos alii deinde secuti sunt. Decepti vero errore omnes, qui nihil irin ab hyacintho differre censent. Hyacinthi porro Gallici tractationem Plinius nunc attingit obiter, ubi de vulgari tantum hyacintho agendum ex proposito videbatur; quod, ut ipse admonuit, lib. 20. sect. 45. sæpe contexenda sunt ea quæ sunt ex eodem nomine pendentia.

2. *Hoc ibi fuco.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII. Hysginum porro color est affinis coccineo.

3. *Radix est bulbacea.*] Hyacinthi nimirum alterius, seu vulgaris, atque Italici, ut diximus lib 16. sect. 31 mancipiis sati. Lilium purpureum tertium Dodonæi videtur esse, pag 199. quam ille sententiam idoneis stabilit argumentis. Dioscorides Plinio suffragatur, lib 4. cap. 63. *[illegible]* Et Galenus, lib 8. de fac. simpl. med. pag. 237. *[illegible]*

4. *Mangonicis venalitiis.*] Ita MSS. omnes. Venalitii sunt venditores teste Nonio, cap. 2. num. 919. testimonio ipsius Ciceronis in eam rem adducto. Mangonici venditores erant, negotiatores mancipiorum, qui pueros puellasque, quo facilius vendi possent, artificio quodam componere, atque horum ætatem tegere pubertate coercita solebant, ut vendibiliores essent.

5. *Quæ e vino dulci.*] Diosc. lib. 4. cap. 63. de radice hya-

pubertatem coërcet, & non patitur erumpere. Torminibus & [6] araneorum morsibus resistit. Urinam impellit. [7] Contra serpentes & scorpiones, [8] morbumque regium, semen ejus cum abrotono datur.

XCVIII. [1] Lychnis quoque flammea illa adversus serpentes, scorpiones, crabrones, similiaque, bibitur e vino semine trito. Silvestris eadem stomacho inutilis. [2] Alvum solvit. [3] Ad detrahendam bilem efficacissima duabus drachmis. [4] Scorpionibus adeo contraria, ut omnino visa ea torpescant. Radicem ejus Asiani boliten vocant: qua alligata oculo, albugines tolli dicuntur.

CAP. XXVII.

XCIX. Et vincapervinca, sive chamædaphne, arida tusa hydropicis datur in aqua, cochleari mensura, celerrimeque reddunt aquam. Eadem decocta in cinere sparsa vino, tumores siccat. Auribus succo medetur. [1] Alvinis imposita multum prodesse dicitur.

C. [1] Rusci radix decocta, bibitur alternis diebus in calculorum valetudine, & [2] tortuosiore urina, vel cruenta. Radicem pridie erui oportet, postremo mane decoqui: ex eo sextarium vini cyathis duobus misceri. Sunt qui & crudam radicem tritam ex aqua bibant: & in totum [3] ad virilia, cauliculis ejus ex aceto tritis nihil utilius putant.

CI. [1] Batis quoque alvum mollit. Illinitur podagricis cruda & contusa. [2] Acinon & coronarum causa & ciborum Ægyptii serunt. Eademque erat, quæ ocimum, nisi hirsutior ramis ac foliis esset, & admodum odorata. [3] Ciet menses & urinas.

CAPUT XXVIII.

CII. [1] Colocasia Glaucias acria corporis leniri putavit, & stomachum juvari.

CAP. XXIX.

CIII. Anthalii, quod Ægyptii edunt, nullum alium reperi usum. [1] Sed est herba anthyllion, quam alii anthyllum vocant, duorum generum, [2] foliis & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine, [3] sabulosis apricis nascens, subsalsa gustanti. [4] Altera chamæpityi similis, brevior & hirsutior, purpurei floris, odore gravis, in saxosis nascens. [5] Prior vulvis aptissima, ex rosaceo ac lacte [6] imposita, & vulneribus. [7] Bibitur in stranguria, reniumque arenis, tribus drachmis. [8] Altera bibitur in duritia vulvarum, & in torminibus, & in comitiali morbo, cum melle & aceto, quatuor drachmis.

CAP. XXX.

CIV. [1] Parthenium, alii leucanthes, alii amnacum vocant. [2] Celsus apud nos, perdicium, [3] & muralem. Nascitur in hortorum sepibus, [4] flore albo, [5] odore mali, sapore amaro. [6] Ad insidendum, decoctum in duritia vulvarum, & inflammationibus. [7] Sic-

NOTÆ.

cinthi: ἔχει σὺν οἴνῳ ... λευκοῦ (vel γλυκεῖ) ἐπὶ ... Galenus, loc. cit. ex vino tantum.

6. *Araneorum.*] Phalangiorum. Dioscor. φαλαγγιοδήκτοις ...

7. *Contra serpentes.*] Diosc loc. cit.

8. *Morbumque regium.*] Dioscorides & Galenus, abrotonum non adiciscunt: sed id solum, ἰκτεριῶσι δίδοται σὺν οἴνῳ.

Sect. XLVIII. 1. *Lychnis quoque.*] De qua sect. 10. Habet eadem Dioscor. lib. 3. cap. 114.

2. *Alvum.*] Dioscor. lib. 3. cap. 115.

3. *Ad detrahendam.*] Per alvum scilicet, κάτω χολήν. Diosc. loc. cit.

4. *Scorpionibus.*] Dioscor. loc cit. post Nicandrum in Theriac. pag. 64. cujus & Scholiasten vide, pag. 41.

Sect. XCIX. 1. *Alvinis.*] Quibus alvus est fluida.

Sect. C. 1. *Rusci radix.*] Hoc iterum Plinius libro sequente, sect. 83. ubi de oxymyrsine, quæ nihil a rusco differt.

2. *Tortuosiore.*] Hoc est, ut ipsemet interpretatur, lib. 23 sect. 83. difficili urinæ, præcipue crassæ: hoc est, turbidiori, atque adeo hominem torquenti, dum veluti tortuosa exit. Dioscor. lib. 4. cap. 146. simpliciter στραγγουρίαν dixit.

3. *Ad virilia.*] Ad virilium morbos. Diosc loc. cit. *ad urinam.*

Sect. CI. 1. *Batis quoque.*] Hæc rursum dicentur lib. 26. sect. 50.

2. *Acinon.*] Dioscor lib 3. cap. 50. Ἄκινος, ἢ ἄκινον ... εἰς στεφανωματικὴν, παραπλήσια ὠκίμῳ, δασύτερα δὲ ... εὐώδης ... Quid sit Dioscoridis ἄκινος nescire se fatetur Anguillara, part. 12 pag. 206. Videtur esse ocimum silvestre pictum a Dodonæo, pag. 279.

3. *Ciet menses.*] Contra Dioscorides, loco citato, ἵστησι ...

Sect. CII. 1. *Colocasia.*] Diosc. lib. 2. cap. 128. ad cœliacos, dysentericosque commendat: additque vim habere εὐστόμαχον.

Sect. CIII. 1. *Sed est herba.*] Dioscor in Nothis, pag. 460. Ἀνθυλλίς, οἱ δὲ ἄνθυλλον, οἱ δὲ κυθηρίδα, οἱ δὲ ...

2. *Foliis & ramis.*] Hæc prior anthyllis descripta a Dioscor. iisdem verbis, lib. 3. cap. 153. ἡ μὲν γὰρ φακῷ παραπλήσια φύλλα ἔχει, &c. Delineata a Dodonæo, pag. 542.

3. *Sabulosis,* &c.] Diosc loc. cit. Ἐν ὑφάμμοις τόποις, ἐν ἡλίῳ ..., γευομένη ὑφαλμυρός.

4. *Altera chamæpityi.*] Sic Diosc. totidem verbis loc. cit. Galenus quoque, lib. 6. de fac. simp med. pag. 157 & interpres Oribasii, fol. 190 Est anthyllis chamæpityides minor Lobelii, in Observ. pag. 208 scite admodum ibi delineata. Fruticat in aridis arvorum marginibus juxta Montem Pessulanum.

5. *Prior vulvis.*] Dioscor. totidem fere verbis, loco citato.

6 *Imposita.*] Diosc. in pesso subdita, προστεθεῖσα.

7. *Bibitur,* &c.] Diosc. loc. cit. sed quatuor drachmas bibi jubet.

8. *Altera,* &c.] Diosc. & Galenus, locis cit.

Sect. CIV. 1 *Parthenium.*] Posterior ætas Matricariam appellavit, *Matricaire,* ou *Marone.* Delineatur a Dodonæo, pag. 35. a Matthiolo, in lib. 3. Diosc. pag. 907. Vide Notas & Emend. num. XXIV.

2. *Celsus apud nos.*] Libro 2. cap. 33. *Herba muralis,* inquit (*parthenium, vel perdicium appellant*) *reprimit et refrigerat.* Et parthenium istud sane refrigerandi ac reprimendi habere vim insitam, haud obscure Dioscorides innuit, qui erysipelatis & inflammationibus imponi jubet. Quamobrem immerito carpitur hoc loco a Barbaro Dalecampioque Plinius, perinde ac si parthenium istud cum altero cognomine confuderit.

3. *Et muralem.*] Sic MSS. Reg & Chiffl. non *moralem.* Ita etiam Celsus, loc. cit.

4. *Flore albo.*] Diosc. κόμη λευκὴ κύκλῳ. Et vero a candore floris λευκάνθες quoque ei nomen fuit.

5. *Odore mali.*] Ita libri omnes. An *odore malo?* Nam Diosc. loc. cit. ὀσμῇ ὑπόβρομος, Oribasii interpres, lib. 12. fol. 210. *odore subvirosо.*

6. *Ad insidendum.*] Ad insidendum valet decoctum, in vulvarum duritiis & inflammationibus: τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς, ἐγκαθίσμασιν ... ἐσκληρωμένας ... φλεγμαινούσας ... Diosc. loc. cit.

7. *Sicca ... imposita.*] Ita libri omnes Sed Dioscoridem si unum audimus, *pota* legendum, non *imposita.* Δύναται δὲ ξηρὰ σὺν ὀξυμέλιτι, ἢ σὺν ἁλσὶ πινομένη ... φλέγμα καὶ χολὴν ἄγειν. Diosc. loc cit.

ca cum melle & aceto imposita, bilem detrahit atram. Ob hoc contra vertigines utilis, [8] & calculosis. [9] Illinitur & sacro igni: item strumis, cum axungia inveterata. Magi contra tertianas sinistra manu evelli eam jubent, dicique cujus causa vellatur, nec respicere. Dein ejus folium ægri linguæ subjicere, ut mox in cyatho aquæ devoretur.

Cap. xxxi. 5 C V. [1] Trychno, quam quidam strychnon scripsere, utinam [2] nec coronarii in Ægypto uterentur, quos invitat [3] florum similitudo, in duobus ejus generibus. [4] Quorum alterum, cui acini coccinei, granosi folliculi, halicacabum vocant, alii callion. Nostri autem [5] vesicariam, quoniam vesicæ & calculis prosit. Frutex est surculosus verius, quam herba: folliculis magnis, latisque, & turbinatis, grandi intus acino, qui maturescit 10 Novembri mense. [6] Tertio folia sunt ocimi, minime diligenter demonstrando, remedia non venena tractantibus: quippe insaniam facit, parvo quoque succo. Quanquam & Græci auctores in jocum vertêre. Drachmæ enim pondere [7] lusum pudoris gigni dixerunt, species vanas imaginesque conspicuas obversari demonstrantes. Duplicatum hunc modum, legitimam insaniam facere. Quidquid vero adjiciatur ponderi, [8] repræsentari mor- 15 tem. Hoc est venenum, quod innocentissimi auctores simpliciter [9] dorycnion appellavere, ab eo quod cuspides in prælis tingerentur illo passim nascente. [10] Qui parcius insectabantur, manicon cognominavere: qui nequiter occultabant, erythron, aut nevrada: [11] ut nonnulli, perisson: cavendi causa curiosius dicendum.

[12] Quin & alterum genus, quod halicacabon vocant, soporiferum est, atque etiam 20 [13] opio velocius ad mortem: ab aliis morion, ab aliis moly appellatum. Laudatum vero a Diocle & Evenore, Timaristo quidem etiam carmine, [14] mira oblivione innocentiæ: quippe præsentaneum remedium ad dentium mobiles firmandos, [15] si colluerentur halicacabo in vino: exceptionem addidere, ne diutius id fieret: delirationem enim gigni. En demonstranda remedia, quorum medicina majoris mali periculum afferat. Commendatur 25 ergo in cibis tertium genus, licet præferatur hortensium saporibus. Et nihil esse corporis malorum, cui non salutare sit strychnos, Xenocrates prædicat. Non tamen auxilia eorum tanti sunt, ut vel profutura de iis commemorare fas putem, præsertim tanta copia innoxiorum medicaminum. Halicacabi radicem bibunt, qui sunt vaticinandi callentes, quod furere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt. Remedio est (id enim libentius 30 retulerim) aqua copiosa mulsa calida potui data. Nec illud probo, aspidum naturæ halicacabum in tantum adversam, ut radice ejus propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum. Ergo trita ex oleo percussis auxiliatur.

Cap. xxxii. C V I. [1] Corchorum Alexandrini cibi herba est, convolutis foliis ad similitudinem mori, præcordiis (ut ferunt) utilis, alopeciisque, & lentigini. Boum quoque scabiem celerrime 35 sanari ea invenio: [2] apud Nicandrum quidem & serpentium morsus, antequam floreat.

Notæ.

8. *Et calculosis*] Diosc loc. cit.

9. *Illinitur, &c*] Diosc. loc. cit.

Sect. C V 1. *Thrychno.*] Ita Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 237. Τρύχνος, ὅπερ ἔνιοι στρύχνον ὀνομάζουσι. Solanum Latini vocant, teste Plinio, lib. 27. sect 108. ex Celso Hortense hoc prius a Dodonæo pingitur, pag. 451. Gallis, *Morelle*: Oribasio, in MS. cod. lib. 2. Τρύχνον τὸ ἐδώδιμον, τὸ τοῖς κήποις φυόμενον. Cælio Aureliano, lib. 2 cap. 7. *Uva lupina.*

2. *Nec coronarii.*] Alterum certe genus, quod halicacabum dicitur, adhiberi solitum in coronas, auctor est Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 237. post Diosc. lib. 4. cap. 72.

3 *Florum similitudo*] MSS. Reg Colb. & Chiffl. *ederæ foliorum*, verius.

4. *Quorum alterum*] Secundum hoc solani genus, [illegible], inquit Galenus loc. cit. Theophr. lib 9. hist. cap 12. [illegible] dixit [illegible] Diosc lib 4. cap 72. [illegible], &c. Et in Nothis: [illegible]. Crateras apud Diosc. lib. 4. cap. 75. [illegible] vocat.

5 *Vesicariam*] Quemadmodum Græci φυσαλλίδα vocant, quoniam intra folliculos orbiculatos vesicæ similes fructum, sive grana, includit, [illegible]. Diosc. loc. cit Officinæ Mauritanos secutæ *Alcaquenge* vocant, alii *Baguenaudes.*

6. *Tertio.*] Tertio solani generi, quod Græci Θρύον vocant. Diosc. lib 4. cap. 74. Στρύχνος μανικός, ὃ ἔνιοι [illegible] [illegible], &c. Solanum letale Dodonæi, pag. 453. Italis, *Belladona*

7. *Lusum pudoris.*] Hoc verborum ambitu vanas imagines notat, quibus exercere se Venerem somniant ii qui drachmæ pondere solanum letale biberint. Tamen in MSS vox *pudoris* abest.

8. *Repræsentari mortem.*] Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag 169. & lib 8. pag. 237, si quatuor drachmæ bibantur.

9. *Dorycnion.*] Sic Apuleius, cap 22. *Alii strychnon manicon, alii dorycnion, alii cacabon, Itali Apollinarem* vocant. Diosc. quoque in Alexiph. in præfat pag. 401. & cap 6. Στρύχνον μανικόν, ὃ ἔνιοι δορύκνιον καλοῦσι. Galenus denique, lib. 10. [illegible], cap. 3 pag 637. Στρύχνου, οἱ δὲ δορυκνίου ῥίζαν. Græcis δόρυ cuspis est & lancea.

10. *Qui parcius insectabantur,*] Vide Notas & Emendat. num. XXV.

11. *Ut nonnulli.*] Sic Diosc. lib. 4. cap. 74. [illegible]. Sic enim legendum, non [illegible].

12. *Quin & alterum.*] Soporiferum ab halicacabo discernit Dioscorides, lib 4 cap. 73 quanquam & ipsi soporifero halicacabi quoque appellationem inditam fatetur.

13. *Opio velocius.*] Diosc contra, loco cit. vim somnificam habere prodidit, opio mitiorem.

14 *Mira oblivione innocentiæ.*] Obliti hi videntur innocentiæ, quam præ se ferre medici debent, cum tam periculosam herbam laudarint. Innocentia enim medici est, non monstrare, nedum laudare quod majore discrimine adhibetur. Sic paulo ante innocentissimos appellat auctores eos qui vel nomine ipso absterruere legentes ab ejus usu.

15 *Si colluerentur.*] Vide Notas & Emend. num XXVI.

Sect. C V I. 1. *Corchorum.*] Corchoron appellant Crateuas, Theophrastus & Nicander, quam Dioscorides Anagallidem, inquit Anguillara, part. 5. pag. 91. Ἀναγαλλὶς gemina apud Dioscor. lib. 2 cap. 209. Pingitur a Dodonæo, pag. 32. Folia esse ad similitudinem ocimi scribit Theophr. lib. 7. histor. cap. 7. sed mori dixeris, an ocimi, parum interest

2. *Apud Nicandrum*] Is in Theriacis, pag. 44 ubi adversus serpentes laudat Κόρχορον ἠμαθόεντα. De eo parœmia vulgata, tum apud Suidam, tum apud Schol. Nicandri, Κόρχορος ἐν λαχάνοις, *etiam corchorus inter olera*, quod vile olus haberetur.

CVII. [1] Nec de cnico ſive atractylide verboſius dici par eſſet, Ægyptia herba, ni magnum [2] contra venenata animalia præbetet auxilium: item adverſus fungos. [3] Conſtat a ſcorpione percuſſos, quamdiu teneant eam herbam, non ſentire cruciatum.

CVIII. [1] Et perſolutam Ægyptus in hortis ſerit, coronarum gratia. Duo genera ejus: femina ac mas. Utraque ſubdita Venerem inhiberi, virorum maxime, tradunt. — CAP. XXXIII. 5

CIX. Et quoniam in menſuris quoque ac ponderibus crebro Græcis nominibus utendum eſt, interpretationem eorum ſemel in hoc loco ponemus. [1] Drachma Attica [2] (fere enim Attica obſervatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus. [3] Eademque ſex obolos pondere efficit. [4] Obolus x. chalcos. [5] Cyathus pendet drachmas x. [6] Cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartam partem, id eſt, drachmas xv. [7] Mna, quam noſtri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum. — CAP. XXXIV. 10

Notæ.

Sect. CVII. 1. *Nec de cnico.*] Silveſtri ſcilicet, de qua ſect. 53.

2. *Contra venenata.*] Contra ſcorpionum ictus. Dioſcor, lib. 3 cap. 107.

3. *Conſtat*, &c.] Dioſc. loc. cit.

Sect. CVIII. 1. *Et perſolutam.*] Peregrina hæc & ignota.

Sect. CIX. 1. *Drachma Attica.*] Tranſcripſit hoc caput Plinius alter Valer. in præfat. operis. Sic etiam Galenus, lib. 8. de compoſ. medic. κτ᾽ τόπους, cap. 3. pag 573. Πρόδηλον, ὅτι δραχμὰς λέγουσι νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ἃς οἱ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσιν. Celſus ad Natalem, epiſtola præfixa operi Marcelli Empirici: *Græci Medici pondera medicamentorum ad drachmas redegunt: quæ quia ad denarium conveniunt, (octoginta enim quatuor in libram incurrunt) pro nota Græca drachmæ notam denarii poſui, & ad ejus pondus drachmas redegi.* Scribonius Largus ad Calliſtum: *Erit nota denarii unius pro Græca drachma. æque enim in libra denarii LXXXIV. apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt.* Ceteris, qui plurimi ſunt, appellandis ſuperſedeo. Eſt autem denarius apud Romanos, nummus argenteus, quales in cimeliis vulgo viſuntur, ſeu Conſulum, ævi, ſeu Imperatorum: Quaternos ex his denarios fere nummus noſter argenteus in Gallia complectitur, qui triginta aſſibus æreis permutatur.

2. *Fere enim.*] Caute *fere* addidit: nam & Urbis Romæ ponderibus interdum uſi, ut Andromachus medicus Neronis, ipſo referente Galeno, lib. 6. κτ᾽ τόπους, cap. 6. pag 499.

3. *Eademque ſex.*] Dioſcorides, tomo 13. operum Galeni, pag 984. Ἡ δὲ δραχμή, ἡ καὶ ὁλκὴ λεγομένη, ἄγει γράμματα τρία, τουτέστιν ὀβολοὺς ϛ´. Suidas. Δραχμή, ἓξ ὀβολοί. Cleopatra, apud Galenum, tom. cit. pag 981. Ἡ δραχμὴ ἔχει ὀβολοὺς ϛ´. Et apud Marcellum Empiricum Victoriati pondus, ſeu denarii dimidii, trium eſſe obolorum dicitur, cap. 9 pag. 78.

4. *Obolus X. chalcos.*] Pauciores alii, ut video, chalcos in obolo uno computant. Diodorus apud Suidam, tantum ſex: ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκοῖ ϛ´. Octo, Cleopatra, loc. cit. Ὁ ὀβολὸς ἔχει χαλκοῦς η´. Plinius decem: ut in drachma chalci omnino ſint ſexaginta, quas ipſe denariorum ſexageſimas vocat, lib. 29. ſect 11. & alibi.

5. *Cyathus, ... drachmas X.*] Cyathi menſuram, inquit, drachmarum decem pondere medici definiunt: acetabuli, quindecim: quæcumque demum is liquor fuerit, qui ad pondus exigeretur. Iſidorus, lib. 16. Orig cap. 25. *Cyathi pondus decem drachmis appenditur.* Fannius:

> *At cotyle cyathos bis ternos una receptat*
> *Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.*
> *Bis quinæ hunc faciunt drachmæ ſi appendere velles.*
> *Oxybaphum fiet, ſi quinque addantur ad iſtas.*

Demetrius Alabaldus, de minutiis, cap. de Menſuris, inter Authores Linguæ Lat. pag. 1537. *Cyathi vero pondus*, inquit, *fere drachmæ decem, ſicut oxybaphi quindecim.* E Græcis Cleopatra, loc cit. Ὁ κύαθος ἔχει δραχμὰς ι´.

6. *Cum acetabuli.*] Græci ὀξύβαφον vocant, quaſi proprie ita dictum fuerit vaſculum infundendo aceto comparatum, in quod intingerent cibum ſumentes. De liquorum eo pondere, quod acetabulum caperet, ſuffragatur Plinio, præter Fannium ac Demetrium proxime appellatos, Heras medicus, apud Galenum, lib. 5. κτ᾽ γένη, cap 6. pag 786. ubi cotylen, quam Plinius heminam vocat, drachmas omnino ait ſexagenas efficere, ſi appendantur, ὡς ξ´ δραχμὰς ἑλκύσαι τὴν κοτύλην· καὶ γὰρ ἕλκει αὕτη Ἀττικὴ, ἡ οὐγγιῶν οὖσα τῆς Ἰταλικῆς. Cleopatra, loc. cit. Ἡ κοτύλη, μέτρῳ μὲν ἔχει κυάθους ϛ´. σταθμῷ δὲ < ξ´, ἤτοι ζ´, καὶ σ´..... τὸ ὀξύβαφον, ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλης τέταρτον, κύαθον ἃ σ´´. σταθμῷ δὲ < ιε´. *Cotyle ſive hemina, menſura quidem habet cyathos ſex, pondere vero drachmas 60. ſive uncias ſeptem & ſemis .... Acetabulum habet menſura quidem heminæ quartam partem, cyathum unum & ſemis: pondere vero drachmas XV.*

7. *Mna, quam.*] Hæc Cleopatræ pariter medica definitio eſt, minæ pondus intelligi in medicamentis, ubi ſunt Atticæ drachmæ centum. Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ιβ´ σ´´. < ρ´. *Mna Attica habet uncias duodecim & ſemis, drachmas centum.* Nec vero una ſemper apud medicos locis omnibus temporibuſque minæ æſtimatio: Ex iis, enim, inquit Galenus, lib. 5. κτ᾽ γένη, cap 3. pag. 778 qui minam in drachmas ſecant, alii centum, alii etiam plurium drachmarum eſſe confirmant: quia & unciam pleraque ſeptem drachmas & ſemiſſem valere malunt, alii ſeptem dumtaxat: octo reliqui. Ἀλλὰ τῶν εἰς δραχμὰς ἀναγόντων τὴν μνᾶν, ἔνιοι οἱ φασὶν ἑκατὸν εἶναι δραχμὰς τὴν μνᾶν, ἔνιοι πλειόνων· ἐπειδὴ καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν εἶναί φασιν· ἔνιοι δὲ ζ´ μόνων· ἕτεροι δὲ η´.

ca cum melle & aceto imposita, bilem detrahit atram. Ob hoc contra vertigines utilis, [8] & calculosis. [9] Illinitur & sacro igni; item strumis, cum axungia inveterata. Magi contra tertianas sinistra manu evelli eam jubent, dicique cujus causa vellatur, nec respicere. Dein ejus folium ægri linguæ subjicere, ut mox in cyatho aquæ devoretur.

CAP. XXXI. 5 C V. [1] Trychno, quam quidam strychnon scripsere, utinam [2] nec coronarii in Ægypto uterentur, quos invitat [3] florum similitudo, in duobus ejus generibus. [4] Quorum alterum, cui acini coccinei, granosi folliculi, halicacabum vocant, alii callion. Nostri autem [5] vesicariam, quoniam vesicæ & calculis prosit. Frutex est surculosus verius, quam herba: folliculis magnis, latisque, & turbinatis, grandi intus acino, qui maturescit 10 Novembri mense. [6] Tertio folia sunt ocimi, minime diligenter demonstrando, remedia non venena tractantibus: quippe insaniam facit, parvo quoque succo. Quanquam & Græci auctores in jocum vertêre. Drachmæ enim pondere [7] lusum pudoris gigni dixerunt, species vanas imaginesque conspicuas obversari demonstrantes. Duplicatum hunc modum, legitimam insaniam facere. Quidquid vero adjiciatur ponderi, [8] repræsentari mor-15 tem. Hoc est venenum, quod innocentissimi auctores simpliciter [9] dorycnion appellavere, ab eo quod cuspides in præliis tingerentur illo passim nascente. [10] Qui parcius insectabantur, manicon cognominavere: qui nequiter occultabant, erythron, aut nevrada: [11] ut nonnulli, perisson: cavendi causa curiosius dicendum.

[12] Quin & alterum genus, quod halicacabon vocant, soporiferum est, atque etiam 20 [13] opio velocius ad mortem: ab aliis morion, ab aliis moly appellatum. Laudatum vero a Diocle & Evenore, Timaristo quidem etiam carmine, [14] mira oblivione innocentiæ: quippe præsentaneum remedium ad dentium mobiles firmandos, [15] si colluerentur halicacabo in vino: exceptionem addidere, ne diutius id fieret: delirationem enim gigni. En demonstranda remedia, quorum medicina majoris mali periculum afferat. Commendatur 25 ergo in cibis tertium genus, licet præferatur hortensium saporibus. Et nihil esse corporis malorum, cui non salutare sit strychnos, Xenocrates prædicat. Non tamen auxilia eorum tanti sunt, ut vel profutura de iis commemorare fas putem, præsertim tanta copia innoxiorum medicaminum. Halicacabi radicem bibunt, qui sunt vaticinandi callentes, quod furere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt. Remedio est (id enim libentius 30 retulerim) aqua copiosa mulsa calida potui data. Nec illud probo, aspidum naturæ halicacabum in tantum adversam, ut radice ejus propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum. Ergo trita ex oleo percussis auxiliatur.

CAP. XXXII. C VI. [1] Corchorum Alexandrini cibi herba est, convolutis foliis ad similitudinem mori, præcordiis (ut ferunt) utilis, alopeciisque, & lentigini. Boum quoque scabiem celerrime 35 sanati ea invenio: [2] apud Nicandrum quidem & serpentium morsus, antequam floreat.

NOTÆ.

8. *Et calculosis*] Diosc. loc. cit.

9. *Illinitur*, &c] Diosc. loc. cit.

Sect. C V 1 *Thrychno.*] Ita Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 237. Τρύχνος, ἔνιοι δὲ μετὰ τοῦ σίγμα στρύχνον ὀνομάζουσι. Solanum Latini vocant, teste Plinio, lib. 27. sect. 108. ex Celso Hortense hoc prius a Dodonæo pingitur, pag. 451. Gallis, *Morelle*: Oribasio, in M S. cod. lib. 2. Τρύχνος ὁ ἐδώδιμος, ἐν τοῖς κήποις φυόμενος. Cælio Aureliano, lib. 2 cap. 9. *Vva lupina*.

2. *Nec coronarii.*] Alterum certe genus, quod halicacabum dicitur, adhiberi solitum in coronas, auctor est Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 237. post Diosc. lib 4. cap. 72.

3 *Florum similitudo.*] MSS. Reg. Colb. & Chiffl. *edere foliorum*, verius.

4. *Quorum alterum.*] Secundum hoc solani genus, *μηρὸν ἴσχει τὸν καρπὸν, ἰσχνότερα μὲν ὑποφύλλα κατὰ τὸ σχῆμα, κατὰ τὸ μέγεθος*, inquit Galenus loc. cit. Theophr lib 9. hist. cap 12. καρπὸν dixit ὑποθεότερον κόκκον Diosc lib 4. cap 72. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον στρύχνον ὃ ἁλικάκαβον καλοῦσι, &c. Et in Nothis: ἁλικάκαβον, οἱ δὲ καλλιάδα. Cratevas apud Diosc lib. 4. cap. 75. κάλλεον vocat.

5. *Vesicarium*] Quemadmodum Græci φυσαλλίδα vocant, quoniam intra folliculos orbicularos vesicæ similes fructum, sive grana, includit, καρπὸν ἐν θυλακίοις στρογγύλοις ὅμοιον φύσαις ἔχει. Diosc. loc cit Officinæ Mauritanos secutæ *Alcaquenge* vocant, alii *Baguenaudes*.

6. *Tertio*] Tertio solani generi, quod Græci θρύον vocant. Diosc. lib 4. cap. 74. Στρύχνος μανικὸς, ὃ ἔνιοι πέρισσον, οἱ δὲ θρύον καλοῦσιν. Τούτου τὸ μὲν φύλλον παραπλήσιον εὐζώμῳ, &c. Solanum letale Dodonæi, pag. 453. Italis, *Belladona*

7. *Lusum pudoris.*] Hoc verborum ambitu vanas imagines notat, quibus exercere se Venerem somniant ii qui drachmæ poudere solanum letale biberint. Tamen in MSS. vox *pudoris* abest.

8. *Repræsentari mortem.*] Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag 169. & lib 8. pag. 237. si quatuor drachmæ bibantur.

9. *Dorycnion*] Sic Apuleius, cap 22. *Alii strychnon manicon, alii dorycnion, alii cacabon, Itali Apollinarem* vocant. Diosc. quoque in Alexiph. in præfat pag. 401. & cap 6. Στρύχνον μανικὸν, ὃ καὶ δορύκνιον καλοῦσι. Galenus denique, lib. 10. κατὰ τόπους, cap. 3 pag. 637. Στρύχνου, οἱ δὲ δορυκνίου ῥίζας. Græcis δόρυ cuspis est & lancea.

10. *Qui parcius insectabantur.*] Vide Notas & Emendat. num. XXV.

11. *Vt nonnulli.*] Sic Diosc. lib. 4. cap. 74. πέρισσον. Sic enim legendum, non πέρσιον.

12 *Quin & alterum.*] Soporiferum ab halicacabo discernit Dioscorides, lib 4 cap. 73 quanquam & ipsi soporifero halicacabi quoque appellationem inditam fatetur.

13. *Opio velocius.*] Diosc contra, loco cit. vim somnificam habere prodidit, opio mitiorem.

14 *Mira oblivione innocentiæ.*] Obliti hi videntur innocentiæ, quam præ se ferre medici debent, cum tam periculosam herbam laudarint. Innocentia enim medici est, non monstrare, nedum laudare quod majore discrimine adhibetur. Sic paulo ante innocentissimos appellat auctores eos qui vel nomine ipso absterruere legentes ab ejus usu.

15. *Si colluerentur.*] Vide Notas & Emend. num XXVI.

Sect C V I. 1. *Corchorum.*] Corchoron appellant Cratevas, Theophrastus & Nicander, quam Dioscorides Anagallidem, inquit Anguillara, part. 5. pag. 92. Ἀναγαλλὶς gemina apud Dioscor. lib. 2 cap 209. Pingitur a Dodonæo, pag. 35. Folia esse ad similitudinem ocimi scribit Theophr. lib. 7. histor cap. 7. sed mori dixeris, an ocimi, parum interest

2. *Apud Nicandrum.*] Is in Theriacis, pag. 44. ubi adversus serpentes laudat Κόρχορον ἀμνοίην. De eo parœmia vulgata, tum apud Suidam, tum apud Schol. Nicandri, Κόρχορος ἐν λαχάνοις, *etiam corchorus inter olera*, quod vile olus haberetur.

CVII. [1] Nec de cnico sive atractylide verbosius dici par esset, Ægyptia herba, ni magnum [2] contra venenata animalia præberet auxilium: item adversus fungos. [3] Constat a scorpione percussos, quamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum.

CVIII. [1] Et persolutam Ægyptus in hortis serit, coronarum gratia. Duo genera ejus: femina ac mas. Utraque subdita Venerem inhiberi, virorum maxime, tradunt. CAP. XXXIII. 5

CIX. Et quoniam in mensuris quoque ac ponderibus crebro Græcis nominibus utendum est, interpretationem eorum semel in hoc loco ponemus. [1] Drachma Attica [2] (fere enim Attica observatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus. [3] Eademque sex obolos pondere efficit. [4] Obolus x. chalcos. [5] Cyathus pendet drachmas x. [6] Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas xv. [7] Mna, quam nostri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum. CAP. XXXIV. 10

NOTÆ.

Sect. CVII. 1. *Nec de cnico.*] Silvestri scilicet, de qua sect. 53.

2. *Contra venenata.*] Contra scorpionum ictus. Dioscor. lib. 3 cap. 107.

3. *Constat*, &c.] Diosc. loc. cit.

Sect. CVIII. 1. *Et persolutam.*] Peregrina hæc & ignota.

Sect. CIX 1. *Drachma Attica.*] Transscripsit hoc caput Plinius alter Valer. in præfat. operis. Sic etiam Galenus, lib. 8 de compos. medic. κ. τόπους, cap. 3. pag 573. Πρόδηλον, ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς παλαιοῖς ἅπασιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσι. Celsus ad Natalem, epistola præfixa operi Marcelli Empirici: *Græci Medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt: quæ quia ad denarium conveniunt, (octoginta enim quatuor in libram incurrunt) pro nota Græca drachmæ notam denarii posui, & ad ejus pondus drachmas redegi.* Scribonius Largus ad Callistum: *Erit nota denarii unius pro Græca drachma: æque enim in libra denarii LXXXIV. apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt.* Ceteris, qui plurimi sunt, appellandis supersedeo. Est autem denarius apud Romanos, nummus argenteus, quales in cimeliis vulgo visuntur, seu Consulum, ævi, seu Imperatorum: Quaternos ex his denarios fere nummus noster argenteus in Gallia complectitur, qui triginta assibus æreis permutatur.

2. *Fere enim.*] Caute *fere* addidit: nam & Urbis Romæ ponderibus interdum usi, ut Andromachus medicus Neronis, ipso referente Galeno, lib. 6 κ. τόπους, cap. 6. pag 499.

3. *Eademque sex.*] Dioscorides, tomo 13. operum Galeni, pag 984. Ἡ δὲ δραχμὴ, ἡ καὶ ὁλκὴ λεγομένη, ἄγει γράμματα τρία, τουτέστιν ὀβολοὺς ϛʹ. Suidas: Δραχμὴ, ἓξ ὀβολοί. Cleopatra, apud Galenum, tom. cit. pag. 981 Ἡ δραχμὴ ἔχει ὀβολοὺς ϛʹ. Et apud Marcellum Empiricum Victoriati pondus, seu denarii dimidii, trium esse obolorum dicitur, cap. 9 pag 78.

4. *Obolus X. chalcos.*] Pauciores alii, ut video, chalcos in obolo uno computant. Diodorus apud Suidam, tantum sex: ὁ δὲ ὀβολὸς χαλκοῦς ϛʹ. Octo, Cleopatra, loc. cit Ὀβολὸς ἔχει χαλκοῦς ηʹ. Plinius decem: ut in drachma chalci omnino sint sexaginta, quas ipse denariorum sexagesimas vocat, lib. 29. sect 21 & alibi.

5. *Cyathus .... drachmas X.*] Cyathi mensuram, inquit, drachmarum decem pondere medici definiunt: acetabuli, quindecim: quicumque demum is liquor fuerit, qui ad pondus exigeretur. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 25. *Cyathi pondus decem drachmis appenditur.* Fannius:

> *At cotyle cyathos bis ternos una receptat.*
> *Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur:*
> *Bis quinæ hunc faciunt drachmæ, si appendere velles,*
> *Oxybaphum fiet, si quinque addantur ad istas*

Demetrius Alabaldus, de minutiis, cap. de Mensuris, inter Authores Linguæ Lat. pag. 1527. *Cyathi vero pondus*, inquit, *fere drachmæ decem, sicut oxybapho quindecim.* E Græcis Cleopatra, loc. cit. Ὁ κύαθος ἔχει δραχμὰς ιʹ.

6. *Cum acetabuli.*] Græci ὀξύβαφον vocant, quasi proprie ita dictum fuerit vasculum infundendo aceto comparatum, in quod intingerent cibum sumentes. De liquorum eo pondere, quod acetabulum caperet, suffragatur Plinio, præter Fannium ac Demetrium proxime appellatos, Heras medicus, apud Galenum, lib. 5. κ. γένη, cap 6. pag 786. ubi cotylen, quam Plinius heminam vocat, drachmas omnino ait sexagenas efficere, si appendantur, ὡς ξʹ δραχμὰς ἑλκύσαι τὴν κοτύλην· καὶ γὰρ ἕλκει ἐνταῦθα ἡ Ἀττικὴ, ζʹ οὐγγίας ἥμισυ τῶν Ἰταλικῶν. Cleopatra, loc. cit. Ἡ κοτύλη, μέτρῳ μὲν ἔχει κυάθους ϛʹ. σταθμῷ δὲ, < ξʹ, ℥ζ, καὶ ϛʹ..... τὸ ὀξύβαφον, ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλης τέταρτον, κύαθον αʹ ϛʹʹ. σταθμῷ δὲ < ιεʹ. *Cotyle sive hemina, mensura quidem habet cyathos sex, pondere vero drachmas 60. sive uncias septem & semis .... Acetabulum habet mensura quidem heminæ quartam partem, cyathum unum & semis: pondere vero drachmas XV.*

7. *Mna, quam.*] Hæc Cleopatræ pariter medica definitio est, minæ pondus intelligi in medicamentis, ubi sunt Atticæ drachmæ centum: Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ιβʹ ϛʹʹ. < ρʹ. *Mna Attica habet uncias duodecim & semis, drachmas centum.* Nec vero una semper apud medicos locis omnibus temporibusque minæ æstimatio: Ex iis, enim, inquit Galenus, lib. 5. κ. γένη, cap 3. pag 778 qui minam in drachmas secant, alii centum, alii etiam plurium drachmarum esse confirmant: quia & unciam plerique septem drachmas & semissem valere malunt, alii septem dumtaxat: octo reliqui. Ἀλλὰ τῶν εἰς δραχμὰς ἀναγόντων τὴν μνᾶν, τινὲς οἱ φασιν ἑκατὸν εἶναι δραχμῶν τὴν μνᾶν, ἔνιοι πλειόνων· ἐπειδὴ καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεος δραχμῶν εἶναί φασιν· ἔνιοι δὲ ζ μόνον· ἕτεροι δὲ ηʹ.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXI.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 2. I. TENUIORIBUS *utebantur antiqui, stroppos appellantes: unde nata strophiola.*] Sic *stroppos* priore loco exhibent MSS. Reg. Colb. Chifl. &c. non ut editi, *strophos*. Et vero Festus: *Stroppus est*, inquit, *ut Atteius Philologus existimat, quod Græci στρόφιον vocant, & quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur Struppearia, quia coronati ambulent*, &c. Alio longe significatu, *strophium dactylicum* Prudentius cecinit, hymn. 3. ante cibum, vers. 26.

> *Sperne, Camena, leves ederas,*
> *Cingere tempora queis solita es:*
> *Sertaque mystica dactylico*
> *Texere docta liga strophio,*
> *Laude Dei redimita comas.*

Dactylicum strophium vocat carminis genus, quod Grammatici dactylicum, a dactylo pede, quo fere constat, appellarunt. Sic idem hymno tertio, ἀπὸ στρῶσιν, vers. 208.

> *Ast ego serta choro in medio*
> *Texta feram pede dactylico.*

Strophium vero pro carmine usurpavit, quod στροφὴ Græcis, ut ᾠδὴ, carmen est, quo Deorum laudes continentur.

Ibid. II. *Serta a serendo serviæ appellabantur.*] Ita MSS. omnes proxime appellata. Forte rectius tamen *a serendo serie*. Nam & a *sero*, hoc est, necto, series dicta est. Rationem etymi Tertullianus subindicat, lib. de corona mil. cap. 5. *Coronam si forte fascem existimas florum per seriem comprehensorum.* Et quoniam hic Tertulliani mentio incidit, juvat obiter alterum ejus locum afferre, quem Rigaltius & perperam edidit, & præpostere intellexit: libro nimirum de idololatria, cap. 10. *Floræ scholæ coronandæ.* ubi Rigaltius: *Floralibus scilicet, Floræ sacris.* Sed quid ad Floram referri hæc opus est? Lege *Flore scholæ coronandæ*: nam ad eum modo morem alludit, quem Plinius sect. 8. libri hujus significat, cum ait coronas Latium publicorum privatorumque honorem quondam fuisse.

Sect. 10. III. *Nec odore nec specie probabilis est, quæ Græca appellatur a nostris, a Græcis lychnis.*] Minus commode prius legebatur, *Nec odore nec specie probabilem, & quæ Græca*, &c. oratione nec satis ante cohærente, nec quæ similitudinem veri ullam habeat. Quis enim centifoliam rosam, de qua proxime antea sermo, ad quam prior sententiæ hujus pars referebatur olim, si minus odore, at specie saltem, quodcumque demum genus illud rosæ sit, negaverit esse commendabilem probabilemque?

Sect. 16. IV. *Hæc sunt tantum.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colb. &c. Libri vero editi, *Nec hæc sunt tantum*. Salmasius in Solinum, pag. 1068. *nexoe*: quasi sententia sit, combretum nexui tantum esse, id est, ad corollas necti. Id vero nec aures Latinæ ac teretes ferunt, & scriptoris menti apertissime adversatur. Nam in medicinis præterea quem usum id habeat, ipse inferius admonet, sect. 77. non igitur tantum in coronas usui.

Sect. 17. V. *Gaudet calcari & atteri, pereundoque melius provenit.*] In MSS. Reg. 1. &c. *& atteri pedeque melius.* Forte, *& atteri pede, quo melius provenit.* Sic Theophr. lib. 6. hist. cap. 6. Φιλεῖ δὲ ὁ κρόκος καταπατεῖσθαι, καὶ γίνεται καλλίων ἀποτρεφόμενος κατὰ τῆς ῥίζης. At in Reg. 2. tamen, *pereundoque*, hoc est, dum perterere videtur. Quare nihil moveo. Ut ut est, quod veteres illi de croci natura cultuque tradunt, magnopere discrepat a consuetudine nostri temporis, curaque quam nunc in eo tuendo rustici homines adhibent. Illi namque loca ubi sererent, eligebant pressa vestigiis hominum: arbitrabanturque, quanto magis solum tereretur, tanto melius proventurum. Nunc vero nihil tam inimicum putant, quam pedibus terram eam calcari, summoque studio inde & bellua & homines arcent.

Sect. 18. VI. *Cilicium maxime laudatur, atque e septemtrionalibus Salunca folio*, &c.] Ita MSS. Reg. Colb. &c. non, ut editi, *atque septemtrionale*, quanquam eodem ferme recidente sententia. Salmasius in Solin. pag. 1066. interpunctionem mutat in hunc modum: *Atque e septemtrionalibus saliunca*, &c. Non intellexit iridem præcipue commendari, quæ in partibus Illyridis, quæ magis vergerent ad septemtriones, oriretur, ut & a Theophrasto scilicet, lib. 9. hist. cap. 7. Ἴρις δὲ ἀρίστη ἐν Ἰλλυριοῖς . . . . ἐν τῇ ἀνωτέρᾳ χώρᾳ, καὶ πρὸς δὲ μᾶλλον πρὸς Ἄρκτον.

Sect. 22. VII. *Rubentem in cocco, qui a rosis migrante gratia, idem trahitur suspectu & in purpuras Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas. Album in amethysto, qui a viola, & ipse in purpureum*, &c.] Misere affectus ad hunc diem locus hic fuit. Sic enim libri editi: *Unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu: & in purpuras . . . Album in amethysto, qui in viola, & ipse in purpureum.* Libri melioris notæ: Reg. 1. *In cocco, qui a rosis migrante gratia nihil traditur suspectu & in purpuras . . . amethystum qui viola & ipse in purpureum.* Reg. 2. Pintiani codex: *ut rubentem in cocco, qui a rosis migrante gratia nihil trahitur suspectu & in purpuras . . . . amethystum, qui a viola, & ipse in purpureum* &c. Sic etiam Vossianus, teste Gronovio. Atque hæc sane sincerior lectio visa nobis est, tutiorque conjecturis semita, si voculam unam exceperis, *nihil*, cujus vice *idem* idcirco rescripsimus, quod cetera percommode congruant, uti ex interpretatione nostra perspicuum est. Nihil fere attinet hic commemorare, quam varie hunc locum viri fama insignes emendare conati fuerint: ne tamen aliquid vel negligenter prætermisisse, aut maligne tacuisse videamur, id etiam referre operæ pretium ducimus. Itaque Pintianus ita legebat: *unum in cocco, qui rursus migrante gratia trahitur in species in purpuras*, &c. Salmasius in Tertull. de Pallio, pag. 138. *In cocco, qui a rosis micat, & gratius nihil: suspectu trahitur & in purpuras Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas. Amethystum, qui in viola, & ipse in purpureum* &c. Idem in Solinum, pag. 193. libri, ut ait, melioris auctoritate: *ut rubentem in cocco, qui a rosis, migrante gratia: hic trahitur suspectu & in purpuras* &c. Gronovius, Notis in aliquot Plinii libros: *Ut rubentem in cocco, qui rosis migrante gratia, (vel micante nigritia) nihil cedit, suspectus & in purpura Tyria, dibaphaque, ac Laconica: amethystinum, qui viola, & ipse in purpura, eaque quam ianthinam appellavimus*, &c. Hæc vero qui sine præjudicata opinione cum libris conditivis fidei probatæ contulerit, accedere nos propius ad veteris scripturæ vestigia, non inficias, ut remur, ierit. Retineri certe oportere illud, *migrante gratia*, indicant illa liquido, *a rosis*, & *a viola*. *Trahitur* quoque non *traditur* legi sincere, admonet illud *in purpuras Tyrias* &c. & quod mox sequitur de amethysto, *& ipse in purpureum*, *quemque ianthinum*, quæ libri omnes pertinaciter defendunt.

Sect. 24. VIII. *Seritur autem semine melius, quam radice.*] Hic censoria nota Plinium Dalecampius perstringit, post Ruellium, lib. 2. pag. 498. & post utrumque Salmasius, in Præf. pag. 99. falsos secuti Theophrasti codices, cum ex optimis editionibus Aldina & Basil. plane consentiant Theophrastea Plinianis. Sic enim ille scripsit, lib. 6. hist. cap. 7. Ἀμάρακον δὲ μᾶλλον ἀπὸ σπέρματος βλαστάνει, ἢ ἀπὸ ῥίζης, καὶ παραφυάδος· χρῆται δὲ καὶ ἀπὸ σπέρματος, ἀπομοσχευόμενοι ἐν ὀστράκοις, &c.

Ibid. IX. *Ruta vere fruticant.*] Sic MSS. Reg. Colb. Thuan. Chifl. In editis perperam, *ruta ovis*. Theophr. loc. citat. Ἐρπυλλὸς δὲ καὶ πήγανον, μέγα καὶ ἰσχυρόν, καὶ διαβρέχεται· ἀπὸ τοῦ σπέρματος.

Sect. 39. X. *Sequitur œnanthe, melianthum* &c.] Quisquis demum flos ille sit melleus, quem melianthum ex ea re vocat, sinceram hanc lectionem esse hujus loci tum libri omnes pertinacissime clamant, tum res ipsa admonet. Nam & hoc loco & in Indice, MSS. Reg. Colb. Th. *melianthum* legunt: & quod ex Theophrasto scribi *melanion* malunt, abhorret id a consuetudine Plinii, qui violam nigram purpuream ne dixit, uti λευκοΐον violam albam proxime ante reddidit: nec res ipsa μέλαν ἴον seu violam purpuream hoc loco appellari patitur, post narcissum liliumque: quam fere ante reliquos flores prodire Martio mense, vere ineunte, & Plinius paulo ante docuit, & omnes norunt: unde Martiæ violæ nomen et vulgus adjudicat.

Sect. 60. XI. *Caule foliato est & crepis & lotos.*] Sic restituimus ex

MSS.

MSS. Reg Colb. Th. aliorumque fide, qua neglecta libri editi perperam habent, *&* *erepis* *&* *apsis*. Quin & in Indice hujus libri, ex iisdem exemplaribus legitur, *crepis*, *lotos*. Denique Theophr lib. 7. hist. cap. 9 ἐπιπαυλίφυλλα, inquit, *aponit*, λωτοί, &c. Quanquam sunt qui *magis* ibi litteris permutatis legi, quam *apyms*, malunt.

Sect. 64. XII. *Et intra seminat.*] Prius legebatur, *intra se germinat*, invitis libris omnibus primitivis, Reg Th. Chiffl quos secuti sumus: adstipulante præsertim scripturæ veteri Theophrasto, lib. 7. hist. cap. 14. ubi de lappa agit: ἐν τούτῳ γὰρ ἐγκλειόμενον τῷ τραχεῖ τὸ ἄνθος οὐ φαίνεται, οὐδ' ἐκφαίνεται, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ πεπληρωμένον, καὶ σπερμολογοῦν· ὥστε παρόμοιον εἶναι τὸ συμβαῖνον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν γαλεῶν.... ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐν ἑαυτοῖς ἀποτίκτοντες ζωοτοκοῦσι, &c. *Nascitur enim flos in eo ipso hirsuto & aspero, non exiens, neque evidens, sed intus maturescens, & semen pariens: ut illis simile sit, quod in mustelis evenit: quæ ubi intra se ova pepererunt, mox gignunt animalia*, &c.

Sect. 70. XIII. *Tertia Therao.*] Ita rescripsimus admonitu codicis Reg. 2. in quo *Thereon* legitur, suffragante in primis Dioscoride, qui lib 1. cap. 4. cyperum pariter laudat, qui e Cycladibus insulis petitur, ἀπὸ τῶν Κυκλάδων νήσων, in quibus est Thera, ut in Geographicis libris docuimus. Prius *Thracio* legebatur.

Ibid. XIV. *Vulvas aperit pota.*] Quærit Pelicerius in Notis MSS. an potius, *vulvas aperit fotu?* Nam Dioscor lib. 1. cap. 4. de cypero: Ταῖς περὶ μήτρας δὲ καταψύξεσι καὶ μήτραις πωρωμέναις ἁρμόζει, ἄγον ἔμμηνα. *Vulvæ perfrigerationibus & obstructionibus fotu accommodatur, mensesque evocat.* Sed nihil movendum Plinius ipse admonet, subjungens statim, *Largiori tanta vis, ut expellat vas:* quæ de largiore potu haud dubie accipienda sunt.

Sect. 72. XV. *Opisthotonicis cum resina arida imponitur excalfactoria. Et rosa adstringit, refrigerat*] Prius legebatur, *arida imponitur. Excalfactoria & rosa uteros adstringit, refrigerat.* Insulse: nam si excalfactoria rosa est, qui tantam vim refrigerandi habeat? Deinde vox *uteros* abest a MSS. At calefaciendi vim resinis omnibus inesse Galenus admonet, lib. 8. de fac. simp. med. cap. 17. pag 224 Ῥητίνη πᾶσα ἐπιεικῶς ἐστι θερμαίνουσα. Rosæ vero refrigerant & adstringunt sane, ut Dioscor. quoque vidit, lib 1. cap. 130. & alii ceteri medicorum agnoscunt: Ῥόδα ψύχει καὶ στύφει. Quare apposite Plinius dixit, *Et rosa adstringit, refrigerat*, quemadmodum juncus odoratus scilicet, de quo proxime antea sermo fuit, quem ipse idcirco bilem & sanguinem rejicientibus esse utilem prodit: Dioscorides lib. 1. cap. 16. leviter ac modice adstringere, ad sanguinis rejectiones esse salutarem, radice etiam magis adstrictoria, & ad stomachi fastidia utili: Δύναμιν δὲ ἔχει.... ὑποστύφουσαν μετρίως.... χρήσιμος πρὸς αἱμάτων ἀναγωγάς... Ἡ δὲ ῥίζα στυπτικωτέρα, καὶ διὸ ἀνορέκτοις στομάχοις δίδοται, &c.

Sect. 77. XVI. *Bacchar .... perpressam vocant.*] Sic Reg. 2. Th. & Chiffl. Sic ipse Plinius, lib 26. sect. 55. Sic Dioscor. in Nothis, pag. 441. etsi ibi bacchar, errore haud levi, non secernatur ab asaro: Ἄσαρον, οἱ δὲ νάρδος ἀγρία.... Ῥωμαῖοι περπρεσσουμ, οἱ δὲ βάκχαρ. In aliis codd. *perpensam* legitur.

Sect. 84. XVII. *Polium contra serpentes.*] Hoc ipsum de tripolio narrat Dioscorides: Unde Salmasius, in Solin. pag. 1067. effici vult habitam a Plinio magno errore herbam camdem, πόλιον ac τριπόλιον. Salmasio prævit Nic. Leonicenus. Sed aberravere ii a vero longissime, dum unius Dioscoridis vestigiis insistunt: quem liquet eorum abductum errore, quos Plinius admonet, libro 26. sect 22. cum polio tripolium confudisse. Nam de polio hæc accipienda esse, præter Plinium docet, Dioscoride Anazarbeno vetustior Nicander in Theriac. pag. 4. ubi ea recenset, quæ vel instrata serpentes abigant:

Ἠ' σύ γ' ὑποστορέσαιο λύγον πολυανθέα κνύζαν.
Ἠ' πόλιον βαρύοδμον.

Ubi Gorræus interpres,

Viticis aut longa foliis molire cubile
Candicibus, polive olidis insternere ramis.

Scholiastes ad eum locum, pag. 8. Τὸ πόλιον εἶδος βοτάνης βαρύοσμον, &c.

Ibid. XVIII. *Substerni, uri, vel potari.*] In editis hactenus, *substernitur, vel potatur.* In Reg. 1. *substernitur potari*. In Reg. 2. *substerni, uri, potari*, lectione sane haud pœnitenda. Nam Dioscor lib 3. cap. 124. polii decoctum epotum ait venenatorum morsibus succurrere: ac mox, substrato eo suffitove abigi bestias venenatas.

Sect. 86. XIX. *Melissophyllo, sive melittena.*] Sic Reg 1. 2. Thuan. Chiffl. non, ut editi, *sive melittide.* Sic Diosc. libro 3. cap. 118. Μελισσόφυλλον, ὃ ἔνιοι μελιττόφυλλον καλοῦσι. Et Nicander in Theriac. pag. 30.

Τὴν ὅτις μελίφυλλον ἐπιβλέψει βοτῆρες,
Οἱ δὲ μελίτταιναν· ἐπεὶ γὰρ ὀδμῇ φύλλα μέλισσαι
Ὀδμῇ θελγόμεναι μέλιτος ῥοιζηδὸν ἴασιν.
Agrestes melisphyllon eam dixere bubulci,
Sive melittænam, quod capta mellis odore
Stridere apes circum soleant, & sidere ramis.

Hesychio, Μελίταινα, πόα τις, ἣν ἔνιοι μελιττίτην, ἄλλοι μελισσόφυλλον.

Ibid. XX. *Item contra vulvarum strangulationes, addito nitro.*] Ita MSS. omnes, editique libri. Tamen Saracenus in Notis ad Dioscoridem, Plinianam orationem emendatione egere putat, ac *fungorum* potius quam *vulvarum* legi oportere. Dioscorides enim, lib. 3. cap. 118. ubi de melissophyllo: Βοηθεῖ, inquit, καὶ τοῖς ὑπὸ μυκήτων πνιγομένοις σὺν νίτρῳ τὰ φύλλα ποθέντα, καὶ στροφουμένοις. *Folia quoque addito nitro bibita iis auxiliantur, qui a fungis strangulantur, nec non & torminosis.* Strangulari autem eos qui fungos ederint, vel ex ipso Dioscoride notum est in Alexiph. cap. 23. Corrigendum igitur ex Dioscoride Plinium pronunciat. Cui, quæso, magis quam ex Plinio Dioscoridem, cujus vitiata fœde exemplaria norunt eruditi? An non fieri perfacile potuit, ut pro ὑπὸ μητρῶν, ab erudito aliquo ὑπὸ μυκήτων scriberetur? Aut si strangulationi quæ a fungis oritur, mederi hæc herba potuit, cur non eadem & strangulationi ei opituletur, quæ a conversione vulvæ proficiscitur?

Sect. 87. XXI. *Melilotus .... cum luteo ovi, aut lini semine.*] Prius legebatur, *cum lacte, aut cum lini semine.* At Reg 1. *cum luteo* Reg. 2. *cum luteo ous ante lini semine* Quæ certissima sinceræ scripturæ vestigia. Adde Diosc. lib. 3. cap. 48. de meliloto. Δύναμιν ἔχει μαλακτικὴν πάντων φλεγμονῶν, μάλιστα δὲ τῶν περὶ ὀφθαλμούς.... σὺν ὠοῦ δὲ μετ' αὐτοῦ λεκίθῳ, ὁ λινοσπέρμου. Melilotum ad caligines, obscuritates, & suffusiones oculorum commendat pariter Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 10. *de oculorum causis.*

Sect. 94. XXII. *Sunt qui phrenion vocent.*] Φρένιον. Sic sane in Indice. Et MSS. Reg. Th. Chiffl. *fremion* habent. Vera tamen lectio φαίνιον videtur. Nam Theocriti Scholiastes, ad Idyll. ε'. vers. 92. Σανίδιον, inquit, τὰς ἀνεμώνας κατὰ λαμπρὰν φαινίδα ἀνάλογα φησί. A splendore fortassis & coloris venustate, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι.

Sect. 97. XXIII. *Hoc ibi fuco hysginum tingunt*] Parmensis editio, ceteræque ante Hermolaum, atque adeo libri omnes manu exarati, Reg. Colb. Chiffl. Th. *Hoc ibi loco hysginum tingunt.* Reposuit Hermolaus, *hoc ibi pro cocco hysginum tingitur.* Nos certiore conjectura, *hoc ibi fuco hysginum tingunt.* Sic roseo fuco tinctam purpuram Catullus dixit, in Argonaut.

Sect. 104. XXIV. *Parthenium, alii leucanthes, alii amaracum.*] Sic MSS. omnes, etiam in Indice: non, ut editi, *tamnacum.* Quanquam verius utrobique forsan, *amaracum.* Nam Diosc. lib 3. cap. 155. Παρθένιον, οἱ δὲ ἀμάρακον, οἱ δὲ λευκάνθεμον. Sic etiam interpres Oribasii, lib 12. fol. 210.

Sect. 105. XXV. *Qui parcius insectabantur, manicon cognominavere.*] Libri hactenus editi, post Hermolaum, *qui parcius spectavere*. Prius in edit. Parm. *spectabatur.* At in Reg. 2. cod. *inspectabantur*: unde nos extrita litterula, *insectabantur* rescripsimus. Tria fuisse nomina ejus herbæ ait: primum, quod innocentissimi scriptores indiderint, dorycnion, qui infamare eam voluere, & quantum in ipsis erat, cavere, ne cui noceret. Alterum, quod ii qui parcius insectabantur, & subesse tamen in ejus usu quiddam periculi admonebant, insaniam videlicet: Manicon igitur appellarunt. Postremum est, quod ab iis impositum, qui nequiter occultabant, & virus ejus nosci appellato ejus nomine nolebant: quare erythron illi, aut nevradu dixere.

Ibid. XXVI. *Si colluerentur halicacabo in vino: Exceptionem addidere &c.*] Prius legebatur: *Si colluerentur: halicacabo aut exceptionem addidere.* Plane contra Dioclis, Evenoris, ac Timaristi sententiam, quos Plinius laudat auctores: ad eam enim medicinam halicacabum adeo non excepere ii, ut in primis potius commendarent: quo nomine carpuntur obiter a Plinio: etsi exceptionem eam, cautionemque addiderent, ne diutius in ore id teneretur. In Reg 2. cod. legitur, *halicacabon vino*. In Colb. 3. *halicacabon vetto.* At Diosc. plane rem decidit, lib. 4. cap. 73. ubi succum halicacabi decoctum in vino opitulari dentibus ait, si contineatur ore; ἑψηθεὶς δὲ σὺν οἴνῳ καὶ διακρατούμενος, ὀδονταλγίαις ἀρήγει. Ut ex vino Dioscorides, sic ex aceto adhiberi jubet Archigenes apud Galenum, lib. 5. κατὰ τόπους, cap. 5. pag. 474. & 475.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXII.

I. IMPLESSE poterant miraculum sui Natura atque tellus, reputantium [1] vel prioris tantum voluminis dotes, totque genera herbarum, utilitatibus hominum, aut voluptatibus genita. Sed quanto plura restant? quantoque mirabiliora inventu? Illa enim majore in parte cibi aut odoris decorisve commendatio ad numerosa experimenta du-5 xit. Reliquarum potentia approbat, nihil a rerum Natura sine aliqua occultiore causa gigni.

CAP. I. II. Equidem & formæ gratia ritusque perpetui, in corporibus suis aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam, adverto animum. Illinunt certe aliis aliæ faciem in popu-10 lis barbarorum feminæ, maresque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt. Simile plantagini [1] glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.

CAP. II. III. Jam vero infici vestes scimus admirabili fuco. Atque ut sileamus [1] Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ granis, coccum Imperatoriis dicatum [2] paludamentis, [3] Transalpina Gallia 15 herbis Tyrium atque conchylium tingit, omnesque alios colores. Nec quærit in profundis murices, seque objiciendo escam, dum præripit belluis marinis, intacta etiam ancoris scrutatur vada, ut inveniat per quod facilius matrona adultero placeat, corruptor insidietur nuptæ. [4] Stans & in sicco carpit, quo fruges modo: [5] sed culpa, non ablui usu: alioqui fulgentius instrui poterat luxuria, certe innocentius. Non est nunc propositum ista 20 consectari: nec committemus, ut [6] subjiciendo turiora [7] luxuriam vilitate circumscribamus, [8] dicturi & alias herbis tingi lapides, parietesque pingi. Nec tingendi tamen rationem omisissemus, si umquam ea liberalium artium fuisset. [9] Interim fortius agetur: auctoritasque quanta debeatur etiam surdis, hoc est, ignobilibus herbis, perhibebitur. Siquidem auctores imperii Romani conditoresque immensum quiddam & hinc sumpsere,

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Vel prioris tantum.*] Superioris proxime libri.

Sect. II. 1. *Glastum in Gallia.*] Ἰσάτιν Græci, Latini vitrum dixere, quod vitreo, hoc est, cæruleo colore tingit. Marcellus Empir. cap. 23. pag. 162. *Lienosis prodest . . . herba quam nos vitrum, Græci isatida vocant.* Cæsar Comment. lib. 5 de Gallico bello, tradit omnes se Britannos vitro inficere, quod cæruleum colorem efficiat, atque hoc horridiores fieri in pugna aspectu. Ex Mela, lib. 3 cap. 6. pag. 56. *Britanni, incertum ob decorem, an aliquid aliud, vitro corpora infecti.* Nunc etiam apud Cambrobritannos retinet vetustum nomen & *Glas* appellatur. Similiter & cæruleum colorem *Glas* vocant: & qui ab iis genus duxisse falso creduntur, Aremorici Galliæ Britanni. Magnum quæstum multis regionibus in Gallia affert. Viridem herbam molis premunt, ut herbaceam saniem excludant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis in cinerem sinunt computrescere: herbam ipsam *Pastillum* plerisque locis ab effigie pastillorum in quam glomerantur, nominantes: *Pastel.* Hos deinde globos cortinis infectoriæ coquunt officinæ, & laneos pannos ac vellera demergunt, ut cæruleum ebibant colorem. Cæruleam illam spumam innatantem, quam igni confervescentes eructant cortinæ, Indum nostri vocant infectores: hanc ad pictorum usus siccant. Hæc fere ex Ruellio, lib. 2. pag. 434 quem alii deinde sunt secuti. His adde quæ de isati diximus, lib. 20. sect 25. Cave autem Salmasio credas, qui *guastum* non *glastum*, scribi jubet, nec libris ullis secundis, neque id ferente Britannici hodieque sermonis usu.

Sect. III. 1. *Galatiæ.*] Coccum Galatiæ reliquis omnibus antiqui prætulerunt: ut dictum est lib. 9. sect 63. & alibi sæpe. Inde *Scarlati* vox, quæ nunc cocco tribuitur, deflexa nobis a Galatico videtur.

2. *Paludamentis*] Paludamentum vestis Imperatorum fuit, hoc est, eorum qui exercitus educebant. Hodie *Cottam armorum* vocamus, inquit Budæus. *Cotte d'armes* Isidorus, lib. 19 cap. 24 *Paludamentum erat insigne pallium Imperatorum cocco, purpuraque, & auro distinctum.* Vide Voss. in Etymolog.

3. *Transalpina . . . herbis.*] Vaccinio, uti dictum lib. 16. sect. 31.

4. *Stans & in sicco*] Minore impendio, inquit, ac labore, stans Gallia Transalpina, & in sicco ac solido, ut fruges demetit, sic carpit herbas, quibus Tyria, atque conchylia, omnesque alios colores imitetur

5 *Sed culpa.*] Sententia hæc videtur esse, culpari idcirco eum colorem, quod pati aquam non posset, dilaberetur que paulatim abluendo, dilutiorque fieret. Uno verbo: culpa ejus coloris est, quod ablui in usu vestis non possit, quin diluatur & evanescat color. Vide Notas & Emendationes, num I.

6. *Subjiciendo turiora*] Quæ facilius, nec tanto impendio aut periculo comparantur Male hactenus *uiliora* legebatur.

7. *Luxuriam vilitate*] Non committemus, ut id agere nunc videamur, ut viliora quædam proponamus, quibus quasi finibus luxuria contineatur.

8. *Dicturi & alias*] Libro 35 sect 1.

9 *Interim fortius*] Fortius acturum nunc se pollicetur, hoc est, argumentis rerum quæ viros fortes magis deceant: cujusmodi sunt usus herbarum minus celebrium in

quoniam non aliunde [10] sagmina [11] in remediis publicis fuere, & in sacris legationibusque verbenæ. [12] Certe utroque nomine idem significatur, hoc est, [13] gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper e legatis, cum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clare repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur.

Cap. III. IV. [1] Corona quidem nulla fuit graminea nobilior, in majestate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ. Gemmatæ & aureæ, vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales, post hanc fuere, suntque cunctæ magno intervallo, magnaque differentia. Ceteras omnes singuli, & duces ipsi, Imperatoresque militibus, aut aliquando [2] collegiis dedere: * decrevit in triumphis Senatus, cura belli solutus, & populus otiosus: Cap. IV. [3] Graminea numquam nisi in desperatione suprema contigit, nulli nisi ab universo exercitu servato decreta. Ceteras Imperatores dedêre, hanc solam miles Imperatori. Eadem vocatur obsidionalis, liberatis obsidione abominandoque exitio totis castris. Quod si civicæ honos uno aliquo ac vel humillimo cive servato, præclarus sacerque habetur; quid tandem existimari debet, unius virtute servatus universus exercitus? Dabatur hæc viridi e gramine, decerpto inde ubi obsessos servasset aliquis. [4] Namque summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: [5] quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.

Cap. V. V. [1] Donatus est ea L. Siccius Dentatus semel, cum civicas quatuordecim meruisset, depugnassetque CXX. præliis semper victor. Tanto rarius est servatorem unum a servatis donari. Quidam Imperatores & sæpius donati sunt, veluti [2] P. Decius Mus, Tribunus militum, ab exercitu: altera ab his, qui in præsidio obsessi fuerant, quanta esset ejus honoris auctoritas, confessus religione: siquidem donatus bovem album Marti immolavit, & centum fulvos, qui ei virtutis causa dati fuerant simul ab obsessis. Hic Decius postea se Consul, [3] Imperioso collega, [4] pro victoria devovit. Data est & a Senatu populoque Romano, qua claritate nihil & quidem in rebus humanis sublimius duco, [5] Fabio illi, qui rem omnem Romanam restituit non pugnando. Nec data, cum [6] Magistrum Equitum & exercitum ejus servasset: tunc satius fuit nomine novo coronari, [7] appellatum patrem ab his quos servaverat: sed quo dictum consensu honoratus est Hannibale ex Italia pulso. Quæ corona adhuc sola ipsius imperii manibus imposita est: & quod peculiare ei est, sola a tota Italia data.

Cap. VI. V I. Præter hos contigit ejus coronæ honos, M. [1] Calpurnio Flammæ, Tribuno mi-

Notæ.

sacris, in legationibus, in præmiis bellicæ fortitudinis. Nam quæ sunt allata hactenus, ad formam scilicet colendam pertinentia, vestesque tingendas, mollia ac muliebria jure videantur.

10. *Sagmina.*] Festus: *Sagmina vocantur verbena, id est, herba pura, quia ex loco sacro arcebantur a Consule, Pratoreve, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum: vel a sanciendo, id est, confirmando.* Livius, lib. 1. pag. 9. *Sagmina', inquit Fecialis, te Rex posco.* Vide Vossium in Etymol. Origo ex Græco, σάγμα, pro ἄγμα, unde sagmen: ut ex ἄγμα agmen.

11. *In remediis.*] Vel ornandis Deorum aris, vel lustrandis domibus.

12. *Certe utroque nomine.*] Sagminis, ac verbenæ De verbena seu verbenaca privatim Plinius, lib 25 sect 59. *Hæc est, quam legatos ferre ad hostes indicavimus:* Hunc nempe respiciebat locum

13. *Gramen ex arce.*] Unde arceri dicebatur, auctore Festo, id est, ex arce velli.

Sect. IV. 1. *Corona quidem*] Vide quæ diximus, lib. 16. sect 3. Festus etymon Gradivi Martis petere quosdam ait, *quia gramine sit ortus: quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maxima est honorationis.*

2 *Collegiis dedere.*] Firmat hoc Claudius Saturninus, qui librum de Coronis edidit, quem Tertullianus laudat, lib de Corona mil. cap. 10. pag. 107. *Ipsa denique fores, inquit, ipsa hostia & ara, ipsi ministri & sacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum sacerdotalium coronas apud Claudium.*

3. *Graminea numquam.*] Festus: *Obsidionalis corona est, qua datur Imperatori ei, qui obsidione liberavit ab hostibus obsessos: Ea fit ex gramine viridi fere ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi .... Inter obsidionalem & civicam hoc interest, quod altera singularis signum salutis est, altera diversorum civium servatorum.* Gramineæ coronæ effigiem vide in nummo inscripto, GALLIENAE AUGUSTAE: de quo diximus, libro X sect LXVIII.

4. *Namque summum.*] Festus: *Herbam do, cum ait Plautus, significat, victum me fateor, quod est antiqua & pastoralis vita indicium: Nam qui in prato, cursu aut viribus contendebant, cum superati erant, ex eo solo in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant.* Servius in lib. 8. Æneid. ad eum versum,

Et vitta comtos voluit prætendere ramos:
Hinc est illud proverbium, Herbam do, id est, cedo victoriam. Quod Varro in Antiquitatis libris ponit: Cum in agonibus herbam in modum palma dat aliquis ei, cum quo contendere non cupit, & fatetur esse meliorem.

5. *Quem morem .... in Germania.*] Et in Vasconia hodieque. In Formulis veteribus, ea quæ est ordine XIX. *Traditoria de terra*, hujusce moris vestigium servat, pag. 134. his verbis: *Vel herbam, vel terram visus fuit tradidisse.* De his similibusque traditionis symbolis multa pereruditè Vir Cl. Du-Cangius, in Glossario, verbo *Investitura.*

Sect. V. 1. *Donatus est.*] Vide quæ diximus lib. 7. sect. 29.

2. *P. Decius Mus*] Transcripsit hunc locum Festus, verbo *Obsidionalis.* Idem tradit etiam Livius, lib. 7. pag. 133. *Legiones gramineam coronam obsidionalem ... Decio imponunt, altera corona eiusdem honoris index a præsidio suo imposita est His decoratus insignibus, bovem eximium Marti immolavit: centum boves militibus dono dedit, qui secum in expeditione fuerant.* P. Decius pater is fuit, de quo jam antea dictum est, lib. 16 sect. 5. Intelligitur porro ad Veserim pugna Samnitico bello.

3. *Imperioso collega*] T. Manlio Torquato, L. Manlii Imperiosi Dictatoris filio: eo qui filium, quod injussu suo pugnarat, securi percussit. Consulatum ambo gessere, anno Urbis CCCCXIV. De Imperiosi cognomine, quod a plebe primum inditum est, mox ab ipso Manlio ad levitatæ ostentationem adscitum, vide Livium lib. 4. pag. 76 & lib. 7. pag. 122.

4. *Pro victoria devovit.*] Livius lib. 8 pag. 139. & 140. & Valerius Max. lib 1. cap. 7. num 3. pag 51.

5. *Fabio illi.*] Q. Fabius Maximus, qui Prodictator a populo factus cunctando restituerat rem, ni plaga Cannensis anno sequente, Urbis DXXXVIII. alterius temeritate Consulis accidisset.

6. *Magistrum Equitum.*] Minutium, victum ab Hannibale.

7. *Appellatum patrem.*] A Minucio ipso, quem servarat. Hujus oratio ad suos milites a Livio recitatur ejusmodi, lib. 22. pag. 218. *Castra cum Fabio jungamus: ad prætorium ejus signa cum tulerimus, ubi ego eum parentem appellavero, quod beneficio ejus erga nos, ac majestate dignum est: vos milites eos, quorum vos modo arma dexteraque texerunt, patronos salutabitis. &c.*

Sect. VI. 1. *Calpurnio Flammæ.*] Manlii oratio, apud Li-

litum in Sicilia: Centurioni vero uni ad hoc tempus Cn. Petreio Atinati, Cimbrico bello. [2] Primum pilum is capessens sub Catulo, exclusam ab hoste legionem suam hortatus, Tribunum suum dubitantem per castra hostium erumpere interfecit, legionemque eduxit. Invenio apud auctores eumdem præter hunc honorem, adstantibus [3] Mario & Catulo Coss. prætextatum immolasse ad tibicinem foculo posito. Scripsit & Sylla Dictator, ab exercitu se quoque donatum apud Nolam, legatum bello Marsico. Idque etiam in villa sua Tusculana, quæ fuit postea Ciceronis, pinxit. Quod si verum est, hoc exsecrabiliorem eum dixerim, quandoquidem eam capiti suo proscriptione sua ipse detraxit, tanto paucioribus civium servatis, quam postea occisis. Addat etiamnum huic gloriæ superbum cognomen Felicem; ipse tamen obsessis in toto orbe proscriptis, hac corona Sertorio cessit. [4] Æmilianum quoque Scipionem Varro auctor est donatum obsidionali in Africa, [5] Manilio Consule, cohortibus servatis, totidemque ad servandas eas eductis: quod & statuæ ejus in foro suo Divus Augustus subscripsit. Ipsum Augustum [6] M. Cicerone filio Consule Idibus Septembris Senatus obsidionali donavit. Adeo civica non satis videbatur. Nec præterea quemquam hac invenimus donatum.

VII. Nullæ ergo herbæ fuere certæ in hoc honore: sed quæcumque fuerant in periculi sede, quamvis ignobiles ignotæque, honorem nobilem faciebant: quod latere apud nos minus quidem miror, cernens negligi ea quoque, quæ ad valetudinem conservandam, cruciatusque corporis propulsandos, & mortem arcendam pertinent. Sed quis non mores jure castiget? [1] Addidere vivendi pretia deliciæ luxusque. Numquam fuit cupido vitæ major, nec minor cura. Aliorum hanc operæ esse credimus: [2] ne mandato quidem nostro alios id agere, medicisque provisum esse pro nobis. Ipsi fruimur voluptatibus, & (quo nihil equidem probrosius duco) vivimus aliena fiducia. Immo vero plerisque ultro etiam irrisui sumus ista commentantes, atque frivoli operis arguimur: [3] magno, quanquam immensi laboris, solatio, sperni eum rerum Natura: quam certe non defuisse nobis docebimus, & invisis quoque herbis inseruisse remedia: quippe cum medicinas dederit etiam aculeatis. Hæc enim proxime restant ex his, [4] quas priore libro nominavimus, in quibus ipsis providentiam Naturæ satis mirari, amplectique non est. Dederat, [5] quas diximus, molles cibisque gratas. Pinxerat remedia in floribus, visuque ipso animos invitaverat, etiam deliciis auxilia permiscens. Excogitavit aliquas aspectu hispidas, tactu truces, ut tantum non vocem ipsius fingentis illas, rationemque reddentis exaudire videamur, ne se depascat avida quadrupes, ne procaces manus rapiant, ne neglecta vestigia obterant, ne insidens ales infringat: his muniendo aculeis, telisque armando, [6] remediis ut tuta ac salva sint. Ita hoc quoque, quod in iis odimus, hominum causa excogitatum est.

CAP. VII. VIII. [1] Clara in primis aculeatarum eryngе est, sive eryngion, [2] contra serpentes & venena omnia nascens. [3] Adversus ictus morsusque radix ejus bibitur drachmæ pondere in vino: aut si plerumque tales injurias comitatur & febris, ex aqua. Illinitur plagis, peculiariter efficax contra chersydros ac ranas. Omnibus contra toxica & aconita efficaciorem Heraclides medicus, in jure anseris decoctam, arbitratur. Apollodorus adversus toxica cum rana decoquit, ceteri in aqua. [4] Ipsa dura, fruticosa, spinosis foliis, caule geniculato, cubitali, & majore aliquanto, alia albicans, alia nigra, radice odorata, & sativa quidem est. [5] Sed & sponte nascitur in asperis & saxosis: & in litoribus maris, durior, nigriorque, folio apii.

NOTÆ.

vium, lib. 22. pag. 227. *Sicut nobis adolescentibus priori Punico bello Calpurnius Flamma trecentis voluntariis, cum ad tumulum eos capiendum, suum inter medios hostes, duceret, dixit: Moriamur, milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones. &c.* Vide Aurel. Victor. lib. de viris illustr. cap. 39. in Attilio Calatino.

2. *Primum pilum.*] Pila, tela Romana sunt. Primum pilum, prima centuria est, in qua gravis armaturæ militia, & eo genere teli instructi. Cæsar, lib. 5. de bello Gallico: *T. Balventio, qui superiore anno primum pilum duxerat, viro forti &c.*

3. *Mario & Catulo*] Marii quarto Consulatu, Urbis anno DCLII. ut Fasti quidem produnt

4. *Æmilianum*] P. Cornelium Scipionem. qui de uxoris Æmiliæ nomine, Pauli Æmilii filiæ, more Romano dictus Æmilianus est; idemque Carthaginem Numantiamque devicit, Africanus sequens appellatus.

5. *Manilio Consule.*] Anno Urbis DCV. Vide Notas & Emend. num III

6. *M. Cicerone.*] In fastis Consularibus, anno Urbis DCCXXIII. Consul notatur, EX EID. SEPTEMB. M. TULLIUS. M. F. M. N. CICERO.

Sect. VII. 1. *Addidere vivendi pretia*] Vitam fecere cariorem deliciæ, cum valetudo prius parvo constaret, obviis unicuique morbo medicamentis, vel ex hortorum proventu.

2. *Ne mandato*] Majores, inquit, nostri regebant ipsi valetudines suas, & suæ operæ curam eam esse ducebant, voluptatibus parcentes: nunc in libidines nos ingurgitamus, quid de corporibus nostris fiat securi, omni ea providentia medicis delegata. Ita recte Gronovius: cui MSS. Reg. & Colb. ac Chiffl. favent

3. *Magno ... solatio*] Quis enim idem pati, quod Natura rerum, gravate ferat?

4. *Quas priore libro.*] Proxime superiore.

5. *Quas diximus*] Libro 20.

6. *Remediis.*] Ut ad remedia servarentur.

Sect. VIII. 1. *Clara in primis.*] Sic Oribasii interpres, lib. 11. pag. 197. post Diosc. lib. 3. cap. 24. Ἠρύγγιον τὸ ἀκανθῶδές ἐστιν, &c. Id officinæ vocant Iringium. Diximus de eo, superiore libro, sect. 56.

2. *Contra serpentes &c.*] Nicander in Theriac pag. 47 & 60. ad id ἤρυγγον pariter commendat. Ubi Scholiastes, pag. 30. ἤρυγγος βοτάνη ἐστί. Et pag. 39 ἤρυγγος εἶδος λαχάνου ἀκανθώδους.

3. *Adversus ictus &c.*] Sic Diosc. lib 3. cap. 24.

4. *Ipsa dura, &c.*] Diosc. loc cit.

5. *Sed & sponte.*] Diosc. loc cit. Quod vero in litoribus maris nasci dicitur, Eryngium marinum est, a Clusio

CAP. VIII.

IX. [1] Ex his candidam nostri centum capita vocant. Omnes ejusdem effectus, caule & radice in cibos Græcorum receptis utroque modo, sive coquere libeat, sive cruda vesci. Portentosum est, quod de ea traditur: Radicem ejus alterutrius sexus similitudinem referre, raram inventu: sed si viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc [2] & Phaonem Lesbium dilectum a Sappho. [3] Multæ circa hoc non Magorum solum vanitates, sed etiam Pythagoricorum. [4] Sed in medico usu præter supra dicta auxiliatur inflationibus, torminibus, cordis vitiis, stomacho, jocineri, præcordiis in aqua mulsa, lieni in posca. Item ex mulsa renibus, stranguriæ, [5] opisthotonicis spasmis, lumbis, hydropicis, [6] comitialibus, mulierum mensibus, [7] sive subsidant, sive abundent, vulvarumque omnibus vitiis. Extrahit infixa corpori cum melle. Strumas, parotidas, panos, recedentes ab ossibus carnes, sanat cum axungia salsa, & cerato: item fracturas. Crapulam præsumpta arcet, alvum sistit. Aliqui e nostris sub solstitio colligi eam jussere. Ex aqua cælesti imponi omnibus cervicis vitiis. Oculorum quoque albugines sanare adalligatam tradiderunt.

CAP. IX.

X. [1] Sunt qui & acanon eryngio adscribant, spinosam brevemque, ac latam herbam, spinisque latioribus. Hanc impositam, sanguinem mire sistere.

XI. Alii eryngen falso eamdem putaverunt esse [1] & glycyrrhizam, quare subjungi eam protinus refert. Et ipsa sine dubio inter aculeatas est, [2] foliis echinatis, pinguibus, tactuque gummosis, fruticosa, binûm cubitorum altitudine, flore hyacinthi, fructu pilularum platani magnitudinis. Præstantissima in Cilicia, secunda Ponto, radice dulci, & hac tantum in usu. Capitur ea Vergiliarum occasu, [3] longa ceu vitium: coloris buxei melior, quam nigra: quæque lenta, quam quæ fragilis. [4] Usus in subditis decoctæ ad tertias, cetero ad mellis crassitudinem, aliquando & tusæ: quo genere & vulneribus imponitur, & faucium vitiis omnibus. [5] Item voci utilissimo succo: sic ut spissatus est, linguæ subdito: [6] thoraci, jocineri. [7] Hac diximus sitim famemque sedari. Ob id quidam adipson appellavere eam, & hydropicis dedere, ne sitirent. Ideo & commanducata [8] stomatice est, & hulceribus oris [9] inspersa sæpe, & pterygiis. [10] Sanat & vesicæ scabiem, renum dolores, condylomata, hulcera genitalium. Dedere eam quidam potui in quartanis, drachmarum duarum pondere, & pipere, hemina aquæ. Commanducata sanguinem ex vulnere sistit. [11] Sunt & qui calculos ea pelli tradiderunt.

CAP. X.

XII. [1] Tribuli unum genus in hortis nascitur, alterum in fluminibus tantum. [2] Succ-

NOTÆ.

depictum, pag CLIX & a Dodonæo, pag 718.

Sect IX. 1. *Ex his ... centum capita.*] Appellationis causa videtur esse, quod in illius vertice coacta in globum capitella, muricatæ spiculorum vallo, stellæ modo radiantur: quorum color in pubertate virides, adultæ cæruleus, flaccescentis candidus conspicitur. Radix ei pollicaris est, intus alba, foris nigra, sed odorata. quam hodie Gallia sacchare vel melle condit, eryngiatum vocans, inquit Ruellius lib. 3. pag. 491. In Indice Pliniano, *De centumcapite*

2. *Et Phaonem.*] Palæphatus, lib. de incred hist. pag. 66. Οὗτος ὁ Φάων ἐστὶν, ἐφ' ᾧ τὸν ἔρωτα αὐτοῦ ἡ Σαπφὼ πολλάκις ᾆσμα ἐποίησεν. *Hic ille Phaon est, in cujus amorem sæpe Sappho carmen cecinit.* Prius Lesbium eum esse monuerat Sappho Lesbia, seu Mitylenæa, meretrix fuit, de qua Ælianus, lib. 12. Var. hist. cap. 19. Eresiam facit Athenæus, lib 13. pag. 596.

3. *Multæ circa hoc.*] Si otium est vanitates eas plane nosse, libellum consule, qui falso *Kiranidum Kirani* inscribitur, pag 37.

4 *Sed in medico.*] Tradit hæc pariter Dioscorides, lib. 3. cap. 24

5. *Opisthotonicis spasmis.*] Diosc loc. cit.

6. *Comitialibus.*] Idem Diosc. loc. cit.

7. *Sive subsidant.*] Sic vires oppositas, ciendi menstrua, sanguinemque sistendi, Diosc. quibusdam herbis attribuit, ut adianto, lib. 4. cap. 136

Sect X. 1. *Sunt qui & acanon.*] Acanon advectam e Creta describit Anguillara, part. 8. pag. 189. sed sine vulgari nomine.

Sect. XI. 1. *Et glycyrrhizam.*] *De la Reglice.* Pingitur a Dodonæo, pag 339.

2. *Foliis echinatis.*] Hanc ipsam esse glycyrrhizam, quæ a Dioscoride describitur, lib. 3. cap. 37. omnia conferenti liquido constabit. Unde suspicatur Saracenus in notis, ad Diosc. aliique post eum, ut Dalecampius primum, ac deinde Salmasius, in Præf pag. 90. legisse Plinium raptim cursimque aliquod scriptorem Græcum, unde hæc hausit, ἐχῖνον non σχῖνον: cum folia echinata dicit, quæ lentisci similia dixisse oportuit. Sic enim Diosc. Γλυκύρριζα γεννᾶται πλείστη ἐν Καππαδοκίᾳ, καὶ Πόντῳ· ἔστι δὲ θαμνίσκος, ῥάβδους ἔχων διπήχεις, περὶ ἃς τὰ φύλλα πυκνὰ ἐοικότα σχίνῳ, λιπαρὰ, καὶ κολλώδη ἁπτομένῳ, τὸ δὲ ἄνθος ὑακίνθῳ ὅμοιον· καρπὸς δὲ πλατανίου σφαιρίοις μέγεθος, &c.

3. *Longa, ceu vitium.*] Dioscor. loc. cit. ῥίζας μακρὰς, ὑπόξανθον, ὡς πύξινον.

4. *Usus in subditis.*] Pelicerin in notis MSS. & Dalecampin, Plinius videtur *subdita* hic substantive dixisse, pro his quæ linguæ subduntur, & lincta diluuntur, liquescunt, & in fauces arteriasque immittuntur, qualia Græci ecligmata, Latini linctus appellant. Nos longe secus verbum illud accipimus. Subdita interpretamur medicamenta ea quæ molli lana excepta, feminis subjiciuntur, ut Celsus ait lib. 5. cap. 21. hoc est, naturalibus mulierum apponuntur: μοτοὺς Græci & πρόσθετα nuncupant. Nam quod ad fauces attinet, quibus linguæ subdita glycyrrhiza prodest, id mox Plinius quoque prodet, quod hic indicare iterum superfluum sciturus fuerit.

5. *Item voci.*] Dioscor lib. 3. cap. 7. Ποιεῖ δὲ τὸ χύλισμα πρὸς τραχύτητας ἀρτηριῶν· δεῖ δὲ ὑποτιθέντας τῇ γλώττῃ διαχυλίζειν. *Est vero succus spissatus ad arteriæ scabritias efficax: verum oportet ut linguæ subditus eliquescat.*

6. *Item thoraci, &c.*] Diosc. loc. cit. post Theophr. lib. 9. hist. cap. 13.

7. *Hac diximus.*] Libro XI. sect. 119. Marcellus Empir. cap. 17. pag. 126. *Glycyrrhiza furunlum partum sub lingua habeto, & salivam quæ creverit transglutito, quo facto neque sities, neque os tibi marcescet.* Item cap. 20. pag. 148. Columella similiter lib. 1. cap. 35. *Et quia famem sitimque sedat glycyrrhiza, ob hoc ἄδιψος vocata est.* Sic etiam Diosc loc cit.

8. *Stomatice.*] Subintellige, δύναμις, hoc est, compositio, ad vitia oris accommodata. Sic Dioscor. loc. cit. Στομα-τικοῖς διαμασωμένη, commanducatum prodest oris affectibus.

9. *Inspersa sæpe & pterygiis.*] Sunt qui sic interpungendum putent: *hulceribus oris: inspersa sæpe, & pterygiis.* Quod hulceribus oris inspergi vix possit. Et vero Diosc. loc. cit. Ἡ δὲ ῥίζα ξηρὰ, inquit, λειοτριβηθεῖσα, πτερυγίοις καταπασσομένη ἐστὶν ἐπιτήδειος. *Arida autem radix ad lævorem detrita, pterygiis commode inspergitur.*

10. *Sanat & vesicæ scabiem.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simpl. med. pag. 167. Vesicæ scabiem seu scabritiem dixeris nihil interest. Diosc. πρὸς ψωριάσεις κύστεως dixit, Galenus, τραχύτητας ἐν ψωριώδει κύστει.

11. *Sunt & qui.*] Urinam certe efficaciter promovere ait Marcellus Empir. cap. 26. pag. 180.

Sect. XII. 1. *Tribuli unum.*] Sic etiam Diosc. lib. 4. cap. 15. ubi Saracenus consulendus in Notis. De utroque genere egimus libro sup. sect. 58.

2. *Succus ex his.*] Medicinæ hæ omnes, ad ea verba,

cus ex his colligitur ad oculorum medicinas. Est enim refrigerantis naturæ, & ideo utilis contra inflammationes collectionesque. Hulcera per se erumpentia, & præcipue in ore, cum melle sanat: item tonsillas. Potus calculos frangit. Thraces, qui ad Strymona habitant, foliis tribuli equos saginant: ipsi nucleo vivunt, panem facientes prædulcem, & 5 qui contrahat ventrem. Radix caste pureque collecta, discutit strumas. Semen adalligatum, varicum dolores sedat: [3] tritum vero, & in aquam sparsum, pulices necat.

CAP. XI. XIII. [1] Stœbe, quam aliqui phleon vocant, [2] decocta in vino, præcipue auribus purulentis medetur: [3] item oculis ictu cruentatis: hæmorragiæ quoque & dysenteriæ [4] infusa.

CAP. XII. XIV. [1] Hippophyes in sabulosis maritimisque nascitur, spinis albis. [2] Ederæ modo 10 racemosa est, candidis, & ex parte rubentibus acinis. [3] Radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pastillis farinæ. [4] Hæc bilem detrahit obolo ponderis, saluberrime cum mulso. [5] Est altera hippophyes, sine caule, sine flore, foliis tantum minutis. [6] Hujus quoque succus hydropicis mire prodest. [7] Debent accommodatæ esse & equorum naturæ, neque ex alia causa nomen accepisse. Quippe quædam animalium remediis nascuntur, locu-15 pleti divinitate ad generanda præsidia: ut non sit mirari satis ingenium ejus, disponentis auxilia in genera, in causas, in tempora, ut aliis prosit aliud horis, diesque nullus prope sine præsidiis reperiatur.

CAP. XIII. XV. Urtica quid esse invisius potest? At illa præter oleum, quod [1] in Ægypto ex ea fieri diximus, vel plurimis scatet remediis. [2] Semen ejus cicutæ con-20 trarium esse Nicander affirmat: item fungis & argento vivo. [3] Apollodorus & salamandris cum jure decoctæ testudinis. [4] Item adversari hyoscyamo, & serpentibus, & scorpionibus. Quin illa ipsa amaritudo mordax, uvas in ore, [5] procidentesque vulvas, & infantium sedes, tactu resilire cogit: [6] lethargicos expergisci, tactis cruribus, magisque fronte. [7] Eadem canis morsibus addito sale medetur. [8] Sanguinem trita naribus 25 indita sistit, & magis radice. [9] Carcinomata & sordida hulcera, sale admixto: [10] item luxata sanat, & panos, parotidas, carnesque ab ossibus recedentes. [11] Semen potum cum sapa, vulvas strangulantes aperit, & profluvia narium sistit impositum: Vomitiones in aqua mulsa sumptum a cœna faciles præstat, duobus obolis: uno autem in vino poto lassitudines recreat. Vulvæ vitiis tostum, acetabuli mensura: potum in sapa resistit stomachi infla-30 tionibus. [12] Orthopnoïcis prodest cum melle: & thoracem purgat eodem eclegmate. Et lateri medetur cum semine lini. Addunt hyssopum & piperis aliquid. [13] Illinitur lieni. [14] Difficilem ventrem tostum cibo emollit. [15] Hippocrates vulvam purgari poto eo pronunciat. Dolore levari tosto acetabuli mensura, [16] dulci poto, [17] & imposito cum succo

NOTÆ.

Radix caste, &c. totidem verbis exstant apud Diosc loc cit. Habet nonnullas Galenus, l. 8. de fac. simplic. medic. p. 236.

3. *Tritum vero . . . pulices necat.*] Hoc pariter Diosc. tradit loc cit.

Sect XIII. 1. *Stœbe . . . . phleon.*] In MSS. ut jam monuimus, *pheon.* Tamen Tiberius Mulomedicus, lib. 1. cap. 55. Στοιβὴ· οἱ δὲ φλέως. Quæ de stœbe hic referuntur, totidem verbis leges apud Galenum loc. cit. pag. 230 In officinis nomen est, ut plurimis videtur, *Scabiosa.* Iconem vulgaris majoris apud Dodon. vide, pag. 122.

2. *Decocta in vino.*] Iisdem fere verbis hæc Diosc l. 4. c. 12.

3. *Item oculis.*] Diosc loc. cit.

4 *Infusa.*] Clystere videlicet. Diosc ἐγκλύζεται.

Sect. XIV. 1. *Hippophyes.*] Sive, quod idem est, hippophaes Diosc. in Nothis: Ἱππόφαες, οἱ δὲ ἱππόφυες, οἱ δὲ ἱππόφεως, &c Et Oribasius, lib. 11. pag. 199. Ἱππόφαες, *quod alii hippophyes, id est, lappaginem vocant, qua fullones vestes poliunt, in arenosis maritimisque locis nascitur* In Peloponneso, [illegible], hoc est, spina purgatoria, appellatur, inquit Anguillara, part. 8. pag. 144. ubi eam accurate describit, nec dum in Italia sibi visam testatur Iisdem porro notis a Dioscoride, lib 4. cap. 162 quibus & a Plinio nostro delineatur.

2. *Edera modo*] Diosc. loc cit.

3. *Radix succo.*] Diosc. & Oribas. locis cit. Pastillos farinæ intellige, ex farina concinnatos globos: quam quidem ὀρόβινον, ervinam esse Diosc. jubet

4. *Hæc bilem.*] Diosc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 30. pag 212.

5. *Est altera hippophyes.*] Hippophæston intelligit, de qua dicemus lib. 27. sect. 66.

6. *Hujus quoque.*] Succum ejus, seu foliis, seu radice, seu capite expressum, ex aqua mulsa bibitum, aquam pituitamque per alvum detrahere, scribit Dioscorides, lib. 4. cap 163.

7. *Debent accommodatæ.*] Ego vero sic censeo, & ἱππόφαες & ἱππόφαιστον, nomen accepisse, quod valde candidos ac lucidos, seu splendidos pannos efficiunt: sunt enim plantæ fulloniæ. ἵππω in compositis præstantiam, magnitudinemque significat: φάος splendorem.

Sect. XV. 1. *In Ægypto . . . . diximus*] Libro 15. sect. 7.

2. *Semen ejus.*] Nicander in Alexipharm. adversus cicutam, pag 143.

[illegible]

Nicandro concinit Dioscorides, lib. 2. Εὐπορ. c. 142. p. 158.

3 *Apollodorus & salamandris.*] Nicander quoque in Alexiph. pag. 167.

[illegible]

[illegible], &c.

4. *Item adversari.*] Diosc lib. 2. Εὐπορ. cap. 151 pag. 123. Πρὸς ὑοσκύαμον, αἱ δὲ σπέρμα σὺν οἴνῳ, ἢ τὰ φύλλα.

5. *Procidentesque.*] Diosc. lib 4. cap 95 [illegible]

6. *Lethargicos.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 7. *Lethargicis: Urtica fronti & pedibus illinitur.*

7. *Eadem canis.*] Ita plane Diosc. loc cit.

8. *Sanguinem*, &c.] Diosc loc. cit. & Plinius Valer. lib. 1. cap 26 Vide etiam Marcellum Empir. cap. 10. pag. 85.

9. *Carcinomata*, &c] Diosc. loc. cit. Galenus lib. 6. de fac. simp. med. pag. 151. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 20.

10. *Item luxata &c.*] Diosc. loc. cit.

11. *Semen potum.*] Diosc. loc. cit.

12. *Orthopnoicis . . . . . . eclegmate.*] Hæc verbis totidem Diosc. loco cit.

13. *Illinitur lieni.*] Folia cum cerato lienosis imponi scribit Diosc loc. cit.

14. *Difficilem.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 23. & Galenus loc. cit.

15. *Hippocrates.*] Libro primo de morb. mul. tex. 47. pag. 447. [illegible] *Si prægnans intumescat, urticæ semen plurimum, & mel, ac vinum dilutum odorandum poto bis die dabis.*

16. *Dulci poto.*] Cum vino dulci, σὺν γλυκεῖ, seu passo. Hippocr. lib 1. de morb. mul. tex 88. pag. 472. [illegible] . . . Et pag. 474. [illegible] *Si utero fuerint hulcerati . . . dolor acutus corripit lumbos, & inguina, & imum ventrem, & dolor sursum procedit . . . ad costas, & ad scapulas . . . . Urticæ semen trito in vino odorato nigro, & potui dato.*

17. *Et imposito cum succo malvæ.*] Libro de natura mulie-

malvæ. Inteſtinorum animalia pelli cum hydromelite & ſale. [18] Defluvia capitis ſemine illito cohoneſtari. Articulariis morbis & podagricis plurimi cum oleo vetere, aut folia cum urſino adipe trita imponunt. At eadem radix tuſa cum aceto non minus utilis: item lieni. Et cocta in vino diſcutit panos, cum axungia vetere ſalſa. Eadem pſilothrum eſt ſicca.

Condidit laudes ejus Phanias phyſicus, utiliſſimam cibis coctam conditamve profeſſus, 5 arteriæ, [19] tuſſi, ventris deſtillationi, ſtomacho, panis, parotidibus, pernionibus: cum oleo ſudorem, [20] coctam cum conchyliis ciere alvum: cum ptiſana pectus purgare, mulierumque menſes: cum ſale, hulcera quæ ſerpant cohibere. Succo quoque in uſu eſt. Expreſſus illituſque fronti, ſanguinem narium ſiſtit: [21] potus urinam ciet, calculos rumpit: [22] uvam gargarizatus reprimit. Semen colligi meſſibus oportet. Alexandrinum maxime 10 laudatur. Ad omnia hæc & mitiores quidem teneræque efficaces, ſed præcipue [23] ſilveſtris illa, amplius lepras e facie tollit, in vino pota. [a] [24] Si quadrupes fetum non admittat, urtica naturam fricandam monſtrant.

XVI. [1] Ea quoque num, quam lamium inter genera earum [2] appellavimus, mitiſ- *Cap. xiv.* ſima, & foliis non mordentibus, medetur cum mica ſalis contuſis, [3] incuſſiſque, inuſtis, 15 & ſtrumis, tumoribus, podagris, vulneribus. Album habet in medio folio, quod ignibus ſacris medetur. Quidam e noſtris tempore diſcrevere genera. Autumnalis urticæ radicem alligatam in tertianis, ita ut ægri nuncupentur, cum eruitur ea radix, dicaturque cui, & quorum filio eximatur, liberare morbo tradiderunt. Hoc idem & contra quartanas pollere. Iidem urticæ radice addito ſale, infixa corpori extrahi. Foliis cum axungia ſtrumas 20 diſcuti: vel ſi ſuppuraverint, erodi complerique.

XVII. [1] Ex argumento nomen accepit ſcorpio herba. Semen enim habet ad ſimili- *Cap. xv.* tudinem caudæ ſcorpionis, folia pauca. Valet & adverſus animal nominis ſui. [2] Eſt & alia ejuſdem nominis effectuſque ſine foliis, aſparagi caule, in cacumine aculeum habens, & inde nomen. 25

XVIII. [1] Leucacantham alii phyllon, alii [2] iſchiada, alii polygonaton appellant, *Cap. xvi.* radice cyperi, quæ commanducata dentium dolores ſedat. Item laterum, & lumborum, [3] ut Hiceſius tradit, ſemine poto drachmis octo, aut ſucco. [4] Eadem ruptis, convulſis medetur.

XIX. [1] Helxinen aliqui perdicium vocant, quoniam perdices ea præcipue veſcantur. 30 *Caput xvii.* Alii ſideritin, nonnulli parthenium. Folia habet mixtæ ſimitudinis plantagini & marrubio, cauliculos denſos, leviter rubentes, ſemina [2] in capitibus lappaceis adhærentia veſtibus: [3] unde & helxinen dictam volunt. [4] Sed nos qualis vera eſſet helxine, dixi-

Interpretatio.

a *Si quadrupes.*] Si equa marem non admittat ad feturam, urtica fricari oportere genitalia aiunt.

Notæ.

bri, tex. 105. pag. 413. Ἢν γυνὴ μὴ κυίσκηται, καθαρτήριον· κνίδης καρπὸν καὶ μαλάχης χυλὸν, ἐν τῷ χηνὸς στέατι τρίψαντας, προσθεῖναι. *Purgatorium, ſi mulier non concipiat. Semen urticæ & malvæ ſuccum, cum adipe anſerino tritum ſubdat.*

18. *Defluvia … cohoneſtari.*] Ita MSS. Hoc eſt, corrigi Tradit hoc Hippocr. lib. 2. de morbis mulierum, tex. 67. pag. 596. Et Theod. Priſcianus, lib. 1. cap. 4. *ad defectionem capillorum. Agreſtis urticæ ſemine oleo contrita loca contingæ.*

19. *Tuſſi.*] Celſus, lib. 4. cap. 4. de tuſſi.

20. *Coctam cum conchyliis … pectus purgare … menſes.*] Hæc omnia pariter Dioſcor. loc. cit. Sed is evocari menſes cum myrrha, dixit

21. *Potus urinam*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 177.

22. *Uvam.*] Dioſc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 14. pag. 100. *Urtica teritur, ejuſque ſuccus expreſſus & tepefactus, ab eo qui uvam dolet, ſalubriter gargarizatur.* Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 43. *Ad uvam …… ſuccus urticæ gargarizetur.*

23. *Silveſtris illa.*] Quæ cania, & Herculanea dicta eſt, lib. 21. ſect. 55.

24. *Si quadrupes.*] Si coitum neget, τὰ μόρια τῆς ἵππου pariter fricari jubet Anatolius, in Veterin. cap. 14. pag. 56. Simile eſt quod habet Hippocr. in Ἰατρείῳ. Εἰ βάλοι ἀνδρὶ ſ φουσᾶ δυ, αὐτὰ ἃ[illegible] τὸ σῶμα τῆς ἵππου. Ut porro Græci φύσιν pro pudendis dicunt tam virorum, quam feminarum: ſic Latini naturam. Tullius, 2. de Divin. num. 145. *Parere quædam matrona cupiens, dubitans eſſetne prægnans, viſa eſt in quiete obſignatam habere naturam &c.* Theod. Priſcianus, lib. 1. cap. 25. *De veretro, hoc eſt, de natura vitiis.* Utuntur & alii ea voce, quos Du-Cangius appellat in Gloſſario.

Sect. XVI. 1. *Ea quoque num.*] Pro *etiamnum*. Utitur hac particula rurſum lib. 25. ſect. 5.

2. *Appellavimus.*] Libro ſuperiore, ſect. 55.

3. *Incuſſiſque.*] Ut cum quis temere digitum incuſſit parieti.

Sect. XVII. 1. *Ex argumento.*] Sic Dioſc. lib. 4. cap. 195. Σκορπιοειδὲς *herbula*, inquit, *eſt, foliis paucis & ſemine caudæ ſcorpionis effigie. Hæc illita contra ſcorpionum ictus præſentaneo remedio ſunt.* Eſt ſcorpioides buplevri folio, a Lobelio delineatum, pag. 244. Galli vocant *Chenille.*

2. *Eſt & alia.*] Tragos ſive ſcorpion appellatur, de qua dicemus lib. 27. ſect. 116.

Sect. XVIII. 1. *Leucacantham.*] Leucacanthos dicta eſt, lib. 21. ſect. 55. Dioſc. lib. 3. cap. 21. Λευκάκανθα (& in Nothis additur, οἱ δὲ πολύγονον, οἱ δὲ φύλλον, οἱ δὲ ἰσχιάδα καλοῦσι, Ῥωμαῖοι ἀκανθάλβους, Θοῦσκοι σπίνα ἄλβα.) Ταύτης ἡ ῥίζα ὁμοία κυπείρῳ, … ἥτις μασσωμένη ὀδονταλγίας παραμυθεῖται. In Gallia Carlinam vocant: fruſtra id nomen ad chamæleones Ruellio, lib. 3. pag. 482. aliiſque transferentibus, ut recte probat Dodonæus, pag. 415. a quo & Carlina ſive leucacantha depingitur.

2. *Iſchiada.*] Quoniam ἰσχιαδικοῖς medetur, ex Dioſcor. Galenus quoque, lib. 7. de fac. ſimp. med. pag. 201. Λευκάκανθα, οἱ δὲ πολύγονον, οἱ δὲ ἰσχιάδα καλοῦσι.

3. *Ut Hiceſius.*] Et qui Hiceſium tranſcripſit totidem verbis Dioſc. loc. cit.

4. *Eadem ruptis.*] Dioſc. Βοηθεῖ ῥήγμασι σπάσμασι.

Sect. XIX. 1. *Helxinen.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 86. Ἑλξίνη, οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ ἡράκλειον, &c. Et Galenus, lib. 6. de fac. ſimp. med. pag. 173. Ἑλξίνη, ἔνιοι δὲ περδίκιον ὀνομάζουσιν, ἄλλοι δὲ παρθένιον, ἄλλοι δὲ σιδηρῖτιν, εἰσὶ δ' οἳ Ἡράκλειον. Heſych. Ἑλξίνη, ἡ περδίκιος βοτάνη. Et, Σιδηρῖτιν τινὲς τὴν ἑλξίνην καλοῦσιν. Parietaria Officinarum eſt, *Parietaire, ou Paritoire*, a Dodonæo picta, pag. 102.

2. *In capitibus lappaceis.*] Quæ lappæ inſtar adhæreſcunt.

3. *Unde & helxinen.*] Quaſi ab ἕλκω, *traho*: ἕλξις, *attractio*, vel *attractus.*

4. *Sed nos.*] Verius helxinen ævo ſuo appellatam innuit,

mus priori libro. [5] Hæc autem inficit lanas, [6] sanat ignes sacros, tumores, collectionesque omnes, & adusta. [7] Panos succus cum psimmmythio, & incipientia turgescere. [8] Item veterem tussim cyatho hausto; [9] & omnia in humido, [10] sicut tonsillas, & varices, cum rosaceo. [11] Imponitur podagris cum caprino sevo, ceraque Cypria.

XX. [1] Perdicium, sive Parthenium (nam sideritis alia est) a nostris [2] herba urceolaris vocatur, ab aliis astericum, folio similis ocimo, nigrior tantum, nascens in tegulis parietinisque. [3] Medetur cum mica salis trita iisdem omnibus, quibus lamium, & eodem modo: item vomicæ, calfacto succo potu. Sed contra hulcera, rupta, lapsusque & præcipitia, aut [4] vehiculorum eversiones, singularis. [5] Verna carus Pericli Atheniensium Principi, cum is in arce templum ædificaret, repsissetque super altitudinem fastigii, & inde cecidisset, hac herba dicitur sanatus, monstrata Pericli somnio a Minerva. Quare [6] Parthenium vocari cœpta est, assignaturque ei Deæ. Hic est vernula, cujus effigies ex ære fusa est, & nobilis ille [7] Splanchnoptes.

Cap. XVIII. XXI. [1] Chamæleonem aliqui ixiam vocant. Duo genera ejus. Candidior asperiora folia habet: serpit in terra echini modo spinas erigens, [2] radice dulci, odore gravissimo. Quibusdam in locis viscum gignit album sub alis foliorum, maxime circa Canis ortum, [3] quo modo thura nasci dicuntur: [4] unde & ixia appellatur. [5] Hoc, ut mastiche, utuntur mulieres. [6] Quare & chamæleon vocetur, varietate foliorum evenit. [7] Mutat enim cum terra colores, hic niger, illic viridis, alibi cyaneus, alibi croceus, atque aliis coloribus.

[8] Ex his candidus hydropicos sanat succo radicis decoctæ. Bibitur drachma in passo. [9] Pellit & interaneorum animalia acetabuli mensura succi ejusdem, in vino austero, cum [10] origani scopis. [11] Facit ad difficultatem urinæ. [12] Hic succus occidit & canes suesque in polenta. [13] Addita aqua & oleo contrahit in se mures ac necat, nisi protinus aquam sorbeant. Radicem ejus aliqui concisam servari jubent funiculis pendentem, decoquunt-

Notæ.

quæ ἰξία Theophrasto dicitur, qua de actum est a nobis libro superiore, sect. 56.

5. *Hæc autem inficit.*] A nemine alio, quod quidem sciam, id proditum.

6. *Sanat ignes, &c.*] Hæc pariter Dioscor. lib 4 cap. 86. Καταπλασσόμενα ἰᾶται ἐρυσιπέλατα, φυγέθλα, ἀπόστημα, κατακαύματα, &c.

7. *Panos succus.*] Diosc. loc. cit.

8 *Item veterem.*] Diosc. loc. cit.

9. *Et omnia in humido.*] Hoc est, omnia vitia, hulceraque, & rimas, quæ sunt in humidis: qua loquendi forma usus est libro sup. sect 76. extrema. Et lib. 23. sect. 4 *Sanat ea quæ in humido sunt hulcera, ut oris, tonsillarum, genitalium.* Libro 27. sect. 78. *Hulcera quæ sunt in teneris partibus corporis* *Humida hulcera*, lib 32. sect. 27.

10. *Sicut tonsillas.*] Ad tonsillas oblini & gargarizari succum jubet Diosc. loc. cit.

11. *Imponitur & podagris.*] Diosc. loc. cit. Καὶ ποδάγραις σὺν κηρωτῇ Κυπρίᾳ ἀναληφθεῖσα, ἢ τραγείῳ στέατι. Apuleius quoque, cap. 81.

Sect. XX. 1. *Perdicium.*] Ex tribus nominibus, inquit, quæ helxinæ superius explicatæ nonnulli tribuerunt, herba altera, urceolaris appellata, duo sibi verius vindicat, Perdicium, Partheniumque: tertium, nempe sideritin, altera rursum, de qua dicemus lib. 25.

2. *Herba urceolaris.*] Forte quod apta sit detergendis urceis. Cave tamen eamdem hanc esse cum superiore helxine idcirco existimes, cujus vim pariter abstersivam in vitreis vasis Galenus commendat, lib 6. de fac. simp. med. pag. 173. Dissimilis enim utriusque facies vel ex ipsa foliorum figura, quam Plinius accurate describit, intelligitur Quæ sit urceolaris tamen ista, statuere haud proclive est.

3. *Medetur ... quibus lamium.*] Medetur itaque tumoribus, podagris, aliisque. De podagris certe scribit Scribonius Largus. Compos. pag. 158. *Ad podagram caldam cum fervore & tumore rubicundo · Benefacit primis diebus herba urceolaris: item caseus mollis recens per se: postea herba salis pusillum admiscere oportet.*

4. *Vehiculorum eversiones.*] Iconem aurigantis vide in Nummis Consularibus: e curru excussi, in Notis Jo Rhodii ad Scribonium Largum, pag 169

5. *Verna carus.*] Plutarchus hoc ipsum refert in vita Periclis, pag 160. a Minerva remedia indicata dicit, quibus est puer sanatus: Parthenium monstratum non dicit. Sed idem in Sylla monet curatum deinde, ut juxta arcem herba ea cresceret, ad memoriam rei sempiternam. Περὶ τὴν ἀκρόπολιν φυόμενον παρθένιον vocat, pag. 460.

6. *Parthenium*] Est enim Παρθένος, & Palladis, & virginis nomen: ut Παρθενὼν & Palladis templum est, & locus ubi virgines habitant.

7. *Splanchnoptes.*] Ab extis assatis, ἀπὸ τῶν σπλάγχνων ὀπτῶν, id ei nomen: quod & argumentum operis declarat: Fuit enim statua, exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens, ut dicetur lib. 34. sect. 19. num. 21.

Sect. XXI. 1. *Chamæleonem.*] Diosc in Nothis, pag. 452. de chamæleone albo, οἱ δὲ χαμαιλεόντιον, οἱ δὲ ἰξίαν. Ac paulo post, de nigro: οἱ δὲ πυγχρωτος, οἱ δὲ ἐλαφειον, οἱ δὲ ἰξίαν, οἱ δὲ κυνόζολον. Dioscoridem sequitur Oribasius, lib. 12. fol. 223. *Chamæleo albus, quod ixiam, tractu a visco nomine vocant aliqui, propterea quod alicubi viscum ad ejus radices invenitur, & quo, loco mastiches mulieres utuntur, folia habet silybo carduove similia: nigri tamen chamæleonis foliis asperiora, acutioraque .... Chamæleo vero niger, quem aliqui ulophonon, aliqui ixiam, aliqui cynomachon .... vocaverunt: habet ipse quoque folia carduo similia: minora tamen & tenuiora*, &c. Hesychius: Ἰξίας, πόα τις, ἢ ὁ χαμαιλέων. Nusquam in Italia, Gallia, Germaniave chamæleon provenit, quare in certi nominis Gallici possessionem nondum venit. In Creta visum a se album prodidit Bellonius αὐτόπτης & ἀξιόπιστος, lib. 1. Observat. In Lemno, nigrum. Utriusque iconem apud Dodonæum vide, pag. 717.

2. *Radice dulci &c.*] Sic Theophr. lib. 9. hist. cap. 13. Τοῦ μὲν γὰρ λευκοῦ λευκή, καὶ γλυκεῖα, καὶ παχεῖα, καὶ ὀσμὴν ἔχουσα βαρεῖαν. Et Nicander in Theriac. pag. 47.

Ῥίζα δ' ὑπαργήεσσα, μελίζωρος δὲ πάσασθαι.

Albaque mellito radix condita sapore est.

3. *Quo modo thura.*] Vide lib. 12. sect. 33.

4. *Unde & ixia.*] Ἰξία visci appellatio est: plantæ, unde id manat, ἰξίας. Folii, ἰξίνη. Galenus, tom. 2. in Explic. vocum Hippocratis, pag. 92. Ἰξίνη, φύλλον τοῦ λευκοῦ χαμαιλέοντος.

5. *Hoc, ut mastiche.*] Visco eo scilicet. Ἰξὸς, ᾧ καὶ ἀντὶ μαστίχης χρῶνται αἱ γυναῖκες, inquit Diosc. lib. 3. cap. 10.

6. *Quare & chamæleon.*] Hæc iisdem verbis Dioscorides, lib. 3. cap. 11. de chamæleone universim.

7. *Mutat enim.*] Diosc. loc cit. Ὠνόμασται δὲ χαμαιλέων, διὰ τὸ ποικίλον τῶν φύλλων, &c.

8. *Ex his candidus.*] Dioscor. lib. 3. cap. 10. & Galenus, lib. 8 de fac. simp med. pag. 241.

9. *Pellit & interaneorum.*] Hoc est, lumbricos, ἕλμινθας πλατείας, inquit Dioscor. loc. cit. & Theophr. lib. 9. hist. cap 13. Galenus quoque, loc. cit.

10. *Origani scopis.*] Scopas medici vulgo manipulos vocant: fasciculos videlicet manuales herbarum, hoc est, qui teneri manu possunt.

11. *Facit ad.*] Diosc. loc. cit. Καὶ πρὸς δυσουρίαν τὸ ἀφέψημα αὐτοῦ πίνεται.

12. *Hic succus.*] Diosc. loc. cit. secutus Theophr. lib. 9. hist. cap. 13.

13. *Addita aqua &c.*] Diosc. loc. cit. Ἀποκτείνει καὶ κύνας, καὶ ὗς, καὶ μύας, σὺν ἀλφίτῳ πεφυραμένη, καὶ ὕδατι καὶ ἐλαίῳ διαδεθεῖσα.

que

que in cibo contra fluxiones, quas Græci [14] rheumatiſmos vocant.

Ex nigris aliqui marem dixere, cui flos purpureus eſſet: & feminam, cui violaceus. [15] Uno naſcuntur caule cubitali, craſſitudine digitali. [16] Radicibus earum lichenes curantur, cum ſulphure & bitumine una coctis: [17] commanducatis vero dentes mobiles, aut in aceto decoctis. Succo ſcabiem etiam quadrupedum ſanant. Et ricinos canum necant: [18] juvencos quoque anginæ modo. Quare a quibuſdam ulophonon vocatur, [19] & cynozolon, propter gravitatem odoris. Ferunt & hæc viſcum hulceribus utiliſſimum. Omnium autem generum eorum radices ſcorpionibus adverſantur. 5

XXII. [1] Coronopus oblonga herba eſt cum fiſſuris. Seritur interim, quoniam radix cœliacis præclare facit in cinere toſta. CAP. XIX. 10

XXIII. [1] Et anchuſæ radix in uſu eſt, digitali craſſitudine. [2] Finditur papyri modo: [3] manuſque inficit ſanguineo colore: præparat lanas pretioſis coloribus. Sanat hulcera in cerato, [4] præcipue ſenum: [5] item aduſta. Liquari non poteſt in aqua: oleo diſſolvitur: idque ſinceræ experimentum eſt. [6] Datur & ad renum dolores drachma ejus potui in vino: aut ſi febris ſit, [7] in decocto balani. Item in jocinerum vitiis, [8] & lienis, & bile ſuffuſis. [9] Lepris & lentigini illinitur ex aceto. Folia trita cum melle & farina, luxatis imponuntur: [10] pota drachmis duabus in mulſo alvum ſiſtunt. Pulices necare radix in aqua decocta traditur. CAP. XX. 15

XXIV. Eſt & alia ſimilis, pſeudanchuſa ob id appellata, [1] a quibuſdam vero echis, aut doris, & multis aliis nominibus: lanuginoſior, & minus pinguis, tenuioribus foliis & languidioribus. [2] Radix in oleo non fundit rubentem ſuccum: & hoc ab anchuſa diſcernitur. [3] Contra ſerpentes efficaciſſima potu foliorum, vel ſeminis. [4] Folia ictibus imponuntur. [5] Virus ſerpentium fugat. [6] Bibitur & propter ſpinam. Folium ejus ſiniſtra decerpi jubent Magi, & cujus cauſa ſumatur dici, tertianiſque febribus adalligari. 20

XXV. [1] Eſt & alia herba proprio nomine onochiles, quam aliqui anchuſam vocant, alii arcebion, alii onochelim, aliqui rhexiam, [2] multi enchuſam, [3] parvo frutice, flore purpureo, aſperis foliis & ramis, [4] radice meſſibus ſanguinea, cetero nigra, in ſabuloſis naſcens, [5] efficax contra ſerpentes, maximeque viperas, & radice & foliis, æque cibo ac potu. Vires habet meſſibus. Folia trita odorem cucumeris reddunt. Datur in cyathis tribus vulva procidente. [6] Pellit & tineas cum hyſſopo. Et in dolore renum aut jocineris ex aqua mulſa, ſi febris ſit: ſin aliter, ex vino bibitur. [7] Lentigini ac lepris radix 25 CAP. XXI. 30

NOTÆ.

14. *Rheumatiſmos.*] Ῥευματισμοὺς. Vox hæc fluxionem ſonat, perinde atque iſta, κατάῤῥους. De hujus morbi generibus, cauſiſque, ac remediis, vide Theod. Priſcianum, lib. 2. parte 2. cap. 7.

15. *Uno naſcuntur caule.*] Hoc eſt, ſimili ac pari. Tamen in MSS. *Et una naſcuntur*, hoc eſt, ſimul.

16 *Radicibus earum.*] Dioſc. lib. 3. cap. 21.

17. *Commanducatis &c.*] Dioſc. loc cit.

18. *Juvencos quoque.*] Ita MSS. Juvencorum fauces, inquit, anginæ modo, angit ac ſtrangulat. Quamobrem ὀλόφωνον appellatur, quaſi ὄλον vel ὄλας φόνους φέρον, pernicioſam, vel omnem mortem afferens. Ita Nicander in Alexiph. pag. 148. ubi Scholiaſtes, pag. 62. Οὐλοφόνον δὲ, τὸ ὅλα βλάπτον, ἢ ὅλον φόνον τεύχον. Tamen Pliniani codices MSS. tum hoc loco, tum in Indice, ulophyton, οὐλόφυτον, quæ vox exitioſam herbam indicat, eodem fere ſignificatu.

19. *Et cynozolon.*] A fœtore canis, κυνὸς ὄζειν.

Sect. XXII. 1. *Coronopus.*] Dioſc. lib. 2. cap. 158. totidem verbis: Κορωνόπους, ποάριον ἐστὶ … κατεσχισμένον … ῥίζαν λεπτὴν ἔχει, ὑπόλευκον, ἐσθιομένην πρὸς κοιλιακοὺς ποιοῦσαν Galenus, lib. 7. de fac. ſimp. med. pag 195. Κορωνόποδος ἡ ῥίζα ὀπτηθεῖσα κοιλιακοὺς ὠφελεῖν πεπίστευται. Fruſtra ſunt qui *colicis* ex Æginetæ ſolius exemplari vitiato, pro *cœliacis* hic reponunt.

Sect. XXIII. 1. *Et anchuſa.*] Anchuſam hodie Gallia *Orcanettam* vocat, mulieribus non ignotam, quæ colorem faciei nativum fuco mentiuntur: quæque vernaculum genarum pallorem, maculaſque vultus hoc infectu occulunt: certe malas eleganti commendat purpuriſſo. Et ſui ævi hunc morem fuiſſe Suidas innuit: Ἄγχουσα, inquit, εἶδος βοτάνης, ἧς ἡ ῥίζα ἐρυθρά, ᾗ ἐρυθραίνουσι τὰ πρόσωπα αἱ γυναῖκες.

2. *Finditur.*] Inſtar papyri Ægyptiacæ.

3. *Manuſque.*] Æſtate ſcilicet Dioſc. lib. 4. cap. 23. Ἡ δὲ ῥίζα δακτύλου τὸ πάχος, τὴν χρόαν ὕφαιμος, ἐν τῷ θέρει χρώζουσα, καὶ βάπτουσα τὰς χεῖρας.

4. *Præcipue ſenum*] Vetera hulcera, τὰ παλαιὰ ἕλκη, dixit Dioſc. loc cit. Hulcera ſenilia Plinius, lib. 31. ſect. 41. Dioſc. lib. 1. εὐπορ. cap. 182. ἕλκη πρεσβυτικά.

5. *Item aduſta.*] Sive ambuſta, πρὸς κατακαύματα. Dioſc. loco citato.

6. *Datur & ad renum.*] Dioſc. loc. cit.

7. *In decocto balani*] Hoc eſt, ex aqua in qua decocta myrobalanus fuerit. De myrobalano diximus libro 12. ſect. 46. Dioſc. loc cit. ex aqua mulſa præberi tum jubet.

8. *Et lienis &c.*] Dioſcor loc. cit. & Aetius, lib. 1. de re med. pag 6.

9. *Lepris & lentigini.*] Et vitiligini Dioſcorides dixit, καὶ ἀλφοὺς καὶ λέπρας σὺν ὄξει καταχριομένη.

10. *Et pota drachmis, &c.*] Dioſcorides & Aetius, locis citatis.

Sect. XXIV. 1. *A quibuſdam vero echis.*] Ita MSS tum hoc loco, tum in Indice: non, ut editi, *enchuſa.* Echion eſt Dioſcoridi, lib. 4. cap. 27. Ἔχιον, οἱ δὲ ἀλκιβιάδιον, (ſcribe, ex Ægineta, οἱ δὲ δωρίδα vel δορίδα) οἱ δὲ ἀλκιβίου, &c. Iiſdem notis a ſcriptore Græco deſcribitur, quas Plinius affert. Echios altera Plinii eſt, de qua lib. 25. ſectione 58.

2. *Radix.*] Hanc eſſe ſubnigram Dioſc. ait. Vide Notas & Emend. num. IV.

3. *Contra ſerpentes.*] Dioſc. loc. cit.

4. *Folia ictibus.*] Dioſc. loc. cit.

5. *Virus ſerpentium.*] Vide Notas & Emend. num. V.

6. *Bibitur & propter ſpinam.*] Ad ſpinæ dolores, & lumborum: Dioſc. loc. cit. Ποιεῖ δὲ καὶ ὀσφύος ἀλγήμασι, μετ' οἴνου λεῖον.

Sect. XXV. 1. *Eſt & alia.*] Dioſc. lib. 4. cap. 24. Ἄγχουσα ἑτέρα, ἣν ἔνιοι ἀλκιβιάδιον, ἢ ὀνοχειλὲς καλοῦσιν. In Nothis additur, οἱ μὲν καλὰγχουσαν, οἱ δὲ ἀρχεβίαδιον. Galeno, lib. 6. de fac. ſimp. med. pag. 149. ἡ ὀνόχειλος. Et hanc Galli *Orcanettam* vocant. Pingitur a Lobelio, in Adverſ. pag. 248 Vidimus in horto Regio.

2. *Multi enchuſam.*] In Indice, *enchryſam.*

3. *Parvo frutice &c.*] Iiſdem plane verbis, notiſque, a Dioſcoride deſcribitur, lib. 4. cap 24.

4. *Radice meſſibus.*] Hoc eſt, meſſis tempore, περὶ τὸν ἀμητόν, inquit Dioſc. loc. cit.

5. *Efficax contra ſerp.*] Dioſcor. loco cit cum Nicandro in Theriac. pag. 60. cujus Scholiaſten vide, pag. 38. Sic cum Dioſcoride, totidem verbis Galenus, loc. cit.

6. *Pellit & tineas, &c.*] Hoc vero Dioſc. libro 4. cap. 25. de anchuſa altera prodidit, quam Plinius mox deſcribet. Galenus quoque, loc. cit. pag 150.

7. *Lentigini ac lepris.*] Galenus, loc. cit. vitiligini, lepriſ,

illinitur. [8] Habentes eam, a serpentibus feriri negantur. [9] Est & alia huic similis flore rubro, minor, & ipsa ad eosdem usus. [10] Traduntque commanducata ea, si inspuatur, mori serpentem.

XXVI. [1] Anthemis magnis laudibus celebratur ab Asclepiade. Aliqui leucanthemida vocant, alii leucanthemum, alii eranthemon, quoniam vêre floreat: alii chamæmelon, quoniam odorem mali habeat. [2] Nonnulli melanthemon vocant. [3] Genera ejus tria flore tantum distant, palmum non excedentia, parvisque floribus, ut rutæ, candidis, aut melinis, aut purpureis. In macro solo, aut juxta semitas [4] colligitur vêre, [5] & in coronamenta reponitur. Eodem tempore & medici folia tusa in pastillos digerunt: item florem & radicem. Dantur omnia mixta drachmæ unius pondere, contra serpentium omnium ictus. Pellit mortuos partus: [6] item menstrua in potu, & urinam, calculosque. [7] Inflationes, jocinerum vitia, bilem suffusam, ægilopia commanducata, hulcerum eruptiones manantes sanat. [8] Ex omnibus his generibus ad calculos efficacissima est, quæ florem purpureum habet: cujus & foliorum & fruticis amplitudo majuscula est. [9] Hanc proprie quidam eranthemon vocant.

XXVII. Loton qui arborem putant tantum esse, vel [1] Homero auctore coargui possunt. Is enim inter herbas subnascentes Deorum voluptati loton primam nominavit. [2] Folia ejus cum melle, oculorum cicatrices, argema, nubeculas discutiunt.

XXVIII. [1] Est & lotometra, quæ fit ex loto sata, ex cujus semine [2] simili milio, fiunt panes in Ægypto a pastoribus, maxime aqua vel lacte subacto. Negatur quidquam illo pane salubrius esse, aut levius, dum caleat: refrigeratus difficilius concoquitur, fitque ponderosus. Constat eos qui illo vivant, nec dysenteria, nec tenesmo, neque aliis morbis ventris infestari. Itaque inter remedia eorum habetur.

XXIX. Heliotropii miraculum [1] sæpius diximus, cum Sole se circumagentis, etiam nubilo die: tantus sideris amor est: noctu velut desiderio contrahi [2] cæruleum florem. Genera ejus duo: tricoccum, & helioscopium.

[3] Hoc altius (quanquam utrumque semipedalem altitudinem non excedit) ab ima radice ramosum. Semen in folliculo messibus colligitur. Nascitur nonnisi in pingui solo, cultoque maxime: tricoccum ubique. Si decoquatur, invenio cibis placere: & in lacte jucundius alvum molliri: [4] & si decocti succus bibatur, efficacissime exinaniri. Majoris

NOTÆ.

que, dixit: ἀλφοὺς καὶ λέπρας ἰᾶται.

8. *Habentes eam.*] Diosc. loc. cit.

9. *Est & alia.*] De qua Diosc. lib. 4. cap. 25. Nomine hanc carere Galenus ait, loc. cit.

10. *Traduntque*] Diosc. loc cit.

Sect. XXVI. 1. *Anthemis.*] Tot nominibus, quot hic repræsentantur, ab Oribasio appellatur, libro XI. fol. 190. post Diosc. lib 3. cap. 154. Ἀνθεμὶς, οἱ δὲ λευκάνθεμον, οἱ δὲ ἐράνθεμον, διὰ τὸ ἀνθεῖν ἐν ἔαρι, οἱ δὲ χαμαίμηλον, διὰ τὴν πρὸς τὰ μῆλα ὁμοιότητα τῆς ὀσμῆς, οἱ δὲ μελάνθεμον, οἱ δὲ χρυσοκάλλιον, οἱ δὲ καλλίαν καλοῦσι. Galenus, tomo 2. in Explic. vocum Hippocr. pag. 90. Εὐάνθεμον, ὅπερ καὶ ἀνθεμὶς λέγεται, καὶ χαμαίμηλον. Omnibus officinis, interpolato postremo hoc Græco nomine, & vulgo quoque *Camomilla* dicitur, notior quam ut debeat aliis depingi notis.

2. *Nonnulli melanthemon.*] Vel, ut MSS *melanthion.*

3. *Genera ejus.*] Totidem verbis hæc Diosc. & Oribasius, locis citatis.

4. *Colligitur vere.*] Dioscor. loc. cit. Apuleius, cap. 23. *Lege eam mense Aprili.*

5. *Et in coronamenta.*] Non ad luxum modo, sed etiam ad usum medicinæ: ad depellendum scilicet capitis dolorem, uti ex Archigene & Galeno discimus, lib. 2. κατὰ τόπους, cap. 2. pag. 381.

6. *Item menstrua &c.*] Diosc. loc. cit.

7. *Inflationes &c.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis.

8. *Ex omnibus his &c.*] Diosc. similiter, loc. cit.

9. *Hanc proprie.*] Diosc loc. cit.

Sect. XXVII. 1. *Homero auctore.*] Eo versu, quem recitavimus, libro sup. sect. 17.

2. *Folia ejus.*] Loti nimirum herbæ, quam Dioscorides, lib. 4. cap. 111. sativam appellat: herbam Plinius, lib. 13. sect. 32 ubi eadem de viribus illius affert.

Sect. XXVIII. 1. *Est & lotometra.*] Sic Dioscor. Λωτόμετρα, ἐκ τοῦ λωτοῦ σπαρέντος γίνεται. Non e loto quidem proxime explicata, quæ ubique nascitur, sed ex congenere, hoc est, Ægyptia, quæ αὐτομάτως sponte nascitur & agrestis est, culturaque melior efficitur, grandiorque, unde ei lotometræ nomen. Sic ortygometram, coturnicem majorem, echinometras majores echinos vocant.

2. *Simili milio.*] Sic lib. 13. sect. 32. *Intus grana, ceu milium.* Dioscor. lib. 4. cap. 114. Ἔχει δὲ ἡ κωδία μήκωνος μεγέθει· ἐν ᾗ καρπὸς ὡς κέγχρος, ὃν ξηραίνοντες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ βουκόλοι εἰς ἀρτοποιΐαν. Sic etiam Galenus lib. 7. de fac. simp. med. pag. 205. In MSS. Reg. Colb. Chiffl. legitur *semine simillimo porro*, quod eodem recidit.

Sect. XXIX. 1. *Sæpius diximus*] Ut libro 18. sect. 67. &c.

2. *Cæruleum florem.*] Movit hæc cærulei floris nota, inter herbarios, aliosque, lites ingentes, ut quæ planta demum heliotropii nomine censenda esset, pro se quisque statueret. Cichorii florem existimavit esse Dalecampius: risit hoc commentum Salmasius, in Confut. Cercoetii, pag. 141. Hallucinatum esse Plinium vir summus putavit, in Mastigoph. 3. pag. 81. qui cæruleum heliotropio florem affinxerit: Apud Diosc. lib. 4. cap. 193. non ὑποπόρφυρον, sed ὑπόκιρρον, legi oportere: atque id recentiorum calculo firmat, quibus adjungi Oribasius potuit, lib. XI. pag. 198. Nam is *subfulvum* reddidit: nisi id interpretis, aut codicum Græcorum, quod verius reor, vitium fuit. Nam purpureum, cui affinis color cæruleus est, heliotropio florem Apuleius tribuit, cap. 49. *Cum flore*, inquit, *in summitate tenui, & velut purpureo, atque uncato, in similitudinem scorpionum* ... *Ejus herba divina ad Solis cursum flosculis se vertunt: & quum sol occidit, flores se claudunt*, &c. Similem violæ facit Ovidius, lib. 4. Metam. vers. 268. ubi de Clytie in heliotropium florem mutata:

Membra ferunt hæsisse solo, partemque coloris
Luridus exsangues pallor convertit in herbas.
Est in parte rubor, violæque simillimus ora
Flos tegit: illa suum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad Solem, mutataque servat amorem.

Nos interim ad Ruellii sententiam accedimus, lib. 3. pag. 664 heliotropium censentis esse herbam eam, quæ novo ab herbariis indito nomine Herba cancri vocitatur, quod flores in caudæ cancri similitudinem inflectuntur. Ruellio adstipulatur Anguillara, part. 14 pag. 302. Pingitur a Matthiolo accurate, pag. 1300. A Clusio, lib 4. hist. rar. plant pag XLVI Addimus ad huic flori contingere, quod in chamæleone Plinius adnotavit, sect. 21. ut cum terra mutet colores: alibi candidus, alibi luteus, purpurascens etiam alibi, atque cæruleus, ut Plinius, aliique testantur.

3. *Hoc altius*] Helioscopium videlicet, seu heliotropium majus, cujus iconem apud Clusium vide, lib. 4. hist. rarior. plant pag. XLVI.

4. *Et si decocti succus.*] Eo pituitam per alvum, bilemque detrahi, pariter docet Diosc. lib 4. cap. 193.

ſuccus excipitur æſtate, hora ſexta: miſcetur cum vino, ſic firmior. Capitis dolores ſedat, roſaceo admixto. [5] Verrucas cum ſale tollit ſuccus e folio: unde noſtri verrucariam herbam appellavere, aliis cognominari effectibus digniorem. [6] Namque & ſerpentibus, & ſcorpionibus reſiſtit, ex vino aut aqua mulſa, ut Apollophanes & Apollodorus tradunt. [7] Folia infantium deſtillationibus, quod ſiriaſin vocant, illita medentur. Item contractionibus, etiam ſi id comitialiter accidat. Decocto quoque foveri os ſaluberrimum. eſt [8] Potum id pellit tineas, & renum arenas. Si cuminum adjiciatur, calculos frangit. Decoqui cum radice oportet, quæ cum foliis & hircino ſevo podagris illinitur.

Alterum genus, quod tricoccum appellavimus, & alio nomine [9] ſcorpiuron vocatur, foliis non ſolum minoribus, ſed etiam in terram vergentibus. Semen ei eſt effigie ſcorpionis caudæ: quare ei nomen. [10] Vis ad omnia venenata & phalangia: ſed contra ſcorpiones præcipue illita. Non feriuntur habentes. Et ſi terram ſurculo heliotropii circumſcribat aliquis, negant ſcorpionem egredi. Impoſita vero herba, aut uda omnino reſperſum, protinus mori. [11] Seminis grana quatuor pota, quartanis prodeſſe dicuntur, tria vero tertianis: vel ſi herba ipſa ter circumlata ſubjiciatur capiti. Semen & Venerem ſtimulat. Cum melle panos diſcutit. [12] Et verrucas hoc utique heliotropium radicitus extrahit, & excreſcentia in ſedibus. [13] Spinæ quoque ac lumborum ſanguinem corruptum trahit illitum ſemen, & potum, in jure gallinacei decoctum, aut cum beta & lente. Cortex vero liventibus colorem reddit. Magi heliotropium quartanis quater, in tertianis ter alligari jubent ab ipſo ægro, precarique eum, ſoluturum ſe nodos liberatum, & ita facere non exempta herba.

XXX. [1] Aliud adianto miraculum: æſtate viret, bruma non marceſcit: aquas reſpuit, perfuſum merſumve ſicco ſimile eſt: tanta diſſociatio deprehenditur: [2] unde & nomen a Græcis: alioqui [3] frutici topiario. [4] Quidam callitrichon vocant, alii polytrichon, utrumque ab effectu. [5] Tingit enim capillum: & ad hoc decoquitur in vino cum ſemine apii, adjecto oleo copioſe, ut criſpum denſumque faciat: [6] defluere autem prohibet. [7] Duo ejus genera: candidius, & nigrum breviuſque. Id quod majus eſt, polytrichon: [8] aliqui, trichomanes vocant. Utrique ramuli nigro colore nitent, foliis filicis: ex quibus inferiora aſpera ac fuſca ſunt: omnia autem contrariis pediculis denſa inter ſe ex adverſo: [9] radix nulla. [10] Umbroſas petras, parietumque aſpergines, ac fontium maxime ſpecus ſequitur, & ſaxa manantia: quod miremur, cum aquas non ſentiat. [11] Calculos e corpore mire pellit, frangitque, utique nigrum. Qua de cauſa potius, quam quod in ſaxis naſceretur, a noſtris [12] ſaxifragum appellatum crediderim. Bibitur e vino, quantum terni

NOTÆ.

5. *Verrucas cum ſale &c.*] Ad verbum iſta Marcellus Empir. cap. 19. pag. 132. & Dioſc. loc. cit.

6. *Namque & ſerpentibus.*] Apuleius, cap 49. tit. 3. *Ad ſerpentium morſus, & ſcorpionum ictum: Herba ſolago major,* &c. Hinc eſt, quod *σκορπιουρίδιον*, ab effectu videlicet, appellatum idem Apuleius ait. Ut ille ſolaginem, ſic *herbam ſolarem* Celſus vocat, lib. 5. cap. 27. tit. *Adverſus ictum ſcorpionis: Bibere oportet herba ſolaris, quam ἡλιοτρόπιον Græci vocant, ſemen, vel certe folia ex vino.*

7. *Folia infantium &c.*] Dioſc. loc. cit.

8. *Potum id pellit tineas*] Hoc eſt, latos ventris tereteſque lumbricos Minori heliotropio hanc vim adſcribunt, Dioſc. lib 4. cap 194. & Apuleius, cap. 63. tit. 1.

9. *Scorpiuron.*] Σκορπίουρον, a floris vel ſeminis inflexione.

10. *Vis ad omnia.*] Nicander in Theriac. pag. 48.

11. *Seminis grana.*] Hæc Dioſc. lib. 4. cap. 193. de majore heliotropio.

12. *Et verrucas.*] De minore pariter id Dioſcor. lib. 4. cap. 194

13. *Spinæ quoque.*] Sanguinem impurum, qui hæret in renibus.

Sect. XXX. 1. *Aliud adianto.*] Aliud Plinio, aliud Dioſcoridi ἀδίαντον eſt, Dioſcoridis quidem id eſt quod Capillum Veneris vocant officinæ, *Capillare,* Plinianum, non aliud quam Dioſcorides trichomanes eſt, pictum a Lobelio in Obſerv. pag 471.

2. *Unde & nomen.*] Ἀδίαντον, quod οὐ διαίνεται: quod in aqua non madeſcat, ſive, ut ait Nicander, quod imbres ac pluviarum ſtillicidia foliis ejus non inſideant: in Theriac. pag. 60.

> Ἀγρεῖς τ' ἀδίαντον, ὃ οὐ ὄμβροιο ῥαγέντος
> Ἀπαλέῃ πέτηλα νοτὶς πιμπλᾶσιν ὀφίζει.
> *Et numquam madidum Veneris compone capillum,*
> *Cui non inſideant effuſi nubibus imbres.*

Tradit autem hæc etiam Theophr. lib. 7. hiſt. cap. 13.

3. *Frutici topiario.*] Subintellige ex antecedentibus, ſimile eſt.

4. *Quidam callitrichon.*] Apuleius, cap. 47. *Græci callitrichon, iidem adianton, iidem polytrichon, iidem trichomanes, . . . Latini capillum Veneris, iidem herbam capillarem, &c* Sic etiam Marcellus Empir. cap. 6. pag. 45. & Galenus, lib. 2. κατὰ τόπους, cap. 2 pag. 381.

5. *Tingit enim.*] Apuleius cap. 47 tit. 2. *Ad capillos tingendos: Herba callitricho in oleo trita capilli uncti inficiuntur.*

6. *Defluere.*] Galenus lib. 6. de fac. ſimp. med. cap. 7. pag. 150. etiam ex alopecia glabrum caput capillis conveſtire ait, ἀλωπεκίας δασύνει. Theophr. lib. 7. hiſt. cap. 13. Χρήσιμα δ' ἀμφότερα πρὸς ἀφόρησιν ἀσφαλῶς τριχῶν ἐν ἐλαίῳ τεθρυμμένα. Dioſc quoque lib 4. cap. 136. & Marcellus Empir. cap. 6. pag. 45.

7. *Duo ejus genera.*] Hæc ſunt apud Theophr. lib 7. hiſt. cap. 13. Majus a Lobelio pingitur, ut diximus: Minus teneriuſque, a Bauhino, tom. 3. lib. 37. pag. 755.

8. *Aliqui trichomanes.*] Ita MSS. Reg. Colb. Chifl. non, ut editi, *aliud trichomanes.* Eſt enim ea majoris quoque, & candidi, ſeu polytrichi, callitrichive, appellatio: ut vidit acute Anguillara, part. 14. pag. 289. Iiſdem fere verbis a Dioſcoride deſcribitur, lib. 4. cap. 137. Τριχομανὲς, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ἀδίαντον καλοῦσι . . . ὅμοιον πτερίδι . . . φυλλάρια ἐξ ἑκατέρου μέρους τὰ φύλλα ἔχον λεπτὰ, φακοειδῆ, ἐναντία ἀλλήλοις, ἐπὶ ῥαβδίων λεπτῶν καὶ στιλπνῶν, καὶ ὑπομελάνων. Vires deinde adjicit eaſdem huic eſſe, quæ ſunt adianto alteri propriæ.

9. *Radix nulla.*] Sed fibræ tantum & capilli tenues. Vel, nullius uſus, ῥίζα ἄχρηστος. ut ait Dioſcor. lib. 4. cap. 136.

10. *Umbroſas*] Dioſcor. lib 4. cap. 136. de adianto ſuo: Φύεται δὲ ἐν παλισκίοις, καὶ ὑλώδεσι τόποις καὶ τοίχοις ἐνύγροις, καὶ περὶ τὰς κρήνας. *Umbroſis paluſtribuſque locis, & in parietibus aſpergine humentibus, ac circa fontes provenit.* Et cap. ſeq. de trichomane: Φύεται ἐν τοῖς αὐτοῖς τόποις.

11. *Calculos.*] Dioſc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 16. pag. 181.

12. *Saxifragum.*] Et Apuleius ſaxifragum agnoſcit, cap. 97. quod & adiantum vocetur, virtute ad pellendos calculos ſingulari, ramulis nigro colore nitentibus, quales ſunt trichomanis: Sed folia tribuit ſimilia coriandri, quod falſum

decerpsere digiti. [13] Urinam cient. [14] Serpentium & araneorum venenis resistunt. [15] In vino decocti alvum sistunt. Capitis dolores corona ex his sedat. Contra scolopendræ morsus illinuntur, crebro auferendi, ne perurant: hoc & in alopeciis. [16] Strumas discutiunt, furfuresque in facie, & capitis manantia hulcera. [17] Decoctum ex his prodest suspi-
5 riosis, & jocineri, & lieni, & felle suffusis, & hydropicis. Stranguriæ illinuntur, & renibus cum absinthio. [18] Secundas cient, & menstrua. [19] Sanguinem sistunt ex aceto, aut rubi succo poti. Infantes quoque exhulcerati perunguntur ex iis cum rosaceo & vino prius. Folium in urina pueri impubis, tritum quidem cum aphronitro, & illitum ventri mulierum, ne rugosus fiat, præstare dicitur. [20] Perdices & gallinaceos pugnaciores fieri
10 putant, in cibum eorum additis: pecorique esse utilissimos.

CAP. XXII. XXXI. [1] Picris ab insigni amaritudine cognominatur, ut diximus: rotundo folio. Tollit eximie verrucas. Thesium quoque non dissimili amaritudine est: sed purgat alvum: in quem usum teritur ex aqua.

XXXII. Asphodelum de clarissimis herbarum, quam [1] heroïon aliqui appellave-
15 runt, Hesiodus & in silvis nasci dixit: Dionysius, marem ac feminam esse. [2] Defectis corporibus & phthisicis constat bulbos ejus cum prisana decoctos, aptissime dari: panemque ex his cum farina subactis, saluberrimum esse. [3] Nicander & contra serpentes ac scorpiones, vel caulem, quem anthericon vocavimus, vel semen, vel bulbos dedit in vino tribus drachmis: substravitque somno contra hos metus. Datur & contra venenata
20 marina; & contra scolopendras terrestres. Cochleæ mire in Campania caulem eum persequuntur, & sugendo arefaciunt. [4] Folia quoque illinuntur venenatorum vulneribus ex vino. Bulbi nervis articulisque cum polenta tusi illinuntur. Prodest & concisis ex aceto lichenas fricare: [5] item hulceribus putrescentibus ex aqua imponere: [6] mammarum quoque & testium inflammationibus. [7] Decocti in fæce vini, oculorum epiphoris supposito lin-
25 teolo medentur. Fere in quocumque morbo magis decoctis utuntur. [8] Item ad tibiarum tetra hulcera, rimasque corporum quacumque in parte, farina arefactorum. Autumno autem colliguntur, cum plurimum valent. Succus quoque tusis expressus aut decoctis utilis fit [9] corporis dolori, cum melle: [10] idem odorem corporis jucundum affectantibus, cum iri arida & salis exiguo. Folia etiam supra dictis medentur, & strumis, panis,
30 hulceribus in facie, decocta in vino. [11] Cinis e radice alopecias emendat, & rimas pedum. [12] Decoctæ radicis in oleo succus, perniones & ambusta. Et ad gravitatem aurium infunditur: [13] a contraria aure in dolore dentium. [14] Prodest & urinæ pota modice radix, & menstruis, & lateris doloribus: item ruptis, convulsis, tussibus, drachmæ pondere in vino pota. [15] Eadem & vomitiones adjuvat commanducata. [16] Semine sumpto
35 turbatur venter. [17] Chrysermus & parotidas in vino decocta radice curavit: [18] item strumas, admixta cachry ex vino. Quidam aïunt, si imposita radice pars in fumo suspendatur, quartoque die solvatur, una cum radice arescere strumam. [19] Sophocles ad podagras utroque modo, cocta crudaque, usus est. Ad perniones decoctam ex oleo dedit,

NOTÆ.

est De hac saxifraga, locutus etiam Q. Serenus videtur, cap. 33. pag. 146.

Si vero in lapides densus convertitur humor
Qui retinet cursus, gemitumque dolore frequentat,
Saxifragam seu fontigenam succurrere credunt

Fontigenam vocat, quoniam, ut Plinius ait, fontium specus sequitur.

13. *Urinam.*] Theophr. lib. 7. hist. cap. 13. Πρὸς στραγγουρίαν τὸ τεταγμένης πινό. Diosc. quoque locis cit.

14. *Serpentium.*] Diosc. locis cit.

15. *In vino decocti.*] Adianti scilicet, nam & virili genere Latini extulerunt, ut Apuleius.

16. *Strumas &c.*] Diosc. & Galenus, locis cit.

17. *Decoctum ex his.*] Diosc loc. cit.

18. *Secundas &c.*] Diosc. locis cit.

19. *Sanguinem.*] Diosc locis cit.

20. *Perdices.*] Coturnices, inquit Diosc. lib. 4. cap. 136. & gallinaceos pugnaciores facit, in cibum eorum additum adiantum: circa ovilia quoque pecorum utilitatis gratia seritur.

Sect. XXXI. 1. *Picris .... ut diximus.*] Libro 21. sect. 65.

Sect. XXXII. 1. *Heroïon.*] Ἡρώϊον.

2. *Defectis.*] Tabe, seu macie. Græci cachectas vocant, ut alibi dicturi sumus.

3. *Nicander.*] Nunc ita quidem in Theriac. pag. 39.

Ἄγρει δ' ἀσφοδέλοιο θέειον ἄλλοτε ῥίζαν,
Ἄλλοτε καὶ καυλεῖον ὑπέρτερον ἀνθερίκοιο,
Πολλάκι δ' αὖ καὶ σπέρμα, ὅτε λοβοῖς ἀμφὶς ἀέξη.

Tu quoque florentis radicem velle rotundam
Asphodeli, aut tollentem alto fastigia caulem,
Vel quæ distinctis clauduntur semina folle.

Nicandrum sequitur Diosc. lib. 2. cap. 199. De asphodelo egimus superiore libro, sect. 68. Sunt qui & *Afrodille* vocent, & *Hache Royale.*

4. *Folia quoque &c.*] Diosc. loc. cit.

5. *Item ulceribus.*] Diosc. loc cit. totidem verbis.

6. *Mammarum &c*] Diosc loc. cit.

7. *Decocti &c*] Diosc loc. cit.

8. *Item ad tibiarum.*] Apuleius, cap. 32. tit. 1. *Ad dolorem tibiarum, vel pedum: Herba asphodeli succo cum oleo amygdalino ungues quod dolet, mire sanatur.*

9. *Corporis dolori.*] Lassitudinem forsan intelligit.

10. *Idem odorem.*] Quia tetrum odorem corporis, alarum præcipue, feminum, ac pedum emendat. ut est ex Xenocrate mox dicturus.

11. *Cinis e radice.*] Diosc. lib. 2. cap. 199. Galenus, lib. 6 de fac. simp. med. pag. 161. Alexander Iatros, lib. 1. cap 4.

12. *Decoctæ radicis.*] Diosc. loc. cit.

13. *A contraria.*] Dentium dolores, inquit, mitigat, oppositæ auriculæ instillatus. Diosc. loc cit.

14. *Prodest & urinæ &c.*] Hæc totidem verbis Dioscor. loc. cit.

15. *Eadem & vomitiones.*] Diosc. loc. cit.

16. *Semine sumpto.*] Potum in vino semen, inquit Diosc. violenter alvum dejicit: *ὁ δὲ καρπὸς .... καταῤῥήσσει τὴν κοιλίαν.*

17. *Chrysermus.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107. etiam ad collum suspensa radice sanari parotidas credit: cave tu credas.

18 *Item strumas.*] Sic Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 9. in quo de furunculis, & de strumis, quas chœradas Græco vocabulo appellat. *Asphodeli radices*, inquit, *in vino tinctæ.*

19. *Sophocles.*] In MSS. Reg. Colb. Chiffl. *Socles.* Forte

& suffusis felle in vino; & hydropicis. Venerem quoque concitari cum melle perunctis; aut bibentibus tradidere. Xenocrates & lichenas, psoras; lepras, radice in aceto decocta, tolli dicit. Item si cocta sit cum hyoscyamo & pice liquida, alarum quoque & feminum vitia: & capillum crispiorem fieri, raso prius capite, si radice ea fricetur. [20] Simus lapides renum in vino decocta atque pota eximit. [21] Hippocrates semine ejus ad impetus lienis dari censet. Jumentorum quoque hulcera ac scabiem, radix illita, aut decoctæ fucus ad pilum reducit. Mures etiam eadem fugantur, caverna præclusa moriuntur.

XXXIII. [1] Asphodelon ab Hesiodo quidam alimon appellari existimavere, quod falsum arbitror. Est enim suo nomine alimon, non parvi & ipsum erroris inter auctores. [2] Alii enim fruticem esse dicunt densum, candidum, sine spina, foliis oleæ, [3] sed mollioribus: [4] coqui autem hæc ciborum gratia. [5] Radix tormina discutit, drachmæ pondere in aqua mulsa pota: item convulsa, & rupta. [6] Alii olus maritimum esse dixere falsum, & inde nomen, foliis in rotunditatem longis, laudatum in cibis. Duorum præterea generum, [7] silvestre, & mitius: utrumque prodesse dysentericis etiam [8] exhulceratis cum pane, stomacho vero ex aceto. Hulceribus vetustis illini crudum, & vulnerum recentium impetus leniri, & luxatorum pedum ac vesicæ dolores. Silvestri tenuiora folia, sed in eisdem remediis effectus majores, & in sananda hominum ac pecorum scabie. Præterea nitorem corpori fieri: dentibusque candorem, si fricentur radice ea. Semine linguæ subdito sitim non sentiri. Hoc quoque mandi, & utraque etiam condiri. Cratevas tertium quoque genus tradit, longioribus foliis & hirsutioribus, odore cupressi: nasci sub edera maxime: prodesse opisthotonis, contractionibus nervorum, tribus obolis in sextarium aquæ.

XXXIV. [1] Acanthos est [2] topiaria & urbana herba: [3] elato longoque folio: [4] crepidines marginum, assurgentiumque pulvinorum toros vestiens. Duo genera ejus sunt, [5] aculeatum & crispum, quod brevius: [6] alterum læve, quod aliqui [7] pæderota vocant, alii melamphyllum. [8] Hujus radices ustis luxatisque mire prosunt: [9] item ruptis, convulsis, & phthisin metuentibus incoctæ cibo, maxime ptisana. Podagris quoque illinuntur tritæ & calefactæ calidis.

XXXV. [1] Bupleuron in sponte nascentium olerum numero Græci habent, caule cubitali, foliis multis longisque, [2] capite anethi, laudatum in cibis ab Hippocrate: in medicina a Glaucone, [3] & Nicandro. Semen contra serpentes valet. Folia ad secundas feminarum, vel succum ex vino illinunt: & strumis folia cum sale & vino. Radix contra serpentes datur in vino, & urinæ ciendæ.

NOTÆ.

Diocles. Nam is in hujus libri Indice appellatur. In quibusdam aliis *Socrates.* Socratis Chirurgi meminit Cælius Aurel. lib. 5. Chron. cap. 1.

20. *Simus.*] In MSS. Reg Theophr. Chiffl. *Timon* legitur: haud recte. Simus enim in Indice hujus libri appellatur. Sic Timon in iisdem MSS. pro Damone scribitur, lib. 24. sect. 120.

21. *Hippocrates.*] Lieni sanando, cum abundat bile, *dato*, inquit, *quæ splenem attenuare quotidie valeant, ut asphodeli semen*: Διδόναι δὲ καὶ ἃ μέλλει τὸν σπλῆνα λεπτύνειν ἑκάστης ἡμέρης· ἀσφοδέλου τοῦ καρποῦ, &c. Libro de internis affect. tex. 33. pag. 238.

Sect. XXXIII. 1. *Asphodelon .... quidam alimon.*] Quamobrem Hesychius: Σφόδελος, ἄλιμος interpretatur: Σφόδελος & ἀσφόδελος idem, ut σμῖχος & ἄσμυχος. Et ἄλιμον quidem asphodelum a fame sedanda appellari crediderim, cum Epimenidem Plato in Legibus dicat, ex malva & asphodelo compositionem ἀλίμου sibi parasse, qua se a fame & siti diu vendicaret.

2. *Alii enim.*] Quos Dioscorides sequitur ad verbum, lib. 1. cap 120. Portulaca marina Dodonæi est, pag. 759. *Pourpier marin.* Vidimus in horto Regio.

3. *Sed mollioribus.*] Recte id quidem, etsi a Dioscoride prætermissum, ut quidem sunt hodie libri vulgati.

4. *Coqui autem hæc.*] Ita MSS. Reg. Colb. &c. Hoc est, folia. Diosc. loc. cit. Λαχανεύεται δὲ αὐτῆς τὰ φύλλα ἑψόμενα ὡς βλῖτον. Germina, cum adhuc sunt tenera, in cibis adhiberi, auctor est Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. cap. 22. pag. 153.

5. *Radix tormina*, &c.] Hæc totidem verbis Diosc. loco citato.

6. *Alii olus*] Et recte illi quidem: nam & folia olerum more eduntur, ut dictum est proxime: & in maritimis oritur, unde nomen, ἀπὸ τῆς ἁλός. Hesychius: Ἄλιμος καὶ ἀλιμοῦς, βοτάνη ἐπιθαλασσίδιος ἐπὶ θαλάσσαις, ἢ ξηροῖς τόποις. Diosc. loc. cit. φύεται ἐν παραθαλασσίοις. Unde rectius scripseris *halimon*, etsi variant MSS. Suidæ: ἄλιμον scribitur.

7. *Silvestre, & mitius.*] Hoc est, silvestre & sativum.

8. *Exhulceratis.*] Hoc est, dysenteriæ, quæ cum exhulceratione intestinorum conjuncta est: quæ longe periculosissima. Ἄλιμον facultatis esse substringentis, ὑπόστυφον ἔχει, scribit Galenus loc. cit.

Sect. XXXIV. 1. *Acanthos.*] Ἄκανθα Dioscoridi lib. 3. cap 19 Lobelio Acanthus sativus, in Observat. pag. 477. Officinæ vocant *Brancam Ursinam.*

2. *Topiaria*] Idcirco Virgilius nunc mollem, nunc ridentem acanthum, nunc flexilem cecinit: lubricum & flexuosum Plinius junior, lib. 5. ep. 5. Sed Georgicon secundo refert idem Virgilius *baccas semper frondentis acanthi*: Servius ibi dictam acanthum interpretatur quasi spinis plenam: nam spinosa, inquit, est arbor, in Ægypto semper frondens, &c. Sed homo litterator, rem herbariam parum callens, acanthum cum Ægyptia spina confundit, quæ plurimum ab illa dissidet. Hunc enim acanthum utique constat lævem, glabrumve nullis horrere spinis: sed urbanum esse, ac latu cultuque lætari.

3. *Elato*, &c.] Diosc loc. cit. Folio, quam lactucæ, latiore multo & longiore: ἔχει δὲ πλατύτερα φύλλα πολλῷ καὶ μακρότερα θριδακίνης.

4. *Crepidines*, &c.] Diosc. Φύεται ἐν παραδείσοις, καὶ ἐν πετρώδεσι, καὶ παρύγροις χωρίοις. *Nascitur in hortis, in petrosis, humentibusque locis.*

5. *Aculeatum*, &c.] Hæc silvestris acantha Diosc. lib. 3. cap 20. Γίνεται δὲ καὶ ἀγρία ἄκανθα, ὁμοία σκολύμῳ, ἀκανθώδης, βραχυτέρα τῆς ἐν παραδείσοις καὶ ἡμέρου. *Est & silvestris acantha, cardui similis, aculeata, brevior sativa, eaque quæ in hortis provenit.* Ut nullis urbanus acanthus spinis horret, sic agrestis contra ferus est, & exsertis aculeis aperte minitatur. Branca Ursina aculeata Lobelii, in Observat. pag. 477.

6. *Alterum læve.*] Sativa videlicet, de qua dictum est ante, acantha Diosc. lib. 3. cap. 19. cui & φύλλα λεῖα, & καυλὸς λεῖος.

7. *Pæderota.*] Diosc. in Nothis, pag. 451. Ἄκανθα .... οἱ δὲ μελάμφυλλον, οἱ δὲ παιδέρωτα, &c.

8. *Hujus radices.*] Diosc. lib. 3. cap. 19. Ῥίζαι πυρικαύστοις καὶ ἐξαρθρήμασιν ἁρμόζουσι καταπλασσόμεναι.

9. *Item ruptis*, &c.] Diosc. Φθισικοῖς τε, καὶ ῥήγμασι, καὶ σπασματικοῖς δίδοται.

Sect. XXXV. 1. *Bupleuron.*] Herbariis nunc fere incognitum: ipsique Anguillaræ, ipso fatente, par. 11. pag. 170.

2. *Capite anethi.*] Umbellam in cacumine instar anethi gerens.

3. *Et Nicandro.*] Ita nunc quidem in Theriacis, pag. 43.

XXXVI. [1] Buprestim magna inconstantia Græci in laudibus ciborum etiam habuere: iidemque remedia tamquam contra venenum prodiderunt. Et ipsum nomen indicio est boum certe venenum esse, quos dissilire degustata fatentur. Quapropter nec de hac plura dicemus. Est vero causa, quare venena monstremus inter gramineas coronas, nisi libidinis
5 causa expetenda alicui videtur, quam non aliter magis accendi putant, quam pota ea.

XXXVII. [1] Elaphoboscon ferulaceum est, geniculatum digiti crassitudine, [2] semine corymbis dependentibus, [3] silis effigie, sed non amaris, foliis olusatri: [4] & hoc laudatum in cibis. Quippe etiam conditum prorogatur ad urinam ciendam, lateris dolores sedandos, rupta, convulsa sananda, inflationes discutiendas, coliqne tormenta. [5] Contra
10 serpentium omniumque aculeatorum ictus. [6] Quippe fama est, hoc pabulo cervos resistere serpentibus. Fistulas quoque radix nitro addito illita sanat. Siccanda autem in eos usus prius est, ne succo suo madeat, qui contra serpentium ictus facit eam deteriorem.

XXXVIII. [1] Scandix quoque in olere silvestri a Græcis ponitur, [2] ut Opion & Erasistratus tradunt. Item decocta alvum sistit. Semine singultus confestim ex aceto sedat. Il-
15 linitur ambustis, urinas ciet. [3] Decoctæ succus prodest stomacho, jocineri, renibus, vesicæ. Hæc est, quam [4] Aristophanes Euripidi poëtæ objicit joculariter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem.

[5] Eadem erat anthriscus, [6] si tenuiora folia & odoratiora haberet. Peculiaris laus ejus, quod fatigato Venere corpori succurrit, marcentesque senio jam coïtus excitat. Sistit
20 profluvia alba feminarum.

XXXIX. [1] Et iasione olus silvestre habetur, in terra repens, cum lacte multo: florem fert candidum: concilium vocant. Et hujus eadem commendatio ad stimulandos coïtus. Cruda ex aceto in cibo sumpta, mulieribus lactis ubertatem præstat. Salutaris est phthisim sentientibus. Infantium capiti illita, nutrit capillum, tenacioremque ejus cutem
25 efficit.

XL. [1] Estur & caucalis, feniculo similis, brevi caule, flore candido, cordi utilis. Succus quoque ejus bibitur, stomacho perquam commendatus, [2] & urinæ, calculisque & arenis pellendis, & vesicæ pruritibus. Extenuat & lienis, jocineris, [3] renumque pituitas. Semen menses feminarum adjuvat, bilemque a partu siccat. Datur & contra profluvia ge-

NOTÆ.

Σπέρματα βουπρήστιος τε, καὶ Ἰδαίας κυπαρίσσου.

Sect. XXXVI. 1. *Buprestim.*] Græci & olus, quod laudant in cibis, & venenum, contra quod remedia tradi oportuit, eadem signant appellatione. Galenus, tomo 2. in Explic. vocum Hippocratis, pag. 87. Βούπρηστις, τὸ, τι ζῶον τὸ τῇ κανθαρίδι παραπλήσιον· ἔτι δὲ καὶ τι λάχανον ἄγριον, ὃ μέμνηται Διοσκουρίδης, &c. Hesychius: Βούπρηστις, λαχάνου εἶδος. Igitur Βούπρηστις genus est animalculi, cantharidi similis, quod si forte comederit bos, inflatur protinus, & moritur: unde nomen, παρὰ τὸ πρήθειν τοὺς βοῦς. Vide Nicandrum in Alexiph. pag. 152. & Ælianum, lib. 6. hist. anim. cap. 35. Sed & olus est, cui a magnitudine fortasse nomen, ut Βουλάπαθον, magnum lapathum, Βουσέλινον apium magnum dixere. Laudat βούπρηστιν Theophrastus lib. 7. hist. cap. 8. Sed quæ sit ejus herbæ facies, nec ipse indicat, nec aliunde compertum. Haud Plinio latuit, ut Salmasius calumniatur in Præf. pag. 9. Dalecampium, ut sæpe solet, secutus, buprestim animalis nomen esse, quod sit boum venenum: cum de eo conceptis verbis disponet, lib. 30. sect. 10. Sed Græcorum quorumdam, quiqui ii sint, carpit inconstantiam, qui in ipso olere veneni visus latere prodiderint.

Sect. XXXVII. 1. *Elaphoboscon.*] Ἐλαφόβοσκον Diosc. lib. 3. cap. 80. Romani *Cervi ocellum* appellant: Officinæ simul & Herbarii, ut rei ipsius novæ, novum nomen indiderunt, *Gratiam Dei* vocantes. Eadem appellationem fecit unguento. Buplevron falso Dodonæus appellat, pag. 442. noi delineatum accurate vide, quale a Dioscoride Plinioque describitur. Vidimus in horto Regio.

2. *Semine corymbis.*] Corymbos appellat umbellas, quales in anetho cernimus, quibus semen continetur. Diosc. loc. cit. σκιάδια, alii κεφάλια vocant.

3. *Silis effigie.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

4. *Et hoc laudatum.*] Diosc. loc. cit.

5. *Contra serpentium.*] Diosc loc. cit.

6. *Quippe fama.*] Diosc. loc cit. Atque hinc sane in Nothis Diosc. in magno ambitu nominum, ἐλαφικόν, νεφελιον, ὀφιγένειον, ὀφιοκτόνον.

Sect. XXXVIII. 1 *Scandix.*] Suidas: Σκάνδιξ, ἄγριον λάχανον. scribitur a Dioscor lib. 2. cap. 168. Inter olera quæ apud Ægyptios in cibis sunt, censetur a Plinio, lib 21. sect. 52. Quæ nunc eo nomine indigitanda sit, certo statuere se posse negat Anguillara, par. 7. pag. 107. Pingitur tamen a Dodonæo, pag 689.

2. *Ut Opion.*] In MSS. Reg. Colbert. Th. Chiffl. *Opinio.*

3. *Decoctæ succus.*] Dioscor. loc. cit. totidem verbis.

4. *Aristophanes.*] In ea fabula, quæ Acharnensium inscribitur, act. 2. sc. 4. pag. 394.

> Εὐριπίδιον γλυκύτατον, ὦ φίλτατον,
> Κάκιστ' ἀπολοίμην, εἴ τι σ' αἰτήσαιμ' ἔτι
> Πλὴν ἓν μόνον, τουτὶ μόνον, τουτὶ μόνον,
> Σκάνδικά μοι δὸς, μητρόθεν δεδεγμένος.

Hoc est, Frischlino interprete:

> *Euripides dulcissime & amicissime,*
> *Male peream, si quid petam a te hoc amplius:*
> *Scandicem da mihi a matre acceptum tua.*

Ubi Scholiastes: Καὶ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις διδάσκουσι, ὅτι ἡ μήτηρ Εὐριπίδου λάχανα ἐπώλει. σκάνδικας. Θεόπομπος δὲ ἡ σκάνδιξ ἐλέγετο, ὅτι δὲ λάχανον ἄγριον ἐπώλεις. Proverb. e Vatic. Cent. 3. num. 86. Σκάνδιξ. λάχανον ἄγριον, παρ' ὃ ἡ σκανδικοπώλου τὸ Εὐριπίδην ἔλεγον, ὡς λαχανοπωλήτου υἱόν. Et Gellius, lib. 15. cap. 20 pag. 831. *Euripidis poetæ matrem Theopompus agrestia olera vendentem, victum quæsisse dicit.* Vide & Valer. Max. lib 3. cap. 4. pag 170.

5. *Eadem erat anthriscus.*] Hoc est, eadem foret. Sic Virgilius in Georg. lib. 2. vers. 132.

> *Et si non alium late jactaret odorem,*
> *Laurus erat.*

Similis hæc est chærefolio vulgari: a Clusio delineatur, lib. 6. hist rarior. plant. pag CXCIX qualem in horto Regio vidimus. Vide quæ diximus lib 21. sect. 52.

6 *Si tenuiora.*] Ita Reg. & Colb. 1. At Chiffl. & Th. *teneriora.*

Sect. XXXIX. 1. *Et iasione*] Vide quæ de ea diximus lib. 21. sect. 65. & quæ Dodonæus habet, Pempt. 2. lib. 1. cap 10. Dissidet tamen a Dodonæo Ruellius, lib. 2. pag. 454. iasionemque existimat eam esse, quam nostrum vulgus *Liseronem*, rura *Liseretam* vocant: namque hæc serpit humi, ramulis lacte prægnantibus, flore convolvuli candido, &c.

Sect. XL. 1. *Estur & caucalis.*] Iisdem fere verbis Diosc. lib. 2. cap. 169 & Oribasius, lib. xi fol 200. Rura nostra a foliorum effigie, quam præ se ferunt, Persicum nothum appellant, *Persil bâtard*, inquit Ruellius, lib. 2. pag. 387. Caucalis albo flore a Clusio pingitur, lib. 6. pag. CCI. qualem in horto Regio vidimus.

2 *Et urinæ.*] Dioscor. loc. cit. Arenis quoque calculisque pellendis, commendat Paxamus in Geopon. lib 12. cap 32. pag. 355.

3. *Renumque pituitas.*] Obstructiones renium a pituita factas.

hitur viris. [4] Chrysippus & conceptionibus eam putat conferre multum: bibitur in vino jejunis. Illinitur & contra venena marinorum, sicut Petrichus in carmine suo significat.

XLI. His annumerant [1] & sion, latius apio, in aqua nascens, pinguius, nigriusque, copiosum semine, sapore nasturtii. [2] Prodest urinis, renibus, lienibus, mulierumque mensibus, sive ipsum in cibo sumptum, sive jus decocti: sive semen e vino drachmis duabus. [3] Calculos rumpit, aquisque quæ gignunt eos, resistit. [4] Dysentericis prodest infusum. Item illitum lentigini, & mulierum vitiis in facie noctu illitum, momentoque cutem emendat, & ramices lenit, & scabiem equorum.

XLII. [1] Silybum, chamæleoni albo similem, æque spinosam, ne in Cilicia quidem aut Syria, aut Phœnice, ubi nascitur, coquere tanti est: [2] ita operosa ejus culina traditur. In medicina nullum usum habet.

XLIII. [1] Scolymon quoque in cibos recipit Oriens, & alio nomine [2] limoniam appellat. Frutex est numquam cubitali altior, cristisque foliorum ac radice nigra, sed dulci: Eratostheni quoque laudata in pauperis cœna. Urinam ciere præcipue traditur: sanare lichenas & lepras ex aceto. Venerem stimulare in vino, [3] Hesiodo & Alcæo testibus: qui florente ea cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis avidissimas, virosque in coïtum pigerrimos scripsere, velut providentia Naturæ hoc adjumento tunc valentissimo. Item graveolentiam alarum emendat radicis emedullatæ uncia, in vini Falerni heminis tribus decocta ad tertias, & a balineo jejuno, itemque post cibum cyathis singulis pota. Mirum est, quod Xenocrates promittit experimento, vitium id ex alis per urinam effluere.

XLIV. [1] Estur & sonchos, (ut quem Theseo apud Callimachum apponat [2] Hecale,) uterque, [3] albus & niger: lactucæ similes ambo, nisi spinosi essent: caule cubitali, anguloso, intus cavo, sed qui fractus [4] copioso lacte manet. Albus, qui e lacte nitor, utilis orthopnoïcis lactucarum modo, [5] ex embammate. Erasistratus calculos per urinam pelli eo monstrat, & oris graveolentiam commanducato corrigi. Succus trium cyathorum mensura, in vino albo & oleo calefactus, adjuvat partus, ita ut a partu ambulent

NOTÆ.

4. *Chrysippus.*] Καυκαλίδος meminisse Chrysippum in opere quod inscripsit, περὶ λαχάνων, de oleribus, auctor est Schol. Nicandri in Theriac. pag. 39. ubi ait, Καυκαλὶς λάχανόν ἐστιν ἁλμυρόν, &c.

Sect. XLI. 1. *Et sion.*] Non est Crateuæ σίον, de quo Diosc. lib. 2. cap. 154. hoc est, nasturtium aquaticum, *Cresson d'eau*, ut visum Dodonæo, pag. 581. folio evidenter repugnante, nempe mentæ simili: quod folium ab apio, quicum sion confertur, prorsus dissidere nemo inficias ierit. Ruellio magis assentior, aienti, lib. 2. pag. 369. eam esse, quam Officinæ Berulam vocant, Laberlam Gallicum vulgus, vel Berlam adhuc appellat: in quo nomine veteris vocabuli relucent vestigia: ut quod apud Latinos antiquitas laver dixerit, secuta ætas diminutione gaudens *laverulum* pronunciarit: & mox extritis prioribus elementis, in *berulam* appellationem deflexerit. Iconem apud Matthiolum vide, in lib. 2 Diosc. pag. 483. Est enim σίον Dioscoridis, loc. cit. & Speusippi apud Athenæum, lib. 2. pag. 61. In Indice Pliniano libri 26. num. XXXII. *Laver, sive sion.*

2. *Prodest urinis*, &c.] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. simpl. med. pag 228.

3. *Calculos*, &c.] Diosc & Galenus, loc. cit.

4. *Dysentericis.*] Diosc. loc. cit

Sect. XLII. 1. *Silybum.*] Iisdem verbis Diosc. lib. 4. cap 169. Σίλυβον ἄκανθά ἐστι πλατεῖα, φύλλα ἔχουσα χαμαιλέοντι ὅμοια τῷ λευκῷ. Dicemus de eo, lib 26 sect. 25.

2. *Ita operosa.*] Cum oleo & sale coctam edi scribit Diosc loc. cit.

Sect. XLIII. 1. *Scolymon .... Oriens.*] Syria. De scolymo diximus lib. 20. sect 99.

2. *Limoniam.*] Ita MSS. Reg Colb Th. Chiffl. non *limonion.* Theophr. lib. 6. histor. cap. 3. Σκόλυμος ἢ καὶ λειμωνία. Quasi carduum pratensem dixeris, quod sit pratorum gaudium, τῶν λειμώνων.

3. *Hesiodo.*] Nunc ita legitur in Ἔργοις, vers 582.

> Ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ, καὶ ἠχέτα τέττιξ
> Δενδρέῳ ἐφεζόμενος, λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν
> Πυκνὸν ὑπὸ πτερύγων, θέρεος καματώδεος ὥρῃ·
> Τῆμος πιόταταί τ' αἶγες, καὶ οἶνος ἄριστος.
> Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τοι ἄνδρες, &c.

Alcæi vero versus & Proclus recitat, in eum Hesiodi locum:

> Τέγγε πνεύμονα οἴνῳ·
> Τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται·
> Ἁ δ' ὥρα χαλεπά.

Sequitur apud Athenæum, lib. 10.

> Ἀχεῖ δ' ἐκ πετάλων ἀδέα τέττιξ,
> Ἄνθει δὲ καὶ σκόλυμος·
> Νῦν δὲ μιαρώταται γυναῖκες,
> Λεπτοὶ δέ τοι ἄνδρες.

Huc respexit Arist. sect. 4. problem. 26. pag. 705. Διὰ τί ἐν τῷ θέρει οἱ μὲν ἄνδρες ἧττον δύνανται ἀφροδισιάζειν· αἱ δὲ γυναῖκες μᾶλλον; καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς λέγει, ἐπὶ τοῦ σκολύμου.

> Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τοι ἄνδρες.

Sect. XLIV. 1. *Estur & sonchos.*] Σόγχος, cujus duo sunt genera apud Dioscor. lib. 2 pag. 159. alterum agreste: urbanum alterum, & esculentum. Sic etiam Galenus lib. 8. de fac. simp. med. pag. 231. Σόγχος, ... χλωρὸς ἔτι καὶ ἁπαλὸς ἐσθίεται, τοῖς ἄλλοις ἀγρίοις λαχάνοις ὁμοίως. *Viridis & tener estur perinde ut cetera agrestia olera.* Galli Lacteronem appellant *Laitron*. herbarii nonnulli *Palatium leporis*: quod hoc animal ut ab æstu vindicetur, & caloris propulset incommoda, soleat sub ejus ramis decumbere, & sæpenumero stabulari. Vide Dodon. pag. 632.

2. *Hecale.*] Id nomen poëmatio fuit, quod a Callimacho est editum. Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 41. Καλλίμαχος laudat ἐν τῇ Ἑκάλῃ ἢ Ἑκάλῃ. Schol. ipsius Callimachi, in Hymn. in Apoll. vers. 106. pag. 21. ait fuisse qui Callimachum sugillarent, quod magnum ac justum poëma non posset condere, idcirco scripsisse leve quoddam, cui Hecale nomen esset, ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην. Suidas: Ἑκάλη, ὄνομα κύριον, ἡ ἡρωῒς ἡ παρὰ Καλλιμάχῳ, &c. Aliquot versiculos ex eo poemate recitat Aristophanis Scholiastes, in Acharn. pag. 377. Citatus & a Stephano in Ἀφιδναί. Elegans Crinagoræ exstat de eo poematio epigramma ad Marcellum, lib. 1. Anthol. cap. 67.

> Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε· δὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ
> Ὠνὴρ τοὺς Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλως.
> Ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιὴν,
> Καὶ Θησεῖ Μαραθὼν οὓς ἐπέθηκε πόνους.
> Τοῦ σοι καὶ νεαρὸν χειρῶν σθένος εἴη ἀρέσθαι,
> Μάρκελλε, κλεινοῦ τ' αἶνον ἴσον βιότου.
>
> *Callimachi carmen teres aspicis: omnia quippe*
> *Qui sacra Musarum commovet hoc opere.*
> *Est Hecales istic casa parva, sed hospita Thesei:*
> *Theseos & sudans in Marathone labor.*
> *Par habeas opto robur, Marcelle, juventæ,*
> *Laude nec omnigena sit tibi vita minor.*

3. *Albus & niger*, &c.] Hæc pariter Oribasius, lib. 11. pag. 199.

4. *Copioso lacte.*] Inde Lacteronem nostrum vulgus appellare cœpit. Ex eo lacte trahit candorem, seu nitorem, albus.

5. *Ex embammate.*] Ἔμβαμμα condimentum est, intinctusque ad condienda obsonia. Is lactucis, oleo, sale, acetoque constat.

gravidæ. Datur & in ſorbitione. [6] Ipſe caulis decoctus facit lactis abundantiam nutricibus, coloremque meliorem infantium: utiliſſimus his, [7] quæ lac ſibi coïre ſentiant. Inſtillatur auribus ſuccus, calidusque in ſtranguria bibitur cyathi menſura, & in ſtomachi roſionibus cum ſemine cucumeris, nucleiſque pineis. Illinitur & ſedis collectionibus. Bibitur contra ſerpentes ſcorpioneſque: [8] radix vero illinitur. Eadem decocta in oleo, Punici mali calyce, aurium morbis præſidium eſt. Hæc omnia ex albo. Cleemporus nigro prohibet veſci, ut morbos faciente, de albo conſentiens. Agathocles etiam [9] contra ſanguinem tauri demonſtrat ſuccum ejus. Refrigeratoriam tamen vim eſſe convenit nigro, & hac cauſa imponendum cum polenta. Zenon radice albi ſtranguriam docet ſanari.

XLV. [1] Condrillon ſive condrille, folia habet intubi, circumroſis ſimilia, caulem minus pedali, ſucco madentem amaro, radice fabæ ſimili, aliquando numeroſa. [2] Habet proximam terræ maſtichen tuberculo fabæ, quæ appoſita feminarum menſes trahere dicitur. Tuſa cum radicibus tota dividitur in paſtillos, contra ſerpentes, argumento probabili; ſiquidem mures agreſtes læſi ab his, hanc eſſe dicuntur. [3] Succus ex vino coctæ, alvum ſiſtit. [4] Eadem palpebrarum pilos inordinatiſſimos, pro gummi efficaciſſime regit. Dorotheus ſtomacho & concoctionibus utilem carminibus ſuis pronunciavit. Aliqui feminis, & oculis, generationique virorum contrariam putavere.

XLVI. Inter ea quæ temere manduntur, [1] & boletos merito poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno [2] Tiberio Claudio Principi per hanc occaſionem a conjuge Agrippina dato: quo facto illa terris [3] venenum alterum, ſibique ante omnes, Neronem ſuum dedit. Quorumdam ex his facile noſcuntur venena, diluto rubore, [4] rancido aſpectu, livido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro. Non ſunt hæc in quibuſdam: ſiccique, & nitri ſimiles, veluti guttas in vertice albas ex tunica ſua gerunt. [5] Volvam enim terra ob hoc prius gignit, ipſum poſtea in volva, ceu in ovo eſt luteum. Nec tunicæ minor gratia in cibo infantis boleti. Rumpitur hæc primo naſcente: [6] mox increſcente, in pediculi corpus abſumitur, raroque umquam geminis ex uno pede. Origo prima cauſaque e limo, & aceſcente ſucco madentis terræ, aut radicis fere glandiferæ: initioque ſpuma lentior, dein corpus membranæ ſimile, [7] mox partus. Ut diximus, illa perniciaſia, prorſus improbanda. [8] Si enim caligaris clavus, ferrive aliqua rubigo, aut panni marcor affuerit naſcenti, omnem illico ſuccum alienum ſaporemque in venenum concoquit: deprehendiſſe qui, niſi agreſtes, poſſunt, atque qui colligunt? Ducunt ipſi alia vitia: & quidem ſi ſerpentis caverna juxta fuerit, [9] ſi pateſcentem primo adhalaverit, capaci venenorum cognatione ad virus accipiendum. Itaque caveri convenier, prius quam ſe condant ſerpentes. Signa erunt tot herbæ, tot arbores fruticeſque, ab emerſu earum ad latebram uſque vernantes: [10] &

NOTÆ.

6. *Ipſe caulis*] Dioſcor. lib. 2. cap. 159.

7. *Quæ lac ſibi coïre.*] In mammis ſpiſſari.

8. *Radix vero illinitur.*] Dioſc. loc. cit.

9. *Contra ſanguinem tauri.*] Qui potu maxime letalis eſt.

Sect. XLV. 1. *Condrillon &c.*] Hæc Dodonæi condrilla prior, pag. 626. Iiſdem fere verbis a Dioſcur. deſcribitur, lib. 2. cap. 161 quem condrillam unam in duas ſpecies temere diſcerpſiſſe, non temere ſuſpicamur. Noſtris etiamnum, *Condrille.*

2. *Habet proximam.*] Dioſc. loc. cit.

3. *Succus ex vino.*] Dioſc. loc. cit.

4. *Eadem palpebrarum.*] Dioſc. loc. cit. Ἀναπλᾶ δὲ ἡ τρί-χας . . ῥίζα πρόσφατος, βαπτομένη εἰς αὐτὴν βελόνης, &c.

Sect. XLVI. 1. *Et boletos.*] Græci quoque βωλίτας vocant, ut Galenus, lib. 2. de alim fac cap penult. Hi ſunt e fungorum genere qui principatum obtinent, qui minus omnium nocentes. De his Martialis, lib. 3 Epigr 60.

Sunt tibi boleti: fungos ego ſumo ſuillos.

In Gallia vulgus appellat, *des Champignons*, quod in campis tepido imbre proveniant. Sunt qui ex ſemine naſci boletos putent Vide Hiſtoriam Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1707. pag. 58.

2. *Tiberio Claudio.*] Ei qui Caio Cæſari Germanico Aug. ſucceſſit. Vide Dionem, lib. 60. pag 688. Tacitum, ſub finem libri 12. Annal pag 193. Suetonium, in Claudio, cap. 44. Poſt obitum ex eſu fungorum relatus eſt Claudius in Divos: qua occaſione ſcripta a Seneca ἀποκολοκύντωσις Quo feſtive Martialis alludens, lib. 1. Epigr. 21. ad Cæcilianum:

Dic mihi, quis furor eſt? turba ſpectante vocata,
Solus boletos, Cæciliane, voras.
Quid dignum tanto ventrique gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Quem Claudii boletum, cibum Deorum Nero appellabat.

3. *Venenum alterum.*] Fecit Agrippina, inquit, ut Claudio ſuccederet Nero ſuus, jure natalium: qui fuit alterius generis venenum terris ſive imperio, maxime vero ipſi matri ſuæ: quoniam depravato ſuo vivendi genere mores corrupit imperii, & ante omnes Agrippinam matrem peſſimo ſuo exemplo corrupit ex optima. Non dicit Plinius necatam a Nerone matrem. Eſt in Theſauro Regio, & apud Patinum, in Famil. pag. 178. nummus ex ære minuto, egregiæ fabricæ; qui quo pertineat, neſcire ſe Patinus fatetur Ex anteriore parte caput feminæ exhibet, cum hac epigraphe, MINEIAMF. In altera ædificium perpulcrum eſt: cum his litteris PS SC. Harum litterarum ſententia hæc eſt: *Mauſoleum Inſigne N Ero Imperator Agrippinæ Matri Fecit. Publico Sumptu. Senatus Conſulto.* In eo nummo nexæ ſunt litteræ duæ NE quæ Neronem ſignificant. In nummis Græcis appellatur ipſa interdum ΙΟΥΛΙΑ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. Julia quidem, quoniam eſſet ex gente Julia, proneptis Julii Cæſaris Auguſti, neptis Juliæ Auguſti filiæ, & Agrippæ, qui prior Juliæ maritus fuit: filia denique Agrippinæ, Germanici conjugis; quæ Julia quoque ex matre nomen primum habuit, ex patre Agrippa alterum

4. *Rancido aſpectu.*] Qui ipſo aſpectu rancorem ſeu putorem produnt

5. *Volvam enim.*] Sic tuber appellant, quod fungum in ſe ſe, ceu fetum vulva, complectitur

6. *Mox increſcente*] Boleto increſcente, in ſubſtantiam ejus pediculi membrana conſumitur. Vocem *increſcente* adjecimus, ex MSS. Reg Colb. Th. Chiffl. mutila alioqui obſcuraque ſententia.

7. *Mox partus.*] Fetus, ſeu boletus ipſe.

8. *Si enim caligaris.*] Sic Dioſc lib. 4. cap 83. exitioſos fieri fungos ait, ſi juxta clavos rubiginoſos, pannoſve putridos, aut latibula ſerpentum gignantur: vel arboribus denique, quæ privatim noxios pariunt fructus adnaſcantur: ἢ γὰρ ἥλοις κατιωμένοις, ἢ ῥάκεσι σεσηπόσιν ἢ ἑρπετῶν φωλεοῖς παραφύονται, ἢ δένδρεσιν, ἴδίως βλαπτικοὺς φέρουσι τοὺς καρπούς.

9. *Si pateſcentem.*] Si erumpentem primo fungum e terra ſerpens halitu ſuo afflaverit.

10 *Et vel fraxini.*] Id jam ſuperius adnotatum l. 16. ſect. 24.

vel

vel fraxini tantum folia, nec postea nascentia, nec ante decidentia. Et boletis quidem ortus occasusque omnis intra dies septem est.

XLVII. [1] Fungorum lentior natura, & numerosa genera, sed origo non nisi ex pituita arborum. Tutissimi, [2] qui rubent callo, minus diluto rubore, quam boleti. Mox candidi, velut [3] apice Flaminis insignibus pediculis. [4] Tertium genus suilli, venenis accommodatissimi. Familias nuper interemere, & tota convivia, [5] Annæum Serenum præfectum Neronis vigilum, & tribunos, centurionesque. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? [6] Quidam discrevere arborum generibus, fico, ferula, [7] & gummim ferentibus: nos item fago, aut robore, aut cupresso, [8] ut diximus. Sed ista quis spondet in venalibus? Omnium colos lividus. [9] Hic habebit veneni argumentum, quo similior fuerit arborum fici. [10] Adversus hæc diximus remedia, dicemusque: [11] interim sunt aliqua & in his. Glaucias stomacho utiles putat boletos. Siccantur pendentes suilli, junco transfixi, quales e Bithynia veniunt. Hi fluxionibus alvi, quas [12] rheumatismos vocant, medentur, excrescentibusque in sede carnibus: minuunt enim eas, & tempore absumunt. Item lentiginem, & mulierum vitia in facie. [13] Lavantur etiam, ut plumbum, oculorum medicamento. Sordidis hulceribus & capitis eruptionibus, canum morsibus ex aqua illinuntur.

Cap. XXIII.

Libet & coquendi dare aliquas communes in omni eo genere observationes, quando ipsæ suis manibus deliciæ præparant hunc cibum solum, & cogitatione ante pascuntur, [14] succineis novaculis, aut argenteo apparatu comitante. [15] Noxii erunt fungi, qui in coquendo duriores fient: [16] innocentiores, qui nitro addito coquentur, si utique percoquantur. Tutiores fient cum carne cocti, [17] aut cum pediculo piri. [18] Prosunt & pira confestim sumpta. [19] Debellat eos & aceti natura, contraria iis.

XLVIII. Imbribus proveniunt omnia hæc. Imbre & silphion. Venit primo e Cyrenis, [1] ut dictum est. [2] Ex Syria nunc maxime importatur, deterius Parthico, sed Medico melius, extincto omni Cyrenaïco, ut diximus. Usus silphii in medicina: Foliorum, ad purgandas vulvas pellendosque emortuos partus: decoquuntur in vino albo & odorato, ut bibatur mensura acetabuli a balineis. [3] Radix prodest arteriis exasperatis: & collectionibus sanguinis illinitur. [4] Sed in cibis concoquitur ægre. [5] Inflationes facit & ructus. [6] Urinæ quoque noxia. Sugillatis cum vino & oleo amicissima, & cum cera strumis. Verrucæ sedis crebriore ejus suffitu cadunt.

XLIX. [1] Laser e silphio profluens, quo diximus modo, inter eximia Naturæ dona

NOTÆ.

Sect. XLVII. 1. *Fungorum lentior.*] Humidior. Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 210. *Μύκης. ψυχρὸς καὶ ὑγρὸς ἱκανῶς* &c.

2. *Qui rubent callo.*] Quibus caro rubet.

3. *Apice Flaminis.*] Pediculis eorum fungorum apicem Flaminis repræsentantibus. Est autem apex, in summo Flaminis pileo virga lanata, hoc est, in cujus extremitate modica lana est: quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Hæc Servius in 2. Æneid. Hujus pilei, cum apice, effigiem nummus Julii Cæsaris exhibet, apud Anton. August. Tab. 8. Apex alter Flaminum, alter Pontificum fuit. De utroque Philippus Rubenius, lib. 2. Elect. cap. 25.

4. *Tertium . . . suilli.*] Deterioris notæ, majorisque periculi id fungorum genus: de quo Martialis, paulo ante laudatus. Nunc etiam Italia *Porcinos* vocat. De his aliisque generibus Matthiolus consulendus, in lib. 4. Diosc. pag. 1105. & ante ceteros Ruellius, lib. 3. pag. 619.

5. *Annæum Serenum.*] Fuisse hunc Senecæ familiarissimum, auctor est Tacitus, lib. 13. Annal. pag. 200. Seneca ipse, Epist. 63. pag. 293. *Hæc tibi scribo*, inquit, *is qui Annæum Serenum, carissimum mihi, tam immodice flevi, ut quod minime velim, inter exempla sim eorum, quos dolor vicit.* Et inscripserat iis eidem libros suos de Tranquillitate.

6. *Quidam discrevere.*] Nostri nunc præferunt e montibus inter juniperos, & in locis apricis enatos: quanquam scribit Horatius lib. 2. Satyr. 4. vers. 20

Pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur

Innocentissimi etiam sunt e rubis & carduis vere nati, rotunditate clusili, quos Spinulos inde, & Prunulos appellant, & Cardeolos.

7. *Et gummim.*] MSS. omnes ubique, *gummis & gummim* ubique exhibent feminеo genere.

8. *Ut diximus.*] Libro 16. sect. 11.

9. *Hic habebit.*] Ita MSS. non, *hic aberit*, ut editi. Certe virus præferre lividum colorem, etiam in boletis, superiore sectione Plinius admonuit.

10. *Adversus hæc diximus.*] Libro 20. sect. 13. alibique passim.

11. *Interim sunt.*] Sunt & quæ petantur e fungis remedia.

12. *Rheumatismos.*] *Ῥευματισμὸς κοιλίας*, rheumatismus alvi, id est, fluxus mali & noxii humoris in alvum: vel simpliciter, fluxio alvi: quo morbo qui laborant, cœliaci dicuntur. *Κοιλίας ῥευματιζομένης* dixit Dioscor. lib. 1. cap. 164. Et *est dysenteria* quoque teste Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 18. *intestinorum vulneratio cum rheumatismo.*

13. *Lavantur etiam.*] Vide Notas & Emendationes, num. VII.

14. *Succineis novaculis.*] Quarum e succino, hoc est, electro manubrium fuerit. Ait delicatos homines eo luxuriæ devenisse, ut fungos manibus ipsi suis præparent ad cibum: ac simul vel aspectu ipso & cogitatione ante pasci, quam re, cum succineis ad id novaculis utuntur, argenteisque lancibus, in quibus fungi excipiuntur.

15. *Noxii erunt.*] Ita Diphilus Siphnius apud Athen. lib. 2. pag. 61. *Ἀσύμφοροι δ' οἱ μετὰ τὸ ἑψηθῆναι καὶ τεθῆναι σκληρυνόμενοι.* *Inconvenientes ii, qui cocti & appositi fiunt duriores.*

16. *Innocentiores.*] Nitri certe, oleique, vel aceti, quo diluantur, potu, fungorum venena discuti auctores sunt, Scribonius Largus, Compos. 196. & Diosc. lib. 4. cap. 83.

17. *Aut cum pediculo.*] Aut cum silvestribus piris, dixit Diosc. lib. 1. cap. 168. At Celsus, lib. 5. cap. 27. tit. *Adversus fungos inutiles: specie quidem*, inquit, *discerni possunt ab utilibus, & coctura genere idonei fieri: Nam sive ex oleo inferbuerunt, sive piri surculus cum his inferbuit, omni noxa vacant.*

18. *Prosunt & pira.*] Silvestria quidem, *ἀχράδες*, si Dioscoridem audimus, in Alexiph. cap. 23.

19. *Debellat eos.*] Id multo uberius tractat Athenæus, lib. 2. pag. 61. ex Diphilo Siphnio medico. Parari fungos ex aceto jubet, ut virus omne, venenique vis adimatur.

Sect. XLVIII. 1. *Ut dictum est.*] Libro 19. sect. 15.

2. *Ex Syria nunc.*] Dioscor. lib. 3. cap. 94.

3. *Radix prodest.*] Diosc. lib. 3. cap. 94. *Ἀγαθὴ δὲ καὶ ἀρτηρίας τραχυνθείσας. Φωνὴν τε ἀθρόως ἀπορραγεῖσαν ὕδατι* &c. *Arteriis, seu faucibus, longo tempore exasperatis opitulatur: ac vocem, quæ de repente irrauduerit, aqua dilutus, sorbitione confestim expedit.*

4. *Sed in cibis.*] Dioscor. lib. 3. cap. 94.

5. *Inflationes &c.*] Diosc. loc. cit.

6. *Urinæ . . . sugillatis.*] Hæc pariter Diosc. loc. cit. *Κύστεως ἀνιαρόν. Ἰᾶται δὲ καὶ ὑπώπια σὺν ἐλαίῳ καταπλασσόμενον.*

Sect. XLIX. 1. *Laser . . . quo diximus modo.*] Libro 19. sect. 15.

numeratum, plurimis compositionibus inseritur. Per se autem algores excalfacit, potum nervorum vitia extenuat. Feminis datur in vino. Et lanis mollibus admovetur vulvæ ad menses ciendos. [1] Pedum clavos circumscarificatos ferro, mixtum ceræ extrahit. Urinam ciet ciceris magnitudine dilutum. Andreas sponder, copiosius sumptum nec inflationes facere, & concoctioni plurimum conferre senibus & feminis: item hieme, quam æstate, utilius, & tum aquam bibentibus: cavendumque ne qua intus sit [3] exhulceratio. Ab ægritudine recreationi efficax in cibo. Tempestive enim datum, [4] cauterii vim obtinet: assuetis etiam utilius, quam expertibus.

[5] Ad extera corporum, indubitatas confessiones habet. [6] Venena telorum & serpentium extinguit potum: [7] ex aqua vulneribus his circumlinitur: [8] scorpionum tantum plagis ex oleo: hulceribus vero non maturescentibus cum farina hordeacea, vel fico sicca. [9] Carbunculis cum ruta, cum melle, vel per se visco superlitum, ut hæreat: [10] sic & ad canis morsus. [11] Excrescentibus circa sedem, cum tegmine Punici mali ex aceto decoctum. Clavis, qui vulgo [12] morticini appellantur, nitro mixto. Alopecias nitro ante subactas replet cum vino, croco, aut pipere, aut murium fimo, & aceto. Perniones ex vino fovet, & ex oleo coctum imponitur: sic & callo. Clavis pedum superrasis præcipuæ utilitatis. Contra aquas malas, pestilentes tractus, vel dies. [13] In tussi, uva, [14] fellis veteri suffusione, hydropisi, raucitatibus: [15] confestim enim purgat fauces, vocemque reddit. Podagras in spongia dilutum posca lenit. [16] Pleuriticis in sorbitione vinum poturis datur: contractionibus, [17] opisthotonicis, ciceris magnitudine cera circumlitum. [18] In angina gargarizatur. Anhelatoribus, & in tussi vetusta cum porro ex aceto datur: æque ex aceto his [19] qui coagulum lactis sorbuerint. Præcordiorum vitiis [20] syntecticis, [21] comitialibus in vino, in aqua mulsa linguæ paralysi. Coxendicibus & lumborum doloribus cum decocto melle illinitur. [22] Non censuerim, quod auctores suadent, cavernis dentium in dolore inditum cera includi: magno experimento hominis, qui se ea de causa præcipitavit ex alto. Quippe tauros inflammat naribus illitis: serpentes avidissimas vini admixtum rumpit. Ideo nec inungi suaserim cum Attico melle, licet præcipiant. Quas habeat utilitates admixtum aliis, immensum est referre: & nos simplicia tractamus: quoniam in his Naturam esse apparet, in illis conjecturam sæpius fallacem, nulli satis custodita in mixturis concordia Naturæ ac repugnantia. [23] Qua de re mox plura.

CAP. XXIV. L. Non esset mellis auctoritas in pretio minor, quam laseris, ni ubique nasceretur. [1] Illud ipsa fabricata sit Natura: sed huic gignendo animal, [2] ut diximus: innumeros ad usus, si quoties misceatur, æstimemus.

[3] Prima propolis alvorum (de qua diximus) [4] aculeos & omnia infixa corpori extrahit, tubera discutit, [5] dura concoquit, dolores nervorum mulcet, hulceraque [6] jam desperantia cicatrice includit.

NOTÆ.

1. *Pedum clavos circumscarificatos.*] Prius circumcisos, Dioscor. lib. 3. cap 94. Ἥλους τε καὶ τύλους αἴρει περιχαραχθέντας, περιαλειφθεὶς κηρωτῇ &c. *Clavos callosque prius circumcisos extrahit* laser, seu silphii liquor: *siquidem cerato ante fuerit subactus*, &c. In MSS. Reg. Colb. Th. *circumscariphatos* legitur. Scarificare, seu scarifare, est per ambitum ac superficiem aliquid scindere. Hesychius: Σκαριφῆσαι, ξῦσαι. Σκάριφος, ξέσις.

3. *Exhulceratio*] Ne sint exhulcerata intestina.

4. *Cauterii vim.*] Καυτήριον, & instrumentum est, & medicamentum, quod urendi vim habet, ad intercipiendas fluxiones solitum adhiberi. Itaque laser cauterii vim dicitur obtinere, quod fluxiones ac pituitas intus desiccat, acrimonia sibi innata, quibus intercipiendis cauterio esset alioqui opus.

5. *Ad extera.*] Ad morbos quibus corpora exterius afficiuntur.

6. *Venena telorum*] Dioscor. lib. 3. cap. 94.

7. *Ex aqua.*] Diosc. loc. cit

8. *Scorpionum.*] Diosc. loc. cit.

9. *Carbunculis.*] Brevius, sed non accuratius, Diosc. loc. cit. Πρὸς τε ἄνθρακας, μετὰ πηγάνου, καὶ νίτρου, ἢ μέλιτος, ἢ καθ' ἑαυτόν.

10. *Sic & ad canis.*] Dioscor. loco citato.

11. *Excrescentibus.*] Carni excrescenti. Quod de lasere, sive succo Plinius, hoc de silphii radice Dioscor. loc. cit. Τὰς περὶ δακτύλιόν τε ἐξοχὰς αἴρει, σιδίῳ σὺν ὄξει ἑψηθεῖσα, καὶ καταπλασθεῖσα. *Excrescentia circa sedem tollit, tegmini mali Punici incocta cum aceto, & imposita.*

12. *Morticini.*] Hoc est, ut quidem reor, exitiales, letales, mortiferi. Vide Notas & Emend. num. VIII.

13. *In tussi, uva &c.*] Diosc. loco citato.

14. *Fellis.*] Hoc est, ἐν τριχιάσει, Diosc. loc. cit.

15. *Confestim enim.*] Dioscor. loco citato.

16. *Pleuriticis &c.*] Diosc. loc. cit

17. *Opisthotonicis.*] His oboli pondere dari laseris succum devorandum præcipit Diosc. loc. cit.

18. *In angina.*] Diosc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 15. pag. 104. & 105.

19. *Qui coagulum lactis.*] Quibus haustum lac coagulatum fuerit, sive intus concreverit, sumptus ex aceto mulso silphii succus opitulatur, inquit Dioscor. loc. cit. Καὶ τοῖς γάλα τεθρομβωμένον ἰδὸν πιοῦσι, μετ' ὀξυμέλιτος ληφθεὶς βοηθεῖ.

20. *Syntecticis.*] Syntectica vitia, sive syntexes, συντήξεις, ad verbum colliquationes, consumptionesve, recte cum Tullio dixeris. In corpore nostro sic vocatur ex tabe quæ sensim fit consumptio, colliquefacta solida substantia. Ita affectos sæpe Plinius syntecticos vocat, συντηκτικούς.

21. *Comitialibus in vino.*] Diosc. loc. cit in aceto mulso, ἐπιληπτικοῖς μετ' ὀξυμέλιτος ληφθείς.

22. *Non censuerim, quod auctores suadent.*] Suadet Diosc. loco cit.

23. *Qua de re mox plura.*] Nempe sect. 56 hujus libri.

Sect. L. 1. *Illud ipsa.*] Laser Natura, mel apes fingunt.

2. *Ut diximus.*] Libro xi.

3. *Prima propolis.*] *Propolis, quam quidam sacram ceram vocant*, inquit Marcellus Empir. cap 15. pag. 111. forte ob eximios in medicina usus. De ea cum Plinio egimus, lib. xi. sect. 6.

4. *Aculeos .... extrahit.*] Pariter hæc Dioscor. lib. 2. cap. 106.

5. *Dura concoquit.*] Scribonius Largus, Compos. 82. *Malagma ad strumam & omnem duritiem mirificum. Idem ad mammarum muliebrium duritiam, & ad panniculos, & ad tubera .... Propolis, quam quidam ceram sacram vocant*, &c.

6. *Jam desperantia.*] Ita libri omnes: hoc est, jam desperata fere. Tamen in MSS. Reg. & Colb. *jam desperantia cicatricem, cludit.* Credo, rectius: quasi, quæ desierint sperare se coitura in cicatricem. Sic vitam desperare, apud Tullium legas, pro Milon. num. 57. Et Rempublicam desperare, lib. 12. Famil. Epist. 14.

Mellis quidem ipsius natura talis est, ut [7] putrescere corpora non sinat, jucundo sapore atque non aspero, alia quam salis natura. [8] Faucibus, tonsillis, anginæ, omnibusque oris desideriis utilissimum, arescentique in febribus linguæ. [9] Jam vero peripneumonicis, pleuriticis decoctum. [10] Item vulneribus, a serpente percussis. [11] Et contra venena fungorum. Paralyticis in mulso: quanquam suæ mulso dotes constant. [12] Mel auribus instillatur cum 5 rosaceo: [13] lendes & fœda capitis animalia necat. Usus despumati semper aptior: [14] stomachum tamen inflat, bilem auget, fastidium creat, & oculis per se inutile aliqui arbitrantur. [15] Rursus quidam angulos exhulceratos melle tangi suadent. Mellis causas, atque differentias, nationesque, [16] & indicationem, in apium, ac deinde florum natura diximus, cum ratio operis dividi cogeret miscenda rursus, naturam rerum pernoscere volentibus. 10

L I. In mellis operibus & [1] aqua mulsa tractari debet. Duo genera ejus: subitæ ac recentis, alterum inveteratæ. Repentina despumato melle præclaram utilitatem habet [2] in cibo ægrotantium levi, hoc est, [3] alicæ elutæ: [4] viribus recreandis, ore stomachoque mulcendo, ardore restrigerando: [5] Frigidam enim utilius dari ventri molliendo, invenio apud auctores. Hunc potum bibendum alsiosis: [6] item animi humilis & præparci, quos 15 illi dixere microψychos. Et est ratio subtilitatis immensæ a Platone descendens: corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideo non eadem omnibus amara aut dulcia esse. [7] Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & in siti. [8] Ergo & hæc animi asperitas, seu potius animæ, dulciore succo mitigatur. Lenit transitum spiritus, & molliores facit meatus, ne scindant 20 euntem redeuntemque. Experimenta in se cuique: nullius non ira luctusque, tristitia & omnis animi impetus cibo mollitur. Ideoque observanda sunt, quæ non solum corporum medicinam, sed & morum habent.

L I I. [1] Aqua mulsa & tussientibus utilis traditur, calefacta invitat vomitiones. [2] Contra venenum psimmythii salutaris, addito oleo. Item contra hyoscyamum, cum lacte maxime 25 asinino, & contra halicacabum, [3] ut diximus. Infunditur & auribus, & [4] genitalium fistulis. Vulvis imponitur cum pane molli, subitis tumoribus, luxatis, leniendisque omnibus. [5] Inveteratæ usum damnavere posteri, minus innocentem aqua, minusque vino firmum. Longa tamen vetustate transit in vinum, ut constat inter omnes, stomacho inimicissimum, nervisque contrarium. 30

L I I I. [1] Semper mulsum ex vetere vino utilissimum, facillimeque cum melle concorpora-

NOTÆ.

7. *Ut putrescere corpora.*] Huc placitum Democriti pertinet, quod ex Varrone retulimus, lib. 7. sect. 56. Babylonios melle corpora defunctorum condire solitos, Persas cera: testis est Herodotus, libro primo.

8. *Faucibus, tonsillis &c.*] Diosc. lib. 2. cap. 101.

9. *Jam vero peripneumonicis.*] Quo morbi genere teneantur ii, qui sic appellantur, Celsus explicat, lib. 4. cap. 7. *Ex pulmone*, inquit, *vehemens & acutus morbus oritur, quem περιπνευμονικὸν Græci vocant: Ejus hæc conditio est: Pulmo totus afficitur: Hunc ejus casum subsequitur tussis, bilem vel pus trahens: præcordiorum, totiusque pectoris gravitas, spiritus difficultas, magnæ febres, continua vigilia, cibi fastidium, tabes. Id genus morbi plus periculi, quam doloris habet.* Nos Pulmonicos vulgo appellamus.

10. *Item vulneribus.*] Diosc. lib. 2. cap 101. iis prodesse pariter scribit, quos serpentes momorderant.

11. *Et contra ... fungorum.*] Diosc. loc. cit.

12. *Mel auribus.*] Diosc loco cit. & Plinius Valer. libro 1. cap 9.

13. *Lendes & fœda.*] Diosc. loc. cit.

14. *Stomachum tamen*] Diosc loc. cit φυσῶδες νοσηλόν.

15. *Rursus quidam.*] Scribonius Largus, Compos. Med. 25. *Ad sordida hulcera oculorum, crustasque habentia, quas ἐσχάρας vocant: item carbunculos, quos ἄνθρακας dicunt, facit bene & per se mel Atticum, pyxide Cypria aris conditum, & repositum mensibus duobus, aut minus.* &c. Dioscor loc. cit melle purgari asseverat ea, quæ pupillis tenebras offundunt: Ἀποκαθαίρει δὲ τὰ ἐπισκοτοῦντα ταῖς κόραις.

16. *Et indicationem.*] Indicium pretii, notæ, ac bonitatis. *Indicatura* eo sensu dicitur, in Præfatione ad Vespasianum. De ea voce dicemus uberius, lib. 29. sect. 8. Cujus mel quodque notæ sit, indicasse se significat, lib xi. sect. 13. ubi apium natura describitur: mox & libro 21. sect. 44 sequentibusque, qui liber in explicanda florum natura versatur.

Sect. L I. 1. *Aqua mulsa.*] Aqua mulsa est, quæ melle concinnatur. Qua illa arte paranda sit, ex Columella disce, libro 12 cap. 12. pag. 420. Hydromeli Græci vocant, ut diximus lib. 14. sect 20.

2. *In cibo.*] Una cum cibo.

3. *Alica eluta.*] De alica diximus lib. 18. sect. 29. Alicæ elutæ iterum mentio inferius, sect. 61.

4. *Viribus recreandis, &c.*] Ad hos usus vetustiorem Dioscorides commendat, lib. 5. cap. 17. aut mediæ certe ætatis.

5. *Frigidam enim.*] Frigidam mulsam Diosc. lib. 5. cap. 17. Χρώμεθα δὲ τῷ μὴ ἀφεψηθέντι, ἐφ᾽ ὧν κοιλίαν μαλάξαι βουλόμεθα. *Cruda utimur, cum ventrem mollire volumus.* Sic fere Hippocrates quoque, lib. 2. de morbis, text. 12. pag. 43.

6. *Item animi humilis.*] Quos Græci μικροψύχους vocant. Vide Notas & Emend. num IX.

7. *Sic in lassitudine.*] Egregie in eam rem Seneca, lib. 3. de Ira, cap. 10. pag. 595. *Fames, inquit, & sitis ex iisdem causis vitanda est: exasperat enim & incendit animos. Vetus dictum est, A lasso rixam quæri: æque autem & ab esuriente, & a sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res urit. Nam ut hulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt, ita animus affectus minimis offenditur ..... Nunquam sine querela ægra tanguntur.*

8. *Ergo & .... dulciore succo.*] Sic etiam & vino, teste Horatio, lib. 1. Serm. 15. vers. 18.

Ad mare cum veni, generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret, &c.

Sect. L I I. 1. *Aqua mulsa.*] Hujus dotes Marcellus Empir. explanat, cap. 30. pag 214. Tussientibus præberi calefactam, frigidam vomituris, jubet Diosc. lib 5. cap. 17. Τῷ δὲ ἀφεψηθέντι ἐπὶ τῶν βησσόντων. Et paulo ante, Χρώμεθα δὲ τῷ μὴ ἀφεψηθέντι, ἐφ᾽ ὧν ἐμεῖν βουλόμεθα.

2. *Contra venenum*] Omnibus qui venenum quodvis hauserint, inquit Dioscor. loc. cit. ἐπὶ τῶν θανάσιμον πεπωκότων, διδόντες αὐτὸ μετ᾽ ἐλαίου.

3. *Ut diximus.*] Libro 21. sect. 105.

4. *Genitalium fistulis.*] *Ex hulceribus*, inquit Celsus lib. 5. cap. 28. *fistulæ oriuntur. Id nomen est hulceri alto, angusto, calloso. Fit in omni fere parte corporis habetque quædam in singulis locis propria*, &c. Ut Græci quoque σύριγγα vocant: Galli, une Fistule.

5. *Inveteratæ.*] Vide Hippocr. lib de victu in morbis acutis, text. 27. pag. 290.

Sect. L I I I. 1. *Semper mulsum*] Sic Diosc lib. 5 cap 16. Mulsum porro vinum est melle delinitum: potio ex vino ac melle confecta.

tur, [2] quod in dulci numquam evenit. [3] Ex austero factum non implet stomachum, neque ex decocto melle, minusque inflat, quod fere evenit. [4] Appetendi quoque revocat aviditatem cibi. [5] Alvum mollit frigido potu, pluribus calido sistit. [6] Corpora auget. Multi senectam longam [7] mulsi tantum nutritu toleravere, neque alio ullo cibo, celebri
5 [8] Pollionis Romilii exemplo. Centesimum annum excedentem eum Divus Augustus hospes interrogavit, quanam maxime ratione vigorem illum animi corporisque custodisset. At ille respondit: [9] intus mulso, foris oleo. Varro regium cognominatum [10] morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur.

L I V. [1] Melitites quo fieret modo ex musto & melle, docuimus in ratione vini. Sæ-
10 culis jam fieri non arbitror hoc genus, inflationibus obnoxium. [2] Solebat tamen inveteratum alvi causa dari in febre: item articulario morbo, & nervorum infirmitate laborantibus, & mulieribus vini abstemiis.

L V. Mellis naturæ annexa cera est: de cujus origine, bonitate, nationibus, [1] suis diximus locis. [2] Omnis autem mollit, calefacit, [3] explet corpora: [4] recens melior. [5] Da-
15 tur in sorbitione dysentericis, favique ipsi, in pulte alicæ prius tostæ. Adversatur lactis naturæ: [6] ac milii magnitudine decem grana ceræ hausta non patiuntur coagulari lac in stomacho. Si inguen tumeat, albam ceram in pube fixisse remedio est.

L V I. Nec hujus usus, quos mixta aliis præstat, enumerare medicina possit: sicuti nec ceterorum, quæ cum aliis prosunt. Ista, [1] ut diximus, ingeniis constant. Non fecit [2] ce-
20 rotum, [3] malagmata, emplastra, collyria, antidota, parens illa ac divina rerum artifex: officinarum hæc, immo verius avaritiæ commenta sunt. Naturæ quidem opera absoluta atque perfecta gignuntur: paucis ex causa, non ex conjectura, rebus assumptis, ut succo aliquo sicca temperentur [4] ad meatus: aut corpore alio humentia, [5] ad nexus. [6] Scrupulatim quidem colligere ac miscere vires, non conjecturæ humanæ opus, sed impudentiæ
25 est. Nos nec Indicarum Arabicarumque mercium, aut externi orbis, attingimus medicinas. Non placent remediis tam longe nascentia: non nobis gignuntur, immo ne illis quidem, alioqui non venderent. Odorum causa, unguentorumque; & deliciarum, si placet, etiam superstitionis gratia emantur, quoniam thure supplicamus & costo. Salutem quidem sine istis posse constare, vel ob id probabimus, ut tanto magis sui [7] delicias pudeat.
30 L V I I. Sed medicinas e floribus coronamentisque & hortensiis, quæque manduntur herbis, prosecuti, quonam modo frugum omittimus? Nimirum & has indicare conveniat.
* CAP. XXV. * In primis sapientissima animalium esse constat, quæ fruge vescantur. [1] Siliginis grana

NOTÆ.

2. *Quod in dulci*] In vino dulci, cui mox austerum opponitur, ex quo fit mulsum optimum.

3. *Ex austero.*] Iisdem fere verbis Dioscor loco citato. *Οἰνόμελι δὲ ἄριστον, τὸ ἐκ τοῦ παλαιοῦ οἴνου καὶ αὐστηροῦ, καὶ μέλιτος καλοῦ γεγονός· ἧττον γὰρ πνευματοῖ.* &c. Fuisse & istud Aufidii Epicurei placitum videtur, quod Horatius irridet, lib. 2. Satyr. 4. vers. 24.

Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose: quoniam vacuis committere venis
Nil, nisi lene, decet: leni præcordia mulso
Prolueris melius.

Et Satyr. 2. vers. 15.

Nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta.

4. *Appetendi quoque.*] Diosc. loc. cit.

5. *Alvum mollit.*] Diosc loc cit.

6. *Corpora auget.*] Et *θρεπτικὸν* ait esse Diosc. loc. cit.

7. *Mulsi tantum nutritu.*] Vide Notas & Emend. num X.

8. *Pollionis Romilii.*] Romilia gens nota Tullio, orat. 2. in Verrem.

9. *Intus mulso &c*] Id a Democrito Pollio didicerat: is enim interrogatus, quemadmodum incolumitas diuturna constaret, ac senecta longa, respondisse fertur: Si extera corporis oleo, interna melle maderent: *[illegible]* Auctor Diophanes in Geopon. lib. 15. cap. 7 pag. 417 & Athenæus, lib. 2. pag. 46.

10. *Morbum arquatum*] Hoc est, icterum. Scribonius Largus, Compos. 110. arquatum morbum, & auruginem, & regium morbum vocat. Arquatum quidem, sive arcuatum, ab arcu cælesti, cui quodam virore affinis. Auruginem pariter, a colore. Regium, a delicatiore genere cibi, mulso videlicet, quo curatur. Q. Serenus, cap. 59. pag. 161.

Regius est vero signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.

Celsus, lib. 3 cap 24. *Æque notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant...... Color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum..... Per omne vero tempus utendum est clauso loco, ludis, lascivia, per quæ mens exhilaretur: ob quæ regius morbus dictus videtur.* Vide Notas & Emend. num. XI.

Sect. LIV. 1. *Melitites .... docuimus.*] Libro 14. sect 11.

2. *Solebat tamen*] Quæ de melitite vino nunc dicuntur, ea verbis totidem refert Diosc. lib. 5 cap. 15.

Sect. LV. 1 *Suis diximus locis.*] Libro 11. sect. 8. & lib. 21. sect. 49

2. *Omnis autem.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 105.

3 *Explet corpora.*] Hulcera corporum carne replet. Dioscor. *σαρκωτικὸν μετρίως.*

4. *Recens melior.*] Diosc loc. cit.

5. *Datur in sorbitione &c*] Ad verbum ista quoque Marcellus Empir cap 27. pag 193. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 28. Item Diosc. loc. cit. Prævivit his omnibus Celsus, lib 4. cap. 19. de ventris fluxu: *Est pulticula etiam, cum qua paulum ex favo vetere coctum sit.*

6. *Ac milii magnitudine &c*] Diosc. loc cit.

Sect. L V I. 1. *Ut diximus.*] In fine sectionis 49

2. *Ceratum.*] Sive ceratum, Græcis *κηρωτὸν*, ut alibi diximus.

3. *Malagmata*] *Μαλάγματα* compositiones sunt ex rebus emollientibus concinnatæ, quæ concretas durities emolliant, sensimque per evaporationem discutiant. Materiam Corn. Celsus assignat, libro 5. cap 17. *Malagmata vero, atque emplastra, pastillique, quos τροχίσκους Græci vocant, cum plurima eadem habeant, differunt eo, quod malagmata maxime ex floribus, eorumque etiam surculis: emplastra pastillique magis ex quibusdam metallicis fiunt*, &c.

4. *Ad meatus.*] Ut labi facilius in altum corpus, ac permeare possint

5 *Ad nexus.*] Ad justam crassitiem, & ut vulgus loquitur, consistentiam.

6 *Scrupulatim*] MSS omnes, *scripulatim* · hoc est, usque ad singula scripula minute ac scrupulose medicamentorum pondera definire. Scripulum, vel scrupulum, ponderis nomen est; terna drachmam, denariumve efficiunt Fannius:

In scrupulos ternos drachmam · quo pondere doctis
Argenti facilis signatur pondus Athenis.
Uncia fit drachmis bis quatuor.

7. *Delicias.*] Homines delicatos.

Sect. L V I I. 1. *Siliginis grana &c.*] Plinius Valerianus, lib. 1. cap. 14.

combusta, & trita in vino ammineo, oculis illita epiphoras sedant: tritici vero, [1] ferro combusta iis, quæ frigus usserit, præsentaneo sunt remedio. Farina tritici ex aceto cocta, nervorum contractionibus: cum rosaceo vero, & fico sicca, myxisque decoctis, furfures tonsillis faucibusque gargarizatione prosunt. [3] Sextus Pomponius Prætorii viri pater, Hispaniæ citerioris Princeps, cum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua: levatusque siccatis pedibus mirabilem in modum, hoc postea remedio usus est. Vis tanta est, [4] ut cados plenos siccet. Paleam quoque tritici, vel hordei, calidam imponi [5] ramicum incommodis experti jubent, quaque decoctæ sunt aqua foveri. Est & in farre vermiculus teredini similis: quo cavis dentium cera incluso, cadere vitiati dicuntur: [6] etiam, si fricentur. [7] Olyram, arincam diximus vocari. [8] Hac decocta fit medicamentum, quod Ægyptii atheram vocant, infantibus utilissimum: [9] sed & adultos illinunt eo.

LVIII. [1] Farina ex hordeo & cruda & decocta collectiones, impetusque discutit, lenit, concoquitque. Decoquitur alias in mulsa aqua aut fico sicca. Jocineris doloribus cum posca concoqui opus est, aut cum vino. [2] Cum vero inter coquendum discutiendumque cura est, tunc in aceto melius, aut fæce aceti, aut in coroneis, pirisve decoctis. Ad multipedarum morsus cum melle: ad serpentium, in aceto: & contra suppurantia, [3] ad extrahendas suppurationes, ex posca, [4] addita resina & galla. [5] Ad concoctiones vero, & hulcera vetera, cum resina. [6] Ad duritias cum fimo columbarum, aut fico sicca, aut einere. Ad nervorum inflammationes, aut intestinorum, [7] vel laterum, vel virilium dolores, cum papavere aut meliloto, & quoties ab ossibus caro recedit. [8] Ad strumas cum pice & impubis pueri urina, cum oleo. Cum Græco feno [9] contra tumores præcordiorum, vel in febribus cum melle vel adipe vetusto.

[10] Suppuratis triticea farina multo lenior. [11] Nervis cum hyoscyami succo illinitur: ex aceto & melle, [12] lentigini. [13] Zeæ, ex qua alicam fieri diximus, efficacior etiam hordeacea videtur: [14] trimestris, mollior. Ex vino rubro ad scorpionum ictus tepida, & sanguinem excreantibus: item arteriæ. Tussi cum caprino sebo, aut butyro. [15] Ex feno Græco mollissima omnium. Hulcera manantia sanat, & furfures corporis, stomachi dolores, pedes & mammas cum vino & nitro cocta. [16] Ærina magis ceteris purgat hulcera vetera, & gangrænas: cum raphano & sale & aceto, lichenas: lepras cum sulphure vivo: & capitis dolores cum adipe anserino imposita fronti. [17] Strumas & panos coquit, cum fimo columbino & lini semine decocta in vino.

NOTÆ.

1. *Ferro combusta.*] In sartagine patinave ferrea. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 10. *de oculorum causis. Grana tritici in lamina ferri calida impones: & similiter ex succo qui manaverit, cum vino commixto, inungito.*

3. *Sextus Pomponius.*] Rem hanc ipsam, tacito viri, in quo id animadversum, nomine, versibus cecinit Q. Serenus, cap. de podagra depellenda:

> *Non audita mihi sit fas, sed lecta referre:*
> *Hoc quidam raptus morbo per tempora messis*
> *Vicino plantas frumenti pressit acervo,*
> *Evasitque gravem casu medicante dolorem.*

Et in hydropis pariter morbo *aliquos tritico sic tectos, juvatos esse* scribit Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 19.

4. *Ut cados plenos.*] Aqua aut vino plenos, acervis tritici defossos ac sepultos.

5. *Ramicum incommodis.*] Ramex hernia est, interprete Nonio. Vide quæ de enterocele diximus, lib. 20. sect. 13.

6. *Etiam si fricentur.*] Vel si ea cera vitiati dentes fricentur.

7. *Olyram .... diximus.*] Libro 18. sect. 20.

8. *Hac decocta fit medicamentum*] Fit pultis genus, in medicinæ usu perutile. E zea fieri Dioscorides sensit, lib. 2. cap. 114. Ἀθήρα δὲ ἐκ τῆς ἀληλεσμένης εἰς λεπτὸν ζειᾶς σκευάζεται. Subjicit deinde, quid athera sit: ἔστι δὲ ῥόφημα ὡς πολτάριον ὑγρὸν, παιδίοις ἁρμόδιον. *Est autem sorbitio, liquidæ pulticulæ instar, infantibus conveniens.* Quæ sunt Plinianis satis affinia. Cassianus, in Collat. 15. cap. 10. *Pulmentum, quod illi Ægyptii Monachi Atheram nominant.* Hesychio, pag. 33. Ἀθήρα, βρῶμα διὰ πυρῶν καὶ γάλακτος ἑψημένον παρ' Αἰγυπτίοις. *Edulium, quod Ægyptii ex tritico & lacte conficiunt.* Quin & ipsum far Ægyptii Atheram vocant, si Hieronymo credimus, in Genesim: *Moris est, inquit, Ægyptiorum siligini etiam far vocare, quod nunc corrupte Atheram nuncupant.*

9. *Sed & adultos illinunt.*] In cataplasmatis adhibetur: Ποιεῖ δὲ καὶ εἰς τὰ κηλαστικὰ πλάσματα, inquit Dioscorides, loco citato.

Sect. LVIII. 1. *Farina ex hordeo &c.*] Plinius Valerianus, lib. 3. cap 25.

2. *Cum vero.*] Cum anceps cura est, num maturanda collectio sit, an discutienda.

3. *Ad extrahendas suppurationes.*] Ad movendum pus. Diosc. lib. 2. cap 108 hordeaceæ farinæ cremorem eit ex aqua, cum pice oleoque decoctum, puri movendo idoneum esse: Χαλαστικὸν δὲ τὸ ἄλευρον σὺν ὕδατι, καὶ ἑψηθὲν σὺν πίσσῃ καὶ ἐλαίῳ, πυοποιεῖ.

4. *Addita resina & galla.*] Vide Notas & Emendationes num. XII.

5. *Ad concoctiones.*] Ad concoquendas duritias. Dioscor. lib 2. cap. 108 Συμπέσσει δὲ καὶ τὰς σκληρίας μετὰ πίσσης καὶ ῥητίνης, καὶ περιστερῶν κόπρου.

6. *Ad duritias.*] Subintellige, discutiendas. Dioscor. loco cit. Διαφορεῖ δὲ τὸ ἄλευρον αὐτοῦ μετὰ σύκων καὶ μελικράτου ἑψηθὲν, οἰδήματα καὶ φλεγμονὰς, &c. Transcripsit hunc locum Plinius Valer lib 3. cap. 25. & 27.

7. *Vel laterum, vel virilium.*] Vide Notas & Emendationes num. XIII.

8. *Ad strumas.*] Vide Notas & Emend. num. XIV.

9. *Contra tumores præcordiorum.*] Contra inflationes intestinorum, πρὸς ἐμπνευματώσεις ἐντέρων. Diosc. loc. cit.

10. *Suppuratis .... lenior.*] Lenior videlicet, & ad coquendum humorem, & ad dolorem mitigandum.

11. *Nervis, &c.*] Totidem verbis Dioscorides, lib. 2. pag. 107.

12. *Lentigini.*] Dioscor. loc. cit. Σὺν ὀξυμέλιτι δὲ φακοὺς αἴρει.

13. *Zeæ .... diximus.*] Libro 18. sect. 29.

14. *Trimestris ...*] Lenior, quam zea. De trimestri tritico diximus lib. 18. sect. 12.

15. *Ex feno Græco.*] Farina ex feno Græco. Hæc molliendi, discutiendi, ac dissipandi vim habet. Τὸ δὲ τῆς τήλεως ἄλευρον μαλακτικὴν καὶ διαφορητικὴν ἔχει δύναμιν. Diosc. lib. 2. cap. 124.

16. *Ærina.*] Farina e lolio, cui nomen αἶρα Græci perinde ac Latini fecere. Diosc. lib 2. cap. 122. Αἶρα ἡ γεννωμένη ἐν τοῖς πυροῖς, ἀλεσθεῖσα, δύναμιν ἔχει ἀνείργειν νομὰς, σηπεδόνας, καὶ γαγγραίνας, μετὰ ῥαφάνου καὶ ἁλῶν καταπλασσομένη· καὶ λειχῆνας ἀγρίους, καὶ λέπρας σὺν θείῳ ἀπύρῳ καὶ ὄξει θεραπεύει. *Lolium, quod inter triticeas segetes nascitur, quum molitum est, nomas, putrescentia hulcera, & gangrænam emarginandi vim habet, si cum raphano & sale imponatur. Feros vero lichenas & lepras, cum sulphure vivo & aceto sanat.*

17. *Strumas & panos.*] Dioscorides totidem verbis, loc. cit.

L I X. [1] De polentæ generibus in frugum loco satis diximus, [2] locorum ratione. A farina hordei distat eo quod torretur, ob id stomacho utilis. [3] Alvum sistit, impetusque rubicundi tumoris. Et oculis illinitur, & capitis dolori cum menta, [4] aut alia refrigerante herba. Item pernionibus, & serpentium plagis: [5] item ambustis ex vino. Inhibet quoque pusulas.

L X. [1] Farina in pollinem subacta, vim extrahendi humoris habet: [2] ideo & cruore suffusis in fascias usque sanguinem perducit: efficacius in sapa. [3] Imponitur & pedum callo, clavisque. Nam cum oleo vetere ac pice decocto polline, condylomata, & alia omnia sedis vitia, quam maxime calido mirabilem in modum curantur. Pulte corpus augetur. [4] Farina, qua chartæ glutinantur, sanguinem exscreantibus datur tepida sorbenda efficaciter.

L X I. Alica res Romana est, & non pridem excogitata: alioqui [1] non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci. Nondum arbitror Pompeii Magni ætate in usu fuisse, & ideo vix quidquam de ea scriptum ab Asclepiadis schola. [2] Esse quidem eximie utilem nemo dubitat, [3] sive eluta detur ex aqua mulsa, sive in sorbitiones decocta, sive in pultem. [4] Eadem in alvo sistenda torretur: dein favorum cera coquitur, [5] ut supra diximus. [6] Peculiariter tamen longo morbo ad tabitudinem redactis subvenit, ternis ejus cyathis in sextarium aquæ seusim decoctis, donec omnis aqua consumatur. Postea sextario lactis ovilli aut caprini addito per continuos dies, mox adjecto melle. Tali sorbitionis genere emendantur syntexes.

L X I I. [1] Milio sistitur alvus, discutiuntur tormina, in quem usum torretur ante. [2] Nervorum doloribus, & aliis fervens in sacco imponitur: neque aliud utilius: quoniam levissimum mollissimumque est, & caloris capacissimum. Itaque talis usus ejus est ad omnia, quibus calor profuturus est. [3] Farina ejus cum pice liquida, serpentium & multipedæ plagis imponitur.

L X I I I. [1] Panicum Diocles medicus mel frugum appellavit. [2] Effectus habet, quos milium. In vino potum prodest dysentericis. Similiter his [3] quæ vaporanda sunt, excalfactum imponitur. Sistit alvum in lacte caprino decoctum & bis die haustum: sic prodest & ad tormina.

L X I V. [1] Sesama trita in vino sumpta inhibet vomitiones. [2] Aurium inflammationi illinitur, & ambustis. [3] Eadem efficit, & dum in herba est. [4] Hoc amplius, oculis im-

NOTÆ.

Sect. L I X. 1. *De polenta .... diximus.*] Libro 18. sect. 14.

2. *Locorum ratione.*] Aliter enim Græci polentam, aliter Itali parant, ut dictum est loc. cit. Vide Notas & Emendat. num. X V.

3. *Alvum sistit.*] Dioscor. lib. 2. cap. 108. Τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν (κριθῶν) ἄλφιτον κοιλίας σταλτικὸν, καὶ φλεγμονῶν παρηγορικόν. Ibi enim ἄλφιτον legi oportere, non ἄλευρον, perspicuum est: quoniam de ἀλεύρῳ ante disseruit.

4. *Aut alia refrigerante.*] Menta nimirum urbana humiditatem aliquam ex satu cultuque traxit, cum sit alioqui per se, silvestris præsertim, calida, ut docet Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. cap. 7. pag. 176. Et ad ignem sacrum Apuleius adhibet, pag. 120. Igitur refrigeratrix est.

5. *Item ambustis ex vino.*] Ex aqua mavult Plinius Valer. lib. 3. cap. 36.

Sect. L X. 1. *Farina in pollinem.*] Pollen farinæ humore subactus Diosc. lib. 2. cap. 107. Ἡ δὲ ἐκ τῶν ἀλεύρων ζύμη θερμαντική ἐστι καὶ ἑλκτική, &c.

2. *Ideo & cruore.*] Ideo & iis qui partes lividas habent ob cruorem suffusum, sanguinem ea farina sic extrahit, ut fascias ipsas tingat, quibus ipsa involvitur.

3. *Imponitur & pedum, &c.*] Diosc. lib. 2. cap. 107. Τὰ ἐν πέλμασι λεπτύνει, καὶ τὰ ἄλλα φύματα, &c.

4. *Farina, qua charta.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 107. Plinius Valer. lib. 1. cap. 64. & Marcellus Empir. cap. 16. pag. 120.

Sect. L X I. 1. *Non ptisanæ potius.*] Alicæ potius, quam ptisanæ laudes scripsissent, si alicam nossent. Hippocratem Plinius designat, quem de ptisana volumen edidisse diximus lib. 18. sect. 15. Plinium nihilominus, tacito viri nomine, reprehendit Galenus, ad eum Hippocratis librum de ptisana, seu de victu in morbis acutis, tom. 12. pag. 14. Τοῖς ἀγνοοῦσι μηδέπω χόνδρον εἶναι κατὰ τοὺς Ἱπποκράτους χρόνους, &c. *Nam qui alicam Hippocratis temporibus nondum fuisse existimant, eorum inscitiam arguet, tum ex quibusdam Comicis vetustioribus qui alicæ meminere, tum etiam ex Hippocrate ipso, qui in libro de salubri victu alicæ mentionem fecit.* &c. Quin & libro de Affectionibus, περὶ παθῶν, tex. 39. alica robustior quam ptisana miliumque dicitur: χόνδρος δὲ, ὡς ἰσχυρότερον πτισάνης. Et tex. 42. alicam laudat, ptisanamque triticeam, χόνδρον καὶ πτισάνην πυρίνην· ταῦτα γὰρ τῶν ῥοφημάτων τὰ ἰσχυρότερα.

2. *Esse quidem ...... utilem.*] Et esse quidem inde ei nomen Festus testatur: *Alica enim dicitur, quod alit corpus.*

3. *Sive eluta detur.*] Sive eluatur in aqua mulsa, quæ detur deinde potui: sive decoquatur & percoletur, sorbeaturque is succus: sive denique in pultem coquatur. Alica & pro tritici genere accipi, ex quo puls, sorbitiove conficitur: & pro ipsa pulte ac sorbitione solet.

4. *Eadem in alvo.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 28. *Dysenteriæ compescendæ: Pulvis fit ex alica, tosta priusquam detur, in quem subigitur cera remissa.*

5. *Ut supra diximus.*] Sect. 55. ubi de cera: *Datur in sorbitione dysentericis: favique ipsi in pulte alica prius tosta.*

6. *Peculiariter ... ad tabitudinem.*] Ad tabem & phthisin. Vide Notas & Emend. num. X V I.

Sect. LXII. 1. *Milio sistitur, &c.*] Hæc totidem fere verbis Diosc. lib. 2. cap. 119. Celsus, lib. 2. cap. 30. *Alvum adstringit pulticula, vel ex alica, vel ex panico, vel ex milio, &c.*

2. *Nervorum doloribus*] Diosc. loc. cit. Συρρηθεὶς δὲ καὶ θερμαινόμενος ἐν σάκκοις πυριαθεὶς, στρόφοις καὶ ταῖς ἄλλαις ἀλγηδόσιν ἐστὶ βοήθημα, *torminibus, aliisque doloribus auxilio est.* Hydropicis similiter, teste Theod. Prisciano, lib. 2. parte 2. cap. 19. Item ischiadicis, cap. 21.

3. *Farina ejus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 57.

Sect. L X I I I. 1. *Panicum .... mel frugum.*] Μελίνην forsan Diocles, a melleo sapore dictum putavit. Μελίνην enimvero idem esse quod panicum, sive ἔλυμον e Græcis multi dixere, in quibus Galenus, lib. 1. de alim. fac. tom. 6. cap. 15. pag. 323. Et Festus, verbo *milium*. Alii diversum a panico genus constituunt, in quibus Theophrastus. Harpocration, verbo Μελίνη. Ἔνιοι μὲν ὡς εἶδος κέγχρου νομίζουσι τὴν μελίνην, ὅπερ τινὲς καλοῦσιν ἔλυμον· Θεόφραστος δὲ ἐν ἑβδόμῳ περὶ φυτῶν, ὡς διαφέροντα ταῦτα ἀναγράφει· Κέγχρον, ἢ Μελίνην, ἢ Ἔλυμον.

2. *Effectus habet.*] Diosc. lib. 2. cap. 120. Valet itaque ad sistendam alvum, ad tormina, &c.

3. *Quæ vaporanda.*] Quæ calore fovenda.

Sect. L X I V. 1. *Sesama.*] M S S. omnes, ut alias monuimus, *Sesima.*

2. *Aurium inflammationi, &c.*] Diosc. lib. 2. cap. 121.

3. *Eadem efficit.*] Diosc. loc. cit.

4. *Hoc amplius*] Subintellige, dum in herba est, efficit. Diosc. loc. cit. Ἡ δὲ πόα καθεψηθεῖσα ἐν οἴνῳ, &c.

ponitur decocta in vino. [5] Stomacho inutilis cibus, & animæ gravitatem facit. [6] Stellionum morsibus resistit. Item hulceribus, [7] quæ cacoëthe vocant, [8] & auribus, oleum, quod ex ea fit, prodesse diximus.

[9] Sesamoïdes a similitudine nomen accepit, grano amaro, folio minore. [10] Nascitur in glareosis. [11] Detrahit bilem in aqua potum. Semen illinitur igni sacro: discutit panos. 5
[12] Est etiamnum aliud sesamoïdes Anticyræ nascens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant: [13] cetera simile erigeronti herbæ, de qua suo dicemus loco: [14] granum sesamæ. Datur in vino dulci [15] ad detractiones, quantum tribus digitis capitur, miscentque ellebori albi unum & dimidium obolum, purgationem eam adhibentes, maxime insaniæ melancholicæ, comitialibus, podagricis. Et per se drachmæ pondere [16] exinanit. 10

LXV. Hordeum optimum, quod candidissimum. Succus decocti in aqua cælesti digeritur in pastillos, ut infundatur exhulceratis interaneis & vulvis. [1] Cinis ejus ambustis illinitur, & carnibus quæ recedunt ab ossibus, & eruptionibus pituitæ, muris aranei morsibus. Idem aspersо sale ac melle, candorem dentibus, & suavitatem oris facit. Eos qui pane hordeaceo utuntur, morbo pedum tentari negant. [2] Novem grana si furunculum quis circumducat, singulis ter, manu sinistra, & omnia in ignem abjiciat, confestim sanari aiunt. [3] Est & herba Phœnicea appellata Græcis, nostris vero hordeum murinum. Hæc trita e vino pota præclare [4] ciet menses. 15

LXVI. [1] Ptisanæ, quæ ex hordeo fit, laudes uno volumine condidit [2] Hippocrates, quæ nunc omnes in alicam transeunt. Contra quanto innocentior [3] alica? [4] Hippocrates tamen sorbitionis gratia laudavit, quoniam lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret, quoniam in alvo non intumesceret, quoniam facile redderetur, [5] & assuetis hic solus cibus in febri bis die possit dari: tantum remotus ab istis, qui medicinam fame exercent. [6] Sorbitionem tamen dari totam vetuit, [7] aliudve quam succum ptisanæ. 20

NOTÆ.

5. *Stomacho.*] Diosc. Σήσαμον κακοστόμαχον, καὶ δυσώδες ποιεῖ στόμα, ἐάν τι διαμασώμενον ἐμμείνῃ μεταξὺ τῶν ὀδόντων. *Sesama stomacho nocet, & animæ gravitatem facit, si quando commanducata dentium commissuris inhæserit.*

6. *Stellionum morsibus.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap 22. *de aspidum percussibus, vel scorpionum, ceterorumque serpentum: sesami folia, vel ipsum tritum, & appositum* prodest.

7. *Quæ cacoethe.*] Κακοήθη, hulcera maligna, insanabilia. De hoc hulcerum genere Celsum consule, lib. 5. cap. 28. tit. *de carcinomate.*

8. *Et auribus oleum.*] Oleum ex sesama fieri, dictum est lib. 15. sect. 7. Auribus id auxiliari dicetur inferius, lib. 23. sect. 49. Quare *dicemus* legi hoc loco forsan satius fuerit: ad utrumque enim morbum, qui nunc indicatur, sesaminum oleum conceptis ibi verbis commendat: *Sesaminum,* inquit, oleum *aurium dolores sanat, & hulcera quæ serpunt, & quæ cacoethe vocant.*

9. *Sesamoïdes*] Σησαμοειδὲς, iisdem a Diosc. verbis describitur, lib. 4. cap. 153. Officinis incognitum id grani, sive seminis genus.

10. *Nascitur in glareosis.*] Glareosa arva fere saxosa & sabulosa appellantur. Diosc. loc cit. ἐν τραχέσι dixit.

11. *Detrahit bilem . . . panos.*] Hæc ita fere Diosc. loco cit.

12. *Est etiamnum aliud.*] De quo Diosc. lib. 4. cap. 152. Σησαμοειδὲς τὸ μέγα ἐν Ἀντικύρᾳ ἐλλέβορον καλοῦσι, διὰ τὸ μίγνυσθαι ἐν ταῖς καθάρσεσι τῷ λευκῷ ἐλλεβόρῳ. *Sesamoïdes majus Anticyræ elleborum vocant, quoniam in purgationibus candido veratro admisceatur.* Galeno ideirco, lib. 8. de fac. simp. med. pag 227. Ἀντικυρικὸς ἐλλέβορος appellatur. Et illud pariter officinis herbariisque incognitum.

13. *Cetera simile.*] Sic Diosc. loc. cit. Ἔστι δὲ ἡ πόα ἠριγέροντι ὁμοία. De erigeronte, seu senecione dicemus lib. 25. sect. 106.

14. *Granum sesamæ.*] Subintellige, simile. Vide Notas & Emend. num XVII.

15. *Ad detractiones.*] Ad ejectiones bilis & pituitæ per vomitus & exscreationes. Diosc. loc. cit. Καθαίρει ἄνω φλέγμα τε καὶ χολήν, ὅσον τοῖς τρισὶ δακτύλοις λαβεῖν μεθ' ἐλλεβόρου λευκοῦ τριῶν ἡμιωβόλων, σὺν μελικράτῳ.

16. *Exinanit.*] Purgat per alvum, κατὰ κοιλίαν.

Sect. LXV. 1. *Cinis ejus.*] Addit Plinius Valer. lib. 3. cap. 36. ex albo ovorum illini.

2. *Novem granis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 32. iisdem verbis. Similis medicina & in cicercula ad verrucas inferius affertur, sect. 72. ad furunculos ipsos in faba, sect. 69.

3. *Est & herba Phœnicea.*] Ea Dioscoridi lib. 3. cap. 43. Φοῖνιξ appellatur, folio quam hordei breviore & angustiore, spica lolio simili. A Matthiolo recte pingi Anguillara testatur, par. 14. pag. 259.

4. *Ciet menses.*] E dulci vino pota fortassis: nam ea austero sistit, si Dioscoridem audimus, loc. cit.

Sect. LXVI. 1. *Ptisanæ.*] Accipiendum est ptisanæ nomen hoc loco, ut monet Lambinus in Horat. non pro succo, qui in potionem præbeatur, cujusmodi hodie fieri & percolari consuevit ex hordeo cocto, in qua nihil inest præter aquam, & hordei cremorem: sed pro pulte, in qua solidæ partes ipsius hordei manent, quæ dentur in cibum, *un Orge mondé.*

2. *Hippocrates.*] Vide quæ diximus lib. 18. sect. 15.

3. *Alica.*] Quæ uti ex hordeo ptisana, sic ipsa ex triticea farina concinnatur.

4. *Hippocrates tamen.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. non *tantum.* Verba nunc Hippocratis hæc sunt, lib. de victu in morbis acutis, text. 17. pag. 13. tom. 21. Πτισάνη μὲν οὖν μοι δοκεῖ ὀρθῶς προκεκρίσθαι τῶν σιτηρῶν γευμάτων . . . . τὸ γὰρ γλίσχρασμα αὐτῆς λεῖον, καὶ συνεχὲς, καὶ πρηΰ ἐστι, καὶ ὀλισθηρὸν, καὶ πλαδαρὸν μετρίως, καὶ ἄδιψον, καὶ εὐέκπλυτον, εἴ τι καὶ τούτου προσδέοι, καὶ οὔτε στύψιν ἔχει, οὔτε ἄραδον κακὸν, οὔτε ἀνοιδίσκεται ἐν τῇ κοιλίῃ, ἀνῴδηκε γὰρ ἐν τῇ ἑψήσει, ὁκόσον πλεῖστον ἐπεφύκει διοιδέειν. *Ptisana igitur triticeis edulios recte prælata fuisse mihi videtur. . . . Cremor enim ejus lævis, continuus, suavis, lubricus, & moderate humidus, sitim restinguit: & si quid eius indiguerit, id facile eluitur: neque adstrictionem habet ullam, neque pravam perturbationem, neque in alvo turgescit. Nam in elixatione, quoad maxime intumescere potuit, intumuit.*

5. *Et assuetis hic solus.*] Græca nunc Hippocratis hæc sunt, textu 19. pag. 19. Καὶ τοῖσι μέν γε εἰθισμένοισι δὶς σιτεῖσθαι τῆς ἡμέρης, δὶς δοτέον, &c. *Bis die cibum sumere consuetis ptisana danda est,* &c. Et text. 6. mane sumi ac vespere commode posse ait, ab iis potissimum qui tota ptisana uti consueverunt: Ξυμφέρει δὲ καὶ τοιάδε ἐς ἐπίδοσιν, τοῖσιν ὅλῃσι πτισάνῃσι χρεομένοισιν.

6. *Sorbitionem . . . . totam*] Hoc est, ptisanam solidam, nec colatam. Ptisanam enim Hippocrates, textu 30. pag. 25. sorbitionem & ipse vocat., ὑποκαταρρόφημα. Idem & a potu sorbitionem secernit, lib. de vet. med. tex. 12. pag 19. ubi ægros ait, quibus sorbitio gravior est, potu contentos esse oportere: Οἷσι δὲ μηδὲ τῶν ῥοφημάτων ἱκανῶς ἐπικρατέειν, ἀφεῖλον καὶ ταῦτα, καὶ ἀφίκοντο ἐς πόματα. Tota ergo cum dicitur, non colata intelligitur: quod & Galenus ipse admonuit, Comment. 1. ad lib. 1. Hippoc. de ptisana, pag. 22. tomo 21. Ἐάν τε ὅλην, ἐάν τε κριθώδη, ἐάν τε ἁπλῶς πτισάνην εἴπῃς, ἓν καὶ ταὐτὸν ἐν τοῖς τρισὶ σημαίνεται λέξεσιν, ὡς αὐτὴν ἀδιήθητον ὑποτιθέντων. Εἰ δέ τις ἕψων αὐτὴν διηθήσει, κᾆτα χωρὶς τὸν χυλὸν διδῷ, οὐδ' ὅλην πτισάνην, οὐδὲ κριθώδη πτισάνην, οὐδ' ἁπλῶς εἰρημένην πτισάνην ὁ τοιοῦτος δίδωσι, χυλὸν δὲ μόνον πτισάνης. *Sive totam, sive hordeaceam, sive ptisanam simpliciter dixeris, unum & idem his tribus dictionibus significatur, ptisanam unoquoque non colatam significante. Nam a decoctione si quis ipsam colaverit, deinde per se cremorem separaverit, illumque dederit: is neque tota ptisana, neque hordeacea ptisana, neque simpliciter dicta ptisana uti decitur, sed solo ptisanæ cremore.* Vide & textum 46. pag 35. ubi Hippocratis placita egregio suo Commentario Galenus illustrat. Adde & Commentarium hujus secundum, in tex. 19. pag. 49.

7. *Aliudve quam succum.*] Quam cremorem ptisanæ: τὸν

[8] Item quamdiu pedes frigidi essent, tunc nec potionem dandam. Fit & ex tritico glutinosior, arteriæque exhulceratæ utilior.

L X V I I. Amylon hebetat oculos, gulæ inutile, [1] contra quam creditur. [2] Item sistit alvum, [3] epiphoras oculorum inhibet, & hulcera sanat: item pusulas, & fluxiones sanguinis. Genas duras emollit. [4] Datur cum ovo his qui sanguinem rejecerint. In vesicæ vero dolore, semuncia amyli cum ovo, [5] & passi tribus ovis suffervefacta, a balineo. Quin & avenacea farina decocta in aceto nævos tollit.

L X V I I I. Panis hic ipse, quo vivitur, innumeras pæne continet medicinas. [1] Ex aqua & oleo aut rosaceo mollit collectiones, ex aqua mulsa duritias valde mitigat. Datur & ex vino ad discutienda [2] quæ præstringi opus sit: & si magis etiamnum, ex aceto, adversus acutas pituitæ fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant: item ad percussa, luxata. Ad omnia autem hæc [3] fermentatus, qui vocatur autopyros, utilior. Illinitur & paronychiis, & callo pedum in aceto. [4] Vetus aut nauticus panis tusus, atque iterum coctus, sistit alvum. Vocis studiosis, & contra distillationes, [5] siccum esse primo cibo, utilissimum est. [6] Sitanius (hoc est, e trimestri) [7] incussa in facie, aut [8] desquamata, cum melle aptissime curat. Candidus ægris, aqua calida frigidave madefactus, levissimum cibum præbet. [9] Oculorum tumori ex vino imponitur. Sic & pusulis capitis, aut adjecta arida myrto. [10] Tremulis panem ex aqua esse jejunis statim a balineis demonstrant. Quin & gravitatem odorum in cubiculis ustus emendat: & vini, [11] in saccos additus.

L X I X. Auxiliatur & faba. [1] Namque solida fricta, fervensque in acre acetum conjecta, torminibus medetur. [2] In cibo fressa, & cum allio cocta, contra deploratas tusses, [3] suppurationesque pectorum, quotidiano cibo sumitur: & commanducata jejuno ore, etiam ad furunculos maturandos discutiendosve imponitur: [4] & in vino decocta, ad testium tumores, & genitalium. [5] Lomento quoque ex aceto decocto, tumores maturat atque aperit: item [6] livoribus, combustis medetur. [7] Voci eam prodesse, auctor est M. Varro. [8] Fabalium etiam siliquarumque cinis, ad coxendices, [9] & ad nervorum veteres

N O T Æ.

χυλὸς, sive τὸ ποτὸν μόνον, ἄνευ ῥοφημάτων, solum potum sine sorbitionibus, hoc est, sine ptisana solida.

8. *Item quamdiu.*] Verba hæc sunt Hippocratis, text. 45. pag. 34. tom. XI. Ὅταν μὲν οἱ πόδες ψυχροὶ ἔωσι, ἀπέχεσθαι χρὴ τοῦ ῥοφήματος διδόναι, μάλιστα δὲ καὶ τοῦ ποτοῦ ἀπέχεσθαι. *Quum pedes frigidi fuerint, sorbitionis* (ptisanæ) *exhibitionem prohibere oportet: maxime vero & a potu temperandum est.* Ac rursum: πόδες δὲ ψυχροὺς ἐόντας, μήτε ποτὸν, μήτε ῥόφημα, μήτ' ἄλλο μηδὲν δίδου τοιοῦτο, &c.

Sect. L X V I I. 1. *Contra quam creditur.*] Recentiores, credo, ævi sui medicos sugillat, quos Dioscorides tamen est secutus, qui lib. cap. 123. τὰς περὶ ἀρτηρίαν τραχύτητας, gulæ, sive arteriæ, sive faucium asperitates lenire amylum scribit.

2. *Item sistit alvum.*] Auctor libri de simp. med. ad Patern. inter opera Galeni, tom. 13. pag. 984. *Potest amylum,* inquit, *leniter stringere: propter quod collyriis ad lacrymam facientibus miscetur, & ad profluvium ventris prodesse comprobatur.*

3. *Epiphoras,* &c.] Diosc. lib. 2. cap. 123. Ποιεῖ δὲ πρὸς ὀφθαλμοὺς ῥεύματα, καὶ κοιλότητας, καὶ φλυκταινίδας. *Efficax est contra oculorum fluxiones, cava hulcera, pusulasque.*

4. *Datur cum ovo.*] Ita recte codex Reg. 2. & Colb. 3. In quibusdam aliis, *cum opio*, male.

5. *Et passi tribus ovis.*] Et passi tantumdem, quantum trium ovorum putamine continetur. Vide Notas & Emend. num. X V I I I.

Sect. L X V I I I. 1. *Ex aqua mulsa.*] Diosc. lib. 2. cap. 107. Duritias porro intellige, quales sunt parotides, de quibus Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 8. *Ex pane mundo, cum oleo infuso, contritoque cataplasmentur.*

2. *Quæ præstringi.*] Quæ coerceri opus sit, ut fluxiones pituitæ, seu ῥεύματα.

3. *Fermentatus.*] Qui fermentatus sit, & simul αὐτόπυρος. Hoc est, ut Celsus loquitur, lib. 2. cap. 29. & fermentatus simul & cibarius. Meminit panis αὐτοπύρου Athenæus, lib. 3. cap. 110. Is est, cui nihil furfuris ademptum est, teste Celso, lib. 2. cap. 18. Cicero, & Celsus cibarium panem transtulere.

4. *Vetus aut nauticus.*] Plinius Valer. qui hæc transscripsit, navalem panem appellat, lib. 2. cap. 27. Galli Biscoctum, *Biscuit.* Habet eadem Dioscor. lib. 2. cap. 107. Celsus, lib. 2. cap. 30. *Contra, alvum adstringunt, panis ex siligine, vel ex simila, magis si sine fermento est, magis etiam si ustus est, intenditurque vis ejus etiam, si bis coquitur.*

5. *Siccum esse primo cibo.*] Julius Capitolinus, in Antonino Pio, pag. 22. *Senex etiam, antequam salutatores venirent, panem siccum comedit ad sustentandas vires.* Panis siccus est, qui citra potum sumitur. Id veterum jentaculum fuit. Hanc apud Lucianum, ἀριστᾶν, *jentare.*

6. *Sitanius.*] Subintellige, panis. Σητάνιος & σητάνειος Græcis, ut diximus, lib. 18. sect. 12.

7. *Incussa in facie.*] Percussa in facie, inquit Plinius Valer. hæc transscribens, lib. 3. cap. 47.

8. *Desquamata.*] Cutem in squamæ modum perstrictam.

9. *Oculorum tumori.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 10. *de oculorum causis: Panis mundus vino infusus, & cum oleo roseo tritus, sæpe oculos liberavit.* Ante hos Celsus, lib. 6. cap. 6. tit. *Ad oculos scabros: Succurrit his & aridæ lippitudini, si quis panem ex vino subactum super oculum imponit,* &c.

10. *Tremulis.*] Quibus artus tremunt.

11. *In saccos.*] Per quos vinum saccatur, sive colatur, ut diximus lib. 14. sect. 28. & lib. 18. sect. 17.

Sect. L X I X. 1. *Namque solida.*] Hæc totidem verbis Marcellus Empiricus, cap. 27. pag. 196.

2. *In cibo fressa.*] Hoc est, fracta. Græcis, ἔτνος κυάμινον, *puls fabacea.* Vide Voss. in Etymol. verbo *Frendeo.* Hæc Marcellus Empir. cap. 16. pag. 118. exscripsit ad verbum.

3. *Suppurationesque.*] Quas purulentas exscreationes interpretor, cum Plinio altero Valer. lib. 1. cap. 58. *Faba fricta desecta, eaque faba in cibo vel ex melle sumpta, & tussi, & purulentis exscreationibus medetur.*

4. *Et in vino decocta &c.*] Marcellus Empir. cap. 33. pag. 230. Q. Serenus, cap. 37. pag. 149.

Et tumidos testes Nereia lympha coërcet,
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.

Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 24. *Faba in vino cocta, aut in melicrato cum melle trita, fervores testium vel indignationes curat.*

5. *Lomento quoque.*] Lomentum farina fabacea est. Hac pariter ex aceto decocta Marcellus Empiricus utitur ad podagram leniendam, cap. 36. pag. 246. quoniam educit sanguinem, & dolorem levat. Q. Serenus coriandrum pro aceto substituit, cap. 41. pag. 151.

Mollis odorato faba jungatur coriandro:
Proderit appositum, mollitque aperitque tumorem.

6. *Livoribus.*] Ad nigredinem, maculasque vultus farinam de faba Marcellus Empiricus adhibet, cap. 19. pag. 131.

7. *Voci eam prodesse.*] Inde fabarii olim cantores vocati. Rabanus Maurus, lib. 2. de instit. Cleric. cap. 48. *Antiqui pridie quam cantandum erat, cibis abstinebant: pallentia tantum legumina causa vocis sumebant: unde & vulgo Cantores Fabarii dicti sunt. Si ergo hoc apud Gentiles tantum servanda vocis causa agebatur,* &c. Rabano præivit Isidorus, lib. 2. de divinis offic. cap. 2. *Antiqui pridie quam cantandum erat, cibis abstinebant: psallentes tamen* (ex Rabano malim, *pallenti tantum*) *legumine in causa vocis assidue utebantur. Unde & cantores apud gentiles fabarii dicti sunt.*

8. *Fabalium.*] Fabalia sunt fabarum culmi. Stipulas fabales appellat Ovidius, lib. 4. Fastor. vers. 725.

9. *Et ad nervorum.*] Galenus, lib. 7. de facult. simp. med. pag. 198.

dolores

dolores [10] cum adipis fuilli vetustate prodest. [11] Et per se cortices decocti ad tertias sistunt alvum.

L X X. [1] Lens optima, quæ facillime coquitur, & ea quæ maxime aquam absorbet. Aciem quidem oculorum obtundit, & stomachum inflat: [2] sed alvum sistit in cibo, magisque discocta cælesti aqua: eadem solvit, minus percocta. [3] Crustulas hulcerum rumpit, [4] eaque quæ intra os sunt, purgat & adstringit. [5] Collectiones omnes imposita sedat, maximeque exhulceratas & rimosas. [6] Oculorum autem epiphoras cum meliloto, aut cotoneo. [7] Contra suppurantia cum polenta imponitur. [8] Decoctæ succus ad oris exhulcerationes & genitalium adhibetur: [9] ad sedem, cum rosaceo aut cotoneo. [10] In his, quæ acrius remedium exigant, cum putamine Punici, melle modico adjecto. Ad id demum, ne celeriter inarescat, adjiciunt & betæ folia. [11] Imponitur & strumis panisque, vel maturis vel maturescentibus, ex aceto discocta. [12] Rimis ex aqua mulsa: & gangrænis cum Punici tegmine. [13] Item podagris cum polenta, & vulvis, & renibus, [14] pernionibus, [15] hulceribus difficile cicatricem trahentibus. [16] Propter dissolutionem stomachi triginta grana lentis devorantur. [17] In choleris quoque & dysenteria efficacior est in tribus aquis cocta: in quo usu melius semper eam torrere ante, & tundere, ut quam tenuissima detur, vel per se, vel cum cotoneo malo, aut piris, aut myrto, aut intubo erratico, aut beta nigra, aut plantagine. [18] Pulmoni est inutilis, & capitis dolori, nervosisque omnibus, & felli: [19] nec somno facilis: [20] ad pusulas utilis, ignique sacro, [21] & mammis in aqua marina decocta: [22] in aceto autem duritias & strumas discutit. Stomachi quidem causa, polentæ modo potionibus inspergitur. [23] Quæ sunt ambusta, aqua semicocta curat, postea trita, & per cribrum effuso furfure, mox procedente curatione addito melle. Ex posca coquitur ad guttura. [24] Est & palustris lens per se nascens in aqua non profluente, refrigeratoriæ naturæ: propter quod [25] collectionibus illinitur, [26] & maxime podagris, [27] & per se, & cum polenta: glutinat & [28] interanea procidentia.

NOTÆ.

10. *Cum adipis fuilli vetustate.*] Hoc est, adipe vetusto. Sic lib. 21. sect. 74. hulcerum vetustatem, pro vetustis hulceribus dixit. Libro 24. extremo. *Nunc claritas herbarum dicetur*, pro herbis clarioribus. Libro vero 28. sect 18. obstetricum nobilitatem pro *nobiles obstetrices*. Claritates animalium pro *clariora animalia*, sect. 24 ejus libri.

11. *Et per se cortices.*] Fabarum videlicet. Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 27. & Marcellus Empir. cap. 27. pag. 195.

Sect. L X X. 1. *Lens optima.*] Quæ tota hac sectione de sativa lente referuntur, usque ad ea verba, *Est & palustris lens*, totidem ferme verbis exstant apud Dioscor. lib 2. cap. 129.

2. *Sed alvum sistit &c.*] Præter Dioscoridem refert hoc etiam Galenus lib. 1. de alim fac. cap. 18 pag. 323. tomo 6. & lib. 8 de fac. simp. med. pag. 238 Plinius quoque Valer. lib. 2. cap 23. aliique. Et priores quidem, detracto cortice discoqui accurate jubent, prima aqua inter coquendum effusa: quod primum illius decoctum alvum solvit.

3. *Crustulas hulcerum.*] Crustam ducere hulcus dicitur, quando solidatur. Vide Notas & Emendationes, num. X I X.

4. *Eaque quæ intra os.*] Oris hulcera. Dioscor. lib. 2. cap. 129. καὶ ἕλκη στοματικά. In solo Chifl. cod. *purgat & abstergit.*

5. *Collectiones.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 25. & Dioscor. loc. cit.

6 *Oculorum.*] Dioscor. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 4. *Ad oculorum epiphoras & tumores, . . . lenticula cum cotoneis cocta, & una trita adjuvat.*

7. *Contra suppurantia.*] Ne tumores suppurent. Plinius Valer. lib. 3 cap. 22. de lente: *Intra suppurantia cum polenta decocta imponitur.* Lege, *contra suppurantia.* Nam, ut idem admonet, cap. 27. *lens ipsa cum melle imposita, prohibet suppurare.*

8. *Decocta succus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 22.

9. *Ad sedem.*] Ad sedis inflammationes, πρὸς φλεγμονὰς δακτυλίου, Dioscor. lib 2. cap. 129.

10. *In his quæ acrius*] Scribonius Largus, Compos. 234. *Ad veretri tumorem lens ex aqua cocta, & trita, rosaceo oleo mixta prodest. Si major tumor erit, mali granati corium ex aqua coctum & tritum, lenticula pari pondere admiscere oportet.*

11. *Imponitur & strumis.*] Plinius Valer. iisdem verbis, lib. 3. cap. 27.

12. *Rimis . . . gangrænis &c.*] Diosc. lib. 2. cap. 129.

13. *Item podagris &c.*] Diosc loc. cit. Παρηγορεῖ δὲ καὶ ποδάγρας σὺν ἀλφίτῳ ἑψηθεῖσα καὶ ῥαγάδας καὶ καταπλασθεῖσα.

14 *Pernionibus.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap 28. de pernionibus: *Et lenticula cocta & trita cataplasma proderit.*

15. *Hulceribus difficile*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 25.

16. *Propter dissolutionem.*] Contra subversionem stomachi ἀνατρεπομένῳ στομάχῳ, Diosc. loc. cit. cum nempe stomachus in vomitiones effunditur.

17. *In choleris quoque.*] Describit hunc morbum Celsus, lib. 4. cap xi. *Facienda*, inquit, *mentio est cholera, quia commune id stomachi, atque intestinorum vitium videri potest. Nam simul & dejectio & vomitus est: præterque hæc, inflatio est, intestina torquentur, bilis supra infraque erumpit . . . Ergo ne nomine morbum hunc χολέραν Græci nominarunt &c.* Ἀπὸ τῆς χολῆς deductum nomen putat, qui communis medicorum error a Constantino in Lexico contigitur. Ῥεῦμα τῆς κοιλίας fluxionem alvi simpliciter nuncupat lib 2. cap. 129. ubi hæc ipsa remedia totidem ferme verbis afferuntur.

18. *Pulmoni, &c.*] Dioscor. ad verbum, loc. cit.

19. *Nec somno.*] Quia somnia tumultuosa facit, inquit Dioscor. loc cit. Ἔστι δὲ δυσόνειρος.

20. *Ad pusulas.*] Pustulas prohibere lenticulæ farinam cum melle aut vino, auctor est Celsus, lib. 5. cap 27. Diosc. loc. cit. Πρὸς δὲ φλυκταίνας καὶ ἐρυσιπέλατα. De igne sacro, concinit & alter Plinius Valer lib 3. cap 34.

21. *Et mammis.*] Ad mammas grumoso, concretoque lacte turgentes, nimiumque distentas, πρὸς γάλα θρομβούμενον μαστοῖς, καὶ σπαργώσαις.

22. *In aceto autem.*] Cervicis rigorem (opisthotonon vocant) ita discuti, Q. Serenus cecinit, cap 17 pag. 135.

23. *Quæ sunt ambusta.*] Explicatius paulo Plinius Valer. lib 3. cap. 36. *Ambustis sanandis: Lens ex aqua semicocta imponitur: procedente vero curatione lens cruda conteritur, ejectoque furfure ejus, decoquitur, & sic imponitur: & postea mel adjicitur* Sic & Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17. *De ustione calida, vel ignis.*

24. *Est & palustris.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap. 14. & Diosc. lib. 4 cap. 88. Φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων εὑρισκόμενος, ἐπὶ τῶν στασίμων ὑδάτων, βρύον ἐστὶν ὅμοιον φακῷ. *Lens palustris in aquis pigris stagnantibusque reperitur, muscus videlicet lenticulæ similis* Vidimus in horto Regio, qualis a Dodonæo pingitur, pag. 576 *Lentille d'eau.*

25. *Collectionibus.*] Collectiones videntur humores esse ex collecta pituita vel sanguine, cum inflammatione interdum conjunctæ. Diosc. loc cit. inflammationibus mederi lentem palustrem dixit, πάσαις φλεγμοναῖς. Neque nunc modo, sed & sæpius, ubi Plinius *collectiones* habet, œdemata οἰδήματα fere appellantur, hoc est, molles tumores, laxioresque, ac sine dolore.

26. *Et maxime podagris.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 14. & Marcellus Empir cap. 36. pag. 250.

27. *Et per se.*] Hoc est, sola.

28 *Interanea procidentia.*] Ἐντεροκήλας Græci vocant, descensum intestinorum in alterum naturæ locum. Diosc. loc. cit. Παρηγορεῖ δὲ καὶ ἐντεροκήλας τὰς ἐπὶ παιδίων.

LXXI. [1] Est silvestris & elelisphacos dicta a Græcis, [2] ab aliis sphacos. Ea est sativa lente levior, & folio minore, atque ficciore, & odoratiore. [3] Est & alterum genus ejus silvestrius, odore gravi: hæc mitior. [4] Folia habet cotonei mali effigie, sed minora & candida, [5] quæ cum ramis decoquuntur. [6] Menses ciet & urinas: & pastinacæ ictus sanat.
5 Torporem autem obducit percusso loco. Bibitur cum absinthio ad dysenteriam. Cum vino eadem commorantes menses trahit: abundantes sistit decocto ejus poto. [7] Per se imposita herba vulnerum sanguinem cohibet. Sanat & serpentium morsus. [8] Et si in vino decoquatur, pruritus testium sedat. Nostri, qui nunc sunt, herbarii elelisphacon Græce, [9] Latine salviam vocant, mentæ similem, canam, odoratam. Partus emortuos ea
10 apposita extrahunt: item vermes aurium hulcerumque.

LXXII. [1] Cicer & silvestre est, foliis sativo simile, odore gravi. Si largius sumatur, alvus solvitur, & inflatio contrahitur, & tormina. Tostum salubrius habetur. [2] Cicercula etiamnum magis in alvo proficit. Farina utriusque hulcera manantia capitis sanat, efficacius silvestris. Item comitiales, & jocinerum tumores, & serpentium ictus.
15 [3] Ciet menses & urinas, grano maxime. [4] Emendat & lichenas, & testium inflammationes, regium morbum, hydropicos. Lædunt omnia hæc genera exhulceratam vesicam, & renes. Gangrænis utiliora cum melle, & his quæ cacoëthe vocantur. [5] Verrucarum in omni genere prima Luna singulis granis singulas tangunt, eaque grana in linteolo deligata post se abjiciunt, ita fugari vitium arbitrantes. [6] Nostri præcipiunt arieti-
20 num in aqua cum sale discoquere, ex eo bibere cyathos binos in difficultatibus urinæ. [7] Sic & calculos pellit, [8] morbumque regium. Ejusdem foliis sarmentisque decoctis, aqua quam maxime calida morbos pedum mollit, & ipsum calidum tritumque illitum. [9] Columbini decocti aqua, horrorem tertianæ & quartanæ minuere creditur. Nigrum autem cum gallæ dimidio tritum, oculorum hulceribus ex passo medetur.

25 LXXIII. [1] De ervo quædam in mentione ejus diximus: nec potentiam ei minorem veteres, quam brassicæ tribuêre. [2] Contra serpentium ictus ex aceto, ad crocodilorum hominumque morsum. [3] Si quis ervum quotidie jejunus edat, lienem ejus absumi certissimi auctores affirmant. [4] Farina ejus varos, sed & maculas toto corpore emendat. [5] Serpere hulcera non patitur: in mammis efficacissimum. [6] Carbunculos rum-
30 pit ex vino. [7] Urinæ difficultates, inflationem, vitia jocineris, tenesmon, & [8] quæ cibum non sentiunt, atropha appellata, tostum, & in nucis avellanæ magnitudinem melle collectum devoratumque corrigit: item impetigines, ex aceto coctum & quarto die solutum. [9] Panos in melle impositum suppurare prohibet. [10] Aqua decocti perniones & pruritus sanat fovendo. [11] Quin & universo corpori, si quis quotidie jejunus biberit, meliorem

NOTÆ.

Sect. LXXI. 1. *Est & silvestris.*] Ex affinitate nominis occasione sumpta, de elelisphaco nunc sermonem instruit, quod lenti scilicet, quæ Græcis φακὸς dicitur, proximam habuerit appellationem, σφακός. Nam re forma, dotibusque, immensum quantum a lente dissidet. Herbariis nostris incognita.

2. *Ab aliis sphacos.*] Vide Notas & Emendationes, num. XX.

3. *Est & alterum genus.*] Perinde officinis, herbariisque ignotum. Ut nunc *silvestrius*, sic lib. 16. sect. 30 *silvestriora* dixit.

4. *Folia habet.*] Ita fere Diosc loc. cit. de elelisphaco. Unde perspicuum est non hanc esse salviam Latinorum, cui folia non sunt cotonei mali effigie, sed mentæ potius, ut Plinius recte animadvertit, post Cratevam scilicet, cujus sententiam comprobat, tum ipsa experientia, tum etiam Anguillara, part. 12. pag. 201. ubi hæc scriptoris Græci verba recitat: φύλλα ἔχει ὅμοια τῷ ἡδυόσμῳ.

5. *Quæ cum ramis.*] Diosc loc. cit. de elelisphaco.

6. *Menses ciet &c.*] Diosc. loc. cit.

7. *Per se imposita.*] Diosc loc. cit.

8. *Et si in vino.*] Diosc. loc. cit.

9. *Latine salviam.*] Galli nostri saugiam vocant, *de la Sauge*. Pingitur a Dodonæo, pag. 288.

Sect. LXXII. 1. *Cicer & silvestre.*] Ἄγριος ἐρέβινθος apud Græcos: apud recentiores nullum adhuc certum nomen invenit. Pictum vide apud Dodon. pag. 516. Dioscor. totidem verbis, lib. 2. cap. 126 Γίνεται δὲ καὶ ἄγριος ἐρέβινθος ὅμοιος τοῖς φύλλοις τῷ ἡμέρῳ, ὀσμῇ δριμύς, &c.

2. *Cicercula.*] Cicerculam Plinius pro cicere sæpe dixisse, ipsumque id legumen intellexisse, quod ἐρέβινθον Græci vocant, jam superius monuimus, lib. 18. sect. 32. De sativi ciceris facultate ad bonam alvum faciendam, Dioscorides suffragatur, loc. cit. Ἐρέβινθος ὁ ἥμερος, εὐκοίλιος, &c.

3. *Ciet menses &c.*] Dioscor lib. 2. cap 126.

4. *Emendat.*] Hæc totidem verbis Diosc. loc cit.

5. *Verrucarum.*] Totidem verbis hæc rursum Dioscor. loc. citato.

6. *Nostri præcipiunt.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 39. *Cicer arietinum*, inquit, *in aqua discoquitur cum sale, & ex ea aqua bibuntur bini cyathi per triduum in difficultate urinæ.* Marcellus Empir. cap. 26. pag. 181. *Cicer arietinum in aqua decoquito cum sale, eamque strangurioso ad binos cyathos bibendam dato.*

7. *Sic & calculos.*] Plinius Valer loc. cit.

8. *Morbumque regium.*] Plinius Valer loc. cit.

9. *Columbini.*] Ciceris columbini, de quo lib. 18 sect. 32.

Sect. LXXIII. 1. *De ervo ... diximus.*] Libro 18. sect. 38.

2. *Contra serpentium*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. Diosc. lib. 2. cap 131. Σὺν οἴνῳ καταπλασσόμενον, καὶ ἀσπιδόδηκτα, καὶ ἐχιόδηκτα θεραπεύει, καὶ ἀνθρωπόδηκτα.

3. *Si quis ervum.*] Carmine id Q. Serenus expressit, cap. 24. pag 140.

Nonnulli memorant consumi posse lienem,
Ervum si semper jejuno sumpseris ore.

4. *Farina ejus varos.*] Diosc. loc. cit Vari apud Celsum lib. 6. cap. 5 maculæ sunt in facie, ut lenticulæ, & ephelides. Plinius lib. 23. sect. 16. *Vitia cutis in facie, varosque, & lentigines, & sugillata emendat, &c.* Vide Notas & Emend. num. XXI.

5. *Serpere hulcera.*] Marcellus Empir. cap. 4. pag 42. Plinius Valer lib. 3. cap. 22. & Diosc. loc. cit Vide & Celsum, lib. 5. cap. 28 tit. *de fistulis.*

6. *Carbunculos.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 30. Diosc. loc. cit. Theod Priscianus, lib. 1. cap 18. *de carbunculis. Ervi pulvis cum vino tritus.*

7. *Urinæ &c.*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

8 *Quæ cibum non sentiunt.*] Quæ non aluntur cibo. Quæ nutritionem a cibo non sentiunt. De hac ἀτροφίᾳ nos opportunius, lib. 28 sect. 33. Dioscor. loc cit Ἁρμόζει δὲ καὶ τοῖς ἀτροφοῦσι, καρύου μέγεθος φρυγέντα ληφθὲν σὺν μέλιτι.

9. *Panos in melle.*] Marcellus Empir cap 32. pag. 224. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 27. *Panos cum melle &c.*

10. *Aqua decocti.*] Ad verbum Diosc. loc. cit.

11. *Quin & universo.*] Diosc. loc. cit.

fieri colorem existimant. Cibis idem hominis alienum. [22] Vomitiones movet, alvum turbat, capiti & stomacho onerosum. [23] Genua quoque degravat. Sed madefactum pluribus diebus, mitescit: [24] bubus jumentisque utilissimum. [25] Siliquæ ejus virides, prius quam indurescant, cum suo caule foliisque contritæ, capillos nigro colore inficiunt.

LXXIV. [1] Lupini quoque silvestres sunt, omni modo minores sativis, præterquam amaritudine. Ex omnibus quæ eduntur, sicco nulli minus ponderis est, nec plus utilitatis. Mitescunt cinere aut aqua calidis. Colorem hominis frequentiores in cibo exhilarant: amari contra aspidas valent. [2] Hulcera atra, aridi decorticatique triti, supposito linteolo, ad vivum corpus redigunt. [3] Strumas, parotidas, in aceto cocti discutiunt. [4] Succus decoctorum cum ruta & pipere, vel in febri datur ad ventris animalia pellenda, minoribus triginta annorum: [5] pueris vero impositi in ventrem jejunis prosunt. [6] Et alio genere tosti, & in defruto poti, vel ex melle sumpti. [7] Iidem aviditatem cibi faciunt, fastidium detrahunt. [8] Farina eorum aceto subacta, papulas pruritusque in balineis illita cohiber, & per se siccat hulcera. [9] Livores emendat. Inflammationes cum polenta sedat. [10] Silvestrium efficacior vis est contra coxendicum & lumborum debilitatem. Ex iisdem decocta lentigines, & foventium [11] cutem corrigunt: [12] si vero ad mellis crassitudinem decoquantur vel sativi, vitiligines nigras & lepras emendant. [13] Sativi quoque rumpunt carbunculos impositi: [14] panos & strumas minuunt, aut maturant, cocti ex aceto: cicatricibus candidum colorem reddunt. [15] Si vero cælesti aqua discoquantur, succus ille smegma fit: quo fovere gangrænas, eruptiones pituitæ, hulcera manantia, utilissimum. [16] Expedit ad lienem bibere, [17] & cum melle menstruis hærentibus. Lieni crudi cum fico sicca triti ex aceto imponuntur. [18] Radix quoque in aqua decocta, urinas pellit. Medentur pecori cum chamæleone herba decocti, [19] aqua in potum collata. Sanat & scabiem quadrupedum omnium, in amurca decocti, [20] vel utroque liquore postea mixto. Fumus crematorum culices necat.

LXXV. [1] Irionem inter fruges sesamæ similem esse diximus, & a Græcis erysimon vocari: [2] Galli velam appellant. [3] Est autem fruticosum, foliis erucæ, angustioribus paulo, semine nasturtii. [4] Utilissimum tussientibus cum melle, & in thoracis purulentis exscreationibus. [5] Datur & regio morbo, & lumborum vitiis, pleuriticis, torminibus, cœliacis. [6] Illinitur vero parotidum & carcinomatum malis. [7] Testium ardoribus

NOTÆ.

22. *Vomitiones &c.*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

23. *Genua quoque.*] Hippocr. lib 6. Epidem. sect. 4 textu 23. pag. 490. tom. 9. Ὀροβοφαγέοντες, γονυαλγέες. *Qui ervum comedunt, genuum dolore conflictantur.*

24. *Bubus jumentisque.*] Si elixum apponatur, boves saginat, inquit Diosc. loc. cit. Βοῦς δὲ λιπαίνει ἑφθὸς παρατιθέμενος.

25. *Siliquæ ejus.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap 7. pag 48. *Ervi siliquæ, priusquam arescant, cum foliis & caule suo conteruntur, & raso capiti, ut capilli nigrescant, protinus inlinuntur.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 7. *de capillis denigrandis: Siliqua erucæ* (lege, *ervi*) cum suis foliis & caulibus *conteruntur, & capiti raso inlinuntur.*

Sect. LXXIV. 1. *Lupini quoque.*] Sic Diosc lib. 2 cap. 133. Γίνεται δὲ καὶ θέρμος ἄγριος, ἐμφερὴς τῷ ἡμέρῳ, κατὰ πάντα δὲ μικρότερος. Alii μικρότερος. Galenus, lib. 6 de fac. simp. med. pag. 178. Θέρμος ἄγριος πικρότερος, καὶ ἰσχυρότερος εἰς ἅπαντα τοῦ ἡμέρου ἐστι. &c.

2. *Hulcera atra.*] Ex vetustate, & corruptione. Celsus, lib. 5. cap. 126. *Modo hulcus nigrum est, quia caro ejus corrupta est, idque vehementius etiam putrescendo intenditur.* Et paulo ante: *Interdum enim vetustas hulcus occupat, induciturque ei callus, & circum ora crassa livent, &c.* Marcellus Empir. cap. 4. pag 43. *Vetustis hulceribus .... medetur farina lupini uncocti, & sine cortice, inspersa cum vino.* Sic pariter Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 18.

3. *Strumas &c.*] Diosc. lib 2. cap. 132. Plinius Valer. lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap 29. Marcellus Empir cap. 15. pag. 107.

4. *Succus decoctorum*] Plinius Valer. lib. 1. cap 21. Marcellus Empir. cap 28 pag. 200. & Diosc. loc. cit. Præivit his omnibus Celsus, lib. 4. cap. 17. *Si lati sunt lumbrici, aqua potui dari debet, in qua lupinum decoctum sit.*

5. *Pueris vero.*] Vide quæ diximus lib. 18. sect. 36.

6. *Et alio genere.*] Diosc. loc. cit.

7. *Iidem aviditatem.*] Diosc. loc. cit.

8. *Farina eorum.*] Diosc. loc. cit. Plinius Valer. lib. 3. cap. 39. & Q. Serenus, cap. 7. de prurigine, & papulis, pag 129.

Ferventes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miscebis farra lupini:
Atque hinc in calido percurres membra lavacro.

9. *Livores.*] Diosc. Καθαίρει πελιώματα, καὶ φλεγμονὰς πραΰνει σὺν ἀλφίτῳ καὶ ὕδατι.

10. *Silvestrium.*] Et sativis nihilominus dos illa quoque communis, teste Diosc. libro 2. cap. 132. Σινόξη δὲ ἰσχιάδας παρηγορεῖ.

11. *Cutem corrigunt*] Diosc. loc. cit. Καθαίρει τὰ ἀλφὸν χρῶτα. Galenus similiter, loc cit.

12. *Si vero ad mellis.*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 129.

13. *Sativi quoque.*] Dioscor. loc. cit. Ἀνθρακας ἀναῤῥήσσει.

14. *Panos & strumas.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXII.

15. *Si vero cælesti*] Diosc. & Galenus, locis cit.

16. *Expedit ad lienem.*] Dioscor & Galenus locis cit. lienosis aiunt lupini decoctum prodesse, cum ruta potum ac pipere.

17. *Et cum melle.*] Adjicit & myrrham præterea Dioscor. loc cit. & subdi in pesso jubet, προσθέτῳ. Dioscoridem sequitur Galenus loc. cit.

18. *Radix quoque.*] Diosc. loc. cit.

19. *Aqua in potum.*] Non potu, sed ablutione tantum, decoctum ejusmodi prodesse pecorum scabiei tradit Dioscor. loc. cit

20. *Vel utroque liquore.*] Amurca videlicet, & decocto lupini: non, uti Dalecampio visum est, chamæleonis decocto.

Sect. LXXV. 1. *Irionem ...... diximus.*] Libro 18. sect. 22.

2. *Galli velam.*] Ita MSS. Reg. Colb. &c. cum hoc loco, tum in Indice: non *velarum.* Est autem hæc hujus loci sententia: irionis, quæ inter fruges censetur, & a Græcis erysimon appellatur, naturam superius atque indolem esse tractatam: nunc ex affinitate nominis occasione sumpta alterum erysimon explicari, quod herbacei generis est. Galli quondam velam appellarunt: e recentioribus nonnulli *Tortelam.* Sic paulo ante sect. 71. a lente, quæ Græcis φακὸς, ad elelisphacon sive σφακὸν, orationem transtulit.

3. *Est autem fruticosum.*] Iisdem verbis a Dioscoride describitur, lib. 2. cap. 188. Pingitur a Dodonæo, pag 702.

4. *Utilissimum &c.*] Hæc totidem verbis Dioscorides loco citato.

5. *Datur & regio &c.*] Diosc. loc. cit.

6. *Illinitur &c.*] Dioscor. loc. cit. & Galenus, lib 6 de fac simp. med. pag. 174.

7. *Testium &c.*] Diosc & Galenus, locis cit.

ex aqua, alias cum melle. Infantibus quoque utilissimum. Item fedis vitiis, & articulatiis morbis, cum melle & fico. [8] Contra venena etiam efficax potum. Medetur & fuspiriofis: item fiftulis, cum axungia veteri, ita ne intus addatur.

L X X V I. [1] Horminum femine (ut diximus) cumino fimile eft, [2] cetero porro, dodrantali altitudine. Duorum generum: alteri femen nigrius, & oblongum. [3] Hoc ad Venerem ftimulandam, & ad oculorum argema & albugines. Alteri candidius femen & rotundius. [4] Utroque tufo extrahuntur aculei ex corpore, per fe illito ex aqua: folia ex aceto impofita, panos per fe vel cum melle difcutiunt: item furunculos, [5] priufquam capita faciant, omnefque acrimonias.

L X X V I I. Quin & ipfæ frugum peftes in aliquo funt ufu. [1] Infelix dictum eft a Virgilio lolium. [2] Hoc tamen molitum ex aceto coctum, impofitumque, fanat impetigines; celerius, quo fæpius mutatum eft. Medetur & podagris, aliifque doloribus, ex oxymelite. Curatio hæc a ceteris differt. Aceti fextario uno diluti mellis uncias duas jufum eft: ita temperatis fextariis tribus, decocta farina lolii fextariis duobus ufque ad craffitudinem, calidumque ipfum imponi dolentibus membris. Eadem farina extrahit offa fracta.

L X X V I I I. [1] Miliaria appellatur herba, quæ necat milium. Hæc trita, & cornu cum vino infufa, podagras jumentorum dicitur fanare.

L X X I X. [1] Bromos femen eft fpicam ferentis herbæ: nafcitur inter vitia fegetis, avenæ genere: [2] folio & ftipula triticum imitatur. In cacuminibus dependentes parvulas velut locuftas habet. Semen utile ad cataplafmata, [3] atque hordeum, & fimilia. [4] Prodeft tuffientibus fuccus.

L X X X. [1] Orobanchen appellavimus necantem ervum & legumina: [2] alii cynomorion eam appellant, a fimilitudine canini genitalis: [3] Cauliculus eft fine fanguine, foliis rubens. [4] Eftur & per fe, & in patinis, cum tenera eft decocta.

L X X X I. Et leguminibus innafcuntur beftiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, & periculum vitæ afferunt, [1] folipugarum generis. Adverfus omnia eadem medentur, quæ contra araneos & phalangia demonftrantur. Et frugum quidem hæc funt in ufu medico.

L X X X I I. Ex iifdem fiunt & potus, [1] zythum in Ægypto, [2] celia [3] & ceria in

N O T Æ.

8. *Contra venena.*] Diofc. loc. cit.

Sect. L X X V I. 1. *Horminum femine, ut diximus.*] Libro 18. fect. 22.

2. *Cetero porro.*] Diofcor. lib. 3. cap. 145. Ὅρμινον ὅμοιον, πόα ἐστὶν ἐμφερὴς πρασίῳ τοῖς φύλλοις. *Horminum herba eft foliis marrubio fimilis.* Apud fcriptorem Græcum, quifquis ille fuerit, a quo hæc Plinius mutuatus eft, rectius multo πράσῳ legit, quam πρασίῳ Diofcorides. Hormini enim folia funt arundinaceis propiora, porraceifque, quam marrubii.

3. *Hoc ad Venerem &c.*] Hæc pariter Diofcorides loco citato.

4. *Utroque tufo*] Diofc. lib. 3. cap. 145. Καταπλασθὲν δὲ μεθ᾽ ὕδατος... καὶ σκόλοπας ἐξάγει.

5. *Priufquam capita faciant.*] Priufquam in capita extuberent, & tubera rotundentur.

Sect. L X X V I I. 1. *Infelix a Virgilio.*] Libro 1. Georg. verf. 153.

Interque nitentia culta
Infelix lolium, & fteriles dominantur avenæ.

Infelix autem lolium appellatur, vel quod infecundum eft, ut Servius interpretatur: vel quod oculis nocet. Ovidius, lib. 1. Faftor. verf. 691.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Fulgent. lib. de prifco fermone: *Lufciciofos dici voluerunt interdiu parum videntes, quos Græci μύωπας vocant, Plautus Milite: Mirum eft lolio victitare te, tam vili tritico.* PA *Quid jam?* SC. *Quia lufciciofus. Dicunt enim, quod lolium comedentibus oculi obfcurentur.* Gallis, *de l'yvraie.*

2. *Hoc tamen molitum.*] Diofc. lib. 2 cap 122

Sect. L X X V I I I. 1. *Miliaria... quæ necat milium.*] Circumligando fefe. Officinis incognita.

Sect. L X X I X. 1. *Bromos femen eft.*] Ut Græcis βρόμος, fic avena Latinis gemina eft: altera fativa, & efculenta, quæ inter cerealia non poftremum obtinet locum: *de l'Avoine*: jumentorum cibus: altera fponte nafcens ac fterilis, quæ inter frugum vitia numeratur, defcribiturque a Diofc. lib. 4. cap. 140. eadem plane cum fativa forma, ut recte Anguillara, par. 6. pag. 98.

2. *Folio & ftipula.*] Diofcor lib. 2. cap. 116. de avena fativa. Βρόμος καλαμός ἐστι, πυροῖς ὅμοιος καὶ τοῖς φύλλοις, γόνατα δὲ διειλημμένος· Καρπὸν δὲ ἔχει ἐπ᾽ ἄκρῳ ὡσεὶ ἀκρίδια δίποδα, ὃν εἰς τὸ σπέρμα χρήσιμον εἰς καταπλάσματα, ὡς ἡ κριθή. *Avena tam culmo, tam etiam foliis triticum imitatur, fed geniculis diftinguitur. In cacumine vero dependentes veluti parvulas locuftas bipedes gerit, in quibus femen continetur, æque ut hordeum, ad cataplafmata utile.* Totum hoc caput de bromo apud Diofc. fuppofititium effe fpuriumque cenfet Anguillara, part. 14. pag 190.

3. *Atque hordeum*] Forte, *æque atque hordeum*, ex Diofc. & ex Galeno, lib 6 de fac. fimp. med. pag. 165.

4. *Prodeft.*] Diofc. loc. cit. Ὁ δὲ ἐξ αὐτοῦ χυλὸς ἑψηθεὶς βήχουσιν ἁρμόζει. *Ejus cremor tuffientibus forbitione prodeft.*

Sect. L X X X. 1. *Orobanchen appellavimus.*] Libro 18. fect. 44. Vide quæ ibi diximus in Notis.

2. *Alii cynomorion.*] Diofc. in Nothis, pag. 446. Ὀροβάγχη, οἱ δὲ κυνομόριον, &c. Sed a conjectore aliquo infertam hanc vocem in Diofcoridis textum inde liquet, quod alia eft Diofcoridis, alia Plinii orobanche, quæ & cynomorion appellata eft, ut antea monuimus, lib. 18. fect. 44.

3. *Cauliculus eft*] Eft & cauliculus ejufdem nominis, fine fanguine, hoc eft, fine humore, quia fiftulofus, & fragilis, ac ficcioris naturæ. Hæc vero Diofcoridis orobanche eft, quam ille defcribit, lib. 2. cap. 172. pingit Dodonæus, pag 545. Vide Notas & Emend. num. X X I I I.

4. *Eftur & per fe.*] Hoc eft, fola, five cruda. Diofcor loc. cit. Λαχανεύεται δὲ καὶ ὠμὴ καὶ ἑφθή, ἐν λοπάδι ὡς ἀσπάραγος ἑψομένη. *Eftur autem oleris inftar cruda, & in patinis afparagi modo decocta.*

Sect. L X X X I. 1. *Solipugarum.*] Vide quæ diximus in Notis & Emend. ad librum 8. num. L X X X V I I I. & libro ipfo octavo, fect 43

Sect. L X X X I I. 1. *Zythum*] Ex hordeo parabatur. Suidas: Ζῦθος, οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος. hic Herod. lib. 2. Euterpe pag 118. num. 77. & Diodor Sicul. lib. 1 Bibl. pag. 31. *Pelufiaci pocula zythi* appellat Columella, lib. 10. de cultu Hortor pag. 349.

2. *Celia.*] Florus, lib. 2. cap. 18. de Numantinis: *Cum fefe prius epulis implevissent, carnis femicrudæ, & celiæ: fic vocant indigenam ex frumento potionem.* Vide Notas & Emendat. num. X X I V.

3. *Et ceria.*] Nomen id Hifpanicum pariter, ut celia eft: nec Bivarium audio, qui in Maximi Chron. ann. 516. *cidria* legi putat hic oportere, quæ vox in Gallia potum e pomorum fucco concinnatum indicat. Quæ parentur e fruge, non e po-

Hiſpania, * cerviſia & plura genera in Gallia, aliiſque provinciis: quorum omnium ſpuma cutem feminarum in facie nutrit. Nam quod ad potum ipſum attinet, præſtat ad vini tranſire mentionem, atque a vite ordiri medicinas arborum.

NOTÆ.

mis, potiones, Plinius hoc loco attingit: Nam uti monuit, lib. 14. ſect. 29. *Eſt & occidentis populis ſua ebrietas, fruge madida: pluribus modis per Gallias Hiſpaniaſque, nominibus aliis, ſed eadem ratione.* Idem vero quæ quibus concinnentur e pomis, explicuit lib. 14. ſect. 19.

4. *Cerviſia.*] Vox hæc origine Gallica merito cenſetur a Cambdeno, in Britannia, Voſſioque in Etymol. quos conſule. Nunc vulgus vocat, *de la Biere*: quidam etiamnum vetuſta nomenclatione, *Cervoiſe*.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXII.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 3. I. STANS *& in ficco carpit, quo fruges mundo: sed culpa non ablus usu: alioqui fulgentius instrui poterat luxuria.*] Totidem plane syllabis apicibusque locum hunc repræsentamus, quot exhibent codices MSS Reg. Colb. Chiffl. & Vossianus, teste Gronovio. Fuit mirifice alioqui divexatus a Criticis. In libris nunc vulgatis legitur, *quod frugi mundus exsculpat. His alioqui fulgentibus instru.* Illud *frugi mundus* ab Hermolao est: *His alioqui fulgentibus*, a Gelenio Pintianus: *carpit frugem, qua mundus sine culpa non abesse* Salmasius in Solin. pag. 272. & 1147. *carpit, quod frugi non ederit, culpa non ubaurat: usu alioqui fulgentium &c.* Gronovius: *Sed culpa non placuisse usu, alioqui frugalius.* Sincerum vas alius alio incrustat modo.

Ibid. II. *Interim fortius agetur: auctoritasque quanta debeatur etiam surdis, ... herbis perlibebitur.*] Sic restituimus ex fide codicum MSS. Reg. & Colb. cum prius & vitiosa interpunctio, & corrupta verba sententiam everterent: *Interim fortius augetur auctoritas qua quanta debeatur, &c.*

Sect. 6. III. *Manlio Cos. cohortibus servatis.*] In libris vulgatis, *Manlio Cos. tribus cohortibus servatis.* Manlium Appianus vocat, toto libro de bello Punico: Manilium, Pliniani codices manu exarati: in quibus nec cohortium numerus signatur: credo, quod incertus foret: Nam Livius in Epitome, lib. 49. duas dicit: *Obsidero*, inquit, *oppugnarique cœpta est Carthago a L. Marcio, M. Manlio Coss. In qua oppugnatione cum neglectos ab una parte muros duo Tribuni temere cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis graviter cæderentur: a Scipione Africano explicati sunt.* Appianus, in bello Punico, pag. 42. quatuor. Aurel. Victor, lib. de viris illustr. cap. 58. octo: *Tribunus in Africa*, inquit, *sub M. Manilio Imperatore, cohortes octo obsidione vallatas consilio & virtute servavit, a quibus corona obsidionali aurea donatus.*

Sect. 14. IV. *Radix in oleo non fundit rubentem succum: & hoc ab anchusa discernitur.*] Ita restituimus hunc locum, tum ex MSS. Reg. Colb. & Chiffl. tum ita postulante sententia: cum prius perperam legeretur, *Radix oleum non fundit, sed rubentem succum.* Nam neque oleum anchusa fundit, nec si rubentem succum dat pseudanchusa, ab anchusa discernitur.

Ibid. V. *Virus serpentium fugat.*] Ita libri vulgati, cum Reg. 3. cod. At Colb. 3. forte sincerius, *Virus serpentes fugat*: ut vox ea, *virus*, non venenum serpentum, sed gravem pseudanchusæ odorem significet, qui serpentes fuget. Sic idem alibi: *Cujus radix evulsa virus hirci redolet.*

Sect. 37. VI. *Silis effigie.*] In libris hactenus editis, *similis effigie*: At quæ ea demum effigies est? nam buprestis certe, quæ proxime antecessit, nota nulla traditur. Mendum indicarunt probatissimi codices, Reg. Colb. Thuan. Chiffl. in quibus *silis effigie* legitur. Est autem silis, sive seselis, ut alibi diximus, forma plane anetho simillima, quod ad corymbos seu umbellam attinet, quam in cacumine utraque gerunt: id quod Dioscorides cum Plinio pariter adnotavit, lib. 3. cap. 80. Ἔχει δὲ παραφυάδας ἱκανὰς ὁ καυλὸς, σκιάδια ἔχουσας ὅμοια ἀνήθῳ &c. *Habet vero caulis ipse agnatos ramulos complures, qui quidem umbellas gerunt anetho similes*, &c. Sive, ut Oribasii interpres reddidit, lib. XI. pag. 196. *Multas appendices caulis habet, qui umbellas anetho similes ferant.*

Sect. 47. VII. *Lavantur etiam, ut plumbum, oculorum medicamento.*] Dalecampius, (quoniam ita superis placuit,) medicus, legi jubet, *Lavantur etiam ad plumbum & oculorum medicamenta*: quod nec orationis structura patitur, nec mens scriptoris. Lavari plumbum, quod genus metalli notissimum est, ad oculorum remedia, ipse Plinius prolixe edocet, lib. 34. sect. 50. Simili ratione lavari nunc fungos jubet, ad eadem medicamenta: quid planius?

Sect. 49. VIII. *Clavis, qui vulgo morticini appellantur, nitro mixto. Alopecias nitro ante subactas replet cum vino, & croco, aut pipere &c.*] Prius legebatur, *Clavis pedum, qui vulgo . . . nitro mixto, ante subactum. Carnes replet* &c. insigni medicamentorum perturbatione, & veterum codicum neglectu: in quibus nec vox *pedum* adest: nec *carnes*, sed *alopecias* diserte legitur. Sic Reg. 2. aliique. De clavis pedum utique paulo post traduntur remedia, quæ diversis locis non forent tractanda, si de ipsis nunc ageretur. Sed vox adjecta, *morticini*, non de vulgari genere clavorum, accipi hæc oportere declarat. Alopecias vero quod attinet, Dioscorides adstipulatur, lib. 3. cap. 94. Ἀλωπεκίας θεραπεύει, σὺν οἴνῳ καὶ πεπέρει, καὶ ὄξει καταχριόμενον.

Sect. 51. IX. *Item animi humilis & præparci, quod illi dixere micropsychos. Et est ratio subtilitatis immensæ, a Platone descendens, &c.*] Exclamat Salmasius, in Præfat. Plin. pag. 107. μικροσφύκτους confundi a Plinio, cum μικροψύχοις. Pusilli animi & præparci homines, Græcis vocari μικροψύχους, ut contra liberales & prodigos μεγαλοψύχους. At μικροσφύκτους appellari, quibus minimus est venarum seu arteriarum, pusillusque pulsus, ut est eorum, quibus animus deficit: Μικρὸν σφυγμὸν medicis dici, indeque μικροσφύκτους, quibus talis est. Hoc ante Salmasium dixerat Cælius Rhodig. lib. 3. cap. 15. pag. 110. At subjicit ille deinde, hanc esse Dioscoridis de melicrato, seu aqua mulsa, orationem, libro videlicet quinto, cap. 17. Τῷ δὲ ἀφεψήματι ἐπὶ τῶν μικροσφύκτων καὶ ἀσθενῶν, καὶ βουλιμώντων. Audivisse Plinium ab anagnoste legi μικροψύχοις, pro μικροσφύκτοις: Esse id vero perridiculum, aquam mulsam prodesse hominibus animi humilis ac præparci. Alterum hoc convicium Salmasius, ut Plinio ingereret, a Dalecampio mutuum accepit, nec reddidit tamen, non appellato ejus nomine. Sed lubet de utroque conqueri, & sane licet. Quid enim? Non poterit impune ac sine noxa Plinius quædam afferre in medium, quæ Dioscoridi latuerint? etiamne si quempiam alium sententiæ suæ adstipulatorem habeat? etiamne si Platonem? Atqui hujus ipsius placiti auctorem hunc allegat, verbis iis quæ statim subnectit: *Et est ea ratio*, inquit, *sententiaque, a Platone descendens*, molliri videlicet ac mutari cibo mores, tristitiamque, luctumque comprimi: neque magis ad corpora, quam ad animos ipsos cibum pertinere. Platoni igitur, non Plinio, si jure licet, dicam scribant eruditi illi nostri reprehensores.

Sect. 53. X. *Mulsi tantum nutritu toleravere, &c.*] In MSS. Reg. Colb. &c. *mulsi tantum intrita.* Est autem intrita, panis cum vino, mulsove in mortario pistillis contritus: inde intritæ nomen. Sic libro 9. sect. 9. *Nec piscibus tantum, sed intrita panis e vino satiantur.* De cibo autem, hoc est, intrita, non mulso mero intelligendum, satis fortassis declarat id quod continenter subjicitur, *toleravere, neque alio ullo cibo.* Adde Diophanem in Geopon. lib. 15. cap. 7. pag. 417. ita pronunciantem: Οἱ ἐν γήρᾳ μέλιτι μετ᾽ ἄρτου μόνου τρεφόμενοι, ἐπὶ πλεῖστον ζῶσιν. *Qui in senecta melle cum pane nutriuntur, diutissime vivunt.*

Ibid. XI. *Morbum arquatum.*] In MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. *arquatorum morbum* legitur, haud aspernanda sane scriptura. Nam qui eo morbi genere laborant, *Arquati dicuntur*, inquit Nonius Marcellus, cap. 5. num. 14. *quibus color & oculi virent, quasi in arquæ similitudinem.*

Sect. 58. XII. *Addita resina & galla.*] Sic libri vulgati, cum Reg. 1. cod. in quo *addita resina galla* legitur. At in Reg. 2. Th. Chiffl. *resina Gallica.* Quæ e Gallia Etruriaque convehitur, resinam in primis commendat Dioscorides, lib. 1. cap. 92. itemque larignam, quæ ex Gallia Subalpina afferretur: ἀπὸ Γαλλίας καὶ Τυρρηνίας . . . . καὶ ἀπὸ Γαλατίας τῆς πρὸς ταῖς Ἄλπεσι.

Ibid. XIII. *Vel laterum, vel virilium dolores, cum papavero, aut meliloto, &c.*] In MSS. Reg. 1. 2. & Chiffl. nulla laterum, nulla virilium mentio: sed *vel aurium* tantum legas. In Colb. 3. *vel virilium* duntaxat. Eamdem tamen medicinam lateris dolori Dioscorides adhibet, lib. 2. cap. 108. Σὺν μελικράτῳ δὲ καὶ . . . ἀνωδυνίαν παρέχει τοῖς πλευρὰν ἀλγοῦσι.

Ibid. XIV. *Ad strumas cum pice, & impubis pueri urina, cum oleo. Cum Græco feno contra tumores præcordiorum.*] Prius legebatur, vitiata interpunctione, extritaque vocula, *pueri urina. Cum oleo & feno Græco, &c.* Verum & in MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. *cum Græco feno* legitur, & scriptores ceteri oleum ad strumas adhibent: ad præcordiorum seu intestinorum inflationes non adhibent. Marcellus Empiricus, cap. 15. pag. 107. *Farina hordeacea, pix liquida, cum cera & oleo mixta, percoctaque, adjecto puerili lotio subacta, more em-*

plastri imposita, strumas utiliter sanat. Diosc. lib. 2. cap. 108. Μιξὶ ἢ πίονος ὑγρᾶς, ἢ κηρῷ, ἢ ἄρυ παιδὸς ἀφ' ὕδατι, χοιράδας σκληρὰς διαφορεῖ. Et paulo ante: Καταπλασσόμενον δὲ ἐπιδιαφορητικὸν ἐστιν, μετ' λιπαρίσματος, ἢ πήλου, ἢ ταρίχου.

Sect. 59. XV. *Locorum ratione.*] Ita Reg. 1. & Colbert. cum libris vulgatis, ut opinor, recte, & facili explicatu. In his verbis tamen explanandis Dalecampius cespitavit. In Reg. 2. Thuan. & Chiffl. *medicorum ratione* legitur, haud ita sincere: ni sententia sit, eatenus ibi de polentæ generibus susceptam disputationem esse, quatenus esset ad medicorum usus satis.

Sect. 61. XVI. *Ad tabitudinem redactis.*] Etsi paulo insolentiore verbo usus auctor videtur, cum tabitudinem pro tabe dixit: sequi tamen exemplarium vetustiorum fidem latius multo visum est, quam vulgatos & typis excusos libros imitari, in quibus *ad habitudinem*, aut nulla prorsus, aut admodum impedita sententia legitur. Reg. 1. 2. Colb. 1. & vet. cod. Dalec. *ad tabitudinem*, diserte exhibent. Thuanæus, *aut tabitudinem.* Latini tabem dicimus, Græci συντηξιν, de qua diximus sect. 49. Atque ita sane scripsisse Plinium suadet alter Plinius Valer. lib. 1. de re med. cap. 11. cui titulum inscripsit, *Syntexi curanda: Alicæ*, inquit, *cyathi tres in passi sextario uno, & aquæ sextarius seu coniiciantur, & sensim coquantur, donec aqua consumatur: tunc suffundum lactis ovilli aut caprini sextarium: quo subfervefacta fit genus sorbitionis; qua per se primis diebus curationis loco utuntur: procedentibus diebus & mel adjiciunt.* Quæ plane ad verbum a nostro, ut liquet, auctore mutuatus est. Certe ad phthisin, quæ tabis species est, sorbitionem ex alica, ptisanave commendat, lib. 3. cap. 22.

Sect. 64. XVII. *Granum sesamæ. Datur in vino dulci.*] Prius legebatur, *Granum sesama datur in vino dulci.* Atqui non sesamæ modo, sed sesamoidis remedia tractantur: nec ad purgationes sesamæ granum, sed sesamoidis adhibent. Itaque priores hæ voces, *granum sesamæ*, cum superioribus connectendæ: ut sententia sit, sesamoidi granum esse simillimum sesamæ. Mox nova instituta periodo: *Datur*, sesamoides scilicet, in quo versatur in præsenti oratio, *in vino dulci*, &c. Sic Dioscor. lib. 4. cap. 152. de sesamoide: Σπέρμα ἔμμορον σησάμῳ, πικρὸν ἐν τῇ γεύσει, ὃ καθαίρει ἄνω φλέγμα τε ἢ χολήν, &c.

Sect. 67. XVIII. *In vesica vero dolore .... passi tribus ovis.*] Laborat vehementer Pintianus, ut *tribus obolis*, non *tribus ovis* legatur, libris invitis omnibus. Frustra. Passi ova tria cum audis, tantumdem passi intellige, quantum capiat putamen vacuum ovorum trium. Hanc interpretationem gemina auctoritate fulcimus. Marcelli primum Empirici, cap. 26. pag. 180. *Amyli*, inquit, *semunciam terito, atque addito ovum recens, & ejus ovi testam ter passo impleto: idque poculum diu agitatum, & fervefactum, stranguriosis reverso a balneis dato: omni eum dolore ac difficultate celeriter absolves.* Deinde Plinii Valer. lib. 2. cap. 39. *Amyli semuncia conteritur, & ovum cujusque putamen ter impletur passo, idque a balneo subfervefactum datur adversum calculo dolorem.*

Sect. 70. XIX. *Crustulas hulcerum.*] MSS. Reg. Colb. Chiffl. *Pustulas hulcerum.* Plinius Valer. lib. 3. cap. 32. hæc transcribens, *fistulas* legit. *Fistulas hulcerum*, inquit, *lenticula cocta rumpit: eadem collectiones sedat.* Diosc. lib. 2. cap. 129. Ἐσχάρας περιρρήσσει, *crustas seu margines hulcerum rumpit.*

Sect. 71. XX. *Ab aliis sphacos.*] Ita scribendum, non φακὸς, tum ex Suida, apud quem alphabeti series id certo confirmat: Σφάκος, ait, εἶδος τῆς ἐλελισφάκου, &c. tum vero ex Pliniano indice.

Sect. 73. XXI. *Farina ejus varos, sed & maculas toto corpore emendat.*] In libris hactenus editis, interpolatorum insigni licentia, *Farina ejus, ut Varro ait, maculas*, &c. In Reg. 1. & Colb. *Farina ejus varro, sed & maculas.* Sinceram nos scripturam, tum ex iis vestigiis primitivorum codicum, tum ex Plinio Valeriano eruimus, qui totum fere opus suum ex Plinianis verbis ac sententiis concinnavit. Is enim lib. 3. cap. 41. cujus lemma, *Varis tollendis: Farina*, inquit, *ervi ex aqua imposita sanantur, & toto corpore macula emendantur.*

Sect. 74. XXII. *Panos & strumas minuunt, aut maturant, cocti ex aceto: cicatricibus candidum colorem reddunt.*] Prius legebatur, mutata interpunctione, *aut maturant. Cocti ex aceto cicatricibus*, &c. Ut ille ex aceto temperandi modus ad posteriorem solum medicinam referendum videretur, non etiam ad superiorem. Contra Dioscor. lib. 2. cap. 132. Φύματα καὶ χοιράδας μεταβάλλει ἐν ὄξει ἑψηθεὶς καὶ καταπλασθείς. Galenus quoque, lib. 6. de fac. simpl. med. pag. 174. Ἀλλὰ καὶ χοιράδας καὶ φύματα διαλύει θερμαίνων ἐν ὄξει δ' ἑψηθεὶς αὐτόν, &c. Marcellus Empir. cap. 32. pag. 225. *Lupini ex aceto cocti, & subacti, & pro emplastro adpositi, causam pusicularum maturant, & minuunt dolorem.* Denique Plinius etiam Valer. lib. 3. cap. 29. *Panis depellendis: Lupini*, inquit, *ex aceto cocti, aut minuunt, aut maturant.* Quod ut ita sane se habeat, & in sequente pariter remedio ex aceto incoqui nihilominus necesse est. Plinius Valer. lib. 3. cap. 48. *Ad colorem cicatricibus reddendum: Lupini ex aceto cocti imponuntur.*

Sect. 80. XXIII. *Cauliculus est sine sanguine, foliis rubens.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. non, ut editi, *Cauliculus est sine foliis, pinguis, rubens.* Folia subpinguia, subrubrumque caulem orobanchæ pariter Dioscorides attribuit, lib. 2. pag. 172. Ὀροβάγχη καυλίον ἐστὶν ὑπέρυθρον ὡς διπιθαμιαῖον .... φύλλα ὑπολίπαρα, &c.

Sect. 82. XXIV. *Celia & ceria in Hispania, cervisia & plura genera in Gallia.*] En haud obscure celiam a cervisia Plinius diversam facit: egregie, cum non situ magis terrarum Gallia Hispaniaque dissideant, quam hæ potiones duæ. Celia ex frumento concinnatur, Floro teste, lib. 2. cap. 18. cujus verba retulimus in prioribus Notis, hoc est, e tritico, ut Orosius interpretatur, lib. 5. cap. 7. *Postmodum*, inquit, *diu obsidione conclusi Numantini duabus desubito portis cuncti eruperunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum a calefaciendo Celiam vocant: suscitatur enim illa ignea vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis, & calor ebrietatis adjicitur.* Orosium sequitur Isidorus, lib. 20. cap. 3. & Papias. Quibus verbis ii non materiam modo celiæ designant, sed & conficiendi modum. At cervisiæ ex hordeo concinnatur, & ex alia quadam simili fruge, quæ propria caret in Latio appellatione, generali modo frumenti nomenclatione signant: Belgæ vocant, *de Sucrum.* Tacitus, lib. de more Germanorum: *Potus, humor ex hordeo aut frumento, in quamdam similitudinem vini corruptus.* Quare nec Matthæum Silvaticum audio, qui parum sibi constans ita primum, *Celea*, inquit, *potio ex succo tritici inebrians*: quod quidem utinam solum diceret: At mox inferius, *Celsia, id est, cervisia, dicta a calefaciendo.* Nec Joannem Sarisb. Epist. 85. celiam cum cervisia commiscentem. De cervisiæ etymo consulendus, præter jam appellatos, V. Cl. Du-Cangius in Glossario.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXII.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 3. I. STANS *& in sicco carpis, quo fruges modo: sed culpa non abitus usu: alioqui fulgentius instrui poterat luxuria.*] Totidem plane syllabis apicibusque locum hunc repræsentamus, quot exhibent codices MSS. Reg. Colb. Chiffl. & Vossianus, teste Gronovio. Fuit mirifice alioqui divexatus a Criticis. In libris nunc vulgatis legitur, *quod frugi mundos exsculpat. His alioqui fulgentibus usibus.* Illud *frugi mundos* ab Hermolao est: *His alioqui fulgentibus*, a Gelenio Pintianus: *carpis frugem, qua mundus sine culpa non abstit.* Salmasius in Solin. pag. 272. & 1147. *carpis, quod frugi non ederis, culpa non obnuat: usu alioqui fulgentium &c.* Gronovius: *Sed culpa non placuisse usui, alioqui frugalius.* Sincerum vas alius alio incrustat modo.

Ibid. II. *Interim fortius agetur: auctoritasque quanta debeatur etiam surdis . . . . herbis perhibebitur.*] Sic restituimus ex fide codicum MSS. Reg. & Colb. cum prius & vitiosa interpunctio, & corrupta verba sententiam everterent: *Interim fortius augetur auctoritas: qua quanta debeatur, &c.*

Sect. 6. III. *Manlio Cos. cohortibus servatis.*] In libris vulgatis, *Manlio Cos. tribus cohortibus servatis.* Manlium Appianus vocat, toto libro de bello Punico: Manilium, Pliniani codices manu exarati: in quibus nec cohortium numerus signatur: credo, quod incertus foret: Nam Livius in Epitome, lib. 49. duas dicit: *Obsideri*, inquit, *oppugnarique coepta est Carthago a L. Marcio, M. Manlio Coss. In qua oppugnatione cum neglectos ab una parte muros duo Tribuni temere cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis graviter caederentur: a Scipione Africano expliciti sunt.* Appianus, in bello Punico, pag. 42. quatuor. Aurel. Victor, lib. de viris illustr. cap. 58. octo: *Tribunus in Africa*, inquit, *sub M. Manilio Imperatore, cohortes octo obsidione vallatas consilio & virtute servavit, a quibus corona obsidionali aurea donatus.*

Sect. 24. IV. *Radix in oleo non fundit rubentem succum: & hoc ab anchusa discernitur.*] Ita restituimus hunc locum, tum ex MSS. Reg. Colb. & Chiffl. tum ita postulante sententia: cum prius perperam legeretur, *Radix oleum non fundit, sed rubentem succum.* Nam neque oleum anchusa fundit: nec si rubentem succum dat pseudanchusa, ab anchusa discernitur.

Ibid. V. *Virus serpentium fugat.*] Ita libri vulgati, cum Reg. 3. cod. At Colb. 3. forte sincerius, *Virus serpentes fugat*: ut vox ea, *virus*, non venenum serpentium, sed gravem pseudanchusæ odorem significet, qui serpentes fuget. Sic idem alibi: *Cujus radix evulsa virus hirci redolet.*

Sect. 37. VI. *Silis effigie.*] In libris hactenus editis, *simili effigie*: At quæ ea demum effigies est? nam buprestis certe, quæ proxime antecessit, nota nulla traditur. Mendum indicarunt probatissimi codices, Reg. Colb. Thuan. Chiffl. in quibus *silis effigie* legitur. Est autem silis, sive seselis, ut alibi diximus, forma plane anetho simillima, quod ad corymbos seu umbellam attinet, quam in cacumine utraque gerunt: id quod Dioscorides cum Plinio pariter adnotavit, lib. 3. cap. 80. Ἔχει δὲ παραφυάδας ἱκανὰς ὁ καυλὸς, οὐσπάδας ἐχούσας ὅμοια ἀνήθῳ &c. *Habet vero caulis ipse agnatos ramulos complures, qui quidem umbellas gerunt anetho similes*, &c. Sive, ut Oribasii interpres reddidit, lib. xi. pag. 196. *Multas appendices caulis habet, quæ umbellas anetho similes ferunt.*

Sect. 47. VII. *Lavantur etiam, ut plumbum, oculorum medicamento.*] Dalecampius, (quoniam ita superis placuit,) medicus, legi jubet, *Lavantur etiam ad plumbum & oculorum medicamenta*: quod nec orationis structura patitur, nec mens scriptoris. Lavari plumbum, quod genus metalli notissimum est, ad oculorum remedia, ipse Plinius prolixe edocet, lib. 34. sect. 50. Simili ratione lavari nunc fungos jubet, ad eadem medicamenta: quid planius?

Sect. 49. VIII. *Clavis, qui vulgo morticini appellantur, nitro mixto. Alopecias nitro ante subactas replet cum vino, & croco, aut pipere &c.*] Prius legebatur, *Clavis pedum, qui vulgo . . . . . nitro mixto, ante subactum. Carnes replet* &c. insigni medicamentorum perturbatione, & veterum codicum neglectu: in quibus nec vox *pedum* adest: nec *carnes*, sed *alopecias* diserte legitur. Sic Reg. 2. aliique. De clavis pedum utique paulo post traduntur remedia, quæ diversis locis non forent tractanda, si de ipsis nunc ageretur. Sed vox adjecta, *morticini*, non de vulgari genere clavorum, accipi hæc oportere declarat. Alopecias vero quod attinet, Dioscorides adstipulatur, lib. 3. cap. 94. Ἀλωπεκίας ἐκγεμίζει, σὺν οἴνῳ καὶ πεπέρει, καὶ κρόκῳ προκατακεχρισμένας.

Sect. 51. IX. *Item animi humilis & præparci, quod illi dixere micropsychos. Et est ratio subtilitatis immensa, a Platone descendens, &c.*] Exclamat Salmasius, in Præfat. Plin. pag. 107. μικροσφύκτους confundi a Plinio, cum μικροψύχοις. Pusilli animi & præparci homines, Græcis vocari μικροψύχους, ut contra liberales & prodigos μεγαλοψύχους. At μικροσφύκτους appellari, quibus minimus est venarum seu arteriarum, pusillusque pulsus, ut est eorum, quibus animus deficit: Μικροὶ σφυγμοὶ medicis dici, indeque μικροσφύκτοι, quibus talis est. Hoc ante Salmasium dixerat Cælius Rhodig. lib. 3. cap. 15. pag. 110. At subjicit ille deinde, hanc esse Dioscoridis de melicrato, seu aqua mulsa, orationem, libro videlicet quinto, cap. 17. Τῷ δὲ ἀφεψημένῳ ἐπὶ τῶν μικροσφύκτων καὶ ἀσθενῶν, καὶ βοηθεῖν. Audivisse Plinium ab anagnoste legi μικροψύχοις, pro μικροσφύκτοις: Esse id vero perridiculum, aquam mulsam prodesse hominibus animi humilis ac præparci. Alterum hoc convicium Salmasius, ut Plinio ingereret, a Dalecampio mutuum accepit, nec reddidit tamen, non appellato ejus nomine. Sed lubet de utroque conqueri, & sane licet. Quid enim? Non poterit impune ac sine noxa Plinius quædam afferre in medium, quæ Dioscoridi latuerint? etiamne si quempiam alium sententiæ suæ adstipulatorem habeat? etiamne si Platonem? Atqui hujus ipsius placiti auctorem hunc allegat, verbis iis quæ statim subnectit: *Et est ea ratio*, inquit, sententiaque, *a Platone descendens*, mollira videlicet ac mutari cibo mores, tristitiamque, luctumque comprimi: neque magis ad corpora, quam ad animos ipsos cibum pertinere. Platoni igitur, non Plinio, si jure licet, dicam scribant eruditi illi nostri reprehensores.

Sect. 53. X. *Mulsi tantum nutritu toleravere, &c.*] In MSS. Reg. Colb. &c. *mulsi tantum intrita.* Est autem intrita, panis cum vino, mulsove in mortario pistillis contritus: inde intritæ nomen. Sic libro 9. sect. 9. *Nec piscibus tantum, sed intrita panis e vino satiantur.* De cibo autem, hoc est, intrita, non mulso mero intelligendum, satis fortassis declarat id quod contineriter subjicitur, *toleravere, neque alio ullo cibo.* Adde Diophanem in Geopon. lib. 15. cap. 7. pag. 417. ita pronunciantem: Οἱ ἐν γήρᾳ μέλιτι μετ' ἄρτου μόνα τρεφόμενοι, ἐπὶ πλεῖστον ζῶσιν. *Qui in senecta melle cum pane nutriuntur, diutissime vivunt.*

Ibid. XI. *Morbum arquatum.*] In MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. *arquatorum morbum* legitur, haud aspernanda sane scriptura. Nam qui eo morbi genere laborant, *Arquati dicuntur*, inquit Nonius Marcellus, cap. 5. num. 14. *quibus color & oculi virent, quasi in arcum similitudinem.*

Sect. 58. XII. *Addita resina & galla.*] Sic libri vulgati, cum Reg. 1. cod. in quo *addita resina galla* legitur. At in Reg. 2. Th. Chiffl. *resina Gallica.* Quæ e Gallia Etruriaque convehitur, resinam in primis commendat Dioscorides, lib. 1. cap. 92. itemque larignam, quæ ex Gallia Subalpina afferretur: ἀπὸ Γαλλίας καὶ Τυρρηνίας . . . . καὶ ἀπὸ Γαλατίας τῆς πρὸς ταῖς Ἄλπεσι.

Ibid. XIII. *Vel laterum, vel virilium dolores, cum papavere, aut meliloto, &c.*] In MSS. Reg. 1. 2. & Chiffl. nulla laterum, nulla virilium mentio: sed *vel aurium* tantum legas. In Colb. 3. *vel virilium* dumtaxat. Eamdem tamen medicinam lateris dolori Dioscorides adhibet, lib. 2. cap. 108. Σὺν μελιλώτῳ δὲ καὶ ὠμῷ κατάπλασμα περιχθὲν ἐπὶ πλευρᾶς ἀλγημάτων.

Ibid. XIV. *Ad strumas cum pice, & impubis pueri urina, cum oleo. Cum Græco feno contra tumores præcordiorum.*] Prius legebatur, viciata interpunctione, caeteraque vocula, *pueri urinæ. Cum oleo & feno Græco, &c.* Verum & in MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. *cum Græco feno* legitur, & scriptores ceteri oleum ad strumas adhibent: ad præcordiorum seu intestinorum inflationes non adhibent. Marcellus Empiricus, cap. 15. pag. 107. *Farina hordeacea, pro liquida, cum cera & oleo mixta, percolloque, adjecto puerili lotio subacta, more em-*

plastri imposita, strumas uel iter sanat. Diosc. lib 2 cap. 108. Μίσυ ᾗ πίνεται ὑγρόν, ἢ ξηρόν, ἢ ἅμα παισὶν ἀφ᾽ ἑψήσει, καὶ ἰλαία χοιράδας σκιὲς. Et paulo ante: Καταπλασσόμενον ᾗ ἢ ἄνω ὑποκρινομένους σπίλων, μετὰ λεονπίρμου, ἢ τῆλεως, ἢ κηρῶτου.

Sect. 59.

XV. *Locorum ratione.*] Ita Reg. 1. & Colbert. cum libris vulgatis, ut opinor, recte, & facili explicatu. In his verbis tamen explanandis Dalecampius cespitavit. In Reg. 2, Thuan. & Chiffl. *medicorum ratione* legitur, haud ita sincere: ni sententia sit, eatenus ibi de polentæ generibus susceptam disputationem esse, quatenus esset ad medicorum usus satis.

Sect. 61.

XVI. *Ad tabitudinem reductis.*] Etsi paulo insolentiore verbo usus auctor videtur, cum tabitudinem pro tabe dixit: sequi tamen exemplarium vetustiorum fidem satius multo visum est, quam vulgatos & typis excusos libros imitari, in quibus *ad habitudinem*, aut nulla prorsus, aut admodum impedita sententia legitur. Reg. 1. 2. Colb. 1. & vet. cod. Dalec. *ad tabitudinem*, diserte exhibent. Thuanæus, *aut tabitudinem.* Latini tabem dicimus, Græci φθίσιν, de qua diximus sect. 49. Atque ita sane scripsisse Plinium suadet alter Plinius Valer. lib. 1. de re med. cap. 62. cui titulum inscripsit, *Syntexi curanda: Alica*, inquit, *cyathis tres in passi sextario uno, & aquæ sextariis sex conciscuntur, & sensim coquuntur, donec aqua consumatur: tunc suffundunt lactis ovilli aut caprini sextarium: quo subfervefacto fit genus sorbitionis, qua per se primis diebus curationis loco utuntur: procedentibus diebus & mel adjiciunt.* Quæ plane ad verbum a nostro, ut liquet, auctore imitatus est. Certe ad phthisin, quæ tabis species est, sorbitionem ex alica, ptisanave commendat, lib. 3. cap. 22.

Sect. 64.

XVII. *Granum sesamæ. Datur in vino dulci.*] Prius legebatur, *Granum sesamæ datur in vino dulci.* Atqui non sesamæ modo, sed sesamoidis remedia tractantur: nec ad purgationes sesamæ granum, sed sesamoidis adhibent. Itaque priores hæ voces, *granum sesamæ*, cum superioribus connectendæ: ut sententia sit, sesamoidis granum esse simillimum sesamæ. Mox nova instituta periodo: *Datur*, sesamoides scilicet, in quo versatur in præsenti oratio, *in vino dulci*, &c. Sic Dioscor. lib. 4 cap. 152. de sesamoide: Σπέρμα ἀρκτὸν σησάμῳ, πινόμενον ἐν γλυκεῖ, ἄνω φλέγμα τε ἢ χολὴν, &c.

Sect. 67.

XVIII. *In vesica vero dolore . . . passi tribus ovis.*] Laborat vehementer Pintianus, ut *tribus obolis*, non *tribus ovis* legatur, libris invitis omnibus. Frustra. Passi ova tria cum audis, tantumdem passi intellige, quantum capiat putamen vacuum ovorum trium. Hanc interpretationem gemina auctoritate fulcimus. Marcelli primum Empirici, cap 26. pag. 180. *Amyli*, inquit, *semunciam terito, atque addito ovum recens, & ejus ovi testam ter passo impleto: idque poculum diu agitatum, & fervefactum, stranguriosis reverso a balneis data: omnes eum dolore ac difficultate celeriter absolvet.* Deinde Plinii Valer. lib. 2. cap 39. *Amyli semuncia conteritur, & ovum ejusque putamen ter impletur passo, idque a balneo subfervefactum datur adversum calculi dolorem.*

Sect. 70.

XIX. *Crustulas hulcerum.*] MSS. Reg. Colb. Chiffl. *Pustulas hulcerum.* Plinius Valer lib. 3 cap 22 hæc transcribens, *fistulas* legit. *Fistulas hulcerum*, inquit, *lenticula cocta rumpit: eadem collectiones sedat.* Diosc lib. 2 cap. 129. Ἐσχάρας ἀπορρήσσει, *crustas seu margines hulcerum rumpit.*

Sect. 71.

XX. *Ab aliis sphacos.*] Ita scribendum, non φακός, tum ex Suida, apud quem alphabeti series id certo confirmat: Σφακός, ait, ἀντὶ τ ἐλελισφάκου, &c. tum vero ex Pliniano indice.

Sect. 73.

XXI. *Farina ejus varos, sed & maculas toto corpore emendat.*] In libris hactenus editis, interpolatorum insigni licentia, *Farina ejus, ut Varro ait, maculas*, &c. In Reg. 1. & Colb. *Farina ejus varro, sed & maculas.* Sinceram nos scripturam, tum ex iis vestigiis primitivorum codicum, tum ex Plinio Valeriano eruimus, qui totum fere opus suum ex Plinianis verbis ac sententiis concinnavit. Is enim lib. 3. cap. 41. cujus lemma, *Varis tollendis: Farina*, inquit, *ervi ex aqua imposita sanantur, & toto corpore macula emendantur.*

Sect. 74.

XXII. *Panos & strumas minuunt, aut maturant, cocti ex aceto: cicatricibus candidum colorem reddunt.*] Prius legebatur, mutata interpunctione, *aut maturant. Cocti ex aceto cicatricibus*, &c. Ut ille ex aceto temperandi modus ad posteriorem solum medicinam referendum videretur, non etiam ad superiorem. Contra Dioscor. lib. 2 cap. 52 Φύματα καὶ χοιράδας μαλάσσουσιν ἐν ὄξει ἑψηθέντες καὶ καταπλασσθέντες. Galenus quoque, lib. 6. de fac. simpl. med. pag 174. Ἀλλὰ καὶ χοιράδας καὶ φύματα ἐκλεπτύνουσι ἐν ὄξει δ᾽ ἑψηθέντες, &c. Marcellus Empir. cap 32 pag. 225. *Lupini ex aceto cocti, & subacti, & pro emplastro adpositi, causam panicularum maturant, & minuunt dolorem.* Denique Plinius etiam Valer. lib. 3. cap. 27. *Panis depellendis: Lupini*, inquit, *ex aceto cocti, aut minuunt, aut maturant.* Quod ut ita sane se habeat, & in sequente pariter remedio ex aceto incoqui nihilominus necesse est. Plinius Valer lib. 3. cap 48. *Ad colorem cicatricibus reddendum: Lupini ex aceto cocti imponuntur.*

Sect. 80.

XXIII. *Cauliculus est sine sanguine, foliis rubens.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. non, ut editi, *Cauliculus est sine foliis, pinguis, rubens.* Folia subpinguia, subrubrumque caulem orobanchæ pariter Dioscorides attribuit, lib. 2. pag 172. Ὀροβάγχη καυλίον ἐστὶν ὑπέρυθρον ὡς διπήχυιον . . . φύλλοις ὑπολίπαρος, &c.

Sect. 82.

XXIV. *Celia & ceria in Hispania, cervisia & plura genera in Gallia.*] En haud obscure celiam a cervisia Plinius diversam facit: egregie, cum non situ magis terrarum Gallia Hispaniaque dissideant, quam hæ potiones duæ. Celia ex frumento concinnatur, Floro teste, lib. 2 cap. 18 cujus verba retulimus in prioribus Notis, hoc est, e tritico, ut Orosius interpretatur, lib 5. cap. 7. *Postmodum*, inquit, *diu obsidione conclusi Numantini duabus desubito portis cuncti eruperunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum a calefaciendo Celiam vocant: suscitatur enim illa ignea vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis, & calor ebrietatis adjicitur.* Orosium sequitur Isidorus, lib 20. cap. 5. & Papias. Quibus verbis ii non materiam modo celiæ designant, sed & conficiendi modum. At cervisiæ ex hordeo concinnatur, & ex alia quadam simili fruge, quæ propria caret in Latio appellatione, generali modo frumenti nomenclatione signant: Belgæ vocant, *du Sucrion.* Tacitus, lib de more Germanorum: *Potus, humor ex hordeo aut frumento, in quamdam similitudinem vini corruptus.* Quare neu Matthæum Silvaticum audio, qui parum sibi constans ita primum, *Celea*, inquit, *potio ex succo tritici inebrians.* quod quidem utinam solum diceret: At mox inferius, *Celia, id est, cervisia, dicta a calefaciendo.* Nec Joannem Sarisb. Epist. 85. celiam cum cervisia commiscentem. De cervisiæ etymo consulendus, præter jam appellatos, V. Cl. Du-Cangius in Glossario.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXIII.

I. PERACTA cerealium in medendo quoque natura est, omniumque quæ ciborum aut florum, odorumve gratia proveniunt [1] supina tellure. Non cessit his Pomona, partesque medicas [2] & pendentibus dedit, non contenta protegere, arborumque [3] alere umbra quæ diximus: 5 immo velut indignata plus auxilii inesse his quæ longius a cælo abessent, quæque postea cœpissent. [4] Primum enim homini cibum fuisse inde, [5] & sic inducto cælum spectare, pascique & nunc ex se posse sine frugibus.

II. [1] Ergo hercule has in primis dedit vitibus, non contenta delicias etiam, & odo- 10 res, atque unguenta, [2] omphacio, & œnanthe, ac massari, (quæ suis locis diximus,) nobiliter instruxisse. [3] Plurimum, inquit, homini voluptatis ex me est. Ego succum vini, liquorem olei gigno. Ego palmas & poma, totque varietates: neque ut tellus, omnia per labores, aranda tauris, terenda areis, [4] deinde saxis, ut quando, quantove opere cibi fiant? At ex me parata omnia, [5] nec curvo laboranda, sed sese porrigentia ultro: & 15 si pigeat attingere, etiam cadentia. Certavit ipsa secum, plusque utilitatis causa genuit etiam, quam voluptatis.

III. [1] Folia vitium & pampini capitis dolores, inflammationesque corporum mitigant cum polenta. Folia [2] per se ardores stomachi ex aqua frigida: cum farina vero hordei, articularios morbos. [3] Pampini triti & impositi, tumorem omnem siccant. [4] Succus eo- 20 rum dysentericis infusus medetur. [5] Lacryma vitium, quæ veluti gummi est, lepras & lichenas, & psoras nitro ante præparatas sanat. [6] Eadem cum oleo sæpius pilis illitis, psilothri effectum habet, [7] maximeque quam virides accensæ vites exsudant: qua & verrucæ tolluntur. [8] Pampini sanguinem exscreantibus, & mulierum a conceptu [9] defectioni,

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Supina tellure.*] Humi, in ipsa terræ superficie, in qua flores frugesque adhærescere natura voluit: pendere contra in sublimi arborum fructus, Pomona. *Colles supinos* Virgilius. Horatius *Tibur supinum* dixit.

2. *Et pendentibus.*] Fructibus ex arbore pendentibus.

3 *Alere umbra quæ diximus*] Fruges, & saxa quæ diximus libro 17. sect 18. *Non fastidienda hæc quoque scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra aut nutrix, aut noverca est*, &c.

4 *Primum enim homini.*] Plinius, lib. 12. sect. 1. *Hinc primum alimenta, harum fronde mollior specus*, &c.

5 *Et sic*] Dum cibum ex alto petit, sursum oculos tollere hominem Pomona, *cælumque tueri jussit*

Sect. II. 1. *Ergo hercule has.*] Partes scilicet medicas

2. *Omphacio*, &c.] De his egimus lib. 12. sect. 60. & 61.

3 *Plurimum, inquit*] Pomonam loquentem inducit, omnis pomorum generis Deam.

4. *Deinde saxis.*] Molis frumentariis. Virgil. lib. 1. Georg. vers. 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

5. *Nec curvo laboranda*] Nec ab homine curvato aranda. Sic *curvus arator* apud Virgilium, Ecl. 3. vers. 42. Vide Notas & Emend. num I.

Sect. III. 1. *Folia vitium*, &c.] Hæc pariter tradidit Diosc. lib. cap. 1. totidem verbis: Ἀμπέλου οἰνοφόρου τὰ φύλλα, καὶ αἱ ἕλικες λεῖαι καταπλασσόμεναι, κεφαλαλγίας πραΰνουσι, φλεγμονάς τε στομάχου δὲ κρῶτον σὺν ἀλφίτῳ.

2. *Folia per se.*] Diosc. loc cit Καὶ καθ' ἑαυτὰ ἐπιτιθέμενα τὰ φύλλα, πραΰνουσι φλεγμονάς τε στομάχου, καὶ πόνους.

3 *Pampini.*] Hoc est, capreoli, sive claviculæ, αἱ ἕλικες. Diosc loc. cit De his diximus lib. 17. sect. 35. num 25. Satis eleganter Rufinus in præfat. ad librum Judæ: Ἕλικα *vitem dicunt Græci, non tam palmitem, quam illos runcinulos, vel cincinnulos palmitis, quibus succrescens palmes ipse, innectere se & suspendere solet, vel palis, vel quibuscumque innititur adminiculis, quos capreolos, ut arbitror, appellant agricolæ: quibus nexibus tutus, & sine lapsus periculo, vel gravatur fructibus palmes, vel vaga proceritate distenditur.* Cælius Aurel lib. 1. chron. cap 1. de capitis passione, quam Græci cephalæam nominant, eleganter *anulos vitis, quos helicas vocant*, appellat.

4 *Succus eorum.*] Plinius Valer. lib 2. pag. 28. *Dysenteria compescenda: succus pampinorum & vitium clysterio immittuntur.* Hunc vero succum Diosc. loc. cit. dysentericis non infundi tantum clystere, sed & propinari bibendum jubet.

5 *Lacryma vitium*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 5. cap 1. Τὸ δὲ δάκρυον αὐτῆς ὅμοιον ὂν κόμμι, &c.

6. *Eadem cum oleo.*] Diosc. loc. cit.

7. *Maximeque quam virides.*] Subintellige lacrymam, ex antecedentibus, seu liquorem, quem accensa sarmenta vitium exsudant. Diosc loc. cit. Καὶ μάλιστα ὁ ἀπὸ τῆς χλωρᾶς κεομένης κλήματος ἀφιδρούμενος ἰχὼρ· ὃς καὶ μυρμηκίας ἐπιχριόμενος καθαίρει.

8. *Pampini sanguinem.*] Hoc est, ut diximus, capreoli, claviculæque. Diosc loc. cit. Ἀποβρεχθεῖσαι δὲ καὶ αἱ ἕλικες ἐν ὕδατι, καὶ ποθεῖσαι, ὠφελοῦσι δυσεντερικούς, καὶ αἱμοπτυϊκούς, καὶ στομαχικούς, καὶ κισσώσας.

9. *Defectioni.*] Dioscorides κίσσαν vocat: proprieque fastidium est feminarum prægnantium, cum alios atque alios cibos appetunt, gustatosque mox respuunt.

diluti

diluti potu prosunt. [10] Cortex vitium & folia arida, vulnerum sanguinem sistunt, ipsumque vulnus conglutinant. Vitis albæ viridis tusæ succo impetigines tolluntur. [11] Cinis sarmentorum vitiumque & vinaceorum, condylomatis & sedis vitiis medetur ex aceto: [12] item luxatis & ambustis, [13] & lienis tumori, cum rosaceo & ruta & aceto. Item igni sacro ex vino citra oleum aspergitur, & intertrigini: & pilos absumit. Dant & bibendum cinerem sarmentorum ad lienis remedia aceto conspersum, ita ut bini cyathi in tepida aqua bibantur: utque qui biberit, in lienem jaceat. Claviculæ ipsæ, quibus repunt vites, tritæ, & ex aqua potæ, sistunt vomitionum consuetudinem. [14] Cinis vitium cum axungia vetere contra tumores proficit, [15] fistulas purgat, mox & persanat: item nervorum dolores frigore ortos, contractionesque: contusis vero partes cum oleo, carnes excrescentes in ossibus cum aceto & nitro, scorpionum [16] & canum plagas cum oleo. [17] Corticis per se cinis combustis pilos reddit.

I V. Omphacium qua fieret ratione incipientis uvæ pubertate, in unguentorum loco [1] docuimus. Nunc ad medicinam de eo pertinentia indicabimus. [2] Sanat ea quæ in humido sunt hulcera, ut oris, tonsillarum, genitalium. Oculorum claritati plurimum confert. Scabritiæ genarum, [3] hulceribusque angulorum, nubeculis, hulceribusque quacumque in parte manantibus, [4] cicatricibus marcidis, [5] ossibus purulente limosis. [6] Mitigatur vehementia ejus melle aut passo. Prodest & dysentericis, sanguinem exscreantibus, anginis.

V. Omphacio cohæret œnanthe, quam vites silvestres ferunt, [1] dicta a nobis in unguenti ratione. [2] Laudatissima in Syria, maxime circa Antiochiæ & Laodiceæ montes: & ex alba vite restringit, adstringit, [3] vulneribus inspergitur, [4] stomacho illinitur, [5] utilis urinæ, jocineri, [6] capitis doloribus, dysentericis. [7] Contra fastidia obolo ex aceto pota. [8] Siccat manantes capitis eruptiones, efficacissima ad vitia quæ sunt in humidis: [9] ideo & oris hulceribus, & verendis, ac sedi, cum melle & croco. Alvum sistit. Genarum scabiem emendat, oculorumque lacrymationes: ex vino stomachi dissolutionem: ex aqua frigida pota [10] sanguinis exscreationes. [11] Cinis ejus ad collyria, & ad hulcera purganda, & paronychia, & pterygia, probatur. Uritur in furno, donec panis percoquatur. [12] Massaris odoribus tantum gignitur: omniaque ea aviditas humani ingenii nobilitavit, [13] rapere festinando.

V I. Maturescentium autem uvæ vehementiores nigræ, ideoque vinum ex his minus jucundum: suaviores albæ, quoniam e translucido facilius accipitur aër. [1] Recentes stomachum, & spiritum inflant, alvumque turbant: itaque in febri damnantur, utique largiores. Gravedinem enim capiti, morbumque lethargicum faciunt. [2] Innocentiores, quæ decerptæ diu pependere: qua ventilatione etiam utiles fiunt stomacho, ægrisque. [3] Nam & refrigerant leviter, & fastidium auferunt.

V I I. [1] Quæ autem in vino dulci conditæ fuere, caput tentant. Proximæ sunt pensilibus [2] in palea servatæ. [3] Nam in vinaceis servatæ, & caput, & vesicam, & stomachum

NOTÆ.

10. *Cortex vitium*, &c.] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 21.

11. *Cinis sarmentorum*] Marcellus Empir. cap. 31. pag. 223 & Diosc. lib. 5. cap. 1 iisdem verbis.

12. *Item luxatis*, &c] Diosc loc. cit.

13. *Et lienis tumori*, &c.] Marcellus Empir. cap. 28. pag. 266. Plinius Valer. lib. 2. cap. 18. & Diosc. loc. cit.

14. *Cinis vitium*, &c.] Marcellus Empir. cap 4. pag 42. & cap 36. pag 250. & Theod. Priscianus, lib. 2. cap. 9. *de furunculis.*

15. *Fistulas*, &c.] Plinius Valer. lib. 3. cap. 22.

16. *Et canum plagas*,] &c. Plinius Valer. lib 3 cap. 51.

17. *Corticis per se*, &c.] Plinius Valer lib. 3. cap. 36.

Sect. I V. 1. *Docuimus.*] Lib. 12. sect. 60.

2. *Sanat ea.*] Quæ ex omphacio medicinæ petuntur, tota hac sectione, omnia fere totidem verbis habet Diosc. lib 5. cap. 6.

3. *Hulceribus angulorum.*] In angulis oculorum arrosis, [illegible]. Diosc loc. cit.

4. *Cicatricibus.*] Deceptum hoc loco Plinium Saracenus in Diosc. putat affinitate vocum; quod οὐλὴ cicatricem, οὖλον gingivam significat. Eumdemque cum apud scriptorem Græcum legisset, id quod apud Dioscoridem exstat, lib. 5. cap 6. prodesse omphacium contra οὖλα πλαδαρά, hoc est, gingivas humore flaccidas, minus caute *marcidas cicatrices*, quas nemo intelligat, interpretatum. At ex alio fonte Plinius fortassis hausit: cicatricesque marcidas, humida vulnera, ac minus bene coeuntia intellexit.

5. *Ossibus purulente.*] Vide Notas & Emendationes, num. II.

6. *Mitigatur.*] Ita Reg. 2. & Chiffl. In editis, *frangitur.* Reg. 1. & Colb. *fatigatur.*

Sect. V. 1. *Dicta a nobis.*] Libro 12. sect. 61.

2. *Laudatissima*, &c.] Diosc. lib. 5. cap. 5.

3. *Vulneribus*, &c.] Diosc. loc. cit.

4. *Stomacho*] Diosc loc cit. Contra stomachi ardores, cum polline polentæ, ac vino illinitur. [illegible]

5. *Utilis urinæ.*] Sic Diosc. οὐρητικὴ, ciendæ utilem urinæ prodidit.

6. *Capitis doloribus.*] In capitis doloribus, inquit Diosc. loc. cit. tam viridis quam sicca, cum aceto rosaceoque perfunditur.

7. *Contra fastidia.*] Diosc. loc. cit.

8. *Siccat manantes.*] Diosc. loc. cit.

9. *Ideo & oris.*] Vide Notas & Emend. num. III.

10. *Sanguinis exscreationes.*] Diosc. loc. cit.

11. *Cinis ejus*, &c.] Diosc. loc. cit.

12. *Massaris.*] Dictum est de massari, lib. 12 sect. 61.

13. *Rapere festinando.*] Priusquam flos in fructum transeat. Nam œnanthe quidem colligitur, cum floret: itemque massaris quæ in Africa fit: omphacium vero & ex acerba vite conficitur, ut dictum est suis locis, hoc est, lib. 12. sect. 60. & 61.

Sect. V I. 1. *Recentes stomachum.*] Dioscor. lib. 5. cap. 3. Vide Notas & Emend. num. IV.

2. *Innocentiores.*] Diosc. loc. cit. iisdem verbis.

3. *Nam & refrigerant.*] Diosc loc. cit

Sect. V I I. 1. *Quæ autem in vino.*] Plinius, lib. 14. sect. 3. *Conduntur & musto uvæ, ipsoque vino suo inebriantur*, &c. De reliquis uvarum condendarum modis dictum est abunde lib. 15. sect. 18.

2. *In palea servatæ.*] Paleales idcirco appellatas a Cælio Aureliano meminimus.

3 *Nam in vinaceis.*] Et has quidem vesicam; caputque tentare: ori tamen esse jucundas, Diosc. scribit, lib. 3. cap. 3. Quid sint vinacea diximus lib. 14. sect. 3.

infestant. [4] Sistunt tamen alvum, [5] sanguinem exscreantibus utilissimæ. [6] Quæ vero in musto fuere, pejorem vim etiamnum habent, quam quæ in vinaceis. [7] Sapa quoque stomacho inutiles facit. [8] Saluberrimas putant medici in cælesti aqua servatas, etiamsi minime jucundas: sed voluptatem earum in stomachi ardore sentiri, & in amaritudine jecoris, fellisque vomitione in choleris: hydropicis, cum ardore febrium ægrotantibus. [9] At in ollis servatæ, & os, & stomachum, & aviditatem excitant. Paulo tamen graviores existimantur fieri [10] vinaceorum halitu. [11] Uvæ florem in cibis si edêre gallinacei, uvas non attingunt.

VIII. Sarmenta earum, in quibus acini fuere, adstringendi vim habent, efficaciora ex ollis.

IX. [1] Nuclei acinorum eamdem vim obtinent. Hi sunt qui in vino capitis dolorem faciunt. [2] Tosti tritique stomacho utiles sunt. [3] Inspergitur farina eorum, polentæ modo, potioni, dysentericis, & cœliacis, & dissoluto stomacho. Decocto etiam eorum fovere psoras & pruritum utile est.

X. Vinacei per se minus capiti aut vesicæ nocent, quam nuclei: mammarum inflammationi triti cum sale utiles. [2] Decoctum eorum veteres dysentericos & cœliacos juvat, & potione, & fotu.

XI. [1] Uva theriace, de qua suo loco diximus, contra serpentium ictus estur. [2] Pampinos quoque ejus edendos censent, imponendosque, vinumque & acetum ex his factum auxiliatem contra eadem vim habet.

XII. [1] Uva passa, quam astaphida vocant, stomachum, ventrem & interanea tentaret, nisi pro remedio in ipsis acinis nuclei essent: [2] iis exemptis vesicæ utilis habetur: [3] tussi, alba utilior. [4] Utilis & arteriæ & renibus: sicut ex his passum privatim e serpentibus contra hæmorrhoïda potens. [5] Testium inflammationi cum farina cumini, aut coriandri imponuntur: [6] item carbunculis, articulariis morbis, sine nucleis tritæ cum ruta: fovere ante vino hulcera oportet. [7] Sanant epinyctidas, & cetera: dysenteriam cum suis nucleis. [8] Et in oleo coctæ gangrænis illinuntur cum cortice raphani & melle. [9] Podagris & unguium mobilibus cum panace, & per se ad purgandum os caputque, cum pipere commanducantur.

XIII. [1] Astaphis agria, sive staphis, quam uvam taminiam aliqui vocant falso: [2] suum enim genus habet, cauliculis nigris, rectis, foliis labruscæ: fert folliculos verius, quam acinos, virides, similes ciceri: in his nucleum triangulum. Maturescit cum vindemia: nigrescitque: cum taminiæ rubentes norimus acinos, sciamusque illam in apricis nasci, hanc non nisi in opacis. [3] His nucleis ad purgationem uti non censuerim, propter ancipitem strangulationem: [4] nec ad pituitam oris siccandam, fauces enim lædunt. [5] Phthiriasi

Notæ.

4. *Sistunt tamen.*] Diosc. loc. cit.

5. *Sanguinem*, &c.] Plinius Valer. lib. 1. cap. 64 & Diosc. loc. cit.

6. *Quæ vero in musto.*] Diosc. loc. cit.

7. *Sapa quoque*] Diosc. loc. cit.

8. *Saluberrimas.*] Diosc loc. cit.

9. *At in ollis*] Diosc. loc. cit & Galenus, lib. 2. de alim. facult. cap 9 pag. 341.

10. *Vinaceorum halitu.*] Quibus scilicet uvæ stipantur ollis inclusæ Supra lib. 14. sect. 3. *Aliæ in sua tantum continentur arima, ollis fictilibus, & insuper doliis inclusæ, stipatæ vinaceis circumsudantibus.*

11. *Uvæ florem.*] Simile illud est quod superius attulit, lib. 14. sect 18 de vitis labruscæ acinis: *Universi numquam maturescunt: & si prius quam tota maturescat uva, inco͡cta detur gallinaceo generi, fastidium gignit uvas appetendi.*

Sect. IX 1. *Nuclei acinorum*] Diosc. lib 5. cap. 3. Acini grana sunt uvarum: nuclei acinis, seu granis includuntur.

2. *Tosti tritique.*] Diosc. loc. cit.

3. *Inspergitur.*] Diosc. *Φρυγόμενα δὲ, καὶ ἀντὶ ἀλφίτου ἐπιπασσόμενα λεῖα, ἁρμόζει δυσεντερικοῖς, καὶ κοιλιακοῖς, καὶ τοῖς τὸν στόμαχον ἀνατετραμμένοις.*

Sect. X. 1. *Mammarum.*] Diosc. loc. cit. *Τὰ δὲ στέμφυλα αὐτῶν ἧττον τῆς κεφαλῆς καθάπτεται, καταπλασσόμενα μεθ' ἁλῶν πρὸς φλεγμονὰς, καὶ σκληρίας, καὶ σπαργώσεις μαστῶν. Retundunt vinacei, inflammatas, praduras, ac lacte turgentibus mammis cum sale imponuntur.*

2. *Decoctum eorum.*] Diosc loc cit.

Sect. XI. 1. *Uva theriace.*] De qua lib. 14. sect. 22. Quæ de hoc uvæ genere Plinius refert, ea totidem verbis recitat auctor Geopon lib. 4 cap. 7. pag. 107.

2. *Pampinos quoque.*] Nunc pampinos pro foliis accipit: nam Græcus auctor proxime laudatus habet, *τὰ φύλλα τῆς ἀμπέλου λειούμενα, καὶ ἐπιτιθέμενα.*

Sect XII. 1. *Uva passa, quam astaphida.*] Hæc totidem fere verbis Diosc lib. 5. cap. 4. ubi hanc uvam *σταφίδα* vocat, quam ceteri Attice *ἀσταφίδα*. Vide Lexicon Constantini.

2. *Iis exemptis.*] Diosc. loc. cit.

3. *Et tussi*] Diosc. loc. cit.

4. *Utilis & arteriæ, & renibus.*] Diosc. loc cit.

5. *Testium inflammationi.*] Diosc loc. cit. totidem fere verbis, sed pro coriandri farina, fabarum lomentum adhibet. Idem tamen, lib. 3. cap 71. cum uva passa coriandrum testium inflammationibus, carbunculisque auxiliari prodidit.

6. *Item carbunculis*, &c.] Diosc. totidem verbis.

7. *Sanant epinyctidas.*] Vide Notas & Emend. num. V.

8 *Et in oleo . . . gangrænis.*] Et his quoque opitulari, scribit Diosc. loc cit

9. *Podagris*, &c] Hæc verbis totidem Diosc loc cit

Sect. XIII. 1. *Astaphis . . . . taminiam aliqui vocant falso.*] Corn. Celsus, tradit ea quæ hic a Plinio reprehenduntur, lib. 3. cap. 22. *Uva taminia, quam σταφίδα ἀγρίαν Græci nominant.*

2. *Suum enim genus.* [Suum enim *σταφὶς ἀγρία* genus habet diversum a taminia. Describitur illud a Dioscor lib 4. cap 156. *Σταφὶς ἀγρία, φύλλα μὲν ἔχει ὅμοια ἀμπέλου ἀγρίας ἐσχισμένα, καυλία, ὀρθὰ, μέλανα . . . . τὸν δὲ καρπὸν ἐν θυλακίοις χλωροῖς ὥσπερ ἐρεβίνθου, τρίγωνον*, &c. Quæ sunt Plinianis prorsus gemina, paribusque. Pingitur a Dodonæo, pag. 362. In officinis retinet nomen: Gallia pedicularem vocat, *l'Herbe aux poux.* Et vetus illa quidem appellatio est, Scribonio quoque Largo agnita, Compos 8. *Ad capitis dolorem: Σταφίδος ἀγρίας, quam herbam pedicularium, quod pediculos necat, quidam appellant*

3. *His nucleis.*] Diosc. iisdem verbis, lib 4. cap 156.

4. *Nec ad . . . siccandam.*] Hoc est, trahendam, & exhauriendam. Nam, Dioscoride teste, loc. cit plurimam pituitam commanducata trahit: *Ἀποφλεγματίζει, φλέγμα ἄγει πλεῖον.*

5. *Phthiriasi*, &c.] Iisdem verbis Dioscor. loc cit. Et Theod. Priscianus, lib. 1. cap 4. *de pediculosis: Staphidos agriæ unciis II. Sandarachæ unciæ una, cum oleo & aceto, postquam contriveris, omne corpus perungendum est.* Atque inde fa-

caput & reliquum corpus liberant triti, facilius admixta sandaracha: [6] item pruritu, & psoris. [7] Ad dentium dolores decoquuntur in aceto, ad aurium vitia, [8] rheumatismum cicatricum, hulcerum manantia. Flos tritus in vino contra serpentes bibitur: semen enim abdicaverim, propter nimium vim ardoris. [9] Quidam eam pituitariam vocant, & plagis serpentium utique illinunt.

XIV. [1] Labrusca quoque œnanthen fert, satis dictam: quæ a Græcis ampelos agria appellatur, spissis & candicantibus foliis, geniculata, rimoso cortice: fert uvas rubentes cocci modo, [2] quæ cutem in facie mulierum purgant, [3] & varos: coxendicum & lumborum vitiis tusæ, cum foliis & succo prosunt. Radix decocta in aqua, pota in vini Coi cyathis duobus, [4] humorem alvi cier: ideo hydropicis datur. Hanc potius crediderim esse, quam vulgus uvam taminiam vocat. Utuntur ea pro amuleto: & [5] ad exspuitionem sanguinis quoque adhibent, non ultra gargarizationes, [6] & ne quid devoretur, addito, sale thymo, aceto mulso. Ideo & purgationibus ancipitem putant.

XV. Est huic similis, sed in salictis nascens: ideo distinguitur nomine, cum eosdem usus habeat, & salicastrum vocatur. [1] Scabiem & pruriginem hominum quadrupedumque aceto mulso trita hæc efficacius tollit.

XVI. [1] Vitis alba est, quam Græci [2] ampeloleucen, alii ophiostaphylon, alii melothron, alii psilothrum, alii archezostin, alii cedrostin, alii madon appellant. [3] Hujus sarmenta longis & exilibus internodiis geniculata scandunt. [4] Folia pampinosa ad magnitudinem ederæ, dividuntur ut vitium. Radix alba, grandis, raphano similis initio: [5] ex ea caules asparagi similitudine exeunt. Hi decocti in cibo alvum & urinam cient. [6] Folia & caules exhulcerant corpus: utique hulcerum phagedænis & gangrænis, [7] tibiarumque tædio cum sale illinuntur. [8] Semen in uva raris acinis dependet, succo rubente, postea croci. Novere id qui coria perficiunt: illo enim utuntur. [9] Psoris & lepris illinitur. [10] Lactis abundantiam facit coctum cum tritico, potumque. [11] Radix numerosis utilitatibus nobilis, contra serpentium ictus trita drachmis duabus bibitur. [12] Vitia cutis in facie, varosque, & lentigines, & sugillata emendat, & cicatrices. [13] Eademque præstat decocta in oleo. [14] Decoctæ datur & comitialibus potus: [15] item mente commotis, & vertigine laborantibus, drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipsa aurem largior aliquanto [16] sensus purgat. [17] Illa vis præclara, quod ossa infracta extrahit in aqua,

NOTÆ.

ne pediculariæ appellationem traxit. Nam Φθεῖρες, Græcis pediculi sunt.

6. *Item pruritu*, &c.] Diosc. loc. cit.

7 *Ad dentium*, &c.] Diosc. loc. cit.

8. *Rheumatismum.*] Quid rheumatismus cicatricum sit, nec scio ego, nec quisquam medicorum scit. Susp cor vero apud scriptorem Græcum, a quo hæc accepta, legisse Plinium, id quod apud Dioscoridem hodieque extat, lib. 4. cap. 156 οὖλα τε ῥευματιζόμενα, hoc est, *gingivarum fluxiones*, quas Græci rheumatismos vocant: deceptum porro affinitate vocum, οὐλὰς intellexisse, quæ vox cicatrices sonat. Nisi forte, ut diximus sect. 4. humentia adhuc vulnera intelligit.

9. *Quidam eam pituitariam*] Quod pituitam, ut dictum est, e capite eliciat: quod Galenus confirmat, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 161. Ἀποφλεγματίζει.

Sect. XIV. 1. *Labrusca ... satis dictam.*] Libro 12. sect. 61. Sic quoque fere describitur a Diosc lib. 4. pag 185. Ἄμπελος ἀγρία κλήματα ἀφίησι μακρὰ, ὡς ἄμπελος, ξυλώδη, τραχέα, φλοιορραγῆ .... καρπὸν δὲ βοτρυδίοις μικροῖς ὅμοιον, πεπανθέντα ἐρυθρόν. *Sarmenta vitis modo longa emittit, eaque lignosa, aspera, & rimoso cortice .... fructum exiguis uvis similem, atque, ubi maturitatem est assecutus, rubentem.* Hæc vitis silvestris Dodonæi est, pag. 396. ut diximus lib. 12. sect. 50.

2. *Quæ cutem*] Maculas a Sole contractas, ceterasque omnes, hujusce vitis uva purgari, scribit Diosc. loc. cit.

3. *Et varos.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

4. *Humorem alvi.*] Aquas quæ alvo continentur: ὑδατώδη καθαίρει, inquit Diosc. loc. cit. Δίδοται δὲ καὶ ὑδρωπικοῖς, *aquosa purgat: ideo hydropicis datur.* Celsus item, lib. 3 cap 21. quanquam is uvam taminiam, quam præberi hydropicis præcipit, falso, ut dictum est, σταφίδα ἀγρίαν vocat.

5. *Ad exspuitionem*] Contra exscreationem sanguinis.

6. *Et ne quid devoretur.*] Ita ut ne quid sorbeatur ex eo decocto, vel glutiatur.

Sect. XV. 1. *Scabiem.*] Scribonius Largus, Compos. 143. *Ad papulas in capite effervescentes, vel quolibet parte corporis tantum pruriginem, staphis agria trita, &c. Item alumen liquidum ex aceto, staphide agria adiecta, &c.*

Sect. XVI. 1. *Vitis alba est*] Ita Diosc. lib 4. cap. 184. Ἄμπελος λευκὴ, οἱ δὲ ὀφιοσταφυλὸν, οἱ δὲ χελιδόνιον, ἢ μήλωθρον, ἢ ψίλωθρον, ἢ ἀρχέζωστις, ἢ ἄγρωστις, ἢ κέδροστις καλοῦσι. Habet eadem libelli ejus auctor, qui Kiranidum Kirani falso inscribitur, pag. 13. Hippoc. lib. de fistul tex. 6. pag. 686 Τῆς ἀμπέλου τῆς ἀγρίης, ἣν ἔνιοι καλοῦσι ψιλώθρον. De causa hujus appellationis dicemus lib. 32. sect. 24. A Dodonæo pingitur, pag. 395. Visa a nobis in horto Regio: Gallis, *Coulevree.*

2. *Ampeloleucen.*] Ἄμπελος λευκὴ, a radicis colore. Ὀφιοσταφυλὸς, quasi anguina uva, quod in sepibus nascitur, in quibus angues plerumque latent, &c.

3. *Hujus sarmenta.*] Diosc. locis cit. & auctor Kiranidum Kirani, pag. 14

4 *Folia pampinosa.*] Folia pampinis seu claviculis instructa tortilibus, similia ederaceis, sativam vitem imitantur. Diosc locis cit. Ταύτης τὰ κλήματα, καὶ τὰ φύλλα, καὶ οἱ ἕλικες, ὅμοια τῇ ἡμέρῳ ἀμπέλῳ, &c.

5. *Ex ea caules.*] Diosc. loc. cit. Ταύτης οἱ ἀπαράγοι κατὰ τὴν πρώτην ἀνάδοσιν ἐσθίονται, οὖρησιν καὶ κοιλίαν κινοῦντες

6. *Folia & caules.*] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. & auctor proxime laudatus, pag 16.

7. *Tibiarumque tædio.*] Totidem putridis hulceribus, καὶ σηπεδονώδεσιν ἕλκεσιν, inquit Diosc locis cit

8. *Semen in uva.*] Diosc. καρπὸν *fructum* dixit: quod Plinius, ut ei solemne est, semen transtulit. Καρπὸν δὲ, inquit ille, ἔχει βοτρυώδη, πυῤῥὸν, ᾧ ψιλοῦται τὰ δέρματα. *Fructum gerit racemosum, rufum, quo coria depilantur.* Sic etiam auctor Kiranidum Kirani, pag. 14

9. *Psoris*, &c] Diosc. loc. cit. & auctor libri, cui titulus Kiranidum Kirani, pag 13

10. *Lactis abundantiam.*] Auctores mox laudati, iisdem locis.

11. *Radix*, &c.] Totidem verbis Diosc. loc. cit. & auctor modo laudatus, pag. 13.

12. *Vitia cutis*, &c.] Diosc. locis cit. & auctor proxime citatus, pag. 12.

13. *Eademque.*] Diosc. loc. cit.

14 *Decoctæ*] Radicis videlicet: atque ita sane Diosc. loc. cit & auctor Kiranidum Kirani, pag. 13. *Ad epilepsiam*, inquit, *bibitum* ∠ 1. *per annum quoque die cum oxymelle.*

15. *Item mente*, &c.] Diosc. loc. cit. & auctor appellatus, pag. 13.

16. *Sensus purgat.*] Vide Notas & Emend. num VII.

17. *Illa vis præclara.*] Diosc. loc. cit. Λέγεται δὲ καὶ ὀστᾶ λεία ἐκβάλλειν κατακλασθέντα. Sic etiam auctor Kiranidum Kirani, pag. 9. & 10.

imposita, ut bryonia: [18] quare quidam hanc albam bryoniam vocant. [19] Alia vero nigra efficacior in eodem usu cum melle & thure. [20] Suppurationes incipientes discutit, veteres maturat & purgat. [21] Ciet menses & urinam. [22] Ecligma ex ea fit suspiriosis, & contra lateris dolores, vulsis, ruptis. [23] Splenem ternis obolis pota triginta diebus consumit. [24] Illinitur eadem cum fico & pterygiis digitorum. [25] Ex vino secundas feminarum apposita trahit: [26] & pituitam, drachma pota in aqua mulsa, succus radicis. Colligi debet ante maturitatem seminis: [27] qui illitus per se & cum ervo, lætiore quodam colore & cutis teneritate mangonizat corpora. Tunditur ipsa radix cum pingui fico, erugatque corpus, si statim bina stadia ambulentur: alias urit, nisi frigida abluatur. Jucundius hoc idem præstat nigra vitis: quoniam alba pruritum affert.

XVII. [1] Est ergo & nigra, quam proprie bryoniam vocant, alii Chironiam, alii gynæcanthen, aut aproniam, similem priori, præterquam colore. [2] Hujus enim nigrum esse diximus. [3] Asparagos ejus Diocles prætulit veris asparagis in cibo, urinæ ciendæ, lienique minuendo. In frutectis & arundinetis maxime nascitur. [4] Radix foris nigra, intus buxeo colore, ossa infracta [5] vel efficacius extrahit, quam supra dicta. [6] Ceterum eidem peculiare est, quod jumentorum cervicibus unice medetur. [7] Aiunt si quis villam ea præcinxerit, fugere accipitres, tutasque fieri [8] villaticas alites. Eadem in jumento homineque, [9] flemina, aut sanguinem, qui se ad talos dejecerit, circumligata sanat. Et hactenus de vitium generibus.

XVIII. Musta differentias habent naturales has, quod sunt candida, aut nigra, aut inter utrumque: aliaque, ex quibus vinum fiat, alia ex quibus passum: [1] cura differentias innumerabiles facit. In plenum ergo hæc dixisse conveniat. [2] Mustum omne stomacho inutile, venis jucundum. [3] A balineis raptim & sine interspiratione potum, necat. [4] Cantharidum naturæ adversatur. Item serpentibus, maxime hæmorrhoïdi, & salamandræ. Capitis dolores facit, & gutturi inutile: prodest renibus, jocineri, & interaneis vesicæ: [5] collævat enim ea. Privatim contra buprestim valet. [6] Contra meconium, [7] lactis coagulationem, cicutam, [8] toxica, dorycnium, ex oleo potum, redditumque vomitionibus. Ad omnia infirmius album, jucundius [9] passi mustum, & quod minorem capitis dolorem afferat.

XIX. [1] Vini genera differentiasque perquam multas exposuimus, & fere cujusque proprietates. Neque ulla pars difficilior tractatu, aut numerosior: quippe cum sit [2] tardum dictu, pluribus prosit an noceat. Praterea quam ancipiti eventu potu statim auxilium fit, aut venenum? Etenim de natura ad remedia tantum pertinente nunc loquimur. Unum de

NOTÆ.

18. *Quare quidam.*] In quibus est Diosc lib 4 cap 184. & auctor Kiranidum Kirani, pag 8 & 13. Galenus quoque, lib. 6. de fac. simpl. med cap 34. pag. 155.

19. *Alia vero nigra.*] De qua sect seq.

20. *Suppurationes.*] Redit ad vitem albam, cujus dotes absolvit. Inflammationes discutere, ac rumpere abscessus scribit Diosc. loc. cit.

21. *Ciet menses,* &c.] Dioscor. & Kiranidum auctor, pag. 13.

22. *Ecligma*] Diosc. loc. cit. Ἐκλεικτὸν δὲ μετὰ μέλιτος δὲ αὐτῆς, τοῖς πνευμονικοῖς, καὶ δυσπνοοῦσι, καὶ βήσσουσι, πλευρᾶς τε ἀλγοῦσι, καὶ ῥήγμασι, καὶ σπάσμασι δίδοται.

23. *Splenem.*] Diosc. & Kiranidum auctor, locis cit. Apuleius quoque, cap. 66.

24. *Illinitur.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 155.

25. *Ex vino,* &c.] Dioscor. loc. cit. Προστεθεῖσα ὑστέρᾳ, ἔμβρυα καὶ δεύτερα ἐπισπᾶται. *Apposita, sive in pesso subdita, partus & secundas morantes trahit.* Sic & Kiranidum auctor, pag 13.

26. *Et pituitam.*] Diosc. loc. cit. Χυλίζεται δὲ ἡ ῥίζα αὐτῆς ἔαρος· πίνεται δὲ σὺν μελικράτῳ ὁ χυλὸς . . . ἄγει φλέγμα. *Succus e radice vere exprimitur, qui ex aqua mulsa potus . . . . pituitam trahit.*

27 *Qui illitus.*] Dioscor. loc. cit. & auctor Kiranidum, pag. 12

Sect XVII. 1. *Est ergo & nigra.*] De qua Dioscorides, lib 4 pag. 185. Ἄμπελος μέλαινα, οἱ δὲ βρυωνία μέλαινα, οἱ καὶ Χειρώνειος ἄμπελος. Eadem ex Crateva refert Nicandri Scholiastes in Theriac. pag 39. Colore tantum ab alba discrepat: in Saxonia, Vvestphalia, Pomerania gignitur, ut Dodonæus testatur, pag. 395.

2. *Hujus enim . . . . diximus.*] Sup sect.

3. *Asparagos ejus Diocles.*] Et post Dioclem Dioscorides, lib. 4. cap 185.

4. *Radix* &c.] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

5. *Vel efficacius.*] At Diosc. ἧττον μέντοι ἐνεργεῖ, *inefficacius prodest.* Dioscoridem sequitur Galenus, lib. 6. de fac. simp. med pag 155.

6. *Ceterum eidem.*] Diosc. locis cit.

7. *Aiunt, si quis villam ea præcinxerit.*] Ita scripsimus ex vestigiis veterum codicum, pro tunxerit, quod est insulsum

8. *Villaticas alites.*] Gallinas videlicet: quibus præterea vitis alba utilis est contra pituitam, ut dictum est lib. 10. sect. 78.

9 *Flemina.*] Quid flemina sint, ipse verbis statim subsequentibus aperit. Vide Notas & Emend. num. VIII

Sect. XVIII. 1. *Cura.*] Ars, industriaque hominum.

2. *Mustum.*] Vinum novum: unde musteum vocatur, quidquid novellum, inquit Nonius.

3 *A balineis.*] Diosc. in Alexiph. cap. 34. Καὶ τὸ ψυχρὸν ὕδωρ πολὺ, ἢ ἄκρατος πολὺς, ἢ γλυκὺς οἶνος πολύς, &c. *Aqua etiam frigida unico haustu, ac sine interspiratione bibita, aut meracum vinum, passumve liberalius haustum, præsertim a balineo, aut cursu, & contentiore quavis exercitatione, strangulatus ac dolores infert.*

4. *Cantharidum.*] Adversus cantharidas vinum dulce liberalius hauriendum monet Diosc. in Alexiph. cap 1.

5. *Collævat.*] Læviorem facit vesicam, & magis lubricam. Egimus de hac voce lib. 17. sect. 35 nota 150. Cave Stephano credas, qui collevare putat hic esse ἐπικουφίζειν, cum potius sit ἐπιλεαίνειν.

6 *Contra meconium.*] Scribonius Largus, Compos. 180. *Ad opium, sive meconium: Prodest & vini cyathus, & passi, & olei cyathus . . . . Item vinum & acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa ejus mensuræ, ita ut ista subinde cogatur rejicere, &c.* Opium, sive meconium, papaveris viridis succus est. Potum facit capitis gravitatem, gelationem, & livorem artuum . . . . Præterea spirationem impedit, mentem soporat, sensusque abalienat, &c. Hæc idem Largus, loc. cit.

7. *Lactis coagul.*] Lac potum, si in stomacho coagulatur, & congelatur, hominem præfocat. Vide Scribon. Largum, Compos 197.

8 *Toxica.*] Toxicum genus est veneni nobis haud satis exploratum. De dorycnio diximus, lib. 21. sect. 105.

9. *Passi mustum.*] Vini dulcis mustum.

Sect XIX. 1. *Vini genera.*] Lib. 14. sect. 8. 9. 10.

2. *Tardum dictu.*] Ita libri omnes. Forte, arduum dictu.

dando eo volumen Asclepiades condidit, ab eo cognominatum: qui vero postea de volumine illo dissetuere, innumera. Nos ista Romana gravitate, artiumque liberalium appetentia, non ut medici, [3] sed ut judices salutis humanæ, diligenter distinguemus. De generibus singulis disserere immensum & inexplicabile est, discordibus medicorum sententiis. 5

XX. Surrentinum veteres maxime probavere: sequens ætas Albanum aut Falernum. Deinde alia alii iniquissimo genere decreti, quod cuique gratissimum, ceteris omnibus pronunciando. [1] Quin, ut constarent sententiæ, quota portio tamen mortalium his generibus posset uti? Jam vero nec proceres umquam sinceris. Eo venêre mores, ut nomina modo cellarum veneant, statimque in lacubus vindemiæ adulterentur. Ergo hercle, mirum 10 dictu, innocentius jam est quodcumque & ignobilius. Hæc tamen facere constantissime videntur victoriam, [2] quorum mentionem fecimus. Si quis hoc quoque discrimen exigit, Falernum nec in novitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media ejus ætas a quintodecimo anno incipit. [3] Hoc non rigido potu stomacho utile, non item in calido. [4] Et in diutina tussi sorbetur merum utiliter a jejunis: item in quartanis. Nullo æque 15 venæ excitantur. Alvum sistit, corpus alit. [5] Creditum est obscuritatem visus facere: nec prodesse nervis, aut vesicæ. [6] Albana nervis utiliora. [7] Stomacho minus, quæ sunt dulcia: austera vel Falerno utiliora. Concoctionem minus adjuvant: stomachum modice implent. [8] At Surrentina nullo modo, nec caput rentant: stomachi & intestinorum rheumatismos cohibent. Cæcuba jam non gignuntur. 20

XXI. At quæ supersunt Setina, cibos concoqui cogunt. Virium plus Surrentina, austeritatis Albana, vehementiæ minus Falerna habent. Ab his Statana non longo intervallo absfuerint. [1] Alvo citæ Signinum maxime conducere indubitatum est.

XXII. Reliqua in commune dicentur. Vino aluntur vires, sanguis, colosque hominum. Hoc quoque distat [1] orbis medius, & mitior plaga a circumjectis: quantum illi feritas facit roboris, tantum nobis hic succus. Lactis potus ossa alit, frugum nervos, 25 aquæ carnes. Ideo minus roboris est in corporibus illis, & minus roboris, contraque labores patientiæ. Vino modico nervi juvantur, copiosiore læduntur: sic & oculi. Stomachus recreatur: [2] appetentia ciborum invitatur: tristitia & cura hebetatur: urina & algor expellitur: somnus conciliatur. Præterea vomitiones sistit: collectiones extra lanis humidis impositis mitigat. Asclepiades utilitatem vini æquari vix Deorum potentia pronunciavit. 30 Vetus copiosiore aqua miscetur, magisque urinam expellit: minus siti resistit. Dulce minus inebriat, sed [3] stomacho innatat: austerum facilius concoquitur. Levissimum est, quod celerrime inveteratur. [4] Minus infestat nervos, quod vetustate dulcescit. [5] Stomacho minus utile est pingue, nigrum, sed corpora magis alit. Tenue & austerum minus alit, [6] magis stomachum nutrit. [7] Celerius per urinam transit, tantoque magis capita tentat: hoc & in omni alio succo semel dictum sit. [8] Vinum si sit fumo inveteratum insaluberrimum est. Mangones ista in apothecis excogitavere. Jam & patresfamilias [9] ætatem addi his, quæ per se cariem traxere. Quo certe vocabulo [10] satis consilii dedere prisci: quoniam & in materiis cariem fumus erodit: at nos e diverso fumi amaritudine vetustatem indui persuasum habemus. Quæ sunt admodum exalbida, hæc vetustate insalubria 40 fiunt. [11] Quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit, & in amaritudinem corpori minime utilem coït. Condire eo aliud minus annosum, insalubre est.

NOTÆ.

3. *Sed ut judices.*] Codices aliqui MSS. *indices.*

Sect. XX. 1. *Quin, ut constarent.*] Quamvis constarent sententiæ.

2. *Quorum mentionem fecimus.*] Surrentinum, Albanum, Falernum. In quibus & ætatis differentia est.

3. *Hoc non rigido.*] Non adeo frigido potu.

4. *Et in diutina.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 58. iisdem fere verbis.

5. *Creditum est.*] Credidit Diosc. lib. 5 cap 10. Κύστει ἀσύμφορος, καὶ ἀμβλυωπικός.

6. *Albana nervis.*] Diosc. loc. cit. Ἀλβανὸς .... τῶν νεύρων δ' ἧσσον κακωτικός.

7. *Stomacho*] Stomacho minus utilia ex Albanis ea quæ sunt dulcia. Dioscor. loc. cit. Ὁ δὲ Ἀλβανὸς .... ἰσχναίνει, ἐμπνευματοῖ στόμαχον .... παλαιωθεὶς δὲ οὗτος, αὐστηρὸς γίνεται.

8. *At Surrentina.*] Diosc. totidem verbis loc. cit. Ὁ δὲ Συρρεντῖνος, αὐστηρὸς ἱκανῶς ἐστι, ὅθεν ἐντέρων καὶ στομάχου ῥεύματα ἵστησι· κεφαλῆς τε ἧττον ἅπτεται.

Sect. XXI. 1. *Alvo citæ.*] Vide quæ diximus in eam rem, lib. 14. sect. 8.

Sect. XXII. 1. *Orbis medius.*] Zona, ut aiunt, temperata, torridam inter gelidamque media.

2. *Appetentia ciborum.*] Martialis, lib. 5. Epigr. 79.

Post hæc omnia forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem, &c.

3. *Stomacho innatat.*] Stomachum inflare στομάχου πνευματωτικός, dixit Diosc. lib. 5. cap 8.

4. *Minus infestat nervos.*] Et renes. Diosc. lib. 5. cap. 11. Οἱ μὲν δὲ παλαιοὶ, καὶ γλυκεῖς, οὔτε τὰ περὶ νεφροὺς ἐπιτηδειότεροι.

5. *Stomacho.*] Quod pingue est, & idem nigrum, stomacho minus utile est. Diosc. lib. 5 cap 11. Οἱ δὲ παχεῖς καὶ μέλανες κακοστόμαχοι, φυσώδεις, σαρκὸς μέντοι γεννητικοί.

6. *Magis stomachum.*] Et Celsus, lib. 2. cap. 24 inter ea quæ stomacho idonea sunt, *vinum austerum* annumerat, *licet jam asperum sit.*

7. *Celerius per.*] Hæc pariter Diosc. lib. 5. cap. 9 & 11. Idcirco fortassis hydropicis dari Celsus idem jubet, lib. cap. 21. *vinum austerum, sed quam tenuissimum.*

8. *Vinum si sit fumo*] Dolia vel apothecas ipsas iis locis superponebant, unde fumum accipere, & vetustatem facilius citiusque mentiri vina possent. Hinc Venusinus poeta, lib. 3. Ode 8. laudat *Amphoram fumum bibere institutam.*

9. *Ætatem addi*] Patres familias *etiam* excogitavere *quemadmodum* adderetur ætas, iis quæ vetustatem per se *sine fumo* acquirerent. Vide Notas & Emend. num. IX.

10. *Satis consilii.*] Non esse a fumo, sed ab ipsa vini indole, cariem vetustatis exspectandam.

11. *Quo generosius &c.*] Vide quæ in eam sententiam diximus, lib. 14. sect. 6.

a [12] Sua cuique vino saliva innocentissima, sua cuique ætas gratissima, hoc est, media.

XXIII. Corpus augere volentibus, [1] aut mollire alvum, conducit inter cibos bibere. Contra minuentibus, [2] alvumque cohibentibus, sitire in edendo, postea parum bibere. [3] Vinum jejunos bibere, novitio invento, inutilissimum est curis, vigoremque animi [4] ad procinctum tendentibus: [5] somno vero ac securitatibus jamdudum hoc fuit, quod [6] Homerica illa Helena ante cibum ministravit. Sic quoque in proverbium cessit, [7] sapientiam vino obumbrari. [8] Vino debemus homines, quod soli animalium non sitientes bibimus. [9] Aquæ potum interponere utilissimum: [10] itemque jugi superbibere. [11] Ebrietatem quidem frigidæ potus extemplo discutit.

[12] Meracis potionibus per viginti dies ante Canis ortum, totidemque postea suadet [13] Hesiodus uti. [14] Merum quidem remedio est contra cicutas, coriandrum, aconita, viscum, meconium, argentum vivum, apes, vespas, crabrones, phalangia, serpentium scorpionumque ictus, contraque omnia quæ [15] refrigerando nocent. Privatim contra hæmorrhoïdas, presteras, fungos. [16] Item contra inflationes, rosionesque præcordiorum, & quorum stomachus in vomitiones effunditur: & si venter aut interanea rheumatismum sentiant. [17] Dysentericis, sudatoribus, in longa tussi, in epiphoris, meracum. At vero cardiacis, in mamma læva merum in spongia imponi prodest. Ad omnia autem maxime album [18] inveterascens. Utiliter etiam fovetur vino calido [19] vitilitas jumentis: [20] quo etiam infuso cornu lassitudinem auferri aïunt. Simias, quadrupedesque, quibus digiti sunt, negant crescere assuetas meri potu.

XXIV. Nunc circa ægritudines sermo de vinis erit. Saluberrimum [1] liberaliter genitis, Campaniæ quodcumque tenuissimum: vulgo vero, quod quemque maxime juverit [2] validum. Utilissimum omnibus [3] sacco viribus fractis. Meminerimus succum esse, qui fervendo vires e musto sibi fecerit. Misceri plura genera, omnibus inutile. Saluberrimum, [4] cui nihil in musta additum est: meliusque, [5] si nec vasis pix affuit. [6] Marmo-

Interpretatio.

a *Sua cuique.*] Suus cuique vino nativus sapor, *sine ulla condiura*, saluberrimus est.

Notæ.

12. *Sua .... saliva.*] Hoc est, suus naturalis sapor, sine condimento ullo. Hoc enim vocabulo illud expressit, quod prolixius Columella, lib. 12. cap. 19. cui titulus est, *de pluribus generibus conditurarum, quibus vinum confirmatur*: *Quæcumque vini nota*, inquit, *sine condimento valet perennari, optimam esse eam censemus: nec omnino quidquam permiscendum, quo naturalis sapor ejus infuscetur.* Salivam pro gustu, seu sapore, alii dixere. Persius, Satyr. 6. vers. 24.

Turdorum nosse salivam.

Propertius, lib. 4. Eleg. 9.

Et Methymnæi Græca saliva meri.

Hoc est, vini Græci sapor.

Sect. XXIII. 1. *Aut mollire alvum.*] Galenus, Comment. 4. Aphor. 83. tom. 9.

2. *Alvumque cohibentibus.*] Galenus, loc. cit.

3. *Vinum jejunos.*] Vide Notas & Emendationes, num. X.

4. *Ad procinctum.*] Ad bellicam expeditionem, sive potius ad serias res agendas, animum intendentibus.

5. *Somno vero .... hoc fuit.*] Ad somnum, inquit, conciliandum, abigendasque curas, jamdudum in usu vinum fuit. Adhibuit enim Helena, &c.

6. *Homerica illa.*] Odyss. δ'. vers. 19.

Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησ' Ἑλένη Διὸς ἐκγεγαυῖα.
Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

7. *Sapientiam vino.*] Et est in Proverbiis Ecclesiasticis, duo esse quæ sapientem etiam virum a mente dejiciant, vinum & mulierem. Eccli. XIX. 2.

8. *Vino debemus.*] In MSS. Reg. Colb. Chiffl. *Vino damus.*

9. *Aquæ potum interponere.*] Usus hac voce Martialis, lib. 1. Epigr. 107.

Interponis aquam subinde, Rufe:
Et si cogeris a sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.

Et Suetonius in Vespas. cap. 20. *Inediam unius diei per singulos menses interponebat.*

10. *Itemque jugi.*] Forte *e jugi*, aqua videlicet, quam post compotationem superbibere utilissimum sit: quoniam, ut statim subjungitur, ebrietatem frigidæ potus discutit. Vide Notas & Emend. num. XI.

11. *Ebrietatem quidem.*] Hanc quidem sententiam memorabili exemplo Celsus confirmat, in præfatione operis sui: *Ingeniosissimus*, inquit, *sæculi nostri medicus, quem nuper vidimus, Cassius, febricitanti cuidam, & magna siti affecto, cum post ebrietatem eum premi cœpisse cognosceret, aquam frigidam ingessit: qua ille epota, cum vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno & sudore discussit.*

12. *Meracis potionibus.*] Meracum a mero distat omnino: quod merum sit, cui nihil: meracum, cui aquæ parum admixtum sit. Tamen meracius bibere dicuntur ii, qui vinum aqua minus diluunt. Celsus, lib. 1. cap. 3. *cibum modicum, potiones meracas.* Et infra: *Vinum dilutius pueris, senibus meracius.* Iterumque: *Hieme plus esse convenit: minus, sed meracius bibere.*

13. *Hesiodus.*] Is cum ardet Sirius, tribus aquæ portionibus quartam vini dilutam bibi jubet. Ἔργων, vers. 594.

[illegible]
Τρὶς δ' ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

14. *Merum quidem.*] Totidem verbis hæc Diosc. lib. 5. cap. xi. Quin & canum morsus multo meracoque vino epoto sanari quidam censuere, teste Celso, lib. 5. cap. 27.

15. *Refrigerando nocent.*] Diosc. loc. cit. *refrigerando necant*: ὅσα περιψύξαντα, ἢ διαλύοντα, τῷ ψύξει ἀναιρεῖ. Nempe, ut Celsus ait, lib. 5. cap. 27. *Necessarium est exsorbere potionem meri vini cum pipere, vel quodlibet aliud, quo calor movendus est ... Nam maxima pars venenorum frigore interimit.*

16. *Item contra &c.*] Diosc. ad verbum, loc. cit. Privatim contra cicutam, Scribonius Largus Compos. 179. vinum merum quamplurimum caldum commendat. Contra coriandrum, Compos. 185. *Coriandrum .... facit raucitatem, & mentem movet. Adjuvari autem debent, qui biberunt, ex vino mero, atque plurimo, &c.*

17. *Dysentericis, sudatoribus.*] Diosc. loc. cit. Καὶ ἱδρῶσι, καὶ διαφορουμένοις ἁρμόζει. μάλιστα δὲ οἱ λευκοὶ (οἶνοι) καὶ παλαιοὶ, καὶ ἰσώδεις.

18. *Inveterascens.*] MSS. Reg. Colb. Chiffl. *inveterascens.*

19. *Vitilitas.*] Genitalia.

20. *Quo etiam infuso.*] In os. Vide quæ diximus lib. 14. sect. 28.

Sect. XXIV. 1. *Liberaliter genitis.*] E liberaliore familia genitis, liberaliter educatis, ἐλευθέρως τεθραμμένοις.

2. *Validum.*] Dum is integra valetudine est.

3. *Sacco viribus.*] Ut sacco vires vino frangerent, diximus lib. 14. sect. 28.

4. *Cui nihil in musta.*] Non pix, non resina, non marina aqua. Quæ condiendi causa in musta adderent primo fervore, dictum est lib. 14. sect. 25. In eam rem egregie Columella, lib. 12. cap. 19. pag. 429. *Quæcumque vini nota sine condimento valet perennari, optimam eam esse censemus, &c.*

5. *Si nec vasis.*] Vino condendo dolia picabantur, ut diximus lib. 14. sect. 25.

6. *Marmore enim.*] Vide quæ dicta sunt lib. 14. sect. 24.

re enim, & gypso, aut calce condita, quis non etiam validus expaverit? [7] In primis igitur vinum marina aqua factum, inutile est stomacho, nervis, vesicæ. [8] Resina condita, frigidis stomachis utilia existimantur. [9] Non expedire vomitionibus, sicut neque mustum, neque sapa, neque passum. Novitium resinatum nulli conducit. [10] Capitis dolorem & vertigines facit: [11] ab hoc dicta crapula est. [12] Tussientibus & in rheumatismo 5 nominata prosunt. Item cœliacis & dysentericis, mulierum mensibus. [13] In hoc genere rubrum nigrumve magis constringit, magisque calfacit. Innocentius pice sola conditum. Sed & picem meminisse debemus non aliud esse, quam [14] combustæ resinæ fluxum. [15] Hoc genus vini excalfacit, concoquit, purgat: pectori, ventri utile: item vulvarum dolori, si sine febre sint, [16] veteri rheumatismo, exhulcerationi, ruptis, convulsis, vo- 10 micis, nervorum infirmitati, inflationibus, tussi, anhelationibus, luxatis, in succida lana impositum. Ad omnia hæc utilius id, quod sponte naturæ suæ picem resipit, [17] picatumque appellatur. Helvenaco quoque tamen nimio caput tentari convenit.

Quod ad febrium valetudines attinet, certum est non dandum in febre, nisi veteribus ægris: nec nisi declinante morbo. In acutis vero periculis, nullis nisi qui manifestas 15 remissiones habeant, & has noctu potius: [18] dimidia enim pars periculi est noctu, hoc est, spe somni, bibentibus: nec a partu abortuve, nec a libidine ægrotantibus, nec in capitis doloribus, nec quorum accessiones cum frigore extremitatum fiant, nec in febri tussientibus, nec in tremore nervorumque doloribus, vel faucium, aut si vis morbi circa illa intelligatur: nec in duritia præcordiorum, [19] venarum vehementia: neque in opisthotono, [20] te- 20 tano: nec singultientibus, nec si cum febri [21] dyspnœa sit. Minime vero oculis rigentibus, [22] & genis stantibus, aut defectis gravibusque: nec quorum conniventium [23] perlucebunt oculi, palpebrisve non coëuntibus, vel si dormientibus hoc idem eveniet: aut si cruore suffunduntur oculi, [24] vel si lemæ in oculis erunt. Minime lingua fungosa, nec gravi, & subinde imperfecta loquentibus: nec si urina difficile reddetur, neque expavescentibus 25 repente, nec spasticis, aut rursus torpentibus, nec si per somnos genitura effundatur.

XXV. [1] Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse certum est. Sed id dandum quidam non nisi in accessione censent, alii non nisi in remissione. Illi, ut sudorem coërceant: hi, quia tutius putant, minuente se morbo: quam plurium sententiam esse video. [2] Dari utique non nisi in cibo debet, nec a somno: nec præcedente alio potu, hoc est, 30 utique sitienti: nec nisi in desperatione suprema: & viro facilius quam feminæ: seni, quam juveni: juveni quam puero: hieme, quam æstate: assuetis potius, quam expertibus. Modus dandi pro vehementia vini: item mixtura. Atque vulgo satis putant unum vini cya-

NOTÆ.

7. *In primis .... marina aqua factum.*] Admista marina aqua, uti dictum fusius est, lib 14 sect. 10. & 19 Quam variæ marina aqua vina factitentur, docet Diosc. lib. 5 cap. 27. Οἱ δ᾽ ἀφ᾽ ἁλὸς οἶνοι ποικίλως σκευάζονται. Ex mox: κακοστόμαχοι μέντοι εἰσὶ, &c. Sane omnia salsa aliena stomacho esse Celsus edocet, lib. 2. cap. 25.

8. *Resina condita.*] Diosc. lib. 5. cap. 9. Οἱ δὲ ῥητινῖται οἶνοι ... θερμαντικοί ... *Picata vina aut resinata excalfaciunt, & concoctionem adjuvant.* Et Celsus inter eas res quæ sunt stomacho idoneæ, vinum resinatum annumerat, lib. 2. cap 24. & lib 4 cap 5.

9. *Non expedire.*] Dioscor. loc. cit. Ἄθετοι δὲ εἰσὶ ἐμετικοῖς.

10. *Capitis dolorem.*] Dioscor. lib. 5. cap. 43. de vino resinato: κεφαλαλγεῖς καὶ σκοτωματικοί.

11. *Ob hoc dicta crapula.*] Inde, inquit, & resinæ flori, quo mustum condiuntur, crapula nomen est, ut diximus lib 14. sect. 25. & ebrietati quam vina resinata faciunt, ut Latinum crapula, ita κραιπάλη Græcum est, ἀπὸ τοῦ τὸ κάρα πάλλειν, quasi caput vibret.

12. *Tussientibus .... nominata.*] Resina condita, mustum, sapa, passum De resinato, in primis Dioscor. loco citato. ...

13. *In hoc genere.*] Diosc lib. 5. cap. 43.

14. *Combusta resinæ fluxum.*] Igne expressæ resinæ fluxum: ut diximus lib. 14. initio sect 25.

15. *Hoc genus vini &c.*] Et has vini picati dotes Dioscorides quoque refert, loco cit. totidem fere verbis

16. *Veteri rheumatismo.*] Χρονίοις ῥεύμασι, καὶ ἑλκώσεσι τοῖς βαθέσι. *Vetustis fluxionibus, & exhulcerationibus profundis.* Ῥευματισμὸς fluxus est mali ac noxii humoris.

17. *Picatumque.*] Egimus de eo lib. 14. sect. 3. Allobrogicum appellat & eodem libro, sect. 4 Plinius, & similiter Celsus, lib. 4. cap 5. atque in resolutione stomachi hoc vini genus in primis commendat.

18 *Dimidia enim*] Dimidio levius periculum est.

19. *Venarum vehementia.*] Concitatiore venarum pulsu.

20. *Tetano.*] Celsus, lib. 2. cap. 1. *Frigus modo nervorum distentionem, modo rigorem infert: illud σπασμὸς, hoc τέτανος Græce nominatur.* Et lib. 4. cap. 3. statim initio: *Neque alius importunior, acutiorque morbus est, quam is qui quodam rigore nervorum, modo caput scapulis, modo mentum pectori annectit, modo rectam & immobilem cervicem intendit. Priorem Græci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, ultimum τέτανον appellant: quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utantur.* Tetanum præterea accurate Hippocrates explicat, libro 3. de morbis, num. 13 pag. 104.

21. *Dyspnœæ*] Difficultas spirandi. Celsus, lib. 4. cap. 4. *Est etiam circa fauces malum, quod apud Græcos aliud atque aliud nomen habet, prout se intendit. Omne in difficultate spirandi consistit. Sed hæc, dum modica est, neque ex toto strangulat, δύσπνοια appellatur. Cum vehementior est, ut spirare æger sine sono & anhelatione non possit, ἆσθμα. Cum accessit id quoque, ne nisi recta cervice spiritus trahatur, ὀρθόπνοια.*

22. *Et genis stantibus.*] Rigentibus palpebris, quæ non moventur. Rigentes Caio Germanico Cæsari Aug. oculos fuisse diximus, lib. 11. sect. 54. Genas pro palpebris dici Plinio solemne ac familiare esse, eodem libro, sect. 56 & 57.

23. *Perlucebunt oculi.*] Micantibus scintillis. Alias *vinum optimum vetus in nocte adhibitum, oculorum aciem reformare*, auctor est Theod. Priscianus, lib. 1. cap 10.

24. *Vel si lemæ.*] Λήμη Græcis humor est in oculis concretus, unde lippitudo nascitur. Hesychius: Λήμη, ... τοῖς κανθοῖς τῶν ὀφθαλμῶν ... ὀφθαλμῶν ἀκαθαρσία.

Sect. XXV. 1. *Cardiacorum.*] Seneca, epist. 15. pag. 192. *Bibere & sudare, vita cardiaci est.* Cardiaci nempe ex virium imbecillitate, immodico sudore diffluunt, & crebro vini potu foventur. Huc & Juvenalis allusit, Satyra 5. vers. 32.

Cardiaco cyathum nunquam missurus amico.

2. *Dari utique nonnisi in cibo.*] Celsus, lib. 3. cap 19. *Cardiaci morbi curatio ..... Tertium auxilium est, imbecillitati jacentis vino ciboque succurrere ..... Nisi autem necesse est, ad vinum festinare non oportet. Si verendum est, ne deficiat, tum & intrita ex hoc: & hoc ipsum austerum quidem, sed tamen tenue, meracum.*

thum duobus aquæ misceri. ³ Si dissolutio sit stomachi, dandum: & si cibus non descendat.

XXVI. ¹ Inter vini genera, quæ fingi docuimus, nec fieri jam arbitror, ² & supervacuum eorum usum: cum ipsis rebus, ex quibus finguntur, doceamus uti. Et alias modum excesserat medicorum in his ostentatio, ³ veluti e napis vinum utile esse ab armorum equitandive lassitudine præcipientium: atque ut reliqua omittamus, etiam ⁴ e junipero. Et quis satius censeat, absinthite vino utendum potius, quam absinthio ipso? In reliquis omittetur & ⁵ palmeum, capiti noxium, ventrique tantum molliendo, & sanguinem exscreantibus non inutile. Fictitium non potest videri, ⁶ quod bion appellavimus, cum sit in eo sola pro arte ⁷ festinatio. ⁸ Prodest stomacho dissoluto, aut cibos non perficienti, ⁹ prægnantibus, defectis, paralyticis, tremulis, vertigini, torminibus, ischiadicis. In pestilentia quoque ac peregrinationibus, vim magnam auxiliandi habere dicitur.

XXVII. Vini etiam vitium transit in remedia. ¹ Aceto summa vis est in refrigerando, non tamen minor in discutiendo: ita fit ut infusum terræ spumet. Dictum est sæpius, diceturque quoties cum aliis prosit. Per se haustum fastidia discutit, ² singultus cohibet, sternutamenta olfactu. ³ Vim in balineis æstus arcet, si contineatur ore. Quin & cum aqua bibitur. ⁴ Multorum stomacho utiliter gargarizatur: ⁵ cum eadem convalescentium & a Solis ardoribus. ⁶ Oculis quoque illo modo saluberrimum fotu. ⁷ Medetur potæ hirudini. ⁸ Item lepris, furfuribus, hulceribus manantibus, canis morsibus, scorpionum ictibus, scolopendrarum, muris aranei, contraque omnium aculeatorum venena & pruritus. Item contra multipedæ morsum. Calidum in spongia, adjecto sulphuris sextante sextariis tribus aceti, aut hyssopi fasciculo, medetur sedis vitiis. ⁹ In sanguinis fluxione post excisos calculos, ¹⁰ & omni alia, ¹¹ foris in spongia impositum, intus potum cyathis binis quam acerrimum. ¹² Conglobatum utique sanguinem discutit. ¹³ Contra lichenas & bibitur, & imponitur. ¹⁴ Sistit alvum, ¹⁵ & rheumatismos interaneorum infusum: ¹⁶ item procidentia sedis, vulvæque. ¹⁷ Tussim veterem inhibet, & gutturis rheumatismos, orthopnœam, dentium labefactationem. Vesicæ nocet, nervorumque infirmitatibus. ¹⁸ Nescière medici, quantum contra aspidas polleret. Nuper ab aspide cal-

NOTÆ.

3. *Si dissolutio.*] Ex Celso, loco cit. *Quod si stomachus resolutus parum continet, & ante cibum, & post eum, sponte vomere oportet: rursusque post vomitum, cibum sumere. Si ne id quidem manserit, sorbere vini cyathum, interpositaque hora, sumere alterum. Si id quoque stomachus reddiderit, totum corpus bulbis contritis superillinendum est: qui ubi inaruerunt, efficiunt ut vinum in stomacho contineatur, exque eo toti corpori calor, vimsque eis redeat.* Eadem ferme repetuntur lib. 4. cap. 5.

Sect. XXVI. 1. *Inter vini genera .... docuimus.*] Lib. 14. sect. 18. 19. & 20.

2. *Et supervacuum.*] Subintellige, arbitror, ex proxime antecedente sententia.

3. *Veluti e napis .... præcipientium.*] Præcipit ita sane Dioscorides, lib. 5. cap. 56.

4. *E junipero.*] Vinum e juniperis stomacho prodesse ait Marcellus Empir. cap. 20. pag. 139. Ad alia plurima utile esse Diosc. prodidit, lib. 5. cap. 46.

5. *Palmeum.*] De quo lib. 13. sect. 9. Vinum Phœniciles Græca nomenclatione appellatur a Theod. Prisciano, lib. 1. parte 2. cap. 28. οἶνος φοινικίνης. Vide Notas & Emend. num. XII.

6. *Quod bion appellavimus.*] Libro 14. sect. 10. Omphacites id vini genus, ut diximus, a Dioscoride appellatur, lib. 15. cap. 12.

7. *Festinatio.*] Quoniam fit ex uvis, ut ibi dictum est, ante maturitatem decerptis.

8. *Prodest stomacho, &c.*] Has vini omphacitis utilitates omnes pariter Diosc. commemorat, loc. cit.

9. *Prægnantibus, defectis.*] Quibus vires animique deficiunt. Nisi forte sunt ea verba legenda conjunctim, prægnantibus defectis, ut sit idem ac *mulierum a conceptu defectioni*, ut Plinius ipse loquitur, sectione 3. libri hujus, quoniam Dioscorides utrobique, κισσώσαις dixit, hoc est, prægnantibus malacia seu pica laborantibus.

Sect. XXVII. 1. *Aceto.*] Dioscor. lib. 5. cap. 21. Ὄξος ψύχει, καὶ στύφει. Traduntur hæc eadem a Celso, lib. 5. cap. 27. *Unus*, inquit, *ipse docuit eum quem aspis percussit, acetum potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cujusdam pueri, qui cum ab hac ictus esset, & partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus, siti premeretur, ac locis siccis aliam humorem non reperiret, acetum quod forte secum habebat, ebibit, & liberatus est. Credo, quoniam id, quamvis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam dissipandi. Quo fit ut terra respersa eo spumet. Eadem ergo vi verisimile est, spissescentem quoque intus humorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem.* Venit olim in controversiam, quæ natura aceti foret: calidum aliis, aliis frigidum esse pronunciantibus: qua de re prolixe Galenus, lib. 1. de fac. simp. med. cap. 19. 20. 21. & seqq.

2. *Singultus cohibet.*] Galenus, lib. de remediis paratu facil. cap. 15.

3. *Vim in balineis.*] Celsus, lib. 1. cap. 3. *Si quis in balneo æstuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum acetum. Si id non est, eodem modo frigida aqua assumpta.*

4. *Multorum stomacho.*] Εὐστόμαχον Diosc. pronunciat.

5. *Cum eadem.*] Cum eadem aqua prodest stomacho convalescentium ex ægritudine a Solis ardore orta.

6. *Oculis quoque illo modo.*] Cum aqua. Vide Notas & Emend. num. XIII.

7. *Medetur potæ.*] Diosc. lib. 5. cap. 21.

8. *Item lepris, &c.*] Habet has quoque utilitates aceti omnes Diosc. loc. cit.

9. *In sanguinis fluxione.*] Quam aceto mero Plinius vim attribuit sanguinis sistendi post excisos calculos, hanc aceto salso, seu acidæ muriæ Dioscorides adjudicat, libro 5. cap. 23 his verbis: Στέλλει δὲ καὶ τὰς ἐπί τινι λιθοτομηθέντων αἱμοῤῥαγίας, ἐνιέμενος μετὰ τὴν χειρουργίαν θερμὴ ἐγκλυζομένη. Celsus quoque, lib. 7. cap. 26. tit. *Quæ curatio calculosis habenda sit*, acre acetum postulat, cui aliquantum salis sit adjectum, ad vim aceti scilicet mitigandam.

10. *Et omni alia.*] Diosc. lib. 5. cap. 21. Erumpentem, inquit, undecumque sanguinem, potu, insessuve sistit: πινόμενόν τε καὶ ἐγκαθιζόμενον.

11. *Foris in spongia.*] Diosc. loc. cit. Laudat hunc Plinii locum, & superiorem proxime de hyssopo, auctor Annalium Eccles. ad annum Christi 39 num. 124 ubi de spongia aceto plena, hyssopo circumposita, Christi Domini ori admota, disserit.

12. *Conglobatum.*] Diosc. loc. cit. Ποιεῖ καὶ πρὸς αἷμα θρομβούμενον ἐν κοιλίᾳ, καὶ γάλακτος θρόμβωσιν. *Facit contra sanguinem in ventriculo conglobatum, & lac ibidem coagulatum.*

13. *Contra lichenas.*] Diosc. loc. cit.

14. *Sistit alvum.*] Diosc. loc. cit.

15. *Et rheumatismos.*] Fluxiones humoris pravi & noxii in alvum.

16. *Item procidentia.*] Diosc. loc. cit. Στέλλει καὶ ὑστέρας καὶ ἕδρας προπτώσεις.

17. *Tussim &c.*] Hæc totidem verbis Dioscor. loco cit. Καὶ βῆχα χρονίαν παύει.... Ἀρμόζει δὲ καὶ πρὸς ὀρθόπνοιαν, θερμὸν καταῤῥοφούμενον· ... καὶ πρὸς ὀδόντων σεισμὸν, &c.

18. *Nescière medici.*] Celsus, ut superius indicavimus, lib. 5. cap. 27. Uberius id aliquanto Plinius Valerianus, libro

cata

cata percussus utrem aceti ferens, quoties deposuisset, sentiebat ictum, alias illæso similis. Intellectum ibi remedium est, potuque succursum. [19] Neque altero os colluunt venena exsugentes. In totum domitrix vis hæc non ciborum modo est, verum & rerum plurimarum. [20] Saxa rumpit infusum, quæ non ruperit ignis antecedens. Cibos quidem & sapores non alius magis succus commendat aut excitat: in quo usu mitigatur usto pane, aut cum vino: vel accenditur pipere ac lasere: utique sale compescitur. Non est prætereundum in eo exemplum ingens. Siquidem M. Agrippa supremis suis annis conflictatus gravi morbo pedum, cum dolorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia, ignorante Divo Augusto, tanti putavit usu pedum sensuque omni carere, dummodo & dolore illo careret, [21] demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi.

XXVIII. Acetum scillinum inveteratum magis probatur. Prodest, [1] super ea quæ diximus, [2] acescentibus cibis: gustatum enim discutit pœnam eam. [3] Et his qui jejuni vomunt: [4] callum enim faucium facit, ac stomachi: [5] odorem oris tollit, [6] gingivas adstringit, dentes firmat, colorem meliorem præstat. [7] Tarditatem quoque aurium gargarizatione purgat, & transitum auditus aperit. [8] Oculorum aciem obiter exacuit. [9] Comitialibus, melancholicis, vertiginosis, vulvarum strangulationibus, percussis, aut præcipitatis, & ob id sanguine conglobato, nervis infirmis, renum vitiis perquam utile. [10] Cavendum exhulceratis.

XXIX. Oxymeli antiqui ([1] ut Dieuches tradit) hoc modo temperabant: [2] mellis minas decem, aceti veteris heminas quinque, salis marini [3] pondo libram & quadrantem, [4] aquæ marinæ sextarios quinque pariter coquebant, decies [5] defervescente cortina, atque ita [6] diffundebant, inveterabantque. Sustulit totum id Asclepiades, coarguitque. [7] Nam etiam in febribus dabant. [8] Profuisse tamen fatentur contra serpentes, quas sepas vocant, & contra meconium, ac viscum: [9] & anginis calidum gargarizatum, & auribus, & oris gutturisque desideriis, quæ nunc omnia [10] oxalme contingunt: id sale & aceto recente efficacius est.

XXX. [1] Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit. Ex albo [2] hoc melius. Usus contra cantharidas, bupestim, pinorum erucas, quas [3] pityo-

NOTÆ.

3. cap. ult. *Ad morsum aspidis*, inquit, *unum refugium habebant priores, ut percussus urinam suam biberet: Intra paucos annos inventum est casu & alterum remedium. Nam is qui utrem plenum aceti ferebat, percussus ab aspide dolorem non sensit: donec fatigatus requiescendi gratia utrem deposuit: de facto perniciem sentire capit: ruesusque imposito sibi utre destit. Intellectumque est, quod si acetum bibisset, posset sanari*, &c. Plinii sententiam laudat & sequitur Q. Serenus, cap. 47. ubi de serpentium morsibus, pag. 155.

Plinius ut memorat, sumpti juvat imber aceti.

19. *Neque altero.*] Ita editi omnes, cum Reg. 1. At Reg. 2. cum Chiffl. *neque aliter*.

20. *Saxa rumpit.*] Non per se quidem, ac solum, sed prævio igne incendioque: subsequente etiam vi acieque ferri. Plinius, lib. 33. sect. 21. *Occurrunt silices .... Hos igni & aceto rumpunt.* Hac certe industria pervias fecisse sibi Alpes Hannibal memoratur. Rem narrat Plutarchus, in ejus vita: Livius, lib. 21 pag. 200. *Ad rupem muniendam, per quam via una esse poterat, milites ducti, cum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis, detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt: eamque cum & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt: ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt: Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos: ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent.* Aceto solutos Eleutherarum muros narrat Dio, lib. 36. pag. 8. Nec sane diffitetur Galenus hanc inesse aceto vim, lib. 1. de fac. simp. med. cap. 22. pag. 16. ut instar ignis, lapides, fictilia, æs, ferrum, plumbumque, pervadat ac penetret. Ac ne veteribus tantum exemplis agamus, hac ipsa industria usum hoc nostro ævo Principem Guisium; ut murum solveret, auctor ipse est in Commentariis rerum a se gestarum in Neapolitana expeditione.

21. *Demersis in acetum.*] In eo genere morbi demergi in muriam Celsus præcipit, lib. 4. cap. 24. ut dicturi sumus, lib. 31. sect. 33. *Si tumor, calorque est, recte in aqua quam frigidissima articulos contineri* idem adjungit: *sed neque quotidie, neque diu, ne nervi lædantur.*

Sect. XXVIII. 1. *Super ea quæ diximus.*] Libro 20. sectione 39.

2. *Acescentibus cibis.*] Ventriculo acidam pituitam in fauces eructante.

3. *Et his qui jejuni.*] Diosc. lib. 5. cap. 25.

4. *Callum enim.*] Diosc. loco cit. Κνταρροφηθὲν δὲ τὸν βρόγχον τραχοῖ, καὶ τυλώδη ποιεῖ, καὶ τὴν ἠχὴν εὔθετον, καὶ λαμπρὰν ἀποτελεῖ. *Fauces sorbitione durat, callosasque reddit, vocem denique expedit, ac limpidam canoramque facit.*

5. *Odorem oris.*] Diosc. loco cit. Plinius Valerian. lib. 3. cap. 33. *ad fœtorem oris: Si halitus fœtet*, inquit, *quum dormitum vadis, cyathum aceti boni per partes sorbeat: hoc & incolumitatem facit*, &c.

6. *Gingivas.*] Diosc. loco cit. Marcellus Empir. cap. 12. pag. 93. *Acetum tepidum scilliticum in ore tentum, & gingivas tumentes constringit, & continet dentes vacillantes.*

7. *Tarditatem.*] Diosc. loco cit.

8. *Oculorum.*] Diosc. loco cit.

9. *Comitialibus &c.*] Diosc. loco cit.

10. *Cavendum.*] Internis exhulcerationibus, nervorumque vitiis ipsis cavendum Dioscorides admonet.

Sect. XXIX. 1. *Ut Dieuches.*] Et post illum Dioscorides, lib. 5. cap. 22. ipseque Plinius, non hoc loco modo, sed & lib. 14. sect. 21.

2. *Mellis minas.*] Sive libras decem, ex ipso Plinio, loco citato.

3. *Pondo libram.*] Vide Notas & Emendationes, num. XIV.

4. *Aquæ marinæ.*] Aquam pluviam Dioscorides adhibet, Pliniusque ipse, loco cit.

5. *Defervescente cortina.*] Cortina, vas æneum est, aquæ, oleo, coloribusve decoquendis.

6. *Diffundebant.*] Quid sit vina diffundi, diximus lib. 14. sect. 16.

7. *Nam etiam in febribus dabant.*] In quibusdam MSS. *dantabant.* Mos ille fuit Hippocratis, ipso ita prodente & probante, lib. de victu in morbis acutis, text. 28. pag. 291.

8. *Profuisse tamen.*] Diosc. loco cit. Ἀρήγει καὶ τοῖς ὑπὸ τῆς σηπὸς καλουμένης σαύρας δηχθεῖσι, καὶ τοῖς μηκώνιον, ἢ ἰξίαν πιοῦσι. Viperei generis hunc sepa Dioscorides facit: Et Aetius similiter, serm. 13. cap. 26. pag. 256. Est & generi cuidam lacertorum communis hæc appellatio, ut dicemus lib. 29. sect. 32. De priore Lucanus, lib. 9. vers. 723.

Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps.

9. *Et anginis.*] Diosc. loc. cit. Ἀναγαργαριζόμενον τε συνάγχαις ὠφέλιμον.

10. *Oxalme.*] Ὀξάλμην acetum salsum, seu acidam muriam Latini nuncupant. Hujus vires usumque in medicina plurimos refert Diosc. lib. 5. cap. 22.

Sect. XXX. 1. *Vino cognata res sapa.*] De qua libro 14. sect. 11.

2. *Hoc melius.*] Hæc res, nempe sapa, melior. Latini etiam defrutum, Græci ἕψημα, appellitant.

3. *Pityocampas.*] Πιτυοκάμπας. De harum veneno, remediisque ad id adhibendis, Dioscoridem consule in Alexiph. cap. 2.

campas vocant, salamandras, & contra mordentia venenata. Secundas partusque emortuos trahit, cum bulbis potum. Fabianus auctor est, venenum esse, si quis jejunus a balineis id bibat.

XXXI. Consequens horum est vini fæx, cujusque generis. [1] Ergo vini fæci tanta vis
5 est, ut descendentes in cupas enecet. Experimentum demissa præbet lucerna, quamdiu extinguatur, periculum denuncians. Illota miscetur medicamentis. [2] Cum iridis vero pari pondere, eruptionibus pituitæ illinitur: & sicca vel madida contra phalangia, & testium mammarumque [3] inflammationes, vel in quacumque parte corporis. Item cum hordeacea farina, & thuris polline in vino decocta crematur & siccatur. [4] Experimen-
10 tum est legitime coctæ, ut refrigerata linguam tactu videatur urere. [5] Celerrime exanimatur, loco non incluso condita. Crematio ei multum virium adjicit. Utilissima est ad compescendos lichenas furfuresque cum fico decocta. Sic & lepris & hulceribus manantibus imponitur. [6] Fungorum naturæ contraria est pota, sed magis cruda. [7] Oculorum medicamentis cocta & lota miscetur. Medetur illita & testibus, & genitalibus. In vino
15 autem adversus strangurias bibitur. Cum exspiravit quoque, lavandis corporibus & [8] vestibus utilis: tuncque [9] usum acaciæ habet.

XXXII. Fæx aceti [a] pro materia acrior fit necesse est, multoque magis exhulcerет. Resistit suppurationum incrementis: stomachum, interanea, ventrem illita adjuvat. [1] Sistit eatum partium rheumatismos, & mulierum menses. [2] Panos discutit nondum ex-
20 hulceratos, & anginas: sacros ignes cum cera. [3] Mammas lactis sui impatientes eadem extinguit. [4] Ungues scabros aufert. E serpentibus contra cerastas validissima cum polenta. [5] Cum melanthio autem contra crocodili morsus, & canis. Et hæc cremata ampliat vires. [6] Tunc addito lentiscino oleo illita una nocte rufat capillum. Eadem ex aqua in linteolo apposita, vulvas purgat.

25 XXXIII. [1] Sapæ fæce ambusta sanantur, melius addita lanugine arundinis. Eadem fæce decocta potaque, tusses veteres. Decoquitur in patinis cum sale & adipe ad tumorem quoque maxillarum & cervicum.

CAP. III. XXXIV. Olearum proxima auctoritas intelligitur. [1] Folia earum vehementissime adstringunt, purgant, sistunt. [2] Itaque commanducata imposita hulceribus medentur, &
30 capitis doloribus illita cum oleo. Decoctum eorum cum melle his quæ medici usserint, gingivarum inflammationibus, paronychiis, [3] sordidisque hulceribus, & putrescentibus. Cum melle profluvium sanguinis e nervosis partibus cohibet. [4] Succus eorum carbunculantibus circa oculos hulceribus & pusulis, procidentique pupillæ efficax: quapropter in collyria additur. [5] Nam & veteres lacrymationes sanat, & genarum erosiones. [6] Expri-
35 mitur autem succus tusis, affuso vino & aqua cælesti, siccatusque in pastillos digeritur.

INTERPRETATIO.

a *Pro materia.*] Ut est *aceti* materia acrior, sic & fæx ejus.

NOTÆ.

Sect. XXXI. 1. *Ergo vini fæci.*] Habet enim urendi vim maximam, excedendi, siccandi: *Δύναμιν ἔχει καυστικὴν σφόδρα, στυπτικὴν ἄγαν καὶ ξηραντικήν.* Cupa, vas vinarium majus, *une Cuve.*

2. *Cum iridis vero.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 16. *de papulis*, contra exanthemata, sive eruptiones pituitæ, *Faces vini*, inquit, *& iris Illyrica, utraque contusa, & cum oleo roseo commixta, medebuntur.*

3. *Inflammationes.*] Quas alibi testium epiphoras vocat. Legit *inflationes* Pintianus, perperam.

4. *Experimentum.*] Diosc. lib. 5. cap. 132. ubi & coquendæ modum tradit.

5. *Celerrime exanimatur.*] Exspirat. Diosc. loc. cit. *Χρηστέον δὲ τῇ τρυγὶ προσφάτῳ οὔσῃ· ταχὺ γὰρ διαπνεῖται· ὅθεν οὐδὲ ἀποκεῖσθαι, οὐδὲ χωρὶς ἀγγείου αὐτὴν δεῖ τεθῆναι. Recenti fæce utendum est, quoniam celeriter exspirat, & exanimatur: proinde nonnisi tecta, & vase aliquo condita inclusave repone debet.*

6. *Fungorum.*] Diosc. in Alexiph. cap. 23.

7. *Oculorum.*] Diosc. lib. 5. cap. 132.

8. *Vestibus.*] Ad vestes lavandas ac lintea, in lixiviis nostrates adhibent.

9. *Usum acaciæ.*] Cujus semine ad perficienda coria pro galla utuntur, uti dicturus est libro seq. sect. 67.

Sect. XXXII. 1. *Sistit earum.*] Diosc. libro 5. cap. 132. Ventris stomachique fluxiones sistit adhibita: *κοιλίαν τε καὶ στόμαχον ῥευματιζόμενον καταπλασθεῖσα ἵστησι.*

2. *Panos &c.*] Diosc. loco cit.

3. *Mammas.*] Diosc. loco cit. *Μαστούς τε σπαργῶντας ῥέοντι γάλα σβέννυσι. Turgentes mammas, suique lactis impatientes extinguit.* Q. Serenus, cap. 21. pag. 138.

Ubera fecundo nimium lactantia succo
Sæpe sibi noxæ nimium manando fuerunt:
Fæce igitur valida duri reprimentur aceti.

4. *Ungues scabros.*] Diosc. loco cit. Hanc vim vini fæci adjudicat Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 30. *Scabiosos, vel uti elephantiosos, si quis forte ungues habuerit, vini fæx sicca, trita, & cum cerotario imposita curat. Et ficus sicca, purgata, & tusa, superimposita, æque medetur.*

5. *Cum melanthio.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 51. *Adversus morsum canis non rabiosi: Fæx aceti cum melanthio plagæ imponitur.*

6. *Tunc addito, &c.*] Dioscor. loco cit. *Ξανθὰς ποιεῖ τὰς τρίχας.*

Sect. XXXIII. 1. *Sapæ fæce.*] Prius legebatur, *sæpe fæce.* Mendose. In Indice hujus loci, *De fæce sapæ*, IV.

Sect. XXXIV. 1. *Folia earum.*] Diosc. lib. 1. cap. 137. *Φύλλα στυπτικά*, &c. Ideirco in vino cocta & trita vulneribus adhibentur, teste Theod. Prisciano, lib. 1. cap. 20.

2. *Itaque commanducata.*] Plinius Valer. libro 3. cap. 22. Marcellus Empiric. cap. 4. pag. 42. & Dioscor. lib. 1. cap. 137. *Ἰῶνται δὲ καὶ τὰ ἐν στόματι ἕλκη, καὶ ἄφθας διαμασηθέντα. Oris hulceribus & aphthis commanducata medentur.*

3. *Sordidisque hulceribus.*] Diosc. loco cit. *Ἀνακαθαίρει δὲ καὶ τὰ ῥυπαρὰ ἕλκη. Purgat sordida hulcera.*

4. *Succus earum, &c.*] Diosc. loc. cit. Carbunculantia hulcera sunt, quæ furunculis carbunculisque similia sunt. Carbunculum *ἄνθρακα* medici vocant, furunculum ignitum, & ex adusta bile inflammatum: sive similem iis quæ usta fuerint, exhulcerationem. Carbunculos in ipsis oculis ex inflammatione nasci: pustulas quoque, hulceraque e pustulis, Celsus docet, lib. 6. cap. 6. quem consule.

5. *Nam & veteres.*] Diosc. loc. cit.

6. *Exprimitur, &c.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis. sed affundi vinum, quam aquam, multo præstabilius esse idem asseverat.

Sistit menses in lana admotus vulvæ. Utilis & sanie manantibus. [7] Item condylomatis, ignibus sacris, quæque serpunt hulcera, epinyctidi.

XXXV. Eosdem & flos earum habet effectus. [1] Uruntur & cauliculi florescentes, ut [2] spodii vicem cinis præstet: vinoque infuso iterum uritur. Suppurationes & panos illinunt cinere eo, vel foliis tusis cum melle, oculos vero cum polenta. [3] Succus fruticis recentis accensi distillans sanat lichenas, furfures, manantia hulcera. Nam & lacryma, quæ ex arbore ipsa distillat, Æthiopicæ maxime oleæ, [4] mirari satis non est repertos, qui dentium dolores illinendos censerent, [5] venenum esse prædicantes, [6] atque etiam in oleastro quærendum. E radice oleæ quam tenerrimæ cortex derasus, in melle crebro gustatu medetur sanguinem rejicientibus, & suppurata extussientibus. Ipsius oleæ cinis cum axungia tumores sanat: extrahitque fistulis vitia, & ipsas sanat.

XXXVI. [1] Olivæ albæ stomacho utiliores, ventri minus. Præclarum habent, antequam condiantur, usum recentes, per se cibi modo devoratæ. Medentur enim arenosæ urinæ, item dentibus [2] carnem mandendo, attritis, [3] aut convulsis. [4] Nigra oliva stomacho inutilior, ventri facilior, capiti & oculis non convenit. [5] Utraque ambustis prodest trita & illita. [6] Sed nigra commanducatur, & protinus ex ore imposita, pusulas gigni prohibet. [7] Colymbades sordida hulcera purgant, inutiles difficultatibus urinæ.

XXXVII. [1] De amurca poteramus videri satis dixisse, Catonem secuti: sed reddenda medicinæ quoque est. [2] Gingivis & oris hulceribus, dentium stabilitati efficacissime subvenit. [3] Item ignibus sacris infusa, & his quæ serpunt. Pernionibus nigræ olivæ amurca utilior: item infantibus fovendis. Albæ vero, mulierum vulvæ in lana admovetur. [4] Multo autem omnis amurca decocta efficacior. [5] Coquitur in Cyprio vase ad crassitudinem mellis. [6] Usus ejus cum aceto, aut vino vetere, aut mulso, ut quæque causa exigat, in curatione oris, dentium, aurium, hulcerum manantium, genitalium, [7] rhagadum. [8] Vulneribus in linteolis imponitur, luxatis in lana: ingens hic usus, [9] utique inveterato medicamento: tale enim fistulas sanat. [10] Infunditur sedis, genitalium, vulvæ exhulcerationi. Illinitur vero podagris incipientibus: item articulariis morbis. [11] Si vero cum omphacio recoquatur ad mellis crassitudinem, [12] casuros dentes extrahit. [13] Item jumentorum scabiem, cum decocto lupinorum, & chamæleone herba, mire sanat. [14] Cruda amurca podagras foveri utilissimum.

XXXVIII. Oleastri foliorum eadem natura. [1] Spodium e cauliculis vehementius inhibet rheumatismos. Sedat & inflammationes oculorum, purgat hulcera, [2] alienata explet, excrescentia leniter erodit, siccatque, & ad cicatricem perducit: cetera, ut in oleis. CAP. IV.

NOTÆ.

7. *Item condylomatis.*] Diosc. loc. cit. Ἐρυσιπελάτων, ἑρπήτων, ἐπινυκτίδων. En rursum ubi ignem sacrum Plinius habet, erysipelas Dioscoridi est.

Sect. XXXV. 1. *Uruntur & cauliculi florescentes.*] Folia cum floribus tantum Dioscorides uri præcipit, spodio huic concinnando.

2. *Spodii vicem.*] Diosc. loc. cit. Ἀντὶ σποδίου λαμβάνεται, Cinerulam Latine σπόδιον commode dixeris. Quid illud sit, dicemus suo loco, lib. 34. Præcipuum id habet in oculorum medicamentis usum.

3. *Succus fruticis.*] Diosc. lib. 1. cap. 138. Τὸ δὲ ἐκ χλωροῦ τοῦ ξύλου καιομένου ἀναφερόμενον ὑγρὸν, πίτυρα, καὶ ψώρας, καὶ λειχῆνας καταχριόμενον ἰᾶται. *Qui humor ex accenso virente ligno emanat, furfures, scabiem, & lichenas illitu sanat.*

4. *Mirari satis non est repertos.*] Ex horum esse numero Dioscoridem scimus, lib. 1. cap. 141.

5. *Venenum esse.*] Cum venenum id esse ipsi fateantur Diosc. loc. cit. Ἀναχεῖσθαι δὲ καὶ ἐν τοῖς φαρμάκοις. *In medicamenta refertur, quæ sunt exitiali vi prædita.*

6. *Atque etiam in oleastro.*] Nostrates oleæ, oleastrique, inquit Diosc. loc. cit. talem lacrymam ferunt.

Sect. XXXVI. 1. *Oliva alba.*] Diosc. lib. 1. cap. 139. Ἔστι δὲ ἡ μὲν ὑπόλευκος καὶ ἀπόθετος ἐλαία, δυσκοίλιος, εὐστόμαχος.

2. *Carnem mandendo.*] Hæc verba ex Reg. Colbert. ac Chiffl. codice adjecimus.

3. *Aut convulsis.*] Dentes emotos stabiliri eo cibo scribit Diosc. loc. cit.

4. *Nigra oliva.*] Diosc. loc. cit.] Ἡ δὲ μέλαινα καὶ πέπειρος, εὔφθαρτος καὶ κακοστόμαχος, ὀφθαλμοῖς τε ἀσύμφορος καὶ κεφαλῇ. *Nigra & matura corrumpi facilis, stomacho contraria: nec oculis convenit, nec capiti.*

5. *Utraque ambustis.*] Diosc. loc. cit. Plinius Valer. lib. 3. cap. 36. *Ambustis sanandis: olivarum carnes teruntur, & imponuntur. Nigra oliva continuo si imponatur commanducata, pustulas gigni prohibet.* Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17. *De ustione calida, vel ignis: ustiones antequam vesicas erigant, muriam olivarum frequenter infunde: aut easdem olivas salsas contritas imponito.*

6. *Sed nigra.*] Diosc. & Plinius Valer. locis c

7. *Colymbades.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XXXVII. 1. *De amurca.*] Libro 15. sect. 8.

2. *De gingivis.*] Plinius Valer. hæc strictim, lib. 1. cap. 30. *Amurca ex oliva nigra oris vitiis subvenit.*

3. *Item ignibus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 4. *Amurca olivæ nigræ igni sacro infunditur.*

4. *Multo autem.*] Diosc. lib. 1. cap. 134.

5. *Coquitur.*] Diosc. loc. cit.

6. *Usus ejus.*] Totidem verbis hæc Diosc. loc. cit.

7. *Rhagadum.*] Ῥαγάδας ani fissuras Scribonius Largus exponit. Sic etiam pedum rimas vocant, ῥαγάδας τῶν ποδῶν. Dicuntur autem ῥαγάδες, ἀπὸ τοῦ ῥήγνυμι, hoc est, a frangendo.

8. *Vulneribus in linteolis.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 19. *Olivarum amurcam coques primum igne fortiori, ... Cum vero coagulaverit, repones in vas mundum: & cum frigescere cœperit, linteola infusa loco percusso imponimus.*

9. *Utique inveterato.*] Amurca, inquit, inveterata melior evadit. Παλαιουμένη δὲ βελτίων γίνεται, ait etiam Dioscor. loc. cit.

10. *Infunditur.*] Diosc. loc. cit. Ἐγκλύζεται ἕδρᾳ, καὶ μήτραις ἡλκωμέναις ἐν χρίσμασι.

11. *Si vero.*] Reliquæ deinceps ex amurca medicinæ, totidem verbis exstant apud Diosc. loc. cit.

12. *Casuros.*] Dentes corruptos extrahit, inquit Dioscor. ἐκβάλλει δὲ καὶ τοὺς ἐφθαρμένους ὀδόντας.

13. *Item jumentorum.*] Diosc. loc. cit. Item Cato, de re rust. cap. 96. pag. 56. *Oves ne scabræ fiant, amurcam condito, puram bene facito: aquam ubi lupinus deferbuerit, & fæcem de vino bono, inter se omnia commisceto pariter ... Eodem modo vos omnes quadrupedes utito, si scabra erunt.*

14. *Cruda.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XXXVIII. 1. *Spodium e cauliculis.*] Diosc. lib. 1. cap. 137. *Uruntur, inquit, cum floribus folia, ut spodii vicem præstent .... ita ut in medicamentis oculorum spodio minime cedant.* Καίεται δὲ καὶ φύλλα μετὰ τῶν ἀνθῶν, καὶ ἀντὶ σποδίου λαμβάνεται ... Δοκεῖ δὲ ἡ τοιαύτη σποδὸς μὴ λείπεσθαι τοῦ σποδίου εἰς τὰ ὀφθαλμικά.

2. *Alienata explet.*] Vulnera quæ non coëunt, rimas fissurasque carne replet.

[3] Peculiare autem, quod folia decoquuntur ex melle, & dantur cochlearibus contra sanguinis exscreationes. Oleum tantum acrius, efficaciusque: [4] & de eo os quoque colluitur ad dentium firmitatem. [5] Imponuntur folia & paronychiis, & carbunculis, & contra omnem collectionem cum vino: iis vero quæ purganda sunt, cum melle. [6] Miscentur oculorum medicamentis, & decoctum foliorum, & succus oleastri. [7] Utiliter etiam auribus instillatur cum melle, vel si pus effluat. Flore oleastri condylomata illinuntur, & epinyctides. [8] Item cum farina hordeacea venter, in rheumatismo: cum oleo, [9] capitis dolores. [10] Cutem in capite ab ossibus recedentem cauliculi decocti, & cum melle impositi comprimunt. Ex oleastro maturi in cibo sumpti sistunt alvum. [11] Tosti autem & cum melle triti, nomas repurgant, carbunculos rumpunt.

XXXIX. [1] Olei naturam causasque abunde diximus. Ad medicinam ex olei generibus hæc pertinent. Utilissimum [2] esse omphacium, [3] proxime viride. [4] Præterea quam maxime recens, (nisi cum vetustissimum quæritur,) tenue, odoratum, quodque non mordeat, e diverso quam in cibos eligitur. [5] Omphacium prodest gingivis. Si contineatur in ore, [6] colorem dentium custodit magis, quam aliud: [7] sudores cohibet.

XL. [1] Oenanthino idem est effectus, qui rosaceo. [2] Omni autem oleo mollitur corpus, vigorem & robur accipit: Stomacho contrarium. [3] Auget hulcerum incrementa. Fauces exasperat, [4] & venena omnia hebetat, præcipue psimmythii, & gypsi, in aqua mulsa, aut ficorum siccarum decocto potum: contra meconium, ex aqua: [5] contra cantharidas, buprestin, salamandras, pityocampas: per se potum, redditumque vomitionibus, contra omnia supra dicta. [6] Et lassitudinum perfrictionumque refectio est. [7] Tormina calidum potum cyathis sex, magisque ruta simul decocta pellit. [8] Item ventris animalia. [9] Solvit alvum heminæ mensura, cum vino & calida aqua potum, aut ptisanæ succo. Vulnerariis emplastris utile. Faciem purgat. Bubus infusum per nares, donec ructent, [10] inflationem sedat. [11] Vetus autem magis excalfacit corpora, magisque discutit sudores. Duritias magis diffundit. [12] Lethargicis auxiliare, & inclinato morbo. [13] Oculorum claritati confert aliquid, cum portione mellis acapni. [14] Capitis doloribus remedium est. Item ardoribus in febri cum aqua: [15] & si vetusti non sit occasio, decoquitur, ut vetustatem repræsentet.

XLI. [1] Oleum cicinum bibitur ad purgationes ventris cum pari caldæ mensura. Pri-

Notæ.

3. *Peculiare autem.*] Iisdem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 64.

4. *Et de eo os quoque.*] Diosc. lib. 40. Τὸ δὲ ἐκ τῆς ἀγρίας ἐλαίας ἔλαιον [illegible] *Silvestris olivæ oleum ad gingivas putri ulligine laborantes colluitur, dentesque labantes confirmat.* Q. Serenus cap. 15. de dentium vitio, pag. 133. eam vim quoque commanducatorum foliorum succo attribuit:

Mansus item prodest succis oleaster acerbis.

5. *Imponuntur.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 25.

6. *Miscentur.*] Diosc. lib. 1. cap. 137.

7. *Utiliter.*] Diosc. loc. cit.

8. *Item .... venter.*] Subintellige, illinitur, in fluxione alvi. Diosc. loc. cit. Φύλλα [illegible] σὺν ἀλφίτοις [illegible] *Folia cum hordacea farina illita cœliacis conveniunt.*

9. *Capitis dolores.*] Subintellige, illinuntur: ut sect. 35. dentium dolores oleæ Æthiopicæ lacryma illinendos dixit.

10. *Cutem in capite.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. Quid sit porro cutis recedens ab ossibus, Marcellus Empiricus, cap. 4. pag. 42. hunc locum transscribens non intellexit, cum putavit esse nimirum cutem in vulneribus plus æquo excrescentem: *Oleastri*, inquit, *cauliculi teneri, decocti, & melle impositi, carnes supra ossicula in vulneribus quælibet prohibent excrescere.* Diosc. rem perspicue & aperte explanat, lib. 1. cap. 137. ubi de oleastri foliis: Σὺν μέλιτι, inquit, [illegible] *Cum melle imposita cutem a capite avulsam agglutinant.* Quam vim & eorum succo, decoctoque adjudicat. Recedit ab ossibus caro, cum ea putrescente ossa nudantur, in hulceribus phagedænicis & cancrosis.

11. *Tosti autem, &c.*] Refert de foliis eadem Dioscor. loc. cit.

Sect. XXXIX. 1. *Olei . . . diximus.*] Libro 15. sect. 2. & seq.

2. *Esse omphacium*] De quo lib. 12. sect. 60. Id ex acerbis seu immaturis olivis exprimitur: sive, ut dicitur lib. 15. sect. 2. ex oliva cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis.

3. *Proxime viride.*] Diximus de eo lib. 12. sect. 60. Huic ab omphacio secunda laus, & pæne gemina bonitas atque nota, nisi quod viride est, omphacium candidum, ut ibi diximus.

4. *Præterea, &c.*] Sic Diosc. lib. 1. cap. 29.

5. *Omphacium.*] Diosc. loc. cit.

6. *Colorem.*] Dentes firmare ait Diosc. loc. cit. [illegible] ἐν τῷ στόματι.

7. *Sudores.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XL. 1. *Oenanthino.*] De quo Plinius, lib. 13. sect. 61. Vim ei adstringendi rosaceo similem Diosc. attribuit, lib. 1. cap. 56.

2. *Omni autem.*] Diosc lib. 1. cap. 30.

3. *Auget.*] Carne explet hulcera. Eodem sensu Corn. Celsus, lib. 8. cap. 4. ali hulcus ait, id est, coalescere, [illegible] Diosc. lib. 1. cap. 53 de rosaceo oleo: [illegible] *Facit incrementa carni, hulceribus impositum, illitumve.*

4. *Et venena.*] Diosc. lib. 1. cap 30.

5. *Contra cantharidas, &c.*] Sic Diosc. in Alexiph. cap. 1. & seqq.

6. *Et lassitudinum.*] De oleo laurino hoc Diosc. prodidit, lib. 1. cap. 49. & de sampsuchino, cap. 58.

7. *Tormina.*] Totidem verbis Diosc. lib. 1. cap 30.

8. *Item ventris.*] Lumbricos, [illegible] Diosc. loc. cit.

9. *Solvit alvum*] Diosc. loc. cit. totidem verbis.

10 *Inflationem sedat*] Interaneorum. Sic & infusum clystere homini prodest ad ileosos maxime affectus. Dioscor. loco citato. Καὶ [illegible]

11. *Vetus autem.*] Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ παλαιὸν θερμαντικώτερον, καὶ διαφορητικώτερον.

12. *Lethargicis.*] Auctor etiam est hujus medicinæ Celsus, lib. 3. cap. 20. *Excitat autem*, inquit, *lethargicos validissime, repente aqua frigida infusa post remissionem: itaque perunctum oleo multo corpus, tribus aut quatuor amphoris, totum per caput perfundendum est*, &c.

13. *Oculorum.*] Dioscor. loc. cit. Πρὸς ὀξυδερκίαν [illegible]

14. *Capitis doloribus.*] Celsus, lib. 4. cap. 2. *Caput vehementer perfricare: deinde calido oleo implere, veste velare, quidam etiam id devinciunt.*

15. *Et si vetusti.*] Si desit oleum vetus, inquit, de eo cujus copia est, quod præstantissimum est, ad mellis crassitudinem decoquitur. Sic eamdem atque vetustum vim habet. Sic Diosc. loc. cit.

Sect. XLI. 1. *Oleum cicinum.*] De quo Plinius, lib. 15. sect. 7. *Fit & e cici arbore in Ægypto*, &c. Commendat illud in primis Diosc. lib. 1. cap. 38. ad hulcera capitis, ad

vatim dicitur purgare præcordia. Prodest & articulorum morbis, duritiis omnibus, vulvis, auribus, ambustis. Cum cinere vero muricum, sedis inflammationibus, item psoræ. Colorem cutis commendat, ² capillumque fertili natura evocat. Semen ex quo fit, nulla animans attingit. ³ Ellychnia ex uva fiunt, claritatis præcipuæ. Ex oleo lumen obscurum propter nimiam pinguitudinem. Folia igni sacro illinuntur ex aceto: per se autem recentia 5 mammis & epiphoris. Eadem decocta in vino inflammationibus, cum polenta & croco: per se autem triduo imposita faciem purgant.

XLII. ¹ Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, ² cutem erugat, nitorem commendat, ³ varos cum melle tollit e facie. Prodest & auribus, cum rosaceo & melle & mali Punici germine decoctum, vermiculosque in his necat, ⁴ & gravitatem auditus dis- 10 cutit, sonos incertos & tinnitus, obiter ⁵ capitis dolores, ⁶ & oculorum. Medetur furunculis, ⁷ & a Sole ustis cum cera. ⁸ Hulcera manantia & furfures cum vino expurgat: condylomata cum meliloto. Per se vero capiti illitum, somnum allicit.

XLIII. ¹ Oleum laurinum utilius quo recentius, quoque viridius colore. ² Vis ejus excalfactoria: & ideo paralyticis, spasticis, ischiadicis, sugillatis, capitis doloribus, inve- 15 teratis distillationibus, auribus, ³ in calyce Punici calfactum illinitur.

XLIV. ¹ Similis & myrtei olei ratio: adstringit, indurat: medetur gingivis, dentium dolori, dysenteriæ, vulvæ exhulceratæ, vesicis, ² hulceribus vetustis vel manantibus, cum squama æris & cera. ³ Item eruptionibus, ambustionibus. ⁴ Attrita sanat, & furfures, & rhagadas, condylomata, articulos luxatos, ⁵ odorem gravem corporis. Adversatur can- 20 tharidi, buprestí, aliisque malis medicamentis, quæ exhulcerando nocent.

XLV. ¹ Chamæmyrsinæ, sive oxymyrsinæ eadem natura. Cupressinum oleum eosdem effectus habet, quos myrteum. Item citreum. E nuce vero juglande, ² quod caryinum appellavimus, alopeciis utile est, ³ & tarditati aurium infusum. ⁴ Item capitis dolori illitum. Ceterum iners & gravi sapore. Enimvero si quid in nucleo putridi fuerit, ⁵ totus 25 modus deperit. ⁶ Ex Gnidio grano factum, eamdem vim habet, quam cicinum. ⁷ E lentisco factum, utilissimum acopo est. Idemque proficeret æque ut rosaceum, ⁸ ni durius paulo intelligeretur. ⁹ Utuntur eo & contra nimios sudores, papulasque sudorum. ¹⁰ Scabiem jumentorum efficacissime sanat. ¹¹ Balaninum oleum repurgat varos, furunculos, lentigines, gingivas. 30

XLVI. ¹ Cypros qualis esset, & quemadmodum ex ea fieret oleum docuimus. ² Natura ejus excalfacit, emollit nervos. Folia stomacho illinuntur: & ³ vulvæ concitatæ succus quoque eorum apponitur. ⁴ Folia recentia commanducata, hulceribus in capite

NOTÆ.

psoras, & sedis inflammationes: ad pellendas ex alvo aquas, lumbricosque: ad aurium dolores, &c. Pintianum nihil moror, qui contra omnium exemplarium fidem, *cnecinum* hoc loco, non *cicinum* legit: Galeno quoque, quem non legit, admodum ei reluctante, cujus verba referemus sect. 45.

2. *Capillumque.*] Et hoc ipsum prodit de oleo cicino Marcellus Empir. cap. 6. pag. 47.

3. *Ellychnia ex uva.*] Fert enim arbos ea semen uvarum gracilium pallidarumque, ut dictum est lib. 15. sect. 7.

Sect. XLII. 1. *Oleum amygdalinum.*] Diosc. lib 1. cap. 39. de eo plura.

2. *Cutem erugat*, &c.] Diosc. loc. cit.

3. *Varos cum melle.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 41.

4. *Et gravitatem auditus*, &c.] Diosc. loc. cit.

5. *Capitis dolores.*] Marcellus Empir. cap. 1. pag. 36. & Diosc. loc. cit.

6. *Et oculorum.*] Diosc. loc. cit. *Καὶ ἀμβλυωπίας δὲ ἰᾶται ἀναπλαττόμενον. Hebetem etiam oculorum aciem emendat.*

7. *Et a Sole.*] Diosc. loc. cit. *Ἀῤῥοι δὲ ϰ ἐφήλεις μέλιτι ... A Sole ustis medetur, admixtum melli, lilii radici, ac rosaceo, cyprinove cerato.*

8. *Hulcera*, &c.] Totidem verbis hæc Dioscor. loc. cit. Marcellus Empir. c. 4. p. 40. & Plinius Valer. lib. 3. c. 12.

Sect. XLIII. 1. *Oleum laurinum.*] Hæc pariter Dioscor. lib. 1. cap. 49.

2. *Vis ejus.*] Diosc. loc. cit.

3. *In calyce Punici.*] Vel, ubi Punici mali non sit occasio, *in strigili ferrea*, ut ait Plinius Valer lib. 1. cap. 10. *missum & tepefactum, infusumque auribus, dolorem omnem tollit.* Iisdem hæc prodidit Marcellus Empir. cap. 9. pag. 80.

Sect. XLIV. 1. *Similis myrtei.*] *Μυρσίνινον ἔλαιον* Dioscoridi, lib. 1. cap. 48. *Δύναμιν δὲ αὐτοῦ στυπτικὴν, σκληρυντικήν.*

2. *Hulceribus*, &c.] Hulcera capitis manantia (*ἀχῶρας* Græci vocant) sanari eo Diosc. ait, loc. cit.

3. *Item eruptionibus.*] Diosc. loc cit. *Καὶ πρὸς πυρίκαυστα, ἐξανθήματα*, &c. Facit quoque ad ambustiones, eruptiones papularum, &c.

4. *Attrita*, &c] Diosc. *Παρατρίμματα, ῥαγάδας, κονδυλώματα, ἄρθρα ἐκκεχαλασμένα.*

5. *Odorem.*] Certe sudores compescit, *ἱδρῶτας ἵστησι*, inquit Diosc loc. cit.

Sect. XLV. 1. *Chamæmyrsinæ.*] Hoc est, myrti silvestris, ut dictum est lib. 15. sect. 7.

2. *Quod caryinum.*] Libro 15. sect. 7. *Καρύινον* quoque Galeno, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 172.

3. *Et tarditati aurium.*] Marcellus Empir. c. 9. p. 82. *Oleum ex nuce juglande instillatum auricula graviter audienti valde prodest.* Diosc. quoque, lib. 1. c. 42. *Ἁρμόζει δὲ ϰ ὠτὸς ἀλγοῦσι ... Contra dolores aurium, sonos atque tinnitus, auxilio est, cum anserino adipe infusum.*

4. *Item capitis.*] Marcellus Empir. cap. 1. pag. 35. *Oleum ex nuce juglande quæ manducatur expressum, subitum capitis dolorem, si eo perfricetur, mire compescit.*

5. *Totus modus.*] Sincerius forsan *modius* fuerit. Centenos olei modios, inquis Plinius, lib. 15. sect. 6. factum vocant. Sed & modus olei de toto lacu accipi posset, *la Cuvée.*

6 *Ex Gnidio .... quam cicinum.*] Vide Notas & Emend. num. XV.

7. *E lentisco.*] Diosc. lib. 1. cap. 50. *Τὸ δὲ σχίνινον .... εἰς ἄκοπον.* Sunt autem *ἄκοπα* apud medicinæ scriptores, remedia contra lassitudines confecta, quod contra *κόπους*, id est, labores, utilia sint. Ruellius apud Diosc. *ἄκοπα* vertit medicamenta quæ nervorum lassitudines reficiunt. Scribonius Largus, Compos. 168. *Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem nervorum.* Vide plura in Lex. Constantini.

8. *Ni durius paulo.*] Habet enim vim adstringendi, *ϰ στύφει*, inquit Galenus, lib. 6. de facult simpl. medicament. pag. 171.

9. *Utuntur eo.*] Diosc. lib 1. cap. 50.

10. *Scabiem*, &c.] Diosc loc. cit.

11. *Balaninum.*] Quod fit ex unguentaria balano, de qua lib. 12. sect. 46. Diosc. lib. 1. cap. 4. Vide Notas & Emend. num. XVI.

Sect. XLVI. 1. *Cypros qualis .... docuimus.*] Libro 12. sect. 51.

2. *Natura ejus*, &c.] Hæc pariter Diosc. l. 1. c. 65. & 124.

3. *Vulvæ concitatæ.*] Ascendenti vulvæ.

4. *Folia recentia.*] Diosc. lib. 1. cap. 124. *Διαμασηθέντα ... ἄφθας ἰᾶται.*

manantibus, item otis medentur, & collectionibus, condylomatis. [5] Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. [6] Ipsa rufant capillum tusa, adjecto struthei mali succo. [7] Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat & putrescentia hulcera per se, vel cum melle. Odor floris olet, 5 qui somnum facit. [8] Adstringit gleucinum, & refrigerat, eadem ratione qua & œnanthinum.

XLVII. Balsaminum longe pretiosissimum omnium, ut [1] in unguentis diximus, [2] contra omnes serpentes efficax. [3] Oculorum claritati plurimum confert, caliginem discutit. [4] Item dyspnœas, collectiones omnes duritiasque lenit. Sanguinem densari prohi- 10 bet, [5] hulcera purgat: [6] auribus, capitis doloribus, tremulis, spasticis, ruptis perquam utile. [7] Adversatur aconito ex lacte potum. [8] Febres cum horrore venientes perunctis leviores facit. Utendum tamen modico, [9] quoniam adurit, augetque vitia non servato temperamento.

XLVIII. [1] Malobathri quoque naturam & genera exposuimus. [2] Urinam ciet. 15 [3] Oculorum epiphoris vino expressum utilissime imponitur. Item frontibus, dormire volentibus: efficacius, si & nares illinantur: aut si ex aqua bibatur. [4] Oris & halitus suavitatem commendat linguæ subditum folium, [5] sicut & vestium odorem interpositum.

XLIX. [1] Hyoscyaminum emolliendo utile est, nervis inutile. Potum quidem cerebri motus facit. [2] Therminum e lupinis emollit, proximum rosaceo effectum habens. [3] Narcis- 20 sinum dictum est cum suo flore. [4] Raphaninum phthiriases longa valetudine contractas tollit, scabritiasque cutis in facie emendat. [5] Sesaminum aurium dolores sanat, & hulcera quæ serpunt, & quæ cacoëthe vocant. [6] Lirinon, quod & Phaselinum & Syrium vocavimus, renibus utilissimum est, [7] sudoribusque evocandis, [8] vulvæ molliendæ, [9] concoquendoque intus. [10] Selgiticum nervis utile esse diximus, sicut herbaceum quoque, quod Iguvini 25 circa [11] Flaminiam viam vendunt.

L. [1] Elæomeli, quod in Syria ex ipsis oleis manare diximus, sapore melleo, non sine nausea, alvum solvit: [2] bilem præcipue detrahit, duobus cyathis in hemina aquæ datis: [3] qui

NOTÆ.

5. *Decoctum foliorum.*] Diosc. lib. 1. cap. 124 Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῶν, πυρικαύστοις καταντλούμενον. *Decoctum foliorum igni ambustis affunditur.*

6. *Ipsa rufant.*] Et hic ὁμωνυμίας vocum delusum esse Plinium non immerito quis suspicetur. Nam cum apud Græcum scriptorem id legisse videatur, quod exstat apud Diosc. lib. 1. pag. 124. Ξανθίζει δὲ τρίχας στρουθίον χυλῷ τὰ φύλλα λεῖα [λεῖα] ἐγχριόμενα καὶ ἐγχεόμενα. *Rufant capillos folia trita & illita, quæ in struthii succo maduerint.* Στρουθίον eo loci radicula herba est, qua de egimus lib 19. sect. 18. De strutheo malo Plinius intellexit quod e genere cotoneorum est, de quo lib. 15. sect. 10. Sed & suos forte hæc quoque medicina habuit auctores.

7. *Flos capitis*] Totidem verbis Diosc. loc cit.

8. *Adstringit gleucinum, & refrigerat.*] Dioscorids, lib. 1. cap 67 calfacere dicitur, relaxare, mollire. Et ea sane aromata, quibus concinnatur, apud Columellam, lib. 12. cap. 51. & apud Diosc. loc. cit. iis sunt dotibus ac facultatibus prædita, ut oleum iis conditum, refrigerare vix ullo modo possit. Adstringendi vim œnanthino dat quoque Diosc. lib 1. cap. 56.

Sect. XLVII. 1. *In unguentis diximus.*] Libro 12. sect. 54

2. *Contra omnes.*] A vipera demorsis opitulari scribit Diosc. lib. 1. cap. 18.

3. *Oculorum.*] Diosc. lib. 1. cap 18.

4 *Item dyspnœas.*] Δυσπνοοῦσιν ἁρμόζει, *ægre spirantibus convenit.*

5. *Hulcera purgat.*] Diosc. loc cit.

6. *Auribus, capitis, &c.*] Q. Serenus, Samonicus, qui ex Plinii sententiis medicum opus versibus concinnavit, idem prodidit, cap. 6 pag 166.

> *Balsama si geminis instillans auribus addas,*
> *Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.*

Et cap. 3. cap. 127.

> *Porro si capitis morbo tentetur acuto,*
> *Allia diversum lana contecta per aurem*
> *Inducta prosunt · & eodem balsama pacto.*

7. *Adversatur.*] Diosc. loc. cit

8. *Febres.*] Dioscor. Ῥίγη συγχρισθὲν λύει, *rigores illitum solvit.*

9. *Quoniam adurit.*] Θερμαντικώτερον ὄν, inquit Diosc. loc. cit.

Sect. XLVIII. 1. *Malobathri.*] Libro 12. sect. 59.

2. *Urinam.*] Diosc lib. 1. cap. 11.

3. *Oculorum.*] Diosc. loc. cit.] Καὶ αὐτὸ πρὸς ὀφθαλμῶν φλεγμονὰς ἁρμόζει ἀναζεσθὲν ἐν οἴνῳ, καὶ λεῖον ἐπιχριόμενον. *Oculorum inflammationibus in vino fervefactum, tritumque, ac illitum apprime confert.*

4. *Oris & halitus.*] Diosc. loc. cit. Ὑποτίθεται δὲ καὶ γλώσσῃ πρὸς εὐωδίαν στόματος.

5. *Sicut & vestium.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ σὺν ἱματίοις τίθενται · ἄβρωτα γὰρ ἐ[?] εὐώδη ταῦτα τηρεῖ. *Vestibus etiam interponitur: siquidem eas & a tineis defendit, & odore non ineleganti tuetur.*

Sect. XLIX. 1. *Hyoscyaminum.*] Dioscor. lib. 1. cap. 48. Ὑοσκυάμινον ... μαλακτικόν ἐστι.

2. *Therminum*] Θέρμον lupinum vocant. Vim ei discutiendi Galenus adjudicat, διαφορητικὴν, lib. 6. de fac. simp med. pag. 178.

3. *Narcissinum.*] Libro 21. sect. 75.

4. *Raphaninum.*] De raphanino hæc eadem prodidit Dioscor. ad verbum, lib. 1. cap. 41.

5. *Sesaminum.*] Diosc. lib. 1. cap. 41.

6. *Lirinon .... vocavimus.*] Libro 21. sect. 11. *Est & rubens lilium, quod Græci crinon vocant .... Laudatissimum in Antiochia, & Laodicea Syriæ, mox in Phaselide.* Dioscor. lib. 3. cap 116. Κρίνον βασιλικόν, ... ἀφ' οὗ καὶ τὸ χρίσμα κατασκευάζεται, ὃ τινὲς λείρινον, οἱ δὲ σούσινον καλοῦσι. *Crinon seu lilium regium... ex quo paratur unguentum, quod aliqui lirinum, susinum alii appellitant.* Et lib. 1. cap. 62. Τὸ δὲ σούσινον, ὃ ἔνιοι λείρινον καλοῦσι, &c

7. *Sudoribusque.*] Hanc vim evocandi sudoris Plinius succo ipsi assignat, qui e lilii flore exprimitur, lib. 21. sect. 74.

8. *Vulvæ.*] Diosc. loc. cit.

9. *Concoquendoque intus.*] Concoquendis, quæ intus latent, vulvæ vitiis. Simile est quod de crocino oleo tradit Dioscor. lib. 1. cap 64. Καὶ πρὸς τὰς ἐν τῇ μήτρᾳ σκληρίας, καὶ μύσεις, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ κακοήθη.... Συμπέπτει γὰρ, καὶ μαλάσσει, ὑγραίνει, καὶ πραΰνει. *Valet & ad utero duritias, præclusiones, malignaque hulcera.... Concoquit enim, emollit, humectat, lenit.* Quanquam & de suppurationibus concoquendis accipi hic locus potest, quem habemus in manibus: Nam & de succo qui e lilii flore elicitur, lib 21. sect. 74. *ad emolliendas vulvas*, inquit, valet, *sudoresque faciendos, & suppurationes concoquendas.*

10. *Selgiticum .... diximus.*] Libro 15. sect. 7.

11. *Flaminiam.*] A Flaminio dictum, qui eam stravit lapidibus ab Urbe Roma Ariminum usque.

Sect. L. 1. *Elæomeli .... diximus.*] Libro 15. sect 7.

2. *Bilem præcipue.*] Dioscor. lib. 1. cap. 37, totidem verbis.

3. *Qui bibere.*] Dioscor. loc. cit. Ἐννάρκοι δὲ γίνονται καὶ ἔκλυτοι οἱ λαμβάνοντες · ὅθεν οὐ δεῖ ξενίζεσθαι · διεγείρειν δὲ αὐτοὺς μὴ ἐᾶσαι κατακοιμηθῆναι. *Qui assumpsere, torpescunt, viribusque destituuntur: attamen minime terreri eo oportet: quin*

bibêre, torpescunt, excitanturque crebro. ⁴ Potores certaturi præsumunt ex eo cyathum unum. ⁵ Pissino oleo usus & passim ad quadrupedum scabiem est.

L I. A viribus oleisque proxima nobilitas palmis: inebriant recentes: ¹ capitis dolorem afferunt: minus, siccæ: ² nec, quantum videtur, utiles stomacho: tussim exasperant, corpus alunt. ³ Succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad vires recreandas, sitim sedandam, in quo usu præferebant Thebaïcas. ⁴ Sanguinem quoque exscreantibus utiles, in cibo maxime. ⁵ Illinuntur caryotæ stomacho, vesicæ, ventri, intestinis, cum cotoneis & cera & croco. Sugillata emendant. ⁶ Nuclei palmarum cremati in fictili novo, cinere loto spodii vicem efficiunt, miscenturque collyriis, & calliblephara faciunt addito nardo.

CAP. V.

L I I. ¹ Palma quæ fert myrobalanum, probatissima in Ægypto, ² ossa non habet reliquarum modo in balanis. ³ Alvum & menses ciet in vino austero, ⁴ & vulnera conglutinat.

L I I I. ¹ Palma elate, sive spathe, medicinæ confert germina, folia, corticem. ² Folia imponuntur præcordiis, stomacho, jocineri, hulceribus quæ serpunt, cicatrici repugnantia. ³ Psoras cortex ejus tener cum resina & cera sanat diebus x x. Decoquitur & ad testium vitia. ⁴ Capillum denigrat suffitu, partus extrahit. ⁵ Datur bibendus tenum vitiis, & vesicæ, & præcordiorum: & capiti, & ⁶ nervis inimicus. Vulvæ ac ventris fluxiones sistit decoctum ejus. Item cinis ad tormina potus in vino albo, in vulvarum vitiis efficacissimus.

CAP. VI.

L I V. Proximæ varietates generum medicinarumque, quæ mala habent. ¹ Ex his verna acerba, stomacho inutilia sunt: alvum, vesicam circumagunt, nervos lædunt. Cocta meliora. Cotonea cocta suaviora. ² Cruda tamen, dumtaxat matura, prosunt sanguinem exscreantibus ac dysentericis, cholericis, cœliacis. Non idem prosunt decocta, quoniam amittunt constringentem illam vim succi. Imponuntur pectori in febris ardoribus: & tamen decoquuntur in aqua cælesti ad eadem quæ supra scripta sunt. ³ Ad stomachi dolores cruda decoctave cerati modo imponuntur. Lanugo eorum carbunculos

NOTÆ.

excitandi sunt, neque sinendum ut somno gratiore consopiantur.

4. *Potores certaturi.*] Quasi sic viribus suis fidant, ut & vini vim ebrietatem, & elæomelitos soporem afferentis, sustinere possint, aut vincere.

5 *Pissino oleo.*] De eo Plinius, lib 15. sect. 7. & Diosc. lib 1. cap. 95. qui ad eumdem usum & pissinum oleum & picem ipsam liquidam adsciscit. Vide Notas & Emend. num X V I I.

Sect. L I. 1 *Capitis dolorem.*] Diosc. lib 1. cap 148.

2. *Nec quantum videtur.*] Ita sane Dioscoridi visum est: qui palmas esitatas stomachicis prodesse scripsit: οἱ δὲ ξηροὶ ὠφελοῦσι βιῶρρησσόμενοι . . . . στομαχικοῖς, &c.

3. *Succum decoctarum.*] Cum hydromelite, non *pro hydromelite* Dioscorides adhibuit, lib. 1. cap. 149. Τῶν δὲ Θηβαϊκῶν τὸ ἀφέψημα ποθὲν, καῦσον παύοντα, ἐ τοὺς δυνάμεις ἀνακτᾶται, μετ' ὑδρομέλιτος παλαιοῦ λαμβανόμενον. *Thebaicarum decoctum potus datum, febrilem ardorem ac sitim sedat, & cum hydromelite vetusto sumptum vires recreant.*

4. *Sanguinem quoque.*] Dioscor. lib 1. cap. 148

5. *Illinuntur.*] Plinius Valer. lib 2. cap 39. *Caryota trita doloris imponuntur, adversus urinæ difficultatem.* Dioscor. loc cit. Ὠφελοῦσι ἐ τὰ περὶ κύστιν, καταπλασσόμενοι λεῖοι μετ' κυδωνίων ἐ κηρωτῆς οἰνανθίνης. *Trita cum cotoneis, & cerato œnanthino, vesicæ vitii utiliter illinuntur.*

6 *Nuclei palmarum.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 1. cap. 149

Sect. L I I. 1. *Palma quæ fert.*] Hæc palma est, cujus historiam scripsit, lib. 12. sect. 47 cujus fructus, cum maturitatem est assecutus, phœnicobalani proprie nomen: ante maturitatem idem, ob affinitatem aliquam, similitudinemque cum glande unguentaria, & myrobalani appellationem habuit. Plinius, loco mox cit. *Myrobalano in unguentis similem, proximumque usum habet palma in Ægypto.... phœnicobalanus vocatur.* Et Plinius Valer. lib. 3. cap 20. *Myrobalanum . . . genus est caryotæ, quod os non habet, &c.* Similitudinem eam fructus cum Arabica myrobalano attigit Dioscor. lib. 1. cap. 148. Φοῖνιξ ἐν Αἰγύπτῳ παρεμφέρων τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ. Hanc esse censemur balanum Ægyptiam, quam Plutarchus ait bellaria suavitate vincere, lib. 8. Symp. quæst. 4. pag. 723 Sugillat hoc loco Plinium Salmasius in præfat. pag 96. Dalecampium, & alios secutus: sed ita ut livorem potius suum, quam scriptoris perdiligentis errorem prodat ullum. Quod si qua nihilominus exemplaria scripta manu faverent, *Palma quæ refert myrobalanum*, legi hoc loco haud gravate ferrem

2. *Ossa non habet*] Quoniam immatura colligitur, nondum genito intus nucleo, ut diximus, lib. 12 sect. 4.

3. *Alvum & menses ciet*] Immo, si Dioscoridi fides habenda est, sistit potius: *Est*, inquit, *fructus ille acerbus atque adstringens, & contra alvi profluvia, fluxumque muliebrem, in vino austero bibitur.* Ἔστι δὲ στρυφνὸς ἐ σταλτικός, πινόμενος σὺν οἴνῳ αὐστηρῷ πρὸς διαρροίας ἐ ῥοῦς γυναικείους. Et sane hæc vis sistendi, & fructus acerbitati, & austeritati vini, quicum assumitur, apte congruit. Nihilominus sic M SS. omnes, Reg. Colb. Chiffl. aliique. Et Parmensis editio, ceteræque ante Hermolaum, cui *sistit* reponendum satius visum est. Quin & Plinius Valer. lib 2. cap. 23. cui titulum fecit, *Ventri molliendo: Myrobalanus*, inquit, *genus caryotæ nascens in Ægypto, quæ os non habet, vino austero trita & pota alvum ciet.* Sed jam hujus ævo irrepsisse id mendum in Plinii libros suspicari forsan haud temere licet

4 *Et vulnera.*] Dioscor. loc. cit. Ἔστι δὲ ἐ αἱμορροΐδας, ἐ τραύματα κολλᾷ καταπλασθείς. Plinius Valer. lib. 3. cap. 20. *Myrobalanum, ut jam diximus, genus est caryotæ, quod os non habet: hæc ex vino trita austero, vulnera curat & solidat.*

Sect. L I I I. 1. *Palma elate.*] Vide quæ de ea diximus, lib. 12. sect. 62.

2. *Folia imponuntur*] Vires plane similes elatæ suæ, hoc est, tenerarum adhuc palmarum involucro, Dioscorides tribuit, lib. 1. cap. 150.

3. *Psoras &c.*] Hæc rursum in elaten suam Dioscorides transtulit, loc. cit.

4 *Capillum . . . . . suffitu.*] At illitu, fricatuque etiam crebro spathæ suæ seu elatæ, nigredinem conciliari capillis, auctor est Diosc. loc. cit.

5. *Datur bibendus &c.*] Dioscor. de elate seu spathe sua, loc cit.

6. *Nervis inimicus.*] E diverso Dioscoridis elate laxatos committit articulos: χαλασμοὺς τε ἄρθρων συνάγει.

Sect. L I V. 1. *Ex his verna.*] Dioscor. lib. 1. cap 159. Τὰ δὲ ἔαρος ἀκμάζοντα μῆλα, χολωτικά, ἄλλως τε νευρῶν ἐστι κακωτικά, ἐμπνευματωτικά. *Quæ mala verno tempore maturescunt, bilem gignunt, nervos omnes lædunt, inflationesque pariunt.*

2. *Cruda tamen.*] Marcellus Empir. cap 16. pag. 120. *Phthisicis & empyicis prodest aqua in qua cydonea mala cocta fuerint, assidue propinata: ipsa etiam si incocta manducentur, juvant.* Et cap 16. pag. 120. *Cydonea bene matura non cocta, in cibo accepta, prosunt choleris reprimendis.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 64. cui titulus, *Sanguinem rejicientium curatio: Cydonia matura*, inquit, *devorantur cruda.* Et lib. 2. cap. 28. *Dysenteriæ compescendæ: Cydonia matura cruda eduntur.* Et cap. 25. *Cholero quomodo succurritur: Cydonia si matura cruda in cibo sumantur.*

3. *Ad stomachi autem.*] Marcellus Empir. cap. 20. pag. 139.

ſanat. [4] Cocta in vino, & illita cum cera, alopeciis capillum reddunt. [5] Quæ ex his cruda in melle condiuntur, alvum movent. Mellis autem ſuavitati multum adjiciunt, ſtomachoque utilius id faciunt. [6] Quæ vero in melle condiuntur cocta, quidam ad ſtomachi vitia, trita cum roſæ foliis decoctis dant pro cibo. [7] Succus crudorum lienibus, orthopnoïcis, hydropicis prodeſt. [8] Item mammis, condylomatis, varicibus. [9] Flos & viridis & ſiccus inflammationibus oculorum, exſcreationibus ſanguinis, menſibus mulierum. Fit & ſuccus ex his mitis, cum vino dulci tuſis, utilis & cœliacis & jocineri. [10] Decocto quoque eorum foventur, ſi procidant vulvæ & interanea. [11] Fit & oleum ex his, quod melinum vocavimus, quoties non fuerint in humidis nata. Ideo utiliſſima, quæ ex Sicilia veniunt. [12] Minus utilia ſtruthia, quamvis cognata. Radix eorum circumſcripta terra manu ſiniſtra capitur, ita ut qui id faciet, dicat quæ capiat, & cujus cauſa: ſic adalligata ſtrumis medetur.

LV. [1] Melimela & reliqua dulcia ſtomachum & ventrem ſolvunt, [2] ſiticuloſa, æſtuoſa, ſed nervos non lædunt. [3] Orbiculata ſiſtunt alvum, & vomitiones, urinas cient. [4] Silveſtria mala ſimilia ſunt vernis acerbis, alvumque ſiſtunt. Sane in hunc uſum immatura opus ſunt.

LVI. [1] Citrea contra venenum in vino bibuntur, vel ipſa, vel ſemen. [2] Faciunt oris ſuavitatem, decocto eorum colluti, aut ſucco expreſſo. [3] Horum ſemen edendum præcipiunt [4] in malacia prægnantibus: ipſa vero contra infirmitatem ſtomachi, ſed non niſi ex aceto facile manduntur.

LVII. [1] Punici mali novem genera nunc iterare ſupervacuum. Ex his dulcia, quæ [2] apyrina alio nomine appellavimus, ſtomacho inutilia habentur, inflationes pariunt, dentes gingivaſque lædunt. Quæ vero ab his ſapore proxima [3] vinoſa diximus, parvum nucleum habentia, utiliora paulo intelliguntur. Alvum ſiſtunt, & ſtomachum, dumtaxat pauca, citraque ſatietatem. [4] Sed hæc minime danda, quanquam omnino nulla, in febri, nec carne acinorum utili nec ſucco. Caventur æque vomitionibus, ac bilem rejicientibus. [5] Uvam in his, ac muſtum quidem, ſed protinus vinum aperuit Natura: utrumque aſperiore cortice. [6] Hic ex acerbis in magno uſu. [7] Vulgus coria maxime perficere illo novit: [8] ob id malicorium appellant medici. Urinam cieri eodem monſtrant: mixtaque galla in aceto decoctum, mobiles dentes ſtabilire. [9] Expetitur gravidarum malaciæ, [10] quoniam guſtatu moveat infantem. [11] Dividitur malum, cæleſtique aqua madeſcit ternis fere diebus. Hæc bibitur frigida cœliacis, & ſanguinem exſcreantibus.

NOTÆ.

140. & 141. Plinius Valer lib. 2. cap. 15.

4. *Cocta in vino.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVIII.

5. *Quæ ex his cruda.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 2. cap. 23.

6. *Quæ vero in melle.*] Dioſc. lib. 1. cap. 160. Marcellus Empiricus cap. 20. pag 139.

7. *Succus crudorum.*] Dioſcor. loco citato.

8. *Item mammis.*] Dioſcor. loc. cit. *Μαστῶν φλεγμονὰς ἰῶνται*, *mammarum inflammationes adjuvat.*

9. *Flos & viridis &c.*] Dioſc. loc. citato.

10. *Decocto quoque.*] Dioſc. loc. cit.

11. *Fit & oleum . . vocavimus.*] Libro 13. ſect. 2. Hoc pariter Dioſcor. loco citato & Plinius Valer lib 4. cap. 42.

12. *Minus utilia.*] Dioſcor. loc. cit. *Τὰ δὲ λεγόμενα στρουθία καὶ μεγάλα, ἧττόν ἐστιν εὔχυμα.*

Sect. LV. 1. *Melimela &c.*] Dioſc. lib. 1. cap. 161. *Τὰ δὲ μελίμηλα κοιλίας μαλακτικά . . . κακοστόμαχα δέ.*

2. *Siticuloſa.*] Sitim & æſtum afferentia.

3. *Orbiculata.*] Dioſcor. lib 1. cap. 162. *Τὰ δὲ Ἠπειρωτικὰ λεγόμενα, Ῥωμαϊστὶ δὲ ὀρβικουλάτα, εὐστόμαχα, κοιλίας σταλτικά, οὔρων κινητικά*, &c. Sic etiam Diphilus apud Athen. lib 3 pag. 80. ubi *ὀρβικουλάτα* vocat.

4. *Silveſtria.*] Totidem verbis de eo malorum genere Dioſcor lib. 1. cap 163.

Sect. LVI. 1. *Citrea contra.*] Theophraſtus lib. 4. hiſtor. cap. 4 & ex eo Athenæus lib 3. pag. 84 Dioſc. lib. 1. cap. 166. Oppius apud Macrobium, lib. 2 Saturn. cap. 15. & eleganti carmine Virgilius, lib. 2. Georg.

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali: quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, & membris agit atra venena.

2. *Faciunt oris.*] Dioſcor loc. cit. *Διάκλυσμά τέ ἐστι πρὸς εὐωδίαν στόματος τὸ ἀφέψημα, καὶ ὁ χυλὸς αὐτοῦ.*

3. *Horum ſemen.*] Dioſcor. loc. cit. *Σπέρμα ἴσχει ὅμοιον ἀπίῳ . . . Δύναμιν δ' ἔχει . . . . ἀβρώσκεται δὲ μάλιστα ὑπὸ γυναικῶν πρὸς τὰς κίσσας.* Quæ Dalecampius ad corticem, ſuccumve mali Punici prave tranſtulit.

4. *In malacia.*] Malacia eſt in gravidis ille languor, & mollities diſſoluti, & cuncta faſtidientis ſtomachi. Græci *κίτταν*, Latini etiam picam appellant.

Sect. LVII. 1. *Punici mali.*] Sic in Indice lib. 13. num. XXXIX. *Punici mali genera IX.* Vide quæ diximus lib 13, ſect. 34.

2. *Apyrina . . . appellavimus*] Libro 13. ſect. 34. De his Plinius Valer lib 2. cap 40. *de Puniceis*, noſtro adſtipulatur: *Dulcia*, inquit, *inflationes ſtomacho movent, nec tute febricitantibus dari poſſunt*

3. *Vinoſa diximus.*] Libro 13 ſect. 34. Vinolenta vocat Plinius Valer. lib. 4 cap. 40. & ab his acida ſecernit. Hæc mediæ inter acida ac dulcia facultatis eſſe cenſet Dioſc. lib. 1. cap. 151.

4. *Sed hæc.*] Sed vinoſa minime danda, immo omnino nulla ſunt danda febricitanti. Dioſc lib. 1. cap 151.

5. *Uvam in his.*] Uvam in his, ac non muſtum modo, ſed cum uva vinum ſtatim oſtendit natura, *hoc eſt, ſuccum vino parem: utrumque autem, & uvam, & vinum*, ſub aſperiore cortice incluſit.

6. *Hic ex acerbis.*] Plinius ſupra, lib. 13. ſect. 34. *Corticis major uſus ex acerbis ad perficienda coria.*

7. *Vulgus coria.*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 40. *Illa vero acerba ſunt, quibus coria curantur*, &c.

8. *Ob id malicorium.*] Ita mali Punici corticem vocant Latini: Celſus in primis, lib. 2. cap. poſtremo. Græci *σίδιον*. Simplicius id ei factum nomen putarim, quod corio ſimilis eſt ob duritiem, craſſitiemque majorem, quam ſit in vulgari malorum ceterorum cortice.

9. *Expetitur gravidarum &c.*] Alludere ad hanc Punici mali dotem Plautus videtur, in Amphitr. act. 2. ſc. 2. verſ. 91.

Enimvero prægnanti oportet & malum & malum dari,
Ut quod obrodat ſit, animo ſi male eſſe occeperit.

10. *Quoniam guſtatu.*] Vide Notas & Emendationes, num. XIX.

11. *Dividitur malum*] De Punico malo univerſe id accipiendum, uti Plinius Valer. lib. 4. cap. 40. non de ſingulari uno genere.

LVIII.

LVIII. [1] Ex acerbo fit medicamentum, quod [2] stomatice vocatur, utilissimum oris vitiis, narium, aurium, [3] oculorum caligini: pterygiis, genitalibus, & his quas nomas vocant, & quæ in hulceribus excrescunt. [4] Contra leporem marinum hoc modo: [5] Acinis detracto cortice tusis, succoque decocto ad tertias, cum croci, & aluminis scissi, myrrhæ, mellis Attici selibris. Alii & hoc modo faciunt: Punica acida multa tunduntur: succus in cacabo novo coquitur mellis crassitudine, ad virilitatis & sedis vitia, & omnia quæ Lycio curantur, aures purulentas, epiphoras incipientes, rubras maculas. In manibus rami Punicorum serpentes fugant. Cortice Punici ex vino decocti & impositi, perniones sanantur. [6] Contusum malum ex tribus heminis vini, decoctum ad heminam, tormina & tænias pellit. Punicum in olla nova, [7] cooperculo inlito, in furno exustum, & contritum, potumque in vino, sistit alvum, discutit tormina.

LIX. [1] Primus pomi hujus partus florere incipientis, cytinus vocatur Græcis, miræ observationis multorum experimento. [2] Si quis unum ex his, solutus vinculo omni cinctûs & calceatûs, atque etiam anuli, decerpserit duobus digitis, pollice & quarto sinistræ manus, atque ita lustratis levi tactu oculis, mox in os additum devoraverit, ne dente contingat, affirmatur nullam oculorum imbecillitatem passurus eo anno. [3] Iidem cytini siccati tritique, carnes excrescentes cohibent: [4] gingivis & dentibus medentur, vel si mobiles sint, decocto succo. [5] Ipsa corpuscula trita, hulceribus quæ serpunt putrescuntve, illinuntur. Item oculorum inflammationi, intestinorumque: & fere ad omnia, quæ cortices malorum. Adversantur scorpionibus.

LX. Non est satis mirari curam diligentiamque priscorum, qui omnia scrutati, nihil intentatum reliquere. [1] In hoc ipso cytino flosculi sunt, antequam scilicet malum ipsum prodeat, erumpentes, quos [2] balaustium vocari diximus. Hos quoque ergo experti invenerunt scorpionibus adversari. Sistunt potu menses feminarum: [3] sanant oris hulcera, & tonsillas, uvam, sanguinis exscreationes, ventris & stomachi solutiones, genitalia, hulcera quacumque in parte manantia. [4] Siccavere etiam ut sic quoque experirentur, [5] inveneruntque tusorum farina dysentericos a morte revocari, alvum sisti. Quin & nucleos ipsos acinorum experiri non piguit. [6] Tosti tusique stomachum juvant, cibo aut potioni inspersi. [7] Bibuntur ex aqua cælesti ad sistendum alvum. [8] Radix decocta succum emittit, qui tænias necat, Victoriati pondere. [9] Eadem discocta in aqua, quas Lycium, præstat utilitates.

LXI. [1] Est & silvestre Punicum a similitudine appellatum. [2] Ejus radices rubro cortice

NOTÆ.

Sect. LVIII. 1. *Ex acerbo.*] Hæc verbis totidem Plinius Valer lib. 4. cap 40. ac fere Diosc. lib. 1. cap. 151.

2 *Stomatice.*] Στοματικὴ, subintellige, δύναμις, hoc est, compositio, quæ ad uvas, tonsillas, omnesque repentinas oris, (quod Græci στόμα vocant) inflammationes accommodatur. Scribonius Largus Compol. 64. *Ad faucium uvæque tumorem stomatice hac fere utuntur*, &c. Schola Salernitana:

Mora suum tollunt, recreant cum faucibus uvam.

3 *Oculorum caligini.*] Præter Dioscoridem, & Plinium Valer. locis citatis, Priscianus, lib. 1. cap 10. *de oculorum causis. Si autem obscuritas hæc, senectutis magis quam oculorum vitium fuerit, succum mali granati mellis Attico æqua mensura commisces, & uteris . . . . Hoc etiam scriptoribus & pictoribus sæpe profuit.*

4. *Contra leporem marinum.*] Habent ea verba libri omnes, etiam manu exarati: Plinius Valer. qui cetera ad verbum exscripsit, non habet. Eoque magis in suspicionem venimus, minime ea genuina esse, sed spuria, quod adversus leporem marinum quæ vulgo remedia statuuntur, intra corpus omnia sumi necesse sit: illud, cujus nunc forma scribitur, externis tantum vitiis apponi posse videatur. Ad leporem marinum tamen, Scribonius Largus, Compos. 186. prodesse ait malorum Punicorum grana assidue data: sed per se ac sola: nec myrrham adjicit, nec alumen. Sic etiam Dioscor. in Alexiph. cap 30.

5. *Acinis detracto*] Plinius Valer. lib. 4. cap. 40. *Fit ex acido Punico medicamentum, στοματικὸν a Græcis nominatum, cujus compositio ejusmodi est: Detracto cortice mala tunduntur: ex his succus exprimitur. is decoctus ad tertias, quum ad sextarium venerit, croci scrupuli sex, myrrhæ sex, aluminis sex, mellis optimi libra una, miscentur: & ex hoc medicamento* &c.

6. *Contusum.*] Marcellus Empir cap. 28. pag. 200. Plinius Valer. lib. 2. cap 21 ad verbum. Et cum ceteris Cato, cap. 126. pag 66.

7. *Cooperculo inlito.*] Vide Notas & Emendationes, num. XX.

Sect. LIX. 1. *Primus pomi.*] Plinius Valer lib. 4. cap. 40 fere ad verbum. Hesychius: Κύτινος, ἡ ῥοιᾶς τὰ πρῶτα ἐξανθήματα. Ea vox calycem sonat, quo dehiscente in sua se folia flos pandit & explicat: ὡς γὰρ τῷ κυτίνῳ ἄνθος, inquit Theophr. Adde his, si lubet, ea quæ Rob. Const. habet in Lexico.

2. *Si quis unum.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 4. cap. 40. Contractius paulo, neque adeo superstitiose Dioscor. lib 1. cap. 152.

3. *Iidem cytini*] Plinius Valer. loc. cit.

4. *Gingivis*] Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῶν, οὖλα πλαδῶντα, καὶ ὀδόντας σειομένας διακολλᾷ.

5. *Ipsa corpuscula.*] Cytini partem inferiorem intelligit, quæ in fructum transit ac pomum: dum superior una cum staminibus ipsi medio insidet pomo.

Sect. LX. 1. *In hoc ipso cytino.*] Plinius Valer lib. 4. cap. 40. ad verbum.

2. *Balaustium . . . . diximus.*] Libro 13. sect 34.

3. *Sanant oris &c.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. loc. cit.

4. *Siccavere etiam.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 193.

5. *Inveneruntque.*] Scribonius Largus, Compos. Med. cap. 21. num. 85. *Balaustium contunditur, siccatur, ficto mortario teritur . . . . Atque ille quidem pastillus hinc fiat ad dysentericos, id est, torminosos.* Addo & Galenum, lib. 6. de fac. simp. med pag. 163.

6. *Tosti tusique.*] Diosc lib. 1. cap. 151.

7. *Bibuntur &c.*] Diosc. loc. cit.

8. *Radix decocta.*] Marcellus Empir. cap 28. pag. 199. Diosc quoque lib. 1. cap. 153. Τὸ δὲ ἀφέψημα τῶν ῥιζῶν, ἑλμινθας πλατείας ποτὸν ἐκτινάσσει καὶ ἀναιρεῖ.

9. *Eadem discocta.*] Hoc est, ita cocta ut deliquescant. Verbis Columellæ utor, e lib. 12. cap. 41.

Sect. LXI. 1. *Est & silvestre Punicum.*] Dioscorides, lib. 1. cap 154. Ῥοιὰ ἀγρία. Hanc temere cum erratico papavere, quæ ῥοιὰς μήκων Græcis vocatur, Plinium miscuisse, Dalecampius falso calumniatur, eumque secutus, ut solet, Salmasius in Præf. pag. 21. & 22.

2. *Ejus & radices.*] Ῥοιὰς & Ῥοιάδα non esse a Plinio pro uno eodemque accepta, vel hoc unum declarat: quod papaveris erratici κεφαλαῖς sive capitibus hanc vim alliciendi somni scriptores adscripserint: Plinius ipse in primis, lib. 20. sect. 77. radicibus, nemo unus.

denarii pondere ex vino potæ somnos faciunt. [3] Semine poto, aqua quæ subierit cutem, siccatur. Mali Punici corticis fumo culices fugantur,

CAP. VII. LXII. [1] Pirorum omnium cibus etiam valentibus onerosus, ægris quoque vini modo negatur. Decocta eadem mire salubria & grata, præcipue Crustumina. Quæcumque vero cum melle decocta, stomachum adjuvant. [2] Fiunt cataplasmata e piris, ad discutienda corporum vitia: & decocto eorum ad duritias utuntur. [3] Ipsa adversantur boletis atque fungis, pelluntque pondere & pugnante succo. [4] Pirum silvestre tardissime maturescit. [5] Conciditur, suspensumque siccatur ad sistendam alvum: [6] quod & decoctum ejus potu præstat. [7] Decoquuntur & folia cum pomo ad eosdem usus. [8] Pirorum ligni cinis contra fungos efficacius proficit. Mala piraque portatu jumentis mire gravia sunt vel pauca. Remedio aïunt esse, si prius edenda dentur aliqua, aut utique ostendantur.

LXIII. Fici succus lacteus, aceti naturam habet. [1] Itaque coaguli modo lac contrahit. Excipitur ante maturitatem pomi, & in umbra siccatur, [2] ad aperienda hulcera, cienda menstrua apposita cum luteo ovi, aut potu [3] cum amylo. [4] Podagris illinitur cum farina Græci feni & aceto. Pilos quoque detrahit, palpebrarumque scabiem emendat: [5] item lichenas & psoras. [6] Alvum solvit. [7] Lactis ficulni natura adversatur crabronum, vesparumque, & similium venenis, privatim scorpionum. [8] Idem cum axungia verrucas tollit. [9] Folia, & quæ non maturuere fici, strumis illinuntur, [10] omnibusque quæ emollienda sint, discutiendave. Præstant hoc & per se folia. Et alii usus eorum, tamquam in fricando lichene, alopeciis, & quæcumque exhulcerari opus sit. [11] Et adversus canis morsus ramorum teneri cauliculi cuti imponuntur. [12] Iidem cum melle hulceribus, quæ ceria vocantur, illinuntur. [13] Extrahunt infracta ossa cum papaveris silvestris foliis. [14] Canum rabiosorum morsus folio trito ex aceto restringunt. E nigra ficu candidi cauliculi illinuntur furunculis, muris aranei morsibus cum cera. Cinis earum e foliis, gangrænis, consumendisque quæ excrescunt.

[15] Fici maturæ urinam cient, alvum solvunt, sudorem movent, papulasque. Ob id autumno insalubres, quoniam sudantia hujus cibi opera corpora perfrigescunt. [16] Nec stomacho utiles, [17] sed ad breve tempus: [18] & voci contrariæ intelliguntur. Novissimæ salubriores, quam primæ: [19] medicatæ vero numquam. [20] Juvenum vires augent: senibus meliorem valetudinem faciunt, [21] minusque rugarum. [22] Sitim sedant: calorem refrigerant. Ob id non negandæ in febribus constrictis, [23] quas stegnas vocant.

[24] Siccæ fici stomachum lædunt: gutturi & faucibus magnifice utiles. [25] Natura his ex-

NOTÆ.

3. *Semine poto.*] Hæc ῥοιᾶς quoque seu mali granati dos propria. *Ῥοιάδος μήκωνος* semen exinanit alvum: aquam quæ subter cutem subierit, non educit.

Sect. LXII. 1. *Pirorum omnium.*] Schola Salernitana.

Persica, poma, pira, & lac, caseus, & caro salsa,
Atra hæc bile nocent, suntque infirmis inimica.

Iterumque:

Dum coquis, antidotum pira sunt: sed cruda venenum:
Cruda gravant stomachum, relevant sed cocta gravatum.

Ac paulo ante:

Sine vino sunt pira virus.

2. *Fiunt cataplasmata.*] Diosc. lib. 1. cap 168 de piris: *εἰς τε ἀποκρουστικὰ καταπλάσματα ἁρμόζουσι. In cataplasmata repellentia convenienter adduntur.*

3. *Ipsa adversantur.*] Hanc piris silvestribus vim asserit Dioscor lib. 1. Εὐπορ. cap 160.

4. *Pirum silvestre.*] Diosc. lib 1. cap. 168.

5. *Conciditur &c.*] Diosc. loc. cit.

6. *Quod & decoctum.*] Diosc. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 4. cap 39.

7 *Decoquuntur.*] Diosc & Plinius Valer. locis cit.

8. *Pirorum ligni.*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXIII 1. *Itaque coaguli*] Columella, lib 7. cap. 8 pag. 167. *Nec minus lac cogitur ficulneo lacte, quod emittit arbor, si ejus virentem sancies corticem.* Diosc lib 1. cap. 183. Ὁ δὲ ὀπὸς τῆς ἀγρίας καὶ τῆς ἡμέρου συκῆς, πηκτικὸς ἐστι γάλακτος ὥσπερ ἡ πυτία· λύει δὲ καὶ τὸ πεπηγὸς ὥσπερ τὸ ὄξος. *Tam silvestris quam sativæ fici lacteus succus coaguli modo lac contrahit, coagulatumque aceti modo dissolvit.*

2 *Ad aperienda.*] Totidem verbis hæc Dioscor. lib 1. cap. 183.

3. *Cum amylo*] Ita sect. seq de caprifici succo: *Vulvam cum amylo aperit.* Tamen Diosc. loc. cit. μετ᾽ ὠμοῦ γάλακτος scripsit, ni mendosus est codex, non μετ᾽ ἀμύλου. Dioscoridi favet Saracenus in Notis.

4. *Podagris &c.*] Diosc loc. cit.

5. *Item lichenas &c.*] Diosc loc. cit.

6. *Alvum.*] Diosc. loc. cit.

7. *Lactis ficulni &c.*] Diosc loc cit.

8 *Idem cum.*] Dioscor. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 42.

9 *Folia & quæ.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 29.

10. *Omnibusque quæ.*] Plinius Valer. lib. 3. cap 25. *Ad collectiones vel tumores: Ficus, quæ adhuc non maturavit, admixto adipe anserino imposita, mire sanat.*

11. *Et adversus canis*] Plinius Valer. lib. 3 cap. 51. ad verbum.

12. *Iidem cum melle.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 22.

13. *Extrahunt.*] Schola Salernitana, de ficu:

Junge papaver ei, confracta foris trahit ossa.

14. *Canum rabiosorum.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 50.

15. *Fici maturæ &c.*] Diosc. lib 1. cap. 183. Σῦκα χλωρὰ πέπειρα κακοστόμαχα, κοιλίας λυτικά .... ἐξανθηματίζει καὶ ἱδρῶτας ἀνακινεῖ.

16. *Nec stomacho utiles.*] Diosc. κακοστόμαχα.

17. *Sed ad breve tempus.*] Nocere stomacho innuit, sed haud longo temporis intervallo. Idem dicendi genus, sect. 66. de prunis: *Ipsa pruna alvum solvunt: stomacho non utilissima, sed brevi momento.*

18. *Et voci contrariæ.*] Demetrius Scepsius apud Athen. lib. 3 pag. 80.

19. *Medicatæ vero.*] Quæ vis huic voci subsit, diximus lib 16. sect 51. nec Dalecampio assensi sumus.

20. *Juvenum vires*] Herodotus Lycius, in opere suo *De senibus*, aliique quos Athenæus affert, lib. 3. pag. 78

21. *Minusque rugarum.*] Isidorus, lib. 17. Orig. cap. 7 *A senibus in alimentum sumpta sæpius ficus, rugas eorum fertur destendere.*

22. *Sitim &c.*] Dioscor. loc. cit. Ἀδίψα δὲ, καὶ σβεστικὰ θερμασίας.

23. *Quas stegnas.*] Febres hæ sunt, inquit Dalecampius, adstricta cute, præclusis ejus spiraculis, impeditoque humorum & vaporum transspiratu. Galenus, lib. 5. de fac simp. med. pag. 129. στεγνὰ vocat ea quæ sensibiles excretiones prohibent. Alibi, adstricta renum vitia, & quæcumque impedimento sunt, ut urina aut difficulter, aut sæpe nulla, aut saltem per intervalla temporis stillis fluat.

24. *Siccæ fici.*] Dioscor lib. 1. cap. 183.

25. *Natura.*] Diosc. loc. cit.

calfaciendi. [26] Sitim afferunt. [27] Alvum molliunt, rheumatismis ejus, & stomacho contrariæ. [28] Vesicæ semper utiles, & anhelatoribus, ac suspiriosis. [29] Item jocinerum, renum, [30] lienum vitiis. Corpus & vires adjuvant: [31] ob id ante athletæ hoc cibo pascebantur: Pythagoras exercitator, primus ad carnes eos transtulit. [32] Recolligenti se a longa valetudine utilissimæ. [33] Item comitialibus, & hydropicis, omnibusque, quæ maturanda aut discutienda sunt, imponuntur: efficacius calce aut nitro admixto. [34] Coctæ cum hyssopo pectus purgant, [35] pituitam, tussim veterem. [36] Cum vino autem ad sedem, & tumores maxillarum. [37] Ad furunculos, [38] panos, [39] parotidas, decoctæ illinuntur. [40] Utile & decocto earum fovere feminas, [41] Decoctæ quoque eædem cum feno Græco utiles sunt pleuriticis & peripneumonicis. [42] Cum ruta coctæ torminibus prosunt. [43] Tibiarum hulceribus cum æris flore. [44] Pterygiis cum Punico malo. Ambustis, [45] pernionibus, cum cera. [46] Hydropicis coctæ in vino, cum absinthio & farina hordeacea, nitro addito. Manducatæ, [47] alvum sistunt. Scorpionum ictibus cum sale tritæ illinuntur. [48] Carbunculos extrahunt in vino coctæ & impositæ. [49] Carcinomati, si sine hulcere est, quam pinguissimam ficum imponi, pæne singulare remedium est: item phagedænæ.

[50] Cinis non ex alia arbore acrior: purgat, conglutinat, replet, adstringit. [51] Bibitur & ad discutiendum sanguinem concretum. Item percussis, præcipitatis, convulsis, ruptis, [52] cyathis singulis aquæ & olei. [53] Datur tetanicis & spasticis: item potus vel infusus cœliacis, & dysentericis. Et si quis eo cum oleo perungatur, excalfacit. Idem cum cera & rosaceo subactus, ambustis cicatricem tenuissimam obducit. Lusciosos ex oleo illitus emendat, dentiumque vitia crebro fricatu. Produnt etiam, si quis inclinata arbore, supino ore aliquem nodum ejus morsu abstulerit, nullo vidente, [54] atque cum aluta illigatum licio e collo suspenderit, strumas & parotidas discuti. Cortex tritus cum oleo, ventris hulcera sanat. [55] Crudæ grossi verrucas & thymos, nitro farinaque additis tollunt. Spodii vicem exhibet fruticum a radice exeuntium cinis. Bis tostus adjecto psimmythio digeritur in pastillos, ad hulcera oculorum & scabritiam.

LXIV. Caprificus etiamnum multo efficacior fico. Lactis minus habet: surculo quoque ejus [1] lac coagulatur in caseum. Exceptum id coactumque in duritiam, suavitatem

NOTÆ.

26. *Sitim.*] Diosc. loc. cit. *Τὰ δὲ ξηρὰ τρόφιμα, θερμαντικὰ, διψητικώτερα.*

27. *Alvum.*] Diosc loc. cit.

28. *Vesicæ.*] Diosc. loc. cit.

29. *Item jocinerum &c.*] Diosc. loc. cit. Celsus, lib. 3. cap. 21. *Si jecur aut lienem affectum esse, manifestum est, ficum pinguem contusam adjecto melle superponere.* Et cap. 14. *Arida ficus imposita prodest, si jecur aut lien affectus est.*

30. *Lienum vitiis.*] Præter Dioscor. loc. cit. Q. Serenus, cap 24. de splene curando, pag. 140.

Arida ficus item fervente domatur aceto
Et trita illinitur, vel splen apponitur hædi.

31. *Ob id ante athletæ.*] Ad verbum hæc Isidorus lib. 17. cap. 7. & Plinius Valer lib 4. cap. 47 *Hic victus athleticus, quo corpus firmandum*, apud Celsum, lib 4 cap 6. De hoc Pythagora porro, qui athleta fuit, vide Laertium in Pythag. lib. 8 & Iamblichum, lib. 1. de vita Pythag cap. 4. Cave autem existimes eumdem hunc esse cum illo percelebri Mnesarchi filio, qui Pythagoricæ a se cognominatæ disciplinæ auctor ac princeps extitit. Oribasius *Goram* pro Pythagora mendose vocat.

32. *Recolligenti se.*] Diosc. loc. cit *Τοῖς ἐκ μακρονοσίας κακοχροοῦσι*, *iis qui e longa valetudine decolorati sunt.*

33. *Item comitialibus, &c.*] Diosc. loc. cit.

34. *Coctæ cum hyssopo, &c.*] Plinius Valer. lib 1. cap. 58. *Adversus diuturnam tussim, ficus arida coquuntur cum hyssopo & aqua: & ex ea aqua tussientibus propinatur.* Et libro 4 cap. 47. de fico: *Cocta ex aqua cum hyssopo, dant potionem qua pectus expurgi.* similiter Celsus, lib. 4 cap 4. juvare ait ad tussim veterem, *quam pinguissimæ ficus uncias tres supra prunas incoctas esse.*

35. *Pituitam.*] Pituitosum humorem in pulmones delapsum. Diosc. loc. cit. *Τοῖς περὶ θώρακα χρονίοις πάθεσι.*

36. *Cum vino autem.*] Plinius Valer.

37. *Ad furunculos, &c.*] Diosc. hæc totidem verbis, loc. cit. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 32.

38. *Panos.*] Præter Diosc. Plinius Valer. lib. 3. cap. 27. & lib. 4. cap. 47 Item Marcellus Empir. cap. 31. pag. 225.

39. *Parotidas.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 13. *de parotidum curatione: Ficus sicca, & vino cocta, & trita adjuvat.* Diosc. item loco cit.

40. *Utile .... fovere feminas.*] Vide Notas & Emendat. num. XXI.

41. *Decocta quoque.*] Plinius Valer. lib. 4 cap. 47.

42. *Cum ruta cocta.*] Diosc lib 1. pag. 183.

43. *Tibiarum, &c.*] Plinius Valer. loc. cit. ad verbum. Diosc. loc. cit. *Μετὰ χαλκάνθου δὲ, τὰ ἐν ἀντικνημίῳ ῥεύματα, δυσαλθῆ καὶ κακοήθη ἰᾶται.* Plinius apud scriptorem Græcum unde hæc hausit, non μετὰ χαλκάνθου, hoc est, cum atramento sutorio, sed μετὰ χαλκοῦ ἄνθους, *cum æris flore*. legit. Verum ut ut legit, nihil interest: Nam & apud Galenum, lib. de succedaneis medicamentis, pag 974. ἀντὶ χαλκάνθου, λεπὶς χαλκοῦ substituitur: & inter ea quæ exedunt æque florem æris, atque sutorium atramentum Celsus affert, lib 5. cap. 7.

44. *Pterygiis.*] Diosc. lib 1. cap. 183. *Σὺν σιδίῳ δὲ ῥοιᾶς, πτερύγια ἀνακαθαίρει. Cum malicorio pterygia purgant.*

45. *Pernionibus cum cera.*] Hoc est, cum cerato. Diosc. loco cit.

46 *Hydropicis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. *de hydropisi: Ficus sicca coquuntur, & ex vino & absinthio, suffunduntur farina hordeacea, addito nitro: omnia in unum conteruntur, & ita imponuntur.*

47. *Alvum sistunt.*] Et nitrum hic adhibet Dioscorides loco citato. *Κοιλίαν μαλάσσει χωρὶς μετὰ νίτρου .... καὶ ἐσθιόμενα.*

48. *Carbunculos.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 30. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 18 *de carbunculis: Ficus sicca & in vino cocta & contrita imponuntur, ut ex altitudine evocare possint.*

49. *Carcinomati, &c.*] Totidem verbis hæc Plinius Valer. lib. 3. cap. 32. & privatim de narium carcinomate, Marcellus Empir cap. 10. pag. 86.

50. *Cinis non ex alia.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXI3.

51. *Bibitur & ad.*] Diosc. lib. 1. cap. 186.

52. *Cyathis singulis.*] Cum aquæ cyatho ad singula ea mala, admixto exiguo olei, inquit Diosc. loc. cit.

53. *Datur tetanicis &c.*] Diosc. *Καὶ τοῖς τετανικοῖς, καὶ σπασμοῖς τῷ ἐξέσματι ἁρμόζει σὺν ἐλαίῳ, ἰδρῶτας ἄγουσα.*

54. *Atque cum aluta.*] Aluta διφθέρα, pellis mollior est, delicatius elegantiusque concinnata Licium vero, filum appellatur, seu stamen.

55. *Crudæ grossi.*] Diosc. lib. 1. cap. 185. *Ὠμοὶ δὲ μυρμηκίας καὶ θύμους σὺν νίτρῳ καταπλασθέντες, καὶ ἀλεύρῳ αἴρουσι. Crudæ cum nitro & farina imposita, verrucas thymosque tollunt.* Θύμος verrucæ nomen est, seu hulceris, Ægyptiæ fabæ magnitudine, quæ thymi florem repræsentat.

Sect. LXIV. 1. *Lac coagulatur.*] MSS omnes, *lacte*, antiquo more in nominandi casu. Caprificum porro tum ad hunc effectum, tum ad ceteros perinde valere atque ficum auctor est Diosc. lib. 1. cap. 184. Fici ramus autem lac cogit, inquit Columella, lib. 7. cap. 8. pag. 167.

carnibus affert. Fricatur diluto ex aceto. Miscetur exhulceratoriis medicamentis. [2] Alvum solvit: vulvam cum amylo aperit. Pota menses ciet cum luteo ovi. Podagricis cum farina Græci feni illinitur. Lepras, psoras, lichenas, lentigines expurgat: item venenatorum ictus, & canis morsus. Dentium quoque dolori hic succus appositus in lana prodest, aut in cava eorum additus. [3] Cauliculi & folia, admixto ervo, contra marinorum venena prosunt. Adjicitur & vinum. [4] Bubulas carnes additi caules magno ligni compendio percoquunt. [5] Grossi illitæ strumas, & omnem collectionem emolliunt, & discutiunt. [6] Aliquatenus & folia. [7] Quæ mollissima sunt ex his, cum aceto hulcera manantia, & epinyctidas, & furfures sanant. [8] Cum melle foliis ceria sanant, & canis morsus. Recentes cum vino, phagedænas. [9] Cum papaveris foliis ossa extrahunt. Grossi caprifici inflationes discutiunt suffitu. [10] Resistunt & sanguini taurino poto, & psimmythio, & lacti coagulato potæ. [11] Item in aqua decoctæ atque illitæ parotidas sanant. Cauliculi aut grossi ejus quam minutissimæ ad scorpionum ictus e vino bibuntur. [12] Lac quoque instillatur plagæ, & folia imponuntur. [13] Item adversus mutem araneum. [14] Cauliculorum cinis uvam faucium sedat. Arboris ipsius cinis ex melle, rhagadia. [15] Radix defervefacta in vino, dentium dolores. Hiberna caprificus in aceto cocta & trita, impetigines tollit. Illinuntur ramenta rami sine cortice quam minutissima ad scobis modum. Caprifico quoque medecinæ unius miraculum additur. [16] Corticem ejus impubescentem puer impubis si defracto ramo detrahat dentibus, medullam ipsam adalligatam ante Solis ortum, prohibere strumas. [17] Caprificus tautos quamlibet feroces, collo eorum circumdata, in tantum mirabili natura compescit, ut immobiles præstet.

L X V. Herba quoque, quam [1] Græci erineon vocant, reddenda in hoc loco [2] propter gentilitatem. Palmum alta est, cauliculis quinis fere, ocimi similitudine, flos candidus, semen nigrum, parvum: [3] tritum cum melle Attico, oculorum epiphoris medetur: [4] utcumque autem decerpta manat lacte multo & dulci. [5] Herba perquam utilis aurium dolori, nitri exiguo addito. Folia resistunt venenis.

L X V I. [1] Pruni folia decocta tonsillis, gingivis: [2] uvæ prosunt in vino, decocto eo subinde ore colluto. [3] Ipsa pruna alvum molliunt, [4] stomacho non utilissima, sed brevi momento.

L X V I I. [1] Utiliora Persica, succusque eorum, etiamnum in vino aut in aceto expressus. Nec est alius eis pomis innocentior cibus. Nusquam minus odoris, succi plus, qui tamen sitim stimulet. Folia ejus trita illita, [2] hæmorrhagiam sistunt. Nuclei Persicorum cum oleo & aceto, capitis doloribus illinuntur.

L X V I I I. [1] Silvestrium quidem prunorum baccæ, vel e radice cortex, in vino

Notæ.

2. *Alvum solvit.*] Q. Serenus, cap. 29. *de ventre molliendo*, pag. 144.

Silvestres fici lacrymam prodesse loquuntur.

3. *Cauliculi, &c.*] Diosc. lib. 1. cap. 185.

4 *Bubulas carnes.*] Quin etiam & arbori ficui suspensæ carnes tenerescunt, teste Plutarcho, lib. 6. Sympos. quæst. 10. pag. 696.

5. *Grossi illitæ.*] Dioscor. lib. 1. cap. 185. Οἱ δὲ ὄλυνθοι, ὑπό τινων ἐρινεοὶ καλούμενοι, ἑφθέντες καταπλασσόμενοι, πᾶσαν σκληρίαν, καὶ χοιράδας ἐκμαλάσσουσι. *Grossi, quæ a nonnullis erinei nominantur, cocta & illita collectionem omnem, strumasque emolliunt.*

6. *Aliquatenus.*] Diosc. lib. 1. cap. 185.

7. *Quæ mollissima.*] Diosc. loc. cit.

8 *Cum melle foliis.*] Hoc est, impositu foliorum cum melle. Ita MSS. Prius, *cum melle item & foliis.* Hæc quoque Diosc. loc. cit. Ποιεῖ καὶ πρὸς τὰ κυνόδηκτα σὺν μέλιτι, καὶ πρὸς τὰ κηρία.

9 *Cum papaveris.*] Diosc. loc. cit. Ἀνάγουσι δὲ οἱ ὄλυνθοι καὶ ὀστᾶ σὺν μυρσινῶν ἀγρίας φύλλοις, &c.

10. *Resistunt*] Nicander in Alexiph. pag. 151.

11. *Item in aqua.*] Ad χοιράδας *quæ frequenter in collo, vel sub mento, vel sub ascellis nasci notamus*, inquit Theod. lib. 2. cap. 9 de furunculis, *utamur caprificis in aqua decoctis & contritis.* Est autem hoc parotidibus affine malum in primis.

12. *Lac quoque.*] Q. Serenus, cap. 147. pag. 155.

13. *Item adversus.*] Diosc. loc. cit.

14 *Cauliculorum.*] *Succo ipso, vel lacte caprifici in cochleari posito, uva optime sublevatur*, inquit Marcellus Empir. cap. 14. pag. 100.

15. *Radix.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. & Marcellus Empir. cap. 12. pag. 93.

16. *Corticem ejus impubescentem.*] Forte *intumescentem.* Vide Notas & Emend. num. XXIII.

17. *Caprificus tauros.*] Isidorus, lib. 17. Orig. cap. 7. ad ficum hanc dotem transtulit: *Tauros quoque ferocissimos, inquit, ad fici arborem colligatos repente mansuescere dicunt.* Plutarchus item, lib. 2. Sympos. quæst. 7. pag. 641. Ἄγριος δὲ ταῦρος ἠρεμεῖ καὶ προσδεθεὶς συκῇ ἀτρεμεῖ.

Sect. LXV. 1. *Græci erineon.*] Dioscoridi, lib. 4. cap. 29. ἐρινος. Sed aliis aliter. Nicander in Theriac. cap. 47. adversus serpentes vim commendat,

Κλαδεύσεις ἐν ἀρπέζαισιν ἐρινοῦ,

In madidis quæ vallibus exit, erini.

Scholiastes in eum locum, pag. 30. Τὸν δὲ ἐρῖνον, ὃ καὶ ἐρινεὸν Διονύσιος ἐν τῷ Ῥιζοτομικῷ φησιν εἶναι ὅμοιον ὠκίμῳ· βοηθεῖ δὲ πρὸς τὰ θηρία· φύεται δὲ πρὸς ποταμοὺς καὶ κρήνας, &c. Hausisse a scriptore Græco, quisquis est ille, Plinium ea quæ de erineo retulit, certum est. Ævi nostri herbarii plantam nullam agnoscunt, quæ huic descriptioni congruat, inquit Anguillara, part. 14. pag. 155. Ruellius, lib. 3. pag. 592. eam esse putat quam rura nostra Lactariam vocant. herbarii, Herbam Lactis. ocimum alii aquatile.

2. *Propter gentilitatem.*] Propter similitudinem nominis.

3. *Tritum cum melle, &c*] Diosc. lib. 4. cap. 29.

4 *Utcumque autem.*] Diosc. loc. cit.

5. *Herba perquam.*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXVI. 1. *Pruni folia.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 106. *Pruni arboris folia ex vino decocta & gargarizata tonsillas molliunt.* Et cap. XI pag. 88. *ad gingivas. Arboris pruni folia cum vino decoquuntur: eorum succus expressus intra os retentus, plurimum prodest.* Hæc pariter Galenus prodidit, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 192.

2. *Uvæ prosunt*] Marcellus Empir. cap. 14. pag. 99. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 43.

3. *Ipsa pruna.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 23. Galenus, loc. cit. & experientia. Lepide Martialis, lib. 13. Epigr. 29. cui lemma præfigitur,

Pruna Damascena:

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ

Sume: solent duri solvere ventris onus.

4 *Stomacho non.*] Vide Notas & Emend. num. XXIV.

Sect. LXVII. 1. *Utiliora Persica.*] Diosc. lib. 1. cap. 164. Τὰ δὲ περσικὰ μῆλα εὐστόμαχα.

2. *Hæmorrhagiam.*] Αἱμοῤῥαγίαν. Ea vox sanguinis profluvium sonat, sive e naribus, sive ex alvo.

Sect. LXVIII. 1. *Silvestrium quidem.*] Ita fere Dioscor. lib. 1. cap. 174. At Marcellus Empir. pæne ad verbum,

austero si decoquantur, ita ut triens ex hemina supersit, alvum & tormina sistunt. Satis est singulos cyathos decocti sumi.

LXIX. [1] Et in iis, & sativis prunis est limus arborum, quem Græci lichena appellant, rhagadiis & condylomatis mire utilis.

LXX. [1] Mora in Ægypto & Cypro sui generis, ut diximus, largo succo abundant, summo [2] cortice desquamato: altiore plaga siccantur, mirabili natura. [3] Succus adversatur venenis serpentium, prodest dysentericis, [4] discutit panos, omnesque collectiones: vulnera conglutinat, [5] capitis dolores sedat, item aurium: [6] splenicis bibitur, atque illinitur: [7] & contra perfrictiones. [8] Celerrime teredinem sentit. [9] Neque apud nos succo usus minor. Adversatur aconito [10] & araneis, in vino potus. [11] Alvum solvit: pituitas, tænias que, & similia ventris animalia extrahit. [12] Hoc idem præstat & cortex tritus. [13] Folia tingunt capillum cum fici nigræ & vitis corticibus simul coctis in aqua cælesti. [14] Pomi ipsius succus alvum solvit protinus. [15] Ipsa poma ad præsens stomacho utilia, refrigerant, sitim faciunt. [16] Si non superveniat alius cibus, intumescunt. [17] Ex immaturis succus sistit alvum: [18] veluti animalis alicujus, in hac arbore observandis miraculis, quæ in natura ejus diximus.

LXXI. Fit ex pomo [1] panchrestos stomatice, eadem arteriace appellata, hoc modo: Sextarii tres succi e pomo, [2] leni vapore ad crassitudinem mellis rediguntur. Post additur omphacii aridi [3] pondus x. duorum, aut myrrhæ x. unius, croci x. unius. Hæc simul trita miscentur decocto. Neque est aliud oris, arteriæ, uvæ, stomachi, jucundius remedium. Fit & alio modo: succi sextarii duo, mellis Attici sextarius, decoquuntur, [4] ut supra diximus.

Mira sunt præterea quæ produntur. Mori germinatione, priusquam folia exeant, sinistra decerpi jubentur [5] futura poma: [6] ricinos Græci vocant. Hi terram si non attigere, sanguinem sistunt adalligati, sive ex vulnere fluat, sive ore, sive naribus, sive hæmorrhoidis: ad hoc servantur repositi. Idem præstare & ramus dicitur Luna plena defractus, incipiens fructum habere, si terram non attigerit, privatim mulieribus adalligatus lacerto, contra abundantiam mensium. Hoc & quocumque tempore ab ipsis decerptum, ita ut terram non attingat, adalligatumque existimant præstare. Folia mori trita, aut arida decocta, serpentium ictibus imponuntur. Ad idemque potu proficitur. Scorpionibus adversatur e radice corticis succus, ex vino aut posca potus.

Reddenda est & antiquorum compositio. Succum expressum pomi maturi immaturique mixtum, coquebant in vase æreo ad mellis crassitudinem. Aliqui myrrha adjecta [7] &

NOTÆ.

cap. 27. pag. 194. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 27.

Sect. LXIX. 1. *Et in iis . . . . limus arborum.*] Muscus. Vide Notas & Emend. num. XXV.

Sect. LXX. 1. *Mora . . . . ut diximus.*] Ficum Ægyptiam, sive sycomorum, Cypriamque intelligit, arbores moro similes, de quibus lib. 13. sect 14. & 15.

2. *Cortice desquamato.*] Defracto Diosc. lib. 1. cap. 181. Ὀπίζεται δὲ τὸ δένδρον πρὸ τοῦ καρποφορεῖν ἔαρος ἀρχῇ, τοῦ φλοιοῦ ἐξωτάτω λίθῳ θλασθέντος· βαθύτερον γὰρ θλασθὲν, οὐδὲν ἀφίησι. *Liquorem fundit arbor primo vere, priusquam fructum proferat, lapidis ictu summo cortice desquamato: si enim frangatur altius, nihil quidquam emittit.* Hoc ipsum & de moro nostrate Plinius, lib 16. sect. 72.

3. *Succus*] Dioscor. loc. cit. Πίνεται δὲ καὶ συγχρίεται πρὸς ἑρπετῶν δήγματα.

4. *Discutit . . . vulnera*, &c.] Diosc. loc. cit. Δύναμιν ἔχει ὁ ὀπὸς μαλακτικὴν, κολλητικὴν, διαφορητικὴν τῶν δυσλύτων.

5. *Capitis dolores.*] Hunc succum, hanc lacrymam ad inducendum quoque somnum in phrenesi, prodesse Celsus prodidit, lib. 3. cap. 18.

6. *Splenicis bibitur.*] Diosc. loc. cit. illini ait contra induratos in scirrhum lienes: συγχρίεται πρὸς ἐσκιρρωμένους σπλῆνας.

7. *Et contra.*] Dioscor. loc. cit. Στομάχῳ τε ἀλγήματι καὶ φρικίαις.

8. *Celerrime.*] Diosc. loc. cit.

9. *Neque apud nos.*] Neque succo mororum, quæ nascuntur apud nos, minor usus. Est autem hic succus, lacryma quæ cortice desquamato manat. Mororum dotes in medicinæ usu, cecinit haud ineleganti carmine Passeratius, Cal. Januar. anni MDLXXXIX.

10. *Et araneis.*] Diosc. lib 1. pag. 180. phalangiis, quod genus araneorum est, succum foliorum mederi scribit: ὁ δὲ χυλὸς τῶν φύλλων φαλαγγιοδήκτοις ἀρήγει, πινόμενος κυάθου πλῆθος. Aconito, radicis decoctum, τοῖς ἀκόνιτον πεπωκόσι. &c.

11. *Alvum solvit*, &c.] Marcellus Empir. c. 13. pag. 212. *Aquam ex alvo solam deducit mori lacryma, vel radix incolla potui data.*

12. *Hoc idem.*] Dioscoridi loc. cit. radicis cortex decoctus in aqua & potus latas ventris tineas expellit: Ὁ δὲ τῆς ῥίζης φλοιὸς συνεψηθεὶς ὕδατι καὶ ποθεὶς . . . πλατεῖαν ἕλμινθα ἀναιρεῖ.

13. *Folia tingunt.*] Diosc. loc cit.

14. *Pomi ipsius.*] Maturi videlicet Plinius Valer lib. 2. cap. 23. & Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 210.

15. *Ipsa poma ad præsens.*] Ad breve tempus, quo fere esitantur. Vide Notas & Emend. num. XXVI.

16. *Si non superveniat.*] Contraria Catii doctrina apud Horatium, lib 2. Satyr. 4 vers. 21.

Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore Solem.

17. *Ex immaturis.*] Galenus, loc. cit. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 27.

18. *Veluti animalis.*] Mira etenim fici, ceu animalis alicujus, sapientia. Ad illud respicit quod superius animadvertit, lib. 16. sect. 41. *Morus novissima arborum germinat, nec nisi exacto frigore: ob id dicta sapientissima arborum. Sed cum cœpit, in tantum universa germinatio erumpit, ut una nocte peragat, etiam cum strepitu.*

Sect. LXXI. 1. *Panchrestos.*] Πάγχρηστος, *prorsus utilis compositio.* Nam δύναμις subintelligitur. De *stomatice* diximus sect. 58. De arteriace, lib. 20. sect. 79. Similem arteriacen succi e moris expressi, aliorumque medicamentorum, ex Ptolemæo Evergete, refert Marcellus Empir. cap. 14. pag. 102. quam is ad uvam commendat. Alias quinque huic Plinianæ similiores, Plinius Valer. lib. 1. cap. 51. Vide & Diosc. lib. 1. cap. 182.

2. *Leni vapore.*] Modico calore.

3. *Pondus X. duorum*] Hoc est, denariorum duorum.

4. *Ut supra diximus.*] Nempe, leni vapore, ut dictum est proxime.

5. *Futura poma.*] Erumpentia primum mora.

6. *Ricinos Græci.*] Ita etiam MSS. Barbarus *cytinos* reponebat.

7. *Et cupresso.*] Sive cupressi pilulis, sive succo.

cupresso præduratum [8] ad Solem torrebant, permiscentes [9] spatha ter die. Hæc erat stomatice, qua & vulnera ad cicatricem perducebant. [10] Alia ratio: Succum siccato exprimebant pomo, multum sapori obsoniorum conferente. In medicina vero contra nomas, & pectoris pituitas, & ubicumque opus esset adstringi viscera. [11] Dentes quoque col-
5 luebant eo. [12] Tertium genus: succi foliis & radice decoctis ad ambusta ex oleo illinenda. Imponuntur & per se folia. [13] Radix per messes incisa succum dat aptissimum dentium dolori, collectionibusque, & suppurationibus. Alvum purgat. Folia mori in urina madefacta, [14] pilum coriis detrahunt.

LXXII. [1] Cerasa alvum molliunt, stomacho inutilia: eadem siccata alvum sistunt,
10 urinam cient. [2] Invenio apud auctores, si quis matutino roscida cum suis nucleis devoret, in tantum levari alvum, ut pedes morbo liberentur.

LXXIII. Mespila exceptis setaniis, [1] quæ malo propiorem vim habent, reliqua adstringunt stomachum, sistuntque alvum. [2] Item sorba sicca: nam recentia stomacho & alvo citæ prosunt.

CAP. VIII. 15 LXXIV. [1] Nuces pineæ, quæ resinam habent, contusæ leviter, additis in singulas sextarii aquæ ad dimidium decoctæ, sanguinis exscreationi medentur, ita ut cyathi bini bibantur ex eo. [2] Corticis e pino in vino decoctum contra tormina datur. [3] Nuclei nucis pineæ sitim sedant, & acrimoniam stomachi rosionesque, [4] & contrarios humores consistentes ibi: [5] & infirmitatem virium roborant, [6] renibus; & vesicæ utiles. Fauces
20 videntur exasperare, [7] & tussim. Bilem pellunt poti ex aqua, aut vino, aut passo, aut [8] balanorum decocto. [9] Miscetur his contra vehementiores stomachi rosiones cucumeris semen, & succus porcilacæ. [10] Item ad vesicæ hulcera & renes, quoniam & urinam cient.

LXXV. [1] Amygdalæ amaræ radicum decoctum cutem in facie corrigit, coloremque hila-
25 riorem facit. [2] Nuces ipsæ somnum faciunt, & aviditatem. [3] Urinam & menses cient. Capitis dolori illinuntur, maximeque in febri: [4] si ab ebrietate, ex aceto & rosaceo & aquæ sextario. [5] Et sanguinem sistunt, cum amylo & menta. Lethargicis, & comitialibus pro-

NOTÆ.

8. *Ad Solem torrebant.*] Sic Pintianus ex vetusto codice. Alioqui libri, *vas Sole torrebant.*

9. *Spatha.*] Σπάθη, rudis sive rudicula est, eademque spatula dicta Celso & Columellæ: instrumentum quo aliquid movetur & agitatur a Chirurgis & Pharmacopolis. *Une Spatule.*

10. *Alia ratio.*] Diosc. lib. 1. cap. 180.

11. *Dentes quoque.*] Foliorum & corticis decocto dentes utilissime collui docet Diosc. loc. cit.

12. *Tertium genus.*] Scilicet compositionis. Affert illud Plinius Valer lib. 3. cap. 36. Folia trita cum oleo ambustis mederi Diosc ait, loc. cit.

13. *Radix per messes.*] Hæc totidem verbis Dioscor. loc. cit. & Marcellus Empir cap. 12 pag 95.

14 *Pilum coriis.*] Quæ a coriariis aptantur, concinnanturque in officinis.

Sect. LXXII. 1. *Cerasa*, &c.] Ad verbum Plinius Valer. lib. 4. cap. 50. Diosc lib. 1. cap. 157. *Κεράσια τὰ νωπὰ μὲν χλωρὰ λαμβανόμενα, εὐκοίλια τυγχάνει. ξηρὰ δὲ ἵστησι κοιλίαν.* Item Galenus, lib. 7. de fac. simp med. pag. 189. humida cerasa ventrem subducere, sistere siccata scribit

2. *Invenio.*] Plinius Valer. loc. cit *A non paucis auctoribus traditur, si mane recentia cum suis nucleis devorata sint, alvum tam copiose fluere, ut ex eadem causa pedes morbo implicati liberentur.*

Sect. LXXIII. 1. *Quæ malo propiorem.*] Et formam quoque malo propiorem: *δένδρον γάρ ἐστι μήλῳ ἐμφερὲς καὶ τοῖς φύλλοις*, inquit Diosc lib. 1. cap. 170. & vim parem: nam mala matura vim adstringendi non habent, ipso teste, lib. 1. cap. 159. Habent autem reliqua mespila, ut idem tradit, lib. 1. cap. 169 *Στύφει δὲ ὠμὰ ἐσθιόμενα,... καὶ κοιλίας στατικά.* Sic etiam Plinius Valer lib. 4. cap. 45. Et schola Salernitana:

Multiplicant mictum, ventrem dant mespila strictum.

2. *Item sorba.*] Subintellige, sistunt alvum. Martialis, lib. 13. Epigr. 26.

Sorba sumus molles nimium durantia ventres.

Et Diosc. lib. 1. pag. 173. de sorbis: *Ξηρανθέντα ἐν ἡλίῳ, σταλτικὰ γίνεται κοιλίας ἐσθιόμενα.*

Sect. LXXIV. 1. *Nuces pineæ.*] Hoc remedium Marcellus Empir. ita digessit, cap. 16. pag. 117. *Nuces pineæ*, inquit, *inanes contusæ in ollam mittuntur: & quot fuerint nuces, tot hyoscyami unciæ, & aquæ sextarii adjiciuntur. hæc ad medias decoquuntur: atque inde ad tussis remedium, etiam phthisico bibenda jejuno quotidie potio*, &c. Huc spectat inscriptio vetus apud Gruterum, pag. 71. ΑΙΜΑ ΑΝΑΦΕΡΟΝΤΙ ΙΟΥΛΙΑΝΩ ΑΦΗΛΠΙΣΜΕΝΩ ΥΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ ΕΧΡΗΜΑΤΙΣΕΝ Ο ΘΕΟΣ ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΑΡΑΙ ΚΟΚΚΟΥΣ ΣΤΡΟΒΙΛΟΥ ΚΑΙ ΦΑΓΕΙΝ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟΣ ΕΠΙ ΤΡΕΙΣ ΗΜΕΡΑΣ ΚΑΙ ΕΣΩΘΗ ΚΑΙ ΕΛΘΩΝ ΔΗΜΟΣΙΑ ΗΥΧΑΡΙΣΤΗΣΕΝ ΕΜΠΡΟΣΘΕΝ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ. *Sanguinem vomenti Juliano, desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus, veniret, & ex ara nuces pineas acciperet, & ex melle comederet per triduum Et convaluit, & veniens publice gratias egit, præsente populo.* Addit marmorea tabula, sed falsa, id Antonino Pio Principe contigisse.

2. *Corticis e pino.*] Plinius Valer. lib. 2. pag. 28. *Pini arboris corticem*, &c.

3. *Nuclei nucis.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 4. cap. 56 Dioscorides pariter, lib. 1. cap. 88. *Παρηγορεῖ δὲ καὶ στομάχου δηγμούς*, &c.

4. *Et contrarios.*] Dioscor. loc. cit. *τὰς τῶν ὑγρῶν διαφθοράς.*

5. *Et infirmitatem.*] Diosc. loc. cit. *Ἐξαρκοῦσί τε ἀσθενείᾳ σώματος.* Et paulo antea: *Ἀμβλυντικοὶ τῆς περὶ κύστιν καὶ νεφροὺς δριμύτητος.* *Humorum acrimoniam hebetant, qui vesicam & renes infestant.*

6. *Renibus & vesicæ.*] Scribonius Largus, Compos. 143. *Ad renium tumorem & exhulcerationem, etiamsi sanguinolentam urinam faciant, rosa arida foliorum, papaveris nigri seminis, nucleorum pineorum paria pondera, conduntur seorsum*, &c.

7. *Et tussim*] Tamen ad tussim vetustam & phthisin conducere plurimum, auctor est Diosc. loc. cit. *Ἁρμόζουσι παλαιαῖς βηξὶ καὶ φθίσεσι.*

8. *Balanorum decocto.*] Hoc est, palmularum, quas vulgo dactylos vocamus & balanos. Vide lib 13. sect 9.

9. *Miscetur his.*] Diosc. lib. 1. cap. 88 *Παρηγορεῖ δὲ καὶ στομάχου δηγμούς, μετ' ἀνδράχνης χυλοῦ λαμβανόμενοι.* & Marcellus Empir. cap 30. pag. 214. *Cucumeris quo vescimur, seminis cyathus tritus*, &c.

10. *Item ..... urinam cient.*] Diosc. loc. cit. *Στρόβιλοι καθαροὶ ἐσθιόμενοι, ἢ μετὰ γλυκέος ἢ σικύου σπέρματος πινόμενοι οὐρητικοί. ἀμβλυντικοὶ τῆς περὶ κύστιν καὶ νεφροὺς δριμύτητος.* *Nuclei pinei, si repurgati edantur, aut cum passo & cucumeris semine bibantur, urinas cient, & humorum acrimoniam hebetant, qui vesicam & renes infestant* Sic & Celsus, lib. 4. cap. 10.

Sect. LXXV. 1. *Amygdalæ.*] Diosc. lib. 1. cap. 176. & Plutarch. lib 1. Sympos. quæst. 6. pag. 624.

2. *Nuces ipsæ.*] Diosc. loc. cit.

3. *Urinam*, &c.] Diosc. loc. cit.

4. *Si ab ebrietate.*] Si ex ebrietate capitis dolor obortus est.

5. *Et sanguinem sistunt.*] Vide Notas & Emendat. num. XXVII.

sunt. Capite perunćto [6] epinyćtidas sanant: e vino vetere hulcera putrescentia. [7] Canum morsus cum melle. Et furfures ex facie, ante fotu præparata. [8] Item jocineris & renum dolores ex aqua potæ: [9] & sæpe ex ecligmate cum resina terebinthina. [10] Calculosis & difficili urinæ in passo: & ad purgandam cutem in aqua mulsa tritæ, sunt efficaces. [11] Prosunt ecligmate jocineri, tussi, & colo, cum elelisphaco modice addito. 5 In melle sumitur nucis avellanæ magnitudo. [12] Aiunt, quinis fere præsumptis ebrietatem non sentire potores: [13] vulpesque, si ederint eas, nec contingat e vicino aquam lambere, mori. [14] Minus valent in remediis dulces, & hæ tamen purgant, & urinam cient. [15] Recentes stomachum implent.

L X X V I. [1] Nucibus Græcis cum absinthii semine ex aceto sumptis, morbus regius 10 sanari dicitur: item illitis per se vitia sedis, & privatim condylomata. Item tussis, & sanguinis rejectio.

L X X V I I. [1] Nuces juglandes Græci a capitis gravedine appellavere. Etenim arborum ipsarum [2] foliorumque vires in cerebrum penetrant: [3] hoc minore tormento, & in cibis, nuclei faciunt. [4] Sunt autem recentes jucundiores, [5] siccæ unguinosiores, & stomacho inutiles, [6] difficiles concoctu, dolorem capitis inferentes, tussientibus inimicæ, 15 [7] & vomituris jejunis: aptæ in tenesmo solo: trahunt enim pituitam. [8] Eædem præsumptæ venena hebetant: [9] item anginam cum ruta & oleo. [10] Item adversantur cæpis, leniuntque earum saporem. Aurium inflammationi imponuntur cum mellis exiguo. [11] Item cum ruta mammis, & luxatis. [12] Cum cæpa autem & sale & melle, canis hominisque morsui. 20 Putamine nucis juglandis, dens cavus inuritur. [13] Putamen combustum tritumque in oleo aut vino, infantium capite perunćto, nutrit capillum: [14] & ad alopecias eo sic utuntur. [15] Quo plures nuces quis ederit, hoc facilius tineas pellit. [16] Quæ perveteres sunt nuces, gangrænis & carbunculis medentur: [17] item sugillatis: [18] Cortex juglandium, [19] lichenum vitio, & dysentericis. Folia trita cum aceto, aurium dolori. [20] In sanćtuariis Mithridatis 25

NOTÆ.

6. *Epinyćtidas*] Diosc. loc. cit. epinyćtidas e vino: putrescentia hulcera ex melle sanari jubet.

7. *Canum morsus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 51. & Diosc. loc. cit. Item Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 2. de amygdalis.

8. *Item jocineris & renum.*] Diosc. lib. 1. cap. 176. Καὶ νεφριτικοῖς, &c. Q. Serenus, cap. 26 *de lumbis & renibus sanandis*, pag 142.

Fertur amygdalina faccum nucis esse bibendus:
Pinsitur, ac tepidis sorbebitur addita lymphis.

9. *Et sæpe.*] Diosc. loc. cit. ἢ ἐκλειχόμενα σὺν ῥητίνῃ τερεβινθίνῃ.

10. *Calculosis.*] Diosc. loc. cit. Δυσουριῶσι δὲ καὶ λιθιῶσι σὺν γλυκεῖ βοηθεῖ.

11. *Prosunt ecligmate.*] Diosc. loc. cit. Καὶ ἡπατικοῖς, καὶ βηξί, καὶ κώλου ἐμπνευματώσεσι σὺν μέλιτι καὶ γάλακτι ἐκλειχόμενα, καρύου Ποντικοῦ τὸ μέγεθος. *Item ecligmate cum melle & lacte, jocineri, tussi, & coli inflationibus, nucis avellanæ magnitudine.* Elelisphacum is neglexit: ut & Galenus, lib 6 de fac. simp. med. pag. 155.

12. *Aiunt, quinis.*] Diosc. loc. cit. ὅσον ε̄ ἢ ζ̄, *quinis, seniscve.* Hunc morem cum diligenter servaret Drusus, Tiberii Cæsaris F. palmam bibendi præripiebat ceteris, ut auctor est Plutarchus, lib. 1. Sympos quæst. 6. pag. 624. & ex eo Athenæus, lib. 2. pag. 52. Tradit hoc & Simeon Sethi, tit de amygdalis & Plinius Valer. lib. 4 cap 51. Causam afferunt hujus ævi scriptores, qui Miscellanea Medico-physica, sive Germanicas Ephemeridas nuper edidere in lucem, anno scilicet octavo, pag. 185. *quod amygdala constringentes superiai ventriculi orificium, vaporibus temulentiam allaturis viam præcludant*, &c.

13. *Vulpesque.*] Diosc. & Plinius Valer. locis citatis. Item Plutarchus, lib. 1. Sympos quæst. 6. pag. 624. Nec vulpes solum, sed & feles & sciuros, esu earum occari, referunt auctores proxime appellati: gallinis pariter exitiosum hunc cibum esse, plurimis experimentis comprobant.

14. *Minus valent.*] Diosc. loc. cit. Ἡ γλυκεῖα καὶ ἐδώδιμος ἀμυγδαλῆ, πολὺ ἥσσων ἐστὶν εἰς πρὸς ἐνέργειαν τῆς πικρᾶς. καὶ αὐτὴ δὲ λεπτυντικὴ, οὐρητική.

15. *Recentes stomachum implent.*] Vide Notas & Emendat. num. XXVIII.

Sect. LXXVI. 1. *Nucibus Græcis.*] Plinius Valer. lib 2. cap. 59. *Nuces Græca cum absinthii semine teruntur: deinde pilulæ ex aceto eduntur.* Ita & Celsus, lib 3. cap. 24.

Sect. LXXVII. 1. *Nuces juglandes.*] Κάρυα Græcis: qua de voce vide quæ diximus lib. 15. sect. 24.

2. *Foliorumque vires.*] Alii *virus .... penetrat*, legi malunt, cum Reg cod. 2. & Chiffl.

3. *Hoc minore tormento.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIX.

4. *Sunt autem recentes.*] Diosc. lib. 1. cap. 178. Τὰ δὲ χλωρά, ἧττον κακοστόμαχα, γλυκύτερα ὄντα. Et paulo ante: Κάρυα, κακοστόμαχα, χολώδη, κεφαλαλγῆ, βηχώδη ἐναντία.

5. *Sicca unguinosiores.*] Ita Reg. 1. cod. At Reg 2. & Pintiani codex, *vinosiores* tantum. Quid sit unguinosum diximus lib. 13. sect. 2.

6. *Difficiles concoctu.*] Idcirco fortassis Schola Salernitana.

Unica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.

7. *Et vomituris.*] E diverso, Diosc. lib. 1. cap. 178 utiles ait in cibo jejunis ad vomitiones concitandas. Χρήσιμα δὲ βιβρωσκόμενα πρὸς ἐμέτους νήστει.

8. *Eædem præsumpta.*] Q. Serenus, cap. 62. *de venenis prohibendis*, pag. 162.

Ante cibos igitur juglandis fetus edatur.

Diosc. loc cit. Καὶ θανασίμων φαρμάκων ἐστὶν ἀντιφάρμακα, προληφθέντα, καὶ ἐπιβρωθέντα σὺν ἰσχάσι καὶ πηγάνῳ. *Venena hebetant, & præsumpta, & post venena hausta comesta cum ficubus & ruta.*

9. *Item anginam*] Huc pertinet quod Marcellus Empiricus habet, cap. 15. pag. 106. *Nucis juglandis nuclei triti, cum ruta & oleo impositi, faucibus prosunt.*

10. *Item .... cæpis*], Dioscorides *alliis* dixit, τῶν σκορόδων.

11. *Item cum ruta.*] Diosc. lib. 1. cap. 178.

12. *Cum cæpa*, &c.] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 3. cap. 51. & Diosc. lib. 1. cap 178.

13. *Putamen combustum*, &c.] Marcellus Empiric. cap. 6. pag 45 & Diosc. locis citatis.

14. *Et ad alopecias.*] Diosc. & Marcellus, locis citatis.

15. *Quo plures*] Diosc. loc. cit. Πλεῖονα δὲ βρωθέντα, [illegible] ἐκβάλλει.

16. *Quæ perveteres.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 22. vulneribus sic mederi ait. Hulceribus, Marcellus Empir. cap. 4. pag 42. commanducatas, impositasque. Theod. Priscianus, lib. 1. cap 18 *de carbunculis*: *Nuces vetusta contrita imponuntur: hæc adhibita bene novimus operata.* Ad gangrænas & carbunculos nucum vetustarum nucleos commanducari pariter jubet Diosc. & imponi.

17. *Item sugillatis.*] Ad sugillata & liventia emendata, nuces recentes imponit Diosc loc cit.

18. *Cortex juglandium.*] *Culeolum* hunc, & *galliolam*, Latini propria appellatione nuncupavere. Festus: *Culiola, cortices nucum viridium, dicta a similitudine culeorum, quibus vinum, sive oleum, continetur.* Iterum: *Galliola, nucum juglandium summa & viridia putamina.*

19. *Folia trita.*] Marcellus Empiricus, cap. 9. pag. 80. *Nucis juglandis foliorum succus tepidus instillatus, dolenti auriculæ miro proderit.*

20. *In sanćtuariis.*] Hæc Plinius Valer. lib 3. cap. 53. plane totidem verbis.

maximi regis devicti, Cn. Pompeius invenit in peculiari commentario ipsius manu [21] compositionem antidoti, e duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc jejunus sumat, nullum venenum nociturum illo die. Contra rabiosi quoque canis morsum, nuclei a jejuno homine commanducati illitique
5 præsenti remedio esse dicuntur.

LXXVIII. [1] Nuces avellanæ capitis dolorem faciunt, inflationem stomachi: & pinguitudini corporis conferunt, plus quam sit verisimile. [2] Tostæ & destillationi medentur [3] Tussi quoque veteri tritæ, & in aqua mulsa potæ. [4] Quidam adjiciunt grana piperis, alii e passo bibunt. [5] Pistacia eosdem usus & effectus habent quos pinei nuclei, præterque
10 ad serpentium ictus, sive edantur, sive bibantur.

[6] Castaneæ vehementer sistunt stomachi & ventris fluxiones, [7] alvum cient, [8] sanguinem exscreantibus prosunt, [9] carnes alunt.

LXXIX. [1] Siliquæ recentes, stomacho inutiles alvum solvunt. [2] Eædem siccatæ sistunt, stomachoque utiliores fiunt. [3] Urinam cient. [4] Syriacas in dolore stomachi ternas
15 in aquæ sextariis decoquunt quidam ad dimidium, eumque succum bibunt. [5] Sudor virgæ corni arboris lamina ferrea candente exceptus, non contingente ligno, illitaque inde [6] ferrugo, incipientes lichenas sanat. [7] Arbutus sive unedo, fructum fert difficilem concoctioni, & stomacho inutilem.

LXXX. [1] Laurus excalfactoriam naturam habet, & foliis, & cortice, & baccis:
20 [2] itaque decoctum ex his, maxime e foliis, prodesse vulvis & vesicis convenit. [3] Illita vero vesparum, crabronumque, & apium, item serpentium venenis resistunt, maxime sepis, dipsadis, & viperæ. Prosunt & mensibus feminarum cum oleo cocta. [4] Cum polenta autem, quæ tenera sunt trita, ad inflammationes oculorum: cum ruta, testium: cum rosaceo, capitis dolores, [5] aut cum irino. Quin & commanducata atque devorata per
25 triduum terna, liberant a tussi. Eadem prosunt suspiriis trita cum melle. [6] Cortex radicis cavendus gravidis. [7] Ipsa radix calculos rumpit, jocineri prodest tribus obolis in vino odorato pota. [8] Folia pota vomitiones movent. Baccæ menses trahunt appositæ tritæ, vel potæ. Tussim veterem [9] & orthopnœam sanant binæ, detracto cortice in vino potæ. Si & febris sit, ex aqua, aut ecligmate ex aqua mulsa, aut ex passo decoctæ. Pro-
30 sunt & phthisicis eodem modo, & omnibus thoracis rheumatismis. Nam & concoquunt pituitam & extrahunt. [10] Adversus scorpiones quaternæ ex vino bibuntur. Epinyctidas ex oleo illitæ, [11] & lentigines, & hulcera manantia, & hulcera oris, & furfures. Cutis prurigínem succus baccarum emendat, & phthiriasin. [12] Aurium dolori & gravitati instilla-

NOTÆ.

21. *Compositionem antidoti.*] Mithridatis antidoti plures formulæ, eæque diversæ apud Galenum leguntur, lib. 2. de antidotis, cap 1. 2. & 9. a quibus etiam discrepant eæ quæ apud Celsum exstant, lib 5. cap 23. extremo, & apud Scribonium Largum, Compos. 170. Plinio vero in descriptione antidoti concinit Q. Serenus Sammonicus, cap. 2. *de venenis prohibendis*, pag. 162.

Antidotos vero multis Mithridatica fertur
Consociata modis: sed Magnus scrinia regis
Cum caperet victor, vilem deprehendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.
Bis denas rutæ frondes, salis & breve granum,
Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus.
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

At non vilem modo, ut apparet, sed & plane fallacem esse hanc compositionem scribit Joan. Rhodius, in Notis ad Scribonium Largum, observasse se, cum Patavinam urbem lues vastaret.

Sect. LXXVIII. 1. *Nuces avellanæ.*] Ad verbum hæc refert & Plinius Valer. lib. 4. cap. 52. Nuces omnes, præter pineas, inflare, testis etiam Celsus est, lib. 2. cap. 26.

2. *Tosta* &c.] Diosc. lib. 1. cap. 179 *Φρυκτὸν δὲ ἐσθιόμενα σὺν πιπέρει ὀλίγῳ, κατάῤῥους πέσσει. Tosta vero, si cum piperis exiguo comedantur, distillationem concoquunt.* Plinius quoque Valer. loc. cit. ad verbum.

3. *Tussi quoque.*] Plinius Valer. & Dioscorides, locis citatis.

4 *Quidam.*] Plinius Valer. & Diosc. locis cit.

5. *Pistacia.*] Diosc lib. 1. cap. 177. hæc totidem verbis, ut & Plinius Valer. lib. 4. cap. 53.

6. *Castanea*] Vim illis adstringentem Dioscorides attribuit, lib. 1. cap. 145 *Στύφουσι καὶ αὗται.*

7. *Alvum cient.*] Nempe si largius esitentur.

8. *Sanguinem.*] *Rejectionem sanguinis*, inquit Marcellus Empir. cap. 16. pag. 121. *reprimunt castaneæ, si coctæ quamplurima manducentur.*

9 *Carnes alunt.*] *Fortissimum quidem cibum corpori præstant*, inquit Plinius Valer. lib. 4. c. 54. *sed qui difficile concoquatur.*

Sect. LXXIX. 1. *Siliquæ recentes*] Hæc Plinius Valer ad verbum, lib. 4. cap. 49. & Diosc. lib. 1. cap. 158. De hoc genere siliquarum diximus lib. 15. sect. 26.

2. *Eædem siccatæ*] Dioscorides & Plinius Valer. loc. cit.

3. *Urinam.*] Diosc. & Plinius Valer. locis cit.

4. *Syriacas*] De quibus lib. 13. sect. 16. Hæc quoque Plinius Valer. loc. cit.

5. *Sudor virgæ.*] Brevius Diosc lib 1. cap. 172. de corno arbore, *περὶ κρανίας. Sanies*, inquit, *sive sudor, quem virentia ligna, dum uruntur, exsudant, lichenibus convenienter illinitur.* Ὁ δὲ ἐκ τῶν χλωρῶν ξύλων ἰχὼρ καιομένων, ἁρμόζει πρὸς λειχῆνας καταχριόμενος.

6. *Ferrugo*] Ferri rubigo.

7. *Arbutus*] Diosc. lib. 1. cap 175. fructum ait esse κακοστόμαχον καὶ κεφαλαλγῆ. Galenus quoque, lib. 7. de fac. simpl. med pag 193.

Sect. LXXX. 1. *Laurus.*] Diosc. totidem verbis, lib. 1. cap. 106 & Galenus, lib. 6. de fac simp. med. pag. 169.

2. *Itaque decoctum*] Diosc. loc. cit.

3. *Illita vero.*] Diosc loc. cit ἁρμόζει δὲ λεῖα καταπλασσόμενα σφηκῶν καὶ μελισσῶν πληγαῖς. Theod. Priscianus, lib. 1. cap 22. *Apum percussus . . . . . lauri folia molliora trita cum vino, potui data, sæpe curaverunt.*

4. *Cum polenta*] Diosc. loc cit. Δύναται δὲ καὶ πᾶσαν φλεγμονὴν πραΰνειν σὺν ἀλφίτῳ καὶ ἄρτῳ καταπλασθέντα. *Folia lauri adhibita cum polenta & pane ad inflammationem quamlibet valent.*

5. *Aut cum irino*] Subintellige, oleo. Marcellus Empir., cap. 1. pag. 34. *Ad capitis dolorem folia lauri, vel baccas, vel florem terere oportet cum aceto, & irinum oleum illis admiscere atque ita caput naresque perungere.*

6. *Cortex radicis cavendus.*] Quia partus necat, inquit Dioscor. loc. cit. Ὁ δὲ φλοιὸς τῆς ῥίζης . . ., ἔμβρυα κτείνει.

7. *Ipsa radix*, &c.] Hæc pariter Diosc. & Galenus, loc. cit.

8. *Folia pota.*] Diosc. loc. cit.

9. *Et orthopnœam.*] Minus enucleate hæc Diosc. loc. cit. Ποιοῦσι δὲ ἐκλειγόμεναι λεῖαι σὺν μέλιτι ἢ γλυκεῖ, πρὸς φθίσιν, καὶ ὀρθόπνοιαν, καὶ τοὺς περὶ θώρακα ῥευματισμούς.

10 *Adversus scorpiones.*] Diosc. loc. cit. Πίνονται δὲ σὺν οἴνῳ πρὸς σκορπιοπλήκτους.

11. *Et lentigines.*] Diosc. ἀλφοὺς, vitiligines.

12. *Aurium dolori*, &c.] Totidem verbis Diosc. loco cit.

tur,

tur, cum vino vetere & rosaceo. Perunctos eo fugiunt venenata omnia. Prodest contra ictus & potus, maxime autem [13] ejus laurus, quæ tenuiora habet folia. Baccæ cum vino serpentibus, & scorpionibus, & araneis resistunt. Ex oleo & aceto illinuntur & lieni, & jocineri: gangrænis cum melle. Et in fatigatione etiam aut perfrictione succo eo perungi, nitro adjecto, prodest. Sunt qui celeritati partus multum conferre putent radicem, acetabuli mensura in aqua potam: efficacius recentem, quam aridam. Quidam adversus scorpionum ictus, decem baccas dari jubent poni. Item & in remedio [14] uvæ jacentis, quadrantem pondo baccarum, foliorumve, decoqui in aquæ sextariis tribus ad tertias, eamque calidam gargarizare: [15] & in capitis dolore, impari numero baccas cum oleo conterere, & calfacere.

Laurus Delphicæ folia trita olfactaque subinde, pestilentiæ contagia prohibent: tanto magis si & urantur. Oleum ex Delphica, ad cerata, acopumque, ad perfrictiones discutiendas, [16] nervos laxandos, lateris dolores, febresque frigidas utile est. Item ad aurium dolorem, in mali Punici cortice tepefactum. Folia decocta ad tertias partes aquæ, uvam cohibent gargarizatione: [17] potu alvi dolores, intestinorumque. Tenerrima ex his trita in vino, papulas, pruritusque, illita noctibus.

Proxime valent cetera lauri genera. [18] Laurus Alexandrina, sive Idæa, partus celeres facit, radice pota trium denariorum pondere, in vini dulcis cyathis tribus. Secundas etiam pellit, [19] mensesque. [20] Eodem modo pota Daphnoïdes, ([21] sive his nominibus quæ diximus) silvestris laurus prodest: alvum solvit, vel recenti folio, vel arido, drachmis tribus cum sale in hydromelite manducata. [22] Pituitas extrahit folium & vomitus, [23] stomacho inutile. [24] Sic & baccæ quinæ denæ purgationis causa sumuntur.

LXXXI. [1] Myrtus sativa candida, minus utilis est medicinæ, quam nigra. [2] Semen ejus medetur sanguinem exscreantibus. Item contra fungos in vino potum. [3] Odorem oris commendat vel pridie commanducatum. Item apud Menandrum [4] Synaristosæ hoc edunt. [5] Datur & dysentericis denarii pondere in vino. [6] Hulcera difficilia in extremitatibus corporis sanat, cum vino subfervefactum. [7] Imponitur lippitudini cum polenta, [8] & cardiacis in mamma sinistra: & contra scorpionis ictus in mero: & ad vesicæ vitia, capitis dolores, [9] & ægilopas, antequam suppurent: item tumoribus: exemptisque nucleis in vino vetere tritum eruptionibus pituitæ. [10] Succus seminis alvum sistit, urinam ciet. Ad eruptiones pusularum, pituitæque, cum cerato illinitur: [11] & contra phalangia. [12] Capillum denigrat. Lenius succo oleum est ex eadem myrto: lenius & vinum, quo numquam inebriatur. [13] Inveteratum sistit alvum & stomachum: tormina sanat, fastidium abigit. [14] Foliorum arentium farina sudores cohibet inspersa, vel in febri. [15] Utilis & cœliacis, & procidentiæ vulvarum, sedis vitiis, hulceribus manantibus, igni sacro

CAP. IX.

NOTÆ.

13. *Ejus laurus, quæ tenuiora.*] Qualis est Cypria, de qua lib. 15. sect. 39.

14. *Uvæ jacentis.*] *Si quando afflictam languor dejecerit uvam,* inquit Q. Serenus Samonicus. Morbus is est, cum uva, (Græci γαργαρεῶνα, vocant, nomine a genere soni indito, *la Luette*) hoc est, caruncula ea quam gutturi pro tegumento natura addidit, ex imbecillitate & languore dejicitur, laxiorque fit.

15. *Et in capitis dolore.*] Marcellus Empir. cap. 1. pag. 35. *Etiam in febribus bacca lauri impari numero in oleo contrita, & capiti inlita, sedant dolorem.* Et paulo post: *Baccæ lauri impari numero contritæ, & adjecto oleo calido fronti impositæ prosunt.* Sic etiam Plinius Valer. lib. 1. cap. 1.

16. *Nervos laxandos.*] In opisthotono, tetanove: de quibus morborum generibus dictum est sect. 24.

17. *Potu alvi dolores,* &c.] Ad verbum Marcellus Empir. cap. 27. pag. 194.

18. *Laurus Alexandrina,* &c.] Hæc Diosc. pariter, lib. 4. cap. 147. de radice laurus Alexandrinæ sed drachmarum sex, senûmve denariûm pondus adhibet.

19 *Mensesque.*] Galenus, lib. 6. de facult. simpl. med. pag. 169

20 *Eodem modo.*] Pari scilicet drachmarum pondere radice pota, daphnoides prodest ad secundas pellendas, mensesque educendos. Vide Notas & Emend. num. XXX.

21. *Sive his.*] Sive his lubet appellare nominibus, quæ diximus lib. 15. sect. 39.

22. *Pituitas extrahit,* &c.] Diosc. lib. 4. cap. 148. Idem lib. 1. Εὐπορ. cap. 5. eos qui diuturno capitis dolore infestantur, commanducare in primis jubet daphnoidis semen ad extrahendam pituitam: Διαμασσάσθω δὲ δαφνοειδοῦς σπέρμα, εἰς ἀποφλεγματισμόν. Apuleius, cap. 58 phlegmata intercidi illius esu scripsit.

23. *Stomacho.*] Apuleius, cap 58. *Si cymas ejus post cœnam ederis, digestionem stomacho tollis.*

24. *Sic & baccæ quinæ denæ.*] Sic MSS. Reg. Colb. &c. non *quinæ denæve*. Sic etiam Diosc. lib. 1. 148. ὅσον κόκκοι ιε' πινόμενοι.

Sect. LXXXI. 1. *Myrtus sativa.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 1. cap 155.

2. *Semen ejus.*] Diosc. loc. cit. Simeon Sethi, lib. de alimentis, tit. Μυρσινόκοκκον: & Plinius Valer. lib. 1. cap 64. Seminis nomine, ut sæpe monuimus, fructum Plinius, seu κόκκον intelligit.

3. *Odorem oris.*] Q. Serenus, cap. 15. pag. 134.

Lentiscus, myrtusque, emendant oris odorem.

4. *Synaristosæ.*] Edidit etiam Synaristosas Crates, teste Athenæo, lib 6 pag. 248. & Julio Polluce, lib. 6. cap 17. & inter Latinos poetas Cæcilius, teste A. Gellio. lib. 15. cap. 15. Συναριστώσαι, *Feminæ simul prandentes*, ejus fabulæ titulus fuit. Risum Ortelius movet, qui loci id vel oppidi nomen esse putat, in Thesauro Geographico.

5. *Datur & dysentericis.*] Simeon Sethi, loc. cit. Inter ea quæ alvum adstringunt, myrta Celsus annumerat, lib. 2. cap. 30.

6. *Hulcera,* &c] Diosc. loc. cit.

7. *Imponitur.*] Diosc. loc. cit.

8. *Et cardiacis.*] Plinius Valer. lib. cap. 21. & Diosc. loc. cit.

9. *Et ægilopas.*] Diosc. loc. cit.

10. *Succus seminis.*] Succus e semine, seu e virentibus baccis expressus: nam & hunc ὀμφακίτην Dioscorides ait esse.

11. *Et contra phalangia.*] Diosc. loc. cit.

12. *Capillum.*] Diosc loc. cit. *Seminis decoctum capillos tingit.* Καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ τοῦ καρποῦ βάπτει τρίχας.

13. *Inveteratum sistit,* &c.] Cato, de re rust. cap. 125. pag. 66. ex cujus verbis murteum vinum descripsimus, lib. 15. sect. 37. *Id est*, inquit, *ad alvum crudam, & ad lateris dolorem, & ad cœliacum.* Vide & Diosc lib. 5. cap. 36.

14. *Foliorum.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 21. & Celsus, lib. 3. cap. 19. totidem verbis.

15. *Utilis,* &c.] Diosc. lib. 1. cap. 155.

otu, capillis fluentibus, furfuribus: [16] item aliis eruptionibus, ambustis. [17] Additur quoque in medicamento, quod liparas vocant, eadem de causa [18] qua oleum ex his, efficacissimum ad ea quæ in humore sunt, tamquam in ore & vulva. Folia ipsa fungis adversantur trita ex vino, cum cera vero articularibus morbis & collectionibus. [19] Eadem in vino decocta dysentericis & hydropicis potui dantur. Siccantur in farinam, quæ inspergitur hulceribus, aut hæmorrhagiæ. [20] Purgant & lentigines, pterygia, & paronychias, & epinyctidas, condylomata, testes, tetra hulcera: [21] item ambusta cum cerato. [22] Ad aures purulentas & foliis crematis utuntur, & succo, & decocto. Comburuntur & in antidota. Item cauliculi flore decerpti, in novo fictili operto cremati in furno, dein triti ex vino. [23] Et ambustis foliorum cinis medetur. [24] Inguen ne intumescat ex hulcere, satis est surculum tantum myrti habere secum, non ferro nec terra contactum.

LXXXII. [1] Myrtidanum diximus quomodo fieret. Vulvæ prodest, appositu, fotu, & illitu. [2] Multo efficacius & cortice, & folio, & semine. [3] Exprimitur & foliis succus mollissimis [4] in pila tusis, affuso paulatim vino austero, alias aqua cælesti: atque ita expresso utuntur ad oris sedisque hulcera, vulvæ, & ventris: capillorum nigritiam, [5] malarum perfusiones, purgationes lentiginum, & ubi constringendum aliquid est.

LXXXIII. [1] Myrtus silvestris, sive oxymyrsine, sive chamæmyrsine, baccis rubentibus & brevitate a sativa distat. [2] Radix ejus in honore est, decocta vino, ad renum dolores pota, & difficili urinæ, præcipueque crassæ, & graveolenti: morbo regio, & vulvarum purgationi trita cum vino. Cauliculi quoque incipientes asparagorum modo in cibo sumpti, & in cinere cocti. [3] Semen cum vino potum, aut oleo, aut aceto, calculos frangit. Item in aceto & rosaceo tritum, capitis dolores sedat: & porum, morbum regium. [4] Castor oxymyrsinen myrti foliis acutis, ex qua fiunt ruri scopæ, ruscum vocavit, ad eosdem usus. Et hactenus habent se medicinæ urbanarum arborum. Transeamus ad silvestres.

NOTÆ.

16. *Item aliis.*] Diosc. papularum eruptiones dixit, ἐξανθήματα.

17. *Additur quoque.*] Diosc. loc. cit. Μίγνυται δὲ καὶ λιπαροῖς, &c. *Lenia quædam emplastra*, inquit Celsus, lib. 5. cap. 19. *quas λιπαρὰς fere Græci nominant*: sic dicta videlicet quod adipum, pinguedinum, oleorumque mixtura constant.

18. *Qua oleum ex his.*] Subintellige, qua oleum ex foliis arentibus in eadem medicamenta additur. Celsus loco citato, olei cicini myrteique heminas lenibus emplastris admiscet, quæ liparas vocant.

19. *Eadem in vino.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 28. & lib. 3. cap. 12.

20. *Purgant & lentigines*, &c.] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 1. cap. 155. Sed lentigines Plinius, ἀλφοὺς vitiligines Græcus auctor nominat. De paronychiis idem testatur & Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 30. De lentiginibus, seu maculis albis ac nigris, idem cap. 32.

21. *Item ambusta*, &c.] Diosc. loc. cit.

22. *Ad aures*, &c.] Diosc. loc. cit.

23. *Et ambustis.*] Diosc. loc. cit.

24. *Inguen*, &c.] Plinius Valer. lib. 2. cap. 43. & Marcellus Empir. cap. 32. pag. 225. ad verbum.

Sect. LXXXII. 1. *Myrtidanum diximus.*] libro 24. sect. 19.

2. *Multo efficacius.*] Efficacius ait myrtidanum esse, quam sit vel cortex, vel folium, fructusve myrti per se. Ita de suo pariter myrtidano Dioscorides prodidit, lib. 1. cap. 156.

3. *Exprimitur.*] Diosc. lib. 1. cap. 155.

4. *In pila.*] In mortario.

5. *Malarum.*] *Alarum* alii, alii *mamillarum* malunt.

Sect. LXXXIII. 1. *Myrtus silvestris.*] Ruscum intelligit, non veram myrtum. Κεντρομυρσίνη a Theophr. dicitur, lib. 3. hist. cap. 17. Aliis ὀξυμυρσίνη, quod foliis sit spinosis, alioqui myrto proximis. A Diosc. lib. 4. cap. 146. μυρσίνη ἀγρία, ἡ ὀξυμυρσίνη. Et in Nothis: οἱ δὲ ἱερομυρτον, οἱ δὲ ὀξυμυρσίνη .... οἱ δὲ χαμαιμύρτη ... Ῥωμαῖοι ῥοῦσκουμ. Officinis Bruscus. Pingitur a Dodonæo, pag. 732. Gallis, *du Brusc.*

2. *Radix ejus.*] Iisdem fere verbis, sed minus accurate paulo, medicinæ eæ omnes e silvestri myrto petitæ, a Dioscoride traduntur, loc. cit.

3. *Semen cum vino.*] Q. Serenus, cap. 33. *de vesica & calculo purgando*, pag. 146.

Præterea semen myrti silvestris Iaccho,
Atque oleo mixtum bibitur: nec desit acetum.

4. *Castor .... ruscum vocavit.*] Et recte is quidem, ut diximus. Neque enim oxymyrsine Græcorum quidquam a rusco distat.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXIII.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 2. I. NEC *curvo laboranda, sed se se porrigentia ultro.*] In libris ad hunc diem vulgatis, *Nec curvo adoranda aratro, nec cura laboranda, sed se se,* &c. Quo in contextu verborum, quid interpolatorum conjectura præstiterit, liquet: adjectis nempe vocibus iis, *nec cura laboranda*, quæ priorum vicem supplerent, plane affinium, *nec curvo adoranda:* & *aratro* præterea addito: quarum vocum in exemplaribus vetustis, nec vola, ut aiunt, nec vestigium. In Reg. 1. *Nec curvo adoranda, sed se se,* &c. Reg. 2. *nec cura laboranda*: hoc tantum.

Sect. 4. II. *Cicatricibus marcidis, ossibus purulente limosis.*] Quid sint ossa purulente limosa, fateor me nondum intelligere: nec de mendo tamen quod hic lateat, admonent codices MSS. Verum cum apud Diosc. lib. 5. cap. 6. ubi pares de omphacio medicinæ traduntur, legere me meminerim, post cicatrices, vel gingivas potius, ut dixi, marcidas, statim aures purulentas subjici, οὖλα πλαδαρά, ὦτα πυοῤῥοοῦντα, nullus fere dubito, quin *auribus purulente limosis* scripsisse Plinium existimandum sit.

Sect. 5. III. *Ideo & oris hulceribus, & verendis, ac sedi, cum melle & croco. Alvum sistit.*] Sic locus hic interpungendus est, non uti prius, *verendis, ac sedi. Cum melle & croco alvum sistit.* Nam per se potam œnantheo alvum sistere, cum melle & croco verendis, similibusque hulceribus imponi pro cataplasmate, auctor est Diosc. lib. 5. cap. 5. Πινομένη .... κοιλίαν ἱστησι ..., Καταπλασσομένη τε ἐπιτήδειος, καὶ τῶν ἐν στόματι ἑλκῶν, καὶ νομῶν τῶν ἐν αἰδοίοις, σὺν μέλιτι, καὶ κρόκῳ, καὶ ῥοδίνῳ, καὶ ἐλαίῳ λειανθεῖσα.

Sect. 6. IV. *Recentes stomachum & spiritum inflant, alvumque turbant.* In MSS. Reg. Colb. Chiffl. &c. *spiritum inflatione* legitur. Libentius inde agnoverim, *stomachum spiritus inflatione, alvumque turbant.* Diosc. lib. 5. cap. 3. Ἡ δὲ πρόσφατος πνευματικὴ κοιλίας, καὶ ταρακτικὴ στόμαχου.

Sect. 12. V. *Sanat epinyctidas & ceria, & dysenteriam cum suis nucleis.*] Voculam hanc, *& ceria*, hoc est, favos, de quibus lib. 20. sect. 6. addidimus admonitu codicum Reg. Colb. &c. in quibus *& ceteras*, & *seria* legitur: tum vero maxime Dioscoride ipso suffragante, cujus hæc verba Plinianis plane paria sunt. lib. 5. cap. 4. Ἐπινυκτίδας δὲ, καὶ ἀνθρακας, καὶ κηρία ... γαγγραίνας ἰᾶται λεία σὺν πηγάνῳ ἐπιτεθεῖσα. Quibus ille verbis monet sine nucleis uvam passam his morborum generibus adhibendam: uti dysenteriæ contra paulo antea cum nucleis jussit edi: Καὶ δυσεντερικοῖς σὺν τοῖς γιγάρτοις, ἐσθιομένη καθ' ἑαυτήν. Quæ omnia nostram emendationem egregie constabiliunt.

Sect. 14. VI. *Et varos; coxendicum & lumborum vitiis ... prosunt.*] Secuti sumus fidem exemplarium MSS. Reg. Colb. &c. neglecta librorum, qui sunt hactenus editi, scriptura, quæ erat ejuscemodi: *Et variis coxendicum & lumborum vitiis.* Dioscor. lib. 4. cap. 181. Ἀπολεαίνουσι καὶ πᾶσαν σπίλον, *omnem maculam in facie expurgant.* Est autem varus, ut alibi diximus, macula in facie.

Sect. 16. VII. *Et ipsa autem largior aliquanto sensus purgat.*] Ni codicum manu exaratorum consensus obstaret, qui hanc lectionem pertinaciter tuentur, scriberem intrepide *sensus turbat*: tum ita, ut quidem videtur, postulante sententia: ut cum prius opitulari mente commotis, & vertigine laborantibus dixerit, nunc largiorem usum ejus cavendum admoneat, ne sensum perturbet: cum vero Dioscoride, lib. 4. cap. 184. de bryonia similiter tradente, ταράττειν δὲ σφόδρα τὴν διάνοιαν. Et auctor libelli, qui Kiranidum Kiranis falso inscribitur, pag. 13. *Turbat autem ventrem, & sensum, & apposita quoque secundinam educit,* &c.

Sect. 17. VIII. *Flemina, aut sanguinem, qui se ad talos dejecerit.*] Decurtatum hunc locum Barbarus, & conclamatum putavit. In libris vulgatis, *phlegma, aut sanguinem qui se ad talos dejecerit.* Ubi Dalecampius, *in podagra*, inquit, *& articulari morbo.* Egregium vero medicum. *Flemina*, non *phlegma* legi oportuit, ex MSS. Reg. Colb. aliisque: & quid essent flemina, tum ex Plinio, tum ex Festo, Caproque, tum ex Plauto discere. Festus enim: *Flemina*, inquit, *dicuntur, cum ex labore viæ sanguis defluit circa talos.* Et Caper Grammaticus, de orthogr. *Flemina est, ubi abundant crura sanguine. Flemina, cum in manibus vel in pedibus callosi sunt sulci.* Plautus, Epid. act. 5. sc. 1. vers. 5.

> *Dico ego tibi jam, ut scias,*
> *Alium tibi te comitem melius quærere: ita, dum te sequor,*
> *Lassitudine invaserunt misero in genua flemina.*

Rursumque in Pseud. act. 4. sc. 7. vers. 92. & Pœn. act. 3. sc. 1. vers. 67. Quin etiam, vel si *plegma* hoc loco Plinius, non *flemina* diceret, de alio morbo, quam de podagra, accipi hoc a Dalecampio oportuit: nempe pro eo quem alio nomine Latini boam vocavere, auctore Festo: *Boa*, inquit, *crurum tumor via labore collectus appellatur*, unde hæc ipsa ei qui eo morbo tenetur, hæsit appellatio. Glossarium vetus, *Boa*, ἡ τῶν ποδῶν φλεγμονή.

Sect. 22. IX. *Jam & patres familias ætatem addi his, quæ per se cariem traxere.*] Hoc est, sine fumo. Ita legi oportere non modo codices Reg. Colb. Chiffl. suadent, sed & ipsa loci sententia, cujus acumen Dalecampium fugit. Contrario plane sensu in libris vulgatis hactenus legebatur, *ætatem ademere his.*

Sect. 23. X. *Vinum jejunos bibere, novitio invento, inutilissimum est curis, vigoremque animi ad procinctum tendentibus.*] Hunc locum summa fide repræsentamus totidem apicibus ac syllabis, quot in codd. Reg. & Colb. vidimus: ferme ipsa orationis ita legi postulante. Corruperant mirum in modum interpolatores, hoc modo: *inutilissimum est. Curas vigoremque animi impedit ad procinctum* &c. Ceterum hunc morem carpit auctor, inventumque novitium, quod superius attigit, lib. 14. sect. 28. *Tiberio Claudio Principe ante hos annos XL. institutum, ut jejuni biberent, potusque vini antecederet cibos*: &c. Extremo Tiberii anno id excogitatum indicat. De hoc Tiberiani ævi, consequentiumque temporum more, Plutarchus, lib. 8. Sympos. quæst. 9. pag. 734. Μέγα δὲ καὶ τὸ τῶν ψυχρολουσιῶν ἀντιπράττον· οἱ γὰρ ὕδωρ οἱ παλαιοὶ πρὸ τοῦ τραγεῖν ἔπινον· οἱ δὲ νῦν ἄκρατον προεμπλησθέντες ἄσιτοι τῆς τροφῆς διαβρέχει τὸ σῶμα καὶ ζέοντι, λεπτὰ καὶ δριμέα καὶ ὀξέα προσφέροντες, ἐπίκεντρα τῆς ὀρέξεως &c. *Magnum etiam illud de prohibitionibus, quas vocant propomata. Nam antiqui ne aquam quidem biberunt ante quam edissent: nunc ante cibum vino oppleti, humectato ac fervescente corpore cibum aggrediuntur, tenuia & acuta & vi incidendi prædita ad appetitum excitandum ingerentes,* &c. Et hanc consuetudinem Juvenalis attingit, Satyr. 6. vers. 423.

> *Tandem illa venit rubicundula, totum*
> *Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna,*
> *Admotum pedibus: de quo sextarius alter*
> *Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.*

Quandoque pro vino mulsum ante cibos pariter præsumebant, teste Horatio, lib. 2. Satyr. 4. vers. 25.

> *Vacuis committere venis*
> *Nil nisi lene, decet: leni præcordia mulso*
> *Prolueris melius.*

Ibid. XI. *Itemque jugi superbibere. Ebrietatem quidem frigida potus extemplo discutit.*] Ita libri omnes MSS. Reg. Colb. Chiffl. non uti correctorum vitio vulgati præ se ferunt libri, obscura plane sententia: *Itemque jugi superbibere ebrietati quam quidem* &c. Vini perpotationi aquam superbibere utilissimum pariter censet Dioscor. lib. 5. cap. 11. Δεῖ μέντοι γε μετὰ τὴν οἴνωσιν ὕδωρ πίνειν, quoniam temulentiam discutit. Ne caput vina tentent, aquam superbibere & Galenus jubet, Comm. 3. de victus ratione in morbis acutis.

Sect. 26. XII. *Palmeum, capiti noxium, ventrique tantum molliendo, & sanguinem exscreantibus non inutile.*] Sic libri omnes, etiam manu exarati. Nihilominus Dioscoride, lib. 5. cap. 40. sic prodente, vino palmeo vim adstringendi competere, stomachicis idcirco, cœliacisque, & sanguinem exscreantibus esse peraccommodatum: Διὸ τοῖς ῥευματικοῖς, κοιλιακοῖς, καὶ αἱμοπτυικοῖς ἁρμόζει: Num potius legi in contextu Pliniano oporteat, *ventrique tantum molliendo*, vel

ventrique tantum morando, hoc est, sistendo, amplius considerandum est.

Sect. 17. XIII. *Oculis quoque illo modo saluberrimum fotu. Medetur pota hirudini.*] Nos hunc locum ex animi conjectura sanavimus, secuti vestigia veterum exemplarium, & eorum secuti qui sic interpolarant: *Oculis quoque illo modo saluberrimum. Plurimum fotu medetur post uredines.* Nam vox ea certe a MSS. abest, Reg. Colb. Chiffl. ceterisque, nec *uredines* ii, sed *hirudines* præ se ferunt. Et quod est sane momenti haud levioris, Dioscor. lib. 5. cap. 21. de aceto disputans ita scribit: Βδέλλας τε ἐκποθείσας ἐκρροφούμενον ἀναβάλλει. *Haustu voratas hirudines, si sorbeatur, ejicit.* Quo quidem loco nihil afferri opportunius potest, quod in rem nostram sit.

Sect. 19. XIV. *Salis marini pondo libram & quadrantem*] Prius legebatur, *Salis marini pondo, thymbræ quadrantem.* Verum in oxymelitos compositione, neque apud Dioscor. lib. 5. cap. 22. neque apud Plinium lib. 14 sect. 21. neque hoc ipso loco in codicibus ullis MSS. thymbræ ulla mentio est: sed *libram* omnes exhibent: Et est alioqui familiaris ea locutio Columellæ in primis, lib. 12. cap 33. *Scillæ*, inquit, *aridæ pondo libram & quadrantem adjici oportere.* Et cap. 35. *Pontici absinthii pondo libram.* Festo quoque: *Grave æs*, inquit, *dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium, ab hoc ipso numero dictum.* Ubi *libras* in casu gignendi est, ut alii ante nos viderunt.

Sect. 45. XV. *Ex Gnidio grano factum, eamdem vim habet, quam cicinum.*] Hic *cnecinum* Pintianus iterum inculcat pro *cicinum*, quod & aggredi ausus est, initio sectionis 41. Retunditur ea conjectura, non modo codicum omnium conspirante consensu, sed & Galeni calculo, eadem ac plane gemina cum Plinio afferentis, de oleo cicino, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 172. Τὸ δὲ κίκινον ἔλαιον ὑπάγει γαστέρα· τούτου δ' ἔτι μᾶλλον τὸ ἐκ τοῦ Κνιδίου κόκκου· καὶ τοῦτό γε μᾶλλον, ὅσῳ καὶ ὁ κόκκος αὐτοῦ τοῦ κίκεως καθαρτικώτερος ὑπάρχει. *Oleum porro cicinum alvum subducit: multo vero magis quod fit ex Cnidio grano: cum granum vehementiorem purgandi vim obtineat quam cici.*

Ibid. XVI. *Balaninum oleum repurgat varos, furunculos, lentigines, gingivas.*] Et nunc tertium gingivas vertisse perperam Plinius videtur, pro cicatricibus, ut jam ante sect. 4. ac 13. monuimus. Nam Dioscorides, qui eadem Græce tradit, lib. 1. cap 40. περὶ βαλανίνου ἐλαίου. Δύναμιν δὲ, inquit, ἔχει σμηκτικὴν σπίλων, φακῶν, ἰόνθων, οὐλῶν μελάνσεως. *Vim habet repurgandi maculas, lentigines, varos, cicatricumque nigritias.* Sic idem Dioscor. lib. 4. cap. 154. οὐλὰς μελαίνας dixit *cicatrices nigras.* Οὖλα itaque neutro genere, & in priore syllaba servato accentu, quo gingivas significet, Plinius legit: rectene an secus, medicorum filii dijudicent.

Sect. 51. XVII. *Pissino oleo usus & passim ad quadrupedum scabiem est.*] Sic libri editi, cum Regio cod. 1. At in Reg. 2. & Chiffl. *Pissino oleo usus ad tussim & quadrupedum scabiem est.* Forte sincerius: Dioscorides enim lib. 1. cap. 95. de pissini olei viribus disserens, uno verbo extulit, facere illud ad eadem omnia, ad quæ liquida pix adhiberetur. At capite superiore de ea ipsa agens, valere ad tussim, suspiria, purulentasque exscreationes dixit: ut *ad tussim* idcirco huic loco accommodatius, quam *& passim* videatur.

Sect. 54. XVIII. *Lanugo eorum carbunculos sanat. Cocta in vino, & illita cum cera, alopecis capillum reddunt*] Vitiosa interpunctione laborabat hic locus: *Lanugo eorum carbunculos sanat, cocta in vino & illita cum cera. Alopeciis capillum reddunt.* Quamobrem Dalecampius *reddit* arbitratur commodius quam *reddunt* hoc loco legi: ut ad lanuginem sententia ea spectet, non ad ipsa mala. Verum præter codicum Reg. Colbert. ceterorumque auctoritatem, conjecturam eam pessumdant auctores duo, qui e Plinianis fontibus areolas suas rigarunt. Marcellus Empir. cap. 6. pag. 46. *Cydonia mala*, inquit, *discocta cum vino, deinde trita, ceraque liquefacta addita, & capitis imposita, capillum nutriunt.* Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 6. *Cydonia cocta ex vino, & cum cera trita & illita, capillos restituunt.*

Sect. 57. XIX. *Expetitur gravidarum malacia, quoniam gustatu moveat infantem.*] Sic omnes vulgati, manuque exarati codices conspirante consensu. Joan. Jac. Chiffl. lib. 2. Dædalm. cap. 5. pag. 37. ait avunculi sui fuisse conjecturam, scribi oportere, *quoniam gustatu moveat famem.* Qua conjectura ipse damnata legendum monet, *quanquam gustatu moveat infantem.* Ut hæc sit loci sententia: Licet ob gulæ fastidium gravidis expetatur, ut & alia absurdiora; hoc tamen inde sequi periculum, quod malicorium si sumant, movetur infans, hoc est, sequitur abortus. Theodorum deinde Priscianum laudat, lib. 3. de passionibus mulierum, cap. 6. de abortivis: ubi succo mali granati vim parem ait excludendi fetus, ac dictamno, tribui. At neque quidquam ejusmodi Theodorus habet: nec movere infantem in contextu Pliniano, expelli abortu sonat, sed excitari leniter, ne torpescat.

Sect. 58. XX. *Punicum in olla nova, coperculo inlito.*] Prius, *operculo indito* legebatur. Nos exemplaria maxime probata secuti sumus, Reg. 1. 2. Colb. Chiffl. auctoresque idoneos: Marcellum Empir. cap 27. pag. 196. *Malum Punicum*, inquit, *in olla gypsata clausum, in furno combures, & postea diligenter teres, atque in pulverem tenuissimum rediges, quem repones & paratum habebis: & cum opus fuerit, ad subitas torsiones cum vini potione detur.* Plinium Valer. lib. 4. cap. 40. *Alvum fluentem miro modo sistit Punicum in olla nova cooperculo illito in furno excoctum, & in pulverem redactum, & in vini potionem perductum.*

Sect. 63. XXI. *Utile & decocto earum fovere feminas.*] Quærit Gronovius, annon *fovere femina* sit legi satius. Dioscoridem si legisset, non quæreret. Is enim lib. 1. cap. 183. de ficis agens: *Ipsarum decoctum*, inquit, *cataplasmatis ex hordeacea farina miscetur, itemque in muliebres fotus, cum feno Græco aut ptisana.* Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῶν . . . . καὶ εἰς τὰς ἐμβάσεις μίγνυται, καὶ εἰς γυναικείας πυρίας μετὰ τήλεως ἢ πτισάνης.

Ibid. XXII. *Cinis non ex alia arbore acrior: purgat, conglutinat, replet, &c.*] Ita locum hunc restituimus admonitu cod. Reg. 2. & quos Pintianus vidit: cum sic vulgati præ se ferant: *Cinis ex alia arbore aciem purgat acrior*, &c. inculcata temere vocula *aciem*, quæ commodum efficere hoc loco sensum nullum potest. Nam de cute purganda in hulcerum medicina, de conglutinanda, replendaque agitur. Dioscor. lib. 1. cap. 186. ubi de cinere crematorum cauliculorum ficus: Ἁρμόζει δὲ καὶ πρὸς τὰ καυστικὰ, καὶ γαγγραινουμένων ἀνακαθαίρει γὰρ καὶ ἀναλίσκει τὰ ὑπερέχοντα. Et infra: Καθαίρει γὰρ, καὶ κολλᾷ, καὶ σαρκοῖ, καὶ στύφει ἰσοδύναμα τοῖς ἐναίμοις. *Utilis est ad medicamenta caustica, & prodest cutis gangræna tentatis: nam expurgat & consumit quæ excrescunt . . . . Etenim purgat, conglutinat, carne replet, & oras committit.*

Sect. 64. XXIII. *Corticem ejus impubescentem.*] Ita vulgati libri pariter, & manu exarati. Quid si *intumescentem* legas? Nam *impubescentem* illud, occasione vocis proxime subsequentis *puer impubis*, natum temere confictumque ab amanuensibus videtur. Et sane Plinius Valer. qui hunc locum expressit, lib. 3. cap. 29. *Caprifici corticem intumescentem*, inquit, *puer impubis si defracto ramo tollat dentibus, & medulla ipsa alligetur ante Solis ortum, prohibere strumas constat.* Intumescere porro corticem credimus in germinatione, quoniam tum prægnantium arborum rumpitur cortex, ut dictum est lib. 16. sect. 41.

Sect. 66. XXIV. *Ipsa pruna . . . . stomacho non utilissima, sed brevi momento.*] Hanc lectionem, quæ sane sincera est, Frobenius interpolavit, scribens, *stomacho vero utilissima*: reclamantibus licet editionibus vetustis, Parmensi, ceterisque: nec MSS. ullis codicibus secundis, nam omnes ii quos videre licuit, Reg. & Colb. *non utilissima* præ se ferunt: itaque postulat loci sententia, qua nocere stomacho, sed ad breve tempus, pruna dicuntur. Sic paulo ante Plinius ipse de ficis: *Nec stomacho inutiles, sed ad breve tempus.* Atque eam ob rem Dioscor. lib. 1. cap. 174. pruna ait male habere stomachum, alvum mollire. Κοκκυμηλέα δένδρον ἐστὶ γνώριμον, οὗ ὁ καρπὸς ἐσθιόμενος, κακοστόμαχος, κοιλίας μαλακτικός.

Sect. 69. XXV. *Et in iis, & sativis prunis est limus arborum, quem Græci lichena appellant, rhagadiis . . . . utilis.*] Qui sunt animo in Plinium minus æquo, deceptum scriptorem Græci verbis, quæ Dioscorides retulit, lib. 1. cap. 174. nec quid legeret intellexisse, arbitrantur: Τὸ δὲ κόμμι τῆς κοκκυμηλέας . . . . σὺν ὄξει ἐπιχριόμενον, λειχῆνας τοὺς ἐπὶ παιδίων θεραπεύει. *Gummi prunorum ex aceto illitum lichenas infantium sanat.* Quo vero ejusmodi homines calumniandi libido, aut verius furor abripit, ut tam parum cohærentia proferant? Gummi prunorum lichenas sanari Græcus scriptor prodidit: & idoneum id argumentum putant, quo probent, lichenis nomen temere derivatum a Plinio in muscum limumve, qui prunis adhæret. Quid vero vetat id et musco nomen inditum fuisse, ut musco alteri, qui petris adhærescit, quo lichenes ipsi sanantur, hanc ipsam lichenis nomenclationem attributam esse, Dioscorides ipse asseverat, lib. 4. cap. 53. An si quid Plinius affert in medium, quod Dioscoridi latuit, cadere debet in eum erroris alicujus justa suspicio? In Indice hujus loci, *De limo, sive lichene arborum*, plane legitur.

Sect. 70. XXVI. *Ipsa poma ad præsens utilia stomacho.*] Sincerius fortasse videatur, *inutilia.* Nam & Diosc. lib. 1. cap 180. κακοστόμαχα mora vocat: & vox ea *ad præsens* eamdem sententiam præ se fert, atque hæc de prunis ficisque oratio, superioribus sectionibus. *Nec stomacho inutiles fici, sed ad breve tempus. Ipsa pruna stomacho non utilissima, sed brevi momento.*

Sect. 75. XXVII. *Et sanguinem sistunt, cum amylo & menta. Lethargicis &c.*] Præpostera interpunctione in libris ad hunc diem vulgatis laborabat hic locus, eo modo: *& sanguinem sistunt. Cum amylo & menta lethargicos &c.* Retexit errorem Dioscorides primum, lib. 1. cap 176. καὶ πρὸς αἵματος ἀναγωγὰς, μετὰ ἀμύλου καὶ ἡδυόσμου λαμβανόμενα. *Prosunt & ad sanguinis rejectionem, si cum amylo & menta sumantur.* Tum vero etiam ii qui e Plinianis sententiis suum opus consarcinarunt: Marcellus Empir. cap. 16. pag. 120. *Nuclei amygdalarum*, inquit, *triticum, amylon, & menta, trita, in qualibet potione utiliter ab hæmoptoicis vel empyicis hauriuntur.* Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 64. cui titulus est, *Sanguinem rejicientium curatio: Nuclei*, inquit, *amygdalarum cum amylo & mentastro devorantur.*

Ibid. XXVIII. *Recentes stomachum implent*] Etsi his verbis constat sententia, nihilominus an *stomachum deplent* legi sit sa-

tiut, confiderandum amplius videtur. Nam Diofc. lib. 1. cap. 176. amygdalas ait, quæ virides cum fuo putamine degluttiuntur, humida ftomachi vitia emendare: βρωθέντα δὲ σὺν τῷ λέπει τὰ ἀμύγδαλα χλωρὰ, στομάχου ὑγρότητα καθίστησι.

Sect. 17. XXIX. *Hoc minore tormento, & in cibis nuclei faciunt*] Perfpicua admodum, planaque fententia, quam librorum ad hunc diem editorum lectio impeditam reddebat, cum fic fcriberetur, *hocque minore momento, fed in cibis.* Emendationem Regio codici 2. debemus.

Sect. 80. XXX. *Secundas etiam pellit, menfesque. Eodem modo potæ Daphnoides ... prodeft.*] Prius legebatur, interpunctione præpoftera, *menfesque eodem modo pota. Daphnoides* &c. Emendationis auctor Diofcorides, lib. 4. cap. 148. Ἄγει δὲ καὶ τὸ φύλλον αὐτοῦ (de Daphnoide loquitur) ξηρὸν ἢ χλωρὸν ποθὲν καὶ κοιλίαν φλεγματώδη, κινεῖ δὲ ἐμέτους καὶ ἔμμηνα, καὶ πταρμικόν. Καθαίρει δὲ καὶ ὁ καρπὸς αὐτοῦ ὄντι κόκκοι ιε' πινόμενοι &c. Quæ funt Plinianis omnino gemina ac paria.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXIV.

CAP. I. I. NE silvæ quidem, horridiorque Naturæ facies, medicinis carent, sacra illa parente rerum omnium, nusquam non remedia disponente homini, ut medicina fieret etiam solitudo ipsa: sed ad singula illius discordiæ atque concordiæ miraculis occursantibus. [1] Quercus & olea tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depactæ moriantur: quercus vero & juxta nuceum juglandem. [2] Pernicialia & brassicæ cum vite odia: ipsum olus, quo vitis fugatur, adversum cyclamino & origano arescit. Quin & annosas jam, & quæ sternantur arbores, difficilius cædi, ac celerius inarescere tradunt, si prius manu, quam ferro, attingantur. [3] Pomorum oneta a jumentis statim sentiri: ac nisi prius ostendantur his, quamvis pauca portent, sudare illico. Ferulæ asinis gratissimo sunt in pabulo, ceteris vero jumentis præsentaneo veneno: qua de causa id animal Libero Patri assignatur, cui & ferula. [4] Surdis etiam rerum sua cuique sunt venena, ac minimis quoque. [5] Philyra coci & polline nimium salem cibi eximunt. Prædulcium fastidium sal temperat. Nitrosæ aut amaræ aquæ, polenta addita mitigantur, ut intra duas horas bibi possint. Qua de causa & [6] in faeces vinarios Rhodios additur polenta. [7] Similis vis Rhodiæ cretæ, & argillæ nostrati. [8] Concordia valent, cum pix oleo extrahitur, quando utrumque pinguis naturæ est. Oleum solum calci miscetur, quando utrumque aquas odit. Gummi aceto facilius eluitur, atramentum aqua. Innumera præterea alia, quæ suis locis dicentur assidue.

Hinc nata medicina. Hæc sola Naturæ placuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia, ac sine impendio, [9] & quibus vivimus. Postea fraudes hominum & ingeniorum capturæ officinas invenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. [10] Arabia atque India in medio æstimantur: hulcerique parvo medicina a Rubro mari [a] imputatur: cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet. Nam si ex horto petantur, aut herba vel frutex quæratur, [11] nulla artium vilior fiat. Ita est profecto: magnitudo populi Romani [12] perdidit ritus, vincendoque victi sumus. Paremus externis, & una artium Imperatoribus quoque [13] imperaverunt. Verum de his alias plura.

CAP. II. II. [1] Loton herbam, itemque Ægyptiam eodem nomine, alias & Syrticam arborem, diximus suis locis. [2] Hæc lotos, quæ faba Græca appellatur a nostris, [3] alvum baccis

INTERPRETATIO.

a *Imputatur.*] Assignatur.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Quercus & olea.*] Vide quæ in eam sententiam diximus, lib 17. sect. 30

2. *Pernicialia.*] Egimus de hoc vitis brassicæque odio, lib. 20 sect. 36.

3. *Pomorum onera.*] Superiore libro, sect. 62 *Mala piraque portata jumentis mire gravia sunt vel pauca. Remedio aiunt esse, si prius edenda dentur aliqua, aut utique ostendantur.*

4 *Surdis*] Sensus omnis expertibus.

5. *Philyra.*] Hoc est, tilia, quam Græci philuram vocant Etiamnum multis in locis rura nostra tiliæ foliis carnes salsas involvunt, ut salsuram diluant.

6. *In faeces vinarios.*] Quibus vinum saccatur, sive colatur, ut diximus lib. 14. sect 28.

7. *Similis vis.*] Ad aquas & vina mitiganda.

8. *Concordia valent.*] Concordia contra rerum intelligitur, ut cum pix oleo avellitur, quoniam utrumque pinguis naturæ est.

9. *Et quibus vivimus.*] Eadem sententia mox, *Cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet.* Nullus hic pecuniæ locus, uti visum est Pintiano: sed hortensibus tantum oleribus, fruticibusque obvius

10. *Arabia . . . in medio*] Vide Notas & Emendationes num. I.

11. *Nulla artium.*] Nulla magis vilesceret ars quam medicina.

12. *Perdidit ritus.*] Mores. Libro 29 sect. 8. *Illa perdidere imperii mores*, &c.

13 *Imperaverunt.*] Arte una sua externi medici Imperatoribus etiam nostris imperaverunt.

14. *Verum . . alias plura.*] Libro 29. a sect. 1. ad 9.

Sect. II. 1. *Loton . . . diximus suis locis.*] Libro 13. sect 32.

2. *Hæc lotos.*] Nostras, inquit, lotos, sive Italica. In Indice hujus loci, *De loto Italica*, *VI.* Egimus de ea, lib 13. sect. 32 Videtur esse λωτὸς Dioscoridis, lib 1. cap. 171.

3. *Alvum baccis.*] Fructu. Diosc. loc. cit. Καρπὸς ῥ φέρ...

sistit. Ramenta ligni decocta in vino prosunt dysentericis, menstruis, vertigini, comitialibus. [4] Cohibent & capillum. Mirum, his ramentis nihil esse amarius, fructuque dulcius. [5] Fit & e scobe ejus medicamentum, ex aqua myrti decocta, subacta, & divisa in pastillos, dysentericis utilissimum, pondere Victoriati cum aquæ cyathis tribus.

I I I. [1] Glans intrita duritias, quas cacoethes vocant, cum salsa axungia sanat. [2] Vehementiora sunt ligna, & in omnibus cortex ipse, corticique tunica subjecta. [3] Hæc decocta juvat cœliacos. Dysentericis etiam illinitur, vel ipsa glans. [4] Eademque resistit serpentium ictibus, rheumatismis, suppurationibus. Folia, & baccæ, vel cortex, vel succus decocti prosunt [5] contra toxica. [6] Cortex illinitur decoctus lacte vaccino, serpentis plagæ. Datur & ex vino dysentericis. [7] Eadem & ilici vis. (5 CAP. III. — 10)

I V. [1] Coccum ilicis vulneribus recentibus ex aceto imponitur. Epiphoris ex aqua, & oculis suffusis sanguine, instillatur. Est autem genus ex eo in Attica fere & Asia nascens, celerrime in vermiculum se mutans, quod ideo [2] scolecion vocant, improbantque. [3] Principalia ejus genera diximus. (CAP. IV.)

V. [1] Nec pauciora gallæ genera fecimus, solidam, perforatam: item albam, nigram, majorem, minorem. Vis omnium similis. Optima Commagena. [2] Excrescentia in corpore tollunt. [3] Prosunt ginvivis, uvæ, oris exhulcerationi. [4] Crematæ & in vino extinctæ, cœliacis, dysentericis illinuntur. [5] Paronychiis ex melle, & unguibus scabris, pterygiis, hulceribus manantibus, condylomatis, vulneribus quæ phagedænica vocantur. [6] In vino autem decoctæ auribus instillantur, [7] oculis illinuntur: [8] adversus eruptiones, & panos cum aceto. [9] Nucleus commanducatus dentium dolorem sedat: [10] item intertrigines, & ambusta. Immaturæ ex his ex aceto potæ, lienem consumunt. [11] Eædem crematæ, & aceto salso extinctæ, menses sistunt, vulvasque procidentes fotu. [12] Omnis capillos denigrat. (15 — 20)

V I. [1] Viscum e robore præcipuum diximus haberi, [2] & quo conficeretur modo. [3] Quidam contusum in aqua decoquunt, [4] donec innatet. [5] Quidam commanducantes acinos, exspuunt cortices. [6] Optimum est, quod sine cortice est, quodque levissimum, extra fulvum, intus porraceum, quo nihil est glutinosius. [7] Emollit, discutit tumores, [8] sic- (25)

Notæ.

γλώσσαι, βράσσει, ἀσίμαχον, κοιλίας στύφουσι. Τῶν δὲ πρινῶν τὰ ξύλα ἀφέψημα πινόμενα καὶ ἐγκλυζόμενα, ὠφελεῖ δυσεντερικοῖς καὶ γυναιξὶ ῥοϊκαῖς. Σμήχεται δὲ καὶ τρίχας, πρὶν ἐπέχει ῥεούσας. Quibus sunt plane paria ac gemina quæ Plinius de sua loto affert: & quæ Galenus, lib. 7. de facult. simp. med. pag. 205.

4. *Cohibent.*] Defluentem continent. Diosc. & Galenus, locis citatis.

5. *Fit & e scobe.*] Ita fere Marcellus Empir. cap. 27. pag. 195.

Sect. I I I. 1. *Glans intrita.*] Diosc. lib. cap. 143 περὶ βαλάνων, *de glandibus.* Σὺν στέατι δὲ χοιρείῳ ἀλεσθεῖσαι τὰς κακοήθεις σκληρίας καὶ κεκακωμένα ἕλκη ἀρμόζουσι. Marcellus Empir. cap. 22. 4. pag. 42. *Glandes de robore trita cum axungia, & imposita, duritias quas cacoethes medici vocant, emendant, & reprimunt.* Et Plinius Valer. lib 3. cap 22. *Glans roborea trita cum axungia, duritias quas κακοήθεις vocant, & evocat, & emendat.*

2. *Vehementiora.*] Hoc est, magis adstringentia. Dioscor. lib. 1. cap. 142 hæc totidem verbis habet.

3. *Hæc decocta.*] Dioscor. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 27 pag 188. *Glandes quercinæ tres aut quatuor, vel ejusdem folia, vel liber ejus, coctus ex aqua: quæ vel sola, vel cum vino, torminosis potui data plurimum prodest.* Torminosos sæpe dysentericos vocat.

4. *Eademque.*] Glans videlicet quam Dioscorides quoque, lib. 1. cap. 143, esitatam ait resistere venenatorum ictibus: crudam & intritam, inflammationibus, ex quibus suppurationes fieri solent, illitu mederi.

5. *Contra toxica.*] Et baccarum, seu glandium, & corticis pariter decoctum valere adversus toxica, scribit Diosc. loc. cit. & quidem bibitum ex lacte vaccino.

6. *Cortex*] Illini per se sine lacte Dioscor. loc. cit. suadet.

7. *Eadem & ilici vis*] Ad omnia supradicta. Diosc. lib. 1. cap. 144.

Sect. I V. 1 *Coccum ilicis.*] Hanc quoque in eo medendi vim Dioscorides agnoscit, lib. 4 cap 48. Δύναμιν δὲ ἔχει συνθετικήν, αἱμοστατικὴν τραυμάτων, καὶ νεύρων τρώσεσι, λεία μετ᾽ ὄξους καταπλασσομένη.

2. *Scolecion vocant.*] Σκωλήκιον, quæ vox Græce vermiculum sonat.

3 *Principalia . . . diximus*] Libro 16. sect 12.

Sect. V 1. *Nec pauciora . . . fecimus.*] Libro 16. sect. 9.

2. *Excrescentia.*] Dioscor. lib 1. cap. 146. Στέλλουσι δὲ καὶ τὰς ὑπερσαρκώσεις: *Excrescentia in carne trita cohibent.*

3. *Prosunt &c.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 14 pag 99. *Gallæ tritæ pulvere uva contacta eodem die resilit, si tertio interjectis horis medicamentum fuerit appositum.*

4. *Cremata.*] Diosc. loc. cit. Et Marcellus Empir. cap. 27. pag. 193. *Galla Commagena comburitur, & cinis ejus extinguitur vino, contritusque ventri cœliaci inlinitur: statim subvenit.* Iisdem verbis, & Plinius Valer. lib. 2. cap 28.

5. *Paronychiis.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 30. *Paronychiis thuris masculi pulvis cum melle mixtus medebitur. Sic etiam gallarum.*

6. *In vino autem.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag 80. *Gallæ ex vino decoctæ humor instillatus auriculæ, ex qua sanies fluit, etiam quæ fuerint purulenta purgabit.*

7. *Oculis illinuntur*] Marcellus Empir. cap. 8. pag 57. *Gallæ contrita, itemque pari modo pulvis, vino permixtus, & frontis inlitus, tumorem oculorum, doloremque sedat.*

8. *Adversus eruptiones.*] Ἐξανθήματα, eruptiones, pustulas, papulas, papularum & pituitæ eruptiones, Plinius promiscue vocat. Et Theod Priscianus, lib. 1. cap. 16. de papulis minutis ubique nascentibus. *Quibus in facie quam maxime, velut levissimus tumor repente innascitur, humorem aliquando pinguem, aliquando aquatiorem mittens,* &c. Et mox: *Si vero veluti exanthemata, quæ scabies dicimus, in facie vel genis, ex humorum acredine, vel plenitudine apparuerint,* &c.

9. *Nucleus.*] Rotundus nimirum & interior gallæ globus. Dioscor lib. 1. cap. 146. Τὸ δὲ μέσον αὐτῆς. Marcellus Empir. cap. 12. pag. 95. *Nucleus gallæ commanducatus medetur dolori humorique dentium.*

10. *Item intertrigines.*] Marcellus idem, cap. 32. pag. 225. *Gallæ contusa & in vino coctæ, atque impositæ, intertrigini plurimum prosunt.*

11. *Eadem cremata.*] Hæc Dioscor. totidem verbis, lib. 1. cap. 146.

12. *Omnis.*] Dioscor. loc. cit. Μελαίνουσι δὲ τρίχας, ἀποβρεχθεῖσαι ἐν ὄξει ἢ ὕδατι.

Sect. V I. 1. *Viscum . . . diximus.*] Libro 16. sect. 91. & 93.

2. *Et quo conficeretur.*] Libro 16. sect 94.

3 *Quidam contusum*] Diosc. lib. 3. cap 103.

4. *Donec innatet.*] Ita Reg 1. At Reg. 2. & Chiffl. *donec nihil innatet.*

5. *Quidam commanducantes.*] Diosc. loc. cit. Ἔνιοι δὲ μασώμενοι αὐτὸν ἐργάζονται.

6. *Optimum est.*] Optimum censet Diosc. loc. cit. quod recens est, intus coloris porracei, extra fulvi: vel, ut Oribasii interpres ait, flavescentis. (Græce ὑπόξανθος dicitur:) quodque nihil asperi habet, aut furfuracei.

7. *Emollit &c.*] Dioscor. loc. cit & Plinius Valer. lib. 3. cap 35.

8. *Siccat strumas.*] Q. Serenus, cap. 41. *de struma depellenda*, pag. 151.

Proderit & mansum quod traxeris arbore viscum.

cat strumas. [9] Cum resina & cera panos mitigat omnis generis. Quidam & galbanum adjiciunt, pari pondere singulorum: eoque modo & ad vulnera utuntur. Unguium scabritias expolit, si septenis diebus solvantur, nitroque colluantur. [10] Quidam id religione efficacius fieri putant, prima Luna collectum e robore sine ferro. Si terram non attigit, comitialibus mederi. Conceptum feminarum adjuvare, si omnino secum habeant. [11] Hulcera commanducato impositoque efficacissime sanari.

VII. [1] Roboris pilulæ ex adipe ursino alopecias capillo replent. Cerri folia, & cortex, & glans, siccat collectiones suppurationesque: fluxiones sistit. Torpentes membrorum partes corroborat decoctum ejus fotu: cui & insidere expedit, siccandis adstringendisve partibus. Radix cerri adversatur scorpionibus.

VIII. [1] Suberis cortex tritus, ex aqua calida potus, sanguinem fluentem [2] ex utralibet parte sistit. [3] Ejusdem cinis ex vino calido, sanguinem exscreantibus magnopere laudatur.

CAP. V. IX. [1] Fagi folia manducantur in gingivarum labiorumque vitiis. [2] Calculis glandis faginex cinis illinitur: [3] item cum melle alopeciis.

X. Cupressi folia trita serpentium ictibus imponuntur: [1] & capiti cum polenta, si a Sole doleat: [2] item ramici: qua de causa & bibuntur. Testium quoque tumori cum cera illinuntur. [3] Capillum denigrant ex aceto. [4] Eadem trita cum duabus partibus panis mollis, & e [5] vino ammineo subacta, pedum ac nervorum dolores sedant. [6] Pilulæ adversus serpentium ictus bibuntur, [7] aut si ejiciatur sanguis: collectionibus illinuntur. [8] Ramici quoque teneræ tusæ cum axungia & lomento, prosunt. [9] Bibuntur ex eadem causa. Parotidi & strumæ cum farina imponuntur. Exprimitur succus tusis cum semine, qui mixtus oleo caliginem oculorum aufert. Item Victoriati pondere in vino potus illitusque cum fico sicca pingui, exemptis granis, vitia testium sanat, tumores discutit: & cum fermento strumas. [10] Radix cum foliis trita potaque, vesicæ & stranguriæ medetur: & [11] contra phalangia. Ramenta pota menses cient, scorpionum ictibus adversantur.

XI. Cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, [1] quæ cedria vocatur, [2] den-

NOTÆ.

9. *Cum resina &c.*] Dioscor. loco citato.

10. *Quidam id religione.*] Sexta Luna Gallorum Druides religiosius colligi putarunt, teste Plinio, lib. 16. extremo, fecunditatem facere tum omni animali existimantes, scilicet potu, non amuleto, ut hunc gestari præcipitur.

11. *Hulcera.*] *Hulcera vetera, malignosque abscessus cum thure mollit*, inquit, Diosc. loc. cit. Σὺν λιβανωτῷ δὲ ἕλκη παλαιὰ & κακοήθη [illegible] μαλάσσει.

Sect. VII. 1. *Roboris pilulæ.*] Iisdem verbis Marcellus Empir. cap. 6. pag. 46. Q. Serenus, cap. 9. *de fluore capillorum*, pag. 130.

Roboreasve pilas ursino jungeto sevo, &c.

Sect. VIII. 1. *Suberis cortex.*] Q. Serenus, cap. 35. pag. 148.

Sed quacumque fluit vis immoderata cruoris,
Subereus cortex calidis potatur in undis,
Ante minutatim, studio tondente, terendus.

2. *Ex utralibet parte.*] Hoc est, sive e vulva profluat, sive e naribus.

3. *Ejusdem cinis.*] Q. Serenus, cap. 22. *de rejectione sanguinis restringenda*, pag. 139.

Uritur interdum raptim de subere cortex,
Et cinis ex calido prodest epota Lyæo.

Sic enim legi hunc locum oportere ex Plinio liquet: non *de robore cortex*: Et cinis Italico.

Sect. IX. 1. *Fagi folia.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 29. & Marcellus Empir. cap. 9. pag. 88.

2. *Calculis.*] Ita Reg. 2. codex, aliique. In Reg. 2. *Cauculis*: unde quidam *oculis* legi malunt, cum Hieron. Mercuriali: *callis* alii, cum Guillandino. Alii *calyculis*: nos *calculis* malumus.

3. *Item cum melle.*] Marcellus Empir. cap. 6. pag. 46. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 6.

Sect. X. 1. *Et capiti &c.*] Marcellus Empir. cap. 1. pag. 35. *Si de Sole caput doleat, cupressi folia contrita, cum polenta de hordeo, vel amygdalis, & succo portulacæ fronti illinuntur.*

2. *Item ramici.*] Q. Serenus, cap. 37. pag. 149.

Ramicis immensum fertur cohibere tumorem
Far madidum lympha, & ferali fronde cupressi:
Unde etiam potu frons hæc memoratur amica.

Adde Diosc. lib. 1. cap. 102. [illegible]. Et sic imponi hydropicis ex axungia jubet Theod. Priscianus, lib. 2. part. 1. cap. 19.

3. *Capillum.*] Dioscor. lib. 1. cap. 101. Marcellus Empir. cap. 7. pag. 48. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 7. Q. Serenus, carmine satis eleganti, cap. 5. pag. 127.

Quos pudet ætatis longæ, quos longa senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco simulare doloso:
His prodest acri contrita cupressus aceto,
Vel frutis lentisci, vel tristia poma sabuci.

4. *Eadem trita .... panis mollis.*] Teneri, & adhuc calentis. Q. Serenus, cap. 43. *de podagra depellenda*, pag. 153.

Aut si corruptus persederit altius humor,
Trita cupressus ibi Baccho jungetur acerbo,
Panibus & teneris.

Et cap. 55. pag. 159.

Si vero occultus nervos dolor urit inertes,
Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupressi,
Quo poterit fotu revocare rigentia membra.

Non, ut Pithoei codex, *Quo poteris potu*.

5. *Vino ammineo.*] Pro vino axungiam Marcellus Empir. adhibet, cap. 36. pag. 146. *Folia cupressi contrita*, inquit, *cum panis mollis partibus duabus, & axungia vetere subacta, medentur doloribus podagræ.*

6. *Pilulæ adversus.*] Nicander in Theriac. pag. 43.

7. *Aut si ejiciatur.*] Si sanguis ore rejiciatur, ἁρμόζει πρὸς αἵματος ἀναγωγήν, inquit Dioscor. lib. 1. cap. 103.

8. *Ramici quoque.*] Dioscor. lib. 1. cap. 101. [illegible]. Galenus, lib. 7. de facult. simp. medic. pag. 200. Plinius Valer. lib. 2. cap. 42. & Marcellus Empir. cap. 33. pag. 229.

9. *Bibuntur.*] Marcellus Empiricus, cap. 33. pag. 228. *Pilulas cupressi virides ex vino vetere ad tertias decoque, & cyathos binos quotidie jejuno herniosi potui dato, tum folia ejusdem trita testiculis imponito: mire proderit.*

10. *Radix cum foliis.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 180. & Q. Serenus, cap. 33. pag. 146. Dioscor. loc. cit. Τὰ φύλλα λειωθέντα μετὰ γλυκέος καὶ σμύρνης ὀλίγης, κύστει ῥευματιζομένῃ καὶ δυσουρίαις βοηθεῖ.

11. *Contra phalangia.*] Marcellus Empiric. cap. 27. pag. 224.

Sect. XI. 1. *Quæ cedria vocatur.*] Dioscor. lib. 1. cap. 105. Κέδρος, δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. Cedriam alii gummi: alii lacrymam, & unguentum vocant. Matthæus Silvaticus: *Cedria, id est, gummi cedri*. Joan. de Janua: *Cedria a cedrus, hæc cedria: unguentum factum, quo asperso libri non putrescunt, vel tempore, vel verme.* Et verbo, *Cedrus*: *Hujus arboris gummi, sive lacryma, dicitur cedria, quæ ad conservationem librorum summe est necessaria. Nam libri ex hac lacryma liniti, nec a tineis corroduntur, nec tempore senescunt.* Picem hoc loco Plinius pro resina dixit, quam cedrus fundit crassiorem, ut idem admonuit, lib. 14. sect. 25.

2. *Dentium doloribus.*] Scribonius Largus Compos. 58. *Item proderit motis dentibus hoc medicamentum: Aceti acerrimi sextatium*

tium doloribus utilissimam. [3] Frangit enim eos & extrahit: dolores sedat. [4] Cedri succus ex ea quomodo fieret, diximus, [5] magni ad lumina usus, ni capiti dolorem inferret. [6] Defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit: mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctisque pro vita sit. [7] Vestes quoque corrumpit, [8] & animalia necat. [9] Ob hoc non censeam in anginis hoc remedio utendum: neque in cruditatibus, quod suasere aliqui, gustu. [10] Dentes quoque colluere ex aceto in dolore timuerim, vel gravitati aut vermibus aurium instillare. Portentum est, quod tradunt: abortivum fieri in Venere, [11] ante perfusâ virilitate. [12] Phthiriases perungere eo non dubitaverim, [13] item porrigines. [14] Suadent & contra venenum leporis marini bibere in passo. [15] Facilius in elephantiasi illinatur. Et hulcera sordida & excrescentia in iis auctores quidam, [16] & oculorum albugines caliginesque inunxere eo: [17] & contra pulmonis hulcera cyathum ejus sorbere jusserunt: item adversus tænias. [18] Fit ex eo & oleum, [19] quod pisselæon vocant, vehementioris ad omnia eadem usus. [20] Cedri scobe serpentes fugari certum est: [21] item baccis tritis cum oleo, si qui perungantur.

XII. [1] Cedrides, hoc est, fructus cedri, [2] tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt: utiles ruptis, convulsis, spasticis, stranguriæ, vulvis, [3] admoti: contra lepores marinos, [4] eademque quæ supra: collectionibus, inflammationibusque.

XIII. [1] De galbano diximus. [2] Neque humidum neque aridum probatur, sed quale docuimus. [3] Per se bibitur ad tussim veterem, suspiria, rupta, convulsa. [4] Imponitur ischiadicis, lateris doloribus, panis, furunculis, corpori ab ossibus recedenti, strumis, articulorum nodis, dentium quoque doloribus. Illinitur & cum melle capitis hulceribus. [5] Purulentis infunditur auribus cum rosaceo, aut nardo. [6] Odore comitialibus subvenit, & vulva strangulante, & in stomachi defectu. [7] Abortus non exeuntes trahit apposita vel suffitu: item ramis ellebori circumlitum atque subjectum. [8] Serpentes nidore urentium

NOTÆ.

rius unus semis, cedria vera, ne habeat picis aliquam mixturam, hemina .... Hoc medicamento si quis ter in mense dentes fricuerit, dolorem eorum non experietur

3. *Frangit enim &c.*] Diosc. lib. 1. pag 105.

4. *Cedri succus ex ea.*] Cedri succus cedrium est, quod ex cedro primum fluit, dum ad conficiendam picem comburitur: ut dictum est, lib 16. sect. 21.

5. *Magni ad lumina.*] Ad candelas videlicet unguendas, quæ e scirpis fiebant: *Nam e scirpis detracto cortice, candelæ luminibus serviebant*, inquit Plinius lib. 16. sect. 70. Sic libro 16. sect. 19. *teda luminis sacrorum grata* dicitur, hoc est, ad lustrales faces. Nec Pintianum audio, qui lumina hoc loco de oculis accipit: quoniam oculis inunctam cedriam Dioscor. loc. cit. ait conciliare claritatem.

6. *Defuncta.*] Hæc totidem verbis Diosc lib. 1. cap. 105. Vide quæ diximus, lib. 16. sect. 21

7. *Vestes quoque.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ ἱμάτια δὲ καὶ δερμάτια φθείρει, διὰ τὸ θερμαίνειν ἐπιτεταμένως, καὶ ξηραίνειν. *Vestes quoque, pellesque corrumpit: eo quod vehementius calfaciat, & exsiccet.*

8 *Et animalia.*] Lentes, pediculos, lumbricos, tineas Diosc. loc. cit.

9 *Ob hoc non censeam*] At censet intrepide Dioscor. loc. cit. Συναγχικοῖς δὲ περιχρισθὲν ... καὶ παρισθμίων φλεγμοναῖς βοηθεῖ. *Anginosi quoque ea perunguntur: & tonsillarum inflammationibus auxilio est.*

10. *Dentes quoque .... timuerim.*] Non timet Dioscor loc. cit. aut dentibus, aut auribus instillare. Σὺν ὄξει διακλυζομένη, ὀδόντας ... ἤχους τε καὶ συριγμοὺς ... &c. Εἰς τε ἐμπυώματα ... &c. Dioscoridem, ut fere solet, sequitur Galenus, lib. 7. de fac. simp med pag. 157 Nec dentibus timet Marcellus Empir. cap. 12. pag. 91. Scribonium secutus antea laudatum.

11. *Ante perfusa.*] Si cedri succo antea virilia perfundantur. Dioscor loc. cit. Περιχρισθεῖσα δὲ αἰδοίῳ πρὸ τῆς συνουσίας, ἀτόκιόν ἐστι. *Genitali ante coitum circumlita, conceptionem impedit.* Sic etiam Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 187.

12. *Phthiriases.*] Dioscor. loc. cit. Φθεῖρας δὲ καὶ κονίδας φθείρει περιχρισθεῖσα. *Pediculos ac lendes illita enecat.* Vide Notas & Emend. num. II.

13 *Itemque porrigines.*] Q. Serenus, cap 4. pag. 127. inter remedia porriginis depellendæ:

Et prodest cedro demissus ab arbore succus.

14. *Suadent.*] Diosc. totidem verbis, loc. cit. Πρός τε λαγωὸν θαλάσσιον ποθεῖσα, σὺν γλυκεῖ λαμβανομένη βοηθεῖ.

15. *Facilius*] Dioscor. loc. cit. Ὠφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶντας. Q. Serenus, cap. xi. *de elephantiasi propellenda*, pag. 130.

Hunc erit adversus cedri de cortice succus,
Mustelæque cinis, vel sanguis fusus ab illa.

Adde & Marcellum Empir. cap. 19 pag. 130.

16. *Et oculorum albugines.*] Dioscor. loc cit. Βοηθεῖ δὲ καὶ τὰ ὀφθαλμικὰ ὀξυδορκεῖ ... ἐγχριομένη, καὶ λευκώματα, καὶ οὐλὰς ἀπάγει.

17. *Et contra pulmonis .... jusserunt.*] Jubet Dioscor. totidem verbis loc. cit. & contra pulmonis hulcera, & adversus tænias, sive tineas, hoc est, teretes ventris lumbricos.

18. *Fit ex eo.*] E cedri succo, sive e cedria. Diosc. lib. 1. cap. 105. Γίνεται δὲ ἔλαιον ἐξ αὐτῆς (κεδρίας) χωριζόμενον ἀπὸ τῆς κεδρίας .... ὡς ἐπὶ τῆς πίσσης. *Fit & e cedria oleum, quod ab ea separatur .... ut de pice dictum est.* Id nempe quod pinguissimum, apprime oleosum, suspensis supra cedriam, dum coquitur, lanis excipitur, colligiturque, ut ait Galenus, loc. cit.

19. *Quod pisselæon.*] Sic appellatur iterum lib. 15. sect. 7. & lib. 25. sect 21. Nempe initio hujus sectionis docuit cedrum dare picem quæ cedria vocaretur: quamobrem quod ex ea extraheretur oleum, recte voce ex utroque conflata πισσέλαιον nuncupavit. Frustra sunt, qui MSS invitis, *cedrelæon* substituunt. Sic πισσέλαιον picis florem appellat Scribonius Largus, Compos. 40. *Id nempe quod excipitur, dum ea coquitur, lana superposita ejus vapori.*

20. *Cedri scobe.*] Nicander, in Theriac. pag 4. & 7.

21. *Item baccis.*] Cedri fructu: quo si perungitur corpus cum cervi adipe seu medulla, fugari serpentes eo & Dioscorides fatetur, loc cit. Διώκουσι δὲ θηρία χρισθεῖσα τὸ σῶμα σὺν ἐλαφείῳ στέατι ἢ μυελῷ.

Sect. XII. 1. *Cedrides.*] Diosc lib. 1. cap 105. Κεδρὶς δὲ καλεῖται ὁ ἐξ αὐτῆς (κέδρου) καρπός. Galenus quoque, lib. 7. de fac. simp med. pag. 187. Αἱ δὲ κεδρίδες, οὕτω γὰρ ὀνομάζουσι τὸν καρπὸν τῆς κέδρου, &c.

2. *Tussim &c.*] Dioscor. loc cit. Βοηθεῖ δὲ βηξί, σπάσμασι, ῥήγμασι, στραγγουρίαις

3. *Admoti.*] Apposita. Vide Notas & Emendationes, num. III.

4. *Eademque quæ supra.*] Hoc est, ad eadem quibus utilem esse cedriæ succum sup. sect dictum est.

Sect. XIII. 1 *De galbano.*] Libro 12 sect. 57.

2. *Neque humidum &c.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap 97.

3. *Per se bibitur &c.*] Dioscor. Καταπίνεται δὲ καθ' αὑτὸ πρὸς βῆχα, δύσπνοιαν, ἄσθματα, ῥήγματα, σπάσματα.

4 *Imponitur &c*] Diosc loc. cit. de laterum, dentiumque doloribus, & de furunculis. De panis, Marcellus Empir. cap. 32 pag. 214 & Plinius Valer. lib. 3. cap 27. De strumis, idem Marcellus, cap. 15. pag. 107. & Plinius Valer. lib 1. cap. 13.

5. *Purulentis.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 75. & 81. Item Theod. Priscianus, lib. 1. cap 8. *de aurium causatione.*

6. *Odore comitialibus.*] Comitiales enim odore excitat, uti & lethargicos: quod & Celsus testatur, lib. 3 cap. 20 De comitialibus, feminisque, quas vulva strangulat, subscribit Diosc. loc. cit.

7. *Abortus.*] Dioscor. loc. cit.

8. *Serpentes .... diximus.*] Libro 12. sect. 57.

fugari diximus. [9] Fugiunt & perunctos galbano. Medetur & a scorpione percussis. Bibitur & in difficili partu fabæ magnitudine in vini cyatho: vulvasque conversas corrigit. [10] Cum myrrha autem & in vino mortuos partus extrahit. [11] Adversatur & venenis, maxime toxicis, cum myrrha, & in vino. [12] Serpentes oleo & spondylio mixto tactu ne-5 cat. [13] Nocere urinæ existimatur.

CAP. VI. XIV. [1] Similis Hammoniaci natura atque lacrymæ, probandæ, ut diximus: [2] mollit, calefacit, discutit, dissolvit. Claritati visus in collyriis convenit. Pruritum, cicatrices, [3] albugines oculorum tollit. Dentium dolores sedat, efficacius accensum. [4] Prodest dyspnoicis, pleuriticis, pulmonibus, vesicis, urinæ cruentæ, lieni, ischiadicis potum. Sic & alvum 10 solvit. Articulis & podagræ cum pari pondere picis aut ceræ & rosaceo coctum. Maturat panos, extrahit clavos cum melle. Sic & duritias emollit. Lieni cum aceto & cera Cypria, vel rosaceo, efficacissime imponitur. [5] Lassitudines perungi cum aceto & oleo, exiguoque nitro, utile est.

XV. [1] Et styracis naturam in peregrinis arboribus exposuimus. Placet præter illa quæ 15 diximus, maxime pinguis, purus, [2] albicantibus fragmentis. [3] Medetur tussi, faucibus, pectoris vitiis, vulvæ præclusæ, duritievelaboranti. [4] Ciet menses potu, appositave, alvum mollit. Invenio potu modico tristitiam animi resolvi, largiore contrahi. Sonitus aurium emendat infusu: strumas illitu, nervorumque nodos. Adversatur venenis, quæ frigore nocent: [5] ideo & cicutæ.

20 XVI. [1] Spondylion una demonstratum, [2] infunditur capitibus phreneticorum, & lethargicorum: item capitis doloribus longis. [3] Cum oleo vetere bibitur, & in jocinerum vitiis, morbo regio, comitialibus, orthopnoicis, vulvarum strangulatione: quibus & suffitu prodest. [4] Alvum mollit. [5] Illinitur hulceribus serpentibus cum ruta. [6] Flos auribus purulentis efficaciter infunditur. Sed succus cum exprimitur, integendus est, quoniam mi-25 re appetitur a muscis & similibus. [7] Radix derasa, & in fistulas conjecta, callum earum erodit. [8] Auribus quoque instillatur cum succo. [9] Datur & ipsa contra morbum regium, & in jocineris vitio, & vulvarum. Capillos crispos facit perunсto capite.

XVII. [1] Sphagnos, sive sphacos, sive bryon, & in Gallia, ut indicavimus, nascitur, [2] vulvis decocto insidentium utilis: item genibus & feminum tumoribus, mixtus nasturtio, 30 & aqua salsa tritus. Cum vino autem ac resina sicca potus, urinam pellit celerrime. Hydropicos inanit, cum vino & juniperis tritus & potus.

XVIII. Terebinthi folia & radix collectionibus imponuntur. Decoctum eorum stomachum firmat. Semen in capitis dolore bibitur in vino, [1] & contra difficultatem urinæ. Ventrem lenitet emollit. [2] Venerem excitat.

35 XIX. [1] Piceæ, & laricis folia trita, & in aceto decocta, dentium dolori prosunt. [2] Cinis corticum, intertrigini & ambustis. [3] Potus alvum sistit, urinam movet. [4] Suffitu

NOTÆ.

9. *Fugiunt*] Dioscor loco citato.
10. *Cum myrrha.*] Dioscor. loco cit.
11. *Adversatur.*] Dioscor. loc. cit. ex aceto: σὺν ὄξει καὶ σμύρνῃ πινόμενα, ἀντιπράττει τοῖς τοξικοῖς.
12. *Serpentes.*] Dioscor. ad verbum, loc. cit.
13. *Nocere.*] Immo prodesse, si Dioscoridi fides. Δοκεῖ δὲ καὶ δυσουρίας ποιεῖν. Sed ibi legendum δυσουρίαν παύειν, contraria plane sententia, ex Serapione, alii ante nos viderunt.

Sect. XIV. 1. *Similis.*] Similis, inquit, Hammoniaci natura est galbano, similisque natura lacrymæ, cujus probatio fieri debet eo pacto quo dictum est lib. 12 sect. 49.
2. *Mollit*, &c.] Hæc quoque Diosc. lib. 1. cap 98.
3. *Albugines.*] Diosc. loc. cit. Σμήχει δὲ καὶ τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς λευκώματα. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 10. *de oculorum causis: Nam & lactentis suo mater guttam Hammoniaci masticando, & exhalando, albores oculi, ... sæpius permundavit.*
4. *Prodest dyspnoicis.*] Reliquæ deinceps Hammoniaci medicinæ totidem fere verbis extant apud Dioscoridem, loco cit.
5. *Lassitudines .... cum aceto & oleo.*] Oleum cyprinum Dioscor desiderat, loc. cit.

Sect. XV 1. *Et styracis .... exposuimus.*] Libro 12. sect 55.
2. *Albicantibus fragmentis.*] Micis grumisve. Diosc. lib. 1. cap. 79. Θρόμβους ἔχων ὑπολεύκους.
3. *Medetur tussi*, &c.] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. simp med pag 132.
4. *Ciet menses*, &c.] Ad verbum Dioscorides & Galenus, locis cit.
5. *Ideo & cicutæ.*] Hausto cicutæ veneno resistere styracem e vino potum scribit Dioscorides, lib. 2. cap. Εὐπορ. cap. 142.

Sect XVI. 1. *Spondylion.*] Libro 12. sect. 58.
2. *Infunditur*, &c.] Plinius Valer. lib. 3. & 9. Diosc. cap. 7. quoque totidem plane verbis, lib 3. cap. 90.
3. *Cum oleo*, &c.] Diosc. locis cit. ad verbum, & Galenus, loc. cit pag. 133.
4. *Alvum.*] Diosc loc cit.
5. *Illinitur*] Plinius Valer. lib. 3. cap 22 & Dioscor ad verbum, loc. cit.
6. *Flos.*] Hoc est, flos tritus, seu floris succus. Diosc. loc cit. Τὸ δὲ ἄνθος χλωρὸν ὁ χυλὸς ὦτα ἐπιλαμβάνει ὠφελεῖ, καὶ πεπυρωμένα ἁρμόζει. Exscripsit hæc quoque Galenus, loc cit.
7. *Radix derasa.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.
8. *Auribus.*] Diosc. loc. cit.
9. *Datur & ipsa*, &c.] Diosc. loc. cit.

Sect XVII. 1. *Sphagnos .... ut indicavimus.*] Libro 12. sect 50.
2. *Vulvis decocto*, &c.] Diosc lib. 1. cap. 20. Ποιεῖ ὥστε τὰ πάθη μητρῶν ἐν ἀφεψήματι εἰς ἐγκάθισμα. *Facit decoctum insessu ad vulvæ affectiones.*

Sect. XVIII. 1. *Et contra difficultatem.*] Diosc lib. 1. c. 92. & Galenus, lib 8. de fac. simp. med. pag. 134.
2. *Venerem.*] Diosc. loc. cit. Ἔτι δὲ ἄγαθὸν πρὸς ἀφροδίσια.

Sect. XIX. 1. *Piceæ & laricis.*] Πίτυς & πεύκη, quas pinum & laricem Plinius fere reddit, easdem esse dotes Dioscorides asseverat, lib. 1 cap. 86 Sunt nempe pinus, picea, pinaster, congeneres arbores, quibus & cognatæ vires: quin & ea nomina sæpe promiscue a bonis auctoribus permutantur. Vide Saracenum in Notis ad Dioscor. lib. 1. cap. 87. pag. 15.
2. *Cinis corticum.*] Ramenta corticum. Dioscorid. lib. 1. cap. 86 Ἁρμόζει (φλοιὸς) πρὸς τὰ παρατρίμματα λεῖος καταπασσόμενος, καὶ πρὸς τὰ πυρίκαυστα. *Cortex tritus & inspersus ad intertrigines & ambusta confert.*
3. *Potus*, &c.] Diosc. loc. cit. Κοιλίαν τε πινόμενος ἵστησι καὶ οὖρα κινεῖ.
4. *Suffitu.*] Vulvas conversas emendat. Suffitu partus & secundas ejicere Diosc. ait, loc. cit.

vulvas corrigit. [5] Piceæ folia privatim jocineri utilia sunt, drachmæ pondere in aqua mulsa pota. [6] Silvas eas dumtaxat quæ picis resinæque gratia tadantur, utilissimas esse phthisicis, aut qui longa ægritudine non recolligant vires, satis constat: & illum cæli aera plus ita, quam [7] navigationem Ægyptiam, proficere, plus quam [8] lactis herbidos per montium æstiva potus.

XX. [1] Chamæpitys Latine abiga vocatur propter abortus, ab aliis thus terræ: cubitalibus ramis, flore pinus & odore. [2] Altera brevior, & incurvæ similis. [3] Tertia eodem odore, & ideo nomine quoque, parvula, cauliculo crassitudine digitali, foliis scabris, exilibus, albis, in petris nascens. Omnes herbæ, [4] sed propter cognationem nominis non differendæ. Prosunt adversus scorpionum ictus. [5] Item jocineri illitæ cum palmis, aut cotoneis. [6] Renibus & vesicæ, decoctum earum cum farina hordeacea. [7] Morbo quoque regio, & urinæ difficultatibus, ex aqua decoctæ bibuntur. Novissima contra serpentes valet cum melle. Sic & appositas vulvas purgat. [8] Sanguinem densatum extrahit pota. Sudores facit perunctis ea, peculiariter renibus utilis. [9] Fiunt ex ea & hydropicis pilulæ, cum fico alvum trahentes, [10] Lumborum dolorem [11] Victoriati pondere in vino finit, & tussim recentem. Mortuos partus, ex aceto cocta, & pota, ejicere protinus dicitur.

XXI. [1] Cum honore & pityusa simili de causa dicetur, quam quidam in tithymali genere numerant. [2] Frutex est similis piceæ, flore parvo purpureo. [3] Bilem & pituitam per alvum detrahit radix, decocti hemina: aut seminis ligula [4] in balanis. Folia in aceto decocta, furfures cutis emendant: mammas quoque mixto rutæ decocto, & tormina, & serpentium ictus, & in totum collectiones incipientes.

XXII. [1] Resinam e supra dictis arboribus gigni docuimus, & genera ejus & nationes in ratione vini, [2] ac postea in arboribus. Summæ species duæ: sicca, & liquida. [3] Sicca e pinu & picea fit: liquida e terebintho, larice, lentisco, cupresso. [4] Nam & ex ferunt in Asia & Syria. Falluntur qui eamdem putant esse, [5] e picea atque larice. Picea enim pinguem, & thuris modo succosam fundit: larix gracilem, [6] ac mellei liquoris, virus redolentem. Medici liquida raro utuntur, & in ovo fere: e larice propter tussim hulcera que viscerum: nec pinea magnopere in usu: ceteris non nisi coctis. [7] Et coquendi genera satis demonstravimus.

NOTÆ.

5. *Picea folia.*] Hoc Dioscor. loc. cit. de foliis πίτυος ac πεύκης.

6. *Silvas eas.*] Fere ad verbum hæc Marcellus Empir. cap. 16 pag. 119. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 61.

7. *Navigationem.*] De ea dicemus lib. 31. sect. 33.

8. *Lactis herbidos.*] Lactis ex herbis virentibus & vegetis geniti.

Sect. XX. 1. *Chamæpitys.*] Apuleius, cap. 26. *Græci chamæpityn, Itali abigam, alii cupressum nigram*, &c Hæc prima Chamæpitys Lobelii est, in Observ. pag. 208 eademque Matthioli chamæpitys altera, pag 941. Dodonæi tertia, pag. 46 Pro *abiga* libri quidam *ajuga* perperam exhibent.

2. *Altera brevior.*] Chamæpitys altera Lobelii, pag 209. & Dodonæi, pag. 46. Hanc quoque Diosc lib. 3 cap. 176. ait esse ramis cubitalibus in speciem ancoræ incurvatis. ἀγκυροειδεῖς.

3. *Tertia eodem odore.*] Nempe odore pinus Sic Diosc. loc cit. Καὶ τρίτη τις ἐστὶν ἄῤῥην καλουμένη ... ὄζει δὲ καὶ αὕτη πίτυος. Pingitur a Lobelio in Observ. pag. 207. sub Ajugæ nomine. A Dodonæo pag. 46 a quo chamæpitys prima appellatur. *Ivam* Galli vocant, cognomento *Arteticam*. Subscribit Anguillara, par. 13 pag 244. Chamæpitys officinarum & a Dioscoridis Pliniique delineatione abest, & indigna prorsus quæ iis generibus annumeretur, cum nullo sit pinus odore, ut Ruellius animadvertit, lib 3. cap. 75. pag. 576.

4. *Sed propter cognationem.*] Propter affinitatem nominis cum picea, de qua sect proxima dictum est: est enim etiam Theophrasto picea πίτυς, ut diximus: quare de chamæpity ex occasione disserit.

5. *Item jocineri.*] Galenus, lib. 8. de facult. simpl. med. pag. 241.

6. *Renibus*, &c.] Diosc. lib. 3. cap. 175. Marcellus Empir. cap. 26. pag. 178

7. *Morbo quoque.*] Diosc & Galenus, locis cit.

8. *Sanguinem densatum.*] Sive conglobatum, ut dictum sect. 27. & 28. quod in præcipitatis potissimum evenit.

9. *Fiunt ex ea*, &c.] Diosc. loc. cit. Ἀναπλασθεῖσα δὲ σὺν σύκῳ, καὶ ἀντὶ καταποτίου διδομένη, μαλάσσει κοιλίαν. *Contrita vero cum ficubus, & pilularum instar exhibita* (Plinius addit, *hydropicis*) *alvum emollit.*

10. *Lumborum.*] Diosc. & Galenus, locis cit. & Marcellus Empir. cap. 25. pag. 173.

11. *Victoriati.*] Hoc est, argentei quinarii, dimidiive denarii vel drachmæ dimidiæ pondere. Victoriati pondus obolorum trium esse recte Marcellus Empiric. statuit, cap. 9. pag. 78. Nam drachma seu denarius sex obolos efficit, ut diximus lib. 21. sect ult. Nota in medicis ponderibus ejusmodi est, Denarius 1. A S

Sect. XXI. 1. *Cum honore & pityusa simili de causa.*] Propter cognationem nominis, cum picea, quæ πίτυς, ut diximus, Theophr. quoque est. Diosc. lib. 4. p. 166. Πιτυοῦσα ... εἶδος δοκεῖ διαφέρειν τοῦ κυπαρισσίου τιθυμάλλου· διὸ καὶ εἶδος ἐν τιθυμάλλοις καταριθμεῖται. *Pityusa a cyparissia tithymalo specie differre sola creditur: ideoque in tithymali genere connumeratur.* Nunc omnibus herbariis, officinisque, ac recentioribus medicis *Esula* nominatur, teste Ruellio, lib. 3. pag. 653. A Dodonæo pingitur, pag 370.

2. *Frutex est.*] Foliis piceæ, τῆς πεύκης, exiguo flore, ac pæne purpureo, inquit Diosc. locis cit.

3. *Bilem*, &c.] Diosc. loc. cit. Καθαίρει δὲ κάτω ἡ μὲν ῥίζα ... δραχμῶν δυοῖν σὺν μελικράτῳ· τὸ δὲ σπέρμα ... *Purgat per inferna radix, drachmis duabus data in aqua mulsa: semen vero, drachma una.* Ita fere & Galenus, loc. cit.

4 *In balanis.*] Balani hoc loco non palmulæ videntur esse, ut libro sup. sect. 74 Sed glandes quæ in podicem induntur manu ad subducendam alvum. Medici *Suppositoria* nuncupant

Sect. XXII. 1. *Resinam .... docuimus .... in ratione vini.*] Libro 14. sect. 25

2. *Ac postea.*] Libro 16. sect. 16 & seqq.

3. *Sicca e pinu.*] Sic auctor libri de simpl. ad Patern. tomo 13. operum Galeni, pag. 998. *Resina sicca, inquit, invenitur circa nucipinum & pityn*, quæ Theophrasto picea est, ut monuimus: *alia liquida circa terebinthum, & peucen* (quæ semper a Plinio larix appellatur) *& cupressum, & quæ circa lentiscum, quam aliqui masticinam esse dicunt, in Chio insula*, &c. Negant tamen alii liquidam e lentisco fundi. Vide Dalecampium, lib. 1 hist plant cap. 20. pag. 69 Resinam e larice, λάριγος, manare liquidam, scribit & Dioscorides, lib. 1. cap 29.

4. *Nam & ea ferunt.*] Lentisc. ut videlicet & cupressus: illa in insula Asiæ Chio, ista in Syria. Larix enim Italiæ est & Galliarum peculiaris arbos.

5. *E picea atque larice.*] Hoc est, ut cum Theophrasto loquamur, ἐκ τῆς πίτυος καὶ ἐκ τῆς πεύκης.

6. *Ac mellei.*] Plinius Valer lib. 16 sect. 19. de larice: *Pinguium hinc erumpit liquoris, mellei colore, atque lentiore, numquam durescentis.*

7. *Et coquendi.*] Libro 16. sect. 22.

[8] In arborum differentia placet terebinthina, odoratissima atque levissima: nationum, Cypria & Syriaca: utraque mellis Attici colore: sed Cypria carnosior, sicciorque. In sicco genere quærunt ut sit candida, pura, perlucida. [9] In omni autem, ut montana potius, quam campestris: [10] item Aquilonia potius, quam ab alio vento. Resolvitur resina ad vulnerum usus & malagmata, oleo: [11] in potiones, amygdalis amaris. [12] Natura in medendo contrahere vulnera, purgare, discutere collectiooes: [13] item pectoris vitia terebinthina. Illinitur eadem calida membrorum doloribus, spasticisque in Sole. [14] Illinitur & totis corporibus, maugonum maxime cura, ad gracilitatem emendaodam, [15] spatiis ita laxantium cutem per singula membra, capacioraque ciborum facienda corpora. Proximum locum obtinet e lentisco. [16] Inest ei vis adstringendi. [17] Movet & ante ceteras urinam. [18] Reliquæ ventrem molliunt, cruda concoquunt, tussim veterem sedant, vulvæ onera extrahunt etiam suffitæ. [19] Privatim adversantur visco. Panos & similia, cum sevo taurino & melle sanant. [20] Palpebras lentiscina commodissime replicat. [21] Fractis quoque utilissima, [22] & auribus purulentis: item in pruritu genitalium. Pinea capitis vulneribus optime medetur.

CAP. VII. XXIII. [1] Pix quoque unde & quibus conficeretur modis, indicavimus: & ejus duo genera, spissum, liquidumque. Spissarum utilissima medicinæ Brutia, quoniam pinguissima & resinosissima [2] utrasque præbet utilitates: [3] ob id magis rutila, quam ceteræ. Id enim quod in hoc adjiciunt, e mascula arbore meliorem esse, [4] non arbitror posse intelligi. [5] Picis natura excalfacit, [6] explet. [7] Adversatur privatim ceraſtæ morsibus cum polenta: [8] item anginæ cum melle, distillationibus & sternutamentis a pituita. [9] Auribus infunditur cum rosaceo: illinitur cum ceta. [10] Saoat lichenas, alvum solvit, [11] exscreationes pectoris adjuvat ecligmate, [12] aut illita tonsillis cum melle. [13] Sic & hulcera purgat, explet. Cum uva passa & axungia, carbunculos purgat, & putrescentia hulcera: [14] quæ vero serpunt, cum pineo cortice, aut sulphure. [15] Phthisicis etiam cyathi mensura quidam dederunt, & contra veterem tussim. [16] Rhagadas sedis & pedum, panosque, & ungues scabros emendat: [17] vulvæ duritias & conversiones odore: item [18] lethargicos. [19] Strumas item cum farina hordeacea, & pueri impubis urina decocta ad suppurationem perducit. Et ad alopecias [20] sicca pice utuntur. Ad mulierum mammas Brutia, ex vino subfervefacta cum polline farraceo, quam calidissimis impositis.

XXIV. [1] Liquida pix, oleumque quod pissełæon vocant, quemadmodum fieret,

NOTÆ.

8 *In arborum.*] Diosc. lib. 1. cap. 92.

9 *In omni autem.*] Hæc tradit etiam Theophr. lib. 9. cap. 2.

10 *Item Aquilonia*, &c] Theophr loc. cit.

11. *In potiones.*] Si in potiones sumi resina debet: resolvi prius necesse est oleo ex amygdalis amaris confecto.

12 *Natura in medendo*, &c] Diosc. lib. 1. cap. 91. Vide & Theod. Priscianum, lib. 1 cap. 19.

13. *Item pectoris.*] Diosc loc. cit. de omni resinarum genere. Βῆξιν, inquit, *ἁρμόζουσι, καὶ φθίσεσι, ἐν ἐκλεικτοῖς καθ' ἑαυτὰς ἢ μετὰ μέλιτος, ἀνακαθαίρουσαι καὶ τὰ ἐν θώραξι. Tussientibus conveniunt in ecligmate per se, aut ex melle, quæque ex pectore educi oportet, expurgant.* Alludere huc Plautus videtur in Mercat. act. 1. sc 2. vers. 27.

AC. *Tua causa rupi ramices, jamdudum sputo sanguinem.*

CH. *Resinam ex melle Ægyptiam vorato, salvum feceris.*

De terebinthina speciatim Marcellus Empir. cap. 17. pag. 123. *Resina terebinthina devoratur ad magnitudinem fabæ Ægyptiaca ab eo qui suspirio laborat, vini cyatho supersumpto, quæ res magno remedio est.* Item Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 20. *de empyicis.* Præivit utrique Celsus, lib. 4. cap. 4. *de difficultate spirandi.*

14. *Illinitur & totis.*] Laudat in primis hoc picationis genus ad gracilitatem corporis emendandam, Galenus lib. 6. de sanitate tuenda, toto cap. 8. pag. 174. tomo 6.

15. *Spatiis*] Laxiores sic faciunt cutis meatus per artus singulos.

16. *Inest ei.*] Diosc. lib. 1 cap 91.

17. *Movet*, &c] Diosc. loc. cit.

18 *Reliquæ.* Diosc. loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ οὐρητική, *κοιλίαν τε μαλάσσει .... βηξὶν ἁρμόζουσι, καὶ φθίσεσι*, &c,

19. *Privatim .... visco.*] De visco eo libro 20. diximus, sect. 51.

20. *Palpebras ... replicat.*] Hoc est, replet, & pilis ornat Sic infra sect. 28. *Mastiche lentisci replicandis palpebris.* Diosc. lib. 1. cap 91 de quavis resina: & cap. 90. de lentiscina: *ἔν τε ἀναμύσεσι τριχῶν ἁρμόζει τῶν ἐν βλεφάροις. Ad agglutinandos palpebrarum pilos confert.*

21. *Fractis quoque.*] Auribus scilicet.

22. *Et auribus purulentis.*] Diosc. lib 1. cap. 91. Πρός τε *τὰ ἰχωρρόουντα ὦτα σὺν μέλιτι καὶ ἐλαίῳ, καὶ αἰδοίων κνησμῶν ἀρωγή.*

Sect. XXIII. 1.] *Pix quoque .... indicavimus.*] Lib. 14. sect. 25.

2. *Utrasque .... utilitates*] Et picis & resinæ. Diosc. lib. 1. cap. 97. de pice Brutia, *ἔν φύσει ἐστὶν ἰχώριον, πίσσαν ἅμα καὶ ῥητίνην*

3. *Ob id.*] Et ad id rutila magis accommodata, quam ceteræ. Diosc. lib. 1. cap 97.

4. *Non arbitror.*] Quoniam etsi in resiniferis arboribus, ipsaque teda, unde pix coquitur, mas & femina secernantur, ut dictum est lib. 16. sect. 19. in pice tamen notæ discrimen ullum agnoscere, haud proclive est.

5. *Picis natura.*] Diosc lib 1. cap 97. & Galenus, lib. 8. de fac. simp med. pag. 220.

6. *Explet.*] Replet hulcera. *Δύναμιν δὲ ἔχει πληρωτικὴν ἑλκῶν*, Dioscor loc cit

7. *Adversatur.*] Diosc. lib. 1. pag. 94. *Πρὸς ἑρπετῶν δήγματα σὺν ἁλσὶ λείοις καταπλασσομένη. Valet ad serpentium morsus cum trito sale adhibita.*

8. *Item anginæ cum melle.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 52.

9. *Auribus.*] Ad aures purulentas cum rosaceo pariter Diosc. adhibet, loco cit

10. *Sanat lichenas.*] Dioscorides & Galenus, locis citatis

11. *Exscreationes.*] Diosc. lib. 1. cap 94. *Ἀναπτύεσθαι τὰ ἐν θώρακι ὑγρά, δυσαναγώγως ἐκλειχομένη κυάθου πλῆθος μετὰ μέλιτος. Valet ad humores intra pectus contentos, ægre exscreabiles, si cyathi mensura cum melle delingatur.*

12. *Aut illita*, &c.] Diosc. loc. cit

13. *Sic & hulcera*, &c.] Vide Notas & Emendationes, num. IV.

14. *Quæ vero serpunt*, &c.] Diosc. lib. 1. cap. 94. totidem verbis.

15. *Phthisicis*, &c.] Diosc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 16 pag. 119

16. *Rhagadas*, &c.] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 31. pag. 222. & Theod. Priscianus, lib. 1. cap 29.

17. *Vulvæ.*] Diosc loc. cit.

18 *Lethargicos.*] Celsus, lib. 3. cap 20. inter ea quæ lethargicos odore fœdo movent, picem crudam recenset.

19. *Strumas*, &c. Totidem verbis Diosc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 25. pag 107.

20. *Sicca pice.*] Liquidam Dioscorides adhibet, lib. 1. cap. 95.

Sect. XXIV. 1. *Liquida pix.*] De liquida pice, lib. 16.

diximus. [2] Quidam iterum decoquunt, & vocant palimpissam. Liquida anginæ perunguntur intus, & uva. [3] Ad aurium dolores, claritatem oculorum, oris circumlitiones, suspiriosos, vulvas, tussim veterem, & crebras exscreationes pectoris, spasmos, tremores, opisthotonos, paralyses, nervorum dolores. [4] Præstantissimum ad canum & jumentorum scabiem. 5

XXV. [1] Est & pissasphaltos, mixta bitumini pice naturaliter ex Apolloniatarum agro. [2] Quidam ipsi miscent, præcipuum ad scabiem pecorum remedium, aut si fetus mammas læserit. [3] Maturum optimum ex eo, quod cum fervet, innatat.

XXVI. [1] Zopissam eradi navibus diximus cera marino sale macerata. Optima hæc [2] a tirocinio navium. [3] Additur autem in malagmata ad discutiendas collectiones. 10

XXVII. [1] Teda decocta in aceto, dentium dolores efficaciter colluunt.

XXVIII. [1] Lentisci ex arbore, & semen, & cortex, & lacryma, urinam cient, alvum sistunt. [2] Decoctum eorum hulcera quæ serpunt, fotu. [3] Illinitur in humidis, & igni sacro: gingivas colluit. Folia dentibus in dolore atteruntur: [4] mobiles decocto colluuntur. [5] Capillum tingunt. [6] Lacryma sedis vitiis prodest, cum quid siccari excalfierive opus 15 sit. Decoctum & e lacryma stomacho utile, ructum & urinam movens, quod & capitis doloribus cum polenta illinitur. [7] Folia tenera oculis inflammatis illinuntur. [8] Item mastiche lentisci [9] replicandis palpebris, [10] & ad extendendam cutem in facie, [11] & smegmata, adhibetur: [12] & sanguinem rejicientibus, tussi veteri: [13] & ad omnia quæ Hammoniaci vis. Medetur & attritis partibus, sive oleo e semine ejus facto ceræque mixto, sive foliis, ex oleo 20 decoctis, sive cum aqua virilia foveantur. Scio Democratem medicum in valetudine Considiæ [14] M. Servilii Consularis filiæ, omnem curationem austeram recusantis, diu efficaciter usum lacte caprarum, quas lentisco pascebat.

XXIX. [1] Platani adversantur vespertilionibus. [2] Pilulæ earum in vino potæ denariorum CAP. VIII. quatuor pondere, omnibus serpentium & scorpionum venenis medentur: [3] item ambustis. 25 [4] Tusæ autem cum aceto acri, magisque scillite, sanguinem omnem sistunt. Et lentiginem, & carcinomata, [5] melaniasque veteres, addito melle emendant. Folia & cortex illinuntur collectionibus & suppurationibus, & decoctum eorum. [6] Corticis autem in aceto, dentium

NOTÆ.

sect. 21. De pisselæo, lib. 15. sect. 7.

2. *Quidam iterum.*] Uti dictum est lib. 16. sect. 23. Diosc. lib. 1. cap. 97. Καλεῖται δὲ αὕτη ἀεὶ ἰδίως παλίμπισσα, quasi pix iterum cocta.

3. *Ad aurium dolores.*] Picis florem, seu pisselæon, Marcellus Empir. cap. 9. pag. 76. auribus purulentis instillat. Scribonius Largus multo ante, cap. 5. *ad aurium dolorem*, Compos. 40. *Sed præcipue picis flos, quod πισσέλαιον appellant.... dolores sedat, & fere non patitur suppurationem fieri.... Florem picis autem appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana superposita ejus vapori.*

4. *Præstantissimum.*] Dioscor. lib. 1. cap. 95. & auctor Geopon lib. 17. cap. 24. pag 446.

Sect. XXV. 1. *Est & pissasphaltos.*] Ea vox conflatam ex bitumine ac pice naturam significat: sive naturaliter sic ex utroque constet, quod affirmat Brasavolus, in examine terrarum, pag. 455. Plinium ille quidem, ut auctorem libri de mirab auscult Plinius est secutus: sive id nomen ei modo inditum, quod picem bitumenque resipiat, sive quod cum bitumen sit, crassitie picem æmuletur, ut Dalecampius existimat, post Agricolam, lib. 4 de natura fossil pag. 215. Illud quod in Apolloniatarum agro manat, Vitruvius lib. 8. cap 3. picem appellat: bitumen Ælianus, lib. 13. Var. histor. cap. 16. Πισσάσφαλτος Dioscorides, lib. 1. cap. 100.

2. *Quidam*] Bitumen pici admiscent

2-3. *Maturum optimum,*] Mature coctum. Vide Notas & Emend. num. V.

Sect. XXVI. 1. *Zopissam ... diximus*] Libro 16. sect. 23.

2. *A tirocinio.*] A nave primum fluctus experta.

3. *Additur.*] Discutiendi, diffundendi, dissipandi vim Dioscorides eidem adscribit: διαφορητικήν. Libro 1. cap. 98.

Sect. XXVII. 1. *Teda decocta.*] Plinius Valer lib. 1. cap. 36. *Ad dentium dolorem: Tedas pingues in astulas concides, & in aceto decoques, idque acetum in ore continebis.*

Sect XXVIII. 1. *Lentisci.*] Diosc lib. 1. cap. 89. exprimi succum ait, ex cortice, radice, foliis, qui ad sanguinis ejectionem, ad alvi profluvia, ad urinam ciendam prosit. Sic & Galenus, lib 8. de fac. simp. med. pag 233.

2. *Decoctum.*] Diosc loc. cit. de lentisci foliis: Καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτῆς καταντλούμενον τοῖς ἀναβιβρωσκομένοις ἁρμόζει. *Decoctum eorum fotu cava replet* Plinius Valer. lib. 3. cap 22. *Aqua in qua lentiscus decoctus est, hulcera quæ serpunt, utiliter foventur.* Totidem verbis Marcellus Empir. cap 4. pag. 42.

3. *Illinitur in humidis.*] Hulceribus quæ sunt in humido, ut diximus lib. 22. sect. 19.

4. *Mobiles decocta.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. Diosc. lib. 1, cap. 89. Ἵστησι δὲ τὸ ἀφέψημα καὶ σαλευομένους ὀδόντας διακλυζόμενον. *Decoctum dentes mobiles collutione firmat* Sed & lentisci surculi dentiscalpiorum purgandis dentibus vicem præbuere: in usu a Martiale commendantur, lib. 14. Epigr 22. cujus lemma, *Dentiscalpium*:

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest.

5. *Capillum tingunt.*] Nempe folia. Ita Q. Serenus, carmine a nobis recitato, sect. 10.

6 *Lacryma.*] Hoc ipsum Dioscor. loc. cit. de succo foliorum, radicis ac corticis. Καὶ πρὸς τὰς προπτώσεις ἕδρας καὶ ὑστέρας, *ad utero sedisque procidentias.* Sic & Galenus, loc. cit.

7 *Folia tenera.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14. *Lentisci tenera folia contrita, & fronti imposita, oculorum epiphoras suspendunt.*

8. *Item mastiche.*] Hoc est, resina lentiscina, a nonnullis mastiche dicta. Diosc lib. 1. cap. 90. Γεννᾶται δὲ καὶ ῥητίνη ἐξ αὐτῆς σχινίνη καλουμένη, ὑπ᾽ ἐνίων δὲ μαστίχη. *E lentisco resina nascitur, lentiscina cognominata, & a nonnullis mastiche.*

9. *Replicandis.*] Ea voce superius usus sect. 22. rursumque inferius, lib. 35. sect. 51. Diosc. loc. cit. Ἀναγλυφεῖ δὲ τρίχας ἐν ὀφθαλμοῖς. *Pilos oculorum fluentes glutinat & cohibet.*

10. *Ad extendendam,*] Ad extendendas rugas in cute. Vide Notas & Emend. num VI.

11. *Et smegmata.*] Dentifricia, σμήγματα ὀδόντων, Diosc. loc. cit.

12. *Et sanguinem*, &c] Diosc. pariter loc. cit. Χρησιμεύει πρὸς αἵματος ἀναγωγάς, καὶ πρὸς παλαιὰς βῆχας ποθεῖσα. Galenus quoque, loc cit.

13. *Et ad omnia.*] Vide Notas & Emend. num VII.

14. *M. Servilii.*] De eo diximus in Auctorum Indice, verbo *Servilius Democrates.*

Sect. XXIX. 1. *Platani .... vespertilionibus.*] Vide Notas & Emend. num. VIII.

2. *Pilulæ earum.*] Nicander in Theriac. pag 43 Diosc. lib. 1. cap. 107. Τὰ δὲ σφαιρία χλωρὰ σὺν οἴνῳ ποθέντα, ἑρπετοδήκτοις βοηθεῖ. *Pilulæ virides in vino potæ, serpentium morsibus auxiliantur.*

3. *Item ambustis.*] Diosc. loc. cit. Ἀναλαμβανόμενα δὲ στέατι, πυρίκαυστα θεραπεύει. *Pilulæ exceptæ adipe, ignis ambusta sanant.* Sic etiam Galenus, lib 8. de fac. simp. med. pag. 221.

4. *Tusæ autem.*] Plinius Valer lib. 3. cap. 21. Q. Serenus, cujus verba recitabimus, sect. 37.

5. *Melaniasque.*] Μελανία nigritudo est. Græca voce pro Latina abutitur. In MSS. *malandriasque*, male.

6. *Corticis autem.*] Subintellige, decoctum, ex antece-

remedium est: [7] foliorum tenerrima in vino albo decocta, oculorum. [8] Lanugo foliorum, & auribus & oculis inutilis. [9] Cinis pilularum sanat ambusta igni vel frigore. Cortex e vino scorpionum ictus restinguit.

X X X. [1] Fraxinus quam vim adversus serpentes haberet, indicavimus. [2] Semen foliis
5 ejus inest, [3] quo medentur jocineris & lateris doloribus in vino: [4] Aquam quæ subit cutem extrahunt. Corpus obesum levant onere, sensim ad maciem reducentes, iisdem foliis cum vino tritis ad virium portionem: ita ut puero quinque folia tribus cyathis diluantur, robustioribus septem folia, quinis cyathis vini. [5] Non omittendum, ramenta ejus & scobem a quibusdam cavenda prædici.

10 X X X I. [1] Aceris radix contusa e vino jocineris doloribus efficacissime imponitur.

X X X I I. [1] Populi albæ uvarum in unguentis usum exposuimus. [2] Cortex potus ischiadicis & stranguriæ prodest. [3] Foliorum succus calidus aurium dolori. [4] Virgam populi in manu tenentibus intertrigo non metuatur. Populus nigra efficacissima habetur, quæ in Creta nascitur. [5] Comitialibus semen ex aceto utile. [6] Fundit illa & resinam exiguam,
15 qua utuntur ad malagmata. Folia podagris in aceto decocta imponuntur. [7] Humor e cavis populi nigræ effluens, verrucas, papulasque ex attritu ortas tollit. Populi ferunt & in foliis guttam, ex qua apes propolim faciunt. [8] Gutta æque propoli ex aqua efficax.

X X X I I I. [1] Ulmi & folia, & cortex, & rami, vim habent spissandi, & vulnera contrahendi. [2] Corticis utique interior tilia lepras sedat, & folia ex aceto illita. [3] Corticis
20 denarii pondus potum in hemina aquæ frigidæ, alvum purgat, pituitasque, & aquas privatim trahit. [4] Imponitur & collectionibus lacryma, & vulneribus, & ambustis, quæ decocto fovere prodest. [5] Humor in folliculis arboris hujus nascens, cuti nitorem inducit, faciemque gratiorem præstat. Cauliculi foliorum primi, vino decocti, tumores sanant, extrahuntque per fistulas. [6] Idem præstant & tiliæ corticis. Multi corticem commanduca-
25 tum vulneribus utilissimum putant: folia trita aqua adspersa pedum tumori. [7] Humor quoque e medulla, uti diximus, castratæ arboris effluens, capillum reddit capiti illitus, defluentesque continet.

X X X I V. [1] Arbor tilia leniter fusa ad eadem fere utilis est, atque oleaster. Folia autem tantum in usu, & ad infantium hulcera in ore commanducata: decocta urinam
30 cient: menses sistunt illita: sanguinem pota detrahunt.

X X X V. [1] Sambucus habet alterum genus magis silvestre, quod Græci chamæacten,

NOTÆ.

dente sententia. Dioscor. lib. 1. cap. 107. Ὁ δὲ φλοιὸς ἑψηθεὶς ἐν ὄξει, ὀδονταλγίας ἐστὶ διάκλυσμα. *Cortex in aceto coctus ad dentium dolores colluitur.* Galenus quoque loc. cit.

7. *Foliorum tenerrima.*] Vide Notas & Emendationes num. I X.

8. *Lanugo.*] Dioscor loco cit. Ὁ δὲ χνοῦς τῶν φύλλων καὶ τῶν σφαιρίων ἀκοῇ καὶ ὄψει ἐμπεσὼν λυμαίνεται. *Foliorum pilularumque lanugo in aures & oculos illapsa, auditum visumque labefactat.* Sic & arteriam lædi ea lanugine, si spiritu attrahatur, docet Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 221. Φυλάττεσθαι δὲ τὸν ἐπὶ τοῖς φύλλοις τῆς πλατάνου χνοῦν· καὶ γὰρ τὴν ἀρτηρίαν ἀδικεῖ, ἀναπνεόμενος, καὶ τὴν ὄψιν, καὶ τὴν ἀκοήν, &c.

9. *Cinis pilularum*] Q. Serenus, cap 61. *de combustionis igne vel frigore*, pag 162.

Conversa in cinerem platani pila curat utrumque.

Sect. XXX. 1. *Fraxinus . . . . indicavimus.*] Libro 16. sect. 24.

2. *Semen foliis ejus.*] Sive folliculis. Vide Notas & Emendat. num X.

3. *Quo medentur.*] Q. Serenus, cap. 23. *de jecoris & lateris vitiis medendis*, pag. 139.

Sumitur & semen quod fraxinus alta profundit.

4. *Aquam . . . . extrahunt*] Sermone proxime ante laudato. Q Serenus, cap. 28. *de hydropisi depellenda*, pag. 143.

Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.

5. *Non omittendum.*] Diosc. lib 1. cap. 108 Τὰ δὲ ῥινίσματα τοῦ ξύλου ποθέντα, φασὶν ἀναιρετικὰ εἶναι. *Ligni ramenta pota letalia esse a quibusdam perhibentur.*

Sect. XXXI. 1. *Aceris.*] Q. Serenus, cap. 23. *de jecoris & lateris vitiis*, pag. 139.

Aut aceris radicem tundis, & una
Cum vino capis: hoc præsens medicamen habetur.

Sect. XXXII. 1. *Populi albæ . . . . exposuimus.*] Libro 12. sect. 61.

2. *Cortex potus*] Dioscor. lib. 1. cap. 109. Λέγεται δὲ ὅτι καὶ ὁ φλοιὸς αὐτῆς ὅσον οὐγγίας μιᾶς πινόμενος, ἰσχιαδικοῖς ἀρήγει καὶ στραγγουρικοῖς. Q Serenus, cap. 38. pag. 150.

Sæpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & gressus diro languore moratur.
Populus alba dabit medicos de cortice potus.

3. *Foliorum succus.*] Q. Serenus, cap. 13. pag. 131.

Cum fœtus teneras dolor alte fauciat aures,
Aut succum ex folio dederit quem populus alba,
Instilles: &c.

Et apud Diosc. loc. cit. exstant ea totidem verbis.

4. *Virgam populi.*] De vitice idem inferius, sect. 38.

5. *Comitialibus.*] Sic Diosc. lib. 1. cap. 113. Ὁ δὲ καρπὸς μετ᾽ ὄξους πινόμενος, ἐπιληπτικοὺς ὠφελεῖ.

6. *Fundit illa.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

7. *Humor e cavis.*] E cavitatibus, quæ sunt in media incisura positæ, dum castratur. Vide Notas & Emendat num. X I.

8. *Gutta æque propoli.*] Easdem ac propolis in medicina vires habet ex aqua. Vide Notas & Emendationes, num. X I I Quæ sint propolis facultates in usu medico dictum est lib. 22 sect. 50.

Sect. XXXIII. 1. *Ulmi & folia, &c.*] Hæc pariter Dioscor. lib. 1 cap. CXI.

2. *Corticis utique, &c.*] Dioscor. totidem verbis loc. cit. Ποιεῖ δὲ τὰ φύλλα πρὸς λέπρας λεῖα σὺν ὄξει ἐπιπλαττόμενα, μᾶλλον δὲ ὁ φλοιός, &c.

3 *Corticis denarii.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. libro 2. cap 23. & Diosc. loc. cit.

4. *Imponitur . . . lacryma*] Meminit ejus lacrymæ Theophrastus, lib 9. hist. cap. 1. Gummi Dioscorides vocat, in Alexiph. cap 22. Κόμμι πτελέας.

5. *Humor in folliculis.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 1. cap. CXI. In foliis ipsis folliculi instar corrugatis, complicatisque, humorem eum reperiri aiunt. Φύσας tamen Dioscorides: Æginetа, θυλάκια, *folliculos* dixere.

6 *Idem . . . . . . & tiliæ corticis.*] Ita MSS. non *cortices.* Tunicæ interiores in ulmi corticibus, tiliæ a Plinio nuncupantur. Sic paulo ante, hac ipsa sect. *Corticis utique interior tilia lepras sedat*, &c.

7. *Humor . . . uti diximus*] Libro 16 sect. 74. his verbis: *Circumcisas quoque ad medullam aliquas non omnes velut relinquunt, ut omnis humor stantibus destillat.*

Sect. XXXIV. 1. *Arbor tilia.*] Quæ de tilia arbore medicinæ a Plinio hunc referuntur, has totidem plane verbis phillyreæ arbori, diversi omnino a tilia generis, Dioscorides adjudicat, lib. 1. cap. 125. An philyram Plinius pro phillyrea acceperit, an eadem utriusque vires, non est in promptu statuere. Quare ampliandum censemus.

Sect. XXXV. 1. *Sambucus.*] MSS. omnes, *sabucus.* U-

[a] alii helion vocant, multo brevius. [1] Utriusque decoctum in vino veteri foliorum, vel feminis, vel radicis, ad cyathos binos potum, stomacho inutile est, alvo detrahens aquam. [4] Refrigerat etiam inflammationem, maxime recentis ambusti: [5] & canis morsum cum polenta mollissimis foliorum illitis. [6] Succus cerebri collectiones, privatimque membranæ, quæ circa cerebrum est, lenit infusus. [7] Acini ejus infirmiores, quam reliqua, 5 tingunt capillum. [8] Poti acetabuli mensura, urinam movent. [9] Foliorum mollissima ex oleo & sale eduntur, ad pituitam bilemque detrahendam. Ad omnia efficacior, quæ minor. [10] Radicis ejus in vino decoctæ duo cyathi poti, hydropicos exinaniunt: [11] vulvas emolliunt, [12] has & foliorum decoctum insidentium. [13] Caules teneri minoris sambuci, in patinis cocti, alvum solvunt. [14] Resistunt folia & serpentium ictibus in vino pota. 10 [15] Podagricis cum sevo hircino vehementer prosunt cauliculi illiti. Iidemque in aqua macerantur, ut ea sparsa pulices necentur. Foliorum decocto si locus spargatur, muscæ necantur. [16] Boa appellatur morbus papularum, cum rubent corpora: sambuci ramo verberatur. Cortex interior tritus, ex vino albo potus, alvum solvit.

XXXVI. [1] Juniperus vel ante cetera omnia excalfacit, extenuat, [2] cedro assimilis. 15 [3] Et ejus duo genera: altera major, altera minor. [4] Utraque accensa serpentes fugat. [5] Semen stomachi, pectoris, lateris doloribus utile. [6] Inflationes algoresque discutit: tusses concoquit & duritias. [7] Illitum tumores sistit: [8] item alvum, baccis ex vino nigro potis: item ventris tumores illitis. [9] Miscetur & antidotis [10] oxyporis. [11] Urinas ciet. Illinitur & oculis in epiphoris. [12] Datur convulsis, ruptis, torminibus, vulvis, [13] ischiadicis cum vino albo potum pilulis quaternis, aut decoctis viginti in vino. Sunt qui & 20 perungant corpus e semine ejus in serpentium metu.

XXXVII. [1] Salicis fructus ante maturitatem in araneam abit: sed si prius colligatur, CAP. IX. [2] sanguinem rejicientibus prodest. [3] Corticis e ramis primis cinis, clavum & callum aqua

NOTÆ.

utrumque recte, ut alibi monuimus.

2. *Alii helion.*] Hoc est, palustrem, quoniam in pinguibus locis, uliginosisque nascitur. Dioscor. lib. 4 cap. 175. Τὸ δ' ἕτερον αὐτῆς, χαμαιάκτη καλεῖται, ὅ τινες χαμαιάκτην ἄγριον, ἐλαῖον ἔοι, ἢ ἑλειοσάμβυκον. Et in Nothis, pag 474. Χαμαιάκτη .... οἱ δὲ ἑλειοάκτη· οἱ δὲ ἀγρία ἀκτῆ, οἱ δὲ Εὐβοεῖς, Ῥωμαῖοι ἔβουλουμ. Quæ Oribasius quoque transscripsit, lib. 11. pag. 188 Latinis Ebulus, & Ebulum, & Sambucus humilis appellatur.: Gallis *Hieble* Pingitur a Dodonæo, pag 377.

3. *Utriusque.*] Diosc loc. cit. utriusque vim pariter communem agnoscit, & aquas detrahendi alvo, & stomachum lædendi. Δύναμις δ' ἡ αὐτὴ ἀμφοτέρων ἐ χρῆσις, ξηραντική, ὑδραγωγός, κακοστόμαχος φύσει. Adde & Marcellum Empir. cap. 30. pag. 215.

4. *Refrigerat.*] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit.

5 *Et canis.*] Diosc. loc. cit.

6. *Succus cerebri.*] Q. Serenus, cap. 8. *de capite purgando*, pag. 129.

Ungitur & succis dederit quos parva sabucus.

7. *Acini ejus.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empiricus cap. 7. de capillo nigrando, pag. 48. *Herba quæ Græco chamæacte, Latine ebulus, exprimitur etiam cum suis granis, ejusque succo quotidie illito pectine, crines qui inficiendi sunt, perducuntur.* Adde & Q. Serenum, carmine a nobis allato, sect 10.

8. *Poti acetabuli.*] Q. Serenus, cap. 33. pag. 146.

Si cui vesica tardus cunctabitur humor,
Prodest ex partis acinos potare sabucis,
Aut edere succum, &c.

9. *Foliorum.*] Dioscor loc. cit.

10 *Radicis ejus.*] Dioscor. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. ad verbum. Q. Serenus, cap. 28. *de hydropisi depellenda*, pag. 143.

Convenit tenera radix decocta sabuci,
In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.

Cum oxymelle præbet Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 19. de hydropicis.

11. *Vulvas &c.*] Diosc. loc. cit.

12. *Has & foliorum.*] Has vulvas & foliorum decoctum emollit insidentibus feminis. Diosc. loc. cit εἰς ἐγκαθίσματα. Porro ἐγκαθίσματα a medicis dicuntur insessiones vel insessus. Sunt autem decocta ex herbis, radicibus, atque id genus medicamentis, quibus insidetur, ut fotu procidenti vulvæ succurratur, aliisque malis, ut renum, coli, vesicæ: supplent balneorum vicem, cum hæc desunt, aut cum præ imbecillitate horum usum æger ferre non potest. Ita fere Constantinus.

13 *Caules teneri.*] Dioscor. loc. cit Marcellus Empir. ad verbum, cap. 30. pag. 218. Q. Serenus, cap. 29. *de ventre molliendo*, pag. 144.

Autodis in patinis tenera decocta sabuci.

14. *Resistunt.*] Dioscor. loc cit Q. Serenus, cap. 47. *de serpentium morsibus excludendis*, pag. 154.

Proderit & caulem cum vino haurire sabuci.

15. *Podagricis.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir cap. 36. pag. 144 & 245. Q. Serenus, cap 43. *de podagra depellenda*, pag. 153.

Cohibebitque addita questus
Parva sabucus item, si hircino est collita sevo.

Scribonius Largus, tribus illis vetustior, compos. 160. *Ad frigidam podagram... sabucum cum axungia vetere tritum & impositum.*

16. *Boa.*] Græci τὰ τῶν ἐξανθημάτων ἐξαθήματα vocant: Galli, *la Rougeole.* Latini rubentes papulas. Etiam tumorem crurum viæ labore collectum, appellari *boam* Festus est auctor: & vetus Glossarium. Βία, ὁ τῶν ποδῶν φλεγμασμός. Et boum morbum, ibidem: Βόα, νόσος βοός.

Sect. XXXVI. 1. *Juniperus.*] Ita Diosc. lib. 1. cap 103.

2. *Cedro assimilis.*] Galenus, lib. 7. de fac simp. med. pag. 187. Auctor Geopon. lib XI. cap 1. aliique.

3. *Et ejus duo.*] Ad verbum hæc quoque Diosc. loc cit. cujus verba restituit Anguillara, par. 2. pag. 46.

4 *Utraque*] Diosc. loc. cit

5 *Semen,*] Bacca, fructus, ἀρκευθὶς dictus a Græcis: Dioscoride pariter attestante, εὐστόμαχος, ποιεῖ πρὸς τὰ ἐν θώρακι, &c.

6. *Inflationes &c.*] Dioscor. loc. cit.

7. *Illitum.*] Plinius Valer. lib 3. c. 25.

8. *Item alvum &c.*] Marcellus Empir. ad verbum, cap. 27. pag. 196. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 27.

9. *Miscetur & antidotis.*] Laudat Galenus medicamentum adversus venena, quod quia juniperi fructum adsciscebat, διὰ τῶν ἀρκευθίδων vocabatur, lib 9. de fac. simp. med. pag 248.

10. *Oxyporis.*] Si hæc conjunctim legas, *antidotis oxyporis*: sunt ea antidota quasi a celeritate dicta penetrandi, ὀξύπορα. Si divisim, *antidotis, oxyporis*: hoc est, & oxyporis: medicamenta intellige ad facilem concoctionem utilia. Et sane in ejusmodi oxypora, ad digestionem parandam, juniperi baccas adhibet Marcellus Empir. cap. 20. pag. 145. & 146.

11. *Urinas.*] Diosc. lib. 1. cap. 103.

12. *Datur &c.*] Diosc. loc. cit. Καὶ σπάσμασι, καὶ ῥήγμασι, ἢ ὑστερικαῖς πνιγομέναις (vel ὑστέρας) ἁρμόζει.

13. *Ischiadicis &c.*] Cato, de re rust. cap. 123 pag 66.

Sect. XXXVII. 1. *Salicis.... in araneam*] In araneosa fila: idcirco florem alii, non semen vocant. Vide quæ dicta sunt de salice, lib. 16. sect. 46.

2. *Sanguinem rejicientibus.*] Diosc. lib. 1. cap 136. de salice: ὁ δὲ καρπὸς αὐτῆς αἱμοπτοϊκοῖς ἀρωγεῖ.. Marcellus Empir cap. 15. pag. 120. *Semen salicis tritum, & ex vino austero sumptum, sanguinem tussientes sistit, & vitium potenter emendat.* Q. Serenus, cap. 22 pag 139.

Aut mansus salicum fructus prodesse putatur.
Aut platani pilulas acri infundemus aceto:
Nullus erit sanguis quem non cibus iste moretur.

3. *Corticis e ramis.* Marcellus Empir. cap. 34. pag. 235.

mixta sanat. Vitia cutis in facie emendat, magis admixto succo suo. Est autem hic trium generum. Unum arbor ipsa exsudat cummium modo. [4] Alterum manat in plaga, cum floret, exciso cortice trium digitorum magnitudine. [5] Hic ad expurganda, quæ obstent oculis: item ad spissanda quæ opus sunt, ciendamque urinam, & ad omnes [6] collectio-
5 nes intus extrahendas. Tertius succus est detruncatione ramorum a falce distillans. [7] Ex his ergo aliquis cum rosaceo [8] in calyce Punici calfactus auribus infunditur: vel folia cocta, & cum cera trita imponuntur: item podagricis. [9] Cortice & foliis in vino decoctis foveri nervos utilissimum. [10] Flos tritus cum foliis surfures purgat in facie. [11] Folia contrita & pota intemperantiam libidinis coërcent, atque in totum auferunt usum sæpius
10 sumpta. [12] Amerinæ nigræ semen cum spuma argenti pari pondere, a balneo illitum, psilothrum est.

XXXVIII. Non multum a salice vitilium usu distat vitex, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset. Græci lygon vocant, [1] alii agnon, [2] quoniam matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt. [3] Duo
15 genera ejus: major in arborem salicis modo assurgit: minor ramosa, foliis candidioribus lanuginosis. [4] Prima album florem mittit cum purpureo, quæ candida vocatur: nigra, quæ tantum purpureum. [5] Nascuntur in palustribus campis. Semen potum vini quemdam saporem habet, & dicitur febres solvere: & cum unguntur oleo admixto, sudorem facere: sic & lassitudines dissolvere. Urinam cient, [6] & menses. [7] Caput tentant vini mo-
20 do: nam & odor similis est. Inflationes pellunt in inferiora. Alvum sistunt: [8] hydropicis, & lienibus perquam utiles. [9] Lactis ubertatem faciunt. Adversantur venenis serpentium, maxime quæ frigus inferunt. [10] Minor efficacior ad serpentes: [11] bibitur feminis drachma in vino vel posca, aut duabus foliorum tenerrimorum, [12] Et illinuntur utraque adversus araneorum morsus: vel perunctis tantum, [13] suffitu quoque aut substratu fugant
25 venenata. Ad Venerem impetus inhibent: eoque maxime phalangus adversantur, quorum morsus genitale excitat. Capitis dolorem ex ebrietate sedant cum rosaceo flos, tenerique cauliculi. [14] Seminis decoctum vehementiorem capitis dolorem dissolvit fotu: [15] & vulvam etiam suffitu vel appositu purgat: [16] alvum cum pulegio & melle potum. [17] Vomicas panosque [18] difficile concoquentes, cum farina hordeacea mollit. Lichenas & len-
30 tigines cum aphronitto & aceto semen sanat: & oris hulcera, & eruptiones cum melle:

Notæ.

Salicis ramorum primorum vel summorum cortices exuruntur: eorum cinis cum aqua impositus clavellis confestim medetur. Plinius Valer. lib. 2 cap. 52. *Salicis ramorum primorum cortices* &c Lege *primorum* Diosc. lib. 1. cap. 136. pro aqua acetum adhibet.

4. *Alterum manat.*] Manat arbor e plaga succum alterum. Ita libri omnes.

5. *Hic ad expurganda.*] Diosc pariter loc. cit. de eo succo, qui cortice inciso manat: Δύναμιν δ' ἔχει σμηκτικὴν τῶν ἐπισκοτούντων ταῖς κόραις. *Vim habet ea expurgandi quæ pupillis offundunt caliginem.* Sic etiam Galenus, lib. 6 de fac simp med. pag. 180.

6 *Collectiones intus.*] Pituitæ. vel sanguinis collectiones, quæ intus sunt

7. *Ex his ergo.*] Ex his nullum Diosc. loc. cit. Sed e corticæ foliisque tusis succum ad eadem prorsus remedia adhibet: Ὁ δὲ ἐκ τῶν φύλλων, inquit, καὶ τοῦ φλοιοῦ χυλὸς ἐν λεπυχῷ ῥοιᾶς θερμανθεὶς μετὰ ῥοδίνου, ἐνσταλάζεται ὠσὶν ἀλγοῦσι· καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτῶν, καταιόνημα ἀριστόν ἐστιν ποδάγραις. Succum foliorum appellant Marcellus Empir cap. 9. pag 80. & Plinius Valer lib. 1. cap 10.

8. *In calyce Punici.*] Punici, pro *Punici mali*, familiaris Plinio locutio.

9. *Cortice & foliis.*] Sic Diosc. loc. cit. Q. Serenus, cap. 43. pag. 152.

Quædam sunt rabidæ medicamina digna podagræ.
Ergo age, & arreptam salicis frondemque, libramque,
Cum vino tere, sic contractos perline nervos.

10. *Flos tritus.*] Q. Serenus, cap. 12.

Invida si maculat faciem lentigo decoram,
Frons salicis cum flore suo contrita medetur.

Non flori, sed cortici trito cum foliis Diosc. loc. cit hanc vim adscribit: sed is multa miscet.

11 *Folia contrita.*] Diosc loc. cit. de salicis foliis, Καθ' ἑαυτὰ δὲ σὺν ὕδατι λαμβανόμενα, ἀσυλληψίαν κατεργάζεται. *Folia per se sumpta cum aqua conceptum impediunt.* Hoc ipsum Plinius de semine dixit ante, lib. 16. sect 46.

12. *Amerinæ nigræ.*] Totidem verbis ac syllabis hæc Plinius Valer lib. 4. cap. 52.

Sect XXXVIII. 1. *Alii agnon.*] Hoc est, castum. Unde herbarii *Agnum castum* appellant, utraque voce idem significante. Ἄγνος vero dicitur, quod auctore Galeno, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 148. castitatem conservet iis, quibus aut estur, aut bibitur, aut substernitur. Idcirco ἄγνος dici, quasi ἄγονος, contendit Eustathius, in Iliad, λ'. pag. 834. Pingitur a Matthiolo, in lib 1. Diosc. pag. 196.

2. *Quoniam matronæ.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 1. cap. 135. & Galenus loc. cit. Ælianus item, lib. 9 hist. animal. cap. 16. Sunt autem Θεσμοφόρια sacra Cereris, quibus nomen est a ferendis legibus: nam post inventas fruges, mores quoque hominum excoluisse ea creditur, & a silvestri vita ad humanitatem datis legibus revocasse: itaque mortales tanti beneficii memores, hæc sacra instituisse. & Θεσμοφόρια vocasse. Diodor. Sic. lib. 1. Bibl. Plinius lib. 7. sect. 57. de Cerere: *Eadem prima leges &c.* Hinc Θεσμοφόρος Ceres appellata apud Pausan. lib 1. Attic. pag. 79. & apud Gruterum in vetusto lapide, pag. 309. ΤΗΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ. ΘΕΑΣ. ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ. ΔΗΜΗΤΡΟΣ.

3 *Duo genera*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

4. *Prima album.*] Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ ἄνθος, ὁ μὲν τις λευκὸν σὺν τῷ ὑποπορφυρίζοντι· ὁ δὲ πορφυροῦν φέρει· σπέρμα δὲ ὡς πέπερι. Habet his affinia Theophr. lib. 3. hist cap. 17.

5. *Nascuntur*] Dioscorides loc. cit. Et idcirco inter aquarum notas vitex censetur, lib. 31. sect. 27.

6. *Et menses.*] Diosc. loc. cit. de fructu, seu semine: Ἔμμηνα ἄγει πινόμενος ὁ καρπὸς σὺν οἴνῳ.

7. *Caput tentant.*] Diosc. loc. cit.

8. *Hydropicis &c.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 148.

9. *Lactis.*] Diosc loc. cit.

10. *Minor efficacior*] Ælianus, lib. 9. hist anim. cap. 26.

11. *Bibitur feminis.*] Diosc. loc. cit. Sed medicamenti modum non statuit.

12. *Et illinuntur.*] Diosc. Καταπλασσόμενα ἐπὶ τῶν θηριοδήκτων βοηθεῖ.

13. *Suffitu &c.*] Diosc. loc. cit.

14 *Seminis decoctum.*] Diosc. loc. cit. Λύει δὲ καὶ κεφαλαλγίαν καταντλούμενος.

15. *Et vulvam.*] Diosc. loc. cit Τὸ δὲ ἀφέψημα τῆς πόας καὶ τοῦ σπέρματος, εἰς ἐγκαθίσματα ἐπὶ τῶν περὶ ὑστέραν διαθέσεων καὶ φλεγμονῶν ἁρμόζει. *Herba ac seminis decoctum ad insessus, vulvæ affectibus & inflammationibus opitulatur.*

16. *Alvum &c.*]. Totidem verbis Dioscorides loc. cit.

17. *Vomicas.*] Vomica tumor est excrescens cum sanie, sive suppuratione Celsus, lib. 4. cap. 8. Sunt etiam vomicæ internæ collectiones, quas Græci ἀποστήματα vocant, ut ait Cælius Aurel. lib. 5. cap 10. Fiunt autem eæ in pulmone, in membrana quæ latera cingit, in liene, in renibus, in intestinis, in vesica, aliisque partibus.

18 *Difficile concoquentes.*] Qui haud facile concoquuntur, maturantur.

19 testium,

[19] testium, cum butyro & foliis vitium: rhagadas sedis, cum aqua illitum: luxata, cum sale, & nitro, & cera. Et semen, & folium, additur in malagmata nervorum, & podagras. [20] Semen instillatur in oleo decoctum capiti in lethargia, & phrenesi. [21] Virgam qui in manu habeant, aut in cinctu, negantur intertriginem sentire.

XXXIX. [1] Ericen Græci vocant fruticem non multum a myrice differentem, colore rorismarini, & pæne folio. [2] Hoc adversari serpentibus tradunt.

XL. [1] Genista quoque vinculi usum præstat. Flores apibus gratissimi. Dubito an hæc sit, quam Græci auctores spartum appellavere, [2] cum ex ea lina piscatoria apud eos factitari docuerim: & numquid hanc designaverit [3] Homerus, cum dixit navium sparta dissoluta. Nondum enim fuisse Africanum vel Hispanum spartum in usu, certum est: & cum sutiles fierent naves, lino tamen, non sparto, umquam sutas. [4] Semen ejus, quod Græci eodem nomine appellant, in folliculis, phaseolorum modo, nascens, [5] purgat ellebori vice, drachma & dimidia pota in aquæ mulsæ cyathis quatuor jejunis. [6] Rami similiter cum fronde in aceto macerati pluribus diebus, & tusi, succum dant ischiadicis utilem, cyathi unius potu. [7] Quidam marina aqua macerare malunt, & infundere clystere. Perunguntur eodem succo ischiadici addito oleo. Quidam ad stranguriam utuntur semine. [8] Genista tusa cum axungia, genua dolentia sanat.

XLI. [1] Myricen, quam ericen vocat Lenæus, similem scopis Amerinis dicit: sanari ea carcinomata in vino decocta tritaque cum melle illita. [2] Arbitrantur quidam hanc esse tamaricen: [3] sed ad lienem præcipua est, si succus ejus expressus in vino bibatur. [4] Adeoque mirabilem ejus antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, ut affirment, si ex ea alveis factis bibant sues, sine liene inveniri. [5] Et ideo homini quoque splenico cibum potumque dant in vasis ex ea factis. [6] Gravis auctor in medicina, virgam ex ea defractam, ut neque ferrum attingeret, sedare ventris dolores asseverat impositam, ita ut tunica cinctuque corpori appnimeretur. [7] Vulgus infelicem arborem eam appellat, ut diximus, quoniam nihil ferat, nec feratur umquam.

XLII. Corinthus, & quæ circa est regio, [1] bryam vocat, ejusque duo genera facit: Silvestrem plane sterilem: alteram mitiorem. Hæc fert in Ægypto Syriaque etiam abundanter lignosum fructum, majorem galla, asperum gustu, [2] quo medici utuntur vice gallæ, in compositionibus, quas [3] antheras vocant. Et lignum autem, & flos, & folia, [4] & cortex in eosdem usus adhibentur, quanquam remissiora. [5] Datur sanguinem rejicientibus cortex tritus, & contra profluvia feminarum, cœliacis quoque. [6] Idem tusus impositusque collectiones omnes inhibet. Foliis exprimitur succus ad hæc eadem. Et in vino decoquun-

NOTÆ.

19. *Testium.*] Subintellige, eruptiones, ex antecedente sententia: quas & testium dixit Diosc. lib 5. cap. 135. Σκληρίας δὲ διδύμων μετὰ βουτύρου καὶ φύματα ἀρτιτόκων μαλάττει. Ῥαγάδας τε τὰς ἐν δακτυλίῳ σὺν ὕδατι ἐπιτιθέμενον τὸ στέμφυλον θεραπεύει· σὺν δὲ ἅλσι ... φύμασι τε καὶ τραύμασι ἰᾶται.

20. *Semen .... in oleo.*] Cum oleo & aceto Diosc. loc. cit.

21. *Virgam.*] Diosc. loc. cit. Idem de populo Plinius supra, sect. 32.

Sect. XXXIX. 1. *Ericen Græci.*] Diosc. lib. 1. cap. 117. Ἐρείκη, δένδρον ἐστὶ θαμνῶδες, ὅμοιον μυρίκῃ, μικρότερον δὲ πολύ, &c. Sic etiam Oribas. lib. 11. fol. 196. Diximus de ea, lib. 13. sect. 35.

2. *Hoc adversari.*] Diosc. Oribas. & Plinius ipse locis cit.

Sect. XL. 1. *Genista quoque*] Genista hæc scoparia vulgi, *du Genest*, cujus iconem Lobelius exhibet, in Observat. pag. 531. Dioscoridis, lib. 4. cap 158. Σπάρτιον. Plinius supra lib. 16. sect 69. *Si quidem & genista .... alligant.* Martialis, lib. 1. Epigr. 44.

Non pira, quæ lenta pendent religata genista.

2. *Cum ex ea lina .... docuerim.*] Libro 16. sect. 2. extrema: *Fiunt e genista sacit lina ad retia præcipua, in piscando durantia, frutice madefacto decem diebus.* Nunc vero id Plinius jure miratur: est enim genista nostra quidem ad vinculorum usum apta: eadem nectendis retibus minus idonea. Sed σπαρτίον, non σπάρτον Græci dixere, de herbis omnibus, atque adeo de lino, & cannabi, aliisque ad vitilia textiliaque idoneis.

3. *Homerus.*] Loco a nobis allato, lib. 19. sect. 6. ubi vide quæ in Notis diximus.

4. *Semen ejus.*] Hæc. Diosc. fere totidem verbis lib. 4. cap. 158 sed σπάρτιον vocat. Galeno, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 231. Σπάρτου, ὅ τινες ἀρκεύθου παρ' ἡμῖν ἄνθρωπον, &c. Ex Aetio, lib. 1. lege Σπάρτου. Aetii interpres, pag. 18 *Genista qua vites apud nos nocti solent, &c.*

5. *Purgat ellebori.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 4. cap. 158.

6. *Rami .... cum fronde.*] Cum foliis minutis. Vide Notas & Emend. num. XIII.

7. *Quidam marina.*] Ad verbum Diosc. loc. cit. & lib. 1. Eupor. cap 137.

8. *Genista tusa*] Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246.

Sect. XLI. 1. *Myricen, quam ericen.*] Diximus de ea, lib. 13. sect. 37. Vide Notas & Emend. num. XIV.

2. *Arbitrantur.*] Et ii quidem recte.

3. *Sed ad lienem.*] Diosc. totidem verbis, lib. 1. cap 116. Marcellus Empir. cap. 23. pag. 166. & Q. Serenus, cujus verba referemus sect. 47.

4. *Adeoque mirabilem.*] Marcellus Empir. loc. cit.

5. *Et ideo homini.*] Dioscor. loc. cit. Κατασκευάζουσι δέ τινες ἐκ τοῦ ξύλου αὐτῆς ποτήρια, ὡς ἐπὶ τῶν σπληνικῶν χρῆσθαι ποτηρίοις, ὡς τὸ δι' αὐτῶν πόματος ὠφελοῦντος. *Sunt qui & e radice calices parent, quibus poculorum vice splenici utantur, seu datus in ejusmodi vasis potus lieni conferat.* Cælius Aurel. lib. 3. cap 4 *Item cibum vel potum sumere jubent ægrotantes in vasculis tamarici ligno confectis.*

6. *Gravis auctor.*] Sic etiam Q. Serenus, cap. 27. *de ventris dolore mitigando*, pag. 142.

Nec non jungenda est utero nova virga myricæ:
Illæsa hæc ferro terraque intacta teratur.

7. *Vulgus .... ut diximus.*] Libro 16. sect. 45.

Sect. XLII. 1. *Bryam vocat.*] De ea egimus lib. 13. sect. 37. Vide Notas & Emend. num. XV.

2. *Quo medici utuntur.*] Ita quidem si ea Galenus præcipit, lib. 7. de fac. simp. med pag. 21. Χρὴ ἐπειδὰν κηκὶς τις παρῇ (ἀκριβῶς) δίδοσθαι, μὴ παρούσης ἀνάλογος, εἰς ὑποκαρπίαν. *Ubi galla ad manum non erit, uti eo myricæ semine licebit, ad ea omnia ad quæ illa utimur.*

3. *Antheras.*] Ἀνθηραὶ compositiones sunt ita dictæ, vel a colore florido, vel a florum mixtione, quæ præcipue adhibentur adversus oris hulcera. Galenus, libro 4. τῶν κατὰ τόπους, cap. 8. pag. 437 & alibi ἀνθηρὰς vocat: idem lib. 5. τῶν κατὰ γένη, cap. 15. pag. 801. ἀνθηρὰς.

4. *Et cortex in eosdem*] Diosc. lib 1. cap. 116.

5. *Datur sanguinem, &c.*] Dioscor. loco cit. hæc totidem verbis.

6. *Idem tusus.*] Diosc. loco cit. Οἰδήματα δὲ πάντα καταπλάσσεις.

tur : ipsa vero adjecto melle gangrænis illinuntur : [7] decoctum eorum in vino potum, vel imposita cum rosaceo & cera sedant. Sic & epinyctidas sanant. Ad dentium dolorem auriumque, decoctum eorum salutare est : [8] radix ad eadem similiter. Folia hoc amplius, ad ea quæ serpunt imponuntur cum polenta. [9] Semen drachmæ pondere adversus pha-
5 langia & araneos bibitur. Cum altilium vero pingui furunculis imponitur. Efficax & contra serpentium ictus, præterquam aspidum. [10] Nec non morbo regio, phthiriasi, lendibusque, decoctum infusum prodest, [11] abundantiamque mulierum sistit. [12] Cinis arboris ad omnia eadem prodest. Aiunt, si bovis castrati urinæ immisceatur, in potu vel in cibo, Venerem finiri. Carboque ex eo genere urina ea restinctus in umbra conditur : idem
10 cum libeat accendere, resolvitur. Magi id & ex spadonis urina fieri tradiderunt.

CAP. X. XLIII. [1] Nec virga sanguinea felicior habetur. Cortex ejus interior cicatrices, [2] quæ præsanavere, aperit.

XLIV. Sileris folia illita fronti capitis dolores sedant. Ejusdem semen tritum, in oleo phthiriases coërcet. Serpentes & hunc fruticem refugiunt : baculumque rustici ob id
15 ex eo gerunt.

XLV. [1] Ligustrum si eadem arbor est, quæ in oriente cypros, suos in Europa usus habet. Succus ejus nervis, articulis, algoribus ; folia ubique veteri hulceri cum salis mica, & oris exhulcerationibus prosunt. Acini contra phthiriasin : item contra intertrigines, foliave. Sanant & gallinaceorum pituitas acini.

20 XLVI. [1] Folia alni ex ferventi aqua certissimo remedio sunt tumori.

XLVII. [1] Ederæ genera viginti demonstravimus. Natura omnium in medicina anceps. [2] Mentem turbat, & caput purgat largius pota. [3] Nervis intus nocet. [4] Iisdem nervis adhibita foris prodest. Eadem natura, quæ aceto, ei est. Omnia genera ejus refrigerant. [5] Urinam cient potu : [6] capitis dolorem sedant, præcipue cerebro, continen-
25 tique cerebrum membranæ, utiliter mollibus impositis foliis : [7] cum aceto & rosaceo tritis & decoctis, addito postea rosaceo oleo. Illinuntur autem fronti : & decocto eorum fovetur os, caputque perungitur. [8] Lieni & pota & illita prosunt. Decoquuntur & contra horrores febrium, eruptionesque pituitæ, [9] aut in vino teruntur. [10] Corymbi quoque poti vel illiti lienem sanant : jocinera autem illiti. [11] Trahunt & menses appositi.
30 [12] Succus ederæ tædia narium graveolentiamque emendat, præcipue albæ sativæ. [13] Idem

NOTÆ.

7. *Decoctum.*] Mutila hæc visa nonnullis oratio : sed nihil MSS præterea habent. Voce postrema superioris sententiæ fere repetita, erit fortasse qui legat, *lienem decoctum vocant*, &c. Nam Diosc. loco cit. [illegible Greek] *Foliorum decoctum in vino potum lienem absumit : & ore collutum ad dentium dolores salutare est.* Sed collectiones potius ex antecedente sententia putem subintelligi oportere.

8. *Radix ad eadem similiter*] Hoc est, decocta.

9. *Semen drachmæ*] Diosc. loc. cit.

10. *Nec non morbo*, &c.] Diosc. loc. cit.

11. *Abundantiamque.*] Vulvæ profluvium [illegible Greek], Diosc. loc. cit.

12. *Cinis arboris*] Ligni e caudice. Diosc. loco cit. [illegible Greek] *Sed & ligni cinis appositus fluxionem ex utero sistit.*

Sect. XLIII. 1 *Nec virga . . . . felicior.*] Quam myrice, quam sect. 41 censeri dixit inter infelices arbores. Tarquitius Etruscus in Ostentario arborario, apud Macrobium, lib. 2. Saturn. cap. 16. pag. 378 (ubi perperam *Tarquinius Priscus* scribitur,) sic ait : *Arbores, quæ inferûm Deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant. Alaternum, sanguinem*, &c. Modestinus, digest. 48 tit. 9 lib. 9 *Pœna parricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur.* Sanguineus frutex, & sanguinea virga, idem. Egimus de eo, lib. 16. sect. 30

2. *Quæ præsanavere*] Hoc est, quæ prius sunt sanatæ, quam opus esset. Sic sect. 38. *panos difficile concoquentes*, dixit, hoc est, qui difficilius concoquuntur : sect. 69. *genitalia carbunculantia*, hoc est, quæ carbunculantur.

Sect. XLV. 1 *Ligustrum, si eadem.*] In Reg. & Colb. cod. *si ex eadem.* Forte, *si hæc eadem.* Hac loquendi forma usus infernus, sect. 91. *Dracontium, si modo hoc est, quod apud nos dracunculus vocatur.* Plinius, lib. 12 sect. 51. *Quidam hanc esse dicunt arborem, quæ in Italia ligustrum vocetur.* At non est sane ligustrum Cypros, ut eo loci diximus : nec Plinius sibi, sed quibusdam ignotis auctoribus, ita videri ait.

Sect. XLVI. 1. *Folia alni.*] Ad verbum Marcellus Empiricus, cap. 19. pag. 132.

Sect. XLVII. 1 *Ederæ genera*] Libro 16 sect. 62.

2 *Mentem turbat*, &c] Diosc. lib. 2. cap. 210. [illegible Greek] *Nigra edera succus, & corymbi epoti . . . mentem turbant largius sumpti.*

3. *Nervis intus.*] Diosc. lib. 2. cap. 210. de edera : [illegible Greek], *nervosum genus tentat.*

4. *Iisdem nervis*] Marcellus Empir. cap. 36 pag. 246.

5. *Urinam.*] Q. Serenus, laudatus a nobis, sect. 35.

6. *Capitis dolorem.*] Q. Serenus, cap. 4. inter remedia capiti medendo, pag. 126.

Prosunt, aut edera ex oleo decocta vetusto.

7. *Cum aceto.*] Dioscor. loco cit. [illegible Greek] *Contra veteres capitis dolores . . . perfunditur eo caput cum aceto & rosaceo.* Apuleius, cap. 98. tit. 2. *Ad capitis dolorem : Ederæ succum cum vino, tempora vel frontem perfricabis : sedat dolorem.*

8. *Lieni & pota*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 191. Q. Serenus, cap. 24. *de splene curando*, pag. 140.

Aut ederæ succus potu, appositusque juvabit :
Sive myrica potens, seu vos cum pane marinus.

Marcellus item Empir. cap. 23. pag. 166. & Plinius Valer. lib. 2 cap. 18.

9. *Aut in vino teruntur*] Cum melle teri & illini ad exanthemata, hoc est, ad eruptiones pituitæ, præcipit Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 16.

10. *Corymbi.*] Vide Notas & Emend. num. XVI.

11. *Trahunt.*] Dioscorid. loc. cit. [illegible Greek] *Movent & menses & corymbi triti ac subditi.* [illegible Greek], menses, menstrua : quod mulieribus per singulos menses solet accidere profluvium.

12. *Succus ederæ.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 86. *Nares graviter olentes emendat succus ederæ frequenter infusus.* Apuleius, cap. 98. tit. 5. *Ad nares graveolentes. Herbæ ederæ succus bene colatus in nares infunditur, & nares male olentes emendat.* Diosc. quoque loc. cit. [illegible Greek] . . .

13. *Idem infusus.*] Hæc totidem verbis Diosc. & Galenus, locis citatis. Q. Serenus, cap. 8. de capite purgando, pag. 129.

Expressusque edera mandatur naribus humor

Marcellus Empir. cap. 5. pag. 44. pro nitro florem æris adsciscit. *Æris floris*, inquit, *scripulus unus, & de succo ederæ idem pondus in unum mixtum, & naribus infusum, evocant pituitam, & defluere compellunt.* Scribonius Largus, Compos. 12. *Per nares purgatur caput iis rebus infusis per cornu . . . . Ederæ succo*

infusus naribus caput purgat, efficacius addito nitro. [14] Infunditur etiam purulentis auribus, aut dolentibus cum oleo. [15] Cicatricibus quoque decorem facit. Ad lienes efficacior albæ est, ferro calefactus: satisque est acinos sex in vini cyathis duobus sumi. [16] Acini quoque ex eadem alba terni, in aceto mulso poti, tineas pellunt, in qua curatione ventri quoque imposuisse ens utile est. [17] Ederæ, quam chrysocarpon appellavimus baccis aurei coloris viginti, in vini sextario tritis, ita ut terni cyathi potentur, aquam quæ cutem subierit, urina educit Erasistratus. [18] Ejusdem acinos quinque tritos in rosaceo oleo, calefactosque in cortice Punici, instillavit dentium dolori a contraria aure. Acini, qui croci succum habent, præsumpti potu a crapula tutos præstant: item sanguinem exscreantes, aut torminibus laborantes. [19] Ederæ nigræ candidiores corymbi poti, steriles etiam viros faciunt. [20] Illinitur decocta quæcumque in vino omnium hulcerum generi, etiamsi cacoëthe sint. [21] Lacryma ederæ psilothrum est, phthiriasinque tollit. [22] Flos cujuscumque generis trium digitorum captu, dysentericos & alvum etiam emendat, in vino austero bis die potus. [23] Et ambustis illinitur utiliter cum cera. [24] Denigrant capillum corymbi. [25] Radicis succus in aceto potus, contra phalangia prodest. [26] Hujus quoque ligni vase splenicos bibentes sanari invenio. Et acinos terunt, moxque comburunt, & ita illinunt ambusta, prius perfusa aqua calida. [a] Sunt qui & incidant succi gratia, eoque utantur ad dentes erosos: [27] frangique tradunt, proximis cera munitis, ne lædantur. [28] Gummi etiam in edera quærunt, quod ex aceto utilissimum dentibus promittunt.

XLVIII. [1] Græci vicino vocabulo cisthon appellant fruticem majorem thymo, foliis ocimi. [2] Duo ejus genera. Flos masculo rosaceus, feminæ albus. [3] Ambo prosunt dysentericis & solutionibus ventris, in vino austero, ternis digitis flore capto, [4] & similiter bis die poto: hulceribus veteribus & ambustis [5] cum cera: & per se oris hulceribus. Sub his maxime nascitur hypocisthis, [6] quam inter herbas dicemus.

XLIX. [1] Cissos erythranos ab iisdem appellatur similis ederæ, eoxendicibus utilis e vino potus: item lumbis. [2] Tantam vim acini aiunt, ut sanguinem urina detrahat. Item chamæcisson appellant ederam, non attollentem se a terra. Et hæc contusa in vino acetabuli mensura lieni medetur. Folia ambustis cum axungia. Smilax quoque, qui & nicophoros cognominatur, similitudinem ederæ habet, tenuioribus foliis. Coronam ex eo factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera

INTERPRETATIO.

a *Sunt qui.*] Sunt qui & *ederam* incidant succi *eliciendi* gratia, eoque *succo* utantur ad dentes erosos: frangique *eos dentes* tradunt, proximis *dentibus interim* cera munitis, ne lædantur.

NOTÆ.

per se, vel beta succo cum exiguo flore æris, &c.

14. *Infunditur etiam.*] Dioscor. & Galenus, locis citatis. Apuleius, cap. 98. tit. 6.

15. *Cicatricibus*] Q. Serenus, cap. 45. pag. 154.

Ut succis edera putrescit fœda cicatrix.

Adde Galenum, loc. cit.

16. *Acini quoque.*] Ad verbum hæc Marcellus Empiricus cap. 28. pag. 200. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 21.

17. *Edera .... appellavimus*] Libro 16 sect. 62. Hæc verbia fere totidem Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. *Est edera*, inquit, *quæ chrysocarpos appellatur, propterea quod fert grana aurei coloris, &c.* Apuleius item, cap. 119. tit. 1.

18. *Ejusdem acinos.*] Totidem verbis Diosc loc cit.

19. *Edera nigræ.*] Diosc. loc. cit. *Τοῦ δὲ μέλανος κισσοῦ ὁ χυλὸς καὶ οἱ κόρυμβοι πινόμενοι ἀγονίαν ποιοῦσι.*

20. *Illinitur*] Folia illini dixit Diosc. loc. cit. *Καταπλάσσεται δὲ καὶ φύλλα αὐτοῦ πρὸς ἕλκη, ἑψηθέντα σὺν οἴνῳ.* Item Plinius Valer. lib. 3. cap. 22. & Marcellus Empir. cap. 4. pag. 42.

21. *Lacryma, &c.*] Diosc. & Galenus, locis cit. & Q. Serenus, cap 6 pag 128.

22. *Flos.*] Totidem verbia Diosc. loc. cit. Marcellus Empiricus, cap 27. pag. 193 & Plinius Valer. lib. 1. cap. 28

23. *Et ambustis.*] Diosc. & Galenus, locis cit. & Plinius Valer lib. 3. cap 36. *Cum cera* pro more Plinius, pro cerato dixit: Dioscor. *σὺν κηρωτῇ.*

24. *Denigrant.*] Dioscor. loc. cit. *Μελαίνουσι δὲ καὶ τὰς τρίχας οἱ κόρυμβοι.*

25. *Radicis.*] Dioscor. loc. cit. & Apuleius, cap. 98. tit. 4.

26. *Hujus quoque.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 18. Q. Serenus, cap. 24. pag. 140.

Quando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Et plenum splenis demonstrant membra vigorem:
Mollibus ex edera tornantur pocula lignis:
Hinc trahet assuetos æger quoscumque liquores.

27. *Frangique tradunt.*] Celsus, lib 6 cap 9. *Quod si dolor eximi dentem cogit, bacca ederæ conjecta in id foramen, dentem findit.*

28. *Gummi etiam.*] Marcellus Empir. cap. 12. pag. 94. *Ad dentes cavos*, inquit, *& exesos ne penitus exedantur, aut excidant, facies hoc: Gummi quod in edera nascitur, cavo denti inserito.*

Sect. XLVIII. 1. *Græci vicino.*] Nam ederam Græci *κισσὸν*, fruticem hunc *κίσθον* vocant. Sic propter solam cognationem nominis, chamæpityos & pityusæ tractationem instituit, una cum larice, piceaque, sect. 20. & 21. hujusce libri: sic herbam erineon, cum caprifico connectit, propter gentilitatem, ut dictum est sup libro, sect 65. Idque ipse aperte præfatur, ne quemquam falleret similitudo nominis, ne quis ejusdem generis ea esse existimaret, quæ essent ejusdem fere appellationis.

2. *Duo ejus genera.*] Dioscor. lib. 1. cap 126. *Ἄνθη ἄρρενος, ὥσπερ ῥοιᾶς· ἐπὶ δὲ τοῦ θήλεος, λευκά. Flores masculo, velut mali Punici: feminæ, albi.* Utriusque generis icones habet Clusius, lib. 1. hist rarior. plant. pag. 68. & 70. quales in horto Regio vidimus.

3. *Ambo prosunt*] Diosc. loc cit. & Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 190.

4. *Et similiter.*] Ut de edera dictum est sup. sect.

5. *Cum cera.*] Hoc est, cum cerato. Dioscor. loc. cit. *Καὶ αὐτὰ δὲ καταπλασθέντα, νομὰς ἐπέχει· σὺν κηρωτῇ δὲ τριφθέντα, καὶ παλαιὰ ἕλκη ἰᾶται.*

6. *Quam inter herbas.*] Libro 26. Vide Notas & Emend. num. XVII.

Sect. XLIX. 1. *Cissos.*] De cisso erythrano, & chamæcisso diximus lib. 16. sect 62 de smilace, sect. 63.

2. *Tantam vim acini aiunt*] Nos ita ex conjectura emendavimus, cum prius insulse legeretur, *Tantamque vim accipiunt.*

ſmilacis dixere. [3] Alterum immortalitati proximum, in convallibus opacis, ſcandentem arbores, comantibus acinorum corymbis, [4] contra venenata omnia efficaciſſimis, [5] in tantum ut acinorum ſucco infantibus ſæpe inſtillato, nulla poſtea venena nocitura ſint. [6] Alterum genus culta amare, & in his gigni, nullius effectus. [7] Illam eſſe ſmilacem priorem,
5 cujus lignum ad aures ſonare diximus. [8] Similem huic aliqui clematida appellaverunt, repentem per arbores, geniculatam & ipſam. [9] Folia ejus lepras purgant. [10] Semen alvum ſolvit acetabuli menſura, in aquæ hemina aut aqua mulſa. Datur ex eadem cauſa & decoctum ejus.

Cap. XI. L. [1] Arundinis genera XXIX. demonſtravimus, non aliter evidentiore [2] illa Naturæ vi,
10 quam continuis his voluminibus tractamus. [3] Siquidem arundinis radix contrita & impoſita filicis ſtirpem corpore extrahit: item arundinem filicis radix. Et quoniam plura genera fecimus, illa quæ [4] in Judæa Syriaque naſcitur odorum unguentorumque cauſa, [5] urinam mover cum gramine aut apii ſemine decocta. [6] Ciet menſtrua admota. Medetur convulſis duobus obolis pota, jocineri, renibus, hydropi, [7] tuſſi etiam ſuffitu, magiſ-
15 que cum reſina. Furfuribus hulcerumque manantibus cum myrrha decocta. Excipirur & ſuccus ejus, ſitque elaterio ſimilis. Efficaciſſima autem in omni arundine quæ proxima radici. Efficacia & genicula. [8] Arundo Cypria, quæ donax vocarur, corticis cinere alopecias emendar: item putreſcentia hulcera. [9] Foliis ejus ad extrahendos aculeos utuntur; [10] efficacibus & contra ignes ſacros, collectioneſque omnes. [11] Vulgaris arundo extra-
20 ctoriam vim habet, & recens tuſa, non in radice tantum. Multum enim & ipſam arundinem valere tradunt. [12] Medetur & luxatis, & ſpinæ doloribus radix in aceto illita. Eadem recens trita in vino pota, Venerem concitat. [13] Arundinum lanugo illita auribus, obrundit auditum.

LI. Cognata in Ægypto res eſt arundini papyrus, [1] præcipuæ utilitatis, cum inaruit,
25 ad laxandas ſiccandaſque fiſtulas, & intumeſcendo ad introitum medicamentorum aperiendas. [2] Charta quæ fit ex ea, eremata, [3] inter cauſtica eſt. [4] Cinis ex vino potus ſomnum facit: ipſa ex aqna impoſita callum ſanat.

LII. Ne in Ægypto quidem naſcitur ebenus, [1] ut docuimus: nec tractamus in medicina alienos orbes: non omitterur tamen propter miraculnm. Scobem ejus oculis uni-
30 ce mederi dicunt: lignoque ad cotem trito cum paſſo, caliginem diſcutit. Ex aqua vero radice, [2] albugines oculorum. Item ruſſim, pari modo dracunculi radicis adjecto cum melle. Ebenum medici & inter erodentia aſſumunt.

LIII. Rhododendros ne nomen quidem apud nos invenit Latinum: rhododaphnen

Notæ.

3. *Alterum.*] Hæc ſmilax aſpera, de qua lib. 16. ſect. 63 & Dioſcor lib. 4. cap. 144.

4. *Contra venenata.*] Dioſc. loc cit.

5. *In tantum, &c.*] Dioſc. loc cit totidem verbis.

6. *Alterum genus.*] Smilax lævis Dioſcoridi appellatur, lib 4. cap. 145. Σμίλαξ λεία.

7. *Illam eſſe. . . diximus.*] Libro 16. ſect. 63.

8. *Similem huic.*] Κληματῖτις dicta Dioſcoridi, lib. 4. cap. 182 ſmilacis in morem ſe ſe arboribus circumvolvens [Greek illegible]. Hæc Viorna vulgi, Dodonæi Vitalba, pag. 399. Noſtris, l'Herbe aux Gueux.

9. *Folia ejus*] Dioſc loc. cit. [Greek illegible]

10. *Semen alvum*] Dioſc. totidem verbis, loc. cit.

Sect L. 1. *Arundinis . . . demonſtravimus.*] Libro 16 ſect. 64. 65 & 66.

2. *Illa Naturæ vi.*] Antipathia, & ſympathia.

3. *Siquidem arundinis*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 34. pag. 233 & Plinius Valer. lib. 3. cap. 49. Hauſere ambo a Celſo, lib. 3. cap 26. ſub finem. *Ubi ſurculus corpori infixus eſt. . . . Surculum, ſi fieri poteſt, oportet vel manu, vel ferramento ejicere. Si vel praefractus eſt, vel altius deſcendit, quam ut ita fieri poſſit, medicamento evocandus eſt. Optime autem educit ſuperimpoſita arundinis radix, ſi tenera eſt, protinus contrita: ſi jam durior, ante in mulſo decocta: cui ſemper mel adjiciendum eſt, aut ariſtolochia, cum eodem melle. Peſſima ex ſurculis arundo eſt, quia aſpera eſt eademque offenſa in filicis haſtula eſt. Sed uſu cognitum eſt utramque adverſus alteram medicamentum eſſe, ſi contrita ſuperimpoſita eſt.*

4. *In Judæa, Syriaque.*] Ita M S S. omnes. Tolerabilis tamen vulgata quoque lectio, *In India Syriaque* Nam de calamo aromatico agit, quem Indis Syriæque communem eſſe dixit, lib. 12. ſect 48. cum Dioſc lib. 5. cap. 17.

5. *Urinam*] Dioſc. lib. 5. cap. 17. hæc totidem verbis de calamo aromatico: [Greek illegible], &c.

6. *Ciet*] Dioſc loc cit

7. *Tuſſi etiam.*] Dioſc. loc. cit. [Greek illegible]

8. *Arundo Cypria.*] Hæc totidem verbis Dioſc. lib. 1. pag. 114 & Alexander Iatros, lib 1. cap 4.

9. *Foliis ejus*] Dioſc loc. cit. radice

10. *Efficacibus*] Subintellige, foliis. Ita M S S. non *efficacius.* Plinius, *ignes ſacros*: Dioſcorides, ut ſæpe monuimus, ἐρυσιπέλατα: ille *collectiones* φλεγμονὰς iſte dixit. [Greek illegible]

11. *Vulgaris.*] Dioſc loc. cit

12. *Medetur, &c.*] Dioſc loc. cit. [Greek illegible]

13. *Arundinum.*] Dioſc. loc cit. [Greek illegible]. *Panicula ſlos, ſi aures intraverit, exſurdat.*

Sect LI 1. *Præcipuæ utilitatis.*] Dioſc. lib 1. cap. 115. [Greek illegible]. *Præcipuæ in medicina utilitatis eſt, ad laxanda fiſtularum orificia, ſi areſacta fuerit, mox macerata liquore, lino fuerit obvoluta, donec inaruerit. Ita enim madida atque immiſſa, humore completur, & intumeſcendo fiſtulas aperit.*

2. *Charta*] Dioſc. lib. 1. cap. 115 Papyrus uſta, inquit, dum in cinerem redacta fuerit, depaſcentia hulcera cohibet: id vero charta combuſta melius efficit: [Greek illegible]. Meminit hujus medicamenti, [Greek illegible], ad pudendorum affectus & hulcera, Galenus, lib 9. [Greek illegible], cap. 8. pag 624. Et ad ἀχῶρας ſanandos, hoc eſt, manantia capitis hulcera, *charta combuſta cinis cum aceto medetur*, inquit Theodorus Priſcianus, lib. 1. cap. 3. *de achoribus*

3. *Inter cauſtica.*] Καυστικὰ medicamenta ſunt quæ adurendi & exedendi vim habent.

4. *Cinis ejus.*] Q. Serenus, cap. 56 de ſomno ægris adſciſcendo, pag. 160.

> *Charta igitur, varius quam pinxit littera verbis,*
> *Uritur: unde cinis calido potatur in amni.*

Sect LII. 1 *Ut docuimus*] Libro 12 ſect. 8.

2. *Albugines oculorum.*] Dioſc lib. 1. cap. 129.

vocant, aut nerium. [1] Mirum, folia ejus quadrupedum venenum esse, homini vero contra serpentes præsidium, ruta addita e vino pota. Pecus etiam, & capræ, si aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur.

LIV. Nec rhus Latinum nomen habet, [1] eum in usum pluribus modis veniat. [2] Nam & herba est silvestris, foliis myrti, cauliculis brevibus, [3] quæ tineas pellit: [4] & frutex coriarius appellatur, subrutilus, cubitalis, crassitudine digitali: cujus aridis foliis, ut malicorio, coria perficiuntur. [5] Medici autem rhoïcis utuntur ad contusa: [6] item cœliacos, & sedis hulcera, aut quæ phagedænas vocant, trita cum melle, & illita cum aceto. [7] Decoctum eorum instillatur auribus purulentis. [8] Fit & stomatice decoctis ramis ad eadem, quæ ex moris: sed efficacior admixto alumine. Illinitur eadem hydropicorum tumori.

LV. [1] Rhus, qui erythros appellatur, semen est hujus fruticis. [2] Vim habet adstringendi refrigerandique. [3] Aspergitur pro sale obsoniis. [4] Alvos solvit, omnesque carnes cum silphio suaviores facit. Hulceribus medetur manantibus cum melle: [5] asperitati linguæ, percussis, lividis, desquamatis eodem modo. Capitis hulcera ad cicatricem celerrime perducit: [6] & feminatum abundantiam sistit cibo.

LVI. [1] Alia res erythrodanus, quam aliqui ereuthodanum vocant, nos rubiam, qua tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur: in medicina [2] urinam ciet: [3] morbum regium sanat ex aqua mulsa, & lichenas ex aceto illita: [4] & ischiadicos, & paralyticos, ita ut bibentes laventur quotidie. [5] Radix semenque trahunt menses, alvum sistunt, & collectiones discutiunt. [6] Contra serpentes rami cum foliis imponuntur. Folia & capillum inficiunt. Invenio apud quosdam morbum regium sanari hoc frutice, etiamsi adalligatus spectetur tantum.

LVII. [1] Distat ab eo, qui alysson vocatur, foliis tantum & ramis minoribus: nomen accepit, [2] quod a cane morsos rabiem sentire non patitur, potus ex aceto adalligatusque. [3] Mirum est quod additur, saniem conspecto omnino frutice eo siccari.

LVIII. [1] Tingentibus & radicula lanas præparat, quam struthion a Græcis vocari diximus. Medetur morbo regio & ipsa decocto ejus poto, item pectoris vitiis. [2] Urinam ciet, alvum solvit, & vulvas purgat. Quamobrem aureum poculum medici vocant. [3] Ea & ex melle prodest magnifice ad tussim, orthopnœæ cochlearis mensura. [4] Cum polenta vero & aceto lepras tollit. [5] Eadem cum panace & capparis radice calculos frangit, pellitque. [6] Panos discutit, cum farina hordeacea & vino decocta. [7] Miscetur & malagmatis, & collyriis, claritatis causa: sternutamento utilis inter pauca: lieni quoque ac jocineri. Eadem pota denarii unius pondere ex mulsa aqua, suspiriosos sanat.

NOTÆ.

Sect. LIII. 1. *Mirum.*] Vide quæ diximus libro 16. sect. 33.

Sect LIV. 1. *Cum in usum.*] Cum in usu medicinæ pluribus rebus id nomen accommodetur: & frutici nimirum, fructuique Syriaco, de quo lib. 13. sect. 13. & herbæ silvestri, quæ tineas pellit: & frutici coriario, de quo mox dicetur.

2. *Nam & herba est.*] Chamelæagnus Dodonæi hæc est, Pemptade 6. lib. 2. cap. 28. pag. 768. Aliis Rhus myrtifolia Belgica, aliis myrtus Brabantica: Gallis, *Piment Royal.* Vidimus in horto Regio. Viri docti hodie censent eamdem esse cum ea quam vulgo *Thé* Sinarum vocant: neque ab ea vel forma vel viribus discrepare. Vide Commentarium Simonis Pauli, de abusu Tabaci, & herbæ *Thé.*

3. *Quæ tineas pellit.*] Et glires abigi, & pediculos necari ea scimus: nec serpentes in saltibus iis, in quibus ea frequens est, posuere cubilia.

4. *Et frutex coriarius.*] Hoc est, quo coria perficiuntur, ut est alias dictum sæpius. Hæc rus myrtifolia Lobelii, in Adversf. pag. 412. quam & nos in Regio horto vidimus.

5. *Medici autem rhoïcis.*] Subintelligitur, foliis: rhois illius videlicet quæ Syriaca dicitur, expedita a nobis lib. 13. sect. 13 non myrtifoliæ.

6. *Item cœliacos.*] Dioscor. lib 1. cap. 147. Monspelii, ubi rhus illa fruticat, panem conficiunt ex jure hujus seminis, & farina, ad dysenteriam accommodatissimum.

7. *Decoctum*] Diosc. loc. cit.

8. *Fit & stomatice.*] De stomatice quæ fit ex moris, ejusque dotibus, dictum est lib. 23. sect 71.

Sect LV. 1. *Rhus, qui erythros.*] Vide Notas & Emend. num. XVIII.

2. *Vim habet.*] Galenus. lib. 8. de facult. simpl. med. pag 225.

3. *Aspergitur.*] Diosc. loc. cit.

4. *Alvos solvit.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag 191.

5. *Asperitati.*] Diosc. loc. cit.

6. *Et feminarum.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ λευκὴν ῥοῦν ἵστησι.

Sect. LVI. 1. *Alia res.*] Alia nimirum ab erythro rhoë, cum quo nominis aliquam cognationem habet. Egimus de ea lib. 19. sect. 17. Cæl. Aurel. lib. 3 chron. cap. 5. *Rubea, quam Græci erythrodanon vocant.* Vide & Dioscor lib 3. cap. 160. Galli vocant, *de la Garance, herbe aux teinturiers.*

2. *Urinam.*] Diosc. loc. cit.

3. *Morbum regium, &c*] Diosc. loc. cit. Ἰατρεύει δὲ μελικράτῳ ποθεῖσα ἰκτερικούς. Plinius quoque Valer. lib. 2. cap. 59. Q. Serenus, cap. 59. de morbo regio, pag. 161.

Huic rubia ex mulsa fertur conducere lympha.

4. *Et ischiadicos.*] Dioscor. loc. cit. Ἰσχιαδικοῖς τε καὶ παραλυτικοῖς: & Galenus, lib. 6. de fac. simp med. pag 175. Sic etiam Marcellus Empir. cap. 25. pag 174. Plinius Valer lib 2. cap. 45. & Q. Serenus, cap de ischia, & articulari morbo.

5. *Radix, &c.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis. & Galenus, loc. cit. post Hippoc. lib. de nat. mulier. tex. 29. pag. 379.

6. *Contra serpentes.*] Diosc. loc. cit.

Sect. LVII. 1. *Distat . . . . alysson.*] Nec Galeni istud, nec Dioscoridis ἄλυσσον, etsi eadem utrobique originatio nominis, & geminæ vires. Neutrum enim ex iis folia habet ramosque rubiæ seu erythrodano pares.

2. *Quod a cane.*] Et de suo pariter alysso id Diosc. lib 3. cap. 105. Ἀπὸ τῆς λύσσης ποιεῖ ἰατῶς.

3. *Mirum est . . . . saniem.*] Pus videlicet quod in hulcere est, a morsu canis. Vide Notas & Emend num. XIX.

Sect. LVIII. 1. *Tingentibus . . . . . diximus.*] Libro 19. sect. 18.

2. *Urinam, &c.*] Hæc pariter Diosc. lib. 2. cap. 193.

3. *Ea & ex melle, &c.*] Totidem verbis Dioscor. loco citato.

4. *Cum polenta, &c.*] Diosc loc. cit

5. *Eadem cum.*] Ad verbum Diosc. loc. cit

6. *Panos, &c.*] Diosc. loc. cit. Διαφορεῖ καὶ τὰ φύματα σὺν ἀλεύρῳ κριθίνῳ, καὶ οἴνῳ ἑψηθεῖσα.

7. *Miscetur.*] Diosc. loc. cit. Μίγνυται δὲ καὶ κολλυρίοις ὀξυδερκέσι, καὶ μαλάγμασι.

[8] Sic & pleuriticos, & omnes lateris dolores, apocyni semen ex aqua. [9] Frutex est folio ederæ, molliore tamen, & minus longis [10] viticulis, [11] semine acuto, lanuginoso, [12] gravi odore. [13] Canes & omnes quadrupedes necat in cibo datum.

LIX. [1] Est & rosmarinum. Duo genera ejus. Alterum sterile, alterum cui & caulis, 5 & semen resinaceum, [2] quod cachrys vocatur. [3] Foliis odor thuris. [4] Radix vulnera sanat viridis imposita, & sedis procidentia, condylomata, & hæmorrhoïdas. [5] Succus & fruticis & radicis morbum regium, & ea quæ repurganda sunt. [6] Oculorum aciem exacuit. [7] Semen ad vetera pectoris vitia datur potui. [8] Et ad vulvas cum vino & pipere. [9] Menses adjuvat. [10] Podagris illinitur cum ærina farina. [11] Purgat etiam lentigines, & 10 quæ excalfacienda sunt, aut cum sudor quærendus, illitum: item convulsis. [12] Auget & lac in vino potum: item radix. [13] Ipsa herba strumis cum aceto illinitur: [14] ad tussim cum melle prodest.

LX. [1] Cachrys multa genera habet, ut diximus. [2] Sed hæc, quæ ex rore supra dicto nascitur, si fricetur, resinosa est. Adversatur venenis & venenatis, præterquam angui- 15 bus. Sudores movet, tormina discutit, lactis ubertatem facit.

LXI. [1] Herba Sabina, brathy appellata a Græcis, duorum generum est: altera tamarici similis folio, altera cupresso. [2] Quare quidam Creticam cupressum dixerunt. [3] A multis in suffitus pro thure assumitur: [4] in medicamentis vero duplicato pondere eosdem effectus habere, quos cinnamum, traditur. [5] Collectiones minuit, & nomas compescit. 20 [6] Illita hulcera purgat. [7] Partus emortuos apposita extrahit, & suffitu. [8] Illinitur igni sacro & carbunculis. [9] Cum melle & vino pota, regio morbo medetur. [10] Gallinacei generis pituitas fumo ejus herbæ sanari tradunt.

LXII. [1] Similis herbæ huic Sabinæ est selago appellata. Legitur sine ferro dextra manu per tunicam, qua sinistra exuitur velut a furante, candida veste vestito, pureque lo- 25 tis nudis pedibus, sacro facto prius quam legatur, [2] pane vinoque. Fertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodesse.

NOTÆ.

8. *Sic &c.*] Hoc est, ex aqua mulsa pota unius denarii pondere. Vide Notas & Emend. num. XX.

9. *Frutex est.*] Totidem verbis describitur a Diosc. lib. 4. cap. 81. Ἀπόκυνον, οἱ δὲ κυνάγχην, &c. Pingitur a Dodonæo, Periplocæ prioris nomine, pag. 403. & a Clusio, lib. 1 hist. rar. plant. pag. 125. quo Apocynum tertium latifolium appellatur.

10. *Viticulis.*] Virgultis, cauliculis, sarmentis.

11. *Semine acuto*] Semine acuto, in siliqua fabarum instar discreto, molli intus, candidaque lanugine, quæ tomento similis, incluso.

12. *Gravi odore.*] Dioscor. loc cit. φύλλα βαρύοσμα

13 *Canes &c.*] Dioscor. loc. cit.

Sect. LIX. 1. *Est & rosmarinum.*] Diximus de eo, lib. 19. sect. 62. Λιβανωτὶς est Dioscoridis, lib. 3. cap. 87. a quo hæc duo pariter genera totidem verbis delineantur.

2. *Quod cachrys.*] Diosc. loc cit. Κάχρυς, & Apuleio, *Canchrys.* Theophrasto, qui similia tradit, lib. 9. hist. cap. 12. Κάχρυς.

3. *Foliis*] Diosc. loc. cit. φύλλα δὲ.... ὄζοντα Λιβανωτοῦ. At de radice mox: Ῥίζα δὲ.... ὄζουσα λιβάνου. Sic Theophr. lib 9. hist. cap. 12. Ῥίζαν δὲ μεγάλην, καὶ παχεῖαν, λευκὴν ὄζουσαν ὥσπερ λιβανωτοῦ. Idcirco, teste Apuleio, de virtutibus herb. c. 79. de rosmarino, *antequam thus sciretur, hac herba homines Deos placabant.*

4. *Radix &c.*] Herbæ ipsi Dioscor. has vires adscribit: ἡ πόα τραυματικὴ ἐστὶ λεία, &c. At Theophr. loc. cit. radicis Χρησίμη δ' ἡ μὲν ῥίζα, ὥστε τι καὶ ἕλκη.

5. *Succus & fruticis.*] Hoc vero Diosc. loc. cit. poto semini: idem cap. 89. decocto radicis adjudicat.

6 *Oculorum.*] Dioscor. loc cit. Ὁ δὲ χυλὸς τῆς ῥίζης καὶ τῆς πόας, ὀξυδερκὴς, μιγνύμενος μέλιτι, καὶ ἐγχεόμενος. Galenus item, lib. 7. de facult. simp. med. pag. 203. & Apuleius, cap. 79. tit. 7.

7. *Semen.*] Dioscor. loc cit.

8. *Et ad vulvas*] Vide Notas & Emend. num. XXI.

9. *Menses.*] Dioscor. loc. cit. De radice hoc Theophr. loc. cit.

10. *Podagris... cum ærina.*] Hoc est, loliacea. Diosc. loc. cit Ποδάγραις τε καταπλασσόμενος λεῖος σὺν αἰρίνῳ ἀλεύρῳ καὶ ὄξει. Frustra igitur *ervina* hic nonnulli reponunt.

11. *Purgat etiam lentigines.*] Ἀλφούς τε σμήχει. Diosc. loc. cit.

12. *Auget & lac.*] Hoc de semine seu fructu pariter Theophr. loc. cit.

13 *Ipsa herba.*] Diosc. loc. cit. Καὶ χοιράδας συμπέττει.

14. *Ad tussim.*] Apuleius cap. 79. tit. 5. *Ad tussim: Herbam rosmarinum cum piperis granis centum, mellis unciis duabus teres, & facies pastillos, & dabis unum mane & unum sero cum dormitum vadit, tussim sedat.*

Sect. LX. 1. *Cachrys..., ut diximus.*] Libro 16. sect. XI.

2. *Sed hæc quæ ex rore.*] Hoc est, e rosmarino, sive libanotide, de qua proxima sect. dictum est. Hanc libanotidem cachryferam adversus serpentes & scorpiones commendat Nicander in Theriacis, pag. 60.

Ἄμμιγα καγχρυφόρῳ λιβανωτίδι.

Sect. LXI. 1. *Herba Sabina.*] Diosc lib. 1. cap 104. Βράθυς, ἔνιοι βάρατρον καλοῦσι. ἔστι δὲ τούτου εἴδη δύο. τὸ μὲν γάρ ἐστι τοῖς φύλλοις ὅμοιον κυπαρίσσῳ.... τὸ δὲ ἕτερον μυρίκῃ, &c. Sic & Oribasius, lib. XI. pag. 193 Diversa hæc ab arbore peregrina brato, de qua lib 12. sect 39. Nunc *Sabine* & *Savinier* Galli vocant Myricæ seu tamaricis folio pingitur a Matthiolo, in lib. 1. Dioscor. pag 124. sine baccis illa quidem, seu sterilis. Altera cupressi folio, sive baccifera, a Lobelio in Advers. pag. 447. Utraque visa nobis in horto Regio

2. *Quare quidam.*] Sabinam cupressum nominat Apuleius, cap 85. Neophytus in Glossis Iatricis: Βράθυ, κυπάρισσος Κρητική.

3. *A multis.*] Dioscor. & Oribas. locis citatis. Hesychius: Βράθυ, πόα τις θυσίας θυμιωμένη. Ovidius, lib. 1. Fastor. vers. 341. de vetustioris ævi moribus:

Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.

Virgilius quoque laudatus a nobis lib. 16. sect. 33.

4. *In medicamentis, &c.*] Hæc totidem verbis Galenus, lib 6. de fac. simp med. pag. 165.

5. *Collectiones, &c.*] Diosc. pariter loc. cit. Τὰ φύλλα ἵστησι νομὰς, καὶ φλεγμονὰς καταπλασσόμενα πραΰνει.

6. *Illita.*] Diosc & Galenus, locis cit.

7. *Partus.*] Diosc. loco citato. *Et urinas ciet, & mortuos extrahit*, καὶ τὰ ζῶντα τῶν ἐμβρύων διαφθείρει, καὶ νεκρὰ δι' ὑποθέσεως ἐκβάλλει, inquit Galenus loc. cit.

8. *Illinitur.*] Dioscor. loc. cit. Plinius Valer. lib. 3. cap. 30. & 34.

9. *Cum melle.*] Plinius Valer. lib. 2. cap 59. *Regio morbo pellendo: Herba Sabina, quæ habet folia quasi cupressus, trita ex vino potui datur* Apuleius, cap 85. tit 1. *Ad morbum regium.... Herba Sabina cum melle & vino pota aurigine discutit*, &c.

10. *Gallinacei.*] Vide quæ diximus lib 10. sect. 78.

Sect. LXII. 1. *Similis.... selago.*] Herbarius hodie incognita Nicol. Chorier, lib. 2. hist Delph pag 90. existimat esse Chamæpeucen, de qua dicemus sect 86.

2. *Pane vinoque.*] Ita MSS. omnes.

LXIII. [1] Iidem famolum herbam nominavere nascentem in humidis : & hanc sinistra manu legi a jejunis contra morbos suum boumque, nec respicere legentem : nec alibi, quam in canali, deponere, ibique conterere poturis.

LXIV. [1] Gummium genera diximus. Ex his majores effectus melioris cujusque erunt. Dentibus inutiles sunt. Sanguinem coagulant, & ideo [2] rejicientibus sanguinem prosunt: 5 item ambustis, [3] arteriæ vitiis. Inutilem urinam cient, amatitudines hebetant [4] adstrictis ceteris. Quæ ex amygdala amara est, [5] spissandique viribus efficacior, habet excalfactorias vires. [6] Præponuntur autem prunorum, & cerasorum, ac vitium. Siccant illitæ & adstringunt : ex aceto vero infantium lichenas sanant. Prosunt & tussi veteri, quatuor obolis [7] in mixto potis. Creduntur & colorem gratiorem facere, ciborumque appeten- 10 tiam, [8] & calculosis prodesse cum passo potæ. Oculorum & vulnerum utilitatibus maxime conveniunt.

LXV. [1] Spinæ Ægyptiæ, sive Arabicæ laudes in odorum loco diximus : [2] & ipsa spissat stringitque distillationes omnes, & sanguinis exscreationes, mensiumque abundantiam, etiamnum radice valentior. CAP. XII. 15

LXVI. [1] Spinæ albæ semen contra scorpiones auxiliatur. Corona ex ea imposita, capitis dolores minuit. [2] Huic similis est spina illa, quam Græci acanthion vocant, minoribus multo foliis, [3] aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis : qua collecta, [4] etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in Oriente. [5] Ipsa folia vel radices ad remedia opisthotoni bibuntur. 20

LXVII. [1] Est & acacia e spina. [2] Fit in Ægypto alba nigraque arbore, item viridi, sed longe meliore prioribus. Fit & in Galatia tenerrima, [3] spinosiore arbore. [4] Semen omnium lenticulæ simile : minore est tantum & grano & folliculo. [5] Colligitur autumno : ante collectum nimio validius. Spissatur succus ex folliculis aqua cælesti perfusis : [6] mox in pila tusis exprimitur organis : [7] tunc densatur in Sole mortariis in pastillos. 25

NOTÆ.

Sect. LXIII. 1. *Iidem famolum.*] Sic etiam in Indice At hoc loco MSS. quidam *famosum* habent. Bononiensibus *Samolo*, teste Anguillara, part. XI. pag. 179. Nostris *Pulsatilla* dicitur. Pingitur a Dodonæo, pag. 430.

Sect. LXIV. 1. *Gummium ... diximus.*] Libro 13. sect. 20. In MSS. *cummium.* Veteres *cummim* dixere, femineo genere : ut diximus lib 13. sect. 20.

2. *Rejicientibus Sanguinem.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 64 cui lemma inscriptum, *sanguinem rejicientium curatio : Gummi optimum*, inquit, *cum vino solvitur, & datur · & si fieri potest, gummi ex amygdalis sit.* Iterumque, cap. 66. cui titulus : *Ad eos qui sanguinem de stomacho vel vena fatis emittit. Gummi optimum in ore solvatur : sic paulatim glutiatur · multoque melius, si id amygdalinum fuerit.* Ita fere etiam Marcellus Empir. cap. 16. pag. 120.

3. *Arteriæ vitiis.*] Galenus, lib 7. de fac. simp. med. pag. 193. Τὰς τραχύτητας ἰᾶται, *medetur asperitatibus* faucium scilicet.

4. *Adstrictis ceteris.*] Ceteris conglutinatis spissatisque humoribus.

5. *Spissandique.*] Diosc. adstringendi, lib. 1. cap. 176. Τὸ δὲ κόμμι αὐτῆς στύφει καὶ θερμαίνει, καὶ βοηθεῖ πρὸς αἵματος ἀναγωγὴν πινόμενον. *Gummi ex amygdala adstringit, calfacit, & contra sanguinis rejectionem potum auxilio est.*

6. *Præponuntur.*] De his gummium generibus diximus, lib. 13. sect 20

7. *In mixto potis.*] Ita etiam MSS. Forte sincerius, *in musto.*

8. *Et calculosis.*] His cerasorum in primis gummi prodesse, scribit Galenus, lib. de fac. simp med. pag. 189.

Sect. LXV. 1. *Spinæ Ægyptiæ, ... diximus.*] Libro 13. sect. 19 Acacia est, seu spina Ægyptiaca, cujus iconem exhibet Dalecamp. lib. 2 hist plant pag. 161. & Bellonius, lib. 2. Observ. cap. 56. Et nunc in Gallia provenit : sed propter soli cælique mutationem ab Ægyptiaca degener. Vide Notas & Emend. num. XXII.

2. *Et ipsa spissat.*] Dioscor. lib. 5. cap. 25. Ἄκανθα Ἀραβική ἐοικέναι τὴν φύσιν εἶναι δοκεῖ τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, στύφει· καὶ πρὸς ῥοῦν γυναικεῖον, καὶ πρὸς ἀναγωγὴν αἵματος, καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ῥευματισμούς, ἡ ῥίζα παραπλησίως ἁρμόζει. *Spina Arabica natura spinæ albæ similis esse creditur · siquidem adstringit : & ad fluxum muliebrem, sanguinis rejectionem, ceterasque fluxiones radix simili modo valet.* Galenus quoque, lib. 6. de fac. simp. med. Στυπτικωτέρα δὲ καὶ ξηραντικωτέρα τὴν δύναμίν ἐστι. Ex ea spina gummi fit, laudatum jam ante a Plinio, lib. 13. sect. 20. quod *gummi acanthinum* Celsus vocat, lib. 5. cap. 2. atque inter ea annumerat, quæ vulnus glutinent.

Sect. LXVI. 1. *Spinæ albæ.*] Diosc. lib 3. cap. 14.

2. *Huic similis.*] Dioscor lib 3. cap. 18. Ἀκάνθιον ἐμφερῆ τὰ φύλλα ἔχει τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ· ἐπ' ἄκρων δὲ ἀκανθώδεις ἐξοχὰς, καθ' ἃς ἀραχνοειδές ἐστι χνοῦς· ὃ συλλεγόμενον &c. *Acanthium folia gerit spinæ albæ similia : in summo vero aculeatas eminentias, araneosa lanugine obductas, e qua collecta vestes bombycinis similes fieri aiunt.* Ignota hæc nobis, ut & Alosio Anguillaræ, ipso fatente, part 8. pag 148.

3. *Aculeatis per extremitates*] Dioscor. loc. cit. ἐπ' ἄκρων δὲ ἀκανθώδεις ἐξοχὰς, *in summitate eminentias aculeatas*, quales nimirum cernimus in carduis, & congeneribus acanthis spinis, quæ summum capitulum floris instar habent, qui cum senescit, in pappos lanuginosos abit. Verum Plinius, non in summitate caulis ac spinæ, sed in foliorum extremis marginibus hanc lanuginem inesse ait, indeque depectis vesti texendæ, ut ex foliis arborum Sericarum fieri diximus, lib. 6. sect. 20 Quod ut in Orientali acanthio verum sit, (neque enim scire id certo licet,) de nostro certe acanthio, quale in horto Regio contemplati sumus, pictum a Lobelio in Observ. pag. 476. accipi utique non potest.

4. *Etiam vestes.*] Acanthinæ inde appellatæ : de quibus Vossium vide in Etymolog verbo, *Acanthinum.*

5. *Ipsa folia.*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXVII. 1. *Est & acacia e spina.*] Ex Ægyptia quidem, Arabicave spina, de qua sect. 65. quam esse acaciam Dioscoridis, lib. 3. cap. 133. docuimus apertissime, lib. 13. sect. 19. & 20. Sed & acaciæ nomen et succo hæsit, qui ex ea arbore premeretur. Vide Notas & Emendationes, num. XXIII.

2. *Fit ... alba nigraque*] Plinius, lib 13 sect. 19. *Nec minus spina celebratur in eadem gente*, (Ægypto) *dumtaxat nigra ... candida facile putrescit* . &c. Qui color ei succo sit, Dioscorides attigit, loc cit. nempe ex fructu maturo, niger : subfulvus ex immaturo Quis color arborum præstantissimus, non expressit. Album nigrumque Ægyptiacæ spinæ genus & Theophrastus agnoscit, lib 4 hist. cap. 3.

3. *Spinosiore arbore.*] Cui & acaciæ pariter nomen est inditum. Describitur a Dioscor. loc. cit. Φύεται δὲ καὶ ἑτέρα ἀκακία ἐν Καππαδοκίᾳ καὶ Πόντῳ, παρεμφέρουσα τῇ Αἰγυπτίᾳ· ἐλάττων μέντοι πολλῷ καὶ χαμαιζηλοτέρα, καὶ τρυφερωτέρα· πεπλησμένη δὲ ἀκανθῶν σκολοπωδῶν &c. Minor, quam Ægyptiaca, dicitur, humilis, ac tenerior, aculeis vallorum in modum obsita.

4. *Semen lenticulæ.*] Mole lenticulæ simile, siliquis inclusum. Σπέρμα ἐν θυλάκοις .... ἐλάττον φακοῦ, inquit Diosc. de acacia Pontica : ἐν λοβοῖς, de Ægyptia.

5. *Colligitur.*] Dioscor. loc. cit.

6. *Mox in pila.*] Mox in mortario tusis folliculis, succus exprimitur machinis. De hac voce organi Vitruvium vide, lib. 10. cap. 1. quid nempe distet a machina : hæc pluribus operis aut vi majore agitur : istud unius operæ prudenti tactu perficit, quod propositum est.

7. *Tunc densatur in Sole.*] Dioscor. loc. cit. Ξηραινόμενον ἐν σκιᾷ. Legit tamen & Oribasius, cum Plinio, ἐν ἡλίῳ, in Sole.

[8] Fit & ex foliis minus efficax. Ad coria perficienda semine pro galla utuntur. Foliorum succus & Galaticæ acaciæ nigerrimus improbatur: item qui valde rufus. [9] Purpurea aut leucophæa, & quæ facillime diluitur, vi summa ad spissandum refrigerandumque est, oculorum medicamentis ante alias utiles. [10] Lavantur in eos usus pastilli ab aliis, tor-
5 rentur ab aliis. [11] Capillum tingunt. [12] Sanant ignem sacrum, hulcera quæ serpunt, [13] & humida vitia corporis, collectiones, articulos contusos, perniones, pterygia. Abundantiam mensium in feminis sistunt, vulvamque, & sedem, procidentes. Item oculos, oris vitia, & genitalium.

Cap. XIII. LXVIII. [1] Vulgaris quoque hæc spina, ex qua [2] cortinæ fulloniæ implentur, [3] ra-
10 dicis usus habet. Per Hispanias quidem multi, & inter odores, & ad unguenta [4] utuntur illa, aspalathum vocantes. Est sine dubio hoc nomine spina silvestris in Oriente ([5] ut diximus) candida, magnitudine arboris justæ.

LXIX. [1] Sed & frutex humilior, æque spinosus, [2] in Nisyro, & Rhodiorum insulis, quem aliis erysisceptrum, alii adipsatheon, [3] sive diacheton vocant. [4] Optimus,
15 qui minime ferulaceus, rubens, & in purpuram vergens, detracto cortice. Nascitur pluribus locis, sed non ubique odoratus. [5] Quam vim haberet cælesti arcu in eum innixo, diximus. [6] Sanat tetra oris hulcera & ozænas, genitalia exhulcerata aut carbunculantia: item rhagadia: [7] inflationes potu discutit, & strangurias. Cortex sanguinem reddentibus medetur. [8] Decoctum ejus alvum sistit. Similia præstare silvestrem quoque
20 putant.

LXX. [1] Spina est appendix appellata, quoniam baccæ puniceo colore in ea appendices vocantur. Hæ crudæ per se, & aridæ in vino decoctæ, [2] alvum citam, ac tormina compescunt. [3] Pyracanthæ baccæ contra serpentium ictus bibuntur.

LXXI. [1] Paliurus quoque spinæ genus est. [2] Semen ejus Afri zuram vocant, [3] contra
25 scorpiones efficacissimum: item calculosis & tussi. [4] Folia adstrictoriam vim habent. [5] Radix discutit panos, collectiones, vomicas: [6] urinas trahit pota. [7] Decoctum ejus potum in vino alvum sistit: serpentibus adversatur. Radix præcipue datur in vino.

Notæ.

8. *Fit & ex foliis.*] Dioscor. loc. cit.

9. *Purpurea aut leucophæa.*] Subintellige, acacia, seu succus arboris. *Λευκόφαιος* color fuscus est, hoc est, mixtus ex albo nigroque.

10. *Lavantur.*] Diosc. loc. cit. Πλύνεται δὲ εἰς τὰ ὀφθαλμικά.... καὶ ὕπτας ἀναλαμβάνεται εἰς τροχίσκους.... Ὀπτᾶται δὲ ἐπὶ ἀνθράκων φυσωμένων. *Lavatur & ad oculorum medicamenta.... atque ita in pastillos cogitur.... Torretur & super carbonibus igne follibus ventilato.*

11. *Capillum.*] Dioscor. de succo Ægyptiæ acaciæ: μελαίνει δὲ καὶ τρίχας.

12. *Sanant ignem.*] Reliqua deinceps exstant & apud Dioscor. loc. cit. qui has esse dotes Ægyptiæ acaciæ proprias innuit.

13. *Et humida vitia.*] Hulcera quæ sunt in humidis, ut dictum est, lib. 22. sect. 19.

Sect. LXVIII. 1. *Vulgaris.*] Hippophæston intelligit, qua de spina dicetur lib 27. sect. 66.

2. *Cortinæ fulloniæ*] Cortinæ ea vasa sunt, in quibus foventur aqua calida, curantur, poliunturque vestes In MSS. non *cortinæ*, sed *ane* legitur: forte, *anea*, ut lib. 27 sect. 66. *Hippophæston nascitur in spinis, ex quibus fiunt anea fullonia &c.*

3. *Radicis usus habet*] Radiculæ qua lanas diximus lavari, utilitates repræsentat De radicula, quæ lanis lavandis est utilis, diximus lib 19. sect. 18.

4 *Utuntur.*] Utuntur spina vulgari, quam aspalathum, sed forsan male, nuncupant.

5. *Ut diximus.*] Libro 12. sect. 52.

Sect. LXIX. 1. *Sed & frutex.*] Aspalathi quoque nomine donatus, etiam a Dioscor a quo describitur, lib. 1 cap. 19. diversus ab eo, quem dixit Plinius lib. 12. sect. 52. assurgere in magnitudinem arboris modicæ. Officinæ retinent nomen, *l'Aspalath* Vis ligno eadem quæ aloes. Describitur a Charasio, in Pharmac. pag. 382. In insula Rhodo nasci ait Anguillara, pag 36. & aloe Rhodium appellari. Ruellius, lignum Rhodium, lib. 1. de nat. stirp. pag. 113.

2 *In Nisyro.*] Dioscor. lib 1. cap. 19. Ἀσπάλαθος, οἱ δὲ ἐρυσίσκηπτρον. Θάμνος ἐστὶ ξυλώδης, ἀκάνθας πολλὰς ἀναπεπλεγμένος.... ἐν Νισύρῳ, καὶ Ῥόδῳ, &c.

3. *Sive diacheton.*] In Indice hujus loci: *Erysisceptro, sive adipsatheo, sive diatiron.* In Reg. 1. cod. hoc loco: *alii fyrisceptrum, at ipsi phœfyri diatiron vocant.* Forte, *at ipsi Phœnices Syri diatiron vocant.* Diosc in Nothis, pag 441. a Syris diaxylon vocari scribit: Ἀσπάλαθος, οἱ δὲ σφάγιον, οἱ δὲ φάσγανον, Σύροι δὲ διάξυλον καλοῦσι.

4 *Optimus ... ferulaceus.*] Non medullosus, ut ferula, sed lignosus: ξυλώδης a Diosc in primis laudatur, loc. cit. καὶ βαρὺς ὑπόπυῤῥος ἢ πορφυρίζων, πυκνός, ἰσώδης, &c.

5. *Quam vim .... diximus.*] Libro 12. sect. 52.

6 *Sanat tetra.*] Dioscor. loc. cit. Πρός τε τὰς ἄφθας ἑψηθεὶς μετ' οἴνου, καὶ διακλυζόμενος ἁρμόζει, καὶ πρὸς τὰς ἐν αἰδοίοις νομὰς καὶ ἀκαθαρσίας ἐγκλυζόμενος, καὶ πρὸς τὰς ὀζαίνας. *Ad tetra oris hulcera in vino decoctus collutusque convenit: atque etiam ad genitalium nomas, immundamque illuviem: necnon ad ozænas commode infunditur.* Quid sit ozæna, Celsus aperit, lib. 6. cap. 8 *Sin autem ea hulcera*, inquit, *circa nares sunt, pluresque crustas & odorem fœdum habent, quod genus Græci ὀζαίνας appellant, scire quidem debet, vix ei malo posse succurri.* Scribonius Largus, ὀζαίνας *gravem odorem narium interpretatur.*

7. *Inflationes.*] Potu decocti ejus rejectionem sanguinis cohiberi, urinæ difficultatem, inflationesque discuti, ait etiam Diosc. loc. cit.

8. *Decoctum.*] Dioscor. loc. cit. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτοῦ κοιλίαν ἵστησι.

Sect. LXX. 1. *Spina est appendix.*] Hadrianus Junius eam esse existimat, quæ in officinis hodie Berberis dumetorum vocatur: in Gallia vulgo *Espine Vinette.* A Clusio pingitur, lib. 1. hist. rar. plant. pag 121. Ego magis esse censuerim, quam vulgus officinarum oxyacantham, Gallia *Aubepine* nuncupat. Delineatur a Dodonæo, pag. 738. Oxyacanthi: seu spinæ acutæ nomine.

2. *Alvum citam.*] MSS. omnes, Reg. Colb. Chiffl. *Alvum citant.*

3. *Pyracanthæ.*] Dioscoridis hæc Ὀξυάκανθα est, seu spina acuta, lib. 1. cap. 122. piri folio, myrti baccis, spinis asperrima. Pingitur a Lobelio in Advers pag 438 Galli vocant rubum ardentem, *Buisson ardent.* Vide Notas & Emend. num. XXIV.

Sect. LXXI. 1. *Paliurus.*] Geminum est paliuri genus: vulgare alterum, de quo Diosc. lib 1. cap. 21. alterum Africanum, de quo Plinius, lib. 13 sect. 33. Vulgare a Dodonæo pingitur, pag 744 Africanum a vulgari fructus forma discrepat, magnitudine ea qua cedri bacca est.

2. *Semen ejus.*] Ejus nempe spinæ, quam Afri paliurum vocant

3. *Contra scorpiones*] Et hæ paliuro quoque vulgari communes sunt dotes atque vires. Diosc. loc cit. Τὸ σπέρμα πινόμενον βηχὶ ἀρήγει, καὶ τοὺς ἐν κύστει λίθους θρύπτει, καὶ πρὸς ἑρπετῶν δήγματα ποιεῖ.

4. *Folia.*] Dioscor. loc. cit. Τὰ φύλλα δὲ καὶ ἡ ῥίζα στυπτικά. Galenus quoque, lib 8. de fac simp. medic. pag. 217.

5. *Radix.*] Diosc. & Galenus, loc. cit.

6 *Urinas.*] Diosc. loc. cit.

7. *Decoctum.*] Dioscor. ad verbum, loc. cit.

LXXII.

LXXII. [1] Agrifolia contusa addito sale, articulorum morbis prosunt: baccæ purgationi feminarum, cœliacis, dysentericis, ac choleticis. In vino potæ alvum sistunt. Radix decocta & illita extrahit infixa corpori. Utilissima est & luxatis, tumoribusque. [2] Aquifolia arbor in domo aut villa sata, veneficia arcet. Flore ejus aquam glaciari Pythagoras tradit: item baculum ex ea factum, in quodvis animal emissum, etiamsi citra ceciderit defectu mittentis, ipsum per sese recubitu propius adlabi: tam præcipuam naturam inesse arbori. [3] Taxi arboris fumus mures necat.

LXXIII. [1] Nec rubos ad maleficia tantum genuit Natura: ideoque [a] & mora his, hoc est, vel hominibus cibos dedit. [2] Vim habent siccandi, adstringendique: gingivis, tonsillis, genitalibus accommodatissimi. [3] Adversantur serpentum sceleratissimis, hæmorrhoïdi & prsteri, flos, aut [4] mora. Scorpionum vulnera sine collectionum periculo inungunt, urinam cient. [5] Caules eorum tunduntur teneri, exprimitur succus, mox Sole cogitur in crassitudinem mellis, singulari remedio contra mala oris, oculorumque, sanguinem exscreantes, anginas, vulvas, sedes, cœliacos, potus aut illitus. [6] Oris quidem vitiis etiam folia commanducata prosunt, & hulceribus manantibus, aut quibuscumque in capite illinuntur. [7] Cardiacis vel sic per se imponuntur a mamma sinistra: item stomachi doloribus, oculisque procidentibus. [8] Instillatur succus eorum & auribus. [10] Sanat condylomata cum rosaceo cerato. [11] Cauliculorum ex vino decoctum uvæ præsentaneum remedium est. [12] Iidem per se in cibo sumpti cymæ modo, aut decocti in vino austero, labantes dentes firmant. [13] Alvum sistunt, [14] & profluvia sanguinis: dysentericis prosunt. [15] Siccantur in umbra, ut cinis crematorum uvam reprimat. Folia quoque arefacta & contusa, jumentorum hulceribus utilia traduntur. Mora, quæ in his nascuntur, vel efficaciorem [16] stomaticen præbuerint, quam sativa morus. Eadem compositione, vel cum hyopcisthide tantum & melle bibuntur in cholera, [17] & a cardiacis, & contra araneos. Inter medicamenta, [18] quæ styptica vocant, nihil efficacius ruti mora fetentis radice decocta in vino ad tertias partes, ut colluantur eo oris hulcera, & sedis foveantur: tantaque vis est, ut spongiæ ipsæ lapidescant.

LXXIV. [1] Alterum genus rubi est, in quo rosa nascitur. [2] Gignit pilulam castaneæ

INTERPRETATIO.

a *Et mora.*] Et mora rubis, hoc est, *non asinis tantum, qui rubos ut sentes rodunt*, sed hominibus quoque cibos dedit.

NOTÆ.

Sect. LXXII. 1. *Agrifolia.*] Agrifolium frutex est, cui & parvæ ilicis aquifoliæ nomen, ut diximus lib. 16. sect. 12. Vide Notas & Emend. num XXV.

2. *Aquifolia arbor.*] Eademque ilex, de qua lib 16. sect. 8. Hoc etiam de rhamno prodidit Diosc. lib 1. cap. 119. *Λέγεται δὲ κλῶνας αὐτῆς θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας ἀπωθεῖν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Feruntur & hujus rami, januis fenestrisve appositi, veneficorum maleficia depellere.* Sic & Laertius in vita Bionis & Nicander in Theriac. De aquifolia puto locutum esse Theophr. lib 7. hist. cap. 19. *Λέγουσι γὰρ ἄκανθάν τινα εἶναι, ἣ πήγνυσι τὸ ὕδωρ ἐμβαλλομένη. Spinam enim quamdam enarrant, quæ aquam injectam congelet.*

3. *Taxi arboris.*] Venenosam arborem leviter sane perstringit: nos corollarii vice & ad viperæ morsum prodesse taxum adjicimus: vademque præbemus Tranquillum in Claudio, cap. 16.

Sect LXXIII. 1. *Nec rubos.*] *Βάτος, les ronces.*

2. *Vim habent siccandi.*] Etiam & nervos præcisos, ac vulnera colligendi, glutinandique, teste Theod. Prisciano, lib. 1. cap. 19. *Rubus elixa & trita, hoc facit.*

3. *Adversantur.*] Hanc vim foliis Dioscorides adscribit, lib. 4. cap 37. & Apuleius cap 87. tit. 9. Nicander, in Ther. pag. 60 adversus serpentes commendat *αὐτὴν φαρμ βάτοιο, florida serta ruborum.*

4. *Mora.*] *Τὰ βάτινα, des mûres.*

5 *Caules eorum.*] Hoc totidem verbis Marcellus Empir. cap 15. pag. 106. & cap. 16 pag. 120. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 45. & 64. Diosc. item loc. cit

6. *Oris quidem.*] Plinius Valer lib. 1. cap 29. & Dioscor. lib. 4. cap. 37. *Κραταιοῖ δὲ καὶ οὖλα, καὶ ἄφθας ὠφελεῖ διαμασσώμενα τὰ φύλλα. Firmant gingivas, orisque hulcera sanant commanducata folia.* Q. Serenus, cap. 15. pag 134.

Manditur apta rubus gingivis, & bona labris.

Et cap. 37. *Omnibus obscenis medendis:*

Obscenos si forte locos nova vulnera carpent,
Horrendum nausa curantur fronde ruborum.

7. *Cardiacis vel sic.*] Hoc est, trita vel commanducata. Apuleius, cap. 87. de erusco, sive rubo, tit. 4. *Ad cardiacos: Erusci folia per se trita imponantur mamilla sinistra: & sic dolore resistunt.* Plinius Valer. lib 3. cap 21. *Cardiacis sanandis · Mammæ sinistræ .... folia rubi in quo mora nascuntur trita per se imponuntur.*

8. *Item stomachi &c.*] Dioscor. lib. 4. cap. 37. *Θεραπεύει καὶ ὀφθαλμῶν προπτώσεις .... καὶ ἐπὶ στομαχικῶν* &c.

9 *Instillatur.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 9. *Foliorum rubi, in quo mora nascuntur, succus tepidus instillatus, medetur auricularum fracturis.* Item Apuleius, cap. 87. tit. 1. *Ad aurium dolorem.*

10. *Sanat.*] Apuleius, cap 87. tit. 9 & Diosc loc. cit.

11. *Cauliculorum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVI.

12. *Iidem per se.*] Marcellus Empir. cap. 12. pag. 93 & 95.

13. *Alvum.*] Diosc. lib. 4. cap. 47. Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 163. Plinius Valer lib. 2. cap. 27.

14 *Et profluvia.*] Fluorem muliebrem Dioscorides intellexit, & Galenus, locis citatis & Apuleius, cap 87. tit. 3. Hæmorroidum sanguinem Marcellus Empir. cap 31. pag. 222. Sanguinis rejectionem ea ore Plinius Valer. lib. 1. cap. 64. cujus lemma est, *sanguinem rejicientium curatio. Ruborum*, inquit, *in quibus mora nascuntur, caules ex vino austero decocti eduntur, idque vinum bibitur in potione.*

15. *Siccantur &c.*] Apuleius, cap. 87. de erusco, sive rubo tit. 6. *Ad uvam remedium: Erusci herbe folia arefiant in umbra: crematorum cinere in cochleario sacia resilient.* Marcellus item Empiricus cap 14 pag 99.

16. *Stomaticen.*] Stomatica medicamenta sunt, ut diximus lib. 23. sect quæ ad uvas, tonsillas, faucium tumores, & oris vitia accommodantur.

17. *Et a cardiacis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 21.

18. *Quæ styptica.*] *Στυπτικὰ*, adstrictoria: adstringendi, spissandique vim habentia.

Sect. LXXIV. 1. *Alterum genus.*] Nunc ut opinor, herbaris incognitum. Rubum rosarium vocat Marcellus Empir. mox citandus. Cynosbatos ipse est de quo mox dicetur: quem similitudinemque rosæ noster ferre dixit, lib. 16. sect. 72.

2. *Gignit pilulam.*] Spoogiam vocat Marcellus Empir. cap. 26. pag. 181. *Spongia*, inquit, *ex rubo rosario agresti sumpta, & aqua frigida, donec madescat, macerata, ac deinde, trita, & ex aqua per triduum potui data, efficaciter calculosos emendat.* Et cap. 27. pag 196 *Spongia, quæ in pruno silvestri vel in spina aut in rosa silvestri nascitur &c.* Sed is rosam silvestrem, seu Eglenterium, cum hoc genere rubi miscuisse, de quo nunc sermo est, nobis videtur. *Spongias* pariter, & *spongiolas* Columella lib. 11. cap. ult. radiculas asparagorum vocat illi-

similem, præcipuo remedio calculosis. [3] Alia est cynorrhoda, quam proximo dicemus volumine. * [4] Cynosbaton [5] alii cynospaston, alii nevrospaston vocant: [6] folium habet vestigio hominis simile. [7] Fert & uvam nigram, in cujus acino nervum habet, unde nevrospastos dicitur. [8] Alia est a cappari, quam medici cynosbaton appellaverunt. [9] Hujus thyrsus, ad remedia splenis & inflationes, conditus ex aceto manditur. Nervus ejus cum mastiche Chia commanducatus os purgat.

*Cap. xiv.

Ruborum rosa alopecias cum axungia emendat. Mora capillum tingunt cum omphacino oleo. Flos mori per messes colligitur. Candidus pleuriticis præcipuus ex vino potus, item cœliacis. Radix ad tertias decocta, alvum sistit, & sanguinem: item dentes collutos decocto. Eodem succo foventur sedis atque genitalium hulcera. [10] Cinis e radice deprimit uvam.

LXXV. [1] Idæus rubus appellatus est, [2] quoniam in Ida non alius nascitur. Est autem tenerior ac minor, [3] rarioribus calamis innocentioribusque, sub arborum umbra nascens. [4] Hujus flos cum melle epiphoris illinitur, & ignibus sacris: [5] stomachicisque ex aqua bibendus datur. Cetera eadem præstat, quæ supra dicta.

LXXVI. Inter genera ruborum rhamnos appellatur a Græcis, candidior & fruticosior. Is floret, ramos spargens rectis aculeis: non, ut ceteri, aduncis: foliis majoribus. Alterum genus est silvestre, nigrius, & quadamtenus rubens. Fert veluti folliculos. Hujus radice decocta in aqua fit medicamentum, quod vocatur [2] Lycium. Semen secundas trahit. Alter ille candidior adstringit magis, refrigerat, collectionibus & vulneribus accommodatior. [3] Folia utriusque & cruda & decocta illinuntur cum oleo.

LXXVII. Lycium præstantius e spina fieri tradunt, quam & [1] pyxacanthon Chironiam vocant, quales in Indicis arboribus diximus, [2] quoniam longe præstantissimum existimatur Indicum. [4] Coquuntur in aqua tusi rami, radicesque, summæ amaritudinis, æreo vase per triduum, iterumque exempto ligno, donec mellis crassitudo fiat. [5] Adulteratur amaris succis, etiam amurca, ac felle bubulo. [6] Spuma ejus ac flos quidam oculorum medicamentis additur. [7] Reliquo succo faciem purgat, & psoras sanat, erosos angulos oculorum, veteresque fluxiones, aures purulentas, tonsillas, gingivas, tussim, sanguinis exscreationes, fabæ magnitudine devoratum: [8] aut si ex vulneribus fluat, illitum: rhagadas, genitalium hulcera, attritus, hulcera recentia, & serpentia, ac putrescentia. In naribus clavos, suppurationes. [9] Bibitur & a mulieribus in lacte contra profluvia. [10] Indici diffe-

NOTÆ.

gatas, implexasque mutuo, atque connexas.

3. *Alia est cynorrhoda.*] Quæ Eglenteris cognomine apud nos venit, *Eglantier*. De ea, libro sequente, sect. 6.

4. *Cynosbaton.*] Latine *sentem canis* recte appellaveris.

5. *Alii cynospaston.*] Reg. 1. & 2. ac Colb. *cynapanxin*.

6. *Folium habet vestigio hominis.*] Theophr. lib. 3. hist. cap. 18. Τὸ δὲ φύλλον ἰχνῶδες. Plinius legit, ἰχνῶδες, ut videtur, sincerius.

7. *Fert & uvam.*] Hoc nemo præter Plinium, quod sciam, confirmat.

8. *Alia est . . . . cynosbaton.*] Dioscor. in Nothis, pag. 448. Κάππαρις, οἱ δὲ κυνόσβατον, [illegible], &c.

9. *Hujus thyrsus.*] Cynosbati scilicet, qui diversus a cappari.

10. *Cinis . . . . deprimit uvam.*] Tumentem uvam.

Sect. LXXV. 1. *Idæus rubus.*] Vulgus apud nos Framboisiam nominat, *Framboisier*. Iconem vide apud Dodon. pag. 731.

2. *Quoniam in Ida.*] Idæus appellatus est, inquit Dioscor. lib. 4. cap. 38. quod in eo monte copiosius nascitur. Nullum, præter id genus, nasci rubum ibi Plinius adjicit. Ita porro Reg. 2. codex. Olim *non alius*, perperam legebatur.

3. *Rarioribus calamis.*] Aculeis. *Minoribus spinis, ac minus aduncis* dixit ipse Plinius, lib. 16. sect. 71. Dioscor. loc. cit. ἀκάνθας μικράς.

4. *Hujus flos . . . . epiphoris.*] Oculorum videlicet inflammationibus. Plinius ipse, lib. 16. sect. 71. *Flos ejus contra lippitudines illinitur ex melle, & igni sacro.* Dioscor. lib. 4. cap. 38. Τὸ δὲ ἄνθος αὐτοῦ μέλιτι λειωθὲν ὀφθαλμίαις φλεγμοναῖς [illegible], καὶ ἐρυσιπέλασι [illegible].

5. *Stomachicisque.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVII.

Sect. LXXVI. 1. *Inter genera ruborum.*] Latius accepta significatione vocis ejus, *rubus*: alias in ruborum genere censeri rhamnus non debet. Rhamni genera duo similiter Theophrastus agnoscit, lib. 3. hist. cap. 17. nigrum & candidum: Nicandri quoque scholiastes: ἔστι δὲ λευκὴ, καὶ μέλαινα. Rhamni varia genera delineantur a Clusio, lib. 1. histor. rar. plant. pag. 109. & 110.

2. *Lycium.*] Græcis Λύκιον, cujus hodie in officinis usus incognitus, ut Dodonæus queritur, pag. 745. Nomen a Lycia, unde advehebatur optimum, vel ab ipsa spina, habet.

3. *Folia.*] Ea hulceribus quæ serpunt, erysipelatibus illinj, auctos est Dioscor. lib. 1. cap. 119.

Sect. LXXVII. 1. *Pyxacanthon.*] Quin & ipsi spinæ, medicamenti quod ex ea fit, nomen est inditum: Lycium ninurum Diosc. lib. 1. cap. 132. Λύκιον, ὃ ἔνιοι πυξάκανθον καλοῦσι, δένδρον ἐστὶν ἀκανθῶδες, &c. Pyxacantham Latine buxeam spinam jure dixeris. Bellonius repertam a se in Palæstina scribit.

2. *Quales.*] Tum in India, tum in Pelio monte natas. Vide lib. 12. sect. 15.

3. *Quoniam longe.*] Scribonius Largus, Compos. 19. *Nulli collyriorum tantum tribuo, quantum Lycio Indico vero per se. Hoc enim inter initia, si quis hoc collyrio inungatur protinus,* &c. Sic etiam Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 204. post Diosc. loc. cit.

4. *Coquuntur.*] Totidem verbis hæc Diosc. lib. 1. cap. 132.

5. *Adulteratur &c.*] Dioscor. loc. cit. Δολοῦται δὲ [illegible]. *Adulteratur amurca inter coquendum admixta, aut absinthii succo, aut felle bubulo.* Plinius ipse, lib. 12. sect. 15. *Ea spina* (Pyxacanthos, seu Lycium) *& in Pelio monte nascitur, adulteratque medicamentum*: nempe verum, seu Indicum. *Item asphodeli radix, aut fel bubulum, aut absinthium, vel rhus, vel amurca.*

6. *Spuma ejus.*] Diosc. lib. 1. cap. 132. Καὶ τὸ μὲν ἐπιπλεόμενον ἀφρῶδες ἐν τῇ ἑψήσει ἀφελὼν, [illegible], &c. *Quod porro spumosum innatat inter coquendum* (id florem vocant) *eximito & ad oculorum medicamenta reponito.* [illegible] (sic enim legit Oribasius, non ut libri editi habent, τὰ φύλλα,) [illegible] ἀναμιχθεῖσαν [illegible] μελιτώδους [illegible].

7. *Reliquo succo.*] Hæc totidem fere verbis Dioscor. loc. cit. Galenus item, lib. 7. de facult. simp. med. pag. 204.

8. *Aut si ex vulneribus fluat.*] Sanguis videlicet. Ita Reg. 1. recte: non ut ceteri, *ex hulceribus*.

9. *Bibitur . . . contra profluvia.*] Contra fluxum muliebrem: [illegible] γάλακτι. Dioscor. loco citato.

10. *Indici differentia.*] Indicum Lycium differt a vulgari, glebis extrinsecus nigris, &c. Sic etiam Dioscor. loco citato.

rentia, glebis extrinsecus nigris, intus rufis, cum fregeris, cito nigrescentibus. [11] Adstringit vehementer cum amaritudine. Ad eadem omnia utile est, sed præcipue ad genitalia.

LXXVIII. [1] Sunt qui & sarcocollam spinæ lacrymam putent, pollini thuris similem, cum quâdam acrimonia dulcem, gummosam. Cum vino tusa sistit fluxiones: illinitur infantibus. Vetustate & hæc maxime nigrescit: melior, quo candidior. 5

LXXIX. [1] Unum etiamnum arborum medicinis debetur nobile medicamentum, quod oporicen vocant. Fit ad dysentericos stomachique vitia, in congio musti albi, lento vapore decoctis cotoneis quinque cum suis seminibus, Punicis totidem, sorborum sextario, & pari mensura ejus quod rhun Syriacon vocant, croci semuncia. Coquitur usque ad crassitudinem mellis. 10

LXXX. His subtexemus ea, quæ Græci communicatione nominum in ambiguo fecere, anne arborum essent.

[1] Chamædrys herba est, quæ Latine trixago dicitur. [2] Aliqui eam chamæropem, alii Teucrion appellavere. [3] Folia habet magnitudine mentæ, colore & divisura quercus. Alii serratam, & ab ea serram inventam esse dixere, [4] flore pæne purpureo. [5] Carpitur prægnans succo in petrosis, [6] adversus serpentium venena potu illituque efficacissima: [7] item stomacho, tussi vetustæ, pituitæ in gula cohærescenti, ruptis, convulsis, [8] lateris doloribus. [9] Lienem consumit, urinam & menses ciet. [10] Ob id incipientibus hydropicis efficax, manualibus scopis ejus in tribus heminis aquæ decoctæ usque ad tertias. Faciunt & pastillos, terentes eam ex aqua, [11] ad supra dicta. Sanat & vomicas, [12] & vetera hulcera, vel sordida cum melle. [13] Fit & vinum ex ea pectoris vitiis. [14] Foliorum succus cum oleo caliginem oculorum discutit. [15] Ad splenem ex aceto sumitur. [16] Excalfacit perunctione. CAP. XV. 15 20

LXXXI. [1] Chamædaphne unico ramulo est, cubitali fere: folia tenuiora lauri folio. [2] Semen rubens adnixum foliis illinitur capitis doloribus recens. [3] Ardores refrigerat: ad tormina cum vino bibitur. [4] Menses succus ejus, & urinam ciet potu, partusque difficiles in lana appositus. 25

LXXXII. [1] Chamelæa similitudinem foliorum oleæ habet. [2] Sunt autem amara, odorara, in petrosis, palmum altitudine non excedente. [3] Alvum purgat: detrahit pituitam bilemque: [4] foliis in duabus absinthii partibus decoctis, succoque eo cum melle poto. 30

NOTÆ.

11. *Adstringit.*] Idcirco dysentericis *lac* prodesse, *in quo Lycium Indicum solvitur*, scribit Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 18.

Sect. LXXVIII. 1. *Sunt . . . sarcocollam,*] Dioscor. lib. 3. cap. 99. Ἡ δὲ σαρκοκόλλα ἐστὶ δάκρυον δένδρου γεννωμένου ἐν Περσίδι, ἐμφερὲς λιβανωτῷ λεπτῷ, ὑπόπυρρον, ἐπίπικρον τῇ γεύσει. *Sarcocolla lacryma est arboris in Perside nascentis, thuri tenui similis, subfulva, gustu amariuscula.* Nunc incognita officinis. Habes hic affinia, ac prope gemina Galenus, lib. 8 de facult. simp med. pag. 226. Vide quæ dicta sunt de sarcocolla arbore, lib. 13. sect. 20. & de gummi quæ ex ea fit.

Sect. LXXIX. 1. *Unum . . . oporicen vocant.*] Ὀπωρικὴ, sive ἀρτυσία δι᾽ ὀπωρῶν, confectio ex fructibus, qualem consignat Galenus, lib 3. κατὰ τόπους, cap. 3. pag. 568. ad stomachi subversionem, ad cœliacos, ac dysentericos.

Sect. LXXX. 1. *Chamædrys.*] Diosc lib 3. cap. 112. Χαμαίδρυς, οἱ δὲ χαμαίδρωψ . . . οἱ δὲ τὸ σύζυγον ταῖς ἐμφέρειαν τῆς τρίσσης, ἢ ταῦτα τοῖς Τευκρίου εἰκάζουσιν Et in Nothis, pag. 457. Ῥωμαῖοι, τριξάγω μῖνορ Chamædrys porro, quasi coactæ brevitatis quercus appellatur. Unde & in Gallia servat appellationem, *Chesnette, ou Germandree.* Italis, *Querciola, & Calamandrina*, teste Anguillara, part. 12. pag. 220. Chamædrys est vulgaris Clusii, lib. 3. histor. rar. plant. pag 351. visa a nobis in horto Regio.

2. *Aliqui eam Chamæropem.*] Sic MSS Reg. Colb &c. tum hoc loco, tum in Indice. Tamen Diosc. χαμαίδρωψ. Et Marcellus Empir. cap 28 pag. 136. *Chamedropis*, inquit, *quæ herba simillima quercus folia habet*, &c. At Apuleius, cap 24 *Chamærops: Itali trixaginem appellavere.*

3 *Folia habet.*] Diosc. loc. cit. post Theophr. lib. 9. hist. cap. 10.

4. *Flore pæne.*] Diosc. loc. cit. Ἄνθος ὑποπόρφυρον.

5. *Carpitur.*] MSS. omnes, *capitur* Diosc loc. cit. Συλλέγεται δὲ αὕτη δεῖ ἔγκυμονα τοῦ καρποῦ. Et paulo ante Φύεται ἐν τραχέσι καὶ πετρώδεσι τόποις.

6. *Adversus serpentium &c.*] Diosc. loc. cit. & Apuleius, cap. 24. tit. 3.

7. *Item stomacho, &c*] Dioscor totidem fere verbis, loc. cit. Βοηθεῖ στομάχῳ, βηχί, σπλήνας ἐσκιρρωμένους, δυσουρίας, &c. & Marcellus Empiricus, cap. 17. pag 126. de vulsis, sive ruptis, & rheumaticis cum Theopr. loc. cit.

8. *Lateris doloribus.*] Celsus, lib. 4. cap. 6. de laterum doloribus: *Multa*, inquit, *a medicis præcipiuntur: ut tamen sine his rusticos nostros epota ex aqua herba trixago satis adjuvet.*

9. *Lienem &c.*] Dioscor. loc. cit. Ἄγει καὶ ἔμμηνα καὶ οὖρα· σπλῆνα τήκει σὺν ὄξει ποθεῖσα. Vide & Galenum, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 240.

10. *Ob id.*] Et hæc pariter Diosc. loc. cit. & Apuleius, cap. 25. tit. 3.

11. *Ad supra dicta*]. Ad effectus supra dictos. Vide Notas & Emend. num. XXVII.

12. *Et vetera hulcera.*] Diosc. loc. cit. Ἀνακαθαίρει ἕλκη παλαιὰ σὺν μέλιτι. Sic Theophr. pariter lib. 9. hist cap. 10.

13. *Fit & vinum.*] De quo dictum est, lib 14. sect. 19.

14. *Foliorum.*] Diosc. loc. cit. post Theophrastum, lib 9. hist. cap. 10.

15. *Ad splenem.*] Dioscor. loc. cit. Σπλῆνα τήκει σὺν ὄξει ποθεῖσα.

16. *Excalfacit.*] Diosc Καὶ ἀλειφομένη δὲ ἐστὶ θερμαντική.

Sect. LXXXI. 1. *Chamædaphne.*] Totidem fere verbis describitur a Diosc. lib. 4. cap. 149. Χαμαιδάφνη, οἱ δὲ καὶ ταύτην Ἀλεξάνδρειαν ἐκάλεσαν, &c. Herbarii nostri hanc laureolam vocant.

2. *Semen . . . . . adnixum foliis.*] Ita MSS. Reg. Colb. &c. non, ut editi, *admixtum.* Quin & sincerius forte *adnexum.* Diosc. loc. τοῖς φύλλοις ἐμπεφυκός.

3. *Ardores.*] Dioscor. loc. cit Κεφαλαλγίαις, καὶ στομάχου ἐγκαύσεσιν ἀρήγει. *Capitis doloribus, inflammationibusque stomachi succurrit.*

4. *Menses . . . appositus.*] Diosc. loc. cit. Ἐς μοτὸν ἀναληφθεῖσα, *in pesso subditur.*

Sect. LXXXII. 1. *Chamelæa.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 4. cap 172. Χαμελαία, &c. Et Marcellus Empir. cap. 30. pag 211. Mezereum id Arabes appellant: Hispani, *Olivilla* Herbarii, *Chamelæa Tricoccos*: Narbonenses, *Garoupe*: Galli sereri politiores, *Bois de la Dame* A Clusio pingitur. lib. 1. hist. rar. plant. pag. 87. & a Dalec. lib. 16. hist plant. pag. 1664 Vidimus in horto Regio.

2. *Sunt autem &c.*] Diosor. loco sitato.

3. *Alvum &c.*] Dioscor loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 30. pag 211. Idem pag. 213. hanc *restim oleæ* appellari ait, & habere alias dotes ac vires, quas eo loci enumerat. Prævit ambobus Scribonius Largus, Compos. 136. *Purgat ergo belle Chamelæa, quæ herba olivæ folia similia habet, quorum quinque vel sex dare oportet, trita ex aqua mulsa cyathis . . . . . Detrahit enim aquam largiter.*

4. *Foliis.*] Dioscor. loc. cit. & Galenus, lib 8. de facult. simp. medic. pag. 140.

Foliis impositis & hulcera purgantur. Aïunt, si quis ante Solis ortum eam capiat, dicatque ad albugines oculorum se capere, adalligata discuti id vitium: quoquo modo vero collectam jumentorum pecorumque oculis salutarem esse.

LXXXIII. [1] Chamæsyce lentis folia habet, nihil se attollentia, in aridis petrosisque nascens. [2] Claritati oculorum, & contra suffusiones utilissima, & cicatrices, caligines, nubeculas in vino cocta, inuncta. [3] Vulvæ dolores sedat apposita in linteolo. [4] Tollit & verrucas omnium generum illita. Prodest & orthopnoicis.

LXXXIV. [1] Chamæcissos spicata est tritici modo, ramulis quinis fere, foliosa: cum floret, existimari potest alba viola, radice tenui: [2] cujus bibunt ischiadici folia tribus obolis, in vini cyathis duobus VII. diebus, admodum amara potione.

LXXXV. [1] Chamæleucen apud nos farfarum, sive farfugium vocant. [2] Nascitur secus fluvios, folio populi, sed ampliore. Radix ejus imponitur carbonibus cupressi, atque is nidor [3] per infurnibulum imbibitur in vetere tussi.

LXXXVI. [1] Chamæpeuce larici foliis similis, lumborum & spinæ doloribus propria est.

[2] Chamæcyparissos herba ex vino pota contra venena serpentium omnium scorpionumque pollet.

[3] Ampeloprason in vinetis nascitur, foliis porri, ructu gravis. [4] Contra serpentium ictus efficax. [5] Urinam & menses ciet: eruptiones sanguinis per genitale inhibet potum impositumque. Datur & a partu mulieribus, & contra canis morsum.

[6] Ea quoque quæ stachys vocatur, porri similitudinem habet, longioribus foliis pluribusque, & odoris jucundi, colorisque in luteum inclinati. Pellit menstrua.

LXXXVII. [1] Clinopodion, alii cleonicion, alii zopyron alii ocymoïdes appellant, [2] serpyllo similem, [3] surculosam, [4] palmi altitudine: [5] nascitur in petrosis, [6] orbiculato foliorum ambitu, speciem lecti pedum præbens. [7] Bibitur ad convulsa, rupta, stranguria, serpentium ictus. [8] Item decoctæ succus.

LXXXVIII. Nunc subtexemus herbas mirabiles quidem, sed minus claras, nobilibus in sequentia volumina dilatis. [1] Centunculum vocant nostri, foliis ad similitudinem capitis penularum, jacentem in arvis: Græci clematidem: egregii effectus ad sistendam alvum in vino austero. Item sanguinem sistit tritus cum oxymelitis aut aquæ calidæ cyathis quinque, denarii unius pondere: sic & ad secundas mulierum efficax.

NOTÆ.

Sect. LXXXIII. 1. *Chamæsyce.*] Dioscor. lib. 4. cap. 17D. Χαμαισύκη .... φύλλα φακοειδῆ .. περὶ τῇ γῇ ... φύεται ἐν πετρώδεσι & αὐχμηροῖς τόποις. Retinet nomen in officinis. Visa a nobis in horto Regio, qualis a Dodonæo pingitur, pag. 373.

2. *Claritati &c.*] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 8 de fac simp. med. pag. 241.

3. *Vulvæ*] Dioscor loco cit Δύναμιν δὲ ἔχουσιν οἱ κλῶνες λειωθέντες σὺν οἴνῳ καὶ ἐρίῳ μίγεντες ὀδύνας μήτρας, ἀντὶ προσθέτου προστεθέντες. *Rami ex vino triti, & in pessis appositi, vulvæ dolores sedant.*

4. *Tollit &c.*] Dioscor. & Galenus locis citatis.

Sect. LXXXIV 1. *Chamæcissos.*] De qua jam ante diximus, lib. 16. sect 61. vide Ruellium, lib. 3. pag. 634. qui nobiscum & cum Plinio facit.

2 *Cujus bibunt*] Folia, non radicem ischiadicis bibi utiliter ait Diosc. lib. 4. cap. 126. Florem Galenus, loc. cit. pag. 240.

Sect. LXXXV. 1. *Chamæleuce*] Χαμαιλεύκην Galeno, loc. cit. pag 241. In Indice hujus loci: *De chamæleuce, sive farfaro, sive farfugio.* Dioscor. in Nothis, pag. 458. Βήχιον ... οἱ δὲ χαμαιλεύκην .... Ῥωμαῖοι τουσιλάγω, οἱ δὲ φαρφάριουμ. Libri quidam *farsano*, male. Meminit hujus Plautus in Pœnulo, act. 2 sc 1 vers. 32.

Eo praesternebam folia farfari.

Apuleius: *Folia sunt farfari, & nugæ meræ.* Fortasse a Farfaro amne, de quo Ovidius, lib. 14. Metam. vers 330.

Et opaca Farfaros umbra.

Græci Βήχιον, Latini Bechion & Tussilaginem nominant. In officinis, *Farfara. Ungula caballina, Populago.* Galli, *Pas d'Asne, ou Tussilage.* Pingitur a Dodonæo, pag. 486. De ea plura dicentur, lib. 26. sect. 16

2. *Nascitur secus fluvios.*] Manutius in editione Pliniana maluit *secundum*, quam *secus* legi: tametsi constans librorum omnium ante eum consensio foret in eam vocem *secus*. Et sane Catonem meminimus, lib. de re rust cap 21. *secus lamnas* dixisse: Quintilianum, lib 8 cap. 2. *secus viam*.

3. *Per infurnibulum.*] Ita Reg 1 At Reg. 2. & Chiffl. *Infundibulum.* Instrumentum intelligit, quo in vasa liquores infundimus: *Un entonnoir.* Refert hoc quoque Dioscor. lib. 3 cap 126. Plinius lib. 26. sect. 16. pro infundibulo adsciscit arundinem.

Sect. LXXXVI. 1. *Chamæpeuce.*] Diosc. lib. 4. cap. 126. Χαμαιπεύκη ποιεῖ αὐτὴ ὀσφύος ἀλγήμασι, ἐν ὕδατι λεία πινομένη. A chamæpity, de qua diximus sect. 20 ita herba hæc distare videtur, ut larix a picea Fruticem esse ait Anguillara, inventumque a se in insula *di Veglia*, iisdem plane notis, quibus a Plinio delineatur, par. 12. pag. 202.

2. *Chamæcyparissos*] Nondum in certi nominis apud herbarios notitiæ possessionem venit. Dodonæum vide, pag. 268.

3. *Ampeloprason.*] Ἀμπελόπρασον a vitibus & natali loco nomen accepit, quasi Porrum vitium, aut vitigineum. Pingitur a Dodonæo, pag. 678 Ἄγριον πράσον vocat Galenus, lib. 6. de fac simp med. pag. 154.

4. *Contra serpentium.*] Diosc. lib 2. cap 180. Θηριοδήκτοις δὲ ἐπιτιθέμενον ἁρμόζει. *Contra bestiarum morsus in cibo convenit.*

5. *Urinam &c.*] Diosc. loc. cit.

6. *Ea quoque .... porri*] Alia Plinii stachys est, alia Dioscoridis. Illa porri, ista marrubii foliorum similitudinem refert. Quæ Dioscoridi stachys est, ea Plinio scordiotis appellatur, uti dicemus lib 25. sect. 26 Pliniana stachys officinis incognita.

Sect. LXXXVII. 1. *Clinopodion.*] Dioscor in Nothis, pag. 456. Κλινοπόδιον, οἱ δὲ κλεονίκιον, οἱ δὲ ὠκιμοειδές, οἱ δὲ ζώπυρον καλοῦσι. Pingitur a Matthiolo, pag. 814

2. *Serpyllo similem.*] Foliis serpyllo similibus. Diosc. lib. 3. cap. 19.

3. *Surculosam.*] Lignosam, φρυγανῶδες. Dioscor.

4. *Palmi altitudine.*] Palmi majoris, qui duodecim digitorum. Dioscor. σπιθαμιαῖον.

5. *Nascitur.*] Diosc. loc cit.

6 *Orbiculato foliorum.*] Ita M S S. omnes, non *florum*: etsi nihil intererit: nam in singulis fere geniculis adnexi foliis flores adhærescunt. Diosc loc cit. Καὶ τὰ ἄνθη ὅμοια κλίνης ποσί, ἐκ διαστημάτων ὡς πρασίου. *Et floribus* (orbiculato suo ambitu) *lecti pedum speciem præbentibus, ex intervallo marrubii modo dispositis.*

7. *Bibitur*] Dioscor. loc. cit totidem verbis.

8. *Item decoctæ.*] Herbæ nimirum Dioscor. loc. cit. Πίνεται δὲ ἡ πόα καὶ τὸ ἀφέψημα αὐτῆς, πρὸς σπάσματα ... &c

Sect. LXXXVIII. 1. *Centunculum.*] Gnaphalium videtur esse, de quo rursum lib 27. sect 61. cum & vires ei plane similes ibi adscribantur: & in Nothis Dioscor. pag.

LXXXIX. Sed Græci clematidas & alias habent : [1] Unam, quam aliqui echiten vocant, alii laginem, nonnulli tenuem fcammoniam : Ramos habet bipedales, foliofos, non diffimiles fcammoniæ, nifi quod nigriora minoraque funt folia. Invenitur in vineis arvifque. Eftur, ut olus, cum oleo ac fale : alvum ciet. Eadem a dyfentericis cum lini femine ex vino auftero forbetur. Folia epiphoris imponuntur cum polenta, fuppofito udo linteolo. Strumas impofita ad fuppurationem perducunt, deinde axungia adjecta percurant. Item hæmorrhoïdas cum oleo viridi, phthificos juvant cum melle. Lactis quoque ubertatem faciunt in cibis fumpta. Et infantibus illita capillum alunt. Ex aceto edentium Venerem ftimulant.

XC. [1] Eft & alia clematis, Ægyptia cognomine, quæ ab aliis daphnoïdes, ab aliis polygonoïdes vocatur : [2] folio lauri, [3] longa tenuifque : [4] adverfus ferpentes, ac privatim afpidas, ex aceto pota efficax.

XCI. Ægyptus hanc maxime gignit : quæ & [1] aron, de qua inter bulbos diximus, magnæ cum dracontio litis. Quidam enim eamdem effe dixerunt. [2] Glaucias fatu difcrevit, dracontium filveftrem arum pronunciando. [3] Aliqui radicem aron appellarunt, caulem vero dracontium, in totum alium, fi modo hic eft, qui apud nos dracunculus vocatur. [4] Namque aros radicem nigram in latitudinem rotundam habet, multoque majorem, & qua manus impleatur. Dracunculus fubrufam, & draconis convoluti modo : [5] unde & ei nomen.

XCII. [1] Quin & ipfi Græci immenfam pofuere differentiam, femen dracunculi fervens mordaxque tradendo : tantumque ei virus, ut olfactum gravidis abortum inferat. [2] Aron miris laudibus extulere : primum in cibis feminam præferentes, quoniam mas durior effet, & in coquendo lentior. [3] Pectoris vitia purgare : & aridum in potione infperfum, aut eclegmate, [4] urinam & menfes ciere. Sic & in oxymelite potum ftomacho : interaneifque exhulceratis ex lacte ovillo bibendum : ad tuffim, in cinere coctum ex oleo dedere. Alii coxere in lacte, ut decoctum biberetur. Epiphoris elixum impofuere : item fugillatis, tonfillis. Ex oleo hæmorrhoïdum vitio infudere, lentigines ex melle illinentes. Laudavit Cleophantus & pro antidoto contra venena : pleuriticis, peripneumonicis, quo tuffientibus modo : femen intritum cum oleo aut rofaceo infundens aurium dolori. [5] Dieuches tuffientibus, aut fufpiriofis, & orthopnoïcis, [6] & pura exfcreantibus, farina permixtum in pane cocto dedit. Diodotus phthificis e melle eclegmate, & pulmonis vitiis : offibus etiam fractis impofuit. [7] Partus omnium animalium extrahit, naturæ circumlitum. [8] Succus radicis cum melle Attico, oculorum caligines, ac ftomachi vitia difcutit, tuffim decocti jus cum melle. [9] Hulcera omnium generum, five phagedænæ fint, five carcinomata, five ferpant, [10] five polypi in naribus, fuccus mire fanat. Folia ambuftis profunt ex vino & oleo cocta. Alvum inaniunt ex fale & aceto fumpta. Et luxatis cocta cum melle profunt : [11] item

NOTÆ.

459. Γιαφάλιον, Γαρμῖον κέντιλημ, opinor, pro [illegible], jampridem appellarint. Pingitur a Dodonæo, pag. 65.

Sect. LXXXIX. 1. *Unam, quam*] Hæc clematis altera Dodonæi, pag. 402. In Nothis Diofcor pag. 462. Ἐπὶ [illegible] κληματις, &c.

Sect. XC. 1. *Eft & alia.*] Diofcor. lib. 4. cap. 7. Κληματὶς, οἱ δὲ δαφνοειδὲς, οἱ δὲ μυρσινοειδὲς, οἱ δὲ πολυγονοειδὲς καλοῦσι. Sic etiam Galenus, lib. 7. de fac. fimp. med. pag. 192. Daphnoïdes, a lauri fimilitudine, ut & myrfinoïdes, appellata. A crebris geniculis, polygonoïdes. Eft Dodonæi clematis daphnoïdes, pag. 401. vifa a nobis in horto Regio. Vide, fi lubet, in Adagiis, Chiliad. 1. Cent. 1. Adag. 22. *Clematis Ægyptia.*

2. *Folio lauri.*] Diofc. loc. cit. Πέταλον δὲ μικρὸν, δάφνῃ ἐμφερὲς τῷ τε σχήματι, καὶ τῇ χρόᾳ, μικρότερον δὲ πολλῷ.

3. *Longa.*] Diofcor. Κλημάτια δὲ ἔχει μακρά. *Sarmentofas fpargit viticulas, eafque longas.*

4. *Adverfus ferpentes, &c.*] Diofc. loc. cit.

Sect. XCI. 1. *Aron, de qua .... diximus.*] Libro 19. fect. 30. Sed cave aron vulgarem intelligas, aliamve quam Ægyptiacam.

2. *Glaucias fatu.*] Solo fatu difcrevit aron a dracontio : dracontium, aron filveftrem pronunciando. Ita, credo, etiam Galenus, qui lib. 6. de facult fimp. med. pag. 169. dracontium ait aro effe perfimile, & foliis, & radice : amarius tamen aliquanto. Diofcoridem is fecutus eft, lib. 2. cap. 197. Serapion quoque dracontii genera bina ftatuit : alterum, quod dracontion fimpliciter : alterum, quod aron appellaretur.

3. *Aliqui radicem.*] Sic Erotianus, in Onomaft. vocum Hippocr. tom. 2. operum Galeni, pag. 117. Δρακόντιον βοτάνης εἶδος· ὅπερ δὲ καλεῖται καὶ ὁ [illegible] ἄρον καυλὸς, [illegible] πρὸς τὸ ζῶον ὁμοιότητα. *Dracontium, herba genus : fic & ari caulis vocatur, ex fimilitudine quam cum animali habet.*

4. *Namque aros.*] Ægyptiaca, ut diximus. Nam vulgari radix alba eft, & dracunculi radici proxima, ut ait Diofc. lib. 2. cap. 197.

5. *Unde & ei nomen.*] Sic appellari aiunt hodierni herbarii, quod caulem habet anguinum more maculofum, & verficolorem, cum lævore. Idcirco & draconteam, & colubrinam quoque Romani dixere, tefte Apuleio, cap. 14. Recentiorum plerique majorem ferpentariam vocant, *Grande ferpentaire.* Pingitur a Matthiolo, in lib. 2. Diofcor. pag. 590.

Sect. XCII. 1. *Quin & ipfi Græci*] In his Diofc. lib. 2. cap. 196. dracunculi femen ait effe fapore mordax, ἐπιδάκνοντα τὴν γεῦσιν καρπόν : olfactuque ipfo recens conceptos fetus enecare : Καὶ τὴν ὀσμὴν δέ φασι ... τὰ ἄρτι συνειλημμένα ἔμβρυα φθείρειν οἴεται.

2. *Aron.*] Sive Ægyptiacam hoc loco intelligas, five Græcam, nihil intereft : affines enim utrique cognatæque vires, & invicem, & cum dracontio. Quæ autem apud nos Aros appellatur, non eft ullo modo edulis.

3. *Pectoris vitia.*] Hoc de dracontio, Diofc. loco cit. de aro quoque vulgari, cap. 197.

4. *Urinam.*] Diofc. loc. cit.

5. *Dieuches.*] Ex Diofc. locis citatis.

6. *Et pura exfcreantibus.*] Sive purulenta. Ita MSS. a *pus, puris.*

7. *Partus omnium.*] Affine eft, quod Diofc. prodidit, locis cit. e dracontio, arove, collyria fingi ad extrahendos partus.

8. *Succus radicis.*] Diofc. locis cit. & Galenus, libro 6. de fac. fimp. med. pag. 169.

9. *Hulcera, &c.*] Hæc pariter Diofc. & Galenus, loc. cit.

10. *Sive polypi*] De dracontio, Marcellus Empir. cap. 10. pag. 86. *Polypum*, inquit, *emendat herba, quæ Græce dracontium appellatur, vel fi fuccus ejus naribus infundatur : vel fi papyrus inde infecta, & fpecillo involuta, naribus inferatur, & poftera die educatur.*

11. *Item articulis podagricis.*] Radicem ari cum fimo bu-

articulis podagricis cum sale, recentia vel sicca. [12] Hippocrates utralibet ad collectiones cum melle imposuit. Ad menses trahendos feminis vel radicis drachmæ duæ in vini cyathis duobus sufficiunt. Eadem potio, si a partu non purgantur, & secundas trahit. [13] Hippocrates & radicem ipsam apposuit. Dicunt & in pestilentia salutarem esse in cibis. Ebrietatem
5 discutit. Serpentes nidore, cum crematur, privatimque aspidas fugat, aut inebriat, ita ut torpentes inveniantur. [14] Perunctos quoque aro e laureo oleo fugiunt. Ideo & contra ictus dari potu in vino nigro putant utile. [15] In foliis ari caseus optime servari traditur.

XCIII. [1] Dracunculus, quem dixi, hordeo maturescente effoditur, Luna crescente. Omnino habentem serpentes fugiunt. Ideo percussis prodesse in potu aiunt [2] majorem:
10 ut & menses, si ferro non attingatur, sistat. [3] Succus ejus & aurium dolori prodest.

Id autem quod Græci draconiion vocant, triplici effigie demonstratum mihi est: foliis betæ, non sine thyrso, flore purpureo. [4] Hoc est simile aro. [5] Alii radice longa, veluti signata articulosaque, monstravere: tribus omnino cauliculis: folia ejus ex aceto decoqui contra serpentium ictus jubentes. [6] Tertia demonstratio fuit, folio majore, quam cotnus,
15 radice arundinea, totidem (ut affirmabant) geniculata nodis, quot haberet annos, totidem esse folia. Hi ea ex vino vel aqua contra serpentes dabant.

XCIV. [1] Est & aris, quæ in eadem Ægypto nascitur, similis aro, minor tantum minoribusque foliis, & utique radice, quæ tamen olivæ grandis magnitudinem implet: alba geminum caulem, altera unum tantum emittens. Medetur utraque hulceribus manantibus: item
20 combustis, [2] ac fistulis collyrio immisso. Nomas sistunt decocta earum in aqua, & postea tritarum rosaceo additio. [3] Sed unum miraculum ingens: contacto genitali cujusque feminini sexus, animal in perniciem agi.

XCV. [1] Myriophyllon, quod nostri millefolium vocant, caulis est tener, similis feniculo, plurimis foliis: unde & nomen accepit. [2] Nascitur in palustribus, magnifici usus
25 ad vulnera. Cum aceto bibitur ad difficultates urinæ & vesicæ, & suspiria, [3] præcipitatisque ex alto. [4] Efficacissima eadem ad dentium dolores. Etruria hoc nomine appellat [5] herbam in pratis tenuem a lateribus capillamenti modo foliosam, eximii usus ad vulnera: boum nervos abscissos vomere solidari ea, rursusque jungi addita axungia affirmans.

XCVI. [1] Pseudobunion napi folia habet, fruticans palmi altitudine. Laudatissima in
30 Creta. [2] Contra tormina atque stranguriam, laterum præcordiorumque dolores, bibuntur rami ejus quini senive.

XCVII. [1] Myrrhis, quam [2] alii smyrrhizam, alii myrrham vocant, simillima est cicutæ, caule foliisque & flore, minor tantum & exilior, cibo non insuavis. [3] Ciet menstrua & partus cum vino. [4] Aiunt eamdem potam in pestilentia salutarem esse. Subvenit &

NOTÆ.

bulo podagricis impositam auxiliari scribit Dioscor. lib. 2. cap 197.

12. *Hippocrates utralibet.*] Sive recentia folia, sive sicca.

13. *Hippocrates & radicem.*] Eam ob rem & cervæ aron a partu edunt, ut diximus lib 8. sect. 50.

14. *Perunctos*] Dioscor. lib. 2. cap. 196. *Aiunt*, inquit, *& qui manus radice perfricuerit, a vipera morsu intutum & illæsum existere.* Φασὶ δὲ ὅτι καὶ οἱ διαχρισάμενοι τὰς χεῖρας τῇ ῥίζῃ, ὑπὸ ἐχίδνης ἀδήκτοι μένει.

15. *In foliis ari.*] Et dracontii pariter. Dioscor. loc. cit. Τυρός τε συνελιχθεὶς τοῖς φύλλοις ἄσηπτος διαμένει.

Sect. XCIII. 1. *Dracunculus, quem dixi.*] Sect 91. sub finem: *qui apud nos dracunculus vocatur.* Hujus radicem effodi hordei messibus scribit Diosc. loc. cit. ἐν ἀμητῷ.

2. *Majorem*] Nam & alter minor dracunculus est, delineatus a Matthiolo, pag. 591.

3. *Succus ejus*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 77.

4. *Hoc est simile aro.*] Ita etiam MSS. Est dracontium majus, sive dracunculus modo explicatus.

5. *Alii radice.*] Hæc bistorta nunc vulgo dicitur, a radice iotorta & convoluta anguium more *La Bistorte.* A Dodonæo pingitur, qualem vidimus in horto Regio, pag. 331.

6. *Tertia.*] Dracunculus aquatilis Dodonæi, pag. 329. Gesneri, arum palustre: Vidimus in horto Regio.

Sect. XCIV. 1. *Est & aris*] Ἀρίσαρον a Diosc. appellatur, a quo & verbis totidem describitur, lib. 2. cap. 198. ut & ab Oribasio, lib xi. Pingitur a Lobelio in Adverf. pag 260 In Italia vulgo nota, etsi nomine vulgari carens, auctor est Anguillara, parte xi pag 276.

2. *Ac fistulis.*] Vide Notas & Emend num. XXIX.

3. *Sed unum.*] Dioscor loco cit. Φθείρει δὲ καὶ αἰδοῖον παντὸς ζώου ἐντεθεῖσα. *Imposita, indiтаve, cujuslibet animalis genitale corrumpit.*

Sect. XCV. 1. *Myriophyllon.*] De eo paria prodidit Diosc. lib 4 cap. 115. Μυριόφυλλον, &c. Millefolium aquaticum est, seu Feniculus aquaticus Dalecampii, lib. 9. hist. plantar. pag 1023 Vidimus in horto Regio.

2. *Nascitur &c.*] Dioscor. loco cit. Φύεται ἐν ἑλώδεσι τόποις. Vide Notas & Emend. num. XXX.

3. *Præcipitatisque.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 64 *Si ex alto præcipitati sunt, millefolium bibendum datur ex aceto, cruenta excreantibus.*

4. *Efficacissima.*] Apuleius, cap. 88. tit. *Ad dentium dolorem: Herba millefolii radicem jejunus manducet laborans dentibus.*

5. *Herbam in pratis.*] Millefolium terrestre purpureis foliis illud est, pictum a Lobelio, in Observat. pag. 431. Militarem etiam vocant, στρατιώτικον, in Nothis Diosc. pag. 476 quia vulnera ferro facta sanat: ideoque in militia & castris multus ejus est usus. Apuleius, cap 88. tit. 2. *Ad vulnera ferro facta: Herba millefolium cum axungia pisata & imposita, vulnera purgat & sanat.* Vide & Galenum, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 211. Describitur ea rursum a Plinio, lib. 25. sect. 19. Lepidum est quod refert Schenckius, lib. 1. Observ. Medic. tit. de naribus, pag. 201. ex Follerio, lib. 2. Chirurg. cap. 5. *Cuidam decisus nasus*, inquit, *qua os in cartilaginem desinit, rusticus propendentem partem altero digito conjunxit, herbam tusam & e vino nigro tritam, quod millefolium appellant, impegit, rudim omnia colligavit, unde celerrime restitit profluens sanguis, & vulnus pulcra cicatrice brevi coiit.*

Sect. XCVI. 1. *Pseudobunion.*] Dioscor. lib. 4. cap. 125. Ψευδοβούνιον φύεται ἐν ἀμφ..., ἐν Κρήτῃ, ἔχει φύλλα γογγυλίῳ ὅμοια, &c.

2. *Contra tormina &c.*] Totidem verbis Diosc. loco cit.

Sect. XCVII. 1. *Myrrhis.*] Diosc. lib. 4. cap. 116. Μυῤῥὶς, οἱ δὲ μύῤῥαν καλοῦσι, τῷ καυλῷ καὶ τοῖς φύλλοις ἔοικε κωνείῳ· ῥίζαν δὲ ἔχει ἐπιμήκη, ἁπαλὴν, στρογγύλην, εὐώδη, ἡδεῖαν βρωθῆναι. Pingitur a Dodonæo, pag. 689. Galli vocant, *Cerfeuil musque*, ob odoris jecunditatem. Vidimus in horto Regio.

2. *Alii smyrrhizam*] Ita MSS. tum hoc loco: in Indice *myrizan*, forte, *smyrrhizusam*, vel *myrizusam*: quod odore myrrham unguentumve referat.

3. *Ciet, &c.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 211.

4. *Aiunt quoque.*] Arcere sic mali contagia scribit & Dios-

phthisicis in sorbitione. Aviditatem cibi facit. [5] Phalangiorum morsus restringit. Hulcera quoque in facie aut capite succus ejus in aqua triduo maceratæ sanat.

XCVIII. [1] Onobrychis folia habet lentis, longiora paulo, florem rubentem, radicem exiguam & gracilem. [2] Nascitur circa fontes. [3] Siccata in farinæ modum, & inspersa vino albo, strangurias finit. Alvum sistit. [4] Succus ejus perunctis cum oleo sudores movet. 5

XCIX. In promisso herbarum mirabilium, occurrit aliqua dicere & de Magicis. Quæ enim mirabiliores sunt? Primi eas in nostro orbe celebravere Pythagoras atque Democritus, consectati [1] Magos. Coracesia & callicia Pythagoras [2] aquam glaciari tradit: quarum mentionem apud alios non reperio, nec apud eum alia de his. CAP. XVII.

C. [1] Idem minyada appellat, nomine alio [2] corysidiam, cujus decocto in aqua succo, protinus sanari ictus serpentium, si foveantur, dicit. Eumdem effusum in herba qui vestigio contigerint, aut forte respersi fuerint, insanabili leto perire, monstrifica prorsus natura veneni, præterquam [3] contra venena. 10

CI. Ab eodem Pythagora aptoxis appellatur herba, cujus radix e longinquo concipiat ignes, ut naphtha, [1] de qua in terræ miraculis diximus. Idem tradit: si qui morbi humano corpori acciderint florente aptoxi, quamvis sanatos admonitionem eorum sentire, quoties florere eam contigerit: & frumentum, & cicutam, & violam similem conditionem habere. Nec me fallit, hoc volumen ejus a quibusdam Cleemporo medico adscribi: Pythagoræ pertinax fama antiquitasque vindicant. Et idipsum auctoritatem voluminibus affert, [2] si quis alius curæ suæ opus, illo viro dignum judicavit: quod fecisse Cleemporum, cum alia suo & nomine ederet, quis credat? 15 20

CII. Democriti certe [1] chirocineta esse constat. At in his ille post Pythagoram Magorum studiosissimus, quanto portentosiora tradit? [2] Aglaophotin herbam, quæ admiratione hominum propter eximium colorem acceperit nomen, in marmoribus Arabiæ nascentem [3] Persico latere. Qua de causa & marmaritin vocari. Magos utique ea uti, dum velint Deos evocare. [4] Achæmenida, colore electri sine folio, nasci in [5] Taradastilis Indiæ: cujus radice in pastillos digesta, in dieque pota in vino, [6] noxii per cruciatus nocte confiteantur omnia, per varias numinum imaginationes. [7] Eamdem hippophobada appellat, quoniam equæ præcipue caveant eam. [8] Theombrotion xxx. schœnis a Choaspe nasci, pavonis picturis similem, odore eximio. Hanc autem a regibus Persarum comedi aut bibi contra omnia corporum incommoda, instabilitatemque mentis: [9] eamdem semnion a potentiæ majestate appellari. [10] Aliam deinde adamantida, Armeniæ Cappadociæque alumnam. Hac admota leones resupinari cum hiatu laxo. Nominis causam esse, quod conteri nequeat. Arianidem in Arianis gigni, igneam colore: colligi, cum Sol in Leone sit. Hujus tactu peruncta oleo ligna accendi. [11] Therionarca in Cappadocia & Mysia nascente, omnes feras torpescere, nec nisi hyænæ urinæ aspersu recreari. [12] Æthiopida in Meroë nasci. Ob id & Meroïda appellari, folio lactucæ, hydropicis utilissimam e mulso potam. Ophiu- 25 30 35

NOTÆ.

corides, loco citato Τρίβεται δὲ ἴσως, πινόμενον αὐτοῦ δὶς ἢ τρὶς τῆς ἡμέρας σὺν οἴνῳ ἐν λαμπάδι ... , βοηθεῖ ... ἀνάγκη ...

5. *Phalangiorum.*] Diosc. Πινομένη σὺν οἴνῳ φαλαγγιοδήκτοις βοηθεῖ.

Sect. XCVIII. 1. *Onobrychis.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap. 170. Ὀνοβρυχὶς, &c. A Dodonæo delineatur, pag. 539. Recentioribus ἀσάνινος est. In Paduano agro nasci tradidit Anguillara, part. 13 pag. 242.

2. *Nascitur.*] Diosc. loc. cit.

3. *Siccata.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 115.

4. *Succus ejus.*] Diosc. & Galenus, locis citatis.

Sect XCIX. 1. *Magos.*] Ægyptios Chaldæosque intelligit, apud quos Pythagoras peregrinando vixit.

2. *Aquam glaciari.*] Flore aquifoliæ arboris id quoque fieri Pythagoras tradidit, ut dictum est supra, sect. 72.

Sect C. 1. *Idem minyada*] Ita MSS Reg. Colb. &c. non *menaidem*, ut editi. Minyanthes autem, tum ea allusione vocum, tum ex virium proprietate singulari, intelligi oportere hoc loco censuerim: has enim facultates Galenus, Ægineta, Dioscorides, Plinius ipse lib. 21. sect. 88. huic trifolii generi adscribunt.

2. *Corysidiam.*] Sic MSS. non *corombaden*, ut editi.

3. *Contra venena.*] Contra serpentium ictus, ut dictum est proxime.

Sect. CI. 1. *De qua in terra .... diximus.*] Libro 2. sect. 109.

2. *Si quis alius.*] Si quis alius scriptor industriæ suæ opus, illius viri nomine dignum judicavit.

Sect. CII. 1. *Chirocmeta.*] Ita editio Romana anni 1470. aliæque vetustæ De veneficiis tractasse hic liber videtur, quæ solo manus motu fierent; ἀπὸ χειρὸς κινήσεως unde χειρόκμητα appellata. Alii *chirocmeta* malunt. Χειρόκμητα, hoc est, manu ipsius facta. Hesychius, Χειρόκμητα, χειροποίητα, ἤγουν ὑπὸ χειρῶν γεγενημένα. Vitruvius, lib. 9. cap. 3. *Multas res attendens, admirror etiam Democriti de rerum natura volumina, & ejus commentarium, qui inscribitur, Χειροκμήτων, in quo utebatur annulo, signans cera molli, quæ esset expertus.* Scripsit Zosimus Alexandrinus Philosophus ad Theosebiam sororem suam Χειροκμήτων, id est Manufactorum libros XXVIII. teste Suida, verbo Ζώσιμος

1. *Aglaophotin.*] De hac Ælianus, lib. 14. histor. anim. c. 7. qui & cynynospaston vocari ait, nocte stellæ instar lucere, & igneo splendore facile internosci. Vide & Theodorum Tarsensem, apud Photium in Bibl. cod. 223. pag. 781. Et Pæoniæ id nomen esse inditum scribit Apuleius, cap. 64. Ἀγλαοφῶτις Græce dicitur, ἀγλαία φωτῶν, *admiratio hominum.*

3. *Persico latere.*] Qua Persidem spectat Arabia.

4. *Achæmenida.*] Forte a Persis negotiatoribus sic appellata, in gratiam Achæmenis, a quo Darius Hystaspæ filius originem ducere, ab illo septimus, gloriabatur, teste Herod. lib. Polym. pag. 389. num. 11. vel gentis totius, quæ Achæmenia pariter ab eo est cognominata.

5. *Tardistilis.*] MSS *Taradastilis.*

6. *Noxii.*] Rei criminum.

7. *Eamdem hippophobada.*] Ab ἵππος & φόβος, quasi equis terrorem incutiens, ἱπποφοβάς.

8. *Theombrotion.*] θεαμβρότιον, *Deorum cibus.*

9. *Eamdem semnion.*] A Græcis σεμνὸς, *venerandus, colendus.*

10. *Aliam .... adamantida*] Ἀπὸ τοῦ α, καὶ δαμάζω, quod nulli materiæ cedat.

11. *Therionarca.*] Θηριονάρκη, quod torporem serpentibus inferat.

12. *Æthiopida.*] Visa nobis in horto Regio, qualis a Dodonæo pingitur, pag. 148.

iam in Elephantine eiusdem Æthiopiæ, lividam, difficilemque aspectu, qua pota terrorem minasque serpentium obversati, ista ut mortem sibi eo metu consciscant: ob id cogi sacrilegos illam bibere. Adversari autem ei palmeum vinum. Thalassæglen circa Indum amnem inveniri, quæ ob id nomine alio [13] potamantis appellatur: hac pota lymphari homines, [14] obversantibus miraculis. Theangelida in Libano Syriæ, [15] Dicte Cretæ montibus, & Babylone, & Susis Persidis nasci, qua pota Magi divinent. [16] Gelotophyllida in Bactris, & circa Borysthenen. Hæc si bibatur cum myrrha & vino, varias obversari species, ridendique finem non fieri, nisi potis nucleis pineæ nucis cum pipere & melle in vino palmeo. [17] Hestiatorida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa. Eamdem protomediam, [18] qua primatum apud reges obtineant. [19] Casigneten, quoniam secum ipsa nascatur, nec cum ullis aliis herbis. Eamdem Dionysonymphadem, quoniam vino mire conveniat. [20] Helianthes vocat in Themiscyrena regione & Ciliciæ montibus maritimis, folio myrti. Hac cum adipe leonino decocta, addito croco & palmeo vino, perungi Magos & Persarum reges, ut fiat corpus aspectu jucundum. Ideo eamdem heliocallidem nominari. Hermesias ab eodem vocatur, ad liberos generandos pulcros bonosque, non herba, sed compositio e nucleis pineæ nucis tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo, postea admixto theombrotio & lacte, bibere generaturos jubet, & a conceptu puerperas partum nutrientes: ita fieri excellentes animo & forma, atque bonos. Harum omnium Magica quoque vocabula ponit. Adjecit his Apollodorus assectator ejus, herbam [21] æschynomenen, quoniam appropinquante manu folia contraheret. [22] Aliam crocida, cujus tactu phalangia morerentur. [23] Cratevas œnothetidem, cujus aspersu e vino feritas omnium animalium mitigaretur. [24] Anacampserotem [25] celeber arte Grammatica paulo ante, cujus omnino tactu redirent amores, vel cum odio depositi. Et abunde sit hactenus attigisse insignia Magorum in his herbis, alio de his aptiore dicturis loco.

CIII. Eriphiam multi prodidere. Scarabæum hæc in avena habet, sursum deorsum decurrentem cum sono hœdi, [2] unde & nomen accepit. Hac ad vocem nihil præstantius esse tradunt.

CIV. [1] Herba lanaria ovibus jejunis data, lactis abundantiam facit. [2] Æque nota lactoris vulgo est, plena lactis, quod degustatum vomitiones concitat. [3] Eamdem hanc aliqui esse dicunt, alii similem illi, [4] quam militarem vocant: quoniam vuln u ferro factum, nullum non intra dies quinque sanat, ex oleo imposita.

CV. [1] Celebratur autem & a Græcis stratiotes, sed ea in Ægypto tantum & inundatione Nili nascitur, aïzoo similis, ni majora habetet folia. [2] Refrigerat mire, & vulnera sanat ex aceto illita. [3] Item ignes sacros, ac suppurationes. [4] Sanguinem quoque qui defluit a renibus, pota cum thure masculo mirifice sistit.

CVI. [1] Herba in capite statuæ nata, collectaque alicujus in vestis panno, & alligata in lino ruso, capitis dolores confestim sedare traditur.

Notæ.

13. *Potamantis.*] Vel potius *ποταμῖτις*, quasi fluvialis: vel, ut in Indice, *potamocyde*, quasi *ποταμοῦ κῦδος*.

14. *Obversantibus.*] Animo per noctem miras species imaginante.

15. *Dicte Cretæ.*] Ubi apes, teste Virgilio, libro IV. Georg. versu 152.

Curetum sonitus, crepitantiaque æra secutæ,
Dictæo cæli regem pavere sub antro.

Et libro 2. versu 536.

Ante etiam sceptrum Dictæi regis.

Hoc est, Jovis.

16. *Gelotophyllida*] Γελωτοφυλλίδα, quasi folio risum ciente, si edatur. Forte apiastrum, sive batrachion illud est, quod & herbæ Sardoniæ nomine vulgatius venit, de quo lib. 15. sect. 109.

17. *Hestiatorida.*] Vide Notas & Emend. num XXXI.

18. *Qua primatum.*] Qua primum locum apud Mediæ Reges aulici eam edentes obtineant.

19. *Casigneten.*] Forte *acasigneten*, quasi sine fratribus: nam *κασίγνητος*, *frater*, *germanus*.

20. *Helianthes.*] Ἡλιάνθες, quasi flos Solis.

21. *Æschynomenen.*] Αἰσχυνομένην, quasi verecundam Ex eo genere est, atque in hujus nominis possessionem venire pro suo jure potest arbor ea quæ circa Memphim crescere dicitur a Theophr. lib. 4 hist. cap. 9 quam & Plinius attigit, lib. 13. sect. 19 ut & herba ea quæ Impatiens a Dodonæo dicitur, pag. 648. a Lobelio in Observ. pag. 171 Persicaria siliquosa, & in Advers. pag. 135. quæ digitis appropinquantibus siliquas contrahit. Vulgus herbariorum *Noli me tangere* idcirco vocitat. Maxime vero ea quam Herbam vivam nuncupant, visam satamque a Dalecampio, ipso prodente, lib 18. hist. plant. pag. 1915. ubi ea delineatur. Hanc si quis cupit apprehendere, folia contrahit: si quis assequatur, marcescit: si manum retrahat, revirescit. Persidi hæc Asiæque familiaris est. Similis denique sensitiva Brasiliana, quam in horto Regio sæpe conspeximus.

22. *Aliam crocida.*] Κροκίδα, a colore croceo.

23. *Cratevas œnotheridem.*] De hac dicemus lib. 26. sect. 69.

24. *Anacampserotem.*] Hesychius: Ἀνακαμψέρως, φυτόν τι, ὃ καὶ ἀρθὲν ἀπὸ γῆς ζῇ. *Herba quædam, quæ evulsa & extra terram vivit.*

25. *Celeber... Grammatica.*] Apionem Grammaticum signat, de quo nos in Auctorum Indice. Hic paulo ante Plinii tempora Tiberii principatu vixit.

Sect. CIII. 1. *Eriphiam.*] Nunc haud satis cognitam.

2. *Unde & nomen.*] Voce Græca ἔριφος hœdum significante.

Sect. CIV 1. *Herba lanaria*] In Nothis Diosc. ἡ βοτάνη λαναρία Ῥωμαῖοι, στρουθίον est, sive radicula, *l'herbe au foulon*: de qua nos egimus, lib. 19. sect. 18.

2. *Æque nota lactoris.*] Forte lactuca marina, de qua lib. 20. sect. 24

3. *Eamdem hanc aliqui.*] Falso.

4. *Quam militarem.*] Millefolium terrestre, de quo egimus sect. 95.

Sect. CV. 1 *Celebratur*] Hæc totidem fere verbis Dioscor. lib 4 cap. 102. Στρατιώτης, &c. Delineatur hæc Stratiotes a Prospero Alpino, *ποταμία*, libro de plantis Ægypti, pag. 108. Στρατιώτης etiam Galeno, lib. 8. de fac. simpl. med. pag. 131.

2. *Refrigerat*, &c. Diosc. & Galenus, locis citatis.

3. *Item ignes.*] Καὶ ἐρυσιπέλατα, Dioscor. loc. cit.

4 *Sanguinem.*] Diosc. loc cit. Ἐφίστησι τὰς ἐκ νεφρῶν αἱμοῤῥαγίας.

Sect. CVI. 1. *Herba in capite.*] Hæc totidem verbis Mar-

CVII.

CVII. Herba quæcumque a rivis aut fluminibus ante Solis ortum collecta, ita ut nemo colligentem videat, adalligata lævo brachio, ita ut æger quid sit illud ignoret, tertianas arcere traditur.

CVIII. [1] Lingua herba nascitur circa fontes. Radix ejus combusta & trita cum adipe suis, (adjiciunt ut nigra sit & sterilis,) alopecias emendat ungentium in Sole. 5

CIX. [1] Cribro in limite adjecto, herbæ intus exstantes decerptæ, adalligatæque gravidis, partus accelerant.

CX. Herba quæ gignitur supra fimeta rutis, contra anginas efficacissime pollet ex aqua pota.

CXI. Herba, juxta quam canes urinam fundunt, evulsa ne ferro attingatur, luxatis 10 celerrime medetur.

CXII. [1] Rumbotinum arborem demonstravimus inter arbusta. Juxta hanc viduam vite nascitur herba, quam [2] Galli rhodoram vocant: caulem habet virgæ ficulneæ modo geniculatum, folia urticæ in medio exalbida, eadem procedente tempore tota rubentia, florem argenteum: præcipua contra tumores, fervoresque, & collectiones, cum 15 axungia vetere tusa, ita ut ferro non attingatur: qui perunctus est, despuit ad suam dextram ter. Efficacius remedium esse aiunt, si tres quoque trium nationum homines perungant dextrorsus.

CXIII. [1] Herba Impia vocatur incana, rorismarini aspectu, thyrsi modo vestita atque capitata. Inde alii ramuli exsurgunt sua capitula gerentes: ob id impiam appellave- 20 re, quoniam liberi super parentem excellant. Alii potius ita appellatam, quod nullum animal eam attingat, existimavere. Hæc inter duos lapides trita fervet, præcipuo adversus anginas succo, lacte & vino admixto. Mirum traditur, numquam ab eo morbo tentari qui gustaverint. Iraque & suibus dari: quæque medicamentum id noluerint haurire, eo morbo interimi. Sunt qui & in avium nidis inseri aliquid ex ea putent, atque ita non 25 strangulari pullos avidius devorantes.

CXIV. [1] Veneris pectinem appellant a similitudine pectinum, cujus radix cum malva tusa, omnia corpori infixa extrahit.

CXV. Veterno liberat, [1] quæ exedum vocatur, Nodia herba, coriariorum officinis nota: [2] ea mularis est aliis, aliisve nominibus. Nomas curat: efficacissimamque adversus 30 scorpiones esse potam in vino aut posca reperio.

CXVI. [1] Philanthropon herbam Græci appellant hirsutam, quoniam vestibus adhærescat. Ex hac corona imposita capitis dolores sedat. [2] Nam quæ canaria appellatur lappa, cum plantagine & millefolio trita ex vino carcinomata sanat, ternis diebus soluta. Medetur & suibus effossa sine ferro, & addita [3] in colluviem poturis, vel ex lacte ac vi- 35 no. Quidam adjiciunt & fodientem dicere oportere: Hæc est herba argemon, quam Minerva reperit suibus remedium, qui de illa gustaverint.

CXVII. [1] Tordylon alii semen silis esse dixerunt: [2] alii herbam per se, quam & syreon vocaverunt. Neque aliud de ea proditum invenio, quam [3] in montibus nasci: [4] combustam potu ciere menses, & pectoris exscreationes, efficaciore etiamnum radice: 40 [5] succo ejus ternis obolis hausto renes sanari: addi radicem ejus & in malagmata.

CXVIII. [1] Gramen ipsum inter herbas vulgatissimum. Geniculatis serpit internodiis,

Notæ.

cellus Empir. cap. 2. pag. 39. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 1. Theodorus Priscianus, lib. 4. *Herba polygono coronatus ... dolore capitis caret. Similiter etiam herba illa, quæ forte inventa fuerit in capite ænearum statuarum.* Vide Eusebii Historiam Eccles. lib. 7. ubi de herbæ ignoto genere, ad pedes Christi statuæ, enascente Cæsareæ Philippi morborum omnium medela certissima. Sed hæc ei vis præter naturam ab auctore Naturæ.

Sect. CVIII. 1. *Lingua herba.*] Quæ lingulaca dicitur, lib. 25. sect. 84. Vide quæ ibi dicturi sumus.

Sect. CIX. 1. *Cribro in limite adjecto.*] Ita etiam MSS. Malim, *abjecto*. In Indice, *Herba de cribro*, subintellige, nata.

Sect. CXII. 1. *Rumbotinum.*] Libro 14. sect. 3.

2. *Galli Rhodoram.*] Nempe Galli Circumpadani. In MSS. Reg. & Colb. *Rhodaram*. In Indice, *Rhodarum*.

Sect. CXIII. 1. *Herba impia.*] Filago ea est, sive Impia Dodonæi, pag. 66. visa a nobis in horto Regio. Subscribit etiam Anguillara, part 12. pag. 203.

Sect. CXIV. 1. *Veneris pectinem.*] Hanc esse Ruellius arbitratur, quam Plinius alibi scandicem vocat, lib. 22. sect. 38. delineatam a Dodonæo, pag. 689.

Sect. CXV. 1. *Quæ exedum.*] Fortean ab exedendo dicta. In Indice hujus loci, *Exedum*, sive *Nodia*. Ceteris scriptoribus incognita.

2. *Ea mularis.*] In Reg. 2. cod. *Ea villaris* legitur.

Sect. CXVI. 1. *Philanthropon.*] Est Aparine Dodonæi, pag. 350 & Lobelii, in Observ. pag. 464. Fuschsii φιλάνθρωπος, cap. 14. hist. plant. Plinii asperugo, lib. 26. sect. 65. Vulgus in Gallia *Gratteronem* vocat.

2. *Nam quæ canaria.*] Lappam canariam habere quamdam cum philanthropo affinitatem haud obscure innuit: prorsus ut alterum lappaginis genus esse videatur, quod mollugo a Plinio appellatur, lib. 26. sect. 6. pinguntque a Dodonæo, pag. 351.

3. *In colluviem.*] In aquam sordidam, in qua furfur & olera mixta. Galli, *la Lavaille*.

Sect. CXVII. 1. *Tordylon....semen silis.*] Hoc est, seselis. Dioscor. lib. 4. cap. 164. Τόρδυλον, ὅτι δὲ οἱ δὲ Κόρεος, &c. Et in Nothis, pag. 455. οἱ δὲ τόρδυλον.

2. *Alii herbam per se.*] Ipsum est Creticum seseli, de quo nos egimus, lib. 20. sect. 18. & 87. Diosc. lib. 3. cap. 63. Τόρδυλον, ὅτι δὲ οἱ δὲ Κρητικὸν σέσελι.

3. *In montibus.*] In Amano Ciliciæ monte. Dioscor. loco cit.

4. *Combustam*, &c.] Diosc. loc. cit.

5. *Succo ejus.*] Diosc. loc. cit.

Sect. CXVIII. *Gramen ipsum.*] Diosc. lib. 4. cap. 30. Ἄγρωστις κλωνάρια ἔχει γονατώδη, ἕρποντα ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἀπὸ τῶν κλάδων ἀποβάλλει ῥίζας γλυκείας, γονατώδεις. *Gramen viticulas habet viticulatas, per terram repentes, quæ a suis articulis radices spargunt dulces, internodiis seu geniculis distinctas.* Hoc

crebroque ab his, [2] & ex cacumine novas radices spargit. Folia ejus in reliquo orbe [3] in exilitatem fastigantur. [4] In Parnasso rantum ederacea specie, densius quam usquam fruticant, flore odorato candidoque. [5] Jumentis herba non alia gratior, sive viridis, sive in feno siccata, cum detur asperfa aqua. Succum quoque ejus in Parnasso excipi tradunt [6] propter ubertatem. Dulcis hic est. [7] In vicem ejus in reliqua parte terrarum succedit decoctum ad vulnera conglutinanda, quod & ipsa herba tusa præstat, [8] tueturque ab inflammationibus plagas. [9] Decocto adjicitur vinum ac mel: ab aliquibus & thuris, & piperis, myrrhæque tertiæ portiones. [10] Rursusque coquitur in æreo vase ad dentium dolores [11] & epiphoras. [12] Radix decocta in vino torminibus medetur, & urinæ difficultatibus, hulceribusque vesicæ. [13] Calculos frangit: [14] semen vehementius impellit. [15] Alvum vomitionesque sistit. Privatim autem draconum morsibus auxiliatur. Sunt qui genicula novem, vel unius, vel e duabus tribusve herbis, ad hunc articulorum numerum involvi lana succida nigra jubeant, ad remedia strumæ, panorumve. Jejunum debere esse qui colligat: ita ire in domum absentis cui medeatur, supervenientique ter dicere, jejuno jejunum medicamentum dare, atque ita adalligare, triduoque id facere. [16] Quod e graminum genere septem internodia habet, efficacissime capiti contra dolores adalligatur. Quidam propter vesicæ cruciatus decoctum ex vino gramen ad dimidias a balineis bibi jubent.

CXIX. Sunt qui & aculeatum gramen vocent trium generum: [1] cum in cacumine aculei sunt plurimum quini, dactylon appellant: hos convolutos naribus inserunt, extrahuntque sanguinis ciendi gratia. [2] Altero, quod est aïzoo simile, ad paronychia & pterygia unguium, & cum caro unguibus increvit, utuntur cum axungia: ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur. Tertium genus dactyli, sed tenuis, nascitur in parietinis, aut tegulis. Hinc caustica vis est. Sistit hulcera quæ serpunt. Gramen capiti circumdatum, sanguinis e naribus fluxiônes sistit. [3] Camelos necare traditur in Babylonis regione, id quod juxta vias nascitur.

CXX. Nec feno Græco minor auctoritas, [1] quod telin vocant, alii carphos: aliqui buceras, alii ægoceras, [2] quoniam corniculis semen est simile, nos siliciam: quomodo sereretur, [3] suo loco docuimus. [4] Vis ejus siccare, mollire, dissolvere. [5] Succus decocti feminarum pluribus malis subvenit: sive duritia, sive tumor, [6] sive contractio sit vulvæ, foventur, insidunt: infusum quoque prodest. [7] Furfures in facie extenuat. [8] Spleni addito nitro decoctum impositum medetur. Item ex aceto. Sic & jocineri decoctum. Diocles difficile parientibus semen ejus dedit acetabuli mensura tritum in novem cyathis sapæ, ut cum tertias partes biberint, calida lavarentur: & in balneo sudantibus dimidium ex relicto iterum dedit: mox a balneo reliquum pro summo auxilio. Farinam feni Græci cum hordeo, aut lini semine decoctam aqua mulsa contra vulvæ cruciatus subjecit. Item imposuit imo ventri. Lepras, lentigines, sulphuris pari portione mixta farina curavit, nitro ante

NOTÆ.

gramen caninum vocant rura nostra, *Chien-dent.* Pingitur a Lobelio, qui Caninum medicacatum appellat, in Observ. pag. XI.

2. *Et ex cacumine.*] Cum depresso cacumine terra obruitur, vel sic radices agit: tam pertinacis est vitæ.

3. *In exilitatem.*] Instar exilis arundinis, inquit Diosc. loc. cit. Φύλλα ὀξέα . . . ὡς καλάμου μικροῦ.

4. *In Parnasso.*] Diosc lib. 4. cap. 32. Ἡ δὲ ἐν τῷ Παρνάσῳ γεννωμένη ἄγρωστις, πολυκλαδωτέρα ἐστί, *densius fruticat:* ἄνθος λευκὸν καὶ εὐῶδες, *flore candido & odorato*, &c.

5. *Jumentis herba*] Dioscor. lib 4 cap 30. & 32

6. *Propter ubertatem.*] Ad fecunditatem.

7. *In vicem ejus.*] In locum Parnassii graminis, gramen vulgare succedit in orbe reliquo Diosc. loc. cit. Ταύτης ἡ ῥίζα ἑψηθεῖσα . . . κολλᾷ.

8. *Tueturque . . . . plagas.*] M S S. *placata*, ut ad vulnera referatur.

9. *Decocto.*] Parnassii scilicet graminis, ubi id suppetit, ita prodente Dioscor. lib. 4. cap. 32. reliquo in orbe, vulgaris.

10. *Rursusque coquitur.*] In Reg. 1. *cogitur.* Condi in æreo vase oportere ait Diosc. lib 4 cap. 31.

11. *Et epiphoras.*] Oculorum inflammationes. Dioscor. loc. cit. Φάρμακόν ἐστιν ἄριστον πρὸς ὀφθαλμούς· ἀποτίθεται δὲ ἐν χαλκῷ πυξίδι. Apuleius, cap. 77. tit 1. *Ad epiphoras oculorum · Herba gramen . . . decrescente Luna sublata plurimum valet. Repositam habeto diligenter: exinde lippire incipientibus ad collum ligata, celeriter imminentem epiphoram discutere & sanare dicitur.*

12. *Radix decocta.*] Et hæc pariter de vulgari gramine Diosc lib. 4 cap. 30.

13. *Calculos.*] Dioscor. loc. cit & Galenus, lib. 6. de fac. simp med. cap. 3. Vide & Marcellum Empir. cap. 26. pag. 180.

14. *Semen*] Dioscor. & Galenus, loc. cit.

15. *Alvum &c.*] Diosc & Galenus, loc. cit.

16. *Quod e graminum.*] Q. Serenus, cap. 2 pag. 126. inter remedia capitis, hoc habet:

> *Vel quæ septenis censentur gramina nodis,*
> *Utiliter nectes.*

Sect. CXIX. 1. *Cum in cacumine.*] Hoc primum aculeati graminis genus. Gramen aculeatum, inquit Ruellius, lib. 3 pag 563 rura nostra etiam canarium dentem appellant: aliqui e vulgo *Capriolam*, quod capris grato sit pabulo: multi ab effectu *sanguinariam*, quod aculei foliorum quini senive in echinatum fastigium una convoluti nares farciunt, eliciendi sanguinis gratia, cum extrahuntur.

2. *Altero*] Et istud dactyli genus, & tertium quod sequitur, aizoi tertiam speciem, sive illecebram Dioscoridis, lib. 4. cap. 91. ita repræsentant, ut nulli paulum versato non liquido constet, nihil discrepare Vide Lobelium in Adverf. pag. 4 & Aloys. Anguill. par. 5. pag. 94. De hac illecebra dicemus, lib 25. sect 103

3. *Camelos.*] Jumenta universim omnia necari illo gramine, quod secus vias in Babylonis regione nascitur, prodit Diosc. lib. 1. cap. 31.

Sect CXX. 1. *Quod telin*] Τῆλις Galenus, in Explic. vocum Hippocr. tom. 2, pag 89 βούκερας, ἡ τῆλις Et lib. 1. τῶν τόπων. cap 1. pag 335. Ὀνομάζουσι δὲ παρ' ἡμῖν ἐν Ἀσίᾳ τοῦ τὸ φυτὸν, αἰγόκερως. Diosc in Nothis, pag. 444 Τῆλις· οἱ δὲ κάρφος, quæ vox paleam & festucam sonat.

2. *Quoniam corniculis.*] Quoniam siliqua quæ semen continet, in cornus speciem est falcata.

3 *Suo loco docuimus*] Libro 18 sect. 30.

4. *Vis ejus.*] Dioscor lib 2. cap. 124 hoc tantum · μαλακτικὴν καὶ διαφορητικὴν ἔχει δύναμιν, molliendi ac discutiendi vim habet.

5 *Succus decocti &c.*] Hæc totidem verbis Dioscorides loco citato.

6. *Sive contractio.*] Præclusio oris vulvæ, μύσις, Dioscor. loc. cit.

7. *Furfures.*] Dioscor. loc. cit.

8 *Splem.*] Dioscor. loc. cit.

præparata cute, sæpius die illinens, [9] perungique prohibens. [10] Theodorus feno miscuit quartam partem purgati nasturtii acerrimo aceto ad lepras. [11] Damon semen feni acetabuli dimidii mensura cum sapæ & aquæ novem cyathis ad menses ciendos dedit potu. [12] Nec dubitatur, quin decoctum ejus utilissimum sit vulvis, interaneisque exhulceratis: sicuti semen articulis atque præcordiis. Si vero cum malva decoquatur, postea addito mulso potus, ante cetera vulvis interaneisque laudatur: quippe cum vapor quoque decocti plurimum prosit: alarumque etiam graveolentiam decoctum feni emendat. Farina porrigines capitis furfuresque cum vino & nitro celeriter tollit. In hydromelite autem decocta addita axungia genitalibus medetur: item pano, parotidi, podagræ, chiragræ, articulis, carnibusque quæ recedunt ab ossibus: aceto vero subacta luxatis. Illinitur & lieni decocta in aceto & melle tantum. Carcinomata subacta ex vino purgat: mox addito melle persanat. [13] Sumitur & sorbitio e farina ad pectus exhulceratum, longamque tussim. Diu decoquitur, donec amaritudo desinat. Postea mel additur. Nunc ipsa [14] claritas herbarum dicetur.

NOTÆ.

9. *Perungique prohibens.*] Ita MSS. omnes: non, ut vulgati libri, *præcipiens*.

10. *Theodorus feno*] Feno Græco scilicet. Ita MSS.

11. *Damon.*] Qui & Damion. Vide Auctorum Indicem. In MSS. *Timon*, mendose.

12. *Nec dubitatur.*] Dioscor. loc. cit.

13. *Sumitur & sorbitio.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 58. *Feni Græci farina*, inquit, *cum aqua decocta, donec amaritudinem amittat: adjecto melle iterum coques: & devorata tantum tussim sedat, & pectoris hulcera expurgat.*

14. *Claritas herbarum.*] Herbæ clariores & insigniores. Qua forma loquendi sæpius abutitur. Sic *vetustatem adipis* pro *adipe vetusto* alibi dixit. Locum autem nunc respicit sectionis 88. ubi hæc præfatus erat: *Nunc subtexemus herbas mirabiles quidem, sed minus claras, nobilibus in sequentia volumina dilatis.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXIV.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. ARABIA *atque India in medio æstimantur.*] Reg. 2. Colb. & Chiffl. *in medea.* Forte *in remedia* : propter id quod sequitur haud multo post : *cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet.*

Sect. 11. II. *Phthiriasis perungere eo non dubitaverim, itemque porrigines.*] Sic libri omnes editi. In MSS. *Ptiriasis.* Qui *phthiriases* legi maluerint, tueri se possunt Q. Sereni calculo, cap. 6. cui titulus est, *phthiriasi arcendæ* : quo morbi genere interiisse Pherecydem, Syllamque, commemorat, pronunciatque oportere corpus,

Succo perducere cedri.

Qui *pityriases* sincerius putaverint, ob id quod sequitur, *& porrigines* : objicere Marcellum ii possunt, cap. 4. pag. 40. ita statuentem : *Ad pityriasin & porrigines capitis, perdest cedria tantum ungere caput.* Est autem πιτυρίασις idem quod Latinis porrigo : de qua diximus, lib. 20. sect. 23.

Sect. 12. III. *Utilis .... tuloos, admota. Contra lepores marinos &c.*] Ita MSS. *Pota* tamen multo mallem. Nam Dioscor. lib. 1. cap. 105. Καὶ ἔμμηνα ἄγει σὺν πεπέρει λεῖον πινόμενον. *Ex trito pipere pota, menstrua cient.* Vel legi satius fortasse, *tuloos. Ac pota contra lepores marinos &c.* Pergit enim Græcus auctor : Καὶ πρὸς λαγωὸν θαλάσσιον πίνεται σὺν οἴνῳ λαμβανόμενον. *Contra haustum leporem marinum in vino sumuntur.*

Sect. 23. IV. *Sic & hulcera purgat, explet. Cum uva passa & axungia carbunculos purgat.*] Mutata hactenus interpunctio medicinas confuderat in hunc modum : *Sic & hulcera purgat, explet cum uva passa & axungia. Carbunculos purgat. &c.* & quo temperamento carbunculos purgaret, obscurum erat. Erroris admoniti primum sumus a Plinio Valer. lib. 3. cap. 22. ita proloquente : *Pix Brutia*, inquit, *cum melle hulcera purgat, explet, sanat : eadem pix cum uva passa, & axungia, hulceribus putrescentibus medetur.* Et cap. 30. *Carbunculo medendo Pix Brutia cum uva passa, exemptis nucleis, addita axungia, purgat.* Tum deinde a Dioscor. lib. 1. cap. 94. etsi is pro axungia mel adsciscit : Σὺν σταφίδι δὲ καὶ μέλιτι, ἀνθρακας καὶ σηπεδόνας περιῤῥήσσει. *Quin & cum uva passa & melle, carbunculos putrescentesque hulcera emarginat.*

Sect. 25. V. *Maturum optimum ex eo, quod cum fervet, innatat.*] Priorem vocem hujus sententiæ verbis antecedentibus Pintianus adnectit, & *maturum* legit eo, pacto : *aut si fetus mammas laserit matrum. Optimum ex eo* &c. Hermolaus Barbarus, ex Dioscoride, *Naturale optimum* reponit. Sed quicquid is ex Dioscoride corrigi velit, ego *maturum* cum omnibus libris antiquis, Reg. Colb. Chiffl. editionibusque pervetustis, defenderim. De artificiali enim pissasphalto, quod bitumini admixta pice confici proxime antea indicarat, agere videtur : mature coctum & commixtum, optimum esse, quod innatat, cum una coquuntur, & fervent : alioqui non video quemadmodum intelligi queat naturale fervendo innatare, quandoquidem glebarum modo concretum in litora ejectetur e Ceraunis montibus summum impetu ad Apolloniam Epiri, ut historici referunt. Sed & magna mihi suspicio est, quod ex Dioscoride Hermolaus confirmare nititur, existimasse eum, id quod de asphalto ipso, hoc est, bitumine, ille refert, quod in Agrigentinorum agro fontibus supernatare proditur, ad fervorem innatantis pissasphalti trahi oportere.

Sect. 28. VI. *Et ad extendendam cutem in facie.*] *Ad extergendam* alii, alii *ad exterendam* legunt. A libris antiquis, Reg. Colb. &c. non discedo, auctore etiamnum Q. Sereno, cap. 12. pag. 131.

Attrito sapone genas purgare memento,
Rugarum sulcos lentisci masticbe tendens.

Facit tamen & ad nitorem cutis faciei illita. Dioscor. lib. 1. cap. 90. Μίγνυται δὲ καὶ .... σμηχάσμασι πρόσωπα στιλβωτικά.

Ibid. VII. *Et ad omnia quæ Hammoniaci vis.*] Sic libri omnes editi. In Reg. *& amonia quævis.* In Reg. 1. *& ad omnia quæ eius*, vel *quivis.* Alii aliter, sed ita ut certi nihil ex illis eruas. Dioscorides lib. 1. cap. 89. succum lentisci prodesse scribit ad omnia ea ad quæ prosit acacia : Καὶ καθόλου ἀντὶ ἀκακίας ἔστιν αὐτῷ χρῆσθαι.

Sect. 29. VIII. *Platani adversantur vespertilionibus.*] In vetere libro *scorpionibus* legi, non *vespertilionibus* Dalecampius admonet. Quisquis is liber fuit, fidem haud meretur, reclamantibus ceteris, tum MSS. tum scriptoribus etiam antiquis. Vertigine premi vespertilionem, si platani folio tangatur, scribit Sextus Empir. lib. 1. Pyrrh. hypoth. cap. 14. pag. 12. Πλατάνου φύλλοις θιγόντες, νυκτερὶς καρηβαρεῖ. Africanus in Geopon. lib. 13. pag. 372. objectus platani foliis aditum obstrui vespertilionibus asseverat : Εἰς τὰς εἰσόδους κρέμασον φύλλα πλατάνου, καὶ οὐκ εἰσελεύσονται νυκτερίδες. Addit idem auctor, lib. 15. cap. 1. pag. 404. ciconias nidis suis platani folia imponere, ne vespertiliones subeant. Πελαργοὶ πλατάνου φύλλα τοῖς νοσσιοῖς ὑποβάλλουσι διὰ τὰς νυκτερίδας. Quod & Phile prodidit, lib. de propr. animal. pag. 74. Ælianus, lib. 1. hist. anim. cap. 37.

Ibid. IX. *Foliorum tenerrima in vino decocta &c.*] Ita MSS. Reg. Colb. & Chiffl. quos secuti sumus : cum prius perperam legeretur, *folia earum tenerrima.* Dioscor. lib. 1. cap. 107. Πλατάνου τὰ τρυφερὰ τῶν φύλλων ἑψηθέντα ἐν οἴνῳ, καὶ καταπλασθέντα, ἵστησι ῥευματισμὸν ὀφθαλμῶν. *Tenerrima platani folia in vino decocta, mox illita, oculorum fluxiones sistunt.*

Sect. 30. X. *Semen foliis eius inest.*] De fraxino sermo instituitur. At *folliculis* scribi oportere, non *foliis ejus*, sunt qui vehementer contendant, quoniam contineri siliqua sive folliculo semen illud constet. Itaque a Dalecampio aliisque hoc loco Plinius erroris arguitur. Verum non intelligunt viri alias eruditi, siliquam eam, qua semen includitur, foliaceas in circumferentia præferre lacinias, atque adeo folii latitudinem imitari : quamobrem & folii nomenclationem haud immerito in eam transferri.

Sect. 32. XI. *Humor e cavis populi nigræ effluens.*] Ita MSS. omnes, editique libri. Quæ lectio si cui non admodum arriserit, conjecturam ei aliam libet hoc loco proponere : num *e cymis* legi magis probaturus sit. Nam e germinibus & surculis incipientibus (cymas Græci Latinique vocant) crassiusculus & lentore suo resinaceus, gummosusve exit humor, odoratissimus aromatum modo : unde unguenti populei vulgo dicti materiam sumendam censuerim.

Ibid. XII. *Gutta aquæ propoli ex aqua efficax.*] Libri ante nos editi, impedita admodum, vel ut verius, nulla sententia, *Gutta quoque aquæ propolis ex aqua remedium efficax est.* In MSS. hoc tantum : *Gutta quoque aquæ propolis ex aqua efficax.* In quibus vestigia haud obscura sinceræ scripturæ. Sententia est, ut diximus, pares ei guttæ vires in usu medico, ac propoli, esse. *Aquæ propoli* pro *aquæ ac propolis*, phrasis est Pliniana : qua usus iterum ille, lib. 35. sect. 6. *Quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durasse.* Hic *quibus æque*, vel *æque illis* dixit, pro *æque atque illas*. Nec Pliniana modo locutio, sed etiam Plautina, in Amphitr. act. 1. sc. 13. vers. 137.

Nullus est hoc meticulosus æque.

Sect. 40. XIII. *Rami similiter cum fronde.*] De genista loquitur, cui minuta sunt folia. Tamen hoc inepte a Plinio dici Dalecampius asseverat : quod foliis carere σπάρτιον auctores testantur. Qui tandem ? Dioscorides, credo, cujus hæc verba, lib. 4. cap. 158. Σπάρτιον θάμνος ἐστὶ ῥάβδους φέρων μακρὰς, ἀφύλλους &c. Verum dictionem eam ἀφύλλους in vetustioribus libris abesse, jamdudum admonuit Saracenus. Et folia inesse genistæ, non modo res ipsa clamat, sed & ipse Dioscor. perspicuis verbis, lib. 1. Εὐπορ. cap. 237. Ἰσχιαδικοὺς δὲ ὠφελεῖ σπάρτιον .... καὶ εἰ τις μετ' ἀνθῶν τῶν φύλλων ἐν ὄξει βρέξας ... Quæ Plinianis plane paria ac gemina. Neque vero sum nescius, a Marcello Empirico, cap. 25. pag. 174. & a Plinio Valer. lib. 2. cap. 45. hæc iisdem verbis esscribi : voculas tamen eas *cum fronde* ab utroque prætermitti : id vero factum ab iis eo consilio reor, non quod fronde carere genistam putarint, sed quod eam in medicos usus adhiberi haud operæ pretium esse fortasse censuerint.

Sect. 41. XIV. *Myrice, quam ericen Lenæus vocat.*] MSS. Reg. Colb. & Chiffl. *Myrice camericam Lenæus.* Libri hactenus edi-

ti, *Myrice*, *quam & tamaricen.* Perperam: nam de hac altera appellatione dicitur inferius. A Pompeio Lenæo ericen vocatam & istam, ob similitudinem annuit: recte, an secus, non definit. Plinius, sect. 39. hujus libri: *Ericen Græci vocant fruticem non multum a myrice differentem.* Inde orta perturbatio nominum.

Sect. 42. XV. *Corinthus .... bryam vocat*] Libri editi, *bryonam*, male MSS. omnes, Reg. Colb. Chifil. aliique, tum hoc loco, tum in Indice, *bryam* scribunt. Ipsa est, de qua idem Plinius, lib 13. sect. 37. *Achaia fert bryam silvestrem: insigne in ea, quod sativa tantum ferat gallæ similem fructum.* In Achaia Corinthum esse nemo ignorat.

Sect. 47. XVI. *Corymbi quoque poti vel illiti lienem sanant.*] Hinc Plinium alterum Valerianum obiter emendabis, lib. 2. cap. 18 *Splen quomodo succurrendum: Gummi edera*, inquit, *poti vel illiti prosunt.* Scribe, *corymbi edera*.

Sect. 48. XVII. *Sub his maxime nascitur hypocisthis, quam inter herbas dicemus. Cissos erythranos*, &c. [Prius legebatur, *quam inter ederas diximus.* Qua lectione perculsus Dalecampius, Plinii memoriam desiderat, qui nullam hypocisthidis mentionem in ederarum historia fecerit. Amanuensium potius fidem desideraret, non scriptoris sane perquam diligentis & accurati. In Reg. 1. cod. *quam inter ederas dicemus.* In Reg 2 totidem plane apicibus, quot repræsentamus, *quam inter herbas dicemus*; nempe libro 26. sect. 31 quo volumine pertractantur herbæ, ut ipse in fine libri 24. præstiturum se his verbis pollicetur: *Nam ipsa claritas herbarum dicetur.* Eo enim libro, ac sectione mox citata de hypocisthide, *Nascitur*, inquit, *ut diximus, sub cistho, unde nomen*, &c. Hunc locum restituere Salmasius ita tentabat, in Solin. pag. 367. *Sub his maxime nascitur hypocisthis. Jam inter ederas diximus cisson. Erythranos*, &c. Jos. Scaliger, lib. 1. Epist. 18 ad Franc. Vertun in hunc modum. *Sub his .... hypocisthis Quam inter ederas diximus, cisson erythranon*, &c. Angelum Politianum secutus Hinc factum est ut in Indicibus Plinianis, qui hactenus concinnati extant, *hypocisthis edera genus* appelletur: falso.

Sect. 55. XVIII. *Rhus, qui erythros appellatur, semen est hujus fruticis, Vim habet adstringendi*, &c.] Prius legebatur: *Rhus; que erythros appellatur, frutex est, & hujus fruticis semen vim habet*, &c. Quæ lectio Dalecampium impulit, ut Plinium diceret rhun erythron a rhoe coriariorum, ceu diversos frutices, inepte discriminare. Sed librariorum ille, non Plinii omnis error est. Quid ille senserit, scripseritque, sincera scriptura exhibet, quam totidem syllabis apicibusque repræsentamus, quot sunt in Regio 2. codice. Et sane si fruticem diversum putaret, formam, ut solet, ob oculos poneret: neque tantum fruticem esse admoneret, quæ ipsi cum rhoe altero communis appellatio est. Sed de semine ejus fruticis, non de toto frutice agit.

Sect. 57. XIX. *Mirum est quod additur, saniem conspecto omnino frutice eo siccari.*] De sanie quæ fluat ab hulcere ex morsu canis nunc agi, commonstrat ipsa per se orationis series. Et *saniem* quidem, & *siccari*, præ se ferunt MSS. omnia exemplaria: præter Reg. 2 in quo *insaniam* manifesto errore legitur: quid enim est, *insaniam siccari*? Non placet tamen Saraceno ea lectio: sed *singultum*, non *saniem*: moxque *sanari*, non *siccari*, scribi contendit oportere, in Notis ad Dioscoridem. Plinii porro sic refingendi mentem Dioscorides primum injecit: Sic enim ille, lib. 3. cap 105. de alysso: Ταύτης τὸ ἀφέψημα ποθὲν, λύγμους τοὺς δίχα πυρετοῦ λύει· καὶ περιαφθὲν δὲ ἢ ὀσφρανθὲν, τὸ αὐτὸ δρᾷ. *Hujus decoctum potu solvit singultus, qui sunt citra febrem: idem præstat, si teneatur, vel olfiat.* Mox etiam Plutarchus, tertio Symposiacon libro, ubi in eodem argumento habitat. Τὸν δὲ ἄλυσσον ... ἐν ταῖς χερσὶ μόνον, οἱ δὲ καὶ προσβλέψαντες, ἀπαλλάττονται λυγμοῦ. Sed quidquid illi demum scripsere, nec dici a Plinio necesse est omnia ea quæ illi commemorarint: nec tractare nefas miraculum naturæ aliquod, quod illi non attigerint.

Sect. 58. XX. *Sic & pleuriticos, & omnes lateris dolores, apocyni semen ex aqua. Frutex est*, &c.] Sic MSS. omnes, editique libri. An igitur ἀπόκυνον Galeni, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 15 quod ait esse homini quoque venenum, ἐν δὲ ἀνθρώποις δηλητήριον, nihil a Plinio discrepet: an legendum hic potius, *Sic & pleuriticos, & omnes lateris dolores semen ex aqua*: ut ad radiculam, de qua proxime antea legitur, illa referantur: mox, *Apocynon frutex est*, &c. quod jam visum est nonnemini satius: amplius considerandum censeo.

Sect. 59. XXI. *Et ad vulvas cum vino & pipere*] An Plinius hoc loco ex Dioscoride: an, quod verius puto, ex Plinio Dioscorides emendandus sit, eruditi dijudicent Scripsit ille lib. 3. cap. 87. de libanotide seu rore marino: Ὁ δὲ καρπὸς ... ἰκτεριῶσι ... μετὰ πεπέρεως καὶ οἴνου διδόμενος. *Semen potum .... auxiliatur ..., ictericis, hoc est, regio morbo laborantibus, cum pipere ac vino exhibitum.* Legisse Plinium ὑστερικοῖς, non ἰκτερικοῖς plane apparet: hoc est, *mulieres vulvæ malo opportunas*, non *morbum arquatum*, seu *regium*.

Sect. 65. XXII. *Spina Ægyptia, sive Arabica laudes in odorum loco diximus*] Divulsa hæc ad hunc diem sententia, distractaque in partes duas, impeditum habuit intellectum. Sic enim legebant: *e spina Ægyptia*, quæ verba superiori adnectebantur lectioni. Mox ducto a sequentibus verbis initio capitis alterius, *spina Arabica laudes*, &c. quod incogitanter & oblivione scriptum a Plinio Dalecampius exclamat At sinceram esse, quam repræsentamus, scripturam, vel ex ipso hujus libri indice perspicuum est: sic enim habet, *Spina Ægyptia, sive Arabica.* Et suffragatur etiam Galenus, lib. 6 de facult. simp. med pag 17. pag. 152. Ἄκανθα Αἰγυπτία· ὅσοι δὲ Ἀραβικὴν ὀνομάζουσιν.

Sect. 67. XXIII. *Est & acacia e spina.*] Prius legebatur, *Est & acacie spina*, litterulas *a* & *e* in unam perverse conflatis, perturbataque eam ob rem sententia. Acaciæ nomen inditum semini ipsi fructuique arboris, succoque qui inde exprimitur, scriptores plurimi contestantur. In quibus auctor libri de simp. med ad Patern. tom. 13 operum Galeni, pag. 984. *Acacia fructus est arboris spinosæ, quæ maxime in Ægypto nascitur. Hic igitur fructus velut oliva exprimitur, & succus in Sole siccatur, & in glebam redigitur*, &c. Galenus ipse, lib 1 de Antidotis, cap. 14. pag. 889. ad hunc versiculum Andromachi senioris, ejus qui Neronis medicus fuit

Δάκρυον δὲ μίσγοιο βαθεῖ κυανωπὸν ἀκάνθης.

Δηλοῖ γὰρ, inquit, τὴν ἐκ τῆς Αἰγυπτίας ἀκάνθης γεννωμένην ἀκακίαν. *Lacrymam misceto cærulea spina. Innuit acaciam ex Ægyptia spina factam.*

Sect. 70. XXIV. *Pyracantha bacca contra serpentium ictus bibuntur.*] Ita rescripsimus admonitu codicum MSS. tum hoc loco, tum vero in Indice: cum prius legeretur, *pyxacantha.* At de pyxacantho sermo instituitur sect 77. De pyracantha nunc agit & Nicander probat, qui in Theriac. pag 60. commendat in primis, adversus serpentes & scorpiones:

Λάζεο καὶ πυράκανθαν, ἰδὲ φλόμον ἄγριον ...

Πυράκανθα quasi ignea dicitur spina, id est, valde urens, pungensque. Dioscor. lib. 1. cap 122. oxyacantham vocat, & a nonnullis πυρίναν appellari, & πυρακάνθην ait: lege πυρακάνθην, quod nempe urentes pungentesque spinas habet.

Sect. 72. XXV. *Agrifolia contusa addito sale, articulorum morbis prosunt: bacca purgationi feminarum, cœliacis, dysentericis, ac cholericis. In vino pota alvum sistunt. Radix decocta & illita extrahit infixa corpori.*] Prius legebatur, *Aliqui folia contusa .... articulorum morbis imponunt. Prosunt baccæ*, &c. Ut ad paliurum hæc spectare viderentur, de quo proxime antea legebatur. At vocem eam *imponunt* MSS. codices, Reg Colb. nullus denique nunc agnoscit Baccas paliurus nullas habet: habet aquifolium quales describuntur, lib 15 sect. 29. Et de agrifolio sermonem hoc loco instituit vel ex eo credibile fit, quod statim ob affinitatem nominis, ut fere Plinio familiare est, hac ipsa sectione ad aquifoliam arborem transfertur oratio. Sed rem plane decidit, emendationemque nostram egregie constabilit Plinius alter Valerianus, qui suum fere opus ex scriptoris nostri sententiis verbisque concinnavit. Is enim lib. 3. de re Med. cap. 15. *Ad nervos, articulos, arthriticos*, hunc ipsum locum exscribens: Agrifolium *tusum*, inquit, *addito sale & oleo prodest* Idem lib. 2. cap. 25. *cholera succurritur: Bacca agrifolii trita & vino data prosunt.* Denique lib. 3 cap 49. *Ad extrahenda ea quæ corpori infixa sunt. Radix etiam agrifolii coquitur, & teritur, & sic imponitur.* Quæ tondem plane verbis noster hic habet: qui cum *agrifolia contusa* multitudinis numero dixit, folia fruticemque simul intellexit.

Sect. 73. XXVI. *Cauliculorum ex vino decoctum, uvæ præsentaneum remedium est.*] Prius legebatur, *vel præsentaneum*: ut ad sananda condylomata, de quibus prius agebatur, spectare id quoque remedium videretur. In Reg. 1. cod. *ve præsentaneum.* Nos *uvæ* rescripsimus, indubitata conjectura. Auctor ita conjiciendi primum exstitit Marcellus Empir cap. 14. pag. 99. *Rubi*, inquit, *cauliculi teneri decoquuntur ex vino: idque vinum gargarizatur, quod confestim uvam prominentem coercet. Folia rubi arefacta in umbra in cinerem concremantur: is cinis in cochleari uvæ subtectus, præsentaneo remedio eam contrahit.* Et Plinius Valer. lib. 1. de re med. cap 45. cujus lemma est, *Ad uvam distillantem: Rubi*, inquit, *in quibus mora nascuntur cauliculi decoquantur ex vino, & eo ipso vino gargarizetur.* Et Pintiani inde conjectura exploditur, *calculorum* scribere contendentis, pro *cauliculorum*.

Sect. 75. XXVII. *Stomachicisque ex aqua bibendus datur.*] Ita restituimus, tum admonitu codicum MSS. Reg. Colb &c. tum ipsius Plinii, qui lib. 16. sect 71. de eodem rubo Idæo agens, *Contra stomachi quoque vitia*, inquit, *bibitur ex aqua.* Dioscoridis quoque, lib. 4. cap. 38. ita scribentis: Στομαχικοῖς τε μεθ' ὕδατος ἐκ ποτοῦ δίδοται. Prius *stomaticis* legebatur.

Sect. 80. XXVIII *Faciunt & pastillos, terentes eam ex aqua, ad supra dicta: sanas & vomicas, &c.*] Ad supra dicta, ad eosdem effectus, qui sunt supra commemorati. Sic etiam Dioscor. lib 3. cap. 113. Ἀνῶ δὲ δύναται καὶ εἰς καταπότια ἀναπλάττεσθαι πρὸς τὰ εἰρημένα. *Sed & trita in catapotia redigi potest ad supra dicta.* Mutata prius interpunctione, perturbataque sententia legebatur, *terentes eam ex aqua. Ad supra dicta sanas & vomicas.*

Sect. 94. XXIX. *Ac fistulis collyrii immissio Nomas sistunt decocta earum in aqua, & postea tritarum rosaceo addito.*] Prius legebatur, *ac fistulis. Collyrio immisso nomas sistunt, decoctarum in aqua*, &c.

Emendandi auctor Dioscorides extitit, qui de ari seu arisaro ita prodidit, lib. 2. cap. 198. Νομὰς ἵστησι καταπλασσόμενον· κολλούρια τε αὐτῆς σύριγγας ἐκσήπει ἐξ αὐτῆς χρίεται. *Illita nomas sistit: ex eadem collyria concinnantur, ad fistulas efficacia.*

Sect. 95. XXX. *Nascitur in palustribus, magnifico usu ad vulnera. Cum aceto bibitur ad difficultates urinæ . . . . præcipitatisque ex alto.*] Num satius sit ita legi, *ad vulnera cum aceto. Bibitur*, &c. considerandum amplius. Nam Diosc. lib. 4. cap. 115 de millefolio Τοῦτο τριφθέν, inquit, ἀφλέγμαντα καὶ ἀσύμπτωτα τὰ ἕλκη, σὺν ὄξει χλωρόν τε καὶ ξηρὸν καταπλασσόμενον. Ποτίζεται δὲ καὶ αὐτὸ τοῖς πεσοῦσιν ἐξ ὕψους σὺν ὕδατι καὶ ἁλσίν. *Vulnera recentia ab inflammatione vindicat: seu viride, seu etiam siccum ex aceto oblinatur. Præcipitatis quoque ex alto cum aqua & sale potui datur.* Tamen Apuleius vulgatæ quoque scripturæ suffragatur, cap. 88. tit. 4. *Ad urinæ difficultatem. Herbæ millefolii succus cum aceto potus, prodest & sanat.*

Sect. 101. XXXI. *Hestiaterida a convictu.*] Prius in editis legebatur, *Syssitieterida.* In Regio 1. cod. *Hestiatat rida.* Reg. 2. *Hestiaterida.* Nos *Hestiaterida*, ἑστιατορίδα, ab ἑστιάτωρ convivator.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXV.

I. IPSA quæ nunc dicetur herbarum claritas, medicinæ tantum gignente eas tellure, in admirationem curæ priscorum diligentiæque animum agit. Nihil ergo intentatum inexpertumque illis fuit: nihil deinde occultatum, quodque non prodesse posteris vellent. At nos elaborata iis abscondere atque supprimere cupimus, [1] & fraudare vitam etiam alienis bonis. Ita certe recondunt, qui pauca aliqua novere, invidentes aliis: & neminem docere, [2] in auctoritatem scientiæ est. Tantum ab excogitandis novis, ac juvanda vita mores absunt, summumque opus ingeniorum diu jam hoc fuit, ut intra unumquemque tecte facta veterum perirent. [3] At hercules singula quosdam inventa Deorum numero addidere: omnium utique vitam clariorem fecere cognominibus herbarum, tam benigne gratiam memoria referente. Non æque hæc cura eorum mira in his, quæ satu blandiuntur, aut cibo invitant: culmina quoque montium invia & solitudines abditas, omnesque terræ fibras scrutati invenere, quid quæque radix polleret, ad quos usus herbarum folia pertinerent, etiam quadrupedum pabulo intacta ad salutis usus vertentes. — CAP. I. — 5 — 10 — 15

II. Minus hoc, quam par erat, nostri celebravere, omnium utilitatum & virtutum rapacissimi. Primusque & diu solus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium magister, paucis dumtaxat attingit, boum etiam medicina non omissa. Post eum unus illustrium tentavit C. Valgius eruditione spectatus, imperfecto volumine ad Divum Augustum, inchoata etiam [1] præfatione religiosa, ut omnibus malis humanis illius potissimum Principis semper mederetur majestas. — CAP. II. — 20

III. Antea condiderat solus apud nos, quod equidem inveni, Pompeius Lenæus, Magni libertus: quo primum tempore hanc scientiam ad nostros pervenisse animo adverto. Namque Mithridates, maximus sua ætate regum, quem debellavit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus vitæ fuisse argumentis, [1] præterquam fama, intelligitur. [2] Uni ei excogitatum, quotidie venenum bibere præsumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen ejus retinet. [3] Illius inventum autumant, sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viverent. [4] Ad illum Asclepiadis medendi arte clari, volumina composita exstant, cum sollicitatus ex urbe Roma, præcepta pro se mitteret. [5] Illum solum mortalium viginti duabus linguis locutum certum est, nec de subjectis genti- — 25 — 30

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Et fraudare.*] Et fraudare homines qui vivunt, bonis quæ alii invenere.

2. *In auctoritatem.*] Id auctoritatem conciliare scientiæ videtur.

3. *At hercules.*] Quæ singuli homines invenerunt, quosdam e suis inventoribus in Deorum numerum addidere: omnium certe, qui in eo elaborarunt vitam clariorem fecere, cognomine herbis indito

Sect. II. 1. *Præfatione religiosa*] Inserta precatione, ut humanis calamitatibus opitularetur Principis majestas, felici administratione imperii.

Sect. III. 1. *Præterquam fama.*] Forte, ut alibi, *præterque* · hoc est, ac præterea. Præter singularem famam, quam ille apud omnes obtinuit, etiam argumentis quamplurimis diligentissimus naturæ scrutator fuisse intelligitur.

2. *Uni ei.*] Celsus, lib. 5. cap. 23. *Nobilissimum est antidotum Mithridatis, quod quotidie sumendo, Rex ille dicitur adversus venenorum pericula tutum corpus suum reddidisse.* Vide Dionem Cassium, lib 37. pag. 35.

3. *Illius inventum.*] Gellius, lib. 17. cap. 16. pag. 972. *Anates Ponticas dicitur edundis vulgo venenis victitare. Scriptum etiam a Lenæo Cn. Pompeii liberto, Mithridatem illum Ponti regem, medicæ rei & remediorum id genus solertem fuisse: solitumque eum sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent: eumque sanguinem vel potentissimum esse in ea confectione.* Sanguinem anatum utilissime in antidotis misceri, tradit quoque Dioscor. lib. 2 cap. 97. anseris quoque, atque hædi. Meminit etiam Scribonius Largus, Compos. Med. 187.

4. *Ad illum.*] Ad Mithridatem libros misit de medendi arte Asclepiades, cum sollicitatus ab eo rege ut ad se veniret, pro se præcepta ab Urbe misit. Commentarios edidisse in quosdam libros Hippocratis, aliaque plurima scripsisse consignasse, ex Brasavoli indice in Galenum intelliges: præter ea quæ nos recensuimus in Auctorum syllabo.

5. *Illum solum.*] Transscripsit hæc Gellius totidem verbis, lib 17. cap. 17. pag. 974. indicavitque jam Plinius, lib. 7. sect. 24.

bus. ullum hominem per interpretem appellatum ab eo [6] annis L VI. quibus regnavit. Is ergo in reliqua ingenii magnitudine medicinæ peculiariter curiosus, & ab omnibus subjectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum & exemplaria, effectusque, in arcanis suis reliquit. Pompeius autem omni regia præda potitus, transferre ea sermone nostro libertum suum Lenæum, [7] Grammaticæ artis, jussit: vitæque ita profuit non minus, quam Reipublicæ victoria illa.

IV. Præter hos Græci auctores medicinæ prodidere, quos suis locis diximus. [1] Ex his Cratevas, Dionysius, Metrodorus, ratione blandissima, sed qua nihil pæne aliud, quam rei difficultas intelligatur. Pinxere namque effigies herbarum, atque ita subscripsere effectus. Verum & pictura fallax est, & coloribus tam numerosis, præsertim in æmulatione Naturæ, multum degenerat [2] transcribentium sors varia. Præterea parum est singulas earum ætates pingi, cum quadripartitis varietatibus anni faciem mutent.

V. Quare ceteri sermone eas tradidere: aliqui ne effigie quidem indicata, & nudis plerumque nominibus defuncti, quoniam satis videbatur potestates vimque demonstrare quærere volentibus. Nec est difficile cognitu. Nobis certe, exceptis admodum paucis, contigit reliquas contemplari scientia Antonii Castoris, cui summa auctoritas erat in ea arte nostro ævo, visendo hortulo ejus, in quo plurimas alebat, centesimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria aut vigore concussis. Neque aliud mirata magis antiquitas reperietur. Inventa jampridem ratio est prænuncians horas, non modo dies ac noctes, Solis Lunæque defectuum. Durat tamen tradita persuasio in magna parte vulgi, veneficiis & herbis id cogi [1] eamque unam feminarum scientiam prævalere. Certe quid non replevere fabulis Colchis Medea, aliæque, in primis Itala Circe, Diis etiam adscripta? unde arbitror natum, ut [2] Æschylus e vetustissimis in Poëtica, refertam Italiam herbarum potentia proderet: multique Circeios, ubi habitavit illa, magno argumento etiamnum durante [3] in Marsis a filio ejus orta gente, quos esse domitores serpentium constat. Homerus quidem primus doctrinarum & antiquitatis parens, multus alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægypto tribuit: cum etiam, quæ rigatur, [4] Ægyptus illa non esset, postea fluminis limo invecta. [5] Herbas certe Ægyptias a regis uxore traditas suæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud nepenthes, oblivionem tristitiæ veniamque afferens, & ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum. Primus autem omnium, quos memoria novit, Orpheus de herbis curiosius aliqua prodidit. [6] Post eum Musæus & Hesiodus polion herbam in quantum mirati sunt, diximus. Orpheus & Hesiodus suffitiones commendavere. Homerus & alias nominatim herbas celebrat, quas suis locis dicemus. Ab eo Pythagoras clarus sapientia, primus volumen de earum effectu composuit, Apollini, Æsculapioque, & in totum Diis immortalibus inventione & origine assignata. Composuit & Democritus, ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis. [7] Adeoque ad hæc attonita antiquitas fuit, ut affirmaret etiam incredibilia dictu. Xanthus historiarum auctor, in prima earum tradit, occisum draconis catulum revocatum ad vitam a parente, herba, quam balin nominat: eadem Thylonem, quem draco occiderat, restitutum saluti. Et Juba in Arabia herba revocatum ad vitam hominem tradit. Dixit Democritus, credidit Theophrastus, esse herbam, cujus contactu illatæ ab alite, [8] quam retulimus, exsiliret cuneus a pastoribus arbori adactus: quæ etiamsi fide carent, admirationem tamen implent: coguntque confiteri, multum esse quod verò supersit. Inde & plerosque ita video existimare, nihil non herbarum vi effici posse, sed plurimarum vires esse incognitas: quorum in numero fuit Herophilus clarus medicina, a quo ferunt dictum, quasdam fortassis etiam calcatas prodesse. Observatum certe est inflammari vulnera ac morbos superventu eorum, qui pedibus iter confecerint.

NOTÆ.

6. *Annis LVI.*] Sic libri etiam MSS. Reg. Colb. &c. Appianus, lib. de bell. Mithrid. pag. 249 vixisse ait annos novem supra LX. imperitasse annos LVII. Ἐβίω δ᾽ οὗτος ἐννέα ἐπὶ τοῖς ἑξήκοντα ἔτεσι· ὧν ἑπτὰ καὶ πεντήκοντα ἔτεσιν ἐβασίλευσε. Strabo lib. 10. pag. 477. auctor est ætatis anno undecimo susceptum ab eo imperium.

7. *Grammaticæ artis.*] Vide Notas & Emend. num. I.

Sect. IV. 1. *Ex his Cratevas.*] Vide Notas & Emendationes, num. II.

2. *Transscribentium.*] Depingentium. *Scribere* veteres dixere pro *pingere*. Statius, lib. 8. Thebaid. vers. 270.

Inscriptaque Deus, qui navigat alvo.

Sect. V. 1. *Eamque unam.*] Hanc voculam jam ante mirati sumus, lib. 22. initio sect. 16.

2. *Æschylus.*] Hujus poetæ versiculum ἐκ τῶν ἐλεγείων recitat hunc Theophrastus, lib. 9. hist. cap. 15.

Τυρρηνῶν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος.

Gens Tyrrhena suis clara veneficiis.

3. *In Marsis a filio ejus.*] De his egimus lib. 7. sect. 2.

4. *Ægyptus illa.*] Pars Ægypti ea quæ Delta dicitur, ac Nili ostiis secatur. Vide quæ diximus, lib. 2. sect. 87.

5. *Herbas certe.*] Fuit ea Polydamna Thonis Ægypti regis uxor. Odyss. δ. vers. 228.

Ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Prospera, quæ quondam Thonis dulcissima conjux
Ægypti Polydamna dedit, qua plurima gignit
Noxia terra ferax, & multa probata venena.

De nepenthe diximus, lib. 21. sect. 91. Vide & Euseb. lib. Præpar. Evang. pag. 481. Hæc porro totidem verbis traduntur a Theophr. lib. 9. hist. cap. 15.

6. *Post eum Musæus .... diximus.*] Libro 21. sect. 21. & 84.

7. *Adeoque ad hæc.*] Ad eximias herbarum vires sic hæsit attonita, ut audacior facta nihil vereretur etiam auditu incredibilia addere.

8. *Quam retulimus.*] Libro 10. sect. 20.

VI. Hæc erat antiqua medicina, quæ tota migrabat in Græciæ linguas. Sed quare non plures noscantur, causa est, quod eas agrestes litterarumque ignari experiuntur, ut qui soli inter illas vivant: [1] præterea securitas quærendi, obvia medicorum turba. Multis etiam inventis nomina desunt, [2] sicut illi, quam retulimus in frugum cura, scimusque defossam in angulis segetis præstare, ne qua ales intret. Turpissima causa raritatis, quod etiam qui sciunt, demonstrare nolunt; tamquam ipsis periturum sit, quod tradiderint aliis. Accedit ratio inventionis anceps. Quippe etiam in repertis, alias invenit casus, alias (ut vere dixerim) Deus.

[3] Insanabile ad hosce annos fuit rabidi canis morsus, [4] pavorem aquæ, potusque omnis afferens odium. [5] Nuper cujusdam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut radicem [6] silvestris rosæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie [7] in frutecto, mitteret filio bibendam: in Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuque accidit ut milite a morsu canis incipiente aquas expavescere, superveniret epistola orantis ut pareret religioni: servatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit. Alias apud auctores cynorrhodi una medicina erat: [8] spongiolæ, quæ in mediis spinis ejus nascitur, cinere cum melle, alopecias capitis impleri. In eadem provincia cognovi in agro hospitis nuper ibi repertum dracunculum appellatum caulem, pollicari crassitudine, versicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedio: alium, quam quos [9] in priori volumine ejusdem nominis diximus: sed huic alia figura, aliudque miraculum, exserentis se terra ad primas serpentium vernationes, bipedali fere altitudine, rursusque cum iisdem in terram condentis: nec omnino occultato eo apparet serpens: vel hoc per se satis officioso Naturæ munere, si tantum præmoneret, tempusque formidinis demonstraret.

CAP. II. Nec bestiarum solum ad nocendum scelera sunt, sed interim aquarum quoque ac locorum. In Germania trans Rhenum castris [10] a Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, [11] qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus solverentur. [12] Stomacacen medici vocabant, & [13] sceletyrben, ea mala. Reperta auxilio est herba, quæ vocatur [14] Britannica, non nervis modo & oris malis salutaris, [15] sed contra anginas quoque, & contra serpentes. Folia habet oblonga nigra, radicem nigram. Succus ejus exprimitur & ex radice. [16] Florem vibones vocant: qui collectus prius, quam tonitrua audiantur, & devoratus, securos in totum reddit. Frisii, qua castra erant, nostris demonstravere illam: [17] mirorque nominis causam: nisi forte confines Oceano Britanniæ, velut propinquæ, dicavere. [18] Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima nasceretur, certum est, etiamtum Britannia libera.

NOTÆ.

Sect VI. 1. *Præterea securitas*] Quærendi curam adimit obvia medicorum turba.

2. *Sicut illi, quam retulimus*] Libro 18 sect 45.

3. *Insanabile.*] Sic MSS. non *insanabilis*. Ut *Triste lupus stabulis*.

4. *Pavorem aquæ.*] Ὑδροφοβίας Græci vocant. Vide quæ de eo morbo diximus, lib. 8 sect. 63.

5. *Nuper cujusdam.*] Indicavit hoc ipse superius, lib. 8. sect. 63

6 *Silvestris rosæ, quam cynorrhodon.*] Rosa silvestris hæc est quæ Eglenterii nomine apud Gallos venit, *l'Eglantier*. Est in Eystettensi horto: vidimus in Regio. Scribonio Largo, Compos. 85. *Rosa silvatica, quam caninam quidam vocant.*

7. *In frutecto.*] Frutectum, per syncopen, pro *fruticetum*, habent libri MSS. ubique omnes. Vulgo tamen & *frutetum* scribitur.

8. *Spongiolæ.*] Spongiam ex rubo rosario agresti sumptam vocat Marcellus Empir. cap. 26. pag. 181. & cap. 27. pag. 196.

9. *In priori volumine.*] Superiore libro, sect. 93 Nondum mihi herbæ compertum genus illud est, in quod omnia ea conveniant, quæ hic referuntur: illudque in primis, ut feris anni mensibus, quo latent angues, ipsum arescat. In Indice, dracunculus caulis appellatur

10 *A Germanico*] Neronis Claudii Drusi Germanici Imp. filio, Caii Cæsaris Germanici Aug. patre. Vide Tacitum, lib. 2. Annal. pag. 43. & seq.

11. *Qua pota.*] *Et Susis*, inquit Vitruvius, lib. 8. cap 3. pag. 165. *in qua civitate est regnum Persicum, fonticulus est, ex quo qui biberunt, amittunt dentes* Quam in rem lepidum idem Epigramma Græcum eo loci recitat.

12. *Stomacacen.*] Στομακάκην, vel potius, ut ars suadet, στομακάκην, quæ vox vitium quoddam *oris* sonat. Scorbutum ætas posterior appellavit: *le Scorbut*. Vide Sennertum, lib. 3. pag 504 Sunt qui *στομόκακην* malint hic legi, quoniam scorbuticis os κάκιστον, hoc est, stercus olet. Et id morbi genus hodieque grassatur in Frisiis, ex aquarum vitio.

13. *Sceletyrben.*] Σκελοτύρβη, *paralysis species, quando recti nequeunt incedere: sed nunc in lævam, nunc in dextram corpus contorquent, pedesque proferunt: interdum etiam, velut innixi syrma, anguium more pedem promovent.* Σκελοτύρβη ἐστὶν ὅταν περιπατεῖν ἐπ' εὐθείας μὴ δύνηται, ἀλλὰ ποτὲ μὲν εἰς τὰ ἀριστερὰ, ποτὲ δὲ ἐνίοτε εἰς τὰ δεξιὰ περιφέρηται, ἢ τὸ δεξιὸν εἰς τὸ ἀριστερὸν, καὶ ποτὲ μὲν ὑποσύρει τὸ σκέλος, ἄλλοτε ἀναβιβάζοντες τι μέγα. Galenus, in Defin. Med. tom. 2, num 293 pag 265. A σκέλος & τύρβη, quod cura is morbus tentaret, turbaretque Ælii Galli exercitum laborasse hoc utroque mali genere ex Arabicorum fructuum esu, & aquarum potu, auctor est Strabo, lib. 16. pag. 781. Τοῖς μὲν περὶ τὸ στόμα, τοῖς δὲ περὶ τὰ σκέλη παράλυσίν τινα.... Et paulo ante, Στομακάκη καὶ σκελοτύρβη.

14 *Britannica.*] Hydrolapathum nigrum esse, quam veteres Britannicam appellarunt, satis idoneis efficit argumentis Abrah. Muntingius, opere singulari de vera antiquorum herba Britannica. Galenus, certe lib 6. de fac. simp. med. pag. folia ait esse agresti lapatho similia, ὅμοια τοῖς τῆς ἀγρίας λαπάθου.

15. *Sed contra anginas.*] Apuleius, cap 29. de Britannica, tit. 7 *Ad anginam: Herba Britannica flos antequam tonitruum audiatur collectus, qui eo usus fuerit, per totum annum anginam non experietur.*

16. *Florem vibones.*] Strabo auctor est, lib 6. pag. 156. ad Vibonem oppidum, (de quo lib 3. sect 10.) e Sicilia Proserpinam migrasse ad legendos flores: ubi matronæ collectis texunt coronas: huncque repertum coronis flores nectere. Unde putandum vibonum florum nomen venisse.

17. *Mirorque*] Mirum est, inquit, Britannicam vocari quæ non in Britannia, sed in Germania inventa sit. At vero Lipsius in lib. 1. Taciti Annal pag. 30. paludes ait, uliginesque, haud procul Amisia flumine, inter Lingam, Vveddam, & Coëvordam, aliquot milliarium spatium occupare: vocari ab accolis Bretaniæ uligines, *Bretanische heyde*: Ab illa Bretannia in Frisiis, nomen herbæ Britannicæ datum. Muntingius, pag. 131. a stabiliendis dentibus Frisiorum lingua deductum id nomen suadere nititur quidem: at non omnino persuadet.

18. *Non enim.*] Non est verisimile appellatam eam herbam

VII. Fuit quidem & hic quondam ambitus, nominibus suis eas adoptandi, [1] ut docebimus fecisse reges: [2] tanta res videbatur, herbam invenire, vitam juvare, nunc fortassis aliquibus curam nostram frivolam quoque existimaturis: adeo deliciis sordent etiam quæ ad salutem pertinent. Auctores tamen quarum inveniuntur, in primis celebrare par 5 est, effectu earum digesto in genera morborum. Qua quidem in reputatione misereri sortis humanæ subit, præter fortuita casusque, [3] & quæ nomina omnis hora excogitat, ad millia morborum singulis mortalium timenda. Qui gravissimi ex his sint discernere, stultitiæ prope videri potest, cum suus cuique ad præsens quisque atrocissimus videatur. [4] Et de hoc tamen judicavere avi experimento, asperrimos cruciatus esse calculorum 10 a stillicidio vesicæ: proximum stomachi, tertium eorum quæ in capite doleant: [5] non ob alios fere morte concita. A Græcis & noxias herbas demonstratas miror equidem. Nec venenorum tantum: quoniam ea vitæ conditio est, [6] ut mori plerumque etiam optimi portus sit: tradatque M. Varro, Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum, [7] veneno crura perunxisse & postea caruisse sensu omni, 15 æque quam dolore in ea parte corporis. Sed quæ fuit venia monstrandi, [8] qua mentes solverentur, partus eliderentur, multaque similia? Ego nec abortiva dico, ac ne amatoria quidem, memor [9] Lucullum Imperatorem clarissimum amatorio periisse: nec alia Magica portenta, nisi ubi cavenda sunt aut coarguenda, in primis fide eorum damnata. Satis operæ fuit abundeque præstitum vitæ, salutares dixisse, ac postea inventas.

CAP. IV. 20 VIII. 1. Laudatissima herbarum est [1] Homero teste, quam vocari a Diis putat moly, & inventionem ejus Mercurio assignat, contraque summa veneficia demonstrat. [2] Nasci eam hodie circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ tradunt, specie illa Homerica, radice rotunda nigraque, magnitudine cæpæ, folio scillæ: effodi autem difficulter. [3] Græci auctores florem ejus luteum pinxere, [4] cum Homerus candidum scripserit. Inveni e pe-25 ritis herbarum medicis, qui & in Italia nasci eam diceret, afferrique Campania mihi aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas, radicis XXX. pedes longæ, ac ne sic quidem solidæ, sed abruptæ.

IX. 2. Ab ea maxima auctoritas herbæ est, quam [1] dodecatheon vocant, omnium Deorum majestatem commendantes. In aqua potam omnibus morbis mederi tradunt. 30 [2] Folia ejus septem, lactucis simillima, exeunt a lutea radice.

X. 3. [1] Vetustissima inventu Pæonia est, nomenque auctoris retinet, [2] quam quidam pentorobon appellant, alii glycysiden. Hæc quoque difficultas est, quod eadem aliter alibi nuncupantur. [3] Nascitur opacis montibus, [4] caule inter folia digitorum quatuor, ferente in cacumine veluti Græcas nuces quatuor aut quinque. [5] Inest iis semen copiosum,

NOTÆ.

esse a milite Romano de Britanniæ nomine, quoniam ibi plurima nasceretur, cum præsertim Britannia tum sui juris esset, nec populo Romano subjecta.

Sect. VII. 1. *Ut docebimus.*] Sect. 33. & seqq.

2. *Tanta res.*] Vide Notas & Emend. num. III.

3. *Et quæ nomina*] Nomina nova novis morborum generibus, quæ subinde nascuntur, indita.

4. *Et de hoc tamen ..... avi experimento.*] Vide Notas & Emend. num. IV.

5. *Non ob alios.*] Non alios fere morbos morte consecuta.

6. *Ut mori.*] Ferdinandus Pintianus, qui in eadem exornanda sparta laboravit, in qua nos sudamus, insculpi Salmanticæ sepulcro suo jussit, OPTIMUM VITAE BONUM MORS. Vide quæ dicta sunt lib. 7. sect. 54. nota 1.

7. *Veneno.*] Cicutæ succo.

8. *Qua mentes.*] Quæ herba faceret insaniam, partus eliderет, &c.

9. *Lucullum .... amatorio*] Amatorium poculum dicitur, quod ad amoris insaniam impellit: quale Lucullo Callisthenes libertus suus obtulit, ut impensius ab eo diligeretur: verum veneni vi alienata donsini mens est, & mors consecuta. Plutarchus in Lucullo, pag. 520.

Sect. VIII. 1. *Homero.*] Odyss. κ'. vers. 302.

Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης,
Ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξε.
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Transscripsit hunc Plinii locum Apuleius, cap. 48. Homericum moly, esse Democriti aglaophotin, de qua nos egimus libro superiore, Lobelius scripsit in Notis marginalibus MSS ad Anguillara, pag. 90. Esse rutam silvestrem affirmat Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 219.

2. *Nasci eam.*] Tota hæc descriptio apud Theophrastum est, lib. 9. hist. cap. 15. Sed is errasse Homerum ait, qui ægre evelli hanc e tellure cecinit. Vide & Diosc. lib. 3. cap. 54.

3. *Græci auctores.*] Quos Priapeiorum auctor est secutus, eo carmine.

Hinc legitur radix, cujus flos aureus exit:
Quam cum moly vocant, mentula moly vocat.

4. *Cum Homerus.*] Loco allato: & qui Homerum imitatus est Naso, lib. 14. Metam. vers. 291.

Pacifer huic florem dederat Cyllenius album:
Moly vocant superi: nigra radice tenetur.

Diosc quoque loc. cit. ἄνθη λευκοΐοις ὅμοια γαλακτόχροα dicit esse, violæ albæ flores similes, & lactei coloris. Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 211. ἄνθος γαλακτῶδες.

Sect. IX. 1. *Dodecatheon.*] Δωδεκάθεον, herba a duodecim Diis majoribus appellata.

2. *Folia ejus.*] *Profecto hac effigie*, inquit Ruellius, lib. 2. pag. 449. *frequenter in dumetis enatam vidimus: verum cum nos plura de ea tradantur, an dodecatheos sit, non ausim affirmare.*

Sect. X. 1. *Vetustissima .... Pæonia.*] A Pæone Medico nomen invenit, qui vulneratum Plutonem ab Hercule, ut Homerus quidem fabulatur, Iliad. ε'. vers. 401. curasse ea perhibetur. Nomen in officinis servat: vulgus Pivoniam vocat: *Pivoine.* Genera ejus quatuordecim in horto Regio vidimus. Pæonia mas a Matthiolo delineatur, in lib. 3. Diosc. pag. 914.

2. *Quam quidam*] Dioscor. lib. 3. cap. 157. Παιωνία, ἢ γλυκυσίδη, οἱ δὲ πεντόροβον. Sic etiam Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 167. Dicitur sane πεντόροβον, quasi quintuplex ervi granum: a granorum numero, quæ ervum imitantur. Γλυκυσίδη, quod acinos dulces, mali Punici similes habere videtur: nam σίδα Bœotis malum Punicum est. Vide etiam Apuleium, cap. 64. & auctorem libri, qui Kiranidum Kirani inscribitur, pag. 18.

3. *Nascitur.*] Hæc totidem fere verbis Diosc. loc. cit.

4. *Caule inter folia*] Inter singulos nodos, unde folia erumpunt. Alias totus caulis bicubitalis est, ut ait Diosc. loc. cit. καυλὸς ὡς διπιθαμιαῖος.

5. *Inest iis.*] Diosc. loc. cit. Λοβοὺς δὲ φέρει ἀνίσχοντας ἐπ' ἄκρου τοῦ καυλοῦ, ἀμυγδάλοις ὁμοίους· οἳ ἀναπτυχθέντες ἐμφαίνουσι κόκκους πολλοὺς ἐρυθροὺς, μικροὺς, ἐμφερεῖς ὡς τῆς ῥοιᾶς· ἐν μέσῳ δὲ μέλανας, ἐμπορφύρους, ε ἢ ς'. *Summo caule fert siliquas quasdam, veluti Græcas nuces: quibus dehiscentibus grana multa rubentia, parva, acinis Punicorum similia inveniuntur: &*

rubrum, nigrumque. Hæc medetur & [6] Faunorum in quiete ludibriis. [7] Præcipiunt erue-re noctu, quoniam si picus Martius videat, tuendo in oculos impetum faciat.

XI. 4. [1] Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit, [2] numerosum & Diis inventoribus adscriptum. [3] Unum quippe Asclepion cognominatur, quoniam is filiam Panaceam appellavit. [4] Succus coactus ferulæ qualem diximus, [5] radice multi corticis & salsi. [6] Hac evulsa scrobem repleri vario genere frugum religio est, ac terræ piamentum. [7] Ubi, & quonam fieret modo, & quale maxime probaretur, inter pere-grina docuimus. Id quod e Macedonia affertur, [8] bucolicon vocant, armentariis spon-te erumpentem succum excipientibus: hoc celerrime evanescit. [9] Et in aliis autem gene-ribus improbatur maxime nigrum ac molle. Id enim argumento est cera adulterati.

XII. 5. [1] Alterum genus heraclion vocant, & ab Hercule inventum tradunt: alii ori-ganum heracleoticum silvestre, quoniam est origano simile, radice inutili: de quo ori-gano diximus.

XIII. 6. [1] Tertium panaces Chironion cognominatur ab inventore. Folium ejus la-patho simile, majus tamen & hirsutius. Flos aureus, radix parva. Nascitur pinguibus lo-cis. Hujus flos efficacissimus, eoque amplius, quam supra dicta, prodest.

XIV. 7. [1] Quartum genus panacis ab eodem Chirone repertum, centaurion cogno-minatur: sed & Pharnaceon, [2] in controversiam inventionis a Pharnace rege deductum. Seritur hoc, longioribus, quam cetera, foliis, & serratis. Radix odorata in umbra sicca-tur, vinoque gratiam adjicit. [3] Hujus genera duo fecere, alterum lævis folii, alterum tenuius.

XV. 8. [1] Heracleon siderion & ipsum ab Hercule inventum est, caule tenui digitorum quatuor altitudine, flore Puniceo, foliis coriandri. Juxta lacus & amnes invenitur, [2] om-niaque vulnera ferro illata efficacissime sanat.

XVI. 9. [1] Est Chironis inventum ampelos, quæ vocatur Chironia, de qua diximus inter vites, [2] sicuti de herba, cujus inventio assignatur Minervæ.

XVII. 10. [1] Herculi eam quoque adscribunt, quæ Apollinaris, [2] apud Arabas alter-

NOTÆ.

inter hæc media quinque aut sex, nigra, purpurea.

6. *Faunorum.*] Faunos lib. 30. sect. 14. nocturnos Deos interpretatur. Dioscor. loco citato. Οἱ δὲ μέλανες καὶ πρὸς τοὺς ὑπὸ ἐφιαλτῶν πνιγμούς, *grana nigra valent adversus suppressiones incuborum nocturnas, quas ephialtas vocant.* Quindecim grana bibi ex aqua jubet idem, lib. 1. Εὐπορ. cap 22. Ἐφιάλτης sive ἐπιάλτης malum est, ubi aliquis noctu se grandi mole opprimi, invadique ab alio credit. Macrobius de hac re ita prodidit, lib. 1. in Somn. Scip. cap. 3. pag 13 *Φάντασμα vero hoc est visum, quum inter vigiliam & adultam quietem, in quadam, ut aiunt, prima somni nebula, adhuc vigilare se existimans, qui dormire vix cœpit, aspicere videtur irruentes in se vel passim vagantes formas, ... In hoc genere est ἐφιάλτης, quem publica persuasio quiescentes opinatur invadere, & pondere suo pressos ac sentientes gravare.* De hoc genere morbi plura Cælius Aurel. lib 3. cap. 3. *Quidam veteres*, inquit, *ephialten vocaverunt ..... Afficit crapula vel indigestione jugi vexatos .... Sequitur per somnum gravedo atque pressura, & veluti præfocatio, quæ sibi quemquam irruisse repente existiment, qui sensibus oppressis sensus examinet, neque clamare permittat: quo fit ut sæpe erumpentes non articulata, sed confusa voce exclament.* Ac paulo ante: *Sed quod neque Deus, neque semideus, neque Cupido sit, libris Causarum, quos αἰτιολογουμένους Soranus appellavit, plenissime explicavit.* Inde Pæonia ἐφιαλτία dicitur apud Aetium, lib 1. pag 32. (sic enim legendum, non *elephantia*) quia τὸν ἐφιάλτην curat.

7. *Præcipiunt eruere.*] Hæc apud Theophrastum totidem verbis, lib 9. hist. cap 9.

Sect. XI. 1. *Panaces ipso nomine.*] Ἀπὸ τοῦ πάντα ἀκεῖσθαι, quod omnia medetur: sive a πᾶν & ἄκος, hoc est, ab omni remedio.

2. *Numerosum*] Cujus multa genera.

3. *Unum ... Asclepion.*] Τὸ πάνακες τὸ Ἀσκληπίειον, Theophrasto, lib. 9. hist. cap. 9. ab Æsculapio medico, ut Nicander cecinit in Theriacis. Filiam ejus Πανάκειαν, cum altera, quæ Ὑγεία nominata est, in suo jurejurando testem Hippocrates advocat, pag. 1. Idem panacis genus Ἡράκλειον a Diosc. appellatur, lib. 3. cap. 55. & a Galeno, lib. 8 de fac. simp. med. pag 217.

4. *Succus ... ferulæ.*] Est, inquit, ferula panaces: cujus succus excipitur inciso caule, cogiturque: coacti candor probatur, ut diximus lib. 12. sect. 57.

5. *Radice multi.*] Radices permultas habet, crasso & subamari gustus cortice vestitas: Ῥίζας πλείονας .... παχὺν ἐχούσας τὸν φλοιόν, ὑπόπικρον τῇ γεύσει. Diosc. lib. 3. cap. 55. post Theophr. lib. 9 hist. cap 12

6. *Hac evulsa.*] Cum effoditur, ex omni frugum genere offa mellita terræ injicitur, Theophr lib 9 hist. cap 9.

7. *Ubi ... docuimus.*] Libro 12. sect 57.

8. *Bucolicon.*] Βουκολικόν, quasi pastoritium.

9. *Et in aliis.*] In aliis succis qui non sponte erumpunt, sed inciso caule vel radice manant. Ipse Plinius, lib 12. sect. 57. *Niger color improbatur.* Dioscor. lib. 3. cap 55. Ὁ δὲ μέλας φαῦλος καὶ μαλακός. Δολοῦται γὰρ ἀμμωνιακῷ καὶ κηρῷ.

Sect. XII. 1. *Alterum.*] Origanum est Heracleoticum, de quo lib. 20 sect 61. Diosc. lib. 3. cap. 56. Καλοῦσι δέ τινες πάνακες καὶ τὴν ἀγρίαν ὀρίγανον, οἱ δὲ κονίλην ἀγρίαν ..., οἱ δὲ κονίλην· περὶ ἧς εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ὀριγάνου.

Sect. XIII. 1. *Tertium.*] Ista sunt Theophrasti verba, lib. 9. hist. cap 12. Ἔχει δὲ τὸ μὲν Χειρώνιον φύλλον μὲν ὅμοιον λαπάθῳ, μεῖζον δὲ καὶ δασύτερον· ἄνθος δὲ χρυσοειδές· ῥίζαν δὲ μικράν. Φιλεῖ δὲ τὰ χωρία τὰ πίονα. Neque Nicandri, neque Dioscoridis panaces Chironium esse constat: sed est Helenium Dioscoridis primum, sive inula, ut recte vidit Anguillara, par 5. pag 89 etsi id minus probare Ruellius videtur, lib. 3 pag. 524. Pingitur a Lobelio, in Observ. pag. 309.

Sect. XIV. 1. *Quartum*] Herbariis id genus incognitum.

2. *In controversiam.*] Aliis Chironi Centauro, aliis Pharnaci regi originem assignantibus. Chironi medicinæ inventionem Plinius adjudicat, lib. 7. sect 57 Pharnaces, is est, qui primus regnavit in Ponto, ut Plinius loquitur, libro XXXIII. sect. LIV. nempe circiter annum Urbis Romæ CCCCL.

3. *Hujus genera.*] Alio spectat Theophrastea panacis universim distributio in duo genera, τὸ μὲν λεπτόφυλλον, τὸ δὲ πλατύφυλλον, lib. 9. hist. cap 12 alterum latioris folii, tenuioris alterum.

Sect. XV. 1. *Heracleon.*] Hæc sideritis tertia Dioscoridis est, lib. 4. cap 35 quam & Cratevas ibi Ἡράκλειαν vocat, flore puniceo, foliis coriandri, caulibus σπιθαμιαίοις, hoc est, palmi altitudine. Geranium est Dodonæi Robertianum, pag. 62. visum a nobis in horto Regio.

2. *Omniaque vulnera.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ τραύματα ἡ βοτάνη ἐπιτιθεμένη κολλητικὴ ἐναίμων καὶ νεοτρώτων. *Hujus impositu ea vis est, ut cruenta recentiaque vulnera glutinet*

Sect. XVI. 1. *Est Chironis .... de qua diximus.*] Libro 23. sect. 17.

2. *Sicuti de herba.*] Parthenio scilicet, de quo lib. 22. sect. 20.

Sect. XVII. 1. *Herculi eam.*] Vox hæc ὑοσκύαμος, suis fabam, seu fabam porcinam sonat. Cum porro suem, aprum Erymanthium Hercules occiderit, qui aper in Arcadum terra fuerat enutritus, idcirco & faba suis Arcadicæ hæc appellata est, & in partem aliquam ejus inventionis Hercules venit. Vide Galen. lib. 9. κατὰ τόπους, cap 4 pag. 609. Eadem Apollinaris dicitur, quod mentem percellat, quasi æstu Apollinis.

2. *Apud Arabas.*] Ita Reg. 2. librique editi. Reg. 1. *apud*

cum: apud Græcos vero hyoſcyamus appellatur. Plura ejus genera: [3] unum nigro ſemine, floribus pæne purpureis, ſpinoſum. Talis naſcitur in Galatia. [4] Vulgare autem candidius eſt, & fruticoſius, altius papavere. [5] Tertii ſemen irionis ſemini ſimile: & omnia inſaniam gignentia, capitiſque vertigines. [6] Quartum genus molle, lanuginoſum, pinguius 5 ceteris, candidi ſeminis, in maritimis naſcens: hoc recepere medici. [7] Item rufi ſeminis. Nonnumquam autem candidum ruſeſcit, [8] ſi non ematuruit, improbaturque. Et alioqui nullum, niſi cum inaruit, legitur. [9] Natura vini, ideoque mentem caputque infeſtans. Uſus ſeminis & per ſe, & ſucco expreſſo. [10] Exprimitur ſeparatim, & caulibus foliiſque: utuntur & radice, temeraria in totum (ut arbitror) medicina. Quippe etiam foliis con- 10 ſtat mentem corrumpi, ſi plura quam quatuor bibantur. [11] Etiam antiqui in vino febrem depelli arbitrabantur. [12] Et oleum fit ex ſemine, ut diximus, [13] quod ipſum auribus infuſum tentat mentem. [14] Mireque, ut contra venenum, remedia prodidere his qui id bibiſſent, & ipſum pro remediis: adeo nullo omnia experiendi fine, ut cogerentur etiam venena prodeſſe.

CAP. V. 15 XVIII. II. [1] Linozoſtis, ſive parthenion, Mercurii inventum eſt: ideo apud Græcos [2] Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem. [3] Duo ejus genera: maſculus, & femina, quæ efficacior, caule cubitali, interdum ramoſo in cacumine, ocimo anguſtioribus foliis, geniculis denſis, [4] alarum cavis multis, [5] ſemine in geniculis dependente: feminæ copioſo, mari juxta genicula ſtante, rariori ac [6] brevi, contortoque: 20 feminæ, ſoluto & candido. Folia maribus nigriora, feminis candidiora: radix ſupervacua, prætenuis. Naſcuntur in campeſtribus cultis. [7] Mirum eſt quod de utroque eorum genere proditur: ut mares gignantur, hunc facere: ut feminæ, illam. [8] Hoc contingere, ſi a conceptu ſuccus protinus bibatur in paſſo, edanturve folia decocta ex oleo & ſale, vel cruda ex aceto. Quidam decoquunt eam in novo fictili cum heliotropio, & duabus aut tribus 25 ſpicis, donec decoquatur. [9] Decoctum dari jubent, & herbam ipſam in cibo, altero die purgationis mulieribus per triduum, quarto die a balneo coïre eas. [10] Hippocrates miris laudibus in mulierum uſu prædicavit has: ad hunc modum [11] medicorum nemo novit. Ille eas vulvæ cum melle, vel roſaceo, vel irino, vel lirino admovit: [12] item ad ciendos menſes ſecundaſque. [13] Hoc idem præſtare potu ſotuque dixit. [14] Inſtillavit auribus olidis

NOTÆ.

Arbilas: unde quidam *apud alios* fingunt. Certe haud temere apud Plinium Arabica in plantis tralatitiis & paſſim naſcentibus nomina invenias: ac vocem eam eſſe Latini oris, non Arabici ſoni, vel ex Scribonio Largo intelligitur, Compoſ 181. *Altercum*, inquit, *quod Græci ὑοσκύαμον vocant, qui biberunt, caput grave, veniſque diſtentum habent: mente abalienantur, cum quadam verborum altercatione: unde enim hoc nomen herba tralatitium altercum*. Sic etiam Apuleius, cap. 4. *A Græcis Hyoſcyamos dicitur, & Dioſcyamos .... Latini inſanam vocant, aliqui Apollinarem, alii altercolum, &c.* Ab altercatione gignenda nomen etiam altercangenum factum ei eſſe aliqui divinant. Gallis, *Hannebane*: Juſquiamus, officinis. Tergemini hyoſcyami icones exhibet Dodonæus, pag. 447. Vidimus in horto Regio.

3. *Unum nigro*] Dioſcor. lib. 4. cap. 69. Ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν ... σπέρμα μέλαν, καὶ τὰς κάλυκας σκληρὰς καὶ ἀκανθώδεις.

4. *Vulgare.*] Et idem nigrum, ſed hujus cæli ſolique, non Galatici: nec ſatuti coloris, ſed ex candido nigro.

5. *Tertii ſemen.*] Alterum hoc Dioſcoridis, qui omnia genera attigit, alterum eſt: Ὁ δὲ τις, ... σπέρμα ὑπόξανθον, ὥσπερ ἐρύσιμον. Οὗτοι δὲ μανιώδεις ... *Alterius flores ſunt lutei .... ſubflavum, & irionis ſeminis ſimile. Inſaniam illi gignunt, & ſoporem.*

6. *Quartum.*] Quod Dioſcoridi loc. cit. tertium eſt, iiſdemque plane verbis ab eo deſcribitur.

7. *Item rufi.*] Quod, inquit, eſt rufi ſeminis, ξανθοῦ, in medicinæ uſus adhibetur. Dioſc. loco cit.

8. *Si non ematuruit.*] Cum nequit matureſcere, aut percoqui.

9. *Natura vini.*] Ineſt vis ei vini: nam caput tentat, &c. Ita libri omnes, non *veneni*. Et aliud ei nomen ab ea cauſa inditum *Milimindrum*, inquit Papias, *vulgus vocat, pro eo quod elevationem mentis inducat: hoc herba hyoſcyamos appellatur.*

10. *Exprimitur.*] E ſemine ait, & caulibus, & foliis, ſeparatim exprimi ſuccum, utilem in medicina. Vide Notas & Emend. num V.

11. *Etiam antiqui.*] Dioſcor. loco cit. *Terna*, inquit, *quaternave folia cum vino pota febres epialas depellunt*, ἠπιάλους πυρετούς θεραπεύει. Febris continuæ quotidianæ genus hoc nomine Græci intelligunt.

12. *Et oleum .... ut diximus.*] Libro 15. ſect. 7. & lib. 23. ſect. 49.

13. *Quod ipſum auribus.*] Prodeſt auribus, menti nocet. Apuleius, cap. 4. de Symphoniaca, ſive hyoſcyamo, tit. 1. *Ad aurium dolorem: Herbæ ſymphoniacæ ſuccus tepefactus cum oleo roſaceo, & in aurem inſtillatus, aurium dolorem mirifice tollit: & ſi vermes fuerint, necat eos.*

14. *Mireque.*] Mirum eſt a medicis, tamquam contra venenum, remedia tradi, ab iis ſumenda, qui hyoſcyamum bibiſſent, & ex ipſo ſimul hyoſcyamo remedia peti.

Sect. XVIII. 1. *Linozoſtis.*] Dioſc. lib. 4. cap. 191. Λινόζωστις, οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ Ἑρμοῦ βοτάνιον καλοῦσι. Et in Nothis: Ῥωμαῖοι ἔρβα Μερκουριάλις [illegible]. Mercurialem Galli, ut Latini, vocitant, *Mercuriale*. Vide iconem maris ac feminæ apud Lobelium, in Obſerv. pag. 131. Vidimus in horto Regio.

2. *Hermupoan.*] Ἑρμοῦ πόαν, id eſt, Mercurii herba: quo ſenſu & Hermubotane, ἑρμοῦ βοτάνη, ab Apuleio etiam appellatur, cap. 82.

3. *Duo ejus genera.*] Hæc totidem verbis Dioſcorid. loco citato.

4. *Alarum cavis.*] Dioſc. μασχάλας πολλάς, πυκνὰς ἔχοντα. Ala propriæ pars eſt hominis concava, ſubter brachium, quæ & axilla dicitur. Ad hujus ſimilitudinem, in herbis ala, quæ Græcis μασχάλη, ſignificat cavum illum, inter caulem, & ramulos, anfractum: unde nova proles egreditur. In arborum ramis pars eorumdem cava, qua matri adhæreſcunt: in qua & gigni aliqoando viſcum fungoſque contingit.

5. *Semine in geniculis.*] E ſinu foliorum, dependente.

6. *Brevi contortoque.*] In formam teſticulorum, ὥσπερ ὀρχίδια, inquit Dioſc. unde & teſticulatam Latini dixere, ut auctor eſt Apuleius, cap. 82.

7. *Mirum eſt.*] Hoc pariter Dioſcor. totidem verbis, loco citato.

8. *Hoc contingere.*] Dioſc. loco cit.

9. *Decoctum.*] Dioſc. loco cit.

10. *Hippocrates.*] Libro 1. de morb. mul. text. 63. pag. 455. text. 74. pag. 461. text. 82. pag. 465. text. 85. pag. 468. &c. Libro de nat. mul. text. 8. pag. 364. text. 11. pag. 366. text. 18. pag. 372. &c. Libro 2. de morbis, text. 12. pag. 43. &c.

11. *Medicorum nemo.*] Carpit ævi ſui medicos. Noſtra ætate mercuriali utuntur in peſſis.

12. *Item ad ciendos.*] Apuleius, cap. 82. tit. 2. *Ad menſtrua cienda: Herba Mercurialis cum oleo irino vel roſaceo admota, mox provocat ſanguinem menſtruum.*

13. *Hoc idem.*] Hippocr. lib. de nat. mul. text. 29. pag. 377. ad ciendos menſes, ἢν τὰ ἐπιμήνια μὴ γίνηται. Λινοζώστιος τὸν καρπὸν καὶ τὰ φύλλα ἐν οἴνῳ διδόναι πίνειν. *Mercurialis ſemen & folia in vino bibenda præbe.* Et pag. 378. Λινοζώστιος φύλλα τρίψας ἐν ῥάκει προσθεῖναι. *Mercurialis folia trita in linteo ſubde.*

14. *Inſtillavit auribus olidis.*] Cum quis ex aure male olet,

succum, inunxitque cum vino vetere. Alvo folia imposuit, [11] epiphoris, stranguriæ, & vesicæ. Decoctum ejus dedit cum myrrha & thure. [16] Alvo quidem solvendæ, vel in febri, decoquitur quantum manus capiat in duobus sextariis aquæ ad dimidias: bibitur sale & melle admixto: nec non cum ungula suis, aut gallinaceo decoctum salubrius. Purgationis causa putavere aliqui [17] utramque dandam, sive cum malva decoctum. Thoracem purgant, [18] bilem detrahunt, sed stomachum lædunt. Reliquos usus dicemus suis locis.

XIX. 12. Invenit & Achilles discipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quæ ob id [1] Achilleos vocatur. Hac sanasse [2] Telephum dicitur. [3] Alii primum æruginem invenisse, utilissimam emplastris, ideoque pingitur a cuspide decutiens eam gladio in vulnus Telephi. Alii utroque usum medicamento volunt. [4] Aliqui & hanc panacem heracleon, alii sideritin, & apud nos millefoliam vocant, cubitali scapo, ramosam, minutioribus quam feniculi foliis vestitam ab imo. Alii fatentur quidem illam vulneribus utilem, sed veram Achilleon esse scapo cæruleo pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter vestitam. [5] Alii quadrato caule, capitulis marrubii, folio quercus. [6] Hanc etiam præcisos nervos glutinare faciunt. [7] Alii sideritin in maceriis nascentem, cum teratur, fœdi odoris. Etiamnum aliam similem huic, sed candidioribus foliis & pinguioribus, tenuioribus cauliculis, in vineis nascentem. [8] Aliam vero binûm cubitorum, ramulis exilibus, triangulis, folio filicis, pediculo longo, betæ semine, omnes vulneribus præcipuas. Nostri eam, quæ est latissimo folio, [9] scopam regiam vocant. Medetur anginis suum.

XX. 13. [1] Invenit & Teucer eadem ætate [2] Teucrion, quam quidam hemionion vocant, spargentem juncos tenues, folia parva, asperis locis nascentem, austero sapore, numquam florentem: neque semen gignit. Medetur lienibus. [3] Constatque sic inventam: Cum exta super eam projecta essent, adhæsisse lieni, eumque exinanisse. Ob id a quibusdam splenion vocatur. [4] Narrant, sues, qui radicem ejus ederint, sine splene inveniri. [5] Quidam ramis hyssopi surculosam, folio fabæ, eodem nomine appellant, & colligi florentem adhuc jubent: adeo florere non dubitant: maximeque ex Ciliciis & Pisidiæ montibus laudant.

NOTÆ.

ἐν τῷ ὠτὶ ὕδωρ ὄζει, inquit Hippocr. lib de internis affectionibus, text 34 id quod accidere splenicis docet. Apuleius, cap. 82. tit. 4. si aqua in aures introierit, ad extrahendam, Mercurialis quoque succum instillat.

15. *Epiphoris.*] Oculorum videlicet: neque enim alias Plinius intelligit, nisi speciatim significet. Dalecampius *fluxiones in ventrem* interpretatur, quo sensu nusquam vocem eam noster accepit. Sed & ab Apuleio Lugdunensis medicus arguitur, ita scribente scilicet, cap. 82. tit. 3. *Ad epiphoras oculorum: Herba Mercurialis folia*, inquit, *cum vino albo tritere impone.*

16. *Alvo quidem.*] Q. Serenus, cap 29. pag. 143.

Sæpe cibi sperte, vitio vel corporis ipsius,
Potibus aut duris restricta morabitur alvus:
Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
Cujus aquam coctis minimo cum melle bibemus.

Et Apuleius, cap 82. tit. 5. *Ad ventris duritiam: Herbam Mercurialem coques, & tritam ex passo dabis: statim detrahet, & stomachum purgabit: aut semen ejus tritum ex passo dato, &c.* Scribonius Largus, Compos. 135. *Mollit ergo alvum herba Mercurialis, lenibus oleribus quamplurima mixta.*

17. *Utramque dandam*] Marem feminamque.

18. *Bilem detrahunt.*] Marcellus Empiricus, cap. 30. pag 217.

Sect. XIX 1. *Achilleos vocatur.*] Hæc sideritis Heraclea est, de qua sect. 15.

2. *Telephum.*] Herculis filium, Mysorum regem, ab Achille ipso sanatum, a quo vulneratus fuerat. Consulto enim oraculo, responsum tulit, Ὁ τρώσας ἰάσεται. Supplex itaque Achilli factus, id ab ipso impetravit. Horatius, Epod. 17. vers. 8.

Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, & in quem tela acuta torserat.

3. *Alii primum æruginem.*] Quo spectat Ovidius, libro 1. de Remed Amor. vers. 47.

Vulnus in Herculeo quæ quondam fecerat hoste,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit

Hoc iterum Plinius repetit, lib. 34. sect. 45.

4. *Aliqui & hanc panacem.*] Aliqui sanatum, inquit, Telephum aiunt, herba millefolia, quam & panacen heracleon, & Achilleam, & sideritin vocant. In his Apuleius, cap. 88. *Græci myriophyllon .. alii Achilleon. . Latini millefolium.... Hanc herbam Achilles invenit: unde vulnera ferro facta sanabat: & ob id Achilleos vocatur: hac sanasse Telephum dicitur.* Hæc Ἀχίλλειος Dioscoridis est, lib 4 cap. 36 quam & sideritin appellatam ait Millefolium idem terrestre, seu militaris herba, de qua diximus libro anteriore, sect. 95. picta a Lobelio, ut diximus, & a Dodonæo, pag. 101.

5. *Alii quadrato.*] Hæc sideritis prior Diosc. lib 4. cap. 33. de qua ille pæne refert totidem verbis: folio nempe marrubii, ad similitudinem foliorum quercus accedente: e quadrangulis caulibus, in quibus orbiculata interdum, ut in marrubio, verticilla spectantur. Recentior ætas in officinis herbam Judaicam, & *Tetrahil* barbaro nomine vocat. A Dodonæo pingitur, pag. 94. Ruellio adstipulante, lib. 3. pag 594.

6. *Hanc etiam.*] Diosc. loco cit. Δύναμιν δ' ἔχει τὰ φύλλα κατακολλητικὴν τιτρωμένων κομιστικῶς, &c. Et est ea dos herbæ Judaicæ propria

7 *Alii sideritin.*] Et id heracleæ sideriti natale solum, de qua sect. 15. diximus. Diosc. lib. 4. cap 35. Σιδηρῖτις... Ἐν μάνδραις.... φυομένη ἐν αἱμασιαῖς & ἀμπελῶσιν, *in maceriis, vineisque.*

8. *Aliam vero.*] Nempe sideritin Dioscoridis alteram, quam ille iisdem omnino notis delineat, lib. 4. cap. 34. quæ omnes pulcre cadunt in eam quam Pimpinellam in Gallia vulgus appellat, *la Pimprenelle*: quam & thryallidem a Theophrasto vocari diximus, lib. 21. sect. 61. Hujus est eximia vis ad vulnera. Anguillara, par 14 pag. 257. *La seconda siderite non e altro che la Pimpinella nostra commune.*

9 *Scopam regiam.*] In Indice *scopa regia.* In MSS quibusdam, *scopas regias* hoc loco legitur. Pimpinella silvestris est, seu sanguisorba major, delineata a Dodonæo, pag 105. Ruellius, lib. 3 pag. 594. falso arbitratur eam esse quam vulgus *Carpentariorum herbam* appellat: quod materiarii fabri sæpiuscule hac utuntur ad glutinanda vulnera

Sect. XX. 1. *Invenit & Teucer.*] Telamonis filius, Priami sororis filius. De quo Horat lib. 4. Carm. Ode 9.

Primusque Teucer tela Cydonio
Direxit arcu.

2. *Teucrion.*] Non illud quidem Dioscoridis Teucrium est, sed hemionitis, cujus ille iisdem fere verbis meminit, lib 3. cap. 151. Ἡμιονῖτις, οἱ δὲ σπλήνιον, &c. Sic etiam Oribasius, lib. xi. pag. 198. Pingitur a Dodonæo, pag. 464. Hemionion pariter Teucrion appellari, auctor est Apuleius, cap 56. Sed cum lonchitide male confundit.

3. *Constatque &c.*] Hæc totidem verbis Apuleius, loco citato.

4. *Narrant.*] Apuleius, loco cit.

5. *Quidam ramis.*] Et hæc pariter Apuleius, loco citato. Hoc Teucrium Dioscoridis videtur, lib. 3. cap. 111. simillimum chamædryi, vel ipsa forte chamædrys, de qua libro anteriore diximus, sect. 80. Nam & ipsam aliqui appellant vere Teucrion.

XXI. 14. [1] Melampodis fama, divinationis artibus nota est. Ab hoc appellatur unum ellebori genus Melampodion. [2] Aliqui pastorem eodem nomine invenisse tradunt, capras purgari pasto illo animadvertentem, datoque lacte earum sanasse Prœtidas furentes. Quamobrem de omnibus ejus generibus dici simul convenit. [3] Prima duo sunt, candi-
5 dum & nigrum. [4] Hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique. [5] Alii folia nigri, platano similia, sed minora, nigrioraque & pluribus divisuris scissa: [6] albi, betæ incipientis: hæc quoque nigriora, & canalium dorso rubescentia. [7] Utraque caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis convoluto, [8] radice fimbriata cæparum modo. [9] Nigro equi, boves, sues necantur: itaque cavent id, cum candido vescantur. [10] Tempestivum
10 esse tradunt messibus. [11] Plurimum autem nascitur in Oeta monte: & optimum uno ejus loco circa Pyram. [12] Nigrum ubique provenit, melius in Helicone, qui mons & aliis laudatur herbis. [13] Candidum probatur Oetæum: secundum Ponticum: tertio loco Eleaticum, quod in vitibus nasci ferunt: quarto Parnassium quod adulteratur Ætolico, ex vicino. Nigrum ex his [14] Melampodion vocant, [15] quo & domos suffiunt, purgantque,
15 spargentes & pecora, cum precatione solenni: hoc & religiosius colligitur. [16] Primum enim gladio circumscribitur. Dein qui succisurus est, ortum spectat: [17] & precatur, ut id liceat sibi concedentibus Diis facere, [18] observatque aquilæ volatus: fere enim secantibus interest: & si prope advolavit, moriturum illo anno qui succidat, augurium est. [19] Nec album facile colligitur, caput aggravans, maxime nisi præsumatur allium, & sub-
20 inde vinum sorbeatur, celeriterque fodiatur. [20] Nigrum alii ectomon vocant, alii polyrrhizon: purgat per inferna: [21] candidum autem vomitione, causasque morborum extrahit: quondam terribile, postea tam promiscuum, [22] ut plerique studiorum gratia ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumpsitaverint. Carneadem responsurum Zenonis libris: [23] Drusum quoque apud nos, tribunorum popularium clarissimum, (cui
25 ante omnes plebs stans plausit, [24] optimates vero bellum Marsicum imputavere:) constat

Notæ.

Sect. XXI. 1 *Melampodis.*] De quo nos strictim lib. 7. sect. 33.

2. *Aliqui pastorem.*] Ita Diosc lib. 4. cap. 151. At Apollodorus Athen. in Biblioth purgationem Prœti filiarum, potius ad vatem Melampoda, quam ad pastorem refert: natasque ait ex Prœto & Stenobœa filias, Lysippen, Iphinoen, & Iphianassam: quæ ubi primum adoleverint, vexatæ insania sint: sed Melampodis cura purgatione usas ex iis duas resipuisse. Hunc autem in eis errorem fuisse mentis animique, boves ut se crederent, quod Virgilius quoque in Bucolicis, Eclog 6 vers 48. significat, neutiquam fabulosum videri debere, disce ex Ægineta, lib. 3. ubi de atra bile.

3. *Prima duo*] Tradit hæc deinceps ad verbum Theophrast lib 9. hist cap. 11. Genus utrumque vidimus in horto Regio. Nigrum, *Ellebore noir*, a Clusio pingitur accurate, lib 2. hist. rar plant. pag. 274. Candidum, *Ellebore blanc*, in Eystettensi horto.

4 *Hoc radicibus.*] Alii similia esse aiunt genera ellebori duo: radice tantum differre: hujus candida, alterius nigra: Οἱ μὲν γὰρ ὁμοίους εἶναι, πλὴν τῷ χρώματι μόνον διαφέρειν· τὴν δὲ ῥίζαν τὸν μὲν λευκήν, τὸν δὲ μέλαιναν. Theophrast. loco citato.

5. *Alii folia*] Diosc. de veratro nigro, lib 4. cap. 151. Ἔχει δὲ τὰ φύλλα χλωρά, πλατάνῳ προσεμφερῆ, ἐλάσσονα δὲ, καὶ πολυσχιδέστερα, καὶ μελάντερα.

6. *Albi, betæ*] Ellebori albi folia sunt, inquit Dioscor. lib. 4. cap. 150. betæ silvestris similia, sed breviora, nigrioraque, & dorsi spina rubescit: ὅμοια τοῖς τοῦ ἀγρίου τεύτλου, βραχύτερα δὲ καὶ μελάντερα, καὶ τῇ ῥάχει ἐρυθρά.

7 *Utraque caule.*] De candido id diserte Diosc. loc. cit. Καυλὸν δὲ παλαιστιαῖον, κοῖλον, ἀποφλοιζόμενον, ὅταν ἄρξηται ξηραίνεσθαι. *Caulem palmi altitudine, concavum, qui quidem tunicas, quibus convolvitur, abdicat, cum arescere incepit.*

8 *Radice fimbriata.*] Fibrata, tenuibus fibris distincta. Vide Notas & Emend. num. VI.

9. *Nigro equi, &c.*] Sic Theophr. loc. cit. sed idem candido vesci tantum oves dixit, τὰ πρόβατα.

10. *Tempestivum*] Candidum quidem messibus colligi Dioscorides jubet, lib 4. cap 150.

11. *Plurimum.*] Theophr. loco cit. Ἐν τῇ Οἴτῃ πλεῖστος· πλεῖστος γὰρ αὐτόθι φύεται καὶ ἄριστος· μοναχοῦ δὲ φύεται τῆς Οἴτης περὶ τὴν Πύραν. Pyra locus est in ejus montis vertice, in quo sacrificantem Herculem, ubi se conjecisset in rogum, arsisse ferunt. Claudianus, de tertio Consul. Honorii, vers. 114.

Juga desoris Oetes,
Herculeo damnata rogo.

12 *Nigrum, &c.*] Diosc. lib. 4 pag. 151. post Theophr. loc. cit. ad verbum.

13. *Candidum, &c.*] Theophr. loc. cit.

14. *Melampodion.*] Ab inventore. Theophr. loc cit. Καλοῦσι δὲ τὸν μέλανα τινὲς ἀπὸ τοῦ καθάραντος καὶ ἀνευρόντος Μελαμπόδιον, &c. Sic etiam Dioscor lib. 4 cap 151.

15. *Quo & domos.*] Diosc. loc cit. Περιρραίνουσι δὲ καὶ οἰκίας αὐτῷ, καθαρτικὸν εἶναι νομίζοντες. *Sed & eo domos aspergunt, purgandi expiandique vim inesse ei rati.* Theophrast. loc cit. Καθαίρουσι δὲ ὗς αὐτῷ καὶ πρόβατα, συνεπᾴδοντες ἐπῳδήν. *Lustrant eo sues, ovesque cum incantatione quadam.*

16. *Primum enim.*] Hic ritus omnis a Theophrasto quoque describitur, lib. 9 hist. cap 9

17. *Et precatur*] Stant, inquit, & Apollinem Æsculapiumque deprecantur, ut ea res sibi feliciter cedat. Diosc. lib lib 4 cap 151

18 *Observatque aquilæ.*] Observat, num aquila sibi in eo opere occupato, interveniat: abstinet, si cernat Periculum enim imminet secanti, &c Theophrastus & Dioscor. loc cit.

19. *Nec album*] De nigro hæc Dioscor. prodidit, loc. cit de elleboro universim, Theophr lib. 9. hist. cap. 9

20. *Nigrum alii ectomon.*] Galenus in Explic. vocum Hippocr. pag. 89. Ἔκτομον, ἐλλέβορος μέλας. Hesychius, ἔκτομον, ἐλλέβορος. Erotianus, in collect. diction. Hippocr. apud Galen. pag. 119. ἔκτομον, Διονύσιός φησι τὸν ἐλλέβορον τὸν μέλανα ἐπίκωρον Diosc. loc cit. Ἐλλέβορος μέλας· οἱ δὲ Μελαμπόδιον, οἱ δὲ ἔκτομον, (lege ἐκτομον) οἱ δὲ πολύρριζον, a multa, ut diximus, radice fimbriata. Prius in editis libris *entomon*: in M S S. *eucymon*: utrumque perverse.

21 *Candidum autem.*] Marcellus Empir. cap. 30. pag. 21 & Dioscor. lib. 4. pag. 150. Καθαίρει δὲ δι' ἐμέτων, ποικίλα. *Purgat vomitionibus varii coloris humores extrahens.*

22. *Ut plerique*] Hæc totidem verbis Gellius, lib. 17. c 15. pag. 968. de Carneade in primis. Et Valer. Max. lib. 8. cap 7. num 5. *Carneades cum Chrysippo disputaturus, elleboro se ante purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solida laudis cupidis effecit appetendas* De Carneade alia diximus lib. 7. sect. 31.

23. *Drusum quoque*] Hunc locum Gellius ita recitat, loc. cit. pag. 971 *Sed elleborum sumi posse tutissime in insula Anticyra Plinius Secundus in libris Naturalis Historiæ scripsit: propterea Livium Drusum, qui Tribunus plebis fuit, quum morbum qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram navigasse, & in ea insula elleborum bibisse ait, atque ita morbo liberatum.* Nigrum veratrum ad comitialem morbum Celsus quoque commendat, lib. 3. cap. 23.

24. *Optimates vero.*] Sociale, vel Marsicum bellum appellatum est, quod a Marsis primum concitatum fuit. Etenim Latini omnes, ac plerique Italiæ populi, indigne ferentes se laborum omnium ac periculorum participes, ab communione imperii & honoris excludi, frustra per Drusum, qui hac arte conciliatis animis affectabat imperium, sperata civitate, quod jure non poterant, armis consequi studuerunt Hæc prolixius Florus, lib. 3. cap 18. & alii.

hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra insula. Ibi enim tutissime sumitur, quoniam ([25] ut diximus) sesamoides admiscent. Italia veratrum vocat. Farina eorum per se, & mixta radicula, [26] qua lanas diximus lavari, [27] sternumentum facit, amboque somnum. Leguntur autem tenuissimæ radices brevesque, ac velut decurtatæ etiam hæ. Nam summa, quæ est crassissima, cæpis similis, canibus tantum datur purgationis 5 causa. [28] Antiqui radicem cortice quam carnosissimo seligebant, quo tenuior eximeretur medulla. [29] Hanc humidis spongiis opertam, turgescentemque acu in longitudinem findebant. Deinde fila in umbra siccabant, iis utentes: [30] nunc ramulos ipsos ab radice quam crassissimi corticis ita dant. [31] Optimum, quod acre gustu fervensque, in frangendo [32] pulverem emittit. Durare vim ejus XXX. annis ferunt. 10

XXII. [1] Nigrum medetur paralyticis, insanientibus, hydropicis, dum citra febrim, podagris veteribus, articulariis morbis. [2] Trahit alvum, & bilem, pituitasque. [3] Ex aqua datur ad leniter molliendam alvum, plurimum drachma, modice quatuor obolis [4] Miscuere aliqui & scammoneam, sed tutius salem. In dulcibus datum copiosius periculum infert: [5] oculorum caliginem fotu discutit: ob id quidam & inunxere trito. Strumas, 15 suppurata, duritias concoquit & purgat: [6] item fistulas, tertia die exemptum. Verrucas tollit cum squamis æris & sandaracha. [7] Hydropicorum ventri imponitur cum farina hordeacea & vino. [8] Pecorum & jumentorum pituitas sanat, surculo per aurem trajecto, & postero die eadem hora exempto. [9] Scabiem quadrupedum cum thure aut cera, ac pice, vel cum pisselæo. 20

XXIII. [1] Album optimum, quod celerrime movet sternumenta: sed multum terribilius nigro, præcipue si quis apparatum poturorum apud antiquos legat, contra horrores, strangulatus, intempestivas somni vires, singultus infinitos aut sternumenta, stomachi dissolutiones, tardiores vomitus aut longiores, exiguos aut nimios. Quippe alia dare soliti, quæ concitarent vomitiones, ipsumque elleborum extraherent medicamentis, aut clysteri- 25 bus: sæpe etiam sanguine venis emisso. Jam vero & cum prospere cedat, terribili visu, variis coloribus vomitionum, & post vomitiones observatione alvi, balinearum dispensatione, totius corporis cura, antecedente omnia hæc magno terrore famæ. [2] Namque tradunt absumi carnem, si coquatur una. Sed antiquorum vitium erat, quod propter hos metus parcius dabant: cum celerius erumpat, quo largius sumitur. Themison binas 30 non amplius drachmas [3] datavit: sequentes & quaternas dedere, claro Herophili præconio, qui elleborum fortissimi ducis similitudini æquabat. Concitatis enim intus omnibus ipsum in primis exire. Præterea mirum inventum est, quod incisum forficulis, [4] ut diximus, cribrant: cortex remanet, [5] hoc inaniunt: medulla cadit, hæc in nimia purgatione data vomitiones sistit. 35

XXIV. Cavendum est felici quoque cura, ne nubilo die detur: quippe impetibiles cruciatus exsistunt. [1] Nam æstate potius, quam hieme dandum, non est in dubio. [2] Corpus septem diebus ante præparandum cibis acribus, abstinentia vini, quarto & tertio die vomitionibus, pridie cœnæ abstinentia. [3] Album & in dulci datur, aptissime vero in lente aut

NOTÆ.

25. *Vt diximus.*] Libro 12. sect 64

26. *Qua lanas diximus*] Libro 19. sect. 18.

27. *Sternumentum*] Scribonius Largus, Compos. Medic. cap. 1. num 10 *Proritat sternutamentum etiam per se contusum, & naribus infectum veratrum album Nigrum, siccum & aridum sternutationem statim invitat.*

28 *Antiqui.*] Sic Dioscor. de utroque elleboro, eligi jubet carnosum, & cui tenuis medulla sit: Ἐκλέγου δὲ τὸν εὔσαρκον, καὶ εὔτροφον, λεπτὴν ἔχοντα τὴν ἐντεριώνην.

29. *Hanc humidis.*] Ut aqua madefacta radix turgesceret, faciliusque divideretur acu, vel forficula, in tenuia fila.

30. *Nunc ramulos.*] Fibras radicum integras.

31. *Optimum.*] Candidum probat Dioscor. lib 4. pag. 150. quod non sit admodum gustu fervens, οὐ πυρῶδες τῇ γεύσει ἄγαν Nigrum, cap. seq. acre gustu, fervensque, δριμὺ ἐν τῇ γεύσει, καὶ πυρῶδες.

32. *Pulverem.*] Dioscor. lib 4. cap 150. Καὶ ἐν κλάσει ἐν τῷ θραύεσθαι, *pulverem emittens, dum frangitur* Ut plurimum evanidam vetustatem sapit, quod dum frangitur, fatiscit in pulverem.

Sect. XXII. 1. *Nigrum medetur, &c.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 4 cap. 151.

2. *Trahit alvum, &c.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag 212. Dioscor locis cit. Καθαίρει δὲ τὴν κάτω κοιλίαν, ἄγων φλέγμα καὶ χολὴν, *purgat per inferna, trahitque pituitam & bilem.*

3. *Ex aqua, &c.*] Diosc loc. cit.

4. *Miscuere, &c.*] Marcellus Empir. & Dioscorides, locis citatis.

5. *Oculorum.*] Collyriis admisceri ait Diosc. ad oculorum discutiendam caliginem,

6. *Item fistulas*] Dioscor lib 4. cap. 151. Σύριγξι δὲ κολλυρίοις, καὶ μετὰ τρίτην ἐξαιρεθείς. *Fistulas inditum, ac tertia die exemptum purgat.*

7. *Hydropicorum.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2. Εὐπορ cap. 65.

8. *Pecorum, &c.*] Vim omnino parem ac geminam consiliginis radici inferius attribuit, lib. 26 sect 21.

9. *Scabiem.*] Dioscor lib 4. cap. 151. Θεραπεύει δὲ καὶ ψώρας, μετὰ λιβανωτοῦ ἢ κηροῦ, καὶ πίσσης, καὶ κεδρίνου ἐλαίου καταχριόμενος. Quod ἔλαιον κέδρινον vocat Dioscorides, Plinio, ut monuimus lib. 24. sect. XI. pisselæon est.

Sect. XXIII. 1. *Album optimum.*] Dioscor. lib. 4. pag. 150.

2. *Namque tradunt.*] Hoc pariter Diosc. loc. cit. Συνεψόμενος τε κρέασι, συντήκει αὐτά.

3. *Datavit*] Ita Reg. 1. cum editis. Reg. 2 *dedit.*

4. *Vt diximus.*] Sect 21.

5. *Hoc inaniunt.*] Hoc sumpto cortice exinaniunt purgantque alvum. Sic lib. 26 sect. 36. *Et alvum & bilem & pituitam exinanit*, hoc est, purgat. Hunc locum nec Dalecampius intellexit, nec interpres Gallicus. Sed & in aliis plurimis cespitarunt.

Sect. XXIV. 1. *Nam æstate.*] Vere junioribus, senibus æstate dari suadet Aetius, lib 1. cap. 129. pag. 114. Celsus, lib. 2. cap. 3. de vomitu: *At ubi longi valentesque morbi sine febre sunt, ut comitialis, aut insania, veratro quoque albo utendum est: id neque hieme, neque æstate recte datur: optime vere, tolerabiliter autumno.*

2. *Corpus septem.*] Aëtius, lib 1. cap. 131. pag. 115.

3. *Album, &c.*] Dioscor. lib. 4. cap. 150. Δίδοται δὲ νήστεσ

pulte. ⁴ Nuper invenere, diffectis raphanis inferere elleborum, rurfufque comprimere raphanos, ⁵ut tranfeat vis, atque eo lenimento dare. Reddi poft quatuor fere horas incipit. Totum opus feptenis peragitur horis. ⁶ Medetur ita morbis comitialibus, ut diximus, vertigini, melancholicis, infanientibus, ⁷ lymphaticis, ⁸ elephantiafi albæ, lepris, teta-
5 no, tremulis, podagricis, hydropicis, incipientibufque ⁹ tympaniticis, ftomachicis, ¹⁰ fpafticis cynicis, ifchiadicis, quartanis, quæ aliter non definant; tuffi veteri, inflationibus, torminibus redeuntibus.

XXV. ¹ Vetant dari fenibus & pueris: item mollis ac feminei corporis animive, exilibus aut teneris: & feminis minus quam viris. Item timidis, aut fi exhulcerata fint præ-
10 cordia, vel tumeant: minime fanguinem exfcreantibus, ² caufariis vel latere, vel faucibus. ³ Medetur extra corporis, eruptionibus pituitæ cum axungia falfa illitum: item fuppurationi veteri. ⁴ Mures polentæ admixtum necat. ⁵ Galli fagittas in venatu elleboro tingunt, circumcifoque vulnere teneriorem fentiri carnem affirmant. Mufcæ quoque necantur albo trito, & cum lacte fparfo. ⁶ Eodem & phthiriafis emendatur.

CAP. VI. 15 XXVI. 15. Ipfi Mithridati Cratevas adfcripfit unam ¹ Mithridatiam vocatam. Huic folia duo a radice acantho fimilia. Caulis inter utraque fuftinens rofeum florem.

XXVII. 16. ¹ Alteram Lenæus, fcordotin, five fcordion, ² ipfius manu adfcriptam, magnitudine cubitali, quadrangulo caule, ramofam ³ quernæ fimilitudine, foliis lanuginofis: reperitur in Ponto, campis pinguibus humidifque, guftus amari. ⁴ Eft & alterius
20 generis, latioribus foliis, mentaftro fimilis, plurimofque utraque ad ufus per fe, ⁵ & inter alia in antidotis.

XXVIII. 17. ¹ Polemoniam, alii Philetæriam, ² a certamine regum inventionis appellant. Cappadoces autem chiliodynamam, radice craffa, exilibus ramis, quibus in fummis corymbi dependent, nigro femine: cetero ³ rutæ fimilis. Nafcitur in montuofis.
25 XXIX. 18. ¹ Eupatoria quoque regiam auctoritatem habet, caulis lignofi, nigricantis, hirfuti, cubitalis, & aliquando amplioris, foliis per intervalla quinquefolii, aut cannabis, per ambitum incifis ² quinquepartito, nigris & ipfis, plumofifque: radice fupervacua.

NOTÆ.

τοῦ ἰατροῦ, καὶ μετὰ σησάμου . . . . ἢ μελιτάτῳ, ἢ φακῷ, ἢ ἄλλῳ ῥοφήματι.

4 *Nuper invenere.*] Tradit hunc modum uberius paulo Aetius, lib. 1. cap. 124. pag. 114

5. *Ut tranfeat vis.*] Ut vis ellebori vehementior diffipetur.

6. *Medetur ita . . . , ut diximus.*] Nempe fect. 21. His morborum generibus mederi elleborum fcribit pariter Aetius, lib. 1. cap. 125. pag. 114. In comitiali morbo in primis, ter aut quater veratro albo utendum, haud ita multis interpofitis diebus, Celfus admonet, lib. 3. cap 23.

7. *Lymphaticis.*] Furiofis, qui vitium contraxerunt ex aquæ confpectu, vel ex imagine vifa in aqua. Feftus *Lymphæ dictæ funt a Nymphis. Vulgo autem memoria proditum eft, quicumque fpeciem quamdam e fonte, id eft, effigiem nymphæ viderint, furendi non feciffe finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphatos appellant.* Vide plura, fi lubet, in Etymol. Voffii

8. *Elephantiafi albæ.*] Elephantiafi elleborum mederi Celfus teftatur, lib 3. cap. 25. Vide Notas & Emendationes, num. VII.

9 *Tympaniticis.*] Qui hydrope incipiente laborant. Eft enim hydropis genus τυμπανίας, five τυμπανίτης, quod nomen eft a tympano: quia pulfatus venter vento diftentus, qui inter peritonæum & inteftina tympanum refert fonitu. Nicandro in Alexiph. τυμπανόεις ὕδρωψ appellatur. Et Celfum vide, lib. 3. cap. 21.

10. *Spafticis cynicis.*] Κυνικὸς σπασμὸς oris eft convulfio diftortioque, inde nomen fortita, quod rictum canis repræfentet. Vide Notas & Emend. num VIII.

Sect XXV. 1. *Vetant dari.*] Hæc totidem fere verbis Aetius, lib. 1. cap. 128. pag. 115 fecutus Hippocratem, libro fingulari, περὶ ἐλλεβορισμοῦ, pag. 611.

2. *Caufariis.*] Valetudinariis. Livius, lib. 6. pag. 107. *Tertius exercitus ex caufariis fenioribufque a L. Quintio fcribitur, qui Urbi mœnibufque præfidio fit.* Seneca, ep. 68 *Sic in animo noftro funt quafi caufariæ partes, quibus adhibenda curatio eft.* Theod. Prifcianus, lib. 1. cap. 7. *De aurium caufatione* Et cap 10. *De oculorum caufis.* Ulpiano, *Caufaria miffio*, quæ valetudinis caufa datur. Martiano I C. *Caufarius miles.*

3. *Medetur extra corporis.*] Externis corporis vitiis. Sic libro 22. fect. 49. *Ad extera corporum.*

4. *Mures polentæ.*] Diofc. lib. 4. cap. 160. de elleboro albo, Καὶ μύας ἀναιρεῖ σὺν μέλιτι καὶ ἀλφίτῳ φυραθείς. Sic etiam Paxamus in Geopon. lib. 13. cap 4. pag. 361. Οἱ μύες ἀναιροῦνται, ἐλλέβορον μετὰ ἀλφίτων παραβαλλόντος.

5. *Galli.*] Hoc fuit igitur venenum venatorium, quo uti in primis Gallos fcribit Corn. Celfus, lib. 5. cap. 27. Gellius, lib. 17. cap. 15. pag. 972. *Præterea fcriptum legimus*, inquit, *Gallos in venatibus tinguere elleboro fagittas: quod his ictæ exanimatæ feræ teneriores ad epulas fiant: fed propter ellebori contagium, vulnera ex fagittis facta circumcidere latius dicuntur.*

6. *Eodem &c.*] Marcellus Empir. cap 4 pag. 43. *Ad pediculos in omni parte corporis necandos efficax hoc remedium eft: ellebori radicis uncia*, &c.

Sect XXVI. 1. *Mithridatiam.*] Hanc a fe repertam in Forojulienfi agro, defcribit Aloyfius Anguillara, par. 21, pag 174.

Sect XXVII 1. *Alteram . . . . fcordotin.*] Σκόρδιον hæc eft Diofcoridis. lib. 3. cap. 120. picta a Lobelio in Obferv. pag. 285. vifa a nobis in horto Regio.

2. *Ipfius manu.*] Mithridatis manu defcriptam.

3 *Quernæ.*] *Quernæ* potius, vel *quercus*.

4 *Eft & alterius*] Et hoc fcordii genus vifum a nobis in horto Regio, quale a Lobelio delineatur in Obferv. pag. 262.

5. *Et inter alia in antidotis.*] Vide Galen. lib. 1. de antidot cap. 12 pag. 883.

Sect. XXVIII. 1. *Polemoniam.*] Diofcor. lib. 4. cap 8. Πολεμώνιον, οἱ δὲ φιλεταίριον· Καππάδοκες δὲ χιλιοδύναμιν, &c. Iifdem fere verbis ab utroque defcribitur. Latino ore ac fono Plinius, tum hoc loco, tum in Indice, chiliodynamam vocat. Quæ venire hodie poffit in poffeffionem ejus nominis non conftare fibi fatetur Anguillara, par. 14. pag. 249.

2 *A certamine regum.*] Cum certent inter fe duo reges, Polemon & Philetærus: ille Ponti Polemoniaci, ille Cappadociæ: uter prior chiliodynamam herbam invenerit. In nummo argenteo maximæ molis, capite laureato, ex parte altera legimus ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. Eft hic nummus in hac urbe, apud D. DE BOZE, ex Academia Gallica, & in Academia Infcriptionum, Humaniorumque litterarum Secretarium perpetuum.

3. *Rutæ fimilis.*] Foliis rutæ fcilicet, fed majoribus paulo. Diofc loc. cit.

Sect XXIX. 1. *Eupatoria.*] Hæc verbis totidem Diofcorides, lib. 4 cap. 41. Officinarum Agrimonia eft, ut recte Anguillara, par. 14. pag. 258. in Italia frequens, picta a Lobelio in Obfervat. pag 394. qualem in horto Regio vidimus: *Aigremoine* Eadem plane forma, iifdemque viribus a Diofc. defcribitur, loc. cit. A Mithridate Eupatore nomen fortita.

2. *Quinquepartito.*] Sic etiam Diofc. loc cit. Φύλλα δὲ ἀπὸ διαστημάτων ἐσχισμένα μάλιστα πεντάχα ἢ καὶ πλείονα, ... &c. *Foliis per intervalla quinquepartito ut plurimum, aut etiam amplius divifis,*

Semen

[1] Semen dysentericis in vino potum auxiliatur unice.

XXX. 19. [1] Centaurio curatus dicitur Chiron, cum Herculis excepti hospitio pertractanti arma, sagitta excidisset in pedem: quare aliqui Chironion vocant. [2] Folia sunt lata & oblonga, serrato ambitu, densa ab radice, [3] caules ternûm cubitorum, geniculati. [4] In his capita ceu papaverum. [5] Radix vasta, rubescens, tenera fragilisque, ad bina 5 cubita, madida succo, amara cum quadam dulcedine. [6] Nascitur in collibus pingui solo. [7] Laudatissima in Arcadia, Elide, Messenia, Pholoë, & Lycia: & in Alpibus vero, plurimisque aliis locis. [8] In Lycia quidem & ex ea Lycium faciunt. [9] Vis in vulneribus tanta, ut cohærescere etiam carnes tradant, si coquantur simul. [10] In usu radix tantum duabus drachmis bibenda, quibus dicetur: si febris sit, in aqua trita, ceteris in vino. [11] Me- 10 detur & iisdem morbis decoctæ succus.

XXXI. 20. [1] Est alterum centaurion cognomine lepton, minutis foliis, quod aliqui [2] libadion vocant, quoniam secundum fontes nascitur, [3] origano simile, angustioribus & longioribus foliis, [4] anguloso caule paululum alto, fruticante, flore lychnidis, radice tenui & [5] supervacua, succo efficax. Ipsa herba autumno legitur, [6] succus e fronde. [7] Qui- 15 dam caules concisos madefaciunt diebus XVIII. atque ita exprimunt. [8] Hoc centaurion nostri fel terræ vocant, propter amaritudinem summam. [9] Galli exacon, quoniam omnia mala medicamenta potum e corpore exigat per alvum.

XXXII. 21. [1] Tertia est centauris, cognomine triorchis. Qui eam secat, tarum est ut non vulneret sese. Hæc succum sanguineum mittit. [2] Theophrastus defendi eam, im- 20 pugnarique colligentes tradit a triorche accipitrum genere, a quo & nomen accipit. [3] Imperiti confundunt hæc omnia, & primo generi assignant.

XXXIII. 22. [1] Clymenus a rege herba appellata est, ederæ foliis, ramosa, caule Cap. VII. inani, articulis præcincta, odore gravi, & semine ederæ, silvestribus & montuosis nascens. Quibus morbis pota medeatur, dicemus. Sed hic indicandum est, [2] dum medea- 25 tur, sterilitatem pota etiam viris fieri. [3] Græci plantagini similem esse dixerunt, caule qua-

Notæ.

quinquefoliis aut cannabis potius similibus, nigricantibus & ipsis, ac per ambitum ferra modo incisis.

3 *Semen.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XXX. 1. *Centaurio.*] Centaurium hoc magnum Dodonæi est, pag. 332. In Apulia frequens: ubi ab incolis *Ra Pontico* appellatur, ut testis est Anguillara, par 12. pag. 194. Nobis, *la grande Centaurée.* Est in horto Regio. Chironiam quoque Apuleius vocat, cap. 34. Κενταύρειον & κενταύριον Græci. Virgilius *graveolentia centaurea* dixit.

2. *Folia sunt lata*, &c.] Hæc iisdem fere verbis Diosc. lib. 3. cap. 8.

3. *Caules ternûm cubitorum geniculati*] Postremam hanc vocem Dioscorides non habet; hoc tantum: Καυλὸν δὲ ἴσχει ὡς λαπάθου δίπηχυν, ἢ καὶ τρίπηχυν, *caulem habet binûm ternûmve cubitorum, ceu lapathi.*

4 *In his capita.*] Diosc. loc. cit. Παρεμφερεῖς ἀπὸ ῥίζης ἔχοντα πτόρθους, ἐφ' ὧν κεφαλὰς ὅμοιας μήκωσι.

5. *Radix vasta*, &c.] Dioscorides, totidem verbis, loc. cit.

6. *Nascitur.*] Diosc. loc. cit.

7. *Laudatissima.*] Diosc. loc. cit. iisdem verbis.

8 *Lycia quidem.*] Diosc. loc. cit. Οἱ δὲ ἐν Λυκίᾳ αὐτὴν χυλίζοντες, χρῶνται αὐτῷ ἀντὶ Λυκίου. *Lyciæ incolæ succum illius exprimunt, quo pro Lycio utuntur.*

9. *Vis in vulneribus.*] Vulnera, inquit Dioscor. loc. cit. colligat & conglutinat: quin & tusam si quis simul cum carnibus coquat, carnes ipsæ cohærescent. Συνάγει γὰρ ἡ ῥίζα καὶ τὰ τραύματα· καὶ εἰ ἐψόμενα δὲ κρέα συνάψει, εἴ τις αὐτὴν κόψας συνεψήσει. Apuleius, cap. 34 *de centaurea majore*, tit. 5. *Ad vulnera recentia: Herba centauria major tam efficax est ad plagas glutinandas, ut etiam carnes coeunt, quæ ex aqua ejus coquuntur.*

10. *In usu radix.*] Totidem verbis Dioscorides, lib. 3. cap. 8.

11. *Medetur & iisdem.*] Vide Notas & Emendationes, num. IX.

Sect. XXXI. 1. *Est alterum*] Dioscor. lib. 3. cap. 39. Κενταύρειον τὸ μικρὸν ἢ λεπτόν, &c. Centaurium minus Dodonæi, pag. 334. pictum & in Eystettensi horto: vidimus in Regio. *La petite Centaurée.*

2 *Libadion vocant.*] Ita MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice. Diosc. loc. cit. ὃ τινες λιμναῖον καλοῦσι, quasi palustre, quoniam humecta loca & rigua amet. Qua causa & *libadion* recte cognominatur, quoniam sunt λιβάδες rivi, stagna, latices, scaturigines.

3. *Origano simile.*] Dioscor. πόα . . . ὀριγάνῳ παραπλησία ἐστί.

4. *Anguloso.*] Καυλὸν ἔχουσα ὑπὲρ σπιθαμήν, γωνιώδη. Dioscor. loc. cit. ex quo forte legendum, *anguloso caule, palmum alto.*

5. *Supervacua.*] Inutili. Ῥίζα μικρὰ, ἄχρηστος, &c. *nullius usus*, ut ait interpres Oribasii, lib. XI. pag. 201.

6. *Succus e fronde.*] Ex herba virente, ac seminibus prægnante exprimi ait Diosc. loc. cit.

7. *Quidam.*] Succi extrahendi modum alterum Dioscor. edocet, loc. cit.

8 *Hoc . . . fel terræ.*] Dioscor. in Nothis, pag. 451. ipse quoque majori centaurio tribuit hanc nomenclationem. Οἱ δὲ Χειρωνιάς. Ῥωμαῖοι, φελτέρραε.

9. *Galli exacon.*] Celticæ vocis originationem e Græco fonte qui repetunt, ἀπὸ τοῦ ἀκεῖσθαι. a medendo hoc vocabulum effictum volunt. Iis qui venena sumpserunt, centauriam minorem commendat in primis Apuleius, cap. 35. tit. 5. ex aceto bibendam.

Sect. XXXII. 1. *Tertia est.*] Quis eam centaurida Plinio Theophrastoque commonstrarit, obscurum: quæ forma ac facies illius sit, ne ipsi quidem indicant: divinare nec licet, nec lubet.

2. *Theophrastus.*] Libro 9 histor cap. 9.

* 3. *Imperiti.*] Et sunt hac ætate herbarii, qui se istis adjungant

Sect XXXIII. 1. *Clymenus a rege.*] Fuit is Cænei filius, Arcadiæ rex, teste quidem Hygino, fab. 206 pag. 47. Gemina porro clymenos a Plinio hac sectione describitur Prior hæc alio nomine a Dioscor lib. 4. cap 14. periclymenos appellatur, pingiturque iisdem plane notis: Eamdem esse sane vel ea remediorum similitudine sæpius ostensuri sumus. Clymenos a Theophrasto nuncupata. A Diosc. ipso in Nothis, pag 462. Περικλύμενον, οἱ δὲ κλύμενον, οἱ δὲ καλλίφυλλον, &c. quod & Oribasius confirmat. Pingitur a Matthiolo, pag 972. Gallis, *Chevre-feuille*, & Caprifolium officinis.

1. *Dum medeatur.*] Interim dum medetur. Theophrastus quoque, lib. 9. hist. cap. 9. sterilescere penitus hominem ait, si diebus XXX continuis clymeni semen e vino albo ad scatarii mensuram ebiberit. Ἄγονον idcirco dici Diosc. prodit, in Nothis, pag 462.

3. *Græci.*] Hæc eadem, a Dioscor. quidem, lib 4. cap. 13. sic appellata, clymenos est, quam verbis ille totidem delineat. Κλύμενον καυλὸν ἀνίησι τετράγωνον, ὅμοιον τῷ τοῦ ἀνήθου· φύλλα δὲ αὐτῆς τοῖς τοῦ ἀρνογλώσσου· θυλάκια δὲ ἴσχει ἐπὶ τοῦ καυλοῦ εἰς ἄλληλα νεύοντα, ὥσπερ τὰ ἴρεως, ἢ πολυγόνου κλωνία. *Clymenos caulem profert quadrangulum, ceu fabæ, folia plantagini similia: folliculos vero habet supra caulem ita dispositos, ut alter in alterum propendent, velut in iride & in polygonum corris* Quæ notæ omnes satis apte in Matthioli Clymenum cadunt, quod ipse exhibet, pag. 971. & Lobelius in Observat pag 527.

drato, folliculis cum femine [4] inter fefe implexis, velut in polyporum cirris. [5] Et fuccus autem in ufu, vi fumma in refrigerando.

XXXIV. 23. [1] Gentianam invenit Gentius rex Illyriorum, ubique nafcentem, in Illyrico tamen præftantiffimam, folio fraxini: fed magnitudine lactucæ, [2] caule tenero, pollicis craffitudine, cavo & inani, ex intervallis foliato, trium aliquando cubitorum, radice lenta, fubnigra, [3] fine odore, aquofis montibus Subalpinis plurima. [4] Ufus in radice & fucco. Radicis natura eft excalfactoria, fed prægnantibus non bibenda.

XXXV. 24. [1] Invenit & Lyfimachus herbam Lyfimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Erafiftrato. [2] Folia habet falicis viridia, florem purpureum, fruticofa, ramulis erectis, [3] odore acri: [4] gignitur in aquofis. Vis ejus tanta eft, ut jumentis difcordantibus jugo impofita, afperitatem cohibeat.

XXXVI. 25. Mulieres quoque hanc gloriam affectavere: in quibus [1] Artemifia uxor Maufoli, [2] adoptata herba, quæ antea [3] parthenis vocabatur. Sunt qui ab [4] Artemide Ilithyia cognominatam putant, quoniam privatim medeatur feminarum malis. [5] Eft autem abfinthii modo fruticofa, majoribus foliis, pinguibufque. [6] Ipfius duo genera: altera latioribus foliis, altera tenera tenuioribus, & non nifi in maritimis nafcens. [7] Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellent, fimplici caule, minimis foliis, floris copiofi, erumpentis cum uva maturefcit, odore non injucundo: quam quidam botryn, alii ambrofiam vocant. Talis in Cappadocia nafcitur.

XXXVII. 26. [1] Nymphæa nata traditur Nympha zelotypia erga Herculem mortua. [2] Quare heracleon vocant aliqui, alii rhopalon, a radice clavæ fimili. [3] Ideoque eos, qui biberint eam [4] duodecim diebus, coitu genituraque privari. [5] Laudatiffima in Orchomeno & Marathone. Bœoti [6] madon vocant, qui & femen edunt. [7] Nafcitur in aquofis, foliis magnis, in fumma aqua, & aliis ex radice prodeuntibus, flore lilio fimili, & cum defloruit, [8] capite papaveris, tenui caule: fecatur autumno. Radix nigra in Sole ficcatur, adverfaturque [9] alvinis. [10] Eft & alia nymphæa in Theffalia, amne Peneo, radice alba, [11] capite luteo, rofæ magnitudine.

NOTÆ.

4. *Inter fe implexis.*] In fe fe mutuo converfis, [illegible]

5. *Et fuccus.*] Diofcorides hæc paulo uberius, loco citato.

Sect. XXXIV. 1. *Gentianam.*] Iifdem verbis Diofcor. lib 3. cap. 3. *Γεντιανή*, &c. Nomen apud omnes officinas retinet: *Gentiane* A Dodonæo pingitur, pag 340 De Gentio rege multa Livius, lib 40. pag. 517. Cum Perfeo Macedone bellum Romanis intulit, cum eo ductus in triumphum eft. Vide Eutrop. lib. 2. pag. 767. & 769.

2. *Caule tenero*, &c.] Diofc. loc. cit.

3. *Sine odore*] At non eft omnino expers odoris in cælo noftro foloque.

4. *Ufus in.*] Diofc. loc. cit.

Sect. XXXV. 1. *Invenit*, &c.] Hefychius · [illegible], a Lyfimacho fcilicet Thracix rege, Alexandri comite. Sic dictam alii putant, [illegible], quod animantium pugnas dirimat Retinet nomen apud herbarios. Pliniana hæc, quæ purpurea eft, & major communis, accurate delineatur a Clufio, lib. 4 hift rar. plant. pag. lj. vifa a nobis in horto Regio.

2. *Folia habet.*] Sic etiam a Diofc. defcribitur, lib 4. cap. 3. [illegible]

3. *Odore acri.*] Sapore & guftu acri effe folia Diofcor. prodidit, loc. cit. [illegible]

4. *Gignitur.*] Diofc. loc. cit.

Sect. XXXVI. 1. *Artemifia.*] Artemifiam tamen herbam ab Hippocrate nuncupatam, ante hujus Artemifiæ tempora, apud ipfum Hippocratem reperio. Artemifia enim Maufoli uxor Hippocrate multo pofterior eft. Geminam Artemifiam agnofcit Harpocration, pag 48. Agnofcit & Tzetzes, Chiliad. 12. verf. 966. hift 455.

[illegible]

Sed ille utramque dicit Cariæ reginam fuiffe, & Maufoli quidem conjugem priorem altera.

2. *Adoptata.*] Hanc Galli armofiam vocant, & matrem herbarum, *Armoife.* A Lobelio pingitur in Obfervat. pag. 441. qualis vifa a nobis in horto Regio.

3. *Parthenis.*] Parthenion Apuleius, cap. 10. *de Artemifia*: quafi virginea, quod Diana inventrix nomen ei fecerit, ut idem fignificat, cap 12.

4. *Artemide Ilithyia.*] Solemne Græcia feminis erat in partu Dianam five Artemidem Ilythiam, *Εἰλείθυιαν*, invocare: quemadmodum Romanæ Junonem Lucinam implorabant. Ovidius, lib 9. Metam. verf 284

Propofitam tumidis parentibus Ilithyiam.

5. *Eft autem.*] Diofc. lib. 3. cap 127. [illegible] &c. Auctor libri de fimp. med. ad Paterna tom. 13. operum Galeni, pag 986. *Artemifia herba eft fubfimilis abfinthio, fed per omnia vaftior, id eft, foliis latior, & fortior, fed afpectu & colore humilis.*

6. *Ipfius duo.*] Diofcor. lib. 3. cap. 127. & 128. & Apuleius, cap 10. & 12.

7. *Sunt qui.*] Hæc totidem fere verbis Diofcor. lib. 3. cap. 127. [illegible], &c. Diverfa hæc botrys ab ea, de qua dicetur lib. 17. fect. 31.

Sect. XXXVII. 1. *Nymphæa.*] *Νυμφαία* Diofcor. lib 3. cap. 147. Ab aquis dictam putat, in quibus nafcitur. *Nenuphar* ab officinis barbara Maurorum voce nuncupatur, A ceteris in Gallia quidem, *Blanc d'eau*, ou *Lis d'etang*. Hæc Nymphæa alba Dodonæi eft. pag 575. obfervata a nobis in horto Regio.

2. *Quare heracleon*] Apuleius, cap. 67. *Græci Nymphæam... rhopalon, heracleon*, &c. Diofcor. loc cit. [illegible] In Indice hujus libri, num. LXXXIII. *Nymphæa Heraclia.* *Ῥόπαλον* Græcis clavam fonat. Quare Marcellus Empir. cap. 33. pag 231. hanc *clavam Herculis* vocat.

3. *Ideoque eos.*] Diofc. loc cit. [illegible] Galenus, lib. 5. de facult. fimpl. med. pag. 213. Nymphæam ait cohibere genituram, five per fomnum, five alio pacto, immodice profluentem.

4. *Duodecim diebus.*] Decem modo, fi Marcello Empir. credimus, cap. 33. pag. 231. *Herba eft*, inquit, *quæ Græca Nymphæa, Latine Clava Herculis, Gallice Badites appellatur: ejus radix contunditur, & ex aceto edenda datur puero per continuos decem dies: mirandum in modum fiet eunuchus.*

5. *Laudatiffima.*] Theophr. lib. 9. hift. cap. 13.

6. *Madon vocant.*] Hefychius: [illegible] Theophr. loc. cit. [illegible] Ut *ῥόδον* & *ῥοδωνία* Græce dicitur, fic [illegible].

7. *Nafcitur*, &c.] Hæc totidem verbis Diofcor. loc. citato.

8. *Capite papaveris*, &c.] Diofc. ad verbum, loc. cit.

9. *Alvinis.*] Iis qui alvi profluvio laborant: [illegible], inquit Diofc, loc. cit. cum Theophr Sic etiam Apuleius, cap 67. tit. 1. *Ad dyfentericos: Herba nymphæa femen*, &c

10. *Eft & alia.*] De qua totidem verba facit Diofcor. lib. 3. cap. 149. [illegible], &c Nymphæa lutea Dodonæi, pag. 575. vifa a nobis in horto Regio Eadem vulgus & officinas nomina, quæ prior habet.

11. *Capite luteo.*] Hoc eft, flore: [illegible], inquit Diofc. loc. cit.

XXXVIII. 27. [1] Invenit & patrum nostrorum ætate rex Juba, quam appellavit Euphorbiam, medici sui nomine. [2] Frater is fuit Musæ, a quo Divum Augustum conservatum indicavimus. [3] Iidem fratres instituêre a balineis frigida multa corpora adstringere. Antea non erat mos, nisi calida tantum lavati, sicut [4] apud Homerum etiam invenimus. [5] Sed Jubæ volumen quoque exstat de ea herba, & clarum præconium. [6] Invenit eam in monte Atlante: [7] specie thyrsi, [8] foliis acanthinis. Vis tanta est, ut e longinquo succus excipiatur: [9] incisæ conto, subditis excipulis ventriculo hœdino, humor lactis videtur effluere: siccatus cum coït, [10] thuris effigiem habet. [11] Qui colligunt, clarius vident. [12] Contra serpentes medetur, quacumque parte percussa: vertice inciso, & medicamento addito. Ibi Gætuli, qui legunt, hœdino lacte adulterant: sed discernitur igni. Id enim, quod sincerum non est, fastidiendum [13] odorem habet. Multum infra hunc succum est, [14] qui in Gallia fit ex [15] herba chamelæa, granum cocci ferente. [16] Fractus Hammoniaco similis est, etiam levi gustu os accensum diu detinens, & magis ex intervallo, donec fauces quoque siccet.

XXXIX. 28. [1] Celebravit & Themison medicus vulgarem herbam plantaginem, tamquam inventor, volumine de ea edito. [2] Duo ejus genera. Minor angustioribus foliis & nigrioribus, [3] linguæ pecorum simillimis, caule angulоso, in terram inclinato, in pratis nascens. Altera major, foliis laterum modo inclusa: quæ quia septena sunt, quidam eam [4] heptapleuron vocavere. Hujus & caulis cubitalis est, & napi similis. [5] Nascitur in humidis multo efficacior. [6] Vis mira in siccando densandoque corpore, cauterii vicem obtinens. [7] Nulla res æque sistit fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant.

XL. 29. [1] Jungitur huic buglossos, boum linguæ similis, [2] cui præcipuum, quod in vinum dejecta, animi voluptates auget: & vocatur euphrosynum.

NOTÆ.

Sect. XXXVIII. 1. *Invenit .... Euphorbiam*] Dictum id superius lib. 5. sect. 1. Nihilominus Homeri ævo cognitam, & ab Euphorbo Patrocli occisore, de quo Homerus Iliad. 16. appellatam ait Galenus, lib. 9. κτ̀ τόπους, cap. 4. pag. 609. itaque a Plinio dissidet. De Juba rege diximus in Auctorum Indice. Euphorbium hodieque nomen retinet in officinis.

2. *Frater .... Musæ.*] Antonii Musæ, de quo diximus lib. 29. sect. 38.

3. *Iidem fratres.*] Marcellum ab Augusto adoptatum, ea aquæ frigidæ lotione, Musam occidisse, cum curare vellet, refert Dio lib. 53. pag. 517. Frigida sic lavari a balneis, docuit etiam Agathinus apud Oribasium, lib. 10. Collect. Medic. cap. 7.

4. *Apud Homerum.* [Iliad. χ. vers. 444.

θερμὰ λοετρὰ ... [illegible]

Tamen aqua marina primum lavabantur, hoc est, frigida, qua sudorem sordesque detergerent: mox dolri, seu calida, recreandi animi gratia. Homeri versus ea Iliad κ', sunt hi: vers. 572.

Αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Ἐσβάντες, &c.

5. *Sed Jubæ,*] Vide Auctorum Indicem.

6. *Invenit.*] Solinus, cap. 24. pag. 46.

7. *Specie thyrsi.*] Specie baculi, longiorisve caulis. In plantis id quod in virgulæ modum, vel teli rectitudinem consurgit, thyrsi nomen sibi vindicat. Vide Notas & Emend. num. X.

8. *Foliis acanthinis.*] Acantho similibus, de quo dictum est lib. 24. sect. 34. Quam immerito Plinium carpat hoc loco Salmasius, in Præf. pag. 29. tu, lector, ipse, si otium est, excute.

9. *Incisæ conto*] Inciditur planta conto hastilive: subditur utri ulus qui succum manantem excipiat, ex hœdi ventriculo. Ita Diosc. pariter, lib. 3. cap. 96. Excipulum pro utriculo qui excipit, dictum. De ea voce jam diximus, lib. 9. sect. 38.

10. *Thuris.*] Coïre vitri effigie, dixit Diosc. loc. cit. Τὸ δέ τι ἐν ταῖς κοιλίαις ὑελῶδές ἐστι. [illegible]

11. *Qui colligunt.*] Dioscor. loc. cit. hanc ejus herbæ dotem esse solum admonuit, ut ejus succus oculorum suffusiones discuteret, & collyriis misceretur.

12. *Contra serpentes.*] Diosc. loc. cit. Ἱστοροῦσι δέ τινες μηδὲν παρακολουθεῖν δυσχερὲς τοῖς ἑρπετοδήκτοις, ἐάν τε σμήξας ἄχρις ὀστέου τὸ δέρμα τῆς κεφαλῆς, ἐγχέῃ τὸν ὀπὸν λεῖον, καὶ ῥάψῃ τὸ τραῦμα. *Tradunt nonnulli nihil incommodi sensuros, qui a serpentibus demorsi fuerint, si quidem inciso osse tenus capitis cute intritus liquor infundatur, vulnusque consuatur.* Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. *Ejus qui percussus est, vertex inciditur, eoque additur euphorbium, & medetur quacumque corporis parte periculum est.*

13. *Odorem.*] Vel nidorem potius, dum igni aduritur. Sic galbanum odore vel nidore probant, ut dictum est lib. 12. sect. 56. *Nam sincerum si uratur, fugat nidore serpentes.* Hœdinum lac, quo dicitur euphorbium adulterari, olet pessime.

14. *Qui in Gallia.*] Nempe Circumpadana. *In partibus Italiæ, quæ Galliæ adjacent*, loquit auctor libri de simp. med. ad Patern. tomo 13. operum Galeni, pag. 987.

15. *Herba chamelæa.*] Thymelæam intelligit, quam & chamelæam vocant: de qua nos egimus lib. 13. sect. 35. Significat porro Plinius caute admodum & erudite chamelææ succum ab euphorbio longe discrepare: neque adeo se favere hac in parte Sextio Nigro, qui teste Diosc. in præf. lib. 1. pag. 2. euphorbium esse chamelææ in Italia nascentis succum prodidit.

16. *Fractus.*] Jam redit ad verum euphorbii succum, de quo hæc accipienda sunt, quæ totidem verbis recitat pariter Diosc. cap. 96. & Galenus, lib. 3. κτ̀ γένη, cap. 4. pag. 725. Hic sunt in Plinium, ut fere esse solent, iniquiore animo, Dalec. in notis, & Salmasius, in Solin. pag. 301. & 303. nullo scriptoris, ut apparet, accurati crimine.

Sect. XXXIX. 1. *Celebravit .... plantaginem.*] Græcis est ἀρνόγλωσσον: Gallis *Alantain.*

2. *Duo genera.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 153. Utraque a Dodonæo pingitur, pag. 107.

3. *Linguæ pecorum.*] Unde nomen ἀρνογλώσσου, agnina lingua, προβάτειον & ἄρνειον.

4. *Heptapleuron.*] Quasi serpentis costis instructum. Diosc. in Nothis, pag. 445. Ἀρνόγλωσσον, οἱ δὲ ἄρνειον, οἱ δὲ προβάτειον, οἱ δὲ κυνόγλωσσον, οἱ δὲ ἑπτάπλευρον, οἱ δὲ πολύνευρον... Ῥωμαῖοι πλανταγῶ μίνορ.

5. *Nascitur in humidis.*] Hæc plantago aquatica est, picta a Lobelio in Observat. pag. 160. visa a nobis in horto Regio.

6. *Vis mira.*] In exsiccando adstringendoque: Δύναμιν δὲ ἔχει τὰ φύλλα ξηραντικὴν, στυπτικήν. Diosc. loc. cit. Densare, pro *adstringere*, Plinio familiare est.

7. *Nulla res.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XL. 1. *Jungitur huic.*] Quoniam affinis utriusque est appellationis causa: a lingua nempe animalium, ἀρνόγλωσσος & βούγλωσσος. De ea Dioscor. lib. 4. cap. 128. Βούγλωσσον... φύλλον ἔχει ὅμοιον βοὸς γλώσσῃ· ὅπερ ἐμβληθὲν εἰς τὸν οἶνον, εὐφροσύνης αἴτιον εἶναι λέγεται. Borraginem nunc vulgus vocat, *Bourrache.* Pingitur a Dodonæo, pag. 616.

2. *Cui præcipuum.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simpl. med. pag. 164. Apuleius, cap. 41. *Buglosson Græci, Romani linguam bubulam dicunt .... Hæc in vino mista hilaritatem convivis facit.* Ex Schola Salernitana:

Vinum potatum, quo sit maceratа buglossos,
Mœrorem cerebri dicunt auferre periti:
Fertur convivas decoctio reddere lætos.

Buglosson esse nepenthes Homericum, diximus lib. 21. sect. 91. Est autem vis eadem & buglosso nostræ vulgari, quam eadem Schola borraginem nuncupat, eo versiculo:

Dicit borrago, Gaudia semper ago.
Cardiacos aufert, borrago gaudia confert.

XLI. 30. [1] Jungitur & cynoglossos, caninas imitans linguas, topiariis operibus gratissima. [2] Aiuntque quæ tres thyrsos seminis emittit, ejus radicem potam ex aqua ad tertianas prodesse: quæ quatuor, ad quartanas. [3] Est alia similis ei, quæ ferat lappas minutas: ejus radix pota ex aqua, ranis & serpentibus adversatur.

5 XLII. 31. [1] Est & buphthalmos, similis boum oculis, folio feniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui & manduntur decocti. [2] Quidam cachlam vocant. [3] Hæc cum cera scirrhomata discutit.

XLIII. 32. Invenere herbas & universæ gentes. Scythia primum eam, quæ Scythice vocatur [1] circa Bœotiam nascens: [2] prædulcem alias, utilissimamque ad ea quæ spasmata vocant. [3] Magna & ea commendatio, quod in ore eam habentes, famem sitimque non sentiunt.

10

XLIV. 33. [1] Idem præstat apud eosdem hippace dicta, quod in equis quoque eumdem effectum habeat. Traduntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique.

15 XLV. 34. [1] Ischæmonem Thracia invenit, qua ferunt sanguinem sisti, non aperta modo vena, sed etiam præcisa. Serpit e terra milio similis, foliis asperis & lanuginosis, farcitur in nares. Quæ in Italia nascitur, & sanguinem eadem adalligata sistit.

XLVI. 35. [1] Vettones in Hispania eam quæ Vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, a Græcis cestros, aut psychotrophon, ante cunctas laudatissima. [2] Exit an-

20 guloso caule, cubitorum duum, a radice spargens [4] folia fere lapathi, serrata, semine purpureo. [5] Folia siccantur in farinam plurimos ad usus. [6] Fit vinum ex aqua & aceto, stomacho & claritati oculorum. [7] Tantumque gloriæ habet, ut domus in qua sata sit, tuta existimetur a piaculis omnibus.

XLVII. 36. In eadem Hispania inventa sic [1] Cantabrica, per Divi Augusti tempo-

25 ra a Cantabris reperta. Nascitur ubique caule junceo pedali, in quo sunt flosculi oblongi, veluti calathi: in his semen perquam minutum. Nec alias defuere Hispaniæ herbis

Notæ.

Sect. XLI. 1. *Jungitur & cynoglossos.*] De qua Dioscor lib. 4. pag. 129. Κυνόγλωσσον, &c Celso, lib. 5. cap. 27 sub finem, *Lingua canina.* Plantagini similem Diosc ait esse. Nondum satis nobis explorata, nec Anguillaræ, ut ipse fatetur, par. 14. pag. 287.

2 *Aiuntque quæ tres.*] Quæ tergeminum caulem, seu ramulum, semine instructum habeat. Hæc Dioscorides incante ad ἀρνόγλωσσον, hoc est, ad plantaginem transtulit, lib. 2. cap. 153. quoniam & κυνόγλωσσον nomine aliquando ea designata est, ut diximus. Quin & Dioscoridis interpolator, in Nothis, pag. 471. buglossi hanc propriam dotem esse credidit, ipseque Apuleius, cap. 41 tit. 1 qui tamen & ipsi cap. 96. tit. 2. cynoglosso adjudicat: *Ad quartanas*, inquit, *Herbaque cynoglossa, quæ folia habet, pisata, & ex aqua potui data, prodest*

3. *Est & alia.*] Hæc Dodonæi cynoglossos est, pag 53. a Lobelio quoque delineata, in Observat. pag 313. visa a nobis in horto Regio In Gallia vulgo, *Langue de chien.* Fert semina fere quaterna simul cohærentia, aspera, & lapparum modo vestibus inhærentia. A Dioscoridis cynoglosso diversa.

Sect. XLII. 1. *Est & buphthalmos.*] Habet eadem Dioscorides, lib. 3 c. 156. Βούφθαλμον.... φύλλα δὲ μαράθρου.... ἄνθη μήλινα.... ὀφθαλμοειδῆ, ὅθεν καὶ ὠνόμασται. *Folia feniculi, flores oculorum similitudine gerit: unde nomen.* Pingitur a Clusio, lib 3. hist. rar. plant. pag. 332. Vidimus in horto Regio. Gallis, *Oeuil de beuf.*

2. *Quidam cachlam.*] Dioscor. loc cit. Βούφθαλμον· οἱ δὲ κάχλαν καλοῦσι.

3. *Hæc cum cera.*] Dioscor. loc. cit. Τούτου τὰ ἄνθη λεῖα σὺν κηρωτῇ οἰδήματα καὶ σκληρίας διαφορεῖ. *Hujus flores triti cum cerato œdemata, duritiasque discutiunt.* Dioscoridem Galenus sequitur, lib 6. de fac. simpl med pag. 105. Est autem σκίῤῥος, sive σκίῤῥωμα, scirrhus, durities, tumor præter naturam durus, & doloris expers. Vide Gorræum in Defin. Medic

Sect. XLIII. 1. *Circa Bœotiam.*] Vide Notas & Emendationes, num. XI.

2. *Prædulcem alias.*] Hoc est, præter ceteras dotes, prædulcem. Hæc glycyrrhiza est, de qua egimus lib. 22. sect. 14.

3 *Magna & ea.*] Theophr. lib. 9. hist. cap. 13 Δύναται δὲ καὶ τὴν δίψαν παύειν, ἐάν τις ἐν τῷ στόματι ἔχῃ· διό φασι ταύτῃ τε καὶ τῇ ἱππάκῃ διάγειν φασὶ τοὺς Σκύθας ἡμέρας καὶ ἕνδεκα, καὶ δώδεκα. *Sitim extinguit, si teneatur in ore: quapropter Scythas contentos ea & hippace, undenos aut duodenos dies vitam tolerare aiunt.*

Sect. XLIV. 1. *Idem.... hippace.*] Hippacen, (sic enim libri omnes habent, tum hoc loco, tum in Indice, non *hippicen*,) herbæ genus esse Plinius credidit. Pintianus aliique post eum, caseum equinum interpretantur. Hippocrates enim, lib. 4. de morbis, num XXV. Ποιοῦσι οἱ Σκύθαι, inquit, τυρὸν ἐκ τοῦ ἱππείου γάλακτος. Ἐγχέοντες γὰρ τὸ γάλα.. Ἔστι δὲ πηγὰ καὶ ξηρανθῇ, ἱππάκην μιν καλέουσι. *Quod e lacte concretum ac siccatum fuerit, hippacen vocant.* Dioscor. lib. 2 cap. 80. Ἡ δὲ καλουμένη ἱππάκη, τυρός ἐστιν ἵππειος.... καὶ πολύτροφος &c *Quod hippacen vocant, caseus est equinus.... qui magnopere alit* Hesychius denique: Ἱππάκη Σκυθικὸν βρῶμα ἐξ ἵππου γάλακτος &c. Verum singulare quiddam narrare de Scythis velle Plinius ac Theophrastus videntur: nullam vero admirationem habet dies duodecim aut paulo plures, ea radice, quæ glycyrrhiza dicitur, & equino caseo, qui plurimum alat, aliquando transigi, cum Zoroastrem prodat ipse Plinius annos viginti totos caseo vixisse, lib. xi. sect 97. Neque Hippaces appellationem casei aut coaguli equini propriam esse idem nescivit, qui id diserte prodit, lib. 28. sect. 34. & 58 sed & cum herba aliqua singulari, quæ sit incomperta nobis, communem esse eam, Græco scriptore aliquo credidit.

Sect. XLV 1. *Ischæmonem.*] Hæc Theophr lib. 9. cap. 15. Περὶ δὲ τὴν Θρᾴκην.... τὴν ἴσχαιμον· ἣν δὲ λέγουσι, οἱ μὲν ἀνεῳγμένας τὰς φλέβας, οἱ δὲ καὶ σφοδροτέρως διατμηθείσας ἴσχειν καὶ παλύνειν τὸ χεῖν. Est Matthioli panicum silvestre, in lib. 2. Dioscor. pag. 407. A sistendo sanguine ei nomen, παρὰ τὸ ἴσχειν τὸ αἷμα.

Sect XLVI. 1. *Vettones.... Vettonica.*] Nomen Betonicæ in officinis retinet: Gallis *Betoine.* Pingitur a Dodonæo, pag. 40. De hac singulare volumen edidit Antonius Musa, quod inscripsit, *De herba Vettonica*

2. *Psychotrophon.*] Quoniam frigidis reperitur in locis, ut ait Musa, loc. cit. pag 1 Dioscor. quoque, lib. 4. cap. 1. Κέστρον τὸ καλούμενον ψυχότροφον, (vel ψυχροτρόφον) ἐπειδὴ ἐν τοῖς ψυχροτάτοις εὑρίσκεται τόποις· οἱ Ῥωμαῖοι οὐεττώνικα καλοῦσι.

3. *Exit anguloso.*] Hoc est, quadrangulo. Diosc. loc. cit. Πόα ἐστὶ καυλὸν ἔχουσα πήχεως τὸ ὕψος, ἢ καὶ μείζονα, τετράγωνον.

4. *Folia fere lapathi.*] Rectius ita multo Plinius, quam Dioscorides, qui similia quernis folia prodidit.

5. *Folia siccantur.*] Et mox terantur in farinam. Dioscor. loc. cit. τὰ φύλλα ξηρὰ λεῖα, breviter & concise dixit.

6 *Fit vinum.*] Dioscor. lib 5. cap 54. περὶ κεστρίτου οἴνου. Γίνεται καὶ οἶνος ἐκ κέστρου ἢ ψυχοτρόφου οὕτως.

7. *Tantumque.*] Anton. Musa, loc. cit. *Animas hominum & corpora custodit, & nocturnas ambulationes a maleficiis & periculis, & loca sancta & busta etiam a visibus metuendis tuetur & defendit, &c.*

Sect. XLVII. 1 *Cantabrica.*] Pingitur a Clusio, lib. 4. hist. rar. plant. pag. xlix. Videre nondum licuit.

exquirendis : ut in quibus etiamnum hodie in numeroso & lætiore convictu, potionem e centum herbis mulso additis, credidere saluberrimam suavissimamque : nec quisquam genera earum jam novit aut multitudinem : numerus tamen [2] constat in nomine.

XLVIII. 37. [1] Nostra ætas meminit herbam in Martis repertam. Nascitur in Æquicolis circa vicum [2] Nervesiæ : vocatur consiligo. Prodest, ut demonstrabimus [3] suo loco, deploratis in phthisi. 5

XLIX. 38. [1] Invenit nuper & Servilius Democrates e primis medentium, quam appellavit iberida, quanquam ficto nomine, inventioni ejus [2] assignato carmine. Nascitur maxime circa vetera monumenta parietinasque, & inculta itinerum. [3] Floret semper folio nasturtii, caule cubitali, semine tam parvo, ut vix aspici possit. [4] Radici odor nasturtii. [5] Usus æstate efficacior, & recenti tantum. Tunditur difficulter. [6] Coxendicibus & articulis omnibus cum axungia modica utilissima, viris plurimum quaternis horis, feminis minus dimidio [7] adalligata, ut deinde in balineis descendatur in calidam, & postea oleo ac vino corpus perungatur : diebusque vicenis interpositis idem fiat, si qua admonitio doloris supersit. Hoc modo rheumatismos omnes sanat occultos. Imponitur non in ipsa inflammatione, sed imminuta. 10 15

L. 39. [1] Animalia quoque invenere herbas, in primisque chelidoniam. Hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, [2] ut quidam volunt, etiam erutis oculis. [3] Genera ejus duo : Major fruticosa caule, folio pastinacæ erraticæ ampliore, ipsa altitudine duûm cubitorum. Color albicans, flos luteus. Minori folia ederæ rotundiora, minus candida. Succus croci mordax, semen papaveris. Florent adventu hirundinum, discessu marcescunt. Florentibus succus exprimitur, & in æreo vase cum melle Attico leniter cinere ferventi decoquitur, singulari remedio contra caligines oculorum. Utuntur & per se succo in collyriis, quæ chelidonia appellantur ab ea. 20

LI. 40. [1] Invenerunt & canes canariam, [2] qua fastidium deducunt, eamque in nostro conspectu mandunt, sed ita ut numquam intelligatur quæ sit : etenim depasta cernitur. Notata est hæc animalis hujus malignitas in alia herba major. Percussus enim a serpente mederi quadam sibi dicitur : sed illam homine inspectante non decerpit. 25

LII. 41. [1] Simplicius cervæ monstravere elaphoboscon, de qua diximus. [2] Item seseli, enixæ a partu. 30

LIII. 42. [1] Dictamnum ostendêre (ut indicavimus) vulneratæ, pastu statim deci-

NOTÆ.

2. *Constat in nomine.*] Genera herbarum, quibus ea potio constaret, nemo scit : numerus constat ex potionis nomine : appellatur enim ea *Potio centum herbarum.*

Sect. XLVIII. 1. *Nostra ætas .... consiligo.*] Consiliginem mulomedicis nunc Pulmonariam dici testatur Vegetius. Vulgus Gallicum Pomeleam vocat, *Pormeire*, quasi pulmoneam : herbarii quidam, *Leonis patam*, pastoribus bubulcis, equisonibus, totique ruri præclare cognitam, qui ad eosdem quos veteres consiliginem, usurpant effectus. Hæc uberius multo tractat Ruellius, lib. 2. pag 448. Cœpit pulmonaria dici, quod pulmonum vitiis præsens habeatur auxilium : inventque in posteris nomen a viscere, cui præsertim nuncupatur. Consiliginem rustici veteres olim vocarunt, quod in campis inter siliginem triticumque sæpius emicet. Pingitur a Lobelio, in Observ. pag. 317. Vide quæ dicturi sumus ex Columella, lib. 26. sect. 21.

2. *Nervesia.*] Situs hodie incognitus.

3. *Suo loco.*] Libro 26 sect 21.

Sect. XLIX. 1. *Invenit ... iberida.*] Græcis ἰβηρὶς & καρδαμαντική. Galeno, lib. 10. κατὰ τόπους, cap 2. pag 635. aliisque apud ipsum, pag 636. etiam λεπίδιον. Pingitur a Dodonæo, pag 703. Vidimus in horto Regio. De ejus inventore Servilio Democrate, sive Damocrate, diximus in Auctorum indice.

2. *Assignato carmine.*] Quod apud Galenum exstat, loc. cit. pag. 636 expressumque est a Plinio totidem plane verbis hac reliqua sectione.

3. *Flores semper.*] Democrates, loco citato.

Ἀεὶ δὲ θάλλει, φύλλ' ἔχουσα καρδάμου,
Ἔαρος γὰρ ἰσθαλῆ τι καὶ μείζω. &c.

Florere hoc loco virere est, non florem mittere : quem colore lacteo ferre æstate mox idem subdit.

Φέρει δ' ὁ καυλὸς ἐν θέρει λεπτὸν πάνυ
Πολύχροον ἄνθος, τῇ χρόᾳ γαλακτινόν.

4. *Radicis odor.*] Servilius, loco citato.

Ἡ ῥίζα δὲ καὶ ὀσμὴν δριμυτάτην ἔχει,
Μάλιστα πάντων καρδάμῳ προσεμφερῆ.

5. *Usus æstate*] Servilius, loc. cit

Ταύτης ὀρύξας καὶ λαβὼν πλῆθος πολὺ,
Θέρους μάλιστα δ' ἐστὶ πρακτικωτάτη.
Καὶ πρόσφατος· ξηρὰ γὰρ ἀδρανὴς τελέως.

Quæ idcirco referuntur a me, ut intelligant ii, qui Plinium ex Dioscoridis verbis sensuque metiuntur, quam inique agant : cum Plinium de iberide scribentem, haud semel errasse autument, qui ab illo discedat scriptore, quem a Democrate ipso, longe probatioris fidei, deficere intelligunt.

6. *Coxendicibus &c.*] Hæc totidem verbis Democrates, loc. cit.

7 *Adalligata.*] De ejuscemodi ligaturis, sive amuletis, multa pereruditè V. Cl. Du-Cangius in Glossario, verbo *Ligatura.*

Sect. L. 1. *Animalia .. chelidoniam.*] Pingitur a Dodonæo chelidonium majus appellatum, pag. 48. Gallis, *Esclaire.* In horto Regio visum a nobis.

2. *Ut quidam volunt*] Id vulgo credi refert etiam Dioscor. lib 2. cap. 211. Fabulosum Celsus existimat, lib 6. cap. 6. sub finem : *Harum avium*, inquit, *acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redit, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes, aut id herba chelidonia restitui, quod per se sanescit.* Vide in eam rem quæ afferant auctores Miscellaneorum Medico-physicorum, seu Ephemeridum Germanicarum, anno 8. Observ. 18. pag 32

3 *Genera ejus &c.*] Quæ de gemina chelidoniæ specie hac sectione deinceps continentur, ea totidem fere verbis habet Dioscor. loc. cit. Minor delineatur a Dodonæo, pag. 49 & a Dalecampio, pag. 1048. Gallis est, *Petite Chelidoine.* Italis, disce ab Anguill. par. 11. pag. 181.

Sect. LI. 1. *Invenerunt ..... canariam.*] *Gramen* esse *legitimam* Clusii videtur, lib. 6. histor. rar. plant pag. ccxvij. In insula Chio dici nunc quoque ἀνώνυψ, simillimamque gramini esse, ait Anguillara, par. 12. pag. 190.

2. *Qua fastidium.*] Cient & vulgari gramine vomitum, ut deducant pituitam canes : gramine eo, inquam, quod Græci ἄγρωστιν vocant. de quo anteriore libro diximus, sect. 118.

Sect. LII. 1. *Simplicius .... elaphoboscon.*] De qua diximus, lib. 22 sect. 37.

2. *Item seseli.*] Vide quæ diximus in Notis & Emend. ad lib. 8. sect. 50. num XCII. & XCIII.

Sect. LIII. 1. *Dictamnum .... ut indicavimus.*] Libro. 8. sect. 41. Dictamnum hoc Francum seu Gallicum Angli vocant : A Lobelio pingitur, in Observat pag. 267.

dentibus telis. [2] Non est alibi, quam in Creta, ramis prætenue, pulegio simile, fervens & acre gustu: foliis tantum utuntur. [3] Flos nullus ei, aut semen, aut caulis. Radix tenuis ac supervacua. [4] Et in Creta autem non spatiose nascitur: mireque capris expetitur. [5] Pro eo est & pseudodictamnum, multis in terris nascens, folio simile, ramulis minoribus, a quibusdam chondris vocatum. [6] Minoris effectus statim intelligitur. Dictamnum enim minima portione accendit os. Qui legêre eam, in ferula vel arundine condunt, præligantque, [7] ne potentia evanescat. [8] Sunt qui dicant, utramque nasci multifariam, sed deteriores in agris pinguibus: veram quidem dictamnum nôn nisi in asperis. Est & tertium genus dictamnum vocatum, sed neque facie, neque effectu simile, folio sisymbrii, ramis majoribus, [10] præcedente persuasione illa, quidquid in Creta nascitur, infinito præstare ceteris ejusdem generis alibi genitis: proxime quod in Parnasso. [11] Alioqui herbiferum esse & Pelium montem in Thessalia, & Telethrium iu Eubœa, & totam Arcadiam ac Laconicam tradunt. [12] Arcades quidem non medicaminibus uti, sed lacte circa ver, quoniam tunc maxime succis herbæ turgeant, [13] mediceturque ubera pascuis. [14] Bibunt autem vaccinum, quoniam boves omnivoræ fere sunt in herbis. [15] Potentia earum per quadrupedes etiamnum duobus claris exemplis manifesta fit. Circa Abderam, & limitem, qui Diomedis vocatur, equi pasti inflammantur rabie: circa Potnias vero & asini.

LIV. 43. Inter nobilissimas aristolochiæ nomen dedisse gravidæ videntur, quoniam esset [1] ἀρίστη λεχούσαις. [2] Nostri malum terræ vocant, & quatuor genera ejus servant. [3] Unum tuberibus radicis rotundis, foliis inter malvam & ederam, nigrioribus mollioribusque. [4] Alterum masculæ, radice longa quatuor digitorum longitudine, baculi crassitudine. [5] Tertium longissimæ tenuitatis, vitis novellæ, cujus sit præcipua vis, quæ clematitis vocatur, ab aliis Cretica. Omnes colore buxeo, caulibus parvis, flore purpureo. Ferunt bacculas parvas, ut capparis. Valent radice tantum. [7] Est & quæ plistolochia vocatur, quarti generis, tenuior, quam proxime dicta, densis radicis capillamentis, junci plenioris crassitudine. [8] Hanc quidam polyrrhizon cognominant. Odor omnium medicatus, sed oblongæ radici

NOTÆ.

2 *Non est alibi.*] Hæc habet Theophrast. lib 9. hist. c. 16.

3. *Flos nullus ei.*] Nullius in medicina usus: nam prius dixit, *foliis tantum utuntur.* Sed florem habere, caulemque, vel ipse Maro cecinit, lib. 12. Æneid. versu 412.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.

Democrates quoque apud Galen. lib. 5. [Greek illegible], cap 10. pag. 789. dictamni meminit, quæ florem habeat, ἄνθος ἔχουσα. Confirmant interpretationem nostram, Theophrasti verba, lib. 9. histor. cap. 16. [Greek illegible]. *Foliis utuntur, non ramulis, neque fructu.* Quare apud Dioscor. ubi legitur, lib 3 cap. 37. [Greek illegible], aut erraſſe illum, quod verius puto, existimandum est: aut legi oportere, quod Matthiolus censuit, [Greek illegible] ... Verum haud ita scripsisse Dioscoridem, sed ut in editis habetur, & Oribasii interpres admonet, & Apuleius, qui ita reddidit, cap. 62. *Et neque florem generat, neque fructum.*

4. *Et in Creta.*] Theophr. loc cit. [Greek illegible]. *Et rara*, inquit, *hæc herba est: locus enim qui fert, exiguus est admodum: eamque capræ depascunt, quod sit eis pergrata.*

5. *Pro eo est.*] Hæc totidem verbis Theophr lib. 9. histor. cap. 16. & Dioscor lib. 3. cap. 38. Pingitur a Lobelio, in Observ. pag. 267. pseudodictamnum In paucorum hortis repertum ait Dodonæus, pag. 281 Vidimus in horto Regio Chondris iterum appellatur, lib. 26. sect. 31. & in Indice ejus loci.

6. *Minoris*] Theophr. loco citato [Greek illegible].

7. *Ne potentia.*] Ne vis omnis exspiret. Theophr. loco citato. [Greek illegible]. *Manipulos ferula aut canna intercludunt, ne exspiret: imbecillum enim, cum exspiraverit.*

8. *Sunt qui*] Totidem verbis Theophr. loc. cit.

9. *Est & tertium.*] Hæc pariter Theophr. loc. cit. ad verbum. [Greek illegible], &c. Est hoc Dioscoridis dictamnum alterum.

10. *Præcedente.*] Theophr. loco citato.

11. *Alioqui*] Theophr lib 9. hist cap. 15. [Greek illegible]. Montes herbiferos Plinius appellat, qui herbis scatent, quarum usus in medicina frequens & probatus

12. *Arcades.*] Pro medicamine, inquit, quod alvum purget, lac sorbent vere, &c. Theophr. loc cit. [Greek illegible] &c.

13. *Mediceturque*] Vim medicam accipiant.

14. *Bibunt.*] Theophr. [Greek illegible].

15. *Potentia earum.*] Herbarum scilicet, non dictamni.

Sect. LIV. 1. *Ἀρίστη λεχούσαις.*] Dioscor. lib. 3. cap 4. [Greek illegible]. *Ex eo nomen accepit, quod optime puerperis opitulari creditur.* Auctor est Tullius, lib. 1 de Divin. a muliere inventrice nomen habere. Favet & Nicandri Schol. in Theriac. Ταύτην δ' εὗρεν [Greek illegible].

2. *Nostri.*] Apuleius, cap. 19. *A Græcis dicitur Aristolochia... Itali terræ malum, Daci absinthium rusticum.* Dioscor. in Nothis, pag. 451. [Greek illegible]. Nunc retinet in officinis nomen, & in vulgo, *Aristoloche*, ou *Aristoloche.*

3. *Unum tuberibus.*] Radice in orbem tuberis aut napi modo conglobata. Hæc aristolochia prima, rotunda, eademque femina appellata, [Greek illegible], inquit Dioscor. lib. 3. cap. 4. Folia inter ederam & periclymenum, inquit Nicander in Theriac. pag 36 A Clusio delineatur, lib 4. histor. rar. plant. pag lxx. Aristolochia rotunda 1

4. *Alterum.*] Quo de genere Dioscor. lib 3. cap. 5. [Greek illegible], &c. Cælio Aurel lib 3. Chron. cap. 5 Aristolochia longa Clusio. Item dicitur aristolochia longa prima, pingiturque loc. cit. Italam a Græca discrepare scribit Anguillara par. 12. pag. 191. Verum in Græcia, Apulia, Syriaque nasci.

5. *Tertium*] Dioscor. lib. 3. cap 6. [Greek illegible], &c. *Est etiamnum tertia longa, quæ & clematitis*, quasi sarmentosa, sive sarmentitia *vocatur, ramulos tenues habet*, &c. Galeno pariter, lib 6 de facult simp med. pag. 158. [Greek illegible]. Et hæc a Clusio delineatur, loc. cit. pag. lxxi.

6. *Omnes colore.*] Diosc. lib. 3. cap. 4 & 5. duo priora genera ait esse colore buxeo: flore purpureo: fructu piro simili. Pirastro Nicander assimilat, in Theriac. pag. 36.

7. *Est & quæ plistolochia.*] Sic MSS. tum hoc loco, tum in Indice: quasi maximæ puerperis opis. Sic Λοχεία Diana cognominatur, *parturientium opitulatrix.* Potest & πιστολοχία dici, fidelis puerperis. Et hujus iconem Clusius exhibet, loc cit. pag lxxij. Et istud & tria superiora genera vidimus in horto Regio

8. *Hanc... polyrrhizon.*] A densis radicibus. In Indice, *Lochea polyrrhizos.*

tenuiorique gratior. Carnosi enim est corticis, [9] unguentis quoque nardinis conveniens. Nascuntur pinguibus locis & campestribus. Effodere eas messibus tempestivum: ita [10] desquamato terreno servantur. Maxime tamen laudatur Pontica: & in quocumque genere ponderosissima quæque, medicinis aptior. Rotunda contra serpentes. [11] Oblonga tamen in summa gloria est, si modo a conceptu admota vulvis in carne bubula, mares figurat, ut traditur. Piscatores Campaniæ radicem eam quæ rotunda est, venenum terræ vocant, coramque nobis contusam immixta calce, in mare sparsere: advolant pisces cupiditate mira, statimque exanimati fluitant. Quæ polyrrhizos cognominatur, convulsis, contusis, ex alto præcipitatis, radice pota ex aqua, utilissima esse traditur: semine pleuriticis [12] & nervis: confirmare, excalfacere, [13] eadem satyrion esse.

LV. Verum & effectus earum usus que dicendi sunt: ordiendumque a malorum omnium pessimo, id est, serpentium ictu. Medentur ergo Britannica herba: [1] panacisque generum omnium radix e vino, [2] Chitonii flos & semen potum, illitumve ex vino & oleo: [3] privatimque, quæ cunicula bubula appellatur: [4] Polemonia vel Philetæria radicis drachmis quatuor ex mero: [5] Teucria, [6] sideritis, scordotis ex vino, privatim ad angues, potæ & illitæ, sive succo, sive folio, sive decocto: [7] centaurii majoris radix drachma in vini albi cyathis tribus: [8] Gentiana præcipue adversus angues, duabus drachmis cum pipere & ruta, vini cyathis sex, sive viridis, sive sicca. [9] Et Lysimachiæ odorem fugiunt. Datur ex vino percussis chelidonia. [10] Morsibus imponitur Vettonica præcipue: cui vis tanta perhibetur, [11] ut inclusæ circulo ejus serpentes, ipsæ sese interimant flagellando. [12] Datur ad ictus semen ejus denarii pondere cum tribus cyathis vini: vel farina drachmis tribus sextario aquæ imponitur. Cantabrica, dictamnum, [13] aristolochia: radicis drachma in vini hemina sæpius bibenda. Prodest & illita ex aceto: similiter plistolochia. Quin & omnino suspensa supra focum fugat e domibus serpentes.

LVI. 1. [1] Argemonia quoque, radice ejus denarii pondere in vini cyathis tribus pota. (Cap. IX.) Plura de ea convenit dici, ceterisque quæ primum nominabuntur: in eo autem genere medendi primum nominari quamque, in quo maxime valebit. [2] Folia habet, qualia anemone, divisa apii modo, caput in cauliculo papaveris silvestris, item radicem. Succum croci colore acrem & acutum. Nascitur & in arvis apud nos. Nostri tria genera ejus faciunt, & id demum probant, cujus radix thus redoleat.

LVII. 2. [1] Agaricon ut fungus nascitur in arboribus circa Bosphorum, colore candido. [2] Datur obolis quatuor contritum cum binis cyathis aceti mulsi. [3] Id quod in Gallia nascitur, infirmius habetur. Præterea mas spissior, [4] amariorque. Hic & capitis dolores facit. Femina solutior, [5] initio gustu dulcis, mox in amaritudinem transit.

LVIII. 3. [1] Echios utriusque generis: pulegio similis foliis coronata: drachmis duabus

NOTÆ.

9. *Unguentis*] Aristolochiæ tertiæ, seu clematiti, radices esse crasso cortice vestitas, quæ aroma redoleant, privatimque unguentariis utiles sint ad unguenta spissanda, auctor est Dioscor. lib. 3. cap. 6.

10. *Desquamato.*] Derasa excussave terra, qua obvolutæ ac sordidæ extrahuntur

11. *Oblonga tamen.*] In eam sententiam Albertus M. lib. 10. de animal. tract. 2. cap 3. pag. 318. *Dixerunt quidam de valde expertis, quod si sumatur aristolochiæ aureus unus, & teratur, & conficiatur cum melle, & supponatur in vulvam cum lana viridi a mane usque ad meridiem jejunanti mulieri: tunc si dulcescit saliva ejus, concepit masculum: si amaricatur, concepit feminam.... Sed ego miror si hoc est verum*, &c.

12. *Et nervis.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 19. *Si telo, seu morsu canum, seu ex quolibet casu nervo vulnerato, quos νευροτρώτους appellamus, ... hoc adhibendum erit quod glutinare & curare valeat membra vulnerata, ... Aristolochiæ pulvis cum aqua mixtus, hoc idem facit.*

13. *Eadem satyrion esse*] Subintellige, traditur. Et satyrii vim, inquit, inesse ei creditur, hoc est, vim Veneris concitatricem. Prius legebatur: *semine pleuriticos & nervos confirmare, excalfacere. Eadem satyrion est.* At MSS. *pleuriticis & nervis, & satyrion esse*

Sect. LV. 1. *Panacisque*] Dioscor lib 3 cap 55. & 56.

2. *Chironii.*] Panacis Chironii, de quo sect. 13. Dioscor. lib. 3. cap. 57.

3. *Privatimque*] Diximus, lib. 20. sect. 61.

4. *Polemonia.*] Dioscor lib. 4. c 8 & lib 2. Εὐπορ. c. 114.

5 *Teucria.*] Sive Teucrion, de quo sect 20. Tradit hoc Dioscor. de altera Teucria, quæ & chamædrys dicta est, lib. 3. cap. 111. & a Plinio, lib. 24 sect. 80.

6. *Sideritis.*] Sideritis Heraclea, de qua sect. 15.

7. *Centaurii majoris.*] Et minoris quoque, teste Apuleio, cap. 35. tit 1. *Ad viperæ morsum: Herba centaurii minoris pulver in vino exhibitus, aut ipsa pisata in vino tritura, & potui data, validissime proficit* Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. *Centaurea radix pondere denarii in tribus cyathis vini bibitur*, adversus serpentium morsus scilicet.

8. *Gentiana.*] De Gentianæ temperamento ad venenatarum bestiarum morsus, hæc totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap 3.

9. *Et Lysimachia.*] Dioscor. lib 4 cap. 3.

10. *Morsibus.*] Diosc lib. 4. c. 1. & Plinius Valer. loc. cit.

11. *Ut inclusæ.*] Simile est quod de fraxino retulit, lib. 16. sect 24.

12. *Datur ad ictus.*] Dioscor. lib. 4. cap. 1.

13. *Aristolochia.*] Plinius Valer. lib. 3 cap. 57. *Aristolochiæ radix pondere denarii in vini hemina sæpius bibitur. & ipsa ex aceto contrita imponitur plagæ.* Sic etiam Apuleius, cap. 19. de aristolochia, tit. 5. & Theophr. lib. 9. hist. cap. 13.

Sect. LVI. 1. *Argemonia quoque.*] Apuleius, cap. 31. tit. 5. *Ad morsum serpentis, & scorpionis percussum: Herba argemonia drachmis duabus in vini cyathis duobus potui data, mire discutit venenum.* Egimus de ea, lib. 21. sect. 94

2. *Folia habet.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap. 208. & Oribas lib. 11. fol. 190. Ἀργεμώνη, ὅλον μὲν ἔοικε ὅμοιον ἀγρίᾳ μήκωνι, τὸ δὲ φύλλον ἀνεμώνῃ &c.

Sect. LVII. 1. *Agaricon.*] Dioscor. lib. 3. cap. 1. ab Agaria Sarmatiæ regione deduci id nomen putat.

2. *Datur obolis.*] Plinius Valer. lib. cap. 57. ad serpentium morsus: *Agarici oboli quatuor in duobus cyathis aceti mulsi propinantur.*

3. *Id quod in Gallia.*] Plinius, lib. 16. sect. 13. *Galliarum glandiferæ maxime arbores agaricum ferunt*: maxime vero larices, ut ibi diximus.

4. *Amariorque.*] Ita Reg 2. In Reg. 1. *majorque*, minus recte.

5. *Initio gustu &c.*] Hæc de utroque, mare ac femina, Dioscor. loc. cit. Galenus item, lib. 6. de fac. simp. medic. pag. 150.

Sect. LVIII. 1. *Echios.*] Serpentium morsibus, inquit, opitulatur echios utriusque generis: hoc est, ea quæ pulegio similis.... Item altera &c. Priorem hanc ocimum illud esse silvestre censent herbarii eruditi, de quo egimus, lib. 20. sect. 48. Plinius ibidem: *Silvestri ocimo vis efficacior ...., contraque bestiarum morsus e vino radice efficacissima.*

ex vini cyathis quatuor datur. ² Item altera, quæ lanugine distinguitur spinosa, ³ cui & capitula viperæ similia sunt, hæc ex vino & aceto. ⁴ Quidam echion personatam vocant, cujus folio nullum est latius, grandes lappas ferentem. Hujus radicem decoctam ex aceto dant potui. Hyoscyamum contusum cum foliis ex vino datur peculiariter contra aspidas.

5 LIX. 4. Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet, quam hierabotane. ¹ Aliqui peristereona, nostri verbenacam vocant. ² Hæc est, quam legatos ferre ad hostes indicavimus. ³ Hac Jovis mensa verritur, ⁴ domus purgantur lustranturque. Genera ejus duo sunt: foliosa, quam feminam putant: mas rarioribus foliis. Ramuli utriusque plures, tenues, cubitales, angulosi. Folia minora, quam quercus, angustioraque, divisuris majoribus, 10 flos glaucus, radix longa, tenuis. Nascitur ubique in planis aquosis. ⁵ Quidam non distinguunt, sed unum omnino genus faciunt, quoniam eosdem effectus habeat. ⁶ Utraque sortiuntur Galli, & præcinunt responsa. Sed Magi utique circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi. Colligi circa Canis ortum debere, ita ut ne Luna aut Sol conspiciat, favis ante & melle terræ ad 15 piamentum datis. Circumscriptam ferro effodi sinistra manu, & in sublime tolli. Siccari in umbra separatim folia, caulem, radicem. Aiuntque, si aqua spargatur triclinium, qua maduerit, lætiores convictus fieri. ⁸ Adversus serpentes conteritur ex vino.

LX. 5. ¹ Est similis verbasco herba, quæ sæpe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abjecta blattas in se contrahit, ideoque Romæ 20 blattaria vocatur.

LXI. 6. Lemonium succum lacteum mittit, concrescentem gummi modo, humidis locis. Datur denarii pondus in vino.

LXII. 7. ¹ Quinquefolium nulli ignotum est, cum etiam fraga gignendo commende-

NOTÆ.

2 *Item altera*] Echium vulgare Clusii, lib. 5. hist. rar. plant. pag. cxliij. Buglossum nostri vocant, *Buglosse*. Borraginem, Schola Salernitana, ut diximus sect. 40.

3. *Cui & capitula*] Semina, Nicander in Theriac. pag 44 cum Scholiaste, pag. 4 Dioscor. lib. 4 cap 27. Ἔχιον ... [Greek illegible] ... *Echion . . folia habet oblonga . . anchusæ proxima . . flores secundum folia purpureos, in quibus semen est viperæ capitulo simile.* Addit demorsis a serpente opitulari e vino.

4. *Quidam echion.*] Vide Notas & Emend. num. XII. Alia non est hæc personata, quam lappa major, de qua egimus lib. 21. sect. 64.

Sect. LIX. 1. *Aliqui peristereona.*] Dioscor lib. 4. cap. 61. Ἱερὰ βοτάνη, οἱ δὲ περιστερεῶνα καλοῦσιν, &c. Gallis, *Verveine*. A Clusio pingitur lib 4 pag xlv Apuleius, cap. 3. *Peristereona, hoc est, columbinam* Est enim Græcis columba, περιστερά. Vide quæ dicturi sumus, lib 27 sect. 6.

2. *Hæc est, quam . . indicavimus.*] Libro 22. sect. 3.

3. *Hac Jovis mensa*] Magna in templis sacrisque Gentilium, usus mensarum fuit. Festus: *Mensæ in ædibus sacris ararum vicem obtinebant* Hinc Tullius, orat de Arusp. resp. aras, mensas, forosque conjungit. In mensis sacris sacra fiebant, ac res divinæ. Aureas argenteasque fuisse discimus, ex Valerio Maximo, lib. 1. cap 11. Tullioque, lib. 3. de Nat Deor. Marmoreas, ex eodem in Verrem. Proprio autem vocabulo, teste Festo, *Anclabris mensa ministeriis divinis apta* nominatur. Quibus verrendi eas munus obtigit, everriatores credideritu appellatos: qua voce a Festo signari alios intelligo, qui domum purgarent, ex qua mortuus ad sepulturam efferendus esset, certo scoparum genere adhibito, ab extra verrendo Ut porro Jovis, sic & aliorum Deorum peculiares mensæ fuere: in primis Junonis: quæ Curiales nominatæ sunt, auctore Festo, *quod Juno Curis est appellata.*

4. *Domus purgantur, lustranturque.*] Lustrationes, cærimoniæ fuere, quibus se a noxis purgare, mala avertere, Numen placare nitebantur Domus, si funus in illis fuisset: urbes, si prodigia nunciata, si triste aliquod averruncandum omen: homines ipsi, tum aliis causis, tum vero in primis si cæde se polluissent, purgabantur, lustrabanturque. De domibus, testis Plinius. Festusque, verbo *Everriator*. De urbibus quoque ipsis, Plinius, lib. 10. sect. 17. Lucanus, lib. 1 apud quem Aruns vates,

Mox jubet & totam pavidis a civibus urbem
Lustrari, & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines: &c.

Homines a cæde præsertim, Plinius lib. 15. sect. 40. ubi laurum docet esse suffimentum cædis & purgationem: similiterque Festus, verbo *Laureati. Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a cæde humana intrarent urbem. Itaque eamdem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat, vel quod medicamento siccissima sit: vel quod omni tempore vireat, ut similiter Respublica vireat.* Quin & exercitus lustrari mos fuit, quem Livius lib. 40. fuse describit. Dii porro varii in lustrationibus culti: Jupiter ἀποτρόπαιος, Apollo ἀποτρόπαιος, hoc est, depulsor malorum: Hercules ἀλεξίκακος, Juno etiam, Venus Cluacina, hoc est, purgatrix, ut dictum est lib 15 sect 36. A sacerdotibus lustratio sæpe peracta: etiam & a muliereculis Ovidius:

Et veniat quæ lustret anus lectumque, locumque: &c.

Etiam se ipsi quandoque lustrabant. Sic Æneas:

Donec me flumine vivo Abluero.

Lustrationum denique multiplices ritus 1. Circumactio, sive circumlatio Quod enim rei lustrandæ admovebant, id in orbem ducebant. Hinc illud Maronis, sexto Æneidos:

Socios pura circumtulit unda:

Hoc est, *purgavit*, ut ait Servius: *Nam lustratio dicta est a circumlatione vel tedæ, vel sulphuris.* Hanc religionem & villaribus inesse gallinis, ut se circumactæ purificent, credidit Plinius lib 10. sect 57. & Aristoteles, ut ibi monuimus, lib. 6. histor. anim. cap 3 pag. 650. ubi de περιρραντισμῷ gallinarum. 2 Aspersio, quæ in lustrationibus præcipuas partes obtinuit. E lauro fiebant aspergilla. Testis Theophrast. in Charact. tit. de superstitione: Ovidius, lib 5. Fastor.

Uda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab uda
Omnia quæ dominos sunt habitura novos: &c.

Idcirco adhiberi solita in purificationibus a Plinio dicitur, lib. 15. sect. 40 3. Fumus & suffitus, sive sulphure, tedisque accensis, sive herbis De sulphure dicemus suo loco, lib. 35. sect 50 Inter herbas principem tenuit locum verbena: de qua Virgilius in Eclog. 8.

Verbenasque adole pingues.

Myrtus deinde, quæ & verbena idcirco myrtea appellata est, lib. 15. sect. 37. nam quævis virgulta religioni, suffituque apta, verbenæ dicebantur. Tum laurus, ut ex allatis Plinii Festique testimoniis, atque adeo aliis, palam est. De sabina pariter herba, de rore marino, ac ceteris, quæ in hos adhibentur usus, diximus suis locis

5. *Quidam non distinguunt*] Ut Dioscorides.

6. *Utraque sortiuntur.*] Utramque adhibent in sortibus, ut futura prænuncient.

7. *Aiuntque.*] Diosc. loco cit.

8. *Adversus serpentes*] Diosc. loco cit.

Sect. LX 1. *Est similis.*] Sane verbasculum herbarii quidam etiamnum vocant. Blattaria est flore albo, quam Lobelius delinear in Observ pag. 304. Vidimus in horto Regio. Verbascum aurei floris, φλόμον χρυσοειδῆ, appellat Diosc. lib 4. cap. 104.

Sect. LXI. 1. *Lemonium*] Λειμώνιον, quoniam in pratis provenit, ἐν λειμῶσι, humidisque locis. Diosc. lib. 4. cap. 16 In quibusdam MSS. *molemonium* inepte legitur. Est beta silvestris, de qua lib. 20 sect. 28.

Sect. LXII. 1 *Quinquefolium.*] *Quinte-feuille.* Marcellus Empir. cap. 12. pag. 93. *Quinquefolium in quo fraga nascuntur*, &c. Et Quinquefolium quidem fragiferum a Clusio pingitur, lib. 5. hist. rarior. plant. pag. cvij. visum a nobis in horto Regio Quare hic temere Plinium Dalecampius inconsiderantiæ arguit.

tur:

tur: Græci vocant [2] pentapetes, sive pentaphyllon. [3] Cum effoditur, rubram habet radicem. Hæc inarescens, nigrescit & angulosa fit. Nomen a numero foliorum habet. [4] Et ipsa herba incipit & desinit cum vite. [5] Adhibetur & purgandis domibus.

LXIII. 8. Adversus serpentes bibitur [1] & ejus radix, quæ sparganion vocatur, ex vino albo.

LXIV. 9. [1] Dauci genera quatuor fecit Petronius Diodotus, quæ persequi nihil attinet, cum sint differentiæ duæ: [2] Probatissimi in Creta, mox in Achaïa, & in siccis ubicumque nati, feniculi similitudine, candidioribus foliis & minoribus hirsutisque: caule pedali recto, radice suavissimi gustus & odoris. Hoc in saxosis meridianis. [3] Reliqua genera ubique nascuntur terrenis collibus limitibusque, nec nisi pingui solo, foliis coriandri, caule cubitali, capitibus rotundis, sæpe pluribus quam ternis, radice lignosa: & cum inaruit, supervacua. Semen hujus cumino simile: [4] prioris, milio: album, acre, odoratum omnibus, & fervens. [5] Secundum priore vehementius est, ideoque parce sumi debet. [6] Si jam maxime tertium genus facere libeat, est simile staphylino, quod pastinacam erraticam appellant, semine oblongo, radice dulci. Omnia hæc hieme & æstate sunt intacta quadrupedi, [7] nisi post abortus. Ex aliis usus seminis: ex Cretico, radicis est: magis ad serpentes bibitur e vino drachma una. Datur & quadrupedibus percussis.

LXV. 10. [1] Therionarca alia quam Magica, & in nostro orbe nascitur fruticosa, foliis subviridibus, flore roseo: serpentes necat: cuicumque admota feræ [2] & hæc torporem affert.

LXVI. 11. [1] Persolata, quam nemo ignorat, [2] Græci vero arcion vocant, [3] folia habet majora etiam cucurbitis & hirsutiora, nigrioraque & crassiora, radicem albam & grandem. [4] Hæc ex vino bibitur denariorum duûm pondere.

LXVII. 12. [1] Item cyclamini radix contra serpentes omnes. [2] Folia habet minora, quam edera, nigrioraque & tenuiora: sine angulis: in quibus albicant maculæ. Caule exiguo, inani, floribus purpureis, radice lata, ut rapum videri possit, cortice nigro. Nascitur in umbrosis: a nostris tuber terræ vocatur: in omnibus serenda domibus, si verum est, ubi sata sit, nihil nocere mala medicamenta: amuletum vocant. Narrant & [3] ebrietatem repræsentari addita in vinum. [4] Radix siccata, scillæ modo concisa, reponitur: decoquitur eadem ad crassitudinem mellis. [5] Suum tamen venenum ei est: traduntque, si

NOTÆ.

2. *Pentapetes, &c.*] Πενταπέτες Diosc. in Nothis, pag. 465. & Nicandro, in Theriac. pag. 60. πεντωπέτηλον, utrumque a foliorum numero, in quæ se pandit & extendit: ἀπὸ τοῦ πετάζειν, quod est extendere. Sic & πεντάφυλλον. Χαμαίζηλον humi depressum ac repens sonat.

3. *Cum effoditur.*] Sic Theophr. lib 9. histor. cap. 14. Ἡ δὲ πεντάφυλλος ἢ πεντάπετος .... ὀρυττομένη ἐρυθρά· ξηραινομένη δὲ μέλαινα γίνεται, καὶ τετράγωνος.

4. *Et ipsa herba.*] Theophr. loco cit.

5. *Adhibetur.*] Diosc. lib. 4. cap. 42. Τέμνεται δὲ καὶ εἰς καθαρμούς. *Inciditur ad expiationes, lustrationesque.*

Sect. LXIII. 1. *Et ejus radix.*] Et ejus herbæ radix. Cave enim cum Indicis Pliniani concinnatoribus, qui hactenus fuere, ad quinquefolium ista spectare existimes, ut ejus radix sparganion vocitetur. De spargano, ceu peculiari herba, tum Index operi huic præfixus, tum Dioscorides, lib. 4 cap. 21. Σπαργάνιον .... δίδοται ἡ ῥίζα καὶ ὁ καρπὸς σὺν οἴνῳ θηριοδήκτοις. Butomos hæc Theophrasti est, cujus ille meminit lib. IV. hist. cap. 11. Pingitur a Lobelio, in Observ. pag 41. Platanaria a Dodonæo appellatur, pag. 591. Vidimus in horto Regio.

Sect LXIV. 1. *Dauci genera.*] Schol. Nicandri in Theriac. pag. 10. Δαῦκόν ἐστι ῥίζιον παρόμοιον σταφυλίνῳ ... αὐτοῦ δὲ δύο γένη τοῦ δαύκου· ἡ μὲν Κρητική, ἡ δὲ Ἀσιατική. Ὁ δὲ Πλούταρχος πλείονα μέν φησιν αὐτοῦ γένη εἶναι. *Daucus est radicula similis pastinacæ .... Sunt autem genera duo: Creticum, & Asiaticum. Plutarchus etiam plura agnoscit.*

2. *Probatissimi.*] Hæc primi dauci differentia, qui Creticus, Achaicusque cognominatur. Dioscoridi, lib. 3. cap. 83. Creticus: Theophrasto, lib. 9. hist. cap. 22. Patrensis ex Achaia: Δαῦκον τὸν Πατρικὸν τῆς Ἀχαΐας. Describitur iisdem notis a Diosc. loco citato. Pingitur a Matthiolo, in lib 1. Diosc. pag. 779. Vidimus in horto Regio.

3. *Reliqua genera.*] Quæ coriandri, apiive folio constant. Ex hoc est numero daucus selinoides secundus Lobelii, in Observ. pag. 414. Matthioli, in lib 3. pag. 780.

4. *Prioris.*] Cretici.

5. *Secundum.*] Quod selinoides appellavimus: quod apii, & quod coriandri folio est.

6 *Si jam .... tertium genus.*] A duobus proxime appellatis diversum, Carotæ nomine vulgo notum, de quo egimus lib. 19 sect 27.

7. *Nisi post abortus.*] Ad partus mortuos expellendos, vel secundas ejiciendas. Diosc. lib. 3. cap. 83.

Sect. LXV. 1. *Therionarca*] Herbariis incognita.

2. *Et hæc torporem.*] Et huic vis eadem, inquit, quæ Magicæ, de qua lib 24 sect. 101. unde & nomen utrique commune, θηριονάρκη, ac si dicas, feræ torpor.

Sect. LXVI. 1. *Persolata.*] In magno hæc est ambitu nominum. Apuleius enim, cap. 36. *Græci*, inquit, *prosopites aut prosopes vocata est ... Itali personaciam.* Diosc. lib 4. cap 187. Ἀρκεῖον, οἱ δὲ προσωπίδα, οἱ δὲ προσώπιον καλοῦσι. Et in Nothis: Ῥωμαῖοι περσονάκιαμ, οἱ δὲ λάππαμ. Sed hæc postrema verba merito inter notha seu spuria censentur, cum ad personatam illa spectent, de qua sect. 58. non ad persolatam: hæc enim lappas nullas habet, personata plurimas: caulem hæc habet, persolata non habet. Eodem in errore versatus Apuleius videtur, loco cit. Petasites hæc officinarum est: pediculus scilicet cubito major, crassitudine pollicis, a quo prægrande folium galeri modo amplum, ut fungus, dependet. Petasites a petaso, pileum significante, nomen traxit apud Græcos, apud quos petasati Castor & Pollux dicuntur: nec aliud in Mercurio petasus est, quam galerus. Tantæ amplitudinis folium est, ut & caput ab insolatu & pluviis vindicare possit: inde persolatæ nomen. Pingitur a Dodonæo, pag. 487. Vidimus in horto Regio.

2. *Græci arcion*] Etiam & ἄρκτιον, apud Galenum, lib. 6. de fac. simp. med pag. 159

3. *Folia habet.*] Totidem verbis Diosc. lib. 4. cap. 107. Galenus, loc. cit.

4. *Hæc ex vino.*] Apuleius, cap 36. tit. 1. quanquam ia ibi, ut diximus, personatam cum persolata miscet. Diosc. loc cit. drachmæ unius tantum pondus adhibet.

Sect. LXVII. 1. *Item cyclamini.*] Dioscorides, libro 2. cap. 194.

2. *Folia habet.*] Diosc. loc. cit. etsi minus accurate quam Plinius. Nunc mutata interpolatione meruditorum voce, partim *Cyclamen*, partim *panem porcinum* nostra ætas appellat: Sunt & qui S. Claudii nomine indigitent, *Saint Claude.* Vidimus folio maculato cyclaminum in horto Regio, qualis a Clusio describitur, lib. 2. pag. 264. tit. *Cyclamino odorato varietas.*

3. *Ebrietatem repræsentari.*] Statim induci. Μιγνυμένη δὲ οἴνῳ μεθύσκει. Dioscorides, loc. cit. cum Theophr. lib. 9. hist. cap. 10.

4. *Radix siccata.*] Diosc. loc. cit.

5. *Suum tamen.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis. Simile est, quod Theophrastus habet, lib. 9. hist. cap. 10. ad ac-

prægnans radicem transgrediatur, abortum fieri.

LXVIII. 13. [1] Est & altera cyclaminos cognomine cissanthemos, geniculatis caulibus, supervacuis, a priore distans, [2] circa arbores se volvens, acinis ederæ, sed mollibus, flore candido, specioso, [3] radice supervacua. Acini tantum in usu, gustu acri, [4] sed 5 lenti. Siccantur in umbra, tusique dividuntur in pastillos.

LXIX. 14. Mihi & tertia cyclaminos demonstrata est, cognomine chamæcissos, uno omnino folio, radice ramosa, qua pisces necantur.

LXX. 15. [1] Sed inter primas celebratur peucedanum, laudatissimum [2] in Arcadia, mox Samothrace. [3] Caulis ei tenuis, longus, feniculo similis, juxta terram foliosus, ra- 10 dice nigra, crassa, gravi odore, succosa: gignitur in montibus opacis: foditur exitu autumni. [4] Placent tenerrimæ & altissimæ radices: [5] Hæ conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis, funduntque succum in umbra, capite prius & naribus rosaceo perunctis, [6] ne vertigo sentiatur. [7] Et alius succus invenitur caulibus adhærens, incisisque manat. Probatur crassitudine mellea, colore rufo, [8] odore suaviter gravi, fervens gustu. Et hic 15 in usu, & radix, & decoctum ejus, plurimis medicamentis. Succo tamen efficacissimo, [9] qui resolvitur amaris amygdalis, aut ruta, bibiturque contra serpentes, [10] & ex oleo perunctos tuetur.

CAP. X. LXXI. 16. [1] Ebuli quoque, quem nemo ignorat, fumo fugantur serpentes.

LXXII. 17. [1] Privatim adversatur scorpionibus polemoniæ radix, vel adalligata tan- 20 tum: item phalangio, ac ceteris minoribus venenatis. [2] Scorpionibus aristolochia: [3] agaricum obolis quatuor in vini mixti cyathis totidem. [4] Verbenaca & phalangio cum vino aut posca: item quinquefolium, [5] daucum.

LXXIII. 18. [1] Verbascum Græci phlomon vocant. [2] Genera habet prima duo: album, in quo mas intelligitur: alterum nigrum, in quo femina. [3] Tertium genus non nisi 25 in silvis invenitur. [4] Sunt folia brassicæ latiora, pilosa, caulis erectus, cubitali amplior. [5] Semen nigrum inutile. [6] Radix una, crassitudine digiti. Nascuntur & in campestribus. [7]Silvestri folia elelisphaci, alta, ramis lignosis.

LXXIV. 19. [1] Sunt & phlomides duæ hirsutæ, rotundis foliis, humiles. [2] Tertia lychnitis vocatur, ab aliis thryallis, foliis ternis, aut cum plurimum quaternis, crassis, 30 pinguibusque, [3] ad lucernarum lumina aptis. [4] Aïunt in foliis ejus, quam feminam dixi-

NOTÆ.

celerandum partum utile esse cyclamini radicem adalligari, εἰς ὠκυτόκιον.

Sect. LXVIII. 1. *Est & altera.*] Totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 195 Κυκλάμινος ἑτέρα, ἣν ἔνιοι κισσάνθεμον, ἢ κισσόφυλλον καλοῦσι· φύλλα ἔχει κισσῷ ἐοικότα, &c. Hanc Ruellius, lib. 2. pag. 413. male confundit cum uva taminia, de qua nos egimus lib. 21. sect. 50. & lib. 23. sect. 14 Est Dodonæi Dulcamara, pag 398 A similitudine cum folio & flore ederæ Græca nomina ea accepit.

2. *Circa arbores*] Viticolarum & capreolorum more: ἑλικοειδῶς Diosc. loc. cit.

3 *Radice supervacua.*] Ῥίζα ἄχρηστος, *nullius usus*

4. *Sed lenti.*] Dum manduntur, viscosi ac lubrici. Καρπὸς δὲ γλισχρός Diosc loc. cit

Sect LXX. 1. *Sed inter ..., peucedanum.*] Nostri, *Queuë de pourceau*: Officinæ pleræque, Feniculum porcinum appellant. Græcis πευκέδανος, quasi pinastellum, a πεύκη. Iconem vide apud Lobelium, in Observ pag. 453 & apud Dodon. pag 314. Ipsum in horto Regio vidimus.

2. *In Arcadia.*] Diosc. lib. 3 cap 92 quem Serapion, Oribasius, & Apuleius, cap. 94. secuti sunt: ἐν Σαρδονίᾳ dixit, ἢ Σαμοθρᾴκῃ.

3. *Caulis ei, &c*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

4. *Placent*] Diosc loc. cit.

5. *Hæ conciduntur*] Diosc. totidem verbis, loc cit.

6 *Ne vertigo.*] Inter colligendum capitis dolorem vertiginemque inducit, nisi quis prius nares rosaceo perunxerit, eodemque caput irrigaverit. Diosc. loc. cit.

7. *Et alius*] Diosc. loc cit. iisdem verbis.

8 *Odore, &c.*] Hanc esse optimi indicaturam succi, etiam Diosc. approbat, loco cit

9. *Qui resolvitur.*] Diluitur, commiscetur, ad potiones. Diosc Λύεται δὲ ὁ ὀπὸς εἰς τὰ πόματα ἀμυγδάλοις πικροῖς, ἢ πηγάνῳ, &c.

10 *Et ex oleo.*] Nicander in Theriac pag. 7. Vel solo suffitu fugari serpentes auctor est Diosc. loc cit.

Sect. LXXI. 1. *Ebuli quoque.*] De eo egimus, lib. 24. sect. 35.

Sect. LXXII. 1. *Privatim.*] Totidem verbis Diosc. lib. 4. cap. 8.

2. *Scorpionibus.*] Dioscor. lib. 4. cap. 6 de aristolochia clematiti.

3. *Agaricum.*] Diosc. lib 3. cap. 1. drachmæ unius pondus propinat.

4. *Verbenaca*] Apuleius, cap 3. tit. 8. *Ad morsum araneorum Græci phalangia vocant: Herba verbenaca ramulos ex vino decoquito, & conterito deinde quod acetaverit, plaga imponito: & adaperiet: postea crudam contritam cum melle in ulcus audacter infertam mature ad sanitatem perducere, certus auctor affirmat.*

5. *Daucum.*] Diosc. lib. 3 cap. 83.

Sect LXXIII. 1. *Verbascum ... phlomon.* Φλόμος Græcis dicitur, nostris *Bouillon blanc* & *Bouillon noir.* In officinis, Tapsus barbatus.

2. *Genera*] Hæc totidem verbis Apuleius, cap. 71. Paulo aliter Dioscor lib. 4. cap. 104. qui genera primum duo summa statuit, nigrum & candidum: utriusque deinde generis marem ac feminam. Dioscoridem, ut solet, sequitur Galenus, lib. 8. de fac simpl med. pag 139 A ceteris dissidet in forma verbasci gemma deliniaanda Crateras apud Schol. Nicandri in Theriac. pag. 39. Nos etiam genera plura in horto Regio vidimus Marem & feminam pingit Lobelius in Observ. pag. 303.

3. *Tertium*] Nempe silvestre, de quo mox.

4. *Sunt folia.*] Verbasco nempe sativo, mari ac feminæ. Diosc. & Apuleius, locis cit.

5. *Semen nigrum.*] Diosc. loc cit.

6. *Radix, &c.*] Diosc. loc cit.

7. *Silvestri .... elelisphaci.*] Sive, quod idem est, salviæ. Diosc. & Apuleius, locis cit. Effigiem vide apud Dodon. pag. 146. ubi silvestre alterum vocat.

Sect. LXXIV. 1. *Sunt & phlomides*] Dioscor totidem verbis, loc. cit. Εἰσὶ δὲ καὶ φλομίδες δασεῖαι, ταπειναί, &c. Est autem φλομὶς verbasculum Latinis veteribus: recentioribus herbariis, Primula veris, cujus varias species delineat Clusius, lib 3. hist. rar plant. pag 301. & 302. nos in horto Regio vidimus *Primevere.* His vero ne plane assentiamur, prohibet lævitas foliorum, quæ in primula veris deprehenditur: cum hirsuta esse verbasculi, Dioscorides Pliniusque testentur.

2. *Tertia.*] Pingitur a Lobelio in Observat pag 302. Etiam Græcis dicta φλόμος, & θρυαλλὶς, & λυχνῖτις. Suidas: Φλόμος, βοτάνη, ᾗ καὶ ἀντὶ ἐλλυχνίου χρῶνται. Hesychius Θρυαλλὶς ... ἢ φλομίσκος. ἔστι δὲ ἐλλύχνιον. Dioscor. loc. cit. Καὶ τρίτη φλομὶς ἡ καλουμένη λυχνῖτις, ὑπὸ δὲ ἐνίων θρυαλλίς. &c. totidem verbis, quot Plinius. Cave porro hanc cum thryallide spicata confundas, de qua nos egimus lib. 21. sect. 61.

3. *Ad lucernarum.*] Vim ellychnii præbent arida folia.

4. *Aiunt*] Diosc. loc. cit. Τὰ δὲ τῆς θηλείας φύλλα ποιεῖ μετὰ σύκων ξηρῶν συντεθέντα, ἀσηπτα αὐτὰ διαφυλάττεσθαι. *Feminæ*

nus, ficus omnino non putrescere. Distingui genera hæc pæne supervacuum est; cum sint omnia ejusdem effectus. [5] Contra scorpiones bibitur radix cum ruta ex aqua, magna amaritudine, sed effectu pari.

LXXV. 20. [1] Thelyphonon herba ab aliis scorpion vocatur, [2] propter similitudinem radicis, [3] cujus tactu moriuntur scorpiones. [4] Itaque contra eorum ictus bibitur. Scorpionem mortuum si quis elleboro candido linat, revivescere aiunt. [1] Thelyphonon omnem quadrupedem necat, imposita verendis radice: folio quidem intra eumdem diem, qnod est simile cyclamino. Ipsa geniculata nascitur in opacis. Scorpionibus adversatur [6] & Vettonicæ succus, ac plantaginis. 5

LXXVI. 21. Sunt & ranis venena, rubetis maxime: vidimusque Psyllos in certamine patinis [1] candefactas admittentes, ocyore etiam quam aspidum pernicie. [2] Auxiliatur eis phrynion in vino pota. Aliqui neurada appellant, alii poterion, floribus parvis, radicibus multis, nervosis, bene olentibus. 10

LXXVII. 22. [1] Item alisma, quam alii damasonion, alii lyron appellant. [2] Folia erant plantaginis, nisi angustiora essent, & magis laciniosa, convexaque in terram, alias etiam venosa similiter, caule simplici & tenui, cubitali, capite thyrsi, radicibus densis, tenuibus, ut veratri nigri, acribus, odoratis, pinguibus. Nascitur in aquosis. Alterum genus ejusdem in silvis, nigrius, majoribus foliis. [3] Usus in radice utriusque adversus ranas & lepores marinos, drachmæ pondere in vini potu. [4] Lepori marino adversatur & cyclaminos. [5] Veneni vim canis quoque rabidi morsus habent, contra quos erit cynorrhodum, de quo diximus. [6] Plantago ad omnes bestiarum morsus pota atque illita prodest: [7] Vettonica ex mero vetere. 15 20

LXXVIII. 23. [1] Peristereos vocatur, caule alto, foliato, cacumine in alios caules se spargens, columbis admodum familiaris, unde & nomen. Hanc habentes negant latrari a canibus.

LXXIX. Proxima ab his malis venena sunt, quæ sibimetipsi homines excogitant. Contra hæc omnia Magicasque artes erit primum illud Homericum moly, dein Mithridation, & scordotis, & centaurium. Pom omnia mala medicamenta exigit per alvum Vettonicæ semen in mulso aut passo, vel farinæ drachma in vini veteris cyathis IV. Vomere cogendi, atque iterum bibere. [1] Iis qui quotidie gustent eam, nulla nocimta mala medicamenta tradunt. [2] Poto veneno aristolochia subvenit eadem mensura, [3] qua contra serpentes: [4] quinquefolii succus: [5] agaricum, postquam vomuerint, denarii pondere ex aquæ mulsæ cyathis tribus. 25 30

LXXX. 1. [1] Antirrhinon vocatur, sive anarrhinon, sive lychnis agria, [2] similis lino, [3] radice

Notæ.

folia ferunt caricis interposita eas incorruptas & a putredine immunes tueri.

5. *Contra scorpiones.*] Diosc. loc. cit. ex aceto folia a scorpione ictis opitulari ait.

Sect. LXXV. 1. *Thelyphonon.*] Eadem hæc est cum aconito pardalianche, de quo lib 27. sect. 2. Diosc. lib 4 cap. 77. Ἀκόνιτον, οἱ δὲ παρδαλιαγχὲς, οἱ δὲ κάμμορον, οἱ δὲ θηλυφόνον, οἱ δὲ μυοκτόνον, οἱ δὲ θηροφόνον. Eam vero θηλυφόνου nomenclationem accepit, quod tactis genitalibus feminei sexus animalium eodem die inferat mortem, inquit Nicandri Scholiastes.

2. *Propter* .. *radicis.*] Plinius, lib. 27. sect. 2. *Radix incurvatur paulum scorpionis modo. quare & scorpion aliqui appellavere.* Diosc. loc. cit. Ῥίζα ὁμοία σκορπίου οὐρᾷ, &c. Sic & Theophr. lib 9. hist. cap. 14

3. *Cujus tactu.*] Non eo tactu mori, sed resolutas torpescere serpentes ait Diosc. loc. cit. Ellebori contra tactu excitari. Τούτου τὴν ῥίζαν φασὶ προσαχθεῖσαν σκορπίῳ, παραλύειν αὐτόν. Ἀναζωπυρεῖ δὲ πάλιν ἐπιθέντα ἑλλεβόρου λευκοῦ.

4. *Itaque.*] Theophr. loc. cit.

5. *Thelyphonon.*] Diosc. loc. cit.

6. *Et Vettonicæ.*] Diosc lib 4. cap. 1.

Sect. LXXVI. 1. *Candefactas admittentes.*] Objicientes se earum morsibus.

2. *Auxiliatur* .... *phrynion.*] Φρύνιον a rubetis nomen habet, quas φρύνους vocant, quod adversus eas auxilio sit. Herbariis incognita: neque existimatur a nobis eadem esse cum ea quæ iisdem quidem nominibus, sed facie longe dispari describitur a Plinio, lib. 27. sect. 97.

Sect. LXXVII. 1. *Item alisma.*] Dioscor. lib. 3. cap. 169. Ἄλισμα, οἱ δὲ ἀλκίαν, οἱ δὲ δαμασώνιον, οἱ δ᾽ ἄκυρον, οἱ δὲ λύρον καλοῦσι. Plantago est aquatica humilis, angustifolia dicta a Lobelio, & ab eodem delineata in Observ. pag. 160. visa a nobis in horto Regio.

2. *Folia erant.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. & post Dioscoridem Oribasius, lib. XI. pag. 188.

3. *Usus in radice.*] Et hæc totidem verbis Diosc. loc. cit.

4. *Lepori marino.*] Diosc. lib. 2. cap 194.

5. *Veneni* .... *de quo diximus.*] Sect. 6.

6. *Plantago.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib 3. cap. 50. Vide & Apuleium, cap. 1. de plantagine, tit. 7. *Ad morsum serpentis.* Tit. 8. *Ad scorpionis ictum* Et Tit. 23. *Ad morsum rabidi canis.*

7. *Vettonica.*] Anton. Musa, lib. de Vettonica, tit. 42. *Ad serpentium morsus: Vettonicæ drachmas tres in vini heminis tribus diluito, & potui dato* .... *Item illinito super vulnus.* .... Et tit. 43. *Ad rabidi canis morsum: Vettonica contusa morsus imponatur.*

Sect. LXXVIII. 1. *Peristereos.*] Latino ore ac sono dixit, quam Græci περιστερεῶνα a recto περιστερεών vocant. A Diosc totidem fere verbis describitur, lib. 4. cap. 60. Περιστερεὼν φύεται ἐν ἐνύδροις τόποις. Δοκεῖ δὲ ὀνομασθῆναι διὰ τὸ τὰς περιστερὰς ἡδέως διατρίβειν ἐν αὐτῇ. Verbenacæ genus istud est quod supinum dicitur: cum alterum, quod Græcis ἱερὰ βοτάνη, rectum Aetius vocet, lib. 1. pag. 41. Pingitur a Clusio, lib. 4 hist. rar. plant. pag. xlvj. Visa a nobis in horto Regio.

Sect. LXXIX. 1. *Iis qui quotidie.*] Dioscorides, lib. 4. cap. 1.

2. *Poto veneno.*] Diosc. lib. 3. cap 6.

3. *Qua contra serpentes.*] Hoc est, radicis drachma in vini hemina sæpius bibita, ut dictum est sect. 55.

4. *Quinquefolii.*] Teneræ radicis succus, ὁ χυλὸς τῆς ῥίζης ἁπαλῆς, Diosc. lib. 4 cap. 42.

5. *Agaricum.*] Id esse venenis pro antidoto, denarii seu drachmæ unius pondere cum diluta vini potione sumptum, scribit Diosc. lib. 3. cap. 1.

Sect. LXXX. 1. *Antirrhinon.*] Diosc. lib. 4. cap. 133. Ἀντίρρινον, οἱ δὲ ἀνάρρινον, ἔνιοι δὲ καὶ τοῦτο λυχνίδα ἀγρίαν. Apuleius, cap. 86. *Græci cynocephalion dicunt, alii antirrhinon, alii anarrhinon, Prophetæ* (hoc est, Magi) *ostreostaphen, Itali canis cerebrum,* &c. Nostri vocant, *Musle de veau.* Pingitur a Lobelio in Observ pag 221 Vix assentior Anguillaræ, antirrhinon Dioscoridis a Theophrasteo sive Pliniano distinguenti, par. 14. pag. 288.

2. *Similis lino.*] Vel. ut Theophr. λινοζώστι, cujus folia quoque lini similia.

3. *Radice nulla.*] Theophr. lib. 9 hist. cap. 21. Ῥίζα δὲ οὐκ ἔνεστι. Radix nulla vel minima subest.

nulla, flore hyacinthi, [4] semine vituli narium. [5] Et hoc perunctos venustiores fieri, nec ullo malo medicamento lædi posse aut veneno, si quis in brachiali habeat, arbitrantur Magi.

L X X X I. 2. [1] Similiter ea, quam eupleam vocant, traduntque ea perunctos commendatioris esse famæ. [2] Artemisiam quoque secum habentibus negant nocere mala medicamenta, bestiamve ullam, ne Solem quidem. Bibitur & hæc ex vino adversus opium. Alligata privatim potens traditur, potave, adversus ranas.

L X X X I I. 3. Pericarpum bulbi genus est. Duæ ejus species: cortice rubro alterum, alterum nigro papaveri simile. Sed vis major quam priori: utrique autem excalfaciendi. Ideo contra cicutam dantur; contra quam & thus, & panaces, Chironium præcipue. [1] Hoc & contra fungos.

CAP. XI. L X X X I I I. Verum & generatim membratimque singulis corporum morbis remedia subtexemus, orsi a capite.

1. [1] Alopecias emendat nymphææ & cicutæ radix, si una tritæ illinantur. [2] Polythrix distat a callitriche, [3] quod juncos albos habet, & folia plura, majoraque. Frutice quoque major est: [4] defluentem capillum confirmat & densat.

L X X X I V. 2. [1] Item lingulaca circa fontes nascens, cujus radix admixta combusta teritur cum adipe suis nigræ. Id quoque excipitur, ut ejus sit suis quæ numquam peperit. [2] Sol deinde plurimum confert illitæ. [3] Similis usus est cyclamini radicis. Porriginem veratri radix tollit in oleo decocta, vel in aqua. [4] Capitis dolori medetur panacis omnium generum radix in oleo contrita: aristolochia, & iberis adalligata hora, vel diutius, si pati possit, [5] comitante balinei usu. Medetur & daucum. [6] Purgat autem cyclaminos cum melle in nares addita: & hulcera capitis sanat illita. [7] Medetur & peristereos.

L X X X V. 3 [1] Cacalia sive leontice vocatur, semen margaritis minutis simile, dependens inter folia grandia, in montibus fere. [2] Hujus grana quindecim in oleo macerantur, atque ita adverso capillo caput ungitur.

L X X X V I. 4. [1] Fit & ex callitriche sternumentum. Folia sunt lenticulæ: caules junci tenuis similes: radice minima. Nascitur in opacis & humidis, gustatu fervens.

L X X X V I I. 5. [1] Hyssopum in oleo contritum phthiriasi resistit, & prurigini in capite. [2] Est autem optimum Cilicium e Tauro monte, dein Pamphylium, ac Smyrnæum: stomacho contrarium. [3] Purgat cum fico sumptum per inferna: cum melle, vomitionibus. [4] Putant & serpentium ictibus adversari, tritum cum melle & sale & cumino.

L X X X V I I I. 6 [1] Lonchitis non (ut plerique existimarunt) eadem est quæ xiphion, aut phasganion, [2] quanquam cuspidi similis semine. [3] Habet enim folia porri, ru-

NOTÆ.

4. *Semine.*] Theophr loc. cit. Ὁ δὲ καρπὸς ἄνωθε μόσχου ῥῖνας ἔχει Sic etiam Diosc. & Galenus, lib 6. de fac simpl. medic.

5. *Et hoc perunctos*] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. post Theophr lib 9. hist. cap 21.

Sect. L X X X I. 1 *Similiter.... eupleam.*] Vide Notas & Emend. num X I I I. In herbarum hæc Magicarum censu habenda.

2. *Artemisiam.*] Apuleius, cap 10. tit. 1. *Ad iter faciendum · Herbam artemisiam monoclonon si quis iter faciens secum in manu portaverit, non sentiet itineris laborem Fugat & dæmonia in domo posita, & prohibet mala medicamenta, & avertit oculos malorum hominum*, hoc est, visus effascinationem

Sect L X X X I I. 1. *Hoc &c.*] Valet & panaces Chironium contra fungos.

Sect. L X X X I I I. 1 *Alopecias.*] Ἀλωπεκίας, vel Ἀλωπεκίασεις, defluvia capillorum. Vide Notas & Emendat. num. X I V

2. *Polythrix.*] Plinius ipse lib. 22. sect. 30. *Id quod majus est, polytrichon..., vocant.*

3. *Quod juncos.*] Recte id quidem. Sed & alibi haud minus commode, ramulos vocat: Diosc. lib. 4. cap. 136. κραδία, & ῥαβδία.

4. *Defluentem.*] Diosc. lib. 1. Εὐπορ. cap. 96. Τὰς δὲ ῥεούσας τρίχας ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἱστησι.. πολύτριχον ἑψηθὲν ἐν οἴνῳ μέλανι, &c. Theodorus Priscianus, lib 1. cap. 3. *de crementis capillorum .... Polytrichi herbæ radicis pondo duo, florum ejus pondo duo, &c*

Sect L X X X I V. 1. *Item lingulaca.*] De hac antea Plinius, 24 *Lingua herba nascitur circa fontes, &c.* Pingitur lib. 24. sect. a Dalecampio, lib. 9. hist. plant. pag. 1037

2. *Sol.....confert illitæ.*] Si herbæ illitæ Sol superveniat.

3. *Similis usus.*] Diosc. lib. 2 cap. 194. At Marcellus Empir cap 4 pro suillo adipe, fel scrophæ, paululumque sulfuris adsciscit

4. *Capitis dolori.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 1.

5. *Comitante.*] Sic etiam ad ischiadicorum sanationem cum iberide balinei usum adsciscit Dioscor. lib. 1. cap. 188. & Galenus ex Democrate, lib 10. κατὰ τόπους, cap. 2. pag 636

6. *Purgat autem.*] Marcellus Empir. cap 5 pag. 44.

7. *Medetur.*] Nempe dolori capitis. ut panacis radix, daucumque. Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2 cap. 1. *de querelis capitis, si causis velut incertis caput doluerit,.... Peristereon herba oleo infusa medetur.*

Sect. L X X X V 1. *Cacalia.*] Diosc lib 4 cap. 123. Κακαλία, οἱ δὲ λεοντικὴν, φύλλα φέρει λευκὰ, ἀμυγδάλῃ ... ὡς ὄνυχι δὲ φύεται. Pingitur a Clusio, lib 5. hist. rar. plant. pag. CXV qualem in horto Regio vidimus, gemina facie. In Illyrico & Græcia nasci tradit Anguillara, par 14. pag 286.

2 *Hujus grana.*] Ad extendendam cutem in facie, & a rugis vindicandam, hæc grana Dioscorides adhibet, loco citato.

Sect. L X X X V I. 1. *Fit & ex callitriche.*] Callithrix idem quod trichomanes, de quo lib. 27 sect. 111.

Sect L X X X V I I. 1. *Hyssopum.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 4. ad verbum Hodiernis herbariis incognitum. Nam quæ hyssopi nomine in officinis venit, appellationem tantum cum hyssopo veterum communem habet, formam non habet. Vide Dodonæum, p 286 Certe Diosc. l. 4. c. 55. in chrysocome describenda, comam gerere hanc ait, specie corymborum, hyssopo simili, ἔχει κόμην κορυμβοειδῆ, ὁμοίαν ὑσσώπῳ, Quæ nota abest ab hyssopo nostro vulgari. Plinius, lib. 26. sect. 70 & 76. baccas hyssopo tribuit, nullæ sunt nostro.

2. *Est autem*] Diosc. lib. 3. cap. 30.

3. *Purgat, &c.*] Diosc. loc cit.

4. *Putant*] Nicander, in Theriac. pag. 63. Plinius Valer. lib. 3 cap. 57. *Serpentium morsibus ... Hyssopi semen bibitur*

Sect. L X X X V I I I. 1. *Lonchitis.*] Videtur esse Iris tuberosa Dodonæi, pag. 249. Lonchitis Dioscoridis prior, Lobelio, in Observ pag. 51.

2. *Quanquam cuspidi*] Semen triangulum & lanceæ cuspidi simile, τὸ σπέρμα δὲ ὅμοιον λόγχῃ, τρίγωνον ἐν ἐπικαρπίοις Diosc. loc. cit & Galenus, lib. 7 de fac simpl med. pag. 204.

3 *Habet enim.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 3 cap. 161. Λογχῖτις φύλλα ἔχει πράσῳ ὅμοια, πλατύτερα δὲ καὶ ὑπέ-

bentia ad radicem, & plura, quam in caule, capitula, perſonis comicis ſimilia, parvam exſerentibus linguam, radicibus prælongis. [4] Naſcitur in ſitientibus.

LXXXIX. 7. [1] E diverſo xiphion, & phaſganion in humidis: cum primum exit, gladii præbet ſpeciem, caule duûm cubitorum, radicis ad nucis avellanæ figuram [2] fimbriatæ, quam effodi ante meſſes oportet, ſiccari in umbra. Superior pars ejus cum thure trita, æquo pondere admixto vino, [3] oſſa fracta e capite extrahit: aut ſi quid in corpore ſuppurat, vel ſi calcata ſunt oſſa ſerpentis: eadem contra venena efficax.

[4] Caput in dolore veratro, vel oleo, vel roſaceo decocto tritoque ungi convenit: [5] peucedano ex oleo vel roſaceo, & aceto. [6] Tepidum hoc prodeſt & doloribus, qui plerumque ex dimidia parte capitis ſentiuntur, & vertigini. Perungunt & radice ejus ſudoris cauſa eliciendi, quoniam cauſtica vis ei eſt.

XC. 8. [1] Pſyllion, alii cynoïdes, alii cryſtallion, alii Sicelicon, alii cynomyiam appellant, radice tenui, ſupervacua, ſarmentoſum, fabæ granis in cacuminibus, foliis canino capiti non diſſimilibus, ſemine autem pulici, [2] unde & nomen: hoc in baccis, [3] ipſa herba in vineis invenitur. [4] Vis ei ad refrigerandum & diſcutiendum ingens. Semen in uſu. [5] Fronti imponitur in dolore & temporibus, ex aceto & roſaceo aut poſca. [6] Ad cetera illinitur acetabuli menſura ſextario aquæ; denſat ſe ac contrahit: tunc terere, [7] & craſſitudinem illinire oportet cuicumque dolori, & collectioni, inflammationique. Et vulneribus capitis medetur ariſtolochia, [8] fracta extrahens oſſa, & in alia quidem parte corporis, ſed maxime capite: ſimiliter pliſtolochia [9] Thyſſelium eſt non diſſimile apio. Hujus radix commanducata purgat capitis pituitas.

CAP. XII.

XCI. [1] Oculorum aciem centaurio majore putant adjuvari, ſi addita aqua foveantur. [2] Succo vero minoris cum melle, culices, nubeculas, obſcuritatem diſcuti, cicatrices extenuari: albugines quidem etiam jumentorum ſideriti. [3] Jam chelidonia ſupra dictis omnibus mire medetur. [4] Panacis radicem cum polenta epiphoris imponunt. [5] Hyoſcyami ſemen bibunt obolo, tantumdem meconii adjicientes, vinumque, ad epiphoras inhibendas. [6] Adjungunt & Gentianæ ſuccum, quem collyriis quoque acrioribus pro meconio miſcent. [7] Facit claritatem & euphorbium inunctis. [8] Inſtillatur plantaginis ſuccus lippitudini. Caligines ariſtolochia diſcutit. Iberis adalligata capiti cum quinquefolio, epiphoras, & ſi qua in oculis vitia ſunt, emendat. [9] Verbaſcum epiphoris imponitur. [10] Peri-

NOTÆ.

φύλλα, πλείω, ὥσπερ τὴν ῥίζαν περιπεπλεγμένα ὡς ἐπὶ τῆς γῆς. ἔχει δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ καυλοῦ ὀλίγα· ἐφ' οἷς αἱ ἄνθη ὅμοια πιλίσκοις τῷ σχήματι δὲ κωμικοῖς προσωπείοις κεχηνόσι, &c. Ex quo interpres Oribaſii, lib. xi. fol. 204. *Lonchitis folia habet porri, ſed latiora, ſubrubra, plurima, ad radicem circumfracta, ut ad terram procumbentia: pauca etiam habet in caule: in quo flores ſunt pileolis ſimiles, more Comicarum perſonarum hiantes*, &c. Brevius Apuleius, cap. 56 quem conſule.

4. *Naſcitur.*] Dioſcor. loc. cit. φύεται ἐν τραχέσι καὶ ἀνύδροις τόποις.

Sect. LXXXIX. 1. *E diverſo xiphion.*] Ξίφιον, οἱ δὲ φάσγανον, οἱ δὲ μαχαιρώνιον καλοῦσι, διὰ τὸ τῶν φύλλων σχῆμα ... φύεται δὲ μάλιστα ἐν ἀρούραις. Gladiolus eſt, de quo diſſeruimus, lib. 21. ſect. 67.

2. *Fimbriata.*] Plures fibras, ſive radiculas, ſeu capillamenta habentis, quæ e radice orbiculata, ut in cæpis, aliiſque pendent Theophr lib. 7. hiſt cap. 11.

3. *Oſſa fracta.*] Sic etiam ſpicula & aculeos e corpore extrahit, teſte Dioſcor loc. cit Δύναται δὲ ἡ ἄνωθεν ῥίζα καταπλασσομένη μετ' οἴνου καὶ λιβανωτοῦ, ἀνάγειν καὶ σκόλοπας ὑποπεσόντας. *Superior radix cum vino & thure ſpicula & aculeos e corpore extrahit.* Diximus de hac radice ſup. libro 26. ſect. 28.

4. *Caput in dolore*] Plinius Valer lib. 1 cap. 1.

5. *Peucedano.*] Plinius Valer. loc cit. Marcellus Empir. cap. 2. pag 39. & Dioſcor lib. 3 cap 92.

6. *Tepidum*, &c] Marcellus Empir. loc. cit.

Sect. XC. 1. *Pſyllion.*] Dioſcor. in Nothis, pag. 467. Ψύλλιον ... οἱ δὲ κυνοκέφαλον, οἱ δὲ κρυστάλλιον, οἱ δὲ κυνόμυια, ... οἱ δὲ Σικελικόν, ... Ῥωμαῖοι δέ, ... ἔρβα πουλικάρια. Plinius, *σικελικὸν*, quod idem eſt ac Siculum, ex alio ſcriptore repræſentat. Non videtur illud eſſe quod a Lobelio pingitur, in Obſervat. pag. 239. vulgoque dicitur, *l'herbe aux puces*. Nam neque ſarmenta huic ulla, nec fabæ grana, nec folia canino capiti ſimilia adſunt Anguillara, par. 14. pag. 269 exiſtimat nihil pſyllion diſcrepare a tithymalo πιτυούση.

2. *Unde & nomen.*] Nam ψύλλα pulicem apud Græcos ſonat.

3. *Ipſa ... in vineis.*] Dioſcor ἐν ἀρούραις, *in arvis*, lib. 4. cap. 70.

4. *Vis ei.*] Dioſc. loc. cit.

5. *Fronti*] Dioſc. loc. cit. & lib 1. Εὐπορ, cap. 1.

6. *Ad cetera.*] Dioſc. loc. cit, Δεῖ δὲ ὀξυβάφου πλῆθος λαμβάνοντας βρέχειν ἐν δυσὶν ὕδατος κοτύλαις· καὶ ὅταν παγῇ τὸ ὕδωρ, ἐπιπλάττειν. *Acetabuli menſuram tritam in duabus aquæ heminis macerari oportet: at ubi ſeſe aqua denſaverit, lentoremque contraxerit, illini.*

7. *Et craſſitudinem.*] Id quod in fundo concrevit: quod ſubſedit.

8. *Fracta extrahens*] Et oſſium ſquamas, & aculeos ac ſpicula extrahere dicitur a Dioſcor. lib 3. cap. 6. Vide & Theophr. lib. 9. hiſt. cap. 13 Theod Priſcianus, lib 1. cap. 23. *Ariſtolochiæ pulvis patefacto vulneri imponendus eſt, & celeriter exſiliet telum, aut aliud quod diu latuerit.*

9. *Thyſſelium.*] In MSS. *Thryſelium.* Forte *Thryſelinum*, quaſi a θρύον, quod herbam paluſtrem, & σέλινον, quod apium ſonat. Eſt enim apium ſilveſtre, in uliginoſis humidiſque locis naſcens, delineatum a Dodonæo, pag 687

Sect. XCI. 1. *Oculorum.*] Alium modum adhibendæ centaureæ majoris contra caliginem oculorum, vide apud Marcellum Empiric. cap. 8. pag. 61. & Plinium Valer. lib. 1. cap. 18.

2. *Succo vero.*] Dioſc. lib. 3. cap 9. Ὁ δὲ χυλὸς ὥσπερ τὰ ὀφθαλμικὰ ἐγχριστά, &c. Galenus, lib. 7. de fac ſimpl. med. pag. 188. Apuleius, cap. 35. tit. 2. Vide Notas & Emend. num. XV.

3. *Jam chelidonia.*] Apuleius, cap. 73. tit. 1. *Ad caliginem oculorum, & ſcabredinem, & qui vulnera habet in oculis, & albuginem oculorum.* Marcellus Empir cap. 8. pag 57. *Chelidonia herba, inquit, in hirundinum ſtercore naſcitur, quæ oculis plurimum ſuffragatur: maxime autem caliginem deterget*, &c.

4. *Panacis.*] Succo, ſeu opopanace oculorum aciem excitari, ſi inungantur, ſcribit Dioſc. lib 3. cap. 55.

5. *Hyoſcyami*] Dioſc. lib. 4. cap. 69. Τὸ δὲ σπέρμα .. ὠφελεῖ ὀφθαλμῶν καὶ ῥευματισμῶν ... ἕως ὀβολοῦ σὺν μήκωνος σπέρματι καὶ μελικράτῳ ποθέν. Meconium Plinio ſuccus eſt papaveris, ut diximus lib. 20. ſect. 76. Semen ipſum papaveris Dioſcorides adhibet.

6. *Adjungunt.*] Dioſc. lib. 3. cap. 3. ſuccum Gentianæ laudat, ad oculorum inflammationes: miſceri quoque collyriis acrioribus pro meconio jubet. Τὸ χύλισμα ὀφθαλμῶν ἐπιχρίεται φλεγμαινόντων· μίγνυται δὲ καὶ εἰς τὰ δριμέα τῶν κολλυρίων τὸ χύλισμα ἀντὶ μηκωνίου.

7. *Facit claritatem.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 18. & Dioſc. lib. 3. cap 96.

8. *Inſtillatur.*] Marcellus Empir. cap 8 pag. 60. & Dioſc. lib. 2. cap. 153.

9. *Verbaſcum.*] Dioſc. lib. 4 cap. 104.

10. *Periſtereos.*] Simili temperamento ad eryſipelata Dioſcorides adhibet, lib. 4. cap. 60.

ſteteos ex roſaceo vel aceto. [11] Ad hypochyſin & caliginem, cyclaminon [12] in paſtillos diluunt. Peucedani ſuccum, [13] ut diximus, ad claritatem & caligines, cum meconio & roſaceo. [14] Pſyllion illitum fronti epiphoras ſuſpendit.

CAP. XIII. XCII. 1. [1] Anagallida aliqui corchoron vocant. [2] Duo genera ejus: mas flore phoeniceo, femina cæruleo, non altiores palmo: frutice tenero, foliis puſillis, rotundis, in terra jacentibus: naſcuntur in hortis & aquoſis. Prior floret cærulea. [3] Utriuſque ſuccus oculorum caliginem diſcutit cum melle, & ex ictu cruorem, & argema rubens, magis cum Attico melle inunctis. Pupillas dilatat: & ideo hoc inunguntur ante, quibus [4] paracenteſis fit. Jumentorum quoque oculis medentur. [5] Succus caput purgat per nares infuſus, ita ut deinde vino colluatur. [6] Bibitur & contra angues ſucci drachma in vino. Mirum, quod pecora feminam vitant. At ſi decepta ſimilitudine (flore enim tantum diſtant) deguſtavere, ſtatim eam, [7] quæ aſyla appellatur, in remedio quærunt: ea a noſtris ferus oculus vocatur. Præcipiunt aliqui effoſſuris, ante Solis ortum, priuſquam quidquam aliud loquantur, ter ſalutare eam, tum ſublatam exprimere: ita præcipuas eſſe vires. [8] De euphorbii ſucco ſatis dictum eſt. Lippitudini, ſi tumor erit, [9] abſinthium cum melle tritum, itemque Vettonicæ farina conveniet.

XCIII. 2. [1] Ægilopas ſanat herba eodem nomine, quæ in hordeo naſcitur, tritici folio, ſemine contrito cum farina permixta impoſitaque, vel ſucco. Exprimitur hic e caule foliiſque prægnantibus, dempta ſpica, [2] & in trimeſtri farina digeritur in paſtillos.

XCIV. 3. Aliqui & mandragora utebantur: poſtea abdicatus in hac curatione eſt. [1] Epiphoris (quod certum eſt) medetur, & oculorum dolori, radix tuſa cum roſaceo & vino. [2] Nam ſuccus multis oculorum medicamentis miſcetur. [3] Mandragoram, alii Circæum vocant. [4] Duo ejus genera: candidus, qui & mas: niger, qui femina exiſtimatur, anguſtioribus foliis, quam lactucæ, [5] hirſutis & caulibus, radicibus binis ternisve ruſulis, intus albis, carnoſis teneriſque, pæne cubitalibus. [6] Ferunt mala avellanarum nucum magnitudine, & in his ſemen ceu pirorum. [7] Album hoc alii arſena, alii morion, alii hippophlomon vocant. Hujus folia alba, quam alterius latiora, [8] ut lapathi ſativæ. [9] Cavent effoſſuri contrarium ventum, & tribus circulis ante gladio circumſcribunt: poſtea fodiunt ad occaſum ſpectantes. [10] Succus fit & e malis, & caule, deciſo cacumine, & radice punctis aperta, [11] aut decocta: [12] utilis hæc vel ſurculo. [13] Conciſa quoque in orbiculos ſervatur in vino. Succus non ubique invenitur, ſed ubi poteſt, circa vindemias quæritur. Odor

NOTÆ.

11. *Ad hypochyſin.*] Dioſc lib. 2. cap. 194. Καὶ αὐτὸς τῆς ὑπάτης χυλίζεται ϰ ἀμβλυωποῦσι ... ὀφθαλμοῖς ἐγχεόμενος ὁ χυλὸς σὺν μέλιτι ἁρμόζει. *Suffuſis hebetioribuſque oculis oblitus cum melle ſuccus prodeſt.* Ὑπόχυσις, ſive ὑπόχυμα, ſuffuſio oculorum eſt hoc eſt, craſſi humoris in cornea membrana juxta pupillam concretio

12 *In paſtillos.*] Subintellige, digeſtum in paſtillos.

13. *Vt diximus.*] Sect 70. ubi dilui reſolvique peucedani ſuccum admonuit amaris amygdalis, aut ruta.

14 *Pſyllion*] Et vim ineſſe ei contra eryſipelata efficacem ſcribit Dioſcor. lib. 4. cap. 70.

Sect. XCII. 1. *Anagallida*] Dioſc. in Nothis, pag 449. Ἀναγαλλὶς ἡ ποιοῦ, οἱ δὲ κόρχορον.

2 *Duo genera.*] Hæc totidem verbis Dioſc. lib 2. cap 209. & Oribaſius, lib. XI. pag. 189. 6. & lib. 2 de virt ſimp. pag. 53 ex MS. noſtro: Ἀναγαλλὶς διαφέρει ... τὸ κυανοῦν ἄνθος ἔχουσα, ϰ τὸ φοινικοῦν. Gallis, *Mouron.* Genus utrumque pingitur a Dodonæo, pag 32. Genera undecim in horto Regio vidimus

3. *Vtriuſque ſuccus*] Totidem fere verbis Dioſc. loc. cit. De mare, qui flore purpureo eſt, eadem Marcellus Empir. prodidit, cap 8 pag. 61.

4. *Paracenteſis.*] Ita vocatur a medicis curationis genus quod punctione fit acu trajecto, ut in ſuffuſione oculorum: fit autem ad latus pupillæ: ideo non κέντησις ſimpliciter, ſed παρακέντησις vocatur. Adpunctio eſſet ad verbum, ſi quis præiviſſet.

5. *Succus capitis.*] Dioſc loc. 6. & Galenus, lib. 6. de fac. ſimpl. med. cap 39 pag 156

6 *Bibitur.*] Dioſc. loc. cit.

7. *Quæ aſyla.*] Quæ ſit ea, nondum herbarii norunt.

8. *De euphorbio.*] Sect. 38. *Qui colligunt, clarius vident.*

9. *Abſinthium.*] Πρὸς ἀμβλυωπίαν, ad hebetiorem oculorum aciem ex melle jubet illini Dioſc. lib. 3. cap. 26.

Sect. CXIII. 1. *Ægilopas.*] Dioſc. lib 4. cap. 139. Θεραπεύει ... αἰγίλωπα ... Galenus itidem, lib. 6. de fac. ſimp med. pag. 151. poſt Dioſc. lib. 4. cap 139. De vitio oculorum, quod ægilopa & ægilopia vocitant, diximus lib. 20. ſect. 56. De herba ægilope, lib. 18. ſect. 44.

2. *In trimeſtri farina.*] In farina e trimeſtri ſemine, de quo lib. 18 ſect. 12.

Sect. XCIV. 1. *Epiphoris.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14. *Mandragoræ radices tuſa cum roſaceo, & ex vino trita, epiphoras ſanant: ac circumligata dolorem illico ſedant.*

2. *Nam ſuccus.*] Ita Dioſc. lib. 4 cap. 76.

3. *Mandragoram*] Dioſc loc. cit. Μανδραγόρας, οἱ δὲ ἀντίμηλον, οἱ δὲ Διρκαίαν, οἱ δὲ Κιρκαίαν καλοῦσι, &c. In Nothis, οἱ δὲ Κίρκαιον. Addit Circæam vocari, quod radix credatur in amatoriis efficax eſſe. Nota ſatis Circes ſunt pocula Gallis, *Mandragore.* Pingitur a Dodonæo, pag. 454. Vidimus in horto Regio.

4. *Duo ejus.*] Dioſc. loc. cit.

5. *Hirſutis & caulibus*] Dioſcoridis mandragoras expers caulis eſt: καυλὸν δὲ οὐ φέρει. At Theophraſteus habet, lib. 6 hiſt. cap 2. & quidem ferulaceum Τὰ μὲν ναρθηκώδη ... καυλὸν ἔχει, καθάπερ ὁ μανδραγόρας. Itaque ſunt diverſi. nec Theophraſteus alius eſt a letali ſolano, quod *Bella donna* Paduæ, alibi apud Italos *Solatro maggiore* nominatur, ut recte vidit Anguillara, par. 5 pag. 90. & poſt illum Dodonæus, a quo mandragoræ genus id delineatur, pag. 453. ut & a Cluſio, lib. 5. hiſt. rar. plant. pag. lxxxvj. Vidimus in horto Regio

6 *Ferunt mala*] Dioſc. loc cit.

7. *Album hoc.*] Dioſc. loc. cit. Τοῦ δὲ ἄρρενος ϰ λευκοῦ, ὃν τινες μόριον καλοῦσιν, &c. Ἄρρην, ſive ἄρρην, quia mas: μώριον, quia fatuitatem inducit & ſomnum, nominatur. Unde mandragoram bibiſſe dicuntur ii qui ſunt nimium deſides, ac veluti ſenſu deſtituti Julianus Cæſar, in epiſt. ad Calliſenum: Οὐ φαίνεται πολλὴν πίνειν μανδραγόραν ... Denique ἱππόφλομος, quaſi majus verbaſcum ob foliorum ſimilitudinem appellatur. In Indice, neutro genere *morion* & *hippophlomon* MSS omnes præ ſe ferunt.

8. *Vt lapathi.*] Cum foliis betæ confert Dioſcorides, loco cit.

9. *Cavent*] Theophr. lib. 9. hiſt. cap 9. totidem verbis.

10. *Succus fit, &c.*] Dioſc. loc. cit.

11. *Aut decocta.*] Sunt enim qui radices in vino ad tertias decoquant, excolatumque ejus aſſervent in uſus varios. Dioſcor. loc. cit.

12. *Vtilis hæc.*] Vel per ſe ſolus radicis ſurculus areſactus prodeſt. Dioſc. loc cit. Καὶ ὁ φλοιὸς δὲ τῆς ῥίζης ... λίνῳ, κρεμᾶται εἰς ἀπόθεσιν. *Quin & detractus radici cortex, filoque trajectus, ad uſum ſuſpenditur.*

13. *Conciſa.*] Theophr. lib 9 hiſt. cap. 10. Τέμνουσι δὲ

gravis ei: sed radicis, [14] & mali gravior. Ex albo mala matura in umbra siccantur: [15] Succus ex iis Sole densatur: [16] item radicis tusæ, vel in vino nigro ad tertias decoctæ. [17] Folia servantur in muria efficacius, alias recentium succus pestis est: [18] sic quoque noxiæ vires. [19] Gravedinem etiam afferunt olfactu: quanquam mala in aliquibus terris manduntur, [20] nimio tamen odore obmutescunt [21] ignari. [22] Potu quidem largiore etiam moriuntur. 5
[23] Vis somnifica pro viribus bibentium. [24] Media potio cyathi unius. Bibitur & contra serpentes, & ante sectiones punctionesque, ne sentiantur. [25] Ob hæc satis est aliquibus somnum odore quæsisse. Bibitur & pro elleboro duobus obolis in mulso. [26] Efficacius elleborum ad vomitiones, & ad bilem nigram extrahendam.

X C V. 4. [1] Cicuta quoque venenum est, publica Atheniensium pœna invisa, ad multa tamen usus non omittendi. Semen habet noxium. Caulis autem & viridis estur a plerisque & in patinis. Lævis hic & geniculatus, ut calami, nigricans, altior sæpe binis cubitis, in cacuminibus ramosus: folia coriandri teneriora, gravi odoratu: semen aniso crassius: radix concava, nullius usus. [2] Semini & foliis refrigeratoria vis: [3] quos enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. [4] Remedio est, priusquam perveniat ad vitalia, 15 vini natura excalfactoria. Sed in vino pota, irremediabilis existimatur. [5] Succus exprimitur foliis floribusque, [6] tunc enim maxime tempestivus est. Semine trito expressus, & Sole densatus in pastillos, necat [7] sanguine spissando. Hæc altera vis. Et ideo sic necatorum maculæ in corporibus apparent. [8] Ad resolvenda medicamenta utuntur illo pro aqua. Fit ex eo ad refrigerandum stomachum malagma. [9] Præcipuus tamen ad cohibendas epiphoras æstivas, oculorum dolores sedandos circumlitus. [10] Miscetur collyriis, & alios 20 omnes rheumatismos cohibet. Folia quoque tumorem omnem, doloremque, & epiphoras sedant. Anaxilaus auctor est, [11] mammas a virginitate illitas, semper straturas. Quod certum est, lac puerperarum mammis imposita extinguit, [12] Veneremque testibus circa pubertatem illita. Remedia liberationi, quibus bibenda censetur, non equidem præcepimus. [13] Maxima vis natæ Susis Parthorum, [14] mox Laconicæ, Creticæ, Asiaticæ. [15] In 25 Græcia vero Megaricæ, deinde Atticæ.

NOTÆ.

στραγγίσαντες· ἀποσπάσαντες δὲ ἐν γλαίναις ἐμβρύματα ὑπὲρ καπνοῦ. *Concidunt orbiculos, & involutos musto in fumo suspendunt.*

14. *Et mali gravior.*] Et gravis idem & suavis: τὰ δὲ μῆλα εὐώδη μετὰ βάρους τινός. Diosc. loc. cit.

15. *Succus ex iis.*] Diosc loc. cit.

16. *Item radicis, &c.*] Diosc loc. cit.

17. *Folia servantur.*] Diosc. loc. cit.

18. *Sic quoque.*] Etiam conditæ muria.

19. *Gravedinem.*] Capus olfactu gravant. Vide quæ de hac voce diximus lib. 21. sect. 76. Diosc. loc. cit. folia ait esse βρωμώδη καὶ βαρέα μετὰ τῆς ὀσμῆς, virosa & graveolentia.

20. *Nimio tamen odore.*] Dioscor. loc cit. Τὰ δὲ μῆλα ὀσφραινόμενα καὶ ἐσθιόμενα, καρωτικά. *Mala seu nimio odore, seu etiam largiore cibo, vocem adimunt, soporem afferunt.*

21. *Ignari.*] Incauti, qui quæ vis sit ejus pomi, nesciunt.

22. *Potu quidem.*] Dioscor. loc. cit. Πλεῖον δὲ ποθεὶς ἐξάγει τοῦ ζῆν.

23. *Vis somnifica.*] Huc pertinet, quod narrat Frontinus, lib 2. Strateg Hannibalem scilicet missum a Carthaginiensibus adversus rebellantes Afros, cum sciret gentem esse avidam vini, magnum ejus modum mandragora miscuisse, cujus inter venenum & soporem media vis est. Tunc prælio levi commisso, ex industria cessisse: Nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, & omni vino infecto, fugam simulasse. Quumque barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum merum avide hausissent, atque in defunctorum modum strati jacerent, reversum cepisse eos ac trucidasse.

24. *Media potio.*] Moderata ac justa. Sic Dioscor. loc. cit. apud quem & sequentes medicinæ extant.

25. *Ob hæc satis est.*] Eoam pulvino subjecta mandragoræ mala somnum moliri, nonnulli censent, teste Celso, lib. 3. cap. 18

26. *Efficacius.*] Dioscor. lib. 4. cap. 150 Καθαίρει δὲ δι' ἐμέτων, ἄγων πιτύλα. Elleborum porro candidum intellige.

Sect. X C V. 1. *Cicuta . . . . . publica Atheniensium.*] Publica dicitur, quod cicuta publice Athenis custodiretur ad sontium pœnas: teste Joan. Tzetze, Chiliad. 8. histor. 181. vers 238. ubi Κώνειον δημόσιον appellat Seneca, epist. 13. pag. 186. *Cicuta magnum Socratem fecit*, quem hausto cicutæ veneno obiisse Laertius refert, lib. 2. Nec Atheniensium modo, sed & Massiliensium publica pœna hæc fuit, teste Valerio Max. lib 2. cap. 6. Gallis, *de la Cigue*. Græcis, κώνειον. Genera in horto Regio octo vidimus.

2. *Semini &c.*] Dioscor. lib 4. cap 79.

3. *Quos enecat*] Dioscor. in Alexiph. cap. xi. Scribonius Largus Compos. 179. *Cicutam ergo potant caligo, mentisque alienatio, & artuum gelatio insequitur: ultimoque præfocantur, qui eam sumpserunt, ubique sentiunt.*

4. *Remedio est.*] Diosc. lib 4. cap 79. & in Alexiph. cap. xi. Vide quæ diximus, lib 23. sect. 23.

5. *Succus exprimitur.*] Dioscor lib 4. cap. 79.

6. *Tunc enim*] Priusquam semina siccescant, inquit Dioscor. loc. cit. πρὸ τοῦ ξηρανθῆναι τὸ σπέρμα.

7. *Sanguine spissando.*] Vel *sanguinem.* Plinium magis forma loquendi prior sapit. Rem quoque tradit Ælianus, lib. 4. hist. anim cap 23.

8. *Ad resolvenda.*] Ad diluenda. Sic ipse de peucedani succo, sect. 70. *Resolvitur*, inquit, *amygdalis aut ruta. Dilui dixit* sect. 93.

9. *Præcipuus tamen.*] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib. 1. cap 14 extrita modo voce *æstivas.*

10. *Miscetur.*] Dioscor lib 4. cap. 79. τῶν ἀνωδύνων κολλυρίων, *collyriis quæ dolorem minuunt, admiscetur.*

11. *Mammas &c.*] Dioscor loc. cit. Καὶ γάλα σβέννυσι, μαστούς τε ἐν παρθενίᾳ πολλοὺς αὔξεσθαι, καὶ διδύμους ποιεῖ ἐπὶ παιδίων. *Lac extinguit, & mammas virginum crescere non patitur: ac puerorum testes nutrimento defectos ita reddit, ut tabescant.*

12. *Veneremque.*] Dioscor. lib. 4. cap. 79. Παράλυσιν δὲ καὶ αἰδοίων ... *Genitalia illitu effeta, languidioraque reddit.* Atheniensium ἱεροφάνται sacerdotes cicutæ sorbitione solitos castrari, ac viros esse desinere, usque ad sua tempora scribit Hieronym. lib. 1. contra Jovin. Mercellus Empiric. cap. 33. pag. 231. *Ut eunuchum sine ferro facias, radices cicutæ ex aceto teres, & inde testiculos spississime illines. . . . hoc quantum tenerioribus infantibus feceris, eventu efficaciore proveniet.*

13. *Maxima vis.*] Ad venenum accommodatissimam censet esse cicutam e Susis, Thrasias Mantinensis, apud Theophr. lib. 9. histor. cap. 17. ἐκ Σούσων, quæ urbs fuit imperii Parthici.

14. *Mox Laconica &c.*] Dioscor. loco cit.

15 *In Græcia.*] In Peloponneso Laconicus ager censetur, non in Græcia proprie dicta: Nam, ut Plinius ait, lib. sect. xr. *Ab Isthmi angustiis Hellas incipit, nostris Græcia appellata. In ea prima Attica . . . . Attingit Isthmum parte sua, quæ Megaris appellatur*, &c. Non vidit hoc vir alioqui eruditus, qui trajectione verborum locum hunc laborare censuit, quem contra omnium exemplarium fidem, atque adeo contra Plinii sententiam sic immutat: *Maxima vis natæ Susis Parthorum, mox Asiaticæ. In Græcia vero Laconicæ, Creticæ, Megaricæ, deinde Atticæ.*

XCVI. 5. [1] Crethmos agrios [2] gramias tollit oculorum impositus, tumorem quoque polenta addita.

XCVII. 6. [1] Nascitur vulgo molybdæna, id est, plumbago, etiam in arvo, folia lapathi, crassa radice, hispida. Hac commanducata si oculus subinde elingatur, [2] plumbum
5 (quod est genus vitii) ex oculo tollitur.

XCVIII. 7. [1] Capnos prima, quam pedes gallinaceos vocant, nascens in parietinis & sepibus, ramis tenuissimis, sparsisque, flore purpureo, viridis, succo caliginem discutit: itaque in medicamenta oculorum additur.

XCIX. 8. [1] Similis & nomine & effectu, sed alia est capnos fruticosa, prætenera,
10 foliis coriandri, cineracei coloris, flore purpureo. Nascitur in hortis & segetibus hordeaceis. Claritatem facit inunctis oculis, delacrymationemque, ceu fumus: [2] unde nomen. [3] Eadem evulsa palpebras renasci prohibet.

C. 9. [1] Acoron iridis folia habet, angustiora tantum, & longiore pediculo, radices nigras, minusque venosas: cetero & has similes iridis, gustu acres, odore non ingratas,
15 [2] ructu faciles. Optimæ Ponticæ, dein Galaticæ, mox Creticæ. [3] Sed primæ in Colchide juxta Phasin amnem, & ubicumque in aquosis. [4] Recentibus virus majus, quam vetustis. Creticæ candidiores Ponticis. Siccantur utribus in umbra [5] digitalibus frustis. [6] Necnon inveniuntur, qui oxymyrsinæ radicem acoron vocant, ideoque quidam hanc acoron agrium vocare malunt. [7] Vis ei ad calfaciendum, extenuandumque efficax: contra suffusio-
20 nes & caligines oculorum succo ejusdem poto, contraque serpentes.

CI. 10. [1] Cotyledon parvula herba, cauliculo tenero pusillo, pingui folio & concavo, [2] ut coxendices: nascitur in maritimis petrosisque, viridis, radice olivæ modo rotunda. Oculis medetur succo. [3] Est aliud genus ejusdem, [4] sordidis foliis, latioribus densioribusque circa radicem velut oculum cingentibus, asperrimi gustus, longiore caule,
25 sed pergracili. [1] Usus ejus ad eadem, quæ iris.

CII. 11. [1] Aïzoi duo genera. [2] Majus in fictilibus vasculis seritur, [3] quod aliqui buphthalmum vocant, alii zoophthalmon, alii stergethron, quod [4] amatoriis conveniat:

Notæ.

Sect. XCVI. 1. *Crethmos agrios.*] Galeno, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 196. Κρῆθμος vocatur. Κρῆθμος Dioscoridi, lib. 2. cap. 157. folio portulacæ, in petrosis, maritimisque nascens. Non est igitur fœniculum marinum, quod vulgus in Gallia vocat, *Perce-pierre, ou Creste marine, ou Bacille, ou Fenoüil marin*, quod herbariis fere hactenus placuisse video: sed portulaca marina potius, halimi vulgaris nomine picta a Matthiolo, in lib. 1. Diosc. pag. 160. A Lobelio, in Observ. pag. 213.

2. *Gramias tollit.*] Hoc est, oculorum pituitas, quæ palpebras veluti conglutinant. Festus: *Gramiæ oculorum sunt vitia, quas alii glamas vocant.* Nonius: *Gramia, pituita oculorum.* Cæcilius: *Gramiosis oculis ipsa, atratis dentibus.* Græcis est λήμη seu γλήμη. Nostris, *la chassie qui vient aux yeux.*

Sect. XCVII. 1. *Nascitur .... molybdæna.*] Μολύβδαινα, quæ vox plumbaginem sonat. Hæc lepidium quoque, cum dentellariæ cognomine, seu dentariæ, appellatur. Pingitur a Clusio, lib. 5. hist. rarior. plant. pag. cxxiij. a Lobelio in Advers. pag. 136. Crescit in Romano & Monspeliensi agro juxta sepes & sata. Vidimus in horto Regio. Romæ, *Herba di S. Antonio*, appellatur: in Marsis, *Coiegillo*: in Illyrico, *Cucurida*, ut testatur Anguillara, par. 12. pag. 211.

2. *Plumbum.*] Quod Plinio *plumbum*, hoc Festo *ampullas* esse *plumbeas* arbitror, quas & *calces* vocat: hoc est, lividas in palpebris maculas.

Sect. XCVIII. 1. *Capnos prima.*] Delineatur hæc a Dodonæo, pag. 60. ubi Fumariam alteram vocat. Sunt e recentioribus qui *Splith* vocitent.

Sect. XCIX. 1. *Similis.*] Dioscor. lib. 4. cap. 110 hæc fere totidem verbis. Καπνός, βοτάνιόν ἐστι θαμνῶδες, &c. Galenus quoque, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 184. Κάπνιος, οἱ δὲ καπνὸς. Hanc officinæ Fumariam vocant: vulgus *Fumeterre*. Pingitur a Dodonæo, pag. 59. Vidimus in horto Regio.

2. *Unde nomen.*] Καπνὸς enim fumum Græce sonat.

3. *Eadem evulsa.*] Diosc. loco cit. & Marcellus Empir. cap. 8. pag. 70.

Sect. C. 1. *Acoron.*] Sic MSS. omnes, non *acoros.* Tamen auctori libri de simp. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 986. *acorus* nuncupatur. At Diosc. lib. 1. cap. 2. Ἄκορον τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὅμοια ἴρεως, στενότερα δὲ, καὶ ῥίζας οὐκ ἀνομοίους, &c. Cum iridem audis, herbam intellige, de qua diximus libro 21. sect. 19. Acorum legitimum in Syria Aleppi nasci, quale a Plinio describitur, ait Anguillara, par. 1. pag. 19. Pingitur a Clusio, lib. 2. hist. rar. plant. pag. 231. Vidimus in horto Regio. Calamus est aromaticus officinarum, ut diximus lib. 12. sect. 48.

2. *Ructu faciles.*] Ructum facilem cient.

3. *Sed primæ.*] Prima his palma, præcipuaque commendatio.

4. *Recentibus virus majus.*] Odor multo gravior. Ita MSS. Reg. &c. editique libri.

5. *Digitalibus frustis.*] Concisa radice in orbiculos digiti crassitudine.

6. *Necnon.*] Vide quæ diximus libro 15. sect. 7. Causa cur hæc appellatio oxymyrsinæ quoque tribuatur, hæc est, quod radices acori modo geniculatas habet.

7. *Vis ei, &c.*] Hæc totidem verbis Dioscorides, lib. 1. cap. 2.

Sect. CI. 1. *Cotyledon.*] Diosc. totidem verbis, lib. 4. cap. 92. Κοτυληδὼν, &c. Umbilicum Veneris nunc herbarii appellitant. Pingitur a Dodonæo, pag. 131. Vidimus in horto Regio.

2. *Ut coxendices.*] Diosc. loco cit. Φύλλον ἔχει ὕπτιον ὀξύβαφον, *instar acetabuli.* Acetabulum, ut diximus lib. 9. sect. 46. vasculum est forma rotunda, nulla marginis latitudine, paulatim se undique contrahens, & sic descendens ad imum. Eadem forma cotyla quoque fuisse deprehenditur: unde κοτυληδόνας Græci ea denominarunt, quæ cavam illam decrescentis subinde rotunditatis speciem æmulabantur. Quin & in coxendice, qua inferius cruris os superiori inseritur, ob eamdem cavi orbis figuram, cotyledonis vox auditur: Rursusque in herba ista, cujus circumducta in orbem folia, sensim calycis effigie quadam descendentia in cavum desinunt. Ex qua similitudine Romani eam umbilicum Veneris appellarunt.

3. *Est aliud genus.*] Describitur illud totidem fere verbis a Diosc. lib. 4. cap. 93.

4. *Sordidis foliis.*] Ob pinguitudinem: quare alii, ut Dioscorides, λιπαρὰ φύλλα; alii, quos Plinius sequitur, ῥυπαρὰ dixere.

5. *Usus ejus.*] Vide Notas & Emend. num. XVI.

Sect. CII. 1. *Aïzoi.*] Vox ea ἀείζωον sempervivum sonat.

2. *Majus in fictilibus.*] Oribasius, lib. xi. pag. 187.

3. *Quod aliqui.*] Diosc. in Nothis, pag. 468. Ἀείζωον τὸ μέγα, οἱ δὲ ἀνθυλλίς, οἱ δὲ ἀμάραντον, οἱ δὲ χρυσάνθεμον, οἱ δὲ ζωόφθαλμον, οἱ δὲ βούφθαλμον, οἱ δὲ στέργηθρον, οἱ δὲ ἀείχρυσον .... Ῥωμαῖοι, Ἴοβις βάρβα. Sedum majus vulgare est, pictum a Clusio, lib. 4. hist. rar. plant. pag. lxiij. Nostris, *la Jubarbe.* Vidimus in horto Regio. Βούφθαλμον, oculum bovis sonat: ζωόφθαλμον, oculum vivum: στέργηθρον, philtrum amatorium, a στέργω amo. ὑπογεισον in suggrundiis nascens: sunt enim γεῖσα suggrundia, hoc est, partes tecti prominentes, quibus stillicidia a parietibus arcentur. Vide Apuleium, cap. 123.

4. *Amatoriis.*] Amatoria pocula, veneficiaque, quibus ad alii

alii hypogeson, quoniam in subgrundiis fere nascitur. [5] Sunt qui ambrosiam potius vocant, & qui amerimnon: Itali sedum magnum, aut oculum, aut digitellum. [6] Alterum minusculum, [7] quod erithales vocant, alii trithales, quia ter floreat: alii chrysothales, aliqui isoëtes: sed aïzoum utrumque, quoniam viret semper, aliqui sempervivum. [8] Majus cubiti altitudinem excedit, crassitudine plusquam pollicari. [9] Folia cacumine linguæ similia, carnosa, pinguia, larga succo, latitudine pollicari, [10] alia in terram convexa, alia stantia, ita ut ambitu effigiem imitentur oculi. [11] Quod minus est, in muris parietinisque nascitur, & tegulis: fruticosum a radice, & foliosum usque ad cacumen: foliis angustis, mucronatis, succosis, palmo alto caule: radix inutilis.

CIII. 12. [1] Huic similis est, quam Græci andrachnen agriam vocant, Itali illecebram, pusillis, latioribus foliis, breviori cacumine. Nascitur in petris, & colligitur cibi causa. [2] Omnium harum vis eadem, refrigerare & adstringere. [3] Medentur epiphoris folia imposita, vel succus inunctis. Purgat enim hulcera oculorum, expletque, & ad cicatricem perducit: palpebras deglutinat. [4] Eædem capitis doloribus medentur, succo vel folio temporibus illitis. [5] Adversantur phalangiorum ictibus: [6] aconito vero majus aïzoum præcipue. [7] A scorpionibus quoque habentem id feriri negant.

Medentur & aurium dolori. [8] Item succus inunctus hyoscyami modice: item Achilleæ, [9] & minoris centaurii, & plantaginis: peucedani cum rosaceo & meconio: acori succus cum rosa. [10] Omnis autem strigili calefactus infunditur. Cotyledon etiam purulentis, & cum medulla cervina calefacta. Ebuli radicis tritæ succus linteo colatur, mox in Sole densatus, & cum opus sit, rosaceo dilutus & calefactus, parotidas sanat. [11] Verbenaca quoque: [12] item plantago: item sideritis, cum axungia vetere.

CIV. [1] Narium ozænas emendat aristolochia cum cypero.

C V. Dentibus remedio sunt panacis [1] radix commanducata, præcipue Chironiæ, item succus collutis: radix hyoscyami ex aceto manducata, [2] item Polemoniæ. [3] Commanducantur & plantaginis radices, aut colluuntur in aceto decoctæ succo. [4] Et folia sunt utilia, vel si sanguine gingivæ putrescant, vel sanguinis sit rejectio. Semen ejusdem apostemata, & collectiones gingivarum sanat. [5] Et aristolochia gingivas dentesque confirmat. Verbenaca cum radice commanducata, & decocta ex vino aut aceto succus collutus. [6] Item quin-

NOTÆ.

amorem induci homines arbitrantur, Græci fere φίλτρα, & φιλτρόποσια nuncupant, teste Cælio Aurel. lib. 1. cap. 5. Horatius, *desiderii pocula vocat.*

5. *Sunt qui ambrosiam.*] Ἀμβρόσιον quasi divinum & immortalem: unde & Θεοφύτιον minus sedum appellatur in Nothis Dioscoridis, pag 468. Ἀμέριμνον, quasi curas sedantem.

6. *Alterum minusculum*] Gallis, *Tricque Madame.* Pingitur a Lobelio, in Observ. pag 102 Vidimus in horto Regio.

7. *Quod erithales.*] Ἐριθαλὲς, vere florens Χρυσοθαλὲς, aureo flore comans: ἰσοετὲς, per totum annum sui simile, hoc est, semper virens.

8. *Majus cubiti.*] Dioscorides, totidem verbis, lib. 4. cap. 89.

9 *Folia cacumine, &c.*] Diosc plane ad verbum loc. cit. Φύλλα λιπαρὰ, μέγεθος δακτύλου μεγάλου, γλωσσοειδῆ κατὰ τὸ ἄκρον, *extremo cacumine linguæ similia*, &c.

10. *Alia in terram.*] Nempe infima: quæ vero sunt in capite, ita sunt conferta, adductaque invicem, ut orbiculato ambitu effigiem oculi repræsentent. Καὶ τὰ μὲν κατωτέρω τῶν φύλλων ὑπτιούμενα· τὰ δὲ κατὰ τὴν κεφαλὴν περιπεπλεγμένα ἐπ' ἄλληλα, κύκλον ὀφθαλμοειδῆ ἀποτελοῦντα. Diosc. loc. cit.

11. *Quod minus.*] Diosc. lib 4 cap 90.

Sect. CIII. 1. *Huic similis.*] Hæc Crassula minor officinarum, eademque Vermicularis, a similitudine foliorum cum vermiculis, & Illecebra major appellata a Lobelio, a quo deliniatur accurate 10 Observ. pag. 205. & Advers. pag. 162. Diosc. lib. 4. cap 91. Δοκεῖ δὲ εἶναι καὶ τρίτον εἶδος ἀειζώου, ὃ ἔνιοι ἀνδράχνην ἀγρίαν ἢ τηλέφιον καλοῦσι, Ῥωμαῖοι δὲ ἰλλεκέβραμ. Ἔχει δὲ φύλλα μικρὰ ἐπὶ τῶν φοίνικων ὅμοια τῇ ἀνδράχνῃ καὶ δασέα. Φύεται ἐν πέτραις *Pusillis foliis, crassiusculis, ad portulacæ similitudinem, ac densis.* Ἀνδράχνη ἀγρία portulacam agrestem sonat; *Alii* ἀνδράχλην scribunt, ut in Indice, *andrachle agria.*

2. *Omnium harum.*] De aizoo majore ac minore subscribit Dioscorides, lib 4. cap. 89. & 90. De illecebra, abit in partes contrarias. Verum Apuleius a Plinio facit, cap. 203 *A Græcis*, inquit, *dicitur andrachne .... Latine portulacam .... alii illecebram .... Frigidæ virtutis, atque redargnentis*, hoc est, adstringentis.

3 *Medentur.*] Diosc. lib 4. cap. 89. etiam & lippitudinibus a sanguine obortis utiliter innogi scribit.

4 *Eadem capitis.*] Diosc. loc. cit.

5. *Adversantur.*] Diosc. loc. cit.

6. *Aconito vero.*] Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 127. Ἰδίως δὲ πρὸς ἀκόνιτον ἁρμόζει, ἀείζωον τὸ μεῖζον ἀφθὰ μετ' οἴνου.

7. *A scorpionibus*] Demorsis a scorpione opitulari sempervivum scribit Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 121.

8 *Item succus.*] Et hunc commendat Diosc. lib. 4. cap. 70. πρὸς ὠταλγίαν.

9. *Et minoris centaurii, &c.*] Centaurii decoctum ex aceto, peucedanique succum, instillatum auri, illapsa educere animalcula, scribit Dioscor. lib 1. Εὐπορ. cap. 67. Fractis auribus opitulari plantaginis succum idem monet, cap. 58.

10. *Omnis autem.*] Omnis succus prius calefactus strigili infunditur. Strigilis proprie instrumentum ferreum fuit, ad corporis sordes, sudoremque detergendum: Fiebat autem ex argento, auro, ferro. De eo plura dicemus libro 29. sect. 39.

11. *Verbenaca quoque.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107. *Herba verbena cum plantagine in ore contrita, adjecta modica salis, pro emplastro apposita, parotidas mire discutit.* Sic & Apuleius, cap 3. tit. 2 *Ad hulcera & parotidas.*

12. *Item plantago.*] Diosc. lib. 1. cap 31. Εὐπορ. cap. 148. Plinius Valerian. lib. 1. cap. 13. de parotidum curatione: *Plantago cum vetere axungia persanat.* Apuleius similiter, cap. 1. tit. 20. *Ad parotidas: Plantago cum axungia vetere pisata & imposita sanat.*

Sect. CIV. 1. *Narium.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 86. *Saccum ederæ*, inquit, *& aristolochiam, & cyperum, & dracontea semen, & melilotum, æquis mensuris contere, ac naribus infunde: quo facto non solum fœtorem, sed etiam carcinoma narium curabis.*

Sect. CV. 1. *Radix hyoscyami.*] Marcellus Empiricus, cap. 12. pag. 91. radicem, semen, succum, ad dentium dolores sedandos commeodat. De radice privatim Apuleius, cap. 4. de symphoniaca, tit. 3.

2. *Item Polemoniæ.*] Diosc. lib. 4. cap. 8 Πλάνη δὲ καὶ ὀδονταλγίας διαμασωμένη.

3. *Commanducantur.*] Plinius Valer. lib 1. cap. 36. Marcellus Empiricus, cap 12. pag. 95. & Diosc. lib. 2. cap. 153.

4. *Et folia.*] Diosc. lib. 2. cap. 143. Καὶ πρὸς οὖλα αἱμασσόμενα, καὶ πρὸς αἷμα ἀναγόντας ποιεῖ. *Prodest foliorum succus & sanguinantibus gingivis, & sanguinem superne rejicientibus.*

5. *Et aristolochia.*] Diosc. lib. 3. cap. 6. Σμήχει δὲ καὶ οὖλα καὶ ὀδόντας. Plinius Valer. lib. 1. cap. 37. *Aristolochiam tusam in pulverem dentibus laxatis injicito, confirmat.*

6. *Item quinquefolii.*] Ejus nempe, in quo fraga nascun-

quefolii radices, decoctæ ad tertias vino aut aceto. Prius vero quam decoquantur, aquæ
marina aut salsa lavantur. Decoctum diu tenendum in ore. Quidam cinere quinquefolii
fricare malunt. [7] Et verbasci radix decoquitur in vino ad colluendos dentes. [8] Et
hyssopo colluuntur, [9] & peucedani succo, cum mecotio: vel radicum anagallidis magis
5 feminæ succo, ab altera nare, quam doleat, infuso.

CVI. 1. [1] Erigeron a nostris vocatur senecio. Hanc si ferro circumscriptam effodiat
aliquis, tangatque ea dentem, & alternis ter despuat, ac reponat in eumdem locum, ita
ut vivat herba, aiunt dentem eum postea non doliturum. [2] Herba est trixaginis specie,
& mollitia, cauliculis subrubicundis. Nascitur & in tegulis, & in muris. [3] Nomen hoc
10 Græci dederunt, quia vere canescit. [4] Caput ejus numerosa dividitur lanugine, [5] qualis
est spinæ, inter divisuras exeunte. Quare eam Callimachus acanthida appellat, alii pap-
pum. Nec deinde Græcis de ea constat. [6] Alii erucæ foliis esse dixerunt, [7] alii roboris,
sed minoribus multo. [8] Radice alii supervacua, alii nervis utili, [9] alii potu strangulante.
E diverso quidam regio morbo cum vino dederunt, & contra omnia vesicæ vitia: item
15 cordis & jocineris. Renibus extrahere arenam dixere. [10] Ischiadicis drachmam cum oxy-
melite ab ambulatione propinavere: torminibus quoque in passo utilissimam: præcordiis
etiam cibo ex aceto eam prædicantes, ferentesque in hortis. Nec defuere qui & alterum
genus facerent, nec quale esset demonstrarent, contra serpentes in aqua bibendam, eden-
damque comitialibus dantes. Nos eam Romanis experimentis per usus digeremus. Lanu-
20 go ejus cum croco & exiguo aquæ frigidæ trita illinitur epiphoris: tosta cum mica salis,
strumis.

CVII. 2. [1] Ephemeron folia habet lilii, sed minora, [2] caulem parem, florem cæ-
ruleum, semen supervacuum, radicem unam digitali crassitudine, [3] dentibus præcipuam,
concisam in aceto, decoctamque, ut tepido colluantur. Et ipsa etiam radix mobiles sistit.
25 Cavis & exesis imprimitur. [4] Chelidoniæ radix ex aceto trita continetur ore. [5] Erosis ve-
ratrum nigrum imponitur: [6] mobiles utralibet decocta in aceto firmantur.

CVIII. 3. [1] Labrum Venereum vocant,[2] in flumine nascentem. [3] Est ei vermiculus,
qui circa dentes necatur, aut cavis dentium cera includitur. Cavendum, ne avulsa herba
terram tangat.

30 CIX. 4. [1] Ranunculum vocamus, quem Græci batrachion. Genera ejus quatuor.
Unum pinguioribus, quam coriandri, foliis, & ad latitudinem malvæ accedentibus, colore
livido, caule albo, gracili, & radice alba. Nascitur in limitibus humidis & opacis. [3] Al-
terum foliosius, pluribus foliorum incisuris, altis caulibus. [4] Tertium minimum est, gra-
vi odore, flore aureo. [5] Quartum simile huic, flore luteo. [6] Omnibus vis caustica, si

NOTÆ.

tur, de quo sect. 62. Marcellus Empiricus, cap 12. pag. 93. *Quinquefolium, in quo fraga nascuntur, colligitur ex aqua marina, deinde ad tertias decoquitur, ex vino aut aceto, idque in ore diutius continetur: etiam exusta ejus herba cinis prodest, si eo dentes infricentur.* Habet hoc quoque Plinius Valerian. lib. 1. cap 36. E Græcis Diosc. lib. 4. cap. 42. Cum his Celsus, lib. 6. cap. 9. *de dentium dolore: Hujus rei causa quinquefolii radix in vino mixto recte coquitur*, &c.

7. *Et verbasci*] Diosc. lib. 4. cap. 104.

8 *Et hyssopo.*] Plinius Valer. lib 1. cap. 36. & Diosc. lib. 3. cap. 30.

9. *Et peucedani.*] Peucedani succus ad dentium dolorem mitigandum dentium cavis utiliter inditur, inquit Dioscor. lib. 3. cap. 92. Vide & Scribonium Largum, Compos. 56.

10. *Vel radicum.*] Naribus infusus ii succus dolorem dentium lenit, si in narem dolenti denti oppositam immissus fuerit. Diosc. lib. 2. cap. 209.

Sect. CVI 1. *Erigeron.*] Ἠριγέρων Dioscoridi, libro 4. cap. 97. Nostris, *Seneçon.* Genera quatuor pingit Dodonæus, pag 630. quorum priora tria in horto Regio vidimus.

2. *Herba est.*] Ita fere senecionem describit Dioscorides, loco cit.

3. *Nomen.*] Quasi ἦρι vel ἔαρι γέρων. Vide Apuleium, cap. 75.

4. *Caput ejus.*] Id quod extuberat, in quo semen est & lanugo, ut in carduis fere, aliisque cernimus.

5. *Qualis est spinæ.*] Spina præsertim solstitialis, quæ a Dodonæo pingitur, pag. 722. vel carduus, aut aliquid simile.

6. *Alii erucæ.*] Ex horum est numero Dioscorides, libro 4 cap. 97.

7. *Alii roboris.*] Qui nempe herbam esse voluerunt trixaginis similem, sive chamædryos, quæ cum quercu habet similitudinem aliquam.

8 *Radice alii.*] Diosc. loc. cit. Ῥίζα ἄχρηστος.

9. *Alii potu.*] Diosc loc. cit. non radicem, sed pappos, lanuginemve potu strangulare ait.

10. *Ischiadicis.*] Apuleius, cap. 75. tit. 5. *Ad lumborum & coxarum dolorem: Herba senecion per se trita, & jejuno in potu data, validissime prodesse fertur.*

Sect. CVII. 1. *Ephemeron.*] Ita fere Diosc. lib. 4. cap. 85. Ἐφήμερον, φύλλα ἔχει κρινῷ ὅμοια ... [illegible] ... ῥίζα δ' ἐστὶν ὑπὸ δακτύλου πάχος μία, &c. Pingitur a Matthiolo, in lib. 4. Diosc. pag. 1114. Vidimus in horto Regio.

2. *Caulem parem.*] Liliaco cauli altitudine pari.

3. *Dentibus.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med pag. 175.

4. *Chelidoniæ.*] Diosc. lib. 2. cap. 211.

5. *Erosis.*] Dentium dolorem coctum cum aceto veratrum nigrum collutione mitigare scribit Diosc. lib 4. cap. 151.

6. *Mobiles utralibet.*] Herba utralibet: chelidonia, veratrove.

Sect CVIII. 1. *Labrum Venereum*] Δίψακος est Dioscoridis, lib 3. cap. 13 cujus genera tria pingit Dodonæus, pag 723 quæ nos in horto Regio vidimus. Gallis, *Chardon à carder, ou de foulon.* Græcis perinde ac Latinis, Ἀφροδίτης λουτρόν.

2. *In flumine.*] Juxta fluenta, in aquosis & humidis.

3. *Est ei.*] Hoc iterum repetit, lib. 27. sect. 62. & lib. 30. sect. 8.

Sect. CIX. 1. *Ranunculum.*] Dioscoridi Βατράχιον, lib. 2. cap 206.

2. *Unum.*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit. Florem luteum idem addit esse interdum purpureum Gallis, *Bacinet.* Ranunculus est primus silvestris Dodonæi, pag. 423. Vide Notas & Emend. num. XVII.

3. *Alterum.*] Ranunculus silvestris secundus Dodonæi, loco citato. Hoc apiastrum illud, sive ut Diosc. ait, loc cit. agreste apium, σέλινον ἄγριον, quod antea indicavimus lib. 20. sect. 45. Eademque herba Sardonia appellata, & Scelerata.

4. *Tertium*] Diosc totidem verbis, loc. cit.

5. *Quartum.*] Vide Notas & Emend. num. XVIII.

6. *Omnibus.*] Diosc. loc. cit Galenus, lib. 6. de fac. simp. med pag. 163. Apuleius, cap. 8 tit. 1. *Herbam sceleratam tusam cum axungia sine sale impones vulneri: excomedet putredinem, & si qua fuerit sordes, expurgat: sed non dimittas pati ...*

cruda folia imponantur: pusulasque, ut ignis, faciunt. [7] Ideo ad lepras & psoras eis utuntur, & ad tollenda stigmata: causticisque omnibus miscent. [8] Alopecus imponunt, celeriter removentes. [9] Radix in dolore commanducata diutius, rumpit dentes. [10] Eadem sicca concisa, sternumentum est. [11] Nostri herbarii strumeam vocant, [12] quoniam medetur strumis, & panis, parte in fumo suspensa. [13] Creduntque ea rursus sata, rebellare quæ curaverint vitia: quo scelere [14] & plantagine utuntur. [15] Oris hulcera intus succus plantaginis emendat, & folia radicesque commanducata, [16] vel si rheumatismo laboret os. [17] Hulcera fœtoremque, quinquefolium: Hulcera psyllium.

C X. Composita quoque ad fœtorem, vel maxime pudendum vitium, trademus. [1] Ergo folia myrti & lentisci pari pondere, gallæ Syriacæ dimidium pondus, simul terere, & vino vetusto sparsa mandere matutino, ex usu est. [2] Vel ederæ baccas cum casia & myrrha, pari pondere ex vino. [3] Naribus utilissimum est dracontii semen contritum ex melle, etiamsi carcinomata in his sint. [4] Sugillata hyssopo emendantur. [5] Stigmata in facie mandragoras illitus delet.

NOTÆ.

quam necesse est, ne & corpus sanum exedat. Si argumentum vis experiri volueris, tunde eam, & super manum sanam impone, & allligato · statim rodit corpus.

7. *Ideo ad lepras.*] Galenus, loc. cit. Ταῦτ᾽ ἄρα συμμέτρως χρωμένη, καὶ ψώρας, καὶ λέπρας ἀποδέρει, καὶ ὄνυχας ἀφίστησι τῆς λέπρας, καὶ στίγματα ἀφαιρεῖ, καὶ ἀκροχορδόνας, καὶ μυρμηκίας ἀφαιρεῖ. Dalecampius, idcirco quia λέπρας Dioscorides prætermisit, hallucinatum hic Plinium putat, quasi ὄνυχας λεπροὺς, quod unum ille memorat, de lepris perperam iste intellexerit.

8. *Alopecus*] Diosc. & Galenus, locis citatis.

Radix] Diosc & Galenus, locis citatis.

10. *Eadem.*] Auctores mox laudati. Sternumentum esse autem ea dicitur, hoc est, sternutamentum concitare, trita videlicet, & admota naribus

11. *Nostri .... strumeam.*] In Reg. 2. & Chiffl. *Strumum eam.* Et in Indice, *Strumos.*

12. *Quoniam medetur.*] Apuleius, cap. 8. de herba scelerata, tit. 2. *Ad strumas & furunculos: Herba scelerata tusa & subacta cum fimo porcino, imposita strumis vel furunculis, intra paucas horas discutit, & pus ejiciet.*

13. *Creduntque.*] Vide quæ de iride diximus, lib. 21. sect. 83.

14. *Et plantagine.*] Hoc est, & in plantagine serenda iterum, ut iterum morbi recrudescant.

15. *Oris hulcera.*] Plinius Valer lib. 1. cap 30.

16. *Vel si rheumatismo.*] Fluxione noxii humoris.

17. *Hulcera fœtoremque.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 33. *Ad fœtorem oris: Radices quinquefolii ex aqua decoques, & subinde os collues, ita ut in ore aqua diu teneatur.*

Sect. CX. 1. *Ergo folia.*] Ad verbum Marcellus Empir. cap. 11. pag. 88. & Plinius Valer. lib. 1. cap 30.

2. *Vel ederæ*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 30. *Hederæ item baccæ, cum casia & myrrha pari pondere, ex vino commanducatæ, hulcera oris commendant.* Quod remedium Plinius noster ad fœtorem oris commendat, hoc Plinius alter ad oris hulcera perperam detorsit. Rectius Theod Priscianus, lib 1. cap. 11. ad narium fœtorem: *Fœtori vero narium*, inquit, *succum ederæ frequenter infundas, & draconteæ succum cum melle similiter.*

3. *Naribus.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap. 10. pag. 86 & Theod. Priscianus, loc. cit.

4. *Sugillata.*] Diosc. lib. 3. cap. 30.

5. *Stigmata.*] Diosc. loc. cit de mandragoræ foliis: *Si quinis, senisve diebus leniter affricentur, stigmata citra exhulcerationem delent.* Διατριβόμενα δὲ ἠρέμα ἐπὶ ἡμέρας ε΄ ἢ ϛ΄, στίγματα δίχα τοῦ ἑλκῶσαι ἀφανίζει.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXV
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 4. I. LIBERTUM *suum Lenæum, Grammaticæ artis, jussit.*] Libri editi, *Grammaticæ artis doctissimum*, quæ vox inserta temere ab interpolatore aliquo, nec Plinium sapit. Abest ea sane a MSS Reg. Colb. Chiffl. Sic lib. 30. sect. 6. *Adolescentibus nobis visus Apion Grammaticæ artis*, hoc est, Grammaticus. Et supra, lib. 7. sect. 40. *Grammaticæ artis Daphni Gnatio.* Libro 9. sect. 8 *Arionem quoque, citharœdicæ artis, interficere nautis in mari parantibus.*

Ibid. II. *Ex his Cratevas.*] In libris hactenus editis, ita legitur: *Ex his Evax rex Arabum, qui de simplicium effectibus ad Neronem scripsit: Cratevas*, &c. Interjecta verba nulli codices agnoscunt manu exarati, non Reg. Colb. Chiffl. aliive. Unde vero ea huc irrepserint, conjicere haud in promptu est. Meminit illius Marbodeus, lib de gemmis, fol. 6.

Evax rex Arabum, fertur scripsisse Neroni,
Qui post Augustum regnavit in orbe secundus:

Tiberium igitur Cæsarem intelligit, eum cui & Neronis cognomentum fuit, & summa post Augustum Reipublicæ cura commissa. Hunc Plinius Neronem nusquam vocat: ne si Neronem diceret, Domitius Nero intelligeretur. Pergit:

Quot species lapidis, quæ nomina, quive colores,
Quæque sit his regio, vel quanta potentia cuique:
Hoc opus excerpens dignum componere duxi,
Aptum gestanti forma breviore libellum.

At diversum id opus est ab eo quod de simplicium effectibus inscriptum esse dicitur. Hujus Evacis opera carmine elegiaco scripta haberi aiunt Ferrariæ, ac Viennæ Austriæ, inquit Andreas Tiraquellus, lib. de Nobil. cap 31. pag 194.

Sect. 7. III. *Tanta res videbatur, herbam invenire, vitam juvare.*] In libris ad hunc diem vulgatis, *ut res tanta debeatur*. In Reg. 2. *tanta res ut debeatur*: quæ sinceræ lectionis haud obscura retinent vestigia. Pintianus haud male quoque conjiciebat: *tanti res videbatur.*

Ibid. IV. *Et de hoc tamen indicatore avi experimento.*] In MSS. omnibus, *experimenta* legimus. Quare aut *visa*, aut *avi experimenta* malim: nam avi pro majoribus dici non admodum arridet.

Sect. 17. V. *Exprimitur separatim, & caulibus, foliisque: utuntur & radice.*] Prius vitiosa interpunctione legebatur, *& caulibus foliisque utuntur & radice*: perinde quasi e semine solo separatim, de quo proxime ante sermo erat, non etiam e caulibus foliisque, succus exprimeretur. Retexit errorem Dioscorides, lib. 4. cap. 69. Χυλίζεται δὲ ὁ καρπὸς ἅπαλος, καὶ τὰ φύλλα, καὶ οἱ καυλοὶ συνθλώμενοι, καὶ ἐκθλιβόμενοι, ἐν ἡλίῳ ξηραινομένου τοῦ ὑγροῦ.... Χυλίζεται δὲ καὶ τὸ σπέρμα αὐτοῦ κατ' ἰδίαν συνθλώμενον ξηρὸν &c. *Recenti semine, foliis, caulibusque tusis succus exprimitur, qui ad Solem exsiccatur.... Eliciitur & separatim succus ex semine, cum maturuit, &c.* Nec suam interim priori lectioni constare sententiam inficias eo.

Sect. 21. VI. *Radice fimbriata.*] Prius insulse, *vibrata*, legebatur. Secuti sumus fidem codicum MSS. Reg. Colb. Chiffl. & vet. Dalec. & quod hic multo certius est, Dioscoridem ipsum, cujus hæc verba de elleboro candido, lib. 4. cap. 150. Ῥίζαι δ' ὕπεισι πολλαὶ, λεπταὶ, ἀπὸ κεφαλίου μικροῦ καὶ ἐπιμήκους, ὥσπερεὶ κρομμύου, συμπεφυκυῖαι. *Radices subjacent numerosæ, tenues ut fibratæ, ab exiguo & oblongo capitulo, ceu cæpa, exeuntes, eidemque adnexæ.* Tradit eadem & de veratro nigro, cap. seq.

Sect. 24. VII. *Elephantiasi albæ.*] Sic MSS. omnes. Cur *albæ* Plinius addiderit, Dalecampius miratur: Apud Græcum scriptorem, a quo hæc mutuatus sit, legisse suspicatur idem, ἐλεφαντιάσι, λεύκῃ, deceptumque vocis ὁμωνυμίᾳ Plinium: cum sit λεύκη aliud nihil, quam vitiligo alba, quæ ab humore pituitoso fit, de qua nos alibi diximus. Verum elephantiasin incipientem, elephantiæ albæ nomine intelligi, discere medicus potuit ex Theodoro Prisciano, non illo quidem Cæsariensi Grammatico, sed medico perillustri, cujus exstant libri ad Timotheum, aliosque: Sic enim ille: lib. 1. cap. 32. *Sunt quibus certis ex accidentibus maculæ in corporibus frequentius inhæserunt. Sunt nigræ, sunt albæ, velut elephantiasin aliquando nuntiantes*: &c.

Ibid. VIII. *Spasticis cyniois.*] Ita MSS. Reg. Colb & vet. Dalec. quam vocem interpolatores Pliniani cum non intelligerent, *clinicis* reposuere: quod hic locum habere nullum potest. Est enim id verbum ægrotis omnibus commune, qui lecto affixi sunt.

Sect. 30. IX. *Medetur & iisdem morbis decocta succus.*] In libris hactenus vulgatis, *Medetur & omnium morbis*. In MSS. *& obvium*. Nos interim, dum certius occurrat aliquid, *& iisdem morbis*, rescripsimus, auctore Dioscor. lib. 3. cap. 46. qui enarratis centaureæ viribus, e radice præsertim, mox subdit, ὁ δὲ χυλὸς τὰ αὐτὰ ποιεῖ, *eadem succus etiamnum præstat.* Galenus quoque similiter, lib 7. de fac. simp. med. pag. 188. Τὰ δ' αὐτὰ τῇ ῥίζῃ καὶ ὁ χυλὸς αὐτῆς ἐργάζεται.

Sect. 38. X. *Specie thyrsi, foliis acanthinis.*] Prius legebatur, *spectatur foliis acanthinis*. At in Reg 1. *spectatur si foliis* &c. In Reg. 2. & Chiffl. *specie tunsi*. Nihil est nostra emendatione certius. Sic lib. 24. sect. 113. *Herba inepta.... thyrsi modo vestita atque capitata* dicitur. Atque ex ea sane intelligitur non esse Euphorbium integra facie delineatum ab herbariis, a Dodonæo quidem, pag. 374. & Lobelio in Observ. pag. 641. cum nullus ibi caulis, ramusve, aut thyrsus appareat: sed fructus dumtaxat, qui e radice prodeunt. Integram repræsentat Scaliger, in Cardan. Exercit. 181. pag. 586. *Afri, inquit, qui hodie e regno Fez & Marocho, cum Hispanis ineunt rationem commerciorum, aiunt esse spinosam plantam, silvestri cinaræ similem: ex ejus radice fructus exire, cucumerum specie, sed oblongos adeo, ut binos interdum pedes expleant vicenos, aut vicenos quinos numero. Ubi maturuerint, ferro punctim aperiuntur: ex quibus exit lactis liquor lentus, quem in utrem lapsum condunt. Etiamnum Alfarbiun vocant.* Hæc ille, quæ dudum antea occuparat Joannes Leo Africanus, lib. 9. Descript. Africæ, pag. 300. *Euphorbium est cujusdam herbæ liquor, quæ in modum capituli silvestris cardui nascitur, inter cujus ramos fructus quidam prodeunt, crassitudine viridis cucumeris, ad cujus etiam similitudinem grana quadam perparva emittunt: longitudine quidem alii ulnam excedunt, alii paulo etiam amplius. Atque hi quidem fructus non oriuntur ex planta ramis, sed velut stipites ex humo procedunt, & uno cespite sæpe viginti, nonnunquam etiam triginta nascuntur. Agrestes ejus regionis homines, ubi maturuerunt fructus, cultello pungunt, unde exit liquor lacti persimilis, qui sensim crassescit, & viscosus efficitur. Hunc cultello ita crassum ligorem tollunt, & in utres mittunt, atque sic exsiccatur. Planta est undique spinosa.*

Sect. 43. XI. *Scythica primam eam, quæ Scythice vocatur, circa Mæotim nascens, praedulcem.*] Ita libri omnes, tum editi typis, tum exarati manu. Placet tamen emendatio Pintiani, *circa Mæotim* legentis, tum quia hæc ipsa Theophrasti Scythice est, de qua ille, lib. 9. hist cap 13. Γλυκεῖα δὲ καὶ ἡ Σκυθική, καὶ ἔνιοι γε καλοῦσιν αὐτὴν ἐυθὺς γλυκεῖαν αὐτήν. Γίνεται δὲ περὶ τὴν Μαιῶτιν. Tum quia de hac ipsa Plinius sermonem iterum instituens, lib. 27. sect. 1. *Scythicam herbam*, inquit, *a Mæotidis paludibus*. Sequitur in eo Plinii loco, quem nunc versamus, *praedulcem alias, utilissimamque ad ea quæ spasmata vocant*. Sic enim ex MSS. Reg. Colbertinisque rescripsimus. Perperam in editis prius, *perdulcis: Aliam utilissimam ad ea* &c. extrita videlicet vocula *quæ*, ceterisque, quas restituimus, immutatis. Eamdem esse sane quæ Scythice vocatur, & circa Mæotim nascitur, cum ea quæ est ad spasmata utilis, docet aperte Theophr. his verbis, quæ superioribus statim adnectit: Χρησίμη δὲ αὕτη πρὸς τὰ ἄσθματα, καὶ πρὸς βῆχα ξηρὰν &c. *Utilis ad anhelitus, & ad tussim siccam*, &c. Unde & *asthmata* forte satius legi, quam *spasmata* cuipiam videatur, quod jampridem visum est Pintiano. Sed in MSS *sparmata* legimus, cui voci affinior est ea, *spasmata*.

Sect. 58. XII. *Quidam echion personatam vocant.*] Ita restituimus, tum auctoritate codicum MSS. Reg. Colb Chiffl. tum Parmensis etiam editionis: quibus & Index suffragatur, in quo ea ex ordine describenda promittit, quæ nunc persequitur: LVI. *De argemonia*, IV. LVII. *De agarico*, XXXIII.

LVIII. *Echio, genera II.* LIX. *Hierabotane* &c. Ipsa etiam argumenti ratio, in quo nunc Plinius habitat, apertissime ita legi postulat. Cum enim de echio proxime ante egerit, ex occasione ad personatam transit, quod echii nomine olim eo quoque venerit. Prius in editis legebatur, *quedam arcion*: transducta huc scilicet e sect. 66. ea voce, quæ persolatæ propria est, non personatæ.

[Sect. 81.] XIII. *Similiter ea, quam eucleam vocant.*] Sic libri omnes, etiam manu exarati, Reg. Colb. Chiffl. &c. tum hoc loco, tum vero in Indice. Reg. 2. *euplæam*. In libris quibusdam *eucleam* legi monet Dalecampius. Arripuit hoc avide Salmasius, in Præfat. ad Plin. ne calumniandi Plinio locum ullum prætermitteret. Is igitur *eucliam* scripsisse hunc asseveranter affirmat: adeoque inspicient ac furcam finxisse, ut ex his Theophrasti verbis eucliam herbam commentus sit, quæ nihil aliud significant, quam opinione Magorum antirrhinon, prodesse ad εὔκλειαν, hoc est, ad commendationem famæ sibi conciliandam. Καὶ τὰ περὶ τ̃ εὐκλείας, inquit, lib. 9. hist. cap. 21. ἢ εὐδοξίας ἀγαθοῦ ἢ μᾶλλον· εὔκλειαν γὰρ φασιν καὶ ποιεῖν τὸ ἀντίῤῥινον καλούμενον. Tantam vero supinitatem, quantam affingit Plinio, ne Salmasio quidem inesse, vel ipse putarem. Et benignioris animi, & ingenii cautioris videtur esse, de Magica incognitaque nobis herba sermonem hoc loco institutum suspicari, quam redarguendi studio vetustum scriptorem, alias, ut vidimus, perdiligentem, temere lacessere.

[Sect. 83.] XIV. *Alopecias emendat nymphæa & excita radix, si una trita illinatur*] In MSS. Reg. & Chiffl. *nymphææ latæ radix*, Dioscor. lib. 3. cap. 148. nymphæam cum pice impositum alopecias mederi scribit; hoc tantum: Ἀλωπεκίας τε σὺν πίσσῃ ἐπιτεθεῖσα ἰᾶται. Hic aliis lampadem trado.

[Sect. 91.] XV. *Succo vero minoris cum melle, culices, nubeculas, &c.*] Ita libri sane omnes: sed culex in oculo quid porro sit, alibi me legere non memini. *Caligines* scribi haud dubie sincerius fuerit, aut certe intelligi. Nam & Dioscor. lib. 3. cap. 9. de centaurio minore: Ὁ δὲ χυλὸς, inquit, ἁρμόζει τοῖς ὀφθαλμικοῖς ἔγχρισμα, διακαθαίρων τὰ ἐπισκοτοῦντα σὺν μέλιτι. *Succus oculorum medicamentis perquam utilis: quippe qui, quæ pupillis caliginem offundunt, una cum melle discutit.* Et Apuleius, cap. 35. tit. 2. *Ad oculorum vitia: Herba centauria minoris succo oculos inunges: aciem oculorum extenuatam sanat: adjecto etiam melle mirifice proficit: caligantibus quoque oculis & claritas restituitur.* Et Marcellus Empir. cap. 8. pag. 61. *Centaurea minoris succo oculi ex melle inuncti, caligine isto deposita, tenuissimam aciem resumunt.*

[Sect. 101.] XVI. *Usus ejus ad eadem quæ iris. Aizoi duo genera.*] Ita libri vulgati. At MS. Reg. 1. *ad eademque iridis. Aizoi* &c. Reg. 2. *ad eadem quæ iridis.* Vetus cod. Dalec. *iridis.* In Colb. 3. *quæ hyridis.* Malim, si faveant aliqui alii codices, *quæ prioris.* Vel certe, trajectis voculis, *Usus ejus ad eadem quæ aizoi. Horum duo genera.* Dioscor. enim, lib. 4. lib. 92. ubi de cotyledone disserit, Ποιεῖ δὲ, inquit, πρὸς ἃ καὶ τὸ ἀείζωον. *Usus eius ad eadem, quæ sempervivi.* Nam quod Salmasius in Solinum, pag. 705. legit, *ad eadem quæ minoris aizoi. Duo genera*: & longius id recedit a vestigiis antiquorum exemplarium, & abruptam facit orationem, quæ quo illa pertineant verba, *Duo genera*, ponit in ambiguo.

[Sect. 109.] XVII. *Unum . . . . caule albo.*] *Alio* scribi haud dubie multo est satius. Nam MSS. Reg. Colb. aliique, *alio*, non *albo*, præ se ferunt: & quod validius arbitror, Dioscorides, qui videtur ex Pliniano fonte hausisse, lib. 4. cap. 206. Καυλὸν δὲ ὡ πηχῦ scripsit, ἔχει δὲ ἄνω πήχεως. Et alias sane de caulis colore dicere nihil attinet.

[Ibid.] XVIII. *Tertium . . . . flore aureo. Quartum . . . . flore luteo.*] Ita sane libri omnes, tum impressi typis, tum vero etiam manu exarati: a quibus proinde desciscere, in tanta consensione, religio fuit. Haud dubio tamen in mendo locus hic cubat. Nam si Dioscoridem audimus, qui eadem ad verbum de quadrigemino batrachii genere recitat, lib. 2. cap. 206. *flore lacteo* legi præstabilius est. Καὶ τρίτος, inquit, σφόδρα μικρὸν καὶ δύσοσμον, τὸ ἄνθος χρυσοῦ ἔμφερον. Καὶ τέταρτος ὅμοιος τούτῳ, ἄνθος γαλακτῶδες. Neque vero quid flos luteus ab aureo discrepet, satis oculi nostri dijudicant. Adde Apuleium, qui Plinii verba transcripsisse omnino videtur, cap. 8. de Scelerata: *Sunt ejus species quatuor: quarum altera cum foliis pinguibus, atque crassis, & lanis. . . . Nascitur autem in stagnosis & umbrosis locis. Secunda est longioris thyrsi, & foliis latis cum incisuris, gustu acerrimo. Nascitur sæpe in Sardinia. Tertia & brevissima, tetri odoris, cum floribus aureis. Quarta est cum floribus lacteis.* Et Oribasii interpres, lib. 11. fol. 192. b. *flore lacteo* scripsit.

C. PLINII SECUNDI NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXVI.

CAP. I. I. SENSIT & facies hominum nouos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ, morbos: tunc quoque non tota Italia, nec per Illyricum Galliasve aut Hispanias magnopere vagatos, aut alibi, quam Romæ, circaque: sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ: sed tanta fœditate, ut quæcumque mors præferenda esset.

II. [1] Gravissimum ex his lichenas appellavere Græco nomine: Latine, quoniam a mento fere oriebatur, joculari primum lascivia, (ut est procax natura multorum in alienis miseriis,) mox & usurpato vocabulo, mentagram: occupantem in multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus, descendentem vero & in colla pectusque ac manus, fœdo cutis furfure.

III. Non fuerat hæc lues apud majores patresque nostros. Et primum Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio irrepsit in Italiam, quodam Perusino Equite Romano Quæstorio scriba, cum in Asia apparuisset, inde contagionem ejus importante. Nec sensere id malum feminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media: sed proceres veloci transitu osculi maxime: fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice, quam morbo. Causticis namque curabatur: ni usque in ossa corpus exustum esset, [1] rebellante tædio. Advenerunrque ex Ægypto genitrice talium vitiorum medici, hanc solam operam afferentes, magna sua præda. [2] Siquidem certum est, Manilium Cornutum [3] e Prætoriis legatum Aquitanicæ provinciæ, [4] H-S. $\overline{CC}$. elocasse in eo morbo curandum sese. Accidítque sæpius, ut nova contra genera morborum [5] gregatim sentirentur. Quo mirabilius quid potest reperiri? aliqua gigni repente vitia terrarum in parte certa, membrisque hominum certis, vel ætatibus, aut etiam fortunis, tamquam malo eligente, hæc in pueris grassari, illa in adultis: hæc proceres sentire, illa pauperes.

IV. [1] L. Paullo, Q. Marcio Censoribus, primum in Italiam carbunculum venisse, Annalibus [2] conscriptum est, peculiare [3] Narbonensis provinciæ malum: quo duo Consulares obiere condentibus hæc nobis eodem anno, [4] Julius Rufus, & [5] Q. Lecanius Bassus, ille medicorum inscientia sectus: hic vero pollice lævæ manus evulso acu ab semetipso, tam parvo vulnere, ut vix cerni posset. Nascitur in occultissimis corporum partibus, & plerumque sub lingua, duritia rubens vari modo, sed nigricans capite: alias livida, corpus intendens, neque intumescens, sine dolore, sine pruritu, sine alio quam

NOTÆ.

Sect. II. 1. *Gravissimum.*] Plinius Valer. hæc totidem fere verbis, lib. 2. cap. 56. Quod genus hoc morbi sit diximus, lib. 20. sect. 2. Tiberii Claudii Cæsaris nomine, sub quo hoc malum in Italiam irrepsisse mox Plinius dicit, ipsum (ut alibi) Tiberium Augusti successorem intelligit. Vide sect. VI.

Sect. III. 1. *Rebellante tædio.*] Recrudescente morbo.

2. *Siquidem.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. loco citato. Manlium Cornutum idem pro Manilio perperam vocat.

3. *E Prætoriis.*] Ex eorum numero qui Præturam gesserant.

4. *H-S. $\overline{CC}$.*] Hoc est, sestertiûm ducenties centena millia Monetæ nostræ libræ sunt 2000000. sive, ut aiunt, milliones librarum duo Quod si cui hoc valetudinis pretium incredibile videatur, haud gravate assentiar, ut extrita lineola legat, H-S CC. hoc est, ducenta sestertia: si quidem prius antiquum scribendi morem id ita ferre docuerit: eritque ea summa tantum librarum 20000.

5. *Gregatim sentirentur.*] A grege tantum & humili plebe sentirentur.

Sect. IV. 1. *L. Paullo*] L. Æmilius Paullus, Q. Marcius Philippus Censuram gessere,, ac lustrum fecere LIII. anno Urbis DXC.

2. *Conscriptum est.*] In Reg. 1. *constitutum* In Reg. 2. & Chiffl. *notatum*.

3. *Narbonensis provinciæ.*] Atque id morbi genus hodieque ibi sentitur, nomenque habet, *le Charbon Provençal*, ab ea regione. Vide Honor. Bouche, lib. 1. hist. Provinc. cap. 8. pag. 47.

4. *Julius Rufus.*] Consul hic fuit Neronis principatu, cum C. Fonteio Capitone anno Urbis DCCCXIX. Caius ei prænomen fuit.

5. *Q. Lecanius.*] Gesserat Consulatum C. Lecanius Bassus, cum M. Licinio Crasso Frugi triennio ante Rufum, de quo dictum est proxime, anno DCCCXVI. ut auctor est Tacitus, lib. 15. Annal. pag. 250 Sibi fuisse perfamiliarem Dioscorides in præfatione testatur.

somni indicio, quo gravatos in triduo aufert: aliquando & horrorem afferens, [6] circaque pusulas parvas, rarius febrem: stomachum faucesque cum invasit, ocyssime exanimans.

V. [1] Diximus elephantiasin ante Pompeii Magni ætatem non accidisse in Italia, [2] & ipsam a facie sæpius incipientem, in nare primum veluti lenticula: [3] mox inarescente per totum corpus, maculosa, variis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, [4] dura alibi, ceu scabie aspera: ad postremum vero [5] nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. [6] Ægypti peculiare hoc malum: & cum in reges incidisset, populis funebre. [7] Quippe in balineis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam. Et hic quidem morbus celeriter in Italia restinctus est: sicut & ille, quem [8] gemursam appellavere prisci, inter digitos pedum nascentem, etiam nomine obliterato.

VI. Id ipsum mirabile, alios desinere in nobis, alios durare, [1] sicuti colum. Tiberii Cæsaris principatu irrepsit id malum. Nec quisquam id prior Imperatore ipso sensit, magna civitatis ambage, cum edicto ejus excusantis valetudinem, legeretur nomen incognitum. Quid hoc esse dicamus, aut quas Deorum iras? Parum enim erant homini certa morborum genera, cum supra ccc. essent, nisi etiam nova timerentur? Neque ipsi autem homines pauciora sibi opera sua negotia important.

Hæc apud priscos erant, quæ memoramus, remedia, medicinam ipsa quodammodo rerum Natura faciente, & diu fuere. * [2] Hippocratis certe, qui primus medendi præcepta clarissime condidit, referta herbarum mentione invenimus volumina: nec minus Dioclis Carystii, qui secundus ætate famaque exstitit: item Praxagoræ, & Chrysippi, ac deinde Erasistrati: Herophilo quidem, quanquam subtilioris sectæ conditori, ante omnes celebratam rationem eam, paulatim usu efficacissimo rerum omnium magistro, peculiariter utique medicinæ, ad verba garrulitatemque [3] descendente. Sedere namque his in scholis [4] auditioni operatos gratius erat, quam ire per solitudines, & quærere herbas alias aliis diebus anni. (* Cap. II.)

VII. Durabat tamen antiquitas firma, [1] magnasque confessæ rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades ætate Magni Pompeii [2] orandi magister, nec satis in arte ea quæstuosus, ut ad alia, quam forum, sagacis ingenii, [3] huc se repente convertit: atque, ut necesse erat homini, qui nec id egisset, nec remedia nosset, oculis usuque percipienda; torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens omnia abdicavit: totamque medicinam [4] ad causam re- (Cap. III.)

NOTÆ.

6. *Circaque.*] Circa carbunculum.

Sect. V. 1. *Diximus*] Libro 20. sect 52. Plutarch. hoc ipsum ex Athenodoro Philosopho refert, lib. 8 Sympos. quæst. 9 pag. 731.

2. *Et ipsam a faci-.*] Totidem fere verbis hæc morbi facies a Marcello Empir. describitur, cap. 19. pag 130. Genus est lepræ, qua cutis aspera, & elephanti corio similis efficitur. Celsus, lib. 3. cap. 25. *Ignotus pæne in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem* ἐλεφαντίασιν *Græci vocant: isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis* &c. Hunc morbum σατυριασμὸν nomine Philosophus intellexit, lib. 4 de gener. anim. cap. 3. In Germaniæ quibusdam oris non infrequens morbus: in Hispania Africaque, quam in reliquo orbe frequentior: in Gallia Narbonensi, Aquitaniaque, quam in reliqua Gallia. Elephantia hæc Græcorum, sive lepra dicitur: a qua differt elephantia Arabum, qui insignis est unius vel alterius pedis tumor.

3. *Mox inarescente.*] Cute videlicet, quæ vox post paulo sequitur. Ita porro MSS. non *invalescente*, ut prius.

4. *Dura alibi.*] Celsus lib. 3. cap. 25. *Summa cutis inæquabiliter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur.*

5. *Nigrescente.*] Vide Notas & Emend. num. I.

6. *Ægypti.*] Marcellus Empiricus loc. cit.

7. *Quippe in balineis solia.*] Solium vas erat, in quo sedentes lavabantur.

8. *Gemursam.*] Festus: *Gemursa sub minimo digito pedis tuberculum, quod gemere faciat eum qui id gerat.*

Sect. VI. 1. *Sicuti colum.*] Κωλικὸν πάθος, morbus majoris intestini. Sunt qui κωλικὸν scribi malint. Vide Vossium in Etymol. verbo, *Colicus dolor.*

2. *Hippocratis.*] Tradit hæc ipsa Cornelius Celsus, in præfatione operis: *Democriti autem, ut quidam crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignus.... Post quem Diocles Carystius, deinde Praxagoras & Chrysippus: tum Herophilus, & Erasistratus, sic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diversas curandi vias processerint.... Donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit. Ex cujus successoribus Themison nuper ipse quoque quædam in senectute deflexit.* De Herophilo & Erasistrato rursum lib. 29. sect 3. 5. De Praxagora, Crinagoræ exstat epigramma, in Anthologia, lib. 4. tit. 13. Κριναγόρου εἰς εἰκόνα Πραξαγόρου ἰατροῦ.

> Αὐτός σοι Φοίβοιο πάϊς λαθικηδέα τέχνην
> Ἰδμοσύνην, παιάνη χειρὶ λιπηνάμενος,
> Πρηξαγόρη, τέρσοις ἐσμάξατο· τοὶ γὰρ ἀνίας
> Ὁρμῶνται δολιχῶν ἐμπνέουσι ἐκ πυρετῶν,
> Καὶ ὁπόσα τρηχεῖσιν ἐπὶ χροῒ ἄρμενα θεῖναι
> Φάρμακα, πρηΰνε ἔνθα παρ' Ἠπιόνης.
> Θνητοῖσιν δ' εἰ τοῖοι ἐπήρκεον ἰητῆρες,
> Οὐκ ἂν ἐπορθμεύθη νεκροβαρὴς ἄκατος.
>
> *Ipse manus Panaces succo tibi maximus unxit*
> *Phœbigena, atque artes tradidit ipse suas,*
> *Praxagora, fixitque animo: quos namque dolores*
> *Corporibus febris gignere longa solet,*
> *Et bene qua sectis ponantur in artubus herba,*
> *Quis liquor, a mite doctus es Epione.*
> *Si medici tales multis mortalibus essent:*
> *Non, ut nunc, umbris iret onusta ratis.*

Æsculapii conjux Epione, vel filia, fertur. Meminit & Tzetzes Praxagoræ. Υἱοὶ δ' Ἱπποκράτους δύο ὁ Θεσσαλὸς καὶ ὁ Δράκων οἳ καὶ τὸν Πραξαγόραν δὲ τὸν Κῷον καὶ ἑτέρους ἰατρεύειν ἐδίδαξεν.

3. *Descendente.*] Vide Notas & Emend num. II.

4. *Auditioni operatos.*] Hoc est, operam dantes: Sic *operari liberalibus studiis*, Tacitus: Virgilius, *novis arvis operata juventus*: Naso denique, *studiis operata Minerva*, Latine dixere.

Sect. VII. 1. *Magnasque.*] Diu servata ea ratio est, quæ remedia petebat ex herbis, cum essent confessæ omnibus & exploratæ ejus utilitates

2. *Orandi magister*] Hoc est, artis oratoriæ, ex qua instituebat ille sibi quæstum, nec tamen maximum in ea fecit. De Asclepiade egimus in Auctorum Indice.

3. *Huc se.*] Ad medicinæ tractationem.

4. *Ad causam revocando*] Ita Reg. 1. In Reg. 2. *causas*. Ad suas, inquit, singula quæque causas revocando, morbos scilicet, ac remedia, novam medicinam ex conjectura instituit.

vocando, conjecturæ fecit: quinque res maxime [5] communium auxiliorum professus; abstinentiam cibi, [6] alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes: quæ cum unusquisque semetipsum sibi præstare posse intelligeret, faventibus cunctis, ut essent vera quæ facillima erant, universum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo, quam si cælo emissus advenisset.

VIII. Trahebat præterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandoque tempestive, tum frigidam aquam. Et quoniam causas morborum scrutari prior Herophilus instituerat, vini rationem illustraverat Cleophantus apud priscos, ipse [1] cognominari se frigida danda præferens, ut auctor est M. Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, jam suspendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret: jam balineas avidissima hominum cupidine instituendo, & alia multa dictu grata atque jucunda: magna auctoritate: nec minore fama, cum occurrisset ignoto funeri [2] relato homine ab rogo, atque servato: ne quis levibus momentis [3] tantam conversionem factam existimet. Id solum possumus indignari, unum hominem [4] e levissima gente, sine opibus ullis orsum, [5] vectigalis sui causa, repente leges salutis humano generi dedisse, quas tamen postea abrogavere multi. Asclepiadem adjuvere multa, in antiquorum cura nimis anxia & rudia, [6] ut obruendi ægros veste, sudoresque omni modo ciendi: nunc corpora ad ignes torrendi, Solesve assiduo quærendi, [7] in urbe nimbosa, immo vero tota Italia imperatrice: tum primum [8] pensili balinearum usu ad infinitum blandientem. Præterea in quibusdam morbis medendi cruciatus detraxit, ut in anginis, [9] quas curabant in fauces organo demisso. [10] Damnavit merito & vomitiones, tunc supra modum frequentes. [11] Arguit & medicamentorum potus stomacho inimicos, [12] quod est magna ex parte verum. Itaque nos in primis quæ sunt stomacho utilia signamus.

Cap. IV. IX. Super omnia adjuvere eum Magicæ vanitates, in tantum evectæ, ut abrogare herbis fidem cunctis possent. [1] Æthiopide herba amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri. Achæmenide conjecta in aciem hostium trepidare agmina, ac terga vertere. Latacen dari solitam a Persarum rege legatis, ut quocumque venissent, omnium rerum copia abundarent: ac multa similia. Ubinam istæ fuere, cum Cimbri Teutonique terribili Marte ulularent, aut cum Lucullus tot reges [2] Magorum paucis legionibus sterneret? Curve Romani duces primam semper in bellis [3] commerciorum habuere curam? [4] Cur hercule Cæsaris miles ad Pharsaliam famem sensit, si abundantia omnis contingere unius herbæ felicitate poterat? Non satius fuit Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herba patefacere, quam machinis claustra per tot annos quatere? Siccentur hodie [5] Meroïde [6] Pontinæ paludes, tantumque agri [7] suburbanæ reddatur Italiæ.

Notæ.

5. *Communium Auxiliorum.*] Hunc libro suo titulum Asclepiades præfixerat. Celsus, lib. 2. cap. 14 de frictione *De frictione vero, inquit, & gestatione, adeo multa Asclepiades, tamquam inventor eius posuit, quod in eo volumine, quod Communium Auxiliorum scripsit, cum trium tantum faceret mentionem, vini scilicet, aquæ, & gestationis, tamen maximam partem in hoc consumpserit,* &c.

6. *Alias vini.*] Ita MSS. omnes. Hoc est, aliquando etiam vini.

Sect. VIII. 1. *Cognominari se.*] Forte Ψυχροδότης. De eo egimus in Auctorum indice.

2. *Relato homine.*] Id jam delibatum ante lib 7. sect. 57. Fabulam speciose narrat Apuleius, lib. 4. Florid. pag. 30. *Asclepiades ille*, inquit, *inter præcipuos medicorum, si unum Hippocratem excipias, ceteris princeps, primus etiam vino reperit ægris opitulari: sed dando scilicet in tempore: cuius rei observationem probe callebat, ut qui diligentissime animadverteret venarum pulsus inconditos vel præclaros. Is igitur cum forte in civitatem sese reciperet, ... aspexit in pomœriis civitatis funus ingens locatum.... Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa ... Etiam atque etiam pertractavit corpus hominis, & invenit in illo vitam latentem. Confestim exclamavit, vivere hominem,* &c.

3. *Tantam conversionem.*] Conversionem animorum a vetere instituto ad novam medicinam

4. *E levissima gente.*] Asiatica scilicet. Nam Prusiensis fuit.

5. *Vectigalis.*] Quæstus sui causa.

6. *Ut obruendi ægros.*] De hac curandi ratione Celsus, lib. 3. cap. 9. *Apud antiquos quoque, ait, ante Herophilum & Erasistratum, maximeque post Hippocratem, fuit Petro quidam, qui febricitantem hominem ubi acceperat, multis vestimentis operiebat, ut simul calorem ingentem sitimque excitaret. Deinde ubi paulatim remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat,* &c.

7. *In urbe nimbosa.*] Vide Notas & Emendationes, num. III.

8. *Pensili balinearum.*] Pensiles balneas invenisse primum Sergium Oratam vidimus lib. 9. sect. 79.

9. *Quas curabant.*] Medici priores specillo in fauces demisso, aliove simili instrumento, anginas curabant, non sine cruciatu

10. *Damnavit.*] Celsus, lib. 1. cap. 3. *Rejectum esse ab Asclepiade vomitum in eo volumine, quod de tuenda sanitate composuit, video: neque reprehendo, si offensus est eorum consuetudine, qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur:* &c.

11. *Arguit.*] Celsus, in præfat. lib 5. *Medicamentorum usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit: & cum omnia fere medicamenta stomachum lædant, malique succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem curam suam transtulit.*

12. *Quod est.*] Quod & magna pars medicorum vetat.

Sect. IX 1 *Æthiopide.*] De Æthiopide & Achæmenide, inter herbas Magicas dictum est superius, lib. 24. sect. 102.

2. *Magorum.*] Multos in Parthia regulos Magorum hoc nomine Plinius designat: non Mithridatem unum, vel Tigranem. Vide lib XXX. sect. 1.

3. *Commerciorum.*] Ne militi commeatus deesset, frustra laborant: Quin enim latacen sibi coemebant a Persis?

4. *Cur hercule.*] Frumenti penuria laborasse Cæsaris exercitum, scribit etiam Dio, lib. 41. pag 198. Vide & Tranquillum, in Julio, cap. 68.

5. *Meroide.*] Hoc est, herba Æthiopide, quam & Meroidem appellari admonuit, lib. 24. sect 102.

6. *Pontinæ.*] Sive Pompeinæ: qua de palude diximus, lib. 3. sect. 9. Destinabat hanc siccare Julius Cæsar, sub tempus cædis, ut auctor est Suetonius in ejus vita, cap. 44. Siccata quondam a Corn. Cethego Consule, anno Urbis DXCIV. ut auctor est Livius in Epitome, lib. 46. Hodie *Palude Pontine.* Siccari needum penitus potuere, tum propter amplitudinem, tum propter interfluentes amnes.

7. *Suburbanæ .... Italiæ.*] Ei parti Italiæ, quæ Urbi est proxima. Latium novum ac vetus intelligit. Eodem sensu Florus lib. 3. cap. 19 Siciliam appellat *provinciam quodammodo suburbanam*, quod erat ea Urbi vicina.

Nam

Nam quæ apud eumdem Democritum invenitur compositio medicamenti, quo pulcri bonique & fortunati gignantur liberi, cui umquam Persarum regi tales dedit? Mirum esset profecto, hucusque provectam credulitatem antiquorum, saluberrimis ortam initiis: si in ulla re modum humana ingenia novissent, atque non hanc ipsam medicinam ab Asclepiade repertam, [8] suo loco probaturi essemus evectam ultra Magos etiam. Sed hæc est 5 omni in re animorum conditio, ut a necessariis orsa primo, cuncta pervenerint ad nimium. Igitur demonstratarum priore libro herbarum reliquos effectus reddemus: adjiciemus, ut quasque ratio dictaverit.

X. Sed in lichenis remediis, atque tam fœdo malo, plura undique acervabimus, quanquam non paucis jam demonstratis. [1] Medetur ergo plantago trita, quinquefolium, 10 [2] radix albuci ex aceto, [3] ficulni caules aceto decocti, [4] hibisci radix cum glutino & aceto acri decocta [5] ad quartas. [6] Defricantur etiam pumice, ut rumicis radix trita ex aceto illinatur, [7] & flos visci cum calce subactus. [8] Laudatur & tithymali cum resina decoctum. [9] Lichen vero herba omnibus his præfertur, inde nomine invento. Nascitur in saxosis, folio uno ad radicem lato, caule uno parvo, longis foliis dependentibus. Hæc delet & 15 stigmata. Teritur cum melle. [10] Et aliud genus lichenis, petris totum inhærens, ut muscus, [11] qui & ipse illinitur. [12] Hic & sanguinem sistit vulneribus instillatus, & collectiones illitus. [13] Morbum quoque regium cum melle sanat ore illito, & lingua. Qui ita curantur, salsa lavari jubentur, ungi oleo amygdalino, [14] hortensiis abstinere. [15] Ad lichenas & thapsiæ radice utuntur trita cum melle. 20

XI. [1] Anginæ argemonia medetur sumpta ex vino: [2] hyssopum cum vino decoctum & gargarizatum: [3] peucedanum cum coagulo vituli marini æquis partibus. [4] Proserpinaca cum muria ex mænis & oleo trita, vel sub lingua habita. Item [5] succus de quinquefolio, potus cyathis tribus. Hic & omnibus faucium vitiis medetur gargarizatus: verbascum privatim tonsillis in aqua potum. 25

XII. [1] Strumis plantago: chelidonia cum melle & axungia: [2] quinquefolium: radix pet- CAP. V. folatæ, item cum axungia, operitur folio suo imposita. Item artemisia: [3] radix mandragoræ ex aqua. [4] Sideritis lata folia, clavo sinistra manu circumfossa adalligantur, custodienda sanatis, ne rursus sata dito herbariorum scelere [5] (ut in quibusdam) rebellet: quod in his, quos artemisia sanaverit, prædici reperio: item in his, quos plantago. [6] Damasonion, 3 quæ & alcea vocatur, sub solstitio collecta, imponitur ex aqua cælesti, folium tritum, vel radix cum axungia tusa, ita ut imposita folio suo operiatur. Sic & ad omnes cervicis dolores, tumoresque quacumque in parte.

NOTÆ.

8. *Suo loco.*] Libro 19. sect. 5. ubi de auctoritate, ac potentia medicorum, qua Magos etiam superarunt.

Sect. X. 1. *Medetur ergo plantago.*] Et hoc remedium ad ipsam quoque elephantiasin pertraxit Celsus. lib. 3. cap. 25. *Corpus*, inquit, *contrita plantago & illita inter optime curatur.*

2. *Radix albuci.*] Sive asphodeli, de quo lib. 21. sect. 68.

3. *Ficulni caules*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 129. *Ficulne caules teneri in aceto excocti, triti, & illiti, mentagra* (hoc est, licheni,) *medentur. Idem præstat hibisci radix cum lupino & aceto, ad tertias cocta & apposita.*

4. *Hibisci radix.*] Vide Notas & Emendationes, num. IV.

5. *Ad quartas.*] Marcellus Empir. loc. cit. *ad tertias.* Plinius Valer lib. 2. cap 56. *ad quartas.*

6. *Defricantur.*] Marcellus Empir. cap. 19 pag. 130. *Lapathi agrestis radices sarculo erue, easque sine ferro contunde: adjectoque acri aceto subige, & parum salis misce: atque ex eo omnem corporis asperitatem in balneo cum sudore confrica, cito sanat.* Est autem lapathum silvestre, rumex Latinis.

7. *Et flos visci.*] Pars ea visci levior, quæ inter coquendum supernatat. Marcellus Empir. cap. 19. pag 129. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 56. totidem hoc apicibus transscripsere.

8. *Laudatur.*] Plinius Valer. loc. cit. Tithymali succo hanc vim lichenas sanandi Dioscoridea adjudicat, lib. 4. cap. 165.

9. *Lichen vero.*] Lichen petræus, cauliculo pileolum sustinente, visus a nobis in horto Regio: delineatum a nemine herbariorum adhuc vidi, quos quidem legerim. Pictum tamen a nescio quo audio.

10. *Est aliud.*] Dioscor. lib. 4. cap 53. *Λειχὴν ὁ ἐπὶ τῶν πετρῶν, οἱ δὲ βρύον καλοῦσι, βρύον ἐστὶ προσκεχρημένον ταῖς ἐνδρόσοις πέτραις.* Ea est quæ omnibus tum officinis tum herbariis hodie dicitur Hepatica, quod jocinerum fibris similis conspicitur. Pingitur a Dodonæo, pag. 470. Sic etiam Anguillara, par. 14. pag 264.

11. *Quo & ipse illinitur.*] Ad sanandos lichenas Diosc. loc. cit. & Galenus, lib 7. de fac. simp. med. pag. 201.

12. *Hic & sanguinem.*] Dioscor. loc. cit. *Τοῦτο καταπλασθεὶς αἱμοῤῥαγίας ἵστησι, καὶ φλεγμονὰς παρηγορεῖ, καὶ λειχῆνας θεραπεύει.*

13. *Morborum quoque.*] Vide Notas & Emendationes, num. V.

14. *Hortensiis.*] Hoc est, omni olere.

15. *Ad lichenas.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 56.

Sect. XI. 1. *Anginæ.*] Faucium vitiis generatim & universe prodesse argemoniam scribit Marcellus Empir. cap. 15. pag. 110.

2. *Hyssopum cum vino.*] Vide Notas & Emendationes, num. VI.

3. *Peucedanum, &c.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 52.

4. *Proserpinaca.*] De ea dicemus, lib. 27. sect. 104. Marcellus, cap. 15. pag. 106. *Herba proserpinalis, quæ dracontion dicitur, contrita succo, admisceto salsam aquam, & olei parum: atque inde linguam, & quæ sunt circa linguam, & fauces, perfricato, donec vomat eis medebere, cito sanabitur.*

5. *Item succus.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 51. cui titulum fecit. *Anginæ medendo*, iisdem verbis: ut & Apuleius, cap. 2. de quinquefolio, tit. 6.

Sect. XII. 1. *Strumis.*] Apuleius, cap. 1. de plantagine, tit. xi. ad omnem corporis duritiam adhibet. Ad strumas, Dioscor. lib. 2. cap 153. & Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107.

2. *Quinquefolium.*] Apuleius, cap. 2. de quinquefolio, tit. 11. *Ad herpetas, & charadas, & omnes duritias: Herba quinquefolium aceto decocta, & trita & corpori imposita, herpetas, & charadas, & omnes duritias mirifice sanat.* Χοιράδας strumæ sunt: quibus quinquefolii tritam radicem prodesse ait Diosc. lib. 4. cap. 42.

3. *Radix mandragoræ.*] Diosc. lib 4. cap. 76. *Σὺν ὕδατι δὲ (ἡ ῥίζα λεία) χοιράδας καὶ φύματα λύει.*

4. *Sideritis lata folia.*] De qua lib. 25. sect. 19. *Nostri eam quæ est latissimo folio, scopam regiam vocant.*

5. *Ut in quibusdam.*] In ranunculo & plantagine, ut dictum est anteriore libro, sect. 109. In iride quoque, ut monuit idem, lib 21. sect. 83.

6. *Damasonium.*] Ad tumores commendatur a Dioscor. lib. 3. cap. 169.

XIII. 1. [1] Bellis in pratis nascitur, flore albo, aliquatenus rubente. Hanc cum artemisia illitam, efficaciorem esse produnt.

XIV. 2. [1] Condurdum herba solstitialis, flore rubro, suspensa in collo, comprimere dicitur strumas. [2] Item verbenaca, cum plantagine. [3] Digitorum vitiis omnibus, & pri-
5 vatim pterygiis, quinquefolium medetur.

XV. In pectoris vitiis vel gravissimum est tussis: [1] huic medetur panacis radix in vino dulci. [2] Succus hyoscyami etiam sanguinem exscreantibus: nidor quoque accensi tussientibus. [3] Item scordotis mixto nasturtio, & resina, cum melle tusa arida. [4] Facit & per se faciles exscreationes. [5] Item centaurium majus, vel sanguinem rejicientibus: [6] cui vi-
10 tio & plantaginis succus medetur. [7] Et Vettonica obolis tribus in aqua, contra purulentas, contraque cruentas exscreationes. [8] Persolatæ radix drachmæ pondere, cum pineis nucleis undecim. [9] Peucedani succus, pectoris doloribus, [10] & acorum subvenit, [11] & ideo antidotis miscetur. [12] Tussi daucum: item Scythica herba. [13] Ea demum omnibus pectoris vitiis, tussi, & purulenta exscreantibus, obolis tribus in passo. * [14] Totidem verbascum,
15 cujus est flos aureus. Tanta huic vis est, ut jumentis etiam non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus, auxilietur potu: quod & de Gentiana reperio. [15] Radix cacaliæ commanducata, & in vino madefacta, non tussi tantum, sed & faucibus prodest. [16] Hyssopi quinque rami cum duobus rutæ & ficis tribus decocti thoracem purgant.

XVI. 1. [1] Tussim sedat bechion, quæ & tussilago dicitur. Duo ejus genera. [2] Sil-
20 vestris ubi nascitur, subesse aquas credunt: & hoc habent signum [3] aquileges. [4] Folia sunt majuscula, quam ederæ, quinque aut septem, subalbida a terra, superne pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. [5] Quidam eamdem esse bechion & alio nomine chamæleucen putant. [6] Hujus aridæ cum radice fumus per arundinem haustus & devoratus, veterem sanare dicitur tussim: sed in singulos haustus passum gustandum
25 est.

XVII. 2. [1] Altera a quibusdam salvia appellatur, similis verbasco: conteritur ea & colata calefit, atque ita ad tussim laterisque dolores bibitur: contra scorpiones eadem &

NOTÆ.

Sect. XIII. 1. *Bellis.*] Bellis hæc silvestris est disco luteo, foliolis ex albo rubro mixtis, in Eystettensi horto picta, visa a nobis in Regio. E genere earum est, quas vulgus appellat *Pasquettes*, & *Marguerites*.

Sect. XIV. 1. *Condurdum*] Herbariis ad hunc diem haud liquet quid condurdum sit. Ac nihilo magis compertum, cane sit solstitialis herba, cujus meminit in Pseudolo Plautus, act. 1. sc 1. vers 36.

Quasi solstitialis herba, paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.

2. *Item verbenaca.*] Apuleius, cap. 3. de verbenaca, tit. 2 *Ad strumas Herba verbenaca radix in collo ligata, summe juvat.* De plantagine idem Dioscorides affirmat, lib. 2 cap. 153.

3 *Digitorum*, &c.] Diosc. lib 4. cap. 42

Sect XV. *Huic medetur.*] Diosc. lib. 3. cap. 55. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 58

2. *Succus*, &c.] Marcellus Empir. cap. 17 pag. 125. & Plinius Valer lib 4. cap. 69

3. *Item scordotis*, &c.] Totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap. 125.

4 *Facit & per se.*] Hoc est, sola. Diosc. loc. cit.

5. *Item centaurium*] Marcellus Empir. cap 16. pag. 118. *Herba centaurea trita ex vino dulci bibitur, tussi laborantibus mire prodest, etiam his qui sanguinolentum aut purulentum exspuunt, quos phthisicos dicunt.* Galenus quoque, lib 7. de fac. simp. med. pag. 188.

6. *Cui vitio*, &c.] Diosc. lib. 2. cap. 152

7. *Et Vettonica.*] Marcellus Empir cap 16. pag. 120 non tamen in aqua, sed in passo præbet. Paulo aliter temperat Antonius Musa, sive quis alius, libello de herba Vettonica, tit. 9. & 30 Dioscor. quoque, lib 4. cap 1 & Galenus, loc. cit pag. 189

8. *Persolata.*] Sic Diosc. lib 4. pag 107. de arcio sive persolata: [Greek] *Drachmæ unius pondere pota cum pineis nucleis, cruenta exspuentibus, purulentaque exscreantibus auxiliatur.*

9. *Peucedani.*] Diosc. lib 3. cap. 92.

10. *Et acorum*] Radice videlicet. Diosc lib. 1. cap 2.

11. *Et ideo*] Diosc. loc. cit. [Greek]

12. *Tussi daucum.*] Dioscor. lib. 5. cap. 83. [Greek]

13 *Ea demum.*] Et pectorum quoque vitiis glycyrrhizam commendat Diosc. lib. 3 cap 7.

14. *Totidem.*] Totidem, inquit, obolis bibitur verbasculum illud, cujus flos aureus est. Blattariam intelligit, similem verbasco, quæ sæpe fallit pro ea capta, flore luteo, de qua lib. 25. sect. 60.

15. *Radix cacaliæ.*] Diosc. lib. 4. cap. 123. & Galenus pariter lib 7. de facult. simpl. medic. pag. 183.

16. *Hyssopi quinque*] Vide Notas & Emend. num VII. Audiendus interim Augustinus, Enarrat in Psal. L. *Aliquid etiam dicam, quod a medicis solemus audire, vel experiri in ægrotis. Hyssopum dicunt purgandis pulmonibus aptum esse*, &c.

Sect. XVI. 1. *Tussim sedat.*] Sic Diosc lib. 3. cap. 126. A tussi quam Græci Βήχα appellant, in utraque lingua nomen habet. Herbariis & Officinis *Ungula Caballina*, vulgo *Pas equina*, inquit Ruellius, lib 3. de nat stirp cap. 60. pag 557. A nonnullis *Farfara*. Aliis, *Pas d'asne*, *Tussilage*, ut diximus lib. 24. sect. 85.

2. *Silvestris*, &c.] Diosc. loc. cit. nasci ait circa scaturigines, [Greek]

3. *Aquileges.*] Aquarum indagatores, aquarum libratores: ab aquis legendis, sive colligendis dicti. Usi ea voce Seneca, lib 3. Natur. quæst. cap 15. & Plinius junior, epist. 38. ad Trajanum, lib. 10.

4. *Folia sunt.*] Dioscor ita fere, loc. cit. Folia χλωρὰ dixit: Plinius *pallida* transtulit: adjecitque sine caule esse ac sine flore, quoniam scilicet fugacissimi, usque enatis brevi vigor & vita durat, longissimaque mora biduum: post quod illico tempus flaccentes evanescunt, caducique marcent. Quare nonnisi iis qui medio vere sese forte fortuna ferunt obviam, & flos & caulis cernitur. Ita fere Ruellius, lib 3 pag. 557

5. *Quidam.*] Et illi quidem recte, ut ante monuimus, lib 24 sect. 85.

6. *Hujus aridæ.*] Diosc. loc cit. & Galenus, lib 6. de fac. simpl. med. pag 164. Marcellus Empir. cap. 16. pag 121. Ad tussem remedium efficax: *Herba quæ Gallice Calliomarcus, Latine equi ungula vocatur, collecta Luna vetere Liduna die Jovis, siccata prius in ollam novam mittitur cum prunis ardentibus quæ intra ollam mitti debent: superficies sane ejus argilla diligenter claudi debet, & calamus infera, per quem humor vel fumus caloris hauriatur intra os, donec arteriam omnem & stomachum penetret.* Unde & illud intelligis, veteribus Gallis *Calliomarcum* idem valuisse atque equinam ungulam *March* certe veteribus Gallis, hodieque Britonibus Aremoricis *equum* sonat: quod & Pausanias testatus in Phocicis, seu lib. 10. pag 645. *Liduna* porro, quæ vox in eo Marcelli loco, aliisque occurrit, Lunam decrescentem significat, ut abunde declarat Du-Cangius in Glossario, verbo *Lede*

Sect XVII. 1 *Altera.*] Silvestre hoc verbasculum esse, simile salviæ, de quo diximus libro anteriore, sect. 73. cum Ruellio, non ignobili sane herbario, suspicamur.

dracones marinos efficax. Contra ſerpentes quoque ex oleo perungi ea prodeſt. [2] Hyſſopi faſciculus cum quadrante mellis decoquitur ad tuſſim.

XVIII. [1] Lateris & pectoris doloribus verbaſcum cum ruta ex aqua: [2] Vettonicæ farina bibitur ex aqua calida. CAP. VII.

[3] Stomachum corroborat ſcordotis ſuccus: [4] centaurium, [5] Gentiana ex aqua potæ. Plantago aut per ſe ſumpta in cibo, aut cum lente, alicæve ſorbitione. [6] Vettonica alias gravis ſtomacho, vitia tamen ſanat pota, vel foliis commanducata. Item ariſtolochia pota: [7] agaricum manducatum ſiccum, ut ex intervallo merum ſorbeatur: [8] nymphæa heraclia illita: [9] peucedani ſuccus. [10] Pſyllion ardoribus imponitur: [11] vel cotyledon trita cum polenta, vel aïzoum.

XIX. 1 [1] Molon ſcapo eſt ſtriato, foliis mollibus, parvis, radice IV. digitorum, in qua extrema allii caput eſt. Vocatur a quibuſdam ſyron. Ex vino ſtomacho, & dyſpnœæ medetur: [2] centaurium majus eclignate: [3] plantago ſucco vel cibo: Vettonicæ tuſæ pondo libra, mellis Attici ſemuncia, ex aqua calida quotidie bibentibus. [4] Ariſtolochia, [5] vel agaricon, obolis ternis ex aqua calida, aut lacte aſini pota. [6] Ciſſanthemos ad orthopnœas bibitur: [7] item hyſſopum & aſthmaticis. [8] Peucedani ſuccus in jocineris doloribus, & pectoris laterisque, ſi febres non ſint. [9] Sanguinem quoque exſpuentibus ſubvenit agaricum, Victoriati pondere tritum, in mulſi quinque cyathis datum. Idem & amomon facit.

Jocineri privatim Teucria bibitur recens, drachmis IV. in poſcæ hemina: [10] Vettonicæ drachma una in aqua calida cyathis tribus: [11] ad cordis vitia, in frigidæ cyathis duobus. [12] Quinquefolii ſuccus jocineris, & pulmonis vitiis, ſanguinemque rejicientibus, & cuicumque ſanguinis vitio intus occurrit. [13] Jocineri anagallides mire proſunt. [14] Capnon herbam qui edêre, bilem per urinam reddunt. [15] Acoron jocineri medetur, thoraci quoque, & præcordiis.

XX. 2. [1] Ephedra, ab aliis anabaſis vocata, naſcitur ventoſo fere tractu, ſcandens arborem & ex ramis propendens, folio nullo, cirris numeroſa, qui ſunt junci geniculati, radice pallida. [2] Datur ex vino nigro auſtero trita ad tuſſim, ſuſpiria, tormina: & ſorbitione facta, in quam vinum addi convenit. Item Gentiana madefacta pridie contrita denarii pondere in vini cyathis tribus.

XXI. 3. [1] Geum radiculas tenues habet, nigras, bene olentes. Medetur non modo pectoris doloribus, aut lateris, ſed & cruditates diſcutit, jucundo ſapore. [2] Verbenaca

NOTÆ.

2 *Hyſſopi.*] Celſus, lib. 4. cap. 4. de tuſſi. *Oportet hyſſopum altera quoque die bibere.*

Sect. XVIII. 1. *Lateris*, &c] Totidem fere verbis Marcellus Empir. cap. 24. pag. 169.

2. *Vettonica.*] Marcellus Empir. loc. cit. & cap. 17. pag. 125. & 126. Anton. Muſa, ſive quis alius, lib. de Vettonica, tit. 8. & 14.

3. *Stomachum.*] Dioſc. lib. 3 cap. 125. ad ſtomachi roſiones commendat. Ad ſtomachi morſus, quod idem eſt, Marcellus Empir. cap 20. pag. 139.

4. *Centaurium.*] Marcellus Empir. loc. cit *Centaurea tenuis ſuccus, quantum cicer, ex aqua datus, ſtomachicis prodeſt.*

5. *Gentiana.*] Dioſcor. lib. 3. cap. 3.

6. *Vettonica.*] Anton. Muſa, tit. 10. *Ad ſtomachi dolorem.* Et Marcellus Empir. cap 16. pag. 117. Item cap. 20. pag. 142. 145. & 148.

7. *Agaricum*, &c.] Dioſc. lib. 3 cap. 1.

8 *Nymphæa.*] Dioſc. lib. 3. cap. 148.

9. *Peucedani.*] Marcellus Empir. cap. 20. pag. 151. *Peucedani radicem contritam ex vino qui frequenter biberit, nec ſtomachi dolorem, nec pulmonis inflationes patietur.* Sic etiam Dioſc. lib. 3. cap. 92.

10 *Pſyllion.*] Dioſc. lib. 4 pag. 70. vim ei ſumme refrigerandi tribuit.

11. *Vel cotyledon.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 92. ſtomacho pariter æſtuanti imponit.

Sect. XIX. 1. *Molon.*] Μῶλυ videtur eſſe Dioſcoridis, lib. 3. cap 54. ut recte ſuſpicatus eſt Anguillara, par. 11 pag. 215. ſed accuratius a Latino ſcriptore, quam a Græco deliniatum. Pingitur a Cluſio, lib. 2. hiſt. rar. plant. pag. 192. quale vidimus in horto Regio Frequens in Dalmatia.

2. *Centaurium majus.*] Dioſc lib. 3. cap. 8 & Galenus, lib. 7. de fac. ſimpl. med. pag. 188. De minore id quoque prodidit Marcellus Empir. cap. 17. pag. 123.

3. *Plantago.*] Dioſc. lib. 2. pag. 153.

4. *Ariſtolochia.*] Et hanc dyſpnœæ ſive ſuſpirioſis opitulari ſcribit Dioſc. lib. 3. cap 6.

5. *Vel agaricon.*] Sic Dioſc. lib. 3. cap. 1.

6. *Ciſſanthemos.*] Cyclaminos nempe ciſſanthemos, de qua ſuperiore libro, ſect. 68. De ea Dioſc. lib. 2. cap 195. Πίνεται δὲ καὶ πρὸς ὀρθόπνοιαν.

7. *Item hyſſopum.*] Dioſc. lib 3. cap. 30. & Marcellus Empir cap. 17. pag 123.

8. *Peucedani.*] Dioſc. lib. 3. cap. 92.

9. *Sanguinem quoque.*] Dioſc lib. 3 cap. 1.

10 *Vettonicæ drachma.*] Anton. Muſa, tit. XI. *Ad jocineris dolorem: Vettonicæ drachmas tres, aquæ calidæ cyathos quatuor bibat.* Dioſc. lib. 4. cap. 1 Vettonicam drachmæ unius pondere adhibet in aceto mulſo, μετ' ὀξυμέλιτος ὁλκῆς α'. ἡπατικοῖς. Vide & Marcellum Empir. cap. 22. pag. 160.

11. *Ad cordis vitia.*] Ἐν καρδιαλγίᾳ, in affectu ſtomachi, ſeu oris ventriculi dolore. Eſt enim os ſtomachi καρδία, ut alibi diximus.

12 *Quinquefolii.*] Dioſc. lib. 4. cap 42. Αἱμοῤῥαγίας ἴσησι ... Et paulo antea: Ὁ δὲ χυλὸς ... [illegible]

13. *Jocineri.*] Dioſc. lib. 2. cap. 209.

14 *Capnon.*] Dioſc. lib 4. cap 110. de capno fruticoſa, quam alteri effectu ſimilem eſſe ac nomine Plinius admonuit, libro ſup. ſect 99. ... δὲ ἡ πόα, inquit, ... χολώδη. Sic etiam Galenus, lib. 7. de facult. ſimpl. medic. pag. 184.

15. *Acoron*, &c.] Totidem verbis Dioſc lib. 1. cap. 3.

Sect. XX. 1. *Ephedra, ab aliis.*] Prius legebatur, *Caucon quæ & ephedra*, &c. Sed priores voces nulli codices MSS. exhibent, ne in Indice quidem. Dioſcoridis hæc ἵππουρις eſt, lib. 4. cap. 46. In Nothis, οἱ δὲ ἀνάβασιν, οἱ δὲ ἐφέδραν, (lege οἱ δὲ ἐφέδραν) .... Ῥωμαῖοι, ἐκουϊσάλις, οἱ δὲ σάλιξ ἐκουσάλις, οἱ δὲ ἀναβάτον, οἱ δὲ ἔφεδρον κυλλεῖν. Hoc equiſetum majus, pictum a Dodonæo, pag 73. viſum a nobis in horto Regio. Officinis, Cauda equina: aliis, ſalix equinalis: Gallis, *Queue de cheval*. Vide Anguillar. par. 12. pag. 105. A ſeſſili foliorum ſeu juncorum poſitu, ἐφέδρα, & ſect 77. & 83. ἔφεδρος. A reptili arborum aſcenſu, ἀνάβασις dicitur. Non quod iis ſe circumvolvat, innectatve claviculis: juxta tantum ac pone gaudet conſiſtere.

2. *Datur ex vino.*] Dioſc loc. cit.

Sect. XXI. 1. *Geum.*] Caryophyllata hæc vulgaris eſt, picta a Dodonæo, pag. 137. viſa a nobis in horto Regio: quod nomen obtinuit ab odore caryophyllorum, quem odores præ ſe ferunt. A nonnullis Sanamunda, & Benedicta dicitur: Gallis, *Saliot.*

2. *Verbenaca.*] Ad vitia ſane jocinerum quod attinet, ſubſcribit Apuleius, cap. 3. de verbenaca, tit. 4. *Ad hepa-*

vero omnibus visceribus medetur, lateribus, pulmonibus, jocineribus, thoraci. Peculiariter autem pulmonibus, & quos ab his phthisis tentat, [3] radix herbæ consiliginis, quam nuper inventam diximus: Suum quidem & pecoris omnis remedium præsens est pulmonum vitio, vel trajecta tantum in auricula. Bibi debet ex aqua, haberique in ore assidue sub lingua. Superficies ejus herbæ an sit in aliquo usu, adhuc incertum est. [4] Renibus prodest plantaginis cibus, [5] Vettonicæ potus, [6] agaricum potum, ut in tussi.

XXII. 1. [1] Tripolium in maritimis nascitur saxis, [2] ubi alludit unda, neque in mari, neque in sicco, folio isatis crassiore, palmo alto, in mucrone diviso, radice alba, odorata, crassa, calidi gustus. Datur hepaticis in sarte decocta. [3] Hæc herba eadem videtur quibusdam, quæ polium, de qua [4] suo loco diximus.

XXIII. 2. [1] Gromphæna, alternis viridibus roseisque per caulem foliis, in posca sanguinem rejicientibus medetur.

XXIV. 3. [1] Jocineri autem herba malundrum, nascens in segete ac pratis, flore albo odorata. Ejus cauliculus conteritur ex vino vetere.

XXV. 4. [1] Item herba chalcetum e vineis contrita imponitur. [2] Faciles præstat vomitiones radix Vettonicæ, ellebori modo, IV. drachmis in passo aut mulso. [3] Hyssopum tritum cum melle utilius, præsumpto nasturtio aut irione:

5. [4] Molemonium denarii pondere. [5] Est & silybo lacteus succus, qui densatus in gummi, sumitur cum melle supradicto pondere: præcipueque bilem trahit. Rursus sistunt vomitionem cuminum silvestre, Vettonicæ farina: sumuntur ex aqua. [6] Abstergunt fastidia, cruditatesque digerunt, daucum, Vettonicæ farina ex aqua mulsa, plantago decocta caulium modo. [7] Singultus hemionium sedat: [8] item aristolochia. [9] Suspiria clymenos. [10] Pleuriticis & peripneumonicis centaurium majus: [11] item hyssopum bibitur. Pleuriticis peucedani succus.

XXVI. 6. [1] Halus autem, [2] quam Galli sic vocant, Veneti cotoneam, medetur lateri: [3] Item renibus, convulsisque & ruptis. [4] Similis est cunilæ bubulæ, cacuminibus thymo, dulcis, & sitim sedans, radicis alibi albæ, alibi nigræ.

XXVII. 7. Eosdem effectus in lateris doloribus habet [1] chamætops, myrteis circa caulem geminis foliis, capitibus Græculæ rosæ, ex vino pota. [2] Ischiadicos dolores & spinæ levat agaricum potum, [3] ut in tussi.

8. Item stœchadis, [4] aut Vettonicæ farina ex aqua mulsa.

CAP. VIII. XXVIII. Plurimum tamen homini negotii alvus exhibet, cujus causa major pars mortalium vivit. Alias enim cibos non transmittit, alias non continet, alias non capit,

Notæ.

tis dolorem: Herba verbenaca solstitio lecta, & in pulverem redacta, & potui sumpta mire proficere creditur, &c. quæ totidem verbis Marcellus Empir. cap. 22. pag. 160.

3. *Radix herbæ .... diximus.*] Libro superiore, sect. 48. Hoc etiam prodidit Columella, lib 7. cap. 5. pag. 262. *Ovem pulmonariam*, inquit, *similiter ut suem curare convenit, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant*, &c. Et libro 6. cap. 5. pag. 217. *Præsens etiam remedium cognovimus radiculæ, quam pastores consiliginem vocant. Ea in Marsis montibus plurima nascitur, omnique pecori maxime est salutaris.* Vide Notas & Emendationes, num. VIII.

4. *Renibus.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 179. imponi ex melle jubet: bibi in passo Dioscorides, lib 2. cap. 153.

5. *Vettonica.*] Diosc. lib. 4. cap. 1. Καὶ νεφριτικοῖς μεθ' ὕδατος. Anton. Musa, tit. 13. *Ad renum dolorem: Vettonicæ drachmas duas ex mulsæ cyathis duobus, dum biberit, sanus erit.*

6 *Agaricum.*] Diosc. lib. 3. cap 1.

Sect. XXII. 1. *Tripolium.*] Diosc. lib. 4. pag. 135. totidem verbis: Τριπόλιον φύεται ἐν παραθαλασσίοις τόποις, ὅπου ἐπικλύζει ἡ θάλασσα, καὶ ὑποχωρεῖ, &c. Vulgare trifolium a Lobelio pingitur, in Observat. pag. 157. atque hoc ipsum esse Dioscorideum tripolium arbitratur. Vidimus in horto Regio. Τριπόλιον dicitur, quasi ter canescens: Ter in die floris colorem mutat.

2. *Ubi alludit unda.*] In MSS Reg & Chiffl. *abludit.*

3. *Hæc herba ... videtur.*] Sed non recte iis videtur.

4. *Suo loco diximus.*] Libro 21 sect. 21.

Sect. XXIII. 1. *Gromphæna.*] Herbariis adhuc ignota.

Sect. XXIV. 1. *Jocineri ... malundrum.*] Sic MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice: non, ut editi, *melandryum*: quod ineptum est, si flore albo odorata ea herbula est Herbariis & officinis perinde incognita.

Sect. XXV. 1. *Item herba chalcetum.*] Neque hæc adhuc cognita.

2. *Faciles præstat.*] Diosc. lib. 4 cap. 1. Ῥίζαι δὲ .... φλεγματώδη προσενεχθεῖσαι ἐμέτους μεθ' ὑδρομέλιτος ποιοῦμεν.

3. *Hyssopum.*] Sic temperatum nasturtio, vel iride, ad subducendam alvum Dioscorides adhibet, lib. 3. cap. 30.

4 *Molemonium.*] Sic libri omnes, etiam MSS tum hoc loco, tum in Indice. Sed *Lemonium* utrobique legi satius credimus, ut libro superiore, sect. 61.

5. *Est & silybo.*] Diosc. lib. 4. cap. 159. *Stillans*, inquit, *e radice liquor drachmæ seu denarii pondere potus ex aqua mulsa vomitiones ciet*: Τῆς δὲ ῥίζης ὁ ὀπὸς ἐμέτου ὁλκὴ ποθεῖσα σὺν μελικράτῳ ἐμέτους κινεῖ. Carduus est lacteus Lobelii, in Observat pag. 479. Carduus Mariæ Tragi. Carduus leucographus Dodonæi, pag. 710. visus a nobis in horto Regio. Itali *Cardo Maria*, & a lactis copia *Cardo Lettario* vocitant, teste Anguillara, par. 8. pag. 151.

6. *Abstergunt fastidia.*] De Vettonica quidem Anton. Musa, tit. 37. *Ægris fastidientibus cibos: Vettonicæ drachmas duas ex aqua mulsæ cyathos tres bibat: sanatur.*

7. *Singultus.*] Diosc. lib. 3. cap. 151. de aspleno, sive hemionio. Λυγμῷ βοηθεῖ.

8. *Item aristolochia.*] Dioscor lib. 3. cap. 6.

9. *Suspiria.*] Diosc. lib. 4. cap 14. de periclymeno, quam esse clymenon Plinii diximus.

10. *Pleuriticis & peripn.*] Diosc. lib. 3. cap. 8.

11. *Item hyssopum.*] Diosc. lib. 3. cap. 30.

Sect. XXVI. 1. *Halus autem.*] Ita scribitur adjecto spiritu, tum hoc loco, tum in Indice, etiam in MSS. Eodem sublato, *alus*, lib 27 sect. 24. Consolidam vocat Apuleius, cap. 59. Symphytum illud est, seu consolida major, picta a Matthiolo, in lib 4. Diosc. pag. 961 Vidimus in horto Regio. *Grande Consolide, Oreille d'asne.* De ea nunc Plinius obiter, quod laterum dolori, ut superiores aliæ, medeatur.

2. *Quam Galli.*] Circumpadani.

3 *Item renibus*, &c.] Diosc. lib. 4 cap 9. de symphyto petræo: & Apuleius, loc. cit.

4. *Similis est.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XXX 1. *Chamætops.*] Sive trixago, quam & chamædropem vocari vidimus, lib. 24 sect. 80

2. *Ischiadicos.*] Hoc est, coxendicum dolores. Dioscor. lib. 3 cap. 1. Ποιεῖ καὶ πρὸς ἰσχίας ἀλγοῦντας

3. *Ut in tussi.*] Hoc est, siccum si commanducetur, ita ut ex intervallo merum sorbeatur, uti dictum est sect. 18.

4. *Aut Vettonica.*] Anton. Musa, tit. 45. Ad lumborum & coxarum dolores. Dioscor. lib. 4. cap. 1. Ἰσχιαδικοῖς τε μεθ' ὕδατος.

alias non conficit. Eoque mores venêre, ut homo maxime cibo pereat. Pessimum corporum vas instat, ut creditor, & sæpius die appellat. Hujus gratia præcipue avaritia expetitur: huic luxuria conditur: huic navigatur ad Phasin: huic profundi vada exquiruntur. Et nemo vilitatem ejus æstimat, [1] consummationis fœditate. [2] Ergo numerosissima est circa hanc medicinæ opera.

[3] Sistit eam scordotis recens, drachma cum vino trita, vel decocta potu. [4] Polemonia quoque & dysentericis ex vino datur: [5] verbasci radix pota ex aqua duorum digitorum magnitudine: [6] nymphææ heracliæ semen cum vino potum: [7] radix superior e xiphio, drachmæ pondere ex aceto. [8] Semen plantaginis in vino tritum, vel ipsa ex aceto cocta, aut alica ex succo ejus sumpta. [9] Item cum lenticula cocta, vel aridæ farina inspersa potioni cum papavere tosto & trito, vel succus infusus, aut succus Vettonicæ, in vino ferro calefacto. [10] Eadem cœliacis in vino austero datur: his & iberis imponitur, [11] ut dictum est. [12] Tenesmo nymphææ heracliæ e vino bibitur: psyllium in aqua: [13] acori radicis decoctum. [14] Aïzoi succus alvum sistit, & dysenterias, & tineas rotundas pellit. [15] Symphyti radix dysenterias sistit: [16] item dauci. [17] Aïzoum foliis contritis ex vino torminibus resistit. [18] Alceæ siccæ farina torminibus pota cum vino.

XXIX. 1. [1] Astragalus folia habet longa incisuris multis, obliqua circa [2] radices, caules tres aut quatuor foliorum plenos, florem hyacinthi, radices villosas, implicatas, rubras, præduras. [3] Nascitur in petrosis, apricis, & iisdem nivalibus, sicut Pheneo Arcadiæ. [4] Vis ei ad spissanda corpora. [5] Alvum sistit radix in vino pota: quo fit ut moveat urinam [6] repercusso liquore, sicut pleraque quæ alvum sistunt. Sanat & dysentericos in vino rubro tusa. [7] Difficile autem tunditur. Eadem gingivarum suppurationi utilissima est fotu. Colligitur exitu autumni, cum folia amisit: siccatur in umbra.

XXX. 2. [1] Et ladano sistitur alvus utroque: [2] quod in segetibus nascitur, contuso & cribrato: bibitur ex aqua mulsa: item nobili e vino. [3] Ledon appellatur herba, ex qua ladanum fit in Cypro, barbis caprarum adhærescens. Nobilius in Arabia. Fit jam & in Syria atque Africa, [4] quod toxicon vocant. [5] Nervos enim in arcu circumdatos lanis trahunt, adhærescente roscida lanugine. [6] Plura de eo diximus inter unguenta. Hoc gravissimum odore est, durissimum tactu. Plurimum enim terræ colligit: [7] cum probetur maxime purum, odoratum, molle, viride, resinosum. [8] Natura ei molliendi, siccandi, concoquendi, somnum alliciendi. [9] Capillum fluentem cohibet, nigritiamque custodit. [10] Auribus cum hydromelite aut rosaceo infunditur. Furfures cutis & manantia hulcera sale addito sanat. [11] Tussim veterem cum styrace sumptum. Efficacissimum ad ructus.

XXXI. 3. Alvum sistit & chondris, sive pseudodictamnum:

NOTÆ.

Sect. XXVIII. 1. *Consummationis.*] Egestionis.

2. *Ergo numerosissima.*] Plurima, occupatissima. Libro 8. sect. 77. de sue: *Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ.*

3. *Sistit eam.*] Diosc. lib 3. cap. 125.

4. *Polemonia.*] Diosc. lib. 4. cap. 8.

5. *Verbasci.*] Diosc. lib 4. cap. 104.

6. *Nymphææ.*] Diosc. lib. 3. cap. 148.

7. *Radix superior.*] Constat enim xiphion radice gemina, quarum una alteri insidet, pusillorum bulborum figura, ut tradit Diosc. lib. 4 cap. 20. etsi ad alios usus medicinæ adhibet, ad quos & a Plinio destinatur, lib. 25. cap. 89 his verbis, *Superior radix*, &c.

8. *Semen plantaginis.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag 188. & 189. Apuleius, cap. 1. tit. 9. *Ad ventrem stringendum.* Diosc. lib. 2. cap. 153.

9. *Item cum lenticula.*] Diosc. & Marcellus Empir. loc. cit. Item Apuleius, cap. 1. de plantagine, tit. 4. & 19.

10. *Eadem.*] Vettonica.

11. *Ut dictum est.*] Libro 25. sect. 40.

12. *Tenesmo*, &c.] Diosc. lib. 3. cap. 148.

14. *Aïzoi succus.*] Diosc. lib. 3. cap. 189 Ὁ δὲ χυλὸς . . . ἐν ποτῷ δίδοται διαῤῥοιζομένοις, καὶ δυσεντερικοῖς· προσόλαυς τε ἕλμινθας ἀναιρεῖ σὺν οἴνῳ ποθείς. *Succus potui datur profluvio alvi laborantibus, atque dysentericis. Sed & teretes lumbricos pellit ex vino potus.*

15 *Symphyti.*] Diosc. lib. 4. cap. 9.

16. *Item Dauci.*] Mederi torminibus daucum ait Dioscor. lib. 3. cap. 83. Dysenteriæ, lib. 3. cap. 169.

17. *Aïzoum.*] Diosc lib. 4 cap. 89.

18. *Alcea.*] Sive damasonio. Diosc. lib. 3. cap 169.

Sect XXIX. 1. *Astragalus.*] Dissimilis hic parum facie, par effectu, Dioscoridis astragalo. Is est quem Bæticum Clusius appellat, delineatque, lib. 6. histor. rar. plant. pag. CCXXXIIII qualem in horto Regio vidimus.

2. *Radices villosas.*] Quæ adnatas appendices seu radiculas habent

3. *Nascitur.*] Totidem verbis & de suo astragalo Diosc. lib 4. cap. 62. & Galenus, lib. 6. de facult simpl. medic. pag. 160.

4 *Vis ei ad spissanda.*] Ad adstringenda, στυπτικά. Diosc. & Galenus.

5. *Alvum.*] Diosc. & Galenus, locis cit.

6. *Repercusso liquore.*] Humore qui dysenteriam adjuvat, in vesicam rejecto.

7. *Difficile.*] Diosc. Κόπτεται δὲ δυσχερῶς διὰ τὸ στερεὸν αὐτῆς. *Difficile soliditatis suæ ratione tunditur.*

Sect. XXX. 1. *Et ladano. . . . . utroque.*] Terreno scilicet & factitio: de utroque diximus, lib. 12. sect. 37. Dioscor. lib 1. cap. 128. de ladano: Κοιλίαν τε ἵστησι σὺν οἴνῳ παλαιῷ ποθέν. ἐστι δὲ καὶ οὐρητικόν.

2. *Quod in segetibus.*] In arvis.

3. *Ledon appellatur.*] Ita MSS. Reg Colb. &c. non *Leda.* Sic etiam Diosc. ut diximus lib. 12. sect 37.

4 *Quod toxicon.*] Ἀπὸ τοῦ τόξου, quæ vox arcum sonat.

5. *Nervos enim.*] Nervos enim vel in ipso adhuc arcu adductos, lanisque circumvolutos fruticibus admovent, ac deinde trahunt, adhærescente iisdem interim lanugine foliorum pingui ac rorulenta. Frustra locum hunc sollicitat Salmasius, in Solin. pag. 363. libris non secundis, scriptoris ipsius labefactata ejus emendatione sententia.

6. *Plura de eo*] Libro 12. sect. 37.

7. *Cum probetur*, &c.] Diosc. lib. 1. cap. 128.

8. *Natura ei.*] Diosc. loco cit. Δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν, θερμαντικὴν, μαλακτικὴν, ἀναστομωτικήν.

9. *Capillum.*] Diosc. loc. cit. Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 2. *de capillis cadentibus: Ladanum cum vino teri facies, & oleum myrteum admiscebis: & uteris ut pinguissimo linimento.*

10. *Auribus.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

11. *Tussim*] Inseri medicamentis ad tussim sedandam utilibus, ait Diosc. loc. cit.

4. [1] Hypociſtis, orobethron quibuſdam dicta, malo granato immaturo ſimilis. [2] Naſcitur, ut diximus, ſub cistho, unde nomen. [3] Hæc areſacta in umbra ſiſtit alvum ex vino auſtero nigroque utraque. Duo enim genera ejus, candida & rufa. Uſus in ſucco: [4] ſpiſſat, ſiccat. Et rufa magis ſtomachi rheumatiſmos emendat. [5] Pota, tribus obolis, 5 ſanguinis exſcreationes, [6] cum amylo. Dyſenterias pota, & infuſa. Item verbenaca ex aqua data, aut carentibus febre ex vino ammineo, cochlearibus quinque additis in cyathos tres vini.

XXXII. 5. [1] Laver quoque naſcens in rivis condita & cocta torminibus medetur.

XXXIII. 6. [1] Potamogeton vero ex vino dyſentericis etiam & cœliacis, ſimilis 10 betæ foliis: minoribus tantum hirſutioribuſque, paulum ſupereminens extra aquam. Uſus in foliis: [2] refrigerant, ſpiſſant: peculiariter cruribus vitioſis utilia, [3] & contra hulcerum nomas, cum melle vel aceto. [4] Caſtor hanc aliter noverat, tenui folio velut equinis ſetis, thyrſo longo & lævi, in aquoſis naſcentem. Radice ſanabat ſtrumas & duritias. Potamogeton adverſatur & crocodilis: itaque ſecum habent eam qui venantur. [5] Alvum 15 ſiſtit & Achillea.

7. [6] Eoſdem effectus præſtat & ſtatice, ſeptem caulibus veluti roſæ capita ſuſtinens.

XXXIV. 8. [1] Ceratia uno folio, radice nodoſa magna, in cibo cœliacis & dyſentericis medetur.

9. [2] Leontopodion, alii leuceoron, alii doripetron, alii thorybetron vocant, cujus 20 radix alvum ſiſtit, purgatque bilem, in aquam mulſam addito pondere denariorum duorum. Naſcitur in campeſtri & gracili ſolo. Semen ejus potum, lymphatica ſomnia facere dicitur.

10. [3] Lagopus ſiſtit alvum e vino pota, aut in febri ex aqua. [4] Eadem inguini adalligatur in tumore. Naſcitur in ſegetibus. [5] Multi ſuper omnia laudant ad deploratos dyſen-25 tericos quinquefolium, decoctis in lacte radicibus potis: & ariſtolochiam Victoriati pondere in cyathis vini tribus. Quæ ex ſupradictis calida ſumentur, hæc candente ferro temperari aptius erit.

[6] E diverſo purgat alvum ſuccus centaurii minoris drachma in hemina aquæ cum exiguo ſalis & aceti, bilemque detrahit. [7] Majore tormina diſcutiuntur. [8] Vettonica alvum 30 ſolvit drachmis quatuor, in hydromelitis cyathis novem. [9] Item euphorbium, [10] vel agaricum, drachmis duabus cum ſale modico potum ex aqua, aut in mulſo obolis tribus. [11] Solvit & cyclaminos ex aqua pota, [12] aut balanis ſubditis: item chamæciſſi balanus.

NOTÆ.

Sect. XXXI. 1. *Hypociſtis, orobethron.*] Ὑποκιστὶς, & ὑποκιθίς. Sic Dioſc. lib. 1. cap. 127. Φύεται δὲ παρὰ τὰς ῥίζας τοῦ κίσθου ἡ λεγομένη ὑποκιστὶς· ὑπὸ τινῶν δὲ ὀροβέθρον, ὅμοιόν τι κυτίνῳ ῥοιᾶς. In MSS. Reg. & Colb. *orobethron.* In libris hactenus editis, *orobation.* Hujus hypociſtidis iconem Cluſius accurate delineat, lib. 1. hiſt. rar. plant. pag. 68. Aliud vero Scribonio Largo, Compoſ. 85. hypocyſtis eſt, ὑπὸ κυνὸς, nempe *ſuccus roſæ ſilvaticæ, quam quidam caninam vocant.*

2. *Naſcitur, ut diximus.*] Libro 24. ſect. 48.

3. *Hæc areſacta.*] Dioſc. loc. cit.

4. *Spiſſat.*] Adſtringit. Δύναμιν δὲ ἔχει .... συσταλτικωτέραν τε καὶ ξηραντικωτέραν. Dioſc. lib. 1. cap. 127.

5. *Pota.*] Dioſc. loco cit.

6. *Cum amylo.*] Vide Notas & Emend. num. IX.

Sect. XXXII. 1. *Laver quoque.*] Quod & ſion nuncupatum olim indicavimus, lib. 22. ſect. 41. De quo eadem Dioſcorides prodidit, lib. 2. cap. 154. In Indice, *Laver, ſive ſion.*

Sect. XXXIII. 1. *Potamogeton.*] Iiſdem verbis deſcribitur a Dioſc. lib. 4. cap. 101. Ποταμογείτων φύλλον ἔχει ὅμοιον σεύτλῳ, &c. Pingitur a Matthiolo, qualem in horto Regio vidimus, in lib. 4. Dioſc. pag. 1137. Nomen habet a locis aquoſis, ἀπὸ τῶν ποταμῶν καὶ ὑδάτων τινῶν, quos prope naſcitur. Nam γείτων vicinum ſonat.

2. *Refrigerant, ſpiſſant.*] Hoc eſt, adſtringunt. Dioſcor. loc. cit. Ψύχει δὲ καὶ στύφει.

3. *Et contra hulcerum.*] Dioſc. loc. cit. Ἁρμόζει καὶ νομώδεσι καὶ παλαιοῖς ἕλκεσιν.

4. *Caſtor.*] Dodonæus forte myriophyllon aquatile is intellexit.

5. *Alvum ſiſtit.*] Dioſc. lib. 4. cap. 36.

6. *Eoſdem ..... & ſtatice.*] Officinis herbariiſque incognita.

Sect. XXXIV. 1. *Ceratia.*] Videtur eſſe Unifolium officinarum, pictum a Dodonæo, pag. 205. Meminit hujus Marcellus Empir. cap. 27. pag. 188. *Ceratidas, inquit, quam herbam uvulam marinam appellamus, radices trium digitorum magnitudine, incoctæ vino auſtero, torminoſos juvant, ſi illud vinum admixta leviter aqua calida portione potetur.*

2. *Leontopodion.*] Eſt illud Dioſcoridis λεοντοπόδιον, lib. 3. cap. 110. In Nothis, pag. 457. Λεοντοπόδιον, οἱ δὲ λευκόρεον, οἱ δὲ λεοντόπετρον, οἱ δὲ λεόντιον, οἱ δὲ δοριπετρον, οἱ δὲ θορυβήθρον, οἱ δὲ λυχνῖτις ἀγρία, ... οἱ δὲ ζωρόβατρον, &c. Et ab Apuleio, Leontopodion nominatur, cap. 7. A Dodonæo pingitur, pag. 69. quale in horto Regio vidimus. Λεοντοπόδιον, pedem leonis: λεοντοπέταλον, leonis folium interpretantur.

3. *Lagopus.*] Dioſcor lib. 4. cap. 17. totidem verbis: Λαγώπους δύναμιν ἔχει σταλτικὴν κοιλίας, πινόμενος μετ' οἴνου· ἐπὶ δὲ τῶν πυρεσσόντων μεθ' ὕδατος. Pedem leporinum vocant officinæ, alii Trifolium humile. Vidimus in horto Regio, quale delineatur a Dodonæo, pag. 567. & lagopus major vocatur *Pied de lievre.* Eadem cum Plinio & Dioſcoride tradit Apuleius, cap. 61.

4. *Eadem.*] Dioſc. loc. cit. Περιαπτόμενος δὲ καὶ πρὸς φλεγμονὰς βουβώνων. Φύεται δὲ ἐν ἀρούραις.

5. *Multi ſuper.*] Marcellus Empiricus, cap. 27. pag. 193. Dioſcor. lib. 1. cap. 42.

6. *E diverſo.*] Ad verbum iſta Marcellus exſcripſit, cap. 30. pag. 212. Dioſc. lib. 3. cap. 9.

7. *Majore.*] Dioſc. lib. 3. cap. 8. πρὸς στρόφους, &c.

8. *Vettonica.*] Marcellus Empiricus totidem verbis, cap. 30. pag. 217. Anton. Muſa, tit. 17. *Ad alvum concitandam,* &c. & Dioſc. lib. 4. cap. 1. plane ad verbum omnes.

9. *Item euphorbium.*] Gaſpar Hofmannus, lib. 1. Var. lect. cap. 12. hic quædam immutat, libris invitis.

10. *Vel agaricum, &c.*] Marcellus Empir. cap. 30. pag. 214. Dioſcorides quoque, lib. 3. cap. 1. cum mulſa propinat.

11. *Solvit &c.*] Dioſcorides, lib. 2. cap. 194. ex hydromelite bibi eam ob rem jubet. Marcellus Empir. cap. 30. pag. 212. & 217.

12. *Aut balanis.*] Balani glandes ſunt, & id quod glandis forma ad ſubducendam alvum in podicem manu inditur. Vulgus *Suppoſitorium* vocat. Apuleius, cap. 14. tit. 2. *Ad alvum concitandam: Herba orbicularis in collyrium facta & injecta, catharticum eſt:* hoc eſt, cyclaminos in balanum ſubdita, purgativa eſt. Dioſc. loc. cit. ἐν ἐρίῳ προστιθεμένη, *in vellere ſubditur.* Marcellus Empiric. lib. de medic. cap. 30. *Orbicularis herba, quam Græce κυκλάμινον vocant, ſi quis expreſſo ſucco anum perunxerit, mira celeritate experietur ani ſolutionem.*

[13] Hyssopi manipulus decoctus ad tertias cum sale, pituitas trahit illitus, vel contritus cum oxymelite & sale: pelliτque ventris animalia. [14] Pituitam & bilem detrahit peucedani radix.

XXXV. 11. Alvum purgat anagallis ex aqua mulsa: [1] item epithymon, qui est flos e thymo, satureiæ simili. [2] Differentia, quod hic herbaceus est, alterius thymi albus: quidam [3] hippopheon vocant: stomacho minus utilis, vomitiones minus movet: sed tormina [4] & inflationes discutit. Sumitur & ecligmate ad pectoris vitia cum melle, & aliquando iride. [5] Alvum solvit, a quatuor drachmis ad sex cum mellis exiguo salisque & aceti. [6] Quidam aliter epithymum tradunt sine radice nasci, tenue, [7] similitudine pallioli, rubens: siccari in umbra, bibi ex aqua acetabuli parte dimidia, detrahere pituitam bilemque. [8] Alvum leniter solvit & nymphæa in vino austero.

XXXVI. 12. [1] Solvit & pycnocomon, erucæ foliis crassioribus, [2] & acrioribus, radice rotunda, lutei coloris, terram olente, caule quadrangulo, modico, tenui, flore ocimi. [3] Invenitur in saxosis locis. [4] Radix ejus in aqua mulsa denariorum -ûm pondere, & alvum, & bilem, & pituitam exinanit. [5] Semen somnia tumultuosa facit, una drachma in vino potum. [6] Et panos discutit.

XXXVII. 13. [1] Detrahit bilem polypodion, quam nostri [2] filiculam vocant: similis enim est filici. Radix in usu, pilosa, coloris intus herbacei, crassitudine digiti minimi, [3] acetabulis cavernosa, ceu polyporum cirri, subdulcis, in petris nascens, aut sub arboribus vetustis. [4] Exprimitur succus aqua madefactæ: ipsa minute concisa inspergitur oleri, vel betæ, vel malvæ, vel salsamento: aut cum pulticula coquitur ad alvum vel in febri leniter solvendam. [5] Detrahit bilem & pituitam, stomachum offendit. [6] Aridæ farina indita naribus polypum consumit. [7] Florem & semen non fert.

XXXVIII. 14. [1] Scammonium quoque dissolutionem stomachi facit, bilem detrahit, alvum solvit, [2] præterquam si adjiciantur aloës drachmæ duæ obolis ejus duobus. [3] Est autem succus herbæ ab radice ramosæ pinguibus foliis, triangulis, albis, radice crassa, madida, nauseosa. Nascitur pingui & albo solo. Radix circa Canis ortum excavatur, [4] ut in ipsa confluat succus: qui Sole siccatus, digeritur in pastillos. Siccatur & ipsa vel cortex. [5] Laudatur natione Colophonium, Mysium, Prienense: specie autem nitidum, & quam simillimum taurino glutini, fungosum tenuissimis fistulis, cito liquescens, virus redolens, cumminosum, linguæ tactu lactescens, quam levissimum, cum diluitur albescens. [6] Hoc evenit & adulterino, quod fit ervi farina, & tithymali marini succo, in Judæa fere: quod etiam strangulat sumptum. [7] Deprehenditur gustu: Tithy-

NOTÆ.

13. *Hyssopi.*] Marcellus Empiric. cap 30. pag. 214. & Diosc. lib. 3. cap. 30. totidem plane verbis. *Ventris animalia* ἕλμινθας hic vocat, hoc est, teretes lumbricos.

14 *Pituitam, &c.*] Dioscor. lib. 3. cap. 92. Pituita ex quatuor humoribus corporis nostri, is est, qui potissimum magis serosus est & aqueus, magisque fluxilis: Græci phlegma appellant.

Sect. XXXV. 1. *Item epithymon.*] Diosc lib. 4. cap. 179. Ἐπίθυμον θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος .... Πινόμενον δὲ σὺν μέλιτι, ἄγει κάτωθεν φλέγμα καὶ χολὴν μέλαιναν. *Epithymum flos est thymi durioris & satureiæ similis .... Potum id cum melle, detrahit pituitam bilemque atram per inferna.*

2. *Differentia .... herbaceus.*] Hoc est, viridis. Vide Notas & Emend. num. X.

3 *Hippophеon.*] Vide Notas & Emend num. XI.

4 *Et inflationes.*] Diosc. loc. cit. Ἰδίως ἁρμόζον ἐπὶ μελαγχολικῶν ἢ ἐμφυσωμένων.

5. *Alvum.*] Marcellus Empir. cap. 30. pag. 214

6. *Quidam aliter.*] Quod genus illud epithymi sit, incompertum.

7. *Similitudine pallioli.*] Hoc est, pileoli. Ovidius:

Palliolum nitidis imposuisse comis.

8. *Alvum leniter.*] Diosc. lib. 3. cap. 148.

Sect. XXXVI. 1. *Solvit & pycnocomon.*] Diosc. libro 4. cap. 176. iisdem fere verbis repræsentat: Πυκνόκομον φύλλα ἔχει ὅμοια εὐζώμῳ, &c. Herbariis adhuc incognita.

2. *Et acrioribus.*] Sic MSS. & Diosc. καὶ δριμύτερα. In quibusdam editis, *tarsioribus*, male.

3. *Invenitur.*] Diosc. loc. cit.

4. *Radix ejus.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

5. *Semen somnia.*] Diosc. loc cit.

6. *Et panos.*] Vide Notas & Emend. num. XII.

Sect. XXXVII. 1. *Detrahit bilem*] Marcellus Empiricus cap 30 pag 211. & 215.

2. *Filiculam.*] Apuleius, cap. 83 filicinam & radiolum vocat. Polypodium majus & apud nostros nomen servat, *Polypode.* A Dodonæo pingitur, pag. 461. Vidimus in horto Regio.

3. *Acetabulis.*] Habet tubercula quædam acetabulis iis similia, quæ in polyporum ac sepiarum cirrhis apparent: inde πολυπόδιον nomen. Iisdem ferme verbis a Dioscor. describitur, lib. 4. cap. 188. & a Theophr. lib. 9. hist. cap. 14.

4. *Exprimitur*] Dioscor. loc. cit. totidem fere verbis: & Marcellus Empir. cap. 30. pag. 211. Apuleius item, cap. 83 tit. 2.

5. *Detrahit bilem, &c.*] Dioscorides, loc. cit. post Theophrast. loco cit.

6. *Aridæ.*] Apud Theophr lib. 9. hist. cap. 14. ubi quis eam contigerit, sunt qui innasci polypum alleverent. Est autem polypus, auctore Celso, lib 6. cap 8. *caruncula modo alba, modo subrubra, quæ narium ossi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet, modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increscit, ut post uvam conspici possit, strangulatque hominem, maxime Austro aut Euro flante.* Gallis, *un Polype.*

7. *Florem & semen.*] Vide Notas & Emend num. XIII.

Sect. XXXVIII. 1. *Scammonium.*] Marcellus Empir. cap. 30. pag. 212. *Scammoniæ succus solam detrahit bilem datur ex aqua ad denarii semissem, ... sed stomacho infirmo non convenit.*

2. *Præterquam si.*] Hoc est, dum bilem detrahit, & alvum solvit, stomachi simul dissolutionem facit, nisi adjiciatur aloë, &c. Marcellus Empir. cap. 30. pag. 211. *Purgat bene hac compositio ventrem: Aloes denarii semissis, Colophoniæ* (quæ scammonia est) *denarii semissis: una teruntur hæc: adjicitur mellis quod satis sit ad colligenda ea: datur ex aqua calida vel frigida cyathis quatuor: hoc medicamentum stomachum non corrumpit.*

3. *Est autem succus.*] Hæc totidem fere verbis Dioscorides lib. 4. cap. 171. Σκαμμωνία, &c. Pingitur a Dodonæo stirps ipsa, pag. 387. visa a nobis in horto Regio: *la Scammonée.*

4. *Ut in ipsa.*] Ut in ipsum cavum cultro factum confluat succus. Vide Notas & Emend. num XIV

5. *Laudatur, &c.*] Hæc fere totidem verbis Diosc. loco cit. & auctor libri de simp med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 1000

6. *Hoc evenit, &c.*] Diosc. loc. cit.

7. *Deprehenditur.*] Dioscor. loc. cit. *Nam si linguam tibi*

malus enim linguam excalfacit. [8] Usus bimo: nec ante, nec postea utili. Dedere & per se ex aqua mulsa & sale quaternis obolis. Sed utilissime cum aloë, ita ut incipiente purgatione mulsum bibatur. [9] Fit & decoctum radicis in aceto ad crassitudinem mellis, quo lepræ illinuntur, & caput ungitur in dolore cum oleo.

5 XXXIX. 15. Tithymalum nostri herbam lactariam vocat, alii [1] lactucam caprinam: narrantque lacte ejus inscripto corpore, cum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere litteras, & ita quidam adulteras alloqui maluere quam codicillis. Genera ejus multa. [2] Primus cognominatur characias, qui & masculus existimatur, [3] ramis digitali crassitudine, rubris, [4] succosis, quinque aut sex, cubitali longitudine: [5] a radice foliis pæne oleæ, in ca-
10 cuminibus [6] coma junci. [7] Nascitur in asperis maritimis. [8] Legitur semen autumno, cum coma: siccatum Sole tunditur, & reponitur. [9] Succus vero incipiente pomorum lanugine, defractis ramulis, excipitur farina ervi, aut ficis, ut cum iis arescat. [10] Quinas autem guttas singulis excipi satis est. Traduntque etiam toties purgari hydropicos fico sumpta, quot guttas lactis exceperit. [11] Succus cum colligitur, ne attingat oculos cavendum est.
15 Fit & e foliis tusis priore minus efficax. Fit & decoctum e ramis. [12] Est semen in usu cum melle decoctum ad catapotia solvendæ alvi gratia. [13] Semen & dentium cavis cera includitur. [14] Colluuntur & radicis decocto e vino aut oleo. [15] Illinunt & lichenas succo: bibuntque eum, ut purgent vomitione & alvo soluta, alias stomacho inutilem. Trahit pituitam sale adjecto in potu, bilem aphronitro. [16] Si per alvum purgari libeat, in posca:
20 si vomitione, in passo aut aqua mulsa. Media potio tribus obolis datur. Ficos a cibo sumpsisse melius est. [17] Fauces urit lenitet: est enim tam ferventis naturæ, ut per se extra corpori impositum, pusulas ignium modo faciat, & pro caustico in usu sit.

XL. 16. [1] Alterum genus tithymali myrsiniten vocant: alii caryiten: foliis myrti acutis & pungentibus, sed mollioribus: & ipsum in asperis nascens. Colliguntur comæ
25 ejus hordeo turgescente, siccatæque in umbra diebus novem in Sole inarescunt. Fructus non pariter maturescit, sed pars anno sequente, & nux vocatur. [3] Inde cognomen Græci dedere. [2] Demetitur cum messium maturitate, lavaturque, dein siccatur, & datur cum papaveris nigri duabus partibus, ita ut sit totum [4] acetabuli modus: [5] minus hic vomitionibus, quam superior: ceteri item. Aliqui sic & folium ejus dedere, nucem vero ipsam
30 in mulso, aut passo, [6] vel cum sesama. [7] Trahit bilem & pituitam per alvum. Oris hulceta sanat. Ad nomas oris folium cum melle estur.

XLI. 17. [1] Tertium genus tithymali paralium vocatur, sive tithymalis folio rotundo:

NOTÆ.

mentor excalfacit, exurive, est id admixti tithymali argumentum. Καὶ τῷ μὴ λίαν πυρῦν τὴν γλῶσσαν, ὅπερ γίνεται τιθυμάλου μιχθέντος. Sic & auctor libri mox citati apud Galenum.

8. *Usus bimo.*] Biennio recentior, vetustiorve succus inutilis. Vide Notas & Emend. num. XV.

9. *Fit & decoctum.*] Diosc loco cit. Ἑψηθεὶς δὲ ἐν ὄξει ἕως καταχυλωθῇ, λέπρας ἰᾶται· κεφαλαλγίαν τε χρονίαν ἰᾶται ἐπιθετιζόμενος ὀξεῖ ἢ ῥοδίνῳ.

Sect. XXXIX. 1. *Lactucam caprinam.*] Quod ea capræ vescuntur. Lactucam marinam, Apuleius, cap. 108. aliique, quos retulimus lib. 20. sect. 24.

2. *Primus.*] Diosc. lib. 4 cap. 165. Ὁ μὲν ἄῤῥην χαρακίας καλεῖται· ὑπὸ δὲ τινων κωμήτης, ἢ ἀμυγδαλοειδής, ἢ κωβιός. Gallis, *Tithymale.* Pingitur a Joan. Bauhino, tom. 3 pag. 672 qualem vidimus in horto Regio. Χαρακίας, quasi vallaris dicitur. Hoc genus peculiariter rura nostra vocant evigilem matutinum, *Reveille-matin*.

3. *Ramis digitali.*] Diosc. loc. cit. καυλὰς, caules dixit: Apuleius, cap. 108. thyrsos, seu scapos.

4. *Succosis.*] Vide Notas & Emend. num. XVI.

5. *A radice foliis.*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

6. *Coma junci.*] In summitate caulium, cacuminibusque, coma est similis virgultis junci. Dioscorides & Apuleius, locis citatis.

7. *Nascitur.*] Diosc. loc. cit.

8. *Legitur, &c.*] Diosc. loc. cit.

9. *Succus vero.*] Dioscorides circa vindemiam, περὶ τὸν τρυγητὸν, ita succum exprimi ait, loc. cit. Plinius, incipiente pomorum lanugine, nempe cotoneorum: quo nempe tempore lanuginosa ea esse incipiunt, circa Augustum mensem.

10. *Quinas ... singulis.*] Nempe singulis ficis. Dioscorid. loco citato: *Alii in ficos quæ exsiccantur, ternas quaternasve guttas instillant, ut cum iis inarescant, ejusmodique ficos ad usum recondunt.* Τινὲς δὲ εἰς τὰ ξηραινόμενα σῦκα ἐνσταλάζουσι σταλαγμοὺς γʹ ἢ δʹ, ξηράναντες ἀποτίθενται.

11. *Succus cum.*] Diosc. loc. cit.

12. *Est & semen.*] Diosc. loco cit. totidem verbis. Καταπότιον medicamentum est quod sumitur deglutiendo. Pilulas alibi Plinius, & volgus, vocat *Catapotium, id est, medicamentum quod non diluitur, sed ita ut est, devoratur.* Scribonius Largus, Compos. 87.

13. *Semen & dentium.*] Diosc. loco cit. succo hanc vim attribuit, ut dentium cavis inditus, dolores levet: Theod. Priscianus; lib. 1. cap. 14. ut decidere sponte faciat.

14. *Colluuntur.*] Collui dentes radicis decocto cum aceto jubet Diosc loco cit.

15. *Illinunt & lichenas.*] Diosc. loc. cit. & Apuleius, cap. 108 tit. 4.

16. *Si per alvum.*] Apuleius, cap 108.

17. *Fauces urit.*] Dioscor. loc. cit. *Quoniam fauces exasperat, catapotia quæ ex eo concinnantur, cera aut decocto melle oblini, atque ita dari par est.* Τραχύνει δὲ τὴν φάρυγγα· οἷο δεῖ καταπότια περιπλάττειν κηρῷ ἢ μέλιτι ἑφθῷ· καὶ οὕτως διδόναι.

Sect. XL. 1. *Alterum.*] Dioscor. lib. 4. cap. 165. Ὁ δὲ θῆλυς ὃν ἔνιοι μυρσινίτην, ἢ καρυίτην καλοῦσι, &c. iisdem eum plane notis describit, ac Plinius. Myrsinites legitimus tithymalus id genus appellatur a Clusio, lib. 6. hist. rar. plant. pag clxxxix. ab aliis latifolius. Vidimus in horto Regio. In Indice *Myrsites*: Theophrasto, lib. 9. hist. cap. 12. Μυρτίτης. Et Apuleio.

2. *Demetitur &c.*] Quæ deinceps sequuntur, ea sunt totidem verbis apud Theophr. lib. 9. hist. cap. 12.

3. *Inde cognomen.*] Caryitæ. A voce Græca κάρυον quæ nucem sonat. Theophr. lib. 9. hist. cap. 12. Ταύτῃ δ' οὐχ ἅμα φέρει τὸν καρπὸν, ἀλλὰ παρ' ἔτος .... ὁ δὲ καρπὸς αὐτοῦ καλεῖται κάρυον.

4. *Acetabuli modus.*] Mensura. Theophr. loc. cit. Τὸ δὲ συναμφότερον ὅσον ὀξύβαφον.

5. *Minus hic vomitionibus.*] Subintellige, accommodatus. Sic Dioscor. loc. cit & Apuleius, cap 108.

6. *Vel cum sesama.*] Et quidem tosta, ἐν σησάμῳ πεφρυγμένῳ. Theophr. loc. cit.

7. *Trahit bilem &c.*] Theophr. loc. cit.

Sect XLI. 1. *Tertium.*] Hæc tota descriptio similiter ad verbum exstat apud Theophr. lib. 9. hist. cap 12. De hoc tithymali genere diximus, lib. 20 sect. 80. Dioscor lib. 4. cap. 165. Ὁ δὲ παράλιος λεγόμενος τιθυμαλίδα ἢ μήκωνα καλοῦσι, &c. Ab Apuleio dicitur, cap. 108. *Tithymalis, peplis tithymalis, paralion mecon.* Et hoc genus Galli evigilium matutinum vocant.

caule

caule palmum alto, ramis rubentibus, femine albo, quod colligitur [a] incipiente uva, & ficcatum teritur, fumiturque [3] acetabuli menfura ad purgationes.

XLII. 18. [1] Quartum genus helioſcopion appellant, foliis porcilacæ, ramulis ſtantibus a radice quatuor aut quinque, rubentibus, ſemipedali altitudine, ſucci plenis. [2] Hoc circa oppida naſcitur, ſemine albo, columbis gratiſſimo. [3] Nomen accipit, quoniam capita cum Sole circumagit. [4] Trahit bilem per inferna in oxymelite dimidio acetabulo: ceteri uſus, qui characiæ. 5

XLIII. 19. [1] Quintum cypariſſian vocant, propter foliorum ſimilitudinem, caule gemino aut triplici naſcentem in campeſtribus: [2] cui eadem vis, quæ helioſcopio aut characiæ. 10

XLIV. 20. [1] Sextum platyphyllon vocant: alii corymbiten, alii amygdaliten a ſimilitudine. Nec ullius latiora ſunt folia. [2] Piſces necar, alvum ſolvit, radice, vel foliis, vel ſucco in mulſo, aut aqua mulſa drachmis quatuor. Detrahit privatim aquas.

XLV. 21. [1] Septimum dendroïdes cognominant, alii cobion, alii [2] leptophyllon, in petris naſcens, [3] comoſiſſimum ex omnibus maxime, cauliculis rubentibus, & ſemine copioſiſſimum: [4] ejuſdem effectus, cujus characias. 15

XLVI. 22. [1] Apios iſchas, ſive raphanos agria, [2] juncos duos, ſive tres, ſpargit in terra rubentes, [3] foliis rutæ: radix cæpæ, ſed amplior: [4] quare quidam raphanum ſilveſtrem vocant. [5] Intus habet mammam candidam: extra, cortices nigros. [6] Naſcitur in montuoſis aſperis, aliquando & in herboſis. Effoditur vêre, tuſaque in fictili mergitur, 20 dejectoque quod ſupernatat, reliquus ſuccus [7] purgat utraque parte, ſeſquiobolo in aqua mulſa. Sic & hydropicis datur acetabuli menſura. Inſpergitur & aridæ radicis farina potioni: [8] aïuntque ſuperiorem partem ejus vomitione biles extrahere: inferiorem, per alvum, aquas.

XLVII. [1] Tormina diſcutit quodcumque panaces, [2] & Vettonica, præterquam a 25 cruditate: [3] peucedani ſuccus & inflationes, ructus gignens: [4] item acori radix, [5] daucumve, [6] ſi lactucæ modo ſumatur. [7] Ladanum Cyprium potum interaneorum vitiis occurrit: [8] item Gentianæ farina, ex aqua tepida fabæ magnitudine. [9] Plantago mane

NOTÆ.

a. *Incipiente uva.*] Pubeſcente, matureſcente, variante. Theophr. loc. cit. ὅταν ἄρτι ἀκμάζῃ σταφυλή. Plinius lib. 20. ſect. 80. *florente uva.*

3. *Acetabuli menſura.*] Dimidio acetabulo ipſe dixit, lib. 20. ſect. 80.

Sect. XLII. 1. *Quartum genus.*] De eo genere eadem ad verbum prodidit Apuleius, cap. 108. & Dioſcor. lib. 4. cap. 165. Ὁ δὲ ἡλιοσκόπιος λεγόμενος, ἀνδράχνῃ ὅμοια φύλλα ἔχει, &c. Pingitur a Dodonæo, pag. 376 quale in horto Regio obſervatum a nobis. Helioſcopos ab Apuleio nuncupatur, loc. cit. idemque cicer columbinum, & caprago.

2. *Hoc circa.*] Dioſcor. loc. cit.

3. *Nomen accipit.*] Dioſcor. loc. cit. Συμπεριφέρεται δὲ ταῖς κόμαις τῷ ἡλίῳ κλίνον· ὅθεν καὶ ὠνόμασται ἡλιοσκόπιος.

4. *Trahit bilem &c.*] Dioſcor. loc. cit.

Sect. XLIII. 1. *Quintum*] Κυπαρισσίας, a foliorum ſimilitudine cum cupreſſo nomen accepit. A Dodonæo pingitur, pag. 367. Vidimus in horto Regio.

2. *Cui eadem vis.*] Dioſcor. loc. cit.

Sect. XLIV. 1. *Sextum*] Dioſc. Ὁ δὲ πλατύφυλλος φλόμῳ ἔοικε. Nomen habet a latitudine foliorum. Pingitur a Cluſio, lib. 6. hiſt. rar. plant. pag. cxc. quale eſt a nobis obſervatum in horto Regio. Amygdalitæ cognomen primo generi tribuit Dioſcor. minus recte.

1. *Piſces necat.*] Dioſcor. lib. 3. cap. 165. Ἀποκτείνει δὲ καὶ τοὺς ἰχθύας, κοπεὶς καὶ ἐμβληθεὶς τῷ ὕδατι. *Piſces necat tuſus, & aqua dilutus.*

Sect. XLV. 1. *Septimum.*] Dioſcor. loc. cit. Ὁ δὲ ἐν ταῖς πέτραις φυόμενος, δενδροειδὴς δὲ καλούμενος, ἀμφιλαφὴς ἄνωθεν καὶ πολύκομος, ὀπῷ μεστός, ὑπέρυθρος τοὺς κλάδους &c. *Qui in petris naſcitur, dendroides, quaſi arboreſcens, cognominatus, fruticoſus eſt in cacumine, denſamque ſpargit comam, ſucco lacteo prægnans ſubrubentibus ramis, &c.* Pingitur a Lobelio, in Adverſ. pag. 150. Tithymalus myrſinites anguſtifolius appellatur. In horto Regio vidimus.

2. *Leptophyllon.*] A foliorum tenuitate: ſunt enim myrti tenuioris ſimilia, τὰ φύλλα μυρσίνῃ λεπτῇ προσεοικότα, inquit Dioſcor. loc. cit.

3. *Comoſiſſimum*] Largiore coma.

4. *Ejuſdem effectus.*] Dioſc. loc. cit.

Sect. XLVI. 1. *Apios iſchas.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 177. Ἄπιος, οἱ δὲ ἰσχάς, οἱ δὲ χαμαιρέφανος ὀρεινὴ ἢ ἀγρία, οἱ δὲ λινόζωστιν. Vide Saracenum in Notis ad Dioſcor. Ἄπιος dicitur, & ἰσχάς, quod radicem habet accedentem ad piri formam, vel ficus. Nullum nomen invenit Gallicum, inquit Ruellius, lib. 3. pag. 658. Vidimus tamen per inopiam frugum ruri pauperes hac radice veſci.

2. *Juncos duos.*] Dioſcor. loc. cit. ramulos junceos, binos ternoſve dixit, κλωνία δύο ἢ τρία ἀπὸ γῆς ἀνίησι σχοινώδη λεπτά, &c.

3. *Foliis rutæ.*] Foliis quidem rutæ, ſed oblongioribus iiſdem, & anguſtioribus: φύλλα πηγάνῳ ἐοικότα, ἐπιμηκέστερα μέντοι καὶ στενότερα. Theophr. lib. 9. hiſt. cap. 10. φύλλον μὲν ἔχει πηγανῶδες βραχύ.

4. *Quare quidam*] Ægineta, lib. 7. cap. 10. Καλοῦσι δὲ τινες αὐτὸ χαμαιρέφανον.

5. *Intus . . . mammam.*] Corpus, carnem, pulpamve candidam. Dioſc. loc. cit. Ῥίζα . . . . φλοιὸν ἔχουσα ἔξωθεν μέλανα, ἔσωθεν δὲ λευκόν. Quoniam lactei ſucci plena radix eſt, mammam idcirco, & quidem ſat eleganter, vocat.

6. *Naſcitur.*] Dioſcor. loc. cit.

7. *Purgat utraque parte.*] Per ſuperna æque vomitione, atque per inferna. Dioſcor. loc. cit. Τούτου τρία ἡμιωβόλια πινόμενα, ἄνω καὶ κάτω καθαίρει. Sed differt a Dioſcoride Plinius, quod ſupernatantem liquorem rejicit, reliquum in medicos uſus adſciſcit: ille contra liquorem qui ſupernatat penna collectum exſiccatumque adhibet in eoſdem uſus.

8. *Aiuntque.*] Dioſcorides loc. cit. cum Theophr. lib. 9. hiſt. cap. 10. Sic etiam Ægineta, lib. 7. cap. 10.

Sect. XLVII. 1. *Tormina*] Dioſc. lib. 3. cap. 55. Etiam ad jumentorum tormina panacis radicem utilem eſſe ſcribit Theophr. lib. 9. hiſt. cap. 10. Ad quoſcumque ventris dolores, cap. 12.

2. *Et Vettonica.*] Anton. Muſa, tit. 16. *Ad ventris dolorem: Herba Vettonica drachmam unam in aqua calida cyathis duobus bibendam dato. His autem dumtaxat hæc apta erit compoſitio, quorum non ex cruditate inteſtina torquentur.* Sic etiam Marcellus Empir. cap. 29. pag. 203.

3. *Peucedani.*] Torminibus, inflationibuſque ſubvenire pariter auctor eſt Dioſc. lib. 3. cap. 92.

4. *Item acori.*] Dioſc. lib. 1. cap. 2.

5. *Daucumve.*] Dauci ſemen ad ſedanda tormina commendat Dioſc. lib. 3. cap. 83.

6. *Si lactucæ modo.*] Ex aceto oleoque.

7. *Ladanum.*] Alvum ſiſtit, urinam ciet. Dioſcor. lib. 1. cap. 128.

8. *Item Gentianæ.*] Succum hujus prodeſſe ſtomachicis ſcribit Dioſc. lib. 3. cap. 3.

9. *Plantago mane*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 188. *Plantaginis aridæ ſemen tritum, ex partibus duabus, & papaveris capitis aridi, ex parte tertia, oportet per cribrum leniter foratum trajici, ex eoque pulvere dari torminoſo ligulæ magnæ menſuram, interdum plus aut minus, cum vino veteris mixti non mu-*

sumpta [10] duabus linguis, & tertia papaveris in vini cyathis quatuor non veteris. Datur & in somnum euntibus, addito nitro vel polenta, si multo post cibum detur. [11] Colo infunditur hemina succi, vel in febri.

XLVIII. [1] Agaricum potum obolis tribus in vini veteris cyatho uno, lieni medetur: 5 & panacis omnium generum radix in mulso. [2] Sed Teucria præcipue, pota arida & decocta quantum manus capiat, in aceti heminis tribus. Ad vulnus illinitur eadem cum aceto: aut si tolerari non possit, ex fico vel aqua. [3] Polemonia bibitur ex vino. [4] Vettonica drachma in oxymelitis cyathis tribus. [5] Aristolochia, [6] ut contra serpentes. Argemonia septem diebus in cibo sumpta lienem consumere dicitur: [7] agaricum in aceto mulso 10 obolis duobus. [8] Nymphææ heracliæ radix e vino pota, & ipsa consumit. [9] Cissanthemus, drachma bis die sumpta, in vini albi cyathis duobus per dies XL. lienem dicitur paulatim emittere per urinam. [10] Prodest & hyssopum cum fico decoctum. [11] Lonchitidis radix decocta, priusquam semen emittat. [12] Peucedani quoque radix decocta, & lieni & renibus. [13] Lien acori potu consumitur. [14] Præcordiis & ilibus utilissimæ radices. [15] Cly- 15 meni semen potum diebus triginta pondere denarii in vino albo. Vettonicæ farina ex melle & aceto scillite pota. Radix lonchitidis in aqua, & Teucrium illinitur. [16] Item scordium cum cera, agaricum cum farina feni Græci.

XLIX. [1] Vesicæ malis, contraque calculos, gravissimis cruciatibus, [2] ut diximus, auxilio est [3] Polemonia ex vino pota: [4] item agaricum. [5] Plantago radice vel foliis po- 20 tis ex passo. [6] Et Vettonica, [7] ut in jocinere diximus. Item ramici, pota atque illita: [8] eadem ad strangurias efficacissima. [9] Ad calculos quidam Vettonicam & verbenacam & millefolium æquis portionibus, ex aqua, pro singulari remedio bibere suadent. Strangurias discuti & dictamno certum est. Item quinquefolio decocto ad tertias in vino: [10] hoc & enterocelicis dari atque illini, utilissimum est. [11] Xiphii quoque radix superior 25 urinam ciet infantibus. [12] Enterocelicis datur ex aqua, & illinitur vesicæ vitiis. Peucedani succus infantium ramici: [13] & umbilicis eminentibus psyllion illinitur: [14] Urinam cient anagallides, [15] acorique radicis decoctum, vel ipsa trita potaque: & omnia vesicæ vitia sanat. [16] Et calculos herba & radix cotyledonis. [17] Itemque genitalium inflammationem omnem, pari pondere caulis, & feminis, & myrrhæ. [18] Ebulum teneris cum 30 foliis tritum, ex vino potum, calculos pellit: impositum [19] testes sanat. [20] Erigeron

NOTÆ.

enium, id est, cyathis tribus. Hoc medicamentum ante somnum utiliter etiam ad vesperam datur. Et paulo ante: *Plantago cocta ante alium cibum data ex aceto plurimo, & exiguo sale atque oleo, torminosis plurimum prodest.*

10. *Duabus linguis.*] Vel, ut alii MSS habent, *lingulis*, hoc est, cochlearibus.

11. *Colo.*] In coli tormento, hoc est, in tenuioris intestini morbo Apponi jubet ad colici umbilicum contusam plantaginem Marcellus Empir. cap. 29. pag. 206.

Sect. XLVIII. 1. *Agaricum.*] Lienosis in aceto mulso præbet Dioscor. lib. 3 cap. 1.

2. *Sed Teucria.*] Quæ hemionitis Dioscoridis est, lib. 3. cap. 152. ut alibi monuimus: ἥπαρ σὺν ὄξει πινόμενον, τήκει σπλῆνα.

3. *Polemonia.*] Ex aceto drachmæ pondere dari lienosis auctor est Diosc. lib. 4 cap. 8.

4. *Vettonica.*] Dioscor. lib. 4. cap. 1.

5. *Aristolochia.*] Ex aqua propinat Diosc. lib. 3. cap. 6

6. *Ut contra serpentes*] Libro 25. sect. 55. radicis drachmam in vini hemina sæpius bibendam adversus serpentes prædicit.

7. *Agaricum*] Diosc. lib. 3. cap. 1. & Plinius Valer. lib. 2. cap 18 *Agarici oboli duo in aceto mulso poti per dies XX. consumunt lienem.*

8. *Nymphææ.*] Diosc lib. 3. cap. 148 totidem verbis.

9. *Cissanthemus.*] Hoc est, cyclaminos cyssanthemos, de quo idem narrat Diosc. lib. 3. cap. 195.

10. *Prodest &c.*] Diosc lib. 3. cap. 30 ad verbum.

11. *Lonchitidis*] Et hoc de altera lonchitide Dioscorides, lib. 3. cap. 162. quam & asperam vocat: Τήκει δὲ καὶ σπλῆνα μετ' ὄξους πινομένη.

12. *Peucedani.*] Diosc. lib. 3. cap. 92. cum Theophr. lib. 9. hist. cap. 22.

13. *Lien acori.*] Diosc. lib 1. cap. 2. σπλῆνας τήκει.

14. *Præcordiis.*] Dioscor. loc. cit. lateri, hepati, thoraci, subvenire ait.

15. *Clymeni semen.*] Subintellige, lienem absumit. Diosc. lib. 4. cap 14. de periclymeno, quam esse clymenon Plinianam suo loco docuimus: Τούτου ὁ καρπὸς πέπειρος συναχθεὶς καὶ ξηρανθεὶς ἐν σκιᾷ, πινόμενος μετ' οἴνου ... ἐπὶ ἡμέρας μ', καὶ σπλῆνα τήκει, &c. *Semen postquam ematuruit collectum, & in umbra siccatum, si drachmæ pondere ex vino bibatur quadraginta diebus, lienem absumit, &c.*

16. *Item scordium.*] Dioscor. lib 3. cap. 125. Καὶ ὑποχονδρίων χρονίως φλεγμαινόντων ἀναληφθεῖσα κηρωτῇ παρηγορεῖ. *Diuturnam hypocondrii inflammationem cerato excepta lenit.*

Sect. XLIX. 1. *Vesicæ malis.*] Ab his verbis instituendam periodum novam loci sententia admonuit, quæ connexa perperam cum anterioribus hactenus fuere.

2. *Ut diximus.*] Libro 25. sect. 7. *Indicavere*, inquit, *experimento, asperrimos cruciatus esse calculorum a stillicidio vesicæ.*

3. *Polemonia.*] Dioscorides. lib. 4. cap. 8. ex aqua præbet.

4. *Item agaricum.*] Diosc. lib. 3. cap. 1.

5. *Plantago.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap. 153. & Apuleius, cap. 2. tit. 24.

6. *Et Vettonica.*] Vettonica pariter calculos rumpi docet Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 189.

7. *Ut in jocinere diximus.*] Sect 19 his verbis: *Vettonicæ drachma una in aqua calida cyathis tribus.* Ex melle & aceto bibi jubet Anton. Musa, tit 24.

8. *Eadem ad stranguriās*] Dioscor. lib. 4. cap. 1.

9. *Ad calculos.*] Verbis plane totidem Marcellus Empir. cap. 26. pag 177. Item suspectæ vetustatis auctor, Æmilius Macer, cap. de verbena:

Herbam cui nomen foliis de mille dedere,
Bettonicamque, pari verbenæ pondere junge:
Hæc mixta potantur aqua: nullum medicamen
Utilius credunt illis quos calculus angit.

10. *Hoc & enterocelicis.*] Diosc. lib 4. cap. 42.

11. *Xiphii quoque.*] Diosc lib. 4. cap 20.

12. *Enterocelicis.*] Iisdem verbis Diosc. loc. cit.

13. *Et umbilicis.*] Dioscor. lib. 4 cap. 70. Ἐντεροκήλας τε καὶ τὰς ἐπὶ παίδων καὶ ἐξομφάλους ὠφελεῖ καταπλασσόμενον σὺν ὄξει. *Infantium enterocelis, & eminenti umbilico illitum ex aceto medetur.* Unde forsan legi hoc loco oporteat, ut in Chiffl. cod. *Peucedani succus infantibus: ramici & umbilicis eminentibus psyllion illinitur.*

14. *Urinam cient*] Certe nephriticis, hydropicisque opitulari ait Diosc. lib. 2. cap 209.

15. *Acorique radicis.*] Diosc. lib. 1. cap 2.

16. *Et calculos.*] Dioscor. lib. 4. cap. 92. Item Galenus, lib. 7. de fac. simp. med pag. 195 Dysuriam statim ea sanari in vino pota, auctor est Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap 20.

17. *Itemque.*] Diosc. loc. cit.

18. *Ebulum.*] Ebuli radices ad calculos commendat Marcellus Empir. cap. 26. pag. 176.

19. *Testes sanat*] Testium epiphoras, seu inflammationes.

20. *Erigeron.*] Iisdem verbis Diosc. lib. 4. cap. 97.

quoque cûm farina thuris & vino dulci, testium inflammationes sanat. [21] Symphyti radix illita enterocelas cohibet: genitalium nomas [22] hypocisthis alba. [23] Artemisia quoque datur contra calculos ex vino dulci, & ad stranguriam. [24] Dolores vesicæ sedat ex vino nymphææ heracliæ radix.

L. 1. [1] Eadem vis crethmo ab Hippocrate admodum laudatæ. Est autem inter eas quæ eduntur silvestrium herbarum. Hanc certe apud Callimachum apponit rustica [2] illa Hecale: speciesque est [3] batis hortensiæ. [4] Caulis unus palmum altus, semen ferens odoratum, ceu libanotidis rotundum, siccatum rumpitur: habet intus nucleum candidum, quem aliqui cachryn vocant. Folio pingui, albicante veluti olivæ, crassiore, & salso gustu: radices digiti crassitudine tres aut quatuor. Nascitur in maritimis petrosis. [5] Estur crudum coctumve cum olere, odorati saporis & jucundi. [6] Servatur etiam in muria: præcipui usus ad stranguriam, folio, vel caule, vel radice ex vino. Colorem quoque corporis gratiorem facit: verum æquo largior inflationes. Alvum solvit decocto, [7] urinamque, & a renibus humorem trahit. [8] Sic & althææ siccæ farina in vino pota, stranguriam tollit, efficacius addito dauco. Lieni quoque utilis. [9] Adversus serpentes bibitur. Jumentis quoque in pituita, aut stranguria, hordeo inspersa succurrit.

L I. 2. [1] Anthyllion est lenti simillima, [2] quæ in vino pota vesicas vitiis liberat, sanguinem sistit. [3] Altera est anthyllis, chamæpityos similis, flore purpureo, odore gravi, radice intubi.

L I I. 3 [1] Vel magis cepæa, similis portulacæ, nigriore radice, sed inutili, nascens in litoribus arenosis, gustu amara. [2] In vino cum asparagi radice vesicæ plurimum prodest.

L I I I. 4. [1] Eadem præstat hypericon, quam alii chamæpytin, [2] alii corion apellant, [3] oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ, [4] odore acri, semine in siliqua nigro, maturescente cum hordeo. Natura semini spissandi: alvum sistit: [5] urinam ciet: vesicæ cum vino bibitur.

L I V. 5. [1] Est aliud hypericon, quod [2] alii corin appellant, folio tamaricis, & sub ea nascitur, sed pinguioribus foliis & minus rubentibus, odoratum, palmo altius, suave, leniter acutum. Vis semini excalfactoria: & ideo inflationem facit: sed stomacho noo inutile: [3] præcipuum ad stranguriam, si exhulcerata non sit vesica. Medetur & pleuriticis ex vino potum.

L V. 6. Vesicæ autem callithrix trita simul cum cumino, & data ex vino albo. [2] Verbenaca quoque cum foliis decocta ad tertias, vel radix ejus e mulso calido, calculos ejicit.

NOTÆ.

21. *Symphyti.*] Diosc lib. 4. cap. 9.
22. *Hypocisthis.*] Cistho ipsi hanc vim assignat Diosc. lib. 1. cap. 126
23. *Artemisia.*] Dioscor. lib. 3. cap. 127. & Apuleius, cap. 19. tit 4.
24. *Dolores vesicæ*] Diosc lib. 3. cap 147.

Sect. L. 1. *Eadem vis crethmo.*] Diximus de eo, anteriore libro, sect. 96. Laudatur ab Hippocrate, ad ejiciendos feminarum menses, lib. de natura mul. tex. 20. pag 372 & lib. 1. de morb mul. tex. 10 pag. 422. Ad uteri morbos inter optima remedia, ἄριστα φάρμακα, eodem volumine, tex. 56 pag. 450.

2. *Illa Hecale.*] De qua diximus antea, lib. 22 sect. 44.

3. *Batis hortensiæ.*] Nec batis quoque bacillarum nomine, de quibus egimus lib. 25. sect. intelligenda est: quando neque ipsa crethmos ea est appellatione censenda, ut diximus. Quin & bacillas herbarii perperam in marinas distinxere, atque hortenses, ut acute vidit Petr. Quiqueranus, lib. 2. de laud. Provinciæ, fol. 50. cum nihil discrepent: nisi quia maritimæ litorum prærogativa gustantibus salsiorem morsum infligunt. Conditura bacillarum aceto constat: ei nihil salis adjicitur, quod (ut aiunt) salem sibi secum ferant. Quæ ratio me quoque monet, ut asseverem bacillam eam non esse batin, quod Dalecampius censuit: quando Columella, Plinius, ac Dioscorides, suæ bati nunc salem, nunc muriam injiciunt. Batin esse potius censuerim eam, quæ nomine alio hortensis sive sativa portulaca est: crethmon, marinam.

4. *Caulis unus.*] Iisdem pæne notis a Dioscor. describitur, lib. 2. cap. 157.
5. *Estur crudum &c.*] Dioscor. loc. cit.
6. *Servatur.*] Diosc. loc. cit.
7. *Urinamque.*] Diosc. loc. cit.
8. *Sic & althææ.*] Dioscor. lib. 3. cap. 163.
9. *Adversus serpentes.*] Dioscor. loco citato.

Sect. L I 1. *Anthyllion.*] Ἀνθυλλὶς hæc prima Dioscoridis, lib. 3. cap 153. picta a Lobelio, in Adverſ. pag. 195 visa a nobis in horto Regio. In Dalmatia & Creta frequens, teste Anguillara, par. 13. pag. 237.

2. *Quæ in vino.*] Diosc. loc. cit.
3. *Altera est*] Et hæc altero similiter loco a Dioscor. appellata, loc. cit. iisdem signata notis. Ius Moschata Monspeliensium, scite effigiata a Lobelio in Observ. pag. 208. visa a nobis in horto Regio.

Sect. L I I. 1. *Vel magis cepæa.*] Κηπαία Dioscoridi, lib. 3. cap. 168. iisdem ferme verbis describitur. Vidimus in horto Regio, qualem Matthiolus delineat, in lib. 3. Dioscor. pag. 933. In Paduano & Bononiensi agro nasci testatur Anguillara, par. 13. pag 241.
2. *In vino.*] Dioscor loc. cit.

Sect. L I I I. 1. *Eadem.... hypericon.*] Dioscor. lib. 3. cap. 171. Ὑπερικὸν, οἱ δὲ ἀνδρόσαιμον, οἱ δὲ κόρειον, οἱ δὲ χαμαιπίτυν, &c. Officinæ Perforatam vocant, Galli *Millepertuis*. quod folia Soli objecta innumeris foraminibus scatere, & omni ex parte punctis quibusdam pertundi visuntur. Vulgus item *herbam S. Joannis* sæpe nuncupat. Pingitur a Dodonæo, pag. 76. Vidimus in horto Regio.
2. *Alii corion.*] Ita Dioscor MSS. tamen, tum hoc loco, tum in indice, pertinaciter *corison* exhibent. Sic rursum inferius sect. 60.
3. *Oleraceo frutice.*] Altitudine oleribus pari, sive inter olera frutice adnascente.
4. *Odore acri.*] Resinam pineam obolente, unde & χαμαιπίτυος nomen.
5. *Urinam ciet.*] Dioscor. loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει διουρητικήν.

Sect. L I V. 1. *Est aliud.*] Dioscor. lib. 3. cap. 174. Κόρις, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ὑπερικὸν καλοῦσι, φύλλον ἔχει παραπλήσιον τῷ ἐρείκῃ. &c. A Matthiolo pingitur, in lib. 3. Diosc. pag. 939. In horto Regio vidimus.
2. *Alii corin.*] Ita sane Diosc. Sed Pliniani codices MSS. non hic modo, sed & in Indice, & rursum inferius sect. 73. & 81. constantissime *caron* vocant.
3. *Præcipuum ad.*] Diosc. loco cit.

Sect. L V. 1. *Vesicæ autem.*] Diosc. lib. 4. cap. 136.
2. *Verbenaca.*] Marcellus Empiricus, cap. 26. pag. 175. & Apuleius, cap. 3. tit. 5.

7. [3] Item perpressa, quæ Aretii & in Illyrico nascitur, in aqua decocta e tribus heminis ad unam, & pota. [4] Trifolium ex vino sumptum.

8. Et chrysanthemum.

9. [5] Anthemum quoque calculos ejicit, parvis a radice foliis quinis, caulibus longis duobus, flore roseo: radices tritæ per se, ceu laver crudum.

L V I. 10. [1] Silaus nascitur glareosis & perennibus rivis, cubitalis apii similitudine. [2] Coquitur, ut olus acidum, magna utilitate vesicæ: [3] quæ si scabiem sentiat, panacis radice sanatur, aliter inutile vesicis. Calculos pellit [4] malum erraticum, radicis libra in vini congio decocta ad dimidias: inde heminæ sumuntur per triduum: reliquum ex vino cum sio: urtica marina, & [5] daucum, & plantaginis semen ex vino.

L V I I. 11. [1] Et herba Fulviana trita ex vino, (& hæc nomen inventoris habet, nota tractantibus,) urinas ciet.

L V I I I. Scordion testium tumores sedat [1] Hyoscyamum genitalibus medetur: [2] peucedani succus ex melle, & semen, stranguriæ: [3] agaricum obolis tribus in vini veteris cyatho uno: [4] trifolii radix drachmis duabus in vino: [5] dauci una drahma, vel seminis. [6] Ischiadici & semine & foliis erythrodani tritis sanantur: [7] panace poto: [8] & infricata Polemonia, aristolochiæ decocto folii. Agarico quidem & [9] nervus, qui platys appellatur, & humerorum dolor sanatur, obolis tribus in vini veteris cyatho uno poto. [10] Quinquefolium ischiadicis & bibitur & imponitur. [11] Item scammonia decocta cum hordei farina. [12] Semen hyperici utriusque bibitur ex vino. Sedis vitia & attritus celerrime sanat plantago: [13] condylomata quinquefolium: [14] sedem eversam cylamini radix ex acero. [15] Anagallidum cærulea procidentiam sedis retro agit: e diverso rubens proritat. Cotyledon condylomata & hæmorroïdas mire curat. Testium tumores acori radix decocta in vino, tritaque, & illita. [16] Intertrigines negat fieri Cato, absinthium Ponticum secum habentibus. [*] Alii adjiciunt & pulegium: quod jejunus qui legerit, si post se alliget, inguinis dolores prohibet, aut sedat cœptos. [17] Inguinalis (quam quidam argemonem vocant) passim in vepribus nascens, ut prosit inguinibus, in manu tantum habenda est.

* Cap. IX. 25

L I X. [1] Panos sanat panaces cum melle: [2] plantago cum sale: [3] quinquefolium: [4] persolatæ radix, ut in strumis: [5] item damasonium: [6] verbascum cum sua radice tusum, vino aspersum, folioque involutum, & ita in cinere calfactum, ut imponatur calidum. Experti affirmavere, plurimum referre si virgo imponat nuda, jejuna jejuno, & manu

Notæ.

3. *Item perpressa.*] *Repressa Romanis*, inquit Anguillara, par. 12. pag 218 *dasi a i cavalli quando sono ripresi, onde ... tal nome.* Id esse ibi pabulum equorum ait, cum æstuant.

4. *Trifolium.*] Lib. 3. cap. 123 Marcellus Empir. cap. 26. pag. 180 de trifolio minuto: ut & Plinius Valer. lib. 2. cap. 38.

5. *Anthemum quoque.*] Sic Reg 1. At Reg. 2. & index, *Anthemis.* In Illyrico reperiri, dicique *Saxifragia*, quod calculos nempe vesicæ frangit vel ejicit, auctor est Anguillara, par. 12. pag. 218

Sect. L V I. 1 *Silaus nascitur.*] Non est hæc laver, sive sion, de quo diximus lib. 22. sect. 41. ut existimavit Ruellius, lib. 2. pag. 369. cum de lavere proxime antea, ceu stirpe diversa, mentio habeatur. Sed apium potius palustre, ut acute vidit Anguillara, par. 2. pag. 219. & cum eo Lobelius in notis M S S. ad eum locum.

2. *Coquitur ut olus acidum.*] Olusatrum, credo, intelligit.

3. *Quæ si scabiem.*] Si sit exhulcerata vesica.

4. *Malum erraticum.*] Quid hac voce intelligat, haud satis liquet. Daleccampius de aristolochia interpretatur, quæ malum terræ superius appellata est, sect. 54. quod radix in globum mali rapique modo rotundetur Vix assentior: cum illa ubique nobiliore nomine Græco quam Latino a Plinio appelletur.

5. *Et daucum.*] Daucum urinas pellere auctor est etiam Dioscor. lib. 3. cap. 83.

Sect. L V I I. 1. *Et herba Fulviana.*] Quæ sit ea porro, cum nullis signetur notis, statui auspicato nequit.

Sect. L V I I I. 1 *Hyoscyamum.*] Testium tumori mederi dixit hyoscyami semen, Dioscor. lib 4 cap. 69.

2. *Peucedani.*] Dioscor. lib. 3. cap. 92.

3. *Agaricum.*] Dioscor lib 3 cap 1.

4. *Trifolii.*] Hujus seminis drachmas ternas, foliorum quaternas præbet Diosc. lib 3. cap 123.

5. *Dauci.*] Subintellige, radicis. Semen certe ad pellendas urinas commendat in primis Diosc. lib. 3. cap. 83.

6. *Ischiadici &c.*] Dioscor. lib. 3. cap. 160

7. *Panace poto.*] Illini jubet ischiadi Dioscorides, lib 3. cap. 55.

8. *Et infricata.*] Et pota quoque ex aqua, si Dioscoridem audimus, lib. 4. cap. 8 &, qui Dioscoridem ubique sequitur, Galenum, lib. 8. de fac. simp med. pag 221.

9. *Nervus qui platys.*] Πλατὺς, hoc est, latus, amplus, patens. Nervum intelligit cruris crassissimum, maximumque inter lumbares, qui ad genu usque procedit. Ad coxendicum articulorumque dolores facere agaricum ex aceto mulso potum, ait Diosc. lib. 3. cap. 1.

10. *Quinquefolium.*] Diosc. lib. 4. cap 42. Marcellus Empir. cap. 25 pag 174. *Ad ischiadem*, inquit, *herba pentaphyllos, foliis fragorum simillima, cum vino trita, in balneo in solio data potui, hac valetudine laborantes cito remediabit.*

11. *Item scammonia*] Dioscor. lib. 4. cap. 171. Συνεψηθεῖσα δὲ ὄξει καὶ λειανθεῖσα μετὰ ἀλεύρου κριθίνου, ἰσχιαδικοῖς ἐστι κατάπλασμα.

12. *Semen hyperici.*] Dioscor. lib. 3. cap. 171. & 174.

13. *Condylomata.*] Dioscor. lib. 4. cap. 42.

14 *Sedem eversam.*] Procidentem. Diosc. lib 2 cap. 194. Ἕδρας δὲ προπεπτωκυίας ὄξει καταχριόμενος ὁ χυλὸς καθίστησι. *Sedem prociduam radicis succus ex aceto illitus restituit.*

15 *Anagallidum.*] Diosc lib. 2 cap. 209 Φασὶ δὲ ἔνιοι τὴν μὲν ἔχουσαν τὸ κυάνεον ἄνθος, προπίπτοντα δακτύλιον στέλλειν· τὴν δὲ τὸ φοινικοῦν, ἐρεθίζειν καταπλασσομένην. *Aiunt nonnulli impositam anagallidem eam, quæ cæruleum edit florem, sedis procidentiam retro agere: quæ vero phœniceum, eamdem proritare.*

16. *Intertrigines.*] Cato de re rust. cap. 159. pag. 59 *Intertriginis remedium: In viam cum ibis, absinthii Pontici surculum sub anulo habeto.* Apuleius, cap. 100. tit. 4 *Ad inguinum vel intertriginis molestias. Herba absinthio & marrubio fumato, & in femicinctio tecum portato, sanaberis.* Intertrigines attritus sunt femorum In Notis quæ Tironis falso dicuntur, apud Gruterum, pag. 180. *Rhagadium. Intestigo. Intestiginosum.* Lege, *Intertrigo. Intertriginosum.*

17. *Inguinalis*] In Reg 2. *Inguinalis, quam quidam argemonem.* In Reg 5. *argemon.* In Indice, *Inguinalis, sive Argemo.* Argemoniam vocare videtur Marcellus Empir. cap. 32. pag 225. & cap 34. pag. 235. Quam porro Plinius inguinalem vocet, si alia est ab argemonia, de qua lib. 25. sect. 56. aut a lappa canaria, quam pariter argemonem dixere, ut vidimus lib. 24 sect. 116. obscurum est

Sect L I X. 1. *Panos sanat.*] Diosc. lib. 3. cap. 56.

2. *Plantago.*] Sic & Diosc. lib. 2. cap. 153.

3. *Quinquefolium.*] Dioscor lib. 4. cap 42.

4. *Persolatæ*] Quod & arcion a Dioscoride appellatur, lib. 4. cap. 107. Quo illa modo in strumis imponatur, diximus sect 12.

5. *Item damasonium.*] Diosc. lib. 3. cap. 169.

6. *Verbascum.*] Ad οἰδήματα, hoc est, ad tumores commendatur a Diosc. lib 4. cap 104.

supina tangens dicat: NEGAT APOLLO PESTEM POSSE CRESCERE, CUI NUDA VIRGO RESTINGUAT: atque ita [7] retrorsa manu ter dicat; totiesque despuant ambo. [8] Medetur & radix mandragoræ ex aqua: [9] radicis scammoniæ decoctum cum melle: sideritis cum adipe vetere: [10] vel Chrysippea cum ficis pinguibus: & hæc ab inventore habet nomen.

L X. [1] Venerem in totum adimit, ut diximus, nymphæa heraclia: [2] eadem semel pota, in XL. dies. [3] Insomnia quoque Veneris a jejuno pota, & in cibo sumpta. Illita quoque radix genitalibus, inhibet non solum Venerem, sed & affluentiam genituræ, [4] ob id corpus alere vocemque dicitur. [5] Appetentiam Veneris facit radix e xiphio superior, data potu in vino. Item quam crethmon agrion appellant: [6] & horminos agrios, cum polenta contrita.

L XII. 1. [1] Sed inter pauca mirabilis est orchis herba: [2] sive serapias, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo, gemina radice, testiculis simili: ita ut major, sive (ut aliqui dicunt) durior, ex aqua pota excitet libidinem: minor sive mollior, e lacte caprino inhibeat. [4] Quidam folio scillæ esse dicunt, læviore ac minore, caule spinoso. [5] Radices sanant oris hulcera: thoracis pituitas, [6] alvum sistunt e vino potæ. [7] Concitatricem vim habet satyrion. Duo ejus genera: [8] una longioribus foliis, quam oleæ, caule quatuor digitorum, flore purpureo, radice gemina ad formam hominis testium, alternis annis intumescente ea ac residente. [9] Altera satyrios orchis cognominatur, & femina esse creditur. Distinguitur internodiis & ramosiore frutice, radice fascinis utili. Nascitur fere juxta mare. Hæc tumores, & vitia [10] partium earum cum polenta illita sedat, vel per se. [11] Superioris radix in lacte ovis colonicæ data, nervos intendit: eadem ex aqua remittit.

LXIII. 2. [1] Græci satyrion, foliis lilii rubri minoribus, & tribus non amplius e terra exeuntibus tradunt, caule lævi, cubitali, nudo, radice gemina: [2] cujus inferior pars & major mares gignat, superior ac minor feminas. [3] Et aliud genus satyrii erythraïcon appellant, semine viticis majore, lævi: duræ radicis, cortice rubro, intus album includi, sapore subdulce, fere in montuosis inveniri. [4] Venerem, etiamsi omnino manu teneatur radix, stimulari: [5] adeo si bibatur in vino austero. Arietibus quoque & hircis segnioribus in potu dari. Et a Sarmatis, equis ob assiduum laborem pigrioribus in coïtu, quod vitium prosedamum vocant. Vim ejus restinguit aqua mulsa, [6] aut lactuca sumpta. [7] In totum quidem Græci, cum concitationem hanc volunt significare, satyrion appellant: sic & cratægin cognominantes, & thelygonon, & arrhenogonon, quarum semen testium simile est. Tithymali quoque ramorum medullam habentes, ad Venerem

NOTÆ.

7. *Retrorsa manu.*] Aversa manu, prona, cum vola terram spectat: ut contra supina, cum vola cælo obvertitur.

8. *Medetur.*] Diosc. lib. 4 cap. 76.

9. *Radicis scammoniæ.*] Diosc. lib. 4 cap. 171.

10. *Vel Chrysippea.*] Quid Chrysippea sit, velle indicare, harioli foret, & conjectoris parum sani.

Sect. L X. 1. *Venerem . . . . ut diximus.*] Libro 25. sect. 37. *Qui biberint eam duodecim diebus, coitu genituraque privari.*

2. *Eadem semel.*] Hoc est, si per dies duodecim bibatur, ut dictum est lib. 25. sect. 37. in totum Venerem adimit: si vel semel bibatur, Venerem in XL. dies.

3. *Insomnia quoque.*] Subintellige, adimit in totum. Diosc. ad verbum, lib. 3. cap. 148.

4. *Ob id.*] Vide quæ de raphano diximus, libro 20. sect. 13.

5. *Appetentiam.*] Diosc. lib. 4. cap. 20. Φασὶ δὲ καὶ ἀφροδίσια παρορμᾷν τὴν ἀνωτέρω ῥίζαν σὺν οἴνῳ ποθεῖσαν.

6. *Et horminos.*] Diosc. lib. 3. cap. 145. Ὅρμινος ἄγριος.... δοκεῖ δὲ τοῦτο σὺν οἴνῳ πινόμενον, συνουσίαν παρορμᾷν. Illud est quod lib. 18. sect. 22. a Dodonæo delineari diximus, pag. 290.

Sect. XLII. 1. *Sed inter pauca.*] Diosc. lib. 3. cap. 141. Ὄρχις ἕτερος, ὃ Σεραπιάδα ἔνιοι καλοῦσιν, ὅτι καὶ Ἀνδρίας, διὰ τὸ πολύχρηστον τῆς ῥίζης. Φύλλα ἔχει ὅμοια πράσῳ, &c. Nam totidem verbis & a Dioscoride, & ab Oribasii interprete delineatur, lib. 12. pag. 210. Testiculum canis officinæ vocitant. Quin & eadem omnia orchium genera Satyria nominant, Gallique officinas secuti, *du Satyrion*: Apuleium quoque, qui cap. 5. orchies & satyria nullo discrimine habuit. Nos viginti omnino genera vidimus in horto Regio. Sunt omnium cognatæ vires, & ad Venerem in primis concitandam pares.

2. *Sive serapias.*] In Indice, more Latino, *serapia*. Ut *rhadan* alibi, pro *rhade* dixit.

3. *Ita ut major.*] Diosc. lib. 3. pag. 141. & 142. e gemina radice seu bulbo, teneriorem ait a mulieribus Thessalis e lacte caprino propinari ad excitandam libidinem: alteram, quæ aridior duriorque est, ξηρός, ad eamdem inhibendam. Theophr. lib. 9. hist. cap. 19. utrumque e lacte caprino sumi ait: sic sumpto majore libidinem excitari: inhiberi minore. Vide & Galenum, lib. 8. de facult. simpl. med. pag. 216.

4. *Quidam folio.*] Theophr. loc. cit. Ἔχει δὲ τὸ φύλλον σκιλλῶδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον· τὸν δὲ καυλὸν ὅμοιον.... ἢ ἀκανθώδη.

5. *Radices sanat.*] Diosc. lib. 3. cap. 142.

6. *Alvum.*] Diosc. loc. cit. Ἵστησι δὲ καὶ κοιλίαν σὺν οἴνῳ ποθεῖσα.

7. *Concitatricem.*] Ad venereos impetus.

8. *Una longioribus.*] Hic Dioscoridis orchis est, lib. 3. cap. 141. Latinis satyrion nuncupatum. Ὄρχις, οἱ δὲ κυνόσορχις καλοῦσι, φύλλα ἔχει .... ἐλαίας μαλακῆς ὅμοια ... μακρότερα, &c.

9. *Altera.*] Hoc vero genus a Græcis scriptoribus prætermissum.

10. *Partium earum.*] Genitalium.

11. *Superioris.*] Ejus quam orchin esse Dioscoridis diximus.

Sect. LXIII. 1. *Græci satyrion.*] Ut Diosc. lib. 3. cap. 143. Σατύριον, οἱ δὲ τρίφυλλον καλοῦσι .... φύλλα τρία φέρει ... κρίνῳ ὅμοια, &c.

2. *Cujus inferior.*] Hoc de priore orchi pariter Dioscor. lib. 3. cap. 141. ut sunt nimirum, quod ante monuimus, congeneres omnium horum facultates.

3. *Et aliud genus.*] Diosc. lib. 3. pag. 144. Σατύριον τὸ ἐρυθρόνιον, οἱ δὲ σατύριον ἐρυθραϊκόν, &c.

4. *Venerem etiamsi.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

5. *Adeo si.*] Multo magis, si.

6. *Aut lactuca.*] Quoniam hæc maxime refragetur Veneri, ut dictum est lib. 19. sect. 38.

7. *In totum.*] Omnino Græci, inquit, cum herbam aliquam, aliudve quod hanc vim concitatricem Veneris habeat, significare volunt, satyrion appellant. Sic enim & cratægin, sive cratæogonon nuncupant, aliasque. Arrhenogoni certe semen esse testium simile prodidit Theophr. lib. 9. hist. cap. 19.

proniores fieri dicuntur. [8] Prodigiosa sunt, quæ circa hoc tradidit Theophrastus, auctor alioqui gravis, septuageno coïtu durasse libidinem contactu herbæ cujusdam, cujus nomen genusque non posuit.

LXIV. Sideritis adalligata varices minuit, & sine dolore persanat. Podagræ morbus
5 rarior solebat esse non modo patrum avorumque memoria, verum etiam nostra, peregrinus & ipse. Nam si Italiæ fuisset antiquitus, Latinum nomen invenisset. Insanabilis non est credendus: quippe quoniam & in multis sponte desiit, & in pluribus curâ. [1] Medentur panacis radices, cum uva passa: [2] succus hyoscyami cum farina, vel semen, [3] scordion ex aceto: [4] iberis, uti dictum est. [5] Verbenaca cum axungia trita, [6] cyclamini
10 radix, cujus decoctum & pernionibus prodest. Podagras refrigerat radix e xiphio, [7] semen e psyllio, cicuta cum lithargyro aut axungia, [8] aïzoum in primo impetu podagræ rubentis, hoc est, calidæ. [9] Utrilibet vero convenit erigeron cum axungia, [10] plantaginis folia trita addito sale modico, [11] argemonia tusa ex melle. Medetur & verbenaca illita, aut si pedes macerentur in aqua, in qua decocta sit.

15 LXV. 1. [1] Et lappago, similis anagallidi, nisi esset ramosior, ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, gravis odoris: [2] quæ talis est, mollugo vocatur.

2. Similis, sed asperioribus foliis, asperugo. Superioris succus expressus pondere X I. denariorum in vini cyathis duobus quotidie sumitur.

LXVI. 3. [1] Præcipue vero liberat eo malo phycos thalassion, id est, fucus marinus,
20 lactucæ similis, [2] qui conchyliis substernitur: non podagræ modo, sed omnibus articulorum morbis impositus, priusquam exarescat. [3] Tria autem genera ejus: latum, & alterum longius, quadamtenus rubens: tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tingunt: omnia ejusdem usus. [4] Nicander ea & adversus serpentes in vino dedit. Salutare est & semen ejus herbæ, quam psyllion appellavimus, madefactum aqua, admixtis in hemi-
25 nam seminis resinæ Colophoniæ cochlearibus duobus, thuris uno. [5] Laudantur & man-
* CAP. XI. dragoræ folia cum polenta tusa. * [6] Talis vero tumentibus limus aquaticus cum oleo subactus mire prodest. Articulis succus e centaurio minore. [7] Idem nervis utilissimus. Item centauris. [8] Vettonica nervis discurrentibus per scapulas, humeris, spinæ, lumbis, pota, [9] ut in jocinere. [10] Articulis quinquefolium impositum. [11] Mandragoræ folia cum po-
30 lenta, vel radix recens tusa cum cucumere silvestri, vel decocta in aqua. [12] Digitorum in pedibus rimis polypodii radix. [13] Articulis succus hyoscyami cum axungia: [14] Amomi succus cum decocto: item centunculus decocta, vel muscus recens ex aqua obligatus, donec inarescat:

NOTÆ.

8. *Prodigiosa.*] Theophr. lib. 9. hist. cap. 20. & ex eo Athenæus, lib. 1. pag. 18. Ab India in Græciam allatum id herbæ genus addit Theophrastus. In libris Indicarum navigationum aliquot herbarum simili virtute præditarum historiam reperias: cujusmodi sunt Amsiam, Agnacar, Tambor sive Betel, & aliæ.

Sect. LXIV. 1. *Medentur.*] Diosc. lib. 3. cap. 55. Ἀρμόζει καὶ ποδαγρικοῖς μετ' ἀσταφίδος ξηρᾶς καταπλασσόμενος.

2. *Succus hyoscyami.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVIII.

3. *Scordium, &c.*] Sic & Diosc. lib. 3. cap. 125.

4. *Iberis, ut dictum est.*] Libro 25 sect. 45.

5. *Verbenaca.*] Ad tumores & inflammationes commendatur a Diosc. lib. 4. cap. 61.

6. *Cyclaminus.*] Dioscor. lib. 2. cap. 194. Ἑψηθεῖσα δὲ καὶ αὐτὴ ποδάγραν . . . . καὶ χίμετλα τὸ ἀφέψημα αὐτῆς καταντλούμενον.

7. *Semen e psyllio.*] Diosc lib. 4 cap 70.

8 *Aizoum.*] Aizoi folia vel per se, vel cum polenta imposita. Diosc lib. 4. cap. 89. & 90.

9 *Utrilibet vero*] Hoc est, sive podagræ frigidæ, sive calidæ & æstuanti. Marcellus Empir. cap 36. pag. 143. *Herba senecio, quæ in tegulis nascitur, cum sale trita, vice malagmatis imposita, podagricis prodest.*

10. *Plantaginis.*] Marcellus Empir cap. 36. pag 246.

11. *Argemonia.*] Inflationes omnes sedari ea imposita, scribit Dioscor. lib. 2. cap 208.

Sect. LXV. 1. *Et lappago.*] Sive lappa canaria, de qua diximus lib 24 sect 116.

2 *Quæ talis est.*] Duo innuit esse lappaginis genera: utrumque a peculiari qualitate denominatum. Molligo altera ex iis apud Marcellum Empir. pag. 179 cap 26. dicitur, & ad renes commendatur. De asperugine diximus in Notis ad lib. 24. sect. 116.

Sect. LXVI. 1. *Præcipue vero*] Diosc. lib. 4. cap. 100. Φῦκος θαλάσσιον . . . ψυκτικὴν ἔχει δύναμιν, ποιοῦσι ἐν καταπλάσμασι, ποδάγραις, καὶ ταῖς φλεγμοναῖς· δεῖ δὲ αὐτῷ χρῆσθαι πρὶν ἀποξηρανθῆναι.

2. *Qui conchyliis.*] Hoc est, cujus colore lana primum imbuitur, cum vestis conchyliatæ tinctura præparatur. Hunc deinde colori pretiosior alter superinducitur: unde is qui prior est, substerni dicitur. Ab hoc fuco tingendis olim vestibus idoneo tincturam omnem deinde Latini fucum dixere. Disputat de eo fuco prolixe Philosophus, lib. 6 hist. anim. cap. 12 pag. 692

3. *Tria autem.*] Totidem verbis hæc Dioscor. lib. 4. cap. 100. Φῦκος θαλάσσιον, φύεται τὸ μὲν τι αὐτοῦ πλατύ, τὸ δὲ ὑπόμηκες καὶ φοινίσσον· τὸ δὲ λευκόν, φυόμενον δὲ ἐν Κρήτῃ πρὸς τῇ γῇ, εὐανθὲς ἄγαν καὶ ἀνέκπλυτον Plinius & Oribasius τὸ δὲ οὖλον, legerunt alibi, non λευκόν.

4. *Nicander.*] Diosc. loc. cit. Νίκανδρος δὲ φησὶ καὶ θηριακοῖς εἶναι τὸ φοινικοῦν. Nicandri versus est ejusecmodi in Theriac pag. 60.

Ἠὲ τι καὶ φοινίσσου ἀπ' ἐμπελάδοιο φύκους.

5. *Laudantur.*] Dioscor. lib 4 cap. 76

6. *Talis vero.*] Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 1. cap. 48. & Marcellus Empir cap. 34. pag 133.

7. *Idem nervis.*] Diosc lib. 3. cap. 9. Ποιεῖ δὲ ἁρμόζει νεύρων καὶ νόσῳ πάθεσιν ἰδίως.

8. *Vettonica nervis.*] Etiam præcisos glutinari ea censuit Marcellus Empir. cap. 35. pag. 140. Vide Notas & Emend. num. XIX.

9. *Ut in jocinere.*] Hoc est, eo temperamento, quo in jocineris remediis usi sumus, nempe sect. 19. Vettonicæ drachma una in aqua calida cyathis tribus.

10. *Articulis.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 47. Apuleius, cap. 2. de quinquefolio, tit. 21. *Ad pedum dolorem.* Jus radicis decoctæ prodesse ἀρθριτικοῖς scribit Dioscorid lib. 4. cap 42.

11. *Mandragora.*] Dioscor. lib. 4. cap. 76. cum Theophr. 9. histor cap 10.

12 *Digitorum in pedibus.*] Libri editi, *cubitorum ac pedum.* Reg 1. *cubitorum in pedibus.* Reg. 2. *digitorum inde pedibus.* Malui, *digitorum in pedibus* Diosc. lib 4. pag. 188 polypodii radicem impositam prodesse ait adversus rimas quæ inter digitos fiunt, Ποιεῖ καὶ . . . . ἡ ῥίζα λεία καταπλασσομένη πρὸς ῥαγάδας τὰς ἐν μεσοδακτύλοις.

13. *Articulis.*] Dioscor lib. 4. cap. 69. & Apuleius, cap. 4 de symphoniaca, tit 5.

14. *Amomi.*] Diosc lib. 1. cap. 14. Ποδαγρικοῖς συμβάλλεται.

4. [15] Item lappæ boariæ radix e vino pota. [16] Cyclaminos decocta in aqua perniunculos curat, omniaque alia frigoris vitia. [17] Perniunculos & cotyledon cum axungia: [18] folia ex batrachio: epithymi succus. Clavos pedum extrahit ladanum cum castoreo: verbenaca ex vino.

LXVII. Nunc peractis malis quæ membratim sentiuntur, dicemus de his quæ totis corporibus grassantur. Remedia autem hæc communia invenio. Ante omnes potandam dodecatheum, [1] de qua diximus: [2] deinde panacis omnium generum radices, peculiariter longinquis morbis, & semen interaneorum vitiis. Ad omnes vero corporis dolores succum e scordio: item Vettonicæ, quæ pota colorem plumbeum corporis privatim emendat, gratioremque reducit.

LXVIII. 1. [1] Geranion aliqui myrrhin: [2] alii merthryda appellant. Similis est cicutæ, foliis minutioribus, & caule brevior, rotunda, saporis & odoris jucundi. Nostri sic eam tradunt. [3] Græci foliis candidioribus paulo quam malvæ, caulibus tenuibus, pilosis, ramosam ex intervallis, binûm palmorum: & in his, foliis, inter quæ in cacuminibus capitula sint gruum. [4] Alterum genus foliis anemones, divisuris longioribus, radice mali modo rotunda, dulci, reficientibus se ab imbecillitate utilissima: & fere talis vera est. Bibitur contra phthisin drachma in vini cyathis tribus bis die. [5] Item contra inflationes: & cruda idem præstat. Succus radicis auribus medetur. Opisthotonicis semen drachmis quatuor cum pipere & myrrha potum. [6] Phthisin sanat & plantaginis succus, si bibatur, & ipsa decocta. In cibo cum sale & oleo, & a somno matutino, refrigerat. Eadem datur his, quos atrophos vocant, interpositis diebus. [7] Vettonica vero phthisicis, ecligmate cum melle, fabæ magnitudine: [8] Agaricum potum duobus obolis in passo, vel daucon cum centaurio majore in vino. [9] Phagedænis ([10] quod nomen sine modo esurientium est, [a] & alias hulcerum) tithymali medentur cum sesamis sumpti.

LXIX. a. Inter mala universi corporis vigiliæ sunt plerisque. [1] Harum remedio monstratur panaces, clymenos, aristolochia, & odore, & perunсto capite: aïzoum, sive sedum, si involutum panno nigro, ignorantis pulvino subjiciatur: [2] Et œnotheras, sive onuris, hilaritatem afferens in vino, amygdalaceo folio, flore roseo, fruticosa, longa radice, & cum siccata est, vinum olente. Hæc in potu data feras quoque mitigat.

[3] Cruditates, quæ nauseam faciunt, digerit Vettonica. [4] Eadem pota a cœna concoctionem facit, in oxymelitis cyathis tribus drachmæ pondere: & crapulam discutit. [5] Item agaricum post cibum in aqua calida potum. Paralysin Vettonica sanare dicitur: [6] item iberis, ut dictum est. [7] Eadem & torpentibus membris prodest: item argemonia, [8] omnia quæ periclitentur secari, discutiendo.

INTERPRETATIO.

a *Et alias.*] Et alioqui *nomen est* hulcerum *generis cujusdam* phagedæna.

NOTÆ.

15. *Item lappæ boariæ.*] A lappagine, de qua sup. sect. si discrepat, ignota herbariis.

16. *Cyclaminos.*] Diosc. lib. 2. cap. 194.

17. *Perniunculos.*] Diosc. lib 4. pag. 92. & Schol. Nicandri, in Theriac. pag. 32.

18. *Folia ex batrachio.*] Diosc. lib. 2. cap. 206.

Sect. LXVII. 1. *De qua diximus.*] Libro 25. sect. 9.

2. *Deinde panacis, &c.*] Sic Theophr. lib. 9. histor. cap. 12.

Sect. LXVIII. 1. *Geranion aliqui.*] Dioscor lib. 4. cap 116. Μύῤῥις, οἱ δὲ μύῤῥαν καλοῦσι, τῷ κωνείῳ καὶ τοῖς φύλλοις ὅμοιον καυλῷ. ῥίζαν δὲ ἔχει ἐπιμήκη, ἁπαλὴν, περιφερῆ, εὐώδη, ἡδεῖαν βρωθῆναι. Geranium cicutæ folio, supinum vocat Dodonæus, a quo delineatur, pag. 63. quale vidimus in horto Regio: sed illud inodorum. Alterum moscatum, folio ad myrrhidem accedente, & ibi observatum a nobis, pictum vide apud Joan. Bauhinum, tom. 3. pag. 479.

2. *Alii merthryda.*] Dioscor. in Nothis, pag. 459. Οἱ δὲ μυρτρὰξ, οἱ δὲ μυῤῥίς. In MSS. *myrtidam*, forte pro *myriida*, Nam in Indice, *Geranion sive myrrhis, sive myrtis*

3. *Græci foliis . . . . malvæ.*] Malvæ folio rotundo geranium, Pes columbinus dicitur Dodonæo, pag. 61. Gallis, *Pied de pigeon.* In horto Regio vidimus. Describitur iisdem pæne verbis a Diosc. lib 3. pag 131.

4. *Alterum genus.*] Et istud ab eodem Dioscor. iisdem designatur notis, loc. cit. Γεράνιον, τὸ μὲν φύλλον ἔχει ὅμοιον ἀνεμώνῃ, &c. Vulgo id Rostrum gruis, ciconiæque appellatur: *Bec de cicogne.* Geranium est Dodonæi tuberosum, pag. 61. visum a nobis in horto Regio.

5. *Item contra.*] Contra vulvæ inflationes, inquit Diosc. lib. 3. cap 131. ποθεῖσα ἐν οἴνῳ ἄχρι ✕ πλῆθος, στρόφους ὑστερικοὺς ...

6. *Phthisin sanat*] Diosc. lib. 2. cap. 153. Πίνεται δὲ καὶ φθισικοῖς. Et Celsus, lib. 3. cap. 22.

7. *Vettonica, &c.*] Diosc. lib. 4. cap. 1. ad verbum.

8. *Agaricum.*] Totidem verbis Diosc. lib. 3. cap. 5.

9. *Phagedænis.*] Diosc lib 4. cap. 165. de tithymalo? Ἀῤῥίζει καὶ πρὸς πτερύγια, καὶ ἀνθρακας, φαγεδαίνας, γάγγραίνας, σύριγγας. Quid hoc loco phagedæna sit, docuimus lib. 20. sect. 13.

10. *Quod nomen.*] Geminos inesse huic voci significatus innuit: alterum pro hulcere, uti diximus lib. 20. sect. 13. alterum, ut sit inexplebilis voracitas, immanis esuritio, insaturabilisque appetitus comedendi, & quasi βούλιμος. Ἀπὸ τοῦ αἰνῶς φαγεῖν, φαγαίνα & φαγέδαινα. Vide Cælium Aurel. lib. 3. de chron. morb. cap. 3. *Est etiam phagedæna,* Inquit, *ex stomachi passionibus, quæ affectio sequitur cibi vehemens appetentia, quam Græci ὄρεξιν appellant*, &c.

Sect. LXIX. 1. *Harum remedio . . . . aristolochia.* Ad somnum conciliandum valere plurimum aristolochiam in vino austero tritam, potamque, auctor est Theophr. lib. 9. hist. cap. 13.

2. *Et œnotheras.*] Subintellige, ex antecedentibus, vigiliarum remedio est. In MSS. tum hoc loco, tum in Indice, sine diphthongo, *Onothera, sive onuris.* Sic etiam Galenus, lib. 8. de fac. simp med pag 214. Ὄναγρον, ἢ ὀνόθηρα, ἢ ὀνουρίς. Cum Plinio facit Theophrastus, lib. 9. hist. cap. 23. Ἡ δὲ τῆς οἰνοθήρας ῥίζα δοθεῖσα ἐν οἴνῳ, πραϋτέρους ποιεῖ καὶ ἱλαρωτέρους τὸ ἦθος. Ἔχει καὶ ἡ οἰνοθήρας τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον ἀμυγδάλῃ, &c. Sic etiam Dioscor. lib. 4. cap. 118. Ὀνάγρα, οἱ δὲ ὀνόθηραν, οἱ δὲ ὄνουραν, &c. nobis adhuc ignota.

3. *Cruditates.*] Id vero jam superius indicavit, sect. 25.

4. *Eadem pota.*] Diosc. lib. 4. cap. 1.

5. *Item agaricum*] Diosc. lib 3. cap. 1.

6. *Item iberis, ut dictum est*] Libro 25. sect. 49.

7. *Eadem.*] Ob vim calefaciendi, quæ ipsius propria dos ac peculiaris est: quapropter & ischiadicis illini utiliter, monet Dioscor. lib. 1. cap 188

8. *Omnia quæ.*] Mala tam gravia, & propter suppurationem ad imputationem membri aut partis alicujus descende-

LXX. [1] Comitiales sanant panacis, quam [2] Heraclion diximus, radices potæ [3] cum coagulo vituli marini, ita ut sint panacis tres partes: [4] plantago pota: [5] Vettonicæ in oxymelite drachma, [6] vel agaricum obolis tribus: [7] folia quinquefolii ex aqua. [8] Sanat & archezostis, sed anno pota. Sanat & baccharis radix arida in pulverem contrita, cyathis tribus cum coriandri uno in aqua calida. Et centunculus trita in aceto, aut melle, aut in aqua calida: verbenaca ex vino pota: [9] hyssopi baccæ ternæ contritæ, & in aqua potæ diebus sedecim: [10] peucedanum cum coagulo vituli marini æquis portionibus potum: [11] quinquefolii contrita folia ex vino pota diebus XXXI. [12] Vettonicæ farina pondere X. III. cum aceti scillitici cyatho, mellis Attici uncia: scammonium obolis duobus cum castorei drachmis quatuor.

LXXI. [1] Febres frigidas leviores facit agaricum potum in calida aqua: tertianas sideritis cum oleo: item ladanum, quod in segetibus nascitur, contusum: [2] plantago ex aqua mulsa, duabus horis ante accessionem pota binis drachmis: vel succus radicis madefactæ vel tusæ: vel ipsa radix trita in aqua ferro calefacta. [3] Quidam ternas radices in tribus cyathis aquæ dedere. [4] Iidem in quartanis & quarternas fecerunt. Buglosso inarescente, si quis medullam e caule eximat, dicatque ad quem liberandum febre id faciat, & alliget ei septem folia ante accessionem, aïunt a febre liberari. [5] Item Vettonicæ drachmam, in aquæ mulsæ cyathis tribus: [6] vel agaricum, maxime in his febribus, quæ cum horrore veniant. [7] Quinquefolii folia quidam terna tertianis dedere, quaterna quartanis, plura ceteris: [8] alii omnibus, tres obolos cum pipere ex aqua mulsa. [9] Verbenaca quidem & jumentorum febribus in vino medetur: sed in tertianis a tertio geniculo incisa, quartanis a quarto. [10] Bibitur & semen hyperici utriusque in quartanis, & horroribus. [11] Vettonicæ farina, quæ omnes horrores coërcet. [12] Item panaces, adeo excalfactoria natura, ut per nivem ituris bibere id perungique eo præcipiant. [13] Et aristolochia perfrictionibus resistit.

LXXII. [1] Phreneticos somnus sanat, qui contingit prucedano ex aceto capiti infuso, anagallidum succo. [2] E diverso lethargicos excitare labor est: hoc præstante, (ut perhibent) ex aceto naribus tactis peucedani succo. [3] Contra insanias Vettonica bibitur. [4] Carbunculos rumpit panaces. Sanat Vettonicæ farina ex aqua, [5] aut brassica cum thure, frequenti potu calidæ: vel e carbone in conspectu extincto, favilla digito sublata & illita: [6] vel plantago tusa.

LXXIII. [1] Tithymalus characias hydropicos sanat: [2] plantago in cibo, cum prius panem siccum ederint sine potu: [3] Vettonica drachmis duabus in duobus cyathis vini

Notæ.

re necesse fit Inflammationes compesci ea scribit Dioscor. lib. 2. cap. 208. Apuleius, cap. 31. tit. 9. *Ad ea quæ secanda sunt: Herba argemonia contrita & imposita, aperit & persanat.*

Sect. LXX. 1. *Comitiales sanant.*] Sic Theophr. lib. 9. hist. cap. 12.

2. *Heraclion diximus.*] Libro 25. sect. 13.

3. *Cum coagulo.*] Quod & per se potum comitialibus prodest, auctore Diosc. lib. 2. cap. 85.

4. *Plantago pota.*] Diosc. lib. 2. cap. 153. & Scribonius Largus, Compos. 12.

5. *Vettonicæ.*] Vel ex aqua potum mederi iis scribit Diosc. lib. 4. cap. 1.

6. *Vel agaricum.*] Ex aceto mulso ternis obolis. Dioscor. lib. 3. cap. 1.

7. *Folia quinquefolii.*] Diebus tricenis pota. Diosc. lib 4. cap. 42.

8. *Sanat & archezostis.*] Seu vitis alba, de qua lib. 23. sect. 16 Vide Notas & Emend. num. XX.

9. *Hyssopi baccæ.*] Vide quæ de hyssopo diximus anteriore libro, sect. 87.

10. *Peucedanum.*] Dioscor. lib. 3. cap. 92. ex aceto, rosaceoque illitum.

11. *Quinquefolii . . . diebus XXXI.*] Ita libri omnes. Diosc. lib. 4. cap. 42. Diebus tricenis tantum. Ἀρήγει δὲ καὶ ἐπιληψίαις πινόμενα ἐφ' ἡμέρας λ'.

12. *Vettonicæ.*] *X. III* Hoc est, denariûm ternûm.

Sect. LXXI. 1. *Febres frigidas.*] Dioscor. lib. 3. cap. 1. de agarico: Λύει δὲ καὶ ῥῖγος πρὸ τῆς ἐπισημασίας διδόμενον. *Solvit rigorem horroremve, si detur ante febrilium accessionum initia.*

2. *Plantago.*] Apuleïus, cap. 1. tit. 12. & 14.

3. *Quidam ternas.*] Diosc. lib. 2. cap. 153

4. *Idem.*] In MSS. forte rectius. *Eadem in quartanis quaterna fecerunt:* eadem sententia, quod existimarent ii ternas radices cum vini ternis cyathis, & aquæ pari modo tertianis febribus, itemque quartanas quaternis auxiliari. Sic Diosc. loc. cit.

5. *Item Vettonica.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 4.

6. *Vel agaricum.*] Diosc. lib 3. cap. 2.

7. *Quinquefolii.*] Diosc. lib. 4. cap. 42. totidem verbis.

8. *Alii omnibus.*] Omni febri. Diosc. loc. cit.

9. *Verbenaca quidem.*] Totidem verbis Dioscor. lib 4. cap. 61.

10. *Bibitur & semen.*] Sic Diosc lib. 3 cap. 171. & 174.

11. *Vettonicæ farina.*] Hoc est, herbæ aridæ tenuis pulvisculus. Plinius Valer. lib. 3 cap 4.

12. *Item panaces.*] Diosc. lib. 3. cap 55. Δύναμιν δὲ αὐτοῦ ἐν θερμαντικοῖς . . . ὅθεν ἁρμόζει πρὸς αὐχμοὺς καὶ ῥίγη, &c.

13 *Et aristolochia.*] Apuleius, cap. 19. de aristolochia, tit. 4. *Frigore exustis: Herba aristolochia ex oleo cocta, calefactoriam vim habet cum axungia porcina.* Ita ille quidem: Sed Plinii mentem quam sæpe transscribit, præpostere interpretatus videtur: cum is de frigoribus accessionum, horroribusque febrium locutus sit, quas Græci ῥίγη, ut Diosc. lib. 3. cap. 6 de aristolochia, Latini perfrictiones vocant.

Sect. LXXII. 1. *Phreneticos.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 9. Apuleius, cap. 94. tit 2. *Ad phreneticos: Herba peucedanum cum aceto capiti infusa, summe facit.* Sic & Diosc. lib. 3. cap. 93. Φρενῖτιν Celsus, lib. 3 cap. 18. *insaniam* appellat, *quæ & acuta & in febre est.* Ejus plura genera vide ibi luculenter expressa.

2. *E diverso.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 7. & Diosc. lib. 3. cap. 92.

3. *Contra insanias.*] Diosc. lib. 4. cap. 1. Θεραπεύει μαινομένους μεθ' ὕδατος πινομένη.

4. *Carbunculos.*] Diosc. lib. 3. cap. 55. Περιῤῥήσσει δὲ καὶ ἄνθρακας.

5. *Aut brassica.*] Cum sale, inquit Diosc. lib. 2. cap 146. Μεθ' ἁλῶν δὲ ἄνθρακας περιῤῥήσσει.

6. *Vel plantago tusa*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 30. *Carbunculo medendo: suppurationes dirumpit plantago sine lanugine, cum sale contusa.* Theod. Priscianus, lib. 1. cap 18. *de carbunculis: specialiter locis superimponendum est cataplasma de arnoglossa cum pane mundo, & lenticula cocta.* Plantago Græcis, ut diximus, ἀρνόγλωσσον est

Sect. LXXIII. 1. *Tithymalus.*] Drachmæ pondere radice tusa, cum hydromelite. Diosc. lib. 4. cap. 165.

2. *Plantago, &c.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2 cap. 153.

3. *Vettonica.*] Diosc. lib. 4. cap. 1. ex aqua mulsa, si

aut

aut mulso : vel agaricum, vel semen [4] lonchitidis duabus linguis ex aqua potum : psyllion ex vino : [5] anagallidum succus : [6] cotyledonis radix e mulso : [7] ebuli tecentis radix, [8] excussa tantum, nec colluta, quod duo digiti comprehendant, ex vini veteris calidi hemina : [9] trifolii radix drachmis duabus ex vino : [10] tithymalum, platyphyllon cognomine : semen hyperici, [11] quod coris appellatur.

1. [12] Acte, quam quidam esse ebulum putant, radice contrita in vini cyathis tribus, si febris absit, vel semine ex vino nigro. Item verbenaca, fasciculo manus pleuæ decocta in aqua ad dimidias.

2. Præcipue tamen chamæactes succus aptissimus creditur. Eruptiones pituitæ emendant plantago, [13] cyclamini radix e melle : [14] ebuli folia trita, & e vetere vino imposita etiam boam sanant, id est, rubentes papulas. [15] Pruriginem succus strychni illitus.

LXXIV. [1] Igni sacro medetur aïzoum : [2] folia trita cicutæ : [3] mandragoræ radix. [4] Secatur in asses ut cucumis : primoque super mustum suspenditur, mox in fumo : deintunditur in vino aut aceto. Prodest & vino myrteo fovere : [5] Mentæ sextans, vivi sulphuris uncia, ex aceto simul trita : [6] fuligo ex aceto. [7] Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui zoster appellatur, & enecat, si cinxerit. [8] Medetur plantago cum creta Cimolia, [9] & peristereos per se : radix persolatæ. Aliis quæ serpunt, [10] cotyledonis radix cum mulso, [11] aïzoum, succus linozostis ex aceto.

LXXV. [1] Radix polypodii illita luxatis medetur. [2] Doloremque & tumores tollunt semen psyllii, folia plantaginis tusa, sale modico addito : [3] verbasci semen ex vino decoctum & contritum : cicuta cum axungia. [4] Folia ephemeri tuberibus tumoribusque illinuntur, [5] quæ etiamdum discuti possunt. CAP. XII.

LXXVI. Morbum regium in oculis præcipue mirari est, tenuitatem illam densitatemque tunicarum selle subeunte, [1] Hippocrates a septimo die in febre mortiferum signum esse docuit. Nos scimus vixisse aliquos etiam ab hac desperatione Fit vero & citra febres : impugnaturque centaurio majore (ut diximus) poto, [3] Vettonica, [4] agarici

NOTÆ.

quidem febricitent : sin aliter, e mulso.

4. *Lonchitidis.*] Certe urinam ea ciere dicitur a Diosc. lib. 3. cap 161.

5. *Anagallidum.*] Diosc. lib. 2. cap. 208.

6. *Cotyledonis.*] Diosc. ad verbum, lib. 4. cap. 19.

7. *Ebuli.*] Diosc. lib. 4 cap. 175. Ἡ ῥίζα δὲ αὐτῆς ἑψηθεῖσα σὺν οἴνῳ καὶ διδομένη παρὰ τὸν δίαιταν, ὑδρωπικοὺς ὠφελεῖ. *Radix in vino decocta, & in cibis data hydropicos adjuvat.*

8. *Excussa tantum.*] Excusso tantum terreo pulvere, qui radici adhærescit : ipsa non colluta aqua.

9. *Trifolii radix.*] Diosc. lib 3. cap. 123.

10. *Tithymalum.*] Hujus radix, succus, folia, aquas per inferna trahunt : Ἡ ῥίζα, καὶ ὁ ὀπὸς, καὶ τὰ φύλλα, ἄγει ὑδατώδη καὶ κοιλίας. Diosc. lib. 4. cap. 165.

11. *Quod coris.*] MSS. Reg. & Colb. item Parm. editio, *caros* iterum hoc loco, ut supra sect. 54. Hoc hyperici genus urinas ciere docet Diosc. lib 3, cap 174.

12. *Acte, quam quidam.*] Acte silvestris scilicet, ἀκτὴ ἀγρία, quam Ῥωμαῖοι ἴβουλουμ vocant, ut ait Dioscorides in Nothis, pag 474. Chamæactes eadem ebulique nominibus insignior. Apuleius, cap. 91. *de chamæacte, quam Itali ebulum vocant*, tit. 3. *Ad hydropicos : Herba ebuli radices conteres, & ejus succum expressum cyathis quatuor ex vini sextario semis potui semel in die dato, hydropicis validissime proderit : per anum enim humor omnis detrahetur.*

13. *Cyclamini radix.*] Diosc. lib. 2. cap. 194. Ἡ ῥίζα καὶ ἐξανθήματα σμήχει. Theophr. lib 9. hist cap. 10.

14. *Ebuli folia.*] Hæc recentia, molliaque, illita ex polenta, inflammationes mitigare, auctor est Dioscor. lib. 4. cap. 175.

15. *Pruriginem*] Ipsum quoque ignem sacrum, de quo statim agitur, Theodoro Prisciano, lib. 1. cap. 20. *de igne sacro.*

Sect. LXXIV. 1. *Igni sacro.*] Ad erysipelata valere aïzoum scribit Diosc. lib. 4. cap. 89.

2. *Folia .... cicutæ.*] Diosc. lib. 4. cap. 79. Ἐρυσιπέλατα καταπλασθὲν ὠφελεῖ. Est autem ἐρυσίπελας Hippocrati πῦρ ἄγριον, tumor ex fervente tenuique sanguine conflatus : sive, ex flava bile & sanguine, calidioribus justa temperatione, mixta fluxio. Latini sacrum ignem appellant, & vulgus ignarum, *le Feu Saint Antoine.* Sunt tamen qui ignem sacrum ab erysipelate diriment.

3. *Mandragoræ.*] Theophr. lib. 9. histor. cap. 10. Τὴν δὲ ῥίζαν πρὸς τὸ ἐρυσίπελας, ξυσθεῖσαν καὶ ἐν ὄξει δευθεῖσαν. Dioscorides, lib. 4. cap 76.

4. *Secatur in asses.*] Vide Notas & Emendat. num. XXI. Asses vocat partes oblongas, in quas solemus cucumeres dividere, hoc est, pepones melonesve.

5. *Mentæ.*] Scribonius Largus, Compos. 245.

6. *Fuligo ex aceto.*] Hoc est, cum aceto.

7. *Ignis sacri.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 34. Qui porro zoster Plinio, Largo Scribonio zona appellatur, cap. 98. *Ad zonam*, Compos. 247. *Ad zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt, faciunt .... præcipue cicuta viridis bene trita & imposita.*

8. *Medetur.*] Plinius Valer. loco cit. Scribonius Largus, Compos. 245. *Ad ignem sacrum*, & Diosc. lib. 2. cap. 153. totidem verbis.

9. *Et peristereos.*] Sive peristereon, de qua Diosc. lib. 4. cap. 60. Στέλλει δὲ καὶ ἐρυσιπέλατα σὺν ὄξει καταπλασθεῖσα.

10. *Cotyledonis.*] Diosc. lib. 4. cap 92. Φλεγμονὰς τε καὶ ἐρυσιπέλατα .... καταπλασσομένη ὠφελεῖ.

11. *Aïzoum*] Diosc. lib 4 cap. 89. Δύναμις δὲ ἐστὶ ψυκτικὴ, ποιεῖ πρὸς ἐρυσιπέλατα, ἕρπητας, &c.

Sect. LXXV. 1. *Radix polypodii*] Diosc. lib. 4. cap. 188. de ea radice : ποιεῖ δὲ πρὸς ἐξαρθρήματα ἡ ῥίζα λεία καταπλασσομένη.

2. *Doloremque, &c.*] Diosc. lib. 4. cap. 70. luxatis tumoribusque psyllium mederi, impositum ex rosaceo vel aqua, prodit.

3. *Verbasci.*] Folia tumoribus imponit Diosc. lib. 4. cap. 104.

4 *Folia ephemeri.*] Vide Notas & Emend. num. XXII.

5. *Quæ etiamdum.*] Quæ quidem humidi nihil purisve contraxerint, inquit Diosc. libro 4. cap. 85. & Galenus, lib. 6. de fac. simp med pag. 175.

Sect. LXXVI. 1. *Hippocrates a septimo die.*] Diebus iis qui septimum consequuntur. Sic libri omnes etiam MSS. non, ut quidam reponunt, *ante septimum diem.* Hippocrates, in eo libro quem inscripsit, de internis affectionibus, περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, text. 39. pag. 144. morbi regii genus alterum ait esse letale, nisi primis diebus diligenter adhibita curatio sit. Si ad octavum nonumve diem protrahatur morbus, subsequi deinde graviorem alterum, ac denique, ut plurimum, mortem ipsam. Ἢν δὲ ἡ νοῦσος διαπερήσῃ ἐς ὀγδόην ἢ ἐνάτην, ξυμπίπτει ἐς νοῦσον .... καὶ οἱ πολλοὶ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἀπολλυνται. Tamen idem ipse, sect. 4. Aphor. 62. Ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ἐπιγίνονται ἴκτεροι πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν. *Quibus in febribus morbus regius intervenit ante septimum diem, malum.* Aliter in totum Diocles censuit, apud Celsum, lib. 3. cap. 24.

2. *Ut diximus*] Hoc est, radice pota duabus drachmis, si febris sit, in aqua trita, alias in vino, ut dictum est superiore libro, sect. 30. Minori centaureæ hanc vim adscribit Apuleius, cap. 35. tit. 3.

3. *Vettonica.*] Anton. Musa, tit. 33. *Ad ictericos, id est, morbo regio laborantes, qui sunt auruginosi. Vettonicam ex vini cyathis tribus frequenter sumptam proficere experti sumus.* Sic Diosc. lib. 4. cap. 1. ἰκτερικοῖς τε καὶ ....

4. *Agarici obolus, &c.*] Diosc. lib. 3 cap 1

obolis tribus ex vini veteris cyatho : [5] item verbenacæ folio, obolis tribus ex vini calidi hemina quartiduo. [6] Sed celerrime quinquefolii succus medetur itibus cyathis potus cum sale & melle. [7] Cyclamini radix drachmis tribus bibitur in loco calido, & a perfrictionibus tuto : [8] sudores enim felleos movet. Folia tussilaginis ex aqua : semen linozostis utriusque inspersum potioni, vel cum absinthio aut cicere decoctum : hyssopi baccæ cum aqua potæ : lichen herba, si cum sumitur, cetero olere abstineatur : [9] polythrix in vino data, struthion in mulso.

LXXVII. Passim & in quacumque parte maxima incommoda nascuntur, qui furunculi vocantur, mortiferum aliquando malum [1] confectis corporibus. [2] Remedio sunt pycnocomi folia trita cum polenta, [3] si nondum caput fecerint. [4] Discutiunt & folia ephedri illita.

LXXVIII. Fistulæ quoque in omni parte serpunt, medicorum vitio male sectis corporibus. Auxilio est centaurium minus, collyriis cum melle decocto additis : [1] plantaginis succus infusus : [2] quinquefolium cum sale & melle : ladanum cum castoreo : cotyledon cum medulla cervina calefacta & imposita : Verbasci radicis medulla collyrii tenuitate in fistulam additur : [3] vel aristolochiæ radix, [4] vel succus tithymali.

LXXIX. [1] Collectiones inflammationesque sanant argemoniæ folia illita. [2] Duritias & collectiones omnes verbenaca, vel quinquefolium decoctum in aceto : verbasci folia vel radix, [4] hyssopum e vino impositum : acori radix, decocto ejus herbæ foventibus : aizoum. Item quæ contusa sint, duritiasque & sinus corporis, illecebra. Omnia infixa corpori extrahunt, folia tussilaginis, daucum, semen leontopodii tritum in aqua cum polenta. [5] Suppurationibus imponuntur pycnocomi folia trita cum polenta, vel semen : item orchis. [6] Vitia, quæ sint in ossibus, satyrii radice imposita, efficacissime sanari dicuntur. Nomæ & collectiones omnes [7] fuco maris, priusquam inarescat. [8] Et alceæ radix collectiones discutit.

LXXX. [1] Ambusta sanantur plantagine, [2] arctio, [3] ita ut cicatrix fallat. [4] Folia ejus in aqua decocta & contrita illinuntur : radices cyclamini cum aizoo : [5] herba ipsa hyperici, [6] quod corion appellavimus.

LXXXI. [1] Nervis & articulis convenit plantago trita cum sale : argemonia tusa ex melle. [2] Peucedani succo perunguntur spastici, tetanici. [3] Nervorum duritiæ ægilops succo, [4] doloribus erigeron ex aceto illinitur. Epithymo spasticis, & opisthotonicis perungui : [5] semine hyperici, [6] quod coris vocatur, idemque bibere prodest. Phrynion dicitur etiam abscissos sanare nervos, si confestim imponatur trita vel mansa. Spasticis, tremulis, opisthotonicis, alceæ radix bibitur ex aqua mulsa. Sic & rigores excalfacit.

LXXXII. [1] Sanguinis profluvium sistit herbæ Pæoniæ semen rubrum. Eadem & in radice vis. [2] Clymenos vero, si ore sanguis rejiciatur, sive e naribus, sive alvo fluat,

NOTÆ.

5. *Item verbenace.*] Apuleius, cap. 3. de verbenata, tit. 12. alio temperamento. Sed Diosc. lib. 61. totidem verbis, ac Plinius.

6. *Sed celerrime.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

7. *Cyclamini.*] Diosc totidem verbis, lib 2. cap. 194.

8. *Sudores . . . felleos.*] Colore fellis, χολώδεις τῇ χροιᾷ, Diosc. Bilem sudore sit expelli docet Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 199.

9. *Polythrix.*] Diosc. lib. 4. cap 136.

Sect. LXXVII. 1. *Confectis.*] Senibus.

2. *Remedio.*] Diosc lib. 4. cap 176. de pycnocomo Καὶ τὰ φύματα δὲ καταπλαττόμενα, φύματα καὶ δοθιῆνας διαφορεῖ, *tubercula furunculosque discutiunt.* Sic etiam Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 223.

3 *Si nondum.*] Si nondum in caput intumuerint, aut in acuminatum verticem extuberaverint.

4. *Discutiunt . . . . ephedri.*] Sive ephedræ, de qua dictum est sect. 20.

Sect. LXXVIII. 1. *Plantaginis succus.*] Dioscor. lib. 2. cap. 153. Σύριγγάς τε ἐγκλυζόμενος ὠφελεῖ.

2 *Quinquefolium.*] Diosc. lib. 4 cap. 42.

3. *Vel aristolochiæ.*] Apuleius, cap 19. de aristolochia, tit. 3. *Ad fistulas · Herba aristolochiæ radix fistulis inserta, &c.*

4. *Vel succus tithymali.*] Diosc lib. 4. cap 165.

Sect LXXIX. 1. *Collectiones*] Diosc. lib 2. cap. 208. Φλεγμονὰς πραΰνει τὰ φύματα καταπλασσόμενα.

2. *Duritias.*] Tumores certe, inflammationesque mitigare, tonsillas abrumpere verbenacam scribit & Diosc. lib 4 cap. 61

3. *Quinquefolium.*] Διαφορεῖ σκληρίας, οἰδήματα, &c Dioscorid lib 4. cap. 42. & ex aceto quidem, ut ex superioribus intelligitur.

4 *Hyssopum e vino.*] Sic eo mitigari inflammationes scribit Diosc. lib. 3 cap. 30.

5. *Suppurationibus.*] Prohibet pycnocomon ne suppurent vulnera ex aculeis spiculisve nata. Spicula & adactos corpori aculeos pycnocomo extrahi docet Diosc. lib. 4. cap. 176.

6. *Vitia*] Ut caries, de qua Celsus, lib 8 cap 2.

7. *Fuco maris.*] Egimus de eo sect. 66.

8. *Et alcea*] Quæ & alisma, & damasonium vocatur : de qua lib 25 sect. 77.

Sect. LXXX. 1. *Ambusta.*] Diosc. lib. 2. cap 153.

2. *Arctio.*] Vide Notas & Emend. num. XXIV.

3 *Ita ut cicatrix.*] Ut vix cicatrix ulla reliqua ex ambustione appareat.

4. *Folia ejus*] Diosc lib. 4. cap. 106

5. *Herba ipsa.*] Diosc. lib. 3. cap. 171. Καὶ τὰ φύλλα σὺν τῷ σπέρματι καταπλαττόμενα, κατακαύματα ἰᾶται. *Foliis cum semine impositis ambusta sanantur.*

6. *Quod corion*] In MSS iterum *corison.*

Sect. LXXXI. 1. *Nervis & articulis.*] Apuleius, cap. 1. de plantagine, tit 13 *Ad podagram, & omnem nervorum dolorem & tumorem : Herba plantaginis folia contusa vel pisata cum modico sale & imposita, optime facere certum est.*

2. *Peucedani.*] Diosc lib 3 cap 92.

3. *Nervorum duritiæ.*] Diosc. lib. 4. cap. 139 Αἰγίλωψ.... σκληρίας διαφορεῖ

4. *Doloribus erigeron.*] Sive senecio. Ita Diosc. lib. 4. c. 97.

5 *Semine hyperici.*] Diosc. lib 3. cap. 174. Κόρις, οἱ δὲ ὑπερικὸν .... ἐπὶ δὲ ὀπισθοτονικῶν καὶ σὺν ἐχρισμα σὺν ἐλαίῳ ἁρμόδιον. Et supra : Ὁ καρπὸς πινόμενος .... βοηθεῖ ὀπισθοτονικοῖς.

6. *Quod coris.*] Rursum hic MSS. omnes, *quod caros*, ut monuimus sect 54

Sect. LXXXII. 1. *Sanguinis profluvium.*] De fluore muliebri Diosc lib. 3. cap. 157. Τοῦ δὲ καρποῦ ἢ ιβ'. κόκκοι πυρροὶ ποθέντες ἐν οἴνῳ μέλανι αὐστηρῷ, ῥοῦν ἐρυθρὸν ἱστᾶσι. *Seminis granula decem duodecimve rubentia in vino nigro & austero pota, sanguinolentum fluorem muliebrem sistunt.* Galenus, lib. 6. de fac simp. med. pag. 167.

2. *Clymenos vero.*] Vide Notas & Emend. num. XXV.

five feminarum utero. [3] Item Lyſimachia pota vel illita, vel naribus indita: [4] item plantaginis ſemen: [5] quinquefolium potum & illitum: cicutæ ſemen in nares, ſi inde fluat, tritum ex aqua inditum: [6] aïzoum, [7] aſtragali radix: ſiſtit & [8] iſchæmon, [9] & Achillea.

CAP. XIII.

LXXXIII. 1. [1] Equiſetum hippuris a Græcis dicta, & in pratis [2] vituperata nobis, ([3] eſt autem pilus terræ, equinæ ſetæ ſimilis:) [4] lienes curſorum extinguit decocta fictili novo ad tertias, quantum vas capiat, & per triduum heminis pota: [5] unctis eſculentis ante diem unum interdicitur. Græcorum varia circa hanc opinio. [6] Alii pinus foliis ſimilem, nigricantem, eodem nomine appellant, vim ejus admirabilem tradentes, ſanguinis profluvia vel tacto tantum ea homine ſiſti. [7] Alii hippurin, alii ephedron, alii anabaſin vocant. [8] Traduntque juxta arbores naſci, & ſcandentem eas dependere comis junceis nigris, ut eſt equorum cauda, geniculatis ramulis, folia habere pauca, tenuia [*], exigua. [9] Semen rotundum, ſimile coriandro, radice lignoſa: [10] naſci in arbuſtis maxime. [11] Vis ejus ſpiſſare corpora. [12] Succus ſanguinem e naribus fluentem incluſus ſiſtit: item alvum. [13] Medetur dyſentericis in vino dulci, potus cyathis tribus. Urinam ciet: tuſſim, orthopnœam ſanat: item rupta, & quæ ſerpunt. Inteſtinis & veſicæ folia bibuntur. Enterocelem cohibet. [14] Faciunt & aliam hippurin, brevioribus & mollioribus comis, candidioribuſque, perquam utilem iſchiadicis, & vulneribus ex aceto impoſitam, propter ſanguinem ſiſtendum.

[15] Et nymphæa trita plagis imponitur. Peucedanum cum ſemine cupreſſi bibitur, ſi ſanguis per os redditus eſt, fluxitve ab infernis. [16] Sideritis tantam vim habet, ut quamvis recenti gladiatoris vulneri illigata, ſanguinem claudat: [17] quod facit & ferulæ cinis, vel carbo: fungus vero etiam efficacius, qui ſecundum radicem ejus naſcitur.

LXXXIV. 2. Per nares autem fluenti, & cicutæ ſemen tritum ex aqua inditumque, efficax habetur: [1] item ſtephanomelis ex aqua. Vettonicæ farina e lacte caprino pota, ſiſtit [2] ex ubere fluentem: plantagoque contuſa. [3] Ejuſdem ſuccus vomentibus ſanguinem datur. [4] Ad erraticum autem radix perſolatæ cum axungia vetere illita probatur.

LXXXV. [1] Ruptis, convulſiſque, ex alto dejectis, centaurium majus, [2] Gentianæ radix trita vel decocta, [3] vel ſuccus Vettonicæ, [4] & hoc amplius a vocis aut lateris

NOTÆ.

3. *Item Lyſimachia.*] Marcellus Empir. totidem fere verbis, cap. 10. pag 83. Scribonius Largus, Compoſ 46. Uberius vero Dioſcor. lib. 4. cap. 3. & poſt eum Galenus, lib. 7. de fac. ſimp med pag 204.

4. *Item plantaginis.*] Apuleius, cap 1. tit. 5. *Ad eum qui purulenta exſcreat cum ſanguine: Herbæ plantaginis ſuccum dabis bibere.* Theod Priſcianus, lib. 2. parte 2. cap. 9. *Cum ex meningis partibus ſanguis eruperit . . . . fotus ex oleo roſeo infrigidato adhibendus eſt, aut de ſuccis herbarum, & ſpecialiter ſtypticarum, ut eſt arnogloſſa.*

5. *Quinquefolium, &c.*] Sic Dioſc. lib. 4. cap. 42.

6. *Aïzoum.*] Ῥοῦν γυναικεῖον ἐν πεσσῷ ἵστησι, *in peſſo fluorem muliebrem ſiſtit.*

7. *Aſtragali*] Dioſc. lib. 4. cap. 62. Αἷμα ἴσχει. Sic & Galenus, lib 6. de fac ſimp. med. pag 160.

8. *Iſchæmon.*] Et inde nomen, ut diximus, lib. 25. ſect. 45.

9. *Et Achillea.*] Erumpentem e vulnere ſanguinem inhibet.

Sect. LXXXIII. 1. *Equiſetum.*] Apuleius, cap. 39. *A Græcis dicitur hippuris, Itali equiſetam vocant.* Retinet apud nos hodieque nomen, ut diximus, ſect 20.

2. *Vituperata nobis.*] In tractatione pratorum, libro 18. ſect. 67.

3. *Eſt autem pilus.*] Eſt, inquit, veluti pilus terræ, cum pilos habere pro foliis videatur: ἴχνεα τε φύλλα τινὲς θριξὶν ἔοικεν, inquit auctor Geopon. lib. 2. cap. 5. pag 41.

4. *Lienes . . . . extinguit.*] Conſumit. Lienem impedimento eſſe curſoribus vidimus, lib. 11. ſect. 80. Quibus extingueretur modis, a Cælio Aureliano diſce, lib 3. Chron. paſſ. cap. 4. Lienoſis hippurim ſuccurrere cum vino auſtero, vel oxymelite, auctor eſt Marcellus Empir. cap. 23. pag. 166.

5. *Unctis*] Adipe vel oleo maceratis perunctiſve cibo interdicitur.

6. *Alii pinus foliis.*] Hæc prior hippuris Dioſcoridea eſt, lib. 4. cap 46.

7. *Alii hippurin.*] Sunt hæ diverſæ appellationes hippuridos ſupradictæ: quas & nos ante retulimus, ſect. 20. non alterius diverſæ: quanquam aliter Dodonæo aliiſque viſum.

8. *Traduntque.*] Hæc totidem verbis Dioſc. loco cit. & poſt eum Oribaſius, lib. 11. fol. 199. & auctor Geopon. loco cit.

9. *Semen rotundum*] In cauliculorum iſtud cacumine eminet, aſparagis ſimilium. Iconem vide apud Dodonæum, pag. 73.

10. *Naſci in arbuſtis.*] Apuleius, cap. 39. ex MS. *in ſilvis & arundinetis.*

11. *Vis ejus ſpiſſare.*] Adſtringere. Στυπτικὴ δὲ ἡ πόα. Dioſcor. loco cit.

12. *Succus ſanguinem.*] Dioſc. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. ſimp. med. pag. 179.

13. *Medetur.*] Dioſc. loco cit. non id modo remedium, ſed & cetera quæ ſubſequuntur totidem verbis refert. An ex vino tamen dulci, an ex auſtero id ſumi ſit ſatius, non dicit. Apuleius, in libris editis, cap. 39. tit. 1. *ex vino dulci.* At in MSS. *ex vino auſtero.*

14. *Faciunt & aliam*] Altera hæc Dioſcoridis hippuris eſt, lib. 4 cap. 47. totidem ab illo delineata verbis, iiſdemque dotibus. Equiſetum id eſt arvenſe longioribus ſetis, quod in horto Regio vidimus, quale pictum a Lobelio eſt, in Obſerv. pag. 416. hippuridis fontalis nomine: a Dodonæo, loc. cit. hippuridis minoris.

15. *Et nymphæa.*] Theophr. lib. 9. hiſt cap. 13. Εἶναι δὲ φασιν ἴσχαιμον, ἐὰν τρίψας τις ἐπι τῇ πληγῇ ἐπιθῇ. *Trita & plagæ impoſita ſanguinem ſiſtere traditur.*

16. *Sideritis.*] De qua diximus lib. 25. ſect. 15.

17. *Quod facit & ferula.*] Hinc eſt etiam quod ſanguinem exſcreantibus ferulæ viridis medulla eſt utilis, ut docet Dioſcorides, lib. 3. cap. 91.

Sect. LXXXIV. 1. *Item ſtephanomelis.*] Hæc ita nudo indicata nomine, nec effigie ulla expreſſa, incognita herbariorum toti ſcholæ eſt, eritque etiam conſequente ævo.

2. *Ex ubere fluentem*] Forte *ex utero*: ut ſupra ſect. 82. plantaginis ſuccum ſuccurrere dixit, *ſi ore ſanguinis rejiciatur, ſive e naribus, ſive alvo fluat, ſive e feminarum utero.*

3. *Ejuſdem ſuccus.*] Dioſc. lib. 2. cap 53.

4. *Ad erraticum.*] Sanguinem erraticum Dalecampius interpretatur eum, qui in eryſipelatis huc illuc decurrit. Nunc ei idcirco aſſentimus, quod Plinius ſect. 74. *igni ſacro mederi radicem perſolatæ dixit.* Arcion, hoc eſt, perſolatam ἀφηκολογικοῖς & ἐμπυικοῖς prodeſſe auctor eſt Dioſcor lib. 4. cap 107. ſed pondere unius drachmæ potam, non illitam.

Sect. LXXXV. 1. *Ruptis, &c.*] Dioſcor. lib. 3. cap 8. de majore centaurio: Ἁρμόζει δὲ ἡ ῥίζα ῥήγμασι, σπάσμασι, &c.

2. *Gentiana.*] Dioſc. lib. 3. cap 3 ſucci e radice extracti drachmam unam ad laterum dolores, ad caſus e ſublimi, ad rupta & convulſa prodeſſe ſcribit: Τοῦ δὲ χυλίσματος ὅσον < α', ἐ πρὸς τὰς πλευρῶν, καὶ πτώματα, ῥήγματα δὲ ἢ σπάσματα.

3. *Vel ſuccus Vettonicæ.*] Dioſc. lib 4. cap. 1. folia drachmæ pondere ruptis convulſiſque præbet.

4. *Et hoc amplius.*] Et præterea iis morbis qui ex con-

contentionibus : [5] panaces , [6] scordion , [7] aristolochia, pota : [8] agaricum item contusis & eversis potum duobus obolis in mulsi cyathis tribus : aut si febris sit , in aqua mulsa : [9] verbascum , cujus flos similis auro est : [10] acori radix , aïzoum omne , sed majoris succus efficacissime : [11] item symphyti radicis decoctum : daucum crudum. [12] Erysithales
5 est flore luteo , foliis acanthi : [13] bibitur e vino : [14] item chamærops : & in sorbitione irio , vel plantago omnibus modis.

LXXXVI. Item phthiriasi , ([1] qua Sylla Dictator consumptus est , [2] nascunturque in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus ,) resistitur [3] uvæ taminiæ succo , aut veratri , cum oleo perunctis corporibus. Taminia quidem in aceto decocta , etiam vestes
10 eo tædio liberat.

CAP. XIV. LXXXVII. Hulcera multorum sunt generum , ac multis modis curantur. [1] Panacis omnium generum radix ex vino calido illinitur manantibus. Siccat privatim , quam [2] Chironiam diximus. Cum melle trita tubera aperit : hulceribusque , quæ serpunt , deploratis auxilio est , cum æris flore vino temperato , omnibus modis , vel flore , vel semine,
15 vel radice. [3] Eadem cum polenta vetustis vulneribus prodest. [4] Heraclion quoque siderion , [5] Apollinaris , [6] psyllium , tragacantha , [7] scordotis cum melle purgat. [8] Farina ejus carnes excrescentes per se inspersa consumit. Polemonia hulcera , quæ cacoëthe vocant , sanat : [9] centaureum majus inspersum vel illitum , [10] item minoris coma decocta vel trita , vetera quoque hulcera purgat & persanat. [11] Folliculi clymeni recentibus pla-
20 gis imponuntur. [12] Illinitur autem Gentiana hulceribus , quæ serpunt , radice tusa vel decocta in aqua ad mellis crassitudinem , vel succo : vulneribus , [13] ex ea factum Lycium. [14] Lysimachia recentibus plagis medetur. [15] Plantago omnium generum hulceribus , peculiariter feminarum , senum , & infantium. Igni emollita melior , & cum ceroto , crassa hulcerum labra purgat , nomas sistit. Tritam suis foliis integere oportet. Sup-
25 purationes , collectiones , sinus hulcerum , chelidonia quoque siccantur : vulnera adeo , ut etiam pro spodio utantur. Eadem jam desperatis cum axungia imponitur. [16] Dictamnum pota sagittas pellit , [17] & alia tela extrahit illita. Bibitur ex aquæ cyatho foliorum obolo. [18] Proxime pseudodictamnum. Utraque etiam suppurationes discutit. [19] Aristolo-

Notæ.

tentione vocis ac laterum oriuntur , ut tussi , pleuritidi , &c.

5. *Panaces.*] Diosc. lib. 3. cap. 55. Ἁρμόζει πρὸς σπάσματα , ῥήγματα , πλευρᾶς ἀλγήματα , βῆχας , &c.

6. *Scordion.*] Diosc. lib. 3. cap. 125. Ποιεῖ καὶ πρὸς παλαιὰν βῆχα , καὶ ῥήγματα , καὶ σπάσματα , &c.

7. *Aristolochia.*] Diosc. lib. 3. cap. 3. Βοηθεῖ ῥήγμασι , σπάσμασιν , ἀλγήμασι πλευρᾶς , ποθεῖσα μεθ' ὕδατος.

8. *Agaricum item .... eversis.*] Hoc est , præcipitatis ex alto Diosc. lib 3. cap. 1 αὐτὸς ῥήγμασι καὶ πτώμασιν , ὀβολοῦ δὲ ὁλκὴ ποθὲν ἀπύροις μετ' οἰνομέλιτος , πυρέσσουσι δὲ ἐν μελικράτῳ

9. *Verbascum.*] Decoctum radicis ruptis , convulsis , contusisque mire auxiliari , prodit etiam Dioscor. lib 4. cap. 104.

10. *Acori radix.*] Diosc. lib. 1. cap. 2. πρὸς ῥήγματα , σπάσματα.

11. *Item symphyti.*] Diosc. lib. 3. cap. 9. Συμφέρει δὲ πρὸς σπάσματα καὶ ῥήγματα.

12. *Erysithales.*] Ignota herbariis & officinis.

13. *Bibitur e vino.*] Contusis videlicet , & eversis.

14. *Item chamærops.*] Sive trixago. Diosc lib 3. cap. 112. Δύναμιν δὲ ἔχει χλωρὰ ἀφεψηθεῖσα σὺν ὕδατι καὶ ποτιζομένη , βοηθεῖν σπάσμασι , βηχί , &c

Sect. LXXXVI 1. *Qua Sylla.*] Vide quæ diximus lib. 11. sect. 39. de Sylla : de phthiriasi , lib. 20. sect 3.

2. *Nascunturque.*] Pediculi scilicet , ut ex sequentibus liquido perspicuum est : namque hæc animalia & perunctis corporibus abigi , & infestare vestes mox adjicit. De vermibus qui nascantur in venis perperam accepit Schenckius , lib. 3. Observ. medic. pag. 457. E sanguine ipso hominis fieri pediculos prodidit etiam Theophrast. lib. 2. de causis plant. cap. 2. Antigonus Carystius , cap. 95. sub pusulis delitescere intra cutem pediculos ait , quæ si perforentur , exituri sint ii , vel sic homine persanato : eo morbi genere Pherecydem & alios interiisse

3. *Uva taminia.*] Hanc σταφίδος ἀγρίας dotem esse Archigenes medicus putat , apud Galen. lib. 1. κατὰ τόπους , cap. 7 pag 347. ut is forte cum Celso censuerit staphidem agriam ab uva taminia nihil differre : quemadmodum diximus lib. 22. sect. 26. Sic igitur ille : Βοηθήματα φθειριώντων .... ἢ ἐλλέβορον λευκὸν , ἢ σταφίδα ἀγρίαν , καὶ νίτρον , σὺν μετ' ἐλαίῳ ἐν βαλανείῳ χρῶ

Sect. LXXXVII. 1. *Panacis.*] Diosc. lib. 3. cap. 55. Sunt autem manantia hulcera , Græcis ἀχῶρες , in ipsa capitis cute , tenuissimis foraminibus cutem perforantia , ex quibus glutinosa fluit sanies. Notum id mali genus , & pueris in primis , mendiculisque familiare : *La tigne , ou la teigne.* Describitur a Galeno prolixe , lib. 1. κατὰ τόπους , cap. 8. pag. 347.

2. *Chironiam diximus.*] Libro 25. sect. 13. Ita Galenus lib. 7. de facult. simp. med. pag. 217.

3. *Eadem*] Galenus ita fere , loco citato.

4. *Heraclion.*] De quo lib. 25. sect. 15.

5. *Apollinaris*] Sive hyoscyamus. Diosc. lib. 4. cap. 69.

6. *Psyllium.*] Diosc. lib. 4. cap. 70. Κοπεῖσα δὲ μετὰ στέατος , καὶ ῥυπαρὰ καὶ κακοήθη τῶν ἑλκῶν ἀνακαθαίρει. *Tusa cum adipe sordida malignaque hulcera repurgat.*

7. *Scordotis &c.*] Sic etiam Diosc. lib 3. cap 125.

8 *Farina ejus.*] Dioscor loc cit. Ξηρὰ δὲ ὑπερσαρκώματα στέλλει. *Sicca carnis excrescentias cohibet.*

9. *Centaureum majus.*] Apuleius , cap. 34 tit. 3. *Ad hulcera .. Herba centauria major &c*

10. *Item minoris.*] Ad verbum Diosc. lib. 3. cap. 9.

11. *Folliculi.*] Dioscor. lib 4. cap. 13. Τὰ δὲ φύλλα λεῖα , ἢ τὰ θυλάκια ἐπὶ νεοτρώτοις ἐπιτιθέμενα , μέχρι τῆς ἀπουλώσεως συνέχει. *Folia trita , aut folliculi , si vulneribus recentibus imponantur , ea ita efficaciter sanant , ut etiam ad cicatricem perducant.* Folliculi sunt siliquæ , quibus semina continentur.

12. *Illinitur &c.*] Dioscor lib 3. cap. 3.

13. *Ex ea factum Lycium*] Hoc est , ex ea factum medicamentum ejusdem virtutis , ac fortassis ejusdem etiam nominis cum Lycio , de quo lib. 24. sect. 77. Lycium non unius singularis medicamenti nomenclatio fuit : ad varia quæ e radicibus decoctis fiebant , ea pertinuit. Vide Notas & Emendationes , num. XXVI.

14. *Lysimachia.*] Dioscor lib. 4. cap. 3.

15. *Plantago.*] Plinius Valer lib. 3. cap. 22. & fuse Galenus , lib. 6. de fac. simp med. pag. 159

16 *Dictamnum pota.*] A cervis caprisque depastam ad ejicienda spicula certo remedio esse , dictum est superius , lib. 25. sect. 53.

17. *Et alia tela.*] Dioscor lib. 3 cap. 37. Καταπλασσομένη δὲ ἡ βοτάνη τοῖς ὑποκάτω τῶν ποδῶν ἢ τοῦ λοιποῦ σώματος ἐγκειμένους σκόλοπας ἐκβάλλει. *Imposita vero herba plantæ pedum reliquove corpori infixos impactos aculeos extrahit.* Theod. Priscianus , lib. 1. cap. 23. de latentibus spiculis : *Sic etiam de dictamni foliis , vel radicibus contusis , velocius fieri consuetis , secundum veterum testimonia.*

18. *Proxime.*] Diosc. lib. 3. cap. 38

19. *Aristolochia.*] Diosc. lib. 3. cap 6. & Apuleius, cap 19. Tela quoque aristolochiæ pulvere vulneri apposito statim extrahi prodidit Theod. Priscianus , lib. 1. cap. 23.

chia quoque putria hulcera exeſt : ſordida expurgat cum melle, vermeſque extrahit : [20] item clavos in hulcere natos, [21] & infixa corpori omnia, præcipue ſagittas, & oſſa fracta cum reſina. [22] Cava vero hulcera explet per ſe. Et cum iride recentia vulnera ex aceto. [23] Vetera hulcera verbenaca, [24] quinquefolium cum ſale & melle. Radices perſolatæ, vulneribus ferro illatis recentibus imponuntur : [25] folia veteribus. Cum axungia utrumque : & ſuo folio operitur. [26] Damaſonium, ut in ſtruma : [27] folia verbaſci ex aceto aut vino. [28] Periſtereos ad omnia genera, vel calloſorum putreſcentiumque hulcerum facit. Manantia nymphææ heracliæ radix ſanat. [29] Item cyclamini radix vel per ſe, vel ex aceto, vel cum melle. [30] Eadem & contra ſteatomata efficax, ſicut ad hulcera manantia hyſſopum : item peucedanum, cui ad recentia vulnera vis tanta eſt, [31] ut ſquamam oſſibus extrahat. [32] Præſtant hoc & anagallides, [33] cohibentque quas vocant nomas, & rheumatiſmos. Utiles & recentibus plagis, ſed præcipue ſenum corpori. [34] Cum ceroto apoſtemata & hulcera tetra, folia mandragoræ recentia : [35] radix vulnera cum melle aut oleo : [36] cicuta cum ſiligine mixta mero : [37] aïzoum herpetas quoque & nomas, ac putreſcentia, ſicut erigeron verminoſa : [38] recentia autem vulnera aſtragali radix : & vetera quoque hulcera purgat hypociſthis utraque. [39] Leontopodii ſemen tritum in aqua, & cum polenta illitum, ſpicula ſagittarum extrahit : [40] item pycnocomi ſemen. [41] Tithymalus characias ſucco gangrænas, phagedænas, putria, vel decocto ramorum cum polenta & oleo : [42] orchis radices [43] hoc amplius, & cacoëthe ex aceto cum melle, ſiccæ & recentes : per ſe onothera [44] efferantia ſeſe hulcera ſanat. [45] Scythæ vulnera ſcythice curant. Ad carcinomata, argemonia ex melle, efficaciſſima eſt. [46] Vulneribus præſanatis aſphodeli radix decocta, [47] ut diximus, trita cum polenta & illita : quibuſcumque vero Apollinaris. [48] Aſtragali radix in pulverem trita humidis hulceribus prodeſt : [49] item callithrix decocta in aqua. Privatim vero iis quæ calceamento facta ſint, verbenaca : nec non & Lyſimachia contrita, ac nymphæa arida inſriata. Polythrix inveteratis iiſdem utilior.

LXXXVIII. I. [1] Polycnemon cunilæ bubulæ ſimilis eſt, ſemine pulegii, ſurculoſa, multis geniculis, corymbo odoraro, acri & dulci odore : [2] ferro factis vulneribus commanducata imponitur, quinto die ſolvitur. [3] Symphyton ad cicatricem celerrime perducit : [4] item ſideritis. Hæc imponitur ex melle. [5] Verbaſci ſemine ac foliis ex vino decoctis ac tritis omnia corpori infixa extrahuntur : item mandragoræ foliis cum polenta : cyclamini radicibus cum melle. [6] Trixaginis folia in oleo contrita iis maxime adhibentur hulceribus, quæ ſerpunt : & alga in melle trita. [7] Vettonica ad carcinomata, & [8] melanias veteres, addito ſale.

NOTÆ.

20. *Item clavos.*] Calloſam duritiem, inſtar clavi. *Clavos ex hulcere* quæ poſſint *evellere*, multa congerit Theod. Priſcianus, lib. 1. cap. 18.

21. *Et infixa.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 233. pro reſina mel adſciſcit. Dioſcor. loc. cit. ariſtolochiam id per ſe præſtare innuit : Ἀγάγει δὲ καὶ σκόλοπας, ἀκίδας, λεπίδας ὀστῶν καταπλασσομένη αὐτή. *Extrahit & impoſita aculeos, ac ſpicula, oſſiumque ſquamas removet.* Plinius cum *vermes extrahi* dixit, an non σκώληκας legiſſe is videtur, pro σκόλοπας ?

22. *Cava vero.*] Καὶ τὰ κοῖλα πληροῖ σὺν ἴρεως καὶ μέλιτι. Dioſc. loc. cit.

23. *Vetera hulcera.*] Dioſcor lib. 4. cap. 61. Καὶ ῥυπαρὰ ἕλκη καθαίρει. *Et ſordida purgat hulcera.*

24. *Quinquefolium*] Dioſc. lib. 4. cap. 42.

25. *Folia veteribus*] Dioſc. lib. 4. cap. 107.

26. *Damaſonium, ut in ſtruma*] Ut in ſtrumæ remediis dictum eſt, ſect. 12.

27. *Folia verbaſci.*] Dioſcor lib. 4. cap. 104.

28. *Periſtereos.*] Sic & Dioſc. lib. 4. cap. 60.

29. *Item cyclamini.*] Dioſc. lib. 2. cap. 194.

30. *Eadem contra ſteatomata*] Στεάτωμα adipis effuſio ſub cute : Adipis contra naturam collectum aliquo loco incrementum. Pollux : Στεάτωμα, πιμελῆς παρέκροια ὑπὸ τῷ δέρματι.

31. *Ut ſquamam.*] Vide Notas & Emend. num. XXVII. Squamæ hæc detractio, a recentioribus Chirurgis *Exfoliatio* dicitur.

32. *Præſtant hoc.*] Similis eſt ea dos illarum, quæ adactos corpori aculeos extrahunt, teſte Dioſcor. lib. 2. cap. 209. & Galeno, lib. 6. de facult. ſimp. med. pag. 156.

33. *Cohibentque.*] Dioſcor. lib. 2. cap. 209. νομῶν ἐφεκτικαί.

34. *Cum ceroto.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 76. cum polenta.

35. *Radix vulnera.*] Ictus ſerpentium, πρὸς ἑρπετῶν πληγὰς, σὺν μέλιτι ἢ ἐλαίῳ. Dioſcor. loc. cit.

36. *Cicuta.*] Herpetas illitu reſtinguit, ἕρπητας καταπλασθὲν σβέννυσι, inquit Dioſc. lib. 4. cap. 79.

37. *Aizoum &c.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 89.

38. *Recentia autem.*] Et vetera quoque, Dioſcor. auctore, lib. 4. cap. 62.

39. *Leontopodii.*] Quod Dioſcoridi, ut diximus, Λεοντοπέταλον appellatur, lib. 3. cap. 110. Indicarum id jam antea, ſect. 79.

40. *Item pycnocomi.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 176. Καὶ ἀκίδας καὶ σκόλοπας ἐξάγει, *ſpicula & adactos corpori aculeos extrahit.*

41. *Tithymalus &c.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 165.

42. *Orchis radices.*] Totidem fere verbis Dioſcor. lib. 3. cap. 142.

43. *Hoc amplius.*] Hoc amplius, inquit, præſtant orchis radices, quod ſiccæ æque atque recentes hulcera κακοήθη ſanant.

44. *Efferantia.*] Acerbiora hulcera, ob inflammationem. Vide Notas & Emend. num. XXVIII.

45. *Scythæ.*] Theophr. lib. 9. hiſt. cap. 13.

46. *Vulneribus præſanatis.*] Celerius quam par eſt, ſanatis, clauſiſque : quibus metuenda intus nova ſuppuratio eſt.

47. *Ut diximus.*] Libro 22. ſect. 32.

48. *Aſtragali.*] Dioſcor. lib. 4. cap. 62. & Galenus, lib. 6. de fac. ſimp. med. pag. 160.

49. *Item callithrix.*] Dioſc. lib. 4. cap. 137.

Sect. LXXXVIII. I. *Polycnemon.*] Sic Dioſcor. lib. 3. cap. 108. Πολύκνημον .... ἔχον φύλλα ὀριγάνῳ ἐμφερῆ· τὸ δὲ καυλὸν πολυγόνατον ὥσπερ γλήχωνος· οὐκ ἔχει μέντοι τὸ σκιάδιον, μικρὰ δ' ἐπ' ἄκρῳ κορυμβία, μετ' εὐωδίας τινὸς δριμείας. *Foliis origani, caule geniculis multis intercepto, uti pulegii. Neque vero umbellam habet, ſed parvos in cacumine corymbos cum acri quadam odoris jucunditate.* Nomen habet a crebris geniculis : quaſi multitibiam, multicruriamve dixeris. Belgæ pharmacopœi Calaminthum aquaticam vocant, teſte Lobelio, in Adverſ. pag. 217.

2. *Ferro factis.*] Hæc totidem verbis Dioſc. loc. cit.

3. *Symphyton.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 3. cap. 22.

4. *Item ſideritis.*] Dioſc. lib. 4. cap. 33. 34. 35. 36.

5. *Verbaſci.*] Hanc urſæ vulneri recenti herbam applicant, & indunt : eaque vulnus obturant, teſte Baſilio in Hexaem. homil. 9.

6. *Trixaginis.*] Dioſcor. lib. 3. cap. 112.

7. *Vettonica.*] Marcellus Empir. cap. 4. pag. 43.

8. *Melanias.*] Μελανία Græce nigritudinem corporis ſonat, nigraſque maculas.

LXXXIX. Verrucas tollit argemonia ex aceto, [1] vel battachii radix, quæ & ungues scabros aufert. Linozostidis utriusque folia, vel succus illitus. [2] Tithymali omnes genera verrucarum omnia: item omnia pterygia, varosque tollunt. [3] Cicatrices cum elegantia ad colorem reducit ladanum. [*] [4] Artemisiam & elelisphacum alligatas qui habeat viator, negatur lassitudinem sentire.

* Cap. XV.

XC. [1] Muliebribus morbis medetur maxime in universum Pæoniæ herbæ semen nigrum ex aqua mulsa. [2] Eadem & in radice vis menses ciet: [3] panacis semen cum absinthio menses & sudores: [4] scordotis potu & illitu. [5] Vettonica drachmâ in vini cyathis tribus bibitur contra omnia vulvarum vitia, [6] aut quæ a partu fiunt. [7] Menses nimios sistit Achillea imposita, & decoctum ejus insidentibus. [8] Mammis imponitur hyoscyami semen ex vino: [9] locis radix e cataplasmate: & mammis etiam chelidonia. [10] Secundas morantes, vel partus emortuos, radices panacis appositæ extrahunt. [11] Ipsum panaces in vino potum vulvas purgat, appositumque cum melle. Polemonia pota ex vino, secundas pellit: nidore [12] corrigit vulvas. [13] Centaurei minoris succus potu, fotuque menses ciet. [14] Item majoris radix, in vulvæ doloribus usdem modis prodest. [15] Derasa vero & apposita, extrahit partus emortuos. [16] Plantago apponitur in lana in dolore vulvæ: in strangulatu bibitur. Sed præcipua dictamno vis est. [17] Menses ciet, partus emortuos vel transversos ejicit: bibitur ex aqua foliorum obolo, adeo ad hæc efficax, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. [18] Nec potu tantum, sed & illitu, & suffitu valet. [19] Proxime pseudodictamnum. Sed menses ciet cum mero decoctum pondere denarii. Pluribus tamen modis aristolochia prodest: [20] nam & menses & secundas ciet, & emortuos partus extrahit, myrrha & pipere additis, pota, vel subdita. Vulvas quoque procidentes inhibet fotu, vel subjectu, [21] maxime tenuis. [22] Strangulatum ab his, mensiumque difficultatem, agaricum tribus obolis in vini veteris cyatho potum, emendat: [23] peristereos apposita in adipe suillo recenti: anthirrinon cum rosaceo & melle. [24] Item apposita nymphææ Thessalæ radix, dolori medetur. [25] In vino nigro pota, profluvia inhibet. [26] E diverso ciet cyclamini radix pota & apposita: [27] & vesicæ insidentium decocto medetur. [28] Secundas pota cissanthemos pellit, vulvam sanat: [29] E xiphio radix superior menses ciet, drachma ex aceto pota. [30] Peucedanum strangulatus vulvæ nidore ustum recreat: [31] menses albos præcipue psyllium drachma in cyathis tribus aquæ mulsæ ciet: [32] semen mandragoræ potum vulvam purgat. [33] Menses ciet succus appositus, & emortuos partus. [34] Nimia rursus profluvia sistit semen cum vivo sulphure: [35] contra facit batrachion potu

NOTÆ.

Sect. LXXXIX. 1. *Vel batrachii.*] Dioscor. lib. 2. cap 206. Οἵ ἥλους λιπαροὺς καὶ ψώρας ἀφίησι .... καὶ μυρμηκίας, καὶ ἀκροχορδόνας, &c

2. *Tithymali.*] Hæc totidem verbit Diosc. lib. 4. cap. 165. & Galenus, lib. 8 de facult. simp. med. pag. 236. Apuleius item, cap. 108. tit. 2.

3. *Cicatrices.*] Dioscor lib 1. cap 125

4. *Artemisiam.*] Vide quæ diximus ex Apuleio, lib. 25. sect 81. Dioscor in Nothis, pag. 476. Ἀρτεμισίαν τὴν βοτάνην εἴ τις ἔχοι ἐν ὁδῷ, λύει τὸν κάματον.

Sect. XC. 1. *Muliebribus.*] Diosc lib 3. cap 157.

2. *Eadem.*] Dioscor. loco citato. Κινεῖ δὲ καὶ τὰ καταμήνια, ἀμυγδάλου μέγεθος πινομένη. *Ciet menses amygdalæ magnitudine pota.*

3. *Panacis semen &c.*] Diosc. lib 3 cap 55.

4. *Scordotis*] Hæc subdita menses movet, inquit Diosc. lib. 3. cap. 125. Προστιθέμενον δὲ ἔμμηνα κινεῖ.

5. *Vettonica &c.*] Totidem verbis Diosc lib. 4. cap. 1.

6. *Aut quæ a partu.*] Anton. Musa, tit. 26. *Ad mulieres, quæ a partu laborant & febricitant. Vettonicæ drachmas duas, aquæ calidæ cyathos quatuor, si cum febre: sin vero sine febre, mulsi cyathos duos, & aquæ calidæ duos da bibere.*

7. *Menses nimios.*] Totidem verbis id Diosc. pariter, lib. 4. cap. 36.

8. *Mammis.*] Dioscor. lib. 4. cap 69. Ἁρμόζει καὶ πρὸς μαστοὺς ἐν τοκετῷ ἐπηρμένους, λεῖον μετ' οἴνου καταπλασσόμενον. *Subvenit & mammis a partu tumentibus, si tritum ex vino imponatur.*

9. *Locis.*] Locis muliebribus apposita. Cataplasmatis omnibus quæ doloris levamentum præstant, utiliter admisceri docet Dioscor. loc. cit. Anton. Musa, tit. 29. Vettonicam commendat, *Ad mulieres, quibus loci præ frigore moriuntur.*

10. *Secundas, ... vel partus*] Dioscor. lib. 4 cap. 55.

11. *Ipsum .... vulvas purgat*] Succo diluto vulvæ inflationes duritiasque discuti, ait Diosc. loc. cit.

12. *Corrigit vulvas.*] Conversas restituit, & a strangulatione seu suffocatione eximit.

13. *Centaurei minoris.*] Dioscor. lib. 3. cap. 9.

14. *Item majoris.*] Dioscor. lib. 3. cap. 8.

15. *Derasa vero.*] Dioscor lib. 3. cap. 8.

16. *Plantago.*] Dioscor. lib. 2. cap. 153. Πίνεται δὲ καὶ πρὸς φθίσεις, καὶ πρὸς ὑστερικὰς πνίγας· προστίθεται ἐν ἐρίῳ καὶ ὑστέρᾳ ῥευματιζομένῃ, hoc est, si vulva fluxione laboret, plantago subditur in vellere. Locum ita interpunctione distinctum legisse Plinius videtur: non ut libri editi præ se ferunt.

17. *Menses ciet &c.*] Hæc pariter Dioscor. lib 3. cap 37. Apuleius, cap. 62 tit. 1. *Ad mulierem, si in utero mortuum fœtum habuerit: Herba dictamni &c.*

18. *Nec potu &c.*] Dioscor. loc. cit.

19. *Proxime.*] Et imbecillius. Dioscor. lib 3. cap. 38. οὐχ ὁμοίως ἐνεργοῦν.

20. *Nam & menses.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap 6.

21. *Maxime tenuis.*] Tertium aristolochiæ genus, longissimæ tenuitatis, de quo sup. libro, sect. 54.

22. *Strangulatum ab his*] A vulvis. Dioscor lib. 3. cap 1. Ὀβολῶν δὲ δυοῖν πλῆθος δίδοται μετ' οἰνομέλιτος ... ὑστερικοῖς πνιξί, &c.

23. *Peristereos.*] Dioscor. lib. 4 cap 60.

24. *Item .... Nymphæa Thessala.*] Ejus videlicet, quæ in Thessalia oritur, de qua lib. 25. sect. 37.

25. *In vino nigro*] Ad verbum Diosc lib. 3. cap 149.

26. *E diverso.*] Dioscor. lib. 2. cap. 194 ad verbum.

27. *Et vesicæ.*] Et decocta radice medetur vesicæ mulierum in eo decocto insidentium.

28. *Secundas .... cissanthemos.*] Hoc est, cyclaminos cissanthemos appellata: de qua pariter Diosc. lib. 2. cap. 195. Καὶ τὰς ἐν τοκετῷ ἀναιρεῖ πάθη...

29. *E xiphio.*] Dioscor. lib. 4. cap. 20. subdi ob eam rem in pello jubet.

30. *Peucedanum.*] Diosc. ad verbum, lib. 3. cap 92

31. *Menses albos.*] Ῥοῦν λευκὸν Græci vocant. Feminarum enim fluxiones addita coloris diversitate medici discriminant: sunt enim nigræ, rubentes albæ, pollentes, & aquosæ. Vide Notas & Emend. num. XXIX.

32. *Semen mandragoræ.*] Ad verbum Diosc. lib 4. cap. 76.

33. *Menses ciet &c.*] Dioscor. loco citato.

34. *Nimia ... cum vivo sulphure.*] Vivum sulfur quid sit, dicemus lib 35. sect. 50. Vide Notas & Emend. num. XXX

35. *Contra facit.*] Ciet menses. Vide Notas & Emendat. num XXXI.

vel cibo, ardens alias ([36] ut diximus) cruda. Sed cocta commendatur sale, & oleo; & cumino. [37] Daucum & menses & secundas potu facillime pellit. [38] Ladanum suffitu corrigit vulvas: dolori earum exhulceratisque imponitur. [39] Emortua fœminonium pellit, potum vel appositum. [40] Menses ciet hypericum utrumque, appositum. Ante alia vero ([41] ut Hippocrati videtur) crethmos e vino, [42] femine vel radice: cortice trahit & secundas: succurrit & strangulationibus ex aqua pota. Item radix e geranio peculiariter secundis, [43] inflationibusque vulvarum conveniens: purgat hippuris pota & apposita vulvas. [44] Polygonus pota menses ciet, & althææ radix. Folia plantaginis pellunt, [45] item agaricum ex aqua mulsa. [46] Artemisia vulvæ medetur trita, ex oleo irino, aut fico, aut cum myrrha apposita. Ejusdem radix pota in tantum purgat, ut partus enectos extrahat. [47] Menses & secundas ciet ramorum decoctum insidentibus: item folia pota drachmâ. [48] Ad eadem omnia prosunt vel imposita ventri, immo cum farina hordeacea. [49] Acoron quoque utile est interioribus feminatum morbis, [50] & conyza utraque, & crethmos. [51] Et anthyllides duæ vulvis utilissimæ, torminibusque, secundarum moræ, in vino potæ. [52] Callithrix fotu locis medetur, [53] albugines in capite tollit, capillos inficit oleo trita. Geranion in vino potum, hypocisthis in rubro, profluvium sistunt. [54] Hyssopum suffocationes laxat. Radix verbenacæ pota ex aqua, ad omnia in partu aut ex partu mala, præstantissima est. Peucedano quidam miscent in vino nigro semen cupressi contritum. Nam semen psyllii defervefactum in aqua, cum intepuit, [55] epiphoras omnes uteri lenit. [56] Symphyton tritum in vino nigro evocat menses. Partus accelerat scordotis pota, drachma succi in aqua mulsa cyathis quatuor: dictamni folia præclare dantur ex aqua. Constat unius oboli pondere, vel si mortui sint in utero infantes, protinus reddi sine vexatione puerperæ. [57] Similiter prodest pseudodictamnum, sed tardius: [58] cyclaminos adalligata: [59] cissanthemos pota: Item Vettonicæ farina ex aqua mulsa.

XCI. 1. [1] Arsenogonon & thelygonon herbæ sunt [2] habentes uvas floribus oleæ similes, pallidiores tamen, semen album papaveris modo. [3] Thelygoni potu feminam concipi narrant. [4] Arsenogonon ab ea semine oleæ, nec alio distat. [5] Hujus potu mares generari perhibentur, si credimus. [6] Alii utramque ocimo similem tradunt. [7] Arsenogoni autem semen geminum esse testibus simile.

XCII. 1. Mammarum vitiis aizoum, quod [1] digitellum appellavimus, unice medetur. Erigeron ex passo mammas uberiores facit: sonchum in farre coctum. [2] Quæ vero mastos vocatur, [3] illita, [4] pilos mammarum e partu nascentium aufert, [5] & testas

Notæ.

36. *Ut diximus*] Libro 25. sect. 109. *Omnibus* batrachii seu ranunculi generibus *vis caustica, si cruda folia imponantur: pustulasque, ut ignis, faciunt.*

37. *Daucum.*] Diosc. lib. 3. cap. 83. de dauci semine: Πινόμενον, ἐμμηνίων, ἐμβρύων, καὶ ...

38. *Ladanum. . . . vulvas.*] Conversas, vel ascendentes.

39. *Emortua.*] Mortuos partus Diosc lib. 4. cap. 175. Ὁ δὲ ... ἔμβρυα φθείρει.

40. *Menses &c.*] Diosc lib. 3 cap. 171. & 174.

41. *Ut Hippocrati.*] Libro 1. de morb. mul. num. 2. p. 422.

42. *Semine, vel radice.*] Diosc. lib 2. cap 157

43. *Inflationibusque.*] Vide Notas & Emend. num. XXXII.

44. *Polygonus.*] Vide Notas & Emend. num XXXIII.

45. *Item agaricum.*] Diosc. lib. 3. cap. 1. Ἄγει δὲ καὶ ἔμμηνα.

46. *Artemisia.*] Dioscor. lib. 3. cap. 127. totidem verbis: & Galenus, lib. 6. de fac simp. med. pag. 160.

47. *Menses &c.*] Dioscor. loc. cit. ad verbum.

48. *Ad eadem omnia.*] Diosc. loc. cit.

49. *Acoron quoque.*] Insessu præsertim. Diosc. lib. 1. cap 2.

50. *Et conyza.*] Et hæc insidentibus quoque in ejus decocto prodest: Dioscor. lib. 3. cap. 136. Καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτῆς ἐν ἐγκαθίσματι ... μήτρας ..., καὶ ἔμμηνα ...

51. *Et anthyllides.*] Dioscor. lib 3. cap. 153. ambas cum rosaceo & lacte subditas uteri inflammationes emollire tradit.

52. *Callithrix*] Menses eo cieri, & quæ a puerperio purgamenta relinquuntur, scribit Dioscor. lib 4. cap. 137. de trichomane.

53. *Albugines in capite*] Furfures, credo, intelligit, porriginemque. Nam Dioscor. loc cit. Ἀποσμῇ πίτυρα, *furfures deterget.*

54. *Hypocisthis.*] Dioscor. lib. 1. cap. 127.

55. *Epiphoras . . . . uteri.*] Vulvæ inflammationes. Vis est ei sane summe refrigerans, ψύχει γὰρ ἱκανῶς, inquit Diosc. lib. 4. cap 70.

56. *Symphyton . . . . evocat menses.*] Hoc est, revocat, retinet, sistit. Dioscor. lib. 4. cap 9 de symphyto: Σὺν οἴνῳ δὲ ... πίνεται πρὸς δυσεντερίαν, καὶ ῥοῦν γυναικεῖον ἐρυθρόν.

57. *Similiter . . . . sed tardius.*] Diosc lib. 3. cap 38.

58. *Cyclaminos.*] Diosc lib. 2. cap. 194. Ἔτι δὲ καὶ ... περιαπτόμενον.

59. *Cissanthemos.*] Cyclaminos cissanthemos, qua pota Diosc lib 2. cap. 194. reliquias a partu purgari docet.

Sect. XCI. 1. *Arsenogonon &c.*] Hæc sunt totidem verbis apud Theophr. lib. 9. hist. 19. Ἀρρενόγονον καὶ θηλύγονον. Nec multum abludit Diosc. lib. 3. cap 140 Utrumque pingitur a Lobelio in Advers. pag. 161. Arrhenogonon phyllum marificum Theophrasti, Dioscoridis feminificum Clusius recte nuncupat, lib. 4 hist. rar. plant pag. xlviij. Thelygonon contra mas est Dioscoridi, Theophrasto feminificum. Utrumque in horto Regio vidimus.

2. *Habentes uvas.*] Semen racemosum, ei quodammodo simile, quod, postquam defloruit olea, primulum emergit, atque conspicitur. Dioscor. loc cit.

3. *Thelygoni.*] Narrat id quidem Cratevas apud Dioscor. lib 3. cap. 140. Fabulæ affine existimat Theophrastus, loc. cit. Fecere interim a maribus feminisve gignendis utrique herbæ nomen.

4. *Arsenogonon.*] Arsenogono ait esse semen quale oleæ, feminæ nullum esse Sic Theophr. Contra Dioscorides feminæ seu thelygono semen adjudicat: adimit mari.

5. *Hujus potu.*] Et hoc a Crateva confictum.

6. *Alii utramque.*] Ex horum est numero Theophr loc. cit.

7. *Arsenogoni . . . . testibus.*] Quamobrem Phyllon testiculatum recentiores herbarii nominant

Sect XCII. 1. *Digitellum appellavimus.*] Libro 25. sect. 102. Est id aizoum majus.

2. *Quæ vero mastos.*] Nomen a mamma factum, quæ Græcis μαστὸς & μαζὸς scribitur: facies incognita.

3. *Illita*] Sic Reg codex 2. recte, non *indita.* Quis enim approbet mammis herbam indi?

4. *Pilos mammarum*] Casu nimirum aliquo nascentium in extima mammarum cute. Hos enim, ut in palpebris, sic in mammis pariter, psilothri vice, herba hæc, dum illinitur, exterit. Cave enim aut de pilo intelligas, qui forte sit potu haustus, exitumque per mammas quærat, quod fieri non puto, etsi ita Philosophus tradit, lib 4. hist. anim aut de verniculo qui sit capilli specie, quem Rondeletius confinxit, lib. 18. cap. 25. Nam de vitiis summæ cutis agi, & de psilothris, Plinius ipse monet, cum subjicit, *aliaque cutis vitia emendat.* Et mox: *Psilothrum nos quidem in muliebribus medicamentis tractamus* Vide Schenckium, lib 2. Observ. Medic. tit. de morbo pilari, pag. 332.

5. *Et testas.*] Maculas quæ testam colore referant. Ita

in facie: aliaque cutis vitia emendat. [6] Gentiana, [7] nymphæa Heraclia illita, [8] cyclamini radix, maculas omnes. [9] Cacaliæ grana mixta ceræ liquidæ extendunt cutem in facie, erugantque: vitia omnia acori radix emendat.

XCIII. 1. Capillum Lysimachia flavum facit: denigrat hypericon, [1] quod & corion
5 vocatur.

2. [2] Item ophrys herba [3] denticulato oleri similis: foliis duobus. Nigritiam dat & Polemonia, in oleo decocta. [4] Psilothrum nos quidem in muliebribus medicamentis tractamus: verum [5] jam & viris est in usu. Efficacissimum autem habetur archezostis: [6] Item tithymali succo, vel in Sole cum oleo illito crebro, vel evulsis pilis. Quadrupedum sca-
10 biem sanat [7] hyssopum ex oleo, suum anginas peculiariter sideritis. Verum & reliqua genera herbarum reddamus.

NOTÆ.

MSS. omnes Reg. Colb. Chiffl. non *tineat*,

6. *Gentiana.*] Diosc. lib 3. cap. 3.

7. *Nymphæa.*] Ἀλφοὺς σμήχει σὺν ὕδατι, *vitiligines ex aqua tollit.* Diosc. lib. 3. cap. 148

8. *Cyclaminus.*] Diosc. lib. 3. cap. 194. Ῥύπτει δὲ ἡ χρεῖα ἡ ῥίζα, &c.

9. *Cacaliæ*] Diosc. totidem verbis, lib. 4 cap 123.

Sect. XCIII. 1. *Quod & corion.*] MSS. *corison* & *corisium.*

2. *Item ophrys*] In Reg 1. *hophrus.* Reg. 2. *ophrus.* Index, & libri editi, *ophrys.* Quidam tamen in Indice MSS. *orbris.* Nomine ac facie perinde ignota.

3. *Denticulato oleri.*] Brassicæ similis, cujus folia sint incisuris distincta.

4. *Psilotrum.*] Ψίλωθρον, medicamentum depilatorium, a ψιλόω depilo.

5. *Jam & viris.*] Postquam mores degenerare cœperunt.

6. *Item tithymali.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 4. cap. 165.

7. *Hyssopum.*] Importune nobis nescio qui œsypum hic obtrudunt, pro hyssopo: quod & semel superius tacitarunt: cum medicinæ omnes hoc libro comprehensæ, non ex animalibus, sed ex herbis omnino petantur.

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXVI.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 5. I. AD *postremum vero nigrescente.*] Sunt qui *increscente* malint, quoniam ita Marcellus Empir. scripsit, cap. 19. pag. 130. Sed error is librariorum est, tum ex Plinii nostri optimis codicibus, tum vero ex Corn. Celso, ita morbum eum describente, lib. 3. cap. 25. *Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet: Rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur, &c.*

Sect. 6. II. *Ante omnes celebratam rationem eam . . . . defendente.*] Ita restituimus ope codicis Reg. 1. cum prius implicata admodum sententia, spretisque artis ipsius præceptis, non sine insigni orationis vitio, *descendente* legeretur.

Sect. 8. III. *In urbe nimbosa, immo vero tota Italia imperatrice*] Prius *in urbe umbrosa* legebatur, perperam, refragantibus codicibus vetustis, Reg. 1. 2. Colb. &c. quos secuti sumus. Neque vero umbrosa esse tota Italia potest: nimbis obnoxia esse tota potest. Plinius ipse, lib. 1. sect. 51. æstatem morbosam esse in Italia prodidit: idcirco ibi semper quodammodo aerem vernare, vel autumnare.

Sect. 10. IV. *Hibisci radix cum glutino & aceto acri decocta.*] Ita libri omnes, etiam MSS. Sed scrupulum movet Marcellus Empiricus, qui cum operi suo Plinii sententias plurimis in locis asperserit, pro glutino lupinum adsciscit, cap. 19. pag. 129. *Mentagrae medetur*, inquit, *hibisci radix cum lupino & aceto, ad tertias cocta & apposita.* Plinius Valer. adhuc importunior, lib. 2. cap. 56. *Lichenis arcendo: Ficulnei caules*, inquit, *in aceto cocti & triti illinuntur: Hibisci radix cum glutino lupino in aceto decocta ad quartas similiter adhibetur.* An glutinum is lupinum intelligit, quod ex lupi genitalibus fiat, ut ex vitulorum genitalibus vitulinum noster commendat, & ad lichenas quidem, lib. 28. sect. 50. An potius glutinum e lupini farina, quæ lepras emendare, aliaque cutis vitia dicitur, lib. 22. sect. 74.

Ibid. V. *Morbum quoque regium cum melle sanat ore illito, & lingua.*] Dioscor. lib. 4. cap. 53. de lichene herba, seu musco: Ὠφελεῖ δὲ καὶ ἰκτερικοὺς μετὰ μέλιτος διαχριόμενον· στόματος δὲ καὶ τῆς γλώττης ῥευματισμοὺς παρηγορεῖ. *Juvat & arquatos cum melle illitus: oris autem defluxionibus oris ac linguæ succurrit.* Ita etiam, ut ne quid dissimulem, scripsisse mihi Græcus auctor videtur, unde Pliniana hæc manarunt. Legisse tamen aliter Plinium haud obscure intelligas: ita nimirum: μετὰ μέλιτος διαχριόμενον στόματος τε καὶ τῆς γλώττης. Ῥευματισμοὺς παρηγορεῖ.

Sect. 11. VI. *Hyssopum cum vino decoctum.*] Emendant ex Chiffl. cod. *cum fico.* Sic etiam Reg. 2. At Reg. 1. Colb. & vulgati omnes, *cum vino.* Favet alter Plinius Valer. lib. 1. cap. 52. cui titulum fecit, *Anginæ medendo. Hyssopum quoque*, inquit, *cum vino decoctum gargarizetur.* Dioscorides tamen priorem lectionem adjuvat Chiffl. codicis, & Regii 2. Is enim lib. 3. cap. 30. Συνάγχαις δὲ ἀναγαργαριζόμενον μετὰ σύκων ἀφεψήματος ἀρήγει.

Sect. 15. VII. *Hyssopi quinque rami cum duobus rutæ, & ficis tribus decocti thoracem purgant.*] Pintianus ex suo codice legit, *& fici tribus*: ut sententia sit, quemadmodum hyssopi quinque, & rutæ duos, sic & fici ramos ternos requiri, quod falsum est. Ficus ipsas hic opus esse, nec sollicitandum Plinii contextum Marcellus Empiricus admonet, cap. 16. pag. 118. *Ficus siccæ tres*, inquit, *cum hyssopo modico, & parvo rutæ fasciculo, & quartario fonis Græci purgati, cum aquæ mulsæ sextario ad medias decoquuntur, & colantur: unde tres potiones per triduum tussi nimia laborantibus dantur: mirum remedium est.*

Sect. 21. VIII. *Peculiariter autem pulmonibus, & quos ab his phthisis tentat, radix herbæ consiliginis, quam nuper inventam diximus. Suum quidem & pecoris omnis remedium præsens est pulmonum vitiis, &c.*] Prius vitiosa interpunctione sic legebatur: *Peculiariter autem . . . phthisis tentat.* Ut ad verbenacam de qua proxime ante sermo erat, pertinere ista viderentur. Mox nos a instituta periodo, *Radix herbæ . . . . inventam diximus, suum quidem, &c.* At priora illa de phthisicis, ad consiliginem spectare, Plinius ipse libro superiore admonuit, sect. 48. ubi de consiligine: *Prodest*, inquit, *ut demonstrabimus suo loco, deploratis in phthisi*: hunc nimirum, quem nunc versamus, prospiciens locum.

Sect. 31. IX. *Pota tribus obolis sanguinis exscreationes cum amylo. Dysenterias, pota & infusa.*] Prius legebatur, vitiosa interpunctione, *sanguinis exscreationes. Cum amylo dysenterias*, &c. At licet alvum sistat amylum, ut dictum est lib. 22. sect. 67. tamen ad sanguinis exscreationes sæpius datur. Unde loco cit. Plinius: *Datur cum ovo his qui sanguinem rejecerint.* Et lib. 23. sect. 75. de amygdalis: *Sanguinem sistunt cum amylo*, ubi simile interpunctionis mendum, Dioscoridis admonitu, aliorumque, sustulimus.

Sect. 35. X. *Differentia, quod hic herbaceus est, alterius thymi albus.*] Ita libri omnes, etiam conditivi, manuque exarati, Reg. Colb. ceterique. Nec Salmasium moror, qui pag. 1288. in Solin. *helvaceus* rescribit, interpretaturque ex purpureo albicantem, nullo codice, nullo scriptore suffragante. Geminum epithymum, viride, albidumque agnoscit auctor libri de simp. med. ad Paternianum, tom. 13. operum Galeni, pag. 990. *Epithymum*, inquit, *est flos herbæ assimilis fetæ* (lego *satureia*) *subviridis . . . . Nam verus epithymi flos exalbidus est, & asper, & plurimum in Pamphylia invenitur.*

Ibid. XI. *Quidam hippophaon vocant*] Sic libri omnes, sic Index ipse. Rectius tamen videtur *hypophaon*, quod sub stœbe fortassis, quæ φλεὼς quoque appellatur, lib. 22. sect. 13. innasci solet. Aetius, lib. 3. cap. 29. pag. 103. Παρωνυμίας δὲ τῆς ὑποφύεσθαι τῷ ἐπὶ τῆς στοιβῆς φυομένου, &c. *Similis vis ei quoque est, qui stœbe adnascitur: item qui thymbra, ideo epithymbron dictum, &c.*

Sect. 36. XII. *Et panos discutit, &c.*] In libris editis, *Et capnos strumam discutit.* Quasi vero e proposito sit commemorare modo ex iis herbam aliquam, quæ nihil ad alvum medendam juvat, quo nunc in argumento uno habitare se professus est apertissime jam a sectione 28. In MS S. Reg. 1. *Et carostrum*: hoc tantum. In Reg. 2. *Et capnostrumu.* Cur vero *& panos discutit* amplexi sumus, ubi tam obscura vestigia sese offerunt sinceræ lectionis, ea causa Dioscorides fuit: cujus hæc plane gemina de pycnocomo sententia, lib. 4. cap. 76. Καὶ τὰ φύλλα δὲ καταπλασσόμενα, φύματα καὶ διαθέσεις διαφορεῖ.

Sect. 37. XIII. *Florem & semen non fert.*] Ita recte vetus codex Dalecampii. Prius legebatur, *Floret & semen non fert*, quod falsum. In Reg. 1. *Floret semen non infert.* Reg. 2. *Floret semen non fert.* Alii aliter. Theophr. lib. 9. hist. cap. 11. hoc tantum: Τὸ δὲ πολυπόδιον μετὰ τὰ ὕδατα ἀεὶ βλαστάνει, σπέρμα δὲ οὐ φέρει. *Filicula semper post imbres erumpit: semen autem non fert.*

Sect. 38. XIV. *Radix circa ortum Canis excavatur, ut in ipsam confluat succus.*] Ita emendavimus ex fide codicum Reg. Colb. Chiffl. cum prius *in ipsa* alii minus apposite scribendum censerent. Rem dilucide Dioscorides explicat, lib. 4. cap. 171. *Succus*, inquit, *legitur hunc in modum: Capite exempto radix ita cultro excavatur, ut excavato sensim a latere orbe in acetum desinat: proindeque in id cavum confluit succus, qui cochlea deinum excipitur.* Συλλέγεται δὲ ὁ ὀπὸς, κεφαλῆς ἀπὸ τῆς ῥίζης ἀφαιρουμένης, καὶ ἐκκοιλαινομένης τῆς ῥίζης εἰς κοιλότητα· συῤῥεῖ γὰρ εἰς αὐτὴν ὁ ὀπὸς, καὶ οὕτως ἀναλαμβάνεται εἰς μύακας.

Ibid. XV. *Tithymalus enim linguam excalfacit. Usus bimo, nec ante, nec postea utilis.*] Prius legebatur, *linguam excalfacit bulbi more, nec ante, nec postea utile.* Dalecampius emendabat, *Nec ante cibos, nec postea utile.* In Reg. 1. *Excalfacit. Vobmonetcauts. nec postea, &c.* At in Reg. 2. luculente ac perspicue, *usus bimo, nec ante, nec postea, &c.* quod & Pintianus in suo vidit. Sic ipse Plinius, lib. 27. sect. 55. *Usus radicis in trimatu tantum, neque antea, neque postea.*

Ibid. XVI. *Rubris, foetosis*] E nostra id emendatione, admonitu codicis Regii 2. in quo diserte sic scribitur: etsi in Reg. 1. librisque editis, *rugosis* legitur. Adstipulatur emendationi Diosc. lib. 4. cap. 165. *Tithymali characiæ caules*, inquit, *supra cubiti altitudinem attolluntur, rubri, acri lacteoque succo referti.* Τὰ δὲ χαρακίας καυλοὺς μὲν ὑπὲρ πῆχυν, ἐρυθρὸὺς, ὀπὸν δριμὺν καὶ λευκὸν μεστόν. Et Apuleius, cap. 108. *Characias . . . thyrsis ultra longitudinem cubitalem rubris, succo acrioris, &c.*

Ibid. XVII. *A radice foliis pene oleæ.*] Prius legebatur, *foliis*

pendulas: quod vel ipsa tithymali effigies coarguit. In Reg. 1. cod. *folio pendulo*. In Reg. 2. *pendeo*. In Parm. ceterisque omnibus usque ad Frobenium, *pendet*. Is *pendulis* maluit. Sed indubitatam esse nostram emendationem suo vestigio modo haud obscura veteris scripturæ, sed & Dioscorides ipse admonet in descriptione tithymali characiæ: *Folia*, inquit, *sunt circa ramulos oleaginis similia, sed longiora & angustiora*: φύλλα δὲ ἀμφὶ τὰς ῥάβδους ὅμοια ἐλαίᾳ, μακρότερα δὲ, καὶ στενότερα. Theophrasto etiam consentiente, lib. 9. hist. cap. 12. Τὸ μὲν φύλλον ἐλάᾳ δὲ ἔχει. Apuleius similiter, cap. 108. *Foliis olivæ similibus, paulo angustioribus, & longioribus*. Neque hi scriptores modo, sed & res ipsa, plantæque forma, quam sæpe sumus contemplati, favet.

Sect. 64. XVIII. *Succus hyoscyami cum farina, vel semen*] Scribit Dalecampius in ora editionis suæ, ex codicis vetusti nescio cujus auctoritate, *cum farina seminis*. Ex interpolatoris id cujuspiam officina est. Vulgatæ lectioni MSS codices, Plinio ipsi Dioscorides suffragatur, lib. 4. cap. 29. de succo hyoscyami. [illegible] .... [illegible]

Sect. 66. XIX. *Vettonicam nervis, ... potam in jocinere*.] Ita libri editi, & Reg. 2. recte. In quibusdam aliis, *positam*, perperam. Etsi ex iis Dalecampius fortassis *impositam* scribi satius esse conjiciat. Cum vero eumdem Vettonicæ sumendæ modum in hisce morborum generibus præfiniat, quem in jocinere sanando adhibuit sect. 19 ibique cyathis tribus bibendum admoneat, quin & *potam* quoque hic legi oporteat, dubium esse nemini potest.

Sect. 70. XX. *Sanat & archezostis, sed anno pota*] In libris vulgatis, *sed cum unnumero pota*. Interpolatoris id manu insertum, non ipsius auctoris. In Reg. 2. *sed anno*. Favet Dioscorides, lib. 4. cap. 184. de vite alba: [illegible] *Bibitur ad morbum comitialem drachmæ pondere quotidie anno toto*. Vidit e suo codice hoc mendum etiam Pintianus.

Sect. 74. XXI. *Siccatur in asses, ut cucumis*.] Prius legebatur, *Siccatur in aere, ut cucumis*. In Reg. 1. *Siccatur in lasses*. Reg. 2. *Siccatur in asses*. Chiffl. *in arses*. Nostram emendationem, non ipsa modo loci sententia, usque ipsa constabilit, sed & Theophrastus, qui eadem tradit, lib. 9. hist. cap. 10. Τέμνειν δὲ τρογγύλας, inquit, ὥσπερ ῥαφανίδα· [illegible] *Siccant mandragoræ orbiculos, sicuti raphanos, & involutos musto in fumo suspendunt*.

Sect. 75. XXII. *Folia ephemeri tuberibus, tumoribusque illinuntur*.] Ita libri omnes vulgati, conditivique, quos quidem vidi. Dalecampius ex nescio quo vetere exemplari legit, *uberum tumoribus*. Frustra, non libris modo refragantibus, & ipso Dioscoride, apud quem hæc verbis totidem omnino exstant, lib. 4. cap. 58. Τὰ δὲ φύλλα ἐν οἴνῳ ἑψηθέντα [illegible]

Sect. 76. XXIII. *Sed celerrime quinquefolii succus medetur tribus cyathis potus cum sale & melle*] Postrema hæc verba, *cum sale & melle*, negat Pintianus in suo exemplari legi: nec sane leguntur in Reg. 2. At Reg. 1 multo vetustior ea plane exhibet, ut adeo expungere ea religio fuerit. Dioscoridem lib. 4. cap. 42. scripsisse scio in hunc modum: [illegible] *Celeriter quoque regio morbo medetur foliorum succus, tribus cyathis aliquot diebus epotus. Eadem cum sale & melle imposita, tam vulneribus quam fistulis remedio sunt*. An igitur apud scriptorem Græcum, ex quo Plinius hausit, cum hasce conjunctas cerneret medicinas, temere is ex subsequente ad superiorem sal melque transvexerit, an ad ipsam ea reapse pertineant, aliis æstimandum relinquo. Translata temere ab eo esse vix adducor ut credam: cum ea ipsa rursum adhibeat sect. seq. ad sanandas fistulas: rursumque sect. 87. ad hulcera vetera: quos in usus & a Dioscoride hic adsciscuntur.

Sect. 80. XXIV. *Ambusta sanantur plantagine, arctio*] Sic sane restituendus hic locus fuit, ex MSS Reg. Colb. aliorumque fide, Parmensisque, ac ceterarum editionum, ante Frobenium, quo auctore *arcio* legimus in libris deinceps vulgatis. At aliud arcion, aliud arction est. Neque arcio sive personatæ hanc vim ambusta sanandi Dioscorides attribuit: arctio plane adjudicat, lib. 4. cap. 106. [illegible] *Ambusta perniones que eo foventur*. Geminat errorem Apuleius, cap. 36. tit. 7. cum ne ad persolatam quidem, sed ad personaciam, quæ alia est, hoc medicamentum refert.

Sect. 82. XXV. *Clymenus vero, si ore sanguis, &c.*] Hanc emendationem debemus Regio 2. codici, in quo diserte *Clymenus* legitur: cum in libris hactenus editis legatur, *cyclaminos*. In Reg. 1. *cyclemenus*. De cyclamino sane ea quæ hic commemorantur, affirmari vere nequeunt: de clymeno Dioscorides affirmavit, libro 4. cap. 13. [illegible] &c. *Ad sanguinis rejectionem clymeni succus in potu est efficax, itemque ad cœliacorum profluvia, rubentemque fluorem muliebrem, &c.*

Sect. 87. XXVI. *Vulneribus, est ea factum Lycium*.] Ita libri omnes constantissime. Nugantur, qui vel *collyrium* hoc loco, ut Gasp. Hofmannus, lib. 4. Var. sect. cap. 27. vel quod haud paulo insulsius est, *lucinium* substituunt, exemplaribus omnibus invitis, ipsoque adeo scriptore Plinio: cujus sententia verbis Græci auctoris egregie constabilitur. Dioscoridem dico, lib. 3. cap. 3. de Gentiana: [illegible] &c. *Imposita, ut Lycium, vulneraria est, & cuniculatim depascentibus hulceribus medetur*.

Ibid. XXVII. *Ut squamam ossibus extrahat*.] Prius *sanem* legebatur. *Squamam* restituimus ex codd. Reg. Colb. & Chiffl. atque adeo ex ipso Dioscoride, lib. 3. cap. 92. de peucedani radice: [illegible] *Arida trita sordida purgat hulcera, ossium squamas extrahit, veteraque hulcera cicatrice obducit*. Vidit hoc & in suo codice ante nos Pintianus.

Ibid. XXVIII. *Efferantur sese hulcera*.] Hactenus *efferentia* libri omnes exhibent. Sed *efferantur* satius visum est: tum quod hac voce & alibi Plinius usus, lib. 8. sect. 77 de suibus: *Verum efferantur*: Græci dicerent, θηριοῦνται. Est enim θηρίωσις efferatio: tum quod exprimi ea felicius arbitrati sumus id quod Græci θηριώδη ἕλκη appellant. Diosc. libro 4. cap. 118. de hac ipsa onothera agens, in nunc sumus: [illegible]

Sect. 90. XXIX. *Menses albos*.] Ita rescripsimus admoniti codicis Reg. 2. maxime vero ex re ipsa. In Reg. 1. *menses alvos*. In editis hactenus libris insulse, *menses alvosque*. Quid sint menses albi, diximus abunde in Notis prioribus.

Ibid. XXX. *Nimio rursus profluvia sistit semen cum vivo sulphure*.] Ita plane Reg. 2. & Colb. Interpolatorum manu id confictum, quod libri vulgati præ se ferunt, *cum vino & sulphure*. Vinum abdicat Diosc. lib. 4. cap. 76. de mandragora; vivum sulphur adsciscit. Τὸ δὲ σπέρμα τῶν μήλων .... [illegible] Occupavit & hoc Pintianus e suo codice.

Ibid. XXXI. *Contra facit batrachion ... urdens alvos*.] Prius legebatur, *Alvi profluvia sistit & contrahit batrachion*. Emendationem debemus Regio 2. codici, & Pintiani pariter exemplari. Et sane ita loci sententia postulat: Mirum enim id esse Plinius innuit, tam diversas tamque dissimiles in herba una eademque dotes reperiri, ut cruda quidem causticam vim, atque adeo spissantem, seu adstringentem obtineat: cocta contra, vel in cibo ac potu præbita, contrariam, hoc est, mollientem, μαλακτικήν.

Ibid. XXXII. *Item radix e geranio ..... inflationibusque vulvarum*.] Non codicum modo primitivorum fidem, Reg. Colb. Chiffl. sed & Dioscoridis auctoritatem amplexi, *inflationibus* scripsimus, pro *inflammationibus*. Sic enim ille, lib. 3. cap. 131 de geranio: [illegible] *Drachmæ pondere in vino pota vulvæ inflationes discutit*.

Ibid. XXXIII. *Polygonus pota menses ciet, & althææ radix*.] Ita profecto libri omnes, tum vulgati, tum conditivi. Et de althæa quidem, cieri ea menstrua, tum usus edocet quotidianus, tum etiam Dioscor. lib. 3. cap. 163. At vero polygonon adstringentis esse facultatis, mensesque ea sisti clamant omnes, post Diosc. lib. 4. cap. 4. & 5. Quamobrem considerandum amplius num ita legi hic oporteat: *Polygonus pota menses sistit, ciet althææ radix*. quod incuria amanuensium excidisse vox ea *sistit* videtur.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXVII.

I. CAP. I.

CRESCIT profecto apud me certe tractatu ipso admiratio antiquitatis: quantoque major copia herbarum dicenda restat, tanto magis adorare priscorum in inveniendo curam, in tradendo benignitatem subit. Nec dubie superata hoc modo posset videri etiam rerum Naturæ ipsius munificentia, si humani operis esset inventio. Nunc vero deorum fuisse eam apparet, aut certe divinum, etiam cum homo inveniret: eamdemque omnium parentem & genuisse hæc, & ostendisse, nullo vitæ miraculo majore, si verum fateri volumus. Scythicam herbam a Mæotis paludibus, & euphorbiam e monte Atlante ultraque Herculis columnas: [1] & ipso rerum naturæ defectu, parte alia Britannicam ex Oceani insulis extra terras positis, itemque Æthiopidem ab exusto sideribus axe: alias præterea aliunde ultro citroque humanæ saluti in toto orbe portari, immensa Romanæ pacis majestate, non homines modo diversis inter se terris gentibusque, verum etiam montes & excedentia in nubes juga, partusque eorum & herbas quoque invicem ostentante. Æternum, quæso, Deorum sit munus istud. Adeo Romanos, velut alteram lucem, dedisse rebus humanis videntur.

II. CAP. II. Sed antiquorum curam diligentiamque quis possit satis venerari, cum constet omnium venenorum ocyssimum esse aconitum: [1] & tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem? Hoc fuit venenum, quo interemptas [2] dormientes a [3] Calpurnio Bestia uxores [4] M. Cæcilius accusator objecit. Hinc illa atrox peroratio ejus [5] in digitum. [6] Ortum fabulæ narravere, e spumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi monstratur is [7] ad inferos aditus, gigni. Hoc quoque tamen in usus humanæ salutis vertêre: scorpionum ictibus adversari, experiendo datum in vino calido. Ea est natura ut hominem occidat, nisi invenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, velut pari intus invento. Sola hæc pugna est, cum venenum in visceribus reperit: mirumque, exitialia per se ambo cum sint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo supersit. Immo vero etiam ferarum remedia antiqui prodiderunt, demonstrando quomodo venenata quoque ipsa sanarentur. [8] Torpescunt scorpiones aconiti tactu, stupentque pallentes, & vinci se confitentur. [9] Auxiliatur his elleborum album, tactu resolvente: ceditque aconitum [10] duobus malis, suo & omnium. Quæ si quis ullo forte ab homine excogitari potuisse credit, ingrate Deorum munera intelligit. [11] Tangunt carnes aconito, necantque gustatu earum pantheras: nisi hoc fieret, repleturas [12] illos situs. [13] Ob id quidam pardalianches appellavere. [14] At illas sta-

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Et ipso.*] Et ubi ipsa rerum natura deficit.

Sect. II. 1. *Et tactis quoque.*] Hoc ante jam attigit, lib 25. sect. 75. Appellationis θηλυφόνου causa hæc est, ut mox dicetur. Tradit hoc idem Theophr. lib 9. hist. cap 19.

2. *Dormientes*] Habent hanc vocem codices Reg. 1. 2. A ceteris plerisque abest.

3. *Calpurnio Bestia.*] Socius hic fuit conjurationis Catilinianæ Meminit ejus Sallustius.

4. *M. Cæcilius.*] M. Cæcilius Rufus orator, a Plinio jam memoratus, libro VII sect 1.

5. *In digitum.*] In eum Calpurnii digitum, quo uxorum suarum τὰ αἰδοῖα tetigerat, & sic interemerat. Vide Notas & Emend. num. I.

6. *Ortum fabulæ.*] Nempe venenum. Hanc fabulam & Dionysius Perieg refert in descript orbis, vers. 788. & Nicander in Alexiph. statim initio.

7. *Ad inferos aditus.*] Plinius, lib 6 sect. 1. *Portus Acone, veneno aconito dirus: specus Acherusia.* Fodinæ metallicæ os, opinor: cum Cerberus non alius fuisse videatur, quam subterraneus locus, ubi triplex metallum, ex quo pecunia conficitur: uti ex Homeri Odyssea conjicimus.

8. *Torpescunt.*] Et hoc superius indicatum lib. 25. sect 75. Adnotavit etiam Diosc. lib 4. cap 77.

9. *Auxiliatur eis.*] Plinius, lib. 25. sect. 75.

10. *Duobus malis.*] Elleboro & scorpioni: est enim elleborum aconiti peculiare malum: scorpio, commune omnium.

11. *Tangunt carnes*] Transcripsit hæc Solinus a Plinio, cap. 17. pag. 37. & 38. Refert quoque Dioscor. lib. 4. cap. 77.

12. *Illos situs.*] Illas regiones.

13. *Ob id quidem*] Solinus, loc. cit Nicander in Alexiph. pag. 131. iisdem ferme verbis. Παρδαλιαγχὲς igitur, ἀπὸ τοῦ παρδάλεις ἄγχειν, quod pantheras enecet, aconitum appellavere.

14. *At illas.*] Solinus, loc. cit. Vide quæ in eam rem

tim liberari morte, excrementorum hominis gustu, demonstratum. Quod certe casu repertum quis dubiter? & quoties fiat etiam nunc ut novum nasci? [15] quoniam feris ratio & usus inter se tradi non possit. * Hic ergo casus, hic est ille, qui plurima in vita invenit Deus. Hoc habet nomen, per quem intelligitur eadem & parens rerum omnium & magistra Natura, utraque conjectura pari, sive ista quotidie feras invenire, sive semper scire judicemus. Pudendumque rursus, omnia animalia, quæ sint salutaria ipsis, nosse, præter hominem. Sed majores [16] oculorum quoque medicamentis aconitum misceri saluberrime promulgavere: aperta professione, malum quidem nullum esse sine aliquo bono. Fas ergo nobis erit, qui nulla diximus venena, monstrare quale sit aconitum, vel deprehendendi gratia. [17] Folia habet cyclamini aut cucumeris, non plura quatuor, ab radice [18] leniter hirsuta. [19] Radicem modicam cammaro similem marino. [20] Quare quidam cammaron appellavere, alii thelyphonon, [21] ex qua diximus causa. [22] Radix incurvatur paulum scorpionum modo, quare & scorpion aliqui appellavere. [23] Nec defuere, qui myoctonon appellare mallent, quoniam procul & e longinquo odore mures necat. [24] Nascitur in nudis cautibus, quas aconas nominant. Et ideo aconitum aliqui dixere, nullo juxta, ne pulvere quidem nutriente. Hanc aliqui rationem nominis attulere. Alii quoniam vis eadem in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiretur.

* Cap. III.

Cap. IV. III. [1] Æthiopis folia habet phlomo similia, magna & multa, & hirsuta ab radice. [2] Caulem quadrangulum, scabium, similem arctio, multis concavum alis: [3] semen ervo simile, candidum, geminum: radices numerosas, longas, plenas, molles, glutinosas gustu. Siccæ nigrescunt, duranturque, ut cornua videri possint. [4] Præter Æthiopiam nascuntur, & in Ida monte Troadis, & in Messenia. Colliguntur autumno, siccantur in Sole aliquot diebus, ne situm sentiant. [5] Medentur vulvis potæ in vino albo, ischiadicis, pleuriticis, faucibus scabris, decoctæ potu dantur. Sed quæ ex Æthiopia venit, eximia est, atque illico prodest.

IV. [1] Ageraton ferulacea est, [2] duorum palmorum altitudine, origano similis, [3] flore bullis aureis. [4] Hujus ustæ nidor urinam ciet, vulvasque purgat, [5] tanto magis insidentibus. [6] Causa nominis, quoniam diutissime non marcescit.

Notæ.

diximus lib. 8. sect. 41.

15. *Quoniam feris.*] Quoniam feræ rationem & usum earum rerum, quas agunt, tradere invicem aliæ aliis non possunt. Hic homini illi vehementer succenseo, qui capiti tertio, quod sequitur, hunc titulum velut argumentum præfixerat: *Quod omnium rerum conditor sit Deus*: cum Plinius hoc loco, ut passim, ἀθεΐζων, non alium agnoscat Deum, præter Naturam rerum.

16. *Oculorum.*] Dioscor. lib. 4. cap. 77. de aconito: *Μίγνυται δὲ καὶ ὀφθαλμικοῖς ἀνωδύνοις δυνάμεσι. Miscetur & oculorum medicamentis doloris levandi vi præditis.*

17. *Folia habet.*] Totidem notis ac verbis deliniatur a Dioscor. loc. cit. & auctore libri de simpl. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 985. Pingitur a Dodonæo, pag. 434. Gallis, *Aconit.* Genera amplius sedecim ab eodem picta vidimus in horto Regio.

18. *Leniter hirsuta*] Tenui lanugine pubescentia: quod & nos tractando novimus.

19. *Radicem, ... cammaro.*] Scorpioni caudæ, *ῥίζαν ὁμοίαν σκορπίου οὐρᾷ* dixit Diosc. loc. cit. Plinius magis caute, a re potius nota, cammaro scilicet, sive cancro, potius quam a scorpione ignota, similitudinem traxit.

20. *Quare quidam.*] Galenus unus, & Erotianus, qui κάμμαρον vocitarint: ceteri κάμμορον dicunt. Diosc. lib. 4. cap. 77. Ἀκόνιτον, οἱ δὲ παρδαλιαγχὲς, οἱ δὲ κάμμορον, οἱ δὲ θηλυφόνον, οἱ δὲ μυοκτόνον, οἱ δὲ θηρεοφόνον. Nicander in Alexiph. pag. 131.

Πολλάκι θηλυφόνον τε καὶ κάμμορον.

Κάμμορον quasi κακόμορον, *mortiferum*: vel, ut ait Schol. Nicandri, pag. 53 παρὰ μόρον ἀναφορεῖν. At Galenus in Explic. vocum Hippocr. pag. 92. tom. 2. Κάμμαρον, τό τε τῇ θαλάσσῃ καρκίνῳ ἐοικὸς ζῶον, καὶ ἔτι τὸ πρὸς τοῦτο τὴν ῥίζαν ὁμοιότητος τὸ ἀκόνιτον. Erotianus in Onomast. vocum Hippocr. tom. 2. operum Galeni, pag. 122. Διοσκουρίδης ... φησι τὸ ἀκόνιτον εἰρῆσθαι ὑπό τινων κάμμαρον, ὡς θηλυφόνον.

21. *Ex qua diximus causa.*] Paulo ante, *quod tactis genitalibus feminini sexus animalium, eodem die inferat mortem.*

22. *Radix*] Diosc. & Galenus, proxime citati.

23. *Nec defuere.*] Diosc. & Nicander, locis citatis.

24. *Nascitur in.*] Nicander in Alexiph. pag. 131.

Ἐν δ' ἀκοναίοις
Θηλύνει ἀκόνιτον ἀειβλάστητον ὀρόγκοις.

Hoc est, Gorræo interprete,

Duris in cautibus, altos
Per montes nascuntur, & hinc aconita vocamus.

Nicandrum sequitur Ovidius, lib. 7. Metam. vers. 419.

Aconitum illi dici voluere, quod in locis nasceretur quæ ne pulverem quidem nutriendæ plantæ suppeditarent. Ἀκόνιτος Græci dicunt, quod sine pulvere est. Hesychius: Ἀκονιτί ... χωρὶς κόνεως. Alii ἀπὸ τῆς ἀκόνης deducunt, quæ vox cautes sonat. Alii, ut Theopompus Chius, lib. 38. historiæ suæ apud Athen. lib. 3. pag. 85. ab Aconis, qui locus est Heracleæ Ponticæ proximus, ὡς τόπου Ἀκόναις καλουμένου, ὅ ἐστι περὶ τὴν Ἡράκλειαν. Diximus de eo in Geographicis.

Sect. III. *Æthiopis.*] Totidem verbis ea a Dioscor. describitur, lib. 4. cap. 105. Αἰθιοπὶς ἡ αὐτὴ παραπλήσια φλόμῳ ἔχει τὰ φύλλα, δασέα δὲ λίαν, καὶ πυκνὰ, ἀνάλογα περὶ τὴν πυθμένα τῆς ῥίζης, &c. *Æthiopis folia etiam habet verbasco similia, per quam hirsuta, densaque, circa imam radicem orbem efficientia*, &c. Vidimus in horto Regio, qualem a Dodonæo pingitur, pag. 148.

2. *Caulem ... similem arctio.*] Vide Notas & Emendat. num. II

3. *Semen ... geminum*] In singulis conceptaculis sunt bina semina, inquit Dioscor. loc. cit. Καρπὸν δὲ περὶ μέγεθος ὀρόβου ἀνὰ δύο ἐν ἑνὶ ἀγγείῳ.

4. *Præter Æthiopiam.*] In Æthiopia nasci Æthiopidem ex Democrito superius indicavit, lib. 24. sect 102. sed dotis illam singularis, & faciet forte diversæ: ejusdemque solum nominis

5. *Medentur.*] Diosc. loc. cit. Ταύτης ἡ ῥίζα ἑψομένη καὶ ποθεῖσα βοηθεῖ ἰσχιαδικοῖς, πλευριτικοῖς, αἵματος πτύσει, καὶ ἀρτηρίας τραχύτητι, &c.

Sect. IV. 1. *Ageraton.*] Diosc. lib. 4. cap. 59. Ἀγήρατον, &c. iisdem enim designatur notis, ut & ab Oribasio, lib. xi fol. 186 Nunc in officinis Eupatorium Mesues, & Herba Julia appellatur. Pingitur a Joan. Bauhino, tom. 3. lib. 26. pag 146 & a Matthiolo, pag. 1050. qualem vidimus in horto Regio.

2. *Duorum palmorum.*] Sic Oribasius, ex quo Dioscor. corrigas, qui σπιθαμιαῖον tantum dicit.

3. *Flore.*] Diosc. Σκιάδιον ἔχει, ἐφ' οὗ ἄνθος πομφολυγῶδες, χρυσοειδές. *Umbellam gerit, in qua flos quasi aureis bullis emicat.*

4. *Hujus ustæ*] Diosc loc. cit.

5. *Tanto magis.*] Multo magis, si feminæ in ejus decocto insideant.

6. *Causa nominis.*] Ἀγήρατον, quasi non senescens. Diosc. Ὠνόμασται δὲ ἀγήρατον, διὰ τὸ ἐπιπολὺ τὸ ἄνθος τηρούμενον φυλάττειν, *quoniam flos diutissime in sua coloris specie conservatur.*

V. [1] Aloë scillæ similitudinem habet, major, & pinguioribus foliis, [2] ex obliquo striata. [3] Caulis ejus tener est, rubens medius, non dissimilis antherico: radice una, ceu palo, in terram demissa: gravi odore, gustu amara. [4] Laudatissima ex India affertur, sed nascitur & in Asia: non tamen ea utuntur, nisi ad vulnera recentibus foliis: mirifice enim conglutinat, [5] vel succo. [6] Ob id in turbinibus cadorum eam serunt, ut aizoum majus. Quidam & caulem ante maturitatem seminis incidunt succi gratia, aliqui & folia. Invenitur & per se lacryma adhærens. Ergo pavimentandum, ubi sata sit, censent, ut lacryma non absorbeatur. [7] Fuere, qui traderent in Judæa super Hierosolyma metallicam ejus naturam: sed nulla magis improba est, neque alia nigrior est, aut humidior. [8] Erit ergo optima pinguis ac nitida, rufi coloris, friabilis, ac jocineris modo coacta, facile liquescens. Improbanda nigra & dura, arenosa quoque, quæ & gustu intelligitur. Gummi adulteratur, & acacia. [9] Natura ejus spissare, densare, & leniter calfacere: usus in multis, [10] sed principalis alvum solvere, eum pæne sola medicamentorum, quæ id præstant, confirmet etiam stomachum, adeo non infestet ulla vi contraria. Bibitur drachma: [11] ad stomachi vero dissolutionem, in duobus cyathis aquæ tepidæ vel frigidæ, cochlearis mensura, bis terve in die ex intervallis, ut res exigit. Purgationis etiam causa plurimum tribus drachmis. Efficacior si pota ea sumatur cibus. [12] Capillum fluentem continet cum vino austero, capite in Sole contra capillum perunсto. [13] Dolorem capitis sedat temporibus & fronti imposita ex aceto & rosaceo, [14] dilutiorque infusa. [15] Oculorum vitia omnia sanari ea convenit: privatim prurigines & scabiem genarum: [16] item insignita ac livida, illita cum melle, maxime Pontico. [17] Tonsillas, gingivas, & omnia oris hulcera. [18] Sanguinis exscreationes si modicæ sint, drachma ex aqua: si minus, ex aceto pota. [19] Vulnerum quoque sanguinem, & undecumque fluentem sistit per se vel ex aceto. [20] Alias etiam est vulneribus utilissima, ad cicatricem perducens. [21] Eadem inspergitur exhulceratis genitalibus virorum, condylomatis, rimisque sedis alias ex vino, alias ex passo, alias sicca per se, ut exigit mitiganda euratio, aut coercenda. [22] Hæmorrhoidum quoque abundantiam leniter sistit. Dysenteriæ infunditur. Et si difficilius concoquantur cibi, bibitur a cœna modico intervallo. Et in regio morbo tribus obolis ex aqua. Devorantur & pilulæ [23] cum melle decocto, aut resina terebinthina, ad purganda interiora. Digitorum pterygia tollit. Oculorum medicamentis lavatur, ut quod sit arenosissimum subsidat. Aut torretur in testa, pennaque subinde versatur, ut possit æqualiter torreri.

VI. [1] Alcea folia habet similia verbenacæ, [2] quæ aristereon cognominatur, caules tres aut quatuor, foliorum plenos, florem rosæ, radices albas, cum plurimum sex, cu-

NOTÆ.

Sect. V. 1. Aloë.] Diosc. lib. 3. cap. 25. Ἀλόη φύλλον ἔχει σκίλλῃ παραπλήσιον, &c. Sunt enim reliqua similia. Officinis, Aloe vulgaris: Aloe in Socotora insula, part. 2. Ind. Orient. cap. 6. Gallis, *Aloes*, & *Perroquet*, quod folia habet psittaci pennis similia. Floruit in horto Regio annis 1663. & 1664. Pingitur a Joan. Bauhino, tom. 3. pag. 696. qualem vidimus. Item a Lobelio in Observ. pag. 202. In Stœchadibus insulis luxuriose prodire, & a vulgo sempervivam Marinam vocari, tritamque imponi omnigenis hulceribus, vulneribusque, prodidit Petr. Quiqueranus, lib. 2. de laud. Prov. fol. 59.

2. *Ex obliquo.*] Foliorum lateribus ex obliquo lancinatis, ac veluti striatis.

3. *Caulis ejus.* &c.] Ad verbum, Diosc. loc. cit. & Oribas. lib. 11. fol. 188.

4. *Laudatissima.*] Totidem verbis Dioscor. & Oribas. locis cit.

5. *Vel succo.*] Si vel expresso e foliis tritis succo illinatur, λεία προσαπλασσομένη, inquit Diosc. loc. cit.

6. *Ob id in turbinibus.*] In cadis seu vasculis in turbinem ima parte desinentibus.

7. *Fuere.*] Fossilem in Judæa aloën reperiri a Sextio Nigro proditum auctor est Diosc. in præf. pag. 2. Auctor libri simpl. med. tom. 13. operum Galeni, pag. 984. *Aliqui dicunt*, inquit, *de petris eam collectam in Judæa & Asia, atque in Indiæ.*

8. *Erit ergo.*] Quæ reliqua deinceps sectione de aloe memorantur, ea totidem fere verbis habet Dioscor. loco citato.

9. *Natura ejus spissare.*] Hoc est, adstringere. Diosc. Δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικήν, ξηραντικήν, πυκνωτικὴν τῶν σωμάτων, κοιλίας τε λυτικὴν, καὶ στομάχου διακαθαρτικήν, &c.

10. *Sed principalis.*] Celsus, lib. 2. cap. 18. *Dejectionem antiqui variis medicamentis, crebraque alvi ductione, in omnibus fere morbis moliebantur. . . . Sed medicamenta stomachum fere lædunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est.* Scribonius Largus, Compos. 137. *Bene purgat & hæc compositio. Aloës, victoriati pondus: Colophonia* (hoc est, scammoniæ) *victoriati pondus: una teruntur: adjicitur mellis quod satis est ad colligenda ea. Datur ex aqua calida vel frigida cyathis quatuor. Hoc medicamentum stomachum non corrumpit.*

11. *Ad stomachi.*] Hoc est, ad subversionem stomachi, quam Diosc. ἀνατροπὴν στομάχου vocat, cum scilicet in vomitiones effunditur. Sic intellexit scilicet Marcellus Empir. lib. de Medicam. cap. 17. pag. 125. *His*, inquit, *qui cibum non continent, aloes minimum, cum frigida aqua potui datum, plurimum prodest.* Celsus, lib. 4. cap. 5. *Vulgatissimum vero, pessimumque stomachi vitium est resolutio: id est, cum cibi non tenax est: soletque desinere ali corpus, ac sic tabe consumi*, &c.

12. *Capillum.*] Diosc. loc. cit.

13. *Dolorem.*] Diosc. loc. cit.

14. *Dilutiorque infusa.*] Ex alto instillata.

15. *Oculorum.*] Dioscor. loco citato: ψωροφθαλμίας τε καὶ κανθῶν κνησμοὺς παρηγορεῖ. *Scabras lippitudines, seu scabritiem palpebrarum, angulorumque in oculis pruriginem mitigat.*

16. *Item insignita.*] Hoc est, sugillata, partes percussionibus contusas insigniter, lividasque Dioscor. Τὰ πελιώματα καὶ ὑπώπια σὺν μέλιτι. Eodem sensu *insignitas injurias* Gellius vocat, lib. 10. cap. 3. *plagas, verbera, vibices*, aliasque carnificinas.

17. *Tonsillas*, &c.] Diosc. loc. cit.

18. *Sanguinis.*] Diosc. loc. cit.

19. *Vulnerum.*] Diosc. loc. cit.

20. *Alias etiam.*] Dioscor. loc. cit. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 153.

21. *Eadem inspergitur.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 33. pag. 230.

22. *Hæmorrhoidum.*] Diosc. loco citato, non istud modo, sed & cetera medicamenta totidem verbis definit.

23. *Cum melle decocto.*] Ita MSS. Reg. & Colb. non *cum mellis decocto*. Diosc. loc. cit. μετὰ μέλιτος ἑφθοῦ, *cum melle decocto.*

Sect. VI. 1. Alcea.] Diosc. lib. 3. cap. 164. totidem plane verbis: Ἀλκέα καὶ αὐτὴ εἶδος ἐστιν ἀγρίας μαλάχης, ἔχουσα φύλλα ἐπεσχισμένα ὥσπερ τὰ τῆς ἱερᾶς βοτάνης, &c. Vulgaris alcea pingitur a Lobelio in Observ. 374. Vidimus in horto Regio. In Italia Dalmatiaque, passim reperiri ait Anguillara, par. 12. pag. 223. carere autem vulgari nomine.

2. *Quæ aristereon.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colb. Chiffl. Etsi in editis, *peristereon*. Nam & ἀριστερεῶνα dictam esse ver-

bitales, [1] obliquas. Nascitur in pingui solo, nec sicco. [4] Usus radicis ex vino vel ex aqua dysentericis, alvo citæ: & ruptis convulsis.

VII. Alypon cauliculus est molli capite, non dissimilis betæ, acre gustatu ac lentum, mordensque vehementer & accendens. Alvum solvit in aqua mulsa, addito sale modico.
5 Minima potio duarum drachmarum, media quatuor, maxima sex: [2] ea purgatione quibus datur e gallinaceo jure.

VIII. [1] Alsine quam quidam myosoton appellant, nascitur in lucis, [2] unde & alsine dicta est. Incipit a media hieme, arescit æstate media: cum prorepit, musculorum aures imitatur foliis. [3] Sed aliam docebimus esse, quæ justius myosotis vocetur. [4] Hæc ea-
10 dem erat quæ helxine, nisi minor minusque hirsuta esset. Nascitur in hortis, & maxime in parietibus. [5] Cum teritur, odorem cucumeris reddit. [6] Usus ejus ad collectiones inflammationesque: & in eadem omnia quæ helxine, sed infirmius. [7] Epiphoris peculiariter imponitur: item verendis, hulceribusque cum farina hordeacea. [8] Succus ejus auribus infunditur.

15 IX. [1] Androsaces herba est alba, amara, sine foliis, [2] folliculos in cirris habens, & in his semen: nascitur in maritimis Syriæ maxime. [3] Datur hydropicis drachmis duabus tusa aut decocta in aqua, vel aceto, vel vino. Vehementer enim urinas ciet. Datur & podagricis illiniturque. Idem effectus & seminis.

X. [1] Androsæmon, sive (ut alii appellavere) ascyron, non absimile est hyperico,
20 [2] de qua diximus, cauliculis majoribus, densioribusque, & magis rubentibus. [3] Folia alba rutæ figura: semen papaveris nigri. [4] Comæ tritæ sanguineo succo manant. [5] Odor eis resinosus. Gignitur in vineis. Fere medio autumno effoditur, suspenditurque. Usus ad purgandam alvum tusæ cum semine, potæque matutino, vel a cœna, duabus drachmis in aqua mulsa, vel vino, vel aqua pura, totius potionis sextario. [6] Trahit bilem: [7] pro-
25 dest ischiadi maxime. Sed postera die cum capparis radicem resinæ permixtam devorare oportet drachmæ pondere, iterumque quatridui intervallo eadem facere: [8] a purgatione autem ipsa robustiores vinum bibere, infirmiores aquam. Imponitur & podagris, [9] & ambustis, & vulneribus, cohibens sanguinem.

XI. [1] Ambrosia vagi nominis est, & circa alias herbas fluctuati: [2] unam habet certam,
30 densam, ramosam, tenuem, trium fere palmorum, [3] tertia parte radice breviore, foliis rutæ circa imum caulem. Io ramulis semen est uvis dependentibus, odore vinoso: [4] qua

NOTÆ.

benacam, ex Pausania monet Eustathius in Odyss. χ sub finem, pag. 1935 vers. 5. neque modo hoc loco Plinii codices, sed & lib 25. sect. 59. *arsteron* præ se ferunt. Quod & Apuleius secutus, cap. 3. *Græci*, inquit, *hieran botanen*, ... *alii arsteron*.

3. *Obliquas.*] Sic recte Plinius πλαγίας ex scriptore aliquo transtulit: etsi πλατείας scripsit Dioscorides. Verius multo Plinius, uti vel ipsa plantæ effigies comprobat.

4. *Usus radicis.*] Sic Dioscor. loc. cit. & eum secutus Ægineta.

Sect. VII. *Alypon.*] Non ita adumbratur a Dioscor. lib. 4. cap. 180. Ἄλυπον, nec quidquam fere præter cognationem nominis, vimque alvum solvendi, commune inter se habent. Nullam vero plantam nostra novit ætas, quæ cum alterutro, sive Plinii, sive Dioscoridis alypo congruat.

2. *Ea purgatione.*] Commodius ita legi Pintianus censebat: *Ea purgatio est quibusdam e gallinaceo jure*: eadem sententia.

Sect. VIII. *Alsine.*] Dioscor. lib. 4. cap. 89. Ἀλσίνη, οἱ δὲ μυὸς ὦτα, ὅτι ἔχει φύλλα ὁμοιούμενα μυὸς ὠσί· ἀλσίνη δὲ διὰ τὸ σκιερὰ καὶ ἀλσώδη φιλεῖν τόπον. Est alsine minima Dodonæi, pag 30. plebi dicta Morsus Gallinæ, quod ea sit gallinis & aviculis pabulo grata, Gallis, *du Mouron*. In horto Regio. Italis, *Centocchio*, *Pavarino*, *Galinella*, apud Anguillaram, par. 14. pag. 275.

2. *Unde & alsine*] Ἄλσος Græcis, nemus, lucus, saltus, hortus.

3. *Sed aliam.*] Infra, sect. 80.

4. *Hæc eadem.*] Diosc. loc. cit. Πόα ἐστὶν ὁμοία ἑλξίνῃ, μικροτέρα δὲ καὶ οὐ δασεῖα. Sic & Oribas. lib. 11. pag. 188. & Galenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 154.

5. *Cum teritur.*] Dioscor. & Oribas. locis cit.

6. *Usus ejus*, &c.] Totidem hæc verbis Diosc. loc. cit.

7. *Epiphoris.*] Hoc est, oculorum inflammationibus. Dioscor. Ἁρμόζει πρὸς φλεγμονὰς ὀφθαλμῶν, μετ' ἀλφίτου καταπλασσομένη, &c.

8. *Succus ejus.*] Diosc. loc. cit.

Sect. IX. 1. *Androsaces.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap. 150. Ἀνδρόσακες γίνεται μὲν ἐν Συρίᾳ ἐν παραθαλασσίοις τόποις, &c. Sunt enim reliqua similia. *Androsaces Cotyledon marinum herba foliosum* a Lobelio appellatur in Adversf. pag 165. a quo delineatur, quale in horto Regio vidimus.

2. *Folliculos in cirris*] In cacumine ac summitate tenuium cirrorum, sive cauliculorum, folliculum gerit, quo semen continetur. Diosc. loc. cit. Λεπτόκαρφον, ἄφυλλον, θυλάκιον ἐπὶ τῷ ἀκρῷ ἔχον περιέχον σπέρματα.

3. *Datur.*] Dioscor. loc. cit. hæc omnia pariter medicamenta refert.

Sect. X. 1. *Androsæmon.*] Diosc. lib. 3. cap. 173. Ἀνδρόσαιμον, οἱ δὲ Διονυσιάδα, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ἄσκυρον καλοῦσι, &c. Addit esse diversum ab altero ascyro, de quo dicemus & nos sect. 20 & ab hyperico quod nec Plinius ipse diffitetur, cum haud penitus esse ei absimile pronunciat. Vidimus in horto Regio, quale a Dodonæo adumbratur, pag. 79.

2. *De qua diximus.*] Libro superiore, sect. 53.

3. *Folia alba*, &c.] Eadem habet Diosc. loc. cit.

4. *Comæ*] Coma in herbis dicitur quidquid hilari venustate crinium modo summa ramorum vel cauliculorum exornat, ut frondes, cum foliatum est cacumen, sæpe & corymbi, & flores sua venere comant.

5. *Odor eis*] Diosc. loc. cit. Ἀνατριβόμενα δὲ ὁ χυμὸς ῥητινώδη ὀσμὴν ἀποδίδωσι.

6. *Trahit bilem.*] Diosc. loc. cit.

7. *Prodest ischiadicis.*] Diosc. loc. cit.

8. *A purgatione.*] Aquæ tantum Dioscor. meminit, loc. citato.

9. *Et ambustis.*] Diosc. loc. cit. Καὶ συγκόπτουσι δὲ ἡ πόα καταπλασθεῖσα ἰᾶται· καὶ αἷμα ἐπέχει. Sic etiam Galenus, lib. 6. de fac. simpl. med. pag. 156.

Sect. XI. 1. *Ambrosia.*] Per multa herbarum genera vagari id nomen ait, neque esse unius singularis proprium ac peculiare. Sane & botrys, de qua dicetur sect. 31 ambrosia appellatur, & lilium ipsum a Corinthiis, teste Nicandro in Glossis, apud Athen. lib 15. pag. 681. Hæc quam modo Plinius tractandam suscepit, κατ' ἐξοχὴν ambrosia nuncupatur.

2. *Unam habet certam.*] Hæc Dioscoridis ambrosia est, lib. 3. cap. 129. Ἀμβροσία, οἱ δὲ βότρυς, οἱ δὲ βότρυς ἀρτεμισία, &c. Sunt enim reliqua paria. Ambrosia altera Matthioli, pag. 852. Ambrosia tenuifolia Lobelii in Observ. pag 442 abrotonum campestre dictum. Vidimus in horto Regio. Vide Notas & Emend. num III.

3. *Tertia parte.*] Radix igitur duûm palmorum est, nam caulis ternûm. Et vero Dioscor. ἡ δὲ ῥίζα, διπίθαμος, qui prius caulem τρισπίθαμον dixit.

4. *Qua de causa.*] Βότρυς uvam apud Græcos sonat. Et in

de causa botrys a quibusdam vocatur, ab aliis Artemisia. [5] Coronantur illa Cappadoces. [6] Usus ejus ad ea quæ discuti opus sit.

XII. [1] Anonin quidam ononida malunt vocare, ramosam, similem seno Græco, nisi fruticosior hirsutiorque esset, odore jucunda, [2] post ver spinosa. [3] Estur etiam muria condita. [4] Recens vero margines hulcerum erodit. Radix decoquitur in posca dolori dentium. Eadem cum melle pota, calculos pellit. Comitialibus datur in oxymelite decocta ad dimidias.

XIII. [1] Anagyros, quam aliqui acopon vocant, fruticosa est, gravis odore, [2] flore oleris: [3] semen in corniculis non brevibus gignit, simile renibus, quod durescit [4] per messes. [5] Folia collectionibus imponuntur, [6] difficulterque parientibus adalligantur, ita ut a partu statim auferantur. [7] Quod si emortuus hæreat, & secundæ mensesque morentur, [8] drachma bibuntur in passo folia. [9] Sic & suspiriosis dantur: & in vino vetere [10] ad phalangiorum morsus. [11] Radix discutiendis concoquendisque adhibetur. [12] Semen commanducatum vomitiones facit.

XIV. [1] Anonymos non inveniendo nomen invenit. Affertur e Scythia, celebrata Hicesio, non parvæ auctoritatis medico: item Aristogitoni: in vulneribus præclara, ex aqua tusa & imposita: pota vero, mammis præcordiisque percussis: item sanguinem excreantibus. Putavere & bibendam vulneratis. Fabulosa arbitror, quæ adjiciuntur: recente ea, si uratur, ferrum aut æs ferruminari.

CAP. V.

XV. [1] Aparinen aliqui omphacocarpon, alii philanthropon vocant, ramosam, hirsutam, quinis senisve in orbem circa ramos foliis per intervalla. [2] Semen rotundum, durum, concavum, subdulce. Nascitur in frumentario agro, aut hortis pratisve, [3] asperitate etiam vestium tenaci. [4] Efficax contra serpentes, semine poto ex vino drachma: & contra phalangia. Sanguinis abundantiam ex vulneribus reprimunt folia imposita: [5] succus auribus infunditur.

XVI. [1] Arction aliqui arcturum vocant: similis est verbasco foliis, nisi quod hirsutiora sunt: caule longo, molli, semine cumini. Nascitur in petrosis, radice tenera, alba, dulcique. Decoquitur in vino ad dentium dolorem, ita ut contineatur ore decoctum. Bibitur propter ischiada & stranguriam: e vino ambustis imponitur, & pernionibus. Foventur eadem cum radice semine trito in vino.

XVII. [1] Asplenum sunt qui hemionion vocant, [2] foliis trientalibus multis, radice

NOTÆ.

Ambrosia sunt racemosi fructus qui cohærent, convolunturque in uvarum modum

5. *Coronantur*] Diosc. loc. cit. Καταπλέκεται δὲ ἐν Καππαδοκίᾳ τοῖς στεφάνοις, *nectitur in coronas apud Cappadoces.*

6 *Usus.*] Vis ejus reprimere, repellere, illitaque adstringere humores qui in aliquam partem incumbunt. Δύναμιν δ' ἔχει σφιγκτικὴν τῶν ἐπιφερομένων, καὶ ἀποκρουστικήν, καταπλασσομένη σύμπαν.

Sect. XII. 1. *Anonin.*] Diosc lib 3. cap 21. Ἀνωνίς, οἱ δὲ ὀνωνίδα καλοῦσι, &c. Egimus de ea lib. 21. sect. 58.

2. *Post ver.*] Igitur æstate: id quod experientia ipsa docet. Spinas æstate, autumnoq; semen perfectum gerit. Est & alia non spinosa, pariter fruticosa, in Delphinatu, ac superiore Provincia frequens. Describitur a Dodarto, pag. 57.

3. *Estur.*] Condiri muria, dum adhuc tenella est, antequam spinas proferat, atque ita esse in cibis jucundam, auctor est Diosc. loc cit. Ἁλμεύεται δὲ πρὸ τῆς ἀκανθοφυΐας, καὶ ἔστιν ἡδεῖα. Sic & Oribasius.

4. *Recens.*] Diosc. loc. cit. & istud, & reliqua quæ subsequuntur medicamenta totidem ferme verbis tradit.

Sect. XIII. 1. *Anagyros.*] Dioscor. lib 3. cap. 167. Ἀνάγυρις, οἱ δὲ ἄκοπον καλοῦσι. Iisdem deinde notis, quibus a Plinio, describitur. Pingitur a Lobelio, in Observ. pag. 505. qualem in horto Regio vidimus. Gallis, *Bois puant.* Italis, *Fava lupina*, teste Anguillara, par 4. pag. 81. Ex ea odoris gravitate petita parœmia, Ἀνάγυρον κινεῖν, apud Zenobium, Cent. 2. num. 55. cui ista affinis, *Camarinam movere.* Ab vico Atticæ Anagyro, ubi planta ea plurima nascebatur, nomen accepisse, idem auctor affirmat.

2. *Flore oleris.*] Hoc est, flore simili brassicæ. Sic enim κατ' ἐξοχὴν brassica olus vocatur. Sic Varro, lib. 1. de re rust. cap. 18. *Quod usque eo est contrarium naturæ, ut arbores non solum nanos ferant, sed etiam fugiant, ut introrsum in fundum se recliment, ut vitis adsita ad olus facere solet, &c.* De viris inimicitia cum brassica, alibi diximus Diosc. loc. cit. de anagyri: ἄνθος κράμβῃ ἐοικός. Et Oribasii interpres, *flores brassicæ similes.* Plinius ipse, lib. 29 sect. 25. *cum olere marino* dixit pro marina brassica.

3. *Semen in corniculis.*] Ἐν κερατίοις μακροῖς. Diosc.

4 *Per messes.*] Diosc. Περὶ τὴν τῶν σταφυλῶν πέπανσιν, *maturescente uva*, parvo discrimine. Parum enim interest, utrum per messes, an maturescente uva id contingere quis asseveret.

5. *Folia collectionibus.*] Tumores, οἰδήματα, his impositis reprimi scribit Diosc. loc. cit.

6 *Difficulterque &c.*] Hæc totidem verbis Dioscor loc. cit.

7. *Quod si emortuus.*] Subintellige *partus*, hoc est, fetus, ex antecedentibus. Hæc rursum ad verbum quoque Dioscor. loco citato.

8. *Drachma.*] Sic MSS. omnes. Familiaris Plinio, scriptoribusque vetustis locutio, pro *drachmæ pondere.*

9. *Sic &c.*] Diosc. loc. cit. suspiriosis drachmæ pondere in passo præbet.

10. *Ad phalangiorum.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

11. *Radix.*] Ad verbum Diosc. loc. cit.

12. *Semen.*] Quæ eo nomine censenda herba sit, adhuc inter herbarios lis est. Nos inter peregrinas ducimus.

Sect. XV. 1. *Aparinen.*] Eadem asperugo dicitur & φιλάνθρωπος, qua de egimus lib. 24. sect. 116. Dioscor. lib 3. cap. 104. Ἀπαρίνη, οἱ δὲ ἀμπελόκαρπον, οἱ δὲ ὀμφακόκαρπον, οἱ δὲ φιλάνθρωπον καλοῦσι, &c. Galenus quoque, lib. 6. de fac. simp. med pag. 158. Ἀπαρίνη .... οἱ δὲ ὀμφακόκαρπον. Sic etiam Ægineta, lib 6. cap. 3.

2. *Semen &c.*] Diosc. loc. cit.

3. *Asperitate.*] Folia asperiora vestibus adhærescunt: Προσίσχεται δὲ καὶ ἱματίοις ἡ πόα, inquit Diosc. loc. cit. Inde nomen *asperugo*

4. *Efficax &c.*] Diosc. loc. cit.

5. *Succus auribus*] Diosc. loc. cit.

Sect. XVI. 1. *Arction.*] Quæ de arctii facie ac dotibus, tota hac sectione narrantur, ea totidem verbis habet Dioscor. lib. 4. cap. 106. Ἄρκτιον, οἱ δὲ ἀρκτοῦρον, &c. Galenus item lib. 6. de fac. simp. medic. pag. 159. Pingitur a Dodonæo, pag. 149. ex codice Cæsareo: sed plantam ipsam usurpare oculis, quæ hanc referret effigiem, adhuc non licuit: sibi perinde ignotam fatetur Anguillara, par. 14. p. 281.

Sect. XVII 1. *Asplenum.*] Diosc. lib. 3 cap. 151. Ἀσπλήνιον, οἱ δὲ σκολοπένδριον, οἱ δὲ σπλήνιον, οἱ δὲ ἡμιόνιον, &c. Sunt enim reliqua quæ de illius facie ac viribus a Plinio referuntur, paria ferme cum iis, quæ Dioscor. habet, loc. cit. In officinis *Ceterach* nominatur, & *Citrach*, teste Anguillara, par. 13. pag. 237. Pingitur a Dodonæo, pag. 465 quale in horto Regio vidimus. Hemionion dici, quod mulæ ἡμίονοι ea maxime delectentur, ait Theophr lib. 9. hist. cap. 19. *Calcifragam*, quod calculosis prosit, Scribonius Largus, Compos. 150.

2. *Foliis trientalibus.*] Quæ tertiam pedis partem, seu pol-

limosa, cavernosa, sicut filicis, candida, hirsuta: [2] nec caulem, nec florem, nec semen habet. [4] Nascitur in petris, parietibusque opacis, humidis: laudatissima in Creta. [5] Hujus foliorum in aceto decocto [6] per dies XL. poto lienem absumi aiunt: [7] & illinuntur autem: eadem sedante singultus. [8] Non danda feminis, quoniam sterilitatem 5 facit.

XVIII. [1] Asclepias folia ederæ habet, ramos longos, radices numerosas, tenues, odoratas: floris virus grave, semen securidacæ. Nascitur in montibus. Radices torminibus medentur, & contra serpentium ictus, non solum potu, sed etiam illitu.

XIX. [1] Aster ab aliquibus bubonion appellatur, [2] quoniam inguinum præsentaneum 10 remedium est. [3] Cauliculus foliis oblongis duobus aut tribus: in cacumine capitula stellæ modo radiata. [4] Bibitur & adversus serpentes. [5] Sed ad inguinum medicinam, sinistra manu decerpi jubent, & juxta cinctus alligari. Prodest & coxendicis dolori adalligata.

XX. [1] Ascyron & ascyroïdes similia sunt inter se, & hyperico: sed majores habet 15 ramos, quod ascyroïdes vocatur, ferulaceos, omnino rubentes: capitulis parvis, luteis. [2] Semen in calyculis pusillum, nigrum, resinosum. [3] Comæ tritæ velut cruentant. Qua de causa quidam hanc androsæmon vocavere. [4] Usus seminis ad ischiadicos, poti duabus drachmis in hydromelitis sextario. [5] Alvum solvit, bilem detrahit. [6] Illinitur & ambustis.

20 XXI. [1] Aphaca tenuia admodum folia habet: pusillo altior lenticula est. [2] Siliquas majores fert, in quibus terna aut quaterna semina sunt nigriora, & madidiora lenticula. Nascitur in arvis. [3] Natura ei ad spissandum efficacior, quam lenti: reliquo usu eosdem effectus habet. [4] Stomachi alvique fluxiones sistit semen decoctum.

XXII. [1] Alcibion qualis esset herba, apud auctores non reperi. Sed radicem ejus & 25 folia trita, ad serpentis morsum imponi & bibi: folia, quantum manus capiat, trita cum vini meri cyathis tribus; aut radicem drachmarum trium pondere cum vini eadem mensura.

XXIII. [1] Alectorolophos, quæ apud nos crista dicitur, folia habet similia gallinacei cristæ, plura, caulem tenuem, semen nigrum in siliquis. Utilis tussientibus cocta cum 30 faba fresa, melle addito: & caligini oculorum. Solidum semen conjicitur in oculum, nec turbat, sed in se caliginem contrahit. Mutat colorem, sed ex nigro albicare incipit, & intumescit, ac per se exit.

CAP. VI. XXIV. [1] Alum nos vocamus, Græci symphyton petræum, simile cunilæ bubulæ,

NOTÆ.

Itees quatuor, longitudine adæquent.

3. *Nec caulem &c.*] Diosc. loc. cit.

4. *Nascitur &c.*] Diosc loc. cit. & Theophr. loc. cit

5. *Hujus foliorum.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Ex ideirco ἀσπλήνιον nuncupatur.

6. *Per dies XL.*] Sic libri editi omnes. At MSS. *per dies XXX.* Dioscorides libris vulgatis favet.

7. *Et illinuntur.*] Vide Notas & Emend. num. V.

8. *Non danda.*] Dioscor. loco citato & Theophr. lib. 9. cap 19.

Sect. XVIII. 1. *Asclepias.*] De hujus forma ac viribus totidem verba ac placita leges apud Dioscor. lib. 3. cap. 106. Ἀσκληπιὰς &c. Ab ederæ folio nomen habet κισσὸς & κισσίφυλλον in Nothis Diosc pag 456 Vincetoxicum a Matthiolo appellatur, a quo & scite effigiatur, pag 809. qualem in horto Regio vidimus: item a Dodonæo, pag 401.

Sect. XIX. 1. *Aster.*] Apuleius cap. 60 *Græcorum aliqui asterion, alii asteriscon, alii astera Atticon, quidam bubonion, alii hyophthalmon vocarunt, Latini inguinalem.* Nempe βουβὼν inguinem, & tumorem inguinis sonat Dioscor. lib. 4 cap. 120. Ἀστὴρ Ἀττικός. In Nothis pag. 470. οἱ δὲ ἀστερίσκον, οἱ ἀστέριον, οἱ δὲ βουβώνιον, οἱ δὲ ὑόφθαλμον, Ῥωμαῖοι ἰγγουϊνάλις. Genera amplius vicena vidimus in horto Regio: præcipua delineantur a Clusio, lib 4 hist. rar. plant. pag. xiij. & seqq.

2. *Quoniam inguinum.*] Florem recentem, atque adeo humidum, inguinum inflammationi utiliter adhiberi docet Dioscor. loc cit.

3. *Cauliculus.*] Sic fere Diosc. loc. cit.

4. *Bibitur.*] Suffiri ad fugandos serpentes Cratevas ait in Dioscoridis Nothis, pag. 470.

5. *Sed ad inguinum.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XX. 1. *Ascyron.*] Ascyron, inquit, de quo sect. 10. dictum, & ascyroides, de quo nunc instituitur oratio, similia sunt inter se, & hyperici, de quo lib 26 sect. 35. Ascyroides a Dioscor. lib. 3. cap. 172. iisdem adumbratur notis, quibus nunc a Plinio. Ἄσκυρον, οἱ δὲ ἀσκυροειδές, οἱ δὲ ἀνδρόσαιμον, καὶ τοῦτο εἶδος ἐστὶν ὑπερικοῦ, μεγέθει διαφέρον, κλωσὶ μείζοσι, &c. A Matthiolo pingitur, in lib. 3. Diosc pag. 637. In horto Regio vidimus. Vide Anguillaram, par. 13. pag. 243.

2. *Semen &c.*] Dioscor. loc. cit. & Oribas. lib. xi. fol. 191.

3. *Comæ tritæ.*] Veluti cruorem reddunt. Fructus attritu, inquit Dioscor. loc. cit digiti cruentantur: Καρπὸν δὲ .... καὶ ἐν τῷ παρατρίβεσθαι αἱματώδη χυλὸν ἀφιέντα τοὺς δακτύλους, ὡς διὰ τοῦτο ἀνδρόσαιμον καλεῖσθαι.

4. *Usus seminis.*] Dioscoridi, καρποῦ.

5. *Alvum &c*] Dioscor. loc. cit.

6. *Illinitur.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XXI. 1. *Aphaca.*] Sic MSS. omnes hoc loco, etsi in Indice varient, ut monuimus Alia hæc Theophrastica aphace, de qua lib. 21. sect. 52 Describitur totidem fere verbis a Diosc. lib 2. cap. 178. Pingitur a Dodonæo, pag. 635. Nondum occurrit nobis

2. *Siliquas.*] Diosc loc. cit.

3. *Natura ei ad spissandum.*] Ad adstringendum. Diosc. loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει τὰ σπέρματα στυπτικήν, &c.

4. *Stomachi &c.*] Dioscor. loc. cit. totidem verbis.

Sect. XXII. 1. *Alcibion.*] Aliud esse hoc alcibion ab eo quo de egimus lib. 21. sect. 24. & ab echio, de quo lib. 25. sect 58. Nicander admonet, qui cum in Theriac. pag. 39. de utroque illo posteriore egisset, idem mox pag. 47. Plinianum illud, nomine tantum appellato, facie non declarata, diversum esse pronunciat:

Ἄλλην δ' Ἀλκιβίοιο φερώνυμον αἴρεο ποίην.

Ubi Scholiastes, pag. 31. Ἄλλο δ' Ἀλκιβίου, τουτέστιν ἄλλην βοτάνην, ἄλλο εἶδος, ἄλλο ἀλκίβιον.

Sect. XXIII. 1 *Alectorolophos.*] Ἀλεκτορόλοφος, hoc est, crista galli. Pingitur a Dodonæo, pag. 546. Ubique notissima: *Cresta di Gallo.* Italis quoque, teste Anguillara, par. 12. pag. 219.

Sect. XXIV. 1. *Alum nos.*] Nos inquit, Romani; Græci aliter Nos autem id nomen a Gallis accepimus. Diximus de herba ea lib. 16. sect. 26. *Halus, inquit ipse, quam Galli sic vocant, ... similis est cunila bubula,* &c. Iisdem plane verbis a Diosc. describitur, lib. 4 cap. 9.

folüs

foliis parvis, ramis tribus aut quatuor a radice, cacuminibus thymi, [2] surculosum, odoratum, gustu dulce, salivam ciens, radice longa rutila. [3] Nascitur in petris, ideo petræum cognominatum: utilissimum lateribus, [4] renibus, torminibus, pectori, [5] pulmonibus, sanguinem rejicientibus, [6] faucibus asperis. Bibitur radix trita, & in vino decocta, & aliquando superlinitur. [7] Quin & commanducata sitim sedat, præcipueque pulmonem refrigerat. Luxatis quoque imponitur, & contusis: lenit interanea. [8] Alvum sistit cocta in cinere, detractisque folliculis trita cum piperis novem granis, & ex aqua pota. [9] Vulneribus sanandis tanta præstantia est, ut carnes quoque, dum coquuntur, conglutinet addita: [10] unde & Græci nomen imposuere. Ossibus quoque fractis medetur.

XXV. [1] Alga rufa, & scorpionum ictibus. CAP. VII.

XXVI. [1] Actæa gravi foliorum odore, caulibus asperis geniculatis, semine nigro, ut ederæ, baccis mollibus, nascitur in opacis & asperis, aquosisque. Datur acetabulo pleno interioribus feminarum morbis.

XXVII. [1] Ampelos agria vocatur herba, foliis duris cineracei coloris, qualem in satis diximus, viticulis longis, callosis, rubentibus, qualiter flos, quem Jovis flammam [2] appellavimus in violis: fert semen Punici mali simile acinis. [3] Radix ejus decocta in aquæ cyathis ternis, additis vini Coi cyathis duobus, alvum solvit leniter, ideoque hydropicis datur. Vulvæ vitia & cutis in facie mulierum emendat. Ischiadicos quoque uti hac herba prodest, tusa cum foliis, & illita cum succo suo.

XXVIII. [1] Absinthii genera sunt pluta: [2] Santonicum appellatur a Galliæ civitate: [3] Ponticum a Ponto, ubi pecora pinguescunt illo, [4] & ob id sine felle reperiuntur: [5] neque aliud præstantius: multoque Italicum amarius, sed medulla Pontici dulcis. De usu ejus convenit dicere, herbæ facillimæ, atque inter paucas utilissimæ, præterea sacris populi Romani celebratæ peculiariter. Siquidem [6] Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorque absinthium bibit: [7] credo, sanitatem præmio dari honorifice arbitratis majoribus. Stomachum corroborat, & ob hoc [8] sapor ejus in vina transfertur, ut diximus. Bibitur & decoctum aqua, ac postea nocte & die refrigeratum sub dio, decoctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cælestis aquæ sextariis tribus: oportet & salem addi. Vetustissime in usu est. [9] Bibitur & madefacti dilutum: ita enim appelletur hoc genus. Diluti ratio, ut (quisquis fuerit modus aquæ) tegatur per triduum. Tritum raro in usu est, sicut & succus expressi. Exprimitur autem, cum primum semen turgescit, madefactum aqua triduo recens, aut siccum septem diebus. Deinde coctum in æneo vase ad tertias, x. heminis in aquæ sextariis XLV. iterumque percolatum lente coquitur ad crassitudinem mellis, qualiter ex minore centaureo quæritur succus. [10] Sed hic absinthii inutilis stomacho capitique est, cum sit ille decocti salubertimus. [11] Namque adstringit stomachum

NOTÆ.

2 *Surculosum*] Hoc est, lignosum: ξυλώδης. Dioscor. loco citato

3. *Nascitur.*] Totidem verbis Diosc loc cit.

4. *Renibus.*] Diosc. loc. cit Galenus, lib. 8 de fac. simp. med. pag. 233. & Marcellus Empir. cap. 26. pag. 176.

5. *Pulmonibus &c.*] Scribonius Largus Compos. 83. *Ad sanguinis eruptionem, sive ex arteriis, sive a pulmone, vel pectore, ea fuerit: bene facit simpliciter radix, quam quidam inulam rusticam vocant, quidam autem Alum Gallicum dicunt*, &c. Sic & Marcellus Empir. cap. 17. pag. 124. Dioscor. lib 4. cap. 9 decoctum ait in aqua mulsa, & potum, quæ pulmoni hæreant, excrementa repurgare.

6. *Faucibus.*] Galenus, loc cit.

7. *Quin &c.*] Diosc. loc. cit.

8 *Alvum.*] Diosc. loc. cit.

9. *Vulneribus.*] Plinius Valer lib 3. cap 22. Apuleius, cap 59. tit 4 Diosc. Κολλᾷ δὲ καὶ τραύματα ... καὶ τὰ κρέα δὲ συμπλέκει ἑψόμενα σὺν αὐτοῖς Galenus, denique loc. cit.

10. *Unde Græci*] Σύμφυτον quia consolidat: unde & consolida appellata. Eadem conferva, a conferruminando: hoc est, conglutinando. Ferruminare enim est metalla conjungere & conglutinare.

Sect XXV. 1. *Alga rufa.*] Φῦκος φοινίκεον, de quo lib. 26. sect. 66.

Sect. XXVI. 1. *Actæa.*] Videtur esse ea, quam Christophorianam appellat Lobelius, a quo scite delineatur, in Observ. pag. 389. Alii aconitum racemosum vocant. Vidimus in horto Regio.

Sect. XXVII. 1. *Ampelos agria .... qualem in satis diximus.*] In volumine de medicinis e rebus iis quæ feruntur: nempe lib 23. sect. 14.

2. *Appellavimus in violis.*] Libro 21. sect 38.

3. *Radix ejus.*] Hæc ipse totidem verbis, lib. 23. sect. 14. ceteraque fere medicamenta, quæ nunc iterum haud valde magno operæ pretio revocat.

Sect. XXVIII. 1. *Absinthii*] Vulgo cognitum ἀψίνθιον, *de l'absinthe* Absinthium Ponticum, seu Romanum officinarum, Dodonæo latifolium dicitur, pag. 23. Vulgare Lobelio, in Observ. pag 443.

2. *Santonicum.*] Dioscor lib. 3. cap 28. Ἔστι δὲ καὶ τρίτον εἶδος ἀψινθίου, γεννώμενον ἐν τῇ κατὰ τὰς Ἄλπεις Γαλατίᾳ ... ὃ ἐπιχωρίως Σαντόνιον καλοῦσι, ἐπωνύμως τῇ γεννώσῃ αὐτὸ Σαντονίδι χώρᾳ. Galenus, lib. 6. de simp. med. fac. cap. 1. pag. 147. Τὸ μὲν Σαντόνικον, ἀπὸ Σαντονικῆς χώρας ἐν ᾗ φύεται. Marcellus Empir. cap. 28. pag. 198. *Santonica herba, quæ absinthium dicitur.* Santonica herba, Scribonio, cap. 141. Santonica virga, Martiali, lib. 9. Epigr. 95. *Santonica medicata dedit mihi pocula virga*, &c. Describitur a Lobelio in Observ. pag. 436 quale vidimus in horto Regio.

3. *Ponticum.*] De eo multa Dioscor lib. 3. cap. 26.

4. *Et ob id sine felle*] Vide quæ diximus, lib. 11 sect. 75.

5. *Neque aliud.*] Dioscor. loc. cit Gratum esse stomacho ait Galenus, loc cit. Santonicum, ob amariorem, eidem insensum.

6. *Latinarum.*] Subintellige, supplicationum, aut religiorum. Livius, lib. 5. pag. 93. *Jam ludi Latinæque instaurata erant.* Libro 22. pag 208. *Latiis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis.* Peragi consuevēre cæ Aprili mense. Aliquando & Juniis Calendis, teste Livio lib. 42. pag. 540. Et a. d. tertium Nonas Maii, eodem auctore, lib. 41. pag. 526. Vide lib. 34. sect. 18.

7. *Credo, sanitatem.*] Corporis bonam valetudinem præstare vinum absinthites, veteres crediderunt, inquit Dioscor. lib 3. cap. 26. Προπινόμενον ἐξ αὐτοῦ ... ὑγιείας ποιητικὸν εἶναι νομίζοντες.

8 *Sapor ejus in vina*] Facto ex eo vino, quod absinthites vocatur, ut diximus, lib. 14 sect. 19

9. *Bibitur ... dilutum.*] Τὸ ἀπόβρεγμα ἀψινθίου, Dioscorides lib 3 cap. 26 Dilutum in quo absinthium maduit.

10. *Sed hic absinthii.*] Sed hic absinthii expressi succus, inutilis stomacho capitique est: cum sit ille antea explicatus decocti absinthii usus saluberrimus. Vide Notas & Emendat. num. VI.

11. *Namque adstringit, &c.*] Dioscor. lib 3. cap 26. Ga-

bilemque detrahit, [11] urinam ciet, alvum emollit, & in dolore sanat: [13] ventris animalia pellit, malaciam stomachi [14] & inflationes discutit cum sili & nardo Gallico, aceto exiguo addito. [15] Fastidia absterget: concoctiones adjuvat. Cruditates detrahit cum ruta, & pipere, & sale. Antiqui purgationis causa dabant, cum marinæ aquæ veteris sextario, seminis sex drachmis, cum tribus salis, & mellis cyatho. Efficacius purgat duplicato sale. Diligenter autem teri debet, propter difficultatem. Quidam & in polenta dedere supra dictum pondus, addito pulegio: [16] alii pueris in fico sicca, ut amaritudinem fallerent. Thoracem purgat cum iride sumptum. [17] In regio morbo crudum bibitur cum apio, aut adianto. Adversus inflationes, calidum paulatim sorbetur ex aqua: [18] jocineris causa cum Gallico nardo: [19] lienis, cum aceto, aut pulte, aut fico sumitur. [20] Adversatur fungis ex aceto: [21] item visco: [22] cicutæ ex vino: & muris aranei morsibus, draconi marino, scorpionibus. Oculorum claritati multum confert. [23] Epiphoris cum passo imponitur. [24] sugillatis cum melle. [25] Aures decoctum ejus vaporis suffitu sanat: aut si manent sanie, cum melle tritum. Urinam ac menses cient tres quatuorve ramuli, cum Gallici nardi radice una, cyathis aquæ VI. Menses privatim cum melle sumptum, & in vellere appositum. [26] Anginis subvenit cum melle & nitro. [27] Epinyctidas ex aqua sanat: vulnera recentia, priusquam aqua tangantur, impositum: præterea capitis hulcera. [28] Peculiariter ilibus imponitur, cum [29] Cypria cera, aut cum fico. Sanat & pruritus. Non est dandum in febri. [30] Nauseam maris arcet in navigationibus potum: [31] inguinum tumorem in ventrali habitum. Somnos allicit olfactum, aut inscio sub capite positum. [32] Vestibus insertum tineas arcet. [33] Culices ex oleo perunctis abigit: & fumo, si uratur. [34] Atramentum librarium ex diluto ejus temperatum, litteras a musculis tuetur. Capillum denigrat absinthii cinis, unguento rosaceoque permixtus.

XXIX. [1] Est & absinthium marinum, quod quidam Seriphium vocant, probatissimum [2] in Taposiri Ægypti. Hujus ramum [3] Isiaci præferre solemne habent. [4] Angustius priore, minusque amatum, stomacho inimicum, alvum mollit, pellitque animalia inte-

NOTÆ.

lenus, lib. 6. de fac. simp. med. pag. 161. Marcellus Empir. cap 30 pag. 214.

12. *Urinam.*] Diosc. loc. cit.

13. *Ventris animalia.*] Marcellus Empiric. cap. 28. pag. 198.

14. *Et inflationes*] Dioscor. loc. cit. *Καὶ πρὸς ἐμπνευματώσεις δὲ ἁρμόζει, καὶ κοιλίας καὶ στομάχου ἀλγήματα, πινόμενον μετὰ σεσέλεως ἢ νάρδου Κελτικῆς.*

15. *Fastidia.*] Diosc. loc. cit.

16. *Alii pueris.*] Fici siccæ mentio alibi frequens. Notum illud Lucretii,

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,

17. *In regio .... cum apio.*] Sic Reg. 2. & Chiffl. cum Colb. In Reg. 1 *cum adipe.* In editis, *cum opio*, Utrumque perperam. Arquatis simpliciter prodesse scribit Diosc. loc. cit.

18. *Jocineris*] Celsus, lib. 4. cap. 8. de jocineris morbo: *Neque alienum est, absinthium contritum ex melle & pipere, ejusque catapotium quotidie devorare.*

19. *Lienis &c.*] Dioscor. loc. cit.

20 *Adversatur.*] Apuleius, cap. 100. tit. 1. *Ad periculum fungorum: Herbæ absinthii succum ex aceto bibat. Hoc Serotinus vir centenarius evasit, quum esset a fungis tentatus.* Sic & Diosc. loc. cit.

21. *Item visco.*] Diosc. πρὸς ἰξίαν. Hoc est, adversus chamæleonis succum, quem ixiam appellarunt, tracto nomine a visco, quoniam ad ejus radices viscum alicubi reperitur. Scribonius Largus Compos. 191. *Ixia, quam quidam chamæleonta vocant. Pota mentem abalienat .... Adjuvantur autem læsi ab ea absinthio poto cum vino.*

22. *Cicuta &c.*] Dioscor. loc. cit.

23. *Epiphoris.*] Decoctum una cum passo dolentibus oculis adhiberi ait Diosc. loc. cit.

24. *Sugillatis*] *Ad livores tollendos*, inquit Apuleius, cap. 100 tit. 2. *herbam absinthium in aqua & aceto decoctam, & inductum panno, impone: si corpus tenerum fuerit, ex melle imponito.* Diosc. item loc. cit. *Πρὸς δὲ ὑπώπια σὺν μέλιτι.*

25. *Aures.*] Dioscor. loc. cit. *Καὶ ὁ ὑποθυμιασμὸς δὲ αὐτοῦ τοῦ ἀφεψήματος, πρὸς ὠταλγίαν. Quin & aurium dolores decoctum vaporis suffitu compescit.* Fumus e decocto ejus exceptus. In Chiffl. cod. *decocti ejus vapor.*

26. *Anginis.*] Diosc. loco cit.

27. *Epinyctidas.*] Diosc. loc. cit.

28. *Peculiariter.*] Diosc loc cit. *Καταπλάσσεται δὲ καὶ πρὸς ὑποχόνδρια, καὶ ἧπαρ, καὶ στόμαχον ἐπιπλαστὸν καὶ χρονίως πεπονθότα, συναναπλασσόμενον κηρωτῇ Κυπρίνῃ.*

29. *Cypria cera.*] Hoc est, cerato Cyprio: nam ceram pro cerato medici omnes antiqui dicunt.

30. *Nauseam maris.*] Schola Salernitana, *de absinthio.*

Nausea non poterit quemquam vexare marina,
Antea commixtam vino qui sumpserit istam.

31. *Inguinum tumorem.*] Vide quæ diximus lib. 26. sect. 59. Quid ventrale sit, diximus lib. 8. sect. 73.

32. *Vestibus insertum.*] Sic Dioscor. loc. cit. cujus sententiam cum non satis perceperint Saracenus & Dalecampius, *inspersum* hoc loco emendant; ad absinthites vinum, non ad ipsum absinthium rati id pertinere.

33. *Culices &c.*] Dioscorides, loc. cit. Schola Salernitana:

Serpentes nidore fugat,

Serpentes de insectis dici, de culicibus, pediculis, similibusque, monuimus lib. 7. sect. 52.

34. *Atramentum.*] Dioscor. loc cit. *Τὸ δὲ μέλαν τὸ γραφικὸν, τῷ ἀποβρέγματι αὐτοῦ βρεχθὲν, ἀθώρακτα μυσὶ τηρεῖ τὰ γράμματα.*

Sect. XXIX. 1. *Est & absinthium.*] Hæc totidem fere verbis Diosc. lib. 5. cap 27 *Ἀψίνθιον θαλάσσιον, τινὲς δὲ καὶ Σερίφιον καλοῦσι*, &c. Adde his quæ dicenda sunt de eo, lib 32. sect. 31.

2 *In Taposiri.*] Dioscor, loc. cit. *Ἐν Ταφοσίρει τῆς Αἰγύπτου.* Alia tamen est Stephano. *Ταπόσιρις, πόλις Αἰγύπτου, πλησίον Ἀλεξανδρείας.* Alia *Ταφόσιρις, πόλις Αἰγύπτου, ἐν ᾗ λέγεται Ὄσιρις τεθάφθαι.* Utraque Straboni *Ταπόσειρις* scribitur, lib. 17.

3. *Isiaci.*] *Ἰσιακοὶ*, Isidis sacris initiati. Id pro ramo oleæ præferre solemne habent, inquit Dioscor loc. cit Est ex ære minimo nummus perrarus, olim apud D. FOUCAULT, nunc in Cimelio Sereniss. Ducis Parmensis, cum hac superscriptione: D. N. IVLIANVS NOB. CAES. *Dominus noster Julianus Nobilissimus Cæsar*: capite nudo. .)(. ISISFARIA. Cave hic Isin cogites: nulla hic est: sed Solis caput juvenile. Neque Pharus hic Alexandrina est: nam cur ab ea, quæ tenuis fuit colonia Cæsaris Dictatoris, nomen haberet numen Ægyptium, potius quam ab aliquo nobili oppido? Legendum omnino est: *Invicte Sol, Julianum Sospitem Fac, Avitæ Religionis Invictum Assertorem.* Precatio hæc ethnicorum fuit, pro salute Juliani Cæsaris. Confer nummum Aureliani Aug cujus est epigraphe, SOL DOMINVS IMPERI ROMANI: aliosque complures inscriptos, SOLI INVICTO. ISISFARIA alibi nusquam in nummis antiquis occurrit, nisi sub Juliano. Sed in his quos exhibet Vir Clariss. D. Du-Cangius, in Familiis Byzantinis, pro Juliani vultu, varia effigies Religionis, vanæ scilicet superstitionis, est: cum ea superscriptione, ISISFARIA. In parte eversa, VOTA PVBLICA. Hinc falsi arguas inscriptionem, quæ apud Gruterum est, ΕΙCΙΔΙ ΦΑΡΙΑ: fictam utique ex nummis istis prave intellectis.

4. *Angustius &c.*] Dioscor. loco citato.

taneorum. Bibitur cum oleo & sale, aut [5] in farinæ trimestris sorbitione dilutum. Coquitur, quantum manus capiat, in aquæ sextario ad dimidias.

XXX. [1] Balloten alio nomine porrum nigrum Græci vocant, herbam fruticosam, [2] angulosis caulibus nigris, hirsutis foliis vestientibus, majoribus [3] quam porri, & nigrioribus, graveolentibus. [4] Vis ejus efficax adversus canis morsus, ex sale foliis tritis impositæ: item ad condylomata, coctis cinere, in folio oleris. Purgat & sordida hulcera cum melle. CAP. VIII. 5

XXXI. [1] Botrys fruticosa herba est, luteis ramulis. [2] Semen circa totos nascitur: folia cichorio similia. Invenitur in torrentium ripis. Medetur orthopnoïcis. [3] Hoc Cappadoces ambrosiam vocant, alii artemisiam. 10

XXXII. [1] Brabyla spissandi vim habet, cotonei mali modo: nec amplius de ea tradunt auctores.

XXXIII. [1] Bryon marinum, herba sine dubitatione est, lactucæ foliis similis, rugosa veluti contracta, sine caule, [2] ab ima radice exeuntibus foliis. Nascitur in scopulis maxime, testisque terra comprehensis. [3] Præcipua siccandi ei spissandique vis, & collectiones omnes inflammationesque cohibendi, præcipue podagræ, & quidquid refrigerare opus sit. 15

XXXIV. [1] Bupleuri semen ad ictus serpentium dari reperio, foverique plagas decocta ea herba, adjectis foliis mori aut origani.

XXXV. [1] Catanancen Thessalam herbam, qualis sit, a nobis describi supervacuum est, cum sit usus ejus ad amatoria tantum. Illud non ab re est dixisse ad detegendas Magicas vanitates, electam ad hunc usum conjectura, [2] quoniam arescens contraheret se ad speciem unguium milvi exanimati. [3] Eadem ex causa & cemos silebitur a nobis. 20

XXXVI. [1] Calsa duorum generum est. [2] Una similis aro. Nascitur in arationibus. Colligitur antequam inarescat, ususque eosdem habet, [3] quos arum. Bibitur quoque radix hujus ad exinaniendas alvos mensesque mulierum: item caulis cum foliis in leguminibus decoctus, sanat tenesmon. 25

XXXVII. [1] Alterum genus ejus quidam anchusam vocant, [2] alii rhinochisiam. [3] Folia lactucæ longiora, [4] plumosa, radice rubra, [5] quæ ignes sacros cum flore polentæ sanat imposita: jocineris autem vitia, in vino albo pota. 30

XXXVIII. [1] Circæa strychno sativo similis est, flore nigro, pusillo, parvo semine, ut milii, nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali, triplici ferme, aut qua-

NOTÆ.

5. *In farinæ.*] In oryza, sive ptisana, alicave ex farina seminis trimestris. Quid his nominibus intelligendum sit, suis locis docuimus.

Sect. XXX. 1. *Balloten.*] Hoc illud marrubium nigrum est, de quo diximus, lib. 20. sect. 89. Vide Notas & Emend. num. VII.

2. *Angulosis*] Hoc est, quadrangulis. Καυλοὺς ἀφίησι τετραγώνους, Diosc. loc. cit.

3. *Quam porri.*] Rectius diceret, quam marrubii, uti demonstrat ipsa herbæ facies, nosque amplius declaraturi sumus in Notis & Emend. num. cit. Diosc. certe loc. cit. Φύλλα δὲ πρασοειδῆ ὅμοια, μείζονα δὲ &c. Sic etiam Oribasius, lib. xi. pag. 192.

4. *Vis ejus.*] Usus omnino illius eosdem refert Dioscor. loco cit.

Sect. XXXI 1. *Botrys.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 3. cap. 130. Βότρυς πόα ἐστὶν ὅλη μηλίνη, *Tota lutea*, &c. Pingitur a Lobelio in Observ. pag. 113. & a Dodonæo, pag. 34. Gallis, *Piment.* Vidimus in horto Regio. Totidem, ut dixi, verbis a Diosc. tum ejus facies, tum vires describuntur.

2. *Semen.*] Diosc. Τὸ δὲ σπέρμα ὅλοις τοῖς κλωνίοις περιπέφυκε, *circa totos ramulos nascitur.*

3. *Hoc Cappadoces.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ τοῦτο ἀμβροσίαν Καππαδόκαι καλοῦσι, τινὲς δὲ ἀρτεμισίαν.

Sect. XXXII. 1. *Brabyla spissandi.*] Hoc est, adstringendi. Sed βράβυλα apud Græcos veteres aliud nihil esse invenio, quam κοκκύμηλα & Δαμασκηνά, pruna videlicet, & ut quidam volunt, silvestria. Vidit hoc Robertus Constantinus in Lexico: videre & alii, quorum e fontibus areolas suas irrigat Salmasius in præfat. ad Plin. Tamen Hesychio βράβυλον est κακοῦ φυτοῦ εἶδος. Sed quale illud sit, non indicat.

Sect. XXXIII. 1. *Bryon marinum.*] Hæc descriptio ad verbum a Theophrasto traditur, lib. 4. hist. cap. 7. nec multum abludit Dioscoridea delineatio, lib. 4. cap. 99. Βρύον θαλάσσιον φύεται ἐπὶ λίθων καὶ ὀστράκων, &c. *Muscus marinus in saxis testisque nascitur*, &c. De eo rursum inferius, lib. 32. sect. 36.

2. *Ab ima radice*] Hoc est, ab uno initio, ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς, inquit Theophrastus magis accurate: neque enim proprie radix ei musco inest.

3. *Præcipua . . . . spissandique.*] Adstringendi. Στυπτικόν. Dioscor. loc. cit qui easdem ei deinde vires ac facultates, quas Plinius, adjudicat, totidem verbis. Galenus, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 166. vim quoque ei refrigerandi adjicit, ἐμψύχει.

Sect. XXXIV. 1. *Bupleuri.*] Diximus de eo, lib. 22. sect. 35 Vide Nicandrum in Theriac. pag. 43.

Sect. XXXV. 1. *Catanancen.*] Καταναγκη Dioscorid. lib. 4. cap 134

2. *Quoniam arescens.*] Dioscor. totidem verbis: Κάμπτεται δὲ ξηραινόμενος ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐκτύπου ὄνυξιν ὀρνέου τεθνηκότος. Sunt qui ob hanc causam coronopum seu pedem milvinum hanc esse existiment, de qua nos egimus lib. 21. sect. 59. Ignotam sibi esse Anguillara confitetur, par 14. pag. 289.

3. *Eadem ex causa.*] Quoniam ad amatoria tantum utilis existimatur: quod & Dioscorides prodidit Cemos enim Pliniana videtur esse Dioscoridis Leontopodion: cum in Nothis occurrat id nomen inter ceteras ejus herbæ appellationes, pag. 473. Λεοντοπόδιον, οἱ δὲ ζωόνυχον, οἱ δὲ αἰτωνυχον, οἱ δὲ κῆμος, &c. Nempe Pilosella minor, *Pilosella*, a Dodonæo delineata, pag 68.

Sect. XXXVI. 1. *Calsa.*] Sic MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice: non *Calla*, ut vulgo editi.

2. *Una similis.*] Nec similem modo, sed & geminam prorsus & eamdem puto. De aro diximus, lib. 24. sect. 92.

3. *Quos arum.*] MSS. omnes, *quos arsa.* Forte, *quos aris*, vel *quos arisarum*, de quo lib. 24. sect. 94.

Sect. XXXVII. 1. *Alterum genus.*] Anchusa hæc prior Dioscoridis est, lib. 4. cap. 23. qua de jam antea egimus, lib. 22. sect 23.

2. *Alii rhinochisiam.*] Sic Index. At Reg. 1. hoc loco, *rhinochisiam.* Reg. 2. *rinodiam.* Forte *onocleam* rectius legas ex Dioscoride, loc. cit. Ἄγχουσα, ἣν ἔνιοι κάλλεια, οἱ δὲ ὀνοκλείαν καλοῦσι, &c.

3. *Folia, &c.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

4. *Plumosa.*] Hirsuta, δασεῖα. Diosc.

5. *Quæ ignes.*] Diosc. loco cit. Ἐρυσιπέλατα δὲ σὺν ἀλφίτῳ καταπλασσομένη θεραπεύει.

Sect. XXXVIII. 1. *Circæa.*] Dioscor. lib. 3 cap. 134. Κιρκαία, οἱ δὲ δερκαίαν καλοῦσι· τὰ μὲν φύλλα ἔχει στρύχνῳ ὅμοια κηπαίῳ, &c. Sunt enim reliqua pæne paria: quæ transcripsit & Oribasius, lib. 21. pag. 201. Circæam Lutetianam

druplici, alba, odorata, gustus calidi. [2] Nascitur in apricis saxis. [3] Diluitur in vino; bibiturque ad dolorem vulvæ & vitia. Macerari oportet in sextariis tribus quadrantem radicis tusæ, noctem & diem. Trahit eadem potio & secundas: [4] semine lac minuitur, in vino aut mulsa aqua poto.

5 XXXIX. [1] Cirsion cauliculus est tener duûm cubitorum, triangulo similis, foliis spinosis circumdatus. Spinæ molles sunt. [2] Folia bovis linguæ similia, minora, subcandida; & in cacumine capitula purpurea, quæ solvuntur in lanugines. [3] Hanc herbam radicemve ejus adalligatam, dolores varicum sanare tradunt.

XL. [1] Cratægonon spicæ tritici simile est, multis calamis ex una radice emicantibus:
10 multorumque geniculorum. [2] Nascitur in opacis, semine milii, vehementer aspero gustu: [3] quod si bibant ex vino ante cœnam, tribus obolis in cyathis aquæ totidem, mulier ac vir, ante conceptum diebus XL. virilis sexus partum futurum aiunt. [4] Est & alia cratægonos, quæ thelygonos vocatur. Differentia intelligitur lenitate gustus. Sunt qui florem cratægoni bibentes mulieres intra XL. diem concipere tradant. Eadem sanant hulcera
15 vetera nigra cum melle: explent sinus hulcerum, & atropha carnosiora faciunt: purulenta expurgant: panos discutiunt: podagras collectionesque omnes leniunt, peculiariter mammarum. [5] Theophrastus arbotis genus intelligi voluit cratægon, sive cratægona, quam [6] Itali aquifoliam vocant.

XLI. [1] Crocodilion chamæleonis herbæ nigræ figuram habet, radice longa, æquali-
20 ter crassa, odoris asperi. Nascitur in sabuletis. Pota sanguinem per nares pellit copiosum crassumque, atque ita lienem consumere dicitur.

XLII. [1] Cynosorchin aliqui orchin vocant, foliis oleæ, mollibus, ternis per semipedem longitudinis in terra stratis, radice bulbosa, oblonga, [2] duplici ordine: superiore quæ durior est, & inferiore quæ mollior. Eduntur ut bulbi cocti, in vineis se inventæ.
25 [3] Ex his radicibus si majorem edant viri, mares generari dicunt: si minorem feminæ, alterum sexum. [4] In Thessalia molliorem in lacte caprino viri bibunt ad stimulandos coïtus, duriorem vero ad inhibendos. [5] Adversantur alter alteri.

XLIII. [1] Chrysolachanum [2] in pineto, lactucæ simile nascitur. Sanat nervos incisos, si confestim imponatur. [3] Et aliud genus chrysolachani traditur, flore aureo, [4] foliis
30 oleris. [5] Coctum estur, ut olus molle. [6] Herba hac adalligata morbum regium habentibus, ita ut spectari ab his possit, sanari id malum traditur. De chrysolachano nec satis

NOTÆ.

appellat Lobelius in Observ. pag. 137. ab eoque ibi delineatur, qualem Lutetiæ in horto Regio vidimus.

2. *Nascitur.*] Diosc. loco cit.

3. *Diluitur, &c.*] Diosc loco cit.

4. *Semine lac*] Verba Græci scriptoris repræsentasse nobis Dioscorides videtur loc. cit. in hunc modum: Ὁ δὲ καρπὸς γάλα κατάγειν ἐν ῥοφήμασι λαμβανόμενος. Galenus lib. 7. de fac. simp. medic. pag 190. hanc vocem κατάγειν sic interpretatur, ut lac attrahere, seu lactis ubertatem præstare id semen dicat. Plinius contra, quod versus pato, attrahi, vorari, absumi, minui, intellexit.

Sect. XXXIX. 1. *Cirsion.*] Diosc. lib. 4 cap 119. totidem verbis: Κίρσιον καυλίον ἐστὶν ἁπαλὸς, &c. Est Carsium Anglicum Lobelii in Observ. pag. 314. Vidimus in horto Regio.

2. *Folia bovis linguæ.*] Diosc. τὰ δὲ φύλλα βουγλώσσῳ ἐμφερῆ, *buglosso similia*, quæ herba nomen habet a similitudine foliorum cum bovis lingua.

3. *Hanc herbam.*] Hoc Andreas medicus tradidit apud Apuleium, cap 68. & apud Diosc. loc cit. Ταύτης τὴν ῥίζαν Ἀνδρέας ἱστορεῖ περιαπτομένην τὰς ἀλγήματα τῶν κιρσῶν ἀναδείκνυσθαι πόνους. Græcis κιρσοὶ varices sunt: inde herbæ nomen.

Sect. XL. 1. *Cratægonon.*] Diosc. lib. 3. cap. 139. Κραταιόγονον, &c. In MSS. *cratægonon*: Et Hesychius: Κραταιόγονον, βοτάνη. Ita creditur appellari quod genitalem vim moveat, λόγῳ τῆς κρατοῦς ἐν τῇ γονῇ. Pingitur a Lobelio in Observ pag. 22. Alii Melampyrum luteum latifolium vocant. Vidimus in horto Regio.

2. *Nascitur*] Diosc loc cit.

3. *Quod si bibant.*] Totidem verbis Dioscor. loc. cit.

4. *Est & alia.*] Θηλυγόνος dicta, quod θηλυγονεῖν faciat, hoc est, feminei sexus partum facere existimetur.

5. *Theophrastus.*] Vide lib. 3. hist. cap. 15. Vide Notas & Emend. num. VIII.

6. *Ita aquifoliam.*] Sic ii aquifoliam appellarunt (si tamen appellarunt) ut cum aquifolia altera, de qua diximus lib. 16. cui armata aculeis folia tribuuntur, nihil commune haberet, præter nomen. Est enim hæc sorbus torminalis Plinii, de qua lib. 15. sect. 23. In Theophrasti codice sic hodie legitur, loc. cit. Διόσπυρον, ἀγρίαν δόξειν ἂν εἶναι. Quæ aquifolia videri possit. Est enim ἀγρία *aquifolia*, ut diximus lib. 16 sect. 12. Verum ἀγρία ibi pro silvestri mespilo accipiendam esse, vel ipsam vocem μεσπίλην substituendam esse monet Athenæus, lib. 2. pag. 50 Διόσπυρον, inquit ex Theophr. ἀγρία μεσπίλη δόξειεν μῆλον εἶναι. Quod de cratægo sive torminali sorbo est sane verissimum. At ea cum ἀγρίᾳ, seu aquifolia, affinitatem habet omnino nullam.

Sect. XLI. 1. *Crocodilion.*] Totidem de ea verba facit Dioscor lib 3. cap. 12. Κροκοδείλιον, &c. Pingitur a Lobelio, in Observ. pag. 481. Ruellius, pag. 482 Carlinam esse putat, quam nos Leucacantham esse diximus suo loco.

Sect. XLII. 1. *Cynosorchin.*] Dioscorid lib 3. cap 141. ὄρχις, idem & κυνόσορχις Latinis satyrion, de quo disseruimus lib. 26. sect. 62. Totidem plane verbis a Dioscor. describitur.

2. *Duplici ordine.*] Supra lib. 26. sect. 62 *Radice gemina ad formam hominis testium.* Dioscor. totidem verbis ac Plinius: Ῥίζαν βολβοειδῆ, ἐπιμήκη, διπλῆν, τὴν μὲν ὑψηλοτέραν, τὴν δὲ χαμηλοτέραν· καὶ τὴν μὲν πλήρη, τὴν δὲ ῥυσσὴν, &c.

3. *Ex his radicibus.*] Diosc. loc. cit. & Theophr. lib. 9. hist. cap. 19

4. *In Thessalia.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

5. *Adversantur.*] Unius potu alterius vires franguntur, ἀναλύεσθαι τὸ τοῦ ἑτέρου ὑπὸ τοῦ ἑτέρου πινόμενον. Dioscor. loc. citato.

Sect. XLIII. 1. *Chrysolachanum.*] Χρυσολάχανον, quasi aureum olus. Nusquam non in cultis & hortis sponte naturæ olus id adolescit, inquit Ruellius, lib 2. pag. 446. quod frequentissime pauperum mensas implet, eorumque juribus innatat, non fastidiendam habens gratiam Nostrum vulgus partim *Chrysolanum*, perinde quasi extrita syllaba chrysolachanum dicas; partim inversis litteris *chrysalanum* appellant: officinæ *Crassulam minorem.* Lactucam tota facie æmulatur.

2. *In pineto.*] Pinetum, locus est pinis consitus. Ovidii, 15. Metam. *succincta pineta.* Sic *arboretum* Seneca, Varro *ficetum*, *cupressetum* Tullius, Celsos *myrtetum*, aliqoe alia similiter dixere.

3. *Et aliud genus.*] Atriplex illud est, de quo diximus lib. 20 sect 83. Vide Lobelium in Advers. pag. 96.

4. *Folius oleris.*] Brassicæ.

5. *Coctum.*] Diosc lib. 2. pag. 145. de atriplice, Λαχανεύεται δ' ἑψηθέν.

6. *Herba hac.*] Semen ex aqua mulsa potum arquatis

dici scio, nec plura reperio. Namque & hoc vitio laboravere proximi utique herbarii nostri, quod ipsi notas velut vulgares, strictim & oominibus tantum indicavere: tamquam [7] coagulo terræ alvum sisti, stranguriam dissolvi, si bibatur ex vino aut aqua:

XLIV. [1] Cuculi folia trita cum aceto, serpentium ictibus & scorpionum mederi. Quidam hanc alio nomine strumum appellant, alii Græce strychnon: acinos habet nigros. 5 Ex his cyathus succi cum mulsi duobus, medetur lumbis: [2] item capitis dolori cum rosaceo infusus. [3] Ipsa strumis illita.

XLV. [1] Peculiaris est Alpinis maxime fluminibus conserva, appellata [2] a conferruminando, spongia aquarum dulcium verius, quam muscus aut herba, villosæ densitatis atque fistulosæ. Curatum ea scio, omnibus fere ossibus confractis, prolapsum ex arbore alta pu- 10 tatorem, circumdata universo corpori, aquam suam inspergentibus, quoties inaresceret: raroque, nec nisi [3] deficientem herbam mutationis causa resolventibus, convaluisse vix credibili celeritate.

XLVI. [1] Cocco Gnidio color cocci, magnitudo grano piperis major, vis ardens. CAP. IX. [2] Itaque in pane devoratur ne adurat, cum gulam transit: Huic vis præsentanea contra 15 cicutam.

XLVII. [1] Sistit alvum dipsacos: [2] folia habet lactucæ, [3] bullasque spinosas in dorsi medio, caulem duûm cubitorum, iisdem spinis horridum, genicula ejus binis foliis amplectentibus, concavo alarum sinu, in quo subsistit ros salsus. In cacumine capitula sunt echinata spinis. Nascitur in aquosis. [4] Sanat rimas sedis. Item fistulas decocta in vino 20 radice, usque dum sit crassitudo ceræ, ut possit in fistulas collyrium mitti. Item verrucas omnium generum. Quidam & alarum, quas supra diximus, succum illinunt his.

XLVIII. [1] Dryopteris filici similis, in arboribus nascitur, tenui foliorum subdulcium incisura, radice hirsuta. Vis ei caustica est. Ideo psilothrum est radix tusa; illinitur enim, usque dum sudores evocet: iterumque, & tertio, ita ne sudor abluatur. 25

XLIX. [1] Dryophonon similis herba est, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circumdatis utrimque foliis pollicari amplitudine, qualia oxymyrsines, sed candidioribus mollioribusque, flore candido sambuci. Edunt cauliculos decoctos. [2] Semine vero ejus pro pipere utuntur.

L. [1] Elatine folia habet helxinæ, pusilla, pilosa, rotunda, semipedalibus ramulis quinis 30 senisve a radice statim foliosis. [2] Nascitur in segetibus acerba gustu, & ideo oculorum fluxionibus efficax, foliis cum polenta tritis & impositis, subdito lenteolo. Eadem cum lini semine cocta sorbitionis usu dysenteria liberat.

LI. [1] Empetros, quam nostri calcifragam vocant, nascitur in montibus maritimis, fere in saxo: quo propius mari fuerit, [2] minus salsa est: potaque bilem trahit, ac pituitas: 35

NOTÆ.

mederi Plinius & Dioscorides locis citatis aiunt.

7. *Coagulo terræ*] Quid illud sit, obscurum est: cum strictim ac solo nomine designetur, facie non indicata. Ariolantur, qui Lobelii abortivam orchin esse statuunt.

Sect. XLIV. 1. *Cuculi folia.*] Genus istud alsines est, bacciferum solani instar, Major alsine repens a Clusio appellata, lib. 6. hist. rar. plant. pag. clxxxiij. visa a nobis in horto Regio. Sic & Lobelius in Adverſ. pag. 104 Vide Notas & Emendat. num. IX.

2. *Item capitis.*] Marcellus Empir cap. 1. pag 35. *Herba strumus contrita, & cum oleo permixta, impositaque temporibus.... capitis dolorem tollit,* &c.

3. *Ipsa strumis.*] Unde strumi nomen.

Sect XLV. 1. *Peculiaris.....conserva*] Pingitur a Lobelio in Observat pag. 654. In lacu majore Mediolanensis agri reperiri dicitur.

2. *A conferruminando.*] Hoc est, glutinando

3. *Deficientem herbam.*] Aspergine crebra dissolutam, dissipatam.

Sect. XLVI. 1. *Cocco Gnidio.*] Egimus de eo, lib. 13. sect. 35

2. *Itaque in pane.*] Dioscor. lib. 4. cap. 173. Καίει δὲ τὴν φάρυγγα, διὸ μετ᾽ ἀλφίτων ἢ ἀλεύρου δοτέον, ἢ ἐν ῥαγὶ σταφυλῆς, ἢ μέλιτι ἑφθῷ περιπεπλασμένον καταπίνειν. *Fauces adurit: atque ideo cum farina, polentave, aut in uvæ acino dari debet, aut cocto melle obducta devorari.* Theophr. lib 9. hist. cap. 22. ἐν ἄρτῳ.

Sect XLVII. 1. *Sistit alvum dipsacos.*] Vide Notas & Emendat. num. X.

2. *Folia habet.*] Totidem verbis a Dioscoride adumbratur, lib. 3. cap. 13 Labrum Veneris medici vocant. Dioſc. in Nothis, pag 452. Δίψακος ... οἱ δὲ Ἀφροδίτης λουτρόν, Ῥωμαῖοι λάβρουμ Βένερις. Pingitur a Matthiolo, pag. 661. Gallis, fullonius carduus appellatur, vulgoque *pectorius carduus*, quod lanificia uncinatis verticibus aculeorum pectantur: *Chardon à carder* ou *de foulon.* Herbarii nostri Virgam pastoris nuncupant. Vidimus in horto Regio.

3. *Bullasque.*] Tubercula intus & extra spinosa.

4. *Sanat.*] Medicinas easdem e dipsaco petit etiam Diosc. loc. cit.

Sect. XLVIII. 1. *Dryopteris.*] Habet eadem Dioscor. lib. 4. cap. 189 δρυοπτερίς, &c. In quercuum musco nascitur, ἐν δρυσὶ, filici similis, τῇ πτερίδι. Inde nomen. Vulgus *Osmundam* vocat. Pingitur a Lobelio in Observ. pag. 474. In horto Regio vidimus.

Sect. XLIX. 1. *Dryophonon similis.*] Nempe filici atque dryopteri. Officinæ nostrates, inquit Ruellius, lib. 2. pag. 449. nemoralem myrtum appellant, quod folus silvestre myrtum, ut alterno situ filiculam imitetur: fructu est acri, quo rura subinde vescuntur: *Cusinos* vocant, quasi culinarios, baccas eas: quod jam venerint in ganeam, gratissimo ori mandentium cibo, præsertim si edomita sacchari dulcedine acrimonia præsententur. Gaudet dryophonon cæduis silvis & quercetis: eo nostra scatent nemora, unde nomen duxit, quasi silvæ cædem dixeris. A Diosc. lib 2 cap. 187. Ἀγρῶστις appellatur. Iconem exhibet ex horto Bononiensi, Jac. Zanoni hist. Botan. cap. 26. pag. 55.

2. *Semine vero.*] Hodieque piperis loco rusticorum cibos condit.

Sect. L. 1. *Elatine.*] Totidem verbis Diosc. l. 4. c. 40. Ἐλατίνη τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὅμοια τῇ ἑλξίνῃ, &c. Est Veronica femina Fuchsii, delineata a Dodonæo, pag. 42. visa a nobis in horto Regio.

2. *Nascitur.*] Diosc. loc. cit. eadem plane tradit, tum de natali solo, tum de viribus elatines.

Sect. LI. 1. *Empetros.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 4. cap. 181. Ἔμπετρον, &c. Feniculum marinum hodie vocant. Dodonæus, pag. 693. crethmi marini nomine delineat. Gallis, *Bacillo, Fenouil marin, Perce-pierre*, quasi perforipetram, quod mediis erumpat saxis. Multi marinam cristam, quod montium juga & scopulorum crepidines ea vestiat erustentur. Aceto ad sesquiannum usque cadis servatur, ad acetariorum usus.

2. *Minus salsa est.*] Et quo terræ propius, magis salsa,

quo longius magisque terrena, amarior sentitur. [3] Trahit aquam. Sumitur autem in jure aliquo, aut in hydromelite. Vetustate vires perdit. Recens urinas ciet decoctum in aqua vel tritum, calculosque frangit. [4] Qui fidem promisso huic quærunt, affirmant lapillos, qui subfervefiant una, rumpi.

5 L I I. [1] Epipactis, ab aliis ellebotine vocatur, parva herba, exiguis foliis, jocineris vitiis utilissima, & contra venena pota.

L I I I. [1] Epimedion caulis est non magnus, ederæ foliis denis atque duodenis, numquam florens, radice tenui, nigra, gravi odore. [2] Nascitur in humidis, & huic spissandi [3] refrigetandique natura, [4] feminis cavenda. [5] Folia in vino trita virginum mammas cohi-10 bent.

L I V. [1] Enneaphyllon, longa folia novena habet, causticæ naturæ. Imponitur lana circumdatum, ne urat latus: continuo enim pusulas excitat: lumborum doloribus, & coxendicum utilissimum.

L V. [1] Filicis duo genera, nec florem habent, nec semen. [2] Pterin Græci vocant, 15 alii blechnon, cujus ex una radice [3] complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graves odore. Hanc marem existimant. [4] Alterum genus thelypterio Græci vocant, alii nymphæam pterin. [5] Est autem singularis, atque non fruticosa, brevior molliorque & densior, foliis ad radicem canaliculata. Utriusque radice sues pinguescunt. [6] Folia utriusque lateribus pinnata, unde nomen Græci imposuere. Radices utrique longæ in obliquum, 20 nigræ, præcipue cum inaruere. Siccari autem eas Sole oportet. Nascuntur ubique, sed maxime frigido solo. Effodi debent [7] Vergiliis occidentibus. Usus radicis in trimatu tantum, neque antea, neque postea. [8] Pellunt interaneorum animalia: ex his tænias cum melle: cetera ex vino dulci triduo potæ. Utraque stomacho inutilissima. [9] Alvum solvit: primo bilem trahens, mox aquam: [10] melius tænias cum scammonii pari pondere. 25 Radix ejus duûm obolorum pondere ex aqua, post unius diei abstinentiam bibitur, melle prægustato contra rheumatismos. [11] Neutra danda mulieribus, quoniam gravidis abortum, ceteris sterilitatem facit. [12] Farina earum hulceribus tetris inspergitur: [13] jumentorum quoque cervicibus. Folia cimicem necant: serpentem non recipiunt. Ideo substerni utile est in locis suspectis: ustæ etiam fugant nidore. Fecere medici hujus quoque herbæ discri-30 men. Optima Macedonica est, secunda Cassiopica.

L V I. [1] Femur bubulum appellatur herba, nervis & ipsa utilis, recens in aceto ac sale trita.

L V I I. [1] Galeopsis, aut, ut alii, galeobdolon, [2] vel galion, caulem & folia habet urticæ læviora, & quæ gravem odorem trita reddant: flore purpureo. Nascitur circa sepes

N o t æ.

sive amara Τὸ δ᾽ ἀθηγμένον, πικρότερος. Quem locum Saracenus & Dalecampius cum haud satis animadverterunt, Plinio temere litem moverunt.

3. *Trahit aquam.*] Aquosos humores per alvum deducit Dioscor. loc. cit. Δύναμιν δ᾽ ἔχει ζέσαν ἐν ὑδρομέλιτι, ἐγ-[illegible] φλέγμα, καὶ χολὰς, καὶ ὑδατώδη. Quæ verbis totidem Plinius habet.

4. *Qui fidem.*] Qui facultati ei qua promittitur frangendos esse calculos ejus herbæ decocto, fidem volunt adstruere, illud quoque adjiciunt, &c.

Sect. L I I. 1. *Epipactis.*] Diximus de ea, lib. 15 sect. 35. In Italia *Centograna & millegrana* vocatur: ab aliis Herniaria, sive Herniosa. Anguillara, par. 14. pag. 282

Sect. L I I I. 1. *Epimedion.*] Sic MSS omnes, & Diosc lib. 4. cap 19. Ἐπιμήδιον καυλὸς ἐστι, ceteraque, quæ Plinius totidem verbis. Pingitur a Dodonæo, pag. 589. quale in horto Regio vidimus.

2. *Nascitur.*] Dioscor. loc. cit

3. *Refrigerandique.*] Galenus, lib. 6. de fac. simpl. med. 274.

4. *Feminis cavenda.*] Quoniam, ut Diosc. ait loc. cit. ἀτόκιος ἡ ῥίζα, radix spem partus adimit, & folia pariter trita. Sic & Galenus, loc. cit.

5. *Folia .... cohibent.*] Ne videlicet augescant. Dioscor. loc. cit. Ταύτης τὰ φύλλα λεῖα μετ᾽ οἴνου, [illegible] [illegible] τὰ μὴ αὔξεσθαι.

Sect. L I V. 1. *Enneaphyllon.*] Suo se illa nomine repræsentat, quod foliis novem longis constituitur. Vix putem esse dentariam enneaphylloo, pictam a Lobelio, in Observat. pag. 392. visam in horto Regio: neque enim folia ei novena sunt: sed idem novenis distinctum incisuris.

Sect. L V. 1. *Filicis.*] Filix Gallis *Fougere.* Marem, feminamque Dodonæus delineat, pag. 459. Vidimus in horto Regio.

2. *Pterin.*] Diosc. lib. 4. cap. 180. Πτερὶς, οἱ δὲ βλῆχνον, οἱ δὲ πολύῤῥιζον. Index, & Reg. 2. cum Chiffl. *blechnon.* Sic etiam Nicandri Schol.

3. *Plures exeunt filices.*] Plures filicis propagines, ὅτι πολλὰς [illegible] ἔχει. Diosc. loc cit.

4. *Alterum.*] Nempe filicem feminam. Dioscor. lib. 4. cap. 187. Θηλυπτερὶς, οἱ δὲ νυμφαίαν πτέριν ὀνομάζουσι.

5. *Est autem singularis.*] Non multas a radice fundit propagines, uti mas filix. Dissidere a Plinio Dioscoridem hoc loco Dalecampius falso existimat, ut sæpe alias.

6. *Folia utriusque.*] Pinnas avium repræsentant, unde πτέρας Græci dixere: Columella *Aviam*, lib 6. cap 14.

7. *Vergiliis.*] De Vergiliarum occasu, lib. 18. sect. 59.

8. *Pellunt.*] Diosc. locis cit. cum Theophr. lib 9. histor. cap. 20. Sic etiam Galenus, lib 8. de facult. simpl. med. pag 22.

9. *Alvum solvit.*] Recentia folia olerum vice edi ad emolliendam alvum, scribit Dioscor. lib. 4. cap. 187. Scribonius Largus, cap. 34 *Alvum mollientia*, Compos. 136. *Bilem purgat, & filicis radix lota & rasa, atque in minimas particulas concisa*, &c.

10. *Melius tænias.*] Totidem verbis Diosc lib. 4. cap. 186.

11. *Neutra danda*] De femina quidem adstipulatur & Dioscorides, lib. 4. cap. 178. & Theophr. loc. cit. In causa est, ut ait Galenus, lib. 8. de fac. simpl. med pag. 22. quod vivos partus enecat.

12. *Farina earum.*] Totidem verbis Diosc. loco proxime citato.

13. *Jumentorum.*] Dioscor. loc. cit. Λόφους τε ὑποζυγίων ἰᾶται.

Sect. L V I 1 *Femur bubulum.*] Cum nemo scriptorum veterum herbæ hujosce faciem formamve delineet, quæ nunc eo nomine censenda sit, velle proferre, ariolari est.

Sect. L V I I 1. *Galeopsis.*] Dioscor lib. 4. cap. 95. Γαλίοψις, οἱ δὲ γαλεόβδολον, ceteraque, quæ Plinius, tum de forma, tum de viribus ejus herbæ, plane totidem syllabis. Lamium illud est, quo de egimus lib 22 sect. 16. etsi aliam affert herbam Anguillara, par. 14. pag. 278. in Græcia, ut ait, frequentem.

2 *Vel galion.*] In Indice ex MSS. omnibus, *sive gallio.* Sed *galion* scribi multo satius videtur. Aliud enim gallion est, quod a Dioscoride describitur, lib. 4 cap. 96.

ac femitas ubique. Folia caulesque duritias & carcinomata sanant, ex aceto, trita & imposita: item strumas. Panos & parotidas discutiunt. Ex usu est & decoctæ succo fovere. Putrescentia quoque & gangrænas sanat cum sale.

L V I I I. [1] Glaux antiquitus eugalacton vocabatur, cytiso & lenticulæ foliis similis: [2] aversa candidiora. [3] Rami in terram serpunt quini senive, admodum tenues ab radice. [4] Flosculi purpurei exeunt. [5] Invenitur juxta mare. [6] Coquitur in sorbitione similaginis, ad excitandam ubertatem lactis. Eam qui hauserint, balineis uti convenit. 5

L I X. [1] Glaucion in Syria & Parthia nascitur, humilis herba, densis foliis, fere papaveris, minoribus tamen [2] sordidioribusque: odoris tetri, gustus amari cum adstrictione. Granum habet crocei coloris. [3] Hoc in olla fictili luto circumlitum, in clibanis calefaciunt: deinde exempto succum exprimunt ejusdem nominis: usus est & succi & foliorum, si terantur, [4] adversus epiphoras, quæ universæ uno impetu cadunt. Hinc temperatur collyrium, quod medici [5] diaglaucion vocant. Lactis quoque ubertas intermissa restituitur. Sumitur ejus rei causa ex aqua. CAP. 8. 10

L X. [1] Glycyside, quam aliqui Pæoniam, aut pentorobon vocant, caulem habet duûm cubitorum, comitantibus [2] duobus aut tribus, subrutilum, cute lauri: folia qualia isatis pinguiora, rotundioraque, & minora: semen in siliquis, aliud grano rubente, aliud nigro. Duo autem genera sunt. [3] Femina existimatur, cujus radicibus ceu balani longiores circiter octo aut sex adhærent. [4] Mas plures habet, quoniam non una radice nixus est, palmi altitudine, candidaque. Ea gustu adstringit. [5] Feminæ folia myrrham redolent, & densiora sunt. Nascuntur in silvis. [6] Tradunt noctu effodiendas, quoniam pico Martio impetum in oculos faciente, interdiu periculosum sit. [7] Radix vero cum effodiatur, periculum esse ne sedes procidat. Magna id vanitate ad ostentationem rei fictum arbitror. Usus in his diversus. [8] Rubra enim grana rubentes menses sistunt, x v. fere pota in vino nigro. [9] Nigra grana vulvis medentur, ex passo aut vino totidem pota. [12] Radix omnes ventris dolores sedat in vino, alvumque purgat: [11] sanat opisthotonum, morbum regium, tenes, vesicam: arteriam autem & stomachum decocta in vino: [12] alvumque sistit: estur etiam [13] contra malum mentis: [14] sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. [15] Grana nigra auxiliantur & suppressionibus nocturnis, in vino pota, quo dictum est numero. [16] Stomachi vero erosionibus, & esse ea, & illinire prodest. Suppurationes quoque discutiuntur, recentes nigro semine, veteres rubro. Utrumque auxiliatur 15 20 25 30

N O T Æ.

Sect. L V I I I. 1. *Glaux.*] Diosc. lib. 4. cap. 141. Γλαὺξ κυτίζῳ ἢ φακῷ τὰ φύλλα ὅμοια, &c. Sunt enim Plinianis omnino similia. Est ea Glaux exigua maritima, picta a Lobelio in Observ. pag. 227. qualem in horto Regio vidimus. Frequens in Abrutio Italiæ & Pisano agro, in ora maritima, ut recte Anguillara, par. 14. pag. 190.

2. *Aversa.*] Dioscor. loc. cit. Τὰ φύλλα τὰ κάτωθεν λευκότερα · ἄνωθεν δὲ χλωρά. *Quæ superne, virent: quæ aversa, candidiora spectantur.*

3. *Rami.*] Diosc. totidem verbis loc. cit.

4. *Flosculi.*] Diosc. loc. cit.

5. *Invenitur.*] Diosc. loc. cit.

6 *Coquitur.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 6 de fac. simpl. med pag. 166.

Sect. L I X. 1. *Glaucion.*] Sic fere Diosc. lib 4. cap. 100. Γλαύκιον γεννᾶται ἐν Ἱεραπόλει τῆς Συρίας, &c. Syriacæ plagæ, non nostri soli cælive planta. Humilem herbam esse, quod Dalecampium latuit, etiam docet auctor libri de simp. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 991.

2. *Sordidioribusque.*] Diosc. loc. cit. λιπαρώτερα, *pinguiora.* Plinius *sordidiora*, quasi ῥυπαρώτερα: quod & alias usurpatum ab eo vidimus Et sane pinguitudo foliorum, sordium quarumdam instar est.

3. *Hoc in olla.*] Dioscor. & auctor libri ad Patern. locis citatis.

4. *Adversus epiphoras.*] Hoc est, oculorum inflammationes, aliosque affectus Dioscor. loc. cit. Ἔτι δὲ ὁ χυλὸς αὐτοῦ ἁρμόζει ταῖς ὀφθαλμικαῖς ἐν ἀρχῇ, *in initiis.*

5. *Diaglaucion.*] Διαγλαύκιον, vel potius διὰ γλαυκίου. Hujus conficiendi modum edocet Scribonius Largus, Compos. 21. *Item compositorum collyriorum hoc maxime probo ad recentes epiphoras.* Et mox: *Quod nomine etiam quidem Diaglaucium dicitur, probo in initiis . . . . Glaucii succi*, &c.

Sect. L X. 1. *Glycyside.*] Ipsa Pæonia est, de qua lib 25. sect. 10. Totidem pæne verbis a Dioscor. describitur, lib. 3. cap. 157.

2. *Duobus aut tribus.*] Ramulis videlicet, sive cauliculis. Diosc. Παραφυάδας ἔχει πολλάς.

3. *Femina existimatur.*] Dioscor. loc. cit. Ἐπὶ δὲ τῆς θηλείας, παραφυάδας ὥσπερ βαλάνους ἔχουσα, ζ' ἢ η', ὥσπερ ἀσφόδελος. *Feminæ radicibus ceu glandes septem octove adhærent, quales asphodeli radicibus agnascuntur.* Vide iconem a Matthiolo delineatam, pag. 915.

4. *Mas plures.*] Paulo aliter de mare Dioscor. loc. cit. Plures habet in cacumine balanos, quasi nuces Græcas, ut dictum est lib. 25. sect. 10. quoniam in radice habet pauciores, immo nullas: Est enim radice singulari, digitali crassitudine, altitudine palmi, gustu adstringens, candida. Ῥίζα δὲ τῷ μὲν ἄρρενι, ὡσεὶ δακτύλου πάχος, μῆκος δὲ σπιθαμῆς, γευομένῳ στύφουσα, λευκή.

5. *Feminæ folia.*] Smyrnii instar, quæ herba nomen a myrrhæ odore cepit: folia hujus incisuris divisa esse Dioscorides prodidit: hoc tantum.

6. *Tradunt noctu.*] Hoc ipsum indicavit, lib. 25. sect. 10.

7. *Radix vero.*] Theophr. lib. 9. hist. cap 9

8. *Rubra . . . . rubentes menses.*] Hoc est, sanguinolentum fluorem muliebrem. Diosc. lib. 3. cap. 157. Τῶν δὲ κόκκων οἱ ἐρυθροὶ ιε' ἢ ις' πινόμενοι ἐν οἴνῳ μέλανι αὐστηρῷ, ῥοῦν ἐρυθρὸν ἱστᾶσι.

9. *Nigra.*] Diosc. loc. cit. totidem fere verbis.

10. *Radix*, &c.] Diosc. loc. cit. ad verbum.

11. *Sanat*, &c.] Diosc. loc. cit.

12. *Alvumque.*] Decocta in vino, potaque alvum sisti ait Diosc loc. cit.

13. *Contra malum mentis.*] Contra insaniam Huc pertinet quod habet Apuleius, cap. 64. tit. 1. *Ad lunaticos · Herba Pæonia si lunatico jacenti ligetur in collo, statim se levat sanus. Et si eam secum portaverit, numquam ei hoc malum accidet.*

14. *Sed in medendo quatuor.*] Nam si quis hunc modum excedat, liberalius assumpta Pæonia mentis alienationem facit. Quare Seleucus in Glossis apud Athen. lib. 3. pag. 76. feminas ait eo cibo abstinere, quod fatuitatem affert: φυλάττεσθαι τὰς γυναῖκας ἐσθίειν, διὰ τὸ ποιεῖν μωραίνειν.

15. *Grana nigra.*] Diosc loc. cit. Οἱ δὲ μέλανες καὶ πρὸς τοὺς ὑπὸ ἐφιαλτῶν πνιγμούς. *Quæ vero nigra sunt grana, auxiliantur suppressionibus nocturnis, quas ephialtas vocant*, seu Faunorum ludibria, Auctor libri qui Kirani Kiranidum inscribitur, pag. 19. de Pæonia: *Radix autem ejus suffumigata, vel bibita dæmones expellit, & phantasmata cuncta: gestata autem idem facit.*

16. *Stomachi.*] Ventriculi. Diosc. loc. cit. Στομαχικοῖς τε δηκτικοῖς, ἐσθιόμενοι ὠφελοῦσι.

a ſerpente percuſſis: & pueris contra calculos, incipiente ſtranguria.

LXI. [1] Gnaphalion alii chamæzelon vocant, cujus foliis albis mollibuſque [2] pro tomento utuntur: [3] ſane & ſimilia ſunt. [4] Datur in vino auſtero ad dyſenteriam: ventris ſolutiones menſeſque mulierum ſiſtit. Infunditur autem teneſmo. Illinitur & putreſcentibus hulcerum.

5 LXII. [1] Gallidragam vocat Xenocrates leucacanthe ſimilem, paluſtrem & ſpinoſam, caule ferulaceo, alto, cui ſummo capite inhæret ſimile ovo. [2] In hoc creſcente ætate vermiculos naſci tradunt, quos pyxide conditos adalligari cum pane brachio ad eam partem, qua dens doleat, mireque illico dolorem tolli. Valere non diutius anno, & ita ſi terram non attigerint.

10 LXIII. [1] Holcus in ſaxis naſcitur ſiccis. Ariſtas habet in cacumine, tenui culmo: quale [2] hordeum reſtibile. Hæc circa caput alligata, vel circa lacertum, educit e corpore ariſtas. Quidam ob id ariſtidam vocant.

LXIV. [1] Hyoſiris intubo ſimilis, ſed minor, & tactu aſperior: vulneribus contuſis præclare medetur.

15 LXV. [1] Holoſteon ſine duritia eſt, herba ex adverſo appellata a Græcis, ſicut [2] fel dulce, tenuis uſque in capillamenti ſpeciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen: foliis anguſtis, adſtringens guſtu. Naſcitur in collibus terrenis. [3] Uſus ejus ad convulſa, rupta, in vino pota. Et [4] vulnera quoque conglutinat. Nam & carnes coguntur, addita.

20 LXVI. [1] Hippophæſton naſcitur in ſpinis, ex quibus fiunt [2] æneæ fulloniæ, ſine cauliculo, ſine flore, capitulis tantum inanibus, & foliis parvis, multis, herbacei coloris, radiculas habens albas, molles. [3] Succus earum exprimitur æſtate, ad ſolvendam alvum, tribus obolis, maxime in comitialibus morbis, & tremulis, hydropicis. Contra vertigines, orthopnœas, paralyſes incipientes.

CAP. XI. 25 LXVII. [1] Hypogloſſa folia habet figura ſilveſtris myrti, concava, ſpinoſa, & in his ceu linguas, folio parvo exeunte de foliis. [2] Capitis dolorem corona ex his impoſita minuit.

LXVIII. [1] Hypecoon in ſegetibus naſcitur, foliis rutæ. Natura ejus eadem quæ papaveris ſucco.

LXIX. [1] Idææ herbæ folia ſunt, quæ oxymyrſines: adhærent his velut pampini, in 30 quibus flos. [2] Ipſa alvum, menſeſque, & omnem abundantiam ſanguinis ſiſtit. [3] Spiſſandi cohibendique naturam habet.

LXX. [1] Iſopyron aliqui phaſiolon vocant, quoniam folium, [2] quod eſt aniſo ſimile,

NOTÆ.

Sect. LXI. 1. *Gnaphalion.*] Dioſcor loc. cit. cap. 121. Γναφάλιον ceteraque, quæ Plinius, totidem verbis. Egimus de eo, lib. 24. ſect. 88.

2. *Pro tomento*] Dioſcor. Τούτῳ τοῖς φύλλοις ἀντὶ γναφάλλου χρῶνται. Inde nomen.

3. *Sane & ſimilia ſunt.*] Tomento ſcilicet, quia ſunt alba & mollia. λευκοῖς οὖσι καὶ μαλακοῖς. Dioſc. loc. cit.

4 *Datur*, &c] Dioſc. loc. cit.

Sect LXII. 1. *Gallidragam*] Forte tertia dipſacos Dodonæi, ſeu Virga Paſtoris, picta ab eo, pag. 723. viſa a nobis in horto Regio

2. *In hoc*] Et id quidem de labro Venereo antea indicatum, lib. 25 ſect. 108. Diſſectis ſane dipſaci ſcapis in medulla vermiculos inventos a ſe ſcribit Ruellius, lib. 3. pag. 483.

Sect. LXIII. 1. *Holcus*] Hordeum eſt ſpontaneum ſpurium, pictum a Lobelio, in Obſerv. pag. 18. Adſtipulatorem habemus Aloyſium Anguillara, par. 12. pag. 210 Ab ἕλκω *traho*, quoniam educit ariſtas e corpore. Gramen hordeaceum alii vocant. Vidimus in horto Regio

2 *Hordeum reſtibile.*] Hordeum ſilveſtre, quod & anno ſequente regerminat.

Sect LXIV. 1. *Hyoſiris.*] Sic libri editi, ſic Index: R[illegible] ſeris, ὑόσερις. Nam σέρις intubum eſt, non σῖρις. Niſi forte [illegible] quiſpiam interpreretur, quod vereor ut probari queat In Reg. 1. *hyoſeris*. Ex intuborum ſive cichoriorum genere. Graphice pinxit Jac Zanoni, ex horto Bononienſi, cap. 55. pag. 105. Jaccamque Creticam ſpinoſam vocavit.

Sect. LXV. 1 *Holoſteon*] Ὁλόστεον ex adverſo, hoc eſt, per ἀντίφρασιν, ut vocant, quaſi ὅλον ὀστοῦν, totum oſſeum, quoniam tenuis eſt, ac ſine duritia, quæ vulgo ineſt oſſibus. Iiſdem fere verbis deſcribitur a Dioſc lib. 4. cap 11. Serpentina omnium minima a Lobelio appellatur, in Obſerv. pag 140. a quo & ibi delineatur, qualem in horto Regio vidimus.

2. *Sed dulce.*] Cælius Aurel lib. 3. Chron. initio capitis 1. *Multa*, inquit, *contraria interpretationis vocabulum ſumpſerunt, ut fella, quæ Græci γλυκεῖα vocant, velut dulcia, cum ſint amariſſima.* Et nos vulgo ſic diximus, *Le fiel*, ou *le doux*.

3. *Uſus ejus.*] Dioſc. loc. cit.

4. *Vulnera.*] Dioſc. loc. cit *Carnes & hæc herba cogit atque conglutinat, dum coquuntur addita, & ad rupta in vino propinatur.* Δύναται δὲ καὶ αὐτὴ κρέα συνάγειν συνεψομένη, καὶ πρὸς ῥήγματα σὺν οἴνῳ ποτίζεται. Sic & Galenus, lib. 8. de facult. ſimpl. med pag. 214.

Sect. LXVI. 1. *Hippophæſton.*] Creſcere hoc ait inter ſpinas, ſive eſſe de ſpinarum genere, quibus implentur æneæ cortinæ fulloniæ, ad lavandas poliendaſque veſtes, ut diximus lib. 24. ſect. 68 Dioſc. lib. 4. cap 163. Ἱππόφαιστον, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ταῖς γναφικαῖς ἀκάνθαις.... καὶ αὐτὸ γναφικὸς ἀκάνθης εἶδος ὑπάρχον. E Narbonenſi Gallia ad ſe delatum, quale a Dioſcoride Pliniaque deſcribitur, Ruellius teſtatur, pag. 455. Nobis aliud videre non licuit.

2. *Æneæ fulloniæ*] Sic libri omnes, etiam MSS.

3. *Succus earum*] Radicum videlicet. Dioſc. loc. cit.

Sect. LXVII. 1. *Hypogloſſa*] Dioſcor. lib. 4. cap 131. Ὑπόγλωσσον, &c. ſic enim legendum, non ὑποόγλωσσον Vide Dalecampium, lib. 2 hiſt. plant. pag. 206 & 207. ubi ea delineatur, qualis & a Plinio deſcribitur. Galeno, lib. 8. de fac. ſimp med pag. 238. ὑπόγλωσσον.

2 *Capitis dolorem.*] Dioſcor. loc. cit.

Sect LXVIII. 1. *Hypecoon.*] Totidem verbis Dioſc lib. 4. cap. 68. Ὑπήκοον, &c. Pingitur a Dodonæo, pag. 446. quale in horto Regio vidimus

Sect. LXIX. 1. *Idææ herbæ*] Dioſcor. lib. 4. cap. 44. Ἰδαία ῥίζα, ὀξυμυρσίνῃ τὰ φύλλα ἔοικε· παρ' αὐτὰ δὲ ὡς ἕλικες μικραὶ πεφύκασιν, ἐξ ὧν καὶ τὸ ἄνθος. *Idææ radicis folia oxymyrſinen referunt: juxta ipſa vero exigui ſunt velut pampini, ſeu capreoli, ex quibus etiam flos erumpit.* Frequentem eſſe in Italia, ſed vulgari carere appellatione, ſcribit Anguillara, par. 14. p. 259.

2. *Ipſa alvum.*] Dioſcor. loc cit.

3. *Spiſſandi.*] Adſtringendi. Ἐπὶ σύψιας.

Sect. LXX. 1 *Iſopyron.*] Dioſcor. lib. 4. cap 121. Ἰσόπυρον, οἱ δὲ φασίολον καλοῦσι, διὰ τὸ ἐοικέναι φασιόλῳ, τὸ κατ' ἄκρον τοῦ πετάλου ἕλικος φύσιν. *Iſopyron aliqui phaſiolon vocant, quoniam ad phaſioli ſimilitudinem in ſummo folio pampinum, hoc eſt, claviculam gerat*, phaſeolorum ſimilem Interpres Oribaſii lib 11. 260. *Folium more phaſeolorum in claviculas torquetur.* Herbariis perinde officinisque incognita. Anguillara, parag. 14. pag. 186.

2. *Quod eſt aniſo.*] Dioſcor. loc. cit.

3 in

[3] in pampinos torquetur. Capitula sunt in summo caule renuia, plena seminis [4] melanthii. [5] Contra tussim, & cetera pectoris vitia, ex melle aut aqua mulsa: [6] item jocineri utilissima.

LXXI. [1] Lathytis folia habet multa lactucæ similia, ut capparis: quæ cum inaruere, eximuntur grana piperis magnitudine, candida, dulcia, [2] facilia purgatu. Hæc vicena in aqua pura aut mulsa pota hydropicos sanant. [3] Trahunt & bilem. Qui vehementius purgari volunt, cum folliculis ipsis sumunt ea: nam stomachum lædunt. [4] Itaque inventum est, ut cum pisce aut jure gallinacei sumerentur.

LXXII. [1] Leontopetalon, alii rhapeion vocant, folio brassicæ, caule semipedali: alæ multæ, semen in cacumine, in siliquis, ciceris modo: [2] radix rapo similis, grandis, nigra. Nascitur in arvis. [3] Radix adversatur omnium serpentium generibus ex vino pota: nec alia res celerius proficit. [4] Datur & ischiadicis.

LXXIII. [1] Lycapsos longioribus, quam lactuca, est foliis, crassioribusque. Caule longo, hirsuto, adnatis multis cubitalibus, flore parvo, purpureo. Nascitur in campestribus. Illinitur cum farina hordeacea igni sacro. Sudores in febribus movet, succo aquæ calidæ admixto.

LXXIV. [1] Inter omnes herbas lithospermo nihil est mirabilius. Aliqui [2] ægonychon vocant, alii Diospyron, alii Heracleos. [3] Herba quincuncialis fere, foliis duplo majoribus, quam rutæ, [4] ramulis surculosis, crassitudine junci: gerit juxta folia singulas veluti barbulas, & earum in cacuminibus lapillos candore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia vero lapidea. Ipsi, qua pediculis adhæreant, cavernulas habent, & intus semen. Nascitur & in Italia, sed laudatissimum in Creta. Nec quidquam inter herbas majore quidem miraculo aspexi. Tantus est decor, velut [6] aurificum arte alterne inter folia candicantibus margaritis: tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis. [7] Jacere atque humi serpere auctores tradunt. Ego vulsam, non hærentem vidi. [8] Illis lapillis drachmæ pondere potis in vino albo calculos frangi, pellique constat, & stranguriam discuti. Neque in alia herbarum fides est visu statim, ad quam medicinam nata sit. Est autem ejus species, ut etiam sine auctore visu statim nosci possit.

LXXV. Lapis vulgaris juxta flumina fert muscum siccum, canum. Hic fricatur altero lapide, addita hominis saliva: illo lapide tangitur impetigo. Qui tangit, dicit,

[1] Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ὔμμι διώκει.

LXXVI. [1] Limeum herba appellatur a Gallis, qua sagittas in venatu tingunt medicamento, quod [2] venenum cervarium vocant. Ex hac [3] in tres modios salivati additur,

NOTÆ.

3. *In pampinos.*] Ἕλικας, claviculas, capreolos.

4. *Melanthii.*] Quæ melanthii saporem imitentur, παραπλήσια μελανθίῳ τὴν γεῦσιν. Diosc loc. cit.

5. *Contra tussim*, &c.] Diosc loc. cit.

6. *Item jocineri.*] Diosc. loc cit

Sect. LXXI. 1. *Lathyris.*] Totidem fere verbis Diosc. lib. 4. cap. 167 Λαθυρίς, &c Hæc Cataputia vulgaris est, picta in horto Eistettensi, Ord. 12. fol 2. & apud Dodon. pag. 371. qualem in horto Regio vidimus Nostris, *Espurge*. Subscribit etiam Anguillara, par. 14. pag. 295.

2. *Facilia purgatu.*] Quæ sunt decorticatu facilia. Sic decorticata laudat Diosc. loc. cit. Λεπισθέντα γάλακτι ἢ χλωρὰ ἢ ὕδατι. Sic libro 15. sect 25. castaneas laudat purgabiles maxime & sponte prosilientes Nam quantumvis purgari facile corpora lathyridis granis scribat Galenus, lib. 7 de fac simp. med. pag. 201. animum tamen ægre induxerim, ut eam esse hoc loco Plinii mentem putem.

3. *Trahunt.*] Ἄγει δὲ φλέγμα, ἢ χολὴν, ἢ ὕδωρ. Diosc. loc. cit.

4. *Itaque.*] Diosc. loc. cit.

Sect. LXXII. 1. *Leontopetalon.*] Dioscor. lib. 3. cap. 110. totidem fere verbis, Λεοντοπέταλον, &c. Et in Nothis, pag. 457. οἱ δὲ λεοντόποδιον, οἱ δὲ λεόντειον ... οἱ δὲ ῥαπεῖον, &c. Ipsum est lentopodion, de quo diximus anteriore libro, sect. 34.

2. *Radix rapo.*] Sic etiam Reg. 1. Sic & Diosc. loc. cit. ῥίζα μέλαινα ὁμοία γογγύλῃ.

3. *Radix adversatur.*] Dioscor loc. cit. Ἑρπετοδήκτοις βοηθεῖ.

4. *Datur.*] Dioscor. loc. cit.

Sect. LXXIII. 1. *Lycapsos.*] Totidem verbis & formam & vires Lycopseos describit Diosc. lib. 4 cap. 26 Vidimus in horto Regio, qualem delineat Lobelius, in Observ. pag. 312. Non est Buglossa nostra, ut censuit Anguillara, par. 14. pag. 254 caret enim rubro colore radix. Vide Notas & Observ. num. XI.

Sect. LXXIV. 1. *Inter omnes ..., lithospermo.*] Dioscor. lib. 3. cap. 158 Λιθόσπερμον, οἱ δὲ αἰγόνυχον, οἱ δὲ διόσπυρον, οἱ δὲ ἡρακλεῖον. Διὰ τὸ περὶ τὸ σπέρμα ἰσχυ, ὅθεν καὶ λιθόσπερμον ὠνόμασται. *Alii Heracleam vocant, propter seminis duritiam, a qua & lithospermi nomen accepit*, quod semina scilicet tamquam calculos ferat, candore & rotunditate margaritarum, duritia vero lapidea. Sunt qui Lithospermum istud Plinii ac Dioscoridis arundinareum milii generi adscribant: Lacrymam Jobi recentiores vocant, *Larme de Job*: cujus seminibus nostri pro sphærulis precatoriis, corollas texentes, utuntur. Pingitur a Dodonæo, pag. 497. Vidimus in horto Regio. Nos illud esse potius arbitramur quod lithospermi minoris nomine idem Dodonæus exhibet, pag. 83. In officinis Milium Solis, in Gallia *Gremil* appellatur, ou *l'herbe aux perles*. Huic enim folia sunt rutæ oleæve, illi arundinacea: ramulos istud surculosos habet: illud plane nullos. Et hoc in horto Regio vidimus. Adstipulatur huic sententiæ Anguillara, par. 13 pag 240.

2. *Ægonychon.*] Quasi caprinus unguis. Διόσπυρον, quasi Jovis triticum Diosc. loc. cit. in Nothis, pag. 460. οἱ δὲ Διόσπυρον, quasi a Jove satum.

3. *Herba quincuncialis*] Hoc est, altitudine fere semipedali: nam unciæ duodenæ pedem efficiunt. In nostris regionibus altius paulo assurgit. In quibusdam libris, *quinquecaulis* legitur, forte commodius: tot enim fere mittit a radice surculos.

4. *Quam rutæ.*] Diosc. *quam oleæ*, quod eodem recidit.

5. *Ramulis surculosis.*] Lignosis. Κλωνία δὲ .... πάχος σχοίνου, ξυλώδη, inquit Diosc. loc. cit. *Ramuli ... junci crassitudine .... lignosi.*

6. *Aurificum.*] Aurifex, aurarius faber, *un Orfèvre*.

7. *Jacere .... tradunt.*] Falso. Nisi folia intelligas, quæ in imo a terra exsiliunt, humi jacere: quod Dioscorides dixit: τὰ περὶ τὸν πυθμένα ἐπὶ γῆς κείμενα.

8. *Iis lapillis.*] Dioscor. loc. cit.

Sect. LXXV. 1. Φεύγετε] Hoc est,

Cantharides fugite hinc: vobis lupus improbus instat.

Impetiginem cantharidis nomine appellat, quod ut frumenta cantharis, sic illa corporis membra erodit

Sect. LXXVI. 1. *Limeum .... a Gallis.*] Hodie in Pedemontio nascitur limeum, *Herba terra* ibi nuncupatum, cujus e radice succus elicitur, quem vocant *Medicamen*. Auctor Anguillara, par. 11. pag. 213. Sed & elleboro sagittas tingere solitos esse Gallos dictum est supra, lib. 25. sect. 25.

2. *Venenum cervarium.*] Festus: *Toxicum dicitur cervarium venenum, quo quidam perungere sagittas soliti sunt.* Celsus, lib. 5. cap. 27. *Venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur.*

3. *In tres modios salivati.*] Sic etiam MSS codices. Salva,

quantum in unam sagittam addi solet: ita offa demittitur boum faucibus in morbis. Alligari postea ad præsepia oportet, donec purgentur, insanire enim solent: si sudor insequitur, aqua frigida perfundi.

LXXVII. [1] Leuce Mercuriali similis, nomen ex causa accepit, per medium folium
5 candida linea transcurrente: quare [2] mesoleucon quidam vocant. Succus ejus fistulas sanat: ipsa contrita, carcinomata. Fortassis eadem sit, [3] quæ leucas appellatur, contra omnia marina venena efficax. [4] Speciem ejus auctores non tradunt: nec aliud, quam silvestrem latioribus foliis esse efficaciorem, hanc semine acriorem.

LXXVIII. [1] Leucographis qualis esset, scriptum non reperi: quod eo magis mi-
10 ror, quoniam utilis proditur sanguinem exscreantibus, tribus obolis cum croco: item cœliacis: trita ex aqua & apposita, profluvio feminarum: oculorum quoque medicamentis, & explendis hulceribus, quæ fiunt in teneris partibus corporis.

CAP. XII. LXXIX. [1] Medion folia habet [2] iridis sativæ, caulem tripedalem, & in eo florem grandem, purpureum, rotundum, semine minuto, radicem semipedalem. [3] In saxis opa-
15 cis nascitur. [4] Radix drachmis duabus cum melle menses feminarum sistit, ecligmate per aliquot dies sumpto. [5] Semen quoque in vino, tritum, contra abundantiam feminarum datur.

LXXX. [1] Myosota, sive myosotis, lævis herba, caulibus pluribus ab una radice, aliquatenus rubentibus, concavis, ab imo foliis angustis, oblongis, dorso acuto, nigris
20 per intervalla assidue geminatis, tenuibus cauliculis ex alis prodeuntibus, flore cæruleo. Radix digitali crassitudine multis capillamentis [2] fimbriata. Vis ei septica & exhulceratrix, ideoque [3] ægilopas sanat. Tradunt Ægyptii, mensis [4] quem Thiatin vocant die XXVII. fere in Augustum mensem incurrente, si quis hujus herbæ succo inungatur mane priusquam loquatur, non lippiturum eo anno.

25 LXXXI. [1] Myagros herba ferulacea est foliis similis rubiæ, tripedanea. [2] Semen oleosum, [3] quod & fit ex eo. Medetur oris hulceribus perunctis hoc succo.

LXXXII. [1] Herba quæ vocatur nigina, tribus foliis longis intubaceis, illita cicatrices ad colorem reducit.

LXXXIII. [1] Natrix vocatur herba, cujus radix evulsa virus hirci redolet. Hac
30 in Piceno a feminis abigunt, quos mira persuasione [2] Fatuos vocant: ego species

NOTÆ.

tum potionis genus fuit, quo veterinarii medici utebantur in ægrotantium animalium curatione. Panacis & eryngii radices feniculi seminibus miscebantur: farina præterea molili tritici, milive, aut hordei: eoque medicamine salvabatur ægrotum pecus. Vide Columellam, lib. 6. cap. 5. 10. & 24.

Sect. LXXVII. 1. *Leuce.*] Nondum nostris herbariis cognita Anguillara, par. 12. pag. 220. Alio nomine polium appellatur a Cælio Aurel. lib. 1. Chron. cap. 4. de dolore dentium. *Leuces*, inquit, *quam etiam polium vocant.* Nisi forte leuce alterum sit polii, de quo nos alibi, nomen: quod, ut Plinius ait, lib. 21. sect. 21. *folia sunt ei canis hominis similia.*

2. *Mesoleucon.*] Μεσόλευκον, albo distinctum in medio.

3. *Quæ leucas.*] Λευκὰς, quam adversus serpentes & scorpiones Nicander commendat in Theriac. pag. 60. Perinde ignota nobis: Περὶ ἢ τὸ λευκάδα ἀγνοοῦσιν περὶ ποίας φησι, inquit Scholiastes in eum locum, pag. 39. Ἀσπίδος μέσης τὸ λευκάδα φησι.

4. *Speciem ejus.*] Totidem de leucade verba facit Dioscor. lib. 3. cap. 113.

Sect. LXXVIII. 1. *Leucographis.*] Silybum lacteus est, quo de egimus, lib. 26. sect. 25. Nec Anguillaram audio, qui par. 12. pag. 220. Herbam scriptam, seu virgam auream vocat. Pinetus, & post eum Salmasius, gemmam lapidemque, cui idem nomen est, ut suo loco dicemus, in herbarum albo censuque a Plinio temere hic positam, temere pronunciarunt.

Sect. LXXIX. 1. *Medion.*] Et a Dioscor. lib. 4. cap. 18. ita fere describitur. Μήδιον, &c. Quid vero sit, obscurum est: Lobelio in Adversariis, pag. 127. violam Marianam interpretante: Dodonæo negante, pag. 163. Dioscor. in Nothis, pag. 463. eamdem facit cum Medica, de qua lib. 18. sect. 43. Μήδιον, οἱ δὲ μηδικὴ, οἱ δὲ τρίφυλλον.... Ῥωμαῖοι τριφύλλιον ὀδορίτου. Ignotam sibi ait Anguillara, par. 14. pag. 253.

2. *Iridis sativæ.*] Vel *seridis* potius. Vide Notas & Emend. num. XII.

3. *In saxis.*] Diosc. ἐν παλισκίοις τόποις καὶ πετρώδεσιν.

4. *Radix &c.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

5. *Semen.... contra abundantiam.*] Hoc est, ad pellenda menstrua quæ abundant, seu menses commorantes Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ σπέρμα σὺν οἴνῳ ποθὲν, ἄγει ἔμμηνα. Cui Galenus adstipulatur lib. 7. de fac. simp. med. pag. 207. ubi docet medii semen ac radicem contrario esse temperamento: illa, si quidem austera est, fluorem mulierem cohiberi, isto cieri. Ἡ ῥίζα μὲν ἐφεκτικὴ τῶν γυναικείων· τὸ δὲ σπέρμα κινητικὸν τῶν γυναικείων.

Sect. LXXX. 1. *Myosota.*] Dioscor lib. 2. cap. 214. Μυὸς ὦτα, οἱ δὲ μυὸς ὤτιδα καλοῦσιν, ceteraque, quæ Plinius, totidem plane verbis. Galenus item, lib. 7. de fac. simp. med. pag. 210. Μυὸς ὦτα, ἔνιοι δὲ μυὸς ὦτα. Pingitur a Bauhino, tom. 3 pag. 359. qualem in horto Regio vidimus. In officinis, *Auricula muris*: sed non habet ea omnes myosotidis Plinianæ ac Dioscorideæ notas. Scribonio Largo, Compos. 153. *Auricula murina* nuncupatur, & prodesse dicitur calculosis.

2. *Fimbriata.*] Sic MSS non *fibrata*, ut editi, etsi utrumque perinde hic valet. Fibræ sunt herbarum arborumque minutiores radiculæ, in quas velut extremas, crassiores effusæ sparguntur. Hinc & appellatæ fimbriæ vestium extremitates, quod fibrum antiqui dicebant extremum, si Varroni credimus.

3. *Ægilopas sanat.*] Dioscor. loc. cit. Ταύτης ἡ ῥίζα καταπλασθεῖσα αἰγίλωπας ἰᾶται.

4. *Quem Thiatin.*] Ita libri omnes, tum editi, tum manu exarati: non *Thoth*, ut in Chiffletiano codice legisse in Dalecampius dicit: quemadmodum & mox XXVIII. ubi ceteri omnes constanter habent XXVII. Incidit hic dies XXVII. Thiatis, in diem tertium mensis Augusti, more Romano. Vide quæ diximus in Notis & Emend. ad librum VI. num. LXXXVII.

Sect. LXXXI. 1. *Myagros.*] Dioscor. lib. 4. cap. 17. Μύαγρος.... δίπηχυς, φύλλα ἔχουσα ἐμφερῆ τοῖς τοῦ ἐρυθροδάνου. Galli *Camelinam* vocant, officinæ pleræque sesamum, oleoque hujus utuntur pro sesamino. Ipsum erysimum est, quo de egimus lib. 18. sect. 22.

2. *Semen oleosum.*] Plenum pinguitudinis, ex qua exprimatur oleum.

3. *Quod & fit.*] Subintellige, quod oleum & ex eo fit.

Sect. LXXXII. 1. *Herba.... nigina.*] In Indice, *nyma*. Hoc loco MSS. *nygma*, *nima*, *nygum*, & *nuga* exhibent. Herbariis & officinis incognita.

Sect. LXXXIII. 1. *Natrix.*] Quam herbarii Natricem Plinii nuncupant, delineatur a Lobelio in Observ. p. 493. Quibus vero argumentis hanc esse conjectent, ariolati non vacat.

2. *Fatuos vocant.*] Sic MSS. omnes. Faunus, Fatuus, ἐφιάλτης, incubus, idem plane significant: nocturnos nempe genios, quibus qui mente sunt parum sana, premi se interdum putant. A Fauno Latii Rege, Fatuaque conjuge, de

[3] lymphantium hoc modo animorum esse crediderim, qui tali medicamento juventur.

LXXXIV. [1] Odontitis inter feni genera est, cauliculis densis ab eadem radice, geniculatis, triangulis, nigris. In geniculis folia parva habet, longiora tamen quam polygonon: semen in alis hordeo simile, florem purpureum, pusillum. Nascitur in pratis. Decoctum cauliculorum ejus in vino austero, quantum manus capiat, dentium dolori me- 5 detur, ita ut contineatur ore.

LXXXV. [1] Othonna in Syria nascitur, similis erucæ, perforatis crebro foliis, [2] flore croci: quare quidam anemonen vocaverunt. [3] Succus ejus oculorum medicamentis convenit. [4] Mordet enim leniter & excalfacit, adstringitque siccando. Purgat cicatrices, & nubeculas, & [5] quidquid obstat. [6] Quidam tradunt lavari, atque ita siccatam digeri in 10 pastillos.

LXXXVI. [1] Onosma longa folia habet fere ad tres digitos, in terra jacentia, tria, [2] ad similitudinem anchusæ incisa, sine caule, sine flore, sine semine: [3] Prægnans si edat eam, aut supergradiatur, abortum facere dicitur.

LXXXVII. [1] Onopordon si comederint asini, crepitus reddere dicuntur. Trahit uri- 15 nas & menses: alvum sistit: suppurationes & collectiones discutit.

LXXXVIII. [1] Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos: & in iis folia nigra, ceu lini: semenque in ramulis nigrum initio, dein colore mutato rubescens. Smegmata mulieribus faciunt ex his. [2] Radicum decoctum potum, sanat arquatos. Eædem, priusquam maturescat semen, concisæ, & Sole siccatæ, alvum sistunt. Post maturitatem vero colle- 20 ctæ, & in sorbitione decoctæ, rheumatismis ventris medentur, & per se tritæ ex aqua cælesti bibuntur.

LXXXIX. [1] Oxys folia terna habet. Datur ad stomachum dissolutum. Edunt & qui enterocelen habent.

XC. [1] Polyanthemum, quam quidam batrachion appellant, caustica vi exhulcerat ci- 25 catrices, & ad colorem reducit. Eademque [2] vitiligines concorporat.

XCI. [1] Polygonon Græci vocant, quam nos sanguinariam: non attollitur a terra, foliis rutæ, [2] semine graminis: [3] succus ejus infusus naribus supprimit sanguinem: [4] & potus cum vino, cujuslibet partis profluvium, [5] exscreationesque cruentas inhi-

NOTÆ.

quibus Justinus, lib. 43. nomen his datum. Qui viros aggredi existimati sunt, ii Fauni: qui mulieres, Fatui dici consueverunt. Vide Lactant. lib. 1. cap. 22. & Servium in lib. 6. Æneid. ad eum versiculum,

Pometios, castrumque Inui.

Et in lib. 7. ad istum,

Hunc Fauno & Nympha genitum, &c.

Quin etiam in fragmento Festi Farnesiano Faunus a nonnullis veterum Fatuus dicitur appellatus. *Is*, inquit, (de Pico loquitur,) *regem Fatuum, Faunum alii quem vocant, & Fatuam procreavit.*

3. *Lymphantium hoc modo.*] Hominum falso existimantium se ab ejusmodi incubu premi: qui homines tali medicamento juvantur.

Sect. LXXXIV. 1. *Odontis.*] Rectius fortasse ὀδοντίτις, inde nomen habens, quod decoctum in vino dolores dentium mitiget: nam ὀδοὺς dentem sonat.

Sect. LXXXV. 1. *Othonna.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap. 213. Ὄθοννα .... γεννᾶται δὲ αὕτη καὶ ἐν τῇ κατ' Αἴγυπτον Ἀραβίᾳ· ἔχει δὲ τὰ φύλλα ἐοικότα ἐρύσιμῳ, πολύτρητα ὥσπερ σεσινωμένα, &c. *Nasci aiunt in eo Arabiæ tractu, qui ad Ægyptum spectat. Habet folia erucæ proxima, crebro perforata, & tanquam a tineis perousa*, &c. Ex eodem Diosc. Pintianus legit *cribro* pro *crebro*: quod nec Plinii stilum sapit, neque apud Dioscoridem exstare, si Græce legisset, ipse intellexisset. Quid porro sit Othonne nec scit Anguillara, par. 11. pag. 181. neque alii sciunt. Lobelius in Notis MSS. ad eum librum ait esse florem Africanum.

2. *Flore croci.*] Diosc, loc. cit. Ἄνθος δὲ φέρει κρόκινον, πλατύφυλλον· ὅθεν ἔδοξαν ἀνεμώνης αὐτὸ εἶδος εἶναι.

3. *Succus ejus.*] Diosc. loc. cit.

4. *Mordet enim &c.*] Dioscor. loc. cit.

5. *Quidquid obstat.*] Quidquid oculis offundit caliginem, πάντα τὰ ἐπισκοτοῦντα ταῖς κόραις.

6. *Quidam.*] Quidam hunc succum, sive humorem qui ex herba manat, elotum, semotis lapillis, in pastillos ad oculorum medicamenta digerunt.

Sect. LXXXVI. 1. *Onosma.*] Sic fere Diosc. lib. 3. cap. 147. περὶ ὀνόσματος. Nihil porro aliud onosma esse censuerim, præter anchusam degenerem: quæ, ut in aliis quoque generibus herbarum accidit, viribus exhaustis biennio trienniove florem fructumve nullum edat.

2. *Ad similitudinem &c.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit.

3. *Prægnans &c.*] Diosc ad verbum, loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 215.

Sect. LXXXVII. 1. *Onopordon.*] Apud Hesych. ὀνόπορδον mendose, pro ὀνόπορδον, διὰ τὸ ὄνον πορδεῖν, a crepitu ventris. Carduum tomentosum appellat. Lobelius in Observ. pag. 482 Coronam fratrum herbarii: Galli servata Græci nominis significatione, *Pet d'Asne*. Vidimus in horto Regio. Calabris, Siculisque etiamnum *Anapordo*, teste Anguillara, par. 8. pag. 145.

Sect. LXXXVIII. 1. *Osyris.*] Totidem fere verbis, eadem certe sententia Diosc. lib 4. cap. 143. Ὄσυρις, φρύγανον μέλαν, &c. Scopæ ex ea olim fieri solitæ, & nunc plerisque locis fiunt: unde Linaria scoparia a nonnullis appellatur: a nostris, Italisque, *Belvedere*. Patavii, *le Scope di Padova*, teste Anguillara, par. 14. pag. 290. Vidimus in horto Regio, qualis a Dodonæo pingitur, pag. 101.

2. *Radicum.*] Diosc loc. cit.

Sect. LXXXIX 1. *Oxys.*] Ὀξύς. Pingitur a Lobelio in Observ pag. 495. Officinæ Trifolium acetosum vocant, Galli Panem cuculi, *Pain de cocu*, & *Alleluia*. Appellationum causas declarat Dodonæus, a quo pariter delineatur, pag. 568. Vidimus in horto Regio.

Sect. XC. 1. *Polyanthemum.*] Ranunculus ipse est, quo de egimus lib 25. sect. 109.

2. *Vitiligines concorporat.*] Vitiligines delet, redditque cuti suum colorem, reliquo corpori parem.

Sect. XCI. 1. *Polygonon.*] Hæc totidem verbis Marcellus Empir. cap. 9. pag. 80 Ipsa proserpinaca est, de qua diximus iterum sect 104. Apuleius, cap. 18. de proserpinaca, sive polygono. *Polygonon alii .... polygonaton, ... Romani sanguinariam, Itali proserpinacam.* Celsus, lib. 2. cap. 33. *Herba sanguinalis, quam Græci polygonon vocant.* Sanguinalem pariter vocat Columella, lib. 6. cap. 12. pag. 213 Sanguinariam, lib. 7. cap 5. pag. 263. Et Dioscor. in Nothis, pag 462. Πολύγονον ἄρρεν, ... Ῥωμαῖοι σαγγουινάλιε, οἱ δὲ προσερπινάκα, pro προσερπινάκα. Gallis, a frequentia nodorum, seu geniculorum, *Renouée*.

2. *Semine graminis.*] Semine cujusmodi in gramine cernitur, nempe triangulari.

3. *Succus ejus.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 83. Scribonius Largus, cap. 7. *ad sanguinis eruptionem de naribus*, Compos. 46. *Inicere autem intus narem aut nares oportebit .... herbam, quæ quia multa est, & ubique nascitur, πολύγονον appellatur.*

4. *Et potus.*] Dioscor. lib. 4. cap. 4. Apuleius cap. 18. de proserpinaca, tit. 1. *Ad eos qui sanguinem rejiciunt: Herba proserpinaca succum cum vino optimo austero* &c. Polygonum ad eos usus commendat & Marcellus Empir. cap. 17. pag. 124.

5. *Exscreationesque.*] Celsus, lib. 3. cap. 22.

bet. Qui plura genera polygoni faciunt, [6] hanc marem intelligi volunt, appellarique a multitudine feminis, aut densitate fruticis [7] calligonon. [8] Alii polygonaton, a frequentia geniculorum: alii teuthalida, alii carcinethron, alii clema, multi myrtopetalon. [9] Necnon inveniuntur, qui hanc feminam esse dicunt: marem autem majorem, minusque nigram, & geniculis densiorem, semine sub omnibus foliis turgescentem. Quocumque hæc modo se habeant, [10] vis earum est spissare ac refrigerare. [11] Semina alvum solvunt: largius sumpta urinam cient, rheumatismos cohibent: qui si non fuere, non prosunt. [12] Stomachi fervori folia imponuntur: vesicæ dolori illinuntur, [13] & ignibus sacris. [14] Succus & auribus purulentis instillatur, [15] & oculorum dolori per se. [16] Datur & in febribus ante accessiones duobus cyathis in tertianis, quartanisque præcipue: [17] item cholericis, dysentericis, & in solutione stomachi. [18] Tertium genus oreon vocatur, in montibus nascens, arundini teneræ simile, uno caule, densis geniculis [19] & in se fractis, foliis autem piceæ, radicis supervacuæ, inefficacius quam superiora. Peculiare ischiadicis. [20] Quartum genus silvestre appellatur, pæne arboris modo frutex, radice lignosa, stirpe cedri rubicundo: ramis spatii, binûm palmorum, nigris geniculorum ternis quaternisve articulis. Huic quoque spissandi natura, sapor mali cotonei. Decoquitur in aqua ad tertias, aut aridi farina inspergitur & oris hulceribus & attritis partibus. Propter gingivarum vero vitia commanducatur. Nomas sistit, omniaque quæ serpunt, aut difficilem cicatricem habent. Privatim vero sanat a nive facta hulcera. Herbarii & ad anginas utuntur illa: & in capitis dolore coronam ex ea imponunt: [21] & contra epiphoras collo circumdant. In tertianis quidam sinistra manu evulsam adalligant: adeo contra profluvia sanguinis, nec ullam magis aridam quam polygonum, servant.

XCII. [1] Pancration aliqui scillam pusillam appellare malunt, foliis albi lilii, longioribus crassioribusque, radice bulbi magni, colore ruso. [2] Alvum solvit succo, cum farina ervi sumpto: hulcera purgat. [3] Hydropicis splenicisque cum melle datur. [4] Alii decoquunt eam, donec aqua dulcis fiat: eaque effusa radicem terentes digerunt in pastillos Sole siccatos: & postea uruntur ad capitis hulcera, & cetera quæ repurganda sunt. [5] Item ad tussim, quantum tribus digitis apprehenderint, in vino dantes: & ad lateris dolores, aut peripneumonicis ecligmate. Dant & propter ischiada in vino bibendum, & propter tormina, mensesque ciendos.

XCIII. [1] Peplis, quam aliqui sycen, alii meconion, alii mecona aphrode vocant, ex una radice tenui fruticat, foliis rutæ paulo latioribus, semine sub foliis rotundo, minore quam candidi papaveris. [2] Inter vites fere colligitur messibus: siccaturque cum fructu suo, [3] subjectis, in quæ excidat. [4] Hoc potio alvus solvitur, bilis ac pituita detrahitur. [5] Media potio est acetabuli mensura, in aquæ mulsæ heminis tribus. [6] Et cibis inspergitur obsoniisque ad molliendam alvum.

XCIV. [1] Periclymenos fruticat & ipsa, ex intervallo duo folia habens, subcandida, mollia. In cacumine autem semen inter folia durum, & quod difficile vellatur. [2] Nascitur in arvis ac sepibus, convolvens se adminiculis quibuscumque. [3] Semen ejus in umbra

NOTÆ.

6. *Hanc marem.*] Recte illi quidem. Pingitur a Dodonæo, pag. 113. polygonum mas, quale in horto Regio vidimus

7. *Calligonon.*] In Reg. 1. fortasse sincerius, *callipogona*, καλλιπώγωνα, densitatem fruticum ea voce μεγαλοφόρως indicante, ex similitudine barbæ. Sic etiam Index in eodem cod. pro *thalassius*, quæ vox ibi nihili esse videtur.

8. *Alii polygonaton.*] Diosc. in Nothis, pag. 462. Οἱ δὲ πολυγόνατον, .. οἱ δὲ καρκίνωθρον, οἱ δὲ τευταλίδα, οἱ δὲ κλῆμα, οἱ δὲ μυρτοπέταλον. Habet & hæc nomina Oribasius, lib. 12. pag. 212. Apuleius quoque, carcinethron & myrtopetalon vocat, a foliorum myrti similitudine.

9. *Necnon inveniuntur*] Diosc. totidem verbis, loc. cit.

10. *Vis earum est spissare.*] Adstringere. Δύναμιν δ' ἔχει στυπτικὴν, ψυκτικὴν, &c.

11. *Semina.*] Has succo epoto vires Dioscorides attribuit, loc. cit.

12. *Stomachi &c.*] Diosc. loc. cit.

13. *Et ignibus sacris.*] Πρὸς ἐρυσιπέλατα Diosc. loc. cit.

14. *Succus & auribus.*] Marcellus Empir. cap. 9 pag. 75. & 80. Apuleius, cap. 18 tit. 5. *Ad aurium dolorem: Herba proserpinacæ succus tepefactus, & auribus instillatus, mirifice dolorem tollit. Nos ipsi experti sumus. Tamque potenter proficit, ut & hulcera quoque aurium sanet.* Sic etiam Diosc. loc. cit.

15. *Et oculorum dolori.*] Apuleius, loc. cit. tit. 4.

16. *Datur.*] Dioscor. loc. cit. & Apuleius, loc. cit. tit. 7. *Ad quartanas.*

17. *Item cholericis &c.*] Dioscor. loc. cit.

18. *Tertium.*] Ὀρεινὸν, montanum. Polygonon femina Dioscoridis est, lib. 4 cap. 5.

19. *Et in se fractis.*] Vide Notas & Emend. num. XIII.

20. *Quartum genus.*] Demonstratum hoc sibi genus olim fuisse Ruellius testatur, pag. 582. Ceteris herbariis prorsus ignotum. Forte hic legendum, *Peculiare ischiadicis quartum genus*, &c.

21. *Et contra epiphoras.*] Oculorum videlicet. Vide Apuleium, loc. cit. tit. 4.

Sect. XCII. 1. *Pancration.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap. 203. Παγκράτιον, οἱ δὲ καὶ τοῦτο σκίλλαν ὀνομάζουσι, &c. Apuleius, cap. 42. *A Græcis dicitur scilla . . . alii pancration . . . . Itali scillam rubram, masculam, alii bulbum scillicum, sive scilliticum appellant.* Est hæc scilla radice rubra, sive pancratium a Clusio delineatum, lib. 2. histor. rar. plant. pag. 172. In Cephalenia vocatur *Cepolla canina*, inquit Anguillara, par. 7. pag. 120

2. *Alvum &c.*] Diosc. loc. cit. ad verbum.

3. *Hydropicis &c.*] Dioscor. loc. cit. & Apuleius, cap. 42. tit. 1.

4. *Alii decoquunt.*] Diosc. lib. 2. cap. 202.

5. *Item ad tussim &c.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XCIII. 1. *Peplis.*] Sic MSS. tum hoc loco, tum in Indice. Dioscoridi tamen lib. 4 cap. 168. Πέπλον, οἱ δὲ συκῆν, οἱ δὲ μήκωνα ἀφρώδη καλοῦσι, ceteraque, quæ Plinius, totidem verbis: ut & Oribasius, lib. 12 pag. 211. Egimus de eo, lib. 20. sect. 79.

2. *Inter vites &c.*] Diosc. & Oribas. locis cit.

3. *Subjectis.*] Subintellige, vasis, tabulisve, vel linteis.

4. *Hoc poto.*] Diosc. loc. cit.

5. *Media.*] Justa ac moderata, Diosc. loc. cit.

Sect. XCIV. 1. *Periclymenos.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 4. cap. 14. Clymenos ipsa est, qua de egimus lib. 25. sect. 33.

2. *Nascitur &c.*] Dioscor. loco proxime citato.

3. *Semen ejus.*] Diosc. loc. cit.

ficcatum tunditur & in pastillos digeritur. [4] Hi resoluti dantur in vini albi cyathis tribus, tricenis diebus ad lienem: eumque urina cruenta, aut per alvum absumit: quod intelligitur a decimo statim die. [5] Urinam cient & folia decocta: quæ & orthopnoicis prosunt. [6] Partum quoque adjuvant, secundasque pellunt pota simili modo.

XCV. [1] Pelecinum in segetibus diximus nasci, fruticosum cauliculis, foliis ciceris. Semen in siliquis fert, corniculorum modo aduncis, ternis quaternisve, quale gith [2] novimus, amarum, stomacho utile. [2] Additur in antidota.

XCVI. [1] Polygala palmi altitudinem petit, in caule summo foliis lenticulæ, gustu adstricto: quæ pota lactis abundantiam facit.

XCVII. [1] Poterion, aut (ut alii vocant) phrynion, vel neurada, large fruticat, spinis retorrida, lanugine spissa, foliis parvis, rotundis, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, [2] flore longo, herbacei coloris: seminis nulli usus, sed gustu acuto & odorato. Invenitur in aquosis collibus. [3] Radices habet duas aut tres, binûm cubitorum in altitudine, nervosas, candidas, firmas. Circumfoditur autumno: [4] præciso frutice dat succum gummi similem. [5] Radix mira vulneribus sanandis traditur, præcipueque nervis vel præcisis illita. [6] Decoctum quoque ejus cum melle potum dissolutiones nervorum, & infirmitates, & incisuras juvat.

XCVIII. [1] Phalangites, a quibusdam phalangion vocatur, ab aliis [2] leucanthemon, vel (ut in quibusdam exemplaribus invenio) leucacantha. Ramuli sunt ei numquam pauciores duobus, in diversa tendentes: flos candidus: lilio rubro similis, semine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiæ figuram, multo tenuiore, radice tenui herbacei coloris. Hujus folio vel flore vel semine auxiliantur contra scorpionum, phalangiorumque, & serpentium ictus: item contra tormina.

XCIX. [1] Phyteuma quale sit, describere supervacuum habeo, cum sit usus ejus tantum ad amatoria.

C. [1] Phyllon a Græcis vocatur herba in saxosis montibus, semina magis herbacei coloris, caule tenui, radice parva, semine rotundo, papaveris simili. Hæc sui sexus facit partus: mares autem semine tantum differens, quod est incipientis olivæ. Utrumque bibitur in vino.

CI. [1] Phellandrion nascitur in palustribus, folio apii. Bibitur semen ejus propter calculos & vesicæ incommoda.

CII. [1] Phalaris thyrsum habet longum, tenuem, ceu calamum, in summo florem inclinatum: [2] semen simile sesamæ. Et hoc calculos frangit, potum ex vino vel aceto cum melle & lacte. [3] Idem & vitia vesicæ sanat.

CIII. [1] Polyrrhizon folia habet myrti, radices multas. Hæ tusæ dantur in vino contra serpentes: prosunt & quadrupedibus.

CIV. [1] Proserpinaca herba vulgaris est, eximii adversus scorpiones remedii. Eadem contrita, addita muria [2] & oleo e mænis, anginam eximie curari tradunt. Præterea & in

NOTÆ.

4. *Hi resoluti .... tricenis.*] Dioscorides, quadragenis. Sed idem a sexto die cruentam agi urinam monet, ἐκ ἕκτης ἡμέρας αἱματώδη.

5. *Urinam .... prosunt.*] Hæc pariter Diosc. loc. cit.

6. *Partum &c.*] Diosc loc. cit

Sect. XCV. 1. *Pelecinum in segetibus.*] In tractatione segetum, lib. 18 sect. 44 Habet hæc Oribasius totidem verbis, lib. xi. pag. 198. post Diosc. lib. 3. cap. 146. Inter triticum & hordeum nascitur.

2. *Additur.*] Dioscor Μίγνυται ἐν ἀντιδότοις. In antidotum certe Mithridaticam additur ab Antipatro & Cleophanto, apud Galenum, lib. 2. de antidotis, pag. 898. Πελεκίνου σπέρματος < β'.

Sect. XCVI. 1. *Polygala.*] Dioscorides, totidem verbis, lib. 4. cap 142. Πολύγαλον θαμνίσκος ἐστὶ σπιθαμιαῖος, ἔχει φύλλα φακοειδῆ, γεύσει ὑποστύφοντα· ποθὲν δὲ γάλα δοκεῖ πλεῖον ποιεῖν. Sic etiam Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 221. Creditur esse flos ambarvalis, pictus a Dodonæo, pag. 253 quem vidimus in horto Regio.

Sect. XCVII. 1 *Poterion.*] Totidem plane syllabis Dioscor. lib. 3. cap. 17. Ποτήριον, θάμνος ἐστὶ παχὺς ἁπαλοῖσιν, &c. *Masino da Greci* vocant in Cypro, inquit Lobelius in notis MSS. ad Anguillaram, par. 8 pag. 145.

2. *Flore longo.*] Diosc. *flore exiguo*, ἄνθη μικρά.

3. *Radices &c.*] Diosc. loc cit

4. *Et præciso &c.*] Diosc loc. cit.

5. *Radix mira &c.*] Diosc. loc. cit. & Galenus, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 213.

6. *Decoctum quoque.*] Diosc. loc cit.

Sect. XCVIII. 1. *Phalangites.*] Totidem verbis formam viresque phalangii describit Dioscor. lib 3. cap. 111. Φαλάγγιον, οἱ δὲ φαλαγγίτην, οἱ δὲ καὶ τοῦτο λευκάκανθον, καλοῦσι, &c. Ignotum herbariis, ut Anguillara fatetur, par. 12. pag. 222.

2. *Leucanthemon.*] A flore candido.

Sect. XCIX. 1. *Phyteuma*] A Dioscoride describitur, lib. 4. cap. 130. & ad amatoria pariter prodesse dicitur, Φύτευμα &c. Antirrhinon silvestre illud est, quod Dodonæus delineavit, pag. 182.

Sect. C. 1. *Phyllon.*] Duo sunt hujus genera, mas, feminaque: arsenogonon, & thelygonon vocant: de quibus egimus libro superiore, sect. 91. Habet hæc porro Dioscorides totidem verbis, lib. 3. cap. 140 etsi vitiatum Dioscoridis contextum existimat Anguillara, par. 13. pag. 302.

Sect. CI. 1. *Phellandrion.*] Est illud sio seu palustri apio affine, a Dodonæo delineatum, pag 580 Apud nostros nomen non habet: officinis ipsis incognitum.

Sect. CII. 1. *Phalaris*] Dioscoridi Φαλαρὶς, lib 3. cap. 159. Galeno, lib. 8. de simp. med. pag. 239. Φαληρίς. Pingitur a Lobelio, in Observ pag 26. qualem in horto Regio vidimus, triplicis modi: semine albo, nigro, &, ut vocant, griseo.

2. *Semen .... sesamæ*] Magnitudine milii, ut Diosc. ait.

3. *Idem & vitia*] Scilicet ex aqua potum, cochlearis mensura, inquit Diosc. loc. cit. & Galenus item loc. cit.

Sect. CIII. 1. *Polyrrhizon.*] Herbariis & officinis ignota. Cave enim cum aristolochiæ genere eo confundas, quod polyrrhizon pariter nuncupatur, lib 25 sect 54

Sect. CIV. 1. *Proserpinaca.*] Quæ & polygonon, de qua diximus sect 91.

2. *Et oleo e mænis.*] Mæna genus est piscium, de quo lib. 31. sect 53. Ex eo garum præcipuæ commendationis fuit. Vide Notas & Emend. num. XIV.

quantalibet lassitudine recreari defessos, etiam cum [3] obmutuerint, si subjiciatur linguæ. Si devoretur, vomitionem sequi salutarem.

C V. [1] Rhacoma affertur ex his, quæ supra Pontum sunt, regionibus. [2] Radix costo nigro similis, minor & rufior paulo, sine odore, [3] calfaciens gustu & adstringens. [4] Eadem trita vini colorem reddit, ad crocum inclinantem. [5] Illita collectiones inflammationesque sedat: vulnera sanat: epiphoras oculorum sedat ex passo illita: [6] insignita cum melle, & alia liventia ex aceto. Farina ejus inspergitur contra cacoëthe, [7] & sanguinem rejicientibus drachmæ pondere in aqua. [8] Dysentericis etiam & cœliacis, si febri carent, in vino: sin aliter, ex aqua. Facilius teritur, nocte antecedente madefacta. Datur & decoctum ejus bibendum duplici mensura ad rupta, convulsa, contusis, ex sublimi devolutis. Si pectoris sint dolores, additur piperis aliquid & myrrhæ: si dissolutio stomachi, ex frigida aqua sumitur: sic & in tussi vetere, ac purulentis exscreationibus: [9] item hepaticis, splenicis, ischiadicis: [10] ad renum vitia, suspiria, orthopnœas. Arteriæ scabritias sanat ex passo, tribus obolis potis trita, aut decoctum ejus. [11] Lichenas quoque ex aceto imposita sanat. [12] Bibitur contra inflationes, & [13] perfrictiones, febres frigidas, singultus, tormina, [14] asperitates, capitis gravitates, melancholicas vertigines, lassitudinum dolores, & [15] convulsiones.

C V I. Circa Ariminum nota est herba, quam [1] resedam vocant. Discutit collectiones, inflammationesque omnes: qui curant ea, addunt hæc verba: [2] Reseda morbos reseda, [3] scisne, scisne quis hic pullos egerit? radices nec caput, nec pedes habeant. Hæc ter dicunt, totiesque despuunt.

C V I I. [1] Stœchas in insulis tantum ejusdem nominis gignitur, odorata herba, coma hyssopi, amara gustu. Menses ciet potu; pectoris dolores levat. [2] Antidotis quoque miscetur.

CAP. XIII. C V I I I. [1] Solanum Græci strychnon vocant, ut tradit Cornelius Celsus. [2] Huic vis reprimendi, refrigerandique.

C I X. [1] Smyrnion caulem habet apii, folia latiora, & maxime circa stolones multos, quorum a sinu exsiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato, & cum quadam acrimonia jucundo, colore in luteum languescente, [2] capitibus caulium orbiculatis, ut anethi; semine rotundo, nigro, quod arescit incipiente æstate. [3] Radix quoque odorata, gustu acri mordet, succosa, mollis. [4] Cortex foris niger, intus pallidus. Odor myrrhæ habet qualitatem: unde & nomen. [5] Nascitur & in saxosis collibus, & in terrenis. [6] Usus ejus excalfacere. Urinam & menses cient folia & radix. Semen alvum sistit. [7] Radix collectiones & suppurationes non veteres, item duritias discutit illita. Prodest & con-

NOTÆ.

3. *Obmutuerint.*] Cum vox lassitudine defecerit.

Sect. C V. 1. *Rhacoma.*] Frequentius Rha Ponticum appellatur. Diosc. lib. 3. cap. 2. *Ῥᾶ, οἱ δὲ ῥῆον καλοῦσι, γίνεται ἐν τοῖς ὑπὲρ Βόσπορον τόποις*, &c. Legitimum Rha Ponticum, iisdem insignitum notis, quas Dioscorides Pliniusque commemorant, pictum a Prospero Alpino, lib. de plantis Exot. cap. 5. pag. 187. vidimus in horto Regio. An vero pro *Rhacoma* Plinius Rheucyma, *Ῥέα κύμα*, vel *Ῥᾶ κυμα*, Rhacyma scripserit, hoc est, Rha Pontici teneriorem cauliculum, haud vacat excurrere scrupulosius. In Indice certe *Rhacoma*, unde unde vox ea fluxerit.

2. *Radix.*] Centaurio majori similem facit Dioscorides, loco citato; & foris nigram: *Ῥίζα ἔξωθεν μέλαινα, κενταυρίῳ τῷ μεγάλῳ ἐοικυῖα*, &c.

3. *Calfaciens gustu & adstringens.*] Adstringens cum aliquo calore, inquit Diosc. loco cit. *Στυπτικὴ μετὰ ποιᾶς θερμασίας.*

4. *Eadem trita.*] Diosc. loc. cit.

5. *Illita.*] Diosc. loc. cit.

6. *Insignita.*] De hac voce diximus sect. 5.

7. *Et sanguinem rejicientibus.*] Dioscor. & Galenus, locis citatis.

8. *Dysentericis, &c.*] Auctores proxime appellati.

9. *Item hepaticis, &c.*] Diosc. loco cit.

10. *Ad renum, &c.*] Diosc. & Galenus, locis cit.

11. *Lichenas*] Diosc loc. cit.

12. *Bibitur contra.*] Hæc omnia Diosc. loco cit. *Ποιεῖ δὲ πινόμενον πρὸς ἐμπνευματώσεις, στομάχου ἀτονίαν, ἄλγημα παντοῖον, σπάσματα, σπληνικοῖς, ἡπατικοῖς, νεφριτικοῖς, στροφώδεσι, καὶ τὰ περὶ κύστιν, καὶ θώρακα, ὑποχονδρίων τάσεις, καὶ τὰ περὶ ὑστέραν πάθη, ἰσχιάδι, αἵματος πτύσεσι, ἀσθματικοῖς, λυγμοῖς, δυσεντερίαις, κοιλιακαῖς διαθέσεσι, καὶ περιόδοις, καὶ θηρίων δήγμασι.*

13. *Perfrictiones*] Horrores febrium, *τὰ ῥίγη.*

14. *Asperitates.*] Interaneorum seu hypocondriorum distentiones, *ὑποχονδρίων τάσεις.* Vide Notas & Emendationes, num. XV.

15. *Convulsiones.*] *Τὰ σπάσματα.*

Sect. C V I. 1. *Resedam vocant.*] Pingitur a Lobelio in Advers. pag. 76. qualem in horto Regio vidimus. Belgis Eruca peregrina, vel Cantabrica dicitur.

2. *Reseda.*] O reseda, morbum seda ac remitte, &c.

3 *Scisne.*] Forte rectius, ex Reg. & Chiffl. *Scisne, quis hic pullus egerit radices? nec pedes, nec caput habeat.* Pullum, credo, *μελαγχολικῶς*, collectionem seu apostema vocat, cui reseda imponitur.

Sect. C V I I. 1. *Stœchas*] Totidem fere verbis Dioscor. lib. 3. cap. 31. *Στοιχὰς φύεται μὲν ἐν ταῖς κατὰ Γαλατίαν νήσοις ἀντικρὺ Μασσαλίας, καλουμέναις δὲ Στοιχάσι*, &c. Ab aliis *στιχὰς* scribitur De his insulis egimus in Geographicis, lib. 3. sect. xi. Petrus Quiqueran lib 2. de laud. Provinc, fol 59. ait Turcicam classem, cum circa Massiliæ litora superiore sæculo staret, hac herba quotidie triremes onerasse, exprobrantibus identidem Turcis, cæcos indigenas esse, qui sua bona non nossent. Genera duo stœchadis, picta a Lobelio, in Observ. pag 234. & a Clusio, lib 3. histor. rarior. plant. pag. 344 Vidimus in horto Regio.

2. *Antidotis.*] Diosc. loco cit. Miscetur sane theriacæ e viperis confectæ, ab Andromacho juniore apud Galenum, lib. 1. de Antidotis, cap. 7 pag 878. *Στοιχάδος ἀνὰ > ς'.*

Sect C V I I I. 1. *Solanum.*] Egimus de eo, lib. 21. sect. 105. Celsus, lib. 2 cap. 33. cui titulum fecit, *Quæ res corpus aut erodant, aut reprimant, aut refrigerent*, &c. *Solanum*, inquit, *quam στρύχνον Græci vocant.*

2. *Huic vis.*] Diosc lib 4. cap. 71. *Δύναμιν δὲ ἔχει ψυκτικήν.*

Sect. C I X. 1. *Smyrnion.*] De eo pariter diximus, libro 19. sect. 48. & 62. Tota hæc porro smyrnii descriptio totidem plane verbis legitur apud Diosc. lib. 3. cap. 79.

2. *Capitibus caulium.*] Supra caulem positam umbellam, ut anethum, gerit: *σκιάδιον ἐπὶ τοῦ καυλοῦ ἀνηθώδες.*

3. *Radix quoque*] Diosc. loco cit.

4. *Cortex.*] Diosc. loco cit.

5. *Nascitur*] Diosc. loco cit.

6. *Usus ejus.*] Diosc *Δύναμιν δὲ ἔχει ἡ ῥίζα, καὶ ἡ πόα, καὶ ὁ καρπὸς θερμαντικήν.*

7. *Radix collectiones, &c.*] Diosc. loco cit.

tra phalangia ac serpentes, admixto cachry aut polio, aut melissophyllo, in vino pota: [8] sed particulatim, quoniam universitate vomitionem movet. Qua de causa aliquando cum ruta datur. [9] Medetur tussi & orthopnœæ semen, vel radix: [10] item thoracis, aut lienis, aut renum, aut vesicæ vitiis. Radix autem ruptis, convulsis. Partus quoque adjuvat, & secundas pellit. [11] Datur & ischiadicis cum crethmo in vino. [12] Sudores ciet & ructus, ideo inflationem stomachi discutit. [13] Vulnera ad cicatricem perducit. Exprimitur & succus radici, utilis seminis, & [14] thoracis præcordiorumque desideriis: calfacit enim, concoquit, & purgat: [15] Semen peculiariter hydropicis datur potu: quibus & succus illinitur: [16] & malagmate e cortice arido. Et ad obsonia utuntur cum mulso & oleo, & garo, maxime in elixis carnibus. [17] Sinon concoctiones facit, sapore simillima piperi. Eadem in dolore stomachi efficax.

CX. [1] Telephion portulacæ similis est & caule & foliis. [2] Rami a radice septeni octonive fruticant, foliis crassis, carnosis. [3] Nascitur in cultis, & maxime inter vites. [4] Illinitur lentigini: & cum inaruit, deteritur. [5] Illinitur & vitiligini, ternis fere mensibus, senis horis noctis aut diei: postea farina hordeacea illinitur. Medetur & vulneribus & fistulis.

CXI. [1] Trichomanes [2] adianto similis est, exilius modo, nigriusque, foliis lenticulæ densis, amaris, adversis inter se. [3] Decoctum ejus strangurias sanat in vino albo potum, addito cumino rustico. [4] Illitum cohibet capillos defluentes: aut si effluxerint, reparat. [5] Alopeciasque densat tritum, & in oleo illitum. Sternumenta quoque gustatu movet.

CXII. [1] Thalitruum folia coriandri habet, pinguiora paulo, caulem papaveris. Nascitur ubique, præcipue in campestribus. Medentur hulceribus folia cum melle.

CXIII. [1] Thlaspi duorum generum est: angustis foliis, digitali longitudine & latitudine, in terram versis, in cacumine divisis, cauliculo semipedali, [2] non sine ramis, [3] peltarum specie: semine incluso lenticulæ effigie, [4] nisi quod infringitur, unde nomen. [5] Flos albicat. [6] Nascitur in semitis & sepibus. [7] Semen asperi gustus, bilem & pituitam [8] utrimque extrahit. [9] Modus sumendi, acetabuli mensura. [10] Prodest & ischiadicis infusum, donec sanguinem trahat. Menses quoque ciet, sed partus necat. [11] Alterum thlaspi, aliqui Persicum napy vocant, latis foliis, radicibus magnis, & ipsum utile ischiadicorum infusioni. Prodest & inguinibus utrumque. Præcipitur, ut qui colligit, dicat sumere se contra inguina, & contra omnes collectiones, & contra vulnera, unaque manu tollat.

CXIV. Trachinia herba qualis sit, non traditur. Credo & falsum esse promissum Democriti. Portentosum enim est adalligatam triduo absumere lienes.

CXV. [1] Tragonis, sive tragion, nascitur in Cretæ tantum insulæ maritimis, junipe-

NOTÆ.

8. *Sed particulatim.*] Sed per partes ac separatim, non universum simul medicamentum sorberi oportet, ne vomitum cieat.

9. *Medetur &c.*] Diosc. loco cit.

10. *Item thoracis &c.*] Diosc. loco cit.

11. *Datur &c.*] Dioscorides de crethmo silet.

12. *Sudores &c.*] Diosc. totidem verbis, loco cit.

13. *Vulnera.*] Diosc. loco cit.

14. *Thoracis . . . , desideriis.*] De hac voce diximus alibi. Simile illud Martialis, lib. 1. Epigr. 110.

Et desiderio coacta ventris, &c.

15. *Semen peculiariter.*] Diosc. loco cit.

16. *Et malagmate.*] Forte, & *malagmata.*

17. *Sinon.*] Sive, ut Diosc. vocat, *Σίνων*, lib. 3 cap. 64. Amomum officinarum est, pictum a Johan. Bauhino, tom. 3. pag. 107. quale in horto Regio vidimus. Vide Notas & Emend. num. XVI.

Sect. CX 1. *Telephion.*] Τηλέφιον Nicandro in Theriac. pag. 63. Hanc Fabam inversam, Crassulamque vocant officinæ. Galli, *Joubarbe des vignes*, ou *Feve epaisse*, ou *Orpin.* Describitur e Lobelio in Advers. pag. 167. Delineatur a Dodonæo, pag. 130. Vidimus in horto Regio.

2. *Rami a radice, &c.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap 217.

3. *Nascitur.*] Diosc loco cit.

4. *Illinitur lentigini.*] Sic etiam vitiligini albæ illini Diosc. ait loco cit. moxque ubi inaruerit, abstergi: *δεῖ μὲν ὡς μετὰ τὸ ἀποξηρανθῆναι αὐτὰ ἀποψῆν.* Unde hoc loco *detergitur* forsan commodius legas.

5. *Illinitur & vitiligini.*] Ei quam *λεύκην* vocant, ut diximus lib. 21. sect. 75. Diosc loc. cit.

Sect. CXI. 1. *Trichomanes.*] Sive callithrix, ut diximus lib. 25. sect. 86. Describitur iisdem plane notis a Dioscoride, lib. 4 cap. 137.

2. *Adianto similis*] Nempe minori. Duo enim adianti sunt genera, ut dictum est libro 22. sect. 30. Majus alterum, quod & callitrichon, & polytrichon, & trichomanes appellatur: alterum minus, quod adiantum. Vide quæ ibi diximus.

3. *Decoctum.*] Diosc. loc cit.

4 *Illitum cohibet*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

5. *Alopeciasque.*] Diosc. loc. cit.

Sect. CXII. 1. *Thalitruum.*] Sic MSS. omnes, etiam in Indice. Galeno, lib. 8. de fac. simp. med. pag. 177. *θαλίκτρον.* Eadem fere de eo narrat, Dioscoridem secutus, lib. 4. cap. 98. Ruta pratensis herbariorum est, picta a Lobelio in Observ. pag. 508. & a Dodonæo, pag. 58. visa a nobis in horto Regio.

Sect. CXIII. 1 *Thlaspi.*] Primum hoc *θλάσπεως* genus a Dioscoride totidem verbis describitur, lib. 2. cap. 186.

2. *Non sine ramis.*] Cauliculo paucos agnasci ramulos Dioscorides ait, loco cit.

3. *Peltarum specie.*] Disci effigie, *δισκοειδὲς*, inquit Diosc. loco cit. Pelta sane disci effigie est.

4. *Nisi quod infringitur.*] Nisi quod fractum videtur, *οἱονεὶ ἐντεθλασμένον, ἐξ οὗ καὶ τὸ ὄνομα ἔχει.* Galenus similiter, lib. 2. de antidotis, cap. 14. pag 889. *Ἔχει δὲ κατά τι μέρος ἑαυτοῦ καὶ οἷον ἔνθλασμά τι μικρὸν, ἀφ' οὗ ὠνομάσθη θλάσπι.* Alii inde deductum nomen volunt, quod calculos frangat, *ὅτι λίθους θραύει*, ut docet Galenus, lib. 10. *τῶν τινων*, cap. 1. pag. 629. Genera fere viginti in horto Regio observavimus: quædam ex iis picta a Lobelio in Observ. pag. 108 & 109.

5. *Flos.*] Diosc. loco cit.

6. *Nascitur.*] Diosc loco cit.

7. *Semen asperi.*] Hoc est, acris. Diosc. *Σπέρμα δριμύ.*

8. *Utrimque extrahit.*] Inferne ac superne purgat: vomitione, ac per alvum: *Ventrem sursum ac deorsum purgat*, inquit auctor libri de simp. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 1002.

9. *Modus.*] Diosc. loco cit.

10. *Prodest.*] Vide Notas & Emend. num. XVIII.

11. *Alterum thlaspi.*] Totidem verbis hæc Cratevas apud Diosc. loc. cit. *Ἕτερον δὲ Κρατεύας ἱστορεῖ θλάσπι, ὅ τινες Περσικὸν νᾶπυ καλοῦσι, πλατύφυλλον καὶ μεγαλόρριζον*, &c.

Sect. CXV. 1. *Tragonis.*] Hanc ipse supra attigit, libro 13. sect. 36. Easdem fere ejus herbæ notas affert Dioscor. lib. 4. cap. 49. *Τράγιον φύεται μὲν ἐν Κρήτῃ μόνῃ*, &c. Fo-

ro similis, & semine, & folio, & ramis. Succus ejus lacteus in gummi spissatus, [2] vel semen, impositione spicula e corpore ejicit: tunditur recens & cum vino illinitur, aut siccæ farina cum melle. Eadem lactis abundantiam facit: mammisque unice medetur.

CXVI. [1] Est & alia herba tragos, quam aliqui scorpion vocant, semipedem alta, 5 fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, & ipsa in maritimis nascens. [2] Hujus ramorum x. aut XII. cacumina trita ex vino pota cœliacis, dysentericis, sanguinem exscreantibus, mensiumque abundantiæ auxiliantur.

CXVII. [1] Est & tragopogon, quem alii comen vocant, caule parvo, foliis croci, radice longa, dulci, super caulem calyce lato, nigro. Nascitur in asperis, [2] sine usu.

10 CXVIII. Et de herbis quidem memoria digna hactenus aut accepimus, aut comperimus. In fine earum admonere non ab re judicamus, aliis alias virium ætates esse. Longissimo tempore durat elaterium, [1] ut diximus: chamæleon niger XL. annis: centaureum non ultra XII. [2] Peucedanum sex: & aristolochia ac vitis silvestris anno in umbra servantur. [3] Et animalium quidem exterorum nullum aliud radices a nobis dictas attingit, ex-15 cepta spondyle, quæ omnes persequitur. [4] Genus id serpentis est.

CXIX. [1] Ne illud quidem dubitatur, omnium radicum vim effectusque minui, si fructus prius maturescant: item seminum, ante radice propter succum incisa. Resolvitur autem omnium vis consuetudine: & desinunt prodesse, cum opus est, quæ quotidie in usu fuere, æque quam nocere. Omnes vero herbæ vehementiores effectu viribusque sunt in 20 frigidis locis, & in aquiloniis: item siccis.

CXX. [1] Sunt & gentium differentiæ non mediocres: sicut accepimus de tineis lumbricisque, inesse Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Ciliciæ populis: e diverso Græciæ, Phrygiæ omnino non innasci. Minus id mirum, quam quod in confinio Atticæ Bœotiæque Thebanis innascuntur, cum absint Atheniensibus. Quæ contemplatio aufert rursus nos ad ip-25 sorum animalium naturas, ingenitasque iis vel certiores morborum omnium medicinas. Enimvero rerum omnium parens, nullum animal ad hoc tantum ut pasceretur, aut alia satiaret, nasci voluit: artesque salutares inseruit & visceribus, [2] quippe cum surdis etiam rebus inseruerit. [3] Tum vero illa animæ auxilia præstantissima ex anima alia esse voluit, contemplatione ante cuncta mirabili.

NOTÆ.

lia lentisco similia facie, ut & Galenus, lib. 8. de fac simp med pag. 236. Nobis adhuc ignota: neque enim Fraxinella est, ut Dodonæo, aliisque placuit.

2. *Vel semen.*] Diosc. loco cit. totidem verbis: *Ταύτης τὰ φύλλα, καὶ ὁ καρπὸς, καὶ τὸ δάκρυον, ἐγχριόμενα σὺν οἴνῳ ἐπιπλαττόμενα σκόλοπας, καὶ πάντα τὰ ἐμπεπηγμένα. Folia, semen & lacryma, impositione ex vino, spicula, omniaque corpori impacta evocant.*

Sect. CXVI. 1. *Est & alia.*] Dioscor. lib. 4. cap. 51. *Τράγος, οἱ δὲ σκορπίον*, &c. Et hanc ipse Plinius delibavit antea, lib. 13. sect. 37. Forte uva est marina major, quæ a Lobelio pingitur in Observ. pag. 461. Asiatici cæli esse propriam Plinius ait, loco mox citato.

2. *Hujus ramorum ... cacumina.*] Eamdem vim racemorum acinis decem e vino potis, tribuit Diosc. loco cit.

Sect. CXVII. 1. *Est & tragopogon.*] Diosc. lib. 2. cap. 173. *Τραγοπώγων, ἢ τιτραγοπώγων, οἱ δὲ κόμην καλοῦσι*, &c. Vide Saraceni notas in Diosc. Pingitur a Lobelio in Observ. pag. 297. qualem in horto Regio vidimus. Galli, servata Græci nominis significatione, *Barbe de bouc*, hirci barbam vocant.

2. *Sine usu.*] Nullius in medicina usus. Alioqui in cibis manditur, teste Diosc. loco cit.

Sect CXVIII. 1. *Ut diximus.*] Libro 20. sect. 3. *Fuit jam ducentis annis servatum.*

2. *Peucedanum sex.*] Vide Notas & Emend. num. XIX.

3. *Et animalium.*] Vide Notas & Emend. num XX.

4. *Genus illud serpentis.*] Insecti, odore tetri, de blattarum genere. Vide Constant in Lexico, verbo Σφονδύλη.

Sect CXIX. 1. *Ne illud quidem.*] Hæc totidem verbis Theophr. lib 9. hist. cap 14.

Sect. CXX. 1. *Sunt & gentium.*] Totidem plane verbis hæc Theophr. lib 9. histor. cap. 15. *Ἡ δὲ ἕλμινς σύμφυτος οἷον οἰκεία· ἔχουσι γὰρ ὡς εἰπεῖν Αἰγύπτιοι, Ἄραβες, Ἀρμένιοι, Σύροι, Κίλικες. Θρᾷκες δὲ οὐκ ἔχουσιν, οὐδὲ Φρύγες. Τῶν δὲ Ἑλλήνων Θηβαῖοι μὲν οἱ περὶ τὰ γυμνάσια, καὶ ὅλως Βοιωτοί· Ἀθηναῖοι δ' οὔ.* Sic peculiares certis regionibus morbos novimus: phthisin Lusitanis, strumam Hispanis, Alpinisque: Narbonensi Galliæ hydrocelen; omnes quidem ex aeris gravitate natos. Vide Fernelium, lib. 2. de abditis rerum caussis, cap. 21 pag. 74.

2 *Quippe cum surdis.*] Inanimis & ignobilibus, ut dictum est lib. 22. sect. 3.

3. *Tum vero illa anima*] Illa vitæ remedia ex alia vita peti natura voluit, hoc est, ex vivis pariter animalibus.

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXVII.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 2. I. HINC *illa atrox peroratio ejus in digitum. Ortum fabula narravere*, &c.] Hæc sincerissima est, quam repræsentamus, scriptura Regii codicis 2. & Chiffletiani, & ejus quem Pintianus vidit, totidem plana litteris apicibusque. In libris vulgatis, *peroratio ejus in digito mortuus. Fabula*, &c. Reg. 1. *in digito mortuum fabula.* Salmasius in Solin. pag. 886. & 188. sic excogitabat: *peroratio ejus. En digitum!* Utrum igitur ab oratore demonstrari tum volebat digitum, cum hæc diceret, suumne, an rei? Quo vero gestu motuque dexteræ rei digitum potius quam integram manum signaret? Gronovius subtilius aliquanto quam verius, *peroratio ejus in digitum maritum. Fabula*, &c. ut digitus maritus a Plinio appelletur, maritalis officii jocique specie parricida. Pudet his spurcitiis chartam inquinare. E digitis interim eum, qui medius est, *impudicum* alii, cum Martiale: cum Persio alii *infamem* vocant: ut eum qui ei proximus est a pollice, *salutarem*. Pollux, lib. 2. κιναιδισμὸν, *cinædum.*

Sect. 3. II. *Caulem quadrangulum, . . . similem arctio.*] In libris omnibus hactenus editis, *similem arcio*, hoc est, personatæ, quod est longe falsissimum. MSS Reg. Colb. Chiffl. *arctio*, quos secuti sumus: in primis Dioscoride ita suadente, ac totidem verbis Æthiopidem describente, lib. 4. pag. 105. Καυλὸν τετράγωνον, καὶ τραχὺν, ἐοικότα μελιτίαδι ἢ ἀρκτίῳ, μασχάλας ἔχοντα πολλὰς, &c.

Sect. 12. III. *Ambrosia vagi nominis est, & circa alias herbas fluctuata: Unam habet certam, densam, ramosam, ... foliis rutæ circa imum caulem. In ramulis semen est*, &c. Interpolatorum audacia, an inscientia, sic ad hunc diem in libris vulgatis legitur: *circa alias herbas fluctuata: Fruticem unum habet densum, ramosum . . . foliis rutæ. Circa imum caulem in ramulis*, &c. Voce una scilicet extrita, adjecta altera, interpunctione vitiata. Nos verba scriptoris integra, certamque sententiam, nec impeditam, ex codicum Reg. & Colb. fide repræsentamus. Accedit & Dioscor. cujus hæc sunt Pliniants omnino paria: lib. 3. cap. 129. Φύλλα ἔχει περὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ καυλοῦ μικρὰ ὡς πηγάνου. Τὰ δὲ καυλία ἀνάπλεα σπερμάτων, ἐοικότων βοτρυδίοις, &c.

Sect. 13. IV. *Et in vino vetere ad phalangiorum morsus.*] Apud Dioscoridem in libris vulgatis ita hodie legitur, lib. 3. cap. 167. de anagyri. Πρὸς δὲ κεφαλαλγίαν σὺν οἴνῳ. *Prodest ad dolorem capitis e vino.* Cave porro credas cum Dalecampio, caterisque, festinatione legendi nimia hallucinatum Plinium, πρὸς τὰ φαλάγγια temere scripsisse: cum πρὸς κεφαλαλγίαν scribere debuisset: nam ex Plinio potius Dioscoridem emendandum Dioscorides ipse admonet, qui medicamenta priorum librorum alio ordine in libris Εὐπορίστων retexens, ubi de morbis capitis agit, anagyris mentionem nullam facit: ubi de phalangiis, principatum eidem adscribit, lib. 2. num. 121. Ἰδίως δὲ πρὸς φαλάγγια, . . . ἀνόγυρος < δ'. Est autem ἀνόγυρος eadem quæ ἀνάγυρος, apud Nicandrum in Theriacis, ut observat Constantinus in Lexico.

Sect. 17. V. *Hujus foliorum in aceto decocto per dies XL. poto lienem absumi aiunt, Et illinuntur autem: eadem sedanto singultus.*] Sic libri omnes editi, & MSS. Interpolat autem hanc scripturam in Elzeviriana editione Latius, in hunc modum: *Lienem absumi aiunt: & illinuntur autem eadem, sedantque singultus*: ut ad singultus illini tantum credas. Quod scriptoris quidem sententiæ planissime adversatur, ac Dioscoridis, qui plane similia tradit, lib. 3. cap. 151. Δύναμιν δὲ ἔχει τὰ φύλλα ἀφεψηθέντα σὺν ὄξει καὶ ποθέντα ἐπὶ ἡμέρας μ', σπλῆνα τήκειν. Δεῖ δὲ καταπλάττειν καὶ τὸν σπλῆνα τοῖς φύλλοις λείοις σὺν οἴνῳ. Βοηθεῖ καὶ σπασμοῖς καὶ λυγμοῖς, &c.

Sect. 20. VI. *Sed hic absinthii inutilis stomacho capitique est, cum sit ille decocti saluberrimus.*] Vocem hanc *absinthii*, quam libri omnes editi & manu exarati agnoscunt, supervacuam esse Dalecamp. pronunciat. Joan. Latius in editiona Elzevir permutat vocis illius sedem, ac post *decocti* reponit: alias perverti loci sententiam clamat. Ambo haud sane satis feliciter. Geminum absinthii succum Plinius secernit: alterum decocti aqua, his verbis: *Bibitur & decoctum aqua, ac postea nocte ac die refrigeratum*, &c. Alterum expressi, quod in usu rarius: *Exprimitur autem, cum primum semen turgescit*, &c. Illum decocti succum saluberrimum esse in præsenti monet: istum expressi, inutilem. Sic ubi dilutum decoctumque absinthii Dioscorides approbavit, expressi succum idem improbat, lib. 3. cap. 16. Ἔνιοι δὲ, inquit, καὶ τὸν χυλισμὸν τὰ ἴσα ποιεῖν τῷ ἀφεψήματι. πλὴν οὐ ποιεῖ ἀλλ' ἀνατρέπει τὸν στόμαχον, καὶ κεφαλαλγής ἐστι. *Existimatur & expressi succus eosdem præstare effectus. Attamen potionibus improbatur, quod stomacho est inimicus, doloremque capitis ciet.*

Sect. 30. VII. *Balloten alio nomine porrum nigrum Græci vocant.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colb. Chiffl. aliique, tum hoc loco, tum in Indice, in quo diserte scribitur, *Ballotes, sive porrum nigrum.* Libri hactenus editi, *Balloten alio nomine melamprasion Græci vocant*, ex interpolatorum scilicet officina: & quod intelligerent balloten esse reapse marrubium nigrum, & quod scriptum scirent a Dioscor. lib. 3. cap. 117. Βαλλωτὴ, ἢ μελαμπράσιον, &c. Perinde ac si eum Græcos appellat, Dioscoridem Plinius designaret. Cum sciamus & apud Dioscoridem ipsum in Nothis, pag. 457. & apud Apuleium, cap. 45. marrubium istud Νόπρασον, etsi mendose, pro πρασιον, quod porrum eximium sonat, appellari. Nec tamen inficias ierim, id quod vidit jamdudum Ruellius, lib. 3. de nat. stirp. cap. 58. pag. 551. deceptum Plinium esse affinitate nominum, cum foliis quam porri majoribus balloten dicit, πράσου videlicet, pro πρασίου legentem: quando folia ei porraceæ non sunt, sed marrubii, aut apiastri. Quæ Salmasius hoc loco adversus Plinium conjicit, in præfat. accepit ea a Nic. Leoniceno, cui facere satis conatus est olim Pandulphus Collinutius, in defensione Plinii, pag. 206.

Sect. 40. VIII. *Theophrastus arboris genus intelligi voluit crategum, sive crategona.*] Prius legebatur, *cratægonon, sive cratægona.* Ex Theophrasto Hesychioque locum sanavimus: aliud enim, utroque illo auctore, cratægonon est, aliud cratægus. Ille lib. 3. hist. cap. 15. Κραταιγὸς δ' ἐστὶ, inquit, ὃ δὲ κραταίγονα καλοῦσι· ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον μεσπίλῃ, πλατύ, &c. Iste, Κραταίγονον, βοτάνη, μεθ' ἧς κλίνουσι. Κραταιγὸς, δένδρον.

Sect. 44. IX. *Cuculi folia.*] Ita rescripsimus admonitu Regii codicis 1. & Marcelli Empir. cap. ult. pag. 250. *Herba cuculai*, inquit, *trita, in reliquam partem moldis imposita, more dolores podagræ sanat.* Index tamen, *Culicus, sive strumus, sive strychnos.* Quin & Reg. 2. & Chiffl. hoc loco, *Culiculi folia* præ se ferunt. Libri vulgati, *Cucubali folia.* Forte pro *Cacubali*, quasi malefici, ἀπὸ τοῦ κακοῦ βάλλειν. Est enim solani genus, ut diximus, Dioscoridi in Nothis, Στρύχνος κηπαῖος, οἱ δὲ ἀμέρον, Γαλλοι σουβιτίου, οἱ δὲ κακουβάλουμ, &c.

Sect. 47. X. *Sistit alvum dipsacos.*] Hæc ante nos male divulsa distractaque sic legebantur, *Sistit alvum.* Ut ad coccum Gnidium, de quo superiore sectione, pertinere pars ea videretur. Mox nova instituta periodo, *Dipsacos*, &c. At alvum sisti Gnidio grano, & vetustis scriptoribus, & experientiæ ipsi adversatur. Dioscoridi quidem diserte cieri ab alvum affirmanti, lib. 4. cap. 173. Galeno quoque, lib. 7. de fac. simpl. med. pag 192. Theophrasto item, lib. 9. hist. cap. 22. Διὸ καὶ ὕδατι διδόασι πρὸς κοιλίας (δίδοται γὰρ πρὸς κοιλίας λύσιν) ἐν ἄρτῳ ἢ ἄλλῳ περιπλάττοντες. Dipsaci vero radicem exsiccandi vim quamdam habere, ξηραντικήν οὖσαν apud Galenum reperio, lib. 6. de fac. simpl. med. pag. 169.

Sect. 72. XI. *Lycapsos.*] Hermolaus *Lycopsis* ex Dioscorida scripserat: cum libri omnes manu exarati, & impressi typis, ut Reg. Colb. tum hoc loco, tum in indice, Parm. edit. aliique, *Lycapsos* pertinaciter exhiberent. Ab Ægineta, Λυκαψὸς pariter dicitur. A Nicandro, in Theriac. pag. 60. Λύκαψος, pro Λύκαψον. Dioscoridi tamen, ut diximus, lib. 4. cap. 26. Λύκοψις.

Sect. 79. XII. *Medion folia habet iridis sativa*] Malim vero *seridis* cum Hermolao ac Pintiano legi, quam iridis. Nam qui silvestrem irin a sativa discriminaret, nondum vidi. Diosc. lib. 4. cap. 18. σέριδι Μήδιον. . . . ἔχει φύλλα ὅμοια σέριδι. Etsi quædam exemplaria ἴριδι præ se ferunt: sed mendose scilicet. Oribasius enim σέριδι transtulit. Tamen in Plinianis MSS. *iridis.*

Sect. 91. XIII. *Tertium genus otoon vocatur, in montibus nascens*,

arundini tenerae simile, uno caule, densis geniculis, & in se fractis.] In Reg. 2. *& in se infractis*. Genus hoc polygoni plana cum polygono femina Dioscoridis congruit, præter solum natale, quod Plinius montuosum, Dioscorides, ceterique herbarii, & in his Dodonæus a quo delineatur, pag. 113. quale vidimus in horto Regio, aquosum esse volunt. Sed aquosos colles Plinius haud dubie intellexit, quem situm poterio quoque sect. 97 adjudicat. Ex Dioscoridea porro descriptione effici id modo in rem nostram videtur commode posse, ut non *in se fractis*, sed *in se fartis*, vel *in se infartis*, scribi oporteat: ut sententia sit genicula alia aliis tubarum modo inseri & intarciri. Sic enim ille, lib. 4 cap. 5. θαμνίσκος ἐστὶ καλαμώδης, γόνατα συνεχῆ ἔχων ἀλλήλοις ἐμβεβηκότα, ὥσπερ σάλπιγγες. *Frutex est exiguus, tener, arundini similis, geniculis densis, quorum alia aliis tubarum modo inseruntur, infarciunturque.*

Sect. 104. XIV. *Eadem contrita, addita muria & oleo e mænis anginam eximie curari tradunt.*] Abest vox ea *e mænis*, in libris ad hunc diem vulgatis. In Reg. 2. *hemena*. In Chiffl. *hemenis* legitur. Quam vocem Plinii editores cum minus perciperent, ablegandam exterendamque censuerunt. Muriam seu garum e mænis commendari hic suspicati haud temere sumus: atque ita se rem habere certus auctor exstitit ipse Plinius, qui hanc ipsam medicinam totidem fere verbis antea occupavit, lib 26 sect. 21. quam nunc iterum revocat: *Proserpinaca*, inquit, *cum muria ex mænis & oleo trita, vel sub lingua habita*, anginæ medetur.

Sect. 107. XV. *Bibitur contra . . . tormina, asperitates, capitis gravitates &c.*] Displicuit hæc vox *asperitates* viris criticis, qui quæ vis ei voci subesset assequi non potuere. *Suspiria* Pintianus: Gronovius *herpetas* rescripsit. Pintianum Gronovius aspernatur: nec nobis admodum Gronovii conjectura placet: Sunt enim ἕρπητες, ut ipse admonet, hulcera manantia atque serpentia. Ad ea porro sananda, quis qui rem medicam vel a limine salutarit, bibi quidquam, non imponi, illini, inspergive jusserit?

Sect. 109. XVI. *Sinon concoctiones facit, sapore simillima piperi.*] Abest hæc vox *sinon* a libris ad hunc diem vulgatis, atque in *simul* transformata superiori sententiæ adnectitur. Errorem deprehendimus, tum ex orationis ipso contextu: nam si hæc ad smyrnii semen pertinerent, *simillimum piperi* dici ars postularet, & mox *idem*, non *eadem in dolore efficax*. Tum vero ex Reg. 2. codice, atque ex Indice MS. Reg. Colb. &c. in quo diserte legimus, *Smyrnium XXXII. Sinon II.* Σίνων, ut monuimus, a Dioscoride appellatur, lib. 3. cap. 64. nigro semine id esse dicitur, apio simile, ferventisque gustus, quale nimirum non smyrnio inest, sed piperi. Galenus quoque, lib. 8. de fac. simp. medic. pag. 228. concoctiones eo juvari ait, urinas mensesque cieri: οὐρητικὸν τ' ἐστὶ, καὶ ἐμμηνιαγωγὸν, ἐμφράξεών τε ἐκφρακτικὸν, &c.

Sect. 112. XVII. *Illitum cohibet capillos defluentes.*] In libris hactenus editis, *succus cohibet*, &c. Verum sequitur mox, *densat tritum, & in oleo illitum*, quæ ad succum referri Grammaticæ leges vetant. In MSS. Reg. Colb. Chiffl. *lesum cohibet*. Nos interim ex conjectura *illitum*. Diosc. lib. 4 cap. 136. de adianto, cui vim parem trichomanes habet: Καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ αὐτοῦ σὺν κονίᾳ καὶ οἴνῳ σμηχόμενον, τρίχας ῥεούσας συγκρατεῖ. *Affrictum ejus decoctum cum lixivio & vino, defluentes capillos cohibet atque confirmat*.

Sect. 113. XVIII. *Prodest & ischiadicis infusum, donec sanguinem trahat*] Dioscor lib. 2. cap. 186. de thlaspi: Ἐγκλύζεται δὲ καὶ πρὸς ἰσχιαδικούς· ἄγει δὲ καὶ αἷμα κάτω, καὶ τὰς ἐντὸς ἀποστάσεις ῥήγνυσι. Κινεῖ δὲ καὶ καταμήνια, καὶ ἔμβρυα φθείρει. *Prodest & ischiadicis infusum: potu sanguinem educit*, nempe concretum exscreando educit, *internosque abscessus rumpit: menses quoque ciet, & partus necat.* An festinatione nimia Græci scriptoris verba, alterius quam Dioscorides, præpostere Plinius acceperit: an amanuensium potius vitio depravata Latini auctoris verba fuerint, atque ita restituenda in integrum, *Prodest & ischiadicis infusum: pota sanguinem trahit*, aliis relinquimus æstimandum. Infundi certe clystere quidquam, donec eliciatur sanguis, non medicina nobis, sed pœna haud levis videtur.

Sect. 118. XIX. *Peucedanum sex: aristolochia ac vitis silvestris anno in umbra servantur*] Hactenus legebatur, *Peucedanum & aristolochia* &c. Errorem detexit Theophrastus, qui eadem habet, lib. 9 histor. cap. 14. Ὁ μὲν γὰρ ἐλλέβορος, inquit, καὶ τριακονταετὴς χρήσιμος· χαμαιδρὺς δὲ δέκα καὶ δώδεκα. Πευκέδανον δὲ πέντε ἢ ἕξ. Ἀμπέλου δὲ ἀγρίας ὁ καρπὸς, ἐὰν ἐν σκιᾷ ᾖ καὶ ἀναπνέῃ, &c.

Ibid. XX. *Et animalium quidem exterorum.*] Libri omnes *ceterorum* præ se ferunt: mendose, ut ex Theophrasto didicimus. Is enim loco cit. Τῶν δ' ἔξω θηρίων, inquit, ἄλλο μὲν οὐδὲν ἀπόλλυται ῥίζης ἰδρωμένης· ἡ δὲ σφονδύλη ποιεῖ.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXVIII.

I. DICTÆ erant omnium rerum naturæ, inter cælum ac terram nascentium, restabautque quæ ex ipsa tellure fodiuntur, si non herbarum ac fruticum tractata remedia [1] auferrent transversos, ex ipsis animalibus quæ sanantur, reperta majore medicina. Qui ergo diximus herbas, & florum imagines, ac pleraque inventu rara ac difficilia, iidem tacebimus quid in ipso homine prosit homini, ceteraque genera remediorum inter nos viventia? CUM PRÆSERTIM, nisi carenti doloribus morbisque, vita ipsa pœna fiat. Minime vero: omnemque insumemus operam, licet fastidii periculum urgeat: quando ita decretum est, minorem gratiæ, quam utilitatum vitæ, respectum habere. Quin immo externa quoque, & barbaros etiam ritus indagabimus. [a] Fides tantum auctores appellet. Quanquam & ipsi consensu prope judicata eligere laboravimus, potiusque curæ rerum, quam copiæ institimus. Illud admonuisse perquam necessarium est, dictas jam a nobis naturas animalium, [2] & quæ cujusque essent inventa: (neque enim minus profuere medicinas reperiendo, quam prosunt præbendo:) nunc quæ in ipsis auxilientur indicari, [b] neque illic in totum omissa. Itaque hæc esse quidem alia, illis tamen connexa. — CAP. I. — 5 — 10 — 15

II. Incipiemus autem ab homine, ipsum sibi exquirentes, immensa statim difficultate obvia. [1] Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, [2] ut viventibus poculis, [c] comitiales morbi: quod spectare facientes in eadem arena feras quoque horror est. At hercule illi ex homine ipso sorbere efficacissimum putant calidum spirantemque, & una ipsam animam ex osculo vulnerum: cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora [3] fas sit humana. Alii medullas crurum quærunt, & cerebrum infantium. Nec pauci apud Græcos, singulorum viscerum membrorumque etiam sapores dixere, omnia persecuti usque ad resegmina unguium: QUASI VERO sanitas videri possit, feram ex homine fieri, [d] morboque dignum in ipsa medicina: egregia hercule frustratione, si non prosit. Aspici humana exta nefas habetur, quid mandi? Quis ista invenit ostenta? Tecum enim res erit, eversor juris humani, monstrorumque artifex, qui primus ea condidisti: credo, ne vita tui oblivisceretur. Quis invenit singula membra humana mandere? qua conjectura inductus? — 20 — 25

INTERPRETATIO.

a *Fides.*] Ad obtinendam fidem auctores tantum juvabit appellare.

b *Neque illic.*] Neque in tractatione animalium, ea remedia quæ ex iis petenda sunt, penitus sunt a nobis prætermissa.

c *Comitiales.*] Comitiali morbo affecti.

d *Morboque.*] Simulque morbo dignum fieri, qui tam crudeli medicina utatur.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Auferrent transversos.*] Sic usus obtinuit, ut ea vox scriberetur: codices optimi, Reg & Colb. *traversos.* Sic *tralatitium* & *tralucens* dicimus, & *traluendum*, ex probatioribus libris Agi vel auferri transversi dicimur, cum veluti vi & impetu quodam ab instituto deflectimur. Sic Livius, bell. Maced. *Abstulerunt me velut de spatio Græciæ res immixtæ Romanis: non quia ipsas opera pretium esset perscribere, sed quia &c.*

2. *Et quæ cujusque essent inventa.*] Libro 8 sect. 41. & lib. 25. a sect. 50. ad 54.

Sect. II. 1. *Sanguinem quoque*] Celsus lib. 3. cap. 23. de comitiali morbo: *Quidam jugulati gladiatoris calido sanguine epoto, tali morbo sese liberarunt: apud quos miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit.* Tertull. in Apolog. cap. 10. *Item illi, qui munere in arena noxiorum jugulatorum sanguinem recentem avida siti comitiali morbo medentes auferunt: ubi sunt?* Sic etiam Cælius Aurel lib. Chron cap. 4 de epilepsia. Simile istud remedium est, quod Scribonius Largus affert, Compos 18. *Item ex jecinore gladiatoris jugulati particulam aliquam novies datam consumant. Quæque ejusdem generis sunt, extra medicina professionem cadunt, quamvis profuisse quibusdam visa sunt.*

2 *Ut viventibus poculis.*] Viventia pocula eleganti translatione vocat ea, quæ calentem adhuc & quasi spirantem sanguinem continerent: quod & habere in se vitam, & præstare haurientibus eam videbantur: plane ut animam ipsam ac salutem sorberi in ipsis crederes. Vide Notas & Emend num I.

3. *Fas sit humana.*] In Reg. 1. *Fas sit humanus.* In Reg 2. & Chifl. *mos sit humanus.* Quid magis arrideat, arbitrii esto legentium.

Quam potest medicina ista originem habuisse? [a] Quis veneficia innocentiora effecit; quam remedia? Esto, barbari externique ritus invenerint: etiamne Græci suas fecere has artes? Exstant commentationes Democriti, ad alia noxii hominis e capite ossa plus prodesse: ad alia, amici & hospitis. Jam vero vi interempti dente gingivas in dolore [4] scarificari, Apollonius efficacissimum scripsit: [5] Miletus, oculorum suffusiones felle hominis sanari. [6] Artemon calvaria interfecti, neque cremati, propinavit aquam e fonte noctu comitialibus morbis. Ex eadem suspendio interempti catapotia fecit, contra canis rabiosi morsus Antæus. Atque etiam quadrupedes homines sanavere: contra inflationes boum, perforatis cornibus inserentes ossa humana: ubi homo occisus esset, aut crematus, siliginem quæ pernoctasset, suum morbis dando. Procul a nobis nostrisque litteris absint ista. [7] Nos auxilia dicemus, non piacula: sicubi lactis puerperarum usus mederi potuit, sicubi saliva, tactusve corporis, ceteraque similia. VITAM quidem non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. Quisquis es talis, æque moriere, etiam cum obscenus vixeris, aut nefandus. Quapropter hoc primum quisque in remediis animi sui habeat: EX OMNIBUS BONIS, quæ homini tribuit Natura, nullum melius esse tempestiva morte: idque in ea optimum, quod illam sibi quisque præstare poterit.

CAP. II. III. Ex homine remediorum primum maximæ quæstionis, & semper incertæ est, [1] valeantne aliquid verba & incantamenta carminum. Quod si verum est, [2] homini acceptum ferri oportere conveniet. Sed viritim sapientissimi cujusque respuit fides. In universum vero omnibus horis credit vita, nec sentit. Quippe victimas cædi sine precatione [3] non videtur referre, nec Deos rite consuli. Præterea alia sunt verba [4] impetritis, alia depulsoriis, alia commentationis. Vidimusque certis precationibus obsecrasse magistratus: Et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, [5] de scripto præire aliquem: rursusque alium custodem dari qui attendat: alium vero præponi, [6] qui favere linguis jubeat: [7] tibicinem canere, ne quid aliud [8] exaudiatur: [b] utraque memoria insigni, [9] quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quotiesve precatio erraverit, sic repente extis adimi capita vel corda, aut geminari victima stante. [10] Durat immenso exemplo Deciorum patris filiique, quo se devovere, carmen. [11] Exstat Tucciæ Vestalis incestæ

INTERPRETATIO.

a *Quis.*] Quis effecit ut innocentiora jam veneficia videri possint, quam remedia talia?

b *Utraque.*] Est illud utrumque sane dignum memoria, notatum in Annalibus esse, quoties &c.

NOTÆ.

4. *Scarificari.*] MSS. omnes, Reg. & Colb. aliique, *scarifari.*

5. *Miletus.*] Reg. 2. *Meletes.* Chiffl. *Meletes.* Forte *Melitus*, ut diximus in Auctorum Indice. At Reg. 1. *Miletus.*

6. *Artemon.*] Et Scribonius Largus, Compos. Med. cap. 2. ad comitialem morbum, Compos. 16. *Sunt & qui sanguinem ex vena sua missum bibant, aut de calvaria defuncti terna cochlearia sumant per dies triginta.* Q. Serenus, cap. 58. de comitiali morbo, pag. 161.

Præterea pluvias hominis quas calva supina
Excepit protecta situ, consumere prodest.

7. *Nos auxilia.*] Nos ex homine, inquit, remedia quæremus dumtaxat vulgaria, & paratu facilia: sicubi lacte mulierum, sicubi aliquo tali opus fuerit: cetera quasi piacula vitabimus.

Sect. III. 1. *Valeantne aliquid.*] Sic Reg. 2. In Reg. 2. & Chiffl. *polleantne aliquid.*

2. *Homini acceptum ferri.*] MSS. *acceptum fieri.*

3. *Non videtur referre.*] Non videtur prodesse, nihil juvare vulgo creditur: non videtur ad rem, ut rite peragenda est, pertinere: nihil enim agitur sacrificando sine precibus. Vide Notas & Emend. num. II.

4. *Impetritis.*] Sic libri omnes conditivi, moxque *depulsoriis*, non, ut editi, *impetrantis & depulsoriis*. Impetritum dixere quondam auspices, pro *impetratum*. Impetrita sacra, quæ lætis prosperisque fulguribus evocandis, aliisque auspicus sunt addicta: conciliandorum numinum causa, ut certa, firma, ac serura, petentibus denunciarent: Depulsoria, quæ ostentis omnibus averruncandis seu depellendis dicata. Quid vero commentationis sacra sint, nondum exploratum. *Commentationis* forte legi satius fuerit, cum Valerius Maximus, statim initio libri primi dicat, *prisco instituto rebus divinis operam dari, cum aliquid commendandum est, precatione: ... cum inquirendum vel extis, vel sortibus, impetrito: cum solemni ritu peragendum, sacrificio: quo etiam ostentorum ac fulminum denuntiationes procurantur.* Quæ tria ipsa sacrorum genera videntur esse, quæ Plinius modo recenset. Impetritum & in Plauti fabula leges, quæ Asinaria inscribitur, act. 2. sc. 1. vers. 11.

5. *De scripto præire.*] Recitare, & quasi prælegere. Hujus moris exempla vel unus Latinæ linguæ Thesaurus plura suppeditabit. Subintellige porro hoc loco *præire aliquem alicui*: Nam verbum infiniti modi *præire*, ante se accusativum hunc *aliquem* habet, non regit, admittitve post se.

6. *Qui favere.*] Ita libri omnes. Turnebo magis placet, *favere.* Seneca, lib. de vita beata, cap. 26. *Favete linguis! Hoc verbum, non ut plerique existimant, a favore trahitur: sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.* Quæ Plinii quoque hoc loco mens est. Aliter forte Festus, verbo *Faventia*: *Præcones clamantes*, inquit, *populum sacrificiis favere jubebant: Favere enim est bona fari. At veteres poetæ pro silere usi sunt favere.*

7. *Tibicinem canere.*] Ovidius, lib. 6. Fastor. vers. 657. lepide:

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Iterumque:

Quæritur in scena cava tibia: quæritur aris.

Hostias apud Romanos ad tibicinem immolatas, hæc Tullii quoque verba testantur, 2. in Rull. num. 82. *Erant hostiæ majores, in foro constituta, quæ ... probatæ, ad tibicinem & præconem immolabantur.* Et in consecratione solitum adhiberi tibicinem, idem est auctor, orat. pro Domo sua, num. 125. Sacra peragentem cum adstante tibicine lapis antiquus exhibet, apud Gruterum, pag. 1007. nummique Domitiani, quibus hæc adjecta epigraphe, COS. XIIII. LVD. SAEC. F. *Ludos sæculares fecit.*

8. *Exaudiatur.*] Ab eo qui sacra peragit: ne quid ejus mentem a precatione avocet.

9. *Quoties ipsæ diræ.*] Vel diræ obscenæque volucres: vel exsecrationes potius, ut sect. seq. imprecationesque, quæ ab inimicis effundebantur horrendæ, deos quosdam inauditos compellantibus, quibus quicumque devotus erat, credebatur maximo affici infortunio. Cicero, lib. 1. de Divin. num. 29. *M. Crasso quid acciderit vidimus, dirarum obnuntiatione neglecta.*

10. *Durat immenso.*] Carmen quo se Decius pater devovit, exstat apud Livium, lib. 8. pag. 139. alterum, quo filius, lib. 10. pag. 180.

11. *Exstat Tucciæ.*] Τουκίαν Tuciam vocat Dionys. Halic.

precatio, qua usa aquam in cribro tulit, [12] anno Urbis DCIX. [13] Boario vero in foro Græcum Græcamque defossos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, [14] etiam nostra ætas vidit. Cujus sacri precationem, qua solet præire [15] Quindecimvirûm collegii magister, si qui legat, profecto vim carminum fateatur, ea omnia approbantibus [16] octingentorum triginta annorum eventibus. Vestales nostras hodie credimus nondum egressa Urbe mancipia fugitiva retinere in loco precatione: cum si semel recipiatur ea ratio, & Deos preces aliquas exaudire, aut illis moveri verbis, confitendum sit. [17] De tota [a] conjectione prisci quidem nostri perpetuo talia prodidere, [b] difficillimumque ex his, etiam fulmina elici, [18] ut suo loco docuimus.

IV. [1] L. Piso primo Annalium auctor est, Tullum Hostilium regem ex Numæ libris eodem, quo illum, sacrificio Jovem cælo devocare conatum, quoniam parum rite quædam fecisset, fulmine ictum: [2] Multi vero magnarum rerum fata & ostenta verbis permutari. [3] Cum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum invenissent, [4] missis ob id a se legatis, Etruriæ celeberrimus vates Olenus Calenus præclarum id fortunatumque cernens interrogatione in suam gentem transferre tentavit, scipione prius determinata templi imagine in solo ante se: HOC ERGO DICITIS, ROMANI? HIC TEMPLUM JOVIS OPTIMI MAXIMI FUTURUM EST: HIC CAPUT INVENIMUS: constantissima Annalium affirmatione, transiturum fuisse fatum in Etruriam, ni præmoniti a filio vatis legati Romani respondissent: NON PLANE HIC, SED ROMÆ INVENTUM CAPUT DICIMUS. [5] Iterum id accidisse tradunt, cum in fastigium ejusdem delubri præparatæ quadrigæ fictiles in fornace crevissent: & iterum simili modo retentum augurium. Hæc satis sint, exemplis ut appareat, ostentorum vires & in nostra potestate esse: ac prout quæque accepta sint, ita valere.

In Augurum certe disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, [6] observare se ea negaverint: quo munere divinæ indulgentiæ majus nullum est. Quid? Non & legum ipsarum in duodecim tabulis verba

INTERPRETATIO.

a *Conjectione.*] Controversia.

b *Difficillimumque.*] Et quod est ex omnibus his difficillimum, posse etiam fulmina elici prodidere.

NOTÆ.

lib. 2. Antiq. pag. 129. ubi hoc ipsum refert, quod Plinius. Valerius Max. lib 8 cap. 1. num. 5. pag 369. *Eodem auxilii genere Tuccia virginis Vestalis incesti criminis rea castitas infamiæ nube obscurata emersit: quæ conscientia certæ sinceritatis suæ, spem salutis ancipiti argumento ausa petere est. Arrepto enim cribro, Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice ut hoc hauriam e Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audacter & temere jactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit.* Meminere & August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 16. & Tertull. in Apolog. cap. 22. Est apud Patinum, pag 75. num. 3. post Ursinum, nummus argenteus, sic inscriptus: C. CLODIVS C. F. Caput deæ Floræ, cinctum floribus: retro, flos, vel papaver. .)(. Vestalis capite velato sedet, lucernam dextra tenet. Epigraphe: VESTALIS. Sententia est: *Caius Clodius*, Tribunus plebis, ut videtur, *Caii filius*, pariter Tribunus plebis, VESTALes *Inclusit Septis.* Percussus hic nummus est sub P. Clodio Marci filio Tribuno plebis, qui memoriam rei gestæ ab uno celeberrimo e majoribus suis, sic revocavit.

12. *Anno Urbis DCIX.*] Vide Notas & Emendationes, num. III.

13. *Boario vero*] Fuit in Urbis regione octava, in qua & Forum Romanum.

14. *Etiam nostra ætas.*] Plutarchus, qui non Græcum Græcamque modo, sed & Gallum simul Gallamque defossos refert, id quoque haud multis ante se annis contigisse ait, οὐ πολλοῖς ἔτεσιν ἔμπροσθεν, in quæst. Rom. pag. 283. ut ad Vespasiani tempora referendum id videatur, vel certe Neronis. Sed & illud prius accidisse Livius narrat, lib. 22. pag. 225.

15. *Quindecimvirûm.*] Erant tria apud Romanos veteres amplissima Collegia sacerdotum. Pontificum videlicet, Augurum, & Decem, vel Quindecimvirorum sacris faciundis, qui Sibyllini vocabantur. His deinde & quartum accessit aruspicum. A Sylla quindecimviri instituti sunt, cum prius decem omnino forent: ad hos ludorum sæcularium procuratio pertinebat.

16. *Octingentorum*] Hæc certa anni illius nota, quo Plinius hæc condidit: Urbis annus scilicet DCCCXXX.

17. *De tota conjectione.*] De tota quæstione, lite, controversia. Vide Notas & Emend. num. IV.

18. *Ut suo loco docuimus.*] Libro 2. sect. 54.

Sect. IV. 1. *L. Piso.*] Refert hoc etiam Livius, lib. 1. *Ipsum regem* (Tullum) *tradunt volventem commentarios Numæ, cum ibi quædam occulta solemnia sacrificia Jovi Elicio facta invenisset, operatum his sacris se abdidisse: sed non rite initum, aut curatum id sacrum esse .... & fulmine ipsum cum domo conflagrasse.* Valerius item Maxim lib. 9. cap. 12. pag 452. Perstrinxit eam historiam jam supra Plinius, lib 2. sect. 54.

2. *Multi vero.*] Subintellige, *auctores sunt*, ex antecedentibus.

3. *Cum in Tarpeio.*] Rem narrat festive Dionysius Halic. lib. 4. Antiq. Rom pag. 258. tacito modo vatis Oleni nomine proprio. Camillus apud Livium, lib. 5. sub finem: *Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano invento, responsum est eo loco caput rerum, summamque imperii fore.* Varro lib 4. de ling. Lat. pag. 3. *Capitolium dictum, quod hic cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur. Hic mons ante Tarpeius dictus, a Virgine Vestali Tarpeia, quæ ibi ab Sabinis necata armis, & sepulta, &c.*

4. *Missis ob id a se.*] Ab iis qui fodientes caput humanum invenissent: vel *ad se* fortassis, hoc est, ad vatem Etruriæ Olenum. In libris post Hermolaum editis, ipso auctore *a Senatu* legitur. In Parm. & Reg. Colb. aliisque, *a se.*

5. *Iterum id.*] Currum figlinum Tuscis opificibus Jovis Capitolini fastigio imponendum Tarquinius locarat, qui in fornace in tantam molem excrevit, ὥστε μόλις ἐξαιρεθῆναι τῆς ὀροφῆς ἀνασκευασαμένων τὸν κάμινον, καὶ τῶν τοίχων περιαιρεθέντων, ita ut fornacis ablato culmine, parietibusque dejectis, ægre educeretur. Id quia visum est vatibus cæleste felicitatis prodigium iis, penes quos ea quadriga foret, statuere Veientes repetentibus Romanis non tradere, inquit Plutarchus in Poplicola, pag 103. mox tamen alio augurio territi, quod retulimus lib. 8. sect. 65. dedidere. Sic panis, quem Macedonum regina Perdiccæ famulo coquebat, cum in furno cresceret, duplo major quam erat, regnum ei portendit, ut est auctor Herodotus, lib. 8 Urania, num. 137. pag. 508. Διπλήσιος ἐγίνετο αὐτὸς ἑωυτοῦ.

6. *Observare se.*] Vel, ut in aliis codd. legitur, *observasse se.* Vidit hunc veterum morem Servius, ad hos Maronis versus, statim initio libri XI. Æneidos.

Æneas, (quanquam & sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est.)
Vota Deûm primo victor solvebat Eoo. Consuetudo, inquit a

sunt? [7] QUI FRUGES EXCANTASSET. Et alibi, QUI MALUM CARMEN INCANTASSET. Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, [8] in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset: promittique illi eumdem, aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in Pontificum disciplina id factum: [9] constatque ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.

[10] Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. [11] Huc pertinet ovorum, ut exsorbuerit quisque, calyces, cochlearumque, protinus frangi, aut eosdem [12] cochlearibus perforari. [13] Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio. Figlinarum opera multi rumpi credunt tali modo: non pauci etiam [14] serpentes ipsas recanere: & hunc unum illis esse intellectum, [a] contrahique [15] Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete. Etiam parietes [b] incendiorum deprecationibus conscribuntur. Neque est facile dictu, externa verba atque ineffabilia abrogent fidem validius, [16] an Latina inopinata, & quæ ridicula videri cogit animus, semper aliquid immensum exspectans, ac dignum Deo movendo, immo vero quod numini imperet. [17] Dixit Homerus, profluvium sanguinis vulnerato femine Ulyssem inhibuisse carmine:

INTERPRETATIO.

a *Contrahique.*] Congregari.

b *Incendiorum.*] Ad deprecanda *depellendaque* incendia.

NOTÆ.

Romana fuit, ut polluti funere minime sacrificarent. Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat ut ante sacra compleret, quam funus agnosceret. Unde etiam Horatius Pulvillus, in Capitolii dedicatione, cum ab inimicis ei filium mortuum nunciaretur extinctus, ut quidam putant, falso: at alii, pro vero: ait, Cadaver sit: nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicaret. Secundum quem ritum etiam Æneas inducitur ante operam dare sacrificiis, & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reverti.

7 *Qui fruges*] Tabula VIII cap. 2 Excantare hoc loco est magicis carminibus obligare, seu impedire quominus quid crescat, adolescat, vel in maturitatem perducatur, imbribus forte intempestivis attractis, vel bonis necessariisque repulsis. Quod Seneca, lib 4 Natur quæst. cap 7. de ea re agens, sic docet: *Apud nos, inquit, in XII. tabulis cavetur, Ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causa nullius Philosophi schola intranda sit.* De incantamentis ejusceemodi multa erudite congerit Gothofredus, in Cod. Theod. lib. IX. tit. 16. de Malefic. &c. pag. 117.

8. *In oppugnationibus*] Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 9. *Constat omnes urbes in alicujus Dei esse tutela, moremque Romanorum arcanum, & multis ignotum fuisse, ut cum obsiderent Urbem hostium, eamque jam capi posse confiderent, CERTO CARMINE evocarent tutelares Deos: quod haud aliter urbem capi posse non crederent: aut etiam si posset, nefas existimarent Deos habere captivos. Nam propterea ipsi Romani, & Deum in cujus tutela urbs Roma est, & ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt.*

9 *Constatque ideo.*] Sic Macrobius loco allato. Sed & ignotos aliarum similiter urbium deos, ex carmine in obsidionibus præcini solito a Pontifice, intelligi sane potest: cujus hæc formula est, ex Sammonico, & Furio, quos Macrobius appellat auctores, lib. 3. Saturn. cap. 9. pag 405 *Si Deus, si Dea est, cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela, teque maxime ille qui urbis hujus populique tutelam recepisti, precor, veneorque, veniamque a vobis precor, ut vos populum, civitatemque Carthaginiensium deseratis: loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo, civitatique metum, formidinem, oblivionemque injiciatis, proditique Romam ad meosque veniatis: nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorque sit: mihi quoque populoque Rom. militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.* Plutarchus, in quæst. Rom pag. 278. *Cur tutelarem Romæ Deum, masne sit an fœmina, dicere nefas est. cum Valerium Soranum male periisse narrent, qui eliud edidisset.* Huc spectat vetus apud Gruterum inscriptio, pag 7 si tamen vetus: SIVE. DEO. SIVE. DEAE. C. TER. DEXTER. *Ignoto Deo*, quo sensu sacrificasse Athenienses dicti sint ab Apostolo Paulo, exposuimus in Commentariis, quos in Acta adjuvante Deo conscripsimus. Vide Notas & Emend. num. V.

10. *Defigi quidem.*] Simili, si memini, forma loquendi usus Seneca, in libris de Beneficiis: *Exsecrari enim illum, & caput sanctum dira imprecatione defigis.* Sane defigendi verbum sortilegorum est. Paulus, 5. Sentent. tit. 23 ex MSS. *Qui sacra impia, nocturnave, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, &c.* In libris editis, *interfigerent.* Apulejus, lib. de virt. herb. cap. de leontopodio: *Si quis devotus defixusque fuerit in suis nuptiis, sic eum resolves.* Vetus interpres Horatii: *Ita te defigam novis & insolitis maleficiis: ut mentem numquam recipias.* Glossæ Philoxeni: *Defixiones, κατοχαί, καταδέσμοι.* Has porro exsecrationes vim eam habere Romani arbitrabantur, nemo ut sic devotus posset evadere. Seneca idem epist 94 pag. 418. *Nocent qui exsecrantur: nam & horum imprecatio falsos nobis metus inserit, &c.* Horatius, Epod 5. vers. 89.

Diris agam vos. dira detestatio
Nulla expiatur victima

Exsecrationum formulas vide apud Brissonium, l. 1. p 180.

11. *Huc pertinet*] Cum nomina, vel simulacra, vel ovorum testæ acu pungebantur, hoc veneficio lædi homines existimabant. Id maleficium ut occuparent, averterentque, ipsi ovorum, cochlearumque putamina frangebant: qui mos hodieque alicubi durat, ut ipsi vidimus.

12 *Cochlearibus.*] Horum jam olim usus in sorbendis ovis & cochleis Martialis, in Xeniis, lib. 14 Epigr. 121. cujus lemma, *Cochlearia*, subintellige, ligula:

Sum cochleis habilis: sed non minus utilis ovis. &c.

13. *Hinc Theocriti &c*] Ex uno Virgilio disce reliquos: Hujus Ecloga octava, a versu 64. est incantamentorum amatoria cantilena.

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, & mascula thura:
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus. nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cælo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssei:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis: &c.

Catulli nihil est simile, inter opera quæ nunc circumferuntur.

14 *Serpentes .... recanere.*] Ita Reg. 1. & 2. aliique optimæ notæ codices, non, ut editi, *incantari.* Ut cantu angues, rumpi veteres existimabant: sic angues ipsos censebant, si præsentirent, recanere, & incantationem referre ac diluere. Nec recanere modo, sed & præcanere, cum veneficium subodorati angues, anteoccupabant. Tibullus, lib. 1. eclog. 8.

Cantus & irata detinet angues iter.

In sacris ipsis codicibus, Psal. 57. mentio est, *aspidis surdæ, & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefico, incantantis sapienter*: hoc est, incantatoris in ea arte experti, ac periti.

15 *Marsorum.*] De horum veneficiis Lucilius, lib. 20. Satyr.

Jam disrumpetur medius: jam ut Marsu colubros
Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.

Et Pomponius, in Pistoribus:

Marum ni hat Marsa: ut colubros rallet canticulam.

16 *An Latina inopinata.*] Cujusmodi plurima habet Marcellus Empir. lib de medic. & ante eum Cato, lib. de re rust. passim.

17. *Dixit Homerus.*] Ulyssis humerum carmine sanasse filios Autolyci, & inhibuisse sanguinem scribit Homerus, Odysseæ τ' vers. 457

Ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον.

Plinius ἴσχεθεν legit, ut ab ipso Ulysse pronunciatum carmen indicaret.

[18] Theophrastus, ischiadicos sanari. [19] Cato prodidit luxatis membris [20] carmen auxiliare; M. Varro podagris. [21] Cæsarem Dictatorem post unum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper, ut primum consedisset, id quod plerosque nunc facere scimus, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum.

V. [a] Libet hanc partem singulorum quoque conscientia coarguere. [1] Cur enim primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominamur? [2] Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legimus? Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus alii, [3] Græcam Nemesin invocantes: [4] cujus ob id Romæ simulacrum [5] in Capitolio est, quamvis Latinum nomen non sit? Cur ad mentionem defunctorum, testamur memoriam eorum a nobis non sollicitari? [7] Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus: [8] idque in febribus dierum observatione intelligitur? [9] Cur ad primitias pomorum, hæc vetera esse dicimus, alia nova optamus? [10] Cur sternumentis salutamus? quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum (ut constat) hominum, in vehiculo exegisse tradunt. [11] Et aliqui nomine quoque consalutare, religiosius putant. [12] Quin & absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se, receptum est. Attalus affirmat, scorpione viso, si quis dicat DUO, cohiberi, nec vibrare ictus. Et quoniam scorpio admonuit, [b] in Africa nemo destinat aliquid, nisi præfatus Africam. In ceteris vero gentibus, Deos ante obtestatur, ut velint. Nam si mensa adsit, [13] anulum

INTERPRETATIO.

a *Libet.*] Placet hanc *doctrinæ* partem iis rebus confirmare, quæ singuli se facere sibi sunt conscii.

b *In Africa.*] Nemo in Africa aliquid agere animo destinat, quin prius hanc vocem efferat, *Africa*: *vel paramiam, semper Africa aliquid apportat novi.*

NOTÆ.

18. *Theophrastus.*] Opere de ἐνθουσιασμῷ, ut quidem docent Athenæus, lib. 14. pag. 624. & Apollonius, in hist. mirab. cap. 49. Vide etiam Gellium, lib. 4. cap. 13 pag. 320. Martianum Capellam, lib. 9 pag. 313. ubi multa de Musicæ vi ac laude. Cælium Aurel. lib. 1. cap. 5. ubi de Phrygio, Dorio, ceterisque numeris ac modis, ad saniandum insaniæ morbum utilibus.

19. *Cato prodidit.*] Locum retulimus, lib. 17. sect. ult.

20. *Carmen auxiliare.*] Vide Notas & Emend. num. V.

21. *Cæsarem .... post ... vehiculi casum*] De eo casu Suetonius in Julio, cap. 37. *Gallici triumphi die Velabrum prætervehens, pæne curru excussus est, axe diffracto, &c.* Vide & Dionem, lib. 43. pag. 224.

Sect. V. 1. *Cur enim primum.*] Calendas Januarias designat, jam tum mutuis salutationum officiis celebres, qui mos hodieque constantissime perseverat. Vide Notas & Emend. num. VI.

2. *Cur publicis.*] Inter ea quæ boni ominis gratia superstitiose magis quam religiose servabantur, haud postremum id fuit, quod *cum Censor populum lustraret*, inquit Cicero, lib. 1. de Divin. num. 102. *bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur.* Quod idem in delectu Consules observabant, ut primus miles fieret bono nomine. In publicorum quoque vectigalium locatione, Lucrinus, propter lucri sonum nomini inhærentem, primus locabatur: quod Festus tradit, aliusque exemplis omnium religiosam observationem confirmat. *Lacus*, inquit, *Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus, ominis boni gratia: ut in delectu censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius.* Vide plura apud Brisson. lib. 1. de formul. pag. 14. & 92. Augusto utique apud Actium descendenti in aciem omen victoriæ fuisse fertur agasonis occursus, cui nomen Eutychus, cum asino, cui Nicon erat, ut est a Tranquillo notatum in Augusto, cap. 116. *Prospera nomina, bona nomina*, nomina sunt bene ominata.

3. *Græcam Nemesin.*] Arrogantiæ, insolentiæque vindicem Deam. Vide Constantinum in Lexico, verbo Νέμεσις. Alii esse Fortunam aiunt. Favent antiqui lapides apud Gruterum, pag. 80. DEAE. NEMESI SIVE FORTVNAE. VIRGINI VICTRICI SANCTAE. DEAE NEMESI. Et pag. 73. FORTVNAE RHAMNVSIAE. Est enim Rhamnusia Nemesis, ut diximus lib. 36. sect. 4. num. 3. Invidiam esse alii arbitrantur. Ausonius:

> *Ecce ubi se cumulat mea purpura, (mitibus audi*
> *Auribus hoc, Nemesis:) post me dignatur oriri*
> *Augustus Consul.*

4. *Cujus ob id.*] Ad fascinationes amoliendas.

5. *Capitolio.*] Plinius, lib. xi. sect. 103. de Nemesi: *Quæ Dea Latinum nomen*, inquit, *ne in Capitolio quidem invenit.*

6. *Cur ad mentionem.*] Etiam & apud nos vulgus pacem jam mortuos precatur, ubi eorum mentio incidit: *Dieu lui fasse paix.* Et hos μακαρίτας dicimus. Horatius: *Omnes composui: Felices.* Sollicitare manes & Seneca dixit, in Octavia, act. 1. sc. 3.

7. *Cur impares numeros.*] Festus: *Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus esse crediderunt.* Virgil. Eclog. 8.

> *Numero Deus impare gaudet.*

Ubi Servius: *Impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest: par numerus mortalis, quia dividi potest. Licet Varro dicat Pythagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitum: ideo medendi causa, multarumque rerum, impares numeros servari.* Quare etiam in illis ἐπῳδαῖς, ἀλεξιφάρμακοις, & amuletis, quibus suos libros Marcellus Empiricus, Apuleius, Alexander Trallianus, & alii referserunt, frequens is numerus occurrit. Vide Gellium, lib. cap. 10. Et si *de numero multum loquimur*, ut ait August. lib. xi. de Civit. cap. 31. *mensuram & pondus negligere judicemur.*

8. *Idque in febribus.*] Celsus, lib. 3. cap. 4. ubi de febrium curatione agit. *Est autem alia*, inquit, *de diebus ipsis dubitatio: quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque, tanquam tunc de ægris judicaretur, κρισίμους nominabant. Hi erant dies tertius, quintus, septimus, quartus decimus, vicesimus primus: ita ut summa potentia septimo, deinde quarto-decimo, deinde uni & vigesimo daretur. Itaque sic ægros nutriebant, ut dierum imparium accessiones exspectarent*, &c. Scripsit libros tres de diebus decretoriis Galenus, tom. 8. quos consule.

9. *Cur ad primitias.*] Simile quoddam carmen tritum antiquitus sermone vulgi, in vini novi degustatione, recitat Brissonius, lib. 1. de formul. pag. 91.

10. *Cur sternumentis salutamus?*] Sic MSS. Reg. Colbert. Chiffl. & Parm. edit. non, ut reliquæ, *salutamur.* Quin & *sternuentes*, magis arrideret. Vide Aristotelem, sect. 33. Problem. 7. & 9. pag. 819. ubi docet cur sacra res sit habita sternutatio. Cur sternutamenta salutentur, Athen. libro 2. Vide & Xenoph. lib. 3. Κύρου παιδ.

11. *Et aliqui nomine.*] Sternuentes, inquit, appellato nomine proprio consalutant. Petronius in Satyr. pag. 353. *Giton collectioris spiritus plenus, ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet.* Græci non nomine compellabant, sed verbis aliis, ut Ζεῦ, σῶσον. *Jupiter, servato.* Ammianus in Anthol. lib. 2. Epigr. cap. 13.

> Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομύσσειν,
> Τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
> Οὐδὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ· οὐ γὰρ ἀκούει
> Τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.
> *Mungendo Procli manus est nec idonea naso,*
> *Quid mirum? naso nam minor ipsa manus.*
> *Nec sibi sternutans, sit, ait, bene: quippe nec audit*
> *Nasum qui tantum distat ab auriculis.*

12. *Quin & absentes.*] Aristænetus, lib. 2. Epist. Οὐκ ἐβόμβει σοι τὸ οὖς, ὅτε σου μετὰ δακρύων ἐμεμνήμην: *Non tibi tinniebant aures, cum tui lacrymans meminissem?* Virgilius, aut quisquis est alius, in Catalectis:

> *Garrula, quid totis resonans mihi noctibus auris,*
> *Nescio quem dicis nunc meminisse mei?*

Et illud etiam adjiciebant, si auris sinistra tinniret, inimicum nostri tum meminisse: amicum, si dextera.

13. *Anulum ponere.*] Sic MSS. Reg. 2. & Chiffl. Prius ridicule, *nullum ponere.*

ponere tralatitium videmus. [14] Quin etiam multas religiones pollere manifestum est. Alius saliva post aurem digito relata, [a] sollicitudinem animi propitiat. [15] Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur. [16] In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus [17] circumagimus: quod in lævum fecisse, Galliæ religiosius
5 credunt. [19] Fulgetras poppysmis adorare, consensus gentium est.

[20] Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensas profusis abominamur. Recedente aliquo ab epulis, simul verri solum: aut bibente conviva, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur. Servii Sulpicii principis viri commentatio est, quamobrem mensa linquenda non sit: [21] nondum enim plures, quam convivæ numerabantur. Nam ster-
10 numento revocari ferculum mensamve, si non postea gustetur aliquid, inter diras habetur, aut omnino [b] non esse. Hæc instituere illi, qui omnibus negotiis horisque interesse credebant Deos: & ideo placatos etiam vitiis nostris reliquerunt. Quin & repente conticescere [c] convivium adnotatum est, non nisi in pari præsentium numero: [d] isque famæ labor est, ad quemcumque eorum pertinens. Cibus etiam e manu prolapsus reddebatur,
15 utique per mensas: vetabantque munditiarum causa deflare. Et sunt [e] condita auguria, quid loquenti cogitantive id acciderit: inter exsecratissima, si Pontifici accidat [22] Ditis causa epulanti. In mensa utique id reponi, adolerique [23] ad Larem, [f] piatio est. Medicamenta, priusquam adhibeantur, in mensa forte deposita, negant prodesse. [24] Ungues resecari nundinis Romanis tacenti, atque a digito indice, [25] multorum pecuniæ religiosum
20 est. Capillum vero contrectari, contra defluvia ac dolores capitis XVII. Luna, atque XXIX. [26] Pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cavetur, ne per itinera ambulantes tor-

INTERPRETATIO.

a *Sollicitudinem.*] Ejus rei quæ sollicitum habet animum, prosperum procurat eventum.

b *Non esse*] Non edere.

c *Convivium*] Convivas.

d *Isque famæ.*] Tunc vero singulorum convivarum fama periclitatur: nam in quemlibet ejus silentii culpa confertur.

e *Condita auguria.*] Certa statutaque diversa auguria, prout quid loqueretur aut cogitaret is, cui id accidisset.

f *Piatio.*] Expiatio *infelicis ominis, augurique mali depulsio, averruncatio est.*

NOTÆ.

14 *Quin etiam*] Sic laudati codices. Editi, *etiam quoniam*, ut & Reg. 1. Forte pro, *Et jam. quoniam . . . . manifestum est, alius saliva. &c.*

15. *Pollices.*] Antiquitus in pollice, inquit Erasmus, Chiliad. 1 cent. 8 adag. 46. favoris erat, studiique significatio. Qui faveret, pollicem premebat: qui minus faveret, pollicem convertebat. Qui gestus in proverbium abierunt: ut jam premere pollicem dicatur, qui quoquo pacto favet: convertere, qui male vult. Juvenalis:

Converso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Certe presso ad medium digitum pollice, & in indicem relapso, sonitum dare consuevimus, & vel sic favorem significare.

16. *In adorando dexteram ad osculum.*] Sive, ut loquuntur alii, Manum ori: sive, ut Apuleius, lib. 4. Metam. dextram oribus admovemus. Sicut apud Orientis populos veneratio ostendebatur variis flectendi corporis formis: ita apud Græcos manum ad os admovendo, quod proprie est, *προσκυνεῖν*, a *πρὸς* & *κυνεῖν*, quod est osculari. Nec aliud significat Latinum *adorare*, non ab *orare*, id est, *precari*, factum, ut imperiti homines existimant: sed ab eo quod manus admoveatur ori. Lucianus *φιλῆσαι δεξιὰν* dixit: Galli quoque, *Baiser les mains.* De eo ritu vide Brissonium, lib. 1. de formul. pag. 37. & 38. Et ea his adjice, si lubet, quæ Muretus habet, lib. 10. Var. lect. cap. 1. *Quam vetus sit consuetudo, in honore alicui habendo, manum suam ad os admovendi.*

17. *Circumagimus.*] Præceptum id Numæ fuit, ut auctor est Plutarchus in ejus vita, pag. 69. *Προσκυνεῖν περιστρεφόμενον*, *Circumage te, cum Deos adoras.* Cujus moris varias ibi causas affert, quas tu vide, si vacat.

18. *Galliæ.*] Hujus Gallicæ adorationis typum exhibet marmor perantiquum quod parieti affixum est Divonæ Cadurcorum, explicatum prolixe a Joan. Bapt. Bello, lib. de Templ. Augur. cap. 9. pag. 172. Romani e contrario a dextra sinistram versus in orbem convertebant se se: quod & a nostris sacerdotibus in suis ad aram conversionibus hodieque religiosissime observatur: aliter atque prisci illi Galli, qui sinistrorsum, & a læva dextram versus circumagebantur. Quod &, opinor, Possidonius intellexit, cum de Celtis agens, apud Athen. lib. 4. pag. 152. *Τοὺς θεοὺς προσκυνοῦσιν*, inquit, *ἐπὶ τὰ δεξιὰ περιστρεφόμενοι.* Romani moris Plautus commeminit, in Curcul. act. 1. sc. 1. vers. 69.

Quo me vortam, nescio.
PA. *Si Deos salutas, dextroversum censeo.*

19. *Fulgetras poppysmis.*] Hoc est, complosione manuum. *Ποππύζειν* enim non modo est sibilo, hoc est, labris compressis acutiorem quemdam oris sonum edo: sed & demulceo, blande attrecto, quomodo equos nondum perdomitos adulamur: Denique, collisis manibus inter se plausum edo. Apud Aristoph. in Vespis, pag. 474 Philocleo quidam senex ita loquitur, ut se dicat poppyssantibus fulguraturum. Tunc interpres antiquissimus morem hunc esse ait, uti ad fulgetras poppyssetur. Verba senis hæc sunt:

Κἂν ἀστράψω
Ποππύζουσι.

Tum interpres hæc: *ἔθος γὰρ ἐπὶ ἀστραπαῖς ποππύζειν.* Quasi complosis manibus ad deliniendum Jovem.

20. *Incendia . . . aquis sub mensas.*] Ita Reg. 1. At Reg. 2. & Chifflet. *sub mensam.* At non aqua solum, sed mero etiam profuso incendiis occurrere se se significabant. Petron. in fragm. Satyr. pag. 279. *Hæc dicente eo gallus gallinaceus cantavit: qua voce confusus Trimalchio, vinum sub mensam jussit effundi, lucernamque etiam mero spargi: imo anulum trajecit in dexteram manum. &c. Non sine causa, inquit, hic bucinus signum dedit: nam aut incendium oportet fiat, aut aliquis in vicinia animam abjiciat. Longe a nobis, &c.* Hæc videtur fuisse abominandi, seu deprecandi incendii formula.

21. *Nondum enim plures.*] Mensæ videlicet. Mores temporum suorum scilicet sugillat, cum mensæ plures, quam convivæ forent, ad ostentationem luxus, sumptusque profusi, sternerentur. Libris omnibus invitis, Fulvius Ursinus, in append. ad Petr. Ciacon. pag. 145. legit, *Nondum enim plures, quam tres convivæ.*

22. *Ditis causa.*] In epulis feralibus. Tamen Reg. 1. & 2. *dicis causa*, quod est forte sincerius, quasi *δίκης ἕνεκα*, hoc est, *τύπου χάριν*, perfunctorie, ac per simulationem. De ea voce vide Vossium in Etymol. verbo *Dica . . . . Dicis causa fiebant quædam*, inquit Varro, lib. 5. de ling. Lat. *neque item facta, neque item dicta semper.*

23. *Ad Larem.*] Laribus offerri solitæ primitiæ epularum; quod Horatius innuit, lib. 2. satyr. 5. vers. 23.

Dulcia poma,
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.

24. *Ungues resecari.*] Similis superstitionis illud, quod refert Æsius quidam apud Petron. in Satyr. pag. 369. *Audio*, inquit, *non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues, neque capillos deponere, nisi quum pelago ventus irascitur.*

25. *Multorum pecuniæ.*] Nundinantium scilicet. Ita libri omnes, etiam manu exarati. Suspicabatur Gronovius legi commodius posse, *atque digito indice movere pecuniam religiosum est.*

26. *Pagana lege.*] Quæ in pagis scilicet obtinebat. Inde & paganalia sacra, quorum peculiaris ratio fuit. De voce *paganus* multa eruditi disputant, quæ sunt ab instituto nostro, & argumento eo in quo sumus, longe abhorrentia.

queant

queant fusos, aut omnino detectos ferant, quoniam adversetur id omnium spei, præcipueque frugum. [27] M. Servilius Nonianus princeps civitatis, non pridem in metu lippitudinis, priusquam ipse eam nominaret, aliusve ei prædiceret, duabus litteris Græcis P & A, chartam inscriptam, circumligatam lino, subnectebat collo: Mucianus ter Consul, eadem observatione viventem muscam in linteolo albo: his remediis carere ipsos 5 lippitudine [28] prædicantes. [29] Carmina quædam exstant contra grandines, contraque morborum genera, contraque ambusta, quædam etiam experta: sed prodendo obstat ingens verecundia in tanta animorum varietate. Quapropter de his, ut libitum cuique fuerit, opinetur.

CAP. III. VI. [1] Hominum monstrificas naturas & veneficos aspectus diximus in portentis gen- 10 tium, & multas animalium proprietates, quæ repeti supervacuum est. Quorumdam hominum tota corpora prosunt: ut ex his familiis quæ sunt terrori serpentibus, tactu ipso levant percussos, [2] suctuve modico. [3] Quorum e genere sunt Psylli, Marsique, & qui Ophiogenes vocantur [4] in insula Cypro: ex qua familia legatus Evagon nomine, a Consulibus Romæ in dolium serpentium conjectus experimenti causa, circummulcentibus linguis 15 miraculum præbuit. Signum ejus familiæ est, si modo adhuc durat, vernis temporibus odoris virus. Atque eorum sudor quoque medebatur, non modo saliva. [5] Nam in insula Nili Tentyri nascentes tanto sunt crocodilis terrori, ut vocem quoque eorum fugiant. [a] Horum omnium generum in sua repugnantia interventum quoque mederi constat: sicuti aggravari vulnera introitu eorum, qui umquam fuerint serpentium, canisve dente læsi. 20 Iidem gallinarum incubitus, pecorum fetus, abortu vitiant. Tantum remanet virus, [b] excepto semel malo, ut venefici fiant venena passi. Remedio est, ablui prius manus eorum, aquaque illa eos, quibus medeatur, inspergi. Rursus a scorpione aliquando percussi, numquam postea a crabronibus, vespis, apibusve feriuntur. Minus miretur hoc qui sciat, vestem a tineis non attingi, quæ fuerit in funere: serpentes ægre præterquam læva 25 manu extrahi: [*] [c] [6] E Pythagoræ inventis non temere fallere, impositivorum nominum CAP. IV. imparem vocalium numerum, clauditates, oculive orbitatem, ac similes casus dextris assignare partibus, parem lævis. Ferunt difficiles partus statim solvi, cum quis tectum, in quo sit gravida, transmiserit lapide, vel missili, ex his, qui tria animalia singulis ictibus interfecerint, hominem, aprum, ursum. Probabilius id facit [7] hasta velitaris, evulsa e 30 corpore hominis, si terram non attigerit. Eosdem enim [d] illata effectus habet. Sic & sagittas corpore eductas, si terram non attigerint, subjectas cubantibus, amatorium esse, Orpheus & Archelaus scribunt. [8] Quin & comitialem morbum sanari cibo e carne feræ occisæ eodem ferro, quo homo interfectus sit. Quorumdam partes medicæ sunt, sicuti diximus de Pyrrhi regis pollice. Et Elide solebat ostendi [9] Pelopis costa, quam eburneam 35 affirmabant. Nævos in facie tondere, religiosum habent etiam nunc multi.

INTERPRETATIO.

a *Horum omnium.*] Homines horum omnium generum si intervenerint, mederi eos constat *vel sola præsentia, demorsis a serpentibus*, quibus adversantur.

a *Excepto.*] Ex accepto semel veneno tantum virus se se in corpus insinuat, ut omnia veneno deinde ipsi inficiant, qui venenum excepere semel.

c *Pythagora.*] E Pythagoræ inventis istud raro fallit; quo docet in nominibus quæ imponuntur fere, si sit impar vocalium numerus, portendere ea claudtates, orbitatem oculorum, similesque casus, (*si quidem ii futuri sint*,) a dextra parte fore: si par, a læva.

d *Illata.*] In domum illata.

NOTÆ.

Consule, si otium est, quæ de eo argumento congerit Gothofredus in Cod. Theod. lib. 16 tit. 10. de paganis, pag. 251. & 252.

27. *M. Servilius*] M Servilius Rufus Nonianus Consulatum gessit cum C. Cestio, extremis fere Tiberii Imp. temporibus, ut quidem Fasti Consulares produnt.

28. *Prædicantes.*] Servilius, & Mucianus.

29. *Carmina quædam.*] Plura tibi suggeret Marcellus Empiricus. Etiam e sacris paginis repetita, Fernelius, lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 16. pag. 90. & 91.

Sect. VI. 1. *Hominum diximus.*] Libro 7. sect. 2.

2. *Suctuve medico.*] Sic etiam Reg. 1. cod. In Reg. 2. & Chiffl. *tumido*, male. Deterius vero Chiffletius ipse, *fuctuve medico*. Egregie in eam rem Celsus, lib. 5. cap 27. cujus verba ex parte tantum retulimus, lib. 7. sect. 2. *Ad serpentium morsus*, inquit, *homo adhibendus est, qui vulnus exsugat. Neque hercules scientiam præcipuam habent hi qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tuto estur, ictus ejus occidit. Et si stupente ea, quod per quædam medicamenta circulatores faciunt, in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ea saliva noxa est. Ergo quisquis exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit.*

3. *Quorum e genere.*] Vide quæ diximus lib. 7. sect. 2.

4. *In insula Cypro.*] Vide Notas & Emendat. num. VII. De voce ὀφιογενεῖς diximus lib 7. sect. 2. *Crates .... genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat*, &c.

5. *Nam in insula.*] Vide quæ diximus libro 8. sect. 38.

6. *E Pythagora .... fallere.*] Subintellige, *sciat*, ex antecedente periodo. Unde planum fit, quam imperite egerint Pliniani editores, qui distracta præpostere auctoris sententia, ab his verbis novum caput auspicati sunt.

7. *Hasta velitaris.*] Ea est, quæ ad velites pertinet. Sunt autem velites, qui & expediti cognominati, milites armaturæ levioris.

8. *Quin & comitialem.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 58 ad comitiales: *Dantur item carnes edendæ bestiæ occisæ eo ferramento quo homo occisus est.* Scribonius Largus, Compos. Med. cap. 2. num. 13. *Item hinnulei cervi coagulum .... benefacit ad morbum comitialem .... Hoc remedium quo monstravit, dixit ad rem pertinere, occidi hinnulum cultro quo gladiator jugulatus sit.*

9. *Pelopis costa.*]. Tantali is filius fuit, a quo Peloponnesus cognominata. *Humero Pelops insignis eburno* a Virgilio dicitur, lib. 3 Georg. vers. 7. Costam eburneam non memini me alibi legere. In Reg. 1. & 2. non *costam*, sed *hostiliam* vidimus. Quid si *scapula* legas? De Pyrrhi regis pollice, vide supra, libro VII. sect. 2.

VII. [1] Hominum vero in primis jejunam salivam contra serpentes præsidio esse, docuimus. Sed & alios efficaces ejus usus recognoscat vita. [2] Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. [3] Simili modo & fascinationes repercutimus, [a] dextræque clauditatis occursum. Veniam quoque a Deis [4] spei alicujus audaciores petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione terna despuere [5] deprecatione, in omni medicina mos est, atque ita effectus adjuvare: incipientes furunculos ter præsignare [b] jejuna saliva. Mirum dicemus, sed experimento facile: Si quem pœniteat ictus eminus cominusve illati, & statim exspuat mediam in manum, qua percussit, levatur illico percussus a pœna. Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur, statim a tali remedio correcto animalis ingressu. Quidam vero aggravant ictus, ante conatum simili modo saliva in manu ingesta. [6] Credamus ergo lichenas leprasque jejunæ illitu assiduo arceri: item lippitudines, matutina quotidie velut inunctione: carcinomata, [7] malo terræ subacto: [8] cervicis dolorem, saliva jejuni dextra manu ad dextrum poplitem relata, læva ad sinistrum: [9] si quod animal aurem intraverit, & inspuatur, exire. Inter amuleta est, editæ quemque urinæ inspuere: similiter in calciamentum dextri pedis, antequam induatur: item cum quis transeat locum, in quo aliquod periculum adierit. [10] Marcion Smyrnæus, qui [11] de simplicibus effectibus scripsit, [12] rumpi scolopendras marinas sputo tradit: item rubetas, aliasque ranas: Opilius, serpentes, [13] si quis in hiatum earum exspuat. Salpe, torporem sedari quocumque membro instupente, si quis in sinum exspuat: aut si superior palpebra saliva tangatur. Nos si hæc, & illa credamus rite fieri: extranei interventu, aut si dormiens spectetur infans, a nutrice [14] terna adspui: [15] quanquam illos religione tutatur [16] & Fascinus, Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur; & currus triumphantium, [c] sub his pendens, defendit [17] medicus invidiæ:

INTERPRETATIO.

a *Dextræque*] Si quis occurrat dextro pede claudus, omen adversum abominamur exspuendo.

b *Jejuna*] Jejuni oris saliva.

c *Sub his pendens*] Subter currum triumphantium appensus, ad repellendam invidiam.

NOTÆ.

Sect. VII. 1. *Hominum .... docuimus.*] Libro 7. sect. 2. Insigne est in eam rem quod habet Albertus M. lib. 7. de animal. tract. 2. cap. 5. pag. 236. *Sed de mirabilibus*, inquit, *quæ visa sunt in talibus, est unum quod refert Aristoteles, in libro de regimine dominorum, quem scripsit ad Alexandrum: quod videlicet puella missa fuit Alexandro, ex cujus morsu moriebantur homines, sicut ex morsu serpentium: & humor salivalis in ipsa fuit venenum. Et possibilitas hujus probatur ex eo quod sagitta intincta in salivam hominis jejuni intoxicatur, quando vulnerat aliam. Et quod unicuique saliva propria est medicamen contra venenum, & alteri non est salutaris*, &c. Sola jejuni hominis saliva, absque ulla incantatione, scorpionem interemptum scire se ait Aetius, libro 2. de re med. cap. 107. pag. 65. Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 1. pag. 2. *Si quis jejunus exspuat super scorpionem, interimet illum. Item sputum jejuni si morsibus serpentium, & tumoribus applicabitur*, &c.

2. *Despuimus.*] Abominamur, a nobis ejus morbi contagium deprecamur. Plautus, in Captivis, act. 3. sc. 4. vers. 21.

Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?
Heg. *Ne verere, multos iste morbus homines macerat:*
Quibus insputari saluti fuit.

Apuleius, in Apolog. *In cubiculo despuuntur caduci comitiales.* Theophr. in charact. de superstitioso: *Μαινόμενον τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον, φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι.* *Rabiosum intuens aut comitialem, horrescens in sinum despuit.* Neque hunc morbum modo, sed & ea quæ abominabantur, ne evenirent, vel obiter audita, despuebant. Plautus in Asinar. act. 1. sc. 1. vers. 25.

Neque hercle ego istud dico, neque dictum volo.
Teque obsecro hercle, ut, quæ locutus, despuas, &c.

Seneca, in consol. ad Marciam, cap. 9. *Quis non si admonetur ut de suis cogitet, tamquam dirum non respuat, & in capita inimicorum, aut ipsius intempestivi monitoris abire illa jubeat?*

3. *Simili modo*] Ad fascinum similiter depellendum id veteres usurpare soliti. Juvenalis, satyra 7. vers. 112.

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus.

Ubi vetus Scholiastes: *Propter fascinum verborum ter sibi in sinum spuunt, & videntur fascinum arcere, ut Persius de matertera: Vel, incipiunt multa sibi promittentes, in sinum spuere*, &c. Tibullus, lib. 1. Eleg. 2.

Ter cane, ter dictis exspue carminibus.

E Theocriti Idyllio 7.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

4. *Spei alicujus.*] Ii certe qui spe aliqua ducti insolentius paulo se efferunt, & qui sunt jactantiores, spuere similiter in sinum solent. Quæ sententia Juvenalis est, loco allato.

Diogenianus, Cent. 4. Prov. 82. *Εἰς κόλπον οὐ πτύει. Ἐπὶ τῶν μεγαλαυχούντων.* Libanius, epist. 191. ad Modestum: *Οὐ μὴν τοῖς γε ἐλπίδας αὐξάνει, ἀλλ' εἰσὶ καὶ λαμπραί. πτύω δὲ εἰς κόλπους, τῇ παροιμίᾳ πειθόμενος.* Vide Erasm. Chil. 1. cent. 6.

5. *Deprecatione.*] MSS. omnes, *prædicatione.*

6. *Credamus ..... jejunæ.*] Salivæ scilicet. Credidit sane Galenus, lib. 10. de fac. simp. med. cap. 2. pag. 287.

7. *Malo terræ*] Aristolochiam intelligit, quod malum terræ vidimus appellari, lib. 25 sect. 54.

8. *Cervicis dolorem.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 54. *In cervicum dolore*, inquit, *poplites militer fricantur: & e diverso in poplitum dolore cervicem fricari remedium est.* Salivam ille adjicere prætermisit. Diligentior Marcellus Empiric. cap. 18. pag. 127. *Ad cervicum dolores*, inquit, *remedium physicum sic: Jejunus dextram manum saliva tange, & dextrum poplitem perfrica: deinde sinistra manu sinistrum: & hoc ter per singulos poplites facito: statim remediabis.*

9. *Si quod animal.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. & Marcellus Empir. cap. 9. pag. 81.

10. *Marcion.*] Ita libri sane omnes, etiam MSS. sed errore haud dubio, ut in Indice Auctorum monuimus.

11. *De simplicibus.*] Ita MSS. Rectius forte, *de simplicium.* Ut Galenus libros inscripsit undecim, *περὶ κράσεως καὶ δυνάμεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων.*

12. *Rumpi scolopendras.*] Id etiam prodidit Ælianus, lib. 4. hist. animal. cap. 22. & lib. 7. cap. 26.

13. *Si quis in hiatum.*] Vide Galenum, lib. 10. de facult. simpl. medic. pag. 288. Saliva hominis scorpionem obtorpescere scribit Ælianus, lib. 9. hist. anim. cap. 4. interire viperam idem, lib. 2. hist. anim. cap. 24.

14. *Terna adspui.*] Ter adspui cum terna precatione. Sic paulo ante, *terna despuere prædicatione in omni medicina mos est*, &c.

15. *Quanquam illos.*] Nutricem simul, & infantem. Vide Notas & Emend. num. VIII.

16. *Et Fascinus.*] Hoc est, non nutricum modo cura tutatur infantes, sed & fascinus, religione sua, cujus insigne amuletum suspensum e collo gerebant. Alii & ex anulo appendebant. Iconem vide apud Th. Bartholinum, lib. de puerperio Veterum, pag. 161.

17. *Medicus invidiæ*] Invidiæ magnam esse vim ad nocendum antiqui existimabant: cum eam vel ipso afflatu & contagione maleficam, & venenatam esse, & hominibus, quibus male vellet, obesse graviter censerent. Hinc Horatius, lib. 1. epist. 14. vers. 37.

jubetque eosdem recipere [11] similis medicina linguæ, ut sit exorata à tergo Fortuna gloriæ carnifex.

VIII. [1] Morsus hominis inter asperrimos quoque numeratur. Medentur sordes ex auribus: ac ne quis miretur, etiam scorpionum ictibus serpentiumque, statim impositæ. Melius e percussi auribus prosunt: [2] ita & reduvias sanari. Serpentium vero ictum, contusi 5 dentis humani farina.

IX. [1] Capillus puerorum, qui primum decisus est, podagræ impetus dicitur levare circumligatus: [a] & in totum [2] impubium impositus. [3] Virorum quoque capillus canis morsibus medetur ex aceto: [4] & capitum vulneribus ex oleo aut vino. Si credimus, a revulso cruci, quartanis. Combustus æque capillus, carcinomati. [5] Pueri qui primus ceciderit dens, ut terram non attingat, inclusus in armillam, & assidue in brachio 10 habitus, muliebrium locorum dolores prohibet. Pollex in pede prægligatus proximo digito tumores inguinum sedat. [6] In manu dextra duo medii lino leviter colligati, distillationes atque lippitudines arcent. [7] Quin & ejectus lapillus calculoso, alligatusque supra pubem, levare ceteros dicitur, [8] ac jocineris etiam dolores: ac celeritatem partus facere. Addidit 15 Granius, efficaciorem ad hoc esse ferro exemptum. Partus accelerat vicinos, [b] ex quo quæque conceperit, si cinctu suo soluto feminam cinxerit, dein solverit, [9] adjecta precatione, se vinxisse, eumdem & soluturum, atque abierit.

X. [1] Sanguine ipsius hominis, ex quacumque parte emisso, efficacissime anginam illini tradunt Orpheus & Archelaus: item ora, comitiali morbo lapsorum: exsurgere enim 20 protinus. [2] Quidam, si pollices pedum pungantur, exque his guttæ referantur in faciem: aut si virgo dextro pollice attingat: hac conjectura censentes [3] virgines carnes edendas. [4] Æschines Atheniensis excrementorum cinere anginis medebatur, & tonsillis, uvisque, & carcinomatis. Hoc medicamentum vocabat [5] botryon. [6] Multa genera morborum

INTERPRETATIO.

a *Et in totum.*] Et universe omnium impubium capillus impositus juvat.

a *Ex quo.*] Vir ipse ex quo mulier quæque conceperit.

NOTÆ.

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat.

Idcirco ad eam repellendam, de collo puerorum, & de triumphantium curru suspendebant amuleta. Nullum hic locum habent obscenæ conjectationes, quas ad explanandum hunc locum ex Varrone, Glossariis, librisque aliis, Critici congesserunt.

11. *Similis medicinæ.*] Non dicit aliam similem, sed hanc ipsam, hoc est, Fascinum ipsum, currui appensum triumphantium, similiter ventosæ eorum linguæ mederi: jubet enim eos de victoria sua silere, tantumque in se recipere, sive curam eam suscipere, ut Fortunam subsequentem æque propitiam experiantur, ac fuit antea: dent operam, ne ab invidis, qui nemini desunt, de adepto gloriæ culmine dejiciantur. Nam per eos sæpe Fortuna priorem gloriam jugulas & extinguit. Hæc genuina Plinii sententia est. Nullus hic servus aut carnifex, quem nonnulli confinxere; qui a tergo triumphantis adsisteret, moneretque identidem, ut se ipsum cognosceret, ne tanta gloria superbiret. Tertull. in Apolog. cap. 33. pag. 28. *Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici .... Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: Suggeritur enim ei a tergo, Respice post te, Hominem te memento.* Nullus hic servus publicus, (sic enim Juvenalis appellat, Satyr. 10. vers 41. Isidorus, lib. 18. Orig cap. 2. carnificem vocat,) nullus, inquam, qui jubeat triumphantes respicere fascinum, caveresibi a fascino invidentium, quo labefactari tota triumphi gloria potest. Servum a tergo triumphantis coronam sustinuisse Plinius ipse auctor est, lib. 33. sect 4. Meminit hujusce moris & Tzetzes, Chiliad. 13 histor 461. vers 52, sed adjecta fabula:

Καὶ πᾶς ἐπὶ τοῦ ἅρματος δημόσιος οἰκέτης
Ὄπισθεν τούτου ἵσταται τὸν στέφανον αὐτῷ ζυγῶν,
Καὶ λέγει τούτῳ πρὸς τὸ οὖς ἐκ τοῦ, Κατόπιν βλέπε.

Et quomodo in curru publicus minister pone hunc stat coronam sustinens, & dicens ei istud in aurem: A tergo respice. Vide Notas & Emend. num IX.

Sect. VIII. 1. *Morsus hominis.*] Celsus, lib. 26. cap. 27. *Sequitur ut de vulneribus dicam, quæ morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiæ, sæpe canis .... Omnis autem fere morsus habet quoddam virus.* Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. *Hominis morsui, ... sordes ex humanis auribus illinuntur plaga.*

2. *Ita & reduvias.*] Abscessus circa radices unguium, Latini reduvias vocant, Græci παρωνυχίας. Festus: *Reduvia ... morbus est, quum cutis extra ungues se solvit, quia redivivire solvere est* Ejusdem medicamenti meminit & Marcellus Empir. cap. 18 pag. 108. *Paronychia stercus ex auriculis impone, & linteolum superalliga, mirabere remedium.*

Sect. IX. 1. *Capillus puerorum.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246. Sextus Platon. cap. 17. *de puero*, tit 3. *Ad podagram: Pueri primi capilli a nativitate si pedibus dolentibus impositi fuerint, sanabuntur.*

2. *Impubium.*] Sic Naso *impubibus annis*, libro 9. Metam. vers. 418.

3. *Virorum quoque.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap 1. num 5. *Capilli hominis aceto madefacti, si statim applicantur morsui canis, præsentem afferunt utilitatem.*

4. *Et capitum vulneribus.*] Quælibet vulnera hominum capillis cum thure tusis æquo pondere glutinari, prodidit Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 19.

5. *Pueri qui primus.*] Alios in usus hunc pueri dentem Sextus Platonicus adhibet, loco cit. tit. 4. *Pueri dens annorum septem inclusus auro aut argento, & in brachio suspensus, efficit ne mulier concipiat.*

6 *In manu dextra.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 87. *Si in manu dextra*, inquit, *duo digiti medii lino simul copulentur, statim proderit adversus pituitam, & gravedinem, & destillationem narium.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 28 *Ad stillationem narium ex humore: In manu dextra duo digiti medii lino alligati inter se, destillationem compescunt.*

7. *Quin & ejectus.*] Vide Notas & Emend num. X.

8. *Ac jocineris.*] Marcellus Empir. cap. 22 pag. 158. *Ad dolorem jocineris physicum remedium sic: Calculus, sive lapillus, qui a calculoso fuerit ejectus, super jecur dolentis alligatus, statim proderit.*

9. *Adjecta precatione.*] Hoc est, hac formula: *Te vinxi, te quoque solvam.*

Sect. X. 1. *Sanguine ipsius.*] Plinius Valer. lib 1. cap 52.

2. *Quidam si pollices.*] Simile Habdarrahmani præceptio, interprete Ecchellensi, cap. 1. num. 21. *Maniaci curatio ita fit: Incide maniaci hominis pollicem, sanguinem inde effluentem excipe, commisce cum farina*, &c. Item Theodori Prisciani, lib. 4. *In ipsis vero commotionibus, si sanguinem de ejus pedum digitis elicias quoque pacto, & ejus frontem ex eo tangas, & labia: continuo exsurget.*

3. *Virgines carnes.*] Quod virginem vel tactu uno prodesse intellexerint, idcirco catulorum carnes, qui ante coitum cæsi fuerint, edendas comitialibus morbis præcipiunt.

4. *Æschines .... excrementorum.*] Vide Notas & Emendat. num. XI.

5. *Botryon.*] Sexto Platonico, *Botrys*, cap. 17. de puero, Non quod uvæ morbo medeatur, ut putat Humelbergius: hanc enim uvam nemo βότρυον appellat: sed quod uvæ forsan maturæ modo nigrescat.

6. *Multa genera.*] Hoc etiam Hippocrates prodidit, sect,

VII. [1] Hominum vero in primis jejunam salivam contra serpentes præsidio esse, docuimus. Sed & alios efficaces ejus usus recognoscat vita. [2] Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. [3] Simili modo & fascinationes repercutimus, [a] dextræque clauditatis occursum. Veniam quoque a Deis [4] spei alicujus audaciores petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione terna despuere [5] deprecatione, in omni medicina mos est, atque ita effectus adjuvare: incipientes furunculos ter præsignare [b] jejuna saliva. Mirum dicemus, sed experimento facile: Si quem pœniteat ictus eminus cominusve illati, & statim exspuat mediam in manum, qua percussit, levatur illico percussus a pœna. Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur, statim a tali remedio correcto animalis ingressu. Quidam vero aggravant ictus, ante conatum simili modo saliva in manu ingesta. [6] Credamus ergo lichenas lepraśque jejunæ illitu assiduo arceri: item lippitudines, matutina quotidie velut inunctione: carcinomata, [7] malo terræ subacto: [8] cervicis dolorem, saliva jejuni dextra manu ad dextrum poplitem relata, læva ad sinistrum: [9] si quod animal aurem intraverit, & inspuatur, exire. Inter amuleta est, editæ quemque urinæ inspuere: similiter in calciamentum dextri pedis, antequam induatur: item cum quis transeat locum, in quo aliquod periculum adierit. [10] Marcion Smyrnæus, qui [11] de simplicibus effectibus scripsit, [12] rumpi scolopendras marinas sputo tradit: item rubetas, aliasque ranas: Opilius, serpentes, [13] si quis in hiatum earum exspuat. Salpe, torporem sedari quocumque membro instupente, si quis in sinum exspuat: aut si superior palpebra saliva tangatur. Nos si hæc, & illa credamus rite fieri: extranei interventu, aut si dormiens spectetur infans, a nutrice [14] terna adspui: [15] quanquam illos religione tuetur [16] & Fascinus, Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur; & currus triumphantium, [c] sub his pendens, defendit [17] medicus invidiæ:

Interpretatio.

a *Dextræque.*] Si quis occurrat dextro pede claudus, omen adversum abominamur exspuendo.

b *Jejuna.*] Jejuni oris saliva.

c *Sub his pendens.*] Subter currum triumphantium appensus, ad repellendam invidiam.

Notæ.

Sect. VII. 1. *Hominum .... docuimus.*] Libro 7. sect. 2. Insigne est in eam rem quod habet Albertus M. lib. 7. de animal. tract. 2. cap. 5. pag. 236. *Sed de mirabilibus*, inquit, *quæ visa sunt in salibus, est unum quod refert Aristoteles, in libro de regimine dominorum, quem scripsit ad Alexandrum: quod videlicet puella missa fuit Alexandro, ex cujus morsu moriebantur homines, sicut ex morsu serpentium: & humor salivalis in ipsa fuit venenum. Et possibilitas hujus probatur ex eo quod sagitta intincta in salivam hominis jejuni intoxicatur, quando vulnerat album. Et quod unicuique saliva propria est medicamen contra venenum, & alteri non est salutaris*, &c. Sola jejuni hominis saliva, absque ulla incantatione, scorpionem interemptum scire se ait Aetius, libro 2. de re med. cap. 107. pag. 65. Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 1. pag. 2. *Si quis jejunus exspuit super scorpionem, interimit illum. Item sputum jejuni si morsibus serpentium, & tumoribus applicabitur*, &c.

2. *Despuimus.*] Abominamur, a nobis ejus morbi contagium deprecamur. Plautus, in Captivis, act. 3. sc. 4. vers. 21.

> *Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?*
> Heg. *Ne verere, multos iste morbus homines macerat:*
> *Quibus insputari saluti fuit.*

Apuleius, in Apolog. *In cubiculo despuuntur caduci comitiales.* Theophr. in charact. de superstitioso: Μαινόμενόν τε ἰδὼν ἢ ἐπίληπτον, φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι. *Rabiosum intuens aut comitialem, horrescens in sinum despuit.* Neque hunc morbum modo, sed & ea quæ abominabantur, ne evenirent, vel obiter audita, despuebant. Plautus in Asinar. act. 3. sc. 1. vers. 25.

> *Neque hercle ego istud dico, neque dictum volo.*
> *Teque obsecro hercle, ut, quæ locutus, despuas*, &c.

Seneca, in consol. ad Marciam, cap. 9. *Quis non si admoneatur ut de suis cogitet, tamquam dirum non respuat, & in capita inimicorum, aut ipsius intempestivi monitoris abire illa jubeat?*

3. *Simili modo.*] Ad fascinum similiter depellendum id veteres usurpare soliti. Juvenalis, satyra 7. vers. 112.

> *Conspuiturque sinus.*

Ubi vetus Scholiastes: *Propter fascinum verborum ter sibi in sinu spuunt, & videntur fascinum arcere, ut Persius de matertera. Vel, incipiunt multa sibi promittentes, in sinum spuere*, &c. Tibullus, lib. 1. Eleg. 2.

> *Ter cane, ter dictis exspue carminibus.*

E Theocriti Idyllio 7.

> Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

4. *Spei alicujus.*] Ii certe qui spe aliqua ducti insolentius paulo se efferunt, & qui sunt jactantiores, spuere similiter in sinum solent. Quæ sententia Juvenalis est, loco allato.

> *Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,*
> *Conspuiturque sinus.*

Diogenianus, Cent. 4. Prov. 82. Εἰς κόλπον οὐ πτύει. Ἐπὶ τῶν μεγαλαυχούντων. Libanius, epist. 191. ad Modestum: Οὐ μὴν τάς γε ἐλπίδας ἀνεῖλεν, ἀλλ' εἰσὶ καὶ λαμπραί. πτύω δὲ εἰς κόλπον, τῇ παροιμίᾳ πειθόμενος. Vide Erasm. Chil. 1. cent. 6.

5. *Deprecatione.*] MSS. omnes, *prædicatione*.

6. *Credamus ..... jejunæ.*] Salivæ scilicet. Credidit sane Galenus, lib. 10. de fac. simp. med. cap. 2. pag. 287.

7. *Malo terræ.*] Aristolochiam intelligit, quod malum terræ vidimus appellari, lib. 25. sect. 54.

8. *Cervicis dolorem.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 54. *In cervicum dolore*, inquit, *poplites utiliter fricantur: & e diverso in poplitum dolore cervicem fricari remedium est.* Salivam ille adjicere prætermisit. Diligentior Marcellus Empiric. cap. 18. pag. 127. *Ad cervicum dolores*, inquit, *remedium physicum sic: Jejunus dextram manum saliva tange, & dextrum poplitem perfrica: deinde sinistra manu sinistrum: & hoc ter per singulos poplites facito: statim remediabis.*

9. *Si quod animal.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. & Marcellus Empir. cap. 9. pag. 81.

10. *Marcion.*] Ita libri sane omnes, etiam MSS. sed errore haud dubio, ut in Indice Auctorum monuimus.

11. *De simplicibus.*] Ita MSS. Rectius forte, *de simplicium*. Ut Galenus libros inscripsit undecim, περὶ κράσεως καὶ δυνάμεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων.

12. *Rumpi scolopendras.*] Id etiam prodidit Ælianus, lib. 4. hist. animal. cap. 22. & lib. 7. cap. 26.

13. *Si quis in hiatum.*] Vide Galenum, lib. 10. de facult. simpl. medic. pag. 288. Saliva hominis scorpionem obtorpescere scribit Ælianus, lib. 9. hist. anim. cap. 4. interire viperam idem, lib. 2. hist. anim. cap. 24.

14. *Terna adspui.*] Ter adspui cum terna precatione. Sic paulo ante, *terna despuere prædicatione in omni medicina mos est*, &c.

15. *Quanquam illos.*] Nutricem simul, & infantem. Vide Notas & Emend. num. VIII.

16. *Et Fascinus.*] Hoc est, non nutricum modo cura tutatur infantes, sed & fascinus, religione sua, cujus insigne amuletum suspensum e collo gerebant. Alii & ex anulo appendebant. Iconem vide apud Th. Bartholinum, lib. de puerperio Veterum, pag. 161.

17. *Medicus invidiæ.*] Invidiæ magnam esse vim ad nocendum antiqui existimabant: cum eam vel ipso afflatu & contagione maleficam, & venenatam esse, & hominibus, quibus male vellet, obesse graviter censerent. Hinc Horatius, lib. 1. epist. 14. vers. 37.

jubetque eosdem recipere [10] similis medicina linguæ, ut sit exorata a tergo Fortuna gloriæ carnifex.

VIII. [1] Morsus hominis inter asperrimos quoque numeratur. Medentur sordes ex auribus: ac ne quis miretur, etiam scorpionum ictibus serpentiumque, statim impositæ. Melius e percussi auribus prosunt: [2] ita & reduvias sanari. Serpentium vero ictum, contusi dentis humani farina.

IX. [1] Capillus puerorum, qui primum decisus est, podagræ impetus dicitur levare circumligatus: [a] & in totum [2] impubium impositus. [3] Virorum quoque capillus canis morsibus medetur ex aceto: [4] & capitum vulneribus ex oleo aut vino. Si credimus, a revulso cruci, quartanis. Combustus æque capillus, carcinomati. [5] Pueri qui primus ceciderit dens, ut terram non attingat, inclusus in armillam, & assidue in brachio habitus, muliebrium locorum dolores prohibet. Pollex in pede præligatus proximo digito tumores inguinum sedat. [6] In manu dextra duo medii lino leviter colligati, distillationes atque lippitudines arcent. [7] Quin & ejectus lapillus calculoso, alligatusque supra pubem, levare ceteros dicitur, [8] ac jocineris etiam dolores: ac celeritatem partus facere. Addidit Granius, efficaciorem ad hoc esse ferro exemptum. Partus accelerat vicinos, [b] ex quo quæque conceperit, si cinctu suo soluto feminam cinxerit, dein solverit, [9] adjecta precatione, se vinxisse, eumdem & soluturum, atque abierit.

X. [1] Sanguine ipsius hominis, ex quacumque parte emisso, efficacissime anginam illini tradunt Orpheus & Archelaus: item ora, comitiali morbo lapsorum: exsurgere enim protinus. [2] Quidam, si pollices pedum pungantur, exque his guttæ referantur in faciem: aut si virgo dextro pollice attingat: hac conjectura censentes [3] virgines carnes edendas. [4] Æschines Atheniensis excrementorum cinere anginis medebatur, & tonsillis, uvisque, & carcinomatis. Hoc medicamentum vocabat [5] botryon. [6] Multa genera morborum

Interpretatio.

a *Et in totum.*] Ex universe omnium impubium capillus impositus juvat.

a *Ex quo.*] Vir ipse ex quo mulier quæque conceperit.

Notæ.

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat.

Idcirco ad eam repellendam, de collo puerorum, & de triumphantium curru suspendebant amuleta. Nullum hic locum habent obscenæ conjectationes, quas ad explanandum hunc locum ex Varione, Glossariis, librisque aliis, Critici congesserunt.

1. *Similis medicina.*] Non dicit aliam similem, sed hanc ipsam, hoc est, Fascinum ipsum, currui appensum triumphantium, similiter ventosæ eorum linguæ mederi: jubet enim eos de victoria sua silere, tantumque in se recipere, sive curam eam suscipere, ut Fortunam subsequentem æque propitiam experiantur, ac fuit antea: dent operam, ne ab invidis, qui nemini desunt, de adepto gloriæ culmine dejiciantur. Nam per eos sæpe Fortuna priorem gloriam jugulat & extinguit. Hæc genuina Plinii sententia est. Nullus hic servus aut carnifex, quem nonnulli confinxere; qui a tergo triumphantis adsisteret, moneretque identidem, ut se ipsum cognosceret, ne tanta gloria superbiret. Tertull. in Apolog. cap. 33. pag. 28. *Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici. . . . Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: Suggeritur enim ei a tergo, Respice post te, Hominem te memento.* Nullus hic servus publicus, (sic enim Juvenalis appellat, Satyr. 10. vers. 41. Isidorus, lib. 18. Orig. cap. 2. carnificem vocat,) nullus, inquam, qui jubeat triumphantes respicere fascinum, cavere sibi a fascino invidentium, quo labefactari tota triumphi gloria potest. Servum a tergo triumphantis coronam sustinuisse Plinius ipse auctor est, lib. 33. sect. 4. Meminit hujusce moris & Tzetzes, Chiliad. 13. histor. 461. vers. 52, sed adjecta fabula:

Καὶ πῶς ἐπὶ τοῦ ἅρματος δημόσιος οἰκέτης
Ὄπισθεν τούτου ἵσταται τὸν στέφανον ἀνέχων,
Καὶ λέγων τοῦτο πρὸς τὸ οὖς ἐκείνου, Κατόπιν βλέπε.

Et quomodo in curru publicus minister pone hunc stat coronam sustinens, & dicens ei istud in aurem: A tergo respice. Vide Notas & Emend. num. IX.

Sect. VIII. 1. *Morsus hominis.*] Celsus, lib. 26. cap. 27. *Sequitur ut de vulneribus dicam, quæ morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiæ, sæpe canis. . . . Omnis autem fere morsus habet quoddam virus.* Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. *Hominis morsui, ... sordes ex hominis auribus illinuntur plagæ.*

2. *Ita & reduvias.*] Abscessus circa radices unguium, Latini reduvias vocant, Græci παρωνυχίας. Festus: *Redivia . . . morbus est, quum cutis extra ungues se solvit, quia redivire solvere est.* Ejusdem medicamenti meminit & Marcellus Empir. cap. 18. pag. 108. *Paronychia stercus ex auriculis impone, & linteolum superalliga, mirabere remedium.*

Sect. IX. 1. *Capillus puerorum.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246. Sextus Platon. cap. 17. *de puero*, tit. 3. *Ad podagram: Pueri primi capilli a nativitate si pedibus dolentibus impositi fuerint, sanabuntur.*

2. *Impubium*] Sic Naso *impubibus annis*, libro 9 Metam. vers. 418.

3. *Virorum quoque*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Echellensi, cap. 1. num. 5. *Capilli hominis aceto madefacti, si statim applicantur morsui canis, præsentem afferunt utilitatem.*

4. *Et capitum vulneribus.*] Quælibet vulnera hominum capillis cum thure tusis æquo pondere glutinari, prodidit Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 19.

5. *Pueri qui primus.*] Alios in usus hunc pueri dentem Sextus Platonicus adhibet, loco cit. tit. 4. *Pueri dens annorum septem inclusus auro aut argento, & in brachio suspensus, efficit ne mulier concipiat.*

6. *In manu dextra.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 87. *Si in manu dextra*, inquit, *duo digiti medii lino simul copulentur, statim proderit adversus pituitam, & gravedinem, & distillationem narium.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 28. *Ad stillationem narium ex humore: In manu dextra duo digiti medii lino alligati inter se, destillationem compescunt.*

7. *Quin & ejectus.*] Vide Notas & Emend. num. X.

8. *Ac jocineris.*] Marcellus Empir. cap. 22. pag. 158. *Ad dolorem jocineris physicum remedium sic: Calculus, sive lapillus, qui a calculoso fuerit ejectus, super jecur dolentis alligatus, statim proderit.*

9. *Adjecta precatione*] Hoc est, hac formula: *Te vinxi, te quoque solvam.*

Sect. X. 1. *Sanguine ipsius.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 52.

2. *Quidam si pollices.*] Similis Habdarrahmani præceptio, interprete Ecchellensi, cap. 1. num. 22. *Maniaci curatio ita fit: Incide unguem hominis pollicis, sanguinem inde effluentem excipe, commisce cum farina*, &c. Item Theodori Prisciani, lib. 4. *In ipsis vero commotionibus, si sanguinem de ejus pedum digitis elicias quoquo pacto, & ejus frontem ex eo tangas, & labia: continuo exsurgit.*

3. *Virgines carnes.*] Quod virginem vel tactu uno prodesse intellexerint, idcirco catulorum carnes, qui ante coitum cæsi fuerint, edendas comitialibus morbis præcipiunt.

4. *Æschines . . . . excrementorum*] Vide Notas & Emendat. num. XI.

5. *Botryon.*] Sexto Platonico, *Botrys*, cap. 17. de puero, Non quod uvæ morbo medeatur, ut putat Humelbergius: hanc enim uvam nemo βότρυν appellat: sed quod uvæ forsan maturæ modo nigrescat.

6. *Multa genera.*] Hoc etiam Hippocrates prodidit, sect.

primo coïtu solvuntur, primoque feminarum mense. Aut si hoc non contingit, longinqua fiunt, [7] maximeque comitiales. Quin & a serpente ac scorpione percussos coïtu levari produnt: verum feminas Venere ea lædi. [8] Oculorum vitia fieri negant, nec lippire eos, qui cum pedes lavant, aqua inde ter oculos tangant.

XI. Immatura morte raptorum manu, strumas, parotidas, guttura, tactu sanari affirmant. Quidam vero cujuscumque defuncti, dumtaxat sui sexus, læva manu aversa. Et e ligno fulgure icto, rejectis post terga manibus demorderi aliquid, & ad dentem qui doleat, admoveri, remedio esse produnt. [1] Sunt qui præcipiant dentem suffiri dente hominis sui sexus: & eum qui caninus vocetur, insepulto exemptum adalligari. [2] Terram e calvaria, psilothrum esse palpebrarum tradunt. Herba vero, si qua ibi genita sit, commanducata, dentes cadere. Hulcera non serpere osse hominis circumscripta. Alii e tribus puteis pari mensura aquas miscent, & prolibant novo fictili: reliquum dant in tertianis [3] accessu febrium bibendum. [4] Iidem in quartanis fragmentum clavi a cruce, involutum lana, collo subnectunt: aut spartum e cruce: liberatoque condunt caverna, quam Sol non attingat.

XII. [1] Magorum hæc commenta sunt: Ut cotem, qua ferramenta sæpe exacuta sint, subjectam ignari cervicalibus; [a] de veneficio deficientis, evocare indicium, ut ipse dicat quid sibi datum sit, & ubi, & quo tempore: auctorem tamen non nominare. Fulmine utique percusso, circumactum in vulnus hominem loqui protinus constat. [2] Inguinibus medentur aliqui, [b] licium telæ detractum alligantes novenis septenisve nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguini adalligantes. Licio & clavum aliudve, quod quis calcaverit, alligatum ipsos jubent gerere, ne sit dolori vulnus. Verrucas avellunt a vicesima Luna, [c] in limitibus supini ipsam intuentes, ultra caput manibus porrectis, & quidquid apprehendêre, eo fricantes. Clavum corporis, cum cadit stella, si quis distringat, vel cito sanari aïunt, cardinibus ostiorum aceto affuso: lutum fronti illitum, capitis dolorem sedare: item laqueum suspendiosi circumdatum temporibus. Si quid e pisce hæserit faucibus, in aquam demissis frigidam pedibus, cadere. [3] Si vero ex aliis ossibus, impositis capiti ex eodem pisce ossiculis. Si panis hæreat, ex eodem in utramque aurem addito pane.

XIII. Quin & sordes hominis in magnis fecere remediis quæstuosorum [1] gymnasia Græcorum: [2] quippe ea strigmenta molliunt, calfaciunt, discutiunt, complent, sudore & oleo medicinam facientibus. Vulvis inflammatis, [3] contractisque admoventur. Sic & menses cient: sedis inflammationes & condylomata leniunt: item nervorum dolores, luxata, articulorum nodos. [4] Efficaciora ad eadem, strigmenta a balineis, & ideo miscentur suppuratoriis medicamentis. [5] Nam illa, quæ sunt e ceromate, permixta cœ-

INTERPRETATIO.

a *De veneficio.*] Si ex veneficio quis tabe deficiat, cogetur vel sic indicare, ac dicere quid sibi datum sit, &c.

b *Licium.*] Filum, stamen.

c *In limitibus.*] In semitis, viisque transversis agrorum.

NOTÆ.

5. aphorism 28. quem Celsus lib. 2. cap. 1. sic interpretatur: *Si qua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in femina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt.* Vide quæ diximus lib. 7. sect. 51.

7. *Maximeque comitiales.*] Celsus, lib. 3. cap. 23. de comitiali morbo: *Sæpe eum, si remedia non sustulerunt, in pueris, Veneris: in puellis, menstruorum initium tollit.* Scribonius Largus, Compos. 18. de morbo comitiali: *Illud tamen,* inquit, *non oportet ignorare .... pueros vel virgines liberari post complexum & devirginationem.* Cælius Aurel. lib. 1. Chron. 4. in epilepsiæ morbo quosdam ait *vel usum venereum, vel contra eunuchismum faciendum probare.* quod ipse paulo post improbat. Et paulo ante: *Solet hoc passio pubertatis tempore, sive novæ purgationis in feminis .... facile detergeri: quod si minime evenerit, plerumque patienti consenescit.* &c. Ceterum, ut id corollarii vice adjiciam, *Morbus comitialis,* ut Celsus animadvertit, lib. 2. cap. 8. *post annum quintum & vicesimum ortus, ægre curatur: multoque ægrius is qui post quadragesimum annum cœpit: adeo ut in ea ætate aliquid in natura spei, vix quidquam in medicina sit.*

8. *Oculorum vitia.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap. 8 pag. 56. & Sextus Platon. cap. 17. de pocro &c. tit. 5. *ad lippitudinem oculorum.*

Sect. XI. 1. *Sunt qui præcipiant.*] Innocentior paulo Habdarrahmani Ægyptii medicina, cap. 1. num. 35. *Si osse demortui hominis tanges dentes dolores inferentes, curabuntur.* Et num. 40. *Molarem hominis demortui dentem si suspendes super hominem laborantem dentium doloribus, dolores illi mitigabuntur.*

2. *Terram e calvaria.*] Quæ intra calvariam reperitur, vel qua calvaria obducitur.

3. *Accessu febrium.*] Sic MSS. Reg. 2. & alii. In Citt. *a decessu.*

4. *Iidem in quartanis.*] Plinius Valer. lib. 3 cap 6. *Quartanæ curanda: caput clavi, quo aliquis in crucem fixus est, alligatur pannis.*

Sect. XII. 1. *Magorum hæc.*] Allata nempe superiore sectione remedia, ut & ea quæ hac ipsa dicentur.

2. *Inguinibus.*] Inguinum tumori. Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 43. & Marcellus Empir. c. 32. p. 225.

3. *Si vero ex aliis.*] Non e piscium modo, sed etiam ex animalium ossibus. Vide Notas & Emend. num. XII.

Sect. XIII. 1. *Gymnasia Græcorum.*] Plinius supra, lib. 15. sect. 5. ubi de oleo: *Usum ejus ad luxuriam vertêre Græci, vitiorum omnium genitores, in Gymnasiis publicando. Notum est, Magistratus honoris ejus octogenis sestertiis strigmenta olei vendidisse.*

2. *Quippe ea strigmenta.*] Ita sordes appellabant, quæ destringebantur, deradebanturque de athletarum corpore: constabant sudore & oleo: & quod medicatam vim haberent, diligenter colligebantur, magnoque venum ibant. Valerius Max. lib. 9. cap. 14. *Gymnicorum servo strigmenta gymnasii colligenti.* Easdem porro in medicando vires strigmentis gymnasiorum Dioscorides attribuit, lib. 1. cap. 36. Ad maturandas certe duritias, collectiones, strumas, a Theod. Prisciano, lib. 1. cap. de furunculis, commendantur *hæ sordes de parietibus palæstræ collectæ.*

3. *Contractisque.*] Strangulatis.

4. *Efficaciora.*] De his eadem Dioscorides, lib. 1. cap. 34. ex Crateva, a quo hausit & Plinius.

5. *Nam .... e ceromate.*] Κήρωμα unguentum est, quod fit

bo; articulos tantum molliunt, calefaciunt, discutiunt efficacius: sed ad cetera minus valent. Excedit fidem impudens cura, qua [a] sordes virilitatis contra scorpionum ictus singularis remedii, celeberrimi auctores clamant. Rursus in feminis, [b] quas infantium alvo editas in utero ipso, contra sterilitatem subdi censent: [6] meconium vocant. [7] Immo etiam ipsos gymnasiorum rasere parietes: & illæ quoque sordes excalfactoriam vim habere dicuntur: panos discutiunt. [8] Hulceribus senum puerorumque, & desquamatis ambustisve illinuntur.

XIV. Eo minus omitti convenit ab animo hominis pendentes medicinas. [1] Abstinere cibo omni, aut potu, alias vino tantum aut carne, alias balineis, cum quid eorum postulet valetudo, in præsentissimis remediis habetur. His remediis annumeratur [2] exercitatio, [3] intentio vocis, [4] ungui, fricari cum ratione. [5] Vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit: multa adimit corpus, auget modica. In primis vero prodest [6] ambulatio, [7] gestatio, [8] & ea pluribus modis. Equitatio stomacho & coxis utilissima: [9] phthisi navigatio: [10] longis morbis locorum mutatio. Item somno mederi sibi, aut lectulo, [11] aut rara vomitione. Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus, in latera adversum distillationes. [12] Aristoteles & Fabianus plurimum somniari circa ver & autumnum tradunt, magisque supino cubitu, at prono nihil. [13] Theophrastus celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius a supinis. [14] Sol quoque remediorum maximum ab ipso sibi præstari potest, [15] sicut linteorum strigiliumque vehementia: [16] perfundere caput calida ante bali-

INTERPRETATIO.

a *Sordes virilitatis.*] Sordes virilis seminis.

b *Quas.*] Sordes quas infantes alvo emittunt &c.

NOTÆ.

subacta oleo cera, permixtoque luto: hoc luctatores ungebantur, in eo palæstræ aut gymnasii loco, qui ceromateis etiam nomen inde habuit. De his idem Diosc. lib. 1. cap. 35. Ὁ δὲ ἐν ταῖς παλαίστραις ἀποτιλλόμενος τῶν τοίχων, ἐοικὼς δὲ ῥύπῳ, τοῖς περὶ τοὺς κονδύλους συστροφαῖς ἐπιτιθέμενος ὠφελεῖ, &c. *Quæ vero strigmenta in palæstris pulverem sibi adsciverre, similia sordibus, articulorum collectiones ac nodos imposita juvant.*

6. *Meconium.*] Μηκώνιον excrementum quod primum emittunt pueri, quod cruentum est; atrum, fœdique odoris. Arist. lib. 7. hist. anim. cap 13. pag. 844. de infante primum nascente: Ἀφίησι δὲ περιττώματα τὰ μὲν εὐθύς, τὰ δὲ διαταχέως· πάντα δ' ἐν ἡμέρᾳ· καὶ τοῦτο τὸ περίττωμα πλεῖον ἢ κατὰ τὸ παιδὸς τὸ μέγεθος· ὃ καλοῦσιν αἱ γυναῖκες μηκώνιον. Χρῶμα δὲ τούτου αἱματῶδες, καὶ σφόδρα μέλαν, καὶ πιττῶδες· μετὰ δὲ τοῦτο, ἤδη γαλακτῶδες. *Emittit etiam excrementa quidam illico, quidam haud multo post; omnes autem intra diem. Cujus excrementi quantitas major quam pro pueri magnitudine: quod appellant mulieres papaverculum. Color ejus cruentus, ac valde ater, & piceus: post illud, mox lacteus.*

7. *Immo etiam ipsos*] Diosc. lib. 1. cap. 36. totidem verbis: Καὶ ὁ ἐν τοῖς τῶν γυμνασίων τοίχοις ῥύπος, καὶ ὁ ἀπὸ τῶν ἀνδριάντων, θερμαίνει τε καὶ διαχεῖ τὰ δύσπεπτα φύματα, &c.

8. *Hulceribus &c.*] Dioscor. loc. cit. Πρὸς ἕλκη πρεσβυτικὰ ἁρμόζει, &c.

Sect. XIV. 1. *Abstinere cibo.*] Ita Reg. 1. & editi. Reg. 2. & Chifll. *abstinere se cibo.* Balneis quando mendum, quando abstinendum sit, ex Celso perdisces, lib. 2 cap. 17. *de sudore.* Item scite admodum, lib. 3. cap. 2. *Igitur si quid morbi incidit, omnium optima sunt, quies, & abstinentia. Si quid bibendum, aqua .... Solaque abstinentia sine periculo medetur .... Et si leviora indicia fuerint, satis sit a vino tantum abstinere, quod subtractum, plusquam si cibo quid demitur, adjuvat. Si paulo graviora sint, non aquam tantum bibere, sed etiam cibo carnem subtrahere .... Satisque fit, tum ex toto a cibo, a vino, ab omni motu corporis abstinere, cum vehementer nota terruerunt.* Rursum, lib. 4. cap. 2. in dolore capitis: *Satius est abstinere a cibo, si fieri potest, etiam a potione: si non potest, aquam bibere, &c.*

2. *Exercitatio.*] Exercitationum genera hæc sunt apud Galenum, lib. 2. de sanit. tuenda, cap 8. pag. 83. lucta, pugilatus, cursus, saltatio, disci jactus, pilæ ludus, & similia. Exercitationis simul & laboris nomine censentur, remigatio, fossio, aratio, gestatio oneris, equitatio, venatio, longior ambulatio, &c.

3. *Intentio vocis.*] Sive, ut Celsus ait, lib. 1. cap. 2. *clara lectio.* Et cap. 8. *Si quis stomacho laborat, legere clare debet: post lectionem ambulare, &c.* Et mox: *Prodest adversus tardam concoctionem clare legere, &c.* Denique, lib. 4. cap. 4. de tussi: *Oportet lectione uti vehementi: quæ primo impeditur a tussi, post eam vincit.* Hoc vocis exercitium, inquit Cælius Aurelianus, lib. 2. Chron. cap. 1. Græci ἀναφώνησιν vocant.

4. *Ungui.*] Sive, ut nunc obtinet loquendi usus, *ungi.* Vide Notas & Emend. num. XIII. Celsus, lib. 1. cap. 2. *Exercitationem recte sequitur unctio, &c.*

5. *Vehemens enim.*] Totidem verbis Celsus ex Hippocrate, lib. 2. cap 14. *Neque dubitari potest,* inquit, *quin latius quidem & dilucidius, ubi & quomodo frictione utendum esset, Asclepiades præceperit: nihil tamen reperit, quod non a vetustissimo auctore Hippocrate, paucis verbis comprehensum sit: qui dixit, frictione, si vehemens sit, durari corpus: si lenis, molliri: si multa, minui: si modica, impleri. &c.*

6. *Ambulatio*] Plautus in Curcul. act. 2. sc. 1.

Ambula: id leni optimum est.

Cujusmodi porro debeat esse hæc ambulatio, Celsus declarat, lib. 1. cap. 2. *Commode vero,* inquit, *exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio: atque hæc non utique plana, commodior est: siquidem melius ascensus quoque & descensus cum quadam varietate corpus moveat: nisi tamen id perquam imbecillum est: Melior autem est sub divo, quam in portico: melior, si caput patitur, in Sole, quam in umbra: melior in umbra, quam parietes, aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto subest: melior recta, quam flexuosa.*

7. *Gestatio.*] Exercitatio est, qua gestamur, aut vehimur, equo, lectica &c. De ea satis elegans Senecæ locus, initio epist. 55. *A gestatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. Labor est enim & diu ferri: ac nescio an eo major, quia contra naturam est, quæ pedes dedit, ut per nos ambularemus: oculos, ut per nos videremus: &c.*

8. *Et ea pluribus modis.*] Celsus, lib. 2. cap. 15. *Genera autem gestationis plura sunt adhibenda, quæ sint & pro viribus cujusque, & pro opibus .... Gestationum lenissima est navis, vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari, navis: vel lectica aut scamno: acrior vehiculo. Atque hæc ipsa & intendi & leniri possunt. Si nihil horum est, suspendi debet, & moveri, &c.* Hippocratis Græca sunt e libro κατ' ἰητρεῖον, sive de officina medici, quæ Galenus recitat lib. 2. de sanit. tuenda, cap 3. pag 70. tom 6. Ἀνάτριψις δύναται λῦσαι, δῆσαι, σαρκῶσαι, μινυθῆσαι· ἡ σκληρὴ δῆσαι· ἡ μαλακὴ λῦσαι· ἡ πολλὴ μινυθῆσαι· μετρίη, πληρῶσαι. Quorum effectuum dissimilium dispares causas ibidem persequitur.

9. *Phthisi navigatio.*] Vide quæ dicturi sumus, lib. 31. sect. 33.

10. *Longis morbis.*] Hippocr. Γῆς μεταμείψιες, σύμφορον ἐπὶ τῇσι μακρῇσι νούσοισι.

11. *Aut rara vomitione.*] De ea multa Celsus, lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 13.

12. *Aristoteles.*] Vide Plutarchum, lib. 8. Sympos. quæst. 10. pag. 734. *Cur autumnalibus somniis minimum fides sit habendum.*

13. *Theophrastus.*] Ita nunc in libro περὶ ὕπνου καὶ ἐνυπνίων, *de somno & somniis*, cujus Laertius meminit, lib. 5.

14. *Sol quoque.*] Nam ut superius dictum est, optima in Sole, si caput patitur, inambulatio est. Vide Notas & Emendationes, num. XIV.

15. *Sicut linteorum.*] Uncti oleo veteres strigilibus radebantur sudantes: deinde linteis ad id paratis tergebantur. Apuleius, lib. 2. asin. aur. *At simul ex promptuario oleum unctum, & lintea tersus, & cetera huic eidem usui profer ociter, & hospitem meum produc ad proximas balneas.* Hanc frictionem sibi quisque præstare poterat, uti ex Celso quoque intelligimus lib. 4. cap. 4.

16. *Perfundere caput*] Celsus, lib. 1. cap. 3. totidem verbis. In balneis e calida in frigidam transire solitos olim, testis

primo coïtu solvuntur, primoque feminarum mense. Aut si hoc non contingit, longinqua fiunt, [7] maximeque comitiales. Quin & a serpente ac scorpione percussos coïtu levari produnt: verum feminas Venere ea lædi. [8] Oculorum vitia fieri negant, nec lippire eos, qui cum pedes lavant, aqua inde ter oculos tangant.

XI. Immatura morte raptorum manu, strumas, parotidas, guttura, tactu sanari affirmant. Quidam vero cujuscumque defuncti, dumtaxat sui sexus, læva manu aversa. Et e ligno fulgure icto, rejectis post terga manibus demorderi aliquid, & ad dentem qui doleat, admoveri, remedio esse produnt. [1] Sunt qui præcipiant dentem suffiri dente hominis sui sexus: & eum qui caninus vocetur, insepulto exemptum adalligari. [2] Terram e calvaria, psilothrum esse palpebrarum tradunt. Herba vero, si qua ibi genita sit, commanducata, dentes cadere. Hulcera non serpere osse hominis circumscripta. Alii e tribus puteis pari mensura aquas miscent, & prolibant novo fictili: reliquum dant in tertianis [3] accessu febrium bibendum. [4] Iidem in quartanis fragmentum clavi a cruce, involutum lana, collo subnectunt: aut spartum e cruce: liberatoque condunt caverna, quam Sol non attingat.

XII. [1] Magorum hæc commenta sunt: Ut cotem, qua ferramenta sæpe exacuta sint, subjectam ignari cervicalibus; [a] de veneficio deficientis, evocare indicium, ut ipse dicat quid sibi datum sit, & ubi, & quo tempore: auctorem tamen non nominare. Fulmine utique percusso, circumactum in vulnus hominem loqui protinus constat. [2] Inguinibus medentur aliqui, [b] licium telæ detractum alligantes novenis septenisve nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguini adalligantes. Licio & clavum aliudve, quod quis calcaverit, alligatum ipsos jubent gerere, ne sit dolori vulnus. Verrucas avellunt a vicesima Luna, [c] in limitibus supini ipsam intuentes, ultra caput manibus porrectis, & quidquid apprehendêre, eo fricantes. Clavum corporis, cum cadit stella, si quis distringat, vel cito sanari aïunt, cardinibus ostiorum aceto affuso: lutum fronti illitum, capitis dolorem sedare: item laqueum suspendiosi circumdatum temporibus. Si quid e pisce hæserit faucibus, in aquam demissis frigidam pedibus, cadere. [3] Si vero ex aliis ossibus, impositis capiti ex eodem pisce ossiculis. Si panis hæreat, ex eodem in utramque aurem addito pane.

XIII. Quin & sordes hominis in magnis fecere remediis quæstuosorum [1] gymnasia Græcorum: [2] quippe ea strigmenta molliunt, calfaciunt, discutiunt, complent, sudore & oleo medicinam facientibus. Vulvis inflammatis, [3] contractisque admoventur. Sic & menses cient: sedis inflammationes & condylomata leniunt: item nervorum dolores, luxata, articulorum nodos. [4] Efficaciora ad eadem, strigmenta a balineis, & ideo miscentur suppuratoriis medicamentis. [5] Nam illa, quæ sunt e ceromate, permixta cœ-

INTERPRETATIO.

a *De veneficio.*] Si ex veneficio quis tabe deficiat, cogetur vel sic indicare, ac dicere quid sibi datum sit, &c.

b *Licium.*] Filum, stamen.

c *In limitibus.*] In semitis, viisque transversis agrorum.

NOTÆ.

3. aphorism 28. quem Celsus lib. 2. cap. 1. sic interpretatur: *Si qua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in femina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt.* Vide quæ diximus lib. 7. sect. 51.

7. *Maximeque comitiales*] Celsus, lib. 3. cap 23. de comitiali morbo: *Sæpe eum, si remedia non sustulerunt, in pueris, Veneris: in puellis, menstruorum initium tollit.* Scribonius Largus, Compos. 18. de morbo comitiali: *Illud tamen*, inquit, *non oportet ignorare.... pueros vel virgines liberari post complexum & devirginationem.* Cælius Aurel. lib. 1. Chron. 4. in epilepsiæ morbo quosdam ait *vel usum venereum, vel contra eunuchismum faciendum probare*. quod ipse paulo post improbat. Et paulo ante: *Solet hæc passio pubertatis tempore, sive novæ purgationis in feminis...., facile detergeri: quod si minime evenerit, plerumque patienti consenescit*, &c. Ceterum, ut id corollarii vice adjiciam, *Morbus comitialis*, ut Celsus animadvertit, lib. 2. cap. 8. *post annum quintum & vicesimum ortus, ægre curatur: multoque ægrius is qui post quadragesimum annum cœpit: adeo ut in ea ætate aliquid in natura spei, vix quidquam in medicina sit.*

8. *Oculorum vitia.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap. 8 pag. 56. & Sextus Platon. cap. 17. de puero &c. tit. 5. *ad lippitudinem oculorum.*

Sect. XI. 1. *Sunt qui præcipiant*] Innocentior paulo Habdarrahmani Ægyptii medicina, cap. 1. num. 35. *Si osse demortui hominis tanges dentes dolores inferentes, curabuntur.* Et num. 40. *Molarem hominis demortui dentem si suspendes super hominem laborantem dentium doloribus, dolores illi mitigabuntur.*

2. *Terram e calvaria.*] Quæ intra calvariam reperitur, vel qua calvaria obducitur.

3. *Accessu febrium.*] Sic MSS. Reg. 2. & alii. In Chifl. *a decessu.*

4. *Iidem in quartanis.*] Plinius Valer. lib. 3 cap 6. *Quartanæ curandæ: caput clavi, quo aliquis in crucem fixus est, alligatur panno.*

Sect. XII. 1. *Magorum hæc.*] Allata nempe superiore sectione remedia, ut & ea quæ hac ipsa dicentur.

2. *Inguinibus.*] Inguinum tumori. Hæc eisdem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 43. & Marcellus Empir. c. 32. p 225.

3. *Si vero ex aliis.*] Non e piscium modo, sed etiam ex animalium ossibus. Vide Notas & Emend num. XII.

Sect. XIII. 1. *Gymnasia Græcorum*] Plinius supra, lib. 15. sect. 5. ubi de oleo: *Usum ejus ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores, in Gymnasiis publicando. Notum est, Magistratus honoris ejus octogenis sestertiis strigmenta olei vendidisse.*

2. *Quippe ea strigmenta.*] Ita sordes appellabant, quæ destringebantur, deradebanturque de athletarum corpore: constabant sudore & oleo: & quod medicatam vim haberent, diligenter colligebantur, magnoque venum ibant. Valerius Max. lib. 9. cap 14. *Gymnicorum servo strigmenta gymnasiis colligentis.* Easdem porro in medicando vires strigmentis gymnasiorum Dioscorides attribuit, lib. 1. cap. 36. Ad maturandas certe duritias, collectiones, strumas, a Theod. Prisciano, lib. 1. cap. de furunculis, commendantur hæ *sordes de parietibus palæstræ collecta.*

3. *Contractisque.*] Strangulatis.

4. *Efficaciora.*] De his eadem Dioscorides, lib. 1. cap 34. ex Crateva, a quo hausit & Plinius.

5. *Nam.... e ceromate.*] *Κήρωμα* unguentum est, quod fit

nō ; articulos tantum molliunt, calefaciunt, discutiunt efficacius: sed ad cetera minus valent. Excedit fidem impudens cura, qua [a] sordes virilitatis contra scorpionum ictus singularis remedii, celeberrimi auctores clamant. Rursus in feminis, [b] quas infantium alvo editas in utero ipso, contra sterilitatem subdi censent: [6] meconium vocant. [7] Immo etiam ipsos gymnasiorum tasere parietes: & illæ quoque sordes excalfactoriam vim habere dicuntur: panos discutiunt. [8] Hulceribus senum puerorumque, & desquamatis ambustisve illinuntur.

XIV. Eo minus omitti convenit ab animo hominis pendentes medicinas. [1] Abstinere cibo omni, aut potu, alias vino tantum aut carne, alias balineis, cum quid eorum postulet valetudo, in præsentissimis remediis habetur. His remediis annumeratur [2] exercitatio, [3] intentio vocis, [4] ungui, fricari cum ratione. [5] Vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit: multa adimit corpus, auget modica. In primis vero prodest [6] ambulatio, [7] gestatio, [8] & ea pluribus modis. Equitatio stomacho & coxis utilissima: [9] phthisi navigatio: [10] longis morbis locorum mutatio. Item somno mederi sibi, aut lectulo, [11] aut rara vomitione. Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus, in latera adversum distillationes. [12] Aristoteles & Fabianus plurimum somniari circa ver & autumnum tradunt, magisque supino cubitu, at prono nihil. [13] Theophrastus celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius a supinis. [14] Sol quoque remediorum maximum ab ipso sibi præstari potest, [15] sicut linteorum strigiliumque vehementia: [16] perfundere caput calida ante bali-

INTERPRETATIO.

a *Sordes virilitatis.*] Sordes virilis seminis.

b *Quas.*] Sordes quas infantes alvo emittunt &c.

NOTÆ.

sobacta oleo cera, permixtoque luto: hoc luctatores ungebantur, in eo palæstræ aut gymnasii loco, qui ceroma etiam nomen inde habuit. De his idem Diosc. lib. 1. cap. 35. Ὁ δὲ ἐν τῇ παλαίστρᾳ περισυλλεγόμενος τῆς κόνεως, ἰσχνὸς δὲ ῥύπος, ... &c. *Quæ vero strigmenta in palæstris pulverem sibi adsciscere, similia sordibus, articulorum collectiones ac nodos impositu juvant.*

6. *Meconium.*] Μηκώνιον excrementum quod primum emittunt pueri, quod cruentum est, atrum, fœdique odoris. Arist. lib. 7. hist. anim. cap 13. pag. 844. de infante primum nascente: Ἀφίησι δὲ περιττώματα τὰ μὲν εὐθὺς, τὰ δὲ ... · πάντα δ' ἐν ἡμέρᾳ· καὶ τοῦτο τὸ περίττωμα πλεῖον ἢ κατὰ τὸ παιδίον τὸ μέγεθος· ὃ καλοῦσιν αἱ γυναῖκες μηκώνιον· Χρῶμα δὲ τούτου αἱματῶδες, καὶ σφόδρα μέλαν, καὶ πιττῶδες· μετὰ δὲ τοῦτο, ἤδη γαλακτῶδες. *Emittit etiam excrementa quædam illico, quædam haud multo post: omnes autem intra diem. Cujus excrementi quantitas major quam pro pueri magnitudine: quod appellant mulieres papaverculum. Color ejus cruentus, ac valde ater, & piceus: post illud, mox lacteus.*

7. *Immo etiam ipsos*] Diosc. lib. 1. cap. 36. totidem verbis: Καὶ ὁ ἐν τοῖς τῶν γυμνασίων τοίχοις ῥύπος, καὶ ὁ ἀπὸ τῶν ἀνδριάντων, θερμαίνει τε καὶ διαχεῖ ἐν ... φύματα, &c.

8. *Hulceribus &c.*] Dioscor. loc. cit. Πρὸς ἕλκη πρεσβυτικὰ ... &c.

Sect. XIV. 1. *Abstinere cibo.*] Ita Reg 1. & editi. Reg. 2. & Chiffl. *abstinere se cibo.* Balineis quando utendum, quando abstinendum sit, ex Celso perdisces, lib. 2 cap. 17. *de sudore.* Item scite admodum, lib. 3. cap. 2. *Igitur si quid movetur incidit, omnium optima sunt, quies, & abstinentia. Si quid bibendum, aqua .... Solaque abstinentia sine periculo medetur .... Et si leviora indicia fuerint, satis sit a vino tantum abstinere, quod subtractum, plusquam si cibo quid dematur, adjuvat. Si paulo graviora sint, non aquam tantum bibere, sed etiam cibo carnem subtrahere .... Satisque sit, inter ea tam a cibo, a vino, ab omni motu corporis abstinere, cum vehementer nota terruerunt.* Rursum, lib. 4. cap. 2. in dolore capitis: *Satius est abstinere a cibo, si fieri potest, etiam a potione: si non potest, aquam bibere*, &c.

2. *Exercitatio.*] Exercitationum genera hæc sunt apud Galenum, lib. 2. de sanit. tuenda, cap 8. pag. 83. lucta, pugilatus, cursus, saltatio, disci jactus, pilæ ludus, & similia. Exercitationis simul & laboris nomine censentur, remigatio, fossio, aratio, gestatio oneris, equitatio, venatio, longior ambulatio, &c.

3. *Intentio vocis.*] Sive, ut Celsus ait, lib. 1. cap. 2. *clara lectio.* Et cap 8. *Si quis stomacho laborat, legere clare debet: post lectionem ambulare*, &c. Et mox: *Prodest adversus tardam concoctionem clare legere*, &c. Denique, lib. 4. cap. 4. de tussi: *Oportet lectione uti vehementi: quæ primo impeditur a tussi, post eam vincit.* Hoc vocis exercitium, inquit Cælius Aurelianus, lib. 2. Chron. cap. 1. Græci ἀναφώνησιν vocant.

4. *Ungui.*] Sive, ut nunc obtinet loquendi usus, *ungi.* Vide Notas & Emend. num. XIII. Celsus. lib. 1. cap. 1. *Exercitationem recte sequitur unctio*, &c.

5. *Vehemens enim.*] Totidem verbis Celsus ex Hippocrate, lib. 2. cap 14. *Neque dubitari potest*, inquit, *quin latius quidem & dilucidius, ubi & quomodo frictione utendum esset, Asclepiades præceperit: nihil tamen reperit, quod non a vetustissimo auctore Hippocrate, paucis verbis comprehensum sit: qui dixit, frictione, si vehemens sit, durari corpus: si lenis, molliri: si multa, minui: si modica, impleri* &c.

6. *Ambulatio.*] Plautus in Curcul. act. 2. sc. 1.

Ambula: id lieni optimum est.

Cujusmodi porro debeat esse hæc ambulatio, Celsus declarat, lib. 1. cap. 2. *Commode vero*, inquit, *exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio: atque hæc non utique plana, commodior est: siquidem melius ascensus quoque & descensus cum quadam varietate corpus moveat: nisi tamen id perquam imbecillum est: Melior autem est sub divo, quam in porticu: melior, si caput patitur, in Sole, quam in umbra: melior in umbra, quam parietes, aut viridaria efficiunt, quam quæ tectu subest: melior recta, quam flexuosa.*

7. *Gestatio.*] Exercitatio est, qua gestamur, aut vehimur, equo, lectica &c. De ea satis elegans Senecæ locus, initio epist 55. *A gestatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. Labor est enim & diu ferri: ac nescio an eo major, quia contra naturam est, quæ pedes dedit, ut per nos ambularemus: oculos, ut per nos videremus:* &c.

8. *Et ea pluribus modis.*] Celsus, lib. 2. cap. 15. *Genera autem gestationis plura sunt adhibenda, quæ sint & pro viribus cujusque, & pro opibus .... Gestationum lenissima est navis, vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari, navis: vel lectica aut scamno: acrior vehiculo. Atque hæc ipsa & intendi & leniri possunt. Si nihil horum est, suspendi debet, & moveri*, &c. Hippocratis Græca sunt e libro κατ' ἰητρεῖον, sive de officina medici, quæ Galenus recitat lib. 2. de sanit. tuenda, cap. 3. pag 70. tom 6. Ἀνάτριψις δύναται λῦσαι, δῆσαι, σαρκῶσαι, μινυθῆσαι· ἡ σκληρὴ δῆσαι· ἡ μαλακὴ λῦσαι· ἡ πολλὴ μινυθῆσαι· μετρίη, σαρκῶσαι. Quorum effectuum dissimilium dispares causas ibidem persequitur.

9. *Phthisi navigatio.*] Vide quæ dicturi sumus, lib. 31. sect 33.

10. *Longis morbis.*] Hippocr. Τὸ μετοικεῖν, συμφέρει ἐπὶ τῇσι μακρῇσι νούσοισι.

11. *Aut rara vomitione.*] De ea multa Celsus, lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 13.

12. *Aristoteles.*] Vide Plutarchum, lib. 8. Sympos quæst. 10. pag. 734. *Cur autumnalibus somniis minimum fides sit habendum.*

13. *Theophrastus.*] Ita nunc in libro περὶ ὕπνου καὶ ἐνυπνίων, *de somno & somniis*, cujus Laertius meminit, lib. 5.

14. *Sol quoque*] Nam ut superius dictum est, optima in Sole, si caput patitur, inambulatio est. Vide Notas & Emendationes, num. XIV.

15. *Sicut linteorum.*] Uncti oleo veteres strigilibus radebantur sudantes: deinde linteis ad id paratis tergebantur. Apuleius, lib. 2. asin. aur. *Ac simul ex promptuario oleum unctum, & lintea tersus, & cetera huic usui profer ociter, & hospitem meum produc ad proximas balneas.* Hanc frictionem sibi quisque præstare poterat, uti ex Celso quoque intelligimus lib. 4. cap. 4.

16. *Perfundere caput*] Celsus, lib. 1. cap. 3. totidem verbis. In balneis e calida in frigidam transire solitos olim, testis

neatum vaporationem, & postea frigida, saluberrimum intelligitur. [17] Item præsumere cibis, & interponere frigidam, ejusdemque potu somnos antecedere, & si libeat, interrumpere. Notandum, nullum aliud animal calidos potus sequi, ideoque non esse naturales. [18] Mero ante somnos colluere ora, propter halitus: frigida matutinis [19] impari numero ad cavendos dentium dolores: item posca oculos contra lippitudines, certa experimenta sunt: * a [20] sicut totius corporis valetudini varietatem victus inobservatam. [21] Hippocrates tradit non prandentium exta celerius senescere. [22] Verum id remediis cecinit, non epulis: quippe multo utilissima est temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de se præfecturam servo dederat: ultimoque probro manus in cibis triumphali seni [23] dejicebatur, vel in Capitolio epulanti, [24] pudenda re, servo suo facilius parere, quam sibi.

(* Cap. V.)

(Cap. VI.) X V. [1] Sternumenta pinna gravedinem emendant: [2] & si quis mulæ nares, ut tradunt, osculo attingat, [3] sternumenta & singultum. [4] Ob hoc Varro suadet palmam alterna manu scalpere. [5] Plerisque anulum e sinistra in longissimum dexteræ digitum transferre, aut in aquam ferventem manus immergere. [6] Theophrastus senes laboriosius sternuere dicit.

X V I. Venerem damnavit Democritus, ut in qua homo alius exsiliret ex homine. [2] Est hercule raritas ejus utilior. Athletæ tamen torpentes restituuntur Venere: vox revocatur, cum e candida declinat in fuscam. [3] Medetur & lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis, ac melancholicis.

X V I I. Adsidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se implexis, veneficium est: idque compertum tradunt Alcmena Herculem pariente. Pejus, si circa unum ambove genua. Item poplites alternis genibus imponi. Ideo hæc in conciliis ducum potestatumve fieri vetuere majores, velut omnem actum impedientia. Vetuere & sacris, votisve, simili modo interesse. [1] Capita autem aperiri aspectu magistratuum, non venerationis causa jussere, sed (ut Varro auctor est) valetudinis, [2] quoniam firmiora consuetudine ea fierent. Cum quid oculo inciderit, alterum comprimi prodest. [3] Cum aqua dextræ auriculæ, sinistro pede exsultare, capite in dextrum humerum devexo: invicem e diversa aure. Si tussim concitet saliva, in fronte ab alio affla-

Interpretatio.

a *Sicut totius.*] Sic totius corporis valetudinem promitti non observantibus varietatem victus, *certum experimentum est.*

Notæ.

Aristides, tom 1. orat. a sacr. serm. pag. 515.

17. *Item præsumere*] Ante cibos frigidam aquam præsumere, & inter cibos interponere. Vide Celsum, lib. 1. cap. 8.

18. *Mero ante*] Plinius Valer lib. 1. cap 33. *Ad fœtorem oris: Dormiturus vel mane .... vino sinceri os colluat* Et cap. 19. *Nero quoque ante somnos colluere ora propter halitum fœtidum usus dicit.* Insulse is apud nostrum pro mero, *Nero*, legit.

19. *Impari numero.*] Ter, quinquies, &c. Numerus ille superstitione non caret, quam Celsus jure neglexit, lib. 1. cap. 2. *Ubi experrectus est aliquis, paulum intermittere: deinde, nisi hiems est, fovere os multa aqua frigida debet.*

20. *Sicut totius.*] Apparet divulsa præpostere hactenus hæc fuisse a superioribus, ut inde novi capitis initium sumeretur. Habet hanc legem etiam Celsus, lib. 2. cap. 1. *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet .... Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro: ..... Modo ungi, modo id ipsum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere: modo plus justo, modo non amplius assumere, &c.* Sunt sane plerumque valetudinarii, qui certo ciborum genere quasi ad mensuram vescuntur.

21. *Hippocrates.*] Vide Galenum in librum Hippocratis de ratione victus in morbis acutis, Comment. 2. pag. 50. & seqq. tomo xi.

22. *Verum id.*] Non hæc præcipit Hippocrates, inquit, ad crapulam, vel ut helluari adhortetur, sed ad remedia: ut ab illa scilicet exactiore ac scrupulosiore victus norma recedatur, quæ cibos observat.

23. *Dejicebatur.*] Retinebatur. Sic MSS non, ut editi auctore Gelenio, *deducebatur.*

24. *Pudenda re.*] Sic etiam MSS editique. Pliniani istud moris est, pro *pudenda res.* Sic alibi, *Magno solatio*, similesque formulæ passim obviæ.

Sect. X V. 1. *Sternumenta pinna.*] Sternumentum pinnæ motu excitatum gravedinem capitis sanat, excusso vel sic humore qui distillat e capite. Vide Notas & Emendationes, num. X V.

2. *Et si quis mulæ.*] Et hoc, inquit, emendat gravedinem. Vide Notas & Emend. num. X V I.

3. *Sternumenta.*] Subintellige, emendat, ex antecedentibus. Arist. sect. 33 probl. 5. pag. 829 & problem 17. pag 831. Διὰ τί τὴν λυγμὸν οἱ πταρμοὶ παύουσι: Nempe Hippocratem sequitur, cujus est hic Aphorismus X I I I. sect. 6. Ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι, λύουσι τὸν λυγμόν. *A singultu cohibito quæ sternumenta fiunt, solvunt singultum.* Celsus quoque, cujus hoc effatum, lib. 1. cap 8. cui lemma, *Quæ nota in quoque morbi genere* &c. *Singultus*, inquit, *sternutamento finitur.* Ubi & illud animadversione dignum, quod adjicit: *In pulmonis morbo periculosum etiam, quod alias salutare habetur, sternutamentum esse.* Et Marcellus Empir. cap. 17. pag. 126. *Singultus compescit sternutamentum in tempore excitatum.*

4. *Ob hoc.*] Vel ut Chiffl. & Reg. 1. *ad hoc*, ad singultum comprimendum.

5. *Plerique.*] Nempe ad comprimendos singultus. Marcellus Empir. loc. cit. *In aquam calidam*, inquit, *manus missæ, donec illic retenta, singultus crebriores subsidere dicuntur. Anulus in sinistra manu in medio digito positus, vel ibidem translatus, singultus statim compescit.*

6. *Theophrastus.*] Forte in eo opere quod inscripsit, Προβλημάτων συναγωγήν, *collectionem problematum*, cujus meminit Laertius, lib. 5 Sic enim Aristoteles, sect. 33. problem. 12. pag. 830. ipsum istud proponit: Διὰ τί πρεσβῦται χαλεπῶς πτάρνυνται: *Cur senes laboriosius sternuunt?*

Sect. X V I. 1. *Est hercule.*] Celsus, lib. 2. cap. 1. *Concubitus vero neque nimis pertimescendus est Rarus, corpus excitat: frequens, solvit: &c.*

2. *Medetur & lumborum.*] Renum dolori prodesse auctor est Avicenna, lib. 3 Fen. 20. tract. 1. cap. 10 pag. 889. Melancholiæ item, caliginis oculorum, vertigini, gravitati capitis, &c.

Sect. X V I I. 1. *Capita autem.*] Vide Plutarchum in quæst. Rom. pag 266. Cur honos exhibeatur Diis operto capite, hominibus aperto

2. *Quoniam firmiora.*] Ægyptiis, qui retecto capite vitam agunt, eam corporis partem esse firmissimam: invalidam contra Persis, qui mitrati semper incedunt, auctor est Herodotus, lib 3. Thalia, num 12 pag 165.

3. *Cum aqua.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. *Si aqua introierit in auriculam dextram, sinistro pede desultare oportet, capite in dextrum humerum inclinato: si sinistram, e diverso.*

ri. Si jacet uva, a vertice morsu alterius suspendi. [4] In cervicis dolore poplites fricare, aut cervicem in poplitum. Pedes in humo deponi, si nervi in his cruribusve tendantur in lectulo; aut si in læva parte id accidat, sinistræ plantæ pollicem dextra manu apprehendi. Item e diverso. [5] Extremitates corporis vel aurium perstringi contra horrores corporis, sanguinemve narium immodicum. [6] Lino vel papyro principia genitalium: femur medium, ad cohibenda urinæ profluvia. In stomachi solutione pedes pressare, [7] aut manus in ferventem aquam dimittere. Jam & sermoni parci, multis de causis salutare est. Triennio [8] Mæcenatem Melissum accepimus silentium sibi imperavisse, [9] a convulsione reddito sanguine. [10] Nam eversos, scandentesque ac jacentes: si quid ingruat, contraque ictus spiritum cohibere, singularis præsidii est: [11] quod inventum esse animalis docuimus. Clavum ferreum defigere, in quo loco primum caput defixerit corruens morbo comitiali, absolutorium ejus mali dicitur. [12] Contra renum, aut lumborum, vesicæque cruciatus, in balinearum soliis pronos urinam reddere mitigatorium habetur. [13] Vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina est. [14] Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quamdam habere utilem dicuntur: [15] quippe cum Hercules eum prodiderit. Numerum quoque quaternarium Demetrius condito volumine, [16] & quare quaterni cyathi sextariive non essent potandi. Contra lippitudinem retro aures fricare prodest, & lacrymosis oculis frontem. [17] Augurium ex homine ipso est, non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant.

XVIII. Magna & urinæ non ratio solum, sed etiam religio apud auctores invenitur, digesta in genera. Spadonum quoque [1] ad fecunditatis beneficia. Verum ex his quæ referre fas sit, impubium puerorum contra salivas aspidum, [2] quas ptyadas vocant, quoniam venena in oculos hominum exspuant: [3] contra oculorum albugines, obscuritates, cicatrices, argema, palpebras, & cum ervi farina contra adustiones: [4] contra aurium pura, [5] vermiculosque, si decoquatur ad dimidias partes cum porro capitato novo fictili. [6] Vaporatio quoque ea menses feminarum ciet. Salpe fovet illa oculos firmitatis causa: illinit Sole usta, cum ovi albumine, efficacius struthiocameli, binis horis. Hac & atramenti lituræ abluuntur. Virilis podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant. Veteri miscetur cinis ostreorum, adversus eruptiones in corpore infantium, & omnia hulcera manantia. [8] Ea exesis, ambustis, sedis vitiis, rhagadiis & scorpionum ictibus illinitur. [9] Obstetricum nobilitas non alio succo efficacius curari pronunciavit corporum pruritus: [10] nitro addito hulcera capitum, porrigines, nomas, præcipue

NOTÆ.

4. *In cervicis.*] Vide quæ diximus sect. 7.

5. *Extremitates*] Vide quæ dicturi sumus, lib. seq. sect. 9.

6. *Lino vel papyro.*] Marcellus Empir cap. 10. pag. 86 *Linum vel papyrus ligata summitati veretri virilis, sanguinem profluentem naribus mire reprimit.* Et mox: *Si feminæ sanguis ex naribus nimie defluat, mamillæ ejus vinciantur corrigio caprino.* Q. Serenus, cap. de profluvio sanguinis, utrumque complexus:

Præterea Phariis caput emetire papyris,
Detrahe quod super est: alio genitalia necte.
Femineas prodest illinc vincire mamillas,
Menstruus immenso si profluat impete sanguis.

Theod Priscianus, lib. 1. cap. 12. *de fluxu sanguinis narium. Aliqui fasciolis lineis naturam & testes eorum alligando mollius constrinxerunt: si in feminis, femoralia.*

7. *Aut manus in ferventem.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Sic & in torminum dolore, pedes in calidissimam aquam demitti suadet Marcellus Empir. cap. 27. pag. 194.

8. *Mæcenatem Melissum.*] In Reg. 1. & libris vulgatis, *Messium* In Chiffl. *Melissimum* Rectissime omnium Regius 2. *Melissum*, ut diximus in Auctorum Indice.

9. *A convulsione.*] Ex retractione nervorum ac musculorum.

10. *Nam eversos.*] E curru.

11. *Quod inventum esse animalis.*] Melius, opinor, qui sufflatæ carnis distentu ictus hominum, & morsus canum arcent, ut dictum est lib. 8. sect. 58.

12. *Contra renum &c.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 25. pag. 171.

13. *Vulnera nodo Herculis.*] Hoc est, arctissimo. Hunc nodum dracones duo repræsentant, in virga Mercurii mutuo implicati. Macrobius, lib. 1. Saturn. cap 19. pag. 295. *Hi dracones parte media voluminis sui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur*, &c.

14. *Atque etiam.*] Talem cinctum ad fecunditatem prodesse veteres arbitrati sunt: Festus, verbo *Cingulum. Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia: ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX liberos reliquit.* Quo nexu id fuerit, non est satis exploratum. In caduceo hunc nodum Herculis, & in curru Gordii fuisse legimus.

15. *Quippe cum.*] MSS. Reg. 1. & 2. *Quippe cum Herculaneum prodiderit.* Ex Barbari conjectura est vulgata lectio. Forte *Herculaneum*, vim subintelligo, quam Hercules magica arte ei nodo indiderit.

16. *Et quare quaterni.*] Lex est convivalis, expressa ab Ausonio, Idyll. 13. *Ter bibe.*

17. *Augurium.*] Huc pertinet quod ait Julius Capitolinus de Pertinace: *Ea die qua occisus est, negabant in oculis ejus pupulas cum imaginibus quas reddunt spectantibus, visas.*

Sect. XVIII. 1. *Ad fecunditatis.*] Si injiciatur in uterum, sicut meconium puerorum contra sterilitatem subdi admonuit sect. 13.

2. *Quas ptyadas.*] Πτυὰς *sputatrix*, species aspidis, Paulo Æginetæ etiam memorata, ἀπὸ τοῦ πτύειν, ab inspuendo veneno corporibus sic nuncupata.

3. *Contra oculorum.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag 60. Sextus Platon. cap. 17. de puero, &c. tit. 1. *Ad oculorum albuginem, & aures purulentas: Pueri vel virginis investis lotio tunguntur: Extenuat leucomata* (sive *glaucomata*) ... *& aliquatenus claritatem, & angulorum asperitatem sedat*, &c. Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 1. num. 13. *Si coquatur urina in vase aliquo æreo cum melle, & inditur oculis, albuginem .... absterget strenue.* Vide & num. 30.

4. *Contra aurium pura.*] Contra purulentas aures. Vide Notas & Emend. num XVII.

5. *Vermiculosque.*] In malicorio decoctam urinam, mox infusam in aurem, vermiculos abigere scribit Dioscor. lib. 2. cap. 99. Ἐγχέεται δὲ καὶ τοῖς ἐν ὠσὶ (ὦσι) σκώληξιν, ἑψηθὲν ἐν σιδίοις ῥόας. Et Habdarrahmanus Ægyptius, laudandus a nobis inferius, in Notis & Emend. num cit.

6. *Vaporatio.*] Qui vapor ex ea urina exspirat, dum decoquitur.

7. *Argumento fullonum*] Quorum demersi plerumque in urinam pedes ac crura. Hinc urina fullonia appellata inferius, sect. 48.

8. *Ea exesis*, &c. Dioscor. loc. cit.

9. *Obstetricum nobilitas.*] Nobiles obstetrices. De hac forma loquendi diximus lib. 22 sect. 69.

10. *Nitro addito.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVIII.

genitalium. Sua cuique autem (quod fas sit dixisse) maxime prodest, [11] confestim per se, [12] canis morsui, [13] echinorumque spinis inhærentibus, & in spongia lanisve imposita: aut adversus canis rabidi morsus, cinere [a] ex ea subacto: [14] contraque serpentium ictus. Nam contra scolopendras mirum proditur, vertice tacto urinæ suæ gutta, liberari proti- 5 nus læsos.

XIX. Auguria valetudinis ex ea traduntur. Si mane candida, dein rufa sit: illo modo concoquere, hoc concoxisse significatur. [2] Mala signa rubræ, [3] pessima nigræ: [b] [4] mala bullantis, & crassæ: in qua quod subsidit, si album est, [5] significat circa articulos, aut viscera dolorem imminere. Eadem viridis, morbum viscerum: pallida, bilis: ru- 10 bens, sanguinis. [6] Mala, & in qua veluti furfures, [7] atque nubeculæ apparent. [8] Diluta quoque alba vitiosa est: [9] mortifera vero crassa, gravi odore: & in pueris tenuis ac diluta. [10] Magi vetant ejus causa contra Solem Lunamque nudari, aut umbram cujusquam ab ipsa respergi. [11] Hesiodus [c] juxta obstantia reddi suadet, ne Deum aliquem nudatio offendat. Osthanes contra mala medicamenta omnia promisit auxiliari, matutinis 15 horis suam cuique instillatam in pedem.

CAP. VII. XX. Quæ ex mulierum corporibus traduntur, ad portentorum miracula accedunt, ut sileamus divisos membratim in scelera [d] abortus, mensium piacula, quæque alia non obstetrices modo, verum etiam ipsæ meretrices prodidere. [1] Capilli si crementur, odore serpentes fugari. [2] Eodem odore vulvæ morbo strangulatas respirare. [3] Cinere eo qui-

INTERPRETATIO.

a *Ex ea.*] Cinere ex *sua cujusque hominis a cane demorsi* urina subacto.

b *Mala bullantis.*] Mala signa bullas emittentis, mala & crassæ.

c *Juxta obstantia.*] Juxta parietem oppositum.

d *Abortus.*] Fetus abortivos.

NOTÆ.

11. *Confestim per se.*] Hoc est, sola ac separatim, sine ullo alio adjumento, & in spongia deinde etiam imposita. Ita Reg. 2. cod. At Reg. 1. ut editi hactenus libri, *confestim perfusa.*

12. *Canis morsui.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 19. *Si canis morsu quis fuerit vulneratus, ejusdem vulnerati lotio vulnus fomentandum est*

13. *Echinorumque.*] Explicatius ista Marcellus Empiric. cap 34. pag. 233. *Spongia*, inquit, *vel lana lotio madefacta, appositaque, sine dolore quæ corpori inhæserint, eximit.... Si echini aculei pedibus inhæserint, aut alicui corporis parti, ut lotio humano calenti pedem diu teneas, facile excutientur.*

14. *Contraque serpentium.*] Plinius, Valer. lib. 3. cap. ult. Q. Serenus, cap 47. pag. 155. ex Varrone:

Si vero horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Urinam credunt propriam conducere pota.
Varronis fuit ista senis sententia.

Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Echellensi, cap 1. num 7. *Urina hominis recens epota strenue curat a viperarum morsibus, scorpionis marini, ac similium animalium.*

Sect XIX. 1. *Si mane.*] A Cornelio Celso hæc pariter traduntur, lib 1. cap 2. pag. 3. *Scire autem licet integrum corpus esse, cum quotidie mane urina alba, dein rufa est: illud, concoquere: hoc, concoxisse significat.* Vide eumdem Celsum, de malæ urinæ indiciis, lib. 2 cap. 5.

2. *Mala signa rubra.*] Hippocr. sect. 4 Aphor. 71. E Latinis Celsus, lib. 2. cap. 4. *Mala urina est, in qua subsidunt vel rubra, aut livida: deterior, in qua quasi fila quædam tenuia, atque alba: pessima ex iis, si tamquam ex furfuribus factas nubeculas repræsentat. Diluta quoque, atque alba vitiosa est, sed in phreneticis maxime.*

3. *Pessima nigræ.*] Hippocr. libr. de victu in morbis acutis, tex. 46 pag. 306.

4. *Mala bullantis.*] Hippocr. lib. 7. Aphorism 34. pag. 308. tom. 9. operum Galeni: [illegible] *Quibus in urinis bullæ superstant, iis nephritin atque longum fore morbum significant.* Bullare, est bullas facere, hoc est, tumorem illum excrescentem, qui spiritu in aqua vel in urina excitatur Celsus, lib. 2. cap. 7. *Si urina bullat.*

5. *Significat circa articulos.*] Abscessu circa articulos liberare urinam ejuscemodi, auctores clari testantur: Theophilus, lib. de Urinis, tom. 8. operum Galeni, cap. 6. cap. 364. [illegible].... *Urina crassa, & multa, & alba profusa, liberat abscessu in articulos facto, in iis qui antea eo morbo laborarunt.* Hippocr. clarius, lib. 4. Aphor. 74. pag. 184 tom. 9. [illegible], &c At Celsus, lib. 2 cap 7. *Urina autem crassa, ex qua quod desidet, album est, significat circa articulos, aut circa viscera dolorem, metumque morbi esse. Eadem viridis, aut viscerum dolorem, tumoremque cum aliquo periculo subesse, aut certe corpus integrum non esse testatur*, &c. Risum vel Heraclito moveat Dalecampius medicus, qui morbum viscerum hoc loco icterum interpretetur.

6. *Mala & in qua.*] Auctor libri de Urinis, tom. 8. operum Galeni, cap 1. pag. 352. [illegible]. Idem habet & Hippocr in Prognost text. 28. pag. 633. tom 8 rursumque sect. 4 Aphor. 71, Et Celsus, lib. 2. cap. 5. inter signa longi morbi, hæc affert *Si levia atque alba, subrutæ fuere, quæ in ea subsidunt: aut si quasdam quasi maculas repræsentat, aut si bullulas excitat.* Et cap. 6. *Urina vero rubra & tenuis in magna cruditate esse consuevit: & sæpe antequam spatio maturescat, hominem rapit. Itaque si talis diutius permanet, periculum mortis ostendit Pessima tamen est, præcipueque mortifera, nigra, crassa, mali odoris*, &c.

7. *Atque nubeculæ.*] Atræ videlicet nebulæ: [illegible]. Auctor proxime laudatus, lib. de Urinis, loc cit. Hippocr de victu in morbis acutis, tex 44. pag. 304. [illegible], *urinam nebulosam* vocat. Et nebulas appellat Theod. Priscianus, lib. 2. cap 1. *Nubeculas* Celsus, lib. 2. cap. 4. Ut inanis ac futilis conjectura Dalecampii liquido intelligatur, qui *squamulæ*, pro *nubeculæ* reponere nititur.

8. *Diluta quoque.*] [illegible]. *Tenuis & alba, admodum mala.*] Auctor libri de Urinis, loc. cit At Celsus, lib. 2. cap. 6. *Pessima tamen urina est, præcipueque mortifera, nigra, crassa, mali odoris: atque in viris quidem & mulieribus talis deterrima est: in pueris vero, quæ tenuis & diluta est.*

9. *Mortifera.*] Auctor libri de Urinis, loc. cit. [illegible]. *Mortifera est gravis odore, & diluta, & atra, & crassa. In viris quidem & feminis, atra pessima In infantibus, aquosa & diluta.* Vide & Theophilum, de Urinis, cap. 7. pag 366. & Hippocr. in Prognost. text. 32. pag. 634. & 635. utrumque tom. 8 operum Galeni.

10. *Magi.*] Est in Pythagoricis symbolis, [illegible]. Quod quidam [illegible] sic accipiunt, ut sententia sit, contra magnos & honestos viros nihil proterve, nihil irreverenter agendum.

11. *Hesiodus.*] In eo opere, cui titulus, Ἔργα καὶ ἡμέραι, vers. 725.

[illegible]....
[illegible].

Sect. XX. 1. *Capilli si crementur.*] Simile illud est quod Habdarrahmanus Ægyptius refert, cap 1 num. 1 *Satam terram vermiculis obnoxiam si mulieris suffumigabis capillis, statim Deo permittente inde fugantur.*

2. *Eodem odore.*] Habdarrahmanus Ægyptius, Echellensi interprete, cap. 1. num. 23. *Capillis humanis si suffumigabitur mulier, quæ matricis doloribus laborat, sanabitur.* Et lethargicos quoque excitari eo, scribit Plinius Valer. lib. 3. cap 9.

3. *Cinere eo*, &c.] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 60.

dem, si in testa sint cremati, vel cum spuma argenti, scabritias oculorum ac prurigines emendari: item verrucas, & infantium hulcera cum melle. Capitis quoque vulnera, & omnium hulcerum sinus, addito melle ac thure. Panos, podagras, cum adipe suillo, sacrum ignem, [4] sanguinemque sisti illito, [5] & formicationes corporum.

XXI. [1] De lactis usu convenit, dulcissimum esse mollissimumque, & in longa febre, [2] cœliacisque utilissimum, maxime ejus quæ jam [3] infantem removerit. [4] Et in malacia stomachi, in febribus, [5] rosionibusque efficacissimum experiuntur. Item mammarum collectionibus cum thure, [6] oculo ab ictu cruore suffuso, [7] & in dolore, aut epiphoris, si immulgeatur, plurimum prodest: magisque cum melle & narcissi succo, aut thuris polline. Semperque in omni usu efficacius ejus, quæ marem enixa sit: multoque efficacissimum ejus, quæ geminos mares: & si vino ipsa cibisque acrioribus abstineat. Mixto præterea ovorum candido liquore, madidaque lana frontibus impositum, fluxiones oculorum suspendit. [8] Nam si rana saliva sua oculum asperserit, præcipuum est remedium. Et contra morsum ejusdem bibitur, instillaturque. Eum qui simul matris filiæque lacte inunctus sit, liberari omni oculorum metu in totam vitam affirmant. Aurium quoque vitiis medetur, [9] admixto modice oleo: aut si ab ictu doleant, anserino adipe tepefactum. Si odor gravior sit, ut plerumque fit longis vitiis, diluto melle lana includitur. Et contra morbum regium [10] in oculis relictum, instillatur cum elaterio. [11] Peculiariter valet potum contra venena, quæ data sunt e marino lepore, [12] buprestique, & ut Aristoteles tradit, dorycnion. Et contra insaniam, quæ facta sit hyoscyami potu. [13] Podagris quoque jubent illini cum cicuta. [14] Alii cum œsypo & adipe anserino: qualiter etiam vulvarum doloribus imponitur. Alvum etiam sistit potum, [15] ut Rabirius scribit, & menses ciet. [16] Ejus vero quæ feminam enixa sit, ad vitia tantum in facie sananda prævalet. [17] Pulmonum quoque incommoda lacte mulieris sanantur: cui si admisceatur impubis pueri urina, vel mel Atticum, omnia singulorum cochlearium mensura, murmura quoque aurium ejici invenio. Ejus quæ marem peperit lacte gustato, canes rabiosos fieri negant.

XXII. [1] Mulieris quoque salivam jejunæ potentem dijudicant oculis cruentatis. [2] Et si contra epiphoras, ferventes anguli oculorum subinde madefiant: efficacius, si cibo vinoque se pridie ea abstinuerit. Invenio & fascia mulieris alligato capite, dolores minui.

XXIII. Post hæc nullus est modus. Jam primum abigi grandines turbinesque [1] contra fulgura, [a] ipsa in mense, sic averti violentiam cæli: in navigando quidem tempestates etiam sine menstruis. Ex ipsis vero mensibus, monstrificis alias, [2] uti suo

Interpretatio.

a *Ipsa in mense.*] Cum est in menstruis mulier.

Notæ.

4. *Sanguinemque sisti illito.*] Sic Reg. 2. & Chiffl. non, ut editi, *illico.*] In Reg. 1. *inlito*, vetusto more.

5. *Et formicationes.*] Formicatio hoc loco pruritus cutis significat, qualem efficerent formicæ pungentes. Sic lib. 30. sect. 41 *donec formicet cutis.*] Alias formicatio vitium quoque corporis est, quum parva tubercula rotunda & pinguia corpus infestant. Græcis, Μυρμηκίαι: Claviculum vocat Sextus Platon. ut dicemus lib. 30. sect. 22.

Sect. XXI 1. *De lactis usu.*] Muliebris scilicet. Dioscor. lib. 2. cap. 78. Τὸ δὲ γυναικὸς γάλα γλυκύτατόν ἐστι καὶ τροφιμώτατον.

2. *Cœliacisque*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 193. *Cœliaco, & ei qui erectionibus vel doloribus acutis alvi variis vexabitur, potenter succurres, si muliebre lac quamplurimum jejuno potui dederis, donec persanetur.*

3. *Infantem removerit.*] Quæ lactenti puero mammam subduxerit. Joan. Jac. Chiffl. lib. 2. Dædalm. cap. 5. pag. 37. sic interpretatur, *quæ infantem pepererit, atque in lucem ediderit*: Haud sane recte.

4. *Et in malacia.*] Sic etiam Reg. 1. Alii *malicia*, male. Mollities est languentis & cuncta fastidientis stomachi. Diosc. lib. 2. cap 78. τρυφὴν φθίσιν vocat.

5. *Rosionibusque.*] Dioscor. loc. cit. Ὠφελεῖ δὲ θηλαζόμενον τρώξιν δήξει. *Mammis exsuctum prodest ad stomachi rosionem.* A bile fit ista stomachi rosio.

6. *Oculo ab ictu.*] Dioscor. loc. cit. Μιγὲν δὲ λιβανωτῷ λείῳ, ἐνστάζεται τοῖς ἐκ πληγῆς αἱμαχθεῖσιν ὀφθαλμοῖς. *Thuris admixtum pollini: oculis ab ictu cruore suffusis instillatur.*

7. *Et in dolore.*] Oculorum.

8. *Nam si rana.*] Rana rubeta, cujus est venenata maxime saliva.

9. *Admixto modice oleo.*] Vide Notas & Emendat. num. XIX.

10. *In oculis relictum.*] Qui oculos adhuc felleo colore suffundat.

11. *Peculiariter.*] Dioscor. loc. cit. Ἁρμόζει δὲ καὶ πρὸς λαγωοῦ θαλασσίου πόσιν.

12. *Buprestique.*] Scribonius Largus, Compos. 190. ad buprestim.

13. *Podagris .... cum cicuta.*] Dioscor. loc. 6. cum cerato & opio, τοῖς μηκωνείῳ καὶ κηρωτῇ συμμιχθέντων.

14. *Alii cum œsypo.*] Vide lib. 30. sect. 23.

15. *Ut Rabirius.*] Est fortassis C. Rabirius poeta Epicus; cujus Quintilianus meminit, lib. 10. & Ovidius, lib 4. de Ponto, eleg. 16. vers. 5.

Cum foret & Marsus, magnique Rabirius oris.

Seneca, lib. 6. de Benef. cap. 3. *Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam*, &c. Medicusne idem ac vates extiterit, an de rebus medicis ipse in ea arte hospes carmen ediderit, obscurum est.

16. *Ejus vero.*] In ratione victus lac ejuscemodi laudat Galenus, tom. 10. lib. 2. de remed. facil. parab. pag. 659.

17. *Pulmonum quoque.*] Ad pulmonis hulcera, & ad tabem, commendat Galenus, lib. de bonit. & vit. succorum, tom. 6. cap. 4. pag. 426.

Sect. XXII. 1. *Mulieris quoque salivam.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag 69.

2. *Et si contra.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 57. *Si mulieris saliva, quæ pueros, non puellas ediderit, & abstinuerit se pridie vino, & cibis acrioribus, & in prima si pura & nitida erit, angulos oculorum tetigeris, omnem acritudinem lippitudinis lenies, humoremque siccabis.*

Sect. XXIII. 1. *Contra fulgura.*] Assutus purpuræ pannus hæ voces videntur: atque ex ora libri in contextum irrepsisse.

2. *Uti suo loco.*] Libro 7. sect. 13.

loco indicavimus, dira & infanda vaticinantur: e quibus dixisse non pudeat, si in defectus Lunæ Solisve congruat [3] vis illa, irremediabilem fieri: non segnius & in silente Luna: coitusque tum maribus exitiales esse atque pestiferos. Purpuram quoque ab iis eo tempore pollui: [a] tanto vim esse majorem. [4] Quocumque autem alio menstruo, si nudatæ segetem ambiant, erucas, ac vermiculos, scarabæosque, ac noxia alia decidere. Metrodorus Scepsius in Cappadocia inventum prodit, ob multitudinem cantharidum. Ire ergo per media arva, retectis super clunes vestibus. Alibi servatur, ut nudis pedibus eant, capillo cinctuque dissoluto. Cavendum ne id oriente Sole faciant: sementem enim arescere. [5] Item novellas vites ejus tactu in perpetuum lædi: rutam & ederas, [b] res medicatissimas, illico mori. [6] Multa diximus de hac violentia. Sed præter illa certum est, apes tactis alvearis fugere: [7] lina, cum coquantur, nigrescere: aciem in cultris tonsorum hebetescere: æs contactum grave virus odoris accipere & æruginem, magis si decrescente Luna id accidat: equas, si sint gravidæ, tactas abortum pati. Quin & aspectu omnino, quamvis procul visas, si purgatio illa post virginitatem prima sit, aut in virgine [8] ætatis sponte. [9] Nam bitumen in Judæa nascens, sola hac vi superari, filo vestis contactæ, docuimus. Ne igne quidem vincitur, quo cuncta: cinisque etiam ille, si quis aspergat lavandis vestibus, purpuras mutat, florem coloribus adimit, ne ipsis quidem feminis malo suo [10] inter se immunibus. [11] Abortum facit illitus, aut si omnino prægnans supergrediatur. Quæ Lais & Elephantis inter se contraria prodidere de abortivis, carbone e radice brassicæ, vel myrti, vel tamaricis in eo sanguine extincto: item asinas non concipere tot annis, quot grana hordei contacta ederint: quæque alia nuncupavere monstrifica, aut inter ipsas pugnantia: cum hæc fecunditatem fieri iisdem modis, quibus illa sterilitatem, prænunciaret, melius est non credere. Bythus Dyrrachenus [12] hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem aversa rursus contuentibus: omnemque vim talem resolvi, si mullum piscem secum habeant. Multi vero inesse etiam remedia tanto malo aiunt: [13] podagras illini: strumas & parotidas, panos, sacros ignes, furunculos, epiphoras tractatu earum mulierum leniri. Lais & Salpe canum rabiosorum morsus, & tertianas quartanasque febres, menstruo in lana arietis nigri, argenteo brachiali incluso. Diotimus Thebanus, [14] vel omnino vestis ita infectæ portiuncula, [15] ac vel licio, brachiali inserta. Sotira obstetrix, tertianis quartanisque efficacissimum dixit plantas ægri subterlini: multoque efficacius ab ipsa muliere, & ignoranti. Sic & comitiales excitari. [16] Icetidas medicus quartanas coïtu finiri, incipientibus dumtaxat menstruis, spopondit. Inter omnes vero convenit, [17] si aqua potusque formidetur a morsu canis, supposita tantum calici [c] lacinia tali, statim metum eum discuti: videlicet prævalente sympathia illa Græcorum, [18] cum rabiem canum ejus sanguinis gustatu incipere diximus. Cinere eo jumentorum omnium hulcera sanari certum est, addita caminorum

Interpretatio.

a *Tanto.*] Tanto plus virium menstruis tempestas ea adjicit.

b *Res medicatissimas.*] Res ad medicos usus aptissima.

c *Lacinia.*] Lacinia talis tincta menstruo.

Notæ.

3. *Vis illa*] Purgatio menstrua

4. *Quocumque autem.*] Palladius, lib. 1. tit 35. pag 18. *Aliqui mulierem menstruatam nusquam cinctam, solutis capillis, nudis pedibus, contra erucas, & cetera, hortum faciunt circumire.* Columella, lib. 10. de cultu hortor. ubi de animalibus pellendis, quæ carpunt segetes:

At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniunt artes, nudataque plantas
Femina, quæ justis tum demum operata juventæ
Legibus, obsceno manat pudibunda cruore.
Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo,
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti.
Quæ cum lustravit gradiens, mirabile visu,
Non aliter quam decussa pinu arbore nimbo,
Volvitur ad terram distorto corpore campe &c.

Hoc ipsum repetit idem cap. 3. extremo, libri xi. pag. 405. ex Democriti libro, qui inscribebatur, περὶ ἀντιπαθῶν. Sic & Ælianus, lib. 6. hist. anim. cap. 36. de erucis

5. *Item novellas vites.*] M S S. Reg. 2. & alii, *item novella tantum.*

6. *Multa diximus*] Magna, inquit, & numerosa videntur ea quæ hactenus retulimus, hac sectione: sed præter alia, &c.

7. *Lina, cum coquantur.*] Sic etiam Reg. 2. & alii. Si nempe coquantur ære, quod menstrua ea contigerint. Delibata ex his antea jam plurima, lib 7. sect. 13

8. *Ætatis sponte.*] Sponte naturæ in ea ætate, ut ipse ait. lib. 10. sect 75.

9. *Nam bitumen .... docuimus.*] Libro 7. sect. 13. *Quin & bituminum sequax alioqui ac lenta natura, in lacu Judææ, qui vocatur Asphaltites, certo tempore anni supernatans, nequit sibi avelli, ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod tale virus infecerit.* Vide quæ diximus in Notis & Emendat ad librum 7. num LVI.

10. *Inter se.*] Est enim aliarum menstruum aliis venenum.

11. *Abortum, &c.*] Dioscor. lib. 2. cap. 97. Γυναιξὶ δ' ἐπιμήνιον περιαλειφόμενον ἢ ὑπερβαινόμενον, ἀτοκίους ποιεῖ γυναῖκας. *Menstruus feminæ sanguis existimabatur circumlitu efficere ne concipiant mulieres, itemque si super eum ipsæ supergrediantur.*

12. *Hebetata aspectu.*] Mulierum scilicet aspectu, quæ profluvio tali laborant. Nam earum aspectu speculorum fulgor hebetatur, ut dictum est lib. 7. sect. 13. reddi eumdem, si eæ postea speculi partem aversam contuerentur, credidit Bythus.

13. *Podagras illini, &c.*] Dioscor. lib. 2. cap. 97. Ποδάγρας δ' ὀδύνας καὶ ἐρυσιπέλατα πραΰνει καταχριόμενον.

14. *Vel omnino vestis ita infecta.*] Menstruo muliebri inquinatæ.

15. *Ac vel licio*] Vel tenui filo. Brachiale, βραχιόνιον, ornamentum brachiorum: armilla a ceteris appellatur.

16. *Icetidas.*] Et Q. Serenus, cap. de quartana medicanda.

Quidam etiam miranda ferunt, veniente calore
Jurantes ludum Veneris munusque petendum.

17. *Si aqua potusque*] De eo aquæ metu post canis rabiosi morsum, vide quæ diximus lib 8. sect 63

18. *Cum rabiem .... diximus.*] Libro 7. sect. 13 *In rabiem aguntur gustato eo canes.*

farina & cera. Maculas autem e veste eas, non nisi ejusdem urina ablui. Cinerem per se rosaceo mixtum, feminarum præcipue, capitis sedare dolores illitum fronti. Asperimamque vim profluvii ejus esse [19] per se annis virginitate soluta. Id quoque convenit, quo nihil equidem libentius crediderim, tactis omnino menstruo postibus, irritas fieri Magorum artes, [b] generis vanissimi, ut æstimare licet. Ponam enim vel modestissimum e promissis 5 eorum: ex homine siquidem resegmina unguium e pedibus manibusque cera permixta, ita ut dicatur tertianæ, vel quotidianæ, vel quartanæ febri remedium quæri, ante Solis ortum alienæ januæ affigi jubent, ad remedia in iis morbis: quanta vanitate, si falsum est? quantave [c] noxia, si transferunt morbos? [d] Innocentiores ex his omnium digitorum resegmina unguium, ad cavernas formicarum abjici jubent: eamque quæ prima cœperit trahere, correptam 10 subnecti collo, ita discuti morbum.

XXIV. Hæc sunt quæ retulisse fas sit, ac pleraque ex iis non nisi [1] honore dicto. CAP. VIII. Reliqua intestabilia & infanda, ut festinet oratio ab homine fugere. In ceteris [2] claritates animalium aut operum sequemur. Elephanti sanguis, præcipue maris, fluxiones omnes, quas rheumatismos vocant, sistit. Ramentis eboris cum melle Attico (ut aïunt) [3] nubeculæ 15 in facie, scobe paronychia tolluntur. Proboscidis tactu capitis dolor levatur, efficacius [e] si & sternuat. Dextra pars proboscidis cum Lemnia rubrica adalligata, impetus libidinum stimulat. Sanguis & syntecticis prodest, jecurque comitialibus morbis.

XXV. Leonis adipes cum rosaceo cutem in facie custodiunt a vitiis, candoremque servant. Sanant & adusta nivibus, [1] articulorumque tumores. Magorum vanitas perun- 20 ctis eo adipe, faciliorem gratiam apud populos regesve promittit: præcipue tamen eo pingui, quod sit inter supercilia, ubi esse nullum potest. Similia dentis, maxime a dextra parte, villique e rostro inferiori, promissa sunt. Fel aqua addita, claritatem oculis inunctis facit: & cum adipe ejusdem, [2] comitiales morbos discutit, levi gustu, & ut profinus, qui sumpsere, cursu id digerant. [3] Cor in cibo sumptum, quartanis medetur: adeps 25 cum rosaceo quotidianis febribus. [4] Perunctos eo bestiæ fugiunt. [5] Resistere etiam insidiis videtur.

XXVI. [1] Cameli cerebrum arefactum, potumque ex aceto, comitialibus morbis aïunt mederi: [2] item fel cum melle potum: hoc & anginæ. Cauda arefacta solvi alvum: fimi cinere crispari capillum cum oleo. [3] Et dysentericis prodest illitus cinis, potusque 30 quantum tribus digitis capiatur, & comitialibus morbis. [4] Urinam fullonibus utilissimam esse tradunt: itemque hulceribus manantibus: Barbaros eam servare quinquennio, & heminis pota ciere alvum. Setas e cauda contortas, & sinistro brachio alligatas quartanis mederi.

XXVII. Hyænam Magi ex omnibus animalibus in maxima admiratione posuerunt, 35 ut pote cui & ipsi Magicas artes dederint; vimque, [1] qua illiciat ad se homines mente

INTERPRETATIO.

a *Farina.*] Fuligine.
b *Generis.*] Quæ sunt plenissimæ vanitatis, ut vel ex eo æstimare licet.
c *Noxia.*] Injuria.
d *Innocentiores ex his.*] Ex Magis ii qui minus nocent.
e *Si & sternuat.*] Si & elephantus sternuat.

NOTÆ.

19. *Per se annis.*] Ætatis ac naturæ sponte, ante coitum, menstruis fluentibus. Ita MSS. Reg. 2. & alii: non, ut editi, *primis annis.*

Sect. XXIV. 1. *Honore dicto.*] Honorem præfati: uti solemus cum quid turpe dicturi sumus: tum enim sic præfamur, *si commemorare fas est, honore dicto, honos sit auribus,* aut res ipsas eo verborum ambitu exprimimus, qui virorum bonorum atque ingenuorum non offendat aures.

2. *Claritates animalium.*] Clariora animalia, ut diximus lib. 22. sect. 69.

3. *Nubeculæ in facie.*] Nubeculas appellat hic Plinius, (sic enim MSS. omnes) quas Sextus Platon. cap. 12. de elephante, plagas & maculas. Sic enim ille, tit. 1. *Ad maculas tollendas: Ebur cum melle contritum & impositum, mire sanat.* Et tit. 2. *Ad plagas de facie tollendas: Mulier si quotidie de pulvere eboris faciem suam fricaverit, plagas mundabit.*

4. *Leonis adipes.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 46.

Sect. XXV. 1. *Articulorumque tumores.*] Sextus Platon. cap. 10. de leone, tit. 4. *Ad nervorum & geniculorum* (hoc est, articulorum) *dolorem: Adipem leonis cum medulla cervina & lactuco teres & commiscebis: tum demum perunges corpus, & sanabitur.*

2. *Comitiales morbos discutit.*] Ad comitiales morbos fel leoninum pariter commendat Dioscor. lib. 1. Εὐπορ. cap. 18.

3. *Cor in cibo*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 6.

4. *Perunctos eo*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 42. pag. 131. *Adipe leonis contusa cum allio si quis corpus suum abstersit, non timebit feras, immo fugabit eas. Hoc utuntur Monachi qui in desertis sunt & montibus, medicamine, ne lædantur a bestiis.*

5. *Resistere etiam.*] Dioscor. lib. 2. cap. 94. Φασὶ δὲ αὐτὸ (λέοντος στέαρ) καὶ ἀντιφάρμακον ἐπιβουλεύουσιν εἶναι. *Aiunt etiam leoninum adipem insidiantibus resistere.*

Sect. XXVI. 1. *Cameli cerebrum.*] Sic etiam Galenus, lib. de theriaca ad Pison. cap. 9. pag. 942. Et Cælius Aurel. lib. 1. Chron. cap. 4. de Epilepsia: *Dant etiam cameli cerebrum fumo siccatum, atque contritum, sed infantibus vel pueris odorandum: perfectis autem ætatibus bibendum ad modum cyathi, cum mulso & aceto tribus cyathis.* Auctor libri, qui Kiranidum Kirani inscribitur, lib. 2. cap. 81. *Cerebrum cameli cum rosæ inunctum caput anterius & posterius, epilepsiam sanat: quod est admirabile, & excellentissimum.* Medullam stomacho frontique illitam prodesse comitialibus, auctor est Plinius Valer. lib. 3. cap. 10.

2. *Item fel.*] Vide quæ de cameli felle diximus lib. 11. sect. 74. Inter remedia porro quæ peti ex camelo possunt, miror prætermissum a Plinio quod in ejus animalis lacte hodieque Oriens omnis singulare esse intelligit, sanandæ hydropisi, teste αὐτόπτῃ Tavernerio, Tom. 1. Itiner. lib. 1. cap. 11. pag. 116.

3. *Et dysentericis.*] Idem Kiranus, loc. cit. *Arida quoque & trita stercora cameli, & super aspersa aqua ac bibita, dysentericos sanant.*

4. *Urinam.*] Ad splenis tumores ac jocineris hanc laudat in primis Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 59. pag. 36. ad humida item hulcera, ac scabiem, porriginemque, ad aurium vitia.

Sect. XXVII. 1. *Qua alliciat ad se.* Vide quæ dicta sunt lib. 8. sect. 44.

alienatos. [2] De permutatione sexus annua vice diximus, ceteraque de monstrifica natura ejus: nunc persequemur quæcumque medicinis produntur. [3] Præcipue pantheris terrori esse traditur, ut ne conentur quidem resistere: & aliquid e corio ejus habentem non appeti. Mirumque dictu, si pelles utriusque contrariæ suspendantur, decidere pilos pantheræ. Cum fugiant venantem, declinare ad dextram, ut prætergressi hominis vestigia occupent. Quod si successerit, alienari mente, ac vel ex equo hominem decidere. At si in lævam detorserit, deficientis argumentum esse, celeremque capturam. Facilius autem capi, si cinctus suos venator, flagellumque imperitans equo septenis alligaverit nodis. Mox, ut est solers ambagibus vanitas Magorum, capi jubent Geminorum signum transeunte Luna, singulosque prope pilos servari. Capitis dolori alligatam cutem prodesse, quæ fuerit in capite ejus. [4] Lippitudini fel illitum frontibus, aut ne omnino lippiatur, decoctum cum mellis Attici cyathis tribus, & croci uncia inunctum: sic & caligines discuti, & suffusiones. Claritatem excitari melius inveterato medicamento. Asservari autem in Cypria pyxide. Eodem sanari argema, scabritias, [a] excrescentia in oculis: item cicatrices. [5] Glaucomata vero jocineris recentis insassati sanie, cum despumato melle inunctis. Dentes ejus dentium doloribus tactu prodesse, vel adalligatos ordine: humeros humerorum & lacertorum doloribus. Ejusdem dentes, si de sinistra parte rostri eruti sint, illigatos pecoris aut capri pelle stomachi cruciatibus. Pulmones in cibo sumptos cœliacis. Ventriculis, cinerem cum oleo illitum. [6] Nervis, medullas e dorso cum oleo vetere ac felle. Febribus quartanis, jecur degustatum ter ante accessiones. [7] Podagris, spinæ cinerem cum lingua & dextro pede vituli marini, addito felle taurino, omnia pariter cocta atque illita hyænæ pelle. In eodem morbo prodesse & fel cum lapide Assio. Tremulis, spasticis, exsilientibus, & quibus cor palpitet, aliquid ex corde coctum mandendum, ita ut reliquæ partis cinis cum cerebro hyænæ illinatur. Pilos etiam auferri [8] hac compositione illita, [9] aut per se felle, evulsis prius quos renasci non libeat. [10] Sic & palpebris inutiles tolli. Lumborum doloribus carnes e lumbis edendas, illinendasque cum oleo. Sterilitatem mulierum emendari, oculo cum glycyrrhiza & anetho sumpto in cibo, promisso intra triduum conceptu. Contra nocturnos pavores, umbrarumque terrorem, unus e magnis dentibus lino alligatus succurrere narratur. [b] Furentes suffiri eodem, & circumligari [11] ante pectus, cum adipe renium, aut jocinere, aut pelle præcipiunt. Mulieri candida a pectore hyænæ caro, & pili septem, & genitale cervi, si illigentur dorcadis pelle, collo suspensa, continere partus promittuntur. Venerem stimulare genitalia [c] ad sexus suos in melle sumpta, etiamsi viri mulierum coïtus oderint. Quin immo totius domus concordiam, eodem genitali & articulo spinæ cum adhærente corio asservatis constare: hunc spinæ articulum, sive nodum, [12] Atlantion vocant: est autem primus. In comitialium quoque remediis habent eum. Adipe accenso, serpentes fugari dicunt. Maxilla comminuta in aniso, & in cibo sumpta, horrores sedari. Eodem suffitu mulierum menses evocari. Tantumque est vanitatis, ut si ad brachium alligetur superioris [d] rostri dextræ partis dens, jaculantium ictus decrraturos negent. Palato ejusdem arefacto, & cum alumine Ægyptio calefacto, ac ter in ore permutato, fœtores & hulcera oris emendari. Eos vero qui linguam in calceamento sub pede habeant, non latrari a canibus. Sinistra parte cerebri naribus illita, morbos perniciosos mitigari, sive hominum, sive quadrupedum. Frontis corium fascinationibus resistere. Cervicis carnes, sive mandantur, sive bibantur arefactæ, lumborum doloribus. Nervis a dorso armisque, suffiendos nervorum

INTERPRETATIO.

a *Excrescentia*] Carunculas excrescentes.
b *Furentes suffiri eodem.*] Dente usto suffiri, eumdemque circumligari ante pectus, &c.
c *Ad sexus suos.*] Pro sexuum diversitate.
d *Rostri.*] Maxillæ.

NOTÆ.

2. *De permutatione*] Libro 8. sect. 44.

3. *Præcipue pantheris.*] Vide Ælian. lib. 6. histor. anim. cap. 22.

4. *Lippitudini fel.*] Hausta hæc esse ex Democrito, Marcellus Empiricus dicit, cap. 8. pag. 57. *Democritus*, inquit, *affirmat felle hyænæ si frons perfricetur, epiphoras incipientes, & omnem oculorum dolorem posse sedari.* Sic & Dioscor. lib. 2. cap. 96. & Galenus, lib. de theriaca ad Pisonem, cap. 9. pag. 942.

5. *Glaucomata.*] Γλαύκωμα vitium est oculi, cum præter naturam glaucescit. Seu morbus humoris crystallini, mutati in glaucum, seu album, aquosumve colorem: insanabilis fere. Plautus in Mil. act 2. sc. 1 vers. 70. glaucomam vocat:

Et nos facetis fabricis, & doctis dolis
Glaucomam oculis objiciemus: eamque ita
Faciemus, ut quod videris, non videris.

Qui hoc genere morbi tenetur, in Notis quæ vulgo Tironis dicuntur, apud Gruterum, pag. 149. *Glaucomaticus* appellatur.

6. *Nervis, medullas, &c.*] Hæc pariter Marcellus Empir. cap 36 pag. 240. ubi Democritum rursus laudat auctorem.

7. *Podagris.*] Vide Marcellum Empir cap 36. pag. 246. ubi calciamenta hiænæ pelle si quis in usu quotidiano habuerit, podagræ morbo cariturum ait.

8. *Hac compositione.*] Cordis cinere cum cerebro illito.

9. *Aut per se felle. &c.*] Marcellus Empir. cap 8 pag. 70.

10. *Sic & palpebris inutiles.*] Subintellige, pilos. Marcellus Empir. loc. cit.

11. *Ante pectus*] Reg. 2. & Chiffl. *ante pectus suum, cum adipe renium, &c.*

12. *Atlantion vocant.*] Et sane ἄτλας est extrema colli vertebra, quæ pondus sustinet. Julius Pollux, lib. 2. cap. 4. de collo & vertebris ejus, pag. 101. Ὁ πλάτυσμος (σπόνδυλος) εἰς ἀρθρῳδίαν, ἄτλας ὀνομάζεται. Translatione ducta ab Atlante, qui ea corporis parte sustinere cælum pingitur a poetis.

dolores. Pilos rostri admotos mulierum labris amatorium esse. Jecur in potu datum, torminibus & calculis mederi. Jam cor in cibo potuve sumptum, omnibus doloribus corporum auxiliari: lienem lienibus: omentum, hulcerum inflammationibus cum oleo: medullas, doloribus spinæ & nervorum lassitudini. [13] Renium nervos potos in vino cum thure, fecunditatem restituere ademptam veneficio. Vulvam cum mali Punici dulcis cortice in potu datam prodesse mulierum vulvæ. Adipe e lumbis suffiri difficulter parientes, & statim parere. E dorso medullam adalligatam contra vanas species opitulari. Spasticis genitale e maribus suffitu. Item lippientibus, ruptis, & contra inflammationes: servatos pedes, tactu: lævos dextris partibus, dextros lævis. Sinistrum pedem superlatum parturienti, letalem esse: dextro illato facile eniti. Membranam quæ fel continuerit, cardiacis potam in vino, vel in cibo sumptam, succurrere: vesicam in vino potam, contra urinæ incontinentiam. Quæ autem in vesica inventa sit urina, additis oleo ac sesamo, & melle, haustam prodesse [14] ægrimoniæ veteri. Costarum primam & octavam, suffitu ruptis salutarem esse: ex spina vero parturientibus ossa: sanguinem cum polenta sumptum, torminibus. Eodem tactis postibus, ubicumque Magorum infestari artes, non elici Deos, nec colloqui, [15] sive lucernis, sive pelvi, sive aqua, [a] sive pila, sive quo alio genere tententur. Carnes si edantur, contra canis rabidi morsus efficaces esse: etiamnum jecur efficacius. Carnes vel ossa hominis, si quæ in ventriculo occisæ inveniantur, suffitu podagris auxiliari. Si ungues inveniantur in his, mortem alicujus capientium significari. Excrementa sive ossa reddita, cum interimitur, contra Magicas insidias pollere. Fimum, quod in intestinis inventum sit, arefactum, ad dysentericos valere potum: illitumque cum adipe anserino opitulari toto corpore læsis malo medicamento: a cane vero morsis adipem illitum, & corium substratum. Rursus tali sinistri cinere decocto cum sanguine mustelæ perunctos omnibus odio venire: idem fieri oculo decocto. Super omnia est, quod [16] extremam fistulam intestini contra ducum ac potestatum iniquitates commonstrant, & ad successus petitionum, judiciorumque ac litium eventus, si omnino tantum aliquis secum habeat. [17] Ejusdem caverna sinistro lacerto alligata, si quis mulierem respiciat, amatorium esse tam præsens, ut illico sequatur. Ejusdem loci pilorum cinerem ex oleo illitum viris, qui sint probrosæ mollitiei, severos, non modo pudicos mores induere.

XXVIII. Proxime fabulosus est crocodilus, ingens quoque ille, cui vita in aqua terraque communis. [1] Duo enim genera eorum: [2] illius e dextra maxilla dentes adalligati dextro lacerto, coïtus (si credimus) stimulant. [3] Canini ejus dentes febres statas arcent thure repleti, sunt enim cavi: ita ne diebus quinque ab ægro cernatur, qui adalligaverit. Idem pollere & ventre exemptos lapillos, adversus febrium horrores venientes tradunt. Eadem de causa Ægyptii perungunt & adipe ægros suos. Alter illi similis, multum infra magnitudine, in terra tantum, odoratissimisque floribus vivit. Ob id intestina ejus diligenter exquiruntur jucundo nidore referta. [4] Crocodileam vocant, oculorum vitiis utilissimam, cum porri succo inunctis, & contra suffusiones vel caligines. Illita quoque ex oleo cyprino, molestias in facie enascentes tollit: ex aqua vero morbos omnes, quorum natura serpit in facie, [5] nitoremque reddit. [6] Lentigines tollit ac varos, maculasque omnes. Et contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulso binis obolis. Apposita menses ciet. [7] Optima, quæ candidissima, & friabilis, minimeque ponderosa: cum teratur, inter digitos [8] fermentescens. Lavatur, ut cerussa. [9] Adulterant amylo, aut Cimolia,

INTERPRETATIO.

a *Sive pila.*] Sive sphæris.

NOTÆ.

13. *Renium nervos.*] Sic MSS. Reg. Chiffl. aliique.

14. *Ægrimoniæ.*] Vox Tullio Horatioque nota, pro ægritudine.

15. *Sive lucernis.*] De his Magiæ generibus opportunius agetur lib. 30. sect. 5.

16. *Extremam fistulam.*] Postremam partem intestini recti.

17 *Ejusdem caverna.*] Foramen, quo exitus excrementorum est. Alibi caverna Plinio auris est, sive quod aurium loco alicui animali est. Sic libro XI. sect. 50. de vitulo marino atque delphino: *Hæ cavernas tantum habent aurium loco.* Et paulo post, de avibus: *Ceteris caverna ad auditum.*

Sect. XXVIII. 1. *Duo enim.*] Alter ingens in aquis perinde ac terra degit: alter minor, in terra tantum

2. *Illius.*] Prioris, sive amphibii. Auctor libri qui Kiranidum Kirani inscribitur, lib. 2. pag. 83. & 84. *Dentes autem (crocodili) dextri abstracti, eoque vivo dimisso gestati, coitum stimulant: sinistri autem mulieribus. Si vero utrique adaptentur, facient incontinentiam.*

3 *Canini ejus dentes.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Echellensi, cap. 17. pag. 88. *Dens crocodili ex sinistra maxilla appensus laboranti vehementi febri, curat illum.*

4. *Crocodileam vocant.*] In eo animali, inquit, id quod crocodileam vocant, oculorum vitiis sanandis utilissimum est. Stercus est sive fimum crocodili, de quo multa Albertus M. lib. 24. de anim. pag. 652. Cave Rob. Stephano credas in Thesauro Latinæ linguæ, aienti *crocodileam esse animal simile crocodilo.*

5. *Nitoremque reddit.*] Diosc. lib. 2. cap. 98 Ἡ δὲ τῶν χερσαίων κροκοδείλων (ἄφοδος) ἁρμόζει ἐπὶ τῶν γυναικῶν, αὐτὰς εὐχροίας καὶ ἐκλάμψεως τῶν προσώπων. *Terrestris crocodili fimum mulieribus confert ad colorandam illustrandamque faciem.* Horatius, Epod. 12. vers. 11. in anum:

> *Nec illi*
> *Jam manet humida creta, colorque*
> *Stercore fucatus crocodili.*

6. *Lentigines.*] Galenus, lib. 10. de facult. simpl. med. pag. 294.

7. *Optima, quæ, &c*] Totidem verbis Dioscor loc. cit.

8. *Fermentescens.*] Cum teritur inter digitos, resolvitur, levior, solutiorque efficitur. Dioscor. loc. cit. ζυμίζουσα τὴν ὀσμὴν, *fermentum redolens*: minus recte, ut arbitror.

9. *Adulterant.*] Dioscor. Δολίζουσι δὲ ἀμύλῳ ἢ κιμωλίᾳ φυρῶντες.

[10] sed maxime, qui captos oryza tantum pascunt. [11] Felle inunctis oculis ex melle contra suffusiones, nihil utilius prædicant. Intestinis & reliquo corpore ejus suffiri vulva laborantes salutare tradunt. Item velleribus circumdari [a] vapore ejusdem infectis. [12] Corii utriusque cinis ex aceto illitus his partibus, quas secari opus sit, aut nidor cremati, sensum
5 omnem scalpelli aufert. [13] Sanguis utriusque claritatem visus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat. [14] Corpus ipsum, excepto capite pedibusque, elixum manditur ischiadicis, tussimque veterem sanat, præcipue in pueris: [15] item lumborum dolores. Habent & adipem, quo tactus pilus defluit. [16] Hic perunctos, a crocodilis tuetur, [17] instillaturque morsibus. Cor annexum in lana ovis nigræ, cui nullus alius color incursaverit,
10 & primo partu genitæ, quartanas abigere dicitur.

XXIX. Jungemus illis simillima & peregrina æque animalia: priusque [1] chamæleonem, peculiari volumine dignum existimatum Democrito, ac per singula membra [2] desecratum, non sine magna voluptate nostra, cognitis proditisque mendaciis [3] Græcæ vanitatis. [4] Similis & magnitudine est supra dicto crocodilo, [5] spinæ tantum acutiore curvatura,
15 & caudæ amplitudine distans. Nullum animal pavidius existimatur, & ideo versicoloris esse mutationis. Vis ejus maxima contra accipitrum genus. [6] Detrahere enim supervolantem ad se traditur, & voluntarium præbere lacerandum ceteris animalibus. [7] Caput ejus & guttur si roboreis lignis accendantur, imbrium & tonitruum concursus facere, Democritus narrat: item jecur in tegulis ustum. Reliqua ad veneficia pertinentia quæ dicit,
20 quanquam falsa existimantes, omittemus, præterquam ubi irrisu coarguendum. Dextro oculo, si viventi eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolli: lingua adalligata, pericula puerperii. [8] Eumdem salutarem esse parturientibus, si sit domi: si vero inferatur, perniciosissimum. Linguam, si viventi adempta sit, ad judiciorum eventus pollere. Cor adversus quartanas illigatum nigra lana primæ tonsuræ. Pedem e prioribus dextrum, hyænæ pelle
25 adalligatum sinistro brachio, contra latrocinia terroresque nocturnos pollere. Item dextram mamillam contra formidines, pavoresque. [9] Sinistrum vero pedem torreri in furno cum herba, quæ æque chamæleon vocetur, additoque unguento in pastillos digeri: eos in ligneum vas conditos, præstare (si credimus) ne cernatur ab aliis qui habeat. Armum dextrum ad vincendos adversarios vel hostes valere, utique si abjectos ejusdem nervos
30 calcaverit. Sinistrum humerum [b] quibus monstris consecret, qualiter somnia quæ velis, & quibus velis, mittantur, pudet referre. [10] Omnia ea dextro pede resolvi: sicut sinistro latere lethargos, [11] quos fecerit dexter. Capitis dolores, insperso vino, in quo latus alterutrum maceratum sit, sanari. [c] Feminis sinistri, vel pedis cineri si misceatur lac suillum,

INTERPRETATIO.

a *Vapore.*] Fumo, nidore calido.
b *Quibus.*] Quibus veneficiis.
c *Feminis.*] Femoris.

NOTÆ.

10. *Sed maxime qui captos.*] Crocodilos scilicet. Existimat enim crocodileam ex captivis deteriorem esse, mutato scilicet animalis victu. Hanc vim esse oryzæ, ut stercus sturnorum qui ea pascuntur, præstare eadem existimetur quæ crocodilea efficiat, docent Diosc. loc. cit. Oribasius, lib 2. de virt. simpl. pag. 75. Ægineta, lib. 28. cap. 8. aliique.

11. *Felle inunctis.*] Auctor Kiranidum, lib. 1. pag. 8. de crocodilo terreno: *Stercus quoque cum felle mixtum, & inunctum albulas aufert*: Albugines oculorum intellige. Habdarrahmanus, cap 17. pag. 87. *Fel crocodili illitum oculis per modum collyrii amovet ab illis albuginem.*

12. *Corii utriusque.*] Tum amphibii, tum terrestris. De terreno, auctor Kiranidum, lib. 2 pag. 83 *De hujus pelle combusta si quis fecerit ξηρὸν, id est, aridum pulverem, & superasperserit membro quod debet comburi, vel incidi, absque dolore fiet.*

13. *Sanguis utriusque*] Auctor Kiranidum, pag. 84. *Sanguis autem ejus omnem hebetationem oculorum perfecte curat.* Negat Galenus, lib. 6. de fac simp. med. pag. 179. id experiri se voluisse.

14. *Corpus ipsum*, &c.] Sic & Marcellus Empir. cap. 25. pag. 174.

15. *Item lumborum.*] Marcellus Empir loc. cit.

16. *Hic perunctos.*] Habet aliquid admirabilius, si tamen credimus, auctor Kiranidum, lib. 2. pag. 83. *Si quis finxerit crocodilum, & unxerit se de eo, quæcumque vulnera vel plagas recipiet, nullo modo sentiet* Propius vero, placitoque Pliniano affinius illud, quod Habdarrahmanus affert, cap. 17. pag. 88 *Adeps crocodili applicatus morsui viperæ, aliorumque reptilium, plurimum proderit, & sanabit patientem.*

17. *Instillaturque.*] Ita Galenus de theriaca ad Pison. cap. 10. pag. 944.

Sect. XXIX. 1. *Chamæleonem*] Sic MSS ubique, non *chamæleontem.*

2. *Desecratum.*] Variis destinatum, consecratumque morbis Sic paulo inferius: *Sinistrum humerum quibus monstris conferret .... pudet referre.*

3. *Græcæ vanitatis.*] Cum plenissima hæc vanitatis esse Plinius fateatur, eoque consilio tantum referat, ut vel risu refellat, temere in eum virus acerbitatis suæ vomuisse Gellium perspicuum est, cum hunc locum ita coarguit, lib. 10. cap. 12. *Librum esse Democriti, nobilissimi Philosophorum, de vi & natura chamæleonis, eumque se legisse Plinius Secundus in Naturalis historiæ vicesimo octavo refert, multaque vana atque intolerabilia auribus deinde quasi a Democrito scripta tradit.* Inter Democriti sane opera istud de chamæleone a Laertio non censetur. Forte fuit Boli Mendesii, ut in Auctorum Indice monuimus, verbo DEMOCRITUS.

4. *Similis .... supradicto crocodilo*] Posteriori videlicet, sive terrestri, qui multum infra alterum, sive amphibium, magnitudine est, ut dictum est sup sect.

5. *Spinæ tantum.*] Spina chamæleonis eminet & recurvatur, ut piscibus: crocodilo non item.

6. *Detrahere enim.*] Gellius, lib 10. cap. 12. pag 512. hæc transscribens, *Accipitrem ait avium rapidissimum a chamæleone humi reptante, & si eum forte supervolet, detrahi & cadere vi quadam in terram, ceterisque avibus laniandum sponte sua objicere sese ac dedere.*

7. *Caput ejus*, &c.] Totidem verbis hæc Gellius, loco citato.

8. *Eumdem.*] Sententia est, chamæleonem salutarem esse, si multo ante parturitionem illatus sit: sin idem parturienti jam superveniat, perniciosum esse.

9. *Sinistrum vero*, &c.] Et hæc ad verbum Gellius, loc. cit. pag 513.

10. *Omnia ea.*] Nempe somnia.

11. *Quos fecerit dexter.*] Pedem subintellige In editis hactenus libris, *dextrum.* Sed exemplaria primitiva sequimur, Reg. 2. & Chiffl. alioique.

podagricos fieri illiris pedibus. [12] Felle glaucomata & suffusiones corrigi prope creditur tridui inunctione: serpentes fugari ignibus instillato: [13] mustelas [a] contrahi in aquam conjecto: corpore vero illito detrahi pilos. Idem præstare narrant jecur, cum ranæ rubetæ pulmone illitum. Præterea jocinere amatoria dissolvi. [14] Melancholicos autem sanari, [15] si ex corio chamæleonis herbæ succus bibatur. Intestina & fimum eorum, [16] cum id animal 5 nullo cibo vivat, cum simiarum urina illita inimicorum januæ, odium omnium hominum his conciliare. Cauda flumina & aquarum impetus sisti, serpentes soporari. Eadem medicata cedro & myrrha, illigataque gemino ramo palmæ, percussam aquam discuti, ut quæ intus sint omnia appareant: utinamque eoramo contractus esset Democritus, quoniam ita loquacitates immodicas promisit inhiberi. Palamque est, virum alias sagacem & vitæ uti- 10 lissimum, nimio juvandi mortales studio prolapsum.

XXX. Ex eadem similitudine est [1] scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt, candidior autem, & tenuiore cute. Præcipua tamen differentia dignoscitur a crocodilo, squamarum serie a cauda ad caput versa. [2] Maximus Indicus, deinde Arabicus. [3] Afferuntur salsi. [4] Rostrum ejus & pedes in vino albo poti, cupiditates 15 Veneris accendunt: [5] utique cum satyrio & erucæ semine, singulis drachmis omnium, ac piperis duabus admixtis, ita ut pastilli singularum drachmarum bibantur: [6] per se laterum carnes obolis binis cum myrrha & pipere pari modo potæ, efficaciores ad idem creduntur. Prodest & contra sagittarum venena, ut Apelles tradit, ante postea que sumptus. [7] In antidota quoque nobilia additur. [8] Sextius plus quam drachmæ pondere in vini he- 20 mina potum, perniciem afferre tradit. [9] Præterea ejusdem decocti jus cum melle sumptum, Venerem inhibere.

XXXI. Est crocodilo cognatio quædam amnis ejusdem, geminique victus, cum hippopotamo, repertore detrahendi sanguinis, [1] ut diximus. Plurimi autem super Saiticam præfecturam. Hujus corii cinis cum aqua illitus, [2] panos sanat: adeps frigidas fe- 25 bres: item fimum suffitu. Dentes e parte læva dolores dentium, [3] scarificatis gingivis. Pellis ejus e sinistra parte frontis in inguina adalligata, Venerem inhibet. Ejusdem cinis alopecias explet. [4] Testiculi drachma ex aqua contra serpentes bibitur. Sanguine pictores utuntur.

XXXII. Peregrinæ sunt & lynces, quæ clarissime omnium quadrupedum cernunt. 30 Ungues earum omnes cum corio exuri efficacissime in Carpatho insula tradunt. Hoc ci-

INTERPRETATIO.

a *Contrahi*] Congregari.

NOTÆ.

12. *Felle glaucomata*, &c] A Marcello sane Empirico creditur, cap. 8. pag 59 A Scribonio Largo, Compos. 38. ad suffusiones commendatur.

13. *Mustelas contrahi*] Hoc est, colligi, congregari. Sic infra, sect. 42. contrahi serpentes dixit, cui verbo mox *dissipari* opponitur.

14. *Melancholicos.*] *Melancholia dicta*, inquit Cælius Aurel. lib. 1. cap 6. *quod nigra fella ægrotantibus sæpe per vomitum veniant. Græci enim nigrum μέλαν vocaverunt, fel autem χολὴν appellant: & non, ut plerique existimant, quod passionis causa vel generatio nigra sit fella: hoc enim est æstimantium magis quam videntium veritatem, vel potius falsum, sicut in aliis ostendimus. Nam Tullius atram bilem dixit, veluti altam iracundiam. Item Virgilius, Herculi alta iracundia moto, Hic vero, inquit, Alcidæ furiis exarserat atro Felle dolor. Siquidem melancholici semper tristes*, &c.

15. *Si ex corio.*] In Reg. aliisque: *si ex corio chamæleonis herba succus hebente bibatur.* Forte *tepente*, corio videlicet, vel *tepens* succus bibatur in vase quod ex corio animalis constatum sit.

16. *Cum id animal.*] Vide quæ diximus lib. 8. sect. 51.

Sect. XXX. 1. *Scincus.*] Hunc crocodilum terrestrem, sed sui generis, Dioscorides appellat, lib. 2. cap. 71. Σκίγκος . . . . ἐστὶ δὲ κροκόδειλος χερσαῖος, ἰδιογενὴς, &c.

2. *Maximus.*] Triplici in regione nasci Dioscorides est auctor, loc. cit. in India primum, tum in Arabia, postremum in Mauretaniæ parte.

3. *Afferuntur.*] Addito nasturtio sale conditi Diosc. loc. cit. ταριχευόμενοι σὺν καρδάμῳ

4. *Rostrum ejus*, &c.] Nicetas in Andronico, lib. 2. num. 2. pag. 206. Ἤσθιε δὲ καὶ ζῶον Νειλῶον, κροκοδείλῳ πάνυ τι ἐμφερὲς, σκίγκον λεγόμενον, ἀπευκτὸν μὲν τοῖς μὴ τι τοιοῦτο βρώσιμα κρίνουσι· ἀφροδισίων δ' ὅμως καὶ ἀφροδισίων ἐν τοῖς ὁμιλοῦσιν . . . Vescebatur item Nilotica bestiola, crocodilo non absimilis, quem scincum vocant: a quo cibo cum plerique abhorreant, tamen tentiginem excitat, & ad rem Veneream paratos facit.

5. *Utique cum satyrio.*] Theodorus Priscianus, lib. 2 part. 1. cap. 11 *de satyriasi, vel impedimento usus Venerei . . . . Virilia semper officium reparaverunt, & piper, satyrion, & stinchus, & erucæ semina.* Lege, *& scincus, & erucæ semina.*

6. *Per se laterum.*] Partem eam, quæ renes amplectitur, drachmæ pondere e vino potam, Venerem accendere Dioscorides prodidit, loc. cit. Φασὶ δὲ δύναμιν ἔχειν πρὸς τὸ αἰδοῖον τὸ περὶ αὐτοῦ μέρος, ὅτι ὁ πληθὺς μετ' οἴνου, ὁρμητικοὺς πρὸς τὰ ἀφροδίσια. A Sextio Nigro videtur Dioscorides id hausisse. A Dioscoride Galenus, lib. xi. de fac simp. med pag. 305.

7. *In antidota.*] Dioscor. Μίγνυται δὲ καὶ ἀντιδότοις, loc. cit & in Alexiph præf. pag. 396.

8. *Sextius.*] Et ex Sextio, auctor lib. de simp. med ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 1001. *Ad venerea, inquit, facit drachma una caruncula illius* (scinci) *ex vini cyatho potata: si enim plus sumatur, affert periculum.*

9. *Præterea ejusdem decocti.*] Non scinci, sed lentis, hoc est, non σκίγκου, sed φακοῦ decocto cum melle, Venerem scinci potu excitatam inhiberi prodidit Diosc. lib. 2. cap. 71. quem Galenus sequitur, lib. xi. de fac. simp. med. pag. 305. At Sextius aliter, quem idcirco Plinius auctorem appellat.

Sect. XXXI. 1. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 40.

2. *Panos sanat.*] Galenus, lib. de theriaca, ad Pison. cap. 9. pag. 642.

3. *Scarificatis.*] MSS omnes, *scarifatis.*

4. *Testiculi.*] Nicander in Theriac. pag. 40. adversus serpentes laudat,

Ἠὲ κάστορος ὕλεον ὄρχιν,
Ἠ' ἵππου τὸν Νεῖλος ὑπὲρ Σάϊν αἰθαλόεσσαν
Βόσκει.

Gorræus interpres:

Vel castoris accipe testem,
Aut pascentis equi per Nili magna Saïta
Flumina.

Id deinde sumi jubet ex aqua, adjectis & aliis medicaminibus. Diosc. lib. 2. cap. 25. per se tritum e vino bibi suadet.

nere poto [a] propudia virorum: ejusdem asperſu, feminarum libidines inhiberi: item pruritus corporum: [1] urina, ſtillicidia veſicæ. [2] Itaque eam protinus terra pedibus aggeſta obruere traditur. Eadem autem & jugulorum dolori monſtratur in remedio. Hactenus de externis.

5 XXXIII. Nunc revertemur ad noſtrum orbem: primumque communia animalium remedia atque eximia dicemus: * ſicuti de lactis uſu. Utiliſſimum cuique maternum. [1] Concipere nutrices exitioſum eſt: hi ſunt enim infantes, [2] qui coloſtrati appellantur, denſato lacte in caſei ſpeciem. [3] Eſt autem coloſtra, prima a partu ſpongioſa denſitas lactis. Maxime autem alit quodcumque humanum, mox caprinum: unde fortaſſis [4] fabulæ 10 Jovem ita nutritum dixere. Dulciſſimum [b] ad hominis camelinum, efficaciſſimum ex aſinis. Magnorum animalium & corporum facilius [c] redditur. Stomacho accommodatiſſimum caprinum, quoniam fronde magis, quam herba, veſcuntur. [5] Bubulum medicatius. [6] Ovillum dulcius & magis alit, ſtomacho minus utile, quoniam eſt pinguius. [7] Omne autem vernum [d] aquatius æſtivo, [e] & de novellis: probatiſſimum vero, quod in ungue 15 hæret, nec defluit. [8] Innocentius decoctum, præcipue cum calculis marinis. [9] Alvus maxime ſolvitur bubulo. [10] Minus autem inflat quodcumque decoctum.

*Cap. IX.

[11] Uſus lactis ad omnia intus exhulcerata, maxime renes, veſicam, interanea, fauces, pulmones, foris pruritum cutis, [12] eruptiones pituitæ, poſt abſtinentiam. Nam ut in Arcadia bubulum biberent phthiſici, ſyntecticique, & cachectæ, [13] diximus in ratione her-20 barum. Sunt inter exempla, qui aſininum bibendo liberati ſint podagra, chiragrave. [14] Medici ſpeciem unam addidere lactis generibus, [15] quod ſchiſton appellavere. [16] Id fit hoc modo: fictili novo fervet caprinum maxime, [17] ramiſque ficulneis recentibus [f] miſcetur, additis totidem [18] cyathis mulſi, quot ſint heminæ lactis. [19] Cum fervet, ne circumfundatur, præſtat cyathus argenteus cum frigida aqua demiſſus, ita ne quid [g] infundat: ablatum 25 deinde igni, refrigeratione dividitur, & diſcedit ſerum a lacte. [20] Quidam & ipſum ſerum [21] jam mulſo potentiſſimum, decoquunt ad tertias partes, & ſub dio refrigerant. [22] Bibitur autem efficaciſſime heminis per intervalla ſingulis, diebus quinis: melius a potu geſta-

INTERPRETATIO.

a *Propudia.*] Pudendam libidinem.
b *Ad hominis.*] Poſt humanum.
c *Redditur.*] Per alvum exit.
d *Aquatius.*] Dilutius.
e *Et de novellis.*] Et de novellis pratis, *paſcuiſque viridibus.*
f *Miſcetur.*] Movetur, agitatur.
g *Infundat.*] Ne quid aquæ in lac infundatur e cyatho.

NOTÆ.

Sect. XXXII. 1. *Urina.*] Quam λυγκούριον vocant, ut diximus lib. 8 ſect. 57 Hac etiam pota calculos frangi prodit Phile, lib. de propr. animal. pag. 108. Negat Plinius id eſſe verum, lib. 37. ſect. 13.

2. *Itaque eam .... obruere*] Vel nobis bonum id invidentes, vel ob cauſam aliam quam loco citato attulimus, lib 8. ſect. 57.

Sect. XXXIII. 1. *Concipere nutrices.*] Exitioſum ea re id videtur, quod purius alimentum fetus, qui in utero eſt, nutriendo, non mammis replendis natura tum ſufficit.

2. *Qui coloſtrati.*] Et hoc ſuperius indicavimus, lib. 11. ſect. 96

3. *Eſt autem coloſtra*] Ita Nonius, Servius, Palladius, aliique, quos laudat Voſſius in Etymol. verbo *Coloſtrum.* Vide quæ diximus lib. 11. ſect. 96.

4. *Fabulæ Jovem.*] Quem a capella, Amalthea nomine, nutritum ferunt. Vide Hygin. in Aſtron. Poet. cap. *Heniochus.* Nummus eſt ex ære maximo Antonini Pii in Theſauro Regio, ſine epigraphe, in quo Jupiter puerulus capræ inſidet: e regione laurus e baſi emicat: in ipſa baſi Aquila Jovem & caprum reſpicit. Significat Antoninum Pium ægrotum lacte caprino nutritum fuiſſe, & nutriti dignum, ut Jovem olim. Aquila Imperatorem denotat: laurus, domum Cæſaris, ex Plinio, libro XV. ſect XXXIX. Confer nummum Commodi Imp. qui nepos Antonini, inſcriptum, IOVI IVVENI.

5. *Bubulum medicatius.*] Majoris eſt, inquit, efficientiæ in medendo. Medicamentoſum Cato dixit, de re ruſt. *De omnibus braſſicis nulla eſt medicamentoſior.*

6. *Ovillum &c.*] Totidem verba facit de ovillo lacte Dioſcor. lib. 2. cap. 75.

7. *Omne autem.*] Sic etiam Dioſcor. loc. cit. Τὸ ἐαρινὸν μέντοι τὸ ὑδαρέστερον τοῦ θερινοῦ, καὶ τὸ ἀπὸ χλωρᾶς νομῆς μᾶλλόν ἐστι μαλακτικὸν κοιλίας· ἔστι δὲ καλὸν γάλα τὸ λευκὸν καὶ ὁμαλὸν τῇ παχύτητι, καὶ συστρεφόμενον, ἐπειδὰν ἐπισταγῇ ὄνυχι. *Vernum tamen aquatius æſtivo, & quod e viridi paſcuo eſt alvum magis emollit. Probatur maxime candidum, & æquali craſſitudine, quodque inſtillatum ungui conglobatur.*

8. *Innocentius.*] Dioſcor loc. cit. Ἑψηθὲν δὲ πᾶν γάλα σταλτικὸν γίνεται κοιλίας, καὶ μάλιστα τὸ διαπύροις κόχλαξιν ἐξικμασθέν, &c. *Lac omne decoctum, & illud quidem præcipue a quo lapillorum ſeu calculorum ignitorum vi tenuior pars exhauſta eſt, ventrem adſtringit,* &c. Calculos marinos Plinius adhibet: fluviatiles Dioſcorides: hos enim, Suida teſte, ſignat vox Græca κόχλακες. Porro calculorum vice, ferreos cylindros ignitos immittere ſe lacti ſolitum Galenus teſtatur, lib. 10. de facult. ſimp. med. pag. 280. atque id quidem multo efficacius.

9. *Alvus... bubulo.*] Bubulo, aſinino, equino, inquit Dioſcor. loco citato.

10. *Minus autem.*] Minus inflat quodcumque ſemel fervefactum eſt, ἀπνευμάτωτον, inquit Dioſc loc. cit.

11. *Uſus lactis &c.*] Hæc omnia totidem fere verbis Dioſc. loc. cit.

12. *Eruptiones pituitæ.*] Seu papularum, ut diximus lib. 24. ſect 5. Dioſc loc. cit. πρὸς ἐξανθήματα

13. *Diximus in ratione.*] Libro 25 ſect. 53. *Arcades quidem non medicaminibus uti, ſed lacte circa ver, quoniam tunc maxime ſuccis herbæ turgeant, medicenturque ubera paſcuis. Bibunt autem vaccinum.* Adjuvat etiam Celſus, lib. 3. cap. 22. *Lac quoque,* inquit, *quod in capitis doloribus, & in acutis febribus ... pro veneno eſt: in phthiſi tamen, ſicut in omnibus longis difficilibuſque febriculis recte dari poteſt.*

14 *Medici ſpeciem.*] Hæc totidem verbis Dioſcor lib. 2. cap. 77.

15. *Quod ſchiſton.*] Σχιστόν, hoc eſt, lactis genus, ex quo ſerum exemptum fuit. Theod. Priſcianus, lib. 2. parte 1. cap. 9. *Ventrem provocabis ex lacte decocto, quod ſchiſton aliqui vocavere.*

16. *Id fit hoc modo.*] Dioſcor. loco citato.

17. *Ramiſque .... miſcetur.*] Καὶ κινούμενον κλάδῳ συκίνῳ νεοτμήτῳ

18. *Cyathis mulſi.*] Dioſcor. acetum mulſum adſciſcit, ὀξύμελι.

19. *Cum fervet.*] Dioſcor. loc. cit.

20. *Quidam & ipſum ſerum*] *Le petit lait, le lait clair.*

21. *Jam mulſo.*] Vide Notas & Emend. num. XX.

22. *Bibitur autem.*] Dioſcor. loc. cit. Προσφέρεται δὲ ὁ ὀρρὸς ἐκ διαστήματος, κατὰ κοτύλην ἄχρι πέντε κοτυλῶν· οἱ δὲ ποιοῦντες μεταξὺ διαστήματα περιπατοῦσιν οἱ πίνοντες. *Bibitur porro ſerum, heminis per intervalla ſingulis, uſque ad quinas: ita ut intercedentibus ſpatiis potantes deambulent.*

ri.

ri. [33] Datur comitialibus, melancholicis, paralyticis, in lepris, [34] elephantiasi, articularibus morbis.

Infunditur quoque lac contra rosiones a medicamentis factas. [35] Et si urat dysenteria, decoctum cum marinis lapillis, aut cum ptisana hordeacea. [36] Item ad rosiones intestinorum, bubulum aut ovillum utilius. Recens quoque dysentericis infunditur: ad colum autem, [a] crudum: [37] item vulvæ, & propter serpentium ictus: [38] potisve pityocampes, buprestis, cantharidum, aut salamandræ venenis. [39] Privatim bubulum his qui [40] Colchicon biberint, aut cicutam, aut dorycnium, aut leporem marinum: sicut asininum [41] contra gypsum, & cerussam, [42] & sulphur, & argentum vivum: item duræ alvo in febri. [43] Gargarizatur quoque faucibus exhulceratis utilissime. Et bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, [34] quos atrophos vocant: [35] in febri etiam quæ careat dolore capitis. Pueris ante cibum, lactis asinini heminam dari, aut si exitus cibi [36] rosiones sentirent, antiqui in arcanis habuerunt: si hoc non esset, caprini. Bubuli serum orthopnoïcis prodest ante cetera, addito nasturtio. Inunguntur etiam oculi, in lactis heminis sesamæ additis drachmis quatuor tritis in lippitudine. [37] Caprino lienes sanantur, post bidui inediam tertia die edera pastis capris, per triduum poto sine alio cibo. [38] Lactis usus alias contrarius capitis doloribus, hepaticis, [39] splenicis, nervorum vitio, febres habentibus, vertigini, [40] præterquam purgationis gratia, gravedini, tussientibus, lippis. [41] Suillum utilissimum tenesmo, dysenteriæ, nec non phthisicis. Hoc & mulieribus saluberrimum qui dicerent, fuerunt.

XXXIV. [1] De generibus caseorum diximus, cùm de uberibus singulisque animalium membris diceremus. [2] Sextius eosdem effectus equino, quos bubulo, tradit. [3] Hunc vocant hippacen. [4] Stomacho utiles, qui non sint salsi, id est, recentes. [5] Veteres alvum sistunt, corpusque minuunt, [6] stomacho utiliores: & in totum salsa minuunt corpus, alunt mollia. [7] Caseus recens cum melle, sugillata emendat, [8] mollis alvum sistit. Sedat tormina pastillis in vino austero decoctis, rursusque in patina tostis cum melle. [9] Sapron vocant, qui cum sale & sorbis siccis e vino tritus potusque medetur cœliacis. Genitalium carbunculis caprinus tritus & impositus: item acidus cum oxymelite. Maculis in balineo illitus oleo [b] interlinitur.

XXXV. E lacte fit & butyrum, barbararum gentium lautissimus cibus, & qui divites a plebe discernat. Plurimum e bubulo, [1] & inde nomen: [2] pinguissimum ex ovibus. [3] Fit & ex caprino, sed hieme, calefacto lacte: æstate, expresso tantum crebro jactatu in lon-

Interpretatio.

a *Crudum.*] Minime coctum.

b *Interlinitur.*] Vicissim illinitur.

Notæ.

23. *Datur comitialibus &c.*] Nempe serum lactis. Hæc fere omnia Dioscor. lib. 2. cap. 76.

24. *Elephantiasi.*] Q. Serenus, cap. xi. de elephantiasi propellenda, pag 130.

Nonnulli dixere serum prodesse bibendo.

25. *Et si urat.*] Si fuerit cum alvi exhulceratione conjuncta dysenteria, propter bilem quæ intestina adurit, infunditur decoctum candentium silicum ope, aut cum hordeacea. Dioscor. loco citato.

26. *Item ad rosiones.*] Dioscor. loc. citato.

27. *Item vulvæ.*] Exhulceratæ vulvæ infundi utiliter Dioscorides quoque admonet, loc. cit. ἐγκλύζεται δὲ καὶ μήτρᾳ ἑλκωμένῃ.

28. *Potisve . . . . venenis.*] Vide Notas & Emendationes, num XXI.

29. *Privatim &c.*] Dioscor. loc. cit. & lib. 4. cap 84. Scribonius Largus, Compos. 184. 186. 189. 190. & 191.

30. *Colchicon.*] Dioscorides, ἐφήμερον & Κολχικὸν, in Alexiph cap. 5. Herba venenata est, ut quidem suspicamur, de qua lib. 25. sect. 107.

31. *Contra gypsum.*] Contra hæc venena Dioscorides lac quodvis adsciscit, lib 2. Εὐπορ. cap. 161. & seqq.

32. *Et sulphur.*] Vide Notas & Emend. num. XXII.

33. *Gargarizatur.*] Dioscor. lib. 2. cap. 77. & Marcellus Empir cap. 14. pag. 103.

34. *Quos atrophos.*] Qui sint atrophi Celsus docet, lib. 3. cap. 22. *de tabe & ejus speciebus. Una est, inquit, quæ corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur: &, nisi occurritur, tollit: ἀτροφίαν hanc Græci vocant. Ea duabus fere de causis incidere consuevit: aut enim nimio timore aliquis minus, aut aviditate nimia plusquam debet, assumit: ita vel quod deest infirmat: vel quod superat, corrumpitur.*

35. *In febri etiam.*] Celsus, loco paulo ante a nobis allato.

36. *Rosiones sentirent.*] In intestinis, τῶν ἐντέρων δήξεις, Dioscor. lib. 2. cap. 77.

37. *Caprino.*] Scribonius Largus, Compos. 132. *Inflatibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candens ferrum demissum, vel lac caprinum, capra tantummodo edera pasta.*

38. *Lactis usus &c.*] Ita Celsus, lib. 3. cap. 22. Hippocrates quoque sect. 5. Aphor 64. Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι κακόν· &c.

39. *Splenicis.*] Lienis morbo *dulcia omnia inimica esse, item lac & caseum*, auctor est pariter Celsus, lib 4. cap. 9.

40. *Præterquam*] Nisi si cui purgationis gratia schistum exhibeatur, hoc est, lac sero divisum, inquit Dioscor. lib. 2. cap. 78.

41. *Suillum.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

Sect. XXXIV. 1. *De generibus caseorum.*] Libro xi. sect. 96. & 97.

2. *Sextius.*] Et Dioscorides quoque, lib 2. cap 80.

3. *Hunc.*] Equinum. Diosc. loc. cit. Ἡ δὲ καλουμένη ἱππάκη, τροφὸς ἐστι κακός, &c. Sic & Hippocr. lib 4. de morb. text. 25 pag. 144

4. *Stomacho &c.*] Totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 79.

5. *Veteres.*] Diosc. loc. cit. Ὁ δὲ παλαιότερος, κοιλίας σταλτικός.

6. *Stomacho utiliores.*] Uti vice versa inutiliores stomacho iidem, cum recens saliti sunt: ὁ δὲ ἁπαλὸς . . . . κακοστόμαχος. Diosc. loc. cit.

7. *Caseus recens.*] Diosc. loc. cit.

8. *Mollis.*] Sic rursum idem sect. 58. Caseum recentem vaccinum infundi suadet ad dysenterias & tormina. Vim alvum sistendi caseo attribuit passim Galenus. Vide Brassavoli Indicem.

9. *Sapron.*] Σαπρὸν, quasi marcidum, putrem, vetustate putidum.

Sect. XXXV. 1. *Et inde nomen.*] Βούτυρον, quod sit quasi bovis caseus, quia plurimum e lacte fit bubulo.

2. *Pinguissimum*] Dioscor lib. 2 cap 81.

3. *Fit & ex caprino.*] Agitato scilicet tamdiu in vasis lacte, donec pingue secernatur a sero, acidoque lacte. Ita Dioscor. loc. cit.

gis vasis, angusto foramine spiritum accipientibus sub ipso ore, [4] alias præligato. Additur paululum aquæ, ut acescat. Quod est maxime coactum, in summo fluitat: id exemptum addito sale, [5] oxygala appellant. Reliquum decoquunt in ollis. Ibi quod supernatat, butyrum est, [6] oleosum natura. Quo magis [a] virus resipit, [7] hoc præstantius judicatur. Pluribus compositionibus miscetur inveteratum. [8] Natura ejus adstringere, mollire, [9] replere, purgare.

XXXVI. Oxygala fit & alio modo, acido lacte addito in recens quod velis inacescere, utilissimum stomacho. Effectus dicemus suis locis.

XXXVII. Proxima [b] in communibus adipi laus est, sed maxime suillo, apud antiquos etiam religiosius. [1] Certe novæ nuptæ intrantes, etiamnum solemne habent postes eo attingere. Inveteratur duobus modis, aut cum sale, aut sincerus: tanto utilior, quanto sit vetustior. [2] Axungiam Græci etiam appellavere jam in voluminibus suis. Neque est occulta virium causa, quoniam id animal herbarum radicibus vescitur. Itaque etiam fimo innumeri usus. [3] Quamobrem non de alia loquimur sue, multo efficaciore femina, & quæ non peperit. Multo vero præstantior in apris est. [4] Usus igitur axungiæ est ad emollienda, excalfacienda, discutienda, purgandaque. Medicorum aliqui admixto anseris adipe, taurorumque sevo & œsypo, ad podagras uti jubent. Si vero permanet dolor, cum cera, myrto, resina, pice. [5] Sincera axungia medetur ambustis vel nive: pernionibus autem cum hordei cinere & galla pari modo. Prodest & confricatis membris, itinerumque lassitudines & fatigationes levat. Ad tussim veterem recens decoquitur quadrantis pondere in vini cyathis tribus addito melle. [6] Vetus etiam phthisin in pilulis sumpta sanat, quæ sine sale inveterata est. Omnino enim non nisi ad ea quæ purganda sint, aut quæ non sint exhulcerata, [7] salsa petitur. Quidam quadrantes axungiæ & mulsi in vini cyathis tribus decoquunt contra phthises, quarto quoque die picem liquidam in ovo sumi jubent, circumligatis lateribus, & pectoribus, & scapulis eorum qui phthisin sentiunt. Tantaque est vis, ut genibus etiam adalligata, redeat in os sapor, eamque exspuere videantur. E sue quæ non peperit, aptissime utuntur ad cutem mulieres. [8] Contra scabiem vero quivis, admixto jumentorum sevo, pro parte tertia, & pice, pariterque subfervefactis. [9] Sincera partus in abortum vergentes nutrit, collyrii modo subdita. [10] Cicatrices concolores facit cerussa admixta, vel argenti spuma. At cum sulphure, unguium scabritias emendat. Medetur & capillo fluenti: & hulceribus in capite mulierum cum gallæ parte quarta: & infumata pilis oculorum. Datur & phthisicis unciatim, cum vini veteris hemina decocta, [11] donec tres unciæ e toto restent. Aliqui & mellis exiguum adjiciunt. [c] Panis illinitur cum calce, item furunculis, duritiæque mammarum. Rupta, convulsa, & luxata sanat. Clavos, & rimas, callique vitia, cum elleboro albo: parotidas admixta

Interpretatio.

a *Virus.*] Odorem insuavem.
b *In communibus.*] In communibus remediis.
c *Panis.*] Ad panos sanandos.

Notæ.

4. *Alias præligato.*] Præligato, obturatoque vasis ore panniculo, ne butyrum effluat.

5. *Oxygala.*] Τὸ ὀξύγαλα. Etsi Columella oxygalam vocat, quasi lac acidum dicat, ejusque compositionem docet, lib. 2 cap. 8. Est illud porro lactis acidi genus, ita prodente Busbequio, epist 1. pag 36. hodieque in cibatu Turcis familiare: Jugurtam id appellant: diluunt aqua frigidissima, panemque interunt: eoque utuntur in magno æstu & siti. Cibus is cum palato & ventriculo gratissimus est, tum ad extinguendam vehementiorem sitim vim habet admirabilem. Copia ejus passim venalis, ubicumque Turcarum diversoria sunt.

6. *Oleosum natura*] Quod vim habet olei. ἔχεται δὲ δυνάμεως ἐλαιώδους. Diosc. lib 2. cap 81.

7. *Hoc præstantius*] Ad medicinam.

8. *Natura ejus adstringere.*] Dysentericis idcirco prodesse infusum docet Diosc. lib. 2. cap 81. nec alvum laxare, nisi largiore mensura potum, πλεῖον ποθὲν, quod & Plinius docet infertius, sect. 58. Cetera de butyro eadem Diosc loc. cit. Τὸ δὲ αὐτὸ πληροῖ, καὶ καθαίρει, καὶ σαρκοῖ. *Replet, purgat, & carnem creat.* Ac paulo antea μαλακτικὴ ἐστι δύναμιν, *molliendi vim habet.*

9. *Replere.*] Replere carne hulcera. Πληροῖ τὰ ἕλκη, inquit Diosc. lib. 1. Βούτυρ cap. 188.

Sect XXXVII. 1. *Certe novæ nuptæ.*] Id vero vel suillo fieri adipe, vel lupino solebat, ne quid mali medicamenti inferretur, ut dicetur extrema hac sectione. Donatus in 2. sc act. 1. Hecyr. Terentii: *Uxor dicitur vel ab ungendis postibus, & figenda lana, id est, quod cum puella nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant,* &c. Servius in IV. Æneid. *Moris fuit, ut nubentes puellæ, simul ac venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent: & ideo uxores dictæ quasi unxores.* Quæ verba Isidorus in suam Etymologiarum farraginem transtulit, lib. 9. cap. ult. Inde Arnobius, lib. 3. contra Gentes. *O egregia numinum, ac singularis interpretatio potestatum! Nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis,* & quæ sequuntur: ubi etiam unctionibus iis Unxiam deam præfuisse scribit. Vide plura apud Brisson. lib. de ritu nupt. pag. 193.

2. *Axungiam Græci.*] Ὀξύγγιον Usus ea voce Diosc. lib. 2. cap 3. laudandus a nobis lib. 32. sect. 23. iterumque, lib. 3. cap. 104.

3. *Quamobrem non de alia.*] Præterquam de ea quæ herbarum radicibus vescitur: non vero de ea quæ in hara domi conclusa saginatur.

4. *Usus igitur*] Dioscor lib 2. cap 94.

5. *Sincera axungia.*] Quæ sine admixto sale. Dioscor. lib. 2. cap 94. de suillo adipe, καὶ ἀνάλιστος ἀρμόζει.

6. *Vetus etiam*] Marcellus Empiricus, cap. 16. pag. 119. *Axungia suillæ, inquit, unciæ tres, ex tinis vetustissimi cotyla una decoctæ, potus phthisicis datæ potenter remediantur.*

7. *Salsa petitur.*] In MSS. Reg. 2. & Chiffl. *Gallica repetitur.*

8. *Contra scabiem vero quivis.*] Hoc est, quavis, qualibet: sive e sue quæ non peperit, sive quæ peperit.

9. *Sincera.*] Minime sale condita, aut aspersa.

10. *Cicatrices.*] Marcellus Empiricus, cap 4. pag 40.

11. *Donec tres unciæ.*] Sunt in hemina drachmæ sexagenæ, ut dictum est lib. 21. sect. 109 atque adeo unciæ in hemina septem cum semisse, ut ibidem ex Cleopatra diximus.

a farina salsamentariæ testæ: quo genere proficit & ad strumas. Pruritus & papulas in balineo perunctis tollit: alioque etiamnum modo podagris prodest mixto oleo vetere, contrito una sarcophago lapide, & quinquefolio tuso in vino, vel cum calce, vel cum cinere. Facit & peculiare emplastrum [12] LXXV. X. ponderi centum spumæ argenteæ mixtis, utilissimum contra inflammationes hulcerum. [13] Adipe verrino inungi putant utile, 5 b quæque serpant, illinire cum resina. Antiqui maxime axibus vehiculorum perungendis, ad faciliorem circumactum rotarum utebantur: [14] unde nomen: sic quoque utili medicina, cum illa [15] ferrugine rotarum, ad sedis vitia virilitatisque. Er per se axungiam [16] medici antiqui maxime probabant renibus detractam, exemptisque venis aqua cælesti fricabant crebro, decocuebantque fictili novo sæpius, tum demum asservantes. Convenit salsam 10 magis emollire, excalfacere, discutere, utilioremque esse vino lotam. Masurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. [17] Ideo novas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.

XXXVIII. Quæ ratio adipis, eadem in his quæ ruminant sevi est, aliis modis, non minoris potentiæ. [1] Perficitur omne exemptis venis aqua marina vel salsa lotum, 15 mox c in pila tusum, aspersa marina. Crebro postea coquitur, donec odor omnis aboleatur. Mox assiduo Sole ad candorem reducitur. A renibus autem laudatissimum est. [2] Si vero vetus revocetur ad curam, liquefieri prius jubent: mox frigida aqua lavari sæpius, dein liquefacere affuso vino quam odoratissimo. Eodemque modo iterum ac sæpius coquunt, donec virus evanescat. [3] Multi privatim sic taurorum, leonumque, ac pantherarum, 20 & camelorum pinguia curari jubent. Usus dicetur suis locis.

XXXIX. Communis & ratio medullarum est. [1] Omnes molliunt, d explent, siccant, excalfaciunt. [2] Laudatissima cervina, mox vitulina, dein hircina, & caprina. [3] Curantur ante autumnum recentes lotæ, siccatæque in umbra: per cribrum [4] dein liquatæ, per lintea exprimuntur, ac reponuntur in fictili, locis frigidis. 25

XL. e Inter omnia autem communia animalium vel præstantissimi effectus fel est. [1] Vis ejus excalfacere, mordere, scindere, extrahere, discutere. Minorum animalium subtilius intelligitur, & ideo ad oculorum medicamenta utilius existimatur. [2] Taurino præcipua potentia, etiam in ære pellibusque colore aureo ducendis. Omne autem curatur recens [3] præligato ore lino crasso, demissum in ferventem aquam semihora, mox siccatum si- 30 ne Sole, atque in melle conditum. Damnatur equinum, tantum inter venena: [4] ideo Flamini sacrorum equum tangere non licet, [5] cum Romæ publicis sacris equus etiam immoletur.

INTERPRETATIO.

a *Farina.*] Pulvere testæ, in qua diu salsamenta condita.
b *Quæque.*] Etiam hulcera quæ serpunt.
c *In pila.*] In mortario.
d *Explent.*] *Carne* replent *hulcera.*
e *Inter omnia.*] Inter remedia.

NOTÆ.

12. *LXXV. X. ponderi.*] Hoc est, septuaginta quinque denariûm ponderi axungiæ, centum spumæ argenteæ denariis mixtis.

13. *Adipe verrino inungi.*] MSS. omnes, vetusto more, *inunguit.* Ut supra, sect. 14. *Ungui, fricari.*

14. *Unde nomen.*] Axungia nempe ita dicta, quod ea curruum axes ungantur, ut facilius circa eos volvantur rotæ, brevique tempore majus conficiant spatium. Græcis plerumque λίπος est. Glossæ Philoxeni: *Axungia, λίπος ᾧ τοὺς ἄξονας χρίουσι.*

15. *Ferrugine rotarum.*] Hoc est, cum ramentis illis, nigrisque sordibus, quæ ex attritu ferramentorum in modiolo & axe crescunt.

16. *Medici antiqui.*] Quos etiam secutus est Dioscor. lib. 2. cap. 87. ubi de suillo adipe: *Λαβὼν τὸ στέαρ τὸ νεφρίδιον, οἷός ἐστι τὸ νεφριαῖον, εἰς ὕδωρ ὄμβριον ψυχρότατον ἐξυμένισον, καὶ τρίψας ταῖς χερσὶν ἐπιμελῶς ἀποτρίβων αὐτό, &c. Sumito recentem præpinguem, qualis is est qui renibus detrahitur, & in largiorem aquam cælestem quam frigidissimam exemptis pelliculis immittito, manibusque terito, ipsum accurate fricans, ac velut distringens,* &c. Idem cap. 90. *συντρίβων σφόδρα, valde confricando.*

17. *Ideo novas nuptas.*] Vide quæ de suillo adipe diximus initio hujus sectionis. Vide & Sextum Platon. cap. 8. de lupo, tit. 1. ubi de lupini adipis facultate ad pellenda phantasmata, dæmones, umbras.

Sect. XXXVIII. 1. *Perficitur omne.*] Hæc totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap. 89. *Καὶ τὸ βόειον δὲ στέαρ ἐξυμένισον τὸ νεφριαῖον, καὶ θαλάττῃ πλυνόμενον· εἶτα εἰς ὅλμον ὑποβαλὼν, καὶ κόπτων ἐπιμελῶς, ἐπιρραινομένης τῆς θαλάττης,* &c. *Bubulo quoque sevo renibus maxime detracto eximenda pellicula, ipsumque aqua marina ex alto petita eluendum: mox in pilam conjectum diligenter tundendum aspersa maris aqua,* &c.

2. *Si vero vetus.*] Eamdem & in recenti curam adhibet Diosc. lib. 2. cap 90

3. *Multi privatim.*] Diosc. totidem verbis lib. 2. cap 90.

Sect. XXXIX. 1. *Omnes molliunt.*] Diosc. lib. 2. cap. 95. *Ἅπαντες δὲ εἰσι μαλακτικοί, θερμαντικοί, πληρωτικοὶ ἑλκῶν. Omnes porro medullæ molliunt, rarefaciunt, ad curationem faciunt, & hulcera explent.*

2. *Laudatissima.*] Dioscor. loc. cit. *Μυελὸς δὲ κράτιστός ἐστιν ἐλάφειος, εἶτα μόσχειος, καὶ μετὰ τοῦτον ταύρειος, εἶτα αἴγειος, καὶ προβάτειος.* Ita & Galenus, lib. xi. de fac. simp. med. cap. 1. pag. 302.

3. *Curantur.*] Diosc. fere ad verbum, loc. cit.

4. *Dein liquatæ.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XL. 1. *Vis ejus.*] *Εἰσὶ δὲ πᾶσαι αἱ χολαὶ δριμεῖαι θερμαντικαί,* &c.

2. *Taurino.*] In medicinæ usu taurinum ovillo, hircino, suillo, ursinoque anteponit Diosc. loc. cit.

3. *Præligato ore.*] Os folliculi, quo fel continetur, lino præligandum. Diosc. loc. cit. *Χολὴ πᾶσα ἀποτίθεται τοῦτον τὸν τρόπον. Λαβὼν τὴν πρόσφατον, καὶ ἀποδήσας τὸ στόμα αὐτῆς λίνῳ, καθιέσο εἰς ὕδωρ ζέον,* &c.

4. *Ideo Flamini.*] Affert causam aliam Festus: *Equo vehi Flamini Diali non licebat: ne si longius digrederetur, sacra negligerentur.* Gellius, lib. 10. cap. 15. pag. 528. ex Fabii Pictoris libris annalibus: *Equo Dialem Flaminem vehi religio est.*

5. *Cum Romæ.*] Festus: *October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti,* &c. Et verbo *Panibus: Panibus redimibant caput equi immolati Idibus Octobribus in Campo Martio, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum: & equus potius quam bos immolabatur, quod hic bos frugibus pariendis aptus.* Idibus item Decembribus, Equestribus ludis dexter equus victor Marti sacer immolabatur, teste Plut. in quæst. Rom. pag. 287. Fuit & iste mos aliarum gentium: ut Persarum exempli gratia, Ovidio teste in Fastis, lib. 1. vers 385.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

XLI. [1] Quin & sanguis eorum septicam vim habet. Item equarum, præterquam virginum, erodit, emarginat hulcera. [2] Taurinus quidem recens inter venena est, excepta Ægira. Ibi enim sacerdos Terræ vaticinatura, tauri sanguinem bibit prius quam in specum descendat. Tantum potest sympathia illa, de qua loquimur, [3] ut aliquando religione, aut loco fiat. [4] Drusus Tribunus plebei traditur caprinum bibisse, cum pallore & invidia veneni sibi dati insimulare Q. Cæpionem inimicum vellet. Hircorum sanguini tanta vis est, ut ferramentorum subtilitas non aliter acrius induretur, scabritia poliatur vehementius, quam lima. Non igitur & sanguis animalium inter communia dici potest, & ideo suis quisque dicetur effectibus.

XLII. [1] Digeremus enim in mala singula usus, [2] plurimumque contra serpentes. [3] Exitio his esse cervos nemo ignorat, ut si quæ sunt, extractas cavernis mandentes. Nec vero [a] ipsi spirantesque tantum adversantur, sed membratim quoque. [4] Fugari eas nidore cornus, eorum si uratur, dictum est: at e summo gutture ustis ossibus, congregari dicuntur. [5] Pelles ejusdem animalis substratæ, securos præstant ab eo metu somnos. Coagulum quoque ex aceto potum ab ictu: [6] & si omnino tractatum sit, eo die non ferit serpens. Testes quoque ejus inveterati, [7] vel genitale maris, salutariter dantur in vino: [8] item venter, quem centipellionem vocant. [9] Fugiunt & omnino dentem cervi habentes, aut medulla perunctos, [10] sevove cervi, [11] aut vituli. [12] 2. Summis autem remediis præfertur hinnulei coagulum, matris utero exsecti, [13] ut indicavimus. Sanguine quoque cervino, [b] si una urantur dracontion, & cunilago, & anchusa lentisci ligno, [c] contrahi serpentes tradunt. Dissipari deinde, si sanguine detracto adjiciatur [14] pyrethrum. 3. Invenio apud auctores Græcos animal cervo minus, & pilo demum simile, quod ophion vocaretur. Sardiniam id tantum ferre solitam. [15] Hoc interiisse arbitror, & ideo medicinas ex eo omitto.

Cap. X. 4. [16] Apri quoque cerebrum contra eas laudatur cum sanguine. [17] Jecur etiam inveteratum cum ruta potum ex vino. Item adeps, cum melle resinaque. Simili modo verrinum jecur, [d] & fellis dumtaxat fibra, [19] x. quatuor pondere, vel cerebrum in vino potum. 5. [20] Caprarum cornu vel pilis accensis, fugari serpentes dicunt, cineremque e cornu potum vel illitum contra ictus valere: item lactis haustus cum uva taminia, vel urinæ cum aceto scillite: caseum caprinum cum origano impositum, vel sevum cum cera. Millia præterea remediorum ex eo animali demonstrantur, sicut apparebit: quod equi-

Interpretatio.

a *Ipsi.*] Toti & integri.
b *Si una urantur.*] Si simul urantur lentisci ligno.
c *Contrahi.*] Congregari.
d *Et fellis.*] Et fibra quæ vergit ad fellis folliculum.

Notæ.

Sect. XLI. 1. *Quin & sanguis*] Dioscor. lib. 2. cap. 97. *Τὸ δὲ τῶν ὀχευτῶν ἵππων αἷμα σηπτικὸν μίγνυται. Equorum admissariorum sanguis in septica, hoc est, erodentia medicamenta additur.*

2. *Taurinus.*] Vide Dioscoridem in Alexiph. cap 25.

3. *Ut aliquando*] Ea est aliquando vel religionis vel soli vis, ut sympathia, consensioque, & concordia inde sentiatur inter res alioqui adversas, ita ut ne venena quidem tum noceant.

4. *Drusus.*] De Druso & Cæpione dicetur lib. 33. sect. 6. Meminit caprini sanguinis a Druso epoti, ut Latinorum postulata differret, qui civitatem per illum sperabant, Aurelius Victor, lib de viris illustr. cap 66. adjicitque repente concidisse, semianimemque domum relatum: vota pro illo per Italiam publice suscepta, &c.

Sect XLII. 1. *Digeremus.*] Vide Notas & Emend. num. XXIV.

2. *Plurimumque.*] Ita libri omnes. Providentiam naturæ commendat, quæ plurima suggerat remedia contra malorum omnium pessimum, hoc est serpentium ictum.

3. *Exitio his.*] Serpentibus. Vide quæ diximus lib. 8. sect. 50.

4. *Fugari eas .... dictum est.*] Libro 8. sect. 50.

5. *Pelles ejusdem.*] Q Serenus, cap. 47. *de serpentium morsibus excludendis*, pag. 155

Discendum & quæ sit præcox medicina timenti:
Cautio namque potest diros prævertere morsus,
Si tu cervina per noctem in pelle quiesces,
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.

Sextus Platon cap. 1. de cervo, num. 23. *In cervina pelle si jacueris, nullus ad hominem serpens accedit.*

6. *Et si omnino tractatum.*] In MSS. *tractum* · forte, *tactum.*

7. *Vel genitale.*] Nicander in Theriac. pag. 43. Dioscor. lib. 2. cap 43. Sextus Platon cap. 1. de cervo, num 15. *Natura cervi*, (hoc est, genitalis,) *siccata & corrasa, si drachmam unam in sorbitione vini potaveris, omnis morsus serpentis apud te innocuus fiet*, &c

10. *Item venter*] In cervis, ceterisque ruminantibus, geminus venter est, ut diximus lib. xi. sect. 78. Ex his alter in cervis centipellio nuncupatur, a Græcis echinus & reticulum, quod multis constet plicaturis, sinubusque, ac veluti pellibus. Nostris, *la Double.* Vide Notas & Emendationes, num. XXV.

9. *Fugiunt.*] Q Serenus, loco ante recitato a nobis.

10. *Sevove cervi.*] Diosc. lib. 2. cap. 94. *Elephantinus adeps*, inquit, *& cervinus perunctis, serpentes fugant.* Τὸ δὲ ἐλεφάντειον ἢ ἐλάφειον στέαρ, ἑρπετὰ διώκει καταχριόμενον.

11 *Aut vituli.*] Sic MSS. Reg. 2. aliique, non *hinnuli*, ut libri editi.

12. *Summis autem.*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 37. Νεβρὸς ἐν ταῖς δυνάμεσι, ὁ ἄρτι ἐκ τῆς μητρὸς εἶναι φησι, ἀποσπασθεὶς τῆς νεφροῦ, ὁ κωιγοι δὲ τὴν τοῦ ληρ..., ἢ τρίτην τῆς ἰχθύος Vide Scribonium Largum, Compos. Med. cap 2.

13. *Ut indicavimus.*] Libro 8. sect. 50.

14. *Pyrethrum.*] Πύρεθρον Dioscoridi, lib. 3. cap 86. In Nothis, pag. 456. Ῥωμαῖοι, σαλιβάρις. Salivarem Latini appellavere: quod, ut ait Diosc. loco cit. commanducata radix pituitam extrahit In officinis retinet pyrethri nomen: Gallis, *Pied d'Alexandre.* Pingitur a Lobelio in Observ. pag. 447.

15. *Hoc interiisse.*] Vix ego genus aliquod animalis perire in totum arbitror: naturæ perpetuitati prospiciente in primis ejusdem auctore Deo. Sunt qui musmonem hunc esse putent, de quo lib 8. sect. 75.

16. *Apri quoque .... contra eas.*] Contra serpentes. Sextus Platon. cap 7. de apro, tit. 3. ad serpentium morsus cerebrum apri laudat ex melle contritum, impositumque

17 *Jecur etiam*] Nicander in Theriac. pag 40 Dioscor. lib. 2. cap. 48.

18. *Et fellis*] Vide Notas & Emend. num. XXVI.

19. *X. quatuor*] Hoc est, denariorum quatuor.

20. *Caprarum cornu.*] Sextus Platon. cap. 5. *de capro & capra*, tit 3 *Ad serpentis morsum: Pulverem de cornu capræ, & ejus lot cum origano, & vini cyathis tribus bibat, venenum excutit.*

dem mirot, [21] cum febri negetur carere. [22] Amplior potentia feris ejusdem generis, quod numerosissimum esse diximus. Alia vero & hircis. Democritus etiamnum effectus ejus auget, [a] qui singularis natus sit. Fimo quoque caprarum in aceto decocto illini ictus serpentium placet, & recentis cinere in vino: atque in totum difficilius se recolligentes a serpentium ictu, [23] in caprilibus optime convalescunt. [24] Qui efficacius volunt mederi, occisæ capræ alvum dissectam cum fimo intus reperto statim illigant. Alii carnem recentem hœdorum [b] pilo suffiunt, eodemque nidore fugant serpentes. [25] Utuntur & pelle eorum recente ad plagas, carne & fimo equi in agro pasti, [26] coagulo leporis ex aceto, contraque scorpionem & murem araneum. Aiunt autem non feriri leporis coagulo perunctos. A scorpione percussis, fimum capræ efficacius cum aceto decoctum auxiliatur: [27] lardum jusque decocti potum his qui buprestim hauserint.

6. [28] Quin etiam si quis asino in aurem percussum a scorpione se dicat, transire malum protinus tradunt: venenataque omnia accenso ejus pulmone fugere. Et fimo vituli suffiri percussos a scorpione prodest.

XLIII. 1. Canis rabiosi morsu facta vulnera circumcidunt ad vivas usque partes quidam, carnemque vituli admovent, & jus ex eodem carnis decoctæ dant potui, aut axungiam cum calce rusam.

2. Hirci jecore imposito ne tentari quidem aquæ metu affirmant.

3. [1] Laudant & capræ fimum ex vino illitum: melis, & cuculi, & hirundinis decoctum & potum. [2] Ad reliquos bestiarum morsus caprinum caseum siccum cum origano imponunt, & bibi jubent: [3] ad hominis morsus carnem bubulam coctam, efficacius vituli, si non ante quintum diem solvant.

XLIV. Veneficiis rostrum lupi resistere inveteratum aiunt, ob idque villarum portis præfigunt. Hoc idem præstare & pellis [1] e cervice [c] solida existimatur: quippe tanta vis est animalis, præter ea [2] quæ retulimus, ut vestigia ejus calcata equis afferant torporem.

XLV. Iis qui argentum vivum biberint, lardum remedio est. [1] Asinino lacte poto venena restinguuntur, [2] peculiariter si hyoscyamum potum sit, aut viscum, [3] aut cicuta, [4] aut lepus marinus, [5] aut opocarpathum, [6] aut pharicon, [7] aut dorycnium, & si [d] coagulum alicui nocuerit: [8] nam id quoque venenum est prima lactis coagulatione. Multos ejus & alios usus dicemus. Sed meminisse oportebit recenti utendum, aut non multo postea tepefacto. Nullum enim celerius evanescit. Ossa quoque asini confracta & decocta, contra leporis marini venenum dantur. Omnia eadem [e] onagris efficaciora, [9] De equiferis non scripserunt Græci, quoniam terræ illæ non gignebant. Verumtamen

Interpretatio.

a *Qui singularis.*] Qui solus ex matre sit genitus.
b *Pilo.*] Cum pilo.
c *Solida.*] Integra.
d *Coagulum.*] Lac coagulatum: est enim illud venenum, cum epotum in stomacho coagulatur.
e *Onagris.*] Ex asinis silvestribus petita.

Notæ.

21. *Cum febri.*] Vide quæ diximus lib 8 sect 76.

22. *Amplior potentia feris*] Silvestribus: capreis, rupicapris, alitsque, de quibus lib. 8 sect. 79.

23. *In caprilibus.*] Caprile, locus est in quo capræ servantur. Vox etiam Columellæ familiaris.

24. *Qui efficacius.*] Nicander in Theriac. pag. 67.

25. *Utuntur & pelle.*] Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 9. pag. 68. *Hœdi fletum atque excoriatur, si pellis accipies particulam, eamque morsui serpentum applicabis, educetur venenum: & curabitur patiens.*

26 *Coagulo leporis, &c.*] Diosc. lib. 2. cap. 21. pariter ex aceto potandum: e vino præbet Sextus Platon. cap. 2. de lepore, tit. 16. Imponi cum propoli jubet auctor Kiranidum, lib. 2 pag 86.

27. *Lardum, jusque*] Scribonius Largus, Compos. 190. ad buprestim: *Adiuvamur item passo plurimum, & lacte muliebri, & jure fulli pingui accepto, &c.*

28. *Quin etiam.*] Auctor Kiranidum, pag. 90. *Si quis autem a scorpione percussus fuerit, & dixerit in auricula asini, Quantum scorpio me percussit! percussus quidem sanabitur, asinus autem morietur.*

Sect. XLIII. 1. *Laudant & capræ.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 9 pag. 68. *Capri fimus cum aliqua parte seminis raparum applicatus morsui canis rabidi, proderit non parum, & sanabit eum.*

2. *Ad reliquos.*] Q. Serenus, cap. de ictibus scorpii, &c.

Ad cunctos autem morsus, ictusque minorum,
Caseus aptus erit fimo de lacte capellæ:
Cumque hoc absumi debebit origanus herba,
Hæc duo mirificis curabunt ista medelis.

3. *Ad hominis, &c.*] Hæc verbis totidem Plinius Valer. lib. 3. cap. 52.

Sect. XLIV. 1. *E cervice solida.*] MSS. Reg. 2. & Chiffl. *E cervice solida manica existimatur.*

2. *Quæ retulimus.*] Libro 8. sect 34.

3. *Ut vestigia ejus.*] Dicetur ea de re iterum, sect 80.

Sect XLV. 1. *Asinino lacte.*] Plinius Valerianus, libro 3. cap. 53.

2. *Peculiariter.*] Scribonius Largus, Compos. 181. *ad altercum, sive hyoscyamum: Adiuvatur lacte poto asinino quamplurimo: vel quolibet alio recenti per se, vel decocto, &c.*

3. *Aut cicuta.*] Scribonius Largus, Compos. 179.

4. *Aut lepus marinus.*] Scribonius Largus, Compos. 186.

5 *Aut opocarpathum*] Ea vox Carpathi succum sonat. Dioscorid in Præf. Alexiph. & cap 13. τὸ τῆς Καρπάσου ὀπόν, & ὀποκάρπασον vocat, atque in letalium censu ponit. Apparet ex Galeno, lib 1. de antid. myrrhæ speciem odore mentiri, & venenum esse.

6. *Aut pharicon.*] De pharico pariter Diosc. in Alexiph. cap. 19. Scribonius Largus, Compos. 195 *Pharicum & ipsum dicitur & compluribus compositum, gustumque habere nardi. Potum autem facit spasmum, cito exanimat, &c.* A Pharico Cretensi venefico alii, alii a Pharo insula nomen deducunt. Tam nobis incognitum, quam priscis notum.

7. *Aut dorycnion.*] Scribonius, Compos. 191. Dioscor. in Alexiph. cap. 6.

8. *Nam id quoque.*] Adversus lac intus coagulatum remedia alia Dioscorides sufficit in Alexiph. cap. 26. Plinius, lib. 20. sect. 53. de menta: *Ipsa acescere, aut coire, densarique lac non patitur. Quare lactis potionibus additur, ne hujus coagulati potu strangulentur*

9. *De equiferis.*] Equiferum credimus esse eum, quem Ger-

fortiora omnia eadem, quam in equis intelligi debent. [10] Lacte equino venena leporis marini, & toxica expugnantur. Nec uros aut bisontes habuerunt Græci in experimentis, quanquam bove fero refertis Indiæ silvis: portione tamen eadem [a] efficaciora omnia ex his credi par est. Sic quoque lacte bubulo cuncta venena expugnari tradunt, [11] maxime supra dicta: [12] & si ephemerum impactum sit: aut si cantharides datæ, vomitione omnia egeri: [13] sic & caprino jure cantharidas. Contra ea vero quæ [b] exhulceratione enecant, [14] sebum vitulinum vel bubulum auxiliatur. [15] Nam contra sanguisugas potas butyrum remedio est, cum aceto ferro calefacto: quod & [c] per se prodest contra venena. [16] Nam si oleum non sit, vicem ejus repræsentat. Multipedæ morsus cum melle sanat. [17] Omasi quoque jure poto venena supra dicta expugnari putant, privatim vero aconita & cicutas: itemque vitulino sevo. Caprinus caseus recens, his qui viscum biberint: [18] lac vero contra cantharidas remedio est, & contra ephemeri potum cum taminia uva. [19] Sanguis caprinus decoctus cum medulla contra toxica venena sumitur: hœdinus contra reliqua. Coagulum hœdi [20] contra viscum, & chamæleonem album, sanguinemque taurinum, contra quem & leporis coagulum est ex aceto. [21] Contra pastinacam vero & omnium marinorum ictus vel morsus, coagulum leporis, vel hœdi, vel agni, drachmæ pondere ex vino. [22] Leporis coagulum & contra venena additur antidotis. Papilio quoque lucernarum luminibus advolans, inter mala medicamenta numeratur. Huic contrarium est jecur caprinum: sicut fel veneficiis [23] ex mustela rustica factis. * Hinc deinde revertemur ad genera morborum.

* Cap. XI.

XLVI. [1] Capilli defluvia ursinus adeps admixto ladano & adianto continet, alopeciasque emendat, & raritatem superciliorum, cum fungis lucernarum, ac fuligine, quæ est [2] in rostris earum. [3] Porrigini cum vino prodest. [4] Ad hanc & cornus cervini cinis e vino, utque non [5] tædia animalium capillis increscant. [6] Item fel caprinum cum creta Cimolia & aceto, sic ut paulum capiti inarescant. [7] Item fel scrofinum cum urina tauri: Si vero vetus sit, etiam surfures adjecto sulphure emendat. Cinere genitalis asinini spissari capillum putant, & a canitie vindicari, [d] si rasis illinatur, plumboque tritus cum oleo. [8] Densari & asinini pulli cum urina: admiscentque nardum [9] fastidii gratia. [10] Alopecias felle taurino cum Ægyptio alumine [e] tepefactis illinunt. [11] Capitis hulcera manantia urina tauri efficaciter sanat: item hominis vetus, si cyclaminum adjiciatur, & sulphur. [12] Efficacius tamen & vitulinum fel: quo cum aceto calefacto & lendes tolluntur. [13] Sevum

INTERPRETATIO.

a *Efficaciora*] *Quam e domesticis & nostris.*
b *Exhulceratione*] *Stomachi & intestinorum.*
c *Per se.*] Solum, *ac sine alio adjumento.*
d *Si rasis.*] Si rasis capillis capiti illinatur.
e *Tepefactis.*] Tepefactis prius capillis.

NOTÆ.

manorum vocabulo *Elan* appellamus: Equicervum Albertus, ut diximus lib. 8. sect. 16.

10. *Lacte equino*] Scribonius Largus, Compos. 186.

11. *Maxime supra dicta.*] Hac ipsa sectione.

12. *Et si ephemerum.*] Diosc. lib. 2. cap. 77.

13. *Sic caprino jure.*] De caprino jure Dioscorides suffragatur, lib. 2. cap. 94. Etiam de agnino, Scribonius Largus, Compos. 189. *ad cantharidas. Adjuvat beon & jus pingue agninum, & ex bubula factum*, &c.

14. *Sebum*] MSS fere ubique, *sebum* pro sevo scribunt.

15. *Nam contra sanguisugas.*] Marcellus Empir. cap. 16. pag. 121. *In eo aceto*, inquit, *in quo prius ferrum fervens sit extinctum, butyrum missum, & calefactum, paulatim, si absorbeatur, ejiciet de stomacho sanguisugas.*

16. *Nam si oleum.*] Diosc. similiter, lib. 2. cap. 81. de butyro: Καὶ πρὸς τὰ θανάσιμα, μὴ παρόντος ἐλαίου χρώμενον. *Usurpatur & contra venena, si desit oleum.*

17. *Omasi quoque.*] Neque omasi modo, quod pinguius est, crassiusque bovis intestinum, sed & carnis bubulæ jure aconita pelli Nicander admonet. Vide Notas & Emend. num. XXVII.

18. *Lac vero.*] Caprinum videlicet. Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 33. *Si quis cantharidas biberit: Capræ lac bibat, liberabitur.*

19. *Sanguis caprinus.*] De caprino hœdinoque sanguine contra toxicum subscripsit & Diosc. in Alexiph. cap. 20.

20. *Contra viscum & chamæleonem.*] Hoc est, contra viscum, quem & chamæleonem album vocant, ut diximus lib. 20. sect. 51. Figura hæc est quam Grammatici vocant, ἓν διὰ δυοῖν, familiaris præsertim poetis.

21. *Contra pastinacam, &c.*] Totidem fere verba Plinius Valer. lib. 3. cap. 54.

22. *Leporis coagulum*] Nicander in Theriac. pag. 40. & in Alexiph. pag. 132.

23. *Ex mustela rustica.*] Vide quæ diximus, lib. xi. sect. 109.

Sect. XLVI. 1. *Capilli defluvia.*] Hæc pariter Marcellus Empiricus, cap. 6. pag. 45. & 46. Sextus Platon. cap. 13. de urso, tit. 1. *Ad capillos fluentes, & ut crescant: Ursinus adeps cum ladano & vino vetere mixtus*, &c. Diosc. item, lib. 2. cap. 94. Galenus, lib. 10. de fac. simp. med. cap. 1. pag. 302.

2. *In rostris earum*] Pars est acuminata lucernarum, quæ manubrio adversa est. Icones varias lucernarum apud antiquos Fortunius Licetus exhibet, opere singulari de Lucernis, pag. 600. & seqq. Habemus & nos in Musco nostro.

3. *Porrigini .... prodest.*] Adeps ursinus.

4. *Ad hanc.*] Ad porriginem emendandam. Marcellus Empiricus, cap. 6. pag. 46.

5. *Tædia animalium*] Lendes, pediculosque intelligit. Vide Notas & Emend. num. XXVIII.

6. *Item fel.*] Nempe ad porriginem tollendam.

7. *Item fel scrofinum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIX.

8. *Densari & asinini pulli.*] Subintellige genitali.

9. *Fastidii.*] Fastidii abigendi gratia; ut fastidium moveat urinæ gravis odor.

10. *Alopecias.*] Marcellus Empir. cap. 4. pag. 42. cum nitro & vino adhibet.

11. *Capitis hulcera.*] Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 6. pag. 49. *Qui caput lavabit urina boum, capillorum impediet fluxum, & si quæ sunt in capite hulcera, sanabuntur.* Ad porriginem eximendam eodem medicamento utitur Marcellus Empir. cap. 4. pag. 41. adjecto similiter sulphore, atque cyclamino.

12. *Efficacius tamen, &c.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 5. & Marcellus Empir. cap. 4. pag. 41.

13. *Sevum vitulinum.*] Plinius Valer. loco cit. & Marcellus Empir. cap. 4. pag. 40.

vitulinum cum sale tritum, capitis hulceribus utilissimum. [14] Laudatur & vulpium adeps: [15] sed præcipue felis fimum cum sinapis pari modo illitum. [16] Caprini cornus farina vel cinis, magisque hircini, addito nitro & tamaricis semine, & butyro oleoque, prius capite raso, mire continent ita fluentem capillum. Sicuti carnis cinere ex oleo illito supercilia nigrescunt. [17] Lacte caprino lendes tolli tradunt: fimo cum melle alopecias expleri: [18] item ungularum cinere cum pice, fluentem capillum contineri. [19] Leporinus cinis cum oleo myrteo capitis dolorem sedat: [20] item aqua pota, quæ e bovis aut asini potu relicta est: [21] &, si credimus, vulpis masculæ genitale circumligatum: [22] cornus cervini cinis illitus ex aceto, aut rosaceo, aut ex irino.

XLVII. Oculorum epiphoras bubulo sevo cum oleo cocto illinunt. [1] Cervini cornus cinere scabritias eorumdem inungunt: mucrones autem ipsos efficaciores putant. Lupi excrementis circumlini [2] suffusiones prodest. Cinere eorum cum Attico melle inungi obscuritates: [3] item felle ursino. Epinyctidas, adipe aprugno cum rosaceo. [4] Ungulæ asininæ cinis inunctus e suo lacte, cicatrices oculorum, & albugines tollit. [5] Medulla bubula ex dextro crure priore trita cum fuligine, pilis & palpebrarum vitiis angulorumque occurrit: calliblephari modo fuligo in hoc usu temperatur: optime ellychnio papyraceo, oleoque sesamino, fuligine in novum vas pennis detersa. Efficacissime tamen evulsos ibi pilos coërcet. Felle tauri cum ovi albo, collyria fiunt: aquaque dissoluta inunguntur per quatriduum. Sevum vituli cum anseris adipe & ocimi succo, [6] genarum vitiis aptissimum est. [7] Ejusdem medullæ cum pari pondere ceræ & olei vel rosacei, addito ovo, duritiæ genarum illinuntur. [8] Caseo molli caprino imposito ex aqua calida epiphoræ sedantur: si tumor sit, ex melle. [9] Utrumque vero sero calido fovendum. [10] Sicca lippitudo, lumbis suum exustis atque contritis, & impositis, tollitur. Capras negant lippire, quoniam eæ quasdam herbas edant: [11] item dorcadas: & ob id fimum earum cera circumdatum nova Luna devorare jubent. Et quoniam noctu æque quoque cernant, [12] sanguine hircino sanari lusciosos putant, [13] nyctalopas a Græcis dictos: [14] capræ vero jocinere, in vino austero decocto. [15] Quidam inassati jocineris sanie inungunt, aut felle capræ, carnesque eas

NOTÆ.

14. *Laudatur & vulpium adeps.*] Item sanguis, Habdarrahmano auctore, ad abigendos furfures, scabiemque capitis, commendatur in primis, cap. 29. pag. 111.

15. *Sed præcipue.*] Vide Notas & Emend. num. XXX.

16. *Caprini cornus.*] Sextus Platonicus, cap. 5. de capro & capra, tit. 8. *Ad capillos fluentes: Capræ cornu furfure mixto cum oleo myrtino, capillos fluentes retinet, & crescere facit.*

17. *Lacte caprino.*] Alopecias eo sanari egregie Marcellus Empir. prodidit, cap. 6. pag. 45.

18. *Item ungularum.*] Diosc. lib. 2. cap. 46. Οἱ δὲ τῶν αἰγῶν ὄνυχες κανθέντες, ἀλωπεκίας πληρώσουσι σὺν ὄξει θεραπεύονται.

19. *Leporinus, &c.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 6.

20. *Item aqua pota, &c.*] Plinius Valer. libro 1. cap. 1. & Marcellus Empir. cap. 1. pag. 35.

21. *Et, si credimus.*] Credit Sextus Platonicus, cap. 3. de vulpe, tit. 10. *Ad capitis dolorem. Natura vulpis circumdata capiti, dolorem statim tollit.* Naturam veteres genitale dixere.

22. *Cornus cervini.*] Marcellus Empir. cap. 1. *ad capitis dolores*, pag. 37. *Cornus cervini exusti cinis, illitus fronti ex aceto & rosaceo prodest.* Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 1. *Cervini cornu cinis illitus ex aceto & rosaceo prodest.* MSS omnes hoc loco, *aut rosaceo*, præ se ferunt.

Sect. XLVII. 1. *Cervini cornus.*] Diosc. lib. 2. cap. 63. hunc cinerem impense laudat, ad fluxiones oculorum & hulcera, ὠφελεῖ τοῖς ἐν ὀφθαλμοῖς ἕλκη καὶ ῥεύματα. Addi in collyriis, auctor est Sextus Platon. cap. 1. de cervo.

2. *Suffusiones.*] Hoc est, palpebras circumlini eo fimo juvat, in suffusione oculorum Marcellus Empir. cap. 8. pag. 59. *Lupi fimus diu perfrictus ad summam levitatem, cum melle mixtus, & inunctione adhibitus, oculorum ὑπογύσεις discutit, & ad summam claritudinem eos perducit, suffusione siccata.* De ejusdem felle Habdarrahmanus, cap. 23. pag. 95. *Lupi fel inditum oculis per modum collyrii, ipsorum abiget caliginem, & aquam in eos descendentem impediet, ne coalescat.*

3. *Item felle.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 62.

4. *Ungula asinina.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 68. Sed pro asinino, muliebre lac idem adsciscit: cetera sunt paria.

5. *Medulla bubula.*] Marcellus Empir cap. 8. pag. 70. *Lucernam fictilem de papyro, & medulla vaccina concinnato, atque ejus fumo sive fuligine pro calliblepharo utere, quo palpebras cuassas & glabras sæpius inungendo, decentissimas facies.*

6. *Genarum vitiis.*] Hoc est, palpebrarum. Vide quæ diximus lib. XI. sect. 36. & 57.

7. *Ejusdem medullæ.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 71. *Vituli medulla cum cera & oleo rosaceo, æquis ponderibus liquefacta, & permixta, & ad emplastri modum imposita, duritias palpebrarum, & si qua illic in modum pilularum nascuntur, commolit ac discutit.*

8. *Caseo molli.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 57. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 14.

9. *Utrumque vero.*] Utraque epiphora: & quæ cum tumore conjuncta, & quæ sine tumore. Serum caprinum idcirco Plinius Valer. adhibet, quo foveri oculos præcipit, per quindenos dies, lib. 1. cap. 25.

10. *Sicca lippitudo.*] Ξηροφθαλμία, arida lippitudo Corn. Celso: cum in oculorum angulis asperitates & prurigines, & veluti hulcera sunt, pruritus oculorum sine rheumate: a siccitate nomen habet.

11. *Item dorcadas.*] His nomen est ab acie, a subtilitate visus. Δορκὰς, παρὰ τὸ δέρκω. ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον, καὶ εὐόμματον, inquit Etymologus. Plura vide apud Bochart. part. 1. lib. 3. de anim. cap. 25. pag. 925.

12. *Sanguine hircino.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 70.

13. *Nyctalopas.*] Νυκτάλωπας. Græcis νυκτάλωψ proprie is olim fuisse videtur, qui noctu melius quam interdiu cerneret: a nocturno enim aspectu est vox ea deducta. Sic Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 10. *Nyctalopes vero, qui per noctem vident, & per diem obscuritatem patiuntur.* Eadem hia deinde remedia suggerit, quæ mox a Plinio afferuntur. Festus: *Luscitio, vitium oculorum, quod clarius vesperi quam meridie cernit.* Sic Hippocr. lib. 2. Prædict. tex. 40. pag. 517. Sic in Isagoge sua Galenus. Sed idem rursus ibidem nyctalopas etiam dici testatur, qui contra parum die, vespere autem noctuque nihil aspiciant: atque ita prorsus nyctalopas Paulus Ægineta, e Latinis Cornelius Celsus, lib. 6. cap. 6 fere accepit. Eosdem & lusciosos, & Nuscitiosos dixere Latini, parum & ipsi sibi quoque dum Græcos sequuntur, in earumdem vocum significatione constantes.

14. *Capra vero jocinere.*] Sextus Platon. de caprea, cap. 4. tit. 2. *Ad eos qui ab hora decima* (hoc est, binis horis ante Solis occasum) *non vident: Jecur capreæ in aqua calida salsa coquatur, & eius vaporem oculi excipiant, & ex eadem aqua oculos foveant: sed & jecur edant, & ex liquefacto inungantur. Quidam jecur eius assant in craticula: & fluentem saniem colligunt, & ex eo inunguntur. Quidam coctum vel assum jecur capreæ cum pane edunt, & idem bibunt.* Quod de capris domesticis Plinius retulit, hoc Sextus de capreis: quoniam, ut Plinius animadvertit, sect. 42. *amplior potentia est feris ejus generis.*

15. *Quidam inassati.*] Celsus, lib. 6. cap. 6. *Præter hæc imbecillitas oculorum est, ex qua quidam interdiu satis, noctu nihil cernunt. . . . Sic laborantes inungi oportet sanguine jocineris, maxime hircini: si minus, caprini, ubi id assum coquitur, excepto; atque edi quoque ipsum jecur debet.*

vesci, & dum coquantur oculos vaporari his præcipiunt. [16] Id quoque referre arbitrantur, ut rutili coloris fuerit. Volunt & oculos suffiri, jocinere in ollis decocto: quidam inassato. [17] Fel quidem caprinum pluribus modis assumunt: [18] cum melle, contra caligines: cum veratri candidi tertia parte, contra glaucomata: [19] cum vino, contra cicatrices, & albugines, &
5 caligines, pterygia, & argema: [20] ad palpebras vero evulso prius pilo, cum succo [a] oleris, ita ut unctio inarescat. [21] Contra ruptas tuniculas, cum lacte mulieris. [22] Ad omnia inveteratum fel efficacius putant. [23] Nec abdicant fimum ex melle illitum, epiphoris: contraque dolores, medullam: [24] item pulmonem leporis. [25] Et ad caligines fel cum passo aut melle. Lupino quoque adipe, vel medulla suum, fricari oculos contra lippitudines
10 præcipiunt. [26] Nam vulpinam linguam habentes in armilla, lippitutos negant.

XLVIII. [1] Aurium dolori & vitiis medetur urina apri in vitro servata: [2] fel apri vel suis, [3] vel bubulum cum oleo cicino & rosaceo æquis portionibus. [4] Præcipue vero taurinum, cum porri succo tepidum, vel cum melle, si suppuret. Contraque odorem gravem per se tepefactum in malicorio. [b] In ea parte rupta cum lacte mulierum effi-
15 caciter sanat. Quidam etiam [c] ingravatas aures sic perluendas putant. [5] Alii cum senecta serpentium & aceto [6] includunt lana collutas ante calida aqua. [7] Aut si major sit gravitas aurium, fel cum myrrha & ruta in malicorio excalfactum infundunt: [8] lardum quoque pingue: item fimum asini recens cum rosaceo instillatur: omniaque ea tepefacta. [9] Utilior equi spuma, [10] vel equini fimi recentis cinis cum rosaceo. [11] Sevum bubulum
20 cum adipe anserino, [12] butyrum recens. Urina capræ, vel tauri, aut fullonia vetus calfacta, vapore per lagenæ collum subeunte. Admiscent & aceti tertiam partem: & aliquid urinæ vituli, qui nondum herbam gustaverit. Fimum etiam mixto felle ejusdem. Et cutem, quam relinquunt angues, excalfactis prius auribus. Lana autem, medicamina ea includuntur. [13] Prodest & sevum vituli cum anseris adipe, & ocimi succo: [14] ejusdem me-
25 dulla admixto cumino trito infusa. [d] [15] Virus verrinum e scrofa exceptum priusquam terram attingat, contra dolores. Auribus fractis glutinum [e] [16] e naturis vitulorum factum

Interpretatio.

a *Oleris.*] Brassicæ.
b *In ea parte rupta.*] Fractas auriculas.
c *Ingravatas.*] Audiendi gravitate laborantes.
d *Virus.*] Semen quod effundit in coitu.
e *E naturis.*] E genitalibus.

Notæ.

16. *Id quoque referre.*] Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 9. pag. 61. *Rubra capræ jecur si torrebis, & instillabis ex eo in oculos, proderit eorum caligantibus, & sanabit eos.*

17. *Fel quidem caprinum.*] Sextus Platon. de caprea, tit. 5. & 8 hæc totidem fere verbis.

18 *Cum melle.*] Q. Serenus, cap. 14. de oculorum dolore mitigando, pag 133.

Hyblæi mellis succi cum felle caprino,
Subveniunt oculis dira caligine pressis.

19. *Cum vino.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 20. Cum melle contra albugines Habdarrahmanus adhibet. cap 9. pag 117.

20. *Ad palpebras vero.*] Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 9. pag 63. *Si redundantes in palpebris pilos depilabis, & obduces locum felle capræ, nequaquam amplius renascentur.*

21. *Contra ruptas.*] Sextus Platon. loc. cit.

22. *Ad omnia.*] Ad oculorum mala proxime numerata. Vide Notas & Emend. num XXXI.

23. *Nec abdicant.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14.

24. *Item pulmonem.*] Sextus Platon. lib 2. de lepore, tit. 3. *ad oculorum dolores. Pulmo leporis superpositus, & alligatus dolores oculorum mirifice sanat.*

25. *Et ad caligines.*] Sextus Platon. cap. 2. de lepore, tit. 8 *Ad caliginem oculorum: Leporis fel cum melle mixtum & inunctum, oculos clarificat.*

26 *Nam vulpinam.*] Similis superstitionis & illud est quod refert Marcellus Empir. cap. 8 pag. 66. *Ad albuginem oculorum detergendam efficax hoc remedium. Vulpem vivam capies, ejusque linguam præcides, ipsamque vivam dimittes: linguam autem ejus arefactam phœnicio ligabis, & collo ejus, qui albuginem patietur, suspendes.*

Sect. XLVIII. 1. *Aurium dolori.*] Marcellus Empir. cap. 9 pag. 75. *Urina apri servatur in vitro, sed melius cum vesica ipsius, quo modo ei sublata fuerit: hæc tepens infusa auribus unice prodest.* Et pag 81. *Apri lotium infusum auriculæ valde medetur: quod quia vetustum magis prodest, collectum servari debet in vase vitreo, ut sit ad remedia præparatum.* Sic etiam Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. & Sextus Platon. cap. 7. de apro, tit 12.

2. *Fel apri vel suis*] Sic MSS Reg. 2. & alii. Sic Marcellus Empir. pag. 75. fel aprugnum, aut verrinum, porcinumve, dummodo non de scrofa, ad eos usus commendat.

3. *Vel bubulum cum oleo cicino*] Pro cicino laurinum habet Habdarrahmanus Ægyptius, nisi vitium interpretis est: Sic enim ille, cap. 6. pag. 39. *Tauri fel additio oleo lauri, vel unguento rosarum, inditum auribus, ulcera ibi enata curat, & mitigat dolores.* In cod Chifl. *cicino*, mendose.

4. *Præcipue vero.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXII.

5. *Alii cum senecta.*] Dioscor. lib. 2. cap. 19. Marcellus Empir. cap. 9 pag. 81. *Cum felle vitulino, & aceto, pari mensura, serpentis senectus, id est, exuviæ decocta, & lanula madefacta medicamentum auriculæ infercum, maxima utilitatis esse creditur, si prius fervente aqua de spongia aurem foveris.*

6. *Includunt lana.*] Non, ut editi hactenus libri, *lanas.* Ipse paulo inferius hac sect. *Lana autem medicamina ea includuntur.*

7. *Aut si major.*] Habdarrahmanus, cap. 6. pag. 49. *Fel vaccæ liquefactum cum aliqua parte corticum malogranatorum contusorum, & instillatum auribus, proderit tinnitui ac sonitui.*

8. *Lardum quoque.*] Marcellus Empir cap. 9. pag. 79. *Ad aurium dolorem, quæ pus emittent, lardum vetustissimum teres in mortario, & succum illum lana delicata collectum, in auriculam immittes, & subinde aqua calida fovebis, & iterum succum illum infundes: mira velocitate sanabis.*

9. *Utilior.*] Marcellus Empir. cap 9. pag. 81. *Spuma equi recens detracta, & cum oleo roseo infusa, auricularum quamvis vehementes dolores resolvit.*

10. *Vel equini fimi, &c.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 1. cap. 9.

11. *Sevum bubulum.*] Vel ut in MSS. *sebum.*] Plinius Valer. loc. cit.

12. *Butyrum recens.*] Marcellus Empir. cap 9. pag. 81.

13. *Prodest & sevum.* Plinius Valer. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 9 pag. 75.

14 *Ejusdem medulla.*] Marcellus Empir cap. 9 pag. 81.

15. *Virus verrinum.*] Marcellus Empir. loc. cit. *Verris cum scropham saliet, priusquam in terram destillet, de verendis ejus virus exceptum tepefactumque: & cum aqua modico auriculæ inditum, quamvis molestos dolores relevat: quod etiam circa auriculam illitum plurimum prodest.*

16. *E naturis.*] Naturas Latini genitalia appellarunt, ut alibi monuimus. Ita Sextus Platon cap 3. *Naturam vulpis* dixit. Id vero Dalecampius cum nesciret, *e naribus vitulorum* emendare nitebatur. At Plinius infra, sect. 50. *glutinum factum e genitalibus vitulorum* aperte dixit.

&

& in aqua liquatum. [a] [17] Aliis vitiis adeps vulpium. [18] Item fel caprinum cum rosaceo tepido, aut porri succo: [19] aut si sint rupta ibi aliqua, e lacte mulieris. [20] Si gravitas sit audiendi, fel bubulum cum urina capræ, vel hirci, vel si pus sit. [21] In quocumque autem usu putant hæc efficaciora in cornu caprino per dies viginti insumata. [22] Laudant & coagulum leporis tertia denarii parte, dimidiaque sacopeni in ammineo vino. [23] Parotidas ursinus adeps comprimit pari pondere ceræ & taurini sevi. Addunt quidam hypocisthidem, & per se butyrum illitum, si prius foveantur feni Græci decocti succo. Efficacius cum strychno. [24] Prosunt & vulpium testes, & taurinus sanguis aridus tritus. [25] Urina capræ calefacta instillata auribus: [26] simumque ejusdem cum axungia illitum. 5

XLIX. [1] Dentes mobiles confirmat cervini cornus cinis, [2] doloresque eorum mitigat, sive infricentur, sive colluantur. [3] Quidam efficaciorem ad omnes eosdem usus [b] crudi cornus farinam arbitrantur. [4] Dentifricia utroque modo fiunt. Magnum remedium est in luporum capitis cinere. Certumque est in excrementis eorum plerumque inveniri ossa. Hæc adalligata eumdem effectum habent. [5] Item leporina coagula per aurem infusa contra dolores: [6] & capitis eorum cinis dentifricium est, [7] adjectoque nardo mulcet graveolentiam oris. [8] Aliqui murinorum capitum cinerem miscuisse malunt. Reperitur in latere leporis acui os simile: [9] hoc scarificari dentes in dolore suadent. Talus bubulus accensus, [c] eos qui labant cum dolore, admotus confirmat. Ejusdem cinis cum myrrha, dentifricium est. [10] Ossa quoque ex ungulis suum combusta, eumdem usum præbent: [11] item ossa ex acetabulis pernarum, circa quæ coxendices vertuntur. Iisdem sanari, demissis in fauces jumentorum, [d] [12] verminationes notum est: sed & combustis dentes confirmari. Asinino quoque lacte percussu vexatos, aut dentium ejusdem cinere: [13] lichene item equi cum oleo infuso per aurem. [14] Est autem hoc non hippomanes, quod alioqui noxium omitto, sed in equorum genibus, ac super ungulas. [15] Præterea in corde equorum invenitur os, dentibus caninis maximis simile: [16] hoc scarificari dolorem, aut 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Aliis vitiis.*] Aliis aurium doloribus.
b *Crudi.*] Non causti.
c *Eos.*] Dentes.
d *Verminationes.*] Dentium vermes.

NOTÆ.

17. *Aliis vitiis.*] Sextus Platon cap. 3. de vulpe, tit. 15. *Ad aurium dolorem: Adeps vulpis remissus, & instillatus sanat.* Dioscor. lib. 2. cap. 41. de vulpe: Καὶ τὸ στέαρ, αὐτῆς τακὲν καὶ ἐνσταχθὲν, ὠτὸς πόνον παύει. *Adeps ejus liquefactus, infususque*, &c. Sic & Galenus, lib 3. κατὰ τόπους, cap. 1. pag. 403.

18 *Item fel caprinum.*] Plinius Valer. lib 1. cap 9. Apollonius, apud Galenum, lib. 3. κατὰ τόπους, cap 1. pag. 395. ad verbum. Et Habdarrahmanus Ægyptius, cap 9. pag. 62. *Recipe de felle caprarum, admisce aliquid aquæ porrorum, instilla in aures doloribus affectas, mitigabuntur earum dolores.*

19 *Aut si sint rupta.*] Vide Notas & Emendat. num. XXXIII.

20. *Si gravitas.*] Q. Serenus, cap. 13 de aurium vitiis, pag. 132.

Felque bovis surdis etiam prodesse loquuntur
Si jungas olida grave quod minxere capellæ.

Marcellus Empir. cap. 9. pag. 79. *Adversus gravitatem audiendi*, inquit, *fel bubulum cum urina hirci, auriculæ quæ molestiam surdiginis patitur, instillabis*, &c. Lotium capræ per se laudat Sextus Platon. cap 5. tit. 18. ad aurium dolorem.

21. *In quocumque.*] Sive ad aures fractas, sive ad audiendi gravitatem, sive ad alia vitia hæc adhibeantur. Marcellus Empir. cap. 9. pag. 181. *Lotium caprinum instillatum dolorem sedat: quod magis prodesse suppuratis auribus affirmatur: ob quam causam præsentis auxilii, plures exceptum, & cornu caprino conditum, in fumo suspensum, diligenter ad necessarias medelas reservant.*

22. *Laudant*, &c] Sextus Platon. cap 2. de lepore, tit. 15. *Ad aurium dolorem: Leporis coagulum auriculæ infunditur.*

23. *Parotidas*, &c.] Plinius Valer. lib. 1. cap. 13. & Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107.

24. *Prosunt & vulpium*, &c.] Marcellus Empir. cap. 15 pag. 109. Sextus Platon. cap de vulpe, tit. 7. *Ad parotidas.* Et auctor Kiranidum, pag. 103.

25. *Urina capræ calefacta.*] Non externo igne & adventitio, sed nativo calore, si Marcello Empirico credimus, cap. 9. pag. 79. *Lotium caprinum*, inquit, *sub eo momento quo egeritur, tepidum auri obtusæ infundes.*

26. *Fimumque ejusdem.*] Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 21. *ad parotidas*, &c. *Capræ stercus cum melle commixtum mire sanat* Sic etiam Plinius Valer lib. 1. cap 13.

Sect. XLIX. 1. *Dentes mobiles.*] Marcellus Empir cap. 12. pag. 92 & cap. 15. pag. 109. Sextus Platon. lib 1. de cervo, nom. 2. *Cornu cervi combustum* (hoc est, redactum in cinerem) *dentes qui moventur, confirmat, si eo pro dentifricio quis utatur.* Sic & Diosc. lib. 2. cap. 63. & ante hos Celsus, lib. 6. cap. 9. Scribonius Largus, Compos. 60. *Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam confirmat: Augustam constat usam. Nam Messalina Dei nostri Cæsaris* (Claudii) *hoc utitur: Cornuum cervinorum in ollam novam ad cinerem redactorum sextario uno*, &c

2. *Doloresque.*] Plinius Valer lib. 1. pag. 36.

3. *Quidam*] Marcellus Empir. cap. 12. pag. 94.

4. *Dentifricia utroque modo.*] Hoc est, & ex cinere combusti cornus cervini, & ex scobe crudi. De his Q. Serenus, cap. 15 pag. 134.

Quod vero assumpsit nomen de dente fricando,
Cervino ex cornu cinis est, aut ungula porca
Torrida: vel cinis ex ovis: sed non sine vino.
Muricis aut tosti, vel bulbi extincta favilla, &c.

5. *Item leporina.*] Sextus Platon. cap. 2. de lepore, tit 15.

6. *Et capitis eorum*, &c.] Marcellus Empiricus, cap. 11. pag. 88.

7. *Adjectoque.*] Marcellus Empir. loc. cit.

8. *Aliqui murinorum.*] Huc pertinet quod ait Marcellus Empir. loc. cit *Murinus cinis, id est, pulvis exusti muris, cum melle, dentibus infrictus, halitum fœtidi oris emendat.*

9. *Hoc scarificari.*] MSS Reg. 2. aliique, *hoc scarifare.*

10 *Ossa quoque.*] Q. Serenus, loco allato, Marcellus Empir cap. 12. pag 94. & Plinius Valer. lib 1. cap. 36.

11. *Item ossa.*] Marcellus Empir cap. 13. pag 99. *Pernæ scrofinæ os*, inquit, *quod est amplissimum, combustum, tritumque, optimum & salubre dentifricium præstat. gingivas enim siccat & adstringit dentesque ab humoris injuria & tumore defendit.*

12. *Verminationes.*] Ea vox vermium proprie ortum significat, sive in dente fiat, sive in aure, sive in interaneis, seu in alia quacumque corporis parte. Hinc verminare aurem dixit Martialis, lib. 14. Epigr. 23. Nunc de morbis dentium sermo est.

13 *Lichene item.*] Dioscor. lib. 2. cap. 45. Λειχῆνες ἵππων, οἱ εἰσὶ τύλοι κατ' ἐπιγονατίδας... *Licheni equorum calli sunt*, tuberosæ verrucæ instar, *circa genua & ungulas in earum partium flexu indurati.* Veterinariis in Gallia, *Sur-os.*

14. *Est autem hoc non hippomanes.*] Non illud nimirum est, quo de egimus, lib. 8 sect 66.

15. *Præterea in corde.*] Vide quæ diximus lib xi. sect 70.

16. *Hoc scarificari.*] MSS. *scarifari.*

exempto dente emortui equi maxillis, ad numerum ejus qui doleat, demonstrant. Equarum virus a coïtu in lychnis accensum Anaxilaus prodidit, equinorum capitum visus repræsentare monstrifice: similiter ex asinis. Nam hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut affusum æris mixturæ in effigiem equæ Olympiæ, admotos mares equos ad rabiem coïtus agat. Medetur dentibus & fabrile glutinum, in aqua decoctum, illitumque, & mox paulo detractum, ita ut confestim colluantur vino, in quo decocti sunt cortices mali Punici dulcis. [17] Efficax habetur & caprino lacte collui dentes, vel felle taurino. Talorum capræ recentium cinis dentifricio placet, & omnium fere [b] villaticarum quadrupedum, ne sæpius eadem dicantur.

CAP. XII. L. Cutem in facie erugari, & tenerescere, candorem custodire lacte asinino putant. Notumque est [c] quasdam quotidie [1] septingenties custodito numero fovere. [2] Poppæa hoc Neronis Principis instituit, balinearum quoque solia sic temperans, asinarum gregibus ob hoc eam comitantibus. Impetus pituitæ in facie, butyro illito tolluntur: efficacius cum cerussa. [d] Sincero vero vitia quæ serpunt, insuper imposita farina hordeacea. Hulcera in facie membrana e partu bovis madida. Frivolum videatur, non tamen omittendum, propter desideria mulierum: [3] Talum candidi juvenci, quadraginta diebus noctibusque, donec resolvatur in liquorem decoctum, & illitum linteolo, candorem, cutisque erugationem præstare. Fimo taurino malas rubescere aïunt: [4] non crocodileam illini melius: sed foveri frigida & ante & postea jubent. [e] Æstates, & quæ decolorem faciunt cutem, fimum vituli cum oleo & gummi manu subactum emendat. [5] Hulcera oris ac rimas, sevum vituli vel bovis cum adipe anserino, & ocimi succo. Est & alia mixtura, e sevo vituli cum medulla cervi, & albæ spinæ foliis una tritis. Idem præstat & medulla cum resina, vel si vaccina sit: & jus e carne vaccina. [6] Lichenas oris præstantissime vincit glutinum factum e genitalibus vitulorum, [7] liquatum aceto cum sulphure vivo, ramo ficulneo [f] permixtum, ita ut bis die recens illinatur. [8] Item lepras ex melle & aceto decoctum, quas & jecur hirci illitum tollit: sicut elephantiasin fel caprinum: etiamnum lepras ac furfures, tauri fel addito nitro: urina asini circa Canis ortum: [10] Maculas in facie, fel utriusque per sese aqua infractum, evitatisque Solibus ac ventis post detractam cutem. Similis effectus & in taurino vitulinove felle, cum semine cunilæ, ac cinere e cornu cervino, si Canicula exoriente comburatur. Asinino sevo cicatricibus ac licheni leprisque maxime color redditur. [11] Hirci fel & lentigines tollit, admixto caseo, [12] cum vivo sulphure spongiæque cinere, ut mellis sit crassitudo. Aliqui inveterato felle uti maluere, mixtis calidis surfuribus pondere oboli unius, quatuorque mellis, prius defricatis maculis. [g] Efficax ejusdem & sevum cum melanthio, sulphure & iride. Labrorum fissuris cum adipe anserino, ac medulla cervina resinaque & calce. Invenio apud auctores, [h] his qui lentigines habent, negari Magices sacrificiorum usus.

LI. [1] Lacte bubulo aut caprino tonsillæ, & arteriæ exhulceratæ juvantur. Gargarizatur tepidum, ut est expressum, aut calefactum. [2] Caprinum utilius, cum malva decoctum &

Interpretatio.

a *Ut affusum.*] Ut simul cum ære fuso mixtum, in effigiem equæ Olympiæ, &c.

b *Villaticarum.*] Quæ ruri nutriuntur.

c *Quasdam.*] Nonnullas feminas septingenties fovere cutem quotidie servato numero.

d *Sincero.*] *Cui nihil aut salis aut cerussæ admixtum*, eo emendentur vitia quæ serpunt, &c.

e *Æstates.*] Maculas ab æstivo Sole.

f *Permixtum.*] Agitatum.

g *Efficax ejusdem*] Hirci.

h *His qui.*] Eos qui lentigines habeant, non esse idoneos ad sacra Magica peragenda.

Notæ.

17. *Efficax habetur.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 42. Sextus Platon. cap. 5 de capro & capra, tit. 32. Q. Serenus, cap. 15. pag. 134.

Vel lacte capellæ
Sanescunt dentes, vel tauri felle juvantur.

Sect. L. 1. *Septingenties*] Vide Notas & Emendat num. XXXIV.

2. *Poppæa*] Egimus jam de eo illius more, lib. XI. sect. 69.

3. *Talum candidi*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 6. *Ad faciem egregie emundandam recipe talum tauri, contunde, & accipe ex illo XX partes, & unam ex piscium glutine, itemque aliam ex draghanto. Maceretur gluten tepida aqua, & madefiet draghantum, donec dissolvetur: tum contundantur omnia simul, donec fiant instar mellis. Tunc bene lavetur facies & mundetur, abstergaturque diligentissime: deinde illiniatur ea mixtura, & sic per mediam horam relinquatur, postea abluatur aqua frigida, & optime abstergatur.*

4. *Non crocodileam.*] Nec crocodileæ, inquit, fimum taurinum ulla re cedit. Ut crocodilea molestias in facie enascentes tollat, nitoremque reddat, dictum est superius, sect. 28.

5. *Hulcera oris*] Marcellus Empir. cap. XI. pag. 88. Plinius Valer. lib 1. cap 29. & 30.

6. *Lichenas oris*] Marcellus Empir ad verbum, cap 19. pag. 129. & Plinius Valer. lib. 2. cap 56.

7. *Liquatum aceto.*] Aceto remissum, inquit Marcellus Empir. loc. cit. vel liquefactum, ut idem ait, cap 18 pag 239.

8 *Item lepras.*] Marcellus Empir. & Plinius Valer. loc. cit.

9. *Etiamnum lepras.*] Diosc. lib 2. cap. 96. Πρὸς δὲ λέπρας καὶ πίτυρα σὺν νίτρῳ ἢ γῇ Κιμωλίᾳ χριομένη ἁρμόζει.

10. *Maculas. . . . fel utriusque*] Tauri & asini.

11. *Hirci fel.*] Et capreæ quoque, teste Sexto Platon. cap 4 de caprea, tit. 10. *Ad lentigines.* Et tauri, eodem iterum ita prodente, X. XI. de tauro, tit. 6. *Ad lentigines in facie.*

12 *Cum vivo sulphure.*] Simili temperamento ad tollendas e facie lentigines felle capreæ Sextus Platonicus utitur, cap. 4. tit. 10 *Ad lentigines in facie: Fel capreæ cum melle & atro commixto, & spongia combusta, & sulphure vivo ad mellis crassitudinem redactum, & in faciem illitum, emendat.*

Sect. LI 1. *Lacte bubulo.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 106. *Lac caprinum, vel bubulum, vel ovillum recens mulsum, dum calet, vel etiam calefactum gargarizatum, tonsillarum dolores & tumores cito sedat.* Et cap. 14 pag. 103. *Lac bubulum recens mulsum, & lento igne calefactum, gargarizatumque, arteriam constrictam infuso catarrho, & fauces exasperatas, pristinæ sanitati restituta persanat.*

2. *Caprinum utilius.*] Vide Notas & Emend. num. XXXV.

ſale exiguo. Linguæ exhulcerationi & atteriarum [3] prodeſt jus omaſi gargatizatu: [4] tonſillis autem privarim renes vulpium aridi, cum melle triti illitique: [5] anginæ fel taurinum vel caprinum cum melle. Jecur melis ex aqua oris gravitatem, hulceraque butyrum emendat. Spinam aliudve quid faucibus adhærens extrinſecus fimo perfricatis, [a] aut reddi aut delabi tradunt. [6] Strumas diſcutit fel aprinum, vel bubulum tepidum illitum. Nam coagulum leporis e vino in linteolo exhulceratis dumtaxat imponitur. [7] Diſcutit & ungulæ aſini vel equi cinis, ex oleo, vel aqua illitus, & urina calefacta: & bovis ungulæ cinis ex aqua: fimum quoque fervens ex aceto. [8] Item ſevum caprinum cum calce, aut fimum ex aceto decoctum, teſteſque vulpini. [9] Prodeſt & ſapo: [10] Galliarum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex ſebo, & cinere. [b] Optimus fagino & caprino: duobus modis, ſpiſſus ac liquidus: uterque [11] apud Germanos majore in uſu viris quam feminis.

LII. [1] Cervicum dolores butyro aut adipe urſino perfricantur: [2] rigores bubulo ſevo: quod & ſtrumis prodeſt cum oleo. [3] Dolorem inflexibilem (opiſthotonon vocant) levat urina capræ auribus infuſa, aut fimum cum bulbis illitum; ungues contuſos fel cujuſcumque animalis circumligatum: pterygia digitorum fel tauri aridum aqua calida diſſolutum. Quidam adjiciunt ſulphur & alumen, pari pondere omnium.

LIII. [1] Tuſſim jecur lupi ex vino tepido ſanat: [2] urſinumque fel admixto melle, aut ex cornus bubuli ſummis partibus cinis: [3] vel ſaliva equi triduo pota: at equum mori tradunt: [4] pulmo cervinus cum gula ſua areſactus in fumo, dein tuſus ex melle, quotidiano ecligmate. Efficacior eſt ad id ſubulo cervorum generis. [5] Sanguinem exſpuentes, cervini cornus cinis, [6] coagulum leporis tertia parte denarii cum terra Samia & vino myrteo potum ſanat. Ejuſdem fimi cinis in vino veſperi potus, nocturnas tuſſes: pili quoque leporis ſuffiti, extrahunt pulmonibus difficiles exſcreationes. [7] Purulentas autem exhulcerationes pectoris pulmoniſque, & a pulmone graveolentiam halitus, butyrum efficaciſſime juvat, cum pari modo mellis Attici decoctum, donec ruſeſcat, & matutinis ſumptum [8] ad menſuram lingulæ. Quidam pro melle, laricis reſinam addere maluere. [9] Si ſanguis rejiciatur, efficacem tradunt bubulum ſanguinem, modice & cum aceto ſumptum: nam de taurino credere, temerarium eſt. [10] Sed glutinum taurinum tribus obolis cum calida aqua bibitur in vetere ſanguinis exſcreatione.

INTERPRETATIO.

a *Aut reddi.*] Aut reddi vomitu, aut delabi in alvum.

b *Optimus.*] Optimus e fagino cinere, & caprino ſevo.

NOTÆ.

3. *Prodeſt jus omaſi.*] In MSS. Reg. 2. aliiſque, *prodeſt jus magis.*

4. *Tonſillis autem.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXVI.

5. *Anginæ fel*, &c.] Marcellus Empir. cap. 15. pag 106.

6. *Strumas diſcutit.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXVII.

7. *Diſcutit &c.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag 108. & Galenus, lib xi de fac. ſimp. med. pag 305 cum Dioſc. lib. 3. cap 44.

8. *Item ſevum*, &c.] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 109.

9. *Prodeſt & ſapo.*] Noſtris, *du Savon.*] Nunc paulo aliter temperatur, adjiciturque mixturæ oleum.

10 *Galliarum.* Unde Gallicus ſapo nuncupatur a Theod. Priſciano, lib. 1. cap. 3. *de crementis capillorum . . . . Attamen Gallico ſapone caput lavabis.* Qui mos deinde tranſlatus in Latium: unde Martialis, lib. 8. Epigr. 33.

Et mutat Latias ſpuma Batava comas.

Quod Romanæ mulieres crinium flavedinem eo ſapore mentiantur Valerius Max. lib. 2 cap. 1. num. 5 de Romanis feminis: *Ceterum ut non & horrida pudicitia, ſed honeſto comitatis genere temperata eſſet, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura uſa ſunt: & quo formam ſuam concinniorem efficerent, ſumma cum diligentia capillos cinere rutilarunt.*

11. *Apud Germanos.*] Auctor libri de ſimp med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 100. *Sapo conficitur ex ſevo buculo, vel caprino, aut vervecino, & lixivio cum calce. Optimum judicamus Germanicum: eſt enim mundiſſimum, & veluti pinguiſſimum: deinde Gallicum.* Hinc ſaponis globuli a Martiale, lib. 14. Epigr. 27. Mattiacæ pilæ vocantur, a Mattiaco Germaniæ oppido:

Si mutare paras longævos cana capillos:
Accipe Mattiacas, quo tibi calva? pilas.

Et Epigrammate 26. cujus lemma, *Sapo*:

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos, &c.

Denique Q. Serenus, cap. de capillo tingendo ſic præcipit:

Ad rutilam ſpeciem nigros flaveſcere crines
Unguento cineris, prædixit Tullius auctor.

Hinc pro Germanis, Tertullianus, libro 2. ad Uxorem, cap. VIII. *cinerarios* dixit *peregrinæ proceritatis.*

Sect. LII 1. *Cervicum dolores*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 54. & Marcellus Empir. cap 18 pag. 117.

2. *Rigores*, &c.] Marcellus Empir. loc. cit.

3. *Dolorem.*] Totidem verbis, Marcellus Empir loc. cit. *Cervicis dolor inflexibilis, quem opiſthotonon Græci vocant, levatur urina capræ auribus infuſa, aut bulbo trito cum fimo ejuſdem capræ cervici illito.* Plinius Valer. lib 1. cap. 54. Q. Serenus, cap. 17.

At ſi cervices, durataque colla rigebunt,
Anſeris aut pingui torpentia colla fovebis.
Illinitur valde multum lenis colla in aceto:
Aut capræ fimus & bulbi, aut cervina medulla.

Egimus de eo morbi genere, lib 23. ſect. 24

Sect. LIII 1. *Tuſſim jecur.*] Marcellus Empir. cap 16. pag 117. & Plinius Valer. lib. 1. cap 58.

2. *Urſinumque.*] Plinius Valer loc cit.

3. *Vel ſaliva equi.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXVIII.

4. *Pulmo cervinus*] Iiſdem verbis Marcellus Empir. cap. 16. pag. 119 & Plinius Valer lib. 1. cap. 8. Et ad ſuſpirium pulmonem cervinum in olla fictili redactum ad cinerem, datumque cum aquæ calidæ cyathis tribus, commendat Scribonius Largus, Compoſ. 76.

5. *Sanguinem &c.*] Marcellus Empir. cap 16 pag. 120. Plinius Valer. lib. 1. cap. 64 & Dioſc. lib. 2 cap 63.

6. *Coagulum leporis.*] Marcellus Empir. cap 16. pag. 120. *Coagulum cervinum, ſive leporinum, ſive hædinum, in potione ſolutum, bibitur utiliter ab empyicis vel hæmoptoicis.* Et pag. 17. pag. 124. *Benefacit ad arteriæ eruptionem . . . . creta Samia denarius unus, ſumptus ex aqua frigida rigore detracto, cyathis tribus*, &c.

7. *Purulentas autem &c.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 16. pag. 119.

8. *Ad menſuram linguæ.*] Vel ligulæ, ut alibi diximus. Singula cochlearia dari matutinis jubet Marcellus loc cit. Idem paulo antea, *plenam ligulam.*

9. *Si ſanguis.*] Ad verbum hæc Marcellus Empir. cap. 16. pag. 120. & Plinius Valer. lib 1 cap. 64.

10. *Sed glutinum.*] Marcellus Empir. ad verbum, loc. cit.

L I V. Stomachum exhulceratum lactis asinini potus reficit: [1] item bubuli. [2] Rosiones ejus caro bubula admixto aceto & vino cocta. [a] Rheumatismos cornus cervini cinis. [3] Sanguinis exscreationes hœdinus sanguis recens, ad cyathos ternos cum aceto acri pari modo fervens potus, [4] coagulum tertia parte ex aceto potum.

L V. [1] Jocineris dolores, lupi jecur aridum ex mulso: [2] asini jecur aridum cum petroselini partibus duabus, ac nucibus tribus, ex melle tritum & in cibo sumptum: [3] sanguis hircinus cibo aptatus. Suspitiosis ante omnia efficax est potus equiferorum sanguinis. Proxime lactis asinini tepidi cum bulbis decocti, ita ut serum ex eo bibatur: addito in tres heminas cyatho nasturtii perfusi aqua, deinde melle diluti. [4] Jecur quoque vulpinum, aut pulmo, in vino nigro [5] aut fel ursinum in aqua, laxat meatus spirandi.

L V I. [1] Lumborum dolores, & quæcumque alia molliri opus sit, ursino adipe fricari convenit: [2] cinerem aprini aut suilli simi inveterati aspergi potioni vini. Afferunt & Magi sua commenta. Primum omnium, rabiem hircorum, [3] si mulceatur barba, mitigari; eadem præcisa, non abire eos in alienum gregem. [4] Huic admiscent fimum caprinum, & subdito linteolo uncto, cava manu, quantum pati possit, fervens sustinere jubent: ita ut si [b] læva pars doleat, hæc medicina in dextra manu fiat, aut e contrario. Fimum quoque ad eum usum acus æreæ [c] punctis tolli jubent. Modus curationis est, donec [d] vapor ad lumbos pervenisse sentiatur. Postea vero manum porro tuso illinunt, item lumbos ipso fimo cum melle: [5] suadentque in eodem dolore & testes leporis devorare, [6] Ischiadicis fimum bubulum imponunt, calfactum in foliis cinere ferventi. [7] In renumque dolore leporis renes crudos devorari jubent, aut certe coctos, ita ne dente contingantur. [8] Ventris quidem dolore tentari negant talum leporis habentes.

L V I I. [1] Lienem sedat fel apri vel suis potum, vel cervini cornus cinis in aceto. [2] Efficacissime tamen inveteratus lien asini, ita ut in triduo sentiatur utilitas. [3] Asinini pulli fimum, quod primum edidit, (poleam vocant Syri) dant in aceto mulso: [4] datur & equi lingua inveterata, ex vino, præsentaneo medicamento, didicisse se ex barbaris Cæcilius Bion tradidit: [5] & lien bubulus simili modo: recens autem assus vel elixus in cibo. [6] In vesica quoque bovis, allii capita xx. tusa, cum aceti sextario, imponuntur ad lienis

INTERPRETATIO.

a *Rheumatismos.*] Fluxiones.
b *Læva.*] Lumbus sinister.
c *Punctis.*] Extremo acumine.
d *Vapor.*] Calor.

NOTÆ.

Sect. L I V. *Item bubuli.*] Marcellus Empir. cap. 20 pag. 148. *Lac bubulum tepidum incoctum, subinde sumptum, exhulceratum quoque stomachum sanabit.* De lacte autem asinino refert scriptor libri Gallici, *Mélanges d'Histoire & de Litterature*, tomo 2. pag. 130 audivisse se a Patino medico, cum diceret, plurimos se novisse, qui cum constanter annis singulis per hebdomadas sex septemve asinino lacte usi fuissent, ad annum octogesimum vitam produxissent.

2 *Rosiones ejus.*] Marcellus Empir. cap 20. pag. 143. *Rancorem stomachi*, inquit, *temperat caro vaccina, ex vino & aceti æqua portione discocta, & cibo sumpta*

3. *Sanguinis &c*] Marcellus Empir cap. 16. pag. 120.

4. *Coagulum*] Marcellus Empir. loc. cit.

Sect. L V. 1. *Jocineris dolores.*] Q. Serenus, cap. 23. de jecoris vitiis, pag. 139.

Necnon & jecoris quæritur fibra lupini,
Jungunturque simul costum, folium que, piperque:
Quæ diluta mero dantur potanda Lyæo.

Scribonius Largus, Compos Med. cap 30. num 123. *Ad tumorem & dolorem jocineris, item ad duritiem facit bene lupi jecur primum in aqua ferventi dimissum, atque ita arefactum.*

2. *Asini jecur &c.*] Totidem syllabis Marcellus Empir. cap. 22. pag 160.

3 *Sanguis hircinus.*] Marcellus Empir. cap. 21. pag 156. *Hircinus sanguis adhuc calens supra prunas excoctus, & cibatus datus jejuno, jocinerosis mederi traditur.*

4 *Jecur quoque.*] Ita Celsus, lib. 4. cap. 4. *de difficultate spirandi. Est etiam non vana opinio, vulpinum jecur, ubi siccum & aridum factum est, conteri oportere, polentamque ex eo potioni aspergi: vel ejusdem pulmonem quam recentissimum assum, sed sine ferro coctum, edendum esse.* Marcellus Empir cap. 17. pag 122. *Prodest multis*, inquit, *ad suspirium, vel dyspnœam deprimendam, pulmo vulpis, vel jecur in olla fictili exustum, atque ad cinerem redactum, & datum ad diem jejuno, mensura cochleariorum trium, cum aqua calida cyathis tribus, si febricitabit: si sanus erit, ex vino vetere.* Pulmone vulpino juvari asthmaticos scribit etiam Diosc. lib. 2 cap. 41. & Sextus Platon. cap 3. de vulpe, tit. 5.

5. *Aut fel ursinum.*] Sextus Platon. cap 13. de urso, tit. 3. Marcellus Empir cap 17 pag. 124. *Ad suspiriosos sanandos fel ursinum aqua dilutum bibendum optime datur*, &c.

Sect. L V I. 1. *Lumborum*] Sextus Platon. cap. 7. de apro, tit. 13. *Ad coxendicem.* Marcellus Empir cap 25 pag. 172. *Adipe ursina dolentes coxas perfrica, continuo sanabis.*

2. *Cinerem aprini &c.*] Marcellus Empir. cap. 25. pag. 174.

3. *Si mulceatur barba*] Si infricetur barba tali medicamento, hoc est, cinere aprini vel suilli simi cum vino.

4. *Huic admiscent.*] Nempe fimo aprino suillove.

5. *Suadentque.*] Marcellus Empir cap. 25 pag. 172. *Qui testiculum leporinum coctum jejunus comederit, cito coxarum dolore relevabitur.*

6. *Ischiadicis.*] Vide Notas & Emend. num. XXXIX.

7. *In renumque.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap. 26. pag. 176.

8. *Ventris quidem.*] Sextus Platon. cap 2. de lepore, tit. 18. *Ad ventris dolorem.* Hoc vero ceu muliercularum commentum irridet Plinius Valer. lib. 2. cap 20 Refert quoque Marcellus Empir. cap 27 pag. 194. & cap. 28 pag. 200.

Sect. L V I I. 1. *Lienem sedat.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 2 cap 18.

2. *Efficacissime.*] Marcellus Empir. cap. 23. pag. 166. totidem verbis.

3. *Asinini pulli*] Etiam & muli, teste Marcello Empirico, cap. 23. pag. 164. *Stercus mulinum*, inquit, *cum oxymelle lienosis potui datum, dolores efficaciter tollit.* Ut infantium primum stercus a partu meconium appellari superius vidimus, sect. 13. sic asinini pulli a Syris poleam dici significat. Quam vocem de secundis, sive membranis quibus fetus involvitur perperam Salmasius intellexit, in Solin. pag 939. a Reinesio eo nomine reprehensus.

4 *Datur & equi.*] Plinius Valer lib 2. cap. 18. Marcellus Empir. cap. 23. pag. 164. *Equi lingua arefacta*, inquit, *& ad levitatem trita, atque ex vino potui data, præsentem utilitatem suam sedato lienis dolore manifestat.*

5. *Et lien bubulus.*] Celsus, lib. 4. cap 9. de lienis morbo: *Lien quoque bubulus utiliter esui datur.*

6. *In vesica quoque bovis, allii capita.*] Plinius Valer lib. 2. cap. 18. vesicam bubulam prætermisit: cetera ad verbum reddidit. Hanc Marcellus Empir adhibet, cap. 23. pag. 163. sed idem sinapi pro allio, & æris florem adscribit. Allia tamen & in hunc usum laudat idem, pag. 165. & 168.

dolores. [7] Eadem ex causa emi lienem vituli, quanti [a] indicatus sit, jubent Magi, [b] nulla pretii contatione, quoniam hoc quoque religiose pertineat: divisumque per longitudinem annecti tunicæ utrimque, & induentem pati decidere ad pedes: dein collectum [8] in umbra arefacere. Cum hoc fiat, simul residere lienem ægri vitiatum, liberarique morbo dicitur. [9] Prodest & pulmo vulpium cinere siccatus, atque in aqua potus. [10] Item hœdorum lien impositus.

Cap. XIV.

LVIII. [1] Alvum sistit cervi sanguis: [2] item cornus cinis: [3] jecur aprinum ex vino potum citra salem, recensque: [4] item assum suillum, [5] vel hircinum decoctum ad quintam heminam in vino. [6] Coagulum leporis in vino ciceris magnitudine: aut si febris sit, ex aqua. [7] Aliqui & gallam adjiciunt, alii per se leporis sanguine contenti sunt lacte cocto. [8] Equini fimi cinis in aqua potus. Taurini cornus veteris ex parte ima cinis, inspersus potioni aquæ. [9] Sanguis hircinus in carbone decoctus: corium caprinum cum suo pilo decoctum, succo epoto.

Coagulum equi, & sanguis caprinus, vel medulla, vel jecur, alvum solvit: [10] Fel lupi cum elaterio umbilico illigatum. [11] Vel lactis equini potus: [12] item caprini cum sale & melle. [13] Capræ fel cum cyclamini succo & aluminis momento. Aliqui & nitrum & aquam adjecisse malunt. [14] Fel tauri cum absinthio tritum ac subditum pastillo. [15] Butyrum largius sumptum.

Cœliacis & dysentericis medetur jecur vaccinum. [16] Cornus cervini cinis tribus digitis captus in potione aquæ. [17] Coagulum leporis subactum in pane: si vero sanguinem detrahunt, in polenta. Aprini vel suilli vel leporini fimi cinis, inspersus potioni tepidi vini. Vituli quoque jus vulgariter datum, inter auxilia cœliacorum & dysentericorum tradunt. Lactis asinini potus utilior, addito melle. Nec minus efficax fimi cinis ex vino utrique vitio. [18] Item polea supra dicta. [19] Equi coagulum, quod aliqui hippacen appellant, etiam si sanguinem detrahant, vel fimi cinis, dentiumque ejusdem tusorum farina, salutaris dicitur: & bubuli lactis decocti potus. Dysentericis addi mellis exiguum præcipiunt: & si tormina sint, cornus cervini cinerem: aut fel taurinum cumino mixtum, & cucurbitæ carnes umbilico imponere. [20] Caseus recens vaccinus immittitur ad utrumque vitium. [21] Item butyrum heminis quatuor, cum resinæ terebinthinæ sextante, aut cum malva decocta, aut rosaceo. [22] Datur & sevum vitulinum, aut bubulum. [23] Item medullæ excoquuntur cum farina ceræque exiguo, & oleo, ut sorberi possint. Medulla & in pane subigitur. [24] Lac caprinum ad dimidias partes decoctum. Si sint & tormina, additur protropum. [25] Torminibus satis esse remedii in leporis coagulo poto e vino tepido, vel so-

Interpretatio.

a *Indicatus.*] Æstimatus.

b *Nulla.*] Sine ulla cunctatione, aut percontatione pretii.

Notæ.

7. *Eadem ex causa.*] Hæc totidem fere verbis Marcellus Empir. cap. 23. pag. 165.

8. *In umbra.*] In fumo suspendi, ibique arefieri Marcellus jubet.

9. *Prodest & pulmo.*] Sextus Platon. cap. 3. de vulpe, tit. 4. *Ad splenis dolorem: Pulmo vulpis in cinere assatus & tritus, in potione datus, splenem sanat.* Marcellus Empir. cap. 23. pag. 167. hanc vulpino jocineri vim adscribit.

10. *Item hœdorum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XL.

Sect. LVIII. 1. *Alvum sistit.*] Diosc. lib. 2 cap 97.

2. *Item cornus.*] Galenus lib 9. τῶν ἁπλῶν. pag. 616.

3. *Jecur aprinum*] Sextus Platon. cap 7. de apro, tit 5. *Ad ventris fluxum: Jecur apri recens ex vino potatum, mire restringit.*

4 *Item assum suillum.*] Marcellus Empir. cap. 27 pag 194.

5. *Vel hircinum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XLI.

6. *Coagulum leporis &c.*] Sextus Platon cap. 2. de lepore tit. 17. *Ad infantium ventris fluxum* &c Marcellus Empir cap. 27 pag 192 Plinius Valer. lib. 2. cap. 26. & Dioscor. lib. 2 cap. 85.

7. *Aliqui & gallam.*] Sextus Platon. loc. cit.

8. *Equini fimi.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 191. & 192.

9. *Sanguis hircinus.*] Marcellus Empir cap. 27. pag. 194.

10. *Fel lupi.*] Vide Notas & Emend. num. XLII.

11. *Vel lactis equini.*] Q. Serenus, cap. 29. de ventre molliendo, pag 104

Crede tamen potum meliorem lactis equini,
Dicitur hic validos asinæ pervincere succos.

Marcellus Empir. cap. 30. pag. 218. *Serum de lacte equino, ventrem mollitre purgat.*

12. *Item caprini.*] Marcellus Empir. cap 27. pag 189. caprino lacte per se vel ovillo utitur tepido, aut decocto etiam cum butyro.

13. *Capræ fel.*] Sextus Platon. cap. 4. de caprea, tit. 13. *Ad ventrem solvendum: Fel capreæ suppositum ano cum succo cyclaminis herbæ, & alumine aliquantulum, aut anetho combustum inducto.* E capra & caprea easdem fere peti medicinas alibi monuimus.

14. *Fel tauri . . . . pastillo.*] Id est, in modum pastilli globulive involutum linteolo, anoque inditum.

15. *Butyrum.*] Vide Notas & Emend. num XLIII.

16. *Cornus cervini.*] Binûm cochlearium mensura potus, inquit Dioscor lib. 2. cap. 63. Marcellus Empir. cap. 27. pag. 194. *Cervini cornus, inquit, de ipsis radicibus, quæ capiti hærent, scobes lima tenuissima factas, & ad drachmæ mensuram cum vini austeri cyatho datus, sistet nimios ventris fluores, si vel triduo jugiter bibatur*

17. *Coagulum leporis . . . cum polenta.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag 194.

18. *Item polea supra dicta*] Sup. sect.

19. *Equi coagulum.*] Totidem fere verbis Diosc. lib. 2. cap. 85. Ἡ δὲ ἵππου πυτία, [illegible] &c.

20. *Caseus recens.*] Iisdem verbis Plinius Valer lib. 2. cap. 33. Immitti hoc loco infundi clystere est, ut quidem videtur. Mandi jubet Marcellus Empir. cap 27. pag 195.

21 *Item butyrum.*] Alvum eo sisti, ex Diosc. diximus superius sect. 35

22. *Datur & sevum.*] Marcellus Empir cap 27. pag. 193.

23. *Item medullæ.*] Marcellus Empiricus. cap. 27 pag. 195. *Medulla vaccina cum farina tenue subacta, & vinis excoctus panis cibatus data, mire dysentericos sanat.*

24. *Lac caprinum.*] Marcellus Empir. cap. 27 pag 192. *Lac caprinum fervens, adjecta polenta quantum satis sit, cum fuerit quasi tenuis pulticula, dabis dysenterico bibendum.* At Plinius Valer. lib. 2. cap 33. vel sic infundi clystere jubet.

25. *Torminibus.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 2. cap. 22.

mel, arbitrantur aliqui. [26] Cautiores & sanguine caprino cum farina hordeacea & resina ventrem illinunt. [27] Ad omnes epiphoras ventris illini caseum mollem suadent: veterem autem [28] in farina tritum, cœliacis & dysentericis dari, cyatho casei in cyathis vini tribus. Sanguis caprinus decoctus cum medulla dysentericis. [29] Jecur assum capræ cœliacis subvenit, magisque etiam hirci, in vino austero decoctum potumque, vel ex oleo myrteo umbilico impositum. Quidam decoquunt a tribus sextariis aquæ ad heminam, addita ruta. [30] Utuntur & liene asso capræ hircive, & sevo hirci in pane qui cinere coctus sit: [31] capræ, a renibus maxime, ut per se hauriatur protinus: inque modice frigida sorberi jubent. Aliqui & in aqua decoctum sevum admixta polenta, & cumino, [32] & anetho, acetoque. Illinunt & ventrem cœliacis, fimo cum melle decocto. [33] Utuntur ad utrumque vitium & coagulo hœdi in vino myrtite, magnitudine fabæ poto: & sanguine ejusdem in cibum formato, [34] quem sanguiculum vocant. [35] Infundunt dysentericis & glutinum taurinum aqua calida resolutum. [36] Inflationes discutit vitulinum fimum in vino decoctum. [37] Intestinorum vitiis magnopere prodest coagulum cervorum, decoctum cum lente betaque, atque in cibo sumptum. [38] Leporis pilorum cinis cum melle decoctus. Lactis caprini potus, decocti [39] cum malva, exiguo sale addito. [40] Si & coagulum addatur, majoribus emolumentis fiat. [41] Eadem vis est & in sevo caprino in sorbitione aliqua, uti protinus hauriatur frigida aqua. Item feminum hœdi cinis rupta intestina sarcire mire traditur. [42] Fimum leporis cum melle decoctum, & quotidie fabæ magnitudine sumptum, [43] ita ut deploratos sanaverint. [44] Laudant & caprini capitis cum suis pilis decocti succum.

LIX. [1] Tenesmos, id est, crebra & inanis voluntas [a] desurgendi, tollitur poto lacte asinino: [2] item bubulo. [3] Tæniarum genera pellit cervini cornus cinis potus. [4] Quæ in excrementis lupi diximus inveniri ossa, si terram non attigerint, colo medentur, adalligata brachio. [5] Polea quoque supra dicta, magnopere prodest in sapa decocta. Item suilli fimi farina addito cumino in aqua rutæ decoctæ. [6] Cornus cervini teneri cinis, cochleis Africanis cum testa sua tusis mixtus, in vini potione.

CAP. XV. LX. [1] Vesicæ calculorumque cruciatibus auxiliatur urina apri, & ipsa vesica pro cibo sumpta: [2] Efficacius, si prius fumo maceretur utrumque. [3] Vesicam elixam mandi oportet: & a muliere, feminæ suis. Inveniuntur & in jocineribus eorum lapilli, aut duritie lapillis similes, candidi sicuti in vulgari sue: quibus contritis atque potis in vino, pelli

INTERPRETATIO.

a *Desurgendi.*] Secedendi *ad exonerandam alvum.*

NOTÆ.

26. *Cautiores.*] Hæc totidem verbis Marcellus Empir. cap. 27. pag. 194. Item Sextus Platon cap 5. de capro & capra, tit. 15. *Ad torminosos.*

27. *Ad omnes epiphoras.*] Plinius Valer. lib. 2. cap 23. Marcellus Empir. cap 27. pag 194 *Ad omnes epiphoras ventris caseum vaccinum mollem calidum imponi oportet: quo tempore dysentericis potiones ferro candenti calefactas dare convenit.*

28. *In farina tritum.*] Sic libri omnes Plinius Valer. loc. cit. *in modum farinæ*, ut plane *in farinam* legisse videatur.

29. *Jecur assum &c.*] Marcellus Empir. cap 27. pag. 192.

30. *Utuntur & liene.*] Sextus Platon. cap 4. de caprea, tit. 17 *Ad torminosos: splen capreæ potatum mire sanat.* Eadem & in capræ liene vis, ut alibi diximus, quanquam imbecillior.

31. *Capræ, a renibus.*] Capræ sevo, inquit, quod maxime a renibus prodest. Marcellus Empir. cap. 27. pag 195 *Adipem caprinum de renibus sublatum, misce cum polenta furfuribus, atque adjice illuc cuminum, & anethum, & acetum, æquis portionibus: atque ex aqua decoque, & colatum, sorbitionis more, dysenterico dato sumendum,* &c.

32. *Et anetho.*] Sic Reg. 1 & Marcellus Empir. In Reg. 2. & Chiffl. *aneso*. hoc est, *aniso*.

33. *Utuntur &c.*] Marcellus Empir. ad verbum, cap 27. pag. 193.

34 *Quem sanguiculum.*] Sic etiam Reg. 1. In Reg & Chiffl. *sanguinculum.* In Gallia *Boudin* vulgus appellat.

35. *Infundunt.*] Ad verbum Plinius Valer. lib 2. cap 33.

36 *Inflationes.*] Plinius Valer. loc cit. *Imponitur item inflationi fimus vitulinus in vino decoctus.*

37. *Intestinorum.*] His cervi medullam opitulari ait Sextus Platon. cap 1. de cervo, tit. 19

38. *Leporis pilorum.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 32. Marcellus Empir. cap. 27 pag 196. *Pilos leporinos adjecto melle comprehendes, atque inde globulos parvos facies: hi singuli sæpius deglutiti, intestina quamvis perniciose rupta, certa conjunctione connectunt.*

39. *Cum malva.*] Plinius Valer. loc. cit. *cum melle & sale:* forte mendose.

40. *Si & coagulum*] Q. Serenus, cap. 32. pag 146.

Cum solus interdum morbi genus intima carpit,
Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt:
Aut pavidi leporis madefacta coagula pota.

41. *Eadem vis.*] Hoc medicamentum refert ad hydropicos Sextus Platon. cap 5. de capro & capra, tit 17.

42 *Fimum leporis.*] Plinius Valer lib. 2. cap. 32

43. *Ita ut deploratos.*] Quamvis perniciose ruptis intestinis, inquit Marcellus Empir cap 28 pag. 202.

44 *Laudant & caprini*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196.

Sect. LIX. 1. *Tenesmos . . . voluntas desurgendi.*] Vel, ut alii scribunt, *Tenasmos* Græcis Τεινεσμὸς & τενεσμὸς, hoc est, ut Celsus ait, lib 4. cap 18 morbus in quo frequens desidendi cupiditas est. Vide Notas & Emendationes, num. XLIV.

2 *Item bubulo.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 24. & Marcellus Empir. cap 29 pag 203.

3 *Tæniarum genera.*] Ita MSS non *tinearum.* Sunt autem tæniæ, tineæve, ventris lumbrici, quorum alii lati, qui peiores sunt, alii teretes ac rotundi. Vide Celsum, lib. 4. cap. 17 Sextus Platon cap. 1. de cervo, num. 8. *Cervinum cornu combustum datum in vino, vel aqua calida, lumbricos necat & ejicit.* Sic & Plinius Valer. lib 2. cap. 21. Scribonius Largus, Compos. 122 Marcellus Empir. cap. 28. pag. 200. Q Serenus, cap. 31. de lumbricis & tineis purgandis, pag. 245.

Ergo cinis cornu cervini proderit haustus.

4 *Quæ . . . diximus.*] Nempe sect 49. Hæc totidem verbis Marcellus Empir. cap. 29. pag. 202.

5. *Polea . . . supra dicta.*] Sect. 58.

6 *Cornus cervini*] Plinius Valer lib. 2. cap. 18 *Cornus cervini teneri cinis cum cochleis Africanis, cum testis suis tusis mixtus, datus in potione vini, facit optime ad colum.* Tenerum cornu vocat, quod ut ait Marcellus, cap. 27 pag. 194. de ipsis radicibus sumitur quæ capiti hærent.

Sect. LX. 1. *Vesica &c.*] Marcellus Empir. iisdem verbis cap. 26 pag. 180.

2. *Efficacius.*] Vide Notas & Emend. num. XLV.

3. *Vesicam.*] Apri scilicet maris a viro, feminæ a mu-

calculos aiunt. [4] Ipsi apro tam gravis sua urina est, ut nisi egesta, fugæ non sufficiat; ac velut devinctus opprimatur. Exuri illa tradunt eos. [5] Leporis renes inveterati, in vino poti, calculos pellunt. [6] In perna suum articulos esse diximus, quorum decoctum jus facit urinæ utile. [7] Asini renes inveterati, tritique, & in vino mero dati, vesicæ medentur. Calculos expellunt lichenes equini ex vino aut mulso poti diebus XL. [8] Prodest & ungulæ equinæ cinis, in vino, aut aqua. [9] Item fimum caprarum in mulso, efficacius silvestrium. [10] Pili quoque caprini cinis. [11] Verendorum carbunculis, cerebrum apri vel suis, sanguisque. [12] Vitia vero, quæ in eadem parte serpunt, jecur eorum combustum, maxime juniperi ligno, cum charta & arrhenico sanat: fimi cinis: [13] fel bubulum cum alumine Ægyptio ac myrrha ad crassitudinem mellis subactum: insuper beta ex vino cocta imposita: [14] caro quoque. Manantia vero hulcera, sevum cum medulla vituli in vino decoctum: [15] fel caprinum cum melle rubique succo: vel si serpant, fimum etiam prodesse cum melle dicunt, aut cum aceto, & per se butyrum. [16] Testium tumor sevo vituli, addito nitro cohibetur: vel fimo ejusdem ex aceto decocto. [17] Urinæ incontinentiam cohibet vesica aprina, si assa mandatur. [18] Ungularum apri vel suis cinis potioni inspersus. Vesica feminæ suis combusta ac pota: [19] Item hœdi, vel pulmo: [20] Cerebrum leporis in vino: [21] Ejusdem testiculi tosti, vel coagulum cum anserino adipe in polenta: renes asinini in mero triti potique. [22] Magi verrini genitalis cinere poto ex vino dulci demonstrant urinam facere in canis cubili, ac verba adjicere, ne ipse urinam faciat, ut canis, in suo cubili. Rursus ciet urinam vesica suis, si terram non attigerit, imposita pubi.

LXI. Sedis vitiis præclare prodest fel ursinum cum adipe. Quidam adjiciunt spumam argenti ac thus. [1] Prodest & butyrum cum adipe anserino ac rosaceo. [2] Modum ipsæ res statuunt, ut sint illitu faciles. [3] Præclare medetur & taurinum fel, [4] in linteolis concerptis: rimasque perducit ad cicatricem. [5] Inflationibus in ea parte, sevum vituli, maxime ab inguinibus cum ruta: [6] ceteris vitiis medetur sanguis caprinus cum polenta. [7] Item fel caprinum condylomatis per se. Item fel lupinum ex vino. [8] Panos & apostemata in quacumque parte sanguis ursinus discutit: [9] item taurinus aridus tritus. Præcipuum tamen remedium traditur in calculo onagri: quem dicitur, cum interficiatur, reddere [a] urina, liquidiorem initio, sed in terra spissantem se. Hic adalligatus femini, [10] omnes impetus discutit, omnique suppuratione liberat. Est autem ratus inventu, nec

INTERPRETATIO.

a *Vrina*] Cum urina.

NOTÆ.

here mandi suadet. Plinius Valer lib. 2. cap. 39. *Vesicæ & calculo purgando: Vesica apri in cibo elixa sumitur.* Apertius vero Marcellus Empir cap. 26. pag. 183. *Vesica apri recte adversum vesicæ dolores in cibo sumitur: ita ut mulier feminæ, vir masculi sumat.*

5. *Ipsi apro.*] Diximus ea de re supra, lib. 8 sect. 77.

5. *Leporis renes.*] Totidem verbis ac syllabis, Plinius Valer. lib 2. cap. 39. In Sole coctos desalosque in potione dari Sextus Platon. jubet, cap. 2. de lepore, tit. 10. *Ad calculosos.*

6. *In perna suum .... diximus.*] Sect. 49. *Item ossa ex acetabulis pernarum, circa quæ coxendices vertuntur.*

7. *Asinini renes.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 180

8. *Prodest &c.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 39 & Marcellus Empir cap. 26. pag. 181.

9. *Item fimum*] Marcellus Empir. cap 26. pag 177.

10. *Pili quoque.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 180.

11. *Verendorum &c.*] Sextus Platon cap. 7. de apro, tit. 2. *Ad carbunculos & dolores veretri: Apri cerebrum coctum, contritum ex melle, & impositum, mire sanat.*

12. *Vitia vero . . . cum charta & arrhenico.*] Arrhenicon, sive arsenicum, auripigmentum est, de quo dicemus libro 34. sect. 56. Vide Notas & Emend. num. XLVI.

13 *Fel bubulum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XLVII.

14. *Caro quoque.*] Bubula videlicet, aut vaccina. Marcellus Empir. cap. 33. pag 229 *Caro vaccina recens veretro imposita, hulcera ejus & epiphoras mire sanat,* &c.

15. *Fel caprinum*] Vide Notas & Emendationes, num. XLVIII.

16. *Testium tumor.*] Marcellus Empir. cap 33. pag. 228. Adeps vituli, & nitri modicum, una permixta, & ceroti modo imposita testiculis, tumores omnes & dolores persanare dicuntur.

17. *Vrinæ.*] Sextus Platon. cap. 7. de apro, tit. 10. *Ad urinæ incontinentiam: Vesicam apri assatam da ad manducandum, & curantur.* Idem de verrina vesica Marcellus Empir. prodidit, cap 26 pag. 184.

18. *Vngularum apri*] Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 161. [Greek illegible] ... Sic etiam Plinius Valer. lib. 2. cap 40. At Marcellus Empir. parum sibi constans, modo dysuriæ, modo urinæ incontinentiæ hoc medicamentum assignat. Nam cap. 26. pag. 181. *Vngularum aprugnarum*, inquit, *exustarum cinis potioni inspersus, plurimum urinæ difficultati iuvat.* At pag. 184. *Vngues aprugni*, ait, *exusti, tritique, in potione sumpti efficaciter submeiulis prosunt.*

19. *Item hœdi*] Capræ vesicam Marcellus Empiricus anteponit. *Qui urinam tenere non poterit*, inquit ille, cap 26. pag. 185 *capræ vesicam comburat, & cinerem ejus ex aqua cum vini potione bibat.*

20. *Cerebrum &c.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 40. & Marcellus Empir. cap 26. pag. 184

21. *Ejusdem &c.*] Auctores proxime appellati

22. *Magi.*] Marcellus Empir cap. 26 pag 185. *Verrini genitalis usti cinerem bibere debent ex vino, qui urinam continere non possunt. In cubili canis urinam faciat, qui urinam non potest continere: dicatque dum facit, Ne in cubili suo urinam, ut canis, faciat.* Eadem habet & Plinius Valer. lib. 2 cap. 40.

Sect. LXI. 1. *Prodest & butyrum.*] Marcellus Empir. cap. 31. pag 222. *Butyrum & adeps anserina, & oleum rosaceum, permixta, pulcherrime prosunt ani vitiis.*

2 *Modum.*] Mensuram rerum singularum: eam enim crassitudinem tantum desiderant, ut possint esse illitu faciles.

3. *Præclare medetur.*] Diosc. lib. 2. cap. 96. [Greek illegible] *Sedis hulcera persanat, & ad cicatricem perducit*

4. *In linteolis concerptis.*] Ita recte codex Reg. 2. 3. Colb. Chiffl. non, ut fere editi, *conceptis.* Linteola carpta dixit Marcellus Empir. cap. 33. pag. 227.

5. *Inflationibus in ea parte.*] In sede, in ano

6. *Ceteris vitiis.*] Marcellus Empiric cap. 31. pag. 222. *Sanguis caprinus cum polenta impositus, ani vitium omne persanat.*

7. *Item fel caprinum.*] Marcellus Empir loc. cit.

8. *Panos, &c.*] Plinius Valer. lib. 3. cap 27.

9. *Item taurinus.*] Diosc. lib. 2. cap 97. ubi taurinum sanguinem cum polenta impositum, duritias discutere & emollire ait.

10. *Omnes impetus*] Epiphoras. Vide quæ de hac voce diximus, lib. 20. sect. 97.

ex omni onagro, sed celebri remedio. Prodest & urina asini cum melanthio. [11] Et ungulæ equinæ cinis cum oleo & aqua illitus. [12] Sanguis equi, præcipue admissarii: & sanguis bubulus: item fel. Caro quoque eosdem effectus haber calida imposita: & ungulæ cinis ex aqua aut melle: urina caprarum: hircorum quoque carnes in aqua decoctæ: [13] aut fimum ex his cum melle decoctum: verrinum fel: [14] urina suum in lana imposita. [15] Femina atteri adurique equitatu notum est. [16] Utilissimum est ad omnes inde causas, spumam equi ex ore, inguinibus illinire. Inguina & ex hulcerum causa intumescunt. Remedio sunt equi feræ rres totidem nodis alligatæ intra hulcus.

CAP. XVI.

LXII. [1] Podagris medetur ursinus adeps, taurinumque sevum pari pondere & ceræ. Addunt quidam hypocisthida & gallam. [2] Alii hircinum præferunt sevum [3] cum fimo capræ, & croco, sinapive, vel caulibus ederæ tritis, ac perdicio, vel flore cucumeris silvestris. [4] Item bovis fimum cum aceti fæce. [5] Magnificant & vituli, qui nondum herbam gustaverit, fimum: aut per se sanguinem tauri: [6] vulpem decoctam vivam, donec ossa tantum restent: lupumve vivum oleo cerati modo incoctum: sevum hircinum, cum helxines parte æqua, sinapis tertia: [7] fimi caprini cinerem cum axungia [8] Quin & ischiadicos uri sub pollicibus pedum eo fimo fervente, utilissime tradunt. [9] Articulorumque vitiis fel ursinum utilissimum esse, & leporis pedes adalligatos. [10] Podagras quidem mitigari pede leporis viventis abscisso, si quis secum assidue habeat. [11] Perniones ursinus adeps, rimasque pedum omnes sarcit: [12] efficacius alumine addito: sevum caprinum: dentium equi farina: aprinum vel suillum fel: [13] cum adipe pulmo impositus: etsi subtriti sint contusive offensatione: si vero adusti frigore, leporini pili cinis. [14] Ejusdem pulmo contusis dissectus, aut pulmonis cinis. Sole adusta, sevo asinino aptissime curantur: item bubulo cum rosaceo. [15] Clavos & rimas callique vitia, fimum apri vel suis recens illitum, ac tertio die solutum sanat: talorum cinis, pulmo aprinus, aut suillus, [16] aut cervinus. Attritus calceamentorum, urina asini [17] cum luto suo illita. [18] Clavos sevum bubulum cum thuris polline. [19] Perniones vero corium combustum: melius si ex vetere calceamento: [20] injurias e calceatu, ex oleo corii caprini cinis. Varicum dolores sedat fimi vitulini cinis, cum lilii bulbis decoctus, addito melle modico: itemque omnia inflammata, & suppurationes. [21] Sed podagricis prodest & articularis morbis, e maribus præcipue vitulis, Articulorum attritis, fel aprorum vel suum, linteo calefacto impositum: vitulique qui nondum herbam gustaverit, fimum: [22] item caprinum cum melle in aceto decoctum. Ungues scabros sevum vituli emendat: [23] item caprinum admixta sandaracha. [24] Verrucas vero aufert vitulini fimi cinis ex aceto: [25] asini urinæ lutum.

NOTÆ.

11. *Et ungula*] Marcellus Empir. cap 32. pag. 226. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 27.

12 *Sanguis equi, &c*] Idem auctores proxime laudati.

13. *Aut fimum ex his.*] Ex hircis Sic etiam Plinius Valer. loc cit. & Marcellus Empir cap 32. pag. 224.

14. *Urina suum, &c.*] Marcellus Empiricus, cap. 32. pag. 226.

15. *Femina*] Intertriginem id vitium Latini appellant.

16. *Utilissimum.*] Vide Notas & Emend. num XLIX

Sect. LXII. 1. *Podagris.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 14 & Marcellus Empir. cap 36 pag. 250.

2. *Alii hircinum.*] Sic & Diosc. lib. 2. cap. 94. & Marcellus Empir. cap. 36. pag. 244.

3. *Cum fimo capræ.*] Diosc. lib. 2. cap 98.

4. *Item bovis.*] Marcellus Empiricus, cap 36. pag. 242. Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 6. pag. 47. *Vaccæ stercus contusum & commixtum cinere, ac oleo fabacitum, obducatur podagræ, curabit illam.*

5. *Magnificant & vituli.*] Habdarrahmanus, cap 6. pag. 48. *Si stercore vitulæ, statim atque nascitur, & quæ nihil aliud comederit, præter lac maternum, oblinies pedes laborantis podagra, non mediocrem percipies utilitatem: Curat adhuc omnes pedum dolores.*

6. *Vulpem decoctam.*] Sextus Platon. cap. 3. de vulpe, tit. 12. *Ad morbum articulorum: Vulpis viva in amplo vase decocta, donec ossa relinquat, mire sanat, si sapias in aquam in vase quis descenderit,* &c. Marcellus Empiric. cap. 36. pag. 250. *Vulpem ex aqua coquito, donec mollescat, & ex aqua percolata pedes assidue foveto: quo facto doloribus facile careri hoc remedio quidam frequenter experti sunt.*

7. *Fimi caprini*] Plinius Valer. lib. 13. cap 14.

8. *Quin & ischiadicos*] Meminit hujus moris Anthyllus, apud Aetium, serm. 12. cap. 3. pag. 207. *Nos*, inquit, *etiam hujusmodi urendi modo utimur: Stercus caprinum siccum fervefacimus, eoque ventrem magni digiti affecti pedis peruremus, paulo infra unguem usque ad os ipsum ustione penetrante. Hæc ipsa ustio extremas coxendicum affectiones, & quæ nulli alii præsidio cedunt, dissolvit.*

9. *Articulorumque.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 234. Plinius Valer. lib. 3. cap. 15.

10. *Podagras quidem.*] Marcellus Empiric. cap. 36. pag 246.

11. *Perniones ursinus*] Diosc. lib. 2. cap. 94. & Marcellus Empir. cap. 34 pag 236. ad verbum. Pro ursino anserinum adhibet Plinius Valer. lib. 2. cap. 51.

12. *Efficacius.*] Idem Marcellus, loc. cit.

13. *Cum adipe pulmo.*] Aprinus videlicet. Sextus Platon. cap. 7. de apro, tit. 4. *Ad pedes exulceratos a calciamentis: Apri pulmonem cum melle commixtum, ut malagma superpone pedibus a calciamentis læsis & exulceratis, sanabuntur.*

14. *Ejusdem pulmo.*] Marcellus Empiricus, cap. 34. pag. 232.

15. *Clavos & rimas.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 52. & Marcellus Empir cap 34. pag. 233. ad verbum.

16. *Aut cervinus*] Huc pertinet quod habet Marcellus Empir. cap. 34 pag. 232. in morbo fere simili: *Pulmo cervinus*, inquit, *impositus, & sæpe renovatus, ex calceamento læsos pedes sine dolore persanat* Suillo, agnino, ursino, attritus a calceamentis contractos ab inflammatione defendi auctor est Diosc. lib 2. cap 40.

17. *Cum luto suo.*] Quod nempe ille meiendo persuderit.

18. *Clavos sevum.*] Plinius Valer. lib. 2 cap. 52.

19. *Perniones vero*] Et attritus etiam calciamentorum, teste Oribasio, lib. 2. de virt. simp. pag. 62. ex Græco MS. Δέρματα παλαιὰ ἀπὸ τῶν κατεφθαρμένων καυθέντα, ἀφ᾽ ὧν τὰ ἐκ τῶν ὑποδημάτων ἕλκη, παυσαμένης τῆς φλεγμονῆς, ὠφελεῖ. *Coria vetera e vetustis soleis, usta, ad hulcera e calceatu facta, sedata inflammatione prosunt.* Oribasio prævivit Dioscorides, libro 2. cap. 51.

20. *Injurias e calceatu.*] Marcellus Empir cap. 34. pag. 232.

21 *Sed podagricis.*] Idem Marcellus, cap. 34. pag 234. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 15.

22. *Item caprinum.*] Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 23. *Ad morbum articulorum: Stercus capræ cum acerrimo aceto mixtum sanat.*

23. *Item caprinum admixta*] Sextus Platonic. cap. 5. de capro & capra, tit. 16. *Ad ungues leprosos: Ex sebo caprino admixta sandaraca ceratum superpositum sine tormento sanat.*

24 *Verrucas vero*] Plinius Valer lib. 3. cap. 42.

25. *Asini urinæ.*] Plinius Valer. loc. cit Marcellus Empir. cap 34. pag. 233 *Urina muli, vel mulæ, vel asini, cum luto illita, & clavos abolet, & callis medetur* Hanc vim & urinæ canis cum suo luto assignat Q. Serenus, cap. 65. de

LXIII.

LXIII. [1] Comitiali morbo testes ursinos edisse prodest, [2] vel aprinos bibisse ex lacte equino aut ex aqua: [3] item aprinam urinam ex aceto mulso: efficacius, quæ inaruerit in vesica sua. [4] Dantur & suum testiculi inveterati tritique in suis lacte, præcedente vini abstinentia, & sequente continuis diebus. Dantur & leporis sale custoditi pulmones, cum thuris tertia parte, in vino albo, per dies XXX. Item coagula ejusdem. [5] Asini cerebrum ex aqua mulsa, infumatum prius [6] in foliis, [7] semuncia per dies: [8] vel ungularum ejus cinis cochlearibus binis toto mense potus. Item testes sale asservati & inspersi potioni, in asinarum maxime lacte, vel ex aqua. Membrana partus earum, præcipue si marem pepererint, olfactata accedente morbo comitialium resistit. [9] Sunt qui e mare nigroque cor edendum cum pane sub dio prima aut secunda Luna præcipiant. Alii carnem, aliqui sanguinem aceto dilutum per dies XL. bibendum. Quidam urinam equi aquæ ferrariæ ex officinis miscent, eademque potione & lymphaticis medentur. Comitialibus datur & lactis equini potus, [10] lichenque in aceto mulso bibendus. [11] Dantur & carnes caprinæ in rogo hominis tostæ, ut volunt Magi. Sevum earum cum felle taurino pari pondere decoctum, & in folliculo fellis reconditum, ita ne terram attingat, potum vero ex aqua sub limine. [12] Morbum ipsum deprehendit caprini cornus vel cervini usti nidor. [13] Sideratis urina pulli asinini nardo admixto perunctione prodesse dicitur.

LXIV. [1] Regio morbo cornus cervini cinis: [2] sanguis asinini pulli ex vino. [3] Item fimum asinini pulli, quod primum edidit a partu, datum fabæ magnitudine e vino medetur intra diem tertium. [4] Eadem & ex equino pullo similiterque vis est.

LXV. Fractis ossibus præsentaneus maxillarum apri cinis vel suis. [1] Item lardum elixum atque circumligatum mira celeritate solidat. [2] Costis quidem fractis laudatur unice caprinum fimum ex vino vetere: apent, extrahit, persanat.

LXVI. [1] Febres arcet cervorum caro, ut diximus. [2] Eas quidem quæ certo dierum numero redeunt, oculus lupi dexter salsus adalligatusque, si credimus Magis. [3] Est genus febrium, [4] quod amphemerinon vocant. [5] Hoc liberari tradunt, si quis e vena auris asini tres gustas sanguinis in duabus heminis aquæ hauserit. [5] Quartanis Magi excre-

NOTÆ.

verrucis tollendis, pag 164. & idem Marcellus Empiric. cap. 34. pag. 234.

Sect. LXIII. 1. *Comitiali morbo.*] Ἐπιληψίαν Græci & ἱερὰν νόσον, Latini sonticum, & comitialem, & sacrum morbum vocant. Testes aprinos ei morbo opitulari scribit & Plinius Valer lib. 2. cap 58.

2. *Vel aprinos.*] Idem Plinius Valer. loc. cit. Sextus Platon. cap 7. de apro, tit. 7. *Ad caducos: Testiculos apri ex vino vel aqua potato, & curaberis.*

3. *Item aprinam.*] Sextus Platon. loc. cit. cap. XI. *Ad caducos. Lotium apri cum oxymelite bibat, & remedium capiet.*

4. *Dantur & leporis.*] Quod de pulmone leporino Plinius, illud ipsum Sextus Platonicus de corde prodit, cap. 2. de lepore, tit 6. *Ad caducos: Leporis cor siccum derasum cum parte tertia thuris mannæ,* (hoc est, micarum thuris,) *trita ex vino albo da bibere per dies septem, liberat. His vero qui sæpius cadunt, dabis diebus* XXX.

5. *Asini cerebrum.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 5. pag. 23. *Cerebrum asini propinabis epileptico, vel mente capto, ex aceto: sanabitur.*

6. *In foliis.*] Sic Reg. 1. aliique, cum editis. In foliis brassicæ: ut supra sect. 56. Vide Notas & Emend. num. XXXVIII.

7. *Semuncia per dies: vel.*] Forte *per dies* V. *vel:* accepta quinarii nota ex vocula sequenti *vel:* sic enim superius, per dies XXX.

8. *Vel ungularum ejus, &c.*] Dioscor. lib. 2. cap. 44 totidem verbis.

9. *Sunt qui e mare.*] Asino nempe. Cælius Aurel lib 1. Chron. cap. 4 de epilepsia: *Dant & tunc mandenda corda hominum, atque equorum, quorum crura quasi impetigines habent, sive asinorum, vel mulorum.*

10. *Lichenque.*] Dioscor lib. 2. cap. 45. de lichenibus equorum: Ποθέντες λεῖοι μετ' ὄξους, ἐπιληψίας ἰσχυρῶς θεραπεύειν. Quid lichen sit, ex eodem Dioscoride diximus, sect. 49.

11. *Dantur & carnes.*] Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 3. *Ad caducos:* plane totidem verbis, ut & Plinius Valer. lib. 2. cap. 58. Carnes caprinas sine ea exceptione de rogo hominis in epilepticorum cibatu commendat pariter Theod. Priscianus, lib. 4.

12. *Morbum ipsum.*] Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap. 21. Sextus Platon. loc. cit. *At si caducus vere caducus est, caprinum cornu adustum naribus si sumpserit, mox cadet.* Nempe quæ male olent, faciunt ut comitialis æstuet & cadat.

13. *Sideratis.*] Totidem plane verbis Plinius Valerianus, lib. 3. cap. 16.

Sect. LXIV. 1. *Regio morbo, &c.*] Dioscorides, lib. 2. cap. 63. & Sextus Platon. cap. 1. de cervo, num. 4.

2. *Sanguis asinini, &c.*] Sic Reg. 1. & editi. In Reg. 2. *Sanguis asini ex vino* tantum.

3. *Item fimum.*] Illud nimirum quod poleam appellari dictum est superius sect 57. Hæc plane ad verbum transcripsit Plinius Valer. lib. 2. cap. 59.

4. *Eadem*] Plinius Valer. loc cit.

Sect. LXV. 1. *Item lardum.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 3. cap. 48.

2. *Costis quidem &c.*] Hæc rursum totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 35. & lib. 3. cap. 48.

Sect. LXVI. 1. *Febres arcet .... ut diximus.*] Libro 8. sect. 50. Atque huc allusisse Martialem obiter illic indicavimus, cum facere luderet *in lenonem uxoris suæ: Vis sine febre mori:* cum eum innueret velle cervorum ritu vivere ac mori, qui & cornua gestitant, & febri carent. Neque enim heri primum istam, aut hodie receptam esse vulgatamque parœmiam ex Artemidoro liquet, lib. 2. Onirocrit. cap. 12. apud quem destinato cuidam proco, & ex ariete qui insidebat, delapso, futuræ mox conjugis adulterium portendi nonnemo his verbis auguratur: ὅτι γυνὴ σου πορνεύσει, τὸ λεγόμενον, κέρατα αὐτῷ ποιήσει. *Quod uxor sua mœchabitur, & (quod vulgo dici solet) cornua tibi faciet.* Festive usus est eo vulgi joco, qui nummos cudit olim honori Gallieni Augusti, & Saloninæ Augustæ conjugis. Nam iste quidem apud Oceonem inscribitur, pag. 474. CORNELIA SALONINA AVG.)(IVNONI CONS AVG. *Junoni Conservatrici Augustæ.* Ille apud P. Chamillart, GALLIENVS AVG.)(IVNONI CONS. AVG. *Junoni Conservatrici Augusti.* Habet uterque nummus in aversa area effigiem cervi. Est autem Juno, ut in Apologia Homeri diximus, Fides conjugalis. Hæc igitur *Conservatrix Augustæ* dicitur esse, ne maritum faciat cervum: eademque *Conservatrix Augusti*, ne cervus fit.

2. *Eas quidem.*] Sextus Platon. cap. 8. de lupo, tit. 4. *Ad quotidianas febres: Oculus dexter lupi alligatus febres discutit.* Plinii verba summa fide reddit Plinius alter Valer lib. 3. c. 3.

3. *Est genus.*] Ἀμφημερινὸς πυρετὸς, quotidiana febris, quæ ex pituita provenit, materia frigida & gravi, nullumque diem intermittit.

4. *Hoc liberari.*] Plinius Valer. *in tribus heminis* dixit, lib. 3. cap. 3.

5. *Quartanis*] Sextus Platon. cap. 18. *de cata*, hoc est, de fele, tit. 4. *Ad quartanam: Catæ stercus cum ungula bubonis in collo vel brachio suspensum, post septimam accessionem, discutit quartanam.* Auctor libri, qui Kiranidum Kirani inscribitur, lib. 2. pag. 76. *Stercus felis cum oleo lilinaceo inunctum, febres sanat.*

menta felis cum digito bubonis adalligari jubent, [a] & ne recidant, non removeri septeno circuitu. Quis hoc, quæso, invenire potuit? quæve est ista mixtura? cur digitus potissimum bubonis electus est? Modestiores jecur felis decrescente Luna occisæ inveteratum sale, ex vino bibendum ante accessiones quartanæ dixere. [6] Iidem Magi fimi bubuli cinere conspersi puerorum urina illinunt digitos pedum, manibusque leporis cor adalligant. [7] Coagulum ante accessiones propinant. Datur & caseus caprinus recens cum melle, diligenter sero expresso.

CAP. XVII. LXVII. [1] Melancholicis fimum vituli in vino decoctum remedio est. [2] Lethargicos excitat asini lichen, naribus illitus ex aceto: [3] caprini cornus nidor aut pilorum: jecur aprinum. Itaque & veternosis datur. Phthisicis medentur, jecur lupi ex vino, [4] macræ suis feminæ herbis pastæ lardum, [5] carnes asininæ ex jure sumptæ. Hoc genere maxime in Achaïa curant id malum. Fimi quoque aridi, sed pabulo viridi pasto bove, [6] fumum arundine haustum prodesse tradunt. Bubuli quoque cornus mucronem exustum, duorum cochlearium mensura, addito melle, pilulis devoratis. Capræ sevo in pulte ex alica & phthisin & tussim sanari, vel recenti, cum mulso liquefacto, ita ut uncia in cyathum addatur, rutæque ramo permisceatur, non pauci tradunt. Rupicapræ sevi cyatho, & lactis pari mensura, deploratum phthisicum convaluisse certus auctor affirmat. Sunt & qui suum fimi cinerem profuisse scripserint in passo: & cervi pulmonem, maxime subulonis, siccatum in fumo, tritumque in vino.

LXVIII. [1] Hydropicis auxiliatur urina vesicæ apri paulatim data in potus: efficacius quæ inaruerit cum vesica sua. Fimi taurini maxime, sed & bubuli, [2] de armentivis loquor ([3] quod bolbiton vocant,) cinis cochlearium trium in mulsi hemina, bovis feminæ in mulieribus, & ex altero sexu in viris, quod veluti mysterium occultarunt Magi. [4] Fimum vituli masculi illitum: Fimi vitulini cinis cum semine staphylini, æqua portione ex vino: sanguis caprinus cum medulla. [5] Efficaciorem putant hircorum, utique si lentisco pascantur.

LXIX. Igni sacro ursinus adeps illinitur: maxime qui est ad renes: [1] vitulinum fimum recens, vel bubulum: caseus caprinus siccus cum porro: [2] ramenta pellis cervinæ dejecta pumice, ex aceto trita. Ruboti cum prurigine, equi spuma, aut ungulæ cinis. Eruptionibus pituitæ, asinini fimi cinis cum butyro. [3] Papulis nigris, caseus caprinus siccus ex melle & aceto in balineis, oleo remoto. [4] Pusulis suilli fimi cinis aqua illitus, vel cornus cervini cinis.

LXX. [1] Luxatis recens fimum aprinum vel suillum: item vitulinum: verris spuma recens cum aceto: fimum caprinum cum melle: [2] bubula caro imposita. Ad tumores fimum suillum in testa calefactum tritumque cum oleo. Duritias corporum omnes mollit optime adeps e lupis illitus. [3] In his quæ rumpere opus est plurimum proficit fimum bubulum in cinere calfactum, [4] aut caprinum in vino vel aceto decoctum. [5] In furun-

INTERPRETATIO.

a *Et ne.*] Et ne febris recurrat, continendum remedium usque in septimam accessionem.

NOTÆ.

6. *Iidem Magi.*] Totidem verbis Plinius Valer. libro 3. cap. 6.

7. *Coagulum.*] Plinius Valer. loco proxime cit.

Sect. LXVII. 1. *Melancholicis.*] Μελαγχολικοὶ, qui atra bile, furore, insania laborant: cujus affectionis species quædam apud medicos hypochondriaca nominatur.

2. *Lethargicos.*] Ληθαργικοὶ, qui morbo laborabant, quem Latini veternum appellant. *Marcor est, & inexpugnabilis pene dormiendi necessitas*, inquit Celsus lib. 3. cap. 20. Dictum ἀπὸ τῆς λήθης, hoc est, ab oblivione: nam eo vitio memoriæ sedes torpet.

3. *Caprini cornus.* &c.] Celsus, lib. 3. cap. 20. *Hos ægros quidam subinde excitare nituntur his, quæ per* (lege *per quæ*) *sternutamenta evocantur: & his, quæ odore fœdo movent: qualis est cruda lana succida, piper, veratrum, castoreum, acetum, allium, cepa: juxta etiam galbanum incendunt, aut pilos, aut cornu cervinum.* &c. Sic etiam Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 10. *Ad lethargicos.* Et Plinius Valer. lib. 3. cap. 7.

4. *Macra suis.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 61.

5. *Carnes asininæ.*] Plinius Valer. loc. cit.

6. *Fumum arundine.*] Ut hodie tubo fictili hauriunt tabaci fumum homines e plebe.

Sect. LXVIII. 1. *Hydropicis .... urina vesicæ apri.*] Sic libri omnes. Caprinam tamen urinam ad eumdem usum laudat Diosc. lib. 2. cap. 99. Αἰγὸς δὲ (οὖρον) ὕδρωπα τὸν ὑπὸ σάρκα. &c.

2. *De armentivis.*] Armentivus (non armentinus,) armentitius, & armentalis, idem sonant: bovem, equumve scilicet, qui fit ex armento.

3. *Quod bolbiton.*] Βόλβιτον, fimus bubulus. Festus bulbitare Latinis hinc inflexum putat, quod significat puerili stercore inquinare.

4 *Fimum vituli*] Plinius Valer. lib 3. cap. 12. Theodorus Priscianus, lib. 4. *Ad hydropem: Vituli masculi stercore cum aceto acri permixto, spisse venter linendus est: tamen, ut ante ipse hydropicus toto corpore dropacetur.* hoc est, dropace, quod est unguenti genus, liniatur.

5. *Efficaciorem.*] Sextus Platon. cap 5. de capro & capra, tit. 17. *Ad hydropicos*, non hircinum sanguinem, sed lotium commendat.

Sect. LXIX. 1. *Vitulinum .... vel bubulum.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 34.

2. *Ramenta.* &c.] Plane totidem verbis Plinius Valer. loco cit.

3 *Papulis.*] Papula, pusula est, sive tuberculum, quod jejunæ salivæ defricatione curatur. Papulis cutis exasperatur, rubet, leniterque roditur. Ardentes papulæ Virgilio, lib. 3. Georg.

4. *Pusulis*] *Papulis* habet Plinius Valer. qui hunc locum exscribit, lib. 3. cap. 39. sed nihil interest.

Sect LXX 1. *Luxatis.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 47.

2. *Bubula caro*] Vide Notas & Emend. num. L.

3. *In his quæ rumpere.*] In abscessibus quæ recludere & aperiri necesse est. Diosc lib. 2. cap 98.

4. *Aut caprinum.*] Sextus Platon. cap 5. de capro & capra, tit. 28. *Ad tumores: Caprinum stercus impositum non patitur consurgere tumorem.*

5. *In furunculis.*] Totidem plane syllabis Plinius Valer. lib. 3 cap 31.

culis sevum bubulum cum sale: aut si dolor est, intinctum oleo, liquefactum sine sale: similique modo caprinum.

LXXI. In ambustis ursinus adeps cum lilii radicibus: aprinum aut suillum fimum inveteratum: setarum ex his [1] e penicillis tectoriis cinis cum adipe tritus: tali bubuli cinis cum cera & medulla cervina, vel tauri: [2] fimum leporis. Et caprarum fimus sine cicatrice sanare dicitur. Glutinum præstantissimum fit ex auribus taurorum, & genitalibus. [3] Nec quidquam efficacius prodest ambustis. Sed adulteratur nihil æque, quibusvis pellibus inveteratis, calceamentisque etiam decoctis. [4] Rhodiacum fidelissimum: eoque pictores & medici utuntur. Id quoque quo candidius, eo probatius. Nigrum & lignosum damnatur.

LXXII. [1] Nervorum doloribus, fimum caprinum decoctum in aceto cum melle, utilissimum putant, vel putrescente nervo. Spasmata, & percussu vitiata, fimo aprugno curant, vêre collecto & arefacto. Sic & quadrigis agendis tractos, rotave vulneratos: & quoquo modo sanguine contuso, vel si recens illinatur. Sunt qui incoxisse aceto utilius putent. [2] Quin & in potu fatinam eam ruptis, convulneratisque, & eversis, ex aceto salutarem promittunt. [3] Recentiores cinerem ejus ex aqua bibunt. Feruntque & Neronem Principem hac potione recreari solitum, [a] [4] cum sic quoque se trigario approbare vellet. [5] Proximam suillo fimo vim putant.

LXXIII. [1] Sanguinem sistit coagulum cervinum ex aceto: [2] item leporis. Hujus quidem & pilorum cinis: [4] item ex fimo asini cinis illitus. Efficacior vis e maribus aceto admixto, & in lana ad omne profluvium imposito: similiter ex equino capite & femine. [5] Aut fimi vitulorum cinis illitus ex aceto. Item caprini cornus vel fimi ex aceto. [6] Hircini vero jocineris dissecti sanies efficacior: & cinis utriusque ex vino potus, vel naribus ex aceto illitus Hircini quoque utris vinarii dumtaxar cinis, cum pari pondere resinæ: quo genere sistitur sanguis, & vulnus glutinatur. Hœdinum quoque coagulum ex aceto, & feminum ejus combustorum cinis, similiter pollere traduntur.

LXXIV. [1] Hulcera sanat in tibiis cruribusque adeps ursinus, admixta rubrica [2] Quæ vero serpunt, fel aprugnum cum resina & cerussa: maxillarum apri vel suum cinis: fimum suum illitum siccum: item caprinum ex aceto subfervefactum. [3] Cetera purgantur & explentur butyro: cornus cervini cinere, vel medulla cervi, felle taurino cum cyprino oleo, [4] aut irino. Fimum recens suum, vel inveterati farina illinitur vulneribus ferro factis. [5] Phagedænis & fistulis immittitur fel tauri, cum succo porri, aut lacte mulierum, vel sanguis aridus cum cotyledone herba. [6] Carcinomata curat coagulum leporis, cum pari pondere capparis aspersum vino: [7] gangrænas ursinum fel penna illitum: [8] asini ungularum

CAP. XVIII.

INTERPRETATIO.

a *Cum sic.*] Cum sic quoque *sanata facie* equorum agitatori probari se vellet.

NOTÆ.

Sect. LXXI. 1. *E penicillis tectoriis.*] Penicilli sunt, quibus parietes inalbantur Est enim tectorium illinimentum istud, quod quasi pavimentum est, incrustatioque, ex calce ut plurimum, aut e gypso

2. *Fimum leporis &c.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 36. *Ambustis sanandis: Fimus leporis & capræ illinitur aquis portionibus.*

3. *Nec quidquam.*] Plinius Valer. cap. cit. *Ambustis sanandis. Gluten taurinum remissum, sicut solet a fabris remitti, sine cicatrice sanat.*

4. *Rhodiacum fidelissimum.*] Nempe ad ambusta sananda glutinum Rhodiacum in primis valet. Dioscor lib. 3. cap. 101 Κόλλα, ἣν ἔνιοι ξυλοκόλλαν καλοῦσιν, ἢ ταυροκόλλαν, κρατίστη ἐστὶν ἡ Ῥοδιακή, ἐκ τῶν βοείων βυρσῶν σκευαζομένη. Ἔστι δὲ λευκὴ καὶ διαυγὴς ἡ τοιαύτη· ἡ δὲ μέλαινα χείρων... Πυρικαύστοις τε ἐκ τοῦ φλυκταινοῦσθαι &c. *Non patitur ambusta attolli in pusulas, &c.*

Sect. LXXII. 1. *Nervorum doloribus &c.*] Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 25. *Ad nervorum contractionem.* Marcellus Empiricus, cap. 35. pag. 240. & 241.

2. *Quin & potu*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 47. plane ad verbum.

3 *Recentiores.*] Plinius Valer. loc. cit.

4 *Cum sic quoque se trigario.*] Sic libri omnes editi, cum Reg. 2. aliisque MSS. Est autem ille trigarius, qui circensibus trigas equarum agitaret. A trigis nomen habet: nam ut bigæ, quadrigæque, sic & trigæ appellatæ olim. In Glossis Philoxeni, *Trigarium* locus est in quo exercentur equi. Italis *Maneggio* · unde & Gallis, *le Manege: Τόπος ὅπου ἵπποι γυμνάζονται.* P. Victor in descriptione Urbis Romæ, regione nona, *Trigaria septa* collocat: ubi & alter incertus auctor *Trigarium* habet. Tamen Reg. 1. codex hoc loco *strigario* præfert, quod quidam magis probant. Favere certe Papias videtur in Vocabulario: *Striga*, inquit, *castrense vocabulum, vel intervallum turmarum, in quo equi stringuntur: unde & strigosi dicuntur corpore macilento.*

5. *Proximum suillo.*] Plinius Valer. ad verbum, l. 3. c. 47.

Sect. LXXIII. 1. *Sanguinem sistit.*] Marcellus Empiricus ad verbum, cap. 31. pag 212.

2. *Item leporis.*] Idem Marcellus, loc. cit & Plinius Valer. lib. 1. cap. 64.

3 *Hujus quidem.*] Plinius Valer. lib 3. cap 21. *Sanguini ex vulneribus sistendo: Leporis pili de subtus ventre mollissimi imponuntur.*

4 *Item fimo asini.*] Theod. Priscianus, lib 1. cap 12. *de fluxu sanguinis narium: Fimi asini combusti pulvere, cum oleo rosco mixto, collyria facta supponimus.* Auctor Kiranidum, pag. 89. *Fimus asini omnem fluxum sanguinis sistit.* Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 5. pag 25. *Olfactus recentis asini stercoris, sanguinis e naribus sistit fluxum*

5. *Aut fimi vitulorum.*] Vaccæ similiter, si Habdarrahmano fides, cap. 6. pag. 47. *Stercus vaccæ combustum, contusum, & subactum melle apum, si oblinies naribus, sistet fluxum sanguinis illarum.*

6. *Hircini vero jocineris*] Sextus Platon. cap. 4. ad capream id retulit, cujus est, ut silvestrium ceterarum, vis in medendo potentior, quemadmodum alibi monuimus Sic enim ille, tit. 3. *Ad sanguinem fluentem Capreæ jecur combustum & aspersum sanguinem sistit.* Et tit. 4. *Ad sanguinem de naribus profluentem · Capreæ jecur contritum, & ex aceto in naribus offultum, sanguinem mire sistit.*

Sect. LXXIV. 1. *Hulcera sanat.*] Marcellus Empir. totidem verbis hæc omnia refert, cap. 34. pag. 232.

2 *Quæ vero &c.*] Marcellus idem, loc. cit.

3. *Cetera.... butyro*] Marcellus Empir loc. cit.

4. *Aut irino.*] Vide Notas & Emend num. L I.

5. *Phagedænis &c.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 22.

6. *Carcinomata &c.*] Iisdem verbis Marcellus Empir. cap. 4. pag 42. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 12.

7. *Gangrænas.*] Auctores laudati locis proxime cit.

8. *Asini &c.*] Iidem locis proxime appellatis.

cinis ea quæ ſerpunt hulcera inſperſus. [9] Sanguis equi adrodit carnes ſeptica vi: item fimi equini inveterati ſavilla. Ea vero quæ phagedænas vocant in hulcerum genere, corii bubuli cinis cum melle. [10] Caro vituli recentia vulnera non patitur intumeſcere: fimum bubulum cum melle. [11] Feminum vituli cinis ſordida hulcera, & quæ cacoethe vocant, e lacte mulieris ſanat. [12] Recentes vero plagas ferro illatas, glutinum taurinum liquefactum, tertio die ſolutum. [13] Caſeus caprinus ſiccus ex aceto ac melle, purgat hulcera. Quæ vero ſerpant, cohibet ſevum cum cera: item addita pice ac ſulphure percurat. Similiter proficit ad cacoëthe, hœdi feminum cinis e lacte mulieris. [14] Et ad carbunculos, ſuis feminæ cerebrum toſtum illitumque.

LXXV. [1] Scabiem hominis, aſininæ medullæ maxime abolent, [2] & urinæ ejuſdem cum ſuo luto illitæ. Butyrum etiam, quod [a] in jumentis proficit cum reſina calida: [3] glutinum taurinum in aceto liquefactum, addita calce: fel caprinum cum aluminis cinere: [4] boas fimum bubulum: unde & nomen traxere. [5] Canum ſcabies ſanatur bubulo ſanguine recenti: iterumque, cum inareſcat, illito, & poſtero die abluto cinere lixivio.

LXXVI. [b] Spinæ ac ſimilia corpori extrahuntur felis excrementis: [1] item capræ ex vino: [2] coagulo quocumque, ſed maxime leporis, cum thuris polline & oleo, aut cum viſci pari pondere, aut cum propoli. [3] Cicatrices nigras ſevum aſininum reducit ad colorem. [4] Fel vituli extenuat calefactum. Medici adjiciunt myrrham & mel & crocum, æreaque pyxide condunt. Aliqui & florem æris admiſcent.

CAP. XIX.

LXXVII. [1] Mulierum purgationes adjuvat fel tauri in lana ſuccida appoſitum. Olympias Thebana addit [2] hyſſopum & nitrum. [3] Cornus cervini cinis potus. [4] Item vulvas laborantes, illitu quoque: & fel taurinum [5] cum opio appoſitum obolis binis. [6] Vulvas & pilo cervino ſuffire prodeſt. [7] Tradunt cervas, cum ſenſerint ſe gravidas, lapillum devorare: quem in excrementis repertum, aut in vulva (nam & ibi invenitur) cuſtodire partus adalligatum. Inveniuntur & oſſicula in corde & in vulva, perquam utilia gravidis parturientibuſque. Nam de pumice, qui in vaccarum utero ſimili modo invenitur [8] diximus in natura boum. Lupi adeps illitus vulvas mollit: dolores earum, jecur. Carnes lupi ediſſe parituris prodeſt: aut ſi incipientibus parturire ſit juxta qui ederit: adeo

INTERPRETATIO.

a *In jumentis.*] In jumentorum ſcabie.

b *Spinæ.*] Spinæ ruborum ac ſimiles aculei infixi corpori.

NOTÆ.

9. *Sanguis equi.*] Idcirco in ſeptica ſive erodentia medicamenta equorum admiſſariorum ſanguinem addi auctor eſt Dioſcor. lib. 2. cap. 97. *Τὸ δ' τῶ ὀχευτῶν ἵππων, (αἷμα) σηπτικοῖς μίγνυται.*

10. *Coagulo vituli.*] Et de vitulina carne, & de fimo bubulo plane ſubſcribit Plinius Valer. lib. 3. cap. 20.

11. *Feminum vituli.*] Vide Notas & Emendationes, num. LII.

12. *Recentes vero.*] Plinius Valer. ad verbum, libro 3. cap. 20.

13. *Caſeus caprinus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap 22. *Caſeus caprinus ſiccus ex aceto & melle purgat hulcera: Quæ ſerpunt, cohibet ſevum caprinum cum cera: id etiam additis ſulphure & pice purgat.*

14. *Et ad carbunculos.*] Plinius Valer lib 3. cap. 30. *Suis cerebrum* Marcellus Empiric. cap 33. *Verris cerebrum* dixit.

Sect. LXXV. 1. *Scabiem.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 38.

2. *Et urinæ ejuſdem.*] Q. Serenus, cap. 7. pag. 128.

Illotus ſudor, vel copia nobilis eſca
Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.
Ergo lutum prodeſt membris adlinere fricatis,
Quod facit ex aſino ſaccatus corporis humor.
Nec pudeat tractare fimum quod vacula fudit.

Adſtipulatur & Plinius Valer. lib. 3. cap 38.

3. *Glutinum taurinum.*] Dioſcor. lib 3. cap. 101. glutinum taurinum pariter admonet in aceto reſolutum, impetigines lepraſque ſummæ cutis abſtergere. Sextus Platon. cap. 11. de tauro, tit. 13. *Ad faciem ſplendidam faciendam: Membrum tauri in aceto maceratum, & illitum, ſplendidam facit faciem:* Quia ſcilicet ita maceratum, dat glutinum candidandæ cuti idoneum.

4. *Boas.*] De hoc vitio egimus lib. 24. ſect. 35. MSS. hoc loco *bovas* exhibent: a bove, ut Plinius ait. Sed de ea etymo Voſſium vide.

5. *Canum ſcabies.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 38.

Sect. LXXVI. 1. *Item capræ.*] Plinius Valer. libro 3. cap. 49.

2. *Coagulo &c.*] Hæc ad verbum exſcripſere Marcellus Empir. cap. 34. pag. 233. & Plinius Valer. loc. cit.

3. *Cicatrices.*] Plinius Valer lib. 3. cap. 46.

4. *Fel vituli.*] Hoc medicamentum non ad quaſlibet, ſed ad oculorum tantummodo cicatrices pertinet, ex Marcello Empirico, cap. 8. pag. 68. *Fel vituli*, inquit, *diligenter collectum ad cotylæ menſuram in vas æreum mittitur, tenuique igne admoto ita excoquitur, ut ſpiſſetur: deinde mellis boni tantum mittitur: quantum fellis illius decocti remanſerit. Adjiciuntur poſtea myrrhæ tritæ drachmæ duæ, & croci una, & æris flos pauxillum: ac poſtea ſimul omnia diu coagitata ad tertias decoquuntur: quod medicamen in pyxide ærea debet reponi, ſatis utile & leucomatis, & cicatricibus, & omnibus vitiis oculorum, ſi aſſidue inde & opportune inungantur.*

Sect. LXXVII. 1. *Mulierum .... fel tauri.*]. Nec appoſitu tantum, ſed & potu juvare auctor eſt Hippocrates, lib. de nat. mul. text. 105. pag. 413. Plinio fere Habdarrahmanus adſtipulatur, cap. 6. pag. 40. Ecchellenſi interprete: *Ad provocanda menſtrua, recipe pondus duarum drachmarum fellis tauri, ac tantumdem granorum myrti: contundantur grana, liqueſcant deinde in felle, & admiſceantur cum melle apum: quo facto madefacito in hujuſmodi mixtura lanam, indito vulvæ, ſtatim provocantur menſtrua.*

2. *Hyſſopum & nitrum.*] Sic MSS. omnes, quos vidimus. Sunt qui *œſypum* legi malunt, quod hanc vim pellendi menſtrua Dioſcorides œſypo aſſerat, lib 2. cap 84. *Καὶ ἔμμηνα καὶ ἔμβρυα ἄγει.*

3. *Cornus cervini.*] Muliebri profluvio mederi eum cinerem auctor eſt Sextus Platon. cap. 1. de cervo, num. 6.

4. *Item vulvas.*] Dioſcor lib 2. cap 63

5 *Cum opio.*] Sic Reg. 1. & editi. In Reg. 2. & Chiffl. *cum apio.* At iidem MSS. inferius. hac ſect. *opio.*

6. *Vulvas & pilo.*] Sextus Platon. cap. 1. de cervo, tit. 16. *Ad aborſum: Ex pilis cervinis ſuffumigabis, & mulier ſanabitur*

7. *Tradunt cervas.*] Sextus Platon. loc. cit. tit. 17 *Ad aborſum: Lapis, qui in vulva aut in ventriculo cervi invenitur, phylacterium eſt pregnanti, & perficit ut partum perferat .... Simili ratione oſſicula inveniuntur in corde cervi, aut in vulva ejus, quæ idem præſtant.*

8. *Diximus.*] Libro 11. ſect. 79. *Et in juvencarum ſecundo ventre pila rotunditate nigricans tofus, nullo pondere: ſingulare, ut putant, remedium ægre parientibus, ſi tellurem non attigerit.* Hic Plinium Dalecampius *μνημονικοῦ ἁμαρτήματος* temere incuſarat.

ut etiam [a] contra illatas noxias valeat. Eumdem supervenire, perniciosum est. Magnus & leporis usus mulietibus. Vulvas adjuvat pulmo aridus potus: profluvia jecur [9] cum Samia terra ex aqua potum: secundas coagulum: caventur pridiana balinea. Illitum quoque cum croco & porri succo, vellere appositum, abortus mortuos expellit. [10] Si vulvæ leporum in cibis sumantur, mares concipi putant. Hoc & testiculis eorum, [11] & coagulo profici. Conceptum leporis utero exemptum his quæ parere desierint, restibilem fecunditatem afferre. Sed pro conceptu, leporis saniem & viro Magi propinant. Item virgini novem grana fimi, [b] ut stent perpetuo mammæ. Coagulum quoque ob id cum melle illinunt: sanguinem, ubi evulsos pilos renasci nolunt. Inflationi vulvæ, fimum aprugnum suillumve cum oleo illini prodest. Efficacius sistit farina aridi, ut aspergatur potioni, vel si gravidæ aut puerperæ [12] torqueantur. Lacte suis poto cum mulso adjuvantur partus mulierum. Per se vero potum, deficientia ubera puerperarum replet. Eadem circumlita sanguine feminæ suis, minus crescent. Si dolent, lactis asinini potu mulcentur: quod addito melle sumptum & purgationes earum adjuvat. Sanat & vulvarum exhulcerationes ejusdem animalis sevum inveteratum, & in vellere appositum duritiem vulvarum emollit. Per se vero recens vel inveteratum, ex aqua illitum, psilothri vim obtinet. Ejusdem animalis lien inveteratus; ex aqua illitus mammis, [c] abundantiam facit: [d] vulvas suffitu corrigit. [13] Ungulæ asininæ suffitæ partum maturant, [e] ut vel abortus evocetur: [f] nec aliter adhibentur, quoniam viventem partum necant. [14] Ejusdem animalis fimum si recens imponatur, profluvia sanguinis mire sedare dicitur. Necnon & cinis ejusdem fimi, qui & vulvæ prodest impositus. [15] Equi spuma illita per dies XL. prius quam primum nascantur pili, restinguuntur. Item cornus cervini decocto: melius, si recentia sint cornua. [16] Lacte equino juvantur vulvæ [g] collutæ. Quod si mortuus partus sentiatur, [17] lichen ex aqua dulci potus ejicit. [18] Item ungulæ suffitu, aut fimum aridum. Vulvas procidentes butyrum infusum sistit. Induratam vulvam aperit fel bubulum rosaceo admixto, foris vellere cum resina terebinthina imposito. Aiunt & suffitu fimi e mare bove, procidentes vulvas reprimi, partus adjuvari: conceptus vero vaccini lactis potu. Sterilitatem ob partus vexationem fieri, certum est. Hanc emendari [19] Olympias Thebana affirmat felle taurino, & adipe serpentium, & ærugine, ac melle, medicatis locis ante coïtus. Vitulinum quoque fel, in purgationibus sub coïtu aspersum vulvæ, etiam duritiam ventris emollit, & profluvium minuit umbilico peruncto: atque in totum vulvæ prodest. Modum statuunt fellis pondere denarii, opii [h] tertia, admixto amygdalino oleo, quantum esse satis appareat: hoc in vellere imponunt. Masculi fel vituli, cum mellis dimidio tritum, servatur ad vulvas. Carnem vituli si cum aristolochia, inassatam edant circa conceptum, mares parituras promittunt. Medulla vituli in vino ex aqua decocta cum sevo, exhulcerationibus vulvarum imposita prodest. Item adeps vulpium, [20] excrementumque felium: hoc cum resina & rosaceo impositum. [21] Caprino cornu suffiri vulvam, utilissimum putant. Silvestrium caprarum sanguis [22] cum palma marina pilos de-

INTERPRETATIO.

a *Contra.*] Contra illata veneficia.
b *Ut stent.*] Ut ne tumeant, crescantve.
c *Abundantiam.*] Lactis copiam.
d *Vulvas.*] Conversiones vulvæ.
e *Ut vel.*] Ita ut etiam partus mortuos expellant.
f *Nec aliter.*] Nec nisi in suffitu adhibentur.
g *Collutæ.*] Infuso clystere.
h *Tertia.*] Tertia *denarii parte.*

NOTÆ.

9. *Cum Samia terra.*] Ad mulierum purgationes Samiam terram nigram acetabuli mensura potam ex aqua, commendat Hippocr. lib. de nat. mul. tex. 29. pag. 179.

10. *Si vulvæ leporum.*] Sextus Platon. cap 2. de lepore, tit. 13. *Ut mulier masculum concipiat & pariat: Leporis vulvam siccam derasam in potione vini bibant utrique, & mulier, & masculus. Nam si mulier sola biberit, androgyne nascitur: hoc est, nec masculus, nec femina. Item leporis testiculum post purgationem suam mulier si cum vino contritum accipiat, masculum pariet. Leporis coagulum ad drachmas quatuor in potione datum viro, femina de femineo, & masculo de masculino: & mox faciant coitum, & post abstineant se, statim concipit:* &c. Q. Serenus, cap. de conceptione & partu:

Irrita conjugii sterilis si munera languent....
Aut igitur leporis consumit femina vulvam, &c.

11. *Et coagulo profici.*] Hoc referre se ex aliorum sententia Plinius abunde prodit. Dioscor. e contrario, lib. 2. cap. 85. leporis coagulo conceptionem impediri significat. *Restibilis fecunditas*, ea est, quæ in sequentem quoque annum veluti resistat.

12. *Torqueantur.*] Inflationibus, ac torminibus.

13. *Ungula asinina.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 5. pag 24. *Prægnantem mulierem si ungula asini suffies, emittit infantem mortuum, vel vivum.*

14. *Ejusdem animalis.*] Idem Ægyptius, loc. cit. *Asini contusum stercus cum vino aut melle potum sanguinis eruptionem sistit: sive eruptio illa fit ex partibus inferioribus; sive superioribus; sive ex naribus, aut sanguis menstrualis* &c

15. *Equi spuma.*] Sextus Platon. cap. 16. de equo, tit. 2. *Ne puero investi pili exeant: Equi spuma si puero investis pectinem* (hoc est, pubem) *linieris, pili ejus non crescunt, nec generantur.*

16. *Lacte equino.*] Habdarrahmanus, cap 2. pag. 17. *Lac equa recens & calidum ad hoc, si eo per modum clysteris utatur mulier, vulvæ curabit ulcera.*

17. *Lichen ex aqua.*] De hoc lichene dictum est sect 49.

18 *Item ungulæ.*] Habdarrahmanus, cap. 2. pag 17. *Si lecte equino utatur mulier per modum suffumigii, addita equi ungula, educitur demortuus infans, vel adusta secundina.* Hoc ipsum equi axungiæ, nisi vitiosus is locus est, Sextus Platon. adscribit cap. 16. de equo, tit. 4. *Ad mortuum partum: Equi axungia suffumigata ejicit mortuum partum foras, & secunda sequitur.*

19. *Olympias Thebana .... felle taurino.*] Habdarrahmanus, cap. 6. pag 46 en felle ad labrum vulvæ appenso, ante coitum, donec vulva fel ad se trahat, id si ter fiat, fecunditatem spondet.

20. *Excrementumque felium.*] Sextus Platon. cap. 18. *de cata*, hoc est, de fele: tit. 2. *Ad profluvium mulieris: Catæ stercus cum resina & rosaceo suppositum reprimit.*

21. *Caprino cornu.*] Habdarrahmanus, cap 9. pag. 65. *Cornu caprarum si difficultate pariendi laborans suffumigabitur, ut fumus ad labrum vulvæ ascendat, facilior reddetur partus.*

22. *Cum palma marina.*] Ita libri omnes, etiam MSS quos

trahit. Ceteratum vero fel, callum vulvarum emollit inspersum, & a purgatione conceptus facit. Sic quoque psilothri vis efficitur, si evulsis pilis triduo servetur illitum. Profluvium, quamvis immensum, urina capræ pota sisti, obstetrices promittunt, & si fimum illinatur. [33] Membrana caprarum in qua partus editur, inveterata, potuque sumpta in vino, secundas pellit. Hœdorum pilis suffiri vulvas, utile putant, & in profluvio sanguinis coagulum bibi, aut hyoscyami semen imponi. E bove silvestri nigro si sanguine ricini lumbi perungantur mulieri, tædium Veneris fieri, dicit Osthanes. Idem amoris, pota hirci urina, admixto propter fastidium nardo.

LXXVIII. [1] Infantibus nihil butyro utilius, per se & cum melle: privatim & in dentitione, & ad gingivas, & ad oris hulcera. [2] Dens lupi adalligatus infantium pavores prohibet, dentientique morbos: quod & pellis lupina præstat. Dentes quidem eorum maximi equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur. [3] Leporum coagulo illito ubere sistitur infantium alvus. Jecur asini, admixta modice panace, instillatum in os, a comitialibus morbis & aliis infantes tuetur: hoc xl. diebus fieri præcipiunt. Et pellis asini injecta, impavidos infantes facit. [4] Dentes qui equis primum cadunt, facilem dentitionem præstant infantibus adalligati: efficacius, si terram non attigere. Lien bubulus in melle editur: & illinitur ad lienis dolores: ad hulcera manantia cum melle. Lien vituli in vino decoctus, tritusque & illitus, hulcuscula oris. [5] Cerebrum capræ Magi per anulum aureum trajectum, prius quam lac detur, infantibus instillant contra comitiales, ceterosque infantium morbos. Caprinum fimum inquietos infantes adalligatum panno cohibet, maxime puellas. [6] Lacte caprino, aut cerebro leporum perunctæ gingivæ, faciles dentitiones faciunt.

LXXIX. Somnos fieri lepore sumpto in cibis [1] Cato arbitratur: vulgus & gratiam corpori in viiii. dies, frivolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tanta persuasione. [2] Magi felle capræ, sacrificatæ dumtaxat, illito oculis, [3] vel sub pulvino posito, somnum allici dicunt. [4] Sudores inhibet cornus caprini cinis e myrteo oleo perunctis.

LXXX. Coitus stimulat fel aprugnum illitum: item medullæ suum haustæ: [1] sevum asininum, anseris masculi adipe admixto illitum: Item a coitu equi [2] Virgilio quoque descriptum virus, & testiculi equini aridi, [a] ut potioni interi possint: dexterve asini testis in vino potus proportione, vel adalligatus brachiali. Ejusdem a coitu spuma collecta roseo panno, & inclusa argento, ut Osthanes tradit. [b] Salpe genitale in oleum fervens mergi jubet septies, eoque perungi pertinentes partes. [3] Bialcon cinerem ex eodem bibi, vel tauri a coitu urinam, lutoque ipso illini pubem. At e diverso muris fimo illito cohibetur virorum Venus. Ebrietatem arcet pulmo apri aut suis assus, jejuni cibo sumptus eo die, item hœdinus.

Interpretatio.

a *Ut potioni.*] Ut potioni adspergi contriti possint.

b *Salpe.*] Salpe *obstetrix* genitale *asini* mergi jubet &c.

Notæ.

quidem vidimus. Et recte utique: de palmis quæ crescunt in Hispaniæ maritimis, dictum est lib. 13. sect. 6.

33 *Membrana caprarum.*] Sextus Platon. cap. 5. de capro & capra, tit. 29. *Ad secundas ejiciendas: Capra secunda ex vino pota mulierum secundas ejiciet.*

Sect. LXXVIII. 1. *Infantibus &c.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 42.

2. *Dens lupi.*] Hanc vim oculo Habdarrahmanus adjudicat, cap. 23. pag. 96. *Oculus lupi dexter puero appensus, expellet ab illo timorem qui ei accidit in somno.*

3. *Leporum coagulo.*] Sextus Platon. cap. 2. de lepore, tit. 17. *Ad infantium ventris fluxum, Leporis coagulum illinitum in sumine* (hoc est, in mamma) *mulieris*, &c.

4. *Dentes qui equis.*] Q. Serenus, cap. 60. *de infantibus dentientibus*, pag. 161.

Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci.

Superstitiosius Sextus Platon. cap. 16. de equo, tit. 3. *Ad dentium dolorem: Equi dentes qui primum nati fuerint, si dentem qui dolet, tetigerint, remedio erunt. Nam & si infans equi rostrum basiaverit, dentium dolorem non sentit: & nec equus mordebit infantem.* Theodorus Priscianus, lib. 4. *Ad dentitionem infantium, equinus dens auxiliatur.* Plinii nostri verba summa fide transscribit Plinius alter Valer. lib. 1. cap. 42.

5. *Cerebrum capræ.*] Sextus Platon. cap. 4. de caprea, tit. 16. *Capreæ cerebrum per anulum aureum trajectum, si dederis infanti ad gluttiendum antequam lac sugat, efficit ut nec caducus fiat, nec phantasma incurrat.*

6. *Lacte caprino.*] Q. Serenus, cap. 60. pag. 161. de infantibus dentientibus:

Aut teneri cerebrum gingivis illine porci:
Aut leporis niveum bibitur cum lacte caprino.

Plinius Valer. lib. 1. cap. 42. *Ad dentitionem, quando infantes dentiunt: Lacte caprino & leporis cerebro gingivæ perfricantur.* Sed & canino lacte idem præstari docuit Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 4. *Ad dentes infantium.* Cerebro leporum, cap. 2. de lepore, tit. 2.

Sect. LXXIX. 1. *Cato.*] Citatur a Diomede, lib. 1. pag. 358. *Cato ad filium, vel de Oratore: Lepus multum somni adfert, qui illum edit.*

2. *Magi felle capræ.*] Sextus Platon. de cornu id narrat, non de felle. Sic enim ille, cap. 5. de capro & capra, tit. 2. *Ad somnum. Cornu caprinum capitis inferius, qui non dormit, suppositum, vigilias in somnum convertit.* Utrumque, ut remur, ex æquo futile ac superstitiosum.

3. *Vel sub pulvino posito.*] Hanc vim & cornu ipsi caprino Habdarrahmanus adscribit, cap. 9. pag. 67. *Cornu capri valde albi comburatur, involvaturque ejus cinis in panniculo lineo, & supponatur capiti ægroti, qui non dormit, dummodo ipse id sciat, dormiet profecto, quamdiu involucrum illud sub capite ejus detinetur.* Nugæ.

4. *Sudores inhibet.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap xt.

Sect. LXXX. 1. *Sevum asininum*, &c.] Sextus Platon cap. 14. de asino, tit. 1. *Asini adeps & anseris masculi mixtus, & ad anum appositus, concubitum præparat.*

2. *Virgilio quoque.*] Libro 3. Georg. vers. 280.

Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus.
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ, &c.

3. *Bialcon.*] Hæc vox in MSS. codicibus variis effingitur modis: *Diacon*, *Biacon*, &c. Verius, ut remur, *Dalion*, de

LXXXI. [1] Mira præterea traduntur in eisdem animalibus. [a] Vestigium equi excussum ungula (ut solet plerumque) si quis collectum reponat, singultus remedium esse recordantibus quonam loco id reposuerint. Jecur luporum equinæ ungulæ simile esse, [2] & rumpi equos qui vestigia luporum sub equite sequantur. [b] Talis suum discordiæ vim quamdam inesse. In incendiis, si fimi aliquid egeratur e stabulis, [c] facilius extrahi, nec recurrere oves bovesque. Hircorum carnes virus non resipere, si panem hordeaceum eo die, quo interficiantur, ederint, laserve dilutum biberint. Nullas vero teredineu sentire, Luna decrescente induratas sale. Adeoque nihil omissum est, ut leporem surdum celerius pinguescere reperiamus. Animalium vero medicinas: [3] si sanguis profluat jumenti, suillum fimum ex vino infundendum. [4] Boum autem morbis sevum, sulphur vivum, allium silvestre, ovum coctum: omnia hæc trita in vino danda, aut vulpis adipem. Carnem caballinam discoctam, potu suum morbis mederi. Omnium vero quadrupedum morbis, capram solidam cum corio, & ranam rubetam discoctas. Gallinaceos non attingi a vulpibus, qui jecur [d] animalis ejus aridum ederint: vel si pellicula ex eo collo inducta, galli inierint. Similia in felle mustelæ. [5] Boves in Cypro contra tormina, hominum excrementis sibi mederi. [6] Non subteri pedes boum, si prius cornua pice liquida perungantur. Lupos in agrum non accedere, si capti unius pedibus infractis, cultroque adacto paulatim sanguis circa fines agri spargatur: atque ipse defodiatur in eo loco, ex quo cœperit trahi. Aut si vomerem, quo primus sulcus eo anno in agro ductus sit, excussum aratro, focus Larium, quo familia convenit, absumat: ac lupum nulli animali nociturum in eo agro, quamdiu id fiat. Hinc deinde revertemur ad animalia sui generis, quæ aut placida non sunt, aut fera.

CAP. XX.

INTERPRETATIO.

a *Vestigium.*] Ferrea equi solea.
b *Tali.*] Talos suum aiunt *gestatos* concitare quodammodo discordiam.
c *Facilius.*] Facilius avocari e stabulis oves bovesque, nec eo deinde regredi.
d *Animalis.*] Vulpis.

NOTÆ.

quo dictum est in Auctorum Indice.

Sect. LXXXI. 1. *Mira præterea.*] Idcirco dumtaxat ea prodit, quod sint prodita, non quod vera putat.

2. *Et rumpi equos.*] Ilia equorum procidere ruptis intestinis. Obtorpescere solum equos calcatis lupi vestigiis, scripsere, Pamphilus ἐν τῷ περὶ φυσικῶν, in Geopon. lib. 15. cap. 1. pag. 403. ὅτι λύκου ἴχνη πατήσαντες ἵπποι, ναρκῶσι καὶ σπῶνται. Ælianus, lib. 1. hist. anim. cap. 36. Phile, pag. 80. aliique, quos Plinius ipse secutus est, sect. 44. libri hujus. Simile illud Habdarrahmani, cap. 23. pag. 96. *Equa si lupinum loc conculcabit, statim concidet.*

3. *Si sanguis profluat jumenti.*] Simile Habdarrahmani placitum, cap. 27. de sue, pag. 108. *Stercore admissarii suis subtiliter contuso, & liquefacto in vino, si linietur ungula jumenti collisa, sanabitur.*

4. *Boum autem.*] Cato, de re rust. cap. 71. *Bos, si ægrotare cœperit, dato continuo ei unum ovum gallinaceum crudum, integrum facito devoret. Postridie caput ulpici conterito cum hemina vini, facitoque ebibat,* &c. Est autem ulpicum allii genus, de quo suo loco diximus. Columella, lib. 6. cap. 4. *de vitiis boum & medicinis. Sæpe etiam languor & nausea discutitur, si integrum gallinaceum crudum ovum jejunis faucibus inseras, ac postero die spicas ulpici vel allii cum vino conteras, & in naribus infundas.*

5. *Boves in Cypro.*] Uti de pantheris dictum est libro 8. sect. 41. Venit id in usum proverbii, teste Suida: Βοῦς Κύπριος· ἐπὶ τῶν χυδαίων καὶ ἀναισθήτων· φασὶ γὰρ τοὺς Κυπρίους βόας κοπροφαγεῖν. *Bos Cyprius. De homine futili & stupido. Nam boves Cyprii stercoribus vesci feruntur.* Hesychius: Βοῦς Κύπριος· κοπροφάγος, αἰσχρὸς, ἀγοραῖος. Σημαίνει δὲ ἀτοπίαν τῶν Κυπρίων. Καὶ Εὔδοξος ἀφηγεῖται ὅτι κοπροφαγοῦσιν.

6. *Non subteri.*] Cato de re rust. cap. 72. *Boves, ne pedes subterant, priusquam in viam quoquam ages, pice liquida cornua infima unguito.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXVIII.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 2. I. UT *viventibus poculis.*] Sic libri omnes, tum editi, tum exarati manu, quos vidi, quosque non vidi. Eadem sententia dixit idem paulo ante Plinius: *Nec tacebimus quid in ipso homine prosit homini, cæteraque genera remediorum inter nos viventia.* Quod qui non animadvertere, has voces variis modis sollicitarunt: Pintianus extrita voce *viventibus*, *ut procul sint* legit. Gronovius, *ut iuvantibus poculis*: ille audacius paulo: ingeniosius iste, quam verius. Adde his ea quæ diximus in Notis prioribus.

Sect. 3. II. *Quippe victimas cædi sine precatione non videtur referre, aut Deos rite consuli.*] Libri omnes editi, *nec Deos*: cetera cum optimæ notæ exemplari Reg. 2. plane congruunt. Ut intelligas quanti sit facienda Salmasii emendatio, ita legentis, in Solin. pag. 685. *Quippe victimas cædi sine precatione non videtur, referre ad deos, rite consuli.* Quanti quoque Jac. Gutherii interpretatio, qui lib. 4. de jure Pontif. cap. 14. pag. 431. sic accipit, quasi diceretur nihil interesse, preces ad sacrificium funderentur, annon: ideoque τὸ *referre* delet.

Ibid. III. *Anno Urbis DCIX.*] Constans hæc est librorum omnium, sive editorum, sive MSS lectio: frustra entente Paulo Merula, in Ennium, pag. 177. annum Urbis DXIX. substituere, ex epitome Liviana libri XX. ubi sic legitur: *Tucia Virgo Vestalis incestus damnata est. Bellum Illyriis*, &c. Gestum enim id bellum ponitur anno DXXV. Verum aliam esse Tucciam a Tutia haud temere affirmamus: cum Tutiam Livius incestus damnatam; Tucciam Plinius, Dionysius Halic aliique quos appellavimus, criminis suspicione liberatam prodant, hausta cribro aqua, & longo perlata spatio: quod miraculum Livii etiam Epitomator delibasset, si de Tutia affirmari vere potuisset.

Ibid. IV. *De tota conjectione.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colbert. Chiffl. aliique: non, ut editi, *contestatione*. Conjectio hoc loco controversia est, cum in jure dicatur *causam conjicere*, pro *agere*. Frustra Pintianus igitur, *dempta conjectatione*, vel *contestatione* legendum monet. Controversiam Plinius intelligit eam quam multo pertractavit uberius, lib. 2. sect. 5. num curam agant superi rerum humanarum.

Sect. 4. V. *Carmen auxiliare.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colbert. Chiffl. non, ut editi, *auxiliari*. Sic etiam Ovidius, lib. 7. Metam. vers. 137.

> *Neve parum valeant a se data gramina, carmen*
> *Auxiliare canit, secretasque advocat artes*

Sic etiam nomen *auxiliare* a Q. Sereno Sammonico traditur, medico, ut credunt, Basilidiano, in remedium hemitritæi, scriptum Græcis characteribus: est enim C pro Σ usitatum, etiam in nummis antiquis, a temporibus Domitiani præsertim. Sic ergo Serenus:

> *Inscribes charta quod dicitur* Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β Ρ Α:
> *Sæpius & subter repetis: sed detrahe summam,*
> *Et magis atque magis desint elementa figuris*
> *Singula, quæ semper rapies, & singula figes,*
> *Donec in angustum redigatur littera conum.*

Figura nimirum hujusmodi delineanda a Sammonico præcipitur.

Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β Ρ Α
Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β Ρ
Α Β Ρ Α C Α Δ Α Β
Α Β Ρ Α C Α Δ Α
Α Β Ρ Α C Α Δ
Α Β Ρ Α C Α
Α Β Ρ Α C
Α Β Ρ Α
Α Β Ρ
Α Β
Α

Hoc artificio conditum illud vocabulum est, ut primum quidem ex litteris singularibus exsistat hæc sententia gemina; *Deus unus, in personis trinus, homines salvat per crucem. Pater, Filius, Spiritus sanctus Dominus Deus unus est.*

Α	Ab	Pater,
Β	Ben	Filius,
Ρ	Rouah hakodesh	Spiritus sanctus,
Α	ἀνθρώπους	homines
C	σώζει	salvat
Α	ἁγίῳ	per sacram
Δ	δένδρῳ.	arborem.
Α	Ab	Pater,
Β	Ben	Filius,
Ρ	Rouad-hakodesh	Spiritus sanctus,
Α	Adonai.	Dominus Deus unus est;

Est enim *ἅγιον δένδρον sacra arbor*, per metaphrasim pro cruce positum. Priore loco hæc nomina, *Pater, Filius, Spiritus sanctus*, posita sunt pro eo quod est, *Deus unus in personis trinus*: posteriore loco eadem sunt pro distinctis ipsis singulatim personis posita. Deinde ab ea littera A quæ coni acumen efficit, ascendendo sursum latere sinistro, eadem rursum occurrit sententia, atque in basi, seu primo versu integro. Similis artificii est nomen famosum Α Β Ρ Α C Α Ξ: quod videtur habere hanc sententiam, singulis litteris singulas voces, partim Hebræas, partim Græcas exhibentibus, superiori similem: *Deus unus ac trinus homines salvat per crucem.* Numerus autem, qui ex ipsis litteris septem Græcis exsistit, omnino numerus est anni dierum, CCCLXV.

A Ab אב } Pater, } Deus
B Ben בן } Filius, } unus
P Rouah hakodesh רוח הקדש } Spiritus sanctus, } in tribus personis.
A ἀνθρώπους hominès
Σ σώζει salvat
A ἁγίῳ } sacro } per crucem.
Ξ ξύλῳ. } ligno.

Nam crux *περιφερητικῶς ἅγιον ξύλον facrum lignum*, ut superius *ἅγιον δένδρον*, *facra arbor* est. Apparet autem quamobrem nihil fere interfit, utrum ΑΒΡΑΣΑΞ fcribatur, ut plerumque vox ea occurrit: an ΑΡΒΑΞΑΣ, ut etiam occurrit interdum. In gemmis antiquis infculptum perfæpe reperitur, fed fculptura recentiore multo, ac longe rudioris operæ, quam fit in eodem lapide infculpta effigies, fi qua fit. In averfa deinde parte gemmarum fculptum illud plerumque nomen eft, rarius in antica fuperficie: ut videlicet rudior nominis illius fcalptura elegantiæ imaginis, quæ eft multo vetuftior, & operæ five artis exquifitioris, minime refponderet. Et ab otiofis quidem hominibus nunc piæ, nunc ridiculæ imagini in lapide fculptæ, nomen illud adjunctum occurrit. Amuleti vice fuiffe infculptæ eo nomine gemmæ creduntur ab hominibus haud fatis fufpiciofis: quoniam in una legitur, quæ eft in Mufeo Canonicorum Regularium S. Genovefæ Parifienfis: ΑΒΡΑCΑΞ ΑΔΩΝΑΙ. ΔΑΙΜΟΝΩΝ. ΔΕΞΙΑΙ. ΔΥΝΑΜΕΙΣ. ΦΥΛΑΞΑΤΕ. ΟΥΛΒΙΑΝ. (pro ΟΥΛΠΙΑΝ) ΠΑΥΛΕΙΝΑΝ. ΑΠΟ. ΠΑΝΤΟC. ΚΑΚΟΥ. ΔΑΙΜΟΝΟC. *Domine Deus: fpirituum dextræ Virtutes, fervate Ulpiam Paulinam ab omni maligno dæmone.*

Sect. 5. VI *Cur ad primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem fauftum ominamur?* Ad Calendas Martias perperam hæc Dalecampius retulit, cum ad Januarias fpectent, tefte Ovidio, lib. 1. Faftor. ad Janum, verf. 175.

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas, accipimufque preces?
Tum Deus incumbens baculo, quem dextra gerebat:
Omina principiis, inquit, ineffe folent.

Et lib. 4. de Ponto, Eleg. 4 verf 23.

Ergo ubi, Jane biceps, longum referaveris annum,
Pulfus & a facro menfe December erit: &c.
Curia te excipiet, patrefque ex more vocati
Intendent aures ad tua verba fuas.
Hos ubi facundos tua vox hilaraverit ore,
Utque folet, tulerit profpera verba dies, &c.

Prudentio quoque, lib. 1. contra Symmach. verf. 237.

Jano etiam celebri de menfe litatur
Aufpiciis epulifque facris, &c.

Certe jam tum a primordiis fere urbis Romæ Numa rege inftruente, Januarius anni menfis primus eft habitus, ut refert Macrobius, lib. 1 Saturn. cap. 13. pag. 250. Columella, lib. xi. cap. 2. & ipfe Ovidius, lib 1. Faft verf. 149.

Bruma novi prima eft, veterifque noviffima Solis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Romuli quidem ætate principium anni ductum a Martio: fed id antiquatum a Numa, Nafo teftatur, lib 3. Faftor. verf. 251. De ftrenis Calendarum Januarii frequens apud Suetonium mentio, in Augufto, & in Tiberio. Vide Lexicon Juridicum, verbo KALEND JANUAR.

Sect. 6. VII. *In infula Cypro.*] Sic libri omnes editi & MSS præter Chiffl & Reg. 2. in quibus *infula Paro* legitur, haud dubio errore. Nam etfi de Pario Hellefponti oppido paria Varro prodiderit, ipfeque Plinius lib. 7. fect. 2. de Paro tamen infula nihil apud ceteros fcriptores compertum adhuc ejufcemodi eft. Neque quidquam idcirco caufæ eft, cur Plinium Salmafius in jus vocet, pag. 348. in Solin. quafi præpoftere Parios, de quibus Varro, Pari infulæ incolas effe arbitratus fit: cum id ex vitiofo tantum uno, vel forfan altero exemplari colligat: & ipfe Plinius de Pario Hellefponti recte acceperit libro feptimo proxime appellato: ac denique Cyprum, non Parum, libri ceteri præ fe ferant: in qua extitiffe olim ejufcemodi Ὀφιογενεῖς ex eo fimile veri videtur, quod Ophiufa ipfa olim cognominata eft, tefte Ovidio, lib. 10. Metam. verf. 229.

Ipfa fuas urbes, Ophiufaque arva parabat
Deferere alma Venus.

Sect. 7. VIII. *Quanquam illos religione tutatur & Fafcinus.*] In libris hactenus editis, *quanquam religione mutatur & fafcinus.* In antiquis exemplaribus legiffe fe Turnebus ait, *religione muneatur.* Unde nos effingebamus olim, *religione eum tutatur*, infantem videlicet, de quo dictum eft antea proxime. Sed in Reg. 2. cod vidimus, *quanquam illos religione mutuatur & facinus*: quæ funt finceræ lectionis haud obfcura veftigia, quam repræfentamus

Ibid. IX. *Jubet eofdem recipere fimilis medicina lingua, ut fit exorata a tergo Fortuna, gloriæ carnifex*] Perturbata hactenus hujus loci interpunctio, crucem fixit interpretibus, criticifque, Turnebo, Rhodigino, Dalecampio, ceterifque. Sic enim legebatur: *Jubetque eofdem recipere* Sic utique libri omnes habent MSS. & editi, ante Dalecampium, qui primus refcripfit, *refpicere* Mox nova inftituta periodo, *Similis medicina linguæ*: quæ divulfa nullam probabilem efficere fententiam queunt. Libri etiam omnes, confpirante confenfu, *carnifex* exhibent, id quod ipfa loci fententia poftulat, non, ut quidam emendant, *carnificem.* Nam hæc vox, *carnifex*, in contextu Pliniano, ad Fortunam pertinet.

Sect. 9. X *Quin & ejectus lapillus calculofo.*] Sic libri omnes editi, & manu exarati: etfi in quibufdam exemplaribus Dalecampius legi dicat, *Quin ex ejectis* · ejectofque interpretetur, cæfo matris utero natos. Aftute nimis excogitatum id fane, ac difficile nimis inventu remedium. Cave tu quidquam immutet, receptam fcripturam defendente & explicante Marcello Empirico, cap. 26 pag. 183. *Lapis*, inquit, *ex vefica hominis qualibet occafione fublatus, fi teratur, & ex vini cyathis tribus calculofo potui detur, lapides vefica humana innatos efficaciter diffolvere creditur.* Habdarrahmano quoque Ægyptio, interprete Ecchellenfi, cap 1. num 38. *Item fi fufpendes fuper laborantem calculis veficæ calculos, quos alius egeffit, communicatur calculi, & curabitur laborans.*

Sect. 10. XI. *Æfchines . . . . excrementorum cinere anginis medebatur . . . & carcinomatis.*] In libris ad hunc diem editis, *ex crematorum cinere* legitur, infigni menda; quam præter codices Reg. 2. & Chiffl. editionefque Venetam ac Parmenfem, quæ funt omnium vetuftiffimæ, in quibus *excrementorum* diferte legitur, emendat egregie locus Sexti Platonici, cap. 17. de puero, tit. 9. *Ad carcinomata: Hominis ftercus combuftum*, inquit, *& in hulcera cancerofa & infanabilia afperfum, eo pro magno remedio utitur, quod melius appellatur Botrys.*

Sect. 12. XII. *Si vero ex aliis offibus, impofitis capiti ex eodem pifce officulis*] In libris hactenus editis, *ex eodem offe officulis.* In Reg. 2 & Chiffl. *ex eodem pifce* · quos ultro codices fecuti fumus Favet Marcellus Empiric. cap. 15. pag. 112. *Si de pifce in faucibus hæferit, fpinam ejufdem pifcis infringes: & aliquam partem ex ea, pollice & medicinali digito, fuper verticem ejus, cui ea vel fpina hærebit, appones: fed utilius erit, fi nefciens id faciat.*

Sect. 14. XIII. *Ungui, fricari cum ratione*] *Ungui* & *ungue*, dici pro *ungi*, *ungoque*, vetufto more, ex Prifciano fcimus. In libris hactenus editis, *ungue fricari*, abfurde: nam difparia ac diverfa fanitatis tuendæ remedia nunc præfcribuntur, neque ungue frictio peragitur, fed manuum injectu, circumactuque, τῶν χειρῶν ταῖς ἐπιβολαῖς τε καὶ περιαγωγαῖς αἱ ἀνατρίψεις γίγνονται, inquit Galenus, lib. 2. de fanit. tuenda, cap. 3. pag. 70. Frictioni vero unctio præmitti folita erat, ut docet idem, cap. 2. pag 69. Et Celfus, lib. 1. cap. 3. *Tum multo oleo ungi, leniterque perfricari*, &c. Et lib. 3. cap. 22. de tabe: *Præter hæc convenit ambulare locis quam minime frigidis, Sole vitato. . . . fi infirmior eft, geftari, ungi, perfricari, fi poteft, maxime per feipfum, fæpius eodem die. . . . Tum paulatim cibi dandi, adjectis exercitationibus, unctionibus, frictionibus.* Iterumque, lib 4. cap. 5. *Poft exercitationem opus eft unctione, frictione, balneo quoque nonnunquam*, &c. *Ungui* porro hoc loco ut fcriberemus, codex Regius 2. admonuit, & Chiffl. cum Galeno.

Ibid. XIV. *Sol quoque remediorum maximum ab ipfo fibi præftari poteft . . . . perfundere caput calida ante balnearum vaporationem, & poftea frigida, faluberrimum intelligitur.*] In libris hactenus editis *folum quoque* legebatur · *folium* alii, ex conjectura fubftituere aufi, hoc eft, vas in quo fedentes lavantur. Verum & Chiffletianus codex, tefte Dalecampio, & probatiffimi alii, quos vidimus, *Sol* incredibili confenfu exhibent: in quem unum fane id commode cadit, ut remediorum maximum appelletur. Sed præter exemplarium auctoritatem maximum emendationi noftræ pondus addit Cornelii Celfi teftimonium: quo auctore didicimus id quod a Plinio deinde adjicitur: de perfundendo capite, calida, frigidaque, tum folum, vel tum certe in primis adhiberi oportere, cum accepta a Sole aliqua offenfio fuerit: qui cum fit per fe quidem remediorum maximum, fi nimium tamen eo utare, nocere poteft. Sic enim ille, lib. 1. cap. 3. *Si quis vero exuftus in Sole eft, huic in balneum protinus eundum eft, perfundendumque oleo corpus & caput. Deinde in folium bene calidum defcendendum eft · tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida.* Ubi & folium ipfum, & calida, frigidaque contra exuftionem a Sole remedium eft. Et capite quidem proxime fubfequente, etiam citra Solis injuriam quæ fint balnei leges explanans, perfundi pariter calida frigidaque caput præcipit: verum ibi folium abdicat: plane ut utrumlibet ex iis locum fpectes, *folium* hoc loco dicere minime poffis. Sic enim Celfus: *Si in balneum venit, fub vefte primum paulum in tepidario infudare · ibi ungi: tum tranfire in caldarium · ubi fudabit, in folium non defcendere fed multa calida aqua per caput*

se totum perfundere: tum tepida uti, dein frigida: diutiusque eo caput, quam ceteras partes perfundere: deinde id aliquamdiu perfricare, novissime detergere, & ungere. Capiti nihil aque prodest, atque aqua frigida, &c. Sol certe inter remedia censetur ab eodem, libro 3. cap. 21. *Paulatim*, inquit, *revocandus æger est ad exercitationes, frictiones, Solem, ambulationes, navigationes, & idoneos cibos, donec ex toto convalescat.* Et lib. 4. cap. 16. *Exercitationes .... & cum his Sol, ignis, balneum.*

Sect. 15. XV. *Sternumenta pinna gravedinem emendant.*] Hanc vocem *pinna*, quam libri omnes, etiam MSS exhibent, concoquere Dalecampius non potuit: Maluit itaque, *sternutamenta capitis gravedinem* legere. Alii, ipsomet ita prodente, *capitis & narium*. Utrique contra exemplarium fidem, sententiamque scriptoris, cui lucem affert Philosophi locus e sect. 33. problem. 8. pag. 834. Διὰ τί αἱ πτερῷ τὰς ῥῖνας κινοῦντες πτάρνυνται .... Ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῷ πτερῷ τὰς ῥῖνας διαθερμαίνοντες, διαλύομεν εἰς πνεῦμα· πλεῖον δὲ γινόμενον, ἐξωθοῦμεν. *Cur naribus penna tentatis sternutamentum movetur? ... Sternutamenti quoque ratio eadem est: cum enim penna movemus atque tepefacimus nares, humor in spiritum solvitur, quem mox redundantem expellimus.* Et alter Hippocratis, lib. 2. de morbis mulier. tex. 18. pag. 547. Ἐς δὲ τὰς ῥῖνας .... πτερὸν ὀξεῖ βάψαι, καὶ ἐνθεῖναι· διαχρῖσαι δὲ τὰς ῥῖνας· ἢ τῶν πταρμικῶν προσθεῖναι, &c. *Si nares vero, ... aut pennam aceto tingito, & immittito, naresque illinito. aut sternutatorium apponito.*

Ibid. XVI. *Et si quis mula nares.*] Libri vulgati, *Si quis maris nares*, ita refingente Barbaro. Nam in Parmensi, *Si quis muro nares.* In Reg. 1. *Si qui mutare nares.* In Reg. 2. *Si quis mulu nares.* In Chiffl. *Si quis mutare nares.* Ut *mula* scriberemus, fecit in primis auctoritas clarorum virorum, præter vestigia sinceræ scripturæ, quæ sunt haud obscura. Auctor libri qui Kirani falso inscribitur, lib. 2. pag. 79. *Si quis habet frigidum catharrum, & osculatus fuerit nares burdonis, sanatur, etiamsi coryzam habet.* Ad fœtorem narium idem commendat Marcellus Empiricus, cap. 10. pag. 86. *Cui nares fœtebunt, inquit, remediabitur, si nares muli osculatur: Similiter proderit mulieri, si nares mula basiaverit.* Quibus e testimoniis intelliges obiter, mulum quoque burdonem vocari: quanquam alii de asino accipi volunt: qua de re Du-Cangii Glossarium consule.

Sect. 18. XVII. *Contra aurium pura, vermiculosque.*] Ita libri omnes, sive editi, sive manu exarati. Tamen in nescio quo vetusto exemplari legi *pituitam* non *pura* Dalecampius admonet: sed frustra, ac mendose. Nam Habdarrahmanus Ægyptius, Echellensi interprete, cap. 1. num. 11. *Ploxum pueri & famei ex auribus sistit urina, si calefacta cum malogranatorum corticibus instillatur auribus: nec non vermes, qui ibi enasci solent, educit.* Sextus item Platon. cap. 17. de puero, &c. tit. 1. *Pueri vel virginis incorruptis lotio*, inquit, *... infunduntur faces etiam auriculis qua pus habent*, &c. Marcellus Empir. cap. 9. pag. 75. *Pueri impubis urina recens auricula dolenti & hulcerosa instillata, omni humore siccato, & dolorem tollit, & hulcera mira celeritate persanat.* Et pag. 81. *Pueri impubis nondum lotium exceptum & recens, ut tepidum, auricula suppurata instillatum, humore exsiccato dolorem tollit*, &c. Dioscor. lib. 2. cap. 99. de urina vetere: ἐγχυματιζόμενον δὲ ὠσὶ πυορροοῦσι, *purulentis auribus infusa, pus earum supprimit.*

Ibid. XVIII. *Corporum pruritus: nitro addito hulcera capitum, porrigines, nomas, præcipue genitalium.*] Nitrum addi anteriori medicinæ, hoc est, sanandis corporum pruritibus, observata hactenus in libris vulgatis interpunctio admonet: nos posteriori adsignavimus, admoniti Marcelli Empirici, cap. 4. pag. 41. *Puerile lotium*, inquit, *nitro admixtum, hulcera quæ erumpunt, loto capite mire deliniunt: expertum remedium*: Sexti quoque Platonici, cap. 17. de puero, &c. tit. *Ad sapius & corporis exhulcerationes, & furfures. Hominis lotium admixto nitro impositum, omnia vitia supra scripta sanat & emendat.* Et tit. 7. *Ad callum in veretro*, &c. Habdarrahmani denique, Ægyptii medici, interprete Echellensi, cap. 1. pag. 3. *Urina cujuscunque hominis, nitro admixto, si canis momorderit, aut scabies, quæ in hulcera versa est, vel impetigine infunditur, eas abstergit, & curat. Urina inveterata, & contrita calidius absterget humida hulcera capitis, & porriginem, ne scabiem, quam recens: nec non maligna hulcera, ne alterius serpant per corpus, impedit.*

Sect. 21. XIX. *Aurium quoque vitiis medetur, admixto modice oleo.*] Sic omnes editi, cum Regio 1. cod. In Reg. 2. *admixto modice apio.* In Chiffl. *apio.* Vulgatæ lectioni favet Marcellus Empir. cap. 9. pag. 82. *Purulenta*, inquit, *& obtunsa auricula, & dolorem tolles, & auditum confirmatissimum reddes, si prius eluas eam lacte, cum recenti caprino, aut mulieris lacte permixto, deinde instilles tepidum fel caprinum, cum oleo cedrino, aquis portionibus mixto.* Chiffletianæ, Archigenes apud Galenum, lib. 3. κατὰ τόπους, cap. 1. pag. 397. Τὰ ὑπ' Ἀρχιγένους γεγραμμένα φάρμακα πρὸς ὤτων ἀλγήματα .... Μηκωνεια ὀλίγον σὺν γάλακτι γυναικείῳ.

Sect. 33. XX. *Jam mulso potentissimum.*] Sic restituimus admonitu codicis Chiffl. quin & ipsa scriptoris sententia ita postulante: antecedit enim, *additis totidem cyathis mulsi*, quæ nunc verba spectat. In editis perperam *musto.* In Reg. 2. *multo.*

Ibid. XXI. *Potus pityocampis, buprestis, cantharidum, aut salamandra venenis.*] Sinceram lectionem ex Reg. 2. cod. & eo quem Pintianus vidit, totidem apicibus repræsentamus, neglecta librorum hactenus editorum scriptura: *phthisicis, cantharidum, aut salamandra, buprestis, aut pityocampes venenis.* Cui orationi prior eo nomine anteponi debet, quod expeditiorem ac planiorem intellectum habet: nec venena modo extrinsecus excepta, sed & intus hausta declarat. Sic etiam Diosc. lib. 2. cap. 77. Ποιεῖ δὲ τὸ πρόσφατον γάλα καὶ πρὸς τὰς ἀπὸ τῶν θανασίμων φαρμάκων δήξεις καὶ πυρώσεις, ὡς κανθαρίδος, ἢ πιτυοκάμπης, ἢ σαλαμάνδρας, ἢ βουπρήστεως. *Lac autem recens etiam efficax est contra rosiones & inflammationes a medicamentis exitialibus factas, ut a cantharide, pityocampe, salamandra, aut bupreste*, &c.

Ibid. XXII. *Contra gypsum, & cerussam, & sulphur.*] Inanis est hoc loco Dalecampii conjectura, qui Græcos arbitratur, unde hausit Plinius, θρύον scripsisse, hoc est, solanum manicum: Pliniumque incaute ac caprim θεῖον legisse, quæ vox sulphur sonat. Cum proxime antea Plinius dorycnii mentionem fecerit, quod idem plane est ac solanum. Neque vero citra noxam sumi genera omnia sulphuris queunt, si præsertim paulo largius hauriantur.

Ibid. XXIII. *Suillum ut efficacissimum tenesmo, dysenteria*, &c.] Ita libri omnes: etsi nihil Dioscorides de suillo. Quamobrem haud temere suspicamur unius litterulæ immutatione *ovillum* legi fortassis posse commodius: nam ovillum tenesmo pariter & dysenteriæ prodesse scribit Dioscorides, lib. 2. cap. 77.

Sect. 42. XXIV. *Digeremus enim in mala singula.*] Prius legebatur *in animalia singula*, plane contra veterum exemplarium fidem, Reg. 2. & Chiffl. quem religiose secuti sumus: contraque scriptoris sententiam, qui toto hoc deinceps reliquo volumine, ab hoc primum loco auspicatus, non in animalium, sed morborum genera, medicinas digerit. Adde hujus loci Indicem, in quo diserte legitur: *Privata ex animalibus medicina digesta in morbos.*

Ibid. XXV. *Item ventur, quem centipellionem vocant.*] Sic optime codex Reg. 2. & Chiffl. non, ut editi, *ventres, qui centipelliones vocantur.* Signat enim e gemino cervi ventre alterum tantum, ut diximus: secutus videlicet summum rei medicæ auctorem Nicandrum, in Theriac. pag. 40. ubi hoc pariter medicamentum adsciscit adversus serpentium morsus:

> Ἠ' ἐλάφου νηδὺν, τὴν δὴ καλέουσιν ἐχῖνον,
> Ἄλλοι δ' ἐγκατόεντα κεκρύφαλον· ἧς ἀπὸ μοῖραν
> Δραχμάων ῥυτὴν δοιὼ κατατμήξαιο μίσγων
> Τίσσαρσιν ἐν κυάθοισι μέθυ παλαιοῦ ἀπορμίξας.

Hoc est, Gorræo interprete:

> *Aut cervi ventrem, quem nostri nomine echinum,*
> *Reticulumque vocant, alto sub ventre latentem.*
> *Exempta hac prabe drachmarum pondere binum,*
> *Antiqui cyathis temeti mixta quaternis.*

Scholiastes vetus in eum locum, pag. 27. Ἰστέον δὲ ὅτι τρεῖς εἰσὶ κοιλίαι. Καὶ ἡ μὲν πρώτη ἐστὶ μία, κεκρύφαλος καλεῖται, παρὰ τὸ κρύπτειν τὴν τροφήν. Ἡ δὲ δευτέρα, ἐχῖνος, διὰ τὸ ἔχειν ἔσω τὴν τροφήν, ἢ διὰ τὸ τραχύ, ὅ ἐστι πολύπτυχος. Τρίτη δὲ, ὁ ἠνυστρός, ceteraque quæ sequuntur, digna lectu.

Ibid. XXVI. *Simili modo verrinum jecur, & fellis dumtaxat fibra.*] In libris hactenus vulgaris, *exemptis dumtaxat fibris*, ex interpolatorum videlicet officina, imperite prorsus: nam quid exemptis fibris superesse jecoris ad medicinæ usum, amabo, possit? In Reg. 2. cod. & eo quem Pintianus vidit, totidem plane apicibus, *& fellis dumtaxat fibra*, quæ sincera sane scriptura est, egregie stabilita Nicandri testimonio, in Theriac. pag. 42. ubi hanc ipsam medicinam tradit & explicat:

> Ἢ σὺ γ' ἀκρότατον
> Ἥπατος ἀγροτέροιο κάπρου λοβὸν, ὅς τε τραπέζης
> Ἐκφύεται, νεύει δὲ χολῆς σχεδὸν ἠδὲ πυλάων.
> Καὶ τὰ μὲν ἂν σύμμικτα πιεῖν δίδου, ἄνδιχα νείψας
> Ὄξεϊ ἢ οἴνῳ· πλεῖον δ' οἴνῳ ἴψεται οἴσει.

Gorræus interpres:

> *Aut cape summam*
> *Aprugni fibram jecoris, quæ nata trapeza*
> *Vergitur ad bilis follem, portisque propinquat.*
> *Hæc tusa, & mixto diluta bibantur aceto,*
> *Aut vino: verum sed longe maxima vino.*

Τράπεζα & πύλαι τοῦ ἥπατος, partes sunt jecoris Anatomicis cognitæ. Sic paulo post ubi scripsimus X. *quatuor*, hoc est, denariûm quaternûm pondere, interpolatorum pari oscitantia, *quatuor obolorum* in libris hactenus editis legebatur.

Sect. 45. XXVII. *Omasi quoque jure poto.*] Sic libri omnes post Hermolaum editi. Parm. editio, *Omnia sesami quoque jure poto*, improbanda penitus lectione, quanquam Pintianus approbat: neque enim medicinæ modo tractantur, quæ ex frugibus, sed quæ ex animalibus peti possunt. Neque vero ex omaso tantum, ut diximus, sed & e pingui bubula carne jus prodesse ad aconita pellenda, auctor est Nicander in Alexiph. pag. 132.

> Καί τε βοὸς σταγόνα νεοσφαλέος ποτὲ ἀλοιφῇ
> Τυξάμενος κορέσαιο ποτῷ ἐγκαρδία νηδύν.

Ubi Scholiastes vetus: Καὶ μαγειρεῖα, inquit, κρέα βοὸς (sic enim emendo, pro νέα βοὸς) ἑψήσας ἀπεσφαγμένου καὶ ἀποπληθεῖσαν τῷ λίπει, πλήρωσον τὸ ποτὸν ζωμοῦ. Καὶ ὑπηρο-

λὺ γὸ ὁ βιόωεν ζωμὸν ἀφιλά. Gorræus Nicandri versus sic transtulit :

> *Pocula sint etiam , quibus exsaturere , liquamen*
> *Excocti vituli , atque in pinguia succa soluti*

Ζωμὸν βόειον, & πρέατ λιπαρὸν ζωμὸν, jus bubulum e pingui carne bubula adversus aconita commendat etiam Dioscor. lib 1. Εὐπορ. num. 137. pag. 120. & Scribonius Largus, Compos. 188 Quin & *omasi cocti jure poto* satius fuerit fortasse scribi , cum id codd. Reg. 2. & Chiffl. *omasi quoque* legatur.

Sect. 46. XXVIII. *Usque non tædia animalium capillis increscant.*] In libris editis , *inhærescant.* Nos ex Reg. 1. & Chiffl *increscant* Favet Marcellus Empir. cap. 4. pag. 41. *Cornu cervinum in scobem limatum , & cum vino potum , lendes enecat , renascique non patitur.* Et pag. 43. *Cervini cornus scobes limata , & ex vino potui data , pediculos in capite , lendesque nasci non sinunt.*

Ibid. XXIX. *Item fel scrofinum cum urina tauri.*] Libri omnes editi hactenus ; *item fel hircinum* Nos *scrofinum* restituimus , admoniti codicum Reg. 2. & Chiffl tum vero adducti testimonio Marcelli Empirici , cap. 4 pag 41 ita scribentis , *Lotio taurino caput si laveris , porriginem vetustissimam tollit. Vetustam porriginem mire adimes , si herba cyclaminis , id est , orbicularis , succo sulphuris aliquantum miscueris , & fel scrofinum , atque inde caput in balneo bene perfricabis* Et sulphur quoque Plinius mox adjicit , ad porriginem vetustam

Ibid. XXX. *Sed præcipue felis fimum cum sinapis pari modo illitum.*] In Reg. 2. cod. & eo quem Pintianus vidit , *sed præcipue fel lupinum* In libris ad hunc diem editis , & in Colb 3. ceterisque MSS. *sed præcipue fel & fimum.* Nos ex indubitata conjectura , *felis fimum* rescripsimus. Auctor enim sic emendandi Sextus Platonicus exstitit , cap. 18. *de cata* tit. 1. *Ad capitis alopecias . Cata stercus siccum cum sinape aquis ponderibus cum aceto contritum , & impositum , capitis alopecias sanat.* Felem porro ab astutia catum vocari , tralatitium est , tritumque jam sermone vulgi.

Sect. 47. XXXI *Ad omnia inveteratum fel efficacius putant.*] Hactenus legebatur , *ad omnia inveterata* , cum vel ipsa loci sententia *fel inveteratum* scribi hoc loco postulet : id quod egregie confirmat Sextus Platonicus , cap 4 de caprea , tit. 8 ubi eadem prorsus cum Plinio tradit. *Ad caliginem oculorum* , inquit , *Fel capreæ drachma 1. & modicum vini cum melle , ut possit teri : inunges : sanantur : idem facit & ad cicatricem , & argemata , & nephelion , & glaucomata , & pterygia , si ex eo felle inungantur. Item ex eo felle inunguntur palpebræ cum oleris succo : extractos pilos non sinit renasci. Facit & ad ruptiones ex ictu tunicularum cum lacte mulieris tepido. Hoc autem fel quanto vetustius fuerit , tanto melius erit.*

Sect. 48. XXXII. *Præcipue vero taurinum , cum porri succo tepidum , vel cum melle , si suppuret.*] Sic libri omnes editi , cum Reg. 2. cod. aliisque. Dalecampius , ex Chiffl *si superet* subintellige *dolor* , inquit , plane contra auctoris sententiam. Est enim ejus loci intellectus , si suppuret , si pus auricula faciat , mel adjici oportere. Plinius Valer. lib. 1. cap. 10. *Si putruerit auricula , aut vermiculos fecerit , fel taurinum ex melle despumatos aquis mensuris mittes in testam rudem , quam suppones carbonibus , ut lento igne fervecat , donec in unum admisceatur. Hocque medicamen in vase vitreo colliges : & quum necesse fuerit ad cuuum , tepefacies in calice , & mundata aure ex lana medicamentum infundes* Mel Plinius Valer. adhibet tantum : mulsum Sextus Platon. cap xi. de tauro , tit. 5. *Ad aurium dolorem · Fel taurinum umiso infusum , & auribus instillatum sanat* Porri modo succum , ut noster , Habdarrahmanus Ægyptius , interprete Ecchellensi , cap. 5. pag. 38 *Fel boum liquefactum in aqua porrorum , & instillatum auribus , ipsarum sedat dolores.*

Ibid. XXXIII *Aut si sint rupta ibi aliqua.*] Ita libri omnes editi. Reg. 2. *Aut si rupta sint aliqua ibi.* Non placet tamen ea scriptura Dalecampio : legi *si sint suppurata* , vel *suppurantia ibi aliqua* mavult Defendit vulgatam lectionem Marcellus Empir. cap. 9 pag. 76. *Fel ovillum* , inquit , *cum lacte mulieris instillatum , etiam ruptas interius auriculas certissime sanat.* Sic paulo ante , hac sect. Plinius idem *in ea parte* , hoc est , in auricula , *felle taurino* dixit *cum lacte mulieris efficaciter rupta sanari.*

Sect. 50. XXXIV. *Notumque est quasdam quotidie septingenties custodito numero fovere*] Regii codicis 2. fidem secuti sumus , sententiamque ipsam , ut remur , scriptoris : quæ est ejuscemodi : nonnullas feminas cutem fovere solitas quotidie usque ad septingentas vices Plinius , lib. xi. sect. 96. quingentas asinas a Poppæa trahi solitas cum dixit , conjecturam fecit aliquibus , hoc quoque loco non *septingenties* , ut cod. Reg. 2. aliique exhibent , sed *quingentas* scribi oportere. At non asinarum hoc loco numerum recenset , sed assiduitatem in cute fovenda nimiam irridet. Occupavit hoc ante nos Hermolaus.

Sect. 51. XXXV. *Caprinum utilius , cum malva decoctum & sale.*] Hæc totidem verbis Marcellus Empir. cap. 15. pag. 108. sed pro malva myrrham adscisci Plinius Valer. lib. 1. cap. 45. amanuensium , ut remur , errore

Ibid. XXXVI *Tonsillis autem privatim renes vulpium aridi.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 45. *Tonsillis privatim medentur renes vulpis aridi , cum melle triti , & illiti.* Marcellus Empir. cap. 15. pag. 106 *Tonsillis renes vulturini aridi in melle triti , vel decocti , mirum remedium præstant , si pro emplastro apponantur.* Sextus Platon. cap 3. de vulpe , tit. 9. *Ad faucium tumorem : Rene vulpis in melle sæpius fauces tumentes confrica.* Ex Plinii nostri præsertim loco , quem vel ex eo sanum esse constat , quod de quadrupedum , non de avium medicinis hic agitur , Marcelli textum in mendo cubare perspicuum est , ac pro *vulturini* , scribi *vulpini* oportere.

Ibid. XXXVII. *Strumis discutit fel aprinum , vel bubulum &c.*] Sic MSS. Reg. 2 aliique. Sic totidem syllabis Plinius Valer. lib. 3. cap. 29. Malim ego tamen , si quid audendum , *caprinum* legi : tum quia hæc fellis genera duo a Plinio fere copulantur , caprinum ac bubulum : Tum vero maxime quoniam ita Marcellus Empir. prodidit , cap. 15. pag 108. præeunte Plinio , ut apparet : *Fel bubulum* , inquit , *vel caprinum , ad incipientes strumas optime facere experimenta docuerunt · nam penitus crescere non sinentur , si eo assidue tangantur.*

Sect. 53. XXXVIII. *Vel saliva equi triduo pota : at equum mori tradunt.*] In libris hactenus vulgatis , *triduo pota eum mori tradunt* : ut esset sententia , *triduo saliva potu mori tussim.* An vero hoc medicæ , an Romanæ aures ferant ? In Reg 2. *triduo pota commori tradunt.* Nihil est nostra emendatione certius : cum amanuenses scilicet , pro *equum* scripsere : librarii denique , *eum* pro *equum*. Sextus Platon. cap. 16. de equo , tit. 1. *Ad phthisicos , & qui male tussiunt : Equi salivam si biberint , sani efficiuntur : Expertissimum : sed equus moritur.* Marcellus Empiric. cap. 16. pag 120. *Ad phthisicos* , inquit , *remedium & præsens , & maximum · nam etiam vita dubios sanat , & quibus spes superesse nulla videatur · Equi salivam vel spumam cum aqua calida bibendam per triduum dabis : etiam quem tussi intoleranda & diutina laborare videris , hoc remedio liberabis · ægrum quidem sine cunctatione sanabis : sed equum mors subita consequitur* Theodorus Priscianus , lib. 4. *Ad tussim facit , & maximum remedium est : Equi salivam ex aqua calida bibat per triduum · is qui tussierit , vivet : equus morietur.* Simile est quod suspiriosis præcipit idem Marcellus cap. 17. pag. 124. ut spumam ex ore mulæ collectam hauriant : id ipsis saluti fore : mulam morituram. Plinius Valer. lib. 1. cap 58. *Saliva equi triduo potata tussis patientibus ex aqua calida tussim sanant : equum mori tradunt , hominem sanant.*

Sect. 56. XXXIX. *Ischiadicis fimum .... calfactum in foliis.*] Monet Dalecampius in vetere nescio quo exemplari legi *in foliis.* Sane minus commode. Nam folia brassicæ Plinius intellexit , uti ex Plinio altero Valeriano discimus , eadem prodente , lib 2. cap. 45. *Sciæ* (hoc est , ischiadi) *sanandæ. Fimum quoque bubulum calefactum in cinere ferventi , locis dolentibus , in foliis cujuscumque oleris imponitur.* Habet idem medicamentum & Marcellus Empir. cap 25. pag. 174. sed eas voces *in foliis* , quas non intellexit , omisit. Repetitur iterum forma loquendi hæc eadem sect 63 ubi Hermolaus in *foliis* , nescio quis *in pulte* legendum somniat.

Sect. 57. XL. *Item hædorum lien.*] Carere ait suum exemplar Pintianus ea voce *lien.* Excidit ergo amanuensibus imprudenter. Nam & Marcellus Empir & Plinius Valer agnoscunt : Ille , cap. 23. pag 165 *Hædinus vero lien* , inquit , *similiter ut hircinus , super splenem sanantis appositus , & tumores , & dolorem eius emendabit.* Iste , lib. 2. cap. 18. cui titulus , *Splenis quomodo succurrendum Hædi lien* , inquit , *impositus idem præstat.* Agnoscit & Q. Serenus , cap. 24. de splene curando :

> *Arida pini item fervente domatur aceto ,*
> *Et trita illinitur . vel splen apponitur hædi.*

Denique & eam vocem habent Reg. 1. cod. aliique fere , quos vidimus.

Sect. 58. XLI. *Vel hircinum decoctum ad quintam heminam in vino.*] In libris hactenus editis , *vel hircinum decoctum in hemina vini.* Probabilior nobis visa scriptura Regii 2. codicis , & Chiffl. quam amplexi sumus : adstipulante fere Marcello Empirico , cap. 27 pag. 195. *Jecur hircinum* , inquit , *missum in ollam novam , cum vini austeri cotylis sex , ad tertias decoctum · sed dum excoquitur , compunctum · ut humor ejus cum vino permisceatur : postea dysenterico potui datum , efficaciter prodest*

Ibid. XLII. *Fel lupi cum elaterio umbilico illigatum*] Annon *illinitum* potius ? Nam Plinius Valer. lib. 2. cap. 23. *Ventri molliendo · Fel lupi* , inquit , *cum elaterio ventriculo illinitur.*

Ibid. XLIII. *Butyrum largius sumptum. Cœliacis & dysentericis medetur jecur vaccinum.*] Locus hic præpostera ad hunc diem interpunctione , & criticorum interpolatione laboravit , in hunc modum : *Butyrum largius sumptum cœliacis .... medetur , & jecur vaccinum.* Verum interpunctionis vitiosæ non modo Regius 2. codex , sed & res ipsa admonuit : ad superiora videlicet , hoc est , ad ea remedia quæ alvo solvendæ traduntur , quæ de butyro nunc prodit auctor , referri oportere : ut intellectus sit butyrum quoque largius sumptum alvum solvere , nedum cœliacis aut dysentericis eo pacto prodesse. Sic & Dioscor. lib. 2. cap. 81. de butyro , κοιλίας τε ἐκλύει πλῆθος ποθέν. Itaque frustra illi Plinii editores , ut fucum facerent , voculam *&* adjecerunt : quam MSS. codicum nullus repræsentat , non Reg. 1. 2. Colb. aliive : cum etsi adesset illa , nihil tamen orationis perspicuitati obesset , aut veritati.

Sect. 59. XLIV. *Tenesmos, id est, crebra & inanis voluntas desurgendi*] Hanc *desurgendi* vocem, quam codices MSS omnes repræsentant, Reg. 1. 2. Colb. 3. Chiffl. aliique, cum quæ vis ei subesset haud satis perciperent Plinii editores, eradendam duxere, atque *egerendi* verbum inseri satius fore, quod in hunc diem libri vulgati præferunt. *Desurgere*, verbum est medicum, quo sæpe Largus Scribonius utitur, præsertim vero in definitione tenesmi, quæ Plinianæ similis est ac plane par. *Est*, inquit, *irrita crebro desurgendi voluntas*, hoc est, secedendi, ut diximus in Interpretatione. Græci ἀποδρίνειν dicunt. Celsus, lib. 4. cap. 15. *frequentem descendendi cupiditatem: desidendi*, cap. 18. Hinc apud Marcellum Empir. cap. 27. pag. 187. *caliaci propter frequentes desurrectiones viribus defecti*. Idem Scribonius, proxime antea laudatus, cap. 38. cui titulus est, *Ad prolapsionem, & libidinem nimiam desurgendi extremi intestini*. Compos. 142. *Tenesmos est irritatio ultimæ partis directi intestini, in qua nimio sæpius libet desurgere sine causa*. Non sic tamen intelligendus Horatius, lib. 2. Satyr. 2. vers. 76.

> *Vides ut pallidus omnis*
> *Cœna desurgat dubia.*

Sed *desurgat* ibi dictum, pro *de cœna surgat*.

Sect. 62. XLV. *Efficacius, si prius fumo maceretur.*] Sic libri omnes. At in Chiffl. *si prius fimo*. Inepte: Nam Marcellus Empir. Plinium secutus, cap. 26. pag. 180. *Verris silvatici*, inquit, *lotium cum sua vesica, in fumo suspensum & asservatum, stranguriosis cum potione mixtum, potui datum, efficacissime prodest*. Et Sextus Platon. cap. 7. de apro, tit. 9. *Ad stranguriam & vesicæ dolorem: Vesica apri cum lotio infuso, si suspensa & passa fuerit*, (Solem nimirum, ventosque, aut fumum) *donec aquaticus humor effluat, & desiccatam dederis manducare iis qui patiuntur, mire sanantur*.

Ibid. XLVI. *Vitia vero quæ in eadem parte serpunt..... cum charta & arrhenico sanat.*] Sic libri fere omnes editi, cum MSS. Reg. 1. 2. Colb. 3. ceterisque. Editio Parm. *cum charta Armeniaca*: codex Chiffl. *caricis armenico*. Utrobique mendum. His nos neglectis sinceram priorum exemplarium non modo retinemus, sed etiam Marcelli Empirici suffragio defendimus, apud quem hoc medicamentum totidem ferme verbis exstat, cap. 33. pag. 227. *Mirifice*, inquit, *hoc medicamentum purgat hulcera qualibet, etiamsi cancer tentaverit. Est autem lene. Conficitur sic. Auripigmenti denarios VI. Æris squamæ X. tres. Elaterii X. I. Chartæ combustæ cineris X. III. Ex his tritis cum opus, cochlearia tria rosæ cyatho permiscentur, & linteola carpta in eo tinguntur, atque ita hulceri superponuntur. Hoc medicamentum cito & sine ullo morsu expurgat fordidissima hulcera, ac sanat.*

Ibid. XLVII. *Fel bubulum cum alumine Ægyptio, ac myrrha*] Ita rescripsimus ope codicis Regii 2. in quo *myrrha* diserte legitur: In Reg. 1. & Chiffl. *ac murra*, vetusto more, pro myrrha. In libris hactenus editis, *ac moria*, perverse. Plinius Valer. lib. 2. cap. 41. Ad verendorum vitia: *Fel item bubulum*, inquit, *cum alumine Ægyptio ad crassitudinem mellis subactum illinitur*, &c. Marcellus Empir. cap. 33. pag. 230. *Permixto alumine & myrrha, fel bubulum ad crassitudinem mellis, subactum, & illitum, ea quæ vereteri serpunt, mira celeritate persanat: supra etiam beta vino recte imponitur.* Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 6. fel bubulum per se adsciscit ad virilium hulcera, nihil præterea adjicit.

Ibid. XLVIII. *Fel caprinum cum melle, rubique succo*] Sic Reg. 2. codex & quem Pintianus vidit: non, ut hactenus editi, *vel caprinum*, quasi ferum subintelligi hic quoque ex antedictis oporteat. Confirmat Q. Serenus, cap. 37. *de obscœnis medendis*, pag. 149.

> *Obscœnos si pone locos acria vulnera carpent,*
> *Hortensium mansa curantur fronde ruborum.*

Et paulo ante:

> *Languidus antiquo purgatur ponis Iaccho,*
> *Ac super illinitur fecunda felle capella.*

Et Marcellus Empir. cap. 33. pag. 229. *Fel caprinum*, inquit, *cum melle, veretri doloribus, hulceribusque illitum prodest.*

Sect. 62. XLIX. *Utilissimam ...spumam equi ex ore, inguinibus illinire.*] In libris ad hunc diem editis, *ex ore, inguinibusque*. At quis spumam equi, quæso, vidit ex inguinibus è feminibus attritis inguinibusque illini, sententia ejus loci est. Plinius Valer. lib. 2. cap. 43. *Si autem ex equitatu*, inquit, *femina vexata sunt, spuma equi ex ore, feminibus illinitur, & inguinibus imponitur*. Brevius Marcellus Empir. cap. 32. pag. 225. *Si ab equitando vexata fuerint inguina, aut intertrigines dolebunt, spuma equi fricentur, statim remediabuntur.*

Sect. 70. L. *Bubula caro imposita. Ad tumores fimum suillum .... cum oleo. Duritias.... mollit optime adeps e lupis illitus. In his quæ... plurimum proficit fimum bubulum ... in vino vel aceto decoctum.*] Perturbata prius omnia ex interpunctionis vitio, & interpolatorum audacia, sic legebantur: *Bubula caro imposita tumorem sanat. Fimum suillum .... cum oleo duritias ... tollit optime. Adeps .... illitus in his quæ...: plurimum proficit. Fimum bubulum* &c. Medicinam ei loco fecimus ope Regii præsertim codicis 2. qui singulas, uti nos fecimus, sententias majusculis litteris auspicatur. Adde Plinium Valer. lib. 3. cap. 47. qui cum hunc locum transscriberet, ad rupta & convulsa medicinam e bubula carne retulit: ad tumores deinde fimum suillum, &c. Sic enim ille: *Luxatis vero recens fimus, vel aprinus, vel suillus, vel vitulinus imponitur: verris spuma recens cum aceto illinitur: fimusque caprinus cum melle. Caro bubula ruptis convulsisque illinitur. Fimus quoque suillus sub testa calefactus, & tritus cum oleo, mire adversus tumores facit.*

Sect. 74. LI. *Cum cyprino oleo, aut irino.*] Sic Reg. 2. codex, & is quem Pintianus vidit. In editis, *aut hircino*, quod cum minus belle congruere editores intelligerent, inseruere, *aut fimo caprino, aut hircino*: ex *cyprino* scilicet, anteriore voce rursum repetita, *caprino* temere excogitato. Plinius Valer. lib. 2. cap. 48. apud quem hæc totidem verbis exstant, *cum cyprino oleo & hircino* habet, pro *irino*. Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232. iterumque pag. 236. *cum oleo cyprino, aut laurino* dixit.

Ibid. LII. *Feminum vituli cinis*] Hunc locum Marcellus Empir. cum raptim cursimque legeret, non *feminum vituli*, sed *fimi vituli* cinerem legit, cap. 4. pag. 43. *Hulcera*, inquit, *quæ sordidata sunt, fimi vitulini cinere & muliebri lacte purgantur.*

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXIX.

I. NATURA remediorum, atque multitudo [a] instantium ac præceptorum, plura de ipsa medendi arte cogunt dicere: quanquam non ignarus sim, nullius ante hæc Latino sermone condita, [2] ancepsque lubricum esse rerum omnium novarum, talium utique, [3] tam sterilis gratiæ, tantæque difficultatis in promendo. Sed quoniam occurrere verisimile est omnium qui hæc cognoscant cogitationi, quonam modo exoleverint in medicinæ usu, quæ tam parata atque pertinentia erant: mirumque & indignum protinus subit, nullam artium inconstantiorem fuisse, & etiamnum sæpius mutari, cum sit fructuosior nulla: [4] Diis primum inventores suos assignavit, & cælo dicavit. Necnon & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æsculapium fabulata, quoniam [5] Tyndareum revocavisset ad vitam. [6] Nec tamen cessavit narrare alios revixisse opera sua, clara Trojanis temporibus, quibus fama certior, vulnerum tamen dumtaxat remediis.

CAP. I.

II. Sequentia ejus (mirum dictu) in nocte densissima latuere usque ad [1] Peloponnesiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem [2] Hippocrates, genitus in insula Coo, in primis clara ac valida, & Æsculapio dicata. [3] Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo ejus Dei quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) templo cremato, instituisse medicinam hanc, [4] quæ Clinice vocatur. Nec fuit postea quæstus modus: quoniam [5] Prodicus Selymbriæ natus, e discipulis ejus, instituens quam vocant [6] Iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum ac [b] [7] mediastinis vectigal invenit.

III. [1] Horum placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit, plurimumque & ex

INTERPRETATIO.

a *Instantium.*] Et earum quæ proxime dicenda sunt, & eorum quæ sunt ante occupata.

b *Mediastinis.*] Balneatoribus.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Instantium ac præceptorum.*] Ita Chiffl. codex, quem secuti sumus præ ceteris, in quibus *ac præteritorum* legitur. Instantia sunt, ea de quibus dicere proxime incumbit: Sic diem instare dicimus. Præcepta, quæ sunt anticipata, ante occupata.

2. *Ancepsque lubricum.*] Lubricum quasi substantive, non sine elegantia: sic lubricum juventutis dicimus. Ab interpolatorum manu est, quod libri quidam præferunt *ancepsque ac lubricum.*

3. *Tam sterilis &c.*] Vide Notas & Emend. num I.

4. *Diis ... inventores.*] Apollinem, Æsculapiumque intelligit.

5. *Tyndareum*] Helenæ & Clytemnestræ patrem, de quo Hyginum consule fabula LXXVIII. fol. 18 b. Vide Notas & Emend. num. II.

6 *Nec tamen cessavit.*] Medicina scilicet. Dicuntur eadem a Celso, in præf. statim initio operis: *Vetustissimus*, inquit, *medicinæ auctor Æsculapius celebratur. qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est. Hujus deinde duo filii, Podalirius, & Machaon, bello Trojano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt. Quos tamen Homerus, non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos esse proposuit.*

Sect. II. 1. *Peloponnesiacum.*] Bellum in Græcia longe atrocissimum, maximeque diuturnum, Athenienses inter, & Peloponnesios: quod erupit anno Urbis Romæ CCC. ante Christum CCCCLIV.

2. *Hippocrates.*] Natus Olymp. LXXX. ex ipso Æsculapii genere, quartusdecimus ab illo, ut quidem aiunt.

3. *Is cum fuisset.*] Et hunc Ægyptiis fuisse morem tradit Galenus, lib 5. περὶ γέν, cap. 2. pag. 775 juxta Memphim, in templo Vulcani.

4 *Quæ Clinice.*] Cave aliquam unam dumtaxat medicinæ partem ea nomenclatione indigitari credas. Antiquis sic appellata tota medicina est, qualis Hippocratis fuit: quia medici est ægros cubantes ἐν κλίνῃ *in lectulo*, invisere ac curare. Inde Clinices nomen. Inscriptio vetus apud Gruter. pag. 400. P. DECIMIVS. P. L. EROS. MERVLA. MEDICVS. CLINICVS. CHIRVRGVS OCVLARIVS. Sed ficta ac recens inscriptio.

5. *Prodicus.*] Vide Notas & Emend. num. III.

6. *Iatralepticen.*] Ἰατραλειπτικὴ, quæ unguentis & perfrictionibus medetur corporis morbis. Iatraliptæ, quorum opera medici in ungendo & reungendo utebantur: sive potius medici, qui reungendo vile mediastinorum obirent munus.

7. *Mediastinis.*] Mediastinos pro balneatoribus Nonius accipit, quem secuti sumus. De hac voce Vossium vide in Etymol.

Sect. III. 1. *Horum placita Chrysippus.*] De Chrysippo & Era-

Chrysippo discipulus ejus Erasistratus, [2] Aristotelis filia genitus. [3] Hic Antiocho rege sanato [4] c. talentis donatus est a rege Ptolemæo filio ejus, ut incipiamus & præmia artis ostendere.

IV. Alia factio (ab experimentis cognominant [1] Empiricen) cœpit in Sicilia, [2] Acrone Agrigentino Empedoclis Physici auctoritate commendato.

V. Dissederuntque hæ diu scholæ: & omnes eas damnavit Herophilus, [1] in musicos pedes venarum pulsu descripto per ætatum gradus. Deserta deinde & hæc secta est: quoniam necesse erat in ea litteras scire. Mutata & quam postea Asclepiades ([2] ut retulimus) invenerat. Auditor ejus [3] Themison fuit, [4] qui quæ inter initia scripsit, illo mox recedente a vita, ad sua placita mutavit. Sed & illa [5] Antonius Musa ejusdem auctoritate Divi [6] Augusti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat. Multos prætereo medicos, celeberrimosque ex iis [7] Cassios, [8] Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. [9] Ducena quinquagena H-S. [10] annua mercede iis fuere apud Principes. Q. vero Stertinius [11] imputavit Principibus, quod H-S. quingenis annuis contentus esset: [a] sexcena enim sibi quæstu urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par & fratri ejus merces a Claudio Cæsare infusa est: censusque, quanquam exhausti, operibus Neapoli exornata, heredi [12] H-S. CCC reliquere, quantum ad eam ætatem Arruntius solus. Exortus deinde est [13] Vectius Valens, adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ affectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam.

Eadem ætas Neronis principatu [14] ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentia ingenioque, æstimari vel uno argumento abunde potest, cum monumento suo (quod est Appia via) [15] Iatronicen se inscripserit. [16] Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus

INTERPRETATIO.

a *Sexcena.*] Sexcentorum sestertiûm quæstum faciebat in urbe, idque comprobabat numeratis domibus *ægrotorum, quos invisebat.*

NOTÆ.

sistrato abunde diximus in Auctorum Indice. De Erasistrato præterea multa Appianus in Syriac pag 157. & seq

2. *Aristotelis filia genitus.*] Non natura tamen, sed adoptione filium modo fuisse ait Sextus Empir. adv. Mathem. cap. 12 pag. 52 ubi Pythiadem Aristotelis filiam tribus viris nupsisse refert: primum quidem Nicanori: deinde Proclo, qui genus duxerat a Demarato Lacædemoniorum rege; postremum *Μητροδώρῳ ἰατρῷ*, Chrysippi discipulo, Erasistrati magistro, *Χρυσίππου μὲν τοῦ Κνιδίου μαθητῇ, Ἐρασιστράτου δὲ ὑφηγητῇ.* Ita Servium Galbam Imp. a noverca sua adoptatum legimus, apud Tranquillum, cap 4.

3 *Hic Antiocho.*] Vide quæ diximus de Cleombroto, quem eumdem esse cum Erasistrato conjecimus, lib. 7. sect. 37. Fuit is porro Antiochus, de quo nunc agitur, Seleuci Nicatoris F. quem amore Stratonices novercæ ægrum deprehendit, Erasistratus sanavit. Vide Valerium Max lib 5. cap. 7. Macrob lib. ult. Saturn. cap. 15. Plutarchum in Demetrio, aliosque

4. *Centum talentis.*] Monetæ nostræ, libris 240000. ut diximus lib. 7. sect. 39.

Sect. IV. 1. *Empiricen.*] Ἐμπειρικὴ, secta medicorum dicitur, quæ sola experientia utitur.

2. *Acrone*] In quem illud est Empedoclis epigramma, recitatum a Laertio in Empedocle, lib. 8.

Ἄκρον ἰητρὸν Ἄκρων' Ἀκραγαντῖνον πατρὸς ἄκρου
Κεύθει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.

Acronem summum medicum summo patre natum, in summa patria tumulus summus habet. De medicina hunc scripsisse sermone Dorico, & librum unum de victu sanorum, auctor est Suidas, verbo Ἄκρων.

Sect. V. 1. *In musicos pedes.*] Plinius supra, lib 11. sect. 88. *Arteriarum pulsus, ... index fere morborum in modulos certos legesque metricas, ... descriptus ab Herophilo medicinæ vate, miranda arte nimiam propter subtilitatem desertus*, &c. Martianus Capella, lib. 3. *Herophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat.*

2. *Ut retulimus.*] Libro 26. sect. 7. & 8.

3. *Themison*] Egimus de eo in Auctorum Indice.

4. *Qui quæ inter.*] Vide Notas & Emend. num. IV.

5. *Antonius Musa.*] Diximus antea de eo lib. 19. sect 38. Sed hoc loco vel scribendum in contextu, vel subintelligendum sane videtur *ejusdem auditor*: ut sententia sit, Asclepiadis, ut Themisonem, ita & Musam auditorem fuisse.

6 *Augusti &c.*] Suetonius de Augusto, cap. 81. *Cum distillationibus jecinore vitiato, ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi necessario subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa.*

7. *Cassios.*] Laudatur Cassius a Galeno, lib 9 κατὰ τόπους, cap. 4. pag 614. *Ingeniosissimus sæculi nostri medicus*, inquit Celsus in præf. lib. 1. *quem nuper vidimus, Cassius*, &c. Laudatur a Scribonio, Compos. 120. & 176. Alius ab eo Cassius Iatrosophista, Porphyrii magister, cujus exstant quæstiones sive problemata LXXXV. Græce scripta, conversa a Gesnero in Latinum sermonem.

8. *Calpetanos.*] In Reg. 1 *Calpitanos.* In Reg 2. *Carpetanos.* At in inscriptionibus vetustis apud Gruter. haud raro CALPETANVS

9. *Ducena quinquagena H S.*] Hoc est, ducenta quinquaginta sestertia: vel, quod idem est, ducenta quinquaginta millia sestertiûm: monetæ Gallicæ, libræ sunt, ut vocant, 25000.

10. *Annua mercede.*] MSS Reg. 2, & Chiffl. *annuales mercedes*, lectione haud pœnitenda.

11. *Imputavit.*] Id haberi beneficii loco voluit, quod hanc tantum mercedem a Principibus posceret: Quingenta sestertia, sive quingenta sestertiûm millia, libræ sunt Gallicæ 50000. Sexcenta, 60060

12. *HS CCC.*] Hoc est, sestertiûm trecenties, subintelligo centena millia, quæ superposita numero lineola designat. Summam id efficit trium, ut vocant in Gallia, millionum, seu librarum 3000000 Sic inferius centies HS. reliquisse Crinas dicitur.

13. *Vectius Valens.*] In Inscriptionibus antiquis VETTIVS. De Vettio Valente, adulterium cum Messalina conjuge Claudii Cæsaris confesso, vide Tacitum, lib. 11. Annal pag. 169 Anthologias scripsisse dicitur, in quibus & de annis climactericis egit. Scribonius Largus, Compos. 76. eo se condiscipulo & familiari usum testatur.

14. *Ad Thessalum.*] Trallianus is fuit, Methodicorum sectæ magno sæculi sui plausu conditor. Omnes ante se medicos, Hippocratem quoque, inscientiæ arguebat, ut ex fragmento apparet epistolæ ejus ad Neronem, quod refert Galenus, lib. 1. meth. Med cap. 2. pag. 3. tomo 10. quo capite Thessalum ipse inscitiæ arrogantiæque insimulat.

15. *Iatronicen.*] Ἰατρονίκην, medicorum victor.

16. *Nullius histrionum.*] Vult auctoritatem ejus demonstrare per turbas in honorem ejus affectantium, inquit Gelenus: qua in re confert cum gratiosissimis tum apud plebem, sed histrionibus aurigisque, qui Circensibus trigas equarum agitarent: qua exercitatione Nero quoque ipse ejus temporis Romanorum Princeps in primis delectabatur. Pantomimos egredientes in publicum etiam Romani Equites cingebant, quod fieri amplius Tiberius vetuit. Vide Tacitum, lib. 1. Annal. pag. 35.

In publico erat: cum Crinas Massiliensis [17] arte geminata, ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dando, [18] horasque observando, auctoru are eum præcessit. Nuperque [19] centies H-S. reliquit, muris [a] patriæ, mœnibusque [b] alus pæne non minori summa exstructis. Hi regebant fata, cum repente civitatem Charmis ex eadem Massilia invasit, damnatis non solum prioribus medicis, verum & balineis: frigidaque etiam hibernis algoribus lavari persuasit. Mersit ægros in lacus. Videbamus senes Consulares usque in ostentatiooem rigentes. [20] Qua de re exstat etiam Annæi Senecæ [c] adstipulatio. Nec dubium est, omnes istos famam novitate aliqua aucupantes [d] [21] anima statim nostra negotiari.

Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente, [e] [22] ne videatur accessio alterius. Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, [23] TURBA SE MEDICORUM PERISSE. Mutatur ars quotidie, toties [f] interpolis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur. Palamque est, ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ nostræ necisque fieri: [24] ceu vero non millia gentium sine medicis degant, nec tamen sine Medicina: [25] sicut populus Romanus ultra sexcentesimum annum, nec ipse in accipiendis artibus lentus, Medicinæ vero etiam avidus, donec expertam damnavit.

VI. Etenim percensere insignia priscorum in his moribus coovenit. Cassius Hemina, ex antiquissimis auctor est, primum e medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniæ filium, L. Æmilio, Luc. Julio Coss. anno Urbis DXXXV. eique jus [2] Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emptam ob id [g] publice. [3] Vulnerarium eum fuisse e re dictum: mireque gratum adventum ejus initio: mox a sævitia secandi urendique, transisse nomen in carnificem, & in tædium artem omnesque medicos: quod clarissime intelligi potest ex M. Catone, cujus auctoritati triumphus atque Censura minimum conferunt: [h] tanto plus in ipso est. Quamobrem verba ejus ipsa ponemus.

VII. Dicam de istis Græcis suo loco, Marce fili: quid Athenis exquisitum habeam, & quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere, [i] vincam. Nequissimum & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixisse: Quandocumque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se barbaros necare omnes medicina. Et hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit,

INTERPRETATIO.

a *Patriæ.*] Massiliæ.
b *Aliis.*] Aliorum oppidorum.
c *Adstipulatio.*] Affirmatio de se.
d *Anima.*] De vita ipsa nostra, non modo de fortunis, statim sibi quæstum instituere.
e *Ne videatur.*] Ne videatur alterius sententiæ accessor tantum, *& approbator iners, non etiam auctor.*
f *Interpolis.*] Interpolata, *immutata.*
g *Publice*] Publico sumptu
h *Tanto.*] Adeo sunt plures aliæ in eo dotes ac virtutes.
i *Vincam.*] Evincam, *arguam, demonstrabo.*

NOTÆ.

17. *Arte geminata.*] Artes geminasse dicitur, quia Mathematicam cum Medicina copulavit: cujus generis homines *ἰατρομαθηματικοὺς* appellatos esse, auctor est Ptolemæus in Tetrab.

18. *Horasque.*] Sic etiam Petosiris olim, Mathematicus Ægyptius, de quo Juvenalis, Satyr. 6. vers. 378.

Capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

19. *Centies H-S.*] Hoc est, centies centena millia sestertiûm. Monetæ Gallicæ libras efficiunt 1000000. seu millionem unum.

20. *Qua de re exstat*] Seneca, epist. 53. pag. 168. *Memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet* Et epist. 83. pag. 360. *Ille tantus psychrolutes* (hoc est, lavator in frigida, *ψυχρολούτης*) *qui Calendis Januariis in Euripum saltabam,* &c. Eadem est Horatii de se adstipulatio, affirmatiove, lib. 1. epist. 15. vers. 2. auctore nempe Antonio Musa, qui calidas Baiarum aquas improbabat. laudabat in primis *ψυχρολουσίας.*

Nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius. & tamen illis
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus.

21. *Anima statim nostra.*] Vide Notas & Emendationes, num. V.

22. *Ne videatur accessio*] Verbum id juris est: accessorium vulgo dicimus, quod instar additamenti est, parvoque solet æstimari, si cum principali re conferatur. Ea voce rursum Plinius utitur. lib 33. sect. 2. *Smaragdis teximus calices . . . aurum jam accessio est.* Quasi diceret, principalia luxuriæ irritamenta nunc sunt smaragdi gemmæque: aurum, accessorium est. Valer. Maxim. lib. 5 cap. 7. num. 2. *Nec accessor* (in quibusdam exemplaribus, *accessio*) *gloriosa illius pompa, sed auctor spectatus est*

23. *Turba se.*] Vulgo id dictum Cæsari Hadriano adscribitur. Verum ex isto Plinii loco, atque ex Dione Cassio, in extrema Hadriani historia, multo esse vetustius intelligimus. Senarius est, ut putant, Menandri Comici:

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν.

24. *Ceu vero non millia.*] De Babyloniis illud ipsum prodidere Herod. lib. 1. & Strabo, lib. 16. de Bastetanis, Hispaniæ populis, idem Strabo, lib. 3. de Hispanis antiquioribus, Eusebius, lib 10. Eccl. hist. cap. 11.

25. *Sicut populus Rom.*] Vide quæ diximus lib. 20. sect. 33. nota 2.

Sect. VI. 1. *Luc. Julio Coss.*] Vide Notas & Emendationes, num. VI.

2. *Quiritium.*] Vide quæ de Quiritibus diximus ad librum XVI sect. LVII. Et adde, pro Quirite Quirinum dixisse Plutarchum in Numa, pag 61. ubi centum quinquaginta Patres ait, intra se ita partitos esse Reipublicæ administrationem, ut singuli senis per noctem, totidemque per diem horis, jus dicerent *Quirino, καὶ χρηματίζειν ἓξ μὲν ὥρας τῆς νυκτὸς, ἓξ δὲ τῆς ἡμέρας Κυρίνῳ. Loco Quirini* vertit interpres, prave. Amyottus Gallice, *comme Souverain*: rectius, opinor, legendum esse *κύριον*. Salmasius in Notis ad Vopiscum, in vita Taciti Imp vocem hanc expungit, quæ sententiam turbat, inquit, & prorsus alieno loco insidet. Mutare alius dicitur *Κυρίνῳ* in *κύριον ὄντα.* Nihil mutandum, cum sit plana sententia: jus reddidisse quemque Senatorem per vices cuilibet in urbe Roma genito: cujus esset jus peculiare, *jus Quiritium* appellatum, & quem *Quirinum* pro Quirite Plutarchus vocat.

3 *Vulnerarium.*] Qui vulneribus præsertim curandis operam suam addicit: ut ocularium dicimus, qui sanandis oculis.

& facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quam alios [1] opicos, appellatione fœdant. Interdixi tibi de medicis.

VIII. Atque hic Cato DCV. anno urbis nostræ obiit, LXXXV. suo, [a] ne quis illi defuisse publice tempora, aut privatim vitæ spatia ad experiendum arbitretur. Quid ergo?
5 damnatam ab eo rem utilissimam credimus? Minime hercules: subjicit enim qua medicina & se & conjugem usque ad longam senectam perduxerit, iis ipsis scilicet, [1] quæ nunc nos tractamus. Profiteturque esse commentarium sibi, quo medeatur filio, servis, familiaribus, quem nos [b] per genera usus sui digerimus. [c] Non rem antiqui damnabant, sed artem. [d] [2] Maxime vero quæstum esse immani pretio vitæ, recusabant. Ideo templum Æsculapii,
10 etiam cum reciperetur is Deus, [3] extra Urbem fecisse, [4] iterumque in insula, traduntur. Et cum Græcos Italia pellerent, diu post Catonem, [e] [5] excepisse medicos. [6] Augebo providentiam illorum. Solam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu: paucissimi Quiritium attigere, & ipsi statim [7] ad Græcos transfugæ: immo vero auctoritas aliter quam Græce eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque
15 linguæ, non est. Ac minus credunt, quæ ad salutem suam pertinent, si intelligunt. Itaque hercule in hac artium sola evenit, ut cuicumque medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur, adeo blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex quæ puniat inscitiam: capitale nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medico-
20 que tantum hominem occidisse impunitas summa est. [f] Quin immo transit convicium, & intemperantia culpatur: ultroque qui periere arguuntur. [g] [8] Sed decuriæ pro more Censuris Principum examinantur: [9] inquisitio per parietes agitur: [10] & qui de nummo judicet, a Gadibus columnisque Herculis accersitur: [11] de exsilio vero non nisi XLV. electis viris datur tabella. At de judice ipso quales in consilium eunt, statim occisuri? Merito,
25 dum nemini nostrum libet scire quid saluti suæ opus sit. [12] Alienis pedibus ambulamus: [13] alienis oculis agnoscimus: [14] aliena memoria salutamus: [15] aliena vivimus opera. Perieruntque rerum naturæ pretia, & [16] vitæ [h] argumenta. Nihil aliud pro nostro habemus, quam delicias.

[i] Non deseram Catonem tam ambitiosæ artis invidiæ a me objectum, aut Senatum

Interpretatio.

a *Ne quis*] Ne quis aut publice temporum antecactorum usum Romanis, aut privatim vitæ longioris experientiam Catoni defuisse arbitretur.

b *Per genera*] Per genera *morborum, in quibus* plurimus usus illius est.

c *Non rem.*] Non medicamenta per se damnabant.

d *Maxime.*] Immani pretio licere hominum vitam nolebant.

e *Excepisse*] Nominatim appellasse medicos cum ceteris Græcis Urbe pellendos.

f *Quin immo.*] Quia etiam transit a medicis convicium in ægrotos ipsos: Horum intemperantia culpatur.

g *Sed decuriæ.*] Sed judices qui sunt in decurias allegendi, mos est a Principibus examinari, qui censuram exercent.

h *Argumenta.*] Instrumenta.

i *Non deseram.*] Non relinquam Catonem, quem objeci invidiæ medicorum; non deseram Senatum, qui ita censuit, *pellendos Italia medicos*: neque tamen *quod medicis male velim*, crimina artis illius causabor, ut aliquis *facturum me* facile crediderit: *nec immerito fortassis*. nam quæ ars venenorum fertilior, &c.

Notæ.

Sect. VII. 1. *Opicos*] Rudes, impolitos, simplices, more antiquo. Sic quosdam compellat Gellius, lib. 2. cap. 21. *Hic ego ad nostros juvenes convertor: &, Quid, inquam, vos Opici, dicitis mihi?* Et Tullius Tiro apud eumdem Gellium, lib. 13. cap. 9. *Non ut nostri opici putaverunt* · qua scilicet sententia Plinius, lib. 18. sect. 66. *quod nostri .... imperitia appellavere*, dixit.

Sect. VIII. 1 *Quæ nunc nos tractamus.*] In Reg. 1. *quæ nunc nostra damus*. In Reg. 2. & Chiffl *quo nunc nostra scitamus*.

2. *Maxime vero*] In Reg. 2. cod. *Maxime vero quæstum esse manupretio vitæ recusabant* · hoc est, æstimata pretio vita, vel accepto pro vita pretio. Credo sincerius id elegantiusque.

3 *Extra Urbem.*] Hujus consilii causas investigat Plutarchus, in quæst. Rom. pag 286.

4. *Iterumque in insula.*] P. Victor, in descript. Urbis Romæ, regione XIV. quæ trans Tiberim: *In insula, ædes Jovis & Æsculapii, & ædes Fauni.* Festus: *In insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime sustententur.*

5. *Excepisse medicos.*] Excipere hoc loco, non est demere, secernere, vel eximere numero; sed nominatim cavere. Cujus significationis exempla plurima in Jureconsultis occurrunt: atque in ipso Cic. ad Q. Fratr. lib. 1. epist. 1. *Nominatimque lex exciperet, ut ad templum monumentumque nostrum capere liceret.*

6. *Augebo.*] Mandabo, inquit, litteris Latinis, quæ medici ad hunc diem Græcis. Ita fiet, ut illis facile careamus: provideantque Romani magis, ne se se in Urbem peregrinitas ea infundat.

7. *Ad Græcos transfugæ.*] Quoniam spreto Latino sermone, Græce etiam homines Romani scripserunt, ut Sextius Niger, aliique.

8. *Sed decuriæ.*] De judicum decuriis, libro 33. sect. 7.

9. *Inquisitio per parietes.*] Non per singulas duntaxat domos, de judicum moribus inquiritur, explorantibus certis hominibus quid in quaque domo agatur: sed & auriti mittuntur emissarii, qui vel per ipsos parietes candidatorum sermones excipiant, subauscultentque. Vide Notas & Emend. num. VII.

10. *Et qui de nummo.*] De levissimis pecuniæ summis, nedum de vita & capite civium Seneca, lib. 3. de ira, cap. 33. *Evocati e longinquis regionibus judices sedent, judicaturi utrius justior avaritia sit.* Mittuntur, inquit, in cujusque patriam, qui explorent qua fama & existimatione sint, quam municipibus suis probati: non enim tantum ex Urbe capiuntur & Italia, sed ex omnibus evocantur Imperii partibus, qui de pecunia judicent non magna. Cornelium Balbum hoc loco indicat, Gadibus natum, de quo idem agit, lib. v. sect. v. & lib. VII. sect. XLIV.

11. *De exsilio.*] Datur tabella, hoc est, judicium permittitur. Judices, inquit, de tabella, deliberatione prius domi habita: medici statim. Judices electi XLV. vel de eo ordine ac numero aliquot: Medici qualescumque sine delectu. Judices, quasi de exsilio tantum dicturi: Medici occisuri. Judicex, de reo ac facinoroso: Medici de judice ipso ac Prætore pronunciari. Vide Notas & Emend. num. VIII.

12. *Alienis pedibus*] Lecticariorum.

13. *Alienis oculis.*] Anagnostarum, sive lectorum.

14. *Aliena memoria.*] Nomenclatorum. Habebant præsertim candidati comites, qui meminisset vocare unumquemque scirent, & occurrentium civium nomina suggererent, quos illi deinde honorifice salutarent.

15. *Aliena .... opera.*] Medicorum

16. *Vitæ argumenta*] Argumenta vitæ appellat ea omnia, quibus vitæ incolumitas continetur: unde his voluminibus

illum

illum, qui ita censebat: idque non criminibus artis arreptis, ut aliquis exspectaverit. Quid enim venenorum fertilius, aut unde plures testamentorum insidiæ? Jam vero & adulteria etiam in Principum domibus, ut [17] Eudemi in Livia Drusi Cæsaris: item Valentis, [18] in qua dictum est regina. [a] Nou sint artis ista, sed hominum. [19] Non magis hæc Urbi timuit Cato, ut equidem credo, quam reginas. Ne avaritiam quidem arguam, rapacesque nundinas [b] pendentibus fatis, [20] & dolorum [c] indicaturam, [21] ac mortis arrham, [22] aut arcana præcepta. Squamam in oculis [23] emovendam potius, quam extrahendam: [24] per quæ effectum est, ut nihil magis prodesse videretur, quam multitudo grassantium. Neque enim pudor, sed æmuli [d] pretia summittunt. Notum est ab eodem Charmide unum ægrum ex provincialibus [25] H-S. ducentis [e] reconductum: Alconti [26] vulnerum medico [27] H·S. $\overline{C}$. damnato ademisse Claudium Principem, Eidemque in Gallia exsulanti, deinde restituto, acquisitum non minus intra paucos annos. Et hæc personis imputentur. Ne fæcem aut inscitiam ejus turbæ arguamus, ipsorum intemperantiam in morbis, aquarum calidarum [28] diverticulis: imperiosam inediam, & ab iisdem deficientibus cibos sæpius die ingestos, [29] mille præterea pœnitentiæ modis, culinarum etiam præceptis & unguentorum mixturis, quando nullas omisere vitæ illecebras. Invehi peregrinas merces, conciliarique [30] externa pretia, displicuisse majoribus crediderim equidem: non tamen hoc Catonem providisse, cum damnaret artem. [31] Theriace vocatur excogitata compositio luxuriæ. Fit ex rebus externis, cum tot remedia dederit Natura, quæ singula sufficerent. [32] Mithridaticum antidotum ex rebus LIV. componitur, interim nullo pondere æquali, & quarumdam rerum sexagesima denarii unius imperata. Quo deorum perfidiam istam monstrante? Hominum enim subtilitas tanta esse non potuit. Ostentatio artis & portentosa scientiæ venditatio manifesta est. Ac ne ipsi quidem illam novere. [33] Comperique vulgo pro cinnabari Indica in medicamenta minium addi, inscitia nominis, quod esse venenum docebimus inter pigmenta. Verum hæc ad singulorum salutem pertinent. Illa autem, quæ timuir Cato, atque providit, innocentiota multo & parva opinatu, quæ proceres artis ejus de semet ipsi fateantur. Illa perdidere imperii mores, illa quæ sani patimur, [34] luctatus, ceromata, ceu valetudinis causa instituta: [35] balineæ ardentes, quibus

INTERPRETATIO.

a *Non sint.*] Non sint sane ista imputanda arti, sed improbitati hominum potius. *Nec videtur hac causa Catoniano odio.* Neque enim, credo, magis hæc *adulteria cum reginis* timuerit urbi Cato, quam reginas ipsas: *nec minus Reipubl. malum, regina: quam familiæ principis, adulterium.*

b *Pendentibus.*] Dum mors instat.

c *Indicaturam.*] Æstimationem

d *Pretia.*] Pretia *medicamentorum & operæ suæ minuunt.*

e *Reconductum.*] Iterum conductum.

NOTÆ.

medicinas repetit. Horum jacere pretia, cognitionem negligi ab hominibus, jure queritur.

17. *Ut Eudemi.*] Eudemus Liviæ Drusi a Sejano corruptæ medicus, & ipse ejusdem criminis reus, Tiberii principatu floruit. Tacitus, lib. 4. Annal. pag. 98. *Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviæ, specie artis frequens secretis*, &c. Alius ab isto Eudemus medicus, cujus Galenus meminit. Livia, quæ & Livilla Suetonio, Drusi conjux, ejus qui Tiberii Imp. filius: Drusi Neronis filia, ejus videlicet qui ejusdem Tiberii frater fuit, eademque Germanici Cæsaris & Claudii Imp. soror.

18. *In qua dictum est.*] In Messalina, de qua dictum est sect. 5.

19. *Non magis . . . . quam reginas.*] Vide Notas & Emend. num IX.

20. *Et dolorum indicaturam.*] Indicasura, ut diximus in præfat. ad Vespas. æstimatio, pretium, taxatio est. Indicare vendentium verbum est, ut mercari ac liceri emptoris. Plautus in Persa, act. 4. sc. 4. vers. 25.

TO. *Hanc eme, atque ausculta mihi.*
PO. *Modo ut sciam, quanti indicet.*

Et vers. 37.

SA. *Indica, fac pretium.*
PO. *Tua merx est: tua indicatio est.*

Iterumque vers. 109. & 112. Igitur indicatura dolorum, taxatio est sic fere fieri solita. Levari hoc genere morbi cupis? Tantum dabis. Isto? tantum.

21. *Ac mortis.*] Mortis arrham eleganter vocat id quod velut pignus pretii numerandi medico datur, statim occisuro.

22. *Aut arcana.*] Medicamenta, quæ nonnisi ingenti pretio evulgantur, aut communicantur.

23. *Emovendam.*] Deorsum pellendam acu, unde subire sursum possit adhuc, & medici operam iterum flagitare.

24. *Per quæ effectum.*] Quanquam medici, inquit, multa Romæ artis suæ licentia nefarie admitterent: potius tamen esse cœpit ut plures essent, quam ut pauci. Cum enim pauci essent, pretia immodica aut stipulabantur ab ægris, aut quovis modo exprimebant. Neque enim deterrentur pudore, ut immensis mercedibus abstineant: sed mutua, ut fit, æmulatione, minoris operas suas addicere tum cœperunt, cum multi eamdem exercuere artem.

25. *H S. ducentis.*] Sestertiis ducentis, sive, quod idem est, ducentis sestertiûm millibus, hoc est, monetæ Gallicæ, ut nunc res sunt, libris 20000.

26. *Vulnerum medico*] Chirurgo, seu vulnerario medico.

27 *H S. C.*] Hoc est, sestertiûm centies: id enim superposita lineola signat: simulque admonet, centena millia subintelligi oportere. Sunt porro sestertiûm centies, qua summa pecuniæ multatus Alcon a Claudio dicitur, Gallicæ monetæ, libræ 1000000. Millionem vulgo vocant.

28. *Diverticulis.*] Diverticula eleganter appellat, cum per tot medicamentorum, & balinearum anfractus, flexionesque, valetudo quæritur, quæ simplici via parari commode potest.

29. *Mille præterea.*] Cum mille modis priora errata corrigunt, novisque cumulant.

30. *Externa pretia.*] Pretia rerum externarum. Ipse lib. 24 sect. 1. *Statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur: ulcerique parvo medicina a Rubro mari imputatur*, &c.

31. *Theriace.*] Θηριακή, medicamentum contra venenata; de cujus confectione dictum est, lib. 20. sect. 100.

32. *Mithridaticum.*] Mithridaticum antidotum, quod a Celso describitur, lib. 5. cap 23. rebus dumtaxat sex & triginta componitur. Apud Galenum, lib 2. de antid. cap. 9. omnino XLIV.

33. *Comperique.*] Vide quæ dicturus est inferius lib. 33. sect. 38. & 39. Et hunc medicorum errorem Dioscor. prodidit, lib 5. cap. 109.

34 *Luctatus, ceromata.*] De ceromate, oleove, quo luctatores ungebantur, diximus lib. 28 sect. 13 Ideo vero ungebantur, ut membra emollita sine ullius rupturæ periculo labores sustinerent: quod Lucianus περὶ γυμνασίων, sic fere prodit: Χρίομεν ἐλαίῳ (τὰ σώματα) καὶ καταμαλάττομεν, ὡς εὐτονώτερα γίγνοιτο, &c. Negat ergo Plinius hæc fuisse quondam valetudinis causa instituta, sed luctæ potius & exercitationis.

35. *Balinea ardentes.*] Ut cruditatem deponerent, calda-

persuasere in corporibus cibos coqui, ut nemo non minus validus exiret, obedientissimi vero [a] efferrentur. [36] Potus deinde jejunorum ac vomitiones, & rursus perpotationes, ac pilorum eviratio instituta [37] resinis eorum; [38] itemque pectines in feminis quidem [39] [b] publicati. Ita est profecto: lues morum, nec aliunde major quam e medicina, vatem prorsus quotidie facit Catonem, & oraculum: Satis esse ingenia Græcorum inspicere, non perdiscere.

Hæc fuerint dicenda pro Senatu illo, sexcentisque populi Romani annis, adversus artem, in qua conditione insidiosissima auctoritatem pessimis boni faciunt: simul contra attonitas quorumdam persuasiones, qui prodesse nisi [c] pretiosa non putant. Neque enim dubitaverim aliquibus fastidio futura, quæ dicentur animalia: at non [40] Virgilio fuit nominare formicas nulla necessitate, & curculiones, ac lucifugis congesta cubilia blattis: non [41] Homero inter prælia Deorum improbirarem muscæ describere: non Naturæ gignere ista, cum gignat hominem. Proinde causas quisque & effectus, non res, æstimet.

IX. Ordiemur autem a confessis, hoc est, lanis ovisque, ut obiter rebus præcipuis honos in primis perhibeatur. Quædam etiam sic alienis locis, tamen obiter dici necesse erit. Nec deerat materiæ pompa, si quidquam aliud intueri liberet, [d] quam fidem operis. Quippe inter prima proditis etiam ex cinere phœnicis nidoque medicinis, ceu vero id certum esset, atque non fabulosum. Irridere est, vitæ remedia [1] post millesimum annum reditura monstrare. * Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, [2] postes a nubentibus attingi jubentes. Præterque cultum & tutelam contra frigora, [e] [3] succidæ plurima præstant remedia ex oleo vinoque, aut aceto, prout quæque mulceri mordérive opus sit, & adstringi, laxarive, luxatis membris, dolentibusque nervis impositæ, & crebro suffusæ. Quidam etiam salem admiscent luxatis. Alii cum lana rutam tritam adipemque imponunt. Item contusis tumentibusque. Halitus quoque oris gratiores facere traditur, [4] confricatis dentibus atque gingivis, admixto melle. [5] Prodest & phreneticis suffitu. [6] Sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo: & alio modo indita auribus obturatis spissius. [7] Quin & hulceribus vetustis imponitur cum melle. [8] Vulnera ex vino, vel aceto, vel aqua frigida & oleo expressa sanat. [9] Arietis vellera lota frigida ex oleo madefacta, in muliebribus malis inflammationes vulvæ sedant. Et si procidant, suffitu re-

* CAP. II.

INTERPRETATIO.

a *Efferrentur.*] *Extincti vapore balinearum* efferrentur *ad rogum*

b *Publicati.*] *Medicorum* oculis expositi.

c *Pretiosa.*] Immani pretio ex alio orbe quæsita remedia.

d *Quam fidem*]. Quam ut fidem opus obtineat.

e *Succida.*] Recens tonsæ.

NOTÆ.

tiis utebantur. Horatius, lib 1. Epist. 6. vers. 61.

Crudi tumidique lavemur.

Juvenalis, Satyr. 1. vers. 143.

Et crudum pavonem in balnea portas.

Vide quæ diximus lib. 14. sect. 28.

36. *Potus jejunorum.*] De his Seneca, epist. 122. *Isti non videntur sibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt?.... Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos: illa ebrietas juvat, quæ in vacuum venit.*

37. *Resinis eorum.*] Glabros & depiles reddebant olim viros molliores, adolescentesque, picis illitu, vel resinæ. Unde apud Juvenalem, Satyr. 8. vers. 114. *Resinata juventus.* Vide Constant. in Lexico, verbo Πιττόω Eviratio porro a Plinio appellatur, quoniam virilitatis signum est & indicium pili Julius Capitolin. in Pertinace, pag. 56 *vasa Samnitica* Commodi Imp. memorat, *calefaciendæ resinæ ac pici devellendis hominibus ac lævigandis.*

38. *Itemque pectines.*] Pecten in feminis locus est ubi pili nascuntur, Juvenal Satyr. 6.

Inguina traduntur medicis iam pectine nigro.

Et hos pariter depilabant, Martiali teste, lib. 12. Epigr. 32.

Nec plena turpi matris olla resina,
Summæniana qua pilantur uxores.

39 *Publicati.*] Vel medicis, ut diximus, vel cum in publico matrona translucet, ut dictum est lib. 6 sect. 20. Vide quæ tum ibi, tum lib. 21 sect. 26. in Notis adjecimus.

40. *Virgilio.*] De curculione, lib. 1. Georg. vers. 186. De blattis, lib 4. ejusdem operis, vers. 243.

41. *Homero.*] Iliad. ρ'. vers. 570.

Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥ τε, καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο,
Ἰσχανάᾳ δακέειν, λαρὸν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.

Et ei muscæ audaciam in pectoribus immisit: quæ quamvis depulsa frequenter a corpore humano, mordere appetit; dulcisque illi sanguis hominis est Affert hic Dalecampius Homeri locum a proposito omnino alienum.

Sect. IX. *Post millesimum.* Certum annorum numerum pro incerto ponit. Diversas veterum sententias de phœnicis reversione attulimus lib 10 sect. 2.

2. *Postes a nubentibus attingi.*] Vide Notas & Emendat. num. X

3. *Succida.*] Unde succida lana appellata sit, Varro docet, lib. 2. de re rust cap. ult. his verbis: *Tonsura tempus inter æquinoctium vernum & solstitium, cum sudare inceperint oves: a quo sudore recens lana tonsa succida est appellata.* A succo alii deduci malunt. Et succida vellera dixit Martialis, lib. xi. Epigr. 28.

Succida palliolo vellera quinque petit.

Hæc porro totidem cum Plinio verbis habet Diosc. lib. 2. cap. 82. Ἔρια οἰσυπηρὰ... ἁρμόζοντα δὲ ἀρχῇ ... θλάσμασι, ἀποσύρμασι, πελιώμασι, ὀστῶν κατάγμασι, βρεχόμενα ὄξει ἢ ἐλαίῳ ἢ οἴνῳ *Lana succida subveniunt inter initia vulneribus, contusis, desquamatis, lividis, & ossium fracturis, aceto, & oleo, aut vino imbuta.*

4. *Confricatis dentibus.*] Et horum quoque candori conferre haud parum succidam lanam melle illitam, si perfricentur, auctor est Marcellus Empir. cap 13. pag. 97.

5 *Prodest & phreneticis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 9. Serenus, cap. 8. de phrenesi, pag. 129.

Illoris etiam lanis suffire memento, Cerritum, &c.

Cerritus dicitur, quasi Cereritus, Atticis, Δημητρόληπτος, quasi Cereris ira & larvarum incursione animo vexatus. Hæc vox Horatio nota, Plauto maxime familiaris At non phreneticis modo, sed & lethargicis (qui morbus phrenesi contrarius est) prodesse suffitu lanam succidam auctor est Celsus, lib. 3. cap 20. qui hanc inter ea annumerat, quæ odore fœdo moveot sic affectos.

6. *Sanguinem, &c.*] Vide Notas & Emendat. num. XI.

7. *Quin & hulceribus.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 22.

8. *Vulnera, &c.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 20. & Q. Serenus, cap. *de vulneribus quibuscumque*, &c.

9. *Arietis vellera, &c.*] Sextus Platon. cap. 6. de ariete, tit. 2. *Ad locorum dolorem: Lana ejusdem nigra intincta in aqua, deinde in oleo, & supposita locis dolorem tollit. Et suffumigata, ante prolapsam vulvam reprimit.*

ptimunt. [10] Succida lana imposita subditaque mortuos partus evocat. Sistit etiam profluvia eatum. [11] At canis rabiosi morsibus inculcata post diem septimum solvitur. [12] Reduvias sanat ex aqua frigida. [13] Eadem nitro, sulphure, oleo, aceto, pice liquida ferventibus tincta, quam calidissima imposita bis die, lumborum dolores sedat. Sanguinem sistit ex ariete succida, [14] articulos extremitatum præligans. Laudatissima omnis e collo: natione vero Galatica, Tarentina, Attica, Milesia. [15] Succidam imponunt & desquamatis, percussis, lividis, incussis, collisis, contritis, dejectis, [16] capitis & aliis doloribus, stomachi inflammationi, ex aceto & rosaceo. Cinis ejus illinitur attritis, vulneratis, ambustis. [17] Et in oculorum medicamenta additur: item in fistulas, [18] aurésque suppuratas. [19] Ad hæc detonsam eam, alii evulsam, decisis summis partibus siccant, carpuntque, & [20] in fictili crudo componunt, ac melle perfundunt, uruntque. [21] Alii assulis tedæ subjectis, & subinde interstratis, oleo aspersam accendunt, cineremque [a] [22] in labellis aqua addita confricant manu, & considere patiuntur, idque sæpius mutantes aquam, donec linguam adstringat leniter, nec mordeat. Tunc cinerem [b] reponunt. Vis ejus septica est, efficacissimeque [c] genas purgat.

X. [1] Quin ipsæ sordes pecudum, sudorque feminum, & alarum, adhærentes lanis, (œsypum vocant) innumeros prope usus habent. In Atticis ovibus genito palma. Fit pluribus modis: [2] sed probatissimum, [3] lana ab his partibus recenti concerpta, aut quibuscumque sordibus succidis primum collectis, ac lento igni [4] in æneo subfervefactis, & refrigeratis, pinguique quod supernatet, collecto in fictili vase, iterumque decocta priori materia: quæ pinguitudo utraque frigida aqua lavatur, [5] & in linteo [d] saccatur, ac Sole torretur, donec candida fiat ac translucida. Tum in stannea pyxide conditur. [6] Probatio autem, ut sordium virus oleat, & manu fricante ex aqua non liquetur, sed albescat ut cerussa. [7] Oculis utilissimum contra inflammationes, [e] [8] genarumque callum. [9] Quidam in testa torrent, donec pinguitudinem amittat, utilius tale existimantes erosis & duris [f] genis, angulis scabiosis & lacrymantibus. [10] Hulcera non oculorum modo sanat, sed oris etiam & genitalium, cum anserino adipe. [11] Medetur & vulvæ inflammationibus, sedis rhagadiis, & condylomatis cum meliloto ac butyro. Reliquos usus ejus suo loco digeremus. [12] Sordes quoque caudarum concretæ in pilulas, ac siccatæ per se

Interpretatio.

a *In labellis.*] In vasculis.
b *Reponunt.*] Recondunt.
c *Genas.*] Palpebras.
d *Saccatur*] Percolatur.
e *Genarumque.*] Palpebrarum.
f *Genis.*] Palpebris, angulis oculorum scabiosis.

Notæ.

10. *Succida lana.*] Q. Serenus, cap. 35. pag 148.
Menstruus immenso si profluit impete sanguis,
Succida lana malos remoratur subdita cursus:
Mortuus quia etiam producit corpora partu.

11. *At canis.*] Plinius Valer lib. 3. cap 50.

12. *Reduvias.*] Quas Græci, ut alibi diximus, *παρωνυχίας*, & Plinius ipse passim appellant. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 30. *Paronychia in initiis lana ex aqua infusa imposita curantur, eaque frigidiore frequentius irriganda erunt.*

13. *Eadem nitro.*] Totidem verbis Marcellus Empiricus, cap. 25. pag. 171. Plinius Valer. lib. 2. cap. 36. & Q. Serenus, cap. 26. pag. 141.
Cum fixus penitis hærens injuria lumbis,
Aut pice cum molli nitrum, sulphurque, & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus isdem:
Proderit hanc ægris crebro perducere membra.

14. *Articulos extremitatum.*] Extremitates corporis, ut dictum est lib. 28 sect. 17. perstringendo. Celsus, libro 4. cap. 4. de tussi: *Si ex faucibus interioribusve partibus sanguis processit .... imponenda extrinsecus supra id quod dolet, lana succida ex aceto est, & id spongia subinde refrigerandum. Erasistratus horum crura quoque, & femora, brachiaque pluribus locis deligabat. Id Asclepiades adeo non prodesse, ut etiam inimicum esset, proposuit. Sed id sæpe commode respondere, experimenta testantur. Neque tamen pluribus locis deligari necesse est: sed satis est infra inguina & super talos, summosque humeros, etiam brachia.*

15. *Succidam imponunt.*] Hæc pariter Diosc. lib. 2. cap. 182.

16. *Capitis & aliis.*] Marcellus Empir. cap. 1. pag. 37. ad capitis dolores: *Lanam ovicula de inter femora velles, & combures, & in aceto intingues, & super tempora dolentis ligabis. Lanam arietis de fronte velles, atque ex aceto fronti illines.* Vide etiam Dioscor. lib. 2. cap. 82 ubi hæc verbis totidem exstant.

17. *Et in oculorum.*] Diosc lib 2. cap. 83.

18. *Aurésque suppuratas.*] Marcellus Empiric. cap. 9. pag. 79.

19. *Ad hæc detonsam.*] Totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 83.

20. *In fictili crudo*] Non cocto, ἐν ὠμῇ χύτρᾳ. Dioscor. loco cit.

21. *Alii assulis.*] Diosc loco cit. Σχίδακας δᾳδίνας ἰσχνάς, καὶ ἔρια σποράδην, &c. *Assulas tenues, & lanas vicissim interstruunt, &c.* Assula, vel astula, ut alibi diximus, pars est ligni concisi minuta. Egimus de ea voce, lib. 16. sect. 23.

22. *In labellis.*] Diosc. ἐν κεραμίῳ σκαφίῳ, in vase fictili: *Labellum fictile novum impleto paleis*, inquit Columella, lib 12 cap. 43 hoc est, vas fictile.

Sect. X. 1. Quin ipsæ sordes.] Hæc deinceps totidem verbis Diosc. lib 2 cap. 84. Οἴσυπος δὲ λέγεται τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος, ὃ κατασκευάζεται οὕτω. *Oesypum dicitur, e succidis lanis collecta pinguitudo, quam sic præparabis.* &c

2. *Sed probatissimum.*] Ex hunc modum affert Diosc. loco cit. Item auctor libri de simpl. med. ad Patern. tomo 13. operum Galeni, pag. 1003. *Oesypum*, inquit, *est quasi sordes & succus lanarum succidarum, quod hac ratione colligitur. Lanas succidas sordidissimas, & jam mox detonsas mittimus in vas quod habeat calidam aquam: & ignem succendimus, ut aliquantulum ferveat: deinde refrigeramus: & quod supernatat in modum pinguedinis, abradimus manu, & in vase stanneo absternimus: & sic ipsum vas aqua pluviali implemus, & rursus delimpidamus: & tunc œsypum reponimus.*

3. *Lana ab his partibus.*] A feminibus, & aliis.

4. *In æneo*] Subintellige, *vase*: neque enim hanc vocem probatæ fidei codices habent.

5. *Et in linteo saccatur.*] Per colum transmittitur. Vide Notas & Emend. num. XII

6. *Probatio.*] Totidem verbis Diosc. lib. 2. cap 84.

7. *Oculis.*] Diosc. loco cit.

8. *Genarumque.*] Diosc. Ποιεῖ δὲ καὶ πρὸς βλέφαρα τετυλωμένα καὶ τριχορροοῦντα. *Ad palpebras callosas, & ciliorum defluvio laborantes* Marcellus Empir cap 8 pag 70.

9 *Quidam in testa, &c*] Diosc. loco cit. ad verbum.

10. *Hulcera, &c.*] Vide Notas & Emend. num. XIII.

11. *Medetur.*] Diosc. pariter loco cit.

12. *Sordes quoque.*] Q. Serenus, cap. 15. de dentium & oris vitiis, pag. 134.
Si vero infandum proserpit ad intima vulnus,

tusæque in farinam & illitæ dentibus mire prosunt, etiam labantibus: gingivisque, si carcinoma serpat. Jam vero pura vellera, aut per se imposita [13] cæcis doloribus, aut accepto sulphure: & cinis eorum genitalium vitiis. Tantumque pollent, ut medicamentis quoque superponantur. Medentur ante omnia & pecori ipsi, si fastidio non pascatur. Cauda enim quam arctissime præligata, evulsa inde lana statim vescuntur. Traduntque quod extra nodum sit e cauda præmori.

CAP. III. XI. [1] Lanæ habent & cum ovis societatem simul fronti impositæ contra epiphoras. Non opus est eas in hoc usu [2] radicula esse curatas, neque aliud, quam candidum ex ovo infundi; ac pollinem thuris. [3] Ova per se infuso candido oculis epiphoras cohibent, urentesque refrigerant. [4] Quidam cum croco præferunt, & pro aqua miscent collyriis. Infantibus vero contra lippitudines vix aliud remedium est, butyro admixto recenti. [5] Eadem cum oleo trita ignes sacros leniunt, betæ foliis superilligatis. Candido ovorum in oculis & pili reclinantur Hammoniaco trito admixtoque. Et vari in facie cum pineis nucleis ac melle modico. [6] Ipsa facies illita Sole non aduritur. [a] [7] Ambusta aquis si statim ovo occupentur, pusulas non sentiunt. Quidam admiscent farinam hordeaceam, & salis parum. [8] Hulceribus vero ex ambusto, cum candido ovorum tostum hordeum, & suillo adipe, mire prodest. Eadem curatione ad sedis vitia utuntur: infantibus quidem, etiam si quid ibi procidat. Ad pedum rimas ovorum candido decocto cum cerussæ denariorum duûm pondere, pari spumæ argenti, myrrhæ exiguo, deinde vino. [9] Ad ignem sacrum, candido ovorum trito cum amylo. Aiunt & vulnera candido glutinari, calculosque pelli. [10] Lutea ovorum cocta ut indurescant, admixto croco modice, item melle & lacte mulieris illita, dolores oculorum mitigant. [11] Vel cum rosaceo & mulso lana oculis imposita, vel cum trito apii semine, ac polenta in mulso illita. Prodest & tussientibus per se luteum devoratum liquidum, ita ut dentibus non attingatur: [12] thoracis distillationibus, faucium scabritiæ. [13] Privatim contra hæmorrhoïdum morsum illinitur, sorbeturque crudum. [14] Prodest & renibus, vesicæ rosionibus exhulcerationibusque, & cruenta exscreantibus. Quinque ovorum lutea in vini hemina cruda sorbentur dysentericis, [15] cum cinere putaminis sui, & papaveris succo ac vino. [16] Dantur cœliacis cum uvæ passæ pinguis pari pondere, & malicorii, per triduum æquis portionibus. [17] Et alio modo lutea ovorum trium, lardi veteris & mellis quadrantibus, vini veteris cyathis tribus, trita ad crassitudinem mellis, & cum opus sit, avellanæ nucis magnitudine ex aqua pota. Item ex oleo fricta terna, totis ovis pridie maceratis in aceto. [18] Sic & lientericis. Sanguinem autem rejicientibus, cum tribus cyathis musti. Utuntur iisdem ad liventia, fivetusthora sunt, cum bulbis ac melle. [19] Sistunt & menses mulierum cocta, & ex vino pota: & inflationes quoque vulvæ cruda cum oleo aut vino illita. [20] Utilia sunt & cervicis doloribus cum

INTERPRETATIO.

a *Ambusta aquis.*] *Quæ sunt* aqua *fervent*i adusta.

NOTÆ.

Aut in fumo pilam, quæ caudis hæret ovinis:
Hæc siccata dabit molles, & fracta, farinas:
Hujus & attritis terrum mulcebitur hulcus.

13. *Cæcis doloribus.*] Internarum partium; vel quorum caussa ignoratur. Idem Plinius sect. 13. cum *cæcos aut subitos dolores* dixit, cæcos interpretari subitos videtur.

Sect. XI 1. *Lanæ habent.*] Plinius Valer. lib 1. cap. 14. *Lana carminata cum albo ovo, & thuris polline, fronti applicatur, contra epiphoras oculorum.*

2. *Radicula.*] Herba, quæ lavandis lanis succum habet. De ea antea egimus, lib. 19 sect. 18.

3. *Ova per se.*] Dioscor. lib 2. cap. 55. totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 14. *Ovi album infusum oculis, epiphoras curat, & uredines mitigat.* Item Sextus Platon. parte 2. cap. 9. de gallina, tit. 1.

4. *Quidam.*] Marcellus Empir. cap. 8 pag. 67.

5. *Eadem cum oleo.*] Sextus Platonic. loc. cit. tit. 3. *Ad ignem sacrum: Ovo crudo linies corpus, ubi fervor fuerit, & desuper folium betæ impones: miraberis sanitatem.* Sic etiam Plinius Valer. lib. 3. cap. 34 ad verbum.

6. *Ipsa facies.*] Diosc. lib. 2. cap. 55. Τὸ δὲ λευκὸν αὐτοῦ ... πρόσωπῳ τε ἀνεπίκαυστα ποιεῖ. Seneca in eam sententiam apposite, epist. 123. pag. 515. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne Sol, ne frigus teneram cutem lædat: Turpe est, neminem esse in comitatu puerorum, cujus sana facies medicamentum desideret.*

7. *Ambusta.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Κατακαύματα οὐκ ἐᾷ φλυκταινοῦσθαι παραχρῆμα ἐπιχριόμενον. *Ambustis confestim illitum, pusulas erumpere prohibet.* Sic etiam Galenus, lib XI. de fac. simp. med. pag 309.

8. *Hulceribus vero.*] Q. Serenus, cap. 61. de combusturis, pag. 162.

Hordea vel franges, atque ovo candida junges:
Adsit adeps porca: mira est hæc forma medela.

9. *Ad ignem sacrum.*] Vide Notas & Emend. num XIV.

10. *Lutea ovorum.*] Ita fere Diosc. lib. 2. cap 54.

11 *Vel cum rosaceo*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 14.

12. *Thoracis, &c.*] Πρὸς τραχύτητα ἀρτηρίας ἀρμόζει, καὶ κατάρροις, καὶ αἱμοπτυϊκοῖς, καὶ θώρακος ῥευματισμοῖς ἁρμόζει. *Confert ad asperæ arteriæ scabritias, sanguinis rejectiones, destillationes, ac thoracis rheumatismos.* Dioscor. lib 2. cap. 55.

13. *Privatim.*] Diosc. loc. cit.

14. *Prodest & renibus, &c.*] Diosc. loco cit. Πρὸς κύστεως δήγμους, καὶ ἑλκώσεις νεφρῶν, &c.

15. *Cum cinere.*] In MS Reg. 1. *cum succo.* Reg. 2. & is quem Pintianus vidit, *cum cinere*, quod sincerum est. Nullus editus patrocinatur, qui *cum jure* præ se ferunt. Et quod jus, amabo, ex ovorum putamine concinnari queat? qua pinguitudine?

16. *Dantur cœliacis.*] Simile medicamentum habet Marcellus Empir. cap. 27. pag. 193.

17. *Et alio modo, &c.*] Totidem ferme verbis Marcellus Empir. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 26.

18 *Sic & lientericis.*] Λειεντερία morbus est, quum intestina lævore fluunt: celerrima scilicet transmissio, ac tota simul ciborum egestio, quum tales excernuntur quales ingesti sunt: λεῖον ἔντερον, intestinorum lævor, seu lævitas. Celsus, lib 4. cap. 16. *Ex torminibus interdum intestinorum lævitas oritur, qua continere nihil possunt, & quidquid assumptum est, imperfectum protinus reddunt,* &c. Vide Notas & Emend. num. XV.

19. *Sistunt & menses.*] Sextus Platonic. parte 2. cap. 9. de gallina, tit. *Ad profluvium mulieris: Gallinæ ovum totum comburas & conteras, & in vino mixtum illinies: restringit.*

20. *Utilia sunt.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 54.

anserino adipe & rosaceo. [21] Sedis etiam vitiis indurata igni, ut calore quoque prosint: Et condylomatis cum rosaceo. [22] Item ambustis durata in aqua, mox in pruna putaminibus exustis: tum lutea ex rosaceo illinuntur. Fiunt & tota lutea, [23] quæ vocant sitista, cum triduo incubita tolluntur. Stomachum dissolutum confirmant [a] pulli ovorum cum gallæ dimidio, ita ne ante duas horas alius cibus sumatur. Dant & dysentericis pullos in ipso ovo decoctos, admixta vini austeri hemina, & pari modo olei polentæque. Membrana putaminis detracta sive crudo, sive cocto, labiorum fissuris medetur. [24] Putaminis cinis in vino potus, sanguinis eruptionibus. Comburi sine membrana oportet: [25] sic fit & dentifricium. Idem cinis & mulierum menses cum myrrha illitus sistit. Firmitas putaminum tanta est, ut recta, nec vi, nec pondere ullo frangantur, nec nisi paululum inflexa rotunditate. [26] Tota ova adjuvant partum, cum ruta, & anetho, & cumino pota e vino. [27] Scabiem corporum ac pruritum oleo & cedria mixtis tollunt. Hulcera quoque humida in capite, cyclamino admixta. [28] Ad puris & sanguinis exscreationes ovum crudum cum porri sectivi succo, parique mensura mellis Græci calefactum hauritur. [29] Dantur & tussientibus cocta & trita cum melle, & cruda cum passo oleique pari modo. [30] Infunduntur & [b] vitilitatis vitiis singula, cum ternis passi cyathis, amylique semuncia a balineis. Adversus ictus serpentium cocta tritaque adjecto nasturtio illinuntur. Cibo quot modis juvent notum est, cum transmeent faucium tumorem, calfactuque obiter foveant. Nullus est alius cibus, qui in ægritudine alat, neque oneret, simulque vim potus ac cibi habeat. [31] Maceratorum in aceto molliri diximus putamen. [32] Talibus cum farina in panem subactis cœliaci recreantur. [33] Quidam ita resoluta in patinis torreri utilius putant. Quo genere non alvos tantum, sed & menses feminarum sistunt: aut si major sit impetus, cruda cum farina ex aqua hauriuntur. [34] Et per se lutea ex iis decocta in aceto, donec indurescant: [35] iterumque cum trito pipere torrentur ad cohibendas alvos. [36] Fit & dysentericis remedium singulare, ovo effuso in fictili novo, ejusdemque ovi mensura, ut paria sint omnia, melle, mox aceto, item oleo, confusis crebroque permixtis. Quo fuerint ea excellentiora, hoc præsentius remedium erit. Alii eadem mensura pro oleo & aceto resinam adjiciunt rubentem, vinumque: & alio modo temperant, olei tantum mensura pari, pineique corticis duabus sexagesimis denariorum, una ejus [37] quod rhum diximus, mellis obolis quinque simul decoctis, ita ut cibus alius post quatuor horas sumatur. Torminibus quoque multi medentur, ova bina [38] cum allii spicis quatuor una terendo, vinique hemina calefaciendo, atque ita potui dando. Et ne quid desit ovorum gratiæ, candidum ex his admixtum calci vivæ glutinat vitri fragmenta. Vis vero tanta est, ut lignum perfusum ovo non ardeat, ac ne vestis quidem contacta aduratur. De gallinarum autem ovis tantum locuti sumus, cum & reliquarum alitum testent magnæ utilitates, sicut suis locis dicemus.

XII. Præterea est ovorum genus in magna Galliarum fama, omissum Græcis. [1] Angues

Interpretatio.

a *Pull.*] Pulli ovis suis inclusi.

b *Vitilitatis.*] Pudendorum.

Notæ.

21. *Sedis etiam vitiis*] Sic etiam Dioscorides, lib. 2. cap. 54.

22. *Item ambustis.*] Plinius Valer. lib 3. cap 36. *Ambustis sanandis: Ova in aqua decoquantur: deinde in pruna torreantur, donec putamina eorum comburantur: tum lutea (scribe lutea) eorum ex rosaceo illinantur.*

23 *Quæ vocant sitista.*] Σιτιστὰ, altilia Græcis sonant, sive saginata, ut σιτεύτα. Ita porro Reg. 1. cod. In Reg 2. & vetustis edit. *sicista*, quæ vox nauci non est. Hermolaus *selusta* rescripserat: quo auctore, obscurum.

24. *Putaminis cinis.*] Sic auctor libri, qui Kiranidum Kirani inscribitur.

25. *Sic fit & dentifricium.*] Q Serenus, cujus verba retulimus libro sup sect. 49.

26. *Tota ova.*] Q Serenus, cap de conceptione & partu.

Ova etiam ruta & fragili miscentur anetho.
Quæ diluta simul vino atque exhausta medentur.

Nec plane displicet, *Tosta ova*, legi, ut in Chiffl. cod. At Regius uterque, *tota*.

27. *Scabiem corporum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVI.

28. *Ad puris & sanguinis.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 64. *Si ex alto præcipitati sunt . . . cruenta exscreantibus, quinque ovorum medulla cruda in vini hemina propinantur: si & purulenta sint quæ exspuuntur, eodem tempore ovum crudum cum porri mensura succi porri sectivi sorbetur, itemque Græci mellis calefactum hauritur.*

29. *Dantur &c.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 1. cap. 58. Q Serenus, cap. 18. de tussi medenda:

Ovum molle teres damirum ferventibus undis, &c.

Celsus, lib. 4. cap. 4. dat tussientibus *ovum sorbile sulphure adjecto, potui primum aquam calidam, deinde invicem aliis diebus hanc, aliis vinum.*

30. *Infunduntur.*] Et imponi in ani vitiis Galenus jubet, lib. 1. Εὐπορ. cap. 14. tom. 10.

31. *Maceratorum . . . . diximus.*] Libro 10. sect. 80.

32. *Talibus.*] Q. Serenus, cap. 27.

Cœliacos autem recreabis pane salubri,
Quem madido farre efficies, ac mollibus ovis:
Quorum testa fero prius emollescat aceto.

Sic & Marcellus Empir. cap. 27. pag. 195. Et Plinius Valer. lib. 2. cap. 33. *Ova pridie*, inquit, *in aceto macerantur: ex his & farina & aqua, panis cœliacis fit.*

33. *Quidam ita.*] Q. Serenus, cap. 30. de solutione ventris compescenda, pag. 145.

Sin autem longo decurrent intima fluxu,
Torridus ex vino cortex potabitur ovi.

Marcellus Empir. similiter ad verbum, cap. 27. pag. 193. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 33.

34. *Et per se lutea.*] Totidem verbis Marcellus Empir. loc. cit.

35. *Iterumque.*] Idem ibid.

36. *Fit & dysentericis.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 2. capp. 22. & Marcellus Empir lib. 27. cap. 191.

37. *Quod rhum diximus.*] Libro 24. sect. 54.

38. *Cum allii spicis quatuor.*] Vide Notas & Emendat. num. XVII.

Sect. XII. 1. *Angues innumeri.*] Scimus hodieque serpen-

innumeri æstate convoluti, salivis faucium corporumque spumis artifici complexu glomerantur, ª anguinum appellatur. [2] Druïdæ sibilis id dicunt in sublime jactari, [3] sagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo: serpentes enim insequi, donec arceantur amnis alicujus interventu. Experimentum ejus esse, si [4] contra
5 aquas fluitet vel auro vinctum. Atque, ut est Magorum solertia occultandis fraudibus sagax, certa Luna capiendum censent, [b] tamquam congruere operationem eam serpentium, humani sit arbitrii. Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, [c] crusta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. Ad victorias litium, ac regum aditus, mire laudatur: tantæ vanitatis, ut habentem id in lite
10 in sinu equitem Romanum e Vocontiis, a Divo Claudio Principe interemptum non ob aliud sciam. Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia, causa videtur esse, quare exteræ gentes. [5] Caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint. [6] Neque enim cristatos esse in caduceo mos est.

XIII. De anserum ovis magnæ utilitatis, ipsoque ansere dicturi hoc in volumine,
15 debemus honorem & Commagenorum clarissimæ rei. [1] Fit ex adipe anserum: alioqui celeberrimi usus est: ad hoc in Commagene Syriæ parte cum cinnamo, casia, pipere albo, herba [2] quæ Commagene vocatur, obrutis nive vasis, odore jucundo, utilissimum ad perfrictiones, convulsiones, cœcos aut subitos dolores, omniaque quæ acopis curantur: unguentumque pariter, ac medicamentum est. Fit & in Syria alio modo, adipe
20 avium [3] curato, ut diximus, additis erysisceptro, xylobalsamo, phœnice elate, item calamo, singulorum pondere, qui sit adipis, cum vino bis aut ter [4] subservefactum. Fit autem hieme, quoniam æstate non glaciat: nisi accepta cera. Multa præterea remedia sunt ex ansere, (quod miror,) [5] æque quam in corvis. [6] Namque anser corvusque ab æstate in autumnum morbo conflictari dicuntur.

25 XIV. [1] De anserum honore, quem meruere Gallorum in Capitolium ascensu depre-
* CAP. IV. henso, diximus. * [2] Eadem de causa supplicia annua canes pendunt inter ædem [3] Juventatis & Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi. Sed plura de hoc animali dici cogunt priscorum mores. [4] Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus [5] hostiarum vice uterentur his. [6] Genitæ Manæ catulo res divina fit,
30 & in cœnis Deûm etiamnum ponitur catulina. [8] Aditialibus quidem epulis celebrem fuisse, [9] Plauti fabulæ indicio sunt. [10] Sanguine canino contra toxica nihil præstantius putant. Vomitiones quoque hoc animal monstrasse homini videtur. Et alios usus ex eo mire laudatos referemus suis locis.

INTERPRETATIO.

a *Anguinum*] Anguinum *id ovum* appellatur.

b *Tamquam.*] Tamquam contingere hanc serpentium salivationem, ovique partum, certo tempore humani sit arbitrii.

c *Crusta.*] Putamine cartilagineo, habens veluti cavitates crebras, quales sunt in brachiis polyporum.

NOTÆ.

tes generis diversi ac prope innumeras, in locum unum convolare, ab Idibus Julii ad Idus Augustas, in Delphinatu Sabaudiæque confinio, ad montem *la Rochette*: spumaque locum opplere, quæ horrorem incutiat spectantibus. Vide Nic. Chorier, lib. 2. hist. Delph. pag. 91.

2. *Druidæ sibilis.*] Serpentium ore ac sibilo.

3. *Sagoque*] Sagum, Nonio teste, vestimentum est militare. Plura vide apud Voss. in Etymolog.

4. *Contra aquas.*] Si non labenti amni cedat, sed adverso fluitet, etiam auro vinctum, sinceri hæc ovi probatio est.

5. *Caduceum.*] Caduceus, fecialium insigne, qui ad contrahendum fœdus mittebantur. Virga fuit, cujus in summa parte angues spiris circumplexi, tamquam adversa sibila efflantes.

6 *Neque enim cristatos.*] Si cristati forent, bellum indicare viderentur, non pacem.

Sect. XIII. 1. *Fit ex adipe.*] Fit illud medicamentum, quod Commagenum appellatur, ex adipe anserino, &c.

2. *Quæ Commagene, &c*] Forte, nardo Syriaca.

3. *Curato, ut diximus.*] Modum curandi adipis edocuit, lib 28. sect 38.

4. *Subservefactum.*] Subintellige, medicamentum.

5. *Æque quam in corvis.*] Id miratur Plinius, quod ex animalibus morbo obnoxiis tanta sit remediorum copia, ansere videlicet & corvo.

6. *Namque anser corvusque.*] De corvo id ante delibatum lib. 10 sect. 15. Vide quæ ibi diximus in Notis.

Sect. XIV. 1. *De anserum . . . diximus.*] Libro 10. sect. 26.

2. *Eadem de causa.*] Ob Capitolium negligentius custoditum, ac pæne silentio proditum, ni vociferatus anser fuisset.

3. *Juventatis.*] Sic enim MSS. omnes, non *Juventutis.* Sic etiam Cicero locutus non semel. Nizolium vide Et in nummis M. Aurelii Cæsaris apud Tristanum, Deæ ipsius effigies cernitur, cum Epigraphe ea, IVVENTAS. Hujus ædis mentio apud Livium: situs prope Capitolium ipsum. P. Victor, in descriptione urbis Romæ, regione VIII. *Ædicula Juventæ. Porta Carmentalis. . . . Templum Carmentæ. Capitolium, ubi omnium Deorum simulacra,* &c. De Deo Summano, sive Deo summo manium, diximus lib. 2. sect. 53.

4. *Catulos lactentes.*] Festus: *Catulinam carnem esitavisse, hoc est, comedisse Romanos Plautus in Saturione refert.* Græcos quoque id fecisse scimus ex Ananio poeta, cujus verba recitat Athenæus, lib. 7. pag. 282. Apud alias gentes & hunc morem fuisse docet Galenus, lib 3. de alim. fac. cap 2. Est sane nunc quoque apud Canadenses. Quin & in ægrotantium cibo, perinde atque aviculæ, ab Hippocrate catulina caro commendatur, lib. 2. de morbis, tex. 40. pag. 66. Ἔπειτα σκύλακα ἢ ὀρνίθιον ἑψήσας τὸν ζωμὸν ῥοφείτω, καὶ τῶν κρεῶν φαγέτω ὀλίγα. *Deinde catulum aut aviculam coquat, & jus sorbeat, & de carnibus paulum edat.* Et libro pariter eodem τῶν παθῶν, tex. 41 pag. 186. ac libro denique, περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, tex. 26. p. 129. ἀρνία σκύλακος ἑφθά.

5. *Hostiarum vice.*] Vide quæ diximus supra in Notis & Emend. ad lib. 18. num. XXXVII. Et Pausaniam vide in Lacon. sive lib. 3. pag. 187. & 188.

6. *Genitæ Manæ.*] Sic Dea appellabatur quæ menstruis feminarum præerat; huic catulus immolabatur. Vide Notas & Emend. num. XVIII.

7. *Et in cœnis Deûm.*] In cœnis quæ in Deûm honorem fiunt, præcipue Larium. De his accipiendus Horatius, lib. 2. Satyr. 6. vers. 65. etsi interpretes alio detorquent.

O noctes cœnæque Deûm, quibus ipse, meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

8. *Aditialibus.*] De hac voce egimus lib. 10. sect. 23.

9. *Plauti fabulæ.*] Forte in Saturione, de qua Festus proxime appellatus.

10. *Sanguine canino.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 53. ad verbum.

XV. 1. Nunc ad statutum ordinem pergemus. [1] Adversus serpentium ictus efficacia habentur, fimum pecudis recens in vino decoctum illitumque: [2] mures dissecti & impositi, quorum natura non est spernenda, præcipue in ascensu siderum, [3] ut diximus: cum lumine Lunæ fibrarum numero crescente atque decrescente. Tradunt Magi, jocinere muris dato porcis in fico, sequi dantem id animal. In homine quoque similiter valere, sed resolvi cyatho olei poto.

XVI. 2. Mustelarum duo genera: alterum silvestre, distans magnitudine. [1] Græci vocant ictidas. Harum fel contra aspides dicitur efficax, [2] cetero venenum. [3] Hæc autem quæ in domibus nostris oberrat, & catulos suos (ut auctor est Cicero) quotidie transfert, [4] mutatque sedem, serpentes persequitur. [5] Ex ea inveterata sale denarii pondus in cyathis tribus [6] datur percussis: [7] aut ventriculus coriandro fartus inveteratusque & in vino potus. [8] Et catulus mustelæ etiam efficacius.

XVII. 3. Quædam pudenda dictu tanta auctorum asseveratione commendantur, ut præterire fas non sit. Siquidem illa concordia rerum, aut repugnantia medicinæ gignuntur: [1] veluti cimicum animalis fœdissimi, & dictu quoque fastidiendi natura, contra serpentium morsus, [2] & præcipue aspidum valere dicitur. Item contra venena omnia: argumento, quod dicant gallinas, [3] quo die id ederint, non interfici ab aspide: carnesque earum percussis plurimum prodesse. Ex his quæ tradunt, humanissimum est, [4] illinire morsibus cum sanguine testudinis: [5] item suffitu eorum abigere sanguisugas adhærentes, [6] haustasque ab animalibus restinguere in potu datos. Quanquam & oculos quidam iis inungunt tritis cum sale & lacte mulierum: auresque, cum melle & rosaceo admixtis. Eos qui agrestes sint, & in malva nascantur, crematos, cinere permixto rosaceo infundunt auribus. Cetera quæ de his tradunt, [7] vomicæ & quartanarum remedia, aliorumque morborum, quanquam ovo, aut cera, aut faba inclusos censeant devorandos, falsa, nec referenda arbitror. [8] Lethargi tamen medicinæ cum argumento adhibent, [a] quoniam vincatur aspidum [10] somnifica vis, septenos in cyatho aquæ dantes, puerilibus annis quaternos. [11] Et in stranguria [b] fistulæ imposuere. Adeo nihil parens illa rerum omnium sine ingentibus causis genuit. Quin & adalligatos lævo brachio binos lana subrepta pastoribus, resistere nocturnis febribus prodiderunt; diurnis [12] in roseo panno. [13] Rursus iis adversatur scolopendra, suffituque enecat.

INTERPRETATIO.

a *Quoniam.*] Quoniam pellit soporem, quem aspidum morsus solet afferre.

b *Fistulæ.*] Veretri canali.

NOTÆ.

Sect. XV. 1. *Adversus serpentium.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 3. cap. 57.

2. *Mures dissecti.*] Plinius Valer. loc. cit. & Diosc. lib. 2. cap. 74.

3. *Ut diximus.*] Libro 2. sect. 41. & libro XI sect. 76.

Sect. XVI. 1. *Græci vocant ictidas.*] Nempe silvestres. Furettos vocamus. Vide quæ diximus lib 21. sect. 109

2. *Cetero venenum.*] Adversus id venenum remedia traduntur inferius, sect 33.

3. *Hæc autem.*] Domestica, quæ & vulgaris appellatur inferius, sect 33 Belettam Galli nuncupant. Γαλῆ Græcis: quam de cibo dimicare cum serpentibus murium venatricibus, τοῖς ὄφεσι τοῖς μυοθήραις scribit Aristoteles, lib. 9. histor. anim. cap. 9. pag. 1026. propterea quod ipsa quoque eos venatur. Vide quæ diximus lib. 8. sect. 41. ac in Notis & Emendat. ad eumdem librum, num. LXXXII. Eo Plautus allusit, in Sticho, act. 3. sc. 2. vers. 6.

Auspicio hodie hercule optumo exivi foras:
Mustela murem mihi abstulit prater pedes:
Eam strenue obsonavit, spectatum hoc mihi est.

4. *Mutatque sedem.*] Pro Ciceronis loco, qui intercidit, Plautum subjicimus, in eadem fabula, vers. 43. ita scribentem:

Certum est mustela posthac nunquam credere:
Nam incertiorem nullam novi bestiam.
Quane ipsa decies in die mutat locum.

5. *Ex ea.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 53. *Venenis prohibendis & expellendis. Mustela vulgaris inveterata drachmis binis potatur.* Sic etiam Dioscor. lib. 2. cap 27. Γαλῆ κατοικίδιος ταριχευθεῖσα, &c. *Mustela, quæ in domibus nostris oberrat, flammis ambusta, & exemptis interaneis sale inveterata, & in umbra siccata, binis drachmis in vino pota, contra serpentium genus omne præsentaneo remedio est.*

6. *Datur percussis.*] A bestiis venenatis, θηριοδήκτοις.

7. *Aut ventriculus.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Ἡ δὲ κοιλία αὐτῆς κορίῳ πληρωθεῖσα καὶ ταριχευθεῖσα, θηριοδήκτοις βοηθεῖ πινομένη.

8. *Et catulus.*] Nicander in Theriac. pag. 48.

Sect. XVII. 1. *Veluti cimicum.*] Cimex Gallis *Punaise*; Græcis κόρεις. Dioscor. lib. 2. pag 36. Κόρεις οἱ ἀπὸ κλίνης, *cimices qui in cubilibus enascuntur.*

2. *Et præcipue aspidum.*] Diosc. loc. cit.

3. *Quo die id ederint.*] Id animal, nempe cimicem.

4 *Illinire morsibus.*] Aspidum scilicet

5. *Item suffitu.*] Vide Notas & Emend. num. XIX.

6. *Haustasque.*] Diosc. loc. cit. Σὺν οἴνῳ δὲ ἢ ὄξει ποθέντες βδέλλας ἐξάγουσι. *Sanguisugas cum vino aut aceto poti cimices pellunt.* Sic etiam Galenus, lib. XI. de fac. simpl. med. pag 313. & Anatolius in Geopon. lib. 13. cap. 17 pag. 376.

7. *Vomicæ.*] Sic libri editi, cum Colb. 3. cod. In Reg. 1. *vomicæ*, Reg. 2. & is quem Pintianus vidit, *vomitionum*; quod idem valet. Marcellus Empir. cap. 17. pag. 125. *In ovo sorbili cimicem unum contritum jejunus ignorans qui sorbeat, desinet vomere: hoc sane expertum est.*

8. *Et quartanarum.*] Diosc. loc. cit. Κόρεις οἱ ἀπὸ κλίνης ἐνθέμενοι βρώματι μετὰ κυάμων τὸν ἀριθμὸν ζʹ, καὶ καταπινόμενοι πρὸ τῆς ἐπισημασίας, ὠφελοῦσι τοὺς τεταρταΐζοντας. *Cimices qui in cubilibus enascuntur, numero septem cum fabis in cibos additi, & ante accessiones devorati, quartana laborantibus auxilio sunt.*

9 *Lethargi*] Q. Serenus, cap. 57. de lethargia expellenda, pag. 160.

Quidam dira jubent: septeno cimice trito
Ut misceantur aquæ, cyathusque bibatur earum:
Hæc potiora putant, quam dulci morte perire.

Plinius Valer. lib. 3. cap. 7. *Lethargicis: Cimices septem triti in aqua cyatho uno dantur, si vir sit: si puer, eodem modo aquæ, cimices quatuor.*

10. *Somnifica.*] Demorsos ab aspide premi urgerique somno, scribit etiam Diosc. in Theriac. cap. 17.

11. *Et in stranguria.*] Sic recte codex Reg. 2. & Chiffl. non, ut editi hactenus libri, *& strangulæ fistulæque.* Marcellus Empir. cap. 26. pag. 183. *Cimex foraminibus veretrorum confricatus, dolores vesicæ protinus tollit.* Dioscor. lib. 2. cap. 36. Δυσουρίαν τε παύουσιν ἐντιθέμενοι τῷ οὐρητικῷ πόρῳ λεῖοι. *Triti vero & urinariæ fistulæ impositi, urinæ difficultati medentur.*

12. *In roseo panno.*] Ita Reg. 2. & Chiffl. non *rosaceo*, ut editi. Sic etiam Palladius, lib. 1. tit. 35. *roseum* vocat.

13. *Rursus iis.*] Cimicibus.

XVIII. 4. [1] Aspides percussos torpore & somno necant, omnium serpentium minime sanabiles. Sed & venenum earum si sanguinem attingit, aut recens vulnus, statim interimit: inveteratum hulcus, tardius. De cetero potum quantalibet copia, non nocet. Non est enim tabifica vis: itaque occisa morsu earum animalia, cibis innoxia sunt. Cun-
5 ctarer in proferendo ex his remedio, nisi M. Varronem scirem LXXXVIII. vitæ anno prodidisse, aspidum ictus efficacissime sanari, hausta [3] a percussis ipsorum urina.

XIX. 5. [1] Basilisci, quem etiam serpentes ipsæ fugiunt, alias olfactu necantem, qui hominem vel si aspiciat tantum, dicitur interimere, sanguinem Magi miris laudibus celebrant, coëuntem picis modo & colore, dilutum cinnabari clariorem fieri. Tribuunt ei &
10 successus petitionum a potestatibus, & a Diis etiam precum, morborumque remedia, veneficiorum amuleta. Quidam id Saturni sanguinem appellant.

XX. 6. [1] Draco non habet venena. Caput ejus limini januarum subditum, propitiatis adoratione Diis, fortunatam domum facere promittitur. Oculis ejus inveteratis, & cum melle tritis, inunctos non pavescere ad nocturnas imagines, etiam pavidos. Cordis pin-
15 gue in pelle dorcadum nervis cervinis adalligatum in lacerto, conferre judiciorum victoriæ. [2] Primum spondylum aditus potestatum mulcere. [3] Dentes ejus illigatos pellibus caprearum cervinis nervis, mites præstare dominos, potestatesque exorabiles. Sed super omnia est compositio, qua invictos faciunt Magorum mendacia: Cauda draconis & capite, pilis leonis e fronte, & medulla ejusdem, equi victoris spuma, canis unguibus adalligatis
20 [a] cervino corio, nervisque cervi alternatis & dorcadis: quæ coarguisse non minus refert quam contraria serpentibus remedia demonstrasse, [b] [4] quoniam hæc morum veneficia sunt. [5] Draconum adipem venenata fugiunt: item, si uratur, ichneumonum: fugiunt & urticis tritis in acero perunctos.

XXI. 7. [1] Viperæ caput impositum, vel alterius quam quæ percusserit, [2] sine fine prodest.
25 Item si quis eam ipsam [c] in vapore baculo sustineat: [d] aïunt enim præcanere: [4] item si quis exustæ ejus cinerem illinat. Reverti autem ad percussum serpentes necessitate naturæ, Nigidius auctor est. Caput quidem dissecant Scythæ inter aures [5] ad eximendum lapillum, quem aïunt ab ea devorari territa. [6] Alii ipso toto capite utuntur. Fiunt ex vipera pastilli, [7] qui theriaci vocantur a Græcis, [8] ternis digitis utrimque amputatis, exemptis-
30 que interaneis, [9] & livore spinæ adhærente, reliquo corpore in patina ex aqua [10] & anetho discocto, [11] spinisque exemptis, & addita [12] similagine, atque ita in umbra sicca-

INTERPRETATIO.

a *Cervino*] Cervina pelle, nervis cervi & dorcadis alterno nexu stringentibus.

b *Quoniam.*] Quoniam hæc bonos mores corrumpunt.

c *In vapore.*] In calore.

d *Aiunt*] Aiunt enim tum viperam recanere, *incantationem repellere.*

NOTÆ.

Sect. XVIII 1. *Aspides.*] Nicander ad verbum in Theriac pag 12. & Diosc. pariter in Theriac cap. 17.

2. *Anno* LXXXVIII] At in Reg. 1. 2. & Colb. 3. *Anno* LXXXIII. solum legimus, non LXXXVIII.

3. *A percussis*] Hoc est, a demorsis. Si morsi ab aspide, suam ipsorum urinam ebibant. Diosc lib. 2. cap 9. Οὖρον ἀνθρώπου τὸ ἴδιον πινόμενον ἐχίδνης δήγματι ἀρήγει. *Humanam urinam suam cuique bibere prodest contra viperæ morsus.*

Sect. XIX. 1. *Basilisci*] De eo egimus lib. 8. sect 33.

Sect. XX. 1 *Draco non habet venena.*] Vulnere potius quam veneno nocet. Albi innoxius, in Africa vitiosus. Lucanus, lib 9. Pharsal. vers 727.

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis: aurato nitidi fulgore dracones:
Pestiferos ardens facit Africa.

Aetius, serm. 13. cap. 34. de draconibus, pag. 258. *Animal quidem hoc non facit venena, &c.*

2. *Primum spondylum.*] Primum spinæ articulum, qua cervici committitur: ut de hyæna dictum est anteriore libro, sect. 27.

3 *Dentes .... illigatos pellibus.*] Sic Reg. 1. 2. Colb. & Chiffl. non, ut quidam editi, *pedibus.* Sic paulo antea, *Cordis pingue in pelle dorcadum.*

4. *Quoniam hæc morum.*] Ita recte Gronovius, pro *morborum.*

5. *Draconum adipem.*] Vide Notas & Emend. num. XX.

Sect. XXI. 1. *Viperæ caput.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. ad verbum.

2. *Sine fine prodest.*] Nempe percussis a vipera. Negat tamen hoc esse verum, immo & experimentis adversari, Charasius, lib de viperis, pag. 108.

3. *Aiunt enim præcanere.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXI.

4. *Item si quis exusta.*] Galenus, lib. de Theriaca, ad Pison. cap. 10. pag. 944.

5. *Ad eximendum lapillum.*] Qui plagæ a serpente inflictæ imponi possit.

6. *Alii ipso toto.*] Q. Serenus, cap. 47. pag. 154.

Quæ nocuit serpens, ferrum caput illius apte
Vulneribus jungis, sanat quem sauciat ipsa.

7. *Qui theriaci.*] Θηριακοί, ad venenatorum morsus sanandos concinnati.

8 *Ternis digitis.*] A capite & a cauda ternis digitis amputatis. Vide Notas & Emend. num. XXII.

9. *Et livore.*] Vena livida.

10. *Et anetho.*] Ita senior Andromachus, apud Galenum, lib 1. de antid cap. 6. pag 876. & lib. 1. de Theriac. ad Pison cap. 7. pag. 938.

Ὕδατι ἐγχεύεαι ὅσσον ἄρκιον ἠδ' ἀνήθου
Κλῶνας ἐχιδναίῃ σαρκὶ συνεψομένας.
Ante tamen misces frondem grave olentis anethi,
Et, quantum satis est, providus indis aquam.

11. *Spinisque exemptis.*] Sic Andromachus, pag. 878. & Galenus ipse, lib. 1. de antid. cap 8. pag 879.

12. *Similagine*] Panis sicci ac bene pisti tantum adjici Andromachus jubet, quantum necesse sit ad pastillos fingendos.

Ἀναλέω δ' ἐπὶ ταῖσι βαλεῖς ἀλιτρύγεος ἄρτου,
Ὅσσον περιῶσαι σάρκα δύναιτο τροχοὺς
Πλάσματος.

Galenus quoque, lib. 1. de antid. pag 879 panem purissimum ac fermentatum desiderat. Triticeum Damocrates, apud eumdem, loc. cit cap. 15 pag. 893. Ἄρτου δὲ καθαροῦ πυρίνου πρόσμιγε καὶ λίαν. Panis siliginei unciam unam Crito ibidem, cap. 17. pag. 896. σιλιγνίτου ἄρτου οὐγκίαν μίαν. Denique ex similagine sincera panem concinnatum ipse Galenus, lib de theriaca ad Pison. cap. 13. pag 950. Ἄρτου δὲ μάλιστα καθαρωτάτου, καὶ διὰ σεμιδάλεως τῆς καθαρωτάτης γεγονότος μέγα τὸ σύμμετρον, &c.

tis

tis pastillis, [13] quibus ad multa medicamenta utuntur. [14] Significandum videtur e vipera tantum hoc fieri. Quidam purgatæ, ut supra dictum est, adipem cum olei sextario decoquunt ad dimidias. Ex eo, cum opus sit, ternis stillis additis in oleum perunguntur, ut omnes bestiæ fugiant eos.

XXII. ·. [1]·Præterea constat, contra omnium serpentium ictus, quamvis insanabiles, 5 ipsarum serpentium exta imposita auxiliari: eosque qui aliquando viperæ jecur coctum hauserint, numquam postea feriri a serpente. [2] Neque anguis venenatus est, nisi per mensem Luna instigatus. Sed prodest vivus comprehensus, & in aqua contusus, [a] si foveatur ita morsus. Quin & inesse ei remedia multa creduntur, [3] ut digeremus, & ideo Æsculapio dicatur. Democritus quidem [4] monstra quædam ex his conficit, [5] ut possint 10 avium sermones intelligi. [6] Anguis Æsculapius Epidauro Romam advectus est: [7] vulgoque pascitur & in domibus. Ac nisi incendiis semina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere. In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est, [8] quod & in aqua vivit, hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno. Horum jecur servatum adversus percussos ab his auxilium est. Scorpio tritus stellionum veneno adversatur. Fit 15 enim & e stellionibus malum medicamentum. Nam cum immortuus est vino, faciem eorum qui biberint lentigine obducit. Ob hoc in unguento necant eum, insidiantes pellieum formæ. Remedium est ovi luteum, & mel ac nitrum. Fel stellionum tritum in aqua mustelas congregare dicitur.

XXIII. 9. Inter omnia venenata salamandræ scelus maximum est. Cetera enim sin- 20 gulos feriunt, nec plures [b] pariter interimunt: ut omittam, quod perire conscientia dicuntur homine percusso, [1] neque amplius admitti ad terras: salamandra populos pariter necare improvidos potest. [2] Nam si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint, necat frigida vi, [3] nihil aconito distans. Quin immo si contacto ab ea ligno [c] vel pede crusta panis incoquatur, idem veneficium est: vel si in puteum cadat. Quip- 25

Interpretatio.

a *Si foveatur.*] Si foveatur ita contuso angue is qui morsus ab eo angue fuit.

b *Pariter.*] Uno ictu.

c *Vel pede.*] Si vel extremo pede lignum salamandra contingat, in quo panis coquitur, eodem modo totum panem veneno inficit.

Notæ.

13. *Quibus ad multa.*] Quæ prolixe enumerat Andromachus pag. 875 & 876. & Galenus, lib. de theriaca ad Pison. cap. .5 & 16.

14. *Significandum.*] Quamobrem vipera in primis ad theriacam adsciscatur, disputat egregie Galenus, loc. cit. pag. 8 pag. 940.

Sect. XXII. 1. *Preterea.*] Sic scorpionem ipsum, tritum impositumque, vulneri quod intulit remedio esse, scribit Diosc lib. 2. cap. 13.

2. *Neque anguis.*] *Une couleuvre, un serpent.*

3. *Ut digeremus.*] Ut ordine ac serie dicturi sumus. Ita MSS non, *ut dicemus.*

4. *Monstra.*] Monstruosas compositiones, plenasque vanitatis.

5 *Ut possint avium.*] Melampodem, aliosque, finxit vetustas sermones percepisse avium: ut Helenus ille Virgilianus, *qui sidera sensit,*

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

6. *Anguis Æsculapius.*] Olim, inquit, allati sunt Epidauro Romam angues, quod ex eo genere utiliores crederentur esse medicinæ. Epitome Livii, lib. XI. *Cum civitas pestilentia laboraret, missis legatis ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent; anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipsum Numen esse constabat, deportavere: eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco ædes Æsculapii consecrata est.* Vide Plutarch in quæstionibus Rom. pag 286. & Auctorem libri de Viris illustribus, cap. 22. Contigit id anno Urbis CCCCLXXVIII. Q. Fabio Gurgite II. C. Genucio Clepsina Coss ut quidem Fasti ferunt. Inter ærea numismata maximi moduli e Thesauro Regio, istud est insigne, num 37. cui simile visum sibi fuisse in cimelio Cardinalis Buoncompagni narrat Spanhemius, tomo 1. pag. 217 novissimæ editionis. ANTONINVS AVG. PIVS PP. TR. P. COS. III caput laureatum. .)(. Dextro nummi latere pons est, sub cujus fornice uno permeat navis: e prora serpens emicat. Ex adverso fluvius Tiberis in amne sedens, arundinem læva tenet, dextram serpenti advenienti porrigit: retro, palatium est, cujus pro foribus est laurus arbor. Infra, AESCVLAPIVS. Cave hic tamen Æsculapium cogites: quandoquidem in pictura omnino non apparet. Fingi enimvero ille solet vultu senili & gravi, togatus, baculum tenens, cui implicitus anguis est. Litteræ hic sunt primæ totidem vocum, hac sententia: *Anguis Epidaurius Senatus Consulto Valetudini Levandæ Antonini Pii Illatus Urbem Subit.* Palatium cum lauro pro foribus, domum Cæsaris indicat, Plinio teste, libro XV. sect. XXXIX. Nec puto serpentem, nisi foret æreus, in prora navis constanter hoc situ fuisse permansurum toto itinere. Pons & amnis Epidauro advectum anguem significat, cum inde Romam iter non sit nisi mari: ad domum autem Cæsaris a portu Ostiensi nonnisi per fornices pontis impositi Tiberi. Propterea pingi in area nummi Palatium cum lauro ante fores oportuit, pontemque & navim, cum angue in prora, non in puppe, cum amne ipso denique Tiberi. Feliciter autem in hoc titulo duo accidunt. Primum est, quod nomen integrum, AESCVLAPIVS, perpulchræ sententiæ efficiendæ apte conveniat: quæ totidem vocibus constat, quot vox illa litteris. Alterum est, quod nomen illud ipsum ejus dei sit, cui dicatus anguis a veteribus fuerit, ob vim medicam; quam artem calluisse præsertim fertur Æsculapius. *Anguis Æsculapius* autem dicatur, an Epidaurius, nihil interest, cum Epidauro advehi constaret: quod *oppidum Æsculapii delubro celebre* Plinius dixit, libro IV. sect. IX.

7. *Vulgoque pascitur.*] De Tiberio Suetonius, cap. 72. *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus,* &c

8. *Non esset .... resistere.*] Extinctum demum fuisse id genus anguium Romæ suadet allatus proxime Antonini Pii nummus, qui ipsius causa veterem morem revocatum esse testatur, ex agro Epidauri anguem advehendi Romam. Et Senatusconsulto opus fuit, ut inferretur in Urbem & in Palatium anguis Epidauro allatus. Crebri fuere nummi percussi supremis Antonini Pii annis, cum hac epigraphe, SALVS AVG. qui sæpicule eum morbo tentatum fuisse testantur.

9. *Quod & in aqua.*] Hæc totidem verbis Nicander in Theriac. pag. 31. qui chersydrum dispari forma ab hydro descripserat antea, pag. 26.

Sect. XXIII. 1. *Neque amplius admitti.*] Plinius supra, lib. 2. sect. 63. de terra: *Illa serpentem homine percusso non amplius recipit, pœnasque etiam inertium nomine exigit.*

2. *Nam si arbori.*] Et Gesnero ita referente, dicere soliti Narbonenses, si blanda (hoc est, ut quidam putant, salamandra) in acervo tritici repertiatur, totum ita infici, ut vel gallinæ vescentes eo deinde intereant.

3. *Nihil aconito distans.*] Interimendi celeritate, non similitudine virtutis: est enim calida aconito vis, salamandræ frigida.

pe cum saliva ejus quacumque parte corporis, vel in pede imo resperfa, [4] omnis in toto corpore defluat pilus. Tamen talis ac tanti veneni a quibusdam animalium, [5] ut fibus, manditur, dominante eadem illa rerum diffidentia. Venenum ejus restingui primum omnium ab his quæ vescantur illa, [a] ex his verisimile est, quæ produntur, [6] cantharidum potu, aut lacerta in cibo sumpta: cetera adversantia diximus, dicemusque suis locis. Ex ipsa quæ Magi tradunt contra incendia, quoniam ignes sola animalium extinguat, si forent vera, jam esset experta Roma. Sextius Venerem accendi cibo earum, si detractis interaneis, & pedibus, & capite, in melle serventur, tradit: negatque restingui ignem ab iis.

XXIV. 10. I. Ex volucribus in auxilium contra serpentes [1] primi vultures. Adnotatum quoque minus virium esse nigris. [2] Pennarum ex his nidore, si urantur, fugari eas dicunt. [3] Item cor ejus alitis habentes, tutos esse ab impetu non solum serpentium, sed etiam ferarum, latronumque, & regum ira.

XXV. 2. [1] Carnibus gallinaceorum, ita ut tepebant avulsæ, appositis, venena serpentium domantur: [2] item cerebro in vino poto. [3] Parthi gallinæ malunt cerebrum plagis imponere. Jus quoque ex his potum præclare medetur, [4] & in multis aliis usibus mirabile. Pantheræ leonesque non attingunt perunctos eo, præcipue si & allium fuerit incoctum. [5] Alvum solvir validius e vetere gallinaceo. [6] Prodest & contra longinquas febres, & torpentibus membris, [7] tremulisque, [8] & articulariis morbis: in capitis dolotibus, epiphoris, inflationibus, fastidiis, incipiente tenesmo, jocineri, renibus, vesicæ: contra cruditates, suspiria. Itaque etiam faciendi ejus exstant præcepta. [9] Efficacius enim cocti cum [b] olere marino, [10] aut cybio, aut cappari, aut apio, aut herba Mercuriali, aut polypodio, aut anetho: utilissime autem in congiis tribus aquæ ad tres heminas cum supradictis herbis, & refrigeratum sub dio dari [c] tempestivis antecedente vomitione. Non prætcribo miraculum, quanquam ad medicinam non pertinens: [11] si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt id in se. Ita hoc venenum auri est. At gallinacei ipsis circulo e sarmentis addito in collum, non canunt.

XXVI. 3. [1] Auxiliatur contra serpentes & columbarum caro recens concerpta, &

INTERPRETATIO.

a *Ex his.*] Verisimile esse intelligitur ex iis quæ produntur, cantharidum potu, aut lacerta, venenum ejus pariter restingui.

b *Olere.*] Brassica marina.

c *Tempestivis.*] Recte valentibus.

NOTÆ.

4. *Omnis . . . . defluat pilus.*] Q. Serenus, cap. 9. pag. 129.

Defluus expulsus morbo laxatur capillus,
Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

Raderum vide in illud Martialis, lib. 2. Epigr. 66.

Hoc salamandra notet, vel sæva novacula nudet.

Petronius in Satyr. pag. 375. *Quid dicis tu, latro? quæ salamandra supercilia tua excussit?*

5. *Ut fibus.*] Sic Ælianus, lib. 9. hist. animal. cap. 28. & Sextus Empir. lib. 1. Pyrrh. hypot. cap. 14. pag. 10. Τὰς δὲ σὺ δὲ χοίρους ϗ σαλαμάνδρας ἐσθίουσι.

6. *Cantharidum potu.*] Hunc locum inferius respicit, sect. 29. cum ait: *Salamandris cantharidas diximus resistere.*

Sect. XXIV. 1. *Primi vultures.*] *In quibus tot curationes esse, quot sunt membra,* dixit Hieronymus, lib. 2. advers. Jovin.

2. *Pennarum ex his.*] Ælianus lib. 1. hist. anim. cap. 45. Suffitu vulturum pennis ex cavis suis elici serpentes tradit. Γυπὸς πτερὸν εἰ θυμιάσῃ τις, ὡς ἀκούω, ϗ ἐκ φωλεῶν, ϗ ἐξ ἐλάφων τοὺς ὄφεις ἀπάξει ῥᾳδίως. Fugari cum Plinio, Sextus Platon. parte 2. cap. 1. de vulture. Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. Q. Serenus, cap. 47. pag. 155.

3. *Item cor ejus.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. Q. Serenus, loc. cit.

Namque potest diros prævertere morsus,
Si jecur exsectum tardum de vulture portes.

Sextus Platon loc. cit. cap. 2. de vulture, tit. 6. *Adversus mala medicamenta: Cor vulturis ligatum cum pelle lupina, si circa brachium habeas, nullum medicamentum tibi nocere poterit, nec serpens, nec latro, nec alia malitia, nec quidem phantasma senties.* Auctor Kiranidum, pag. 120. *Cor quoque ejus in pelle ligatum qui portaverit, fugient eum dæmonia, & maxime fera: habebit autem & gratiam ad omnes homines, & in divitiis vivet: est autem & victoriosum ad omnem rem.* Quæ plenissima vanitatis arbitror: afferenda tamen, ne ultro conficta a Plinio videantur.

Sect. XXV. 1. *Carnibus.*] Dioscor. in Theriac. cap. 19. & 27. & lib. 2. prioris operis, cap. 52. Celsus, lib. 5. cap. 27. *Adversus omnes morsus serpentium. Vivum gallinaceum pullum per medium dividere, & protinus calidum super vulnus imponere, sic ut pars interior corpori jungatur.* Plinius Valer. lib. 3. cap. 57. *Carnibus gallinaceorum discerptorum, ita ut tepeant, extrahitur venenum.* Nigidius, lib. de animal. citante Gellio, lib. 7. cap. 9. *Serpens si momordit, gallina diligitur & apponitur.* Est autem hic *diligere*, dividere, discindere, dissecare. Vide Festum & Nonium.

2. *Item cerebro.*] Petrichus in Ὀφιακοῖς, sive in libro de serpentium venenis ac remediis, laudatus a Scholiaste Nicandri, in Theriac. pag. 27. hoc ipsum statuit, ἐν οἴνῳ δὲ ἐγκέφαλον τὸν ὄρνιθος εἰς τὰς ἑρπετῶν.... Est autem Petrichus in albo Auctorum, quos Plinius sequitur ac laudat. Sic etiam Dioscor. locis cit.

3. *Parthi gallinæ.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 57.

4. *Et in multis aliis.*] Podagræ depellendæ jus illud adhibet Q. Serenus, cap. 47. pag. 155. *Gallinæ jura vetustæ.*

5. *Alvum solvit validius.*] Diosc. lib. 2. cap. 53. & Galenus, lib. 3. de fac. simp. med. cap. 15. pag. 70. Καὶ γὰρ τοι ϗ ὁ τ̃ πρεσβυτέρων ἀλεκτρυόνων ζωμὸς ὑπάγειν τὴν γαστέρα, πάντες τ̃ σαρκὸς πολλῷ ἧττον. Iterumque lib. de Theriaca ad Pison. cap. 4. pag. 935.

6. *Prodest &c.*] Q. Serenus, cap. *Subitaneo dolori, febri, &c.*

Febribus at longis galli des jura vetusti.

7. *Tremulisque.*] Q. Serenus, loc. cit.

Subveniunt etiam tremulis medicantia membris,

galli jura scilicet.

8. *Et articulariis, &c.*] Dioscor. lib. 2. cap. 53. Ἁρμόζει ϗ πυρετοῖς χρονίοις, ἀσθμαῖοις, ἀρθριτικοῖς, ἐμπνευματουμένοις στομάχοις.

9. *Efficacius autem, &c.*] Hæc totidem fere verbis Diosc. loco cit.

10. *Aut cybio.*] Ita libri omnes. Pro cybio Dioscorides πόλυπον habet, quod & hic scribi fortassis satius fuerit, ut herbarum dumtaxat nomina censeantur, quibuscum gallinacei discoquantur. Sic enim & Diosc. Ἕψεται ϗ συνέψεται κράμβη θαλασσίᾳ, ἢ λινόζωστις, ἢ πόλυπον, ἢ πολυποδίῳ.

11. *Si auro liquescenti.*] Vide in eam rem Aldrov. lib. 14. Ornithol. cap. 1. pag. 243.

Sect. XXVI. 1. *Auxiliatur.*] Sextus Platon. parte 2. cap. 10. de columba, tit. 1. *Ad serpentium morsus: Columba incisa & imposita calida morsui, venena omnia rapit, & sanare creditur.*

hirundinum : bubonis pedes usti [2] cum plumbagine herba. Nec omittam in hac quoque alite exemplum Magicæ vanitatis. Quippe præter reliqua portentosa mendacia, [3] cor ejus impositum mammæ mulieris dormientis sinistræ, tradunt efficere, ut omnia secreta pronunciet. Præterea in pugnam ferentes idem, fortes fieri. Ejusdem ovo [a] ad capillum remedia demonstrat. Quis autem, quæso, ovum bubonis umquam videre potuit, cum ipsam avem vidisse prodigium sit? quis utique experiri, & præcipue in capillo? Sanguine quidem pulli bubonis etiam crispari capillum promittunt. Cujus generis prope videri possint, quæ tradunt & de vespertilione : si ter circumlatus domui vivus, per fenestram inverso capite infigatur, amuletum esse: privatimque ovilibus circumraptum toties, & pedibus suspensum [4] in supero limine. Sanguinem quoque ejus cum carduo, contra serpentium ictus inter præcipua laudant.

XXVII. 11. [1] Phalangium est Italiæ ignotum, & plurium generum : [2] Unum simile formicæ, sed multo majus, ruso capite, reliqua parte corporis nigra, albis incursantibus respersum guttis. Acerbior hujus, quam vespæ ictus. Vivit maxime circa furnos & molas. In remedio est, si quis ejusdem generis alterum percusso ostendat. Et ad hoc servantur mortui. Inveniuntur & cortices eorum, qui triti & poti medentur : & mustelæ catuli, [3] ut diximus supra. [4] Æque phalangion Græci vocant inter genera araneorum, sed distinguunt lupi nomine. Tertium genus est eodem phalangii nomine araneus lanuginosus, grandissimo capite. Quo dissecto inveniri dicuntur intus vermiculi duo, adalligatique mulieribus cervina pelle ante Solis ortum, præstare ne concipiant, ut Cæcilius in commentariis reliquit. [b] Vis ea annua est : quam solam [5] ex omni atocio dixisse fas sit, [6] quoniam aliquarum fecunditas plena liberis tali venia indiget. [7] Vocatur & rhagion acino nigro similis, ore minimo [8] sub alvo, pedibus brevissimis, tamquam imperfectis. [9] Dolor a morsu ejus qualis a scorpione. [c] [10] Urina similis araneis textis. [11] Idem erat asterion, nisi distingueretur virgulis albis. Hujus morsus genua labefactat. [12] Pejor utroque est cæruleus, lanugine nigra, caliginem concitans, [d] [13] & vomitus araneosos. [14] Etiamnum deterior, a crabrone penna tantum differens. Hic & ad maciem perducit. [15] Myrmecion formicæ similis capite, alvo nigra, guttis albis distinguentibus, [e] vesparum dolore torquet. [16] Tetragnathii duo genera habent : pejor medium caput distinguente linea alba, &

Interpretatio.

a *Ad capillum*] Ad capillorum defluvium.
b *Vis ea.*] Vis ea *sistendi conceptum*, anno dumtaxat durat.
c *Urina.*] Urina hominis demorsi plena filorum araneorum.
d *Et vomitus.*] In vomitu fila araneis similia.
e *Vesparum.*] Dolore simili ei quem vespæ inferunt.

Notæ.

2. *Cum plumbagine.*] De qua lib. 25. sect. 97.

3. *Cor ejus.*] Idem de ranæ lingua prodidit Democritus, Plinio, lib. 32. sect. 18.

4. *In supero limine.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIII

Sect. XXVII 1. *Phalangium est Italiæ ignotum.*] Non igitur illud Apuli cæli animal est, Tarantolam vocant, cujus exitiali morsu inductum soporem musicis instrumentis discutiunt, etsi visum ita Dalecampio, ceterisque. Phalangiorum genera, quæ Nicander enumerat, picta e Museo Cæsareo Lambecius protulit in Bibl. Cæsar. lib. 6. In Indice hujus libri, *Araneorum & phalangiorum genera* x I.

2. *Unum simile formicæ.*] Et inde Μυρμήκειον dictum a Nicandro in Theriac. pag. 52. ubi totidem verbis describitur, quot & a Plinio. Aliis Μυρμηκοειδὲς, ut refert ejusdem Scholiastes, pag. 34. & Μύρμηξ Ἡρακλεωτικός.

3. *Ut diximus supra.*] Sect. 16.

4. *Æque phalangion.*] Alterum hoc phalangii genus, lupi nomine discretum a ceteris. Egimus de eo, lib. 11. sect. 28.

5. *Ex omni atocio.*] Ἀτόκιον dicitur medicamen omne quod sterilitatem inducit, & vim concipiendi adimit. Vox Dioscoridi familiaris in primis.

6. *Quoniam aliquarum.*] Abunde declarat se rem ipsam minus probare, cui nonnisi certo casu veniam largiatur Sed neque tum danda venia est. Nullo non tempore, ut Tertulliani verbis utar, in Apolog. cap. 8 pag 9. *Festinatio est homicidii, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet · homo est & qui est futurus. Etiam fructus omnis in semine est.* Hippocrates in Jurejurando, nemini mulieri daturum se πεσσὸν φθόριον, hoc est, abortivum spondet.

7. *Vocatur & rhagion*] Quartum genus phalangiorum Ῥάγιον Græcis est parvus acinus: ῥὰξ, sive ῥὼξ acinus : inde nomen. Scholiastes Nicandri, pag. 33. in Theriac. Ῥὰξ καλεῖται, διὰ τὸ ῥαγὶ σταφυλῆς ἐοικέναι.

8. *Sub alvo.*] Vide Notas & Emend. num. XXIV.

9. *Dolor a morsu.*] Describitur is cujusmodi sit, a Nicandro, loc. cit.

10. *Urina.*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 34. causam subdit, διὰ τὸ ἀπαυστὶ ἀποσπερματίζειν, καὶ γονοῤῥοεῖν τὸν δηχθέντα.

11. *Idem erat asterion.*] Quintum phalangii genus, de quo idem Nicander, in Theriac pag. 52.

Ἀστέριος δέ φιν ἄλλο πεφάσκετο· τῷ δ' ἐπὶ νώτῳ
Λιγδωτοὶ στίλβουσι, διαυγέες ἐν χροΐ ῥάβδοι.
Βρύξαντος δ' αἰδηλος ἐπιδρομέει ἀνέρι φρίκη,
Ἐν δὲ κάρη κεφαλῇ· γυῖα δ' ὑπέκλασε δεσμά.

Quæ Gorræus sic transtulit :

At vero Asterion dorsi fulgore coruscum
Virgatis splendet maculis, alboque relucet.
Mox rigor a morsu pertentat membra, caputque
Dente soporatur, collapsaque genua fatiscunt.

12. *Pejor utroque.*] Sextum genus, quod iisdem notis a Nicandro adumbratur, loc. cit.

Κυάνεος δ' ὃς ἄλλο πεδήορον ἀμφὶς ἀείρει
Λαχνήεις· δεινὸν δὲ φέρει καὶ ἐπὶ χροῒ νύγμα,
Ὅντινα γνάψῃ· κραδίη δέ οἱ ἐς βάρος ἵκει.
Νὺξ δὲ περὶ κροτάφοις· ἔμετον δ' ἐξήρυγεν ὀρφνῆς
Λεῖον ἀραχνήεντα· νέμει δέ οἱ ἐγγύς ὄλεθρος.

Hoc est, Gorræo interprete :

Cæruleus graditur pedibus sublimior alter,
Villoque hirsutus : dant tristia funera morsus,
Si quemquam oppressit, luctantur corda dolore :
Tempora caligant : &, qualis aranea, lentus
Ore redit vomitus, properéque in fata vocantur.

13. *Et vomitus araneosos.*] Schol. Nicandri, in Theriac. pag. 34. Ὅτι ὁ ἔμετος ἴσχει ὄψιν ἀραχνιδῶν, ἢ ὅτι λεπτός ἐστι ὅμοιος τῷ ἀράχνῃ· ἔστι δὲ γλίσχρος κατὰ τὴν ὄψιν, καὶ χυμώδης, ὥστε διὰ τὸ γλίσχρον πολλῷ ἐκ τῷ φάρυγγι.

14. *Etiamnum deterior.*] Septimum istud genus est, quod σφηκεῖον Nicander appellat, loc. cit. Nam σφῆκα Græci crabronem appellavere, ut diximus in Notis & Emend. ad librum undecimum, num XXXV.

15. *Myrmecion.*] Genus octavum phalangiorum, formicæ simile capite solo : non, uti primum genus, toto corpore.

16. *Tetragnathii.*] Vel τετράγναθος, a quadruplici maxilla. Totidem de iis verba facit Aetius, serm. 13. cap. 17. pag. 251.

transversa altera. Hic oris tumorem facit. At cinereus posteriori parte candicans, lentior. [17] Minime autem noxius eodem colore, qui telas muscis in parietibus latissime pandit. [18] Contra omnium morsus remedio est gallinaceum cerebrum cum piperis exiguo potum in posca. Item formicæ quinque potæ: pecudum fimi cinis illitus ex aceto: & 5 ipsi aranei quicumque, in oleo putrefacti. [19] Muris aranei morsus sanatur coagulo agnino in vino poto: ungulæ arietinæ cinere cum melle, mustelæ catulo, [20] ut in serpentibus dictum est. Si jumenta momorderit, mus recens cum sale imponitur, aut fel vespertilionis ex aceto. [21] Et ipse mus araneus contra se remedium est, divulsus & impositus. Nam si prægnans momordit, protinus [a] dissilit. Optimum, si imponatur qui mo- 10 morderit. Sed & alios ad hunc usum servant in oleo, aut luto circumlitos. [22] Est contra morsum ejus remedio terra ex orbita. [23] Ferunt enim non transiri ab eo orbitam, torpore quodam naturæ.

XXVIII. 12. [1] Scorpionibus contrarius maxime invicem stellio traditur, [2] ut visu quoque pavorem iis afferat, & torporem frigidi sudoris. Itaque in oleo putrefaciunt eum, 15 & ita ea vulnera perungunt. Quidam oleo illo spumam argenteam decoquunt ad emplastri genus, atque ita illinunt. [3] Hunc Græci coloten vocant, & ascalaboten, & galeoten. [4] In Italia non nascitur. [5] Est enim hic plenus lentigine, stridoris acerbi, & vescitur: quæ omnia [6] a nostris stellionibus aliena sunt.

XXIX. 13. [1] Prodest & gallinarum fimi cinis illitus, draconis jecur, lacerta divulsa, 20 mus divulsus, [2] scorpio ipse suæ plagæ impositus, aut assus in cibo sumptus, [3] aut potus in meri cyathis duobus. Proprium est scorpionum, quod manus palmam non feriunt, nec nisi pilos attigere. Lapillus qualiscumque, ab ea parte qua in terra erat, impositus plagæ, levat dolorem. Item testa terra operta ex aliqua parte, [b] sicut erat, imposita, liberare dicitur. Non debent respicere qui imponunt, & cavere ne Sol aspiciat. [4] Ver- 25 mes terreni triti impositi prosunt. Multa & alia ex his remedia sunt, propter quæ in melle servantur. Noctua [c] apibus contraria, & vespis, crabronibusque, & sanguisugis: pici quoque Martii rostrum secum habentes non feriuntur ab iis. [5] Adversantur & locustarum minimæ sine pennis, [6] quos attelabos vocant. Est & formicarum genus venenatum: non fere in Italia. [7] Solipugas Cicero appellat, salpugas Bætica. Iis cor vespertilionis contra- 30 rium, omnibusque formicis: [8] salamandris cantharidas diximus resistere.

XXX. 14. [1] Sed in iis magna quæstio, quoniam ipsæ venena sunt potæ [2] vesicæ cum

INTERPRETATIO.

a *Dissilit.*] Disrumpitur.
b *Sicut erat.*] Qua parte terra erat operta.
c *Apibus.*] Apium ictibus, & vesparum, &c.

NOTÆ.

17. *Minime autem noxius.*] Undecimum id ac postremum phalangiorum genus. Is est qui ἀγρώστης a Nicandro dicitur, de quo eadem ille quæ Plinius refert, pag. 52. in Theriac.

Ἀπηνθὴς δ' ἐπὶ τύμμα φέρει μεταμώνιον ἀνδρί.
Sed facilis nullo vanescit plaga dolore.

18. *Contra omnium.*] Sextus Platon. parte 2. cap. 8. de gallo, tit. 1 & Plinius Valer. lib. 3. cap. 56.

19. *Muris aranei &c.*] Ad verbum hæc pariter Plinius Valer. lib. 3. cap. 55.

20. *Ut in serpentibus dictum est.*] Sect. 26.

21. *Et ipse mus*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap. 73. & in Theriac. cap. 26. Galenus quoque, lib. 11. de facult. simp. med. cap. 2. pag. 314. Plinius item Valer. loc. cit. Μυγαλῆ Græcis dicitur, qui Latinis mus araneus, nostris *Musaraigne*. Dentium huic ordo quadruplex.

22. *Est contra morsum*] Q. Serenus, cap. 48 pag. 156.

Sin autem muris nocuit violentia cæci,
Quæ sola signavit volvendis orbita plaustris,
Illinc, mira datur vili de pulvere cura.

Sic etiam Plinius Valer. lib. 3 cap. 55. E Græcis, Ælianus, lib. 2 hist. anim. cap 37. Phile, lib. de propr. anim. cap. de mure araneo, pag. 112.

23. *Ferunt enim.*] Vide quæ dicta sunt lib 8 sect. 83.

Sect. XXVIII 1. *Scorpionibus . . . invicem.*] Ut stellioni vicissim scorpio contrarius est: nam uti dictum est sect. 22. *Scorpio tritus stellionum veneno adversatur.* Sic plagæ scorpionis stellionem dissectum imponi utiliter docet Aetius, serm. 13. cap. 19. pag. 263. *Et in Africa, aut sicubi scorpiones sunt nocui, stellionem aridum incinctum oportet habere*, inquit Scribonius Largus, Compos. 164. ceu præsens scilicet medicamentum.

2. *Ut visu quoque pavorem*] Sic Galenus lib. 1. de theriaca ad Pison. cap. 9. pag. 943. Ælianus, lib. 6. hist. anim. cap. 22. Isidorus, lib 12. cap. 4. aliique.

3. *Hunc Græci.*] Κωλώτης, ἀσκαλαβώτης· ἰδεῖν δὲ αὐτὸν ἢ φιλοῦντες. Hesychius.

4. *In Italia.*] Neque in Gallia, Germania, Angliave nascitur, ut jam antea monuimus, lib 11. sect 30.

5. *Est enim . . . lentigine.*] Stellionis maculas, quas alii honestiore nomine stellas vocarunt, unde & stellionem ipsum animal, lentigines Plinius appellat. Ovidius, lib. 5. Metam. vers. 460. de stellione:

Aptumque colori
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.

6. *A nostris stellionibus.*] Italici nimirum soli. E genere lacertorum esse stellio uterque videtur, & ille Græcus, & iste Italiæ indigena, ut dictum est lib. 11. sect. 30.

Sect. XXIX. 1. *Prodest*] Adversus scorpionum morsus.

2. *Scorpio ipse.*] Aetius, serm. 13. cap. 19. pag. 253. *Ad plagam autem scorpionem ipsum qui percussit, si inveniri queat, imponito.* Galenus item, lib. 11. de fac. simp. medic. cap 1. pag 314. Celsus, lib. 5. cap 27. tit. *Adversus ictum scorpionis: Scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum vino bibunt: quidam eodem modo contritum super vulnus imponunt: quidam super prunam eo imposito vulnus suffumigant, undique veste circumdata, ne fumus dilabatur: tum carbonem ejus super vulnus deligant.*

3. *Aut potus in meri*] Vide quæ dicta sunt lib. 11. sect 30.

4. *Vermes terreni.*] Aetius, loco citato.

5. *Adversantur*] Pico nempe Martio.

6. *Quos attelabos.*] Ἀττέλαβος & ἀττέλεβος Græcis. Sic lib. 27 sect 38 quos Theophrastus ἀττελέβους dixerat, ipse locustas reddidit, ut ibi monuimus. In Indice Pliniano, *attelebus*. Vide Notas & Emend. num. XXXII.

7. *Solipugas.*] Ita MSS. Reg. 1. 2. &c. De his egimus in Notis & Emendationibus ad librum octavum, num. LXXXVIII.

8 *Salamandris . . . diximus.*] Sect. 23 libri hujus.

Sect. XXX. 1. *Sed in iis.*] De cantharidibus magna quæstio est, ita utendum sit, necne: plusne damni, quam auxilii afferant: quo illæ adhibendæ modo, &c.

2. *Vesica.*] Dioscor. quoque in Alexiph. cap 1. hunc vesicæ cruciatum iis contingere auctor est, qui cantharides hauserant. Item Aetius, serm. 13. cap. 49 pag. 262.

cruciatu præcipuo. [3] Cossinum Equitem Romanum, amicitia Neronis Principis notum, cum is lichene correptus esset, vocatus ex Ægypto medicus ob hanc valetudinem ejus a Cæsare, cum cantharidum potum præparare voluisset, interemit. [4] Verum illitas prodesse non dubium est, cum succo taminiæ uvæ, & sevo ovis vel capræ. Ipsarum cantharidum venenum in qua parte sit, non constat inter auctores. [5] Alii in pedibus & capite existimant esse, alii negant. [6] Convenit tantum pennas earum auxiliari, in quacumque parte sit venenum. Ipsæ nascuntur ex vermiculo, [7] in spongia maxime cynorrhodi quæ fit in caule, sed fecundissime in fraxino: ceteræ in alba rosa, minus efficaces. [8] Potentissimæ inter omnes variæ, luteis lineis, quas in pennis transversas habent, multum pingues: inertiores minutæ, latæ, pilosæ: inutilissimæ vero, unius coloris, macræque. [9] Conduntur in calice fictili non picato, & linteo colligato, congestæ rosa matura, & suspenduntur super acetum cum sale fervens, donec per linteolum [a] [10] vaporentur, postea reponuntur. [11] Vis earum adurere corpus, crustas obducere. [b] [12] Eadem pityocampis, in picea nascentibus: eadem bupresti: similiterque præparantur. [13] Efficacissimæ omnes ad lepras lichenasque: [14] dicuntur & menses ciere & urinam. [15] Ideo Hippocrates & hydropicis dabat. [16] Cantharides objectæ sunt Catoni Uticensi, ceu venenum vendidisset [17] in auctione regia, quoniam eas [18] sestertiis L X. addixerat. [*] [19] Et sevum autem struthiocamelinum tunc venisse [20] sestertiis XXX. obiter dictum sit, efficacioris ad omnia usus, quam est adeps anserinus.

* CAP. V.

XXXI. [1] Diximus & mellis venenati genera: contra quod utuntur melle, in quo apes sint mortuæ. Idem potum in vino, remedium est vitiorum, quæ e cibo piscium gignuntur.

XXXII. [1] In canis rabiosi morsu tuetur a pavore aquæ, capitis canini cinis illitus vulneri. Oportet autem comburi omnia eodem modo, ut semel dicamus, in vase fictili novo, argilla circumlito, atque ita in furnum indito. Idem & in potione proficit. [2] Quidam ob id edendum dederunt. [3] Aliqui & vermem e cadavere canino adalligavere: menstruave canis in panno [4] subdidere calici, aut intus ipsius caudæ pilos combustos insuêre vulneri. [5] Cor caninum habentem fugiunt canes. [6] Non latrant vero, lingua canina in calceamento subdita pollici: [7] aut caudam mustelæ, quæ abscissa dimissa sit, habentes. [8] Est limus salivæ sub lingua rabiosi canis, qui datus in potu, fieri [9] hydrophobos

INTERPRETATIO.

a *Vaporentur.*] Vapore aceti ferventia necentur.

b *Eadem.*] Vis eadem inest & pityocampis.

NOTÆ.

3. *Cossinum.*] Inscriptio vetus apud Gruter. pag. 513. COSINI. AVG. LIB. A. RATIONIBVS.

4. *Verum illitas &c.*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 129. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 56.

5. *Alii in pedibus.*] Galenus, lib. xi. de fac. simp. med. pag. 313. tom. 13. quosdam ait alas tantum pedesque in medicamenta addere: alios tantum corpora, velut Hippocratem inferius laudandum: se vero totas injicere. Vide ejusdem Comment. 4. in lib. Hippocr. de victu in acutis, pag. 181. tom. xi.

6. *Convenit tantum.*] *Sunt qui earum alas ac pedes*, inquit Diosc. lib. 2. cap. 66. *pro antidoto esse velint iis qui ipsas hauserint*: Οἱ δέ τὰ πτερὰ αὐτῶν καὶ τοὺς πόδας τοῖς πιοῦσιν αὐτὰς ἀντιφαρμάκοις ἀπέχονται.

7. *In spongia.*] De cynorrhodi spongia diximus, lib. 24. sect. 74. & lib. 25. sect. 6.

8. *Potentissimæ.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 65.

9. *Conduntur.*] Diosc. totidem verbis, & Galenus fere, locis citatis.

10. *Vaporentur.*] Diosc. Ἀτμῷ ζέοντος ὄξους θερμαινέτω ... ἕως ἂν πνιγῶσι.

11. *Vis earum.*] Dioscor. lib. 2. cap. 66.

12. *Eadem pityocampis &c.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Pityocampas alii pinorum erucas vocant: Plinius, picearum: scilicet πίτυς ipsi picea est, ut sæpe monuimus lib. 16. Gallis, *Chenille de pin.* Buprestin genus esse cantharidis, virosi gustus & odoris, scribit Aetius, serm. 13. cap. 50. pag. 262. Βούπρηστις, & βουπρῆστις.

13. *Efficacissimæ.*] Diosc. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 19. pag. 129.

14. *Dicuntur &c.*] Diosc. loc. cit.

15. *Ideo Hippocrates.*] Libro de victu in morbis acutis, textu 104. Πόμα ὑδρωπιῶντι. Κανθαρίδας τρεῖς, ἀφελὼν τὴν κεφαλὴν καὶ πόδας, καὶ πτερὰ, τρίψας ἐν τρισὶ κυάθοις ὕδατος τὰ σώματα, &c.

16. *Cantharides.*] Seneca pater, lib. 6. Controv. 4. pag. 256. *Venenum Cato vendidit.*

17. *In auctione regia.*] In auctione bonorum Ptolemæi regis Cypri, de qua Plutarchus in Catone minore, pag. 777.

18. *Sestertiis L X.*] Sive, quod idem est, sestertiûm sexaginta millibus: Gallicæ monetæ, libris 6000.

19. *Et sevum autem.*] Struthionis sevum ad multa esse medicamenta utile, etiam Phile prodidit, lib. de animal. propr. pag. 18. πολλῶν ὄντων φαρμάκων.

20. *Sestertiis XXX.*] Sive sestertiûm millibus triginta: monetæ Gallicæ, libris 3000. Hæc sevi illius indicatio seu æstimatio fuisse videtur in singulas libras.

Sect. XXXI. 1. *Diximus & mellis.*] Libro 21. sect. 44. & 45.

Sect. XXXII. 1. *In canis rabiosi.*] Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 20. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 50. ad verbum.

2. *Quidam ob id.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXV.

3. *Aliqui & vermem.*] Plinius Valer. loc. cit. Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 21. *Ad canis rabidi morsus: Vermiculus canis mortui in collo suspensus sanat.*

4. *Subdidere calici.*] In quo bibiturus æger. Sic libri omnes, etiam MSS.

5. *Cor caninum.*] Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 27. *Ne canes sint molesti. Cor canis si quis secum habuerit, canes ei molesti non erunt.*

6. *Non latrant vero.*] Hanc vim denti quoque Habdarrahmanus adscribit, cap. 26. pag. 105. *Dentem canis, qui caninus dicitur, si quis appendet ex brachio, & inter canes transibit interdiu, vel noctu, nequaquam in eum latrabunt.*

7. *Aut caudam mustelæ.*] Quæ viva dimissa sit, post abscissam caudam. Ælianus, lib. 9. hist. animal. cap. 55.

8. *Est limus salivæ.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 50.

9. *Hydrophobos.*] Ὑδροφόβους, *aquæ metuentes.* Quo de genere morbi diximus lib. 8. sect. 63. Cælius Aurel. lib. 3. cap. 9. *aquifugas* dixit: Glossæ, *lymphatos.* Theodorus Priscianus, lib. 2. part. 1. cap. 8. *Hydrophobicorum causam aliqui ex morsu canis rabiosi, aliqui ex serpentium venire asseverant .... Aerem serenum, diuturnum pluviosum perhorrescunt. Vitare etiam bibendo consuetudinem tentant, &c.*

non patitur. [10] Multo tamen utilissime jecur ejus, qui in rabie momorderit, datur, si possit fieri, crudum mandendum: si minus, quoquo modo coctum, aut jus coctis carnibus. Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur [11] a Græcis lytta: quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. [12] Idem ter igni circumlatus, datur morsis a rabioso, ne rabidi fiant. Et cerebello gallinaceo occurritur. Sed id devoratum anno tantum eo prodest. [13] Aiunt & cristam galli contritam efficaciter imponi, & anseris adipem cum melle. [14] Saliuntur & carnes eorum, qui radibi fuerunt, ad eadem remedia in cibo dandæ. [15] Quin & necantur catuli statim in aqua, [16] ad sexum ejus qui momorderit, ut jecur crudum devoretur ex iis. [17] Prodest & fimum gallinaceum, dumtaxat rufum, ex aceto impositum: & muris aranei caudæ cinis, ita ut ipse, cui abscissa sit, vivus dimittatur: [18] glebula ex hirundinum nido illita ex aceto: vel pulli hirundinis combusti: membrana sive senectus anguium, [a] [19] vernatione exuta, cum cancro masculo ex vino trita. Nam etiam per se reposita in arcis armariisque, tineas necat. Tanta vis mali est, ut urina quoque calcata rabiosi canis noceat, maxime hulcus habentibus. Remedio est fimum caballinum aspersum aceto, & calfactum in fico impositum. Minus hoc miretur, qui cogitet, lapidem a cane morsum, usque [20] in proverbium discordiæ venisse. Qui in urinam canis suam egesserit, torporem lumborum sentire dicunt. [21] Lacerta, quam hi sepa, alii [22] chalcidicen vocant, in vino pota morsus suos sanat.

XXXIII. [1] Veneficiis ex mustela silvestri factis, contrarium est jus gallinacei veteris large haustum: peculiariter contra aconitum, addi parum salis oportet. [2] Gallinarum fimum dumtaxat candidum, in hyssopo decoctum, aut mulso, contra venena fungorum boletorumque: item inflationes, ac strangulationes: quod miremur, [3] cum, si aliud animal gustaverit id fimum, torminibus & inflationibus afficiatur. [4] Sanguis anserinus contra lepores marinos valet, cum olei æqua portione. Item contra mala medicamenta omnia asservatur cum Lemnia rubrica & spinæ albæ succo, pastillorum drachmis quinque, qui in cyathis ternis aquæ bibantur: item mustelæ catulus, [5] ut supra diximus, præparatus. [6] Coagulum quoque agninum adversus omnia mala medicamenta pollet: [7] item sanguis anatum Ponticarum. Itaque & spissatus servatur, vinoque diluitur. Quidam femina anatis efficaciorem putant. Simili modo contra venena omnia, [8] ciconiarum ventriculus valet, coagulum pecoris. [9] Jus ex carne arietum privatim adversus cantharidas: item lac ovium calidum, [10] præterque iis qui buprestin aut aconi-

INTERPRETATIO.

a *Vernatione.*] Membrana, quam angues verno tempore exuerunt.

NOTÆ.

10. *Multo tamen.*] Dioscor. lib. 2. cap. 49. *Κυνὸς λυσσῶντος ἧπαρ βρωματιζόμενον ὀπτὸν ὑπὸ τῶν δηχθέντων ὑπ' αὐτοῦ, ἀπαθεῖς τοὺς ὑδροφοβίας τηρεῖν πιστεύεται.* Galenus item, lib. 11. de facult. simp. med. cap. 1. pag. 199. Sic etiam totidem verbis Plinius Valer. loc. cit. Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 21. *Ad canis rabidi morsus: Caput rabidi canis & jecur coctum datu ei quo morsus fuerit, sanat.*

11. *A Græcis lytta.*] Sic MSS. omnes, & Parm. editio, aliæque fere. Cum affectus canum λύσσα vel λύττα sit, hoc est, rabies: etiam vermiculo ei, quo rabiem hanc concitari putant, id nomen fuit. Gratius in Cyneg.

Namque subit nodis qua lingua tenacibus hæret,
Vermiculum dixere, mala atque incondita pestis.

Vermiculus sit vere, necne, medici certant.

12. *Idem ter igni.*] Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 8. *Ad morsus rabidi canis: Vermes, qui sub lingua rabidi canis inveniuntur, excisi, & circum arborem sterilem ter lati, & dati, &c.* Superstitiose.

13. *Aiunt & cristam.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap. 50.

14. *Saliuntur &c.*] Plinius Valerianus loc. cit.

15. *Quin & necantur.*] Iisdem verbis Plinius Valer. loc. cit.

16. *Ad sexum ejus.*] Pro ratione sexus canis illius qui momorderit: nam si femina fuerit, & feminei pariter generis catulus necandus: si masculus contra, masculei.

17. *Prodest & fimum.*] Plinius Valer. loc. cit.

18. *Glebula &c.*] Plinius Valerianus, loc. cit.

19. *Vernatione.*] Vernatio non ipsum hic corium vetus est, quo serpentes exuuntur, sed corii, seu membranæ, verno tempore, abjectio. Sect. 35. ipsum corium est.

20. *In proverbium.*] Fortassis ita dictitabant in hominem convitiatorem ac rixosum: *Hic lapidem calcavit a cane morsum.* Vide Erasmum Chiliad. 4. Cent. 5. adag. 17.

21. *Lacerta.*] Scholiastes Nicandri, in Theriac. pag. 37. *Ἡ δὲ σὴψ ὁμοία ἐστὶ τῇ σαύρᾳ· καλεῖται δὲ καὶ χαλκίς· ἔχει δὲ ἐπὶ τοῦ νώτου χαλκιζούσας ῥάβδους· ἔστι δὲ αὕτη παλαιστιαία. Σὴψ δὲ καλεῖται, παρὰ τὸ σήπειν τοὺς πληγέντας. Γίνεται δὲ ἐν Συρίᾳ καὶ Λιβύῃ, καὶ Κύπρῳ, καὶ Ἀστερίσιν ἐν πέτραις.* Genus igitur lacertæ est, his regionibus incognitum.

22. *Chalcidicen.*] Sic MSS. omnes. Et Dioscor. lib. 2. cap. 70. *Σήψ, ἣν ἔνιοι σαύραν καλοῦσι Χαλκιδικήν, ἐν οἴνῳ ποθεῖσα τοὺς ὑπ' αὐτῆς δηχθέντας ἰᾶται.* Et qui Dioscoridem totidem ferme verbis exscripsit Galenus, lib. 11. de fac. simp. med. cap. 1. pag. 314.

Sect. XXXIII. 1. *Veneficiis ex mustela.*] Venenis ex illius felle paratis, ut dictum est sect. 16.

2. *Gallinarum.*] Hoc bibi cum posca *σὺν ὀξυκράτῳ*, jubet Diosc. in Alexiph. cap. 13. adversus fungorum venenum. Cum melle, lib. 4. cap. 83.

3. *Cum si aliud animal.*] Columella, lib. 6. de re rust. cap. 5. *Cavendum est, ne ad præsepia boum sus aut gallina perrepat: nam hoc quod decidit, immixtum pabulo, bubus affert necem.*

4. *Sanguis anserinus.*] Sic Dioscor. in Alexiph. cap. 30. Calentem cum passo propinat Aetius, serm. 13. cap. 53. pag. 263. Plinius Valer. hunc locum expressit totidem verbis, lib. 3. cap. 54.

5. *Ut supra diximus.*] Sect. 16.

6. *Coagulum &c.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 53.

7. *Item sanguis.*] Plinius Valer. loc. cit. Auctor Kiranidum, pag. 126. *Anatis sanguis calidus, aut siccus, cum vino bibitus, salvat bibentem ab omni veneno, & eos qui a vipera morsi sunt, sanat.*

8. *Ciconiarum.*] Plinius Valer. loc. cit. Auctor Kiranidum, pag. 129. hanc vim contra venena omnia echino adjudicat, hoc est, interiori membranæ ventriculi ciconiæ.

9. *Jus ex carne.*] Aetius, serm. 13. cap. 49. pag. 262. *Ad eos qui cantharidas hauserunt: Danda etiam jura pinguia porcina, aut ovilla, aut anserina: carnes etiam agninæ &c.* Scribonius Largus Compos. 189. *Ad cantharidas: Adjuvat bene & jus pingue agninum, &c.*

10. *Præterque.*] Præterèaque iis qui buprestin hauserint.

tum biberint. Columbarum silvestrium fimum privatim contra argenti vivi potum. [11] Contra toxiea, mustela vulgaris inveterata, binis drachmis pota.

XXIV. Alopecias replet fimi pecudum cinis cum oleo Cyprino & melle: [1] item ungularum muli vel mulæ ex oleo myrteo. Præterea [2] (ut Varro noster tradit) [3] murinum fimum, quod item [4] muscerdas appellat. [5] Et muscarum capita recentia, [a] [6] prius folio ficulneo asperatas. Alii sanguine muscarum utuntur. Alii decem diebus cinerem earum illinunt cum cinere chartæ, vel nucum, ita ut sit tertia pars e muscis. Alii lacte mulierum cum brassica cinerem muscarum subigunt, [7] quidam melle tantum. Nullum animal minus docile existimatur, minorisve intellectus: eo mirabilius est, [8] Olympiæ sacro certamine, nubes earum, immolato tauro, Deo quem [9] Myïoden vocant, extra territorium id abire. [10] Alopecias cinis e murium capitibus, caudisque, & totius muris, emendat: præcipue si veneficio acciderit hæc injuria. [11] Item herinacei cinis cum melle, aut corium combustum cum pice liquida. [12] Caput quidem ejus ustum per se, etiam cicatricibus pilos reddit. Alopecias autem in ea curatione præparari oportet novacula, [13] & sinapi. Quidam ex aceto uti maluerunt. Quæ de herinaceo dicuntur, omnia tanto magis valebunt [14] in hystrice. Lacertæ quoque, [b] [15] ut docuimus, combustæ [16] cum radice recentis arundinis, quæ ut una cremari possit, minutim findenda est: ita myrteo oleo permixto cineres capillorum defluvia continent. Efficacius virides lacertæ omnia eadem præstant. Etiamnum utilius admixto sale, & adipe ursino, & cæpa tusa. Quidam denas virides in decem sextariis olei veteris discoquunt, contenti semel in mense ungere. [17] Pellium viperinarum cinis, alopecias celerrime explet: [18] item gallinarum fimum recens illitum. [19] Corvi ovum in æreo vase [c] permixtum illitumque deraso capite nigritiam capilli affert: sed donec inarescat, oleum in ore habendum est, ne & dentes simul nigrescant. Idque in umbra faciendum, neque ante quatriduum abluendum. Alii sanguine & cerebro ejus utuntur cum vino nigro. Alii excoquunt ipsum, [20] & nocte in [d] concubia in plumbeum vas condunt. Aliqui alopecias cantharide trita illinunt cum pice liquida, nitro præparata cute. [21] Caustica vis earum, ca-

CAP. VI. 5 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Prius.*] Prius folio ficus perfricatas paulo asperius alopecias sanat.

b *Ut.*] Eo modo combustæ quo docuimus *comburi oportere.*

c *Permixtum.*] Agitatum.

d *Concubia.*] Intempesta, *cum omnes cubant.*

NOTÆ.

His vero eadem medicamenta scribit Diosc. in Alexiph. cap. 3. quæ sunt iis accommodata, quibus exhibitæ cantharides fuerint. Sic porro MSS. omnes habent: non, ut editi libri, *præterquam*, contra scriptoris mentem.

11 *Contra toxica.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap 53.

Sect. XXXIV. 1. *Item ungularum muli.*] Ungulas asini ad alopecias commendat Aetius, lib 6. cap. 55. pag 231. Muli jecur, Sextus Platon. cap. 15. de mula, vel burdone, tit. 4.

2. *Ut Varro noster tradit.*] Sic Reg. 1. At in Reg. 2 sincerius, *ut Varro narrat.*

3. *Murinum fimum.*] Varroni subscribunt, Aëtius, loc. cit. Alexander. Iatros, lib. 1. cap. 4. & Galenus de Theriac. ad Pison. cap 9. pag. 942. Marcellus Empir. cap 6. pag. 45. *Stercus murinum cum aceto tritum ad alopecias unctas &c.*

4. *Muscerdas.*] Merda, inquit Vossius in Etymol. generale est nomen. Usus eo Horatius. Specialia sunt, *muscerda*, quo murium stercus signari ait Festus: *Sucerda* stercus suillum. Unde in Glossis, *sucerda χοίρεια κόπρος*. Similia sunt, *capricerda*, *bucerda*, atque adeo *homerda*. Vide ibi plura.

5. *Et muscarum capita.*] Marcellus Empir. cap. 6. pag 46. *Muscarum capita combusta, & cum melle trita, capitique illita, mire alopecias tollunt.* Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 2. *De capillis cadentibus: Capita muscarum cum melle contrita per beneficium faciunt in continendo capillo: ut capilli, etiam post combustionem exeant, si fieri volis.*

6. *Prius folio.*] Aetius, loc. cit. *Alopecia prius linteo perfricata, deinde levi scarificatione, aut cæpis, aut ficulnea foliis irritata, medicamentum cum frictione illines, &c.* Priscianus loco cit. *Ficus folia sicca tundes, & cribellabis: & ex eo pulvere loca confricabis, &c.*

7. *Quidam melle tantum*] Quos Plinius Valer. & Priscianus, ante laudati, secuti sunt.

8. *Olympiæ.*] Apud Eleos Olympia est, ut in Geographicis vidimus, lib 4. sect 6.

9 *Myioden.*] Μυιώδης Græce dicitur, qui & Μύαγρος, de quo vide quæ diximus lib. 10. sect. 40. Vide & Ælianum, lib. 5. hist. cap. 17.

10. *Alopecias.*] Auctor Kiranidum, pag. 86. *Muris caput combure, cum adipe porcino, vel ursino, & cinerem tere, & innunge alopeciam, & sanabitur.* Galenus item, lib. de theriaca ad Pison. cap. 9. pag. 942.

11. *Item herinacei.*] Hæc totidem fere verbis Phile, lib. de propr. anim. pag. 108.

Τὸ γοῦν ἰχῖνο τῆς σποδὸς κεκαυμένου
Πίττῃ παρ᾽ αὐτὴν συντεθεῖσα εἰς χρίσιν,
Φύειν ἰατροὶ καὶ ψιλοῖς φασὶν τρίχας.

Et Alexander Iatros, lib 1. cap. 4. *Et echini cherfei* (hoc est; terrestris herinacei) *cinis cum pice liquida admixtus stercore capræ, capillos generat, & nitro sanat illinitus.* Item Marcellus Empiricus, cap 6. pag. 46.

12. *Caput quidem.*] Marcellus Empir loc. cit.

13. *Et sinapi.*] Quo caput ante perfricetur. Pro sinapi cæpam acerrimam Marcellus Empir. adhibet, cap. 6. pag 45

14. *In hystrice.*] Est enim hystrix silvestre herinaceorum genus, lib. 8. sect. 53. *Amplior vero in medico usu potentia est feris ejusdem generis*, ut Plinius admonet, sect. 45.

15. *Ut docuimus.*] Sect. 32.

16. *Cum radice.*] Radicem arundinis addit Aetius, lib. 6. cap. 55. pag. 231. in medicamenta ad alopecias.

17. *Pellium viperinarum.*] Marcellus Empir. cap. 6. pag. 46. & Plinius Valer. lib 1. cap. 6

18. *Item gallinarum.*] Marcellus Empir. cap 6. pag 45. & Plinius Valer. lib 1. cap. 7.

19. *Corvi ovum.*] Manuel Phile, totidem fere verbis, lib. de animal. propr. pag. 30.

Πλὴν τοῦτο πιστὸν, ὡς μελαίνει τὰς τρίχας
Τὸ κόρακος ᾠὸν συντεθὲν τῇ μυρσίνῃ
Χρὴ μὲν γε, βασιλεῦ, τὸν δολοῦντα τὴν κόμην,
Μύσαντα τῷ στόματι τὴν συνέχειν πίαρ,
Μὴ καὶ τὸ λευκὸν τῶν ὀδόντων ἀντίκα
Τραπῇ μελανθὲν, τῇ βαφῇ συνηγμένον.
Sed hoc fide dignum, quod ova ejus pilos
Permixta myrto denigrant. At qui suas
Adulterat tali comas medicamine,
Adipem ore contineat oportet, ne simul
Nigrescent album dentium cum crinibus,
Infectione hac contrahens nigredinem.

Sic etiam ad verbum Ælianus, lib. 1. hist. anim. cap. 48. Marcellus Empir. cap 6 pag. 46. Sextus Platon. parte 2, cap 6. de corvo, tit. Theodorus Priscianus, lib. 4. *Sane sub hora infectionis, oleum intra se habendum est, ne dentes nigrentur.*

20. *Et nocte in concubia.*] Vox hæc etiam Tullio nota. Græci dicunt, *νυκτὸς ἀκμαζούσης.*

21. *Caustica vis &c.*] Iisdem fere verbis Dioscor. lib. 2. cap. 69.

vendumque ne exhulcerent alte. Postea ad hulcera ita facta, capita murium, & fel murium, & fimum, cum elleboro & pipere illini jubent.

XXXV. Lendes tolluntur adipe canino, vel anguibus in cibo sumptis anguillarum modo: aut vernatione eorum, quam exuunt, pota. [1] Porrigines felle ovillo cum creta Cimolia, linito capite, donec inarescat.

XXXVI. [1] Capitis doloribus remedio sunt cochlearum, quæ nudæ inveniuntur [a] nondum peractæ, ablata capita, ex his lapidea duritia exempta: est autem calculi latitudine: quæ adalligantur, & minutæ fronti illinuntur tritæ. [2] Item œsypum: [3] ossa e capite vulturis adalligata, [4] aut cerebrum cum oleo & cedria perunctо capite, & intus naribus illitis. [5] Cornicis cerebrum coctum, in cibo sumptum, vel noctuæ, idem præstat: [6] gallinaceusque si inclusus abstineatur die ac nocte, pari inedia ejus qui doleat, evulsis collo plumis circumligatisque, vel cristis: mustelæ cinis illitus: [7] surculus ex nido milvi pulvino subjectus: [8] murina pellis cremata ex aceto illito cinere. [9] Limacis inter duas orbitas inventæ officulum per aurem cum ebore trajectum, vel in pellicula canina adalligatum: quod remedium pluribus semperque prodest. [10] Fracto capiti aranei tela ex oleo & aceto imposita, non nisi vulnere sanato, abscedit. Hæc & vulneribus [11] tonstrinarum sanguinem sistit. A cerebro vero profluentem, anseris sanguis aut anatis infusus: adepsque earumdem alitum cum rosaceo. [12] Cochleæ matutino pascentis arundine caput præcisum, maxime Luna plena, lineo panno adalligant capitis doloribus licio: aut cera alba fronti illinunt, & pilos caninos panno adalligant.

XXXVII. Cerebrum cornicis in cibo sumptum, [b] palpebras gignere dicitur: [1] œsypum cum myrrha calidum specillo illitum. Idem præstare muscarum, [2] fimique murini cinerem æquis portionibus, ut efficiatur dimidium pondus denarii, promittitur, additis duabus sextis denarii e stibi, ut omnia œsypo illinantur: item murini catuli triti in vino vetere [3] ad crassitudinem acopi. [4] Pilos in his incommodos, evulsos renasci non patitur fel herinacei: ovorum stellionis liquor: salamandræ cinis: [5] lacertæ viridis fel in vino albo, Sole coactum ad crassitudinem mellis in æreo vase: [6] hirundinis pullorum cinis cum lacte tithymali, spumaque cochlearum.

XXXVIII. [1] Glaucomata dicunt Magi cerebro catuli septem dierum emendari, specillo demisso in dextram partem, si dexter oculus curetur: in sinistram, si sinister: aut felle recenti asionis. [2] Noctuarum est id genus, quibus pluma aurium modo micat. Suffusionem oculorum canino felle malebat, quam hyænæ curare Apollonius Pitanæus cum melle: item albugines. [3] Murium capitum caudarumque cinere ex melle inunctis, claritatem visus restitui dicunt: [4] multoque magis gliris [5] aut muris silvestris cinere, aut aquilæ cerebro vel felle. Cum Attico melle cinis [6] & adeps soricis combusti tritus, lacrymosis ocu-

INTERPRETATIO.

a *Nondum.*] Nondum plane conformatæ & *sine testa.*

b *Palpebras.*] Pilos palpebris sive genis adhærentes.

NOTÆ.

Sect. XXXV. 1. *Porrigines.*] Vide Notas & Emend. num. XXVI.

Sect. XXXVI. 1. *Capitis doloribus*] Q. Serenus, cap. de capite medendo, pag. 126.

Profuit & cochleis frontem tractare minutis.

2. *Item œsypum.*] Sic totidem plane apicibus syllabisque Reg. 2. codex. Prius legebatur, *Item œsypi ossa e capite, aut vulturis.* At abest ea vocula *aut* a libris omnibus conditivis. Oesypum & in aliis adhuc medicinis sequente sectione adsciscitur.

3. *Ossa e capite.*] Plinius Valer. lib. 1. cujus lemma est, *Capitis ægritudines & medela: ossa de capite vulturis,* inquit, *sub collo alligare prodest.*

4. *Aut cerebrum cum oleo & cedria.*] Sic Reg. 2. & alii: non ut libri editi, *cum oleo cedrino.* Sic etiam Marcellus Empir. cap. 1. pag. 36. ad verbum. Tamen *cum oleo cedrino*, Sextus Platon parte 1. cap. 2. de vulture, tit. 2. *Ad capitis dolorem.* Theodorus Prisc. lib. 4. *De vulturis cerebro, mixto oleo perunctum caput.* hoc tantum.

5. *Cornicis cerebrum &c.*] Totidem verbis Marcellus Empir. loc. cit.

6. *Gallinaceusque &c.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 1. ad verbum: & Marcellus Empir. loc. cit.

7. *Surculus e nido.*] Plinius Valer. & Marcellus, loc. cit.

8. *Murina pellis.*] Vide Notas & Emend. num. XXVII.

9. *Limacis . . . . officulum.*] Calculum vocat Marcellus Empir. cap. 1. pag. 34. *Limaci,* inquit, *calculum quem in capite habet, tolle: quod non facile facies, nisi ei dum in via repit, caput subito absciderit: quem lapidem quamdiu tecum habueris, numquam ullum dolorem capitis senties.*

10. *Fracto capiti.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 1. & Marcellus Empir. cap. 1. pag. 36.

11. *Tonstrinarum.*] Quæ tondendo & radendo fiunt, in tonsorum officinis.

12. *Cochlea matutino*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVIII.

Sect. XXXVII. 1. *Oesypum . . . . specillo illitum.*] Vide Notas & Emend. num. XXIX.

2. *Fimique murini.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 10. *de causis oculorum. Si pruritus major palpebras occupaverit, ut etiam capillos amittant . . . murinum fimus,* &c.

3. *Ad crassitudinem acopi.*] Ad crassitudinem ejus medicamenti, quod confricatis membris itinerum lassitudines & fatigationes levat Ἄκοπον medici nuncupant.

4. *Pilos in his.*] In palpebris, sive genis.

5. *Lacertæ viridis.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXX.

6. *Hirundinis pullorum.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 21.

Sect. XXXVIII. 1. *Glaucomata, &c.*] Totidem syllabis Marcellus Empir. cap. 8. pag. 67. & Sextus Platonic. cap. 9. de cane, tit. 23. *Ad glaucomata oculorum.*

2. *Noctuarum est id genus.*] De eo egimus, lib. 10. sectione 33.

3. *Murium capitum.*] Sextus Platon. cap. 21. de muribus, tit. 1. *Ad oculorum dolorem: Murium capitum cinis in melle mixtus, & illinitus per decem dies, facit oculorum claritatem.*

4. *Multoque magis gliris.*] Sextus Platonicus, cap. 19. de glire, tit. 2. *Ad claritatem oculorum: Glires & forices combusti, & cinis eorum melli admixtus, si inde quotidie mane gustent, sanabuntur.*

5. *Aut muris silvestris.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 61. *Muris agrestis, id est, qui in campis invenitur,* &c.

6. *Et adeps soricis combusti.*] Vide Notas & Emend. num. XXXI.

lis

lis plurimum confert: stibis quid est, [7] dicemus in metallis. Mustelæ cinis in suffusionibus: item lacertæ hirundinisve cerebrum: quæ etiam tritæ coctæve fronti illitæ, epiphoras sedant, sive per se, sive cum polline, sive cum thure. Sic & solatis, [8] id est, Sole correptis prosunt. Vivas quoque cremare, & cinere earum cum melle Cretico inungi caligines, utilissimum est. Jumentorum oculis membrana aspidis, quam exuerit, cum adipe ejusdem, claritatem inunctis facit. [9] Viperam vivam in fictili novo comburere, addito feniculi succo ad cyathum unum, & thuris [a] manna una, atque ita suffusiones oculorum & caligines inungere, utilissimum est. Medicamentum id [10] echion vocatur. [11] Fit & collyrium ex vipera, in olla putrefacta, vermiculisque enatis cum croco tritis. Exuritur in olla cum sale, quem lingendo claritatem oculorum consequuntur, & stomachi totiusque corporis [b] tempestivitates. Hic sal & pecori datur salubritatis causa, & in antidotum contra serpentes additur. Quidam & vipetis utuntur in cibis. Primum omnium occisæ statim salem in os addi jubent, [12] donec liquescat: quatuor digitorum mensura [c] utrimque præcisa, exemptisque interaneis discoquunt in aqua, aut oleo, sale, anetho, & omnibus aut statim vescuntur, [d] aut pane colligunt, ut sæpius utantur. [13] Jus præter supra dicta pediculos e toto corpore expellit, pruritusque etiam summæ cutis. Effectum ostendit [e] & per se capitis viperini cinis. Utilissime oculos inungit. [14] Itemque adeps viperinus. De felle non audacter suaserim quæ præcipiunt, quoniam, ([15] ut suo loco docuimus) non aliud est serpentium venenum. [16] Anguium adeps ærugini mixtus, [17] ruptas oculorum partes sanat: & membrana sive senectus vernatione eorum exuta si adfricetur, claritatêm facit. [18] Boæ quoque fel prædicatur ad albugines, suffusiones, caligines: adeps similiter ad claritatem.

[19] Aquilæ, quam diximus pullos ad contuendum Solem experiri, mixto felle cum melle Attico inunguntur nubeculæ, & caligationes, suffusionesque oculorum. [20] Eadem vis & in vulturino felle est cum porri succo, & melle exiguo. [21] Item in gallinacei felle ad argema, & ad albugines ex aqua diluto: [22] item ad suffusiones oculorum, maxime candidi gallinacei. Fimum quoque gallinaceorum, dumtaxat rubrum, lusciosis illini monstrant. [23] Laudant & gallinæ fel, sed præcipue adipem, [24] contra pusulas in pupillis.

INTEPRETATIO.

a *Manna.*] Mica.
b *Tempestivitates.*] Commodam temperiem.
c *Utrimque.*] Et a capite & a cauda.
d *Aut pane*] Aut pani *e farina miscent*, colligantque *in pastillos.*
e *Et per se.*] Solus, sine alio *medicamento.*

NOTÆ.

7. *Dicemus in metallis.*] Libro 33 sect. 33.

8. *Id est, Sole correptis.*] Hæc verba hactenus in editis libris desiderabantur, quæ ex Regiorum codicum 1. & 2. & ex Colb. 3. penu depromsimus. Festus: *Solatum genus morbi maxime a rusticantibus dicitur.* Hoc tantum. De hoc genere morbi Celsus, lib. 1. cap. 3. *Si quis exustus in Sole est, huic in balneum protinus eundum est*, &c.

9. *Viperam vivam.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag 61. *Vipera viva mittitur in vas novum fictile, & adjicitur ei fœni feniculi cyathus unus, & thuris granum unum. Deinde vas obturatur argilla, & circumlinitur, & in furnum ferventem mittitur, atque illuc excoquitur, donec cinis fiat. Hoc de experimento hypochyses, caliginesque potenter atque mirifice purgat.*

10. *Echion vocatur.*] A viperis, quas ἔχεις Græci vocant.

11. *Fit & collyrium.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag 61.

12. *Donec liquescat.*] Addunt libri hactenus editi, *donec liquescat humor*: quam postremam vocem MSS. exemplarium nullum agnoscit. De viperarum esu ad vitæ longitudinem, vide quæ diximus ad librum VII. sect. 2.

13. *Jus.*] E viperinis carnibus coctis Falso prodi a nonnullis, eju viperarum pediculos procreari, scribit Dioscor. lib. 2. cap. 18.

14. *Itemque adeps.*] Auctor Kiranidum, lib 2. pag. 75. *Adeps echidnaeus visum acuit, & omnem hebetudinem oculorum.* Diosc. item, lib. 2. cap. 94.

15. *Ut suo loco docuimus.*] Libro XI. sect. 62. ubi vide quæ diximus.

16. *Anguium adeps.*] Q. Serenus, cap. 14. de oculorum dolore mitigando, pag. 133.
Anguibus ereptos adipes ærugine misce:
Hi poterunt ruptas oculorum jungere partes.

17. *Ruptas oculorum.*] Ruptas tuniculas vocat ipse, libro 28. sect. 47. λαγόφθαλμον Græci appellant, ut testatur Celsus, lib. 7. cap. 7. cum in aliqua curatione oculorum, imprudenter cutis exscinditur, ut oculus non contegatur. Tunc enim revulsa superiore gena oculo aperto sicut lepores dormiunt. Oculorum cicatrices sanari ærugine scribit etiam Diosc. lib. 5. cap. 92.

18. *Boæ quoque fel.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXII. *Boa* serpens est aquatilis, inquit Festus, quem Græci ὕδρον vocant, a quo icti obturgescunt.

19. *Aquilæ, quam diximus*] Libro 10. sect. 3. De ea refert plane similia Ælianus, lib. 2. hist. anim. cap. 42. Item Sextus Platon. parte 2. cap. 1. de aquila, tit 2. *Ad suffusionem oculorum: Aquilæ felle mixto cum melle Attico inunges.* Plinius Valerian lib 1. cap 15 Marcellus Empir. cap 8. pag. 60. & Diosc. lib. 2. cap. 96.

20. *Eadem vis.*] Approbant hoc medicamentum e vulture, Q. Serenus, Sextus Platon. Galenus, lib. 4. κατὰ τόπους, cap. 8. pag. 456. Plinius Valer lib 1. cap 18. aliique. Sed pro porri succo marrubii succum adsciscunt: hoc est, pro πρασίου πράσου. At nihil interest: nam ut alibi ex Celso diximus, congeneres habent ea facultates: ut succedanea videri medicamenta possint. Et vero Plinius ipse Valer. lib. 1. cap. 20 porri succo per se muncto, leucomata & caligines oculorum tolli prodidit.

21 *Item in gallinacei.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag 68. & auctor Kiranidum, pag. 116.

22. *Item ad suffusiones.*] Q. Serenus, cap. 14. de oculorum dolore mitigando, pag 133
Fel quoque de gallo mollitum simplice lympha,
Exacuet plures dempta caligine visus.
Expressius multo Marcellus Empir. cap 8. pag. 68. quem consule. At non felli modo, sed & sanguini hæc vis inest, atque adeo major, si fides vetustæ inscriptioni apud Gruterum, pag 71. ΟΥΑΛΕΡΙΩ ΑΠΡΩ ϹΤΡΑΤΙΩΤΗ ΤΥΦΛΩ ΕΧΡΗϹΜΑΤΙϹΕΝ Ο ΘΕΟϹ ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΛΑΒΕΙΝ ΑΙΜΑ ΕΞ ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΟϹ ΛΕΥΚΟΥ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟϹ ΚΑΙ ΚΟΛΛΥΡΙΟΝ ϹΥΝΤΡΙΨΑΙ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΡΕΙϹ ΗΜΕΡΑϹ ΕΠΙΧΡΕΙϹΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥϹ ΟΦΘΑΛΜΟΥϹ ΚΑΙ ΑΝΕΒΛΕΨΕΝ ΚΑΙ ΕΛΗΛΥΘΕΝ ΚΑΙ ΗΥΧΑΡΙϹΤΗϹΕΝ ΔΗΜΟϹΙΑ ΤΩ ΘΕΩ. *Valerio Apro militi cæco oraculum Deus reddidit: veniret, & acciperet sanguinem ex gallinaceo candido, admixtoque melle collyrium faceret, quo per triduum oculos liniret. Et vidit, & venit, & publice Deo gratias egit.* Addit marmorea tabula id Antonino Pio Principe contigisse.

23. *Laudant & gallinæ.*] Habdarrahmanus, cap. 40. pag. 128. *Gallinarum fel oculis indituum, eorum removebit lacrymationem, & curabit illos* Gallinæ candidæ fel ad oculorum vitia emendanda laudat Diosc. lib 2. cap 96.

24 *Contra pusulas.*] Φλυκτίδας & φλυκταίνας medici pu-

[25] Has scilicet ejus rei gratia saginant. Adjuvat mirifice & ruptas oculorum tunicùlas ; admixtis schisto & hæmatite lapidibus. [26] Fimum quoque earum dumtaxat candidum, in oleo vetere corneisque pyxidibus asservant, ad pupillarum albugines. Qua in mentione significandum est, pavones fimum suum resorbere tradi, [27] invidentes hominum utilitatibus. [28] Accipiter decoctus in rosaceo efficacissimus ad inunctiones [29] omnium vitiorum putatur: item fimi ejus cinis cum Attico melle. Laudatur & milvi jecur. [30] Fimum quoque columbarum ex aceto ad ægilopas. Similiter ad albugines & cicatrices. Fel anserinum, sanguis anatum, contusis oculis, [31] ita ut postea œsypo & melle inungantur. [32] Fel perdicum cum mellis æquo pondere: [33] per se vero, ad claritatem. Hippocratis putant auctoritate adjici, quod in argentea pyxide id servari jubent. Ova perdicum in vase æreo decocta cum melle, hulceribus oculorum & glaucomatis medentur. [34] Columbarum, turturum, palumbium, perdicum sanguis, oculis cruore suffusis eximie prodest. In columbis masculæ efficaciorem putant. [35] Vena autem sub ala ad hunc usum inciditur, quoniam suo calore utilior est. [36] Superponi oportet splenium e melle decoctum, lanamque succidam ex oleo ac vino. Earumdem avium sanguis nyctalopas sanat: & jecur ovium: atque [37] (ut in capris diximus) efficacius fulvæ. Decocto quoque ejus oculos abluere suadent: & medulla dolores tumoresque illinere. Bubonis oculorum cinis collyrio mixtus claritatem oculis facere promittitur. [38] Turturis fimum albugines extenuat: item cochlearum cinis: fimum cenchridis: [39] accipitrum generis hanc Græci faciunt. Argema ex melle omnibus, quæ supra scripta sunt, sanatur. [40] Mel utilissimum oculis, in quo sunt apes immortuæ. [41] Ciconiæ pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus: item qui draconis caput habeat. Hujus adipe & melle cum oleo vetere, incipientes caligines discuti tradunt. [42] Hirundinum pullos plena Luna excœcant, restitutaque eorum acie capita comburuntur: hoc cinere cum melle utuntur ad claritatem, & dolores, ac lippitudines, & ictus.

[43] Lacertas quoque pluribus modis ad oculorum remedia assumunt. Alii viridem includunt novo fictili: ac lapillôs [44] qui vocantur cinædia, quæ & inguinum tumoribus adalligari solent, novem signis signantes, [45] & singulos detrahunt per dies. Nono emittunt lacertam: lapillos servant ad oculorum dolores. [46] Alii terram substernunt lacertæ viridi [47] excœcatæ, & una in vitreo vase anulos includunt e ferro solido vel auro: cum

Notæ.

sulas vocant, quæ fiunt, quoties facta exhulceratione, aut sine ea, in summa cornea tunicula, tenuissima membrana sublimis, & in altum surgens, medium humorem conceperit ac servarit. Marcellus in Diosc. lib. 1. cap. 130. De hoc morbi genere multa Aetius, lib. 7. cap. 29. pag. 260.

25. *Has scilicet ejus rei gratia.*] Ut adipem colligant.

26 *Fimum quoque.*] Marcellus Empiricus, cap. 8 pag. 68.

27. *Invidentes*] Ad pupillarum albugines fimum eum prodesse significat Quin etiam si Sexto Platonico credimus, parte 2. cap. 7. *Pavonis fimus potatus, caducos mirabiliter sanat.* Ad epilepsiam linguæ pavonum ac luscinarum a Lampridio in Elagabalo commendantur.

28. *Accipiter . . . . in rosaceo.*] In unguento susino Marcellus Empir. cap 8. pag. 59. & Sextus Platon parte 2. cap. 3. de accipitre, tit. *Ad suffusionem & caliginem oculorum*

29. *Omnium vitiorum.*] Quæ scilicet oculum male afficiunt

30 *Fimum quoque.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXXIII.

31. *Ita ut postea œsypo*] Non, *hyssopo*, ut prius legebatur. Sic ipse initio hujus sectionis, *ut omnia œsypo illinantur.*

32. *Fel perdicum*] Q. Serenus, cap. 14 pag. 133 Sextus Platon. parte 2. cap. 5. de perdice, tit 2 Auctor Kiranidum, pag. 131. Marcellus Empir. cap 8. pag. 60. *Perdicis fel mixtum melli Attico, caliginem tollit, si oculis assidue infundatur, sed cum modo & æquali mensura.* Adde & Dioscor. lib 2. cap. 96.

33. *Per se vero.*] Vide Notas & Emend. num XXXIV.

34. *Columbarum, &c.*] Dioscor. lib. 2. cap. 97. Celsus, lib. 6. cap. 6. sub finem: Plinius Valer. lib. 1. cap. 15.

35. *Vena autem sub ala*] Galenus, lib. 10. de fac. simp. medic cap. 2. pag. 277. Sextus Platon. parte 2. cap. 10. de columba, tit 2. *Ad sanguinem in oculis ex ictu. Columbæ sanguis recens, deinde infusus, optime facit. Debebit autem vena aperiri quæ in ascella ejus est: imponitur & sanguis in lanula, & melle decocta mixta supra oculos, optime facit.* Marcellus Empir. cap. 8. pag. 67. *Sanguis columbarum de loco pennarum, eo momento quo penna avellitur, oculis, dum adhuc tepet, debet infundi, qui ictu aliquo vulnerati, aut sanguine suffusi fuerint. Album quoque ovi incocti, cum croco trito, oculis superpositum, & lana alba succida involutum medetur.* Eadem ferme repetit idem, pag. 69. Vide quæ diximus lib. x1. sect. 89. Ex hoc porro loco ambigi non immerito potest, num Habdarrahmanum scriptorem Arabem interpres Ecchellensis satis intellexerit, qui sic Latine reddidit, cap. 36. pag. 121. *Sanguis radicum plumarum pullorum columbarum, qui adhuc ad volatum se non elevarunt, instillatus in oculos, quibus accidit rubedo, aut percussio, proderit illis, & curabit* Cum pro *radice plumarum*, alas dixisse auctor jure videri possit. Simili fere verborum ambage, Theod Priscianus, lib. 1. cap. 10. *de oculorum causis Si casu*, inquit, oculi, *aut percussi, maculam sanguineam cum dolore procuraverint, iis columbi matre subducti repentinum sanguis infusus prodest quam maxime, si de pennis mollioribus exprimatur: ubi liquor tenuis tepidus infundendus est: item si in eadem hora ovium lana infusa superponatur.*

36. *Superponi . . . . splenium.*] Panniculus, seu fascia, qua frons oculive unguento illita, obtenduntur, splenium vocatur. Item emplastrum ipsum, seu linteum, lanave qua excipi solent illinive medicamenta, quæ fronti vel oculis superponantur. Martialis, lib 2. Epigr. 29.

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem:
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

37. *Ut in capris diximus.*] Libro 28. sect. 47. *Id quoque referre arbitrantur, ut rutili coloris fuerit.* Albam tamen ovem Marcellus Empir. anteponit, cap. 8. pag 71. *Jecur ovillum*, inquit, *id est, ovis candidæ discoctum, cum aqua madefactum, contritumque, & oculis superpositum, nyctalopas purgat.*

38. *Turturis fimum.*] Marcellus Empir. cap 8. pag 68

39. *Accipitrum generis.*] Tinnunculum diximus appellari, lib. 10. sect. 52.

40. *Mel utilissimum*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 57.

41. *Ciconiæ*] Marcellus Empir loc. cit.

42. *Hirundinum pullos.*] Sextus Platon. parte 2. cap 11. de hirundine, tit. 4. Auctor Kiranidum, pag 135. Marcellus Empir. totidem verbis, loco cit & Plinius Valer. lib. 1. cap. 18. E Græcis Galenus, lib. x1. de fac. simpl. med. pag 311.

43. *Lacertas.*] Σαῦραι, des Lézards.

44. *Qui vocantur cinædia.*] In Reg. 1. *Zemdia.* Reg. 2. & Chiffl. *Zamchia.* Male. Meminit horum lapillorum auctor Kiranidum, elem. 10 pag. 36. *Kinædius piscis marinus . . . . Habet lapides duos in capite. Habet autem & alios duos in tertio spondylo vel nodo dorsi versus caudam, qui est potentissimus.* De his lapidibus ipse Plinius rursum inferius, lib 37. sect. 56.

45. *Et singulos detrahunt.*] Extrahunt e fictili, & recondunt ad usum.

46. *Alii terram, &c.*] Ad verbum hæc quoque Marcellus Empir, cap. 8 pag. 57.

47. *Excœcatæ.*] Non oculis erutis, sed punctura acus, seu scalpelli sectione humoribus evocatis: quot deinde per se

recepisse visum lacertam apparuit per vitrum, emissa ea, anulis contra lippitudinem utuntur. Alii capitis cinere pro stibi [48] ad scabritias. Quidam viridem longo collo in sabulosis nascentem comburunt, & incipientem epiphoram tinguntur: item glaucomata. [49] Mustelæ etiam oculis punctu erutis, aïunt visum reverti, eademque quæ in lacertis & anulis faciunt. Serpentis oculum dextrum adalligatum contra epiphoras prodesse, si serpens 5 viva dimittatur. [50] Lacrymantibus sine fine oculis, cinis stellionis capitis cum stibi extmie medetur. [51] Aranei muscarii tela, & præcipue spelunca ipsa imposita per frontem ad duo tempora, [52] in splenio aliquo, ita ut a puero impube & capiatur & imponatur, nec is triduo ei ostendat ei cui medeatur, neve alteruter nudis pedibus terram attingat his diebus, mirabiliter epiphoris mederi dicuntur. [53] Albugines quoque dicitur tollere 10 inunctione araneus candidus, longissimis ac tenuissimis pedibus, contritus in oleo vetere. Sed is etiam, cujus crassissimum textum est, in contignationibus fere, adalligatus panno epiphoras sanare traditur. [54] Scarabæi viridis natura contuentium visum exacuit. Itaque gemmarum sculptores [55] contuitu eorum acquiescunt.

XXXIX. [1] Aures purgat fel pecudis cum melle: [2] canini lactis instillatio sedat dolo- 15 rem. [3] Gravitatem adeps cum absinthio & oleo vetere: [4] item adeps anserinus. Quidam adjiciunt succum cæpæ [5] & allii, pari modo. [6] Utuntur & per se ovis formicarum. Namque & huic animali est medicina: [7] constatque ursos ægros hoc cibo sanari. Anserum, omniumque avium adeps præparatur, exemptisque venis omnibus patina novo fictili operta in Sole, subdita aqua ferventi liquatur: saccatusque lineis saccis, & in fictili novo re- 20 positus loco frigido: minus putrescit addito melle. [8] Murium cinis cum melle instillatus, aut cum rosaceo decoctus, aurium dolores sedat. [9] Si aliquod animal intraverit, præcipuum remedium est murium fel aceto dilutum. [10] Si aqua intraverit, adeps anserinus cum cæpæ succo. [11] Gliris detracta pelle, intestinisque exemptis, discoquitur melle in vase novo. Medici malunt e nardo decoqui usque ad tertias, atque ita asservari: deinde cum opus sit, [12] stri- 25 gili repefacta infundere: Constat deplorata aurium vitia eo remedio sanari. [13] Aut si terreni vermes cum adipe anseris decocti infundantur. [14] Item ex arboribus rubri oleo triti ex-

Notæ.

nullo remedio adhibito, natura repararit, visumque reddiderit. Vide tom. 5. Ephemerid. German. sive Miscellan. Curios. Observ. 126. pag. 163.

48. *Ad scabritias.*] Sive ad scabiem oculorum. *Scabiem adesse dicimus*, inquit Aetius, lib. 7. cap. 75. pag. 279. *quando oculi hulcerosi, rubei, & valde prurientes fiunt, genæque rubescunt, lacrymaque salsa & nitrosa distillat.* Celsus, lib. 6. cap. 6. tit. *Ad oculos scabros. Si vero scabri oculi sunt, quod maxime in angulis esse consuevit*, &c.

49. *Mustelæ . . . , oculis punctu erutis.*] Hoc est, punctu excæcatis. Cave enim orbes oculorum totos erutos putes.

50. *Lacrymantibus.*] Marcellus Empiric. cap. 8. pag. 67. *Caput stellionis combustum, & tritum, & melli Attico admixtum, oculos lacrymosos inunctione assidua siccat, & sanat.*

51. *Aranei muscarii.*] Qui telas muscis in parietibus tendit.

52. *In splenio aliquo.*] Hæc tria verba adjecimus ex omnium MSS. fide, Reg. 1. 2. aliisque.

53. *Albugines quoque.*] Iisdem verbis Marcellus Empiricus, cap. 8. pag. 68.

54. *Scarabæi viridis.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 61. *Scarabæus coloris smaragdini, tantum beneficii oculis præstare dicitur, ut visionem et acutissimam reddat, qui eum contemplatus fuerit assidue.*

55. *Contuitu eorum.*] Sic MSS. omnes. A singulari numero transit ad numerum multitudinis. Ut supra, hac sect. *Laudant & gallinæ fel, sed præcipue adipem . . . . . Has scilicet ejus rei gratia saginant.*

Sect. XXXIX. 1. *Aures purgat.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. & Marcellus Empir. cap. 9. pag. 75.

2. *Canini lactis.*] Auctores proxime laudati, totidem syllabis: *instillatio*, &c.

3. *Gravitatem*] Plinius Valer. loco cit. Marcellus Empir. cap. 9. pag. 76. & Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 7. *Ad eos qui minus audiunt.*

4. *Item adeps.*] Sextus Platon. parte 2. cap. 11. de ansere, tit. 2. Marcellus Empiricus, loc. cit. Q. Serenus, cap. 13. pag. 132.

5. *Et allii.*] Diaimus, lib. 20. sect. 23.

6. *Utuntur & per se.*] Hoc est, sine alio medicamento, nulla re iis admixta, sed solis adhibitis. Marcellus Empir. cap. 9. pag. 82. *Ova formicarum contrita, & auribus instillata, quamvis obtunsos auditus adaperire creduntur.* Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 12. *Ad surdos, & qui graviter audiunt: Ova formicarum contrita, surditatem aurium quam vetustissimam sanabunt.*

7. *Constatque ursos.*] Libro 8. sect. 41. *Ursi cum mandragoræ mala gustavere, formicas lambunt.* Vide Sextum Empiric. lib. 1. Pyrrh. hypot. cap. 14. pag. 12.

8. *Murium cinis.*] Auctor Kiranidum, pag. 86. & Plinius Valer. ad verbum, lib. 1. cap. 9.

9. *Si aliquod animal.*] Q. Serenus, cap. 13. pag. 132.

Si vero incautas animal penetraverit aures,
Proderit admixto pavidi fel muris aceto.
At si lympha nocens pervaserit, anseris aptus
Immittetur adeps, cæparum non sine succo,
Qui gravis est oculis, sensum tamen auribus auget.

Sic etiam Plinius Valer. ad verbum, loc. cit.

10. *Si aqua.*] Sextus Platon. loc. cit. Plinius Valer. & Q. Serenus, locis citatis. E Græcis Galenus, lib. 3. κατὰ τόπους, cap. 1. pag. 391.

11. *Gliris detracta.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 83. Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. *Gliri detrahitur pellis, & intestina ejusdem decoquuntur in vase novo cum mellis heminis tribus, usque ad tertias, atque ita servatur: cum opus est, strigili medicamentum tepefactum infunditur.* Sic etiam Scribonius Largus, Compos. med. cap. 5. ad aurium dolorem, num. 39.

12. *Strigili.*] Scribonius Largus, loc. cit. *Succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus.* Hieronym. Mercur. Practicæ libro 2. cap. 40. *Strigil est instrumentum una parte conchatum, qua humor in aurem immittitur.* Depictam strigilem vide apud Laur. Pignorium, lib. de servis, pag. 46. descriptam apud Apuleium in Floridis: *Honestum strigileculam appellat, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Nempe in balneis strigili ferrea corporis sordes sudoremque detergebant. Per tubulationem quippe ligulæ dilabebatur sudor. Ligulam autem vocat partem superiorem incurvam, quod sit non absimilis ligulæ, oblonga, fornicata. Et hac strigilis parte medici utebantur. Scribonius Largus, Compos. 39. *Ad auriculæ tumorem . . . . prodest herbæ urceolaris succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus.* Plinius, lib. 25. sect. 103. *Omnis autem succus strigili tepefactus infunditur.*

13. *Aut si terreni.*] Diosc. lib. 2. cap. 72. Γῆς ἔντερα . . . ἑψηθέντα σὺν χηνείῳ στέατι, ἐγχεόμενα ὠσὶν ἰσχυρῶς ὠφελεῖ. *Vermes terreni decocti cum anserino adipe, & instillati, affectis auribus medentur.* Q. Serenus, cap. 13. pag. 132. de aurium vitiis.

Si vero obtusa sensus remoretur in aure,
Lumbricos terræ, sevumque ex ansere rauco
Excoque: sic veterem poteris depellere morbum.

Marcellus Empir. cap. 9. pag. 75. *Terreni vermes cum anseris adipe, vel cum oleo decocti, sine dubio medentur auribus purulentis.* Et pag. 79. *Terrenos vermes cum adipe anseris decocti infunduntur auribus ad jam deplorata vitia.* Sic etiam Plinius Valer. lib. 1. cap. 9.

14. *Item ex arboribus.*] Q. Serenus, loco cit.

hulceratis, & ruptis auribus præclare medentur. Lacerti inveterati in os pendentium addito sale, [15] contusas & ab ictu læsas aures sanant: efficacissime autem ferrugineas maculas habentes, lineis etiam per caudam distincti. Millepeda, ab aliis centipeda, aut multipeda dicta, animal est e vermibus terræ, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se: [a] [16] oniscon Græci vocant, alii tylon: [17] efficacem narrant ad aurium dolores, in cortice Punici mali decoctum, & porri succo. Addunt & rosaceum, & in alteram aurem infundunt. Illam autem [b] quæ non arcuatur, [18] sepa Græci vocant, alii scolopendram, minorem, perniciosamque. [19] Cochleæ, quæ sunt in usu cibi, cum myrrha, aut thuris polline appositæ: [20] item minutæ, & latæ, fracturis aurium illinuntur cum melle. [21] Senectus serpentium fervente testa usta, instillatur rosaceo admixto, contra omnia quidem vitia efficax, sed contra graveolentiam præcipue: aut si purulentæ sunt, ex aceto: melius cum felle caprino vel bubulo, aut testudinis marinæ. [22] Vetustior anno eadem membrana non prodest, nec imbre perfusa, ut aliqui putant. [23] Item aranei sanies cum rosaceo, aut per se in lana, vel cum croco, auribus prodest: [24] gryllus cum sua terra effossus & illitus. Magnam auctoritatem huic animali perhibet Nigidius, majorem Magi, quoniam retro ambulet, terramque terebret, stridat noctibus. Venantur eum formica circumligata capillo, in cavernam ejus conjecta, efflato prius pulvere, ne sese condat: ita formicæ complexu extrahitur. [25] Ventris gallinaceorum membrana quæ abjici solet, inveterata & in vino trita, auribus purulentis calida infunditur, gallinarum quoque adeps. [26] Est & quædam pinguitudo blattæ, si caput avellatur: hanc tritam una cum rosaceo auribus mire prodesse dicunt; sed lanam, qua incluserint, post paulum extrahendam. Celerrime enim id pingue transire in animal, fierique vermiculum. [27] Alii binas ternasve in oleo decoctas efficacissime auribus mederi scribunt, & tritas in linteolo imponi contusis. Hoc quoque animal inter pudenda est: sed propter admirationem Naturæ, priscorumque curæ, totum in hoc loco explicandum. Plura earum genera fecerunt. Molles, quas in oleo decoctas, verrucis efficaciter illini experti sunt. [28] Alterum genus mylœcon appellavere, circa molas fere nascens. Has capite detracto attritas, lepras sanasse, [29] Musa & Picton in exemplis reliquerunt. [30] Tertium genus & odoris tædio invisum, exacuta clune, cum pissellæo sanare hulcera alias insanabilia: strumas,

Interpretatio.

a *Oniscon.*] *His etiam nominibus* oniscon Græci vocant, *quanquam diversi sit generis.*

b *Quæ non.*] Quæ sine flexu tractuque decurrit.

Notæ.

Annosa rubros si legeris arbore vermes,
Ex oleo tere: sic tepidos infunde dolenti.

Marcellus Empir. cap. 9. pag. 80. *Vermes ex qualibet arbore, rubri coloris, contriti cum oleo, & infusi, dolores aurium sedant.*

15. *Contusas.*] Sic Reg. 2. non, ut editi, *contusi.* Mox vero in Reg. 1. & Chiffl *ab ictu miseras aures.*

16. *Oniscon Græci*] Oniscon etiam, inquit, sic Græci vocant, πολύποδα scilicet, sive multipedam. Differunt tamen: Aliud enim millepeda pilosa est, quæ sinuatim repit: aliud oniscos, sive tylos, quem Cælius Aurel. libro 1. cap. 4. porcellionem vocat, multipedam, alii & cutionem. Illa eruca est hirsuta, quæ olera vitesque rodit, *une chenille.* Iste, qui & τύλος & cutio a callosa & compactili cute appellatur, *une cloporte*, in locis fere humidis, uliginosisque, & sub vasis aquariis repertus. Ob gentilitatem, ut Plinii verbis utar, affinitatemque nominum, utriusque simul natura tractatur: quod ipsi familiare esse jam sæpius observavimus, ac sibi solemne esse præ se ipse fert. Quod vero in ea Indicis parte, quam referemus inferius in Notis & Emend. num. XXXII. ex utroque genere conflari unum videtur, vel eo mihi nomine suppositititum sapere, non genuinum Plinii fetum ea videtur.

17. *Efficacem narrant.*] De onisco seu porcellione affirmare id vere licet. Marcellus Empir cap. 9. pag. 75. *Bestiolæ multipedes, quæ contractæ in globulos complicantur, in oleo excoctæ, infusæque auribus statim prosunt.* Et pag. 76. *Cutiones bestiolæ sunt multipedes, cute dura & solida, quæ tactæ complicant se in orbem pilulæ rotundissimæ: Polypodas Græci appellant: Hæ complures coctæ cum oleo molli in vase ferreo, remedio sunt auribus laborantibus, si inde curentur.* Scribonius Largus, cap. 5. *Ad aurium dolorem,* Compos. 36. *Item bestiolæ multorum pedum, quæ tactæ conduplicant se in orbem pilulæ rotundissimæ similem (ἀστοιαδίους ὄνους, aut πολύποδας Græci hoc genus animalium vocant) oleo domestico complures infervefacta vase ferreo, bene faciunt.* E Græcis vero Dioscor. lib 2. cap. 37 Καὶ αὐτὲς ἀπαλὸν ᾗ λίοι σὺν ῥοδίνῳ θερμανθέντες ἐν λελόφῳ ῥόας, ἢ συνεψηθέντες ἁρμόζουσι. *Trita & in cortice mali Punici addito rosaceo calfacta ad aurium dolores efficaciter instillantur.*

18. *Sepa Græci.*] Σήψ nomen est vagum, venenatis plurimis attributum, quorum vis est σηπτική. Hæc scolopendra tertia est, quam fuse describit, visam a se & observatam, Constantinus in Lexico, verbo Σκολοπένδρα.

19. *Cochleæ*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 9 Cochleas Africanas ad dolores aurium ex plaga, cum mica thuris seu polline, commendat etiam Archigenes, apud Galenum, lib. 3. κατὰ τόπους, cap. 1. pag. 398.

20. *Item . . . fracturis aurium.*] Galenus, lib. XI. de facult. simpl. med. cap. 1 pag. 310 Plinius Valer. ad verbum, lib. 1. cap. 9.

21. *Senectus serpentium.*] Totidem verbis ac syllabis, Plinius Valer. lib 1. cap. 9.

22. *Vetustior.*] Plinius Valer. loc. cit.

23. *Item aranei.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 80. *Aranei tritis humor expressus, & rosa liquida, quantum videbitur, immixtus, lanaque mollis madefacta, auricula insertus, continuo dolorem relevat.*

24. *Gryllus.*] Et γρύλλος Græce: nostris, *un grillon.*

25. *Ventris gallinaceorum.*] Plinius Valer. iisdem verbis, lib. 1. cap. 9. & Marcellus Empir cap 9 pag. 81.

26. *Est & . . . . blattæ.*] Plinius Valer. loc. cit. *Blattæ rizinæ sine capite & pedibus & alis tritæ & illitæ linteolo, contusis auribus imponuntur.* Blattarum hoc genus, fœdum est nauseosumque animal, noctu magis quam interdiu in cellis vinariis apparens circa latrinarum ora, in balneis, uliginosisque ædium partibus, gryllos referens, qui noctibus æstate strident. Vide Matthiolum, in lib. 2. Dioscor. cap. 35. pag. 340. Lux istis adversissima, ita ut si noctu lumen inferatur repente, celerrimo cursu refugiant. *Lucifuga blatta* Virgilio. Est & blatta alioqui, teste Paulo Diac. in Glossis, vermis purpureum genus, ipsaque adeo purpura: qua de acceptione vocis, Gothofredum vide, in Cod. Theod. lib. 10. tit. 20. pag. 513. & 514.

27. *Alii binas,* &c.] Plinius Valer. loc. cit. & Dioscor. lib. 2. cap. 38.

28. *Alterum . . . . mylœcon.*] Μυλοικοὶ, sive μύλακοι, quod in pistrinis gignuntur.

29. *Musa.*] De Antonio Musa diximus lib. 29. sect. 38. Vide Notas & Emend. num. XXXV.

30. *Tertium genus.*] Descriptum a nobis priore loco, ex Matthiolo.

panos, diebus viginti uno impositas, percussa, contusa, cacoëthe, scabiem, furunculosque, detractis pedibus & pennis. Nos hæc etiam audita fastidimus. At hercule [31] Diodorus & in morbo regio, & orthopnoïcis se id dedisse tradit cum resina & melle. Tantum potestatis habet ea ars pro medicamento dandi quidquid velit. Humanissimi eorum cinerem crematarum servandum ad hos usus in cornea pyxide censuere, aut tritas clysteribus 5 infundendas orthopnoïcis, aut rheumaticis. [32] Infixa utique corpori illitas extrahere constat. [33] Mel utilissimum auribus quoque est, in quo apes emortuæ sunt. [34] Parotidas comprimit columbinum stercus vel per se, vel cum farina hordeacea aut avenacea. [35] Noctuæque cerebrum vel jecur cum oleo infusum auriculæ, aut parotidi: [36] multipeda cum resinæ tertia parte illita: grylli sive illiti, sive adalligati. At reliqua morborum genera me- 10 dicinasque ex iisdem animalibus, aut ejusdem generis, sequenti dicemus volumine.

NOTÆ.

31. *Diodorus.*] Ita libri omnes. Forte rectius, *Diodotus.*

32. *Infixa utique.*] Marcellus Empir. cap. 34 pag. 233. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 49

33. *Mel . . . . auribus quoque.*] Ut oculis dictum est prodesse, sup. sect. *Mel utilissimum oculis, in quo sunt apes immortuæ.*

34. *Parotidas.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 13 & Marcellus Empir. cap. 15 pag. 107. & 110.

35. *Noctuaque.*] Iidem auctores proxime appellati. Et Scribonius Largus, Compos. Medic. cap. 6 ad parotidas, num. 43 *Ad parotidas convenit noctuæ cerebellum butyro mixtum*, &c.

36. *Multipeda.*] Plinius Valer. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 15. pag 109. *Multipedes cutiones, qui in stercore nascuntur, quique contacti in globulos complicantur, adjecta tertia parte resinæ, validissime triti, & malagmatis vice impositi, incipientes parotidas aperiunt, & expurgant: maturatas vero persanant.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXIX. NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. TAM *sterilis gratiæ, tantaque difficultatis in promendo.* Hæc quæ sunt planissima, quæque totidem omnino syllabis apicibusque repræsentant vetusta exemplaria omnia, Reg. 1. 2. Chiffl. aliaque, minor neglecta ab editoribus Plinianis, ut tenebras nobis hoc loco meras offunderent, his verborum ambagibus: *quam sterilis gratiæ, difficultates in promendo.*

Ibid. I. *Quoniam Tyndareum revocavisset ad vitam.*] Ita restituimus id nomen ope codicis Regii 1. cui suffragatur & is quem Pintianus vidit: in utroque enim *Tyndareum*, non *Tyndaridem*, ut in editis, legitur. De hoc Tyndareo, præter Hyginum, ut diximus in Notis prioribus, meminere Tzetzes, Chiliad. 10. hist. 349. vers. 720. de Æsculapio:

Νεκροὺς ἐπλάσαντο τινὰς αὐτὸν ἀναζωοῦν,
Τυνδάρεων, Ἱππόλυτον. σὺν τούτοις ὀλίγοις ἄλλους.

Mortuos finxerunt quosdam ab eo excitatos, Tyndareum, Hippolytum, aliosque non paucos. Zenobius in Parœmiis, Cent. 1. num. 47. ubi de Æsopo: Οὕτω γὰρ θεοφιλὴς γεγόνει ὁ Αἴσωπος, ὡς μυθεύεται καὶ τοῦτον ἀναβιῶναι, ὡς Τυνδάρεων, καὶ Ἡρακλῆς, καὶ Γλαῦκον. *Hic adeo carus Diis exstitit, ut revocatum in vitam hunc fabulentur, veluti Tyndareum, Herculem, Glaucum.* Apollodorus, lib. de Diis, ex diversis auctoribus eorum nomina collegit, qui revocati ad vitam ab Æsculapio ferebantur. Capaneum ac Lycurgum Stesichorus proferebat; Eriphilen & Hippolytum, is qui Naupactica conscripsit: Tyndareum, Panyasis: qui Orpheum sunt secuti, Hymenæum: Mnesagoras denique, Glaucum Minois filium.

Sect. 2. III. *Prodicus, Selymbriæ natus, e discipulis ejus.*] Nempe Hippocratis. Ita libri omnes, etiam MSS. Dalecampius tamen, *Herodicus* emendabat, ex nescio quo Plutarchi loco, quem, si vidit, præpostere haud dubie intellexit. Herodicum enim Hippocrates habuit, non discipulum, sed artis magistrum. Testis Joan. Tzetzes, Chiliad. 7. histor. 155. vers. 959.

Ὁ μέγας, ὁ καὶ δεύτερος, γέγονεν Ἱπποκράτης·
Οὗ ὁ πατὴρ Ἡρακλείδης καὶ ἰατρὸς διδάσκαλος
Ὁ ἐκ τῆς Σηλυβρίας τε Ἡρόδικος σὺν τούτῳ.

Scripsisse hunc Herodicum de diæta, περὶ διαίτης, auctor est Eustathius, in Iliad. λ', pag. 763.

Sect. 5. IV. *Qui quæ inter initia scripsit, illo mox recedente a vita, ad sua placita mutavit.*] Hermolai hæc manu refecta: In Parm. *Seque inter initia scripsit. Illo*, &c. In Reg. 2. Pintiani codice, *seque inter initia adscripsit illi: mox procedente vitia sua & placita mutavit.* Conjectura Pintiani: *mox procedente avaritia.* Nostra: *Seque inter initia adscripsit illi: mox recedentis a vita, sua ad placita mutavit.* Primum sese Asclepiadeum professus est: illius deinde mortui placita mutavit ad sua. Sensimus nos postea id jam occupasse Gronovium.

Ibid. V. *Animæ statum nostra negotiari.*] Sic MSS 1. 2. aliique, non, ut editi, *animas statum nostras*: neque ut Gronovius conjiciebat, *animæ statum vel fatum nostra negotiari.* Sic *alio mercaturæ genere negotiari* dixit Columella, lib. 12. in præfat.

Sect. 6. VI. *L. Æmilio L. M. Iulio Coss.*] Veterem scripturam Regii codicis 8686. & Chiffletiani, quæ est optima, quamvis abbreviata, fide integra repræsentamus. Libri editi habent, *L. Æmilio, M. Livio Coss.* Atque ita etiam Cassiodorus & Zonaras. Prave: nam plebeia fuit gens Livia, nec Consulatui gerendo habilis. Apud Livium historicum, lib. xxii. cum L. Emilio Paullo, M. Lælius Consul legitur: pari errore. Nos veteris scripturæ optimæ secuti vestigia, ita legendum esse conjicimus: *L. Æmilio, Luc. Iulio Coss.* quoniam Iuliæ gentis prænomina nummi veteres tantum tria exhibent: Caii, Lucii, & Sexti.

Sect. 8. VII. *Inquisitio per parietes agitur.*] Formulam hic aliquam juris latere Jureconsulti alias eruditi, virique critici, falso arbitrati sunt. Quare librorum omnium, etiam conditivorum, ut Reg. 1. 2. Colb. Chiffl. &c. constantissima lectione neglecta, alii *per parentes*, ut Dalecampius; alii *per partes*, ut Pithœus, lib. 2. Adversf. cap. 19. pag. 444 & seq. Gronovius, *per patrias*: alii aliter censuerunt: nemo ex iis probabili sententia, quam nos omnino perspicue, ut quidem remur, ex simplici, nec petita longius Plinianæ orationis interpretatione eruimus. Inquisitores ejusmodi, qui per parietes captabant candidatorum sermones, ὠτακουστὰς Græci vocabant, quibus Cyrus primum usus dicitur a Xenophonte, lib. 8. Inst. De his etiam Plutarchus, περὶ πολυπραγμ. Iidem Græcis deinde κουριῶσοι, Curiosi a Latinis sequiore ævo nuncupati: de quibus multa Gothofredus in Cod. Theod. lib. 6. tit. 29. *de curiosis.* pag. 193 & 194. Item *Auriculares*, in Chronico Novaliciensi, lib. 5. cap. 3. *Hic denique mittens auriculares & præcones, qui lustrarent civitates & castella, ne homines inconsulte loquerentur de eo.* In Gallia vulgo appellamus, *des Ecoutes*: ab auscultando: item *des espions.*

Ibid. VIII. *De exsilio vero nonnisi X L V. electis viris datur tabella.*] Sic Reg. 2. cod. cum Chiffl. In Reg. 1. *nonnisi de X L V. electis viris.* Descivere ab his editionum, quæ hactenus in manus venerunt, concinnatores: qui cum ita scripsere, *nonnisi die X L. quinque electis viris*, non in Plinianum modo contextum novam scripturam, sed & in forum vetus Romanum novam judiciorum formam invexerunt.

Ibid. IX. *Non magis hæc Urbi timuit Cato, ut equidem credo, quam reginas.*] Nusquam magis consentiens conspiransque omnium exemplarium, etiam MSS fides, quam in hujus vocis scriptura. Nihilominus Salmasius, in præf. ad librum de homonymis, 51. sic emendat, *quam resinas*: tum multa de resinata juventute affert, quæ ante eum Dalecampius commodiore loco protulerat, quoniam ab isto quem tractamus, prorsus abhorret: ut vel nostra per se interpretatio arguit, qua nihil est planius, nihil ad scriptoris mentem accommodatum magis: præsertim quod nihil adhuc attingere se Plinius profitetur eorum quæ Urbi timuit ac Reipublicæ, in quibus resinæ: extrema duntaxat hac sectione ab eo delibanda.

Sect. 9. X. *Postes a nubentibus attingi.*] Sic MSS. omnes, Reg. 1. 2. Colb. aliique. Rectius tamen fortassis *cingi*, auctore Plutarcho, in quæst. Rom. pag. 271. Ἐρίῳ δὲ τὴν θύραν περιστέφειν τοῦ ἀνδρός. *Nova nupta mariti januam lana coronat.* Quo & Lucanus respexit, solennes nuptiarum ritus describens, lib. 2. vers. 355.

Festa coronato non pendent limine serta,
Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Attingi tamen haud penitus aspernandum: cum ritus ille tangendi postes lana ea fieri potuerit, qua colus instructa, quam novæ nuptæ secum deferebant, eodem auctore Plutarcho, loc. cit.

Ibid. XI. *Sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo: & alio modo indita auribus.*] Geminum adhibendæ lanæ succidæ modum edocet: primum ut in naribus; alterum, ut in aure indatur. Sic etiam Q. Serenus, cap. 35. pag. 148.

Lana oleo madefit, sed nondum lota, rosato:
Hæc datur in nares, vel claudit densius aures.

Explanatius porro Marcellus Empir. cap. 10. pag. 85. *Lana succida conjicitur in nares cum oleo rosaceo: & auriculæ de lana succida obturantur, & ita sanguis profluens continetur.* Ita verbis fere totidem Plinius Valer. lib. 1. cap. 26. Frustra igitur contra consensum omnium exemplarium ex dubiæ fidei vetusto codice profert Dalecampius alteram lectionem, *& alio modo indito in auribus.* Album in aure indere quid juvet ad sistendum sanguinem, conjicere haud proclive est. Utitur hac forma loquendi Plinius rursum inferius, sect. xi. *Et alio modo lutea ovorum*, &c.

Sect. 10. XII. *Et in linteo siccatur.*] Libri omnes, tum editi, tum MSS. *siccatur*, manifesto errore, cujus vel ipsa œsypi concinnatio admonet: sed & auctores Græci pariter ac Latini. Nam Diosc. lib. 2. cap. 84. pingue illud quod supernatat, excolatum, elui aqua jubet, confricari, ut candidius reddatur: Ἔστω δὲ διηθημένος ὁ λίπος, πλύνεσθαι ἐν ὕδατι ψυχρῷ ταῖς χερσὶν ἀνατρίβοντας . . . γίνεται δὲ ὁ τοιοῦτος λευκότερος. Sic etiam auctor libri de simpl. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 1003.

Ibid. XIII. *Hulcera non oculorum modo sanat, sed oris etiam & genitalium, cum anserino adipe.*] Ita MSS. librique publici.

At si Dioscoridem audimus, qui hæc ceteroqui verbis totidem repræsentat, *sed auris* potius scribendum sane fuerit. Sic enim ille, lib. 2. cap. 84. Ἠρῶν τε ἐπ' ἐν οἴσι ἢ ἐν αἰδοῖῳ σὺν χηνείῳ στέατι.

Sect. 32. XIV. *Ad ignem sacrum candida ovorum trito cum amylo.* Plinius Valer. non *trito* videtur, sed *trino* legisse, vel *terno*. Nam lib. 3. cap. 34. *Igne sacro medendo: Ovorum trium*, inquit, *candidum, cum amyli pari mensura imponitur.*

Ibid. XV. *Sic & lienteriis.*] Sic restituimus ex indubitata conjectura, non uno argumento nixa. Nam neque *hectacis*, quod libri hactenus editi præferunt, vox est nota Plinio, qui lienosos semper, aut splenicos vocat: neque lienosis prodesse hoc medicamentum potest, quod nunc asseritur: lienteriæ quod genus aliquod dysenteriæ est, *mire prodest. Theod. certe Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 18. cui titulus est, *de dysentericis, vel nentericis* (ubi *lientericis* legi oportere perspicuum est, cum de lienterio eo capite termo sit, ac nominatim ea appelletur) *ova bis in aceto cocta sorbilia convenire* plane asseverat Quamobrem ob affinitatem morbi, hoc loco cœliacis dysentericisque, de quibus proxime antea sermo fuit, lienterici commode subnectuntur. Denique in Reg. cod. 1. *Sic & in lienterici.* In Reg. 2 & Colb. 3. *Sic & lienterici*, diserte scribitur, ex quo *lienterici* fingi oportere, facilis conjectura est. Nec minus felix in emendandis Notis, quæ falso Tironi ac Senecæ adscribuntur apud Gruterum pag. 180. *Sinteria. Sinteriacus. Disienteria. Dysenteriacus.* Lege: *Lienteria. Lienteriacus. Dysenteria. Dysenteriacus.*

Ibid. XVI. *Scabiem corporum ac pruritum oleo & cedria mixtis tollunt.*] Addit & Marcellus Empir. cap. 4. cap. 40. sed imprudenter scilicet: verbis illis *e vino*, quæ clausula est superioris sententiæ, in banc transductis. *Ex vino*, inquit, *& oleo, & cedria, pruritum scabiemque capitis tolli manifestum est, si ungatur assidue.*

Ibid. XVII. *Torminibus.... medentur, ova bina cum allis spicis quatuor*, &c.] In libris hactenus editis, *cum aliis piscis*, perinde quasi cum piscium ovis gallinæ ova permiscenda censuerit. Sincera lectio quibusdam ante nos ex conjectura suboluit: quibus tamen conjecturam stabilirent, argumenta decrant. Suppeditat ea nobis auctor haud pœnitendus, qui e Plinianis floribus maximam vim in suos hortos transtulit, Marcellus Empir. cap. 27 pag. 192. *Cauliculos ex aceto coctos*, inquit, *alii spicas quatuor purgatas, ova incocta duo simul contere, adjice vini veteris heminam, & fervefactum medicamen dysenterico da bibendum* Et pag. 195. *Dysenterico & torminoso, & ei qui sane corruptum sanguinem egerit, saluberrimum medicamentum est tale. Allii spica quatuor, & ova duo incocta in unum teruntur: hisque additur vini veteris sextarius, & coquitur ad tertias*, &c.

Sect. 24. XVIII. *Genita Mana catulo res divina fit.*] Prius legebatur, *Genito mane catulo*, contra codicum MSS. Reg. 1. 2. ceterorumque probatissimorum fidem, in quibus totidem plane apicibus ea lectio conspicua est, quam repræsentamus. Confirmat egregie emendationem Plutarchus, lib. de quæst. Rom. pag. 277. Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι: *Cur ei quæ Genita Mana vocatur, canem immolant?* Nempe ut Græci Lucinæ, sic *Genita Mana* Romani canem immolabant, pro iis quæ domi nascerentur, ὑπὲρ τῶν οἰκογενῶν, inquit Plutarchus, loc. cit. & pag 280. Hanc esse arbitror Maniam Deam Matrem Larum, cui olim pro familiarum sospitate pueri mactabantur, ut refert Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 7 pag. 221. eamdemque Deam Menam ab Augustino appellatam, lib. 4. de Civit. Dei, cap 21. Et qui puerorum natalibus præesse Dii credebantur, *Genitales Deos* prisca ætas vocavit. In nummo Crispinæ Augustæ, apud Tristan. tom. 1. pag 750. GENITALIBVS. DIS.

Sect. 27. XIX. *Item suffitu eorum abigere sanguisugas adhærentes*, &c.] Hæc hactenus ita divolsa distractaque fuere, ut ab iis vocibus, *sanguisugas adhærentes*, novæ periodi sumeretur initium: ac præpostera interpunctione, non sanguisugas adhærentes faucibus, sed aspidas, de quibus antea proxime sermo fuit, suffitu cimicum abigi sensus foret. Errorem Marcellus Empiricus retexit, cap. 6. pag. 121. *Ad eos*, inquit, *qui sanguisugas insciі devorant, cimicum in carbonibus positorum fumus remedio est: si ore hiantes, & faucibus apertis excipiantur: ejici enim & expelli devoratas sanguisugas hac ratione certissimum est.* Certior quoque auctor Columella, lib. 6. cap. 18. pag. 228. *Remedia ad haustam hirudinem .... Potest etiam per fistulam densi cimicis nidor immitti, qui ubi superponitur igni fumum emittit, & conceptum nidorem fistula usque ad hirudinem perfert, isque nidor depellit hærentem:* &c.

Sect. 21. XX. *Draconum adipem venenata fugiunt: item, si uratur, ichneumonum: fugiunt & urticis tritis in aceto perunctos.*] Hoc loco maxime grassata est interpolatorum audacia, inscitiaque: sic enim in libris hactenus editis legebatur: *Draconum adipem venenata fugiunt: item vorus ichneumonum: & cutis cinere in aceto perunctos.* Quæ ne Oedipus quidem intelligat In Reg 1. *& urticis tritis.* At in Reg 2. diserte ac plane: *Draconum adipem venenata fugiunt: item uratur ichneumonum: fugiunt & urticis tritis in aceto perunctos.* In quibus sinceræ lectionis aperta vestigia.

Ibid. XXI. *Aiunt enim pracanere.*] In libris hactenus editis, *præcavere*. Qui interpolarunt, adjecto etiam vocabulo, *futura præcanere*, rescripserunt. Nos codicum auctoritatem secuti, Reg. 1. & 2. *pracanere*: cui voci quæ vis subsit, aperuimus libro anteriore, sect. 4

Ibid. XXII. *Ternis digitis utrimque amputatis.*] Ita Reg. codices 1. 2. & Chiffl. Editi, *quaternis* Sed utrumlibet legas, exclamat Dalecampius fabulosum esse, quod utrimque certa mensura amputari extrema oporteat, uno scilicet Dioscoride in consilium ejus rei adhibito. At censuit tamen ita Andromachus senior, Neronis medicus, apud Galenum; lib 1 de antid. cap. 6. pag. 870. Censuit & Damocrates; ibidem, cap. 15. pag 893. E cervice enim ternos digitos, e cauda amplius paulo præcidi jubet:

Τοῦ μὲν ἀσφαλῶς ἀποκόψον, ὡς τριῶν δακτύλων,
Μικρῷ τε πλείους τῆς ἄνω τῆς οὐρᾶς μερῶν,
Πρότον κεφαλὰς μὲν εἶναι τοὺς οὐρὰς τούτων.

Censuit & Galenus ipse, cap. 8 ejusdem operis, pag. 878. Ἀνταρκεῖ δ' ἐπὶ τῶν μεγάλων ἐχιδνῶν τὸ ἀφαιρεθησόμενον ἑκατέρωθεν εἶναι δακτύλων δ'. *Sufficit in magnis viperis id quod amputabitur utrobique, quaternos æquare digitos.* Quod iterum repetit, lib de theriac. ad Pison. cap. 13. pag 950.

Sect. 26. XXIII. *Et pedibus suspensum in supero limine.*] In libris hactenus editis, addita vocula una, alteraque corrupta, *suspensum sursum in superliminari.* Reg. 1. 2. & Chiffl. *superliminе.* Plinius lib. 32 sect. 16. stellam marinam *affixam limini superiori* dixit: superum limen, Plautus in Bacchid.

Sect. 27. XXIV. *Ore minimo sub alvo.*] In quibusdam MSS *sub albo*, mendose. Error enim arguitur ex Nicandro, ita phalangion phalangion describente, in Theriac pag 51.

Ἔργα δέ τοι σίνιο περισφίζοιο φαλαγγίου,
Σήματα δ' ἐν βρογχοῖσι· ὁ μὲν ῥὼξ αἰθαλόεις ῥὼξ
Κικλήσκεται, ποσσὶν, ἐπασσύτεροις μέσον ἔσσεται.
Γαστέρι δ' ἐν μέσσῃ ὀλοοῖς ἐσαλάξεν ὀδοῦσι.

Hoc est, Gorræo interprete:

Nunc attende notas & vulnera dira phalangii
Postiferi: piceo distinguitur ille colore,
Qui Rhox nomen habet, pedibusque frequentibus: alvo
Os illi in media, duro exitiabile dente.

Et Scholiastes in eum locum: τὸ στόμα ἢ τοὺς ὀδόντας κατὰ τὴν μέσην γαστέρα ἔχει.

Sect. 23. XXV. *Quidam ob id edendum dederunt.*] Ita libri omnes, etiam MSS. Interpolatoris cujuspiam conjectura est futilis, quam Dalecampius ex vetusto nescio quo exemplari affert: *quam ob id bibendum.* Nam reclamant præterea auctores vetusti: Plinius Valer. lib. 3. cap. 50. *Cinis capitis canini*, inquit, *illitus abigit aquæ pavorem: aut caput canis devoratum.* Sextus Platon. cap 9. de cane, tit. 21. *Ad canis rabidi morsus: Caput rabidi canis & jecur coctum dato ei qui morsus fuerit, sanat.*

Sect. 35. XXVI. *Porrigines felle ovillo cum creta Cimolia, hoc capite*, &c.] Hæc mihi potior lectio visa est, Regii codicis 1. auctoritate stabilita, quam Chiffletiani, aut Regii 2. in quibus *prurigines* scribitur. Quanquam & his posterioribus exemplaribus suffragantur auctores duo, sed non diligentissime omni ex parte castigati. Marcellus Empir cap 4 pag 40. *Prurigines capitis discutit fel ovillum cum creta Cimolia, donec arescat: notum est.* Totidemque verbis Plinius Valer. lib. 1. cap 4. Sed *porrigines* utrobique scribi censemus oportere.

Sect. 36. XXVII. *Murina pellis.*] Et hoc Plinii loco, Plinios alter Valer. lib. 1. cap. 1. & Marcellus Empir. cap. 1. pag. 36. sunt corrigendi: cum in libris editis apud utrumque legatur *Murenarum pellium*, pro *murinarum*: nequedum enim de piscibus, sed de terrestrium animalium medicinis tractatio nunc instituitur.

Ibid. XXVIII. *Adepsque earumdem alitum cum rosaceo. Cochleæ matutino pascentes arundine caput præcisum,.... adalligant capitis doloribus licio.*] In libris hactenus vulgatis, *Adepsque .... cum rosaceo coctus. Matutine pascentis hirundinis caput* &c. In vetere Dalecampii exemplari, *Matutino nascentis*: utrumque insulse. In Reg. 2. *cocta. matutina pascentis harundine* &c. quoniam vox ea *arundo* in libris veteribus quandoque aspiratur, etsi aliter Macrobius monet fieri oportere. Nostram emendationem ita stabiliunt veteres scriptores duo, nihil ut esse certius queat. Primum Marcellus Empir. cap. 1. pag. 36. *Cochleæ matutinum rorem pascentis caput arundine præciditur, & in linteolo licio alligatur, colloque suspenditur continuo medetur.* Et Plinius Valer. lib 1. cap. 1. de capitis ægritudinibus & medela: *Cocochleæ matutino se pascentis caput arundine præciditur, & in linteo licio alligatur, colloque suspenditur.*

Sect. 37. XXIX. *Gossypum cum myrrha specillo illitum.*] Prius penicillo legebatur. In Reg. 2. cod. *specelo.* Marcellus Empir. *specillo. Glabris palpebris*, inquit, cap. 8. pag. 70. *pilos inducet, si œsypo quod sub armis ovium nascitur, adjecta myrrha, pariterque in mortario trita, specillo calido loca pilis nuda perduxeris.*

Ibid. XXX. *Lacertæ viridis fel in vino albo Sole coactum ad crassitudinem mellis in æreo vase.*] In Chiffl. cod. *Sole decoctum*, haud ita sincere Marcellus Empir. cap. 8. pag. 70. *Pili si oculis molesti erunt, potenter uteris hoc medicamine. Lacertæ viridis fel misce cum vino albo, quantum sufficere existimaveris, & mitte in vas æreum, positumque ad Solem, tamdiu agita, donec crassitudinem mellis habeat: atque ex eo loca pilorum vulsorum ungue.*

Sect. 38.

XXXL. *Cum Attico melle ictus & adeps foricis combusto inveteratus, lacrymosis oculis plurimum confert : Ellis quod est, dicemus in metallis.*] Posteriora hujus sententiæ verba, quale delitescat in antecedentibus mendum per se indicant. Itaque, tametsi codices omnes MSS. vulgatæ huic scripturæ suffragantur, nihilominus *adeps foricis cum stibi*, legi oportere pertendimus, sequitur enim statim, *stibis quid est, dicemus*. Quæ verba quo spectent, nisi de stibi actum sit in priore orationis parte, dici non potest.

Ibid.

XXXII. *Boæ quoque fel.*] In libris hactenus editis, *ululæ quoque fel*, reclamantibus licet libris omnibus, Reg. 2. Chiffl. aliisque, tum hoc loco, tum in Indice hujus libri ac sequentis, nam *boæ* vel *bove* ubique diserte legimus : cum toto hoc libro mentio ejus nulla fiat, ubi ab hoc loco discesseris. Neque vero ad medicinas avium transgressura oratio sumere dicendi initium ab ulula debuit, sed ab aquila potius, quæ volucrum regina dicitur, uti statim fiet. In Indice sane utriusque libri mox appellati, nomina continentur animalium, ex quibus in ipso voluminis corpore medicinæ repetuntur : in his post viperam boa appellatur, ut in hac sectione, in qua versamur. Quamobrem utriusque illius Indicis partem eam, quæ nomina animalium complectitur, numerumque medicinarum ex eis, neque initio hujus operis referre operæ pretium visum est, & quod ab aliquo potius, vetusto tamen, consarcinatore contextam, quam a scriptore ipso, tum censebamus, & adhuc suspicamur haud levibus inducti argumentis : & quod aptiora eo loco viderentur ea quæ inserimus, quibus tota series operis conspicua fit : neque amplius differre fas, cum & ad emendationem nostram constabiliendam id præclare faciat : & premi quidquam, quod Pliniano e fonte manasse cuipiam possit videri, religio sit : idcirco alieno potius loco intexi oportere censuimus, quam omnino nullo. Itaque in Indice libri XXIX. hæc adduntur in fine, quæ ex codicibus Reg. 1. 2. & Colb. summa fide repræsentamus, numquam antehac edita :

Medicinæ ex pecude XXII. & sequente libro, LV. LXXVII.
Mulis, VI. & sequente libro, III. IX.
Cane, XVI. & sequente libro, XLI. LVII.
Cane rabioso, III. & sequente libro, II. V.
Ichneumone, I.
Mure, araneo, II. & sequente libro, III. V.
Glire, II. & sequente libro, VI. VIII.
Sorice, IV & sequente libro, II. VI.
Mustela XIX. & sequente libro XXV. XLIV.
Stellione, IV. & sequente libro, XII. XVI.
Hernaceo, V. & sequente libro, XIII. XVIII.
Hystrice II. & sequente libro, I III.
Lacerta, XIII. & sequente libro, XXX. XLIII.
Salamandra, I. & sequente libro III. IV.
Cochlea. XXVII. & sequente libro, LXXIV. CI.
Aspide, IV. & sequente libro III. VII.
Basilisco, IV.
Dracone, VI & sequente libro, XXI. XXVII.
De Vipera, XIV. & sequente libro, XXI. XXXV.
Hydro I.
Bova IV. & sequente libro, III. VII.
Embydride, I. & sequente libro, II. III.
Serpentibus ceteris VII. & sequente libro, VIII. XV.
Scorpione, IV. & sequente libro II. VI.
Araneorum, & phalangiorum genera XI. Medicinæ ex eis IX. & sequente libro, XXV. XXXIV.
Gryllo, sive tauro, I. & sequente libro, VII. VIII.
Scolopendra, sive multipeda, sive millepeda, sive centipeda, sive onisco, sive tylo, medic. I. & sequente libro, XXI. XXII.
Admiratio Naturæ nihil sine usu gignentis.
Limace, I. & sequente libro, III. IV.
Eruca I. & sequente libro, II. III.
Verme terreno, II. & sequente libro, XXII. XXIV.
Verme ex arboribus, & sequente libro, IV. V.
Ex volucribus : Aquila, IV. & sequente libro, III. VII.
Vulture, IX & sequente libro, IX. XVIII.
Gallinaceo, XXI. & sequente libro, XXXV. LVI.
Gallina, X. & sequente libro, XXI. XXXI.
Ovis, XXII. & sequente libro, XLIII. LXV.
Ansere, IX. & sequente libro, XV. XXIV.
Cygno, I. & sequente libro, V. VI.
Corvo, II. & sequente libro, IV. VI.
Cornice, I. & serquente libro, II. III.
Accipitre, II. & sequente libro, II. IV.
Milvo, II. & sequente libro, VI. VIII.
Cenchreide. II.
Ciconia, II. & sequente libro, I. III.
Anate II. & sequente libro, XIV. XVI.
Pico Martio, I.
Turture, IV. & sequente libro, V. IX.
Ulula, I. & sequente libro, I. II.
Bubone, II. & sequente libro, V. VII.
Vespertilione, IV. & sequente libro, IX. XIII.
Apibus, V. & sequente libro, VIII XIII.
Buprestı, III. & sequente libro, III. VI.
Pityocampis, III. & sequente libro, IV. VII.
Naturæ benignitatem etiam fœdis animalibus inseruisse magna remedia
Scarabæo, IX. & sequente libro, VIII. XVII.
De genere cantharidico, Medic. ex his V. & sequente libro, XI. XVI.
Cimice, IX. & sequente libro, VII. XVI.
Musca, VII. & sequente libro, V. XII.
Locusta, IV. & sequente libro, IV. VIII.
Attelebus, I.
Formicis, III. & sequente libro, VIII.

Adjecta hæc similiter ad calcem Indicis libris XXX. quæ nunc primum ex iisdem codicibus MSS. exhibemus.

Medicinæ ex pecude, LV. & priore libro, XXII. LXXVII.
Lana, XXV. & priore libro, XXX. LV.
Oesypo, XX. & priore libro, XXXII. LII.
Mulis, III. & priore libro, VI. IX.
Caballis, III. & priore libro, I. IV.
Cane, XLI. & priore libro, XVI. LVII.
Cane rabioso, II. & priore libro III. V.
Mure, XXVIII. & priore libro, XIV. XLII.
Mure araneo, III & priore libro, II. V.
Glire, VI. & priore libro, II. VIII.
Sorice II. & priore libro, IV. VI.
Mustela, XXV. & priore libro XIX. XLIV.
Stellione, XII. & priore libro, IV. XVI.
Hernaceo, XIII. & priore libro, V. XVIII.
Hystrice, I. & priore libro, II. III.
Lacerta, XXX. & priore libro, XIII. XLII.
Salamandra, III. & priore libro, I. IV.
Cochlea, LXXIV. & priore libro, XXVII. CI.
Aspide, & priore libro, IV. VII.
Dracone, XXI. & priore libro, VI. XXVII.
Vipera XXI. & priore libro, XIV. XXXV.
Bova, III & priore libro, IV. VII.
Enhydride, II. & priore libro, I. III.
Amphisbæna, III. & priore libro, IV. VII.
Serpentibus ceteris VIII. & priore libro, VII. XV.
Scorpione, II & priore libro, IV. VI.
Araneorum & phalangiorum genera XI. Medicinæ, XXV. & priore libro, IX. XXXIV.
Gryllo, sive tauro, VII. & priore libro, I. VIII.
Troxalide, III.
Phryganione, I.
Scolopendra, sive multipeda, sive millepeda, sive onisco, sive tylo, XXI & priore libro, I XXII
Admiratio Naturæ nihil sine usu gignentis.
Limace III. & priore libro, I. IV.
Eruca, II. & priore libro, I. III.
Verme terreno, XXII. & priore libro, II. XXIV.
Verme ex arbore, IV. & priore libro, I. V.
Verme ex herba, IV.
Herpete, I.
Ricino, III.
Ex volucribus :
Aquila, III. & priore libro, IV. VII.
Vulture, IX. & priore libro, IX. XIII.
Ossifraga, VI.
Gallinaceo, XXXV & priore libro, XXI. LVI.
Gallina, XXII. & priore libro X. XXXII.
Ovis, XLIII. & priore libro, XXII. LXV.
Commageno, V. & priore libro, IV. IX.
Cygno, V. & priore libro, I. VI.
Corvo, IV. & priore libro, II. IV.
Cornice, II. & priore libro, I. III.
Accipitre, II. & priore libro, II. IV.
Milvo, VI. & priore libro, II. VIII.
Grue I.
Ciconia, I. & priore libro, H. III.
Ibide, III.
Anate, XIV. & priore libro, II. XVI.
Ardeola, I.
Palumbe, XIV. & priore libro, VII. XXI.
Galerita, IV.
Cuculo, I.
Pico Martio, I.
Turture, V. & priore libro, IV. IX.
Turdis, III.
Merula, II.
Hirundine, XXIV. & priore libro, IX. XXXIII.
Ulula, I. & priore libro, I. II.
Upupa, I.
Bubone, I.
Passere, I.

Galgulo,

Salgulo, III.
Vespertilione, IX. & priore libro, IV. XIII.
Cicada, I.
Apibus, VIII. & priore libro, V. XIII.
Bupresti, III. & priore libro, III. VI.
Pityocampis, IV. & priore libro, III VII.
Naturæ benignitatem & fœdis animalibus inseruisse magna remedia.
Scarabæo, VIII & priore libro, IX. XVII.
Blattis, XII. & priore libro, VII. XIX.
De generibus cantharidum: Medicinæ ex his, XI. & superiore libro, V. XVI.
Cimice, VII. & priore libro, IX. XVI.
Musca, V. & priore libro, VII. XII.
Locustis IV. & priore libro, IV. VIII
Formicis, V. & priore libro, III. VIII.

Ibid. XXXIII. *Fimum quoque columbarum ex aceto ad ægilopas.*] Sive, ut in Reg. 2. *ad ægilopia.* Inepta enim Chiffletiani codicis lectio est, *ad alopecia* nec paulo deterior Dalecampii emendatio, *ad alopecias.* Est enim capitis vitium alopecia, non oculorum, quorum in appellandis sanandisque morbis hac sectione Plinius nunc totus habitat. Sic etiam Marcellus Empir. quem Plinii simiam alterum in medicina jure dixeris, cap. 8. pag. 71. *Ægilopia*, inquit, *emendat fimus columbinus ex aceto coctus, & illitus. Cicatrices quoque oculorum & albugines mire detergit.*

Ibid. XXXIV. *Per se vero, ad claritatem. Hippocratis putant auctoritate adjici &c.*] Ita restituimus hunc locum, secuti codices Reg. 1. 2. & eum, quem Pintianus vidit. Prius legebatur: *per se vero ad claritatem dorcados Hippocratis (ut putant) auctoritate adjicitur.* Cum in MSS. ut, & *dorcados*, & vocula *ut*, & postrema vocis *adjicitur* syllaba desit. Sed haud paulo lepidius est, quod Parmensis editionis curatores, pro *dorcades, Hippocratis, Dioscoridis & Hippocratis*, edidere. Credo, ut crucem Criticis figerent, parsque una saltem vel ex hoc loco uno Dioscoridem Plinio vetustiorem esse omni ope contenderet.

Sect. 39. XXXV. *Has capite detracto attritas, lepras sanasse, Musa & Picton in exemplis reliquerunt.*] Hic mendum subesse remur, etsi constans ea sit editorum omnium librorum scriptura. Nam in Reg. 1. *Muscam Pyctem*: in Reg. 2. *Muscum pyctem*, legimus: plane ut *Muscus* sive *Musca*, pyctæ, hoc est, pugilis, fuisse nomen videatur, quem liber Exemplorum forte inscriptus, qualem Hygini fuisse in Auctorum Indice diximus, eo medicamento sanatum prodiderint. Sic *Euthymum pyctam* Plinius appellat, lib. 7. sect. 48. Suboluit mendum illud & antea Pintiano. Non placet interim Gronovii conjectura legentis, *Musa cum Pitanæo*, Apollonio videlicet, de quo nos in Auctorum Indice. Abhorret enim ea ratio appellandi auctores, sola patria indicata, ab ingenio & consuetudine Pliniana.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXX.

Cap. I. I. MAGICAS vanitates sæpius quidem antecedente operis parte, ubicumque causæ locusque poscebant, coarguimus, detegemusque etiamnum: in paucis tamen digna res est, de qua plura dicantur, vel eo ipso quod fraudulentissima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque sæculis valuit. Auctoritatem ei maximam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium [1] tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in unam se redigit. Natam primum e medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorem [2] sanctioremque medicinam: ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires Religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque suggesserit, miscuisse artes Mathematicas, nullo non avido futura de sese sciendi, atque ea e cælo verissime peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente [3] regum regibus imperet.

II. Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre, ut inter auctores convenit. [1] Sed unus hic fuerit, an postea & alius, non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientiæ sectas clarissimam utilissimamque eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. [2] Sic & Aristoteles. Hermippus qui de tota ea arte diligentissime scripsit, & vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis explanavit, præceptorem, a quo institutum diceret, tradidit [3] Azonacem, [4] ipsum vero [5] quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuisse. Mirum hoc in primis, durasse memoriam artemque tam longo ævo, commentariis non intercidentibus, prætetea nec claris nec continuis successionibus custoditam. Quotus enim quisque auditu saltem cognitos habet, qui soli cognominantur, Apuscorum, & [6] Zaratum Medos, [7] Babyloniosque Marmarum, & Arabantiphocum, aut Assyrium Tarmoendam, quorum nulla exstant monumenta? Maxime tamen mirum est, in bello Trojano tantum de arte ea silentium fuisse Homero, [a] tantumque operis ex ea-

INTERPRETATIO.

a *Tantumque.*] Totque opera ex arte magica recitari in Ulyssis erroribus

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Tres alias.*] Medicinam, Religionem, Astrologiam

2. *Sanctioremque medicinam.*] Sic MSS Reg Colb. Th. Chiffl recte. Perperam in editis hactenus libris, *sanctioremque quam medicinam*

3. *Regum regibus.*] Parthorum regibus solemne id fuisse, ut se Regum Reges, Βασιλεὺς Βασιλέων inscriberent, non auctores modo, sed & Arsacidarum nummi restantur. Magos ibi rerum potitos, post Cyrum & Cambysen, tradit Justinus, lib 1.

Sect. II. 1. *Sed unus hic*] Arnobius quatuor ejus nominis viros agnoscit: Suidas quintum adjicit. Magiæ inventorem Chamum aliqui volunt fuisse, Noemi filium, qui cum ad Persas transiisset, Zoroastrem se dici voluerit. Fuisse huic filium Chus, patris artium heredem ac nominis, Zoroastrem quoque cognominatum A quo deinde quicumque Magiæ studio se dedidere, Zoroastris quoque sibi nomen adsciverint. Eusebium vide, lib. 10. de Præpar. pag. 484.

2. *Sic & Aristoteles.*] Ἐν τῷ Μαγικῷ, cujus libri auctorem Aristotelem Laertius facit in procemio, pag 1. & 2. Eo in libro de Zoroastre agi, testis quoque est Suidas. Sed is in Ἀρχιμάγου, ab aliis Aristoteli quidem, Antisthenι vero ab aliis. Rhodoni denique a nonnullis librum eum asseri prodit. Sed ut ut est, & ejus libri auctoris, & Eudoxi error ex ratione Chronologica aperte arguitur. Obiisse enim Platonem scimus a diluvio vix annis bis mille.

3. *Azonacem.*] MSS. *Agonacem.*

4. *Ipsum vero.*] Zoroastrem.

5 *Quinque millibus*] Hunc Hermippi errorem secutus est Hermodorus Platon. lib de disciplinis, teste Laertio, in procemio, pag. Servii & alii, apud Plutarch. lib. de Iside, pag 369. Verum a diluvio ipso ad captam usque Trojam ne mille quidem ac sexagenos annos intercessisse docent periti omnes Chronographicæ scientiæ artifices. Suidas quingentis duntaxat annis bello Trojano priorem Zoroastrem facit.

6. *Zaratum.*] Forte Παζάτην *Pazatam*, cujus cum Osthane, & Zoroastre, meminit Diogenes Laertius, in procemio, pag. 1.

7. *Babyloniosque*] Vide Notas & Emend. num. I.

dem in Ulyssis erroribus, adeo ut totum opus non aliunde constet. [8] Siquidem Protea & Sirenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt: Circe utique [9] & inferûm evocatione [a] hoc solum agi. Nec postea quisquam dixit, quonam modo [b] venisset [10] Telmessum religiosissimam urbem, quando transisset ad [11] Thessalas matres, quarum cognomen diu obtinuit in nostro orbe alienæ gentis. Trojanis itaque temporibus [12] Chironis medicinis contenta, & solo Marte fulminante, miror equidem [13] Achillis populis famam ejus in tantum adhæsisse, ut Menander quoque litterarum subtilitati sine æmulo genitus, Thessalam cognominaret fabulam, complexam ambages [14] feminarum detrahentium Lunam. Orphea putarem [15] e propinquo primum intulisse, ad vicina usque, superstitionem ac medicinæ profectum, si non expers sedes ejus tota Thrace Magices fuisset.

Primus, quod exstet, ut equidem invenio, commentatus de ea [16] Osthanes, Xerxem regem Persarum bello, [17] quod is Græciæ intulit, comitatus: ac velut semina artis portentosæ sparsisse, obiter infecto, quacumque commeaverat, mundo. Diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthanes ad rabiem, non aviditatem modo scientiæ ejus, Græcorum populos egit. Quanquam animadverto summam litterarum claritatem gloriamque ex ea scientia antiquitus & pæne semper petitam. [18] Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc discendam navigavere, exsiliis verius, quam peregrinationibus, susceptis. Hanc reversi prædicavere: hanc in arcanis habuere. Democritus [19] Apollobechen Coptiten, [20] & Dardanum e Phœnice illustravit: voluminibus Dardani in sepulcrum ejus petitis: [21] suis vero ex disciplina eorum editis: quæ recepta ab aliis hominum, atque transisse per memoriam, æque ac nihil in vita, mirandum est. In tantum fides istis fasque omne deest,

Interpretatio.

a *Hoc solum.*] Magiæ solum opus declarari.

b *Venisset.*] *Scilicet ars magica.*

Notæ.

8. *Siquidem Protea.*] *Vultus mutantem Protea*, ut Horatius cecinit. De eo multa Virgilius, lib. 4. Georg. De Sirenibus & Circe pleni pariter poetarum libri. Cur Proteus multiformis fingatur, disce ex Diod. Siculo, lib. 1. Bibl pag. 56. At apud Homerum revera Circe, Natura ipsa est, fecunda parens ciborum, ad opipare epulandum. His qui se ingurgitant, porcorum similes fiunt. Circes palatium, hic ipse mundus universus est; hoc est, istud quod incolimus, Terræ hemisphærium. Circen Homerus δολόεσσαν dolosam vocat, Odyss. ί. vers. 33. quoniam dulcedine ciborum ad intemperantiam sensim inducit. Ancillas sive ministras quatuor habere dicitur, Odyss. κ'. versu 348. Quatuor eæ sunt anni tempestates. Mensam eæ instruunt pane, carnibus, & vino; Odyss. μ'. versu 29 & 30. His postquam usus est temperate Ulysses, misit ei Circe benignum ventorum afflatum ad discessum: quod idem fuit ac si vates diceret, non prius fulvisse navem, aut opipare vivere desiisse Ulyssem, quam vento secundo uti posset. Circes nomen Homero placuit, ut illud sagæ tribueret. quoniam nosset Marsos Italiæ populos, a Marso Circes filio ortos, ut dictum est libro VII. sect. 2. incantandi arte pollere. De Sirenibus Homericis diximus, ad librum III. sect. 12. Proteus denique Homericus, Homo est universim spectatus, qualis ante nos fuit, qualis est modo, qualis est post nostram ætatem futurus: unde & a Virgilio dicitur, nosse *omnia vates*

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Senex ille quidem, nam ab ævo condito durat: idem marinus, quippe variis jactatur curis, veluti in mari nautæ: idem immortalis, ἀθάνατος. Odyss. δ'. 385. neque enim moritur genus humanum, sed semper durat: maris profunda novit, Neptuni minister, quoniam maria pernavigat: eidem inde filia Εἰδοθέα, quæ rerum experientia est. Circa ipsum phocæ variæ sortis & conditionis homines: gravem spirantes nidorem maris, quippe fœda multa & spurca patrantes. Dormit ipse, cum Sol medium cælum ascendit; cum fortuna utitur prospera, tunc quiescit. Fit leo primum, deinde draco, & panthera, & sus; & aqua liquida, & arbor excelsa: quoniam alius alias imitatur feras, dum indomitis cupiditatibus obsequitur: & aliorum quidem fortuna dilabitur, aliorum crescit, instar excelsæ arboris. Nihil apud Homerum magiæ tribuendum; totum in Odyssea allegoricum est, & ad mores pertinet. De situ Phari, quæ Protei sedes, ex ejusdem Homeri sententia diximus, ad librum 2. sect. LXXXVII.

9. *Et inferûm evocatione.*] Ita Chiffl. codex, pro *inferorum*, ut est in vetustis editionibus. Ulyssem quidem Circe invitavit ad descensum in inferos: quod fuit idem ac si vates diceret, natura curiosum fuisse Ulyssem fata sua prænoscendi, Odyss. κ'. 40. Propterea fingitur ille dicere, Odyss. λ'. 163. sibi necesse fuisse, χρειώ, ad inferos se conferre, ubi Tiresiam Thebanum fatidicum consuleret. Fingi istud ab Homero oportuit, ut Ulysses ex Tiresia disceret, fuga sibi post interfectos in Ithaca tot viros nobiles, esse consulendum: λ'. 127. Eam vero fugam non oportuit post cædem narrari: cum finis & scopus poematis sit, oppressio mulcata: ac proinde ea animadversione in sceleratos claudi poema debuerit.

10. *Telmessum.*] Urbem in Cariæ confinio, Lyciæque positam, de qua lib 5. sect. 28. *qua in urbe excellit Aruspicum disciplina*, inquit Cicero, lib. 1. de Divin. num. 91.

11. *Thessalas matres.*] Sagas & veneficas. Vide Notas & Emend. num. II.

12. *Chironis.*] Achillis ille magister fuit, & ipse Thessalus, auctorque medicinæ.

13. *Achillis populis.*] Thessalis, quibus imperitavit. Unde dux Thessalus a Seneca appellatur non semel.

Mactanda virgo est Thessali busto ducis.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis.

14. *Feminarum.*] Thessalarum in primis hoc opus fuit. Horatius, Epod. 5.

Quæ sidera excantata voce Thessala,
Lunamque cælo deripit.

Vide quæ diximus lib. 2. sect. 9.

15. *E propinquo.*] E Thracia, ubi genitus Orpheus.

16. *Osthanes.*] Ὀστάνην μάγον memorat Tatianus, orat. contra Græcos, pag 172. Libri omnes MSS. aspirant, *Hosthanes.* Hunc Xerxis comitem fuisse Laertius pariter innuit, in proœmio, pag. 1.

17. *Quod is Græciæ intulit.*] Olymp. LXXVIII anno primo, trajecit in Græciam, qui annus Græcorum navali ad Salaminam victoria, & clade Persarum insignis fuit.

18. *Certe Pythagoras.*] De hac Pythagoræ profectione Laërtius in Pythag. lib 8. pag. 214. Clemens Alex. lib. 1. Strom. pag. 302. & 304 aliique. De Empedocle, idem Laërtius, in ejus vita, lib 8. pag 230. A Democrito in Ægyptum ad Sacerdotes, in Persidem ad Chaldæos, ad Gymnosophistas usque in Indiam, peregrinationem esse susceptam Laertius ipse narrat, in ejus vita, lib 9. pag 246. & Clemens Alex. loc. cit. pag 303. Platonicæ similiter peregrinationis mentio apud Laertium, in ejus vita, lib. 3. pag. 71. εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας, & apud ipsum Platonem in Phædone, referente Clem. Alex. loc. cit. pag. 302.

19. *Apollobechen Coptiten.*] A Copto Ægyptiæ Thebaidis oppido, unde & Coptites præfectura dicta. Vide Notas & Emend. num. III.

20. *Et Dardanum.*] A quo Dardaniæ appellatæ artes, scilicet Magicæ. Meminit hujus Apuleius, cap. 7. de Leontopodio, & cap. 16. de Gentiana.

21. *Suis vero.*] Auctor est Clemens Alex. lib. 1. Strom. pag. 303. Democritum, Babylonii scriptoris, cui Acicari nomen fuit, columnam interpretatum esse, ac suis operibus

adeo ut ii qui cetera in viro illo probant, hæc ejus esse opera inficientur. Sed frustra. Hunc enim maxime affixisse animis eam dulcedinem constat. Plenumque miraculi & hoc, pariter utrasque artes effloruisse: medicinam dico, [22] Magicenque, eadem ætate illam Hippocrate, hanc Democrito illustrantibus, circa Peloponnesiacum [23] Græciæ bellum,
5 quod gestum est [24] a CCC. urbis nostræ anno. Est & alia Magices factio, [25] a Mose etiamnum & Lotapea Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem. Tanto recentior est Cypria. Non levem & Alexandri Magni temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthanes, comitatu ejus exornatus, planeque, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit.

10 III. Exstant certe & apud Italas gentes vestigia ejus [1] in duodecim tabulis nostris, aliisque argumentis, [2] quæ priore volumine exposui. [3] DCLVII. demum anno Urbis, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. Senatusconsultum factum est, [4] ne homo immolaretur: palamque fuit in tempus illud sacri prodigiosi celebratio.

IV. [1] Gallias utique possedit, & quidem ad nostram memoriam. [2] Namque Tiberii
15 Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque. Sed quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque transgressa, [a] & ad Naturæ inane pervecta? Britannia hodieque eam attonite celebrat tantis cærimoniis, ut dedisse Persis videri possit. Adeo ista toto mundo consensere, quanquam discordi & sibi ignoto. Nec satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, [3] qui sustulere monstra, in quibus
20 hominem occidere religiosissimum erat, mandi vero etiam saluberrimum.

CAP. II. V. Ut narravit Osthanes, species ejus plures sunt. [1] Namque & aqua, & sphæris, & aëre, & stellis, & lucernis, ac pelvibus, securibusque, & multis aliis modis divina promittit: præterea umbrarum, inferorumque colloquia: quæ omnia ætate nostra Princeps Nero vana falsaque comperit: quippe non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit,
25 fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumque imperare Diis concupivit, nec quidquam generosius valuit. [2] Nemo umquam ulli artium validius favit. Ad hæc, non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, [b] [3] non alia, patiente mundo. Immensum & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero; utinamque inferos potius [4] & quoscumque de suspicionibus suis Deos

INTERPRETATIO.

a *Et ad naturæ.*] Ubi naturæ *fines, ultra quos* inane, *seu verius nihil* est.

b *Non alia.*] Non alia, quæ mundus ægre ferrebat.

NOTÆ.

intexuisse. *Δημόκριτος γὰρ τοὺς Βαβυλωνίους λόγους πεποίηκε. Λέγεται γὰρ τὴν Ἀκικάρου στήλην ἑρμηνεύσαντα, τοῖς ἰδίοις συντάξαι συγγράμμασι.*

22. *Magicenque*] Quam nos Magiam vocamus. Sic ipse Geometricen appellat, lib. XXXV. sect. XXXV. num 9 quam nos Geometriam dicimus. Et Theologicen pariter dixere veteres, quam nos Theologiam nuncupamus. Hieronymus, Epist. 155 ad Paulam Urbicam: *Pro Logica nostri Theologicen sibi vindicant* · sic enim habent libri MSS. non, ut editi sine ullo sensu, *theoricen*. In libris Hieronymi numquam Theologiam dici reperias, sed Græce *θεολογίαν*.

23. *Græciæ bellum.*] De quo, libro sup. diximus, sect. 2.

24. *A CCC Urbis.*] Ante Christum anno CCCLIV.

25. *A Mose, &c.*] Hic secuti sumus MSS. codices omnes & vetustissimas editiones, in quibus totidem litteris & apicibus scriptum est, uti edidimus. Primum hic *& Jamne* pro *etiamnum* editio Basileensis exhibet anni 1535. Cum autem *etiamnum a Judæis, Mose & Lotapea pendens factio* dicitur a Plinio, perseverantem eam usque ad sua tempora indicat, & veluti particulam sectæ Judaicæ, eidem addictam Numini, quod Moses & edocti a Mose Judæi coluerunt. Itaque designat hic Plinius quosdam *de circumeuntibus Judæis exorcistis*; quorum mentio est in Actis, cap. XIX. 13. quorum princeps sua ætate in Cypro fuerit Judæus nomine Lotapeas. Nam in Cypro hanc factionem viguisse testatur. Et est certe *Lotapeas* nomen Hebræum, לוטפא: quod hominem significat, Qui involvens se, operit se. Vim exorcismorum autem Plinius, homo atheus, magicæ arti adscribit.

Sect. III. 1. *In duodecim tabulis.*] Quarum verba retulit, lib. 28. sect. 4.

2. *Quæ priore.*] Non proximo, sed anteriore, nempe octavo & vicesimo, sect. 4.

3. *CCLVII. demum.*] Vide Notas & Emendationes, num. IV.

4. *Ne homo.*] Vide quæ dicta sunt lib. 28. sect. 3. Violavit igitur hoc Senatusconsultum Cæsar Dictator, cujus jussu viri duo in Campo Martio a Pontificibus & Salio, velut in sacrificio, *ὡς τρόπῳ τινὶ ἱερουργίας*, inquit Dio, lib. 43. pag. 226. jugulati, immolatique sunt, *ἐσφάγησαν, ἐτύθησαν*.

Sect. IV. 1. *Gallias utique.*] Æquior Gallis Solinus hoc timide pronunciat, nec obstringens fidem. *Infamatur*, inquit de Gallis agens, cap. 21. pag. 41. *ritu incolarum, qui, ut aiunt, veri enim periculum ad me non recipio, detestabili sacrorum ritu, injuria religionis, humanis litant hostiis.* Dionysius Halic. tradit eadem, lib. 1. Antiq Rom pag. 30. Lactantius, lib. 1. divin. Instit. cap 21. *Galli Esum atque Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt. Siquidem Latialis Juppiter etiamnunc sanguine colitur humano*, &c.

2. *Namque Tiberii.*] De Druidis Tiberii jussu pulsis, obscure dumtaxat Tranquillus egit, & generatim, vel externarum cærimoniarum, vel Mathematicorum, hoc est, Astrologorum nomine designatis. *Externas cærimonias*, inquit, in Tiberio, cap. 36. . . . *compescuit* . . . . *Expulit & Mathematicos*, &c. Dio quoque, lib. 57. pag. 612. ait Tiberii jussu magos, astrologos, aliosque, qui quocumque nomine divinationes exercerent, necatos esse. Tacitus, lib. 2. Annal. *Facta de Mathematicis Magisque Italia pellendis Senatusconsulta.* Verum in Claudio Tranquillus multo expressius, cap. 25. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit.* Nempe quod Tiberius non obtinuerat, Claudius perfecit. De Druidarum moribus Cæsarem vide, lib 6. de bello Gall.

3. *Qui sustulere*] Tertull. tamen in Apolog. cap. 9. *Ecce in illa religiosissima Æneadarum urbe piorum, est Juppiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine.* Sed de gladiatoribus, opinor, agit, non de sacrificiis.

Sect. V. 1. *Nempe & aqua.*] Ex aqua *ὑδρομαντία* appellatur: ex sphæris, sive pilæ, *σφαιρομαντία*: *ἀερομαντία*, ex aere, in quo dæmon invocatus, varias formas effingit, quæ requisita denuncient: *ἀστρομαντία* ex stellis: *λυχνομαντία* e lucernis: ex pelvibus, lebetibusve, *λεκανομαντεία* & *ἀξινομαντεία*, ex securibus. Singularum rationes, quo quæque modo fiant, expedire, non est ingenii, aut instituti nostri. Vide Boissardum, de Divinat. cap. 5. pag. 15. & seq

2. *Nemo umquam.*] Vide multa in eam rem apud Sueton in Nerone, cap 34.

3. *Aliaque.*] In MSS. Reg. Colb. Chiffl. *quæ non alia patiente mundo.*

4. *Et quoscumque.*] Vel genios malos, dæmonasque.

consuluisset, quam lupanaribus atque prostitutis mandasset [5] inquisitiones eas: nulla profecto sacra, barbari licet, ferique ritus, non mitiora, quam cogitationes ejus, fuissent. [6] Sævius sic nos replevit umbris.

VI. Sunt quædam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi numina, aut cerni. [1] Obstet forte hoc in illo? Nihil membris defuit. Nam dies eligere certos liberum erat: pecudes vero, quibus non nisi ater colos esset, facile. Nam homines immolare etiam gratissimum. Magnus ad eum [2] Tiridates venerat, Armeniacum de se triumphum afferens, [3] & ideo provinciis gravis. Navigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant. Magos secum adduxerat. Magicis etiam cœnis eum initiaverat. [4] Non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras: sed in his veneficas artes pollere, non magicas. Quærat aliquis, quæ sint mentiti veteres Magi, cum adolescentibus nobis visus Apion Grammaticæ artis, prodiderit [5] cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur osyrites, divinam, & contra omnia veneficia: sed si tota erueretur, statim eum qui eruisset, mori: Seque evocasse umbras ad percontandum Homerum, quanam patria, quibusque parentibus genitus esset, non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret.

VII. Peculiare vanitatis sit argumentum, quod animalium cunctorum talpas maxime mirantur, tot modis a rerum Natura damnatas, cœcitate perpetua, tenebris etiamnum aliis defossas, sepultisque similes. Nullis æque credunt extis: nullum religionis capacius judicant animal: [1] ut si quis cor ejus recens palpitansque devoret, divinationis & rerum efficiendarum eventus promittant. Dente talpæ vivæ exempto, sanari dentium dolores adalligato affirmant. Cetera ex eo animali placita eorum, suis reddemus locis. Nec quidquam probabilius invenietur, quam muris aranei morsibus adversari eas, quoniam & terra orbitis ([2] ut diximus) depressa adversatur.

CAP. III.

VIII. Cetero dentium doloribus (ut iidem narrant) medetur canum qui rabie perierunt, capitum cinis crematorum sine carnibus, instillatus ex oleo cyprino per aurem, cujus e parte doleant. Caninus dens sinister maximus, [1] circumscarificato eo qui doleat: aut draconis os e spina: [2] item enhydridis. Est autem serpens masculus & albus. Hujus maximo dente circumscarificant. At in superiorum dolore duos superiores adalligant, e diverso inferiores. Hujus adipe perunguntur, qui crocodilum captant. Dentes scarificantur ossibus lacertæ e fronte Luna plena exemptis, ita ne terram attingant. [3] Colluunt caninis dentibus decoctis in vino ad dimidias partes. [4] Cinis eorum pueros tarde dentientes adjuvat cum melle. Fit eodem modo & dentifricium. [5] Cavis dentibus cinis e murino fimo inditur, vel jecur lacertarum aridum. Anguinum cor si mordeatur, aut alligetur, efficax habetur. Sunt inter eos qui murem bis in mense jubeant mandi, doloresque ita cavere. [6] Vermes terreni decocti in oleo, infusique auriculæ, cujus a parte doleant, præstant levamentum. [7] Eorumdem cinis exesis dentibus conjectus, ex facili cadere eos cogit: integros dolentes illitus juvat. Comburi autem oportet [8] in testa. Prosunt & cum mori radice in aceto scillite decocti, ita ut colluantur dentes. [9] Is quoque vermiculus, qui in herba, Veneris labro appellata, invenitur, cavis dentium inditus mire prodest.

NOTÆ.

5. *Inquisitiones eas.*] Quæ fieri in cives solebant, ut dæmonum ope resciret, qui rei conjurationis in ipsum forent.

6. *Sævius.*] Nece iis illata, quos sibi esse infestos suspicabatur.

Sect. VI. 1. *Obstet forte.*] Ita Chiffl. recte. Figura est, quam Rhetores ἀνθύπεφορὰν vocant. Obstitisse arbitramur lentiginem faciei, quominus cerneret Deos Nero magicis incantationibus evocatos. At nihil membris defuit. *Statura fuit pene justa*, inquit Tranquillus in Nerone, cap. 51. *vultu pulcro magis quam venusto*, &c.

2. *Tiridates.*] Victus a Corbulone, duce Neronis in Armenia, Romam venit: Armeniæ tamen regnum ei datum a Nerone ipso, ex tribunali, refert Dio, lib. 63. pag. 718.

3. *Et ideo provinciis.*] Per quas iter cum comitatu suo agebat.

4. *Non tamen.*] Dio, lib. 63. pag. 718.

5. *Cynocephaliam.*] Egimus de ea lib. 25. sect. 80. Osireostaphen, hoc est, Osiridis sepulcrum, appellat Apuleius, cap. 86.

Sect. 1. *Vt si quis cor ejus.*] Auctor Kiranidum, pag. 104. *Si quis autem cor ejus* (talpæ videlicet) *adhuc ea reptante, seu palpitante, transglutierit, præscientiam accipiet futurorum, & eorum quæ in sæculo fuerint.*

2. *Vt diximus*] Libro anteriore, sect. 27. extrema.

Sect. VIII. 1. *Circumscarificato.*] MSS omnes, *circumscarifato*: & mox, *circumscarifant*, & *scarifantur*.

2. *Item enhydridis.*] Plinius, lib. 32. cap. 26. *Enhydris vocatur a Græcis coluber in aquis vivens.*

3 *Colluunt caninis*] Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 24 *Ad dentium dolorem: Dentem canis combure, & cinerem ejus in vino hemina decoque, & ex eo gargarizet, & sanabitur*

4. *Cinis eorum.*] Sextus Platon. loc. cit. tit. 26. *Vt dentes sine dolore crescant: Dens canis combustus, & cum melle tritus, gingivas reprimit.* Appendi solum præcipit Habdarrhamanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 26. de cane, pag. 102 *Canis dens, qui caninus dicitur, appensus collo pueri, cujus adhuc non eruperunt dentes, pelle aliqua involutus, facilem reddit eorum eruptionem absque dolore ullo, aut nocumento.*

5. *Cavis dentibus.*] Q. Serenus, cap. 15. pag. 314.

Exesos autem dentes si forte queraris,
Vre fimum muris, patulis & hiantibus adde:
Prodest & pulvis lumbricis corpore tosto.

Sic etiam Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. & Marcellus Empir. cap. 12. pag. 93.

6. *Vermes terreni.*] Galenus, lib. xi. de fac. simpl. med. cap. 1. pag. 314. Marcellus Empir. cap. 12. pag. 94. iisdem verbis.

7. *Eorundem cinis.*] Q. Serenus, loco proxime allato. Marcellus Empiricus, loc. cit. Plinius Valer lib. 1. cap. 36.

8. *In testa.*] Marcellus Empir. *in testa cand uti.*

9. *Is quoque.*] Dictum id jam superius, lib. 25. sect. 108.

[10] Nam erucæ brassicæ, ejus contactu cadunt. Et e malva cimices infunduntur auribus cum rosaceo. [11] Arenulæ, quæ inveniuntur in cornibus cochlearum, cavis dentium inditæ, statim liberant dolore. [12] Cochlearum inanium cinis cum myrrha gingivis prodest: serpentis cum sale in olla exustæ cinis cum rosaceo in contrariam aurem infusus. [a] Anguinæ vernationis membrana cum oleo, tedæque resina calefacta, & auri alterutri infusa: adjiciunt aliqui thus & rosaceum: eadem cavis indita, ut sine molestia cadant, præstant. Vanum arbitror esse, circa Canis ortum angues candidos membranam eam exuere, quoniam nec in Italia visum est, multoque minus credibile in tepidis regionibus tam sero exui. Hanc autem vel inveteratam cum cera celerrime dentes evellere tradunt. Et dens anguium adalligatus dolores mitigat. Sunt qui & araneum animal ipsum sinistra manu captum, tritumque in rosaceo, & in aurem infusum, cujus a parte doleat, prodesse arbitrentur. Ossiculis gallinarum in pariete servatis, [b] fistula salva, adacto dente vel gingiva scarificata, projectoque ossiculo, statim dolorem abire tradunt. [13] Item fimo corvi lana adalligato, vel passerum cum oleo calefacto, & proximæ auriculæ infuso, pruritum quidem intolerabilem facit, & ideo tolerabilius est passeris pullorum sarmentis crematorum cinerem ex aceto infricare.

Cap. IV.

IX. [1] Oris saporem commendari affirmant, murino cinere cum melle si fricentur dentes. [2] Admiscent quidam marathri radices. Penna vulturis si scalpantur dentes, acidum halitum faciunt. Hoc idem hystricis spina fecisse, ad firmitatem pertinet. [3] Linguæ hulcera & labrorum, hirundines in mulso decoctæ sanant. [4] Adeps anseris aut gallinæ, rimas: œsypum cum galla: araneorum telæ candidæ, & quæ in trabibus parvæ texuntur. [c] [5] Si ferventia os intus exusserint, lacte canino statim sanabitur.

X. [1] Maculas in facie, œsypum cum melle Corsico, quod asperrimum habetur, extenuat. [2] Item scobem cutis in facie cum rosaceo impositum vellere, quidam & butyrum addunt. Si vero vitiligines sint, fel caninum, prius acu compunctas. Liventia & sugillata pulmones arietum pecudumque, in tenues consecti membranas, calidi impositi, vel columbinum fimum. Cutem in facie adeps anseris, vel gallinæ custodit. [4] Lichenas & murino fimo ex aceto illinunt, [5] & cinere herinacei ex oleo. [6] In hac curatione prius nitro ex aceto faciem foveri præcipiunt. [7] Tollit ex facie vitia & cochlearum, quæ latæ & minutæ passim inveniuntur, cum melle cinis. Omnium quidem cochlearum cinis spissat, calfacit, [8] smectica vi: & ideo causticis commiscetur, psorisque, & lentigini illinitur. [9] Invenio & formicas Herculaneas appellari, quibus tritis adjecto sale exiguo, talia vitia sanentur. [10] Buprestis animal est rarum in Italia, simillimum scarabæo longipedi. Fallit inter herbas bovem maxime, unde & nomen invenit, devoratumque tacto felle ita inflammat, ut rumpat. Hæc cum hircino sevo illita lichenas ex facie tollit septica vi, [11] ut supra dictum est. Vulturinus sanguis cum chamæleonis albæ ([12] quam herbam esse diximus) radice, & cedria tritus, contectusque brassica, lepras sanat: item pedes locustarum cum sevo hircino triti. [13] Varos adeps gallinaceus cum cæpa tritus, & subactus. Utilissimum & in facie mel, in quo apes sint immortuæ. [14] Præcipue tamen faciem purgat atque erugat cygni adeps. [15] Stigmata delentur columbino fimo ex aceto.

Interpretatio.

a *Anguinæ.*] Senecta *seu pellis* quam angues vere exuunt.

b *Fistula.*] *Osse, qua medullam* fistulæ in morem *includit,* integro.

c *Si ferventia.*] Si calidiore *jure vel carne* os exustum fuerit.

Notæ.

10. *Nam erucæ.*] Vide Notas & Emend. num. V.

11. *Arenulæ, &c.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 36. & Marcellus Empir. cap. 12. pag. 94.

12. *Cochlearum .... cum myrrha.*] Pro myrrha mel adhibet Marcellus Empir. cap. 11. pag. 89. *Cochlearum,* inquit, *inanium exustorum cinis cum melle, gingivis impositus, miro prodest, si sit hæc assidua curatio.*

13. *Item fimo.*] Marcellus Empir. cap. 12. pag. 95. ad verbum. Sextus Platon. parte 2. cap. 6. de corvo, tit. 3. *Ad dentium dolorem: Cavo dentis fimum si imposueris, dentem rumpit, & tollit dolorem.*

Sect. IX. 1. *Oris saporem.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 29. & 30. & Marcellus Empir. cap. 11. pag. 88.

2. *Admiscent quidam.*] Auctores proxime laudati.

3. *Linguæ hulcera.*] Sextus Platon. parte 12. de hirundine, tit. 2. *Ad linguæ vulnera, & labiorum: Hirundines in melle vel mulso, &c.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 30.

4. *Adeps anseris.*] Plinius Valer. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 11. pag. 88.

5. *Si ferventia.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

Sect. X. 1. *Maculas in facie.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130.

2. *Item scobem.*] Marcellus Empir. loc. cit.

3. *Liventia, &c.*] Sextus Platon. cap. 6. de ariete, tit. 4. *Ad livores & sugillationes: Pulmo arietis concisus minutatim, & impositus, statim sanat, & nigras cicatrices ad candorem perducit: & a calciamentis læsos pedes sanat.*

4. *Lichenas, &c.*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130. Plinius Valer. lib. 2. cap. 56.

5. *Et cinere.*] Plinius Valer. loc. cit.

6. *In hac.*] Marcellus Empir. cap. 129, & Plinius Valer. loc. cit.

7. *Tollit ex facie.*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130.

8. *Smectica vi.*] Abstergendi, purgandique vi, a σμήχω, detergo.

9. *Invenio.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 19. pag. 129. Hisce formicis Herculanearum nomen inditum ex re fuisse suspicamur, quod sint ceteris grandiores & atriores.

10. *Buprestis .... rarum.*] Frequens in Africa, auctore Luciano in Dipsadibus Egimus de ea, lib. 22. sect. 36.

11. *Ut supra dictum est.*] Libro 29. sect. 30. ubi de cantharidibus, pityocampis, & buprestis: *Efficacissima omnes ad lepras, lichenasque.* Et paulo antea: *Vis earum adurere corpus, crustas obducere.*

12. *Quam herbam esse diximus.*] Libro 22. sect. 21.

13. *Varos adeps.*] Vide Notas & Emend. num. VII.

14. *Præcipue tamen.*] Q. Serenus, cap. 12. pag. 131.

Cygneos adipes hilari misceto Lyæo,
Omne malum propere maculosa ex ore fugabis.

15. *Stigmata.*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130.

XI. [1] Gravedinem invenio finiri, si quis nares mulinas osculetur. [2] Uva & faucium dolor mitigatur fimo agnorum, priusquam herbam gustaverint, in umbra arefacto. [3] Uva succo cochleæ acu transfossæ illita, ut cochlea ipsa in fumo suspendatur. [4] Hirundinum cinere cum melle: sic & tonsillis succurritur. Tonsillas & fauces lactis ovilli gargarizatio adjuvat. Multipeda trita, [5] fimum columbinum cum passo gargarizatum, etiam cum fico arida ac nitro impositum extra, asperitatem faucium & distillationes leniunt. [6] Cochleæ coqui debent illotæ: demptoque tantum a terreno conteri, & in passo dari potui. Sunt qui Astypalæicas efficacissimas putent, & smegma earum. Lenit & gryllus infricatus: aut si quis manibus, quibus eum contriverit, tonsillas attingat.

XII. [1] Anginis felle anserino cum elaterio & melle citissime succurritur: cerebro noctuæ, [2] cinere hirundinis, ex aqua calida poto. Hujus medicinæ auctor est Ovidius poeta. [3] Sed efficaciores ad omnia quæ ex hirundinibus monstrantur, pulli silvestrium. [4] Figura nidorum eas deprehendit. [5] Multo tamen efficacissimi ripariarum pulli. Ita vocant in riparum cavis nidificantes. [6] Sunt qui cujuscumque hirundinis pullum edendum censent, ne toto anno metuatur id malum. [7] Strangulatos cum sanguine comburunt in vase, & cinerem cum pane aut potu dant. Quidam & mustelæ cineres pari modo admiscent. Sic & ad strumæ remedia dant: & comitialibus quotidie potu. In sale quoque servatæ hirundines ad anginam una drachma bibuntur: cui malo & nidus earum mederi dicitur potus. [8] Millepedam illini anginis, efficacissimum putant. [9] Alii XXI. tritas in aquæ mulsæ hemina dari per arundinem, quoniam dentibus tactis nihil prosint. [10] Tradunt & murem cum verbenaca excoctum, si bibatur is liquor, remedio esse. [11] Et corrigiam caninam ter collo circumdatam: fimum columbinum vino & oleo permixtum. Cervicis nervis & opisthotono, ex milvi nido [12] surculus viticis adalligatus auxiliari dicitur. [13] * Strumis exhulceratis mustelæ sanguis: ipsa decocta in vino: [14] non tamen sectis admovetur. Aiunt & cibo sumptam idem efficere. Vel cineri ejus sarmentis combustæ miscetur axungia. Lacertus viridis adalligatur: post dies XXX. oportet alium adalligari. [15] Quidam cor ejus in argenteo vasculo servant, ad feminarum strumas. [16] Veteres cochleæ cum testa sua tusæ illinuntur, maxime quæ frutectis adhærent. [17] Item cinis aspidum cum sevo taurino imponitur. [18] Anguinus adeps mixtus oleo: Item anguium cinis ex oleo illitus, vel cum cera. [19] Edisse quoque eos medios, abscissis utrimque extre-

* Cap. VI.

Interpretatio.

a *Terreno.*] Excussa terra *quæ cochleis adhæserit.*

Notæ.

Sect. XI. 1. *Gravedinem.*] Græcis κόρυζα, humoris a capite fluxio, sive pituita, quæ nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet. *Fluxion, rheume.* Celsus, lib. 4. cap. 2. Vide Notas & Emend. num. VIII.

2. *Uva & faucium.*] Iisdem verbis Marcellus Empir. cap. 14 pag. 102.

3 *Uva succo.*] Marcellus Empir. loc. cit. *Succo cochleæ acu transfossæ illita uva sanatur: ita ut ipsa cochlea in fumo postea suspendatur.*

4. *Hirundinum.*] Marcellus Empir. cap. 14. pag. 99. *Hirundinum exustarum cinis, usque ad periculum laboranti uvæ, cum melle mixtus, potenter illinitur.* Sextus Platon. parte 2. cap. 12. de hirundine, tit. 1. *Ad faucium dolorem*

5. *Fimum columbinum.*] Marcellus Empir. cap. 14. pag. 102 *Fimum columbinum, ficus aridas, & nitrum tundes, eaque mixta extrinsecus appones: hoc medicamentum asperitatem faucium, destillationemque castigat.*

6. *Cochleæ.*] Vide Notas & Emend. num. IX

7. *Aut si quis manibus.*] Q. Serenus, cap 17 pag. 135.

Quos autem vocitant tolles, attingere dextra
Debebis, qua gryllus erit prensante peremptus.

Festus: *Tolles, tumor in faucibus, quæ per diminutionem tonsillæ dicuntur.* Marcellus Empir cap. 15. pag. 106 *Si quis gryllum manu contriverit, & ad tonsillas, vel suas, vel alterius, tenens ter applicuerit, tactu illo tumorem sanabit.*

Sect. XII. 1. *Anginis.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 52.

2. *Cinere hirundinis.*] Dioscor. lib. 2. cap. 80 & Marcellus Empir. cap. 15. pag. 105.

3. *Sed efficaciores.*] Plinius Valer. loc. cit.

4 *Figura nidorum.*] Describitur ea a Plinio, lib. 10. sect. 49. his verbis: *Alterum genus hirundinum est rusticarum & agrestium*, &c.

5. *Multo tamen.*] Iisdem fere verbis Marcellus Empiric. cap. 15. pag. 107. & Plinius Valer. lib 1. pag. 52.

6. *Sunt qui cujuscumque.*] Corn. Celsi similis hæc oratio, libro 4. cap. 4 *Vulgo audio, si quis pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari: servatumque eum ex sale, cum is morbus urget, comburi, carbonemque ejus contritum in aquam mulsam, quæ potui datur, infricari, & prodesse. Id cum idoneos auctores ex populo habeat, neque habere quidquam periculi possit, quamvis in monumentis medicorum non legerim, tamen inserendum huic operi meo credidi.* Sic etiam Plinius Valerianus, loco cit.

7. *Strangulatos.*] Plinius Valer. loco cit.

8. *Millepedam.*] Oniscon, sive porcellionem intellige, de quo lib. 29. sect. 39. Diosc. lib. 2. cap. 38. de eo genere: Διαχρισθέντες δὲ μετὰ μέλιτος συνάγχαις ὠφελοῦσι. *Illiti cum melle, anginæ correptis prosunt.*

9. *Alii XXI. tritas.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 52. cui lemma inscriptum, *Anginæ medendo: Millepedæ*, inquit, *numero viginti & una, tritæ in aqua mulsæ hemina, aut aceti, melle addito, decoquuntur, donec lentescat totum quod coquitur, & sic imponitur.* Et in alio genere morbi Marcellus Empir. eodem medicamento usus, cap. 35. pag. 240. *In locis humidis*, inquit, *& sordidis, sub lapidibus inveniuntur bestiolæ multipedes, quæ contactu contrahuntur, & rotundantur: ex his bestiolæ XXI. contritæ cum optimo melle, & ex aqua potui per fistulam datæ, paralyticis medentur: ideo autem per fistulam potandæ sunt, ne dentibus noceant, quos si contigerint, nigrificant.*

10. *Tradunt.*] Marcellus Empiric. cap. 15 pag. 109. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 45.

11. *Et corrigiam. &c.*] Auctores proxime citati. Usus est ad anginam curandam canino fimo Galenus, ipso teste, lib. 10. simpl.

12. *Surculus viticis.*] Sic Reg. 1. 2. Th. & alii: non *vitis*, ut editi.

13. *Strumis.*] Sextus Platon. cap. 20. de mustela, tit. 2. Marcellus Empir. cap 15. pag. 109. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 29.

14. *Non tamen sectis.*] A Chirurgo sanare eas vel sic conante.

15. *Quidam cor ejus.*] Marcellus Empir. cap 15. pag. 107. *Contra strumas, & feminis, & maribus utilissimum est, si cor lacertæ viridis lupino argenteo clausum, in collo suspensum semper habeant.*

16. *Veteres cochleæ, &c.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 29. *Strumis profligandis: Cochleæ cum suis testis tusæ ad hoc faciunt optime, quæ falcibus adhærent.*

17. *Item cinis.*] Plinius Valer. loc. cit.

18. *Anguinus.*] Plinius Valer. loc. cit.

19. *Edisse quoque.*] Plinius Valer. loc. cit.

mis artubus, adversus strumas prodest: vel cinerem bibisse in novo fictili ita crematorum: efficacius multo inter duas orbitas occisorum. Et gryllum illinire cum sua terra effossum suadent: [20] item fimum columbarum per se, vel cum farina hordeacea, aut avenacea ex aceto. [21] Talpæ cinerem ex melle illinire. [22] Alii jecur ejusdem contritum 5 inter manus illinunt, & triduo non abluunt. Dextrum quoque pedem ejus remedio esse strumis affirmant. [23] Alii præcidunt caput, & cum terra a talpis excitata tusum digerunt in pastillos, [24] pyxide stannea, & utuntur ad omnia quæ intumescunt, & quæ apostemata vocant, quæque in cervice sint: vescique suilla tunc vetant. [25] Tauri vocantur scarabæi terrestres, ricino similes: nomen cornicula dedere. Alii pediculos terræ vocant. Ab his 10 quoque terram egestam illinunt strumis, & similibus vitiis, & podagris. Triduo non abluunt: prodestque hæc medicina in annum. Omniaque his adscribunt, quæ nos in gryllis retulimus. [26] Quidam & a formicis terra egesta sic utuntur. [27] Alii vermes terrenos totidem, quot sint strumæ, adalligant, pariterque cum his arescunt. Alii viperam circa Canis ortum circumcidunt, [28] ut diximus, dein mediam comburunt, dein cine-15 rem eum dant bibendum ter septenis diebus, quantum prehenditur ternis digitis; sic strumis medentur. [29] Aliqui vero circumligant eas lino, quo præligata infra caput vipera pependerit, donec exanimaretur. [30] Et millepedis utuntur, addita resinæ terebinthinæ parte quarta: quo medicamento omnia apostemata curari jubent.

XIII. [1] Humeri doloribus mustelæ cinis cum cera medetur. [2] Ne sint alæ hirsutæ for-20 micatum ova pueris infricata præstant. Item mangonibus, ut lanugo tardior sit pubescentium, sanguis e testiculis agnorum, qui castrantur: qui evulsis pilis illitus & contra virus proficit.

XIV. [1] Præcordia vocamus uno nomine exta in homine: [2] quorum in dolore cujuscumque partis, si catulus lactens admoveatur, apprimaturque his partibus, transire in 25 eum morbus dicitur. Idque in exenterato, [3] perfusoque vino deprehendi, vitiato viscere illo quod doluerit hominis: [a] [4] & obrui tales religio est. Hi quoque, quos Melitæos vocamus, stomachi dolorem sedant applicati sæpius. [5] Transitque morbos ægritudine [* Cap. VI.] eorum intelligitur, plerumque & morte. * Pulmonis quoque vitiis medentur & mures, maxime Africani, detracta cute in oleo & sale decocti, atque in cibo sumpti. Eadem 30 res & purulentis vel cruentis exscreationibus medetur.

XV. [1] Præcipue vero cochlearum cibus stomacho: in aqua eas subfervefieri intacto corpore earum oportet, mox & in pruna torreri, [2] nihilo addito, [3] atque ita e vino

INTERPRETATIO.

a *Et obrui.*] Et terra obrui mortuos catulos e religione est.

NOTÆ.

20. *Item fimum.*] Idem medicamentum & ad parotidas adhibitum est, libro superiore, sect. 39. sub finem. Sic quoque Plinius Valer. lib. 3 cap 29.

21. *Talpæ*] Sextus Platon. cap. 22. de talpa, tit. 2. *Ad glandulas.* Marcellus Empir. ad verbum, cap 15. pag 109. & Plinius Valer. loc. cit.

22. *Alii jecur*] Sic auctores proxime appellati.

23. *Alii præcidunt.*] Plinius Valer loc cit. & Marcellus Empiric. cap. 15. pag. 108. Nec dispar e talpa medicina laudatur ab auctore Kiranidum, pag. 104 ad parotidas, scrofulas, & quævis apostemata.

24. *Pyxide stannea.*] Subintellige, conduntque: quam vocem non prætermisere auctores proxime appellati.

25. *Tauri vocantur.*] Nihil hi commune habent cum Lucanis scarabæis, nostrisque cervulis volucribus, de quibus dictum est lib. xi. sect. 34. quanquam ita Scaligero, Dalecampioque, & Constantino visum: Nam ταυρώδης scarabæus erat tantum bovis in morem ὀπίσθεν, bicornis, ut tradit Horus, lib. 1. Hieroglyph. 10. pag. 14.

26. *Quidam & a formicis.*] Hoc remedium ad scabiem, pruritumque retulit Q. Serenus, cap. 7. pag. 128.

Proderit ex oleo pulvis, quem congerit alte
Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.

27. *Alii vermes.*] Plinius Valerianus, lib 3 cap. 29. ad verbum.

28 *Ut diximus.*] Hoc est, ternis utrimque, sive & a capite & a cauda digitis amputatis, ut dictum est libro 29. sect. 21.

29. *Aliqui vero.*] Plinius Valer. totidem verbis, loc. cit. Et huc pertinet, quod habet Marcellus Empiric. cap. 15. pag. 108. *Caput viperæ linteolo colligatum, colloque suspensum, tolles optime sanat, aut prohibet innasci synanchen.*

30. *Et millepedis.*] Plinius Valer. ad verbum, loco cit.

Sect. XIII. 1. *Humeri doloribus.*] Marcellus Empir. cap. 18. pag. 127. Humeri dolorem mustelæ exustæ cinis tritus, & cum cera permixtus ac subactus, & ceroti more impositus, mire sanat. Pro cera ovum adhibet Plinius Valer. lib. 1. cap. 55.

2. *Ne sint alæ.*] Vide Notas & Emend. num. X

Sect. XIV. 1. *Præcordia.*] Plinius Valer. lib. 2 cap. 15. *Universum, inquit, præcordia appellamus, quæ aliqui in plura dividunt vocabula: vocantes modo stomachum, ubi in causa sit, interdum jecur, interdum præcordia.*

2. *Quorum in dolore.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 15. ad verbum. Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196. *Ut explorare possis ex latentibus morbis, quis sit ille qui vexat infirmum, comprehendique qualitas vitii & pars viscerum possit, catulus feta canis lactens die ac nocte cum eo qui laborat, accumbat. Is postea sectus inspicitur, translatusque in eo morbus haud difficile notatur: ita tamen ut æger ei lac de suo ore frequenter infundat.*

3. *Perfusoque vino.*] Ita MSS. Reg & Th non *profuso*, ut editi. Marcellus Empir. loc. cit. infundi lac jubet. Idem, cap. 21. pag 154. exenteratum catulum perfundi vino.

4. *Et obrui.*] Plinius Valer. loc. cit. de catulo ægris apposito: *Quo defuncto*, inquit, *obrui moris est.* Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196. *Eum tamen catulum, cum fuerit extinctus, obrui oportet.* Ipse noster inferius, sect. 20. ubi eamdem medicinam repetit: *Mori*, inquit, *& humari debere eos obrutos terra.* Q. Serenus, cap. 25. de præcordiis sanandis, pag. 141.

Quin etiam catulum lactentem apponere membris
Convenit: omne malum transcurrere fertur in illum:
Cui tamen extincto munus debetur humandi,
Humanos quia contactus mala tanta sequuntur, &c.

5. *Transitque.*] Marcellus Empir. loc. cit *Nec ab re est, si triduo idem catulus vivens cum ægro maneat: vitium enim ægri transire in eum usque adeo certum est, ut moriatur catulus, hominemque morbis latentibus releves.*

Sect. XV. 1. *Præcipue vero.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 2 cap. 15.

2. *Nihilo addito.*] Sic MSS. omnes. Plinius Valer. has voces neglexit, cum ceteras summa fide transscriberet.

3. *Atque ita e vino garoque.*] Marcellus Empir. cap. 20. pag. 141. *Stomacho laborantis cochleæ prosunt, si in aqua ferveant,*

garoque

garoque fumi, præcipue Africanas. Nuper hoc compertum plurimis prodesse. Id quoque observant, ut numero impari fumaotur. Virus tameo earum gravitatem halitus facit. [4] Prosunt & sanguinem exscreantibus, dempta testa tritæ in aquæ potu. Laudatissimæ autem sunt Africanæ: [6] ex his Solitanæ: Astypalæïcæ, & Siculæ modicæ, quoniam magnitudo duras facit & sine succo: Balearicæ, quas cavaticas vocant, quoniam in speluncis nascuntur. [7] Laudatæ & ex insulis, Caprearum. Nullæ autem cibis gratæ, [a] neque veteres, neque recentes. [8] Fluviatiles & albæ virus habent: [9] nec silvestres stomacho utiles, alvum solvunt. Item omnes minutæ. [10] Contra marinæ stomacho utiliores: efficacissimæ tamen in dolore stomachi. [11] Laudatiores traduntur quæcumque vivæ cum aceto devoratæ. Præterea sunt [12] quæ aceratæ vocantur, latæ, multifariam nascentes, de quarum usu suis dicemus locis. [13] Gallinaceorum ventris membrana inveterata & inspersa potioni distillationes pectoris & humidam tussim, vel recens tosta lenit. [14] Cochleæ crudæ tritæ cum aquæ tepidæ cyathis tribus si sorbeantur, tussim sedant. Distillationes sedat & canina cutis cuilibet digito circumdata. Jure perdicum stomachus recreatur.

XVI. Jocineris doloribus medetur mustela silvestris in cibo sumpta, vel jocinera ejus. [1] Item viverra porcelli modo inassata. Suspiriosis multipedæ, ita ut ter septenæ in Attico melle diluantur, [2] & per arundinem bibantur. Omne enim vas earum nigrescit contactu. Quidam torrent ex his sextarium in patina, donec candidæ fiant: tunc melle miscent. Alii centipedam vocant, & ex aqua dari jubent. [3] Cochleæ in cibos his quos linquit animus, aut quorum alienatur mens, aut quibus vertigines fiunt, ex passi cyathis tribus singulæ contritæ cum sua testa & calefactæ, in potu datæ diebus plurimum novem. [4] Aliqui singulas primo die dedere, sequenti binas, tertio ternas, quarto duas, quinto unam. Sic & suspiria emendant [5] & vomicas. Esse animal locustæ simile sine pennis, [6] quod troxalis Græce vocetur, Latinum nomen non habeat, aliqui arbitrantur: nec pauci auctores hoc esse quod gryllus vocetur. Ex his xx. torreri jubent, ac bibi e mulso contra orthopnœas, sanguinemque exspuentibus. Est qui cochleis illotis protropum infundat, vel marinam aquam, ita decoquat, & in cibo sumat: aut si tritæ cum testis suis sumantur cum protropo: sic & tussi medentur. [7] Vomicas privatim sanat mel in quo apes sint demortuæ. [8] Sanguinem rejicientibus pulmo vulturinus vitigineis lignis combustus, adjecto flore mali Punici ex parte dimidia, item cotoneorum liliorumque iisdem portionibus potus mane atque vesperi in vino, si febres absint. Si minus, ex aqua in qua cotonea decocta sint.

XVII. [b] [1] Pecudis lien recens Magicis præceptis super doleotem lienem extenditur, dicente eo qui medeatur, lieni se remedium facere. Post hoc jubent eum in pariete [c] dormitorii ejus [2] tectorio includi, & obsignari anulo, terque novies carmen dici.

INTERPRETATIO.

a *Neque.*] Neque nimium veteres, neque nimium recentes.

b *Pecudis.*] Agni.

c *Dormitorii.*] Cubiculi.

NOTÆ.

& sic carbonibus torreantur, atque ita ex anogaro fumantur, impari numero. Et pag. 308. *Cochleas, sed veras Africanas, conditas ex sale, & pauca alet coctas, sed non purgatas, qui jejunus ternas aut quinas quotidie & frequenter sumpserit, rarissimo stomachi dolore vexabitur. Certe si carbonibus tosta fumantur, melius prosunt*

4. *Prosunt &*] Marcellus Empir. cap. 16. pag. 120. *Ad exscreationem cruentam remedium sic. Cochlea elixatæ teruntur, & ex aqua calida a jejuno bibuntur. Necnon ad idem cochlea inlota ex aqua marina coquuntur, & devorantur.*

5. *Laudatissimæ.*] Dioscor. lib. 2. cap. 11. laudat impense Sardonias, Africanas, Astypalæicas, Siculas, Chias, & quæ in Alpibus Liguriæ nascuntur.

6. *Ex his Solitanæ.*] Ex Africanis, inquit, laudatissimæ Solitanæ. Plinius, lib. 9. sect. 82. de cochleis: *Africanæ,* inquit, *quibus fecunditas: Solitanæ, quibus nobilitas.* Vide quæ ibi diximus in Notis

7. *Laudatæ.*] Inter eas quæ nascuntur in insulis, est, inquit, etiam aliqua commendatio earum quæ nascuntur in Capreis, Tiberii principis arce nobilibus, ut dictum est libro 3. sectione 12.

8 *Fluviatiles.*] Dioscor. lib. 2. cap. 11. Ὁ δὲ ποτάμιος βρωμώδης, olidi gustus.

9. *Nec silvestres.*] Vide Notas & Emend. num. XI.

10. *Contra marinæ.*] Diosc. lib. 2. cap. 11.

11. *Laudatiores.*] Subintellige ex antecedentibus, in dolore stomachi. Vide Notas & Emend. num. XII.

12. *Quæ aceratæ.*] Ἀκέραιοι, integræ, perfectæ. Aceratarum porro cognomen nusquam alibi nobis occurrit: latarum sæpius.

13 *Gallinaceorum.*] Probat hoc medicamentum Marcellus Empir. cap 16. pag 116. Probat & Plinius Valer. lib. 1. cap 58.

14. *Cochlea cruda.*] Plinius Valer. loco cit.

Sect. XVI. 1 *Item viverra.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 5. & Marcellus Empiric. cap. 22. pag. 156. *Viverra tosta,* inquit, *porcelli lactentis modo inassata, & cibo data, mire jocineroso succurrit.*

2. *Et per arundinem.*] Ne dentibus noceant, quos alioqui nigrore inficerent, ut diximus sect. 12.

3 *Cochlea in cibos.*] Totidem verbis Marcellus Empiric. cap. 3 pag 39 & 40. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 15.

4. *Aliqui singulas*] Marcellus Empir. loco cit. & cap. 20. pag. 152.

5. *Et vomicas.*] Marcellus Empiric. cap 3. pag 40. *Sic etiam ad suspiria, & vomitus prodest.* Sic vomicam iterum Plinius, lib. 29 sect. 17. pro vomitione dixit Et mox hac ipsa sect. pro purulentis exscreationibus, ut quidem videtur.

6. *Quod troxalis.*] Sic in Indice scribitur ea vox, ex MSS. Reg. 1. & 2. & Colb 3. quem Indicem exscripsimus in Notis & Emend. ad librum 29 num. XXXII. Sic etiam Ælianus, lib. 6. hist. anim. cap. 19. *Καὶ μὴ σιωπῶσαν τρωξαλίδα, nec silentem troxalida*: strepere eam, ut gryllum, significat.

7. *Vomicas privatim.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 23 *Apostemata interiora vomicas vocamus . . . . . Vomicas sanat privatim mel in quo sint apes demortuæ.* Plinius noster, libro sup. sect. 21 *Puris & sanguinis exscreationes* vocat, quas ille vomicas, loco citato.

8. *Sanguinem, &c.*] Iisdem fere verbis Plinius Valerianus, lib. 1. cap. 61. & 64.

Sect. XVII 1. *Pecudis lien.*] Marcellus Empir. ad verbum, cap. 23. pag. 166 & Plinius Valer lib. 2. cap. 18.

2. *Tectorio includi.*] Calce, vel gypso, vel denique luto.

[3] Caninus si viventi eximatur, & in cibo sumatur, liberat eo vitio. [4] Quidam recentem superilligant. [5] Alii duûm dierum catuli ex aceto scillitico dant ignoranti, [6] vel herinacei lienem. [7] Item cochlearum cinerem cum semine lini & urticæ addito melle, donec persanet. [8] Eo liberat & lacerta viridis, viva in olla ante cubiculum dormitorium ejus, cui medeatur, suspensa, ut egrediens revertensque attingat manu: cinis e capite bubonis cum unguento: mel in quo apes sint mortuæ: araneus, & maxime [9] qui lycos vocatur.

XVIII. [1] Upupæ cor in lateris doloribus laudatur, [2] & cochlearum cinis in ptisana decoctarum, quæ per se illinuntur. Canis rabiosi calvariæ cinis potioni inspergitur. Lumborum dolori stellio transmarinus capite ablato & intestinis, decoctus in vino cum papaveris nigri denarii pondere dimidio, eo succo bibitur. [3] Lacertæ virides decisis pedibus & capite, in cibo sumuntur. [4] Cochleæ tres contritæ cum testis suis, atque in vino decoctæ cum piperis granis xv. Aquilæ pedes evellunt [a] in aversum a suffragine, ita ut dexter dexteræ partis doloribus adalligetur, sinister lævæ. Multipeda quoque, quam [5] oniscon appellavimus, medetur denarii pondere ex vino cyathis duobus pota. [6] Vermem terrenum catillo ligneo ante fisso & ferro vincto impositum, aqua excepta perfundere, & defodere, unde effoderis, Magi jubent, mox aquam bibere catillo, mire id prodesse ischiadicis affirmantes.

Cap. VII. XIX. [1] Dysentericos recreant femina pecudum decocta cum lini semine aqua pota. [2] Caseus ovillus vetus, sevum ovium decoctum in vino austero. [3] Hoc & ileo medetur, & tussi veteri. Dysentericis stellio transmarinus, ablatis intestinis & capite, pedibusque ac cute, [4] decoctus æque & cibo sumptus. [5] Cochleæ duæ cum ovo, utraque cum putamine contrita, atque in vase novo, addito sale & passi cyathis duobus, aut palmarum succo & aquæ cyathis tribus subfervefactis & in potu datis. [6] Prosunt & combustæ, ut cinis earum bibatur in vino addito resinæ momento. Cochleæ nudæ, [7] de quibus diximus, in Africa maxime inveniuntur, utilissimæ dysentericis, quinæ combustæ cum denarii pondere dimidii acaciæ: exque eo cinere dantur cochlearia bina in vino myrtite, aut quolibet austero cum pari modo caldæ. Quidam omnibus Africanis ita utuntur. Alii totidem Africanas, vel latas, [b] infundunt potius. Et si major [c] fluxio sit, addunt acaciam fabæ magnitudine. [8] Senectus anguium dysentericis, & tenesmis in stanneo vase decoquitur cum rosaceo. Vel si in alio, cum stanno [e] illinitur. Jus e gallinaceo iisdem medetur: [9] sed veteris gallinacei vehementius salsum jus alvum ciet. [10] Membrana gallinarum tosta & data in oleo ac sale, cœliacorum dolores mulcet. Abstineri autem a fru-

Interpretatio.

a *In aversum.*] In contrariam partem atque est flexus pedum.

a *Infundunt*] Clystere immittunt.

a *Fluxio.*] Alvi fluxus.

a *Illinitur.*] Ventri illinitur.

Notæ.

De tectorii voce diximus, lib. 28. sect. 71. Vide Notas & Emend num. XIII.

3. *Caninus.*] Auctores proxime appellati, & Sextus Platon. cap 9. de cane, tit 1. *Ad splenem.*

4. *Quidam.*] Sextus Platon. loc. cit. *Quidam incisum fissumque catulum supra splenem ponunt.* Catulum is integrum, lienem solum alii alligari præcipiunt.

5. *Alii duum.*] Marcellus Empiric. cap 23. pag 167. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 18.

6. *Vel herinacei lienem*] Marcellus ac Plinius Valer. locis cit. Item Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 32. pag. 113. sed adhibita simul cautione, quæ minime sit aspernanda. *Ad curandum splenem*, inquit, *recipe herinaceum, jugula coram laborante splene: accipe splenem ejus, pone in clibano, sed remotum ab igne: relinque donec exsiccabitur, & arescet. Quo facto præbe edendum ex illo splene laboranti, at non multum: quia tantum diminuetur splen patientis, quantum comedit ex splene herinacei. Quare cave ne totum devoret, ne pereat.*

7. *Item cochlearum.*] Marcellus ac Plinius Valerianus, locis citatis

8. *Eo liberat*] Plinius Valer. loc. cit. & Marcellus Empir. cap. 23 pag. 166.

9. *Qui lycos vocatur.*] Sive lupus De hoc genere araneorum, lib. xi. sect. 28. Vide Notas & Emendationes, num. XIV

Sect. XVIII. 1. *Upupæ cor.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 55 *Ad laterum dolorem: Upupæ caro* (lege *cor*) *in cibo laudatur.* Sic enim MSS omnes.

2. *Et cochlearum.*] Marcellus Empir. cap. 24. pag. 169. & Plinius Valer loc cit

3 *Lacertæ virides.*] Plinius Valer lib. 2. cap. 45.

4. *Cochleæ tres.*] Q. Serenus, cap. 26. de lumbis & renibus sanandis, pag. 142.

Aut tres ex vino cochleas fervescere coges,
Cumque suis domibus franges: piperis quoque grana
Ter quinque adjicias: potuque juvaberis illo.

Sic etiam Marcellus Empir cap. 25. pag 171. & Plinius Valer. loc. cit

5. *Oniscon appellavimus*] Libro 29 sect. 39.

6 *Vermem terrenum.*] Marcellus Empir. ad verbum, cap. 25. pag. 174. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 45.

Sect XIX. 1. *Dysentericos .... femina pecudum.*] Pulmoni vim parem Marcellus Empir. adscribit, cap 27. pag. 190. *Dysentericos*, inquit, *recreat pulmo pecudis, id est, ovis, decoctus cum lini semine, ita ut & caro manducetur, & aqua illa potetur.*

2. *Caseus ovillus.*] Marcellus Empir. cap. 27. lib. 193 & Plinius Valer. lib. 2. cap. 26

3. *Hoc & ileo.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 33.

4. *Decoctus æque.*] Ut jam dictum est ad lumborum dolorem, sect. sup

5. *Cochleæ duæ.*] Marcellus Empir. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 33.

6. *Prosunt &*] Galenus, lib. xi. de facult simp. med. cap. 1. pag. 309. Plinius Valer. lib. 2. cap. 27. & 33.

7 *De quibus diximus.*] Libro 29. sect. 36. statim initio. Eadem ferme cum Plinio tradit Galenus, lib. 9. κατὰ τόπους, cap. 5. pag. 616.

8 *Senectus anguium.*] Iisdem fere verbis Marcellus Empir. cap. 27. pag. 194. & cap. 39. pag 202. Item Plinius Valer. lib. 2. cap. 24.

9. *Sed veteris gallinacei.*] Vide Notas & Emendationes, num XV.

10. *Membrana.*] Explicatius aliquanto Dioscor. lib 2. cap. 53. *Quæ in gallinaceo*, inquit, *interna ventriculi parte membrana substernitur, cornu instar firma ac pellucida, quæque inter coquendum excoriari solet, arefacta, tritaque, & in vino pota, στομαχικοῖς, stomachicis confert.* Negat hoc esse verum Ga-

gibus ante & gallinam & hominem oportet. [11] Fimum columbinum tostum potumque. Caro palumbi in aceto decocta dysentericis & cœliacis medetur. Turdus inassatus cum myrti baccis, dysentericis: [12] item merulæ. Mel, in quo sint immortuæ apes, decoctum.

XX. [1] Gravissimum vitium ileos appellatur. [2] Huic resisti aïunt discerpti vespertilionis sanguine: etiam illito ventre subveniri. [3] Sistit alvum primum cochlea, [4] sicut diximus in suspiriosis, temperata. Item cinis earum quæ vivæ crematæ sint, potus ex vino austero. [5] Gallinaceorum jecur assum, aut ventriculi membrana, quæ abjici solet, inveterata, admixto papaveris succo. Alii recentem torrent ex vino bibendam. Jus perdicum, & per se ventriculus contritus ex vino nigro. [6] Item palumbus ferus, e posca decoctus. Lien pecudis tostus, & in vino tritus. [7] Fimum columbinum cum melle illitum. [8] Ossifragi venter arefactus & potus, iis qui cibos non conficiunt, utilissimus, vel si manu tantum teneant capientes cibum. Quidam adalligant ex hac causa, sed continuare non debent: maciem enim facit. [9] Sistit anatum masculatum sanguis. Inflationem discutit cochlearum cibus. [10] Tormina lien ovium tostus, atque e vino potus: [11] palumbus ferus ex posca decoctus: apodes ex vino: cinis ibidis sine pennis crematæ potus. Quod præterea traditur in torminibus, mirum est; [12] anate apposita ventri transire morbum, anatemque emori. Tormina & melle curantur, in quo sunt apes immortuæ, decocto. [13] Coli vitium efficacissime sanatur, ave galerita assa in cibo sumpta. Quidam in vase novo cum plumis exuri jubent, conterique in cinerem, bibique ex aqua cochlearibus ternis per quatriduum: quidam cor ejus adalligari femini: alii recens tepensque adhuc devorari. Consularis [14] Asprenatum domus est, in qua alter e fratribus [a] colo liberatus est, ave hac in cibo sumpta, & corde ejus armilla aurea incluso: alter sacrificio quodam, facto crudis laterculis ad formam camini, atque ut sacrum peractum erat, obstructo sacello. [15] Unum est ossifrago intestinum mirabili natura, omnia devorata conficienti. Hujus partem extremam adalligatam prodesse contra colum constat. Sunt occulti interaneorum morbi, de quibus mirum proditur. [16] Si catuli, priusquam videant, applicentur triduo stomacho maxime ac pectori, & ex ore ægri suctum lactis accipiant, transire vim morbi, postremo exanimari, dissectisque palam fieri ægri causas. Mori & humari debere eos obrutos terra. [17] Magi quidem vespertilionis sanguine contacto ventre, in totum annum caveri dolorem tradunt: [b] [18] aut in dolore, si quis aquam per pedes fluentem haurire sustineat.

XXI. [1] Murino fimo contra calculos illinire ventrem prodest. Herinacei carnem ju- CAP. VIII.

INTERPRETATIO.

a *Colo.*] Coli dolore.

b *Aut in.*] Aut si ventriculus dolet cuipiam, liberatur is, si aquam bibat, unde pedes laverit.

NOTÆ.

lenus, lib. xi. de fac. simp. med. cap. 1. pag. 303 Contra Dioscoridi, Plinioque Marcellus Empir subscribit, cap. 27. pag. 193. *Membrana, quæ est in ventriculo gallinæ, siccata & trita, & cum vino austero, cœliaco jejuno potui data medetur: ita ut ipsa gallina prius vel biduo abstineatur a cibo, & qui potionem accepturus est, ante diem frugi sit, & non cœnet.* Sic etiam Plinius Valer lib. 2. cap. 26.

11. *Fimum columbinum.*] Plinius Valer. loco citato ad verbum.

12. *Item merulæ.*] Celsus, lib. 2. cap. 30. *Quæ res alvum adstringant: Merula, palumbus,* &c.

Sect. XX. 1. *Gravissimum.*] Quid sit ileos, Celsus explanat his verbis, lib. 4. cap. 13. *Inter ipsa vero intestina consistunt duo morbi, quorum alter in teniore, alter in pleniore intestino est.... Diocles Carystius tenuioris intestini morbum χορδαψὸν, plenioris εἰλεὸν, nominavit. A plerisque video nunc illum priorem, εἰλεὸν, (hos Plinius hoc loco sequitur) hunc κωλικὸν nominari. Sed prior modo supra umbilicum, modo sub umbilico dolorem movet. Fit ex alterutro loco inflammatio: nec alvus, nec spiritus infra transmittitur. Si superior pars affecta est, cibus: si inferior, stercus per os redditur,* &c. Idem lib. 2. cap 8. *Morbus intestini tenuioris, nisi resolutus est intra septimum diem, occidit.*

2. *Huic resisti.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 27. pag 194. & Plinius Valer lib. 2. cap. 33.

3. *Sistit alvum.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 197.

4. *Sicut diximus*] Sect 16.

5. *Gallinaceorum.*] Plinius Valer. lib. 2. cap 27.

6. *Item palumbus.*] Celsus, lib. 1 cap 30. Marcellus Empir. cap. 27. pag. 192. decoqui ex passo jubet: e posca Plinius Valer. lib 1. cap. 27.

7. *Fimum columbinum.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196. & Plinius Valer. lib. 2. cap 27.

8 *Ossifragi.*] Marcellus Empir. cap 20 pag. 143. *Contra dolorem stomachi.... venter quoque ossifragi arefactus & potioni aspersus plurimum prodest* Et pag. 145. *Ossifragi venter madefactus, appositusque his, ad stomachum, qui cibos non conficiunt, utilissimus est: vel etiamsi tantum manu teneatur, plurimum juvat.* Plinius Valer. lib. 1. cap. 15. cui titulus, *Præcordiorum dolori curando: Ossa fragi*, inquit, *arefacta prosunt, etiamsi teneantur in manu, dum cibus sumitur.* Imperite: sive scriptoris id vitium sit, seu librariorum.

9. *Sistit & anatum.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 27.

10. *Tormina.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 22.

11. *Palumbis &c.*] Plinius Valerianus, loc. cit.

12. *Anate apposita.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 190. & Plinius Valer lib. 2. cap. 22. Idem de rana ventri apposita Marcellus prodit, pag. 196.

13. *Coli vitium.*] Diosc. totidem verbis, lib. 2. cap. 59. Q. Serenus, cap 32. pag. 146. *de colo sedando:*

Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt, &c.

Marcellus Empiric. cap. 39. pag 202. *Colo, & omnibus intestinorum doloribus, & tam hominibus, quam jumentis ex hac re laborantibus, efficacissime subvenit avis galerita, quæ Gallice alauda dicitur: sive ipsa assata in cibo sumatur, sive cum plumis suis combusta redigatur in cinerem: atque ex eo diligentissime trito terna cochlearia ex aqua calida potui per triduum dentur.* Et pag. 207. *Corydalus avis*, &c.

14. *Asprenatum.*] Ut ceteros sileam, Caïo Cæsare Germanico imperante, L. Nonius Asprenas Consulatum gessit.

15. *Unum est ossifrago.*] Marcellus Empir. cap. 39. pag. 202. *Unicum est intestinum ossifragi, miræ naturæ, quod omnia devorata citissime conficit: hujus pars extrema colligatur & reponitur: & cum opus fuerit, ventri laborantis alligatur: remedio isto omnes intestinorum dolores citissime sedat.*

16. *Si catuli.*] Vide quæ dicta sunt sect. 14. sunt enim hic paria, ac plane gemina.

17. *Magi quidem.*] Marcellus Empir. cap 27. pag. 190. & cap. 28. pag. 202.

18. *Aut in dolore.*] Marcellus Empir. cap. 28. pag. 202. *Si ventriculus perversatus fuerit alicui, aquam bibat, unde pedes laverit suos*

Sect. XXI. 1. *Murino fimo.*] Diosc. lib. 2. cap. 98. murino fimo calculos expelli ait, si cum thure & mulso bibatur. Pli-

cundam esse aïunt, si capite percusso uno ictu interficiatur, prius quam in se urinam reddat: [2] eos qui carnem ederint, stranguriæ morbum contrahere minime posse. Hæc caro ad hunc modum occisi, stillicidia in vesica emendat: item suffitus ex eodem. [4] Quod si urinam in se reddiderit, eos qui carnem ederint, stranguriæ morbum contrahere traditur. [5] Jubent & vermes terrenos bibi aut vino aut passo ad comminuendos cal-
5 culos, vel cochleas decoctas, [6] ut in suspiriosis. Easdem exemptas testis tritasque, tres in cyatho bibi, sequenti die duas, tertia die unam, ut stillicidium urinæ emendent. [7] Testarum vero inanium cinerem ad calculos pellendos. Idem hydri jecur bibi, vel cinerem scorpionum in pane sumi, vel si quis cum locusta edit. [8] Lapillos qui in gallinaceorum
10 vesica, aut in palumbium ventriculo inveniantur, conteri, & potioni inspergi. [9] Item membranam e ventriculo gallinacei aridam: vel si recens sit, tostam. [10] Fimum quoque palumbinum in faba sumi contra calculos & alias difficulates vesicæ. [11] Similiter plumarum cinerem palumbium ferorum ex aceto mulso. [12] Et intestinorum ex his cinerem cochlearibus tribus. [13] E nido hirundinum glebulam dilutam aqua calida. [14] Ossifragi ventrem are-
15 factum. [15] Turturis fimum in mulso decoctum, vel ipsum discoctæ jus. [16] Turdos quoque edisse cum baccis myrti prodest urinæ: [17] cicadas tostas in patellis: [18] millepedam oniscon bibisse: [19] & in vesicæ doloribus decoctum agninorum pedum. [20] Alvum ciet gallinaceorum discoctorum jus, & acria mollit. [21] Ciet & hirundinum fimum, adjecto melle subditum.

20 XXII. [1] Sedis vitiis efficacissima sunt, œsypum: quidam adjiciunt pompholygem & rosaceum: canini capitis cinis: senecta serpentis ex aceto: [2] si rhagades sint, cinis fimi canini candidi cum rosaceo: aïuntque inventum Æsculapii esse, eodemque & verrucas efficacissime tolli: murini fimi cinis, adeps cygni, sevum bovis. [3] Procidentia ibi succus cochlearum punctis evocatus illitu repellit. Attritis medetur cinis muris silvatici cum mel-
25 le: [4] fel herinacei, cum vespertilionis: & anserinus cum cerebro, & alumine, & œsypo. [5] Fimum columbinum cum melle. [6] Condylomatis privatim araneus dempto capite pedibusque infricatus. [a] Ne acria perurant, [7] adeps anserinus cum cera Punica, cerussa, rosaceo: [8] adeps cygni. [9] Hæc & hæmorrhoïdas sanare dicuntur. [10] Ischiadicis cochleas crudas tritas cum vino Ammineo & pipere potu prodesse dicunt: lacertam viridem in
30 cibo ablatis pedibus, interaneis, capite. Sic & stellionem, adjectis huic papaveris nigri

INTERPRETATIO.

a *Ne acria.*] Ne acrioris humoris fluxus sedem perurat.

NOTÆ.

nius Valer. lib. 2. cap. 39. Marcellus Empir cap. 26. pag 176. *Ad urinæ difficultatem, murino fimo summitatem veretri, vel imum ventrem illitus prodest.*

2. *Eos qui carnem.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 180. *Herinacei caro optime decocta, atque in cibo sumpta, stranguriosis mire subvenit, & cito naturalem urinæ cursum relaxat.*

3. *Item suffitus ex eodem.*] Ex felle fieri suffitus præcipit Habdarrahmanus Ægyptius, cap 32. pag. 114. *Felle herinacei cum pomorum corticibus, si ter sub vestimentis suffumigabis laborantem dysuria, curabitur.*

4. *Quod si urinam.*] Reddunt enim in desperatione urinam tabificam ac tergori suo carnique noxiam, ut dictum est lib. 8. sect. 56.

5. *Jubent & vermes.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 39.

6. *Ut in suspiriosis.*] De quibus diximus, sect. 16. Sic etiam Plinius Valer. loc. cit.

7. *Testarum vero.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag 181. & Plinius Valer. loc. cit.

8. *Lapillos*] Marcellus Empir. cap. 26 pag. 176. *Contra calculum, & alias difficultates vesicæ, lapillum qui in gallinacei vesica, aut palumbi ventriculo*, &c. Totidem verbis pariter Plinius Valer. lib. 2. cap. 39.

9. *Item membranam.*] Marcellus Empir. loc. cit.

10. *Fimum quoque.*] Q. Serenus, cap. 33. pag. 146. Plinius Valer. loc. cit. *Vesicæ & calculo purgando. Fimus palumborum in sorbitione ex faba fracta bibitur.* Sic etiam Marcellus Empiric. cap. 26. pag. 181.

11. *Similiter.*] Totidem syllabis Plinius Valer. loc. cit.

12. *Et intestinorum ex his.*] Ex palumbis.

13. *E nido.*] Vide Notas & Emend. num. X V I.

14. *Ossifragi.*] Diosc. lib. 2. cap. 58. Φήνης τῆς ὀρνέου, ἣ Ῥωμαιστὶ καλεῖται ὀσίφραγον· τούτου ἡ κοιλία κατ᾽ ὀλίγον ποτιζομένη, λίθους ἐξουρεῖν ποιεῖ ἱστορεῖται. Marcellus Empir. cap. 26. pag 180. *Avis ossifragæ ventriculus salitus, ut servari possit, aut exustus, & in pulverem redactus, cum vini potione datus, urinam efficaciter provocat.*

15. *Turturis.*] Galenus, lib. 3. Εὐπορ. pag. 666. tom. 10. Ἄλλο θρύπτον λίθους.... Τρυγόνος ὀρνέου κόπρον λαβὼν, πυριχ μετὰ μελικράτου .... τοὺς λίθους. *Turturis avis stercus combustum ex mulsa prabe: calculos enim per urinam ejicit.* Imponi ceroti modo, non bibi, præcipit Marcellus Empir. cap. 26 pag. 181 & Plinius Valer. lib. 2. cap. 39.

16. *Turdos quoque.*] Plinius Valer. loc. cit.

17. *Cicadas*] Idem Plinius Valer loc. cit Dioscor lib. 2. cap. 56 Τέττιγες ὀπτοὶ ἐσθιόμενοι ... κύστεως ἀλγήμασι βοηθοῦσιν.

18. *Millepedam oniscon.*] Dioscor. lib. 2. cap. 37. Πινόμενοι (ὄνοι) σὺν οἴνῳ βοηθοῦσι δυσουρίᾳ.

19. *Et in vesicæ*] Marcellus Empir. cap. 26 pag. 180 & Plinius Valer. loc cit.

20. *Alvum ciet &c.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 2. pag. 23.

21. *Ciet &c.*] Plinius Valer. loc. cit.

Sect. XXII. 1. *Sedis vitiis.*] Marcellus Empir cap 31. pag 221.

2. *Si rhagades &c*] Marcellus Empir. loc. cit. *Rhagadas*, inquit, *canini capitis usti cinis aspersus adjungit, & stercoris albi canini, betaque cinis inspersus, similiter epulatur.* Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 21. *Ad rhagadas ani: Stercus canis cum rosaceo tritum & impositum, mire sanat.*

3. *Procidentia ibi.*] Nempe in ano, sive sede. Ita M S S. Reg 1. aliique probatiores: non ut editi, *procidentia alvi.* Sic paulo post hac sect. *Tetris ibi hulceribus.*

4. *Fel herinacei.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVII.

5. *Fimum .... cum melle.*] Cum farina, Marcellus Empiricus, cap. 32 pag. 224.

6. *Condylomatis.*] Ad verbum Plinius Valer lib 2. cap 31.

7. *Adeps anserinus &c.*] Ad condylomata hæc pariter medicamina adhibent Marcellus Empir. cap. 31 pag. 222. & cap. 32. pag 225. Item Plinius Valer. loc. cit. Ad ani pruritus, Galenus, lib. 1. Εὐπορ. cap 14. pag. 598

8 *Adeps cygni.*] Marcellus, & Plinius Valer. locis cit.

9 *Hæc &.*] Idem auctores mox appellati.

10. *Ischiadicis.*] Q. Serenus, cap. 38. de ischia, pag. 150. *Aut in Amineo cochleas haurire Lyæo.*

obolis tribus. Ruptis convulsis fel ovium cum lacte mulierum. [11] Verendorum formicationibus verrucisque medetur arietini pulmonis inassati sanies. [12] Ceteris vitiis, vellerum ejus vel sordidorum cinis ex aqua : sevum ex omento pecudis, præcipue a renibus, admixto cinere pumicis & sale : lana succida ex aqua frigida : carnes pecudis combustæ ex aqua : mulæ ungularum cinis : dentis caballini contusi farina inspersa. [13] Testibus vero, farina ex ossibus canini capitis sine carne tusis. [14] Si decidat testium alter, spumam cochlearum illitam remedio esse tradunt. [15] Tetris ibi hulceribus, & manantibus, auxiliantur canini capitis recentis cineres : cochleæ latæ, parvæ, contritæ ex aceto : [16] senectus anguium ex aceto, vel cinis ejus : mel, in quo apes sint immortuæ, cum resina : [17] cochleæ nudæ, quas in Africa gigni diximus, tritæ cum thuris polline & ovorum albo : tricesimoque die resolvunt. Aliqui pro thure bulbum admiscent. [18] Hydrocelicis stelliones mire prodesse tradunt, capite, pedibus, interaneis ademptis, reliquum corpus inassatum : in cibo id sæpius datur : Sicut ad urinæ incontinentiam, [19] caninum adipem cum alumine scisso, fabæ magnitudine : [20] Cochleas Africanas cum sua carne & testa crematas poto cinere. [21] Anserum trium linguas inassatas in cibo : hujus rei auctor est Anaxilaus. [22] Panos aperit sevum pecudum cum sale tosto. [23] Murinum fimum admixto thuris polline, & sandaraca discutit. [24] Lacertæ cinis, & ipsa divisa imposita : [25] item multipeda contrita, admixta resina terebinthina ex parte tertia. Quidam & sinopidem admiscent cochleæ contusæ. [26] Et per se cinis inanium cochlearum ceræ mixtus, discussoriam vim habet. Fimum columbarum per sese, vel cum farina hordeacea, aut avenacea illitum. Cantharides mixta calce panos scalpelli vice auferunt. [28] Inguinum tumorem cochleæ minutæ cum melle illitæ leniunt.

XXIII. [1] Varices ne nascantur, lacertæ sanguine pueris crura jejunis a jejuno illinuntur. * [2] Podagras lenit œsypum cum lacte mulieris & cerussa : [3] fimum pecudum, quod liquidum reddunt : [4] pulmones pecudum : fel arietis cum sevo : mures dissecti impositi : sanguis mustelæ cum plantagine illitus, [5] & vivæ combustæ cinis ex aceto, & rosaceo, si penna illinatur, vel si cera & rosaceum admisceatur : fel caninum, ita ne manu attingatur, sed penna illinatur : [6] fimum gallinarum : [7] vermium terrenorum cinis cum melle, ita ut tertio die solvantur. Alii ex aqua illiniri malunt. Alii ipsos aceto mensura cum melle cyathis tribus, pedibus ante rosaceo perunctis. Cochleæ latæ potæ tollere dicuntur pedum & articulorum dolores. Bibuntur autem binæ in vino tritæ. Eædem illinuntur cum helxines herbæ succo. Quidam ex aceto intrivisse contenti sunt. Quidam sale cum vipera cremato in olla nova, & sæpius sumpto, aïunt podagra liberari. Utile esse & adipe viperino pedes perungi. [8] Et de milvo affirmant, si inveterato tritoque, quantum tres digiti capiant, bibatur ex aqua. [a 9] Aut si pedes sanguine cum urtica : vel pennis palum-

* Cap. IX.

Interpretatio.

a *Aut si pedes.*] Aut si pedes sanguine miluino perungantur, cum urtica trita.

Notæ.

Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 25 pag. 171.

11. *Verendorum &c.*] Plane totidem verbis Marcellus Empir. cap 33 pag 229 & 230. ac Plinius Valer lib. 2 cap. 41. Quid sit formicatio diximus, lib 28. sect. 20. in fine. Sextus Platon. cap. 6. de ariete, tit. 3. *Ad clavculas : Liquoris arietis, quem de pulmone concoquis, stilla superposita, clavculos qui in manibus nascuntur, aut in veretro, illita tollit.* Claviculi e verrucarum genere sunt : nascunturque in manibus, pedibusque : pessimi *in midione*

12. *Ceteris vitiis.*] Auctores proxime appellati hæc totidem verbis habent, usque ad eum locum, *Testibus vero*, &c. Marcellus Empir. in primis, cap. 32. pag. 226. *Arietis quam pinguissima lana, plena suis sordibus, combusta, & in pulverem redacta, prodest plurimum si eo cinere ex aqua locum inguinum perfricueris.*

13. *Testibus vero.*] Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 5. *Ad tumores testiculorum : Calvaria canis trita & imposita, mire sanat.*

14. *Si decidat.*] Si propendeat, quasi laxatus, ac demittatur. Marcellus Empir. cap. 33. pag. 227. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 42.

15. *Tetris ibi.*] Marcellus Empir. cap. 33. pag. 229.

16. *Senectus anguium ex aceto.*] Vide Notas & Emendat. num. XVIII.

17. *Cochleæ .... gigni diximus.*] Supra, sect. 19. & lib. 29 sect. 36. Marcellus Empir. cap. 33. pag. 230. *Cochleis, quæ nudæ inveniuntur, adjicitur aliquid triti thuris, & albi ovorum : atque inde hulcera testiculorum tumentia, & hydrocela puerorum, sive ramices superlinuntur, ut modo glutinis adhæreseat, &c.*

18. *Hydrocelicis.*] Ὑδροκήλη hernia, ramex aquosus, id est, cessantis humoris in partem aliquam scroti collectio, qui illic facit tumorem. *Tumidas hydrocelas* dixit Martialis, lib. 12. Epig. 85. De earum remedio tradit omnino eadem Plinius Valer lib 2. cap. 42.

19. *Caninum adipem.*] Vide Notas & Emend. num. XIX.

20 *Cochleas.*] Marcellus Empir. cap. 26. pag. 184. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 40.

21. *Anserum.*] Auctores proxime laudati.

22. *Panos.*] Marcellus Empir. cap. 32. pag. 224

23. *Murinum.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 3. cap. 27.

24. *Lacertæ &c.*] Ad verbum Marcellus Empiric. & Plinius Valer. locis cit.

25 *Item multipeda.*] Sive porcellio, qui oniscus. Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 32. pag. 226.

26. *Et per se cinis.*] Marcellus Empir. loc. cit.

27. *Fimum &c.*] Idem Marcellus, cap 32. pag. 224.

28. *Inguinum.*] Q. Serenus, cap. 37. pag. 149.

Sin autem exsistit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.

Iisdem verbis Marcellus Empir. cap. 32. pag. 224. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 43.

Sect. XXIII. 1. *Varices.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232.

2. *Podagras.*] Marcellus Empir. cap 36. pag. 241.

3. *Fimum pecudum.*] Caprinum ad podagras laudat Diosc. lib. 2. cap. 98.

4. *Pulmones pecudum : fel &c.*] Idem Marcellus Empir. loco citato.

5. *Et vivæ.*] Diosc. lib. 2. cap. 27. & Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246.

6. *Fimum gallinarum.*] Marcellus Empir. cap. 36. pag. 242.

7. *Vermium &c.*] Idem Marcellus, pag 250.

8. *Et de milvo.*] Milvi in primis caput commendat ad podagras Galenus, lib 1. de ther. ad Pison. cap. 9. pag. 942.

9. *Aut si pedes &c*] Vide Notas & Emend. num. XX.

borum, cum primum nascentur, tritis cum urtica. Quin & fimus eorum articulorum doloribus illinitur: item cinis mustelæ aut cochlearum, & cum amylo, vel tragacantha. [10] Incussos articulos aranei telæ commodissime curant. Sunt qui cinere earum uti malint, [11] sicut fimi columbini cinere, cum polenta & vino albo. [12] Articulis luxatis præsentaneum est & sevum pecudis cum cinere e capillo mulierum. [13] Pernionibus quoque imponitur sevum pecudum cum alumine: canini capitis cinis, [14] aut fimi murini. [15] Quod si pura sint, hulcera cera addita ad cicatricem perducunt: [a] [16] vel glirium crematorum favilla ex oleo: [17] item muris silvatici cum melle: [18] vermium quoque terrenorum cum oleo vetere: & cochleæ, quæ nudæ inveniuntur. [19] Hulcera omnia pedum sanat cinis earum, quæ vivæ combustæ sint: fimi gallinarum cinis exhulcerationes, columbini fimi ex oleo. [20] Attritus etiam calceamentorum, veteris soleæ crematæ cinis, [21] agninus pulmo & arietis sanat. [22] Dentis caballini contusi farina privatim [23] subluviem. [24] Lacertæ viridis sanguis subtritus, & hominum & jumentorum pedes sublitus sanat. [25] Clavos pedum urina muli mulæve cum luto suo illita: fimum ovium. [26] Jecur lacertæ viridis, vel sanguis flocco impositus: [27] vermes terreni ex oleo: stellionis caput [28] cum viticis pari modo tritum ex oleo: [29] fimum columbinum decoctum ex aceto. [30] Verrucas vero omnium generum urina canis recens cum suo luto illita: [31] fimi canini cinis cum cera: fimum ovium: sanguis recens murinus illitus, vel ipse mus divulsus: herinacei fel: [32] caput lacertæ, vel sanguis, vel cinis totius: membrana senectutis anguium: [33] fimum gallinaceum cum oleo & nitro. [34] Cantharides cum uva taminia intritæ exedunt: sed ita erosas aliis, quæ ad persananda hulcera monstravimus, curari oportet.

Cap. x. XXIV. Nunc revertemur ad ea, quæ totis corporibus metuenda sunt. Fel canis nigri masculi amuletum esse Magi dicunt domus totius, suffitæ eo purificatæve, contra omnia mala medicamenta. Item sanguine canis respersis parietibus, genitalique ejus sub limine januæ defosso. Minus mirentur hoc, qui sciunt fœdissimum animalium in quantum magnificent ricinum, [1] quoniam uni nullus sit exitus saginæ, [2] nec finis alia quam morte, diutius in fame viventi. Septenis ita diebus durasse tradunt; at in satietate paucioribus dehiscere. Hunc ex aure sinistra canis omnes dolores sedare adalligatum. Eumdem in augurio vitalium habent. Nam si æger ei respondeat qui intulerit, a pedibus stanti interrogantique de morbo, spem vitæ certam esse: moriturum nihil respondere. Adjiciunt, ut evellatur ex aure læva canis, cui non sit alius, quam niger color. Nigidius fugere tota die canes conspectum ejus, qui e sue id animal evellerit, scriptum reliquit. Rursus Magi tradunt, lymphatos sanguinis talpæ aspersu resipiscere: eos vero qui a nocturnis Diis Faunisque agiten-

Interpretatio.

a *Vel glirium.*] Vel glires cremati & in cinerem redacti cum oleo.

Notæ.

10 *Incussos*] Totidem syllabis apicibusque litterarum, Marcellus Empir. cap. 34. pag. 234. Sed Plinius Valer. lib. 3. cap. 15. *Incisos articulos aranei tela commodissime curat.* MSS. omnes, *incussos.* Recte. Q. Serenus, cap. 54. pag. 159.

Si vero caput infestus collis feriit ictus,
Ex oleo nectis vestis debebis arachnes:
Nesciet hæc illinc, nisi cum sanarit, abire.

11. *Sicut fimi.*] Columbarum fimum nervis etiam vulneratis prodesse auctor est Galenus, lib. 3. κατὰ γένη, cap. 6. pag. 729.

12. *Articulis.*] Q. Serenus, cap. 54. pag. 159.

Quod si luxa suo decedent membra tenore,
Urere femineos crines, ac jungere sevum,
Congruet, ac tali medicamine mota ligare.

Marcellus Empir. cap. 34. pag. 235. *Articulos luxatis sevum pecudis cujuscumque cum cinere de capillo muliebri facto medetur.* Et Plinius Valer. lib. 2. cap. 49. *Mulieris capillus quamplurimus in cinerem redactus, admixto ovium adipe vetere: ceroti modo illinitur,* &c. Et lib. 3. cap. 15. ad nervos & articulos: *Sevum pecudis cum cinere capillorum mulieris.*

13. *Pernionibus*] Marcellus Empiricus, cap. 34. pag. 236.

14. *Aut fimi murini.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 51.

15. *Quod si pura.*] Ita MSS. omnes. Prius editi, *quod si putrida sint hulcera.* Plinius Valer. lib. 2. cap. 50. & 51. *si plura sint hulcera.*

16. *Vel glirium.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXI.

17. *Item muris.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232.

18. *Vermium quoque.*] Marcellus idem loc. cit. & Plinius Valerianus, lib. 2. cap. 52.

19. *Hulcera.*] Hæc omnia iidem auctores proxime appellati.

20. *Attritus etiam.*] Dioscor. lib. 2. cap. 40. & 51. Marcellus Empir. cap. 34. pag. 236.

21. *Agninus pulmo.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232.

22. *Dentis caballini.*] Sic Plinius Valer. lib. 2. cap. 51.

23. *Subluviem*] Quid hoc morbi genus sit, Marcellus Empir. explicat, cap. 34. pag. 232. *Dentes caballini tunsi, hulcera pernionum, si sint tumidi, mulier curant.*

24. *Lacertæ viridis.*] Plinius Valer. loc. cit.

25. *Clavos pedum.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 233. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 52.

26. *Jecur .... flocco.*] Marcellus Empir. loc. cit. *in lanula:* Et pag. 237. *cum flocco impositus.*

27. *Vermes terreni.*] Marcellus Empir. cap. 34. pag. 237.

28. *Cum viticis pari modo.*] Sic etiam MSS. Forte *urticis* rectius: Urticarum enim in clavis pedum sanandis creber apud Marcellum Empir. usus: viticis plane nullus. Vide cap. 34. pag. 234. & seqq.

29. *Fimum columbinum.*] Marcellus Empir. loc. cit. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 52.

30. *Verrucas vero.*] Iisdem verbis Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 6. *Ad callos & verrucas tollendas.* Marcellus Empir. cap. 19. pag. 132. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 42. Q. Serenus, cap. 65. de verrucis tollendis:

Id poteris vitium sanguis curare lacertæ,
Aut urina canis cum terra inducta madente.

31. *Fimi canini.*] Marcellus Empir. & Plinius Valer. loc. cit. qui & de fimo ovium, & murino sanguine, Plinio pariter adstipulantur.

32. *Caput lacertæ.*] Galenus, lib. xi. de fac. simp. med. pag. 303.

33. *Fimum gallinaceum.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 42.

34. *Cantharides.*] Marcellus Empir. cap. 19. pag. 129.

Sect. XXIV. 1. *Quoniam uni.*] Hæc explanata uberius, lib. xi. sect. 40.

2. *Nec finis alia.*] Sive, finis alius. Sic Maro, 2. Æneid. *Hæc finis Priami fatorum.*

tur, draconis lingua, & oculis & felle intestinisque in vino & oleo decoctis, ac sub dio noctu refrigeratis, perunctos matutinis vespertinisque liberari.

XXV. Perfrictionibus remedio esse tradit [1] Nicander amphisbænam mortuam adalligatam, vel pellem tantum ejus. Quin immo arbori, quæ cædatur, adalligata, non algere cædentes, faciliusque succidere. Itaque sola serpentium frigori se committit, prima omnium procedens, & ante cuculi cantum. Aliud est cuculo miraculum, quo quis loco primo audiat alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium id effodiatur, non gigni pulices, ubicumque spargatur.

XXVI. [1] Paralysin caventibus pinguia glirium decoctorum & soricum utilissima tradunt esse: millepedas, [2] ut in anginis diximus, potas phthisin sentientibus: [3] lacertam viridem decoctam in vini sextariis tribus ad cyathum unum, singulis cochlearibus sumptis per dies, donec convalescant: [4] cochlearum cinerem potum in vino.

XXVII. Comitialibus morbis œsypum cum myrrhæ momento, & vini cyathis duobus dilutum, magnitudine nucis avellanæ, a balineo potum. [1] Testiculos arietinos inveteratos, tritosque dimidio denarii pondere in aqua vel lactis asinini hemina. Interdicitur vini potus quinis diebus ante & postea. [2] Magnifice laudatur & sanguis pecudum potus: item fel cum melle, præcipue agninum. [3] Catulus lactens sumptus, abscisso capite pedibusque, ex vino & myrrha. Lichen mulæ potus in oxymelite cyathis tribus. Stellionis transmarini cinis potus in aceto. Tunicula stellionis, quam eodem modo, ut anguis, exuit, pota. Quidam & ipsum arundine exenteratum inveteratumque bibendum dedere. Alii in cibo in ligneis verubus inassatum. Operæ pretium est scire quomodo præripiatur, cum exuitur membrana hiberna, alias devoranti eam, [4] quoniam nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt. [5] Inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum. Observant cubile ejus æstatibus. [6] Est autem in loricis ostiorum fenestrarumque, aut cameris sepulcrisve: ibi vere incipiente fissis arundinibus textas opponunt casas, quarum angustiis etiam gaudet, eo facilius exuens circumdatum [a] torporem. Sed eo derelicto non potest remeare. Nihil ei remedio in comitialibus morbis præfertur. Prodest & cerebrum mustelæ inveteratum potumque, [7] & jecur ejus: testiculi, vulvæque, aut ventriculus inveteratus cum coriandro, [8] ut diximus: [9] item cinis: silvestris vero [10] tota in cibo sumpta. [b] [11] Eadem omnia prædicantur ex viverra. Lacerta viridis cum condimentis, quæ fastidium abstergeant, ablatis pedibus & capite. [12] Cochlearum cinis addito semine lini & urticæ cum melle, unctu sanat. [c] Magis placet draconis cauda in pelle dorcadis adalligata cervinis nervis: [13] vel lapilli e ventre pullorum hirundinum sinistro lacerto annexi. Dicuntur enim excluso pullo lapillum [d] dare. [14] Quod si pullus is detur [e] incipienti in cibo, [f] [15] quem primum pepererit, cum quis primum tentatus sit, liberatur eo malo. [16] Postea medetur hirundinum sanguis cum

INTERPRETATIO.

a *Torporem*] Senectam.
b *Eadem.*] Eadem omnia remedia parantur ex silvestri mustela, sive viverra, *quæ jam e domestica commonstrata sunt.*
c *Magis.*] Qui Magiam profitentur.
d *Dare*] Dare deglutiendum.
e *Incipienti.*] Cum morbus incipit.
f *Quem primum.*] Quem pullum primum hirundo pepererit.

NOTÆ.

Sect. XXV. 1. *Nicander.*] In Theriacis, pag 26. de amphisbæna:

Ἡ δ' ὀλίγον
Ῥινῷ δυσπαθέοντας, ὅτ' ἐν παλάμῃσιν ἀεργοί
Μάλκαι ὑποστείβουσιν ὑπὸ κρυμοῖο δαμέντων, &c.
Sic pluribus illa
Pelle sua prodest. Borea cum flamine segnes
Obriguere manus, & vi illa frigore torpent, &c.

Sect. XXVI. 1. *Paralysin.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 13. ad verbum.
2. *Ut anginis diximus.*] Sect. 12.
3. *Lacertam viridem.*] Plinius Valer. ad verbum, lib. 1. cap. 61.
4. *Cochlearum.*] Plinius Valerianus, loc. cit.

Sect. XXVII. 1. *Testiculos.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 58. ad verbum, & Sextus Platon. cap. 6. de ariete tit. 7. *Ad caducos.*
2. *Magnifice.*] Plinius Valer. loc. cit.
3. *Catulus lactens.*] Plinius Valer. loc. cit.
4. *Quoniam nullum.*] Vide quæ diximus in eam rem, lib. 8. sect. 49.
5. *Inde stellionum.*] Maledicti & convicii loco id nomen objicitur homini improbo & fraudulento. Glossæ veteres: *Stellio: κακοῦργος, πανοῦργος.* Proprie autem stellionatus dicitur Jureconsultis, cum dolo quid factum, cum merces suppositæ, cum impostura facta, &c. Vide tit. 20 lib. 47. Dig. *Stellionatus*: simul & Vossium in Etymol. Est stellionatus *κακοτεχνία* Platoni, lib 9. de Legib.
6. *Est autem in loricis.*] Ita Reg. 2. & Chiffl. Editi, male, *in locis.* Loricæ testaceæ murorum, ostiorum, ac fenestrarum, projecturæ sunt, quas Galli vocant *Corniches*, quæ transitum sepiunt, rejiciuntque extra perpendiculum stillas. De his Vitruvius, lib 2. cap 8
7. *Et jecur ejus*] Diosc. lib. 1. *Εὐπορ.* cap. 18. Plinius Valer. lib 3. cap. 10.
8 *Ut diximus.*] Libro 29. sect. 16. Sic etiam Dioscor. loco citato.
9. *Item cinis.*] Q. Serenus, cap. 58. de comitiali morbo, pag. 161.

Aptus mustelæ cinis est, & hirundinis una.

10. *Tota in cibo sumpta.*] Cælius Aurel. 1. Chron. cap 4. de epilepsia, ex aliorum sententia: *Item mandendam mustelam, sed longo desiccatum tempore*: id vero deinde improbat.
11. *Eadem omnia.*] Plinius Valer. lib 2 cap. 58
12. *Cochlearum cinis*] Vide Notas & Emend. num XXII.
13. *Vel lapilli e ventre.*] Dioscor. lib. 2. cap. 60. Sextus Platon. parte 2. cap. 12. de hirundine, tit. 3. *Ad caducos: Hirundines comestæ caducos sanant. Item lapilli in ventriculis earum reperti, & brachio alligati perfecte sanant.*
14. *Quod si pullus is*, &c.] Sic Reg. 1. At paucioribus verbis, Reg 2. & is quem Pintianus vidit. *Quod si pullus detur cum primum tentatus sit, liberatur eo malo.*
15. *Quem primum.*] Sic pullos eligit primæ feturæ Dioscorides, lib. 2. cap. 60. & lib. 1. *Εὐπορ.* cap 19.
16. *Postea medetur*] Q Serenus, loc. cit.

Aut cruor ex Progne mixtus cum polline thuris:
Aut lapis ex nido, vaga quem congessit hirundo,
Vellitur & nexu fovet, attollitque jacentem.

thure, vel cot recens devoratum. [17] Quin & e nido earum lapillus impositus recreare dicitur confestim, & adalligatus in perpetuum tueri. Prædicatur & jecur milvi devoratum, & senectus serpentium. [18] Jecur vulturis tritum cum suo sanguine ter septenis diebus potum. Cor pulli vulturini adalligatum. [19] Sed ipsum vulturem in cibo dari jubent, & quidem satiatum humano cadavere. Quidam pectus ejus bibendum censent, & in cernino calice. [20] Aut testes gallinacei ex aqua & lacte, antecedente quinque dierum abstinentia vini, ob id inveteratos. Fuere & qui viginti unam muscas rufas, & quidem emortuas, in potu darent, infirmioribus pauciores.

CAP. XI. XXVIII. [1] Morbo regio resistunt sordes aurium, [2] aut mammarum pecudis denarii pondere cum [3] myrrhæ momento, & vini cyathis duobus: [4] canini capitis cinis in mulso; multipeda in vini hemina: vermes terreni in aceto mulso cum myrrha. [5] Gallina si sit luteis pedibus prius aqua purificatis, dein collutis vino, quod bibatur. [6] Cerebrum perdicis aut aquilæ in vini cyathis tribus. Cinis plumarum [7] aut interaneorum palumbis in mulso ad cochlearia tria. Passerum cinis sarmentis crematorum cochlearibus duobus in aqua mulsa. [8] Avis icterus vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & avem mori. [9] Hanc puto Latine vocari galgulum.

XXIX. [1] Phreneticis prodesse videtur pulmo pecudum calidus circa caput alligatus. Nam muris cerebrum dare potui ex aqua, aut cinerem mustelæ, vel etiam inveteratas herinacei carnes, quis possit furenti, etiamsi certa sit medicina? Bubonis certe oculorum cinerem inter ea, quibus prodigiose vitam ludificantur, acceperim. Præcipueque febrium medicina placitis eorum renunciat. Namque & in XII. signa digessere eam Sole transmeante, iterumque Luna: quod totum abdicandum paucis e pluribus edocebo. Siquidem crematis tritisque cum oleo perungi jubent ægros cum Geminos transit Sol, cristis, & auribus, & unguibus gallinaceorum: si Luna, [2] radiis barbisque eorum: si Virginem alteruter, hordei granis: si Sagittarium, vespertilionis alis: si Leonem Luna, tamaricis fronde, & adjiciunt, sativæ: si Aquarium, e buxo carbonibus tritis. Ex istis confessa, aut certe verisimilia ponemus, sicut & lethargum [3] olfactoriis excitari: inter ea fortassis mustelæ testiculis inveteratis, [4] aut jocinere usto. [5] His quoque pulmonem pecudis calidum circa caput adalligari putant utile.

XXX. In quartanis medicina clinice propemodum nihil pollet. Quamobrem plura [a] eorum remedia ponemus, primumque ea, quæ adalligari jubent: Pulverem, in quo se accipiter volutaverit, lino rutilo in linteolo: canis nigri dentem longissimum. Pseudosphecem vocant vespam, quæ singularis volitat: hanc sinistra manu apprehensam subnectunt: alii vero, quam quis eo anno viderit primam. [1] Viperæ caput abscissum in linteolo, vel cor viventis exemptum. [2] Muris rostellum auriculasque summas roseo panno, ipsumque dimittunt. Lacertæ vivæ dextrum oculum effossum, mox cum capite suo deciso, in pellicula caprina. Scarabæum [3] qui pilas volvit. Propter hunc Ægypti magna pars scarabæos inter

INTERPRETATIO.

a *Eorum.*] Magorum.

NOTÆ.

Sic etiam Plinius Valer. lib. 2. cap. 58.

17. *Quin & e nido.*] Q. Serenus & Plinius Valer. locis cit.

18. *Jecur vulturis.*] Sextus Platon. parte 2. cap. 2. de vulture, tit. 2. *Ad caducos: Vulturis jecur totum cum sanguine ipsius vulturis tritum, & per dies septem potum, caducis prodesse diximus.* Plinium transscripsit ad verbum alter Plinius Valer. lib. 2. cap. 58.

19. *Sed ipsum.*] Plinius Valer. loc. cit.

20. *Aut testes.*] Sextus Platon. parte 2. cap 8. de gallo, tit. 2. *Ad caducos: Galli testiculos contritos cum aqua jejuno dabis bibere: abstineant autem a vino diebus decem. . . . Debebunt autem testiculi siccâ servari, ut cum fuerint necessarii, continuo sumantur.*

Sect. XXVIII. 1. *Morbo regio.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 59.

2. *Aut mammarum.*] Sordes quas inter mammas habet, vel inter femora, ut ait Sextus Platon cap. 6. de ariete, tit. 6. *Ad morbum regium.*

3. *Myrrhæ momento.*] Hoc est, myrrhæ pusillo, ut Plinius Valer. ait, loc. cit.

4. *Canini capitis.*] Sic etiam, præter Plinium Valer. loc. cit. Sextus Platon. cap 9. de cane, tit 16. *Ad morbum regium: Rabidi canis caput contusum & commixtum cum vino potatum morbum sanat.*

5. *Gallina.*] Plinius Valer loc. cit.

6. *Cerebrum, &c.*] Sextus Platon. parte 2. cap. 5. de perdice, tit. 1. *Ad morbum regium.* Et Plinius Valer. loc. cit.

7. *Aut interaneorum.*] Plinius Valer. loc. cit. *Cineres interaneorum palumborum, cochlearia duo bibuntur ex mulso.*

8. *Avis icterus.*] Diximus de ea, lib. 10. sect. 50. Ab ea ave, quod sit coloris fellei, Græcos dedisse huic morbo nomen, scribit Cælius Aurel. lib. 3. cap 5.

9. *Hanc . . . . puto galgulum.*] Galbulum a colore luteo appellari mavult Marcellus Donatus, in Sueton. cap. 81 tom. 6 Thes. Critic. pag 281. & post eum Salmasius in Notis ad hist Aug. pag 227.

Sect. XXIX. 1. *Phreneticis.*] Q. Serenus, cap. 8. pag. 129.

> *Ex vitio cerebri phrenesis furiosa movetur,*
> *Amissasque refert frendens amentia vires.*
> *Conveniet calidis pecudum pulmonibus apte*
> *Tempora languentis medica redimire corona.*

Sic etiam Plinius Valer lib. 3 cap. 9.

2. *Radiis.*] Calcaribus. Vide quæ de ea voce diximus lib. XI. sect. 107.

3. *Olfactoriis.*] Odoramentis quæ corroborent, & olfactu excitent: ἀνθραγωγά vocat Dioscor. in Alexiph. cap. 17. Sic etiam Largus, Compos. Medic. cap 23. num. 104. *Interdum olfactoriis reficere,* &c. Joan. de Janua: *Olfactorium, ab olfacio; unde olfactoriolum: Vas unguentarium muliebre, in quo odoramenta gestantur.*

4. *Aut jocinere usto.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 7.

5. *His quoque.*] Plinius Valer. loc. cit.

Sect. XXX. 1. *Viperæ caput.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 6.

2. *Muris rostellum.*] Plinius Valer. loc. cit. *Quartana curanda: Muri vivo rostellum primum, & auricula summa præciduntur, & in roseo panno alligantur, & ipse mus vivus dimittitur.*

3. *Qui pilas volvit.*] Qui pedibus fimum subigit, & in pilas cogit, quas & pedibus volutat. In libris hactenus editis, *pilulas*, minus sincere.

numina

numina colit, curiosa Apionis interpretatione, qua colligat [4] Solis operum similitudinem huic animali esse, ad excusandos gentis suæ ritus. [5] Sed & alium adalligant Magi, cui sunt cornicula reflexa, sinistra manu collectum. Tertium, qui vocatur fullo, albis guttis, dissectum utrique lacerto adalligant: cetera sinistro. Cor anguium sinistra manu exemptum viventibus. Scorpionis caudæ quatuor articulos cum aculeo, panno nigro, ita ut nec scorpionem dimissum, nec eum qui alligaverit, videat æger triduo. [a] Post tertium circuitum id condat. [6] Erucam in linteolo ter lino circumdant totidem nodis, ad singulos dicentes, quare faciat qui medebitur. Limacem in pellicula, vel quatuor limacum capita, præcisa arundine. Multipedam lana involutam. [7] Vermiculos ex quibus tabani fiunt, antequam pennas germinent. Alios e spinosis frutectis lanuginosos. Quidam ex illis quaternos inclusos juglandis nucis putamine adalligant: cochleasque, quæ nudæ inveniuntur. Stellionem inclusum capsulis subjiciunt capiti, & sub decessu febris emittunt. Devorari autem jubent cor mergi marini sine ferro exemptum, inveteratumque conteri, & in calida aqua bibi. Corda hirundinum cum melle. [8] Alii fimum drachma una in lactis caprini & ovilli, vel passi cyathis tribus, ante accessiones. Sunt qui totas censeant devorandas. Aspidis cutem pondere sexta parte denarii cum piperis pari modo, Parthorum gentes in remedium quartanæ bibunt. Chrysippus philosophus tradidit [9] phryganion adalligatum remedio esse quartanis. Quod esset animal neque ille descripsit, nec nos invenimus qui novisset. [b] Demonstrandum tamen fuit a tam gravi auctore dictum, [10] si cujus cura efficacior esset inquirentis. Cornicis carnes esse, & nidum illinire, in longis morbis utilissimum putant. Et in tertianis fiat potestas experiendi, quoniam miserias copia spei delectat, anne aranei, quem lycon vocant, [11] tela cum ipso, in splenio resinæ ceræque imposita utrisque temporibus & fronti prosit: aut ipse calamo adalligatus, qualiter & aliis febribus prodesse traditur: item lacerta viridis adalligata viva in eo vase quod capiat. Quo genere [12] & recidivas frequenter abigi affirmant.

XXXI. Hydropicis œsypum ex vino addita myrrha modice potui datur, nucis avellanæ magnitudine. Aliqui addunt & anserinum adipem [1] ex vino myrteo. Sordes ab uberibus ovium eumdem effectum habent. Item carnes inveteratæ herinacei sumptæ. [2] Vomitus quoque canum illitus ventri, aquam trahere promittitur.

XXXII. Igni sacro medetur œsypum cum pompholyge & rosaceo, ricini sanguis, [1] vermes terreni ex aceto illiti, gryllus contritus in manibus. Quo genere præstat, ut qui id fecerit, antequam incipiat vitium, toto eo anno careat. Oportet autem eum ferro cum terra cavernæ suæ tolli. [2] Adeps anseris. Viperæ caput aridum asservatum & combustum, deinde ex aceto impositum. [3] Senectus serpentium ex aqua illita a balineo cum bitumine & sevo agnino. CAP. XII.

XXXIII. [1] Carbunculus fimo columbino aboletur per se illico, vel cùm lini semine ex aceto mulso. Item apibus, quæ in melle sint mortuæ, impositis: Polentaque imposita inspersa. In verendis, ceterisque ibi hulceribus, occurrit e melle œsypum cum plumbi

INTERPRETATIO.

a *Post.*] Post tertium febris circuitum id humo condat.

b *Demonstrandum.*] Appellandum a nobis id animal fuit, quod jam gravis auctor nominavit, ut detur aliorum diligentiæ locus, si forte eorum cura in inquirendo felicior futura est & efficacior.

NOTÆ.

4. *Solis operum.*] Quoniam cum sobolem procreare vult, bovis fimum nactus, globulum ejusdem, cujus mundus figuræ est, fingit: quem ubi ab ortu ad occasum aversis pedibus volutavit, Solis cursum in cælo æmulatus, ipse rursum, ut orbi persimilem figuram edat atque exprimat, in ortum convertitur Ἐπειδὰν ὁ ἄρσην βούληται παιδοποιήσασθαι, βοὸς ἀφόδευμα λαβὼν, πλάσσει σφαιροειδὲς παραπλήσιον τῷ κόσμῳ σχῆμα, &c. Horus Apollo, lib. 1. Hierogl. 10. Habet his consentientia Porphyrius, libro quem inscripsit, περὶ τῆς ἐμψύχων ἀποχῆς, quæ merito ridet Eusebius, lib. 3. de Præpar. Evang. pag. 94.

5. *Sed & alium.*] Lucanum, de quo lib. xi. sect. 34.

6. *Erucam.*] MSS. omnes, *urucam*, quod idem est.

7. *Vermiculos.*] Fiunt hi e ligno. Vide lib. xi. sect. 38.

8. *Alii fimum.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 3. cap. 26.

9. *Phryganion.*] Sic MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indicis eo fragmento quod retulimus in Notis & Emendationibus ad librum 26. num. XXXII.

10. *Si cujus cura.*] Qua forma Maro, lib. 2. Æneid.

Inde domum ....

Me refero, si forte pedem, si forte tulisset.

11. *Tela cum ipso, in splenio.*] Tela cum araneo, in emplastro cum resina ceteraque imposita Vide Notas & Emendationes, num. XXIII. Σπλήνιον emplastrum esse jam sæpius diximus. Consuli potest & Constantinus in Lexico, ubi de ea voce multa.

12. *Et recidivas.*] Subintellige febres, quæ cum abscessisse creduntur omnino, revertuntur.

Sect. XXXI. 1. *Ex vino myrteo.*] Sic MSS. Reg. 1. 2. Chiffl. &c. In editis, *& oleum myrteum.*

2. *Vomitus quoque.*] Sextus Platon. lib. 9. de cane, tit. 12. *Ad hydropicos: Stercus canis siccum, & in potionem aspersum, hydropicos sanat. Item vomitum canis hydropico super ventrem pone: statim incipiet per secessum aquam emittere.* Sic etiam Plinius Valer. lib. 3. cap. 12.

Sect. XXXII. 1. *Vermes terreni. ... gryllus*, &c.] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 34. De vermibus etiam consentit Q. Serenus, cap. 42. de igni sacro demovendo, pag. 152.

Lumbricus terra mixto inducitur aceto

2. *Adeps anseris. Vipera*, &c.] Plinius Valer. ad verbum, loc. cit.

3. *Senectus.*] Plinius Valer. loc. cit.

Sect. XXXIII. 1. *Carbunculus.*] Q. Serenus, cap. 4. de carbone medendo, pag. 151.

Dulcacidum laticem cum lini semine junges.

Atque fimum pariter Paphiæ compone columba:

Hinc lino duruptas partes, & clausa venena.

Totidem verbis cum Plinio nostro Plinius alter Valer. lib. 3. cap. 30.

squamis. [2] Item fimum pecudum incipientibus carbunculis. [3] Tubera & quæcumque molliri opus est, efficacissime anserino adipe curantur. Idem præstat & gruum adeps.

XXXIV. Furunculis mederi dicitur araneus, priusquam nominetur impositus, & tertio die solutus. Mus araneus pendens enecatus, sic ut terram ne postea attingat, ter circumdatus furunculo, toties exspuentibus medente, & cui is medebitur. [1] Ex gallinaceo fimo quod est rufum maxime, recens illitum ex aceto. [2] Ventriculus ciconiæ ex vino decoctus. [3] Muscæ impari numero infricatæ digito medico. [4] Sordes ex pecudum auriculis. Sevum ovium vetus cum cinere e capillis mulierum. Sevum arietis cum cinere pumicis & salis pari pondere.

XXXV. [1] Ambustis canini capitis cinis medetur. Item glirium cum oleo. [2] Fimum ovium cum cera. Murium cinis: [3] cochlearum quoque: sic ut ne cicatrix quidem appareat. Item adeps viperinus. Fimi columbini cinis ex oleo illitus.

XXXVI. [1] Nervorum nodis capitis viperini cinis ex oleo cyprino. [2] Terreni vermes cum melle illiti. [3] Doloribus eorum amphisbæna mortua adalligata. [4] Adeps vulturinus cum ventre arefactus, contritusque cum adipe suillo inveterato. Cinis e capite bubonis in mulso potus cum lilii radice, si Magis credimus. [5] In contractione nervorum caro palumbina in cibis prodest & inveterata: [6] herinacei, spasticis: item mustelæ cinis. [7] Serpentium senectus in pelle taurina adalligata spasmos fieri prohibet. Opisthotonos milvi jecur aridum tribus obolis in aquæ mulsæ cyathis tribus potum.

XXXVII. Reduvias, & quæ in digitis nascuntur pterygia, tollunt, [1] canini capitis cinis, aut vulva decocta in oleo, superillito butyro ovillo cum melle. Item folliculus cujuslibet animalium fellis. Unguium scabritiam cantharides cum pice tertio die solutæ, aut locustæ, cum sevo hircino. Pecudum sevum. Aliqui miscent viscum & portulacam, alii æris florem & viscum, ita ut tertio die solvant.

XXXVIII. [1] Sanguinem sistit in naribus sevum ex omento pecudum inditum. Item coagulum ex aqua, maxime agninum, [2] subductum vel infusum, etiamsi alia non prosint. [3] Adeps anserinus cum butyro pari pondere pastillis ingestus. [4] Cochlearum terrena. [5] Sed & ipsæ extractæ testis. [6] E naribus fluentem sistunt cochleæ contritæ fronti illitæ: [7] aranei tela: [8] gallinacei cerebellum, vel sanguis, profluvia ex cerebro: [9] item columbinus, ob id servatus concretusque. [10] Si vero ex vulnere immodice fluat, fimi caballini cum putaminibus ovorum cremati cinis impositus mire sistit.

Notæ.

2. *Item fimum.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 30. Sextus Platon. cap 5. de capro & capra, tit. 26. *Ad carbunculos: Stercus capræ cum melle commixtum, & superpositum, carbunculos qui in ventre nascuntur, discutit.*

3. *Tubera, &c.*] Sextus Platon parte 2. cap. 4 de grue, tit *Ad duritiam & concretiones locorum: Gruis adeps cum adipe anserino remissus, locorum* (hoc est, matricis seu vulvæ) *duritias & concretiones discutit.*

Sect. XXXIV. 1. *Ex gallinaceo.*] Q. Serenus, cap. 39. de furunculo medendo, pag. 150.

> *Prætereaque fimum ex gallo quod legeris albo,*
> *Imbribus ex acidis fidens appone dolenti.*
> *Auribus aut pecudum molles expromito sordes,*
> *Unguine quo fotis dabitur medicina papillis.*

Sextus Platon parte 2. cap 8 de gallo, tit 4. *Ad furunculos: Galli stercus rufum impositum furunculos rumpit, & dolorem tollit.* Sic pariter Plinius Valer lib. 3 cap 32. ad verbum.

2. *Ventriculus.*] Plinius Valer. loc. cit.

3. *Musca. . . . digito medico.*] Digitus medicus vulgo appellatur, qui minimo est proximus. idem auricularis quoque dictus, quod eo mundentur aures. Plinius Valer. loc. cit. *digito minimo* scripsit, cum hunc locum exscriberet.

4. *Sordes.*] Plinius Valer. loc. cit.

Sect XXXV. 1. *Ambustis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 36. Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 17 *De ustione calida, & ignis. . . . Sic etiam stercus ovium curat incensa similiter cum cerotario mixtum: & canis ossa capitis incensa aspersa operantur. Sic cochlearum incensarum cinis, &c.*

2. *Fimum ovium.*] Plinius Valer. & Theodorus, loc. cit.

3. *Cochlearum.*] Plinius Valer. loc cit. ut & Priscianus.

Sect. XXXVI. 1. *Nervorum nodis.*] Hæc totidem plane syllabis Marcellus Empir. cap. 34. pag. 137. & Plinius Valer. lib. 3. cap 15. Nervorum porro nodum γάγγλιον Græci, atque adeo & Latini vocant: hoc est, nodi alicujus contortionem, vel ex ictu, vel ex lassitudine Vide Constant. in Lexico. De hujus vitii signis & curatione agit Sennertus, lib. 5. Practicæ, part. 1. cap 35. pag. 832.

2. *Terreni vermes.*] Totidem verbis auctores proxime appellati.

3. *Doloribus eorum.*] Marcellus Empir. & Plinius Valer. locis cit.

4. *Adeps vulturinus.*] Q. Serenus, cap 55. pag 159.

> *Si vero occultos nervos dolor urit inertes,*
> *Vulturis excisos adipes, &c.*

Sextus Platon. parte 2. cap. 2. de vulture, tit. 5. *Ad nervorum dolorem, & articulorum.* Marcellus Empir. & Plinius Valer. locis cit.

5. *In contractione.*] Q. Serenus, loc. cit.

> *Sin autem subito replicantur corpora morbo,*
> *Contractos revocat nervos caro sumpta columbæ.*

6. *Herinacei, spasticis.*] Hoc est, contractioni membrorum. Affine huic Habdarrahmani placitum, cap. 32. pag. 124. *Recipe herinaceum, jugula, & concoque, donec dissolvatur: tunc ejus adipem & pinguedinem colabis, & repones apud te. Hac decoctione utatur, qui dorsi aut genuum doloribus laborat, vel complicatione membrorum: sanabitur.*

7. *Serpentium.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 15.

Sect. XXXVII. 1. *Canini capitis cinis.*] Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit 18 *Ad pterygia in digitis.*

Sect. XXXVIII. 1. *Sanguinem sistit.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIV.

2. *Subductum.*] In nares attractum, inquit Dalecampius. Vide Notas & Emend. num XXV.

3. *Adeps anserinus.*] Marcellus Empir. cap. 10. pag. 85. infundi naribus jubet Plinius Valer. lib. 1. cap. 25. *ingeri pastillos.*

4. *Cochlearum terrena.*] Terra quæ cochleis adhærescit. Sic idem sect. x1 hujus libri, *demi terrenum* præcipit, quod iis adhæret Sensum hujus loci Pintianus labefactat, cum *terrena* legi suadet. Nondum enim ex ipsis medicina petitur, sed ex terra tantum iisdem adhærente: mox ex ipsis, cum additur, *sed & ipsæ, &c.*

5. *Sed & ipsæ.*] Scribonius Largus, Compos 46. *Injicere intus narem aut nares oportebit cochleæ vivæ carnem per se, aut cum thuris polline tritam.*

6. *E naribus fluentem.*] Q. Serenus, cap. 35. de profluvio sanguinis: Marcellus Empir & Plinius Valer. locis cit.

7. *Aranei tela.*] Marcellus Empir. cap 10. pag. 85. *Aranei tela apposita subvenit narium cruentis fluoribus.*

8. *Gallinacei, &c*] Vide Notas & Emend. num. XXVI.

9. *Item columbinus.*] Q. Serenus, loc cit.

> *Aut galli cerebro, vel sanguine tinge columbæ:*
> *Quod nisi supprimitur, sanguis potandus & ipse est.*

Marcellus item Empir. cap. 10. pag. 85.

10. *Si vero ex.*] Q. Serenus, cap. 44. pag. 153.

> *Adversus nimios reserati vulneris amnes,*

XXXIX. [1] Vulneribus medetur œſypum cum hordei cinere & ærugine æquis partibus. Ad carcinomata quoque ac ſerpentia valet. Erodit & hulcerum margines: carneſque excreſcentes ad æqualitatem redigit. Explet quoque, & ad cicatricem perducit. [2] Magna vis & in cinere pecudum fimi ad carcinomata, addito nitro: [3] aut in cinere ex oſſibus feminum agninorum, præcipue in his hulceribus, quæ cicatricem non trahunt. [4] Magna & pulmonibus, præcipue arietum: Excreſcentes carnes in hulceribus ad æqualitatem efficaciſſime reducunt. [5] Fimo quoque ipſo ovium [6] ſub teſto calefacto & ſubacto tumor vulnerum ſedatur: [7] fiſtulæ purgantur ſananturque: item epinyctides. Summa vero vis in canini capitis cinere: excreſcentia omnia ſpodii vice erodit ac perſanat. Et murino fimo eroduntur. [8] Item muſtelæ fimi cinere. Duritias etiam in alto hulcerum, & carcinomata perſequitur multipeda trita, admixta reſina terebinthina & ſinopide. Eademque utiliſſima ſunt in his hulceribus quæ vermibus periclitantur.

Quin & vermium ipſorum genera mirandos uſus habent. [9] Coſſes, qui in ligno naſcuntur, ſanant hulcera omnia. Nomas vero combuſti cum pari [10] pondere aniſi, & ex oleo illiti. [11] Vulnera recentia conglutinant terreni, adeo ut nervos quoque abſciſſos illitis ſolidari [12] intra ſeptimum diem perſuaſio ſit: itaque in melle ſervandos cenſent. Cinis eorum margines hulcerum duriores abſumit, cum pice liquida, [13] vel ſimblio melle. [14] Quidam arefactis in Sole ad vulnera ex aceto utuntur, nec ſolvunt, niſi biduo intermiſſo. Eadem ratione & [15] cochlearum terrena proſunt: [16] totæque exemptæ, tuſæ & impoſitæ, recentia vulnera conglutinant, & nomas ſiſtunt. [17] Herpes quoque animal a Græcis vocatur, quo præcipue ſanantur quæcumque ſerpunt. [18] Cochleæ proſunt eis cum teſtis ſuis tuſæ: [19] cum myrrha quidem & thure, etiam præciſos nervos ſanare dicuntur. Draconum quoque adeps ſiccatus in Sole magnopere prodeſt: item gallinacei cerebrum recentibus plagis. [20] Sale viperino in cibo ſumpto, tradunt & hulcera tractabiliora fieri, ac ſanari celerius. [21] Antonius quidem medicus cum inciſiſſet inſanabilia hulcera, viperas edendas dabat, miraque celeritate perſanabat. Tragalidum cinis margines hulcerum duros aufert cum melle: item fimi columbini cinis cum arſenico & melle, ea quæ erodenda ſint. Bubonis cerebrum cum adipe anſerino mire vulnera dicitur glutinare: quæ vero vocantur cacoëthe, cinis feminum arietis cum lacte muliebri, diligenter prius elutis linteolis: Ulula avis cocta in oleo, cui liquato miſcetur butyrum ovillum & mel. Hulcerum labra duriora apes in melle mortuæ emolliunt. [22] Et elephantiaſin ſanguis & cinis muſtelæ. Verberum vulnera, atque vibices, [23] pellibus ovium recentibus impoſitis obliterantur.

XL. [1] Articulorum fracturis cinis feminum pecudis peculiariter medetur: efficacius cum cera. Idem medicamentum fit ex maxillis ſimul uſtis, cornuque cervino & cera mollita [2] roſaceo. [3] Oſſibus fractis caninum cerebrum linteolo illito, ſuperpoſitis lanis, quæ

Notæ.

Sive fimus manni cum teſtis uritur ovi,
Et reprimit fluidos miro medicamine curſus.

Adſtipulatur etiam Marcellus Empir loc. cit.

Sect. XXXIX. 1. *Vulneribus.*] Vide Notas & Emendat. num. XXVII.

2. *Magna vis.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 22.

3. *Aut in cinere ex oſſibus.*] Marcellus Empir. cap 4. pag. 42. iiſdem verbis.

4. *Magna & pulmonibus.*] Ad verbum fere Marcellus Empir & Plinius Valer. locis cit.

5. *Fimo quoque.*] Plinius Valer. totidem ſyllabis, lib. 3. cap. 21.

6. *Sub teſto.*] Sic M S S. Reg. Colb Chiffl. non *teſta.* *Teſtum* & *teſtus* antiquis vas fuit ſub quo panis coqueretur, plerumque æreus, ut Plinius docet lib 32. ſect. 26. Cato: *In foco calido ſub teſtu coquito leniter.* Inde pani teſtaceo nomen.

7. *Fiſtulæ.*] Plinius Valer loc. cit.

8. *Item muſtelæ.*] Q. Serenus, cap. 37. pag. 150.

At ſi jam veteri ſuccedit fiſtula morbo,
Muſtelæ cinere immiſſo purgabitur hulcus.

9. *Coſſes qui.*] Marcellus Empir. cap. 42. *Hulcera recentia, & univerſa vitia hulcerum in capite ſanant vermes qui in arbore cava vel putrida naſcuntur, triti, & in panno impoſiti: Iidem vermes combuſti, & cum anetho ſicco pari pondere triti & impoſiti, ſanant etiam carcinomata.* Valer lib 3. cap. 22. *Vermes qui in ligno naſcuntur, vocantur coſſes,* &c.

10 *Pondere aniſi.*] M S S. *aneſi.* Plinius Valer. & Marcellus, *anethi*, tum loco cit. tum pag 41.

11. *Vulnera recentia.*] Dioſcor. lib. 2. pag. 72. totidem verbis: Γῆς ἔντερα λεῖα, ἐπιτιθέμενα νεῦρα διακεκομμένα κολλᾷ. Plinius Valer. hæc totidem verbis, lib. 3. cap 20. & Q. Serenus, cap 55. de nervis inciſis, pag. 159.

Haud quiſquam credet diſſectos vulnere nervos
Ad ſolitum rurſus revocari poſſe vigorem:
Sed prodeſt terræ lumbricos iudere tritos.

12. *Intra ſeptimum.*] Sic M S S. non *infra.* Plinius Valer. loc. cit *in die ſeptimo*

13. *Vel ſimblio melle.*] E Sicilia. Dioſcor. lib. 2. cap. 101. Μέλι . . . . ἄριστον τὸ Σικελίας σίμβλιον καλούμενον.

14. *Quidam arefactis.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 20. totidem verbis.

15. *Cochlearum terrena.*] Terra quæ cochleis adhæſerit, ut diximus ſup. ſect.

16. *Totæque exemptæ.*] Teſtis exemptis. Ad verbum hæc Plinius Valer. lib. 3. cap 20. & 21.

17. *Herpes.*] Ἑρπετὰ Græcis ſerpentes ſunt, ſive reptilia. Cujus animalis id peculiare nomen ſit apud Græcos, non liquet.

18. *Cochleæ.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 20. ad verbum.

19. *Cum myrrha,* &c]. Dioſcor. lib. 2. cap. 11. & Plinius Valer. loc. cit.

20. *Sale viperino.*] De hoc ſale dictum eſt ſuperiore libro, ſect. 37.

21. *Antonius quidem.*] Ita M SS. de Antonio Muſa loquitur.

22. *Et elephantiaſin.*] Q. Serenus, cujus verba retulimus lib. 24. ſect 21. Sextus Platon. cap. 20. de muſtela, tit. 1. Marcellus Empir. cap. 19. pag. 130. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 57.

23 *Pellibus ovium recentibus.*] Recens excoriatis.

Sect. XL. 1. *Articulorum.*] Marcellus Empir. cap. 34 pag. 234. totidem verbis, & Plinius Valer. lib. 3. cap. 15. & 48.

2. *Roſaceo.*] Subintellige, oleo.

3. *Oſſibus fractis.*] Ad verbum Sextus Platon. cap. 9. de cane, tit. 22. *Ad fracturam.* Plinius Valer. lib. 3. cap. 48. *Caninum cerebrum linteolo illitum imponitur, ſuperpoſitis lanis, quæ ſubinde oleo ſuffunduntur, quartodecimo die ſolidat.* Q. Serenus, cap 54 pag. 158.

Vis indigna novo ſi ſparſerit oſſa fragore,
Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis:
Lintea deinde, ſuperque inductas nectere lanas,

ſubinde ſuffundantur, fere XIV. diebus ſolidat: [4] nec tardius cinis ſilveſtris muris cum melle: aut vermium terrenorum, qui etiam oſſa extrahit.

XLI. [1] Cicatrices ad colorem reducit pecudum pulmo, præcipue ex ariete; [2] ſevum ex nitro: lacertæ viridis cinis: [3] vernatio anguium ex vino decocta: [4] fimum columbinum cum melle. Item vitiligines albas ex vino. Ad vitiliginem & cantharides cum rutæ foliorum duabus partibus in Sole, [a] [5] donec formicet cutis, tolerandæ ſunt. Poſtea fovere, oleoque perungere, neceſſarium: iterumque illinire, idque diebus pluribus facere, caventes exhulcerationem altam. Ad eaſdem vitiligines & muſcas illini jubent cum radice lapathorum: gallinarum fimum candidum, ſervatum in oleo vetere cornea pyxide: veſpertilionum ſanguinem: fel herinacei ex aqua. Scabiem vero, bubonis cerebrum cum aphronitro, [6] ſed ante omnia ſanguis caninus, ſedant: [7] pruritum cochleæ minutæ, latæ, contritæ, illitæ.

XLII. [1] Arundines, & tela, quæque alia extrahenda ſunt corpori, evocat mus diſſectus impoſitus. [2] Præcipue vero lacerta diſſecta, ut vel caput ejus tantum contuſum cum ſale impoſitum. Cochleæ ex his quæ gregatim folia ſectantur, contuſæ impoſitæque cum teſtis: [3] & eæ quæ manduntur, exemptæ teſtis: ſed cum leporis coagulo efficaciſſime. Oſſa anguium eumdem cum coagulo cujuſcumque quadrupedis intra tertium diem approbant effectum. Laudantur & cantharides tritæ cum farina hordei.

XLIII. In muliebribus malis membranæ a partu ovium proficiunt, [1] ſicut in capris retulimus. Fimum quoque pecudum eoſdem uſus habet. Locuſtarum ſuffitu ſtranguriæ maxime mulierum juvantur. Gallinaceorum teſtes ſubinde ſi a conceptu edat mulier, mares in utero fieri dicuntur. Partus conceptos hyſtricum cinis potus continet: [2] maturat caninum lac potum, evocat membrana e canum ſecundis, ſi terram non attigerit. Lumbos parturientium potus lactis, [3] fimum murinum aqua pluvia dilutum mammas mulierum a partu [4] tumentes reficit. Cinis herinaceorum cum oleo perunctarum cuſtodit partus contra abortus. Facilius enituntur, quæ fimum anſerinum cum aquæ cyathis duobus ſorbuere: aut ex utriculo muſtelino per genitale effluentes aquas. Vermes terreni illiti, [5] ne cervicis ſcapularumque nervi doleant, præſtant. [6] Graves ſecundas pellunt in paſſo poti. [7] Iidem per ſe impoſiti, mammarum ſuppurationes concoquunt & aperiunt, extrahuntque, & ad cicatricem perducunt. Lac devocant poti cum mulſo. Inveniuntur & vermiculi, qui adalligati collo, continent partum. Detrahuntur autem ſub partu: alias eniti non pariuntur. Cavendum etiam ne in terra ponantur. Conceptus quoque cauſa dantur in potu quini aut ſepteni. [8] Cochleæ in cibo ſumptæ accelerant partum: item conceptum impoſitæ cum croco. Eædem ex amylo & tragacantha illitæ profluvia ſiſtunt. Proſunt & purgationibus ſumptæ in cibo, [9] & vulvam averſam corrigunt cum medulla cervina, ita ut uni cochleæ denarii pondus addatur & cyperi: Inflationes quoque vulvarum diſcutiunt exemptæ teſtis, tritæque cum roſaceo. Ad hæc Aſtypalæicæ maxime eliguntur. Alio modo Africanæ binæ tritæ cum feni Græci quod tribus digitis capiatur, addito melle cochlearibus quatuor, illinuntur alvo, prius irino ſucco perunctæ. Sunt & minutæ longæque, candidæ cochleæ, paſſim oberrantes. Eæ arefactæ Sole

Interpretatio.

a *Donec.*] Donec pruriat cutis.

Notæ.

Sæpius & fuccos conſperget pinguis olivi:
Bis ſeptem credunt coaleſcere cuncta diebus.

4. *Nec tardius*, &c.] Plinius Valer. loc. cit. *Cinis ſilveſtrium murium imponitur cum melle. Cinis vero terrenorum vermium cum melle etiam minuta oſſa extrahit.*

Sect. XLI. 1. *Cicatrices.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap 19 pag. 132. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 46. Item Sextus Platon. lib. 6. de ariete, tit 4.

2. *Sevum ex nitro.*] Plinius Valer. loc. cit.

3. *Vernatio.*] Plinius Valer. loc cit. *Senecius anguium.* &c.

4. *Fimum columbinum.*] Plinius Valer. loc. cit.

5. *Donec formicet.*] Vide quæ de ea voce diximus lib. 28. ſect. 20.

6. *Sed ante omnia.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 38

7. *Pruritum cochleæ.*] Q. Serenus, cap. 7. de prurigine, &c. pag. 129.

Pruritus autem falſos levat humor aceti,
Sive maris rabidi ſudor, cochleæque minutæ,
Quarum contactu perimetur acerba libido.

Sic etiam Plinius Valer lib. 3. cap. 39.

Sect. XLII. 1. *Arundines*, &c.] Marcellus Empir. ad verbum, cap. 34 pag. 233. & Plinius Valer. lib. 3. cap 49.

2. *Præcipue vero.*] Auctores proxime laudati, cum Theod. Priſciano, lib. 1. pag 23.

3. *Et eæ quæ manduntur .... ſed cum.*] Hæc pariter Plinius Valer. loco citato.

Sect. XLIII. 1. *Sicut in capris retulimus.*] Lib. 28. ſect. 77. *Membrana caprarum, in qua partus editur, inveterata, potuique ſumpta in vino, ſecundas pellit.*

2. *Maturat.*] Partum accelerat, qua vi & mortuos in utero fetus expellit, ut auctor eſt Sextus Platonicus, cap. 9. de cane, tit. 3. Habdarrahmanus Ægyptius, cap. 26. pag. 102. *Lac caninum æqualibus vini & mellis temperatum partibus, propinabitur mulieri laboranti difficultate partus: ſtatim emittet infantem, vivus ſit, vel mortuus.*

3. *Fimum murinum.*] Q. Serenus, cap. 21. pag. 138.

Poſt partum tumidas injuſte aſſurgere mammas
Interdum aſpicies: harum mala commemoratur
Murinus fimus ex pluvio ſedare liquore.

4. *Tumentes reficit.*] Ita Reg. 2. Hoc eſt, corrigit.

5. *Iidem per ſe.*] Q. Serenus, loco cit. cap. de mammis ſanandis:

Sin autem clauſas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes unge corymbos.

6. *Ne cervicis ſcapularumque.*] Ita Reg. 2. non, ut editi, *in cervices & ſcapulas, ne nervi*, &c.

7. *Graves ſecundas*] Moleſtas. Ita Reg 2. In editis perperam, ac ridicule, *Gravidis ſecundas.*

8. *Cochleæ in cibo.*] Q. Serenus, cap. de conceptione & partu;

Et cochleæ manduntur edules.

9. *Et vulvam averſam.*] Converſam, quod fit ſtrangulatione uteri.

in tegulis, tusæque in farina, miscentur lomento æquis partibus, candoremque & lævorem corpori afferunt. [10] Scabendi desideria tollunt minutæ & latæ cum polenta. Viperam mulier prægnans si transscenderit, abortum faciet: [11] item amphisbænam, mortuam dumtaxat. Nam vivam habentes in pyxide, impune transeunt, etiam si mortua sit: atque asservata, partus faciles præstat vel mortua. Mirum, si non asservatam transscenderit gravida, innoxiam fieri, si protinus transscendat asservatam. Anguis inveterati suffitus menstrua adjuvant.

XLIV. Anguium senectus adalligata lumbis, faciliores partus facit, [1] protinus a puerperio removenda. Dant & in vino bibendam cum thure: aliter sumpta, abortum facit. [2] Baculum, [a] quo angui rana excussa sit, parturientes adjuvat: troxalidum cinis illitus cum melle, purgationes. Item araneus, qui filum deducit ex alto, capi debet manu cava, tritusque admoveri: [b] quod si redeuntem prehenderit, inhibebit idem purgationes. [3] Lapis aëtites in aquilæ repertus nido, custodit partus contra omnes abortuum insidias. [4] Penna vulturina subjecta pedibus adjuvat parturientes. Ovum corvi gravidis cavendum constat, quoniam transgressis [5] abortum per os faciat. [6] Fimum accipitris in mulso potum, videtur fecundas facere. [7] Vulvarum duritias & collectiones, adeps anserinus aut cygni emollit.

XLV. [1] Mammas a partu custodit adeps anseris cum rosaceo [2] & araneo. Phryges & Lycaones mammis puerperio vexatis invenere otidum adipem utilem esse: his quæ vulva strangulentur, & blattas illinunt. Ovorum perdicis putaminum cinis cadmiæ mixtus, & ceræ, [c] [3] stantes mammas servat. Putant & ter circumductas ovo perdicis non inclinari: & si sorbeantur eadem, fecunditatem facere: lactis quoque copiam. Cum anserino adipe perunctis mammis, dolores minuere, molas uteri rumpere, scabiem vulvarum sedare, si cum cimice trito illinantur. — CAP. XIII.

XLVI. [1] Vespertilionum sanguis psilothri vim habet; [2] sed malis puerorum illitus non satis proficit, [3] nisi ærugo, vel cicutæ semen postea inducatur: sic enim aut in totum tolluntur pili, aut non excedunt lanuginem. Idem & cerebro eorum profici putant. Est autem duplex, rubens utique & candidum. Aliqui sanguinem & jecur ejusdem admiscent. [4] Quidam in tribus heminis olei [5] discoquunt viperam, exemptis ossibus psilothri vice utuntur, evulsis prius pilis quos renasci nolunt. [6] Fel herinacei psilothrum est, utique mixto cerebro vespertilionis & lacte caprino: [7] Item per se cinis. [8] Lacte canis primi partus, evulsis pilis quos renasci nolunt, vel nondum natis, perunctis partibus, alii non surgunt. Idem evenire traditur sanguine ricini evulsi cani: item hirundinino sanguine, vel felle. [a] Ovis formicarum supercilia denigrari cum muscis tritis tradunt. [9] Si vero oculi nigri nascentium placeant, soricem prægnanti edendum. [10] Capilli ne canescant, vermium terrenorum cinere præstari admixto oleo. — a CAP. XIV.

INTERPRETATIO.

a *Quo.*] Quo angui erepta sit rana.
b *Quod si.*] Quod si remeantem in sublime araneum manus apprehenderit.
c *Stantes.*] Servat mammas in statu suo; ne tumeant.

NOTÆ.

10. *Scabendi desideria.*] Sect. sup. *Pruritum sedant cochleæ minutæ, latæ, contritæ, illitæ.*

11. *Item amphisbænam.*] Et hoc pariter refert Galenus, lib. de theriaca ad Pison. cap. 9. pag. 943.

Sect. XLIV. 1. *Protinus . . . . removenda.*] Ne vulvas simul attrahant.

2. *Baculum.*] Ita MSS. non *baculus*, ut editi. Et bacillum neutro genere Cicero extulit, lib. de finib. 2. num. 33.

3. *Lapis aëtites.*] Sextus Platon. parte 2. cap. 1. de aquila, tit. 2. Vide inferius, lib. 36. num 39.

4. *Penna vulturina.*] Hæc totidem verbis Sextus Platon. parte 2. cap. 2. de vulture, tit. 7.

5. *Abortum per os.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVIII.

6. *Fimum accipitris.*] Hippocr. lib 1. de morbis mul. tex. 125. pag. 516. Ἴκτινος δὲ ἀφόδευ τρίβειν ἐν οἴνῳ γλυκεῖ, καὶ πίνειν νῆστιν, καὶ τηνικαῦτα συνδυάζεσθαι τῷ ἀνδρί. *Accipitris stercus in vino dulci terat, & jejuna bibat, & tunc viro condormiat.*

7. *Vulvarum duritias.*] Sextus Platonic. parte 2. cap. 11. de ansere, tit. 2. *Ad duritiam locorum: adeps anseris illitus duritias & concretiones locorum discutit.*

Sect. XLV. 1. *Mammas a partu.*] Ita fere Q. Serenus, cap. 21. pag. 138.

Si castigatas studium est servare papillas,
Anseris aut sevum pariter cum lacte tepenti,
Aut ovum illinito tuleris quod garrula perdix.

2. *Et araneo.*] Ita MSS. Rectius putarim tamen, *& vino.*

3. *Stantes mammas.*] Libro 28. sect. 77. *Virgini novem grana fimi propinant, ut stent perpetuo mammæ.*

Sect. XLVI. 1. *Vespertilionum.*] Q. Serenus, cap. 36. pag. 149.

Namque oculos infesta pilorum tela lacessunt:
Ergo locum crinis vulsi continge cruore,
Quem dat avis tremulis simulat quæ pellibus alas.

Sic etiam Plinius Valer. lib. 3. cap. 52.

2. *Sed malis puerorum.*] Quos imberbes esse volumus.

3. *Nisi ærugo.*] Sic MSS. Reg. 1. 2. aliique: non, ut editi, *nisi eruca.*

4. *Quidam in tribus.*] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 52.

5. *Discoquunt.*] Diu & exacte coquunt.

6. *Fel herinacei.*] Plinius Valer. loc. cit. & Galenus, lib. 2. Εὐπορ. cap. 25. pag.

7. *Item per se cinis.*] Herinacei scilicet combusti ac triti in pulverem.

8. *Lacte canis.*] Ita MSS. Reg. 1. 2. aliique. In libris ad hunc diem editis connectuntur ista cum superioribus, additaque vocula legitur, *item per se cinis cum lacte canis.* Si *per se*, hoc est, solum prodest, quam ob rem, amabo, lac etiamnum canis adsciscitur?

9. *Si vero oculi.*] Q. Serenus, cap. 5. pag. 128.

Si prægnans artus captivi soricis edit,
Dicuntur fetus nigrantia lumina fingi.

10. *Capilli ne.*] Q. Serenus, cap. 5. de capillo tingendo; pag. 127.

Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo,

XLVII. Infantibus, [a] qui lacte concreto vexantur, præsidio est agninum coagulum ex aqua potum. Aut si [b] coagulatio lactis acciderit, discutitur coagulo ex aceto dato. Ad dentitiones, cerebrum pecoris utilissimum est. Ossibus in canino fimo inventis, adustio infantium, quæ vocatur siriasis, adalligatis emendatur: ramices infantium lacertæ viridis admoræ dormientibus morsu. Postea arundini alligata suspenditur in fumo: traduntque pariter cum ea exspirante sanari infantem. Cochlearum saliva illita infantium oculis, [c] palpebras corrigit, gignitque. Ramicosis cochlearum cinis cum thure [1] ex uvis albo succo illitus per dies triginta medetur. [2] Inveniuntur in corniculis cochlearum arenaceæ duritiæ: eæ dentitionem facilem præstant [3] adalligatæ. Cochlearum inanium cinis admixtus ceræ, procidentium interaneorum [d] partes extremas prohibet. Oportet autem cineri misceri saniem punctis emissam e cerebro viperæ. Cerebrum viperæ illigatum pelliculæ [4] dentitiones adjuvat. [5] Idem valent & grandissimi dentes serpentium. [6] Fimum corvi lana adalligatum infantium tussi medetur. [e] Vix est serio complecti quædam: non omittenda tamen, quia sunt prodita. Ramici infantium lacerta mederi jubent. Marem hanc prehendi. Id intelligi & quod sub cauda unam cavernam habeat. Id agendum, ut per aurum, & argentum, aut ostrum mordeat vitium. Tum in calice novo illigatur, & in fumo ponitur. Urina infantium cohibetur muribus elixis in cibo datis. [7] Scarabæorum cornua grandia denticulata, adalligata his, amuleti naturam obtinent. [8] Bovæ capiti lapillum inesse tradunt, quem ab eo exspui, si necem timeat, inopinantis præciso capite exemptum, adalligatumque, mire prodesse dentitioni. Item cerebrum ejusdem ad eumdem usum adalligari jubent: & limacis lapillum sive ossiculum, quod invenitur in dorso. Magnifice juvat & ovis cerebrum gingivis illitum: [9] sicut aures adeps anserinus cum ocimi succo impositus. Sunt vermiculi in spinosis herbis asperi, lanuginosi: hos adalligatos protinus mederi tradunt infantibus, [10] si quid ex cibo hæreat.

XLVIII. [1] Somnos allicit œsypum cum myrrhæ momento in vini cyathis duobus dilutum, vel cum adipe anserino & vino myrtite: avis cuculus leporina pelle adalligatus: [2] ardeolæ rostrum in pelle asinina fronti adalligatum. Putant & per se rostrum ejusdem effectus esse vino collutum. [3] E diverso somnum arcet vespertilionis caput aridum adalligatum.

XLIX. In urina virili lacerta necata, [1] Venerem ejus qui fecerit, inhibet. Nam inter amatoria esse Magi dicunt. Inhibet & fimum cochleæ & columbinum cum oleo & vino potum. Pulmonis vulturini dextræ partes Venerem concitant viris adalligatæ gruis pelle. Item si lutea ex ovis quinque columbarum, admixta adipis suilli denarii pondere, ex melle sorbeantur. [2] Passeres in cibo vel ova eorum. [3] Gallinacei dexter testis arietina pelle adalligatus. Ibium cineres cum adipe anseris & irino perunctis, si conceptus sit, partus continere: contra inhiberi Venerem pugnatoris galli testiculis anserino adipe illi-

INTERPRETATIO.

a *Qui lacte*] Qui lacte, quod e mammis nutricum sugunt, concreto in grumos ununtur.

b *Coagulatio.*] Coagulatio lactis *in stomacho, ob ejus frigiditatem.*

c *Palpebras.*] Pilos palpebrarum.

d *Partes*] Sedem, sive anum.

e *Vix est.*] Vix licet absque risu, ac serio animo, commemorare quædam.

NOTÆ.

Et juvenem præstant redivivo flore capillato.

Sect. XLVII. 1. *Ex uvis albo succo.*] Sic MSS. omnes. Editi, *Ex ovo albo succo*, quod est ineptum.

2. *Inveniuntur.*] Supra, sect. 8. *Arenulæ, quæ inveniuntur in cornibus cochlearum, cavis dentium indita, statim liberant dolore.* Vide quæ ibi diximus.

3. *Adalligatæ.*] Adalligata sunt, quæ Græcis περίαπτα, superstitiosa fere remedia, quæ suspensa collo aut brachio alligata gestantur.

4. *Dentitiones.*] Dentitio, dentium emissio est, cum primum erumpunt.

5. *Idem valent & grandissimi.*] Sic Reg. 1. optime.

6. *Fimum corvi.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 12. pag. 79. *Stercus corvi majoris appensum laboranti tussi, illam amovebit*

7. *Scarabæorum.*] Lucanorum videlicet, de quibus libro xi. sect. 34

8. *Bovæ capiti.*] Vel *boa*, ut diximus lib. 29. sect. 38. In Reg. 1. & 2. *bovæ.* In editis mendose, *bovis.* Neque de medicamentis hoc libro fere agitur, quæ repeti ex quadrupedibus fas est, sed ex avibus tantum & insectis: de aliis obiter, ac velut aliud agendo.

9. *Sicut aures adeps.*] De infantium morbis nunc tota disputatio est: quamobrem id explicans Marcellus Empiricus, cap. 9. pag. 81. *Anserina adeps*, inquit, *adjecto ocimi succo tepefacta, instillataque, dolores auricularum infantilium juvat.*

10. *Si quid ex cibo hæreat.*] Ita libri omnes, etiam MSS. Hoc est, si spina aliqua faucibus, vel os adhærescat. Reponi hoc loco *enecat*, contra veterum exemplarium fidem; non probo.

Sect. XLVIII. 1. *Somnos allicit.*] Q. Serenus, cap. 56. pag. 160.

Dilue præterea glomeramina, quæ gerit intus
Clausa aries inter gemina cruendicis umbras:
Inde soporati ducentur gutture potus.

2. *Ardeolæ rostrum.*] Auctor Kiranidum, pag. 522. de ardeola: Hujus ῥάμφος, hoc est, *rostrum cum cancri felle in corio asinino si suspenderis ad collum vigilantis, dormitabit.*

3. *E diverso.*] Habdarrahmanus Ægyptius, interprete Ecchellensi, cap. 34. pag. 117. *Vespertilionem si posueris in pulvinari, nequaquam somnum capere poterit, qui super illud declinat caput, quamdiu inibi erit vespertilio.* Oculis upupæ vim plane similem idem adscribit, cap. 35. pag. 119. si appendantur e lectulo.

Sect. XLIX. 1. *Venerem ejus qui fecerit*] Hoc est, qui aquam fecerit In editis, audaciore manu, *ejus qui biberit.*

2. *Passeres .... vel ova.*] Marcellus Empir. iisdem verbis, cap 33. pag. 227. R. Moses, citatus a Joan. Bapt Porta, lib. 6. Phys. cap. 5. & Terpsicles laudatus a nobis superius, lib 10. sect. 152. Denique Habdarrahmanus, cap. 15. pag. 86.

3. *Gallinacei.*] Sextus Platon parte 2. cap. 8. de gallo; tit. 3. *Ad concubitum excitandum, & inhibendum Galli testiculi cum adipe anserino in arietis pelle brachio suspensi, concubitum excitant. Suppositi lecto cum ipsius sanguine, efficiunt ne concumbant qui jacent.*

tis adalligatisque pelle arietina tradunt. [4] Item cujuscumque galli gallinacei, si cum sanguine gallinacei lecto subjiciantur. Cogunt concipere invitas fetæ ex cauda mulæ, si junctis evellantur, inter se colligatæ in coitu. Qui in urinam canis suam ingesserit, dicitur ad Venerem pigrior fieri. [5] Mirum & de stellionis cinere (si verum est) linamento involutum in sinistra manu Venerem stimulare: si transferatur in dextram, inhibere. Item vespertilionis sanguinem collectum flocco, suppositumque capiti mulierum, libidinem movere: aut anseris linguam in cibo vel potione sumptam.

L. Phthiriasin a toto corpore pota membrana senectutis anguium triduo necat: [1] ac serum exempto caseo potum cum exiguo sale. Caseos, si cerebrum mustelæ coagulo addatur, negant corrumpi vetustate, aut a muribus attingi. Ejusdem mustelæ cinis si detur in offa gallinaceis pullis & columbinis, tutos esse a mustelis. Jumentorum urinæ tormina vespertilione adalligato finiuntur. [2] Verminatio ter circumlato verendis palumbo: mirum dictu: palumbus emissus moritur, jumentum liberatur confestim.

LI. [1] Ebriosis ova noctuæ per triduum data in vino, tædium ejus adducunt. [2] Ebrietatem arcet pecudum assus pulmo præsumptus. Hirundinis rostri cinis cum myrrha tritus, & in vino quod bibetur inspersus, securos præstabit a temulentia. Invenit hoc Horus Assyriorum rex.

LII. Præter hæc sunt notabilia animalium ad hoc volumen pertinentium. Gromphenam avem in Sardinia narrant grui similem, ignotam jam etiam Sardis, ut existimo. In eadem provincia est [1] ophion, cervis tantum pilo similis, nec alibi nascens. Iidem auctores nominavere [2] subjugum, quod nec quale esset animal, nec ubi nasceretur, tradiderunt. Fuisse quidem non dubito, cum & medicinæ ex eo sint demonstratæ. [3] M. Cicero tradit animalia biuros vocari, qui vites in Campania erodant.

LIII. Reliqua mirabilia [1] ex his quæ diximus. Non latrari a cane membranam ex secundis canis habentem, aut leporis fimum vel pilos tenentem. In culicum genere [2] muliones non amplius, quam uno die, vivere. [3] Eosque qui arborarii pici rostrum habeant, & mella eximant, ab apibus non attingi. Porcos sequi eum, a quo cerebrum corvi acceperint in offa. Pulverem, in quo se mula volutaverit, corpori inspersum mitigare ardores amoris. [4] Sorices fugari, si unus castratus emittatur. [5] Anguina pelle, & sale, & farre cum serpyllo contritis una, dejectisque cum vino in fauces boum, uva maturescente, toto anno eos valere: vel si hirundinum pulli tribus offis dentur. Pulvere e vestigio anguium collecto, sparsas apes in alvos reverti. [6] Arietis dextro teste præligato oves tantum gigni. Non lassari in ullo labore, qui nervos ex alis & cruribus gruis habeant. Mulas non calcitrare, cum vinum biberint. [7] Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quæ non perroderetur a veneno Stygis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum est, magna [8] Aristotelis infamia excogitatum. Nunc ad aquatilia revertemur.

(Margin: CAP. XVI.; line numbers 5, 10, 15, 20, 25, 30, 35)

NOTÆ.

4. *Item cujuscumque.*] Sextus Platon. loc. cit.

5. *Mirum & de*] Marcellus Empiric. cap. 33. pag 217. *Stellionis cinis*, inquit, *in linteo obvolutus, sinistra manu portatus, Venerem stimulat: translatus, inhibet*

Sect. L. 1. *Ac serum.*] Marcellus Empir. cap. 4. pag 43. *Serum, id est, aquam lactis, quæ remanet facto caseo, si quis adjecto aceto in potione aliquoties sumpserit, ita liberatur a pedunculis, ut penitus exstirpentur, nec postea in eo renascantur*

2. *Verminatio.*] Vermes in interaneis gigni desinunt, &c. Egimus de hac voce, lib. 28. sect. 49.

Sect. LI. 1. *Ebriosis ova.*] Noctuæ ova comesta facere ebriosos scribit Philostr. lib. 3. de vita Apollonii, cap. 12. pag 147

2. *Ebrietatem arcet.*] Dictum id jam antea, lib. 28. sect. 80 extrema.

Sect. LII. 1. *Ophion.*] De eo egimus superius, lib. 28. sect. 42. num. 3.

2. *Subjugum.*] Ita Reg. 2. & alii: & mox *biuros*, quasi *diuros*, hoc est, *bicaudes*: non, ut in libris hactenus editis, *sirulugum*, & *byturos*. Cum vites erodi a biuris Cicero dicat, id vermis esse genus arbitror, quod Græci ἶπα vocant. Hesychius: Ἶψ, θηρίδιον τι ἀμπέλους ἐσθίον.

3. *M. Cicero.*] In libris quos inscripsit, *De rebus admirandis*, qui interierunt.

Sect. LIII. 1. *Ex his quæ diximus*] Ex iis animalium generibus, quorum hactenus medicinas attigimus.

2. *Muliones.*] Qui mulis infesti sunt. Vide quæ de his diximus lib. xi. sect. 19.

3. *Eosque qui arborarii pici.*] Pici Martii, qui arbores excavat, ut dictum est lib. 10. sect. 20.

4. *Sorices fugari.*] Simile istud Habdarrahmani commentum, cap. 44 *Si murem ligabis in domo, omnes reliqui mures ab illa fugient, nec revertentur, quamdiu mus ille ibi ligatus erit.*

5. *Anguina pelle.*] Columella, lib. 6. de re rust. cap. 4. de vitiis boum, & medicinis.

6. *Arietis dextro.*] Dictum id jam antea, libro 8. sectione 72.

7. *Ungulas tantum.*] Vitruvius, lib. 8. cap. 3. pag. 163. *Est in Arcadia Nonacris nominata terræ regio, quæ habet in montibus e saxo stillantes frigidissimos humores. Hæc autem aqua Στυγὸς ὕδωρ nominatur: quam neque argentum, neque æneum, neque ferreum vas potest sustinere: sed dissilit, & dissipatur. Conservare autem eam & continere nihil aliud potest, nisi mulina ungula.* De equina ungula Pausanias id prodit in Arcad. Plutarchus, de asinina, in Alexandro, pag. 707. Vitruvium Rhodiginus non legerat, qui libro 25. cap. 16. deceptum affinitate vocum, ὄνος & ἡμίονος, Plinium arbitratur.

8. *Aristotelis.*] Qui auctor Antipatro regnum affectanti fuisse perhibebatur, uti Alexandrum eo veneni genere tolleret. Nam, ut dictum est lib. 2. sect. 106. aqua hæc *pota illico necat.* Vide Plutarchum loco cit. & Curtium, libro 10. Sed rumore id falso jactatum, ac vino potius atque ebrietate periisse Alexandrum, constantior hominum opinio fuit.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXX. NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. BABYLONIOSQUE *Marmarum, & Arabantiphocum &c.*] In his portentis nominum recitandis, secuti sumus vetustiorum exemplarium fidem, R. Colb. Th. & Chiffl. In libris vulgatis paulo aliter: *Babylonioumque Marmaridum, & Arabem Hippocum, Assyrium vero Zarmocendam.* Pro *Arabantiphocum*, forte Attraplychum legi fatius fuerit quem cum Zoroastre, Osthane, & aliis, Laertio tius minat in proœmio, pag. 1.

Ibid. II. *Thessalas matres.*] Sic MSS omnes, Reg. Colb. Chiffl non ut libri vulgo editi, *Thessalas urbes.* Veneficas enim sagasque intelligit, quarum Thessalia plena olim: adeo ut Thessalia & Thessalis simpliciter ponatur pro maga. Lucanus, lib. 6 vers. 451.

Abducit superos alienis Thessalis oris:
Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor.

Ibid. III. *Apollobechen Coptiten.*] Hæc sincera lectio est codicum Reg. Colb. Th. Chiffl. Depravata vulgatorum, *Apollonicem Capitdenem.* Audacior conjectura eruditorum, atque a vestigiis veteris scripturæ alienior, *Apollonidem Herapionem* qui de religione ac regibus Ægyptiorum, & de exstructione pyramidum multa litteris consignasse legitur apud Theophilum Antioch. lib. 2. ad Autolycum: Ἀπολλωνίδης ὁ καὶ ὡραπίων ὀνομαζόμενος, ab Horu & Api Ægyptiorum numinibus appellatione deducta.

Sect. 3. IV. *DCLVII. demum anno Urbis.*] Ita Reg. 1. Colb. 3. editique libri omnes. Quæ annorum ratio plane congruit cum nostra Chronographia, hoc est, cum ea quam ceteris operis sui locis Plinius constantissime sequitur, & quam docuit fere Petavius, summus non in eo modo, sed in omni genere scientiæ artifex. Consentiunt Cassiodorus, Fasti Siculi, Julius Obsequens.

Sect. 8. V. *Nam eruca brassica, ejus contactu cadunt.*] In MSS vetusto more, *uruca*, pro *eruca*, ut alibi diximus. Ex hoc Plinii loco perperam, ut apparet, intellecto, scripsit Marcellus Empiricus, cap. 12. pag. 95. non erucas cadere contactu ejus vermiculi, qui in Veneris labro invenitur, quæ Plinii mens videtur esse: sed dentes ipsos, qui vitiati sunt, erucæ contactu decidere: quæ sententia, ut dicam quod sentio, huic loco accommodatior videri potest. Prorsus ut in mendo cubare Plinii contextum haud immerito credas, legique oportere, *Nam eruca brassicæ etiam contactu cadunt*, exigua admodum mutatione voculæ *ejus*, in aliam satis affinem, *etiam*. Verba Marcelli hæc sunt. *Bestiola, quæ brassica innascitur, dens vitiosus sæpius confricatus, intra dies paucos ejicitur.* In MSS. tamen omnibus, *ejus* constantissime legitur.

Sect. 9. VI. *Si fervencia os intus exusserint, lacte canino statim sanabitur.*] Sic MSS. Reg. Colb. Th. non, ut quidam editi libri, *exusserint*. De ferventibus oris hulceribus Dalecampius hæc accepit, quas ἄφθας Græci vocant: aliena sane a mente scriptoris, quam nos, ut remur, attigimus, interpretatione. Confirmat enim nostram egregie Q. Serenus, cap. 25 pag. 154

Ora ambusta cibo sanabis lacte canino.

Et Plinius Valer. lib. 1. cap. 30. *Si fervencia os intus exusserint, continuo sanantur gargarizatione lactis canini.* In jure id vinove sorbendo fere contingit, cum calidius justo est. Ut puero illi Plautino, in Mil act. 3. sc. 2. vers. 20.

PA. *Neque tu bibisti?*
LV. *Dii me perdant, si bibi,*
Si bibere potui.
PA. *Qui jam?*
LV. *Quia enim obsorbui:*
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

Sect. 10. VII. *Varos adeps gallinaceus cum cepa tritus, & subactus.*] Transtulit incaute Marcellus Empir. hoc medicamentum a varis ad varices, cap. 34 pag. 235. *Varices curat*, inquit, *adeps gallinaceus cum cepa trita impositus, vel perductus assidue*. Non ita Plinius Valer. lib. 3. cap 41 ubi Plinium nostrum summa fide transscripsit.

Sect. 12. VIII. *Gravedinem invenio finiri, si quis nares mulinas osculetur.*] Ita rescripsimus, tum ex fide codicum Reg. 2 & Chiffl. tum ex scriptorum auctoritate, quos antea retulimus, in Notis & Emend. ad librum 28. num. XV. Prius *murinas* perperam legebatur.

Ibid. IX. *Cochleæ coqui debent illotæ.*] In Reg 1. *inlotæ*. In Reg. 2. *inlotæ*, vetusto more, pro *illotæ*. Hæc enim sincera hujus loci scriptura est: adulterina altera, quam libri omnes editi præ se ferunt, *coqui debent in lacte*. Plinius Valer. lib. 1. cap. 45. de tonsillarum vitio: *Cochleæ*, inquit, *coqui debent inlotæ, deinde conteri, & in passo dari potui.* Marcellus Empir. cap. 14. pag 102. *Cochleæ, terra tantum excussa, inlotæ coquuntur: dehinc tritæ cum passo Cretico adversum faucium molestias hauriuntur.*

Sect. 13. X. *Ne sint alæ hirsutæ.*] In libris hactenus editis, *ne sint mala hirsuta*. Male, reclamantibus MSS Reg. 1 2. Colb. & Thuanæo. Notum satis *alarum virus*, ut Plinii verbis utar, lib. 31. sect 46 cum hircum olent. De his Horatius, Epod. Carm 12.

An gravis hirsutis cubet hircus in alis.

Sect. 15. XI. *Nec silvestres stomacho utiles, alvum solvunt*] Sic Reg. 1. & 2. Colb. Th. In editis, *nec non silvestres stomacho inutiles*, eadem sententia. In quibusdam e contrario, *nec non silvestres stomacho utiles*, legi aiunt. Male: nam præter auctoritatem exemplarium, quæ diximus, optimæ notæ, ipsa orationis series et scripturæ pugnat: Sequitur enim statim: *Contra marinæ stomacho utiliores.* Dioscor. quoque, lib. 2 cap. 11. Καὶ οἱ ἐπὶ ἀμπέλοις καὶ τοῖς θαμνίσκοις προσκαθήμενοι ἄγριοι . . . κακοστόμαχοί εἰσι καὶ κοιλίας καὶ στομάχου ταρακτικοί. *Silvestres veraque vepribus frutectisque adhærescit . . . alvum stomachumque turbat, & vomitiones ciet.* Et mox: ὁ θαλάσσιος δὲ εὐστόμαχος, δὲ ἐκκοπρωτικός.

Ibid. XII. *Laudatiores traduntur quæcumque vivæ.*] Ita Reg 1 & alii, frustra nitente Pintiano, *tritæ* pro *vivæ* inducere. Dioscor. loc. cit. Ζῶσα δὲ ἡ σὰρξ καταποθεῖσα, ὁ Λιβυκοῦ μάλιστα, ἀλγήδονας στομάχου παύει. *Vivæ cochleæ caro, & maxime Africanæ, devorata, stomachi dolores mitigat.* Plinius Valer. lib. 2. cap 15. cujus titulus est, *Præcordiorum dolori curando: Prosunt item*, inquit, *vivæ cochleæ ex aceto devoratæ.*

Sect. 17. XIII. *Post hoc jubent eum in pariete dormitorii ejus tectorio includi.*] In libris vulgatis perperam legitur, *tectove includi*. In Chiffl. *tectoriove*. Reg. 2. optime, *tectorio*. Marcellus Empiricus, modo tectorium, modo lutum vocat. Nam cap. 23. pag. 167. *Si quis agnum recens natum, inquit, confestim manibus divellat, lienemque ejus ubi extraxerit, calidum super lienem dolentis imponat, ac fascia liget, & dicat assidue,* REMEDIO LIENIS FACIO. *Postero die sublatum de corpore ejus parieti cubiculi in quo lienosus dormire solitus est, luto prius illito, ut hærere possit, imponat atque ipsum lutum XXVII. signaculis signet, ad singula dicens,* LIENI REMEDIUM FACIO, &c. Et pag. 166. ubi vim parem & lieni canino adscribit: *Caninus splen*, inquit, *recens supra splenem hominis imponitur: dicente eo qui apponit, remedium se splenis facere. Postea splen intra parietem dormitorii cubiculi, tectorio, id est, capsula inclusus reponitur, & desuper ter novies signatur.* Sed vereor ut tectorii voci quæ vis subesset, probe intellexerit.

Ibid. XIV. *Araneus, & maxime qui lycos vocatur*] Hunc Plinius ait lienis vitio mederi. De eo ipso Dioscorides, lib. 2. cap. 68. Ἀράχνη τὸ ζῶον, ὃ ὀλκὸν τινὲς ἢ λύκον καλοῦσι, συμμαλαχθεῖσα σπληνίῳ, καὶ ἐμπλασθεῖσα εἰς ὀθόνιον, προστεθεῖσα μετώπῳ ἢ κροτάφοις, τριταίους περιόδους ἰᾶται. *Araneus, quem raptorem, aut lupum alii nominant, cum emplastro subactus, & linteolo inductus, ac fronti aut temporibus impositus, tertianas febres persanat.* An Plinius hæc eadem raptim legens, apud Græcos scriptores, ac priore solum parte contentus, Ἀράχνη τὸ ζῶον ὁ ὀλκὸς ὅσιος ἢ λύκον καλοῦσι, συμμαλαχθεῖσα σπληνίῳ, nec progressus ultra, affinitate vocum delusus, σπληνίου, quæ vox ibi emplastrum sonat, ἀντὶ τοῦ σπληνός, hoc est, pro splene acceperit, subiit aliquando animum dubitare: ne affirmarem

firmarem

firmarem omnino hallucinatum esse, experta ejus reliquo opere fides, in vertendis Græcis, prohibuit.

Sect. 19. XV. *Jus e gallinaceo iisdem medetur: sed veteris gallinacei vehementius salsum jus alvum ciet.*] Præpostera interpunctione prius legebatur, *sed veteris gallinacei vehementius. Salsum jus alvum ciet.* Nos vero non probatos modo codices, Reg. Colb. & Th. secuti sumus, & Chiffletianum præterea, in quo ejus sententiæ verba ordine paulum immutato sic leguntur: *sed veteris gallinacei salsum jus vehementius alvum ciet.* Verum etiam Dioscoridem ipsum, libro 2. cap. 53. Ὁ δὲ ζωμὸς τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων δίδοται, inquit, πρὸς ταραχὴν κοιλίας· ἐκζέονται δὲ καὶ οἰνὸς, ἀλὸς ἀντεμβληθέντος ἁλὸς, &c. *Jus e vetere gallinaceo datur ad dejiciendam alvum: exemptis porro interaneis in eorum locum sal immittendus*, &c.

Sect. 21. XVI. *Et intestinorum ex his cinerem cochlearibus tribus. E nido hirundinum glebulam dilutam aqua calida.*] Nihil hac emendatione nostra certius: nihil vulgata hactenus lectione inquinatius. Sic enim libri præ se ferunt: *Ex intestinorum ex his cinerem cochlearibus tribus e nido hirundinum. Gryllum dilutum aqua calida.* Quæ, Deus immortalis, medicinæ portenta! Palumborum cinerem e nido hirundinum peti quis vidit? aut inter medicamenta ex volucribus quæsita, gryllo dari locum quis approbet? quia quid dilutus sit gryllus, intelligat? *Dirutum* Chiffl. & Th. exhibent, sed pejore vitio. Emendationis auctores extitere duo: Marcellus Empir. cap. 26. pag. 176. *Contra calculum*, inquit, *& alias difficultates vesicæ ... glebula de nido hirundinum diluta ex aqua, pota prodest.* Alter, Plinius Valer. lib. 2. cap. 39. *Vesicæ & calculo purgando: De nido hirundinis glebula diluta ex aqua calida bibitur.* Et Plinius ipse noster, libro sup. sect. 32. ad morsus canis rabiosi *glebulam* commendat *ex hirundinum nido illitam ex aceto.*

Sect. 22. XVII. *Fel herinacei, cum vespertilionis: & anserinus, cum cerebro, & alumine, & œsypo*] In libris hactenus vulgatis, *vel herinacei* legebatur: deerantque hæ voces, *& anserinus cum cerebro.* Mendum utrumque sustulimus, ope codicum Reg. Th. & Chiffl. Posterius etiam admonitu Marcelli Empirici, qui magnam operis sui partem ex Plinii verbis ac sententiis concinnavit: Sic enim ille, cap. 31. pag. 222. *Adeps anserinus*, inquit, *cum ejusdem cerebro, & œsypo, & alumine subigitur, & imponitur ani omnibus causis.* Quare & in Pliniano contextu *adeps anserinus* rectius, quam *& anserinus* legas.

Ibid. XVIII. *Cochleæ .... contrita ex aceto: senectus anguium ex aceto, vel cinis ejus.*] In libris hactenus editis: *Cochleæ ...., ex aceto, vel cinis ejus*: ceteris, quæ inseruimus, prætermissis. Restituimus ea ope Regii 1. aliorumque codicum: ipsa serie orationis ita postulante: cum sequatur statim, *vel cinis ejus*, quod ad cochleas, de quibus antea, referri nequit.

Ibid. XIX. *Hydrocelicis. ... in cibo id sæpius datur. Sicut ad urinæ incontinentiam, caninum adipem cum alumine .... cochleas Africanas. ... Anserum trium ....*] Præpostera interpunctione perturbata prius omnia sic legebantur: *In cibo id sæpius datus, sicut ad urinæ incontinentiam. Caninum adipem.* &c. Perinde quasi ad urinæ incontinentiam stellio valeret, hydrocelicis cochleæ, & quæ sequuntur, prodessent. Contra Plinius Valer. lib. 2. cap. 40. cui titulus, *Incontinentia urinæ compescenda. Anserum etiam trium*, inquit, *lingulæ assæ in cibo sumuntur. Cochleæ Africanæ cum carne sua comburuntur, cinisque earum ex vino bibitur.* Et Marcellus Empir. explanate magis, cap. 26. pag. 124. *Urinam*, inquit, *continet lac caninum, & adeps ejus cum alumine datus, ita ut sit fabæ magnitudine globulus qui datur. Cinis cochlearum Africanarum exustarum si potetur, urinæ incontinentiam sedat. Anserum trium linguas inassatas si quis ederit, urinæ profluvium non patietur.* Hæc sane omnia prodesse hydrocelicis nemo veterum commemorat. Urinæ incontinentiæ Plinius ipse iterum, lib. 32. sect. 35.

Sect. 23. XX. *Et de milvo affirmant si, ... bibatur ex aqua. Aut si pedes sanguine cum urtica: vel pennis palumborum, cum primum nascentur, tritis cum urtica. Quin & fimus eorum articulorum doloribus illinitur.* Prius sic legebatur: *Aut si pedes sanguinem, ..., vel pennis eorum.* In vetustis codd. *si pedes sanguinem*, vel *sanguine* Emendat Dalecampius, *si pedes sanguine inungant.* Etiam *sanguinem* defendi putat posse Quintiliani suffragio, pro *sanguine maneat* Convellit ac labefactat ejusmodi conjecturas nostra interpretatio, de milvino sanguine, quo perungi cum urtica trita podagricos pedes, non Plinius solum est auctor, sed & Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246. *Urtica trita*, inquit, *cum sanguine milvino, aut palumborum permixta: atque ex eo pedes illiti efficaciter sanantur.* Et Plinius Val. in lib. 3. cap. 14. *Adipe viperino, sanguine quoque milvi pedes perunguntur.* Mox ubi *vel pennis eorum* libri vulgati exhibent, Dalecampius reponit, *vel pennis ejus*, ut ad milvum spectare videatur. At quo auctore? Deinde quid verbis proxime sequentibus fiet, *cum primum nascentur*. &c, *Quin & fimus eorum*? Quanto verisimilius est, non *eorum*, sed *palumborum*, ut rescripsimus, legi oportere? audacia sane conjectura, sed utique certa. Sic enim Marcellus Empiric. qui vetustissimos & maxime probatos Plinii codices secutus est. *Columbinæ pinnæ*, inquit, *maxime primum nascentes cum urtica, atque imposita, podagræ dolores levant.* Nam & ea quæ proxime sequuntur apud Plinium, *Quin & fimus eorum articulorum doloribus illinitur*, ad columbos etiam pertinere auctor est idem Marcellus, cap. 34. pag. 234. *Stercus columborum*, inquit, *vel solum, vel cum ovo tritum, dolentibus articulis illitum prodest.* Quin & ipse Plinius de columbino stercore hoc loco egisse se satis liquido asseverat, cum paulo post subjicit. *Sane quæ cinere ... nis mollius, sicut fimo columbino cinere*, &c.

Ibid. XXI. *Vel glirium crematorum favilla ex oleo*] Libri omnes editi, *vel gryllorum* MSS. Reg. 1. *grillum.* Reg. 2. & Chiffl. *grillum.* Nos unius trajectione literulæ, *glirium* rescribimus, auctore Marcello Empirico, cap. 34. pag. 232. *Glirium*, inquit, *vel soricum, vel vermium terrenorum cinis oleo impositus, perniombus medetur.*

Sect. 27. XXII. *Cochlearum cinis addito semine lini & urtica cum melle unctu sanat.* Ita Reg. 1. In libris vulgatis, *inunctus sanat.* In Chiffl. *linctu*, male. Plinius Valer. lib. 2. cap. 58. *Ad morbum comitialem: Cochlearum cinis addito lini semine & urtica ex melle illinitur cum sale.*

Sect. 30. XXIII. *Quoniam miserias copia spei delectat, anne aranei, quem lycon vocant, tela cum ipso, in splenio resina ceraque imposita .... prosit.* Hunc locum ita refinximus ex vestigiis codicum Reg. 1. & aliorum. Nam in isto sic legitur: *Quoniam miserias copia spei delectat, anne aranei. ... tela cum ipso in splenio resina ceraque imposita*, &c. In editis hactenus libris mendose, *Quoniam miseria spei delectat, anne araneus .... tela cum ipso specu toto resina ceraque imposita*, &c.

Sect. 38. XXIV. *Sanguinem sistit ... sevum ex omento pecudum inditum.* In Reg. 2. *illitum.* At e vetusto exemplari nescio quo refert Dalecampius *ex omni pecude* legi satius fortassis fore. Frustra, vulgatam scripturam non codice modo Regio ceterisque, sed ex Marcello Empir. constabiliente, cap. 10. pag. 85. *Sistit sanguinem*, inquit, *sevum ex omento pecoris naribus inditum.*

Ibid. XXV. *Item coagulum ex aqua, maxime agninum, subductum vel infusum.*] Ita libri sane omnes. At quid si *subactum & infusum* legas? Legisse profecto sic videntur Marcellus Empir. & Plinius Valer. Ille, cap. 10. pag. 85. *Coagulum agninum ex aqua subactum, & infusum naribus fluentibus mire prodest.* Iste, lib. 1. cap. 26. *Ad profluvium narium: Coagulum agninum mirifice facit, ex aqua subactum & infusum.*

Ibid. XXVI. *Gallinacei cerebellum, vel sanguis, profluvia ex cerebro: item columbinus ob id servatus, concretusque.*] In libris hactenus editis, *vel sanguinis profluvia* Male: nam & gallinacei sanguinem ad eos usus quoque commendat: quod non auctoritas modo vetustiorum codicum, in primis Colb. tradet, quem secuti sumus, sed & orationis series ipsa poscit, cum sequatur, *item columbinus*. Nam quod in libris editis legitur *columbinus sanguis*, ex interpolatorum id officina est: cum vocem eam nulli manu exarati codices ibi exhibeant. De sanguine porro gallinacei id olim existimatum Galenus testatur, lib. 10. de facult. simpl. med. cap. 278. tom. 13. prodesse nimirum ad sanguinis profluvium e membrana cerebri, αἱ τῆς τῆς μήνιγγος αἱμοῤῥαγίας.

Ibid. XXVII. *Vulneribus medetur œsypum*] In Reg. 2. & Chiffl. *Ulceribus.* Apud Plinium Valer. *hyssopum*, mendose. *Sanguini ex vulneribus sistendo Hyssopum*, inquit, lib. 3. cap. 21. (pro *œsypum*,) *cum hordei farina sive cinere ejus sparsum prodest.*

Ibid. XXVIII. *Quoniam transgressis abortum per id faciat.*] Sic totidem plane apicibus Reg. 1. & 2. cod. In editis hactenus libris perverse: *transgressum abortus asperos faciat.* Plinius ipse libro 10. sect. 15. de corvis: *Ore eos parere aut coire vulgus arbitratur: ideoque gravidas, si ederint corvinum ovum, per os partum reddere, atque in totum difficulter parere, si tecto inferatur.*

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXXI.

CAP. I. I. AQUATILIUM sequuntur in medicina beneficia, opifice Natura ne in illis quidem cessante, & per undas fluctusque ac reciprocos æstus, amniumque rapidos cursus improbas exercente vires: nusquam potentia majore, si verum fateri volumus: quippe hoc elementum ceteris omnibus imperat. Terras devorant aquæ, flammas necant, scandunt in sublime, & cælum quoque sibi vindicant, ac nubium obtentu [1] vitalem spiritum strangulant: quæ causa fulmina elidit, ipso secum discordante mundo? Quid esse mirabilius potest aquis in cælo stantibus? At illæ ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina, sæpe etiam lapides: [2] subeuntque, portantes aliena pondera. Eædem cadentes omnium terra nascentium causa fiunt, prorsus mirabili Natura, si quis velit reputare ut fruges gignantur, arbores fruticesque vivant, in cælum migrare aquas, animamque etiam herbis vitalem inde deferre: justa confessione, omnes terræ quoque vires aquarum esse beneficii. Quapropter ante omnia ipsarum potentiæ exempla ponemus. Cunctas enim quis mortalium enumerare queat?

CAP. II. II. Emicant benigne passimque in plurimis terris, alibi frigidæ, alibi calidæ, [1] alibi junctæ, [2] sicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenæis montibus, tenui intervallo discernente. Alibi tepidæ egelidæque auxilia morborum [a] profitentes, & e cunctis animalium hominum tantum causa erumpentes. [3] Augent numerum Deorum nominibus variis, urbesque condunt, sicut [4] Puteolos in Campania. [5] Statyellas in Liguria, Sextias in Narbonensi provincia. Nusquam tamen largius quam in Baiano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus, [6] aliæ sulphuris, aliæ aluminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acida salsave mixtura. Vapore quoque ipso aliquæ prosunt. Tantaque eis est vis, ut balineas calefaciant, ac frigidam etiam in soliis fervere cogant, [7] quæ in Baiano [8] Posidianæ vocantur, nomine accepto a Claudii Cæsaris liberto. Obsonia quoque percoquunt. Vaporant & in mari ipso, quæ [9] Licinii Crassi fuere: mediosque inter fluctus existit aliquid valetudini salutare.

III. Jam generatim nervis prosunt pedibusve, aut coxendicibus, aliæ luxatis, fractisve. Inaniunt alvos. Sanant vulnera. Capiti auribusque privatim medentur: oculis vero [1] Ciceronianæ. Digna memoratu villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita

INTERPRETATIO.

a *Profitentes.*] Præ se ferentes.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Vitalem spiritum.*] Aërem. Ipse superius, lib. 2. sect. 43. varias tonitruum causas afferens: *Posse ait & repulsu siderum* depressum, qui a terra meaverit, spiritum nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum dum rixetur, edito fragore, cum erumpat

2. *Subeuntque*] Ascendunt in sublime. Plinius, lib. 2. sect. 63. *Aquæ subeunt in imbres*, &c.

Sect. II. 1. *Alibi junctæ*] Frigidæ junctæ calidis, tenui discernente intervallo. Vide Notas & Emend. num. I.

2. *Ut in Tarbellis*] Horum oppidum, ut in Geographicis diximus, lib. 4 Aquæ Augustæ, sive Tarbellicæ, Gallis *Acqs*, Gasconibus *Dacs* dicitur. Ab aquis calidis hoc loco scaturientibus id nomen invenit, In suburbano reliquiæ veteris aquæ ductus: in ipsa urbe in margine fontis aquarum calidarum folia marmorea, Romanæ ibi magnificentiæ vestigia. Vide Oihenartum, in Notitia Vascon. pag. 467.

3 *Augent numerum Deorum*] Sunt enim Dii marini, Neptunus, Nereus, Oceanus. Sunt Nymphæ, Napææ, Nereides, Naiades, aliaque nomina, de quibus Gyraldus, Syntagm 5.

4. *Puteolos.*] De eo oppido egimus in Geographicis, lib. 3. sect 9. Nomen id habet sive a puteorum, quibus is ager abundat, frequentia: sive, ut nonnullorum opinio est, a putore aquarum & aëris, sulphureo semper vapore gravis. Librum singularem de Balneis Puteolorum & Baiarum edidit Scipio Mazella Neapolitanus. Baiana balnea laudat Cassiodorus eleganter, lib 6. Epist 6.

5. *Statyellas.*] De Aquis Statyellorum, lib. 3. sect. 7. De Aquis Sextiis, eodem libro, sect. 5.

6. *Aliæ sulphuris.*] *Cum aqua in uno* transit *per alumen, aut bitumen, aut sulphur*, ut fuse Vitruvius explicat, l. 8 c. 3. p 157.

7. *Quæ in Baiano.*] Sic Reg. 1. aliique, optime.

8. *Posidianæ.*] A liberto Claudii, quem Posiden spadonem vocat Suetonius in Claudio, cap 28

9. *Licinii Crassi.*] Marci Crassi, Romanorum ditissimi, qui periit in Parthis.

Sect. III. 1. *Ciceronianæ.*] De hoc M. Tullii Ciceronis fon-

litori ¹, celebrata porticu ac nemore, quam vocabat ² Cicero Academiam, ab exemplo ³ Athenarum, (ibi compositis ⁴ voluminibus ejusdem nominis,) in qua & ⁵ monumenta sibi instauraverat, ceu vero non in toto terrarum orbe fecisset. Hujus in parte prima, exiguo post obitum ipsius, ⁶ Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, celebrati carmine ⁷ Laureæ Tullii, qui fuit e libertis ejus, ᵃ ⁸ ut 5 protinus noscatur etiam ministeriorum haustus ex illa majestate ingenii. Ponam enim ipsum carmen, dignum ubique, & non ibi tantum legi:

> Quod tua, Romanæ vindex clarissime linguæ,
> Silva loco melius surgere jussa viret:
> Atque Academiæ celebratam nomine villam 10
> Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
> Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
> Languida quæ infuso lumina rore levant.
> Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
> Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope. 15
> Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
> Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

IV. ¹ In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum, & virorum insaniam abolere produntur.

V. In Ænaria insula, calculosis mederi. ¹ Et quæ vocatur Acidula, ab Teano Sidicino quatuor millibus passuum: hæc frigida. Item in Stabiano, quæ dimidia vocatur: 20 & in Venafrano, ex fonte Acidulo. Idem contingit in Velino lacu potantibus. Item in Syriæ fonte juxta Taurum montem, auctor est M. Varro: & in Phrygiæ ² Gallo flumine Callimachus. Sed ibi in potando necessarius modus, ne lymphatos agat: quod in Æthiopia accidere his, ³ qui e fonte Rubro biberint, Ctesias scribit. 25

VI. ¹ Juxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medentur: egelidæ hæ: ² sed Cutiliæ

INTERPRETATIO.

a *Ut protinus.*] Ut statim appareat, quantum vel ipsi ministri ac famuli hauserint, ex tantæ majestatis ingenio, *nempe ut Tullio.*

NOTÆ.

ee, Isidorus, lib. 13. Orig. cap. 13. *In Italia fons Cicer.* (Lege, *Ciceronianus*) *oculorum vulnera curat.* Villam in qua eæ erant, Puteolanum suum Cicero vocitabat: alteram, ad Lucrinum, in collibus sitam, Cumanum suum.

2. *Cicero.*] Libro 5. de Finibus, num. 1. *Constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset.... Cum autem venissemus in Academiæ non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea, quam volueramus.* Ciceronem imitatus est Hadrianus Imp. teste Spartiano, qui *Tiburtinam villam more exædificavit: ita ut in ea provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum.*

3 *Athenarum.*] Fuisse gymnasii nomen Athenis Academiam, addidit Cicero, lib. 1. Academicarum quæstionum, num. 17 quod nec Horatius, libro 2. epist. 2. nec Plinius, nec Tullii libertus laurea Tullius hoc loco dixere. Græcis Ἀκαδήμεια, & Ἑκαδήμεια. Vide Stephanum, verbo Ἀκαδήμεια Hinc solœcizare Claudianum in octavo panegyrico intelligas, recentioresque omnes qui penultimam hujus vocis *Academia* syllabam corripiunt

4 *Voluminibus.*] Academicarum quæstionum.

5. *Monumenta.*] Reg. 1. 2. Colb. Chiffl. In editis, *monumentum.*

6. *Antistio Vetere*] Gessit Consulatum C. Antistius Vetus, cum D. Lælio Balbo, sub Augusto, Urbis anno DCCLVIII. Exstat ejus perhonorifica mentio in epistolis Ciceronis ad Brutum.

7. *Laureæ Tullii.*] Alterum hujus epigramma exstat, Græce scriptum, in Sappho, libro 3. Anthol. Græc. cap. 25. Epigr 64.

8 *Ut protinus.... ministeriorum.*] *Ministerium* pro ipsis ministris dici, ut servitia pro servis, tralatitium est Paulus: *Urbica ministeria dicimus, etiam quæ extra urbem nobis ministrare consueverunt.* Vide Notas & Emend. num. II.

Sect. IV. 1. *In eadem Campania.*] Isidorus, lib. 13. Orig. cap. 13. hæc totidem fere verbis. Tacitus, lib. 12. Annal. *In tanta mole curarum Claudius valetudine adversa corripitur. refovendisque viribus, mollitie cæli, & salubritate aquarum Sinuessam pergit.* Fuere aquæ illæ in Sinuessano litore, ubi turris quam vocant *Torre de Bagni*, juxta ædem cui nomen est *S Maria a Caudara.* Vide Camill. Felice, Pellegrin. Campania Felice, pag. 135. Hinc Silio Ital. lib. 8. *Sinuessa tepens.*

Sect. V 1. *Et quæ vocatur Acidula.*] Vitruvius, lib. 8. cap. 3. p. 263. *Item sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, uti Campana Teano... aliisque locis pluribus, quæ hanc habent virtutem, uti calculos in vesicis, qui nascuntur in corporibus hominum, potionibus discutiant.* Deinde causas hujusce efficientiæ pluribus investigat. De Teani situ diximus in Geographicis, lib. 3. sect. 9. Exstant etiamnum aquæ illæ, & longe lateque expetuntur ad calculi dolores, in agro Calvensi, juxta castellum vulgo *Francolise* dictum. Holsten. pag. 256

2. *Gallo flumine.*] Nulla hujus fluminis mentio est apud Callimachum, qui nunc exstat.

3. *Qui e fonte Rubro.*] Seneca, lib 3. Natur. quæst. cap. 2. Isidorus, lib. 13. Orig cap. 13. Metam. vers. 319.

> *Cui non audita est obscenæ Salmacis unda,*
> *Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,*
> *Aut furit, aut patitur mirum gravitate soporem.*

E Græcis, Antigonus ex Ctesia, hist. mirab. cap. 165. Sotion in Excerptis, pag. 140 ex eodem: Κτησίας ἐν Αἰθιοπίᾳ κρήνην ἱστορεῖ τῷ χρώματι κινναβάρει παραπλησίαν· τοὺς δὲ πιόντας ἐξ αὐτῆς, παρεκβαίνειν τὴν διάνοιαν, ὥστε καὶ τὰ κρυφίως πεπραγμένα ἐξομολογεῖν. *Ctesias in Æthiopia fontem esse narrat, cujus aqua cinnabaris colorem refert bibentes vero ex eo mente alienati, ea quæ clam perpetrarunt, eloquuntur.*

Sect. VI. 1. *Juxta Romam Albulæ.*] Harum meminit Strabo, lib. 5. pag. 238. Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ ὁ Ἀνίας διέξεισι, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλας νόσους, &c. Hodie *Bagno di Tivoli*, salutares apud urbem Tiburtinam aquæ, quas Anio amnis excipit. Martialis, lib. 1. Epigr 13.

> *Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,*
> *Canaque sulphureis Albula fumat aquis.*

A sulphureis terræ venis lacteum colorem trahunt. inde nomen Vitruvius, lib. 8. cap 3. pag. 157. *In Tiburtina via flumen* (lege *fluens*) *Albula.* Vide & Galenum, lib. 1. de fac. simp med. cap 7 Via Appia in Eccl. S Benedicti reperta inscriptio, quam Rainesius affert, pag. 240. AD AQVAS. ALBVLLAS. Et pag. 193. AQVIS. ALBVLIS. SANCTISSIMIS, &c.

2. *Sed Cutiliæ.*] De Cotiliis aquis ad stomachicos salubribus, vide Cælium Aurel lib. 3. cap. 1. & 2 in fine. Celsus, lib. 4. cap. 5 in dissolutione stomachi, *consistere in frigidis medicatisque fontibus, quales Cutiliarum Sabcutiliarumque sunt, salutare esse* prodit. Nos de iis egimus lib. 3. sect. 17.

in Sabinis gelidissimæ, [a] suctu quodam corpora invadunt, ut prope morsus videri possit: aptissimæ stomacho, nervis, universo corpori.

VII. [1] Thespiarum fons conceptus mulieribus repræsentat: item in Arcadia [2] flumen Elatum. Custodit autem fetum [3] Linus fons in eadem Arcadia, abortusque fieri non pa-
5 titur. E diverso [4] in Pyrrhæa flumen, quod Aphrodisium vocatur, steriles facit.

VIII. [1] Lacus Alphion vitiligines tollit. Varro auctor est, [2] Titium quemdam Prætura functum, marmorei signi faciem habuisse propter id vitium. [3] Cydnus Ciliciæ amnis podagricis medetur, sicut apparet in epistola Cassii Parmensis ad M. Antonium. Contra, aquarum culpa in Trœzene omnium pedes vitia sentiunt. [4] Tungri civitas Galliæ
10 fontem habet insignem, plurimis bullis stillantem, ferruginei saporis: quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit: ac postremo rubescit. [5] Leucogæi fontes inter Puteolos & Neapolim oculis & vulneribus medentur. [6] Cicero in admirandis posuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari.

15 IX. Eudicus in [1] Hestiæotide fontes duos tradit esse: Ceronem, ex quo bibentes oves nigras fieri: [2] Nelea, ex quo albas, ex utroque autem varias. Theophrastus in Thuriis [3] Crathim candorem facere, Sybarim nigritiam bobus ac pecori.

X. Quin & homines sentire differentiam eam. Nam qui e Sybari bibant, nigriores esse, durioresque, & crispo capillo: [1] qui ex Crathi, candidos mollioresque, ac por-
20 recta coma. Item in Macedonia [2] qui velint sibi candida nasci, ad Aliacmonem ducere: qui nigra aut fusca, ad Axium. Idem omnia fusca quibusdam in locis tradit nasci, & fruges quoque, sicut in Messapiis. [3] At in Lusis Arcadiæ quodam fonte mures terrestres vivere & conversari. [4] Erythris Aleos amnis pilos gignit in corporibus.

XI. [1] In Bœotia [2] ad Trophonium Deum juxta flumen Orchomenon duo sunt fon-
25 tes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, [3] inde nominibus inventis.

XII. [1] In Cilicia apud oppidum Cescum rivus fluit [2] Nûs, ex quo bibentium subti-

INTERPRETATIO.

a *Suctu.*] Exsugere corpora, ac propemodum videntur mordere.

NOTÆ.

Sect. VII. 1. *Thespiarum.*] Hoc habet & Theophrastus, lib. 9. hist. cap. 20 at & Athenæus, lib. 2 pag 41. Ἐν Θεσπιαῖς ... ὕδωρ λέγεται ... ἐν Πύῤῥᾳ δὲ ... De Thespiis diximus lib 4. sect. 12.

2. *Flumen Elatum.*] Ita M S S. omnes Ἔλαφον Pausanias vocat, in Arcadicis.

3. *Linus fons.*] Reg 2 *Levius fons.* Isidoro, lib. 13. Orig. cap. 13. *Lechum.*

4. *In Pyrrhæa.*] Sic Reg. 1. In Reg. 2. *In Pyrrha*, ut Athenæus. Theophr lib. 2 de causis, cap 8. pag. 242. ... Πυῤῥαίων. Πυῤῥαία Stephano, μοῖρα Θεσσαλίας, pars est Thessaliæ.

Sect. VIII. 1. *Lacus Alphion*] Sic Reg. 2. aliique. Neque is modo lacus, sed & Alpheus amnis ab hoc effectu sortitus id nomen videtur, teste Strabone, lib. 8. pag. 347. Vitiligo enim Græcis ἄλφος dicitur. Ἀλφειὸς δὲ καὶ λέοντας, inquit ille, de Anigro amne, sive Minyeio: καὶ λειχῆνας ... ἐντεῦθεν λουτρόν· φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἀλφειὸν ἀπὸ τοῦ τὰς ἀλφοὺς θεραπεύειν οὕτω προσαγορευθῆναι. Lavacrum Alphei amnis, seu fontes, a Plinio intelligi, simile veri est.

2. *Titium quemdam*] Eumne, quem inter proscriptos a Triumviris declarat Dio, lib 48. pag. 375.

3. *Cydnus.*] Egimus de eo lib 5. sect. 22. Vitruvius, lib. 8. cap. 3. pag. 159 *Trœzeni omnino aliud genus aquæ non reperitur, nisi quod Cibdeli habent: itaque in ea civitate, aut omnes, aut maxima parte sunt pedibus vitiosi. Ciliciæ vero civitate Tarso flumen est nomine Cydnos, in quo podagrici crura macerantes levantur dolore.*

4. *Tungri civitas.*] Quid civitatis nomine intelligi oporteat, alibi diximus: quod nempe nos vulgo Communitatem appellamus. Agit hoc loco de Spadanis aquis, salubritate celebratis, *les eaux de Spa.*

5. *Leucogæi.*] Ad Pausilypum montem, qui nunc quoque *Posilipo.*

6. *Cicero.*] Ita M S S. omnes. Secutus est Tullium Isidorus, lib. 13. Orig. cap. 13.

Sect. IX. 1. *Hestiæotide.*] Ἑστιαιῶτις pars est Thessaliæ, quondam Doris nuncupata. Unde alteram appellationem sortita sit, disce ex Strabone, lib. 9. pag. 437. Isidorus, lib. 13. Orig. cap. 13. hoc ipsum referens, pro Hestiæotide Thessaliam dixit.

2. *Nelea, ex quo.*] Vide Notas & Emendationes, num. III.

3. *Crathim candorem facere.*] Pecori sane, & bubus, esto. At capillis hominum flavum colorem inducit, teste Antigono, hist. mirab. auscult. cum scholiaste Theocriti, Idyll. 15. qui Theophrastum ipsum laudat auctorem, & Nymphodorum: Κρᾶθις ... τὸ ὕδωρ ξανθίζει.... Unde *Crathis* fluvius, Vibio Sequestro, pag. 33. *confinis Sybari, capillos facit auri coloris.* Ovidius item, lib. 15. Metam. vers. 315.

Crathis, & huic Sybaris nostris conterminus oris,
Electro similes faciunt auroque capillos.

Sect. X. 1. *Qui ex Crathide*] Strabo, lib. 6. pag. 263. Ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ λουομένους, &c.

2. *Qui velint sibi candida.*] Pecora scilicet. Seneca, lib. 3. Natur quæst cap 25. pag. 872. *In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, est flumen, ad quod qui facere albas oves volunt, adducunt: quod ut diutius potavere, non aliter quam infectæ mutantur.*

3. *At in Lusis*] Nomen ei loco ... Λουσοί. Narrat eadem Antigonus Carystius, hist. mirab. cap. 158. Utique ex auctore libri de mirab. auscult. vel ex Aristotele: a quo & Sotioo in Excerptis, pag. 139. Ἐν Λουσοῖς τῆς Ἀρκαδίας φησὶν Ἀριστοτέλης κρήνην τινὰ εἶναι, ἐν ᾗ μῦς χερσαῖος ... καὶ τοῦτον κολυμβᾶν ἐν αὐτῇ ... *Lusis Arcadiæ fontem esse Aristoteles affirmat, in quo mures terrestres sint, in eodemque natent, & vitam degant.* Apud auctorem libri de mirab. auscult. Ἐν Κλείτοροις δὲ τῆς Ἀρκαδίας, &c. mendose.

5. *Erythris Aleos amnis.*] *Aleon fluvius*, lib 5. sect. 31.

Sect. XI. 1. *In Bœotia.*] Refert hoc pariter Isidorus, lib. 13. Orig. cap. 13. De Orchomeno lacu diximus, lib. 16. sect 66.

2 *Ad Trophonium Deum*] Ad Throphonii fanum, juxta Lebadiam: de quo multa Mythologi.

3. *Inde nominibus*] Alteri Μνημοσύνης, hoc, memoriæ: alteri Λήθης, hoc est, oblivionis, appellatione data. Vide Pausan in Bœot.

Sect. XII. 1. *In Cilicia.*] Inde parœmia, Κέσκον οἰκεῖς, in stolidos hebetesque jaci solita, nempe ... Zenobius, Centur. 4. Proverb. 51. Κέσκον οἰκεῖς. Πόλις Παμφυλίας ... Ὅθεν καὶ παροιμία γέγονε, Πόλις Κέσκος ... ἔχουσα, ἐπὶ τῶν νοῦν μὴ ἐχόντων. Vide Hesychium & Suidam.

2. *Nûs.*] Νοῦς, quæ vox Græcis mentem, sensum, intelligentiam, ingenium, astutiamque significat, facto scilicet ex re nomine.

liores sensus fieri M. Varro tradit. [3] At in Cea insula fontem esse, quo hebetes fiant: [4] Zamæ in Africa, quo canoræ voces.

XIII. [1] Vinum in tædium venire his qui ex Clitorio lacu biberint, ait Eudoxus: Theopompus, inebriari fontibus iis [2] quos diximus. [3] Mucianus Andri e fonte Liberi Patris, statis diebus septenis ejus Dei vinum fluere, si auferatur a conspectu templi, sapore in aquam transeunte. 5

XIV. [1] Polycritus explere olei vicem juxta Solos Ciliciæ fontem. [2] Theophrastus hoc idem fieri in Æthiopia ejusdem nominis fonte. Lycos, in Indiæ terris fontem esse, [3] cujus aqua lucernæ ardeant. Idem Ecbatanis traditur. [4] Theopompus in Scotussa lacum esse dicit, qui vulneribus medetur.

XV. [1] Juba in Trogodytis lacum, insanum malefica vi appellatum, ter die fieri amarum salsumque, ac deinde dulcem, totiesque etiam noctu, scatentem albis serpentibus vicenûm cubitorum. Idem in Arabia fontem exsilire tanta vi, ut nulla mora pondus impactum respuat.

XVI. Theophrastus [1] Marsyæ fontem in Phrygia ad Celænatum oppidum saxa egerere. Non procul ab eo duo sunt fontes, Clæon & Gelon, [2] ab effectu Græcorum nominum dicti. [3] Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus credit. 15

XVII. Cranone est fons calidus citra summum fervorem, qui in vinum additus, triduo calorem potionis custodit in vasis. [2] Sunt & Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet. Circa margines vero pumicem faciunt aquæ. 20

XVIII. Quod si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte Naturæ majora esse miracula: quanquam [1] inter initia operis abunde multa retulimus. [2] Ctesias tradit Siden vocari stagnum in Indis, in quo nihil innatet, omnia mergantur. [3] Cælius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere: [4] Varro, aves, quæ advolaverint, emori. [5] Contra in Africæ lacu Apuscidamo omnia fluitant, nihil mergitur: [6] Item in Siciliæ fonte Phinthia, ut Apion tradit: & in Medorum lacu puteoque Saturni. Fons Limyræ transire soler in loca vicina, portendens aliquid: mirumque quod cum piscibus transit. Responsa ab his petunt incolæ cibo, quem rapiunt annuentes: si vero eventum negent, caudis 25

NOTÆ.

3. *At in Cea.*] Vide Notas & Emend. num. IV.

4. *Zama.*] Et a Vitruvio istud traditum, lib. 8. cap: 4. pag. 166. Causam ejus rei Agricola putat esse, quod ex aquæ infectæ sint sandaraca, quæ vocem purgat: libro 2. de natura eorum quæ effluunt e terra, pag. 113. De Zamæ situ diximus lib. 5 sect. 4.

Sect. XIII. 1. *Vinum in tedium.*] Vitruvius, lib. 8. cap. 3. pag. 164. *In Arcadia vero civitas est non ignota Clitori, in cujus agris est spelunca profluens aqua, quam qui biberint, fiunt abstemii.* Plinium Isidorus sequitur, lib. 13. Orig. cap. 13. Non lacum, sed fontem Clitorium vocant Athenæus, lib. 2. pag. 43. Sotion in Excerptis, pag. 139. Παρὰ Κλειτορίοις [illegible] *Isigonus fontem esse in Clitoriis scribit, cujus aquam si quis biberit, vini odorem ferre non possit.* Ovidius, lib. 15. Metam. vers. 322. & Vibius Sequester, pag 339. Vide Notas & Emend. num. V.

2. *Quos diximus.*] Libro 2. sect. 106. *Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, & in agro Caleno.*

3. *Mucianus.*] Dictum id jam superius, lib. 2. sect. 106.

Sect. XIV. 2. *Polycritus*] Vide quæ diximus in Auctorum Indice. Refert hæc quoque Vitruvius, lib 8. cap. 3. pag 159. *Alii, inquit, per pingues terræ venas profluentes, uncti oleo erumpunt: uti Solis, quod oppidum est Ciliciæ, flumen nomine Liparis, in quo natantes aut lavantes, ab ipsa aqua unguntur. Similiter Æthiopiæ lacus est, qui unctos homines efficit, qui in eo nataverint: & in India, qui sereno cælo emittit olei magnam multitudinem.* Vide & Isidorum, lib 13. Orig. cap. 13. Plures alios fontes, qui quasi oleo perfusi niteant, ut in eis natantium sive lavantium corpora uncta oleo videantur esse, Cæsius recenset, lib. 1. de Mineral. cap. 6. sect. 21. pag 95

2. *Theophrastus.*] Post Herodotum, laudatum a Sotione in Excerptis, pag. 140.

3. *Cujus aqua lucernæ ardeant.*] Reg. 1. *lucernæ luceant.* Reg. 2. & Chiffl. *cujus aqua luceat.*

4. *Theopompus.*] Sotion, in Excerptis, pag. 139. Περὶ Σκοτοῦσαν τῆς Θετταλίας, κρηνίδιόν ἐστι μικρὸν, ὃ καὶ ἕλκη [illegible] καὶ τῶν ἀλόγων ζώων, &c. *Juxta Scotusam Thessaliæ fons est exiguus, qui omnibus animantium vulneribus medetur.* Glutinandi vim inesse ei addit idem ex Isigono. Quæ totidem verbis habet etiam auctor libri de Mirab. Auscult.

Sect. XV. 1. *Juba in Trogodytis.*] Qui & Troglodytæ appellati sunt. Isidorus, lib 13. Orig cap. 13. *In Troglodytis lacus est: ter in die fit amarus, & deinde totics dulcis.*

Sect. XVI. 1. *Marsya fontem.*] Isidorus loc. cit. quanquam errore gemino, & Marsidæ fontem vocat. & saxa generare, non egerere, prodit.

2. *Ab effectu*] Ἀπὸ τοῦ κλαίειν καὶ γελᾶν, quod fletum ille, iste risum moveat.

3. *Cyzici.*] Isidorus, loc. cit.

Sect. XVII. 1. *Cranone.*] Sic Athenæi epitomator, lib. 2. pag. 42.

2. *Sunt & Mattiaci.*] Mattiacas aquas laudat & Ammianus, lib 29. pag. 397. Nunc ibi oppidulum est Visebada, *Wisbad*, in ditione Moguntina, Moguntiam inter & Francofurtum, in Veteravia. Vide Agricolam, lib. 1. de natura eorum quæ effluunt ex terra, pag. 102.

Sect. XVIII. 1. *Inter initia operis.*] Libro 2. sect. 106.

2. *Ctesias tradit Siden.*] Idem habet & Antigonus Carystius, cap. 161. pag. 184. Sotion paulo aliter in Excerptis, pag. 138. Κρήνη ἐν Ἰνδοῖς ἣ τοὺς κολυμβῶντας ἐπὶ τὴν γῆν ἐκβάλλει ὡς ἀπὸ σφενδόνης, ὡς ἱστορεῖ Κτησίας. *Fons est apud Indos, qui natantes non secus atque instrumento quodam in terram ejaculatur, ut auctor est Ctesias.* Plinium transscripsit ad verbum Isidorus, lib. 13 cap. 13.

3. *Cælius apud nos.*] Et Sotion in Excerptis, pag. 141. Ἄορνός ἐστι λίμνη ἐν Ἰταλίᾳ περὶ Κύμας, εἰς ἣν [illegible] φύλλα ἢ κάρφη, ἀφανῆ γίνεται, βυθιζόμενα παραχρῆμα. *Avernus Italiæ lacus est circa Cumas, in quo folia atque festuca ex circumjacente silva decidentes, statim submerguntur.*

4. *Varro, aves.*] Secutus videlicet fabulas poëtarum: quod & Maronem fecisse, lib 6 Æneid. vers. 239. minime mirum: ubi de spelunca lacui proxima:

Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis se se halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
Unde locum Graii dixerunt nomine Aornum.

Avernus, quasi ἄορνος, ab α privativo, & ὄρνις avis. Ridet hanc fabulam Strabo, lib. 5. pag. 244.

5. *Contra in Africa lacu.*] Ut in Asphaltite Judææ, de quo diximus lib. 5. sect. 15. Legit hunc locum aliter Isidorus, lib. 13. Orig. cap. 13. *Contra in Alce lacu per Porcidamum omnia fluitant, nihil mergitur.* Nostri codices MSS. editis suffragantur.

6. *Item in Sicilia fonte.*] De quo haud dubie Seneca, quanquam tacito nomine, lib. 3. Natur. quæst. cap. 25. pag 873. *Erat in Sicilia, est adhuc in Syria stagnum, in quo natant lateres, & mergi projecta non possunt, &c.*

abigunt. Amnis Olachas in Bithynia Bryazum alluit: [7] (hoc & remplo & Deo nomen:) [8] cujus gurgitem perjuri negantur pati, velut flammam urentem. Et io Cantabria fontes [9] Tamarici in auguriis habentur. Tres sunt, octonis pedibus distantes. In unum alveum coeunt vasto singuli amne. Siccantur duodecim diebus, aliquando vicenis, citra suspi-
5 cionem ullam aquæ, cum sit vicinus illis fons sine intermissione largus. [a] Dirum est, non profluere eos aspicere volentibus: sicut proxime [11] Lartio Licinio legato post Præturam: [12] post septem eoim dies occidit. [13] In Judæa rivus sabbatis omnibus siccatur.

XIX. E diverso miracula alia dira. [1] Ctesias in Armenia scribit esse fontem, ex quo nigros pisces illico mortem afferre in cibis: quod & circa Danubii exortum audivi, do-
10 nec veniatur ad fontem alveo appositum, ubi finitur id genus piscium. Ideoque ibi caput ejus amnis intelligit fama. Hoc idem & in Lydia in stagno Nympharum tradunt. [2] In Achaïa ad Pheneum aqua profluit e saxis, Styx appellatur, quæ illico necat, [3] ut diximus. Sed esse pisces parvos in ea tradit Theophrastus, letales & ipsos, quod non in alio genere mortiferorum fontium. Necare aquas Theopompus & in Thracia [4] apud Cychros
15 dicit: [5] Lycus in Leontinis tertio die, quam quis biberit. Varro ad Soracten in fonte, cujus sit latitudo quatuor pedum, Sole oriente eum exundare ferventi similem: aves quæ degustaverint, juxta mortuas jacere. Namque & hæc insidiosa conditio est, quod quædam etiam blandiuntur aspectu, [6] ut ad Nonacrin Arcadiæ. Omnioo enim oulla deterrent qualitate. Hanc putant nimio frigore esse noxiam, utpote cum profluens ipsa lapi-
20 descat. [7] Aliter circa Thessalica Tempe, quoniam visus omnibus terrori est: traduntque etiam æs ac ferrum erodi illa aqua. Profluit ([8] ut indicavimus) brevi spatio: [9] mirumque, siliqua silvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur, semper florens purpura. Et quædam sui generis herba in labris fontis viret. [10] In Macedonia, non procul Euripidis poetæ sepulcro, duo rivi confluunt, alter saluberrimi potus, alter mortiferi.
25 XX. Io Perperenis fons est, [1] quamcumque rigat, lapideam faciens terram: item calidæ aquæ [2] in Eubœæ Delio. Nam qua cadit rivus, saxa in altitudinem crescunt. In Eurymenis dejectæ coronæ in fontem, lapides fiunt. In Colossis flumen est, quo lateres conjecti, lapides extrahuntur. [b] In Scyretico metallo arbores quæcumque flumine alluuntur, saxa fiunt cum ramis. Destillantes quoque guttæ in lapides durescunt in antris Cory-
30 ciis: nam Miezæ in Macedonia, etiam pendentes in ipsis cameris: at in Coryco, cum cecidere. In quibusdam speluncis utroque modo, [3] columnasque faciunt, ut in Phau-

INTERPRETATIO.

a *Dirum.*] Diri omiuis.

b *In Scyretico.*] In metallicis fodinis insulæ Scyri.

NOTÆ.

7. *Hoc & templo & Deo nomen*] Credo etiam & amni fuisse: Nam Bryazon inter Bithyniæ amnes in Geographicis appellatur, lib 5 sect. 43.

8. *Cujus gurgitem.*] Vide Notas & Emendationes, num. VI.

9. *Tamarici.*] De horum situ diximus, lib. 4 sect. 34.

10. *In unum alveum*] Vide Notas & Emendationes, num. VII.

11. *Lartio Licinio.*] Egimus de eo, lib. 19. sect. XI.

12. *Post septem enim.*] Vide Notas & Emendationes, num. VIII.

13. *In Judæa.*] Isidorus pariter lib. 13 Orig cap. 13. & Elias Thisbites Judæus in Lexico. *Sambation. Nomen est fluvii, de quo dicunt, quod per singulos dies hebdomadis tanto impetu currat, dempto sabbato, ut lapides magnos moveat, neque possibile ut quis transeat. Cujus hanc ferunt esse causam, decem tribus illic captivas detineri, ut non possint exire inde nec sabbato, ne violent istud. Et Rambam*, (hoc est, Rabbi Moses Ben Maiemon,) *scripsit hunc esse fluvium Gozam..... Ceterum sapientes vocarunt eum Sabbaton, ab eo quod cessat, sive quiescat in sabbato.* Vide Cardanum, lib. 2. de subtil Josephum nihil moror, qui diversus a Plinio ceterisque abit, lib. 7. bell. Jud. cap. 24. ac sex diebus integris siccari, fluere tantum septimo asseverat. Holstenius, in epist. de Sabbathio flumine, Eleutherum flumen esse putat, de quo lib 5. sect. 17. aut rivulum certe quem Eleutherus amnis influentem exceperit. Defecisse autem, sive ipsum fluvium, sive potius miraculum illud jam ante multa secula, at fortasse statim post Hierosolymam excisam, id indicio est, quod nemo recentiorum ejus tamquam sibi visi meminerit.

Sect. XIX. 1. *Ctesias.*] Et Antigonus similiter, hist. mirab. cap 181.

2. *In Achaia.*] Ita Reg 2 & Isidor. lib 13. Orig. cap. 13. In Chifflet. *Inachia.* In editis, *in Arcadia*: supervacua emendatione. Est enim Nonacris Arcadiæ, ubi Styx a Vitruvio collocatur, lib 8. cap. 3. pag. 163. proxima Pheneo, qui Achaiæ amnis est: atque adeo eadem Stygis aqua, & quæ ad Pheneum, & quæ ad Nonacrim sita. Vide Pausan. in Arcad. Antigon. hist. mirab. cap. 174. Strabonem, lib. 8. sub finem, aliosque.

3. *Ut diximus.*] Libro 2. sect. 106. & lib. 30 sect. ult.

4. *Apud Cychros*] Vide Notas & Emend num IX.

5 *Lycus.*] Lycus historicus, de quo nos in Actorum Indice.

6. *Ut ad Nonacrin.*] Vide quæ ex Seneca retulimus lib. 2. sect 106.

7. *Aliter circa.*] Seneca, lib. 3. Natur. quæst. cap 20 pag. 872. *Est autem noxia aqua in Thessalia circa Tempe, quam & feræ & pecus omne devitat: per ferrum & æs exit: tanta vis illi inest etiam dura molliendi*, &c. De Orco amne Plinius agit hoc loco, de quo nos plura lib. 4. sect. 15.

8. *Ut indicavimus.*] Libro 4. sect. 15 sub finem.

9. *Mirumque.*] Vitruvius, lib 8. cap. 3. pag. 163. *In Thessalia fons est profluens, in quo fonte nec pecus ullum gustat, nec bestiarum genus ullum propius accedit: ad quem fontem proxime est arbor florens purpureo flore.* Quid siliquæ nomine intelligi oporteat, vide lib. 13 sect. 16. & lib. 15. sect. 26.

10. *In Macedonia.*] Sic etiam Vitruvius, loc. cit. *Non minus in Macedonia, quo loci sepultus est Euripides, dextra ac sinistra monumenti, advenientes duo rivi concurrunt in unum: accumbentes viatores pransitare solent, propter aquæ bonitatem: ad rivum autem, qui est in altera parte monumenti, nemo accedit, quod mortiferam aquam dicitur habere.* Euripidem a canibus discerptum ad Bormiscum Macedoniæ oppidum, Stephanus prodit.

Sect. XX. 1. *Quamcumque rigat.*] Sic optime Reg. 1. cod.

2. *In Eubœa Delio.*] Reg 1. *debio* Reg. 2. *In Eubœa eadem perna qua cadit* &c Conjiciebat Salmasius in Solin. pag 177. in Eubœæ Dio, est enim Δῖον Eubœæ oppidum: additque situm illud fuisse haud procul Ædepso: quo haud leve σφάλμα prodit, Geographicæque rei ἀπειρίαν.

3. *Columnasque.*] Auctor libri de mirab Auscult. similis speluncæ meminit: Σπήλαιον ὁ καλεῖται γλαφυρόν· οὗ ἡ τῶν σταλαγμάτων...

sia [4] Chersonesi Rhodiorum in antro magno ; etiam discolori aspectu. [5] Et hactenus contenti simus exemplis.

XXI. Quæritur inter medicos, cujus generis aquæ sint utilissimæ. [1] Stagnantes pigrasque merito damnant, utiliores quæ profluunt existimantes, cursu enim percussuque ipso extenuari atque proficere. Eoque miror, cisternarum ab aliquibus maxime probari. [2] Sed hi rationem afferunt, quoniam levissima sit imbrium aqua, ut quæ subire potuerit ac pendere in aëre. Ideo & nives præferunt imbribus, nivibusque etiam glaciem, [a] [3] velut affinium coacta subtilitate. Leviora enim hæc esse, & glaciem multo leviorem aqua. Horum sententiam refelli interest vitæ. In primis enim levitas illa deprehendi aliter, quam sensu, vix potest, [4] nullo pæne momento ponderis aquis inter se distantibus. Nec levitatis in pluvia aqua argumentum est subisse eam in cælum, [5] cum etiam lapides subire appareat, cadensque inficiatur halitu terræ. Quo fit ut pluviæ aquæ sordium inesse plurimum sentiatur, citissimeque ideo [6] calefiat aqua pluvia. Nivem quidem glaciemque subtilissimum elementi ejus videri miror, [7] apposito grandinum argumento, e quibus pestilentissimum potum esse convenit. [8] Nec vero pauci inter ipsos e contrario ex gelu ac nivibus insaluberrimos potus prædicant, quoniam exactum sit inde, quod tenuissimum fuerit. [9] Minui certe liquorem omnem congelatione deprehenditur, & [10] rore nimio scabiem fieri, [11] pruina uredinem, [b] cognatis & nivis causis. [12] Pluvias quidem aquas celerrime putrescere convenit, minimeque durare in navigatione. Epigenes autem, aquam quæ septies putrefacta purgata sit, perhibet amplius non putrescere. Nam cisternas etiam medici confitentur inutiles, alvo duritias facientes, [13] faucibusque : etiam limi non aliis inesse plus, [14] aut animalium quæ faciant tædium, confitendum habent. [15] Nec statim amnium utilissimas esse, sicuti nec torrentium ullius, lacusque plurimos salubres maxime. Quædam igitur & hujus generis aptissimæ aliæ alibi. [16] Parthorum reges ex Choaspe & Eulæo tantum bibunt : & eæ quamvis in longinqua comitatur illos. Et horum placere potum, non quia sint amnes, apparet : quoniam nec e Tigri, nec Euphrate, nec e multis aliis bibunt.

Cap. III. — 5 — 10 — 15 — 20 — 25

Interpretatio.

a *Velut.*] Velut ad extremom redacta subtilitate aquæ, *in glacie ac nive, ita ut major alibi esse non possit.*

b *Cognatis*] Cum sint causæ affines, quæ nivem *& quæ rorem ac pruinam gignunt.*

Notæ.

4. *Chersonesi.*] Est hæc Chersonesus in Caria, Rhodo adversa, ubi Cnidus oppidum extrema ejus obtinet. Meminit ejus Seneca, laudandus a nobis sect. 30.

5. *Et hactenus.*] Exempla plura multo collegit Cæsius, lib. 2. de mineral. cap. 6. sect. 10. pag. 104.

Sect. XXI. 1. *Stagnantes.*] Columella, lib 1, cap 5. *Deterrima aqua palustris, quæ pigro lapsu repit. Pestilens, quæ in palude semper consistit. Hic idem tamen humor, quamvis nocentis naturæ, temporibus tamen hiemis edomitus imbribus mitescit : ex quo cælestis aqua maxime salubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris aluit perniciem.* &c.

2. *Sed hi.*] Praxagoras scilicet Cous medicus antiquissimus, teste Athenæo lib. 2 pag. 46. Athenæus ipse, lib. 2. pag. 42. aliique. E Latinis Celsus, lib. 2. cap. 18. *Aqua levissima pluvialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo : Post hæc, ex nive, aut glacie. Gravior his, ex lacu : gravissima ex palude.* Columella, lib. 1. cap. 5. *Vastæ cisternæ hominibus, piscinæque pecoribus instruantur, colligendæ aquæ tandem pluviali, quæ salubritati corporis est accommodatissima : sed ita sic habetur eximia, si fictilibus tubis in contectam cisternam deducatur.* Hippocrates, lib. de aere, & aquis, cap. 4. pag. 197. tom 6 operum Galeni : Τὰ ὑδάτια κουφότατα τε ἐστὶ, καὶ γλυκύτατα, καὶ λαμπρότατα, καὶ λεπτότατα.

3. *Velut affinium.*] Reg. 1. *ad infinitum.* Reg. 2. *velut ad finitum.* Satius legi, *adfinium*, vel ut nunc vulgo scribimus, *affinium* ? Ut sit sententia, persici veluti gradibus quibusdam subtilitatem aquæ : ut sit in nive major, quam in imbribus : in glacie, quam in nive : quanquam sunt ista tria cognata inter se & affinia. Sic paulo post Plinius hac sect. *cognatis & nivis causis.*

4. *Nullo pæne momento.*] Adversatur huic placito vulgi sententia. Et Athenæus, lib 2. pag. 43. aquam Pirenes in Acrocorintho fontis appensam tradit, reliquis omnibus totius Hellados leviorem fuisse deprehensam. Inscriptio vetus apud Gruterum, pag 178 IMP. DIOCLETIANVS. C. AVG. PIVS. FELIX. PLVRIMIS. OPERIBVS. IN. COLLE. HOC. EXCAVATO SAXO. QVAESITAM. AQVAM. IVGI. PROFLVVIO. EX. TOFO. HIC. SCATENTEM. INVENIT. MAR. SALVBRIOREM TIBER LEVIOREM. (hoc est, ut reor, *Marcia salubriorem, Tiberina leviorem.*) CVRANDIS. AEGRITVDINIBVS STATERA. IVDICATAM. &c. Senecam vide lib. 3. Natur. quæst. cap. 2.

5. *Cum etiam lapides.*] Vi venti ac turbinis arreptos in sublime, ut dictum est lib. 2. sect. 38.

6. *Calefiat.*] Igne subjecto.

7. *Apposito.*] Si quanta maxima subtilitas esse aquæ potest, inquit, tanta est in glacie ac nive, eamdem esse & grandinis conditionem oporteret : cum nihilominus pestilentem aquam grandineæ potum esse, vitæ usus edoceat.

8. *Nec vero pauci.*] Hippocrates, lib. de aëre & aquis, cap. 4. pag 199. tom. 6. operum Galeni : Τὰ δὲ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων ..... πονηρὰ πάντα ..... τὸ μὲν αὐτοῦ λαμπρὸν, καὶ κοῦφον, καὶ γλυκὺ, ἐκκρίνεται καὶ ἀφανίζεται· τὸ δὲ θολωδέστατον, καὶ σταθμωδέστατον, λείπεται. *Quæ vero aqua ex nive aut glacie fiunt, omnes pravæ : nam quod in ipsis & clarum, & leve, & dulce est, excernitur & evanescit : quod vero turbidissimum, & ponderosissimum, relinquitur.* Galenus item, Comm. in Aphor. 24 pag. 209. tom. 9. Habet in eam rem multa elegantiæ plenissima Seneca, lib 4. Natur. quæst. cap. ult.

9. *Minui certe . . . deprehenditur*] Nempe cum solvitur, & liquescit : quo argumento efficitur, exspirasse & evanuisse id quod erat in aqua levissimum : quod gravissimum, id solum superesse. Hippocr. loc. cit. Plinius ipse inter confessa ponit, lib. 2. sect. 61. *Gelando liquorem minui, solutaque glacie non eumdem inveniri modum.*

10. *Rore nimio scabiem.*] Robiginem Plinius, lib. 17, sect. 44. *Cæleste frugum vinearumque malum, nullo minus noxium est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu.* Vide & lib. 18. sect. 68.

11. *Pruina uredinem.*] Pruina est quæ lapsa persidet ac gelat. nec fit nisi immoto aere ac sereno. *Gelée blanche.* A perurendo dicta. quod fruges & virgulta perurit : unde & morbus herbarum & fruticum *uredo* dictus : *Brûlure.*

12. *Pluvias quidem aquas*] Hippocrates, loc. cit. pag 198. A quo dissidere Celsus videtur, lib. 2. cap. 30. dum inter ea quæ alvum adstringunt, *aquam duram* censet, *id est, eam quæ tarde putrescit, ideoque pluviam potissimum*

13. *Faucibusque.*] Faucium duritiæ malum tonsillis & glandulis affine, cognatumque.

14. *Aut animalium.*] Vermiculorum ex aquæ putredine nascentium.

15. *Nec statim amnium*] Hæc fere totidem verbis, allatis præterea hujus placiti causis, Hippocr. loc. cit. cap. 5.

16. *Parthorum reges*] Solinus, cap 38 pag 68. a Plinio : Plinius, aliique ab Herodoto, lib. 1. Clio num. 188. pag. 178. Ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ..., τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, &

XXII. Limus aquarum vitium est: si tamen idem amnis anguillis scateat, salubritatis indicium habetur: sicuti frigoris, [1] tineas in fonte gigni. Ante omnia autem damnantur amaræ: [2] & quæ, cum sorbentur, statim implent: quod evenit Trœzene. Nam nitrosas atque [a] [3] salmacidas in desertis Rubrum mare petentes, [4] addita polenta, utiles intra duas horas faciunt, ipsaque vescuntur polenta. [5] Damnantur in primis fontes, qui cœnum faciunt, quique malum colorem bibentibus: [b] refert & si vasa ærea inficiunt, [7] aut si legumina tarde percoquunt, si liquatæ leniter terram relinquunt, decoctæque crassis obducunt vasa crustis. Est etiamnum vitium non fœtidæ modo, verum omnino quidquam resipientis, jucundum sit illud licet gratumque, & ut sæpe, ad viciniam lactis accedens. [8] Aquam salubrem aëri quam simillimam esse oportet. [9] Unus in toto orbe traditur fons aquæ jucunde olentis in Mesopotamia, Chabura. Fabulæ rationem afferunt, quoniam eo Juno perfusa sit. De cetero aquarum salubrium sapor odorve nullus esse debet.

XXIII. [1] Quidam statera judicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est, ut levior sit aliqua. [2] Certior subtilitas, inter pares meliorem esse, quæ calefiat refrigereturque celerius. [c] Quin & haustam vasis, [3] ne manus pendeant, depositisque in humum, tepescere affirmant. Ex quonam ergo genere maxime probabilis continget? Puteis nimirum, ut in oppidis constare video: sed his, quibus exercitationis ratio crebro haustu contingit, & illa tenuitas colante terra.

Salubritati hæc satis sunt. [d] Frigori & opacitas necessaria, utque cælum videant. Super omnia observatio una, eadem & ad perennitatem pertinet, [4] ut illa vado exsiliat vena, non e lateribus. Nam ut tactu gelida sit, etiam arte contingit: si etiam [5] expressa in altum, aut e sublimi dejecta, [6] verberatu corripiat aëra. In natando quidem spiritum continentibus frigidior sentitur eadem. [7] Neronis Principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit [8] sine vitiis nivis.

Interpretatio.

a *Salmacidas*] Acidas simul atque salsas.

b *Refert.*] Interest etiam plurimum, ut in vase æreo maculam non faciat, & legumina cito coquat.

c *Quin &c.*] Quin & e vase *in quo sit decocta*, haustam *minoribus* vasis aquam, ... iisque humi depositis, tepescere *statim* affirmant.

d *Frigori.*] Ut frigida sit aqua, præterea necessaria est opacitas.

Notæ.

μόνον πινὲ βασιλεύς, &c. Leviorem ceteris Eulæi amnis aquam decima quinta parte esse, animadversum aiunt. Negat Athenæus, lib. 2. pag 46 ex pondere æstimatam.

Sect. XXII. 1. *Tineas in fonte.*] MSS. Reg. 1. & 2. *teneas*, quæ vox vermiculos, sonat ut sæpe diximus.

2 *Et quæ cum sorbentur.*] Vide Notas & Emendationes, num. X

3. *Salmacidas*] Legitur hæc vox etiam apud Plinium Valer. Salmasium, Reinesiumque nil moror, qui salmacidas legi volunt: perinde ac si non eadem vis foret & vocis istius *salmacidas*, quæ esse potest alterius, *salmacidas*. Nam & salmentum pro salsamento dixisse veteres, en Joan. de Janua scimus Sed & Glossæ Philoxeni salmacidum retinent. *Salmacia aqua, ἁλμυρὸν ὕδωρ. Salmacidum, ἁλμυρόν. Salmacidus, ἁλμυρός, ἁλώδης.* Et priore parte: *Ἁλμυρός, salmacidus, salsus, Ἁλμυρὸν, salmacidum*, &c.

4. *Addita polenta.*] Paxamus in Geopon. lib. 2. cap. 4. pag. 35. aquarum vitium emendari suadet, hordeo contuso in aquas injecto, quod in linteolo prius illigatum: *ἢ κριθὰς κόψαντες, καὶ εἰς ῥάκος ἐνδήσαντες, κρεμάσαντες ἐν τῷ ὕδατι.*

5. *Damnantur.*] Hæc sunt tradita etiam a Vitruvio, lib 8. cap. 5. pag 167. Consentit & Galen. tom. 9. Comment. 5. in Aphor pag. 111.

6. *Refert & si vasa*] Vide Notas & Emend. num. XI.

7. *Aut si legumina.*] Palladius, lib. 9. in Augusto, tit. 10. pag 137. *Aquam vero novam sic probabis.... Decocta aeneo vasculo, si arenam vel limum non relinquat in fundo, utilis erit: item si legumina cito valebit excoquere, vel si colore pellucido, careat musco*, &c. Prævit Palladio Celsus, inferius a nobis laudandus.

8 *Aquam .... aëri quam simillimam*] Nempe ut sit æque saporis omnis omnino expers, atque aerem esse necesse est, ut ne sit noxius. Plinius, lib. 15. sect. 32. *Sentiri quidem aqua saporem ullum succumve, vitium est .... odor ipse nullus est aquis: aut si sentitur, omnino vitium est.*

9 *Unus in toto orbe.*] Adde & puteum Mothonæ in Peloponneso, aquæ Cyzicenum unguentum resipientis, cujus Pausanias meminit, in Messeniacis, circa finem. Item Athenæus, lib. 4. pag. 184.

Sect. XXIII. 1. *Quidam statera.*] Ut Erasistratus, qui apud Athen. lib. 2. pag. 46. inconsideratos esse, fallique eos tradit, qui statera bonitatem aquarum exquirunt: *quoniam*, inquit, *si aqua ex Amphiarai fonte, quæ saluberrima est, cum aqua Eretria vitiosa componitur, nullum profecto ponderis discrimen intercedit, ἄνπερ οὐδ' ὅτε ἐστὶ διαφορὰ κατὰ τὸν σταθμόν.* Vide vetustam inscriptionem Diocletiani Aug superius a nobis allatam, sect. 21. Item Notas & Emend. num. X.

2. *Certior subtilitas.*] Sic Athenæus, lib. 2. pag 24. *Τὸ δὲ ταχὺ θερμαινόμενον, κοῦφον καὶ ὑγιεινά.* Quod ex Hippocrate rursum confirmat, pag. 26. Hippocratis ipsius testimonio: petito videlicet e lib. 5. Aphor. 26 pag 110. tom 9. operum Galeni. *Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.* Leviorem Galenus in eum locum accipi putat oportere, non quæ minus ponderis habeat: id enim vel judice trutina potest intelligi. sed quæ ventri minus gravis, citiusque permeet Contra Celsus ex statera dijudicat. lib. 2. cap 18. *Levis pondere*, inquit, *apparet. & ex his quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celerius & calefit & frigescit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur.*

3. *Ne manus pendeant.*] Plena obscuritatis oratio. Sententia videtur esse, utraque manu arripi vas oportere: neutram esse pendulam. Lectioni tamen vulgatæ suffragantur codices manu exarati, quos vidi, omnes.

4 *Vi illa vado.*] E putei medio, imoque fundo, non e lateribus.

5. *Expressa in altum.*] Ut in aquis salientibus evenit.

6. *Verberatu.*] Reg. 2. & Chiffl. *verberatum*, eodem sensu.

7. *Neronis Principis.*] De Neronis decocta, Tranquillus in Nerone, cap 48. Martialis, lib 2 Epigr. 85.

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ, &c.

Hoc est, ampulla, seu lagena vitrea aquæ decoctæ, & nivibus refrigeratæ, viminibus supertextis armata ac munita. Idem, lib. 14. Epigr. 116.

Quo tibi decocta nobile frigus aqua?

Decoctam quoque sacco percolabant: unde *saccus nivarius*, & *colum nivarium*, apud eumdem, lib. 14 Epigr. 104.

Attenuare nives norunt & lintea nostra:

Frigidior colo non salit unda tuo.

Juvenalis, Satyr. 5. vers. 50.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

8. *Sine vitiis nivis.*] Aquam ex dissoluta & colliquefacta nive pessimam, & corporibus perniciosissimam esse, & jampridem Aristoteles quasi oraculo edidit, & eorum qui palato obsequi, quam illius auctoritatem sequi malunt, quotidiana experimenta declarant, inquit Muretus, lib. 9. Variar. cap. 9 pag. 229 Incommoda igitur, quæ nivis potum sequuntur, fugere, & tamen æstivis mensibus frigidum bibere qui volunt, vasis duplicibus uti solent, e tenuissi-

Omnem

Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit : [9] item calefactam magis refrigerari, subtilissimo invento. Vitiosæ aquæ remedium est, si decoquatur ad dimidias partes. Aqua frigida ingesta sistitut sanguis. [10] Æstus in balneis arcetur, si quis ore teneat. Quæ sunt haustu frigidissimæ, non perinde & tactu esse, alternante hoc bono, multi familiari exemplo colligunt. 5

XXIV. Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio Urbis, Marcia est, inter reliqua Deûm munere Urbi tributa. Vocabatur hæc quondam [1] Aufeia, fons autem ipse [2] Pitonia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum : [3] transit Marsos & Fucinum lacum, Romam non dubie petens. Mox in specus mersa, in Tiburtina se aperit novem millibus pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in Urbem 10 ducere auspicatus est [4] Ancus Marcius, unus e regibus. [5] Postea Q. Marcius Rex in Prætura. [6] Rursusque restituit M. Agrippa.

XXV. [1] Idem & Virginem adduxir ab octavi lapidis [2] diverticulo duobus millibus pass. [3] Prænestina via. Juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens [4] Virginis nomen obtinuit. [5] Horum amnium comparatione, differentia supra dicta deprehenditur, cum quan- 15 tum Virgo tactu, tantum præstet Marcia haustu. Quanquam utriusque jam pridem Urbi periit voluptas, ambitione avaritiaque in villas ac suburbana [6] detorquentibus publicam salutem.

XXVI. Non ab re fit, quærendi aquas junxisse rationem. Reperiuntur in convallibus maxime, & quodam [a] convexitatis cardine, aut montium radicibus. [1] Multi septem- 20 trionales ubique partes aquosas existimavere. Qua in re varietatem Naturæ aperuisse conveniat. In Hyrcanis montibus a meridiano latere non pluit. Ideo silvigeri ab Aquilonis tantum parte sunt. At Olympus, Ossa, Parnassus, Apenninus, Alpes, undique vestiuntur, amnibusque perfunduntur. Aliqui ab Austro, sicut in Creta [2] Albi montes. Nihil ergo in his perpetuæ observationis judicabitur. 25

INTERPRETATIO.

a *Convexitatis.*] Devexi ac declivis tumuli collisque fastigiu.

NOTÆ.

ma lamina eo artificio factis, ut vinum aut aquam quæ potui paratur, omni quidem ex parte nix ambiat, sed eorum tamen neutrum contingat, neque cum eis commisceatur : Ita fit ut neque bibant nivem, & tamen nihilo minus frigidum bibant, quam si biberent nivem. Lepide Martialis in eam rem, lib. 14. Epigr. 117.

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Quæ sint vitia nivis, & glaciei, Hippocrates expedit, sect. 5. Aphor. 24.

9. *Item calefactam.*] Arist. lib. 1. Meteorol. cap. 12 pag. 543. Συμβάλλεται δ' ἐπὶ ταχὺ πήγνυσθαι τὸ προτεθερμάνθαι τὸ ὕδωρ· θᾶττον γὰρ ψύχεται. Διὸ πολλοὶ ὅταν τὸ ὕδωρ ψῦξαι ταχὺ βουληθῶσιν, εἰς τὸν ἥλιον τιθέασι πρῶτον. *Nonnihil facit ad concretionis celeritatem præcedens aquæ concalfactio. Quandoquidem quæ prius incaluit, ocyus refrigerari assolet. Quocirca multi cum calidam celerius refrigerare volunt, prius insolant.* Negat tamen Cabeus experimentum id esse verum, in eum Philosophi locum.

10. *Æstus in balneis.*] Sic infra de sale, sect. 45. *Æstus balinearum convalescentes ut tolerare possint, linguæ subditus præstat.*

Sect. XXIV. 1. *Aufeia.*] Mallem *Saufeia.* Id enim gentis Romanæ nomen.

2. *Pitonia*] Sic MSS. non *Picnnia.* Vide quæ diximus in Notis & Emend ad librum 2. num LXXXVII.

3. *Transit Marsos &c*] Sic Vibius Sequester laudatus a nobis loco proxime cit. Hinc Statius, lib. 1. Silvar. de Baln. Etrusci :

Marsaque nives & frigora ducens
Marcia.

Obrutis deinde temporis progressu canalibus fornicibusque, quibus hæc aqua tam longo viarum intervallo Romam ducebatur, factum est ut viri eruditi, Holstenius, & Fabrettus, dissert 2. de Aquæduct pag 118. hanc Marciæ aquæ originem æque inter fabulas habendam censuerint, atque Alphei amantis occultos meatus. Primos ejus ortus repetunt ii a Tiburtino, unde se rursum aperire mox Plinius ait. Cursum omnem explanat accurate idem Fabrettus loco citato.

4. *Ancus Marcius*] Exstat quidem certe in Cimelio nostro, & apud Patin. in Marcia gente nummus, cujus ex parte adversa Rex Ancus depingitur, ita curante Philippo Marcio, qui trahebat ab eo originem : Aquæ ductus in aversa figuratur, cum epigraphe, PHILIPPVS. AQVA. MAR.

5. *Postea Q. Marcius.*] Qui ab Anco Marcio pariter Romanorum rege ducebat genus : Plutarchus in Coriolano, pag. 213. Μάρκιοι δ' ἦσαν καὶ Πόπλιος καὶ Κόϊντος, οἱ πλεῖστον ὕδωρ καὶ κάλλιστον εἰς Ῥώμην καταγαγόντες. De Marcio & Agrippa iterum, lib 36. sect. 24. num 9.

6. *Rursusque restituit*] Anno Urbis DCCXX. L. Sempronio Atratino, L. Scribonio Libone. Coss. ex Dione, lib 49. pag 416. Ὅ τε Ἀγρίππας τὸ ὕδωρ τὸ Μάρκιον ὀνομαζόμενον, συνελθόντα φθαρέντων τῶν ὀχετῶν, καὶ ἀνεκτήσατο ἰδίᾳ δαπάνῃ οἰκείᾳ, καὶ ἐπὶ πολλὰ τῆς πόλεως ἐπωχέτευσεν. *Agrippa aquam Marciam, quæ propter corruptos canales defecerat, suis sumptibus reparavit, ac per multas urbis partes deduxit.*

Sect. XXV. *Idem & Virginem.*] Id ab Agrippa factum anno V. C. DCCXXXV C. Sentio Saturnino, L. Lucretio Coss. refert Dio, lib 54. pag. 528. & aquam eam Augustam ab eo fuisse appellatam. Virginalem aquam quibus impensis Summi Pontifices Pius IV. & Pius V. populusque Rom. restitui curaverint, narrat opusculo singulari Luc. Pætus J C. *De restitutione Aquæ Virginis,* in libro de mensuris & ponderibus. Libellum singularem eodem argumento titulo inscripsit & August. Steuchus Eugubinus, S. Sedis Apost. Bibliothecarius. Virginem & Marciam versiculo complectitur Martialis, lib. 6. Epigr. 42.

Cruda Virgine, Marciave mergi,
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Vt nullas ibi suspiceris undas, &c.

2. *Diverticulo.*] Transversis semitis, quæ sunt latere viæ militaris.

3. *Prænestina via.*] Sive, ut Frontinus ait, octavo lapide viæ Collatinæ : quod eodem recidere demonstrat idem Fabrettus, erudito opere de Aquæduct Dissert. 3 pag. 169.

4. *Virginis nomen.*] Aliam alii appellationis hujus causam afferunt. Cassiodorus, lib. 7. Variar. form. 6. *quia purior fluens unda, nullis polluitur sordibus.* Frontinus, lib. de Aquæd. ex eo quod quærentibus aquam militibus, puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti qui foderunt, ingentem aquæ modum invenerunt.

5. *Horum amnium*] Si conferas, inquit, Marciæ aquæ profluentem rivum, seu verius amnem, cum aqua Virgine, intelliges discrimen superius memoratum, sect. 23 nempe alternari frigiditatis bonum a natura, nec quæ sint haustu aquæ frigidissimæ, easdem perinde & tactu esse.

6. *Detorquentibus.*] Sic MSS. Reg & Chiffl. aliique, non *decoquentibus.*

Sect. XXVI. 1. *Multi septemtrionales.*] Sic Geopon. auctor, lib. 2. cap. 4. pag. 33. & cap. 5. pag. 37. Vitruvius item, lib. 8. cap 1. pag 153. Palladius, lib. 9. in Augusto, tit. 8. pag. 136. *Maxime sub radicibus montium in septemtrionali parte quærendæ sunt aquæ, quæ in his locis magis abundant, uberioresque nascuntur.*

2. *Albi montes.*] Egimus de iis, lib. 4. sect. 20.

XXVII. Aquarum sunt notæ, juncus, aut arundo, aut herba, [2] de qua dictum est; multumque alicui loco pectore incubans rana. Salix enim erratica, & alnus, aut vitex, aut arundo, aut edera sponte proveniunt, & corrivatione aquæ pluviæ in locum humiliorem e superioribus defluentis, [3] augurio fallaci. [4] Certior multo nebulosa exhalatio
5 est, ante ortum Solis longius intuentibus: quod ex edito quidam speculantur, proni terram mento attingente. Est & peculiaris æstimatio peritis tantum nota, quam ferventissimo æstu sequuntur, dieique horis ardentissimis, [a] qualis ex quoque loco repercussus splendeat. Nam si terra sitiente humidior est ille, indubitata spes promittitur. Sed tanta intentione oculorum opus est, ut indolescant: quod fugientes ad alia experimenta de-
10 currunt, [5] loco in alitudinem pedum quinque defosso, ollisque e siglino opere crudis, aut [6] peruncta pelvi ærea cooperto, lucernaque ardente [7] concamerata frondibus, dein terra, si siglinum humidum ruptumve, aut in ære sudor, vel lucerna sine defectu olei restincta, aut etiam vellus lanæ madidum reperiatur, non dubie promittunt aquas. [8] Quidam & igne prius excoquunt locum, [b] tanto efficaciore vasorum argumento.
15 XXVIII. Terra vero ipsa promittit candicantibus maculis, aut tota glauci coloris. [1] In nigra enim scaturigines non fere sunt perennes. [2] Figularis creta semper adimit spes. Nec amplius puteum fodiunt, [c] coria terræ observantes, ut a nigra descendar [3] ordo supra dictus. Aqua semper dulcis in argillosa terra, frigidior in tofo. [4] Namque & hic probatur. Dulces enim levissimasque facit, [d] & colando continet sordes. [5] Sabulum exi-
20 les limosasque promittit. [6] Glarea incertas venas, sed boni saporis. [7] Sabulum masculum, & arena, & carbunculus, certas stabilesque & salubres. Rubra saxa optimas, speique certissimæ. Radices montium saxosæ, & silex, hoc amplius [8] rigentes. Oportet autem fodientibus humidiores assidue respondere glebas, faciliusque ferramenta descendere. [9] Depressis puteis sulphurata vel aluminosa occurrentia putearios necant. Experimentum hujus
25 periculi est demissa ardens lucerna, si extinguatur. Tunc secundum puteum dextra ac sinistra fodiunt [e] æstuaria, quæ graviorem illum halitum recipiant. Fit & sine his vitus [f] altitudine ipsa gravior aër, quem emendant assiduo linteorum jactatu eventilando. Cum ad aquam ventum est, [11] sine arenato opus surgit, ne venæ obstruantur. Quædam aquæ

INTERPRETATIO.

a *Qualis.*] Qualis sit repercussio radiorum Solis ex quovis loco.

b *Tanto.*] Multo utique efficaciore argumento quod ex vasis duximus, *si siglinum humidum, ruptumve, aut in ære sudor.*

c *Coria.*] *Varias terræ quasi crustas observans*, ut a nigro colore, qui color summæ terræ ac supremæ cutis, *ad alios colores* quo dictum est ordine descendatur.

d *Et colando.*] Dum per tophum colatur, is sordes aquarum omnes recipit ac retinet.

e *Æstuaria.*] Spiramenta.

f *Altitudine.*] Fossionis profunditate.

NOTÆ.

Sect. XXVII. 1. *Aquarum sunt notæ.*] Vitruvius, loc. cit pag. 154. *Signa autem, quibus terrarum generibus subsunt aquæ, hæc erunt. Si invenientur nascentia, tenuis juncus, salix erratica, alnus, vitex, arundo, edera, aliaque quæ ejusmodi sunt, quæ non possunt nasci, nec ali, sine humore. Solent autem eadem in lacunis nata esse .... quibus non est credendum. Sed quibus regionibus & terris, non lacunis, ea signa nascantur, non sata, sed naturaliter per se creata, ibi est quærenda.* Sic etiam auctor Geopon. lib. 2. cap 4. pag 32. & Cassiodorus, lib. 3. Var. ep. 53.

2. *De qua dictum est.*] Libro 26. sect 16. *Bechium, quæ & tussilago dicitur. Duo ejus genera: silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt & hoc habent signum aquileges.*

3. *Augurio fallaci.*] Id Vitruvius paulo explicatius loco proxime allato Item Palladius, lib. 9. in Augusto, tit. 8. pag 135

4 *Certior multo.*] Tradidit hæc & Vitruvius, lib 8. cap. 1. pag. 151. Tradidit etiam Palladius, loc. cit. & auctor Geopon. loc cit. pag. 35.

5. *Loco in altitudinem*] Experimenta hæc totalem verbis leges apud Vitruvium, lib. 8. cap. 1 pag. 152. & 153. & apud Pallad. loc. cit. pag 136 Sic etiam auctor Geopon. lib. 2. cap 4. pag. 32 & 33. & cap. 5. pag. 44.

6. *Aut peruncta*] Oleo scilicet, ἐλαίῳ ἀλοχρισμένῳ, inquit auctor Geopon. loc. cit.

7 *Concamerata*] Palladius, loc. cit. *Tunc supra fossa labra crate facta de virgis ac frondibus, additaque terra, spatium omne cooperiatur*, &c.

8. *Quidam igne.*] Vitruvius, loc. cit. pag 153 Palladius, loc cit. *Item si in eo loco furnum feceris, & terra vaporata humidum fumum, nebulosumque ructaverit, aquas inesse cognosces.*

Sect. XXVIII. 1 *In nigra.*] Vitruvius, loc. cit. *In terra autem nigra sudores & stillæ exiles inveniuntur*

2. *Figularis creta.*] Vitruvius, loc. cit. pag. 152. *In creta tenuis, exilis, & non alta est copia: ea erit non optimo sapore.* Pallad. loc. cit. *Creta tenues, nec optimi saporis venas creabit.*

3. *Ordo supra dictus.*] A nigra ad maculosam: ab hac ad glaucum colorem.

4. *Namque & hic probatur.*] Testis vel ipsa vetus inscriptio, quam superius attulimus, sect. 21.

5. *Sabulum exiles.*] Vitruvius, loc. cit. *Item sabulone soluto, tenues: sed si invenietur, ea erit limosa & insuavis.* Sic & Pallad. loc. cit.

6. *Glarea*, &c.] Hæc deinceps totidem syllabis Vitruvius, loc. cit. usque ad ea verba, *oportet autem*, &c. Palladius item, loc. cit.

7. *Sabulum masculum.*] Durius, compactiorisque naturæ. Sic Palladius, loc. cit. *Sabulo masculus, & arena, & carbunculus, certas & ubertate copiosas.* Sic etiam Vitruvius, ut diximus. Carbunculus terræ genus est, de quo egimus antea, lib. 17. sect. 3.

8. *Rigentes*] Vitruvius, loc. cit. *Sub radicibus autem montium, & in saxis silicibus, uberiores & affluentiores: eæque frigidiores sunt, & salubriores.*

9. *Depressis puteis.*] Hæc pariter Vitruvius, lib 8. cap 7. pag 71. *Calores*, inquit, *unde etiam sulphur, alumen, bitumen nascuntur, aërisque spiritus immanes, qui cum graves per intervenia fistulosa terræ perveniunt ad fossionem puteorum, & ibi homines offendunt fodientes, naturali vapore obturant in eorum naribus spiritus animales: ita qui non celerius inde effugiunt, ibi interimuntur. Hoc autem quibus rationibus caveatur, sic erit faciendum. Lucerna accensa demittatur, quæ si permanserit ardens, sine periculo descendetur. Sin autem eripietur lumen vi vaporis, tunc secundum puteum dextra ac sinistra defodiantur æstuaria*, &c. Transcripsit hæc quoque Palladius, lib. 9. in Augusto, tit 9. pag. 136. Tractat egregie hoc argumentum Agricola, lib. 6. de re metall. pag 172.

10. *Æstuaria.*] Gallice, *des soupiraux.*

11. *Sine arenato.*] Ita Reg. 2. & Chiffl. Male editi, *sine arena.* Sensus est, unum parietem, qui puteum inferne ambit, lapidibus tantum aliis super alios aggestis & collocatis strui, sine intrita calcis & arenæ, ne venæ aquarum obstruantur. Tradita hæc quoque a Vitruvio, lib. 4 cap. 7. pag. 172. *Cum ad aquam erit perventum, tunc sepiatur structura, ne obturentur venæ.*

vêre statim incipiente frigidiores sunt, quarum non in alto origo est: hibernis enim constant imbribus: quædam Canis ortu, sicut in Macedoniæ Pella utrumque. Ante oppidum enim incipiente æstate, frigida est palustris: dein maximo æstu in excelsioribus oppidi riget. Hoc & in Chio evenit, [12] simili ratione portus & oppidi. [13] Athenis Enneacrunos nimbosa æstate frigidior est, quam puteus in Jovis horto. At ille siccitatibus riget: [14] * maxime autem putei [15] circa Arcturum. Non ipsa æstate deficiunt, omnesque quatriduo eo subsidunt. Jam vero multi hieme tota: [16] ut circa Olympum, vêre primum aquis redeuntibus. [17] In Sicilia quidem circa Messanam & Mylas hieme in totum arescunt fontes: æstate exundant, amnemque faciunt. Apolloniæ in Ponto fons juxta mare æstate tantum superfluit, & maxime circa Canis ortum: parcius, si frigidior sit æstas. Quædam terræ imbribus sicciores fiunt, velut in Narniensi agro: quod Admirandis suis inseruit M. Cicero, [18] siccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem.

* Cap. IV.

XXIX. Omnis aqua hieme dulcior, æstate autem minus, autumno minime: minusque per siccitates. Neque æqualis amnium plerumque gustus est, magna alvei differentia. [1] Quippe tales sunt aquæ, qualis terra per quam fluunt; qualesque herbarum, quas lavant, succi. [2] Ergo iidem amnes parte aliqua reperiuntur insalubres. Mutant saporem & influentes rivi, ut Borysthenem, victique diluuntur. Aliqui vero & imbre mutantur. Ter accidit in Bosphoro, ut salsi deciderent, necarentque frumenta: [3] [a] toties & Nili rigua pluviæ amara fecere, magna pestilentia Ægypti.

XXX. Nascuntur fontes decisis plerumque silvis, quos arborum alimenta consumebant: [1] sicut in Hæmo obsidente Gallos [2] Cassandro, cum valli gratia silvas cecidissent. Plerumque vero damnosi torrentes corrivantur detracta collibus silva, continere nimbos ac digerere consueta. Et coli moverique terram, callumque summæ cutis solvi, aquarum interest. [3] Proditur certe in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes, amnesque qui in eo situ multi erant: rursus condito post sex annos emersisse, uti quæque cœpissent partes coli.

* Terræ quoque motus profundunt, sorbentque aquas: sicut circa Pheneum Arcadiæ quinquies accidisse constat. Sic & in Coryco monte amnis erupit, posteaque cœptus est coli. Illa mutatio mira, ubi causa nulla evidens apparet: sicut in Magnesia calidas factas frigidas, salis non mutato sapore. [5] Et in Caria, ubi Neptuni templum est, amnis qui fuerat ante dulcis, mutatus in salem est. Et illa miraculi plena, [6] Arethusam Syracusis fimum redolere [7] per Olympia: verique simile, quoniam Alpheus in eam insulam sub ima maria permeet. [8] Rhodiorum fons in Chersoneso nono anno purgamenta egerit. Mutantur & colores aquarum: [9] sicut Babylone lacus æstate rubras habet diebus XI. Et [10] Bory-

* Cap. V.

INTERPRETATIO.

a *Toties*] Ter agros, Nili aquis irrigatos, pluviæ amaros fecere.

NOTÆ.

12. *Simili ratione.*] Ut in portu scilicet ejus insulæ incipiente æstate frigida aqua sit: in excelsioribus oppidi partibus maximo æstu rigeat.

13. *Athenis.*] De hoc fonte egimus lib. 4. sect. 21.

14. *Maxime autem putei.*] Athenis scilicet.

15. *Circa Arcturum*] Circa Arcturi exortum, qui fere accidit Idibus Septemb. ut dictum est lib. 18. sect 74.

16. *Ut circa Olympum.*] Sic etiam MSS. omnes, quos quidem vidi. Gronovius ex suo, *circa Olynthum.*

17. *In Sicilia quidem.*] Hoc verum esse Fazellus in iis oris natus testatur, decad. 1. de rebus Siculis, lib. 9 cap. 8.

18. *Siccitate lutum.*] Cum arena post imbres in luti duritiem glebasque majores coit: quæ mox imbre adveniente solvuntur: post effusos imbres, iterum coit ac durescit.

Sect. XXIX. 1. *Quippe tales.*] Ita Vitruvius, lib 8. cap. 4. pag. 166. Plinius, lib. 2 sect. 106. *Lacus Sannaus in Asia circumnascente absinthio inficitur.*

2. *Ergo iidem amnes.*] De Hypani idem quod Plinius de Borysthene, prodit Vitruvius, lib. 8 cap. 3. pag. 160. *In Ponto est flumen Hypanis*, inquit, *qui a capite profluit circiter millia* XL. *sapore dulcissimo: deinde cum pervenit ad locum qui est ab ostio ad millia* CLX. *admiscetur ei fonticulus oppido quam parvulus. Is cum in eum influit, tantam magnitudinem fluminis facit amaram: ideo quod per id genus terræ, & venas unde sandaraca foditur, ea aqua manando perficitur amara.*

3. *Toties & Nili.*] Narrat hoc ipsum Athenæus, lib. 2. pag. 42. ex Theophrasto.

Sect XXX 1. *Sicut in Hæmo.*] Seneca, lib 3. Natur. quæst. cap. 11. pag 869. *Fuit aliquando aquarum inops Hæmus: sed cum Gallorum gens a Cassandro obsessa in illum se contulisset, & silvas cecidisset, ingens aquarum copia apparuit, quas videlicet in alimentum suum nemora ducebant: quibus excisis, humor qui desiit in arbusta consumi, superfusus est .... Sed pace Theophrasti dixisse liceat, non est hoc simile veri. quia fere aquosissima sunt, quæcumque umbrosissima*, &c.

2. *Cassandro.*] Macedoniæ Rege.

3. *Proditur certe.*] Seneca, loc cit *Idem* (Theophrastus) *ait circa Arcadiam, quæ urbs in Creta insula fuit, fontes & lacus substitisse, quia desierit coli terra, diruta urbe: postea vero quam cultores receperit, aquas quoque recepisse. Causam siccitatis hanc ponit, quod obduruerit constricta tellus, nec potuerit imbres inagitata transmittere*, &c.

4. *Terræ quoque.*] Seneca & istud loco cit. *Sæpe motu terrarum itinera fluminum turbantur, & ruina interscindit aquas, quæ retentæ novos exitus quærunt, & aliquo impetu faciunt, aut ipsius quassatione terræ aliunde alio transferuntur .... quod accidisse ait Theophrastus in Coryco monte, in quo post terrarum tremorem nova vis fontium emersit.*

5. *Et in Caria.*] Hoc ipsum refert Athenæus, lib. 2. pag. 42 ex Theophrasto.

6. *Arethusam*] De eo fonte diximus lib. 3. sect. 14.

7. *Per Olympia.*] Vide Strabonem, lib 6 pag. 270. Seneca, lib. 3. Naturalium, quæst. cap. 26. pag. 874. *Quidam fontes certo tempore purgamenta ejectant, ut Arethusa in Sicilia, quinta quaque æstate per Olympia. Inde opinio est Alpheum ex Achaia eo usque penetrare, & agere sub mare cursum, nec ante quam in Syracusano litore emergere. Ideoque iis diebus quibus Olympia sunt, victimarum stercus secundo traditum flumini illic redundare. Hoc & a te traditum est in poemate, Lucili carissime, & a Virgilio qui alloquitur Arethusam:*

Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

8 *Rhodiorum.*] Seneca, loc. cit pag. 874. *Est in Chersoneso Rhodiorum fons, qui post magnum intervallum temporis fœda quædam turbidus ex intimo fundit, donec liberatus eliquatusque est.*

9. *Sicut Babylone.*] Athenæus, lib. 2. pag. 42.

10. *Borysthenes.*] Athenæus, loc. cit.

sthenes æstatis temporibus cæruleus fertur, quanquam omnium aquarum tenuissimus: [11] ideoque innatans Hypani. In quo & illud mirabile, Austris flantibus superiorem Hypanim fieri. [12] Sed tenuitatis argumentum & aliud est, quod nullum halitum, non modo nebulam emittat. Qui volunt diligentes circa hoc videri, dicunt aquas graviores post brumam fieri.

Cap. VI. XXXI. [1] Ceterum a fonte duci fictilibus tubis utilissimum est crassitudine binûm digitorum, [a] [2] commissuris pyxidatis, ita ut superior intret, calce viva ex oleo [b] lævigatis. [c] [3] Libramentum aquæ in centenos pedes sicilici minimum erit: [d] si cuniculo veniet, [4] in binos actus lumina esse debebunt. [5] Quam surgere in sublime opus fuerit, e plumbo veniat. Subit altitudinem exortus sui. Si longiore tractu veniet, subeat crebro descendatque, ne libramenta pereant. [6] Fistulas denûm pedum longitudinis esse legitimum est: [7] Et si quinariæ erunt, sexagena pondo pendere: [8] si octonariæ, centena: si denariæ, centena vicena, ac deinde ad has portiones. [9] Denariæ appellantur, cujus laminæ latitudo, antequam curvetur, digitorum decem est, dimidioque ejus quinaria. In omni anfractu collis quinariam fieri, [10] ubi dometur impetus, necessarium est: [11] item castella, prout res exiget.

XXXII. [1] Homerum calidorum fontium mentionem non fecisse demiror, cum alioquin [2] lavari calida frequenter induceret: videlicet quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio utitur. Est autem utilis [3] sulphurata nervis, [4] aluminata paralyticis, aut simili modo solutis: bituminata aut nitrosa, [5] qualis Cutilia, bibendo atque pur-

INTERPRETATIO.

a *Commissuris.*] Juncturis tubulorum in morem pyxidum ex una parte angustioribus.

b *Lævigatis.*] Illitis.

c *Libramentum.*] Declivitas aquæ ductus, a fonte usque in centenos pedes, ut minimum debet esse sicilici, *hoc est, quarta partis pollicis.*

d *Si cuniculo.*] Si canali structili aqua ducatur.

NOTÆ.

11. *Ideoque.*] Ἐν τοῖς βορείοις, flantibus Aquilonibus, inquit Athenæus, loc. cit. Borysthenes supernatat: Hypanis, Austris.

12. *Sed tenuitatis*] Vide quæ de Nili simili fere dote diximus, lib. 5 sect. 10.

Sect. XXXI. 1. *Ceterum*] Vitruvius, lib. 8. cap. 7. pag 168. *Ductus autem aquæ fiunt generibus tribus: rivis, per canales structiles, aut fistulis plumbeis, seu tubulis fictilibus.* &c. Et pag. 171. *Multo salubrior est ex tubulis aqua, quam per fistulas: quod per plumbum videtur esse ideo vitiosa, quod ex eo cerussa nascitur: hæc autem dicitur esse nocens corporibus humanis: ita, si quod ex eo procreatur, id est vitiosum, non est dubium, quin ipsum quoque non sit salubre.... Itaque minime fistulis plumbeis aqua duci videtur, si volumus eam habere salubrem. Saporem quoque meliorem ex tubulis esse,* &c. Consentit & Palladius, lib. 9 in Augusto, tit. XI. pag. 137.

2. *Commissuris pyxidatis*] *Lingulatis* eodem sensu dixit Vitruvius, loc cit. pag. 170 *Sin autem minore sumptu voluerimus aquam ducere, sic erit faciundum. Tubuli crasso corio ne minus digitorum duorum fiant ex testa, sed ita ut hi tubuli ex una parte sint lingulati, ut alius in alium inire convenireque possint. Tum coagmenta eorum calce viva ex oleo subacta sunt illinenda.* &c. Pallad loc. cit. *Sed quod est salubrius & utilius, fictilibus tubis cum ducitur, duobas digitis crassi, & ex una parte reddantur angusti, ut palmi spatio unus in alterum possit intrare. quas juncturas viva calce oleo subacta debemus illinere.*

3. *Libramentum.*] Descensus aquæ a fonte seu capite, ad eum locum quo deducenda est. Hinc aquam librare, deducere est. Gallis: *Prendre le niveau.* Hinc etiam, ut Festus ait, *Delibrare*, est *aquam sulco derivare*: ubi delirant qui *delirare* ibi reponere nituntur: quanquam lira sulcum significat. Nam vel series elementorum, quam Festus sequitur, *delibrare* ibi legi monet oportere Antecedit enim *deliberare*, subsequitur *delicare*: quas inter voces suus & huic *delibrare* locus debetur: non isti, *delirare*. Itaque libra altitudinem aquæ, fastigiumque significat, unde illa deducitur: viamque omnem quæ decurrit. Frontinus, lib. 1. de Aquæd. *Aquæ omnes diversa in Urbem libra perveniunt*, id est, altitudine ac via.... *Altissimus Anio est novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Julia, quartum Tepula, dehinc Marcia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquat.* Vide Notas & Emend. num XII.

4. *In binos actus lumina.*] Hoc est, in pedes CCXL. ut diximus lib. 18. sect 3. Lumina, spiramenta sunt, sive æstuaria, *des soupiraux.* Vide Notas & Emend num. XIII.

5. *Quam surgere.*] Salientem aquam intelligit. *Un jet d'eau*

6. *Fistulas.*] Tubulos plumbeos. Vitruvius, lib. 8. cap. 7. pag. 16. hæc fere totidem verbis.

7. *Et si quinariæ.*] Minima hæc fuit fistularum latitudo: maxima, cum denariæ forent. Lex antiqua, apud Frontinum, lib. 1. de Aquæd. NE CVI. EORVM QVIBVS. AQVA. DARETVR. PVBLICA. IVS. ESSET. INTRA. QVINQVAGINTA. PEDES. EIVS. CASTELLI. EX QVO. AQVAM. DVCERENT. LAXIOREM. FISTVLAM SVBIICERE. QVAM. QVINARIAM Modulos fistularum varios, & eorumdem iconem exhibet Alexand. Donatus, lib. 3. cap. 18. pag. 294

8. *Si octonariæ centena.*] Rotundo numero absolutoque Plinius utitur: aliter Vitruvius, loc. cit. pag. 170. *Si octonum, pondo XCVI.*

9. *Denariæ.*] Vitruvius, loc. cit. *Ex latitudine laminarum, quot digitos habuerint, antequam in rotundationem flectantur, magnitudinem ita nominum concipiunt fistulæ. Namque quæ lamina fuerit digitorum decem, cum fistula perficietur ex ea lamina, vocabitur denaria, similiterque reliquæ.* Discrepare tamen a Vitruvio Frontinus videtur, lib. 1. de Aquæd

10. *Ubi dometur impetus.*] Aquæ nimirum decurrentis.

11. *Item castella.*] Castellum, receptaculum est, quod aquam publicam recipit, auctore Ulpiano, Pandect. lib. 43. de aqua quotid. & æstiva. Gallice, *un Regard.* Vitruvius, lib. 8. cap. 7. pag. 170. *Inter actus ducentos non est inutile castella collocari: ut si quando vitium aliquis locus fecerit, non totum omneque opus contundatur, & in quibus locis sit factum, facilius invenietur. sed ea castella neque decursu, neque in ventris planitie, neque omnino in vallibus, sed in perpetua fiant æqualitate* Qui horum reficiendorum curam haberent, in vetustis inscriptionibus apud Reines. pag 572. & apud Gruterum, pag 501. CASTELLARII appellantur. Exstat de ea re Senatusconsultum, apud Frontin lib. 1. de Aquæd NE. CVI. PRIVATO. AQVAM DVCERE. RIVIS. PVBLICIS. LICERET. VTIQVE. OMNES. II. QVIBVS AQVAE DVCENDAE. IVS. ESSET. DATVM. EX CASTELLIS. DVCERENT. ANIMADVERTERENTQVE. CVRATORES. AQVARVM. QVIBVS. LOCIS. INTRA EXTRAQVE. VRBEM. APTE. CASTTELLA PRIVATI. FACERE. POSSENT. EX. QVIBVS. AQVAM DVCERENT. QVAM. EX CASTELLO. COMMVNEM. ACCEPISSENT. A. CVRATORIBVS. AQVARVM. Olim dividicula appellata, auctore Festo, *Dividicula antiqui dicebant, quæ nunc sunt castella, ex quibus a rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit.*

Sect XXXII. 1. *Homerum ... fontium*] Si unum e Scamandri amnis fontibus exceperis, cujus aquam tepidam commendat, Iliad. χ. vers. 147.

2. *Lavari calida.*] Vide quæ diximus lib 25. sect. 38.

3. *Sulphurata nervis.*] Sulphur ipsum ad nervorum vulnera laudat Galenus, lib. 3. κατὰ γένη.

4 *Aluminata.*] Galenus, lib. 7 κατὰ γένη, & κατὰ τόπους.

5 *Qualis Cutilia.*] Hanc quoque commendat Cælius Aurel. lib. 3. Chron. cap. 2. De ejus situ diximus lib. 3. sect. 17.

gationibus. Plerique in gloria ducunt, plurimis horis perpeti calorem earum: quod est inimicissimum: namque paulo diutius, quam balineis, uti oportet, ac postea frigida dulci, nec sine oleo discedentes: quod vulgus alienum arbitratur, idcirco non alibi corporibus magis obnoxiis. Quippe & vastitate odoris capita replentur, & frigore infestantur sudantia, corporum parte mersa. Similis error, quam plurimo potu gloriantium. Vidique jam turgidos bibendo: in tantum ut anuli integerentur cute, cum reddi non posset hausta multitudo aquæ. Nec hoc ergo fieri convenit sine crebro salis gustu. Utuntur & cœno fontium ipsorum utiliter: sed ita, si illitum Sole inarescat. Nec vero omnes quæ sint calidæ, medicatas esse credendum, sicut [6] in Segesta Siciliæ, Larissa, Troade, Magnesia, Melo, Lipara. Nec decolor species æris argentive (ut multi existimavere) medicaminum argumentum est: quando nihil eorum in [7] Patavinis fontibus, ne odoris quidem differentia aliqua deprehenditur.

XXXIII. Medendi modus idem & in marinis erit, quæ calefiunt [1] ad nervorum dolores, [2] ferruminandas fracturas, ossaque contusa: item corpora siccanda, qua de causa & frigido mari utuntur. Præterea est alius usus multiplex, principalis vero navigandi phthisi affectis, [3] ut diximus, [4] aut sanguinem egerentibus: sicut proxime [5] Annæum Gallionem fecisse post Consulatum meminimus. Neque enim Ægyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi. Quin & vomitiones ipsæ [6] instabili volutatione commotæ plurimis morbis capitis, oculorum, pectoris, medentur: omnibusque, propter quæ elleborum bibitur. [7] Aquam vero maris per se efficaciorem discutiendis tumoribus putant medici, [8] si illa decoquatur hordeacea farina ad parotidas. [9] Emplastris etiam, maxime albis, & malagmatis miscent. [10] Prodest & infusa crebro ictu. [11] Bibitur quoque, quamvis [12] non sine injuria stomachi, ad purganda corpora, bilemque atram, aut sanguinem concretum reddendum [13] alterutra parte. Quidam & in quartanis dedere eam bibendam, [14] & in tenesmis [15] articulariisque morbis asservatam, & in hoc vetustate virus deponentem. [16] Aliqui decoctam, omnes ex alto haustam, nullaque dulcium mixtura corruptam, in quo usu præcedere vomitum volunt. [17] Tunc quoque acetum aut vinum aqua miscent. [18] Qui puram dedere, raphanos supermandi ex mulso aceto jubent, [19] ut ad vomitiones revocent. [20] Clysteribus quoque marinam infundunt tepefactam. [21] Testium quidem tumori fovendo non aliud præferunt. [22] Item pernionum vitio ante hulcera. [23] Simili modo pruritibus, psoris, & lichenum curationi. [24] Lendes quoque & tetra capitis animalia hac curantur:

NOTÆ.

6. *In Segesta.*] Ita M S S. recte, cum Parm. edit. Hermolaus perperam correxit *Egesta*.

7. *Patavinis fontibus.*] Quorum aqua, cum vis ei medica insit, nihil a vulgari, vel odore vel colore differt. De his fontibus egimus lib. 2. sect. 106.

Sect. XXXIII. 1. *Ad nervorum dolores.*] Sic Q. Serenus, cap. 55. pag. 159.

Si vero occultos nervos dolor urit inertes,
Convenit & pelagi calidis perfundier undis.

Dioscor. lib. 5. cap. 19. de aqua marina: Θερμὸν ῥ̓ καταντλούμενον ... ἁρμόζει τοῖς ἀπὸ νεύρων πάθεσι, &c. Ad podagram vel sic commendat Marcellus Empir. cap. 36. pag. 247.

2. *Ferruminandas.*] Ad fracturarum fascias idcirco marinam aquam Hippocrates adhibet, περὶ ὑγρῶν χρήσιος, lib de liquidorum usu, cap 3. pag. 445. tomo 6. operum Galeni.

3. *Ut diximus.*] Libro 24 sect. 19. & lib. 28. sect. 14. Celsus Corn. lib. 3. cap. 22. *Quod si mali plus est, & vera phthisis est, ... opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, cæli mutatione, sic ut densius quam id est ex quo discedit æger, petatur. Ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur,* &c.

4. *Aut sanguinem.*] Plinius junior, lib. 5. epist. 19. *Dum Zosimus,* inquit, *libertus meus intente instanterque pronunciat, sanguinem rejecit, atque ob hoc in Ægyptum missus a me, post longam peregrinationem confirmatus rediit nuper.*

5. *Annæum.*] Junium Annæum Gallionem, Senecæ Philosophi fratrem, cujus mentio apud Tacitum, lib. 15. Annal. pag. 265. Quo anno Consulatum gesserit, nam in Consulum fastis non censetur, obscurum est.

6. *Instabili volutatione.*] Navis, qua vehimur, agitatione.

7. *Aquam vero.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 47.

8. *Si illa decoquatur.*] Diosc. lib. 5. cap. 19. & Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107.

9. *Emplastris.*] Diosc. loco cit.

10. *Prodest & infusa.*] Ad tumores nimirum, ac parotidas; ad cetera quæ mollienda sunt ac discutienda. Crebro ictu, hoc est, crebris, ut loquitur Cælius Aurel. libro 2. cap. 3. *aquarum supercadentium illisionibus, quas Græci καταντλήσεις vocant.* Et lib. 1. cap. 4. *Aquarum illisio est, qua patientes partes percussa mutari coguntur.* Itemque, lib. 4. cap. 7. *Aquarum illisio patientibus locis, quam Græci καταντλησμὸν vocant.* Nugantur, qui *cerebro ictu* hic reponunt, invitis etiam M S S.

11. *Bibitur quoque.*] Diosc. fere totidem verbis, loc. cit.

12. *Non sine injuria stomachi.*] Quem corrodit. Dioscor.

13. *Alterutra parte.*] Superne, vel inferne: vomitu, aut per alvum.

14. *Et in tenesmis.*] Marcellus Empir. cap. 29. pag. 203. Plinius Valer. libro 2. cap. 24. cui titulus, *Ad tenesmum: Aqua marina,* inquit, *ex alto hauritur, servaturque, ut vetustate vires accipiat: postea bibitur cum vino & aceto, vomitu præcedente.*

15. *Articulariisque.*] Celsus, lib. 4. cap. 24. *de articulorum doloribus in manibus, pedibusque. Aquam marinam, vel muriam duram fervefacere oportet, deinde in pelvem conjicere: & cum jam homo pati potest, pedes demittere,* &c.

16. *Aliqui decoctam.*] Celsus, lib. 2. cap. 12. de ejectione: *Tunc immittenda in alvum est, si levi medicina contenti sumus pura aqua: si paulo valentiori, mulsa .... Acris autem est marina aqua, vel alia sale adjecto: atque utraque decocta commodior est.*

17. *Tunc quoque.*] Q. Serenus, cap. 50. de quartana, pag. 157.

Prodest & potus, sed mulsus Doridis humor.

18. *Qui puram.*] Vide Notas & Emend. num. XIV.

19. *Ut ad vomitiones.*] *Ut sit vomitus facilior, qui tenesmo causas effundat,* inquit Marcellus Empir. cap. 26. pag. 203.

20. *Clysteribus.*] Marcellus Empir. cap. 27. pag. 196. *Torminosis saluberrime aqua marina per clysterem infundetur, si molestia diutina fuerit.* Plinius Valer. lib. 2. cap. 25. *Aqua marina calida clystere infunditur.* Denique Diosc. lib. 5 cap 19. Πρὸς τὰ κινῆσαι ἐνίεται κοιλίαν χλιαρόν, & πρὸς στρόφους θερμόν. *Ad movendas dejectiones tepefacta clysteribus infunditur: ad tormina vero calens.*

21. *Testium quidem.*] Q. Serenus, cap. 37. pag. 149.

Et tumidos testes Nereia lympha coercet.

Marcellus Empiricus, cap. 33. pag. 228. *Testiculi tumentes aqua marina rationabiliter foventur.* Sic etiam Theod. Priscianus, lib. 1. cap 25.

22. *Item pernionum.*] Diosc. totidem verbis, lib. 5. cap. 19. Ἁρμόζει χιμέτλοις πρὸ τοῦ ἑλκωθῆναι. Theod. Priscianus, lib. 1. cap 28. de pernionibus. *Pernionibus, qui cum pruritu sunt, aqua marina fotus satis prodest.*

23. *Similis modo.*] Diosc. item: ψώρας τε καὶ κνησμῶν, καὶ λειχήνων, &c.

24. *Lendes quoque.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 4. *Lendes*

[25] & liventia reducit eadem ad colorem. In quibus curationibus post marinam aceto calido fovere plurimum prodest. [26] Quin & ad ictus venenatos salutaris intelligitur, ut phalangiorum & scorpionum: & [27] ptyade aspide respersis. Calida autem in his assumitur. [a] [28] Suffitur eadem cum aceto capitis doloribus. [29] Tormina quoque & choleram calida 5 infusa clysteribus sedat. Difficilius perfrigescunt marina calefacti. [30] Mammas sororiantes, præcordia, [31] maciemque corporis piscinæ maris corrigunt. [32] Aurium gravitatem, capitis dolores, cum aceto ferventium vapor. Rubiginem ferro marinæ celerrime exterunt. Pecorum quoque scabiem sanant, lanasque emolliunt.

XXXIV. Nec ignoro hæc mediterraneis supervacua videri posse. Verum & hoc cura 10 providit, inventa ratione qua sibi quisque aquam maris faceret. Illud in ea ratione mirum, si plus quam sextarius salis in quatuor aquæ sextarios mergatur, vinci aquam, salemque non liquari. Cetero sextarius salis cum quatuor aquæ sextariis, salsissimi maris vim & naturam implet. Moderatissimum autem putant, supradictam aquæ mensuram octonis cyathis salis temperari, quoniam ita & nervos excalefaciat, & corpus non exasperet.

15 XXXV. [1] Inveteratur: & quod vocant thalassomeli, æquis portionibus maris, mellis, imbris: ex alto & ad hunc usum advehunt, fictilique vase & picato condunt. Prodest ad purgationes maxime sine stomachi vexatione, & sapore grato & odore.

XXXVI. [1] Hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus vini ægris, veluti innocentiore potu, damnatum jam multis 20 annis, [2] iisdem vitiis, quibus vinum, nec iisdem utilitatibus.

XXXVII. Quia sæpe navigantes defectu aquæ dulcis laborant, hæc quoque subsidia demonstrabimus. Expansa circa navim velleta madescunt accepto halitu maris, quibus humor dulcis exprimitur. [1] Item demissæ reticulis in mare concavæ e cera pilæ, vel vasa inania obturata dulcem intra se colligunt humorem. Nam in terra marina aqua argilla per-25 colata dulcescit. Luxata corpora & hominum & quadrupedum, natando in cujus libeat generis aqua, facillime in artus redeunt. Est & in metu peregrinantium, ut tentent valetudinem aquæ ignotæ: hoc cavent e balineis egressi statim frigidam suspectam hauriendo.

XXXVIII. [1] Muscus, qui in aqua fuerit, podagris illitus prodest: item oleo admixto, talorum dolori tumorique. Spuma aquæ affrictu verrucas tollit. [2] Nec non arena li-30 torum maris, præcipue tenuis & Sole candens, in medicina est siccandis corporibus coopertis hydropicorum, aut rheumatismos sentientium. Et hactenus de aquis: nunc de aquatilibus. Ordiemur autem, ut in reliquis, a principalibus eorum, quæ sunt sal & spongia.

CAP. VII. XXXIX. [1] Sal omnis [b] aut fit, aut gignitur: utrumque pluribus modis, sed causa gemina, [2] coacto humore, aut siccato. Siccatur in lacu Tarentino æstivis Solibus, to-

INTERPRETATIO.

a *Suffitur.*] Calefactæ vapor excipitur.

b *Aut fit.*] Aut fictitius est, aut nativus.

NOTÆ.

& alia capitis tetra animalia quæ nocent, lotione aquæ marinæ necantur. Q. Serenus, cap. 6. de phthiriasi arcenda, pag. 128.

Unda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quidquid crebri defendit silva capilli.

25. *Et liventia*] Diosc. loco citato.

26. *Quin & ad ictus.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ αὐτὴ τοῖς τῶν θηρίων δήγμασιν, ὅσα τρόμους καὶ ψύξεις φέρει, μάλιστα δὲ σκορπίων, καὶ φαλαγγίων, καὶ ἀσπίδων. *Salutaris quoque est ad venenatorum morsus ictusve, quæ quidem tremores perfrictionesque inferunt: maxime vero scorpionum, phalangiorum, aspidumque.*

27. *Ptyade aspide.*] Πτυὰς, hoc est, sputatrix: species quædam aspidis est, cujus & Ægineta meminit: ab inspuendo corporibus veneno, nomen traxit.

28. *Suffitur.*] Dioscor. loco cit. de aqua marina: Ὑποθυμιζομένη δὲ θερμὴ ἀφαιμάσσει, κεφαλαλγίας, ἢ δυσηκοΐας παρηγορεῖ.

29. *Tormina.*] Diosc. loc. cit. ut jam diximus.

30. *Mammas sororiantes.*] Festus: *Sororiare mammæ dicuntur puellarum, cum primum tumescunt, ut fraterculare puerorum Plautus in Frivolaria:*

Tum papillæ primulum
Sororiabant: illud volui dicere, fraterculabant

Dioscor. lib. 5. cap. 19. μαστῶν σπαργώντων, *mammas nimio lacte turgentes.*

31. *Maciemque corporis.*] Hoc verborum ambitu phthisin intelligit, sive tabem, & malum corporis habitum. Diosc. loc. cit. Καὶ ταῖς χρονίαις καχεξίαις τοῦ σώματος ... ὠφέλιμον τὸ δι' αὐτοῦ λουτρόν.

32. *Aurium gravitatem.*] Diosc. supra citatus.

Sect. XXXV. 1. *Inveteratur, &c.*] Hæc totidem fere verbis Plinius Valer. lib. 2. cap. 23. & Diosc. lib. 5. cap. 20. Θαλασσόμελι δοκεῖ καθαίρειν ἰσχυρῶς, &c.

Sect. XXXVI. 1. *Hydromeli.*] Vide quæ de eo dicta sunt lib. 14 sect. 20 & lib. 22. sect. 51.

2. *Iisdem vitiis.*] Plinius, lib. 22. sect. 51. de hydromelite, seu aqua mulsa: *Longa vetustate transit in vinum. ... stomacho inutilissimum, nervisque contrarium.* Damnat, & in ægrotantium potu hydromeli Diosc lib. 5 cap. 17.

Sect. XXXVII. 1. *Item demissæ.*] Vide quæ de Arado & Ormutia diximus, lib. 2. sect 106.

Sect. XXXVIII. 1. *Muscus qui.*] De musco marino certe Diosc idem prodit, lib. 4. cap. 99. Βρύον θαλάσσιον... ποιεῖ πρὸς φλεγμονὰς καὶ ποδάγρας, &c

2. *Nec non arena.*] Totidem verbis Diosc. lib 5. cap. 167. Ἄμμος ἡ παρὰ τοῖς αἰγιαλοῖς πυρωθεῖσα ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἐξικμάζει τὰ ὑδρωπικὰ σώματα περιχωννύμενα δίχα κεφαλῆς. *Arena litoralis Sole fervefacta hydropicorum corpora resiccat, si capite tenus ea undique obruantur.* Cælius Aurel. lib. 3. Chron. cap. 8 de hydrope: *Item*, inquit, *ex arena litoris Sole ignita torrenda corpora: hiemis vero tempore igne pratorrenda*, &c. Theod. Priscianus, lib. 2. parte 2. cap. 19. de hydropicis: *Et de arena calida in litore hæc loca* ventris sub umbilico *detergere, maximum interdum est beneficium.* Celsus, lib. 3. cap. 21 ubi de aqua inter cutem: *Evocandus est sudor, non exercitatione tantummodo, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano,* &c. Græci hanc curationem ψαμμισμὸν, & φοινισμὸν appellant: de qua abunde idem Cælius Aurel. edisserit, libro 2. Chron. cap. 1 de paralysi.

Sect. XXXIX. 1. *Sal omnis.*] Sal omnis, inquit, aut nativus est, aut factitius. Nativus vel in terra, vel extra terram reperitur. Qui in terra est, aut in montibus cæditur, aut foditur in campis, aut ab eorumdem arenis extrahitur. Sal vero qui gignitur extra terram, fontibus, fluviis, mari, lacubusque continetur.

2. *Coacto humore.*] Densato humore sub terra, unde ef-

tumque stagnum in salem abit, modicum alioquin, altitudine genua non excedens. Item in Sicilia in lacu [3] qui Cocanicus vocatur, & alio juxta Gelam. Horum extremitates tantum inarescunt, sicut in Phrygia, Cappadocia, Aspendi, ubi largius coquitur, & usque ad medium lacum. Aliud etiam in eo mirabile, quod tantumdem nocte subvenit, quantum die auferas. Omnis est talis sal minutus, atque non gleba est. 5

[4] Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus ac scopulis relicta. Hic omnis rore densatur: & est acrior qui in scopulis invenitur.

Sunt etiamnum naturales differentiæ tres. Namque in Bactris duo lacus vasti, alter ad Scythas versus, alter ad Arios, sale exæstuant: sicut ad Citium in Cypro, & circa Memphin, extrahunt e lacu, dein Sole siccant. [5] Sed & summa fluminum densantur in salem, 10 amne reliquo veluti sub gelu fluente, ut apud Caspias portas, quæ salis flumina appellantur. Item circa Mardos & Armenios. Præterea apud Bactros amnes Ochus & Oxus, ex appositis montibus deferunt salis ramenta. Sunt & in Africa lacus, & quidem turbidi, salem ferentes. Ferunt quidem & calidi fontes, sicut Pagasæi. Et hactenus habent se genera ex aquis sponte provenientia. 15

[6] Sunt & montes nativi salis, ut in Indis Oromenus, in quo lapicidinarum modo cæditur renascens: majusque tegum vectigal ex eo, quam ex auro est atque margaritis. [7] Effoditur & e terra, ut palam est, humore densato, in Cappadocia. Ibi quidem cæditur specularium lapidum modo. Pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. [8] Gerrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis faciunt, aqua [9] ferruminantes. Invenit & jux- 20 ta Pelusium Ptolemæus rex, cum castra faceret. Quo exemplo postea inter Ægyptum & Arabiam, etiam squalentibus locis, cœptus est inveniri, detractis arenis: [10] qualiter & per Africæ sitientia usque ad Hammonis oraculum. Is quidem crescens cum Luna noctibus. Nam Cyrenaïci tractus nobilitantur [11] Hammoniaco & ipso, quia sub arenis inveniatur, appellato. Similis est colore alumini, quod schiston vocant, longis glebis, neque perluci- 25 dis, ingratus sapore, sed medicinæ utilis. [12] Probatur quam maxime perspicuus, rectis scissuris. Insigne de eo proditur, quod levissimus intra specus suos, in lucem universam prolatus, vix credibili pondere ingravescat. Causa evidens; cuniculorum spiritu madido sic adjuvante molientes, [13] ut adjuvant aquæ. Adulteratur Siculo, quem Cocanicum appellavimus: nec non & Cyprio mire simili. [14] In Hispania quoque citeriore Egelastæ cæditur, 30 glebis pæne translucentibus, cui jam pridem palma a plerisque medicis inter omnia salis genera perhibetur. Omnis locus in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit: [a] & in totum sponte nascens intra hæc est.

Factitii varia genera. Vulgaris plurimusque in salinis, mari adfuso, non sine aquæ dulcis riguis, sed imbre maxime juvante, ac super omnia Sole multo, non aliter inarescens. 35 Africa circa Uticam construit acervos salis ad collium speciem: qui ubi Sole Lunaque induruere, nullo humore liquescunt, vixque etiam ferro cæduntur. Fit tamen & in Creta [b] sine riguis, in salinas mare infundentibus: & circa Ægyptum, [15] ipso mari influente in solum (ut credo) [c] Nilo succosum. Fit & e puteis in salinas ingestis. [d] Prima densatio Babylone in bitumen liquidum cogitur, oleo simile, quo & in lucernis utuntur: hoc de- 40

INTERPRETATIO.

a *Et in totum.*] Et omnino hæc sunt nativi salis genera.

b *Sine riguis.*] Sine mixtura aquæ dulcis, sola marina aqua adfusa in salinas.

c *Nilo.*] Nili aquis nitrosis irrigatum.

d *Prima densatio.*] Aqua e puteis Babylone hausta & in salinas ingesta primum densatur in bitumen, &c.

NOTÆ.

foditur, cæditurve, ut mox dicetur.

3. *Qui Cocanicus.*] Stagnum Cocanicum haud procul ostio Dirilli amnis, latere Siciliæ meridionali. Farellus, Decad. 1, lib. 5. cap. 2. pag 119.

4. *Aliud genus.*] Spuma hæc salis, seu spuma maris arida est, *ἁλὸς ἄχνη* dicta Diosc lib. 5. cap. 127. ramentum videlicet, purgamentumve maris spumosum, quod in exilibus petris reperitur, ejusdem cum sale facultatis, *ἐπίψυγμα ἁλὸς ἀφρῶδες, ὃ ἐγκατάφερον ἐπὶ τῶν πετριδίων* &c. Vide Agricol. lib. 3. de natura Fossil. pag. 208.

5. *Sed & summa.*] Amnium, lacuum, fontiumque salsorum elenchum vide apud Agricolam, lib. 1. de natura eorum quæ effluunt ex terra, pag. 99.

6. *Sunt & montes.*] Exscripsit hunc locum Isidorus, lib. 16. Orig cap. 2. Cæditur hodieque copiosus in Carpatho Hungariæ monte, aliisque quos Agricola recenset, lib. 3. de natura Fossil. pag. 207.

7. *Effoditur.*] Etiamnum ad secundum a Cracovia Poloniæ lapidem, aliisque in locis, effodi salem, Agricola refert loco cit.

8. *Gerrhis Arabiæ.*] Vide Notas & Emendationes, num. XV.

9. *Ferruminantes.*] Conglutinantes aspersione aquæ, quæ mox in salem concrescat.

10. *Qualiter & per Africæ.*] Iisdem verbis Isidorus, lib 16. Orig. cap. 2. Plinius ipse, libro 5. sect. 5. *Domos sale montibus suis exciso, ceu lapide, construunt.*

11. *Hammoniaco.*] Non igitur ab Hammone, sed παρὰ τὴν ἄμμον, ab arena nomen. Gallice, *Sel Armoniac.*

12. *Probatur*] Dioscorides, lib 5. cap. 126 *Ἀμμωνιακὸν τὸ γένος, ἀχθὲν τε ἐκ διαυγὴς καὶ διαφυὰς ἔχει. Hammoniacum natione, quod quidem & findi facile potest, & rectis est scissuris.*

13. *Ut adjuvant aquæ.*] Quæ injecta pondera gestitant, & nobis ea movere conantibus levia præbent.

14. *In Hispania quoque.*] Solinus, cap. 23. pag. 43. de Hispania: *Non coquunt ibi sales, sed effodiunt.* Gellius, lib. 2 cap. 22. ex Catone: *Est in his regionibus mons ex sale mero magnus: quantum demas, tantum adcrescit.* Sic etiam Isidorus, libro 16. Orig. cap. 2. Huc lepide Sidonius allusit, lib. 9. epist. 12. *Venit in nostras a te profecta pagina manus, quæ trahit multam similitudinem de sale Hispano, in jugis caso Tarraconensibus: nam recensenti lucida & salsa est.*

15. *Ipso mari.*] Ipsum mare, inquit, sua vi influens in Ægypti solum, abit in salem.

tracto subest sal. Et in Cappadocia e puteis ac fonte aquam in salinas ingerunt. [16] In Chaonia excoquunt aquam ex fonte, refrigerandoque salem faciunt inertem, nec candidum. Galliæ Germaniæque [17] ardentibus lignis aquam salsam infundunt.

XL. Hispaniæ quadam sui parte [1] e puteis hauriunt, muriam appellant: & illi quidem etiam lignum referre arbitrantur. Quercus optima, ut quæ per se cinere sincero vim salis reddat: alibi corylus laudatur: ita infuso liquore salso carbo etiam in salem vertitur. Quicumque ligno confit sal, niger est. Apud Theophrastum invenio, [2] Umbros arundinis & junci cinerem decoquere aqua solitos, donec exiguum superesset humoris. [3] Quin & e muria salsamentorum recoquitur, iterumque consumpto liquore ad naturam suam redit: [4] vulgo e mænis jucundissimus.

XLI. [1] Marinorum maxime laudatur Cyprius a Salamine: de stagnis Tarentinus, [2] ac Phrygius, qui Tattæus vocatur. Hi duo oculis utiles. A Cappadocia vero [3] qui in laterculis affertur, cutis nitorem dicitur facere. Magis tamen extendit is, quem [4] Citieum appellavimus. Itemque a partu ventrem eo cum melanthio illinunt. Salsissimus sal qui siccissimus: suavissimus omnium Tarentinus atque candidissimus: & de cetero fragilis, qui maxime candidus. Pluvia dulcescit omnis. Suaviorem tamen rores faciunt: sed copiosum Aquilonis flatus. Austro non nascitur. Flos salis non fit nisi Aquilonibus. [6] In igne nec crepitat, nec exsilit Tragasæus, neque [7] Acanthius ab oppido appellatus: [8] nec ullius spuma, aut ramentum: aut tenuis. [9] Agrigentinus ignium patiens, ex aqua exsilit. Sunt & colorum differentiæ. [10] Ruber Memphi, rufus est circa Oxum. [11] Centuripis purpureus. [12] Circa Gelam in eadem Sicilia tanti splendoris, ut imaginem recipiat. [13] In Cappadocia croceus effoditur, translucidus & odoratissimus. Ad medicinæ usus, antiqui Tarentinum maxime laudabant. Ab hoc quemcumque e marinis: ex eo genere, [14] spumeum præcipue. [15] Jumentorum vero & boum oculis, Tragasæum & Bæticum. Ad obsonium & cibum utilior, quisquis facile liquescit: item humidior: minorem enim amaritudinem habent, ut Atticus & Euboïcus. Servandis carnibus aptior acer & siccus, ut Megaricus. Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarii vicem implet, [16] excitans aviditatem, invitansque in omnibus cibis, [a] ita ut sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta. [17] Ita est in mandendo quæsitus garo. Quin & pecudes armentaque & jumenta sale maxime sollicitantur ad pastum, [19] multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. Ergo hercule vita humanior sine

INTERPRETATIO.

a *Ita ut sit.*] Ita ut in omnibus condimentis vis ejus peculiariter sentiatur. Idcirco & in gari esu in primis quæritur.

NOTÆ.

16. *In Chaonia.*] Vide Notas & Emend num XVI.

17. *Ardentibus lignis.*] Salis ita conficiendi rationem Agricola edocet, lib. 12. de re metall pag 450.

Sect. XL. 1 *E puteis hauriunt.*] Aquam salsam, quam lignis infundant.

2. *Umbros.*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

3. *Quin & e muria.*] Muria salsugo est, in qua salsamenta innatant, hoc est, pisces, ceteraque id genus, quæ sale condiuntur, ad diuturnum usum: *la Saumure.*

4. *Vulgo e mænis.*] E mænis sale conditis, salsugine seu muria decocta, jucundissimus sal eximitur.

Sect. XLI. 1. *Marinorum.*] Diosc. lib. 5. cap. 126.

2. *Ac Phrygius.*] Dioscor. loco cit. Ἐν τοῖς λιμναίοις δὲ ὁ ἐν Κύπρῳ ... ὁ περὶ τὰ Φρύγια, καλούμενος δὲ Ταττέαιος.

3. *Qui in laterculis.*] Tubulis e laterculo coctili, aut simili vase Ita MSS omnes.

4 *Citieum appellavimus.*] Sect 39.

5 *Flos salis.*] Sic appellabant tenuissimum, farinæ instar, levissimum, candidissimumque salem: De eo inferius, sect. 42 Neque is porro, neque omnino ullus sal minutatim dissolutus in igne crepitat, aut exsilit. Vide Agricol. libro 3 de natura fossil. pag. 209.

6. *In igne.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap 2. Sali Tragasæo in Troade tributum impositum scribit Athenæus, lib. 3. pag. 73. Strabo, lib. 13. pag. 605. eodem in tractu, haud procul Hamaxito, de quo lib 5 sect 33. diximus, salinas Tragesæas locat: Τὸ Τραγασαῖον ἁλοπήγιον αὐτόματον τοῖς ἐτησίαις πηγνύμενον περὶ Ἀμαξιτόν, *ubi sal sponte sua cogitur flantibus Etesiis.* Consentit etiam Galenus, lib. 11. de fac. simp. med. cap. 2. pag 116. In Reg. 1. *Tragasæ.* In Reg. 2. *Tragesæus.* Errat Stephanus, qui Tragasas, & Tragasæum salem in Epiro locat.

7 *Acanthius.*] Ab Acantho Macedoniæ oppido, de quo dictum est lib. 4 sect. 17.

8. *Nec ullius.*] Subintellige, salis. Vide Agricolam, loco proxime citato

9 *Agrigentinus.*] Solini paraphrasis, cap 5. pag 20. *Salem Agrigentinum si igni junxeris, dissolutum usitione: cum si liquor aquæ proximaverit, crepitat veluti torreatur.* Futilis Meursii conjectura, in Antigon. pag 188. ut in se intelligitur, qui legi suadet, *Agrigentinus ignium impatiens.* Ignium patiens dicitur, qui in igne non crepitat, nec exsilit. August. libro 21. de Civit. Dei, cap. 5 & 7. Agrigentinum *salem ait, cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere: cum vero aquæ, velut in igne crepitare.*

10. *Ruber Memphi.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 2.

11. *Centuripis, &c.*] Isidorus, loco citato.

12. *Circa Gelam, &c*] Isidorus, loco citato.

13. *In Cappadocia.*] Sic Isidorus, loco cit. At Solinus, cap. 5. pag. 20. *in Pachyno adeo splendidus & lucidus, ut imagines reddat.* Quo id auctore prodat, incertum. In MSS. & apud Isidor. *croceus.*

14. *Spumeum præcipue.*] Spumam maris intelligit, seu spumam salis, ut juniores aiunt, de qua Diosc. lib. 2. cap. 127.

15. *Jumentorum.*] Et hominum similiter oculis Plinius Valer. adhibet, lib. 1. cap 18. *Sal frixum*, inquit, *tritum, admixto melle Attico inunges, & caliginem tollit.*

16. *Excitans aviditatem.*] Expressit hoc ipsum carmine Huetius, in poemario de sale:

Pulsa fames, & amor salibus revocatur edendi,
Obtusoque abeunt fastidia longa palato.

17. *Ita est*] MSS. Reg 2 & Chiffl. *Iterum in mandendo.*

18. *Quin & pecudes.*] Vide quæ dicturi sumus inferius, sub finem sectionis 44

19. *Multo largiore lacte.*] Aristot lib. 8 hist. anim. cap. 13. pag 909. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 2. Neque id Virgilium latuit, lib. 3. Georg ita canentem:

At cui lactis amor, cytisum, lotosque frequentes
Ipse manu, salsasque ferat præsepibus herbas:
Hinc & amant fluvios magis, & magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem:

Nec minus eleganter idem Huetius;

Ipse fovens molles clausis præsepibus agnos,
Matribus apsio sparsas sale præbuit herbas:
Præbuit, atque nova vidit pinguedine lætus
In spem lanigeræ fetus adolescere gentis,

sale

ſale non quit degere: adeoque neceſſarium elementum eſt, [a] ut tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. [20] Nam ita ſales appellantur: omniſque vitæ lepos & ſumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam militiæque interponitur, [21] ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine [22] Salariæ viæ, quoniam illa ſalem in Sabinos portari convenerat. Ancus Marcius rex ſalis modios ſex mille [23] in congiario dedit populo, & ſalinas primus inſtituit. Varro etiam pulmentarii vice uſos veteres, auctor eſt: & ſalem cum pane [24] eſitaſſe eos proverbio apparet. Maxime tamen in ſacris intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur [25] ſine mola ſalſa.

XLII. Salinarum ſinceritas ſummam fecit ſuam differentiam, quamdam favillam ſalis, quæ leviſſima ex eo eſt & candidiſſima: [1] appellatur & flos ſalis, in totum diverſa res, humidioriſque naturæ, & crocei coloris, aut rufi, veluti rubigo ſalis: odore quoque ingrato, ceu gari, diſſentiens a ſale, non modo a ſpuma. [2] Ægyptus invenit, viderurque Nilo deferri. [3] Et fontibus tamen quibuſdam innatat. [4] Optimum ex eo, quod olei quamdam pinguitudinem reddit. Eſt enim etiam in ſale pinguitudo, quod miremur. [5] Adulteratur autem tingiturque rubrica, aut plerumque teſta trita: [6] qui fucus aqua deprehenditur, diluente factitium colorem: cum verus ille non niſi oleo reſolvatur, & unguentarii [7] propter colorem eo maxime utantur. [b] Canitia in vaſis ſumma eſt: media vero pars humidior, [8] ut diximus. [9] Floris natura aſpera, excalfactoria, ſtomacho inutilis. [10] Sudorem ciet, [11] alvum ſolvit in vino & aqua, [12] acopis & ſmegmatis utilis. Detrahit & ex palpebris pilos efficaciſſime. Fæces imæ concutiuntur, ut color croci redeat. Præter hæc etiamnum appellatur in ſalinis ſalſugo, ab aliis ſalſilago, tota liquida, marinâ aquâ ſalſior, vi diſtans.

XLIII. Aliud etiamnum liquoris exquiſiti genus, [1] quod garon vocavere, inteſtinis

INTERPRETATIO.

a *Vt tranſierit.*] Ut id nomen ſalis intelligamus tranſiiſſe etiam ad voluptates animi ſignificandas, *non ad palati tantum guſtum.*

b *Canitia.*] Floris ejus pars ſumma in vaſis cana eſt: media humidior.

NOTÆ.

Plenaque ſpumanti retulit mulctralia lacte.

20. *Nam ita ſales.*] Sal enim, vel ſales, urbanitas eſt, jocus, argutia, lepos. Hinc librorum ſales, ſal humanitatis, protervi urbanive ſales, ſal dicendi & facetiæ, ſimiliaque, quæ Latine periti norunt. Vates idem, qui proxime laudatus a nobis, admodum ſcite:

Denique non noſtros commendat gratia mores,
Ni fuerint tincti ſalibus: frigemus inepti:
Nullus honos, nulla ingrato ſermone venuſtas:
Averſa fugiunt Charites, Venus ipſa faceſſit,
Et formoſa ſuum præcludit nympha cubile.
Adde ſales verbis, o non indocte poeta,
Si quis manſuro ſperas de carmine famam.

21. *Salariis inde*] Salarii nomine proprie ſignificabatur Tribunorum militarium & ducum annona: forte quod nihil victui magis neceſſarium, quam ſal: vel quod ſalaria percipientes, inde ſe alerent. Joan. de Janua: *Salarium: a ſale dicitur, ſalarium, id eſt, ſtipendium redditus.... diarium quotidianum, cibarium victus: unde legimus quod olim poeta vivebant de communi ſalario, id eſt, ſtipendio.* Idem qui ſupra Huetius:

Temporibus ſale conſtabant ſtipendia priſcis:
Hinc & perpetuum meruere ſalaria nomen
Priſca Romulidum plebi, ſanctoque Senatu
Munera grata ſalis donavit Marcius Ancus:
Primus & inſtituit populo gaudente ſalinas.

22. *Salaria via.*] Conſentit Verrius Flaccus, qui apud Feſtum *Salariam viam* ait *incipere a porta quæ nunc Collina a colle Quirinali dicitur. Salaria autem,* inquit, *propterea appellabatur, quod impetratum fuerit, ut ea liceret a mari in Sabinos ſalem portari.*

23. *In congiario.*] Joan. de Janua: *Congiarium, id eſt, beneficium, donatio Imperatoris, quod quilibet Imperator favorem populi captans adjiciebat, ut largior videretur in donis.* Congiarium in nummis Auguſtorum Populo Romano datum ſæpe occurrit, ſed non ante Neronem. Sub Tito occurrunt in primis duo: Prior eſt exquiſitiſſimus integerrimuſque, inquit Mediobarbus; T. CAESAR VESPASIANVS PONT. TR. P. COS. II. .)(. CONG. TER. P. R. IMP. NAX. DAT. Titus Cæſar in ſuggeſto ſedens, ſtante Dea Liberalitate, dat congiarium: ante ſuggeſtum, cive in alterius ſinum largiter effundente. Sic interpretare: CONGiarium TERtium Populo Romano IMPenſis MAXimis DATum. Alter eſt ejuſdem Titi jam Auguſti. INP. T. CAESAR VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS VIII. .)(. CONGIAR. TER. P. R. IMP DAT. Æreus eſt inter Arſchotanos, Tab. XXIX. num. 20. Lege: *Congiarium tertium Populo Romano IMpenſis Propriis DATum.*

24. *Eſitaſſe eos*] Ad hunc morem, & ad hoc proverbium reſpexiſſe Horatius videtur, lib. 2. Satyr. 2.

Cum ſale panis
Latrantem ſtomachum bene leniet.

25. *Sine mola ſalſa*] Molam ſalſam vocabant far toſtum addito ſale. Ovidius lib. 1. Faſtor. verſ. 335.

Inde vocor Janus: cui cum cereale ſacerdos
Imponit libum, farraque mixta ſale.
Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Sect. XLII. 1. *Appellatur & flos ſalis.*] Quanquam differt omnino a flore ſalis. Hæc totidem fere verbis Dioſcor. lib. 5. cap. 129. Hodie noſtris pharmacopolis ſalariiſque incognitus.

2. *Ægyptus &c.*] Dioſcor. loc. cit.

3. *Et fontibus.*] Dioſc. Ἐφίσταται δὲ λίμναις τισὶ, *ſtagnis quibuſdam innatat.*

4. *Optimum &c.*] Dioſc. loc. cit. λιπαρώτερον ceteris ſimiliter anteponit.

5. *Adulteratur.*] Τὸ δὲ ἐμφερῆ τῷ θρόμβῳ ἔχον, φαῦλον ἡγητέον. *Fucatus rubrica, aut grumoſus, improbatur.* Dioſcor. loco citato.

6. *Qui fucus.*] Ἔστι τὸ ἀκέραιον ἐλαίῳ συντακῆναι μόνον· τὸ δεδολωμένον δὲ, καὶ μόνῳ τῷ ὕδατι. *Præter a verus ac ſincerus nonniſi oleo reſolvitur: adulteratus, nonnulla ex parte etiam aqua diluitur.*

7. *Propter colorem.*] Ad colorem unguentis emplaſtriſque addendum: μίγνυται καὶ ἐμπλάστροις καὶ μύροις εἰς χρῶσιν, ὡς τὸ ῥόδινον. Dioſc loc. cit. Utitur eo & ad flavum colorem capillis inducendum, Alexander Iatros, lib 1. cap. XI.

8. *Ut diximus.*] Paulo ante, initio hujus ſectionis.

9. *Floris natura.*] Totidem verbis hæc Dioſc. loc cit.

10. *Sudorem.*] Dioſc. loc. cit.

11. *Alvum ſolvit.*] Dioſc. loc. cit. Κοιλίας ταρακτικὸν σὺν οἴνῳ καὶ ὕδατι ληφθὲν, *alvum turbat*, &c.

12. *Acopis &c.*] Μίγνυται καὶ ἀκόποις καὶ σμήγμασι πρὸς τριχῶν λεπτυσμόν. *Additur & acopis, & ſmegmatis: quæ extenuandorum pilorum gratia componuntur.* Dioſc. loc. cit.

Sect. XLIII. 1. *Quod garon*] Qua id arte pararetur, docet auctor Geopon lib. 20 cap. ult. pag. ult. Γαρὸν ποιεῖται. Τὰ ἔγκατα τῶν ἰχθύων βάλλεται εἰς σκεῦος, καὶ ἁλίζεται.... καὶ ἐν ἡλίῳ ταράσσεται πυκνῶς δονούμενον· Οὕτω δὲ ταριχευθέντος, τῷ θέρει ἐξ αὐτοῦ γάρος οὕτως αἴρεται. Κόφινος μακρὸς πυκνὸς ἐντίθεται εἰς τὸ μέσον ἀγγεῖον τῶν προειρημένων ὀψαρίων, καὶ εἰσρεῖ τὸ γάρος εἰς τὸν κόφινον, καὶ οὕτως διὰ τοῦ κοφίνου διηθεῖς, ἀναιρεῖται τὸ καλούμενον λιμαρόν. τὸ δὲ λοιπὸν πάνυ-

pifcium, ceterifque quæ abjicienda effent, fale maceratis, ut fit illa putrefcentium fanies. Hoc olim conficiebatur ex pifce, quem [2] Græci garon vocabant: capite ejus ufto, fuffitu extrahi fecundas monftrantes. * [3] Nunc e fcombro pifce laudatiffimum in [4] Carthaginis Spartariæ [5] cetariis: [6] Sociorum id appellatur, fingulis millibus nummûm permutantibus congios fere binos. Nec liquor ullus præter unguenta majore in pretio effe cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Scombros quidem, & Mauretania, Bæticæque Carteïa, ex Oceano intrantes capiunt, ad nihil aliud utiles. Laudantur & Clazomenæ garo, Pompeïique & Leptis: ficut muria [7] Antipolis ac Thurii, jam vero & Dalmatia.

(* Cap. VIII.)

XLIV. [1] Vitium hujus eft alex, imperfecta nec colata fæx. [2] Cœpit tamen & privatim [3] ex inutili pifciculo, minimoque confici. [4] Apuam noftri, aphyen Græci vocant, quoniam is pifciculus e pluvia nafcitur. Forojulienfes pifcem ex quo faciunt, [5] lupum appellant. Tranfiit deinde in luxuriam, creveruntque genera ad infinitum: ficuti garum ad colorem mulfi veteris, adeoque dilutam fuavitatem, ut bibi poffit. Aliud vero caftimoniarum fuperftitioni etiam, facrifque [6] Judæis dicatum, quod fit e pifcibus fquama carentibus. [7] Sic alex pervenit ad oftreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum jocinera. Innumerifque generibus ad faporem gulæ cœpit fal [a] tabefcere. Hæc obiter indicata fint defideriis vitæ: & ipfa tamen nonnullius ufus in medendo. Namque & alece fcabies pecoris fanatur, infufa per cutem incifam: & contra canis morfus draconifque marini prodeft. In linteolis autem conceptis imponitur. Et garo ambufta recentia fanantur, fi quis infundat, ac non nominet garum. [8] Contra canum quoque morfum prodeft, maximeque crocodili, & hulceribus quæ ferpunt, aut fordidis. Oris quoque & aurium hulceribus aut doloribus mirifice prodeft. [9] Muria quoque, five illa falfugo, [10] fpiffat, mordet,

INTERPRETATIO.

a *Tabefcere.*] Putrefcere *in muria vel alece.*

NOTÆ.

μα γίνεται ἄλλξ. Inteftina pifcium injiciuntur in vas, & faliuntur .... & in Sole inveterantur, frequenterque verfantur. Poftquam vero per calorem fuerunt inveterata, garum ex ipfis hoc modo tollitur. Cophinus longus imponitur in vas plenum prædictorum pifcium, influitque garum in cophinum: atque fic per cophinum percolatum liquamen appellatum garum fufcipiunt. reliquum vero retrimentum, alex efficitur, & vocatur. Gari meminit Martialis, lib. 7. Epigr. 26.

Sed coquus ingentem piperis confumet acervum:
Addet & arcano mixta Falerna garo.

Ufum ejus hodieque effe Conftantinopoli Bellonius prodidit.

2. *Græci garon.*] Iterum Plinio lib. 32. fect. 53. *Garos. Pifciculus ignotus.* Ifidorus, lib. 20. Orig. cap. 3. *Garum eft liquor pifcium falfus, qui olim conficiebatur ex pifce, quem Græci γάρον vocabant. Et quamvis nunc ex infinito genere pifcium fiat, nomen tamen priftinum retinet, a quo initium fumpfit.*

3. *Nunc e fcombro.*] Laudatiffima hæc muria fuit, propriaque divitum. Martialis, lib. 13. Epigr. 102. pag. 721. cui titulus, *Garum fcombrorum*. vel, ut habet Aldina editio, *Garum fociorum.*

Exfpirantis adhuc fcombri de fanguine primo
Accipe faftofum, munera cara, garum.

Horatius lib. 2. Satyr. 8. verf. 46. *garum* laudat *de fuccis pifcis Iberi*, hoc eft, fcombri, quem ex Hifpania petebant, infulaque Scombraria inde dicta prope Carthaginem. Auctor Strabo, lib. 3. pag. 159. Η & Η ... Καρχηδόνα, ἣν καλοῦσι Σκομβραρίαν, ἀπὸ τῶν ἁλισκομένων σκόμβρων, ἐξ ὧν τὸ ἄριστον σκευάζεται γάρον. Scomber Gallis, *un Maquereau.*

4. *Carthaginis.*] De eo Carthaginis cognomine diximus, lib. 19. fect. 7.

5. *Cetariis.*] De ea voce egimus, lib. 9. fect. 19.

6. *Sociorum id.*] Cum viris eruditis, Bifciola, Radero, Cæfio, Aldrovando, ceterifque, exiftimamus id nominis obtinuiffe garum, quod a fociis populi Rom. nempe Hifpanis Romani deferretur: vel a focietate publicanorum, qui vectigal garo impofitum exigerent: quo fenfu lib. 33. fect. 39. ex adulterato minio *prædam* effe *focietati* dixit. Placuit hæc fententia jam ante Galeni fcholiaftæ, in lib. περὶ ... Meminere *gari fociorum* Apicius, & Seneca, epift. 95.

7. *Antipolis.*] Fuit Galliæ Narbonenfis oppidum, ut in Geographicis diximus. Meminit Martialis, lib. 13. Difticho 103. de muria:

Antipolitani, fateor, fum filia thynni:
Effem fi fcombri, non tibi miffa forem.

Muriam feu garum e thynno inferioris notæ ac pretii fuiffe fignificat: e fcombro, pretiofius.

Sect. XLIV. 1. *Vitium hujus eft alex.*] Quid fit alex, intelliges non ex hoc loco modo, fed etiam ex auctore Geopon. fuperius laudato. Meminit Martialis, lib. 3. Epigram. 77.

Et putri cepas alece natantes.

Horatius, lib. 2. Satyr. 4. verf. 73.

Ego fæcem primus, & alec
Inventor puris circumpofuiffe catillis.

2. *Cœpit tamen.*] Altera ejus vocis acceptio: ut non fæx gari folum, fed & muria vilior e pifciculis minutis alec fit appellatum.

3. *Ex inutili.*] Ad nihil aliud utili. Ita MSS omnes: non, ut quibufdam placuiffe intelligo, *ex mutilo.*

4. *Apuam noftri.*] Egimus de ea lib. 9. fect. 74. & in Notis & Emend. ad eum librum, num. CXXIX. De eo genere pifcium parœmia efficta, apud Athen. lib. 7. Zenobium, Suidam, aliofque: Ἀφύα εἰς πῦρ.

5. *Lupum appellant.*] Pifcem tamen intellige, ab eo lupo difparem, de quo actum eft, lib. 9. fect. 28. Apuis potius, viliorique pifciculorum turbæ congenerem: immo apuam ipfam, quam ab oris fciffura λυκόστομον Ælianus appellat, lib. 8. hift. animal. cap. 18. Ex filuro tamen quoque confectum liquamen, garum appellat Cælius Aurel. lib. 2. Chron. cap. 1. de paralyfi.

6. *Judæis dicatum.*] Qui *abdicatum* hoc loco, vel *fquamam habentibus* legunt, & vim fententiæ afferunt, & conjecturæ plus quam conditivorum codicum auctoritati tribuunt. Quæ fint tamen ea Judæa facra, cærimoniæque ad caftimoniam inftitutæ, nondum eft nobis fane compertum. Scimus Levitici cap. XI. vetitum Judæis pifcium efum, qui fquamis carerent: non tamen omnium, fed eorum qui cartilaginei, (σελάχη hæc Græci vocant) quique molles: non eorum etiam qui contecti cruftis tenuibus, aut teftis conclufi duris, quales funt oftreæ, cammarique, hic appellati. Auctor Porphyrios, lib. 4. de abftinentia, pag. 163. Πᾶσι γὰρ ... ἰχθύων τῶν ἀφολιδώτων ἢ σελάχη καλοῦσιν ... Legendum haud dubie, *facrifque Idæis.*

7. *Sic alex.*] Sic muria, inquit, vel muriæ fæce condita oftrea, echini, urticæ, &c. Sic vero condita, a Plauto *muriatica*, Fefto tefte, nuncupantur: *Neritæ*, inquit, *eft genus pifcis minuti. Plautus:*

Muriatica autem video in vafis ftanneis:
Bonam neritam, & cammarum, & tagenia,
Echinos fartos, conchas pifcinarias.

Nam quæ Plinio oftrea, Plauto neritæ funt, oftrei genus: echinos deinde fartos, five faginatos in vivariis, conchas in pifcinis, uterque laudat. Pro *tagenia* vero, quæ vox a Scaligero in Varronem maxime hic probatur, forte *cnidia* legi fatius fuerit: κνίδη enim urticam fonat: quo de pifcium genere diximus lib. 9. fect. 68.

8. *Contra canum.*] Diofc. lib. 2. cap. 34.

9. *Muria quoque.*] Muria nempe falfamentorum, de qua diximus fect. 40. Ἅλμη Diofcoridi, lib. 5. cap. 128. Et illa præterea falfugo, de qua fect. 42.

10. *Spiffat.*] Adftringit, & extenuat pariter: quas vires nec Diofcor. ipfe a muria abjudicat, cum falis ei effectus

extenuat, siccat. [11] Dysentericis utilis est, etiam si nome intestina corripit. Ischiadicis, cœliacis veteribus, infunditur. [12] Fotu quoque apud mediterraneos aquæ marinæ vicem pensat.

XLV. Salis natura est per se ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens. CAP. IX. [1] Corpora vero adstringens, siccans, alligans: defuncta etiam a putrescendo vindicans, 5 ut durent ita per sæcula. [2] In medendo vero mordens, adurens, repurgans, extenuans, dissolvens. Stomacho tantum inutilis, præterquam ad excitandam aviditatem. [3] Adversus serpentium morsus cum origano, melle, hyssopo. Contra cerasten cum origano, aut cedria, aut pice, aut melle. Auxiliatur contra scolopendras ex aceto potus: [4] adversus scorpionum ictus, cum quarta parte lini seminis, ex oleo vel aceto illitus: adversus crabro- 10 nes vero vel vespas, similiaque, ex aceto. [5] Ad heterocraneas, capitisque hulcera, & pusulas, papulasve, & incipientes verrucas, cum sevo vitulino: [6] item oculorum remediis, & ad excrescentes ibi carnes, totiusque corporis pterygia: sed in oculis peculiariter: ob id collyriis emplastrisque additur. Ad hæc maxime probatur Tattæus, aut Caunites. Ex ictu vero suffusis cruore oculis sugillatisque, cum myrrha pari pondere ac melle, aut cum hys- 15 sopo ex aqua calida, urque foveantur salsugine. Ad hæc Hispaniensis eligitur, contraque suffusiones oculorum cum lacte in coticulis teritur. [7] Privatim sugillationibus in linteolo involutus, crebroque ex aqua ferventi impositus. [8] Hulceribus oris manantibus in linteolo concerpto. [9] Gingivarum tumori infricatus. Et contra scabritiem linguæ fractus comminutusque. [10] Aiunt dentes non erodi, nec putrescere, si quis quotidie mane jejunus salem 20 contineat sub lingua, donec liquescat. [11] Lepras idem, & furunculos, & lichenas, & psoras emendat cum passa uva, exempto ejus ligno, & sevo bubulo, atque origano, ac fermento, vel pane, maxime Thebaicus. [12] Hic & ad pruritus eligitur. [13] Tonsillis & uvis cum melle prodest. [14] Quicumque ad anginas: hoc amplius, cum oleo & aceto eodem tempore extra faucibus illitus cum pice liquida. [15] Emollit & alvum in vino mixtus inno- 25 xie: [16] & tæniarum genera pellit in vino potus. [17] Æstus balinearum convalescentes ut tolerare possint, linguæ subditus præstat. [18] Nervorum dolorem, maxime circa humeros & renes, in saccis aqua ferventi crebro [19] madefactus levat. Colum tormina que & coxarum dolores potus, & in iisdem saccis impositus candens. [20] Podagras cum farina ex melle & oleo tritus, ibi maxime usurpanda observatione, quæ totis corporibus [21] nihil esse 30 utilius sale & Sole dixit. [22] Itaque cornea videmus corpora piscatorum. Sed hoc præcipuum dicatur in podagris. Tollit & clavos pedum: item perniones. [23] Ambustis ex oleo imponitur, aut commanducatus, pusulasque reprimit. [24] Ignibus vero sacris, hulceribus-

NOTÆ.

adscribit, loc. cit. Ἅλμη τῆς αὐτῆς ἐστὶ πλεῖον ἔχει ἐνέργειαν. Sali enim is cap. 126. vim adstringentem extenuantemque attribuit, συνθετικὸν καὶ ἰσχναντικόν. Quare cum Dalecampius hoc loco Plinium ineptiarum arguit, suam ipse inscitiam prodit.

11. *Dysentericis.*] Diosc. loc. cit. Δυσεντερικοῖς τε ἐγχεῖται τοῖς μετὰ ξύσεως ἐγκλυσμα, καὶ ἰσχιαδικοῖς χρονίοις. *Dysentericis utiliter infunditur, quorum intestina nome* (hoc est, hulcus) *corripuit: itemque ischiadicis jam diuturno dolore vexatis.* Celsus, lib. 4. cap. 15. *de torminibus, id est, dysenteria. Themison muria dura quam asperrima utendum memoriæ prodidit.*

12. *Fotu quoque.*] Totidem verbis Diosc loc. cit.

Sect. XLV. 1. *Corpora vero.*] Locum hunc Isidorus ad verbum exscripsit, lib. 16. Orig cap. 2.

2. *In medendo.*] Dioscor. lib. 5. cap. 126. Δύναμιν δὲ ἔχουσι .... συνθετικήν τε καὶ σμηκτικήν, καὶ ἀποκαθαρτικήν, καὶ διαφορητικήν, ἔτι δὲ καταστατικήν, καὶ ἰσχναντικήν, καὶ ἐσχαρωτικήν, &c. *Adstringens, abstergens, repurgans, dissolvens: insuperque reprimens, extenuans, & crustas inducens.*

3. *Adversus serpentium.*] Dioscor. totidem verbis, loc. cit. Πρὸς δὲ σκορπίου πληγάς, σὺν λινοσπέρμῳ· πρὸς δὲ ἐχιδνῶν δήγματα, σὺν ὀριγάνῳ καὶ μέλιτι, καὶ ὑσσώπῳ, πρὸς δὲ κεράστην, μετὰ πίσσης ἢ κεδρίας ἢ μέλιτος· πρὸς δὲ σκολοπένδρας δῆγμα, σὺν μέλιτι καὶ ὄξει· πρὸς δὲ σφηκῶν πληγάς.... σὺν ὄξει μοσχείῳ.

4. *Adversus scorpionum.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 22. *Scorpionum vero percussus, sales frixi, & cum oleo contriti, loco appositi, curavere.*

5. *Ad heterocraneas.*] Diosc. loc. cit. Definit versiculo ἑτεροκρανίαν κεφαλαλγίαν, Q. Serenus,

Porro si capitis morbo tentatur acuto.

Ἡμικρανίαν alii nuncupant.

6. *Item oculorum.*] Dioscor. loc. cit. Στέλλουσι καὶ τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς ὑπεροχάς, καὶ πτερύγια τήκουσι, καὶ τὰς ἄλλας δὲ ὑπερσαρκώσεις ἀίρουσι.

7. *Privatim.*] Sugillata faciei tollere cum melle, scribit Dioscor loco citato.

8. *Hulceribus oris*] Quas ἄφθας vocant: his cum polenta crematus sal inspergitur. Diosc loc. cit.

9. *Gingivarum tumori*] Sic MSS. omnes. Dioscor. loc. cit. οὖλα πλαδῶντα dixit, hoc est, humida gingivarum vitia, diffluentes humore gingivas.

10. *Aiunt dentes.*] Plinius Valer lib. 1. cap. 36. & Marcellus Empir cap. 12 pag. 93.

11. *Lepras idem &c.*] Diosc. ad verbum fere, loc cit

12. *Hic & ad pruritus*] Ad sedandos pruritus quemlibet salem ex oleo & aceto infricatum ad ignem Diosc. adhibet, dum sudor provocetur, loc. cit.

13. *Tonsillis.*] Diosc loc. cit.

14. *Quicumque*] Subintellige, utiliter adhibetur Sic Dioscor loc. cit. Συναγχικοὺς τε κουφίζουσι, σὺν μέλιτι καὶ ὄξει καὶ ἐλαίῳ διαχριόμενοι.

15. *Emollit.*] Vide Notas & Emend num. XVIII.

16. *Et tæniarum.*] Lumbricorum.

17. *Æstus balinearum.*] Hoc ipsum de aqua frigida superius affirmavit, sect. 23 *Æstus in balneis arcetur, si quis ore teneat*

18. *Nervorum dolorem.*] Saccis inditum salem fotu dolores mitigare testatur etiam Dioscor loc. cit. Πυρία τε οὖσα ἐν σακκίοις, πραΰντικὴ ἀλγημάτων. Πυρία est sudatio sicca; calidarum rerum apposita excitatur. Et Theod. Priscianus, lib. 2. parte 1. cap. 10. de spasmis: *Convenient etiam locis ipsis de salibus calidis adhibere sacellos: &c.*

19. *Madefactus.*] Sic libri omnes editi, & Reg 2. priore manu. Recentiore, *candefactus* quam scripturam & Reg 1. & Chiffl. præ se ferunt, non satis probabiliter: aqua ferventi enim madefieri salem simul & incalescere, naturæ rerum consentaneum est: vel sic candescere, non est intellectu facile.

20. *Podagras.*] Diosc. loc cit.

21. *Nihil esse utilius*] Isidorus, lib. 16. cap. 2.

22. *Itaque cornea.*] Arida, sicca, non mollia. Catullus, Carm. 23. pag. 39.

Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.

23. *Ambustis*] Dioscor. loco citato, Πρὸς πυρίκαυστα δὲ σὺν ἐλαίῳ ἐπιτεθέντες, οὐκ ἐῶσι φλυκταινοῦσθαι. *Ambustis igni cum oleo impositus, pusulas erumpere non patitur.*

24. *Ignibus vero.*] Dioscor loc. cit. Ἐρυσιπέλατα δὲ καὶ ἕρπητας, μετ᾽ ὄξους καταχριόμενοι, ἢ καταπλασσόμενοι σὺν ὑσσώπῳ. Sic libri omnes. Et Plinians MSS editique co-

que quæ ſerpunt, ex aceto, aut hyſſopo. Carcinomatis cum uva taminia. [25] Phagedænis hulcerum, toſtum cum farina hordei, ſuperimpoſito linteolo madente vino. [26] Morbo regio laborantes, donec ſudent ad ignem, contra pruritus quos ſentiunt, ex oleo & aceto intricatus juvat: & fatigatos ex oleo. [27] Multi & hydropicos ſale curavere, fervoreſque febrium cum oleo perunxere, & tuſſim veterem linctu ejus diſcuſſere. Clyſteribus infudere iſchiadicis. Hulcerum excreſcentibus vel putreſcentibus impoſuere. [28] Crocodilorum morſibus ex aceto in linteolis, [29] ita ut paverentur ante hic hulcera. [30] Bibitur & contra opium ex aceto mulſo. [31] Luxatis imponitur cum farina & melle: item [32] extuberationibus. Dentium dolori cum aceto fotus, & illitus cum reſina prodeſt. [33] Ad omnia autem ſpuma ſalis jucundior utiliorque. Sed quicumque ſal [34] acopis additur ad excalfactiones: item ſmegmatis ad extenuandam cutem levandamque. Pecorum quoque ſcabiem & boum illitus tollit. [35] Daturque lingendus: & oculis jumentorum inſpuitur. Hæc & de ſale dicta ſint.

Cap. X. XLVI. 1. Non eſt differenda [1] & nitri natura, non multum a ſale diſtans: & eo diligentius dicenda, quia palam eſt & medicos, qui de eo ſcripſere, ignoraſſe naturam, nec quemquam [2] Theophraſto diligentius tradidiſſe. Exiguum fit apud Medos, caneſcentibus ſiccitate convallibus, quod vocant [3] halmyrhaga. Minus etiam in Thracia juxta Philippos, ſordidum terra, quod appellant [4] agrium. [5] Nam quercu cremata numquam multum factitatum eſt, & jam pridem in totum omiſſum. Aquæ vero nitroſæ pluribus locis reperiuntur, [a] ſed ſine viribus denſandi. Optimum copioſumque [6] in Litis Macedoniæ, quod vocant Chalaſtricum, candidum, purumque, proximum ſali. Lacus eſt nitroſus, exſiliente e medio dulci fonticulo. Ibi fit nitrum circa Canis ortum novenis diebus, totidemque ceſſat, ac rurſus innatat, & deinde ceſſit. Quo apparet, ſoli naturam eſſe quæ gignat: quoniam compertum eſt, nec Soles proficere quidquam, cum ceſſet, nec imbres. Mirum eſt & illud, ſcatebra fonticuli ſemper emicante, lacum neque augeri, neque fluere. Iis autem diebus, quibus gignitur, ſi fuere imbres, ſalſius nitrum faciunt: Aquilones deterius, quia validius commovent limum. [7] Et hoc quidem naſcitur.

2. In Ægypto autem conficitur multo abundantius, ſed deterius. Nam fuſcum lapidoſumque eſt. Fit pæne eodem modo quo ſal, niſi quod ſalinis mare infundunt, [8] Nilum autem nitrariis. Hæ cedente Nilo madent ſucco nitri XL. diebus continuis, non ([9] ut in Macedonia) ſtatis. Si etiam imbres affuerint, minus de flumine addunt: ſtatimque ut denſari eſt cœptum, rapitur, ne reſolvatur in nitrariis. [10] Sic quoque olei natura intervenit, ad ſcabiem animalium utilis. Ipſum autem conditum in acervis durat. [11] Mirum, in lacu Aſcanio, & quibuſdam circa Chalcida fontibus, ſummas aquas dulces eſſe potarique, [12] in-

Interpretatio.

a *Sed ſine.*] Sed quibus ea vis deeſt, ut denſari poſſint in nitrum.

Notæ.

dices, *hyſſopo*, non *aſſo*.

25. *Phagedænis.*] Vide Notas & Emend. num. XIX.

26. *Morbo regio &c.*] Dioſcor. loco citato.

27. *Multi & hydropicos.*] Dioſc. loc. cit. Καὶ πρὸς τὰ οἰδήματα τῶν ὑδρωπικῶν. Theod. Priſcianus, lib. 2. parte 2. cap. 19. de hydropicis: *Si vero multus humor ex putreſactis eorum carnibus aggregatus ventrem ſatis adimpleverit, ſacellos ex toſtis ſalibus ſub umbilico locis admovet.*

28. *Crocodilorum.*] Dioſcor. loc. cit. Καὶ κροκοδείλων δήγμασι βοηθεῖ, ἐνδεθέντες εἰς ὀθόνιον λεῖοι, καὶ βαπτόμενοι εἰς ὄξος, ἐπιδέσμῳ τῶν μερῶν τοῖς ἐνδέσμοις. *Crocodilorum morſibus auxiliatur tritus, in linteolo involutus, & in acetum intinctus, faſciis inſuper additis, quibus partes affectæ conſtringantur.*

29. *Ita ut paverentur ante hic hulcera.*] Sententia hujus loci eſt, a multis olim ita morſibus crocodilorum adhiberi ſalem in linteolis ex aceto ſolitum, ut ante hoc medicinæ genus hic ubi morſus inflictus eſſet, hulcera vehementer paverent. Vide Notas & Emend. num. XX.

30. *Bibitur &c.*] Dioſc. loc. cit.

31. *Luxatis.*] Dioſc. loc. cit. totidem verbis.

32. *Extuberationibus.*] Carnis videlicet ſupervacuis excreſcentis, ὑπερσαρκώσεσι. Dioſc. loc. cit.

33. *Ad omnia autem.*] Ad verbum Aetius, lib. 2. cap. 76. Spuma ſalis eſt, quam ſpumam maris aridam alii nuncupant: Dioſc. ἁλὸς ἄχνη, ejuſdem cum ſale efficientiæ, lib. 5. cap. 127.

34. *Acopis.*] Ad laſſitudines diſcutiendas, κόπων λυτικοῖς. Dioſc. loc. cit. De acopis egimus, lib. 23. ſect. 45.

35. *Daturque lingendus.*] Vide Plutarchum, in quæſt. natur. pag. 912. Διὰ τί τοῖς θρέμμασι ἅλας οἱ νομεῖς; *Cur pecori paſtores ſalem proponunt?* Et Ariſt. lib. 6. hiſt. cap. 19. pag. 733. Vide quæ ſuperius dicta ſunt, ſect. 41.

Sect. XLVI. 1. *Et nitri natura.*] Nitrum noſtrum, quod Sal petræ nominamus, *le Salpetre*, idem plane eſt cum veterum nitro, ſed aliquanto tamen inferioris notæ. Non obſervavere veteres hanc nitri efflorescentiam e muris atque pavimentis, uti nos facimus, cum illi habuerint in agris apertis, quibus caremus. Vide Guill. Clarcke Anglum, in opuſc. de nomine & natura Nitri, cap. 1. pag. 20. & cap. 2. pag. 24.

2. *Theophraſto.*] In aliquo ex iis operibus quæ interciderunt.

3. *Halmyrhaga.*] Ἁλμυράγα, nomine ducto, partim ex ſapore, quem habet ſubſalſum, partim ex eo quod erumpit e terra, ac ſponte efflorescit.

4. *Agrium.*] Ἄγριον, ſilveſtre.

5. *Nam quercu cremata.*] Ut ſalem e quercu pariter cremata fieri dictum eſt ſuperius, ſect. 40.

6. *In Litis Macedoniæ.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXI.

7. *Et hoc quidem naſcitur.*] Hactenus de nitro nativo: ſequitur factitium.

8. *Nilum autem.*] Nili aquis, quæ nitroſæ ſunt, in nitrarias infuſis, ſive derivatis: ibi Solis ardore decoctæ vertuntur in nitrum: ſicut aqua maris, aut alia ſalſa, in ſalinas infuſa, calore Solis coquitur, & mutatur in ſalem.

9. *Ut in Macedonia.*] Ut in Litis Macedoniæ, quemadmodum paulo antea dictum eſt: ubi *fit nitrum circa Canis ortum novenis* tantum *diebus, totidemque ceſſat, ac rurſus innatat, & deinde ceſſat.*

10. *Sic quoque.*] Ita MSS. Forte rectius, *Hic quoque*, hoc eſt, etiam in nitro, ut in ſale dictum eſt ſect. 42. eſt olei quædam pinguitudo. Hanc certe detrahunt a nitro, qui pulverem ignitarium ad bellica tormenta ex eo parant: idque ſuo more aiunt, *dégraiſſer le Salpêtre.*

11. *Mirum in lacu Aſcanio.*] Hujus aquas eſſe impenſe nitroſas, ſcribit auctor libri de mirab. Auſcult. pag. 1154.

12. *Inferiores.*] MSS. quidam, *interiores*, eadem ſententia.

fetiores nitrosas. In nitro optimum, quod tenuissimum: [13] & ideo spuma melior. [14] Ad aliqua tamen sordidum, tamquam ad inficiendas purpuras tincturasque omnes. [15] Magnus & vitro usus, qui dicetur suo loco.

[16] Nitrariæ Ægypti circa Naucratim & Memphim tantum solebant esse, circa Memphim deteriores. Nam & lapidescit ibi in acervis: [17] multique sunt cumuli ea de causa saxei. Faciunt ex his vasa, nec non frequenter liquatum cum sulphure coquentes in carbonibus. [18] Ad ea quoque, quæ inveterari volunt, illo nitro utuntur. Sunt ibi nitrariæ, in quibus & rufum exit a colore terræ. Spumam nitri, quæ maxime laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cum ros cecidisset, prægnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. Itaque non fieri [19] incitatis, etiamsi caderet. [a] [20] Alii acervorum fermento gigni existimavere. [21] Proxima ætas medicorum aphronitrum tradidit in Asia colligi, in speluncis, [b] molibus distillans. Specus eos [22] colycas vocant: dein siccant Sole. [23] Optimum putatur Lydium: probatio, ut sit minime ponderosum, & maxime friabile, colore pæne purpureo. Hoc in pastillis affertur. Ægyptium in vasis picatis, [24] ne liquescat. Vasa quoque ea Sole inarescentia perficiuntur.

4. [25] Nitri probatio, ut sit tenuissimum & quam maxime spongiosum fistulosumque. Adulteratur in Ægypto calce: deprehenditur gustu. Sincerum enim facile resolvitur: adulteratum pungit. Calce aspersum reddit odorem vehementem. Uritur in testa opertum, ne exsuliet: alias igni non exsilit nitrum: nihilque gignit aut alit, cum in salinis herbæ gignantur, & in mari tot animalia, [26] tantum algæ. Sed majorem esse acrimoniam nitri apparet, non hoc tantum argumento, sed in illo, quod nitrariæ calceamenta protinus consumunt: alias salubres, oculorumque claritati utiles. In nitrariis non lippiunt. Hulcera allata eo celerrime sanantur: ibi facta, tarde. Ciet & sudores cum oleo perunctis, corpusque emollit. In pane salis vice utuntur Chalastræo: ad raphanos Ægyptio: teneriores eos facit: sed obsonia alba & deteriora, [27] olera viridiora. In medicina autem calfacit, extenuat, mordet, spissat, siccat, exhulcerat. [28] Utile his quæ evocanda sint, aut discutienda, & lenius mordenda atque extenuanda, sicut in papulis pusulisque. Quidam in hoc usu accensum vino austero restinguunt, atque ita trito in balineis utuntur sine oleo. Sudores nimios inhibet cum arida iride, adjecto oleo viridi. Extenuat & cicatrices oculorum, & scabritias [c] genarum cum fico illitum, aut decoctum, in passo ad dimidias partes: item contra argema oculorum. [d] Ungues decoctum cum passo in mali Punici calyce adjuvat: [29] claritatem visus cum melle inunctum. Prodest dentium dolori ex vino, si cum pipere colluantur: [30] item cum porro decoctum. [31] Nigrescentes dentes crematum dentifricio ad colorem reducit. [32] Capitis animalia & lendes necat, cum Samia terra illitum ex oleo. [33] Auribus purulentis vino liquatum infunditur. [34] Sordes

INTERPRETATIO.

a *Alii acervorum.*] Alii ex acervis fermentescentibus gigni spumam eam existimavere.

b *Molibus.*] E saxosis molibus.

c *Genarum.*] Palpebrarum

d *Ungues.*] Pterygia oculorum.

NOTÆ.

13. *Et ideo spuma melior.*] Albertus M. lib. 5. Mineral. cap. 7. *Nitri spuma, seu flos,* inquit, *subtilioris est substantiæ & virtutis, quam ipsum nitrum,* &c. Ut in salinis, sic etiam in nitrariis, tenuissimum, & levissimum, spuma, sive flos appellatur: sed multo frequentius spuma. Græci ἀφρὸν νίτρου plerumque vocant: quandoque & ἀφρόνιτρον.

14. *Ad aliqua tamen sordidum.*] Subintellige, optimum est, vel eligitur, ac vel ipsi spumæ, seu flori anteponitur.

15 *Magnus & vitro.*] Ad conficiendum vitrum, cui nitri admixtio utilis, ut dicetur lib. 36. sect. 65 & 66.

16. *Nitrariæ.*] Inde Nitriæ urbi & præfecturæ in Ægypto nomen, ut diximus in Notis & Emendat. ad lib. 5. num. XXX.

17. *Multique sunt.*] Vide Notas & Emend. num. XXII.

18. *Ad ea quoque.*] Ad ea quæ in diuturnum usum asservare lubet, ut ea quæ sale condiuntur: pro sale utuntur nitro. Sic defunctorum corpora condiebant, teste Herodoto, lib. 2. Euterpe, pag. 121. ut carnibus nitro absumptis, cutis sola cum ossibus superesset.

19. *Incitatis.*] Sic MSS. omnes: hoc est, proximis partui: quas & incientes veteres appellarunt. Vide quæ de ea voce diximus, lib. 11. sect. 84.

20. *Alii acervorum.*] Sic MSS. Reg. 2. & Chiffl. recte. Alii *operimentorum*, qua sententia, non satis intelligo.

21 *Proxima ætas.*] Exscripsit hunc locum Isidorus, lib. 16. Orig. cap 2.

22. *Colycas vocant.*] In MSS Reg. 1. & 2. *colligas.* Credo *collicas* scribi oportere: nomenque duci a rotunda forma molium saxearum, unde succus nitrosus in iis specubus manat. Nam & κόλλικας & κόλλιξ panes rotundos Græci vocarunt: Hesychius: & Jul. Pollux, lib. 6. cap. 11. pag. 286.

23. *Optimum.*] Diosc. lib 5. cap. 131. Ἀφρὸς δὲ νίτρου, ἀριστεύειν μὲν δοκεῖ ὁ κουφότατος, καὶ πλακώδης, εὔθρυπτος, καὶ ἐμπόρφυρος .... οἷός ἐστιν ὁ ἐν Φιλαδελφείᾳ κομιζόμενος τῆς Λυδίας· δευτερεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος.

24. *Ne liquescat.*] Terrei vasis & humidi figlini contactu.

25. *Nitri probatio.*] Sic lib. 5. cap. 130. nitrum illud ceteris anteponit, quod leve, κοῦφον, & rosaceo colore aut candido, perforatumque, & quasi spongiosum, fistulosumve quiddam, ὡσεὶ τετρυπημένον, οἷον σπογγῶδές τι.

26. *Tantum algæ.*] Ex variis herbarum generibus tantum algæ in mari nascuntur: cum tot illud pariat animalia: tot herbas salinæ ferant.

27. *Olera viridiora.*] Brassicam, ut dictum est lib. 19. sect. 41. Apicius, lib. 3. cap. 1. *Omne olus smaragdinum fiet, si cum nitro coquatur.* De raphanis nitro sparsis dictum est lib. 19. sect. 16.

28. *Utile his &c.*] Dioscor. lib 5. cap. 131. misceri pariter ait emplastris discutientibus, extrahentibus, extenuantibusque: Μίγνυται καὶ διαφορητικαῖς, καὶ ἐπισπαστικαῖς ... ἐμπλάστροις, καὶ λεπτυντικαῖς.

29. *Claritatem visus*] Diosc. loc. cit.

30. *Item cum porro.*] Certe quidem *ad colorem nitidum reducere dentes nitrum cum porro viridi coctum, & pro dentifricio sumptum,* auctor est Marcellus Empir. cap. 13. pag. 97.

31. *Nigrescentes.*] Marcellus Empir loc. cit.

32. *Capitis animalia.*] Marcellus Empir cap. 4 pag. 43. ad pedunculos necandos nitrum Alexandrinum in primis commendat.

33. *Auribus.*] Diosc. lib. 5. cap. 131. Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. & Marcellus Empir cap. 9. pag. 79.

34. *Sordes.*] Diosc. & Plinius Valer. verbis totidem. loc. cit.

ejusdem partis erodit ex aceto. [35] Sonitus & tinnitus discutit siccum additum. Vitiligines albas cum Cimolia creta, æquo pondere ex aceto, in Sole illitum emendat. [36] Furunculos admixtum resinæ extrahit, aut cum uva alba passa, nucleis ejus simul tritis. Testium inflammationi occurrit: item eruptionibus pituitæ in toto corpore cum axungia. [37] Contraque canis morsus, addita & resina: initiis cum aceto illinitur. Sic & serpentium morsibus, phagedænis, & hulceribus quæ serpunt, aut putrescunt, cum calce ex aceto. [38] Hydropicis cum fico tusum datur illiniturque. [39] Discutit & tormina, si decoctum bibatur pondere drachmæ cum ruta, vel anetho, vel cumino. Reficit lassitudines cum oleo & aceto perunctorum. Et contra algores horroresque prodest, manibus pedibusque confricatis cum oleo. Comprimit & pruritus [40] suffusorum felle, maxime [41] cum aceto datum. [42] Succurrit & venenis fungorum ex posca potum: [43] aut si buprestis pasta sit, ex aqua, vomitionesque evocat. [44] His qui sanguinem tauri biberint, cum lasere datur. In facie quoque exhulcerationes sanat cum melle & lacte bubulo. Ambustus tostum, donec nigrescat, tritumque illinitur. [45] Infunditur ventris, & renium doloribus, aut rigori corporum, nervorumque doloribus. [46] Paralysi in lingua cum pane imponitur. Suspiriosis in ptisana sumitur. Tussim veterem sanat flore, mixto galbano resinæ terebinthinæ, pari pondere omnium, ita ut fabæ magnitudo devoretur. Coquitur, dilutumque postea cum pice liquida sorbendum in angina datur: Flos ejus cum oleo cyprino articulorum doloribus in Sole jucundus est. Regium quoque morbum extenuat in potione vini. Et inflationes discutit: sanguinis profluvium e naribus sistit ex ferventi aqua vapore naribus rapto. [47] Porriginem alumine permixto tollit: alarum virus ex aqua quotidiano fotu: Hulcera ex pituita nata cera permixtum: quo genere nervis quoque prodest: Cœliacis infunditur: [48] Perungi ante accessiones frigidas nitro & oleo multi præcepere: sicut adversus lepras, lentigines: Podagricis in balineis uti solio nitri prodest, atrophis, opisthotonis, tetanis. [49] Sal nitrum sulphuri concoctum in lapidem vertitur.

XLVII. [1] Spongiarum genera diximus in naturis aquatilium marinorum. [2] Quidam eas ita distinguunt. Alias ex his mares existimavere, tenui fistula, spissioresque, [a] persorbentes, quæ & tinguntur in deliciis, aliquando & purpura: alias feminas, majoribus fistulis ac perpetuis. E maribus duriores alias, quas appellant tragos, tenuissimis fistulis atque densissimis. [3] Candidæ cura fiunt, e mollissimis recentes per æstatem tinctæ salis spuma ad Lunam & pruinas sternuntur inversæ, hoc est, [4] qua parte adhæsere, ut candorem bibant. [5] Animal esse docuimus, etiam cruore inhærente. [6] Aliqui narrant & auditu regi eas, contrahique ad sonum, exprimentes abundantiam humoris, nec avelli petris posse, ideo abscindi ac saniem emittere. Quin & eas quæ ab Aquilone sint genitæ, præferunt ceteris. Nec usquam diutius [7] durare spiritum medici affirmant. Sic & prodesse corporibus,

Interpretatio.

a *Persorbentes.*] Colorem quemlibet, quo tinguntur, avide bibentes.

Notæ.

36. *Furunculos.*] Plinius Valer lib. 3. cap. 31. Diosc. loc. cit. Ἀποσπᾷ δὲ καὶ δοθιῆνας, σὺν λήφθεν τερμινθίνῃ ῥητίνῃ. *Resina exceptum terebinthina furunculos aperit.*

37. *Contraque canis.*] Hoc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 51 Dioscor. loc. cit. pro resina asininum adipem, vel suillum adhibet.

38. *Hydropicis.*] Dioscor. loc. cit Μετὰ σύκου δὲ ὑδρωπικοῖς ἐστι κατάπλασμα.

39. *Discutit & tormina &c.*] Totidem verbis Diosc. loc cit. atque ita Marcellus Empir. cap. 28. pag. 201.

40. *Suffusorum felle.*] Morbo regio, sive arquato, laborantium

41. *Cum aceto datum.*] MSS. Reg. 1 2 Colb. 3. Chiffl. aliique, *cum aceto infudatum.* Forte, *instillatum.* Vel quod verius arbitror, *in sudato*, hoc est, in sudatione: subintellige, ex antecedente sententia, confricatum.

42. *Succurrit &c.*] Diosc. loc. cit. totidem verbis. Galenus item, lib. 9. de fac. simp. med cap. 3. pag. 265.

43. *Aut si buprestis pasta sit.*] Hausta, vel deglutita. Diosc. loc. cit. πρὸς δὲ βουπρήστεις, σὺν ὕδατι.

44. *His qui sanguinem*] Diosc. ad verbum, loc. cit.

45. *Infunditur ventris.*] MSS. omnes, *infunditur urceis & renium.* &c. Hoc est, infunditur ex urceis.

46 *Paralysi*] Diosc. loc cit. Μίγνυται καὶ ἄρτῳ ὠφελίμως ἐπὶ τῶν τὴν γλῶτταν παραλελυμένων.

47. *Porriginem.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

48 *Perungi ante*] Dioscor loc. cit.

49. *Sal nitrum.*] De nitro ipso loquitur, quod & sal nitrum quidam vocabant, quod haud multum a sale distaret, ut dictum est initio hujus sect. Hoc illud est quod paulo ante Plinius de saxeis nitri acervis dixit: *Faciunt ex his vasa, nec non frequenter liquatum cum sulphure coquentes in carbonibus.*

Sect. XLVII. 1. *Spongiarum genera diximus.*] Libro 9. sect 69.

2. *Quidam eas.*] Secutus est eos auctores Diosc. lib 5. cap. 138. Τῶν δὲ σπόγγων, inquit, τοὺς μὲν ἄρρενας καλοῦσι, τοὺς λεπτοτρήτους, καὶ πυκνοὺς ὄντας· ὧν τοὺς σκληροτέρους, τράγους ὠνόμασαν· τοὺς δὲ θήλεις, τοὺς ἐναντίως τοῖς προειρημένοις διακειμένους. *E spongiis alias nonnulli mares appellavere, quæ sunt tenuibus fistulis, ac spissæ, densæve, e quibus rursum duriores tragos nominaverunt: alias vero feminas, quæ contrario atque antedictis modo se habent.* Nostri contra primum genus, seu mares vocant, *Eponge femelle.*

3. *Candidæ.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Λευκαίνονται δὲ αὐτῶν οἱ ἁπαλώτατοι ἐν τοῖς καύμασι, βρεχόμενοι τῷ ἐπὶ τῶν πετρῶν συνισταμένῳ ἁλὸς ἄχνῃ, καὶ ἡλιαζόμενοι. Ἐπιβάλλονται δὲ τὸ μὲν κοῖλον αὐτῶν ἄνω, πρὸς τὴν δὲ ἐκτομήν. *Candidæ porro curæ fiunt, quæ sunt inter eas mollissimæ, si per æstivos ardores salis spuma petris adhærescente tinguntur, & insolentur inversæ: ita ut parte cava sursum spectent, qua vero parte resectæ fuerint, deorsum* Dioscoridem, ut solet, Oribasius sequitur, lib. 13. pag 232

4. *Qua parte adhæsere.*] Qua parte resectæ sunt, deorsum spectent.

5. *Animal esse docuimus.*] Libro 9. sect 69.

6. *Aliqui narrant.*] Cum his & Plutarch. lib. de solert. animal pag. 980.

7. *Durare spiritum*] Spiritum illum nativum, quem e mari natalibusque suis conceptum, & fistulis abditum celant, ut recte Dalecampius interpretatus est.

quia nostro suum misceant : [8] & ideo magis recentes magisque humidas : sed minus in calida aqua, minusque unctas, aut unctis corporibus impositas : & spissas minus adhærescere. [9] Mollissimum genus earum penicilli : oculorum tumores levant ex mulso impositi. Iidem [10] abstergendæ lippitudini utilissimi : eosque tenuissimos & mollissimos esse oportet. Imponuntur & spongiæ ipsæ epiphoris ex posca : ex aceto calido ad capitis dolores. De cetero recentes discutiunt, molliunt, mitigant : [11] Veteres non glutinant vulnera. Usus earum ad abstergenda, fovenda, operienda, a fotu, [12] dum aliud imponatur. [13] Hulcera quoque humida & senilia impositæ siccant : fracturæ & vulnera spongiis utilissime foventur. [a] Sanguis rapitur in secando, ut curatio perspici possit. Et ipsæ vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccæ, nunc aceto aspersæ, nunc vino, nunc aqua frigida. [14] Ex aqua vero cælesti impositæ, secta recentia non patiuntur intumescere. Imponuntur & integris partibus, [15] sed fluctione occulta laborantibus, quæ discutienda sit, & iis quæ apostemata vocant, melle decocto perunctis. Item articulis, alias aceto salso madidæ, alias e posca. [16] Si serveat impetus, ex aqua. [17] Eædem & callo, e salsa : at contra scorpionum ictus, ex aceto. In vulnerum curatione & succidæ lanæ vicem implent, nunc ex vino & oleo, nunc ex eadem. Differentia hæc, quod lanæ emolliunt, spongiæ coërcent, [18] rapiuntque vitia hulcerum. [19] Circumligantur & hydropicis siccæ, vel ex aqua tepida poscave, utcumque blandioribus opus est operirive aut siccari cutem. Imponuntur & his morbis, quos vaporari oporteat, ferventi aqua perfusæ, expressæque inter duas tabulas. [20] Sic & impositæ stomacho prosunt, & in febri contra nimios ardores. Sed splenicis e posca, [21] ignibus sacris ex aceto, efficaciores quam aliud. [22] Imponi oportet sic, ut sanas quoque partes spatiose operiant : [23] Sanguinis profluvium sistunt ex aceto, aut frigida. [24] Livorem ab ictu recentem ex aqua salsa calida sæpius mutata tollunt, [25] testium tumorem doloremque ex posca. [26] Ad canum morsus utiliter concisæ imponuntur ex aceto, aut frigida, aut melle, subinde humectandæ. [27] Africanæ cinis cum porri sectivi succo sanguinem rejicientibus haustu salis ex frigida prodest. Idem cinis vel cum oleo vel aceto fronti illitus, tertianas tollit. Privatim Africanæ ex posca tumorem discutiunt. [28] Omnium autem cinis cum pice crematarum, sanguinem sistit vulnerum. [29] Aliqui raras tantum, ad hoc cum pice urunt. [30] Et oculorum causa comburuntur in cruda olla figulini operis, plurimum proficiente eo cinere contra scabritias [b] genarum, excrescentesque carnes, [31] & quidquid opus sit ibi [c] destringere, spissare, explere. [32] Utilius in eo usu lavare cinerem. [33] Præstant & strigilum vicem, linteolorumque, affectis corporibus. Et contra Solem apte protegunt capita. Medici inscitia ad duo nomina eas

INTERPRETATIO.

a *Sanguis.*] Sanguis spongia sorbetur, dum fit sectio.

b *Genarum.*] Palpebrarum.

c *Destringere.*] Detergere, adstringere, replere.

NOTÆ.

8. *Et ideo magis recentes.*] Subintellige ex superioribus, *præferunt ceteris.* Dioscor. lib. 5. cap. 138. novas quoque & recentes, ac minime pingues ceteris anteponit : Ὁ καινοὶ δὲ καὶ ἀλιπεῖς ... οἱ δὲ παλαιαὶ, ἄχρηστοι.

9. *Mollissimum.*] Nostris, *Eponge fine.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIV.

10. *Iidem abstergendæ.*] Crematas ex aceto lippitudini aridæ opitulari ait Dioscor. loc. cit.

11. *Veteres non glutinant.*] Vide Notas & Emend. num. XXV.

12. *Dum aliud imponatur.*] Splenium, exempli gratia, vel apparatus, ut vocant, *la bande, ou l'appareil.*

13 *Hulcera quoque, &c.*] Dioscor. loc. cit.

14. *Ex aqua vero cælesti.*] Totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap. 30. Secta recentia sunt vulnera recentia, seu recens factæ chirurgorum opera sectiones, a quibus spongiæ arcent tumorem.

15. *Sed fluctione*] Seu fluxione. Vide Notas & Emend. num. XXVI.

16. *Si ferveat impetus.*] Inflammatio, tumor, ἐπιφορά.

17. *Eadem & callo e salsa.*] Hoc est, ex aqua salsa. Ita plane Reg. 2. cod. & Colb 3. Interpolatores sic edi hactenus curaverunt : *eadem & callo salsa madida*, obscuro aut penitus nullo sensu : voce *madida* ex superiore sententia temere huc iterum revocata. Dioscor. loc. cit. Καὶ τύλους διαιροῦσι, *callos diducunt ac dirimunt.*

18. *Rapiuntque.*] Attrahunt pravos succos, sordes, saniem

19. *Circumligantur*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. & Scribonius Largus, cap. 33. *Ad hydropicos*, Compos. 133.

20. *Sic.*] Aqua ferventi perfusæ.

21. *Ignibus sacris, &c.*] Plinius Valer ad verbum, lib. 3. cap. 24.

22. *Imponi oportet, &c.*] Plinius Valer. loc. cit.

23. *Sanguinis.*] Dioscor. lib. 5. pag. 138. Ἐπέχουσι δὲ καὶ αἷμα, σπογγιαὶ σὺν ὄξει. Marcellus Empir. cap. 15. pag 83. *Ad sistendum sanguinem e naribus erumpentem. Proderit*, inquit, *& spongiæ particulam præsectam apte forfice, & ad amplitudinem narium figuratam, injicere paulo pressius, aceto infectam, & interdum eodem aspersam.*

24. *Livorem ab ictu.*] Marcellus Empir cap. 19 pag. 131. *Spongia nova cum aqua salsa calida sæpius imposita, sugillationes livoresque detergit.*

25. *Testium tumorem.*] Ad verbum Marcellus Empir. cap. 33. pag 227.

26. *Ad canum.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 51. iisdem verbis, & Theodorus Priscianus, lib. 3. cap. 19.

27. *Africanæ cinis.*] Marcellus Empir. cap 16 pag. 120 *Spongiæ Africanæ exustæ cinis cum succo porri sectivi haustus, empyicos sanat*, hoc est, purulentas excreationes. Plinius Valer. lib 1. cap. 63. cui titulus est, *Ad sanguinem exscreantes, & phthisicos affectos*: *Spongiæ Afræ cinis*, inquit, *cum porri sectivi succo sorbetur.* De Africanis spongiis, lib. 9. sect. 69.

28. *Omnium autem, &c.*] Diosc lib. 5. cap. 138 totidem verbis.

29. *Aliqui raras.*] Hoc est, genus illud quod rarum Latini, Græci μανὸν vocant, ut diximus lib. 9. sect. 69.

30. *Et oculorum.*] Dioscor loc. cit.

31. *Et quidquid opus.*] *Destringere*, abstergere est : *spissare*, adstringere, ut sæpe monuimus. Dioscor. loc. cit. Καὶ ὅπου δεῖ σμῆξαί τι, ἢ στῦψαι.

32. *Vitius, &c.*] Diosc loc. cit.

33. *Præstant.*] Strigili, hoc est, instrumento ferreo, aureo, argenteo, eboreove utebantur veteres ad radendas corporis sordes, ad sudorem detergendum, præcipueque in frictionibus, Martialis, lib. 14 Epigr. 51. cujus lemma, *Strigiles :*

Pergamus has misit : curvo destringere ferro :

redegere : [34] Africanas, quarum firmius sit robur : Rhodiacasque, ad fovendum molliores. Nunc autem mollissimæ circa muros [35] Antiphelli urbis reperiuntur. Trogus auctor est, circa Lyciam penicillos mollissimos nasci in alto, unde ablatæ sint spongiæ. Polybius super ægrum suspensos, quietiores facere noctes. Nunc revertemur ad marina 5 animalia & aquatilia.

NOTÆ.

Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

34. *Africanas.*] Africanas, Rhodiacasque laudat Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246. Genus utrumque ad podagram commendat Scribonius Largus, cap. 41. Compos. 158.

35. *Antiphelli.*] Urbs ea Lyciæ est, ut diximus lib 5. sect. 28.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXXI.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. 2. I. ALIBI *frigida, alibi calida, alibi juncta . . . . tenui intervallo discernente.*] Ita Reg. 1. & Colb. 3. optime. In Reg. 2. codice, *uncta*, mendose. Sequitur nihilominus huic similem Hermolaus, & *uncta* legit, interpretaturque pinguet aquas, ὕδατα λιπαρά. Qua interpretatione nihil est quod a mente scriptoris longius abhorreat; qui frigidas alibi aquas emicare ait, alibi calidas, alibi utrasque conjunctim, tenui eas a se invicem discriminante spatio.

Sect. 3. II. *Ut protinus noscatur etiam ministeriorum haustus ex illa majestate ingenui.*] Hæc totidem plane syllabis apicibusque litterarum scriptura codicis Regii 2. & illius quem Pintianus vidit: propemodum etiam & Chiffletiani: quæ vel ipsa interpretatione facili & expedita se se legentibus approbat. In libris hactenus editis omnino mendose legitur, *Ut protinus noscatur etiam ministerium ejus ex illa majestate*, voce *ingenui* extrita, vitiatisque ceteris.

Sect. 9. III. *Ceronem, ex quo bibentes oves nigras fieri. Nelea, ex quo albas.*] Prius legebatur in libris omnibus editis, *Melan, ex quo albas.* Quis vero inducat animum, ut existimet, inditum amni Melan, quod nigrum sonat, nomen fuisse, quod albas oves efficiat? In Reg. 1. *melle.* In Reg. 2. *melleam.* Nos ex Antigono Carystio, cap. 84. *Nelea*: Κέρων enim apud illum & Νηλεὺς vocantur: etsi is memoriæ lapsu, non oves, sed mulieres ipsas eo potu nigrescere prodidit. De Ceronis aquis, qui pullum sive nigrum lanis colorem afferat, Seneca, lib. 3. Natur. quæst. cap. 25. pag. 873. *In Macedonia . . . . est flumen, ad quod qui facere albas oves volunt, adducunt . . . . At si illis lana opus fuerit pulla, paratus gratuitus infector est: ad Cironem eumdem gregem appellunt.* Sed pro Cerone, quem primus in eum Senecæ textum Muretus invexit, *Peneum* prius lectum esse, jam antea admonuimus, lib. 2. sect. 106. Nelex, de quo nunc agitur, eumdem esse Dalecampius putavit, cum Melane Bœotiæ amne, cujus potu nigras oves fieri Plinius affirmavit, lib. 2. sect. 106. Falso.

Sect. 32. IV. *At in Cea insula.*] Refragantibus licet exemplaribus omnibus, sive editis, sive manu exaratis, *Chio insula* pro *Cea insula* scribi oportere Dalecampius autumat, Vitruvii admonitu, a quo Plinius hoc accepisse visus ei est. Ille enim, lib. 8. c. 3. pag. 186. *Item*, inquit, *est in insula Chio fons, ex quo qui imprudenter biberint, fiunt insipientes: & ibi est epigramma insculptum ea sententia*, &c. Addere & Isidorum potuit, similiter scribentem, lib. 13. Orig. cap. 13. Sed utriusque mendosum codicem, non ex Plinianorum modo exemplarium consensu, sed ex Sotione, vel Aristone potius, haud temere conjicimus. Sic enim Sotion in Excerptis, pag. 141. Ἀρίστων δὲ ὁ Περιπατητικὸς φιλόσοφος, ἐν τῇ Κέῳ (haud dubie pro Κίῳ) κρήνην φησὶν ὕδατος εἶναι, ἀφ' ἧς τοὺς πιόντας ἀναισθήτους γίνεσθαι πρὸς ψυχήν, εἶναι δὲ καὶ ἐπὶ ταύτης ἐπίγραμμα τοιόνδε, &c.

Sect. 33. V. *Vinum in tædium venire his qui ex Clitorio lacu biberint, ait Eudoxus. Theopompus, inebriari fontibus iis quos diximus Mucianus*, &c.] Reg. 2. *in tædium.* Reg. 1. *tædio.* & mox, *ait Eudoxus.* In libris hactenus vulgatis, *qui ex Clitorio lacu biberint. At Eudoxus & Theopompus*, &c. Nos Eudoxum a Theopompo sejunximus: sic enim jucundius suus cuique miraculo auctor assignatur. Et vero Clitoris fontis a Stephano testis Eudoxus advocatur, verbo Ἀζανία, eumque rem ita litteris consignasse prodit libro sexto Γῆς περιόδου. Ἐν ἀρχῇ τῆς Ἀζανίας, ἡ τοὺς γευσαμένους τοῦ ὕδατος ποιεῖ μηδὲ τὴν ὀσμὴν τοῦ οἴνου ἀνέχεσθαι· εἰς ἣν λέγουσι Μελάμποδα, ὅτε τὰς Προιτίδας ἐκάθηρε, ἐμβαλεῖν τὰ ἀποκαθάρματα. Est autem Azania pars ipsius Arcadiæ, in qua Clitorius, seu fons, seu lacus. Eudoxum transscripsit Ovidius, lib. 15. Metam. vers. 322.

> *Clitorio de fonte sitim quicumque levarit,*
> *Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis:*
> *Sive, quod indigenæ memorant, Amythaone natus*
> *Prœtidas attonitas, postquam per carmen & herbas*
> *Eripuit furiis, purgamina mentis in illas*
> *Misit aquas, odiumque meri permansit in illis.*

Sect. 39. VI. *Cujus gurgitem perjuri negantur pati, velut flammam urentem.* Sincerissima hæc est scriptura Regii codicis 2. aliorumque, quos corrupere interpolatores pluribus modis: *Cujus gurgite perjuri necantur pati*, &c. Barbarus, *necantur.* At familiaris est scriptori nostro ea loquendi forma, quam repræsentamus. Libro 20. sect. 15. *Habentes eam ferri a serpentibus negantur.* Et lib. 22. sect. 15. *Habentes eam a serpentibus ferri negantur.*

Ibid. VII. *In unum alveum coeunt vasto singuli amne. Siccantur duodecim diebus, aliquando vicenis.*] Ita codex Reg. 2. & is quem Pintianus vidit, ratione magis dilucida, & quæ citius fidem obtineat, quam quæ in editos hactenus libros irrepsit: *In unum alveum coeunt vasto amne. Singulos siccantur duodenis diebus, aliquando vicenis.*

Ibid. VIII. *Dirum est, non profluere eos aspicere volentibus: sicut proxime Lartio Licinio legato post Præturam: post septem enim dies occidit.*] Libri editi hactenus: *post Præturam post septem dies accidit.* Nos ex Chiffl. cod. voculam *enim* adjecimus: alteram ex conjectura sanavimus, *occidit.* Id enim dirum illud est quod en prodigio prænuntiatum paulo ante annuit. Reg. 1. *Dirum* habet, ut editi. *Mirum*, Reg. 2. & Chiffl male.

Sect. 19. IX. *Necare aquas Theopompus & in Thracia apud Cychros dicit.*] Consentiunt omnia exemplaria. *Chropas* tamen, aut *Cychros* Sotion ex eodem Theopompo scribit, nisi forte τῶν Χραννῶν oppidum Κύχρος, ut Cilicum Σόλοι fuerit. Sic enim ille in Excerptis, pag. 139. Θεόπομπος ἱστορεῖ κρήνην ἐν Χ... τῆς Θρᾴκης, ἐξ ἧς τοὺς λουσαμένους παραχρῆμα μεταλλάσσειν. *Prodit Theopompus fontem apud Chropes esse, Thraciæ gentem, ex quo qui laverint, statim moriantur.* Vitruvius tamen, lib. 8. cap. 3. pag. 162. *Est apud Cychros in Thracia lacus, ex quo non solum qui biberint moriuntur, sed etiam qui laverint.* An *Cychropas* legi satius? Nam Auctor libri de mirab. auscult. ἐν δὲ Κιχλωψὶν Θρᾳξὶ, inquit (forte pro Κύχρωψι) κρηνίδιον εἶναι ὕδωρ ἔχον, ὃ τῇ μὲν ὄψει καθαρὸν καὶ διαφανὲς, καὶ τοῖς ἄλλοις ὅμοιον· ὅταν δὲ πίῃ τι ζῷον ἐξ αὐτοῦ, παραχρῆμα διαφθείρεσθαι.

Sect. 22. X. *Ante omnia autem damnantur amaræ, & quæ cum sorbentur, flatim implent, quod evenit Trœzene.*] Sic totidem plane syllabis apicibusque codex Regius 2. In Reg. 1. *& quæ sorbens, flatim implent.* In Chiffl. *quæ sorbentem.* In libris vulgatis, ridicule, *& quæ scrobem flatim implent.* At præter codicum fidem, haud minus sane certus emendandi auctor Athenæus exstitit, lib. 2. pag. 42. *Ex aquis multæ*, inquit, *corpulentæ sunt, ac veluti insita quadam gravitate ponderosæ, ut ad Trœzenem, quæ gustata os flatu implet*: ὡς τὸ ἐν Τροιζῆνι· τοῦτο γὰρ καὶ τῶν γευσαμένων ἀθρόως ποιεῖ πλήρεις τὸ σῶμα. Erit autem operæ pretium, uti remur, ad illustranda uberius ea quæ de aquarum pondere disceptatur a Plinio, sect. 23. hic obiter proferre in medium instrumentum quoddam, quo veteres usi ad dijudicandum de pondere aquæ, aut levitate. Stateræ unius apud Plinium mentio: subtilioris inventi Synesius viam suppeditat, epist. XV. quod idcirco juvat afferre, quod a nemine adhuc, quem quidem legerim, ante hunc diem explanatum sit.

Τῇ Φιλοσόφῳ.	Philosophiæ Magistræ.
Οὕτω πάνυ πέπραγα πονηρῶς, ὥστε ὑδροσκοπίου μοι δεῖ. Κέλευσον αὐτῷ χαλκευθῆναί τε καὶ συνωνηθῆναι. Σωλήν ἐστι κυλινδρικὸς, αὐλοῦ καὶ σχῆμα καὶ μέγεθος ἔχων. Οὗτος ἐπὶ γραμμῆς εὐθείας ἔχει τὰς κατατομὰς, αἷς τὴν ἀναλογίαν τῆς ῥοπῆς ἐξετάζομεν. Ἐπιπωματίζει γὰρ αὐτὸν ἐκ θατέρου κῶνος κατὰ θέσιν ἴσην ἐγκείμενος, ὡς εἶναι κοινὴν βάσιν ἀμφοῖν, τοῦ κώνου καὶ τοῦ αὐλίσκου. Αὐτὸ δὴ τοῦτό ἐστι τὸ βαρύλλιον. Ὅταν οὖν εἰς ὕδωρ καθῇς τὸν αὐλὸν, ὀρθὸς ἑστήξει, καὶ παρέξει σοι τὰς κατατομὰς ἀριθμεῖν· αἱ δὲ τῆς ῥοπῆς εἰσι γνωρίσματα.	*Eo sum infortunii redactus, ut hydroscopio opus habeam. Jube hoc mihi fabricari & comi. Tubulus est cylindri figuram habens, tibiæ magnitudine atque forma. Hic in una recta linea incisiones habet, quibus aquarum pondus cognoscimus. Obturat enim illum ex altera parte conus, æquabili positura insertus: ita ut communis sit amborum basis, coni videlicet atque tubuli. Hoc ipsum est, quod Baryllium appellant. Jam cum tubulum in aquam deposueris, erectus stabit, ita ut inde incisiones facile numerare possis, ex quibus pondus cognoscitur.*

Nihil erat causæ cur interpres doctissimus, *pois* pro *pondus* substitueret: neque enim ad libramentum aquarum, clepsydrasve, hoc Synesianum spectat organum: sed de *pondere*, sive momenti aut ponderis aquarum quantitate agit. *Pondus* quippe pro pondere usurpavisse mechanicos Mathematicosque compertum est, vel ex Archimede uno, qui *ἰσοῤῥοπιῶν* inscripsit, quæ de æquiponderantibus solertissime demonstravit. Ipsius propositio prima libri secundi, Περὶ ὀχουμένων, Εἰ τι μέγεθος κουφότερον ὂν ὑγροῦ, fundamentum est, cui Synesii instrumentum innititur. Verba problematis hæc sunt Latine: *Si magnitudo aliqua humido levior demittatur in humidum, eam in gravitate proportionem habebit ad humidum æqualis molis, quam pars magnitudinis demersa habet ad totam magnitudinem.* Unde in promptu est efficere hanc propositionem alteram: Si magnitudo aliqua humido levior demittatur in duo humida separatim, gravitates humidorum servabunt inter se proportionem magnitudinis partium demersarum. Cujus propositionis demonstrationem ex Archimedea deducere, nullius negotii est. Sint enim humida duo diversa, fontes, putei, &c: demittatur in prius humidum humido levius aliquod solidum corpus, cylindri specie, pedum omnino quaternum, cujus pars demersa sit binum pedum: deinde in posterius humidum, demittatur idem solidum, aut ei æquale aliud, cujus pars demersa sit pedis unius: ita ut pars prioris solidi demersa duplo superet posterius: aio reciproce posterioris humidi gravitatem duplam esse ad gravitatem humidi prioris: idemque in omnibus proportionibus reciproce, & ἀντὶ πεπονθότως, ut loquuntur Mathematici, concludendum. His ita constitutis, instrumentum quæritur, cujus beneficio expendi exacte & accurate gravitas aquarum possit. Huic autem rei neque elegantius neque commodius excogitari potest quam subsequens, quod Synesio præeunte construimus: Esto igitur canalis sive cylindrus æreus, intus cavus, instar fistulæ, cujus inferiori parti, quæ in aquam immittitur, conus aptetur, quo tubus obturetur, ne aqua in tubum influat: quique aquam facilius & æquabilius dividat, erectusque subeat. Scripta sit in cylindri latere linea perpendicularis, per quotlibet minutissimos, si velis, distincta gradus, quibus sui adscribantur numeri. Hoc peracto, quæritur inter duas aquas quænam gravior & juxta quam proportionem. In priorem demittatur instrumentum, ejusque pars demersa ad tertium exempli gratia gradum pertingat: demittatur deinde in posteriorem: & instrumenti pars in ea demersa quarto finiatur gradu. Palam erit statim gravitatem prioris aquæ ad gravitatem posterioris habere se omnino ut ad 4. ad 3.

Ibid. XI. *Refert & si vasa ærea inficiunt.*] In libris hactenus editis, *are.* In Reg. 2. *æra.* Nos *ærea* ex indubitata conjectura, quam firmat etiam egregie Palladius, lib. 9. in Augusto, tit. 10. pag. 137. *Aquam vero novam sic probabis*, inquit: *In vase æneo nitido sparges, & si maculam non fecerit, probabilis judicetur.* Vitruvius, lib. 8. cap. 5. *Si fons novus fuerit fossus, & in vas Corinthium, sive alterius generis, quod erit ex ære bono, ea aqua sparsa maculam non fecerit, optima erit.* Athenæus, lib. 2. pag. 46. indicium aquæ bonæ id statuit esse, si vasis æneis affusa, nulla ea ærugine inficit, οἱ χάλκεοι ἀγγεῖς ἐγχεόμενοι οὐ ποιεῖ τὸν ἰωδη.

Sect. 31. XII. *Libramentum aquæ in centenos pedes sicilici minimum erit.*] Ita totidem plane syllabis apicibusque, codex optimæ notæ Reg. 2. & Colb. 3. & is quem Pintianus vidit. Hanc autem vocem coquere Plinii editores cum minime possent, *sursum elici* commenti sunt, non aliena modo, sed contraria plane sententia. Ut minimam porro declivitatem aquæductus sicilico Plinius definit, hoc est, ut diximus, quarta pollicis parte: sic majorem Vitruvius semipede toto, præsertim cum aqua ducitur per canales structiles: *Si canalibus*, inquit, lib. 8. cap. 7. pag. 168. *ut structura fiat quam solidissima, solumque rivi libramenta habeat fastigata, ne minus in centenos pedes semipede*, &c. Sesquipede integro Palladius, in Augusto. Plinium sequuntur libratores hujus ætatis, qui in pedes quadringentos pollice tantum uno deprimunt aquæductum, hoc est, quatuor sicilicis.

Ibid. XIII. *Si cuniculo veniet, in binos actus lumina esse debebunt. Quam surgere in sublime opus fuerit, e plumbo veniat. Subit altitudinem exortus sui.*] Nullus toto opere ad hunc diem exstitit inquinatior locus, sive præpostera interpunctione, sive interpolatione criticorum. Nos sincerum repræsentamus, qualem M S S. exhibent, Reg. 2. & is quem Pintianus ante nos vidit, aliique. Prius sic edebatur: *Si non cuniculo veniet, in binos actus lumina esse debebunt, per quas surgere in sublime opus fuerit, e plumbo. Subit altitudinem*, &c. Qua oratione perturbatius nihil, alieniusve a bona mente, dici aut cogitari potest. Vitruvium, ut alias sæpe, nunc Plinium defendit. Is enim iisdem ferme verbis rem explanat, lib. 8. cap. 7. pag. 169. *Si terrenum*, inquit, *aut arenosum erit solum, parietes cum camera in specu struantur, & ita perducantur: puteique ita sint facti, ut inter duos sint actus.* Nam qui cuniculus Plinio dicitur, opus illud est structile, quod parietum nomine cum camera a Vitruvio designatur. Lumina Plinio sunt, qui putei Vitruvio nunc appellantur, alias æstuaria, quibus respirare possit perfluens aqua, & vis spiritus relaxetur, ne conclusus aer cursum aquæ moretur: quæ spiramenta alias idem columnaria nominat, ut Philander monet.

Sect. 33. XIV. *Qui puram dedere, raphanos supermandi &c.*] Sic libri omnes M S S. quos vidimus, cum Chiffl. & Parm. editione Frobenius, & omnes deinde eum secuti, *qui parum ediderunt*. Haud recte. Pura hic aqua intelligitur, quæ per se & sola datur, hoc est, quæ nulla sit dulcium mixtura corrupta. Sic Plinius Valer. lib. 2. cap. 24. *Ad tenesmum: Aliqui vero*, inquit, *aquam marinam per se dant, sed raphanos supermandi jubent ex mulsa & aceto, ut vomatur.* Sic puram aquam Celsus lib. 2. cap. 12. mulsæ opponit, & ei in qua fenum Græcum, vel ptisana, vel malva decocta sit.

Sect. 39. XV. *Gerrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis facientes aqua ferruminantes.*] Libri omnes hactenus editi habent, *Carrhis Arabiæ*, quæ urbs illa est videlicet Crassi clade nobilis. In Reg. 1. *Garrhis.* Nos *Gerrhis* rescripsimus, quod oppidi nomen in litore Arabiæ Felicis, qua Soli orienti obvertitur, alluiturque Persico sinu. Qua emendatione certior esse nulla potest. Auctor enim Strabo, lib. 16. pag. 766. Γέῤῥα Χαλδαῖοι φυγάδες ἐκ Βαβυλῶνος οἰκοῦντες τὴν ἁλμυρίδα, καὶ ἔχοντες ἁλίνας τὰς οἰκίας, ἃς ἐπειδὰν λεπίδες τῶν ἁλῶν ἀφιστάμεναι κατὰ τὴν ἐπίκαυσιν τὴν ἐκ τοῦ ἡλίου συνεχεῖς ἀποπίπτωσι, καταῤῥαίνοντες ὕδατι πυκνὰ τοὺς τοίχους συνέχουσι. Διέχει δὲ τῆς θαλάττης διακοσίους σταδίους ἡ πόλις, &c. *Gerrha, quam Chaldæi tenent Babylonia extorres, loca salsa & domos ex sale factas habitantes: has cum salis squamæ propter Solis ardorem abscedentes continue cadant, crebro aquis adspergunt, atque eo pacto continuationem parietum tuentur. Hæc urbs stadiis CC. a mari distat.* Plinius ipse in Geographicis, lib. 6. sect. 32. *Sinus Gerraicus. Gerra quinque mill. pass. amplitudine, turres habet ex salis quadratis molibus.* Quin & tota hodie insula, quæ *Ormuz* dicitur, nec abest longissime ab eo litore, nihil est præter durum candidumque salem, ex quo ipsæ conficiuntur ædes, ut diximus lib. 2. sect. 104. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 2. hunc Plinii locum exscribens, oppidi nomen prætermisit.

Ibid. XVI. *In Chaonia excoquunt aquam ex fonte, refrigerandoque salem faciunt inertem, nec candidum.*] Sic libri omnes etiam manu exarati, quos vidimus. Dalecampius tamen ex nescio quo vetere exemplari, affert, *sed candidum*, contraria plane sententia non modo mentis scriptoris, sed & Philosophi, a quo is accepit, lib. 2. Meteorol. cap. 3. pag. 556. ubi de Chaonio illo sale disputans, οἷοι δὲ τῶν ἁλῶν, inquit, ἀσθενέστεροι τῶν ἄλλων· καὶ πλείους ἐνθέμενοι ἡδύνουσι, καὶ τῇ χρόᾳ οὐχ ὁμοίως λευκοί. *Hoc genus salis imbecillius quam cetera virtutem obtinet, largiusque adhibitum gustum ingerit suavem: colore item non æque candido existit.*

Sect. 40. XVII. *Apud Theophrastum invenio, Umbros arundinis & junci cinerem decoquere aqua solitos &c.*] Sane Umbros vetusta omnia exemplaria referunt, ut ipse fatetur Hermolaus, Reg. 1. 2. Colb. &c. ut mirari subeat cur libri omnes editi *Imbros* vel *Imbrios* exhibeant, ut de Imbro Thraciæ insula id intelligatur, quod de Umbris Italiæ populis accipiendum est. Testis Aristoteles, lib. 2. Meteorol. cap. 3. pag. 558. Τοιοῦτο δ' ἕτερος γίνεται καὶ ἐν Ὀμβρικοῖς· ἔστι γάρ τις τόπος ἐν ᾧ πεφύκασι κάλαμος καὶ σχοῖνος. Τούτων οὖν κατακαίοντες, καὶ τὴν τέφραν ἐμβάλλοντες εἰς ὕδωρ ἀφέψουσιν· ὅταν δὲ λίπωσι τοῦ ὕδατος, τοῦτο ψυχθὲν, ἁλῶν γίνεται πλῆθος. *Aliud huic vel proximum Umbri moliuntur. Quemdam enim locum habent, in quo arundines & junci enascuntur, quorum cinerem decoquere aqua soliti sunt, donec exiguum supersit humoris: quo ubi refrixit, in salis copiam solet evadere.*

Sect. 45. XVIII. *Emollit & alvum in vino mistus somnoque. & tinearum genera pellit in vino potus.*] Sic totidem syllabis apicibusque litterarum M S S. Reg. 2. aliique. In Reg. 1. *somnocia.* In libris hactenus vulgatis interpolata lectio: *Emollit & alvum in vino potus. Idem noxia, & tinearum* &c.

Ibid. XIX. *Phagedænis hulcerum tostus cum farina hordei.*] Sic restituimus ex fide codicum Reg. 1. in quo *tostus*, & ex vestigiis Reg. 2. & Colb. 3. in quibus *totus* legitur: non, ut in editis, *tritus*. Favet Dioscor. lib. 5. cap. 126. similiter præcipiens inspergi phagedænis tostum salem cum polenta: Καὶ πρὸς φαγεδαίνας σὺν ἀλφίτῳ ὀπτηθέντες καταπλάσσονται.

Ibid. XX. *Multi & hydropicos sale curavere. . . . Hulcerum increscentibus vel putrescentibus imposuere. Crocodilorum morsibus ex aceto in linteolis, ita ut paverentur ante hæc hulcera.*] His postremis verbis ad hunc diem nævus adhæsit, qui crucem Dalecampio ceterisque fixit, dum tollere voluerunt. Legebatur enim, *ita ut baterentur antehac.* M S S. omnes, *ita ut baterentur ante hac.* Nos levi admodum immutatione, nec infelici plane Minerva, ut reor, *ita ut paverentur ante hæc hulcera.* Imposuere, inquit, crocodilorum morsibus salem ex aceto: & ante hanc medicinam hæc ubi morsum crocodilus infixisset, hulcera prisci illi pavebant.

Sect. 46. XXI. *In Lotis Macedoniæ, quod vocant Chalastricum.*] Libri omnes ad hunc diem editi, *in Chytis.* Ex vetere nescio quo exemplari, profert Dalecampius *Chytis.* Neutrum in censu urbium hujusce tractus locum nomen habet, si Geographis omnibus fides. In M S S. Reg. 1. 2. aliisque, *in Clitis.* Nos *lotis* rescripsimus, haud dubia conjectura: Est enim Lete, sive Lite, ut diximus lib. 4. sect. 17. Macedoniæ oppidum semotum a mari, cujus in agro lacus ille nitri ferax, quod veteres scriptores Chalastræum, sive Chalastricum appella-

runt, ab oppido Chalastra, quod est in proximo sinu, e quo evehebatur.

Ibid. XXII. *Multique sunt cumuli ea de causa saxei. Faciunt ex his vasa &c.*] In libris hactenus editis, *tumuli*. In Reg. 2. *cumuli*. Reg. 1. & Chiffl. *cumuli*. Recte: nam & antecedit, *Lapidescit in acervos*: & sequitur statim, *faciunt ex his vasa*, ex cumulis utique saxeis nitri, non ex tumulis: nisi tumulos colles intelligis, *βουνοὺς*.

Ibid. XXIII. *Porriginem alumine permixto tollit.*] Ita rescripsimus admonitu Regii cod. 1. etsi ceteri, librique editi ad hunc diem omnes, *pruriginem* exhibent. Aliud porrigo, aliud prurigo est. Illa capitis, hæc reliqui corporis vitium est: Pruritui sanando vel leniendo medicinas ante ex nitro petitas protulit: nunc est sermo de porrigine quæ caput infestat. Testis Plinius Valer. lib. 1, cap. 4. cui titulum inscripsit, de phthiriasis & porriginis curatione. *Nitrum*, inquit, *alumini mixtum, capiti infrictum, porrigines tollit*. Marcellus Empir. cap. 4. pag. 40. prurigines capitis, pro porrigine insolentius dixit: *Nitrum alumini admixtum prurigines capitis tollit, si inde frequenter fricetur & lavetur.*

XXIV *Mollissimum genus earum penicilli.*] Sic Reg. 1. codex, & libri hactenus typis impressi. In Reg 2 non aspernanda lectione, *penicillis*: ut sit sententia, non id ei generi nomen esse, sed penicillis aptantis concinnandisque id genus potissimum dicari. Nam Plinius de hoc ipso genere agens, lib. 9. sect. 69. *Tenue*, inquit, *densumque, ex quo penicilli, Achilleum*. Nihil tamen moveo, cum extrema hac lectione mollissimos penicillos in Lycia nasci dicat: in ea tenuissimi generis appellatio propria esse videatur. *Sect. 47.*

Ibid. XXV. *Veteres non glutinant vulnera.*] Ita restituimus secuti codices Reg. 1. 2. Colb. Chiffl. ceterosque MSS. vulgatamque scripturam aspernati, cujus contraria sententia est, *Veteres conglutinant vulnera*. Certe Diosc. lib. 1. cap. 138 ubi recentes spongias dixit conglutinare vulnera, veteres eadem subjungit statim esse inutiles, ἄχρηστοι.

Ibid. XXVI. *Imponuntur & integris partibus, sed fluctione occulta laborantibus.*] Sic libri MSS. Reg. 2. & alii, pro fluxione. Dioscor lib 5. cap. 138. ... &c. In libris ad hunc diem editis inepte prorsus, *fluctuatione occulta*.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXXII.

I. VENTUM est ad summa Naturæ exemplorumque, per rerum ordinem: & ipsum sua sponte occurrit immensum potentiæ occultæ documentum, ut prorsus nec aliud ultra quæri debeat, nec par aut simile possit inveniri, ipsa se vincente Natura, & quidem numerosis modis. Quid
5 enim violentius mari ventisve, & turbinibus, & procellis? Quo majore hominum ingenio in ulla sui parte adjuta est, quam velis remisque? Addatur his & reciproci æstus inenarrabilis vis, versumque totum mare
* CAP. I. in flumen. * Tamen omnia hæc, pariterque [a] eodem impellentia, unus ac parvus admodum pisciculus, echeneis appellatus, [1] in se tenet. Ruant venti licet, & sæviant procellæ,
10 imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare navigia: quod non vincula ulla, non ancoræ pondere irrevocabili jactæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore: non retinendo, aut alio modo, quam adhærendo. [2] Hoc tantulo satis est contra tot impetus, ut vetet ire navigia. Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut e muris. Heu vanitas humana! cum rostra
15 illa ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta, pisciculus. Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam navim Antonii, properantis circumire & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit & nostra memoria [3] Caii Principis ab Astura Antium renavigantis: ut res est etiam [b] auspicalis pisciculus. Siquidem novissime tum in Urbem reversus ille Imperator,
20 [4] suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cum e tota classe quinqueremis sola non proficeret, exsilientibus protinus qui id quærerent circa navim, invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse quod se revocaret, [5] quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in navi-
25 gium receptus. Qui tunc postea que videre, eum limaci magnæ similem esse dicunt. Nos plurium opiniones posuimus in natura aquatilium, [6] cum de eo diceremus. [c] Nec dubitamus idem valere omnia genera, cum celebri & consecrato etiam exemplo [7] apud Gnidiam Venerem conchas quoque ejusdem potentiæ credi necesse sit. E nostris quidam Latine remoram appellavere eum. Mirumque, e Græcis alii lubricos partus atque procidentes
30 contineri ad maturitatem, adalligato eo, ([8] ut diximus) prodiderunt: alii sale asserva-

INTERPRETATIO.

a *Eodem.*] Ad eumdem locum æquali vi navigium impellentia.

b *Auspicalis.*] In auspiciis valens plurimum.

c *Nec dubitamus.*] Nec dubitamus quin easdem vires habeant genera echeneidum omnia, *quæ suo loco diximus.*

NOTÆ.

Sect. I. 1. *In se tenet.*] Reg. 2. & alii, *in se tenuerat.* Conjiciebat Pintianus, *ex sua temerat.* Alii, *ipse remoratur.*

2. *Hoc tantulo.*] Sic Reg. 2. & Chiffl. In editis perperam, *Hæc tantilla est satis.*

3. *Caii Principis.*] Qui Germanici Cæsaris filius, & idem Augustus fuit. De Astura & Antio, lib. 3. sect. 9. De hoc illius reditu in Urbem, & post quartum mensem nece ei illata, Suetonius in Caio, cap. 49.

4. *Suis telis.*] *Potentissimorum libertorum* suorum telis, *Præfectorumque Prætorii*, inquit Suetonius, cap. 56. vel Prætorianorum suorum.

5. *Quadringentorum.*] Cum quadringentos remiges, inquit, in sua classe Caius Princeps haberet sibi obsequentes, pisciculus contra illud obsequium intercessit, & omnium studium reddidit emortuum: siquidem illius quinqueremis, qua Princeps vehebatur, progressu inhibito, ceteræ simul detinebantur; quippe comites quinqueremis Principalis. Quod si fuere, ut verisimile est, in ea classe reliquæ triremes, & remis singulis quaterni remiges attributi, constitit ea triremibus omnino triginta duabus. Nec majorem eam esse profecto oportuit, cum esset ora tantum prænaviganda, ab Astura Antium: quod confici spatium unius horæ navigatione potuit. Quamobrem etiam *στρατηγὸς* vocatur a Plinio, *ille Imperator*, qui extra navigationem eam numquam Imperatorem egit; nec in nummis suis gessit titulum IMP. nec a Plinio aliter appellatur, quam Caius Princeps: quamvis natalium jure præesse exercitibus posset, & dici IMP. *Generalissime* ne.

6. *Cum de eo diceremus.*] Libro 9. sect. 41.

7. *Apud Gnidiam Venerem.*] Recitata historia est, lib. 9. sect. 41.

8. *Ut diximus.*] Loco mox citato.

tum adalligatumque gravidis partus ſolvere, ob id alio nomine [9] odynolytem appellari. Quocumque modo iſta ſe habeant, quis ab hoc renendi navigia exemplo de ulla potentia Naturæ atque effectu, in remediis ſponte naſcentium rerum dubitet?

II. Quin & ſine hoc exemplo per ſe ſatis eſſet ex eodem mari [1] torpedo: etiam procul, & e longinquo, vel ſi haſta virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpeſcere, quamlibet ad curſum veloces alligari pedes. Quod ſi neceſſe habemus fateri hoc exemplo eſſe vim aliquam, quæ odore tantum & quadam aura ſui corporis afficiat membra, quid non de remediorum omnium momentis ſperandum eſt?

III. Non ſunt minus mira, quæ [1] de lepore marino traduntur. [2] Venenum eſt aliis in potu, aut in cibo datus, aliis etiam viſus. Siquidem gravidæ ſi omnino aſpexerint feminam, ex eo genere dumtaxat, ſtatim nauſea & redundatione ſtomachi vitium ſatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio eſt mas, ob id induratus ſale, ut [3] in brachialibus habeant. [4] Eadem res in mari & tactu quidem nocet. [5] Veſcitur eo unum tantum animalium ut non intereat, mullus piſcis: tenereſcit tantum, & ingratior, viliorque fit. Homines [a] quibus impactus eſt, [6] piſcem olent, hoc primo argumento [b] veneficium id deprehenditur. Cetero moriuntur totidem diebus, quot vixerit lepus. Incertique temporis veneficium id eſſe, auctor eſt Licinius Macer. In India affirmant non capi viventem: invicemque ibi hominem illi pro veneno eſſe, ac vel digito omnino in mari tactum mori. Eſſe autem ampliorem multo, ſicut reliqua animalia.

IV. Juba in his voluminibus, quæ ſcripſit ad C. Cæſarem Auguſti filium, de Arabia, tradit [1] mitulos marinos ternas heminas capere. [2] Cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum ſexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intraſſe, pinguique ejus [3] mercatores negotiatos, & omnium piſcium adipe camelos perungi in eo ſitu, [4] ut aſilos ab his fugent odore.

Cap. II.

V. Mihi videntur mira & quæ Ovidius prodidit piſcium ingenia, in eo volumine, quod [1] Halieuticôn inſcribitur. [2] Scarum incluſum naſſis, non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere: ſed averſum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere. [3] Quem luctatum ejus ſi forte alius ſcarus extrinſecus videat, apprehenſa mordicus cauda adjuvare niſus erumpentis. [4] Lupum rete circumdatum arenas arare cauda, [5] atque ita condi, dum tranſeat rete. [6] Murænam [c] maculas appetere ipſas, conſciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat. [7] Polypum hamos appetere, brachiiſque complecti, non morſu: nec prius dimittere, quam eſcam circumroſerit,

INTERPRETATIO.

a *Quibus.*] Quibus vel in cibo vel in potu oblatus.
b *Veneficium.*] Venenum.
c *Maculas.*] Foramina retis.

NOTÆ.

9. *Odynolytem.*] Ὀδυνολύτην, παρὰ τὸ λύειν τὰς ὠδῖνας, a ſolvendis doloribus gravidarum, quibus opitulari in partu echeneis putabatur. Sic MSS. Reg. Colb. aliique: non, ut editi, *odynolyemem.*

Sect. II. *Torpedo.*] Egimus de ea, lib. 9. ſect. 67.

Sect. III. 1. *De lepore marino.*] Libro 9. ſect. 72.

2. *Venenum eſt.*] Vide quæ diximus loco proxime citato.

3. *In brachialibus.*] Brachialia, ſive armillæ, *des Braſſelets.*

4. *Eadem res in mari.*] Ex Reg. 1. & 2. rectius, *in marina*: ut in ipſos piſces exercere vim eamdem intelligatur, quam in hominum genus, vel ipſo tactu.

5. *Veſcitur eo.*] Et ſcarum quoque lepore marino veſci auctor eſt Athenæus, lib. 8. pag. 355.

6. *Piſcem olent &c.*] Vide Dioſcor. in Alexiph. cap. 30.

Sect. IV. 1. *Mitulos marinos.*] Libri omnes manu exarati *vitulos* exhibent. Reg. 2. addit & *marinos*. Sed *mitulos* haud dubie, ut editi prætierunt, ſcribi par eſt, quos in Arabia portentoſæ molis eſſe Juba ait, quoniam ibi ſunt omnia multo ampliora. Heminæ menſura cum dicitur, ſignificat cyathos ſex, pondus vero drachmarum quindecim, ut diximus lib. 21. ſect. 109.

2. *Cetos ſexcentorum.*] Ita MSS. omnes. Reg. Colb. aliique. Singulari numero, ut Græci τὸ κῆτος. Sequitur enim, *pinguique ejus.* *Flumen* autem *Arabiæ*, ipſum eſt *flumen Salſum*, a Plinio memoratum, libro VI. ſect. XXXII. & idem Moſi *Gehon*, in Geneſi, cap. 2, 13.

3. *Mercatores negociatos.*] Sic edidimus, cum in Reg. 2. legatur, *mercatores negotiatos.* In editis, *negociatores* tantum.

4. *Ut aſilos.*] Inſecti genus, de quo lib. 11. ſect. 34.

Sect. V. 1. *Halieuticon.*] Ἁλιευτικὸν volumen, ſive commentatio de piſcatu. Non modo hoc loco, ſed & inferius ſect. 54. Halieuticon opus Ovidio Plinius aſſerit: nihilominus quod nunc extat ſub eo titulo opus, plurimi Ovidio nunc illud abjudicant, Gratio vindicare moliuntur.

2. *Scarum incluſum.*] Oppianus quoque hæc totidem verbis effert, lib. 4. Halieut. verſ. 44. & ſeqq. Ovidii verba hæc ſunt in Halieut. verſ. 9.

Timor omnibus hoſtem,
Præſidiumque datum ſentire, & noſcere teli
Vimque modumque ſui: ſic & ſcarus arte ſub undis
. . . .
Non audet radiis obnixa occurrere fronte:
Averſus crebro vimina verbere caudæ
Laxans ſubſequitur, tutumque evadit in æquor.

3. *Quem luctatum ejus*] Adnotavit & hoc Plutarchus, in libro de ſolert. animal. pag. 977. Ovidius, in Halieut. verſ. 15.

Quin etiam ſi forte aliquis dum pone natares
Mitis luctantem ſcarus hunc in vimine vidit:
Averſi caudam morſu tenet, atque trahendo
Captivum texta ſocium de carcere ſolvit.

Vide & Ælianum, lib. 1. de hiſt. anim. cap. 4.

4. *Lupum rete.*] Oppianus ad verbum hæc quoque cecinit, lib. 3. Halieut. verſ. 121. Ovidius, verſ. 23.

Clauſus rete lupus, quamvis immanis, & acer,
Dimotis cauda ſubmiſſus ſedit arenis.

Caſſiod. lib. 11. Epiſt. 40. *Piſcis lupus arenis ſe mollibus, ut plumbati lini inſidias evadat, immergit: cujus ut ſuperducta retia ejus terga fruſtra deraſerint, alacer, in undas exſilit, & tutati periculi gaudia liberatus agnoſcit.*

5. *Atque ita condi.*] Vide Notas & Emend. num. I.

6. *Murænam.*] Oppianus, lib. 3. Halieut. verſ. 127. Ælianus, lib. 1. hiſt. anim. cap. 33. Ovidius, verſ. 26.

Et muræna ferox teretis ſibi conſcia tergi,
Ad laxata magis converſa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus.

7. *Polypum.*] Ovidius, verſ. 30.

At contra ſcopulis crinali corpore ſegnis
Polypus hæret . . . . Atque ubi prædam
Pendentem ſetis avidus rapit, hic quoque fallit
Elato calamo, cum demum emerſus in auras
Brachia diſſolvit, populatumque expuit hamum.

[a] aut arundine levatum extra aquam. [8] Scit & mugil esse in esca hamum, insidiasque non ignorat: aviditas tamen tanta est, ut cauda verberando excutiat cibum. Minus in providendo lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo. [9] Nam ut hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiæ. [10] Murænæ amplius devorant, quam hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt. [11] Anthiam tradit idem infixo hamo invertere se, quoniam sit in dorso cultellato ei spina, eaque lineam præsecare. [12] Licinius Macer murænas tantum feminini sexus esse tradit, & concipere e serpentibus, [13] ut diximus: ob id sibilo a piscatoribus, tamquam serpentibus, evocari & capi: pinguescere [b] [14] jactatu, fuste non interimi, [15] easdem ferula protinus. Animam in cauda habere certum est, eaque icta celerrime exanimari: at capitis ictu difficulter. [16] Novacula pisce quæ tacta sunt, ferrum olent. Durissimum esse piscium constat, [17] qui orbis vocetur: rotundus est, & sine squamis, totusque capite constat.

VI. [1] Milvago quoties cernatur extra aquam volitans, tempestates mutari, Trebius Niger auctor est. [2] Xiphiam, id est, gladium, rostro mucronato esse: [3] ab hoc naves perfossas mergi in Oceano, ad locum Mauretaniæ, [4] qui Cotta vocetur, non procul Lixo flumine. Idem loligines evolare ex aqua tradit, tanta multitudine ut navigia demergant.

VII. E manu vescuntur pisces in pluribus quidem [1] Cæsaris villis: sed quæ veteres prodidere in stagnis, non piscinis, admirati, [2] in Eloro Siciliæ castello, non procul Syracusis: item [3] in Labrandei Jovis fonte anguillas: [4] hæ & inaures additas gerunt. Similiter [5] in Chio juxta Senum delubrum: in Mesopotamiæ quoque fonte Chabura, [6] de quo diximus.

VIII. [1] Nam in Lyciæ Myris in fonte Apollinis, [2] quem Curium appellant, ter fistula evocati veniunt ad augurium. Diripere eos carnes objectas, lætum est [3] consultantibus: caudis abigere, dirum. [4] Hierapoli Syriæ in lacu Veneris æditurorum vocibus parent vocati: exornati auro veniunt: adulantes scalpuntur: ora hiantia manibus inserendis præbent. In Stabiano Campaniæ ad Herculis petram, melanuri in mari panem abjectum rapiunt: iidem ad nullum cibum, in quo hamus sit, accedunt.

IX. Nec illa in novissimis mira, amaros esse pisces [1] ad Pelen insulam, & ad Clazo-

INTERPRETATIO.

a *Aut arundinem.*] Cum lino piscatorio attollitur extra aquam, brachia tum laxat, dimittitque hamum.

b *Jactatu.*] Agitatione aquæ.

NOTÆ.

8 *Scit & mugil.*] Eleganter hæc Oppianus, ut cetera, lib. 3 Halieut. vers 482. & seqq. iterumque, vers. 520. Ovidius, vers. 37.

At mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit.

9. *Nam ut hæsit.*] Plutarchus, lib. de solert. animal. pag. 977. Ovidius, vers. 38.

Lupus acri concitus ira,
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur quassatque caput, dum vulnere sævus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.

10 *Murænæ amplius*] Ovidius, vers 42.

11. *Anthiam tradit.*] Vide Notas & Emend. num. II.

12. *Licinius Macer*] Aliter sentire Aristotelem vidimus, lib 9. sect 29.

13. *Ut diximus*] Libro 9 sect. 39.

14. *Jactatu.*] Ita MSS. Reg. t. 2. aliique Chiffl *luctatu*: editi, *lactatu*. Utrique male.

15. *Easdem ferula protinus*] Plinius ipse, lib. 20 sect. 98. *Natura ferularum murænis infestissima est: tactæ siquidem ea moriuntur.*

16 *Novacula pisce.*] Rhodi frequens hic piscis, & Melitæ: In Majoricæ quoque, Minoricæque litore Gallis, Hispanisque, *Rason* appellari, Rondeletius ait, qui visum a se testatur, lib. 5 cap. 17. Veterum, præter Plinium, nemo novit.

17. *Qui orbis vocetur.* [Describitur is a Rondeletio, lib. 15. cap. 2. Venetis *Pesce Columbo*, appellari ait: eumdemque in ostiis Nili capi subscribit Hippol. Salvianus, lib. de hist aquatil. fol 209 Soli Plinio e veteribus nominatus.

Sect. VI. 1. *Milvago*] Sive milvus, de quo lib. 9. sect. 43. Quod porro de milvagine Trebius hoc loco affirmat, illud ipsum de loligine Plinius. lib. 18. sect 87.

2. *Xiphiam.*] De quo Ovidius, in Halieut. vers. 97.

At durus Xiphias, ictu non mitior ensis.

Græcis Ξιφίας. Narbonensibus, *Emperador* Massiliensibus & Italis, *Pesce Spada.* Maxilla superior ad duorum cubitorum longitudinem accedit, ossea duritie, gladii formam refert, quem ξίφος Græci vocant: unde pisci nomen Sic Aristoteles ipse apud Athen lib. 7. pag. 314. Vide Rondelet. lib. 8. cap. 15.

3. *Ab hoc naves.*] Sic etiam Ælianus lib. 14. hist. anim. cap. 23.

4. *Qui Cotta.*] Sic lib. 5. sect 1.

Sect. VII. 1. *Cæsaris villis.*] Qualis Baiana fuit, de qua Martialis, lib. 4 Epigr. 30. cap 213.

Baiano procul a lacu monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe majus.
Quid quod nomen habent, & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus? &c.

2. *In Eloro.*] Ἔλωρος πόλις, prope Pachynum & Syracusas, teste Scylace in Periplo, pag. 4. Ælianus, in hist animal. lib. 12. cap. 30. Ἐν Ἑλώρῳ τῆς Σικελίας, ὅπερ ἐν πόλει Συρακοσίων φρούριον, lege ἐν Ἐλώρῳ. Stephanus: Ἔλωρος, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἐλώρου ποταμοῦ, ὃ περὶ Πάχυνον, ὅς λέγεται πλωτοὺς ἰχθῦς ἔχειν, ἀπὸ χειρὸς ἐσθίοντας, &c. Et Apollodorum ejus rei laudat auctorem Adde & Nymphodorum Syracusium, apud Athen. lib. 8. pag. 331.

3. *In Labrandei Jovis.*] Vide Notas & Emend. num. III. Fuit Labranda Cariæ vicus, in quo templum Jovis.

4. *Hæ & inaures.*] Ælianus, lib. 12. hist. anim. cap. 30. Talis fuit & M Crassi muræna, teste eodem Æliano, lib. 8. hist. anim. cap 4. Anguillas ejusmodi vidisse se in Chalcidis Arethusa, testatur Athenæus, lib. 8. pag. 331.

5 *In Chio.*] Vide Notas & Emend. num IV.

6. *De quo diximus.*] Libro 31. sect. 12.

Sect. VIII. 1. *Nam in Lyciæ.*] Vide Notas & Emendationes, num V.

2. *Quem Curium.*] Κούριον, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, a cæsarie: ob quam & ἀκειρεκόμης intonsus idem cognominatus est. Ita MSS. omnes. Ludit operam Alciatus, qui *Dirum* pro *Curium* hic reponit.

3. *Consultantibus*] Sic MSS nostri Chiffl. *consulentibus.*

4. *Hierapoli Syriæ.*] Narrat hanc rem Lucianus prolixe, libro de Syria Dea, pag 1073

Sect. IX 1. *Ad Pelen.*] De Pele seu Pela, dictum est lib. 5. sect 38.

menas. Contra, [2] ad scopulum Siciliæ, ac Leptin Africæ, & Eubœam, & Dyrrachium. Rursus ita salsos, ut possint salsamenta existimari, circa Cephaleniam [3] & Ampelon, & Paron, & Deli petras: in portu ejusdem insulæ, dulces. Quam differentiam pabulo constare non est dubium. Apion maximum piscium esse tradit porcum, quem Lacedæmonii [4] orthragoriscum vocant: grunnire eum, cum capiatur. [5] Esse vero illam Naturæ accidentiam, quod magis miremur, etiam in locis quibusdam, apposito occurrit exemplo. Siquidem salsamenta omnium generum in Italia Beneventi [a] refici constat.

X. Pisces marinos in usu fuisse protinus a condita Roma, auctor est Cassius Hemina: cujus verba de ea re hic subjiciam: Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent [b] [1] ni pollucerent: [2] parcimonia commentus, ut convivia publica & privata, cœnæque [3] ad pulvinaria facilius compararentur: [4] ni qui [c] ad polluctum emerent, [5] [d] pretio minus parcerent, eaque præmercarentur.

XI. Quantum apud nos Indicis margaritis pretium est, [1] de quibus suo loco satis diximus, [2] tantum apud Indos in curalio. Namque ista persuasione gentium constant. Gignitur quidem & in Rubro mari, sed nigrius: item in Persico vocatur lace: laudatissimum in Gallico sinu [3] circa Stœchadas insulas, & in Siculo [4] circa Æolias, ac Drepanum. Nascitur & apud Graviscas, & ante Neapolim Campaniæ: maximeque rubens, sed molle, [5] & ideo vilissimum Erythris. [6] Forma est ei fruticis, colos viridis. [7] Baccæ ejus candidæ sub aqua ac molles: [8] exemptæ confestim durantur & rubescunt, quasi corna sativa specie atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere, si vivat. Itaque occupari, evellique retibus, aut acri ferramento præcidi. [9] Qua de causa curalium vocitatum interpretantur. [10] Probatissimum quam maxime rubens, & quam ramosissimum, nec scabiosum, aut lapideum, aut rursus inane, & concavum. Auctoritas baccarum ejus non minus Indorum viris quoque pretiosa est, quam feminis nostris uniones Indici. Aruspices eorum vatesque in primis [11] religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur.

INTERPRETATIO.

a *Refici*] Iterum sale condiri, *evanescente priore conditura, ob mutationem cæli.*

b *Ni pollucerent.*] Ne coëmerent, ad epulas sacras Deorum: parcimonia viam excogitavit, qua cœnæ Deorum facilius compararentur.

c *Ad polluctum.*] Ad cœnam Deorum.

d *Pretio.*] Pretium pecuniamve largius darent.

NOTÆ.

2. *Ad scopulum Siciliæ.*] Scopulum intelligit, qui in freto Siciliæ est, qua dirimitur ab Italia: quo de scopulo, lib. 3. sect. 14. *In eo freto est scopulus Scylla.*

3. *Et Ampelon.*] Macedoniæ oppidum, de quo lib. 4. sect. 17. Cretæne, de quo lib. 4. sect. 20. intelligendus hic locus sit, obscurum est.

4. *Orthragoriscum.*] Ὀρθαγορίσκον. Vocis ejus originationem disce ex Aristocle, aliisque, apud Athen. lib. 4. pag. 140. Describitur a Rondeletio, lib. 15. cap. 7. Massilienses *Mole* vocant: Hispani, *Bout.* Narbonensium nonnulli, qui Hispaniam Provinciamque frequentarunt, utraque conjuncta appellatione *Molebout.* Diversus hic a marino porculo, de quo lib. 9. sect. 17.

5. *Esse vero illam*] Quod porro pisces alibi dulces, alibi sint amari, sive salsi, contingere id naturæ ex differentia soli, cælive, aut pabuli, affini etiam monstratur exemplo.

6. *Refici constat.*] Sic MSS Reg. 2. & Chiffl. Interpolatorum manu prius legebatur *recentia effici constat.*

Sect. X. 1. *Ni pollucerent.*] Usus hac voce Festus: *Pollucere merces quas liceat, sunt far, polenta, ... pisces quibus est squama, præter scarum.* Quæ si cum Plinianis componas, conceperis his verbis legem a Numa intelligas: PISCES. QVEI SQVAMOSEI. NON. SVNT. NEI. POLLVCETO SQVAMOSOS. OMNEIS. PRAETER. SCARVM. POLLVCETO.

2. *Parcimonia.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

3. *Ad pulvinaria.*] Pulvinar, lectus qui in templis sterni consuevit, numini dicatus.

4. *Ni qui ad polluctum.*] Dictum prisco more, pro *ne qui.* Polluctum dixere veteres, pro cœna lauta & sumptuosa: qua de re Vossium vide in Etymol. ne actum agam.

5. *Pretio minus*] Ne pecuniæ non parcerent, ne pretio majore ultro oblato, annonam, ut dicitur, calfacerent, incenderentque.

Sect. XI. 1. *De quibus suo loco.*] Libro 9 sect. 54. & seqq.

2. *Tantum apud Indos.*] Etiam Isidoro teste, lib. 16. Orig. cap. 8. Curalium, sic enim libri omnes prisci habent, sive ut recentiores, corallium, & corallum, nomen retinet, *du Corail.*

3. *Circa Stœchadas.*] Nec ibi solum, sed etiam tota Provinciæ ora Stœchadibus apposita, probatissimum colligi scribit Honor. Bouche, lib. 1. hist. Prov. cap. 8 pag. 49.

4. *Circa Æolias.*] Ita Chiffl. cod. In Reg. 2. *circa Eolias.* In editis insulse, *circa Helram.*

5. *Et ideo vilissimum.*] Ita Reg. 2. recte. Vilissimum, non quia rubens, sed quia molle. Prius *utilissimum* legebatur. Male.

6. *Forma est ei.*] Hæc quoque Solinus, cap. 2. pag. 16. & Isidorus loc. cit.

7. *Baccæ ejus.*] Sic etiam loquitur Isidorus loc. cit. Ex quo palam sit curalium olim cum ex aquis extraheretur, sectum in frusta, seu baccas, corni specie ac magnitudine, etiam tum cum sub aquis foret ac mollius crederetur, ne postquam attigisset auras, frangendo durities obstitisset.

8. *Exempta.*] Passim ab antiquis creditum, proditumque est, coralium herbaceam mollitiem habere sub aqua: Experimento compertum vel tum saxeam ei inesse duritiem. Quare comminisci ausi sunt alii, vivere sub aquis coralium, tactu lapidescere: quas nugas dum Plinius recitat, non probat. *Aiunt*, inquit, *tactu lapidescere*, &c. Vide Petr. Quiqueran. lib. 2. de laud. Provinc. fol. 57. Minus verecundus Ovidius, lib. 15. Metam. vers. 417. Marbodæus item, lib. de lapid. pret. cap. 20. de corallio: & quod in medico magis, quam in vatibus, mirum, Dioscorides quoque, lib. 5. cap. 139. qui id asseverate pronunciat.

9. *Qua de causa curalium.*] Ὅτι ἐν ἁλὶ κείρεται, quoniam in mari tondetur.

10. *Probatissimum.*] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. & post eum Oribasius, lib. 13. pag. 228.

11. *Religiosum id gestamen.*] Solinus, cap. 2. pag. 16. de curalii ramulis: *Excuduntur ex illis multa gestamina. Habet enim, ut Zoroastres ait, materia hæc quamdam potestatem: ac propterea quidquid inde fit, ducitur inter salutaria. Curalium alias dicunt: nam Metrodorus Gorgiam nominat. Idem quod resistat typhonibus, & fulminibus, affirmat.* Hoc carmine Marbodæus expressit, loc. cit. de corallio:

Ex quo finguntur gestamina commoda multis:
Quippe salutaris gestantibus ipse probatur:
Illius, ut dixit Zoroastres, mira potestas.
Et sicut scribit Metrodorus maximus auctor,
Fulmina, typhonas, tempestatesque repellit,
A rate, vel tecto ....
Umbras dæmonicas, ac Thessala monstra repellit:
Collo suspensus pellit de ventre dolorem.

Adde Geopon. auctorem, lib. 15. cap. 1. pag. 406.

Itaque & decore & religione gaudent. Prius quam hoc notesceret, Galli gladios, scuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria est vendibili merce, ut perquam raro cernatur in suo orbe. Surculi infantiæ adalligati, [12] tutelam habere creduntur. [13] Contraque torminum, ac vesicæ, & calculorum mala in pulverem igne redacti, potique cum aqua auxiliantur. Simili modo ex vino poti, aut si febris sit, ex aqua, somnum afferunt. Ignibus diu repugnant. [14] Sed eodem medicamine sæpius poto tradunt lienem quoque absumi. [15] Sanguinem rejicientibus exscreantibusve medentur. [16] Cinis eorum miscetur oculorum medicamentis. Spissat enim ac refrigerat. Hulcerum cava explet. Cicatrices extenuat.

XII. Quod ad repugnantiam rerum attinet, quam Græci antipathiam vocant, nihil est usquam venenatius, quam in mari pastinaca, utpote cum radio ejus arbores necari [1] diximus. Hanc tamen persequitur [2] galeos. Idem & alios quidem pisces, sed pastinacas præcipue, sicut in terra serpentes mustela. Tanta est aviditas ipsius veneni. Percussis vero ab ea medetur [3] & hic quidem, sed & mullus, ac laser.

Cap. III.

XIII. Spectabilis Naturæ potentia in his quoque, quibus & in terris & in aqua victus est, [1] sicut & fibris, quos castores vocant, [2] & castorea testes eorum. Amputari hos ab ipsis, [3] cum capiantur, [4] negat Sextius diligentissimus medicinæ. Quin immo parvos esse substrictosque, & adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse. Adulterari autem renibus ejusdem, qui sint grandes, cum veri testes parvi admodum reperiantur. Præterea [5] ne vesicas quidem esse, cum sint geminæ, quod nulli animalium. In his folliculis inveniri liquorem, & asservari sale. [a] [6] Itaque inter probationes falsi, esse folliculos geminos ex uno nexu dependentes, quod ipsum corrumpi fraude [7] conjicientium gummi cum sanguine, aut Hammoniacum: quoniam Hammoniaci coloris esse debeant, [8] tunicis circumdati, [9] liquore veluti mellis cerosi, odore graves, gustu amaro, & acri, friabiles. Efficacissimi e Ponto, Galatiaque, mox Africa. [10] Sternumenta olfactu movent. Somnum conciliant, cum rosaceo & peucedano peruncto capite: & per se poti in aqua: ob id phreneticis utiles. [11] Item lethargicos odoris suffitu excitant: vulvarumque exanimationes vel subditi. [12] Et menses ac secundas cient, duabus drachmis ex aqua cum pulegio poti. [13] Medentur & vertigini, opisthotonis, tremulis, spasticis, nervorum vitiis, ischiadicis, stomachicis, paralyticis, perunctis omnibus: vel triti ad crassitudinem mellis cum semine viticis, ex aceto aut rosaceo. Sic & contra comitiales sumpti: [14] poti vero contra inflationes, tormina, venena. Differentia tantum [b] contra genera est mixturæ. [15] Quippe adversus scorpiones ex vino bibuntur: adversus phalangia & araneos, ex mulso, ita ut vomitione reddantur: aut ut retineantur, cum ruta: [16] adversus chalcidas cum myrtite: adversus ceraften & [17] presteras, cum

Interpretatio.

a *Itaque,*] Itaque ut probetur castoreum verum & secernatur a falso, eligendi sunt folliculi seu testes gemini ex uno nexu pendentes: atque hoc ipsum fraude corrumpitur ab iis qui gummi conjiciunt, &c.

b *Contra*] Contra diversa venenorum genera diversa mixtura est.

Notæ.

12. *Tutelam.*] Adversus veneficia.

13. *Contraque torminum.*] Subscribit Plinio Dioscor. lib. 5. cap. 139. Petr. Quiqueranus, loco ante cit. fol. 58. a Galeno id vere proditum, multisque recentiore ævo experimentis comprobatum ait: neque in eo solo genere morbi, sed & in plurimis aliis, sive appensum, sive tritum in pollinem, bibitumque, sive alio modo, valere plurimum.

14. *Sed eodem.*] Dioscor loc. cit.

15. *Sanguinem &c.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 16. pag. 121 & cap. 17. pag. 125.

16. *Cinis eorum.*] Diosc. loc. cit. Σμήχει δὲ τῇ δυνάμει, καὶ ψύχει ἱκανῶς. Σαρκωτικὰ δὲ τὰ ὑπερέχοντα· καὶ οὐλὰς σμήχει τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς· πληροῖ δὲ καὶ κοιλώματα καὶ ἑλκῶν. Quæ Plinius totidem pæne verbis.

Sect. XII. 1 *Diximus.*] Libro 9. sect. 72.

2 *Galeos.*] Egimus de hoc galeo cane, lib 9. sect. 70. Quod pari odio adversus pastinacas, atque mustelæ terrestres, quas Græci γαλᾶς vocant, adversus serpentes, feratur, galei nomen inditum ei Plinius credidit.

3. *Et hic quidem.*] Impositus plagæ.

Sect. XIII. 1. *Sicut & fibris.*] De his egimus, lib. 8. sect. 47.

2. *Et castorea.*] De quibus Virgil. lib 1 Georg. *Virosaque Pontus castorea*, hoc est, graveolentia, βρομώδη, qualia maxime probantur a medicis.

3. *Cum capiantur.*] Quidam, *cum captantur.* Sed nihil mutandum.

4. *Negat Sextius.*] Et Dioscor. lib. 2. cap. 26. Vide quæ diximus lib. 8. sect. 47.

5 *Ne vesicas.*] Negat præterea Sextius, inquit, castorea animalis ejus, quem castorem vocamus, vesicas esse geminas illas, seu folliculos potius, in quibus liquor continetur. De his folliculis egimus, libro 8. sect. 47.

6. *Itaque*] Dioscor. lib 2. cap. 26. Ἐκλέγου δὲ ἀεὶ τοὺς συνεζευγμένους ὄρχεις ἐκ μιᾶς ἀρχῆς... Δολοῦσι δέ τινες αὐτό, ἀμμωνιακὸν ἢ κόμμι συμπεφυραμένον αἵματι καὶ καστορίῳ ἐγχέοντες εἰς φύσιν καὶ ξηραίνοντες. *Porro testes semper eligito, qui sint ex uno orti connexi.... Ipsum quoque fraude corrumpunt nonnulli, Hammoniacum, aut gummi cum sanguine & castorio subactum in folliculum infundentes, & ita exsiccantes.*

7. *Conjicientium*] Vide Notas & Emend. num. VII.

8. *Tunicis.*] *Qui naturalibus tunicis perpetuo distinguuntur*, inquit Dioscor. loc. cit. διαφραττόμενον τε συνεχῶς φυσικοῖς ὑμέσι.

9. *Liquore.*] Dioscor. loc. cit. Καὶ τὸ ὑγρὸν ἔχον κηρῶδες, βαρύοσμον, βρομῶδες, δριμύ, δηκτικόν, εὔθρυπτον. *Liquore intus veluti ceroso, odoris gravis, ac viroso gustu, acri, & mordaci, friabili.*

10. *Sternumenta.*] Sic Dioscor. loco cit.

11. *Item lethargicos.*] Celsus, lib. 3. cap 20. ejus verba retulimus lib 28. sect. 67. Plinius Valer. lib. 3. cap. 7. & Diosc. loc. cit. Solo castoreo lethargicos esse curatos, vidit Jo. Schenkius, ipso prodente, lib 1. Observ. Medic. pag 67.

12. *Et menses,* &c.] Totidem verbis Diosc loc. cit.

13. *Medentur,* &c.] Iisdem fere morbis mederi scribit Diosc. loc. cit.

14. *Poti vero,* &c.] Ex aceto Diosc. propinat, loc. cit. Πίνεται δὲ σὺν ὄξει καὶ πρὸς ἐμπνευματώσεις, στρόφους, λυγμούς, θανάσιμα φάρμακα, *contra inflationes, tormina, singultus, exitialia venena.*

15. *Quippe*] Nicander in Theriac. pag. 41

16. *Adversus chalcidas.*] De hoc lacertæ genere diximus lib. 29. sect. 31.

17. *Et presteras.*] Πρηστὴρ serpentis seu viperæ genus ita

panace,

panace, aut ruta, ex vino: adversus ceteras serpentes, cum vino. [18] Dari binas drachmas satis est: [19] eorum quæ adjiciantur, singulas. [20] Auxiliantur privatim contra viscum ex aceto: adversus aconitum ex lacte, aut aqua: adversus elleborum album, ex aqua mulsa nitroque. Medentur & dentibus, infusi cum oleo triti in aurem, a cujus parte doleant: aurium doloribus melius, si cum meconio. Claritatem visus faciunt cum melle Attico inuncti. [21] Cohibent singultus ex aceto. Urina quoque fibri resistit venenis, & ob id in antidota additur. Asservatur autem optime in sua vesica, ut aliqui existimant.

XIV. Geminus similiter victus in aquis terraque testudinum, effectusque par: [a] honore habendo, vel propter excellens [1] in usu pretium, [2] naturæque proprietatem. Sunt ergo testudinum genera, terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aqua vivunt. Has quidam e Græcis [3] emydas appellant. Terrestrium carnes suffitionibus propriæ, Magicisque artibus refutandis, & contra venena salutares produntur. Plurimæ in Africa. Hæ ibi amputato capite pedibusque, pro antidoto dari dicuntur: & ex jure in cibo sumptæ, strumas discutere, lienes tollere: [4] item comitiales morbos. [5] Sanguis earum claritatem visus facit, suffusionesque oculorum tollit. Et contra serpentium omnium & araneorum ac similium venena auxiliatur, servato sanguine in farina pilulis factis, & cum opus sit in vino datis. [6] Felle testudinum cum Attico melle glaucomata inungi prodest: [7] & scorpionum plagæ instillari. [8] Tegumenti cinis vino & oleo subactus pedum rimas hulceraque sanat. Squamæ e summa parte derasæ, & in potu datæ, Venerem cohibent. Eo magis hoc mirum, quoniam totius tegumenti farina accendere traditur libidinem. Urinam earum aliter quam in vesicis dissectarum, inveniri posse non arbitror: & inter ea hoc quoque esse, quæ portentosa Magi demonstrent, adversus aspidum ictus singulare, efficaciore tamen, ut aiunt, cimicibus admixtis. Ova durata illinuntur strumis, & hulceribus frigore aut adustione factis. Sorbentur in stomachi doloribus.

[9] Marinarum carnes admixtæ ranarum carnibus contra salamandras præclare auxiliantur. Neque est testudine aliud salamandræ adversius. [10] Sanguine alopeciarum inanitas, [11] & porrigo, omniaque capitis hulcera curantur. Inarescere eum oportet, lenteque ablui. Instillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Adversus comitiales morbos manditur cum polline frumenti. Miscetur autem sanguis heminis tribus, aceti hemina, vino addito: [12] his & cum hordeacea farina, aceto quoque admixto, ut fit quod devoretur fabæ magnitudine. Hæc singula & matutina [13] & vespertina dantur, dein post aliquot dies bina vespera. Comitialibus instillatur ore diducto, his qui modice corripiantur. Spasmo cum castoreo clystere infunditur. [14] Quod si dentes ter anno colluantur testudinum sanguine, immunes a dolore fiunt. Et anhelitus discutit, quasque [15] orthopnœas vocant: ad has in polenta datur. [16] Fel testudinum claritatem oculorum facit: cicatrices extenuat: [17] tonsillas sedat, & anginas, & omnia oris vitia: privatim nomas ibi: [18] item testium. [19] Naribus illitum comitiales erigit, attollitque. Idem cum vernatione anguium aceto admixto, unice puru-

CAP. IV.

INTERPRETATIO.

a *Honore.*] Quibus honor habendus est.

NOTÆ.

appellatum ob inextinctæ sitis ardorem, quem morsu creat.

18. *Dari binas.*] Castorei. Ita Scribonius Largus, Compos. 192. *Ad ixiam, quam quidam chamæleonta vocant: Item castorei* * P. 2. (hoc est, denarios pondo duos, sive drachmas binas) *dato ex vini cyathis quatuor*, &c.

19. *Eorum quæ adjiciantur.*] Rutæ exempli gratia, vel panacis.

20. *Auxiliantur.*] Dioscor. loc. cit. Ὠφελεῖ δὲ σὺν ὄξει καὶ πρὸς ἰξίαν.

21. *Cohibent.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XIV. 1. *In usu.*] Ad intestina variæ supellectilis opera. Earum cortices sive putamina secabantur in laminas, quibus lecti vestirentur, & repositoria.

2. *Naturæque*] In Reg. 2. *figuræque proprietatem* Rectius, ut opinor. De forma testudinum diximus lib. 9. sect. 12. Hoc tamen & hic obiter adjicimus ex Pausania, in Atticis, pag. 43. marinas testudines a terrestribus magnitudine tantum ac pedibus differre: pedes enim iis esse, quales marino vitulo. Εἰσὶ δὲ αἱ θαλάσσιαι, πλὴν μεγέθους καὶ ποδῶν, ὅμοιαι ταῖς χερσαίαις· πόδας δὲ ἐοικότας ἔχουσι ταῖς φώκαις.

3. *Emydas.*] ἐμύδας, Arist. & Phavorinus: ἀμύδας Archigenes apud Galenum vocat, lib. 2. κατὰ τόπους, cap 2 pag. 381.

4. *Item comitiales.*] Auctor Kiranidum, pag. 158. *Chelonæ quoque terrestris sanguis potus epilepticos juvat, & ab echidna vel scorpione percussos summe juvat* Diosc. similiter, lib. 2. cap. 97.

5. *Sanguis earum.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 18.

6. *Felle testudinum.*] Auctor Kiranidum, pag. 158. *Fel cicatrices & leucomata cum melle summe juvat. Tota vero combusta, & cum melle sumpta, vetustissima leucomata mundat continue: & dolorem nubeculasque illita sanat*, &c.

7. *Et scorpionum.*] Auctor Kiranidum, loc. cit.

8. *Tegumenti cinis*, &c.] Marcellus Empir cap 34. pag 232. *Tegumen concrematur*, &c.

9. *Marinarum.*] Diosc in Alexiph cap. 4.

10. *Sanguine*, &c.] Q. Serenus, cap 9. de fluore capillorum, pag. 130.

Vel testudineo mage permulcet cruore.

Archigenes apud Galenum, lib. 1. κατὰ τόπους, cap. 2 pag. 329 Ἡ χελώνης θαλασσίας αἱματοπαραμιχθεῖσα, ἐπαινεῖται, *laudatissimus enim est.*

11. *Et porrigo*] Q Serenus, cap. 4. inter remedia porrigini depellendæ, pag 127.

Prodest & tarda demptus testudine sanguis.

12. *His.*] Comitialibus morbis etiam cum farina hordeacea.

13. *Et vespertina.*] Reg 2 *& vespera* ut mox, *bina vespera.*

14. *Quod si dentes ter anno*] Ita Reg. 2. & Pintiani codex. In editis male, *per annos.*

15. *Orthopnœas.*] Auctor Kiranidum, pag. 158. *Marinæ testudinis sanguis .... cum pultibus conditus & potus, orthopnœam sanat.*

16. *Fel testudinum*] Dioscor. lib. 2. pag. 96 & Galenus, lib. 4. κατὰ τόπους, cap 8 pag. 456.

17. *Tonsillas*, &c.] Dioscor. loc. cit. Πρὸς συνάγχας, καὶ τὰς ἐπὶ τῶν παίδων νομὰς ἐν στόματι.

18. *Item testium.*] Subintellige, nomas, hoc est, hulcera quæ pascendo serpunt: vel vitia omnia.

19. *Naribus illitum.*] Ita MSS. omnes. & Plinius Valer. lib. 2. cap. 58. *Fel testudinis naribus illitum jacentem erigit*, &c.

lentis auribus prodest. Quidam bubulum fel admiscent, decoctarumque carnium testudinis succum, addita æque vernatione anguium. Sed vino testudinem excoquunt. Oculorum utique vitia omnia fel inunctum cum melle emendat: suffusiones etiam. Marinæ felle cum fluviatilis sanguine, & lacte, capillus mulierum inficitur. Fel contra salamandras, vel succum decoctæ bibisse satis est.

Testudinum est tertium genus in cœno & paludibus viventium. Latitudo his in dorso pectori similis, [a] nec convexo curvata calyce, ingrata visu. Ex hac quoque tamen aliqua contingunt auxilia. Tres namque in succensa sarmenta conjectæ, dividentibus se tegumentis rapiuntur: tum evulsæ carnes earum coquuntur in aquæ congio, sale modice addito: ita decoctarum ad tertias partes succus, paralysin & [20] articularios morbos sentientibus bibitur. Detrahit item fel pituitas, sanguinemque vitiatum. Sistitur [21] ab eo remedio alvus aquæ frigidæ potu.

Ex quarto genere testudinum, quæ sunt in amnibus, divulsarum pingui cum aizoo herba tuso, admixto unguento & semine lilii, ante accessiones si perungantur ægri, præter caput, mox convoluti calidam aquam bibant, quartanis liberari dicuntur. Hanc testudinem quintadecima Luna capi oportere, ut plus pinguium reperiatur. Verum ægrum sextadecima Luna perungi tradunt. Ex eodem genere testudinum sanguis [22] instillatus cerebro capitis dolores sedat: item strumas. Sunt qui testudinum sanguinem cultro æreo supinatum capitibus præcisis, excipi novo fictili jubent: ignem sacrum, [b] cujuscumque generis sanguine illini: item capitis hulcera manantia, & verrucas. Iidem promittunt testudinum omnium fimo panos discuti. Et licet incredibile dictu sit, aliqui tradunt tardius ire navigia, testudinis pedem dextrum vehentia.

XV. Hinc deinde in morbos digeremus aquatilia, non quia ignoremus gratiorem esse universitatem animalium, majorisque miraculi: sed hoc utilius est vitæ, [c] contributa habere remedia, cum aliud alii prosit, aliud alibi facilius inveniatur.

CAP. V. XVI. [1] Venenatum mel diximus ubi nasceretur. I. Auxilio est piscis aurata in cibo. Vel si ex melle sincero fastidium eruditasve, quæ sit gravissima, incidat, testudinem circumcisis pedibus, capite, cauda, decoctam, antidotum esse, auctor est Pelops, scincumque Apelles. [2] Quid esset scincus, diximus: [3] sæpius vero, quantum veneficii in menstruis mulierum. [4] Contra omnia ea auxiliatur, ut diximus, mullus. [5] Item contra pastinacam, & scorpiones terrestres marinosque, & dracones, & phalangia illitus sumptusve in cibo. Ejusdem recentis & capite cinis contra omnia venena, privatim contra fungos. 2. Mala medicamenta inferri negant posse, aut certe nocere, stella marina vulpino sanguine illita, & affixa limini superiori, aut clavo æreo januæ.

XVII. I. Draconis marini scorpionumque ictus, [1] carnibus earum impositis: item araneorum morsus sanantur. In summa contra omnia venena, vel potu, vel ictu, vel morsu noxia, succus earum e jure decoctarum, efficacissimus habetur. 2. Sunt & servatis piscibus medicinæ, salsamentorumque cibus prodest [2] a serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita ut ad vesperam cibus vomitione reddatur. Peculiariter a chalcide, ceraste, [3] aut quas sepas vocant, [4] aut elope, dipsadeve percussis. Contra scorpionem largius sumi, sed non evomi salsamenta prodest, ita ut sitis toleretur: & in-

INTERPRETATIO.

a *Nec.*] Nec convexum habet curvatumque tegumentum.

b *Cujuscumque.*] Cujuscumque testudinum generis.

c *Contributa.*] Ad eosdem morbos utilia.

NOTÆ.

Diosc. lib. 2. cap. 96. inditum mavult: *[illegible]*.

20. *Articularios morbos.*] Paulo aliter auctor Kiranidum, qui pag. 158. *χελώνας palustres cinerem cum cerato rosaceo superillitum ait calidas podagras summe sanare.*

21. *Ab eo remedio.*] Post illud remedium.

22. *Instillatus cerebro.*] Vide Notas & Emend. num. VIII.

Sect. XV. 1. *Contributa.*] Quasi ad eamdem tribum classemque pertinentia. Sic contributa oppida, quæ sunt ejusdem jurisdictionis, ut vocant, quæ eodem jura petunt, ut in Geographicis monuimus.

Sect. XVI. 1. *Venenatum . . . diximus.*] Libro 21. sect. 44.

2. *Quid esset scincus*] Ita MSS. De scinco dixit lib. 8. sect. 38. & lib. 28. sect. 30.

3. *Sæpius vero.*] Subintellige, diximus. Nempe lib. 7. sect. 13. & lib. 28. sect. 23. & alibi passim.

4. *Contra omnia. . . . ut diximus.*] Libro 28. sect. 23. *Bythus Dyrrachenus . . . tradit . . . omnem vim talem resolvi, si mullum piscem secum habeant.*

5. *Item contra.*] Dioscor. lib. 2. cap. 24. & in Theriac. cap. 25. quod & experimento comprobatum a se narrat Rondeletius, lib. 6. cap. 19. ubi multa affert in eam rem egregia.

Sect. XVII. 1. *Carnibus earum impositis.*] Draconis scilicet & scorpionum, quibus quamobrem nunc muliebre genus haud semel affingat, obscurum est. Sic enim MSS. omnes, editique libri. Ad stellam marinam certe, de qua paullo ante extrema sect. superiore dictum est, pertinere hæc minime posse, perspicuum videtur: nam & *ejus* dici, non *earum*, oportuisset: & ex dracone marino, hoc ipso loco remedia afferri, inter ea quæ ex stella marina, & quæ e salsamentis petantur, Index persuadet, consentientibus exemplaribus omnibus: *Ex stella marina. Ex dracone marino. Ex salsamentis*, &c. Scorpionis marini ictum appositu ipsius hepatis sanasse se auctor est Rondeletius, lib. 6. cap. 19.

2. *A serpente.*] Ab eo viperæ genere, quam presteram vocant, inquit Diosc. lib. 2. cap. 33. Ὁ δὲ [illegible] λεγόμενος . . . . βοηθεῖ λαμβανόμενος τοῖς ὑπὸ ἐχίδνης, ἢ πρηστῆρος, δηχθεῖσι. δεῖ δὲ ὡς ὅτι πλεῖστον [illegible] οἶνον ἀναγκάζειν πίνειν πολὺν, καὶ ἐμεῖν. *Sed oportet vinum quamplurimum subinde haurire cogantur, ita ut vomitione reddatur.*

3. *Aut quas sepas.*] Genus illud serpentis nunc intelligit, de quo diximus lib. 23. sect. 29.

4. *Aut elope.*] In Reg. 2. & Chiffl. *helope.* In editis, *elope.*

ponere eadem plagis convenit. Contra crocodilorum quidem morsus non aliud præsentius habetur. 3. Privatim contra prestetis morsum sarda prodest. [5] Imponuntur salsamenta & contra canis rabiosi: vel si non sint ferro ustæ plagæ, corporaque clysteribus exinanita, hoc per se sufficit. Et contra draconem marinum ex aceto imponuntur. 4. Idem & cybio effectus. [6] Draco quidem marinus ad spinæ suæ, qua ferit, venenum, ipse impositus, vel cerebro toto prodest.

XVIII. 5. Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum succus contra venena bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum, & contra salamandras. [1] 6. E fluviatilibus, si carnes edantur, jusve decoctarum sorbeatur, prosunt & contra leporem marinum, & contra serpentes supra dictas. Contra scorpiones ex vino. [2] Democritus quidem tradit, si quis extrahat ranæ viventi linguam, [a] nulla alia corporis parte adhærente, ipsaque dimissa in aquam, imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcumque interrogaverit, vera responsuram. Addunt etiamnum alia Magi, quæ si vera sunt, multo utiliores vitæ existimentur ranæ, [3] quam leges. [b] Namque arundine transfixa natura per os, si surculus in menstruis defigatur a marito, adulteriorum tædium fieri. Carnibus earum in hamum additis, præcipue purpuras certum est allici. [4] Jecur ranæ geminum esse dicunt, objicique formicis oportere: eam partem, quam appetant, contra omnia venena esse pro antidoto. 7. Sunt quæ in vepribus tantum vivunt, ob id rubetarum nomine, [5] ut diximus, quas Græci phrynos vocant, grandissimæ cunctarum, geminis veluti cornibus, plenæ veneficiorum. Mira de his certatim tradunt auctores. Illatis in populum silentium fieri. Officulo, quod sit in dextro latere, in aquam ferventem dejecto, refrigerari vas, nec postea fervere, nisi exempto. Id inveniri objecta rana formicis, carnibusque erosis: [c] singula [6] in folium addi. Et aliud esse in sinistro latere, quo dejecto fervere videatur, [7] apocynon vocari. Canum impetus eo cohiberi, amorem concitari, & jurgia, addito in potionem. Venerem adalligatum stimulare. Rursus a dextro latere refrigerari ferventia. Hoc & quartanas sanari adalligato in pellicula agnina recenti, aliasque febres. Amorem inhiberi eo. Item ex his ranis lien contra venena, quæ fiant ex ipsis.

XIX. 8. [1] Auxiliatur vero etiam efficacius colubra in aqua vivens: hujus adipem & fel habentes qui crocodilos venentur, mire adjuvari dicunt, nihil contra bellua audente. Efficacius etiamnum, si herba potamogiton misceatur. 9. [2] Cancri fluviatiles triti potique ex aqua recentes, seu cinere asservato, contra venena omnia prosunt, privatim contra scorpionum ictus cum lacte asinino: vel si non sit, caprino, vel quocumque. Addi & vinum oportet. [3] Necant eos triti cum ocimo admoti. Eadem vis contra venenatorum omnium morsus, [4] privatim scytalen, & angues, [5] & contra leporem marinum, ac ranam rubetam. Cinis eorum servatus prodest pavore potûs [6] periclitantibus ex canis rabiosi morsibus. [7] Quidam adjiciunt Gentianam, & dant in vino. Nam si jam pavor occupaverit, pastillos vino subactos devorandos ita præcipiunt. Decem vero cancris cum ocimi manipulo alligatis, omnes qui ibi sint scorpiones ad eum locum coïturos Magi dicunt: & cum ocimo ipsos cineremve eorum percussis imponunt. Minus in omnibus his marini prosunt, ut Thrasyllus auctor est. [8] Nihil autem æque adversari ser-

INTERPRETATIO.

a *Nulla.*] Si nulla alia parte corporis, quam lingua, rana adhærescat ei qui extrahit.

b *Namque.*] Nam arundine transfixa per ranæ pudenda, ad os usque, si surculus ille a marito defigatur in menstruis mulieris, futurum est ut mulier adulteria horreat.

c *Singula.*] Singula ossa in folium aquæ calidæ dejici *experimenti causa.*

NOTÆ.

Nicander in Theriac pag. 35. inter varia serpentium genera, sed quæ innocua sint, ἔλοπας annumerat: & Scholiastes vetus in eum locum, pag. 24. ἀσθενεῖς interpretatur.

5. *Imponuntur*] Diosc. lib. 2. cap 33. Καταπλάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ κυνοδήκτοις ὠφελίμως.

6. *Draco quidem.*] Totidem verbis Diosc. lib. 2. cap. 15. Δράκων θαλάσσιος ἀνατμηθεὶς, ἐπιτεθεὶς ἰᾶται τὰς πληγὰς τὰς ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν αὐτοῦ πληγάς.

Sect. XVIII. 1. *E fluviatilibus.*] Diosc. lib. 2. cap. 28. iisdem verbis: Βάτραχοι ἀνηψημένοι ἅλσι καὶ ἐλαίῳ, τῶν ἑρπετῶν πάντων, ζωμὸς ἐν ἐλαίῳ, ἢ ζωμοῦ λαμβανομένου ὁμοίως.

2. *Democritus quidem*] Simile est quod de bubone superius retulit, lib. 29. sect. 26

3. *Quam leges*] De adulteriis, & de pudicitia: quales ab Augusto latæ, ut refert Tranquillus in ejus vita, cap. 34.

4. *Jecur ranæ.*] Vide quæ diximus lib. xi. sect. 76.

5. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 48.

6. *In folium addi.*] In quibusdam MSS *in oleum*, male. In solium aquæ calidæ dejici ait, experiundi causa, num eo dejecto statim vas refrigeretur. Solium, vas est, in quo sedentes lavantur. *Solium aqua calida* vocat Celsus, lib. 7. cap. 26.

7. *Apocynon.*] Ἀπόκυνον, quod canum impetus cohibeat.

Sect. XIX 1. *Auxiliatur vero . . . colubra.*] Sic MSS. omnes, non *coluber.*] In Indice hujus loci, & infra sect. 26. enhydris appellatur.

2. *Cancri fluviatiles.*] Nicander in Theriac pag. 43 & Diosc. lib 2. cap. 12. totidem verbis.

3. *Necant eos.*] Diosc lib. 2. cap. 12.

4. *Privatim scytalen.*] Columella, lib. 6. cap 17. pag. 216. *Musque araneus, quem Græci μυγαλῆν appellant, quamvis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur.* Etiam & μυγαλῆ nuncupatur, ut alibi monuimus.

5. *Et contra leporem.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 54. & Diosc. loc. cit.

6. *Periclitantibus*] Quos ὑδροφόβους vocant, ut diximus lib. 8. sect 63. Theod. Priscianus lib 2. parte 1. cap. 8 *Hydrophobicis dabo etiam cancrorum fluviatilium pulverem combustorum.*

7. *Quidam adjiciunt.*] Quos secutus est Dioscor. lib. 2. cap. 12.

8. *Nihil autem.*] Plinius, lib. 9. sect. 51 de cancris: *Contra serpentium ictus medentur.*

pentibus, quam cancros, [9] suesque percussas hoc pabulo sibi mederi. Cum Sol sit in Cancro, torqueri serpentes. 10. Ictibus scorpionum & carnes fluviatilium cochlearum resistunt crudæ vel coctæ. Quidam ob id salsas quoque asservant. Imponunt & ipsis plagis. Coracini pisces Nilo quidem peculiares sunt: [10] sed & nos hæc omnibus terris demonstramus. Carnes eorum adversus scorpiones valent impositæ. 11. Inter venena sunt piscium, [11] porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum: remedio est limus ex reliquo piscium eorum corpore.

XX. 12. [1] Canis rabidi morsu potum expavescentibus, faciem perungunt adipe vituli marini. Efficacius, [2] si medulla hyænæ, & oleo e lentisco, & cera misceatur. 13. Murænæ morsus ipsarum capitis cinere sanantur. Et pastinaca contra suum ictum remedio est, cinere suo ex aceto, illito, vel alterius. Cibi causa extrahi debet e dorso ejus, quidquid simile est croco, caputque totum: & hanc autem, & omnia testacea modice collui in cibis, quia saporis gratia perit. E lepore marino veneficium restinguunt poti hippocampi. 14. Contra dorycnium echini maxime prosunt: & iis qui [3] succum Carpathii biberint, præcipue jure sumpto. [4] Et cancri marini decocti jus contra dorycnium efficax habetur. * [5] Peculiariter vero contra leporis marini venena.

* Cap. vi.

XXI. 15. Et ostrea adversantur iisdem. Nec potest videri satis dictum esse de his, cum palma [1] mensarum divitum attribuatur illis. [2] Gaudent dulcibus aquis, & ubi plurimi influunt amnes: [3] pelagia parva & rara sunt. Gignuntur tamen & in petrosis, carentibusque aquarum dulcium adventu, sicut [4] circa Grynium & Myrinam. Grandescunt [5] sideris quidem ratione maxime, ut in natura aquatilium diximus: sed privatim [6] circa initia æstatis, [7] multo lacte prægnantia, atque ubi Sol penetret in vada. Hæc videtur causa, quare minora [8] in alto reperiantur. Opacitas cohibet incrementum, & tristitia minus appetunt cibos. Variant coloribus, rufa Hispaniæ, fusca Illyrico, nigra & carne & testa [9] Circeiis. Præcipua vero habentur in quacumque gente spissa, nec saliva sua lubrica, crassitudine potius spectanda, quam latitudine: neque in luto capta, neque in arenosis, sed solido vado, [10] spondylo brevi atque non carnoso, [a] nec fibris lacinioso, ac tota in alvo. Addunt peritiores notam, [b] ambiente [11] purpureo crine fibras, eoque argumento generosa interpretantur, [12] calliblephara appellantes. Gaudent & peregrinatione, transferrique in ignotas aquas. Sic Brundisiana [13] in Averno compasta, & suum retinere succum, & a Lucrino adoptare creduntur. Hæc sint dicta de corpore.

Dicemus & de nationibus, ne fraudentur gloria sua litora: sed dicemus aliena lingua, quæque peritissima hujus censuræ in nostro ævo fuit. Sunt ergo Muciani verba, quæ sub-

INTERPRETATIO.

a *Nec fibris.*] Nec sit ostreorum spondylus laciniosus, aut sectus in fibras: & sint ostrea tota in alvo sui operculi.

b *Ambiente.*] Marginem ambiente circulo purpureo.

NOTÆ.

9. *Suesque percussas.*] De suibus agrestibus prodidit hoc Ælianus, lib. 1. Var. hist. cap 7.

10. *Sed nos & hæc.*] Hæc quæ tractamus, remedia.

11. *Porci marini.*] In Indice hujus loci, *Porcelli, sive porci* Libro 9. sect. 17. porculus marinus appellatur: etiamnum ab Italis, *Porcellete*: nostris *Estourgeon*, ut diximus loco cit. De sturione marino vide Rondelet. lib. 14. cap 9. pag. 413. Marini porculi meminit & Ambrosius in Hexaem. Judæos tradens marinis vesci porcis, cùm terrestribus abstineant.

Sect. XX. 1. *Canis rabidi.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 50. totidem verbis.

2. *Si medulla hyænæ.*] Vel hyænæ corii particula panno inligata sanari ὑδροφόβας circulator quidam affirmabat, teste Scribonio Largo, Compos 172

3. *Succum Carpathii.*] Diosc in Alexiph. cap 13 Carpasi succum vocat, τ̃ ἐ Καρπάσου ὀπὸν, inter venena: nec quid sit, satis liquet.

4. *Et cancri.*] Dioscor. in Alexiph. cap 6.

5. *Peculiariter vero.*] Plinius Valer lib 3. cap. 54. Vide Notas & Emend. nom IX

Sect. XXI. 1. *Mensarum divitum.*] Ita Reg. 2. non, ut editi, *deo jam.* Macrobius, lib. 2. Saturn. cap. 9. pag 355. de cœna Pontificia: *Cœna hæc fuit · Ante cœnam echinos, ostreas crudas quantum vellent, pelorides, sphondylos*, &c

2. *Gaudent.*] Ibi enim dulciora, ampliora, meliorisque succi sunt Athenæus, lib. 3. pag. 92

3. *Pelagia.*] Quæ in alto e scopulis petuntur, & pala ferrea inde colliguntur: *que l'on pesche à la drague sur des rochers.*

4. *Circa Grynium.*] Sic MSS omnes. Tamen lib. 5. sect. 32. *Gryna.*

5. *Sideris quidem.*] Lunæ ratione, ut dictum est lib. 9. sect 50

6. *Circa initia æstatis.*] Tum meliora esse, suaviora, utilioraque ventriculo, prodidit Athenæus, loc. cit.

7. *Multo lacte.*] Plinius, lib. 9. sect. 74. *Nuper compertum in ostreariis, humorem iis fœtificum lactis effluere.* Mense Maio ac Junio grandescere ea, ac multo lacte prægnare Plinius docet, quod & experientia constat

8. *In alto.*] Vide Notas & Emend. num. X.

9. *Circeiis*] Laudat id genus Juvenalis infra laodandus. Catius apud Horatium, lib. 2. Satyr. 4. vers. 33.

Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini.

10. *Spondylo brevi.*] Spondylus in ostreis aliter a Græcis τράχηλος appellatur, collum scilicet ostreorum externus, prope dorsum valvarum.

11. *Purpureo crine.*] Cirrum lividum, hoc est, purpurei coloris Martialis appellat, lib. 7. Epigr. 19.

Et ostreorum rapere lividos cirros.

Quid Martialis interpres in hunc locum, quid Salmasius dicat in Solin. pag. 1127. non laboro.

12. *Calliblephara.*] Καλλιβλέφαρα, quasi pulcris genis, hoc est, valvis. In Reg. 2. *callispharata*, voce ignota, vel corrupta.

13. *In Averno compasta.*] Usus eo verbo Plinius, lib 9. sect 79 *Postea visum tanti in extremam Italiam petere Brundisinum ostreas: ac ne lis esse inter duos sapores, nuper excogitatum, famem longæ advectionis a Brundisio compascere in Lucrino.* Lacum Lucrinum Avernumque proximos fuisse, atque adeo fere communibus aquis stagnasse, notissimum est.

jiciam: [14] Cyzicena majora [15] Lucrinis, dulciora [16] Britannicis, suaviora [17] Medulis, acriora [18] Lepticis, pleniora [19] Lucensibus, ficciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus. [20] Sed his neque dulciora, neque teneriora esse ulla compertum est. In Indico mari Alexandri rerum auctores pedalia inveniri prodidere. Necnon inter nos neporis cujusdam nomenclator [21] tridacna appellavit: tantæ magnitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent. 5

Dos eorum medica hoc in loco tota dicetur, [22] Stomachum unice reficiunt: fastidiis medentur. Addiditque luxuria frigus obrutis nive, [23] summa montium & maris ima miscens. [24] Molliunt alvum leniter. Eadem quoque cocta cum mulso, tenesmo, qui sine exhulceratione sit, liberant. Vesicarum hulcera quoque repurgant. [25] Cocta in conchis suis uti clausa venerint, mire distillationibus prosunt. [26] Testæ ostreorum cinis uvam sedat, & tonsillas admixto melle. Eodem modo parotidas, panos, mammarumque duritias, capitum hulcera ex aqua: cutemque mulierum extendit. Inspergitur & ambustis. Et dentifricio placet. Pruritibus quoque & eruptionibus pituitæ ex aceto medetur. Crudæ si tundantur, strumas sanant, [27] & perniones pedum. Purpuræ quoque contra venena prosunt. 10 15

XXII. 16. Et algam maris [1] theriacen esse [2] Nicander tradit. Plura ejus genera, [3] uti diximus: longo folio & latiore, rubente, aliave crispo. Laudatissima, quæ in Creta insula juxta terram in petris nascitur: tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui postea non possit. E vino jubet eam dari.

XXIII. [1] Alopecias replet hippocampi cinis, nitro & adipe suillo mixtus, [2] aut sincerus ex aceto. [3] Præparant autem sepiarum crustæ farina medicamentis cutem, & muris marini cinis cum oleo: item echini cum carnibus suis cremati: fel scorpionis marini. [4] Ranarum quoque trium, si vivæ in olla concrementur, cinis cum melle: melius cum pice liquida. Capillum denigrant sanguisugæ, quæ in nigro vino diebus LX. computruere. [5] Alii in aceti sextariis duobus sanguisugarum sextarium in vase plumbeo jubent putrescere totidem diebus, mox illini in Sole. [6] Sornatius tantam vim hanc tradit, ut nisi oleum ore contineant qui tingunt, dentes quoque eorum denigrari dicat. [7] Capitis hulceribus, muricum vel purpurarum testæ cinis cum melle utiliter illinitur: conchyliorum, vel si non urantur, farina ex aqua: Doloribus, castoreum cum peucedano & rosaceo. 20 CAP. VII. 25

XXIV. [1] Omnium piscium fluviatilium marinorumque adeps liquefactus Sole admixto 30

INTERPRETATIO.

a *Præparant.*] Medicamentis *quibus alopecia emendatur*, suscipiendis, præparatur ante cutis crusta sepiarum in farinam trita & illita.

NOTÆ.

14. *Cyzicena.*] A Cyzico Hellesponti oppido: cujus ora tota ostreis celeberrima fuit. Unde Catullus ad Priapum, Carm. 18.

Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

Ἀβυδηνὸν ὄστρεον in hoc ipso tractu maris laudat Clemens Alex. lib. 2. Pædag. pag. 140.

15. *Lucrinis.*] Lacus Lucrinus, prope Baias, de quo lib. 3. sect. 9. Martialis, lib. 5. Epig. 38.

Concha Lucrini delicatior stagni.

Et lib. 13. Epig 82.

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino.

16 *Britannicis.*] Hæc sunt ostrea, quæ *Rutupino edita fundo* Juvenalis appellat, Satyra 4 vers 141 Fuit enim Rutupinum litorale Britanniæ oppidum, ut ex Ptolemæo discimus:

Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu,
Et semel aspecti litus dicebat echini.

17. *Medulis.*] A Medulis Galliæ Aquitanicæ populis, ad Garumnæ ostia prope Burdegalam. Hodie *Medoc.* Vide Notas & Emend. num. XI.

18. *Lepticis.*] A Lepti Africæ civitate.

19. *Lucensibus.*] A Luceno, opinor, Hispaniæ oppido, de quo lib. 3. sect 32. Istrica ab Istria, &c

20. *Sed his.*] Circeiensibus. Hæc jam Plinii verba, non Muciani sunt.

21. *Tridacna.*] Δάκνειν *mordeo* Græce sonat.

22. *Stomachum.*] Ita Diphilus apud Athen. lib. 3. pag. 90.

23. *Summa montium.*] Nives e summis montium jugis petitas, ut in eis ostrea servent, quæ petuntur ex imo mari; quemadmodum servantur in sale pisces. Pro sale obruuntur ostrea nive, in testis suis, ut frigidiora sorbeantur

24 *Molliunt.*] Ipsa ostrea esse κοιλίας ὑπακτικὰ, jus quo decocta fuerint, ταραχτικὸν καὶ ὑπακτικὸν κοιλίας tradit Mnesitheus Athen. lib. de edulis, apud Athenæum, lib. 3. pag. 92.

25. *Cocta in conchis.*] Vide Notas & Emend. num. X3I.

26 *Testa ostreorum*] Quemadmodum & cinerem e cochleis commendat in eum usum Q. Serenus, laudatus a nobis, lib. 20 sect 74.

27. *Et perniones pedum.*] Sextus Platon. cap. 1. de cervo, tit. 21. ad *perniones*: *Sebum cervinum combustum simul cum ostrea testa minuta & commixta, & factum quasi malagma impone: mire sanat.*

Sect. XXII. 1. *Theriacen esse.*] Hoc est, adversus serpentes prodesse.

2. *Nicander.*] Loco citato a nobis lib. 26. sect 66.

3. *Uti diximus.*] Ibidem.

Sect XXIII. 1. *Alopecias.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 2. cap 3. Ἱππόκαμπος θαλάσσιόν ἐστι ζῶον μικρὸν, οὗ καιόμενος ἡ τέφρα μετὰ πίσσης ὑγρᾶς καὶ ὀξυμέλιτος ἢ ἀμαρακίνου μύρου καταχριομένη, ἀλωπεκίας δασύνει. *Hippocampus marinum est animalculum, cujus cremati cinis liquida pice vel axungia, aut amaracino unguento exceptus, & illitus alopecias emendat.* Sic etiam Galenus, lib x1. de fac. simp. med cap 1. pag. 312. De hippocampo multa Ælianus, lib. 14. hist. anim. cap. 20. Pingitur a Rondeletio, lib de insectis, pag. 114. cap. 9. Massiliensibus, *Cheval & Chevalot.*

2. *Aut sincerus.*] Solus, per se, nulla re alia admixta, præter acetum.

3. *Præparant autem.*] Vide Notas & Emend. num. XIII.

4. *Ranarum quoque.*] Sic Dioscor. lib. 2. cap 28 Καίονται δὲ βάτραχοι . . . . καὶ ἀλωπεκίας θεραπεύουσι σὺν πίσσῃ ὑγρᾷ καταχριόμενοι. Et Alexander Iatros, lib. 1. cap. 4. ad alopecias: *Ranarum cinis cum pice liquida illinitur* Idque se experimento probasse testatur Rondeletius, lib. de palust. cap. 2.

5 *Alii in aceti.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 7. pag 48. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 7. de capillis denigrandis

6. *Sornatius.*] Sic MSS. Ignotum medici nomen. Referunt hoc ipsum porro auctores proxime appellati.

7. *Capitis hulceribus.*] Marcellus Empir. totidem verbis, cap. 4. pag 40. & Plinius Valer lib. 1. cap 5.

Sect. XXIV. 1. *Omnium piscium.*] Vide Notas & Emend. num. XIV.

melle, oculorum claritati plurimum confert: item castoreum cum melle. [2] Callionymi fel cicatrices sanat, [3] & carnes oculorum supervacuas consumit. [4] Nulli hoc piscium copiosius, ut existimavit [5] Menander quoque in Comœdiis. Idem piscis & [6] uranoscopos vocatur, [7] ab oculo quem in capite habet. [8] Et coracini fel excitat visum. [9] Et marini scorpionis rufi cum oleo vetere aut melle Attico incipientes suffusiones discutit: inungi ter oportet intermissis diebus. [10] Eadem ratio albugines oculorum tollit. [11] Mullorum cibo aciem oculorum hebetari tradunt. [12] Lepus marinus ipse quidem venenatus est, sed cinis ejus in palpebris pilos inutiles, evulsos cohibet. Et ad hunc usum utilissimi minimi: [13] Item pectunculi salsi triti cum cedria: & ranæ, [14] quas diopetes, & calamitas vocant: sanguis earum cum lacryma vitis, si evulso pilo palpebris illinatur. [15] Oculorum tumorem ruboremque sepiæ cortex cum lacte mulierum illitus sedat: & per se scabritias emendar. Invertunt itaque [a] genas id agentes, & medicamentum auferunt post paulum, rosaceoque inungunt, & pane imposito mitigant. Eodem cortice & nyctalopes curantur, in farinam trito & ex aceto illito. [16] Extrahit & squamas ejus cinis. Cicatrices oculorum cum melle sanat, [17] pterygia cum sale & cadmia singulis drachmis. [18] Emendat & albugines oculorum jumentorum. Aiunt & ossiculo ejus genas, si terantur, sanari. Echini ex aceto epinyctidas tollunt. Eumdem comburi cum viperinis pellibus ranisque, & cinerem aspergi potioni jubent Magi, claritatem visus promittentes. [19] Ichthyocolla appellatur piscis, cui glutinosum est corium: idemque nomen glutino ejus. Hoc epinyctidas tollit. [20] Quidam ex ventre, non e corio, fieri dicunt ichthyocollam, ut glutinum taurinum. Laudatur Pontica, candida, & carens venis squamisque, & quæ celerrime liquescit. Madescere autem debet concisa in aqua, aut in aceto nocte ac die: mox tundi marinis lapidibus, ut facilius liquescat. [21] Utilem eam in capitis doloribus affirmant, & [22] tetanothris. [23] Ranæ

INTERPRETATIO.

a *Genas.*] Palpebras.

NOTÆ.

2 *Callionymi fel cicatrices.*] Oculorum videlicet. Vide Galenum, lib 10 de fac. simp. med. cap. 2. pag. 284. Errant qui discussam a Tobia patris cœcitatem eo felle volunt. Callionymus enim marinus piscis est, & molis exiguæ, nec multarum virium: ille, quo Tobias usus, ingens, fluviatilis, & fere ἀνθρωποφάγος. Silurum potius esse crediderim, de quo lib 9. sect. 17. Vide Bochartum, parte 2. de animal. lib. 5 cap. 14. pag. 748. Ad oculorum vitia universe callionymi fel commendat & Diosc. lib 2. cap 96.

3. *Et carnes .... supervacuas.*] Carnes in angulis oculorum excrescentes.

4. *Nulli hoc.*] Arist. lib. 2. hist. anim. cap. 18. pag. 265.

5. *Menander.*] In Messenia scilicet, cujus fabulæ versus huc pertinentes recitantur ab Æliano, lib. 13. histor. anim. cap. 4.

6 *Uranoscopos.*] Οὐρανοσκόπος, quod oculos in superna corporis parte versus cælum habeat. Idem νυκτερὶς & ἡμεροκοίτης appellatus. Describitur eleganter ab Oppiano, lib. 2. Halieut. vers. 202 Pingitur a Rondeletio, lib. 10 cap. 13. pag. 305. & ab Hippol. Salviano, lib. de hist aquatil. fol. 197. Massiliensibus, *Tapecon*.

7. *Ab oculo.*] Ἐπαλλαγῇ numeri, hoc est, ab oculorum situ.

8 *Et coracini.*] Marcellus Empir. cap 8. pag. 69. *Corvi marini fel inunctione albidinum caligines tollit, albugines & cicatrices extenuat, &c.*

9 *Et marini scorpionis, &c.*] Diosc. lib. 2. cap. 14. Τοῦ δὲ θαλασσίου σκορπίου ἡ χολὴ ἁρμόζει πρὸς τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς ὑποχύσεις, καὶ λευκώματα, καὶ ἀμβλυωπίας.

10. *Eadem ratio.*] Marcellus Empir cap. 8. pag. 67.

11. *Mullorum cibo.*] Dioscor lib. 2. cap. 24. Τρίγλα συνεχῶς ἐσθιομένη ἀμβλυωπίας [illegible] ὑπάρχειν. Vide infra, sect. 41.

12. *Lepus marinus, &c*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 70. & Dioscor. lib. 2 cap. 20.

13 *Item pectunculi.*] Quod pectunculis Plinius, hoc verbis totidem tellinis Diosc attribuit, lib. 2. cap. 8. Τελλῖναι ταριχευθεῖσαι καὶ τριβεῖσαι λεῖαι, καὶ μετὰ κεδρίας ἐπιχριόμεναι, τὰς ἐκτιλθείσας τῶν βλεφάρων τρίχας οὐκ ἐῶσιν αὖθις φύεσθαι. *Telline sale condita ac usta, & ad lævorem contrita, eandemque cum cedria instillata, evulsos palpebrarum pilos renasci non patiuntur* Tellinas a pectunculis, mituli̇sque sejunxit Hippocrates, lib. 2. de diæta.

14 *Quas diopetes.*] Διοπετὴς rana vocatur, quam per imbres cælo delapsam, quasi a Jove missam, vulgus arbitratur. Sic Palladium τὸ Διοπετὲς καλούμενον ait Clemens Alex. in Protrept. pag 30. Eademne δρυοπετὴς vel δρυοπέτης, quod arbores scandat, ut dicetur sect. 29 Καλαμίτης, quæ in arundinetis maxime vivit, omnium viridissima, ut dicetur sect. 42 Diversa duo ranarum genera. Diosc. lib. 2. cap 28. Τῶν δὲ χλωρῶν βατράχων τὸ αἷμα ἐπιχριόμενον, κωλύει τὰς ἐκτιλθείσας ἀπὸ τῶν βλεφάρων τρίχας φυῆναι. Tamen hoc Galenus negat esse verum, lib. 10. de fac. simp. med. pag 279.

15. *Oculorum tumorem.*] Plinius Valer. lib. 1. cap 14. *Corticis sepiæ farina in epiphoris, ex lacte mulieris oculis circumlinatur.* Marcellus Empir. cap. 8. pag. 69. *Sepia testa interior, quæ mollis est, diligentissime trita, & muliebri lacte permixta, atque inunctioni adhibita, supra dictis oculorum causis plurimum prodest.* Diosc. lib. 2. cap. 23 de sepia: Τὸ δὲ ὄστρακον αὐτῆς ὄμμασι χρησιμεύει εἰς κολλύρια, ἁρμόζει πρὸς τὰς τραχείας βλεφάρων. *Ipsius vero testa in collyria efformata, scabris genis perfricandis accommodatur.* Os sepiæ vocat Plinius, sect. 27. & 28 quod in dorso sepiæ reperitur: ὄστρακον τὸ ἐν τῷ νώτῳ, Athen. lib. 7.

16. *Extrahit, &c.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 18. sub finem: *Ad maculas oculorum tollendas, sepiæ testam diligenter in mortario Thebaico teres, & pulverem ipsius in oculos mittes.* Ego vero squamas interpretor, non pterygia oculorum, de quibus mox seorsim, ut Dalecampius: sed festucas, paleas, aut quidvis aliud simile, quod in oculos inciderit: his extrahendis dotem esse corticis sepiarum propriam dicit, confirmatque idem inferius sect. 43. cum vel ipsis telis aculeisque extrahendis hujus corticis cinerem commendat.

17. *Pterygia, &c.*] Diosc. lib. 2 cap. 23.

18. *Emendat, &c.*] Dioscor. lib. 2. cap 23. Ποιεῖ δὲ καὶ πρὸς λευκώματα κτηνῶν ἐμφυσώμενον. *Facit & præclare jumentis ad oculorum albugines, si insuffletur* Etiam ad hominum oculos transfert hanc vim Plinius Valer lib. 1. cap. 20

19. *Ichthyocolla.*] Is est qui in Borysthene capi, nullisque ossibus esse munitum, dixit lib. 9. sect. 17. cui a glutino quod id præbet, alterum id nomen est inditum.

20. *Quidam ex ventre.*] Dioscor lib. 3. cap. 102. Ἡ δὲ ἰχθυόκολλα λεγομένη κοιλία ἐστὶν ἰχθύος κητώδους. Διαφέρει δὲ ἡ ἐν Πόντῳ γεννωμένη, οὖσα λευκὴ .... μὴ ψωρώδης, τάχιστα τηκομένη. *Ichthyocolla, hoc est, piscium gluten, venter est piscis cetacei. Præstat natione Pontica, candicans .... minime scabra, & quæ celerrime liquescit.* Tale glutinum hodieque & e Ponto mittitur. Piscis nomen Discorides cum reticet, ichthyocollam dici a glutino suo significat. Vide Aldrov. lib. 5. de pisc. cap 4. pag 565.

21. *Utilem eam.*] Sic Diosc. loc. cit Ὠφελεῖ δὲ εἰς τὰς κεφαλικὰς ἐμπλάστρους, καὶ λεπρικὰς δυνάμεις, καὶ εἰς τὰ τετανόθρυς [illegible] *Utilis est in emplastris cephalicis, leprarumque medicaminibus, & tetanothris, quæ faciei cutem erugant & extendant.* Cum emplastris cephalicis utilem esse ait Dioscorides, considerandum amplius videtur, annon ea potius intelligat, quæ peculiariter calvariæ fracturis dicata sunt, quam quæ capitis doloribus accommodata.

22. *Tetanothris.*] Τετανόθρυξ, sive τετανώθρον a verbo τετανόω, sunt quæcumque ad lævigandam & crugandam hominis cutem præsertim in vultu conficiuntur. Teotipellia, a tendenda pelle Latini vocant. Vide Voss. in Etymol

23. *Rana dexter.*] Simile est quod habet Marcellus Empir. cap 8 prg. 67 *Ranam de loco prehendes, & spina oculos ei subtiliter erues, atque in panno coccineo ligatos, oculis interius cruentis superpones: cito medeberis.*

dexter oculus dextro, finistro lævus suspensi e collo nativi coloris panno, lippitudines sanant. Quod si per coïtum ranæ eruantur, albuginem quoque, alligati similiter in putamine ovi. Reliquæ carnes impositæ sugillationem rapiunt. [24] Cancri etiam oculos adalligatos collo mederi lippitudini dicunt. [25] Est parva rana in arundinetis & herbis maxime vivens, muta ac sine voce, viridis, si forte hauriatur, ventres boum distendens. Hujus corporis humorem [26] specillis derasum claritatem oculis inunctis narrant afferre: ipsasque carnes doloribus oculorum superponunt. [27] Ranas etiam quindecim conjectas in fictile novum juncis configunt quidam: succoque earum, qui ita effluxerit, admiscent [28] vitis albæ lacrymam, atque ita palpebras emendant, inutilibus pilis exemptis, acu instillantes hunc succum in vestigia evulsorum. [29] Meges psilothrum palpebrarum faciebat in aceto [a] enecans putrescentes, & ad hoc utebatur multis varüsque per aquationes autumni nascentibus. [30] Idem præstare sanguisugarum cinis ex aceto illitus putatur. Comburi eas oportet in novo vase. [31] Idem tæniæ jecur siccatum [32] pondere x. iv. cum oleo cedrino perunctis pilis novem mensibus.

XXV. Auribus utilissimum [1] batiæ piscis fel recens, sed & inveteratum vino: item bacchi, quem quidam myxona vocant: item callionymi cum rosaceo infusum: [2] vel castoreum cum papaveris succo. [3] Vocant & in mari pediculos, eosque tritos instillari ex aceto auribus jubent. [4] Et per se conchylio infecta lana magnopere prodest. Quidam aceto & nitro madefaciunt. [5] Suntque qui præcipue contra omnia aurium vitia laudent gari excellentis cyathum, mellis dimidio amplius, aceti cyathum in calice novo lenta pruna decoquere, subinde spuma pennis deterſa, & postquam desierit spumare, tepidum infundere. [6] Si tumeant aures, coriandri succo prius mitigandas iidem præcipiunt. [7] Ranarum adeps instillatus statim dolores tollit. Cancrorum fluviatilium succus cum farina hordeacea aurium vulneribus efficacissime prodest. [8] Parotides muricum testæ cinere cum melle, vel conchyliorum ex mulso curantur.

XXVI. Dentium dolores sedantur ossibus draconis marini [1] scarificatis gingivis: cerebro caniculæ in oleo decocto asservatoque, ut ex eo dentes semel anno colluantur. Pastinacæ quoque radio scarificare gingivas, & in dolore utilissimum. [2] Conteritur is, & cum elleboro albo illitus, dentes sine vexatione extrahit. [3] Salsamentorum etiam fictili vase combustorum cinis, addita farina marmoris, inter remedia est. [4] Et cybia vetera elura in novo vase, dein trita, prosunt doloribus. Æque prodesse dicuntur omnium salsamentorum spinæ combustæ, tritæque, & illitæ. [5] Decoquuntur & ranæ singulæ in aceti

INTERPRETATIO.

a *Enecans.*] Enecans, sinensque putrescere in aceto.

NOTÆ.

24. *Cancri etiam.*] Q. Serenus, cap. de oculorum dolore mitigando:

Viventisque nepa lumen gestatur amicum.

Nepa Sereno cancer est. Superstitiosius autem Marcellus Empir. cap. 8 pag. 58. *Cancri oculus subtiliter sublatus, & in phœnicio colligatus, colloque suspensus, lippitudini incipienti medetur, si tamen remedium a casto homine fiat.*

25. *Est parva rana.*] Καλαμίτις arundinetis superius appellata, hac ipsa sect.

26. *Specillis.*] Instrumento ferreo, vel cupreo, ut diximus lib. 7. sect. 54. *Acu cuprea* dixit Marcellus Empir. cap. 8. pag. 70. *Ranunculum viridem comprehensum*, inquit, *acu cuprea pungito, & sanguine ejus excepto*, &c. Sanguinem hunc Plinius humorem vocat.

27. *Ranas etiam.*] Vide Notas & Emend. num. XV.

28. *Vitis albæ lacrymam.*] Cui *psilothri* quoque ab ea dote nomen est inditum, ut dictum est lib. 23. sect. 16. Est enim psilothrum, unguentum depilatorium. Pro albæ vitis lacryma chamæleonis folia Theod. Priscianus adhibet, lib. 1. cap. 10. *Et chamæleonis herbæ folia sicca trita in pulverem & commixta sanguine ranarum viridium, post evulsionem capillorum pro collyrio inungimus.*

29. *Meges.*] Chirurgus is fuit, de quo diximus in Auctorum Indice.

30. *Idem præstare.*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 71. Plinius Valer. lib. 1. cap. 21. Theod. Priscianus loc. cit.

31. *Idem tæniæ.*] Ταινία piscis a Græcis vocatur, cujus meminit Epicharmus apud Athen. lib. 7 pag. 325. Gaza vittam interpretatur: tæniam retinere Plinium maluit. A Narbonensis oræ piscatoribus *Flambo* vocari, auctor est Rondeletius, lib. 11. cap. 17. a colore rufo seu flammeo. In Reg. 2. & Colb. 3. *thenis*: unde *thynni* rescribi hoc loco quibusdam placet, quibus ægre assentimur.

32. *Pondere X. IV.*] Hoc est, denariûm quatuor, sive drachmarum. Ramesium, lib. 2. Var. sect. cap. 7. in hoc loco cæcutit.

Sect. XXV. 1. *Batiæ piscis.*] Ita MSS. Reg. 1. 2. Colb. 3. & Chiffl. non *bati*, ut in editis. Index quoque hujus loci; *Βατὶς βάτος sive βατίς*, raia est; a qua si batia discrepat; quid ea sit, incompertum nobis fatemur esse.

2. *Vel castoreum.*] Celsus, lib. 6. cap. 7. *ad sonitum aurium intra seipsas, castoreum* adhibet *cum aceto, vel irino, vel laureo oleo: aut huic mixtum castoreum cum succo nucum amararum.*

3. *Vocant .... pediculos.*] Ita MSS. tum in hoc loco, tum in Indice, non *pedunculos*. Φθεῖρας vocat Aristoteles, lib. 4. hist. anim. cap. 10. pag. 501. Horum ortus in maris profundo, Γίνονται δ' ἐν τῷ βυθῷ τῆς θαλάσσης. De his egimus lib. 9. sect. 71. Adde Ælianum, lib. 9. hist. anim. cap. 7.

4. *Et per se conchylio.*] Conchyliatam lanam appellat Marcellus Empir. cap. 9. pag. 75. qua autem occlusi jubet, cui medetur. Crito, apud Galen. lib. 3. κατὰ τόπους, pag. 405. conchylio infectos flocculos in aurem jubet pariter immitti.

5. *Suntque qui.*] Marcellus Empir. ad verbum, cap. 9. pag. 75. 77. & 82. Plinius item Valer. lib. 1. cap. 9.

6. *Si tumeant.*] Plinius Valer. lib. 1. cap. 9. & Marcellus Empir. cap. 9. pag. 74.

7. *Ranarum.*] Marcellus Empir. cap. 9. pag. 75. & Plinius Valer. loc. cit.

8. *Parotides.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 15. pag. 107. & 109. Plinius Valer. lib. 1. cap. 13. pro melle mulsam adsciscit.

Sect. XXVI. 1. *Scarificatis.*] MSS. Reg. 2. aliique, *scarifatis*, & mox *scarifare*, ut alias monuimus.

2. *Conteritur is.*] Sic fere Diosc. lib. 2. cap. 22. Celsus quoque, lib. 6. cap. 9. *Plani piscis (quam pastinacam nostri, τρυγόνα Græci vocant) aculeus torretur: deinde conteritur, resinaque excipitur, quæ denti circumdata hunc solvit.*

3. *Salsamentorum*, &c.] Ad verbum Marcellus Empiric. cap. 13 pag. 97.

4. *Et cybia vetera.*] Vide Notas & Emend. num. XVI.

5. *Decoquuntur.*] Sic Diosc. lib. 2. cap. 28. Ὠφελοῦσι καὶ ὀδονταλγίας συνεψηθέντες ὕδατι καὶ ὄξει, καὶ διακλυζόμενοι. *Decocta in aqua & aceto dentium dolores collutione leniunt.*

heminis, ut dentes ita colluantur, contineaturque in ore succus. Si fastidium obstaret, suspendebat pedibus posterioribus eas Sallustius Dionysius, ut ex ore virus deflueret in acetum fervens, idque e pluribus ranis. Fortioribus stomachis ex jure mandendas dabat. Maxillatesque ita sanari dentes præcipue putant, mobiles vero supra dicto aceto stabiliri. Ad
5 hoc quidam ranarum corpora binarum præcisis pedibus in vini hemina macerant, & ita collui dentium labantes jubent. Aliqui totas adalligant maxillis. Alii denas in aceti sextariis tribus decoxere ad tertias partes, ut mobiles dentium stabilirent. Necnon XXXVI. ranarum corda in olei veteris sextario [6] sub æreo testo discoxere, ut infunderent per aurem dolentis maxillæ. Alii jecur ranæ decoctum & tritum cum melle imposuere denti-
10 bus. Omnia supra scripta ex marina rana efficaciora. Si cariosi & fœtidi sunt, centum in furno arefieri per noctem præcipiunt: postea tantumdem salis addi, atque ita fricari. [7] Enhydris vocatur a Græcis colubra in aqua vivens. Hujus quatuor dentium superioribus in dolore superiorum [8] gingivas scarificant, inferiorum inferioribus. Aliqui canino tantum earum contenti sunt. Utuntur & cancrorum cinere: [9] nam muricum cinis dentifri-
15 cium est.

XXVII. [1] Lichenas & lepras tollit adeps vituli marini: [2] murænarum cinis cum mellis obolis terni: jecur pastinacæ in oleo decoctum: hippocampi, aut delphini cinis ex aqua illitus. Exhulcerationem sequi debet curatio, quæ perducit ad cicatricem. [3] Quidam delphini jecur in fictili torrent, donec pinguitudo similis oleo fluat, ac perungunt. Mu-
20 ricum vel conchyliorum testæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutemque erugat, extenditque septenis diebus illitus, ita ut octavo candido ovorum foveatur. Muricum generis sunt, quæ vocant Græci [4] coluthia, alii corythia, turbinata æque, sed minora multo, efficaciora etiam, & oris halitum custodientia. [5] Ichthyocolla erugat cutem, extenditque, in aqua decocta horis quatuor, dein contusa, & subacta
25 ad liquorem usque mellis. Ita præparata in vase novo conditur, & in usu quatuor drachmis ejus binæ sulphuris, & anchusæ totidem, octo spumæ argenteæ adduntur, aspersaque aqua teruntur una. Sic illita facies post quatuor horas abluitur. [6] Medetur & lentigini ceterisque vitiis, ex ossibus sepiarum cinis. Idem & carnes excrescentes tollit & hu-
* CAP. VIII. mida hulcera. * Psoras tollit rana decocta in heminis quinque aquæ marinæ: excoqui
30 debet, donec sit [7] crassitudo mellis.

[8] Fit in mari & halcyoneum appellatum, ex nidis, ut aliqui existimant, halcyonum [9] & ceycum: ut alii, e sordibus spumarum crassescentibus: alii, e limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor ejus genera: [10] cinereum spissum, odoris asperi: [11] alterum molle, lenius, odore fere algæ: [12] tertium candidioris vermiculi: [13] quartum pumico-
35 sius, spongiæque putri simile. [14] Pæne purpureum, quod optimum, hoc & Milesium vocatur. Quo candidius autem, hoc minus probabile est. [15] Vis eorum, ut exhulcerent, purgent. Usus tostis & sine oleo. [16] Mire lepras, lichenas, lentigines tollunt [17] cum lupino, & sulphuris duobus obolis. Halcyoneo utuntur & ad oculorum cicatrices. Andreas

NOTÆ.

6. *Sub æreo testo.*] Sic omnes typi, cum Reg. 2. cod. MS. In Colb. 3. *sub area testa.*

7. *Enhydris.*] Enhydris Aristoteli lutra est, omnibus nota: Plinio aliud longe: quippe serpentis genus, de quo sup. sect. 19. MSS hic quoque *colubra*, non *coluber* habent.

8. *Gingivas scarificant.*] MSS. *scarifant.*

9. *Nam muricum*] Plinius Valer. lib. 1. cap & Q. Serenus laudatus a nobis lib 28. sect. 49.

Sect. XXVII. 1. *Lichenas .... tollit.*] Reg. 2. & Chiffl. *solvit* Marcellus Empir. cap 19. pag. 129. *Adeps vituli marini imposita mentagræ plurimum prodest.* Subscribit & Plinius Valer. lib. 2. cap 56.

2. *Murænarum cinis.*] Ita omnes typi, cum Reg. 2. cod. At Colb 3. *mænarum*, qood satius videtur.

3. *Quidam delphini jecur in fictili.*] Reg. 2 & quem Pintianus habuit, *Quidam delphinum in fictili* Verum Plinius Valer. lib 2. cap. 56. cui titulus est, *Licheni arcendo: item*, inquit, *delphini jecinoris cinerem ex aqua.*

4. *Coluthia.*] Reg. 2. *Colutihia*, alii *coryphia.* Index, *colytia*, sive *corytia*, haud satis sincere Placet *corythia* dici ob similitudinem aliquam eorum muricum ἀπὸ τῆς κόρυθος, cum galea vel casside. Neque admodum κοχλίδια displicet, quasi deminuti murices: unde & minores statim dicuntur a Plinio. Est autem murex de concharum genere, ut dictum est libro nono.

5. *Ichthyocolla.*] Auctor lib de simp. med. ad Patern. tom 13. operum Galeni, pag 993. *Omnis ichthyocolla .... & cutem extendit, & splendidam facit.*

6. *Medetur & lentigini.*] Q. Serenus, cap. 12. de cutis & faciei vitiis propellendis, pag. 131.

Sepiolæ cineres ex ossibus omnia tollunt.

7. *Crassitudo mellis.*] Chiffl. *lentitudo mellis.*] Reg. 2. & vet. Dalec. *lenitudo mellis.*

8 *Fit & halcyoneum.*] Græcis ἁλκυόνειον & ἀλκυόνιον. Pharmacopolis, *spuma maris*, & *Pila marina.* Hujus effigies plures exhibet Aldrovandus, lib. de metall. cap. 1. pag 212.

9. *Ex ceycum*] Κήϋξ halcyonum mas est. Vide Constantinum in Lexico, verbo Κήϋξ.

10. *Cinereum.*] Galenus, lib. 11. de fac simpl. med. pag. 316. Ἔστι δ' αὐτῶν τὸ μὲν τεφρὸν τῇ ὄψει, καὶ μοχθηρὸν τὴν ὀσμήν, ὄζει γὰρ ἰχθύων σαπρῶν. *Odoris pravi, olet enim pisces putridos.*

11. *Alterum molle.*] Galenus, loc. cit. Δεύτερον δ' ἄλλο... λεῖον, ἁπαλόν, ὀσμὴν φυκίοις ὁμοίαν ἔχον.

12. *Tertium.*] Galenus, loc. cit. Ἄλλο δὲ τρίτον, σκώληκι μὲν ἐν τῷ σχήματι παραπλήσιον, πορφυρίζον δὲ τῇ χρόᾳ.... ὀνομάζουσι δ' αὐτὸ Μιλήσιον. Dioscor. lib. 5. cap 136. Τὸ δὲ τρίτον σκωληκῶδες ὑπάρχει τῷ τύπῳ, καὶ τῇ χρόᾳ ὑποπόρφυρον, ὅπερ Μιλήσιον καλοῦσι. *Tertium vermiculi forma, colore pæne purpureum est, quod Milesium vocant.*

13. *Quartum*] Galenus, loc. cit. Τέταρτον κοῦφον καὶ ἀραιόν, ἐοικὸς δὲ ἐρίοις σεσηπόσι, *leve & rarum, lanis foecidis simile.*

14 *Pæne purpureum.*] Ab his verbis nova fuit instituenda oratio, quam priorum negligentia anterioribus verbis conjunxit: cum & is purpuræ color, & a Mileto cognomen, non quarto illi, seu postremo generi, sed tertio adjudicari debeat. Galeno teste & Diosc. locis allatis proxime. Aetius quoque in MS. Πρὸς λέπρας, ἀλφούς, ψώρας, καὶ λειχῆνας... τὸ δὲ Μιλήσιον λεγόμενον σκώληκι ἐοικὸς τὸ σχῆμα, πορφυρίζον τῇ χροιᾷ, καὶ τῇ συστάσει μαλακόν, λεπτότατον πάντων ἐστί.

15. *Vis eorum.*] Hæc pariter Galenus, loc. cit.

16. *Mire lepras.* &c.] Diosc. Galenus & Aetius, locis cit post Hippocr. lib 2. de morbis mul. tex. 67 pag 596.

17. *Cum lupino.*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

ad

ad lepras cancri cinere cum oleo usus est: Attalus thynni adipe recenti ad oris hulcera.

XXVIII. [1] Mænarum muria, & capitum cinis cum melle sanat strumas. [2] Pungi piscis ejus, qui rana in mari appellatur, ossiculo e cauda, ita ut non vulneret, prodest. Id faciendum quotidie, donec percurentur. [3] Eadem vis & pastinacæ radio, [4] & lepori marino imposito, ita ut celeriter removeantur: [5] echini testis contusis & ex aceto illitis: [6] item scolopendræ marinæ ex melle: [7] cancro fluviatili contrito vel combusto ex melle. [8] Mirifice prosunt & sepiæ ossa cum axungia vetere contusa & illita. Sic & ad parotidas utuntur, [9] & sauri piscis marini jocineribus. [10] Quin & testis cadi salsamentarii tusis cum axungia vetere, muricumque cinere ex oleo ad parotidas strumasque. Rigor cervicis mollitur marinis, qui pediculi vocantur, drachma pota: castoreo poto cum pipere ex mulso mixto ranis decoctis ex oleo & sale, ut sorbeatur succus. Sic & opisthotono medentur, & tetano: spasticis vero pipere adjecto. [11] Anginas mænarum salsarum ex capitibus cinis ex melle illitus abolet: ranarum decoctarum ex aceto succus: hic & contra tonsillas prodest. [12] Cancri fluviatiles triti singuli in heminam aquæ anginis medentur gargarizati: aut e vino, & calida aqua poti. [13] Uvæ medetur garum cochlearibus subditum. Vocem siluri recentes, salsive, in cibo sumpti adjuvant.

XXIX. Vomitiones mulli inveterati tritique in potione concitant. Suspiriosis castorea [1] cum Hammoniaci exigua portione ex aceto mulso jejunis utilissima potu. Eadem potio [2] spasmos stomachi sedat ex aceto mulso calido. Tussim sanare dicuntur piscium modo e jure decoctæ in patinis ranæ. [3] Suspensæ autem pedibus, cum destillaverit in patinam saliva earum, [4] exenterari jubentur, abjectisque interaneis condiri. [5] Est rana parva arborem scandens, atque ex ea vociferans: in hujus os si quis exspuat, ipsamque dimittat, tussi liberari narratur. [6] Præcipiunt & cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aqua calida in tussi cruenta.

CAP. IX.

XXX. Jocineris doloribus scorpio marinus in vino necatur, ut inde bibatur. [1] Conchæ longæ carnes ex mulso potæ cum aqua, pari modo: aut si febres sint, ex aqua mulsa. Lateris dolores leniunt hippocampi tosti sumpti, [2] tetheaque similis ostreo in cibo sumpta: [3] ischiadicorum, muria siluri clystere infusa. Dantur autem conchæ ternis obolis dilutæ in vini sextariis duobus per dies quindecim.

XXXI. [1] Alvum emollit silurus e jure, & torpedo in cibo. Et [2] olus marinum simile sativo: stomacho inimicum, alvum facillime purgat: sed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur. [3] Et omnium piscium jus. Idem & urinas ciet, e vino maxime. [4] Opti-

NOTÆ.

Sect. XXVIII. 1. *Mænarum muria.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVIII.

2. *Pungi piscis ejus qui rana.*] An *raia* potius? caret enim rana aculeo. Vide Rondel lib. 12. cap 18.

3. *Eadem vis.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 108. *Aculeo a, id est, spiculo trygonis, qua pastinaca dicitur, strumam sæpius punge: statim arescit.*

4. *Et lepori marino.*] Marcellus Empir. loc. cit. *Lupus marinus* (lege *lepus*) *id est, piscis, tanta efficacia est adversum strumas, ut ad quamlibet partem corporis admotus, strumarum vitium omne persanet.* Et pag. 110. *Marini lepores oleo veteri tincti, bene faciunt discutiendis strumis*, &c. Scribonius Largus, Compos. 80. *Ad strumas melius marini leporis oleo vetere necati faciunt, in plumbea pyxide clusi, quam diebus XL. diligenter alligatam oportet habere. Postea ex ea, plana oblinenda sunt struma, superque eas pellis lanata non nimium tonsa, tegendi gratia, imponenda est. Præcipere autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet, aut inquinatas, priusquam laverit, ad os referat.*

5. *Echini testis*, &c.] Iisdem verbis Marcellus Empir. cap. 15. pag. 108. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 28. & 29.

6. *Item scolopendræ*] Et videlicet, de qua lib. 9. sect. 67.

7. *Cancro fluviatili*, &c.] Marcellus Empiric. loc. cit. ad verbum.

8. *Mirifice*, &c.] Idem ibidem.

9. *Et sauri piscis.*] Hoc est, lacerti. Vide Notas & Emend. num. XIX.

10. *Quin & testis.*] Totidem verbis Marcellus Empiric. cap. 15. pag. 109.

11. *Anginas mænarum*, &c.] Plinius Valer. lib. 1. ad verbum, cap. 52. & Marcellus Empir. loc. cit.

12. *Cancri fluviatiles*, &c.] In Græcia, Creta, Sicilia, Etruriaque frequentes: in Gallia Germaniaque nulli. Effigiem vide apud Rondel lib. de pisc. fluviat. cap. 34.

13. *Uvæ medetur.*] Iisdem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 43.

Sect. XXIX. 1. *Cum Hammoniaci.*] Hammoniacum ipsum per se prodesse suspiriosis auctor est Scribonius Largus, Compos. 79.

2. *Spasmos stomachi.*] Dalecampius vehementiores singultus interpretatur, quorum molestia ægri convelluntur

3. *Suspensæ autem.*] Quemadmodum suspendi Sallustius Dionysius jussit, sect. 26.

4. *Exenterari.*] Reg. 2. & alii, *exinterari*, ab interaneis.

5. *Est rana parva.*] Δρυοπετής, opinor, de qua sect. 24.

6. *Præcipiunt.*] Plinius Valer. lib. 1. pag. 64. *Ad exscreationem cruentam. Cochleæ elixæ teruntur, & ex aqua bibuntur .... Cochlea illota ex aqua marina coquuntur, & ita devorantur. Cochleæ rursus cum testis suis tritæ, addito croco, eduntur.*

Sect. XXX. 1. *Conchæ longæ.*] In Indice hujus loci, *Strombus, sive concha longa.*] Στρόμβος genus conchæ est, instar buccini. Nicandri Scholiastes: Τοὺς στρόμβους λέγει οἱ ἀρχαῖοι ὀστρακον τῶν κογχυλίων, οἷς ἐχρῶντο ἀντὶ σάλπιγγος, *concha genus qua tuba vice utebantur*: Ut apud poetam: *dum personat æquora concha.* Gaza apud Arist. *turbinem vertit.*

2. *Tetheaque.*] Sic MSS. omnes, & hujus loci Index. Græcis τὸ τῆθος & τὰ τήθυα, genus ostreorum est, vel fungorum potius, quod ceteris marinis propius a terra abest: παρὰ τῶν τηθῶν, ἤτοι γῆν· γαιώδη γάρ ἐστι μᾶλλον τῶν ἄλλων ὀστρακοδέρμων, inquit Eustath. in Iliad. π'. pag. 1084. Xenocrates, lib. de alimento ex aquatilibus, apud Oribas. lib 2. cap. 158. *Tethea in limo nascuntur, & litoribus alga feracibus, inveniunturque in musco, alga & fuco. similiaque sunt fungo plantæ marinæ*, &c.

3. *Ischiadicorum.*] Sic Diosc. lib 2. cap. 29. de siluri muria: ἐγκλυζομένη δὲ, ἰσχιαδικοῖς βοηθεῖ. Galenus item, lib. XI. de fac. simp. med. cap. 2. pag. 318.

Sect. XXXI. 1. *Alvum emollit.*] Silurus Dioscoridi similiter loc. cit. εὐκοίλιος, bonam facit alvum.

2. *Et olus marinum.*] Plinius, lib. 20. sect. 38. *Marina brassica vehementissime ex omnibus alvum ciet. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne, stomacho inimicissima.*

3. *Et omnium*] Diosc. lib. 2. cap. 35. Ζωμὸς δὲ ὁ ἐκ τῶν νεαρῶν ἰχθύων, κοιλίας ὑπάγει, &c. *Recentium piscium jus, modo per se, modo ex vino potum, alvum subducit.*

4. *Optimum*, &c.] Hæc totidem verbis Dioscor. loc. cit. Ἰδίως δὲ σκευάζεται ἀπὸ ταύτης ὁ ζωμὸς τῶν σκορπίων, καὶ ἰουλίδος, καὶ ἀφύδιον, καὶ τῶν ἄλλων πετραίων ἁπαλῶν, καὶ ἀβρώμων, Athenæo, lib. 7. pag. 304. ἰουλὶς e saxatilium quoque genere est A Liguribus *Girello*, & a nonnullis etiam *Donzella* dicta, teste Rondelet. lib. 6. cap. 7. Vide & Hippol. Salvian. fol. 219.

heminis, ut dentes ita colluantur, contineaturque in ore succus. Si fastidium obstaret, suspendebat pedibus posterioribus eas Sallustius Dionysius, ut ex ore virus deflueret in acetum fervens, idque e pluribus ranis. Fortioribus stomachis ex jure mandendas dabat. Maxillaresque ita sanari dentes præcipue putant, mobiles vero supra dicto aceto stabiliri. Ad hoc quidam ranarum corpora binarum præcisis pedibus in vini hemina macerant, & ita collui dentium labantes jubent. Aliqui totas adalligant maxillis. Alii denas in aceti sextariis tribus decoxere ad tertias partes, ut mobiles dentium stabilirent. Necnon XXXVI. ranarum corda in olei veteris sextario [6] sub æreo testo discoxere, ut infunderent per aurem dolentis maxillæ. Alii jecur ranæ decoctum & tritum cum melle imposuere dentibus. Omnia supra scripta ex marina rana efficaciora. Si cariosi & fœtidi sunt, centum in furno arefieri per noctem præcipiunt: postea tantumdem salis addi, atque ita fricari. [7] Enhydris vocatur a Græcis colubra in aqua vivens. Hujus quatuor dentium superioribus in dolore superiorum [8] gingivas scarificant, inferiorum inferioribus. Aliqui canino tantum earum contenti sunt. Utuntur & cancrorum cinere: [9] nam muricum cinis dentifricium est.

XXVII. [1] Lichenas & lepras tollit adeps vituli marini: [2] murænarum cinis cum mellis obolis terni: jecur pastinacæ in oleo decoctum: hippocampi, aut delphini cinis ex aqua illitus. Exhulcerationem sequi debet curatio, quæ perducit ad cicatricem. [3] Quidam delphini jecur in fictili torrent, donec pinguitudo similis oleo fluat, ac perungunt. Muricum vel conchyliorum testæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutemque erugat, extenditque septenis diebus illitus, ita ut octavo candido ovorum foveatur. Muricum generis sunt, quæ vocant Græci [4] coluthia, alii corythia, turbinata æque, sed minora multo, efficaciora etiam, & oris halitum custodientia. [5] Ichthyocolla erugat cutem, extenditque, in aqua decocta horis quatuor, dein contusa, & subacta ad liquorem usque mellis. Ita præparata in vase novo conditur, & in usu quatuor drachmis ejus binæ sulphuris, & anchusæ totidem, octo spumæ argenteæ adduntur, aspersaque aqua teruntur una. Sic illita facies post quatuor horas abluitur. [6] Medetur & lentigini ceterisque vitiis, ex ossibus sepiarum cinis. Idem & carnes excrescentes tollit & humida hulcera. * Psoras tollit rana decocta in heminis quinque aquæ marinæ: excoqui debet, donec fit [7] crassitudo mellis.

* Cap. VIII.

[8] Fit in mari & halcyoneum appellatum, ex nidis, ut aliqui existimant, halcyonum [9] & ceycum: ut alii, e sordibus spumarum crassescentibus: alii, e limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor ejus genera: [10] cinereum spissum, odoris asperi: [11] alterum molle, lenius, odore fere algæ: [12] tertium candidioris vermiculi: [13] quartum pumicosius, spongiæque putri simile. [14] Pæne purpureum, quod optimum, hoc & Milesium vocatur. Quo candidius autem, hoc minus probabile est. [15] Vis eorum, ut exhulcerent, purgent. Usus tostis & sine oleo. [16] Mire lepras, lichenas, lentigines tollunt [17] cum lupino, & sulphuris duobus obolis. Halcyoneo utuntur & ad oculorum cicatrices. Andreas

Notæ.

6. *Sub æreo testo.*] Sic omnes typi, cum Reg. 2. cod. MS. In Colb. 3. *sub area testa.*

7. *Enhydris.*] Enhydris Aristoteli lutra est, omnibus nota: Plinio aliud longe: quippe serpentis genus, de quo sup. sect. 19. MSS hic quoque *colubra*, non *coluber* habent.

8. *Gingivas scarificant.*] MSS. *scarifant.*

9. *Nam muricum*] Plinius Valer. lib. 1. cap & Q. Serenus laudatus a nobis lib. 28. sect. 49.

Sect. XXVII. 1. *Lichenas . . . tollit.*] Reg. 2. & Chiffl *solvit.* Marcellus Empir. cap 19. pag. 129. *Adeps vituli marini imposita mentagræ plurimum prodest.* Subscribit & Plinius Valer. lib. 2. cap 56.

2. *Murænarum cinis.*] Ita omnes typi, cum Reg. 2. cod. At Colb 3. *murenarum*, quod satius videtur.

3. *Quidam delphini jecur in fictili.*] Reg. 2. & quem Pintianus habuit, *Quidam delphinum in fictili.* Verum Plinius Valer. lib 2. cap. 56. cui titulus est, *Licheni arcendo: Item*, inquit, *delphini jecinoris cinerem ex aqua.*

4. *Coluthia.*] Reg. 2. *Coluthia*, alii *coryphia.* Index, *colytia*, sive *corytia*, haud satis sincere. Placet *corythia* dici ob similitudinem aliquam eorum muricum σὺν τῇ κόρυθι, cum galea vel casside. Neque admodum κολύθια displicet, quasi deminuti murices: unde & minores statim dicuntur a Plinio. Est autem murex de concharum genere, ut dictum est libro nono.

5. *Ichthyocolla.*] Auctor lib de simp. med. ad Patern. tom 13. operum Galeni, pag. 993. *Omnes ichthyocolla . . . & cutem extendit, & splendidam facit.*

6. *Medetur & lentigini.*] Q. Serenus, cap. 12. de cutis & faciei vitiis propellendis, pag. 131.

Sepiola cineres ex ossibus omnia tollunt.

7. *Crassitudo mellis.*] Chiffl, *lentitudo mellis.*] Reg. 2. & vet Dalec. *lentitudo mellis.*

8 *Fit & halcyoneum.*] Græcis ἀλκυόνειον & ἀλκυόνιον. Pharmacopolis, *spuma maris*, & *Pila marina.* Hujus effigiem plures exhibet Aldrovandus, lib. de metall. cap. 1 pag 212.

9. *Ex ceycum*] Κήϋξ halcyonum mas est. Vide Constantinum in Lexico, verbo Κήϋξ.

10. *Cinereum.*] Galenus, lib. 11. de fac. simpl. med. pag. 316. Ἔστι δ' αὐτῶν ἓν μὲν πυκνὸν καὶ δασύ, καὶ μοχθηρὸν κατὰ τὴν ὀσμήν, ὄζει γὰρ ἰχθύων σαπρῶν. *Odoris pravi, olet enim pisces putridos.*

11. *Alterum molle.*] Galenus, loc. cit. Δεύτερον δ' ἄλλο.... κοῦφον, ἀραιόν, ὀσμὴν φυκίοις ὁμοίαν ἔχον.

12. *Tertium.*] Galenus, loc. cit. Ἄλλο δὲ τρίτον, σκώληκι μὲν ἐστι τὸ σχῆμα παραπλήσιον, πορφυρίζον δὲ τῇ χρόᾳ.... ὀνομάζουσι δ' αὐτὸ Μιλήσιον. Dioscor. lib. 5. cap 136. Τὸ δὲ τρίτον σκωληκοειδὲς ὑπάρχει τῷ τύπῳ, καὶ τῇ χρόᾳ ὑποπόρφυρον, ὅπερ Μιλήσιον καλοῦσι. *Tertium vermiculi forma, colore pæne purpureum est, quod Milesium vocant.*

13. *Quartum*] Galenus, loc. cit. Τέταρτον κοῦφον καὶ σομφόν, ἐοικὸς δὲ ἐρίοις σεσηπόσι, *leve & rarum, lanis putridis simile.*

14 *Pæne purpureum.*] Ab his verbis nova fuit instituenda oratio, quam priorum negligentia anterioribus verbis conjunxit: cum & is purpuræ color, & a Mileto cognomen, non quarto illi, seu postremo generi, sed tertio adjudicari debeat, Galeno teste & Diosc locis allatis proxime. Aetius quoque in MS. Πρὸς λέπρας, ἀλφούς, ψώρας, καὶ λειχῆνας... τὸ δὲ Μιλήσιον λεγόμενον σκώληκι ἐοικὸς τὸ σχῆμα, πορφυρίζον τῇ χροιᾷ, καὶ τῇ συστάσει μαλακόν, λεπτότατον πάντων ἐστί.

15. *Vis eorum.*] Hæc pariter Galenus, loc. cit.

16. *Mire lepras, &c.*] Diosc. Galenus & Aetius, locis cit post Hippocr. lib. 2. de morbis mul. tex. 67. pag 596.

17. *Cum lupino.*] Vide Notas & Emend. num. XVII.

ad lepras cancri cinere cum oleo usus est: Attalus thynni adipe recenti ad oris hulcera.

XXVIII. [1] Mænarum muria, & capitum cinis cum melle sanat strumas. [2] Pungi piscis ejus, qui rana in mari appellatur, ossiculo e cauda, ita ut non vulneret, prodest. Id faciendum quotidie, donec percuratur. [3] Eadem vis & pastinacæ radio, [4] & lepori marino imposito, ita ut celeriter removeantur: [5] echini testis contusis & ex aceto illitis: [6] item scolopendræ marinæ e melle: [7] cancro fluviatili contrito vel combusto ex melle. [8] Mirifice prosunt & sepiæ ossa cum axungia vetere contusa & illita. Sic & ad parotidas utuntur, [9] & sauri piscis marini jocineribus. [10] Quin & testis cadi salsamentarii tusis cum axungia vetere, muricumque cinere ex oleo ad parotidas strumasque. Rigor cervicis mollitur marinis, qui pediculi vocantur, drachma pota: castoreo poto cum pipere ex mulso mixto ranis decoctis ex oleo & sale, ut sorbeatur succus. Sic & opisthotono medentur, & tetano: spasticis vero pipere adjecto. [11] Anginas mænarum salsarum ex capitibus cinis ex melle illitus abolet: ranarum decoctarum ex aceto succus: hic & contra tonsillas prodest. [12] Cancri fluviatiles triti singuli in heminam aquæ anginis medentur gargarizati: aut e vino, & calida aqua poti. [13] Uvæ medetur garum cochlearibus subditum. Vocem siluri recentes, salsive, in cibo sumpti adjuvant.

XXIX. Vomitiones mulli inveterati tritique in potione concitant. Suspiriosis castorea [1] cum Hammoniaci exigua portione ex aceto mulso jejunis utilissima potu. Eadem potio [2] spasmos stomachi sedat ex aceto mulso calido. Tussim sanare dicuntur piscium modo e jure decoctæ in patinis ranæ. [3] Suspensæ autem pedibus, cum destillaverit in patinam saliva earum, [4] exenterari jubentur, abjectisque interaneis condiri. [5] Est rana parva arborem scandens, atque ex ea vociferans: in hujus os si quis exspuat, ipsamque dimittat, tussi liberari narratur. [6] Præcipiunt & cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aqua calida in tussi cruenta.

CAP. IX.

XXX. Jocineris doloribus scorpio marinus in vino necatur, ut inde bibatur. [1] Conchæ longæ carnes ex mulso potæ cum aqua, pari modo: aut si febres sint, ex aqua mulsa. Lateris dolores leniunt hippocampi rosti sumpti, [2] tetheaque similis ostreo in cibo sumpta: [3] ischiadicorum, muria siluri clystere infusa. Dantur autem conchæ ternis obolis dilutæ in vini sextariis duobus per dies quindecim.

XXXI. [1] Alvum emollit silurus e jure, & torpedo in cibo. Et [2] olus marinum simile sativo: stomacho inimicum, alvum facillime purgat: sed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur. [3] Et omnium piscium jus. Idem & urinas ciet, e vino maxime. [4] Opti-

NOTÆ.

Sect. XXVIII. 1. *Mænarum muria.*] Vide Notas & Emendationes, num. XVIII.

2. *Pungi piscis ejus qui rana.*] An *raia* potius? caret enim rana aculeo. Vide Rondel lib. 12. cap. 18.

3. *Eadem vis.*] Marcellus Empir. cap. 15. pag. 108 *Acu ossea, id est, spiculo trygonis, qua pastinaca dicitur, strumam sæpius punge statim arescet.*

4. *Et lepori marino.*] Marcellus Empir. loc. cit. *Lupus marinus* (lege *lepus*) *id est, piscis, tantæ efficaciæ est adversum strumas, ut ad quamlibet partem corporis admotus, strumarum vitium omne persanet.* Et pag 110. *Marini lepores oleo veteri intecti, bene faciunt discutiendis strumis,* &c. Scribonius Largus, Compos. 80. *Ad strumas melius marinis leporis oleo vetere necati faciunt, in plumbea pyxide clusi, quam diebus XL. diligenter alligatam oportet habere. Postea ex ea, pinna oblinendæ sunt strumæ, superque eas pellis lanata non minuta tonsa, tegendi gratia, imponenda est. Præcipere autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet, aut inquinatas, priusquam laverit, ad os referat.*

5. *Echini testis,* &c.] Iisdem verbis Marcellus Empir. cap. 15. pag. 108. & Plinius Valer lib. 3. cap. 28. & 29.

6. *Item scolopendra.*] Ei videlicet, de qua lib. 9. sect 67.

7. *Cancro fluviatili,* &c.] Marcellus Empiric. loc. cit. ad verbum.

8. *Mirifice,* &c.] Idem ibidem.

9. *Et sauri piscis.*] Hoc est, lacerti. Vide Notas & Emend. num XIX.

10. *Quin & testis.*] Totidem verbis Marcellus Empiric. cap. 15. pag 109.

11. *Anginas mænarum,* &c.] Plinius Valer. lib. 1. ad verbum, cap. 52. & Marcellus Empir loc. cit.

12. *Cancri fluviatiles,* &c.] In Græcia, Creta, Sicilia, Etruriaque frequentes: in Gallia Germaniaque nulli. Effigiem vide apud Rondel. lib de pisc. fluviat. cap. 34.

13. *Uvæ medetur.*] Iisdem verbis Plinius Valer. lib. 1. cap. 43

Sect. XXIX. 1. *Cum Hammoniaci.*] Hammoniacum ipsum per se prodesse suspiriosis auctor est Scribonius Largus, Compos. 79.

2. *Spasmos stomachi.*] Dalecampius vehementiores singultus interpretatur, quorum molestia ægri convelluntur

3. *Suspensæ autem.*] Quemadmodum suspendi Sallustius Dionysius jussit, sect. 26.

4. *Exenterari.*] Reg. 2. & alii, *exinterari*, ab interaneis.

5. *Est rana parva.*] Δρυοπέτης, opinor, de qua sect. 24

6. *Præcipiunt.*] Plinius Valer. lib 1. pag. 64. *Ad exscreationem cruentam. Cochleæ elixæ teruntur, & ex aqua bibuntur.... Cochlea ablota ex aqua marina coquuntur, & ita devorantur. Cochleæ rursus cum testis suis tritæ, addito croco, eduntur.*

Sect. XXX. 1. *Conchæ longæ.*] In Indice hujus loci, *Strombus, sive concha longa.*] Στρόμβος genus conchæ est, instar buccini. Nicandri Scholiastes: Τὸν στρόμβον ἔλεγον οἱ ἀρχαῖοι ὄστρεον τῆς κόγχης [illegible], concha genus quo tubæ vice utebantur: Ut apud poetam: *dum personat æquora concha.* Gaza apud Arist. *turbinem vertit.*

2. *Tetheaque.*] Sic MSS. omnes, & hujus loci Index. Græcis τὸ τήθυον & τὰ τήθεα, genus ostreorum est, vel fungorum potius, quod ceteris marinis propius a terra abest: [illegible], inquit Eustath. in Iliad. π'. pag. 1084. Xenocrates, lib de alimento ex aquatilibus, apud Oribas. lib 2. cap. 158. *Tethea in limo nascuntur, & litoribus alga feracibus, inveniunturque in musco, alga & fuco: similiaque sunt fungo plantæ marinæ,* &c.

3. *Ischiadicorum.*] Sic Diosc. lib 2. cap. 29. de siluri muria: ἐγκλυζομένη δὲ, ἰσχιαδικοὺς θεραπεύει. Galenus item, lib. 11. de fac. simp. med. cap 2. pag. 318.

Sect. XXXI. 1. *Alvum emollit.*] Silurus Dioscoridi similiter loc. cit. εὐκοίλιος, bonam facit alvum.

2. *Et olus marinum.*] Plinius, lib. 20. sect. 38 *Marina brassica vehementissime ex omnibus alvum ciet. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne, stomacho inimicissima.*

3. *Et omnium*] Diosc. lib. 2. cap. 35. Ζωμὸς δὲ ὁ ἐκ τῶν νεαρῶν ἰχθύων, ποιλίας ὑπάγει, &c. *Recentium piscium jus, modo per se, modo ex vino potum, alvum subducit.*

4. *Optimum,* &c.] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. [illegible] Athenæo, lib 7. pag. 304. Ἰουλὶς e saxatilium quoque genere est. A Liguribus *Girello*, & a nonnullis etiam *Donzella* dicta, teste Rondelet. lib. 6. cap. 7. Vide & Hippol. Salvian. fol. 219.

mum e scorpionibus & iülide, & saxatilibus, nec virus resipientibus. [5] Coqui debent cum anetho, apio, coriandro, porro, additis oleo & sale. [6] Purgant & cybia vetera, privatimque cruditates, pituitam, bilemque trahunt. Purgant & myaces, quorum natura tota in hoc loco dicetur. Acervantur muricum modo, vivuntque in algosis, gratissimi autumno, & [8] ubi multa dulcis aqua miscetur mari, ob id in Ægypto laudatissimi. Procedente hyeme, amaritudinem trahunt, coloremque rubrum. [9] Horum jus traditur alvum & vesicas exinanire, interanea [a] destringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipemque minuere. Itaque utilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulario, inflationibus. [10] Item prodesse fellis, pituitæ, pulmonis, jocineris, splenis vitiis, rheumatismis. Fauces tantum vexant, vocemque obtundunt. Hulcera quæ serpant, aut sint purganda, sanant. Item carcinomata. Cremati autem, ut murices, & morsus canum hominumque cum melle, lepras, lentigines. [11] Cinis eorum lotus emendat caligines, gingivarum & dentium vitia, eruptiones pituitæ: [12] & contra dorycnium aut [13] opocarpathon antidori vicem obtinent. Degenerant in duas species: in mitulos, [14] qui salem virusque resipiunt: myïscas, quæ rotunditate differunt, minores aliquanto atque hirtæ, tenuioribus testis, carne duriores. [15] Mituli quoque, ut murices, cinere causticam vim habent: & ad lepras, lentigines, maculas. [16] Lavantur quoque plumbi modo ad [b] genarum crassitudines, & oculorum albugines, caliginesque, atque in aliis partibus sordida hulcera, capitisque pusulas. [17] Carnes vero eorum ad canis morsus imponuntur. At pelorides emolliunt alvum: [18] item castorea ex aqua mulsa drachmis binis. Qui vehementius volunt, addunt cucumeris sativi radicis siccatæ drachmam, & aphronitri duas. Tetheæ torminibus & inflationibus occurrunt. [19] Inveniuntur hæ in foliis marinis sugentes, fungorum verius generis, quam piscium. Eædem & tenesmum dissolvunt, renumque vitia. [20] Nascitur & in mari absinthium, quod aliqui Seriphium vocant, circa Taposirin maxime Ægypti, exilius terrestri. Alvum solvit, [21] & noxiis animalibus intestina liberat. [22] Solvunt & sepiæ. In cibo dantur cum oleo, & sale, & farina, decoctæ. [23] Mænæ salsæ cum felle taurino illitæ umbilico, alvum solvunt. [24] Jus piscium in patina coctorum cum lactucis tenesmum discutit. [25] Cancri fluviatiles triti ex aqua poti, alvum sistunt, urinam cient, [26] in vino alvum. [27] Ademptis brachiis calculos pellunt tribus obolis cum myrrha triti, singulis eorum drachmis. Ileos & inflationes castorea cum dauci semine, & petroselini, quantum ternis digitis sumatur, ex mulsi calidi cyathis quatuor: tormina vero [28] cum anetho ex vino mixto. Erythini in cibo sumpti sistunt alvum. Dysentericis medentur ranæ cum scilla decoctæ, ita ut pastilli fiant: vel cor earum cum melle tritum, ut tradit Niceratus. Morbo regio salsamentum cum pipere, ita ut reliqua carne abstineatur.

XXXII. [1] Lieni medetur solea piscis impositus: item torpedo: item rhombus vivus: dein remittitur in mare. [2] Scorpio marinus necatus in vino, vesicæ vitia, & calculos sanat. [3] Lapis, qui invenitur in scorpionis marini cauda, pondere oboli potus: enhydridis

Interpretatio.

a *Destringere.*] Detergere.

b *Genarum.*] Palpebrarum.

Notæ.

5. *Coqui debent.*] Diosc. ad verbum, loc. cit.

6 *Purgant & myaces*] Aristoteles *μύας* vocat, & Athenæus: *μύακας* alii: Myaces commune nomen est, mitulos, qui majores, grandioresque: & myiscas, quæ minores, complexum. De utrisque mox Plinius

7. *Acervantur.*] Plinius, lib 9 sect. [60. de purpuris: *Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant. Simili modo & murices* Quod & Philosophus tradidit, ut diximus, qui & *μύας* pariter cerificare adjicit, *συρίζουσι δὲ καὶ οἱ μύες.*

8 *Et ubi multa dulcis.*] Sic de ostreis paulo ante, sect. 21. *Gaudent dulcibus aquis, & ubi plurimi influunt amnes.*

9. *Horum jus.*] Athenæus, lib. 3 pag. 86. & 87. Horatius, lib. 2. Satyr. 4. vers. 27.

Si dura morabitur alvus,
Mitulus, & viles pellent obstantia conchæ.

10. *Item prodesse.*] In Reg. 2. Colb. 3. & Chiffl. *obesse*, vitiis scilicet obest, cum ea amolitur.

11. *Cinis eorum lotus.*] Sic Reg. 2. & Pintiam codex. Hactenus editi, & Colb. 3 *potus*, minus sincere, ut arbitror.

12. *Et contra dorycnium.*] Scribonius Largus, Compos. 191. ad dorycnion *Adjuvari debent læsi ab eo .... conchyliis omnibus crudis atque decoctis.*

13. *Opocarpathon.*] Carpathi succum, de quo sect. 20.

14. *Qui salem.*] Vide Notas & Emend. num XX.

15. *Mituli quoque*] Hos vulgus in Gallia musculos vocat, *des muscles*: myiscas, *des moules.*

16. *Lavantur.*] Diosc. lib. 2. cap. 7. *Μύακες .... καέντες τὸν αὐτὸν ἔχουσι τοῖς κήρυξιν. Ἰδιαίτερον δὲ πλυθέντες ὡς μόλυβδος, χρησιμεύουσιν εἰς τὰ ὀφθαλμικὰ σὺν μέλιτι, ἀποτήκοντες παχύτητας βλεφάρων, καὶ σμήχοντες λευκώματα, καὶ τὰ ἄλλα ἐπισκοτοῦντα ταῖς κόραις.* Quæ verbis totidem Plinius.

17. *Carnes vero.*] Diosc loc. cit. & Galenus similiter, lib. 11. de fac. simpl. med. cap 1 pag 199.

18. *Item castorea.*] Pari modo sumpta & menses cient, & partus secundasque ejiciunt, teste Diosc. lib 2. cap. 16.

19. *Inveniuntur hæ.*] Vide quæ diximus de iis, sect. sup.

20. *Nascitur & in mari.*] Hæc jam delibata superius, lib. 27. sect. 29.

21. *Et noxiis.*] Marcellus Empir cap. 28 pag 199.

22. *Solvunt & sepiæ.*] Inter ea quæ alvum movent, sepiarum atramentum Celsus annumerat, lib. 2. cap. 29.

23. *Mænæ salsæ.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 23.

24. *Jus piscium.*] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 39. pag. 203. & Plinius Valer. lib. 2. cap 24.

25. *Cancri fluviatiles.*] Plinius Valer lib. 2. cap. 27.

26. *In vino alvum.*] Sic omnes editi, cum Colb. 3. At Reg 2. & Chiffl. *in vino albo.*

27. *Ademptis brachiis.*] Simpliciore via Marcellus Empiric. cap. 26. pag 177. *Cancri testam*, inquit, *diligenter teres, & vino subdulci miscebis, & colatam potionem dabis bibendam ei qui calculi molestia laborabit.*

28. *Cum anetho ex vino.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXI

Sect. XXXII. *Lieni medetur.*] Vide Notas & Emendat. num. XXII.

2. *Scorpio marinus.*] Totidem verbis Plinius Valer lib. 2. cap. 39. & Marcellus Empir cap 26. pag. 181.

3. *Lapis.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIII.

jecur : [4] blendiorum cinis cum ruta. [5] Inveniuntur & in bacchi piscis capite ceu lapilli. Hi poti ex aqua calculosis præclare medentur. Aïunt & urticam marinam in vino potam prodesse : item pulmonem marinum decoctum in aqua. [6] Ova sepiæ urinam movent, renumque pituitas extrahunt. Rupta convulsa cancri fluviatiles triti in asinino lacte maxime sanant : [7] echini vero cum spinis suis contusi in vino poti calculos. [8] Modus singulis hemina : bibitur donec prosit : & alias in cibis ad hoc proficiunt. Purgatur vesica & pectinum cibo. [9] Ex his mares alii donacas, alii aulos vocant : feminas onychas. Urinam mares movent. Dulciores feminæ sunt, & unicolores. [10] Sepiæ quoque ova urinam movent, renes purgant.

XXXIII. Enterocelicis lepus illinitur tritus cum melle. [1] Jecur quoque aquaticæ colubræ, [2] item hydri tritum potumque, calculosis prodest. [3] Ischiadicos autem liberant salsamenta ex siluro infusa clystere, evacuata prius alvo. [4] Sedis attritus cinis e capite mugilum mullorumque : comburuntur autem in fictili vase : illini cum melle debent. Item capitis mænarum cinis & ad rhagadas, & ad condylomata utilis : sicut pelamidum salsarum capitum cinis, vel cybiorum cum melle. Torpedo apposita [a] procidentis interanei morbum ibi coërcet. Cancrorum fluviatilium cinis ex olea & cera, rimas in eadem parte emendat : item & marini cancri polline.

XXXIV. Panos salsamenta coracini discutiunt : sciænæ interanea & squamæ combustæ : scorpio in vino decoctus, ita ut foveantur ex illo. [1] At echinorum testæ contusæ & ex aqua illitæ, incipientibus panis resistunt. [2] Muricum vel purpurarum cinis utroque modo, sive discutere opus sit incipientes, sive concoctos emittere. [3] Quidam ita componunt medicamentum : ceræ & thuris drachmas XX. spumæ argenti XL. cineris muricum X. olei veteris heminam. [4] Prosunt per se salsamenta cocta. Cancri fluviatiles triti verendorum pusulas discutiunt : [5] cinis ex capite mænarum : item carnes decoctæ & impositæ. Similiter percæ salsæ e capite cinis melle addito. Pelamidum capitis cinis, aut squatinæ piscis cutis combusta. [6] Hæc est, qua diximus lignum poliri : quia & e mari [b] fabriles usus exeunt. Prosunt & smarides illitæ : [7] item muricum vel purpurarum testæ cinis cum melle : efficacius crematarum cum carnibus suis. [8] Carbunculos verendorum privatim salsamenta cocta cum melle restinguunt. [9] At testem, si descenderit, cochlearum spuma illini volunt.

XXXV. [1] Urinæ incontinentiam hippocampi tosti & in cibo sæpius sumpti emendant. [2] Item ophidion pisciculus congro similis cum lilii radice. Pisciculi minuti, [c] ex ventre ejus qui devoraverit exempti, & cremati, ita ut cinis eorum bibatur ex aqua.

INTERPRETATIO.

a *Procidentis.*] Procidentia sedis.
b *Fabriles.*] Quæ ad fabrorum pertinent.
c *Ex ventre.*] Ex ventre piscis alterius.

NOTÆ.

4. *Blendiorum.*] Ita Reg. 1. & 2. ac Colb. 3. Et Index hujus loci ex omnium codicum fide. *Blendea* In editis, *blenniorum* Oppiano, lib. 1. fol. 108. Βλέννο-, Athenæo, lib. 7. pag. 288 Βλέννο-. Describitur a Rondeletio pisciculus pelagius, rarissimusque, lib. 7. cap 9 pag 214.

5. *Inveniuntur*, &c.] Plinius Valer. lib. 2. cap 39. *Inveniuntur in brancis* (lege *bacchi*) *piscis capite quasi lapilli, qui poti ex aqua, calculosis præclare medentur.*

6. *Ova sepiæ.*] Marcellus Empiric. ad verbum, cap. 26. pag. 179.

7. *Echini vero*, &c.] Plinius Valer. lib. 2. pag 39. & Marcellus Empir cap. 26. pag 177.

8. *Modus.*] Hoc est, ut Plinii Valer. paraphrasi utar, *singuli ex hemina vini bibuntur.*

9 *Ex his.*] Hoc est, e pectinibus. Pectinum autem vocabulo laxius abutitur, ut solenes quoque eo comprehendat. Nam de solenibus totidem verba facit Diphilus Siphnius medicus, apud Athenæum, lib. 3. pag. 90. Οἱ δὲ σωλῆνες μὲν αὐτοὶ τινες καλοῦμενοι, πρὸς ἐνίων δὲ καὶ αὐλοὶ, καὶ δόνακες, καὶ ὄνυχες. πολύχυλοι, καὶ εὐχύλοι. κακόχυλοι. Καὶ οἱ μὲν ἄρρενες αὐτῶν ῥαβδωτοί εἰσι, καὶ οὐ μονοχρώματοι· τοῖς δὲ λιθιῶσι, καὶ ἄλλοις δυσουροῦσιν ὠφελοῦσιν· αἱ δὲ θήλειαι μονοχρώματοί τε εἰσι, καὶ γλυκύτεροι. *Quos nonnulli solenas vocant, quidam aulos, donacas, onychas, succi multum suppeditant, sed pravi, & glutinosi. Ex his mares, virgati, colorisque cærulei, calculosis & ægre meientibus opitulantur: feminæ vero unicolores sunt ac dulciores.* Δόνακες porro appellantur a figura cavæ arundinis : αὐλοὶ, a tubæ similitudine · ὄνυχες ab unguis colore, quam ob rem & δάκτυλοι, hoc est, digiti cognominati inferius sect. 53.

10 *Sepiæ quoque.*] Hanc clausulam vix Plinianam puto, cum proxime ante idem diserte effatus, *Ova sepiæ urinam movent, renumque pituitas extrahunt.*

Sect XXXIII. 1. *Jecur quoque aquaticæ colubræ.*] Hoc est, enhydridis, de qua sect. 19 & 26

2. *Item hydri.*] Ita Reg. 2. ceterique MSS. Anguium genus id est quod in terra & in aqua vivit, ut dictum est lib. 29. sect. 22.

3. *Ischiadicos.*] Simile est quod allatum supra sect. 30. *Ischiadicorum* dolores lenit *muria siluri clystere infusa.*

4. *Sedis attritus.*] Marcellus Empir. cap. 31. pag 212. etiam carnes horum decoctas, cum melle subactas & impositas, prodesse scribit.

Sect. XXXIV. 1. *At echinorum testæ.*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 27.

2. *Muricum vel*, &c] Totidem verbis Marcellus Empir. cap. 32. pag 225. & Plinius Valer. loc. cit.

3. *Quidam ita componunt.*] Hæc syllabis plane totidem Plinius Valer. lib. 3. cap. 3. Hoc medicamentum Græci ἀλφ’ ὀσχίναν vocant.

4. *Prosunt per se.*] Plinius Valer. loc. cit.

5. *Cinis ex capite.*] Diosc. lib 2. cap 31 Καὶ ἡ μαινίδος ἡ κεφαλὴ καεῖσα λεία τοῖς ἐν δακτυλίῳ τετυλωμένοις ῥαγάσι καταπασθεῖσα ὠφελεῖ. *Mænæ quoque caput ustum, tritumque, si inspergatur, sedis rhagadas emendat.* Galenus similiter lib. 11. de facult. simp. med cap. 1. pag 302.

6. *Hæc est, qua diximus.*] Libro 9. sect. 14. *Aspera cute integuntur, ut squatina, qua lignum & ebora poliuntur.*

7. *Item muricum.... efficacius*, &c.] Hæc Plinius Valer. ad verbum, lib. 2. cap 41. & Marcellus Empiric. cap. 33. pag 230.

8. *Carbunculos.*] Marcellus Empir & Plinius Valer. locis citatis.

9. *At testem.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 42. Noster ipse superius, lib. 30 sect. 22 *Si decidat testium alter, spumam cochlearum illitam remedio esse tradunt.*

Sect XXXV. 1. *Urinæ incontinentiam*] Sic MSS. omnes, sic ipse Plinius, lib 30. sect. 22. ubi eadem genera morborum ordine persequitur : feminis incontinentiam, quam Rordeletius hic obtrudit, lib. 14. cap. 2. inter illa non recensuit

2. *Item ophidion.*] Ὀφίδιον, quasi parvum serpentem di-

[3] Jubent & cochleas Africanas cum sua carne comburi, cineremque ex vino Signino dari.

XXXVI. [1] Podagris articularibusque morbis utile est oleum, in quo decocta sint ranarum intestina: & rubetæ cinis cum adipe vetere. Quidam & hordei cinerem adjiciunt, trium rerum æquo pondere. Jubent & lepore marino recenti podagram fricari. Fibrinis 5 quoque pellibus calceari, maxime Pontici fibri. [2] Item vituli marini cujus & adeps prodest. Nec non & bryon, [3] de quo diximus, lactucæ simile, rugosioribus foliis, sine caule. Natura est ei styptica. Impositumque lenit impetus podagræ. [4] Item alga de qua ipsa dictum est: observaturque in ea, ne arida imponatur. [5] Perniones emendat pulmo marinus, [6] cancrique marini cinis ex oleo, item fluviatiles triti, sicque cinere & oleo 10 subacti: & siluri adeps. [7] Et in articulis, morborum impetus sedant ranæ subinde recentes impositæ: quidam dissectas jubent imponi. Corpus auget jus mitulorum, & concharum.

XXXVII. [1] Comitiales, ut diximus, coagulum vituli marini bibunt cum lacte equino, asininove, aut cum Punici succo, quidam ex aceto mulso. Nec non aliqui per se 15 pilulas devorant. [2] Castoreum in aceti mulsi cyathis tribus jejunis datur. His vero, qui sæpius corripiuntur, clystere infusum mirifice prodest. [3] Castorei drachmæ duæ esse debebunt, mellis & olei sextarius, & aquæ tantumdem. Ad præsens vero correptis olfactu subvenit cum aceto. [4] Datur & mustelæ marinæ jecur: item muris, [5] vel testudinum sanguis.

CAP. X. 20 XXXVIII. [1] Febrium circuitus tollit jecur delphini gustatum ante accessiones. Hippocampi necantur in roseo, ut perungantur ægri [2] in frigidis febribus. Et ipsi alligantur ægris. [3] Item ex asello pisce lapilli, qui plena Luna inveniuntur in capite, alligantur in linteo. Pagri fluviatilis longissimus dens capillo adalligatus, ita ut quinque diebus eum qui alligaverit, non cernat æger: [4] ranæ in trivio decoctæ oleo abjectis carnibus, petun-25 ctos liberant quartanis. Sunt qui strangulatas in oleo, ipsas clam adalligent, oleoque eo perungant. Cor earum adalligatum frigora febrium minuit: [5] & oleum, in quo intestina decocta sint. [6] Maxime autem quartanis liberant, ablatis unguibus ranæ adalligatæ, & rubetæ. [7] Jecur ejus vel cor adalligatur in panno leucophæo. [8] Cancri fluviatiles triti in oleo & aqua, perunctis ante accessiones in febribus prosunt. Aliqui & piper addunt. Alii 30 decoctos ad quartas in vino e balineo egressis bibere suadent in quartanis. Aliqui vero sinistrum oculum devorari jubent. [9] Magi quoque oculis eorum ante Solis ortum adalligatis ægro, ita ut cœcos dimittant in aquam, tertianas abigi promittunt. Eosdem oculos [10] cum carnibus lusciniæ in pelle cervina adalligatos, præstare vigiliam somno fugato tradunt. In lethargum vergentibus coagulo balænæ, aut vituli marini ad olfactum ungun-35 tur. Alii sanguinem testudinum lethargicis illinunt. Tertianis mederi dicitur [11] & spondy-

Notæ.

cas, diminuto nomine ab ὄφις Monspeliensibus *Donzella* dicitur, ut auctor est Rondeletius, lib. 14 cap. 2.

3. *Jubent & cochleas.*] Verbum verbo transcripsit Plinius Valer. lib 2. cap 40 Quin & ipse noster, lib 30. sect. 22. *Sicut ad urinæ incontinentiam . . . cochleas Africanas cum sua carne & testa crematas, poto cinere.*

Sect. XXXVI. 1. *Podagris.*] Marcellus Empir. cap. 36. pag 246. *Vtiliter in dolore perunguntur pedes oleo in quo decocta sint intestina ranarum. Rana quoque rubeta exusta cinis*, &c. Totidem verbis & Plinius Valer. lib. 3. cap. 14.

2. *Item vituli marini.*] Ita MSS. omnes. Subintellige, pellibus calceari, vel ut MSS. habent, *calceari.* Marcellus Empir. cap. 36. pag. 246 *Vituli marini . . . pelle facta calciamenta, si quis in quotidiano usu habuerit, efficaciter podagra morbo carebit.* Plinius Valer. lib 3. cap. 14. *Podagræ depellendæ: Adipe vituli marini*, inquit, *pedes perunguntur unguis & pellibus calceari convenit.* Galenus item, lib. 3. Εὐπορ. pag 663. Πρὸς ποδάγραν. Φώκης δέρμα, ἢ λέοντος, ἢ λύκου, ἢ ἀλώπεκος, ὑπὸ τὰ ἐργάζηται, καὶ φορῇ ὑποδήματα, οὐκ ἀλγήσει τοὺς πόδας.

3 *De quo diximus.*] Libro 27 sect. 33. *Bryon marinum herba sine dubitatione est, lactucæ foliis similis. . . . Præcipua siccandi et spissandique vis, & collectiones omnes inflammationesque cohibendi, præcipue podagræ*, &c.

4. *Item alga, de qua.*] Libro 26. sect 66. & hujus libri sect. 22.

5. *Perniones.*] Plinius Valer. lib. 2. cap. 49 & Dioscor. lib 2. cap. 39.

6 *Cancrique marini.*] Marcellus Empir. cap. 34 pag. 232. & Plinius Valer. loc. cit.

7. *Et in articulis.*] Ad verbum hæc Marcellus Empiric. cap. 34. pag. 236.

Sect. XXXVII. 1. *Comitiales, ut diximus.*] Libro 8 sect. 49. Sic Plinius Valer. lib. 2. cap. 58. & Diosc. lib. 2. cap. 85. Cælius Aurel. lib. 1 Chron. cap. 4. de Epilepsia: *Dant etiam bibendum lac asininum, cum sale, vel sanguine testudinis marinæ, aut vituli marini: & non solum sanguinem, verum etiam coagula quæ lacti miscentur.* Hæc vero ipse deinde medicamenta damnat.

2. *Castoreum*, &c.] Plinius Valer. ad verbum, loc. cit.

3. *Castorei drachmæ.*] Idem, loc cit.

4. *Datur & mustelæ.*] Idem, ibid.

5. *Vel testudinum sanguis.*] Cælius Aurel. loco proxime allato. Scribonius Largus, Compos. 16.

Sect XXXVIII. 1. *Febrium circuitus*] Plinius Valer. lib. 3 cap. 3.

2. *In frigidis febribus.*] Quæ cum extremarum corporis partium refrigeratione veniunt.

3. *Item ex asello*] Ad verbum Plinius Vales. lib. 3. cap 3. molari figura in aselli capite lapides reperiri scribit Ælianus, lib 6. hist. anim cap. 30.

4. *Ranæ in trivio.*] Sic MSS. omnes, non *ex tritio*. Sic etiam Plinius Valer. lib 3. cap. 6 & Q. Serenus, cap 50. de quartana febri, pag. 197

Sed prius est oleo partus fervescere ranæ
In triviis, illoque artus perducere fucco

5 *Et oleum, in quo.*] Q. Serenus, cap 10. *de humoribus*, (lege, *de horroribus*) *& perfrictionibus medendis*, pag. 130.

Sæpe ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus,
Vt vix quæsito medicamine pulsa recedat,
Si ranam ex oleo decoxeris, abjice carnem:
Membra fove.

6. *Maxime autem*] Plinius Valer lib. 3. cap. 6. ad verbum.

7. *Jecur ejus.*] Plinius Valer. loc cit.

8. *Cancri fluviatiles.*] Ad verbum Plinius Valer. lib. 3. cap 3.

9. *Magi quoque oculis eorum.*] Sic Reg. 2. & alii MSS. non *earum*, ut editi: & mox *cæcos*, non *cæcas*: ad cancros enim fluviatiles ea pertinent. Plinius Valer lib 3. cap. 5. *Tertianæ curandæ. Cancri fluvialis*, inquit, *oculi eruti alligantur, & ipse cancer in aquam remittitur.*

10. *Cum carnibus lusciniæ.*] Ælianus, lib 1. hist. anim cap. 43. de luscinia: *Λέγουσι δὲ καὶ τὰ κρέα αὐτῆς εἰς ἀγρυπνίαν λυσιτελεῖν, ejus etiam carnes vigiliam fovere aiunt.*

11. *Et spondylus porca.*] Σπόνδυλος, sive σφόνδυλος vertebra est spinæ dorsi, ut omnes norunt In libris hactenus editis *per se*, inepte, pro *porca*, ut in Reg. 2. cod. Colb. 3.

lus percæ adalligatus: quartanis cochleæ fluviatiles in cibo recentes. Quidam ob id asservant sale, ut dent tritas in potu.

XXXIX. Strombi in aceto putrefacti, lethargicos excitant odore. Prosunt & cardiacis. Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethea utilia sunt cum ruta ac melle. [1] Hydropicis medetur adeps delphini liquatus, cum vino potus. [2] Gravitati saporis occurritur tactis naribus unguento, aut odoribus, vel quoquo modo obturatis. Strombi quoque carnes tritæ, & in mulsi tribus heminis pari modo aquæ, aut si febres sint, ex aqua mulsa datæ proficiunt. Item succus cancrorum fluviatilium cum melle. Ranæ quoque aquaticæ in vino vetere & farre decoctæ, ac pro cibo sumptæ, ita ut bibatur ex eodem vase. [3] Vel testudo decisis pedibus, capite, cauda, & intestinis exemptis, reliqua carne ita condita, ut citra fastidium sumi possit. [4] Cancri fluviatiles ex jure sumpti, & phthisicis prodesse traduntur.

XL. [1] Adusta sanantur cancri marini vel fluviatilis cinere: & ea quæ ferventi aqua combusta sunt. Hæc curatio etiam pilos restituit cum ranarum fluviatilium cinere. Putantque utendum cum cera & adipe ursino. [2] Prodest & fibrinarum pellium cinis. Igues sacros restinguunt ranarum viventium ventres impositi: pedibus posterioribus pronas adalligari jubent, ut crebriore anhelitu prosint. Utuntur & silurorum capitum cinere, salsamentorum ex aceto. [3] Pruritum scabiemque non hominum modo, sed & quadrupedum efficacissime sedat jecur pastinacæ decoctum in oleo.

XLI. Nervos vel præcisos [1] purpurarum callum, quo se operiunt, tusum glutinat. [2] Tetanicos coagulum vituli adjuvat in vino potum oboli pondere: item ichthyocolla. [3] Tremulos castoreum, si ex oleo petungantur. [4] Mullos in cibo inutiles nervis invenio.

XLII. [1] Sanguinem fieri piscium cibo putant, [2] sisti polypo tuso illitoque. De quo & hæc traduntur: muriam ipsum ex sese emittere, & ideo non debere addi in coquendo: secari arundine: ferro enim infici, vitiumque trahere [a] natura desinente. Ad sanguinem sistendum & ranarum illinunt vocant, vel sanguinem inarefactum. Quidam ex ea rana, quam Græci calamiten vocant, quoniam inter arundines fruticesque vivat, minima omnium & viridissima, sanguinem cineremve fieri jubent. Aliqui & nascentium ranarum in aqua, [3] quibus adhuc caudæ est, in calice novo combustarum cinerem, si per nares fluat, injiciendum. Diversus hirudinum, quas sanguisugas vocant, ad extrahendum sanguinem usus est. Quippe eadem ratio earum, quæ [4] cucurbitularum medicinalium, ad corpora levanda sanguine, spiramenta laxanda, judicatur. Sed vitium, quod admissæ semel desiderium faciunt circa eadem tempora anni semper ejusdem medicinæ. [5] Multi podagris quoque admittendas censuere. [6] Decidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detractæ, aut sale aspersæ. Aliquando tamen affixa relinquunt capita, quæ causa vulnera insanabilia facit, & multos interimit, [7] sicut Messalinum e Consularibus patriciis, [8] cum ad genua admisisset. [b] Invehunt virus remedio verso: maximeque rufæ ita

INTERPRETATIO.

a *Natura.*] Bonitate succi vel sic degenerante in cibis.

b *Invehunt.*] Remedium quod afferebant, vertitur sic in venenum.

NOTÆ.

& in eo quem Pintianus vidit.

Sect. XXXIX. 1. *Hydropicis*] Plinius Valer. lib. 3. cap. 12. *de Hydropisi*. *Adeps delphini*, inquit, *ex vino bibitur: propter gravveolentiam naribus obturatis, aut unguento optimo tactis.*

2. *Gravitati saporis.*] Monet Dalecampius, in quodam MS. codice legi *soporis*: perinde quasi sit de lethargo sermo: quod quam ineptum sit, tum ex Plinii Valeriani verbis proxime allatis palam est, tum quod quæ sequuntur remedia, ad hydropicos adhuc spectant.

3. *Vel testudo*, &c.] Plinius Valer. loc. cit. totidem verbis.

4. *Cancri fluviatiles.*] Plinius Valer loc cit. hydropicis pariter auxiliari scribit: phthisicis Aetius, lib. 2. cap. 174. pag. 76.

Sect. XL. 1. *Adusta sanantur.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIV.

2. *Prodest &c.*] Vide Notas & Emend. num. XXV.

3. *Pruritum, scabiemque.*] Plinius Valer lib 3. cap 39.

Sect. XLI. 1. *Purpurarum callum.*]. Operculum sive integumentum vocat Arist. lib. 5. de hist anim ἐπικάλυμμα. Sub illo operculo exserta lingua pasci purpuræ solent. Caro hæret, ut unguis noster, durusculum, nec tam siccum tamen quam testa, neque humidum, quale cochlearum est, quod ex glutinoso humore, sive ex muco suo sibi ipsæ conficiunt. Pictum vide apud Rondelet. lib. 2. de testac. cap. 2. pag. 64. A Diosc. lib. 2. cap. 10. ὄνυξ & πῶμα vocatur, ut diceмus inferius, sect. 46.

2. *Tetanicos.*] Vide Notas & Emend. num. XXVI.

3. *Tremulos castoreum.*] Subintellige, adjuvat, ex antecedente sententia. Sic etiam Marcellus Empiric. cap. 35. pag. 237.

4. *Mullos . . . inutiles nervis.*] Quare & aciem oculorum eo cibo hebetari tradunt, ut ait ipse sect. 24. Epilepticis olim interdicebant mullorum esu, teste Hippocrate, lib. de morbo sacro, text. 2. pag. 325.

Sect. XLII. 1. *Sanguinem fieri.*] Sic MSS. omnes, non *cieri*: etsi sequitur proxime, *sisti*. Sanguinem fieri, gigni eo cibo significat, vimque hanc ei alimento inesse: ut proxime aoce mullorum hanc dorem notavit, ut sint in cibo nervis inutiles.

2. *Sisti polypo*, &c.] Plinius Valer. lib. 3. cap 21.

3. *Quibus adhuc cauda.*] Quiddam e limo matrumve utero adhærescens, quod instar caudæ sit.

4. *Cucurbitularum.*] Quas Celsus lib. 2. cap. 11. ut Plinius, cucurbitulas: cucurbitas, & cucurbitas ventosas, & ventosas simpliciter, nulloque adjuncto, Theodorus Priscianus appellat, lib. 2. parte 1. cap. 5. & alibi. Galli, *des Ventouses*.

5. *Multi podagris.*] Ita Q. Serenus, cap. 43. de podagra depellenda, pag. 153.

6. *Decidunt satietate.*] Reg. 2. *satiate*, non recte, a recto *satias*. Terentio tamen, Lucretio, Livio, aliisque scriptoribus vox admodum familiaris.

7. *Sicut Messalinum.*] De quo Plinius lib 10. sect. 27. & nos ibi cum eo.

8. *Cum ad genua.*] Reg. 2. *ad genuum*.

formidantur. [9] Ergo fugentia ora forficibus præcidunt : ac veluti [10] siphonibus defluit sanguis : paulatimque morientium capita se contrahunt, nec relinquuntur. [11] Natura earum adversatur cimicibus, & suffitu necat eos. Fibrinarum pellium cum pice liquida combustarum cinis, narium profluvia sistit, succo porri mollitus.

XLIII. [1] Extrahunt tela corpori inhærentia sepiarum testæ ex aqua, salsamentorum carnes, [2] cancri fluviatiles triti, [3] siluri fluviatilis, qui & alibi [4] quam in Nilo nascitur, carnes impositæ recentes sive salsæ. Ejusdem cinis extrahit, & adeps : & cinis spinæ ejus vicem spodii præbet.

XLIV. [1] Hulcera quæ serpunt, & quæ in his excrescunt, ex capite mænarum cinis, vel siluri coërcet. Carcinomata percarum capita salsarum : efficacius si cineri earum misceatur sal, [2] & cunila capitata, oleoque subigantur. Cancri marini cinis usti cum plumbo, carcinomata compescit. [3] Ad hoc & fluviatilis sufficit cum melle, [4] lineaque lanugine. Aliqui malunt alumen melque miscere cineri. Phagedænæ siluro inveterato, & cum sandaracha trito : [5] cacoëthe, & nomæ, & putrescentia cybio vetere sanantur. [6] Vermes innati ranarum felle tolluntur : fistulæ aperiuntur, siccanturque salsamentis cum linteolo immissis, [7] Intraque alterum diem callum omnem auferunt, & putrescentia hulcerum, quæque serpunt, emplastri modo subacta & illita. [8] Et alex purgat hulcera [9] in linteolis conceptis. [10] Item echinorum testæ cinis. Carbunculos coracinorum salsamenta illita discutiunt. [11] Item mullorum salsamenti cinis. Quidam capite tantum utuntur cum melle, vel coracinorum carne. Muricum cinis cum oleo tumorem tollit : [12] cicatrices, sel scorpionis marini.

XLV. [1] Verrucas tollit glani jecur illitum : [2] capitis mænarum cinis cum allio tritus : [3] ad thymia crudis utuntur : [4] fel scorpionis marini rufi : [5] smarides tritæ illitæ. Alex defervefacta unguium scabritiam, cinisque e capite mænarum extenuat.

XLVI. Mulieribus lactis copiam facit glaucifcus e jure sumptus, & smarides cum ptisana sumptæ, vel cum feniculo decoctæ, [1] Mammas ipsas muricum vel purpuræ testarum cinis cum melle efficaciter sanat. Cancri fluviatiles illiti, vel marini, pilos in mamma, vel muricum carnes appositæ tollunt. [2] Squatinæ illitæ crescere mammas non patiuntur. Delphini adipe [3] linamenta accensa excitant vulvæ strangulatu oppressas. Item strombi in aceto putrefacti. Percarum vel mænarum capitis cinis admixto sale, & cunila, oleoque, vulvæ medetur : suffitione quoque secundas detrahit. [4] Item vituli marini adeps

NOTÆ.

9. *Ergo fugentia ora.*] Monet Dalecampius ex vetere vel typo vel manuscripto legi commode posse, *Ergo fugentium inferiora*, hoc est, partes inferiores : quam scripturam secutus est Latius in edit. Elzevir. Ita sane legi, si M S. ullus faveat, admodum probarim.

10 *Siphonibus.*] Fistulis, quales sunt e quibus emicant salientes aquæ.

11. *Natura earum*] Vide quæ dicta sunt lib. 29. sect 17.

Sect. XLIII. 1. *Extrahunt tela.*] Marcellus Empir. cap. 34 pag. 233. & Plinius Valer. lib. 3. cap. 49.

2. *Cancri fluviatiles*] Plinius Valer. loc. cit.

3. *Siluri fluviatilis.*] Dioscor. lib. 2. cap. 29. de siluro : Καταπλασθεὶς δὲ ἡ σὰρξ τῶ παγάγρω, ἀνέλκουσα ἀναΐττει.

4 *Quam in Nilo*] Nam in Nilo nasci dictum est lib 9 sect. 17 Etiam & in Danubio diximus in Notis & Emendationibus ad librum nonum, num. XXIII.

Sect XLIV. 1. *Hulcera*, &c.] Totidem plane syllabis Plinius Valer lib. 3 cap. 22.

2 *Et cunila capitata.*] Sativa, ut quidem reor, quæ & satureia dicta : a nonnullis ob similitudinem, thymbra : ob cacumina fragrantium capitata, a Q. Sereno, cap. de splene curando, thymbra κεφαλωτή.

At thymbræ speciem quam commemorant cephaloten, &c.

3. *Ad hoc & fluviatilis.*] Diosc lib. 2. cap 12.

4. *Lineaque lanugine.*] Sic eleganter linamentum appellat, seu tomentum lineum, quod vulneribus imponitur, *Charpie*.

5. *Cacoëthe*, &c] Hæc totidem verbis Plinius Valer. lib. 3. cap 22.

6 *Vermes*, &c.] Plinius Valer. ad verbum, loc. cit. De vermibus hæc accipienda, qui hulceribus innascuntur.

7. *Intraque alterum*, &c.] Plinius Valer loc. cit.

8. *Et alex purgat hulcera.*] De alece diximus lib. 31. sect. 44. Vide Notas & Emend. num. XXVII.

9 *In linteolis conceptis*] Concerpta linteola, ut alibi diximus, Carpiam sequior ætas appellavit : nostri deinde *Charpie*, quæ vox Chirurgis nota : nam vulneribus inditur. Græcis Medicis μοτὸς est, vel τιλτοὶ μοτοί.

10 *Item echinorum.*] Dioscor. lib. 2. cap 1. de echini marini testa : Κεκαυμένον δὲ καθαίρει τὰ ῥυπαρὰ ἕλκη, καὶ καταστέλλει τὰ ὑπερσαρκοῦντα. *Cremata testa, seu testæ cinis, hulcera sordida expurgat, eaque reprimit quæ in hulceribus ipsis excrescunt.*

11. *Item mullorum salsamenti.*] Theod. Priscianus, lib. 4. cap. 18. *de carbunculis* : *Mollium salsamentorum combustorum cinis adhibitus juvat.*

12. *Cicatrices fel*, &c.] Plinius Valer. lib. 3. cap. 46.

Sect XLV. 1. *Verrucas tollit glani jecur.*] Qui & glanis dicitur, lib 9. sect. 67.

2 *Capitis mænarum . . . cum allio.*] Sic libri omnes editi, & Reg. 2. Colb. 3. aliique. In Chiffl. *cum oleo* : & Plinius Valer. lib. 3 cap 42 *Ad verrucas, clavos, & callos : Capitum mænarum cinere cum oleo trito* : alii codd. *cum allio*.

3. *Ad thymia crudis.*] Mænis videlicet. Ita M S S. omnes. Miror Rondeletium lib 5. cap. 13. hæsisse in re tam perspicua : confessumque quid esset hic *crudis*, se non videre : *ad thymia sedis* legi fore satius : quoniam Dioscor lib. 2. cap. 31. ad callosas sedis rhagadas mænarum capitis cinerem inspergi jubet. Sed longe a rhagadibus seu fissuris ani discrepant thymia, sive thymi, hoc est, verrucæ, fabæ magnitudine, quæ a colore thymi nomen habent. De vitiis sedis nihil hic auctor voluit.

4. *Fel scorpionis . . . . rufi*] Hicesius apud Athen. lib. 7. pag. 320. scorpionum duplex statuit genus : pelagium alterum, alterum in cœnosis aquis degentem : & hunc nigricantem, illum vero rufum : καὶ ὁ μὲν πελάγιος πυῤῥός, ὁ δὲ ἕτερος μελανίζων.

5. *Smarides tritæ*] Dioscor. lib. 2. cap 50 Σμαρίδες [illegible] κεφαλὴ [illegible], ἕλκη [illegible], καὶ νομὰς ἵστησι, ἥλους, καὶ θύμους ἀναλίσκει. *Smaridis salitæ caput exustum tritumque, excrescentes in hulceribus carnes cohibet, nomasque compescit : clavos thymosque absumit.*

Sect. XLVI. 1 *Mammas.*] Mammarum inflationes, de quibus Theod. Priscianus, lib. 3. cap. 1

2. *Squatinæ illitæ*] Sic typi, cum Reg. 2. In Chiffl. *squatinæ impositæ*. Rondeletius lib. 12. cap. 21. experimento id se comprobasse ait, tota squatina mammis imposita, earum incrementum esse cohibitum, duriusculasque redditas.

3. *Linamenta.*] Linamentum (vox Celso familiaris) filum est, quod lino volvendo trahitur : qualia sunt ea ex quibus confici ellychnia solent.

4 *Item vituli.*] Hippocr. lib 2 de morb mul. tex. 18 pag. 547. inter suffocatæ vulvæ remedia, τὰς δὲ ῥῖνας, inquit, διαλεῖψαι ἐλαίῳ φώκης, *nares adipe vituli marini illinito.* Pintianus in suo cod. legi *ignaribus* admonet, mendo, ut ex Hippocrate liquet, minime jam obscuro. Hujus coagulum quoque suffitu prodesse in uteri strangulatu, scribit Diosc. lib. 2. Εὐπορ. cap 88.

instillatur igni naribus intermortuarum vulvæ vitio: & cum coagulo ejusdem in vellere imponitur. Pulmo marinus alligatus purgat egregie profluvia. Echini viventes tusi & in vino dulci poti. [5] Sistunt & cancri fluviatiles triti in vino potique. Item siluri suffitu, præcipue Africi, faciliores partus fieri dicuntur. Cancri ex aqua poti profluvia sistere: ex hyssopo purgare. Et si partus stranguletur, similiter poti auxiliantur. Eosdem recentes vel atidos bibunt ad partus continendos. [6] Hippocrates ad purgationes mortuosque partus utitur illis, cum quinis lapathi radicibus, cum ruta & fuligine tritis, & in mulso datis potui. Iidem in jure cocti cum lapatho & apio, menstruas purgationes expediunt: lactisque ubertatem faciunt. Item in febri quæ sit cum capitis doloribus & oculorum palpitatione, mulieribus in vino austero poti prodesse dicuntur. [7] Castoreum ex mulso potum purgationibus prodest: contraque vulvam olfactum cum acero & pice, aut subditum pastillis. [8] Ad secundas etiam uti eodem prodest cum panace in quatuor cyathis vini: & a frigore [a] laborantibus ternis obolis. Sed si castoreum fibrumve supergrediatur gravida, abortum facere dicitur, [9] & periclitari partus, [b] si superferatur. Mirum & quod de torpedine invenio: si capiatur, cum Luna in Libra sit, triduoque asservetur sub dio, faciles partus facere postea, quoties inferetur. Adjuvare & pastinacæ radius adalligatus umbilico existimatut, si viventi ablatus sit, ipsaque denuo in mare dimissa. [10] Invenio apud quosdam ostracium vocari, quod aliqui onychem vocant: hoc suffitum vulvæ pœnis mire resistere. Odorem esse castorei, meliusque cum eo ustum proficere. [11] Vetera quoque hulcera & cacoëthe ejusdem cinere sanari. Nam carbunculos & carcinomata [12] in mulierum parte præsentissimo remedio sanari tradunt cancro femina, cum salis flore contuso, post plenam Lunam, & ex aqua illito.

XLVII. Psilothrum est thynni sanguis, fel, jecur, sive recentia, sive servata. Jecur etiam tritum, mixtaque cedria plumbea pyxide asservatum. Ita pueros [1] mangonizavit Salpe obstetrix. [2] Eadem vis pulmoni marino: [3] leporis marini sanguini & felli: vel si in oleo hic necetur. Cancri, [4] scolopendræ marinæ cinis cum oleo: [5] urtica marina trita ex aceto scillite: torpedinis cerebrum cum alumine illito sexta Luna. [7] Ranæ parvæ, quam in oculorum curatione descripsimus, sanies efficacissime psilothrum est, si recens illinatur: & ipsa arefacta ac tusa, mox decocta tribus heminis ad tertias, vel in oleo decocta æreis vasis. Eadem mensura alii ex quindecim ranis conficiunt psilothrum, [9] sicut in oculis diximus. [10] Sanguisugæ quoque tostæ in vase fictili & ex aceto illitæ, eumdem contra pilos habent effectum. [11] Et suffitus urentium eas necat cimices invectas. Castoreo quoque cum melle pro psilothro usi pluribus diebus reperiuntur. In omni autem psilothro evellendi prius sunt pili.

XLVIII. Infantium gingivis dentitionibusque plurimum confert delphini cum melle dentium cinis, & si ipso dente gingivæ tangantur. Adalligatus idem pavores repentinos

INTERPRETATIO.

a *Laborantibus.*] Gelu torpentibus.

b *Si.*] Si sursum feratur, ac supra caput.

NOTÆ.

5. *Sistunt & cancri*] Ad fluxum pariter muliebrem sistendum, vinum Hippocrates præbet, in quo cancri fluviatiles sint antea suffocati, lib de nat. mul. tex. 84. pag. 405.

6. *Hippocrates.*] Ejus hæc verba, lib. 1. de morbis mul. tex. 128. pag. 519. Διενθόλιον, ἢν ἀπθάνῃ τὸ ἔμβρυον .... Καρκίνους ποταμίους πέντε, καὶ λαπάθου, καὶ πηγάνου ῥίζαν, καὶ αἰθάλην ἀπὸ τοῦ ἰπνοῦ, τρίψαντα ὁμοῦ πάντα, καὶ ἐν ὕδατι ἐν μελικρήτῳ, ὑπαίθριον θεῖναι, πινέτω νῆστις ἐπὶ τρεῖς. *Cancros fluviatiles quinque, & lapathi, & rutæ radicem, & fuliginem de furno, omnia simul trita, & cum aqua mulsa unita, sub dio per noctem exponat, & jejuna ter bibat.*

7. *Castoreum.*] Diosc lib. 2 cap. 26.

8. *Ad secundas.*] Diosc. loc. cit non tamen ita accurate.

9. *Et periclitari partus.*] MSS *partu.*

10. *Invenio .... ostracium*] Operimentum illud certi concharum generis est, quale in purpura descripsimus sect 41. Dioscur. lib. 2. cap. 10. Ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου, ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας. Et mox: Εὐώδεις θυμιώμενοι, πνιγαλιζούσας ὠφελοῦσι τῇ ὀσμῇ· ἐγείρουσι δὲ καὶ τοὺς ὑποπιπτόντας τοῖς ἐπιληπτικοῖς ... ἐπιληψίᾳ. Immo ipsum esse purpuræ integumentum credimus: cum differre nihil a purpura conchylium arbitremur, ut diximus lib. 9. sect. 53. etsi refragari Dioscorides videtur.

11. *Vetera quoque.*] Diosc loc. cit.

12. *In mulierum parte.*] In Reg. 2. & Pintiani codice, *in mulieribus parte.* Forte, *in muliebri parte*, nempe ἐν τῷ αἰδοίῳ, *in muliebribus locis.*

Sect. XLVII. 1. *Mangonizavit.*] Ornavit & composuit ad alliciendos emptores: dum fuco imberbes diu servavit. Mango est, ut ex Fabio discimus, lib. 2. cap 16 qui colorem falsum inducit mancipiis, quique verum robur inani corumdem sagina mentitur.

2. *Eadem vis.*] Ælianus, lib. 13. hist. anim cap. 27.

3. *Leporis marini.*] Diosc lib. 2. cap. 20.

4. *Scolopendra marinæ.*] Diosc. lib. 2. cap. 16. Σκολόπενδρα θαλασσία ἑψηθεῖσα ἐν ἐλαίῳ, καὶ καταχρισθεῖσα, ψιλοῖ τρίχας. *In oleo decocta & peruncta pilos detrahit.*

5. *Urtica marina.*] Diosc. lib. 2 cap. 10.

6 *Torpedinis cerebrum.*] Et carnes quoque ipsæ, teste Æliano, loc. cit.

7. *Ranæ parvæ.*] De qua sect. 24. quæ sectio tota est in afferendis oculorum remediis. Q. Serenus, cap. 36. pag. 149.

Præterea quascumque voles avertere setas,
Atque in perpetuum redivivas occludere telas,
Corporibus vulsis saniem perducito ranæ,
Sed quæ parva situ est, & rauco garrula questu.

8 *Ex quindecim.*] Sic libri typis editi, cum Colb 3. At Reg. 2. *ex duodecim*, facili librariorum lapsu ex XII in XV, ut sæpe monuimus. Vide quæ dicemus in Notis & Emendat. num. XV.

9. *Sicut in oculis diximus.*] Sect. 24.

10. *Sanguisugæ*] Q. Serenus, loc. cit.

Nec non quæ stagnis cessantibus hæsit hirudo
Sumitur: & vivens Samia torretur in olla:
Hæc acidis jungit permixta liquoribus artus,
Avulsamque vetat rursus percrescere silvam.

Plinius item Valer. lib. 1. cap 21. & lib. 3. cap. 52.

11. *Et suffitus.*] Reg. 2 & Chiffl. *Hic suffitus.* Intricata oratio: Sententia tamen non alia est, quam suffitu seu nidore sanguisugarum exustarum cimices necari: quod paulo ante perstrinxit, sect. 42. *Natura sanguisugarum adversatur cimicibus,*

tollit. Idem effectus & caniculæ dentis. Hulcera vero, quæ in auribus, aut ulla corporis parte fiant, cancrorum fluviatilium succus cum farina hordeacea sanat. Et ad reliquos morbos triti in oleo perunctis prosunt. Siriasesque infantium spongia frigida crebro humefacta, rana inversa adalligata efficacissime sanar, [1] quam aridam inveniri affirmant.

XLIX. Mullus in vino necatus, vel piscis [1] rubellio, vel anguillæ duæ, [2] item uva marina in vino putrefacta, iis qui inde biberint, tædium vini affert.

L. [1] Venerem inhibet echeneïs, & hippopotami frontis e sinistra parte pellis [2] in agnina adalligata, selve torpedinis vivæ genitalibus illitum. Concitant cochlearum fluviatilium carnes sale asservatæ, & in potu ex vino datæ: erythini in cibo sumpti: jecur ranæ diopetis vel calamitæ in pellicula gruis alligatum, vel dens crocodili maxillaris, annexus brachio, vel hippocampus, vel nervi rubetæ dextro lacerto adalligati. Amorem finit in pecoris recenti corio rubeta alligata.

LI. Equorum scabiem ranæ decoctæ in aqua extenuant, donec illiniri possit. Aïunt ita curatos non repeti postea. Salpe negat canes latrare, quibus in offa rana viva data sit.

LII. Inter aquatilia dici debet & [1] calamochnus, Latine adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues e spuma aquæ dulcis ac marinæ, ubi se miscent. [2] Vim habet causticam: ideo acopis additur contra [3] perfrictionum vitia. [4] Tollit & mulierum lentigines in facie.

Et calami simul dici debent: [5] Phragmitis radix recens tusa luxatis medetur, & spinæ doloribus ex aceto illita. [6] Cyprii vero, qui & donax vocatur, cortex alopeciis medetur ustus, & hulceribus veteratis: [7] folia extrahendis quæ infixa sint corpori, & igni sacro. [8] Paniculæ flos si aures intravit, exsurdat.

Sepiæ atramento tanta vis est, ut in lucerna addito [a] [9] Æthiopas videri, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat. Rubeta excocta aqua, potui data, suum morbis medetur: vel cujusque ranæ cinis. Pulmone marino si confricetur lignum, ardere videtur, adeo ut baculum ita præluceat.

Cap. XI. LIII. Peracta aquatilium dote, non alienum videtur indicare per tot maria, tam vasta, & tot millibus passuum terræ infusa, extraque circumdata mensura pæne ipsius mundi, quæ intelligantur animalia [1] centum septuaginta quatuor omnino generum esse, eaque nominatim complecti: quod in terrestribus volucribusque fieri non quit. Neque enim omnis Indiæ, Æthiopiæque, aut Scythiæ, desertorumve novimus feras aut volucres, cum hominum ipsorum multo plurimæ sint differentiæ, quas invenire potuimus. Accedat his Taprobane, insulæque aliæ Oceani fabulose narratæ. Profecto conveniet non posse omnia genera in contemplationem universam vocari. At hercules in tanto mari Oceano quæcumque nascuntur, certa sunt, notioraque, quod miremur, quæ profundo Natura mersit. Ut a belluis ordiamur, [2] arbores, physeteres, balænæ, pristes, Tritones, Ne-

Interpretatio.

a *Æthiopas.*] Nigros Æthiopum instar videri, mutata priore lucernæ luce.

Notæ.

& suffitu necat eos. Quare *invectos* legi malim: quanquam in Reg. 2. cod. *invecto* legitur.

Sect. XLVIII. 1. *Quam aridam.*] Exsiccatam nimio fervore capitis inflammati.

Sect. XLIX. 1. *Rubellio.*] Qui & erythinus Græco nomine appellatur, lib. 9. sect. 23.

2. *Item uva marina.*] De qua lib. 9. sect. 1.

Sect. L. 1. *Venerem inhibet echeneis.*] Idcirco amatoriis veneficiis infamis, ut dictum est lib. 9. sect. 41.

2. *In agnina.*] Sic Reg. 1. & alii: non, ut editi, *in linteolo.*

3. *Felve torpedinis.*] Galenus, lib. 2. cap. 27. pag. 636. Χολὴ νάρκης ἐὰν τις πίνῃ, τὸ μόριον ἀνίστασθαι ἴσως.

Sect. LII. 1. *Calamochnum.*] Diximus de ea lib. 16. sect. 66. Habet illius iconem Aldrovandus, lib. 2. de metall. cap. 1. pag. 213. Vox ipsa adarca Græca videtur, Ἀδάρκης Diosc. lib. 5. cap. 139. Καλαμόχνους, quasi arundinum lanugo. Alii calamachne, ἀπὸ τῆς ἄχνης, a spuma. Vide Galenum, lib. 11. de fac. simp. med. cap. 2. pag. 315.

2. *Vim habet.*] Dioscor. lib. 5. cap. 137. Καθόλου δέ ἐστι θερμή.

3. *Perfrictionum.*] Contra rigorem, horroresque frigidos, quales fere in febri sentiuntur. Scribonius Largus, Compos. 268. *Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem nervorum. Idem hieme non patitur perfrigescere artus.*

4. *Tollit.*] Dioscor. loc. cit.

5. *Phragmitis, &c.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 1. cap. 114. De phragmite, ceterisque generibus egimus lib. 16. sect. 66. & seq. Hæc porro petita e calamis remedia totidem fere verbis ante prætractata vide, lib. 24. sect. 50.

6. *Cyprii vero.*] Diosc. loc. cit.

7. *Folia.*] Extrahendis e corpore spiculis aculeisque radicem: erysipelatis sive igni sacro folia Dioscorides assignat, loc. cit.

8. *Paniculæ flos.*] Plinius lib. 24. sect. 50. *Arundinum lanugo illita auribus, obtundit auditum.* Vide locum eum.

9. *Æthiopas.*] Refert hoc & Sextus Empir. lib. 1. Pyrrh. hypotyp. cap. 14. pag. 10. Καὶ γὰρ οἱ γόητες χρίοντες τὰς θρυαλλίδας ἰῷ χαλκοῦ, καὶ θολῷ σηπίας ποιοῦσιν ὅτε μὲν χαλκοῦς, ὅτε δὲ μέλανας φαίνεσθαι τοὺς παρόντας, &c. *Præstigiatores dum lucernas ungunt ærugine & sepiæ atramento, faciunt ut qui adsunt, modo æris colorem habere, modo nigri esse videantur.* Similes nugas habet auctor Kiranidum, pag. 51.

Sect. LIII. 1. *Centum septuaginta quatuor.*] In quibusdam MSS. *centum quadraginta quatuor*, errore minime obscuro: eum enim lib. 9. sect. 16. piscium species esse affirmet, ut diximus, CXLIV. præter crustis intecta, quæ sunt XXX. ex utroque eo numero effici manifestum est, CLXXIV. Sed Plinii numerum auxerunt deinceps in immensum, qui de hoc argumento nostra ætate scripserunt. Et illud animadversione dignum, quod Plinius mox ipse, ait, *tantum se marina dicere.*

2. *Arbores, &c.*] De arboribus, nihil compertum adhuc. De physetere, & de rotis, lib. 9. sect. 3. De balænis & pristibus, eodem lib. sect. 2. De Tritonibus, Nereidibusque, de marino homine, & arietibus, eodem lib. sect. 4. ubi & elephantorum mentio, quorum nemo veterum meminit, præter Plinium. De orcis, lib. 9. sect. 5. De musculo, ejusdem libri sect. 88. De arietibus aliis vide quæ diximus lib. 9. sect. 67. De delphinis, eodem libro, sect. 7. De phocis, seu vitulis marinis, eo libro sect. 15.

reides,

reïdes, elephanti, homines qui marini vocantur, rotæ, orcæ, arietes, musculi, & alii piscium forma arietes, delphini, celebresque [3] Homero vituli. [4] Luxuriæ vero testudines, & [5] medicis fibri, quorum e genere lutras nusquam mari accepimus mergi, tantum marina dicentes. [6] Jam caniculæ, dromones, cornutæ, gladii, serræ: [7] communesque mari, terræ, amni, hippopotami, crocodili: [8] & amni tantum ac mari, thynni, thynnides, siluri, coracini, percæ. Peculiares autem maris, [9] acipenser, aurata, asellus, [10] acharne, [11] aphya, alopecias, anguilla, araneus: [12] Box, [13] batis [14] bacchus, batrachus, belone, [15] quos aculeatos vocamus, [16] balanus. [17] Corvus, [18] citharus e rhomborum genere pessimus: [19] chalcis, cobio, callarias asellorum generis, ni minor esset: [20] colias sive Parianus, sive Sexitanus a patria Bætica, [21] lacertorum minimi: [22] ab iis Mæotici: [23] cybium, ita vocatur concisa pelamis, quæ post XL. dies a Ponto in Mæotin revertitur: [24] cordyla, & hæc pelamis pusilla, cum in Pontum e Mæotide exit, hoc nomen habet: [25] cantharus, [26] callionymus, sive uranoscopus, [27] cinædi soli piscium lutei: [28] cnide, quam nos urticam vocamus, [29] cancrorum genera, [30] chamæ striatæ, chamæ læves, [31] chamæ pelorides, generis varietate distantes & rotunditate: [32] chamæ glycymerides, quæ sunt majores quam pelorides: [33] coluthia sive

NOTÆ.

3. *Homero.*] Odyss. δ'. vers. 436. & alibi sæpius.

4. *Luxuriæ vero.*] Subintellige, celebres. Vide lib. 9. sect. 13.

5. *Medicis fibri.*] De fibri, seu castoris usu in medicina dictum abunde sect. 13. hujus libri.

6. *Jam caniculæ.*] De caniculis, lib. 9. sect. 70. Dromones, cornutasque, præter Plinium, qui nominaret, nondum occurrit: Aliud enim videtur esse a dromonibus Plinianis Hesychii δρόμων, hoc est, parvus cancer, μακρὸς καρκίνος, qui a Monspeliensibus vulgo *Chevrete* nuncupatur: capitur in maris æstuariis, sagittæ in modum per summam aquam decurrit: unde id ei nomen. Dromones Pliniani inter belluas, ut ipse ait, majoresque pisces, sive cetaceos, censeri oportet. Gladium, serramque, nomina esse marinorum fruticum admonuimus, lib. 9. sect. 1.

7. *Communesque*, &c.] De hippopotamis, lib. 8. sect. 39. De crocodilo, ejusdem libri sect. 37.

8. *Et amni*, &c.] De thynno dictum abunde lib. 9. sect. 17. & seqq. Θυννίδες feminæ intelligendæ sunt. Qua re inter se differant, docet Arist. apud Athen. lib. 7. pag. 303. De siluro, eodem lib. 17. De coracino, sect. 24. ejusdem libri, ubi & de perca egimus. Coracinum Hesychius & Persius, saperdam vocant.

9. *Acipenser*, &c.] De acipensere dixi in Notis & Emend. ad librum nonum, num. XLV. De auraca, lib. 9. sect. 25. De asello, eodem lib. sect. 28.

10. *Acharne.*] Ἀχάρνας Athenæo, lib. 7. pag 286 apud Ænum Thraciæ præstantissimus dicitur. Eidem, lib. 8. pag. 356 ἀχάρναι scribitur, Romæ visus a Rondeletio, a quo pingitur, lib 5. cap. 151.

11. *Aphya*, &c] De ea egimus lib. 9. sect. 74. atque in Notis & Emend. ad eum librum, num CXXVIII De alopece, sive alopeciade, seu vulpe marina, lib. 9. sect. 67. Athenæus, lib. 8. pag. 356. De anguilla marina, Epicharmus in fabula, quam Musas inscripsit, teste Athen. lib. 7. pag. 297. De araneo denique, eodem libro, sect. 72.

12. *Box.*] Piscis est tergo picto, & vocalis, unde ei nomen, παρὰ τὴν βοὴν, inquit Athenæus, lib. 7. pag. 286. Idem βῶξ, βόωξ, & βόαξ, a voce quam edit: ab oculis boum similibus, βόωψ. Festus: *Boca, genus piscis: a boando, id est, vocem emittendo appellatur.* In Gallia Narbonensi, *Bogue*, teste Rondeletio, lib. 5. cap. 21.

13. *Batis.*] Βατὶς & βατίς, a Græcis apud Athen. lib. 7. pag. 286. raia dicitur, de qua nonnihil prælibavimus, lib. 9 sect. 40. A rubi, quem βάτον vocant, similitudine nomen traxit: est enim aculeis aspera, præsertim in cauda. Utroque illo vocabulo marem a femina discriminari crediderim, ut de thynno & thynnide paulo ante dixi: Hesychius enim, pag. 185. Βατίς, καὶ βατὸς, ἰχθύες διαφέροντες ἀλλήλων.

14. *Bacchus.*] Sic Reg. & Colb. 3. cum Chiffl. non *banchus*. Egimus de eo lib. 9. sect. 28. De batracho, sive rana, lib. 9. sect. 7. De belone, sive acu, eodem libro, sect. 67.

15. *Quos aculeatos.*] Subintellige, pisces.

16 *Balanos.*] A similitudine glandis querneæ, quæ βάλανος dicitur, nomen habet auctore Athenæo, lib. 3. pag. 91. In rimis saxorum degunt. Iconem vide apud Rondel. lib. 1. de testac. cap. 30.

17. *Corvus*] Græci κόραξ. Pingitur a Rondelet. lib. 10. cap. 7. pag. 296. Meminit ejus Celsus, inter pisces cibi duriusculi, lib. 2. cap. 18. Romanis, *Capone*.

18 *Citharus*] Romæ frequens, *Folio* nominatus, teste Rondel. lib. 11. cap. 5. Vide Notas & Emend. num. XXIX.

19. *Chalcis.*] Est hæc marina chalcis nostra Sardina, ut diximus lib. 9 sect. 71. De cobione, seu gobio, eodem libro, sect. 83. De callaria, sect. 27. ejusdem libri.

20 *Colias, sive Parianus.*] Euthydemus Atheniensis, libro de salsamentis, apud Athen. lib. 3. pag. 116. Coliam Parianum laudat:

Καὶ Πάριον κολιῶν κεδνὴ τροφός ἐστι πολίχνη.

Oppidulum Parium coliarum est inclyta nutrix.

Est autem Parium Hellesponti oppidum, de quo Plinius lib. 5. sect. 40. Coliam majorem esse scombro scribit Hicesius apud eumdem Athen. lib. 7. pag. 321. Ipsi Athenæo, lib. 3. pag. 121. ὁ κολίας præstantissimus dicitur Amyclanus, atque ex Hispania quem Σεξιτανὸν vocant. A Massiliensibus *Cogniol* nuncupari, auctor est Rondeletius, lib 8 cap. 8 Sexitanus ab oppido Bæticæ Ἐξ sive Σεξ, ut diximus lib 3. sect. 3. Meminit Martialis, lib. 7. Epigr. 77. ubi lacertum pariter coliam vocat:

Cum Sexitana fertur tibi cauda lacerti.

21. *Lacertorum minimi.*] Ita Reg. 2. non *minima*, quod neque ars hoc loco patitur.

22. *Ab iis Mæotici.*] Coliæ Mæotici, inquit, Pariano Sexitanoque paulo grandiores.

23. *Cybium.*] Vide Notas & Emend. num. XXIX.

24. *Cordyla.*] Meminit Martialis, lib. 3. Epigr. 2.

Cordyllas madida tegas papyro.

Et lib. xi. Epigr. 53.

Mox vetus, & tenui major cordylla lacerto.

Vide quæ diximus lib. 9. sect. 18.

25. *Cantharus.*] Æliano lib. 1. hist. anim cap. 26. Κάνθαρος. Idem mira quædam de cantharo refert, lib xi. cap. 25. Hujus meminit obiter inter litorales Philosophus, lib. 8. hist. anim. In Provincia Narbonensi paulum deflexo nomine *Canthono* nuncupant. Latine, cum Gaza, Scarabæum dixeris. Vide Rondelet. lib. 5. c. 4. Ovid. in Halieut. vers. 103.

Cantharus ingratus succo.

26. *Callionymus.*] Καλλιώνυμος & οὐρανοσκόπος, ut diximus sect. 24 libri hujus Massiliensibus *Tapecon*. Pingitur a Rondeletio, lib. 10. cap. 13 pag 305.

27. *Cinædi soli piscium.*] Crustis intectos excipit, cum pisces dicit. Sic lib 9. sect. 16. *Piscium sunt species centum quadraginta quatuor: præter crustis intecta, quæ sunt triginta.* Sunt enim canceri & cancelli pariter flavi. Athenæus ἀλφηστὰς vocat, lib. 7. pag. 281. Iconem exhibet Rondeletius, lib. 6 cap. 4. pag. 170.

28. *Cnide.*] Κνίδη, urtica, de qua diximus, lib. 9 sect. 68.

29. *Cancrorum genera.*] Carabi, astaci, ceterique recensiti, lib. 9. sect. 51.

30. *Chamæ striatæ, chamæ læves:*] Sic Reg. 2. & Pintiani codex: in editis perperam, *chamætrachea, chamæleos*. Chamæ Græcis χῆμαι e genere sunt concharum: hoc vero distant a ceteris, quod semper hiant, & testas apertas habent: unde eis nomen. Harum multæ sunt differentiæ. Rondeletius lib. 1. de testaceis, cap. 8. ita distinguit, ut aliæ læves sint, aliæ asperæ: Lævibus deinde chamas peloridea, glycymeridesque subjicit.

31. *Chamæ pelorides.*] Vel a magnitudine nomen habent, sunt enim grandiores: Vel a Peloro Siciliæ promontorio: ubi optimæ. Ita Pollux. Græcis πελωρίδες, πελωριάς, & πελωρίαι. Gallis, *Palourdes*.

32. *Chamæ glycymerides.*] Γλυκυμερίδες, a sapore dulci, minusque salso nomen traxere. Testis Oribasius, lib 2. cap. 58. Meminit harum & Macrobius in cœna Pontificum, lib. 2. Saturn. cap. 9. pag 355.

33. *Coluthia.*] E muricum genere, ut dictum est sect 27. libri hujus.

corythia: [34] concharum genera, inter quæ & margaritiferæ: [35] cochleæ, quarum generis pentadactyli, melicembales, echinophoræ dicuntur quibus cantant: extra hæc sunt rotundæ [36] in oleario usu cochleæ: [37] cucumis, [38] cynosdexia. [39] Draco: [40] quidam aliud volunt esse dracunculum: [41] est autem gerriculæ similis: aculeos in branchiis habet ad caudam spectantes, sic ut scorpio lædit, dum manu tollitur. [42] Erythinus, echeneïs, echinus, [43] elephanti locustarum generis nigri, pedibus quaternis bisulcis: præterea brachia duo binis articulis, singulisque forficibus denticulatis. [44] Faber sive zeus. [45] Glaucisci, [46] glanis, gonger, [47] gerres, [48] galeos, garus. [49] Hippus, hippuros, hirundo, halipleumon, hippocampos, [50] hepar, [51] helacatenes. [52] Sunt lacertorum genera: [53] loligo volitans, locustæ, lucernæ, [54] liparis, lamyrus, [55] lepus, leones, quorum brachia cancris similia sunt, reliqua pars locustæ. [56] Mullus, [57] merula inter saxatiles laudata, [58] mugil, [59] melanurus, [60] mæna, [61] meryx, [62] muræna, mys, mitulus, myïscus, murex. [63] Oculata, [64] ophidion, ostrea, [65] otia: [66] orcynus: hic est pelamidum generis maximus, neque redit in Mæotin, similis tritoni, [67] vetustate melior: [68] orbis, orthragoriscus. [69] Phager, phycis saxatilium: pelamis: earum generis maxima apolectus vocatur, durior tritone: [70] phorcus, phthitarus, [71] passer, pastinaca: po-

NOTÆ.

34. *Concharum genera.*] De quibus lib. 9. sect. 52. & seqq.

35. *Cochleæ*] Libro 9. sect. 51. Πεντεδάκτυλοι, quasi quinis discretæ digitis, sive acuminibus. Mox pro *melicembales*, *echinophora*. Reg. 2. item *helicymbalis*, *astinophora* legitur: quæ postrema vox & in Chiffletiano esse dicitur.

36. *In oleario usu*] Quibus oleum decapulabant, vel in quotidianum usum hauriebant, capaces admodum, atque ita ut quædam aquæ libras quaternas capiat. Vide Rondel. lib. 2. de testac. cap. 27. pag. 76.

37. *Cucumis.*] Inter frutices marinos censendus, ut diximus, lib. 9. sect. 1. Post cucumim, addunt libri vulgati *cynopus*, *cammarus*, quæ nomina nec Regius 2. nec alius bonæ notæ codex agnoscit. Cammari certe squillarum genere continentur: cynopus quis sit, nemo novit.

38. *Cynosdexia.*] Κυνὸς δεξιὰ, hoc est, canis dextera: forte zoophyton. hoc est, frutex marinus aliquis, ut Manus marina.

39. *Draco.*] Δράκων θαλάσσιος Dioscoridi, lib. 2. cap. 15. Galli *Vivam* vocant.

40. *Quidam aliud volunt esse.*] Vult sane Rondele lib. 10. cap. 12. A suis *Lacertum* nominari dicit, *Laceri*.

41. *Est autem gerriculæ*] Sic Reg. 2. codex: non, ut editi, *graculo*: cum quo affinitatem draco habere nullam potest. Est autem gerricula, diminuta vox a *gerres*, de quo post pauca dicemus.

42. *Erythinus*, &c.] De erythino, lib. 9. sect. 83. De echeneide, lib. 9. sect. 51.

43. *Elephanti.*] In locustarum genere, elephantos Plinius e veteribus unus appellat.

44. *Faber.*] Diximus de eo, lib. 9. sect. 32.

45. *Glaucisci.*] Γλαυκίσκος Athenæo, lib. 7. pag. 279.

46. *Glanis.*] De eo egimus, lib. 9. sect. 67. De gongro, sive congro, libro eodem, sect. 24.

47. *Gerres.*] Meminit hujus Martialis, lib. 3. Epigr. 77.

Teque juvent gerres, & pelle melandrya cana.

Et lib. 12. Epigr. 32.

Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur.

Gerriculam, hoc est, minorem gerrem draconi marino, quam *Vivam* vocamus, similem esse Plinius paulo ante admonuit.

48. *Galeos*, &c.] De galeo, lib. 9. sect. 70. Garum esse ignotum monuimus, lib. 31. sect. 43.

49. *Hippus.*] De ἵππῳ multa Athenæus, lib. 7. pag. 304. Vetant MSS. ut legam ἵππους, quos esse e cancrorum genere diximus, lib. 9. sect. 51. De hippuro diximus, lib. 9. sect. 24. De hirundine, eodem libro, sect. 43. De halipleumone, sect. 71. ejusdem libri. De hippocampo, sect. 23. hujus libri.

50. *Hepar.*] Ἥπατοι Oppiano celebrati, lib. 1. Halieut. vers. 146. Æliano, lib. 9. hist. anim. cap. 38. & Xenocrati apud Oribas. lib. 2. cap. 58. Athenæo, lib. 7. pag. 301. Ἥπατος idem & λεβίας. Inter saxatiles pisces annumeratus a Diocle: similis phagro creditus a Speusippo. A Rondeletio pingitur, lib. 5. cap. 18. pag. 147. In hepati capite lapillos reperiri duos, rhombi figura, splendore & colore conchylii, prodidit Hegesander apud Athen. lib. 3. pag. 108.

51. *Helacatenes.*] Athenæo ἠλακατῆνες, lib. 7. pag. 301. ἰχθύες κητώδεις, ἐπιτήδειοι εἰς ταρίχευσιν. *pisces cetacei, idonei ad salsamenta.* Mnesimachus apud eumdem Athenæum, lib. 9. pag. 403. ἠλακατῆνα vocat: haud dubie a similitudine aliqua cum ἠλακάτῃ, hoc est, muliebri colu. Elacatæ sunt Columellæ, lib. 8. cap. 17. pag. 313. Itemque Festo, *Elacatena genus salsamenti, quod appellatur vulgo melandrya*. sic enim scribendum, non *malandrea*.

52. *Sunt lacertorum genera*] Lacertus Græcis σαῦρος dicitur: quibusdam e nostris, *Anguille*: ab aliis, *Becasse*, inquit Rondeletius, lib. 8. cap. 5. pag. 232. E lacertorum genere coliam esse superius vidimus, teste etiam Martiale. *Byzantiacos lacertos* laudat Statius, lib. IV. Silvar. IX.

53. *Loligo*, &c.] De loligine, lib. 9. sect. 45. De locustis, lib. 9. sect. 50. De lucernis, eodem libro, sect. 43.

54. *Liparis, lamyrus*] Λιπαρὶς habere nomen a pinguitudine videtur. At in Reg. 2. cod. & Chiffl. *lepris*, non *liparis*, legitur. Apud Hesychium λεπρὶς ἰχθύς, sed qui nihil a phycide differat, de qua inferius. Λάμυρος ab Oppiano laudatur, lib. 3. Halieut. vers. 399. An ibi λάμυρος, vel λάμυρος rescribi ex Plinio oporteat, peritiores viderint.

55. *Lepus*] De lepore marino, lib. 9. sect. 72. & hujus libri sect. 3. De leonibus, lib. 9. sect. 51. De his etiam vide Ælianum, lib. 14. histor. animal. cap. 9.

56. *Mullus*, &c.] De mullo, lib. 9. sect. 30.

57. *Merula.*] Ælianus, lib. 1. histor. anim. cap. 14. Κοσσύφῳ ὁ θαλαττίῳ ἤδη τι καὶ διατρίβειν αἱ πέτραι, &c. Peritiores piscatores *Merle* vocant: aliter alii. Vide Rondelet. lib. 6. cap. 5. pag. 172.

58. *Mugil.*] De eo egimus lib. 9. sect. 26.

59. *Melanurus.*] Μελάνουρος. A caudæ nigritie ei nomen. Confundit hunc cum oculata Rondeletius, lib. 5. cap. 6. Plinius diversos pisces facit. Numenius in Halieut. apud Athen. lib. 7. pag. 313. percarum ducem vocat.

60. *Mæna.*] Μαινὶς Athenæo, lib. 7. pag. 313. Hodieque a Gallis *Mendole*, a Romanis, *Menola* appellatur. Rondelet. lib. 5. cap. 13. pag. 138.

61. *Meryx.*] In Reg. 1. *metis*: utrumque corrupte. Nam μήρυξ a ruminando deduci videtur: cum scarus infra appellandus ruminare solus piscium existimetur.

62. *Muræna*, &c.] De muræna, lib. 9. sect. 23. Mys conchæ genus, de quo lib. 9. sect. 56. De mitulis, & myiscis, libri hujus sect. 31. De muricibus, seu buccinis, lib. 9. sect. 61.

63. *Oculata*] Inter pisces qui duriusculi sunt, aurata, corvus, scarus, oculata, censentur a Corn. Celso, lib. 2. cap. 18.

64. *Ophidion, ostrea.*] De ophidio, diximus sect. 35. libri hujus: de ostreis, sect. 21.

65. *Otia.*] Græcis ὠτία, de quibus Athenæus, lib. 3. pag. 91. Latine auriculas dixeris. Λεπάδα ἀγρίαν vocat Arist. lib. 4. hist. anim. Iconem Rondeletius exhibet, lib. 1. de testac. cap. 4.

66. *Orcynus.*] Ὄρκυνος, Athenæo, lib. 7. pag. 315. Θύννου μείζων, ὃν καλοῦσιν Ὄρκυνον, inquit Archestratus, apud eumdem Athen. lib. 7. pag. 301. Ὄρκυνοι μεγακήτεες Oppiano, lib. 3. Halieut. vers. 131. Æliano, lib. 1. histor. anim. cap. 40. Ὄρκυνος κητώδης ἰχθὺς &c. Narbonenses vocant *Ton*.

67. *Vetustate melior.*] Huic affert ætas, ut sit tritone melior: est autem triton, ut mox dicetur, ex iisdem pelamidibus generis magni. Interpretari aliter Oribasius videtur, qui hoc ipsum de orcyno refert, lib. 1. cap. 58. fol. 29. ex Xenocratis libello de aquatilibus: *Orcynus*, inquit, *est pelamis magna, quæ in paludem non redit, tritoni similis: sed quia difficilius vitiatur, ideo insignem vetustatem fert*, &c.

68. *Orbis*, &c.] De orbe, sect. 5. hujus libri. De orthragorisco, sect. 9.

69. *Phager*, &c.] De phagro, lib. 9. sect. 24. De phycide, quæ inter saxatiles ab Athenæo quoque annumeratur, lib. 7. pag. 305. & lib. 3. pag. 355. nos egimus lib. 9. sect. 42. De pelamide, lib. 9. sect. 18.

70. *Phorcus, phthitarus.*] Qui his nominibus pisces appellaret, nemo adhuc alius idoneus auctor occurrit. In Reg. non *phorcus*, sed *porcus* legitur. Haud dubie marinus porculus intelligitur, de quo lib. 9. sect. 17.

71. *Passer*, &c.] De passere, lib. 9. sect. 36. De pastinaca,

lyporum genera: pectines maximi & nigerrimi æstate, laudatissimi Mitylenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Antii, [72] in insula Alexandriæ in Ægypto: pectunculi, [73] purpuræ, [74] percides, [75] pinna, pinnoteræ. [76] Rhina, quem squatum vocamus: rhombus. [77] Scarus principalis hodie: solea, sargus, scilla, [78] sarda: ita vocatur pelamis longa, ex Oceano veniens: [79] scomber, salpa, [80] sparus, [81] scorpæna, scorpio, [82] sciadeus, sciæna, [83] scolopendra, smyrus, [84] sepia, [85] strombus, solen, sive aulos, sive donax, sive onyx, sive dactylus: [86] spondylus, [87] smarides, [88] stella, spongia. [89] Turdus inter saxatiles nobilis: [90] thynnus, thranis, quem alii xiphiam vocant: [91] thassa, [92] torpedo, tethea: [93] triton pelamidum generis magni: [94] ex eo uræa cybia fiunt. [95] Veneriæ, [96] uva, Xiphiæ. 5

LIV. His adjiciemus [1] ab Ovidio posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur: sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit: [2] Bovem, cercyrum in scopulis viventem, [3] orphum rubentem, [4] rhacinumque pullum, [5] pictas mormyras, aureique coloris chryson. Præterea parvum tragum, & 10

NOTÆ.

eodem libro, sect. 40. De polypis, ejusdem libri sect. 48. De pectinibus, libro pariter 9. sect. 51. Laudatissimos esse Mitylenis, auctor etiam Philyllius apud Athen. lib. 3. pag. 93. Archestratus quoque, pag. 92.

Τοὺς δ' αἰνοὺς ἡ Μιτυλήνη.

72. *In insula Alexandriæ.*] Pharo, vel Canopo Plinius, lib. 5. sect. 34. *Insularum ante Asiam prima est in Canopico ostio Nili, a Canopo Menelai gubernatore, ut ferunt, dicta. Altera juncta ponte Alexandriæ, colonia Cæsaris Dictatoris, Pharus.* Diphilus Siphnius medicus, apud Athen. lib. 3. pag. 90. de tellinis agens, Τελλῖναι, inquit, γίνονται μὲν ἐν Κανώβῳ πολλαί, καὶ κατὰ τὴν τοῦ Νείλου ἀνάβασιν πληθύνουσι, &c. Jam superius sect. 24. libri hujus, pectenculis attributas a Plinio dotes observavimus, quas tellinis Dioscorides assignarat: Utrique fortassis Alexandriæ laudati. De pectinibus certe testis Xenocrates apud Oribas. lib. 2. cap. 58. *Pectines optimi sunt .... Omnibus autem antecellunt Mytilenæi.... His similes Ionium mare juxta Illyrida, Etruriam, Salonas, Latium producit: Jam vero & Chios, & vicinæ insulæ, itemque Alexandria hujusmodi pisces ferunt.* Pectines certe non horum dumtaxat locorum. sed & Tarenti laudat Horatius, Satyra 4. lib. 2. vers. 34.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

73. *Purpura.*] De purpuris, lib. 9. sect. 60. & seqq.

74. *Percides.*] Locum hic percides habere posse vix adducor ut credam: quid enim discrepat percis a perca, quæ superius recensita est inter pisces amni marique communes? In Reg. 2. cod. *pegrides*.

75. *Pinna, &c.*] De pinna & pinnotera, lib. 9. sect. 66.

76. *Rhina.*] Sic Isidorus, lib. 12. Orig. cap. 16. *Squatina dicitur, quod sit squamis acutis: unde & ejus cute lignum politur. Græci ῥίνην appellant.* Glossæ: Ῥίνη, *squalus*. Lege, *squatus*. Vide Voss. 10 Etymol. Egimus de eo, lib. 9. sect. 40. & alibi passim. De rhombo, eodem libro, sect. 36.

77. *Scarus, &c.*] Plinius, lib. 9. sect. 29. *Nunc scaro datur principatus.* De solea, lib. 9. sect. 36. De sargo, eodem libro, sect. 30. Scilla, seu squilla potius, καρὶς est Græcis, cujus genera plura affert Rondeletius, lib. 18. cap. 6. & seqq.

78. *Sarda: ita vocatur, &c.*] Hæc totidem verbis Xenocrates apud Oribasium, lib. 2. pag. 130. Galenus, lib. 3. de alim. fac. cap. 31. pag. 395. tom. 6. sic pelamidem appellari innuit, cum Sardiniam prætermeatas. Ut mirum sit a Gaza creditum sardinas nostras hac voce signari. De sarda & cordyla condiendis Apicius, lib. 9. cap. 10. ex quo ejusdem generis esse, nempe thynnorum, sardam esse cordylamque intelligas.

79. *Scomber, &c.*] De scombro, libro 9. sect. 19. & lib. 31. sect. 43. De salpa, eodem libro, sect. 32.

80. *Sparus.*] Comicus vates apud Athen. lib. 3. pag. 307. sartagini simul imponit

Καρίδας, φύκας, καὶ σπάρον, ἀφύας, σπάρον.

Dotes ejus in cibis Athenæus expedit, lib. 8. pag. 355. Iconem Rondeletius exhibet, lib. 5. cap. 3. Nostris *Sparalon*: Italis *sparlo* & *carino*.

81. *Scorpæna, scorpios.*] Athenæus, lib. 7. pag. 32. distare succo & colore, ἀνθρωπίνας καὶ σκορπίας, prodidit. Istum a Massiliensibus *Scorpeno*, ab aliis *Rascasse* nominari, auctor est Rondelet. lib. 6. cap. 19. Nomen habet non a scorpii terrestris simili forma, sed a pungendi ritu haud fere dispari.

82. *Sciadeus, sciæna.*] Sexu solo discrepant, teste Athenæo, lib. 7. pag. 322. Σκίαινα .... Νουμήνιος, ἡ σκιαδέα αὐτὴν καλεῖ. Sic paulo ante Plinius thynnos & thynnidas, scorpionem & scorpænam, separatim nominat. Nisi forte, pro *sciæna*, *sçæna* magis arriserit: Oppianus enim, lib. 1. Halieut. vers. 119. præter σκίαιναν, etiam σκιαίνας habet: illam nuda saxa herbosa incolere. Σκίαιναν Latine Umbram jure appellaveris. Galli vocant *Maigre*.

83. *Scolopendra.*] De ea lib. 9. sect. 67. De smyro, seu myro eodem libro, sect. 39.

84. *Sepia.*] Sic MSS. omnes, ipso Pintiano teste, non *scepias*, ut editi. Quanquam σηπίαι inter cœnosos maris pisces annumerantur ab Oppiano, lib. 1. Halieut. vers. 106. Σηπιοὺς item a Dorione, apud Athen. lib. 7. pag. 302. De sepia nos egimus lib. 9. sect. 45.

85. *Strombus, &c.*] De strombo seu turbine diximus sect. 30. hujus libri. De solene, sect. 32.

86. *Spondylus.*] Athenæo, lib. 3. pag. 87. Τρόχηλος. Macrobius, lib. 2. Saturn. cap. 9. inter prima cœnæ Pontificiæ fercula spondylos numerat. Pinguntur a Rondelet. lib. 1. de test. cap. 40.

87. *Smarides.*] Σμαρίδες quoque Dioscoridi, lib. 2. cap. 30. aliisque e genere mænarum.

88. *Stella, spongia.*] De stella, lib. 9. sect. 86. De spongia, eodem libro, sect. 69.

89. *Turdus.*] Vide quæ de eo diximus, lib. 9. sect. 20.

90. *Thynnus, Thranis.*] Xiphias minor thranis appellatur. Vide Notas & Emend. num. XXX.

91. *Thassa.*] Sic MSS Reg. 2 & Chiffl. In editis, *thessa*. Et θίσσαν vocabat Dorotheus Ascalonites, lib. 108 collectionis vocabulorum, apud Athen. lib. 7. pag. 329. Alosa nostra esse ea Rondeletio videtur, lib. 7. cap. 15.

92. *Torpedo, &c.*] De torpedine lib. 9. sect. 67. Tethea explicuimus sect. 30 libri hujus.

93. *Triton.*] Meminit Xenocrates, lib. de alimento ex aquatilibus, apud Oribas. lib. 2. cap. 53. Sed locus, ut videtur, est mutilus: *Triton sectum cybium ægre coquatur. Solidus est cybio, in ceteris par.*

94. *Ex eo uræa.*] Οὐραῖον τέμαχος pulpamentum est caudæ proximum, quod eleganter describit Archestratus apud Athen. lib. 7. pag. 303. ex thynnaque grandiore, hoc est, e tritone, parari jubet.

95. *Veneriæ.*] Ita MSS. Reg. 2. Colb. 3. & Chiffl. In editis, *Verenæ*, inepte. Egimus de conchis Veneris, lib. 9. sect. 52.

96. *Uva, Xiphia.*] De uva, lib. 9. sect. 1. De xiphia seu gladio, sect. 6. libri hujus.

Sect. LIV. 1. *Ab Ovidio.*] In libro Halieuticôn. Sed qui nunc Ovidii nomine eo titulo libellus inscribitur, inter poemata a Pithœo edita, longe ævi sequioris est, ex ipsis Plinii verbis confictus.

2. *Bovem, cercyrum.*] In libris vulgatis, *Bopgyrum*. In Reg. 2. Colb. 3. & Chiffl. *Bovem pergyrum*. Cercyrum ex eodem pseudo-Ovidio rescripsimus, in Halieut. vers. 102.

Cercyrosque ferox scopulorum fine moratus

Bovem quoque ipso auctore retinuimus, vers. 94.

Nam gaudent pelago, quales scombrique, bovesque.

3. *Orphum*] Idem pseudo-Ovidius, vers. 108.

Cantharus ingratus succo, tum concolor illi
Orphus, cæruleaque rubens erythinus in unda.

Meminit etiam Ælianus, lib. 12. histor. anim. cap. 1. & Arist. lib. 8. histor. anim. cap. 20. pag. 930. Plinius ipse eum piscem appellat, lib. 9. sect. 24.

4. *Rhacinumque.*] Portentum id vocis est, nec MSS. quidquam juvant: nec ipse Ovidius, mutilo, ut nunc est, imperfectoque opere:

5. *Pictas, &c.*] Idem pseudo-Ovidius, vers. 110.

Et rarus Faber, & picta Mormyres, & auro
Chrysophrys imitata decus: tum corporis Umbræ
Liventis, rapidique Lupi, Percæque, Tragique,
Quin laude insignis caudæ Melanurus, &c.

Auctor Kiranidum, pag. 43. *Mormyrus piscis marinus comestibilis & parvus.* Μόρμυρος & μορμύλος apud Athen. lib. 7. pag. 313. Nunc quoque *Morme*, in Gallia Narbonensi, teste Rondelet. lib. 5. cap. 22. Quid si porro hoc loco non *parvum tragum*, sed *percam, tragum*, ex pseudo-Ovidio legi jussero?

placentem cauda [6] labrum, [7] epodas lati generis. Præter hæc insignia piscium tradit [8] channem ex seipsa concipere, glaucum æstate numquam apparere, [10] pompilum qui semper comitetur navigiorum cursus, [11] chromin qui nidificet in aquis. [12] Helopem quoque dicit esse nostris incognitum undis: ex quo apparet falli eos, [13] qui eumdem acipenserem existimaverunt. Helopi palmam saporis inter pisces multi dedere.

Sunt præterea a nullo auctore nominati, [14] sudis Latine appellatus, Græcis sphyræna, rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed non degener. [15] Appellantur & pernæ concharum generis, circa Pontias insulas frequentissimæ. Stant velut suillo crure longo in arena defixæ, hiantesque, qua limpitudo est, pedali non minus spatio, cibum venantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos. [16] Intus pro spondylo grandis caro est. [17] Et hyænam piscem vidi in Ænaria insula captum. Exeunt præter hæc purgamenta aliqua relatu indigna, & algis potius annumeranda, quam animalibus.

Notæ.

6. *Labrum.*] Sic etiam MSS. An potius *melanurum*, ex Ovidii versu allato?

7. *Epodas.*] Idem Ovidius, vers. 126.

Tunc Epodes lati, tum molles tergore ranæ.

8. *Channem.*] Idem pseudo-Ovidius, vers. 108.

Et ex se
Concipiens channe gemino fraudata parente.

Vide quæ diximus lib. 9. sect. 23.

9. *Glaucum.*] Idem Ovidius, vers. 117.

Ac numquam æstivo conspectus sidere glaucus.

Dictum id jam ante, lib. 9. sect. 25.

10. *Pompilum.*] Ita plane & Oppianus, lib. 1. Halieut. vers. 196. pluresque alii apud Athen lib. 7. pag. 283. & 284. pseudo-Ovidius, vers. 100.

Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci,
Qui semper spumas sequeris Pompile nitentes.

11. *Chromin.*] Vide quæ diximus in Notis & Emendat. ad librum 9. num. LXVII.

12. *Helopem*] Idem Ovidius, vers. 96.

Et pretiosus helops nostris incognitus undis.

Auctor Kiranidum, pag 145. *Elops est piscis magnus, similis glauco.*

13. *Qui eumdem acipenserem.*] Cum pseudo-Ovidius elopem secernat ab acipensere: de isto enim, vers. 131.

Tuque peregrinis acipenser nobilis undis.

14. *Sudis Latine.*] Quod rostro similitudinem sudis referat, hoc est, pali exacuti: quam ob causam & σφύραινα Græcis. Cum amplissimus is dicatur esse & rarus, non is esse videtur, quem Arist. σφύραιναν vocat, lib. 9. hist. anim. atque esse gregalem.

15 *Appellantur & pernæ.*] Meminit Beda in suis Grammaticis Expositionibus: pernamque Latinis idem sonare existimat, ut videtur, quod Græcis pinnam. Verba ejus appono: PERNA QVÆ MVLTO MAIOR EST OSTREIS, EX CVIVS VELLERIBVS VESTIS CONFICITVR.

E geminis nascor per Ponti cærula conchis,
Vellera setigero producens corpore fulva:
En chlamydem populis, nec non & pabula pulpa
Confero: sic duplex fati persolvo tributum.

A perna utique *pernula* deminuta voce sequior ætas dixit: unde nos concham margaritiferam, *Nacre de perles*, deinde appellavimus. Chron Casin. lib. 3. cap. ult. *Coppetella de pernis*, hoc est, de conchis istis.

16. *Intus pro spondylo.*] Spondylus callus interior est, quo testæ suæ caro ostrearum sive concharum adhærescit.

17. *Et hyænam.*] Apud Athen lib 7. pag. 326. crebra piscis hyænæ mentio ex vetustioribus poetis.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXXII. NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 5. I. ATQUE *ita condi, dum transeat rete.*] Sic restituimus, ex vestigiis codicis Reg. 2. in quo legitur, *atque ita condi, dum transeat recte.* In libris vulgatis vitiose, obscuraque sententia, *atque ita conditum transire rete.*

Ibid. II. *Anthiam tradit idem infixo hamo invertere se, quoniam sit in dorso cultellato ea spina, eaque lineam præsecare.*] In libris hactenus editis, *Pytheas id tradit idem infixam hamo,* &c. quod interpolatorum manum sapit, qui ad murænam, de qua proxime antea sermo fuit, id pertinere rati, *infixam* scripsere, cum *infixas* scribi decuisset. quod de murænis numero multitudinis oratio tota texatur. At M S S. Reg. 2. aliique, *Pithea sin tradit idem infixo hamo.* Neque vero ad murænam hæc spectare, sed ad anthiam piscem, quem in scriptorem Massiliensem Pytheam, & amanuenses, & editores transformarunt, plane pseudo-Ovidii oratio contestatur, libro videlicet Halieuticon, vers. 45. ubi postquam de muræna egit, transit ad anthiam statim, quod Plinii scilicet vestigiis insistens facit.

Anthias his, tergo quæ non videt, utitur armis,
Vim spinæ novitque suæ, versoque supinus
Corpore lina secat, fixumque intercipit hamum.

Quod vero sibi ipsi præstare anthiam hoc loco vates pronunciat, hanc officii vicem a sociis accipere, alios secutus auctores Plinius asseverat, lib. 9. sect. 85. Irritus Aldrovandi conatus, qui lib. 3. de piscib. cap. 27. pag. 362. vulgatam scripturam defendere omni ope nititur.

Sect. 7. III. *Item in Labrandei Jovis fonte anguillas.*] Prius, *in Labradis* legebatur. In Reg. 2 *Labrandis*. Ælianus, lib. 12. hist. anim. cap. 30. inter ea stagna lacusve qui pisces cicures alant, hunc recenset. Καὶ ἐν τῷ ἱερῷ δὲ τοῦ Λαβρανδέως Διὸς ἐστὶ κρήνη διειδοῦς νάματος, καὶ ἰχθῦς ἔχει ὁρμίσκους χρυσοῦς, καὶ ἐλλόβια χρυσᾶ μέθει καὶ οὗτοι. Herodotus in Terpsichore, ἐς Λαβραύνδα ἐς Διὸς Στρατίου ἱερόν. Stephanus: Λαύρανδα, πόλις Καρίας· τὸ ἐθνικὸν, Λαυρανδεύς. Sic etiam Strabo, a quo Stephanus accepit. Ælianus hoc templum LXX. stadiis ab urbe Mylasiorum distare, τῆς Μυλασέων πόλεως. Plutarchus tamen in quæst. Græcis, pag. 301. Λαβρανδέως Διὸς ἐν Καρίᾳ simulacrum laudat: Et pag. 302. ipsum Jovem Λαυρανδέα θεόν.

Ibid. IV. *Similiter in Chio juxta senum delubrum.*] Ita libri omnes, etiam manu exarati. Num legi tamen *in Ceo* satius fuerit, peritiores judicent. Nam de sacrificio a senibus fieri solito apud Ceos, Κείους, in templo utique, sanove aliquo, antequam cicutam biberint, meminit Ælianus, lib. 3. Var hist. cap. 37.

Sect. 8. V. *Nam in Lycia Myris in fonte Apollinis, quem Curium appellant.*] Ita libri omnes, conditivi, ac publici. Quid si nihilominus *in Lycia Syrbis* legatur? Nam hoc ipsum de pago, cui Syrbha nomen, referunt Ælianus, lib. 8. hist anim. cap. 5. & Plutarchus, lib de solertia animal. pag. 976. Situm ejus in Lycia esse, Myram inter & Phellum. Πέπυσμαι δὲ, inquit Ælianus, κώμην τινὰ Λυκιακὴν μεταξὺ Μύρων καὶ Φελλοῦ, Σύρρα ὄνομα, ἐν ᾗ μαντεύονται δῖνοι ἐπ' ἰχθύσι καθήμενοι, &c. Et Plutarchus: Ἐπεὶ καὶ περὶ Σοῦραν πυνθανόμεθα κώμην ἐν τῇ Λυκίᾳ Φελλοῦ μεταξὺ καὶ Μύρων, καθεζομένους ἐπ' ἰχθύσιν, ὥσπερ οἰωνοῖς, διαμαντεύεσθαι τέχνῃ τινὶ, &c. Hæ Lyciæ sortes Maroni sunt, lib. 4. Æneid. vers. 346. & 377. Similis est locus alter portusve in Lycia, ubi ex piscibus augurium petebatur: Δῖνος ei portui nomen fuit, teste Polycharmo, lib. 2. Lyciacorum, apud Athen. lib 8. pag. 334. Similes & in Lydia (nisi *Lycia* scribendum sit) ex Varrone sortes, lib. 3. de re rust. cap. 17. pag. 113.

Sect. 10. VI. *Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent, ne pollucerent, parcimonia commentus, ut convivia publica & privata, .. facilius compararentur.*] Libri ad hunc diem editi, quibus & conditivi favent, sed hac parte vitiati, *ut pollucerent patrimonio: commentus,* &c. Ridicule. Certissima nostra conjectura est, quam Servius egregie stabilit, ad eum versum Maronis, *Pauperque Senatus thura dabant*, lib. 8 Æneid *Re vera pauper*, inquit, *per quod ostenditur parcimonia pro laude tunc habita. Et libri veterum tradunt a majoribus sacrificando parcimoniam observatam esse.* Itaque est ea Numæ lata lex, ut sumptibus parceretur: ejusmodi enim pisces, ob raritatem, magno venibant.

Sect. 13. VII. *Quod ipsum corrumpi fraude consicientium gummi cum sanguine, aut Hammoniacum.*] Hæc codicis Regii 2. sincerissima lectio, quam fide summa totidem litterarum apicibus repræsentamus, abdicata vetere, quam interpolatores sic concinnarant. *Quod ipsum corrumpi fraude, consicientibus gummi cum sale Hammoniaco.* Favet Dioscorides emendationi, ut in prioribus Notis ostendimus.

Sect. 14. VIII. *Ex eodem genere testudinum sanguis instillatus cerebro capitis dolores sedat.*] In Reg. 2. codex *crebro*: in libris hactenus editis, *crebros capitis dolores*: in Chifl. *instillatus cerebro.* Posterius magis arridet. Archigenes, apud Galen. lib. 2. κατὰ τόπους, cap 2. pag. 381. testudinis palustris sive lutariæ sanguinem instillari sincipiti jubet: Χελώνης λιμναίας, ἢ τῆς ἐλώδους αἷμα ἐγχέουσιν ἐπὶ τὸ βρέγμα.

Sect. 20. & 21. IX. *Et cancri marini decocti jus contra dorycnium efficax habetur: peculiariter vero contra leporis marini venena. Et ostrea adversantur iisdem Nec potest videri satis dictum esse de his, cum palma mensarum divitum attribuatur illis.*] Locum hunc miserabiliter depravatum Pintianus agnovit, cum sic legeretur: *contra dorycnium efficax habetur.* Initio deinde facto alterius capitis a verbis proxime sequentibus: *Peculiariter vero contra leporis marini venena & ostrea adversantur. Idem videtur, nec potest videri. .. cum palma mensarum diu jam tribuatur illis.* Unde illud, quæso, *videtur* irrepsit, quod nec Reg. 2. nec Chifl. codex agnoscit? Cetera planissima sunt, nec egent Pintiani conjectura sic emendantis, *Fidem nepotes vestrum! satis dictum est de his,* ut sit interrogatio ducens ad negationem: quod subtilius certe excogitatum est, quam verius.

Sect. 21. X. *Has videtur causa, quare minora in alto reperiantur.* Hæc sincera lectio Regii cod. 2. quam totidem apicibus summa fide repræsentamus: qua nihil esse Plinianæ sententiæ congruentius potest. Nam si grandia reperiuntur ubi Sol penetret in vada, consequitur ut in alto quo Sol non penetrat, parva pelagia reperiantur. Vidit hoc & Pintianus ex suo pariter exemplari. unde quam vana fluxaque fide in edendo Plinio versati sint priores apparet, qui sic exhibuerunt, *quare minora in aliis locis reperiantur.*

Ibid. XI. *Suaviora Medulis.*] In libris ad hunc diem vulgatis, *Suaviora Edulis*, absurde. Sinceram lectionem obscuris admodum vestigiis retinet Regius 1. codex: at Colbertinus 3. plane perspicuus, cum in eo legatur, *suaviora Medullis.* Ostrea Medula, sive Medulla, sive Medullica, laudant celebrati viri, quotquot Burdegalæ commorati sunt. Ausonius, Epist. 7. pag 141.

Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat.

Eadem Burdegalensia appellata ab ipsomet, epist. 143.

Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdegalensia nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minus nostri, quam gloria vini.
Proxima sint quamvis, sed longe proxima multo
Ex intervallo, quæ Massiliensia portu,
Quæ Narbo ad Veneris nutrit, cultuque carentis
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi,
Vel quæ Baianis pendent fluitantia palis:
Sunt & Aremorici qui laudent ostrea Ponti, &c.

Sidonius Apollinaris, lib. 8. epist. 12. ad Trigetium, pag. 241. quanquam subobscura oratione: *Veni*, inquit, *ad debellandos subinguinosque istos Medulicæ supellectilis epulones.* Omitto Scaligerum, ceterosque recentiores. Sensit vitium hujus loci, & feliciter emendavit, ante annos XXX. quam hæc scriberemus, Camill. Pellegrino, in *Campania Felice*, pag. 541. Nunc ea ostrea a Solaco Medulorum vico prope Garumnæ ostium, Solacensia cognominantur, *de Soulac.* Notat Thuanus, lib. 2. de vita sua, pag. 23. esse ea optimi saporis, gratissimique gustus: adeo ut violarum odorem referre videantur: repertumque in famulitio suo gulosum puerum, qui centum amplius unus sine nausea deglutiret.

Ibid. XII. *Costa in conchis suis, uti clausa venerint*, &c.] Abest a libris omnibus hactenus editis vox prior hujus clausulæ, *costa*, quam ductu codicum Reg. 2. & Chiffl. restituimus, adstipulantibus in primis auctoribus geminis, qui hunc Plinii locum de particulo recitant. Marcellus nimirum Empir. cap. 10. pag. 87. *Ostrea, inquit, ita ut lecta sunt, adhuc testis suis clausa, in carbonibus coquuntur, atque in cibo dantur ei qui narium gravedinem patitur.* Et Plinius Valer. lib. 1. cap 28. *Ad destillationem narium ex humore: Ostrea cum sua testa, ita ut electa sunt, in carbonibus coquuntur, & in cibo dantur.*

Sect. 22. XIII. *Præparant autem sepiarum crusta farina medicamentis cutem, & mures marini cinis.*] Sic Reg. 2. codex, & is quem Pintianus vidit: quorum ad amussim quæ in editis depravata sunt, exigenda hoc loco & corrigenda sunt: sic enim isti præ se ferunt: *Præparat cutem sepiarum crustæ farina medicamentis. Cutem replet, & muris marini cinis.* Cum nec priore loco *cutem*, nec postea *replet*, ulli MSS. agnoscant, & impedita luxataque oratio ea verborum serie videatur.

Sect. 24. XIV. *Omnium piscium fluviatilium, marinorumque adeps liquefactus Sole, admixto melle, oculorum claritati plurimum confert.*] Et hic typorum errata, qui *liquefactus oleo* exhibent, ad manuscriptorum fidem emendamus, præsertim Reg 2. quem fide integra repræsentamus. Adjuvat Plinii transscriptor Marcellus Empir. cap. 8. pag. 62. *Adipes omnium fluviatilium piscium, inquit, in Sole liquefacta, adjunctoque melle, inunctione adhibitæ, mirifice multo caligantibus prosunt.* Certiorque auctor Dioscor lib. 2. cap. 94. Τὸ δὲ τῶν ποταμίων ἰχθύων ὀξυδερκεῖς ἐγχεόμενον, δύναται ἐν ἡλίῳ, καὶ μέλιτι μιγέν. *Fluviatilium piscium adeps inunctus oculis claritatem affert, si quidem in Sole liquefactus, melliqne admixtus fuerit* Neque vero quemadmodum liquefieri oleo possit adeps, conjicere in promptu est.

Ibid. XV. *Ranas etiam quindecim conjectas in fictile novum*, &c.] Ita libri omnes editi. At MSS Reg. 2. Chiffl. ceterique, XVI. Colb 3 in quo *quindecim* sine ullis notarum compendiis. Quin & ipse Plinius inferius, sect. 47. *Eadem mensura, inquit, alii ex quindecim ranis conficiunt psilothrum, sicut in oculis diximus*: hoc nimirum loco quem habemus præ manibus. Quin & ibi non *quindecim*, sed *duodecim* præfert Reg. 2. ut diximus suo loco. Quare non ranarum numerum signari ab eo hoc posteriore loco, sed parandarum modum existimamus.

Sect. 26. XVI. *Et cybia vetera eluta in novo vase, dein trita, prosunt doloribus.*] Habent ita sane libri omnes & manu exarati, & typis excusi: nihilominus subesse mendum haud temere suspicamur: nam quid intersit novo an vetere vase eluantur, non admodum liquet: utro coquantur, plurimum interest Quare *elixa* malim, quam *eluta* scribi, si ulla exemplaria suffragantur. Adstipulatur certe quidem conjecturæ huic nostræ Marcellus Empir. qui a Plinio videtur hausisse, quæ tradit, cap 13. pag 97. *Cybium optimum, inquit, ac vetustissimum olla inditur atque argilla circumlinitur, & furno ardenti obstruitur, ut ad cinerem cybium concoquatur: tunc adjecto Pario lapide contuso, salsamenta supra dicta favilla conteritur: hoc dentifricium ita bonum est*, &c. Galenus quoque, libro quinto extremo κατὰ τόπους, pag. 486. Τοῖς δὲ ταρίχους ... ἐν χύτρᾳ ... τὰ ... φάρμακα, ... ἐάν τις χρίσηται τῷ ... ἀλγήσει. *Quidam salsamenta in olla exusta ad medicamentum addunt, aut etiam cybium: si quis enim eorum cinere per se utatur, dentis dolorem non percipiet.*

Sect. 27. XVII. *Mire lepras, lichenas, lentigines tollunt cum lupino.*] Sic libri profecto omnes: num *glutino* tamen, quam *lupino* legi præstabilius fuerit, peritiores viderint. Nam idem ad lichenas medicamentum scribitur lib. 28. sect 50. non lupino admixto, sed glutino *Lichenas oris, inquit, præstantissime vincit gluminum factum e genitalibus vitulorum, liquatum aceto cum sulphure vivo*, &c.

Sect. 28. XVIII. *Menarum muria, & capitum cinis cum melle sanat strumas.*] Locum hunc sanavimus ductu codicum Reg. 1. 2. Colb. 3 & Chiffl. adversantibus licet typis, qui *muranarum* exhibent. Ut ad strumas modo, sic etiam ad anginas paulo post, hac sect. mænarum cinis adsciscitur In Indice hujus loci *mænæ*, non *murænæ*, libri omnes MSS. præferunt

Ibid. XIX. *Et sauri piscis marini jocineribus.*] In libris hactenus vulgatis, *& scari.* At in MSS. Reg 1. 2 Colb. 3. *sauri piscis*: & in Indice hujus loci ex omnibus MSS. *saurus* Æliano lib. 12 histor cap 25. Σαῦρος lacertus, inter pisces Rubri maris censetur. Meminere præterea Aristoteles & Athenæus. Plinius infra sect. 53. *Sunt lacertorum genera*, &c.

Sect. 31. XX. *Degenerant in duas species: in mitulos, qui salem virusque resipiunt: myiscas, qua rotunditate differunt, minores aliquanto atque hirta, tenuioribus testis, carne dulciores.*] Geminus in hunc locum error irrepsit, meo quidem judicio: quanquam de priore ampliandum censeo. Posterior extra controversiam omnem est: nam quod typi præferunt, *carne dulciores*, manuscripti codices, Reg. 2. aliique dissentiunt, qui *dulciores* exhibent: neque is modo, sed & Athenæus ipse, cujus verba mox afferemus. Verum paulo ante, cum eadem conditiva exemplaria miro consensu *salem* retineant, *scillam* rescribere mihi religio fuit, etsi ita scripsisse intelliga Athenæum, geminum illud myacum genus totidem ferme verbis alioqui explanantem, lib. 3. pag. 87. ut non sit ovum ovi similius, quam sunt ista inter se quæ mercque prodit. Τῶν δὲ μυῶν, inquit, ... δριμυτέρους μᾶλλον, ἢ ἐπὶ τὴν κοιλίαν φερομένους. Εἰσὶ δ' αὐτῶν ἴσοι καὶ ... καὶ χυλοί τε καὶ ... τὴν γεῦσιν ἀηδεῖς. οἱ δὲ ἐλάσσονες ... καὶ δασεῖς ἔξωθεν, δριμύτεροι μέν εἰσι, καὶ ἐγχυλότεροι τῶν ..., ἀτροφώτεροι δὲ διά τε τὸ μέγεθος, &c. *Musculi autem ..... ad urinam provocandam commodiores, & ad solvendam alvum: sed ex his quosdam mordaci & ingrato sapore scillam resipere, vitiosum succum procreare, gustui displicere: Hos autem minores, & foris hirtos, urinam magis ciere, & succum meliorem suppeditare, quam quibus scillæ gustus est, sed minus alere, tum quia magnitudine aliis pares non sunt*, &c. Suboluit ante nos error iste Gesnero.

Ibid. XXI. *Ileos & inflationes castorea cum dauci semine & petroselini .... tormina vero, cum anetho ex vino mixto.*] Scilicet, ut contra inflationes petroselini semen, sic contra tormina anethum, haud multum absimile, castoreis admiscetur. Sic nos huic loco curationem adhibuimus ductu codicum Reg. 2. & Chiffl. præsertim ita postulante orationis serie. Typi ad hunc diem omnes, *cum aceto vino mixto* exhibent.

Sect. 31. XXII. *Lieni medetur solea .... item torpedo: item rhombus vivus*, &c.] Ita Reg. 2. In Indice hujus loci, ex MSS. omnibus, *Solea piscis. Rhombus.* In Reg. 1. & Cob. 3. hoc loco, *item rubor.* Ex *strombus* tamen ex suo exemplari reponere pro *rhombus* nititur Pintianus. Frustra est. Nam Marcellus Empiric. hunc locum transcribens, cap. 23. pag. 165. *Solea piscis, inquit, splenis imponitur, vel torpedo, vel rhombus: sed impositus rursum vivus in mare mittatur, mire prodest.* Quin & in absurda Plinii Valeriani lectione, quæcumque ea est, vestigia haud obscura exstant, ex quibus erui sincera possit: Sic enim ille, lib. 2. cap. 18. *Splenis dolori solea piscis contra ligatur: Torpedorum & boscum, si vividum superligatur*, &c. Trajectæ sunt nempe litteræ, in hunc modum restituendæ, *Torpedo & rhombus*, &c.

XXIII. *Lapis qui invenitur in scorpionis marini cauda.*] Mallet *in capite* legi Rondeletius, lib. 6. cap 19. Reclamant omnia exemplaria. Reclamat Plinius Valer lib. 2. cap. 19. *Vesica & calculo purgando: Lapillus, inquit, qui invenitur in scorpionis marini cauda militer potatur.* Et luculentior auctor Marcellus Empir. cap 26. pag. 181. *Lapillus, qui invenitur in scorpionis marini cauda, tritus utiliter bibitur cum vino a stranguriosis.*

Sect. 40. XXIV. *Adusta sanantur cancri marini vel fluviatilis cinere. ... Hæc curatio etiam pilos restituit cum ranarum fluviatilium cinere.*] Hactenus legebatur, *cum cancrorum fluviatilium cinere.* Inepte: quorsum enim prodesse dicatur cancri fluviatilis cinis, cum cancrorum fluviatilium cinere? Auctor emendandi exstitit Plinius Valer. qui utriusque remedii meminit, lib. 3. cap 16. *Eis vero, inquit, quæ fervente aqua combusta sunt, ranarum cinis inspersus adeo prodest, ut etiam pilos reddat.* Et paulo post: *Cancrorum marinorum vel fluviatilium cinis ex oleo prodest ambustis.* De canceris idem prodidit & Theodorus Priscianus, lib 1. cap. 17. *De ustione calida, vel ignis.*

Ibid. XXV. *Prodest & fibrinarum pellium cinis.*] Nempe ad ambusta sananda. Sic totidem plane syllabis apicibusque litterarum Reg. 2. codex, & is quem Pintianus laudat. Typi hactenus præferunt, *Prodest & febri ranarum felis cinis*, quo nihil dici absurdius potest: neque enim hic febri locus, cui sanandæ medicamenta omnia jam exhausta sunt sect. 38. Adstipulatur & Plinius Valer. lib. 3. cap. 36 cujus lemma est, *Ambustis sanandis: Efficax est, inquit, fibrinarum pellium cinis.* Quod ex hoc ipso Plinii loco hausit. Fibrinarum pellium cinerem & ad sanguinis e nare profluvium Plinius commendat, sect. 42.

Sect. 41. XXVI. *Tetanicos coagulum vituli adjuvat*, &c.] Ita restituimus ductu codicum Reg 2. & Chiffl cum typi perperam edant, *Lethargicos* At nunc de nervorum vitiis agitur, quorum non postremum tetanus est, de quo lib. 23 sect 24. De lethargo dictum est paulo ante sect. 38. neque iis potu vituli marini coagulum, sed olfactu prodest, ut ibi Plinius adnotavit.

Sect. 44. XXVII. *Et alex purgat hulcera in linteolis concerptis.*] In libris hactenus vulgatis, *Et salpe expurgat hulcera*: atque ea voce *salpe* obstetricem eam signari Rondeletius arbitratur, lib. 5. cap. 21. de qua nos egimus in Auctorum Indice: de pisce ejus nominis accipiunt alii, quod sane multo veri similius erat, cum sequatur, *Item echinorum testa cinis.* Nos vero sic litem dirimimus, ut omnes cadere causa statuamus. Neque enim hic salpe, sed alex locum habet, de qua dictum est abunde, lib. 31. sect 44. In Reg. 2. cod. *Et halpex purgat*: unde litterula una extrita *halex* superest, quo pacto hanc vocem vetusti alii codices repræsentant. Alecem Plinius, quæ salsamenti præstantissimi, sive gari, est imperfecta fæx, ad hulcera sic modo commendat, ut proxime antea salsamenta ipsa iis immitti præcipit: nec multo post sect. seq. alecem iterum defervefactam adhibet ad alios morbos Sed, quod conjecturam nostram egregie constabilis, Plinius Valerianus, hunc locum summa fide transcribens, lib. 3. cap. 22. *Alece, inquit, linteolis concerptis impositis, purgantur hulcera*: ut nullus sit jam reliquus de nostra emendatione dubitandi locus. *Alecem in linteolis concerptis* idem Valerianus iterum adhibet, ejusdem libri cap 31. ad mor-

sum canis non rabiosi.

Sect. 51.

XXVIII. *Citharus e rhomborum genere pessimus : chalcis*, &c.] Libri hactenus editi sic legunt, *citharus, chrombrorum genera, cyprinus chalcis*. Chrombri qui sint nemo novit, nec cyprinum aut scombros ulli MSS. habent. Sic enim Reg. 2. & Chifl. *citharus rhomborum genera pessimus chalcis*, &c. Unde perspicuum fit nihil esse nostra emendatione certius: præsertim attestante Galeno, lib 3. de aliment. facult. cap. 30. pag. 394 simillimum esse rhombo citharum: Aristotele, apud Athen. lib. 7. pag. 305. alga vesci: iis qui Romæ gustarunt, insuavi carne: unde Pherecrates apud eumdem Athen. pag. 306. Ὦ κίθαρε, ἐν τοῖς ἰχθύσι κακόν. Et Xenocrates, lib. de alimento ex aquatilibus, apud Oribas. lib. 2. cap. 58. *Citharus & rhombus lati sunt: rhombusque solidus est ... At citharus mali succi est, & stomacho non idoneus*, &c.

Ibid.

XXIX. *Cibium, ita vocatur concisa pelamis.*] Salmasius in Solin. pag. 1317. facinus indignum exclamat, obtrudi a Plinio cybium inter piscium nomina, cum piscis pars quædam, salsamentumque sit. Scribat igitur dicam non Plinio modo, sed & Varroni, lib. 4. de ling. Lat. pag. 21. ita scribenti: *Aquatilium vocabula animalium, partim sunt vernacula, partim peregrina. Foris muræna, quod μύραινα, cybium, thynnus, cujus item partes Græcis vocabulis omnes, ut melandrya, uræon.* Festo quoque: *Κύβιον genus piscis, quia piscantes id genus piscium velut aleam ludant.* Et in Græcis Oppiano, lib. vers. 183. inter pisces qui longe degunt a litore, cybia annumerantur cum orcynis, hoc est, pelamides minimas cum maximis:

Ὄρκυνοι γενεή, καὶ πηλαμίδες, ἠδὲ κυβεῖαι.

Certe cum μελάνδρυς & salsamenti e thynno Græcis, & thynni simul genus dicatur, ut Pamphilus refert, libro Du nominibus, apud Athen. lib. 3. pag. 121. Μελάνδρυς δὲ τῶν μεγίστων θύννων εἶδός ἐστιν, ὥς Πάμφιλος ἐν τῷ Περὶ ὀνομάτων παρίστησι· καὶ ἀεὶ τὰ τεμάχη αὐτοῦ λιπαρώτατα. Quidni & minoris thynni nomen cybium fuerit, & ex ipso salsamentum? Certe quæ Plinius hoc loco habet, ea totidem plane verbis apud Oribasium leguntur, lib. 2. cap. 58. fol. 29. ex Xenocratis libello, de alimento ex aquatilibus. *Pelamis exigua*, inquit, *nascitur in Mæotide .... Cybium, hoc est, concisa pelamis, quæ post quadraginta dies a Ponto in Mæotim revertitur, ori grata, & boni alimenti.*

Ibid.

XXX. *Thynnus, thranis, quem alii xiphiam vocant.*] Libri omnes vulgati, ex interpolatione Hermolai Barbari, sic habent, *Tomus Thurianus, quem alii*, &c. Editi ante ipsum, in primis Venetiis 1572. & Parmæ, an. 1476. *Thynnus thranus.* Codex item Colb. 3. similiter. At Reg. 2. *thynnus thranis*, quod visum est anteponendum: adstipulante in primis Xenocrate, in libello de alimento ex aquatilibus, apud Oribasium, lib. 2. cap. 58. pag. 29. *Thranis*, inquit, *aut xiphias cetaceus est piscis, & in frusta secatur*, &c. Ab Hesychio θρανίς idem & ξιφίας vocatur. E xiphia pisce frusta demi, quæ Thuriani obsonii nomen haberent, auctor est Athenæus, lib. 6. pag 274. sed est ab eo, ut quidem videtur, dispar pulpamentum: aut is xiphias, de quo nunc agitur, e minore genere: ut cordyla pelamis pusilla: nam xiphias grandior iterum seorsum appellatur, seu diversus ab isto, ut thynnus a pelamide, cybio, orcyno, cordyla, & apolecto.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXXIII.

1 METALLA nunc, ipsæque opes, & rerum pretia dicentur, tellurem intus exquirente cura multiplici modo: quippe alibi divitiis foditur, quærente vita aurum, argentum, electrum, æs: alibi delicias gemmas [1] & parietum digitorumque pigmenta: alibi temeri-
5 tati ferrum, auro etiam gratius inter bella cædesque. Persequimur omnes ejus fibras, vivimusque super excavatam, mirantes dehiscere aliquando, aut intremiscere illam: ceu vero non hoc etiam indignatione sacræ parentis [2] exprimi possit. Imus in viscera ejus, & in sede Manium opes quærimus, tamquam parum benigna fertilique, [3] quaqua seca-
10 tur. Et inter hæc minimum remediorum gratia scrutamur: quoto enim cuique fodiendi causa medicina est? Quanquam & hæc summa sui parte tribuit, [4] ut minime parca, facilisque in omnibus quæcumque prosunt. [5] Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, [6] quæ occultavit atque demersit, [7] illa quæ non nascuntur repente. [8] Mens ad inane evolans reputet quæ deinde futura sit finis sæculis omnibus exhauriendi eam; quousque pene-
15 tratura avaritia. Quam innocens, quam beata, immo vero & delicata esset vita, si nihil aliunde, quam supra terras, concupisceret; [9] breviterque, nisi quod secum est!

II. Eruitur aurum, & chrysocolla juxta, [1] ut pretiosior videatur, non natura. Parum erat unam [2] vitæ invenisse pestem, nisi in pretio esset auri etiam sanies. Quærebat argentum avaritia: boni consuluit interim invenisse minium, rubentisque terræ excogitavit
20 usum. Heu prodigiosa ingenia! quot modis auximus pretia rerum? Accessit ars picturæ ad aurum & argentum, quæ cælando cariora fecimus. Didicit homo Naturam provocare. Auxere & vitiorum irritamenta. [3] In poculis libidines cælare juvit, ac per obscenitates

INTERPRETATIO.

a *Mens.*] Mens in cælum se paulisper efferens secum reputet, quis sit finis futurus umquam exhauriendi tellurem: & quousque penetratura sit avaritia.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Et parietum*, &c.] Parietum quidem, aurum: nam, ut dicetur libri hujus sect. 18. *jam & ipsi tamquam tarsa inaurantur.* Digitorum, gemmæ: quo pertinet scitum illud libri 2. sect. 63. pag. 104. *Gemmas etiam & quosdam parvulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera ejus extrahimus, ut digito gestetur gemma quam petimus. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus!*

2. *Exprimi.*] Explicari.

3. *Quaqua secatur.*] Foditur. Sic Reg. 2. codex, & Pintiani. Recte, cum sequatur statim indignatio, quod admodum paucis fodiendi causa medicina sit. Editi hactenus libri, *quaqua calcatur*, male.

4. *Ut minime parca.*] Ex vestigiis veteris scripturæ. Gronovius conjiciebat legi commodius posse, *ut suggerens large*: eadem sententia.

5. *Illa nos premunt*, &c.] Pari elegantia in eodem argumento Seneca versatus, epist. 94. pag. 419. *Aurum quidem & argentum*, inquit, *& propter ista numquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit. Nos in lucem, propter quæ pugnaremus, extulimus .... nec erubescimus summa apud nos habere, quæ fuerant ima terrarum.*

6. *Quæ occultavit.*] Horatii scitum illud huc pertinet:

Aurum irrepertum, & sic melius situm
Cum terra celat, &c.

Ode 3. lib. 3. vers. 49.

7. *Illa quæ non nascuntur repente.*] Quæ tam lente Natura gignit, ut illa ægre, non sponte parere videatur. Vide Notas & Emend. num. I.

8. *Mens ad inane.*] Inane pro cælo, aere, familiare præferunt poetis, ac Plinio. *Per inania, magnum inane*, Maro. Lucretius, *profundum inane*, sæpe dixere.

9. *Breviterque nisi.*] Reg. 2. & Colb. 3. *haberetque non nisi*, forte elegantius.

Sect. II. 1. *Ut pretiosior.*] In Reg. 2. *ut pretiosior videatur nomen natura.* Colb. 3. *videatur, non natura.* Sane sincerius: ut sit sententia, pretiosiorem videri chrysocollam vicinitate auri, quam natura sua, cum nihil aliud sit quam auri sanies. Libri hactenus editi, *ut pretiosior videatur nomen ex auro custodiens.* At illa, *ex auro custodiens*, nulli MSS habent.

2. *Vitæ invenisse pestem*) Aurum. Mox auri saniem chrysocollam vocat, ut est.

3. *In poculis libidines.*] Juvenalis, Satyr. 2. vers. 95.

Vitreo bibet ille Priapo.

Elegans in primis in eam sententiam est Oenomai epigramma, lib. 4. Anthologiæ, cap. 18. de Cupidine sculpto in caucalio.

[illegible]
[illegible]
In cyatho cur sculptus Amor? vino ardeat ut cor
Est satis: ignem igni quis furor adjicere est?

Lampridius in Elagabalo, pag. 107. Vasa deinde *centenaria argentea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata.*

bibere.

bibere. Abjecta deinde sunt hæc, & sordere cœpere: & auri argentique nimium fuit. [4] Murrhina & crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis: [5] turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices: ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat: [6] & aurum jam accessio est.

III. Utinamque posset e vita in totum abdicari, [1] sacrum fame, ut celeberrimi auctores dixere, proscissum conviciis ab optimis quibusque, & ad perniciem vitæ repertum: quantum feliciore ævo, [2] cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus factitatum [3] Homero credi convenit. Ita enim (ut opinor) commercia victus gratia invecta. Alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus mutasse tradit: quanquam [4] & ipse mirator auri, æstimationes rerum ita fecit, [5] ut centum boum arma aurea permutasse Glaucum diceret cum Diomedis armis novem boum. Ex qua consuetudine [6] multa legum antiquarum pecore constat, etiam Romæ.

IV. Pessimum vitæ scelus fecit, [1] qui id primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit traditur. [2] Nam de Prometheo omnia fabulosa arbitror, quanquam illi quoque ferreum anulum dedit antiquitas: vinculumque id, non gestamen, intelligi voluit. [3] Midæ quidem anulum, quo circumacto habentem nemo cerneret, quis non etiam fabulosiorem fateatur? Manus & prorsus [4] sinistræ maximam auctoritatem conciliavere auro, non quidem Romanæ, quarum mere ferreum id erat, ut virtutis bellicæ, insigne. De regibus Romanis non facile dixerim. [5] Nullum habet Romuli in Capitolio statua, nec præter Numæ Serviique Tullii alia, ac ne L. quidem Bruti. Hoc in Tarquiniis maxime miror, [6] quorum e Græcia fuit origo, unde hic anulorum usus venit, quanquam etiam nunc Lacedæmone ferreo utuntur. [7] Sed a Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum [8] in prætextæ annis occidisset hostem, [9] bulla aurea donatum constat: unde mos bullæ duravit, ut [10] eorum qui equo meruissent filii, insigne id haberent, [11] ceteri lorum. Et ideo miror Tarquinii ejus statuam sine anulo esse. Quanquam & de nomine ipso ambigi video: [12] Græci a digitis appellavere, apud nos prisci [13] ungulum vocabant: postea

NOTÆ.

4. *Murrhina & crystallina ex eadem terra effodimus.*] Produnt hæc verba perspicue murrhina vasa e pretioso olim facta lapide, cum effodi ex æquo cum crystallinis monet: Sic crystallina simul ac murrhina jungit Martialis, lib. 3. Epigr. 82. Julius Capitol. in M. Antonino, pag. 29 aliique. Myrrhina & onychina, Ælius Lamprid. in Elagabalo, pag. 212. Unde intelligas e fossili materia murrina fuisse, non fictilia ea quæ *porcellanea* nostra ætas vocat, ut visum Cardano, Scaligeroque in Cardan. Exercit. 92. pag. 317. non e concharum genere aliquo, ut Bellonio: non ex indurata myrrha, coloribusque picta, ut Mercator, quem laudat auctor Annalium Ecclesiasticorum, ad annum Christi 34. num. 98. non ipsum esse onychem, ut Agricolæ, lib. 6. de nat. fossil. pag. 296. Sed de his opportunius, lib. 37. sect. 8.

5. *Turba gemmarum.*] Poculis quæ sint onusta gemmis. Huc illud Juvenalis spectat, Satyr. 5. vers. 42.

Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis.

6. *Et aurum jam.*] Præcipua jam, inquit, irritamenta luxuriæ sunt gemmæ: accessoria tantum aurum argentumque, quæ nunc sordent.

Sect. III. 1. *Sacrum fame.*] Sic Reg. 2. eleganter: non, ut editi, *aurum, sacra fames.* Nam vox ea *aurum* abest & a Chiffl. cod. & ex antecedente sectione subintelligenda est.

2. *Cum res ipsæ.*] Paulus, lib. 18. Dig. tit. de contrahenda emptione: *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit,* &c.

3. *Homero.*] Iliad. η. vers. 472.

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσι,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι· τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν.

4. *Et ipse mirator auri.*] Ita Reg. 2. aliique MSS. non *miratus aurum,* ut editi. Plinius, lib. 14. sect. 5. de Seneca, *Non utique miratore inanium.* Et Seneca epist. quadam, *mirator auri* dixit.

5. *Ut centum boum.*] Iliad. ζ. vers. 234.

Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεὺς,
Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε,
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

6. *Multa legum.*] Festus, verbo *Ovibus. Ovibus duabus,* inquit, *multabantur apud antiquos in minoribus criminibus: in majoribus autem, bubus: nec extra hunc numerum excedebat multatio. quæ, postquam ære signato uti civitas cœpit, pecoraque multatitia incuria corrumpebantur, unde etiam peculatus crimen usurpari cœptum est: facta est æstimatio pecoralis multa, & boves centenis assibus, oves denis æstimatæ. Inde suprema multa, id est, maxima, appellatur tria millia æris.* His adde ea quæ diximus lib. 18. sect. 3.

Sect. IV. 1. *Qui id primus.*] Aurum videlicet, facto ex eo anulo. Vide Notas & Emend. num. II.

2. *Nam de Prometheo.*] Quem Caucaso alligatum fabulæ prodiderunt: Iterum hæc repetita inferius, lib. 37. sect. 1.

3. *Midæ quidem.*] Gygæ ceteri id adscribunt, non Midæ. Tullius, lib. 3. de Offic. num. 38. *Hinc ille Gyges inducitur a Platone .... Is cum palam ejus anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, cum in locum anulum inverterat.*

4. *Sinistræ.*] Infelices. Sic omen sinistrum dicimus. Etsi manum quidem lævam intelligit, tamen in verbo ludit: ut & infelicis id auspicii fuisse admoneat.

5. *Nullum habet .... statua.*] Statuas anulo ornari solitas, testatur etiam Cicero, lib. 4. epist. 1. ad Attic. ubi ex statu, imagine, amictu, anulo, colligit ejusdem Scipionis Africani statuam esse, & quæ ad Opis, & quæ ad Pollucis ædem posita esset.

6. *Quorum e Græcia.*] Fuit enim Tarquinius Priscus Demarati Corinthii filius, ejus qui in Etruriam commigravit. Aurel. Victor, libr. de viris illustr. cap. 6. Plinius ipse, lib. 35. sect. 5.

7. *Sed & a Prisco Tarquinio.*] Hæc totidem verbis Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 6. pag. 208.

8. *In prætextæ annis.*] Ante annum ætatis quintum decimum. Vide quæ de toga pura & prætexta diximus, lib. 8. sect. 74.

9. *Bulla aurea.*] Festus: *Bulla aurea insigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis a pectore,* &c. Asconius Pedianus: *Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis, scortea,* &c. Bulla cordis effigiem referebat.

10. *Eorum qui equo meruissent.*] Merere equo, merere pedibus, est in militia alterutro modo stipendia facere.

11. *Ceteri lorum.*] Sine bulla. Ita Macrobius, loc. cit. Vel, ut Pedianus, cum bulla tantum scortea, hoc est, e pellibus facta. Id apposite Juvenalis expressit, Satyra 5. vers. 164.

Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro.

Lorum intellige id ligamentum, cum nodo, ex quo bulla pendebat: quale nunc gestant e serico Equites Melitenses, unde Crux pendet.

12. *Græci a digitis.*] Δακτύλιον, ἀπὸ τοῦ δακτύλου, a digito.

13. *Ungulum.*] *Ungulus,* inquit Festus, *Oscorum lingua, anulus:* idque gemino Pacuvii testimonio comprobat.

& Græci & nostri [14] symbolum. Longo certe tempore [15] ne Senatum quidem Romanum habuisse aureos manifestum est. Siquidem his tantum qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publice dabantur: credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Neque aliis uti mos fuit, quam qui ex ea causa publice accepissent: vulgoque
5 sic triumphabant. Et cum [16] corona ex auro Etrusca sustineretur a tergo, anulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis, [17] & servi fortasse coronam sustinentis. Sic triumphavit de Jugurtha C. Marius: [18] aureumque non ante tertium Consulatum sumpsisse traditur. Hi quoque, qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantum utebantur his: intra domos vero, ferreis. Quo argumento etiam nunc sponsæ muneri ferreus anulus mit-
10 titur, isque sine gemma. Equidem nec Iliacis temporibus ullos fuisse anulos video: nusquam certe Homerus dicit, [19] cum & codicillos missitatos epistolarum gratia indicet, [20] & conditas arcis vestes, [21] ac vasa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non anuli, nota. [22] Sortiri quoque contra provocationem duces non anulis tradit. [23] Fabricam etiam Deûm fibulas, & alia muliebris cultûs, sicut inaures, in primordio factitasse, sine men-
15 tione anulorum. Et quisquis primus instituit, cunctanter id fecit, [24] lævisque manibus, [25] latentibusque induit: cum, si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus. [a] [26] Quod si impedimentum potuit in eo aliquod intelligi, [27] etiam serioris usus argumentum est, majus in læva fuisse, qua scutum capitur. [28] Est quidem apud eumdem Homerum virorum crinibus aurum implexum: ideo nescio an prior usus a feminis cœperit.
20 V. Romæ ne fuit quidem aurum nisi admodum exiguum, longo tempore. Certe cum a Gallis capta Urbe pax emeretur, [1] non plus quam mille pondo potuere. [2] Nec ignoro duo millia pondo auri perisse Pompeii tertio Consulatu, e Capitolini [3] Jovis folio, a Camillo ibi condita, [4] & ideo a plerisque existimari duo millia pondo collata.

INTERPRETATIO.

a *Quod si.*] Quod si objiciat aliquis futuram fuisse impeditiorem ad armorum usum dexteram manum, si anulo oneraretur: seriore adhuc ætate, *hoc est, multo post Trojana tempora*, lævæ quoque insertum anulum esse, argumento est, quod in læva manu majus impedimentum fuerit, qua nempe scutum capitur.

NOTÆ.

14. *Symbolum.*] Credo id nomen anulis præsertim signatoriis attributum, quod indicium signumque imprimerent ejus qui signabat. Plautus in Pseud.
Ea causa miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex anulo suam imaginem.

15. *Ne Senatum quidem.*] Post mutatis moribus, Senatorii Equestrisque ordinis hominibus concessum, ut aureos ferrent: ceteris, etiam ingenuis, vetitum. Dio, lib. 48. pag. 385.

16. *Corona ex auro Etrusca.*] Vide quæ diximus lib. 21. sect. 4.

17. *Et servi fortasse.*] Et coronam sustinentis, qui non ingenuus, sed fortasse servus erat. Ita servus, quo nihil esse aut dici abjectius potest, & triumphans, quo nihil gloriosius, pari in anulis conditione erant. Nam de servis quidem id constat. Papinius, 3. Silvar. 3. vers. 144
Mutavitque genus, lævaque ignobile ferrum
Exuit.

18 *Aureumque non ante.*] Mira sane Marii modestia fuit. Nam ante illius ætatem, cum Scipio Carthaginem obsideret, Tribunos Romanos, quos sepeliri Asdrubal voluit, ex aureis anulis discrevit a militum vulgo, qui ferreos tantum gestabant, ut quidem auctor est Appianus, in Punic. pag. 63.

19. *Cum & codicillo.*] Vide quæ diximus lib. 13. sect. 21.

20. *Et conditas arcis.*] Odyss. θ'. vers. 424.
Δεῦρο γύναι, φέρε χηλὸν ἀριπρεπέ᾽ ἥτις ἀρίστη.
Ἐν δ᾽ αὐτῇ θὲς φᾶρος ἐϋπλυνὲς, ἠδὲ χιτῶνα.

21. *Ac vasa aurea.*] Eodem libro, vers. 443. & 447.

22. *Sortiri quoque.*] Proceres Græciæ, jactis in galeam sortibus, deligunt quem opponant Hectori ipsos provocanti ad singulare certamen: neque dicuntur eæ sortes anulis fuisse signatæ. Iliad. η' vers. 175. Post usus obtinuit, ut eæ sortes, globulive, anulis signarentur, quo suum quisque dignosceret. Et arca, qua asservabantur eæ, anulo obsignata. Testis Sueton. in Tiberio, cap. 63. *Vicina Urbis oracula etiam disjicere conatus est: sed majestate Prænestinarum sortium territus, destitit: cum obsignatas devectasque Romam non reperisset in arca, nisi relata rursus in templum.*

23. *Fabricam.*] Vulcani officinam. Iliad. σ'. vers. 400. Vulcano Thetidem alloquente:
Τῇσι παρ᾽ εἰνάετες χάλκευον δαίδαλα πολλὰ
Πόρπας τε, γναμπτάς θ᾽ ἕλικας, κάλυκάς τε καὶ ὅρμους, &c.

24. *Lævisque manibus.*] Silius Ital. lib. 12 de Equitibus Romanis ad Cannas cæsis, quibus detracti fuere anuli:
Testes hi stragis, quos signum illustre superbis
Mos læva gestare viris: tum funditur ante
Ora admirantum præfulgens anulus auro, &c.

25. *Latentibusque.*] Sub toga: quasi cunctanter ac verecunde id faceret: nam si ornatus & honoris accessionem ea requæsisset, nec veritus esset reprehensionem proborum hominum, dextra potius ostentasset.

26. *Quod si impedimentum.*] Aliam causam affert Atteius Capito, apud Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 13. pag. 625. *Veteres, inquit, non ornatus, sed signandi causa anulum secum circumferebant: unde nec plus habere quam unum licebat, nec cuiquam nisi libero: quos solos fides discerneret, quæ signaculo continetur. Ideo jus anulorum famuli non habebant. Imprimebatur autem sculptura materiæ anuli, sive ex ferro, sive ex auro foret: & gestabatur ut quisque vellet, quacumque manu, quolibet digito. Postea usus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cœpit insculpere .... Hinc factum est ut usus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu & officio manus dexteræ pretiosi lapides frangerentur.*

27. *Etiam serioris usus.*] Vide Notas & Emend. num. II.

28. *Est quidem apud eumdem Homerum.*] Iliad ρ'. vers. 52.
Πλοχμοί θ᾽, οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.
Et crines rutiloque auro, argentoque revincti.

Sect. V. 1. *Non plusquam mille pondo potuere.*] Subintellige, emere. Nam quod libri vulgati adjiciunt *efficere*, ex interpolatorum officina est, non ex Plinii stilo, aut codicum MSS. fide. Plutarchus, in Camillo, pag. 143. Ὁμολογήσαντες ἐπὶ Ῥωμαίοις χιλίας λίτρας καταβαλεῖν χρυσοῦ. *Transactum est ut Romani mille pondo auri darent.* Florus, lib. 1. cap. 13. pag. 29. *Novissime, quum jam obsidio sua barbaros* (Gallos) *fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes*, &c. Livius, lib. 5. pag. 103. *Inter P. Sulpicium Tribunum militum, & Brennum Regulum Gallorum colloquio transacta res est, & mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum .... Jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod cum in publico deesset aurum, ex quo summa pacta mercedis Gallis conferretur, a matronis collatum acceperant, ut sacro auro abstineretur.*

2. *Nec ignoro.*] Vide Notas & Emend. num. III.

3. *Jovis folio.*] Livius, lib. 5. pag. 103. *Sed Diique & homines prohibuere redemptos vivere Romanos: Nam forte quadam, priusquam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, Dictator intervenit, auferrique aurum de medio, & Gallos summoveri jubet.* Ac paulo post: *Aurum quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis inter trepidationem in Jovis cellam collatum, cum in quæ referre oporteret, confusa memoria esset, sacrum omne judicatum, & sub Jovis sella poni jussum.*

4. *Et ideo existimari.*] Quoniam quantum erat Gallis appensum, tantumdem erat ibi conditum, ut ex Livio diximus.

[a] Sed quod accessit, Gallorum præda fuit, detractumque ab his in parte captæ Urbis delubris. Gallos autem cum auro pugnare solitos, [5] Torquatus indicio est. [b] Apparet ergo Gallorum templorumque tantumdem, nec amplius fuisse: [6] quod quidem in augurio intellectum est, cum Capitolinus duplum reddidisset. Illud quoque obiter indicare convenit, quoniam de anulis sermonem repetimus, æditum custodiæ ejus comprehensum, fracta in ore anuli gemma, [7] statim exspirasse, [c] & indicium ita extinctum. Ergo ut maxime duo tantum millia pondo, cum capta est Roma [8] anno CCCLXIV. fuere, cum jam capitum liberorum censa essent CLII. millia, quingenti LXXIII. In eadem post annos CCCVII. [9] quod ex Capitolinæ ædis incendio ceterisque omnibus delubris [10] C. Marius filius Præneste detulerat, tredecim millia pondo: quæ sub eo titulo in triumpho transtulit Sylla, & argenti VI. millia. Idem ex reliqua omni victoria pridie transtulerat auri pondo XV. millia, argenti pondo centum & quindecim millia.

VI. Frequentior autem usus anulorum non ante Cn. Flavium [1] Annii filium deprehenditur. [a] Hic namque publicatis diebus [3] fastis, quos populus a paucis Principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, (aliorqui libertino patre genitus, & ipse [4] Appii Cœci scriba, cujus hortatu exceperat eos dies, consultando assidue sagaci ingenio, promulgaveratque,) ut Ædilis curulis crearetur cum Q. Anicio Prænestino, qui pancis ante annis [5] hostis fuisset, præteritis C. Pœtelio & Domitio, [6] quorum patres Consules fue-

INTERPRETATIO.

a *Sed quod.*] Quod autem accessit *ad mille pondo, quibus empta pax*, Gallis ablatum est, *qui id prædati fuerant*, detraxerantque Templis in ea parte Urbis quam ceperant.

b *Apparet.*] Perspicuum est & quod Gallis appensum ultro, & quod templis detractum, non amplius quam duo millia pondo fuisse.

c *Et indicium.*] Et sic extinctum qui indicare certo potuisset, *quis rapuisset illa duo millia pondo auri, Pompeii altero Consulatu: cum Crassum esse fama ferret.*

NOTÆ.

5. *Torquatus.*] Qui torquem aureum Gallo detraxit: unde Manlio Torquato nomen, Livius, lib. 7. pag. 134. Adde Virgilium de Gallis canentem, lib. 8. Æneid. vers. 657.

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant:
Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Et Silium Ital lib. 4.

Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgata vestes: manicæque rigebant
Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.

6. *Quod quidem in augurio.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Atque hoc quidem, inquit, augurari atque intelligere vel ex eo licuit, quod in solio Capitolini Jovis duplum ejus summæ, qua pax emebatur, inventum est: nempe bis mille pondo.

7. *Statim exspirasse.*] Veneno epoto, quod anulo includebatur. Sic Hannibal, *ne Romanis traderetur, hausto quod sub anuli gemma habebat, veneno absumptus est.* Testis Aurel. Victor. lib de virit illustr. cap. 42.

8. *Anno CCCLXIV.*] Camillus in oratione quam recitat Livius, lib 5. pag 105 Gallis Urbe pulsis: *Trecentesimus sexagesimus quintus annus Urbis, Quirites, agitur*, &c.

9. *Quod ex Capitolinæ.*] Syllanis temporibus, bello civili Jovis Capitolini ædes conflagravit, anno Urbis DCLXXII Sylla deinde restituit, Catulus Sylla mortuo dedicavit. A Vitellianis (ut id obiter dicamus) deinde iterum deflagravit. Excitavit rursum Vespasianus, & dedicavit. Rursumque post ejus obitum igni consumpta, a Domitiano exstructa dedicataque est. Plutarchus, in Poplic. pag. 104. Appianus, lib. 1. de bell. civil. pag. 402. Testatur Capitolium restitutum nummus Domitiani Aug. Consulatu ejus octavo cusus, inscriptusque, CAPIT. RESTIT. *Capitolium restitutum.*

10 *C. Marius.*] C. Marium juniorem vocant, senioris qui septies Consul fuit, filium. Gessit post obitum patris Consulatum ipse, cum esset annorum tantum quinque & viginti, Cn. Papirio Carbone tertium collega, anno Urbis DCLXXII. Non aurum modo, sed & signa e Capitolio Præneste detulerat: nam apud P. Victorem, in descriptione Romæ, regione octava, legitur: *Signum Jovis Imperatoris a Præneste devectum*

Sect. VI. 1. Annii filium.] Ita & MSS. Gellius quoque, lib 6. cap. 9. At Livius *Cnei filium* vocat, in fine libri 9. sed mendose. Fuere patriciæ nobilesque gentes duæ, Flavia & Annia. Flavia, ex qua Vespasianus Augustus: Annia, ex qua Annia Faustina Antonini Aug. Pii conjux. Cum igitur Flavius Annii filius dicitur, innuitur is patre libertino & libertina matre genitus, Annio patre, matre Flavia: Flavii nomine, quippe tunc nobiliore, de more posito priore loco. Servus cum manumitteretur, hoc est, cum donaretur libertate, libertus propterea: & quem filium procrearet, is libertinus dicebatur. Nomen etiam patroni sui, a quo manumittebatur, libertus assumebat, suoque nomini adjungebat: sed inter plebeias tamen familias censebatur. Neque alias arbitramur, quam istius generis, fuisse familias plebeias apud Romanos, patriciis gentibus cognomines. E patricia gente Flavia fuit is, quem Plinius appellat, libro XIX. sect. 1 Fuit & is, cujus nummi inscribuntur, C. FLAV. HEMIS PROPR. Flavii autem hujus, quem Plinius Annii libertini filium vocat, hoc genus fuit:

A Flavio Patricio, — Ab Annio Patricio,

Flavius libertus. — Annius libertus.

Flavia libertina. — Annius libertinus.

Ex Flavia, & Annio,

Flavius Annii filius.

a. *Hic namque.*] Narrant hanc rem scriptores quamplurimi. Cic. pro Muræna, num. 25. & lib. 6. ad Attic. Epist 1. Livius in fine libri 9. Gellius, aliique, e quibus duos seligo: Valer. Max. lib. 2 c. 5. pag. 100. *Jus civile per multa secula inter sacra cærimoniasque Deorum immortalium, solisque Pontificibus notum, Cn. Flavius libertino patre genitus, & Scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione, factus Ædilis curulis vulgavit, ac Fastos pene toto foro exposuit*, &c. Macrobium, lib 1. Saturn. cap. 15 pag. 259. *Priscis*, inquit, *temporibus antequam Fasti a Cn. Flavio Scriba invitis Patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nunciaret. Itaque sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex Kalata, id est, vocata in Capitolium plebe.... quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat*, &c

3. *Fastis.*] Fasti dies dicti sunt, quibus sine piaculo Prætoribus licebat tria verba fari, *Do, Dico, Addico.* Nefasti, quibus non licebat fari. Fastorum libri erant, in quibus causæ festivitatum explicabantur Proposuit Fastos in albo Flavius scriba, ut quando lege agi posset, sciretur.

4. *Appii Cæci.*] Ejus qui viam suo nomine munivit, & aquam in Urbem duxit: Censura inclytus, & juris doctrina. Livius, lib 9

5. *Hostis fuisset.*] Eo bello, opinor, quo Etruscorum duodecim populi in excidium Romani nominis incitati, anno Urbis conditæ CCCCXLII. a Consule Fabio, anno CCCCXLIV. ingenti prælio devicti sunt. Livius, lib. 9.

6. *Quorum patres Consules.*] C. Pœtelius Libo in Fastis Consul legitur, cum Papirio Cursore, anno Urbis CCCCXXVIII. Cn. Domitius Calvinus, cum Corn. Cosso Arvin. no, anno CCCCXXII.

rant. [7] Additum Flavio, ut simul & Tribunus plebis esset. Quo facto tanta Senatus indignatione exarsit, [8] ut anulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. Fallit plerosque, quod tum & Equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. [9] Etenim adjectum hoc quoque, sed & phalera polita, [10] propter eaque nomen Equitum adjectum est. Anulos quoque depositos a nobilitate, in Annales relatum est, [11] non a Senatu universo. Hoc actum [12] P. Sempronio Longo, L. Sulpicio Consulibus. Flavius vovit ædem Concordiæ, si populo reconciliasset ordines. Et cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex multatitia feneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit [13] in Græcostasi, quæ tunc supra Comitium erat. Inciditque in tabella ærea eam ædem, [14] trecentis quatuor annis [15] post Capitolinam, dedicatam. Ita CCCCXLVIII. a condita Urbe gestum est: & primum anulorum vestigium exstat: [16] promiscui autem usus alterum secundo Punico bello: neque enim aliter potuissent [17] trimodia illa anulorum Carthaginem ab Hannibale mitti. [18] Inter Cæpionem quoque & Drusum ex anulo in auctione venali, inimicitiæ cœpere: unde origo [19] socialis belli, & exitia rerum. Ne tum quidem omnes Senatores habuerunt: utpote cum memoria avorum multi Prætura quoque functi, in ferro consenuerint, sicut [20] Calpurnium [21] & Manilium, qui legatus Caii Marii fuerat Jugurthino bello, Fenestella tradit: & multi [22] L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de vita sua scripsit: [23] in Quinctiorum vero familia aurum, ne feminas quidem, habere mos fuerit: nullosque omnino anulos major pars gentium hominumque, etiam qui sub imperio nostro degunt, hodieque habeat. Non signat Oriens [24] aut Ægyptus etiam nunc, litteris contenta solis. Multis hoc modis, ut cetera omnia, luxuria variavit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque opimo [25] digitos onerando, sicut dicemus in gemmarum volumine: mox & effigies varias cælando, ut alibi ars, alibi materia esset in pretio. Alias deinde gemmas violari nefas putavit: ac ne quis signandi causam in anulis esse intelligeret, solidas induit. Quasdam vero neque ab ea parte quæ digito occultatur, [26] auro clusit, aurumque millibus lapillorum vilius fecit. Contra vero multi nullas admittunt gemmas,

Notæ.

7. *Additum Flavio.*] *Vt & Tribunus plebis, & Senator, & Ædilis curulis fiet*, inquit Pomponius. in Dig. t. tit. 2. de orig. juris, §. de jure civili Flaviano. At Senatorem dicere non debuit.

8. *Vt anulos ab eo abjectos.*] In publico luctu anuli ponebantur: Ad nuncium Caudinæ pacis *anulos aureos positos* narrat Livius, lib. 9. De funere Augusti Suetonius, cap. 1000. *Alii exsequiarum die ponendos aureos anulos, ferreosque sumendos censuerunt.*

9. *Etenim adjectum hoc quoque.*] Adjectum quidem, inquit, Equitum nomen pariter cum Senatu: sed propter hæc verba id adjectum est, quæ in Annalibus simul leguntur, *Sed & phalera posita*: quibus verbis insigne Equitum & ordo intelligitur. Secutus plane eos Annales Livius videtur: sic enim ille in fine libri 9. *Tantumque Flavii Comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium anulos aureos & phaleras deponerent.*

10. *Propterea que.*] Sic Colb. 3. recte: prius mendose, *propter quæ.*

11. *Non a Senatu.*] Et ita sane Livius loco proxime allato. Patuisse credunt Senatum non Patriciis modo, sed & plebeiis. Livius paulo ante: *Flavium dixerat Ædilem forensis factio, Appii Claudii censura vires nacta, qui Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat.*

12. *P. Sempronio.*] Anno Urbis conditæ CCCCXLVIII. ut mox dicetur. Vide Notas & Emend. num IV.

13. *In Græcostasi.*] Quid esset Græcostasis, diximus in Notis & Emend. ad librum 7. num. CLXXVII. Loco postea mutatam esse Græcostasim Plinius significat, cum adjicit, *quæ tunc erat supar Comitium.*

14. *Trecentis quatuor.*] Vide Notas & Emend. num. IV.

15. *Post Capitolinam.*] Hoc est, post Capitolinam ædem dedicatam: id quod proinde factum fuisse anno Urbis Romæ CXLIV. ac proinde sub Tarquinio Prisco, Plinius hoc loco prodit. Confer eum Dionys. Halic. lib. 5. cap. 304. In Fastis: M. HORATIVS PVLVILLVS. EX. LEGE. TEMPLVM. IOVIS. CAPITOLINI. DEDICAVIT. De æde vero Concordiæ pariter Livius, loc. cit. *C. Flavius Cn. filius Scriba .... civile jus repositum in penetralibus Pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur. Ædem Concordiæ in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit*, &c.

16. *Promiscui autem usus alterum.*] Subintellige, vestigium.

17. *Trimodia illa.*] Duos tantum modios narrat Florus, lib. 2. cap. 16. pag. 62. *Modii duo anulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura.* Tres August. lib. 3. de Civit. Dei, cap. 19. *De Cannensi autem malo quod dicam? ... unde Hannibal tres modios anulorum aureorum Carthaginem misit: quo intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura, quam numerus.* Livius, lib. 23. famam esse veriorem affirmat de unico modio. Ut ut est, sequitur, Equites tum gessisse anulos, aureos scilicet: cum prius id Senatui tantum liceret. Et hunc promiscuum Plinius usum vocat

18. *Inter Cæpionem.*] Fuit is Q. Servilius Cæpio, bello sociali legatus Rutilii Consulis, anno Urbis DCLXIV. qui circumventus insidiis fuso exercitu cecidit, Epitome Livii, lib. 71. *M. Livius Drusus Tribunus pl. Socialis belli auctor creditur, incertum a quo, domi occisus est.* Invidia cædis apud Cæpionem fuit, inquit Aurel. Victor, lib de Viris illustr. cap. 66. De utriusque inimicitiis dictum antea, libro 28. sect. 41.

19. *Socialis belli.*] Sive Marsici, de quo Livius in Epitome lib. 71. 72. & 73. nos quoque superius ad librum 2. sect. 85.

20. *Calpurnium*] M. Calpurnium Flammam, de quo nos egimus lib. 22. sect. 6.

21. *Et Manilium.*] Sic etiam MSS. Ab Orosio A. Manlium Marii legatum appellari audio.

22. *L. Fufidium.*] Sic MSS. Reg. 2. & Chiffl. non *Fufidium.* Sic pariter inscriptiones variæ apud Gruterum. Cicero quoque in Bruto.

23. *In Quinctiorum.*] Quinctiorum familia Romæ clara, & Patricia fuit, in qua Cincinnati, Capitolini, Crispini, Flaminini, diversis temporibus floruerunt.

24. *Aut Ægyptus*] At in sacris paginis, Gen. 41. dicitur Pharao *tulisse anulum de manu sua, & dedisse eum in manu Joseph.* Sigillaritium anulum hunc fuisse (sic enim Vopiscus appellat) docet Josephus, lib. 2. Antiq. Jud. cap. 3. σφραγῖδα. Non credo.

25. *Digitos onerando.*] Atque unicum etiam articulum. Plinius, libro 2. sect. 63. *Ut digito gestetur gemma, quo petitur? Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus?* Martialis, lib. 5. Epigr. xi.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

26. *Auro clusit.*] Hoc est, inclusit auro. Sic in nummo Neronis vulgatissimo legitur, PACE P. R. TERRA MARIQ. PARTA IANVM CLVSIT. Hoc est, inclusit; non autem, ut vulgo creditur, clausit. Æque enim insulse Janum dixeris, quam Jovem, claudi. Nec *Janum* ibi ipsum, pro Jano seu Jani fano est: cum armamentarium effigies in area nummi depicta exhibeat. Sed sub istis quinque litteris totidem voces hæ latent: *Imperii Armamentarium Narbone Vrbis Martis* CLVSIT, hoc est, inclusit. Percussum enim Narbone nummum hunc fuisse, ut alios plurimos, cogit fabrica confiteri, præter alia argumenta. Sic antea Tarraco in nummis suis scripserat, DIVVS AVGVSTVTTAE:

auroque ipso signant: Id Claudii Cæsaris principatu repertum. [27] Nec non & servitia jam ferrum auro cingunt: alia per sese mero auro decorant: cujus licentiæ origo nomine ipso [28] in Samothrace id institutum declarat. [29] Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi: Sic in Numæ & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induêre, etiam Deorum simulacris: dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur usæ. Hic nunc solus excipitur: ceteri omnes onerantur, atque etiam privatim articuli minoribus aliis. Sunt qui tres uni minimo congerant: alii vero & huic unum tantum, [a] quo signantem signent. [30] Conditus ille, ut res rara, [b] & injuria usûs indigna, velut e sacrario promitur: & unum in minimo digito habuisse, pretiosioris in recondito supellectilis ostentatio est. [31] Jam alii pondera eorum ostentant. [32] Aliis plures quam unum gestare labor est. [33] Alii bracteas infarcire leviore materia, propter casum, tutius gemmarum sollicitudini putant. [34] Alii sub gemmis venena [35] cludunt, sicut Demosthenes summus Græciæ orator, anulosque mortis gratia habent. Denique ut plurimum [c] opum scelera anulis fiunt. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? [36] At nunc cibi quoque ac potus anulo vindicantur a rapina. Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac servorum quoque causa [37] nomenclator adhibendus. Aliter apud antiquos, singuli [38] Marcipores Luciporesve dominorum gentiles, omnem victum in promiscuo habebant: nec ulla domi custodia a domesticis opus erat. Nunc rapiendæ comparantur epulæ, pariterque qui rapiant eas, & claves quoque ipsas signasse non est satis: [39] gravatis somno aut morientibus anuli detrahuntur: majorque vitæ ratio circa hoc instrumentum esse cœpit, incertum a quo tempore. Videmur tamen posse in externis auctoritatem ejus rei intelligere, circa [40] Polycratem Sami ty-

INTERPRETATIO.

a *Quo signantem*] Quo digitum signent qui obsignare consuevit: & a ceteris distinguant, qui pluribus onerantur.

b *Et injuria.*] Et quasi sit injuria, quod non ornatus tantum, sed & usui destinatus sit, vilior jam tum habetur.

c *Opum.*] Quæ propter opes scelera committuntur, anulorum occasione patrari ea videntur.

NOTÆ.

Hoc est, *Divus Augustus Voluit Turritam Tarraconem Armeniarum Esse Imperii.* Plinius mox paulo iterum: *Sub gemmis venena cludunt*, hoc est, includunt. Mox *millibus lapillorum.* MSS. *milibus.* Mallem, *micis*, ut infra sect. 21. *marmorum micas* dicit.

27. *Nec non & servitia.*] Nec non etiam, inquit, servi ferreum anuli capitulum cingunt auro, sic ut ferrum vix emineat: addito alii circulo ex auro mero, ei capitulo ferreo decus addunt. Servitia dicta pro servis, ut ministeria pro ministris, alibi monuimus. His ferreum modo gestare anulum per leges moresque Romanos licuit, ut supra diximus. Sed in tegendo, decorandove ferro, miræ artes. Petronius in Satyr. pag. 104. *Habebat in minimo digiti sinistræ manus anulum grandem subauratum: extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum.*

28. *In Samothrace.*] Insula, de qua lib. 4. sect. 23. Hinc enim Samothracius anulus appellatus: qui, ut Isidorus ait, lib. 19. cap. 3. aureus ipse, sed ferreo tamen capitulo fuit, qua parte allici a magnete Lucretius vidit eo versu:

> *Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi.*

29. *Singulis primo.*] Causam hujusce moris affert Atteius Capito, apud Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 13. prolixa oratione, quam tu consule. Atteio subscribit Apion Grammaticus, in libris Ægyptiacis, ex quibus similia plane recitat Gellius, lib. 10 cap 10. pag. 519. Ubi vide quæ habent illi ex Anatomicorum libris de nervo quodam qui e corde natus prorsum pergat usque ad digitum manus sinistræ minimo proximum.

30. *Conditus ille.*] In arca.

31. *Jam alii.*] Profusiores. Ut ille, de quo Martialis, lib. 5. Epigr. 11. cujus disticho priori allato hunc plenissimum adulationis versum deinde subjungit:

> *Multas in digitis, plures in carmine gemmas*
> *Invenies*, &c.

32. *Aliis plures.*] Delicatioribus.

33. *Alii bracteas.*] Bractea tenuissima auri lamina est, ducta in circulum, qua gemma anuli continetur. Hanc circum infarcire lana similive materia studium fuit iis, qui solicite curabant, ne pondere fortasse graviore decidentibus anulis gemmæ casu frangerentur.

34. *Alii sub gemmis.*] Ut Hannibal, de quo paulo ante diximus sup. sect.

35. *Cludunt.*] Hoc est, includunt. Refert hoc quoque Plutarchus in Demosthene, pag. 860. ex Eratosthene. Pausanias in Atticis, lib. 1. pag. 14.

36. *At nunc cibi.*] Plautus, in Cas. act. 1. sc. 2.

> *Obsignate cellas: referte anulum ad me*

Cicero ad Tiron. lib. 16. ep. 26. *Sicut olim*, inquit, *matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.* Horatius, lib. 2. Epist. ult. laudat eum,

> *Cetera qui vitæ servaret munia recte*
> *More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,*
> *Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,*
> *Et signo læso non insanire lagenæ*, &c.

Martialis, lib. 9 Epigr 89.

> *Nunc signat meus anulus lagenam.*

37. *Nomenclator.*] Qui nomina servorum indicet: adeo magnus est in familia una servorum numerus, ut singulos appellare nominatim, labor sit. Exercitum credas esse, non familiam. Ad viginti millia servorum & amplius in una domo fuisse refert Athenæus, lib. 6. pag. 272. *Μυρίους καὶ δισμυρίους* (οἰκέτας) καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι ἐκέκτηντο, &c. Vide quæ de Demetrio Pompeii liberto diximus lib. 35. sect. 58 De voce *Nomenclator*, multa Voss. in Etymol. Apud Reinesium, pag 871. vetus inscriptio, PRAETORIVS. NOMENCVLATOR. Item apud Gruterum, pag. 630.

38. *Marcipores.*] Singuli, inquit, heri singulos pueros habebant, qui ab hero nomen sortiebantur: a Marco Marcipor dicebatur: a Lucio Lucipor. Priscianus, lib. 6. pag. 700. *A puero composita, Publipor, Publiporis: Marcipor, Marciporis.* Sic Probus: *Ita enim antiqui pro Publii puer & Marci puer dicebant.* Festus: *Quintipor*, inquit, *servile nomen, frequens apud antiquos erat, a prænomine domini ductum, ut Marcipor.* Quintilianus, lib. 1. cap. 4. pag. 36. *In servis*, inquit, *jam intercidit illud genus quod ducebatur a domino: unde Marcipores, Publiporesque.* Sic & PORA pro PVERA, in vetere inscriptione, apud Reines. pag. 865. Servos per εὐφημισμὸν, seu blandiloquentiam, dictos esse pueros jam olim Servius adnotavit, ad illud Maronis, *Claudite jam rivos, pueri.*

39. *Gravatis somno.*] Lethargis, aut deficientibus. Exemplum in Tiberio apud Tranquillum, cap. 73. ubi de genere ejus obitus: *Sunt qui putent*, inquit, *pulvinum ei injectum, cum extractum sibi deficiens anulum mox resipiscens requisisset.* Mortuis tamen redditos Propertius indicat, lib. 4. Eleg. *Sunt aliquid*:

> *Et solitum digito beryllon adederat ignis.*

40. *Polycratem.*] Referunt hanc historiam, Cicero, lib. 5. de Finib. pag. 284. Herod. lib. 3. Thalia, num 40. pag. 178. Elegantius quam ceteri, Valer Max lib. 6 cap. 9. pag. 329. *Semel Polycrati dumtaxat vultum fortuna mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum: tunc cum admodum gratum sibi anulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit. Quem tamen continuo recuperavit, capto pisce qui eum devoraverat. Sed hunc felicitatis semper plenis velis cursum tenere non potuit. Comprehensum enim Orontes*, (scribe Oro-

rannum, cui dilectus ille anulus in mare abjectus capto relatus est pisce, ipso circiter CCXXX. annum Urbis nostræ interfecto. Celebratior quidem usus cum fenore cœpisse debet: argumento est [41] consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum anulo exsiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior: ut plane affirmare possimus, [42] num-
5 mos ante apud nos, mox cœpisse anulos. [43] De nummis paulo post dicetur.

VII. Anuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperant esse celebres, [2] sicut tunica [3] ab anulis Senatum tantum: quanquam & hoc sero: vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem Lucii Ælii Stilonis, [4] Præconini ob id cognominati. Sed anuli plane medium ordinem, [5] tertiumque, plebi & pa-
10 tribus inseruere: [a] quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt. [6] Nec pridem id factum: Divo Augusto [7] decurias ordinante, major pars judicum in ferreo anulo fuit: iique non Equites, [8] sed judices vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Judicum quoque non nisi [9] quatuor decuriæ fuere primo: vixque singula millia in decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad
15 hoc munus admissis: servatumque in hodiernum est, ne quis [10] e novis civibus in iis ju-
[11] CAP. II. dicaret. * [11] Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus fuere, [12] Tribunorum æris, [13] & Selectorum, & Judicum. Præter hos etiamnum Nongenti vocabantur, [14] ex

INTERPRETATIO.

a *Quod antea.*] Ut antea militares equi nomen Equitibus fecerant, *quia equo merebant*, ita nunc ut Equites Judices appellentur, pecuniæ faciunt, *qua debent esse sestertiûm quadringentorum ei qui Eques appellari velit.*

NOTÆ.

[40]. Ὀροίτης Herodoto sæpius, lib. 3. in Thalia, pag. 210. & 211. Irrepsit hic error & in Tullii contextum.) *Daris regis Præfectus, in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affixit. E quo putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lævam, cui Neptunus anulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos amara servitute aliquandiu pressa, liberis ac lætis oculis aspexit.* Vide & Tzetzen, Chiliad. 7. vers. 205. & Galen. tom. 2. in Suasoria, cap. 4. pag. 5.

41. *Consuetudo vulgi.*] Qua nempe pro arrha dabatur anulus in emptione, quousque pretium solveretur, cum non esset arrha alia promptior ad manum. Quem Romani morem, opinor, hausere ab Hebræis, cujus haud obscura vestigia in monumentis sacri Mosis animadverto, quale est illud in Genesi, cap. 38. vers. 18. *Quid tibi vis pro arrhabone dari?* Respondit, *anulum tuum, & armillam*, &c. Meminit quoque moris hujus Ulpianus in Digestis, lib. 19. tit. 5. *de præscriptis verbis*: §. *Si gratuitam tibi. Si quis*, inquit, *sponsionis causa anulos acceperit.*

42. *Nummos ante.*] Igitur & ante Numam: non tamen signatos: nam signare Servius cœpit, ut dicetur sect. 13. At in Numæ Serviique statuis anulos fuisse ipse paulo ante admonuit, hac sect.

43. *De nummis paulo post.*] Sect. 13.

Sect. VII. 1. *Anuli distinxere alterum ordinem.*] Equestrem.

2. *Sicut tunica.*] Tunica scilicet laticlavia, de qua nos abunde disputavimus in Notis & Emend. ad lib. 9. num. CVII.

3. *Ab anulis.*] Ab Equite, cui jus anuli concessum, negatum plebi.

4. *Præconini.*] Vide quæ diximus in Auctorum Indice, verbo ÆLIVS STILO.

5. *Tertiumque.*] Qui licet dignitate ac censu medius inter Senatum ac plebem, tamen in actis publicis tertius ordine nominabatur, in hunc modum: SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. ET. EQVESTER. ORDO: ut dicetur sect. seq.

6. *Nec pridem id factum.*] Ut aureo scilicet anulo equester ordo secerneretur a plebe.

7. *Decurias ordinante.*] Judicum videlicet, non Equitum, ut visum est nonnemini. Judicum vero decuriæ plures fuere, eædemque variis discretæ nominibus, ut mox dicetur. Decuria in hoc loquendi genere non est δίκη. Nam singulæ decuriæ singula minimum millia continebant, ipso teste Plinio.

8. *Sed judices vocabantur.*] Ex equestri tamen ordine omnes allecti.

9. *Quatuor decuriæ.*] E singulis quæque millibus conflatæ, ut mox dicetur. Ex his quartam Augustus instituit, cum essent antea tres tantum, quam ducenariorum vocavit, ex inferiore censu allectam, quæ judicaret de levioribus summis, ut quidem prodit in ejus vita Tranquillus, cap. 32. Hic velut ὁδοῦ πάρεργον fas sit geminum de Judicibus epigramma describere, & utrumque acutum, ex libro 1. Anthologiæ Græcæ, tit. XLIII. Prius est Palladæ, his verbis:

> Οὐδεὶς ᾗ καθαρὸς ἢ μείλιχ@ ἦλθεν ἄρχων.
> Ἓν γὰρ ἐνὸς δηλεῖ δύγμα@ ἀντίπαλον.
> Τὸ γλυκὺ, τοῦ κλέπτειν@· ὑπερφίαλον ἢ, τὸ ἁγνόν.
> Ὄργανον τῆς ἀρχῆς ταῦτα δύ᾽ ἐσὶ πάθη.

Alterum ejusdem illud est:

> Μήποτε δουλεύσασα γυνὴ, δέσποινα γένοιτο,
> Ἔστ᾽ παροιμιακή· τῷ δ᾽ οὐδ᾽ ὅμοιος ἐγώ.
> Μήτε δίκας ἀγορεύσας ἀνὴρ γεραροὺς δικαστὴς,
> Μηδ᾽ εἰ Ἰσοκράτε@ ῥητορικώτερ@ ᾖ.
> Πῶς γὰρ ὁ μισθαρνῶν ἐπιδερκό@, οὐδ᾽ ἐν ἑταίρῳ
> Σιμούστερος δικάσει, μὴ ῥοπῆς δωράτης.

Utrumque sic Grotius reddidit satis feliciter. Prius quidem:

> *Nemo simul facilis populum sanctusque gubernat:*
> *Alteri natura res peris alterius.*
> *Qui capiunt, faciles: renuunt qui dona, superbi:*
> *Hæc duo nam virtus per mala semper agit.*

Posterius autem sic:

> *Ne quæ serva fuit, fiat matrona, caveto:*
> *Hoc vetus est dictum, nunc ego dico novum.*
> *Qui causas dixit, causas ne judicet unquam:*
> *Eloquio quamvis sit prior Isocrate.*
> *Nam solitus causas venali dicere lingua,*
> *Non & judicium vendere non poterit.*

10. *E novis civibus.*] E peregrinis, qui jus civitatis nuper essent adepti. Paulo ante quidam libri, *in hodiernum diem* habere dicuntur.

11. *Decuriæ quoque.*] In singulis, inquit, decuriis erant ordines diversi tres, nempe Tribunorum æris, Selectorum, Judicum: &, qui erant selecti ex omnibus, Nongentorum.

12. *Tribunorum æris.*] Ut Senatores, & Equites Romani, ac Tribuni ærarii simul judicarent, legem tulerat Aurelius Cotta, teste Asconio Ped. in Divinat. pag. 47. Qui pecuniam quæ a populo imperata erat, tributum a singulis pro portione census exigebant, ac militi dabant, judicabantque de litibus eo spectantibus, Tribuni ærarii vocabantur. Hos Cæsar Dictator sustulit. Suetonius, cap. 41. *Judicia ad duo genera judicum redegit, Equestris ordinis ac Senatorii: Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit.* Et hi ex equestri ordine assumpti.

13. *Et Selectorum.*] Non fuit hoc statim ordinis nomen, sed sortis. Nam e judicibus Prætores Urbani subsortitione facta optimum quemque in Selectos Judices referebant, ut testatur Cicero pro Cluentio. Postea tamen ordinis nomen fuit, Augusti, ut videtur, principatu. Meminit hujus ordinis Seneca, lib. 3. de Benef. cap. 7. in fine: *Ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controversiam incidit, non potest ad hoc sumi judex ex turba Selectorum, quem census in album, & equestris hereditas misit.* Fuere & hi ex Equitibus. Horatius, lib. 1. Sat. IV. vers. 123.

> *Unum ex judicibus Selectis objiciebat.*

Meminit & Ovidius, lib. 2. Trist. vers. 131.

> *Nec mea decreto damnasti facta Senatus:*
> *Nec mea Selecto judice jussa fuga est.*

Apud Reinesium vetus inscriptio, pag. 452. L. MAMILIO.... SELECTO. ET. DECVRIONI

14. *Ex omnibus selecti.*] Sorte, ut quidem reor. Horatius, lib. 1. sat. 4. vers. 123.

omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis. Et divisus hic quoque ordo erat superba usurpatione nominum: cum [15] alius se Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret.

VIII. Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo: anulorumque auctoritati [a] forma constituta est, [1] C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss. anno Urbis conditæ DCCLXXV. quod miremur, futili pæne de causa, cum Sulpicius Galba, dum [2] juvenalem famam apud Principem [3] popinarum pœnis aucupatur, questus esset in Senatu, vulgo institores ejus culpæ [4] defendi anulis. Hac de causa constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno [5] sestertia CCCC. census fuisset, [6] & lege Julia theatrali in XIV. ordinibus sedendi. Postea gregatim insigne id appeti cœptum. Propterque hæc discrimina [7] Caius Princeps decuriam quintam adjecit: [8] tantumque natum est fastus, ut quæ sub Divo Augusto impleri non potuerant decuriæ, non capiant eum ordinem, passimque [9] ad ornamenta ea etiam servitute liberati transiliant: quod antea numquam erat factum, quoniam in ferreo anulo equites judicesque intelligebantur: adeoque promiscuum id esse cœpit, ut apud Claudium Cæsarem, [10] in censura ejus, unus ex Equitibus Flavius Proculus, quadringentos [11] ex ea causa reos postularet. Ita dum separatur ordo [12] ab ingenuis, communicatus est cum servitiis.

Judicum autem appellatione separari eum ordinem, primi omnium instituêre [13] Gracchi, discordi popularitate in contumeliam Senatus: mox ea debellata, auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit: & aliquamdiu [14] tertiæ vires publicani fuere. Marcus Cicero demum stabilivit Equestre nomen in Consulatu suo, [15] Catilinanis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans, ejusque vires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in Republica factum est, cœpitque adjici Senatui populoque Romano, & Equester ordo. Qua de causa & nunc [16] post populum scribitur, quia novissime cœptus est adjici.

INTERPRETATIO.

a *Formæ.*] Census constitutus est, cui jus esset anuli ferendi.

NOTÆ.

15. *Alias se Nongentum.*] Communi appellatione contentus, cum alii se Selectos dicerent, quod e Selectis essent: alii Tribunos, quod e Tribunis. Apud Gruterum, pag. 436. IVDICI. DE. SELECT. *de Selectis.*

Sect. VIII. 1. *C. Asinio.*] Jam anno ante, C. Sulpicio, D. Haterio Coss. id fategisse Tiberium auctor est Tacitus, lib. 3. Annal. cap. 86. Hoc anno perfecisse Plinius significat.

2. *Juvenalem famam.*] Sic etiam MSS omnes, non *juvenilem*. Suetonius a Caio Caligula adjectum ait Saturnalibus diem juvenalem, cap. 17. & in Nerone, cap. 11. *Juvenalibus*, &c. Juvenalis fama vel digna strenuo juvene est, vel ex coërcitis juvenum ganeis collecta.

3. *Popinarum pœnis*] Pœnas exigendo ab iis qui popinas ganeasve exercerent. Suetonius in Tiberio, cap. 34. dedisse eum ædilibus negotium ait, *popinas ganeasque inhibendi*, ut ædilem tum fuisse C. Sulpicium Galbam intelligas. Fuit is Galbæ Imp. frater. Vide Sueton. in Galba, cap. 3. Cave igitur hic *cœnis* pro *pœnis* rescribi velis.

4. *Defendi anulis.*] Rejicere judicium Sulpicii, vel eo solo nomine, quod de iis, qui jus haberent anuli gerendi, judicare eum nefas esset. Sic auctor Præfationis ad Titum: *Quanto nos causatius ab aliquo judice defendimus?*

5. *Sestertia CCCC*] Sestertia quadringenta, sive, quod idem est, sestertiûm quadringenta millia, monetæ Gallicæ efficiunt libras, ut vocant, 40000. Martialis, lib. 4. Epigr. 67.

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat, nota carus amicitia.
Dicebatque suis hæc tantum desse trecentis,
Ut posset domino plaudere justus Eques.

Et lib. 5. Epigr. 26. de Chærestrato expulso ex quatuordecim subsellius, propter paupertatem:

Quadraginta tibi non sunt, Chærestrate, surge:
Lectius ecce venit: sta, fuge, curre, late.

Sed omnino festive ludit in Calliodorum quemdam, quem negat esse Equitem, bonis cum fratre divisis, lib. 5. Epigram. 39.

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem,
Sexte: sed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέριζε:
Uno credis equo posse sedere duos.
Quid cum fratre tibi? quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Unus, cum sitis duo, Calliodore, sedetis:
Surge, solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ: aut cum fratre sedere
Non potes: alternis, Calliodore, sede.

Ea porro quadringenta sestertia idem valere ac quadringenta sestertiûm millia, Plinius Junior admonet, lib. 1. epist. 19. *Esse autem tibi centum millium censum, satis indicat, quod apud nos Decurio es: igitur ut te non Decurione solum, verum etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas Equestres facultates, trecenta millia nummûm.*

6. *Et lege Julia.*] De lege Roscia, qua statuebatur qui jus haberent in quatuordecim ordinibus sedendi, diximus abunde lib. 7. sect. 31. Lege Julii Cæsaris, ut quidem reor, pœna statuta iis qui contra auderent. Pœna theatralis hæc appellata apud Tranquillum in Augusto, cap. 40.

7. *Caius.*] Quem Caligulam vulgo vocant: de quo Sueton. cap. 16. *Ut levior labor judicantibus foret ad quatuor priores quintam decuriam addidit.* Vetus inscriptio apud Reinesium, pag. 406. IVDIC. EX. V. DEC. Et apud Gruterum, pag. 459. IVDICI. SELECTO. EX. V. DEC. Hoc est, *ex quinta Decuria.*

8. *Tantumque natum est fastus.*] Aliter in Reg. 2. cod. & Chiffl. & sincerius, ut arbitror: *tantumque enatum est fortis*, hoc est, fortunæ ac felicitatis. Hinc veteres inscriptiones, FORTVNAE FORTIS.

9. *Ad ornamenta ea.*] Ad anulos aureos, quibus liberti donabantur simul cum equestri dignitate. Tacitus, historiarum libro primo: *Nec minor gratia Julio Galbæ liberto, quem anulis donatum equestri nomine Martianum vocitabant.* Idem historiarum secundo, Asiaticum Vitelli libertum, at donatum anulis, quod antea dixerat, *equestri dignitate.*

10. *In Censura sua.*] Quam cum L. Vitellio gessit, principatus sui anno octavo, lustrumque fecit LXXIV.

11. *Ex ea causa reos.*] Quod cum servi essent, aut liberti, insigne Equitum gestarent.

12. *Ab ingenuis.*] A Senatu & populo Romano.

13. *Gracchi.*] Asconius Pedianus, in Divinat. pag. 47. *Ti. Gracchus, inquit, legem tulerat, ut Equites Romani judicarent: judicaverunt per annos XX. sine infamia. Post victor Sylla leges tulerat, ut Senatorius ordo judicaret, & judicavit per annos decem turpiter*: &c.

14. *Tertiæ vires.*] Tertius locus, tertia dignitas. Fuit cum legendum suspicarer, *tertiæ vices.*

15. *Catilinanis rebus.*] Vide Notas & Emendationes, num. VII.

16. *Post populum scribitur.*] Tamen in nummo Augusti e Museo nostro, CONSENSV. SENAT. ET. EQ. ORDIN. P. Q. R. *Consensu Senatus, & Equestris Ordinis, Populique Romani.* Sed est Equester hic ordo Equitum Ro-

IX. Equitum quidem etiam nomen ipsum sæpe variatum est, in his quoque qui ad equitatum trahebantur. [1] Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt: [2] deinde flexumines: postea [3] trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum IX. M. sine ullo peditum adjumento cepissent ejus vocabuli: idque duravit ultra C. Gracchum. [4] Ju-
5 nius certe, qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: Quod ad equestrem ordinem attinet, antea trossulos vocabant, nunc Equites vocant: ideoque quia non intelligunt trossulos nomen quid valeat, [5] multos pudet trossulos vocari.

X. Sunt adhuc aliquæ non omittendæ in auro differentiæ. [1] Auxilia quippe & externos
10 torquibus aureis donavere, at cives non nisi argenteis. Præterque, armillas civibus dedere, quas non habent externi.

XI. Iidem (quod magis miremur) coronas ex auro dedere civibus. Quis primus donatus sit ea, non inveni: sed quis primum donaverit, a L. Pisone traditur [1] A. Postumius Dictator: Apud lacum [2] Regillum castris Latinorum expugnatis, ei cujus ma-
15 xime opera capta essent, hanc coronam ex præda is dedit. [3] Item L. Lentulus Cos. Servio Cornelio Merendæ, Samnitum oppido capto: sed huic quinque librarum. [4] Piso Frugi filium ex privata pecunia donavit: eamque coronam testamento ei [5] prælegavit.

CAP. III. XII. Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiæ, majores [1] dumtaxat, immolarentur. Sed in militia quoque in tantum ado-
20 levit hæc luxuria, ut M. Bruti in Philippicis campis epistolæ reperiantur frementes, [2] fibulas Tribunicias ex auro geri. Ita hercules: idem enim tu, Brute, [3] mulierum pedibus

NOTÆ.

manorum Narbone, non eorum qui in Urbe. Apud Patinum, in Familiis, pag 171. num 3. 4. 5. 6. 7. 8. legitur, C. MARIVS TROIIIVIR. Hoc est, *Caius Marius Trium Reipublicæ Ordinum Triumvir*: Orator procurans negotia Senatus Populique Romani & Equestris Ordinis. In eo nummo ita sunt capita virorum veluti ordine sinistrorsum incedentium: primum nudum senile, Populi Romani: medium, virile, diadematum, Senatus: postremum, juvenile, nudum, Equestris ordinis. Mirum profecto non esse hunc Magistratum Romanæ historiæ scriptoribus cognitum. In eo nummo, qui quartus est apud Patinum, scriptum est, C MARIVS C. F TROIIIVIR Duo viri togati sinistrorsum incedunt; sinistra tenent codicillos: ad pedes sua cuique arcula, ut videtur, apposita est, in qua chartas sive instrumenta publica reponeret. Caius Marius pater est cum Caio filio, qui functus eo magistratu cum patre, ei postea in eodem gerendo successit. Nam in nummis antiquis cum Caius Caii F. scribitur, aut aliud simile prænomen, eodem ambos munere functos esse significatur. Augusti Cæsaris vultum & nomen hi nummi exhibent parte antica.

Sect. IX. 1. *Celeres.*] Festus: *Celeres antiqui dixerunt, quos nunc Equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis decuriis deni: ideoque omnino trecenti fuere.* Sic etiam Dionys. Halic. lib. 2. Antiq. Rom. pag. 86. & Plutarchus in Romulo, pag. 23. De Celere Romuli comite, vide Nasonem lib. 4. Fastor. vers. 837. Deducunt alii vocem eam a Græca κέλης, quæ equitem sonat.

2. *Deinde flexumines.*] In Reg 2. & Chiffl. *flexumentes*. An a flectendis gnaviter habenis?

3. *Trossuli.*] Festus: *Trossuli Equites dicti, quod oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperint.* Manent etiamnum loci vestigia, vulgo *Trosso*, vicinaque fossa, *il vado di Trosso*, duobus passuum millibus a *Monte Fiascone*.

4. *Junius certe.*] Forte in libris quos inscripsit, *De potestatibus*, quorum septimum laudat Ulpianus, in Dig. lib de offic. Quæst. De Junio egimus in Auctorum Indice.

5. *Multos pudet*] Propter ambiguitatem vocis, quæ Persium minime latuit, dum caneret Satyra, 1. vers. 96.

Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis.

Neque enim solum Equitem significat ab oppido, ut dictum est: sed & delicatum ac mollem, forsan a Græca voce τρυφερός. Quo sensu vox ea est accepta a Seneca, epist. 76 pag. 733. *Quid ergo? idem faciam quod trossuli isti ac juvenes?* Et ab Hieronymo, lib. de vitando suspecto contubernio. Adde his ea quæ Vossius affert, verbo *Trossuli*.

Sect X 1 *Auxilia.*] Auxilia (sic enim MSS. omnes, ut servitia pro servis dici monuimus sæpe) sive auxiliares copiæ dicuntur in bello socii Romanorum externarum nationum, inquit Festus. Cur vero externis aurei torques darentur, argentei tantum civibus, illud nimirum est, quod in illis pretium spectabatur: in his solus honor & gloria rei gestæ. Coronam ex auro datam externis non legimus. Hæc vero de militari torque, hoc est, qui in bello datus ab Imperatore fuerit, ceu præmium fortitudinis, accipienda sunt: non de quovis alio. Nam in ludicro certamine Augustum in Circo scimus torque aureo donasse Nonium Asprenatem: sed nihil istud ad propositum Plinianum. Quod autem Siccio Dentato torques aureos datos esse scribit Dionys. Halic. idcirco dictum ab eo remur, quod nonnisi aureos nosset. Ceteri certe scriptores, quos retulimus lib. 7. sect. 29. aureos non appellant.

Sect. XI. 1. *A. Postumius*] Gessisse dictaturam anno Urbis CCCXXIII. auctor est Gellius, lib 17. cap. 21. pag. 792. De ejus victoria ad locum Regillum, fuse Livius, lib. 2. pag. 18.

2. *Regillum*] In Tusculano agro, ad quartumdecimum ferme lapidem viæ Lavicanæ, ad sinistram Roma Lavicum euntibus, quod oppidum hodie *la Colonna*. Sub eo oppido lacus est Regillus, ut contra Cluverium probat Holstenius, ex Strabone.

3 *Item L. Lentulus.*] Cum Manio Curio Dentato tertium, is Consul fuit, anno Urbis CCCCLXXIX. Ipse Servius Cornelius Merenda anno sequente cum eodem Curio quartum. Vide Notas & Emend. num. VIII.

4. *Piso Frugi.*] Cui ab insigni frugalitate cognomen. Valerius Max. lib. 4. cap 3 num 10. *Fabiorum & Ogulnii continentiæ Calpurnium Pisonem in consimili genere laudis æmulum fuisse res ipsa documento est: Consul grato fugitivorum bello a se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera usus fuerat, imperatorio more donis prosequebatur: inter quos filium suum locis aliquot præliatum fortissime, titulo trium librarum aurea corona decoravit. præfatus non oportere a magistratu e publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset: tantumque ponderis se testamento adolescenti legaturum promisit: ut honorem a duce, pretium a patre privatim acciperet.*

5. *Prælegavit.*] Ante omnia, & priore loco legavit: vel, privatim legavit. Usus hac voce Paulus, Dig. lib. 31. Tit. 1. De legatis. 2 leg 87.

Sect. XII. 1. *Majores dumtaxat.*] E bubulo genere. Tibullus, lib. 4. Carm. 1. pag. 388.

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Tertull. lib. de corona, cap. 12. *Tibi, Jupiter, bove cornibus auro decoratis vovemus esse futurum.* Vetus inscriptio Fratrum Arvalium, apud Gruter. BOVE AURATO. VOVEMVS. ESSE FVTVRVM. Virgilius:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Prudentius, hym in S. Romanum, vers. 1021.

Huc taurus ingens, fronte torva & hispida,
Sertis revinctus aut per armos floreis,
Aut impeditis cornibus deducitur.
Nec non & auro frons coruscat hostiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.

Minores hostiæ erant tantum coronatæ illius Dei fronde, cui sacrum fiebat.

2. *Fibulas Tribunicias.*] Sagum, sive chlamydem, seu quocumque nomine alio vestimentum militare appellari lubet, fibula in humeris nectebat: Vulgo *Agraffam* dicimus. Non illud quidem aut nobilitatis insigne, aut Tribunatus, ut quibusdam visum est, sed necessitate quæsitum: ornatus gratia, ut ex argento foret, vel auro. Paludamenti sive sagi iconem cum fibula vide apud Ferrar. parte 2. de re vest lib 2. cap. 8. pag 110.

3. *Mulierum pedibus.*] Periscelia intelligit & aurea crurum vincula, de quibus iterum inferius sect. 54. ubi compedes scite

aurum

aurum gestari tacuisti: Et nos sceleris arguimus illum, qui primus auro dignitatem per anulos fecit, ut habeant in lacertis jam pridem & viri, quod e Dardanis venit, itaque & [4] Dardanum vocabatur. [5] Viriolæ Celticæ dicuntur: viriæ Celtibericæ. [6] Habeant feminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: [7] discurrant catenæ circa latera, [8] & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, [a] ut in somno quoque unionum conscientia adsit: etiamne pedibus induitur, [10] atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem fecit? Honestius viri [11] pædagogiis id damus: [12] balineasque dives puerorum forma convertit. Jam vero etiam [13] Harpocratem, statuasque Ægyptiorum numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt. Fuit & alia Claudii principatu differentia in solis his, [b] [14] quibus admissionem [15] liberti ejus dedissent, imaginem Principis ex auro in anulo gerendi, [16] magna criminum occasione: quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Imperatoris abolevit, [c] æqualiter publicando Principem. De anulis aureis eorumque usu hactenus dictum sit.

XIII. [1] Proximum scelus fecit, qui primus [2] ex auro denarium signavit: [3] quod & ipsum latet auctore incerto. Populus Romanus ne argento quidem signato, ante Pyr-

INTERPRETATIO.

a *Ut in.*] Ut vel per somnum occurrant animo margaritæ quas gestant.

b *Quibus.*] Quibus jus ingrediendi cubiculum Principis liberti ejus dedissent, &c.

c *Æqualiter.*] Data ex æquo omnibus publice venia gerendi Principis imaginem, & ipsum adeundi.

NOTÆ.

appellantur: quoniam, ubi compedes esse solent, imo pedi induuntur, qua cruri adnectitur. Vide Ferrarium in Analectis de re vestiar. cap. 21. pag. 71.

4. *Dardanum*] Brachiorum ornamentum aureum.

5. *Viriolæ . . . viriæ.*] Sic MSS. Reg. 2. Chiffl. ceterique: non, ut editi hactenus libri, *Viriæ Celticæ dicuntur, viriolæ Celtibericæ.* Sunt autem viriæ & viriolæ *armillæ virorum propriæ*, inquit Isidorus lib. 19. Orig. cap. 30. *collatæ militibus victoriæ causa ob armorum virtutem: unde & quondam dicebantur viriliæ* · lege *Viriolæ.* Glossæ: *Viriolæ, ψελλιόχειρα.* Inter ornamenta muliebria viriolas censent Ulpianus, lib. 25. §. 10. ff. de auro & argento legato: Scævola item, aliique. Ambrosius, in lib. 1. de Abraham, exponens caput Genes. 34. ubi ceteri interpretes armillas vertunt, virias reddidit: *Has virias*, inquit, *quæ manum non materiali auro ornarent*, &c. Vide alia apud Voss. in Etymol.

6. *Habeant feminæ.*] Et viri habuere, sed effeminati moribus: Caius, qui *manuleatus & armillatus in publicum processit*, teste Tranquillo: Carus deinde, & alii.

7. *Discurrant catenæ.*] Cingula ex auro intelligit.

8. *Et inserta.*] Vide Notas & Emend. num. IX.

9. *Etiamne pedibus.*] Soccis, qui circulis ex auro vincti.

10. *Atque inter stolam*] Quemadmodum in viris aurum in anulis distinguebat a Curia & a plebeio ordine Equites, atque medium ordinem faciebat: ita in mulieribus aurum compede gestatum distinguebat libertinas tum a stola, id est, matronis honestis, tum a plebe inope: itaque medium quemdam & veluti equestrem feminarum ordinem faciebat. Cave calceorum ornatum hinc colligas in feminis equestris ordinis hunc fuisse: non ea Plinii sententia est: nam equestris ordinis matronæ & ipsæ longa veste, hoc est, stola matronali usæ. At Libertinæ, quibusque Venus non impermissa, cum altius tunicas succingerent, ut ex Ovidio & aliis scriptoribus liquet, pedes circulis aureis cultos ostentabant. Ita egregie Ferrarius, lib. 3. de re vest. cap. 17. pag. 227.

11. *Pædagogiis.*] Ut periscelia, ceteraque pedum & crurum vincula habeant aurea, pædagogiis relinquimus. Pædagogium cœtum sonat puerorum, qui in deliciis habentur. Hinc deminuta voce pueri nobilium ministri *Pages* apud nos appellantur, *les Pages.* De his inferius iterum sect. 54.

12. *Balineasque*, &c.] Sic MSS. omnes. Balineas a balineo differre Varro admonet, quod illæ sint publicæ, privatum istud. Elegans autem puerorum forma, inquit Plinius, balineas decorat, & honestat. *Convertere balineas* dictum per metaphoram arbitramur, pro *ostentare*: ut *convertere exercitum* Latine dicimus, quod barbari *Faire monstram* aiunt. Vel *convertere balineas* est earum speciem sic immutare, ut vix balineæ esse credantur, ac non principum virorum potius domus ac comitatus. De pædagogiani pueri cultu Ammianus, lib. 26. pag. 320. *A calce ad pubem in pædagogiani pueri speciem purpureis opertus tegminibus pedum.* Pueros credimus unguentarios, qui in balneis erant, a Plinio nunc designari. Qualis ille ad quem Horatius, lib. 3. Ode 14. *I, pete unguentum, puer.*

13. *Harpocratem.*] Silentii Deum, inter Ægyptiorum numina Ovidius, lib. 9. Metamorph. vers. 692. Ægyptiorum Deos enumerans, hunc signat tacito nomine:

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

14. *Quibus admissionem.*] Usus ea voce Tranquillus, in Vespasiano, cap. 14. *Trepidum eum interdicta aula sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, abire Morboniam jusserat.* Plinius item junior in Panegyr. Trajani num. 47. *An quisquam studia humanitatis professus, non cum omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem?* Nempe *Ab admissionibus*, vel *Admissionales*, ut habet Lampridius in Alexandro Severo, dicebantur ii, servi libertive, qui ad salutandum Principem ex officio eos admittebant, quibus eo conventu opus erat. His qui præerat, *Magister admissionum*, Ammiano teste, dictus, qui honoratiores ad Principem introducebat. Id Palatinum officium Claudii ac Neronis temporibus, ut ex dictis liquet, institutum est. Recte Seneca, lib. 1. de Clem. cap. 10. *cohortem interioris admissionis* dixit: nam admissionales alii intra Principis cubiculum, alii ad fores fuere.

15. *Liberti ejus dedisset.*] Cave cum Lipsio credas orationis structuram poscere sibi, *liberti, & jus dedissent* &c. Sententia est, admissionum libertos scrutari solitos fuisse eos qui ad Principem accederent, criminique dedisse, si quem Principis imaginem in anulo gerentem ostendisset.

16. *Magna criminum.*] Cum rei peragerentur ii qui non impetrata hac venia, Principis imaginem in anulo ex auro gestarent. Qua cautione Principis imago tum tractanda foret, vide apud Sueton. in Tiberio, cap. 58. Vide & Gothofred. in Cod. Theod. lib. 9. tit. 21. de falsa moneta, lib. 9. pag. 179.

Sect. XIII. 1. *Proximum.*] *Pessimum vitæ scelus fecit*, ut ipse admonuit sect. 4. *qui primus aurum digitis induit.* Nunc *proximum* ab eo *scelus fecisse* arguitur, *qui primus denarium ex auro signavit.*

2. *Ex auro denarium.*] Nummi ex auro denarii quoque appellati. Petron. Satyr. pag. 106. *Pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios.* Et pag. 160. *Non habemus Ædilem trium cauniarum . . . plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet. Jam scio acceperit denarios mille aureos.* Didymus: Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ· δέκα δὲ χρυσᾶ, ὅπερ νούμμους φασί. *Mille sestertii efficiunt CCL. denarios argenteos, sive decem denarios aureos, quod & mille nummos vocant.* Plinius ipse denique lib. 34. sect. 17. Lysippum ait solitum pro manipretio cujusque signi, quod ipse conflabat, seponere singulos denarios aureos. Et lib. 37. sect. 3. *sex denariis aureis.*

3. *Quod ipsum latet.*] Primus cudendæ ex auro monetæ quis auctor exstiterit, etiam apud exteros, latet. Aureum argenteumque nummum Lydos primum conflavisse, auctor est Herod. lib. 1. Clio, num. 94.

4. *Ante Pyrrhum . . . devictum.*] Est autem devictus anno Urbis CCCCLXXIX. ut diximus lib. 8. sect. 6.

rhum regem devictum usus est. [5] Librales, (unde etiam nunc [6] libella dicitur; [7] & dupondius,) appendebantur asses. [8] Quare æris gravis pœna dicta. [9] Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia, & dependere. Quin & militum stipendia; [10] hoc est, stipis pondera, [11] dispensatores, [12] libripendes dicuntur: qua consuetudine in his emptionibus, [a] [13] quæ mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur. [14] Servius rex primus signavit æs. [15] Antea rudi usos Romæ [16] Timæus tradit. [17] Signatum est nota pecudum: [18] unde & pecunia appellata. [19] Maximus census CX. M. assium fuit illo rege: & ideo hæc [20] prima classis. [21] Argentum signatum est anno Urbis CCCCLXXXV. Q. Fabio Consule, [22] quinque annis ante primum bellum Punicum. [23] Et placuit denarium

Interpretatio.

a *Quæ mancipii.*] Quibus *legitime, ac solemni ritu nobis* res mancipatur, *asseritur.*

Notæ.

5. *Librales*] Usque ad Pyrrhum devictum, inquit, immo & post illud tempus aliquanto, as fuit librali pondere, ex ære, sive duodecim unciarum: atque adeo semissis, sex unciarum: triens, quatuor: quadrans trium: sextans, cujus mentio inferius sect. 48. duarum. Asses librales appellat Volusius Mæcianus, pag. 881. Schol. Persii ad Satyr. 2. *Fuit autem assis libralis, & dupondius, quod hodie in usu remanet.* Dionys. Halic. assem interpretatur, [illegible] [illegible] βάρος λίτρας.

6 *Libella dicitur.*] A librali assis pondere, inquit, hodieque ipse as, seu res integra quæcumque, quam assem nuncupamus, etiam libella ex eo vocatur. Sic Tullius ad Atticum, lib. VII. epist. 12. *Fecit palam te ex libella, me ex teruncio*: subintellige, heredem: Hoc est, te omnium bonorum scripsit heredem, (nam libræ nomine significatur omnis hereditas: teruncius, quarta pars est libræ, atque adeo & bonorum:) me ex quarta parte, quam tu mihi dares. Sed & nummulus argenteus, postea libellæ nomine venit: non quod libram penderet, sed quod libræ æreæ pretio atque æstimatione responderet. Varro, lib. 4. de ling. Lat. pag. 41. *Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva.* Libellam argenti Plautus appellat, in Captiv. act. 5. sect. 11 vers. 27. Quam minimam pecuniolam significare volebant, assem & libellam dicebant. Exempla apud Plautum & Ciceronem obvia. Meminit tamen & sembellæ Varro, loc. cit. quæ libellæ dimidium foret: & teruncii, pariter ex argento, quæ dimidiata sembella: sed non fuere ea omnia diuturni usus. Nec de libella argentea Plinius hoc loco agit.

7. *Et dupondius*] Ita MSS. non *dipondius*: Varro, loc. cit. pag. 40. *Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur: id ideo quod as erat libra pondus.* Sestertii ex ære Plinius hoc loco non meminit, quod non haberet is nomen a pondere, ut as libralis, & dupondius: sed a pretio. De dupondio, lib. 34. sect. 2. Ante nos legebatur, *& dupondius appendebatur assis.*

8. *Quare æris gravis.*] Livius, lib. 5. *Denis millibus æris gravis eum condemnat.* Festus: *Pendere pœnas, solvere significat: eo quod ære gravi cum uterentur Romani, penso eo, non numerato, debitum solvebant: unde etiam pensiones dictæ.* Significat autem Plinius æris gravis pœnam esse dictam, usque ad signatum ex argento nummum, atque adeo usque ad illud tempus, quo imminutum primo pondus æris: ut intelligas non rude modo, quale Numæ temporibus fuit, sed & signatum a Servio ceterisque deinceps, grave æs fuisse a pondere nuncupatum. Festus: *Grave æs dictum est a pondere: quia deni asses, singuli pondo libræ, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum.* Et alibi: *Stipem* (quam ad æs grave pertinere Plinius hoc loco admonet) *esse nummum signatum testimonio est*, &c.

9. *Et adhuc.*] Hoc est, etiamnum durant moris hujusce vestigia. Ita enim MSS. Varro, loc cit. pag. 41. *Ab eodem ære impendendo, Dispensator: & in tabulis scribimus Expensum ... Usura, quod in sortem accedebat, Impendium appellatum.* Vide Cassiodorum, lib 7. Var ep. 32. cujus lemma est: *Formula, qua moneta committitur.*

10. *Hoc est, stipis.*] Stipendia innuit, quasi stipis pondera, esse appellata. Varro, lib. 4. de ling. Lat. pag 42. *Stipendium a stipe dictum est, quod æs quoque stipem dicebant. Nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet: a stipando stipem dicere cœperunt.* Codicem Reg. 2. secuti sumus: prius hic legebatur: *Quin & militum stipendiorum, hoc est si pro ponderande pensatores*, &c. At qui umquam usquam pensatores audiit?

11 *Dispensatores.*] Festus: *Dispensatores dicti sunt, qui æs pensantes expendebant, non annumerabant. Hinc deducuntur expensa, sive dispensata, vel compensata: item compendium, dispendium, assipondium, dupondium.* Inscriptio vetus apud Reinesium, pag. 586. AVG. DISPENSATOR. AD. CENSVS. PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. *Augusti dispensator*, &c.

12. *Libripendes.*] Græcis ζυγοστάται, ut in Glossis exponitur, quia nempe ζυγῷ ἱστᾶσι, hoc est, *libra pendunt.* Priscianus extremo libro sexto ex Caii primo Institutionum citat, *Qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens.*

13. *Quæ mancipii.*] In omni solutione pecuniæ, quæ quidem ritu Quiritium fieret, ac præsertim in mancipatione, adhibebatur libripens, qui æra penderet, cum quinque testibus: eaque formula retenta est, etiam re mutata, hoc est, etiam tum cum non appenderetur, sed numeraretur pecunia. Quam consuetudinem Boetius in Topica Ciceronis, ex lib. 1. Instit. Caii, de nexu faciendo, his verbis exposuit: *Is qui mancipio accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio: isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra. Deinde ære percutit libram, indeque æs dat ei a quo mancipio, quasi pretii loco.* Hinc illud Horatii,

Si proprium est quod quis libra mercatur, & ære,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus.

Apud Scholiasten Horatii est, *Libra & ære comparare.*

14. *Servius rex.*] Cassiodorus, lib. 7. Var form. 32. *Servius rex monetam in ære primum impressisse perhibetur.* A Saturno antea signatum tradidit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 17. Sed eos auctores secutus est qui miscent omnia.

15. *Antea rudi.*] Gentes quædam & plumbo. Leontinorum e Sicilia plumbeum nummum indubitatæ antiquitatis in Museo nostro servamus. Et plumbeum nummum Plautus in Trinummo habet.

16. *Timæus tradit.*] Reddit auctorem, ut solet, cum fidem obstringere propriam non audet. Et longe ante a Jano signatum fuisse auctor est Macrobius, lib 1. Saturn. cap. 7. pag. 217. A Numa Plinius ipse lib 34. sect. 1. Est autem is Timæus, qui de metallica disciplina scripsisse in hujus libri Indice dicitur. Hoc loco Reg. 2. *Timeos*, Chiffl. & Parm. editio recte *Timæus.* Editi deinceps libri, *Romanus*, inepte.

17. *Signatum est.*] Bove, vel ove, vel sue: Βοῦν, ἢ [illegible], ἢ ὗν ἐπιχαράττων τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις, inquit Plutarchus in Poplicola, pag. 103. & in quæstion. Rom. pag. 274. Varro, lib. 2 de re rust cap. 1. pag 85. *Et quod æs antiquissimum quod est flatum, pecore est notatum.* Et lib. 1. de vita populi Romani. *Aut bovem, aut ovem, aut verrecem, habet signum.*

18. *Unde & pecunia.*] Spectat huc quadamtenus quod ait Columella, in præf lib. 7. *Nomina pecuniæ & peculii tracta videntur a pecore, quod non solum veteres possiderunt, sed adhuc apud quosdam gentes unum usurpatur divitiarum genus.* His adde ea quæ diximus lib. 18. sect. 3. Pecuniam idcirco fortassis pro æreo tantum nummo, veteres dixere. Lampridius in Alexandro Severo: *Scenicis numquam aurum, numquam argentum, vix pecuniam donavit.*

19. *Maximus census.*] Livius, lib. 1 pag. 16 primæ classis censum ait fuisse, Servio rege sic statuente, centum millium æris. Festus, CXX Gellius, lib. 7. cap. 13. pag. 125. ait fuisse centum & XXV. millium æris. Sunt autem æris centum millia, quadraginta sestertia: Monetæ nostræ, libræ, ut vocant, 4000.

20 *Prima classis.*] Ut classes centuriasque ex censu descripserit Servius Tullius rex Romanorum, disce ex Livio, lib 1. post medium. Festus: *Infra classem significatur, qui minore summa quam centum & viginti millium æris censi sunt.*

21. *Argentum.*] Vide Notas & Emend num. X.

22. *Quinque annis.*] Sive, quod eodem ferme recidit, ut Livius ait in Epitome libri 15. *Victis Tarentinis .... tunc primum populus Romanus argento uti cœpit.* Varro tamen apud Charis. lib. 1. Annal sic scripsit: *Nummum argenteum conflatum primum a Ser. Tullio dicunt.* Sed hac loquendi forma obscuros esse famæ illius auctores significat. Scio T. Minucii Augurini nummum proferri, sed ejus esse nego, qui Consul fuit ante annos fere XL. quam cœptum sit Punicum bellum: cujus sit tamen nummus ille, obscurum.

23. *Et placuit denarium.*] Subintellige, ut infra, permu-

pro decem libris æris, [24] quinarium pro quinque, [25] sestertium pro dupondio ac semisse. [26] Librale autem pondus æris imminutum [27] bello Punico primo, cum impensis Resp. non sufficeret: constitutumque ut asses [28] sextantario pondere ferirentur. [29] Ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. [30] Nota æris fuit ex altera parte [31] Janus geminus, ex altera [32] rostrum navis: [33] in triente vero & quadrante, rates. Quadrans antea teruncius vocatus a tribus unciis. [34] Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, asses [35] unciales facti: [36] placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. [37] Ita Respublica dimidium lucrata est. [38] In mili-

5

NOTÆ.

tari. Sic enim MSS. Reg. 1. & alii, non *denarius, quinariusve*, ut editi: quorum vel ex eo error detegitur, quod statim *sestertium* vel ipsi quoque legant. Porro denarius Romanus argenteus, (cujusmodi sunt Consulares plerique) si cum moneta nostra probatissima ex argento componatur, legitima æstimatione valere dicendus est asses æreos omnino octo: quinarius, quatuor: sestertius, binos. Scio ab erudito viro, in Mailigoph. 11. pag. 31. & a Gassendo, in appendice ad 3. tom. Philos. Epicuri, minoris æstimari: taxari enim assibus tantum septenis, vix cum semisse: A Gronovio, lib. 3. de sest. cap. 9. pag. 384. sex assibus Hollandicis, hoc est, e nostris, septem assibus, & asse dimidio integro. Sed ad pondera monetarum & pretia haud attendisse satis mihi videntur. Judex libra esto.

14. *Quinarium.*] Quinarium in Bibliotheca Regia argenteum vidi, pondere granorum, ut loquimur, XL. cui nota quoque subscripta Q. quinarium esse designabat, quanquam vel solo pondere satis admonente. Nota tamen quinarii usitatior, V. quemadmodum denarii, X. Unum ejuscemodi & alterum in Museo nostro Parisiensi asservamus.

15. *Sestertium pro dupondio ac semisse.*] Hoc est, pro assibus binis cum asse dimidio. Varro, lib. 4. de ling. Lat. pag. 41. *In argento nummi ... Denarii, quod denos æris valebant: Quinarii, quod quinos: Sestertius, quod semis tertius. Dupondius enim & semis, antiquus sestertius est.* Sestertium porro hoc Plinii loco intellige, qui sit in quarto casu, ut vocant, a recto *sestertius*, non a neutro *sestertium*. Cum enim sestertia audis neutro genere afferri, singula scito mille nummûs, sive, quod idem est, mille sestertiis æstimari, hoc est, monetæ Gallicæ libris centum: ut ex Plutarcho intelligimus, in Fabio Maximo, pag. 176. & ex Plinio ipso superius sect. 8. equitum censum taxante sestertiis CCCC. Et ut semel omnia dicamus, cum decies, vicies, quadragies, centies, audis, centena millia sestertiûm masculini generis subintelligi scito oportere: hic enim Romanis loquendi mos. Sestertium unum argenteum in Cimelio nostro habemus sane rarissimum, cum nota sestertii, IIS.

16. *Librale autem.*] Ita Pintianus: & Reg. 2. *librare*. Editi, *libra*. Hoc est, assis, qui libralis pondo erat, pondus est imminutum: non ipsum libræ pondus, ut visum quibusdam alias eruditis. Priscianus ita locutus: *Denarius*, inquit, *decem librarum nummus*, hoc est, decem assium.

17. *Bello Punico primo.*] Egregie Festus hallucinatur, qui verbo *Sextantarii*, id accidisse bello secundo Punico asseverat. *Sextantarii*, inquit, *asses in usu esse cœperunt, ex eo tempore, quod propter bellum Punicum secundum decreverunt Patres, ut ex assibus qui tum erant librarii, fierent sextantarii*, &c. Cœptum porro bellum Punicum primum anno Urbis CCCCXC.

18. *Sextantario pondere.*] Hoc est, ut singuli essent sextantis pondere, sive duarum unciarum: sic enim e libra una seni asses conflabantur, quorum singuli sexta pars prioris assis, seu libræ forent. Festus, verbo *Grave æs. Bello Punico Populus Romanus pressus ære alieno ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantumdem valerent.* Alciati commentum Plinii verba sic immutantis, ut *dextantario pondere*, & mox, *quinta parte facta lucri* legat, non codicum modo conspirans consensus, sed & allatum modo testimonium refellit.

29. *Ita quinque partes.*] Interdicta vetere pecunia, ex ærario publico, in quo æris copia ingens fuit, asses cusi de novo, ita ut in singulas æris libras seni conflarentur, cum prius singuli integræ libræ pondo forent. Sic quinque asses in libras, sive quinque partes libræ Respublica lucri fecit. Nihil planius.

30. *Nota æris.*] In asse nimirum recens cuso, mutata priore illa nota, quam æri Servius impresserat. Mutato æris pondere, & notæ mutatæ. Vide Plutarchum, in libro quem inscripsit, de quæst. Rom. pag. 274.

31. *Janus geminus.*] Bifrons. Est & in Hadriani Aug. nummo trifrons, ex ære mediocri, apud Du-Choul, pag. 10. Sic prudentia Principis commendatur, qui præterita recolat, præsentia consideret, futura prospiciat.

32. *Rostrum navis.*] Ovidius, lib. 1. Fastor. vers. 229.

Multa quidem didici: sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps, &c.
At bona posteritas puppim formavit in ære
Hospitis adventum testificata Dei.

Saturni in Italiam adventum intelligit, & Jani hospitium. Venit hic in mentem mihi cujusdam puerilis instituti, cujus Macrobius meminit, lib. 1. Saturn. cap. 7. pag. 157. *Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur*, inquit, *in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim, lusus teste vetustate, exclamant.* Quod fere ludi genus a nostris hodieque pueris frequentatum cernimus. In eo vero Macrobii loco cave denarios pro argenteis nummis accipias: sed pro asse ex ære. Quin & minutior moneta ex ære, ut quæ apud Marcum, cap. 12. λεπτὰ δύο dicuntur, *duo denarii*, δύο δηνάρια Lucæ 10. Ambrosio, *duo æra* appellantur, apud nos *deux deniers*.

33. *In triente.*] Festus: *Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo, & triente, ratis fuerit effigies: ut navis, in asse.* Triens est, auctore Varrone, lib. 4. de ling. Lat. pag. 40 assis pars tertia, ut quadrans quarta.

34. *Postea Hannibale urgente.*] In Reg. 2. *argente marcumque Fabio.* Sed vox ea *marcum* nihili videtur esse, qua MSS. omnes ceteri, librique typis impressi carent, a primo ad ultimum: ab editione Romana anni 1470. & Parmensi anni 1476. & Italica translatione ejusdem anni, usque ad editionem novissimam. Et hic alter interim Festi lapsus notandus, qui septennio tantum sextantarios asses durasse scribit: cum Punicum bellum alterum, quo conflari unciales cœpti sunt, post annos amplius XX. a prioris fine sit subsecutum.

35. *Unciales.*] Pondere unciæ: Sic duodecim in singulas libras percussi.

36. *Placuitque denarium.*] Vitruvius, lib. 3. cap. 1. Volusius Mæcianus, pag. 877. qui sub Antonino Pio vixit: *Denarius primo asses decem valebat, unde & nomen traxit: Quinarius, dimidium ejus, id est, quinque asses: unde & ipse vocatur. Sestertius, duos asses & semissem, quasi semis tertius.... Nunc denarius sedecim: Victoriatus & Quinarius octo: sestertius, quatuor asses valet.* Exhibet Patinus in gente Titinia nummum, pag. 277. & in Valeria alterum, pag. 284. in quibus nota XVI. pretium denarii, eo quo sunt cusi illi tempore, indicant, nempe asses sedecim, ut priores Nota X. decem signabant. Vidisse se quoque quinarium ait Anton. Augustinus, Dialog. 1. nota VIII. insignitum: in sestertiis vero IIII. numquam: quin nec illam notarum varietatem diu durasse: sed veteres notas statim revocatas.

37. *Ita Respublica dimidium.*] Hæc lucri ratio fuit. Antiquata vetere pecunia ex ære, argentoque, assibusque sextantariis interdictis, unciales cusi sunt, hoc est, in singulas libras duodeni: cum prius seni tantum ferirentur. Confluente deinde ad ærarium publicum plebe, ut pro sextantibus novos asses acciperet, nihil damni plebs capiebat, cum ejusdem pretii, quanquam ponderis diversi asses referret: Respublica, sive ærarium, dimidium lucrabatur. Rursum confluente eadem, ut æream monetam acciperet pro argentea vetere, quæ tum erat, edicto antiquata, pro denariis singulis asses sedecim domum referebat: nullo ipsius damno, immo sex assium facto, ut apparet, lucro: nam decem tantum assibus denarius olim taxabatur: tunc vero, sedecim. Minoris hi quidem asses, ut diximus, qui recens conflati, fuere ponderis: at pretii omnino cum prioribus paris. Verum Respublicæ & ærarii majus lucrum fuit. Nam e sextantariis assibus decem, qui denario argenteo prius permutabantur uno, cum viginti conflavit asses unciales, deditque pro argenteo denario duntaxat sedecim, quatuor interim lucri fecit. deinde aucto argentei nummi pretio ad sedecim asses, iterum senos: igitur denos omnino: hoc est, quod Plinius ait, in singulos denarios dimidium, sive denarium unum. Tantumdem & in quinarios singulos, sestertiosque lucri. Expedire hunc nodum nequivere Anton. August. lib. 2. Emend. cap. 7. pag. Budæus, lib. 5. de asse, pag. 173. minimeque omnium Alciatus, lib. de pond. & mens. tom. 6. Operum, fol. 279. ubi despondens animum, luxata hæc omnia, suisque mota sedibus esse, frustra conqueritur.

38. *In militari.*] Militibus tamen, ut libentius diutiusque mererent in exercitu, spe mercedis allecti, denarius argen-

tari tamen ſtipendio ſemper denarius pro decem aſſibus datus. [39] Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: & inde bigati quadrigatique dicti. [40] Mox lege Papiriana [41] ſemunciales aſſes facti. [42] Livius Druſus in Tribunatu plebis octavam partem æris argenta miſcuit. Qui nunc [43] Victoriatus appellatur, [44] lege Clodia percuſſus eſt. Antea enim hic nummus 5 ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Eſt autem ſignatus Victoria, & inde nomen. Aureus nummus [45] poſt annum LXII. percuſſus eſt, quam argenteus, [46] ita ut ſcrupulum valeret [47] ſeſtertiis vicenis: [48] quod effecit [49] in libras, ratione ſeſtertiorum, qui tunc erant, ſeſtertios DCCCC. [50] Poſt hæc placuit X. XL. ſignari ex auri libris: paulatimque

NOTÆ.

teus, non ſedecim, ſed, ut olim, decem tantum aſſibus æſtimatus eſt: hoc diurnum ſtipendium, aſſes deni ſcilicet, non ære, ſed argenteo nummo in ſingulos dies perſoluti. Hinc illa Pannonii militis apud Tacitum expoſtulatio, lib. 1. Annal. pag. 17. cur decem æreos aſſes reciperet, non denarium, ut olim argenteum, quem ſedecim deinde aſſibus æreis permutaret, ut ſic ſenos aſſes poſſet lucrari. Vide Budæum, lib. 5. de aſſe: & Hotoman. pag. 63.

39. *Nota argenti.*] Nempe quæ tum juſſu Senatus eſt impreſſa pecuniæ novæ. Feſtus: *Nummi quadrigati, & bigati, a figura cælaturæ dicti.* Recte: neque enim ponderis fuere a prioribus, ſed cælaturæ ac pretii diſparis. De bigatis & quadrigatis crebra apud Livium mentio, lib. 22. pag. 225. lib. 34. pag. 407. &c. Ita ſerrati nummi, quorum idem Livius meminit, quales Muſeum noſtrum aſſervat, in familia Aurelia, Claudia, Cornelia, in nummo cui epigraphe, L. SCIPIO ASIAG. Maria, Memmia, Nevia, Pomponia, Poſtumia, Procilia, Sulpicia: non diverſi ſunt generis pretiive nummi: ſed ab inciſis in ſerræ modum nummi marginibus, ſerrati denarii appellati. Sed & poſtea præter bigas, quadrigaſque, impreſſæ ſunt & Caſtorum in nummis imagines, mox & familiarum inſignia, aliaque.

40. *Mox lege Papiriana.*] Sic editi omnes, cum Reg. 2. cod. aliiſque, uſque ad Dalecampium, qui *Papyria* ſcripſit. Nomina in *ius* deſinentia apud Romanos, primariæ ſunt ſtirpis nomina; ut Julius, Pompeius, Antonius. At deſinentia in *ianus* ſunt ab uxore primum petita, quæ cum eſſet heres ex aſſe in ſua familia, marito magnas opes, liberis opimam hereditatem afferret cum nomine. Sic Veſpaſianus a Veſpaſia conjuge, & filius natu major, cui addicta ea hereditas fuerat, Titus Veſpaſianus. Sic Domitianus a conjuge Domitia: a Seia Seianus: a Valeria Valerianus: Aurelianus ab Aurelia Severina; & ſic alii omnes in nummis antiquis. Quamobrem intereſt hoc loco Papirianum, legis Papirianæ auctorem, a Papirio diſtinguere. Quis iſte Papirianus fuerit Tribunus plebis, qui legem tulerit, adhuc incompertum. Ad Papirium Turdum, qui Tribunatum geſſit anno Urbis DLXXXVI. referre Pighius videtur, in Annal. ad an. 575. pag. 343.

41. *Semunciales.*] Sic dupondii unciales tum fuere. Nec leviores ad Plinii uſque tempora, multoque etiam poſtea, aſſes fuerunt.

42. *Livius Druſus.*] Anno poſt Urbem conditam DCLXIII. L. Marcio Philippo, Sex. Julio Coſſ. Tribunatum plebis geſſit Druſus: medio ferme temporis intervallo, quod intercedit ſextum inter & ſeptimum Marii Conſulatum, a quo æs optimum, quod argento Druſus immiſcuit, Mariani æris nomen accepit. Vide Gothofr. in Cod. Theod. lib. 9. tit. 21. de falſa moneta, pag. 177. Sic monetæ argenteæ minimæ, quæ nunc cernuntur apud nos, æſtimanturque aſſibus æreis tribus cum ſemiſſe, octavam habent æris partem admixtam. Sed acta Druſi uno deinde Senatuſconſulto abrogata fuiſſe Cicero dicit, lib. 2. de Leg.

43. *Victoriatus.*] Voluſius Mæcianus, pag. 877. *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim: at peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum, & drachma habebatur.* Exſtat in noſtro Cimelio nummus C. EGNATVLEI. C. F. cum ſigno Victoriæ, unde Victoriati nomen, & littera Q. quinarium deſignante: epigraphe, ROMA. Sed & denarios habemus eadem Victoriæ nota, in primis vero M. Catonis Proprætoris, ejus qui Cenſorii nepos fuit: quo in denario Victoriæ ſedentis ſimulacrum, cum ſubſcriptione VICTRIX. Ectypum Patinus exhibet in familia Porcia, pag. 228.

44. *Lege Clodia.*] Is eſt Clodius Tribunus plebis, quem Milo occidit. Clodia gens diligenter a Claudia ſecernenda eſt. Illa plebeia fuit, unde iſte Clodius Tribunus plebis: hæc patricia, ex qua Appius Claudius Cæcus, & poſtea Tiberius Claudius, aliique. *Clodius* Græce in nummis Clodii Albini Aug. ΚΛΩΔΙΟΣ: *Claudius*, ΚΛΑΥΔΙΟΣ ſcribitur. Eſt & Clodii Albini Cæſaris nummus ex ære magno, in Muſeo D. Abbatis DE FONTENV, ſic inſcriptus in priore pagina: ΚΛΩΔΙΟΣ ΑΛΒΕΙΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ: capite nudo: *Clodius Albinus Cæſar:* in altera, ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ: *Sub Prætore Claudio Ariſtophane.* Hic gens Clodia diligenter diſcriminatur a Claudia. Infra, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Stant numina duo, quorum alteri in dextra ſiſtrum, alteri in ſiniſtra tympanum eſt; ſymbolum ludorum pro Cæſare editorum. Ad pedes, gryphus, ut vocant, amphoram dextro pede tenet; argumento agri vitiferi, & vino abundantis.

45. *Poſt annum LXII.*] Hoc eſt, anno poſt Urbem conditam, DXLVII. qui tertiuſdecimus fuit belli Punici ſecundi, cum impenſæ fieri maximæ ei bello gerendo oporteret. Conſules tum fuere M. Livius Salinator ſecundum, C. Claudius Nero.

46. *Ita ut ſcrupulum.*] Sive, ut MSS. habent, *ſcripulum*, quod nihil intereſt. Libra porro ſcripula continet 288. Auri cujuſvis nummi ſcrupulum æſtimabatur vicenis argenti ſeſtertiis, ſive, quod idem eſt, denariis quinque. Luculentum hujus rei teſtimonium præbent nummi aurei duo, quos vidimus, tum in Bibliotheca Regia, tum in Muſeo S. Genovefæ: Alter nummulus eſt unius ſcrupuli pondere, hoc eſt, granorum, ut loquimur, unius & vicenum: epigraphe, ROMA: pretium geminata littera XX. planiſſime ſignatum: quid enim aliud ea nota velit, quam vicenis ſeſtertiis, ut ait Plinius, æſtimatum? Alter majuſculus pondere omnino triplo majore, hoc eſt, trium ſcrupulorum, ſeu granorum ſexaginta trium: igitur ſexagenos ſeſtertios valere neceſſe eſt, ſive, quod idem eſt, denarios quindecim: & tantumdem valere ſane clamant litteræ XV. ibidem inſculptæ.

47. *Seſtertiis vicenis.*] Cum ſeſtertios in ſumma aliqua deſignanda audis, denarioſve, cave alios intelligas apud Latinos ſcriptores, quam quos antiqua taxatio, & nominis originatio ipſa declarat, niſi ipſi auctores aliter accipiendas eas voces admoneant, quod eſt admodum infrequens. Itaque ſeſtertium pro dupondio ac ſemiſſe: denarium accipe, pro aſſibus denis: quæ antiqua eſt earum vocum acceptio, & retenta ſemper a Romanis ſcriptoribus, in pretio aliquo ſummave ſignanda. Vide Anton. Auguſt. Dial. 2. veterum Numiſmatum.

48. *Quod effecit.*] Efficit, inquit, hæc major æſtimatio, ut in libras auri ſingulas Reſpublica lucri faceret ſeſtertios nongentos, eorum ſcilicet ſeſtertiorum qui tunc erant, hoc eſt, anno DXLVII. quique jam ab anno, ut diximus, DXXXVII. quaternis aſſibus permutabantur. Quod ſi nongentos ſeſtertios ejuſcemodi, qui tunc erant, lucrata Reſpublica eſt, igitur ſeſtertios 1440. locratam eſſe neceſſe eſt, eorum ſeſtertiorum qui prius erant, hoc eſt, qui duobus aſſibus & ſemiſſe æſtimabantur. Continentur enim hi 1440. in nongentis illis, ita ut ne unus quidem aut deſit, aut ſuperet. Quare quod nunc vicenis ſeſtertiis vulgaribus, (aſſium ſcilicet duorum cum ſemiſſe, qui ſolent in quovis pretio indicando uſurpari, ut diximus,) permutatum dicitur auri ſcripulum, quindenis ante neceſſe eſt fuiſſe taxatum: ut in ſingula ſcripula lucrata Reſpublica ſit quinque ſeſtertios, in libras, quæ ſcripula 288. continent, ſeſtertios 1440. Quod autem Plinius, lib. 19. ſect. 4. ſcripulum auri, ut lini quondam byſſini, permutatum ait denariis quaternis, qui ſeſtertios ſedecim efficiunt: ſua & priorum Cæſarum tempora reſpicit, quo imminutum auri pretium fuit, cum eſſet major auri copia, nec anguſtum eſſet, ut olim, ærarium. Vide Notas & Emendationes, num. XI.

49. *In libras.*] Intellige, in libras ſingulas auri infecti, quod in ærario ſervabatur, quodque interdum diſtrahebat ad vaſa, operaque publica ac privata. Nulli dum enim tum nummi erant aurei, niſi fortaſſis peregrini & externi. Quare apud Livium, anno Urbis DXLIII. juſſere Patres deferri ad Triumviros menſarios aurum, argentum, & æs omne, ſed cælatum: ſignatumve apud exteros: nempe ut illud in belli ſumptus impenderent.

50. *Poſt hæc placuit X. XL. ſignari.*] Hoc eſt, denarios XL. Et ſane denarios ex auro dici initio hujus ſectionis monuimus. *Poſt hæc* autem interpretor, confecto bello Punico ſecundo, atque adeo, ſi placet ita, & tertio: poſt redditam Reipublicæ pacem, devicta Carthagine. Vide Notas & Emendat. num. XII.

[11] Principes [12] imminuêre pondus: minutissime Nero ad XLV.

XIV. Sed a nummo prima origo avaritiæ, fenore excogitata, quæstuosaque segnitia. Hæc paulatim exarsit rabie quadam, non jam avaritia, sed fames auri: utpote [1] cum Septimuleïus Caii Gracchi familiaris, auro rependendum caput ejus excisum ad Opimium tulerit, plumboque in os addito [2] parricidio suo [3] Rempublicam etiam circumscripserit: nec 5 jam Quiritium aliquo, sed universo nomine Romano infami, rex Mithridates [4] Aquilio duci capto aurum in os infudit: hæc parit habendi cupido. Pudet intuentem tantum nomina ista, quæ subinde nova Græco sermone excogitantur, [a] [5] expresso argenteis vasis auro aut incluso: quibus [b] deliciis veneunt tam inaurata quam aurea: cum sciamus interdixisse castris suis [6] Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Tanto fuit plus ani- 10 mi [7] fugitivis nostris. Messala Orator prodidit, [8] Antonium Triumvirum [9] aureis usum [c] [10] in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine, etiam [11] Cleopatræ. Summæ apud exteros licentiæ fuerat, poculo aureo pulvinis subdito, Philippum regem dormire solitum: [12] Agnonem Teïum Alexandri Magni præfectum aureis clavis suffigere crepidas. Antonius apud nos in contumeliam Naturæ vilitatem auro fecit, [d] proscriptione dignum, [13] sed 15 Spartaci.

XV. Equidem miror populum Romanum victis gentibus in tributo semper argentum imperitasse, non aurum: [1] sicut Carthagini cum Hannibale victæ [2] argenti pondo annua in quinquaginta annos, nihil auri. Nec potest videri penuria mundi id evenisse. [3] Nam

INTERPRETATIO.

a *Expresso.*] Tum exstante foris in vasis argenteis auro, tum intus incluso.

b *Deliciis.*] In quam delicatos ac viles usus.

c *In omnibus.*] Ad omnes naturæ necessitates, quod pudendum in Cleopatra femina foret, quanto magis in viro?

d *Proscriptione.*] Rem proscriptione dignam.

NOTÆ.

51. *Principes.*] Imperatores, quos Principes ea tum appellabat ætas: quorum postremus, qui pecuniam auream ante Plinii excessum mutarit, Nero fuit. Stante Republica, nihil detractum de legitimo nummorum pondere: imminuêre Principes: omnium maxime Nero.

52. *Imminuêre pondus.*] Non libræ, ut Scaliger existimat, nam id semper æquale fuit: sed nummorum, qui leviores. Porro, ut id corollarii vice addam, aureus nummus unus Augustorum ævo denariis argenteis vicenis quinis permutabatur olim, ut ex Dione constat, & Zonara: Hujus hæc verba sunt: Παρὰ Ῥωμαίοις αἱ εἴκοσι καὶ πέντε δραχμαὶ χρυσοῦ νόμισμα ἦν. Probat hoc pluribus Snellius, libro de re Num. pag. 29. Adde Didymum laudatum a nobis initio hujus sect.

Sect. XIV. 1. *Cum Septimuleius.*] Opimii amicum, φίλος Ὀπιμίου, Σεπτιμουλήϊον vocat Plutarchus in Gracchis, pag. 842. Caput ipsum ait, cerebro exempto, infusoque plumbo, fuisse XVII. pondo cum besse, ἑπτακαίδεκα λίτρας καὶ δίμοιρον. L. Vitellium male appellat, pro Septimuleio, Diodorus in Excerptis, pag. 378. De Opimii Consulatu diximus lib. 14. sect. 16. De hac nece Gracchi jussu Opimii illata, Cicero in Catil orat. 1.

2. *Parricidio suo.*] Cum familiarem suum Gracchum interfecit.

3. *Rempublicam.*] Universo tum Populo Romano conflavit invidiam avaritiæ, famam existimationemque detraxit, & quasi Rempublicam ipsam damnavit Usus hac voce Tullius, tum alibi, tum Philipp 13. *Senatus in Capitolium, parata de circumscribendo adolescente sententia Consularis*, hoc est, ut Budæus ait, de ejiciendo magistratu ignominiose Octavio, & imperio ei abrogando. Occisum esse, postquam Senatus decrevisset, Consul ut videret, ne quid detrimenti Respublica caperet, Cicero refert, loc. cit. nam in Tribunatu seditiosis legibus Rempublicam perturbarat.

4. *Aquilio duci*] Sic Appianus in Mithrid. pag. 184. Τοῦ στόματος αὐτοῦ καταχώννυσθαι χρυσίον. Ibi eum Μάνιον Ἀκύλλιον vocat. Vide & Plutarchum in Mario, Valer. Max. lib. 9. cap. 13. aliosque.

5. *Expresso argenteis.*] Expressum Tullius dixit pro eminente, exstante, lib. 1. de Nat. Deor. *Nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis.* Χρυσένδετα haud dubie vasa intelligit, nempe auro circumvincta: de quibus Martialis, libro 14. Epigr. 97. cujus lemma, *Lances chrysendeta:*

Grandia ne viola parvo chrysendeta mullo:
Ut minimum libras debet habere duas.

Et lib. 2. Epigr. 43.

Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli.

6. *Spartacum.*] Eo abstinentiæ nomine Spartacum commendat etiam Appianus, lib. 1. de bellis Civil pag. 424. lato in Thuriis montibus edicto, ne quis negotiator aurum argentumve in castra inveheret: ne cui suorum habere hæc liceret: solum æs ferrumque emerent, &c.

7. *Fugitivis nostris*] Subintellige, quam civibus. Anno Urbis DCLXXXI. Spartacus aliique gladiatores, effracto Capuæ ludo Lentuli, ac perditorum haud exigua collecta manu, Romanos non semel fuderunt exercitus: ac tandem a Crasso Prætore, & Pompeio profligati sunt, anno DCLXXXIII. Hoc servile bellum & fugitivorum appellatum est: cujus totam rationem Florus expedit, lib. 3. cap. 20.

8. *Antonium.*] Ciceronis hostem.

9. *Aureis usum*] Subintellige *vasis*, ex antecedentibus.

10. *In omnibus obscenis.*] Quod & ille fecit, ad quem Martialis, lib. 1. Epigr. 38.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro, &c.

11. *Cleopatræ.*] Etiam in femina pudendum crimen. Dignum hominem, in quem conjiciatur illud Martial. lib. XI. Epigr. 12.

Te potare decet gemma, qui Mentora frangis,
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ.

Hoc est, qui pocula Mentorea nobilitata manu, ut alibi ait, diffringis, ut inde conficiatur mœchæ tuæ matula.

12. *Agnonem.*] Ὥστε Ἄγνωνα τὸν Τήϊον ἀργυροῦς ἐν ταῖς κρηπῖσιν ἥλους φορεῖν. Plutarchus, in Alexandro, pag 688 Sic etiam Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. Simile est, quod de Antiochi exercitu narrant historici: quis quidem *magna ex parte* (verba sunt Valerii Maximi) *aureos clavos crepidis subjectos habuit.* Simile & quod de Ephesio Theotimo Plautus, in Bacchid. act. 2. sc. 3. vers 98.

Qui auro habebat soccis subpactum solum:

Forte *aureum solum*, hoc est, auream calceamenti soleam. Festo, *clavata dicuntur calciamenta clavis confixa:* & fuere caligæ militares clavis suffixæ, sed ut hodie rusticorum, ferreis.

13. *Sed Spartaci.*] Dignus, inquit, Antonius qui ob hoc proscriberetur, non a Sylla, aliove consimili, sed a Spartaco gladiatore ac fugitivo, qui castris suis interdixit, ne quis aurum haberet aut argentum. Vide Notas & Emend. num. XIII.

Sect. XV. 1. *Sicut Carthagini.*] Appianus in Punic. pag. 30. victo ait in Africa Hannibale, a P. Corn. Scipione, bello Punico secundo, imperatum Carthaginiensibus inter ceteras conditiones pacis, ut singulis annis ducenta talenta Euboica per annos quinquaginta in Urbem afferrent. Καὶ ἐς Ῥώμην φέρειν ἐπὶ πεντήκοντα ἔτη ... Εὐβοϊκὰ ... ἀργυρίου, ἐπὶ πεντήκοντα ἐνιαυτούς. Sic & Livius. Massinissa ipse, Persarum devictos argenti quinque millibus pondo mulctavit, teste eodem Appiano, pag 41. Apud Livium, lib. 38. quod Ætoli redimere argento pacem aut nollent, aut non valerent, iniqua imposita conditio, *ut si aurum dare mallent*, facerent sane: *dum pro argenteis decem aureus unus valeret:* cum justum esset aureum unum argenteis multo pluribus æstimari. Vide Notas & Emend. num. XIV.

2. *Argenti pondo.*] Ut quidem Appianus Liviusque dixere, ducenta talenta: Gallicæ monetæ, libras 537600. Tale Antiocho tributum similiter imperatum, teste Livio, lib 38. Frustra *sedecim pondo* rescribere nititur Budæus, lib. 3. fol. 73.

3. *Nam Midas, &c.*] De Mida, Cicero, lib. 1. de Di-

Midas & Crœsus infinitum possederant. Jam Cyrus devicta Asia pondo XXXIV. millia invenerat, præter vasa aurea, [4] aurumque factum, [5] & in eo folia ac platanum, vitemque. Qua victoria argenti quingenta millia talentorum reportavit, & [6] craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat. [7] Talentum autem Ægyptium pondo LXXX. [8] patere Varro tradit. Jam regnaverat in Colchis [9] Salauces & Esubopes, qui [10] terram virginem nactus, plurimum argenti aurique eruisse dicitur [11] in Suanorum gente, & alioqui [12] velleribus aureis inclyto regno. Sed & illius aureæ cameræ, argenteæ trabes narrantur, & columnæ, [13] atque parastaticæ, victo Sesostre Ægypti rege, tam superbo, [14] ut prodatur annis quibusque sorte reges singulos e subjectis jungere ad currum solitus, atque ita triumphare.

XVI. Et nos fecimus, quæ posteri fabulosa arbitrentur. Cæsar qui postea Dictator fuit, primus in Ædilitate munere patris funebri, [2] omni apparatu arenæ argenteo usus est: ferasque argenteis vasis incessivere tum primum [3] noxii, quod etiam in municipiis æmulantur. C. Antonius ludos [4] scena argentea fecit. Item L. Muræna, [5] & Caius Princeps in Circo [6] pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV. Claudius successor ejus, cum de Britannia triumpharet, [7] inter coronas aureas, VII. pondo habere, quam contulisset Hispania citerior, IX. quam Gallia Comata, titulis indicavit. Hujus deinde successor Nero, Pompeii theatrum operuit auro [8] in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderet. Et quota pars ea fuit [9] aureæ domus ambientis Urbem?

XVII. Auri in ærario populi Romani fuere, [1] Sex. Julio, L. Aurelio Coss. septem annis ante bellum Punicum tertium, [2] pondo XVI. DCCCX. argenti XXII. LXX. & in

Notæ.

vinat. pag. 189. De Crœsi operibus, Herod. lib. 1. Clio, num. 50 pag 19.

4. *Aurumque factum*] Factum dicitur, quod non est rude, quod elaboratum, ex quo aliquid confectum est.

5. *Et in eo folia.*] Sic etiam MSS. *Solia* legi multo mallem. De simuli vite ac platano ex auro, vide Herod. lib. 7. Polymn num. 27. pag. 395.

6. *Craterem Semiramidis.*] De quo Diodorus Sic. lib. 2. Bibl. pag. 98.

7. *Talentum autem .... pondo LXXX.*] Romana hæc talenti æstimatio fuit. Livius, lib. 38 de fœdere Antiochi: *Argenti probi Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos, pensionibus æquis: Talentum ne minus pondo LXXX. Romanis ponderibus pendat.* Porro octoginta pondo sunt denariorum sex millia, ac viginti supra septingentos: nam in libram imputantur denarii quatuor & octoginta, ut dicetur inferius, sect. 46 monetæ Gallicæ, libræ 33. & asses 12. Igitur talentum unum efficit monetæ nostræ libras, ut vocant, omnino 2688. Alia est Attici talenti æstimatio, alia Euboici, Alexandrini alia. Sed de his alii consulendi. Nos de Attico dicemus lib 35. sect. 40 num. 30.

8. *Patere Varro tradit.*] Ita MSS. Reg 2. & alii; non, ut editi, *capere*. Vox est ea Senecæ quoque familiaris.

9. *Salauces & Esubopes.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Est qui nihilominus hoc loco conjiciat legi commodius, *Salauces Æeta soboles*, quod minus sane nobis arridet.

10. *Terram virginem.*] Quæ & γῆ παρθένος a Philone Byzantio dicitur, lib. de septem orbis miraculis, cap. de horto pensili. Ea virgo terra nuncupatur, ad quam cum altissime foderis, devenitur, nec fossuram ipsa sensit olim. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. p. 274. *Εἰ γοῦν τοῖς νόμοις ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος Πλάτων, κελεύει τοὺς γεωργοὺς μὴ ἐπαρδεύειν, μηδὲ λαμβάνειν ὕδωρ παρ' ἑτέρων. ἐὰν μὴ πρότερον ὀρύξαντες παρ' αὐτοῖς ἄχρι τῆς παρθενίας καλουμένης, ἄνυδρον εὕρωσι τὴν γῆν. In legibus itaque Plato, qui est ex Hebræis Philosophus, jubet agricolas non irrigare, neque aquam ab aliis sumere, nisi cum prius apud se foderint usque ad terram, quæ VIRGINALIS dicitur, terram aridam, & aquæ expertem invenerint.* Alio sensu apud Gruterum, pag MCXXXIX. 12 legas, EMIT ET COMPARAVIT LOCVM VIRGINEM, hoc est, intactum.

11. *In Suanorum.*] Ita Reg 2. aliique; non, ut editi, *Samnorum*] De Suanis, lib. 6 sect. 4.

12. *Velleribus aureis.*] Nota Phryxæi velleris fabula, in Colchis

13. *Atque parastatica*] Sic Reg. 2. Colb. 3. aliique; non *parastata*, ut editi. Sunt autem pilæ quadratæ, aut lapides pilarum modo adstantes columnarum lateribus, vulgo dicti *Pilastres*. In Notis quæ Tironi adscribuntur, inter partes & materias ædificiorum, pag 163. *Camera. Concameratio. Columna. Parastratica* (lege *Parastatica.*) *Marmor Mosivum.* Vetus inscriptio apud Alexandr. Donat. Soc. Jesu, lib. 3. cap. 13. pag. 250. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI OPTIMI PRINC. GERM. DAC. IMAGINES. ARGENT PARASTATICAS. CVM. SVIS. ORNAMENTIS. ET. REGVLIS... ET CONCAMERATIONE. FERREA. C. IVLIVS... DEDIT. &c.

14. *Ut prodatur annis quibusque.*] Ita Diodor. Sicul. lib. 1. Bibl. pag. 53.

Sect. XVI 2. *Omni apparatu arenæ.*] Amphitheatri. Arenam pro amphitheatro dici tralatitium esse alibi monuimus. De *Munere*, vide dicta a nobis, libro III sect XI.

2 *Feras ... argenteis vasis.*] Sic MSS quos vidimus. Forte *gesis*: est enim gesum, telum Gallicum. Vide Notas & Emendat. num. XV.

3. *Noxii*] Bestiarii, ad feras damnati. Cyprianus, ep. 103. de spectac. *Ad pœnam hominis fera valida nutritur in deliciis, ut sub spectantium oculis crudelius insaniat.* Hoc in numero habiti sunt Christiani sub Imperatoribus. Multa in eam rem congessit erudite Julius Bulengerus, lib de venat. Circi, cap. 30 & 31.

4. *Scena argentea.*] Scena frons theatri, seu locus actorum, obstructus aulæis & siparis, unde in proscenium prodibant histriones acturi, ut ait Cassiodorus. *La face du theatre, la decoration du theatre.* Inscriptio vetus apud Gruterum, pag. 583. T. LAELIVS AVGVSTORVM. LIB. ARGENTO. SCAENICO Falsa.

5. *Et Caius.*] Quem Caligulam vocant. Vide Tranquillum in Caio, cap 18

6 *Pegma duxit.*] Pegma contabulatio fuit, quæ sponte sensim surgebat, & subsidebat. Seneca, epist. 88. *His annumeres machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates: aut dehiscentibus quæ cohærebant, aut quæ distabant sua sponte coherentibus, aut iis quæ eminebant paulatim in se residentibus.*

7. *Inter coronas aureas.*] Coronarum ex auro exempla plura vide apud Jul. Buleng. lib. de triumpho, cap. 29. de triumpho sociorum.

8. *In unum diem.*] Qui dies propterea est aureus appellatus, inquit Dio, lib. 63. pag. 718 a quo hæc pariter narrantur. Vide Notas & Emend. num XVI

9. *Aurea domus.*] De qua iterum lib. 36. sect. 24. num 5.

Sect. XVII. 1. *Sex. Julio.*] Anno Urbis DXCVII. Sed inter eos Consules, & eos sub quibus cœptum esse dicitur bellum Punicum tertium, Marcium nempe Censorinum, & M. Manilium Nepotem, septem alii Consulatus intercedunt integri.

2. *Pondo XVI. DCCCX.*] Hoc est, auri infecti pondo sedecim millia octingenta decem: quæ auri scrupulo sestertiis vicenis taxato, ut supra, efficiunt Gallicæ monetæ libras 9682560 Argenti, viginti duo millia & septuaginta: monetæ nostræ libræ sunt, 741552. Et in numerata signataque pecunia, sexagies bis centena octoginta quinque millia, & quadringenti. (Lineola enim priori numero superposita, ut sæpe diximus, centena millia subintelligi admonet. De sestertiis autem accipienda hæc sunt, more scriptorum omnium Latinorum.) Efficit hæc summa numeratæ signatæque pecuniæ, si ad monetam Gallicam reducatur, libras, ut vocant, 628540. Vide Notas & Emendat. num. XVII.

numerato, LXII. LXXXV. CCCC. Item Sex. Julio, L. Marcio Coss. hoc est, [3] belli socialis initio, [4] auri XVI. XX. DCCCXXIX. [5] C. Cæsar primo introitu Urbis in civili bello, suo ex ærario protulit [6] laterum aureorum XXV. M. argenteorum, XXXV. & in numerato, [7] HS. CCCC. Nec fuit aliis temporibus Respublica locupletior. [8] Intulit Æmilius Paulus, Perseo victo e Macedonica præda [9] HS. MM. CCC. a quo tempore po- 5 pulus Romanus [10] tributum pendere desiit.

XVIII. Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, Censura [1] L. Mummii. Inde transiere in cameras quoque & parietes, qui jam & ipsi tamquam vasa inaurantur; cum sua ætas varia [2] de Catulo existimaverit, quod tegulas æreas Capitolii inaurasset primus. 10

XIX. Inventores auri, sicut metallorum fere omnium [1] septimo volumine diximus. Præcipuam gratiam huic materiæ fuisse arbitror, non colore, qui in argento clarior est, magisque diei similis, & ideo militaribus signis familiarior, quoniam is longius fulget; manifesto errore eorum, qui colorem siderum placuisse in auro arbitrantur, cum in gemmis aliisque rebus non sit præcipuus. Nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum 15 est ceteris metallis, cum cedat per utrumque plumbo. Sed quia rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisque. Quin immo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Aurique experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque: [2] id ipsum obrussam vocant. Primum autem bonitatis argumentum est, quam difficillime accendi. Præterea mirum, [3] prunæ violentissimæ igni indomitum, palea citissime ardescere: atque ut 20 purgetur, cum plumbo coqui. Altera causa pretii major, quam minimum usu deteri, cum argento, ære, plumbo, [4] lineæ producantur, manusque sordescant decidua mate-

NOTÆ.

3. *Belli socialis.*] Seu Marsici, de quo lib. 2. sect. 85.

4. *Auri.*] XVI. XX. DCCCXXIX.] Hoc est, auri infecti pondo sedecies centena viginti millia, & octoginta, ac viginti novem. Sic Reg. 2. Æstimatione Gallicæ monetæ, libras ea efficiunt, ut vulgo dicimus, 933597504. hoc est, fere nongentos & XXXIV. milliones.

5. *C. Cæsar.*] Dictator. Quod si dives adeo fuit, cur igitur Tranquillus, in Julio, cap. 54. *In primo Consulatu tria millia pondo auri furatus e Capitolio, tantumdem inaurati æris reposuit.* Vide & Plutarch. in Cæsare, pag. 725. & in Apophtheg. pag. 206. & Appianum, lib. 2. de bellis civ. pag. 453.

6. *Laterum aureorum.*] Vide Notas & Emendat. num. XVIII Lateres aureos argenteosque pariter Varro vocat, lib. 3. de vita pop Rom apud Nonium: πλίνθους χρυσοῦς Herodotus, ubi de Crœso: argentum videlicet, aurumque infectum, nec dum in vasa monetamve conflatum Nos vernaculo sermone appellamus, *Barres d'or*, ou *d'argent*.

7. *HS.* CCCC.] Hoc est, quadringenties centena millia sestertiûm. Gallicæ monetæ 4000000. libræ sunt, seu quatuor milliones

8. *Intulit & Æmilius.*] Vide Notas & Emendat num. XVIII Est nummus argenteus in Museo nostro, & apud Patinum, in Famil. pag. 7. num. 6. caput Concordiæ velatum: inscriptio, PAVLLVS LEPIDVS Ubi Spanhemius falso putat, *Paullum* esse prænomen, tomo 2. pag. 35. Princeps Senatus *Paullus* ea patre, ex matre *Lepidus*, hic notatur; ac proinde utroque genere, ex gente Æmilia; Augusti temporibus, ut nummi alii docent, ac proinde Augusti vice. CONCORDIA hic significatur Senatus Populique Romani. .)(. Trophæum, quod dextra manu tangit Æmilius Paullus, sinistro nummi latere, quippe nobilitate, stans; statura prægrandi. E regione stat Perseus rex Paullo minor, manibus post tergum revinctis. ac trophæum suspicit; astant inter ipsum & trophæum adolescentes duo prætextati, qui sunt duo Persei liberi: natu major alter, qui patri vicinior, junior alter. Supra trophæum, TER. In imo nummi margine, PAVLLVS. Ille nimirum Æmilius Paullus, alterius qui in priore nummi pagina appellatur, atavus, de quo Plinius hoc loco. & libro IV. sect. XVII. Litteræ TER trophæo superpositæ, occasionem dedere confingendi ter Paullum triumphasse: cum tamen hic unicum pingatur trophæum de Perseo, sive de Macedonia capta. Lege, *Tribus Evectis Regibus*, Perseo rege nimirum, cum duobus liberis in nummo depictis

9. *HS.* CCC MM] Hoc est, sestertiûm bis millies & trecenties centena millia. Efficiunt ea libras monetæ Gallicæ, seu florenos, 23000000. seu viginti tres milliones.

10. *Tributum pendere.*] Stipendium militare in antiqua Republ ex tributo fuit: tributum pro portione census exigebatur: belli præda interim ad difficillima Reipubl. tempora reservata: qui mos ad Æmilium usque Paulum duravit, Perseumque regem devictum, anno Urbis DLXXXV. Renovatum Hirtio & Pansa Coss. auctor est Plutarch. *Privato sumptu se aluisse milites Romanos, puto ad id tempus quo Roma capta est a Gallis*, auctor est Festus, post Livium, lib. 4. Quod vero de tributo Plinius refert, id a Valerio Maximo similiter proditum est, lib. 4. cap 3. pag. 210. *At Perse Rege devicto*, inquit, *Paulus cum Macedonicis opibus veterem atque hereditariam Urbis nostra paupertatem eo usque satiasset, ut illo tempore primum populus Rom. tributi præstandi onere se liberaret*, &c. At vice tributi, aut præter illud, fuit in provinciis *Honorarium Aureum*, munus Principibus dari solitum, & imperatum Hujus mentio in nummis antiquis post tempora Constantini sæpe occurrit: ingeniose semper: exempli gratia. in triente aureo Theodeberti, quem delineari fecit Bouterouius, pag. 277. ex Cimelio illustr. Harlæi. THEODEBERTIA. *Theodebertus Imperator Augustus.* Capite cincto gemmis, .)(. Crux: in ambitu, IOHANNES. Monetarii nomen id esse non potest: cum opificis prænomen tantum possit esse; nec scribi proinde solum in nummis debeat. Totidem vocum primæ sunt eæ litteræ, hac sententia: *Imperatori Obtulere Honorarium Aureum Negotiatores Narbonenses Edicto Senatus.* Honorarium Aureum certus fuisse significatur numerus aureorum, cujusmodi est iste, qui *Theodeberti Imperatoris Augusti* nomen præfert. Certamen ingeniorum fuit illo ævo, & consequentibus sæculis, quis felicius sub ominibus etiam virorum, sæpissime postea & civitatum, ut prius aliis Latinis vocabulis, sententias exhiberent, & Principi, cujus esset in nummo vultus impressus, apte convenientes, & picturæ partis adversæ, si qua esset: ita ut vel rem gestam a Principe, vel delatum ei honorem a subjectis eæ significarent Sic in Placidi Valentiniani nummo BONIFATIVS significat: *Bono Ore Narbonensis Insulanis Fugato, Arelatenses Triumphum Insignem Valentiniano Struxerunt.* Sic sunt alia exempla prope innumera, quæ in Numismatis sæculi Theodosiani, & Justinianei, ac Regum Francorum exponimus.

Sect. XVIII. 1. *L. Mummius.*] L. Mummius Achaicus appellatus, Corinthum Achaiæ caput incendit, anno Urbis DCVIII. quo anno capta & incensa Carthago est a P. Cornel. Scipione: ambo deinde Censuram simul gessere, anno Urbis DCXII lustrumque fecere LVII.

2. *De Catulo.*] Eo qui Capitolium dedicavit, ut diximus lib 19. sect. 6. Hoc illius factum sua ætate alii in aliam partem accipiebant: cum non deessent qui profusiore sumptu coli Deos negarent oportere.

Sect. XIX. 1. *Septimo volumine.*] Libro 7. sect. 57.

2. *Id ipsum obrussam vocant.*] Illud videlicet experimentum aurifices obrussam vocant. Sic Reg. 2. aliique. *Obrussa* vox usurpata Senecæ, in epist. & Natur. quæst. Tranquillo quoque in Nerone, normam significat, ad quam exigitur aurum. Inde obryzum, coctione crebra ita purgatum, nihil ut habeat alterius metalli admixtum Schol. Thucyd. in lib. 2. χρυσίου ἀπέφθου interpretatur πεπυρωμένου, ὅπερ καλοῦσιν ὄβρυζον. Tranquillus in Nerone. cap. 44 *Exegit ingenti fastidio, & acerbitate, nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obruzam.*

3. *Prunæ*, &c.] Reg. 2. & Pintiani codex: *prunæ violentissimo ligno* Strabo, lib 3. pag 146. Διὰ τοῦτο καὶ ἀχύρῳ τήκεσθαι μᾶλλον τὸν χρυσόν, &c. Causam is deinde affert, cur palea citius, quam carbone, liquefiat. Locum consule

4. *Lineæ producantur.*] Non tingit corpora quæ tangit;

ria. Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, ut pote cujus unciæ in septingenas & quinquagenas, pluresque [5] bracteas, quaternûm [a] utroque digitorum, spargantur. Crassissimæ ex his Prænestinæ vocantur, etiamnum retinentes nomen, Fortunæ inaurato ibi fidelissime simulacro. Proxima bractea quæstoria appellatur. Hispania strigiles vocat auri parvulas massas, quod super omnia solum in massa aut ramento capitur. Cum cetera in [b] metallis reperta igni perficiantur, [6] hoc statim aurum est, consummatamque materiam protinus habet, cum ita invenitur. Hæc enim inventio ejus naturalis est: alia quam dicemus, coacta. [7] Super cetera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem, minuatve pondus. Jam contra salis & aceti succos domitores rerum, constantia: superque omnia netur, ac texitur lanæ modo, & sine lana. Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius docet. Nos vidimus [8] Agrippinam Claudii Principis, edente eo navalis prælii spectaculum, assidentem ei, indutam paludamento, [9] auro textili sine alia materie. [10] Attalicis vero jampridem intexitur, invento regum Asiæ.

XX. Marmori & iis quæ candefieri non possunt, ovi candido illinitur: ligno, glutini ratione composita: leucophoron vocant. Quid sit hoc, aut quemadmodum fiat, [1] suo loco docebimus. Æs inaurari argento vivo, aut certe hydrargyro, legitimum erat: de quibus, [2] ut dicemus illorum naturam reddentes, excogitata fraus est. Namque æs [c] cruciatur in primis, accensumque restinguitur sale, aceto, alumine. Postea [d] exarenatur, an satis recoctum sit, splendore deprehendente: iterumque exhalatur igni, ut possit edomitum, mixtis pumice, alumine, argento vivo, inductas accipere [e] bracteas. Alumen in purgando vim habet talem, [3] qualem esse diximus plumbo.

XXI. Aurum invenitur in nostro orbe: ut omittamus Indicum, [1] a formicis, aut apud Scythas [2] gryphis erutum. Apud nos tribus modis: fluminum ramentis, [3] ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ. Nec ullum absolutius aurum est, ut cursu ipso trituque perpolitum.

[4] Alio modo puteorum scrobibus effoditur, aut in ruina montium. Quare utraque ratio dicetur. Aurum qui quærunt, ante omnia [5] segullum tollunt: ita vocatur indicium. Alveus hic est: arenæque lavantur, atque ex eo quod resedit, conjectura capitur. Invenitur aliquando in summa tellure protinus, rara felicitate: [6] ut nuper in Dalmatia principatu Neronis, singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens. Gummi inventum est

Interpretatio.

a *Utroque.*] In longitudinem, & latitudinem.
b *Metallis*] In fodinis metallicis
c *Cruciatur.*] Accenditur, tunditurque.
d *Exarenatur*] Desquamatur, arenæ tolluntur.
e *Bracteas.*] Tenues auri laminas, quibus æs inauratur.

Notæ.

argentum tingit parum: cetera tingunt multum, inquit Albertus M. lib. 4. de miner cap. 7. pag. 175. Plinius infra, sect 31. *Lineas ex argento nigras produci plerique mirantur.*

5. *Bracteas.*] *Feuilles d'or*, laminæ tenues, sponteque plicabiles, atque adeo vel minima aura halituve oris. Harum opifices inauratores bractearii appellati Vetus inscriptio apud Gruterum, pag. 1074 COLLEGI. BRACTEARIORVM INAVRATORVM. Falsa.

6. *Hoc statim aurum est.*] Auri purissimi grana, ceu arenæ, in fodinis reperiuntur. *Granum inventum esse 100. marcarum simul* auctor est Albertus M. loc cit.

7. *Super cetera.*] Etiam aqua, terrave sepultum, vel pluribus sæculis, rubiginem nullam contrahit.

8 *Agrippinam Claudii Principis*] Nempe conjugem, Neronis matrem. Describit hos ludos Dio, lib. 60. pag. 687. *Ἐπεὶ ἡ λίμνη ναυμαχῆσαι ὁ Κλαύδιος ἐπεθύμησε ποιῆσαι . . . ὁ δὲ Κλαύδιος, ὅ τε Νέρων φαντασίας ἐνέδυσαν· ἡ Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ κεκοσμημένη. In palude quadam exhibere navale certamen Claudius cupiebat . . . vestitum suo quisque arbitrio, militarem Claudius & Nero gestabant, Agrippina chlamydem seu paludamentum auro textum.*

9. *Auro textili.*] Filo tenui deducebatur aurum, eoque vestes texebantur. Sidonius Apollin. Carm. 22. vers. 199.

Vel stamine fulvo
Prægnantes fusi mollitum nesse metallum.

De Elagabalo Lampridius: *Indutus est omni aurea tunica*, (hoc est, tota aurea; ut Maro: *unde omnis Troja videri*, pro tota dixit:) *usus & purpurea, & de gemmis Persica, ita ut gravari se diceret.*

10 *Attalicis vero.*] De his dictum est lib. 8. sect. 74. Erant e lana auro intertexto.

Sect. XX. 1. *Suo loco docebimus.*] Libr. 35. sect. 17.

2. *Ut dicemus*] Sect. 32. & 41. libri hujus.

3. *Qualem esse diximus plumbo.*] Sect. proxime superiore.

Sect. XXI. 1. *A formicis.*] Ut dictum est lib. x 1. sect. 36. De gryphibus vero aurum effodientibus, abripientibusve apud Arimaspos Scythiæ populos, vide Herodotum, lib 3. Thalia, num 116. pag. 207. & lib. 4. Melpom. num. 13. pag. 229. Pliniumque ipsum, lib. 7. sect. 2.

2 *Gryphis.*] Ita MSS non *gryphibus*. Sic Plinius iterum loc. cit.

3 *Ut in Tago.*] Plinius ipse, lib. 4. sect. 37. *Tagus auriferis arenis celebratur.* Ovidius de Phaethontis incendio, lib. 2. Metam vers. 251.

Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.

Jam desiisse arenæ eæ dicuntur.

4 *Alio modo puteorum.*] Putei fossæ sunt, per quas ad cuniculos iter est, meatusque subterraneos, quibus ad metalli venam pervenitur.

5. *Segullum.*] Nos *mannam* vocamus terram eam, quæ subesse seu latere aurum indicat.

6. *Ut nuper in Dalmatia.*] Et inde simile veri est olim esse Romam transfluctum, quidquid auri signatum in monetis fuit. Vide Gothofr. in Cod. Theod. lib. 10 tit. 13 de metallis, pag 492. Nec minima pars accessit e præda Macedonica, similibusque victoriis. Cassiodorus in Chron. scribit anno ab V. C. DXCVI. M. Æmilio Lepido, C. Popilio Lænate Coss. metalla in Macedonia instituta Livius, lib 45. *Metalli Macedonici ingens vectigal.* E Dacia similiter persolutum auro argentoque tributum, quod fodinis abundaret, auctor est Cæsar, lib. 5. bell. Gall. etsi nondum in formam provinciæ redacta foret. Adde dona sociorum exterarumque gentium. Adde fodinas Galliarum, e Cemeno monte, e Tarbellis, ex Alpibus in Salassis, de quibus Strabo, lib 3. & 4 & Codex Theod. loc. cit lege 9 Asturiæ, Gallæciæ, Lusitaniæque, unde commercio primum, mox belli jure Romanorum armis subactæ, ac tributi nomine plus vicena millia pondo singulis annis præstitisse mox dicuntur, hac sect.

in

in summo cespite, [7] alutatium, si & auro ea tellus subest. Cetero montes Hispaniæ aridi sterilesque, & in quibus aliud gignatur, huic bono coguntur fertiles esse: Quod pureis foditur, canalicium vocant, alii canaliense: [a] marmoris glareæ inhærens, [8] non illo modo, quo in Oriente sapphiro atque Thebaïco, aliisque in gemmis scintillat, sed micas amplexum marmoris. Vagantur hi venarum canales per latera puteorum, & huc illuc, [9] inde nomine invento: tellusque ligneis columnis [10] suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam, [11] ac pilis cudunt. [12] Vocant argentum, quod exit a fornace: sudorisque, qui e camino jactatur, spurcitia, in omni metallo scoria [13] appellatur. Hæc in auro tunditur, iterumque coquitur. [14] Catini fiunt ex tasconio. Hoc est terra alba similis argillæ. Neque enim alia afflatum, ignemque & ardentem materiam tolerat.

Tertia ratio opera vicerit Gigantum. Cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. [b] Eadem mensura vigiliarum est: multisque mensibus non cernitur dies. [c] [15] Arrugias id genus vocant: siduntque rimæ subito, & opprimunt [16] operatos: ut jam minus temerarium videatur e profundo maris petere margaritas: tanto nocentiores fecimus terras. Relinquuntur itaque fornices crebri montibus sustinendis. Occursant in utroque genere silices. [17] Hos igni & aceto rumpunt. Sæpius vero, quoniam in cuniculis vapor & fumus strangulat, [d] cædunt, [18] fracturis CL. libras fere agentibus: egeruntque humeris noctibus ac diebus, per tenebras proximis tradentes: lucem novissimi cernunt. Si longior videtur silex, [e] [19] latus sequitur fossa, ambitque. Tamen in silice facilior existimatur opera. Est namque terra ex quodam argillæ genere, glareæ mixta (candidam vocant) prope inexpugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur, [20] & iisdem malleis: nihilque durius putant, nisi quod inter omnia auri fames durissima est. Peracto opere, [21] cervices fornicum ab ultimo cædunt. Dat signum ruina, eamque solus intelligit in cacumine montis ejus pervigil. [22] Hic voce ictuve evocari jubet operas, pariterque ipse devolat. Mons fractus cadit ab sese longe, fragore qui concipi humana mente non possit, & flatu incredibili. Spectant victores ruinam Naturæ. Nec tamen adhuc aurum est: nec sciere esse, cum fodêre. Tantaque ad pericula [23] & impendia satis fuit causæ, sperare quod cuperent.

Alius par labor, ac vel majoris impendii, flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere obiter a centesimo plerumque lapide. Corrugos vocant, a corrivatione, credo: [24] nimirum & hic labor est. [25] Præcepisse libramentum oportet, [26] ut furat is

INTERPRETATIO.

a *Marmoris.*] Id aurum marmoris arenæ adhæret: non quemadmodum sapphiro atque Thebaico lapidi: sed arenas marmoris amplectitur, quibus sordescit.

b *Eadem.*] Quamdiu labor is durat, tamdiu nox est.

c *Arrugias.*] Id genus cuniculorum, *unde aurum effoditur*, arrugias vocant.

d *Cædunt.*] *Non igni rumpunt*, sed cædunt potius: fractæque silicis moles fere sunt librarum CL. pondo.

e *Latus sequitur.*] A latere deinde fossa fit, ambitque fossa silicem, *& vitat, quia longior est & cadi difficilis.*

NOTÆ.

7. *Alutatium.*] Subintellige, appellatum ita, si auro, quod tellus ea occultet, idem telluris genus gummiosum subest. Vide Notas & Emend. num. XIX.

8. *Non illo modo.*] Nam sapphirus, ut dicetur lib. 37. sect. 39. aureis punctis collucet: Thebaicus lapis, lib. 36. sect. 13. aureis guttis interstinctus. Hic arena marmoris auro inseritur. Vide Notas & Emend. num. XX.

9. *Inde nomine invento.*] Auri canalicii.

10. *Suspenditur.*] Ne fossores casu obruat.

11. *Ac pilis cudunt.*] Pilum hoc loco instrumentum est, quo quid in pila seu mortario tunditur, pinsiturve. His aurum in farinam subigunt. Ut primum pistillis molatur, deinde lavetur, ac postremum uratur, disce ex Agatharchide, apud Photium, in Bibl. cod. CCL. pag. 1341. Vide Notas & Emend. num. XXI.

12. *Vocant argentum.*] Aurum fuit argento mixtum: nam, ut mox subjicitur, iterum tundebatur, coquebaturque, ut aurum inde scilicet purum elicerent. Sed nimirum, ut dicitur sect. 23. *Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte.*

13. *Hac in auro.*] Strabo videtur lib. 3. id ἄλευτρον vocare.

14. *Catini.*] Catinus vas est in quo materia coquitur. Nunc fossam & concham vocant.

15. *Arrugias.*] Et vox ea Plauto nota, Aululariæ scena postrema:

> *Numquam dabo* aurum, *nisi fodiam*
> *Noctu et arrugiam.*

16. *Operatos.*] Hoc est, operantes. Sic Reg. 2. aliique, non *operarios*, ut editi. Usus ea voce Plinius iterum lib. 26. sect. 6.

17. *Hos igni & aceto.*] Vide quæ in eam rem diximus, lib. 23. sect. 27.

18. *Fracturis.*] Vide Notas & Emend. num. XXII.

19. *Latus sequitur*, &c.] Vide Notas & Emend. loc. cit.

20. *Et iisdem malleis.*] Quibus cædunt silices, ut ante dictum est.

21. *Cervices fornicum.*] Terrena fornicum fulcra, seu fulcimenta, summa ipsorum parte, qua fornices proxime attingunt, ac sustinent, ibi cædunt: ut fulcris deficientibus mons subsidat.

22. *Hic voce ictuve.*] In Reg. 2. *hic voce neve evocari jubet operas*: corrupte. Forte, *hic voce mutve*. In editis, *operarios*, minus probe.

23. *Et impendia.*] Ita nos ex conjectura: In Reg. 2. & Colb. 3. *& incendia*: in editis, *evincenda*.

24. *Nimirum & hic labor est.*] Ita Colb. 3. At Reg. 2. *si mille & hic labores.* Conjiciebat Pintianus, *in mille & hic labores.* An potius, *ne mille & hic labores.*

25. *Præcepisse.*] Ante cepisse libramentum aquæ par est, ut rapido cursu feratur, quacumque fluat: eamque ob causam ex altissimis locis ducitur. De hoc libramento diximus, lib. 31. sect. 31. Præcipere eo sensu accipi, tralatitium est. Lucretius, lib. 6.

> *Carbonumque gravis vis, atque odor insinuatur*
> *Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante.*

Hoc est, nisi ante aquam hausimus. Sic & *præsumere*. Plinius, lib. 30. sect. 51. *Ebrietatem arcet pecudum assus pulmo præsumptus.*

26. *Ut furat is qua influat.*] In libris editis, *ut fruaris quando influat*. In Reg. 2. *ut fruaris qua influat*. Forte, *& fieri rivos qua influat*. Sed magis arrisit, *ut furat is*, nempe corrugus, de quo supra: quod & similior veri sit ea lectio, & vestigiis MSS. codicum propior. Deinde, *qua influat*, ut libri

qua influat: itaque altissimis partibus ducitur. Convallis & intervalla [27] substructis canalibus junguntur. Alibi rupes inviæ cæduntur, sedemque [a] trabibus cavatæ præbere coguntur. [b] Is qui cædit, funibus pendet, ut procul intuentibus [28] species ne ferarum quidem, sed alitum fiat. Pendentes majore ex parte librant, [c] & lineas itineri præducunt.
5 Itaque insistentis [29] vestigiis hominis locus non est. [30] Manus trahunt omne vitium in sportis. Id genus terræ [31] urium vocant. Ergo per silices calculosve ducuntur, & urium evitant. [d] Ad capita dejectûs in superciliis montium piscinæ cavantur: ducentos pedes in quasque partes, & in altitudinem denos. [32] Emissaria in his quina pedum quadratorum ternûm fere linquuntur, & repleto stagno [33] excussis obturamentis erumpit torrens tanta
10 vi, ut saxa provolvat.

Alius etiamnum in plano labor. Fossæ per quas profluat, cavantur: [34] agogas vocant: eæ sternuntur gradatim ulice. Frutex est roris marini similis, asper, aurumque retinens. Latera cluduntur tabulis, ac per prærupta [36] suspenduntur, canali ita profluente de terra in mare. His de causis jam [e] promovit Hispania. [37] In priore genere, quæ ex-
15 hauriuntur immenso labore, ne occupent puteos, in hoc rigantur. [38] Aurum arrugia quæsitum non coquitur, sed statim [39] suum est. [40]. Inveniuntur ita massæ. Necnon in puteis etiam denas excedentes libras. [41] Palacras Hispani, alii palacranas: iidem quod minutum est, balucem vocant. Ulex siccatus uritur, & cinis ejus lavatur substrato cespite herboso, ut sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam
20 atque Gallæciam & Lusitaniam præstare quidam prodiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot sæculis hæc fertilitas. [42] Italiæ parci vetere interdicto patrum diximus: alioqui nulla fecundior metallorum quoque erat tellus. Exstat lex Censoria [43] Ictimulorum aurifodinæ, Vercellensi agro, qua cavebatur, [44] ne plus quinque millibus hominum in opere publicani haberent.
25 XXII. Aurum faciendi est etiamnum una ratio [1] ex auripigmento, quod in Syria foditur pictoribus, in summa tellure, auri colore, sed fragili, lapidum specularium modo.

Interpretatio.

a *Trabibus.*] Canalibus alveisque, qui fiunt e trabibus ligneis

b. *Is qui.*] Is qui rupem sublimem cædit.

c *Et lineas.*] Et ductis lineis præsignant iter, *qua cædenda rupes est, qua corrivandus amnis.*

d *Ad capita.*] Ad locum unde aqua primum dejici incipit in convallem.

e *Promovit.*] Propius mari admovit *puteos sive fossas, &c canales.*

Notæ.

omnes conditivi habent: quemadmodum libro 31. sect. 20. *Qua cadit rivus.*

27. *Substructis canalibus.*] Per canales structiles, ut diximus lib. 31 sect. 31.

28. *Species ne ferarum.*] Procul intuens, non feras, sed alites ibi pendere putes. In Reg. 2. *nefarium.* Sed vidit Pintianus in suo, uti edidimus, *ne ferarum quidem, sed alitum fiat*, quod & Plinii orationem sapit, & hic necesse est legi. In libris hactenus editis, *species nefaria quidem.*

29. *Vestigiis hominis locus non est.*] Quia pendent funibus in aëre, corbibus suspensi.

30. *Manus trahunt.*] Non funguntur, inquit, pedes officio suo: manus funguntur: trahunt enim vitiosam terram omnem in sportis, quam urion vocant. Vide Notas & Emend. num. XXIII.

31. *Urium vocant.*] Sic MSS. omnes: non *ἀραιὸν* ut volunt: quanquam illud fortassis Hispani, quorum fodinæ metallicæ nunc explicantur, eodem significatu acceperint, quo Græci *ἀραιὸν*, at ea voce terram laxam, bibulamque signarent.

32. *Emissaria.*] Aditus per quos aqua e stagno piscinave emittitur: nos vernacule dicimus, *l'ouverture d'une écluse par où se decharge un estang.* Sueton. in Claudio, cap. 20 *Emissarium Fucini lacus.*

33. *Excussis obturamentis.*] Sublatis molibus quæ aquam cohibebant. Nos pro obturamentis cataracta utimur, qua adducta, omnis aqua effluit: *lever la bonde d'un estang.*

34. *Agogas.*] MSS *agangas.* Neque vero hic Græca quæruntur vocabula, ut Salmasius putat, in Solin. pag 1076. sed barbara & Hispana.

35. *Frutex est*] Ceteris auctoribus ignotus.

36. *Suspenduntur.*] Canterius, aliisque ligneis machinis canales per loca prærupta suspenduntur in aere.

37. *In priore genere.*] Hoc est, quod puteis foditur: id enim primum auri inveniendi genus, superius est ab auctore explanatum.

38. *Aurum arrugia quæsitum.*] Hoc est, cuniculis per magna spatia actis, quibus montes cavantur: hos enim cuniculos arrugias vocant, ut dictum est antea.

39. *Suum est.*] Sui quasi juris, jam purum, integrum: quod ignem non desiderat.

40. *Inveniuntur ita massæ.*] Etiam centum marcarum, ut ex Alberto M. supra diximus.

41. *Palacras.*] Reg. 2. *Palacas, alii palacurnas.* Has voces, palacras, ballucem, ceterasque, ortas e Græcis fontibus credi Salmasius jubet, in Solin. pag. 1076. Credant, quibus ille jusserit. Nos interim Hispanicas fuisse asseveramus, & peregrini oris. Ballucæ mentio in Cod. Theod. lib. 10. tit. 19. *de metallis*, lib. 3. *de auri eruendi ex metallis potestate.* Est autem balluca, sive balluce, ut Plinius sonuit, arena aurosa, seu minuta ramenta nondum excocta, quæ πολὺν μείωσιν ἔχει, ut Græci notarunt. Philoxenus in Glossis: *Balluca*, ἀκάθαρτος γῆ ἡ χρυσώδης. Alibi: Χρυσοψάμμος, *Balluca.* Justinus, lib. 44. cap 1. ubi de amnibus Hispaniæ: *Plerique etiam divites auro, quod in balucibus vehunt.* Hesychio Βώλαξ, ψῆφος est, minutus calculus: quoniam ballica aurum est in ramentis, minutisque ψήγμασιν. Alteram autem vocem *palacras*, vel *palacas*, pariter esse vernaculam, Hispanique oris ac soni, Strabo ipse haud obscure significat, apud quem hæc vox diminuta occurrit, lib. 3 pag. 146. Ἐν δὲ τοῖς ψήγμασι τὸ χρυσίον φασὶν εὑρίσκεσθαι ποτὲ καὶ ἡμιλιτριαίας βώλους, ἃς καλοῦσι πάλας, μικρᾶς καθάρσεως δεομένας. Φασὶ δὲ καὶ λίθων σχιζομένων εὑρίσκειν βωλάρια θηλαῖς ὅμοια. *Ceterum inter auri ramenta aiunt inventas aliquando selibres glebas, quas ipsi palas nominant, exigua purgatione indigentes. Ferunt etiam lapidibus fissis inveniri glebulas uberibus similes.*

42. *Italiæ .... diximus.*] Libro 3 sub finem sectionis 24. De Salassorum forte metallis id Senatusconsultum latum est, quæ capta sunt ab Appio Claudio Pulcro Cos anno Urbis DCXI. teste Strabone, lib. 4. pag. 205. & Epitome Livii, lib. 35.

43. *Ictimulorum.*] Strabo, lib. 5. pag. 218. Καὶ ἐν Οὐερκέλλαις χρυσωρυχεῖον ἦν· κώμη δ' ἐστὶ πλησίον Ἰκτουμούλων, καὶ αὕτη κώμη. *Erat & Vercellis auri fodina: est autem ea vicus prope Ictimulos, qui & ipse vicus est.* Videtur a mulis Icti cujuspiam, ibi stabulatis, loco nomen hæsisse, quasi *Ad Icti mulos.*

44. *Ne plus quinque.*] Ne forte publicani una conditione totum aurum provinciæ vel fodinæ exhaurirent. Atque idcirco fortassis in Sardiniam, quæ metallariis præsertim argenteis abundavit, metallis transfretare vetiti, leg. 6 tit. 19 lib. 10. Cod. Theod. *Si qua metal.*

Sect. XXII. 1. *Ex auripigmento.*] Sive arsenico, de quo

Invitaveratque spes [2] Caium Principem avidissimum auri: quamobrem jussit excoqui magnum pondus: & plane fecit aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret, illud propter avaritiam expertus: quanquam [3] auripigmenti libræ X. IV. permutarentur: nec postea tentatum ab ullo est.

XXIII. Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte. In uno tantum [1] Galliæ metallo, quod vocant Albicratense, tricesima sexta portio invenitur: ideo ceteris præest. [2] Ubicumque quinta argenti portio est, [3] electrum vocatur. [4] Scrobes eæ reperiuntur in canaliensi. [5] Fit & cura electrum argento addito. Quod si quintam portionem excessit, incudibus non resistit. Et electro auctoritas, [6] Homero teste, qui Menelaï regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit. Minervæ templum habet Lindos, insulæ Rhodiorum, in quo Helena sacravit calicem ex electro. Adjicit historia, mammæ suæ mensura. [7] Electri natura est, ad lucernarum lumina clarius argento splendere. [8] Quod est nativum, & venena deprehendit. [9] Namque discurrunt in calicibus arcus, cælestibus similes, cum igneo stridore: & gemina ratione prædicant.

XXIV. Aurea statua prima omnium nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant [1] holosphyraton, in templo Anaïtidis posita dicitur, (quo sit situ terrarum nomen hoc [2] significavimus,) numine gentibus illis sacratissimo. [3] Direpta est Antonii Parthicis rebus. Scitumque narratur dictum unius veteranorum Bononiæ, hospitali divi Augusti cœna, cum interrogaretur, essetne verum, eum qui primus violasset hoc numen, oculis membrisque captum exspirasse? Respondit enim, tum maxime Augustum [4], de crure ejus cœnare, seque illum esse, totumque sibi censum ex ea rapina. Hominum primus & auream statuam & solidam [5] Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit, [6] LXX. circiter Olympiade. Tantus erat docendæ oratoriæ artis quæstus.

XXV. Aurum plurimis modis pollet in remediis. Vulneratisque, & infantibus applicatur, ut minus noceant, quæ inferantur, veneficia. [1] Est & ipsi superlato vis malefica, gallinarum quoque & pecorum feturis. Remedium est abluere illatum, & spargere eos, quibus mederi velis. [2] Torretur & cum salis gemino pondere, triplici misyos, & rursum cum duabus salis portionibus, & una lapidis, quem schiston vocant: ita virus tradit rebus una crematis in fictili vase, ipsum purum & incorruptum. Reliquus cinis servatus in fictili, & ex aqua illitus, lichenas in facie sanat. [a] Lomento eum convenit ablui. Fistu-

INTERPRETATIO.

a *Lomento.*] Farina fabacea.

NOTÆ.

libro seq. sect. 56. In Ponto quoque effodi scribit Vitruvius, lib. 7. cap. 7. pag. 139. Diosc. lib. 5. cap. 121. & in Mysia Hellesponti.

2. *Caium.*] Quem Caligulam vocant. De hujus aviditate pecuniæ, Sueton. cap. 42.

3. *Auripigmenti libræ X. IV. permutarentur.*] Hoc est, denariis quatuor. Prius *libra XIV.* legebatur, nullo sensu. Sunt autem quaterni denarii, sive, quod idem est, sestertii sedecim, Gallicæ monetæ asses ærei triginta duo.

Sect. XXIII. 1. *Galliæ metallo.*] Auro. Albicratense vero appellari suspicamur ab Albiœcis, sive Alebece Reiorum Apollinarium, de qua diximus in Notis & Emend. ad lib. 5. num. XXVIII. Fuisse & in Cemeno Galliæ monte auri fodinas, auctor est Strabo, lib. 3. pag. 146. Et in Tarbellis quidem eximias, lib. 4. pag. 190.

2. *Ubicumque quinta.*] Fuisse hujusmodi aurum, quod edicto Ludovici XII. Galliarum Regis, ab aurificibus in signa, vasa, ceteraque opera adhiberi posset impune, ac sine fraude, scribit Savotus, lib. de nummis, parte 1. cap. 9. pag. 84.

3. *Electrum vocatur.*] Gallis, *de l'or bas*, quasi aurum deterioris notæ, propter admixtam argenti quintam portionem. Isidorus, lib. 16. cap. 23. *Electri tria sunt genera: Unum .... quod succinum dicitur. Alterum metallum, quod naturaliter invenitur, & in pretio habetur. Tertium, quod fit de tribus partibus auri, & argenti una: quas partes, etiam si naturam resolvas, invenies. Unde & nihil interest, natum sit an factum: utrumque enim ejusdem naturæ est.* Servius quarta modo argenti portione admixta electrum fieri ait. Vide & Strabonem, loc. cit. Hinc nummi electrei apud Lampridium, in Alexandro Severo, pag. 122. *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit: & quidem electreos aliquantos: sed plurimos tamen aureos.* Et electrina patera, apud Pollionem Trebellium, in Quieto, pag. 192. *Pateram electrinam, quæ in medio Alexandri vultum haberet.*

4. *Scrobes eæ.*] Scrobes, quæ id electri, seu auri genus, contineant, in canaliensi auro inveniuntur. De canaliensi auro dictum est, sect. 21.

5. *Fit & cura.*] Ex arte & industria. Plinius lib. 9. sect. 65. *Juvat argentum auro confundere, ut electra fiant.*

6. *Homero teste.*] Odyss. δ'. vers. 71.

Φράζεο Νεστορίδη τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ,
Χαλκοῦ τε στεροπὴν κὰδ δώματα ἠχήεντα,
Χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος.

7. *Electri natura.*] Isidorus hunc locum transscripsit, lib. 16 Orig. cap 3.

8. *Quod est nativum.*] Isidorus, loc. cit. Plinius Valer. lib. 3. cap. 53. ad verbum. Q. Serenus, cap. 62. de venenis prohibendis, pag. 161.

Produnt electri variantia pocula virus.

9. *Namque, &c.*] Totidem verbis Isidorus & Plinius Valer. locis cit.

Sect. XXIV. 1. *Holosphyraton.*] Ὁλόσφυρος & ὁλοσφύρητος apud Hesych. concretus, plenus, solidus, non conflatus, sed ductus malleo, στερεὸς, ναστὸς, καὶ ἐνδομεῖ ἀδιάκενος.

2. *Significavimus.*] Libro 5. sect. 10.

3. *Direpta est.*] Nempe ea statua Deæ Anaitidis. Sic etiam MSS. De expeditione infelici Antonii contra Parthos, vide Dionem & Plutarchum.

4. *De crure ejus.*] Ut intelligamus in direptione fractæ statuæ, crura huic veterano militi, qui Augustum excipiebat hospitio, obtigisse, cujus partem in hospitalem cœnam insumeret. Ita Gelenius: recte.

5. *Gorgias.*] Non sibi ipsum, sed totam ipsi Græciam posuisse id aureæ statuæ decus, ceteri scribunt. Forte geminæ fuit Valerius Max. lib. 8. cap. ult. *Gorgia vero Leontino studiis litterarum ætatis suæ cunctos præstantis, adeo ut primus in conventu poscere, qua de re quisque audire vellet, ausus sit, universa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit: cum ceterorum ad id tempus auratas collocasset.* Sic & Plato in Gorgia, & Cicero lib. 3. de Orat. Cognomen habet a natali solo, Leontinis, Siciliæ oppido.

6. *LXX. circiter.*] Circiter annum Urbis CCXLII.

Sect. XXV. 1. *Est & ipsi superlato.*] Si superferatur, si supra caput tollatur. Vide Notas & Emend. num. XXIV.

2. *Torretur.*] Vide Notas & Emend. num. XXV.

las etiam sanat, & quæ vocantur hæmorrhoïdes. [3] Quod si tritus pumex adjicitur, putria hulcera & tetri odoris emendat. Ex melle vero decoctum cum melanthio, & illitum umbilico, leniter solvit alvum. Auro verrucas curari M. Varro auctor est.

CAP. V. XXVI. Chrysocolla humor est in puteis, [1] quos diximus, per venam auri defluens, [a] crassescente limo rigoribus hibernis usque in duritiam pumicis. [2] Laudatiorem eamdem in ærariis metallis, & proximam in argentariis fieri compertum est. Invenitur & in plumbariis, vilior etiam auraria. In omnibus autem iis metallis fit & cura, multum infra naturalem illam: immissis in venam aquis leviter hieme tota, usque in Junium mensem: dein siccatis in Junio & Julio: ut plane intelligatur nihil aliud chrysocolla, quam vena putris. [b] Nativa duritia maxime distat: luteam vocant. [3] Et tamen illa quoque herba, quam lutum appellant, tingitur. [4] Natura est, quæ lino lanæve, ad succum bibendum. [5] Tunditur in pila, deinde tenui cribro cernitur: postea molitur, ac deinde tenuius cribratur. Quidquid non transmeat, [c] repetitur in pila, dein molitur. Pulvis semper in catinos digeritur, & ex aceto maceratur, ut omnis duritia solvatur: ac rursus tunditur, dein lavatur [6] in conchis, siccaturque. Tunc tingitur alumine schisto, & herba supra dicta: pingiturque, antequam pingat. Refert quam bibula docilisque sit. Nam nisi rapuit colorem, adduntur scytatum atque turbystum: ita vocant medicamenta [d] sorbere cogentia.

XXVII. Cum tinxere pictores, [1] orobitin vocant, ejusque duo genera faciunt: luteam, quæ servatur [e] in lomentum: & liquidam, globulis sudore resolutis. Hæc utraque genera in Cypro fiunt. [2] Laudatissima in Armenia, secunda in Macedonia, largissima in Hispania. [3] [f] Summa commendationis, colorem in herba segetis læte virentis quam simillime reddat. Visumque jam est [4] Neronis Principis spectaculis arenam Circi chrysocolla sterni, cum ipse concolori panno aurigaturus esset. [5] Indocta opificum turba tribus eam generibus distinguit: asperam, quæ taxatur in libras [6] denariis VII. mediam, quæ denariis quinis: attritam, quam & herbaceam vocant, [7] quæ X. III. Sublinunt autem arenosam, priusquam inducant, atramento, & Parætonio. [g] Hæc sunt tenacia ejus & colori blanda. Parætonium, quoniam est natura pinguissimum, & propter lævorem tenacissimum, atramento aspergitur, ne Parætonii candor pallorem chrysocollæ afferat. [8] Luteam putant a luto herba dictam, [9] quam ipsam cæruleo subtritam, pro chrysocolla inducunt, vilissimo genere atque fallacissimo.

XXVIII. [1] Usus chrysocollæ & in medicina est ad purganda vulnera cum cera & oleo. Eadem per se arida siccat & contrahit. Datur & in angina, orthopnœave, lingen-

INTERPRETATIO.

a *Crassescente.*] Coactu humore eo vi frigoris, & in pumicis duritiam rigescente.

b *Nativa.*] Nativa factitiam istam chrysocollam duritia superat.

c *Repetitur.*] Iterum tunditur.

d *Sorbere.*] Colorem bibere.

e *In lomentum.*] In pulverem, seu farinam.

f *Summa.*] Maxime commendatur ea, quæ &c.

g *Hæc.*] Hæc facillime chrysocollæ arenosæ illigantur.

NOTÆ.

3. *Quod si tritus.*] Vide Notas & Emend. num. proxime citato

Sect. XXVI. 1. *Quos diximus.*] sect. 21.

2. *Laudatiorem.*] Habet hæc pariter Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 17. Quid quod chrysocolla fit & ex ære tantum? Quare si in metallis aurariis argentariisve oritur, venas eas cum latente ære permixtas esse necesse est. Auraria porro metalla, & *aurariæ* appellantur: unde vetus Inscriptio apud Gruter. pag. 4. SVBPROC. AVRARIAR. *Subprocurator aurariarum.* Et pag. 594. PROC. AVRARIARVM.

3. *Et tamen*] Et nihilominus, cum lutea appelletur, herba tamen quæ lutum nuncupatur, ipsa tingitur. Ut lutum (sic enim MSS. omnes habent) seu herbam luteam eamdem esse oegem, atque isatin sive vitrum, de quo lib. 22. sect. 2. illud in primis in causa est, quod luteo colore illa inficit, isatis cæruleo. Quare cærulo mixta herba lutum, viridem maxime colorem efficit. Testis Vitruvius: *Qui non possunt chrysocolla propter caritatem uti, herba qua lutum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur viridissimo colore.* Vide egregiam super eo argumento Ruellii concertationem, lib. 2. de nat. stirp. pag 434.

4. *Natura est.*] Chrysocollæ.

5. *Tunditur in pila*] Pilam alibi monuimus esse vas concavum in quo quid pinsitur, tunditurque. Nunc *Mortarium* vocant. Similem fere parandæ probandæque chrysocollæ modum affert Diosc. lib. 5. cap 104.

6 *In conchis.*] Concha vasis genus est concavum, ac superius patulum, a concharum similitudine nominatum. Cato, de re rust. cap. 13. *In cellam oleariam hæc opus sunt: Dolia olearia ... conchas majores duas, & minores duas.* Infra Plinius, sect. 41. *ferream concham* vocat.

Sect. XXVII. 1. *Orobitin vocant.*] Quod in grana formarent ὀρόβων, hoc est, ervi similitudine. Hæc grana Plinius globulos statim vocat.

2. *Laudatissima, &c.*] Sic Diosc. lib. 5. cap. 104. & Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 17. Nunc in Hungaria, Bohemia, Silesia, Misnia, alibique effoditur. Vide Museum Vvormianum, lib 1. sect. 3. cap. 10.

3. *Summa, &c.*] Diosc. loc. cit. τῷ χρώματι [illegible] *πρασίζουσαι, quæ porri læte virentis colorem quam simillime reddat,* probat in primis. Sic etiam Isidorus, loc. cit. Fuit olim in pretio apud pictores hæc chrysocolla porracea: nunc obsolevit: & in locum ejus irrepsit Azurium ultramarinum, *l'Outremer*, quod e transmarinis locis affertur, plerumque e Cypro.

4. *Neronis Principis*] Etiam & Caligulæ principatu, minio & chrysocolla Circum constratum fuisse. Tranquillus est auctor, in ejus vita, cap 18.

5. *Indocta.*] Vide Notas & Emend. num. XXVI.

6. *Denariis VII.*] Sic Reg. 2. sine ullo notarum compendio. In libris hactenus editis prætermissa vox ea *denariis* est. Sunt porro denarii septem monetæ Gallicæ, asses ærei sex & quinquageni. Denarii quinque, asses quadraginta.

7. *Quæ X. III.*] Hoc est, denariis tribus: Gallicæ monetæ, assibus quatuor & vicenis.

8. *Luteam putant a luto.*] Sic Reg. 2. non *lutea*. De ea paulo ante egimus.

9. *Quam ipsam.*] Sic Vitruvius quoque proxime antea laudatus a nobis.

Sect. XXVIII. 1. *Usus chrysocollæ.*] Sic Dioscor. lib. 5. cap. 104.

da cum melle. [2] Concitat vomitiones: miscetur & collyriis ad cicatrices oculorum: ac viridibus emplastris, ad dolores mitigandos, & [3] cicatrices trahendas. Hanc chrysocollam medici acesin appellant, [4] quæ non est orobitis.

XXIX. 1 Chrysocollam & aurifices sibi vindicant agglutinando auro: [a] & inde omnes appellatam similiter utentes dicunt. Temperatur autem ea Cypria ærugine, & pueri impubis urina, addito nitro. [3] Teritur Cyprio ære in Cypriis mortariis: santernam vocant. Signumque est, si addita santerna nitescit. [5] E diverso ærosum contrahit se, hebetaturque, & difficulter ferruminatur. Ad id glutinum fit, auro, & septima parte argenti [6] ad supradicta additis, unaque contritis. 5

XXX. Contexi par est reliqua circa hoc, ut universa Naturæ contingat admiratio. [1] Auri glutinum est tale. Argilla ferro, cadmia æris massis, alumen laminis, resina plumbo & marmori: [2] sed plumbum nigrum albo jungitur, ipsumque album sibi oleo. Item stannum æramentis, stanno argentum. Pineis optime lignis æs ferrumque funditur: sed & Ægyptia papyro: paleis aurum. Calx aqua accenditur, [3] & Thracius lapis: idemque oleo restinguitur. Ignis autem aceto maxime, & visco, & ovo. Terra minime flagrat. Carboni major vis exusto, iterumque flagranti. 10 15

XXXI. Ab his argenti metalla dicantur, quæ [a] sequens insania est. Nonnisi in puteis reperitur, nullaque sui spe nascitur: nullis, ut in auro lucentibus scintillis. Terra est alia rufa, alia cineracea. [1] Excoqui non potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi. [2] Galenam vocant, quæ juxta argenti venas plerumque reperitur. Et eodem opere ignium descendit pars in plumbum, argentum autem superne innatat, ut oleum aquis. Reperitur in omnibus pæne provinciis, sed in Hispania pulcherrimum: id quoque in sterili solo, atque etiam montibus: & ubicumque una inventa vena est, non procul invenitur alia. Hoc quidem & [3] in omni fere materia: [4] unde metalla Græci videntur dixisse. Mirum, adhuc per Hispanias ab Hannibale inchoatos puteos durare, sua ab inventoribus nomina habentes. Ex queis Bebulo appellatur hodieque, qui CCC. pondo Hannibali subministravit in dies, ad mille quingentos jam passus cavato monte, per quod spatium [5] Aquitani stantes diebus noctibusque egerunt aquas [6] lucernarum mensura, amnemque faciunt. Argenti vena, quæ in summo reperta est, crudaria appellatur. [7] Finis antiquis fodiendi solebat esse alumen inventum: ultra nihil quærebatur. Nuper inventa æris vena infra alumen alba, finem spei fecit. [8] Odor ex argenti fodinis inimicus omnibus animalibus, sed CAP. VI. 20 25 30

INTERPRETATIO.

a *Sequens.*] Altera, *post auri insaniam.*

NOTÆ.

2. *Concitat.*] Diosc. loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ τῶν ἐμετικῶν καὶ ἀναιρεῖν δυναμένων. *Est vero ex eorum genere quæ vomitiones concitant, & necem inferre possunt.*

3. *Cicatrices trahendas.*] Extergendas. Diosc. loc. cit. Δύναμιν δ' ἔχει ἡ χρυσοκόλλα σμηκτικὴν οὐλῶν, &c.

4. *Quæ non est orobitis.*] Orobitis diluta est & liquida: hæc arida. Ἄκεσις curatio est, ab ἀκέομαι *curo.*

Sect. XXIX. 1. *Chrysocollam.*] Alterum hoc est chrysocollæ genus, nempe fictitium. Creditur hæc vulgo *Borax* officinarum: falso. Caret enim istud ærugine, quam chrysocolla veterum requirit. Dioscor. lib. 5. cap 92. Ἐν δέ τι καὶ χρυσοχόων χρυσόκολλα ἰὸς ... καὶ ... οὖρον παιδίου, ... τὸ χρυσίον κολλῶσι. *Fit & ab aurificibus ærugo quædam qua aurum ferruminant, ducta scilicet urina pueri impuberis in mortario cupreo pistillo æque ex eadem materia confecto.* Hæc Plinii chrysocolla est Nitrum nec Dioscorides addit, nec Galenus: sed Plinianam santernam nitro addito potiorem esse vel eo nomine, Fallopius animadvertit, lib. 5. cap. 31.

2. *Et inde omnes appellatam.*] Malim *omnem* legi. Ut sit sententia, ab eo effectu chrysocollam omnem traxisse nomen videri iis, qui similem in usum omni chrysocolla utuntur.

3. *Teritur Cyprio ære.*] Sic Reg. 2. & alii: non, *Cyprio in ære.* Pistillum ex Cyprio ære intelligit.

4. *Quod argentosum.*] Argento mixtum. Sic marmorosum infra, sect. 56. Ærosum, lib. 34. sect. 2. & mox hoc ipso loco

5. *E diverso ærosum.*] Admixtum æri.

6. *Ad supradicta.*] Ad æruginem Cypriam, urinamque pueri impubis, adjecto nitro, ut dictum est initio sect.

Sect. XXX. 1. *Auri glutinum est tale.*] Quale nimirum dictum est sup. 7. At ferrum argilla glutinatur, æris massæ cadmia, laminæ alumine, &c *Sed & alios plures modos*, inquit Brassavolus in examine terrarum, pag 482. *ferruminandi metalla scimus, ab his quos Plinius commemorat, arte inventis semper addente.* Locum consule.

2. *Sed plumbum nigrum*, &c.] Vide librum 34. sect. 47.

3. *Et Thracius lapis.*] Nicander in Theriac. pag. 3. inter ea quæ suffitu abigunt serpentes:

Ἠὲ σὺ γε Θρήϊσσαν ἐνὶ φλογμοῖσι βαλὼν λᾶαν,
Ἥ θ' ὕδατι βρεχθεῖσα σελαγίζεται, ἔσβεσε δ' αὐτὴν
Τυτθὸν ὅτ' ὀδμήσηται ἐπιρραθέντος ἐλαίου.

Quæ Gorræus sic reddidit:

Threicium pariter Vulcano trade lapillum,
Qui lymphis madidus flamma collucet: at idem
Protinus affuso flammam restinguit olivo.

De Thracio lapide refert eadem auctor libri de simp. medic. ad Patern tom. 13. operum Galeni, pag 994. Diosc. item, lib. 5. cap. 147. Galenus ipse, lib. 9. de fac. simpl. med. cap. 2 pag 257. ex Nicandro.

Sect. XXXI. 1. *Excoqui.*] Vide lib. 34 sect. 47. sub finem.

2. *Galenam vocant.*] Plinius, lib. 34. sect. 53. *Est & molybdæna, quam alibi galenam vocavimus, plumbi & argenti venæ communis*, &c.

3 *In omni fere materia.*] In omni fere metalli vena, plumbi simul vena reperitur.

4. *Unde metalla.*] Quod μετ' ἄλλων, alia simul cum aliis, vel μετ' ἄλλα, post alia inveniantur.

5. *Aquitani.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Verum cum de Hispaniæ, non de Galliæ argenti fodinis sermo sit, haud dubie *Accitani* legi satius fuerit, quæ colonia conventus Carthaginiensis memorata superius, lib. 3. sect.5. num. 3.

6. *Lucernarum mensura.*] Ut quamdiu accensæ certo olei modo lucernæ arderent, in eo labore essent: cum lucernæ deficerent, recentes integrique succederent. qui eumdem laborem obirent.

7. *Finis antiquis.*] Etiam hodieque fossores in eruendo argento provehunt operam, donec aluminis mineram inveniant: repertoque hoc succo concreto, venæ argenti finem ibi esse intelligunt. Kircherus, lib. 10. Mundi subt. sect. 4. pag 204.

8 *Odor ex argenti fodinis.*] Testis Lucretius apud Festum: *Scaptesula. locus ubi argentum effoditur in Macedonia, dictus a fodiendo: namque Græce σκάπτειν effodere dicunt. Lucretius:*

Quales exspiret Scaptesula subter odores.

A σκάπτειν & ὕλη, quæ voces in unam conflatæ, materiam fossilem sonant, fit Σκαπτησύλη, de qua Stephanus,

maxime canibus. Aurum argentumque quo mollius, eo pulcrius. ⁹ Lineas ex argento nigras produci plerique mirantur.

XXXII. Est & lapis in his venis, ᵃ cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur: ¹ venenum rerum omnium. ² Exest ac perrumpit vasa permanans tabe dira.
5 ³ Omnia ei innatant, præter aurum: id unum ad se trahit. Ideo & optime purgat, ceteras ejus sordes exspuens crebro jactatu fictilibus in vasis, ⁴ vestibus injectis. Sed ut ipsum ab auro discedat, in pelles subactas effunditur, per quas sudoris vice defluens, purum relinquit aurum. Ergo & cum æra inaurantur, sublitum bracteis pertinacissime ᵇ retinet. Verum pallore detegit simplices aut prætenues bracteas. ⁵ Quapropter id furtum quærentes, ovi liquore candido usum eum adulteravere: mox & hydrargyro, de quo ⁶ suo dicemus loco. Et alias argentum vivum non largum inventum est.

10

XXXIII. ¹ In iisdem argenti metallis invenitur, ut proprie dicamus, ᶜ spumæ lapis candidæ nitentisque, non tamen translucentis: ² stimmi appellant, alii stibium, alii alabastrum, alii larbason. ³ Duo ejus genera, mas & femina. Magis probant feminam:
15 horidior est mas, scabriorque, & minus ponderosus, minusque radians & arenosior: ⁴ femina contra nitet, friabilis, fissurisque, non globis, dehiscens.

XXXIV. ¹ Vis ejus adstringere, & refrigerare: principalis autem circa oculos: namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam ² in calliblepharis mulierum ³ dilatet oculos. Et fluxiones inhibet oculorum, exhulcerationesque, farina ejus ac
20 thuris, gummi admixto. ⁴ Sistit & sanguinem cerebro defluentem. Efficacior & contra recentia vulnera, & contra veteres canum morsus inspersus farina: ⁵ & contra ambusta igni, cum adipe, ac spuma argenti, cerussaque, & cera. ⁶ Uritur autem offis bubuli fimi circumlitum in clibanis: ⁷ dein restinguitur mulierum lacte, teriturque in mortariis, admixta pluvia. Ac subinde turbidum transfunditur in æreum vas, & mundatur nitro. Fæx ejus intelligitur plum-
25 bosissima, quæque subsedit in mortario, abjiciturque. Dein vas, in quo turbida transfusa sunt, opertum linteo per noctem relinquitur, & postero die quod innatat, effunditur, spongiaque tollitur. Quod ibi subsedit, flos intelligitur, ac linteolo interposito in Sole siccatur, non ut perarescat. Iterumque in mortario teritur, & in pastillos dividitur. ⁸ Ante omnia autem urendi modus necessarius est, ne plumbum fiat. Quidam non fimo utun-
30 tur coquentes, ⁹ sed adipe. Alii tritum in aqua triplici linteo saccant, fæcemque abjiciunt,

Interpretatio.

a *Cujus*] Qui fundit ac vomit ex se liquorem numquam concrescentem, sed perpetuo fluidum.

b *Retinet.*] Alligat æri bracteas aureas.

c *Spumæ lapis.*] Lapis spumæ concretæ similis.

Notæ.

9. *Lineas ex argento.*] Isidorus, lib 16. cap. 18. Plinius ipse supra, sect. 19. *Cum argento, ære, plumbo, lineæ producantur.*

Sect. XXXII. 1. *Venenum.*] Argentum vivum appellatur, cum sit venenum: nec vitam, sed necem afferat. Diosc. lib. 5. cap 110. *Sunt & qui argentum vivum, inquit, per sese in metallis inveniri affirment.*

2. *Exest*, &c.] Isidorus, lib 16. Orig. cap. 18. de argento vivo: *Servatur autem melius in vitreis vasis: nam ceteras materias perforat.* In argenteis quoque, ac plumbeis, stanneisque asservari tuto auctor est Diosc. loc. cit.

3. *Omnia ei*] Vitruvius, lib 7. cap. 8. pag. 141. de argento vivo: *Cum in aliquo vase est confusum, inquit, si supra id lapidis centenarii pondus imponatur, natat in summo: neque eum liquorem potest onere suo premere, neque elidere, nec dissipare. Centenario sublato, si ibi auri scrupulum imponatur, non natabit, sed ad imum per se deprimetur. Ita non amplitudine ponderis, sed genere singularum rerum gravitatem esse, non est negandum.* Vitruvium totidem verbis Isidorus expressit, lib. 16. Orig cap. 18.

4 *Vestibus injectis.*] A vestibus, inquit, injectis in vasa fictilia, & ibi crematis, auri sordes separat argentum vivum iis immixtum. Vide Notas & Emendationes, num. XXVII.

5. *Quapropter id furtum.*] Quærentes furtum tegere, ac simplices pro geminis, vel tenuiores pro crassioribus bracteis in ære inaurando adhibentes, pro argento vivo nativo ac fossili, hydrargyrum sublinunt, aut candidum ovi.

6. *Suo dicemus loco.*] Infra, sect. 41.

Sect. XXXIII. 1. *In iisdem.*] Stibii fodinas in Senensi agro, Comitatu S. Floræ, & ut Germania pluribus locis, etiamnum reperiri testantur Brasavolus, Matthiolus, Fallopius, aliique, quos laudat Cæsius, lib. 2. de mineral. cap. 4. sect. 10. pag. 215. Sed frequentius illud est, quod factitium: nunc *Antimonium* vocant: cujus usum veteribus incognitum medici peritiores aiunt.

2. *Stimmi.*] Diosc. lib. 5. pag. 99. Τοῦτο οἱ μὲν στίμμι, οἱ δὲ πλατυόφθαλμον, οἱ δὲ λάρβασον, οἱ δὲ γυναικεῖον καλοῦσι.

3. *Duo ejus genera.*] Sic auctores proxime appellati.

4. *Femina contra*, &c.] Et hoc genus in primis a Dioscoride commendatur, loc. cit.

Sect. XXXIV. 1. *Vis ejus*, &c.] Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit.

2. *In calliblepharis.*] Calliblephari nomine palpebrarum fucus intelligitur.

3. *Dilatet oculos.*] Stibium nigro tingit colore: idcirco id mulieres cilus illinunt: qua de causa & γυναικεῖον a Diosc. in Nothis vocatur: & quia artificiosa hæc tinctura dilatare oculos videtur, πλατυόφθαλμον.

4. *Sistit &c.*] Diosc. loc. cit.

5. *Et contra ambusta.*] Vide Notas & Emendat. num. XXVIII.

6. *Uritur autem.*] Hunc fere urendi modum docet Oribasius, lib. 13. pag. 531.

7. *Dein restinguitur.*] Dioscor. similiter, lib. 5. cap. 99. Ἐξαφθὲν δὲ σβέννυται γάλακτι ἀρρενοτόκου γυναικὸς, ἢ οἴνῳ παλαιῷ. *Exemptum restinguitur lacte mulieris quæ marem pepererit, aut vino vetere.*

8. *Ante omnia autem.*] Diosc. loc. cit. Καίεται δὲ ἐπ' ἀνθράκων ἐπιτεθὲν καὶ ἐμφυσώμενον ἄχρις πυρώσεως· ἐὰν γὰρ ἐπιπλεῖον καῇ, μολιβδοῦται. *Uritur vero prunis impositum, sufflatumque, quoad ignescat: si enim amplius uratur, plumbi instar eliquescit.* Parum feliciter vertisse Plinius videtur τὸ μολιβδοῦται, *ne plumbum fiat*. Quis enim non statim existimet, stibium diutius ustum in plumbum degenerare?

9. *Sed adipe.*] Hic vero Plinium, homonymia vocis delusum, στέαρ apud scriptorem Græcum, a quo hæc mutuatus est, pro adipe perperam accepisse, cum pro massa farinæ aqua subactæ accipi oportuerit, pæne persuasum habeo. Dioscorides enim, lib. 5. cap. 99. de stibio: Ὀπτᾶται δὲ στέατι περιπλασθὲν καὶ ἐμβληθὲν εἰς ἄνθρακας, ἄχρις ἂν ἀνθρακωθῇ τὸ στέαρ. *Torretur autem farina subacta circumlitum, & carbonibus obrutum, donec crusta carbunculetur.* Quibus postremis verbis apparet vocem στέαρ hoc loco non adipem, sed farinam subactam significare: nam crustam ea induit coquendo, quæ carbunculatur, cum torretur igni. Felicius certe interpres Oribasii, lib 13. pag. 231. *Crematur stibium crusta ex farina circumlitum, & carbonibus obrutum, donec cru-*

idque quod defluxit, transfundunt, quidquid ſubſidat colligentes: emplaſtris quoque & collyriis miſcent.

XXXV. [1] Scoriam in argento Græci vocant helcyſma. [2] Vis ejus adſtringere & refrigerare corpora. [3] Additur emplaſtris, ut molybdæna, [4] de qua dicemus in plumbo, cicatricibus maxime glutinandis, & contra teneſmos, dyſenteriaſque, infuſa clyſteribus cum myrteo oleo. Addunt & in medicamenta, [5] quæ vocant liparas, [a] ad excreſcentia hulcerum, aut ex attritu facta, aut in capite manantia.

Fit in iiſdem metallis & quæ vocatur [6] ſpuma argenti. Genera ejus tria: optima [7] quam chryſitin vocant; ſecunda, quam argyritin; tertia, quam molybditin. Et plerumque omnes hi colores [8] in iiſdem tubulis inveniuntur. [9] Probatiſſima eſt Attica, proxima Hiſpanienſis. [10] Chryſitis ex vena ipſa fit, argyritis ex argento, molybditis plumbi ipſius fuſura, quæ fit Puteolis, [11] & inde habet nomen. Omnis autem fit excocta ſua materia ex ſuperiori catino defluens in inferiorem, & ex eo ſublata [12] veruculis ferreis, atque in ipſa flamma convoluta, ut ſit modici ponderis. Eſt autem, [13] ut ex nomine ipſo intelligi poteſt, ferveſcentis materiæ ſpuma. Diſtat a ſcoria, quo poteſt ſpuma a fæce diſtare. [14] Alterum purgantis ſe materiæ, alterum purgatæ vitium eſt. Quidam duo genera faciunt ſpumæ, quæ vocant [15] ſterelytida & peumenen: tertium molybdænam, [16] in plumbo dicendam. Spuma ut ſit utilis, iterum coquitur, confractis tubulis ad magnitudinem [17] anulorum: ita accenſa follibus, ad ſeparandos carbones cineremque, abluitur aceto aut vino, ſimulque reſtinguitur. [18] Quod ſi ſit argyritis, ut candor ei detur, magnitudine fabæ confracta, in fictili coqui jubetur ex aqua, addito in linteolis tritico & hordeo novis, [19] donec ea purgentur. [20] Poſtea ſex diebus terunt in mortariis, ter die abluentes aqua frigida: & cum deſinant, calida, addito ſale foſſili, in libram ſpumæ [21] obolo. Noviſſimo die condunt in plumbeo vaſe. Alii cum faba candida ac ptiſana coquunt, & in Sole ſiccant. Alii in lana candida cum faba, donec lanam [22] non denigrent. Tunc ſalem foſſilem adjiciunt, ſubinde aqua mutata, ſiccantque diebus XL. calidiſſimis æſtatis. Nec non in ventre ſuillo in aqua coquunt, exemptamque nitro fricant, & ut ſupra, terunt in mortariis cum ſale. Sunt qui non coquant, ſed cum ſale terant, & adjecta aqua abluant. [23] Uſus ejus ad collyria, & litu ad muliebrium cicatricum fœditates tollendas, maculaſque, & abluendum

INTERPRETATIO.

a *Ad.*] Ad carnes in hulceribus excreſcentes, ad hulcera ex attritu facta, &c.

NOTÆ.

ſta in carbones abeat: ab igni emotum lacte mulieris quæ marem pepererit, aut vetere vino reſtinguitur.

Sect. XXXV. 1. *Scoriam.*] Dioſc. lib. 5. cap. 101. Ἡ δὲ σκωρία ... καλεῖται ἕλκυσμα, nempe quoniam id recrementum adeo lentum eſt, ut inſtar viſci trahatur, cum eximitur a catinis, ab ἕλκω *traho*.

2. *Vis ejus.*] Dioſc. loc. cit.

3. *Additur*, &c.] Totidem verbis Dioſc. loc. cit.

4. *De qua dicemus.*] Libro 34. ſect. 53.

5. *Quæ vocant liparas.*] De his egimus lib. 23. ſect. 81.

6. *Spuma argenti.*] Λιθάργυρος Dioſcoridi, lib. 5. cap. 102. Noſtris *Litarge*.

7. *Quam chryſitin vocant.*] A colore aureo, ſeu flavo, cum argenti venæ æris plurimum admixtum eſt.

8. *In iiſdem tubulis.*] Reg. 2. & Colb. 3. *in iiſdem tabulis.* Male. Foſores hodie panes vocant, ſeu maſſas oſſa que; tubulos antiqui. Vide formam tubulorum expreſſam in icone apud Agricol. lib. 10. de re metall. pag. 384.

9. *Probatiſſima*, &c.] Sic Dioſc. lib. 5. cap. 102.

10. *Chryſitis ex vena ipſa fit.*] Ex ipſa argenti vena, ſeu terra arenæ, unde argentum extrahitur, coctura. Excoqui enim terra hæc non poteſt, ut dictum eſt ſect. 31. niſi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi, quæ juxta argenti venas plerumque reperitur: unde terra ea molybdæna nominatur. Oribaſius, lib. 13. fol. 228. b. *Litharyyros, hoc eſt, argenti ſpuma, quædam ex arena fit, quæ molybditis nominatur, in fornace uſque dum tota in ignem penitus tranſierit, excocta: quædam vero ex argento, quædam ex plumbo .... Appellatur vero quæ flavo colore eſt & ſplendet, chryſitis, quæ eſt etiam pallida vero, argyritis*, &c. Dioſc. lib. 5. cap. 102. Λιθάργυρος, ἡ μὲν τίς ἐκ τῆς μολυβδίτιδος καλουμένης ἄμμου γεννᾶται, χωνευθείσης ἄχρις τελείας ἐκπυρώσεως· ἡ δ' ἐξ ἀργύρου· ἡ δ' ἐκ μολύβδου. *Spuma argenti quædam fit ex arena, quam molybditin vocant, in fornacibus conflata, donec perfecte igni incandeſcat: altera ex argento, tertia ex plumbo.*

11. *Et inde habet nomen.*] Ut Puteolana nominetur.

12. *Veruculis ferreis.*] Id quomodo fiat, & quæ ſit forma veruculi, quo igneſcens ſpuma convolvitur, vel ex icona intelliges, quam Agricola exhibet, lib. 10. de re metall. pag. 384.

13. *Ut ex nomine ipſo.*] Nam ſi ſpuma eſt, e ferveſcente materia exire neceſſe eſt. In editis legebatur, *ferveſcentis & futuræ*: ſed has voces *& futuræ*, nec Reg. 2. nec Colb. 3. repræſentant: & ſuperfluunt eæ ſcilicet.

14. *Alterum purgantis.*] Spuma purgantis ſeſe materiæ eſt; fæx, purgatæ: ut in vino probe intelligitur.

15. *Sterelytida & peumenen.*] In his nominibus variant codices. Salmaſius, in Solin. pag. 1082. legit, *ſterelmitida & pegnymenen*. Κεχωσμένη ut ſit ea ſpuma argenti, quæ ſoluta inſtar pulveris, quam Pollux κεχωσμένην vocat: ſtereomitin, quæ concreta fixaque ſit, non in pulverem putris.

16. *In plumbo dicendam.*] Libro 34. ſect. 53.

17. *Anulorum.*] Ita etiam MSS. Avellanarum nucum magnitudine, dixit Dioſc. lib. 5. cap. 102. de ſpuma argenti: Καίεται δὲ οὕτως· κρυστάλλια ὡς καρύων ποντικῶν μεγέθη, καὶ ἐπιθεὶς ἐπ' ἀνθράκων, ἐκφυσῶν μέχρις ἂν πυρωθῇ, καὶ ἀποσμήξας τὸν ἐπικείμενον ῥύπον, ἀπόθου. *Ures porro argenti ſpumam in hunc modum: Ipſam in fruſta dividito, quæ juglandium magnitudinem æquent: hæc prunis imponito, & ita follibus accendito, ut conflagrent: tum abſterſa quæ inſidet ſpurcitia, recondito.*

18. *Quod ſi ſit.*] Totidem verbis hæc Dioſc. loc. cit. & Oribaſius, lib. 13. fol. 128. b.

19. *Donec ea purgentur.*] Dioſc. Ἕψε δὲ ἕως ἂν ῥαγῶσιν αἱ κριθαί. *Coquito, donec rumpatur hordeum.* Oribaſ. *donec diſrumpatur.* Sed *purgari* hoc loco idem eſt, quod diſrumpi & dehiſcere hordeum, hoc eſt, a ſua diſſilire tunicula. Sic lib. 15. ſect. 25. purgabiles nuces appellat, quæ ſuo exui echino ſeu calyce facile poſſunt.

20. *Poſtea ſex diebus*, &c.] Dioſc. & Oribaſ. locis cit.

21. *Obolo.*] Dioſc. loc. cit. ad libram argenti ſpumæ quinas ſalis foſſilis uncias adhibet. Oribaſius, ad libram ſpumæ, ſalis tantumdem, hoc eſt, libram.

22. *Non denigrent.*] Forſan rectius *denigret*. Dioſc. loc. cit. ἕως τὸ ἔριον μηκέτι βάπτηται.

23. *Uſus ejus.*] Dioſc. loc. cit. Ἁρμόζει δὲ εἰς τὰ ὀφθαλμικά, καὶ οὐλὰς ἀσχήμους, καὶ ἐφηλίδας, καὶ ῥυτίδας, καὶ σπίλους ... *Confert & ad oculorum medicamenta, & ad cicatricum fœditates tollendas, itemque ad facies rugoſas ac maculoſas.* Et ad denigrandum præterea capillum, ex Theodoro Priſciano, lib. 1. cap. 1.

capillum. [24] Vis autem siccare, mollire, refrigerare, temperare, purgare, explere hulcera, tumores lenire. [25] Talibusque emplastris supra dictis [26] ignes etiam sacros tollit cum ruta, myrtoque, & aceto: itemque perniones [27] cum myrtis & cera.

CAP. VII. XXXVI. Invenitur in argentariis metallis minium quoque, & nunc inter pigmenta 5 magnæ auctoritatis, & quondam apud Romanos non solum maximæ, sed etiam sacræ. Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, [1] Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, [2] triumphantumque corpora: sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & a Censoribus in primis Jovem miniandum locari. Cujus rei causam equidem miror: quanquam & hodie id ex- 10 peti constat [3] Æthiopum populis, totosque eo tingi proceres, huncque ibi Deorum simulacris colorem esse. Quapropter diligentius persequemur omnia de eo.

XXXVII. [1] Theophrastus XC. annis ante Praxibulum Atheniensium [2] magistratum (quod tempus exit in Urbis nostræ [3] CCXLIX. annum) tradit inventum minium a Callia Atheniense, initio sperante aurum posse excoqui arena rubente in metallis argenti: hanc 15 fuisse originem ejus. [4] Reperiri autem jam tum in Hispania, sed durum & arenosum: item apud Colchos in rupe quadam inaccessa, ex qua jaculantes decuterent: id esse adulterum: optimum vero supra Ephesum [5] Cilbianis agris. Arenam cocci colorem habere: [6] hanc teri, dein lavari farinam: & quod subsidat, iterum lavari. [7] Differentiam artis esse, quod alii minium faciunt prima lotura: apud alios id esse dilutius, sequentis autem loturæ 20 optimum.

XXXVIII. Auctoritatem colori fuisse non miror. Jam enim Trojanis temporibus rubrica in honore erat, [1] Homero teste, qui naves ea commendat, alias circa picturas pigmentaque rarus. [2] Milton vocant Græci: minium [3] quidam, cinnabari. [4] Unde natus error, Indico cinnabaris nomine. [5] Sic enim appellant illi saniem draconis elisi elephan- 25 torum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, [6] ut diximus. Neque alius est color, qui in picturis proprie sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisque utilissima est. [7] At hercule medici, quia cinnabarin vocant, pro ea utuntur hoc minio, quod venenum esse [8] paulo mox docebimus.

NOTÆ.

24. *Vis autem.*] Dioscor. & Oribasius, loc. cit. totidem fere verbis.

25. *Talibusque emplastris supradictis.*] Nempe, quas liparas vocant, de quibus sect. sup. diximus.

26. *Ignes etiam sacros.*] Ad medendum huic morbo spumam argenti cum succo porrorum betarumve adhibet Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 21.

27. *Cum myrtis.*] Vetus Dalec. codex, *cum myrto*, hoc est, cum oleo myrteo: quæ nobis sincerior multo scriptura videtur: quod Celsus, lib. 5. cap. 19. in lenibus hisce emplastris myrteum pariter oleum adsciscit: *Lenia quoque quædam*, inquit, *emplastra sunt, quas λιπαρὰς fere Græci nominant*, &c. Et mox: *Alia compositio generis ejusdem: ceræ .... spumæ argenti, plumbi recrementi .... cicini olei & myrti, singulorum heminæ.* Iterumque: *Emplastra ejusdem generis ad leniendum apta .... Cerato ex oleo myrteo facto .... Aut spuma argenti*, &c. Ut nardum pro nardino oleo, aliaque similia, crebro usurpari alias admonuimus; sic & myrtus usurpatur pro myrteo.

Sect. XXXVI. 1. *Jovis ipsius*] Plinius idem lib. 35. sect. 45. effigiem Jovis ait in Capitolio dicatam a Prisco Tarquinio fictilem fuisse, & ideo miniari solitam. De ceteris Diis Arnobius, lib. 6. contra gentes: *Inter Deos videmus vestros, leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, & nomine Frugiferi nuncupari.* Apud Virgilium, Pan sanguineis ebuli baccis ac minio rubet.

2. *Triumphantumque.*] Jo. Tzetzes, Chiliad. 13. hist. 561. vers. 44.

Ὅπως τὸ τῶν θριαμβευόντων χρίοντες κινναβάρει
Ἢ καὶ σινωπίδι, ἐφ᾽ ἅρματος ἵστων.

Quomodo triumphaturum illinentes minio, vel sinopide, in currum imponant

3. *Æthiopum.*] Simile est quod de Gothis refert Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 23. *Nonnullæ etiam gentes non solum in vestibus, sed & in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vindicant, ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.*

Sect. XXXVII. 1. *Theophrastus.*] Hæc Theophr. lib. περὶ λίθων, pag. 12. quæ hac sectione XXXVII. tota continentur, totidem verbis.

2. *Magistratum.*] Archonta Atheniensium.

3. CCXLIX. *Annum.*] Vide Notas & Emendat. num. XXIX.

4. *Reperiri autem.*] Theophr. loc. cit. Ἀντιφυὴς μὲν τὸ περὶ Ἰβηρίαν σκληρὸν σφόδρα καὶ λιθῶδες. Quod de Iberia Colchica Dalecampius perperam accipit. Vide Notas & Emendat. num. XXX.

5. *Cilbianis agris.*] Dictum de his lib. 5. sect. 31. Vitruvius, lib. 7. cap. 8. pag. 140. *Ingrediar nunc minii rationes explicare. Id autem agris Ephesiorum Cilbianis primum memoratur esse inventum: cujus & res & ratio satis magnas habet admirationes. Foditur enim gleba quæ ἄνθραξ dicitur, antequam tractationibus ad minium perveniat, vena, uti ferreo magis subrufo colore, habens circa se rubrum pulverem. Cum id foditur, ex plagis ferramentorum crebras emittit lacrymas argenti vivi*, &c. Hoc porro metallicum minium; expetitum olim a pictoribus propter floridum colorem, nunc perrarum est: sed quod letalius est, officinæ substituunt suum, ut vocant aliqui, cinnabrium: hoc a Chymistis paratur ignis artificio, constatque argento vivo & sulphure ustulatis: vulgo *Vermillon, cinnabre artificiel.*

6. *Hanc teri.*] Vitruvius, loc. cit. *Revertar nunc ad minii temperaturam. Ipsa enim gleba cum sunt aridæ, pilis ferreis contunduntur, & moluntur: & lotionibus, & cocturis crebris efficitur, ut adveniant colores*, &c.

7. *Differentiam.*] Hæc paulo aliter Theophr. loc. cit.

Sect. XXXVIII. 1. *Homero teste.*] Iliad. β. vers. 637.

Τῷ δ᾽ ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρῃοι.

Ubi Scholiastes adnotat μιλτοπαρῄους dici, quod μίλτῳ, hoc est, rubrica pictas haberent τὰς πρώρας διῃρημένας.

2. *Milton vocant.*] Rubricam videlicet.

3. *Quidam cinnabari.*] Quod Indicum cinnabari colore referret

4. *Unde natus error.*] Scilicet medicorum, qui pro cinnabari Indica in medicamenta minium addebant, insciti nominis, ut Plinius ait lib. 29. sect. 8. cum minium sit venenum.

5. *Sic enim appellant.*] De cinnabari quæ sit sanguis draconis, mera fabula est, ut Scaliger recte monet, Exerc. 172. & Constantinus in Lexico, verbo Κιννάβαρι. Neque enim est hoc κιννάβαρι sanguis draconis, ut Plinio affirmanti Solinus credidit cap. 25. pag. 47. & Isidorus, lib. 19. cap. 16. sed lacryma arboris concreta, ut recte dixit Arrianus in Periplo: quam opinionem veram esse oculata fide, καὶ οὐκ ἐξ ἀκοῆς, confirmat Aloisius Cadamustus laudatus a Constantino, loc. cit. In officinis nunc quoque Sanguis draconis vocatur, ex colore nimirum, & Cinnabrium. Unde hæc de draconis elisi sanguine fabula orta sit, Cæsius docet, lib. 2. de mineral. cap. 4. sect. 3. pag. 191. qui auctores sententiæ a nobis allatæ de lacryma arboris, quæ cinnabaris sit, laudat quamplurimos, Agricolam, &c.

6. *Ut diximus.*] Libro 8. sect. 12.

7. *At hercule medici.*] Id supra dictum, lib. 29. sect. 8. Errorem hunc pariter Dioscorides arguit, lib. 5. cap. 109.

8. *Paulo mox.*] Sect. 41.

XXXIX. [1] Cinnabari veteres, quæ etiamnunc vocant monochromata, pingebant. Pinxerunt & Ephesio minio, quod derelictum est, quia curatio magni operis erat. Præterea utrumque nimis acre existimatur. Ideo transiere [2] ad rubricam, & sinopidem, de quibus [3] suis locis dicam. Cinnabaris adulteratur sanguine caprino, aut sorbis tritis. Pretium sinceræ, [4] nummi quinquaginta.

XL. Juba minium nasci & in Carmania tradit: [1] Timagenes & in Æthiopia. Sed neutro ex loco invehitur ad nos, nec fere aliunde, quam ex Hispania. Celeberrimum ex Sisaponensi regione in Bætica, miniario metallo vectigalibus populi Romani, nullius rei diligentiore custodia. [2] Non licet id ibi perficere excoquique. Romam perfertur vena signata, ad dena millia fere pondo annua. Romæ autem lavatur: in vendendo, pretio statuta lege, ne modum excederet, [3] HS. LXX. in libras. Sed adulteratur multis modis, [4] unde præda societati.

[5] Namque est alterum genus in omnibus fere argentariis, itemque plumbariis metallis, quod fit exusto lapide venis permixto, non ex illo, [6] cujus vomicam argentum vivum appellavimus, (is enim & ipse in argentum excoquitur:) sed ex aliis simul repertis. [7] Steriles etiam plumbi deprehenduntur suo colore, nec nisi in fornacibus rubescentes exustique tunduntur in farinam. [8] Et hoc est secundarium minium perquam paucis notum, [9] multum infra naturales illas arenas. [10] Hoc ergo adulteratur minium [11] in officinis sociorum: item Syrico. Quonam modo Syricum fiat, [12] suo loco dicemus. Sublini autem Syrico minium compendii ratio demonstrat. Et alio modo [13] pingentium furto opportunum est, plenos subinde abluentium penicillos. Sidit autem in aqua, constatque furantibus. Sincero cocci nitor esse debet. [a] Secundarii autem splendor in parietibus sentit uliginem. Quanquam hoc tubigo quædam metalli est. Sisaponensibus autem miniariis [14] suæ venæ arena sine argento excoquitur auri modo. [15] Probatur auro candente: fucatum nigrescit: sincerum retinet colorem. Invenio & calce adulterari. Ac simili ratione ferri candentis lamina, si non sit aurum, deprehendi illico. [16] Solis atque Lunæ contactus inimicus: [17] remedium, ut parieti siccato cera Punica cum oleo liquefacta candens [b] [18] setis inducatur: iterumque admotis gallæ carbonibus aduratur ad sudorem usque: postea candelis subigatur

INTERPRETATIO.

a *Secundarii.*] Parietum uligo, sive humiditas, multum aufert splendoris secundario minio.

b *Setis.*] Confectis e seta penicillis extendatur.

NOTÆ.

Sect. XXXIX. 1. *Cinnabari*, &c.] Hæ picturæ uno ac simplici colore constabant, ac fere rubro, qui maxime convenit cum humano colore. De monochromatis dicemus lib. 35. sect. 5.

2. *Ad rubricam*, &c.] Apud Horat lib. 2. Satyr. 7. vers. 98.
Prælia rubrica picta, aut carbone.

3. *Suis locis dicam.*] Libro 35. sect. 13 & 14.

4. *Nummi quinquaginta.*] Hoc est, sestertii quinquaginta in libras singulas. Gallicæ monetæ, asses centeni.

Sect. XL. 1. *Timagenes*] De eo diximus in Auctorum indice. Sic porro codices MSS. Reg. 2. & Pintiani: non, ut editi, *Hermogenes*.

2. *Non licet id ibi.*] Vitruvius, lib 7. cap 9. pag. 142. *Quæ autem in Ephesiorum metallis fuerunt officinæ, nunc trajectæ sunt ideo Romam, quod id genus venæ postea est inventum Hispaniæ regionibus: ex quarum metallis glebæ portantur, & per publicanos Romæ curantur. Eæ autem officinæ sunt inter ædem Floræ & Quirini.* Nempe Urbis Romæ regione sexta, ubi P. Victor *Templum Floræ* locat, & *Templum Quirini*.

3. *HS. LXX. in libras.*] Sestertiorum nota desideratur in libris hactenus editis, unde divulso numero quidam X. LX. conjiciebant, hoc est, denarios LX. At sestertiorum notam habent codices MSS. Sunt porro sestertii LXX. si ad monetam Gallicam exigas, libræ seu floreni septem.

4. *Unde præda societati.*] Nempe societati publicanorum, de quibus Vitruvius loco ante allato. *Corps, Compagnie*, ou *Communauté*. Nugantur, qui de socia populi Romani, hoc est, Bæticis, hæc accipiunt.

5. *Namque est alterum genus.*] Minii nimirum. Minium illud Diosc. est, lib. 5. cap. 109. Τὸ μὲν γὰρ ἄμμιον σκευάζεται ἐν Ἰσπανίᾳ ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ.

6. *Cujus vomicam.*] Supra, sect. 32. *Est & lapis in his venis argentariis, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur.*

7. *Steriles etiam.*] Lapides in plumbariis metallis, qui ne in plumbum quidem excoqui possunt.

8. *Et hoc est .... minium.*] Nostris perinde incognitum.

9. *Multum infra .... illas arenas.*] Cilbiani supra Ephesum agri, aut Sisaponensis in Bætica.

10. *Hoc ergo*] Hoc secundario minio.

11. *In officinis sociorum.*] Publicanorum: nam ut superius dictum est, erant officinæ eæ Romæ: nec licebat id in Bætica perficere, vel excoqui.

12. *Suo loco dicemus.*] Libro 35. sect. 24.

13. *Pingentium furto.*] Inter colores quos pictori dominus præstabat, ut dicetur lib. 35. sect. 12. minium fuit, quoniam id perraram erat. Pictores itaque sæpe ex eo furabantur, repletis penicillis, mox aqua ablutis: veluti alio utendum colore tum fuisset: nam minium statim sidebat in aqua: ubi integrum furantibus permanebat. Vel ex hoc loco intelligas aqua dilui colores solitos ab antiquis, non, uti modo, oleo: nam nec utiles esse possunt, semel oleo subacti: neque ex penicillis eluï ulla vi aquæ possunt.

14. *Suæ venæ arena.*] In metallis miniariis, inquit, quæ sunt Sisapone, vena est minii propria ac peculiaris, nullo, ut fere alibi, argento admixto.

15. *Probatur auro.*] Vel si aurum desit, ut mox ait ipse, lamina ferri candentis: sic enim probatur, num calcem admixtam habeat. Vitruvius rem paulo dilucidius sit explanat, lib. 7. cap. 9. pag. 142. *Vitiatur minium admixta calce. Itaque si quis velit experiri id sine vitio esse, sic erit faciendum. Ferrea lamna sumatur: in ea minium imponatur: ad ignem collocetur, donec lamna candescat: cum e candore color immutatus fuerit, eritque ater, tollatur lamna ab igne: &, si refrigeratum restituatur in pristinum colorem, sine vitio se esse probabit: sin autem permanserit nigro colore, significabit se esse vitiatum.*

16. *Solis atque Lunæ*] Vitruvius loc. cit. *Minium efficitur tenera natura, & viribus imbecilla. Itaque cum est in expolitionibus conclavium, tectoriis inductum, permanet sine vitiis suo colore. Apertis vero .... locis, quo Sol & Luna possit splendores & radios immittere, cum ab iis locus tangitur, vitiatur, & amissa virtute coloris, denigratur.*

17. *Remedium.*] Vitruvius loc. cit. *At si quis subtilior fuerit, & voluerit expolitionem miniaceam suum colorem retinere, cum paries expolitus & aridus fuerit, tunc ceram Punicam igni liquefactam, paulo oleo temperatam seta inducat. Deinde postea carbonibus in ferreo vase compositis, eam ceram apprime cum pariete calefaciendo sudare cogat, fiatque ut peræquetur. Postea cum candela linteisque puris subigat, uti signa marmorea nuda curantur. .... Ita obstans cera Punica lorica non patitur, nec Lunæ splendorem, nec Solis radios, lambendo eripere ex his politionibus colorem.*

18. *Setis.*] Gallice, *des brosses*.

ac deinde linteis puris, [19] sicut & marmora nitescunt. [20] Qui minium in officinis poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne in respirando pernicialem pulverem trahant, & tamen ut per illas spectent. [21] Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque litteras, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulcris facit.

XLI. [1] Ex secundario invenit vita & hydrargyrum in vicem argenti vivi: paulo ante dilatum. Fit autem duobus modis: [2] æreis mortariis pistillisque trito minio ex aceto: [3] aut patinis fictilibus impositum ferrea concha, calice coopertum, argilla superillita: dein sub patinis accensum follibus continuo igni, atque ita calicis [4] sudore deterso, qui fit argenti colore & aquæ liquore. Idem guttis dividi facilis, & lubrico humore confluere. [5] Quod cum venenum esse conveniat, omnia quæ de minio in medicinæ usu traduntur, temeraria arbitror: præterquam fortassis illito capite ventreve, sanguinem sistendum, dum ne quid penetret in viscera, ac vulnus attingat: aliter utendum non equidem censeam.

XLII. Hydrargyro argentum inauratur solum nunc prope, [a] cum & in æra simili modo duci debeat. Sed eadem fraus, quæ in omni vitæ parte ingeniosissima est, [1] viliorem excogitavit materiam, ut docuimus.

XLIII. Auri argentique mentionem comitatur lapis, [1] quem coticulam appellant, quondam non solitus inveniri, nisi in flumine Tmolo, ut auctor est [2] Theophrastus: [3] nunc vero passim: quem [4] alii Heraclium, alii Lydium vocant. Sunt autem modici, [5] quaternas uncias longitudinis, binasque latitudinis non excedentes. [b] [6] Quod a Sole fuit in his, melius quam quod a terra. [7] His coticulis periti, [c] cum e vena ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri sit in ea, quantum argenti vel æris, scripulari differentia, mirabili ratione, non fallente.

XLIV. Argenti duæ differentiæ. [1] Batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permaneat, probatur. Proxima bonitas rufo, nulla nigro. Sed experimento quoque fraus intervenit: servatis in virorum urina batillis, inficitur ita ramentum obiter dum uritur, candoremque mentitur. Est aliud experimentum politi, & in halitu hominis, si sudet protinus, [d] nubemque discutiat.

CAP. IX. XLV. Laminas duci, & specula fieri [1] non nisi ex optimo posse creditum fuerat. Id

INTERPRETATIO.

a *Cum &c.*] Cum & ad æra inauranda sublini hydrargyrum pariter oporteret.

b *Quod.*] Quæ pars Soli objecta fuit.

c *Cum e vena.*] Cum e vena metallica abreptam aliquam partem coticula ea ceu lima quadam attriverint, ad experimentum capiendum, protinus dicunt quantum auri vel argenti sit in ea vena, vel æris etiam, via ut scripulo uno aberrent, ratione quidem incredibili, sed tamen non fallente.

d *Nubemque.*] Sudoremque eum protinus deponat.

NOTÆ.

19. *Sicut marmora.*] Quemadmodum suo nitori restituuntur marmora, absterfa fuligine, quæ a sacrificiorum ignibus ac fumo adhæserat. Hoc esse illud arbitror, quod Juvenalis ait, Satyra 10. vers. 55. *Genua incerare Deorum*: etsi Turnebus, & alii eum secuti interpretes, in aliam sententiam trahant: sed nostram interpretationem fulcit alter ejusdem poetæ locus, Satyr. 12. vers. 88. ubi appellat.

Fragilis simulacra nitentia cera.

20. *Qui minium.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 109. & post eum Oribasius, lib. 13. pag. 228.

21. *Minium in voluminibus.*] Fortassis illud est cinnabari, quo CP. Imperatores usi in subscriptionibus olim fuere: ut in sexta Synodo, *Imperator per cinnabarim.* Ait M. Crusius in Turcogr. pag. 191. vidisse se Concilium CP. in quo subscriptio Joannis Cantacuzeni esset ex cinnabari: Episcoporum vero ex atramento. Vidimus & nos in Cimelio Colbertino, Joannis Palæologi CP. Imp. subscriptionem ejusmodi, in Decreto Unionis, consideratione digno.

Sect. XLI. 1. *Ex secundario.*] Ex secundario minio, cujus natura sup. sect. explicata est. Dioscor. lib. 5. cap. 110. Ὁ δὲ ὑδράργυρος σκευάζεται ἀπὸ τοῦ ἀμμίου λεγομένου, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τοῦτο κινναβάρεως λεγομένου. Oribasii interpres, lib. 13. fol. 231. b. *Hydrargyros, hoc est, argentum vivum, fit ex minio, quod falso cinnabaris dicitur*, &c. Delicias facit Dalecampius, cum hæc verba sic interpretatur: *Ex secundario*, inquit, *hoc est, invento minus quidem ingenioso & utili, non aspernando tamen.* Hydrargyrum Gallis, *Vif argent.*

2. *Æris mortariis*, &c.] Quod enim ex minio sic trito exprimitur, id argentum vivum est. Docet hunc modum Theophr. lib. περὶ λίθων, pag. 12. & 13.

3. *Aut patinis.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 5. cap. 110. Θέντες γὰρ ἐπὶ λοπάδος κεραμίας κόγχην σιδηρᾶν ἔχουσαν κιννάβαριν, ἐπικαθιᾶσιν ἄμβικα περιαλείψαντες πηλῷ, εἶτα ὑποκαίουσιν ἀνθρακίοις· ἡ γὰρ προσιζάνουσα τῷ ἄμβικι αἰθάλη ἀποξυσθεῖσα καὶ ἀποψυχθεῖσα, ὑδράργυρος γίνεται. *Imposita siquidem patinæ fictili concha ferrea minium continente, calicem seu operculum adaptant, quod undique luto superillinunt, deindeque carbonibus succendunt. Tum quæ calici adhærescit fuligo, derasa refrigerataque in argentum vivum coit.* Sic etiam Oribasius, loco cit. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 18.

4. *Sudore deterso.*] Fuligine, quæ operculo adhæsit.

5. *Quod cum venenum.*] Potum vim pernicialem habet: suo enim pondere interna perrodit. Diosc. loc. cit. ubi adversus id venenum remedia prodit.

Sect. XLII. 1. *Viliorem.... ut docuimus.*] Nempe liquorem ovi candidum, ut docuit paulo superius sect. 32.

Sect. XLIII. 1. *Quem coticulam.*] Coticula lapis est, quo fit auri vel argenti experimentum: *Pierre de touche.*

2. *Theophrastus.*] Libro περὶ λίθων, pag. 9.

3. *Nunc vero passim.*] Et apud Germanos, prope Hildesheimum.

4. *Alii Heraclium*] Ut a Lydia Lydium, sic ab Heraclea Lydiæ Heraclium Zenobius, in Parœmiis, cent. 4. num. 22. Ἡρακλεία λίθος. Ταύτην οὗτοι μαγνῆτιν λέγουσι τὴν ἐπισπωμένην τὸν σίδηρον· ἡ δὲ ἑτέρα, παραπλήσιος ἀργύρῳ· ὠνόμασται δὲ οὕτως ἀπὸ Ἡρακλείας τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως. Salmasius, in Solin. pag. 1103. dum Plinium falli ait, fallitur.

5. *Quaternas uncias.*] Hoc est, pollices quaternos. Nam ut rem integram quamcumque assem veteres appellarunt, sic partes illius, ut assis, unciam nuncuparunt. Sunt autem in asse unciæ duodenæ, totidemque in pede pollices.

6. *Quod a Sole.*] Τὰ ἄνω πρὸς τὸν ἥλιον, inquit Theophr. loc. cit. ubi hujus experimenti causas affert.

7. *His coticulis periti.*] Quos Spectatores & Expectatores dixit antiquitas.

Sect. XLIV. 1. *Batillis ferreis.*] Batillum instrumentum ferreum est, quo prunas cineresque tollimus, transferimusque alio: *Vne pelle à feu.*

Sect. XLV. 1. *Nonnisi ex optimo.*] Argento scilicet, de quo sup. sect. Plautus in Mostell. act. 1. sc. 3. vers. 101. specula ex argento facta indicat:

SC. *Cape igitur speculum ....*
Linteum cape, atque exterge tibi manus. PHI. *Quid ita obsecro?*
SC. *Ut speculum tenuisti, metuo ne oleant argentum manus:*
Ne usquam argentum te accepisse suspicetur Philolaches.

quoque jam fraude corrumpitur. Sed natura mira est imagines reddendi, quod repercusso aere atque in oculos regesto fieri [a] convenit. [1] Eadem vi in speculis usu polita crassitudine, [3] paulumque propulsa dilatatur in immensum magnitudo imaginum. [4] Tantum interest repercussum illum respuat, an excipiat. Quin etiam pocula ita figurantur, exsculptis intus crebris ceu speculis, ut vel uno intuente, [5] populus totidem imaginum fiat. [6] Excogitantur & monstrifica, ut in templo Smyrnæ dicata. Id evenit [b] figura materiæ. Plurimumque refert concava sint & poculi modo, [7] an parmæ Threcidicæ, media depressa an elata, transversa an obliqua, supina an recta, qualitate excipientis figuræ torquente [8] venientes umbras. Nec enim est aliud illa imago, [9] quam digesta claritas materiæ excipientis umbram. Atque ut omnia de speculis peragantur hoc loco, optima apud majores fuerant Brundisina, stanno & ære mixtis. Prælata sunt argentea. Primus fecit [10] Praxiteles, Magni Pompeii ætate. Nuper credi cœptum, certiorem imaginem reddi, [11] auro opposito aversis.

XLVI. Tingit & Ægyptus argentum, ut in vasis [1] Anubem suum spectet: pingitque, non cælat argentum. Transit inde materia & ad triumphales statuas: mirumque, crescit pretium fulgoris [c] excæcati. Id autem fit hoc modo: Miscentur argento [2] tertiæ æris Cyprii tenuissimi, quod coronarium vocant, & sulphuris vivi, quantum argenti. Conflantur ita in fictili circumlito argilla. Modus coquendi, donec se ipsa [d] opercula aperiant. Nigrescit & ovi indurati luteo, ut tamen aceto & creta [3] deteratur. Miscuit denario Triumvir Antonius ferrum. [4] Miscentur æra falsæ monetæ. Alii e pondere subtrahunt, [5] cum sit justum LXXXIV. e libris signari. Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut [6] Mario Gratidiano [7] vicatim totas statuas dicaverit. Mirumque, in hac artium sola vitia discuntur, & falsi denarii spectatur exemplar: pluribusque veris denariis adulterinus emitur.

CAP. X.

XLVII. Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia: itaque & hodie multiplicantur hæc, [1] ut decies centena millia, aut sæpius dicantur. Fœnus hoc fecit, nummusque percussus: [2] & sic quoque æs alienum etiamnum appellatur. Postea Divites cog-

INTERPRETATIO.

a *Convenit.*] Constat.
b *Figura.*] Ex diversa speculi figura.
c *Excæcati.*] Obscurioris, minus clari.
d *Opercula.*] Fictilia.

NOTÆ.

1. *Eadem vi in speculis.*] Quæ pariter erant ex argento conflata. Nunc fere fiunt ex optima durissimi ferri temperatura, quæ nostris *de l'Acier*.

3. *Paulumque propulsa.*] Detrita usu, & cavata. Inde est quod in speculis concavis major cominus imago apparet.

4. *Tantum interest.*] Tantum interest an planum sit speculum, quod repercussum illum aeris respuat: an cavum, quod eumdem veluti sinu suo & concavitate excipiat.

5. *Populus totidem imaginum.*] Eleganti translatione multitudinem imaginum populum vocat. Ita Seneca, lib. 1. Natur. quæst. cap. 5. *Sunt quædam specula ex multis minutisque composita: quibus si unum ostenderis hominem, populus apparet, unaquaque parte faciem suam exprimente. Hæc cum sint conjuncta & simul collocata, nihilominus seducunt imagines suas: & ex uno turbam efficiunt. Ceterum catervam illam non confundunt, sed diremptam in facies singulas distrahunt.* Frustra igitur Pintianus hunc locum sollicitat, ut *poculum* pro *populus* reponat.

6. *Excogitantur & monstrifica.*] Quæ objecta sibi corpora vultusque, sub monstrifica effigie repræsentant. Seneca, lib. 1. Natur. quæst. cap. 5. *Neque enim omnia ad verum specula respondent. Sunt quæ videre extimescas, tanta deformitate corruptam faciem visentium reddunt, servata similitudine in pejus. Sunt quæ cum videris, placere tibi vires tuæ possint: in tantum lacertis crescunt & totius corporis supra humanam magnitudinem habitus augetur. Sunt quæ dextras facies ostendant, sunt quæ sinistras, sunt quæ torqueant vel evertant.*

7. *An parmæ Threcidicæ.*] Parma Thracum propria, *scutum breve*, ut ait Nonius. Glossæ Philoxeni: *Parma, Θρᾳκικὸν ὅπλον.* Festus: *Threces gladiatores, a similitudine parmularum Thraciarum.* Cicero, Philip. 5. *Myrmillo pugnator in Asia, cum ornasset Threcidicis comitem & familiarem suum.*

8. *Venientes umbras.*] Umbras vocant, simulacra rerum ipsa a nostris corporibus missa & profusa in corpus læve & splendidum & densum. Epicuri hæc sententia est de ratione speculorum.

9. *Quam digesta.*] Quam exactus corporis densi lævor ac splendor. Sunt enim duo omnium fere consensu necessaria ad speculorum naturam: nempe corporis lævitas, quæ numquam est sine splendore: alterum est, densitas. In Reg. 2. *quam digesta claritate materiæ & accipientis umbram*: forte sincerius, si modo *accipiens* legas, pro *accipientis*.

10. *Praxiteles.*] De eo inferius sect. 55.

11. *Auro opposito.*] Sic Reg. 1. & alii, non *apposito*: hoc est, in aversa parte posito. Sic nostris e vitro speculis Veneti argenteam bracteam quandoque in aversa parte alligant.

Sect. XLVI. 1. *Anubem suum.*] Ægyptiorum Deus Ἀνοῦβις est, quem Mercurium esse multi volunt. Canino is capite pingi in nummis vulgo, sed falso, creditur.

2. *Tertiæ æris.*] Subintellige partes.

3. *Deteratur.*] Abeat nigredo ea.

4. *Miscentur æra falsæ monetæ.*] Sic Reg. 2. non, ut in libris hactenus editis, *Miscuit æri*.

5. *Cum sit justum* LXXXIV.] Quot ex auri libra Constantini M. ævo aurei solidi fiebant. Tacite carpit auctor ævi sui morem, minimeque id tum agi significat, quod jus postularet. Ea ætate certe imminutum denariorum pondus, qui tractant ejus ævi numismata, probe norunt. Interim in libras justum fuisse signari denarios quatuor & LXXX. Celsus quoque admonet, cujus verba retulimus, lib. 21. sect. ult. Theodosii Magni ævo sic detractum e pondere fuisse, ut ex argenti libra sexageni modo denarii conflarentur, ex ipsius constitutione discimus, Cod. Theod. lib. 15. tit. 9. lib. 1. *de expensis ludorum*.

6. *Mario Gratidiano.*] Seneca, lib. 3. de Ira, cap. 18. pag. 393. *M. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure & vino Romanus populus supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit: & quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paulatim & per singulos artus laceravit. Quis erat hujus imperii minister? quis nisi Catilina, jam in omne facinus manus exercens?* Rem ille nummariam in Prætura constituerat: & erat Ciceroni arcta necessitudine conjunctus. Ita Ascon. Pedianus, in orat. Cicer. in Senatu, pag. 39. Adde & Florum, lib. 3. cap. 21. pag. 148. Erat Maria gens patricia: itaque cum Marium Gratidianum audis Tribunum plebis, ac proinde plebeium, hunc Gratidiani viri plebeii, sed locupletis, & e primoribus, & feminæ e gente Maria filium fuisse intellige.

7. *Vicatim totas statuas.*] Hoc est, singuli vici singulas statuas, & quidem integras, posuerunt. Libro 34. sect. 12. *omnibus vicis*, dixit.

Sect. XLVII. 1. *Ut decies centena.*] Concisa magis oratione dicimus *decies sestertiûm*, ubi intelliguntur *decies centena millia sestertiûm*.

2. *Et sic quoque æs alienum.*] Ex quo nummus percuti cœp-

nominati: dummodo notum sit, eum [3] qui primus acceperit hoc cognomen, decoxisse creditoribus suis. Ex eadem gente [4] M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset. In agris [5] sestertiûm $\overline{MM}$ possedit, Quiritium post Syllam ditissimus, Nec fuit satis, nisi totum [6] Parthorum esurisset aurum: [7] atque in memoriam quidem optimum occupavit: juvat enim insectari inexplebilem istam habendi cupidinem. Multos postea cognovimus servitute liberatos opulentiores: [8] pariterque tres Claudii principatu, Pallantem, Callistum, & Narcissum. Atque ut hi omittantur, tamquam adhuc rerum potiantur, [9] C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino Coss. a. d. VI. Kal. Febr. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim: juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris CC. quinquaginta septem millia: in numerato [10] HS. $\overline{DC}$. Funerari se jussit HS. $\overline{XI}$. Congerant excedentes numerum opes, quota tamen portio erunt Ptolemæi? quem Varro tradit Pompeïo res gerente circa Judæam, octona millia equitum sua pecunia toleravisse: mille convivas, totidem [11] aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis, saginasse. Quota vero ille ipse (neque enim de regibus loquor) portio fuit [12] Pythii Bithyni, [13] qui platanum auream, vitemque nobilem illam Dario regi donavit: [14] Xerxis copias, hoc est, [15] septies centena LXXXVIII. millia hominum excepit epulo, stipendium quinque mensium frumentumque pollicitus. [16] ut e quinque liberis senectuti suæ in delectu unus saltem concederetur? Hunc quoque ipsum aliquis comparet Crœso regi. Quæ (malum) amentia est, id in vita cupere, quod aut etiam servis contigerit, aut ne in regibus quidem invenerit finem!

XLVIII. Populus Romanus [1] stipem spargere cœpit, [2] Sp. Postumio, Q. Marcio Coss. tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is [3] ludos fecit. [4] Nam quod Agrippæ Menenio sextantes æris in funus contulit, honoris id necessitatisque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis esse dixerim.

Cap. XI. XLIX. Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat, nullum genus offici-

Notæ.

tus, æs alienum cœpit esse & appellari. Antea nec erat, nec vero esse poterat, aut dici æs alienum.

3. *Qui primus.*] Qui primus ejus nominis in libris occurrit, is est P. Licinius Crassus Dives, qui juvenis Pontifex Max. creatus, mox Censuram gessit, post Consulatum anno Urbis DXLIX. & bellum idem cum Hannibale Senatus decreto obtinuit. Livius, lib. 25. Antiquiorem ne aliquem Plinius intelligat, cujus in monumentis antiquorum memoria jam nulla exstet, obscurum est.

4. *M. Crassus.*] Refert hoc idem Plutarchus in ejus vita. Sed στρατόπεδον, hoc est, exercitum dixit. Cicero item, Parad. 6.

5. *Sestertium $\overline{MM}$.*] Hoc est, bis millies sestertiûm nummûm, sive, bis millies centenum millium sestertiorum. quæ summa Gallicæ monetæ libras efficit 20000000. seu viginti milliones. Plutarchus in Crasso, pag. 543. reperisse eum in censu ait, priusquam ad bellum Parthicum iret, talenta septies mille & centena: Attica scilicet, quorum singula, ut hodie rationes putamus, libras efficiunt Gallicæ monetæ 2400.

6. *Parthorum.*] Notum illud Flori de Crasso, lib. 3. cap. 11. pag. 128. *Caput ejus recisum cum dextera manu, ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est*, &c.

7. *Atque in memoriam.*] Sententia est, recordaturos homines umquam futuros, Parthorum aurum optimum obtinuisse Crassum, quod is esuribat, cum in demortui os est infusum. Convicium est hominis infelicitati alterius insultantis, quam ille sibi inexplebili pecuniæ cupiditate accersiverit. Nam sequitur, *Juvat enim insectari*, &c. Vide Notas & Emend. num. XXXI.

8. *Pariterque tres.*] Hoc est, simul eodemque tempore tres. Narcissus ab epistolis, Pallas a rationibus fuit. Suetonius in Claud. cap. 28. De Callisto, Seneca, epist. 47. pag. 253. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi*, &c. De tribus istis simul, Tacitum vide, lib. 11. Annal. pag. 166. Eleganter idem, lib. 12. Annal. pag. 191. *Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, sibi & legibus adæquarat.* De Narcissi opibus, vide Dionem, lib. 60. pag. 688.

9. *C. Asinio, &c.*] Augusti principatu, Urbis anno DCCXLVI. ambo gessere Consulatum, ex Fastis.

10. *HS. DC.*] Hoc est, sestertiûm sexcenties, subintelligendo, ut lineola numero superposita admonet, centena millia: quæ monetæ Gallicæ efficiunt libras seu florenos 6000000. Quæ vero proxime sequuntur, sestertiûm undecies, libras item florenosve 110000. Suetonius, de Nerone, cap. 50. *Funeratus est impensa ducentorum millium.* Et Valer. Max. de Menenio Agrippa, lib. 4. cap. 4. *Sextantibus collatis funeratus est.*

11. *Aureis potoriis.*] Sic argentum potorium, vitrea escaria & potoria, Pomponius Paulusque dixere.

12. *Pythii Bithyni.*] Alii Lydum fecere. Herodotus, lib. 7. pag. 395. Eustathius in Iliad. 6. pag. 366. Πύθιος ὁ Ἄτυος, ἀνὴρ Λυδὸς παμπλούσιος, &c. Πύθιος item dicitur Joan. Tzetzæ, Chil. 3. hist. 65. vers. 35. & Chil. 4. vers. 543. Καὶ τὸν Λυδὸν τὸν Πύθιον, &c. Suidæ item in Ἀπυρίαν. Plutarcho, Πύθης. lib. de virt. mul. pag. 262. Πύθης Stephano, verbo Πυθόπολις.

13. *Qui platanum.*] Herodotus, lib. 7. Polym. pag. 395. num. 27. Δαρεῖον ἐδωρήσατο τῇ πλατανίστῳ τῇ χρυσέῃ καὶ τῇ ἀμπέλῳ, &c.

14. *Xerxis copias.*] Herodot. loco cit. & Tzetzes, Chil. 4. vers. 547.

15. *Septies centena.*] Atqui terrestrium copiarum numerum longe majorem exstitisse, auctor est Herod. libro cit. pag. 406. num. 60. nempe ut complecteretur CLXX. myriadas, ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μυριάδας, hoc est, decies septies centena millia hominum.

16. *Ut e quinque.*] At quem pater elegit, nempe natu maximum, in partes duas distractum ab utroque viæ latere Xerxes posuit, & hac victima lustravit exercitum. Seneca, lib. 3. de Ira, cap. 17. pag. 593. Herodot. libro cit. pag. 399. num. 39. & Plut. loc. cit. pag. 263.

Sect. XLVIII. 1. *Stipem spargere.*] Voluntaria hæc largitio pecuniæ publica fuit: at multis ante annis ex edicto: quando, ut Livius refert libro 25. pag. 267. *Ludos Prætor in Circo maximo cum facturus esset, edixit ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret.*

2. *Sp. Postumio.*] Anno Urbis DLXVIII. De his Coss. Livius, lib. 39. pag. 494.

3. *Ludos fecit.*] Livius loco cit. *L. Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi vovisse se se dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus civitatibusque per dies decem fecit*, &c. Fuit is L. Scipio, P. Cornelii Africani frater.

4. *Nam quod Agrippæ.*] Livius, lib. 2. pag. 33. *Eodem anno Agrippa Menenius moritur .... Huic .... sumptus funeri defuit: Extulit eum plebs sextantibus collatis in capita*, hoc est, sexta parte assis, seu unciis duabus: as enim duodenis constabat, nam inde sextanti nomen. Hoc ipsum eleganti oratione narrat & Valer. Max. lib. 4. cap. 4. num. 2. pag. 216. Item Seneca, lib. de Consol. ad Helv. cap. 12. pag. 811. Fuerat Agrippa inter Patres ac plebem publicæ gratiæ sequester, reconciliatis animis, postquam ob creditorum impotentiam, anno CCLXI. plebs trans Anienem in montem sacrum secessisset a Patribus. Quare cum puderet Patres virum tantum collecta viritim stipe funerari, jussu Senatus sumptus ex ærario ad funus decretum est. Auctor Dionys. Halic. lib. 6. Antiq. Rom. pag. 416. Sic Fabius ipse Maximus ære collato funeratus est, ita prodente Valer. Max. lib. 4. cap. 8. pag. 289.

næ diu probando, nunc Firmiana, nunc Clodiana, [1] nunc Gratiana: [2] etenim tabernas mensis adoptavimus: nunc [3] anaglypta, in asperitatemque excisa, [a] circa linearum picturas quærimus. Jam vero & in mensas [4] repositoriis imponimus, & ad sustinenda obsonia interradimus [5] latera: [6] & interest, quam plurimum lima perdiderit. Vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri quiritat: [7] at nos carrucas ex argento cælare invenimus: nostraque ætate Poppæa conjux Neronis Principis [8] delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque [9] induere.

L. [1] Libras XXXII. argenti Africanus sequens heredi reliquit. Idemque cum de Pœnis triumpharet, quatuor millia CCCLXXX. pondo transtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quot mensarum postea apparatu victa? Numantia quidem deleta, idem Africanus in triumpho militibus [2] X. VII. dedit. O viros illo Imperatore dignos, quibus hoc satis fuit! [3] Frater ejus Allobrogicus primus omnium pondo mille habuit. At Livius Drusus [4] in Tribunatu plebis, X. [5] Nam propter quinque pondo notatum a Censoribus triumphalem senem, fabulosum jam videtur. [6] Item Catum Ælium, cum legati Ætolorum in Consulatu prandentem in fictilibus adissent, missa ab his vasa argentea non accepisse, neque aliud habuisse argenti ad supremum vitæ diem, quam duo

INTERPRETATIO.

a *Circa.*] *In vasorum & poculorum ambitu* pictas lineas quærimus.

NOTÆ.

Sect. XLIX. 1. *Nunc Gratiana.*] Martialis, lib. 4. Epigr. 39.

> *Argenti genus omne comparasti:*
> *Solus Praxitelis manum, Scopæque,*
> *Solus Phidiaci toreuma cæli,*
> *Solus Mentoreos habes labores:*
> *Nec desunt tibi vera Gratiana,*
> *Nec quæ Gallaico linuntur auro,*
> *Nec mensis anaglypta de paternis.*

2. *Etenim tabernas.*] Tabernarum nomina mensæ adsciscunt: quod habent e suis quæque tabernis vasa.

3. *Anaglypta.*] Vel ἀνάγλυφα, hoc est, *aspera signis pocula*, ut Virgilius cecinit.

4. *Repositoriis.*] Vasa aut argentea in mensas proferri, imponique repositoriis, hoc est, discis majoribus seu tabulis ligneis, rotundis, solidisque, ut ex Fenestella mox Plinius edocet, sect. 52. Eodem in usu fuere, quo nuper ea quæ Gallice dicebamus, *Des porte-assiettes.* Ex metallo fiunt in familiis lautioribus: ruri, e vimine. Prius legebatur, *Jam vero & mensas*, vocula *in*, litteræ, a qua sequens vocabulum incipit, vicinitate absorpta. Petronius, in Satyr. pag. 117. *Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro exspectatione magnum: novitas tamen omnium convertit oculos. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa in orbe disposita: superque, proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum.*

5. *Latera.*] Signorum scilicet, ut Petronius ait loco allato, seu vasorum, quæ cibis onusta repositoriis imponebantur. De voce *interradere*, egimus lib. 12. sect. 42.

6. *Et interest.*] Interest ad lautitiam, luxumque, habere vasa, lateribus interrasis: hoc est, pluris æstimantur a luxuriosis hominibus ea, quibus lima radendo ac poliendo plurimum argenti detraxerit. Aurum interrasile sic aurea dixit, lib. 12. sect. 43. qua de voce nos ibi prolixe egimus.

7. *At nos carrucas.*] Vehicula. Carrucæ mentionem nescio ante Plinium quisquamne fecerit. Apud Suetonium deinde in Nerone, cap. 30. Ammianum, libro 14. Vopiscum in Aureliano, aliosque legitur. Apud Hesychium, Κάρρουχα, ἅρμα. Martialis, lib. 3. Epigr. 62.

> *Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Mutavit deinde consuetudo, & postea diversis temporibus regressa. Vopiscus in Aureliano: *Currus regii tres fuerunt: in his unus Odenati argento & auro operosus, atque distinctus, &c.* Inclusis nimirum insertisque ligno cælatis ex auro argentoque imaginibus ac figuris. Tranquillus in Claudio, cap. 16. *Fuerunt & illa in Censura ejus notabilia, quod essedum argenteum sumptuose fabricatum, ac venale ad Sigillaria, redimi, concidique coram imperavit.*

8. *Delicatioribus jumentis.*] Mulis, ut Schefferus recte interpretatur, lib. 1. de re vehiculari veterum, cap. 8. pag. 91. Refert hoc quoque Dio, lib. 62. pag. 714. Inde videas carpenta cum mulabus in nummis Agrippinæ, matris Caii: Domitillæ, Vespasiani conjugis: Faustinæ, conjugis Antonini, &c. De Nerone ipso Tranquillus, cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, &c.*

9. *Induere.*] Ita etiam MSS. non *inducere*, ut quidam reponunt: quanquam & ista vox quoque usurpata a Plinio, lib. 2. sect. 5. & a Suetonio, ut ibi diximus.

Sect. L. 1. *Libras* XXXII. *Africanus sequens.*] Scipio, qui & Æmilianus, a quo Numantia & Carthago excisæ. Plutarchus in Apophthegm. pag. 199. Λίτρας ἀργυρίου τριάκοντα καὶ δύο μόνας, δύο δὲ χρυσίου. *Argenti libras* XXXII. *auri, duas.* Auctor libri de Viris illustr. cap. 58. totidem argenti libras fuisse ait: auri duas & selibram. Ab hoc Scipione Africano Æmiliano duxit originem, qui longe postea fuit uterque Gordianus Africanus Augustus: neque enim a regione natali *Africanus* aliquis, sed Afer Latine diceretur: *Africani* cognomen est a regione subacta. Utriusque nummum unum ex argento singularem vidimus: in priore parte nomine & vultu patris insculpto: IMP. M. ANT. GORDIANVS AFR. AVG. capite laureato: in posteriore, filii vultu: CAES. M. ANT. GORDIANVS AFR. AVG. Ille Gordianus a priore uxore, Africanus a patre dictus: Iste Gordianus ex matre, Africanus ex patre & avo & atavis. Pater *Imperator* scribitur; filius ob reverentiam patris capite nudo est, & eo titulo abstinet. Unum enim esse in uno exercitu Imperatorem convenit. Itaque hic tantum Cæsar est: sed idem tamen *Augustus*, ob regimen provinciarum, quod hereditario jure gereret. Nummi hujus singularis effigiem in cera expressam habemus. In aliis nummis suis, æque ac pater, IMP. Imperator dicitur. Ex eadem gente fuit postea & IMP. CAES. AEMILIANVS P. F. AVG.

2. X. VII. *Dedit.*] Hoc est, denarios septem: monetæ Gallicæ, asses sex & quinquagenos. Hoc donativi nomine militibus singulis datum. Vide Notas & Emendationes, num. XXXII.

3. *Frater ejus Allobrogicus.*] Cui ex Allobrogum victoria nomen hæsit Allobrogici, quod & familiæ deinde toti hereditarium reliquit. Sic Magni cognomen Sextum Pompeium Magni F. aliosque, ex nummis scimus accepisse.

4. *In Tribunatu plebis* X.] Ita Reg. 2. Hoc est, decem mille pondo argenti. Prius legebatur, XI. *millia.*

5. *Nam propter quinque pondo.*] In supellectile denas eum habuisse libras dictum est superius, lib. 18. sect. 8. Et Gellius, lib. 4. cap. 8. pag. 188. *Cornelium Rufinum bis Consulem & Dictatura functum Censor Fabricius Senatu movit, ob luxuriæ notam: quod decem pondo libras argenti facti haberet.* Et lib. 17. cap. 21. pag. 1005. *C. Fabricius Luscinus, & Q. Æmilius Papus Censores Romæ fuerunt, & P. Cornelium Rufinum, qui bis Consul & Dictator fuerat, Senatu moverunt, causamque isti notæ subscripserunt: quod eum comperissent argenti facti cœnæ gratia decem pondo libras habere.* Non plus habere scilicet, quam quinque, licuit. Contigit id anno Urbis CCCCLXXVIII. Vide & Valerium Max. libro 2. cap. 9. num. 4. Liviumque, in Epitome libri 14.

6. *Item Catum Ælium.*] Consentit Plinio Valerius Max. cujus hæc verba, lib. 4. cap. 3. pag. 210. *Curii & Fabricii Q. Ælium Tuberonem cognomine Catum discipulum fuisse merito quis existimaverit: cui Consulatum gerenti, cum Ætolorum gens omnis usus vasa argentea, magno pondere, & exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant fictilia se in ejus mensa vasa vidisse, monitos, ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire jussit, &c.* Plinio, Valerioque magis credo, hunc Tuberonem Catum appellantibus, quæcumque demum appellationis causa extiterit, quam Merulæ, Re-

pocula, quæ [7] L. Paulus socer ei ob virtutem devicto Perseo rege donasset. Invenimus legatos Carthaginiensium dixisse nullos hominum inter se benignius vivere, quam Romanos. [8] Eodem enim argento apud omnes cœnitavisse ipsos. At hercules Pompeium Paulinum Arelatensis Equitis Romani filium, [9] paternaque gente pellitum, quod XII. pondo argenti habuisset apud exercitum, ferocissimis gentibus oppositum scimus.

LI. Lectos vero mulierum jam pridem totos operiri argento, [1] & triclinia quædam: quibus argentum addidisse primus traditur [2] Carvilius Pollio, Eques Romanus, non ut operiret, aut Deliaca specie faceret, [3] sed Punicana. [4] Eadem & aureos fecit. Nec multo post argentei Deliacos imitati sunt. [5] Quæ omnia expiavit bellum civile Syllanum.

LII. Paulo enim ante hæc facta sunt, lancesque e centenis libris argenti, quas tunc super quingentas numero Romæ fuisse constat, multosque ob eas proscriptos, dolo concupiscentium. Erubescant annales, qui bellum civile illud [1] talibus vitiis imputavere. Nostra ætas fortior fuit: Claudii principatu servus ejus Drusillanus nomine Rotundus, [2] dispensator Hispaniæ citerioris, [3] quingenariam lancem habuit, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat: & comites ejus, [4] octo DCCCL. librarum: quæso, ut quam multi eas conservi ejus inferrent, aut quibus cœnantibus? Cornelius Nepos tradit ante Syllæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea. Repositoriis argentum addi sua memoria cœptum, Fenestella, qui obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu. [5] Sed & testudinea tum in usum venisse. Ante se autem paulo, lignea, rotunda, solida: [6] nec multo majora, quam mensas fuisse. Se quidem puero, quadrata, & compacta, [7] aut acere operta, aut citro cœpisse. Mox additum argentum in angulis, [8] lineasque per commissuras. Tympana vero se juvene appellata [9] stateras & lances, quas antiqui magidas appellaverant.

LIII. [a] [1] Nec copia tantum argenti furuit vita, sed validius pæne manipretiis: Idque jam

Interpretatio.

a *Nec.*] Nec tantum ut copiam haberet argenti maximam, insanivit vita consuetudoque hominum: sed etiam in pretio rerum manufactarum: idque jampridem: ne nostra primum ætas hujus criminis rea peragatur.

Notæ.

nesioque, affirmantibus id falso ab utroque pronunciatum esse. Quot periere monumenta, ex quibus, si quidem illa exstarent, constaret horum similiumque stemmatum tota ratio, conjecturarumque vanitas rideretur?

7. *L. Paulus socer.*] Valerius Max. lib. 4. cap. 4. num. 9. pag. 219. *Eadem gens*, inquit, *nullum ante scrupulum argenti habuit, quam Paulus Perse rege devicto, Q. Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret. Taceo enim quod Princeps civitatis filiam ei nuptum dedit, cujus penates tam jejunos pecunia videbat*, &c. Item Plutarchus, in Paulo Æmilio, pag. 270. phiala quinque pondo donatum ab ipso ait generum Ælium Tuberonem, ob navatam egregie in bello Macedonico operam: *Αἰλίῳ Τυβέρωνι τῷ γαμβρῷ φιάλην ἔδωκε πέντε λιτρῶν ὁλκήν.* Quod iterum repetit in Apophthegm. pag. 198.

8. *Eodem enim argento.*] Communi & mutuo.

9. *Paternaque gente pellitum.*] Ex avita procerum Judicumque gente, paterno sanguine, in Gallia prognatum indicat: quorum insigne vestes essent pellitæ: uti nunc Præsidum Curiæ insula Pontico est munita vellere. Quo sensu Claudianus de bello Getico, Carm. vers. 481.

Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia.

Vide Notas & Emend. num. XXXIII. Admonet hæc vox *paterna*, ut nummum obiter hic exponam, quem refert D. Vaillant, in Famil. pag. 431. cujus prior area exhibet has voces, PR. L. FABRICI. altera serpentem in gyros convolventem se, & caput erigentem, cum subjecta epigraphe: PATERNVS. Id vero cognomen esse Fabricii vir eruditus existimat, absque ullo teste, & magno, ut arbitramur, errore. Tu lege, si me audis: *Protector Augustodunensium Trajanus Educa Restituta Negotiatorum Vota Suscepit*: pro sua nimirum salute; quam Epidaurius Anguis repræsentat.

Sect. LI. 1. *Et triclinia.*] Non cœnationem ipsam intelligit, seu conclave, sed mensam ipsam cum lectis tribus, unde mensæ inditum triclinii nomen. Sic Vitruvius triclinia pro mensis accipit, lib. 6. cap. 10. pag. 118. Cœnationes vero *οἴκους* appellat, quæ Cicero conclavia, lib. 2. de Orat. quanquam & ipsa a bonis auctoribus triclinia scimus appellata.

2. *Carvilius Pollio.*] Vide lib. 9. sect. 13.

3. *Sed Punicana.*] Ita Reg. 2. non *Punica*, ut editi. Lectos Punicanos etiam Cicero laudat, pro Mur. num. 75.

4. *Eadem.*] Eadem specie, nempe Punicana, etiam aureos lectos fecit. Vel hinc apparet, Deliacum opus, non ex ære Deliaco conflatum intelligi oportere, sed artificio generis ejus proprio ac peculiari. Forte hæ sunt *χρυσόπαστοι* [illegible], quarum meminit Clemens Alex. libro 2. Pædag. cap. 3. pag. 160.

5. *Quæ omnia expiavit.*] Luit, eluit, purgavit. Similis hæc Tullii vox in Antonium, Philip. 2. num. 85. *Tua scelera Dii immortales in nostros milites expiaverunt.* Et apud eumdem passim, *supplicio scelus expiare*.

Sect. LII. 1. *Talibus vitiis.*] Tam levibus, si cum ætatis nostræ sceleribus conferantur. Mox sequitur, *Nostra ætas fortior fuit*: quæ sunt dicta *ὑπερβολικῶς*.

2. *Dispensator.*] De hac voce diximus ex Festo, sect. 13. Thesaurarios nostra ætas vocat. Prisca, Tribunos ærarios, quibus, ut Varro ait lib. 4. de ling. Lat. erat attributa pecunia, ut militi redderent.

3. *Quingenariam.*] E quingentis argenti libris. Sic *vasa centenaria argentea* apud Lampridium in Elagabalo, pag. 107. quæ centum librarum forent. Sic ballistæ *centenariæ*, quæ saxa centum pondo jacerent: *talentariæ*, quæ talenti pondo. In Plautina fabula, quæ *Captivi* inscribitur, catenas *singularias*, quæ sunt singularum librarum, eruditiores interpretantur Act. 1. sc. 2. vers. 3.

Hisce indito catenas singularias:
Istas majores, quibus sunt vincti, demito.

Quingenariam Drusillani promulsidem, hanc lancem vocat Tertullianus, lib. de Pallio, sub finem, pag. 119. significatione Grammaticis vulgo ignota, ut animadvertit Hadr. Junius, lib. 10. cap. 5. & post eum Salmasius in eum Tertulliani librum, pag. 407. Vide Budæum de hoc Plinii loco agentem, lib. 3. fol. 90.

4. *Octo DCCCL. librarum.*] Sic Reg. 2. non, ut editi, *octo quinquaginta*. Sententia est, octo lances in comitum ejus supellectile fuisse, quæ libras DCCCL. universæ penderent: singulæ fere centum ac septem libras.

5. *Sed & testudinea.*] Vide lib. 9. sect. 13. Repositoria hoc loco Plinius intelligit, non ipsa triclinia, ut Fulvio Ursino visum, in Append. Petr. Ciacconii, pag. CXI.

6. *Nec multo majora.*] Nec longiora multo, nec latiora mensis.

7. *Aut acere.*] Laminis aceris aut citri extrinsecus adglutinatis tecta. Vide lib. 13. sect. 29.

8. *Lineasque.*] Lineas ex argento, quæ per omnes commissuras ducerentur.

9. *Stateras, &c.*] Stateræ magidisque vocabulo nihil aliud intelligi arbitramur, præter lances rotundas, quæ imponerentur mensis, tollerenturque, ut cuilibitum esset, quales sunt eæ fere quibus solemus res omnes venales appendere. Vide Constant. in Lexico, verbo *Μαγίς*.

Sect. LIII. 1. *Nec copia.*] Sic Reg. 2. codex, & Pintiani. Sic P. Ciacconius ex conjectura, lib. de triclinio, pag. 18. Perperam in editis, *Nec copia tantum argenti fuerit vita, sed validius pæne manupretium.* Quod manu factum erat, & quod datum pro eo, manupretium vocabatur, a manibus

pridem, ut ignoscamus nobis. [2] Delphinos [3] quinis millibus sestertiûm in libras emptos C. Gracchus habuit. Lucius vero Crassus Orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos [4] sestertiis c. Confessus tamen est, numquam se his uti propter verecundiam ausum. Constat eumdem [5] sestertiûm VI. millibus in singulas libras [6] vasa empta habuisse. [7] Asia primum devicta luxuriam misit in Italiam. Siquidem Lucius Scipio transtulit in trium- 5 pho argenti cælati pondo MCCCCL. Et vasorum aureorum pondo MD. anno conditæ Urbis quingentesimo sexagesimo quinto. [8] Eadem Asia donata multo etiam gravius afflixit mores, inutiliorque [9] victoria illa hereditas Attalo rege mortuo fuit. Tum enim hæc emendi Romæ in auctionibus regiis verecundia exempta est, [10] Urbis anno sexcentesimo vigesimo secundo, mediis quinquaginta septem annis erudita civitate amare etiam, non solum 10 admirari, opulentiam externam: immenso & [11] Achaïcæ victoriæ momento [12] ad impellendos mores, quæ & ipsa hoc intervallo, anno Urbis sexcentesimo octavo parta, signa & tabulas pictas invexit, ne quid deesset: pariterque luxuria nata est, & Carthago sublata: ita congruentibus fatis, ut liberet amplecti vitia, [13] & liceret. [a] [14] Petiere & dignationem hinc aliqui veterum. [15] C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse Li- 15 beri Patris exemplo traditur, ille arator [16] Arpinas, & [17] manipularis Imperator.

LIV. Argenti usum in statuas primum [1] Divi Augusti in adulatione temporum transis- CAP. XII.

INTERPRETATIO.

a *Petere.*] Quæsivere & gloriam sibi a vitiis aliqui veterum: ut C. Marius, qui &c.

NOTÆ.

& pretio Verba sunt Varronis, libro 5. de ling. Lat. In Plinianis codd manipretium ubique scribitur. Plinius ipse, lib. 34. sect 17. *Solitum enim xx manupretio cuiusque signi denarios deponere aureos singulos.* Item Ulpianus, lib. 50 Dig. tit. de verb. signif leg. *Mulieris. Plerumque plus est in manus pretio, quam in re.* Sic Ovidius: *Materiam superabat opus.* Manus enim pro opere. Manus pretia dixit Tertullianus, de idolol. ceteri contracte manupretium. Cicero, 3 in Verr. *Machina manupretium.* Ad quem locum Asconius: *Manupretium dicitur, ubi non tam materiæ ratio, quam manus atque artis ducitur.* Galli nos vulgo dicimus, *la façon.*

2. *Delphinos.*] Delphini sunt ornamenta tricliniorum, aut vasorum, delphinorum similitudine. Vide Du-Cangium in Glossario.

3. *Quinis millibus sestertiûm.*] Monetæ Gallicæ libræ sunt seu floreni 500. Vide Notas & Emendat. num XXXIV.

4. *Sestertiis centum.*] Sestertia centum, sive, quod idem est, sestertiûm centena millia, monetæ Gallicæ libræ sunt omnino 10000.

5. *Sestertiûm VI. millibus.*] Hoc est, monetæ nostræ libris 600.

6. *Vasa empta.*] Reg. 2 Colb. 3. & Pintiani codex, *una empialia*, non *vasa empta* præ se ferunt. Gronovius, *una emblemata* conjiciebat. Erant autem ἐμβλήματα ornamenta vasorum, dicta ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, quod vasis adjicerentur, & revellerentur, cum libitum erat.

7. *Asia primum.*] Livius, lib. 39. pag. 489. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est*, &c. *Asia facta Romanorum*, ait Justinus in fine libri 36. *cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.* Asia hic gemina indicatur: altera, Asia minor hodie dicitur, ubi devictus Antiochus est: altera, quæ Syria sæpius appellatur, ubi Antiochus regnabat. Plinius, libro XIII. sect. v. *Antiocho rege, Asiaque devicta, Urbis anno* DLXV. Testis etiam est geminæ hujus victoriæ nummus argenteus denticulatus, in Museo nostro, & apud Patinum, in famil. pag. 90. Caput Jovis laureatum exhibet, ac sinistro latere litteram K. In parte aversa, Scipio est in quadrigis: sinistra tenet signum militare, dextra fulmen Infra, L. SCIP. ASIA G. punctis sic notatis: *Lucius Scipio: Asia gemina.* In quibusdam nummis, teste Ursino, sine interpunctione scriptum est ASIAG. Id vero alii *Asiagenes*, Ἀσιαγενής, alii *Asiagetus*, interpretati sunt, parum certe feliciter. Nam, ut acute Sirmondus admonuit, in Notis ad Sidonium, pag. 158. unde in nummo Romano & Græcum & insolens vocabulum? Et vetus tamen hic error est. Nam & Livio tribuitur, ex vetustis codicibus, in quibus *Asiageni* & excerptis Diodori Peireskianis, in quibus Ἀσιαγενὴς legitur. Verum haud dubie legi oportet, ASIA Gemina, capta vel devicta scilicet a L. Scipione. Quamobrem in nummo quadrigæ sculpuntur, certissimum geminæ victoriæ argumentum: nam pro simplice victoria, ut jam supra diximus, tantum bigæ sculperentur. Nulla fingi certe potest causa probabilis, quamobrem Ἀσιαγενὴς, *Asia genitus*, dicatur homo Romanus, & ex nobilissima quidem gente in Urbe.

8. *Eadem Asia donata.*] Ita Reg. 2. & Colb. 3. & quos Budæus inspexit, ipso prodente, lib. 3. fol. 85. non *donata*, ut editi hactenus libri: Attalus Pergami in Asia rex, populum Romanum moriens heredem instituit. Hanc Asiæ donationem Plinius spectat.

9. *Victoria illa.*] Qua L. Scipio Antiochum deicit.

10. *Urbis anno*, &c.] Ita Reg. 2. In editis libris ad hunc diem, mendose, *anno Urbis DCXXVI mediis LVI. annis*, qui numerus nec cum ratione temporum, nec secum ipse constat.

11. *Achaica victoria.*] Excisa Corintho, per L. Mummium Achaicum, anno Urbis DCVIII

12 *Ad impellendos.*] Labefactandos, impellendos in præceps. Sic Maro, lib. 4. Æneid. vers. 22.

Animumque labantem
Impulit.

13. *Et liceret.*] Liceret quidem, cum *metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas Urbis incepit*, ut prævidisse Nasica a Floro dicitur, lib. 1. cap 15. pag 85. Liberet autem, cum omne luxuriæ genus Asiæ victoria in Urbem invexisset.

14. *Petiere*] In Reg 2. *Petere & indignationem hinc aliqui veterum.* Quibus verbis adjecta litterula, ut esset *petiere*, pro *petere*, quod Lipsius ante occupavit, sententiam huic loco maxime accommodatam elicuimus. Perperam antea legebatur, *Et liceret peccare: & dignatione hinc alicui veterum.*

15. *C. Marius.*] Valer. Max. lib 3. cap. 6. num. 6. pag. 173. *Jam C. Marii pene insolens factum: nam post Jugurthinum, Cimbricum, & Teutonicum triumphum, cantharo semper potavit: quod Liber Pater inclytum ex Asia ducens triumphum, hoc usus poculi genere ferebatur: ut inter ipsum haustum vini, victoria ejus suas victorias compararet.* Arnobius pæne extremo libro sexto: *Quid in Liberi dextra pendens potorius cantharus?* Vas est vinarium Baccho sacrum ac peculiare, ut docent Athenæus & Macrobius.

16. *Arpinas*] Tullius municipe Mario gloriari solitus est.

17. *Manipularis.*] Electus de manipulo.

Sect. LIV. 1. *Divi Augusti.*] Tranquillus in Augusto, cap. 52. *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes, exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.* Quæ forma vultus in statuis Augusti fuerit, non liquet: nulla enim superest. At in nummis antiquis pæne omnibus valuit adulatio, quæ decorum eum, ejusdemque imberbis formæ eum ac juvenilis exhibuit, cum esset annorum septuaginta, qua sum vix vicenario major. Unus superest tantum ex ære medioeri, cujus contemplandi & explorandi copiam nobis fecit eruditus Germanus; tradita etiam ultro gemina nummi effigie. Augusti vultus sat mala forma & rusticana, adjectus est lituus, symbolum Auguratus; cum epigraphe Latina, CAESAR. In postica parte vultus est senilis & gravis, barba crispa ac spissa, qualis in nummis Lacedæmoniorum e Gaza Regia pingitur, cum nomine ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ. Sed hic capite est laureato; infra, littera Græca Λ, quæ prima nominis Λυκοῦργος est: ut significetur Augustum fuisse Lycurgum alterum, hoc est, optimarum legum in Italia conditorem, ut fuit olim Lacedæmone Lycurgus: cui eo nomine, quod populares suos ad rectum vitæ cultum suis legibus transtulisset, post obitum dicavere delubrum Spartiatæ, ut Herodotus libro 1. narrat. Sic in numismate altero, quod ad librum VII. sect XXXI. protulimus. Idem Augustus eadem fere nummi forma cum Platone confertur, ob sapientiam.

se, falso existimatur. Jam enim triumpho Magni Pompeii reperimus translatam [1] Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam statuam: [3] item Mithridatis Eupatoris, & currus aureos argenteosque. Argentum succedit aliquando & auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas [4] mos tritior vetat. [a] Vidimus & ipsi [5] Arellium Fuscum (motum equestri ordine, ob insignem calumniam, [b] cum celebritate affectarentur adolescentium scholæ) ex argento anulos habentem. Et quid hæc attinet colligere, cum capuli militum, ebore etiam fastidito, cælentur argento, [6] vaginæ catillis, baltei laminis crepitent? Jam vero pædagogia [7] ad transitum virilitatis custodiantur argento: feminæ lavantur, & nisi argentea, solia fastidiant: eademque materia [8] & cibis, & probris, serviat. Videret hæc Fabricius, & stratas argento mulierum balineas, [9] ita ut vestigio locus non sit, cum viris lavantium: Fabricius, inquam, qui bellicosos Imperatores plus quam pateram & salinum ex argento habere vetabat? [c] Videret hinc dona fortium fieri, aut in hæc frangi? Heu mores! [d] [10] Fabricii nos pudet.

LV. Mirum in auro cælando inclaruisse neminem, argento multos. Maxime tamen laudatus est Mentor, [1] de quo supra diximus. [2] Quatuor paria ab eo omnino facta sunt: ac jam nullum exstare dicitur, Ephesiæ Dianæ templi, aut Capitolini incendiis. Varro & æreum signum ejus habuisse scripsit. Proximi ab eo in admiratione Acragas, [3] & Boëthus, [4] & Mys fuere. Exstant hodie omnium opera in insula Rhodiorum: Boethi apud Lindiam Minervam: Acragantis in templo Liberi Patris in ipsa Rhodo, Bacchæ Centaurique cælati in scyphis: Myos in eadem æde, & Silenus, & Cupidines. Acragantis & venatus in scyphis magna fama. Post hos celebratus est [5] Calamis & Antipater: quique Satyrum in phiala gravatum somno collocavisse verius, quam cælasse dictus est, Stratonicus. [6] Mox Cyzicenus Tauriscus. Item Ariston & Eunicus Mitylenæi laudantur, & Hecatæus: & circa Magni Pompeii ætatem [7] Praxiteles, Posidonius Ephesius, [8] Lædus Stratiates, qui prælia armatosque cælavit: Zopyrus, qui Areopagitas, & judicium Orestis, in duobus

Interpretatio.

a *Vidimus*] Vidimus & ipsi Arellium.... ex argento anulos habentem, *cum aureos fastidiret, feminarum more.*

b *Cum.*] Cum turbam adolescentium ingentem traheret, qui eum in scholis audiebant: hic comitatus fuit ei causa insignis calumniæ.

c *Videret.*] Videret ex argento balineis probrisque dicato peti præmia argentea, quæ viris fortibus debeantur: aut hæc ad illos usus frangi.

d *Fabricii.*] Fabricii abstinentiæ nos jam pudet.

Notæ.

Hinc ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ: inde ΠΛΑΤΩΝ. In isto exprimitur, quod ei dictum ab Horatio est, libro 2. epist. 1.

Cum tot sustineas & tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
LEGIBVS EMENDES, &c.

Prior tantum littera Græca nominis Lycurgi apponitur: indicante solerter nummi opifice, satis esse, si ab eruditis agnosceretur Lycurgus ex prima nominis littera, integro nomine non expresso, ob odiosam ejus significationem. Est enim Λυκοῦργος pro λυκόεργος: quod idem valet ac *lupi ira*, vel *lupus iratus*.

2 *Pharnacis.*] Ejus qui Mithridatis avus fuit. Eleganter Seneca, epist 88. de statuis in triumpho translatis: *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.*

3 *Item Mithridatis*] Auream Mithridatis statuam octo cubitorum in triumpho Pompeii latam, auctor est Appianus, in Mithrid. pag 252. Ejusdem alteram senûm pedum exhibitum a Lucullo, Plutarchus in ejus vita, pag 516.

4 *Mos tritior vetat.*] Id est, jam vulgatus & passim receptus. Innuit argenteas compedes a plebe gestatas, cum jam aureæ fastidiri cœpissent, perversa luxuria, jam trito tamen & pervulgato more. A MSS. exemplaribus non discedimus, quos negligere videntur ii qui vel *mos tristior*, quod nemo intelligat, vel *mos patriciorum*, vel *mos Quiritium*, haud satis consulto reponere conantur. De compedibus iis egimus sect 12.

5. *Arellium.*] Hic ejus Arellii filius, quem Q. Fuscum Seneca pater, lib. 1. Controv. 7. pag 91. multisque aliis locis Arellium Fuscum patrem appellat, & Rhetorem. Locum hunc, quem uti edidimus, ita typi omnes, manuscriptique codices repræsentant, ut enodarent, frustra desudarunt Barbarus, Pintianus, Gronovius, aliique Nos & interpunctione loco adhibita, & interpretatione simplici, planum, ut quidem remur, fecimus.

. 6. *Vaginæ catillis*] Ita Reg. 2. & editi libri ante Hermolaum, quo auctore typi deinceps *batillis* exhibent Dictas autem catillas arbitror pro catellis, hoc est, brevibus catenis. Qua de voce Vossium consule in Etymol.

. 7 *Ad transitum virilitatis.*] Virilis seminis. Anulo argenteo, seu fibula pædagogiorum, hoc est, puerorum pudenda perstringebant, interdum vocis, interdum valetudinis causa cujus infibulationis modum Celsus edocet, lib. 7. cap. 25. Pueri Cæsarum, sive ut apud Gruter. pag. 1037 PVERI DOMVS. AVGVSTAE. pædagogia non a Plinio modo dicuntur, sed & a Seneca, lib. de beata vita, & ab Ulpiano, leg *Quæsitum est*, dig. *de instr. fund.* vel *instr. leg.* Ab Ammiano Marcell. *Pædagogiani.* Galli diminuta voce, *Pages*, vocant, ut supra monuimus, sect. 12.

8. *Et cibis & probris.*] Et vasis, quibus feruntur obsonia: & matulis, quibus lotium excipi solet.

9. *Ita ut vestigio.*] Cum sint balnearum solia, inquit Dalecampius, strata argento perpolito ac lubrico, consistere in iis vestigium non potest. Nugæ. Quis enim lubricum adeo ex argento pavimentum putet, ut fallat vestigia? Plinius ita stratas argento balneas dicit, ut jam nulla pars earum arena sit, cui imprimi pedis vestigium queat.

10. *Fabricius.*] Luscinus ille, de quo superius diximus, sect. 50. unicuique pauperrimo censu par, inquit Valer. Max. lib 4. c 3. pag. 209. Idem cap. 4. num. 3 pag. 217 *In Catone vero Fabricio, & Q. Æmilio Papo Principum seculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet: uterque enim patellam Deorum & salinum habuit: sed eo lautior Fabricius, quod patellam suam corneo pediculo sustineri voluit* Consulatum ambo gessere simul anno Urbis CCCCLXXII. & CCCCLXVI. Censuram, post Consulatum, ut quidem Fasti ferunt.

Sect. LV. 1. *De quo supra diximus.*] Libro 7. sect. 39.

2. *Quatuor paria.*] Vasorum, sive scyphorum. Vide Notas & Emendat. num. XXXV.

3. *Et Boethus.*] Boëthus Carthaginiensis statuarius, de quo Pausanias in Eliac. prior sive lib 5. pag. 319.

4. *Et Mys.*] Meminit hujus Pausanias, lib. 1. Attic. pag. 51. Martialis item, lib. 8 Epigr. 51.

Quis labor in phiala? docti Myos? anne Myronis?
Mentoris hæc manus est? an, Polyclete, tua?

Et lib. 14. Epigr 95. cujus lemma, *Phiala aurea cælata:*

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor.

5. *Calamis.*] Dicemus de eo inferius, & de Stratonico.

6. *Mox Cyzicenus Tauriscus.*] Meminit hujus iterum Plinius, lib 36. sect 4 num 10 ubi a Tralliano marmorum cælatore diversum esse admonet.

7 *Praxiteles.*] Argentarius, de quo Cicero, lib 1. de Divin pag. 189. Diversus a statuario altero, de quo lib. 34. sect. qui CCC. ferme annis hunc antecessit.

8. *Lædus Stratiates.*] Reg 2. *Ledis Thraciades.* An *Leostratides?*

scyphis

ſcyphis [9] H S. x i i. æſtimatis. Fuit dein Pytheas, [10] cujus binæ unciæ x. venierunt. Ulyſſes & Diomedes erant in phialæ emblemate, Palladium ſurripientes. Fecit idem & cocos [11] magiriſcia appellatos, parvulis pororiis, ſed e quibus ne exempla quidem liceret exprimere, [12] tam opportuna injuriæ ſubtilitas erat. [13] Habuit & Teucer cruſtarius famam. Subitoque ars hæc ita exolevit, ut ſola jam vetuſtate cenſeatur, uſque adeo attritis cælaturis, ne figura diſcerni poſſit, auctoritas conſtet. [14] Argentum medicatis aquis inficitur, atque etiam afflatu ſalſo, ſicut in mediterraneis Hiſpaniæ. 5

LVI. In argenti & auri metallis naſcuntur etiamnum pigmenta, ſil & cæruleum. [1] Sil proprie limus eſt. [2] Optimum ex eo quod Atticum vocatur. [3] Pretium in pondo libras, x. i i. Proximum [4] marmoroſum, dimidio Attici pretio. Tertium genus eſt [5] preſſum, quod alii Syricum vocant ex inſula Syro. Jam quidem & ex Achaïa, quo utuntur ad picturæ umbras. Pretium in libras, HS. bini. [7] Dupondiis vero detractis, quod lucidum vocant, [8] e Gallia veniens: hoc autem & Attico [9] ad lumina utuntur: [10] ad abacos non niſi marmoroſo, quoniam marmor in eo reſiſtit amaritudini calcis. Effoditur & ad xx. ab Urbe lapidem, in montibus. Poſtea uritur, preſſum appellantibus qui adulterant. Sed eſſe falſum exuſtumque amaritudine apparet, quoniam reſolutum in pulverem eſt. * Sile pingere inſtituêre primi Polygnotus & [11] Micon, Attico dumtaxat. Hoc ſecuta ætas ad lumina uſa eſt: ad umbras autem Syrico & Lydio. Lydium Sardibus emebatur, [12] quod nunc obmutuit. 10 15 * CAP. XIII.

LVII. [1] Cæruleum arena eſt. [2] Hujus genera tria fuere antiquitus: Ægyptium, quod maxime probatur. Scythicum, hoc diluitur facile: cumque teritur, [3] in i v. colores mutatur, [4] candidiorem nigrioremve. Præfertur huic etiamnum Cyprium. Acceſſit his Puteolanum & Hiſpanienſe, arena ibi confici cœpta. Tingitur autem omne, [5] & in ſua coquitur herba, bibitque ſuccum. Reliqua confectura eadem [6] quæ chryſocollæ. Ex cæruleo fit, quod vocatur [7] lomentum: perficitur id lavando terendove: hoc eſt cæruleo candidius. [8] Pretia ejus, x. x. in libras: cærulei, x. v i i i. [9] Uſus in creta, calcis impatiens. Nuper acceſſit & [10] Veſtorianum ab auctore appellatum. Fit ex Ægyptii leviſſima parte: pretium ejus, x. i. [11] in libras. Idem & Puteolani uſus, præterque ad feneſtras: [12] vocant cœlon. Non pridem apportari & Indicum eſt cœptum, cujus pretium [13] x. v i i i. in libras. 20 25

NOTÆ.

9. *H S. XII.*] Ita Reg. 2. librique editi: hoc eſt, duodecim ſeſtertiis, ſive duodecim millibus ſeſtertiûm nummûm: quæ monetæ noſtræ libræ ſunt 1200 Ciaconii conjecturas nullo probabili argumento nixas, hoc loco, ad alia properans, nihil moror.

10. *Cujus binæ unciæ x. venierunt.*] Ita MSS. omnes, non *viginti*, ut editi, hoc eſt, decem ſeſtertiis, vel decem ſeſtertiûm millibus; quæ Gallicæ monetæ libras efficiunt omnino mille: majore, ut apparet, pretio, quam ſuperiores ſcyphi.

11. *Magiriſcia.*] Μαγειρίσκια, a μάγειρος, coquus, deminuta voce.

12. *Tam opportuna.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Hoc eſt, adeo facile lædebantur. Sic *contumeliæ opportunum* dixit & Seneca, lib. de Conſol. ad Helv. cap. 13. Celſus, lib 2. cap. 9. *Opportuniores hæ partes injuriæ ſunt, quæ jam male habent.*

13. *Habuit & Teucer cruſtarius famam.*] Vocem eam *cruſtarius*, Reg. 2. codex prætermiſit, cui voci ſi quis noſſe velit quæ vis ſubſit, conſulat Gothofredum in Cod. Theod. lib. 15. tit. 7. pag. 375. A cruſtis, vaſiſque potoriis cruſtatis nomen in primis habent cruſtarii. Sunt autem cruſtæ, genus emblematis, quod vaſculis inſerebatur: idemque, cum vellent, detrahebatur, quemadmodum & emblemata. Tullius, lib. 6. in Verrem, *Cruſta aut emblemata detrahuntur.*

14 *Argentum medicatis aquis*] Quæ ſunt ſapore aliquo, aut medica vi præditæ, quales ſunt quæ minerales vocantur.

Sect. LVI. 1. *Sil proprie.*] Terra lutea, quam ὤχραν Græci ex re ipſa vocant: *Ocre jaune*, ſed præcipuæ notæ atque ſplendoris: unde ſil lucidum appellatur, lib. 35. ſect. 17. Vide Agricolam in Bermanno, pag 452. & ſeq.

2. *Optimum.*] Ita Dioſc. lib. 5. cap 108.

3 *Pretium in pondo libras X. II*] Ita Reg. 2. Hoc eſt, denarii duo: Gallicæ monetæ, aſſes ſedecim. In libris hactenus editis, *Pretium in libras* x x x i i. ſine ulla pretii nota.

4. *Marmoroſum.*] Lapidoſum. Dioſcor. lib. 5. cap. 108. ochram probat in primis [illegible].

5. *Preſſum.*] Obſcurum, nubilum, fuſcumque, σκοτεινὸς, ἀμαυρὸς, *Ocre de Rut, qui eſt d'un jaune brun.* Preſſo ſaturum opponitur [illegible].

6. *HS. bini.*] Sive aſſes Romani quinque: e noſtris, tantum quaterni.

7. *Dupondiis.*] Aſſibus duobus

8. *E Gallia.*] E Biturigibus Cubis: unde nunc quoque, *Ocre de Berri.*

9. *Ad lumina.*] In picturis. *Le jour d'un tableau, les parties éclairées.*

10. *Ad abacos.*] Dicemus de ejus vocis inſolentiore ſignificatu, quem hoc loco habet, lib 35. ſect. 1 & 13.

11. *Micon.*] Græcis Μίκων, & Πολύγνωτος. De his dicemus libris ſequentibus.

12. *Quod nunc obmutuit.*] Reg. 2. *ommiſit*. Credo, pro *omiſſum*.

Sect. LVII. 1. *Cæruleum.*] Obſolevit iſtud jamdudum, inque ejus locum ſucceſſit alterum ſimile, quod ex cyaneo lapide Lazuli parant, vocantque ultramarinum, *Outremer.*

2. *Hujus genera tria.*] Theophraſtus, duo nativi cærulei genera agnoſcit, Scythicum, Cypriumque: factitium tertium, Ægyptium ſcilicet. Sic enim ille, lib. περὶ λίθων, pag. 11. Καὶ κυανὸς, ὁ μὲν αὐτοφυὴς, ὁ δὲ σκευαστὸς, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ. Γένη δὲ κυανοῦ τρία· ὁ Αἰγύπτιος, καὶ Σκύθης, καὶ τρίτος ὁ Κύπριος· βέλτιστος δ' ὁ Αἰγύπτιος εἰς τὰ ἄκρατα λειώματα· ὁ δὲ Σκύθης εἰς τὰ ὑδαρέστερα. σκευαστὸς δ' ὁ Αἰγύπτιος.

3. *In IV. colores.*] Theophr. loc. cit. pag. 11 & 12. Φασὶ δ' αὖ τὸν φάρμακον τρίβοντες, τὸ μὲν κυανοῦν ἐξ ἑαυτοῦ ποιεῖν χρώματα τέτταρα· τὸ μὲν πρῶτον ἐκ τῶν λεπτομερῶν λευκότατον· τὸ δὲ δεύτερον, ἐκ τῶν παχυμερῶν μελάντατον. Ait e cæruleo trito fieri quatuor colores: nempe binos, hoc eſt, magis minuſve candidum e cæruleo tenuiſſimo, e craſſiſſimo totidem, hoc eſt, magis aut minus nigrum

4. *Candidiorem, nigrioremve.*] Addidere Plinii interpolatores, *craſſiorem, tenuioremve*, ex Theophraſti verbis, opinor, perperam intellectis. Non habent eas voces MSS codices ulli.

5. *Et in ſua coquitur herba*] Peculiaris fuiſſe generis eam herbam indicat. Nos glaſtum eſſe ſeu iſatim arbitramur: de qua alibi Plinius, libro nempe 22 ſect. 2.

6. *Quæ chryſocollæ.*] De confectura chryſocollæ dictum eſt ſect. 26. libri hujus.

7. *Lomentum:*] [illegible], nunc cæruleum lotum, tritumque, & magis dilutum ſignificat.

8. *Pretia ejus X. X. in libras.*] Hoc eſt, denarii decem: monetæ noſtræ aſſes octoginta. Prius legebatur, *Pretia ejus XXIII. in libras: cærulei* xvi i i. pro x. v i i i. hoc eſt, denarius octo, monetæ noſtræ quaternis aſſibus & ſexagenis.

9. *Uſus in creta.*] Tectorio e creta, non item e calce, cæruleum commode illinitur.

10. *Veſtorianum.*] Vide Notas & Emend. num. XXXVI.

11 *X. I. in libras.*] Denarius unus in libras: monetæ Gallicæ aſſes octo. Prius typi ſic edebant, LX. *in libras.*

12. *Vocant cœlon.*] MSS Reg. 2. & alii, *cyllon vocant.*

13. *X. VIII. in libras.*] Denarii octo, monetæ noſtræ aſſes 64.

Ratio in pictura [14] ad incisuras, hoc est, umbras dividendas ab lumine. Est & vilissimum genus lomenti, quidam tritum vocant, quinis assibus æstimatum. Cærulei sinceri experimentum in carbone, ut flagret: [15] Fraus, viola arida decocta in aqua, succoque per linteum expresso in cretam Eretriam. Vis ejus in medicina, ut purget hulcera. Itaque & emplastris
5 adjiciunt: [16] item causticis. Teritur autem difficillime sil. [17] In medendo leviter mordet, adstringitque, & explet hulcera. Uritur in fictilibus, ut prosit. Pretia rerum, quæ usquam posuimus, non ignoramus alia in aliis locis esse, & omnibus pæne annis mutari, prout navigationes constiterint, aut ut quisque mercatus sit, aut aliquis prævalens manceps [18] annonam flagellet: non obliti Demetrium [19] a tota Seplasia Neronis principatu accusatum
10 apud Consules: Poni tamen necessarium fuit, quæ plerumque erant Romæ, ut exprimeretur auctoritas rerum.

NOTÆ.

14. *Ad incisuras*] Commissuras ipse appellat, lib. 35. sect. XI ubi de picturæ arte: *Tandem se ars ipsa distinxit, & invenit lumen atque umbras differentia colorum alterna vice se se excitante. Deinde adjectus est splendor, alius hic quam lumen: quem quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt tonon. commissuras vero colorum & transitus, harmogen.* Quid enim commissura & transitus colorum, quam luminis & umbræ, quæ ex varietate colorum fiunt, divisio? Id qui ex arte efficiunt, apud nos dicuntur, *Arrondir une figure, luy donner du relief par le moyen des jours & des ombres.*

15. *Fraus, viola.*] Ut in cærulei experimento Plinius, sic etiam & in sile probando Vitruvius violam adsciscit, lib. 7. cap. 14. pag. 148. *Itaque tinctores*, inquit, *cum volunt sil Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas cum aqua, confervefacere faciunt ad ignem: deinde cum est temperatum, conjiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex violis coloratam, & ex ea Eretriam perfundentes, & eam terentes, efficiunt silis Attici colorem.*

16. *Item causticis.*] Modice exedere Dioscor ait, lib. 5. cap. 106.

17. *In medendo.*] Dioscor. lib. 5. cap. 108. de ochra, sive sile.

18. *Annonam flagellet.*] Alii incendere, urere, excandefacere, vexare dicunt, hoc est, inferre caritatem annonæ.

19. *A tota Seplasia.*] Capuæ forum & vicus fuit, in quo unguentarii negotiabantur, ut alibi diximus. Hoc loco unguentarios Urbis Romæ atque pigmentarios putamus intelligi, appellatione deducta ab eo Capuæ vico, qui fuit his mercibus attributus.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXXIII. NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. ILLA *quæ non nascuntur repente. Mens ad inane evolans repetet quæ deinde futura sit finis. . . . exhauriendi eam : quousque penetratura avaritia.*] Sic locum hunc refinximus ductu codicis Reg. 1. & ejus quem Pintianus habuit, totidem plane syllabis apicibusque litterarum integra fide repræsentatis : interpunctione ita servata, ut sua orationi sententia, neque, ut prius, impedita constaret. Sic enim typi interpolati habent : *Illa quæ non nascuntur : ut repente mens . . . . quousque penetret avaritia.*

Sect. 4. II. *Pessimum vitæ scelus fecit, qui id primus induit digitis.*] Sic Reg. 2. aliique. Interpolatores in libris vulgatis sic edidere, *qui anulum primus.* Satis incaute id quidem : vel sic abrupta orationis serie ; nam cur ab auro, de quo agebatur proxime, ad anulum oratio transiliat, non apparet : nisi materia ipsa designetur : hoc est, aurum, cujus admonitu & anulorum quoque tota ratio pertractatur. Sed gravior multo error irrepsit in contextum Plinianum, sub calcem hujus sectionis, quam sub initium : legebatur enim ante nos : *Quod si impedimentum potius in eo aliquod intelligi, etiam consertoris usu argumentum est, majus in læva fuisse, qua scutum capitur.* Ex Hermolai Barbari officina prodiit illud *consertoris usu.* Reg. 2. codex, Lugdunensis, Chiffl. quoque, & alii probatioris notæ, *etiam sertoris usus* planissime exhibent. Parmensis editio, cum Rhodigino, repetita prioris vocis postrema littera, *etiam insertoris usu*, legit. Turnebo, lib. 6 Adversf. cap. 2. & Kirchmanno, lib. de anulis, placuit *etiam sartoris usus* : cum vox *sartoris*, pro eo qui vestes suit, sit priscis ignota : nec, si recepta ea foret, constet adhuc sententia. Gronovius, qui *sertoris usu* etiam in gemino suo codice legit, Acad. & Vossiano, nihilominus *armorum usu* reponebat. Irrito omnes conatu, audaci certe veterum exemplarium neglectu. Nos, quibus religio est ab eorum vestigiis discedere, litterula unica immutata, *serioris usus* legi jussimus, ac scriptoris sensum interpretatione nostra primi patefecimus. Nam cum prius dixisset, Iliacis temporibus anulos fuisse nullos, eosque ab eo qui primus invenit, manus primum lævæ insertos, forte quod dextra fuisset ad munia sua obeunda impeditior, inde colligit seriorem usum anulorum fuisse, hoc est, post Iliaca tempora modo cœpisse, quod tum in læva majus impedimentum foret, qua scutum caperetur. Nihil planius. Subjicit porro id quod interpretationem nostram confirmat : *Est quidem apud eumdem Homerum virorum crinibus aurum implexum : ideo nescio an prior usus a feminis cœperit.* Priorem usum seriori opponit.

Sect. 5. III. *Nec ignoro duo millia pondi auro auri perisse, Pompeii tertio Consulatu.*] Hic variant codices, sed vitiati, ut apparet, amanuensium aut eruditorum interpolatione. Propius abest a genuina lectione Reg. 2. codex, in quo legitur, *Nec ignoro duo millia pondo auri reperisse Pompeii IIIIto. Consulatu.* At Consulatum Pompeius quartum numquam gessit. *reperisse* pro *rapuisse* proclivi amanuensium lapsu confictum, ex repetitione postremæ syllabæ vocis præcedentis, *auri*, Colb. 3. & Romana anni 1470. ac Parm. edit. *Nec ignoro M. Crassum duo millia pondo auri rapuisse suo & Pompeii tertio Consulatu.* Error in re Chronographica utrobique haud levis : neque enim tertius, sed secundus Pompeii Consulatus in Fastis, cum M. Crassi Consulatu altero jungitur. Tertium Pompeius gessit triennio post cum Q. Cæcilio Metello Quartum, ut diximus, nullum vidit. Natus error ex præpostera repetitione posteriorum litterarum vocis *POMPEII*, quas esse numerales Librarii falso existimaverunt.

Sect. 6. IV. *Hoc actum P. Sempronio Longo, L. Sulpicio Coss.*] Ita libri MSS probatissimi, & editiones vetustissimæ. Quamobrem nihil mutamus ; tametsi Sempronio Sophus cognomen apud Livium, lib. 9. pag. 169. & in Fastis, non *Longus* est, & Sulpicium, quem Lucium Plinius appellat, Publium vocent Livius loc. cit. & Diodorus Sic.

Ibid. V. *Trecentis quatuor annis post Capitolinam, dedicatam.*] In libris recentius editis, *centum quatuor.* In MSS. Reg. 2. & Chiffl. & in vetustis editionibus *CCC. quatuor.* Sic paulo post, *ita CCCCXLVIII. a condita Urbe*, iidem libri habent. Itaque quidquam immutare religio fuit, tametsi Fastis sic reposcentibus.

Sect. 7. VI. *Ex omnibus selectis ad custodiendas cistas suffragiorum in Comitiis.*] Hos *custodes cistarum*, quibus excipi suffragia solerent, Tullius appellat, orat. in Pison. & post reditum in Senatum. Græci κισ. φόρυς. In Notis quæ Tironi vulgo adscribuntur, pag. 61. ubi Romani magistratus plerique omnes recensentur, *Cestifer.* Haud dubie pro *Cistifer.* Operæ pretium porro fuerit hoc loco obiter animadvertere Martialis lepidum sane jocum, qui omnibus ad hunc diem interpretibus latuit. Petitus ille nimirum est ex ambiguitate vocis *cistifer*, quæ & cistarum vitilium, qualorumque venditores, rusticanos plerumque homines significat : & Senatores Equitesve (nam ex utroque ordine constare decurias Judicum antea monuimus) qui cistas suffragiorum in Comitiis custodirent. Sunt enim aliæ cistæ suffragiorum, de quibus hoc loco agitur : aliæ *cistæ vitiles*, quibus mala condi Plinius ait, lib. 15. sect. 18. num. 2. Hinc vates arripuit jocandi causam, lib. 5. Epigr. 17. cujus lemma, *In Gelliam respuentem ordinis Equestris maritum.*

> *Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna :*
> *Dum tibi noster Eques sordida conditio est :*
> *Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo*
> *Nubere : nupsisti, Gellia, cistifero.*

Senatorum peculiare fuit, ut libro octavo diximus, insigne latus clavus : ex eo ordine & cistiferi legebantur. Itaque dum Equitem Gellia non admisit, nacta est cistiferum scilicet, sed Senatorem.

Sect. 8. VII. *Catilinanis rebus.*] Vestigia codicis probatissimi Reg. 2. integra fide secuti loco huic curationem adhibuimus : nam in eo vidimus quod & in suo Pintianus vidit, *Catilinanis rebus.* Plinius ipse, lib. 2. sect. 52. pag. 100. *in Catilinanis prodigiis* dixit. Hic vero editi ad hunc diem libri, *Senatum ei conciliant*, expuncta voce *rebus*, adjecta altera deinde *Senatum* : reliquis corruptis.

Sect. 11. VIII. *Item L. Lentulus Cos. Servio Cornelio Merendæ, Samnitum oppido capto : sed hunc quinque librarum. Piso Frugi filium ex privata pecunia donavit ; eamque coronam testamento ei prælegavit.*] In Reg. 2. cod. *expralegavit* : cetera totidem syllabis apicibusque litterarum fide religiosissima repræsentamus, quæ sunt in libris hactenus editis sic fœde interpolata : *Item L. Lentulus Cos. Serg. Cornelia Merenda, Samnitum oppido capto. Sed quinque librarum corona Piso Frugi filium ex privata pecunia donavit : eamque coronam testamento reipublicæ legavit.* Sergii vox non prænominis vice fuit umquam apud Romanos, sed nominis. Corona quinque librarum non Pisonis filium, sed Cornelium Merendam esse donatum, vel ex Valerio Maximo conjicere possumus, qui a Pisone Frugi *trium tantum librarum, corona decoratum filium* scribit. *Reipublicæ* vero aut, ut Pintianus malebat, *Populo Romano*, legatam hanc coronam, nec Valerius, nec codices MSS agnoscunt. Amanuensium illa vel semieruditorum conjectura est, ex his vocibus *ei prælegavit*, efficientium, *reip. legavit.* Denique extritam temere voculam *hunc*, inseriam alteram, *corona*, libris omnibus invitis, jure conquerimur.

Sect. 12. IX. *Et inferia margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit.*] In Reg. 2. *ut in famno*, unius litterulæ discrimine, sed errore minime obscuro. Alii, *ut in somno quoque*, &c. Et prius, *inferia margaritarum pondera*, habent MSS omnes & vetustæ editiones ; non, ut codex Pintiani interpolatus habet, *in secreto margaritarum sacculi* ; quæ postrema vox glossema est, loco vocis primigeniæ, *pondera.*

Sect. 13. X. *Argentum signatum est anno Urbis CCCCLXXXV. Q. Fabio Consule, quinque annis ante primum bellum Punicum.*] Ita libris omnes, nullo addito collega, Consuli Fabio. In Reg. 2. cod. legitur, *Q. O. C. Fabio.* Unde Canterus, lib. 2. Antiq. lect. cap. 11. legendum hic putat, *Q. Ogulnio, C. Fabio Coss.* Verum haud credibile est Librarium voluisse sola littera O *Ogulnium* intelligi. Itaque nihil mutandum in ea scriptura censemus, quam omnes libri veteres exhibent. Triumviri

monetalis ex gente Fabia, hodieque nummus exstat in Museo Parisiensi nostro, cujus ectypum Patinus exhibet, in gente Fabia, pag. 107. cum hac epigraphe ex aversa parte, EX. A. PV. hoc est, *ex argento puro*, seu potius *publico*. ex adversa sunt bigæ, cum ciconia, quod Fabiæ gentis insigne, subscribiturque, C. FABI. C. F. Sed & annum restituimus, quo Consulatum ambo gessisse dicuntur, nempe CCCC. LXXXV. cum centenario integro codices tum MSS. tum editi discrepent, in quibus legitur, CCCCCLXXXV. centenarii nota videlicet abundante. Eo certe anno, quem edidimus, Consules fuisse Q. Ogulnium Gallum, & C. Fabium Pictorem Fasti tradunt: nec quintus ante Punicum bellum primum annus alius esse potest, ab eo quem diximus. Certe in Chiffl. cod. si credimus Cl. Chiffletio, lib. de Antiq. num. cap. 7. pag. 55. diserte legitur, CCCCLXXXV.

Ibid. XI. *Aureus nummus post annum LXII. percussus est, quam argenteus, ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis: quod effecit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios* DCCCC. Torsit hic locus, si quisquam alius in toto Pliniano opere, summorum virorum ingenia, eorum præsertim qui de asse, ac de re nummaria volumina isto & anteriore sæculo ediderunt. In eo sese exercuere omnes, irrito ad hunc diem conatu. Nulla est propemodum in hac sententia syllaba, quam labis expertem putarint, quam non varie corruperint, ut corrigerent. Nos ea intacta plane omnia (præterquam quod ex Reg. 2. cod. alteroque Marcelli Cervini, qui Romæ servatur, *quod effecit*, scripsimus, cum prius *quod efficit* legeretur, quod tamen ferme perinde est, ac per se leve) sed ceteris integris, legitimam, ut remur, neque omnino invendibilem interpretationem dedimus. Ac primum quidem nec Glareano, lib. de asse, cap. 17. nec Hotomano, pag. 332. legi placet, *post annum LXII. Post XII.* multo mallent. Budæus lib. 3. fol. 71. non *sestertiis vicenis* legit, sed *bissenis*. Pancirolus, *vicenis quinis*. Mox Villalpandus, *quod efficit in senos*, non *in libras*. Post Agricola, lib. 4. pag. 98. & pag. 276. non *sestertios DCCCC.* sed *sestertios* VDCCLX. hoc est, 5760. legi jubet: sed pareant quibus ille jusserit, ut Snellius paruit, lib. de re numm. pag. 30. Leonardus Porcius, lib. de sestertio, fol. 13. & Budæus, loc. cit. *denarios DCCCC.* Hotomanus, pag. 330. *sestertios MMMMCCCCLXIV.* Jos. Scaliger, lib. de re nummaria, gag. 50. *denarios MCCCXL.* vel certe MCCCC. neglectis ad rotundum absolutumque numerum, denariis XL. His omnibus, ut dixi, & codices adversantur, & nummi. Sed quod haud paulo lepidius est, his verbis, *sestertiorum qui tunc erant*. Savotus existimat, cap 7. pag. 155. signari sestertios septuplo graviores, quam fuerint vulgares: quod commentum merito Gronovio risum movit, lib. 3. de sest. pag. 393. & reliquæ eruditorum turbæ. Præiverat Savoto Agricola, qui ut hunc nodum solveret, triplex denariorum genus commentus est, lib. 2. de monetis, pag. 279. Dalecampius in Notis Plinianis, Salmasius in vegrandi mole Exercitationum ad Solinum, Lipsius in opere postumo de re nummaria, Gronovius opere mox laudato, ceterique, locum eum intactum, tamquam foveam, prætergressi sunt. Omnes ad hæc verba, tamquam ad scopulum, adhæserunt, *quod effecit in libras, &c.* rati oportere nunc a Plinio colligi, si scrupulum auri unicum sestertiis vicenis valeret, quot sestertiis libra integra æstimanda foret: Perinde ac si non id cuivis numerandi artem callenti vel mediocriter, in promptu esset efficere. Aliud sane reconditius voluit indicare: quanta scilicet, ut diximus, lucri accessio foret, quantum Reipublicæ proficeret ærarium, cum major esset auri æstimatio, taxareturque vicenis sestertiis, quod antea minoris multo æstimaretur: nempe ut colligere cuivis proclive est subducta ratione lucri, sestertiis tantum quindenis. Nam præter planam perspicuamque sententiam, quæ sua se luce tuetur, id maxime persuadet, quod in ceteris pecuniæ generibus, ære videlicet, argentoque, pari diligentia quantum lucri Respublica fecisset, ipse aperuit. *Ita quinque partes factæ lucri*, inquit, *dissolutumque æs alienum.* Et mox, in æstimatione argenti majore, *Ita Resp. dimidium lucrata est.* Quid similius veri, quam simile Reipublicæ lucrum in auro signare Plinium voluisse his verbis, *quod effecit in libras ..... sestertios* DCCCC?

Ibid. XII. *Post hæc placuit X. XL. signari ex auri libris, paulatimque Principes imminuêre pondus: minutissime Nero, ad XLV.*] Ita Reg. 2. cod. & alter Marcelli Cervini, itemque Pintiani, *Post hæc placuit X. XL. signari.* In ceteris, quos vidimus, & in Vaticanis codd. 1951. 1953 & 1954. quorum ad nos apographa missa sunt, hæc tantum, *Post hæc placuit XL. signari*, nempe aureos. Sed excidere librariis potuit denarii nota prior: quod cum geminam viderent XX. præfigi litteræ L. quid hoc sibi vellet, non caperent. D. de Bouteroue, libro de Monetis Rom. pag. 95. appendisse se ait aureos nummos tres, primum quarti Cæsaris Consulatus, alterum quinti, tertium Syllæ Dictatoris: quorum quadrageni auri libram omnino æquarent. Agnoscit legitimam scripturam, *XL. signari*, & Petr. Gassendi, tom. 3. Philos. Epicuri. Itaque Snellium nihil moror, aut Agricolam, qui XLII. ex conjectura rescribunt, nec Budæum, qui L. nec Scaligerum, qui *XL. minus*: nec Ciaconium, aut Alciatum, qui mox, *ad XLVIII.* reponunt, libris invitis: quanquam, si fides Joan. Grævio, in opere Anglico de Denario, pag. 98. in Vaticano & Florentinæ Bibl. codd. legitur, *minutissime Nero ad XLVIII.* Sed risu dignum quod in quibusdam MSS. & in omnibus ad hunc diem editis libris legitur, *XL. millia, & ad XLV. millia.* In codicibus Plinii scilicet id animadversum a nobis crebro est: ut, cum vetustioris ævi librarii millia passuum signarent, in intervallis locorum indicandis, solam numeri notam apponerent, exempli gratia, XL. neglectis vocibus iis, *millia passuum*: atque hoc eis ubique solemne est. Recentiores vero amanuenses, qui substitui voces eas operæ pretium putaverunt, etiam sæpe numero obtrusere, ubi minime omnium oportuit. Sic libro 5. sect. 1. cum vetustiore manu scriptum viderent, *a Cl. Cæsare*, neoterici transcriptores, non solum has litteras *CL.* numerorum notas esse censuerunt: sed & *millia* addiderunt, teste Vossio in Melam, pag. 198. *a centum quinquaginta milibus Cæsare.* Simile exemplum attulimus, in Notis & Emendat. ad lib. 6. num. CXIX. Ceterum, ut huic loco finem imponam, habent libri editi, *minutissimus vero ad XLV.* Quorsum autem referatur vox ea, *minutissimus*? In Reg. 2. cod. aliisque, *imminuisse Nero*: nos, *minutissime Nero*, cum Budæo, lib. 3. de asse, fol. 60.

Sect. 14. XIII. *Proscriptione dignum, sed Spartaci. Equidem miror, &c.*] In libris vulgatis, *opus proscriptione dignum. Sed præter alia equidem miror*, pessumdata, ut apparet, sententiæ omni elegantia, quæ Spartaci illa proscriptione continetur, ut interpretatione nostra, prioribus Notis ostendimus. Habent has voces, *sed Spartaci*, codices probatissimi, Reg. 2. ceterique, & quos vidimus, & quos tractarunt Pintianus, ac Barbarus.

Sect. 15. XIV. *Sicut Carthagini cum Hannibale victæ argenti pondo annua in quinquaginta annos.*] Ita libri omnes fere tum MSS. tum editi. Nullus certe quantus ille argenti numerus fuerit, docet. Is cum ducentorum fuisse annuorum talentorum in quinquaginta annos prioribus Notis ex Appiano docuerimus, Livioque: haud dubie annua duodecim pondo millia esse oportuisse perspicuum est.

Sect. 16. XV. *Ferasque argenteis vasis incessivere tum primum noxii, quod etiam in municipiis æmulantur. C. Antonius ludos scena argentea fecit.*] Omnia pessumdant libri vulgati, interpunctione neglecta, verbisque aliis mutatis, & adjectis aliis: sic enim habent: *Ferasque argenteis vasis incessere tum primum visum est. Mox quod etiam in municipiis, &c.* Pintianus e suo, *incessi, vere tum primum noxiis, quod etiam, &c.* Nos Regii 2. codicis integerrimi fidem secuti sumus: etsi pro *vasis*, ut diximus, forsan rectius *gesis* scribatur: quod genus est teli Gallici, maxime cum sequatur, & municipia quoque hoc ludorum genus æmulari. Dalecampius e vetere lectione nescio qua, *hastis* reponebat.

Ibid. XVI. *Nero Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderet.*] In Reg. 2. *quo Tiridati*, An *quo Tiridatem regem Armeniæ ostenderet*? Favet sane Tranquillus in Nerone, cap. 13. *Non immerito inter spectacula ab eo edita, & Tiridatis in Urbem introitum retulerim. Quem Armeniæ regem magnis pollicitationibus sollicitatum, cum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissime potuit .... & primo per devexum pulpitum subeuntem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est: dein precanti tiara deducta, diadema imposuit, &c.*

Sect. 17. XVII. *Pondo* XVI. DCCCX *argenti* XXII. LXX. *& in numerato*, $\overline{\text{LXII}}$. LXXXX. CCCC. *Item Sex. Julio, L. Marcio Coss hoc est, belli socialis initio, auri* $\overline{\text{XVI}}$. XX. DCCCXXIX.] Hisce numeris quæ vis subesset, cum minime intelligerent, qui Plinium transscripsere, sic interpolarunt: *Pondo* CCXXVII. *argenti nonaginta duo millia, & extra numerum* CCC. *&* LXXX. M. *Item Sex. Julio, L. Marcio Coss. hoc est, belli socialis initio*, DCCCXLVI. *auri pondo.* Quam insigni, ut apparet, licentia. Nos Regium 2. ut solemus, codicem sequimur: cujus fidem & is tuetur planissime, quem Budæus visum a se testatur, lib. 2. de asse, fol 49.

Ibid. XVIII. *Laterum aureorum* XXV. M. *argenteorum*, XXXV. *& in numerato*, HS. CCCC.] Sic totidem plane apicibus syllabisque Reg. 2. & quos Budæus inspexit, ipso prodente, lib. 3. de asse, fol. 86. Editi hoc loco mutili & interpolati: *laterum aureorum* XXVI. M *& in numerato pondo* CCC. Sic paulo post, ubi ex ejusdem exemplaris fide scripsimus, *Perseo rege victo, e Macedonica præda* HS. MM. CCC. illi, *Perseo rege Macedonico devicto prædam pondo trium millium.* Budæus, lib. 2. fol. 49. partim e libris, partim e conjectura legebat, *e Macedonica præda, sestertium ter millies*: nos cum Regio, ut diximus, codice, *bis millies trecenties*: dissentientibus licet aliis quibusdam scriptoribus, ut fit in re haud satis explorata: Nam apud Livium, libro 45. pag. 585. *summam omnis captivi auri argentique translati* HS. *millies ducenties fuisse Valerius Antias tradit.* Velleius, libro 1. pag. 4. *bis millies centies sestertiûm ærario contulisse* scribit.

Sect. 21. XIX. *Alveus hic est, arenæque lavantur ... conjectura capitur. Invenitur aliquando .... quinquagenas libras fundens. Gummi inventum est in summo cespite abstractum, si & auro os tellus subest.*] Scriptura hæc est sincerissimi codicis Reg. 2. ceteris anteponenda, non libris modo, sed & conjecturis eru-

ditorum. In vulgatis hactenus exemplaribus sic legunt: *Alveus, ubi id est, utrumque lavantur....* Alveum lavari, ridiculum est. *Conjecta capitur, ut inveniatur aliquando in summa tellure protinus.* Quid ergo? defossis ad summam altitudinem puteis, inventoque alveo, conjectura ex eo capitur, num in summa tellure sit aurum? *Quinquagenas libras fundens, cum jam inventum in summo cespite. Alutationem vocant*, &c. Cimmeriæ tenebræ. Alutatium quidem quid sit, aut cur ita nuncupetur, decernere haud facile est: at alutationem explanare, num expeditioris operæ? Libro 34. sect. 47. Plinius *in aurariis metallis, quæ aluta vocant, inveniri* plumbum ait: Alutatium, quod MSS. præ se ferunt, inde derivari haud temere suspicari licet. Et legit quidem Hermolaus pariter, *Gummi inventum in summo cespite, alutationem vocant.*

Ibid. XX. *Quod puteis foditur, canalicium vocant, marmoris glarea inhærens, non illo modo, quo in Oriente sapphiro, atque Thebaico, aliisque in gemmis scintillat, sed micas amplexum marmoris.*] Sic libri editi pariter, & manu exarati, in primis Reg. 2. Salmasio tamen ea lectio non satisfacit. Sic emendat in Solin. pag. 1075. *Marmor id* (quodnam autem? nam de marmore adhuc nihil hactenus vel leviter delibatum:) *glarea inhærens*, (cui vero? marmoreæne marmor inhæret?) *non illo modo quo in Oriente sapphiro, atque Thebaico, aliisque in gemmis scintillat*, (bene habet: scintillat marmor in gemmis: nam id verbum referri ad nomen quod proxime in recto est, & Plinii stilum sapit, & ars ipsa poscit, hoc est, Grammatica:) *sed micans amplexu marmoris.* lepidum & illud: mallem amplexu auri marmor micare, quod verius est.

Ibid. XXI. *Quod effossum est, tunditur.... molitur in farinam, ac pilis cudunt. Vocant argentum, quod exit a fornace: sudorisque qui e camino jactatur, spurcitia, ex omne metallo scoria appellatur. Hæc in auro tunditur, iterumque coquitur.*] Regii codicis 2. in primis verba syllabasque integra fide repræsentamus. Quantum a vulgatis discrepent exemplaribus, quam sint hæc vix pauci facienda, arbitrii legentium esto: sic enim exhibent: *Quod effossum est..... molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apitascudem vocant:* Promptum unicuique est animadvertere has voces, *ad pilas cudunt, apitascudem*, ex ingrata repetitione ejusdem sententiæ, *ac pilis cudunt*, nata conflataque esse. Sequitur: *argentum, quod exit a fornace sudore. Quæ a camino jactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria.* At caminum hic omnes MSS. præferunt: etsi caminum quoque scribi haud ægre ferendum est. *Hæc in auro coquitur iterum & tunditur* Immo prius tunditur, quam coquitur: nam ideo tunditur ut in ramenta comminuatur, quo facilius coquatur, ut in auro ipso fit. Salmasii in Solin. pag. 1079. (ne quid prætermittam) hæc emendatio est. *Vocant argentum quod exit e fornace, sed auri. At quæ e camino jactatur spurcitia*, &c.

Ibid. XXII. *Sæpius vero...., cadunt, fracturis CL. libras fere agentibus.*] Fecimus huic loco medicinam, partim ductu veterum exemplarium, partim ex conjectura. In libris hactenus editis, *Sæpius vero.... cadunt fracturis CL. libras ferri terram agentibus*: obscura admodum, vel potius nulla sententia. Abest vox ea *terram*, & a Regio 2. cod. & ab eo quem Pintianus vidit. In Colb. 3. mutilus locus, *facturis terram agentibus* tantum repræsentat. Nos levi mutatione syllabæ *ferri* in alteram affinem, *fere*, orationi alias perobscuræ lucem, ut remur, attulimus. Nam quod *fractariis* in suo exemplari legisse se Pintianus contestatur, malleique genus id putat esse, commentum est, neque illud quidem ad sententiæ explanationem utile. Nec vero minus suspecta Pintiani fides in altero hujus sectionis loco, vitiato sane ad hunc diem maxime, cui & nos primi fecimus medicinam. Cum enim libri editi præ se ferant: *Si longior videtur silex, latus sequitur. Possunt ambit quieti. Tamen in silice*, &c. Neque editi modo, sed & Reg. 2. cod. aliique: ipse in suo exemplari legisse se contestatur, *latus caditur*: legique deinde jubet ex conjectura, *fossa ambiente.* At legi scribique verius est certe quidem, propiusque ad vestigia veteris scripturæ, uti edidimus, *latus sequitur fossa, ambitque*: cum & sua tum ei loco constet sententia, & illud *quieti* ex priore syllaba vocis subsequentis, *tamen*, natum videatur: & *fossam* pro *fossa* ex vocabulo *ambitque*. Sic Agatharchides, apud Photium, cod. 250. pag. 1340. ubi de Ægyptiis auri fodinis agit, cuniculos agi monet, non rectos illos quidem, sed modo sursum, modo deorsum, nunc ad sinistrum latus, nunc in obliquum transversumque: *Καὶ τέμνουσι διὰ τὴν πέτραν ὑπονόμους πλείονας οὐκ ἐπ᾽ εὐθείας· ἀλλὰ μὲν ἄνω..... ποτὲ δὲ κατωτέρω· πάλιν δὲ εἰς ἀριστερὰ κλίνοντες· ἐνίοτε δὲ σκολιὰ τῷ δεινῷ γραμμῷ*, &c.

Ibid. XXIII. *Manus trahunt omne vitium in sportis. Id genus terra*, &c.] Locus hactenus afflictus in paucis, & propemodum desperatus. In libris hactenus editis: *Manes trahuntur ad homines, ut vitium importent.* Quibus etsi probabilis subesse sententia posse videatur, magis alieno tamen efferri loco non potest: cum hic juga montium cædantur, non radices fodiantur, quibus iter ad manes. In Colb. 3. *Manus trahuntur ad om vitium importent*: quæ sane plus habent similitudinis veri: nam cum pedes ante officio fungi hic posse negavit, quæ manuum deinde sint partes in hac opera, indicare haud dubie voluit. Lineola posteriori litteræ vocis *om* superposita, *omenne* an *omne* signet, in dubio linquit. Dalecampium ex vetusto cod. MS *Manus trahuntur ad omen*: Sensumque ait esse pendentes operarios obviam terram manibus trahere, ad omen & judicium, an firma sit ad sustinendas trabes, an vitiosa & tenerior Perinde quasi id manuum vel oculorum, ac non ferramenti, hoc est, fossorii potius instrumenti judicium sit: aut Latinæ ferre possint aures, *Manus trahi ad omen*, ubi terram manibus extrahi sententia sit: aut denique vel Oedipus ipse capere possit, quid sit *trahi manus, ut vitium importent.* Adde audacioris esse conjecturæ, quæ voculam *ut* adjiciat, ceterasque loco permutet: *ut terra vitium importent. Id genus*, &c. cum *vitium in porto*, vel *importent. Id genus terra* libri omnes exhibeant. Reg. 3. & Lugd *Manus trahuntur ad homines vitium in porto.* Perpensis rite singulis, nihil vendibilius nobis occurrit, quam quod proposuimus. Vitium enim hic designari necesse est illud ipsum, de quo statim subjicitur: *Id genus terra.* Vitiosam igitur terram ac teneriorem necesse est subintelligi, quæ extrahatur manibus operarum, ingetaturque in sportas, quas per manus proximis tradant, ut egerant. Sect. 33.

Sect. 25. XXIV. *Est & ipsi superlato vis malefica.... Remedium est ablmere illatum.*] Sic libri omnes, etiam MSS. non, ut Gronovius emendat, *superlato*: & *sublatum*. Plinius ea voce & alias usus: Libro 32. sect. 46. *Sed si castoreum fibrumve supergrediatur gravida, abortum facere dicitur: & periclitari partus: si superferatur*, hoc est, si sursum feratur, ac supra caput. Vide Indicem. Valer Max. lib. 8. cap. 6. *C. autem Marius, ad auxilium servorum pileo superlato confugit*: sed sunt qui legant ibi, *sublato*.

Ibid. XXV. *Torretur & cum salis gemino pondere, triplici misyos,.... Et paulo post: Quod si tritus pumex adjiciatur*] Sic Reg. 2. codex, totidem literis, & Pintianus e suo. Prius inepte typi sic exhibebant: *Torretur & cum salis grumo pondere triplici misso*, &c. Ex mox, *Quod si trito spuma adjiciatur.* Dalecampius conjiciebat, *Quod si nitri spuma.* At pumicem tritum, seu farinam pumicis per se explere hulcera, & ad cicatricem perducere, Dioscorides auctor est lib. 5. cap. 125. *Δύναμιν ἔχει.... ἑλκῶν ἀναπληρωτικὴν, καὶ ἀπουλωτικήν.*

Sect. 27. XXVI. *Neronis Principis.... cum ipso concolori panno aurigaturus esset. Indocta opificum turba tribus eam generibus distinguit.*] Totidem plane apicibus syllabisque Reg. 2. cod. In editis corruptissime: *cum ipso concolori panno aurigaturus esset, introducta opificum turba Tribus eam*, &c. Monet Dalecampius in suo vetusto codice legi *inducta*: atque ita sane Colb. 3. At ille Regius 2. *indocta*: Nosque verbis iis a superiore sententia divulsis, cum sequente ea connexuimus, ut putamus, apte. Sic enim pari forma loquendi Plinius antea usus libro 31. extremo, sect. ult. ubi de spongiis: *Medici inscitia ad duo nomina eas redegere*, &c.

Sect. 32. XXVII. *Ideo & optime purgat, ceteras ejus sordes exspuens crebro jactatum fictilibus in vasis, vestibus injectis. Sed ut ipsum ab auro discedat, in pelles subactas effunditur, per quas sudoris vice defluens, purum relinquit aurum*] Ex conjectura nos primi *vestibus injectis* edidimus. In libris ad hunc diem vulgatis: *ita vitiis abjectis, ut ipsum ab auro discedat. In pelles subactas*, &c. non unico aut interpunctionis, aut interpolationis vitio. In Colb. 3. *fictilibus in vasis, ita injectis Sed ut ipsum*, &c. Reg. 2. *Fictilibus in vasis avitis injectis. Sed ut ipsum*, &c. Sic & Pintiani codex. Ut *vestibus injectis* scriberemus, Vitruvius persuasit, qui rem eamdem, ni fallimur, explanat dilucide magis, lib. 7. cap 8. pag. 141. *Cumque in veste, inquit, intextum est aurum, eaque vestis contrita, propter vetustatem, usum non habet honestum: panni in fictilibus vasis impositi supra ignem comburuntur. Is cinis conjicitur in aquam, & additur ei argentum vivum: Id autem omnes micas auri corripit in se, & cogit secum coire: aqua defusa, cum id in pannum infunditur, & ibi manibus premitur, argentum per panni raritates propter liquorem extra labitur, aurum compressione coactum intra purum invenitur.*

Sect. 34. XXVIII. *Et contra ambusta igni, cum adipe.*] Plinio dicam scribit hoc loco Dalecampius, quod cum Græcus auctor, a quo hausisse hæc videtur, στέαρ dixerit, ipse verterit adipem, cum farinam aqua subactam ea voce intelligi æquius multo fuerit At Dioscoridis ipsius hæc verba sunt, lib. 5. cap. 99. *Ἰδίως δὲ τὰ κατακαύματα ἐν τῷ ἐσχαροῦσθαι, σὺν στέατι καταχριόμενα νεαρῷ*, &c. *Privatim ambusta igni in crustulas erumpere non patitur, cum recenti adipe illitum*, &c. Certe aptior ad illinendum adeps, quam farinæ massa subactæ: nec de ea νεαρὸν στέαρ dici legere me memini, nec credo posse: de adipe recenti, legitime dicitur. Denique non Plinium modo, sed & Serapio quoque adipe stibium circumlini pariter solitum scribit: & e recentioribus Fallopius, lib. 5. de nat. fossil. cap 29.

Sect. 37. XXIX. *Theophrastus XC. annis ante Praxibulum Atheniensium Magistratum, (quod tempus exit in Urbis nostræ CCCXLIX. annum) tradit inventum minium a Callia.*] In libris editis, atque adeo & manu exaratis, legitur dumtaxat CCXLIX. Itaque mutare quidquam, aut Plinium, libris ejus invitis, falsi coarguere in ratione temporum non audemus. Hunclocum præpostere emendat Casaubonus, in Theophrasti Characteres, p. 17.

Ibid. XXX *Reperiri autem jam non in Hispania.*] Sic etiam libri MSS. Quid si porro legas, *Reperiri autem natrum in Hispania?* Theophrastus enim, lib. περὶ λίθων, Αὐξᾶται, inquit, τὸ περὶ Ἰβηρίαν, &c.

Sect. 47. XXXI. *Nec fuit satis, nisi totum Parthorum absorpsisset aurum: Atque in memoriam quidem opimum occupatus: juvat enim insectari inexplebilem istam habendi cupiditatem. Multos postea cognovimus servitute liberatos opulentiores*, &c.] Sic totidem plane apicibus syllabisque Colb. 3. In Reg. 2. *atque in memoriam quidem optimo occupaverit.* Editi multo deterius, tum verbis interpolatis, neglecta pariter interpunctione verborum, sententiisque permixtis: *Atque ut nomen quidem opimo* (alii *opimum* conjiciebant) *occupaverit* (*juvat enim insectari inexplebilem istam habendi cupiditatem*) *multos postea*, &c.

Sect. 50. XXXII. *Idemque cum de Pœnis triumpharet, quatuor millia CCCLXXX pondo transtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quot mensarum postea apparatu terra? Numantia quidem deleta, idem Africanus in triumpho militibus X. VII. dedit. O viros illo Imperatore dignos, quibus hoc satis fuit!*] Quantum intersit typos inter interpolatos a semidoctis hominibus, codicesque integerrimos, quos secuti sumus, in primisque Regium 2. cujus scripturam religiosissime repræsentamus, totidem apicibus syllabisque, legentium esto judicium. Sic enim typi omnes: *Idemque cum de Pœnis triumpharet, quater millies* CCCCLXX. M. *pondo transtulit.* Incredibile merito visum id Petro Ciacconio est, lib. de triclinio, pag. 17. *Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in mensarum est apparatu.* Falsum, in ærario potius fuit. Sed alia longe est scriptoris sententia. *Postea vero Numantia & deleta*, (cui vero extrita vocula *quidem*, non apparet?) *Idem Africanus in triumpho militibus* XVII. *millia pondo dedit.* Non a nostro solum, sed & a Pinciani codice absunt eæ voces *millia pondo*: nec vero, nisi absint, intelligo quæ sit ea militum abstinentia, digna illa acclamatione, quæ statim sequitur, si tam largo fuerint donativo compensandi.

Ibid. XXXIII *At hercules Pompeium Paulinum Arelatensis Equitis Romani filium, paternaque gente pellitum, quod XII. pondo argenti habuisset apud exercitum, ferocissimis gentibus oppositum scimus*] Sic Reg. 2 codex & alii. In Colb. 3. *paternaque gente appellatum.* In editis, multo deterius, *paterna quoque gente pulsum.* Vidit & e suo codice Gronovius legi oportere, *paternaque gente pellitum*: sed delicias facit, cum de Pellitis Sardiniæ populis id accipi jubet, quos Livius lib. 23. Pellidos Sardos vocat. Nec magis digni venia Claudiani interpretes, qui ad locum a nobis in prioribus Notis allatum, Curiam pellitam interpretantur, multa veste contra cæli inclementiam probe munitam: cum id ibi vestium genus non munimen, sed decus sit, & honoris insigne. Sic vetus auctor vitæ S. Lupicini Abbatis Jurensis: *Nonne certus ... mutare muriceos pellito sub judice fasces?* Sic Francos quoque Reges frigoris metu scilicet, pellitos exhibet Venantius Fortunatus, lib. 9. Poem. 5

Pellitos veniens Chlodovechi gente potenti.

Haud dubie sane, ut pileati, sic pelliti cognomen, decoris & honoris fuit. Atqui *Pileati* apud Gothos dicti potissimum, inquit Jornandes, de rebus Geticis, cap. 5 *qui inter eos generosi exstabant, ex quibus eis & reges & sacerdotes ordinabantur.* De hac postrema Pileatorum appellatione, multa Du-Cangius in Glossario, erudite, ut solet. Denique facit hoc egregie ad Plinii sententiam explanandam, quæ in eo est posita, ut levius ejus viri crimen velit existimari potuisse, qui XII. pondo argenti habuerit, cum esset Equitis Romani filius, & ex paterna gente pellitus.

Sect. 53. XXXIV. *Delphinos quinis millibus sestertium in libras emptos C. Gracchus habuit.*] Prius legebatur, *quinis millibus sestertiis*, quod de sestertiis sive neutrius, ut vocant, generis, sive masculei, recte dici ars non patitur, hoc est, Grammatica. De sestertiis porro posterioris generis accipi hæc oportere auctor est Plutarchus in Gracchis, pag. 825. ubi objecisse Gracco Drusum ait, quod delphinos argenteos comparasset, emptos in singulas libras, denariis mille quingentis & sexaginta, sive, quod idem est, quinis sestertium millibus, ὡς αὐτὸς Δροῦσος ἤλεγχε, ὅτι δελφῖνας ἀργυροῦς ἐωνήσατο τιμῆς εἰς ἑκάστην λίτραν δραχμῶν χιλίων καὶ διακοσίων πεντήκοντα.

Sect. 55. XXXV. *Quatuor paria ab eo omnino facta sunt: ac jam nullum exstare dicitur, Ephesiæ Dianæ templi, aut Capitolini incendiis. Varro & æreum signum ejus habuisse dicitur.*] Ita Reg. 2. & Pinciani codex: quæ divulsa perperam distractaque, & interpolata, hulcam nec satis cohærentem efficiunt in libris ad hanc diem vulgatis sententiam: hoc nempe modo: *Ac jam nullum exstare dicitur. Ephesiæ Dianæ templum poscit, Capitolium incendiis. Varro*, &c. Quorsum, quæso, spectat Ephesini incendii mentio, aut Capitolini, cum de signis statuisque agitur? Illud nimirum est: innuere velle Plinium in utraque ea æde servata hæc signa olim, in utraque pariter periisse. De priore certe hujus sententiæ parte ipse haud obscure, lib. 7. sect. 39. *Testimonium perhibet Mentori Capitolinus, & Diana Ephesia, quibus fuere consecrata artis ejus vasa.* De posteriore sanatus ope nostra hic locus, reliquum nullum facit dubitandi locum.

Sect. 57. XXXVI. *Nuper accessit & Vestorianum ab auctore appellatum*] Ita Reg. 2. & alii. Prius *Nestorianum* legebatur. At Vitruvius, lib. 7. cap. xi. pag. 144 *Cæruleri temperationes Alexandriæ primum sunt inventæ: postea idem Vestorius Puteolis instituit faciendum.* Isidorus item, lib. 19. Orig. cap. 17. *Venetum cæruleum temperare primum Alexandria reperit. In Italia ex arena pulvere & nitri flore idem faciunt. Sed si Cyprium in fornace adustum huic permistioni addes, Vestoriani similitudo erit.* Vestorium suum Cicero non semel vocat, lib. 4. ad Attic. ep. 13. & lib. 6. ad Attic. ep. 2. Apud Gruterum in Inscript. pag. 245. VICVS VESTORIANVS. Haud dubie a Vestorii officina nomen fictum.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXXIV.

I. PROXIMA dicantur æris metalla, cui & in usu proximum est pretium: immo vero ante argentum, ac pæne etiam ante aurum, Corinthio. Stipis quoque auctoritas, [1] ut diximus. [2] Hinc æra militum: [3] Tributi ærarii, & ærarium, [4] obærati, & ære diruti. [5] Documus, quamdiu populus Romanus ære tantum signato usus sit. [a] [6] Sed & alia vetustas æqualem Urbi auctoritatem ejus declarat, a rege Numa [7] collegio tertio [8] ærariorum fabrûm instituto.

CAP. I.

II. [1] Vena quo dictum est modo effoditur, igníque perficitur. [2] Fit & e lapide ærofo, quem vocant cadmiam. Celebritas in Asia, & quondam in Campania, nunc in Bergomatium agro, extrema parte Italiæ. Feruntque nuper etiam in Germania provincia repertum. [3] Fit & ex alio lapide [3] quem chalciten vocant in Cypro, [4] ubi prima fuit æris inventio: mox vilitas præcipua, reperto in aliis terris præstantiore, maxime [5] aurichalco, quod præcipuam bonitatem admirationemque diu obtinuit. [6] Nec reperitur longo jam tempore, effeta tellure. Proximum bonitate fuit Sallustianum in Centronum Alpino tractu, non longi & ipsum ævi. Successitque ei Livianum in Gallia. Utrumque a metallorum dominis appellatum: [7] illud ab amico Divi Augusti: hoc a conjuge, velocis defectus. Livianum quoque certe admodum exiguum invenitur. Summa gloria nunc [8] in Marianum conversa, quod & Cordubense dicitur. [9] Hoc a Liviano cadmiam maxime

CAP. II.

INTERPRETATIO.

a *Sed &c.*] Sed & alia vetusta causa æris signati usum & auctoritatem æqualem Urbis natalibus facit.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Ut diximus.*] Libro 33 sect. 13. & 48.

2 *Hinc æra militum*] Apud Gruterum, pag. 508. inscriptio vetus, AERA. STIPENDIAQVE. Altera, pag. 565. MIL. AER. XII *miles ærum*, hoc est, stipendiorum *duodenum*. Tertia, pag. 454. PRAEF. MILIT. AERARI.

3. *Tributi ærarii.*] Festus: *Ærarii Tribuni a tribuendo ære sunt appellati. Ærarium sane populus Romanus in æde Saturni habuit.* Unde vetus inscriptio, apud Gruterum: VIII. VIR. III. AERARI. SATVRNI *Octumvir tertium, Ærarii Saturni.*

4. *Obærati & ære diruti*] Festus: *Dirutum ære militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiæ causa non erat datum: quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum.* Vide Notas & Emend. num I.

5. *Documus.*] Libro 33 sect. 13.

6 *Sed & alia*] Vide Notas & Emend. num II.

7. *Collegio tertio*] Ad Sacerdotum Augurumque collegia.

8. *Ærariorum fabrum.*] Qui ex ære flato monetas, sigillariaque exprimebant, operaque ejusmodi publice proponebant. Iidem, ut videtur, in vetustis inscriptionibus *Flaturarii* appellati.

Sect. II. 1. *Vena quo dictum est modo.*] In argento videlicet, sect 31. superioris libri.

2. *Fit & e lapide*] Infra, sect. 22. *Ipse lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur.* Lapis ejuscemodi ab ære in fornacibus conflato (æs rubrum hodie vocitant) tam avide sorbetur, ut massa æris 72. librarum, hoc admixto lapide centenaria evadat. Snellius, lib. de re numm. pag 6. Hyginus fab. 272. *Cadmus Agenoris F. æs Thebis primus inventum condidit.* Cadmia igitur ab eo forte nomen traxit. Nostri vocant, *Calamine.*

3. *Quem chalcitem.*] Arist. lib. 5. hist. anim. cap. 18. pag. 608. Ἐν δὲ Κύπρῳ οὗ λίθος χαλκῖτις καίεται. Festus: *Ærosam appellaverunt antiqui insulam Cyprum, quod in ea plurimum æris nascatur.*

4. *Ubi prima.*] In Chalcide Eubœæ oppido æs primum fuisse repertum, auctor est Solinus ex Callidemo, cap. 11. pag. 30.

5. *Aurichalco.*] Quod, ut Isidorus ait, lib. 16. Orig cap. 19. & splendorem auri, & duritiam æris possideat. Festus, verbo *Aurichalcum*, verius, *orichalcum* dici putat, *quod in montuosis locis invenitur: mons etenim Græce ὄρος appellatur.* De ea voce plura vide apud Vossium in Etymol.

6. *Nec reperitur.*] Nec forte uspiam exstitit, præterquam apud poetas, & in fabulis: ut Aristoteli persuasum olim fuisse auctor est Apollonii Scholiastes. Plautus in Mil. act 3. sc. 1. vers. 64. tres homines frugi, æqui ponderis cum aurichalco æstimat:

Cedo tres mihi homines aurichalco contra cum istis moribus.

Certe cum reperiri sitem Plinii jam ævo desierit, non illud esse vel ex eo capite evincitur, quod nos *du Laton*, vernaculo sermone apellare consuevimus. Non simplex aliquod metallum fuisse orichalcum Stephanus innuit, verbo Ἀρδήνη: Sed ex lapide quodam cum ære cocto, fieri solitum. Ἀνδειρα πόλις, ἐν ᾗ λίθος, ὃς καιόμενος σίδηρος γίνεται, ... ὀρείχαλκος γίνεται. Lapidem eum cadmiam esse fossilem Kircherus noster arbitratus est, lib. 10 Mundi subterr. sect 4. pag. 218. Cui sententiæ Festus suffragatur: *Cadmea terra, inquit, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.*

7. *Illud ab amico.*] Salustio Crispo fortassis, quem participem secretorum Augusti Tacitus vocat, lib. 1. Annal. pag 6. Meminit & Seneca lib 1. de Clementia, cap. 10.

8. *In Marianum.*] A Mario septies Consule, ut diximus libro sup. sect. 13. quemadmodum a Sallustio Liviaque genera æris alia nomen acceperunt. Vel, quod alicui forsan similius veri videatur a Marianis montibus prope Cordubam, nunc *Sierra Morena.*

9. *Hoc a Liviano.*] Si Livianum æs exceperis, Marianum æs maxime omnium sorbet, sibique adglutinat, commiscet-

sorbet, & aurichalci bonitatem imitatur [10] in sestertiis dupondariisque, Cyprio suo assibus contentis. Et hactenus nobilitas in ære naturalis se habet.

III. Reliqua genera artificio constant, quæ suis locis reddentur, summa claritate ante omnia indicata. Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur, & tamen ars pretiosior erat: nunc incertum est pejor hæc sit, an materia. Mirumque, cum ad infinitum operum pretia creverint, auctoritas artis extincta est. Quæstus causa enim, ut omnia, exerceri cœpta est, quæ gloriæ solebat. [1] Ideo etiam Deorum adscripta operi, cum proceres gentium claritatem & hac via quærerent: adeoque exolevit fundendi æris pretiosi ratio, ut jamdiu ne fortuna quidem in ære jus artis habeat.

Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur: [2] hoc casus miscuit, Corintho, cum caperetur, incensa: mireque circa id multorum affectatio fuit: quippe cum tradatur, non alia de causa Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum cum eo ab Antonio, quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset. At mihi [3] major pars eorum simulare eam scientiam videtur, ad segregandos se a ceteris magis, quam intelligere aliquid ibi subtilius: & hoc paucis docebo. Corinthus capta est Olympiadis [4] CLVI. anno tertio, nostræ Urbis DCVIII: [5] cum ante sæcula fictores nobiles esse desissent, quorum ista omnia signa hodie Corinthia appellant. Quapropter ad coarguendos eos ponemus artificum ætates. Nam Urbis nostræ annos ex supradicta comparatione Olympiadum colligere facile erit. Sunt ergo vasa tantum Corinthia, quæ isti elegantiores modo in esculenta transferunt, modo in lucernas, [6] aut trulleos, nullo munditiarum respectu. Ejus tria genera: candidum, argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura prævaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit. Præter hæc est, cujus ratio non potest reddi, quanquam hominis manu facta dederit Fortuna temperamentum simulacro signisque, illud suo colore pretiosum ad jocineris imaginem vergens, quod ideo [7] hepatizon appellant, procul a Corinthio: longe tamen ante Ægineticum atque Deliacum, quæ diu obtinuere principatum.

IV. Antiquissima æris gloria [1] Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis, tricliniorum pedibus fulcrisque. Ibi prima nobilitas æris. Pervenit deinde ad Deûm simulacra, effigiemque hominum, & aliorum animalium.

V. Proxima laus Æginetico fuit. Insula & ipsa, nec æs gignens, sed officinarum temperatura nobilitata. Bos æreus inde captus [1] in foro boario est Romæ. Hoc erit exemplar Æginetici æris: Deliaci autem Juppiter in Capitolio in Jovis Tonantis æde. Illo ære Myron usus est, hoc Polycletus, æquales atque condiscipuli. Æmulatio iis & in materia fuit.

CAP. III. VI. Privatim Ægina candelabrorum superficiem dumtaxat elaborotavit, sicut Tarentum [1] scapos. In his ergo juncta commendatio officinarum est. Nec pudet [2] Tribunorum

NOTÆ.

que lapidem cadmiam, cum in eumdem, in quo conflatur æs, fornacem immittitur.

10. *In sestertiis.*] Fuere igitur & ex ære sestertii, sicuti dupondii, & asses: ex dispari tantum æris genere conflati: sestertius, dupondiusque, Mariano. Cyprio assibus adjudicato. De dupondio ex ære testis Petronius in Satyr. pag. 40. *Præter unum dupondium sicilicumque, quibus lupinos destinaveramus mercari, nihil ad manum erat.* Ne porro Plinium hallucinatum existimem, usus illius ævi, quem probe ei perspectum hac in re fuisse nemo inficias ierit: ne corruptos codices putem, conspirans exemplarium consensus vetat: adeoque ne & Gronovio assentiar, lib. 3. de sestertio, pag. 529. ita conjicienti, *in sesquassibus dupondiisque.* Vide quæ de universa re Monetaria veterum Romanorum cura singulari diximus, in eo volumine, quod, *Nummi antiqui Populorum & Urbium illustrati*, inscripsimus.

Sect. III. 1. *Ideo etiam Deorum.*] Vulcani. Lactantius, lib. 1. de falsa relig. cap. 18. pag. 60. *Artes quoque suis inventoribus immortalitatem peperisse dicuntur, ut Æsculapio medicina, Vulcano fabrica.*

2. *Hoc casus miscuit.*] Incensa urbe. Florus eleganter, lib. 2. cap. 16. de Corintho: *Quantum opes & crematerit, hinc scias quod quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit ruina: quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentique vena in commune fluxere.*

3. *Major pars eorum.*] Quorum circa signa Corinthia affectatio fuit, ut paulo ante dixit: qui signis ejusmodi in primis capiebantur.

4. *CLVI. anno tertio.*] Sic libri omnes etiam MSS. CLVI. Sed hic numerus haud dubie ibi in mendo cubat. Incidit enim Urbis annus DCVIII. in annum tertium, CLXI. Olympiadis. Quare denarii nota, X. mutata perperam fuerat in notam quinarii, V.

5. *Cum ante secula.*] Ante annos CLII. hoc est, Olympiade CXX. ut dicetur sect. 19. Etiam MSS. codices sic præ se ferunt. Conjiciebat autem Gelenius legi multo commodius posse, *cum ante seculo*, hoc est, ante centum annos, quam Corinthus caperetur.

6. *Aut trulleos.*] Trulleus, sive trulleum, sive trulla, pro matula hoc loco accipitur, ut apud Martialem, lib. 9. Epigr. 97.

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro:

Deprensus dixit: Stulte, quid ergo bibis?

Subintellige: nisi vis & urinam reddere. Furtum ingeniose dissimulat, quasi idcirco tantum matulam sustulisset, ut offerret ægro

7. *Hepatizon.*] Ἡπατίζον, jocineris colorem referens.

Sect. IV. 1. *Deliaco*] Deliaca vasa & Corinthia laudat in primis Cicero, pro Sext. Rosc. Amer. num. 153.

Sect. V. 1. *In foro boario.*] Regione Urbis octava, ex P. Victore, in descriptione Urbis Romæ.

Sect. VI. 1. *Scapos.*] Candelabrorum truncos, ac ramulos: *Branches de lustre, branches de girandole, branches ou tiges de flambeau.* Superficies autem appellatur, superior ea planities, cujus in medium foramen candela inseritur.

2. *Tribunorum militarium salarii.*] Tanti candelabra emere, *quantum in legione Tribuni accipiunt*, ut cecinit Juvenalis, Satyr. 3. vers. 132. Porro quod miles qui pedibus merebat, accipere solitus erat stipendium, id centurio duplum referebat, eques triplex, quadruplum Tribunus, uti ex Livio lib. 35. de triumpho Pauli, & ex Appiano colligitur, lib. 2. de bellis Civ. pag. 491. Erat autem peditis diurnum stipendium denarius unus, ut diximus lib. 33. sect. 13. unde computatione facta quantum esset Tribunorum salarium annuum licet æstimare: nempe denariûm 1460 seu Gallicæ monetæ librarum annuo 584.

militarium

militarium salariis emere, [3] cum ipsum nomen a candelarum lumine impositum appareat. [4] Accessio candelabri talis fuit,. Theonis jussu præconis, Clesippus fullo, gibber præterea & alio fœdus aspectu: emente id Gegania [5] sestertiis quinquaginta: eademque ostentante convivio emptum, ludibrii causa nudatus, atque impotentia libidinis receptus in torum, mox in testamentum prædives, numinum vice illud candelabrum coluit, & hanc Corinthiis fabulam adjecit: vindicatis tamen moribus nobili sepulcro, per quod æterna supra terras Geganiæ dedecoris memoria duraret. Sed cum esse nulla Corinthia candelabra constet, nomen id præcipue in his celebratur, quoniam [6] Mummii victoria Corinthum quidem diruit, sed compluribus Achaïæ oppidis simul æra dispersit.

VII. Prisci limina etiam ac valvas ex ære in templis factitavere. Invenio & a [1] Cn. Octavio, qui de Perseo rege navalem triumphum egit, factam [2] porticum duplicem ad Circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata a capitulis æreis columnarum. [3] Vestæ quoque ædem ipsam Syracusana superficie tegi placuisse. Syracusana sunt [4] in Pantheo capita columnarum a M. Agrippa posita. Quin etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina objecit Sp. Carvilius Quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.

VIII. [1] Nam triclinia ærata, [2] abacosque, [3] & monopodia Cn. Manlium Asia devicta primum invenisse triumpho suo, quem duxit Urbis anno DLXVII. [4] L. Piso auctor est. Antias quidem L. Crassum heredem L. Crassi Oratoris, multa etiam triclinia ærata vendidisse. Ex ære factitavere [6] & cortinas, tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maxime Apollinis Delphici dicabantur. Placuere & [7] lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes: qualis est in templo [8] Apollinis Palatini, quod

NOTÆ.

3. *Cum ipsum nomen.*] Cum res ipsa quæ tanti emitur, tam vilis sit ipsa per se, ut a candelis nomen accipiat.

4. *Accessio candelabri talis.*] Ex ære Æginetico. Locus hic salebrosissimus visus est Hermolao, qui extricare se ex eo non potuit. Sententia est, quam tamen, non nisi veniam ante præfatus, aperire vix ausim: adeo pudet inquinare chartas, aureisque & animos legentium vel leviter inficere pœnitet. Cum auctio fieret, inquit, præco Theon candelabro Corinthio pretioso, accedere & adjungi voluit servum nihili, pravissimo corpore, fullonem Clesippum. Id candelabrum cum appendice homuncionis comparavit L. sestertiis Gegania, vidua nobilis & locuples. Eam emptionem dum frequenti convivio ostentat, productus quoque, & ut vitia corporis manifestiora jocos præberent, nudari jussus est Clesippus: libidinis impudentia correpta domina, recepit eum mox in torum, manu misit, maritum heredemque sumsit. Ille æs, cui nisi applicitus adhæsisset, numquam pervenisset ad res tam opimas, non secus ac fatum suum veneratus est: ac totam hanc fabulam Corinthiis vasis cum vulgo adscripsit. Providit tamen interim & bonis moribus, vel cum nobile sepulcrum erexit Geganiæ, per quod dedecus illius supra terras in omne ævum duraret. Geganiorum familia Romæ nobilis, apud Plutarchum in Numa, pag. 66. & 67. Item apud Livium & Dionys.

5. *Sestertiis.*] Sive sestertium quinquaginta millibus: quæ libras efficiunt Gallicæ monetæ 5000.

6. *Mummii.*] De eo diximus lib. 33. sect. 53. & alibi sæpius.

Sect. VII. 1. *Cn. Octavio.*] Qui anno Urbis DLXXXVI. L. Æmilio Paulo secundum, C. Licinio Crasso Coss. Prætor classem sortitus, cum Æmilio Paulo Consule in Macedoniam contra Persen Regem profectus est. Quo capto, ipse de eodem Calendis Decembribus triumphum navalem egit. Auctor Livius, lib. 45. pag. 586

2. *Porticum duplicem.*] P. Victor, in descriptione Urbis Romæ, regione nona, in qua Circus Flaminius fuit: *Porticus Corinthia Cn. Octavii, quæ prima duplex fuit.* Duplex dicitur, ob duplicem ordinem columnarum. Festus: *Octaviæ porticus duæ appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit: alteram Theatro Pompeii proximam Cn. Octavius Cn. F. qui fuit Ædilis curulis, Prætor, Consul, Decemvir sacris faciundis, triumphavitque de rege Perse: navali triumpho: quam combustam reficiendam curavit Cæsar Augustus.* Meminit & Velleius, initio libri secundi.

3. *Vestæ quoque ædem.*] Hujus ædis formam rotundam veteres nummi exhibent familiæ Cassiæ, apud Patinum, pag. 67 & nummi Juliæ Domnæ, inscripti. VESTA MATER. Rotundam fuisse ait etiam Ovidius, lib. 6. Fastor. vers. 265 quod Vesta eadem sit quæ terra, globata ad pilæ similitudinem:

Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuisse
Dicitur: & formæ causa probanda subest.
Vesta eadem est, quæ terra &c.

Et paulo post:

Arte Syracusia suspensus in aere clauso
Stat globus immensi parva figura poli.
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus: a pluvio vindicat imbre tholus

4. *In Pantheo.*] Quod ille perfecit, Augusto nonum, M Junio Silano Coss Auctor Dio, lib. 53. pag. 515.

Sect. VIII. 1. *Nam triclinia.*] Mensas, ut diximus lib. 33. sect. 51.

2. *Abacosque.*] Abacus mensæ genus fuit, ex opere intestino, cui vasa aurea, supellexque similis imponeretur. *Vo buffet.*

3. *Et monopodia*] Mensas unico pede fultas, μονοπόδια.

4. *L. Piso auctor est*] Livius quoque, lib. 39. pag 409. *Extremo anno (DLXVII.) ad tertiam Nonas Martias Cn. Manlius Vulso de Gallis qui Asiam incolunt, triumphavit .... Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est: ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, monopodia & abacos Romam advexerunt.* &c.

5. *L. Crassi Oratoris.*] De quo diximus lib. 18 sect. 3. Is Licinium Crassum Scipionem, ex filia nepotem adoptavit, heredemque instituit, virum summo ingenio, teste Tullio in Bruto.

6. *Et cortinas.*] Cortinam hoc loco mensam interpretamur, quæ pocula sustineret, cui Delphicæ nomen ex eo quod similis esset mensæ illi, cui Delphis insidebat Pythia oracula faciens. Vetus interpres Horatii, in illud lib 1. Satyr. 6.

Et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet.

Lapis, inquit, *mensa marmorea, quam Delphicam vocant* Et idem fortassis vetus Scholiastes Juvenalis, ad versum 204. Satyræ 3. *Ornamentum abaci: Quod nos*, inquit, *Delphicam dicimus.* Abacum, Delphicam, Glossæ Philoxeni appellant, & μισσώριον, quod ex ea poculorum mensa convivis ministrarent. Etymologus: Δελφικὴ, τὸν τρίποδα Ῥωμαῖοι, ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δελφοῖς γέγονεν. Nimirum primo Delphicæ Delphis fiebant: postcaque quivis abaci ejus formæ id nomen habuere. Martialis, lib. 12. Epigr 67.

Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.

Gruterus, pag. 1115. ex Sirmondo: DELPHICAE. AEREAE CUM OMNI CVLTV EXORNATAE. De Delphicis multa Procopius in Vandal. lib. 1. Acceptionem aliam ejus vocis vide apud V. Cl. Du-Cangium, to Notis ad Alexiad. pag. 411.

7. *Lychnuchi*] Λυχνοῦχοι, candelabra Et hæc Tranquillo quoque usurpata vox in Julio, cap. 37. Meminit candelabri Euphorion, apud Athen. lib. 15 pag. 700. in quoquot lucernæ arderent, λύχνοι ποσαῦται, quot dies anni sunt

8 *Apollinis Palatini.*] Quod ab Augusto dedicatum, anno DCCXXVI ipso sextum, & M. Agrippa Coss. Tranquillus in Augusto, cap. 29. P. Victor, in descript Romæ, regione Urbis decima: *Ædes Apollinis, ubi lychni pendebant instar arboris mala ferentis.*

Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem Deo.

* CAP. IV. IX. Transiit deinde ars ubique vulgo ad effigies Deorum. * Romæ simulacrum ex ære factum Cereri primum reperio ex peculio [1] Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat. Transiit & ab Diis ad hominum statuas atque imagines multis modis. 5 Bitumine antiqui tinguebant eas, quo magis mirum est placuisse auro integere. Hoc nescio an Romanum fuit inventum: certe etiam Romæ non habet vetustatem. Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium, primo sacrorum certaminum victoria, maximeque Olympiæ: ubi omnium qui vicissent statuas dicari mos erat. Eorum vero, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudi- 10 ne expressa, [2] quas iconicas vocant. Athenienses nescio an primi omnium [3] Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis publice posuerint statuas. Hoc actum est eodem anno, quo & reges Romæ pulsi. Excepta deinde res est a toto orbe terrarum humanissima ambitione. Et jam omnium municipiorum foris statuæ ornamentum esse cœpere, prorogarique memoria hominum, & honores legendi [a] ævo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum 15 legerentur. [4] Mox forum & in domibus privatis factum atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos.

CAP. V. X. [1] Togatæ effigies antiquitus ita dicabantur. Placuere & nudæ tenentes hastam, ab epheborum e gymnasiis exemplaribus, [2] quas Achilleas vocant. [3] Græca res est, nihil velare: at contra Romana ac militaris, thoraca addere. [4] Cæsar quidem Dictator loricatam 20 sibi dicari [5] in foro suo passus est. [6] Nam Lupercorum habitu factæ, tam novitiæ sunt, quam quæ nuper prodiere [7] pænulis indutæ. [8] Mancinus eodem habitu sibi statuit, quo deditus est. Notatum ab auctoribus, & [9] L. Accium Poëtam in [10] Camenarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset. Equestres vero statuæ [b] Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Græcis exemplo. [11] Sed illi celetas 25 tantum dicabant in sacris victores. Postea vero & qui bigis vel quadrigis vicissent. [12] Unde & nostri currus nati in his qui triumphavissent. Serum hoc, & in his non nisi a Divo Augusto [13] sejuges, sicut & elephanti.

XI. Non vetus & bigarum celebratio in his qui Prætura functi curru vecti essent per

INTERPRETATIO.

a *Ævo.*] Posteris.

b *Romanam.*] Apud Romanos præcipua in commendatione fuere.

NOTÆ.

Sect. IX 1. *Sp. Cassii*] Is regnum affectans, obi primum magistratu abiit, damnatus, necatusque est. *Sunt qui patrem auctorem ejus supplicii ferant*, inquit Livius, lib. 2. pag. 35. *eum cognita domi causa verberasse ac necasse: peculiumque filii Cereri consecravisse, signum inde factum esse, & inscriptum*, EX CASSIA FAMILIA DATVM. Affirmat hoc ipsum Valerius Max. lib. 5. cap. 8 num. 2. Dionysius Halic. lib. 8. Antiq. Rom. pag. 546. Alii e rupe dejectum aiunt.

2. *Quas iconicas.*] Εἰκονικὰ ἀγάλματα vocat Athenæus, lib. 1. si memini. Iconicum simulacrum Tranquillus in Caligula. cap. 40. Erant ejuscemodi statuæ iis hominibus, quorum speciem referebant, pares. Majores vocabantur *Augustæ: Colossi* longe maximæ. Curæ id Hellanodicis fuisse, Lucianus est auctor, ἐν τῷ ὑπὲρ εἰκόνων, sub initium, ut εἰκόνες ἰσομέτρητοι essent, ne augustiores scilicet, majoresque humana, Hieronicarum figuræ a sculptoribus exprimerentur. Et Plato in Phædro: Υπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθεῖναι.

3. *Harmodio*, &c.] Vide Plutarchum in Antiphonte, lib. de decem Rhetor. Thucyd. lib. 6. aliosque. A Praxitele elaboratas esse has statuas Plinius auctor est, sect. 19. libri hujus, num. 10.

4. *Mox forum*] Quaslibet privatas ædes totidem fora credas esse: tot sunt instructæ signis singulæ. Simili translatione populum imaginum superius dixit, lib 33 sect 45.

Sect. X 1 *Togatæ.*] Asconius Pedian. 10 orat. Cic. pro M Scauro, sub finem, Catonem ait *togatum sine tunica eum venisse judicium, in forumque sic descendisse, jusque dixisse: idque reperisse ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli atatii statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli, fuerunt togatæ sine tunicis.* Meminit & Plinius alter 10 Panegyr. Trajani, num 55. *Visuntur eadem e materia Cæsaris statuæ, qua Brutorum, qua Camillorum*

2. *Quas Achilleas.*] Notum Achillis decus & tutamen, hasta

3. *Græca res est.*] Nummi statuæque testes, in quibus nuda plane corpora.

4. *Cæsar . . . loricatam.*] Qualem in plurimis Imperatorum statuis nummisque cernimus.

5. *In foro suo.*] Forum Cæsaris prope Templum Jani fuit, regione Urbis octava, apud P. Victorem. Et Dionem vide lib. 43 pag 224.

6. *Nam Lupercorum*] Qui pellis caprinæ solum amictu tecti, cetero nudi, Romæ Lupercalibus discurrebant: unde Maro vocat, 8 Æneid.

Nudosque Lupercos.

7. *Pænulis indutæ.*] Pænula vestis fuit adversus imbres & frigora, circumquaque corpus ambiens, ἱμάτιον ἔχων τι σῶμα, inquit Artemidorus Vide Voss. in Etymol.

8. *Mancinus.*] Qui cum Numantinis ipsorum arbitrio fœdus percussit, auctore Ti. Graeco Quæstore suo. At eo fœdere per Senatum improbato, Mancinus Numantinis est deditus, nudus vinctisque post tergum manibus. Plutarch. in Graeco. Aurel Victor, lib. de Viris illustr. Valerius Max. lib. 1. cap. 7. Cicero, lib. 3 de Offic.

9. *L. Accium.*] Diximus de eo in Auctorum Indice.

10. *Camenarum.*] In Regione urbis prima, juxta Portam Capenam, *Vicus & ædes Camenarum* fuit, teste P. Victore

11. *Sed illi celetas.*] Κέλητες appellatæ statuæ eorum equestres, qui non bigis aut quadrigis in certamine uterentur, sed uno insiderent equo. Proprie κέλης equus ipse est, qui ab uno sessore agitatur ac regitur. Sententia igitur, fuisse receptum apud Græcos primum, ut statuas equestres dedicarent illi, qui victores extitissent in ludis sacris celete. Postea factum, ut dicarent quoque bigas vel quadrigas sculptas marmore, vel fusas ære, qui vicissent illo genere. Inde consuetudinem venisse Romam, ut & qui triumphassent, dedicarent statuas triumphales, puta quadrigas: sed hunc morem invectum sero: & adhuc serius, ut triumphales sejugas: hoc enim primum auctorem habere D. Augustum Hunc Plinii locum Onuphrius male intellexit, cùm sejugas in ludis Circensibus ex eo colligit primum ab Augusto missos: cum sit sententia longe dispar, statuam scilicet triumphalem cum equis sejugibus primum ab eo positam. Sejuges tamen in Capitolio auratos, ab Cn. Cornelio positos reperio, apud Livium lib. 38 pag. 479. anno Urbis DLXVI. hoc est, ante Augusti excessum, annis ducentis.

12. *Unde & nostri.*] Sic MSS. Reg 2. Colb. 3. & alii. Libri antea editi: *Unde & nostris currus in his*, &c.

13. *Sejuges.*] Equi seni uno curro juncti. BIGAS, TRIGAS, QVADRIGAS, SEIVGES, & SEPTE-

Circum. Antiquior columnarum, [1] sicut C. Mænio, qui devicerat [2] priscos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ Romanus populus præstabat, eodemque in Consulatu [3] in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat anno Urbis CCCCXVI. * Item Caio Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, quæ est etiam nunc in Foro. [5] Item P. Minucio Præfecto annonæ, extra portam Trigeminam, [6] unciaria stipe collata, nescio an Primo honore tali a populo, antea enim a Senatu erat: præclara res, nisi frivolis cœpisset initiis. Namque & [7] Atti Navii statua fuit ante Curiam, cujus basis conflagravit Curia incensa [8] Publii Clodii funere. [9] Fuit & Hermodori Ephesii in Comitio, legum, quas Decemviri scribebant, interpretis, publice dicata. Alia causa, alia auctoritas [10] M. Horatii Coclitis statuæ, quæ durat hodieque, cum hostes [11] a ponte Sublicio solus arcuisset. Equidem & Sibyllæ juxta Rostra esse non miror, tres sint licet: una, quam [12] Sextus Pacuvius Taurus Ædilis plebis instituit: duæ, quas [13] M. Messala. Primas putarem has, & Atti Navii, positas ætate Tarquinii Prisci, [14] nisi regum antecedentium essent in Capitolio. [15] * Ex his Romuli est sine tunica, sicut & Camilli in Rostris, & ante ædem [16] Castorum fuit [17] Q. Marcii Tremuli equestris, togata, qui Samnites bis devicerat, captaque Anagnia, populum stipendio liberaverat. Inter antiquissimas sunt & [18] Tulli Clœlii, Lucii Roscii, Spurii Nautii, C. Fulcinii in Rostris, [19] a Fidenatibus in legatione interfectorum. Hoc a Republica tribui solebat injuria cæsis, sicut & [20] P. Junio, & Tito Coruncano, [21] qui ab Teuca Illyriorum regina interfecti erant. Non omittendum videtur, quod Annales adnotavere, tripedaneas his sta- 20

* CAP. VI.

NOTÆ.

IVGES habet inscriptio vetus apud Gruterum, pag 337.

Sect. XI. 1. *Sicut C. Mænio.*] L. Furii Camilli in Consulatu collegæ, de quo Livius, lib. 8. pag 141. qui Lavinios, & Veliternos, & Antiatas devicit: uti tum ex eodem Livio discimus, loc. cit. tum ex inscriptione Capitolini lapidis, apud Gruter. pag. 297. C. MAENIVS. P. F. P. N. COS. DE ANTIATIBVS. LAVINEIS. VELITERNEIS. PRIDIE. K. OCTOB. AN. CDXVI Meminit columnæ Mænianæ Nonius, cap. 1. num. 33

2. *Priscos Latinos.*] Latium vetus. Livius loc. cit. de Camillo, & Mænio Coss. *Nec quievere ante, quam .... Latium omne subegere.* Et paulo post, in oratione a Camillo habita: *Oppida Latina omnia .... præsidiis tenentur vestris.*

3. *In suggestu.*] Locus excelsior fuit, unde oratio haberi ad populum posset. Livius, lib. 8. pag 142 *Naves Antiatium partim in navalia Romæ subducta, partim incensæ, rostrisque earum suggestum in Foro extructum adornari placuit. Rostraque id templum appellatum.* Florus, lib. 1. cap. XI. *Exstant & parta de Antio spolia: quæ Mænius in suggestu Fori, capta hostium classe, suffixit: si tamen illa classis: nam sex fuere rostratæ: sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit.*

4. *Item Caio Duillio.*] De eo Florus, lib. 2 cap. 2. pag. 49. *Victor ergo apud Liparas, mersa & fugata hostium classe, primum illum maritimum legit triumphum.* Actum id belli primi Punici anno quinto: Urbis CCCCXCIII. Inscriptionem columnæ huic rostratæ appositam, singulari opere P. Ciaconius explicuit. C. Duilius appellatur a Tacito quoque, lib. 2. Annal. pag. 56 & in Epitome Livii, lib. 17. & in lapide Capitolino, apud Gruter. pag 297.

5. *Item P. Minucio.*] Vide lib. 18. sect. 4. ubi res eadem jam delibata

6. *Unciaria stipe.*] Æreo nummo, cujus pretium foret dimidius æs: asses enim tum sextantario pondere ferebantur, ut dictum est lib. 33. sect. 13. Hic obiter adnotabis Eminentiss. Annalium scriptoris ἁμάρτημα, ad an. Chr. 69. num. 9. ubi Guill. Godelevæi notas in Livium secutus, ex hoc Plinii testimonio efficere nititur, mendicos vilesque personas ad portam Trigeminam convenire solitos, ut stipem rogarent: cum nihil Plinius aliud velit, quam stipe honoris causa collata, extra portam Trigeminam Præfecto annonæ positam statuam fuisse. Augusto ipsi Principi stipem vidimus esse collatam, libro sup. sect 48.

7. *Atti Navii*] Diximus de eo supra, lib. 15. sect. 20. Augur is fuit, Tarquinii Prisci ævo, ut Livius refert, lib. 1. pag. 14. Hunc novacula cotem discidisse ferunt. *Statua Atti posita*, inquit Livius, *capite velato, quo in loco res acta est, in Comitio in gradibus ipsis, ad lævam Curiæ fuit*, &c.

8 *Publii Clodii.*] Vide Ciceronem, pro Milone, num. 91.

9 *Fuit & Hermodori.*] Digest. lib. 1. tit 2. de Orig juris, § 4. de legibus XII. Tabularum. *Harum ferendarum*, inquit Pomponius, *auctorem fuisse Decemviris Hermodorum quemdam Ephesium exsulantem in Italia, quidam retulerunt* Hunc exsulare jussum, quod vir probus esset, Cicero testatur, lib. 5. Tuscul. Vide & Strabonem, lib 14.

10. *M. Horatii.*] Positam in Comitio statuam auctor est Gellius, lib. 4. cap. 5. pag. 281. Alteram in æde Vulcani, Plutarch. in Poplic. pag. 106.

11. *A ponte Sublicio*] Rem eam narrat prolixe & eleganter Valerius Max lib. 3 cap. 2. num. 1. *Etruscis in Urbem ponte Sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam ejus partem occupavit, totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit. Atque ut patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatum se in Tiberim misit*, &c. Pons Sublicius Romæ dictus est, quia e sublicis, hoc est, tignis sive palis extructus erat. Vide & Livium, lib. 2. pag. 25. & Dionys. Halic. lib 5. pag 296.

12. *Sextus Pacuvius Taurus.*] Non is qui & Tribunus plebis fuit, Augusti principatu: & laudatur a Macrobio, lib. 1. Saturn. cap 12. pag. 249 sed vetustior aliquis.

13. *M. Messala*] Neque hic Messalæ Corvini Oratoris F. de quo nos egimus in Auctorum Indice, qui gessit Consulatum Augusti Principis temporibus, Urbis anno DCCLI. sed ex eadem gente antiquior.

14. *Nisi regum.*] Dio, lib 43 pag 236 octo fuisse in Capitolio statuas dicit: septem positas regibus: octavam Bruto, regum exactori Cæsaris postea Dictatoris, juxta Brutum locatam.

15. *Ex his Romuli*, &c.] Utriusque, Romuli nimirum & Camilli statuæ, meminit Asconius Pedianus, loco a nobis allato, initio superioris sect.

16 *Castorum.*] Hoc est, Castoris & Pollucis. P Victor, Regione VIII. *Templum Castorum ad lacum Juturnæ.* Vide Dionem, lib 37. pag. 33 Geminis fratribus ædes in foro constituta, inquit Sueton. in Julio, cap. 10 quæ tantum Castoris appellatur.

17. *Q. Marcii.*] Lapis Capitolinus, apud Gruter pag. 297. Q. MARCIVS. Q. F. Q. N TREMVLVS. COS. DE ANAGNINEIS HERNICEISQ PRID K QVINT. Anno scilicet post Urbem conditam CCCCXLVIII Livius, lib. 7. pag. 168. *Marcius de Hernicis triumphans in Urbem rediit. statuaque equestris in Foro decreta est, quæ ante templum Castoris posita est.*

18 *Tulli Clœlii.*] Ita Reg. 2. non, ut editi, *Cœlii.* Exstat in Cimelio Collegii nostri Parisiensis nummus Clouliæ seu Clœliæ gentis inscriptus TL. CLOVLI. hoc est, *Tullo Cloulio*, non Tit. Cicero, in Philipp. orat. 9 num 5. *Atque hunc & Tullo Clœvio* (lege *Clœlio*) *& L. Roscio, & Sp. Antio,* (lege rursum *Nautio*) *& C. Fulcinio, qui a Veientium rege cæsi sunt, non sanguis qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob rempublicam obita honori fuit.*

19. *A Fidenatibus.*] Cicero, loc. cit. de bis ipsis agens, num. 4. *Lartes Tolumnius rex Veientium quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit: quorum statuæ in Rostris steterunt usque ad nostram memoriam* Fuere Rostra in Foro Romano, regione Urbis octava

20. *P. Junio, & T.*] Fratribus, ex familia Junia Coruncanorum In Reg 2. cod *Coruncanus* legitur In lapide Capitolino, apud Gruter. pag. 296 CORVNCANIVS.

21. *Qui ab Teuca.*] Teutana a Floro appellatur, lib. 2. cap 5. *Illyrii, seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arsiam, Titiumque flumen, longissime per totum Adriani maris litus effusi. Hi regnante Teutana muliere, populationibus non contenti, licentiæ scelus addiderunt. Legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio quidem, sed ut victimas, securi percutiunt*, &c.

tuas in Foro statutas. Hæc videlicet mensura honorata tunc erat. Non præteribo [22] Cn. Octavium [23] ob unum scilicet verbum: Hic regem [24] Antiochum, daturum se responsum dicentem, virga quam tenebat forte circumscripsit, & prius quam egrederetur circulo illo, responsum dare coëgit. In qua legatione interfecto Senatus statuam poni jussit quam [25] oculatissimo loco in Rostris. Invenitur statua decreta & Taraciæ Caiæ, sive Suffetiæ virgini Vestali, ut poneretur ubi vellet: quod adjectum non minus honoris habet, quam feminæ esse decretam. Meritum ejus in ipsis ponam Annalium verbis: Quod campum Tiberinum gratificata esset ea populo.

XII. Invenio & Pythagoræ, & Alcibiadi, in cornibus Comitii positas, cum [1] bello Samniti Apollo Pythius fortissimo Graiæ gentis jussisset, & alteri sapientissimo, simulacra celebri loco dicari: [2] ea stetere donec Sylla Dictator ibi Curiam faceret. Mirumque est, illos patres [3] Socrati cunctis ab eodem Deo sapientia prælato Pythagoram prætulisse, aut tot aliis virtute Alcibiadem, aut quemquam [a] utroque Themistocli. Columnarum ratio erat, attolli supra ceteros mortales: quod & arcus significant novitio invento. Primus tamen honos cœpit a Græcis. Nullique arbitror plures statuas dicatas, quam Phalereo [4] Demetrio Athenis. [5] Siquidem CCCLX. statuere, nondum anno hunc numerum dierum excedente, [6] quas mox laceravere. Statuerant Romæ etiam in omnibus vicis C. Mario Gratidiano [7] tribus, [8] ut diximus, easdemque subvertêre Syllæ introitu.

XIII. Pedestres sine dubio Romæ fuere in auctoritate longo tempore. Equestrium tamen origo perquam vetus est, cum feminis etiam honore communicato. [2] Clœliæ enim statua est equestris, ceu parum esset toga eam cingi: cum Lucretiæ, ac Bruto, qui expulerant reges, propter quos Clœlia inter obsides fuerat, non decernerentur. Hanc primam [3] cum Coclitis publice dicatam crediderim: [4] Atto enim ac Sibyllæ Tarquinium,

INTERPRETATIO.

a *Utroque.*] Utraque laude.

NOTÆ.

22. *Cn. Octavium.*] Fuit iste Octavius e majoribus Octavii Cæsaris, qui Cæsar Augustus est appellatus. Vide Notas & Emendat. num. III. De statua ei Octavio posita, Cic. Philipp. 9. num 4.

23. *Ob unum scilicet verbum*] Sic Reg. 2. totidem syllabis, sine ullis notarum compendiis. In editis, *ob unum verbum* Colb. 3. *ob unum verbum quo regem*, &c. Gronovius, in suo, *ob unum sc. verbum*, interpretaturque, *ob unum senatusconsulti verbum*, illud nempe quod mox sequitur, *oculatissimo loco*: non improbabili sane conjectura.

24. *Antiochum.*] Antiochum Magnum, Syriæ regum quintum.

25. *Oculatissimo*] Celeberrimo, qui oculis omnium pateat.

Sect. XII. *Bello Samniti*] Quod anno Urbis CCCCXI. Campanorum rogatu suscepere Romani. Illi enim a Samnitibus victi, Romanis deditionem fecerant.

2. *Ea stetere.*] Vide Notas & Emend. num. IV. In parte interim Fori Romani, in cornibus Comitii, exædificatam a Sylla Curiam hic locus edocet.

3. *Socrati.*] Vide supra, lib. 7 sect. 31.

4. *Demetrio.*] Egimus de eo in Auctorum Indice.

5. *Siquidem CCCLX.*] Ita Reg. 2. Colb. 3. omnesque editi. Varro apud Nonium sic scriptum reliquit:

Hic Demetrius æneas tot aptu' est,
Quot luces annus habet absolutus.

Modum anni Græci fuisse tum temporis dierum dumtaxat CCCLX. tum ex his, similibusque testimoniis, tum ex Cleobuli ænigmate, quod apud Laertium est, colligi putant nonnulli recte posse: est enim ejusmodi Latine redditum:

Bissenos genitor natos habet unus: at horum
Ter sunt cuique decem natæ, variante figura.
Quippe aliis color est albus, niger inditus illis:
Immortale genus cum sint, moriuntur utræque.

Hoc enim ænigma tam annum diebus confici trecentis & LX. quam singulos menses tricenis perspicue significat. Hinc vero intelligimus, in tota Græcia, usque ad tempora Cæsaris Dictatoris fuisse menses singulos tricenûm dierum: ita ut annus non excederet numerum dierum CCCLX. ut Plinius refert: tertio autem quoque anno embolimum tempus conveniens, quindecim videlicet sedecimve dierum interfereretur, [illegible], ut ait Herodotus, lib. 2. num. IV. hoc est, ut suis tempestatibus menses responderent: hiberni hiemi, æstati æstivi. In hoc enim Ægyptios Græcis fuisse sapientiores censet Herodotus; quod illi non quindecim dies adjicerent tertio quoque anno, sed annis singulis dies quinque. Confer Petav. lib. 1. de Doctr. Temp. cap. 8. pag. 16. &, qui ab eo dissidet, Samuelem Petitum, lib. 8. Miscell. cap. 1. pag. 191.

6. *Quas mox laceravere.*] Strabo, lib. 9. & Laërtius in Demetrio, lib. 5. dejectas, conflatasque aiunt in matulas & obsceniora vasa.

7. *Tribus.*] Romanæ tribus.

8. *Ut diximus.*] Libro 33. sect. 46.

Sect. XIII. 1. *Pedestres.*] Romuli statuæ pedestres omnes, inquit Plutarchus, in ejus vita, pag. 17.

2. *Clœliæ enim.*] Hanc equestri statua donatam, positamque eam in summa Sacra Via, qua in Palatium ascendebatur, Livius est auctor, lib. 2. cap. 26. Seneca, lib. de Consol. ad Marciam, cap. 16. pag. 774. *Equestri insidens statua, in Sacra Via, celeberrimo loco, Clœlia exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus.* Datam ei statuam equestrem Valerius Maximus arbitratur, lib. 3. cap. 2. num. 2. quoniam *inter ceteras virgines obses hosti Porsenæ data, nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit, celerique trajectu fluminis, non solum obsidione, sed etiam metu patriam puella solvit, viris lumen virtutis præferendo.*

3. *Cum Coclitis.*] Ita Reg. 2. & alii. De ea superius, sect. XI. Cum Lucretia autem simul & Brutus dicantur expulisse reges, fictam hinc esse discito fabulam, a Livio proditam, de Lucretia, quæ se, ob illatum sibi stuprum a Tarquinii filio, peremerit.

4. *Atto enim.*] Attio Nævio Augure, de quo sect. XI. Typi hactenus, *ante enim sibi ac Sibyllæ*, &c. Est argenteus in Thesauro Regio nummus, & apud Patinum, in familia Manlia, pag. 164. capite cirrato muliebri; infra, SIBYLL. .)(Tripus, super quo urceus est, insigne sacerdotii, inter soles duos, quibus imperare Roma significatur Orienti & Occidenti. L. TORQVAT. IIIVIR. *Lucius Torquatus Triumvir*, & idem sacerdos Apollinis. In nostro corona laurea, non caput muliebre, sed alteram nummi aream cingit. Qui Sibyllam hic pingi putant, magno ducuntur errore. Nam si Sibyllam vellet Monetarius intelligi, cur SIBYLL tantum scriberet, non integrum nomen SIBYLLA? Operosumne ei fuit litteram A postremam adjicere? Caput est civitatis, quales pingi ex a Monetariis Narbonensibus solebant: & plane hæc similis est ei quæ CABE, hoc est, *Cabello*, in Lepidi nummo legitur. Cur vero hic Sibylla pingeretur? quod nomen unius feminæ proprium fuit, cujus hic Plinius meminit, sub Tarquinio rege? Afferri causa probabilis non potest. Est hic SIBYLL scriptum, pro eo quod est, *Severus Imposuit* BY*zantii* LL*egiones*, rediens haud dubie a victoria Parthica. Hanc corona laurea denotat. Severi nomine sunt alii nummi inscripti, BYZANTIΩN. Littera L hic geminatur ad pluralem numerum legionum significandum: ut in nummo inscripto RVLLI superius diximus. At est *Sibylla* in hoc Plinii loco, æque ac libro XIII. sect. XXVII. proprium feminæ nomen, ut Susanna ac Genovefa: non appellativum, aut commune. Usitatum illud olim, tum apud alios, tum apud nostrates, ut in vetustis Rationibus Regiis, ad calcem historiæ Juvenalis de Ursinis, pag. 796.

& teges sibi ipsos posuisse verisimile est: nisi Clœliæ quoque Piso traderet ab his positam, qui una obsides fuerant, [5] redditis a Porsenna in honorem ejus. [6] E diverso Annius Fetialis, equestrem, quæ fuerit contra [7] Jovis Statoris ædem in vestibulo Superbi domus, Valeriæ fuisse Publicolæ Consulis filiæ: eamque solam refugisse, Tiberimque tranavisse, ceteris obsidibus, quæ Porsennæ mittebantur, interemptis Tarquinii insidiis.

XIV. L. Piso prodidit, [1] M. Æmilio, C. Popilio II. Coss. a Censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio, statuas circa Forum eorum qui magistratum gesserunt, sublatas omnes, præter eas quæ populi aut Senatus sententia statutæ essent. Eam vero quam apud [2] ædem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a Censoribus. Nimirum in ea quoque re ambitioni providebant illi viri. Exstant Catonis in Censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni. Nec tamen potuit inhibere, quominus Romæ quoque ponerentur, sicuti Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit [3] Africani filia. Sedens huic posita, soleisque [a] sine amento insignis, [4]. in Metelli publica porticu: quæ statua nunc est in Octaviæ operibus.

XV. Publice autem ab exteris posita est Romæ [1] C. Ælio Tribuno plebis, lege perlata in [2] Stenium Statilium Lucanum, qui Thurinos infestaverat: ob id Ælium Thurini statua & corona aurea donaverunt. Iidem postea [3] Fabricium donavere statua, liberati obsidione. [4] Passimque gentes in clientelas ita receptæ: adeo discrimen omne sublatum, ut Hannibalis etiam statuæ tribus locis visantur in Urbe, [5] cujus intra muros solus hostium emisit hastam.

XVI. Fuisse autem statuariam artem familiarem Italiæ quoque & vetustam, indicant, Hercules ab Evandro sacratus, ut produnt, [1] in Foro boario, qui triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali. Præterea [2] Janus geminus a Numa rege dicatus, [3] [b] qui pacis bellique argumento colitur, [4] digitis ita figuratis, ut trecentorum [5] quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni, temporis & [6] ævi se

CAP. VII.

INTERPRETATIO.

a *Sine.*] Sine loro.

b *Qui*] Quæ Jani imago colitur, quoniam index est pacis ac belli.

NOTÆ.

A Sebille le Veyer Dame de Lesloet, femme de Messire Tanneguy du Chastel, Chevalier, Conseiller & Chambellan de Monsieur le Regent, & Mareschal de ses guerres, deux mille livres pour soutenir son etat, le 2. Juillet 1420.

5. *Redditis a Porsenna.*] Livius, lib. 2. pag. 56. de Porsenna. *Laudatam virginem* (Clœliam) *parte obsidum se donare dixit: ipsa quos vellet legeret: productis omnibus elegisse impuberes dicitur*, &c.

6. *E diverso.*] Sic dissidentes scriptorum sententias recitat & Plutarchus in Poplicola, pag. 197 aliis hanc Clœliæ statuam, Valeriæ aliis adjudicantibus. Quod iterum repetit, lib. de virt. mul. pag. 250. Ἀνάκειται γοῦν ἱππικὸς εἰκὼν γυναικὸς, ἐπὶ τῆς ὁδοῦ τῆς ἱερᾶς λεγομένης, ἣν οἱ μὲν τῆς Κλοιλίας, οἱ δὲ τῆς Οὐαλερίας λέγουσιν εἶναι.

7. *Jovis Statoris ædem*] Regione Urbis decima. Alia est ab ista quæ in Regione XIV. trans Tiberim Valeriana statua ab eodem collocata legitur.

Sect. XIV. 1. *M. Æmilio.*] Anno Urbis DXCVI. M. Æmilius Lepidus, C. Popilius Lænas secundum, Consulatum gessere: Censuram P. Cornelius Scipio Nasica, M. Popilius Lænas Caii frater, lustrumque fecere LIV. ex Fastis. Ex hac Popilia gente multo postea ortum duxit FL. POP. NEPOTIANVS P. F. AVG. & ejusdem filia Helena, in nummo argenteo perraro appellata, HELENA N. F. *Helena Nepotiani filia*, alteraque, FAVSTA N. F. *Fausta Nepotiani filia*, apud D. Baudelot.

2. *Ædem Telluris*] In quarta Urbis regione Templum Telluris a P. Victore statuitur. De Sp. Cassio egimus sect. 9.

3. *Africani prioris*] Scipionis Africani majoris vulgo dicti. Vide Plutarchum in Gracchis, ipso initio.

4. *In Metelli.*] Pingitur hæc porticus in eximio numismate argenteo, e Gaza Sereniss. Ducis Cenomanensis, & in Museo P. CHAMILLART, cum hac epigraphe, Q. METELLVS PIVS.

Sect. XV. 1. *C. Ælio.*] Ad summos postea Magistratus evecta gens Ælia fuit: ex qua nimirum Ælius Sejanus, & Ælius Nerva Cæsar, qui in Græco nummo est, nunc e Gaza Parmensi; AIΛIOC N. KAICAP: Αἴλιος Νερούας Καῖσαρ: & Ælius Hadrianus Aug. & Ælius Cæsar Antoninus, aliique.

2. *Stenium Statilium.*] Statium Statilium mendose pro Stenio Statilio vocat Valerius Max. lib. 1. cap. 8. num. 6. pag. 67. Lucanorum Brutiorumque ducem in eo bello, quo gemini populi Thurinæ urbis petebant excidium. Apud Gruterum, pag. DCCCXXX. STENIVS, & STENIA, non STHENIVS.

3. *Fabricium.*] Luscinum cognomine, de quo lib. 33. sect. 50. & 54.

4. *Passimque gentes.*] Sic patronum habuere M. Tullium Ciceronem Capuani, statuamque ei inauratam posuere, ipso prodente, orat. in Pison. & pro Sextio. Sic Bononienses in Antoniorum: in Claudiorum clientela Lacedæmonii fuere, teste Sueton. in Tiberio, cap. 6.

5. *Cujus intra muros.*] Conferenda hæc cum iis quæ Livius habet, lib. 26. pag. 885.

Sect. XVI. 1. *In foro Boario.*] Regione Urbis octava.

2. *Janus geminus.*] In eadem regione Urbis octava, P. Victor sic habet, *Jani duo, celebris mercatorum locus. Regia Numæ, Templum Vestæ . . . Templum Jani*, &c.

3. *Qui pacis belique.*] Livius, de Numa, lib. 1. pag. 8. *Janum . . . indicem pacis bellique fecit: apertus, ut in armis esse civitatem: clausus, pacatos circa omnes populos significaret.*

4. *Digitis ita figuratis.*] Ita nimirum, *ut ungues indicis & pollicis in manu dextera blando conjungantur amplexu*, verba sunt Bedæ, in libello de Indigitatione, tomo 1. *hæc enim nota trecenta significat: sexaginta, index pollice superpositus in leva manu: quinque demum, in eadem manu annularis, seu proximus a minimo erectus.* Ita Beda. Meminere illius figuræ Macrobius, lib. 1. Saturn. cap. 9. pag. 156. *Simulacrum Jani plerumque fingitur manu dextera trecentorum, & sinistra sexaginta & quinque numerum retinens, ad demonstrandam anni dimensionem*, &c. Suidas, pag. 1554. Ἰαννουάριος . . . αἱ δὲ παλάμαι αὐτοῦ ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ τ'. τῇ δὲ ἀριστερᾷ ξ' ε' κατέχουσι, ὥσπερ τὸν ἐνιαυτόν. *Januarius . . . Alii fingunt ipsum dextra tenere numerum* CCC. *sinistra vero* LXV. *ut annum repræsentet, ex* 365. *diebus constantem.* Codinus item in Constantinopoli, ἀντὶ τοῦ χαλκοῦ μετάλλου Ἰανοῦ. Denique Nicolaus Smyrnæus, libello quem conscripsit ea de re, ἔκφρασις τοῦ δακτυλικοῦ μέτρου, Morellus edidit, capita ex eo præcipua excerpsit Caussinus noster, in Eloquentiæ Parall. lib. 9 de pronunc. & gestu, c. 8. p. 565. Nos vero rem simplicius exponimus. Existimamus enim tres priores digitos fuisse ita curvatos, ut litteram C ter exhiberent, ac proinde numerum trecentorum: quartum deinde digitum volæ appressum, & litteræ L similitudinem, ac proinde quinquagenarium numerum: digitum denique minimum leniter inflexum, ut V, quæ forma quinarii est, repræsentaret.

5. *Quinquaginta quinque.*] Ita probatissimi MSS. & libri omnes editi: eo quod annum Numa, qui simulacrum hoc dedicavit, CCCLV. dierum esse solummodo sciverit. Primus, opinor, Manutius, in editione sua anni 1559. *quinquaginta* mutavit in *sexaginta*.

6. *Ævi se Deum.*] Codinus in Constantinopoli, pag. 13

Deum indicaret. [7] Signa quoque Tuſcanica per terras diſperſa, quæ in Etruria factitata non eſt dubium. Deorum tantum putarem ea fuiſſe, ni Metrodorus Scepſius, [8] cui cognomen a Romani nominis odio inditum eſt, propter duo millia ſtatuarum Volſinios expugnatos objiceret. Mirumque mihi videtur, cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia
5 ſit, lignea potius [9] aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata, uſque ad devictam Aſiam, unde luxuria. Similitudines exprimendi quæ prima fuerit origo, in ea [10] quam plaſticen Græci vocant, dici convenientius erit: etenim prior, quam ſtatuaria, fuit. [11] Sed hæc ad infinitum effloruit multorum voluminum opere, ſi quis plura perſequi velit: omnia enim quis poſſit?

10 XVII. [1] In M. Scauri Ædilitate tria millia ſignorum in ſcena tantum fuere [2] temporario theatro. [3] Mummius devicta Achaïa replevit Urbem: ipſe exceſſit non relicturus filiæ dotem. Cur enim non cum excuſatione ponatur? [4] Multa & Luculli invexere. Rhodi etiamnum tria millia ſignorum eſſe, Mucianus ter Conſul prodidit: nec pauciora Athenis, Olympiæ, Delphis ſupereſſe creduntur. Quis iſta mortalium perſequi poſſit?
15 aut quis uſus noſcendi intelligatur? Inſignia tamen maxime, & aliqua de cauſa notata, voluptarium ſit attigiſſe, artificeſque celebratos nominaviſſe: ſingulorum quoque inexplicabili multitudine, cum Lyſippus M. D. opera feciſſe dicatur, tantæ omnia artis, ut claritatem poſſent dare vel ſingula. Numerum apparuiſſe defuncto eo, cum theſaurum effregiſſet heres: [5] ſolitum enim [6] ex manipretio cujuſque ſigni [7] denarios ſeponere aureos ſingulos.
20 Evecta ſupra humanam fidem ars eſt ſucceſſu, mox & audacia. In argumentum ſucceſſus unum exemplum afferam, nec Deorum hominiſve ſimilitudinis expreſſæ. Ætas noſtra vidit in Capitolio, priuſquam id noviſſime conflagravit [8] a Vitellianis incenſum, in cella Junonis, canem ex ære vulnus ſuum lambentem: cujus eximium miraculum & indiſcreta veri ſimilitudo, non eo ſolum intelligitur, quod ibi dicata fuerat: verum & nova ſatiſda-
25 tione: nam ſumma nulla par videbatur: [a] capite [9] tutelarios cavere pro ea, inſtituti publici fuit.

XVIII. Audaciæ innumera ſunt exempla. Moles quippe excogitatas videmus ſtatuarum, quas coloſſeas vocant, turribus pares. [1] Talis eſt in Capitolio Apollo, tranſlatus a M. Lucullo [2] ex Apollonia Ponti urbe, XXX. cubitorum, [3] quingentis talentis factus:

INTERPRETATIO.

a *Capite.*] Ut vel periculo capitis id ſignum canis integrum præſtarent ii, quibus credita ædis tutela eſſet, Reſpublica laſſerat.

NOTÆ.

ποικίλ᾽ κατὰ τοῦ χρόνου.

7. *Signa quoque Tuſcanica.*] Phialas quoque aureas in Tuſcia elaboratas laudat Critias poeta apud Athen. lib. 1. pag. 28.

Τυρσηνὴ δὲ κρατεῖ χρυσότυπος φιάλη.

Duriora ſigna & Tuſcanicis proxima, ait Quintil. lib. 12. cap. 10. pag. 894. ut rigidiora fuiſſe Tuſcanica innuat. Idem pag. 892. ſtatuas Græcas Tuſcanicis anteponit.

8. *Cui cognomen.*] Miſoromæi, ut diximus in Auctorum Indice.

9. *Aut fictilia.*] Ipſa Jovis effigies in Capitolio a Tarquinio Priſco dicata fictilis fuit, ita prodente Plinio, lib. 35. ſect. 45.

10. *Quam plaſticen.*] Fictricem. Ars eſt ex argilla vel creta rerum ſimilitudines exprimens.

11. *Sed hæc.*] Statuaria, ex ære.

Sect. XVII. 1. *In M. Scauri.*] De eo multa Aſconius Pedian. in orat. Cicer. pro eo: multa Plinius ſimiliter, de genere ejus, de moribus & ædilitate, lib. 36. ſect. 24. num. 8.

2. *Temporario.*] Vix uno menſe duraturo, ut dicetur lib. 36. ſect. 2. cum ſtent in Urbe cetera. Temporariam ejus theatri moram Plinius ait fuiſſe, loco proxime citato.

3. *Mummius.*] Achaicus ille, de quo nos alias ſæpius. Aurel. Victor, lib. de Viris illuſtr. cap. 60. *Mummius Corinthum ſignis tabuliſque ſpoliavit: quibus cum totam repleſſet Italiam, in domum ſuam nihil contulit.* Sic Epitome Livii, lib. 52. Frontinus, lib. 4. Strateg. cap. 3. *L. Mummius, qui Corintho capta, non Italiam ſolum, ſed etiam provinciam tabulis ſtatuiſque exornavit, adeo nihil ex tantis manubiis in ſuum convertit, ut filiam ejus inopem Senatus ex publico dotaverit.* Eſt in Æneide locus ab interpretibus hactenus præpoſtere intellectus, libro VI. verſ. 830.

830 *Aggeribus ſocer Alpinis, atque arce Monœci*
Deſcendens: gener adverſis inſtructus Eois.
Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella:
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires:
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
835 *Projice tela manu, ſanguis meus.*
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæſis inſignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas,
Ipſumque Æaciden, genus armipotentis Achillei:
840 *Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.*

Ille cum dicit, verſu 836. prius appellatum e duobus proxime commemoratis, hoc eſt, ſocerum, qui Julius Cæſar, deſignat. Nam in hac recenſione virorum illuſtrium, ordinem temporum ſervat diligenter. Itaque poſt Cæſarem & Pompeium præpoſtere ac ridicule Mummium Achaicum, qui centum ante annis obiit, denotaret; & ſatis negligenter quidem, non appellato eo de nomine, cum ceteros omnes appellet. De populis triumphaſſe Cæſarem ipſum hic dicit, quorum majores in obſidione Trojæ fuere. Hi ſunt Achivi & Corinthii. Argos in Peloponneſo, & Mycenæ, & Phthiotis, quæ ditio fuit Æacidæ, hoc eſt, Neoptolemi, in Theſſalia. De Corintho quidem, & Peloponneſo ei adhærente, triumphaſſe Cæſarem dicit, quoniam Corinthi coloniam condidit; ut nummi ipſius haud pauci teſtantur. De Phthiotide & Theſſalia, bello Pharſalico. Nam Pharſalici campi in Theſſalia ſunt.

4. *Multa & Luculli.*] Lucius & Marcus, fratres. Ille Mithridatico bello, Macedonico ille triumpho nobilis. Vide Plutarchum in Lucullo, & Ciceronem, orat. in Piſon.

5. *Solitum enim.*] Lyſippum videlicet, de quo lib. 7. ſect. 38.

6. *Ex manipretio.*] De ea voce diximus lib. 33. ſect. 53. Vulgus ait, pro manufactura, *pour la façon.*

7. *Denarios .... aureos.*] De horum pretio egimus, lib. 33. ſect. 13.

8. *A Vitellianis.*] Vide Dionem, lib. 65. pag. 741. Tacitumque in primis, lib. 3. hiſt. pag. 80. & 81.

6. *Tutelarios.*] Tutelæ redemptores, qui pro cuſtodia mercedem accipiebant, præſtabantque ſe ſuo periculo rem tuituros. Vide Grotium in Florum ſparſione ad jus Juſtin. pag. 63.

Sect. XVIII. 1. *Talis eſt in Capitolio.*] Refert hoc ipſum Strabo totidem verbis, lib. 7. pag. 319. Victor in deſcript. Romæ, regione Urbis octava: *Apollo tranſlatus ex Apollonia a Lucullo, triginta cubitum.*

2. *Ex Apollonia.*] Ea ſcilicet, de qua lib. 4. ſect. 27.

3. *Quingentis talentis.*] Monetæ Gallicæ libræ ſunt 1200000.

[4] Talis in Campo Martio Juppiter a Divo Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompeïanus a vicinitate theatri. [6] Talis & Tarenti factus a Lysippo XL. cubitorum. [a] Mirum in eo, quod manu, ut ferunt, mobilis, (ea ratio libramenti est) nullis convellatur procellis. Id quidem providisse & artifex dicitur, modico intervallo, unde maxime [b] flatum opus erat frangi, opposita columna. Itaque propter magnitudinem difficultatemque moliendi, non attigit eum [7] Fabius Verrucosus, [8] cum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret. Ante omnes autem in admiratione fuit [9] Solis colossus Rhodi, quem fecerat [10] Chares Lindius, Lysippi supradicti discipulus. [11] Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum [12] post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostrarunt, [13] sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti, quam pleræque statuæ. Vasti specus hiant defractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum [14] CCC. talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrii [15] relicto, moræ tædio. [16] Sunt alii minores hoc in eadem urbe colossi centum numero: sed ubicumque singuli fuissent, nobilitaturi locum. Præterque hos Deorum quinque, quos fecit [17] Bryaxis. Factitavit colossos & Italia. Videmus certe Tuscanicum Apollinem in bibliotheca [18] templi Augusti, quinquaginta pedum a pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulcritudine. Fecit & [19] Sp. Carvilius Jovem, qui est in Capitolio, victis Samnitibus [20] sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. Amplitudo tanta est, ut conspiciatur [21] a Latiario Jove. [22] Reliquiis limæ suam statuam fecit, quæ est ante pedes simu-

INTERPRETATIO.

a *Mirum.*] In eo Colosso id mirum, quod cum moveri possit manu, ea tamen libræ ratio est, ut ventis & tempestatibus resistat.

b *Flatum.*] Ventum.

NOTÆ.

4. *Talis in Campo Martio.*] Nona Urbis regione.

5. *Qui vocatur Pompeianus.*] Vide Notas & Emend. num. V.

6. *Talis & Tarenti*] Juppiter nimirum, non Hercules, ut credidit Dalecampius: Herculem enim, ut mox dicetur, Fabius Romam Tarento transtulit, Jove ibi relicto.

7. *Fabius Verrucosus.*] Q. Fabius Maximus Dictator, Cunctatorque, cui verruca ex summo labio extuberans Verrucosi nomen dedit. Plutarchus in Fabio, pag. 174. Q. Serenus, cap. 65. pag 164.

> *Interdum exsistit turpi verruca papilla:*
> *Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit.*
> *Qui solus patriæ cunctando restituit rem.*

8. *Cum Herculem .... inde transferret.*] Ita Plutarchus in Fabio, pag. 187. & Strabo, lib. 6 pag 278. Dedicatum hoc deinde simulacrum est, positumque in Capitolio, anno Urbis CCCCL. P. Sempronio Sopho, P. Sulpicio Saverrione, Coss. ut Livius refert, lib. 9. pag. 169. De eo Hercule quem finxit Lysippus pervenustum Gemini Epigramma legimus in Anthol. lib. 4 cap 8.

> Ἡρακλέες, ποῦ σοι πέπλος μέγας, ἅτε Νέμειος
> Χλαῖνα, καὶ ἡ τόξων ἔμπλειος ἰοδόκη;
> Ποῦ σοβαρὸν βρίμημα; τίς ἔπλασεν ὧδε κατηφῆ;
> Λύσιππος· χαλκῷ δ' ἐγκατέμιξ' ὀδύνην.
> Ἄχθῃ γυμνωθεὶς ὅπλων σέο; τίς δ' ὁ σ' ἐκδύσας;
> Ὁ πτερόεις (ἄντως οἷ βαρὺς ἆθλος) ἔρως.
> *Alcide, quo clava tibi, telisque pharetra*
> *Dives, & o Nemeo raptus amictus abit?*
> *Fastus ubi? quis te tam tristi fronte figurat?*
> *Lysippus: paret multus in ære dolor:*
> *Arma tibi mæres detracta: quis abstulit illa?*
> *Unum certamen, sed grave, præpes Amor*

9. *Solis colossus Rhodi.*] Describitur is egregie a Philone Byzantio, lib. de septem mirac. pag. 12. Vide & Anthologiam, lib 6. Epigr. 1.

10 *Chares Lindius.*] Inchoarat is sane: sed cum errasset in ratione subducendæ impensæ, opere inchoato, sibi necem intulit. Auctor Sextus Empir. lib. 7. advers. Mathem. Itaque perfecit alius, ex eodem oppido Rhodi Lindo. De quo Simonidis exstat Epigramma in Anthol. lib. 4. cap 6.

> Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα
> Λάχης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Grotius ita reddidit:

> *Laches colossum Lindius fecit Rhodi,*
> *Qui se per ulnas octies tollit decem.*

Eustathius ad Dionysii Perieg. versum 505. pag. 72. ait esse Χάρητος ἔργον. Servat Charetis nomen alterum in Anthologia epigramma, lib. 3 cap. 12. quo bucula ab eo posita contra Constantinopolim laudatur.

11. *Septuaginta.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Epigramma antea laudatum, LXXX. sed sunt qui in eo ἑπτάκις legant, & Χάρης pro Λάχης. Altum fuisse pedes centum & quinque Festus ait, verbo *Colossus*.

12. *Post quinquagesimum, &c.*] Nempe anno secundo Olympiadis CXXXIX. auctore quidem Eusebio in Chronico: Unde sequitur positum Olymp. CXXV. anno tertio. Ruinam in septimum post annum differt Polybius, lib 5. hoc est, in Olympiadis XLI. annum primum.

13. *Sed jacens.*] Jacuit ferme annis nongentis: donec anno post Christum natum DCLIII. Saracenorum rex Mauvia capta Rhodo, mercatori cuidam vendidit. Auctor est Cedrenus nongentos camelos fragmentis asportandis vix pares fuisse.

14. *CCC. talentis.*] Atticis nimirum. Monetæ Gallicæ libras efficiunt, sive florenos 720000.

15. *Relicto moræ tædio*] In Reg. 2. & aliis, *relicto moræ tædio obesse a Rhodo.* Forte, *relicta moræ tædio obsessa Rhodo.* Solvisse Demetrium obsidionem Rhodi, fœderis specie, auctor est Plutarchus, in ejus vita, pag 899. Demetrius is Poliorcetes fuit, primum Asiæ, mox & Macedoniæ rex.

16. *Sunt alii .... colossi centum.*] Sic Isidorus, lib. 14. Orig. cap 6.

17. *Bryaxis.*] Βρύαξις ὁ δημιουργὸς ὁ Ἀθηναῖος, ὁ ἀγαλματοποιὸς, *statuarius.* Clemens Alex. Protrept pag. 31. Laudatur & a Columella, in Præf. pag. 10.

18. *Templi Augusti.*] Templi ab Augusto conditi, quod Apollini dedicavit. Suetonius, in Augusto, cap. 29 *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo aruspices pronunciarant. Addita porticus cum bibliotheca Latina Græcaque, &c.*

19. *Sp. Carvilius.*] Spurius Carvilius Maximus, Ædilitatem curulem adeptus est, & cum L. Papirio Cursore duos Consulatus gessit, totidemque egit triumphos. Ædilitatis meminit Livius, lib. 10. pag. 173. ad Urbis annum CCCCLV. Triumphi de Samnitibus, idem pag. 187. sub libri decimi finem.

20. *Sacrata lege.*] Quodam sacramento initiatis militibus. Livius, de eo bello, lib. 10. pag. 184. *Sequitur hunc annum, & Consul insignis, L. Papirius Cursor, qua paterna gloria, qua sua: & bellum ingens, victoriaque, quantum de Samnitibus nemo ad eum diem, præter L. Papirium patrem Consulis, pepererat: Et opes Deorum etiam adhibuerant ritu quodam sacramenti vetusto velut initiatis militibus, delectu per omne Samnium habitum nova lege: ut qui juniorum non convenisset ad imperatorum edictum, quique injussu abisset, caput Jovis sacratum esset .... Jurare cogebatur diro quodam carmine in exsecrationem capitis familiæque & stirpis composito, nisi issent in prælium, quo imperatores duxissent..... Ea legio linteata ab integumento consepti loci quo sacrata nobilitas erat, appellata est. His arma insignia data, & cristatæ galeæ, ut inter ceteros eminerent, &c.*

21 *A Latiario Jove.*] Jovis statua in Albano monte collocata, in quo septem & XL. Latinorum civitates cum Romanis communia sacra Jovi faciebant. Unde Latinæ feriæ appellatæ. Dionys. Halic. lib. 2. Lucanus, lib. 1. vers. 198.

> *Et residens celsa Latialis Juppiter Alba.*

Cicero pro Mil. num. 86. *Vos enim Albani tumuli ... Tuque ex tuo edito monte Latiaris, sancte Jupiter, &c.* Tatianus, adversus Græcos Λατιάριον Δία, vocat: Lactantius, lib. 1. de falsa relig. cap. 21. *Latiarem.*

22. *Reliquiis limæ.*] Extremo artis opere, & ramentis ex ære derasis.

lacri ejus. Habent in eodem Capitolio admirationem & capita duo, quæ [23] P. Lentulus Consul dicavit: alterum a Charete supradicto factum: alterum fecit [24] Decius, comparatione in tantum victus, ut artificium minime probabilis artificis videatur.

Verum omnem amplitudinem statuarum ejus generis vicit ætate nostra Zenodorus, [25] Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis, per annos decem, [26] HS. CCCC. manipretio. Postquam satis ibi artem approbaverat, Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius Principis simulacrum, colossum fecit, [27] CX. pedum longitudine, [a] qui dicatus [28] Solis venerationi est, damnatis sceleribus illius Principis. Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem: verum & ex parvis admodum [b] surculis, quod primum operis instar fuit. Ea statua indicavit interisse fundendi æris scientiam, cum & Nero largiri aurum argentumque paratus esset, & Zenodorus scientia fingendi cælandique nulli veterum postponeretur. Statuam Arvernorum cum faceret, provinciæ [29] Vibio Avito præsidente, duo pocula Calamidis manu cælata, quæ Cassio Silano, avunculo ejus, præceptori suo [30] Germanicus Cæsar adamata donaverat, æmulatus est, ut vix ulla differentia esset artis. Quantoque major in Zenodoro præstantia fuit, tanto magis [c] deprehendi [31] æris obliteratio potest.

CAP. VIII. Signis, quæ vocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, ut secum circumferant, [32] sicut Hortensius Orator Sphingem Verri reo ablatam. Propter quam Cicero illo judicio in altercatione neganti ei se ænigmata intelligere, respondit debere, quoniam sphingem domi haberet. Circumtulit & Nero Princeps Amazonem, [33] de qua dicemus: & paulo ante [34] C. Cestius Consularis signum, quod secum etiam in prælio habuit. Alexandri quoque Magni tabernaculum sustinere traduntur solitæ statuæ, ex quibus duæ ante [35] Martis Ultoris ædem dicatæ sunt, totidem ante regiam.

XIX. Minoribus simulacris signisque innumera prope artificum multitudo nobilitata est. Ante omnes tamen Phidias Atheniensis, [1] Jove Olympiæ facto, ex ebore quidem & auro: [2] sed & ex ære signa fecit. Floruit autem [3] Olympiade LXXXIV. circiter CCC. nostræ Urbis anno. Quo eodem tempore æmuli ejus fuere [4] Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegias. Et deinde Olympiade LXXXVII. [5] Ageladas, Callon, Polycletus, Phrad-

INTERPRETATIO.

a *Qui*] Colossus ille Soli dicatus est post obitum Neronis

b *Surculis.*] Virgultis.

c *Deprehendi*] Deprehendi potest æris fundendi scientiam obliteratam esse.

NOTÆ.

23. *P. Lentulus Consul.*] Is quem Cicero & Deum & salutis suæ auctorem vocat, quod Consul revocari eum enixe contendit.

24. *Decius.*] Statuarius.

25. *Mercurio facto . . . Arvernis.*] Vetus inscriptio, apud Gruterum, pag LIII. XI MERCVRIO. ARVERNO. VICINI.

26. *HS. CCCC.*] Hoc est, sestertiûm quadringenties: ubi subintelligendum, sestertiûm quadringenties centenis millibus, superposita numero nota admonet. Sunt monetæ Gallicæ omnino 4000000. seu quatuor, ut aiunt, milliones.

27. *CX. pedum*] Tranquillus in Nerone, cap. 31 ait fuisse centum & XX. *Vestibulum ejus domus fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie.*

28. *Solis venerationi.*] Rectius putem, *qui dicatus Soli*, &c Hieronym. in cap. 3. Habacuc. *Hic colossus erectus sub Nerone refectus a Vespasiano, ac dempto capite Neronis, & Solis adjecto, cum septem radiis. Soli dicatus fuit*, &c. De hoc colosso Martialis in Spectac. Epigr. 2. Iterumque lib. 1. Epigr. 71.

Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Hinc errasse Spartianum intelliges, qui Soli dicatum fuisse ab Hadriano retulit, in ejus vita. P. Victor in quarta Urbis regione locat: *Colossus altus centum duo semis, habens in capite radios septem singulos pedum XXII. semis*

29. *Vibio Avito.*] Hunc Tacitus perperam Dubium pro Vibio vocat. Nomen est Romanum Vibius: Dubius, ne barbarum quidem.

30. *Germanicus Cæsar.*] Filius Drusi Germanici Imperatoris, qui Tiberii Imp. frater fuit.

31. *Æris obliteratio.*] Sincerum vas incrustant, qui hoc loco *artis* pro *æris* obtrudunt

32. *Sicut Hortensius.*] Refert hoc & Plutarchus in Apophtheg. Rom.

33. *De qua dicemus.*] Sect. seq num. 21.

34. *C. Cestius.*] Gesserat Consulatum Tiberii principatu, M. Servilio Noniano Collega, anno Urbis DCCLXXXVII. ut ex Tacito discimus.

35. *Martis Ultoris ædem.*] Fuit ea in foro Augusti, regione octava. Regiam vero, Numæ domum seu Regiam intelligi oportet, eadem urbis regione.

Sect. XIX. 1. *Jove Olympiæ.*] De eo Jovis simulacro multa Pausanias in Eliac prior. sive lib. 5. pag. 303. Inscriptio hæc fuit ad Jovis pedes posita: ΦΕΙΔΙΑΣ ΧΑΡΜΙΔΟΥ. ΥΙΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Μ' ΕΠΟΙΗΣΕ. PHIDIAS. CHARMIDAE. F. ATHENIENSIS. ME. FECIT.

2. *Sed & ex ære signa fecit.*] Testis inter ceteros Prudentius, περὶ στεφάνων, hymn. 10. in S. Romanum, vers. 291.

Miror quod ipsum non sacrastis Mentorem,
Nec templum & aras ipse Phidias habet:
Fabri deorum, vel parentes numinum.
Qui si caminos instituissent segnius,
Non esset ullus Juppiter conflatilis.

3. *Olympiade* LXXXIV.] Vide Notas & Emendationes, num VI.

4. *Alcamenes*, &c.] Ἀλκαμένην Phidiæ æmulum & coævum ei fuisse scribit & Tzetzes, Chil. 8. hist. 193. vers. 341 Κριτίας Atticus fuit: de eo Pausanias, lib 1. Attic, pag. 14. & lib. 6. sive Eliac. post. pag 347. Nestocles nobis adhuc ignotus. Hegias, Ἡγίας, Atheniensis statuarius, Ageladæ, de quo mox, fere æqualis, dicitur a Pausania, lib. 8. sive Arcad. pag. 515. Alius ab isto qui Hegesias Quintiliano nominatur, lib. 12. cap 10 pag. 894. *Similis in statuis differentia. Nam duriora & Tuscanicis proxima Callon atque Hegesias: jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit*, &c. Hic in vetere inscriptione apud Reinesium, pag. 184. ΑΓΑΣΙΑΣ ΔΟΣΙΘΕΟΥ ΕΦΕΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ.

5. *Ageladas*, &c.] Ἀγελάδας Ἀργεῖος, statuamque Cereris ab eo elaboratam laudat Pausanias in Arcad. lib. 8 pag. 525. Alter ab isto Γελάδας est, Phidiæ non æmulus, sed magister, de quo Tzetzes, Chil 7 hist. 154 vers. 930. & Chil 8 hist. 192. vers 326. Κάλλων Æginetes fuit, Tectæi & Angelionis discipulus, qui a Dipœno & Scyllide artem eam didicerant. Pausan in Corinth. lib. 2 pag. 146. De Polycleto inferius dicetur, num. 2. De eo multa Pausanias, lib. 2. sive Corinth. pag. 135. & alibi passim Φραδμων, (sic enim legendum, non *Phragmon*) plastes Argivus ab eodem Pausania laudatur, lib. 6 sive Eliac. poster. pag. 358. & a Columella, lib. 10. de cultu hortor. pag.

mon,

mon, Gorgias, Lacon, Myron, Pythagoras, Scopas, Parelius. Ex his Polycletus discipulos habuit [6] Argium, Asopodorum, Alexim, Aristidem, Phrynonem, Dinonem, Athenodorum, Damiam Clitorium: [7] Myron Lycium. Nonagesima quinta Olympiade floruere [8] Naucydes, Dinomenes, Canachus, Patrocles. Centesima secunda, [9] Polycles, Cephissodotus, Leochares, Hypatodorus. Centesima quarta, [10] Praxiteles, Euphranor. 5 Centesima septima, Echion, Therimachus. Centesima quartadecima, [11] Lysippus fuit, cum & Alexander Magnus. [12] Item Lysistratus, & frater ejus Sthenis, Euphronides, Sostratus, Ion, Silanion: In hoc mirabile, quod nullo doctore nobilis fuit ipse. [13] Discipulos habuit Zeuxim & Iadem. Centesima vicesima, [14] Eutychides, Euthycrates, Dahippus, Cephissodotus, Timarchus, Pyromachus. Cessavit deinde ars, ac rursus Olympiade 10 centesima quinquagesima quinta revixit, cum fuere longe quidem infra prædictos, probati tamen, [15] Antæus, Callistratus, Polycles, Athenæus, Callixenus, Pythocles, Pythias, Timocles. Ita dictinctis celeberrimorum ætatibus, insignes raptim transcurram, reliqua multitudine passim dispersa. Venere autem & in certamen laudatissimi, quanquam diversis ætatibus geniti, quoniam fecerant Amazonas: quæ cum in templo Ephesiæ Dianæ di- 15 carentur, placuit eligi probatissimam, ipsorum artificum, qui præsentes erant, judicio, cum apparuit eam esse, quam omnes secundam a sua quisque judicassent. Hæc est Polycleti, proxima ab ea Phidiæ, tertia Cresilai, quarta Cydonis, quinta Phradmonis.

I. [16] Phidias, præter Jovem Olympium, quem nemo æmulatur, fecit & ex ebore

NOTÆ.

347. Sed unde huc irrepserit, nescio. Desideratur enim id nomen in Reg. 2. & Colb. 3. De Myrone infra, & de Pythagora. Σκόπας denique Parius, Pausaniæ in Arcad. pag. 529. & Horatio, lib. 4. Ode 8. vers. 6. Γοργίας, Λάκων Πεζάλιος, vel Παρήλιος potius, ut in Colb. 3. nobis incogniti.

6. *Argium*, &c.] Ἄργειος, Ἀσωπόδωρος, adhuc obscuri: Alexis Canthari statuarii pater a Pausania laudatur, lib. 6. pag. 348. Eliac. poster. De Aristide iterum inferius, num. 12. Sequuntur Φρύνων, Δείνων, quorum mentio nusquam occurrit. Ἀθηνόδωρος καὶ Δαμίας ambo statuarii, & Arcades ambo, pariter ex Clitore oppido, laudantur a Pausania, lib. 10. Phocic. pag. 625.

7. *Myron Lycium.*] Subintellige ex antecedentibus, Myron discipulum habuit Lycium. Vide Notas & Emendationes, num. VII.

8. *Naucydes*, &c.] Ναυκύδης statuarius, Mothonis F. non semel laudatus a Pausania, lib. 2. Corinth. pag. 126. &c. Δεινομένης (sic enim scribendum, non Diomedes, ex ipso Plinio inferius, num. 15.) laudatur a Tatiano in orat. contra Græcos, pag. 182. Ejus opera a Pausania recensentur, lib. 1. Attic pag. 44. Κάναχος Sicyonius statuarius fuit, Polycleti Argivi discipulus, inquit Pausan. lib 6. Eliac. post. pag. 367. & lib. 7. Achaic. pag. 433. De eo Cicero in Bruto, pag. 535. Πατροκλέους & Κανάχου opera, quasi conjunctis animis viribusque elaborata, laudat idem, lib 10. sive Phocic pag. 626.

9. *Polycles*, &c.] Πολυκλῆς ortu Atticus, Stadiei Atheniensis discipulus, apud Pausan. lib. Eliac. post. pag. 351. Κηφισόδοτος (sic etiam MSS. Reg. 2 Colb. 3 & alii, non *Cephissodorus*) statuarius Atheniensis, cujus opera laudat Pausanias, tum alibi, tum lib. 9. Bœot. pag. 566. Λεωχάρης, in Atticis, lib. 1. pag. 6. aliasque passim. Ὑπατόδωρος, lib. 8. in Arcad. pag. 497. & lib. 10 in Phocic. pag. 627.

10. *Praxiteles*, &c.] Cujus opera non a Pausania modo, sed ab aliis scriptoribus commendantur. De eo inferius, num. 10. Cum ceteris ejusdem artis maxime peritis, a Martiale, lib. 4. Epigr. 39.

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæque:
Solus Mentoreos habes labores: &c.

De Euphranore inferius, lib. 35 sect. 40. num 16. Laudatur a Pausania, lib. 1. pag. 6. Κχίων & Θηρίμαχος, adhuc obscuri: Nisi pro *Echione*, ex Vitruvio, in præfatione libri tertii, pag. 37. *Chion* legas, quem Corinthium ait fuisse, & inter antiquos statuarios in paucis arte nobilem. Sed iidem, Echion & Therimachus, iterum laudantur inferius lib. 35. sect. 36. num. 9.

11. *Lysippus*] Sicyonius fuit. De eo nos alibi diximus, lib. 7. sect. 38. Pausanias vero lib. 2 in Corinth pag. 105. Plinius infra, num. 6. Vide Notas & Emend num. VII.

12 *Item Lysistratus.*] Ipse quidem a ceteris scriptoribus neglectus: cum ejus frater Σθένις Olynthius ortu laudetur a Pausania, lib. 6. in Eliac. poster. pag 374. De Euphronide nihil exstat. Σώστρατος Χῖος statuarius, apud Pausan. loc. cit. pag. 360. Ἴων ceteris indictus. Σιλανίων Atheniensis fuit, teste eodem Pausania, loc. cit. pag. 350. Laudatur & a Tatiano, orat. contra Græcos, pag. 185. & a Themistio orat. 5. pag. 64. Præcepta symmetriarum conscripsisse dicitur, auctore Vitruvio, in præf. lib. 7. pag. 125.

13. *Discipulos habuit.*] Reg. 2. & Colb. 3. *Ipse discipulum habuit Zeuxiadem.*

14. *Eutychides*, &c.] Εὐτυχίδης, de quo inferius lib. 36. sect. 4. & hac ipsa sect. num. 16. Εὐθυκράτης laudatur a Tatiano, orat. contra Græcos, pag 185. Dahippus (sic enim restituimus, pro *Lahippus*, ex ipso Plinio paulo inferius, ubi quos modo ex temporum ratione, ibi ex serie alphabeti appellat) Δάϊππος pariter Pausaniæ, lib 6. in Eliac. poster. pag. 366. & 374. ubi ejus opera enumerantur. Uterque Lysippi filius, ut dicetur inferius, num 7. Κηφισόδοτος alter a superiore, pariter cum illo laudatus a Tatiano orat. contra Græcos, pag 185. Timarchus, forte Τιμαρχίδης ἀγαλματοποιὸς, de quo Pausanias, lib 10. in Phoc. pag. 678. De Pyromacho iterum Plinius inferius, num. 20.

15. *Antæus*, &c.] Ex his Καλλίστρατος a Tatiano laudatur loc. cit. pag. 183. Τιμοκλῆς a Pausania, lib 10. in Phocic. Καλλίξενος, teste Photio in Bibl. condidit ζωγράφων καὶ ἀνδριαντοποιῶν ἀναγραφὴν, pictorum & statuariorum descriptionem. Reliqui deinde, Ἀνταῖος, Πολυκλῆς, Ἀθηναῖος, Πυθοκλῆς, Πυθίας, amplius quærendi.

16. *Phidias*, &c.] De Jovis Olympii simulacro non inventum exstat epigramma in Anthologia Græca, lib 4. cap. 6. Εἰς τὸ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς ἄγαλμα,

Ἢ θεὸς ἦλθ' ἐπὶ γῆν ἐξ οὐρανοῦ εἰκόνα δείξων,
Φειδία, ἢ σύγ' ἔβης τὸν θεὸν ὀψόμενος;

Hoc est, interprete Grotio: *De Jovis Olympii imagine:*
Juppiter ad terras, an ad æthera Phidia venit,
Ut visu fieret talis imago Deo?

De Minerva Atheniensi tria sat elegantia, eodem libro, cap. 12. Juliani primum:

Ἰουλιανοῦ ἀπὸ ὑπάρχων εἰς τὸ ἐν
Ἀθήναις ἕνοπλον Ἀθηνᾶν.
Τίπτε Τριτογένεια πυρώσιας ἄστεϊ μέσσῳ;
Εἶξε Ποσειδάων, φείδεο Κεκροπίης.
Juliani Ex-profecto Augustali,
de Minerva Athenis armata.
Cur media Pallas capis arma in Cecropis urbe?
Neptunus cessit jam tibi: parce tuis.

Alterum Antipatri Sidonii, de Venere Paphia simul, & hoc Minervæ signo:

Ἀφρογενοῦς Παφίης ζάθεον ἀνάθρησον ἄγαλμα,
Καὶ λέξεις, αἰνῶ τὸν Φρύγα τὸν κρίσιος.
Ἀτθίδα δ' ἀθρήσας πάλι Παλλάδα, τοῦτο βοήσεις
Ὡς βούτης ὁ Πάρις τήνδε παρετρόχασεν.
Æthereum Paphiæ decus aspice: jam, puto, dices:
Subscribo Phrygis judicis arbitrio.
Atthida sed videas idem si Pallada, dices:
Hanc qui præteriit, rusticus ille fuit.

Tertium denique Hermodori:

Τὰν Κνιδίαν Κυθέρειαν ἰδὼν ξένε, τοῦτό κεν εἴποις,
Αὐτὰ καὶ θνατῶν ἄρχε καὶ ἀθανάτων.
Τὰν δ' ἐνὶ Κεκροπίδαις δουροσθενέα Παλλάδα λεύσσων,
Ἀνδήσεις, ὄντως βουκόλος ἦν ὁ Πάρις.
Clamabis Cnidiam Venerem si videris hospes,
Tu rege mortales, tu rego sola Deos.
Pallada si videas hastam quæ vibrat Athenis,
Dices, credo, Paris nil nisi pastor erat.

æque Minervam Athenis, quæ est [17] in Parthenone adstans. Ex ære vero præter [18] Amazonem supra dictam, Minervam tam eximiæ pulcritudinis, [19] ut formæ cognomen acceperit. Fecit & [20] Cliduchum, & aliam Minervam, quam Romæ Æmilius Paulus [21] ad ædem Fortunæ hujusque diei dedicavit. Ideo duo signa, quæ Catulus in eadem æde posuit palliata: & alterum [22] colossicon nudum: [23] primusque artem toreuticen aperuisse atque demonstrasse merito judicatur.

2. [24] Polycletus Sicyonius Ageladæ discipulus [25] Diadumenum fecit molliter juvenem, [26] centum talentis nobilitatum: Idem & Doryphorum viriliter puerum. [27] Fecit & quem canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut a lege quadam: solusque hominum artem ipse fecisse, artis opere judicatur. [28] Fecit & distringentem, & nudum talo [a] incessentem. Duosque pueros, item talis nudos ludentes, qui vocantur [29] Astragalizontes: & sunt in Titi Imperatoris atrio: quo opere nullum absolutius plerique judicant. Item Mercurium, qui fuit Lysimachiæ: [30] Herculem, qui Romæ: [31] Alexetera arma sumentem: [32] Artemona, qui Periphoretos appellatus est. Hie consummasse hanc scientiam judicatur, [33] & toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse. Proprium ejusdem, ut uno crure insisterent signa, excogitasse: quadrata tamen ea esse tradit Varro, & pæne ad unum exemplum.

3. [34] Myronem Eleutheris natum, & ipsum Ageladæ discipulum, [35] bucula maxime nobilitavit, celebratis versibus laudata: quando alieno plerique ingenio magis, quam suo, commendantur. [36] Fecit & canem, [37] & discobolon, [38] & Persea, [39] & Pristas,

INTERPRETATIO.

a *Incessentem.*] Provocantem *ad ludum.*

NOTÆ.

De eodem iterum signo Ovidius, lib. 4. de Punto, eleg. 1. vers. 31.

Arcis ut Actææ, vel eburna, vel ærea custos,
Bellica Phidiaca stat Dea facta manu.

Eburneæ Tzetzes quoque meminit, Chil. 8. vers. 192. vers. 312. Æreæ, vers. 334

17. *In Parthenone.*] Templum fuit in arce, cui a Minerva nomen, quam παρθένον virginem, vocabant. Ναὸς ὃν Παρθενῶνα ὀνομάζουσιν, inquit Pausan. lib 1. in Attic. pag. 2. & 43. Cicero, in Parad. *Non enim est tale, ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiæ*, &c. Stare autem id Minervæ signum veste stolata, auctor est idem Pausan. Τὸ δ' ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς ὀρθόν ἐστιν ἐν χιτῶνι ποδήρει, &c.

18 *Amazonem supra dictam.*] Sect. sup. sub finem: & hac ipsa sectione, paulo ante.

19. *Ut formæ.*] Fuerit ea igitur dicta Καλλίμορφος, aut καλλίστη. Plura Minervæ signa Pausanias commemorat, lib. 1. in Attic. pag. 51. & lib 9. in Bœot. pag 548. &c.

20. *Cliduchum.*] Κλειδοῦχον, clavigerum.

21. *Ad ædem Fortunæ hujusque diei.*] Hoc est, uniuscujusque diei: Decima Urbis regione hæc fuit. Vide Notas & Emend. num. VIII.

22. *Colossicon.*] Ita MSS. Credo idem esse quod colosseum.

23. *Primusque.*] Consummatæ, perfectæque jam artis rationem monstrasse intellige, quæ prius erat inchoata tantum & rudis: nam Anacreon, qui Olympiade LXXII. ponitur, hoc est, ante Phidiam annis fere XC. τορευτικῆς meminit, fierique sibi postulat a Vulcano poculum, in quo nec arma sint, nec astra cælata, sed vitibus uvæ insertæ, &c.

24. *Polycletus.*] Πολύκλειτος Pausaniæ, ceterisque.

25 *Diadumenum.*] Διαδούμενος, diademate redimitum, mitratum, vittatum, molliterque agentem: ut alterum e contrario δορυφόρον, quasi hastatum militem, gerentemque se viriliter. Δορυφόρους, inquit Herodianus, lib. 5. οὓς δὴ πραιτωριανοὺς καλοῦσι, Prætorianos milites. Id nomen satellitio regis Persarum fuit. Doryphori a Polycleto ficti meminit Cicero in Bruto, num. 296.

26 *Centum talentis.*] Monetæ Gallicæ, libræ sunt omnino 268800.

27. *Fecit & quem canona.*] Hoc est, simulacrum ad artis leges omnes normamque exacte elaboratum. Κανὼν Græcis regula seu norma dicitur. De hoc suo canone lepidum est Polycleti dictum, apud Ælianum, lib. 14 Var. hist. cap. 8.

28. *Fecit & distringentem.*] MSS *distrigentem*. Hoc est, strigili se se in balneo defricantem, sudoremque ac sordes detergentem. Ἀποξυόμενον Græci appellant, ut dicetur inferius, num. 6.

29. *Astragalizontes.*] Ab ἀστραγαλίζειν, *talis ludere.*

30. *Herculem.*] Meminit hujus signi Cicero, lib. 2. de Orat. pag. 360.

31. *Alexetera.*] Adjutorem, defensorem, propulsatorem injuriæ, cujus conatum in armis capiendis tabula exprimit. Vide Notas & Emend. num. X

32. *Artemona.*] Περιφόρητος Artemoni, artifici μηχανικῷ egregio, cognomen hæsit, quod claudus esset, & ad opera lectica deferretur. Sic Ephorus apud Plutarchum in Pericle, pag. 167. Heraclides contra Ponticus ex Anacreonte refert ibidem virum mollem hunc fuisse, meticulosum, domi fere residem, cujus supra caput, ne quid superne decideret, servi duo clypeum æneum tenerent: lectulo pensili circumferri solitum: inde περιφόρητον nuncupatum.

33. *Et toreuticen.*] Artem quæ sculptura latine, & cælatura dicitur.

34. *Myronem.*] De quo dictum est initio hujus sect. Natus Eleutheris Bœotiæ oppido, Atheniensium tamen idem civitate donatus, unde & Atheniensis semper a Pausania appellatur, ut lib. 6. Eliac. poster. pag 345. Commigrasse Athenas Eleutheris cives omnes aiunt, ibique receptos

35. *Bucula maxime.*] Ovidius, lib. 4. de Ponto, Eleg. 1. vers. 34.

Ut similis veræ vacca Myronis opus.

In hanc Myronis buculam epigrammata Græca diversorum poetarum plenissima elegantiæ ac leporis, ferme quadragena reperies in Anthologia, lib. 4. cap. 7. Latina undecim, apud Ausonium a 57. Epigr. ad 68. Illud quod ibi est ordine primum, juvat hic referre ob elegantiam:

Bucula sum, cælo genitoris facta Myronis
Ærea: nec factam me puto, sed genitam.
Sic me taurus init: sic proxima bucula mugit:
Sic vitulus sitiens ubera nostra petit.
Miraris, quod fallo gregem? gregis ipse magister,
Inter pascentes me numerare solet.

Vide & Joan. Tzetzen, Chil 8. hist. 194. vers. 374. Felicius tamen ceteris omnibus lusit in eam Myronis buculam V. Cl. Menagius, qui non homines modo artificio suo fefellisse Myronem, sed Junonem quoque ipsam, cecinit hoc eleganti disticho:

Τὴν χαλκῆν Ἥρη ποτὲ πόρτιν ἰδοῦσα Μύρωνος,
Ζηλοτύπησε, ἰδεῖν Ἰναχίδ' οἰομένη.

36. *Fecit & canem.*] Opere nempe mirabili, qualem & Leucon e marmore finxisse perhibetur, a Macedonio, in Anthologia, lib. 6. Epigr. 2.

Τὸν κύνα, τὸν πάντα κρατερὸν ἐπιδήμια θῆρας,
Ἔξεσε μὲν Λεύκων, ἄνθετο δ' Ἀλκιμένης.
Ἀλκιμένης δ' οὐχ εὗρε τί μέμψεται· ὡς δ' ἐσορᾷ μὲν
Εἰκόνα, παντοίῳ σχήματι φαινομένην.
Κλαυσεῖ ἔχειν, πέλας ἦλθε, λέγων Λεύκωνα κελεύειν
Τῷ κυνὶ καὶ βαΐζειν· παιδὶ γὰρ ὡς ὑλάειν.

Indagare canem solitum genus omne ferarum
Effinxit Leucon, dedicat Alcimenes.
Vidit ut Alcimenes vitio culpaque carentem
Effigiem cunctas corpore ferre notas:
Vincla tenens queis colla liget, tam dic age, Leucon,
Currat, ait: latrans nam tua jussa manet.

37. *Et discobolon.*] Δισκοβόλος, hoc est, qui discum jacit: quæ statua mire expressit nixum, & conatum hominis discum jacere molientis. Quintilian lib. 2. cap. 13. pag 145. *Quid tam distortum & elaboratum, quam est ille discobolos Myronis? Si quis tamen ut parum rectum improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit?* &c

38 *Et Persea*] De hujus Myronis opere Pausanias in Atticæ, lib. 1. pag 41. Perseo, scilicet, cum Medusæ capite.

39. *Et Pristas.*] Πρίστης, inquit Pollux, ἐμπεῖς, qui serra

[40] & Satyrum admirantem tibias, & Minervam: [41] Delphicos pentathlos pancratiastas: [42] Herculem etiam, qui est apud Circum maximum in æde Pompeii Magni. [43] Fecisse & cicadæ monumentum ac locustæ carminibus suis [44] Erinna significat. Fecit & Apollinem, quem a Triumviro Antonio sublatum restituit Ephesiis Divus Augustus admonitus in quiete. Primus hic multiplicasse varietatem videtur, [45] numerosior in arte, quam Polycletus, & in symmetria diligentior: & ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensus non expressisse, capillum quoque & pubem non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset. 5

4. Vicit eum [46] Pythagoras Rheginus ex Italia, [47] pancratiaste Delphis posito. Eundem vicit & [48] Leontinus, qui fecit [49] stadiodromon Astylon, qui Olympiæ ostenditur: & [50] Libyn puerum tenentem tabellam, [51] eodem loco, & mala ferentem nudum. Syracusis autem claudicantem: cujus hulceris dolorem sentire etiam spectantes videntur. Item Apollinem, serpentemque ejus sagittis confici: [52] citharœdum, qui Dicæus appellatus est, quoniam cum Thebæ ab Alexandro caperentur, [a] aurum a fugiente conditum, sinu ejus celatum esset. Hic primus nervos & venas expressit, capillumque diligentius. 10 15

Interpretatio.

a *Aurum.*] Profugiens ex urbe quidam, in sinum ejus statuæ conditam, celatamque pecuniam, rediens integram intactamque reperit.

Notæ.

aliquid secant, scinduntque. *Des scieurs de bois.*

40. *Et Satyrum.*] Argumentum hujus tabulæ, Minerva, quæ cum inflaret tibias, conspecta in Mæandro amne oris deformitate, abjectas fregit. Illas autem admirabundus Satyrus Marsyas excepit, & inflare didicit. Ovidius, libro 6. Fastor. vers. 697. ubi Minerva sic loquitur:

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret effeci tibia longa sonos.
Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis,
Vidi virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est: valeas, mea tibia, dixi:
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur: at usum
Nescit: & inflatam sentit habere sonum. &c.

Satyri in ea tabella effigiem describit elegans epigramma in Anthologia Græca, lib. 4. cap. 12. Ἀγαθίου Σχολαστικοῦ, εἰς εἰκόνα Σατύρου ᾧτε τῷ ἀκοῇ τὸν αὐλὸν ἔχοντος, ὡς ἀκροωμένου.

Αὐτομάτως, Σατυρίσκε, δόναξ τεὸς ἦχον ἰάλλει.
Ἢ τί παραβλώσσεις οὔασιν ἀγνὰ χέλαμον;
Ὁ δὲ γελῶν σιγᾷ· τάχα δ' ἂν φθέγξαιτο μῦθον,
Ἀλλ' ὑπὸ τερπωλῆς εἴχετο ληθεδόνι.
Οὐ γὰρ κηρὸς ἔρυκεν· ἑκὼν δ' ἡσυχίαζε τοιγὰρ,
θυμὸν ὅλον τρέψας πηκτίδος ἀχολίῃ.

Grotius interpres: *Agathiæ Scholastici, de imagine Satyri tibiam auri admoventis, veluti auscultabundi:*

Sola tua an per se lata, Satyrisce, sonabit?
Nam cur apposita est auribus illa tuis?
Ecce silet ridens. Loqueretur, credo: voluptas
Ecce est tanta, sui non sit ut ipse memor.
Eloquium nec cera negat: sed non vacat illi,
Tibia dum sensus distinet, osque, loqui.

41. *Delphicos.*] Qui Delphis omni certaminum genere valerent. Πεντάθλους Græci vocant, Latini quinquertiones, qui in ludo artes gymnasticas quinque exercent. Constabat autem πένταθλον, sive quinquertium illud, cursu, saltu, disco, jaculo, lucta. Simonides in Anthol. lib. 1. Epigramm. cap. 1.

Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Victorem Delphis Diophonta Philonis, & Isthmo
Discus habet, saltus, lucta, pedes, jaculum.

Iidem, cum se pentathlo obtulissent, si pancratio quoque, quod in gravibus agonibus numerari solet, decertarent, pancratiastæ vocabantur, παγκρατιασταὶ, hoc est, qui manibus pedibusque, quasi omni ope, omnibusque, ut dicitur, ungulis, connixi certabant, ποσὶ χερσὶ καὶ τοῖς πᾶσι συναγωνιζόμενοι. Fecit porro Myron & cursorem in Pisco certamine, in quo ars velocior natura intelligitur, ut festivum colligit Epigramma, in Anthol. lib. 4. cap. 5.

42. *Herculem etiam.*] P. Victor, in descriptione Urbis Romæ, regione undecima: *Circus maximus .... Herculis olivarius .... Ædes Pompeii.* Tullius, sub initium libri 4. in Verrem, meminit hujus simulacri: *Verum ut ad illud sacrarium redeam, signum erat hoc quod dico, Cupidinis e marmore: ex altera parte Hercules egregie factus ex ære: is dicebatur esse Myronis, ut opinor: & certe ita est.*

43. *Fecisse & cicadæ.*] Aut ipsum Erinnæ carmen est, aut ei certe simile, quod de eo ipso monumento, Anytæ ab aliis, ab aliis Leonidæ adscribitur, lib. 3. Anthologiæ Græcæ, cap. 14. Ἀνύτης, οἱ δὲ Λεωνίδου, εἰς ἀκρίδα.

Ἀκρίδι τᾷ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι καὶ δρυοκοίτᾳ
Τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔδειξε Μυρώ,
Παρθένιον σταξασα κόρα δάκρυ· δισσὰ γὰρ αὐτᾶς
Παίγνι' ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ' ἔχων Ἀΐδας.

Interprete Grotio: *Anytæ, sive, ut alii, Leonidæ:*

Læta cicada comis, locustaque ruris aedon,
Hunc vobis tumulum posuit utrique Myro.
Tristitiam fletu virgo testata, quod illi
Mors parcens lusus abstulit atra duos.

Quod quidem carmen dubitationem injicit haud levem; num de Myrone puella vates incaute acceperit, quod de Myrone statuario intelligi oportuit.

44. *Erinna.*] Teia, vel, ut alii volunt, Lesbia vates, Sappho æqualis. Meminere illius Eustathius, in navium catalogum: Stobæus, serm. 7. de fortitudine: Propertius, lib. 2. Eleg. 3.

Carminaque Erinnes non putat æqua suis.

Exstat Erinnæ Ode Græca, in laudem Urbis Romæ, apud Stobæum, serm. de fortitudine: In ipsam Erinnam, Epigramma perelegans, Anthol lib. 1. cap. 67. num. 14.

Λέσβιον Ἠρίννης τόδε κηρίον· εἰ δέ τι μικρὸν,
Ἀλλ' ὅλον ἐκ Μουσέων κεκρασμένον μέλιτι.
Οἱ δὲ τριηκόσιοι ταύτης στίχοι, ἶσοι Ὁμήρῳ,
Τῆς καὶ παρθενικῆς ἐννεακαιδεκέτευς.
Ἣ καὶ ἐπ' ἠλακάτῃ, μητρὸς φόβῳ, ἣ καὶ ἐφ' ἱστῷ
Ἑστήκει, Μουσέων λάτρις ἐφαπτομένη.
Σαπφὼ δ' Ἠρίννης ὅσσον μελέεσσιν ἀμείνων,
Ἠρίννα Σαπφοῦς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις.

Lesbidis Erinnæ non magna mole, sed omni
Pieridum redolet dulcia mella favus:
Haud plus trecentum quam versibus æquat Homerum,
Annos nata decem virgo, superque novem.
Nec tamen interea quæ poscunt otia Musæ,
Aut colus, aut telæ, matre premente, dabant.
Si cupis, Erinnam Sappho testudine vincat:
Dum tamen Erinnæ cedat in hexametris.

Similia plura in eam vide, lib. 3. Anthol. cap. 25.

45. *Numerosior.*] In excogitandis quæ ad variandam artem spectant, ingeniosior, solertiorque: vel plurium potius statuarum fictor.

46. *Pythagoras.*] Πυθαγόρας Ῥηγῖνος Pausaniæ quoque, lib. 6. Eliac. poster. pag. 350. a Philosopho ejus nominis, & patria, & ætate, & arte diversissimus.

47. *Pancratiaste.*] Quæ vis huic [illegible] fuerit, paulo ante diximus. Fuit hic, ni fallit conjectura, Euthymus Locrus, qui Olymp. LXXVI. pugilatu vicit: de quo auctorem est lib. 7. sect. 48. Hujus enim statuam a Pythagora Rhegino positam, auctor est Pausanias, loc. cit.

48. *Leontinus.*] Pythagoras scilicet alter, Leontinis Siciliæ oppido oriundus. Vide Notas & Emend. num. X.

49. *Stadiodromon.*] Σταδιοδρόμον, qui in [illegible] cursu certat. De Astylo Crotoniata cursore, Plato lib. 8. de Legibus, aliique. Ter is Ὀλυμπιονίκης fuit.

50. *Libyn puerum.*] Cum puer hic [illegible], miror Dalecampium existimasse Mneseam Cyren[æ]um intelligi, cujus cælatam effigiem a Pythagora Rhegino Pausanias prodidit, lib. 6. Eliac. Poster. pag. 367. cum vir ille dicatur, & gravi accinctus armatura.

51. *Eodem loco.*] Olympiæ, in Elide.

52. *Qui Dicæus.*] Δίκαιος, *justus:* quod pecuniam in sinum ejus statuæ conditam, summa ea fide servasset. Similem huic

5. [53] Fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cujus signa [54] ad ædem Fortunæ hujusque diei septem nuda, & senis unum, laudata sunt. [55] Hic supradicto facie quoque indiscreta similis fuisse traditur: Rhegini autem discipulus & filius sororis fuisse [56] Sostratus.

6. Lysippum Sicyonium, [a] Duris negat, Tullius fuisse discipulum affirmat, sed primo ærarium fabrum, audendi rationem cepisse pictoris Eupompi responso. Eum enim interrogatum, quem sequeretur antecedentium, dixisse demonstrata hominum multitudine, naturam ipsam imitandam esse, non artificem. Plurima ex omnibus signa fecit, [58] ut diximus, fecundissimæ artis, inter quæ [59] distringentem se, quem Marcus Agrippa [60] ante Thermas suas dicavit, mire gratum Tiberio Principi: qui non quivit temperare sibi in eo, quanquam [61] imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: cum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon flagitaverit, Princepsque, quanquam adamatum, reposuerit. Nobilitatur Lysippus & temulenta tibicina, & canibus ac venatione. In primis vero quadriga cum [62] Sole Rhodiorum. [63] Fecit & Alexandrum Magnum multis operibus, a pueritia ejus orsus. Quam statuam inaurari jussit Nero Princeps, delectatus admodum illa. [64] Dein cum pretio perisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris, in quibus aurum hæserat, remanentibus. Idem fecit Hephæstionem [65] Alexandri Magni amicum, quem quidam Polycleto adscribunt, [66] cum is centum prope annis ante fuerit. Idem Alexandri venationem, quæ Delphis sacrata est: [67] Athenis Satyrorum turmam: [68] Alexandrum amicorumque ejus imagines [69] summa omnium similitudine expressit. [70] Has Metellus Macedonia subacta transtulit Romam. Fecit & quadrigas multorum generum. Statuariæ arti plurimum traditur contulisse, [71] capillum exprimendo, capita minora faciendo, quam antiqui: corpora graciliora, sicciora que, per quæ proceritas signorum major videretur. [72] Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime custo-

Interpretatio.

a *Duris*] Duris negat fuisse discipulum cujuspiam: sed a se ipso ait didicisse: Tullius contra affirmat.

Notæ.

historiam vide apud Athen lib. 1 pag. 19. Revocat id in memoriam Xenocratis epigramma lepidum ex Anthologia, lib. 4. tit. 12. de Mercurio ligneo aurum asservante:

> Ἑρμῆν ξυλίνῳ τις ἐπεῖχε, ἦν ξύλον ἦν.
> Εὐχὴ μὴ αἰτίζων, χαμάδ' ἐς βάλε. ἐκ δ' ἄρα χρυσὸς
> Ἔῤῥευσεν πολύς· τὸ ὕβρις πόρε πολλάκι κέρδος.
> *Mercurium ex ligno cur adit prece: nil nisi lignum*
> *Ille erat in terram vi magna dejicit: aurum*
> *Profluit e fracto. Dat sæpe injuria lucrum.*

53. *Fuit & alius Pythagoras Samius.*] De quo Laërtius, lib. 8. in vita Pythagoræ, pag. 225. Καὶ ἄλλον ἀνδριαντοποιὸν Σάμιον. Quare Dalecampio cave credas, qui contra omnium exemplarium fidem, contra scriptoris mentem, ex Pausania Parium pro Samio reponi posse credit, quoniam Pythagoræ Parii pictoris apud istum mentio in Bœoticis.

54. *Ad ædem Fortunæ hujusque diei.*] De hac voce superius diximus, hac ipsa sect. num. 1.

55. *Hic supra dicto*] Pythagoræ Leontino.

56. *Sostratus.*] De quo supra.

57 *Lysippum Sicyonium*] Hanc ejus patriam omnes agnoscunt. Tzetzes in primis, Chil. 8. hist. 200. pag. 417.

58. *Ut diximus.*] Supra, sect. 17.

59. *Distringentem se*] Strigili se fricantem in balneo, ut supra diximus, ἀποξυόμενον.

60. *Ante Thermas suas.*] Apud P. Victorem, *Thermæ Agrippæ*, regione Urbis nona.

61. *Imperiosus sui.*] Vide Tranquillum in Tiberio, cap. 26. & sequentibus.

62. *Sole Rhodiorum*] Qualis in nummis Rhodiorum exprimitur, capite radiato. De hoc Solis curru, vide Dionem Chrys. orat. Rhod.

63. *Fecit & Alexandrum.*] Archelaus, in Anthol. lib. 4. cap. 8.

> Τόλμαν Ἀλεξάνδρου καὶ ὅλαν ἀπεμάξατο μορφὰν
> Λύσιππος· τίν' ὅδε χαλκὸς ἔχει δύναμιν.
> Αὐδάσοντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος, ἐς Δία λεύσσων,
> Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.
> *Æquas Alexandri vultumque animumque ferocem*
> *Lysippus: tantum posse quis æra putet?*
> *Æreus iste Jovem spectans clamare videtur:*
> *Subdo mihi terras: tu, pater, astra tene.*

64. *Dein cum pretio*] Cum esset ea statua facta pretiosior auro addito, vilior peritorum judicio habita postea est.

65. *Alexandri M. amicum.*] Vide Valer. Max. lib. 4. cap. 7. pag. 235.

66. *Cum is.*] Scilicet Polycletus, qui Olympiade floruit LXXXVII Hephæstion cum Alexandro, Olymp. CXIV.

67 *Athenis Satyrum, &c.*] Vide Not. & Emend num XI.

68 *Alexandrum.*] Turmam statuarum equestrium, quinque scilicet ac viginti equitum, qui ex Alexandri turma ad Granicum flumen ceciderant, hic quidam voluere intelligi, de qua Velleius, lib. 1. pag. 5. & Arrianus, lib. 1. de exped. Alex. pag. 47.

69. *Summa omnium.*] Propert. lib. 3. Eleg. 8.

> *Gloria Lysippo est animosa effingere signa.*

70. *Has Metellus*] Qui Macedonia domita, anno Urbis DCVI. Macedonici nomen inde tulit.

71. *Capillum exprimendo.*] Expressit autem feliciter in primis in Occasionis simulacro, quod finxit ille, ut Posidippus refert in Anthologia, lib. 4. cap. 14. non inelegante epigrammate:

> Τίς, πόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος. οὔνομα δὴ τίς;
> Λύσιππος. σὺ δὲ τίς; Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
> Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τί δὲ ταρσοὺς
> Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
> Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα
> Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
> Ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
> Νὴ Δία. τἀξόπιθεν πρὸς τί φαλακρὰ πέλει;
> Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσὶν,
> Οὔ τις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
> Τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων
> Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.
> *Tu qui es hic qui stas? Occasio. Quis tibi factor?*
> *Lysippus. Cujas? De Sicyone satus.*
> *Nitere cur pedibus summis? Amo currere. Penna*
> *Cur pedibus? Venti turbine rapta volo.*
> *In dextra cur ista novacula? Monstrat acutam*
> *Hac esse & ferro me magis & chalybe.*
> *Cur in fronte coma est? Appendar ut obvia. Sed cur*
> *Omnis abest glabro crinis ab occipite?*
> *Nempe quod crispus cum me semel alite cursu,*
> *Nemo erit elapsam qui revocare queat.*
> *Hanc operum factor propter vos sumpserat, hospes,*
> *Pro monitu statuam semper ut ante fores*

72. *Non habet Latinum nomen.*] Non est igitur visa Plinio digna Latino ore vox, *commensus*, qua voce, Græci fere vocabuli συμμετρίας ratione servata, Vitruvius haud semel utitur: in primis lib. 3. cap 1. *Ut etiam in operum perfectionibus, singulorum membrorum ad universam signi speciem ha-*

divit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando: vulgoque dicebat, ab illis factos, [73] quales essent, homines: a se, quales viderentur esse. Propriæ hujus videntur esse [a] [74] argutiæ operum, custoditæ in minimis quoque rebus.

7. Filios & discipulos reliquit laudatos artifices, [75] Dahippum, [76] & Bedam, sed ante omnes Euthycratem: quanquam is constantiam patris potius æmulatus, quam elegantiam, austero maluit genere, quam jucundo, placere. Itaque optime expressit Herculem Delphis, & Alexandrum, Thespin venatorem, & [77] Thespiadas: prælium equestre: simulacrum [78] Trophonii ad oraculum: quadrigas Medeæ complures: [79] equum cum fiscinis: canes venantium.

8. Hujus porro discipulus fuit [80] Tisicrates, & ipse Sicyonius, sed Lysippi sectæ propior, ut vix discernantur complura signa: ceu senex Thebanus, [81] Demetrius rex, [82] Peucestes Alexandri Magni servator, dignus [83] tanta gloria.

9. Artifices, qui compositis voluminibus condidere hæc, miris laudibus celebrant, & Telephanem Phoceum, ignotum alias, quoniam in Thessalia habitaverit, ubi latuerint opera ejus: alioqui suffragiis ipsorum æquatur Polycleto, Myroni, Pythagoræ. Laudant ejus [84] Larissam, [85] & Spintharum pentathlon, & Apollinem. Alii non hanc ignobilitatis fuisse causam, sed quoniam se regum Xerxis atque Darii officinis dediderit, existimant.

10. [86] Praxiteles quoque marmore felicior: ideo & clarior fuit. Fecit tamen ex ære pulcherrima opera: Proserpinæ raptum: [87] item Catagusam, & Liberum Patrem, [88] & Ebrietatem, nobilemque una Satyrum, quem Græci [89] periboëton cognominant. Signa etiam, quæ [90] ante Felicitatis ædem fuere, Veneremque, quæ cum ipsa æde incendio cremata est Claudii principatu, [91] marmoreæ illi suæ per terras inclytæ parem. [92] Item

INTERPRETATIO.

a *Argutiæ.*] Elegantia operum.

NOTÆ.

beat commensus exactionem Neque geminum illud verbum arrisit, quod, ut symmetriam significaret, Plinius alter adhibuit, lib. 2. epist. 5. congruentia, æqualitasque. *Etenim si avulsum statuæ caput*, inquit, *aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses congruentiam æqualitatemque deprehendere: posses tamen judicare an idipsum satis elegans esset.* Nos *proportionem*, & *correspondentiam* dicimus.

73. *Quales essent homines.*] Vide quæ de gratia picturæ dicturi sumus lib. 35. sect. 36. num. 10.

74. *Argutiæ.*] Elegantia operum. Ipse mox de Euthycrate Lysippi filio: *Quanquam is constantiam patris potius æmulatus, quam elegantiam*, &c.

75. *Dahippum.*] Non *Laippum*, ut supra monuimus.

76. *Et Bedam.*] Alter a Vitruvio Bedas Byzantius in statuariorum quoque insignium albo ponitur, in præf. libri 3. pag. 37. De Euthycrate superius diximus.

77. *Thespiadas.*] Musas novem, a Thespiis Bœotiæ oppido, ubi in primis colebantur, sic appellatas. Thespiades Deæ, apud Ovid. lib. 5. Metam. vers. 310.

78. *Trophonii.*] Summus artifex is fuit in secandis saxis, qui subterraneum fanum in Lebadea Bœotiæ regione construxit, quod vulgo Trophonii fanum, ut diximus in Geographicis lib. 4. ab artifice cognominatum est. Ibi oracula complura reddi olim solita. Locum hunc ope codicum MSS. sanavimus, cum prius legeretur, *equestre prælium ad Trophonii oraculum.* Simulacrum porro Trophonii fuisse ejusmodi arbitramur, quale a Suida describitur: Τὸν δὲ Τροφώνιόν φασιν ἔχοντα τὴν κεφαλὴν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Ἀγαμήδους, καὶ διωκόμενον ὑπὸ Αὐγέου, διαφθῆναι ὑπὸ χάσματι, οὗ δὴ καὶ τὸ μαντεῖον ἐστι. *Trophonium aiunt, fratris Agamedis caput ferentem, persequente Ægeo, in hiatum, ubi nunc ejus oraculum est, toto facto incidisse.*

79. *Equum cum fiscinis.*] Fiscina seu fiscella fit e viminibus funiculisque contextis, qua boum, equorumque, & mulorum ora faucesque capistrantur. Fiscellas Plinius ipse appellat, lib. 18. sect. 49. In hunc forte Lysippi equum, exstat argutum Philippi Macedonis epigramma, in Anthologia, lib. 4. cap. 7.

> Ἴδ᾽ ὡς ὁ πῶλος χαλκοδαιδάλῳ τέχνῃ
> Κορωνιδαῖς ἔστηκε θερμὸς ἐκ βάσεων
> Ὑψαυχενίζων, καὶ διδυμοστραφεῖς
> Κορυφῆς ἔθειρας ὀρθίους ἐς δρόμον.
> Δοκῶ, χαλινοὺς εἴ τις ἡνιοστρόφος
> Ἐναρμόσει γένυσσι, καὶ πτέρναις ὀρίσει,
> Ὁ σὸς πόνος, Λύσιππε, καὶ παρ᾽ ἐλπίδας
> Ταχὺ ἐκδραμεῖται· τῇ τέχνῃ γὰρ ἐμπνέει.
> *Vides ut altum cornipes superbiat*
> *Docta dolatus arte? sic collum erigit,*
> *Sic aere cervix, deque toto vertice*
> *Vento fluentes fundit in sursum jubas.*
> *Si quis lupata, credo, maxillis equi*
> *Imponat, armos & premat calcaribus,*
> *Tuus repente, spem supra mortalium,*
> *Lysippe curret, quippe jam spirat, labor.*

80. *Tisicrates.*] Τισικράτης.

81. *Demetrius.*] Poliorcetes, Asiæ primum, mox & Macedoniæ tyrannus.

82. *Peucestes.*] Qui in obsidione oppidi Oxydracarum, ut Curtius refert, lib. 9. cap. 17. pag. 368. *tribus jaculis confossus, non se tamen scuto, sed regem* Alexandrum *tuebatur.* In obsidione primarii Mallorum oppidi id contigisse ceteri narrant, Strabo, Plutarchus, Arrianus, Lucianus in Dialogis mortuorum.

83. *Tanta gloria.*] Tam eximiæ honore statuæ, tantoque artifice.

84. *Larissam.*] Pelasgi filiam, quæ arci Argivorum, ac duabus Thessaliæ urbibus nomen suum impertiit. Auctor Pausanias in Corinthiacis.

85. *Et Spintharum.*] Prius *Spinarum* legebatur: quæ vox apud Græcos nusquam occurrit. Proprium viri nomen est Σπίνθαρος, apud Plutarch lib. de audit. pag. 39. Pausan. lib. 1. in Attic. pag. 56. item lib. 10. in Phoc. pag. 619. Suidam, tom. 2. pag. 792.

86. *Praxiteles .... marmore.*] Propertius, lib. 3. eleg. 8.

> *Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno,*
> *Praxitelem Parius vindicat arte lapis.*

87. *Item Catagusam.*] Κατάγουσαν, Cererem scilicet, quæ raptam Proserpinam reducit in domum. Unde ἀνατρέψαντα, *reducem.* Hic miras merasque afferunt nugas interpretes. Ovidium consule, qui lib. 5. Metam. vers. 565. Jovem ait ita litem de Properpinæ raptu composuisse, ut hæc senis anni mensibus apud Plutonem, totidem apud matrem incoleret.

88. *Nobilemque una.*] Una eademque pictura Ebrietatem Satyrumque descriptos fuisse significat.

89. *Periboeton.*] Περιβόητον, celebrem & nominatissimum. Pausanias, lib. 1. in Atticis: Ἔστι δὲ ὁδὸς ἀπὸ τοῦ Πρυτανείου καλουμένη Τρίποδες.... Σάτυρος γάρ ἐστιν, ἐφ᾽ ᾧ Πραξιτέλης λέγεται φρονῆσαι μέγα. *Via est a Prytaneo, Tripodes dicta.... Ibi Satyrus exstat, quo Praxiteles se jactasse gloriatur.* Meminit hujus Satyri a Praxitele elaborati, Athenæus, lib. 13. pag. 591. Alterius e marmore Pario, in quo & Liber Pater cum Satyro, Pausanias, lib. 1. in Attic. pag. 81.

90. *Ante Felicitatis ædem.*] Ea signa intelligit, quæ L. Mummius ex Achaica præda detulit, anno Urbis DCVIII. Cicero, orat. 6. in Verrem de signis, num. 4. *Itaque ille L. Mummius, cum Thespiis ea, quæ ad ædem Felicitatis sunt, ceteraque ex illo oppido signa tolleret*, &c. Fuit regione secunda Urbis, ubi & Curia Hostilia. Dio, lib. 44.

91. *Marmoreæ illi suæ.*] Veneri e marmore, de qua lib. 36. sect. 4. num. 5.

92. *Item Stephusam.*] Στεφοῦσαν, mulierem coronas plectentem.

Stephusam, [93] Spilumenen, [94] Oenophorum: [95] Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas, quos a Xerxe Persarum rege captos victa Perside Atheniensibus remisit [96] Magnus Alexander. [97] Fecit & puberem Apollinem subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant. Spectantur & duo signa ejus diversos affectus ex-
5 primentia, flentis matronæ, & meretricis gaudentis. Hanc putant [98] Phrynen fuisse, deprehenduntque in ea amorem artificis, & mercedem in vultu meretricis.

11. [a] Habet & simulacrum benignitas ejus. Calamidis enim quadrigæ aurigam suum imposuit, ne melior in equorum effigie defecisse in homine crederetur. [99] Ipse Calamis & alias quadrigas bigasque fecit, equis semper sine æmulo expressis. Sed ne videatur in
10 hominum effigie inferior, [100] Alcmena nullius est nobilior.

12. [101] Alcamenes Phidiæ discipulus & marmorea fecit, & æreum pentathlon, qui vocatur [102] Encrinomenos. At Polycleti discipulus Aristides quadrigas, bigasque. [103] Tisicratis Leæna laudatur. [104] Scortum hæc lyræ cantu familiare Harmodio & Aristogitoni, consilia eorum de tyrannicidio, usque ad mortem excruciata a tyrannis, non prodidit.
15 Quamobrem Athenienses & honorem habere ei volentes, nec tamen scortum celebrasse, [105] animal nominis ejus fecere: atque ut intelligeretur causa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt.

13. [106] Bryaxis Æsculapium & Seleucum fecit. [107] Bedas adorantem. Batton Apollinem, & Junonem, qui sunt Romæ [108] in Concordiæ templo.
20 14. Ctesilaus vulneratum deficientem, in quo possit intelligi, quantum restet animæ; & [109] Olympium Periclem dignum cognomine. Mirumque in hac arte est, quod nobiles

INTERPRETATIO.

a *Habet.*] Fecit & Praxiteles effigiem alteram, qua benignæ suæ indolis dedit argumentum. Nam Calamidis quadrigæ aurigam sua manu elaboratum imposuit, &c.

NOTÆ.

93. *Spilumenen.*] Σπιλουμένην, anum sordidam. Tatianus, in orat. contra Græcos, pag. 183. ipsos irridet, ob meretricum, ceterarumque mulierum statuas, quas illi haberent in pretio: & in exemplum affert hanc in primis. Καὶ Σπιλουμένην τε γυναῖκα Πραξιτέλης ἐδημιούργησε. Unde Turnebi commentum irridetur, lib. 16. Adverf. cap. 12. pag. 487. existimantis legi hic oportere conjunctim, *spilumenen oporan*, hoc est, autumnum sordidam, cum de mulierum simulacris sermo habeatur. Et Turnebo sane exemplaria quoque scripta adversantur: nec minus alii, qui *Psilumenen* legunt.

94. *Oenophorum.*] Οἰνοφόρος, mulierem, quæ vinum fert.

95. *Harmodium.*] De his, sect. 9.

96. *Magnus Alexander.*] Non ipse quidem, sed qui Alexandro successit, Seleucus, si Valerium Maximum audimus: sic enim ille, lib. 2. cap. 10. pag. 238. *Harmodii & Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes, ea urbe devicta, in regnum suum transtulit. longo deinde interjecto tempore, Seleucus in pristinam sedem reportandas curavit*, &c. Nec Seleucus quidem ipse, sed Antiochus Seleuci F. si Pausaniæ fides, lib. 1. in Atticis, pag. 14. Quisquis autem is fuerit, qui demum ea signa Athenis restituerit, præstitisse id cum Alexandri jussu credimus. Plinio Arrianus suffragatur, lib 3. de exped. Alex. pag. 396 Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐγκατελήφθη αὐτοῦ, ὅσα Ξέρξης ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἄγων ἦλθε· καὶ τά τε ἄλλα, καὶ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος χαλκαῖ εἰκόνες· καὶ ταύτας Ἀθηναίοις πέμπει ὀπίσω Ἀλέξανδρος, καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες. Quod iterum repetit idem lib. 7. pag 483.

97. *Fecit & puberem*) Apollinem videlicet. Vide Notas & Emend. num. XII. Σαυροκτόνον a σαῦρος lacerta, & κτείνω occido.

98. *Phrynen.*] Praxitelis ipsius amasiam: cujus in gratiam & Amoris simulacrum ille finxit, inscripsitque basi epigramma, a Simonide concinnatum, in Anthol. lib. 4. cap 12. & apud Athenæum:

> Πραξιτέλης ὃν ἔπασχε διηκρίβωσεν ἔρωτα
> Ἐξ ἰδίης ἕλκων ἀρχέτυπον κραδίης.
> Φρύνῃ μισθὸν ἐμεῖο διδοὺς ἐμέ· φίλτρα δὲ βάλλω
> Οὐκ ἔτι τοξεύων, ἀλλ' ἀτενιζόμενος.

Grotius sic reddidit:

> *Quem bene Praxiteles finxit, quem sensit Amorem:*
> *De corde exemplar sumpserat ille suo.*
> *Meque mei pretium Phryne dedit: unde sagittis*
> *Nil opus est: videar si modo, sat ferio.*

99 *Ipse Calamis*] De Calamide, Cicero in Bruto, pag. 535. Pausanias, lib. 6. Eliac. poster. pag 365. Propertius, lib. 3 Eleg. 8.

> *Exactis Calamis se mihi jactat equis,*

Ovidius, lib. 4. de Ponto, eleg 1. vers. 33.

> *Vindicat ut Calamis laudes quos fecit equorum.*

100 *Alcmena.*] Herculis mater.

101. *Alcamenes.*] Hactenus de celebrioribus statuariis habita oratio: ceteri deinceps ex alphabeti serie appellandi. Ἀλκαμένης Pausaniæ crebro memoratus, non sine peculiari operum ejus commendatione, in Atticis, Arcadicis, &c. De eo rursum inferius, lib 36. sect. 4. num. 3. & jam supra diximus.

102. *Encrinomenos.*] Ἐγκρινόμενος, in primis approbatus, ceteris prælatus.

103. *Tisicratis.*] Typi hactenus prætulerunt, *Et Iphicratis.* At idem supra num 8. Tisicratem laudavit.

104. *Scortum hæc*, &c.] Refert hæc quoque de Leæna Athenæus, lib. 13. pag. 596. Item Pausanias, lib. 1. Attic, pag. 48. Vide quæ de ea ante delibavimus, lib 7 sect 23.

105. *Animal nominis ejus*] Nempe leænam Plutarchus, lib. de garrul pag 505. ubi rem prolixe narrat, & eleganter quidem: Ἀθηναῖοι δὲ χαλκῆν ποιησάμενοι λέαιναν, ἄγλωσσον, ἐν πύλαις τῆς ἀκροπόλεως ἀνέθηκαν, &c. Calamidis opus id fuisse, ex aliorum asseveratione, ac probabiliore forma, refert Pausanias, lib 1 in Attic pag. 40.

106 *Bryaxis.*] De quo sect. 18. Vide Notas & Emendat. num. XIII.

107. *Bedas, adorantem.*] Subintellige, fecit, ex antecedente sententia. Conjunctim hæc legenda Dalecampius arbitratur est, *Bedas adorantem Batton*, &c. cum sit ibi *Batton* in recto, statuarii nomen, qui sacrificantem, sive, ut nunc Plinius ait, adorantem fecisse rursum traditur inferius, num. 34.

108. *In Concordiæ templo.*] In regione Urbis octava.

109. *Olympium.*] Id ei cognomen hæsit, vel ob eximiam dicendi vim, qua tonare in concionibus, ac fulmen ciere videretur, vel ob insignem domi militiæque potentiam, aliasve ob causas, quas affert Plutarchus in ejus vita, pag. 156. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 10. *Non sine causa igitur tanti roboris animus ad Olympii Jovis cognomen ascendit.* Datum est etiam cognomen Olympii Romanis Imperatoribus omnino tribus: Hadriano, Commodo, Severo Alexandro. Hadriani Augusti sunt in Gaza Regia, & alibi, nummi inscripti, ΑΔΡΙΑΝΟC ΟΛΥΜΠΙΟC, ΚΑΙCΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟC ΟΛΥΜΠΙΟC, ΚΑΙCΑΡ ΟΛΥΜΠΙΟC ΑΔΡΙΑΝΟC. Commodi, in Thesauro Regio: Μ. ΑΥ. ΟΛΥΜ. ΚΟΜΟΔΟC, *Marcus Aurelius Commodus.* Denique Severi Alexandri, in collectione M S. D. de Peiresc, p. 109 ΟΛΥΜΠ ΑΥΡ. CΕΟΥΗΡΟC ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC CΕΒ. *Olympius Aurelius Severus Alexander Augustus.* Caput laureatum.)(Caput Jovis. ΤΕΤΑΡΤΟΥ. *Anno quarto* ejusdem Alexandri imperii. Appellatione ea Græci donasse videntur Augustos, qui in majoribus suis duos haberent Divos Augustos; quasi jam essent ipsi e nomine natalium jure cæli heredes. Sic Hadrianus Divum Titum habuit proavum, Divum Nervam avum maternum: Commodo fuit Divus Marcus pater, & Divus Pius avus Aurelio Severo Alexandro abavus Divus Marcus, Divi Pii filius. In æream Periclis statuam Epigramma exstat in Anthologia, lib. 5.

viros nobiliores fecit. Cephissodotus Minervam mirabilem in portu Atheniensium, & aram ad templum Jovis Servatoris in eodem portu, cui pauca comparantur. Canachus Apollinem nudum, qui [110] Philesius cognominatur [111] in Didymæo, Æginetica æris temperatura. Cervumque una ita vestigiis suspendit, [a] ut linum subter pedes trahatur, alterno morsu digitis calceque retinentibus solum, ita vertebrato dente utrisque in partibus, ut a repulsu per vices resiliat. [112] Idem & Celetizontas pueros fecit. [113] Chæreas Alexandrum Magnum, & Philippum patrem ejus fecit.

15. [114] Desilaus Doryphoron, & Amazonem vulneratam. [115] Demetrius Lysimachen, quæ sacerdos Minervæ fuit annis sexaginta quatuor. Idem & Minervam, [116] quæ Musica appellatur, quoniam dracones in Gorgone ejus ad ictus citharæ tinnitu resonant. [117] Idem equitem Simonem, qui primus de equitatu scripsit. [118] Dædalus & ipse inter fictores laudatus, pueros distringentes se fecit. [119] Dinomenes [120] Protesilaum, [121] & Pythodemum luctatorem.

16. Euphranoris Alexander Paris est: in quo laudatur quod omnia simul intelligantur, judex Dearum, amator Helenæ, & tamen Achillis interfector. Hujus est Minerva Romæ, quæ dicitur Catuliana, infra Capitolium a Quinto Lutatio Catulo dicata: & simulacrum [122] Boni Eventus, dextra pateram, sinistra spicam ac papaver tenens. Item Latona puerpera, Apollinem & Dianam infantes sustinens, [123] in æde Concordiæ. Fecit & quadrigas bigasque, [124] & Cliduchon eximia forma: [125] & Virtutem, & Græciam, utrasque colosseas: mulierem admirantem & adorantem. Item Alexandrum & Philippum in

Interpretatio.

a *Vi linum.*] Ut filum infra pedes duci trahique possit, alternis vicibus mox digitos mox calcem credas hærere solo: dentes ita sunt vertebratis ossibus similes, *mobilesque ac flexiles in utrisque partibus, sive dextris, sive sinistris*, ut si unum pellas, statim alii per vices statim, *hoc est, si lævos pellas, dextri - si dextros, læti* resiliant.

Notæ.

'Ηγασάμην δ' ὁρόων σε, Περίκλεες, ὅττι καὶ αὐτῷ
Χαλκῷ ἀναιδέϊην δημηγόρου ἦγες ἀϋτῆς,
Ὡς ὅτι Κεκροπίδῃσι θεμιστεύεις πολιήταις,
Οὐ μόγις αἰνίσσων Πελόπηϊον. Forte, ἢ μόθον.
Multum te, Pericles, miror, quod in are videndus
Hic etiam fortes vultumque habitumque diserti:
Qualis eras quondam vel legum suasor Athenis,
Vel belli in Pelopis populos

110. *Philesius.*] Φιλήσιος, *amabilis.*

111. *In Didymæo.*] Hoc est, in eo loco, quod Branchidarum & Apollinis Didymæi oraculum appellatur, de quo Plinius, lib. 5. sect. 31. Pausanias in Bœot. lib. 9. pag. 557. Apollinem ex ære in Branchidis a Canacho factum in primis laudat: ὁ μὲν γὰρ ἐν Βραγχίδαις, χαλκοῦ, Κανάχου ποίημα.

112. *Idem & Celetizontas.*] Subintellige, *fecit*, ex antecedentibus. Κελητίζοντας vocant equum singularem regentes, quem κέλητα Græci, Tranquillus desultorium nuncupat.

113. *Chereas.*] Chærean & Diaden Polyidi Thessali discipulos architecturæ peritos cum Alexandro militasse apud Vitruvium legimus, lib. 10. cap. 19. pag. 231. & apud Athen. Πολυείδου τοῦ Θετταλοῦ, οἱ οἱ μαθηταὶ συνεστρατεύοντο Ἀλεξάνδρῳ, Διάδης καὶ Χαιρέας. Chærilum statuarium Olynthium, apud Pausan lib. 6. Eliac post pag. 375.

114. *Desilaus.*] Δησίλαος. Sic enim MSS. Reg. 2. Colb. 3. aliique: non, ut editi, *Ctesilaus*: cujus habita paulo ante mentio, in eorum numero quorum nominibus præfigitur littera C.

115. *Demetrius*] Meminit ejus Quintilianus, lib. 12. cap. 10 pag. 895. ubi de statuariis: *Demetrius*, inquit, *tamquam nimius in ea reprehenditur* (nempe in veritate exprimenda) *& fuit amaritudinis, quam pulcritudinis amantior.* De hac Lysimache Pausanias, lib 1. in Attic pag. 49.

116. *Quæ Musica*] Minervæ Musicæ apud Senecam mentio, qui Athenienses ait Antonio adulatos dixisse velle se despondere ei Minervam suam Musicam: quibus ille respondisse fertur, ducturum se quidem, sed dotis nomine imperare se illis talenta mille.

117. *Idem Equitem Simonem*] Vide Notas & Emendat. num. XIV. Dignum notatu interim id est quod nummus docet ab Occone allatus pag. 198. necdum a quoquam explicatus: DIVO TRAIANO AVG.)(IMPERATORI. Vir tonica brevi amictus stat inter equos duos, quos dextra sinistraque freno tenet. Cum titulus picturæ non respondeat, si vox unica credatur esse IMPERATORI; certo idipsum argumento est, aliquam ibi latere sententiam, quæ solis singulatim vocum primis litteris syllabisve exprimatur. Legendum sic igitur: IMperatorum Primus EQuitatum Romanum Auxiliarem Traianus Orientis Intulit. Gallice dixeris: *Trajan est le premier des Empereurs qui ait fait passer dans l'Orient de la Cavalerie Romaine pour secourir les alliez.* Vir equum regens, qua forma hic pingitur, etiam cernitur in nummo Getæ inscripto, CASTOR; & equitem equitatumque designat; ob illud Horatii, *Castor gaudet equis*: post illud Homericum, Κάστορα ἱππόδαμον. Alium præterea nummum ibidem refert Occo, in quo *quadriga triumphalis*, inquit, *pulcherrima: in capitibus equorum singulis palmæ: & figura insidens currui, dextra flagrum, aut sceptrum potius, sinistra palmam tenet.* Epigraphe eadem, IMPERATORI. Hunc sibi visum fuisse D. Mezzabarba testatur, pag 164 in Museo locupletissimo nummis antiquis D. Cæsaris Leompardi Patricii Auximani. Spanhemius, pag 636 visum sibi ait Antonini Pii nummum inscriptum, IMPERATORI: sed oculis fallentibus, pro IMPERATOR II. ut in aureo e Gaza Regia, & alibi in ære magno.

118. *Dædalus ipse.*] Statuarius Sicyonius fuit, de quo multa passim Pausanias, in Eliac. poster. sive libro sexto.

119. *Dinomenes.*] Diximus de eo superius

120. *Protesilaum.*] Unum e Græcorum ducibus in expeditione Trojana, ab Hectore interfectum

121. *Et Pythodemum luctatorem.*] Πυθόδημος. In luctatoris similem effigiem elegans Philippi epigramma exstat in Anthologia, lib. 3. cap. 2.

Τὸν ἐκ Σινώπης εἰ κλύεις Δαμόστρατον,
Πίτυν λαβόντα τὴν πρὶν Ἰσθμίοις ἑξάκις,
Τοῦτον δέδορκας· οὗ πρὶν ἰλύος ποτὲ
Ψάμμος παλαιστοῦ νῶτον οὐκ ἐσφράγισεν.
Ἴδ' αὖ ἀτάρβητον θηρὸς ὄμμα, ὡς ἔτι
Σώζει παλαιᾶς τὴν ὑπὲρ νίκας ἔριν.
Λέγει δ' ὁ χαλκὸς, ἡ βάσις με λυσάτω,
Καὶ ἔμπνεος τὸ ἕβδομον στεφθήσομαι.
Notus Sinopes si tibi Demostratus,
Cui pinus Isthmus sexies vinxit caput:
Hunc cernes ipsum cujus in luctamine
Lapsus arena nulla signavit nota.
Vides ut ori torvitas constet vetus,
Et ille quondam nisus ad victoriam?
Æs dicit ipsum: Liberer tantum basi:
Cen vivus ecce septima lucta parer.

122. *Boni Eventus*] In nummis Titi, Getæque, Bonum Eventum signatum vidimus, juvenem nimirum, plane ea forma, insignibusque iis decoratum, quæ memorantur a Plinio. Hunc agricolæ in primis venerabantur, teste Varrone, ut sata grandire beneque evenire sineret. Fuit Templum Boni Eventus Romæ prope Thermas Agrippæ, regione nona. Salvianus, lib. 7. *Si quando nobis prosperi aliquid præter spem nostram & meritum Deus tribuet, alius adscribit hoc Fortunæ, alius Eventui, nemo Deo.*

123. *In æde Concordiæ.*] Regione Urbis octava.

124. *Et Cliduchon.*] Diximus de ea voce, num. 7.

125. *Et Virtutem, & Græciam.*] MSS. Reg 2. & Colb. 3. *Et virtutem egregiam.* Moxque, *mulierem, admirantem, & adorantem*, non *monstrantem & adorantem*, ut in libris vulgatis.

quadrigis. Eutychides [126] Eurotam, in quo artem ipso amne liquidiorem plurimi dixere. [127] Hegiæ Minerva Pyrrhusque rex laudatur: & Celetizontes pueri, & Castor & Pollux ante ædem [128] Jovis Tonantis, [129] Hegesiæ. [130] In Pario colonia Hercules [131] Isidori.

17. [131] Eleuthereus Lycius Myronis discipulus fuit, qui fecit dignum præceptore puerum suffitantem languidos ignes, & Argonautas. [132] Leochares aquilam, sentientem quid rapiat in Ganymede, & cui ferat, [133] parcentem unguibus etiam per vestem: puerum [134] Autolycon pancratio victorem, propter quem [135] Xenophon Symposion scripsit: Jovemque illum Tonantem in Capitolio, ante cuncta laudabilem: item Apollinem diadematum. [136] Lyciscus Lagonem puerum subdolæ ac fucatæ [137] vernilitatis. [138] Lycus & ipse puerum suffitorem.

18. [139] Menæchmi vitulus genu premitur, replicata cervice: ipseque Menæchmus scripsit de sua arte.

19. [140] Naucydes Mercurio, Discobolo, & immolante arietem censetur. [141] Naucerus luctatorem anhelantem fecit. [142] Niceratus Æsculapium, [143] & Hygiam, qui sunt [144] in Concordiæ templo Romæ.

20. [145] Pyromachi quadriga regitur ab Alcibiade. Polycles Hermaphroditum nobilem fecit. Pyrrhus Hygiam, & Minervam: Phœnix Lysippi discipulus, [146] Epithersen.

21. Stipax Cyprius uno celebratur signo, [147] Splanchnopte. Periclis Olympii vernula hic fuit, exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens. [148] Silanion Apollodorum a fudit, fictorem & ipsum, sed inter cunctos diligentissimum artis, & inimicum sui judicem, crebro perfecta signa frangentem, dum satiari cupiditate artis non quit, & ideo insanum cognominatum. Hoc in eo expressit, nec hominem ex ære fecit, [149] sed iracundiam: & Achillem nobilem. [150] Item Epistaten exercentem athletas: [151] Strongylion Amazonem, quam ab excellentia crurum [152] Eucnemon appellant, ob id in comitatu Neronis Princi-

Interpretatio.

a *Fudit.*] Ex ære.

Notæ.

Prius enim illud præstari simul qui possit, intelligo, admirari nimirum quem simul adores: alterum quo pacto in ære exprimi queat, haud satis intelligo.

126. *Eurotam.*] Amnem Laconici agri, de quo lib 4. sect 8.

127 *Hegiæ.*] Ἡγίου statuarii, de quo supra, ubi & de Hegesia simul.

128. *Jovis Tonantis.*] P. Victor, in descriptione Romæ, regione octava: *Capitolium . . . . . Templum Jovis Opt. Max. Ædes Jovis Tonantis ab Augusto dedicata in Clivo Capitolino.*

129. *In Pario colonia.*] Hellesponti, de qua lib. 5. sect. 40.

130 *Isidori*] Statuarii.

131. *Eleuthereus Lycius.*] Hoc est, Eleutheris oriundus, Bœotiæ oppido. De Lycio Myronis discipulo diximus sub initium hujus sect Vide Notas & Emend. num. XV.

132. *Leochares*] De quo supra, sub initium hujus sect. Meminit hujus signi Tatianus. Vide Notas & Emendationes, num. XVI.

133. *Parcentem unguibus.*] Scite Martialis, lib. 1. Epigr. 7.

Æthereas aquila puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus.

Aquilam pictor adjecit, de qua nihil habet Homerus in Iliade

134. *Autolycon.*] Visum a se id signum testatur Pausanias, lib. 9 in Bœot. Αὐτολύκῳ τῷ παγκρατιάσαντι, ὁ δὲ καὶ εἰκόνα ἰδὼν οἶδα ἐν τῷ πρυτανείῳ τῷ Ἀθηναίων, &c Et lib 1 in Attic. Πλησίον δὲ Πρυτανεῖόν ἐστιν, ἐν ᾧ ἀνδριάντες ἄλλοι καὶ Αὐτόλυκος ὁ παγκρατιαστής. Quid sit pancratium diximus superius, num 3.

135. *Xenophon.*] In Symposio, sub ipsum initium, pag. 871. Καλλίας δὲ ὁ Ἱππονίκου ἐρῶν ἐτύγχανεν Αὐτολύκου, παιδὸς ὄντος, καὶ νενικηκότα αὐτὸν παγκράτιον ἦγεν ἐπὶ τὴν θέαν. *Autolycum adhuc puerum, quem amore complectebatur, forte tunc quinquertii victorem ad ludorum spectacula deducebat.*

136 *Lyciscus Lagonem.*] Meminit hujus statuæ Martialis, lib 9. Epigr. 51. pag. 497 ubi se cum egregiis sculptoribus confert cum formosis puerorum iconibus, quas illi finxere, sua poemata: ingentia vatis insulsi poemata cum operibus luteis:

Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum:
Tu magnum luteum, Gaure, giganta facis

137. *Vernilitatis*] Vernilis ingenii & fere scurrilis. Familiaris etiam Quintiliano vox.

138 *Lycus & ipse.*] Ut Lyciscus ipse, sic & Lycus puerum fecit, sed suffitorem, sive suffumitorem θυμιῶντα, vaporantem, adolentem, incendentem odores.

139. *Menæchmi.*] Statuarii hujus patriam & scripta retulimus in Auctorum indice Naupactum ei solum natale fuisse scribit Pausanias in Achaic. lib. 7. pag. 433 ætatem, Callonı Æginetæ statuario, & Canacho Sicyonio, de quibus nos supra, prope supparem.

140. *Naucydes.*] Laudatur is a Pausania, ut superius diximus, & a Tatiano, orat. contra Græcos, pag. 181.

141. *Naucerus.*] Ναύκερος, an Ναύκληρος.

142. *Niceratus.*] Νικήρατος statuarius a Tatiano laudatus, loc. cit dicitur Εὐκτήμονος Ἀθηναίου filius

143. *Et Hygiam.*] Ὑγίειαν, quæ Æsculapii filia, ab Hippocrate in suo jurejurando simul cum patre invocatur. Latine *Salutem* aut *Sanitatem* dixeris In nummis Nicæensium M. Aurelio Principe cusis, e Cimelio Regis Christianiss. ΘΕΑ ΥΓΕΙΑ. ΝΙΚΑΙΕΙC. Alter ejusdem, ΥΓΕΙΑ. ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ.

144. *In Concordiæ.*] Regione Urbis octava.

145. *Pyromachi, &c.*] De Pyromacho & Polycle, supra. Pyromachus idem videtur esse qui Φυρόμαχος inter statuarios appellatus in Anthol. lib. 4. cap. 12. Æsculapii simulacrum a Phyromacho conflatum laudat Diodorus in Excerpt. pag 336.

146. *Epithersen.*] Ἐπιθέρσην τὸν Μητροδώρου, pugilem eximium, de quo Pausanias, lib. 6. in Eliac poster.

147. *Splanchnopte.*] Puero ignes sufflante, & torrente exta, ἀπὸ τοῦ τὰ σπλάγχνα ὀπτᾶν.

148. *Silanion.*] De eo superius dictum est. Idem Σιλανίων ἐχαλκούργησεν, ut est apud Tatianum, orat. contra Græcos, pag. 182.

149. *Sed iracundiam*] Simile est acumen Pauli Silentiarii, de Bacchæ effigie in Byzantio, in qua furorem ipsum in lapide expressum ait, lib. 4 Anthol. cap. 3 Εἰς Βάκχην ἐν Βυζαντίῳ.

Εὔφρονα τὴν Βάκχην οὐχ ἡ φύσις, ἀλλ' ἡ τέχνη
Θῆκεν, καὶ μανίην ἐγκατέμιξε λίθῳ.

Interprete Grotio:

Baccha quod insanit, non hoc natura, sed ars est:
Vivit enim lapidi mixtus ab arte furor.

Et Philippi, de Medea, cap. 9.

Ὦ, τίς τεχνίτης τόδε γ' ἔπλασεν, ἢ τίς ὁ γλύπτης,
Ὃς λίθῳ ἐν μανίην ἤγαγε διὰ τέχνης;

Quis tantum potuit cælo scalprove labore,
Intraret lapidem mixtus ut arte furor?

150. *Item Epistaten.*] Ἐπιστάτην, seu viri id proprium nomen fuerit, seu magistrum tantummodo, præfectum, præsidemque trigarii significet, sive equorum agitatorem, & trigarium.

151. *Strongylion.*] Στρογγυλίων statuarius, quem Pausanias eo nomine commendat in primis, lib. 9 Bœot. pag. 585. quod boves & equos unus omnium felicissime exprimeret. Dianam quoque fudisse dicitur, lib. 1. Attic pag. 74. Musas, lib. 9. Bœot.

152. *Eucnemon.*] Εὔκνημον, quod pulcris tibiis esset. De hac Amazonis statua dictum sub finem superioris sect.

pis

pis circumlatam. Item fecit puerum, quem amando [153] Brutus Philippensis cognomine suo illustravit.

22. [154] Theodorus, qui labyrinthum fecit Sami, ipse se ex ære fudit, præter similitudinem mirabilem fama magnæ subtilitatis celebratus. Dextra limam tenet, læva tribus digitis [155] quadrigulam tenuit, [156] translatam Præneste, tantæ parvitatis, ut totam eam currumque & aurigam integeret alis [157] simul facta musca.

23. [158] Xenocrates Tisicratis discipulus: aut, ut alii, Euthycratis, vicit utrosque copia signorum, & de sua arte composuit volumina.

23. Plures artifices fecere [159] Attali & Eumenis adversus Gallos prælia: Isigonus, [160] Pyromachus, Stratonicus, [161] Antigonus, qui condidit volumina de sua arte. [162] Boëthi, quanquam argento melioris, infans eximie anserem strangulat. Atque ex omnibus, quæ retuli, clarissima quæque, jam sunt dicata Vespasiano Principe [163] in templo Pacis, aliisque ejus operibus, [164] violentia Neronis in Urbem convecta, & in sellariis domus aureæ disposita.

25. Præterea sunt æqualitate celebrati artifices; sed nullis operum suorum præcipui. Ariston, qui & argentum cælare solitus est: [165] Calliades, [166] Ctesias, [167] Cantharus Sicyonius, Dionysiodorus [168] Critiæ discipulus, Delıades, Euphorion, Eunicus, & Hecatæus, argenti cælatores: [169] Lesbocles, Prodorus, Pythodicus, [170] Polygnotus: iidem pictores nobilissimi. [171] Item ex cælatoribus, Stratonicus, Scymnus, qui fuit Critiæ discipulus.

26. Nunc percensebo eos, qui ejusdem generis opera fecerunt, [172] ut Apollodorus, Androbulus, Asclepiodorus, Alevas, [173] philosophos: Apellas & adorantes feminas: Antigonus & [174] Perixyomenon, [175] tyrannicidasque supra dictos: Antimachus, Athenodorus feminas nobiles: [176] Aristodemus & luctatores, bigasque cum auriga, philosophos, anus, Seleucum regem. Habet gratiam suam hujus quoque [177] Doryphorus.

[178] 27. Cephissodori duo fuere: prioris est Mercurius, Liberum Patrem in infantia nutriens. Fecit & concionantem manu elata: [179] persona in incerto est. [180] Sequens philosophos fecit. [181] Colotes qui cum Phidia Jovem Olympium fecerat, philosophos. [182] Item

Notæ.

153. *Brutus.*] Is qui ad urbem Philippos victus est ab Octavio & Antonio. De hoc Bruti puero Martialis, Epigrammate proxime a nobis allato, num. 17.

154. *Theodorus.*] Theodori Samii meminere Pausanias pluribus locis, lib. 3. in Lacon. pag. 183. &c. Herodotus, Clio, num. 51. pag. 19. aliique. Plinius ipse lib. 7. sect. 57. Laertius, lib. 2. in Aristippo, pag. 58. Rhœci filium vocat, qui Ephesino templo substernendos fundamenti vice carbones censuit.

155. *Quadrigulam.*] Vide quæ diximus, lib. 7. sect. 21.

156. *Translatam Præneste.*] In triumpho Syllæ, devicto Mario juniore. Vide lib. 33. sect. 5.

157. *Simul facta.*] Similiter ex ære fusa.

158. *Xenocrates.*] Diximus de eo in Auctorum Indice.

159. *Attali & Eumenis.*] Attalus Pergami rex, amicus ac socius Populi Rom. dictus est. Gallos, sive, ut Pausanias ait, lib. 1. Attic. pag. 13. Γαλάτας, qui nempe Galatiæ vicinas regiones effusi populabantur, multis præliis ambo vicere. Gallorum internecionem in Mysia, ubi eos Attalus delevit, ab eodem Principe statuis æneis compluribus in arce Athenis fuisse exhibitam, docet idem paulo post.

160. *Pyromachus*, &c.] De Pyromacho, supra. Stratonicus idem forte, quem Stratonem Pausanias vocat, lib. 2. Corinth. pag. 127. ubi Æsculapii & Hygiæ signa ab eo facta laudat in primis.

161. *Antigonus.*] Carystius ille, de quo in Auctorum Indice.

162. *Boëthi*] Carthaginensis statuarii, cujus pusio laudatur, sedens ad Veneris pedes, in Eleorum templo, teste Pausania, lib. 5. Eliac. prior. Παιδίον ἐπίχρυσον γυμνὸν πρόκειται τῆς Ἀφροδίτης· Βοηθοῦ δὲ τέχνη αὐτὸ Καρχηδονίου.

163. *In Templo Pacis.*] Regione octava.

164. *Violentia Neronis.*] Quem quingentas ex ære statuas e Græcia Romam asportasse, auctor est Pausanias, lib. 10. in Phoc. pag. 620. De sellariis domus aureæ dicemus, lib. 36. sect. 24. num. 5.

165. *Calliades.*] In libris hactenus editis, *Callias.* Reg. 2. *Callides.* Nos *Calliades*, a Tatiano admoniti, qui Καλλιάδου statuarii meminit, in orat. contra Græcos, pag. 183.

166. *Ctesias.*] Κτησίας. Ita Reg. 2. non, ut editi, *Clesias.*

167. *Cantharus.*] Σικυωνίου Κανθάρου opera laudat Pausanias, lib. 6. Eliac. poster. pag. 376. & alibi.

168. *Critiæ discipulus.*] Κριτίου Ἀττικοῦ opera laudantur a Pausania in Attic. & Eliac. poster. Εὐφαμον ἐν ποτηρογλύπτῃ, in poculorum sculptore, laudatur a Theocriti Scholiaste, ad vers. 1. Idyll. 2. ut is non cælandi modo artem tenuisse, sed & tradidisse de ea arte præcepta videatur. Εὐτ-γος, Γεργῖος, nondum alibi a nobis reperti.

169. *Lesbocles*, &c.] Λεσβοκλῆς, Πρόδωρος, Πυθόδικος, pariter obscuri. In Reg. 2. *Pythodicus* non legitur. Itaque num ex duobus nominibus conflari unicum oporteat, *Pythodorus*, quem statuarium Thebanum fuisse Pausanias admonet, lib. 9. Bœot. amplius considerandum.

170. *Polygnotus.*] Thasius, Aglaophonte patre, ut docet epigramma Simonidis, relatum a Pausania, lib. 10. Phocic. pag. 662. ubi ejus etiam clarissima opera enumerat.

171. *Item ex cælatoribus.*] E cælatoribus item, inquit, fuere simul pictores eximii, Stratonicus & Scymnus. De Stratonico diximus paulo ante. Σκύμνος adhuc ignotus.

172. *Ut Apollodorus*, &c.] Ἀπολλόδωρος, Ἀνδρόβουλος, Ἀσκληπιόδωρος, Ἀλεύας. Ex his Ἀλεύας apud Theocritum occurrit, Idyll. ιε'. sed ab isto diversus.

173. *Philosophos.*] Hi, inquit, proxime appellati, philosophorum simulacra fecere. Juvat ex Sidonio discere, quæ forma cujusque foret, lib. 9. epist. 9. *Per gymnasia pinguntur Areopagitica, vel Prytaneum, Speusippus cervice curva, Aratus panda, Zenon fronte contracta, Epicurus cute distenta, Diogenes barba comante, Socrates coma candente, Aristoteles brachio exserto, Xenocrates crure collecto, Heraclitus fletu oculis clausis, Democritus risu labris apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis, Euclides propter mensurarum spatia laxatis, Cleanthes propter utrumque corrosis.*

174. *Perixyomenon.*] Qui per circuitum aut comit, aut scabit, extergitve se, ut ἀποξυόμενος, de quo supra, qui distringit se.

175. *Tyrannicidasque.*] Harmodium & Aristogitonem, de quibus num. 10.

176. *Aristodemus.*] Statuarii Ἀριστοδήμου meminit Tatianus, orat. contra Græcos, pag. 183.

177. *Doryphorus.*] Hoc est, hastatus miles, quem Aristodemus ex ære fudit. De hac voce egimus, num. 2.

178. *Cephissodoti.*] Sic MSS. non *Cephissodori*, ut editi. De utroque superius egimus. Prior Olympiade CII. floruit.

179. *Persona.*] Quis ille sit, quem Cephissodotus sic concionantem manu elata fuderit, in incerto est.

180. *Sequens.*] Alter Cephissodotus, qui floruisse dicitur, sub initium hujus sect. Olympiade CXX.

181. *Colotes.*] In libris hactenus editis, *Colothas.* Reg. 2. *Colytes.* At Pausaniæ, lib. 5. Eliac. prior. pag. 325. Κωλώτης.

182. *Item Cleon.*] Subintellige, Philosophos fecit. Κλέωνος Σικυωνίου ἀνδριαντοποιοῦ meminit Pausanias, lib. 6. poster. pag. 344. Καλλιάδης item Megarensis, pag. 356.

Cleon, & Cenchramis, & Callicles, & Cephis: Chalcosthenes & comœdos, & athletas. 28. [183] Dahippus Perixyomenon. [184] Daiphron, & Democritus, & Dæmon, philosophos.

29. Epigonus omnia fere prædicta imitatus præcessit in tubicine, & matri interfectæ
5 infante miserabiliter blandiente. [185] Eubolidis, digitis computans.

30. [186] Micon athletis spectatur: Menogenes, quadrigis.

31. [187] Nec minus Niceratus omnia, quæ ceteri, aggressus, repræsentavit Alcibiadem, lampadeque accensa matrem ejus [188] Demaraten sacrificantem.

32. [189] Tisicratis bigæ Piston mulierem imposuit. Idemque fecit Martem & Mercu-
10 rium, qui sunt in Concordiæ templo Romæ. [190] Perillum nemo laudat; sæviorem Phalaride tyranno, cui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus eum expertus cruciatum, justiore sævitia. In hoc a simulacris Deûm hominumque devocaverat humanissimam artem. Ideone tot conditores ejus elaboraverant, ut ex ea tormenta fierent? Itaque una de causa servantur opera ejus, ut quisquis illa videat, oderit
15 manus.

33. [191] Sthenis Cererem, Jovem, Minervam fecit, qui sunt Romæ in Concordiæ templo. Idem flentes matronas, & adorantes, sacrificantesque. [192] Simon canem & sagittarium fecit. [193] Stratonicus cælator ille philosophos: [194] Scopas utraque.

34. Athletas autem, & armatos, & venatores sacrificantesque, [195] Baton: Euchir,
20 Glaucides, Heliodorus, Hicanus, Lophon, Lyson, Leon, Menodorus, Myiagrus, Polycrates, Polydorus, Pythocritus, Protogenes, idem pictura clarissimus, ut dicemus: Patrocles, Polis, Posidonius, qui & argentum cælavit nobiliter, natione Ephesius: Periclymenus, Philon, Simenus, Timotheus, Theomnestus, Timarchides, Timon, Tisias, Thrason.

34. Ex omnibus autem maxime cognomine insignis est [196] Callimachus, semper ca-
25 lumniator sui, nec finem habens diligentiæ, ob id [197] Cacizotechnos appellatus, memorabili exemplo adhibendi curæ modum. Hujus sunt saltantes Lacænæ, emendatum opus, sed in quo gratiam omnem diligentia abstulerit. Hunc quidam & pictorem fuisse tradunt. Non ære captus, nec arte, unam solummodo Zenonis statuam Cypria in expeditione non vendidit [198] Cato, [199] sed quia Philosophi erat, ut obiter hoc quoque noscatur [200] tam
30 inane exemplum.

NOTÆ.

183. *Dahippus.*] Lysippi filius, ut dictum est num. 7. De Perixyomeno, num 174.

184. *Daiphron.* &c.] Δαίφραν, Δημόκριτον, cujus opera laudantur a Pausania, lib. 6. Eliac. post. pag 347. ubi Pausonis discipulus fuisse traditur, Pauson Amphionis, Amphion Ptolichi, Ptolichus ipse Critiæ, de quo nos supra.

185. *Eubolidis.*] Effictam ab eo statuam ait, viri digitis computantis, spectatissimam, laudatissimamque fuisse Crediderim *Eubulide* potius scribi oportere, quem statuarium insignem fuisse, celebratis ejus operibus, Pausanias ait, lib. 8. Arcad. pag 479.

186 *Micon . . . spectatur*] Sic Reg. 2. non, *spectatus*, ut editi. Sic infra: *Eudorus scena spectatur*, lib. 35. sect. 40. num. 34. *Μίκων*, non Syracusanus ille, de quo Pausanias, lib 6. Eliac. poster. pag. 365. sed alter, Ægineta, de quo idem lib. 5. Eliac. prior. pag 338. &c.

187. *Nec minus Niceratus.*] De quo supra, num. 19.

188. *Demaraten.*] Δημομάχην Plutarchus appellat, in Alcibiade, pag. 192. Libanius item, Declam. 9.

189 *Tisicratis bigæ.*] Ita MSS. omnes, Reg 2. ceterique, non, ut editi, *Pisicrates bigæ Pitho*, &c. Sententia est, ut Calamidis quadrigæ Praxiteles aurigam suum imposuit, quemadmodum dictum est nom. 21. sic Pistonem Tisicratis bigæ mulierem imposuisse sua manu. De Tisicrate dictum sæpe superius.

190. *Perillum.*] Περίλαον Græci vocant. Vide Diodor in Excerpt pag 345. Atheniensis fuit. Cetera de eo vulgata. Vide Valer Max. lib 9. cap. 2. pag 429. Ovid. lib. 1. de arte amandi, vers. 655.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Convellere hanc porro de tauro æneo famam, fabulisque accensere, conatum ait Timæum historicum, Polybius in Excerptis, pag. 59.

191. *Sthenis.*] Σθένις Autolycum fudit ex ære, eum qui Sinopen condidit a Lucullo Romam advectum. Testis Plutarchus in Lucullo, pag. 506. Et a Pausania laudatur, ut supra diximus.

192. *Simon canem*] De simone Æginetа fictore, Pausanias lib. 5. Eliac prior. pag 341.

193. *Stratonicus cælator ille.*] Jam appellatus, num 25.

194. *Scopas utraque.*] Hoc est, & Simonis, & Stratonici opera fudit ex ære. Recte Barbarus in secundis castigationibus ita emendat, pro *uterque*.

195. *Baton*, &c.] Βάτων, Εὔχειρ Atheniensis statuarius; Eubulidæ F. apud Pausan lib. 8. Arcad. pag. 479. Γλαυκίδης, qui & Γλαυκίας fictor Æginetа, apud eumdem, lib. 6. Eliac. poster pag. 360. & 361. Ἡλιόδωρος, Ἵκανος, Λόφων, Λύσων qui δῆμον, hoc est, populum Atheniensem finxit: Auctor Pausanias, lib. 1. Attic. pag. 6. Λέων, Μηνόδωρος Atheniensis, qui Cupidinem fecit Thespiensem, teste eodem, lib. 9. Bœot. pag 581. Μυίαγρος patria Phocæus, ut Vitruvius prodit, in præf. libri 3. pag. 37. non minore ingenio solertiaque, quam Polycletus. Πολυκράτης, Πολύδωρος, Πυθόκριτος, de quo supra: Πρωτογένης, de quo lib. 35 sect. 36. Πατροκλῆς ille Crotoniata, de quo Pausanias lib. 6. Eliac. poster pag. 379. Πόλις, qui, ut opinor, Architecturam pariter exercuit, scripsitque de symmetriis volumen, teste Vitruvio in præf. libri 7. pag 125. Ποσειδώνιος, Περικλύμενος & Φίλων ambo inter statuarios nobiles laudati a Tatiano, in orat. contra Græcos, pag. 183. Τιμόθεος, de quo Pausanias, lib. 2 Corinth. pag. 146. Θεόμνηστος Sardianus fictor, lib 6. Eliac. poster. pag. 371. Τιμαρχίδης Atheniensis statuarius, lib. 10. Phocic. pag. 678. Τίμων, Τισίας, Θράσων, cujus opera vidisse se Strabo testatur, lib. 14. pag. 641.

196. *Callimachus.*] Hujus opera Pausanias recenset, lib. 1. Attic pag. 23. & 48

197. *Cacizotechnos.*] Κακιζότεχνος, ut & Pausanias ait, lib. 1. Attic. pag. 48. *Catatechnos* Vitruvius dixit, lib. 4. cap. 1. In Reg. 2. cod. *Cacotexitechnon*, κατατηξίτεχνον, quod artem corrumpere videretur, nimia diligentia. Similis huic iste, de quo superius hac sect. num. 21. *diligentissimus artis, & inimicus sui judex*, &c.

198. *Cato*] Cato minor, sive Uticensis. Vide Plutarchum in ejus vita. Clodius Tribunus pleb. Cyprum adjudicarat populo Rom. ad quam possidendam missus est Cato. Vide Ciceron. lib. 15. Epist. Famil. 4. Velleium, lib. 2. num. 45. & Plutarch. pag. 776.

199. *Sed quia Philosophi.*] Quos diligebat, cum proavus ejus Cato major Græcos omnes odisses. Plinius lib. 7. sect. 31. de utroque Catone: *Quanta morum commutatio! Ille semper alioqui universos ex Italia pellendos censuit Græcos: at pronepos ejus Uticensis Cato, unum ex tribunatu militum philosophum, alterum ex Cypria legatione deportavit.*

200. *Tam inane exemplum*] Levitatis exemplum, quod eos diligebat, ut diximus, quos proavus odisset.

35. In mentione statuarum est & una non prætereunda, licet auctoris incerti, [201] juxta Rostra, Herculis tunicati, [202] Eleo habitu, Romæ, torva facie, [203] sentienteque supremam in tunica. In hac tres sunt tituli: [204] L. Luculli Imperatoris, de manubiis: alter, pupillum Luculli filium ex S. C. dedicasse: tertius, T. Septimium Sabinum Ædilem curulem ex privato in publicum restituisse. [205] Tot certaminum tantæque dignationis simulacrum id fuit.

XX. Nunc revertemur ad differentias æris & mixturas. [1] In Cyprio coronarium tenuatur in laminas: [2] taurorumque felle tinctum, speciem auri in coronis histrionum præbet. Idemque in uncias additis auri scrupulis senis, [3] prætenui pyropi bractea ignescit. [4] Regulare & in aliis fit metallis: itemque caldarium. [5] Differentia, quod caldarium funditur tantum, malleis fragile, quibus regulare obsequitur, ab aliis ductile appellatum, quale omne Cyprium est. [a] Sed & in ceteris metallis, cura distat a caldario. Omne enim purgatis diligentius igni vitiis, excoctisque, regulare est. [6] In reliquis generibus palma Campano. Simile in multis partibus Italiæ, provinciisque. [7] Sed octonas plumbi libras addunt, & bene recoquunt propter inopiam ligni. Quantum ea res differentiæ afferat, in Gallia maxime sentitur, ubi inter lapides candefactos funditur. Exurente enim coctura nigrum atque fragile conficitur. Præterea semel recoquunt: quod sæpius fecisse, bonitati plurimum confert. * [8] Id quoque notasse non ab re est, æs omne frigore magno melius fundi. *Cap. IX.*

[b] Sequens temperatura statuaria est, eademque tabularis, hoc modo: Massa [c] proflatur in primis: mox in proflatum additur tertia portio æris collectanei, hoc est, ex usu coëmpti. Peculiare in eo condimentum [d] attritu domiti, & consuetudine nitoris veluti mansuefacti. [9] Miscentur & plumbi argentarii pondo duodena ac selibræ, centenis proflati. Appellatur etiamnum & [10] formalis temperatura æris tenerrimi, quoniam nigri plumbi decima portio additur, & argentarii vigesima: maximeque ita colorem bibit, quem Græcanicum vocant. Novissima est, quæ vocatur ollaria, vase nomen hoc dante, ternis aut quaternis libris plumbi argentarii in centenas æris additis. Cyprio si addatur plumbum, colos purpuræ fit in statuarum prætextis.

XXI. [1] Æra extersa rubiginem celerius trahunt, quam neglecta, nisi oleo perungantur. [2] Servari ea optime in liquida pice tradunt. Usus æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est, [3] tabulis æreis, in quibus publicæ constitutiones inciduntur.

XXII. Metalla æris multis modis instruunt medicinam, utpote cum hulcera omnia ibi ocyssime sanentur. Maxime tamen prodest cadmia. [1] Fit sine dubio hæc & in argenti *Cap. X.*

INTERPRETATIO.

a *Sed &c.*] In aliis a Cypro fodinis ærariis.

b *Sequens.*] Ad statuas faciendas, & ad ducendas tabulas æneas, altera hæc opportuna æris temperatura est.

c *Proflatur.*] Flando resolvitur.

d *Attritu.*] Quando ex crebro attritu domitum est, & quemdam veluti nitorem traxit.

NOTÆ.

201. *Juxta Rostra.*] In foro Romano, regione Urbis octava.

202. *Eleo habitu.*] In MSS. *Soleo habitu.* Turnebus, lib. 16. Adversf. cap. 12. pag. 487. legit *Oetæo habitu*: nempe tunica illa molesta, quæ tabe veneni imbuta, visceribus ejus inhæsit, tantosque cruciatus excitavit, ut in ardentem pyram conjicere se maluerit, quam acerbum dolorem perferre diutius.

203. *Sentienteque.*] Sentiente in ea tunica supremum finem.

204. *L. Luculli.*] Ejus, qui adversus Mithridatem bella gessit.

205. *Tot certaminum.*] Tot viris claris honorem statuæ illius sibi vindicantibus.

Sect. XX. 1. *In Cyprio coronarium*, &c.] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. cap 19. Coronarium Galli vocant, *Clinquant*, mimorum coronis adhiberi solitum. Savotus, lib. de nummis, part. 2. cap. 17. pag. 124.

2. *Taurorumque felle.*] A solo igne trahere hunc colorem Savotus est auctor, loc cit. pag. 125.

3. *Prætenui pyropi.*] Hoc est, ut Isidorus explicat loc. cit. *Prætenui bractea ignescit, & imitatur flammas, unde & pyropum dicitur.* Græci πυρωπὸν vocant, quod est aspectu rutilo.

4. *Regulare*] Quod in regulas ducitur, quod malleis tunditur, ut ductile fiat, & regulare: sicut contra fusile, quod tantum funditur, quale caldarium est. Isidorus, loc. cit. Alibi quam in ærariis Cypri fodinis fieri nunc Plinius admonet.

5. *Differentia*, &c.] Totidem verbis Isidorus, loc. cit.

6 *In reliquis.*] Isidorus, loc. cit.

7. *Sed octonas .... addunt.*] Ad centena scilicet æris proflati pondo, ut mox dicetur.

8. *Id quoque notasse.*] Iisdem verbis Isidorus loc. cit Ab his vocibus Pliniani editores capitis initium fecere, cui & addidere lemma, *Differentia æris & mixturæ*, quod multo ante præfigi oportuit eo loco, unde nos sectionem vicesimam auspicati sumus, ut ipsa commonstrat Pliniana oratio. In MSS porro *frigori magno* legimus.

9. *Miscentur.*] Colossi equestres, similesve statuæ, non ex solo ære conflantur, sed pars aliqua stanni Cornubiensis admiscetur, ut facilius æs fusum fluat: tunc appellari solet *Bronze*. Si cum centum libris æris misceantur viginti pondo stanni purgatissimi, vocatur metallum, ut in campanis, tormentisque ignivomis fieri solet. Simile huic fere est, in quo plumbum argentarium admisceri solitum Plinius ait hoc loco: quod ipse idcirco *album æs* appellat, lib. 16. sect 22.

10. *Formalis.*] Ad formas faciendas, *pour faire des moules.*

Sect. XXI. 1. *Æra extersa.*] Totidem verbis Isidorus, lib. 16. cap. 19.

2. *Servari ea.*] Isidorus, loco cit.

3. *Tabulis æreis*, &c.] Priscos illos Græcos ac Latinos; leges, fœdera, aliaque in æreis tabulis insculpsisse, tralatitium est. Livius, lib. 3 cap 57. *Leges Decemvirales, quibus XII. Tabulis est nomen inditum, in æs incisas, in publico proposuerunt.* Servius, in illud Maronis, Æneid. 6.

Fixit leges pretio, atque refixit:

Fixit autem ideo, inquit, *quia incisæ in æreis tabulis leges affigebantur parietibus.* Cicero, 3. Philip. 36. *Antonius falsas leges in æs incidendas & in Capitolio figendas curavit.* Hinc & leges ipsæ Æra appellatæ. Idem Tullius, lib. 12. Epist. Famil. 1. *Cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus.* Et 3 in Catil. 19. *Cum & legum æra liquefacta sunt.* Tamen vetustiore ævo incisæ in ligno leges. Testis Gellius lib. 2. cap. 12. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt*, &c. Unde has legum tabulas ab Atheniensibus Axonas esse nuncupatas, Plutarchus in Solone tradit.

Sect. XXII. 1. *Fit sine dubio hæc*] Totidem verbis hæc

fornacibus, candidior ac minus ponderosa, sed nequaquam comparanda ærariæ. Plura autem genera sunt. [2] Namque ut ipse lapis, ex quo fit æs, cadmia vocatur, fusuris necessarius, [3] medicinæ inutilis: [a] [4] sic rursus in fornacibus exsistit, aliamque nominis sui originem recipit. [5] Fit autem egesta flammis atque flatu tenuissima parte materiæ, cameris lateribus-
5 ve fornacum pro quantitate levitatis applicata. Tenuissima est in ipso fornacum ore, qua flammæ eructantur, appellata [6] capnitis, exusta, & nimia levitate similis favillæ. [7] Interior optima, cameris dependens, & ab eo argumento botryïtis cognominata: ponderosior hæc priore, levior porro secuturis. Duo ejus colores: deterior cinereus, puniceus melior, friabilis, [8] oculorumque medicamentis utilissima. Tertia est in lateribus fornacum, quæ
10 propter gravitatem ad cameras pervenire non potuit. [9] Hæc dicitur placitis, & ipsa ab argumento, crusta verius, [10] quam pumex, intus varia, ad psoras utilior, [11] & ad cicatrices [b] trahendas. [12] Fluunt ex ea duo alia genera: onychitis extra pæne cærulea, intus onychitæ maculis similis. Ostracitis tota nigra, & e ceteris sordidissima, vulneribus maxime utilis. [13] Omnis autem cadmia in Cypri fornacibus optima, iterumque a medicis coqui-
15 tur carbone puro; atque ubi in cinerem rediit, extinguitur vino ammineo, quæ ad emplastra præparatur: quæ vero ad psoras, aceto. [14] Quidam in ollis fictilibus rusum urunt, ac lavant in mortariis, postea siccant. Nymphodorus [15] lapidem ipsum quam gravissimum spississimumque urit pruna, & exustum Chio vino restinguit, tunditque, mox linteo cribrat, atque in mortario terit, mox aqua pluvia macerat, iterumque terit quod subsidit, donec
20 cerussæ similis fiat, [16] nulla dentium offensa. [c] Eadem Iollæ actio: sed quam purissimum lapidem eligit.

XXIII. [1] Cadmiæ effectus siccare, persanare, sistere fluxiones, pterygia & sordes oculorum purgare, scabritiem extenuare, & quidquid [2] in plumbi effectu dicemus. Et æs ipsum ad omnia eadem uritur: præterque, albugines oculorum & cicatrices. Hulcera quo-
25 que oculorum cum lacte sanat, idque Ægyptii collyrii modo terunt in coticulis. Facit & vomitiones e melle sumptum. [4] Uritur autem Cyprium in fictilibus crudis cum sulphuris pari pondere, circumlito spiramento, in caminis, donec vasa ipsa percoquantur. [5] Quidam & salem addunt, alii alumen pro sulphure, alii nihil, sed aceto tantum aspergunt. Ustum teritur mortario Thebaïco, aqua pluvia lavatur, iterumque adjecta largiore teri-
30 tur, [6] & dum considat, relinquitur: hoc sæpius, donec ad speciem minii redeat. Tunc siccatum in Sole in ærea pyxide servatur.

CAP. XI. XXIV. [1] Et scoria æris simili modo lavatur, minore effectu, quam æs ipsum: Sed

INTERPRETATIO.

a *Sic rursus.*] Sic rursum alia in fornacibus, *in quas lapis ille conjicitur ad fusuram æris*, cadmia gignitur, aliamque habet originem eodem servato nomine.

b *Trahendas.*] Delendas.

c *Eadem.*] Sic & Iollas facit.

NOTÆ.

pariter Isidorus, loc. cit. & Diosc lib. 5. cap 84. Γεννᾶται δὲ καδμία καὶ ἐκ τῆς ἀργυρίας λιθοτομίας καὶ κεχωρισμένη οὖσα· ἐλάττω δὲ τὴν δύναμιν ἔχει. Gallis, *Calamine*: Reperitur in Gallia, & Leodiensi agro.

2. *Namque ut ipse lapis.*] Non est is proprie cadmia, sed cadmia tamen a nonnullis vocatur Plinius hoc libro, sect. 2. *Fit æs & e lapide æroso, quem cadmiam vocant.*

3 *Medicinæ inutilis.*] Per se nimirum, neque ustione præparatus. Alioqui enim medici, ut Nymphodorus, & Iollas, atque ex eorum placitis Plinius ipse sub finem hujus sect. exustum, cribratumque in varios medicinæ usus recondunt.

4. *Sic rursus.*] Ita Reg. 2. ceterique MSS. ut connectatur hæc sententia cum superiore. In libris hactenus editis: *Namque ipse lapis ... Hic rursus exsistit*: insulse prorsus: nam quo tandem sensu, lapis exsistere in fornacibus dicitur?

5. *Fit autem.*] Dioscur lib. 5. cap 84. totidem ferme verbis: Γεννᾶται δὲ ἡ καδμία ἐκ τοῦ χαλκοῦ καμινευομένου, ἀποπτυσσομένης τῆς λιγνύος τοῖς τοίχοις καὶ τῇ ὀροφῇ τῶν καμίνων. *Gignitur & cadmia e fuligine, quæ dum excoquitur æs, egesta flammis flatuque, lateribus camerisque fornacum applicatur.* Vide etiam auctorem libri de simp. med. ad Patern. tomo 13. operum Galeni, pag 987.

6. *Capnitis.*] Καπνῖτις, fumosa.

7 *Interior optima.*] Diosc loc. cit. Καδμίαν αἱρετέον μὲν ἐστι ἡ Κυπρία, καλουμένη δὲ βοτρυΐτις, hoc est, racemosa. In officinis Tuthia Alexandrina dicitur, quoniam ex Ægypto Syriaque advehitur: a Tuthia tamen Arabum diversa. Canepar. descr. 1. cap 3 pag 10.

8. *Oculorumque*] Diosc loc cit. & Oribasius, lib 13.

9. *Hæc dicitur placitis.*] Diosc loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ πλακώδης τις λεγομένη, quasi crustosa.

10. *Quam pumex.*] Pumicosam enim cadmiam optimam esse oportere, auctor est Diosc loc. cit qui exuri jubet ad medicinæ usum, donec pumicosa videatur: μέχρι κισηρώδης τὴν ὄψιν γένηται.

11. *Et ad cicatrices.*] Κατουλωτικὴ δυναμένη, inquit Dioscor. loc. cit.

12. *Fluunt ex ea.*] Hæc duo genera totidem notis describit & Diosc. lib 5. cap. 84. Ὀνυχῖτις, καὶ ὀστρακῖτις, sive testacea Illa ab intercurrentibus lineis, seu maculis, onychitæ lapidi similibus, διαφόρους ἔχουσα ἐμφερεῖς ὀνυχίτῃ λίθῳ. Illa a superficie terrea sive testacea, nomen habet: ταύτῃ δὲ ἡ ὀστρακώδης κεχρημένη ἐπιφανείᾳ.

13. *Omnis autem.*] Diosc. loc. cit & post illum Oribasius, lib. 13 fol. 227. totidem omnino verbis.

14. *Quidam in ollis.*] Diosc. & Oribas. locis cit.

15. *Lapidem ipsum*] Ex quo fieri æs, quemque cadmiam appellari diximus sub initium hujus sectionis.

16. *Nulla dentium offensa.*] Ita ut, cum manditur, dentibus cedat Diosc loc. cit.

Sect. XXIII 1. *Cadmiæ effectus.*] Diosc. loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν, κοιλωμάτων ἀναπληρωτικὴν, καθαρτικὴν ῥυπαρῶν, &c

3. *Et æs ipsum ad omnia eadem.*] Hoc est, ut Diosc. explicatius tradit, lib. 5. cap 87. ad siccandum, purgandum, extenuandum, hulcera ad cicatricem perducenda, oculorum vitia exterenda, &c.

4. *Uritur autem Cyprium.*] Æs scilicet. Dioscor lib. 5. cap. 87 uri sic jubet clavos æreos dissolutarum navium, in fictilibus crudis compositos, substrato sulphure, cum salis pari pondere, & iisdem his vicissim insparsis: olla deinde operculata, etiam circumlito creta figulari spiramento, inditur fornaci, donec figlinum plane percoquatur: περιαλειφθεῖσα δὲ ἡ χύτρα, καὶ ὑποχρισθεῖσα πηλῷ κεραμικῷ δίδοται εἰς κάμινον, &c. Frustra *caminis* legit hic Budæus, Plinio ac Dioscuride refragantibus.

5. *Quidam & salem.*] Quæ sectione reliqua continentur, totidem fere verbis habet Diosc. lib. 5. cap 84 & 87. sub finem

6. *Et dum considat*] Dum nihil spumæ sordiumve supernatet, sed purum considat. Diosc. lib 5 cap 74.

Sect. XXIV. 1. *Et scoria æris.*] Hæc totidem verbis Diosc.

& æris flos medicinæ utilis est. Fit ære fuso, & [2] in alias fornaces translato: ibi flatu crebriore [3] excutiuntur velut [a] milii squamæ, quas vocant florem. Cadunt autem, [4] cum panes æris aqua refrigerantur rubentque. [b] Similiter ex eis fit, [5] quam vocant lepida, & sic adulteratur flos, [6] ut squama veneat decussa vi [7] clavis, in quos panes æreí [8] ferruminantur. In Cypri maxime officinis omnia. Differentia hæc est, quod squama excutitur ictibus 5 iisdem panibus: flos cadit sponte.

XXV. [1] Squamæ est alterum genus subtilius, [2] ex summa scilicet lanugine decussum, quod vocant stomoma. Atque hæc omnia medici (quod pace eorum dixisse liceat) ignorant, pars major & nomina: in tantum a conficiendis medicaminibus absunt, quod esse proprium medicinæ solebat. Nunc quoties incidêre in libellos, componere ex his volen- 10 tes aliqua, hoc est, impendio miserorum experiri commentaria, [3] credunt Seplasiæ omnia fraudibus corrumpenti. Jam quidem facta emplastra & collyria mercantur: [c] [4] tabesque mercium, aut fraus Seplasiæ sic exteritur. Et squama autem & flos utuntur in patinis fictilibus aut æreis, deinde lavantur, [5] ut supra, ad eosdem usus: & amplius [6] ad narium carnosa vitia: itemque sedis: [7] & gravitates aurium, per fistulas in eas flatu impulsa: [8] & 15 uvas oris, farina admota. [9] Tollit & tonsillas cum melle. [10] Fit & ex candido ære squama longe Cypria inefficacior. Nec non urina pueri prius macerant clavos, panesque. Quidam vero excussam squamam terunt, & aqua pluvia lavant. [11] Dant & hydropicis eam duabus drachmis in mulsi hemina, & illinunt cum polline.

XXVI. [1] Æruginis quoque magnus usus. Sed pluribus fit ea modis. [2] Namque & e la- 20 pide, ex quo coquitur æs, deraditur: [3] & ære candido perforato, atque in cadis super

Interpretatio.

a *Milii.*] Apludæ, corticesve qui milium obvolvunt.

b *Similiter.*] Præterea fit e panibus laminisve æris lapis, qua flos adulteratur: & sic squama venit, alias non venalis, sed vilis: decutitur autem ea mallei ictibus e clavis, quibus conflandis massæ seu laminæ æreæ indurantur.

c *Tabesque.*] Tabidæque sic merces officinarum, aut Seplasiæ fraus usu teritur, & ab ægris absumitur.

Notæ.

cor. lib. 5. cap. 87. sub finem. Scoriam Galli vocant, *Crasse*, ou *lappe de bronze*.

2. *In alias fornaces.*] Vel e fornacibus in receptacula delapso per tubulos ad ea pertinentes, ut ait Diosc. lib. 5. cap. 88 Utroque enim modo peragitur.

3. *Excutiuntur.*] Eo flatu follium crebriore excitantur squamæ milii similes, κεγχροειδῆ τι, inquit Dioscor. lib. 5. cap. 88. Auctor libri de simp. med. ad Patern tom. 13 operum Galeni, pag 987. *Ipsum flos est in specie milii*, &c. Sic etiam M S S. non *excutiuntur*, ut scribi Salmasius jubet, in Solin. pag. 1076.

4. *Cum panes.*] Massæ candentes æris. Qui repurgandis metallorum inquinamentis præsunt, inquit Dioscor. lib 5. cap. 88. aquam purissimam æri affundunt, ejus refrigerandi gratia. Hac vero repentina densatione ac concretione, velut exspuitur, & emicat granum milio simile, quem vocant florem. Γίνεται δὲ ἄνθος, ὅταν ἐν μεταλλικοῖς χώνοις ... ἀποκαθαίροντες τὴν καθαρσίαν οἱ ἐπὶ τοῦτο ὄντες, ὕδωρ ἐπιχέωσι καθαρώτατον αὐτῷ, ψύξαι προαιρούμενοι· ὑπὸ γὰρ τῆς αἰφνιδίου πυκνώσεως καὶ συνοχῆς, ὥσπερ ἀποπτύεται καὶ ἐκπηδᾷ τὸ προειρημένον, (χαλκοῦ ἄνθος.)

5. *Quam vocant lepida.*] Λεπίδα, hoc est, squamam æris.

6. *Ut squama veneat*, &c.] Hunc Plinii locum integerrimum repræsentamus, qualis in codice Reg. altero exstat, cum hactenus interpolatum libri vulgati exhibeant in hunc modum: *ut squama veneat pro eo Est autem hæc decussa vi clavis, per quos panes æreí ferruminantur.* Vidit & e suis codicibus Salmasius in Solin. p. 177. ut edidimus, ita legi oportere: Plinii tamen sententiam, quam interpretatione nostra perspicuam, ut quidem remur, fecimus, assequi se negat posse. Etiam in Parmensi editione, Brixiensi, & aliis ante Frobenium. *in quos panes æreí* non *per quos*, diserte scribitur.

7. *Clavis.*] Qui ex ære pro navibus configendis parabantur. Idcirco hæc squama clavaris appellata, a Diosc. lib. 5. cap. 89. Λεπὶς δὲ ἡ μὲν ἐκ τῶν Κυπρίων χαλκουργείων ἥλων παχεῖα, καλουμένη δὲ ἡλῖτις, καλή. Græcis ἧλος clavus est.

8. *Ferruminantur.*] Parantur, & indurantur. Plinius, lib. 36. sect. 67. *Vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem*, hoc est, indurescit, concrescitque.

Sect. XXV. 1. *Squamæ est alterum.*] Oribasius, lib. 13. pag. 233 Χαλκοῦ λεπὶς, *hoc est, squama æris, laudatissima est quæ ex Cypriis officinarum clavis excussa, crassaque est, & helitis a clavis docto nomine appellatur . . . squama vero, quam stomoma (στόμωμα) vocant, habet eamdem vim quam æris squama*, &c. Celsus, lib. 6. cap. 6. in Cleonis collyrio: *Squamæ æris, quod στόμωμα appellant pondo* X. I. hoc est, denarius unus. Non viderunt hæc auctorum testimonia Saracenus, Dalecampius, & qui eos sequitur Salmasius in Solin. pag. 1084. qui Plinium halluninatum hoc loco putant: neque aliud esse στόμωμα asseverant, quam ferrum illud durissimum, quod *Aciarium* Glossæ, Galli vocant, *de l'acier*.

2. *Ex summa . . . , lanugine.*] Panum æreorum.

3. *Credunt Seplasiæ.*] Unguentariis pigmentorumque negotiatoribus, ut dictum est sect. ult. libri superioris, in fine. Vide Notas & Emend. num. XVII.

4. *Tabesque mercium.*] Ironia est: Purgari vel sic ait officinas tabidis situque corruptis mercibus, Seplasiæ fraudem omnem exteri ac deleri, cum vel putrida medicamenta, vel adulterata a seplasiariis, coëmant medici imperiti, quos ea per se se conficere par fuit.

5. *Ut supra, ad eosdem.*] Ut de cadmia dictum est sect. 22. de Cyprio ære, sect. 23. & ad eosdem, ad quos illa valere dictum est, usus.

6. *Ad narium.*] Diosc. lib. 5. cap. 88. Ἐκτήκει δὲ καὶ τὰ ἐν μυκτῆρσι σαρκώματα καὶ δακτυλίους, *absumit narium carnosa vitia, itemque sedis.* Σάρκωμα carnositas, carnis præter naturam incrementum. In his utique vitiis primum obtinent polypi locum: de quibus Theod Priscianus ita pronunciat, lib. 1. cap. 11. *Polypus eminentibus æris florem, & sinopidem ex aqua combures, & ex eo pulvere sanabis loca.*

7. *Et gravitates*, &c.] Diosc totidem verbis, loc. cit.

8. *Et uvas oris.*] Quam & columellam vocant. Sic Reg. 2. Prius *& hulcera oris* legebatur. At Diosc. loc. cit. Σταφυλὰς δὲ καὶ ἀσσάσας. Vidit hoc & Pintianus in suo codice Farinam porro, quæ hic admovenda dicitur, squamam ipsam æris & florem intellige. Sic & chalcitis, sect. 29. farina sua tonsillas compescit.

9. *Tollit &.*] Diosc. loc. cit.

10. *Fit & ex candido.*] Diosc lib. 5. cap. 89. Vide Notas & Emend. num. XVIII.

11. *Dant & hydropicis.*] Bibendam scilicet, ac præterea illinunt. Scribonius Largus, Compos. 133. *Ad hydropicos, cum jam distent sam propter aquæ multitudinem . . . . squamæ æris, quam λεπίδα Græci vocant, pondo victoriati, data cum apis femmis pars pondere ex aqua mulsa cyathis quatuor: plurimum autem aquæ dejicit*

Sect. XXVI. 1. *Æruginis.*] Nostris, *Verd-de-gris*.

2. *Namque & e lapide.*] Eo scilicet ex quo fieri æs, quem & cadmiam appellari a quibusdam diximus, sect. 22. Oribasius, lib 13. Collect. pag. 257. *In Cypriis quoque metallis æruginem gigni ferunt: lapidibus quibusdam ea habentibus, in quibus efflorescit ærugo, . . . sed illam & paucam esse, & optimam.* Hausit hæc ille, ut pleraque solet, ex Diosc. lib. 5. cap. 91. Nativa porro hæc ærugo est: sequitur factitia.

3. *Et ære candido.*] Hic prior æruginis conficiendæ modus, qui & a Diosc. traditur, lib. 5. cap. 91. Εἰς πίθον, inquit, &c. *In cadum, aut aliud consimile vas, acetum quam*

acetum suspenso, æreo obturatis operculo: [a] multo probatiore, [4] quam si hoc idem squamis fiat. [5] Quidam vasa ipsa candidi æris fictilibus condunt in aceto, raduntque x. die. [6] Alii vinaceis contegunt, totidemque post dies radunt. [7] Alii delimatam æris scobem aceto spargunt, versantque spathis sæpius die, donec absumatur. [8] Eamdemque scobem
5 alii terere in mortariis æreis ex aceto malunt. Ocyssime vero contingit [9] coronariorum recisamentis in acetum additis. [10] Adulterant marmore trito maxime Rhodiam æruginem, alii pumice, aut gummi. [11] Præcipue autem fallit atramento sutorio adulterata. [12] Cetera enim dente deprehenduntur, stridentia in frendendo. [13] Experimentum in batillo ferreo. Nam quæ sincera est, suum colorem retinet: quæ mixta atramento, ru-
10 bescit. Deprehenditur & papyro, galla prius macerato: nigrescit enim statim ærugine illita. Deprehenditur & visu, maligne virens. [14] Sed sive sinceram sive adulteratam, aptissimum est siccatam in patina nova uri & versari, [15] donec favilla fiat: postea teritur & reconditur. [16] Aliqui in crudis fictilibus urunt, donec figlinum percoquatur. Nonnulli & thus masculum admiscent. [17] Lavatur autem ærugo, sicut cadmia. [18] Vis ejus colly-
15 riis oculorum aptissima, [19] delacrymationibus mordendo proficiens. Sed ablui necessarium penicillis calidis, donec rodere desinat.

XXVII. [1] Hieracium vocatur collyrium, quod ita maxime constat: temperatur autem id Hammoniaci unciis quatuor, æruginis Cypriæ duabus, atramenti sutorii, quod chalcanthum vocant, totidem: misyos vero una, croci sex. Hæc omnia trita aceto Tha-
20 sio colliguntur in pilulas, excellentis remedii, [2] contra initia glaucomatum & suffusionum, contra caligines, & scabritias, & albugines, ac genarum vitia. Cruda autem ærugo vulnerariis emplastris miscetur. Oris gingivarumque hulcerationem mirifice emendat, & labiorum hulcera cum oleo. Quod si & cera addatur, purgat, & ad cicatricem perducit. Ærugo & callum fistularum erodit, vitiorumque quæ circa sedem, sive per se, si-
25 ve cum Hammoniaco illita, vel collyrii modo in fistulas adacta. Eademque cum resinæ terebinthinæ tertia parte subacta, lepras tollit.

CAP. XII. XXVIII. Est & alterum genus æruginis, quam vocant [1] scoleca: [b] [2] in Cyprio ære hoc, trito alumine & sale, aut nitro pari pondere, cum aceto albo quam acerrimo. [3] Non fit hoc nisi æstuosissimis diebus circa Canis ortum. Teritur autem, [4] donec viri-
30 de fiat, contrahatque se vermiculorum specie, [5] unde & nomen. Quod vitium ut emen-

Interpretatio.

a *Multo.*] Erit autem ærugo ea multo probatior, &c.

b *In Cyprio.*] In mortario Cyprii æris hoc *invenitur.*

Notæ.

acerrimum infundito, atque illi superponito inversum vas aneum, præsertim concameratum: sin minus, planum: sit vero id probe detersum, nullumque habeat spiramentum. Decima deinde die sublato operculo æruginem inhærentem deradito.

4. *Quam si hoc idem squamis.*] Nam & e squamis, & e scobe delimata æris ærugo conficitur· γίνεται δὲ καὶ ἐκ ῥινισμάτων χαλκοῦ ἢ λεπίδος. Dioscor. loc. cit.

5. *Quidam vasa ipsa.*] Diosc. totidem verbis, loc. cit. post Theophr. lib. περὶ λίθων, pag. 12. Oribasius, lib 13. f. 226. Auctor lib. de simp. med. ad Patern. tom 13. operum Galeni, pag. 984. Lamellis æreis idem effici & ipsi tradunt, & Vitruvius quoque, lib. 7. cap. 12. pag. 145.

6. *Alii vinaceis.*] Dioscor. & auctor libri ad Patern. locis cit.

7 *Alii delimatam.*] Dioscor & auctor proxime cum eo laudatus.

8. *Eamdemque.*] Auctor libri ad Patern. loc. cit.

9. *Coronariorum*] Exsistit statim ærugo e recisamentis æreis, quæ abjiciunt ii qui coronas ex ære faciunt, quod coronarium idcirco appellatum est, sect. 20.

10. *Adulterant*, &c.] Totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 91. & Oribas. lib. 13 pag. 227.

11. *Præcipue*] Diosc & Oribas. loc cit

12. *Cetera enim*] Oribas. loc. cit. *Quin dentibus quoque cognoscitur: nam quæ sincera est, lævis, & non aspera, illis cedit.* Totidem verbis & Diosc lib. 5. cap. 91.

13. *Experimentum in batillo.*] Ferreum id instrumentum est, quo prunæ colliguntur, ad similitudinem palæ: *une pelle à feu.* Laminam pro batillo Diosc. adhibet, quod eumdem usum habet: cetero Dioscoridis rationi prorsus Pliniana congruit: Τὸ δὲ χάλκανθον, inquit, ἀπελέγχεται τῷ πυρί, &c. *Atramentum sutorium igne deprehenditur: namque si lamina aut fictili æruginem ita adulteratam inspersris, & horum alterutrum ferv nti cineri aut prunis imposueris, mutato colore rubescet, quæ atramento sutorio mixta fuerit*, &c.

14. *Sed sive sinceram.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 92.

15. *Donec favilla.*] Donec colorem cinereum quodammodo referat, inquit Diosc. ἕως ἂν μεταβάλῃ, καὶ τεφρώδη τῇ χρόᾳ.

16. *Aliqui*, &c] Diosc. loc. cit.

17. *Lavatur ... sicut cadmia.*] De qua, sect. 22.

18. *Vis ejus.*] Oculorum cicatrices extenuare & attenuari auctor est Diosc loc. cit. A Galeno in collyriis oculorum sæpissime adhibetur, lib. 4. κατὰ τόπους

19. *Delacrymationibus.*] Lacrymis ciendis. Dioscorides, loc. cit. Δάκνει δὲ καὶ ἰὸς ... δάκρυα ἄγει, &c.

Sect. XXVII. 1. Ab Hierace confectore nomen habere videtur. Celsus, lib. 6 cap 6. *Hieracis collyrium: Id quoque quod Hieracis nominatur, ... habet myrrhæ* P. x. 1. *Hammoniaci* P. x. 11. *Æruginis rasæ* P. x. 1111. &c. Similius est, quod Cæsarianum ibidem appellatur: *Habet atramenti sutorii* P. x. 1. *Mysi* P. x. 1. *Piperis albi* P. x. v. *Cadmiæ lotæ* P. x. 111. &c. Plura vero his affinia Galenus affert, lib. 4. κατὰ τόπους, cap. 8 pag. 434. & seq.

2. *Contra initia*] Quæ reliqua deinceps sectione hac continentur, totidem ea verbis exstant apud Dioscor. lib. 5. cap. 92.

Sect XXVIII. 1. *Scoleca.*] In libris hactenus editis, *scolectam.* Reg 2. *scolecaca.* At Index loci hujus, *Scolex æris.* Dioscoridis lib. 5. cap. 92. ἰὸς σκώληξ, *ærugo vermicularis*, a vermiculorum specie.

2. *In Cyprio ære.*] In mortario Cyprii æris Εἰς θυίαν Κυπρίου χαλκοῦ, ἔχουσαν δὲ καὶ δοίδυκα ἀπὸ τῆς αὐτῆς πεποιημένον ὕλης, ἐγχέαι ὄξους λευκοῦ καὶ δριμέος, &c. *In mortarium Cyprii æris, quod & pistillum ex eadem materia factum habeat, aceti albi acrisque heminam dimidiam infundito*, &c.

3. *Non fit hoc.*] Diosc loc. cit.

4. *Donec viride.*] Donec æruginis colorem referat, & strigmenti spissitudinem contrahat, inquit Dioscor. loc. cit. ἕως τῇ μὲν χροιᾷ ἰώδης, τῇ δὲ σύστασει γλοιώδης γένηται.

5. *Unde & nomen.*] Hanc appellationis illius causam, etsi est verissima, Dioscorides non attigit. Nam quod & ille, & eum secutus Oribasius, lib 13. pag. 227. de vermiculis Rhodiacis afferunt, neque huc pertinet, & valde vereor ut sincerum sit.

detur, duæ partes quæ fuere aceti, [6] miscentur urina pueri impubis. [7] Idem autem in medicamentis & santerna efficit, [8] qua diximus aurum ferruminari, usufque utriusque, qui ærugines. [9] Scolecia fit & per se, derasa ab ærario lapide, de quo nunc dicemus.

XXIX. Chalcitin vocant lapidem, ex quo ipsum æs coquitur. [1] Distat a cadmia, quod illa super terram ex [a] subdialibus petris cæditur, hæc ex obrutis. Item quod chalcitis friat se statim, mollis naturâ, ut videatur lanugo concreta. Est & alia distinctio, quod chalcitis tria genera continet, æris, & misyos, & soryos, de quibus singulis [2] dicemus suis locis. [3] Habet autem æris venas oblongas. [4] Probatur mellei coloris, gracili venatum discursu, friabilis, nec lapidosa. Putant & recentem utiliorem esse, quoniam inveterata [5] sory fiat. [6] Vis ejus ad excrescentia in hulceribus, sanguinem sistere, gingivas, uvam, tonsillas farina compescere. Vulvæ quoque vitiis in vellere imponitur. Cum succo vero porri verendorum additur emplastris. [7] Maceratur autem in fictili ex aceto circumlito fimo diebus XL. & colorem croci trahit. Tunc admixto cadmiæ pari pondere, medicamentum efficit, [8] psoricon dictum. Quod si duæ partes chalcitidis tertia cadmiæ temperentur, acrius hoc idem fiet: [9] etiamnum vehementius, si aceto, quam vino temperentur. Tosta vero efficacior fit ad eadem omnia.

XXX. [1] Sory Ægyptium maxime laudatur, multum superato Cyprio, Hispaniensi, & Africo: [2] quanquam oculorum quoque curationi quidam utilius Cyprium putant: [3] sed in quacumque natione optimum, cui maximum virus in olfactu, trituque pinguiter nigrescens, & spongiosum. [4] Stomacho res contraria in tantum, ut quibusdam olfactu modo vomitiones moveat. Et Ægyptium quidem tale: [5] Alterius nationis contritum splendescit, ut misy. [6] & et lapidosius. [7] Prodest autem & dentium dolori, si contineatur, atque colluat: & oris hulceribus gravibus, quæque serpunt. [8] Uritur carbonibus, ut chalcitis.

XXXI. [1] Misy aliqui tradiderunt fieri [2] exusto lapide in scrobibus, flori ejus luteo miscente se ligni pinei favilla. Revera autem e supradicto fit lapide, concretum natura, discretumque, & optimum in Cypriorum officinis: [3] cujus notæ sunt friati aureæ scintillæ, & cum teratur, arenosa natura, sive terrea, chalcitidi similis. Hoc admiscent, qui aurum purgant. Utilitas ejus infusi eum rosaceo auribus purulentis: & in lana impo-

INTERPRETATIO.

a *Subdialibus.*] Sub dio expositis.

NOTÆ.

6. *Miscentur urina.*] Tertia nempe urinæ parte ad duas aceti partes addita. Aliter Diosc. loc. cit. Ἐνεργὸς δὲ καὶ ἀποχεῖσθαι γίνεται ἄγαν, ἐὰν ὄξους μὲν λάβῃ μέρος ἕν, οὔρου δὲ παλαιοῦ μέρη δύο, τὰ δ' ἄλλα, ὡς προείρηται. *Efficax autem & valde boni coloris redditur, si duæ partes urinæ veteris cum una aceti adjiciantur, & reliqua, uti dictum est, peragantur.*

7. *Idem autem.*] Diosc. lib. 5 cap. 104.

8. *Qua diximus.*] Anteriore libro, sect. 19.

9. *Scolecia.*] MSS. *Scolea.* Fieri autem & per se ait, hoc est, & aliud genus esse, non cura & arte factitium, ut quod proxime ante explicuit, sed sponte proveniens, ac nativum. Hæc ærugo vermicularis a Diosc. fossilis appellatur, lib. 5. cap. 92. ἰὸς σκώληξ ὀρυκτός.

Sect. XXIX. 1. *Distat a Cadmia.*] Ab ærosο illo altero lapide, ex quo fieri æs diximus, sect. 2 & 22.

2. *Dicemus suis locis.*] Sect tricesima, quæ sequitur, & trigesima prima.

3. *Habet autem æris.*] Hoc est, æris similes. Diosc. lib. 5. cap. 115. Χαλκῖτιν προκριτέον τὴν χαλκοειδῆ .... τὰς ἰνας ἐπιμήκεις καὶ διαυγεῖς ἔχουσαν. *Optima chalcitis æris speciem refert .... intercursantibus venis oblongis, splendentibusque.* Auctor libri de simp. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 787. *Chalcitis gleba est naturalis, quæ est in Cypro insula, quæ in metallis invenitur, colore subaureo, intus venas habens diffusas, &c.*

4. *Probatur.*] Probat & Diosc. loc. cit. εὔθρυπτον, ἀλίθωτον, καὶ οὐ παλαιάν.

5. *Sory fiat.*] Sory ipsum vetustate mutari in chalcitin, auctor est Galenus, lib. 9. de fac. simp. med. pag. 266. atque hæc tria tenuitate tantum discrepare, crassissimumque esse sory, tenuissimum misy: mediam chalcitin. Sic etiam Aetius, lib. 2. de re med cap. 65. pag. 57.

6. *Vis ejus, &c.*] Sic Diosc. totidem fere verbis, lib. 5. cap. 115. [illegible] *Est & in genere leviter exedentium. Quin etiam efficax est ad erysipelata & herpetas, itemque sanguinis e vulva & naribus eruptiones cum porri succo.* Et inter ea quæ corpus exedunt, chalcitin Celsus enumerat, lib. 5. cap. 7. Et cap. 12. *ad putrem carnem continendam, ne ultra serpat, eamque leniter exedendam, ... auripigmentum cum chalcitide, &c.* De sistendo sanguine, utraque compescenda, etiam Plinius Valer. lib. 3. cap. 21.

7. *Maceratur autem.*] Diosc. ad verbum, lib. 5. cap. 116.

8. *Psoricon.*] ψωρικὸν Diosc. loc. cit. & Galeno, lib. 9. de fac. simp med. pag. 271. ubi simili ferme ratione hoc medicamenti genus concinnat: Dioscorides vero plane eadem. Nomen habet, quod contra scabrities & asperitates cutis, quas ψώρας Græci dicunt, vim habeat. Celsus, lib. 6 cap. 6 tit. *Ad oculos scabros. Nulla per se materia est, quæ psoricum nominatur: sed chalcitidis aliquid, & cadmiæ dimidio plus ex aceto simul conteruntur: idque in vas fictile additum, & contectum ficulneis foliis sub terra reponitur: sublatumque post dies XX rursus teritur, & sic appellatur.*

9. *Etiamnum vehementius.*] Oribasius, lib. 13. fol. 231.

Sect. XXXI. 1. *Sory Ægyptium.*] Diosc. lib. 5. cap. 119. Σῶρυ .... διαφέρειν δοκεῖ τὸ Αἰγύπτιον, καὶ ἐν ἄλλοις δὲ τόποις, ὡς ἐν Λιβύῃ, καὶ Ἰσπανίᾳ, καὶ Κύπρῳ. προκριτέον δὲ τὸ Αἰγύπτιον, &c. *Couperose cendrée.*

2. *Quanquam oculorum.*] Sic ad ocularia medicamenta Cyprium quoque misy Ægyptio anteponit Dioscor. lib. 5. cap. 117.

3. *Sed in quacumque.*] Diosc. totidem verbis, loc. cit.

4. *Stomacho, &c.*] Diosc. loc. cit.

5. *Alterius nationis.*] Vide Notas & Emend. num. XIX. Ut misy splendescat, dicetur sect. seq.

6. *Et est lapidosius.*] Sory videlicet: de quo Galenus, lib. 9 de fac simp. med pag. 266. Οὐ τήκεται τὸ σῶρυ, διὰ τὸ λιθῶδές τε καὶ σφοδρότερον ἔχειν τὴν πῆξιν. *Sory non liquescit, quoniam lapidosius est, vehementiusque compactum.*

7. *Prodest autem.*] Et hoc de sory Dioscorides quoque prodidit, lib. 5. cap. 119. Ἰᾶται δὲ καὶ ὀδονταλγίας ἐνστιθέμενον εἰς τὰ βρώματα, καὶ τοὺς σαλεύοντας δὲ ὀδόντας κρατύνει. *Dolori dentium cavernis eorum inditum medetur: eosdem labantes firmat.*

8. *Uritur.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XXXII. 1. *Misy.*] Μίσυ Dioscoridi, lib. 5 cap. 117. Nostris. *Coupe-rose jaune*, seu Vitriolum Romanum.

2. *Exusto lapide.*] Quem chalcitim vocant, ut dictum est initio sect. 29.

3. *Cujus notæ sunt.*] Diosc. loc. cit. Μίσυ δὲ παραληπτέον τὸ Κύπριον, χρυσοφανὲς, σκληρὸν, καὶ ἐν τῷ θρύπτεσθαι χρυσίζον, καὶ ἀποστίλβον ἀστεροειδῶς. *Misy assumendum natione*

fiii, capitis hulceribus. Extenuat etiam fcabritias oculorum inveteratas. Præcipue utile tonfillis, contraque anginas, & fuppurata. Ratio, ut fedecim drachmæ in hemina aceti coquantur addito melle, donec lentefcat. Sic ad fupradicta utile eft. Quoties opus fit molliri vim ejus, mel afpergitur. Erodit & callum fiftularum, [a] ex aceto foventium: & collyriis additur. Siftit & fanguinem, hulceraque quæ ferpant, quæve putrefcant. Abfumit & excrefcentes carnes. Peculiariter virilitatis vitiis utile: & feminarum profluvium fiftit.

XXXII. [1] Græci cognationem æris nomine fecerunt & atramento futorio. [2] Appellant enim chalcanthum. Nec ullius æque mira natura eft. [3] Fit in Hifpaniæ puteis ftagnifve, id genus aquæ habentibus. Decoquitur ea, admixta dulci pari menfura, & in pifcinas ligneas funditur. Immobilibus fuper has tranftris dependent reftes lapillis extentæ, quibus adhærefcens limus, vitreis acinis imaginem quamdam uvæ reddit. Exemptum ita ficcatur diebus XXX. Color eft cæruleus, perquam fpectabili nitore, [4] vitrumque effe creditur: diluendo fit atramenthum tingendis coriis. Fit & pluribus modis: [5] genere terræ eo in fcrobes cavato: quarum e lateribus diftillantes hiberno gelu ftirias, [6] ftalagmian vocant: neque eft purius aliud. [7] Sed ex eo candidum colorem fentientem violam, lonchoton appellant. [b] Fit & in faxorum catinis, pluvia aqua corrivato limo gelante. Fit & falis modo, flagrantiffimo Sole [8] admiffas dulces aquas cogente. Ideo duplici quidam differentia, foffile, aut factitium appellant hoc: pallidius, & quantum colore, tantum bonitate deterius. Probant maxime Cyprium in medicinæ ufu. [9] Sumitur ad depellenda ventris animalia drachmæ pondere cum melle. [10] Purgat & caput dilutum, ac naribus inftillatum: item ftomachum, cum melle aut aqua mulfa fumptum. [11] Medetur & oculorum fcabritiei dolorive, & caligini, & oris hulceribus. Siftit & fanguinem narium: item hæmorrhoïdum. [12] Extrahit offa fracta cum femine hiofcyami. Sufpendit epiphoras, penicillo fronti impofitum. Efficax & in emplaftris ad purganda hulcera, & excrefcentia hulcerum. Tollit & uvas, vel fi decocto tangantur. Cum lini quoque femine fuperponitur emplaftris ad dolores tollendos: quodque ex eo candicat, in eo ufu præfertur violaceis, fi gravitati aurium per fiftulas infpiretur. Vulnera etiam per fe illitum fanat, fed tinguit cicatrices. [13] Nuperque inventum, urforum in arena & leonum ora infpargere illo: tantaque eft vis in adftringendo, ut non queant mordere.

Cap. XIII.

XXXIII. [1] Etiamnum in ærariis reperiuntur, quæ vocant [2] pompholygem & fpodon. Differentia, quod pompholyx loturâ paratur, fpodos illota eft. [3] Aliqui id quod fit candidum leviffimumque, pompholygem dixere: & effe æris [4] & cadmiæ favillam. Spodon nigriorem ponderofioremque effe, derafam parietibus fornacum, mixtis fcintillis, aliquando & carbonibus. [5] Hæc aceto accepto odorem æris præftat, & fi tangatur lingua, faporem

INTERPRETATIO.

a *Ex aceto*] Iis qui ex aceto fiftulas fovent miffy.

b *Fit &c.*] Fit & in faxis excavatis, aqua pluvia, quæ per venas chalcanthi labitur, limo corrivato, ac gelafcente.

NOTÆ.

Cyprium auri fpeciem præ fe ferens, ac durum, quodque dum fricatur, aureis micet fcintillis, ac ftellæ modo fplendefcat.

Sect. XXXII. 1. *Græci cognationem æris nomine.*] Hanc nominis affinitatem, idem alibi gentilitatem vocat: cujus occafione, ut alias monuimus, de rebus agit alioqui difparibus, nec alia re, nifi vocis fono, connexis.

2. *Appellant.... chalcanthum.*] Χάλκανθον. Noftri, *du vitriol, de la couperofe.*

3. *Fit in Hifpania.*] Hæc totidem verbis Ifidorus, lib. 16. Orig. cap. 2. Difpar aliquantum Diofcoridis ratio eft, lib. 5. cap. 114.

4 *Vitrumque effe creditur.*] Sic Reg. 1. & alii Ob perfpicuitatem fcilicet: Diofc. loc. cit. Ἄριστον δ' αὐτοῦ ἡγητέον τὸ κυάνεον.... καὶ διαυγές. Inde chalcantho apud nos vitrioli nomen.

5. *Genere terræ eo.*] Quale in Hifpaniæ puteis fupradictis reperitur Ita Reg. 2. & Colb. 3 Editi hoc tantum, *genere eo*, obfcura, ac mutila oratione. Ifidorus, loc. cit. hoc tantum: *Fit & in fcrobibus cavatis, quarum de lateribus decidentes guttæ coalefcunt.*

6. *Stalagmian.*] Σταλαγμίαν, hoc eft, chalcanthum ftillatitium Σταλακτὸν & πηκτὸν a Diofc. appellatur, lib. 5. cap. 14.

7 *Sed ex eo.*] E ftillatitio chalcantho. Vide Notas & Eemend. num. XX. Λογχωτὸν eft Diofcoridi, loc cit. aliifque.

8. *Admiffas.*] In fcrobes excavatas, aquæ fupradictæ e puteis hauftæ admittuntur, mox Sole coguntur: ut falem dixit antea fieri, lib. 31. fect. 39. aqua e puteis in falinas ingefta Sic etiam Ifidorus, loc. cit.

9. *Sumitur, &c.*] Diofc. lib. 5. cap. 114 Ἐλμινθας πλατείας ἐκτρέπει ... ὁ ὁλκὸς καταπινόμενος σὺν μέλιτι ἢ ὕδρομελι.

10. *Purgat, &c.*] Diofc. totidem verbis, loc cit.

11. *Medetur, &c.*] Marcellus Empir. cap 8 pag. 55. In MSS. porro, *fcabritia*, legimus, non *fcabritiei*.

12. *Extrahit offa.*] Diofc. lib. 1. Εὐπορ. cap. 166. Ἀνάγει δ' ὀστᾶ καὶ ἀφαιρεῖ.... χάλκανθος, σὺν ὑοσκυάμου σπέρματι.

13. *Nuperque.*] Totidem verbis Ifidorus, lib. 16 Orig. cap 2.

Sect. XXXIII 1. *Etiamnum in ærariis.*] In fornacibus, in quibus æs uritur.

2. *Pompholygem, & fpodon.*] Πομφόλυξ levior eft, evolatque ad fornices, quibus bullarum inftar adglutinatur: unde nomenclaturam traxit, quoniam πομφόλυξ Græcis bulla eft. Noftris, *La fleur de la calamine.* Non eft officinarum tuthia, ut recte probat Savotus, lib. de nummis, pag 106. & 107. Spodion vero ponderofius, quare ad fornicea non afcendit, fed vel cineris inftar, unde nomen, humi decidit, adhæretve parietibus. Longe difparis naturæ fpodion officinarum eft, quod ex ufto fit ebore. Savotus, loc. cit. pag. 105.

3. *Aliqui*] Quos fecutus eft Diofc. lib. 5. cap. 85. apud quem hæc totidem verbis exftant, de fpompholygis fpodiique difcrimine: & apud Oribaf. lib. 13. pag. 231. qui ex Diofcoride haufit: ut & Galenus, lib. 9. de fac. fimp med. cap. 3. pag. 268.

4. *Et cadmiæ favillam.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Sic Diofc & Galenus, loc. cit. ubi pompholyga aiunt effe, ἀναφερόμενον αἰθάλην, παρασπώμενον τῇ καδμείᾳ.

5. *Hæc aceto accepto.*] Hoc eft, aceto fubacta. Diofc. loc. cit. Ἐν τῷ ὄξει φυρηθεῖσα.... ἔτι δὲ βορβορίζουσα ἐν τῇ γεύσει, guftu cœnum refipit.

horridum:

horridum. [6] Convenit oculorum medicamentis, quibuscumque vitiis occurrens, [7] & ad omnia, quæ spodos: hoc solum distat, quod hujus [8] elutior vis est. [9] Additur & in emplastra, quibus lenis quæritur refrigeratio & siccatio. Utilior ad omnia quæ vino lota est.

XXXIV. [1] Spodos Cypria optima. Fit autem liquescentibus cadmia, [2] & ærario lapide. [3] Levissimum hoc efflatur & ocyus, evolatque e fornacibus, & tectis adhærescit, a fuligine distans candore. Quod minus candidum ex eo, immaturæ fornacis argumentum est: hoc quidam pompholygem vocant. Quod vero rubicundius ex iis invenitur, acriorem vim habet, exhulceratque adeo, ut cum lavatur, si oculos attingat, excæcet. Est & mellei coloris spodos, in qua plurimum æris intelligitur. Sed quodcumque genus lavando fit utilius: [4] purgatur ante penna, dein crassiore lotura. Digitis scabritiem exterunt. Media vis ejus est, quæ vino lavatur. Est aliqua & in genere vini differentia. Leni enim lota collyriis oculorum minus apta putatur. Eadem efficacior hulceribus quæ manant, vel oris quæ madent, & omnibus medicamentis, quæ parantur contra gangrænas. Fit & in argenti fornacibus spodos, quam vocant [5] lauriotin. Utilissima autem oculis affirmatur, quæ fiat in aurariis: nec in alia parte magis est vitæ ingenia mirari. Quippe ne inquirenda essent metalla, vilissimis rebus utilitates easdem excogitavit.

XXXV. [1] Antispodon vocant cinerem fici arboris, vel caprifici, vel myrti foliorum cum tenerrimis ramorum partibus, vel oleastri, vel cotonei mali, vel lentisci. [2] Item ex moris immaturis, id est, candidis, in Sole arefactis: vel e buxi coma, vel pseudocyperi, aut rubi, aut terebinthi, vel œnanthes. [3] Taurini quoque glutinis, aut linteorum cinerem, similiter pollere inventum est. Uruntur omnia ea crudo fictili in fornacibus, donec figlina percoquantur.

XXXVI. In ærariis officinis [1] & spegma fit, jam liquato ære atque percocto, additis etiamnum carbonibus, flatuque accensis: ac repente vehementiori flatu exspuitur æris palea quædam. Solum, quo excipiatur, esse stratum debet.

XXXVII. Facile ab ea discernitur, quam in iisdem officinis [1] diphrygem vocant Græci, ab eo quod bis torreatur. [2] Cujus origo triplex. Fieri enim traditur ex lapide pyrite cremato in caminis, donec excoquatur [3] in rubricam. Fit & in Cypro ex luto cujusdam specus arefacto prius, [4] mox paulatim circumdatis sarmentis. [5] Tertio fit modo in fornacibus æris fæce subsidente. Differentiæ siquidem, quod æs ipsum in catino defluit, scoria extra fornaces, flos supernatat, [6] diphryges remanet. Quidam tradunt in fornacibus globos lapidis qui coquantur, [a] ferruminari: circa hunc æs fervere, ipsum vero non percoqui, nisi translatum in alias fornaces, & esse [b] nodum quemdam materiæ. Id quod ex cocto supersit, diphryges vocari. [7] Ratio ejus in medicina similis supra dictis: siccare, & excrescentia consumere, & perpurgare. [8] Probatur lingua, ut eam siccet tactu statim, saporemque æris reddat.

XXXVIII. Unum etiamnum æris miraculum non omittemus. Servilia familia [1] illu-

INTERPRETATIO.

a *Ferruminari.*] Coalescere.

b *Nodum.*] Duriorem materiam.

NOTÆ.

6. *Convenit.*] Pompholyx nimirum. Ita Galenus, lib. 9. de fac. simp. med. cap. 3. pag. 269.

7. *Et ad omnia quæ spodos.*] Ut exemplum in re una statuam, spodos sect. seq. mala dicitur hulceribus quæ manant, Græci ἀχῶρας vocant: ad eumdem usum commendat pompholygem Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 5. *de acharibus.*

8. *Elutior vis est.*] Imbecillior spodi seu spodii vis. Sic Horatius, lib. 2. Satyr. 4. vers. 16.

Irriguo nihil est elutius horto.

Hoc est, nihil insipidius, quam hortensia quæ multis aquis irrigantur.

9. *Additur*, &c.] Galenus, loc. cit.

Sect. XXXIV. 1. *Spodos Cypria.*] Oribasius, lib. 13. fol. 231.

2. *Et ærario lapide.*] Æroso lapide, ex quo fieri æs dictum est sect. 2. & 22.

3. *Levissimum hoc.*] Sic Reg. 2. & alii. Editi perperam, *levissime hæc.* Simon Januensis, cap. de pompholyge, legit, *levissimo flatu, evolatque*, &c.

4. *Purgatur ante penna*, &c.] Sic libri editi, manuque scripti. Simon Januensis, qui totum hoc de pompholyge caput exscripsit, mendose, *purgatur ante prima: deinde crassior: loturæ digitis scabritiem exterunt.*

5. *Lauriotin.*] Λαυρεῶτιν a Laurio Atticæ pago, ubi argenti metalla fuere. Pausanias, statim initio libri primi, sive Attic. Πλέοντι δ' ἐς τὸ πρόσω Λαύριόν τέ ἐστιν, ἔνθα ποτὲ Ἀθηναίοις ἦν ἀργύρου μέταλλα. Hinc γλαῦκες Λαυρεωτικαὶ apud Erasm. Chil. 2. Cent. 8. Adag. 31.

Sect. XXXV. 1. *Antispodon.*] Ἀντίσποδα dicuntur, quæ deficiente sæpenumero spodio, in ejus locum opportune sufficiuntur. De his eadem plane tradit & Diosc. lib. 5. cap. 86. & Oribasius, lib. 13. fol. 231.

2. *Item ex moris*, &c.] Diosc. & Oribas. locis cit.

3. *Taurini quoque*, &c.] Auctores proxime appellati.

Sect. XXXVI. 1. *Et spegma fit.*] Sic etiam MSS. An *psegma* ψῆγμα potius, quæ vox Græce ramenta & micas significat, quæ appellatio huic æris paleæ accommodata satis videtur?

Sect. XXXVII. 1. *Diphrygem.*] Dioscoridi, lib. 5. cap. 120. τὸ διφρυγὲς, scilicet ἀπὸ τοῦ δὶς φρύγεσθαι, quod bis torreatur: sive quod & arefiat a Sole, & ab igne torreatur.

2. *Cujus origo triplex.*] Totidem ea plane verbis a Dioscoride explanata, loc. cit. & ab Oribasio, lib. 13. fol. 226.

3. *In rubricam.*] In rubricæ colorem: ὅταν ἡ χρόα μιλτώδης γένηται. Diosc. loc. cit.

4. *Mox paulatim.*] Subintellige, usto tostove.

5. *Tertio fit.*] Hoc est, tertium nihil aliud est, nisi sedimentum æris in fornace adusti.

6. *Diphryges remanet.*] In fundo, ceu fæx, subsidet: ὑφιζάνει ἐν τῇ χώνῃ ἐγκαταλειφθὲν τοῦ χαλκοῦ αὐτοῦ. Diosc. loc. cit.

7. *Ratio* ... *similis supradictis*] Æris, scoriæ, cadmiæ, floris. Hæc totidem verbis Diosc. loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν, καὶ ἀνακαθαρτικὴν ἐπιτείνουσαν, σμηκτικήν τε καὶ ἐκτροτικὴν, καὶ καθαιρετικὴν ὑπερσαρκούντων, &c.

8. *Probatur.*] Diosc. loc. cit. ad verbum.

Sect. XXXVIII. 1. *Illustrem in basis.*] Ob multos Consu-

ſtris in Faſtis, trientem æteum paſcit auro & argento, conſumentem utrumque. Origo atque natura ejus incomperta eſt mihi. Verba ipſa de ea re Meſſalæ ſenis ponam. Serviliorum familia habet trientem ſacrum, cui ſumma cum cura magnificentiaque ſacra quotannis faciunt: quem ferunt alias creviſſe, alias decreviſſe videri, & ex eo aut honorem
5 aut diminutionem familiæ ſignificari.

CAP. XIV. XXXIX. Proxime indicari debent metalla ferri, optimo peſſimoque vitæ inſtrumento. Siquidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere. Hoc exſtruimus tecta, cædimus ſaxa, omneſque ad alios uſus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus
10 ſolum, ſed etiam miſſili volucrique, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc vero pennato: quam ſceleratiſſimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem, ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennaſque ferro dedimus. Quamobtem culpa ejus non Naturæ fiat accepta. Aliquot experimentis probatum eſt poſſe innocens eſſe ferrum. In fœdere, quod expulſis regibus populo Romano dedit Porſenna, no-
15 minatim comprehenſum invenimus, ne ferro niſi in agricultura uteretur. [1] Et ſtilo ſcribere intutum, ut vetuſtiſſimi auctores prodiderunt. Magni Pompeii in tertio Conſulatu exſtat edictum, in tumultu necis Clodianæ, prohibentis ullum telum eſſe in Urbe.

XL. Et tamen vita ipſa non deſiit [a] honorem mitiorem habere ferro quoque. [1] Ariſtonidas artifex cum exprimere vellet Athamantis furorem [2] Learcho filio præcipitato re-
20 ſidentem pœnitentia, æs, ferrumque miſcuit, ut rubigine ejus per nitorem æris relucente, exprimeretur verecundiæ rubor. Hoc ſignum exſtat Thebis hodierno die. Eſt in eadem urbe & ferreus Hercules, quem fecit [3] Alcon, laborum Dei patientia inductus. Videmus & Romæ ſcyphos e ferro dicatos in templo [4] Martis Ultoris. [5] Obſtitit eadem Naturæ benignitas, exigentis a ferro ipſo pœnas rubigine: eademque providentia nihil in
25 rebus mortalibus [6] faciente, quam quod infeſtiſſimum mortalitati.

XLI. Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur, quippe inſula etiam Italiæ [1] Ilva gignente: minimaque difficultate cognoſcuntur, ipſo colore terræ manifeſto. [2] Sed ratio eadem excoquendis venis. In Cappadocia tantum quæſtio eſt, aquæ an terræ fiat acceptum, quoniam perfuſa certo fluvio terra, neque aliter ferrum e fornacibus reddit.
30 [3] Differentia ferri numeroſa. Prima in genere terræ cælive. Aliæ molle tantum, plumboque vicinius ſubminiſtrant: aliæ fragile & æroſum, rotarumque uſibus & clavis maxime fugiendum, cui prior ratio convenit. Aliud brevitate ſola placet, [4] claviſque caligariis: aliud rubiginem celerius ſentit. [5] Stricturæ vocantur hæ omnes, quod non in aliis metallis, a ſtringenda acie vocabulo impoſito. Et fornacum maxima differentia eſt: [6] nu-
35 cleuſque quidem ferri excoquitur in his ad indurandam aciem: aliquæ modo ad denſandas incudes, malleorumve roſtra. [7] Summa autem differentia in aqua eſt, cui ſubinde

INTERPRETATIO.

a *Honorem.*] Ad mitiores uſus adſciſcere, *exempli gratia, ad ſtatuas, de quibus ſtatim dicetur.*

NOTÆ.

latus, ac triumphos, qui notantur in Faſtis.

Sect. XXXIX 1. *Et ſtilo ſcribere intutum.*] Minime tutum. Sic etiam MSS. Sunt qui *intutum* malunt. *Intutum* Tacito ſemel, ſæpius Ammiano uſurpata vox.

Sect. XL. 1. *Ariſtonidas.*] Ἀριστωνίδας.

2. *Learcho filio.*] Exſtat apud Naſonem fabula, lib. 4. Metam. verſ. 467.

3. *Alcon*] Meminit hujus in Laconicis Pauſanias, & Hippocoontis filium vocat: Naſo quoque, lib. 13. Metam. verſ. 683.

Illi fabricaverat Alcon
Myleus, & longo cælaverat argumento.

Niſi forte hic Naſonis Alcon argentarius faber eſt, ab illo ferrario diverſus.

4. *Martis Ultoris.*] In foro Auguſti, regione Urbis octava.

5. *Obſtitit.*] Ne hunc ferro mitiorem honorem vita haberet, de quo dictum eſt initio hujus ſectionis, obſtitit pro ſua benignitate Natura, tum inducta ferro rubigine velut in pœnam, tum ſimul ejus providentia nihil faciente in rebus mortalibus, quam quod eſt infeſtiſſimum mortalitati, & plenum laboris. Quare a mitioribus illis artibus ferrum traducendum ad falces, ligones, aliaque inſtrumenta, quibus arbuſta ſerimus, ponimus pomaria, cædimus ſaxa, &c.

6. *Faciente.*] MSS. quidam *facientis.*

Sect. XLI. 1. *Ilva gignente.*] Vide quæ dicta ſunt lib. 3. ſect. 12. Servius in illud Maronis, lib. 10. Æneid.

Aſt Ilva trecentos,
Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis:

Amplius aliquid apud Plinium legiſſe hic videri queat; ſi habenda ei fides eſt: Verba ejus ſunt hujuſcemodi: *INEXHAUSTIS Chalybum generoſa metallis: quanto exhauſta fuerit, tanto generoſior, hoc eſt, πολύγονος. Ergo INEXHAUSTIS non eſt una pars orationis: namque dicit Plinius Secundus: Cum in aliis regionibus effoſſis metallis terra ſint vacua, apud Ilvam hoc eſſe mirum, ſublata renaſcuntur, & rurſus de iiſdem locis effodiuntur. Varro & aliud dicit, naſci quidem illic ferrum, ſed in ſtricturam non poſſe cogi, niſi tranſvectum in Populoniam Tuſciæ civitatem, ipſi inſulæ vicinam.* Hæc Servius, cujus in laudandis auctoribus haud ſatis eſt explorata fides.

2. *Sed ratio eadem.*] Quæ æris explicata.

3. *Differentia ferri, &c.*] Tranſcripſit hunc locum integra fide totidem verbis Iſidorus, lib. 16. cap. 20.

4. *Claviſque caligariis.*] Caliga militaris ſimillima fuit ſandaliis PP. Capucinorum, ſed clavis præterea ſubtus ſuffixa. Iconem exhibet caligæ, libro ſingulari, De caliga veterum, Nigronius noſter, ſub finem operis.

5. *Strictura.*] Stricturam vocant antiqui maſſam ferri ſeu laminam, quod in maſſam unam ſtringitur, ac coaleſcit. Sic Varro accepit, eo loco quem ex Servio paulo ante retulimus. Nonio ſtricturæ ſunt & ſcintillæ ferri candentis: non Plinio.

6. *Nucleuſque quidem ferri.*] In quibuſdam, inquit, fornacibus ferrum excoquitur, quod duriſſimum eſt, ac veluti metalli nucleus, ad indurandam aciem, hoc eſt, eam ferri partem quæ ſecat. Sic temperatur id quod barbari Gloſſæque *Aciarium* vocant, *de l'acier.* Vide Notas & Emendationes, num. XXI.

7. *Summa autem.*] Et hunc locum Iſidorus exſcripſit, lib. 16. Orig. cap 20.

candens immergitur. Hæc alibi atque alibi utilior nobilitavit loca gloria ferri, sicut [8] Bilbilin in Hispania & Turiassonem, Comum in Italia, cum ferraria metalla in his locis non sint. [9] Ex omnibus autem generibus palma Serico ferro est. Seres hoc cum vestibus suis pellibusque mittunt. Secunda Parthico: neque alia genera ferri [10] ex mera acie temperantur: [11] ceteris enim admiscetur [a] mollior complexus. In nostro orbe aliubi vena bonitatem hanc præstat, [12] ut in Noricis: aliubi factura, ut Sulmone aqua, [13] uti diximus. Quippe cum in exacuendo [14] oleares cotes, aquariæque differant, & oleo delicatior fiat acies. Mirumque, cum excoquatur vena, aquæ modo liquari ferrum, [15] postea in spongias frangi. [16] Tenuiora ferramenta oleo restingui mos est, ne aqua in fragilitatem durentur. A ferro sanguis humanus se ulciscitur. [17] Contactum namque eo, celerius subinde rubiginem trahit.

XLII. [1] De magnete lapide suo loco dicemus, concordiaque quam cum ferro habet. Sola hæc materia vires ab eo lapide accipit, retinetque longo tempore, aliud apprehendens ferrum, [2] ut anulorum catena spectetur interdum: quod imperitum vulgus appellat ferrum vivum, vulneraque tali asperiora fiunt. Lapis hic & in Cantabria nascitur, non ille magnes verus caute continua, [3] sed sparsa bullatione, ita appellant: [4] nescio an vitro fundendo perinde utilis: nondum enim expertus est quisquam: ferrum utique [5] inficit eadem vi. [6] Magnete lapide [7] Dinochares architectus Alexandriæ [8] Arsinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum ejus e ferro pendere in aëre videretur. Intercessit mors & ipsius & Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserat fieri.

XLIII. Metallorum omnium vena ferri largissima est. Cantabriæ maritimæ parte, quam Oceanus alluit, mons prærupte altus, incredibile dictu, totus ex ea materie est, [1] ut in ambitu Oceani diximus. * [2] Ferrum accensum igni, nisi duretur ictibus, corrumpitur. [3] Rubens non est habile tundendo, neque antequam albescere incipiat. [4] Aceto aut alumine illitum fit æri simile. [5] A rubigine vindicatur cerussa, & gypso, & liquida pice. Hæc est temperatura a Græcis [6] antipathia dicta. Ferunt quidam & religione quadam id fieri. Et exstare ferream catenam apud Euphratem amnem, in urbe quæ Zeugma appel-

* Cap. xv.

INTERPRETATIO.

a *Mollior.*] Mollioris temperaturæ ferrum.

NOTÆ.

8. *Bilbilin.*] Hodie *Villa veja*, in Baubulo monte, prope *Catalaiud*, Arragoniæ regno. Martialis, cujus id fuit natale solum, lib. 10. Epigr. 103.

Municipes augusta mihi quot Bilbilis alto
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis: &c.

Lib. 4. Epigr. 55.

Nos Celtis genitos, & ex Iberis
Nostra nomina duriora, terra
Grata non pudeat referre versu:
Sævo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque, Noricosque.

Nummus Augusti in Cimelio Regis Christianissimi, Tiberii quoque, & Caligulæ: MV. AVGVSTA BILBILIS. *Municipium Augusta Bilbilis.* Aquarum vero dote, non fodinarum, quæ nullæ ibi sunt, ferro gloriam parari, ut Plinius ait, etiam Martialis testatur, qui Salonis nomen his fuisse ait. Adjicit enim verbis proxime recitatis ex lib. 4. Epigr. 55.

Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Et lib. 4. Epigr. 33.

Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Amnem hunc Salonem a vicino oppido Bilbilin Justinus vocat. Idcirco hunc ejusdem Poetæ locum, lib. 1. Epigr. 50.

Videbis altam, Liciane, Bilbilin
Equis & armis nobilem,

Hieron. Surita, teste Antonio Augustino, in mendo cubare aiebat, legique oportere *Aquis.* Atque eo quidem Epigrammate sequitur mox,

Salone, quo ferrum gelat.

9. *Ex omnibus*, &c.] Isidorus hæc quoque, ut superiora, loc. cit. Ferrum hoc Sericum jam obsolevit.

10. *Ex mera acie.*] Mera acies, quod meram *aciarium* barbari Glossæque, ut diximus. Græci ἀκροσφυΐς σίδηρον vocant.

11. *Ceteris enim.*] Vide Notas & Emend. num. XXII.

12. *Ut in Noricis.*] Glebam idcirco Noricam commendat Rutilius in Itiner. lib. 1. pag. 309. Cultros Norico ferro, Petron. in fragm. pag. 267. Noricum ensem, Horatius.

13. *Uti diximus.*] Proxime ante, his verbis: *Summa autem differentia in aqua est*, &c.

14. *Oleares cotes.*] Quæ perfundi oleo solent, cujusmodi sunt eæ, quibus novaculæ acuuntur.

15. *Postea in spongias.*] Postquam liquatum est induratumque, non æquabiliter, ut raphani, sed spongiarum more, & inæquabiliter frangitur. Spongiæ igitur massæ sunt prius liquati ferri, posteaque indurati: non spuma, quæ, dum ferri vena funditur, per os camini exit, ut Salmasius jubet intelligi, in Solin. pag. 1082.

16. *Tenuiora.*] Isidorus, totidem verbis, lib. 16. Orig. cap. 20.

17. *Contactum*, &c.] Isidorus loc. cit.

Sect. XLII. 1. *De magnete.*] Libro 36. sect. 25.

2. *Ut anulorum catena.*] Reg. 2. *ut aculorum.* Forte, *ut aculeorum.* Acus enim acubus quasi nectuntur. At ex anulis catena, quam ex aculis, commodius nectitur.

3. *Sed sparsa bullatione.*] Magneticos lapillos bullarum instar per agros spargi significat, non e continua rupe excidi. In editis hactenus libris, *bubbatione* legebatur. At Reg. 2. Colb. 3. aliique, *bullatione*, ut edimus.

4. *Nescio an vitro.*] Vitro enim fundendo magnetem addi, dicetur lib. 36. sect. 66.

5. *Inficit.*] Sic imbuit, ut perinde ac magnes ipse, ferrum alterum trahat.

6. *Magnete lapide.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 6. Orig. cap. 20. Idem de simulacro quodam in templo Serapidis, quod magnete laquearibus templi infixo adhæreret ita, ut pendere videretur in aere, refert August. lib. 21. de Civit. cap. 6. Suidas item, verbo Μαγνῆτις. Hinc orta de sepulcro Mahometi fabula.

7. *Dinochares.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

8. *Arsinoës.*] Quæ Ptolemæi Philadelphi & soror & conjux fuit, ut diximus lib. 6. sect. 32.

Sect. XLIII. 1. *Ut in ambitu Oceani diximus.*] Libro 4. sect. 34. in fine.

2. *Ferrum accensum.*] Ab his verbis Pliniani editores novum caput auspicati titulum scripsere, *De temperatura ferri*, quem præfigi oportere sectioni XLI. & argumentum, & Plinianus Index, quem edidimus, indicat. Locum hunc porro totidem verbis Isidorus exscripsit, lib. 16. Orig. cap. 20.

3. *Rubens.*] Isidorus, loc. cit.

5. *A rubigine*, &c.] Isidorus, loc. cit.

6. *Antipathia.*] Ἀντιπάθεια, vis contraria rerum, naturalis rerum differentia, dissidiumque, ut inter ignem & aquam.

latur, qua [7] Alexander Magnus ibi junxerat pontem, cujus anulos qui refecti sunt, rubigine [8] infestari, carentibus ea prioribus.

XLIV. Medicina e ferro est & alia, quam secandi. Namque circumscribi circulos, terve circumlato mucrone, & adultis & infantibus prodest contra noxia medicamenta: 5 & præfixisse in limine e sepulcro evulsos clavos adversus nocturnas [1] lymphationes. Pungique leviter mucrone, quo percussus homo sit, contra dolores laterum pectorumque subitos, qui punctionem afferant. Quædam ustione sanantur: privatim vero canis rabidi morsus. Quippe etiam prævalente morbo, expavescentesque potum, usta plaga illico liberantur. [2] Calefit etiam ferro candente aqua, in multis vitiis, privatim vero dysen- 10 tericis.

XLV. Est & rubigo ipsa in remediis, [1] & sic Telephum proditur sanasse Achilles, sive id ærea, sive ferrea cuspide fecit. Ita certe pingitur eam decutiens gladio. Sed rubigo ferri deraditur humido ferro clavis veteribus. [2] Potentia ejus ligare, siccare, sistere. [3] Emendat alopecias illita. [4] Utuntur & ad scabritias genarum, pusulasque totius corpo- 15 ris, cum cera & oleo myrteo: [5] ad ignes vero sacros ex aceto: item ad scabiem, paronychia, in linteolis. [6] Sistit & feminarum profluvia imposita velleribus. Plagis quoque recentibus vino diluta, & cum myrrha subacta, [7] & condylomatis ex aceto prodest. [8] Podagras quoque illita lenit.

XLVI. [1] Squama quoque ferri in usu est ex acie, aut mucronibus, maxime simili, 20 sed acriore vi, quam rubigo: quamobrem & contra epiphoras oculorum assumitur. Sanguinemque sistit, cum vulnera maxime ferro fiant. Sistit & feminarum profluvia. Imponitur & contra lienum vitia. Hæmorrhoïdas compescit, hulcerumque serpentia. [2] Et genis prodest, farinæ modo adspersa paulisper. Præcipua tamen commendatio ejus [3] in hygremplastro ad purganda vulnera fistulasque, & omnem callum erodendum, [a] & rasis os- 25 sibus carnes recreandas. Componitur hoc modo: [4] picis oboli sex, Cimoliæ cretæ drachmæ sex: æris tusi drachmæ duæ: squamæ ferreæ, totidem: ceræ, sex: olei sextarius. His adjicitur, cum sunt repurganda vulnera aut replenda, ceratum.

CAP. XVI. XLVII. Sequitur natura plumbi. Cujus duo genera, nigrum, [1] atque candidum. Pretiosissimum candidum, a Græcis appellatum [2] cassiteron, fabulosequeque narratum [3] in in- 30 sulas Atlantici maris peti, [4] vitilibusque navigiis circumsutis corio advehi. [5] Nunc certum est, in Lusitania gigni, & in Gallæcia: summa tellure arenosa, & coloris nigri: pondere tantum ea deprehenditur. [6] Interveniunt & minuti calculi, maxime torrentibus siccatis. [7] Lavant eas arenas metallici, & quod subsidit, coquunt in fornacibus. [8] Inve-

INTERPRETATIO.

a *Et rasis.*] Et nudis ossibus carnes inducendas.

NOTÆ.

7. *Alexander.*] Vide quæ diximus lib. 5. sect. 11.

8. *Infestari.*] Subintellige, ferunt, ex antecedentibus.

Sect. XLIV. 1. *Lymphationes.*] De lymphaticis egimus lib. 25. sect. 24. Hos etiam noctu exagitari, antiquitas credidit: unde νυμφόληπτοι νυκτερινοὶ appellatæ.

2. *Calefit etiam.*] Dioscor. lib. 5. cap. 93. calefieri sic ait, ut cœliacis prosit, dysentericis, lienosis, &c. Ut epilepticis, Cælius Aurel lib. 1. Chron. cap. 4. de epilepsia: *Dehinc squamulas ferri, cum aqua in qua fuerit candens ferrum prætinctum.* Ut lienosis etiam Celsus, lib. 4. cap 9. *Post cibum*, inquit, *aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum sit: hæc enim vel precipue lienem coercet: quod animadversum est in his animalibus, quæ apud hos fabros educata, exiguos lienes habent.* Ut vesica laborantibus, Scribonius Largus, Compos. 146. *Ad tumorem*, inquit, *& dolorem vesicæ, & exhulcerationem, benefacit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis calidis, quæ sunt in Tuscia ferratæ, & mirifice remediant vesicæ vitia. Appellantur itaque vesicariæ.*

Sect. XLV. 1. *Et sic Telephum.*] Vide librum 25. sect. 19. Exstat in Anthologia Græca Macedonii Consulis amatorium epigramma, cujus argumentum ab hoc Achillis Telephique facto petitum, lib. 7. quanquam hic ante a me præfandus honos auribus:

Ἕλκος ἔχω τὸν Ἔρωτα· ῥέει δέ μοι ἕλκεος ἰχὼρ
Δάκρυον, ὠτειλῆς οὔποτε τερσομένης.
Εἰμὶ δ' ἐν ἀκεστῆρος ἀμήχανος· οὐδὲ Μαχάων
Ἤπιά μοι πάσσει φάρμακα δευομένῳ.
Τήλεφός εἰμι, κόρη· σὺ δὲ γίνεο πιστὸς Ἀχιλλεύς.
Κάλλεϊ σῷ παῦσον τὸν πόθον, ὡς ἔβαλες.

Quod feliciter ita Grotius vertit:

Est mihi vulnus amor: sanies de vulnere manat
Lacryma: siccari plaga profunda negat:
Nec revalescendi spes est super: ipse Machaon
Nil virus tantum quo medicetur, habet.
Telephus en tibi sum: mea tu mihi te fac Achillem:
Et flammam seda quam tua forma facit.

2. *Potentia ejus .... sistere.*] Ita MSS. omnes: non, ut editi, *Vis ejus .... restringere* Etsi Diosc. lib. 5. cap. 93. Ἰὸς δὲ σιδήρου στύφει, ῥοῦν δὲ γυναικεῖον προστεθεὶς ἴσχει.

3. *Emendat*, &c.] Diosc. loc. cit.

4. *Utuntur*, &c.] Diosc. totidem verbis: Πρός τε παρωνυχίας καὶ πτερύγια, καὶ τραχέα βλέφαρα εὔχρηστος, καὶ κονδυλώματα.

5. *Ad ignes.*] Diosc. Ἐπιχριόμενος δὲ σὺν ὄξει ἐρυσιπέλατα καὶ ἐξανθήματα ἰᾶται.

6. *Sistit & feminarum.*] Diosc. loc. cit.

7. *Et condylomatis.*] Diosc. loc. cit.

8. *Podagras.*] Diosc. loc. cit.

Sect. XLVI. 1. *Squama quoque ferri.*] Hæc forte λεπὶς στομώματος, Dioscoridis, lib 5. cap. 90. quam barbari vocant *squamam aciarii*, quæ ex ferro excutitur, dum tunditur in officinis.

2. *Et genis.*] Palpebris.

3. *In hygremplastro.*] Ὑγρέμπλαστρον, emplastrum liquidum, non siccum.

4. *Picis obolis sex.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIV.

Sect. XLVII. 1. *Atque candidum.*] Savotus, lib. de nummis antiq parte 2. cap. 1. pag. 46. plumbum candidum censet illud esse, quod nos vulgo stannum Anglicanum, seu molle dicimus. Adstipulatur eidem Aldrovandus, lib. 1. de metall. cap. 7. pag. 160.

2. *Cassiteron.*] Κασσίτερος Homero sæpissime.

3. *In insulas.*] Quas fabulæ Cassiteridas appellarunt, ut dictum est, lib. 4. sect. 36.

4. *Vitilibusque.*] Qualia Britannorum olim fuisse ex Timæo vidimus, lib. 4. sect. 30. Vide quæ diximus lib. 7. sect. 57 nota 124.

5. *Nunc certum est.*] Hæc totidem verbis Isidorus, libro 16. Orig. cap. 21.

6. *Interveniunt, &c.*] Isidorus, loco citato.

7. *Lavant, &c.*] Plane ad verbum hæc Isidorus, loc. cit.

8. *Invenitur.*] Isidorus, loc. cit.

nitur & in aurariis metallis, [9] quæ aluta vocant: aqua immissa eluente calculos nigros paulum candore variatos, quibus eadem gravitas quæ auro: & ideo in calathis, in quibus aurum colligitur, remanent cum eo: postea caminis separantur, conflarique in album plumbum resolvuntur. Non fit in Gallæcia nigrum, [10] cum vicina Cantabria nigro tantum abundet: nec ex albo argentum, [11] cum fiat ex nigro. [12] Jungi inter se plumbum nigrum sine albo non potest, nec hoc ei sine oleo. Ac ne album quidem secum sine nigro. Album habuit auctoritatem & Iliacis temporibus, [13] teste Homero, cassiteron ab illo dictum.

[14] Plumbi nigri origo duplex est: aut enim sua provenit vena, nec quidquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur. Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: [16] qui secundus, argentum: [17] quod remansit in fornacibus, galena, quæ est tertia portio additæ venæ. Hæc rursus conflata, dat nigrum plumbum deductis partibus duabus.

XLVIII. [1] Stannum illitum æneis vasis, saporem gratiorem facit, & compescit æruginis virus: mirumque, pondus non auget. Specula quoque ex eo laudatissima, [2] ut diximus, Brundisii temperabantur, donec argenteis uti cœpere & ancillæ. Nunc adulteratur stannum addita æris candidi tertia portione in plumbum album. Fit & alio modo: mixtis albi plumbi [3] nigrique libris. Hoc nunc aliqui argentarium appellant. [4] Iidem & tertiarium vocant, in quo duæ nigri portiones sunt, & tertia albi. Pretium ejus [5] in libras, X. X. [6] Hoc fistulæ solidantur. Improbiores ad tertiarum additis æquis partibus albi, argentarium vocant: [7] & eo quæ volunt incoquunt. Pretia hujus faciunt in pondo C. LX. X. Albo per se sincero pretia sunt X. X. nigro, septem. Albi natura plus aridi habet: contraque, nigri tota humida est. Ideo album nulli rei sine mixtura utile est. Neque argentum ex eo [8] plumbatur, quoniam prius liquescit argentum. Confirmant, quod si minus albo nigri, quam satis sit, misceatur, erodi ab eo argentum. Album incoquitur æreis operibus Galliarum invento, ita ut vix discerni possit ab argento, [9] eaque incoctilia vocant. Deinde & argentum incoquere simili modo cœpere [10] equorum maxime ornamentis, jumentorum jugis, [11] in Alexia oppido: reliqua gloria Biturigum fuit. Cœpere deinde & [12] esseda, & vehicula, [13] & petorita exornare: similique modo ad aurea quoque, non modo argentea [14] staticula inanis luxuria pervenit: quæque in scyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur. Plumbi albi experimentum in charta est, ut liquefactum pondere videatur, non calore, rupisse. [15] India neque æs neque plumbum habet, gemmisque suis ac margaritis hæc permutat.

XLIX. [1] Nigro plumbo ad fistulas laminasque utimur, laboriosius in Hispania eruto;

NOTÆ.

9. *Quæ aluta vocant*] Sic Reg. 2. ut monuimus in Notis & Emend. ad librum 33. num. XIX. In Colb 3. *aluta*. In vulgatis, *eluta*.

10. *Cum vicina Cantabria.*] Isidorus, loco citato.

11. *Cum fiat ex nigro.*] E vena argenti, plumbique nigri communi, ut statim dicetur.

12. *Jungi.*] Galli vocant *Souder*. Plinius supra, lib. 33. sect. 30. *Plumbum nigrum albo jungitur, ipsumque album sibi oleo*. At nunc in solidandis fistulis, quibus aqua Parisiis in loca varia derivatur, plumbo nigro nigrum vidimus sine albo jungi: & olei vice resinam adhiberi. Vidit & Savotus, lib. de nummis antiq. parte 2. cap 3. pag 55.

13. *Teste Homero.*] Iliad. λ. vers. 25. Iliad. ψ. v. 561. & alibi passim.

14. *Plumbi nigri.*] Illud est, quod hodierno die simpliciter plumbum appellamus. Nigrum dicitur, quod nigrore tractantium manus inficit. Quæ hac lectione deinceps continentur, ea totidem plane verbis exscripsit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 21.

15. *Ejus qui.*] Hoc est, hujus posterioris plumbi, quod cum argento nascitur. Hoc sincerum veterum stannum fuit.

16. *Qui secundus.*] Secunda coctura, cum rursum igne conflatur, ac secernitur argentum a plumbo.

17. *Quod remansit.*] Quod prima fusura stanno, & quod secunda argento, ceu scoria quædam innatabat: (redit illud ad tertiam venæ seu metallicæ terræ partem, quæ fuerat in fornacem injecta:) illud, inquam, rursus conflatum, det plumbum nigrum.

Sect. XLVIII. 1. *Stannum illitum.* Totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 22.

2. *Ut diximus.*] Libro 33. sect. 45. *Optima specula apud majores fuerant Brundisina, stanno & ære mixtis.*

3. *Nigrique libris.*] Subintellige, paribus libris.

4. *Iidem & tertiarium.*] Stannum vulgare, quo utimur, tertiario huic Pliniano fere respondere, ait Savotus, libro de nummis, parte 2. cap. 4. pag. 57.

5. *In libras,* X. X.] Hoc est, denarii decem: sunt hi monetæ Gallicæ, asses octoginta. Sic porro MSS. Reg. 2. & alii. In editis perperam, *in libras triginta*. Et mox, *in pondo*, hoc est, in libras C. LX. X non, ut editi, *centum triginta in libras*. Item, *pretia sunt* X. X. *nigro, septem* in libras: non vero, *pretia sunt triginta, nigro sedecim*.

6. *Hoc fistulæ.*] Hoc plumbo fistulæ, quibus aqua ducitur, solidantur: *on soude les tuïaux*.

7. *Et eo quæ volunt, incoquunt.*] Incoquere plumbo albo æs argentumve, est vasi æreo vel argenteo liquefactum plumbum illud argentarium superinducere, ut excipiat argenti colorem. Galli vocant, *Etamer*.

8. *Plumbatur*] Solidatur, ferruminatur, plumbo conglutinatur.

9. *Eaque incoctilia.*] Sequior ætas, nosque etiamnum, argentata dicimus.

10. *Equorum maxime ornamentis.*] Frena hodie sic stanno incoquimus, sive argentamus: *Etamer les branches d'un mords*.

11. *In Alexia.*] Plutarcho in Cæsare, pag. 721. Ἀλησία. Item Velleio, Dioni, ceterisque. Cæsari lib. 7. Alesia oppidum Mandubiorum appellatur: Nunc in Ducatu Burgundiæ, diœcesi Augustodunensi, retinet priscum nomen, *Alise*: circumjacensque pagus, *l'Auxois*, vel *l'Oxois*.

12. *Esseda.*] Vehiculi genus, familiare in primis olim Belgis: unde Belgica esseda Maroni dicta. *Un coche*.

13. *Et petorita.*] Et alterum vehiculi genus, de quo fuse Vossius, in Etymol. Ausonius, epist. 8.

Cornipedes rapiant imposta petorrita mulæ.

14. *Staticula*] Staticula Plinio sunt imagines & emblemata, quibus & currus & scyphos etiam incrustare atque exornare antiqui solebant. Ciceroni sigilla sunt: orat. 6. in Verrem, num. 48. *Apposuit patellam in qua sigilla erant egregia . . . . Sigillis avulsis reliquum argentum reddidit*. Scyphi vero iis ornati, sigillati dicti ibidem, num. 32. Alioqui staticulum, sive staturculum, pro statua seu imagine a Tertulliano & Hieronymo sæpius usurpatum, ante nos adnotavere alii. Consule Schefferum, de re vehiculari veterum, lib. 1. cap. 206. & V. Cl. Du-Cangium in Glossario, verbo *Statunculus*. Vide Notas & Emend. num. XXV.

15. *India, &c.*] Isidorus hæc quoque ad verbum, libro 16. Orig. cap. 21.

Sect. XLIX. 1. *Negro plumbo.*] Isidorus, loco cit.

totasque per Gallias: sed in Britannia summo terræ corio adeo large, ut lex ultro dicatur, ne plus certo modo fiat. Nigri generibus hæc sunt nomina: [2] Ovetanum, Caprariense, Oleastrense. Nec differentia ulla scoriæ, modo sit excocta diligenter. Mirumque in his solis metallis, quod derelicta fertilius reviviscunt. Hoc videtur facere laxatis spiramentis ad satietatem infusus aër, æque ut feminas quasdam fecundiores facere abortus. Nuper id compertum in Bætica [3] Santarensi metallo, quod [4] locari solitum X. CC. M. annuis, postquam obliteratum erat, CCLV. locatum est. Simili modo Antonianum in eadem provincia pari locatione pervenit [5] ad pondo $\overline{CCCC}$ vectigalis. Et mirum, aqua addita non liquescere vasa e plumbo constat: eadem in aqua calculus æreusve quadrans si addatur, vas peruri.

CAP. XVIII. L. In medicina per se plumbi usus est cicatrices reprimere: adalligatisque lumborum & renum parti laminis frigidiore natura inhibere impetus Veneris. [1] Visaque in quiete Venerea sponte naturæ erumpentia [2] usque in morbi genus, his laminis [3] Calvus Orator cohibuisse traditur, viresque corporis studiorum labori custodisse. [4] Nero (quoniam ita diis placuit) Princeps, lamina pectori imposita sub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonstravit rationem. [5] Coquitur ad medicinæ usus, patinis fictilibus, substrato [6] sulphuris minuto, laminis impositis tenuibus, opertisque sulphure & ferro mixtis. Cum coquitur, munienda in eo opere [7] foramina spiritûs convenit: alioqui plumbi fornacium halitus noxius sentitur, & pestilens, & canibus ocyssime, omnium vero metallorum muscis & culicibus: quamobrem non sunt ea tædia [a] in metallis. [8] Quidam in coquendo scobem plumbi lima quæsitam sulphuri miscent: alii cerussam potius, quam sulphur. [9] Fit & lotura plurimi usus in medicina, cum se ipso teritur in mortariis plumbeis addita aqua cælesti, donec crassescat. [10] Postea supernatans aqua tollitur spongiis: quod crassissimum fuit, siccatum dividitur in pastillos. [11] Quidam limatum plumbum sic terunt: quidam etiam plumbaginem admiscent: alii vero acetum, alii vinum, alii adipem, alii rosam. Quidam in mortario lapideo, & maxime Thebaïco, [12] plumbeo pistillo terere malunt: candidiusque fit ita medicamentum. [13] Id autem quod ustum est plumbum, lavatur, & teritur, ut cadmia. [14] Potest adstringere, sistere, contrahere cicatrices. Usus enim ex eodem, & in oculorum medicamentis, & maxime contra [15] procidentiam eorum, [16] & inanitatem hulcerum, excrescentiave, rimasque sedis, aut hæmorroïdas, aut condylomata. Ad hæc maxime lotura plumbi facit: cinis autem usti ad hulcera serpentia, aut sordida: eademque, [17] quæ chartis, ratio profectus. [18] Uritur autem in patinis per laminas minu-

INTERPRETATIO.

a *In metallis.*] In fodinis metallicis non sunt ea animalia.

NOTÆ.

2. *Ovetanum, &c.*] Ab Oveto Asturum oppido. Libri hactenus editi, perperam exhibent, *Jovetanum.* Capraríense ab insula cognomine prope Majoricam, de qua lib 3 sect. 21. Oleastrense ab Oleastro Bæticæ oppido, de quo lib. 3. sect 3. nam tota ea regio, ut ibi dicitur, sect. 4. plumbi metallis scatet.

3. *Santarensi metallo.*] Fodina metallica, cui unde id nomen obtigerit, incompertum. Antonianum ab Antonio Triumviro metalli domino, haud obscurum est: ut Sallustianum æs & Livianum dici meminimus sect. 2. libri hujus.

4. *Locari solitum X. CC. M.*] Denariûm ducentis millibus: quæ libras efficiunt, seu florenos monetæ Gallicæ, 80000. Ut CCLV. denariûm millia, libras 102000. Vide Notas & Emend. num. XXVI.

5. *Ad pondo $\overline{CCCC}$.*] Hoc est, ut mos est scribendi veterum, ad libras quadringenties mille.

Sect. L. 1. *Visaque in quiete.*] Oribasius, de victus ratione: *Lamina plumbi*, inquit, *lumbis superposita, prohibet somniantibus semen.... Custodire vero oportet, ne quis nimium lumbos infrigidet, ne his nimis infrigiditatis lædantur renes.* Sic etiam Theodorus Priscianus, lib. 2 parte 1. cap. 11.

2. *Usque in morbi genus.*] Nimiam scilicet profusionem seminis ex naturalibus, ut Celsus vocat, libro 4. cap. 21. De Πριαπισμῷ item Theodorus loc. cit. ubi inter remedia, *Si passionis hujus molestia*, inquit, *diutius perseveraverit, ut tenso & desiderium impatientissime protendantur, laminam plumbi, renibus & partibus vicinis appono* &c.

3. *Calvus Orator.*] E Licinia gente.

4. *Nero .... lamina*] Hoc ipsum, aliaque vocis alendæ subsidia adhibuisse Neronem, auctor est & Suetonius in ejus vita, cap. 20

5. *Coquitur, &c*] Totidem fere verbis hæc pariter Diosc. lib. 5. cap. 96. & Oribasius, lib. 13 pag. 231.

6. *Sulphuris minuto.*] Hoc est, sulphuris momento. Ita MSS. non *sulphure.*

7. *Foramina spiritus.*] Nares. Diosc. [Greek illegible]

8. *Quidam in coquendo.*] Diosc. loco cit. [Greek illegible], &c.

9. *Fit & lotura.*] Plumbi scilicet, quod lavatur ea quæ subjicitur ratione, quam & Diosc. totidem verbis prodidit, lib. 5. cap 95.

10. *Postea, &c.*] Diosc. loco cit.

11. *Quidam limatum, &c.*] Diosc. loco cit.

12. *Plumbeo pistillo.*] Plumbeum modo Dioscorides, loc. cit. modo lapideum adsciscit.

13. *Id autem.*] Vide Notas & Emend. num. XXVII.

14. *Potest adstringere, &c.*] Hæc totidem fere verbis Dioscorides, loco cit. [Greek illegible], &c. *Potest refrigerare, adstringere, stracula cutis obducere, mollire, cava explere, sistere oculorum fluxiones*, &c.

15. *Procidentiam eorum.*] Celsus, lib 6. cap 6. *Nonnunquam ingens inflammatio tanto impetu erumpit, ut oculos sua sede propellat: proprie enim* [Greek illegible] *id, quoniam oculi procidunt, Græci appellant.*

16. *Et inanitatem hulcerum, excrescentiave.*] Sic Reg. 2. Hoc est, cava explet hulcera, sistitque eorumdem hulcerum carnes excrescentes. Sic Dioscor. lib. 5. cap. 95. [Greek illegible]. Prius legebatur, *& inanitatem, & hulcerum excrescentia*: ut labor esset investigare, quod morbi genus esset, inanitas oculorum, medicis adhuc ignotum.

17. *Quæ chartis.*] De chartæ in medicina usu, dictum est lib. 24. sect. 51.

18. *Uritur autem.*] Quæ sectione reliqua continentur, totidem ea verbis expressit Diosc lib. 5. cap 96 Sed quid causæ sit cur ustionem a coctione Plinius nunc secernat, cum eadem fieri utramque ratione ducat, amplius considerandum est.

tas cum sulphure, versatum [19] rudibus ferreis aut ferulaceis, donec liquor mutetur in cinerem. Dein refrigeratum teritur in farinam. Alii limatam scobem in fictili crudo coquunt in caminis, donec percoquatur figlinum. Aliqui cerussam miscent pari mensura, aut hordeum, teruntque, [20] ut in crudo dictum est, & præferunt sic tritum plumbum spodio Cyprio.

LI. [1] Scoria quoque plumbi in usu est, optimaque, quæ ad luteum maxime colorem accedit, [2] sine plumbi reliquiis, aut sulphuris specie, & terrâ carens. [3] Lavatur hæc in mortariis minutim fracta, donec aqua luteum colorem trahat, & transfunditur in vas purum, idque sæpius, usque dum subsidat, quod utilissimum est: eosdemque effectus habet, quos plumbum, [4] sed acriores. Mirari succurrit experientiam vitæ, ne fæce quidem rerum, excrementorumque fœditate intentata tot modis.

LII. Fit & spodium ex plumbo eodem modo, quo [1] ex Cyprio ære diximus. Lavatur in linteis raris aqua cælesti, separaturque terrenum transfusione, cribratumque teritur. Quidam pulverem pennis detergere malunt, ac terere in vino odorato.

LIII. [1] Est & molybdæna, quam alio loco galenam vocavimus, vena argenti plumbique communis. [2] Melior hæc, quanto magis aurei coloris, quantoque minus plumbosa, friabilis, & modice gravis. Cocta cum oleo, jocineris colorem trahit. Adhærescit & auri & argenti fornacibus. Et hanc metallicam vocant. [3] Laudatissima quæ [4] in Zephyrio fiat. [5] Probantur minime terrenæ, minimeque lapidosæ: coquuntur lavanturque scoriæ modo. [6] Usus in liparas, ad lenienda refrigerandaque hulcera: emplastrisque, quæ non alligantur: [7] sed illita ad cicatricem perducunt, in teneris corporibus mollissimisque partibus. Compositio ejus est libris tribus, & ceræ libra una, olei tribus heminis, quod in senili corpore cum fracibus additur. Temperatur & cum spuma argenti, & scoria plumbi, ad dysenteriam, & tenesmum, [8] fovendo calidâ.

LIV. [1] Psimmythium quoque, hoc est, cerussam, plumbariæ dant officinæ. [2] Laudatissimum in Rhodo. [3] Fit autem ramentis plumbi tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis, atque ita distillantibus. Quod ex eo cecidit in ipsum acetum, arefactum molitur & cribratur, iterumque aceto mixto in pastillos dividitur, & in Sole siccatur æstate. Fit & alio modo: addito in urceos aceti plumbo, obturatos per dies decem, [a] [4] derasoque ceu situ, ac rursus rejecto, donec deficiat materia. Quod derasum est, teritur & cribratur, & coquitur in patinis, misceturque rudiculis donec rubescat, [5] & simile sandarachæ fiat. Dein lavatur dulci aqua, donec nubeculæ omnes eluantur. Siccatur similiter postea, & in pastillos dividitur. [6] Vis ejus eadem, quæ supradictis: levissima tantum ex omnibus:

INTERPRETATIO.

a *Derasoque.*] Et deraso quasi situ, sive lanugine, quæ plumbo ex humore aceti hæsit, rursusque dejecto plumbo in urceos aceti.

NOTÆ.

19. *Radibus ferreis.*] Sic MSS. omnes, & editi: non *rudibus*, ut cuidam visum. Dioscor. loco cit. hoc tantum, *κινούμενον σιδήρῳ*, ferro seu ferrea rude versato. Plinius, sect. 54. *Miscetturque rudiculis, donec rubescat*: ubi Diosc. lib. 5. cap. 103. *νάρθηκι* dicit, hoc est, ferulacea rudicula.

20. *Ut in crudo dictum est.*] In crudo plumbo, neque usto: uti dictum est paulo ante, his verbis: *Fit & lotura plurimo usus*, &c.

Sect. LI. 1. *Scoria quoque.*] Dioscorides totidem verbis, lib. 5. cap. 97.

2. *Sine plumbi.*] *Μηδὲν ἔχουσα μολιβδῶδες*, nihil plumbosi habens. Diosc. loco cit.

3. *Lavatur, &c.*] Ad verbum hæc pariter Dioscorides, loco citato

4. *Sed acriores.*] Quoniam magis adstringit: *Δύναται δὲ τὰ αὐτὰ τῷ κεκαυμένῳ μολίβδῳ, στύφουσα μᾶλλον.* Diosc. loc. citato.

Sect. LII. 1. *Ex Cyprio ære diximus.*] Sect. 34.

Sect. LIII. 1. *Est & molybdæna.*] *Μολύβδαινα* & *Μολύβδαινα*, Latine plumbago. Galenam superius appellavit, lib. 33. sect. 31.

2. *Melior hæc.*] Totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 100. *Μολύβδαινα δὲ ἀρίστη ἐστὶν ἡ λιθαργυροφανής, ξανθή, ὑπολαμπουσα, ἑψηθεῖσα τὸ ἐλαίῳ ἡπατίζουσα τῷ χρώματι γίνεται .... Γεννᾶται δὲ ἐξ ἀργύρου & χρυσοῦ.*

3. *Laudatissima quæ ...... fiat.*] Alterum hoc genus esse indicat, nec metallicum, ut prius, sed factitium, hoc est, cura ac diligentia præparatum. De gemina enim molybdæna sequitur, *Probantur minime terrenæ*, &c.

4. *In Zephyrio.*] Ciliciæ oppido, haud procul Coryco monte, ubi laudatissimam reperiri molybdænam, sed fossilem, tradit Diosc. loc. cit.

5. *Probantur, &c.*] Totidem verbis hæc Diosc. loc. cit. & Oribasius, lib. 13. pag. 231.

6. *Usus in liparas.*] Hoc est, in emplastra lenia, quæ liparas vocant. Diosc. loc. cit. *Μίγνυται δὲ ἐπιτηδείως λιπαραῖς καὶ ταῖς λιπαραῖς καὶ ἀνεπιδέτοις ἐμπλάστροις χρώμενος.* Sunt qui legant *ἀνεπιδέτοις*, *emplastris quæ non mordent*: atque ita sane Oribasius, loc. cit. Celsus quoque, lib. 5. cap. 19. in emplastra lenia, seu liparas, *plumbi recrementum* adsciscit, quam *σκωρίαν μολύβδου Græci vocant.*

7. *Sed illita.*] Diosc. & Oribas. loc. cit.

8. *Fovendo calida.*] Ita ut foveatur interim venter seu abdomen calida.

Sect. LIV. 1. *Psimmythium.*] *Ψιμμύθιον* Dioscoridi, lib. 5. cap. 103. Nostris, *de la ceruse, du blanc d'Espagne, du blanc de plomb.*

2. *Laudatissimum.*] Diosc. loco cit. *Κάλλιστον δὲ ἡγοῦνται τὸ ἐν Ῥόδῳ γινόμενον, ἢ ἐν Κορίνθῳ, ἢ ἐν Λακεδαίμονι· δεύτερον δὲ τὸ ἐν Δικαιαρχίᾳ*, *proxima quæ Puteolis.* Nostris temporibus in omnibus Europæ regionibus conficitur.

3. *Fit autem ramentis.*] Bracteas e plumbo ramenta vocat. Diosc. loc. cit. *μολιβδίνην πλίνθον*, *massam plumbeam.* Agricola, lib. 9 Fossil pag. 357. plumbum dilatatum, sic ut quælibet bractea, pondo sit unius libræ. Cetero hæc totidem verbis Diosc. loc. cit.

4. *Derasoque.*] Agricola, loco cit. pag. 358. Qui radunt bracteas, decimo quoque die referant dolium, ... si viderint bracteas vi aceti non esse consumptas, denuo dolium claudunt, idque faciunt usque dum bracteæ totæ dissipentur. Tum liquor purus, qui supernatat, colatur: glutinosum vero, quod in dolii fundo residet, in aliud vas transfusum in Sole siccatur: dein mola trusatili teritur, aut alio modo comminuitur, postea cribratur.

5. *Et simile sandarachæ.*] Unde sic parata cerussa, & a Vitruvio sandaracha dicitur, quod est ei colore similis. A quibusdam etiam sandyx nominatur. Hæc verbis totidem Diosc. loc. cit.

6. *Vis .... quæ supradictis.*] Nempe quæ plumbo, plum-

[7] præterque ad candorem feminarum. [8] Est autem letalis potus, sicut spumæ argenti. Postea cerussa ipsa si coquatur, rufescit.

LV. [1] Sandarachæ quoque propemodum dicta natura est. [2] Invenitur autem & in aurariis & in argentariis metallis: melior quo magis rufa, [3] quoque magis virus redolens, ac pura, friabilisque. [4] Valet purgare, sistere, excalfacere, perrodere. [5] Summa ejus dos septica. [6] Explet alopecias ex aceto illita. [7] Additur oculorum medicamentis. [8] Fauces purgat cum melle sumpta. [9] Suspiriosis tussientibusque jucunde medetur, cum resina terebinthina in cibo sumpta. [10] Suffita quoque cum cedro, ipso nidore iisdem medetur.

LVI. [1] Et arsenicum ex eadem est materia. [2] Quod optimum, coloris etiam in auro, excellentius: quod vero pallidius aut sandarachæ simile est, deterius existimatur. [3] Est & tertium genus, quo miscetur aureus color sandarachæ. [4] Utraque hæc squamosa. [5] Illud vero siccum, purumque, gracili venarum discursu fissile. [6] Vis eadem quæ supra, sed acrior. Itaque & causticis additur, & psilothris. Tollit & pterygia digitorum, carnesque narium, & condylomata, [8] & quidquid excrescit. [9] Torretur, ut validius prosit, in nova testa, donec mutet colorem.

NOTÆ.

bique scoriæ, & molybdænæ.

7. *Præterque ad candorem*] Martialis, lib. 2. Epigr. 41.

Cerussata timet Sabella Solem.

Et lib. 7. Epigr. 24.

Et cerussata candidiora cute.

Sed haud paulo elegantius Lucianus, in Anthologia, lib. 2. cap. 9.

Τὴν κεφαλὴν βάπτεις, γῆρας δ' οὔποτε βάψεις,
Οὐδὲ παρειάων ῥυτίδας ἐκτανύσεις.
Μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμμύθῳ καταπλάττε,
Ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.
Οὐδὲν γὰρ πλεῖον ἐστι. τί μαίνεαι; οὔποτε φῦκος
Καὶ ψίμμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην, Ἑλένην.

Tinge comas, si vis: tingi negat ipsa senectus:
Nec dabitur rugas explicuisse genis.
Parce, precor, vetulum cerussa pingere vultum:
Personam videor cernere, non faciem.
Stulta, labor totus perit hic tibi: fucus, & omne
Hoc genus, ex Hecuba non facient Helenam.

Quæ vero feminæ cerussa pro fuco utuntur, inquit Brasavolus in Exam. metall. pag. 424. cum veneni maleficium cerussa habeat, halitus inde fœtorem trahunt, dentiumque putredinem: & ante tempus facies universa rugis aratur.

8. *Est autem.*] Dioscor. loco cit. Ἔστι δὲ καὶ τῶν ἀναιρετικῶν. Quos morbus afferat cerussæ potus, idem explanat in Alexiph. cap. 22.

Sect. LV. 1. *Sandarache .... dicta natura est.*] Hoc est, vis ac potestas: nempe quoties in compositione medicamentorum, id autem toto hoc opere sæpissime contigit, adhibita sandaracha est: Σανδαράχη Dioscoridi, lib. 5. cap. 122. Galeno, lib. 9. de fac. simp. med. cap. 3. pag. 169. etiam σανδαράχη. *De la Sandaraque, ou de l'Arsenic rouge.*

2. *Invenitur autem*] Isidorus, lib. 19. cap. 17. hæc totidem verbis.

3. *Quoque magis virus.*] Isidorus, loco cit. At Diosc. lib. 5. cap. 122. rufam, friabilemque pariter anteponit, & quæ sulphuris virus redoleat, ἔτι δὲ θειώδη ὀσμὴν ἔχουσαν. Quod & Brasavolus confirmat, lib. de Exam. gumm. pag. 391.

4. *Valet purgare.*] Celsus, lib. 5. cap. 5. *Purgant ærugo, auri pigmentum, quod ἀρσενικὸν a Græcis nominatur: huic autem & sandarachæ in omnia eadem vis.*

5. *Summa ejus dos septica.*] Et sandarachæ pariter & arsenico Diosc. loco cit. δύναμιν σηπτικὴν attribuit, hoc est, vim putrefaciendi, absumendique carnes excrescentes. Etiam vim ei καυστικὴν inesse ait Aetius, ut & arsenico, lib. 2. cap. 77. ex M S. Græco.

6. *Explet alopecias.*] Marcellus Empiric. cap. 6. pag. 47. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 2. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 6. At Diosc. loc. cit. non ex aceto, sed ex resina.

7. *Additur oculorum.*] Cerussa sane ulla, quam & sandaracham quidam vocitarunt, crebro in medicamentis oculorum a Celso adhibetur, lib. 6. cap. 6. Ad pediculos palpebrarum, sandaracha semel ibidem.

8. *Fauces purgat.*] Vocem canoram facit, limpidamque, inquit Diosc. loc. cit. Φωνὴν τε λαμπρὰν ποιεῖ σὺν μέλιτι.

9. *Suspiriosis .... in cibo sumpta.*] Ex ovo sorbili, inquit Marcellus Empir. cap. 16. pag. 118. & Plinius Valer. lib. 1. cap. 58. Cum resina in catapotio sumpta, καὶ ἀσθματικοῖς σὺν ῥητίνῃ καταπότιον δίδοται, Diosc. loc. cit.

10. *Suffita.*] Diosc. loc. cit. Καὶ θυμιᾶται σὺν ῥητίνῃ, καὶ πρὸς παλαιὰς βῆχας, διὰ σιφωνος ἑλκομένης τῆς ἀτμίδος τῷ στόματι. *Quin & adversus veterem tussim cum resina suffitur, nidore per fistulam in os attracto.*

Sect. LVI. 1. *Et arsenicum ex eadem est materia.*] Hoc est, ut ait Isidorus, lib. 19. cap. 17. & Diosc. lib. 5. cap. 121. in iisdem metallis, quibus sandaracha, gignitur. Ἀρσενικὸν εὑρίσκεται ἐν τοῖς αὐτοῖς μετάλλοις τῇ σανδαράχῃ. Latini, ut auctor est Scribonius, Compos. 114. auripigmentum vocant. Nostri, *Orpin, arsenic.*

2. *Quod optimum.*] Diosc. lib. 5. cap. 121. Ἄριστον δὲ νομίζεται τὸ πλακῶδες καὶ χρυσίζον τῇ χροιᾷ. *Optimum existimatur crustosum, auri colore micans.* Idem alterum, quod sandarachæ simile est, secundum locum tenere ait.

3. *Est & tertium.*] In quo cum colore auri miscetur sandarachæ color.

4. *Utraque hæc.*] Genus hoc utrumque, & quod pallidius est, & quod tertium genus appellavit, squamosum, hoc est, squamatim in crustas fissile: τὰς πλάκας λεπιδώδεις ἔχει ὡς ἀεὶ ἐπικειμένας ἀλλήλαις Diosc. loc. cit.

5. *Illud vero.*] Excellentius illud genus, quod priore loco indicatum est.

6. *Vis eadem quæ supra.*] Quæ sandarachæ. Diosc. lib. 5. cap. 122. & Celsus, lib. 5. cap. 5.

7. *Et psilothris.*] Nam pilos detrahit: ψιλοῖ δὲ τρίχας. Diosc. lib. 5. cap. 121.

8. *Et quidquid excrescit.*] Diosc. loc. cit. Ἔστι δὲ τῶν σηπτικῶν. Clavos etiam pedum reprimi eo, auctor est Marcellus Empir. cap. 34. pag. 234.

9. *Torretur.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Ἐπ' ὀστράκου καινοῦ ἐπιτεθειμένον αὐτό, ἐπὶ ἀνθράκων διάπυρον, συνεχῶς ἀναστρέφεται· ὅτε δ' ἂν πυρωθῇ καὶ μεταβάλλῃ, ψυχθὲν λειοῦται ἀποτίθεται. *Testa nova inditum carbonibus ignitis imponito, assidueque versato, donec igne flagret, coloremque mutet. deinde refrigeratum tritumque recondito.*

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM XXXIV.
NATURALIS HISTORIÆ
C. PLINII SECUNDI.

Sect. I. I. HINC *æra militum, Tribuni ærarii, & ærarium, obærati, & ære diruti.*] In libris ad hunc diem vulgatis, *& obærati ab ære dicti.* In Reg. 2. trajectis litteris, *obærati ære eruditi.* Nihil certius emendatione nostra, quam non Festus modo confirmat, cujus verba recitavimus in prioribus Notis, sed & Varro lib. 2. de vita populi Rom. *Stipendium appellabatur, quod æs militi semestre aut annuum dabatur: cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus esset.* Usus voce ea Tullius in Verrem, orat. 7. num. 33. *Aleatoris Placentini castra commemorabuntur, in quibus cum frequens fuisset, tamen ære dirutus est:* hoc est, ære sive stipendio debito multatus, privatusque.

Ibid. II. *Documentus quamdiu populus Rom. ære tantum signato usus sit, Sed & alia vetustas æqualem Urbi auctoritatem ejus declarat,* &c.] Sic Reg. 2. Joannis Chiffletii codex, teste Claudio fratre, lib. de antiq. num. cap. 8. cap. 59. Interpolatores in libris ad hunc diem vulgatis, *usus esset, & alia quæ vetustas tradidit, cum æqualem,* &c. Nempe ut perspicuæ per se orationi tenebras offunderent.

Sect. XI. III. *Non prætoribo C. Octavium, ob unum verbum hic regem Antiochum, daturum se responsum dicentem, virga quam tenebat forte circumscripsit.*] Hic eruditi omnes Plinio dicam scribunt, quod Cn. Octavium vocet eum, quem C. Popilium ceteri scriptores appellant: Valerius Max. lib. 6. cap. 4. pag. 387. Livius, lib. 45. pag. 575. *Popilius pro cetera asperitate animi, virga quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, Priusquam circulo excedas, inquit, redde responsum Senatui quod referam. Obstupefactus tam violento imperio, parumper cum hæsitasset: Faciam, inquit, quod censet Senatus. Tum dextram Popilius regi tamquam socio atque amico porrexit.* Velleius item, lib. 1. pag. 4. Plutarchus, in Apophthegm. pag. 202. Appianus in Syriac. pag. 131. Quamobrem hallucinatum esse Plinium omnes affirmant, qui nomina permutarit. Verum absolvere Plinium aliqua ex parte Tullius potest videri, qui rem utramque narrat. Sic enim ille, primum de Octavio Philipp. 9. num. 4. *Cn. Octavio claro & magno viro, qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit Consulatum, statuam videmus in Rostris. Nemo enim tum novitati invidebat: nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octavii, in qua periculi suspicio non subesset. Nam cum esset missus a Senatu ad animos regum perspiciendos, liberorumque populorum: maximeque ut nepotem Antiochi regis, ejus qui cum majoribus nostris bella gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet: Laodiceæ in gymnasio a quodam Leptinæ est interfectus. Reddita est ei tum a majoribus statua pro vita: quæ multos per annos progeniem ejus honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam sola restaret.* Idem vero de Popilio, Philippica proxime superiore, num. 23. *Proh Dii immortales! ubi est ille mos, virtusque majorum? C. Popilius apud majores nostros, cum ad Antiochum regem Legatus missus esset, & verbis Senatus denunciasset, ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat: cum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit: dixitque se non ante renunciaturum Senatui, nisi prius sibi respondisset quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet.*

Sect. 12. IV. *Simulacra celebri loco dicari: ea stetere donec Sylla Dictator ibi Curiam faceret.*] In libris hactenus editis, *celebri loco dicari, donec Sylla,* &c. ceteris prætermissis, quæ nos restituimus ex vestigiis codicis Regii 2. in quo vidimus, *dicari ea est æteredone Sylla,* &c. certa plane emendatione.

Sect. 18. V. *Talis in Campo Martio Juppiter a Divo Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompeianus a vicinitate theatri.*] In Reg. 2. & Colb. 3. *qui devoratur Pompeiani theatri vicinitate:* quibus verbis potest hæc subesse sententia, theatri ejus proximitate minui, deprimi, minusque grandem apparere Jovem hunc colosseum. Sed nec eam loquendi formam Pliniano stilo dignam: ac, vel si foret, alieno positam loco censemus. In Parmensi edit. *qui ideo vocatur.* Lectioni sane pervulgatæ egregie favet P. Victor in descriptione Urbis Romæ, & ab eo vicissim lucem accipit. Sic enim ille, Regione nona: *Theatrum Balbi capit loca triginta millia nonaginta quinque, Claudius Cæsar dedicavit, & appellatur a vicinitate Juppiter Pompeianus .... Theatrum Pompeii,* &c. Qui locus & per se, ni fallimur, mutilus, & præpostere interpunctus editorum incuria, vel ex hoc Plinii loco intelligitur, quo Jovem ipsum Pompeianum a Claudio dedicatum, & a vicinitate, quæcumque demum ea sit, traxisse nomen admonemur. Itaque apud P. Victorem legi haud dubie sanius multo fuerit: *Theatrum Balbi .... Juppiter, quem Claudius Cæsar dedicavit, & appellatur a vicinitate Juppiter Pompeianus.*

Sect. 19. VI. *Olympiade LXXXIV. circiter CCC. nostræ Urbis anno.*] Ita Reg. 2. non, ut editi, LXXXIII. Incidit autem Olympias LXXXIV. Pliniano calculo in annum Urbis CCXCVIII. Itaque nihil scribi potuit accuratius.

Ibid. VII. *Myron Lycium.*] Sententiam hujus loci esse diximus, ut Polycleto Argium, ceterosque, sic Myroni Lycium discipulum exstitisse. Libri omnes hactenus editi, *Myronem Lycium,* præ se ferunt, ut videatur esse sententia æque Polycleti discipulum Myronem fuisse e Lycia oriundum, atque ceteros ante recensitos. Sed præterquam quod MSS codices Reg. 2. & Colb. 3. adversantur, in quibus *Myron Lycium* legitur: & Myronem ex superius jam recensitis esse perspicuum est, & Lycium paulo post Myronis discipulum fuisse verbis conceptis affirmatur, hac ipsa sect. num. 17.

DE ANNIS ALEXANDRI MAGNI, ad illa Plinii verba, sect. XIX. *Centesima quartadecima Olympiade, Lysippus fuit, cum & Alexander Magnus.*

Sententia horum verborum est, tunc floruisse Lysippum, cum & Alexander Magnus floreret; non autem tunc floruisse illum, aut ipso anno quo iste supremum diem clausit, ut necesse est dicere, si vulgarem Olympiadum calculum secutus est Plinius; aut, ut olim conjiciebamus paullo timidiores, primo ipso Alexandri anno: sed jam ipso ab annis aliquot, nempe ab annis sex, ut mox constabit, regnum Macedonicum administrante. Nam sic etiam, si teste opus est in re perspicua, Interpres Gallicus verba Plinii intellexit, quæ sic transtulit: *En la cent quatorzieme Olympiade, Lysippus étoit en estime, DURANT LE REGNE D'ALEXANDRE le Grand.* Hæc verba certe non primum, nedum supremum, sed annos Principis decurrentes designant. Annos autem omnino triginta regnasse Alexandrum nummi antiqui clamant, tametsi id olim non animadvertimus, veriti longius ab Antiquariorum præconcepta opinione discedere. At nunc demum detecta rei veritate, annos principatus omnino tricenos Alexandro Magno cum nummis antiquis constanter asserimus; & eo eo annorum ipsius numero statuendo mirifice cum illis consentire sacras litteras, calculum Olympiadum Plinianum, defectum denique Lunæ a Plinio ea die adnotatum, qua Darium vicit Alexander. Nam hæc certe numismata vidimus Alexandri M. cum numero annorum ipsius principatus.

1. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum.)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Juppiter sedet, dextra aquilam, sinistra hastam gerit. In cathedræ intercolumnio, Φ *Phthiam* denotat, sive Phthiotida in Thessalia. Latere dextro, Δ annum *quartum* significat. Argenteus est maximæ molis, in Thesauro Regio.

2. Caput idem.)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Juppiter sedet. In cathedræ intercolumnio, ΑΡ *Arethusam* significat, in Macedonia. Latere dextro, os leonis, & Ε. anno *quinto*. Argenteus ibidem tetradrachmus est.

3. Caput idem.)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Juppiter sedet. In ipso intercolumnio cathedræ, littera jacens Ξ annum *octavum* Alexandri designat. Latere dextro, litteris implexis, ΜΥΡ. *Myrina* est, in Lemno insula civitas, de qua Plinius, libro IV. sect. XXIII.

4. Caput Alexandri Magni tectum galea.)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Victoria stans palmam sinistra gestat, dextra coronam ostentat. Latere dextro, Η annum *octavum* designat. Ad pedes Victoriæ in corona, litteris implexis ΜΥΡ. *Myrina* est, ut proxime. Aureus hic nummus

perpulcher est, apud D. de Clesves.

5. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum, naso adunco & incurvo. .)(. Juppiter sedens, dextra aquilam, sinistra hastam gerit. Latere sinistro nummi epigraphe, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. In imo cathedræ intercolumnio, in qua Juppiter sedet, littera Θ annum *nonum* Alexandri designat. Est hic nummus tetradrachmæ pondere argenteus, in Cimelio nostro Parisiensi.

6. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum. .)(. Juppiter sedet, ut proxime. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Latere dextro nummi, ΔΙ. hoc est, anno *quartodecimo*. Est hic argenteus formæ mediocris, in Cimelio Domus Professæ nostræ in hac civitate.

7. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum; appositis ad latus litteris ΙΗ hoc est, anno *decimo octavo*. .)(. Clava, cum pharetra, & nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Est ex minimo ære perelegans, apud Clar. Virum D. BAUDELOT.

8. Caput Alexandri Magni galeatum, absque epigraphe. .)(. Victoria dextroversum incedens coronam ostentat, ut victoriam scilicet Persicam Occidenti & Macedoniæ annunciet : quo ipso dextro latere malum Punicum sive granatum, & sub eo littera Α, quæ *primum* imperii Persici annum indicat : a tergo Victoria quasi relinquente litteram Κ, quæ est in sinistro nummi latere, & *vicesimum* Alexandri, in Macedonia utique, annum designat. Abest Alexandri nomen; existimante sane ingenioso opifice, frustra nomen apponi, quo tempore nec alius in orbe princeps nummos ex argento cuderet, præter Alexandrum : & omnia in illo numismate victoriam Persicam prædicarent : nempe galeatum caput, Victoria retro apposita, malogranatum Persici imperii nota, annus ibi denique primus cum vicesimo compositus. Nam cuinam possent principi hæ notæ convenire, præterquam uni Alexandro? Nam malogranatum pro indice regni Persici ibi esse, quod ferax horum fructuum ea regio sit, testis afferri potest Plutarchus; qui pomum hujusmodi magnitudine insigne oblatum fuisse Artaxerxi refert in ejus vita, pag. 1013. Favet & Herodotus, lib. VII. num. 41. Est hic nummus sane perrarus ac singularis, ex argento, primæ molis, in hac civitate Parisiensi, in locupletissimo Cimelio D. LE HAY : a quo numismatis expressam in cera imaginem accepimus.

9. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum. .)(. Juppiter sedet, ut in prioribus nummis. Latere sinistro, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Dextro, Κ< : connexis duabus litteris Κ & Α, quibus annus Alexandri *vicesimus primus* notatur. Eximius hic nummus ex argento, mediocris moduli, sed eleganti fabrica est, apud D. DE BOZE. Alios ibi similis formæ, habet litteram Κ dumtaxat, hoc est, annum *vicesimum*.

10. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum. .)(. Juppiter sedet, ut in nummo priore. Latere nummi sinistro, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ : dextro, ad crura Jovis, ΚΓ : hoc est, anno *vicesimo tertio* : supra, ad ejusdem genua, ΑΣ : hoc est, Ἀσπληδονίων in Bœotia. Sic enim in nummis ejusdem Alexandri Magni, ΚΑΣ, Κασσωπίων est. Neque extra Græciam fere cusa hujus principis nomine numismata sunt. Est hic maximi moduli nummus argenteus apud D. Abbatem FAUVEL. Habemus hujus præclari numismatis & duorum sequentium, hoc est, duodecimi & XIII. expressam in cera effigiem, ejusdem amici cura. Est apud P. DE VITRY argenteus denarius similis, cum anno ΚΓ : & intra sellam ΜΕ : hoc est, *Megaris* in Bœotia. Nummi impressam in cera effigiem habemus

11. Caput Alexandri Magni tectum pelle leonina. .)(. Juppiter sedet, ut in nummo priore. Latere nummi sinistro, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Dextro, ΚΔ : hoc est, anno *vicesimo quarto*. Est apud P. DE VITRY nummus maximæ molis argenteus, cujus habemus in cera impressam effigiem.

12. Caput Alexandri Magni tectum pelle leonina .)(Juppiter sedet, ut in nummo priore. Latere nummi sinistro, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Latere dextro, ad Jovis genua, ΚΕ; hoc est, anno *vicesimo quinto*. Est in Thesauro Regio maximæ molis argenteus. Apud D. DE BOZE idem est, sed cum superposito numero annorum his litteris, ΑΣ / ΚΕ, hoc est, Ἀσπληδονίων : *anno* XXV. Alexandri Magni. In alio, quem exhibet Sylloge Numismatum Londini edita anno 1708. superposita est litteris numeralibus ΒΕ, littera Φ : quæ Phthiam vel Phthiotida denotat, in Thessalia.

13. Caput Alexandri Magni leonina pelle tectum .)(. Juppiter sedet, ut in nummis superioribus Latere sinistro, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Latere dextro, Λ hoc est, *anno tricesimo*. Est hic argenteus similiter egregiæ fabricæ, & majoris moduli, in Thesauro Regio, & apud D DE BOZE. In Museo nostro argenteus est mole denarii, qui in intercolumnio cathedræ, in qua Juppiter sedet, eamdem habet litteram Λ. hoc est, *annum tricesimum*.

Quid porro hi numeri in nummis principum notati, quam annos ipsorum principatus designant? Fuit nimirum Alexander claritatis ac celebritatis tantæ, ut dignus visus sit Monetariis, ex quo prægigneretur mos annos principum consignandi in nummis. Exinde certe in numismatis successorum ejus eadem observata ratio est : prius non comparet.

Nunc igitur annorum Alexandri Magni gemina Chronologia digerenda hic est, & subjicienda oculis : vulgaris altera, altera vera ; hoc est, cum sacris libris, ut diximus, cum calculo Olympiadum Pliniano, cum numismatis veteribus, & cum siderum observatione, quam Plinius diligenter descripsit, eximie consentiens.

Anni ante Christum.	*Anni ab Urbe condita.*	*Olympiadum calculus vulgaris, cum vulgari Chronologia.*			*Olympiadum calculus Plinianus, & vera Chronologia.*		
342	412	CIX.	3.		CXII.	3.	Primus Alexandri annus in Macedonia, paulo ante mensem Septembrem.
341	413		4			4	
340	414	CX.	1		CXIII.	1.	
339	415		2			2	Annus Alexandri Δ *quartus*, in nummo vetere, a Septembri hujus anni.
338	416		3			3	Annus Alexandri Ε *quintus*, in nummo vetere, a Septembri hujus anni.
337	417		4			4	
336	418	CXI.	1.	Primus Alexandri annus.	CXIV.	1.	*Centesima quartadecima Olympiade fuit Lysippus, cum & Alexander Magnus.* Plinius, lib. XXXIV. sect. XIX.
335	419		2			2	Annus Alexandri Η *octavus*, in nummo vetere gemino, a Septembri hujus anni.
334	420		3			3	Annus Alexandri Θ *nonus*, in nummo vetere, a Septembri hujus anni.
333	421		4			4	
332	422	CXII.	1.		CXV.	1.	
331	423		2	Darium vincit Alexander.		2	
330	424		3			3	
329	425		4			4	Annus Alexandri ΔΙ. *quartusdecimus*, in nummo vetere, a Septembri hujus anni.
328	426	CXIII.	1		CXVI.	1	
327	427		2			2	
326	428		3			3	
325	429		4			4	Annus Alexandri ΙΗ *decimus octavus*, in nummo vetere, a Septembri hujus anni.

Anni ante Christum	*Anni ab Urbe condita.*	*Olympiadum calculus vulgaris: cum vulgari Chronologia.*			*Olympiadum calculus Pliniani, & vera Chronologia.*		
324	430	CXIV.		Alexander obit Babylone, die 19. Julii.	CXVII.	1.	*Nobili apud Arabiam Magni Alexandri victoria Lunam defecisse noctis secunda hora prodita est, eademque in Sicilia exoriens.* Nempe die VIII. Maii. Plinius, libro 2. sect. LXXII. Mox *Alexander primus regnavit in Græcia*, 1. Mach. 1, 1. hoc est, in Syria, quam Græci reges, post Alexandrum pariter Græcum, Persis ejectis, obtinuerunt. Neque enim in ea Græcia regnare potuit Alexander, nisi devicto Dario. Ergo in ea Græcia *regnavit annis duodecim.* 1. Mach. 1, 8. quorum hic annus primus est.
323	431		2			2	Annus Alexandri K *vicesimus*: idemque A *primus* in Perside, Septembri anni hujus incipiens, ex nummo vetere.
322	432		3			3	Annus Alexandri KA *vicesimus primus*, a Septembri hujus anni, ex nummo vetere.
321	433		4			4	
320	434	CXV.	1		CXVIII.	1	Annus Alexandri KΓ *vicesimus tertius*, ex nummis vetere, a Septembri anni hujus incipiens.
319	435		2			2	Annus Alexandri KΔ *vicesimus quartus*, ex nummo vetere, a Septembri hujus anni incipiens.
318	436		3			3	Annus Alexandri KE *vicesimus quintus*, a Septembri anni hujus; ex nummis veteribus.
317	437		4			4	
316	438	CXVI.	1		CXIX.	1	
315	439		2			2	
314	440		3			3	
313	441		4			4	Annus Alexandri Λ *tricesimus*, a Septembri anni hujus: ex nummis tribus veteribus.
312	442	CXVII.	1		CXX.	1	De Alexandro Magno, 1. Mach. 1, 6. *Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti in juventute. & DIVISIT illis regnum suum, cum adhuc viveret. Et regnavit Alexander* in Græcia Syriaca *annis duodecim, & mortuus est*, mense circiter Junio. In hunc locum egregia est Menochii nostri, ac plena judicii & spiritus vere Christiani vox: *Negant hoc profani scriptores*, inquit: *sed gravior & potior apud nos sacræ scripturæ auctoritas, quæ ita factum affirmat.* Triumphasset, si sciret eum sacris litteris Solis ac Lunæ, Pliniique, ac veterum numismatum testimonium facere.
311	443		2	Annus primus Seleucidarum, a Septembri mense superioris anni.		2	Annus primus Græcorum, a Septembri mense superioris anni. 1. Mach. 1, 9. de Alexandro Magno: *Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo: & imposuerunt OMNES*, Seleucus, Ptolemæus, & alii, *sibi diademata*,

statim *POST MORTEM EIUS.* Seleuci filii, & Ptolemæi, *post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.* Hinc Æra Græcorum, cujus hic annus primus est, ab obitu Alexandri cœpit, hoc est, tertio circiter post mense, sive Septembri.

In allatis autem numismatis insigne præ ceteris est numisma octavum, quod geminam notationem temporis exhibet; alteram anni in Perside primi; alteram anni in Macedonia vicesimi, qui in annum illum primum Persici imperii incidebat. Prohibet autem præterea nummus decimus tertius, in quo annus est tricesimus adnotatus, ne aliis aut ipse aut nummi ceteri affigantur annis, quam quibus eosdem tribuimus. Demonstrat enim annum quidem regni tricesimum vidisse Alexandrum, sed non excessisse, siquidem annus sequens primus annus est æræ Græcorum. Nisi forte quis existimet, non annos regni, sed ætatis Alexandri, in nummis ipsius signari: id quod nemo certe in hoc genere exercitatus probaverit: cum omnino sit insolens; & risum de se jampridem præbuerit, qui id similiter de annis, qui sunt, in Græcis Commodi Imp. nummis signati, asseruisset. Nihil igitur dici potest consentaneum magis cum ratione temporum, ac vera rerum gestarum serie, quæ initio libri primi Machabæorum describuntur, quam ista veterum numismatum inter se & cum illa narratione consensio est.

Ibid. VIII. *Ad ædem Fortunæ hujusque diei.*] His postremis verbis duobus carent libri editi In Reg. 2. aliisque. *hujusce diei*: quæ verba Pintianus cum spuria crederet, *ad ædem Nortiæ Etruscæ deæ* conjiciebat. Lepide sane. Retinenda illa. *hujusce diei*, Turnebus censebat, lib 16. Adversf. cap. 12. Leopardus item in Emend. Gronovius in Notis, aliique, eo Plutarchi loco permoti, in Mario, pag. 420. quo Catulus ædem vovisse in bello Cimbrico dicitur Fortunæ illius diei, καθιδρύσας τὴν τύχην τῆς ἡμέρας ἐκείνης. At vera scriptura est, *hujusce diei*, sic enim Romani dixerunt, *Fortunam hujusque diei*, pro *uniuscujusque*. In Kalendario vetere, apud Gruter. pag. 135. FORT. HVIVSQVE. DIEI. Neque hic modo, sed & apud Tullium restituenda von ea est, lib. 2. de Legib. pag 333. ut ejus verba aperte declarant, cum ait, *Recte etiam Spes a Calatino consecrata est, Fortunaque, vel hujusque diei* (vulgo *hujusce* legitur) *nam valet ad omnes dies; vel Respiciens, ad opem ferendam: vel Fors*, &c. Omnium enim dierum, nedum unius, seu certe alicujus, sive hujus aut illius diei Fortunam hujusmodi appellatione signari Cicero liquido demonstrat, propter eam quam adjungit rationem: *Nam valet in omnes dies.* Quæ ratio non constaret, si ad unum aliquem diem ejus numinis potestas arctaretur, & tam angustis finibus circumscriberetur. Sane hanc vim vocis ejus esse, *hujusce*, ut *uniuscujusque* significet, docuit dudum Marius Victorinus Afer, libro de Orthographia, cujus verba recitare operæ pretium fuerit: *Et hujusce, & hujusque, recte scribimus, sed suo loco utraque. Nam ab hocce fit hujusce. Hujusque autem aliud significat, id est, uniuscujusque.* Apud P. Victorem, in descriptione Urbis, regione decima, legimus, VICVS CLIVVSQVE DIEI, haud dubie pro VICVS HVIVSQVE DIEI. Nam complures urbis Romæ vicos a finitimis Fortunæ templis nomen traxisse, ex P. Victoris liquet. Sic Fortunæ Obsequentis vicum in prima regione statuit: Respicientis, in decima, aliosque alibi: hunceque ipsum locum Onuphrius sic edidit, ex MSS. VICVS HVIVSQVE DIEI. FORT. AED. Quæ postrema verba ædem Fortunæ significant. Multa ex his delibavit ante nos Brissonius, lib. 1. de formul. pag 52. In inscriptionibus tamen interdum, ut apud Rainesium, pag. 198. ANTISTITES. HVIVSCE. LOCI. pro *hujusce loci* legimus.

Ibid. IX. *Item Mercurium, qui fuit Lysimachiæ · Herculem, qui Romæ alexitera, arma sumentem: Artemona, qui periphoretos appellatus est.*] In libris omnibus ad hunc diem vulgatis legitur, *Herculem qui Romæ Antæum a terra sustinentem*, interpolatione digna plagis. In MSS. Reg. 1. ceterisque cod *Herculem qui Romæ ha cetera arma sumentem.* Quibus e verbis Pintianus eliciebat, *Qui Romæ, in excetram arma sumentem* · excetra hydram significari notum esse simul admonebat Gronovius, *ab Ostera arma sumentem.* Parum ambo feliciter. Plane enim tertium quoddam nunc simulacrum intelligitur, ab iis diversum, quorum prius Lysimachiæ, alterum Romæ fuit: quam belle enim in eo verbo, *qui Romæ*, deficit oratio, quo membro priori posterius exacte opponitur? Deinde ad alia duo signa transilit, quæ Græcis, ut solet, verbis effert: sic enim prius ἀφαγαλίζοντα, & Ἀλεξίκακον, & ἀργυφόρον, & mox περιφόρητον appellatur. Ἀλεξίτηρ autem quid sit, qui Græcos fontes vel leviter degustarunt, sciunt: & nos in prioribus notis ad hunc locum diximus.

Ibid. X. *Vicit eum Pythagoras Rheginus... Vicit eum & Leontinus.*] Prius *Leontius* legebatur, quo nomine statuarius apud scriptores ceteros nemo occurrit. Et vero de Pythagora altero sermonem esse hoc loco, tum ipsa per se oratio prodit, tum maxime Pausanias, lib. 6. Eliac. poster. pag. 366. ubi Astyli Crotoniatæ statuam, quæ Leontino nunc adscribitur, opus esse Pythagoræ admonet, quanquam ille cujas fuerit, non indicat. Sed cum alterius, quam Rhegini esse vel ex Plinio perspicuum sit: esse autem Pythagoræ Pausanias verbis enceptis significet, quin Leontini sit, minime jam dubium est. Tres igitur eo nomine statuarii fuere, Rheginus, Leontinus, Samius: quod Plinius ipse declarat, mox subjungens: *Fuit & alius Pythagoras Samius.... Hic supradicto facie quoque indiscreta similis fuisse traditur · Rhegini autem discipulus .. Sostratus.* Quibus verbis Pythagoram tergeminum aperte significat: Samium, mox alterum supradictum, cui similis Samius fuisse perhibeatur · postremum, Rheginum.

Ibid. XI. *Athenis Satyrum · Turmam Alexandri, in qua amicorum ejus imagines summa omnium similitudine expressit.* Sic totidem apicibus syllabisque, Reg. 1. Colb. 3. Pintiani codex, aliique fortassis, sed interpolati. In ceteris enim melioris notæ codicibus manuscriptis, qualis est Regius, num. 4763. & in libris omnibus editis, nullo excepto, legitur: *Athenis Satyrorum turmam: Alexandrum amicorumque ejus imagines*, &c. Et vetus Interpres Italus, Christophorus Landini, anno 1476. sic vertit optime: *In Athene fece una torma de Satyri. & statue d'Alexandro & de sua amici molto simili dallora.* Turmam hic interpolatores intelligi voluere, de qua Velleius, lib. 1. pag. 5. *Hic est*, inquit, *Q. Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdata duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci ex Macedonia detulit. Cujus turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, ut eorum equitum qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque iis interponeret.* Quinque & viginti fuisse Macedones, qui in primo pugnæ conflictu ciciderint, quorum æneæ statuæ a Lysippo fictæ, cum ipsius Alexandri simulacro, auctor est Arrianus, lib 1 de Exped. Alex. pag 47. Interpolavere hunc locum semierudi ti, quibus displicuit dici *turmam* de satyris, qui sunt certe semper pedestres Perinde quasi *turma* nonnisi de equitibus Latine dicatur. At præter hoc Plinii testimonium, Vulgatus Interpres Veteris Testamenti, vetus idemque optimus (nostro quidem judicio) latinitatis auctor, si verborum spectetur proprietas, de peditibus persæpe *turmas* & *turmam* dixit, ut 1. Paralip XXIII. 8 & alibi.

Ibid. XII. *Fecit & puberem Apollinem, subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant*] Vocem eam *Apollinem* admonitu codicum, Regii 1. Colb. 3. vet Dalec. aliorumque, in libris hactenus vulgatis prætermissam, restituimus Favere ei lectioni videtur etiam Martialis, hoc signum describens, lib. 14. Epigr. 172. cui titulus, *Sauroctonos Corinthius*:

> *At te reptanti, puer insidiose, lacertæ*
> *Parce: cupit digitis illa perire tuis.*

Cupit ea nimirum nobili fato perire, nece a tam nobili puero, Deo utique, illata Simile conflasse signum Pythagoras Leontinus dicitur hac ipsa sect num. 4. Apollinem scilicet, serpentemque sagittis illius confectum.

Ibid. XIII. *Bryaxis Æsculapium & Seleucum fecit.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Temperare mihi tamen non queo, quin conjecturam, quæ occurrit animo, suspicionemque prodam: *Et Salutem* scilicet, quam & *Seleucum* legi fortasse commodum posse Nam Pausanias in Atticis, lib 1. pag. 75. Τοῦ δ' Ἀσκληπιοῦ ἄγαλμα Βρύαξις κὴ αὐτὴ, κὴ τὴν Ὑγείαν ἐποίησε. *Æsculapii vero & Hygiæ*, hoc est, Sanitatis, sive Salutis, *signa fecit*, quæ Megaris erant. Ex eodem uterque fonte, Pausanias, Pliniusque, hausisse istud possunt videri. Alias appellari conjunctim ambo soliti Æsculapius, & Hygia. Vetus Inscriptio apud Gruterum, pag. 67. AESCULAPIO ET. HYGIAE. Apud Reinesium, pag. 151. AESCVLAPIO. EPIDAVRO. D. PP. ET. SALVTI Et pag 156 AESCVLAPIO. ET. SANITATI. Epidauri vel socia, vel, ut aliis placet, filia Hygia fuit. Hinc Templum Salutis Romæ, teste Vitruvio, lib 1. cap. 1. Fana Salutis duo, regione sexta: & vicus Salutis, & Porta Salutaris ab ea nominata: & apud Varronem, lib. 4 de ling. Lat. Collis Salutaris, in Quirinali colle. Sed ne quid tamen in contextu Pliniano moveam, præter consensum codicum, a quibus desciscere religio est, idem Pausanias prohibet, qui Athenis æneam Seleuci statuam in Pœcile porticu fuisse commemorat, Attic. pag. 14. etsi artificem non appellat. De Athenensium vero civitatis ornamentis fere Plinius eo loci agit.

Ibid. XIV. *Item equitem Simonem, qui primus de equitatu scripsit.*] In libris omnibus ad hunc diem vulgatis, *Sarmonem*. In Reg. 2. *Sormonem*. Colb 3. *Soronem*. Nos interim, cum Dalecampio, *Simonem* ex Xenophonte rescripsimus, cujus hæc verba in libro περὶ ἱππικῆς. Συνέγραψε μὲν οὖν κὴ Σίμων περὶ ἱππικῆς, ὃς κὴ τὸν κατὰ τὸ Ἐλευσίνιον Ἀθήνησιν ἵππον χαλκοῦν ἀνέθηκε, κὴ ἐν τῷ βάθρῳ τὰ ἑαυτοῦ ἔργα ἐξετύπωσε. *De re equestri igitur scripsit etiam Simon, qui & equum ex ære Athenis juxta Eleusinium dedicavit, atque in basi opera quoque sua expressit.* Immo teste Hierocle in Hippiatricis, totam rem equestrem ibi expresserat. Sic enim ille in proœmio: Τά τε Σίμωνος ἀκούσας τοῦ παλαιοῦ, ὃ τὴν ἱππασίαν αὐτοῦ τρόπους ἐν τῷ παρ' Ἀθηναίοις Ἐλευσινίῳ χαλκεύσαντος, κὴ σημειώσαντος ἐν τοῖς χρόνοις, &c.

Ibid. XV. *Eleutheræus Lycius Myronis discipulus fuit.*] Libri omnes hactenus editi, *Buthyreus Lycius Myronis discipulus fuit.* Pintianus conjiciebat *Bubytes*, quasi *bovis immolator*, lepido sane commento. Lycium statuarii proprium nomen esse series ipsa elementorum admonet, quæ nomina nunc repræsentat ab simili littera incipientia. Myronis discipulum fuisse etiam paulo ante Plinius affirmavit: immo & filium, Pausanias, lib 6. in Eliac. prior. pag. 331. ac ceteri scriptores: Myronem ipsum Eleutheris natum, Plinius idem superius, num. 3. Quid propius vero videri possit, quam eamdem seu filii, seu discipuli, patriam nunc signatam, & *Eleutheræus* temere in *Buthyreus* a librariis esse conversum? Quin & Lycium quoque ipsum Eleutheris oriundum conceptis verbis prodidit Athenæus lib. xi. pag 488. Ἦν δὲ οὗτος (Λύκιος) τὸ γένος Βοιώτιος ἐξ Ἐλευθερῶν, υἱὸς Μύρωνος τοῦ ἀνδριαντοποιοῦ, ὡς Πολέμων φησὶν ἐν πρώτῳ Ἀκροπόλεως Vidit hoc ante nos Leopardus in Emendat. lib. xi. cap 19.

Ibid. XVI. *Leocheres aquilam, sentientem quid rapiat in Ganymede*] Typi omnes ad hunc diem *Leocras* mendose repræsentant, cum Leocharis mentio superius habita sit raptim, quæ nunc revocatur, ut ejus opera sigillatim percenseantur Meminit & fictoris & signi ipsius etiam Tatianus, orat. contra Græcos, pag 183 Τίνος δὲ χάριν διὰ Λεωχάρους Γανυμήδην τὸν ἀνδρόγυνον, ὥς τι κτῆμα ἔχοντες ἀτίμως τετιμήκατε; *Cur propter Leocharis artificium, Ganymedem illum effeminatum, tamquam eximium aliquid habentes, colitis?*

Sect. 25. XVII. *Credunt Seplasia omnia fraudibus corrumpenti. Jam quidem facta emplastra & collyria mercantur: tabesque mercium, aut fraus Seplasiæ sic exteritur.*] Non unguenta fœdius Seplasia corrupit olim, quam hunc Plinii locum interpolarunt critici. Nos totidem apicibus syllabisque repræsentamus, quot sunt in Regio cod. 1. & Colb. 3. nec quidquam hic conjecturæ tribui opus esse ducimus. In libris hactenus editis: *Credunt Seplasia ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti: factaque jam pridem emplastra & collyria mercantur, tabesque mercium. Fraus Seplasiæ sic exteritur.* Salmasius e libris suis priora, qua fecimus ratione, & ipse refingit: cetera ex ingenii conjectura, sic pessumdat, in Solin. pag. 1051. *Tabesque mercium aut fraus Seplasiæ sic quæritur eis.*

Ibid. XVIII. *Fit & ex candido ære squama longe Cypria inefficacior.*] Curationem huic loco adhibuimus, tum ope codicis Reg. 1. & Colb. 3. in quibus hæc, uti edidimus, totidem syllabis leguntur: tum ipsius Dioscoridis admonitu, ita scribentis, lib. 5. cap. 89. Φαύλη δὲ ἡ ἐκ τοῦ χαλκοῦ λευκοῦ, λεπτή κὴ ἀσθενὴς ὑπάρχουσα. Libri hactenus fere editi contraria sententia, *Cypria longe efficacior*, præ se ferunt: præter Parmensem editionem, quæ cum scriptis codicibus plane congruit. Paulo post ubi ex eorumdem codicum fide edi curavimus, *Ocyssime vero contingit coronariorum recisamentis in acetum additis*: typi habent, *ocyssime vero contrahit coronariam æruginem, recisamentis*, &c. quæ non scriptoris, sed interpolantis manum stilumque resipiunt.

Sect. 30. XIX. *Alterius natiuus contritum splendescit, ut misy, & est lapidosius. Prodest autem & dentium dolori*, &c.] In libris hactenus vulgatis *contritum splendescit. Et misy est lapidosius. Prodest autem*, &c. Luxata penitus, nec cohærente satis oratione: immo & falsa: nam & lapidosius esse misy, quam sory, affirmat, quod falsum esse in prioribus Notis docuimus: & prodesse illud dentium dolori, quæ dos est soreos, non a Plinio modo, sed etiam a Dioscoride laudata, lib. 5. cap. 119. In Reg. 1. cod *contritum splendescit & misy & est lapidosius* · quæ vestigia sunt minime obscura sinceræ lectionis. Sory Ægyptium Dioscorides loc. cit. frianti nigrum apparere ait: quod inter friandum autem splendescit, ut misy, alterius generis & invalidum illud esse: τὸ δὲ λαμπ-

μᾶλλον ἐν τῷ θερμοδλίῳ ἐμφερῶν μιλαῖ, ἐπιφανείᾳ τε καὶ ἀδόσιν ἐγνίας εἶναι. Neque porro ab his verbis, *Et misy est lapidosum*, incipit instituta de misy oratio: sed a subsequenti multo post sententia, *Misy aliqui tradiderunt*, &c. unde sectionem XXXI. auspicati sumus.

Sect. 32. XX. *Sed ex eo candidum colorem sentientem violam, lonchoton appellant.*] Sic totidem plane syllabarum apicibus, Reg. 2. & Colb. 3. Pliniani editores, cum violam sensere, *leucoion* statim, quod violæ albæ nomen est, pro *lonchoton* commode substitui posse arbitrati sunt. At Dioscor. lib. 5. cap. 114. ex Petesio medico λογχωτὴν vocat, quæcumque demum vocis ejus originatio sit. Oribasius item lib. 13. fol. 233. Et Neophytus: λογχωτὸν, τὸ χαλκανθές. Salmasio tamen non idcirco assentimur, legi ita hunc locum jubenti, in Solinum, pag. 1159. ex sola ingenii conjectura: *Sic ex eo quod dependet ut lanceola, lonchoton appellant*: libris invitis omnibus.

Sect. 41. XXI. *Noricumque quidem* (vel *quidam*) *ferri excoquitur ad indurandam aciem: aliqua modo ad densandas incudes.*] Sic totidem syllabis apicibusque Reg. 2. cod. Editi hactenus libri: *In iis equidem nucleus ferri . . . . . aliaque modo* Et Salmasii conjecturam, ne quid prætermisisse videar, nunc exponam. Sic igitur ille in Solin. pag. 1084. *In aliquibus ferrum excoquitur nisi ad indurandam aciem.* Ac *nisi* intelligi pro *nonnisi* jubet, id minus probante Gronovio, qui ipsum *nonnisi* rescribi in contextu mavult.

Ibid. XXII. *Neque alia genera ferri ex mera acie temperantur: ceteris enim admiscetur mollior complexus. In nostro orbe*, &c.] Typi ad hunc idem omnes sic interpungebant: *ceteris enim admiscetur. Mollior complexus in nostro*, &c. Quod vitium non oratio modo ipsa retegit, sed & Isidorus qui hunc locum exscripsit, lib. 16. cap. 20. atque ita, ut edidimus, interpunxit.

Sect. 42. XXIII. *Dinochares architectus*] Editi hactenus libri, *Dinocrates.* Reg. 2. & Chiffl. *Timochares*: unde nos *Dinochares* effinximus, ut lib. sect. xt. etsi quidam ibi a nobis citati scriptores, Dinocratem. At Ausonius hoc ipsum de camera magnetica narrans, quod Plinius hoc loco refert, Dinocharem appellat: Idyll. 9. vel, ut alii, 10. vers. 310.

> *Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ*
> *Dinochares: quadro cui in fastigia cono*
> *Surgit: & ipsa suas consumit pyramis umbras:*
> *Jussum ob incesti qui quondam fœdus amoris*
> *Arsinoen Pharii suspendit in aere templi.*

Vide etiam Augustinum, lib. XXI. de Civit. Dei, cap VI.

Sect. 46. XXIV. *Componitur hoc: Picis oboli sex: Cimoliæ cretæ, drachmæ sex: æris tusi, drachmæ duæ: squamæ ferreæ, totidem: ceræ, sex: olei sextarius.*] Mirum quantum hoc loco editi codices, & manu exarati dissident. In exemplari Reg. 2. & eo quod Pintianus vidit, *Pars obolis & cimoliæ cretæ drachmæ sex: æris tusi drachmæ duæ: squamæ ferreæ totidem: ceræ sex: olei, sextarius.* Hoc est, si priorem vocem *pars* excipias, cetera sunt paria ac gemina cum iis quæ nos edidimus. At typi vulgati quantum inde absunt! *Componitur hoc modo: obolis ex Cimolia creta duobus, drachmis sex ex ære, totidem ex squama ferri, totidem cera, ex oleo sextario.* Nihil audacius dici aut excogitari potest, quam sit ea emendandi licentia. Pro *pars* autem, quæ vox nauci hoc loco non est, quid propius quidve aptius foret hoc loco, non vidimus, quam picem: quam in emplastris plane similibus adhiberi a Celso vidimus, lib. 5. cap. 19. Nisi forte cuipiam aut *salis*, aut *sevi* arrideat magis.

Sect. 48. XXV. *Ad aurea quoque, non modo argentea staticula inanis luxuria prorumpit.*] Staticula pro iconculis emblematisve accepta olim ab antiquis scriptoribus, exploratum, ut diximus in prioribus Notis, apertissimumque est. An etiam & *staticulum*, virili, ut aiunt, genere, eo significatu venerit (etsi aliam præterea vocis illius acceptionem fuisse ex Macrobio didicimus,) ut aliquando subdubitaremus, fecit hic Plauti locus in Persa, act. 5. sc. 2. vers. 43.

> *Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea*
> *Faciebat: vide vero, si tibi satis placet. SA. Me quoque volo*
> *Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.*

Turnebum scio *staticulum* eo loci pro saltationis genere accepisse. Salmasium adjecisse, Hegeam & Diodorum fuisse saltatores, de quibus alibi nihil quidquam legerit. Verum cum in iis signis quæ eximio præsertim opere effecissent, subscribere sua nomina statuarii tum solerent, Ἡγίας ἐποίει, *Hegias faciebat*, aliique similiter: fueritque id Atheniensi statuario nomen, quo de superius egimus sub initium sectionis 19. an ad illius modo opera Plautus alludat, amplius considerandum censeo. Et Diodori sculptoris Plato meminit in Anthologia, lib. 4. cap. 12. in epigrammate perelegantis de Satyri effigie:

> *Τὸν Σάτυρον Διόδωρος ἐκοίμισεν, οὐκ ἐτόρευσεν.*
> *Ἢν νύξῃς, ἐγερεῖς· ἄργυρος ὕπνον ἔχει.*
> *Sopierat Satyrum, non sculpserat, hunc Diodorus:*
> *Argentum dormit: punge, togal facies.*

Alterius quoque Diodori pictoris, si tamen alius a sculptore, Leonidas, in eadem Anthol. lib. 2. cap. 19. Statunculam femineo, ut appellant, genere Gregorius Turonensis, aliique dixere.

Sect. 49. XXVI. *Quod locari solitum X. CC. M. annuis, postquam obliteratum erat, CCLV. locatum est.*] Sic totidem fere syllabis Reg. 2. cod. Quod editores hactenus depravarant: *Quod locari solitum decem libris per CC. ante annos, postquam obliteratum erat, LV. locatum est.*

Sect. 50. XXVII. *Id autem quod ustum est plumbum, lavatur, & teritur, ut cadmia. Potest adstringere*, &c.] In libris hactenus editis, *lavatur, ut stibi & cadmia*: haud pœnitenda sane lectione: nam de lotura stibeos, dictum est lib. 33. sect. 34. Verum in MSS. Reg. 2. ceterisque, *lavatur & istius & cadmiæ. Potest adstringere*, &c. Unde Pintianus conjiciebat, *lavatur. Et istius, ut Cadmiæ, potestas stringere.* Sed, ut cetera sileam, nec *istius*, nec *stringere*, Plinii orationem sapit. Lavari autem, ut cadmiam, prætermisso stibi, dici nunc satis duximus, a Dioscoride admoniti, qui lib. 5. cap. 96. Δεῖ δὲ, inquit, πλύνειν αὐτὸ ὡς τὴν καδμείαν, καὶ λειοῦσθαι. Quare pro *& istius & cadmiæ*, nos *& teritur ut cadmia* scripsimus, quod fieri quidem Plinius suo loco prodidit, hoc est sect. 22.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXXV.

I. METALLORUM, quibus opes constant, agnascentiumque eis natura indicata propemodum est: ita connexis rebus, ut immensa medicinæ silva, [1] officinarumque tenebræ, & morosa [2] cælandi, [3] fingendique, [4] ac tingendi subtilitas simul dicerentur. Restant terræ ipsius genera lapidumque, vel numerosiore serie, plurimis singula a Græcis præcipue voluminibus tractata. Nos in iis brevitatem sequemur [5] utilem instituti modo, nihil necessarium aut naturale omittentes. * Primumque dicemus quæ restant de pictura, arte quondam nobili, tunc cum expeteretur a Regibus populisque: & illos nobilitante, [a] quos esset dignata posteris tradere: [b] nunc vero in totum marmoribus pulsa, jam quidem & auro: nec tantum ut parietes toti operiantur, verum & interraso marmore [6] vermiculatisque ad effigies rerum & animalium crustis. [7] Non placent jam abaci, [c] [8] nec spatia montis in cubiculo delitentia: cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum: Neronis vero, [9] maculas quæ non essent, crustis inserendo, [10] unitatem variare, ut ovatus esset [11] Numidicus, [d] ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciæ. Montium hæc subsidia deficientium: nec cessat luxuria id agere, ut quam plurimum [12] incendiis perdat.

* Cap. I.

Cap. II.

II. Imaginum quidem picturâ quam maxime similes in ævum propagabantur figuræ: quod in totum exolevit. [e] Ærei ponuntur clypei, argenteæ facies [f] surdo figurarum dis-

INTERPRETATIO.

a *Quos*] Quorum effigiem pictura censuisset posteris tradendam.

b *Nunc vero.*] Nunc vero cessit pictura marmoribus, etiam & auro: *quibus jam parietes vestiuntur*, neque ita solum ut parietes toti solido marmore integantur: verum etiam ut interfecto marmori segmenta alia inserantur, quæ referant effigies rerum & animalium, vermiculato opere.

c *Nec spatia.*] Nec e spatioso monte excisa marmora in cubiculum abdere jam placet.

d *Ut purpura.*] Ut purpureus color Synnadico marmori insereretur.

e *Montium.*] Inventa hæc in subsidium montium, e quibus maculosi lapides non amplius eruuntur.

f *Surdo.*] Obscuro, *nec picturis illuminato.*

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Officinarumque tenebræ.*] Medicorum inscitia, de qua libro sup. sect. 25 & lib. 33. sect. 38.

2. *Cælandi.*] Ex argento Libro 33. sect. 55.

3. *Fingendique.*] Ex ære. Libro 34 sect. 19.

4. *Ac tingendi.*] Cinnabari, minioque Libro 33. sect. 36. & seqq.

5. *Utilem instituti modo.*] Rationi propositi nostri accommodatam. Frustra Pintianus conjiciebat, *utili in instituto modo nihil*, &c.

6. *Vermiculatisque.*] Vermiculata dicuntur opera tessellata, quia minutis tessellis, quasi vermiculis sint variegata, distinctaque. Tritum illud Lucilii est,

Quam lepide lexes compostæ, ut tesserulæ omnes
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

7. *Non placent jam abaci.*] Abacos vocat crustas tabulasve quadratas e marmore, quæ parietum ornamenta erant, iis tectorii vice inserta, a similitudine dicta ligneorum abacorum Vitruvius, lib. 7. cap 3. pag. 133. *Itaque veteribus parietibus nonnulli crustas excidentes pro abacis utuntur*, &c. Utebantur nimirum antiqui ad tectoria parietum, præter albarium opus, atque marmoratum, sectis in quadrata, in sexangula, in triquetra, marmoribus, alabastrite, porphyrite, iaspide, & id genus lapidibus, atque vitro. Hæ sic adactæ crustationes nominabantur, & abaci. Vulgus *Compartimenta* vocat.

8. *Nec spatia.*] Vide Notas & Emend. num. I.

9. *Maculas*] Nam maculosum variumque marmor placebat: quod si natura tale non esset, arte fiebat Species nimirum musivarii operis, seu vermiculationis duas attingit: paulo ante alteram, quæ crustis marmorum diversicolorum vermiculatas animalium effigies referret. Nunc alterum his verbis, *Maculas quæ non essent*, quæ marmoris maculas alieno marmori insereret, & orbes ac ovatas ἐλλείψεις, (sic enim Mathematici vocant) marmori includeret. Seneca, epist. 87 cujus initium, *In ipsa Scipionis Africani villa: Pauper sibi videtur*, inquit, *ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserint nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt. nisi illis undique operosa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur. nisi vitro absconditur camera*, &c. Quas ovatas Plinius figuras, Seneca orbes vocat. Vide lib 36. sect. 5 & seq.

10. *Unitatem variare.*] Lapidem qui unius erat coloris, multis distinguere ac variare coloribus.

11. *Numidicus.*] Lapis nimirum, seu marmor Numidicum, de quo lib. 36. sect 8. De Synnadico lapide, (sic enim Romani vocabant, quem indigenæ Docimiten) a Synnadis urbe Phrygiæ, de qua Plinius lib 5. sect. 29 vide Strabonem, lib. 12. pag 577. Ἐπίκειται δ' ἐπὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τοῦ Συνναδικοῦ λίθου· οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, &c.

12. *Incendiis perdat.*] Quibus obnoxiæ domus in Urbe.

Sect. II. 1. *Æreï.*] Nunc pictura omissa imaginum, vi-

crimine, statuarum capita permutantur, vulgaris jam pridem [2] salibus etiam carminum. Adeo materiam malunt conspici omnes, quam se nosci. Et inter hæc [3] pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt, ipsi [a] honorem non nisi in pretio ducentes, ut frangat heres, furis detrahat laqueus. [b] Itaque nullius effigie vivente, imagines pecuniæ, non suas, relinquunt. Iidem palæstras athletarum imaginibus, [4] & ceromata sua exornant, [5] & vultus Epicuri per cubicula gestant, ac circumferunt secum. [6] Natali ejus vicesima Luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, [7] quas icadas vocant, hi maxime qui se ne viventes quidem nosci volunt. Ita est profecto: ARTES desidia perdidit: & quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum. Aliter apud majores in atriis hæc erant quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora: [8] expressi cera vultus singulis disponebantur [9] armariis: [10] ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui umquam fuerat, populus. [11] Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. [12] Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliæ foris & circa limina [13] domitarum gentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori [14] refigere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hæc stimulatio

INTERPRETATIO.

a *Honorem.*] Hoorem in solo imaginum pretio ponentes, quas heres frangat, quas fur dolo subripiat.

b *Itaque.*] Itaque cum nullus exsistat, qui viva dici eorum effigies possit, imagines relinquunt, quæ eorum divitias, non quæ vultus, moresque, & facta exprimant: *opum suarum, non virtutum, monumenta relinquunt.*

NOTÆ.

ris summis clypei statuuntur, faciesque argenteæ quæ nullam fere referant similitudinem ejus quem signat inscriptio: cum nulla sint pictura illuminatæ figuræ: capita statuarum permutantur item, ut alterius esse existimentur, quam antea essent. Sic Commodus Imp. teste Lampridio in ejus vita, pag. 52 *Colossi caput dempsit quod Neronis esset, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit*, &c. De æreorum autem clypeorum dedicatione cum statuis, tum in aliis veteribus monumentis mentio exstat, tum in Inscriptione hac Nepesina, quam Gruterus retulit, pag. 441.

NESTORI.
AVG NEPETE.
HIC. LVDOS. FECIT.
ET. DEDICATIONE.
STATVAE. PATRONI.
QVAM. IPSE. POSVIT.
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM.
MVNICIPIBVS. NEPESINIS.
EPVLVM. DEDIT.

Jul. Capitolinus, de Antonino Pio, pag. 18. *Clypeum Hadriano magnificentissimum posuit.* Trebellius Pollio, in D. Claudio, p. 203. ubi de Claudio Cæsare, cui Nero successit: *Illi clypeus aureus, ... in Romanæ Curia collocatus est, ut etiam nunc videtur*, &c. Idem Gruterus, pag. 374.

M BAEBIO. DECVRIONES.
FVNVS PVBLICVM.
STATVAM. EQVESTREM
CLIPEVM. ARGENTEVM.

2. *Salibus ... carminum.*] In illam capitum permutationem jactata a plebe carmina, sales, jocosque, significat.

3. *Pinacothecas.*] Loca spatiosa, veterum imaginibus exornata, *des sales de tableaux.* Vitruvius, lib. 6. cap. 5 cui lemma præfixum, *De tricliniis, & œcis, & pinacothecis, & eorum dimensionibus: Pinacotheca*, inquit, *uti exhedra, amplis magnitudinibus sunt constituenda.* Sic exhedræ loca sunt similiter spatiosa, quæ sedes habent, in quibus Philosophi, Rhetores, ceterique qui studiis delectantur, disputare sedentes possint, *des sales de conversation.* Qua de voce ubernime Gothofredus egit, in Cod. Theod. lib. 15. tit. 1. lib. 53. pag. 326.

4. *Et ceromata.*] Κήρωμα nunc locus est palæstræ, aut gymnasii, in quo ceromate, hoc est, unguento quod ex cera fiebat oleo subacta, perungebantur athletæ. Ea voce usus etiam Seneca, lib de brevit. vitæ, cap. 12. pag. 733.

5. *Et vultus Epicuri.*] Cicero, lib. 5 de Finib. num. 3. *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis familiares, sed etiam in poculis & anulis habent.* Atque hinc quidem εἰκαδιστὰς vir eruditus nuper putabat dictos Epicureos esse, ἀπὸ τῆς εἰκόνος, quod magistri imagine numquam destituerentur: quod abesse a vero, tum ea quæ mox dicemus, prodituræ sunt apertissime: tum vero illud in primis, quod ab εἰκὰς, εἰκαδισταὶ dicendi, non εἰκονισταὶ forent.

6. *Natali ejus.*] In honorem natalis ejus: non quod in eum diem natalis ejus inciderit, quem septimo Gamelionis diei assignat Apollodorus apud Diogenem, nec ipse Epicurus in testamento suo satis aperte prodit, quis ille fuerit: sed quod ea Luna fieri ille commemorationem natalis sui optaverit, alioque præterea die, Gamelione mense.

7. *Quas icadas.*] Εἰκάδας. Est autem εἰκὰς dies Lunæ vicesima. Cicero, lib. 2. de Finib. num. 101. refert Epicurum *cavisse, ut heredes sui darent, quod satis esset ad diem agendam natalem suum quotannis mense Gamelione: itemque omnibus mensibus vicesimo die Lunæ darent ad eorum epulas: qui una secum philosophati sint.* Græca ipsa testamenti verba exstant apud Diogenem Laert. in Epicuri vita, lib. 10. pag. 271. ubi jubet inter alia præstari ab heredibus, εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς ταῖς εἰκάσι, ad solemnem conventum, qui vicesima quaque die mensis fieri solet. Hinc Epicureus ille εἰκαδιστὴς vocatur apud Athen. lib. 7. Ἐπικούρειος δὲ τις εἰκαδιστής, &c. Porro cum εἰκάδες mensium omnium Atticorum, vel interprete Tullio, vicesimi sint Lunæ dies, inde Petavius colligit, lib. 4. Var. Diss in Uranol. cap 7. pag. 157 lunares omnes menses exstitisse, & quidem civiles: quod non aliis quam popularibus mensibus natales hominum dies adscribuntur, ut & testamenta. Quod & Isaac Tzetzes adnotat in Comment. ad Lycophronis versum, Οἰκουρὸς ἧ οἰκτρός, &c. Ἐπειδὴ οἱ παλαιοὶ, inquit, κατὰ σελήνην τοὺς μῆνας ἐψήφιζον· διὰ δὲ τῶν μηνῶν ὁ χρόνος ἀπαρτίζεται. *Quandoquidem veteres menses ad Lunam computabant: annus autem mensibus absolvitur.*

8. *Expressi cera.*] Tritum illud Juvenalis, Satyr. 8. vers. 19.

Tota licet veteres exornent undique cera
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

9. *Armariis.*] Ligneis quibusdam thecis, unde exsequiarum tempore depromebantur, quæ ante in atriis ornamento erant.

10. *Ut essent imagines.*] Non integri illæ quidem corporis, sed oris tantummodo simulacrum effingentes, summorumque humerorum pectoris tenus. *Des bustes.* Paternæ vero maternæque gentis imagines nobilium funeribus adhibebantur. Epitome Livii, lib. 48 *M. Æmilius Lepidus, qui Princeps Senatus ab sextis jam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, præcepit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quam æris denos consumerent: imaginum specie, non sumptibus nobilitari magnorum virorum funera solere.* De Germanici funere Tacitus, lib. 2. *Funus sine imaginibus, & pompa per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit.* Hunc morem Propertius detestatur, lib. 2. Eleg. 13.

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa.

11. *Stemmata.*] Stemmata sunt minores & orbiculatæ figuræ, quæ ad latera ductis lineis additæ, in aliqua tabula, genus illius & avos signant, cujus imago in superiore tabellæ parte expressa & effigiata cernitur. Sic tabulas hodieque Genealogicas, ut mos est appellandi eas, vulgo delineant. Seneca lib 3. de Benef. cap. 28 pag. 47 *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant*, &c.

12. *Tablina.*] Locus ubi tabulæ, sive codices asservabantur. Festus: *Tablinum proxime atrium locus dicitur, publicarum rationum causa factus: quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum ibi habebant.*

13. *Domitarum gentium*] Vide Notas & Emend. num. II.

14. *Refigere liceret.*] Revellere, detrahere fixa in sublis

ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Exstat Messalæ Oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suæ [15] Levinorum alienam imaginem. Similis causa Messalæ seni expressit volumina illa, quæ de familiis condidit, [16] cum Scipionis Pomponiani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutiones, (hoc enim ei fuerat cognomen,) [17] Africanorum dedecore irrepentes Scipionum nomini. Sed pace Messalarum dixisse liceat: [a] etiam mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor: multoque honestius, quam mereri, ne quis suas expeteret.

Non est prætereundum & novitium inventum. Siquidem non solum ex auro argentove, aut certe ex ære [18] in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in locis iisdem loquuntur: quin immo etiam quæ non sunt, finguntur, pariuntque desideria [19] non traditi vultus, [20] sicut in Homero evenit. Quo majus (ut equidem arbitror) nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. [21] Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus [22] Bibliothecam dicando, [b] ingenia hominum rem publicam fecit. [23] An priores cœperint Alexandriæ & Pergami reges, qui Bibliothecas magno certamine instituêre, [24] non facile dixerim. Imaginum amore flagrasse quondam testes sunt & Atticus ille Ciceronis, [25] edito de his volumine, & Marcus Varro benignissimo invento, insertis voluminum suorum fecunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus: non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere, inventor muneris etiam Diis invidiosi, quando

INTERPRETATIO.

a *Etiam mentiri.*] Etiam inserere genti suæ imagines clarorum virorum, sed alienæ gentis, argumento erat virtutes illorum quodammodo amari: multoque id est honestius, quam ita homines vivere, ut nemo post obitum eorum imagines expetat.

b *Rem.*] Publici juris fecit.

NOTÆ.

mi loco. Cicero, lib. 12 Epist. Famil. 1. *Cuius æra refigere debeamus, eius etiam chirographa defendimus?* Et Philip. 11. num. 12. *Nam figantur rursus hæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis.* Virgilius, lib. 6. Æneid. vers. 622.

Fixit leges pretio, atque refixit.

Prius *refringere* legebatur, vitiose. In Reg. 2. *refugere.*

15. *Levinorum*] E gente Valeria, ex qua & Messalæ prodierunt: sed familiæ diversæ.

16. *Cum Scipionis Pomponiani.*] Id ei cognomen a Pomponio obtigisse significat, homine prædivite, cujus filiam duxisset uxorem; & cujus testamento factus heres Scipio fuerat, ut Pomponiani nomen assumeret. Eidem autem Scipioni, fortassis a parente acceptum etiam Salutionis cognomen hæsit, ob voltus similitudinem, ut dictum est lib. 7. sect. 10. Vide Notas & Emend. num. III.

17. *Africanorum dedecore.*] Qui & ipsi Scipiones, erant ex Corneliorum Scipionum gente.

18. *In Bibliothecis.*] De hoc more eleganter Seneca, lib. de Tranq. cap. 8. pag. 682. quem consule. Suetonius in Tiberio, cap. 70. *Fecit & Græca poemata, imitatus Euphorionem, & Arrianum, & Parthenium: quibus poetis admodum delectatus, scripta eorum & imagines publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedicavit.*

19. *Non traditi vultus.*] Cujus vera non exstat effigies.

20. *Sicut in Homero evenit.*] Homeri pictura elegans (nam & pictura quædam poesis est) exstat in Anthologia Græca, lib. 5. cujus initium, Ἔμφρονα χαλκὸν Ὅμηρος ἰδέσθαι, &c. Grotius Latine sic reddidit:

Æs vivum vegetum nobis ostendit Homerum:
Non animus, non sensus abest: sed solum ille
Vocis eget: mirum quo vis processerit artis.
Quis Deus hoc nobis dedit æs, & in ære figuram?
Non etenim, si quid dignum est me judice credo.
Hoc vir opus faceat aliquis descedit ad ignem:
Diva sed ipsa suis manibus Tritonia finxit,
Corporis infessi quondam non immemor: ipsa
Quippe per os magni cantus edebat Homeri,
Consors, Phœbe, tibi. Sic quem voce patris adoro,
Mæonides stetit hic. Senium præferre videtur
Dulce, sed hoc senium est, & ab illo dextior ori
Gratia: conveniunt gravitas & amabile quiddam:
Blanda verecunde majestas lucet in ore:
Innatat in curva canus cervice corymbus
Vertice descendens, & circumfunditur aures.
Mento barba cadens spatio dispescitur amplo,
Mollibus illa pilis multoque volumine, nec se
Cogit in angustum, sed late excurrit, & infra
Et testis simul est ea pectoris, & decus oris.
Nuda comis frons est: & adest sapientia fronti,
Vnde sibi mores ducat puer: exstat utrimque
Vmbra superciliis: namque ars hoc provida vallum
Addiderat, vacui suberant quia luminis orbes.
Aspiciens cæcum non posses credere: tanta
Obscuris oculis admixta est gratia: felix
Hoc vitium est, labesque oculorum profuit arti,
Vt magis ex imo veniens lux corde pateret.
Nonnihil introrsum se se cavat utraque mala,
Vtraque sulcatur rugis, sed utrique verustus
Est pudor, in foveæ recipis quæ sede pudorem.
Errat apis circum divino vatis in ore,
Pierios paritura favos. Manus altera palmam
Alterius portat, baculus sustentat utramque,
Viventis mos qualis erat: sed & arrigit aures
Dextera se, Phœbum cupiens audire loquentem,
Aut de Pierio Nympham grege, volvere secum
Multa animo manifesta fides: namque edita cura
Ex adyto mentis nunc huc, nunc vertitur illuc.
Texat ut armisonæ Sirenis nobile carmen.

21. *Asinii Pollionis*] Diximus de eo in Auctorum Indice. Sed Isidorum audi, lib. 6. Orig. cap. 5. *Romæ primus librorum copiam advexit Æmilius Paulus, Perse Macedonum rege devicto: deinde Lucullus e Parthica præda. Post hos Cæsar dedit M. Varroni negotium causa maxime bibliothecæ conservandæ. Primum autem Romæ bibliothecas publicavit Pollio, Græcas simul atque Latinas, additis auctorum imaginibus in atrio, quod de Dalmatarum manubiis magnificentissimum instruxerat.*

22. *Bibliothecam dicando*] Dedicando, consecrando, publici juris faciendo. Plinius junior, lib. 1 epist. 8 meminit *Sermonis ejus, quem apud municipes suos habuit, bibliothecam dedicaturus.*

13. *An priores.*] Scribit Galenus, Comment. 1. in lib. Hippocr. de natura hum. inter Alexandriæ & Pergami reges, contentionem fuisse, quis plura veterum volumina compararet. Tum vero multos ab hominibus pecuniæ avidis falsis auctorum nominibus libros inscriptos esse, quo vetestatis plurimum iis & auctoritatis accederet. In Pergamensi Bibliotheca fuisse ducenta voluminum millia, auctor est Plutarchus in Antonio. In Alexandrina, usque ad septingenta, Gellius, lib 6 cap. ult. sob finem. Conflagravit ea casu bello civili, cum Cæsar in urbe ipsa Alexandria bellum cum incolis gereret.

24. *Non facile dixerim*] Antecessit horum ætatem Aristotelis ac Teophrasti cura in Bibliotheca adornanda, a Neleo deinde Corisci filio coempta: a quo postea libros eos mercatus Ptolemæus Philadelphus, Alexandriam transtulit, teste Athenæo, lib. 1. pag. 3. Clearchi quoque primi Heracleæ Ponticæ tyranni, ejus qui Platonis & Isocratis auditor fuit: is enim Bibliothecam struxit, quam laudat impense Memnon apud Photium, cod. CCXXIV.

25. *Edito de his.*] De imaginibus quæ solerent in Bibliothecis collocari. Volumen illud a Cicerone scriptum, cui nomen fecit *Atticus*, penitus intercidit.

[26] immortalitatem

[26] immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut præsentes esse ubique, & [27] claudi possent.

III. Et hoc quidem alienis ille præstitit. Suorum vero clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit (ut reperio) [1] Appius Claudius, qui Consul cum Servilio fuit anno Urbis CCLIX. Posuit enim [2] in Bellonæ æde majores suos: placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi. Decora res, [a] utique si liberorum parvulis imaginibus ceu nidum aliquem sobolis pariter ostendat; quales clypeos nemo non gaudens favensque aspicit. CAP. III. 5

IV. Post eum [1] M. Æmilius, collega in Consulatu Quinti Lutatii, [2] non in Basilica modo Æmilia, verum & domi suæ posuit, id quoque [b] [3] Martio exemplo. Scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum, [4] continebantur imagines: [5] unde & nomen habuere clypeorum: non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo. Origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit usus illo. Pœni ex auro factitavere & clypeos, & imagines, secumque in castris tulere. Certe captis eis talem Asdrubalis invenit [6] Marcius, [7] Scipionum in Hispania ultor: isque clypeus supra fores Capitolinæ ædis usque [8] ad incendium primum fuit. Majorum quidem nostrorum tanta securitas in ea re adnotatur, ut L. Manlio, Q. Fulvio Coss. anno Urbis DLXXV. M. Aufidius [9] tutelæ Capitolii redemptor, [c] docuerit patres [10] argenteos esse clypeos, qui pro æreis per aliquot jam lustra assignabantur. 10 15

V. De picturæ initiis incerta, nec instituti operis quæstio est. Ægyptii sex millibus annorum apud ipsos inventam, priusquam in Græciam transiret, affirmant, vana prædicatione, ut palam est. [1] Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, 20

Interpretatio.

a *Utique.*] Ita sane, si liberorum parvæ imagines in eodem clypeo depictæ simul ostendant quasi nidum aliquem sobolis: quæ clypeorum forma est jucundissima visu.

b *Martio.*] Bellico.

c *Docuerit.*] Senatores admonuerit, clypeos argenteos esse, qui ærei duntaxat a Censoribus, qui lustra faciebant, æstimabantur.

Notæ.

26. *Immortalitatem.*] Augustis suis Principibus immortalitatem, hoc est, famam sempiternam, veteres optavere. Sic in nummo Claudii Gothici, ex ære minimo, in Cimelio D. Abbatis FAUVEL, sic inscripto: DIVO C CIVS AIO: legebamus jam olim: DIVO *Claudio* CIVs *Suo Arelatenses Immortalitatem Optant*: quem in alio numismate dicere eidem frui jam REQVIE OPTIMORVM MERITORVM.

27. *Et claudi possent.*] Quidam MSS. *ubique tradi possent.* Male: *Claudi* hic est, in bibliothecis detineri, asservari, includi virorum summorum imagines: qui ope picturæ non modo esse præsentes ubique subinde possint: sed & simul ubique claudi.

Sect. III. *Appius Claudius.*] Appius Claudius Sabinus, qui prius Clausus vocabatur, gessit Consulatum eo anno cum P. Servilio Prisco. Auctor Livius, lib. 2. In clypeorum porro ejusmodi dedicationibus epulas dari civibus solitas docent inscriptiones aliquot veteres, apud Gruter. pag. 441. & 496.

2. *In Bellonæ æde.*] Regione nona Urbis: *Ædes Bellonæ versus portam Carmentalem: ante hanc ædem columna index belli inferendi.* P. Victor.

Sect. IV. 1. *M. Æmilius.*] M. Æmilius Lepidus, Lepidi Triumviri pater, gessit Consulatum, Syllanis fere temporibus (nam acta Syllæ rescindere conatus est, Q. Lutatio Catulo contra obsistente) anno Urbis DCLXXI. De ejus obitu dictum est lib. 7. sect. 36.

2. *Non in Basilica .... Æmilia.*] Basilica hæc vetus Pauli Æmilii fuit, in quarta Urbis regione. Sed & in nova quoque, quæ in octava fuit, clypeos appensos ejuscemodi fuisse nummi docent, quos libro 36. sect. 24. laudaturi sumus, ubi de nova Pauli Basilica dicemus.

3. *Martio exemplo.*] Cave Marcii exemplo interpretere, de quo paulo post agitur: Sed bellico exemplo intellige, hoc est, originem ejus rei a bello usque Trojano petitam.

4. *Continebantur imagines.*] Quales in Achillis clypeo ab Homero prolixe describuntur, Iliad. σ'. vers. 478. & seq. Et in Æneæ scuto similiter, a Marone, lib. 8 Æneid. Vel potius imago vultus ejus, cujus erat scutum, thorace tenus depicta: Trebellius Pollio, in Claudio Gothico, p. 213. *Illi clypeus aureus, vel, ut Grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus totius judicio, in Romana Curia collocatum est, ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago.*

5. *Unde & nomen.*] Vult clypeos dici, quasi *glypeos*, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod est sculpere, quod cælentur insculptis imaginibus. Alii deducunt a cluendo, hoc est, a pugnando. A καλύπτειν alii, quia corpus tegit. Vide plura apud Voss. in Etymol. Sosipater Charisius, lib. 1. Instit. Gram. pag. 59. *Clipeus masculino genere in significatione scuti ponitur, ut Labienus ait: neutro autem genere imaginem significat . . . Plinius Dubii Sermonis secundo, indistincto genere dici ait, sed littera differre: ut pugnatorum per i clipeum dicamus, quod est a clepere, id est, celare dictum: imaginem vero per u, clupeum, a cluendo. Sed hæc differentia mihi displicet, propter communionem i & u litterarum: nam & maximus dicimus, & maxumus: & optimus, & optumus: nec tamen ulla differentia fecerimus.*

6. *Marcius.*] L. Marcius, de quo lib. 2. sect. CXL diximus. Hoc loco prænomen codices MSS non exhibent: editi libri perperam Quinti præfixere. De hoc L. Marcio, vide Livium, lib. 25. pag. 276. 277. & 278. ubi hæc Livius: *Apud omnes magnum nomen L. Marcii ducis est .... monumentumque victoriæ ejus de Pœnis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo clypeum, Marcium appellatum, cum imagine Asdrubalis.*

7. *Scipionum.*] Cneii & Publii, qui adversus Asdrubalem decertantes, in Hispania obierunt. Vide Livium, lib. 25. pag. 276. Valerium Max. lib. 8. cap. 15. num. 11.

8. *Ad incendium primum.*] Syllanis temporibus, bello civili, ut diximus lib. 33. sect. 5. Ex Fulvio Consule, qui postea memoratur, genus traxit & Fulvia Plautilla Aug. Antonini Severi Aug. conjux! & Augusti duo fratres, Fulvius Julius Quietus, & Fulvius Julius Macrianus. Sic enim ille in nummo Græco inscribitur, qui est apud D. DE BOZE: ΑΥΤ. ΦΟΥΛ. ΙΟΥ ΚΥΗΤΟC C hoc est, Σεβαστὸς. Iste, ΑΥΤ. Φ. ΙΟΥΛ. ΜΑΚΡΙΑΝΟC. Ε. CΕΒ. Εὐσεβὴς Σεβαστὸς, Pius Aug.

9. *Tutelæ Capitolii redemptor.*] Qui certo pretio Capitolii tutelam susceperat, ut illud sartum tectum, integrumque tueretur. Livius, lib. 24 pag. 251. *Cum Censores ob inopiam ærarii se jam locationibus abstinerent ædium sacrarum tuendarum,* &c.

10. *Argenteos esse clypeos.*] Fuit præterea aliud clypeorum genus, quod nimirum muneris loco mittebatur Principibus vel Augustis. Ejusmodi ille fuit *aureus magnus, pondo minarum mille*, quem Simon Judæ Machabæi frater populo Romano misit, *ad statuendam cum eis societatem*. 1. Mach. XIV. 24. Pondus id fuit centum millium denariorum argenteorum. Ejusdem generis clypeos videre est pictos in nummo Antonini Pii ex ære magno in Gaza Regia, & apud Angeloni, pag. 171. ex ære mediocri in Museo nostro. Clypei duo sunt insigni arte elaborati. Hinc S inde C *Senatusconsulto*. Infra ANCILIA. Hæc esse *arma cælestia*, sive cælo lapsa, magna fabulositate quidam finxerunt. Hic certe non sunt. Nam quid ad Antoninum arma cælestia pertinent? Sententia hic latet totidem vocum, quot litteræ sunt: *Augures Narbonenses Clypeos Insignes Legaverunt Imperatori Antonino.* De hujusmodi clypeis dicemus adhuc inferius.

Sect. V. 1. *Græci .... Sicyone.*] Idem Plinius inferius, sect. 40. num. 24. de pictora Pausia: *Sicyone & hic vitam egit;*

[1] omnes umbra hominis lineis circumducta. Itaque talem primam fuisse: [3] secundam singulis coloribus, [4] & monochromaton dictam, postquam operosior inventa erat: duratque talis etiam nunc. Inventam linearem dicunt a Philocle Ægyptio, [5] vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius, & Telephanes Sicyonius, sine ullo etiamnum
5 colore, jam tamen [6] spargentes lineas intus. [7] Ideo & quos pingerent, adscribere institutum. Primus invenit eas colorare, [8] testa (ut ferunt) trita, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium fuisse, quem tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Prisci Romani regis patrem, fugientem a Corintho injurias [9] Cypseli tyranni, [10] mox docebimus.

10 VI. Jam enim absoluta erat pictura etiam in Italia. Exstant certe hodieque antiquiores Urbe picturæ Ardeæ in ædibus sacris, [1] quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durantes in orbitate recti, veluti recentes. Similiter Lanuvii, ubi [2] Atalanta, & Helena, cominus pictæ sunt nudæ ab eodem artifice, utraque excellentissima forma, sed altera ut virgo: ne ruinis quidem templi concussæ. [3] Caïus Princeps eas tollere conatus
15 est, libidine accensus, si tectorii natura permisisset. [4] Durant & Cære, antiquiores & ipsæ. Fatebiturque, quisquis eas diligenter æstimaverit, nullam artium celerius consummatam, [5] cum Iliacis temporibus non fuisse eam appareat.

CAP. IV. VII. Apud Romanos quoque honos mature huic arti contigit. Siquidem cognomina ex ea [1] Pictorum traxerunt Fabii clarissimæ gentis, princepsque ejus, cognominis ipse,
20 [2] ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ CCCCL. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta. Proxime celebrata est, [3] in Foro boario æde Herculis, [a] Pacuvii poëtæ pictura. [4] Ennii sorore genitus hic fuit: clarioremque eam artem Romæ fecit gloria scenæ. [b] Postea non est spectata honestis manibus: nisi forte quis Turpilium Equitem Romanum e Venetia nostræ ætatis velit referre, hodieque pul-
25 cris ejus operibus Veronæ exstantibus. Læva is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur. Parvis gloriabatur tabellis, extinctus nuper in longa senecta, [5] Antistius Labeo.

INTERPRETATIO.

a *Pacuvii.*] A Pacuvio poëta, eodemque pictore, elaborata.

b *Postea.*] Post illud tempus non est animadversum artem eam tractari honestorum virorum manibus.

NOTÆ.

dumque fuit illa patrea picturæ.

2. *Omnes umbra.*] Omnes initia picturæ in hoc posita esse aiunt, ut umbra hominis, aut alterius similiter rei, lineis tantummodo describeretur sine ullo colore. Idem ferme tradit Athenagoras in legat. pro Christ. auctoremque ejus picturæ Sauriam quemdam nominat, pag. 16. Καὶ σκιαγραφίας μὲν εὑρέσθαι ὑπὸ Σαυρίου, ἵππον ἐν ἡλίῳ περιγράψαντος. *Umbratilem enim picturam, equi umbra in Sole circumscripta Saurias invenit.* Vetustissimam hanc picturam linearem σκιαγραφίαν vocat, quo nomine hodie designamus adumbrationem primam in picturæ operibus, quæ veluti initium est, exordiumque reliquorum. *Primus tantum lineis*, ut ait Quintilianus, lib. 4. cap. 2. pag. 517. illa constabat: atque, ut idem alibi, *lineas modo extremas umbræ, quam corpora in Sole fecissent, circumscribebant.* Solebat hoc genus picturæ *monogrammum* vocari, quod una simplicique linea constabat. Nonius, cap. 1. num. 168. *Monogrammi dicti sunt homines macie pertenues ac decolores: tractum a picturæ, quæ prius quam coloribus corporatur, umbra fingitur.* Ad eam allusit picturam Cicero, lib. 2. de Nat. Deor. cum Monogrammos Deos vocat.

3. *Secundam singulis.*] Alterum hoc genus picturæ, coloratum scilicet, sed colore unico, qui tabulæ toti æqualiter inducitur.

4. *Et monochromaton.*] Μονοχρώματον, vel μονόχρωμον, ab uno colore. Picturam hanc monochromaton Quintilianus appellat simplicem colorem, lib. 12. cap. 10. pag. 893. *Clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus, atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet*, &c. Monochromata Dalecampius cum monogrammis, quæ fuere coloris expertia, male confundit.

5. *Vel Cleanthe.*] Alter hic a Cleanthe Corinthio, cujus picturas laudat Strabo, lib. 8. pag. 343.

6. *Spargentes lineas.*] Altera hæc linearis pictura est, rudiore illa perfectior, quæ primo loco explicata est: nam illa lineis tantum fiebat comprehendentibus exteriorem pingendæ rei ambitum: hæc plurimas addebat alias intus pro umbræ ratione sparsas. Nominatur hæc alias etiam *graphis*, Græca imitatione. Vitruvius, lib. 1. cap. 1. ubi loquitur de architecto: *Debere ait graphidos scientiam habere, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit operis speciem, deformare valeat.* Neque enim solent exemplaria ædificiorum aliter, quam pictura lineari confici. Hoc vero inventum picturæ linearis Cratoni Athenagoras attribuit, loco ante cit.

7. *Ideo & quos.*] Per initia adeo rudis pictura fuit, ut ex lineis vultus hominis aut animalis agnosci non posset, nisi nomen adscriberetur. Ælianus, lib. 10. Var. hist. cap. 10. Οὕτως ἄρα ἀτέχνως εἴκαζον τὰ ζῶα, ὥστε ἐπιγράφειν αὐτοὺς τὰ ὀνόματα, τοῦτο βοῦς, ἐκεῖνο ἵππος.

8. *Testa, ut ferunt, trita.*] Rubro igitur colore.

9. *Cypseli.*] Qui Corinthiorum tyrannus fuit, Eetionis F. de quo Herod. lib. 1. Clio, num. 14. pag. 6. Κύψελος ὁ Ἠετίωνος.

10. *Mox docebimus.*] Sect. 43.

Sect. VI. 1. *Quibus equidem.*] De hac loquendi formula diximus in Notis & Emend. ad librum 14. num. XII.

2. *Atalanta & Helena.*] Hæc belli Trojani causa; illa apri Ætoliam devastantis, ut ferunt fabulæ, vulneratrix: a Meleagro deinde adamata.

3. *Caius Princeps.*] Sic codices nostri omnes, ac Pintiani. Ex inepta superiorum vocum repetitione, fecerant Plinii editores, *Pontius legatus Caii Principis.*

4. *Durant & Cære.*] Urbe Etruriæ, de qua lib. 3. in Geographicis.

5. *Cum Iliacis temporibus.*] Quibus temporibus in Achillis clypeo cælaturam exstitisse vidimus paulo ante.

Sect. VII. 1. *Pictorum.*] Caput princepsque gentis C. Fabius, M. F. qui primus Pictor e re ipsa cognominatus, quod ædem Salutis pinxit, quam C. Junius Bubulcus Censor locarat, dedicaratque, anno Urbis CCCCL. cum eam Consul Samnitium bello vovisset. Auctor Livius, lib. 10. pag. 170. Filius ei fuit C. Fabius Pictor, qui post annos XXXV. in Consulatu nummum argenteum primo cudi jussit, ut diximus lib. 33. sect. 13. anno Urbis CCCCLXXXV. Ex hac ortum familia constat Q. Fabium Pictorem, quem in Auctorum Indice, Romanorum omnium historiæ conditorum antiquissimum esse diximus. Post cladem Cannensem, quæ contigit anno DXXXVIII. missus est Delphos ad Apollinem Legatus. Vide de tota ea Pictorum familia plura apud Ger. Jo. Vossium, lib. 1. de hist. Lat. cap. 3.

2. *Ædem Salutis.*] Regione Urbis sexta: *Templum Salutis in colle Quirinale*, inquit P. Victor, in descript. Romæ.

3. *In Foro boario.*] P. Victor, regione Urbis octava: *Forum Boarium .... Ædes Herculis Victoris .... in foro boario, cognomine rotunda & parva.*

4. *Ennii sorore.*] Numantini belli temporibus claruit, *Tragœdiæ scriptor clarissimus, gravitate sententiarum, verborum pondere & auctoritate personarum*, inquit Fabius, lib. 10. cap. 1. pag. 749.

5. *Antistius Labeo.*] Dixi de eo in Auctorum indice.

Prætorius, etiam Proconsulatu provinciæ Narbonensis functus. Sed ea res in risu & contumelia erat. Fuit & principum virorum non omittendum de pictura celebre consilium. Qu. Pedius, [6] nepos Qu. Pedii Consularis triumphalisque, a Cæsare Dictatore coheredis Augusto dati, cum natura mutus esset, eum Messala Orator, ex cujus familia pueri avia erat, picturam docendum censuit, idque etiam Divus Augustus comprobavit. Puer magni profectûs in ea arte obiit. Dignatio autem præcipua Romæ increvit (ut existimo) a M. Valerio Max. Messala, qui princeps tabulam picturæ prælii, quo Carthaginienses [7] & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere [8] Curiæ Hostiliæ, [9] anno ab Urbe condita CCCCXC. Fecit hoc idem & [10] L. Scipio, tabulamque victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit: Idque ægre tulisse fratrem Africanum tradunt, haud immerito, [11] quando filius ejus in illo prælio captus fuerat. Non dissimilem offensionem & [12] Æmiliani subiit Lucius Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus oppugnationesque depictas proponendo in Foro, & ipse assistens populo spectanti singula enarrando: qua comitate proximis comitiis [13] Consulatum adeptus est. Habuit & scena [14] ludis Claudii Pulcri magnam admirationem picturæ, cum ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent.

VIII. Tabulis autem externis auctoritatem Romæ publice fecit primus omnium Lucius Mummius, cui cognomen Achaïci victoria dedit. Namque cum in præda vendenda rex Attalus [1] VI. sestertiûm emisset tabulam Aristidæ, Liberum Patrem, pretium miratus, suspicatusque aliquid in ea virtutis, [2] quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, [3] & in Cereris delubro posuit: quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam. Deinde video & in Foro positas vulgo. Hinc enim ille [4] Crassi oratoris lepos agentis [5] sub Veteribus, cum testis compellatus instaret: Dic ergo, Crasse, qualem me reris? Talem, inquit, ostendens in tabula pictum inficetissime Gallum exserentem linguam. In Foro fuit & illa pastoris senis cum baculo, de qua Teutonorum legatus respondit, interrogatus, quanti eum æstimaret, sibi donati nolle talem vivum, veruntque.

IX. Sed præcipuam auctoritatem fecit publice tabulis Cæsar Dictator, Ajace & Medea [2] ante Veneris Genetricis ædem dicatis. Post eum M. Agrippa, vir rusticitati propior quam deliciis. Exstat certe ejus oratio magnifica, & maximo civium digna, de tabulis omnibus signisque [a] publicandis: quod fieri satius fuisset, quam in villarum exsilia pelli. Verum eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis & Veneris mercata est a Cyzicenis [3] x.

INTERPRETATIO.

a *Publicandis.*] In publico exponendis

NOTÆ.

6. *Nepos Q. Pedii.*] Qui sorore C. Julii Cæsaris prognatus, Consulatum cum Octavio consobrino gessit, Hirtio & Pansa apud Mutinam cæsis: hereditatisque Cæsarianæ parte sua Octavio cessit. Hoc de eo referunt Tullius, Paterculus, Suetonius, Appianus, Dio.

7. *Et Hieronem.*] Syracusarum regem, bello Punico primo.

8. *Curiæ Hostiliæ.*] P. Victor in descript. Romæ, Regione secunda: *Regia Tulli Hostilii, templumque, quod is in Curiam redegit, ordine a se aucto, id est, Patribus minorum gentium.*

9. *Anno ab Vrbe* CCCCXC.] Ante Parilia anni CCCCXCI. ut diximus lib. 7. sect. 60.

10. *L. Scipio.*] Asiaticus, Africani prioris frater.

11. *Quando filius ejus.*] Africani scilicet. Vide Livium, lib. 37. pag. 459. & Valerium Max. lib. 2. cap. 10. num. 2. pag. 134. Hunc a militibus interceptum rex Antiochus, bello quod cum Romanis gerebat, honoratissime excepit, regiisque muneribus donatum, ultro & celeriter patri remisit.

12. *Æmiliani.*] Scipionis Africani sequentis, qui ab Æmilia conjuge, Æmilii Pauli filia dictus est Æmilianus, ut Domitianus a Domitia, & alii similiter.

13. *Consulatum adeptus est.*] Cum M. Æmilio Lepido, Urbis anno DCIX. cum anno superiore DCVIII. capta Carthago esset. Is est Hostilius Mancinus, qui Numantinis deditus jussu Senatus, a suis desertus ante Numantiæ portas, nec receptus ab hostibus, illacrymabile utrisque spectaculum præbuit, ut ait Orosius, lib. 5. cap. 4.

14. *Ludis Claudii Pulcri.*] De his ludis, ornatuque picturarum, Valer. Max. lib. 2. cap. 4. num. 6. pag. 99. *C. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam.*

Sect. VIII. 1. *VI.*] Hoc est, sexies centenis sestertiûm millibus: monetæ Gallicæ libras ea efficiunt omnino 60000.

2. *Quod ipse nesciret.*] L. Mummius, qui Corinthum diruit, *tam rudis fuit*, inquit Velleius, lib. 1. pag. 5. *ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros.*

3. *Et in Cereris delubro.*] Regione Urbis undecima.

4. *Crassi Oratoris.*] Simile plane quod de C. Julio Cæsare narratur a Tullio, lib 2. de Orat. num. 266. *Vt meum illud, inquit Cæsar, in Helvium Manciam: Jam ostendam cujusmodi sis: cum ille, Ostende, quæso: demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, sub Novis, distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus. Risus est commotus: nihil tam Manciæ simile visum est.* Et a Fabio, lib. 6. Institut. cap. 3. pag. 472. *Vt fecit C. Julius, qui cum Helvio Manciæ sæpius obstrepenti sibi diceret, Jam ostendam qualis sis: isque plane instaret interrogatione, qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstravit imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum simillimus est visus. Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum.*

5. *Sub veteribus.*] Tabernis scilicet circa forum positis: uti non modo ex Fabii allato proxime loco conjicimus, sed etiam ex Livio, lib. 3. pag. 58. *Prope Cloacinæ, ad Tabernas, quibus nunc Novis est nomen.* Sub his, non sub Veteribus, id a Julio Cæsare dictum fuisse, Tullius est auctor. Non debent hic Rostra vetera intelligi, quanquam pro *Rostris Veteribus* laudatum a Druso Augustum, apud Tranquillum legimus, cap 100. Sed Meniana Vetera, de quibus nos iterum inferius, sect. 37. Ibi & Curias Veteres fuisse suspicamur: de quibus Varro, de ling. Lat. *Curiæ duorum generum: nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres: & ubi Senatus humanas, ubi Curia Hostilia fuit.* Et Livius, lib. 44. pag. 566. *Ædes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum.* Fuit porro Vortumni ædes in octava regione, in qua & Forum & Rostra, ex P. Victore.

Sect. IX. 1. *Ajace & Medea.*] Attigit hoc jam antea Plinius, lib. 7. sect. 39.

2. *Ante Veneris.*] Regione Urbis octava. Quid sit *Venus Genetrix*, diximus ad librum secundum, pag. 89.

3. *X III.*] Ita MSS. omnes. Hoc est, denariûm tribus millibus: sive, quod idem est, sestertiûm duodenis millibus. Gallicæ monetæ libras faciunt 1200.

III. [4] In Thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat parvas tabellas; paulo ante cum reficerentur, sublatas.

X. Super omnes Divus Augustus [1] in Foro suo celeberrima in parte posuit tabulas duas, [2] quæ belli pictam faciem habent & triumphum. Idem Castores ac Victoriam posuit, & quas dicemus sub artificum mentione, in templo [3] Cæsaris patris. Idem in Curia quoque, quam [4] in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti: [5] Nemeam sedentem supra leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, cujus supra caput tabula bigæ dependet, [6] Nicias scripsit se [7] inussisse: tali enim usus est verbo. Alterius tabulæ admiratio est, puberem filium seni patri similem esse, salva ætatis differentia, supervolante aquila draconem complexa. [8] Philochares hoc suum opus esse testatus est. Immensa, vel unam si quis tantum hanc tabulam æstimet, potentia artis, cum propter Philocharem, ignobilissimos alioqui [9] Glaucionem filiumque ejus Aristippum, Senatus populusque Romanus tot sæculis spectet. Posuit & Tiberius Cæsar minime comis Imperator, in templo ipsius Augusti, [10] quas mox indicabimus.

Cap. V. XI. Hactenus dictum sit de dignitate artis morientis. [1] Quibus coloribus singulis primi pinxissent, diximus, cum de pigmentis traderemus in metallis. Qui monochromatea genera picturæ vocaverint, qui deinde, & quæ quibus temporibus invenerint, dicemus in mentione artificum, quoniam indicare naturas colorum, causa instituti operis prior est. Tandem se ars ipsa distinxit, & invenit [2] lumen atque umbras, [a] [3] differentia colorum alterna vice sese excitante. Deinde adjectus est splendor, [5] alius hic quam lumen: quem quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt tonon: [6] commissuras vero colorum & transitus, harmogen.

Cap. VI. XII. Sunt autem colores [1] austeri, aut floridi. Utrumque natura, aut mixtura evenit. Floridi sunt, [2] quos dominus pingenti præstat: minium, Armenium, cinnabari, chrysocolla, Indicum, purpurissum. Ceteri austeri. [3] Ex omnibus alii nascuntur, alii fiunt. [4] Nascuntur Sinopis, rubrica, Parætonium, Melinum, Eretria, auripigmentum. Ceteri finguntur, primumque [5] quos in metallis diximus. Præterea e vilioribus, ochra, [6] cerussa usta, sandaracha, sandix, Syricum, atramentum.

Interpretatio.

a *Differentia.*] Diversis coloribus alternatim se se excitantibus.

Notæ.

4 *In Thermarum.*] Thermæ Agrippæ, regione Urbis nona fuere.

Sect. X. 1. *In foro suo.*] Forum Augusti, in regione Urbis octava

2. *Quæ belli, . . . & triumphum*] Post victoriam Actiacam. De hisce tabulis, totoque triumphi apparatu, Dio, lib. 51. pag 459.

3 *Cæsaris patris.*] P. Victor, in descript. Romæ, regione octava: *Templum Julii Cæsaris in Foro.*

4. *In Comitio.*] Comitium, inquit Asconius in 3. contra Verrem, locus est prope Senatum, quo coire Equitibus & Populo Rom. licet.

5. *Nemeam*] Νεμέα silva Peloponnesi fuit, in qua leonem Hercules interfecit: unde Nemeæa sacra postea celebrata. Ut porro Urbes ipsas ac regiones, sic muliebri statu habituque silvas antiqui pinxere, cum insigni aliquo: ut, exempli gratia, Nemeam cum palma, ac leone. Pictam ab Aristophonte Nemeam, quæ Alcibiadem in complexu suo teneret, prodidit Plutarchus in Alcibiade, pag. 199

6. *Nicias.*] Pictor Atheniensis, de quo inferius sect. 40. num. 28.

7. *Inussisse.*] Hoc est, pinxisse encaustica ratione, de qua dicemus sect. 39 Inscripsit is igitur geminæ huic tabulæ suum nomen in hunc modum: Ο ΝΙΚΙΑΣ ΕΝΕΚΑΥΣΕΝ. Atque adeo e tribus operibus, quæ absolute fuisse inscripta, ILLE FECIT, indicavit Præfatio ad Titum, pag 11. duo hæc sunt Niciæ: tertium Lysippi, de quo inferius sect 39.

8. *Philochares.*] Φιλοχάρης.

9 *Glaucionem filiumque*] Pictos in ea tabula: homines ceteroqui ignobiles: quorum laus tota ab ea pictura, commendatioque petitur. Cave Aristippum existimes Philosophum eum Cyrenæum esse, cujus vitam Laertius describit, lib. 2. pag 49. cum hujus patrem Suidas Ἀρετάδην vocet.

10. *Quas mox indicabimus.*] Sect. 40. num. 28.

Sect XI 1. *Quibus coloribus.*] Cinnabari, minio Ephesio, rubrica, Sinopide, ut dictum est lib 33. sect. 39.

2 *Lumen atque umbras.*] Hæc propria pictorum vocabula: opacitas, quæ atro colore efficitur, umbra: claritas, quæ candido colore præstatur, lumen.

3 *Differentia colorum*] His verbis signat se jam non de monochromatis picturis amplius agere, sed de polychromatis. Quod Latini aiunt, umbris in pictura colorum claritates excitari, Galli sic reddunt: *Les ombrages d'une peinture rehaussent l'eclat des couleurs.*

4. *Splendor.*] Coloris vigor: Græce, τόνος. Est enim in omnibus nimirum coloribus languor quidam in defectu, cui oppositus est vigor, feriens ac percellens oculos acrimonia coloris. A luce & colore plurimum differt. Nam cum lux conficiatur albo, hic fit suo genere coloris, etiam in monochromatis picturis. in rubris rubro, in cæruleis cæruleo. Nec tamen rubrum tantum est, aut cæruleum: sed hujus illiusque quoddam veluti fastigium, cum validius intenduntur, vegetumque fulgorem accipiunt. Atque illud fuit post nativos colores demum, post lucem umbramque inventum, singulari præparatione, purificatione, mixtione, uniusque cum altero colore inductione erudita, quam falsationem vulgo vocant. Ita fere Schefferus, lib. de arte pingendi, pag. 138.

5 *Alius hic quam lumen.*] Non igitur luminis intensio est, ut Vossio placuit, Junioque: maxime cum Plinio teste, *inter hoc*, id est, inter lumen, *umbramque sit*. nam quod est inter utrumque, ex his alterum esse non po est, nedum alterius intensio, sive incrementum.

6 *Commissuras.*] Incisuras vocavit, lib. 33. sect ult nunc cum Græcis ἁρμογήν Consistit in eo hæc commissura, ut unus color cum altero apte committatur, ut paulatim minuantur, misceanturque sic, ut transire unus in alterum in confinio videatur. Quod nisi apte fiat, neque luci, neque umbræ sua ratio constabit.

Sect XII. 1. *Austeri, aut floridi*] Austerum colorem Græci vocant τὸ βαρὺ καὶ σκυθρωπὸν χρῶμα. Galli, *couleur chargée, qui n'a point d'eclat.* Floridum illi, τὸ ἀνθηρὸν χρῶμα, isti *couleur vive.*

2 *Quos dominus.*] Qui picturam, seu tabulam faciendam locat Hic colores qui modo appellantur, emebat de suo, præstabatque pictori, propter magnitudinem pretii.

3. *Ex omnibus*, &c.] Alii, inquit, colores nativi sunt, alii fictitii. Vide Notas & Emend. num IV.

4. *Nascuntur*, &c] Isidorus, lib. 19. cap 17.

5. *Quos in metallis diximus.*] Ut ærugo, de qua superiore libro.

6. *Cerussa usta.*] Quæ & adulterina sandaracha tum appellatur, ut dicetur sect. 22.

XIII. [1] Sinopis inventa est primum in Ponto: inde nomen a Sinope urbe. Nascitur & in Ægypto, Balearibus, Africa: sed optima in Lemno, [2] & in Cappadocia, effossa e speluncis. Quæ saxis adhæsit, excellit. [3] Glebis suus colos, extra maculosus. Hacque usi sunt veteres ad splendorem. [4] Species Sinopidis tres, rubra, & minus rubens, & inter has media. Pretium optimæ [5] in libras, X. III. Usus ad penicillum, aut si lignum colorare libeat. Ejus, quæ ex Africa venit, [6] octoni asses: [7] cicerculum appellant. Quæ magis ceteris rubet, [8] utilior abacis. [9] Idem pretium ejus, [10] quæ pressior vocatur, & est maxime fusca. Usus ejus ad bases abacorum. [11] In medicina vero blandus, emplastrisque & malagmatis, [12] sive sicca compositione ejus, sive liquida, facilis: contra hulcera [b] in humore sita, veluti oris, sedis. [13] Alvum sistit infusa: feminarum profluvia, pota, denarii pondere. Eadem adusta siccat scabritias oculorum, e vino maxime.

XIV. [1] Rubricæ genus in ea voluere intelligi quidam secundæ auctoritatis: palmam enim Lemniæ dabant. Minio proxima hæc est, multum antiquis celebrata, cum insula, in qua nascitur. [2] Nec nisi signata venumdabatur: unde & sphragidem appellavere. Hac minium sublinunt adulterantque. In medicina, præclara res habetur. Epiphoras enim oculorum mitigat & dolores circumlita. Ægilopas manare prohibet. [3] Sanguinem rejicientibus ex aceto datur bibenda. Bibitur & contra lienum renumque vitia, & purgationes feminarum. [4] Item & contra venena, & serpentium ictus terrestrium marinorumque, omnibus ideo antidotis familiaris.

XV. Ex reliquis rubricæ generibus, [1] fabris utilissima Ægyptia & Africana, quoniam maxime [2] sorbentur picturis. Nascitur autem & in ferrariis metallis.

XVI. [1] Ex ea fit ochra, exusta rubrica in ollis novis luto circumlitis. [2] Quo magis arsit in caminis, hoc melior. [3] Omnis autem rubrica siccat, ideoque & emplastris convenit, igni etiam sacro.

XVII. Sinopidis Ponticæ selibra, [1] silis lucidi libris x. & melini [2] Græciensis duabus mixtis tritisque una, per dies XII. [3] leucophoron fit, hoc est, glutinum auri, cum inducitur ligno.

XVIII. [1] Parætonion nomen loci habet ex Ægypto: spumam maris esse dicunt soli-

INTERPRETATIO.

a *In humore.*] In locis humidis.

NOTÆ.

Sect. XIII. 1. *Sinopis*, &c.] Genus est rubricæ laudatissimæ Vitruvius, lib. 7. cap. 7. pag. 139. *Rubrica copiose multis locis eximuntur, sed optima paucis, ut in Ponto Sinope, & Ægypto, & in Hispania Balearibus, non minus etiam Lemno, cujus insulæ vectigalia Atheniensibus S. P. Q. R. concessit fruenda.* Diosc. lib. 5. cap CXI. Μίλτος Σινωπική.

2. *Et in Cappadocia.*] Aetius, lib 2. cap. 5. pag. 49. Πρωτεύει δὲ πάσης ἡ Σινωπικὴ μίλτος καλουμένη, γινομένη καὶ ἐν Καππαδοκίᾳ. Sic & Diosc. loc. cit. Συλλέγεται δὲ ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ ἐν σπηλαίοις τισί.

3. *Glebis suus colos.*] Intus colos est glebis unicus ac simplex, ὁμόχροος, inquit Diosc. extra varius, instar macularum.

4. *Species Sinopidis.*] Isidorus, ad verbum, lib. 19. Orig. cap. 17.

5. *In libras X. III.*] Denarii tres, Gallicæ monetæ asses æreí quatuor ac viceni.

6. *Octoni asses.*] Subintellige pretium in libras.

7. *Cicerculum appellant.*] Unde cicerculus color, qui vulgo *griseus* appellatur, *gris*, *gris brun.* Joan. Bapt. Confectius, in Collect. Privil. Mendic. ubi de Honorio IV. Papa: *Fratribus Carmelitanis hispida & inculta palla indutis, cappam albam super tunica & scapulare cicerculi coloris concessit.*

8. *Utilior abacis.*] Abaci hoc loco figuræ quadratæ vocantur, ad parietum ornamenta, variis distinctæ coloribus: vulgus apud nos *Compartimenta* nuncupat. De his sect. 2.

9. *Idem pretium.*] Octoni asses.

10. *Quæ pressior.*] Coloris magis obscuri, magisque fusci. Presso saturum opponitur, ut alibi monuimus.

11. *In medicina.*] Diosc. lib. 5. cap. CXI.

12. *Sive sicca.*] Sive sicca ex ea emplastra fiant, sive diluatur. Et pastillos exsiccantes adstrictoriosque componi ex ea, auctor est Diosc. loc. cit.

13 *Alvum sistit infusa.*] Clystere. Ἵστησι δὲ καὶ κοιλίαν ἐν ᾠῷ λαμβανομένη, καὶ ἐγκλυζομένη. Diosc. loc. cit.

Sect. XIV. 1. *Rubricæ*] *Terre rouge:* quo in genere quidam Sinopicæ secundum locum assignabant: Lemniæ, primam auctoritatem.

2. *Nec nisi signata.*] Diosc lib. 5. cap. 113. de terra Lemnia: ἣν οἱ ἐκεῖ ἄνθρωποι ἀναμιγνύοντες καὶ σφραγίζοντες αἰγὸς, Σφραγῖδα καλοῦσιν αἰγός. *Hanc deinde intrita coactam in pastillos, capræ imagine signant: unde & sphragida agos, hoc est, capræ sigillum appellatere.* Dianæ imagine signari Galenus ait, lib. 9. de fac. simpl. med. pag. 246. quod Dianæ scilicet capra sacra foret. Quæ terra Lemnia sigillataque Dioscoridi & Galeno dicitur, eadem rubrica Lemnia a colore nominata est. Vide Aldrov. lib. 2. de metall. cap. 17. pag. 263. Nunc Turcici Imp. sigillo signatur. Iconem Bellonius αὐτόπτης exhibet, lib. 1. Observ. pag. 22. Vide etiam librum inscriptum, *Mélanges d'histoire & de litterature*, tom. 2. pag. 319. & 320.

3. *Sanguinem*, &c.] Ita Galenus, loc. cit. pag. 249. Aëtius item, lib. 2. cap. 4. pag. 48. cum oxycrato, μετ' ὀξυκράτου. Quin & aspersu ejus terræ sanguinem cohiberi scribit Theod. Priscianus, lib. 2. parte 1. cap 9. vel per se, vel ex aceto si illinatur. Adstringendi vim pariter, ut Lemnia, ea habet quæ nunc ad nos e Lusitania devehitur: pariterque a signo eidem impresso, sigillata dicitur: *La terre sigelée est astringeante.*

4. *Item & contra.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 113. Galenus & Aetius locis cit. Bellonius item in Observ. lib. 1. cap. 23.

Sect. XV. 1. *Fabris utilissima.*] Non item medicinis. Diosc. lib. 5. cap. 12. Ἡ δὲ τεκτονικὴ μίλτος ἥσσων ἐστὶ τῆς Σινωπικῆς. Ἀρίστη δὲ ἡ Αἰγυπτιακὴ, καὶ Καρχηδονιακή, &c. *Rubrica fabrilis*, &c.

2. *Sorbentur picturis.*] Colorem, quo a fabris rubrica ea gemina tingitur, celeriter utraque sorbet. Sic *creta* sect. 16. *rubeam cogitur sorbere.* Digna risu Salmasii conjectura legentis, *directuris*, quam vocem nec Latinæ aures, nec loci hujus sententia ferat.

Sect. XVI. 1. *Ex ea fit ochra*, &c.] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 17. Cardanus item, lib. 5. de subtil. Sed & ochra vicissim exusta similitudinem quamdam fieri rubricæ auctor est Diosc. loc. cit. Et Theophr. libro περὶ λίθων. Γίνεται μίλτος καὶ ἐκ τῆς ὤχρας κατακαιομένης.

2. *Quo magis.*] Isidorus, loc. cit.

3. *Omnis autem.*] Diosc. lib. 5. cap. CXI. de rubrica universe: Δύναμιν δὲ ἔχει ξηραντικὴν, ἐμπλαστικήν. Διὸ καὶ ἐμπλάστροις τραυματικοῖς μίγνυται.

Sect. XVII. 1. *Silis lucidi.*] Hoc est, ochræ, ut diximus lib. 33. sect. 56.

2. *Græciensis.*] Græciense pro Græco dixit etiam Gellius lib. 19. cap. 10.

3. *Leucophorum fit.*] Sic MSS. omnes, editique: tum hoc loco, tum lib. 33. sect. 20. tum demum in indice: frustra quibusdam *chrysophoron* rescribentibus.

Sect. XIII. 1. *Paratonion.*] Hæc totidem verbis Vitru-

datam cum limo, & ideo conchæ minutæ inveniuntur in eo. Fit & in Creta insula, atque Cyrenis. Adulteratur Romæ creta Cimolia decocta, conspissataque. Pretium optimo [2] in pondo sex, x. i. [3] E candidis coloribus pinguissimum, & tectoriis tenacissimum, propter lævorem.

5 XIX. [1] Melinum candidum & ipsum est, optimum in Melo insula. In Samo quoque nascitur: [2] sed eo non utuntur pictores propter nimiam pinguitudinem. [3] Accubantes effodiunt ibi, inter saxa venas scrutantes. [4] In medicina eumdem usum habet, quem Eretria creta. Præterea linguam tactu siccat. Pilos detrahit [5] & mitigat. Pretium in libras sestertii singuli. Est & colos tertius e candidis, cerussæ, cujus rationem [6] in plum-10 bi metallis diximus. [7] Fuit & terra per se in Theodoti fundo inventa Smyrnæ, qua veteres ad navium picturas utebantur. [8] Nunc omnis ex plumbo & aceto fit, ut diximus.

XX. [1] Usta casu reperta incendio Piræi, cerussa in orcis cremata. Hac primus usus est [2] Nicias supra dictus. Optima nunc Asiatica habetur, quæ & purpurea appellatur. 15 Pretium ejus [3] in libras x. vi. [4] Fit & Romæ cremato sile marmoroso, & restincto aceto. Sine usta non fiunt umbræ.

XXI. [1] Eretria terræ suæ habet nomen. Hac Nicomachus, & Parrhasius usi. [2] Refrigerat, emollitque. Explet vulnera, si coquatur, ad siccanda præcipue utilis, & capitis doloribus, & [3] ad deprehendenda pura. [4] Subesse enim ea intelliguntur, si ex aqua illita 20 [5] non arescat.

XXII. [1] Sandaracham & ochram Juba tradit in insula Rubri maris Topazo nasci: [2] inde nunc pervehuntur ad nos. [3] Sandaracha quomodo fieret, diximus. [4] Fit & adulterina ex cerussa in fornace cocta. [5] Colos esse debet flammeus. Pretium in libras, asses quini.

25 XXIII. Hæc si torreatur æqua parte rubrica admixta sandicem facit. ([2] Quanquam animadverto Virgilium existimasse herbam id esse, illo versu:

Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.)

Pretium in libras, dimidium ejus, quod sandarachæ. Nec sunt alii colores majoris ponderis.

Notæ.

vius, lib. 7. cap 7. pag. 139. De Parætonio, lib. 5. sect. 6. Non aliud est quod in nostro hoc orbe, ut in Saxonia, invenitur, & Parætonium appellatur: creta nempe litoralis candidissima, glutinosa, pinguis, quæ colligi sine limo & marina spuma non potest: in qua & conchas minutulas delitescere interdum notatur. Vide Agricolam, lib. 2. de nat. fossil. pag. 202. In causa id fuit, cur spumam maris esse Parætonium dicerent cum limo solidatam.

2. *In pondo sex, x. i.* Hoc est, in sex libras denarius unus. In Reg. 2. & alii. Editi hactenus libri perperam, *in pondo sexdecim.*

3. *E candidis.*] Plinius supra, lib. 33. sect. 27. *Parætonium, quoniam est natura pinguissimum, & propter lævorem tenacissimum, atramento aspergunt, ne Parætonii candor pallorem chrysocollæ afferat.*

Sect. XIX. *Melinum, &c.*] Totidem verbis Isidorus, loc. cit. Melinum metallum appellat Vitruvius, lib. 7. cap. 7. pag. 139. Diosc. lib. 5. cap. 180. Meliam terram ait colore ciineream Eretriam imitari: Ἡ δὲ Μηλία τὴν μὲν χρόαν ἐξ αὐτῆς ἐστιν ἐμφερὴς Ἐρετριάδι τῇ σποδοειδεῖ. Sed Eretria terra gemina est, teste Diosc. l. 5. c. 171. altera vehementer alba.

2. *Sed eo non utuntur.*] Samio nempe metallo, teste Theophr. lib. περὶ λίθων, pag. 13. Διὰ τὸ λίπος ἔχειν, καὶ πυκνότητα, &c. At utuntur Melino, teste eodem Theophr. & Dioscor. loc. cit.

3. *Accubantes effodiunt ibi.*] In Samo. Theophr. loc. cit.

4. *In medicina.*] Diosc. hæc totidem fere verbis, de terra Melia, lib. 5. pag. 180.

5. *Et mitigat.*] Extenuat, λεπτύνει τὰς τρίχας, Dioscor. loc. cit.

6. *In plumbi metallis diximus.*] Libro 34. sect. 54.

7. *Fuit & terra per se.*] Fuit, inquit, & ad colorem candidum terra quædam apta cerussæ plane par, & eo quoque nomine, nec tamen e plumbo, sed ex ipsa tellure per se nota, quasi nativa cerussa. Vitruvius, lib. 7. cap. 7. pag. 139. terram, seu cretam viridem vocat. *Creta viridis,* inquit, *pluribus locis nascitur: sed optima Smyrnæ. Hanc autem Græci Theodótion vocant, quod Theodotus nomine fuerat, cujus in fundo id genus cretæ primum est inventum.* Fuit nimirum, ut Fallopius animadvertit, lib. 5. cap. 18. diversus cerussæ colos, apud antiquos: cum alia candidissima foret, alia minus, alia rubescens, alia livida: quæ forsan viridis a Vitruvio appellatur.

8. *Nunc omnis.*] Cerussa videlicet, ut diximus lib. 34. sect. 54.

Sect. XX. 1. *Usta.*] Quam pictores ustam vocant, ex cerussa fit cremata. Affinis est sandarachæ adulterinæ, de qua sect. 22. sed multo præstantior. Officinæ nunc minium vocant, & *minium de plumb.*

2. *Nicias supra dictus.*] Sect. 10.

3. *In libras, x. vi.*] Denarii sex, monetæ nostræ asses octo & quadragent. Ita Reg. 2 aliique probatì codices. In editis perperam, *aeris quinque.*

4. *Fit & Romæ cremato sile.*] Hoc est, cremata ochra, ut diximus lib. 33. sect. 56. Vitruvius, lib. 7. cap. xi. pag. 45. *Usta vero, quæ satis habet utilitatis in operibus tectoriis, sic temperatur: Gleba silis boni coquitur, ut sit in igni candens: ea autem aceto extinguitur, & efficitur purpureo colore.*

Sect. XXI. 1. *Eretria terræ suæ.*] Ab Eretria EubϾ oppido, de quo lib. 4. sect. 21.

2. *Refrigerat, &c.*] Diosc. lib. 5. cap. 171. Δύναμιν δὲ ἔχει ψυκτικὴν, καὶ ψυκτικὴν, καὶ μαλακτικὴν, καὶ κολλητικὴν τραυματικῶν, καὶ σαρκῶν κολλητικήν.

3. *Ad deprehendenda pura.*] Ad deprehendendum num in thorace pus delitescat. Vide Notas & Emend. num. V.

4. *Subesse enim ea.*] Pura videlicet.

5. *Non arescat.*] Hippocrates contra, si cito arescat, ut dicemus in Notis & Emendat. num. cit.

Sect. XXII. *Sandaracham, &c.*] Isidorus totidem verbis, lib. 19. cap. 17. Et alibi nasci tradit Diosc. lib. 5. cap. 121.

2. *Inde nunc.*] Sic MSS omnes. Editi contra, *sed unde non pervehuntur ad nos.*

3. *Sandaracha . . . . diximus.* Ubi nempe effoderetur, dixit anteriore libro, sect. 35.

4. *Fit & adulterina.*] Hæc Isidorus totidem verbis, loc. cit. a Plinio, ut arbitramur, aut a Vitruvio, lib. 7. cap. 12. pag. 140. *Cerussa,* inquit, *cum in fornace coquitur, mutato colore ad ignis incendium, efficitur sandaracha: id autem incendio facto ex casu didicerunt homines: & ea multo meliorem usum præstat, quam quæ de metallis per se nata foditur.*

5. *Colos . . . . flammeus.*] Paulus, ex Festo: *Sandaracha, genus coloris. Nævius: Merula sandaraceo ore.* Habet autem merula rostrum luteum.

Sect. XXIII. 1. *Hæc si torreatur.*] Cerussa scilicet in fornace cocta, sive sandaracha. Iisdem verbis Isidorus, loc. cit. scriptoresque aliqui permulti, quos laudat sequiturque Cæsius, lib. 2. de mineral cap. 4. sect. 8. pag. 210.

2. *Quanquam animadverto.*] Hesychius florem sandycis ait habere colorem similem cocco, *à l'écarlate*: Σάνδυξ, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χρόαν κόκκῳ ἐμφερῆ ἔχει, ὡς Σωσίβιος. Ignotus est, fictusque hic frutex. Vetus Glossarium Puteani, ita referente Salmasio, in hist. Aug. pag. 369. *Sandyx herba tinctura apta, quam vulgus Guarantiam vocat.* Falso: est enim *Guarancia* erythrodanus, de qua Plinius egit, libro XXIV. sect. LVI.

XXIV. Inter factitios est & [1] Syricum, quo minium [2] sublini diximus. [3] Fit autem Sinopide & sandice mixtis.

XXV. [1] Atramentum quoque inter factitios erit, [2] quanquam est & terra geminæ originis. Aut enim salsuginis modo emanat, aut terra ipsa sulphurei coloris ad hoc probatur. Inventi sunt pictores, qui e sepulcris [3] carbones infectos effoderent. Importuna hæc omnia ac novitia. [4] Fit enim & fuligine pluribus modis, resina vel pice exustis. Propter quod officinas etiam ædificavere, fumum eum non emittentes. Laudatissimum eodem modo fit [5] e tedis. Adulterarur fornacum balinearumque fuligine, quo ad volumina scribenda utuntur. [6] Sunt qui & vini fæcem siccatam excoquant: affirmantque, si ex bono vino fæx fuerit, [7] Indici speciem id atramentum præbere. Polygnotus & Micon celeberrimi pictores Athenis, e vinaceis fecere: [8] tryginon appellant. Apelles commentus est [9] ex ebore combusto facere, quod elephantinum vocavit. [10] Apportatur & Indicum ex India, inexploratæ adhuc inventionis mihi. [11] Fit etiam apud infectores ex flore nigro, qui adhærescit æreis cortinis. [12] Fit & e tedis ligno combusto, tritisque in mortario carbonibus. Mira in hoc sepiarum natura: [13] sed ex his non fit. Omne atramentum Sole perficitur, [14] librarium gummi, [15] tectorium glutino admixto. Quod autem aceto liquefactum est, ægre eluitur.

XXVI. [1] E reliquis coloribus, quos a dominis dari diximus, propter magnitudinem pretii, ante omnes est [2] purpurissum e creta argentaria: cum purpuris pariter tingitur, bibitque eum colorem celerius lanis. [3] Præcipuum est primum, fervente aheno rudibus ad medicamentis inebriatum. Proximum, egesto eo, addita creta [4] in jus idem. Et quoties id factum est, [5] levatur bonitas pro numero, [6] dilutiore sanie. Quare [7] Puteolanum potius

NOTÆ.

Sect. XXIV. Σορικὸν Aëtio, lib. 2. cap. 59. cæterisque scriptoribus, librisque Plinii MSS. non *Syricum*, ut libri hactenus editi habent. Isidorus, lib. 19. cap. 17. *Syricum rubri coloris pigmentum, ex quo & librorum capita pinguntur. Ipsum est & Phœnicium appellatum ita, eo quod in Syria colligatur, in litoribus maris, ubi Phœnices habitant. Est autem inter factitia. Nam sæpe fit Sinopide & sandyce mixtis.*

2. *Sublini diximus.*] Libro 33. sect. 40.

3. *Fit autem.*] Sic Isidorus, loc. cit. Aliter Aëtius, lib. 2. cap. 59. pag. 56. Sincera cerussa si crematur, in Syricum transmutatur, quod medici vocant sandycem: quod cerussa cremata subtilior redditur, &c. MS. Græcus: Καιόμενον ἡ ψιμμύθιον ... εἰς τὸ καλούμενον Συρικὸν μεταβάλλεται· ὅπερ οἱ ἰατροὶ σάνδυκα ὀνομάζουσι· λεπτομερέστερον γὰρ τὸ ψιμμύθιον γίνεται καυθὲν, &c.

Sect. XXV. 1. *Atramentum.*] Le noir.

2. *Quanquam est & terra.*] Præter factitium, inquit, est & nativum ac fossile atramentum, gemina ratione e terra natum: *Du noir de terre.* Totidem verbis, atque adeo paulo explanatius Diosc. lib. 5. pag. 118. Τῆς δὲ μελαντηρίας, ἡ μέν τις τῶν ὀρυγμάτων τρόπος, ἀφ' ὧν ὁ χαλκὸς, ἐπανθοῦσα ἁλμυρίδος τρόπον· ἡ δὲ ἐκ τῆς ἀναφορᾶς ἐπιφανείας τῶν προειρημένων τόπων, ὅτε δὲ χαλκῷ ἐστι..... Διαφέρει δ' αὐτῆς ἡ θειόχρους, &c.

3. *Carbones infectos.*] Carbones cum reliquiis usti cadaveris in urnam conjectos.

4. *Fit enim & fuligine, &c.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib 5. cap. 183. Oribas. lib 13. fol. 230. b. Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 17. Multo uberius conficiendi modum Vitruvius edocet, lib 7. cap 10 pag. 143. Hanc fuliginem nostri vulgo vocant, *Noir de fumee.* Ex hac atramentum hodie componitur, quo Typographi utuntur, ut olim ex ea pingendis characteribus parabatur.

5. *E tedis.*] Diosc. loc. cit. ἐκ δαδίων Genus esse arboris picem ferentis tedam antea diximus, lib. 16. sect 19.

6. *Sunt qui & vini fæcem.*] Fit hodieque & sic a pictoribus Italis, usta vini fæce, quam ii *Feccia di botta* vocant. Vitruvius, lib. 7. cap. 10. pag. 144. *Non minus si fæx vini arefacta, & cocta in fornace fuerit, & ea contrita cum glutino in opere inducetur, perquam atramenti suavem efficiet colorem: & quo magis ex meliore vino parabitur, non modo atramenti, sed etiam Indici colorem dabit imitari.* Sic pariter Isidorus, loc. cit.

7. *Indici speciem.*] De Indico inferius, sect. 27.

8. *Tryginon.*] Τρύγινον, fæcatum: nam τρὺξ fæcem & mustum sonat.

9. *Ex ebore.*] Atque hic etiamnum mos est pictoribus nostris: neque ex ebore tantum cremato parant, sed & ex ossibus Persicorum ustis. *Du noir d'os.*

10. *Apportatur & Indicum.*] Atramentum scilicet, tam nobis hodieque, quam Plinio olim ignotum. At non Leoni Allatio, qui penes se habuisse testatur, atramentum e Sinica regione advectum, nigerrimum, lucidissimumque, sed inexploratæ sibi præparationis, ut ipse ait in Animadv. Etruscas, num. 79. pag. 144. Plinium igitur Salmasius frustra coarguit, in Solin. pag. 255.

11. *Fit etiam.*] Isidorus, lib. 19. cap. 17.

12. *Fit & e tedis.*] Vitruvius, lib. 7. cap. 10. pag. 143. *Sarmenta, aut tedæ schidiæ comburantur: cum erunt carbones, extinguantur: Deinde in mortario cum glutino terantur. Ita erit atramentum tectoribus non invenustum.*

13. *Sed ex his non fit.*] Non fit, sed nascitur: vel non fit, quod nempe sit pictoribus usui. Persius, Satyra 3. sine controversia atramenti e sepia meminit:

Nigra quod infusa vanescit sepia lympha.

Et Ausonius:

Notasque furvæ sepiæ.

Afros sepia sibi atramentum parasse aiunt Glossæ veteres, Cornutus, Casaubonus, ceterique.

14. *Librarium gummi.*] Reg. 2. *commi*: hoc est, adjecto gummi: in sexto, ut aiunt, casu, voce ea efferri olim sic solita. Vitruvius, loc. cit. *Fuligo, quæ circa parietem & cameræ curvaturam adhærescit, inde collecta, partim componitur ex gummi subacta ad usum atramenti librarii: reliqua tectores, glutinum admiscentes, in parietibus utuntur.*

15. *Tectorium.*] Librarium est, quod exscribendis libris: tectorium, quod parietibus illinendis, incrustandisque adhibetur.

Sect. XXVI. 1. *E reliquis .... quos.... dari diximus.*] Sect. 12.

2. *Purpurissum e creta, &c.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 19. Orig. cap 17. De creta argentaria dicetur inferius, sect. 58. dictumque jam supra, lib. 17. sect 4. Ea liquore purpuræ imbuta, purpurissum vocabatur, ab eo colore quem acceperat, reddebatque. Ad fucandam faciem, ut cerussam olim, sic & purpurissum adhiberi mos fuit. Plautus, in Mostell. act. 1. sc. 3. vers. 101.

PHI. *Cedo cerussam.* SC. *Quid cerussa opus nam?*
PHI. *Qui malas oblinam.*
Tum tu igitur cedo purpurissum. SC. *Non do: scita es tu quidem*
Nova pictura interpolare vis opus lepidissimum.
Non istanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere:
Neque cerussam, neque melinum, neque aliam ullam offuciam.

Et in Truccul. act 2. sc. 2. vers 45.

Quæque istas buccas tam belle purpurissatas habet.

3. *Præcipuum, &c.*] Isidorus, loc cit totidem verbis.

4. *In jus idem.*] In eumdem liquorem. Ita nimirum se res habuit: Dum purpura in aheno coqueretur, cretæ istius partes immittebantur eo, ut inebriarentur: celeriusque quam ipsæ lanæ hunc succum bibebant. Hunc succum, hoc jus Græci ζῶμα vocant. Isidorus, loc cit. *In vas idem.*

5. *Levatur bonitas.*] Sic etiam MSS. Isidorus, loc. cit. *elevatur*, rectius. Minoris bonitatis est ac pretii color ille, cum creta secundo additur, quam cum primo: tertio, quam cum secundo, & sic deinceps, quia quo sæpius additur, eo dilutior fit color.

6. *Dilutiore sanie.*] Hoc est, liquore purpuræ magis diluto, minus saturo.

7. *Puteolanum.*] Nunc quoque in Puteolano litore, ubi

laudatur, quam Tyrium, aut Gætulicum, vel Laconicum, unde pretiosissimæ purpuræ. Causa est, [8] quod hysgino maxime inficitur, rubiamque cogitur sorbere. Vilissimum [9] a Canusio. Pretium huic a singulis denariis in libras, [10] ad triginta. Pingentes sandice sublita, [11] mox ovo inducentes purpurissum, fulgorem minii faciunt. Si purpuram facere 5 malunt, cæruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt.

XXVII. Ab hoc maxima auctoritas Indico. [1] Ex India venit, arundinum spumæ adhærescente limo: cum teritur, nigrum: [2] at in diluendo mixturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit. [3] Alterum genus ejus est in purpurariis officinis innatans cortinis: & est purpuræ spuma. Qui adulterant, vero Indico tingunt stercora columbina: [4] aut cre- 10 tam Selinusiam: [5] vel anulariam vitro inficiunt. Probatur carbone. Reddit enim, quod sincerum est, flammam excellentis purpuræ: & dum fumat, odorem maris. Ob id quidam e scopulis id colligi putant. Pretium Indico, [6] x. x. in libras. [7] In medicina Indicum rigores & impetus sedat, siccatque hulcera.

XXVIII. [1] Armenia mittit, quod ejus nomine appellatur. [2] Lapis est hic quoque 15 chrysocollæ modo infectus: [3] Optimusque est, qui maxime vicinus est, communicato colore cum cæruleo. Solebant libræ ejus [4] tricenis nummis taxari. Inventa per Hispanias arena est similem curam recipiens. Itaque ad denarios senos vilitas rediit. [6] Distat a cæruleo candore modico, qui teneriorem efficit colorem. [7] Usum in medicina ad pilos tantum alendos habet, maximeque in palpebris.

20 XXIX. Sunt etiamnum novitii duo colores, & vilissimi: [1] Viride quod Appianum vocatur, & chrysocollam mentitur, ceu parum multa sint mendacia ejus. [2] Fit & ex creta viridi, [3] æstimatum sestertiis in libras.

XXX. [1] Anulare quod vocant, candidum est, quo muliebres picturæ illuminantur. Fit & ipsum creta, admixtis vitreis gemmis ex vulgi anulis, unde & anulare 25 dictum.

CAP. VIII. XXXI. [a] Ex omnibus coloribus [1] cretulam amant, udoque illini recusant, purpurissum, Indicum, cæruleum, Melinum, auripigmentum, Appianum, cerussa. Ceræ tinguntur iis-

Interpretatio.

a *Ex omnibus.*] Ex supradictis coloribus, tectorio quod fuerit creta recente inductum, vel udum, illini recusant, qui sequuntur colores.

Notæ.

illud quod *Mare Mortuum* accolæ vocant, prope Misenum promontorium purpuræ capiuntur: sed cibis tantum, nec jam tingendis lanis capetitæ. Vide Fab. Columnam, lib. de purpura, pag. 18.

8 *Quod hysgino.*] Colore videlicet, de quo lib. 9. sect. 65. & lib. 21. sect. 67.

9 *A Canusio.*] Auctor libri de simp. med. ad Patern inter Galeni opera, tom. 13. pag. 297. *Purpurissum, inquit, quod & fucum aliqui dicunt, globula sunt quadrata & pusilla, in modum tessellarum, quæ ab infectoribus tinguntur colore roseo. Tale est maxime Canusinum: sequens, Puteolanum.*

10. *Ad triginta.*] Pro coloris scilicet ac pigmenti bonitate, ac temperatura.

11. *Mox ovo.*] Ex ovi candido, sive albumine, quo usi videntur antiqui ad temperandos colores.

12. *Cæruleum.*] De quo, lib. 33. sect. 57.

Sect. XXVII. 1. *Ex India venit.*] Totidem fere verbis Diosc. lib. 5. cap. 107. Τοῦ δὲ λεγομένου Ἰνδικοῦ, τὸ μὲν αὐτοφυές ἐστι, ὥσπερ ἐκβρασμα ὂν τῶν Ἰνδικῶν καλάμων..... ἄριστον δὲ ἡγητέον εἶναι τὸ κυανοειδὲς, &c. *Ex Indico generibus unum sponte natura provenit, veluti spuma Indicis arundinibus adhærescens: ... Optimum porro censendum, quod cærulei speciem præbet.* &c. Nobis id hodie Indici genus incompertum, ut ævo Pliniano perrarum. Ejus vice paratur ex arte geminum: alterum ex isati, sive glasto, mola macerata, formataque in panes. Hi mox in cortinis infectorum ebullientes efficiunt coloris cærulei spumam, quæ postea siccata Indicum subministrat, *de l'Inde.* Alterum ex simili herba quam *Indigo* vocant, ex Guatimala novæ Hispaniæ regione ad nos allata.

2. *At in diluendo.*] Isidorus quoque lib. 19. Orig. cap. 17.

3. *Alterum genus.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Τὸ δὲ βαφικόν ἐστι, ἐπανθισμὸς πορφυρῶν ἐπιπλεόμενος τοῖς χαλκείοις, ὃν ἀποσύροντες ξηραίνουσιν οἱ τεχνῖται. *Alterum autem infectorum officina, estque purpureus quasi flos aereis innatans cortinis, quem derasum artifices siccant.*

4. *Aut cretam.*] Vitruvius, lib. 7. cap. 14. pag. 149. *Item propter inopiam coloris Indici, cretam Selinusiam, aut anulariam, vitro quod Græci isatin appellant, inficientes, imitationem faciunt Indici coloris.* Locum hunc ita legendum recte admonuit Turnebus, lib. 6. Advers. cap. 17. pag. 180. De vitro, seu isati herba egimus lib. 22. sect. 2.

5. *Vel anulariam.*] De eo cretæ genere dicetur sect. 30.

6. *X. X. in libras.*] Denarii decem; monetæ Gallicæ, asses octoginta, seu floreni quatuor. Ita porro M S S. non, ut editi, *denarii viginti*: connexis præpostere his duobus denarii notis, quas divelli a se invicem oportuit.

7. *In medicina.*] Diosc. lib. 5. pag. 107. Ἔστι δὲ τῶν ποιούντων ἐλαφρῶς καὶ ῥηγνύντων φλεγμονὰς, καὶ οἰδήματα. ἀνακαθαίρει δὲ καὶ καταστέλλει ἕλκη. *Inter medicamenta est quæ leviter astringunt, & inflammationes tumoresque rumpunt. Hulcera quoque purgat & reprimit.*

Sect. XXVIII. 1. *Armenia mittit.*] Armenium scilicet. Ἀρμένιον Diosc. lib. 5. cap. 105. Ἀρμενιακὸν, ᾧ οἱ ζωγράφοι χρῶνται, Aetio lib. 2. ex M S.

2. *Lapis est hic.*] Lapidem hunc æque ac chrysocollam luto herba infici indicat, pingique ipsum antequam pingat. Vide quæ dicta sunt lib. 33. sect. 26.

3. *Optimusque est, qui maxime vicinus est*] Qui proxime ad chrysocollæ colorem accedit. Ita Reg. 2. & Colb. 3. non, ut in editis legitur, *Optimumque est quod maxime viret.*

4. *Tricenis nummis.*] Hoc est, x x x sestertiis: nostræ monetæ, assibus sexagenis, sive florenis tribus. Scutum Galli vocant.

5. *Itaque ad denarios senos.*] Sive ad sestertios x x i v. detractis ex priore indicatione sestertiis sex. Sunt porro sestertii 24 asses æris e nostris omnino octo & quadrageni.

6. *Distat a cæruleo.*] Affinitatem esse inter Armenium cæruleumque maximam, atque eodem Lazuli lapidis nomine ab Arabibus appellari, auctor est Fallopius, lib. 4. cap. 33.

7. *Usum in medicina.*] Diosc. lib. 5. cap. 33. Ἔστι δὲ καὶ τῶν ἐν βλεφάροις τριχῶν αὐξητικόν.

Sect. XXIX. 1. *Viride quod Appianum*] E terra Appiana. An ab Appio, loci illius domino, ubi ea primum inventa: an Apianum, ab apio, cujus ea colorem referret, incertum est. Laudatur a Celso, lib. 5. cap. 27. *Viride Alexandrinum*, quod idem forte cum Appiano. In agro Veronensi terra viridis effoditur, pictoribus experta.

2. *Fit & ex creta viridi.*] Creta viridis seu prasiana Isidoro, lib. 19. Orig. cap. 17.

3. *Æstimatum sestertiis*] Hoc est, singulis sestertiis, sive assibus duobus, in singulas libras.

Sect. XXX. 1. *Anulare quod vocant.*] Hæc totidem plane syllabis Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 17. ex Plinio: & ex Isidoro Papias. Hæc anularia creta, superius indicata, sect. 27.

Sect. XXXI. 1. *Cretulam amant.*] Ipse Plinius supra, libro 33. sect. 57. de cæruleo speciatim agens: *Usus in creta,*

dem

dem coloribus [a] ad eas picturas, quæ inuruntur, [2] alieno parietibus genere, sed classibus familiari, jam verò & onerariis navibus: quoniam [4] & pericula expingimus, ne quis miretur [5] & rogos pingi. Juvatque pugnaturos ad mortem, aut certe cædem, [6] speciose vehi. Qua contemplatione tot colorum tanta varietate subit antiquitatem mirari.

XXXII. [1] Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere: [b] [2] ex albis Melino, [3] ex silaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento, Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus, clarissimi pictores, cum tabulæ eorum singulæ oppidorum [c] venirent opibus. [d] Nunc & purpuris in parietes migrantibus, & India conferente [4] fluminum suorum limum, & draconum & elephantorum [5] saniem, nulla nobilis pictura est. Omnia ergo meliora tunc fuere, cum minor copia. Ita est, quoniam, [6] ut supra diximus, rerum, non animi, pretiis excubatur.

XXXIII. Et nostræ ætatis insaniam ex pictura non omittam. Nero Princeps jusserat collosseum se pingi CXX. pedum in linteo, [1] incognitum ad hoc tempus. Ea pictura cum peracta esset [2] in Maianis hortis, accensa fulmine cum optima hortorum parte conflagravit. Libertus ejus cum daret Antii munus gladiatorium, publicas porticus [3] investivit pictura, ut constat, gladiatorum, ministrorumque omnium veris imaginibus redditis. [4] Hic multis jam sæculis summus animus in pictura. Pingi autem gladiatoria munera, atque in publico exponi cœpta a C. Terentio Lucano. Is avo suo, a quo adoptatus fuerat, triginta paria in Foro per triduum dedit, tabulamque pictam [5] in Nemore Dianæ posuit.

XXXIV. Nunc celebres in ea arte quam maxima brevitate percurram: neque enim instituti operis est talis executio. Itaque quosdam vel in transcursu, & in aliorum mentione obiter nominasse satis erit, exceptis [e] operum claritatibus, quæ & ipsa convenier attingi, sive exstant, sive intercidêre. Non constat sibi in hac parte Græcorum diligentia, multas post Olympiadas celebrando [1] pictores, quam statuarios, ac toreutas: primumque Olympiade nonagesima, [2] cum & Phidiam ipsum initio pictorem fuisse tradatur, [3] Olympiumque Athenis ab eo pictum: præterea in confesso sit, octogesima tertia fuisse [4] Panænum fratrem ejus, qui clypeum intus pinxit, [5] Elide, Minervæ, quam fecerat [6] Colotes

CAP. VIII.

INTERPRETATIO.

a *Ad eas.*] Ad picturas encausticas, quo picturæ genere pingi parietes non possunt: pullunt classes, navesque.

b *Ex albis.*] Ex omnibus albis coloribus, Melino solo usi sunt: ex silaceis, solo Attico, &c.

c *Venirent.*] Emerentur.

d *Nunc & purpuris.*] Nunc etsi purpuras habeamus, quibus etiam parietes tinguntur... nulla tamen hodie nobilis pictura est.

e *Operum.*] Operibus clarioribus.

NOTÆ.

calcis impatiens. Et in Indice hujus loci: *Qui colores udo non inducantur*: subintellige, udo tectorio, sive albario, ac recenti: quod Gallici sermonis consuetudine appellamus, *Peindre à fraisque.* E contra hi qui modo appellantur colores, cretulam siccam sibi substerni amant.

2. *Alieno parietibus.*] Picturas, inquit, quæ inuruntur, parietes non ferunt.

3. *Sed classibus.*] Ovidius, lib. 4. Fastor. vers. 275.

Et picta coloribus ustis
Cælestum matrem concava puppis habet.

4. *Et pericula.*] Naves, quibus qui vehuntur, periclitantur de vita, extra pingimus.

5. *Et rogos pingi.*] Qualis ille, qui ab Herodiano describitur, lib. 4.

6. *Speciose vehi.*] Pictis navibus.

Sect. XXXII. 1. *Quatuor coloribus*] Ita Philostr. lib. 2. de Vita Apoll. cap. 10. pag. 48. Cicero in Bruto, num. 70. *Similis in pictura ratio est, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timanthem, & eorum qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas & liniamenta laudamus. At in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia, & nescio an reliquis omnibus idem eveniat. Nihil est enim simul & inventum & perfectum.* Apud eumdem Tullium, in eo Paradoxo, cujus initium, *Laudetur vero hic imperator*: ubi legitur, *Aëtionis tabula*, ex hoc Plinii loco, optimisque Plinii exemplaribus, *Echionis* legendum censemus. Melanthium pictorem laudat Quintilianus, lib. 12. cap. 10. pag. 894. Nicomachum Vitruvius, in præf. libri 3. pag. 37.

2. *Ex albis Melino.*] A terra Melia, de qua dictum est sect. 19. Ab hoc autem discrepat [illegible], qui color idem cum luteo: neque a Melo insula nomen habet; sed [illegible], a malis sumpsit appellationem.

3. *Ex silaceis*] Qui color flavus fuit: nam sil & ochra sunt idem, ut sæpius monuimus.

4. *Fluminum suorum limum.*] Indicum: quod e limo esse adhærescente arundinum spumæ, superius judicavit, sect. 27.

5. *Saniem.*] Sanguinem draconis elephantorum morientium elisi pondere, ut dictum est lib. 33. sect. 38.

6. *Ut supra diximus.*] Sect. 2. *Honorem nonnisi in pretio ducentes.... imagines pecunia, non suas, relinquunt.* Frustra locum hunc sollicitat Pintianus, ut legat: *res non manupretiis æstimabantur.*

Sect. XXXIII. 1. *Incognitum ad hoc tempus.*] Incognitam ad id tempus ait fuisse eam, quæ nunc pervulgata est, pingendi in linteis rationem, inventamque propter magnitudinem picturæ. Ante id tempus, materia in qua pingebatur, tabulæ fuere ligneæ, prius dealbatæ creta: e larice præsertim femina, propterea quod non temere findatur, ut dictum est lib. 16. sect. 73.

2. *In Maianis.*] Vide Notas & Emend. num VI.

3. *Investivit pictura.*] Ita Colb. 3. at Reg 2. *occupavit.* Mox *ut constat*, frustra iterum sollicitat Pintianus, ut *innesta* reponat. Veras, inquit auctor, constat ibi depictas effigies, gladiatorum ac ministrorum.

4. *Hic.*] Apud Antiatas, inquit, jam a multis sæculis non fuere viri vere summo animo: fuere tantummodo in pictura. Frustra Dalecampius censuit in publicis porticibus pictura vestiendis, dignam summis animis excellentibusque viris curam hic intelligi.

5. *In Nemore Dianæ.*] Nemoris Dianæ meminit & Vitruvius, libro 4. cap. 7. pag. 77. Sic appellabant Templum Dianæ Aricinæ in Nemore positum. Strabo, lib. 5. pag. 239. [illegible], &c. Ovidius:

Ecce suburbane templum nemorense Dianæ.

Et sacerdos ejus Rex Nemorensis appellabatur. De Aricia Latii oppido, diximus lib. 3. in Geographicis.

Sect. XXXIV. 1. *Pictores quam statuarios.*] [illegible], cælatores, sculptores. Sic Reg 2. Pintiani, ceterorumque: non, ut editi, *pictores quam statuarios auctores*, quod insulsum.

2. *Cum & Phidiam.*] Quem floruisse Olymp. LXXXIV. superiore libro indicavit, sect. 19.

3. *Olympiumque.*] Hoc est, Jovem. Vide Notas & Emendationes, num. VII.

4. *Panænum.*] In libris hactenus editis, *Panæum*, male. Pausanias, lib. 5. Eliac. prior. pag. 306. & 307. [illegible]

5. *Elide.*] Vide Notas & Emend num. VIII.

6. *Colotes.*] [illegible] Parium fuisse, Pasitelis discipulum,

Phidiæ discipulus, [7] & in faciendo Jove Olympio adjutor. [8] Quid quod in confesso petinde est, Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium, Candaule rege Lydiæ [9] Heraclidarum novissimo, [10] qui & Myrsilus vocitatus est, repensam auro? Tanta jam dignatio picturæ erat. Id circa ætatem Romuli acciderit necesse est: duo enim de vicesima Olympiade interiit Candaules: aut (ut quidam tradunt) eodem anno, [11] quo Romulus, nisi fallor: manifesta jam tum claritate artis atque absolutione. Quod si recipi necesse est, simul apparet multo vetustiora principia esse: eosque qui monochromata pinxerint, (quorum ætas non traditur) aliquanto ante fuisse: [12] Hygiemonen, Diniam, Charmadam, & qui primus in pictura marem feminamque discrevit, Eumarum Atheniensem, figuras omnes initiari ausum: quique inventa ejus excoluit, [13] Cimonem Cleonæum. [14] Hic catagrapha invenit, hoc est, obliquas imagines; & varie formare vultus, respicientes, suspicientesque, & despicientes. Articulis etiam membra distinxit. Venas protulit: præterque, in veste & rugas & sinus invenit. [15] Panænus quidem frater Phidiæ, etiam prælium Atheniensium adversum Persas [16] apud Marathona factum pinxit. Adeo jam colorum usus increbruerat, adeoque ars perfecta erat, ut in eo prælio [17] iconicos duces pinxisse tradatur, Atheniensium [18] Miltiadem, Callimachum, Cynegirum: Barbarorum [19] Datim, Artaphernem.

CAP. IX. XXXV. Quin immo certamen picturæ etiam [1] florente eo institutum est Corinthi ac Delphis: primusque omnium certavit cum Timagora Chalcidense, superatus ab eo [2] Pythiis: quod & ipsius Timagoræ carmine vetusto apparet, chronicorum errore non dubio. Alii quoque post hos clari fuere ante nonagesimam Olympiadem, sicut [3] Polygnotus Thasius, qui primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit. Siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Hujus est tabula [4] in porticu Pompeii, quæ ante Curiam ejus fuerat: in qua dubitatur, ascendentem cum clypeo pinxerit, an descendentem. [5] Hic Delphis ædem pinxit: hic & Athenis porticum, [6] quæ Pœcile vocatur,

NOTÆ.

ait Pausanias, lib. 5. Eliac. prior.

7. *Et in faciendo Jove.*] Quem Phidias fecit, ut dictum est lib. 34. sect. 19.

8. *Quid quod . . . . Bularchi . . . . tabulam.*] Dictum est de ea tabula superius, lib. 7 sect. 39. Sunt hi Magnetes in Asia.

9. *Heraclidarum*] Heraclidarum familia Lydiæ principatum obtinuit, ab Hercule ducta gentis origine usque ad Candaulem, quem Gyges occidit, ut refert Herodotus, lib. cit. num. 7. p. 4. & num. 12. p. 16 Mermnadæ deinde successerunt, quorum primus Gyges, Crœsus postremus extitit.

10. *Qui & Myrsilus.*] Herodotus, lib. 1. Clio, num. 7. pag. 3. Κανδαύλης, τὸν οἱ Ἕλληνες Μυρσίλον ὀνομάζουσι, τύραννος Σαρδίων, &c.

11. *Quo Romulus.*] Olympias XVIII incidit calculo Pliniano, in annum Vrbis XXXIV. Romuli autem obitus post annum unum aut alterum videtur a Plinio collocari.

12. *Hygiemonem, Diniam, Charmadam.*] Ὑγιαίμονα, Δεινίαν, Χαρμάδαν. Sic Reg. 2. & Colb. 3. cod. In editis hactenus [illegible], *Hygienontem, Diniam, Charmam.* Ὑγιαίνοντα, Δεινίαν, Χάρμην, quæ perinde Græca sunt.

13. *Cimonem Cleonæum.*] Exstat in hunc Cimonem Epigramma elegans in Anthol. lib. 4 cap. 6. in pictores & statuarios:

Οὐκ ἀδαὴς ἔγραψε Κίμων τάδε· παντὶ δ' ἐπ' ἔργῳ
Μῶμος, ὃν οὐδ' ἥρως Δαίδαλος ἐξέφυγεν.

Ista Cimon pinxit minime rudis: omne sed est qui
Culpet opus: nec tu, Dædale, liber eras.

Apud Ælianum, lib. 8 Var. hist. 18. laudatur Conon Cleonæus pictor: forte pro *Cimon.*

14. *Hic catagrapha.*] Quæ a latere cernuntur imagines: ut rectæ, quæ a fronte. *Des figures de profil.* Aliud est *catagraphon linon*, apud Catullum, Carm. 25. est enim ibi linteum tantum ovatis figuris notatum, textumque: quoniam Græcis καταγράφειν *deformare* est, *describere*, delineare, variis rerum formis, ac nonnumquam etiam variis coloribus: quo sensu Athenæus, lib. 9. pag. 387. attagenem ait esse κατάγραφον περὶ τὰ νῶτα. Pictura Antigoni, quæ voltum latere tantum uno ostendebat, vere obliqua & κατάγραφος fuit, ut dicetur sect. 36. num. 14.

15. *Panænus quidem.*] Hanc ejus picturam in Pœcile porticu Atheniensi collocatam, ex Pausania paulo ante vidimus. Unde illa appellata Persio, Satyra 3.

Braccatis illita Medis
Porticus.

Similem & ibi picturam Polygnoti, sive Miconis, positam esse refert Ælianus, lib. 7 hist. anim. cap. 41 sed Polygnoti fuisse, auctor est Suidas, verbo Ποικίλη.

16. *Apud Marathona.*] Bœotiæ oppidum, ubi trecenta Persarum millia devicta, anno tertio Olymp. LXXII.

17. *Iconicos duces.*] Sive, iconicas ducum imagines: hoc est, ut ipse Plinius interpretatur libro 34. sect. 9. eorum imagines, qui ter superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa.

18. *Miltiadem, &c.*] Μιλτιάδην, Καλλίμαχον, Κυναίγειρον, qui quo singuli eventu pugnarint, ex Plutarcho disce, in Parallel. pag. 305. itemque ex Herodoto, lib. 6. Erato, pag. 365. 370. & 371. Is. Tzetze, Chil. 1. vers. 868. & Justino, lib. 2. cap. 9. In Cynegiri effigiem eleganti duo exstant Epigrammata, in Anthol. lib. 4. cap. 8. Alterum ex his, quod brevius est, afferre non pigeat:

Οὔ σε, μάκαρ Κυναίγειρε, τὸν ἐκ Κυναίγειρον ἔγραψε
Φῦσις, ἐπεὶ βριαρῆς ἤλθετο σὸν παλάμας.
Ἀλλὰ σοφός τις ἔην ὁ ζωγράφος, οὐδέ σε χειρῶν
Νόσφιν, τὸν χειρῶν εἵνεκ' ἀθάνατον.

Grotius ita reddidit:

Te Phasis, Cynegire, tamen non ut Cynegirum,
Instructum siquidem fecit utraque manu.
Sed sapuit pictor, manibus qui noluit orbum
Pingere, qui manuum nomine morte caret.

Alterum est Pauli Silentiarii, a Grotio pariter sic Latine redditum:

Abscidit a summa pendentes puppe securis
Sanguine Medorum quæ maduere manus.
Cum trepidam, Cynegire, ratem velut ancora curvo
Dente tenax digiti detinuere tui.
Jam quoque defecta de corpore, ligna carina
Mordebant, magnus terror Achæmenidis.
Nunc ipsas Medus quis habet: victoria mansit
Mopsopiis, manibus debita nempe tuis.

19. *Datim, &c.*] Δᾶτιν, καὶ Ἀρταφέρνην, classis Darii regis Persarum ambo duces.

Sect. XXXV. 1. *Florente eo.*] Panæno pictore.

2. *Pythiis.*] Πύθια, Ludi Apollinares, in honorem Apollinis celebrari soliti, ob cædem Pythonis serpentis, ab eo interempti. Ovid. lib. 1. Metam. verso 446. In nummis passim inscripta cernas, ΠΥΘΙΑ

3. *Polygnotus.*] Cujus patrem, patriam, ac picturam de Ilii excidio singularem exhibet Simonidis Epigramma:

Γράψε Πολύγνωτος, Θάσιος γένος, Ἀγλαοφῶντος
Υἱός, περθομένην Ἰλίου ἀκρόπολιν.

Sacra Polygnotus Thasio satus Aglaophonte,
Argivum pinxit Pergama capta manu.

Pausanias, in Phocic. lib. 10. pag 662. Sic etiam Harpocration, pag. 248. Ælianus, lib. 4. Var. hist. cap. 3.

4. *In Porticu Pompeii.*] Habebat Theatrum Pompeii, nona regione Urbis, exiguo dissitas intervallo, Porticum, Regiam sive Basilicam, & Curiam. Vide Dionem, libro 44. Curia occiso in ea Cæsare occlusa est.

5. *Hic Delphis.*] De hac pictura fuse Pausanias, lib. 10. Phocic. pag. 662.

6 *Quæ Pœcile.*] Ποικίλη, hoc est, *Varia*, a picturarum varietate, quas Polygnotus fecit. Meminit Pausanias in Attic. lib. 1. pag. 27. Laërtius, lib. 7. in Zenone: Ἐν τῇ

[7] gratuito, cum partem ejus [8] Micon mercede pingeret: unde major huic auctoritas. Siquidem [9] Amphictyones, quod est publicum Græciæ concilium, hospitia ei gratuita decrevere. Fuit & alius Micon, qui minoris cognomine distinguitur: cujus filia [10] Timarete & ipsa pinxit.

XXXVI. 1. Nonagesima autem Olympiade fuere [1] Aglaophon, Cephissodorus, Phrylus, [2] Evenor pater Parrhasii, & præceptor maximi pictoris, [3] de quo suis annis dicemus: omnes jam illustres, non tamen, in quibus hærere expositio debeat, festinans ad lumina artis: in quibus primus refulsit [4] Apollodorus Atheniensis nonagesima quarta Olympiade. Hic primus species exprimere instituit, primusque gloriam penicillo jure contulit. Ejus est sacerdos adorans, & Ajax fulmine incensus, qui Pergami spectatur hodie. neque ante eum tabula ullius ostenditur, quæ teneat oculos.

2. Ab hoc artis fores apertas [5] Zeuxis Heracleotes intravit, [6] Olympiadis nonagesimæ quintæ anno quarto, audentemque jam aliquid penicillum ([7] de hoc enim adhuc loquimur) ad magnam gloriam perduxit, a quibusdam falso [8] in LXXXIX. Olympiade positus, cum fuisse necesse est Demophilum Himeræum, & Neseam Thasium: quoniam utrius eorum discipulus fuerit, ambigitur. In eum Apollodorus supra dictus versus fecit, [9] artem ipsis ablatam Zeuxin ferre secum. Opes quoque tantas acquisivit, ut in ostentatione earum, Olympiæ aureis litteris [10] in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. Postea donare opera sua instituit, [11] quod ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret, sicuti [12] Alcmenam Agragantinis, Pana [13] Archelao. Fecit & Penelopen, [14] in qua pinxisse mores videtur: & athletam. Adeoque sibi in illo placuit, ut versum subscriberet, celebrem ex eo, [15] Invisurum aliquem facilius, quam imitaturum. [16] Mag-

NOTÆ.

Ποικίλη στοὰ, τῇ δὲ Πεισιανακτίᾳ καλουμένη, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου Ποικίλη. Vide Suidam, verbo Ποικίλη. Similis fuit & Sicyone Ποικίλη στοὰ, de qua librum conscripsit Polemon, teste Athen. lib. 13. pag. 177.

7. *Gratuito.*] Idem Laertius, loco cit. Plutarchus in Cimone, pag. 481. Suidasque, testantur.

8. *Micon.*] Græcis Μίκων, jam cum Polygnoto superius appellatus, lib. 33. sect. 56. Atheniensem fuisse Pausanias ait.

9. *Amphictyones.*] De his lib. 7. sect. 37.

10. *Timarete.*] Τιμαρέτη

Sect. XXXVI. 1. *Aglaophon.*] Alter hic ab illo Polygnoti patre, de quo ante diximus. De isto, qui omnia Plinio appellatur, Quintilianus egit, libro 12. cap. 10. pag. 893. *Primi, quorum quidem opera, non vetustatis modo gratia visenda sunt, clari pictores fuisse dicuntur, Polygnotus, atque Aglaophon: quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut futuræ mox artis primordia, maximis qui post eos exstiterunt, auctoribus præferantur .... Post Zeuxis,* &c.

2. *Evenor.*] Pausanias, lib. 1. pag. 51. Παῤῥάσιος ὁ Εὐήνορος. Harpocration, pag. 136. ex Juba, quem auctorem Plinius in hoc opere sequitur: Ἰόβας ἐν ὀγδόῃ περὶ ζωγράφων, φησὶ Παῤῥάσιον εἶναι τὸν μαθητὴν Εὐήνορος, Ἐφέσιον δὲ τὸ γένος.

3. *De quo suis annis.*] Nempe Olymp. XCV. De eo mox dicetur, num. 5.

4. *Apollodorus.*] Plutarchus, in libello, cui titulum fecit, Bellone an pace illustriores Athenienses fuerint, pag. 346. Ἀπολλόδωρος ὁ ζωγράφος, ἀνθρώπων πρῶτος ἐξευρὼν φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, Ἀθηναῖος ἦν. *Apollodorus pictor, qui primus hominum reperit colorum mixturas, & umbræ usum, Atheniensis fuit.* Plinius *species* hoc loco appellat, oris & habitus venustatem.

5. *Zeuxis Heracleotes.*] De Zeuxis patria consentiunt Ælianus, lib. 4. Var. hist. cap. 12. Cicero lib. 2. de Invent. aliique. Tzetzes nihilominus, Chiliad. 8. hist. 196. Ephesium facit. Quæ porro ea Heraclea sit, in tanta cognominum urbium multitudine, quæ præclaris illius monumentis atque picturis glorientur ex æquo, statuere haud in promptu est. Crotoniatis operam suam in Italia cum navasse Zeuxis a Tullio dicatur, loc. cit. sit autem Heraclea in eodem tractu Crotoni vicina, haud scio an suspicari liceat, oriundum ex ea fuisse. De Zeuxide (nam & id obiter inserere juvat) versiculus vulgo fertur, in quo Latinæ omnes litteræ reperiuntur:

Zeuxis erat pictor, quem flebat dura Phrygum gens

6. *Olympiadis*, &c.] Incidit id tempus in annum Urbis CCCXLV.

7. *De hoc enim adhuc loquimur.*] Genus pingendi duplex: alterum penicillo, encausto alterum: illud coloribus, cæris istud & inustione fiebat. De priore tantum genere loqui se modo Plinius admonet. De posteriore inferius, sect. 41.

8. *In* LXXXIX. *Olympiade*] Vaticanus codex, & Reg. male, LXXIX pro LXXXIX. ut alii habent, cum vetustis editionibus. Nam Romana anni 1470. *in octogesima nona Olympiade* habet, aliæque omnes

9. *Artem ipsis*] Forte *ipsius*, Apollodori scilicet.

10. *In palliorum tesseris.*] Tesseras Gronovius intelligit notas, & titulos, quibus dominus noscitur: ut nunc quoque in sudariis, indusiis, mappisque, nomina possidentium primis litteris acu & alio colore pinguntur. Flavius Vopiscus in Carino, pag. 254. *Matris tunicam dedit mimo, lacernam patris mimo .... Inscriptum est adhuc in chorauleo pallio Tyrianthino, (quo ille velut spolio nobilitatis exsultat) Messalæ nomen & uxoris.* Laudat hunc Vopisci locum Rubenius, lib. 1. de re vest. cap. 10. Sed tesseras ille arbitratur esse quadratas tabellas palliis intextas, quibus litteræ, quæ nomen domini referrent, essent inscriptæ: atque, ut opinor, rectius. Nam & in orbiculis olim nomen descriptum legimus. Anastasius in Leone IV. *Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra levaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius Præsulis nomen est descriptum.* Sic vestibus sacris hodieque gentilitias tesseras intextas cernimus. Sic in palliis Equitum Torquatorum, textum opere Phrygio Ordinis sui insigne. In Reg. 2. cod. *in palliorum tesseris insertum.*

11. *Quod ea nullo satis.*] Cum, ut recte Quintilianus, lib. 12. cap. 7. pag. 883. *Pleraque hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habent.*

12. *Alcmenam Agragantinis.*] Sic omnes MSS. non *Agrigentinis.* Fuit oppido nomen Græcum Acragas, Latinus Agrigentum, ut Plinius ipse in Geographicis admonuit. Crotoniatis contra magno pretio conductus Helenam pinxit, ut Cicero refert, lib. de Invent. num. 1.

13. *Archelao.*] Macedoniæ Regi, ante Alexandrum Magnum annis fere LXV.

14. *In qua pinxisse mores*] Ita libri omnes, non *amores*, ut Hermolao visum. Mores exprimere in tabella, artis est eximiæ dos præclara: atque id picturæ genus ἠθικὸς veteres appellabant. De eo Martialis, lib. 10. Epigr. 32.

Ars utinam mores, animumque effingere posset:
Pulcrior in terris nulla tabella foret.

15. *Invisurum aliquem.*] Plutarchus, lib. de gloria Athen. pag. 346. ab Apollodoro pictore, de quo superius dictum, versum hunc primo usurpatum scribit:

Μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.
Facilius hæc culpabit quis, quam imitabitur.

Carolus Dati Italice reddidit:

Fià chi l'invidi più, che chi l'imiti.

16. *Magnificus.*] Sic libri omnes. Pintiano magis placet, *Magus factus est*: nobis, non item. Pingi porro solitum in throno Jovem testis est Albricus Philosophus, lib. de imag. Deorum, cap. 2. de Jove: *Jupiter Saturni filius*, inquit, *cui caelum & cæli regnum in sortem cessit, pingebatur in throno eburneo, in suæ majestatis sede sedens, sceptrum regium in manu tenens, scilicet sinistra,* &c.

nificus est Jupiter ejus in throno, adstantibus diis: [17] & Hercules infans dracones strangulans, Alcmena matre coram pavente & Amphitryone. Deprehenditur tamen Zeuxis grandior in capitibus, articulisque: alioqui tantus diligentia, [19] ut Agragantinis facturus tabulam, quam in templo Junonis Laciniæ publice dicarent, inspexerit virgines
5 eorum nudas, & quinque elegerit, ut quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet. [20] Pinxit & monochromata ex albo.

3. Æquales ejus & æmuli fuere [21] Timanthes, Androcydes, Eupompus, Parrhasius.
* CAP. X. * Descendisse hic in certamen cum Zeuxide traditur. Et cum ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent, ipse detulisse linteum pictum, ita veritate
10 repræsentata, ut Zeuxis, alitum judicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam: atque intellecto errore concedere palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem.

4. [22] Fertur & postea Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cum advolasset avis, eadem ingenuitate processit iratus operi, & dixit: Uvas melius pinxi, quam puerum:
15 nam si & hoc consummassem, avis timere debuerat. Fecit & figlina opera, quæ sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas [23] Fulvius Nobilior Romam transferret. Zeuxidis manu Romæ [24] Helena est in [25] Philippi porticibus: [26] & in Concordiæ delubro Marsyas religatus.

5. [27] Parrhasius Ephesi natus, & ipse multa constituit. [28] Primus symmetriam picturæ
20 dedit, primus [29] argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Hæc est in pictura [30] summa sublimitas. Corpora enim pingere & media rerum, est quidem magni operis: sed in quo multi gloriam tulerint. [31] Extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se: osten-
25 datque etiam quæ occultat. Hanc ei gloriam concessere Antigonus, & Xenocrates, qui de pi-

NOTÆ.

17. *Et Hercules*, &c.] Fabulam Plautus describit, in Amphitr. In Anthologia Græca, lib. 4. cap 8. elegans extat epigramma in eam rem:

> Θλῖβε δρακοντείους περιφύντας ἄγχαρι δειρὰς,
> Ἡρακλεῖς, δυνάμει ἀγχιβατεῖς φάρυγγας.
> Ἐξέτι νηπιάχοιο, χόλον ζηλήμονος Ἥρης
> Ἀμπαύσαι, μόχθων γνῶθι κ' σῦ βρέφεος.
> Οὐ γὰρ σοι κρητὴρ χαλκήλατος, οὐδὲ λέβητες,
> Ἀλλ' ὁδὸς εἰς μακάρων Ζηνὸς, ἴσθι λασίου.

Hoc est, interprete Grotio: *De effigie Herculis infantis duos prementis angues.*

> *Stringe feris longas fauces, animose, profundas,*
> *Alcide: valida comprime monstra manu.*
> *Jam nunc intrepidis assuesce laboribus infans,*
> *Junonisque odiis disce satisfacere.*
> *Non crater te namque vocat, nec ab ære lebetes*
> *Dona, sed ad superi limina regis iter.*

18. *Deprehenditur.*] Exiliora corporum membra faciebat, quam ut capitibus articulisque responderent. Sic omnes libri editi, cum Reg. 2. Colb. 3. aliisque. Deprehendi hoc loco idem est, ac videri: quod de Euphranore inferius, num. 25. *Hic primus videtur expressisse dignitates heroum, ... Sed fuit universitate corporum exilior, capitibus articulisque grandior.* De Zeuxi Quintilianus, lib. 12. cap 10 pag. 893. *Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus, atque, ut existimant, Homerum secutus, cui validissima quæque forma, etiam in feminis, placet.* In Vatic. *reprehenditur*: quod defendi potest simili sententia Quintiliani, loc. cit. pag 895. ubi de statuariis: *Demetrius*, inquit, *reprehenditur, tamquam* [illegible] *nimius*, &c.

19. *Ut Agragantinis*] Qui tabulam faciendam locarant, quam in templo Junonis Laciniæ, quod prope Crotonem in Italia fuit, ex voto facto dedicarent. Simile Zeuxidis factum refert & Cicero, lib 2. de Invent. num 1. cum vellent Crotoniatæ templum illud ipsum Junonis egregiis picturis locupletare: atque ita ex selectis quinque virginibus Helenam finxisse tum dicitur. Quamnam Agrigentinis picturam expresserit, non constat. De Junonis Laciniæ ara, lib. 2. sect. CXI. pag. 123.

20. *Pinxit & monochromata.*] Hoc est, tabellas simplicis coloris. Ante ipsum in tabellis cretatis pingebant rubro, expressis umbris. Ille in tabellis nigris pinxit albo, expresso lumine, quod erat difficilius. Aristoteli λευκογραφεῖν videtur id Scheffero dictum, lib de arte pingendi, pag. 77. etsi ibi interpretes explicent, *delineare creta.*

21. *Timanthes*, &c.] De Timanthe inferius, num. 6. De Androcyde, Athenæus, lib. 8. pag. 341. qui eum in pingendis piscibus fuisse eximium ait. De Eupompo, infra num. 7. De Parrhasio, num. 5.

22. *Fertur & postea.*] Confer ista cum iis quæ Seneca pater de hac ipsa re affert, in Controv. 34 lib. 5.

23. *Fulvius Nobilior*] Anno Urbis DCLXVI. Eumenius Rhetor, in orat. pro restaurandis scholis, num. 7. *Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse litteris, & summi poetæ amicitia duceretur: sed quod in Græcia cum esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum: idemque primus novem signa, hoc est, omnium Camenarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi Numinis consecravit*, &c. De expeditione Fulvii in Ambracienses, vide Livium, lib. 38. pag. 482. Nummus antiquus Pomponiæ gentis, HERCVLES MVSARVM: in quo Hercules cum lyra: ex parte altera caput Numæ Pompilii, a quo gens Pomponia duxit originem. Hinc imperite finxere *Ædem Herculis Musarum*, vel *Herculis & Musarum*: cum sententia iis litteris expressa hæc sit: HERCVLEs Signis MVSarum *Ambraciensibus* Romuli *Urbem Muneravit*. Ad transferenda utique ænea signa novem Herculea opus fuit lacertorum vi. Hinc fictus & apud Gruterum, Ἡρακλῆς Μουσαγέτης.

24. *Helena est.*] De hac Helenæ pictura Ælianus scribit, l. 4. Var. hist. c. 12. & l. 14. c. 47. Valerius Max. l. 3. cap 7.

25. *Philippi porticibus.*] Porticus Philippi Marcii, in Regione Urbis nona a P. Victore statuitur, in qua & is Herculis Musarum ædem instauravit. Martialis, lib. 5. Epigr. 50.

> *Vites censeo porticum Philippi:*
> *Si te viderit Hercules, peristi.*

26. *Et in Concordiæ.*] Regione Urbis octava.

27. *Parrhasius Ephesi natus*] Sic Athenæus lib. 12. pag. 543. Strabo, lib. 14 pag 642. Tzetzes, Chil. 8. hist. 198. Seneca pater, loc. cit ab Atheniensibus donatum civitate innuit: ut & interpres Horatii, ad lib. 4. Od. 4.

28. *Primus symmetriam picturæ.*] Picturæ Parrhasius, ut statuariæ Euphranor: de quo ipse inferius, sect. 40. num. 25. *Euphranor Isthmius .... Fecit & colossos.... Hic primus videtur expressisse dignitates heroum, & usurpasse symmetriam.* Vel usurpasse hic dicitur, seu retulisse in usum, quod alter invenerat.

29. *Argutias vultus.*] Elegantiam, vim, leporem, gratiam. Plinius lib. 34. sect. 19. num. 6. de Lysippo: *Propria cujus videntur esse argutiæ operum, custodita in minimis quoque rebus.* Sic Virgilius in Georg. *Argutumque caput*, dixisse meminimus.

30. *Summa sublimitas.*] Ita Reg. 2. Colb. 3. ceterique: Libri editi, *subtilitas*. Et Quintilianus, lib. 12. cap. 10 pag. 893. *existimasse subtilius lineas* Parrhasium tradit: tamen præter MSS. fidem, quod sequatur proxime, *est quidem magni operis: & rarum in successu artis*, magis arridet *sublimitas*.

31. *Extrema corporum.*] Summa commendatio picturæ est, ut corpora in tabula extremis lineis tanta subtilitate præcidat, ut cum desinere ibi corpus ipsum certum sit, visum tamen omnino fallat, & ambire se se extremitas ipsa videatur, aliaque post se promittere: Hoc est, ut revera id corpus emineat, & quod in superficie planum est, foras extare videatur. Galli vocant, *une Peinture bien arondie. Lcy*

ctura scripsere: prædicantes quoque, non solum confitentes. [32] Alia multa graphidis vestigia exstant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices. [33] Minor tamen videtur, sibi comparatus, in mediis corporibus exprimendis. [34] Pinxit Demon Atheniensium, argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem: eumdem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, & omnia pariter ostendere. [35] Idem pinxit Thesea, qui Romæ in Capitolio fuit: & Navarchum thoracatum. Et in una tabula, quæ est Rhodi, [36] Meleagrum, Herculem, Persea. Hæc ibi ter fulmine ambusta, neque obliterata, hoc ipso miraculum auget. [37] Pinxit & Archigallum: quam picturam amavit Tiberius Princeps: atque, ut auctor est Decius Eculeo, [38] LX. sestertiis æstimatam, cubiculo suo inclusit. Pinxit & Cressam nutricem, [39] infantemque, in manibus ejus: [40] & Philiscum, [41] & Liberum Patrem adstante Virtute: & pueros duos, in quibus spectatur securitas, & ætatis simplicitas: item sacerdotem adstante puero [42] cum acerra & corona. Sunt & duæ picturæ ejus nobilissimæ: [43] Hoplitites alter, in certamine ita decurrens, ut sudare videatur: alter arma deponens, ut anhelare sentiatur. Laudantur & Æneas, Castorque ac Pollux in eadem tabula: item Telephus, Achilles, Agamemnon, Ulysses. [44] Fecundus artifex, sed quo nemo insolentius & arrogantius sit usus gloria artis. Namque & cognomina usurpavit, [45] Abrodiætum se appellando, [46] aliisque verbis principem artis, & eam ab

Notæ.

donner du relief, & faire que tout soit arrondi. Intelligunt pariter & lineas illas extremas extimasque, quibus depicta corpora includuntur.

32. *Alia multa graphidis*] Γραφὶς est pictura linearis, ut jam diximus. Hæc graphidis exemplaria, *des desseins, des crayons* vulgus vocat: eadem delineare, *desseigner*.

33. *Minor tamen.*] Gracilliores fecisse medias corporum partes videtur, si cum universo corpore conferrentur: ut contra Zeuxis in capitibus, quemadmodum dictum est, num. 2. grandior deprehensus.

34. *Pinxit & Demon.*] Δῆμος hoc est, populi Atheniensis, seu civium in communi concilio consessuque multitudinem. Juvat tamen hoc loco integram describere Adnotationem Caroli Dati in hunc Plinii locum, ex libro Italico, quem inscripsit, *Vite de Pittori antichi*, pag. 73. *Con qual' arte e invenzione Parrasio potesse esprimere tanta varietà d'inclinazioni, e d'affetti, io certamente non saprei dire: e sin' ora confesso ingenuamente di non mel' esser saputo immaginare. Ma chi si contentasse di vedere in cambio della pittura una bella descrizione del Genio d'Atene, ricorra a Plutarco, nel primo de' precetti per amministrar la Republica, Pausan. nelle cose dell' Attica dice, che Leocare scultore fece la statua del Popolo Ateniese. Giuseppe Ebreo, Antiq. Giud. libro XIV. 16. Meurs. libro 2. 18. Aten. Attic. Aristolao figliuolo, e scolare di Pausia, dipinse la plebe d'Atene, Plin. XXXV. 11.* Imago Atticæ plebis. *Ma questa forse fu una cosa simigliante a quella frequenza di donne dipinta pure in Atene da Artemone Maroneta, del quale poco sopra il medesimo Plinio,* Athenis frequentiam, quam vocavere Polygynæcon.

35. *Idem pinxit Thesea*] Quæ pictura cum simili Euphranoris tabella componitur, sect. 40. num. 45. Picturæ hujus argumentum explanat vetus Epigramma in Anthologia Græca, lib. 4. cap. 8. Εἰς ἀνδριάντα Θησέως, καὶ τοῦ Μαραθωνίου Ταύρου.

> Θαῦμα τέχνης, μῦθόν τε καὶ ἀνέρος· ὡς ὁ μὲν ἀλκῇ
> Θῆκεν ἐπὶ βραδινῷ, γυῖα τιταινόμενον·
> Ἴσχε δ' ἀριστερῇ γναμπτὸν, πολύγναμπτον ἔπαρψε,
> Αὐχὴν μοχθίζων, ... ἀνέχει.
> Ἀστραγάλους δ' ἐλέλιξε, καὶ αὐχένα ὑψ' ὑπὸ χερσὶν
> Δαμνάμενος ..., ὤλλυσεν εἰς ὀπίσω.
> Ἔστι δ' ὁ ταῦρος ὁπ' νίκης ὑπὸ, τῷ δ' ἐνὶ χαλκῷ
> Θῆκε μὲν ἐμπνείοντα, ἀνδρὶ δ' ἱδρῶτι ῥέοντα.

Grotius interpres: *De imagine Thesei, & tauri Marathonii:*

> *Artis opus mira: vir, & ingens corpore taurus:*
> *Ille premit, tendens fortia membra, bovem:*
> *Cervicisque fibras urget dum poplite, nares*
> *Læva tenet, cornu flexile dextra manus.*
> *Jam domitus collo luxatis verticulis bos*
> *Deficit, & labens in sua crura sedet.*
> *Quis spectans spirare ferum non dicat in ære,*
> *Sudantemque suo rore madere virum?*

36. *Meleagrum.*] Pinxit & alteram Parrhasius, Meleagri cum Atalanta tabulam, teste Tranquillo, in Tiberio, cap. 44. de qua mox dicemus.

37. *Pinxit & Archigallum*] Sic appellatur sacerdotum Magnæ Matris Deûm antistes. Tertull. in Apolog. cap. 25. pag. 24. *Archigallus ille sanctissimus, die nono Kal. April. quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat.* Similis argumenti alteram *Parrhasii tabulam* Tiberius amasse dicitur, auctore Tranquillo, cap. citato: *in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut si argumento offenderetur, decies pro ea sestertiûm acciperet: non* enim *modo prætulit, sed & in cubiculo dedicavit.* Valde inclinat animus ut camdem esse picturam existimem, quam Tranquillus, & quam Plinius ait a Tiberio adamatam.

38. *LX. sestertiis.*] Sive LX. sestertiûm millibus: Gallicæ monetæ libris seu florenis, ut aiunt, 6000.

39. *Infantemque in manibus ejus.*] Sic MSS. omnes. Pelicerius in Notis MSS. quas citat Carolus Dati, conjiciebat, *Infantemque in mammis ejus*, emendatione haud valde necessaria: cum sit eadem utrobique sententia. Maro, lib. 5. Æneid. simile expressit argumentum picturæ.

> *Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,*
> *Cressa genus Pholoe, geminique sub ubera nati.*

Cressam autem, hoc est, Cretensem vocat, quasi ex tali regione veniret, quæ præcipuas feminas mitteret, ut exponit Donatus.

40. *Et Philiscum.*] Eum fortassis quem apes in agris coluisse, & scripsisse de iis auctor est Plinius, lib. XI. sect. 9. vel Tragœdiarum scriptorem potius, de quo inferius sect. 20. Fuit aliquando suspicio, legi pro Philisco *Philoctetem* oportere: quod exstat perelegans, in picturam eam Parrhasii, Epigramma in Anthol. lib. 4. cap. 8.

> Καὶ τὸν ἀπὸ Τρηχῖνος ἰδὼν πολυώδυνον ἥρω
> Τόνδε Φιλοκτήτην ἔγραψε Παρράσιος.
> Ἔν τε γὰρ ὀφθαλμοῖς ἐσκληκόσι κωφὸν ὑποικεῖ
> Δάκρυ, καὶ ὁ τρύχων ἐντὸς ἔνεστι πόνος.
> Ζωογράφων ὁ λῷστε, σὺ μὲν σοφὸς, ἀλλ' ἀναπαῦσαι
> Ἄνδρα πόνων ἤδη τὸν πολύμοχθον ἔδει.
> *Vidit & hunc, crede, miserum Pæante creatum*
> *Parrhasius: forma est tam bene picta viri.*
> *Quippe subest oculis arentibus abdita quædam*
> *Lacryma, seque dolor jam ferus intus agit.*
> *Eximium nemo te, pictor, in arte negabit:*
> *Desinere illum sed mala tempus erat.*

41. *Et Liberum.*] Bacchum eximie pictum a Parrhasio scribit quoque Suidas, verbo Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Quam picturam Corinthii cum viderent spretis æmulorum ejus operibus, exclamasse admirabundos ait, *Quid hæc ad Parrhasii Liberum?* Τί πρὸς τὸν Διόνυσον.

42. *Cum acerra & corona.*] Acerra videtur fuisse arcula thuraria, in qua thus incendi ad suffimentum solet. Ovidius, lib. 4. Fastor. vers. 934.

> *Cumque meri patera thuris acerra fuit.*

Utrumque pariter jungit & Tullius, lib. 2. de Legibus, num. 60. *Hæc præterea sunt in legibus de unctura: . . . ne sumptuosa respersio, ne longæ coronæ, nec acerræ prætereantur.*

43. *Hoplitites.*] Ita Reg. 2. In editis ridicule, *hoplitides*: nam de feminis accipi ista non possunt. Ὁπλιτίτης, qui Polluci ὁπλιτοδρόμος, dicebatur is qui armatus currebat: quod in Olympicis fiebat, & aliis sacris certaminibus. Vide Platonem, lib. 8. de Legibus.

44. *Fecundus artifex*] De Lysippo superius, lib. 34. sect. 19. num. 6. *Fecundissimæ artis, qui plurima ex omnibus signa fecit.* Infra, de Antidoto, sect. 40. num. 28. *Ipse diligentior, quam numerosior.* De Protogene, num. 20. *Et ideo minor fertilitas.*

45. *Abrodiætum.*] Delicatum, mollem, ac lautum. Exstat Parrhasii epigramma apud Athen. lib. 12. pag. 543. quod ille picturis suis inscribere solitum ferunt:

> Ἁβροδίαιτος ἀνὴρ ἀρετήν τε σέβων τάδ' ἔγραψε
> Παρράσιος, κλεινῆς πατρίδος ἐξ Ἐφέσου.
> *Hæc pinxit mollis, virtutis cultor, & idem*
> *Clara Parrhasius ex Epheso patria.*

46. *Aliisque verbis.*] Quæ recitat idem Athenæus, loco citato.

se consummatam. Super omnia Apollinis se radice ortum: [47] & Herculem, qui est Lindi, talem a se pictum, qualem sæpe in quiete vidisset. Ergo magnis suffragiis superatus a Timanthe Sami, in [48] Ajace armorumque judicio, herois nomine se moleste ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset. Pinxit & minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis joci se reficiens.

6. Nam Timanthi vel plurimum affuit ingenii. [49] Ejus enim est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura, cum mœstos pinxisset omnes, præcipue patruum, & tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere. Sunt & alia ingenii ejus exemplaria, veluti Cyclops dormiens in parvula tabella: cujus & sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros, thyrso pollicem ejus metientes. Atque in omnibus ejus operibus intelligitur plus semper, quam pingitur: & cum ars summa sit, ingenium tamen ultra artem est. Pinxit & Heroa absolutissimi operis, [50] artem ipsam complexus viros pingendi: quod opus nunc Romæ [51] in templo Pacis est.

CAP. XVIII.

7. [52] Euxenidas hac ætate docuit [53] Aristidem præclarum artificem: Eupompus [54] Pamphilum Apellis præceptorem. Est Eupompi victor certamine gymnico palmam tenens. Ipsius auctoritas tanta fuit, ut diviserit picturam in genera tria, quæ ante eum duo fuere: Helladicum, & quod Asiaticum appellabant. [55] Propter hunc qui erat Sicyonius, diviso Helladico tria facta sunt: [56] Ionicum, Sicyonium, Atticum.

8. [57] Pamphili, [58] cognatio & prælium ad Phliuntem, [59] & victoria Atheniensium: item [60] Ulysses in rate. [61] Ipse Macedo natione, sed primus in pictura omnibus litteris eruditus, præcipue [62] Arithmetice & Geometrice, sine quibus negabat artem perfici posse. Docuit neminem [63] minoris talento [64] annis decem: quam mercedem ei Apelles & Melanthius dedere. [65] Et hujus auctoritate effectum est Sicyone primum, deinde & in tota Græcia, ut pueri ingenui [66] ante omnia [67] graphicen, hoc est, picturam in buxo docerentur, recipereturque ars ea in primum gradum [68] liberalium. Semper quidem honos ei fuit, ut ingenui exercerent, mox ut honesti: [69] perpetuo interdicto ne servitia docerentur. [70] Ideo neque in hac, neque in toreutice, ullius qui servierit opera celebrantur.

9. Clari etiam CVII. Olympiade exstitere [70] Echion, & Therimachus. Echionis sunt nobiles picturæ, Liber Pater, item Tragœdia & Comœdia: [71] Semiramis ex ancilla regnum adipiscens: anus lampadas præferens, & nova nupta verecundiâ notabilis.

NOTÆ.

Φημὶ γὰρ ἤδη
Τέχνης εὑρῆσθαι τέρματα τῆσδε σαφῆ
Χειρὸς ὑφ' ἡμετέρης ἀνυπέρβλητος δὲ πέπηγεν
Οὖρος· ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἔγεντο βροτοῖς.
Jam dico profecto
Hujus adesse artis meta reperta mihi.
Hac nostra valuere manus: prestantia fingunt:
Inculpata tamen nulla reperta viris

47. *Et Herculem.*] Totidem hoc verbis refert Athenæus, loc. cit. Parrhasiique in eam rem carmen recitat:
Οἷος δ' ἐννύχιος φαντάζετο πολλάκι φοιτῶν
Παρρασίῳ δι' ὕπνου, τοῖος ὅδ' ἐστὶν ὁρᾶν.
Talis adest specie, qualem per somnia vidit
Parrhasius pictor, culta figura Dei.

48. *In Ajace.*] In tabula, quæ Ajacis & Ulyssis contentionem exhiberet, de Achillis armis. Hæc totidem plane verbis Athenæus, loc. cit.

49. *Ejus enim est Iphigenia*] De hac pictura Valer. Max. lib. 8. cap. XI. pag. 400. *Quid ille alter æque nobilis pictor, luctuosum immolatæ Iphigeniæ sacrificium referens, cum Calchanta tristem, mœstum Ulyssem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum, circa aram statuisset, caput Agamemnonis involvendo, nonne summi mœroris acerbitatem, arte exprimi non posse confessus est?* Vide & Tullium in Orat. num. 73. & Fabium, qui hoc elegantius prodidit, lib. 2 cap. 13. pag. 145

50. *Artem ipsam*, &c.] Ut alii in mulieribus effingendis, sic ille in viris eximius.

51. *In templo Pacis.*] Quod proxime Forum Romanum Vespasianus condidit, auctore Tranquillo, cap. 9.

52. *Euxenidas*] Εὐξινίδας.

53. *Aristidem.*] Ἀριστείδην, alterum a Thebano, de quo inferius, num. 19.

54. *Pamphilum.*] Apellis hunc præceptorem pariter faciunt Plutarchus in Arato, & Suidas, verbo Ἀπελλῆς.

55. *Propter hunc.*] Eupompum videlicet.

56. *Ionicum.*] Quod & Asiaticum. In Hellade Sicyonia regio, & Attica fuere. Sicyone in primis hæsit picturæ gloria. Plutarch. loc. cit. pag 1032.

57. *Pamphili.*] Subintellige, est: ut supra, *Est Eupompi victor.* In libris hactenus vulgatis, *Pamphili pictura est*, sed ab interpolatore adjectæ hæ voces desunt in MSS

58. *Cognatio & prælium*] Una hæc pictura fuit, quæ sociale bellum adversus Phliasios exprimeret, quorum fidem in tuenda societate laudat in primis Xenophon. lib. 7 hist. Græc. pag. 624. & seq. Castellum Phliûs in Achaia fuit, lib. 4. sect. 6. hujus Pliniani operis.

59. *Et victoria Atheniensium.*] Vide Notas & Emendationes, num. IX.

60. *Ulysses in rate.*] In illo errore navigationis, cum eum Calypso dimisit.

61. *Ipse Macedo.*] Ex oppido Amphipoli, in confinio Macedoniæ Thraciæque, ut Suidas est auctor.

62 *Arithmetice & Geometrice.*] Sunt hæc substantiva, ut vocant, nomina: non adverbialia, ut Roberto Stephano visum. Quin & in Chiffl. cod. *Arithmetica & Geometrica* legi aiunt, sed mendose, uti remur. Vide quæ diximus lib. XXX. sect. 2.

63 *Minoris talento.*] Sic Plutarchus in Arato: *ἐπὶ ταλάντῳ*, pag 1032. Atticum igitur intellige. Gallicæ monetæ libras 2400.

65. *Annis decem.*] Sententia videtur esse, exegisse Pamphilum singulis annis talenta singula: neminem vero, nisi cuncta edoctum dimisisse ante decennium: quo temporis spatio tota disceretur ars.

65. *Et hujus.*] Pamphili

66 *Ante omnia.*] Vel, eadem sententia, ex MSS. codicum fide, ipso Pintiano teste, *omnia ante.*

67. *Graphicen*] Sic MSS. omnes, non *diagraphicen.* *Γραφικὴ* ars delineandi est: *Dessigner.* Buxus olim ad id electa potissimum, propter lævorem materiæ, simulque densitatem: quod minime colorem biberet, nec lineas fluidas redderet.

68. *Liberalium.*] Liberales artes dicuntur, quæ coluntur ingenio: ideoque dignæ sunt ingenuis hominibus

69. *Perpetuo interdicto*] Vide quæ in hanc rem erudite congerit Gothofredus in Cod. Theod. lib. 13. tit 4. lib. 4. in qua Pictorum immunitates, si modo sint ingenui, uti cavetur, recensentur perquam accurate.

70. *Echion & Therimachus.*] Inter fictores hujus Olympiadis appellati superius, lib. 34 sect. 19.

71. *Semiramis ex ancilla.*] Ctesiam Plinius auctorem sequi creditur, qui quo astu Semiramis regnum adepta sit, cum esset humilis fortunæ femina, describit luculenter apud Diodorum Sic. lib. 2. Bibl. pag. 107.

10. Verum omnes prius genitos futurosque postea superavit [72] Apelles Cous, Olympiade CXII. Picturæ plura solus prope, quam ceteri omnes contulit, voluminibus etiam editis, quæ doctrinam eam continent. Præcipua ejus in arte venustas fuit, cum eadem ætate maximi pictores essent: quorum opera cum admiraretur, collaudatis omnibus, deesse iis unam Venerem dicebat, quam [73] Græci Charita vocant: cetera omnia contigisse: sed hac soli sibi neminem parem. Et aliam gloriam usurpavit, cum Protogenis opus immensi laboris ac curæ supra modum anxiæ miraretur. Dixit enim omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora: sed uno se præstare, [74] quod manum ille de tabula non sciret tollere: memorabili præcepto, NOCERE SÆPE NIMIAM DILIGENTIAM. Fuit autem non minoris simplicitatis, quam artis. Nam cedebat Amphioni [75] de dispositione, Asclepiodoro [76] de mensuris, hoc est, quanto quid a quo distare deberet.

11. Scitum est inter Protogenem & eum quod accidit. Ille Rhodi vivebat: quo cum Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera ejus, fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplæ magnitudinis [77] in machina aptatam picturæ, anus una custodiebat. Hæc Protogenem foris esse respondit: interrogavit, a quo quæsitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles: arreptoque penicillo [78] lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reverso Protogeni, quæ gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus. Ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxisse: præcepisseque abeuntem, si redisset ille, ostenderet, adjiceretque hunc esse quem quæreret: atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, in portum devolavit, hospitem quærens. Placuitque eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Consumptam eam [79] priore incendio domus Cæsaris in Palatio audio: spectatam olim tanto spatio nihil aliud continentem, quam lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera [80] inani similem, & eo ipso allicientem, omnique opere nobiliorem.

12. Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo, numquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: [81] quod ab eo in proverbium venit. Idem perfecta opera proponebat [82] pergulâ transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quæ notarentur auscultabat, [83] vulgum diligentiorem judicem, quam se præferens. Feruntque a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset [84] ansas: eodem poste-

NOTÆ.

72. *Apelles Cous.*] Coum Apellem fuisse Coënsium quoque nummi testantur, ille in primis, quem Seguinus edidit, pag. 18. secundæ editionis. Ex una parte virum nudum exhibet, dextro brachio ad latus reflexo; puerum sinistra gestat leoninæ pelli insidentem. Viros significat in ea insula robustos esse, & ad Herculeos labores suscipiendos a puero institui. Epigraphe: ΚΩΙΩΝ. Ex altera parte, ΚΑΛΛΜΟΣ. Caput virile, nudum, senile ac barbatum. Sententia sub his litteris latens hæc est, versu Græco iambico comprehensa:

Κῷος Ἀπελλῆς Λαμπρύνει Μορφὰς Σοφῶς.

Cous Apelles nobilitat, qui delineabat subtiliter. Spectat hæc epigraphe certamen Apellis cum Protogene, de quo mox Plinius dicet. Testantur & alii. Ephesium tamen appellant Strabo, lib. 14. Ælianus, lib. 4. hist. anim. cap. 50. Tzetzes, Chil. 8. hist. 197. alii, quod ab Ephesiis scilicet, ut moris erat, donatus civitate fuerit. Vide Notas & Emend. num. X.

73. *Græci Charita.*] Χάριτα, Quintilianus gratiam vocat, & pulcritudinem: libro utique 12. cap. 10. pag. 894. *Ingenio & gratia, quam in se ipse maxime jactat, Apelles est præstantissimus.* Est nimirum in picturis, præter naturæ imitationem, quæ pars picturæ prima est, quiddam quod visum moveat, quod oculos delectet, idque non repugnans quidem naturæ, sed ab ea tamen paulisper recedens, & accommodans sese intuentium judicio ac voluptati. Id quod ex Lysippo intelligimus, quem dicere solitum Plinius ait, lib. 34 sect. 19. num. 6. *a veteribus factos, quales essent, homines: a se, quales viderentur esse.* Illud similitudinis, illud pulcritudinis esse Fabius dixit, loc. cit. pag. 895 cum *Demetrium* affirmat in veritate exprimenda nimium fuisse, eoque nomine reprehendi, quod erat *similitudinis, quam pulcritudinis, amantior.*

74. *Quod manum ille.*] Cicero in Orat. num. 73. In quo Apelles *pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent quid esset satis.*

75. *De dispositione.*] Dispositio, situs est figurarum omnium ac personarum, quibus tabula constat, sic aptus & institutus, ut suo quidque loco, non alieno, collocetur. *L'ordonnance d'un tableau.*

76. *De mensuris.*] Mensura, proportio est, convenientiaque partium: non in membris quidem corporis unius, sed in toto opere, ac partibus tabellæ. Plinius infra, num 21. de hoc ipso Asclepiodoro: *Eadem ætate fuit Asclepiodorus, quem in symmetria mirabatur Apelles.*

77. *In machina.*] *Le chevalet.*

78. *Lineam ex colore.*] Lineam cave credas in pictura idem atque in Geometrice esse, longitudinem sine latitudine. Est penicilli ductus, quem Græci γραμμὴν vocant, ut γράφειν pictores, opusque γράμμα. Nos tractum penicilli vocamus: Hinc omnibus lineis absolutum opus de consummato dicimus, quod est ex pictura desumptum, τῷ μελογραφεῖν. Linearum porro tenuitate opus est, in multis lineamentis effingendis, in capillamento exempli gratia, in venis, similibusque exacte formandis: hic enim non pressiore nisu, sed delicata ac suspensa manu geri rem oportet. Statius, in Hercule Vind.

Linea quæ veterem longe fateatur Apellem.

79. *Priore incendio.*] Meminit Tranquillus in Octavio, cap. 57. *In restitutionem Palatinæ domus incendio absumptæ*, &c. Vide Notas & Emend. num. XI.

80. *Inani similem.*] Ab omni pictura nudam: cum lineas modo tenues, nullam effigiem contineret.

81. *Quod ab eo in proverbium.*] Tralatitio versu:

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit:

Quem ex Horatio falso Salmasius citat, in Solin. pag. 5. vide Erasmum, Chil. 1. Cent. 4. Adag. 12 *Nullam hodie lineam duxi.*

82. *Pergula.*] Sunt qui *in pergula* legant. Lucilius, Satyrarum lib. 20. citatus a Lactantio, lib 1. cap 22.

Pergula pictorum veri nihil, omnia ficta.

Pergula locus est accommodatus exponendis rebus venalibus, in edito positus. Codex Theod. lib. 13. tit. 4. lib. 4. *Picturæ Professores .... Pergulas & officinas in locis publicis sine pensione obtineant.* Græci παστάδας vocant. Et artium ceterarum professoribus pergulæ quoque hujuscemodi fuere profitendæ arti. De Mathematicis, testis Suetonius in Augusto, ubi de Theagene. De Grammaticis, idem lib. de illustr Gram. ubi de Crassitio.

83. *Vulgum diligentiorem.*] Huc pertinet illud Ciceronis, lib. 3. de Orat. num. 51. *Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit inter doctum & rudem, quam non multum differat in judicando.* Et lib. de opt. gen. orat. num. 4. *Ad picturam probandam adhibentur etiam inscii faciendi, cum aliqua solertia judicandi.* Scilicet de absolutione artis non potest nisi artifex judicare: de erratis, etiam homo rudis, etiam vulgus potest.

84. *Ansas.*] Ansas vocat, crepidarum vincula nexusque,

ro die superbo emendatione pristinæ admonitionis cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam judicaret, quod & ipsum in proverbium venit. Fuit enim & comitas illi, propter quam gratior Alexandro Magno erat, frequenter in officinam ventitanti: [85] nam, ut diximus, ab alio pingi se, vetuerat edicto. Sed & in officina imperite [86] multa differenti silentium comiter suadebat, [87] rideri eum dicens a pueris qui colores tererent. Tantum erat auctoritati juris in regem, alioqui iracundum: quanquam Alexander honorem ei clarissimo præbuit exemplo. Namque cum dilectam sibi [88] ex pallacis suis præcipue, nomine [89] Campaspen, nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle jussisset, eumque tum pari captum amore sensisset, dono eam dedit. Magnus animo, major imperio sui: nec minor hoc facto, quam victoria aliqua. Quippe se vicit, nec torum tantum, sed etiam affectum donavit artifici: ne dilectæ quidem respectu motus, ut quæ modo regis fuisset, modo pictoris esset. Sunt qui Venerem [90] Anadyomenen illo pictam exemplari putant.

13. Apelles & in æmulis benignus Protogeni [a] dignationem primus Rhodi constituit. Sordebat ille suis, [91] ut plerumque domestica: percontantique [92] quanti liceret opera effecta, parvum nescio quid dixerat: [93] at ille [94] quinquagenis talentis poposcit: famamque dispersit, se emere, ut pro suis venderet. Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem: nec nisi augentibus pretium, cessit.

14. Imaginem adeo similitudinis indiscretæ pinxit, ut (incredibile dictu) Apion Grammaticus scriptum reliquerit, quemdam ex facie hominum addivinantem (quos [95] Metoposcopos vocant) ex iis dixisse aut futuræ mortis annos, aut præteritæ. Non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri [96] cum Ptolemæo: quo regnante, Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude æmulorum [97] plano regio invitatus, ad Regis cœnam venit: indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, ut diceret a quo eorum invitatus esset, arrepto carbone extincto e foculo, imaginem in pariete delineavit, agnoscente vultum plani rege, ex inchoato protinus. [98] Pinxit & Antigoni regis imaginem altero lumine orbam, [99] primus excogitata ratione vitia condendi: [100] obliquam namque fecit, ut quod corpori deerat, picturæ potius deesse videretur: tantumque eam partem e facie ostendit, quam totam poterat ostendere. Sunt inter opera ejus & exspirantium imagines. Quæ autem nobilissima sint, non est facile dictu.

15. [101] Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dicavit [102] in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur, [103] versibus Græcis tali opere, dum laudatur, victo, sed illustrato. Hujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non po-

INTERPRETATIO.

a *Dignationem.*] Auctoritatem conciliavit & famam.

NOTÆ.

Ea voce pariter usus Valerius Max. in hac ipsa prodenda re, lib. 8. cap. 12. pag. 402. *Merito, inquit, & ille artifex, qui in opere suo moneri se a sutore de crepida & ansulis passus, de crure etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere vetuit* Tibullus, lib. 1. Eleg. 8

Ansaque compressos colligat arcta pedes.

Gregor. M. lib. 2. Moral. *Sed ecce quæstioni quæstionem jungimus, & quasi, dum ansam solvere nitimur, nodum ligamus.*

85. *Nam, ut diximus.*] Libro 7. sect 38.

86 *Multa differenti.*] Alexandro videlicet.

87. *Rideri eum dicens.*] Plutarchus, lib. de discrim. adulat. & amici, pag 58. & lib de animi tranquill. pag 471. id ab Apelle dictum Megabyzo, non Alexandro, refert. Ælianus, lib. 2. Var. hist. cap. 2. a Zeuxide eidem Megabyzo.

88 *Ex pallacis suis.*] Græca ea vox est, παλλακή, & concubinam sonat. Usurpata quoque Tranquillo, in Vesp. cap. 21. *Quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum, quas in defunctæ locum Cænidis plurimas constituerat.*

89. *Campaspen.*] Παγκάστην vocat Ælianus, lib 12. Var. hist. cap. 34. Luciano quoque, in Dial. cui titulus, *Imagines.*

90. *Anadyomenen.*] Ἀναδυομένην Ἀφροδίτην, *Venerem e mari exeuntem*, ad imaginem potius Phrynes meretricis ab Apelle pictam, scribit Athenæus, lib. 13. pag. 591. Exstat in eam picturam Ausonii Epigramma. 104.

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellæi cerne laboris opus &c.

Et Ovidius, lib 4 de Ponto, eleg 1. vers 29.

Ut Venus artificis labor est & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.

Vetus inscriptio, si tamen vetus, apud Reines. pag. 127. VENERI. PELAG *Veneri Pelagiæ.*

91. *Ut plerumque domestica.*] Eleganter in eam sententiam Plinius junior, lib. 8. Epist. 20. *Ad quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum est, ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur: seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est: seu quod differimus, tanquam sæpe visuri, quod datur videre, quoties velis cernere* &c.

92 *Quanti liceret.*] Sic MSS. non *licitaretur.* Nam & venditor *licere* recte dicitur.

93. *At ille.*] Apelles.

92. *Quinquagenis.*] Attica talenta intellige: Gallicæ monetæ libras, seu florenos 120000.

95. *Metoposcopos.*] Μετωποσκόπους, qui hominum ingenium dijudicant ex fronte, lineamentisque corporis, atque inde futura augurantur. Usus etiam ea voce Tranquillus.

96 *Cum Ptolemæo.*] Lagi F. qui primus, post Alexandri obitum, Ægyptum tenuit.

97 *Plano regis.*] Vox hæc impostorem astutum significat, qui artem profitetur imponendi etiam spectantibus. *Hic ille planus improbissimus*, inquit Cic. pro Cluent. num. 72.

98. *Pinxit & Antigoni*] Quintil. lib. 2. cap. 13. pag 145. *Habet in pictura speciem tota facies. Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret.*

99. *Primus ... vitia condendi.*] Io pictura scilicet. Sic in statuis Periclis artifices, ut Plutarchus adnotat, pag. 153. vitium texere oblongioris paulo capitis, addita galea

100. *Obliquam namque.*] Hæc pictura κατάγραφος, de qua dictum est sect. 34.

101. *Venerem exeuntem e mari.*] Ἀναδυομένην, de qua supra, sect. 12.

102. *In delubro ... Cæsaris.*] Quod in Foro fuit, regione octava. Strabo, lib. 14. pag. 657. Ἡν δ' ἐν ᾗ ἡ ἀναδυομένη Ἀφροδίτη, ἣ νῦν ἀνάκειται τῷ θεῷ Καίσαρι ἐν Ῥώμῃ, τοῦ Σεβαστοῦ ἀναθέντος τῷ πατρὶ τὴν ἀρχηγέτιν τοῦ γένους αὐτοῦ, &c.

103 *Versibus Græcis.*] Exstant in Anthologia, lib. 4. cap. 12. Epigrammata Græca quinque de hoc argumento, εἰς τὴν Ἀφροδίτην ἀνερχομένην ἀπὸ θαλάσσης, Antipatri, Archiæ, Democriti, Juliani, & Leonidæ. Tu ea, si otium

tuit

tuit reperiri. Verum ipsa injuria cessit in gloriam artificis. Consonuit hæc tabula carie: aliamque pro ea Nero principatu substituit suo, Dorothei manu. Apelles inchoaverat aliam Venerem Cois, superaturus etiam suam illam priorem. [104] Invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est. [105] Pinxit & Alexandrum Magnum, fulmen tenentem, in templo Ephesiæ Dianæ, [106] viginti talentis. Digiti eminere videntur, & fulmen extra tabulam esse. [107] Legentes meminerint omnia ea [108] quatuor coloribus facta. [109] Tabulæ pretium accepit aureos mensura, non numero.

16. [110] Pinxit & Megabyzi sacerdotis Dianæ Ephesiæ pompam: [111] Clitum equo ad bellum festinantem: galeam poscenti armigerum porrigentem. Alexandrum & Philippum quoties pinxerit, enumerare supervacuum est. Mirantur ejus [112] Habronem Samii, [113] & Menandrum regem Cariæ Rhodii. [114] Item Ancæum: Alexandriæ Gorgosthenem tragœdum: Romæ Castorem & Pollucem, cum Victoria & Alexandro Magno: [115] Item belli imaginem, restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante. Quas utrasque tabulas Divus Augustus in Fori sui partibus celeberrimis dicaverat simplicitate moderata. Divus Claudius pluris existimavit, in utrisque excisa facie Alexandri, Divi Augusti imaginem subdere. Ejusdem arbitrantur manu esse [116] & in Antoniæ templo Herculem aversum: ut, quod est difficillimum, [117] faciem ejus ostendat verius pictura, quam promittat, [118] Pinxit & heroa nudum: eaque pictura naturam ipsam provocavit.

17. Est & equus ejus, sive fuit, pictus [a] in certamine: [b] quod judicium ad mutas qua-

Interpretatio.

a *In certamine.*] In picturæ certamine cum sociis artis.

b *Quod judicium.*] In quo certamine judices habere quadrupedes, quam homines, maluit.

Notæ.

est, consule. Habe interim ea Latine, ex Grotio: Antipatri quidem Sidonii.

Maternis primum de fluctibus emergentem
Cyprin Apellæ cerne laboris opus.
Ut manibus madentem respersas æquore crines
De madidis spumam cogit abire comis!
Non tibi de forma posthac certabimus, ipsa
Dicant, si videant, nata sororque Jovis.

Archiæ:

Fallimur? An Venerem nudam spectavit Apelles,
Cum de cæruleo surgeret orta mari?
Sic illam pelagi pinxit de rore madentem:
Ecce comam tenera tergit utraque manu.

Democriti:

Nuda Venus pelagi primum cum surgeret undis,
Auratas spuma de maris uda comas,
Taliter Ægæo siccavit ab æquore tractam
Cæsariem tenera pulcra per ora manu.
Exstant uberibus qua fas tenus: hanc, ita vel Mars
Si videat subitus, pectora turbet amor.

Juliani ex Præfecto Augustali:

En Cytherea recens maris e genitalibus undis:
Lucina, ingenium fecit Apellis, opus.
Sed cito te tabula remove, ne te ira gerat umbra
Quæ pluit abstersis spuma marina comis.
Si sic nuda Venus stetit in certamine mali:
Troja quod interiit, Pallas iniqua fuit.

Leonidæ denique Tarentini:

Adhuc ab ipso matris orientem sinu,
Adhuc strepentem spumeo Cyprin solo,
Videns Apelles, inclytum formæ decus,
Non æmulatus arte: sed vivum dedit.
Vides ne summis manibus ut stringat comam,
Micetque puris fulgurans oculis amor,
Mamma tangi surgeant ut ubera?
Nunc ipsa dicat Pallas & conjux Jovis:
Actum est, nec ultra, Juppiter, contendimus.

En quibus carminibus, aut certe haud absimilibus, Plinius victum Apellis opus, sed illustratum dicit.

104. *Invidit mors.*] Cicero, lib. 3. de Offic. num. 10. *Ut nemo pictor esset inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret: oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat.* Et lib. 1. ep. 9 Famil. *Ut Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt,* &c.

105. *Pinxit & Alexandrum.*] De hac pictura dicere solitum ferunt Apellem, duos Alexandros esse: alterum Philippi ἀνίκητον, Apellis alterum ἀμίμητον. Plutarch. orat. 2. de fort. Alex. pag. 335.

106. *Viginti talentis.*] In libris editis, atque in ipso Reg. 2. codice, sed imperita recentioris alicujus interpolatoris manu, erasa quæ suberat voce, legitur *viginti talentis auri.* Talenta auri sicubi poetæ dixere, ut Maro non semel, de ingenti auri pondere accipimus, non de certa mensura pecuniæ, quæ auro potius quam argento, constet. Sed *auri* illi addidere scilicet, quod ejus tabulæ manipretium auro solutum mox dicatur. Talenta Attica argenti intellige: quorum vicena monetæ Gallicæ efficiunt libras 48000.

107. *Legentes.*] Vide quæ diximus sect. 32.

108. *Quatuor coloribus facta.*] Abest vox ea postrema a cod. Reg. 2. In Colb. 3 *quatuor coloribus constare.*

109. *Tabulæ pretium.*] Ita similiter Colb. 3. In Reg. 2. & Pintiani cod minus sincere: *Tabula in nummo aureo mensura accepit, non numero.* Parm. edit *Immane tabulæ pretium accepit aureos mensura, non numero.* Quid sit manipretium, alibi diximus. Sententia porro est, tanto nummorum numero tabulam esse repensam, quantum ipsius spatium, quanta amplitudo foret: ut de alia pictura similiter dictum est lib 7. sect. 39. Horatius, lib 1. Satyr. 1. *Dives, ut metiretur nummos.*

110. *Pinxit & Megabyzi.*] Pompam Dianæ Ephesiæ, cui Megabyzus sacerdos præesset. Quintil. lib. 5. cap. 12. pag. 400. *Statuarum artifices, pictoresque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingendo pingendove efficere cuperent,* ... *non Bagoam aut Megabyzum aliquem ut exemplum operis sumunt sibi*, &c. Μεγάβυζος Xenophon, lib. 5. Ἀναβάσ. pag. 350. interpretatur, τὸν τῆς Ἀρτέμιδος νεωκόρον, *qui Dianæ sacra procuraret.* Strabo, lib. 14. pag 641. Μεγαβύζους, ἱερέας. Plinius, *sacerdotem.* Unde suspicari licet, quid sit quod in nummis frequenter occurrit, ΝΕΩΚΟΡΩΝ, & ΔΙΣ ΝΕΩΚ. quod nos alibi singulari opere de Nummis antiquis explanavimus.

111. *Clitum.*] Κλεῖτον, inter Alexandri amicos non postremum, mox ab eodem inter pocula interemptum. Arrian. lib 4 de Exped. Alex. pag 560.

112. *Habronem.*] Sic MSS recte, non *Abronem.* Habron Argivus, ex Suida, cui a mollitie nomen inditum: unde in splendide viventes jactatur parœmia, Ἅβρωνος βίος, *Habronis vita.* Fuit & alter Habron sophista, Lycurgi Oratoris F. de quo Plutarchus, in decem Rhetorum vitis, pag. 843.

113. *Et Menandrum.*] Ceteris scripeoribus incognitum.

114. *Item Ancæum.*] Qualis & ab Aristophonte pictus dicitur infertus, sect. 40. num. 32

115. *Item belli.*] Qualis est furoris, apud Maroocm, lib. 1. Æneid. vers. 298.

Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento

116. *Et in Antoniæ templo.*] Hujus Antoniæ templum quo Urbis situ fuerit, incompertum. Fuit illa Antonii Triumviri filia: ex sorore Augusti, Claudii Cæsaris Aug parens. in nummis, ANTONIA ex patre, AVGVSTA ex matre.

117. *Faciem ejus ostendat.*] Vide quæ dicta sunt num 5.

118. *Pinxit & heroa nudum.*] Sic etiam Reg 2. Suspicabamur olim, *Pinxit & Herona nudam:* quod Heronis ad Leandrum, vicissimque hujus ad illam litteræ inter Heroi-

drupedes provocavit ab hominibus. Namque ambitu æmulos prævalere sentiens, singulorum picturas [a] inductis equis ostendit: [119] Apellis tantum equo adhinnivere, idque & postea semper illius experimentum artis ostentatur. [120] Fecit & Neoptolemum, ex equo adversus Persas, [121] Archelaum cum uxore & filia, [122] Antigonum thoracatum cum equo incedentem. Peritiores artis præferunt omnibus ejus operibus eumdem regem sedentem in equo: Dianam sacrificantium virginum choro mixtam: quibus vicisse [123] Homeri versus videtur idipsum describentis. Pinxit & quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetraque: [124] Bronten, Astrapen, Ceraunobolian appellant.

18. Inventa ejus & ceteris profuere in arte. Unum imitari nemo potuit, quod absoluta opera [125] attamento illinebat ita tenui, ut idipsum repercussu claritates colorum excitaret, custodiretque a pulvere & sordibus, ad manum intuenti demum appareret. [b] Sed & cum ratione magna: ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus e longinquo: & eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occulte daret.

19. [126] Æqualis ejus fuit Aristides Thebanus. [127] Is omnium primus animum pinxit, & sensus hominis expressit, [128] quæ vocant Græci ethe: item perturbationes: durior paulo in coloribus. Hujus pictura est, oppido capto ad matris morientis e vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque sentire mater & timere, [129] ne emortuo lacte sanguinem lambat. Quam tabulam Alexander Magnus transtulerat Pellam in patriam suam. Idem pinxit prælium cum Persis, centum homines ea tabula complexus, pactusque in singulos [130] mnas denas a tyranno [131] Elatensium Mnasone. Pinxit & currentes quadrigas, & supplicantem pæne cum voce: & venatores cum captura: & Leontionem pictorem: & [132] Anapavomenen, propter fratris amorem. Item Liberum Patrem, [133] & Ariadnen, spectatos Romæ [134] in æde Cereris: Tragœdum, & puerum, [135] in Apollinis: cujus tabulæ gratia interiit pictoris inscitia, cui tergendam eam mandaverat [136] M. Junius Prætor sub die ludorum [137] Apollinarium. Spectata est & [138] in æde Fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum docentis. Pinxit & ægrum sine fine laudatum. [139] Qua in arte tantum valuit, ut Attalus rex unam tabulam ejus centum talentis emisse tradatur.

INTERPRETATIO.

a *Inductis*] Quos in medium & veluti in scenam induxerat.

b *Sed &c.*] Sed & istud cum ratione ac modo fiebat.

NOTÆ.

dum epistolas sint apud Nasonem. Sed nec vox *Herona* ipsa per se placet, & Plinius ipse supra similiter de Timanthe, num. 6. *Pinxit & Heroa absolutissimi operis, artem ipsam complexus viros pingendi.*

119 *Apellis tantum equo.*] Valerius Max lib 8. cap. 11. pag. 400. *Quo excusabilior est error equi qui visa pictura equa, hinnitum edere coactus est.*

120. *Fecit & Neoptolemum*] Alexandri socium, ab Eumene occisum. Plutarchus, in Eumene, pag. 585. In nummo aureo didrachmo, e Gaza Regia, quem Seguinus vulgavit, pag. 54. caput Jovis Dodonæi est, corona quercea redimitum, sine epigraphe. In aversa parte, fulmen cui sidus Solis superpositum est, regiæ dignitatis symbolum: infra, spiculum, designans Epirum. Epigraphe: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Alexandri* nummus, *qui Neoptolemi filius.*

121. *Archelaum*] Macedoniæ regem: quem Socrates aiebat, minas argenti XL. in domum suam impendisse, Zeuxide Heracleota conducto, qui picturis eam ornaret: in se ipsum nihil Ælianus, lib 14. Var. hist. cap. 17.

122. *Antigonum.*] Demetrii Poliorcetæ patrem, Asiæ regem.

123. *Homeri versus.*] Odyss. ζ΄ vers. 102. Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι &c Virgilius item, lib. 1. Æneid.

124. *Bronten.*] Βροντὴν, Ἀστραπὴν, Κεραυνοβολίαν. Sic R. 2.

125 *Atramento illinebat.*] Galli dicunt, *vernir*, *appliquer le vernis.*

126 *Æqualis ejus.*] Apellis scilicet Meminit Aristidæ Thebani Polemon, libro de tabulis quæ Sicyone fuerunt, apud Athen. lib. 13. pag 567.

127. *Is omnium primus.*] Arte & industria: alii priores casu tantum & rarius.

128. *Quæ vocant Græci ethe.*] Ἤθη, mores. Vide quæ diximus, num. 2. Spectat huc aculeatum in primis Pisonis epigramma, lib. 2. Anthol. cap. 43. in hominem egregie deformem:

Ψυχὴν μὴ γράψαι χαλεπὸν, μορφὴν δὲ χαράξαι
Ῥᾴδιον· ἀλλ' ἐπὶ σοὶ τοὔμπαλιν ἀμφότερα.
Τῆς μὲν γὰρ ψυχῆς τὸ διάστροφον ἔξω ἄγουσιν
Ἐν τοῖς φαινομένοις ἡ φύσις εἰργάσατο.
Τὸν δ' ἐπὶ τῆς μορφῆς ὕβρισιν, καὶ σώματος ὕβρεις,
Πῶς ἄν τις γράψῃ, μηδ' ἐσιδεῖν ἐθέλων.

Ardua res animum, facilis depingere formam:
In te sed se rem constat habere secus.
Nam pravos animi mores natura latere,
Exponens oculis obvia signa, vetat.
Sed fœdum corpus, confusa sed ora videre
Cum metuant omnes, pingere nemo potest.

129. *Ne emortuo lacte.*] Reg. 2. *ne mortua facta.* Colb. 3. *ne mortuæ sanguinem infans lambat.*

130. *Mnas denas.*] Mna centum drachmarum est, drachma denarii pondere, ac fere pretio. Itaque mna una, Gallicæ monetæ libras facit XL. Denæ, quadringentas.

131. *Elatensium.*] In Locris Vide lib. 4. sect. 12. De Mnasone rursum inferius, num. 21.

132. *Anapavomenen.*] Ἀναπαυομένην τοῦ βίου, hoc est, vita defunctam. Byblidem intelligit Cauni fratris amore mortuam. Vide Ovidium lib. 9. Metam. vers. 455. Libri editi, *morientem*, frustra hic addunt.

133. *Et Ariadnen.*] Minois filiam, quam Bacchus duxit uxorem, hujus Dei admonitu. Theseus a quo primum abducta fuerat, hanc dimisisset Geminum, non de pictura quidem, sed de statua Ariadnes, exstat in Anthologia epigramma perelegans, lib. 4. cap. 9.

Οὐ βροτὸς ἐγλύψατο, οἵαν δέ σε Βάκχος ἐρήμοις
Εἶδεν, ὑπὸ πέτρης ἦκεν ἀναψάμενος.
Non te sculpsit homo: sed qualem rupe jacentem
Viderat, expressit marmore Bacchus amans.
Εἶσοι, λαοί, μὴ ψαύετε τᾶς Ἀριάδνας,
Μὴ καὶ ἀναθρώσκῃ Θησέα διζομένη.
Sancta sit quamvis Ariadne, tangere noli:
Thesea ne properans quærere, prosiliat.

134. *In æde Cereris.*] Regione Urbis undecima.

135 *In Apollinis.*] Urbis regione decima.

136. *Junius Prætor.*] Cujus Cicero meminit, in orat. pro Cluentio.

137. *Apollinarium.*] Quos singulis annis exhibebant Romani stato die, circa Nonas Quintiles. Horum ludorum causas ritusque Macrobius explicat, lib. 1. Saturn. cap. 17. pag 277.

138. *In æde Fidei.*] Cic. lib. 3. de offic num. 104. *Qui jusjurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. majores nostri esse voluerunt.*

139. *Qua in arte.*] Nempe ægros pingendi.

20. [140] Simul, ut dictum est, Protogenes floruit. [141] Patria ei Caunus, gentis Rhodiis subjectæ. [142] Summa ejus paupertas initio, , artisque summa intentio, & ideo [143] minor fertilitas. Quis eum docuerit, non putant constare. [144] Quidam & naves pinxisse usque ad annum quinquagesimum: argumentum esse, quod cum Athenis celeberrimo loco Minervæ delubro [145] propylæon pingeret, ubi fecit nobilem [146] Paralum, & Hammoniada, quam quidam Nausicaam vocant, adjecerit parvulas naves longas in iis quæ pictores [147] parerga appellant: ut appareret a quibus initiis ad arcem ostentationis opera sua pervenissent. Palmam habet tabularum ejus [148] Ialysus, qui est Romæ, dicatus [149] in templo Pacis: quem cum pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent & sitim, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. [150] Huic picturæ quater colorem induxit, [a] subsidio injuriæ & vetustatis, ut decedente superiore inferior succederet. Est in ea canis mire factus, [151] ut quem pariter casus pinxerit. Non judicabat se exprimere in eo spumam anhelantis posse, cum reliqua omni parte (quod difficillimum erat) sibi ipse satis fecisset. Displicebat autem ars ipsa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longius a veritate discedere, spumaque illa pingi, non ex ore nasci, anxio animi cruciatu, cum in pictura verum esse, non verisimile vellet: [b] absterserat sæpius, mutaveratque penicillum, nullo modo sibi approbans. Postremo iratus arti, [c] quod intelligeretur, spongiam eam impegit [d] inviso loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores, [e] qualiter cura optabat: [f] fecitque in pictura fortuna naturam. [152] Hoc exemplo similis & Nealcem successus in spuma equi, similiter spongia impacta, secutus dicitur, [153] cum pingeret poppyzonta retinentem equum. Canem ita Protogenes monstravit & fortuna. [154] Propter hunc Ialysum, ne cremaret tabulas [155] Demetrius rex, cum ab ea parte sola posset Rhodum capere, non incendit: parcentemque picturæ fugit occasio victoriæ. Erat tunc Protogenes in suburbano hortulo suo, hoc est, Demetrii castris. Neque interpellatus præliis inchoata opera intermisit omnino: nisi accitus a rege interrogatusque, qua fiducia extra muros ageret, respondit, [156] scire se cum Rhodiis illi bellum esse, non cum artibus. Disposuit ergo rex in tutelam ejus stationes, gaudens quod posset manus servare, quibus jam pepercerat: & ne sæpius avocaret, ultro ad eum venit hostis, relictisque victoriæ suæ votis, inter arma & murorum ictus spectavit artificem. [g] Sequitur-

INTERPRETATIO.

a *Subsidio.*] Subsidio contra injuriam vetustatis.
b *Absterserat.*] Spongia.
c *Quod.*] Quod in ea pictura nimium artis videretur.
d *Inviso.*] Molestæ illi ac difficili tabulæ parti.
e *Qualiter.*] Quo plane modo animi illius intentio peroptabat.

f *Fecitque.*] Expressitque in tabula fortuna casusque spumam, qualem natura ipsa faceret.
g *Sequiturque*] Et tabulam alteram eo tempore factam fama hæc comitatur, quod eam Protogenes inter arma multum eosesque pinxerit.

NOTÆ.

140 *Simul, ut dictum est.*] Num. 21.

141. *Patria ei Caunus.*] In Caria. Pausan. lib. 1. Attic. pag. 6. Πρωτογένης Καύνιος. Sic pariter Plutarchus in Demetrio. Suidas Xantho oriundum facit, Cariæ oppidulo, prope Caunum: & Constant. Porphyrog. lib. 1. them. 14. pag. 41.

142. *Summa intentio.*] Quintilianus, lib. 12. cap 892. Protogenem cura, ut Apellem gratia, præstantissimum ait fuisse

143 *Minor fertilitas.*] Minime fecundus artifex. Vide quæ diximus num. 5.

144. *Quidam & naves.*] Quod & de Heraclide dicitur, num. 30.

145. *Propylæon.*] Προπύλαιον, porticulum, vestibulum.

146. *Paralum.*] Navium hæc nomina sunt. Vide Notas & Emend. num. XII Prior ab heroe ejus nominis, cujus Grammatici meminere omnes: altera ab Hammone Jove, cui dona nave ea devehebantur: eadem Ναυσικάα, eodem quo Alcinoi filia nomine, nuncupata.

147. *Parerga.*] Πάρεργον, operis appendix, accessioque dicitur: quod alicui rei præter propositum additur: ut si pictor Junonem pingens, ornandæ tabellæ gratia, arbusculas, aviculasque, aut aliquid hujusmodi, corollarii vice, addiderit. Has autem adjecit naviculas, ut a quibus initiis ad majorum navium absolutionem pervenisset, ostenderet.

148. *Ialysus.*] Strabo, lib. 14. pag 652. Καὶ ὁ τοῦ Πρωτογένους Ἰάλυσος, ... Cicero lib 2 Epist. 21 ad Attic. *Et ut Apelles si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum cæno oblitum videret* &c. Venerem cum Ialyso qui componit, non Urbis nomen esse, ut quidam putarunt, sed viri, Ialysum indicat haud obscure: quem Solis nepotem Cicero vocat, lib. 3. de Nat. Deor num 54. a quo nomen Urbis in insula Rhodo datum. In ea pictura conficienda annos septem insumpsisse Protogenem, auctor est Ælianus, lib. 12. hist. Var. cap. 41 & Plutarch. in Demetrio.

149. *In templo Pacis.*] Incendio Romæ absumptam scribit Plutarchus in Demetrio, pag. 898.

150. *Huic picturæ quater.*] Hodiernos, credo, pictores latet hoc artificium.

151. *Ut quem pariter casus.*] Cum arte, vel cum artifice. In libris hactenus editis, *casus & ars*. Sed has voces *& ars* MSS omnes pro nothis habent.

152. *Hoc exemplo ... Nealcem.*] Nealces pictor a Plutarcho laudatur in Arato, pag. 1032. Hujus in spuma equi successum, tacito pictoris nomine, refert Valer. Max. lib 8. cap. 11. pag. 401. *Præcipuæ artis pictor, inquit, equi naribus spumas adjicere cupiens, tantus artifex in tam parvula materia multum ac diu frustra tenebatur. Indignatione deinde accensus spongiam omnibus imbutam coloribus forte juxta se positam apprehendit, & veluti corrupturus opus suum, tabulæ illisit: Quam fortuna ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coegit explere. Itaque quod adumbrare non valuit, casus imitatus est.* Sic & Plutarch. lib. de fort. Alex. Apelli similem casum adscribit Sextus Empiricus, Pyrrh. Hypotyp. libro 1. cap. 12. pag. 7.

153. *Cum pingeret poppyzonta.*] Ποππύζοντα, hoc est, adulantem equo nondum perdomito, tenui sibilo ore emisso: vel demulcentem, blandeque manibus attrectantem Utitur eo verbo Sophocles, ποππύζουσι καὶ ζωγραφοῦσι, quemadmodum observat Julius Pollux, lib. 7. Onom. pag. 370 Quin idem quoque in primo, pag. 54. sisti equum poppysmo docet, hoc ipsum usurpans vocabulum. Frigidum est, quod hic quidam legunt, *Poppyzonta. Retinent Paris equum*: etsi in Reg. 1. legitur, *retinent panecum*.

154. *Propter hunc.*] Refert hæc totidem ferme verbis Plutarchus, in Demetrio, pag. 898. idemque in Apophtheg. pag. 183. Ælianus, lib. 12. Var hist cap. 41. multoque expressius Gellius, lib. 15. cap. 31. pag 855.

155 *Demetrius.*] Poliorcetes dictus.

156. *Scire se cum Rhodiis.*] Simile Nealcis pictoris dictum refert Plutarchus in Arato, pag. 1031.

que tabulam ejus temporis hæc fama, quod eam Protogenes sub gladio pinxerit. [157] Satyrus hic est, quem [a] Anapavomenon vocant, ne quid desit temporis ejus securitati, tenentem tibias. Fecit & [158] Cydippen, [159] Tlepolemon, Philiscum Tragœdiarum scriptorem meditantem, & athletam, [160] & Antigonum regem, & imaginem [161] matris Aristo-
5 telis Philosophi: [162] qui ei suadebat ut Alexandri Magni opera pingeret, propter æternitatem rerum. [b] Impetus animi & quædam artis libido in hæc potius eum tulere. Novissime pinxit Alexandrum, ac Pana: fecit & signa ex ære, [163] ut diximus.

21. Eadem ætate fuit [164] Asclepiodorus, quem in symmetria mirabatur Apelles. [165] Huic Mnason tyrannus pro duodecim Diis dedit in singulos [166] mnas tricenas: idemque
10 [167] Theomnesto in singulos heroas [168] mnas centenas.

22. His annumerari debet Nicomachus, Aristodemi filius ac discipulus. Pinxit hic raptum Proserpinæ, quæ tabula fuit in Capitolio in Minervæ delubro super [169] ædiculam Juventatis. Et in eodem Capitolio alia, [170] quam Plancus Imperator posuerat, victoria quadrigam in sublime rapiens. [171] Hic primus Ulyssi addidit pileum. Pinxit & Apollinem & Dia-
15 nam, [172] Deûmque Matrem in leone sedentem: item [173] nobiles Bacchas arreptantibus Satyris: [174] Scyllamque, quæ nunc est Romæ in templo Pacis. Nec fuit alius in ea arte velocior. Tradunt namque conduxisse pingendum [175] ab Aristrato Sicyoniorum tyranno, quod is faciebat [176] Telesti poëtæ, monumentum, præfinito die, intra quem perageretur: nec multo ante venisse, tyranno in pœnam accenso: paucisque diebus absolvisse, celeritate &
20 arte mira. Discipulos habuit Aristidem fratrem, & Aristoclem filium, & Philoxenum Ere-

INTERPRETATIO.

a *Anapavomenon.*] Requiescentem vocant: ac ne quid deesse videatur, quo securitas illorum temporum ex pictura quoque ipsa intelligatur, Satyrus tibias tenet.

b *Impetus.*] Impetus ac libido in eam mentem hunc potius impulit, ut opera Alexandri pingeret, quam Philosopho obsecundandi studium.

NOTÆ.

157. *Satyrus hic est.*] Strabo, lib. 14. pag. 652. *Καὶ αἱ τοῦ Πρωτογένους γραφαὶ, ὅ, τε Ἰάλυσος, καὶ ὁ Σάτυρος παρεστὼς στύλῳ*, &c. *Tum Protogenis pictura, Ialysus, & Satyrus columnæ adstans*, &c.

158. *Cydippen.*] Græce, Κυδίππην.

159. *Tlepolemon*] Sic etiam MSS. Hunc bello Trojano Sarpedon interfecit, Herculis filium, regem Rhodiorum. Inter Epigrammata ab Henr. Stephano Anthologiæ adjecta, istud est, Ἐπὶ Τληπολέμου κειμένου ἐν Ῥόδῳ.

Ἀ δ' Ἡρακλείδαν ῥηξήνορα Τληπόλεμον
Τληπόλεμον κατὰ γῆς κεύθει ἁλιστεφὴς Ῥόδος.

De Tlepolemo sepulto Rhodi:

Bellігerum, quo nec leo fortior, Hercule natum,
Tlepolemum tegit hac æquore cincta Rhodus

160. *Et Antigonum.*] Demetrii Poliorcetæ patrem, Asiæ regem.

161. *Matris Aristotelis.*] Nomen illi Pythias, Πυθιάς, auctore Laërtio fuit, lib 5 pag. 117.

162 *Qui ei.*] Protogeni. Sic MSS. Reg. 2. & alii. Prius, *quo etiam*, in editis legebatur.

163. *Ut diximus.*] Libro 34 sect. 19. num. 34. Scriptor idem & libros de pictura edidit duos, περὶ γραφικῆς καὶ σχημάτων, teste Suida.

164. *Asclepiodorus.*] Ἀσκληπιόδωρος pictor Atheniensis, de quo Plutarch lib. de gloria Athen. pag 346 Plinius supra, num 10. de Apelle: *Nam cedebat Amphioni de dispositione: Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quanto quid a quo distare deberet.*

165. *Huic Mnason.*] Elatensium scilicet tyrannus, de quo supra, num 19.

166. *Mnas tricenas.*] Mnæ singulæ, ut supra diximus, centenis denariis æstimantur. Itaque tricenæ, tribus denariûm millibus, sive, quod idem est, sestertiûm millibus duodecim: Gallicæ monetæ libræ sunt 1200.

167. *Theomnesto.*] Θεομνήστῳ Sardiano fictori, ut quidem videtur, de quo diximus lib. 34. sect 19. num. 34. nam & hunc in pictura clarum fuisse, uti Protogenem suspicamur.

168 *Mnas centenas.*] Sive denariûm decem millia: vel, quod eodem recidit, sestertiûm millia quadraginta: monetæ nostræ libras 4000.

169. *Ædiculam Juventatis.*] Victor in descript. Romæ, regione octava, prope Capitolium: *Delubrum Minervæ. Ædicula Juventæ.* Dicta est antiquis, *Dea Juventas*, & *Juventa*; non, *Juventus*. Sic etiam MSS. omnes. Profert Mediobarbus, pag. 211 e Museo suo nummum æreum Aurelii Cæsaris, cum hoc lemmate in altera parte, IVVENTAS S C. Dea stans ad aram sacrificat. Est & in Museo nostro argenteus. Significat a juvene M. Aurelio Cæsare Rempublicam pie administrari; quem Antonino Aug. Pio dedit Senatus, velut in regendo imperio vicarium: natura vero peculiari vigore animi & corporis robore donavit: nam tanti boni Natura largitria juventuti, *Juventas* appellatur.

170 *Quam Plancus*] L. Munatius Plancus, de quo Plinius, lib. 13 sect. 5.

171. *Hic primus ... pileum*] Ulyssem pileatum, effigiemque canis a quo agnoscitur, nummus argenteus exhibere creditur Mamiliæ gentis in Museo nostro, qualem Patinus sculpsit, pag 163 sed magno errore Nihil aliud ea effigie significatur, quam C. Mamilii Limetani Imperatoris providentia & cura factum esse, ut tuta ab hostium vel latronum incursionibus itinera haberent mercatores. Nam & hi cum se dant viæ, canem habent comitem Eam ob rem & Trajanus Imperator Mamilium restituisse dicitur in nummo argenteo, ibidem: quoniam simili beneficio Rempublicam affecisset. In aversa nummi parte Mercurius pingitur, qui præest mercaturæ; cum caduceo, pacis symbolo.

172 *Deumque Matrem.*] De Matre Deûm vide quæ diximus ad librum 2. sect 71.

173. *Nobiles Bacchas.*] Mulieres quæ Baccho sacrificia faciebant.

174. *Scyllamque.*] Monstrum navigantibus infestum, uti & Charybdis. Ex ære quoque fusam affabre testatur Epigramma perelegans in Anthol. lib. 4. cap. 11. εἰς Σκύλλαν χαλκῆν.

Εἰ μὴ χαλκὸς ἔλαμπεν, ἐμάνυε δ' ἔργον ἅπαντας
Ἔμμεναι Ἡφαίστου δαιδαλέοιο τέχνης,
Αὐτὴν ἄν τις Σκύλλαν ἑὸν τόπον ἀμφὶς ἀμείψαι
Ἐλπίσαι, ἐκ πόντου χεῖσον ἀμειψαμένην.
Τόσσον ἐπαπειλεῖ, τόσσον χόλον ἄγριον φαίνει,
Οἷον ἀπὸ πλάγιος συγκλονέουσα νέας.
Ære nisi fulgeret opus, si tale quid esset,
Qualia Dædaliæ Mulciber artis habet,
Eminus aspiciens Scyllam quis crederet ipsam
Migrato terras nunc habitare mari.
Tam furit horrendum, tantas insurgit in iras,
Ceu foret in manibus jam creptura rates.

Ejus formam aliter Homerus describit, Odyss. μ'. capitibus sex, bissenis pedibus, triplici dentium ordine: aliter Maro, lib. 3. Æneid.

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exsertantem, & naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulcro pectore virgo,
Pube tenus: postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum

175. *Ab Aristrato.*] Is ævo Philippi vixit. Pinxere eum Melanthii discipuli, triumphali curru cum Victoria insidentem, magna ejus tabulæ claritate, cui & manum apposuisse Apelles dicitur. Plutarchus in Attico, pag 1032.

176. *Telesti poetæ.*] Fuit is Selinuntius, ut opinor, e Sicilia: Poëmata ejus seu fabulas laudat Athenæus, lib. 14. pag. 616. 617. & 637.

trium, cujus tabula nulli postferenda, [177] Cassandro regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario. Idem pinxit [a] lasciviam, [178] in qua tres Sileni comessantur. Hic celeritatem præceptoris secutus, breviores etiamnum quasdam picturæ vias & compendiarias invenit.

23. Annumeratur his & Nicophanes elegans & concinnus, [179] ita ut venustate ei pauci comparentur. [180] Cothurnus ei & gravitas artis. Multum a Zeuxide & Apelle abest Apellis discipulus Perseus, ad quem de hac arte scripsit. [181] Hujus fuerat ætatis Aristides Thebani discipulus. [182] Fuerunt & filii, [183] Niceros, & Ariston, cujus est Satyrus cum scypho coronatus. [184] Discipuli, Antorides & Euphranor, de quibus mox dicemus.

XXXVII. Namque subtexi par est [1] minoris picturæ celebres in penicillo, e quibus fuit [2] Pyreïcus: arte paucis postferendus: [b] proposito, nescio an destruxerit se: quoniam humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Tonstrinas, sutrinasque pinxit, & asellos, & obsonia, ac similia: ob hoc cognominatus [3] Rhyparographos, in iis consummatæ voluptatis. Quippe eæ pluris veniere, quam maximæ multorum. E diverso [4] Mæniana, inquit Varro, omnia operiebat [5] Serapionis tabula [6] sub Veteribus. Hic scenas optime pinxit, sed hominem pingere non potuit. [7] Contra Dionysius nihil aliud, quam homines pinxit, ob id Anthropographus cognominatus. [8] Parva & Callicles fecit: [9] item Calades [10] comicis tabellis: utraque [11] Antiphilus. [12] Nam & Hesionam nobilem pinxit, & Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui sunt [13] in Schola in Octaviæ porticibus: [14] & in Philippi, Liberum Patrem, Alexandrum puerum, Hippolytum

INTERPRETATIO.

a *Lasciviam.*] Lasciviæ ac mollitiei imaginem.

b *Proposito.*] Proposito vero suo, in humilibus operibus hærendo, nescio an non ipse adversatus sit: nam licet res humiles pinxerit, per eas tamen ingentem in eo rerum humilium genere gloriam picturæ est adeptus: *Nec humilis rerum humilium pictor fuit.*

NOTÆ.

177 *Cassandro.*] Macedoniæ regi.

178 *In qua tres Sileni.*] Sic libri omnes. Sileni Bacchi ministri dicuntur, Σειληνοί, teste Strabone, lib. 10. pag. 468. Nomen habere a Sileno Nysiorum rege, qui subsidium Baccho tulerit, auctor Diodorus Sicul. in Bibl. lib. 4 Hinc Catullus:

Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis.

Propertius, lib. 2. Eleg. 32

Silenique senes, & pater ipse chori.

179. *Ita ut venustate ei.*] Sic totidem plane syllabis, nec pluribus, MSS Reg 2 & Pintiani. Libri editi adjiciunt his multa, sed spuria: *ita ut vetusta opera pingeret propter æternitatem rerum, impetuosi animi, & cui pauci comparentur.*

180 *Cothurnus ei.*] Pingendi ratio grandis, excelsa, nobilis. Galli dicunt, *la maniere grande & noble.* Cothurnos induebant Tragœdi, cum in theatro fabulam acturi erant: unde pro alto & exaggerato dicendi, aliudve faciendi genere accipiuntur. Horatius in Arte:

Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni.

181. *Hujus fuerat.*] Ita egregie Reg. 2. cum in editis hactenus libris omnia perturbata, immutataque sic legantur: *Ad quem de hac arte scripsit, qui hujus fuit ætatis. Aristides Thebani discipuli fuerunt,* &c. De Aristide Thebano dictum superius, num. 19. Huic discipulum fuisse cognominem nunc Plinius asseverat.

182 *Fuerunt & filii.*] Hujus filii, hoc est, Persei, non Aristidis.

183. *Niceros & Ariston*] Νίκηρος & Ἀρίστων. Ita Reg. 2. & alii In libris editis, *Aristippus.* Ariston is videtur esse, de quo lib. 34. sect 19. num. 25.

184. *Discipuli.*] Ejusdem Persei, cujus filii proxime appellati.

Sect. XXXVII. 1. *Minoris picturæ.*] Modicæ amplitudinis, *de petit volume.*

2. *Pyreicus.*] Meminit Propertius, lib. 3. Eleg 8. ex emendatione Beroaldi:

Pyreicus parva vindicat arte locum.

Prius apud Propertium *Parrhasius* legebatur. In Plinianis cod. MSS. *Preicus & Praeicus,* legimus. Quid statui certo de ea voce oporteat, hæremus

3. *Rhyparographos*] Ita clare Reg. 2. cum libris omnibus editis, post Hermolaum. Ῥυπαρογράφος intelligitur, sordidarum atque humilium rerum pictor.

4. *Mæniana.*] Pergulæ projectæ, fuere in Foro Romæ, unde pictorum tabulæ venales pendebant, ut diximus num. 12. Nomen habet a Mænio, a quo & columna Mænia appellata Vulgus in Gallia salientes vocat, *des Saillies, des Avances.* Codex Theod. lib 15. tit. 1. lib. 45. *Tabulata intercolumniis adfixa* · unde videlicet populus spectare poterat. Labeo J. C. *Projectis.* Nominis causam docet Asconius in Divin. *Mænius, cum domum suam venderet Catoni & Flacco Censoribus, ut ibi Basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis: unde ipse & posteri ejus spectare munus gladiatorium possent: quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Mænia vocitata est.* Festus: *Mæniana ædificia a Mænio sunt appellata. Is enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora.* Hoc loco Mæniana Varro, pro tabulis, quæ ibi venales proponebantur, accipit.

5. *Serapionis.*] Pictoris σκηνογράφου.

6. *Sub veteribus*] Sub veteribus fori tabernis, pergulisve, ut diximus sect. 8. His etiam veterum Mænianorum nomen fuit, uti ex Cicerone diximus, lib 4 Acad. Quæst num 70. *Veterum, ut Mænianorum, sic Academicorum umbram secutus est.* De Veteribus Plautus in Curcul. act. 4. sc. 1. versu 19.

Sub Veteribus, ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore.

7. *Contra Dionysius*] Patria is Colophonius fuit, ut quidem Ælianus prodidit, lib. 4. Var. hist. cap. 3.

8. *Parva & Callicles.*] Idem forsassis & fictor Megarensis, cujus opera laudantur in primis a Pausania, lib. 6 Eliac. poster.

9. *Item Calades.*] Καλάδης, quo nomine is fuit qui leges Atheniensibus dedisse fertur, Ἀθηναίοις, ὡς λέγουσι, νόμους γράψαι, & ab iis idcirco statuæ honorem obtinuisse Qui hunc Pausaniæ locum accuratius pensitarit, intelliget is profecto, vanam illius conjecturam esse, qui sic emendat, κώμους γράψαι, hoc est, comessantium tabellas: ut cum ipsum signari a Græco scriptore suadeat, cujus comicæ tabulæ a Plinio commendantur. Dignum scilicet statua opus. Et quis tabulas comicas sic interpretari velit? Hic libri editi *Calaces* habent: MSS *Calates.*

10 *Comicis tabellis.*] Quæ personas repræsentent, quales in Comœdorum fabulis inducuntur.

11. *Antiphilus.*] Ἀντίφιλος ζωγράφος, Tzetzæ, Chil. 8. hist. 197 vers. 395. Pictorem hunc ab eximia facilitate laudat Quintilianus, lib. 12 cap. 10. pag. 874

12. *Nam & Hesionam.*] Laomedontis filiam, Priami sororem. Consule Mythologos, & Maronem, lib. viii Æneid. versu 157.

13. *In schola.*] Nomine sororis Octaviæ Porticum Augustus condiderat, ut auctor est Suetonius, cap 29. Fuit regione Urbis nona, prope Theatrum Marcelli: complectebatur ea templa duo, Junonis & Apollinis, Curiam, Scholam, Bibliothecam. Schola statio quædam instar ludi litterarii fuit, in quem Philosophi, & reliquis doctrinis exculti homines convenire solebant, ut publicis disputationibus & colloquiis exercerentur.

14. *Et in Philippi.*] In porticu Philippi, de qua diximus sect. 36. num. 4.

tauro emisso expavescentem: [15] in Pompeia vero Cadmum & Europen. [a] Idem jocoso nomine Gryllum ridiculi habitus pinxit. Unde hoc genus picturæ grylli vocantur. Ipse in Ægypto natus didicit a Ctesidemo.

Decet non sileri & [16] Ardeatis templi pictorem, præsertim civitate donatum ibi, &
5 carmine, quod est in ipsa pictura his versibus:

> [17] Dignis digna loca picturis condecoravit,
> Reginæ Junonis [18] Supremi conjugis templum,
> Marcus Ludius [19] Helotas Ætolia oriundus,
> Quem nunc & post semper ob artem hanc Ardea laudat.

10 Eaque sunt scripta [20] antiquis litteris Latinis: [b] [21] non fraudando & Ludio, Divi Augusti ætate, qui primus instituit amœnissimam parietum picturam, villas & porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piscinas, euripos, amnes, litora, qualia quis optaret, varias ibi obambulantium species, aut navigantium, terraque villas adeuntium asellis aut vehiculis. Jam piscantes, aucupantesque, aut venantes, aut etiam vindemiantes, sunt in
15 ejus exemplaribus: [c] [22] nobiles, palustri accessu villæ, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur: plurimæ præterea talos argutiæ facetissimi salis. Idemque [d] subdialibus maritimas urbes pingere instituit, blandissimo aspectu, minimoque impendio.

Sed nulla gloria artificum est, nisi eorum qui tabulas pinxere: eoque venerabilior appa-
20 ret antiquitas. Non enim parietes excolebant dominis tantum, nec domos uno in loco mansuras, quæ ex incendiis rapi non possent. Casula Protogenes contentus erat in hortulo suo. Nulla in Apellis tectoriis pictura erat. Nondum libebat parietes totos pingere. [23] Omnis eorum ars urbibus excubabat, pictorque [24] res communis terrarum erat. Fuit & Arellius Romæ celeber paulo ante Divum Augustum: nisi flagitio insigni corrupisset
25 artem, semper alicujus feminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens, sed dilectarum imagine. Itaque in pictura ejus scorta numerabantur. Fuit & nuper gravis ac severus, idemque floridus, humilis rei pictor Amulius. Hujus erat Minerva, spectantem aspectans, quacumque aspiceretur. Pancis diei horis pingebat, id quoque cum gravitate, quod semper togatus, [25] quanquam in machinis. [26] Carcer ejus artis Domus aurea fuit: & ideo non
30 exstant exempla alia magnopere. Post eum fuere in auctoritate Cornelius Pinus, & Accius Priscus, qui [27] Honoris & Virtutis ædes Imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt: sed Priscus antiquis similior.

CAP. XI. XXXVIII. Non est omittenda in picturæ mentione celebris circa Lepidum fabula. Siquidem in Triumviratu quodam loco deductus a magistratibus in nemorosum hospitium,
35 minaciter cum iis postero die expostulavit, somnum ademptum sibi volucrum concentu. At illi draconem in longissima membrana depictum circumdedere loco: eoque terrore aves tum siluisse narratur, & postea cognitum ita esse posse compesci.

XXXIX. [1] Ceris pingere, ac picturam inurere quis excogitaverit, non constat.

INTERPRETATIO.

a *Idem.*] Idem pinxit hominem habitu ridiculo, nomenque tabulæ finxit, Gryllum.

b *Non fraudando.*] Neque prætermittenda Ludii commendatio est.

c *Nobiles.*] Nobiles, ut bajuli, per accessum palustrem cujusdam villæ, colla mulieribus ex sponsione onerati, vacillantes ac veluti oneri metuentes incedunt.

c *Subdialibus.*] In iis, quæ sub dio sunt, inambulationibus.

NOTÆ.

15. *In Pompeia.*] Prope theatrum Pompeii, regione Urbis nona, & porticus Pompeiana fuit, de qua Vitruvius, lib. 5. cap. 9 pag 92.

16. *Ardeatis templi.*] Cujus picturas antiquiores esse Urbe Roma dictum est superius, sect. 6.

17. *Dignis digna loca.*] Sic Gruterus edidit, in Inscriptionibus, pag. 1065. ex vetusto lapide:

> DIGNE. DOCTILOQVFIS. PICTVREIS. CONDECORAVIT
> REGINÆ. JVNONI. SVPREMI. CONIVGI. TEMPLVM
> MARCVS. LVDIVS. ELOTAS. AETOLIA. ORIVNDVS.
> QVEM NVNC. ET. POST. SEMPER OB ARTEM HANC. ARDEA LAVDAT.

18. *Supremi.*] Hoc est, Jovis. Ita M S S. Reg. 2. Colb. 3. aliique: non, ut editi hactenus libri, *supremæ*.

19. *Helotas.*] Εἵλωτες a Lacedæmoniis transfugæ appellati. Strabo, lib 6. pag. 278.

20. *Antiquis litteris Latinis.*] De his egimus lib. 7. sect. 58.

21. *Non fraudando & Ludio.*] Familiaris locutio Plinio, ut constabit ex Indice.

22. *Nobiles.*] Vide Notas & Emend. num. XIII.

23. *Omnis eorum.*] Reg. 2. *Omnium eorum* Malim ego, *Omnibus.*

24. *Res communis.*] Rem communem vocat, propter tabulas, quæ demi, atque in locum alium transferri possent: ut ex Achaia L. Mummium transtulisse permulta superius vidimus

25. *Quanquam in machinis.*] Ut sunt ii qui vel in scala sublimes, vel suspensi in corbibus, summa ædium tabulata, camerarumque fornices picturis exornant. His quanquam in machinis penderet ille, nunquam tamen induxit animum ut pingeret, nisi togatus.

26 *Carcer ejus artis.*] Præclara ejus artificis opera domo Neronis aurea inclusa fuere. De ea domo dicemus libro seq. sect. 24 num. 5.

27. *Honoris & Virtutis.*] Fuere ædes geminæ, proxime inter se se junctæ. Symmachus, lib 1. epist. 14. *Bene ac sapienter majores nostri, ut sunt alia ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellas junctim locarunt: commenti, quod in te* (Ausonium alloquitur) *videmus ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis.* P. Victor in prima regione Urbis, juxta portam Capenam. *Vicus Honoris & Virtutis*, ab ædibus numinum proximis sic appellatus. Sunt Galbæ & Vitellii & Vespasiani nummi inscripti, HONOS ET VIRTVS.

Sect. XXXIX. 1. *Ceris pingere.*] Discoloribus ceris pin-

[4] Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere, ut Polygnoti, & Nicanoris, & [3] Arcesilai Pariorum. [4] Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit, ἐνέκαεν: quod profecto non fecisset, nisi encaustica inventa.

XL. [1] Pamphilus quoque Apellis præceptor non pinxisse tantum encausta, sed etiam 5 docuisse traditur [2] Pausian Sicyonium primum in hoc genere nobilem. Brietis filius hic fuit, ejusdemque primo discipulus. [3] Pinxit & ipse penicillo parietes Thespiis, cum reficerentur quondam a Polygnoto picti: multumque comparatione superatus existimabatur, [4] quoniam [a] non suo genere certasset. Idem & lacunaria primus pingere instituit, [5] nec cameras ante eum taliter adornari mos fuit. Parvas pingebat tabellas, maximeque 10 pueros. Hoc æmuli eum interpretabantur facere, quoniam tarda picturæ ratio esset illa. Quamobrem arti daturus & celeritatis famam, absolvit uno die tabellam, quæ vocata est [6] Hemeresios, puero picto. Amavit in juventa [7] Glyceram municipem suam, [8] inventricem coronarum: certandoque imitatione ejus, ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. Postremo pinxit illam sedentem cum corona, quæ e nobilis- 15 simis ejus tabula appellata est [9] Stephaneplocos, ab aliis Stephanopolis, quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. Hujus tabulæ exemplar, quod [10] apographon vocant, [11] L. Lucullus [12] duobus talentis emit [13] Dionysiis Athenis.

24. Pausias autem fecit & grandes tabulas, sicut spectatam in Pompeii porticibus boum immolationem. Eam enim picturam primus invenit, quam postea imitati sunt multi, 20 æquavit nemo. Ante omnia cum longitudinem bovis ostendere vellet, adversum eum pinxit, non transversum: & abunde intelligitur amplitudo. Dein cum omnes, quæ volunt eminentia videri, candicantia faciant, coloremque condant nigro: hic totum bovem atri coloris fecit, umbræque corpus ex ipso dedit, magna prorsus arte in æquo exstantia ostendens, [b] & in confracto solida omnia. Sicyone & hic vitam egit, diuque fuit 25 illa patria picturæ. Tabulas inde e publico omnes propter æs alienum civitatis addictas, [14] Scauri ædilitas Romam transtulit.

25. Post eum eminuit longe ante omnes Euphranor Isthmius, Olympiade centesima quarta, idem qui inter fictores [15] dictus est a nobis. Fecit & colossos, & marmora, ac scyphos scalpsit: docilis ac laboriosus ante omnes, & in quocumque genere excellens, ac 30 sibi æqualis. Hic primus videtur expressisse dignitates heroum, & usurpasse symmetriam. [16] Sed fuit universitate corporum exilior, capitibus articulisque grandior. Volumina quoque

INTERPRETATIO.

a *Non in suo.*] Non in quo maxime excellebat genere picturæ.

b *Et in confracto.*] Et cum veluti fracta sint *unius corporis membra omnia*, solida tamen omnia videantur.

NOTÆ.

gebant antiqui; picturamque inurebant: quod quomodo fieret, dicemus inferius, sect. 41. Interim de discoloribus ceris Varro testis, lib. 2. de re rust. *Pictores loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sunt ceræ.*

2. *Quidam Aristidis.*] Ejus qui Polycleti discipulus fuit, de quo lib. 34. sect. 19 num. 12. De Praxitele, ibidem, num. 10.

3. *Arcesilai.*] Pictoris hujusce mentio apud Pausan. in Attic. lib. 1 pag. 2.

4. *Lysippus.... ἐνέκαεν.*] Hoc igitur tertium opus ex iis est quæ absolute inscripta fuisse scribitur in præfatione ad Titum, ILLE FECIT: non pendente titulo, ILLE FACIEBAT: hoc est, non Δύσιππ☉ ἐνέκαιεν, sed ΛΥΣΙΠΠΟΣ. ΕΝΕΚΑΥΣΕΝ.

Sect. XL. 1. *Pamphilus.*] De quo sect. 36 num. 8.

2. *Pausian.*] Παυσίᾳ pictoris opera laudat Pausanias in Corinth. lib. 2. pag. 234. Horat. 2. Satyr. 7. vers. 95.

Vel quum Pausiaca torpes insane tabella.

3. *Pinxit & ipse.*] Pausias scilicet. Vide Notas & Emend. num. XIV.

4. *Quoniam non suo genere.*] Pausias enim encausto. Polygnotus penicillo excelluit. Encausto pingere, & penicillo pingere, differunt: ceris illud, istud coloribus.

5. *Nec cameras ante.*] Cameræ lacunaribus ornabantur, aut musivo opere pingebantur. Ipsa lacunaria vel deaurari solebant, vel pingi coloribus, quod Pausiæ primo inventum fuit. Auctor quæstionum Veteris & Novi Test. quæst. 106. *Sicut enim ad ornamentum domus pertinet, si camera ejus habeat auro distincta laquearia*, &c. Isidorus, lib. 19. cap. 12. *Laquearia sunt, quæ cameram subtegunt & ornant, quæ & lacunaria dicuntur: quod lacus quosdam quadratos vel rotundos, ligno vel gypso vel coloribus habeant pictos, cum signis intermicantibus.* Quem Isidori locum immerito Salmasius reprehendit, in Notis ad Fl. Vopiscum, pag. 393. ubi negat lacunaria cameris unquam supposita fuisse. Atqui hoc Plinius diserte confirmat: Et Constantinus M. in epistola, quam Eusebius recitat, lib. 3. de ejus vita cap. 32. Τὴν ἢ τῆς βασιλικῆς καμάραν, πότερον λακωναρίαν, ἢ δι᾽ ἑτέρας τινὸς ἐργασίας γενέσθαι σοι δοκεῖ, παρὰ σοῦ γνῶναι βούλομαι. Εἰ γὰρ λακωναρία εἶναι μέλλοι, δυνήσεται καὶ χρυσῷ καλλωπισθῆναι τὸ λοιπόν. *Porro cameram Basilicæ utrum laqueatam, an alio quopiam operis genere faciendam censeas, certior a te fieri velim. Nam si laqueata fiet, auro quoque poterat exornari.*

6. *Hemeresios.*]. Ἡμερήσιος, diei unius pictura.

7. *Glyceram municipem suam.*] Sicyoniam igitur. At Glycere meretrix, quæ Praxitelis amica a Strabone dicitur, lib 9. pag. 410. Thespiensis e Bœotia fuit.

8 *Inventricem coronarum.*] Sic libri omnes, etiam MSS. non *vitricem*, ut fingit Salmasius, in Solin. pag. 246. inaudita prorsus in Latio voce, cum *vietricem* dici potius ars pateretur, quanquam ægre.

9. *Stephaneplocos.*] Ita Reg. 2. non *stephanoplocos*: quanquam & illud æque Græce dicitur. Στεφανηπλόκος, *textrix coronarum*: Στεφανόπωλις, *venditrix coronarum.*

10. *Apographon*] Quod ad exemplar effingitur, ἀπόγραφον Græci dicunt, *Une copie.*

11. *L. Lucullus.*] Is qui post bellum Mithridaticum, conversus ad otium, tradidit se luxui, magnificentiaque villarum, signorum & tabularum ornamentis Romanos omnes superavit.

12. *Duobus talentis.*] Atticis nimirum: Gallicæ monetæ libræ sunt, 4000.

13. *Dionysiis.*] Festis ludisque Dionysiacis, qui magno apparatu ab Atheniensibus celebrabantur. Eadem Bacchanalia appellata. In libris hactenus editis, *a Dionysio.* At MSS. Reg. 2. & Pintiani, *Dionysiis.*

14. *Scauri ædilitas.*] De qua lib. 36. sect. 24. num. 7.

15. *Dictus est a nobis.*] Libro 34. sect. 19.

16. *Sed fuit universitate.*] Corpora tota fecit exiliora, grandiora capita. Quod vitium & in Zeuxide notatum superius,

composuit de symmetria & coloribus. Opera ejus sunt, [17] equestre prælium, [18] duodecim Dii: [19] Theseus, in quo dixit, eumdem apud Parrhasium rosa pastum esse, suum vero carne. Nobiles ejus tabulæ Ephesi, Ulysses simulata vesania bovem cum equo jungens: [20] & palliati cogitantes: dux gladium condens.

26. Eodem tempore fuit [21] & Cydias, cujus tabulam Argonautas [22] HS $\overline{CXLIV}$. Hortensius Orator mercatus est, eique ædem fecit in Tusculano suo.

27. Euphranoris autem discipulus fuit Antidotus. Hujus est clypeo dimicans Athenis, & luctator, tibicenque inter pauca laudatus.

28. Ipse diligentior, [23] quam numerosior, & in coloribus severus, maxime inclaruit discipulo [24] Nicia Atheniensi, qui diligentissime mulieres pinxit. Lumen & umbras custodivit, atque ut eminerent e tabulis picturæ, maxime curavit. Opera ejus, [25] Nemea advecta ex Asia Romam [26] a Silano, quam [27] in Curia diximus positam: item Liber Pater in æde [28] Concordiæ: [29] Hyacinthus, quem Cæsar Augustus delectatus eo secum deportavit Alexandria capta: & ob id Tiberius Cæsar [30] in templo ejus dicavit hanc tabulam: & Diana. Ephesi vero est [31] Megabyzi sacerdotis Ephesiæ Dianæ sepulcrum: Athenis [32] Necromantia Homeri. Hanc vendere noluit [33] Attalo regi [34] talentis sexaginta, potiusque patriæ suæ donavit, abundans opibus. Fecit & grandes picturas, in quibus sunt [35] Calypso, & Io, & Andromeda: Alexander quoque [36] in Pompeii porticibus præcellens, & Calypso sedens. [37] Huic quidem adscribuntur quadrupedes. Prosperrime canes expressit. Hic est Nicias, [38] de quo dicebat Praxiteles interrogatus, quæ maxime opera sua probaret in marmoribus: Quibus Nicias manum admovisset, tantum [39] circumlitioni

Notæ.

sect. 36. num 2. *Deprehenditur tamen Zeuxis grandior in capitibus, articulisque.*

17. *Equestre prælium.*] Laudatur id Euphranoris opus & a Pausania, lib. 1. Attic. pag. 5. Equestre illud prælium ait fuisse, in quo ex Atheniensibus Gryllus Xenophontis F. e Bœotis Epaminondas Thebanus in primis claruere.

18. *Duodecim dii.*] De hac pictura Pausanias, loc. cit. Elegantius vero Valerius Max. lib. 8. cap. 11. pag. 46. His illi Ennii versibus continentur:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars:
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

19. *Theseus.*] Tradit eadem & Plutarchus, lib. 1. de gloria Athen pag. 346. Εὐφράνωρ τὸν Θησέα τὸν ἑαυτοῦ, τῷ Παῤῥασίου παρέβαλε, λέγων τὸν μὲν ἐκείνου ῥόδα βεβρωκέναι· τὸν δὲ ἑαυτοῦ κρέα βόεια. Unde Pintiani emendatio exsufflatur, libris invitis omnibus ita scribentis, *rore pastum esse*, non *rosa*.

20. *Et palliati cogitantes*, &c.] Sic Reg. 2. ceterique probatiores libri primitivi, typique. Frustra sunt, qui ex nescio quo exemplari inducunt, *Et Palamedes dux fas v gladium condens.* Plinius inferius iterum, num. 30. de Timomachi picturis: *Palliatis, quos dicturos pinxit, alterum stantem, alterum sedentem.*

21. *Et Cydias.*] Κυδίας Eustathio in Dionys. vers. 526. ubi hunc pictorem e Cyntho, quæ Cycladum una est, oriundum ait.

22. *H-S.* $\overline{CXLIV}$.] Hoc est, sestertiûm centum quadraginta quatuor millibus. Gallicæ monetæ libræ sunt, seu florenis 14400.

23. *Quam numerosior.*] Diligens, inquit, pictor Antidotus fuit: sed non plurimas idem tabulas pinxit: non ut Zeuxis, de quo num. 5. *Fecundus artifex.* Sic libro 34. sect. 19 num. 3. Myron *numerosior esse quam Polycletus*, dicitur.

24. *Nicia.*] Νικίας ζωγράφος Ἀθηναῖος, Plutarcho, lib. de gloria Athen pag. 346. Nicomedis filium facit Pausanias, lib. 1. Attic. pag. 57. & in pingendis etiam animalibus eximium tradit. Νικίας ὁ Νικομήδους ζῷα ἄριστος γράψαι τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ. Vide & quæ de eo referat Ælianus, lib 3. Var. hist cap. 31.

25. *Nemea.*] Diximus de ea, libri hujus sect. 10.

26. *A Silano.*] A Licinio Nerva Silano, cujus nomen in nummis Antiochensium legitur: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Fuit is pater Silani, qui nepos neptis Augusti fuit, ut Plinius ait, libro VII. sect. XI.

27. *In Curia diximus positam.*] Sect. 10.

28. *Concordiæ.*] Regione Urbis octava

29. *Hyacinthus.*] Lusit in hanc tabulam Martialis, lib. 14. Epigr. 173 cujus lemma: *Hyacinthus in tabula pictus:*

Flectit ab invisso morientia lumina disco
Œbalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

30. *In templo ejus.*] Templum Augusti in foro Romano fuit

31. *Megabyzi.*] Diximus de eo superius sect 36 num 16.

32. *Necromantia.*] Vaticinium mortuis evocatis, locutique ubi id umbræ reddunt, vox ea sonat, νεκρομαντεία. Ciceroni, lib. 1. Tusc. num. 37 νεκυία Homeri appellatur: eaque pars Odysseæ intelligitur, qua inferos Ulysses descendisse fingitur, umbrasque ibi esse allocutus.

33. *Attalo regi.*] Ptolemæo potius, si Plutarcho fides, in libro de vita secund. Epicur. pag. 1093.

34. *Talentis sexaginta.*] Atticis nimirum: quæ Gallicæ monetæ libras, seu florenos efficiunt 144000.

35. *Calypso*, &c.] Calypso, quæ naufragum Ulyssem hospitaliter recepit. Io a Jove adamata, & in vaccam conversa. Andromeda, quam Ceto expositam Perseus periculo liberavit. Hujus picturæ argumentum explanat geminum epigramma, in Anthologia, lib. 4. cap. 9. ex quo adjectum intelligimus & Gorgonis caput, cujus ope virginem Perseus liberavit: simulque Cassiopen Andromedæ matrem, quæ Nereidas ad alligandam scopulo filiam, ut a ceto voraretur, concitarat, quod eam Nereidas antecellere forma jactaret. Prius est Antiphili:

Αἰθιόπων ἁ βῶλος· ὁ δὲ πτερόεις τὰ πέδιλα,
Περσεύς· ἁ δὲ λίθῳ προσδεθεῖσ' Ἀνδρομέδα.
Ἁ δὲ θέμα, Γοργοῦς λιθοδερκέος· ἆθλον ἔρωτος
Κῆτος Κασσιέπας, ἁ λάλος εὐτεκνίη.
Χ' ἁ μὲν ἀπὸ σκοπέλοιο χαλᾷ πόδας ὑγρὰ νάρκα,
Νυμφὸς· ὁ δὲ μνηστὴρ νυμφοφορεῖ τὸ γέρας.

Æthiopum regio est: qui fert talaria, Perseus.
Hæc adjuncta feris cautibus, Andromede.
Gorgonis hoc sectum caput est certamen amoris
Bellua: Cassiopes, garrula fertilitas.
Liberat illa pedes longa torpedine segnes
A scopulo potitur virgine victor amans.

Alterum Arabii Scholastici:

Κηφεὺς Ἀνδρομέδης, ἡ ζωγράφος ἄντρα πέτρης;
Καὶ γὰρ ἀπ' ὀφθαλμῶν ἡ κρίσις ἀμφίβολος.
Κῆτος δ' ἀπλαδέος ὑπὸ γράμμασι πέρ' ἐχέγχην,
Ἢ ἀπὸ Νηρῆος γείτονος ἕλκεται;
Ἔγνων τοῦτο· σοφῆς γε χερὸς τέχνη· ὅστις ἀληθῶς
Τεύξατο καὶ βλεφάρων καὶ πραπίδων ἀπάτην.

Cepheus Andromedæ, an pictor rupe ligavit?
Namque oculus non quit cernere, credat utrum.
Picta super scopulos ostenditur horrida pistrix,
An de vicino tollitur illa mari?
Agnosco vix signa manus: O magnus in arte,
Lumina qui potuit fallere, quique animos!

Quæ porro comminiscendæ hujus de Andromeda fabulæ causa extiterit, Cetumque vere navigii, non belluæ, nomen fuisse, aliaque huc spectantia, prolixe Conon explanat, in Bibl. Photii, cod. CLXXXVI. hist. XL. pag. 448.

36. *In Pompeii porticibus.*] De quibus sect 37.

37. *Huic quidem.*] MSS. *sidem*, mendose. Sunt qui *Phidiæ* reponant, vitiosius. In quadrupedibus pingendis palmam tulisse Niciam auctor est Pausanias paulo antea a nobis laudatus

38. *De quo dicebat … interrogatus*] Dicebat, inquam, ea sibi opera maxime probari, quibus Nicias manum admovisset. Simili textura verborum usus ipse sect. 8. *De qua Timotheum legatum respondit interrogatus*, &c.

39. *Circumlitioni.*] Marmora coloribus tenuissimis illinebant, qui repercussu claritatem marmoris excitaret, custodiretque a pulvere & sordibus. Galli dicunt, *ternir*. Se-

ejus

ejus tribuebat. [40] Non satis discernitur, alium eodem nomine, an hunc eumdem quidam faciant Olympiade centesima duodecima.

29. Niciæ comparatur, & aliquanto præfertur Athenion [41] Maronites, Glaucionis Corinthii discipulus, & austerior colore, & in austeritate jucundior, ut in ipsa pictura eruditio eluceat. Pinxit in templo Eleusine [42] Phylarchum, Athenis frequentiam, quam vocavere [43] Syngenicon. [44] Item Achillem virginis habitu occultatum, Ulysse deprehendente. Et in una tabula, sex signa: quaque maxime inclaruit, agasonem cum equo. Quod nisi in juventa obiisset, nemo ei compararetur.

30. Est nomen & Heraclidi Macedoni. [45] Initio naves pinxit: captoque rege Perseo Athenas commigravit, ubi eodem tempore erat [46] Metrodorus pictor, idemque Philosophus, magnæ in utraque scientia auctoritatis. Itaque cum L. Paulus devicto Perseo petisset ab Atheniensibus, ut sibi quam probatissimum Philosophum mitterent ad erudiendos liberos, itemque pictorem ad triumphum excolendum, Athenienses Metrodorum elegerunt, professi eumdem in utroque desiderio præstantissimum: quod ita Paulus quoque judicavit.

[47] Timomachus Byzantius Cæsaris Dictatoris ætate Ajacem, & Medeam pinxit, ab eo in Veneris Genetricis æde positas, [48] octoginta talentis venumdatas. [49] Talentum Atticum X. VI taxat M. Varro. Timomachi æque laudantur [50] Orestes, [51] Iphigenia in Tauris, Lecythion agilitatis exercitator, cognatio nobilium: palliati, quos dicturos pinxit, alterum stantem, alterum

NOTÆ.

neca, epist. 86. cujus initium est, *In ipsa Scipionis Africani villa: Pauper sibi videtur ac sordidus.... nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt: nisi illis undique operosa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur.*

40. *Non satis discernitur.*] At satis discerni temporum ratione ambo a se invicem videntur, cum illius ætas qui Olympiade CXII. vixit, ab Attali temporibus distet annis fere XC. cui regi is, qui nunc laudatur, vendere dicitur tabulam noluisse.

41. *Maronites.*] Ab oppido Thraciæ Maronea, de quo lib. 4. sect. 18 Ἀθηνίας ὁ τοῦ Γλαυκίωνος

42. *Phylarchum.*] Historicum, ut videtur, cujus in Auctorum Indice meminimus.

43. *Syngenicon.*] Συγγενικὸν, *cognationem.* Ita cum Pintiano scripsimus, quod in MSS Reg. 2. aliisque, *Syngenicon* vidimus. Et quod num. seq. *cognatio* pariter *nobilium*, picturæ argumentum affertur. Num. item 38. *Oenias Syngenicon* pinxisse dicitur. Editi ante nos libri, *polygynacon*, πολυγυναικὸν, quæ vox mulierum frequentiam sonat.

44. *Item Achillem.*] Narrat hanc historiam Hyginus, fab. 96. *Thetis Nereis, cum sciret Achillem filium suum, quem ex Peleo habebat, si ad Trojam expugnandam isset, periturum, commendavit eum in insulam Scyron ad Lycomedem regem: quem ille inter virgines filias habitu fœmineo servabat, nomine mutata.... Achivi autem cum rescissent ibi eum occultari, ad Regem Lycomedem oratores miserunt, qui rogarent, ut eum adjutorium Danais mitteret. Rex cum negaret apud se esse, potestatem eis fecit, ut in regia quærerent. Qui cum intelligere non possent, quis esset eorum, Ulysses in Regio vestibulo munera feminea posuit, in quibus clypeum & hastam, & subito tubicinem jussit canere, armorumque crepitum & clamorem fieri jussit. Achilles hostem arbitrans adesse, vestem muliebrem dilaniavit, atque clypeum & hastam arripuit. Ex hoc est agnitus, suasque operas Argivis promisit, & milites Myrmidones.*

45. *Initio naves.*] Id quoque de Protogene superius dictum, sect. 36. num. 20.

46. *Metrodorus.*] Carneadis auditor is fuit Athenis, ut auctor est Cicero, lib. 1. de orat. num. 45. De Architectonice scripsit, ut in Auctorum Indice diximus. Item de poëtis, ut auctor est Plutarchus, lib. adv. Epic. pag. 1094. Vixit Persei Macedoniæ regis temporibus.

47. *Timomachus .... Medeam.*] In hanc pictoris ejus tabulam, ut ceteros sileam, egregie lusit Antiphilus Byzantius, in Anthol. lib. 4. cap. 9. cujus epigramma Latine Ausonius reddidit, Epigr. 121.

Medeam vellet cum pingere Timomachi mens,
Volventem in natos crudum animo facinus:
Immanem exhausit rerum in diversa laborem,
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira subest lacrymis, miseratio non caret ira:
Alterutrum videas ut sit in alterutro.
Cunctantem satis est: nam digna est sanguine mater
Natorum: tua non dextera, Timomache.

Et Epigr. 122 cujus hic cartus est:

Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ensem
Cunctantem, prolis sanguine ne maculet.

De priore vero, seu de Ajacis insanientis pictura ab eodem Timomacho elaborata, incerti scriptoris epigramma exstat, lib. 4. Anthol. cap. 6.

Αἴας Τιμομάχου πλέον ἢ πατρὸς· ἥρπασε τέχνα
Τὴν φύσιν· ὁ γράψας εἶδέ σε μαινόμενον,
Καὶ συνελυσσήθη χεὶρ ἀνέρι· καὶ τὰ μιγέντα
Δάκρυα τοῖς λύπης πᾶσιν ἔμιξε πόνοις.

In libris editis Αἴαν Τιμομάχου corrupte legitur.

Ajax Timomachi magis est, quam patris: in arte
Natura est: rabiem viderat ille tuam
Cumque viro furuit simul manus: omne doloris
Ingenium truculens miscuit in lacrymis.

48. *Octoginta talentis.*] Monetæ Gallicæ libras hæc omnino efficiunt, sive florenos, 192000. Hic exclamare lubet cum Seneca, epist. 96. *Quid inter pueros & nos interest? nisi quod nos circa tabulas & statuas insanimus, carius inepti? Illos reperti in littore calculi leves, & aliquid habentes varietatis delectant,* &c.

49. *Talentum Atticum X. VI.*] Hoc est, denarium sex millibus. Gallicæ monetæ libris, ut vocant, 2400. Recte. Festus similiter Atticum talentum definit sex millibus denarium. Gellius, lib. 3. cap. 17. tria talenta Attica ait efficere LXXII. millia sestertium, hoc est, XVIII. denarium millia. Seneca & Priscianus talentum Atticum aiunt esse XVIII. sestertia: sive quatuor & viginti sestertium millia: hoc est, sex millia denarium: quæ ter ducta efficiunt illa Gellii LXXII. sestertia. Talentum istud *magnum* a Plauto vocatur, quod dicimus moneta Gallica, *deux mille quatre cent livres: five huit cens écus.* Mna, sive mina, ut a Plinio centum denariis definitur, in fine libri XXI. monetæ Francicæ, efficit libras, ut vocant, quadraginta, *quarante francs.* Hanc porro nostram ac Plinianam talenti ac minæ æstimationem egregie confirmat Herodotus, insigni loco certe, libro III. pag. 241. ubi de pretio, quo conductus est Democedes medicus ætate sua celebratissimus. *Æginetæ,* inquit, *anno sequente conduxerunt eum talento: Athenienses anno tertio centum minis: Polycrates quarto anno talentis.* Qua in oratione semper, ut par est, merces crescit. Galli dicerent: *Les Magistrats d'Egine lui assignerent deux mille quatre cent livres, ou huit cens ecus: ceux d'Athenes, quatre mille francs: Polycrate alla jusqu'à quatre mille huit cent livres, ou seize cens écus.* Aliud est talentum minus, quod triginta libris Gallicæ monetæ pendebatur, *trente livres, ou dix écus:* cujusmodi talenta accipienda sunt etiam auri, tempore Davidis in sacris libris; & apud Homerum, tum in Iliade, ι'. 127. ψ'. 257. 751. & ω'. 233. tum in Odyssea, θ'. 393.

50. *Orestes.*] Quem furiæ Clytemnestræ matris ab eo interemptæ exagitant.

51. *Iphigenia in Tauris.*] Agamemnonis filia, quam cum parens immolare vellet, Diana virginem miserata, cervam pro ea supposuit: Iphigeniamque per nubes in terram Tauricam detulit: ibique templi sui sacerdotem fecit. Hyginus, fab. 98. & 120. Advenientem illuc postea fratrem Orestem, agnovit ipsa, captumque ab incolis ob sublatum furto Dianæ simulacrum, morti eripuit. Vide Euripidem in ea fabula quam de hoc argumento inscripsit, *Iphigenia in Tauris.* Picturam hanc Nicomachi, credo, describit incertus auctor epigrammatis, in Anthologia, lib. 4. cap. 8.

Μαίνεται Ἰφιγένεια· πάλιν δέ μιν εἶδος Ὀρέστου
Ἐς γλυκερὴν ἀνάγει μνῆστιν ὁμαιμοσύνης.
Τῆς δὲ χολουμένης, καὶ ἀδελφεὸν εἰσορώσης
Οἴκτῳ καὶ μανίῃ βλέμμα συνεξάγεται.

Iphigenia furit: sed eam conspectus Orestæ
Mitigat, & memorem sanguinis esse jubet.

sedentem. Præcipue tamen ars ei favisse [52] in Gorgone visa est.

31. Pausiæ & filius & discipulus Aristolaus e severissimis pictoribus fuit: cujus sunt, Epaminondas, Pericles, Medea, Virtus, Theseus: [53] imago Atticæ plebis, [54] boum immolatio. [55] Sunt quibus & Mechopanes ejusdem Pausiæ discipulus placeat diligentia, quam intelligant soli artifices, alias durus in coloribus, [56] & sile multus. [57] Nam Socrates jure omnibus placet. Tales sunt, cum Æsculapio filiæ, [58] Hygia, Ægle, Panacea, Iaso, & piger, qui appellatur [59] Ocnos, spartum torquens, quod asellus arrodit.

32. Hactenus indicatis [60] in genere utroque proceribus, non silebuntur & primis proximi. Aristoclides, qui pinxit ædem Apollinis Delphis. [61] Antiphilus puero ignem conflante laudatus, ac pulcra alias domo splendescente, ipsiusque pueri ore: item lanificio, in quo properant omnium mulierum pensa: [a] Ptolemæo venante. Sed nobilissimo Satyro cum pelle pantherina, quem [62] Aposcopevonta appellant. Aristophon [63] Ancæo vulnerato ab apro, cum socia doloris [64] Astypale: numerosaque tabula, in qua sunt Priamus, Helena, Credulitas: Ulysses, Deïphobus, [65] Dolus. Androbius pinxit [66] Scyllin ancoras Persicæ classis præcidentem. [67] Artemon [68] Danaën, mirantibus eam prædonibus: reginam [69] Stratonicen, Herculem [70] & Deïanitam: [71] Nobilissimas autem, quæ sunt [72] in Octaviæ operibus: [73] Herculem ab Oeta monte Doridos exuta mortalitate consensu Deorum in cælum euntem: [74] Laomedontis circa Herculem & Neptunum hi-

Interpretatio.

a *Ptolemæo*] Ptolemæi Regis venatione picta, *cum venaretur elephantes.*

Notæ.

Illius iratæ pariter, fratremque videntis,
Exagitant oculos hinc furor, hinc pietas.

52. *In Gorgone*] A Perseo interfecta.

53. *Imago Attica plebis.*] Hoc est, Δῆμος Atheniensium, quæ pictura explicatur egregie a Plinio, sect. 36. num. 5.

54 *Boum immolatio*] Qua de pictura dictum est superius, num. 24.

55. *Sunt quibus & Mechopanes.*] An *Metrophanes* potius?

56. *Et sile multus*] Ochram in pictura plurimam adhibebat. Ita Reg. 2. aliique: editi mendose, *sed & multus.*

57. *Nam Socrates.*] Pictoris id nomen, de quo inferius iterum, lib. 36. sect. 4. num. 10.

58 *Hygia, Ægle, &c*] Schol. Aristoph. pag. 69. Æsculapii filiæ, Ἰασώ, Πανάκεια, Ὑγίεια, Αἴγλη.

59 *Ocnos.*] Ὄκνος, pigrum ac timidum sonat: quæ appellatio huic apte convenit, qui abigere asellum non audeat. Describit hanc picturam Pausanias lib. 10 Phocic. Ἀνήρ ἐστι καθήμενος, ἐπίγραμμα δὲ Ὄκνον εἶναι λέγει τὸν ἄνθρωπον· πεποίηται μὲν πλέκων σχοινίον· παρέστηκε δὲ θήλεια ὄνος ἐπεσθίουσα τὸ πεπλεγμένον ἀεὶ τοῦ σχοινίου. Τοῦτον εἶναι τὸν Ὄκνον φιλεργόν φασιν ἄνθρωπον, γυναῖκα δὲ ἔχειν δαπανηράν· καὶ ὁπόσα συλλέξαιτο ἐργαζόμενος, οὐ πολὺ ἂν ὕστερον ὑπ' ἐκείνης ἀνήλωτο. *Vir quidam sedens, titulus autem indicat eum Ocnum esse. Ipse funiculum torquet, adstante asella, quæ quod tortum fuerit assidue abrodat. Hunc Ocnum aiunt hominem fuisse industrium, operique intentum: sed uxorem ei fuisse sumptuosam ac prodigam: ut quidquid is suo labore corraderet, id mox absumeretur ab illa.* Vide Plutarchum, περὶ εὐθυμίας, &c.

60. *In genere utroque*] In utroque genere pingendi: sive ceris & encausto: sive coloribus ac penicillo.

61. *Antiphilus*] Alius hic ab eo, de quo supra sect. 37.

62. *Aposcopevonta.*] Ἀποσκοπεύοντα, ut Reg. 2. & alii MSS. sive, ut editi, ἀποσκοποῦντα, hoc est, collimantem, intuentem scopum. Vide Athenæum, lib. 14 pag. 629. & Hesychium, verbo Σκωπευμάτων.

63. *Ancæo vulnerato*] Lycurgi filio, quem Calydonius aper vulneravit. Recitat hanc historiam Pausanias, lib. 8. Arcad. pag 528. & Hyginus, fab. 248.

64. *Astypale.*] Ancæi uxore.

65. *Dolus.*] Ita MSS Reg. 2 Colb. 3. & Pintiani. Sunt qui *Dolon* ibi legi malint, Priami filium, quem Diomedes occidit Male: nam uti Priamum Helenamque Credulitas perdidit: sic Ulyssem Deiphobumque Dolus nobilitavit: atque idcirco in tabula ea suum quibusque vitium est adjunctum.

66. *Scyllin.*] Σκύλλιν Σκιωναῖον eximium urinatorem, qui classis Persicæ vento jactatæ ancoras præcidit, multaque ex eo naufragio servata sibi comparavit. Auctores sunt Pausanias, lib. 10. Phocic. & Strabo, lib. 9. pag. 443. Item Apollonidas in Epigrammate Græco, lib. 1. Anthologiæ cap. 69.

Σκύλλιν ὅτε Ξέρξου δολιχὸς στόλος Ἑλλάδα πᾶσαν
Ἤλαυνεν, βυθίαν ἔσχετο ναυμαχίην,
Νηρέος ἀνθρώποισιν ὑποπλώσας πολιήταις,
Καὶ τὰς ἀπ' ἀγκύρης σπείρας ἔκοψε νεῶν.
Αὔτανδροι δ' ἐπὶ γῆς ὀλίσθησαν Πέρσαι ἀπωλέες
Ὤκελλον, πρῶτον Ἑλλάδος ἐργασάμενοι.

Belligeram Xerxis tremeret cum Græcia classem,
Invenit Scyllis prælia tecta mare:
Nam vada furtivo delapsus ad ima natatu,
Vincula, quæ curvis dentibus apta, secat.
Sic ratibus pereunt pulsis in litora Medi,
Materies famæ prima Themistoclea.

67 *Artemon.*] Ἀρτέμων.

68. *Danaen, mirantibus eam prædonibus.*] De quibus nempe vates Venusinus, lib. 3, Ode 16.

Inclusam Danaën, turris ahenea
Robustaque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pavidum, Juppiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites, &c.

69. *Stratonicen.*] Reginam in Asia, ubi Ephesus fuit, ut mox Plinius ipse dicet.

70. *Et Deianiram.*] Vestem marito Herculi porrigentem, centauri tinctam sanguine, qua ille induta flagrare cœpit. Hygin. fab. 36.

71. *Nobilissimas.*] Subintellige, picturas.

72 *In Octaviæ operibus.*] Hoc est, porticibus & scholis; de quibus egimus sect. 37. *In Octaviæ operibus* iterum dixit idem, lib. 36. sect. 4. num. 3.

73. *Herculem ab Oeta.*] In Oeteo monte pyram struxerat Herculi Philoctetes, in quam se ille conjecit, exutaque mortalitate cælum conscendit. Hyginus, loco cit.

74. *Laomedontis.*] *Neptunus & Apollo dicuntur Trojam muro cinxisse. His rex Laomedon vovit, quod regno suo pecoris eo anno natum esset, immolaturum. Id votum avaritia fefellit. . . . Ob eam rem Neptunus cetum misit, qui Trojam vexaret. Ob quam causam rex ad Apollinem misit consultum. Apollo iratus ita respondit: Si Trojanorum virgines ceto religatæ fuissent, finem pestilentiæ futurum. Cum complures consumptæ essent, Hercules & Telamon, cum Colchos Argonautæ irent, eodem venerunt, & cetum interfecerunt: Hesionemque patri, pactis legibus reddunt, ut cum inde redissent, secum in patriam eam abducerent . . . . . Quod & ipsum Laomedon fraudavit . . . . Itaque Hercules ad eos navibus comparatis, ut Trojam expugnaret, venit, & Laomedontem necavit,* &c. Hygin. fab. 89.

ftoriam. Alcimachus [75] Dioxippum, qui [76] pancratio Olympia [77] citra pulveris tactum ([78] quod vocant aconiti) vicit: [79] coniti Nemeæa.

33. Ctesilochus Apellis discipulus petulanti pictura innotuit, Jove Liberum parturiente depicto mitrato, & muliebriter ingemiscente inter obstetricia Dearum. [80] Cleon Cadmo: Ctesidemus [81] Oechaliæ expugnatione, & [82] Laodamia. [83] Clesides reginæ [84] Stratonices [a] injuria. Nullo enim honore exceptus ab ea, pinxit [85] volutantem cum piscatore, quem reginam amare sermo erat: eamque tabulam in portu Ephesi proposuit: [b] ipse velis raptus est. Regina tolli vetuit, utriusque similitudine mire expressa. Craterus comœdos Athenis [86] in Pompeo pinxit.

34. [87] Eutychidis bigam regit Victoria. [88] Eudorus scena spectatur: idem & ex ære signa fecit.

35. [89] Hippias, Neptuno & Victoria. Habron Amicitiam & Concordiam pinxit, & Deorum simulacra. Leontiscus [90] Aratum victorem cum trophæo: psaltriam. [91] Leon Sappho.

36. Nicearchus Venerem inter Gratias & Cupidines: [92] Herculem tristem insaniæ pœnitentia. [93] Nealces Venerem, ingeniosus & solers in arte. Siquidem cum prælium navale Ægyptiorum & Persarum pinxisset, quod in Nilo, cujus aqua est mari similis, factum volebat intelligi, argumento declaravit, quod arte non poterat. Asellum enim in litore bibentem pinxit, & crocodilum insidiantem ei.

37. [94] Oenias Syngenicon.

38. Philiscus officinam pictoris, ignem conflante puero. [95] Phalerion Scyllam.

INTERPRETATIO.

a *Injuria*] Innotuit injuria, quam intulit reginæ.

b *Ipse.*] Ipse navim interim conscendit.

NOTÆ.

75. *Dioxippum.*] Olympionicam pugilem, de quo Ælianus, lib. 10. Var. hist. cap. 22. & lib. 12. cap 58.

76. *Pancratio Olympia. . . . vicit.*] Subintellige, certamina. Non enim *Olympia vincere*, sed *Olympia* Latini dixere, imitatione Græcorum. Sic & Olympia coronari Horatius, lib. 1. Epist. 1. vers. 50.

Quis circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia: cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ.

Ennius apud Ciceronem, lib. de Senectute:

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Apuleius, libro de dogmate Platonis: *Tantosque progressus exercitatio contulit ei, ut Pythia, Isthmia, de lucta certaverit.* Græco videlicet more, ut in Anthologia, libro 1. cap. 1, Epigr 5.

Ἀνδρας ὅσσους
Πυγμῇ νίκασε Νικοφῶν Ὀλύμπια.
Cum tot viros
Pugnis domaret Nicophon Olympia.

Et libro 3. cap 2. Epigr. 1. Πύθια πὺξ, in Pythiis certaminibus pugil. Inscriptio vetus apud Reines. pag. 205.

ΖΩΙΛΟΣ. ΖΩΙΛΟΥ.
ΠΥΘΙΑ. ΝΙΚΗΣΑΣ.
ΘΕΟΙΣ.

De pancratio diximus lib. 34. sect. 19. num. 3.

77. *Citra pulveris tactum.*] Sic Reg. 2. Colb. 3. & alii: non *jactum*.

78. *Quod vocant aconiti.*] Ἀκονιτὶ, hoc est, sine pulvere, fere sine pugna: translatione sumpta ab athletis, qui ita facile superant, ut ne pulverem quidem excitent, vel excitato fœdentur. Suidas: Ἀκονιτὶ, χωρὶς κόνεως, ἀντὶ ἀγῶνος καὶ μάχης, ἢ ἀπραγμόνως. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀθλητῶν τῶν ἄνευ κονιορτοῦ στεφανουμένων, ὥστε μηδὲ κονίσασθαι. *Sine pulvere* dixit Horatius, loco cit. Impulveream victoriam appellat Gellius, lib. 5. cap. 6. Plura vide apud Constantin. in Lexico, verbo Ἀκονιτί.

79. *Coniti Nemeæa*] Non, ut Olympia, sine pulvere, sic & Nemeæa vicit. Vide Notas & Emend. num. XV. Nemea sive Nemeæa, νεμεῖα, νεμαῖα, & νέμεια, sacra Græciæ certamina, a silva Peloponnesi Nemea, sic appellata, nemo ignorat.

80. *Cleon Cadmo.*] Ita MSS. omnes. Typi, *Admeto*. Cadmum Castalii fontis custodem draconem interemisse fabulæ ferunt: Hygin. fab. 6. Id forte hujus picturæ argumentum. Cleonis Sicyonii fictoris meminit Pausanias laudatus a nobis, lib 34 sect 19. num 27.

81. *Oechalia.*] Situs hujusce Oechaliæ, quam Herculis diruit, ipso Strabone teste, lib. 9. pag 438. in incerto est: cum plures sint urbes cognomines. Vide & ejusdem Strabonis librum 14. pag 638. Hercules cum Ioleo Euryti regis filiam in conjugium peteret, pater negaret, Oechaliam expugnavit. Hyginus, fab. 35. Virgil. lib. 8. Æneid. vers. 290 de Hercule:

Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque, Oechaliamque.

82. *Laodamia.*] Pyram conscendente, qua cremata est. Hyginus, fab. 104.

83. *Clesides.*] Κλησίδης.

84. *Stratonices.*] De qua diximus num. 32.

85. *Volutantem cum piscatore.*] Ita clare Reg. 2. Colb. 3. typique omnes.

86. *In Pompeo.*] Athenis in ipso urbis introitu ædificium fuit, in quo pompæ parabantur, vasaque asservari solita ad pomparum solemnia. Atque ex ea re Πομπεῖον est appellatum, ut auctor est Jul. Pollux, lib. 9. cap. 5 pag 418. ex Demosthenis oratione in Phormionem. Statuæ illic erant clarorum virorum, ut Socratis, teste Laertio in ejus vita: & Isocratis, teste Plutarcho, lib. de decem Rhet. Picturæ quoque, ut vel ex hoc Plinii loco intelligitur.

87. *Eutychides.*] Idem fortassis, ut & Eudorus, statuarius fuit, de quo diximus lib. 34. sect. 19.

88. *Eudorus scena.*] Εὔδωρος. Scenam pinxisse eximie dicitur, quam barbari vocant, decorationem theatri

89. *Hippias, Neptuno*] Subintellige, spectatur, ex antecedenti. Porro *Hippiam*, & mox *Habron*, scribi hic oportere, non, ut hactenus, *Iphis* & *Abron*, partim MSS. quos sequimur, in quibus *Hyppis* & *Habron* scribitur: partim ipsa elementorum series admonet, quæ appellari quemquam hic vetat, cujus ab A littera nomen auspicetur, vel I, ante Habronem. Ἱππίαν fictorem ejusque opera Pausanias commendat in Eliacis post lib. 6. Ἅβρων apud Græcos viri nomen esse superius vidimus.

90. *Aratum victorem*] De Aristippo. Vide Plutarchum, in Arati vita, pag. 1040.

91. *Leon Sappho*] Lesbiam vatem, satis celebratam. Extat in eam distichon Platonis haud obvium, & idem tamen perelegans, in Anthologia, lib. 1. tit. 67.

Ἐννέα τὰς Μούσας φασί τινες· ὡς ὀλιγώρως·
Ἠνὶδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.
Esse novem quidam Musas dixere, sed errant:
Ecce tibi Sappho Lesbia, quæ decima est.

92. *Herculem . . . . insaniæ*] Ab Junone insania ei objecta, Megaram uxorem, & filios interfecit. Postquam suæ mentis compos est factus, ab Apolline petiit dari sibi responsum, quomodo scelus purgaret. Hyginus, fab. 32.

93. *Nealces.*] Νεάλκην pictorem, amicum Arati, laudat Plutarchus in Arato, pag. 1032.

94. *Oenias Syngenicon.*] Subintellige, pinxit: hoc est, cognationem, ut dictum est num. 29. Pictoris nomen Οἰνίας Græcis scribitur.

95. *Phalerion Scyllam.*] Hominem sinsum, caninis capitibus cinctam deorsum, inquit Isidorus, lib 19 Orig cap. 16. Vide quæ diximus supra, sect. 36. num. 22.

39. Simonides [96] Agathatchum, & [97] Mnemosynen. Simus juvenem requiescentem in officina fullonis, [98] Quinquatrus celebrantem: idemque [99] Nemesin egregiam.

40. Theodorus [100] & inungentem: idem [101] ab Oreste matrem & Ægisthum interfici: bellumque Iliacum pluribus tabulis: quod est Romæ [102] in Philippi porticibus: [103] & 5 Cassandram, quæ est in Concordiæ delubro. [104] Leontium Epicuri cogitantem: [105] Demetrium regem. [106] Theon [107] Orestis insaniam, [108] Thamyram citharœdum. Tauriscus [109] Discobolum, Clytæmnestram, [110] Paniscum, [111] Polynicen regnum repetentem, & Capanea.

41. Non omittetur inter hos insigne exemplum. Namque Erigonus tritor colorum 10 Nealcæ pictoris in tantum ipse profecit, ut celebrem etiam discipulum reliquerit Pasiam, fratrem [112] Æginetæ fictoris. Illud vero perquam rarum ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas, sicut Irin Aristidis, [113] Tyndaridas Nicomachi, [114] Medeam Timomachi, [115] & quam diximus Venerem Apellis, in majori admiratione esse, quam perfecta. Quippe in iis lineamenta reliqua, ipsæque cogitationes 15 artificum spectantur: [a] atque in lenocinio commendationis dolor est: manus, cum id agerent, extinctæ desiderantur.

42. Sunt etiam non ignobiles quidem, in transcursu tamen dicendi: Aristonides, Anaxander, Aristobulus Syrus, [116] Arcesilaus Tisicratis filius, [117] Corybas Nicomachi discipulus, [118] Carmanides Euphranoris, Dionysiodorus Colophonius, Diogenes qui 20 [119] cum Demetrio rege vixit, Euthymedes, [120] Heraclides Macedo, [121] Mydon Soleus Pyromachi statuarii discipulus, Mnesitheus Sicyonius, Mnasitimus [122] Aristonidæ filius & discipulus, Nessus [123] Habronis filius, Polemon Alexandrinus, [124] Theodorus Samius, & [125] Stadieus, Nicosthenis discipuli: Xenon Neoclis discipulus Sicyonius.

INTERPRETATIO.

a *Atque.*] Ac dum juvat commendare artem, piget artificis simul fato dolere.

NOTÆ.

96. *Agatharchum.*] Eum, opinor, intelligit, quem Vitruvius in præf. libri 7. pag. 124. Æschylo docente an primum Athenis tragicam scenam fecisse, & de ea commentarium reliquisse. Aut Syracusanæ classis præfectum, cujus mentio apud Thucyd. lib. 6.

97. *Mnemosynen.*] Μνημοσύνη Jovis filia, Musarum parens, ex Hesiodo in Θεογ.

98. *Quinquatrus*] Quæ Παναθήναια Græcis, Latinis Quinquatrus appellantur, teste Charisio, lib. 1. Sunt autem Παναθήναια Hesychio, ἡ τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴ ἢ ἀγὼν, festum Minervæ apud Athenienses longe celeberrimum, & quinquennale.

99. *Nemesin.*] Νέμεσιν deam insolentiæ & arrogantiæ vindicem Græci vocant. Vide lib 36 sect. 4. num. 3.

100. *Et inungentem.*] Ἀλείπτην, unctorem, qui palæstritas ungit in gymnasio, qui etiam Aliptes a Cicerone dicitur in epist. ad Lentulum. In libris hactenus editis mendose, *Theodorus vero inungentem*

101. *Ab Oreste.*] Is Clytæmnestram matrem, & Ægisthum Thyestis filium, cognatum suum, interfecit. Vide Hygini fab. 119 & 144

102. *In Philippi porticibus.*] De his sect 36. num 4.

103. *Et Cassandram.*] Qualis forte a Marone describitur lib. 2. Æneid. vers 403.

Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus, a templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra, &c.

104 *Leontium Epicuri.*] Est hæc picturæ nomenclatura, non pictoris, ut Barbarus credidit: & tabula hæc Theodori operibus annumerari debet. Fuit autem Leontium Epicuri conjux, philosophiæ magistra & ipsa, unde & in hac tabula cogitans pingitur. Scripsit libros contra Theophrastum, ut quidem diximus in præf. ad Titum, auctore Cicerone, lib. 1. de Nat Deorum, num. 94.

105. *Demetrium*] Poliorceten.

106. *Theon.*] Quintilianus, lib 12. cap. 10. pag 894. pictorum ingenia dotesque percensens: *Cura*, inquit, *Protogenes, facilitate Antiphilus: concipiendis visionibus, quas φαντασίας vocant, Theon Samius præstantissimus.* Laudatur & ab Æliano, lib 2. Var. hist. cap. 44.

107. *Orestis insaniam*] Occisa matre.

108 *Thamyram.*] De eo diximus in Notis & Emendat. ad lib. 4. num. XV. & lib. 7. sect. 57.

109. *Discobolum.*] De ea voce, libro 34 sect 19. num. 3.

110 *Paniscum.*] Exiguum Panem: sive Panis asseclam, qui Deus Arcadiæ a Marone dicitur. Ut a Satyro, Satyriscus Apuleius, libro 5. Asin aur. pag. 518. *Tibias inflaret Satyrus, & Paniscus ad fistulam diceret.* Suetonius in Tiberio, cap. 43. *Paniscorum & Nympharum habitu*, &c.

111. *Polynicen.*] Oedipodis filium ex Iocasta, regem Thebanorum. Regnum is ab Eteocle fratre repetiit, & Thebas oppugnavit. Capaneus contra Jovis voluntatem Thebas se capturum dixit: & cum murum ascenderet, fulmine ab Jove est percussus. Hyginus, fab. 71. Non in tabulam quidem, sed in statuam Capanei exstat Epigramma non inelegans, in Anthologia, lib 4. cap 8. Εἰς ἀνδριάντα Καπανέως; ex quo tamen picturæ hujus argumentum intelligas:

Εἰ τοῖος Θήβης Καπανεὺς ἐπεβήσατο πύργοις,
Ἄμμασιν ...
Εἶλεν ἂν ...
Καὶ ...

Hoc est, interprete Grotio:

Si furor in Thebas tantus Capanea tulisset,
Cum de reste gradus nectit artos.
Capta forent fatis invitis mœnia: tantum
Nec foret ausa ducem tangere flamma Jovis.

112. *Æginetæ.*] Proprium id viri nomen videtur, non gentis, aut patriæ. Et *Pausiam* legi antea placuerit magis, quam *Pasiam.*

113. *Tyndaridas.*] Castorem & Pollucem. Vel addita quoque Helene, Tyndaridæ tres, quos uno versiculo complexus est Synesius, in Anthol. lib 4. cap. 4

Οἱ τρεῖς Τυνδαρίδαι, Κάστωρ, Ἑλένη, Πολυδεύκης.
Pollux, atque Helene, cum Castore, Tyndaridæ tres.

De Nicomacho, num. 22.

114. *Medeam Timomachi.*] De qua superius, num. 30.

115. *Et quam diximus Venerem*] Num 15.

116. *Arcesilaus.*] Pictoris illius apud Pausaniam mentio, commendatioque operum, lib. 1. Attic. pag. 2. De Tisicrate superius, lib 34. sect 19 num. 8.

117. *Corybas Nicomachi.*] Κορύβας. De Nicomacho, num. 30.

118. *Carmanides.*] Forte Χαρμαντίδης, quod nomen & Gorgiæ patri fuit, apud Pausan. libro 6. Eliac. post. pag. 376 De Euphranore, num. 25.

119 *Cum Demetrio*] Poliorcete.

120. *Heraclides.*] Laudatus supra, num 30.

121. *Mydon Soleus.*] Hoc est, Solensis, a Solis Ciliciæ oppido. De Pyromacho, lib. 34. sect. 19. Libris omnibus invitis *Philomacho* conatur ex Suida, verbo Πυρεῖα, rescribere Leopardus, lib. 3. Emend. cap. 11. aliique eum secuti.

122. *Aristonidæ*] Statuarii, de quo lib. 34. sect. 40.

123. *Habronis.*] De quo diximus, num 35.

124. *Theodorus Samius.*] De quo libro 34. sectione 19. num. 21.

125. *Stadieus.*] Σταδιεὺς, & idem plastes Atheniensis, a-

43. [126] Pinxere & mulieres: [127] Timarete Miconis filia, Dianam in tabula, quæ Ephesi est antiquissimæ picturæ. [128] Irene Cratini pictoris filia & discipula, puellam quæ est Eleusine: Calypso senem & præstigiatorem Theodorum: Alcisthene saltatorem: Aristarete Nearchi filia, & discipula, Æsculapium. Lala Cyzicena perpetua virgo, Marci Varronis juventa, Romæ & penicillo pinxit, cestro in ebore, imagines mulierum maxime, [129] & Neapoli anum in grandi tabula: suam quoque imaginem ad speculum. Nec ullius velocior in pictura manus fuit: artis vero tantum, ut multum [130] manipretio antecederet celeberrimos eadem ætate imaginum pictores, [131] Sopolin & Dionysium, quorum tabulæ pinacothecas implent. Pinxit & quædam Olympias: de qua hoc solum memoratur, discipulum ejus fuisse Autobulum.

XLI. [1] Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, [2] cera, [3] & in ebore, [4] cestro, id est, viriculo, donec classes pingi cœpere. [5] Hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi, quæ pictura in navibus nec Sole, nec sale, ventisque corrumpitur.

XLII. Pingunt & vestes in Ægypto inter pauca mirabili genere, candida vela postquam attrivere illinentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere, non apparet in velis: [1] sed in cortinam pigmenti ferventis mersa, post momentum extrahuntur picta. Mirumque, cum sit unus in cortina colos, ex illo alius atque alius fit in veste, accipientis medicamenti qualitate mutatus. Nec postea ablui potest: ita cortina non dubie confusura colores, si pictos acciperet, [a] digerit ex uno, pingitque dum coquit. Et adustæ vestes firmiores fiunt, quam si non urerentur.

XLIII. De pictura satis superque: contexuisse his [1] & plasticen conveniat. [b] Ejusdem CAP. XII.

INTERPRETATIO.

a *Digerit.*] Multos facit colores in velis, licet unicum in se contineat.

b *Ejusdem*] Ejusdem terræ opera, ex qua nascuntur colores ad picturam.

NOTÆ.

pud Pausan. in Eliac. poster. lib. 6. pag 351.

126. *Pinxere & mulieres.*] His quæ a Plinio appellantur, adjungi merito potest & Helena Timonis Ægyptii filia, quæ gestum suis temporibus Issicum prælium penicillo pinxit: quæ pictura in Pacis Templo a Vespasiano Imp. collocata est, teste Ptolemæo Hephæstione, apud Photium in Bibl. cod. CXC. pag. 481. Η' ζωγράφος Ἑλένη Τίμωνος τοῦ Αἰγυπτίου θυγάτηρ, ἥτις ἐν Ἰσσῷ μάχην, ἀκμάζουσα κατὰ τοὺς χρόνους, ἔγραψε, ἐν τῷ τῆς Εἰρήνης τεμένει ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ ἀνέκειτο ἡ γραφή.

127. *Timarete Miconis.*] Ita Reg. 2 Colb. 3 & alii, non *Niconis*, ut prius. Τιμαρέτη Μίκωνος, pictoris Atheniensis, de quo superius, sect. 35.

128. *Irene Cratini.*] Εἰρήνη Κρατίνου, statuarii Spartiatæ, de quo Pausanias, lib. 6. Eliac. poster. pag 360.

129. *Et Neapoli anum*] Ita ex conjectura certissima locum hunc sanavimus, cum prius *Neapolitanum* absurde legeretur. Apposite enim vel sic locum opponit loco, positas Neapoli tabulas, iis quæ Romæ servarentur. Sic libro sup. sect. 19. num. 17. *Aristodemus anus cælavit.*

130 *Manipretio.*] Cariores æstimabantur ejus tabulæ, quam ceterorum pictorum. Manipretium, *la façon de la besogne.* Sic Galli dicunt, *La façon de la besogne d'argent montee est chere.*

131. *Sopolin,*] Σώπολιν. Ita MSS. non *Sopylon.*

Sect. XLI. 1. *Encausto.*] Ἔγκαυστον, picturæ genus dictum ab urendo.

2. *Cera.*] Hoc primum encausticæ picturæ genus, discoloribus ceris, ut diximus sect. 39. De hac pingendi ratione multa multi prodidere. Nobis res ita peracti olim videtur. In tabulis ligneis ducebantur lineares, ut ita dicam, sulci, qui figuram referrent picturæ mox futuræ. Ductus illi postea implebantur instillata infusaque cera diversi coloris, pro ratione imaginis: quæ cera descendebat altius, imprimebaturque tabulæ subditis ignibus. Martialis, lib. 4. Epigr. 47.

Encaustus Phaethon tabula depictus in ista est:
Quid tibi vis dipyron qui Phaethonta facis?

Alludit ad casum incendiumque Phaethontis, qui iterum & in encaustice pictura uritur: idcirco δίπυρος, bis ustus vocatur: quod dici certe non posset, nisi prius quam admoveretur ignis, Phaethontis imago absoluta foret. Aliam rationem encaustices explicandæ alii afferunt. Vide Ludovicum De-Montjosium, libro quem inscripsit, *Gallus Romæ hospes*, tit. de pictura, pag. 14.

3. *Et in ebore.*] Altera hæc ratio encausti sic se habuit, nullo scriptorum omnium refragante. Stilo ferreo igne candefacto inurebant ebori, comburere, lineas, quibus quas vellent, imagines exprimebant. Itaque, quod pingendum erat, graphice primum in ebore adumbrabant: deinde servata ratione luminum & umbrarum, eboris candore ad lumina utebantur: tonum vero & umbram, non jam amplius cera, ut in priori genere, sed vulgari colore ac simplici exhibebant.

4. *Cestro.*] Glossæ Philoxeni: Κέστρον, *viriculum*, hoc est, stili ferrei genus. Utrique encausti generi hic cestron adscribitur, hoc est, candens, acuminatumque ferrum, quod ducendis lineis utrisque, sive in ebore, sive in lignea tabula inserviat. Quare mox tertium encausti genus, quo classes pingi cœpere, ab utroque illo distinguit, quod non cestro, ut illa duo, sed penicillo fiat. Quod in primo genere, quod fit ceris, usus cestri fuit, fieri id certe non potuit, nisi qua diximus ratione, ductis in tabula lignea stili ope lineis ac figuris, prius quam instillarentur ceræ. Et hoc ostendit nomen ipsum cestri. Esse enim a καίω, quod idem denotat ac καυτηριάζω, id est, cauterio, vulgo creditur.

5. *Hoc tertium.*] Tertium genus encausti, non stilo, ut priora duo, sed penicillo, quo liquefactæ ceræ & colore tinctæ diffundebantur. Attigisse hanc incertus auctor videtur, editus a V. Cl. Steph. Baluzio, Miscellan. lib. 4. pag. 417 in epistola, cui lemma inscriptum, *Quid sit ceroma: Nonnulli ceroma, inquit, intellexerunt esse artificium quoddam juxta morem antiquum pingendi, cum, ne facies & pulcritudo picturæ vetustate temporum aboleretur, cera mixtura apponebatur, modico ignis huic temperamento adjecto, ut æqua mensura colorum ceræque concordante, nec non splendor & gratia coloribus, nec cera perspicuitas deesset. Hoc genus pingendi etiam a Boetio viro doctissimo commemoratum, adhuc suo tempore viguisse dubium non est.* Boetii locus is est in præf. librorum Arithmeticæ, quos Symmacho Patricio nuncupavit. Hanc κηρόχυτον γραφὴν Græci dixere, quos inter Chrysostomus, uti refertur in Conc. Niceno II. Describit hoc genus picturæ Procopius, libro 1. de ædif. Justin. ubi de camera Ecclesiæ loquens: Καὶ βροχαῖς μὲν γραφαῖς ἢ ὀροφὴ πᾶσα, ἢ τῇ κηρῷ ἐντετηκότα τῷ χρώματι, &c. Nicephorus CP. in Breviario Historico, ad annum 768. κηρογραφίαν vocat διὰ κηροχύτου τέχνης. Nunc vetus illa encaustice penitus obsolevit: successitque ei illa ratio, quam vulgo dicimus *Email.* Et quæ urendo fit plumbo in vasis figlinis, quod vulgo, *plomber, vernir, estamer.*

Sect. XLII. 1. *Sed in cortinam.*] Vela, inquit, illinuntur prius medicamento quodam seu liquore, qui colorem postea trahat & bibat: dein mersantur vela in cortina, sive aheno, in quo non aqua mera, sed pigmentum fervet: ibi medicamentum illud velis prius illitum sorbet colorem, & quidem varium, licet ex pigmento unius coloris: pro varia scilicet conditione medicamenti, quo prius vela fuerant illita.

Sect. XLIII. 1. *Et plasticen.*] Πλαστικὴ Plinio Vitruvioque, fictrix ars ex argilla vel creta, rerum similitudines exprimens.

2. *Dibutades.*] Is ex argilla fingebat simulacra eximia,

opere terræ fingere ex argilla similitudines, [2] Dibutades Sicyonius figulus primus invenit Corinthi, filiæ opera: quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit: quibus pater ejus impressa argilla typum fecit, & cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit: eumque servatum [3] in
5 Nymphæo, donec Corinthum [4] Mummius everteret, tradunt. Sunt qui in Samo primos omnium plasticen invenisse [5] Rhœcum & Theodorum tradant, multo [6] ante Bacchiadas Corintho pulsos. [7] Demaratum vero ex eadem urbe profugum, qui in Etruria Tarquinium Priscum regem populi Romani genuit, comitatos fictores [8] Euchira & Eugrammum: ab iis Italiæ traditam plasticen. Dibutadis inventum est, rubricam addere, [9] aut ex rubrica cretam
10 fingere. Primusque [a] personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia [10] protypa vocavit. [11] Postea idem ectypa fecit. [12] Hinc & fastigia templorum orta: propter hanc plastæ appellati.

XLIV. Hominis autem [1] imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa [2] emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater [3] Ly-
15 sippi, de quo diximus. Hic & similitudinem reddere instituit: ante eum, quam pulcherrimas facere studebant. [4] Idem & de signis effigiem exprimere invenit. Crevitque res in tantum, ut nulla signa, statuæve, sine argilla fierent. Quo apparet antiquiorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi æris.

XLV. Plastæ laudatissimi fuere [1] Damophilus & Gorgasus, iidemque pictores: qui
20 [2] Cereris ædem Romæ ad Circum maximum [3] utroque genere artis suæ excoluerunt, versibus inscriptis Græce, quibus significarunt a dextra opera Damophili esse, ab læva Gorgasi. [b] Ante hanc ædem [4] Tuscanica omnia in ædibus fuisse, auctor est M. Varro. Ex hac cum reficeretur, [c] crustas parietum excisas [5] tabulis marginatis inclusas esse: item signa ex fastigiis dispersa. Fecit & Chalcosthenes cruda opera Athenis, qui locus ab of-
25 ficina ejus [6] Ceramicos appellatur. M. Varro tradit sibi cognitum Romæ [7] Posim nomine, [8] a quo facta poma & uvas, ut non posses aspectu discernere a veris. Idem mag-

INTERPRETATIO.

a *Personas.*] Simulacra.

b *Ante.*] Ante quam Cereris ædes exstrueretur, ex ære signa in ædibus sacris fuisse, auctor est Varro.

c *Crustas.*] E parietum crustis, sive tectorio, partes excidebant, quas *ob picturæ excellentiam* tabulis includebant, quarum margines prominentiores forent: item signa *ob elegantiam artis* ex fastigiis *ædis illius in privatas domos* esse dispersa *narrat idem Varro.*

NOTÆ.

quæ propter artificis ingenium, artisque solertiam, aliis etiam ex auro conflatis anteponebantur. Citat hujus rei auctorem Aristotelem, lib. 1. de part. anim. cap. 5. Riolanus, lib. 1. Anthrop. pag. 3. sed falso: nam de Dibutade apud Philosophum, si bene memini, nec vola, ut aiunt, nec vestigium est.

3. *In Nymphæo.*] Νυμφαῖον fanum est, delubrumve Nympharum.

4. *Mummius.*] Anno Urbis DCVIII. ut dictum est libro 34. sect. 3.

5. *Rhœcum & Theodorum.*] Quos æris cudendi atque conflandi artem docuisse, auctor est Pausanias, lib. 8. Arcad. pag. 479. *Χαλκὸν Ῥοῖκος Φιλαίου, καὶ Θεόδωρος Τηλεκλέους, οἵτινες διέχεαν χαλκὸν ἐς τὸ ἀγαλμάτων τέχνη.* Ab Herodoto quoque Ῥοῖκος Samius laudatur in Thalia, seu lib. 3. pag. 185. num. 60.

6 *Ante Bacchiadas,*] Sic Reg. 2. non *Battiadas*, ut inepte hactenus editi. Bacchiadas diu Corinthi tenuisse imperium, Chronologi norunt: docetque Pausanias, lib. 2. Corinth. pag. 91. & Ælianus, lib. 1. Var. hist. cap. 19.

7. *Demaratum.*] Narrat hanc Demarati fugam Dionysius Halic. lib. 3. Antiq. Rom. pag. 184. Multo vero elegantius Valerius Max. lib. 3. cap. 4. num. 2.

8 *Euchira.*] Græcis Εὔχειρ & Εὔχειρος appellatur. Corinthii hujusce plastæ meminit Pausanias, lib. 6. sive Eliac. poster. pag. 350.

9. *Aut ex rubrica cretam fingere.*] Reg. 2. *aut ex rubra creta fingere.*

10. *Protypa.*] Πρότυπα. Sic futuri operis præcedentem typum, & formam speciminis gratia Græci vocant. Architectus quidem suscepti operis ex ligno formam efficit atque præstruit: ut antequam ædificium cœptum sit, errata alioqui futura deprehendat, atque anticipet: atque id *Modellum* vocant. Sculptor vero cera: plastesque, creta proplasma fingit. Salmasius, in Solin. pag. 1046 *prostypa* legi jubet, intelligique simulacra quæ non tota prominent, neque exstant, *des ouvrages de demie bosse*: ectypa contra, qui prominent, solidaque sunt. Qua quidem interpretatione nihil esse potest quod a Plinio sententia, quod a germana vocis *ectypa* significatione, magis abhorreat.

11. *Postea idem ectypa.*] Ἔκτυπα. In plastice primum finguntur rerum similitudines atque imagines: ex argilla, gypso, & id genus: atque hæc sunt οἱ τύποι, seu πρότυπα, proxime explicata a nobis. Ex appressis autem typis fiunt ectypa, quæ sunt typorum conceptacula, formæ Plinio. & in scalptura, ectypæ scalpturæ vocantur: ut in signatoriis anulis, ectypisque gemmis, quibus exsignantur imagines, quæ Græci ἐκτυπογλυφὰς nuncupant Plinius, lib. 37. sect. 63. *Hæ sunt gemmæ, quæ ad ectypas scalpturas aptantur.* Seneca, lib. 3. de benef. cap. 26. pag. 47. *Cœnabat Paulus Prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypam ex eminente gemma.... At servus ejus.... ei ebrio anulum extraxit,* &c.

12. *Hinc & fastigia.*] Eo processit ars, crevitque in tantum, ut & fastigia templorum non sine argilla fiant, nec sine præcedentibus protypis.

Sect. XLIV. 1. *Imaginem gypso.*] Ut hodie mastiche ceraque fit.

2. *Emendare.*] Cera infusa imaginem, quam gypsea forma reddidisset, absolvere diligentius, emendatiusque.

3. *Lysippo, de quo diximus.*] Libro 34. sect. 19 num. 6.

4. *Idem & de signis.*] Ex de signis appressis ectypas efficere formas excogitavit, ex quibus deinde expressa effictaque simulacra prodirent, id est, ἀπεκτυπώματα.

Sect. XLV. 1. *Damophilus.*] Alium esse eum a pictore Demophilo credamus, cujus superius mentio facta est, sect. 36. num. 2.

2. *Cereris ædem.*] Regione Urbis undecima.

3. *Utroque genere.*] Plastice, & pictura.

4. *Tuscanica.*] De his lib. 34. sect. 16.

5. *Tabulis marginatis*] Sive, quod idem est, formis ligneis. Simile enim est quod ipse de ejuscemodi pictis parietum crustis inferius recitat, sect. 49. Vitruvio probatum *Lacedæmone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturæ, ligneis formis inclusum Romam deportavere.*

6. *Ceramicos.*] Κεραμεικὸς locus Athenis, in quo sepeliebantur, qui in bello perierant. Erat & alter, in quo diversabantur meretrices. Ab arte figlina, ἀπὸ τῆς κεραμικῆς τέχνης, nomen inventum, ut Suidas quoque testatur; vel, uti Pausanias, lib. 1. Attic. pag. 5. a Ceramo heroe, Liberi Patris & Ariadnes filio.

7. *Posim nomine.*] Qui Græcis Πόσις, Latinis idem plerumque Posidonius appellatus.

8. *A quo facta poma & uvas.*] Vide Notas & Emendat. num. XVI.

nificat Arcesilaum, [9] Lucii Luculli familiarem, cujus [10] proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis, quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem Genetricem in foro Cæsaris, & priusquam absolveretur, [11] festinatione dedicandi positam. Deinde eidem a Lucullo [12] H-S. LX. signum Felicitatis locatum, cui mors utriusque inviderit. Octavio equiti Romano cratera facere volenti, exemplar e gypso factum [13] talento. [14] Laudat & Pasitelem, qui plasticen matrem statuariæ, scalpturæque, & cælaturæ esse dixit: & cum esset in omnibus his summus, nihil umquam fecit, [a] antequam finxit. Præterea elaboratam hanc artem Italiæ, & maxime Etruriæ: [15] Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilem eum fuisse, [16] & ideo miniari solitum: fictiles in fastigio templi ejus quadrigas, [17] de quibus sæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, [18] qui hodieque materiæ nomen in Urbe retinet. Hæ enim tum effigies Deûm erant laudatissimæ. Nec pœnitet nos illorum, qui tales Deos coluere. Aurum enim & argentum ne Diis quidem conficiebant.

XLVI. Durant nunc plerisque in locis talia simulacra. [1] Fastigia quidem templorum etiam in Urbe crebra, & municipiis, mira cælatura, & arte ævique firmitate [2] sanctiora auro, certe innocentiora. In sacris quidem etiam inter has opes hodie, non murrhinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur [3] simpuviis. Inenarrabili terræ benignitate, si quis singula æstimet: etiam ut omittantur in frugum, vini, pomorum, herbarum, fruticum, medicamentorum, metallorum generibus, beneficia ejus, [b] quæ adhuc diximus: vel assiduitate satiant figlinarum opera, [4] doliis ad vina excogitatis, [5] ad aquas tubulis, [6] ad balineas mammatis, [c] ad tecta coctilibus laterculis [7] frontatisque: ob quæ Numa rex [8] septimum collegium figulorum instituit. Quin & defunctos sese multi [9] fictilibus soliis condi maluere: sicut M. Varro, [10] Pythagorico modo, in myrti & oleæ atque populi nigræ foliis. Major quoque pars hominum terrenis utitur vasis. [11] Samia etiamnum in esculen-

INTERPRETATIO.

a *Antequam.*] Antequam protypon seu proplasma ex argilla finxit.

b *Quæ adhuc*] Quæ hactenus diximus libris superioribus.

c *Ad tecta.*] Ad tectorum parietes.

NOTÆ.

9. *L. Luculli.*] De quo diximus sect. 40.

10. *Proplasmata.*] Προπλάσματα, sive ἀρχέτυπα, de quibus sect. 43. *des Modeles.*

11. *Festinatione dedicandi.*] Dedicavit Cæsar Dictator. Dio, lib. 43 pag. 225.

12. H. S. LX.] Sestertiis sexaginta, sive sestertium sexaginta millibus. Libræ sunt nostrates 6000.

13. *Talento*] Talenti pretio, & Attici quidem: quod librarum nostratium efficit duo millia & quadringentas.

14. *Laudat & Pasitelem.*] Non illum Colotæ magistrum, de quo Pausanias, lib 5 Eliac prior. pag. 325. sed alterum cognominem, de quo nos in Auctorum indice.

15. *Turianumque a Fregellis accitum.*] Spuria hæc videntur & interpolata. Natus certe Turianus ille ex repetitione superioris vocis *Etruria.* Reg. 2. pro his habet: *Etruria tuolgamulis accitum.* Quibus ex verbis quid elici boni possit, non video.

16. *Et ideo miniari.*] Vide quæ diximus lib 33. sect. 36. Juvenalis:

Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.

17. *De quibus sæpe diximus.*] Libro 8. sect 4.

18. *Qui hodieque materia.*] Dicebatur enim Hercules fictilis. Martialis, lib. 14. Epigr. 178. cujus lemma est, *Hercules fictilis:*

Sum fragilis: sed tu, moneo, ne sperne sigillum:
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Sect. XLVI. *Fastigia quidem.*] Cicero, lib. 1. de Divin. num. 16. *Cum Summanus, qui tum erat in fastigio Jovis Optimi Maximi, qui tum erat fictilis, e cælo ictus esset*, &c.

2. *Sanctiora auro.*] Sic Reg. 2. & Colb. 3 Sic Hermolaus: non *certiora*, quod Gelenio tam magis arrisit.

3. *Simpuviis.*] Non fictilia tantum, sed & lignea fuere simpuvia. Nonius, cap. 15. num. 12. *Simpuvium est vas ligneum. Varro, περὶ μέθης. Non vides ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana: & tamen tum ipsi Libero simpuvio vinitare?* Simpulum idem Varro appellat, lib. 4 de ling Lat. pag. 31. Et Festus: *Simpulum, vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabant: unde & mulieres rebus divinis deditæ, simpulatrices dicuntur.* Glossæ: *Simpulum, ἀρύστρα.* In Notis quæ vulgo Tironis dicuntur, pag. 124. *Simbolum* pro *Simpulum.* Juvenalis, Satyra 6. vers. 340.

Aut quis
Simpulum videre Numæ, nigrumque catinum,
Aut Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat?

Prudentius in hymno S. Laur. vers. 514. id imitatus:

Quidquid Quiritum fuerat
Orare simpullum Numæ.

Sunt qui utrobique *simpuvium* legant.

4. *Doliis ad vina.*] Dolia vino condendo fictilia erant, & plerumque picata, ut dictum est libro 14. Vide Notas & Emend. num. XVII.

5. *Ad aquas tubulis.*] Tubulis fictilibus aquæ ductus constabant. Vide lib. 31 sect. item 31.

6. *Ad balineas mammatis.*] Mammata fictilia, tubos interpretor, in mammæ speciem rotundatos, per quos & hypocausto in balneas calor transmearet. De his Seneca, epist. 91. cujus initium. *Quis dubitare. Quædam nostra demum prodisse memoria scimus: specularium usum, perlucente testa, clarum transmittentium lumen: ut suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foveret æqualiter.* Horum tuborum vestigia adhuc quamplurima conspici in Diocletiani & Caracallæ gymnasiis, auctor est Hieron. Mercur lib 1. artis Gymn. cap. 10. pag. 27. His a mamma nomen, ut a fronte subsequentibus.

7. *Frontatisque.*] Parietes, inquit, a lateribus fiunt: & minoribus quidem, quos laterculos vocant; & majoribus, qui frontata nominantur, quod duplici fronte utramque muri partem per ipsam muri crassitudinem totam pertingant. Usus hac voce & Vitruvius quoque, lib. 2. cap. 4.

8. *Septimum Collegium*] Vide Plutarchum in Numa, pag. 71.

9. *Fictilibus soliis.*] Ita Reg. 2 Colb. 3 aliique; non, ut typi, *doliis.* Vidit & Magius, lib 2. Miscell. cap 18. Philander in Vitruvium, lib 9. cap. 3 & Dalecampius quoque, ita legi oportere. Solia vero sunt mobiles arcæ, sive sarcophagi, quibus corpus integrum condebatur. Utitur ea voce Florus, lib. 14 de morte Cleopatræ, cap. 10. Curtius, lib. 10. Suetonius in Nerone, cap. 50. *Solium porphyretici marmoris.* De fictilibus soliis, mobilibusque, accipienda hæc Gruteri inscriptio, 607. CVM. ANTE. HOS. DIES. CONIVGEM. ET. FILIVM. AMISERIM. ET. PRESSVS. NECESSITATE CORPORA EORVM. FICTILI. SARCOPHAGO COMMENDAVERIM. DONICVM LOCVS. QVEM EMERAM. ÆDIFICARETVR

10. *Pythagorico modo.*] Vide Plutarchum in Laconicis institutis. pag. 238.

11. *Samia etiamnum.*] Hinc vasa Samia apud Tullium sæpe occurrunt, eademque Samia simpliciter appellata: ut in Verrem, *Nos Samiis delectamur*, &c. Samia vasa apud Plautum, in Capt. act. 2. sc. 2.

tis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & [12] Arretium in Italia: [13] & calicum tantum, Surrentum, Asta, Pollentia: in Hispania Saguntum, in Asia Pergamum. Habent & Tralles opera sua, Mutina in Italia: quoniam & sic gentes nobilitantur. Hæc quoque per maria terrasque ultro citroque portantur, insignibus rotæ officinis. [14] Erythris in templo hodieque ostenduntur amphoræ duæ propter tenuitatem consecratæ, discipuli magistrique certamine, uter tenuiorem humum duceret. Cois laus maxima, [15] Adrianis firmitas: nonnullis circa hoc severitatis quoque exemplis. [16] Q. Coponium invenimus ambitus damnatum, quia vini amphoram dedisset dono ei, cujus suffragii latio erat. Atque ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas figlinis: [17] tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia. Una erat murænarum, altera luporum, [18] tertia myxonis piscis, inclinatis jam scilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam Philosophis possimus. Siquidem in Aristotelis heredum auctione [19] LXX. patinas venisse traditur. [20] Nam nos cum unam Æsopi tragœdiarum histrionis [21] in natura avium diceremus sestertiis centum stetisse, non dubito indignatos legentes. At hercules, [22] Vitellius in principatu suo [23] X. H-S. condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quam murrhina. Propter hanc Mucianus [24] altero Consulatu suo, in conquisitione, exprobravit patinarum paludes [25] Vitellii memoriæ: [a] non illa fœdiore, cujus veneno [26] Asprenati reo Cassius Severus accusator objiciebat, interiisse CXXX. convivas. Nobilitantur iis oppida quoque, ut Rhegium, [27] & Cumæ. [28] Samia testa Matris Deûm sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputare, nec aliter citra perniciem, M. Cælio credamus, qui linguam sic amputandam objecit [29] gravi probro, tanquam & ipse jam tunc eidem Vitellio malediceret. Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmius durent tusis calce addita, [30] quæ vocant Signina. Quo genere etiam pavimenta excogitavit.

CAP. XIII. XLVII. Verum & ipsius terræ sunt alia [1] commenta [2] Quis enim satis miretur pessi-

INTERPRETATIO.

a *Non illa.*] Cum non esset illa Vitellii Imp. patina fœdior, quam illa Asprenatis hominis privati, cujus veneficio ei Cassius objecit, &c.

NOTÆ.

12. *Arretium.*] Unde vasa Arretina a Martiale commendantur, ut diximus in Notis & Emend. num. XVIII.

13. *Et calicum tantum, Surrentum, &c.*] Ut vasorum fictilium, inquit, in esculentis nobilitatem retinet Arretium in Italia: ita, sed calicum tantum nobilitate commendantur, in eadem parte terrarum, Surrentum, Asta, Pollentia: in Hispania Saguntum, &c. Vide Notas & Emendat. num. XIX.

14. *Erythris.*] In Ionia, lib. 5. sect. 31.

15. *Adrianis.*] Ab Adria Italiæ oppido. Sic ipse de gallinis, lib. 10. sect. 74. *Adrianis laus maxima.* Vide quæ diximus in Notis & Emend. ad librum 10. num LXVII.

16. *Q. Coponium*] Ex Coponia gente Titum, Marcum, Caium, apud vetustos scriptores reperimus. Quintum adhuc nusquam: notus eo tantum nomine est, quod, ut Cypriani verbis utar, *multis eget sordibus, ut fulgeret.*

17. *Tripatinum.*] Nomen inventum a patina tergemina. Ut porro lancibus cibi simplices apponebantur, ut carnes assæ, fructusque: sic patinis condebantur pisces, tyrotaricha, & similia. Atque ut λοπάδες Græcis, ita patinæ quoque habent operculum, quo lances carent. Unde parœmia, *Dignum patella operculum.*

18. *Tertia myxonis.*] Sive bacchi, de quo lib. 32. lib. 25. & lib 9. sect 28.

19. *LXX patinas.*] Ita M S S. non LX. Laërtius lib 5. in Aristotelis vita, pag 117. λοπάδας πλείστας, patinas plurimas, minime definito numero repertas post ejus obitum ait.

20. *Nam cum nos unam.*] In Æsopo histrione patinam unam ferre vix potuimus: in Philosopho LXX. quis ferat?

21. *In natura avium.*] Libro 18. sect 72.

22. *Vitellius.*] A. Vitellius Imp. cui Vespasianus successit. Ante Vespasianum qui præcesserunt Augusti, Principes a Plinio tantum appellantur, numquam fere Imperatores. qua causa, incertum. At illud in confesso esse oportet. Principibus Imperatoribusque ipsis superiorem semper extitisse Rempublicam: Principes appellatos fuisse, quoniam essent Senatus principes, ut fuere in Hollandia *Stadhouders*: Imperatores, quod exercitibus Reipublicæ præessent, quos Galli dicimus, *Generalissimes*. Testes præter alios innumeros nummi sunt quatuor: Hadriani, Commodi, Gordiani, & Probi; in quibus Augusti stantes nudo capite, ab Roma sedente & galeata, orbem Romanum regendum accipiunt: adstantibus vel Pace cum Victoria, vel Prætorianis militibus Hadriani nummus est ex ære magno, in Museo nostro, & apud Angelonum, pag. 147 Commodi, ex ære maximo, in Gaza Regia: Gordiani Pii Felicis, ex ære simili, apud D. Vaillant, pag. 229 Denique Probi, ex eodem ære, in Thesauro Regio. Alia sunt ejus rei argumenta plurima, sed non hujus loci.

23 *X. HS*] Sic Reg. 2. & alii; non, ut editi, CC. *sestertiis.* Sic etiam Budæus in vetustis exemplaribus vidit, ipso ita prodente, lib. 4. fol. 112. Hoc est, decies sestertiûm, sive, quod idem est, decies centenis millibus sestertiûm. Monetæ nostratis hæc efficiunt libras, ut vocant, 100000. De hac patina Suetonius in Vitellii vita. cap. 13. *Famosissima super ceteras fuit cœna ei data adventitia a fratre.... Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Minervæ, αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac scarorum jecinora.* &c. Et cap. 17. ubi de convitiis, quibus a plebe moriens incessebatur. Patinarium nuncupatum tradit.

24 *Altero Consulatu suo*] De Muciano diximus in Auctorum Indice. Defecerat is a Vitellio in Vespasiani partes. Vide Sueton. in Vespas. cap. 6. & 13.

25. *Vitellii memoriæ.*] Jam enim pœnas Vitellius dederat. Patinarum autem paludes figurate dixit, allusione Pontinæ paludis, cum patina ipsa fictilis esset & lutea. De Pontina seu Pomptina palude, quem locum olim triginta trium Urbium Mucianus ter Consul prodidit, Plinius lib. 3. sect. 9.

26. *Asprenati*] Suetonius in Aug cap. 56. *Cum C. Nonius Asprenas artius ei junctus* (Augusto) *causam veneficii, accusante Cassio Severo, diceret: consuluit Senatum, quid officii sui putaret*, &c.

27. *Et Cumæ.*] Martialis, lib. 4. Epigr. 114. cui lemma inscriptum, *Patella Cumana*:

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

28 *Samia testa*] Testatur id quoque Martialis, sed obscœno carmine, lib. 3. Epigr. 81.

29. *Gravi probro.*] Cælius aiebat linguam amputandam ejus pudendi criminis reis, quod Bætico Martialis objecit, loc. cit. quod libidinis genus & in Vitellio tacite arguit hoc loco Plinius: itemque Tranquillus, cap. 3. & 4.

30. *Quæ vocant Signina*] A Signia Italiæ oppido, de quo lib. 3. in Geographicis diximus. Signini operis mentio apud Columellam, lib. 1. cap 6 Signino alveo deductas Ravennam aquas prodidit Cassiodorus, lib. 5 Var. epist. 38.

Sect. XLVII 1. *Alia commenta.*] Sic Reg. 2. ceterique M S S Recte: nunc terræ ipsius commenta laudantur, ut proxime ante artis. Editi, *segmenta*, male.

2 *Quis enim satis.*] Planius hæc traduntur a Vitruvio, sed eadem tamen, lib. 2. cap. 6. pag. 24. *Est etiam genus pulveris,*

mam

mam ejus partem, [3] ideoque pulverem appellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus: mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, & fortiorem quotidie, utique si Cumano misceatur cæmento?

Eadem est terræ natura & in Cyzicena regione: sed ibi non pulvis, verum ipsa terra qualibet magnitudine excisa, & demersa in mare, lapidea extrahitur. Hoc idem circa 5 Cassandriam produnt fieri: & in fonte Gnidio dulci, intra octo menses terram lapidescere. Ab Oropo quidem Aulida usque quidquid terræ attingitur mari, mutatur in saxa. Non multum a pulvere Puteolano distat [4] e Nilo arena tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fl[illegible]sque frangendos, sed ad debellanda corpora [5] palæstræ studiis. Inde certe [6] Patrobio, Neroni Principis liberto advehebatur. [7] Quin & Leonnato, & Cratero, ac 10 Meleagro Alexandri Magni ducibus sabulum hoc portari cum reliquis militaribus commerciis reperio. Plura de hac parte non sum dicturus, non hercules magis, quam de terræ usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora, vires animorum perdidit.

XLVIII. Quid? non in Africa Hispaniaque ex terra parietes, quos appellant [1] formaceos, quoniam in forma circumdatis utrimque duabus tabulis inferciuntur verius, quam 15 CAP. XIV. instruuntur, ævis durant, incorrupti imbribus, ventis, ignibus, omnique cæmento firmiores? Spectat etiam nunc [2] speculas Hannibalis Hispania, terrenasque turres jugis montium impositas. Hinc & cespitum natura, castrorum vallis accommodata, contra fluminum impetus aggeribus. [3] Illini quidem crates parietum luto, [4] & lateribus crudis exstrui, 20 quis ignorat?

XLIX. [1] Lateres non sunt e sabuloso, [2] neque arenoso, multoque minus calculoso ducendi solo: sed e cretoso & albicante, aut ex rubrica: vel si jam ex sabuloso, e masculo certe. [3] Finguntur optime vêre: nam solstitio rimosi fiunt. [4] Ædificiis [5] non nisi bimos probant. [6] Quin & intritam ipsam eorum, prius quam fingantur, macerari opor- 25

NOTÆ.

quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Baïanis, & in agris municipiorum, quæ sunt circa Vesuvium montem: quod commixtum cum calce & cæmento, non modo ceteris ædificiis præstat firmitates, sed etiam moles, quæ construuntur in mari, sub aqua solidescunt.

3. *Ideoque pulverem*, &c.] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig cap. 1. Etiamnum pulverem eum Itali Gallique *Pozzolane* nuncupant, tectoriis parietum utilissimum. Seneca, lib. 3 Natur. quæst. pag 872. *Puteolanus pulvis, si aquam attigit, saxum est.* Sidonius Apollin. Paneg. Anthemii Aug. pag 290. de amplitudine agens urbis Byzantinæ:

Porrigis ingentem spatiosis mœnibus urbem,
Quam tamen angustam populus facit. Itur in æquor
Molibus, & veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarchææ translatus pulvis arenæ
Intratis solidatur aquis, durataque massa
Sustinet advectos peregrino in gurgite campos.

Vide etiam Dionem, lib. 48. pag 389.

4. *E Nilo arena.*] Qualis advecta Romam, teste Sueton. in Nerone, cap. 45. *Ex annonæ quoque caritate luctantium accrevit invidia. Nam & forte accidit, ut in publica fame, Alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.*

5. *Palæstræ studiis.*] Nam palæstritæ & luctaturi corpora pulvere aspergebant.

6. *Patrobio.*] Meminere hujus Neroniani liberti, Dio, lib. 63. pag. 717. & Suetonius in Galba, cap. 20.

7. *Quin & Leonnato*, &c] De his Alexandri ducibus, vide Arrianum, 10 Exped. Alex. Ælianum, lib. 9. Var Hist. cap. 3. & Justinum, lib. 13. cap. 14. Λεοννάτος, Κρατερὸς, Μελέαγρος.

Sect. XLVIII. 1. *Formaceos.*] Probat hanc lectionem Sirmondus noster 10 Notis ad Sidonium, pag. 13 adjicitque structiles rivorum canales, quibus aqua ducitur, formas pariter nuncupari, quod appressis forma utrimque tabulis instruantur: quo sensu aquas formarum dixit Cassiodorus, lib. 3. Var. ep. 31. Et epist. 53. *Romam formarum inundatione ditissimam.* Et lib. 5. ep. 38. *Formam Ravennatem.* Denique lib. 7. inter formulas, sexta est *formula Comitiva formarum Vrbis.* Et Vetus inscriptio, quam Fabrettus affert, lib. de Aquæduct. pag. 20. sed spuria:

IMP. CAES. M. AVRELIVS
ANTONINVS PIVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS.
KASIBVS IMPEDITAM.
PVRGATO FONTE.
EXCISIS ET PERFORATIS.
MONTIBVS.
RESTITVTA. FORMA.
ADQVISITO. ETIAM. FONTE.
NOVO ANTONINIANO.
IN SACRAM VRBEM SVAM
PERDVCENDAM CVRAVIT.

Isidorus, lib. 15. cap. 9. *Formatum, sive formarium in Africa vel Hispania parietes de terra appellant, quoniam in forma circumdatis utrimque tabulis inferciuntur verius, quam duabus instruuntur.* Palladius, lib. 1. cap. 34 de munitionum horti generibus: *Alii luto*, inquit, *inter formas clausu parietes figuratos ex lateribus imitantur.* Hispani *Tapias* vocant ejusmodi parietes.

2. *Speculas Hannibalis.*] Harum Hannibalis turrium facta superius mentio, lib. 2. sect. 73. *In Africa Hispaniaque Hannibalis turrium*, &c.

3. *Illini quidem.*] Hodieque rura nostra parietes cratibus, luto oblitis, & argilla pingui, e qua lateres fiunt, exstruunt.

4. *Et lateribus crudis.*] Ut ignis & fornacum impensæ parcatur: ut inter sese melius coagmententur crudi, & ideo molliores lateres: ut cæmento exiguo sit opus: ut breviore temporis spatio murus perficiatur. Ita Dalecampius.

Sect. XLIX. 1. *Lateres non sunt.*] Hæc explanatius paulo Vitruvius, lib 2. cap 3. pag 21. *Itaque primum de lateribus, qua de terra duci eos oporteat, dicam. Non enim de arenoso, neque calculoso, neque sabuloso luto sunt ducendi: quod ex his generibus cum sunt ducti, primum fiunt graves: deinde, cum ab imbribus asperguntur, dilabuntur & dissolvuntur: paleæque, quæ in his ponuntur, non cohærescunt propter asperitatem. Faciendi autem sunt ex terra albida, cretosa, sive de rubrica, aut etiam masculo sabulone*, &c. Sabulum vel sabulonem vocant arenam, non quidem tenuiorem, minutioremque, ut in Thesauro Rob. Stephani scribitur, sed crassiorem, viliorenque: quod recte docet Agricola, lib 7. de natura fossil. pag. 321. *Sabulum crassius est quam arena: quod vel durum est, vel molle: illud marem, hoc feminam appellant: Masculum utilius sternendis viis*, &c.

2. *Neque arenoso.*] De arenæ generibus dicetur lib. 36. sect. 55.

3. *Finguntur.*] Vitruvius loc. pag 22. *Ducendi autem sunt per vernum tempus, & autumnale, ut uno tenore siccescant. Qui enim per solstitium parantur, ideo vitiosi fiunt, quod summum corium Sol acriter cum percoquit, efficit ut videantur aridi: interius autem sint non sicci: & cum postea siccescendo se contrahunt, perrumpunt ea quæ erant arida: ita rimosi efficiuntur imbecilli.* Sic etiam Palladius, lib. 6 in Maio, tit. 12. pag. 150.

4. *Ædificiis.*] Hæc rursum traduntur a Vitruvio, loc. cit. ubi causam hujusce placiti aperit. *Maxime autem*, inquit, *utiliores erunt, si ante biennium fuerint ducti: namque non ante possunt penitus siccescere*, &c.

5. *Nonnisi bimos.*] Sic bimum semen alibi Plinius, nuces bimas Cato dixere.

6. *Quin & intritam*, &c.] Totidem apicibus Reg. 2. & alii. Intrita porro, quæ vox & alibi occurrit apud Plinium, materia est, ex qua lateres finguntur, intrita & subacta.

ter. Genera eorum tria. [7] Lydion, quo utimur, longum sesquipede, latum pede: alterum tetradoron, tertium pentadoron. Græci enim antiqui [8] doron palmum vocabant, & ideo dora munera, quia manu darentur. Ergo a quatuor & quinque palmis, prout sunt, nominantur. Eadem est latitudo. Minore in privatis operibus, majore in publicis utuntur in Græcia. Pitanæ in Asia, & in ulterioris Hispaniæ civitatibus, [9] Maxilua & Calento, fiunt lateres, qui siccati non merguntur in aqua. Sunt enim e terra pumicosa, cum subigi potest, [10] utilissima. Græci, præterquam ubi e silice fieri poterat structura, [11] parietes lateritios prætulere. Sunt enim æterni, si ad perpendiculum fiant. [12] De eo & publica opera & regias domos struxere: murum Athenis, qui ad montem Hymettum spectat: [13] Patris, ædes Jovis & Herculis, quamvis lapideas columnas [14] & epistylia circumdarent: [15] domum Trallibus regiam Attali: item Sardibus Crœsi, [16] quam gerusian fecere: Halicarnassi, Mausoli: quæ etiam nunc durant. Lacedæmone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturæ, ligneis formis inclusum, Romam deportavere in Ædilitate, ad Comitium exornandum, Muræna & Varro. Cum opus per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur. In Italia quoque lateritius murus Arretii & Mevaniæ est. [17] Romæ non fiunt talia ædificia, quia sesquipedalis paries non plus quam unam contignationem tolerat. Cautumque est, ne communis crassior fiat, nec [18] intergerivorum ratio patitur.

CAP. XV. L. Hæc sint dicta de lateribus. In terræ autem reliquis generibus vel maxime mira natura est sulphuris, quo plurima domantur. [1] Nascitur in insulis Æoliis inter Siciliam & Italiam, [2] quas ardere diximus. Sed nobilissimum [3] in Melo insula. In Italia quoque invenitur, in Neapolitano Campanoque agro, collibus qui vocantur [4] Leucogæi. [5] Ibi e cuniculis effossum, perficitur igni. [6] Genera quatuor: vivum, quod Græci [7] apyron vocant, nascitur solidum, hoc est, gleba: quo solum ex omnibus generibus medici utuntur. [8] Solum (cetera enim liquore constant, & conficiuntur [9] oleo incocta:) [10] vivum effoditur, translucetque, & viret. [11] Alterum genus appellant glebam, fullonum tantum officinis familiare. [12] Tertio quoque generi unus tantum est usus ad suffiendas lanas, quoniam candorem tantum mollitiemque confert. Egula vocatur hoc genus. [13] Quarto autem ad ellychnia maxime conficienda. [14] Cetero tanta vis est, ut morbos comitiales deprehendat nidore, impositum igni. [15] Lusit & Anaxilaus eo, [16] candens in calice no-

NOTÆ.

7. *Lydion*, &c.] Sic Reg. 2. ceterique MSS. non, ut editi, *dideron*. Hæc paulo aliter Vitruvius, loc. cit. *Fiunt autem laterum genera tria: unum, quod Græce δίδωρον appellatur, id est, quo nostri utuntur, longum pede, latum semipede* (In vetusto Vitruvii codice legisse se Philander ait, *quod Græci Lydium*, sed *Lydium* debuit dicere, *longum sesquipede, latum pede*: quam scripturam ipse approbat) Pergit vero mox Vitruvius: *Ceteris duobus Græcorum ædificia struuntur. Ex his unum pentadoron, alterum tetradoron dicitur. Doron autem Græci appellant palmum, quod munerum datio Græce δῶρον appellatur: id autem semper geritur per manus palmum. Ita quod est quoquoversum, quinque palmorum, pentadoron: quod quatuor, tetradoron dicitur: & quæ sunt publica opera pentadoro: quæ privata, tetradora struuntur.* At non item nomen a mensura primum genus habet, Vitruvio teste, ipsoque mox Plinio.

8. *Doron palmum.*] Palmus quatuor pollicum fuit: pes duodenûm.

9. *Maxilua & Calento.*] Μαξίλυα Ptolemæo Bæticæ oppidum. Calentum, Plinio, lib 2 sect. 3. pag 269. ubi oppidanos Callenses appellari diximus. Vide Notas & Emendationes, num XX.

10. *Utilissima.*] Vitruvius id explicans, loc. cit. pag 23. *Sic autem*, inquit, *magnas habent utilitates, quod neque in ædificationibus sunt onerosi*, (de lateribus pumicosis agit) *& cum ducuntur, a tempestatibus non dissolvuntur.*

11. *Parietes lateritios*, &c] Quæ deinceps sequuntur, usque ad ea verba, *Romæ non fiunt talia ædificia*, ad calcem fere hujus sectionis, totidem pæne apicibus syllabisque apud Vitruvium leges. lib 2, cap 8.

12. *De eo.*] De latere Vitruvius, loc cit. *Et publica opera, & privatas domos, etiam regias e latere structas licet videre.*

13. *Patris*] Patræ Achaiæ oppidum, de quo in Geographicis libro quarto. Vide Notas & Emend. num. XXI.

14. *Et epistylia.*] Ἐπιστύλιον, trabs est summis columnis imposita Nostrates *Architravum* vocant, fictitia voce partim e Græco ἀρχή, & e Latino *trab*. quasi præcipuam trabem. *l'Architrave qui se met sur les colonnes entre le chapiteau & la frise.* Structores vocant *Architrave*, & *poitrail.*

15. *Domum Trallibus.*] Vitruvius: *Trallibus, domum regibus Attalicis factam*

16. *Quam gerusian.*] Γερουσία Senatum, seniorumve collegium sonat. Vitruvius, loc. cit. *Crœsi domus, quam Sardiani civibus ad requiescendum ætatis otio, seniorum collegio Gerusian dedicaverunt.* In nummis, ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ.

17. *Romæ non fiunt*] Et hoc pariter traditur a Vitruvio, lib. 2. cap. 31. pag. 31. *Leges publicæ non patiuntur majores crassitudines, quam sesquipedales constitui, loco communi .... Lateritii vero parietes sesquipedali crassitudine non possunt plusquam unam sustinere contignationem.* Romæ vero, & in Urbis majestate, atque in civium infinita frequentia, ut cœnacula plura fierent, ad pedes LXX tollere ædificia Augusti decreto permittebatur, teste Strabone, lib. 5. pag 235.

18. *Intergerivorum.*] Ita Reg 2. ceterique, non *intergerinorum*. Et Festus: *Intergerivi parietes dicuntur, qui inter confines struuntur, & quasi intergeruntur.* Nostrates appellant, *Mur mitoien*

Sect. L. 1. *Nascitur in insulis*, &c] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 1.

2. *Quas ardere diximus.*] Libro 3. sect. 14.

3. *In Melo.*] Diosc. lib 5. cap 124.

4. *Leucogæi.*] De colle Leucogæo, diximus lib. 18. sect. 29.

5. *Ibi e cuniculis.*] In libris editis, *Quod est cuniculis.* In Reg. 2. aliisque, *Leucogæibus cuniculis.*

6. *Genera quatuor*, &c.] Isidorus, loc cit.

7. *Apyron.*] Ἄπυρον, quod ignem minime expertum est. Celsus, lib. 5. cap. 18 *Malagma ad strumas .... Sulphuris ignem non experti, quod ἄπυρον vocant.*

8. *Quo solum.*] Isidorus, loc. cit

9 *Oleo incocta.*] Nunc aqua minore impendio incoquitur.

10. *Vivum autem.*] Isidorus totidem verbis, loc. cit.

11. *Alterum genus*, &c.] Ad verbum Isidorus hæc pariter, loc cit.

12. *Tertio quoque*, &c.] Isidorus, loc. cit.

13. *Quarto autem.*] Isidorus, loc cit.

14. *Cetero tanta vis.*] Si uratur, nidor prodit qui sint morbo comitiali obnoxii: statim enim corripiuntur eo. Isidorus, loc cit.

15. *Lusit & Anaxilaus eo.*] Sulphure scilicet. Ludere hunc solitum magicis imposturis, scribit Irenæus, laudatus a nobis in Auctorum Indice, verbo ANAXILAUS. Epiphanius quoque, lib. 1. adver. hær. hæresi 34 pag. 232 Ludorum porro & ludendi vox in hac arte propria. Minutius Felix, de magis: *Quidquid miraculi ludunt, per dæmones faciunt.*

16 *Candens in calice novo.*] Candens sulphur scilicet. In libris editis, *in calice novo.* Reg. 2. *in calice vivo.* Isidorus, lib. 16 Orig. cap 1. *in calice vivo.* Sed magis arridet vulgata scriptura, multis de causis.

vo prunaque ſubdita circumſerens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum velut defunctorum offundente [17] conviviis [18] Natura ejus calfacit, concoquit: ſed & diſcutit collectiones corporum: ob hoc talibus emplaſtris [19] malagmatiſque miſcetur. [20] Renibus quoque & lumbis in dolore cum adipe, mire prodeſt impoſitum. [21] Aufert & lichenas a facie cum terebinthi reſina, & lepras. [22] Harpacticon vocatur a celeritate avellendi: avelli enim ſubinde 5 debet. [23] Prodeſt & ſuſpirioſis linctum. Purulenta quoque extuſſientibus: & contra ſcorpionum ictus. [24] Vitiligines vivum nitro mixtum, atque ex aceto tritum & illitum tollit: item lendes in palpebris, [a] aceto ſandarachato admixto. Habet & in religionibus locum, [25] ad expiandas ſuffitu domos. [26] Sentitur vis ejus & in aquis ferventibus. Neque alia res facilius accenditur: quo apparet ignium vim magnam etiam ei ineſſe. [27] Fulmina & ful- 10 gura quoque ſulphuris odorem habent: ac lux ipſa eorum ſulphurea eſt.

L I. Et bituminis vicina eſt natura, alibi limus, alibi terra: limus e Judææ lacu, [1] ut diximus, emergens: terra in Syria [2] circa Sidonem oppidum maritimum. Spiſſantur hæc utraque, & in denſitatem coëunt. Eſt vero liquidum bitumen, ſicut [3] Zacynthium, & quod a Babylone invehitur. Ibi quidem & candidum gignitur. Liquidum eſt & Apollo- 15 niaticum: quæ omnia Græci [4] piſſaſphalton appellant, [5] ex argumento picis & bituminis. [6] Gignitur etiam pingue, liquoriſque oleacei, in Sicilia Agragantino fonte inficiens rivum. Incolæ id arundinum [b] paniculis colligunt, citiſſime ſic adhæreſcens. [7] Utuntur eo ad lucernarum lumina olei vice: [8] item ad ſcabiem jumentorum. Sunt qui & naphtham, [9] de qua in ſecundo diximus volumine, bituminis generi adſcribant. Verum ardens 20 ejus vis ignium naturæ cognata, procul [10] ab omni uſu abeſt.

[11] Bituminis probatio, ut quam maxime ſplendeat, ſitque ponderoſum ac grave: [12] læve autem modice, quoniam adulteratur pice. [13] Vis, quæ ſulphuris: ſiſtit, diſcutit, contrahit, glutinat. Serpentes nidore fugat accenſum. Ad ſuffuſiones oculorum & albugines [14] Babylonium efficax traditur: item ad lepras, lichenas, pruritusque corporum. [15] Illini- 25 tur & podagris. Omnia autem ejus genera incommodos oculorum pilos replicant. [16] Den-

INTERPRETATIO.

a *Aceto.*] Aceto in quo diluta ſandaracha fuerit.

b *Paniculis.*] E comis arundinum.

NOTÆ.

17. *Conviviis.*] Sic libri omnes. Dictum figurate pro convivis.

18. *Natura ejus.*] Dioſc. lib 5. cap. 124. Θερμαίνει δὲ, καὶ διαφορεῖ, καὶ πέσσει ταχέως. *Calfacit, diſcutit, concoquitque, ſeu maturat celeriter.*

19. *Malagmatiſque.*] In malagmate quidem ad ſtrumas, a Celſo adhibetur, loc. cit.

20. *Renibus quoque, &c.*] Q. Serenus, cap. 26. de lumbis & renibus ſanandis, pag 141.

Aut adipi mixtum lumbis inducito ſulphur.

21. *Aufert, &c.*] Dioſcor. totidem verbis, lib. 5. cap. 124. & Galenus, lib 9. de fac ſimp. med cap. 3. pag. 262.

22. *Harpacticon.*] Ἁρπακτικὸν, quod feſtinanter eripi oporteat.

23. *Prodeſt & ſuſpirioſis.*] Dioſc loc. cit Βῆχας τε, καὶ ἐμπυϊκοὺς, καὶ ἀσθματικοὺς ὠφελεῖ ἐν ὠῷ λαμβανόμενον, καὶ ἀναθυμιώμενον ... ἰᾶται καὶ σκορπίων πληγὰς, μιγὲν ῥητίνῃ.

24. *Vitiligines, &c.*] Dioſc. loc. cit. αἴρει δὲ καὶ ἀλφούς.

25. *Ad expiandas . . . domos.*] Ad abigenda ſcilicet ex ædibus noxia. Neque domos tantum, ſed & homines ipſos ſuffiri ſic mos fuit: quod Propertius ita expreſſit, lib. 4. Eleg. 9. ſub finem:

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.

Ovidius, lib. 4 Faſt.

Cærulei fiant puro de ſulphure fumi, &c.

Juvenalis, ſatyr 2. verſ. 157.

Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tedis.

Ante hos Græcus vates, Odyſſ. χ' 481.

Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Affer ſulphur anus, malorum medelam: affer & ignem: ut domum ſuffumigem. Ubi Euſtathius: θεῖον θυμιάματος εἶδος, &c. idque mox eſſe θεῖον, ſeu ſulphur, docet.

26. *Sentitur vis ejus.*] Vis nempe medica, in aquis calidis & ſulphuratis. Plinius lib 31 ſect. 32. *Eſt autem utilis aqua ſulphurata nervis, aluminata paralyticis, &c.*

27. *Fulmina, &c.*] Et fulgurita quoque ipſa. Seneca, lib 2. Natur. quæſt. cap. 21. pag. 852. *Quid quod omnibus fulguritis odor ſulphureus eſt?*

Sect. L I. 1. *Ut diximus.*] Libro 5. ſect. 15.

2. *Circa Sidonem.*] Dioſc. lib 1. cap. 99

3. *Zacynthium, &c.*] Zacynthium, Babyloniumque, & Apolloniaticum bitumen laudant pariter Dioſc. loc. cit. & Vitruvius lib. 8. cap 3. pag. 159.

4. *Piſſaſphalton.*] Πιττάσφαλτος Dioſcoridi, lib. 1. cap. 100.

5. *Ex argumento*] Quod mixtam bitumini picem redolet: Mixtum vero utriuſque odorem intellige, non naturam. Sed & eadem piſſaſphaltos, quæ pix & bitumen, ſi ambo hæc fuerint permixta, pollet, teſte Dioſcor. lib. 1. cap. 101.

6. *Gignitur etiam pingue.*] In Reg. 2 & Pintiani cod. *Gignitur etiam pingue dirique liquoris in Silicia.* Nuſquam oleacei vidimus. Colb. 3. *Gignitur & pingue liquoris in Sicilia.* Dum ſanius occurrat aliquid, in vulgata lectione interim acquieſcimus. Solinus, cap. 5. pag. 20. *In lacu Agrigentino oleum ſupernatat: hoc pingue hæret arundinum comis, &c.*

7. *Utuntur eo.*] Antigonus Caryſtius, in hiſt Mirab Τοῦτο δ' ἐν τοῖς λύχνοις χρῶνται, καὶ δύναται φάρμακον, καὶ ψώραν ἰᾶται. Dioſc lib. 1. cap. 99. Γίνεται δὲ καὶ ἐν τῇ Ἀκραγαντίνῃ χώρᾳ τῆς Σικελίας ὑγρὸν ἐπινηχόμενον ὕδασι κρήναις, ᾧ χρῶνται εἰς τοὺς λύχνους ἀντὶ ἐλαίου, &c.

8. *Item ad ſcabiem.*] Solinus, & Antigonus, proxime citati. Virgilius item, Georgicon libro 3.

Turpis oves tentat ſcabies:

Mox:

Et ſpumas miſcent argenti, vivaque ſulphura
. . . . . Nigrumque bitumen.

9. *De qua in ſecundo diximus*] Libro 2 ſect. 109.

10. *Ab omni uſu abeſt.*] Medicinæ. Tamen ad ſuffuſiones oculorum, & ad albugines adhibetur a Dioſcor. lib. 1. cap. 101.

11. *Bituminis probatio.*] Dioſcor. hæc totidem verbis, lib. 1. cap. 99.

12. *Læve autem modice.*] Quoniam, cum ſordibus aſperum eſt, adulteratum pice intelligitur. Dioſcor. loc. cit. Ἡ δὲ ῥυπαρὰ φαύλη· δολοῦται γὰρ πίσσης μισγομένης.

13. *Vis quæ ſulphuris.*] Dioſc. lib. 1. cap. 101. Δύναμιν ἔχει πᾶσα ἄσφαλτος ἀφλέγμαντον, κολλητικὴν, διαφορητικὴν, μαλακτικήν.

14. *Babylonium*] Ad caligantes oculos Judaïcum præfert Theod. Priſcianus, lib. 1 cap. 10. cum herba parietaria, æquis ponderibus admixta.

15. *Illinitur.*] Dioſc. loc. cit. Ἀρήγει δὲ καὶ ποδαγρικοῖς, καὶ ἀρθριτικοῖς, καὶ ληθαργικοῖς, &c.

16 *Dentium doloribus.*] Dioſcor. loc cit. Ὀδόντων ἀλγήματα ἐπιχρισθεῖσα πραΰνει. Nec illitu modo, ſed & ſuffitu dentium dolorem levant, teſte Marcello Empir. c. 12. p. 91.

tium doloribus medentur simul cum nitro illita. [17] Tussim veterem & anhelitus cum vino potum emendat. [18] Dysentericis etiam datur eodem modo, sistitque alvum. [19] Cum aceto vero potum discutit concretum sanguinem, & detrahit. [20] Mitigat lumborum dolores, item articulorum. Cum farina hordeacea impositum, emplastrum peculiare facit
5 [21] sui nominis. Sanguinem sistit. Vulnera colligat. [22] Glutinat nervos. Utuntur etiam ad quartanas bituminis drachma, & [23] hedyosmi pari pondere cum myrrhæ obolo subacti. [24] Comitiales morbos ustum deprehendit. [25] Vulvarum strangulationes olfactum discutit cum vino & castoreo. [26] Procidentes suffitu reprimit. [27] Purgationes feminarum in vino potum elicit. In reliquo usu [28] æramentis illinitur, firmatque ea contra ignes. [29] Diximus &
10 tingui solitas ex eo statuas, & illini. [a] Calcis quoque usum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Placet & ferrariis fabrorum officinis [30] tingendo ferro, clavorumque capitibus, & multis aliis usibus.

LII. Nec minor aut ab eo dissimilis est [1] aluminis opera, quod intelligitur salsugo terræ. Plura & ejus genera. In Cypro candidum, & nigrum, exigua coloris differentia,
15 cum sit usus magna: quoniam inficiendis claro colore lanis, candidum liquidumque utilissimum est: contraque fuscis aut obscuris, nigrum. [2] Et aurum nigro purgatur. Fit autem omne ex aqua limoque, hoc est, [3] terræ [4] exsudantis natura. [5] Corrivatum hieme, æstivis Solibus maturatur. Quod fuerit ex eo præcox, candidius [6] fit. [7] Gignitur autem in Hispania, Ægypto, Armenia, Macedonia, Ponto, Africa: insulis, Sardinia, Melo, Li-
20 para, Strongyle. Laudatissimum in Ægypto, proximum in Melo. [8] Hujus quoque duæ species, liquidum, spissumque. [9] Liquidi probatio, ut sit limpidum, lacteumque, sine offensis fricantium, cum quodam igniculo caloris. [10] Hoc phorimon vocant. An sit adulteratum, deprehenditur succo Punici mali. Sincerum enim mixtura ea nigrescit. Alterum genus est pallidi & scabri, [11] & quod inficiatur galla. Ideoque hoc vocant [12] paraphoron.
25 [13] Vis liquidi aluminis adstringere, indurare, rodere. [14] Melle admixto sanat oris hulcera, papulas, pruritusque. Hæc curatio fit in balineis duabus mellis partibus, tertia aluminis. [15] Virus alarum sudoresque sedat. Sumitur pilulis contra lienis vitia, pellendumque per urinam sanguinem. Emendat & scabiem nitro ac melanthio admixtis.

[16] Concreti aluminis unum genus schiston appellant Græci, in capillamenta quædam

INTERPRETATIO.

a *Calcis . . . usum.*] Calcis vicem præbet bitumen, conglutinatis eo Babylonis muris.

NOTÆ.

17. *Tussim veterem.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empir. cap. 17. pag. 123.

18. *Dysentericis . . . . eodem modo.*] Hoc est, cum vino. Marcellus Empir. cap. 17. pag. 192. ex aqua præbet. Diosc. loc. cit. infundi clystere liquatum cum ptisana jubet: Ἐγκλύζεται καὶ ἐπὶ δυσεντερικῶν σὺν πτισάνῃ τακεῖσα.

19. *Cum aceto.*] Diosc. loc. cit. Καὶ θρόμβους αἵματος διαλύει σὺν ὄξει ποθεῖσα. *Et grumos sanguinis solvit cum aceto potum.*

20. *Mitigat*, &c] Diosc. loc. cit.

21. *Sui nominis.*] Διὰ ἀσφάλτου.

22. *Glutinat nervos.*] Præcisos.

23. *Hedyosmi.*] Ἡδύοσμον Græcis dicitur, quæ menta Latinis.

24. *Comitiales.*] Diosc. loc. cit. Ἐλέγχει δὲ καὶ ἐπιληπτικοὺς ὑποθυμιαθεῖσα, &c

25. *Vulvarum.*] Diosc. loc. cit Ποιεῖ δὲ πρὸς ὑστερικὰς πνίγας, σὺν καστορίῳ, προσφερομένη, καὶ ὀσφραινομένη, καὶ ὑποθυμιωμένη.

26. *Procidentes.*] Vulvas scilicet Sic Reg. 2. & Pintiani codex. In editis, haud satis sincere, *Procidentia sedis.* Adjuvat Dioscorides verbis allatis proxime.

27. *Purgationes.*] Diosc loc. cit. Πινομένη δὲ μετ' οἴνου καὶ καστορίου ἔμμηνα κινεῖ.

28. *Æramentis.*] Æramenta sunt opera ex ære facta, ut ferramenta ex ferro

29 *Diximus.*] Libro 34. sect. 9. *Bitumine antiqui tinguebant eas.*

30. *Tingendo ferro.*] Illinendo ferro. Nostri dicunt, *vernir.*

Sect. LII. 1. *Aluminis.*] *De l'Alun.*

2. *Et aurum nigro.*] Utuntur eo & aurifices ad inaurandum.

3. *Salsugo terræ.*] Sic Isidorus, lib 16 Orig cap. 2.

4 *Quoniam inficiendis.*] Quare Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 1. *alumen* appellat *quo infectores utuntur.*

5. *Corrivatum.*] Isidorus loc cit.

6. *Fit autem omne.*] Isidorus loc. cit.

7. *Gignitur*, &c] Diosc. lib 5. cap. 123. Γεννᾶται δὲ καὶ . . . ἐν Μήλῳ, ἐν Μακεδονίᾳ, ἐν τῇ Αἰγύπτῳ, ἐν Ἀρμενίᾳ, ἐν Σαρδονίᾳ, καὶ Γερμανίῃ τῆς Φρυγίας, Λιβύῃ, Ἀρμενίᾳ, &c. De Lipara nominatim Diodorus Sicul. lib. 5. pag. 293. Est porro Strongyle Liparæ vicina, ut dictum est in Geographicis, lib. 3. sect. 14. Alumen Melinum a Celso laudatur, lib. 6. cap. postremo

8 *Hujus quoque.*] Isidorus loc cit.

9. *Liquidi probatio.*] Diosc. lib. 5. cap. 123. Τῆς δὲ ὑγρᾶς τὴν μάλιστα διαφανῆ προκριτέον, καὶ γαλακτώδη, ὁμαλῆ τε . . . ἔτι δὲ ἄλιθον, καὶ πυρώδη ἀποπνέουσαν. *Liquidum præfertur maxime pellucens, lacteum, planum, & æquabile* (sine offensis fricantium, quod idem est, Plinius pro eo dixit:) *minime lapidosum, & quemdam caloris igniculum exspirans* Aliud ab hoc alumine liquido nostrum alumen est, quod *de roche* vocant, *alun de roche*: quod indictum veteribus arbitramur. Quæ nunc in officinis aluminis genera veneant, disce ex Constantino, verbo Στυπτηρία.

10. *Hoc phorimon.*] Ita libri omnes. Galenus, lib 6. περὶ τόπων, cap. 3. pag. 495. Ἡ ὑγρὰ, ἣν ἔνιοι καλοῦσι φόριμον, εὐωνοτάτη τε καὶ ευπορωτάτη ὑπάρχουσα ἐν πᾶσι χωρίοις. *Alumen liquidum: quod aliqui phorimon appellant, quod vilis pretii, & facile parabile ubique exsistit.* Neophytus: Φορίμου, ὑγρὰ ἡ στυπτηρία.

11. *Et quod inficiatur galla.*] Sic Reg. 2. ceterique: & editi, *quod inficitur galla.* Rectius fortassis, *& quod inficiat ut galla.* Id enim mox censetur optimum, quod tractantium manus nigritia non inficit.

12. *Paraphoron*] Παράφορος, dolosum proprie vox ea sonat: hoc vero loco adulteratum, nec sincerum. Cave Salmasium audias, qui in Solin. pag. 1166. πηγάφορον legi jubet, vocem toti Græciæ inauditam

13. *Vis liquidi.*] Dioscor. lib. 5. cap. 123. Δύναμιν δὲ ἔχουσι θερμαντικὴν, στυπτικὴν . . . . σμηκτικὴν δὲ καὶ τὰς ἐπὶ τῶν βλεφάρων σάρκας, καὶ τὰ ἄλλα ὑπερσαρκώματα *Vim habet excalfaciendi, adstringendi . . . palpebrarum carnes, similesque excrescentias erodendi atque absumendi.*

14. *Melle admixto*, &c] Diosc totidem verbis, loc. cit.

15. *Virus alarum*, &c.] Marcellus Empir. cap. 18. pag. 128. & Diosc. loc. cit.

16. *Concreti aluminis.*] Totidem verbis Diosc. loc. cit. Ἀρίστη δὲ ὑπάρχει ἡ στυπτηρία σχιστή . . . . ἡ πεπτωκυῖα βωλώδης ὁ σφίγγουσα, ἀλλ' ἐξηρημένη κατὰ μονάδας πολιαῖς θριξὶν ἐμφερής· οἵα ἐστὶν ἡ λεγομένη τριχῖτις, γινομένη δὲ ἐν Αἰγύπτῳ. *Optimum vero alumen scissile . . . . quod nec assulose compactum, sed sigillatim quasi in capillamenta canescentia dehiscens: quale est quod*

canescentia dehiscens. Unde quidam trichitin potius appellavere. [17] Hoc fit e lapide, ex quo & chalcitin vocant: ut sit sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus. Hoc genus aluminis minus sistit humorem inutilem corporibus. [18] Sed auribus magnopere prodest infusum, vel illitum, vel oris hulceribus, [19] dentibusque, si saliva cum eo contineatur. [20] Et oculorum medicamentis inseritur apte, [21] verendisque utriusque sexus. Coquitur 5 in patinis, donec liquari desinat.

[22] Interioris est alterum generis, [23] quod strongylen vocant. Duæ ejus species, fungosum atque omni humore dilui facile: quod in totum damnatur. Melius pumicosum, & foraminum fistulis spongiæ simile, rotundumque natura, candido propius: cum quadam pinguitudine, sine arenis, friabile, nec inficiens nigritia. Hoc coquitur per se carbonibus 10 puris, donec cinis fiat. Optimum ex omnibus quod Melinum vocant ab insula Melo, [24] ut diximus. Nulli vis major neque adstringendi, neque denigrandi, neque indurandi. Nullum spissius. Oculorum scabritias extenuat: combustum utilius epiphoris inhibendis. Sic & ad pruritus corporis. [25] Sanguinem quoque sistit in totum, foris illitum. Vulsis pilis ex aceto illitum, renascentem mollit lanuginem summam. Omnium generum vis in 15 adstringendo: [26] unde nomen Græcis. [27] Ob id oculorum vitiis aptissima sunt. Sanguinis fluxiones inhibet cum adipe. Sic & infantium hulcera. Putrescentia hulcerum compescit cum adipe, [28] & hydropicorum eruptiones siccat. [29] Et aurium vitia cum succo Punici mali: & unguium scabritias, cicatricumque duritias, & pterygia, [30] ac perniones. Phagedænas hulcerum ex aceto, aut cum galla, pari pondere cremata: lepras cum succo 20 oleum: cum salis vero duabus partibus, [31] vitia quæ serpunt: lendes & alia capillorum animalia, permixtum aquæ. [32] Sic & ambustis prodest, & furfuribus corporum [33] cum fero picis. Infunditur & dysentericis. [34] Uvam quoque in ore comprimit, ac tonsillas. [35] Ad omnia, quæ in ceteris generibus diximus, efficacius intelligitur ex Melo advectum. Nam ad reliquos usus vitæ in coriis lanisque perficiendis, quanti sit momenti [36] signifi- 25 catum est.

LIII. Ab his per se omnia ad medicinas pertinentia terræ genera tractabimus. * [1] Samiæ duæ sunt, [2] quæ collyrium, & quæ aster appellantur. [3] Prioris laus, ut recens sit & levis, linguæque glutinosa. [4] Altera glebosior, candida. [5] Utraque uritur, ac lavatur. Sunt qui præferant priorem. [6] Prosunt sanguinem exspuentibus. [7] Emplastrisque quæ siccan 30

* Cap. xvi.

NOTÆ.

trichites, hoc est, capillare appellatur, & in Ægypto provenit. Et scissile Celsus appellat, lib. 5. cap 2.

17. *Hoc fit e lapide.*] Nempe ex eo lapide quem chalciten vocant in Cypro, ut dictum est lib. 34. sect. 2. unde & idem aluminis nomen hæsit. Salmasius, in Solin. pag. 1166. contra omnium codicum fidem, contra scriptoris mentem, sola ingenii ductus conjectura, sed nunc maxime fallaci, legi sic suadet: *Hoc fit e lapide globoso, bolum vocant, ut sit sudor*, &c.

18. *Sed auribus.*] Marcellus Empir. lib. de medic. cap. 9. pag. 75. *Alumen cum aceto teres, & simul omnia concoques ad tertias: hoc medicamen tepidum auricula infusum, pus optime purgat, vermes necat: aquam etiam, si intraverit, educit.* Et pag. 81. *Alumen mulso optime dilutum, & lana instillatum, dolorem aurium sanat.*

19. *Dentibusque.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 14. *Solo pulvere aluminis scissi patres dentium cavernas impleas.* Celsus lib. 6. cap. 9. *Alumen scissile in id foramen conjectum, dentem citat*, &c.

20. *Et oculorum*, &c.] Diosc. loc. cit.

21. *Verendisque.*] Καὶ πρὸς αἰδοῖα ἐπίχριστον Dioscor. loco citato.

22. *Interioris.*] Quod altius in terram abditur.

23. *Quod strongylen.*] Στρογγύλη στυπτηρία, rotondum alumen, a forma sic nuncupatum, ab ipso Diosc. loc. cit.

24. *Ut diximus.*] Sub initium hujus sect.

25. *Sanguinem .... sistit in totum.*] Hoc est, omnino sistit, unde unde is profluat, sive e naribus, sive ex alvo. Reg. 2. *Sistit idem in totum.*

26. *Unde nomen Græcis.*] Στυπτηρία, quod vim habet στυπτικὴν, adstringentem. Galenus, lib. 9. de fac. simp. med. cap. 3. pag. 269.

27. *Ob id oculorum.*] Quæ reliqua deinceps sectione continentur, hæc totidem fere verbis Diosc. loc. cit.

28. *Et hydropicorum eruptiones.*] Has ego eruptiones ἐξανθήματα interpretor, hoc est, pusulas, pustulasve, quæ solet plerumque Plinius pituitæ eruptiones appellare.

29. *Et aurium vitia.*] Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 8. *de aurium causatione .... Si cum illa indignatione doloris, etiam derivatio fuerit saniosa, alumen melle & oleo resolutum infundito.*

30. *Perniones.*] Sic etiam Marcellus Empir. cap. 34. pag. 232.

31. *Vitia quæ serpunt.*] Ut hulcera, & erysipelata.

32. *Sic & ambustis.*] Hoc est, permixtum aquæ. Oleum adhibet Theodorus Priscianus, lib. 1. cap. 27. *Alumine scisso cum oleo contrito omnes ustiones ungo.*

33. *Cum fero picis.*] Hoc est, cum pisselæo, de quo nos alibi diximus. Vide Notas & Emend. num. XXII.

34. *Uvam quoque, &c.*] Hoc pariter Marcellus Empir. cap. 14. pag. 99. & cap. 15 pag. 106.

35. *Ad omnia.*] Quod ex insula Melo alumen advehitur, id esse præstantius ceteris significat, & in usu medicinæ efficacius.

36. *Significatum est.*] Sub initium hujus sect.

Sect. LIII. 1. *Samiæ duæ.*] Genera hæc omnia terrarum, olim in medicinæ usu frequentia, nunc exolevere penitus, neque perferuntur ad nos. Vide Matthiol in Diosc. lib. 5. cap. 137. & Aldrov. lib. 2. de metall. cap. 8. pag. 248.

2. *Quæ collyrium.*] Sic Reg. 2. Colb. 3 aliique. Sic Pintianus, & alii ante eum. Et quod potissimum videtur, Dioscorides ipse quoque, lib. 5. cap. 171. qui duo pariter genera Samiæ terræ agnoscit; alterum quod κολλούριον, alterum quod ἀστὴρ appelletur. Dioscoridem, ut solet, sequitur Oribasius, lib. 13. pag. 226. Priori generi collyrii nomen inditum putamus, quod oculorum medicamentis adderetur, quæ collyria vocitantur. Quanquam & eam dotem ei cum altere Samio communem esse, non ex Plinio modo, verum etiam ex Marcello Empirico discimus, cap. 8 pag. 51. ubi collyrium concinnat in primis *ex terra Samia, quam asteria vocant.*

3. *Prioris laus.*] Diosc. lib. 5. cap 172. *Τῆς δὲ Σαμίας γῆς τὴν ἄγαν λευκὴν προκριτέον, καὶ ἐλαφρὰν, καὶ ἐν τῇ διγὴ τὴν γλῶτταν, κολλωδῶς ἐχομένην ... οἷα ἐστὶν ἡ ὑπό τινων κολλούριον καλουμένη. E Samia terra præfertur ea quæ maxime candida; levis, & tangenti linguæ glutinis modo adhærescens .... cujusmodi est quam aliqui collyrium vocant.* Totidem id pariter verbis Oribasius, lib. 13. Collect. pag. 216.

4. *Altera glebosior.*] Aster nimirum. Diosc. loc. cit. *Ὁ δὲ καλούμενος ἀστὴρ, πλακώδης ὡς ἡ ἀκόνη, ... Glebosa, ac densa in modum cotis.* Vehementer hallucinari eos qui asterem volunt esse Talcum, docet Aldrov. lib. 4 de metall cap 34. pag. 686. multoque accuratius Cæsius noster, lib 2. de miner. cap. 2. sect 6. pag. 148.

5. *Utraque, &c.*] Diosc. loco cit.

6. *Prosunt, &c.*] Diosc. loco cit. Aëtius, lib. 2. cap 6. pag. 49. & Oribasius, lib. 13. fol. 225.

7. *Emplastrisque, &c.*] Aëtius, loco cit.

di causa componuntur, [8] oculorum quoque medicamentis miscentur.

LIV. [1] Eretria totidem differentias habet. Namque & alba est, & cinerea, quæ præfertur in medicina. Probatur mollitie: [a] [2] & quod si ære perducatur, violaceum reddit colorem. [3] Vis & ratio ejus in medendo dicta est inter pigmenta.

5 LV. [1] Lavatur omnis terra (in hoc enim loco dicemus) perfusa aqua siccataque Solibus: iterum ex aqua trita ac reposita, donec considat, & digeri possit in pastillos. [2] Coquitur in calicibus crebro concussu.

LVI. [1] Est in medicaminibus & Chia terra candicans, effectus ejusdem, qui Samiæ. Usus ad mulierum maxime cutem. Idem & [2] Selinusiæ. Lactei coloris est hæc, & aqua 10 dilui celerrima. Eademque lacte diluta, [3] & rectoriorum albaria interpolantur. [4] Pnigitis Eretriæ simillima est, grandioribus tantum glebis, [5] & glutinosa: cui effectus idem qui Cimoliæ, infirmior tamen. [6] Bitumini simillima est ampelitis; [7] Experimentum ejus, si ceræ modo accepto oleo liquescat, & si nigricans colos maneat tostæ. Usus ad molliendum discutiendumque. Ad hæc [8] medicamentis additur, [9] præcipueque in callible- 15 pharis, & inficiendis capillis.

CAP. XVII. LVII. Cretæ plura genera. [1] Ex iis Cimoliæ duo ad medicos pertinentia, candidum & ad purpurissum inclinans. [2] Vis utrique ad discutiendos tumores, [3] & sistendas fluxiones aceto assumpto. Panos quoque & parotidas cohibet: & lichenas illita, pusulasque. Si vero aphronitrum & nitrum adjiciatur & acetum, & pedum tumores: ita ut in Sole curatio 20 hæc fiat, & post sex horas aqua salsa abluatur. [4] Testium tumoribus [5] Cypro & cera addita prodest. Et refrigerandi quoque natura cretæ est: [6] sudoresque immodicos sistit illita. [7] Atque ita papulas cohibet ex vino assumpta in balineis. Laudatur maxime Thessalica. Nascitur & in Lycia circa Bubonem. [8] Est & alius Cimoliæ usus in vestibus. Nam Sarda, quæ affertur e Sardinia, candidis tantum assumitur, inutilis versicoloribus: & est 25 vilissima omnium Cimoliæ generum: pretiosior Umbrica, & quam vocant saxum. [b] Proprietas saxi, quod crescit in macerando: atque pondere emitur, [c] illa mensura. Umbrica non nisi poliendis vestibus assumitur. Neque enim pigebit hanc quo-

INTERPRETATIO.

a *Et quod.*] Et quod si in ære linea ducatur ea ea terra, violacei coloris ea linea fit.

b *Proprietas.*] Proprietas ejus cretæ. quam saxum vocant, quod crescit dum aqua maceratur.

c *Illa.*] Sarda mensura emitur.

NOTÆ.

8. *Oculorum*] Marcellus Empir. cap. 8. pag. 52.

Sect. LIV. 1. *Eretria totidem.*] De terræ Eretriæ generibus atque facultatibus, totidem verba facit Diosc. libro 5. cap. 171.

2. *Et quod si ære.*] Dioscor loco cit. Ἀρίστη δὲ ὑπάρχει ἡ τῇ χροιᾷ σποδίζουσα, καὶ μαλακὴ ἄγαν· ἥτις τε χαλκώματι ἐλαυνομένη χαραγμὸν ἰώδη ἀποφέρει. *Optima vero habetur ad cinereum colorem vergens, & perquam mollis. quæque si per æramenta tractim ducatur, æruginei seu violacei coloris lineam efficit.*

3. *Vis ... dicta est inter pigmenta.*] Sect. 21.

Sect. LV. 1. *Lavatur omnis.*] Hæc totidem verbis Diosc. loco cit.

2. *Coquitur.*] Diosc. loc. cit. coqui in fictilibus perforatis jubet, ore obturato, subditis prunis, quæ follibus continenter perflentur. Oribasius similiter, lib 13. fol. 225.

Sect. LVI. 1. *Est in medicaminibus.*] Diosc. ad verbum, lib 5 cap 173. Oribasius, lib. 13. pag 226. Galenus, lib. 9. de fac. simp. med pag 243.

2. *Idem & Selinusiæ, &c.*] Diosc. totidem verbis, libro 5. cap. 175 Galenus, Oribasius, locis cit. A Selinunte porro Siciliæ oppido creditur hæc nomen invenisse.

3. *Et rectoriorum albaria.*] Hoc est, tectoria parietum, quibus propter vetustatem color albus induci solitus exolevisset, exalbantur Selinusia terra lacte diluta, renovanturque.

4. *Pnigitis.*] A Pnigeo Libyæ Mareotidis vico nomen accepisse credit Agricola: alii a πνίγω derivant, quod eam terram deglutienti periculum suffocationis affert. Dioscor. lib. 5 cap. 177. Ἡ δὲ λεγομένη πνιγῖτις γῆ, τῇ χροιᾷ ἔοικε μὲν τῇ Ἐρετριάδι· ἔστι δὲ μεγαλόβωλος, & cetera totidem verbis cum Plinio, & Galeno, lib. 9. de fac. simp. med. pag. 252.

5. *Et glutinosa.*] Tactu linguæ usque adeo glutinosa, ut pensilis hæreat, τῇ τε γλώσσῃ μάλιστα κολλᾶται, ὡς ἐκκρεμᾶσθαι.

6 *Bitumini .... ampelitis.*] Ἀμπελῖτις vocatur, quod vitibus, ταῖς ἀμπέλοις, circumlita, vermes qui vitium oculos erodunt, odore suo interimit: vel quod in ea vites felicius proveniunt. Auctores, Aetius, lib 2. cap. 9. pag. 49. & Oribasius, lib. 13. fol. 226. post Diosc. lib. 5. pag. 181. & Galenum, lib 9. de fac. simp. med. pag. 251. Jam tum ævo suo ægre reperiri terram ampelitidem scribit Marcellus Empir. cap. 7. pag 49. Bitumen verius esse quam terram, Agricola: carbones piceæ parvos referre, Dioscor. loco citato.

7. *Experimentum.*] Sic probat eam Diosc. loco citato, ut eam anteponat, quæ trita cito liquescat, si olei aliquantulum affundatur.

8. *Medicamentis.*] Et inde alterum ei φαρμακῖτιδος nomen, teste Aetio, loc. cit.

9. *Præcipueque, &c.*] Diosc. & Oribasius, locis citatis.

Sect. LVII. 1. *Ex iis Cimoliæ, &c.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 176. & Oribasius, lib 13. pag. 226. Τῆς δὲ Κιμωλίας ἡ μέν ἐστι λευκή· ἡ δὲ ὑποπόρφυρος. Nomen a Cimolo habet, una e Sporadibus insulis: unde Ovidius, lib. 7. Metam. vers. 464. cecinit,

Cretosaque rura Cimoli.

2. *Vis utrique.*] Aceto nempe diluta. Totidem plane verbis Diosc. loc. cit. Ἐνεργεῖ δὲ διαφορεῖν ἄλλα οἰδήματα, παρωτίδας, καὶ τὰ ἄλλα φύματα, &c. De parotidibus subscribit & Plinius Valer. lib. 1. cap. 13. & Theod. Priscianus, lib. 1 cap. 8.

3. *Et sistendas.*] Marcellus Empir. cap 5. pag. 44. *Creta Cimolia ex aceto trita, & quam densissime fronti imposita, pituitam sistit* Et cap. 10 pag. 87 *Creta quoque Cimolia, ex aceto tusa, quam densissima fronti ejus imponitur, cui sanguis vel pituita descendit.* Celsus, lib. 1. cap. 3. *Creta figularis corpori illita alvum adstringit.*

4. *Testium tumoribus, &c.*] Diosc. loc cit Theod. Priscianus, lib. 2. cap. 25. *Testes tumentes Cimolia trita frequenter cum aqua perunges*, &c

5. *Cypro & cera.*] Ita MSS. non *Cypria cera.* Cyprum autem accipe pro oleo cyprino, ut alibi monuimus, aliove, quod sit optimæ notæ: ceram, pro cerato.

6. *Sudoresque.*] Celsus, lib. 3. cap. 19 *Si sudor vincit, delinendus homo est, vel argenti spuma, vel Cimolia creta.*

7. *Atque ita papulas.*] Pusulas, ἐξανθήματα, quæ jejunæ plerumque salivæ defricatione curantur.

8. *Est & alius.*] In dealbandis nimirum vestibus. Unde *cretata ambitio* Candidatorum, a Persio appellatur, hoc est, petitorum in candida toga, in quam album ex creta apud

que partem attingere, cum [9] lex Metella extet fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius Censores dedere ad populum ferendam. Adeo omnia majoribus curæ fuere. Ergo ordo hic est: [a] Primum abluitur vestis Sardâ, dein sulphure suffitur: mox desquamatur Cimoliâ, quæ est coloris veri. Fucatus enim deprehenditur, nigrescitque, & funditur sulphure. Veros autem & pretiosos colores emollit Cimolia, & quodam nitore exhilarat contristatos sulphure. [b] Candidis vestibus saxum utilius a sulphure, inimicum coloribus. Græcia pro Cimolia [10] Tymphaïco utitur gypso. 5

LVIII. [1] Alia creta argentaria appellatur, [2] nitorem argento reddens. Est & vilissima, qua [3] Circum præducere ad victoriæ notam, [4] pedesque venalium trans mare advectorum denotare instituerunt majores. Talemque [5] Publium mimicæ scenæ conditorem, [6] & Astrologiæ consobrinum ejus Manilium Antiochum, item Grammaticæ [7] Staberium Erotem, [8] eadem nave advectos videre proavi. * Sed quid hos refero aliquo litterarum honore commendatos? [9] Talem in catasta videre [10] Chrysogonum Syllæ, Amphionem [11] Q. Catuli, Heronem [12] L. Luculli, [13] Demetrium Pompeii, Augenque Demetrii, quanquam & ipsa Pompeii credita est: [14] Hipparchum M. Antonii, [15] Menam & Menecratem Sex. Pompeii, aliosque deinceps, quos enumerare jam non est, e sanguine Quiritium & proscriptionum licentia ditatos. Hoc est insigne venalitiis gregibus, opprobriumque insolentis fortunæ: quod & nos adeo potiri rerum vidimus, [16] ut Prætoria quoque ornamenta decerni a Senatu jubente Agrippina Claudii Cæsaris vide- 10 * CAP. XVIII. 15

INTERPRETATIO.

a *Primum.*] Primo vestes abluuntur Sarda creta: deinde sulphure suffumigantur: mox desquamantur Cimolia, cujus color sit sincerus. Fucatus enim deprehenditur, &c.

b *Candidis.*] Candidis vestibus creta vulgaris, quæ saxum vocatur, utilior est, postquam sulphure sunt suffitæ: inimica vestibus, quæ sint colore aliquo infectæ.

NOTÆ.

fullones additum fuit. Homines quoque tenuiores, cum copia mutandæ togæ non esset, tamen ut nitidi ac melioris fortunæ apparerent, sub dies Ludorum togulam suam incretabant. Huc illud Plautinum alludit, in Aulul. scena 9. act. 4.

Qui vestitu & creta occultant se se, atque sedent quasi sint frugi

9. *Lex Metella.*] Latam a M. Metilio, qui tertium Tribunus plebis fuisse dicitur, anno Urbis CCCLIV. olim alios secuti diximus: nunc timidiores facti, a constanti consensu librorum omnium discedere, religioni ducimus. Itaque legem Metellam reposuimus. Est quidem *Metellus* Cæciliorum cognomen. A nominibus autem propriis, non ab eorum cognominibus, qui leges tulere, appellationem eas accepisse non diffitemur. Sed transierat Metelli cognomen in proprium nomen familiæ Metellorum.

10 *Tymphaico.*] Nomen id gypsi genus habet a Tymphæis Ætoliæ populis, de quibus in Geographicis diximus, lib. 4. sect. 3. De gypso Tymphaico rursum inferius, lib. 36 sect. 59.

Sect. LVIII. 1. *Alia creta argentaria.*] Diximus de ea dudum, lib. 17 sect. 4.

2. *Nitorem argento.*] Hoc est, argenteis vasis. Galenus, lib 9. de fac. simp. med. pag. 252. Διὸ καὶ ἄνθρωποι λαμπρύνουσιν αὐτῇ τὰ ποικίλα τῶν ἀργυρωμάτων

3. *Circum producere.*] Hoc est, metam in Circo creta signare, ut conspicua sit. Meminit hujus moris obiter Seneca, epist. 108. pag 469. *Hanc quam nunc in Circo cretam vocamus*, &c. Plinius, libro 8 sect. 65. de cursu equorum in Circo: *Peracto legitimo cursu ad cretam stetere*: sic enim emendavimus, cum prius *ad metam* legeretur. Multa in eam rem Vossius, in Etymol. verbo, *Calx*.

4. *Pedesque venalium*] Mancipiorum, quorum gypsatos pedes appellat Ovidius, libro 1. Amor. eleg. 8. versu 64. Tritum illud Juvenalis:

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

5. *Publium.*] Quis fuerit hic Publius, adhuc inexploratum: neque enim Syrus ille mimographus esse potest, qui temporibus Augusti inclaruit: quem non modo Plinii proavi videre, sed & pater potuit. In Reg. 2. cod. *Publium Lochium*: in Colb. 3. *P. Lucilium* legitur.

6. *Et Astrologiæ.*] Subintellige, conditorem. Cave tamen existimes eum esse, cujus Astronomicon libri exstant: cum is quem Plinius nunc appellat, multo sit vetustior, quippe qui Plinii tantum proavis notus fuerit, ac bello Punico tertio, ut mox dicemus. Sed & externum hominem hunc fuisse, ipsum Antiochi nomen declarat.

7. *Staberium Erotem.*] Sic MSS. omnes, non *Taberium.* Suetonius, lib. de illustr. Grammat. cap. 13. *Laberius Hiera* (lege ex Plinio, *Staberius Eros*) *suo hero emptus de catasta, & propter litterarum studium manumissus, docuit inter ceteros Brutum & Cassium. Sunt qui tradant tanta eum honestate præditum, ut temporibus Syllanis proscriptorum liberos gratis, & sine mercede ullâ in disciplinam receperit.*

8. *Eadem nave.... videre proavi.*] Hinc eorum omnium ætas intelligitur, in tempus fere devictæ Carthaginis incidisse, hoc est, ante annos circiter CCXX. quam hæc scriberet Plinius: qui libro seq. sect. 4. num. 2. a nepote ad proavum LX. Olympiadas numerat.

9. *Talem in catasta.*] Catasta locus fuit, in quo servi venales, gypsoque vel creta notati, custodiebantur, & venditioni exponebantur. Vide Thesaurum linguæ Latinæ.

10. *Chrysogonum.*] Syllæ libertum, sectorem Roscii Amerini, ut est apud Tullium, in orat. pro Roscio.

11. *Q. Catuli.*] Q. Lutatii Catuli, qui post Syllæ obitum, Capitolium dedicavit. Egimus de eo sæpius.

12. *L. Luculli.*] Ejus qui contra Mithridatem bellum gessit.

13. *Demetrium.*] Seneca, lib. de Tranquill. cap. 8. pag. 682. *Feliciorem tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie servorum, velut Imperatori exercitus, referebatur*, &c. Vide & Plutarchum in Pompeio, pag. 604 Fuit hic Gadarensis e Syria, ut quidem docet Josephus.

14. *Hipparchum.*] Ἵππαρχον, apud Plutarch. in Antonio, pag 950.

15. *Menam, &c.*] De Mena seu Menodoro, Sexti Pompeii liberto, classisque præfecto, ac postea ad Cæsarem transfuga, vide Dionem, lib. 48. pag. 375. & Suetonium in Augusto, cap. 74. De Menecrate ejusdem Sexti liberto, idem Dio, pag. 385. De utroque, Appianus, lib. 5. bell. Civil. pag. 718 Sextus Pompeius Magni filius fuit: is quem Appianus & Dio adeo insanisse finxere, ut se Neptuni filium diceret: quoniam in ipsius nummis scriptum viderunt, NEPTVNI. At est illud pro *Neptunius*, hoc est, maris dominus: & est ille nummus Sexti, non Magni patris, ut incogitanter olim edidimus.

16. *Ut Prætoria.*] Pallantem Claudii Cæsaris libertum ab ipso curæ rerum impositum, arbitrumque regni factum, Tacitus ait lib 13 Annal. pag 200 Agrippinæ Claudii uxori stupro illigatum, idem, lib 12 pag. 179. Prætoria ei decreta ornamenta, vetus inscriptio quam Lipsius refert in Tacitum, pag. 188. sed spuria:

TI. CLAVDIVS. AVG. L.
PALLAS.
HVIC. SENATVS. OB. FIDEM.
PIETATEMQVE. ERGA.
PATRONOS. ORNAMENTA.
PRAETORIA. DECREVIT.
ET. HS. CENTIES. QVINQVAGIES. CVIVS. HONORE.
CONTENTVS. F. [illegible]

rimus libertis: tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent.

CAP. XIX. LIX. Præterea sunt genera terræ proprietatis suæ, [1] de quibus jam diximus: sed & hoc loco reddenda natura. Ex Galata insula, & circa Clupeam Africæ scorpiones necat:
5 Balearis & Ebusitana serpentes.

NOTÆ

Tacitus ipse, pag. 188. *Pallanti .... Prætoria insignia*, &c.
Sect. LIX. 1. *De quibus jam diximus.*] De terra Galatæ, Clupeæque, dictum superius lib. 5. sect. 7. De Balearis & Ebusitana, lib. 3. sect. 11.

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXXV.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 1. I. NEC *spatia montis in cubiculo delitentia.*] Ita clare MSS omnes, & editi : quam scripturam nostra quoque, quæ planissima est, interpretatio tuetur ac defendit, nequicquam conjiciente Salmasio in hist. Aug pag 443. *Nec specla* (vel *specula*) *montis in cubiculo nitentia.* De marmore enim solum hic sermo, non de speculari lapide.

Sect. 2. II. *Aliæ foris & circa limina domitarum gentium imagines erant affixis hostium spoliis, ... exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum*] Prius legebatur, *animorum ingentium imagines* Pintianus conjiciebat, *alienarum gentium* : Alius, *minorum gentium.* In Reg 2. *amitarum gentium.* In Colb. 3. *damicorum.* Unde haud dubia conjectura, *domitarum* fecimus, cum sit mos ille hodieque receptus, qui jam tum in usu fuit, ut hostibus detracta spolia, signaque, affixa domibus, domitarum gentium symbola sint & argumenta. Livius, libro 10. *Quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis.* Libro 23. *Qui spolia ex hoste fixa domi haberent.* Suetonius in Nerone, cap. 38. ubi de Urbis incendio : *Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ,* &c. Vidit hoc quoque Gronovius.

Ibid. III. *Cum Scipionis Pomponianus transisset atrium.*] Sic MSS. Reg. 2. Colb 3. ceterique : Parmensis quoque editio, & aliæ vetustiores Hermolao. Cur id nomen in *Africani* postea immutarint, incertum. Factum sane temere & imperite. Mox vero ex iisdem MSS. edidimus, *Salutiones*, (*hoc enim ei fuerat cognomen*) *Africanorum dedecore irrepentes Scipionum nomini.* Cum libri vulgati præ se ferant, *Salutionis* (*hoc enim ei fuerat cognomen*) *Africanorum dedecore notam irrepentem* &c. At MSS. & ea voce *notam* omnino carent, & *irrepente Scipionum nomini* exhibent.

Sect. 12. IV. *Ex omnibus alii nascuntur, alii fiunt. Nascuntur Sinopis, rubrica, Paratonium, Melinum, Eretria, auripigmentum.*] Transcripsit hunc locum ex Plinio Isidorus, lib. 19. cap. 7. ex Isidoro Papias, in Vocabulario : sed uterque mendose : *Colores autem aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur, ut Sinopis, rubrica, Paretonium, Melinum, fretia,* (Papias, *frecia*) *auripigmentum.* Ubi nemo non intelligit vocem esse nihili FRETIA, pro ERETRIA, amanuensium vitio substitutam.

Sect. 21. V. *Vitiis . . . . & ad deprehendenda pura*] Terram Eretriam ait thoraci impositam, utilem esse ad deprehendendum, num in thorace pus lateat Quod cum Dalecampius medicus non intelligeret, in margine admonuit, *ad deprehendenda obscura* forte legi commodius : hoc est, ut in Notis adjecit, ad ea deprehendenda *quæ non pateant oculis, quæ in calva sub cute latent esse vulnera.* Obstat vero præter omnium exemplarium consensum Hippocrates, qui eadem ac Plinius prodidit. Ejus hæc verba sunt, lib. 3. de morbis, num. 27. pag. 116. [illegible] &c. *Quod si præ crassitudine humor non fluctuet . . . ne te tamen ista decipiant : sed thoracem pure plenum esse probe noris. Proinde in Eretria terra liquida, & valde trita, tepidaque, linteum tenue tingito, eoque thoracem circumcirca integito : & qua parte primum reficcatum fuerit, ea secato aut urito,* sub ea enim pus delitescit, *quam proxime ad septum transversum, cavendo tamen ne hoc ipsum lædas,* &c.

Sect. 33. VI. *In Maianis hortis*] In edit. Parm. *In Lamianis hortis.* Aliæ quædam, *in Marianis.* Nos *Maianis*, ex Reg. 2. rescripsimus. Apud Gruterum, pag. 589. PROC. HORTORVM. LAMIANORVM ET. MAIANORVM. Et pag 602. VILLICO HORTORUM MAIANORVM.

Sect. 34. VII. *Olympiumque Athenis ab eo pictum*] In libris ad hunc diem vulgatis, *Clypeumque Athenis* In Colb. 3. *Olympiumque Jovem.* Hanc vero vocem postremam *Jovem*, ceteri non agnoscunt. *Olympium* itaque retinuimus, ac de Jove, ut oportuit, interpretati sumus, a Plinio ipsomet admoniti, qui mox subjicit, *Coloten Phidiæ discipulum, & in faciendo Jove Olympio adjutorem fuisse.* Igitur vox ea *Olympius*, quamvis sola ponatur, Jovem designat : ut in Psal LXVII, 15 vox illa *Cælestis* Deum verum denotat : *Dum discernit CÆLESTIS reges*, hoc est, qui in cælo habitat

Ibid. VIII. *Panænum fratrem ejus, qui clypeum intus pinxit Elide Minervæ.*] Sic libri omnes tum editi, tum manu exarati, Reg 2 Colb. ceterique : Parm editio, aliæque ante Hermolaum, qui sic interpolat : *Clypeum intus pinxit, & in Argede Minervæ.* Ipso refragante Plinio, lib. 36. sect. 55. *In Elide ædes est Minervæ, in qua frater Phidiæ Panænus tectorium induxit*, &c.

Sect. 36. IX. *Et victoria Atheniensium*] Repugnantibus omnibus libris, in quibus & *victoria* legitur, veremur hic & *lacteria* scribere, quod nobis olim placuerat.

Ibid. X. *Apelles Cous, Olympiade CXII picturæ plura solus prope, quam ceteri omnes, contulit.*] Ita plane MSS. omnes Reg. 2. Colbert. 3. & quem Pintianus vidit, & quos Bechemius Scodiensis secutus est : præterquam quod ii *propinavit* exhibent, non *prope* - haud dubie mendose. At longe corruptius libri ad hunc diem vulgati : *Apelles consque Olympiade CXII. in pictura provectus, ut plura solus prope, quam ceteri omnes, contulerit.* At ubi hic Apellis patria, qua in assignanda unicuique e reliquis diligentissimus est Plinius? Deinde *in pictura provectus*, Plinianam orationem vix resipit : sapit illa maxime, *picturæ plura contulit.* Libro 34. sect. 19. num. 6. de Lysippo : *Statuariæ arti plurimum traditur contulisse.* Libro 35. sect 35. de Polygnoto : *Plurimumque picturæ primus contulit* Sect 36. num 1. de Apollodoro : *Primusque gloriam penicillo jure contulit.*

Ibid. XI. *Consumptam eam priore incendio domus Cæsaris in Palatio nudia, spectatam olim, tanto spatio nihil aliud continentem, quam lineas visum effugientes.* Interpolatus hic locus fœdissime in libris vulgatis ad hunc diem sic legitur : *Consumptam eam constat priore incendio domus Cæsaris in palatio, avide ante a nobis spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem*, &c. In Reg. 2. Cod. *Consumptam . . . . in palatio audio, spectatam nobis ante spatiose nihil aliud continentem*, &c. Si prius illud incendium est, ut esse necesse est, quod Octavii principatu contigisse diximus, tabulam eam quæ tum consumpta traditur, spectatam a se Plinius gloriari jure nequit : quare *spectatam olim* maluimus : *Tanto* autem *spatio* etiam Pintianus approbat.

Ibid. XII. *Fecit nobilem Paralum & Hammoniadn*] In libris fere hactenus editis, auctore Barbaro, *Hemionida.* At in Reg *Amoniadam.* Colb. 3. *Hamoniadam* Parm edit *Hammoniadam* : quæ nostræ emendationi omnia egregie favent. Quinque fuere sacræ triremes : ab initio binæ tantum, processu temporis tres additæ sunt : priorum altera Salaminia, vel Delia ; altera Paralus vocabatur. Posteriorum alia Antigonis, alia Ptolemais, alia Hammonis. Hæc sic dicta fuit, quod per eam victimas Jovi Hammoni mitterent. Ulpianus in Comment. ad Medianam Demosthenis : [illegible] &c. Etymologici auctor : [illegible] &c. verbo, [illegible]. Meminit hujusce Parali navis Cicero in Verrem, orat. 4. num. 135. Nomen habet ab auctore Paralo, de quo lib 7. sect. 57.

Sect. 37. XIII. *Aut etiam vindemiantes, sunt in ejus exemplaribus : Nobiles, palustri accessu villa, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur.*] Hunc locum ex fide Regii Cod. 2. Colb. 3 aliorumque refinximus : cum prius ita legeretur, interpolante Barbaro : *aut etiam vindemiantes. Sunt in ejus exemplaribus nobiles, palustri accessu villæ, succollantium specie mulieres, labentes trepidæque feruntur* In Reg. 2. Colb 3. & Parm. edit. *sponsione.* Gronovius, *personis* pro *sponsione* scribit. Vox porro *succollare* Latina est, & Tranquillo quoque nota.

Sect. 40. XIV. *Pinxit & ipse penicillo parietes Thespiis, cum reficeren-*

tur quendam a Polygnoto pictis.] Sic libri editi: in MSS. *Thespia.* Quid si *Delphis* potius? Nam de Polygnoto Thasio, cujus refici nunc pictura dicitur. Plinius ipse supra, sect. 35. *Hic Delphis aedem pinxit*, cui & Pausaniam adstipulari diximus.

Ibid. XV. *Dioxippum, qui pancratio Olympia... aconiti vicit: coniti Nemeam.*] Quam belle sic ludum ludo, victoriæ victoriam opponit? cum Olympias Nemeæa confert, & facili ac sine pulvere victoriæ alteram laboriosius comparatam. In libris hactenus vulgatis: *Cœnum stemmata*: At neque pictoris nomen est *Cœnus*, nec satis idoneum picturæ, quale hic requiritur, argumentum, stemmata: multo vero minus *scammata*, quæ Salmasius hoc loco obtrudit, in Exerc. ad Solinum, pag. 36.

Sect. 45. XVI. *M. Varro tradit sibi cognitum Romæ Posim nomine, a quo facta poma & uvas, ut non posses adspectu discernere a veris.*] Libri ad hunc diem editi: *a quo factas Romæ uvas*, frigide, cum *Romæ* proxime antecesserit. Mox, *item pisces, ita ut non sit aspectu*, &c. Rectius esset sane diceret, cum de remotissimis Varronis temporibus nunc agatur. At Reg. 2. *a quo facta poma & uvas, item pisces aspectu discernere a veris.* Sic & alii pariter codices.

Sect. 46. XVII. *Vel assiduitate satiant figlinarum opera, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus, frontatisque. Ob quæ Numa rex*, &c.] Locum hunc ope Regii codicis 2. ita refinximus, nihil illius integerrimi exemplaris discrepante scriptura ab ea quam repræsentamus, præterquam quod *fundamentisque*, pro *frontatisque* præfert. Libri vero hactenus editi susdeque omnia vertunt, interpolant, ac pessumdant, hoc scilicet modo: *Vel quæ assiduitate satiant figlinarum opera imbricibus, tubulis tegulisque ad balineas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis frontatisque, aut quæ rota fiunt, etiam fictilibus doliis ad vina excogitatis, & ad aquas. Propter quæ Numa*, &c.

Ibid. XVIII. *Retinet hanc nobilitatem & Arretium in Italia.*] Sic libri omnes editi, & MSS. Turnebus tamen lib. 26. Adverf. cap. 10. legi jubet, *& Eretum*, quem vicum Sabinorum esse Stephanus ait, hodie *Monte Rotondo*: Ἤρητος, πόλις Σαβίνων. Unde heminas Ereti Persius commendat, Satyra 1. At non hic heminæ, sed vasa, ut Samia, sic & Arretina habere nobilitatem dicuntur: neque a Plinio modo, sed & a Martiale non semel. Nam lib. 1. Epig. 54.

Sic Arretina violant crystallina testa.

Et lib. 14. Epigr. 98. cujus lemma est, *Vasa Arretina:*

Arretina nimis ne spernas vasa monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Tusca fictilia vocat, quod sit Etruriæ sive Tusciæ oppidum Arretium, *Arezzo*, ubi hodieque primæ commendationis figlina sunt Arretina. De calicibus Arretinis exstat illud Virgilio carmen adscriptum, inter Epigrammata a Pithœo edita, pag. 36.

Arretine calix, mensis decorate paternis,
Ante Mali medicis quam bene sanus eras.

Ibid. XIX. *Et calicum tantum, Surrentum, Asta, Pollentia: in Hispania Saguntum*, &c] Libri omnes editi fere, in primisque Elzevir. editio, hic interpungunt, *& calicum tantum: Surrentum*, &c. Ut ad Arretium, de quo proxime antea, non ad Surrentum pariter, ceteraque quæ sequuntur oppida, calicum dos ista pertineat, & quidem sola. Atqui ad Arretium spectare vasa quæ in esculentis adhibentur, calicesque, superius demonstravimus. Calices Surrentinos, Saguntinosque, & Pollentinos laudari a Martiale audio: vasa escaria, non memini usquam me legere. Itaque ille primum lib. 14. Epigr. 102. cui titulus, *Calices Surrentini*:

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Saguntinos deinde libri ejusdem Epigr. 108. cui lemma præfixum, *Calices Saguntini*:

Quæ non sollicitus teneat, servetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Pollentinos denique lib. 14. Epigr. 157. allato a nobis libro octavo, sect. 78. nota 10. Et de Surrentina, Pollentinaque terra, fingendis calicibus potoriis expetita, exstat vetus Epigramma Græcum Macedonii, sane non ineleganter, in MSS. nostris:

Συρρέντου τρηχεῖα, μυρόπνοος χαῖρε κονίς,
Καὶ Πολλεντίνων γαῖα μελιχροτάτη,
Ἐξ ὧν μοι τελέθουσιν, ἀφ᾽ ὧν ἀρύσασθαι ἀλέον
Φάρμακα Βάκχου τρισσὰ χάριτες.
Unguentum redolent Surrenti asperrime pulvis,
Et Pollentinæ mellea gleba plagæ:
Vos ego semper amo, de queis sibi sumere binum
Miscendum Bromio Gratia trina solet.

Sect. 49. XX. *Pitanæ in Asia, & in ulterioris Hispaniæ civitatibus, Maxilua & Calento, fiunt lateres, qui siccati non merguntur in aqua.*] Ita Reg. 2. ceterique codices, totidem apicibus. In libris hactenus editis, *Massia & Calento*, mendose. Sed multo corruptiorem Vitruvii locum ex Pliniano emendabis. Maxiluam enim in Galliæ civitatem Massiliam interpolatores ejus libri transformarunt. *Est autem in Hispania ulteriore Calentum, & in Gallia Massilia, in Asia Pitane, ubi lateres cum sunt ducti, & arefacti, projecti natant in aqua. Natare autem eos posse ideo videtur, quod terra est, de qua ducuntur, pumicosa.* Lege, *Calentum & Maxilua*: deme cetera.

Ibid. XXI. *Patris, ædes Jovis & Herculis.*] Sic libri editi omnes, manu exarati, quorum ex fide alterum Vitruvii locum sanamus, lib. 2. cap. 8. pag. 29. *De lateribus vero, dummodo ad perpendiculum sint stantes, nihil deducitur: sed quanti fuerint olim facti, tanti esse semper æstimantur. Itaque nonnullis civitatibus, & publica opera, & privatas domos, etiam regias, e latere structas licet videre. Et primum Athenis murum, qui spectat ad Hymettum montem: & Pentelensem. Item parietes in æde Jovis & Herculis latericias cellas, cum circa lapidea in æde epistylia sint, & columnæ.* Lege, *item Patris*: sic enim apposite oppidum oppido, Athenis Patræ opponuntur.

Sect. 52. XXII. *Sic & ambustis prodest, & furfuribus corporum cum sero picis.*] Ita hunc locum restituimus ex fide Reg. 2. codicis, cum prius legeretur, *cum fero & pice*. Neque modo ejus exemplaris auctoritas ad id impulit. Sed & Serapionis medici calculus: namque illius interpres, cap. CCCCXX. de alumine, *Quando linitur*, inquit, *cum aqua picis caput, tunc eo aufert furfures capitis*: ut legisse plane videatur in Græco, *σὺν ὀῤῥῷ πίσσης*, hoc est, cum pisselæo, sive sero picis. Neque me movet quod apud Dioscoridem legatur in libris nunc vulgatis, *σὺν ὀξῦει καὶ πίσσῃ*. Quis enim aut illos ab omni culpa præstet, aut pisselæum neget cum alumine simul permixtum ad pityriasin prodesse, quod & Plinii codices, MSS. & Serapion asseverat?

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER XXXVI.

I. LAPIDUM natura restat, hoc est, præcipua morum insania; etiam ut gemmæ cum succinis, atque crystallinis, murrhinisque sileantur. Omnia namque quæ usque ad hoc volumen tractavimus, hominum causa genita videri possunt. Montes Natura sibi fecerat [a] ad quasdam compages telluris visceribus densandas, simul ad impetus fluminum domandos, fluctusque frangendos, ac minime quietas partes coërcendas durissima sui materia. Cædimus hos, trahimusque, nulla alia, quam deliciarum causa, quos transcendisse quoque mirum fuit. In portento prope majores habuere Alpes ab Hannibale exsuperatas, & postea a Cimbris: nunc ipsæ cæduntur in mille genera marmorum: promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum. Evehimus ea, quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant: navesque marmorum causa fiunt: ac per fluctus, sævissimam rerum naturæ partem, huc illuc portantur juga, majore etiamnum venia, quam cum ad frigidos potus [1] vas petitur in nubila, cæloque proximæ rupes cavantur, ut bibatur glacie. Secum quisque cogitet, cum pretia horum audiat, cum vehi trahique moles videat, quam sine his multorum fuerit beatior vita: ista facere, immo verius pati mortales, quos ob usus, quasve ad voluptates alias, nisi ut inter maculas lapidum [b] jaceant? ceu vero non tenebris noctium dimidiæ parti vitæ cujusque gaudia hæc auferentibus.

II. Ingens ista reputantem subit etiam antiquitatis rubor. [1] Exstant Censoriæ leges, [2] glandia in cœnis, [3] gliresque, & alia dictu minora apponi vetantes. Marmora invehi, & maria hujus rei causa transiri, quæ vetaret, lex nulla lata est. Dicat fortassis aliquis: non enim invehebantur. Id quidem falso. Trecentas LX. columnas [4] M. Scauri Ædilitate ad scenam theatri temporarii, & vix uno mense futuri in usu, viderunt portari [c] silentio legum. Sed publicis nimirum indulgentes voluptatibus. Idipsum cur? aut qua magis via irrepunt vitia, quam publica? Quo enim alio modo in privatos usus illa venêre, ebora, aurum, gemmæ? aut quid omnino Diis relinquimus? Verum esto, indulserint publicis voluptatibus: etiamne tacuerunt maximas earum, [5] atque adeo duodequadragenûm pedum [6] Luculleí marmoris, in atrio Scauri collocari? Nec clam illud occulteque factum est.

INTERPRETATIO.

a *Ad quasdam.*] Ad quasdam terræ partes, quibus ceteræ compaginantur, in telluris visceribus comprimendas ac densandas.

b *Jaceant.*] Cubent, dormiantque: perinde quasi non detrahat hæc gaudia nox dimidiæ parti vitæ uniuscujusque nostrum.

c *Silentio.*] Nulla interim lege in contrarium lata.

NOTÆ.

Sect. I. 1. *Vas petitur in nubila.*] Quæritur vas crystallinum, in montium jugis, quæ nubila contingunt. Usus ea forma loquendi sæpenumero Plinius. Libro 9. sect. 54. margaritas ait *in insulas peti.* Libro 14. sect. 5. *in Rubrum litus Indicumve merces petitas.* Libro 30. sect. 21. *voluminibus Dardani in sepulcrum ejus petitis.* Et exempla alia Index suppeditabit. Crystallum aliud nihil esse quam glaciem concretam longo annorum spatio Plinius credidit.

Sect. II. 1. *Exstant Censoriæ leges.*] Jam supra laudatæ a Plinio, lib. 8 sect. 82.

2. *Glandia in cœnis.*] Glandium Priscianus partem esse intestinorum putat. Verius: alii tubera in carne, ceu glandulas, præsertim in apro circa cervicem, ubi sunt glandulæ. Hæc enim hujus vocis acceptio est apud Plinium, lib. 16 sect. 73. Plautus in Captivis, act 4. sc 4.

Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia.

Et in Curcul. act. 2. sc. 3. vers. 44.

Pernam, abdomen, sumen, suis glandium.

3. *Gliresque.*] Inter convivales delicias glirium usus celeber olim fuit. Petronius in Satyr. pag 101. *Ponticuli ferruminati sustinebant glires melle & papavere sparsos.* Ammianus Marcell lib. 28 pag. 371 *Ponuntur etiam in conviviis trutinæ, ut appositi pisces, & volucres ponderentur, & glires.* De eorum saginatione videndus Apicius, lib. 8. cap. 9.

4. *M. Scauri Ædilitate.*] De qua inferius sect. 24. num. 7.

5. *Atque adeo duodequadragenûm.*] Dicetur de iis loco proxime citato.

6. *Luculleí marmoris.*] De quo sect. 8.

a [7] Satisdari sibi damni infecti coegit redemptor cloacarum, [8] cum in Palatium extraherentur. Non ergo in tam malo exemplo moribus cavere utilius fuerat? b Tacuere tantas moles in privatam domum trahi præter [9] fictilia Deorum fastigia.

CAP. III. III. Nec potest videri Scaurus rudi & hujus mali improvidæ civitati obrepsisse [1] quo- 5 dam vitii rudimento. [2] Jam L. Crassum Oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in eodem Palatio, Hymettias tamen nec plures sex, aut longiores duodenûm pedum, M. Brutus in jurgiis ob id Venerem Palatinam appellaverat. Nimirum ista omisere moribus victis: frustraque interdicta quæ vetuerant cernentes, nullas potius, quam irritas, esse leges maluerunt. Sed & qui sequentur, meliores esse nos pro- 10 babunt. Quis enim tantarum hodie columnarum atrium habet? Sed prius, quam de marmoribus dicamus, hominum in iis [3] proferenda judicamus pretia. Ante igitur artifices percensebimus.

CAP. IV. IV. 1. Marmore scalpendo primi omnium inclaruerunt [1] Dipœnus & Scyllis, geniti in Creta insula, etiamnum [2] Medis imperantibus, priusque quam Cyrus in Persis reg- 15 nare inciperet, hoc est, Olympiade circiter L. Ii Sicyonem se contulere, quæ diu fuit officinarum omnium metallorum patria. Deorum quorumdam simulacra publice locaverant Sicyonii, quæ prius quam absolverentur, artifices injuriam questi abierunt in Ætolos. Protinus Sicyonem fames invasit ac sterilitas, mœrorque dirus. Remedium petentibus Apollo Pythius affuturum respondit, si Dipœnus & Scyllis Deorum simulacra perfecis- 20 sent. Quod magnis mercedibus obsequiisque impetratum est. Fuere autem simulacra ea [3] Apollinis, [4] Dianæ, Herculis, Minervæ, quod e cælo postea tactum est.

CAP. V. 2. Cum ii essent, jam fuerant in Chio insula Malas sculptor, dein filius ejus Micciades, ac deinde nepos Anthermus Chius, cujus filii [5] Bupalus & Anthermus clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis poetæ ætate, quem certum est L X. Olympiade fuisse. Quod si 25 quis horum familiam ad proavum usque retro agat, inveniet artis ejus originem cum Olympiadum origine cœpisse. [6] Hipponacti notabilis fœditas vultus erat: quamobrem imaginem ejus lascivia jocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, [8] amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse: quod falsum est. Complura enim in finitimis insulis simulacra postea fecere, 30 sicut in Delo, quibus subjecerunt carmen, [9] non vitibus tantum censeri Chium, sed & operibus Anthermi filiorum. [10] Ostendunt & Iasii Dianam manibus eorum factam. Et in ipsa Chio narrata est operis eorum Dianæ facies in sublimi posita, cujus vultum intrantes tristem, exeuntes hilaratum putant. Romæ signa eorum sunt [11] in Palatina æde Apollinis in fastigio, & in omnibus fere quæ Divus Augustus fecit. Patris quoque eorum & Deli fuere opera, 35 in Lesbo & insula. Dipœni quidem Ambracia, [12] Argos, Cleonæ, operibus refertæ fuere.

INTERPRETATIO.

a *Satisdari.*] Promitti sibi per vadem coëgit is, qui cloacas reficiendas locarat, damnum sarciendum quod cloacis inferrent plaustra, dum ex columnæ veherentur in Palatium.

b *Tacuere.*] Et tacuere illi tamen, cum videre tantas moles trahi in privatas domos, præter oculos Deorum, quorum templis fictilia sunt fastigia.

NOTÆ.

7. *Satisdari.*] Satisdare dicimur adversario nostro, cum pro eo quod a nobis petit, ita cavemus, ut eum hoc nomine securum faciamus, datis fidejussoribus. Damnum infectum est damnum nondum factum, quod futurum veremur. Glossæ Damni infecti, *ἀμάρτη ζημίας μεμπτός.*

8. *Cum in Palatium.*] Ubi Scauri domus fuit, decima Urbis regione.

9. *Fictilia Deorum fastigia.*] Superiore libro, sect. 45 *Fictilem Jovem fuisse .... fictiles in fastigio templi ejus quadrigas.* Et sect. 43 ubi de plastice: *Hinc & fastigia templorum orta.*

Sect. III. 1. *Quodam vitii rudimento.*] Quasi tum primum irrepente in urbem eo vitio. Ita rectius visum est, quam quod prius legebatur, *quodam vita.* In Reg 2. & Colb. 3. *vits.*

2. *Jam L. Crassum.*] Vide lib 17. sect. 1.

3 *Proferenda judicamus.*] Sic MSS. Editi, *præferenda ducimus.*

Sect. IV. 1. *Dipœnus & Scyllis.*] Δίποινος καὶ Σκύλλις. Hos alii Dædali discipulos, filios alii fuisse volunt, inquit Pausanias, lib. 2. Corinth. pag. C X I. Σκύλλης καὶ Δίποινος, Κρῆτες, οἱ μὲν, ἀνδριαντοποιοὶ, inquit Clemens Alex. in Protrept. pag 31.

2. *Medis imperantibus.*] Astyage ultimo Medorum rege, cui Cyrus deinde, ejus ex filia nepos, ex patre Cambyse Persa, successit.

3 *Apollinis.*] Id simulacrum ab Scyllidis Dipœnique discipulis absolutum tradit Pausanias, libro cit. pag. 146.

4 *Dianæ, &c.*] De his operibus Clemens Alex. loc. cit. *Σκύλλις καὶ Δίποινος εἰργάσαντο. Τούτω δὲ τὸ ἐν Ἄργει τῶν Διοσκούρων ἀγάλματα κατεσκευάσατον, καὶ τὸ ἐν Τίρυνθι Ἡρακλέους ἀνδριάντα, καὶ τὸ τῆς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος ξόανον ἐν Σικυῶνι. Scylis & Dipœnus vocabantur: qui & imagines Castoris & Pollucis, quæ sunt Argis, & effigiem Herculis, quæ est Tirynthe, & Munychiæ Dianæ in Sicyone statuam fecerunt.*

5. *Bupalus & Anthermus*] Vide Notas & Emend. num. 1. Bupali meminit Pausanias in Messeniacis, pag. 274. & in Bœoticis, pag 596 Athenidis Suidas, verbo Ἱππῶναξ. Sic enim appellat pro Antherno. Horatius Epod. carm. VI. Hipponax, *acer hostis Bupalo.*

6. *Hipponactis.*] Ephesius fuit, Iamborum carminum scriptor. Vide Suidam Meminit ejus & Athenæus, lib. 12. pag. 562 At Proclus in Chrestomathia, ut Photius refert in Bibl. cod. C C X X X I X. pag. 984. Hipponactem ait Darii temporibus floruisse, hoc est, Olympiade L X V I I I. Ὁ δὲ Ἱππῶναξ κατὰ Δαρεῖον ἤκμαζεν.

7. *Quamobrem.*] Refert hoc quoque Suidas, loco cit.

8. *Amaritudinem carminum.*] Quæ illi pro telo fuit. Vide Notas & Emend num. I.

9. *Non vitibus tantum.*] Laudatissima enim ex Chio vina, ut diximus lib. 14. sect. 9.

10. *Ostendunt & Iasii.*] Urbs est Cariæ Iasus, de qua lib. 5. sect. 29.

11. *In Palatina.*] In æde quam Apollini dedicavit Augustus in Palatio, decima Urbis regione

12 *Argos.*] Ibi sane Castoris & Pollucis statua a Dipœno facta visebatur, ut ex Clemente Alex. paulo ante diximus.

Omnes autem tantum candido marmore usi sunt e Paro insula, quem lapidem cœpere [13] lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut auctor est Varro: multis postea candidioribus repertis, nuper etiam [14] in Lunensium lapicidinis. [15] Sed in Pariorum mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis dividentium soluta, [16] imaginem Sileni exstitisse.

3. Non omittendum, hanc artem tanto vetustiorem fuisse, quam picturam, aut statuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit, LXXXIII. Olympiade, post annos circiter [17] trecentos triginta duos. Et ipsum Phidiam tradunt scalpsisse marmora, [18] Veneremque ejus esse Romæ [19] in Octaviæ operibus eximiæ pulcritudinis. [20] Alcamenem Atheniensem (quod certum est) docuit in primis nobilem, cujus sunt opera Athenis complura in ædibus sacris, [21] præclaraque Venus extra muros, quæ appellatur Ἀphrodite [22] ἐν Κήποις. Huic summam manum ipse Phidias imposuisse dicitur. [23] Ejusdem discipulus fuit Agoracritus Parius, [24] ei ætate gratus. [25] Itaque e suis operibus pleraque nomini ejus donasse fertur. [26] Certavere autem inter se ambo discipuli Venere facienda. Vicitque Alcamenes [a] non opere, sed civitatis suffragiis, contra peregrinum [b] suo faventis. Quare Agoracritus ea lege signum suum vendidisse traditur, ne Athenis esset, & appellasse [27] Nemesin. [28] Id positum est Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus signis prætulit. [29] Est & in Matris Magnæ delubro in eadem civitate Agoracriti opus.

4. [30] Phidiam clarissimum esse per omnes gentes, quæ Jovis Olympii famam intelligunt, nemo dubitat: sed ut merito laudari sciant, etiam qui opera ejus non viderunt, proferemus argumenta parva & ingenii tantum. Neque ad hoc Jovis Olympii pulcritu-

INTERPRETATIO.

a *Non opere.*] Non operis præstantia.

b *Suo.*] Civi suo.

NOTÆ.

13. *Lychniten.*] Λυχνίτην, quasi lucernarium. Idcirco & λίθοι λυχνία appellat Callixenus Rhodius apud Athen. lib. 5. pag. 205.

14. *In Lunensium.*] In Italia. Gruteri Inscriptio, pag. 593 TABVLARIVS MARMORVM LVNENSIVM.

15. *Sed in Pariorum.*] Subintellige, lapicidinis. Simile est quod Cicero narrat, lib. 1 de Divin num. 23. ex Carneade, *in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstitisse Panisci.*

16. *Imaginem Sileni.*] Quem Bacchi nutritium fuisse, vel pædagogum ferunt.

17. *Trecentos triginta duos.*] Ab institutis Olympiadibus. Nam, uti Plinius hac sect. dixit, num. 2. *Si quis Bupali & Athenidis familiam ad proavum usque retro agat, inveniet artis ejus originem cum Olympiadum origine cœpisse.* Et sane Olympiades octoginta tres completæ annos plane totidem efficiunt, hoc est, CCCXXXII. Hunc locum præpostere accepit Marsilius Cagnatus, lib. 4. Var. Observ. cap 8. pag. 267. perinde quasi Plinius voluisset Olympiadem LXXXIV. in annum Urbis incidere trecentesimum XXXII.

18. *Veneremque.*] Ex Pario lapide. Pausanias lib. 1. Attic. pag 27.

19 *In Octaviæ operibus.*] Hoc est, in Octaviæ porticibus & scholis, ut diximus lib 35 sect. 37 & 40.

20. *Alcamenem.*] Ἀλκαμένης, de quo multa idem Pausanias in Eliac prior. pag 305. in Bœot pag. 559. & alibi passim. Diximus de eo jam antea, lib 34. sect. 19.

21. *Præclaraque Venus.*] Pausanias in Atticis, pag 33. Τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀφροδίτης τῆς ἐν τοῖς Κήποις, ἔργον ἐστὶν Ἀλκαμένους, καὶ τῶν Ἀθήνῃσιν ἐν ὀλίγοις θέας ἄξιον. *Quod in Hortis Veneris signum cernitur, Alcamenis opus fuit, & inter ea quæ Athenis cum admiratione spectantur, suum obtinet locum.* Meminit & Lucianus, in Imaginibus.

22. *Ἐν Κήποις.*] In hortis Regiuncula hæc Athenis fuit, proxime templum Apollinis, ubi & ædes Veneris Οὐρανίας sive Cælestis. Est autem appellata Græce Ἀφροδίτη Venus, ut quidem arbitramur, non διὰ τὸ ἐκ τοῦ ἀφροῦ γένεσθαι, eo quod e maris spuma sit enata: neque enim id etymologiæ leges ferunt: sed ex ἁβρὸν & ῥοδέινη mutata in ἁβρὸν tenui in aspiratam, ob sequentem litteram ρ: ita ut sit Ἀφροδίτη, pro ἀβροδίνη, *rosis coloris similis*, ob venustatem: unde & *auream* χρυσέη Ἀφροδίτην vocat Hesiodus in Ἔργοις, versu 65.

23. *Ejusdem discipulus.*] Phidiæ scilicet. Pausanias in Bœot. pag. 593. Τέχνη Ἀγορακρίτου, μαθητοῦ δὲ καὶ ἐρωμένου Φειδίου.

24. *Ei ætate gratus*] Hoc est, propter ætatem. Vide Notas & Emend num. II.

25. *Itaque e suis*] Tzetzes, Chil. 7. hist. 154 Suidas item & Hesychius, verbo Ῥαμνουσία Νέμεσις.

26. *Certavere .... ambo.*] Alcamenes Atheniensis, & Agoracritus Parius.

27. *Nemesin.*] Appellari signum illud artifex Agoracritus voluit pro Venere Nemesin, subscripto eo nomine, hoc est, Ultricem deam. Id vero de industria fecit, ut si quis illud loco movere, aut transferre vellet Athenas, vindictam a Dea metueret. Nemesis alterius, hoc est, Deæ officiorum monitricis, effigies quæ fuerit, disces ex gemino Epigrammate, quod in Anthologia exstat, lib. 4. cap. 12. de statua Nemeseos, εἰς στήλην Νεμέσεως.

> Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ τε πήχει τῷ τε χαλινῷ,
> Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Grotio interprete:

> *Hæc Nemesis frenum gestans normamque monebit*
> *Nil effrene loqui, nil facere absque modo.*

Ejusdem argumenti alterum:

> Ἡ Νέμεσις πῆχυν κατέχω. τίνος οὕνεκα; λέξεις.
> Πᾶσι παραγγέλλω, μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον.
> *Normam gesto manu Nemesis: cur, quæris, opinor:*
> *Absque modo cunctis suadeo ne quid agant.*

Fuit & alia Atheniensium Nemesis, in quam Theæteti Scholastici epigramma ibidem legitur: Θεαιτήτου Σχολαστικοῦ εἰς τὴν Ἀθηναίων Νέμεσιν.

> Χιονέην με λίθον πολυναυλόχον ἐκ ἀρετάων
> Ἀνστήσαι τρίψας πετροτόμοις ἀκίσι
> Μῆδος ἐπεντηνόρεσεν, ὅπως ἀνδριάντα τεύξῃ
> Τῆς κατ' Ἀθηναίων σύμβολα ναυμαχίης
> Περὶ δ' ἀνεζομένοις Μαραθὼν ἀντήχησε Πέρσαις,
> Καὶ νέες ὀχλοπόρων χεύμασιν ᾑμαλέοις,
> Ἔξεσαν Ἀδρήστειαν ἀρειφάτοι Ἀθῆναι,
> Δαίμον' ὑπερφιάλοις ἀντίπαλον μερόπων.
> Ἀντιπαλαιστὴς τοῖς ἐλπίσιν· εἰμὶ δὲ καὶ νῦν
> Νίκη Ἐριχθείδαις, Ἀσσυρίοις Νέμεσις.
> *Me novam viva lapidem de rupe cecidit,*
> *Marmoream rumpens cuspide duritiem,*
> *Persa daret cum vela Notis, ut fingeret ex me*
> *De Cecropis victrix gente trophæa manus.*
> *Cladibus at Marathon postquam resonavit Eois,*
> *Perque cruore rubens æquor iere rates.*
> *Fecit Adrasteam de me gens fortis Athenæ,*
> *Ulcisci solitam facta superba Deam.*
> *Spes ego libratas teneo. Victoria nam sum*
> *Cecropidis: Nemesis nec minus Assyriis.*

28. *Id positum est Rhamnunte.*] De Rhamnunte diximus, lib. 4. sect. 11 Mela, lib. 3. pag. 33. *Rhamnus parva, illustris tamen, quod in ea est Phidiaca Nemesis.* Hesychius, pag. 811. Ῥαμνουσία Νέμεσις. Ἐν Ῥαμνοῦντι Νεμέσεως ἵδρυτο ἄγαλμα δεκάπηχυ, ὁλόλιθον, ἔργον Φειδίου, ἔχει δὲ ἐν τῇ χειρὶ μηλέας κλάδον. *Simulacrum denum cubitorum, e solido lapide, ramum manu gestans arboris mali.* Ex eo ramo tabellam pependisse, Zenobius auctor est Cent. 5. Prov 82. πτύχιόν τι μικρόν. in qua scriptum, ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΣ. ΠΑΡΙΟΣ. ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

29. *Est & in Matris Magnæ.*] Hoc est, Naturæ magnorum animorum genitricis.

30. *Phidiam.*] De eo diximus lib. 34. sect. 19 sub initium. De Jove Olympio Valerius Maximus eleganter, lib. 3. cap. 7. pag. 181.

dine utemur, non Minervæ Athenis factæ amplitudine, cum sit ea cubitorum viginti sex; ebore hæc & auro constat: sed scuto ejus, [31] in quo Amazonum prælium cælavit intumescente ambitu parmæ: ejusdem concava parte [32] Deorum & gigantum dimicationem: in soleis vero [33] Lapitharum & Centaurorum: [a] [34] adeo momenta omnia capa-
5 cia artis illi fuere. [35] In base autem quod cælatum est, Pandoras genesin appellavit: [36] Ibi Dii sunt xx. numero nascentes, [37] Victoria præcipue mirabili. Periti mirantur [38] & serpentem, [39] ac sub ipsa cuspide æream sphingem. Hæc sunt obiter dicta de artifice numquam satis laudato: simul ut noscatur illam magnificentiam æqualem fuisse & in parvis.
10 5. [40] Praxitelis ætatem inter statuarios diximus, qui marmoris gloria superavit etiam semet. Opera ejus sunt Athenis in Ceramico: sed ante omnia, & non solum Praxitelis, verum & in toto orbe terrarum, [41] Venus, quam ut viderent multi, navigaverunt Gnidum. Duas fecerat, simulque vendebat, alteram velata specie, quam ob id quidem prætulerunt, [42] quorum conditio erat, Coï, cum alteram etiam eodem pretio detulisset,
15 severum id ac pudicum arbitrantes: rejectam Gnidii emerunt, immensa differentia famæ. Voluit eam postea a Gnidiis mercari rex [43] Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens. Omnia perpeti maluere, nec immerito: illo enim signo Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conspici possit undique effigies Deæ, favente ipsa, ut creditur, facto. Nec minor ex quacum-
20 que parte admiratio est. [44] Ferunt amore captum quemdam, cum delituisset noctu simulacro cohæsisse, ejusque cupiditatis esse indicem maculam. Sunt in Gnido & alia signa marmorea illustrium artificum: Liber Pater [45] Bryaxidis: & alter Scopæ, & Minerva: [b] nec majus aliud Veneris Praxiteliæ specimen, quam quod inter hæc sola memoratur. Ejusdem est & Cupido objectus [46] a Cicerone Verri, ille propter quem Thespiæ visehan-
25 tur, nunc [47] in Octaviæ scholis positus. [48] Ejusdem & alter nudus in Pario colonia Propontidis, par Veneri Gnidiæ nobilitate, & injuria. Adamavit enim eum Alchidas Rhodius, atque in eo quoque simile amoris vestigium reliquit. Romæ Praxitelis opera sunt, [49] Flora, [50] Triptolemus, [51] Ceres [52] in hortis Servilii: [53] Boni Eventus, [54] & Bonæ For-

INTERPRETATIO.

a *Adeo.*] Adeo partes quæque minime in ea statua capaces ei visæ sunt alicujus artis & figuræ recipiendæ.

b *Nec majus.*] Nec major commendatio esse potest Veneris illius Praxiteliæ, quam quod sola inter tot signa, *quæ Gnidos habet*, memoratur.

NOTÆ.

31. *In quo Amazonum.*] Tradit hoc ipsum Pausanias, lib. 1. sive in Attic. pag. 09. & 43. Amazones aliquando assumptis Scytharum auxiliis in Atticam incursarunt, ut auctor est Justinus, lib. 2. victas tum esse a Theseo Pausanias idem ait in Atticis.

32. *Deorum & gigantum dimicationem.*] Quam describit Ovidius, lib 1 Metam vers. 151.

33. *Lapitharum.*] De hoc certamine ob raptum matronarum inito, vide Hyginum, fab 33. & Ovidium lib. 12. Metam. vers. 240.

34. *Adeo momenta omnia capacia artis.*] In libris hactenus editis, *compacta artis.* In Reg. 2. *catacta.* Nos cum Gronovio *capacia* scripsimus In Colb. 3. hoc tantum: *adeo momenta omnia artis illi fuere.*

35. *In base autem.*] Pausanias, loco cit. pag. 43. & 44. Ἔστι δὲ τῷ βάθρῳ τοῦ ἀγάλματος ἐπειργασμένη Πανδώρας γένεσις. De Pandora Hesiodum vide, ceterosque mythologos. Mulierem fuisse fabulantur, Vulcani opus e luto, cui Dii singuli sua dona dederint: Pallas sapientiam, Venus decorem, Apollo musicam. Unde Pandora dicitur, quasi omnium donum, vel ab omnibus donata, vel omnis generis rebus pollens.

36. *Ibi.*] In eadem base.

37. *Victoria.*] Fuit hæc altitudine cubitorum fere quaternûm; Καὶ Νίκην τε ὅσον τεσσάρων πηχῶν, ex ebore. Pausan. lib. 1. Attic. pag. 43.

38. *Et serpentem.*] Pausan. loc. cit. Καὶ οἱ πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἐστίν· εἴη δ' ἂν Ἐριχθόνιος οὗτος ὁ δράκων. *Jacet ad pedes scutum: ad imam hastam draco, quem Erichthonium esse existimare possis.*

39. *Ac sub ipsa cuspide*] Alteram præterea Sphingis effigiem in casside cælatam fuisse auctor est Pausanias loc. cit. Μέσῳ μὲν οὖν ἐπίκειταί οἱ τῷ κράνει Σφιγγὸς εἰκών.

40. *Praxitelis ætatem .... diximus.*] Libro 34. sect. 19.

41. *Venus*] In illud simulacrum exstant Epigrammata perelegantia in Anthol. lib. 4. cap. 12. quorum illud primum Antipatri:

Τίς λίθον ἐψύχωσε; τίς ἐν χθονὶ Κύπριν ἐσεῖδε;
Ἵμερον ἐν πέτρῃ τίς τόσον εἰργάσατο;
Πραξιτέλους χειρῶν ὅδε που πόνος· ἢ τάχ' Ὄλυμπος
Χήρευσε, Παφίης ἐς Κνίδον ἐρχομένης.
Quis lapidi spirare dedit? quis Cyprida vidit
In terris? quantum marmor amoris habet?
Praxitelis manus est: Venere, ut puto, regia cæli
Jam caret: ad Cnidios venit ut ipsa Venus.

Et sextum ab isto, Eveni:

Παλλὰς καὶ Κρονίδαο συνευνέτις εἶπον ἰδοῦσαι
Τὴν Κνιδίην, ἀδίκως τὸν Φρύγα μεμφόμεθα.
Ut Cnidiam videre Jovis soror atque Minerva,
Dixerunt: querimur non bene de Paride.

42. *Quorum conditio.*] Hoc est, optio. Cicero, pro Cluent. num. 14. *Sed cum esset hæc illi proposita conditio, ut aut juste pieque accusaret, aut acerbe indigneque moreretur*, &c.

43. *Nicomedes.*] Bithyniæ rex, Mithridaticis temporibus.

44. *Ferunt amore.*] Vide Valerium Max. lib 8. cap. 11. pag. 400. Ex Posidippo historico refert hoc ipsum Clemens Alex. in Protrept. p. 38. Ἀφροδίτη ἡ μὲν ἐν Κνίδῳ λίθος ἦν, καὶ καλή· ἕτερος ἠράσθη ταύτης καὶ μίγνυται τῷ λίθῳ· Ποσείδιππος ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Κνίδου.

45. *Bryaxidis.*] Βρύαξις statuarius a Pausania laudatur, lib. 1. Attic p. 73. & alibi passim Σκόπας ab eodem in Atticis, &c.

46. *A Cicerone.*] Nunc est in Orat. 6. in Verrem, de signis, num 4. *Idem, opinor, artifex*, Praxiteles, *ejusdemmodi Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiæ visuntur: nam alia visendi causa nulla est. Itaque ille L. Mummius, cum Thespiis ea quæ ad ædem Felicitatis sunt, ceteraque profana ex illo oppido signa tolleret, hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit.* Deportatum nihilominus postea Romam non Plinius modo, sed & Pausanias in Bœot. sive lib. 9. pag. 581 edocet: Ait a Caio Cæsare primo sublatum, Thespiensibus deinde a Claudio redditum, demum a Nerone Romam advectum, igni postea conflagrasse. Erat is e marmore Pentelico.

47. *In Octaviæ scholis.*] De his egimus lib 35. sect. 37.

48. *Ejusdem & alter.*] Pausanias loc cit. etsi id obscure.

49. *Flora.*] Ita etiam MSS. Eadem Chloris appellata. Ovidius:

Chloris eram, quæ Flora vocor.

50. *Triptolemus.*] Cereris alumnus, ab ipsa frugum sationem edoctus.

51. *Ceres.*] Praxiteliæ Cereris Pausanias meminit, lib 1. in Attic pag. 4.

52. *In hortis Servilii.*] Ab eo Servilio nomen hi horti habent, opinor, qui Tribunus plebis fuit, Cicerone Consule.

53. *Boni Eventus.*] Diximus de hujus simulacri forma, lib. 34. sect. 19 num. 16

54. *Et Bonæ Fortunæ.*] Fortunæ simulacrum a Praxitele ela-

tunæ simulacra in Capitolio: item & [55] Mænades, & quas [56] Thyadas vocant, & [57] Caryatidas: [58] & Sileni, in Pollionis [59] Asinii monumentis, & Apollo, & Neptunus.

6. Praxitelis filius Cephisodorus & artis heres fuit. Cujus laudatum est Pergami [60] symplegma, signum nobile, digitis [61] corpori verius, quam marmori, impressis. Romæ ejus opera sunt: Latona in Palatii delubro: Venus in Pollionis Asinii monumentis: & intra 5 Octaviæ porticus in Junonis æde Æsculapius, ac Diana.

7. Scopæ laus cum his certat. [62] Is fecit Venerem, & Pothon, [63] & Phaëthontem, qui Samothrace sanctissimis cærimoniis coluntur. Item [64] Apollinem Palatinum, [65] Vestam sedentem laudatam in Servilianis hortis, duasque [66] chametæras circa eam, quarum pares in Asinii monumentis sunt, ubi & [67] Canephoros ejusdem. Sed in maxima 10 dignatione [68] Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles, Nereides supra delphinos & cete [69] & hippocampos sedentes. [70] Item Tritones, chorusque Phorci, & pristes, ac multa alia marina, omnia ejusdem manus, præclarum opus, etiam si totius vitæ fuisset. Nunc vero præter supra dicta, [71] quæque nescimus, Mars est etiamnum sedens colosseus [72] ejusdem, in templo Bruti Callaïci [73] apud 15 Circum eumdem. Præterea Venus in eodem loco nuda Praxiteliam illam antecedens, & quemcumque alium locum nobilitatura.

8. Romæ quidem magnitudo operum eam obliterat, ac magni officiorum negotiorumque acervi omnes a contemplatione talium abducunt: quoniam otiosorum & in magno loci silentio apta admiratio talis est. Qua de causa ignoratur artifex ejus quoque Veneris, 20 quam Vespasianus Imperator [74] in operibus Pacis suæ dicavit, antiquorum dignam fa-

NOTÆ.

boratum Pausanias laudat in Attic. lib. 1. pag. 81.

55. *Mænades.*] Μαινάδες mulieres ex dicebantur, quæ Bacchi sacra capillis sparsis cursitantes hinc inde, celebrabant: παρὰ τὸ μαίνεσθαι, quod insanire significat.

56 *Thyadas.*] Θυιάς Bacchi pariter sacrificula. Horat. lib. 3. Ode 15.

Pulso Thyas uti concita tympano.

57. *Caryatidas.*] Τὰς ἐν Καρύαις παρθένους appellat Pausanias in Messen. lib 4. pag. 247 Idem porro in Lacon. lib 3. pag 178. Caryas ait vicum esse haud procul Lacedæmone, Dianæ sacrum, ubi ejus Deæ Caryatidis appellatæ signum, ἡ Καρυᾶτις: quo in loco Lacedæmoniorum virgines, id pariter numen sortitæ, anniversarium festum obirent, patrioque ritu saltarent

58. *Et Sileni.*] Bacchi comites, ut diximus lib. 35. sect. 36. num 22. De hoc Praxitelis opere exstat Æmiliani Epigramma pervenustum in Anthol. lib. 4. cap 6.

> Τέχνας εἰ ποτε καὶ ὁ λίθος ἅδε βρυάζει,
> Πραξιτέλες· λᾶαν, καὶ ποσὶ καμμύσεται.
> Νῦν δ' ὑμᾶς ὁ γέρων ἐν' ἀθρώποις· ἀλλ' ὁ πεδήτης
> Σειληνοῖς κώμοις, θάμνακός ἐστι λίθος.
> *Praxiteles, lapis ipse tua lascivit ab arte:*
> *Et mox saltabo: tu modo solve basi.*
> *Nunc nos Silenos numerorum lege moveri*
> *Non senium, saxi sed vetat invidia.*

59. *Asinii.*] Hujus monumenta qua Urbis regione sita fuerint, inexploratum. De ipso Pollione diximus in Auctorum Indice. De Silenis proxime antea.

60. *Symplegma.*] Σύμπλεγμα, complexus duorum puellorum, vel se se mutuo osculantium, vel colluctantium, ut infra num. 10.

61. *Corpori verius.*] Carnem credas, non marmor, intueri.

62. *Is fecit Venerem, &c.*] Pausanias in Attic. hoc est, lib. 1. pag. 81. Σκόπας δὲ, Ἔρωτα, καὶ Ἵμερον, καὶ Πόθον. *Scopas Cupidinem, Appetitum, & Pothon, seu Desiderium.*

63. *Et Phaethontem.*] Revocat in memoriam effigies ea picturam ejusdem Phaethontis insciте factam, in quam Lucilius vates facete lusit, in Anthologia, lib 2. tit 19

> Γράψας Δευκαλίωνα, Μενέστρατε, καὶ Φαέθοντα,
> Ζητεῖς τίς τούτων ἄξιός ἐστι τίνος;
> Τοῖς ἰδίοις αὐτοὺς τιμήσομεν· ἄξιος οὗτος
> Ἐστὶ πυρὸς Φαέθων, Δευκαλίων δ' ὕδατος.
> *Pictus Deucalion, Phaethonque, Menestrate, pictus*
> *Est tibi: quo dignus, quaeris, uterque labor?*
> *Ut quod cuique suum est, illis tribuatur: habento*
> *Et flammas Phaethon, & mare Deucalion.*

64. *Apollinem Palatinum.*] Diversus hic est a Capitolino, de quo Plinius lib. 13. sect. 27. & lib 34. sect. 18. ex iis unicum Dalecampius conflat ex duobus.

65. *Vestam sedentem.*] Sic fere & in nummis antiquis pingitur: altera manu facem, discum altera seu libatoriam pateram præfert Fax ad ignem pertinet: discus, ad sacrificia solemni ritu perpetuoque oblata

66. *Chametæras.*] Χαμαιταίρας Hesychio πόρνη dicitur, scortum. At ἑταίρα sociam & amicam, magis severo ac pudico nomine etiam sonat. Quare χαμαιταίρας, socias humi sedentes interpretor.

67. *Canephoros.*] Ita Reg. 2 recte, non *Canephorus.* Duas e virginibus illis intelligit, quas Athenienses *Cistiferas* vocabant, κανηφόρους, quæ Minervæ dona capite ferrent, cistis seu sportulis inclusa. Pausan lib. 1. Attic. pag 49. Vide Hesychium, verbo Κανηφόροι. Fecit & Canephoros Polycletus, Tullio teste, sub initium libri 4. in Verrem, sed ex ære: *Erant*, inquit, *ænea præterea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis, sacra quædam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur: sed earum artificem quem? quemnam? recte admones: Polycletum esse dicebant.*

68. *Cn. Domitii delubro.*] P. Victor, in descript. Romæ, regione nona, in qua Circus Flaminius, prope Theatrum Marcelli, *Delubrum Cn. Domitii.* Ædes hæc fuit Neptuno sacra, unde mox Plinius subjicit, *Neptunus ipse*, cujus nempe hoc delubrum fuit, conditum a Cn. Domitio, ex Ahenobarborum familia. Livius, lib. 28. pag. 323. *Ara Neptuni multo sudore manasse in Circo Flaminio dicebatur*, &c.

69 *Et hippocampos.*] *Des chevaux marins.* Monstra immania ex genere cetaceo: nam κήτεα Græci cete vocabant. Hippopotamis quoque vehi Neptunum Statius prodidit in Thebaide: sed diversi hi ab hippocampis. Nonius. *Hippocampi equi marini, a flexo caudarum, quæ piscosa sunt*, &c. Idemque ex Ægistho Nævii, inducit:

> *Sirenes citis*
> *Delphino junctis vehiculis, hippocampisque asperis.*

70 *Item Tritones, &c.*] Sic Maro, lib. 5. Æneid. vers. 824.

> *Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis*

Phorcus, Neptuni F. marinum numen a poetis fingitur.

71. *Quæque nescimus.*] Ut Bacchantem, seu Mænadem laudatam in Anthol. lib. 4. cap. 3. Epigr. 4. Græca quæ sunt obvia, prætermittimus: Latine Grotio interprete reddimus:

> *Quis adstat ista? Baccha. Quis sculpsit? Scopas.*
> *Quis ebriavit? Bacchus, an Scopas? Scopas.*

Et paulo ante:

> *Baccha quod insanit, non hoc natura, sed ars est:*
> *Vitus enim lapidi mixtus ab arte furor.*

72. *Ejusdem.*] Hoc est, Scopæ. Martis scilicet in æde, a Decimo Junio Bruto Gallaico exstructa ac dedicata. P. Victor, loco cit. prope delubrum Cn. Domitii, *Templum Bruti Callaici.* De Bruto diximus lib. 4. sect 35. Callaici cognomen tulit a Gallæcis devictis Hispaniæ populis. Vide Livii Epitomen, lib 56.

73. *Apud Circum eumdem.*] In libris ad hunc diem editis, subnectuntur his vocibus hæ quæ sequuntur, *ad Labicanam portam euntis*, quas nec codices nostri MSS nec Pincianі agnoscunt: nec viarum Urbis ratio patitur, Lavicana porta a Circo Flaminio ingentis intervallo sejuncta, ut animadvertit Alexander Donatus noster, lib. 3. de Urbe Roma, cap. 14. pag. 261.

74. *In operibus Pacis suæ.*] Pacis Templum intelligit conditum a Vespasiano, ut alibi diximus: multis simul ædificiis additis, ut in Octaviæ operibus dictum est, lib. 35. sect 37 Scholis videlicet, & Bibliotheca. Bibliothecæ certe Templi Pacis meminit Gellius, lib. 16. cap. 8.

ma. Par hæsitatio est in templo [75] Apollinis Sosiani, [76] Nioben cum liberis morientem, Scopas [77] an Praxiteles fecerit: item Janus Pater [78] in suo templo dicatus ab Augusto, ex Ægypto advectus, [79] utrius manus sit, jam quidem [80] & auro occultatus. Similiter [81] in Curia Octaviæ quæritur de Cupidine fulmen tenente. Id demum affirmatur, [a] Alci-
5 biadem esse principem forma in ea ætate.

Multa in eadem schola [b] sine auctoribus placent. Satyri quatuor: ex quibus unus Liberum Patrem [82] palla velatum Veneris præfert, [83] alter Liberam similiter: tertius ploratum infantis cohibet: quartus cratere alterius sitim sedat: duæque Auræ velificantes sua veste. Nec minor quæstio est [84] in Septis, [85] Olympum & Pana, [86] Chironemque cum
10 Achille, qui fecerint: præsertim [c] cum capitali satisdatione fama judicet dignos.

9. Scopas habuit æmulos eadem ætate, [87] Bryaxin, & Timotheum, & Leocharem, de quibus simul dicendum est, quoniam [88] pariter cælavere, Mausolo Cariæ regulo, qui obiit Olympiadis [89] centesimæ sextæ anno secundo. Opus id ut esset [90] inter septem miracula, ii maxime artifices fecere: Patet ab austro & septemtrione sexagenos ternos pe-
15 des, brevius [91] a frontibus, [92] toto circuitu pedes quadringentos undecim: attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: [93] cingitur columnis triginta sex. [94] Pteron vocavere.

INTERPRETATIO.

a *Alcibiadem.*] Alcibiadem sub ejus Dei effigie repræsentatum, forma eximia.

b *Sine auctoribus.*] Quanquam auctorum nomina incomperta.

c *Cum capitali*] Cum fama publica judicet dignos qui asserventur, cum obstrictione capitis eorum, *quibus hæc tutela committitur.*

NOTÆ.

75. *Apollinis Sosiani.*] Hujus appellationis origo nobis satis, ut reor, explorata: at templi ipsius situs obscurus. Facta jam illius antea mentio, lib. 13. sect. 11. *Cedrus est Romæ in delubro Apollinis Sosianus, Seleucia advectus*, a C. Sosio scilicet, M. Lepidi Quæstore, qui sub Gabinio in Syria & Ægypto militavit, ac post cædem Cæsaris adhæsit Antonio: quo devicto, quanquam ægre, veniam impetravit ab Augusto. Hujus nummus exstat in Cimelio Regio, expressus a Seguino, pag. 83. SOSIVS. IMP.

76. *Nioben cum liberis.*] Niobe liberos septem procrearat, totidemque filias: ideirco se numero filiorum Latonam superare gloriabatur. Ob id Apollo filios ejus in silva venantes sagittis interfecit in monte Sipylo. Diana filias sagittis interemit, præter Chloridem. Genitrix liberis orba, flendo lapidea facta esse dicitur. Auctor Hyginus, fab. 9. Ovidius, lib. 6. Metam. vers. 301. Inde lepidum in Nioben epigramma, lib. 3. Anthol. cap. 7.

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν.
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον.
Ἀλλ' αὐτὸς αὑτῷ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.
Vides sepulcrum quod caret cadavere:
Simul cadaver insepultum conspicis:
Sed quod sepulcrum est, quod cadaver, est idem.

Versa nempe in lapidem Niobe ipsa est sibi sepulcri vice. At morientem cum liberis hic lapis exhibuit, adeoque & dolentem liberorum vicem, quo habitu in Epigrammate amatorio describitur Macedonii Consulis, lib. VII. Anthol.

Τὴν Νιόβην κλαίουσαν ἰδών ποτε βουκόλος ἀνὴρ
Θάμβεεν, εἰ λείβειν δάκρυον οἶδε λίθος.
Αὐτὰρ ἐμὲ στενάχοντα τόσης κατὰ νυκτὸς ὁμίχλην
Ἔμπνοος Εὐίππης οὐκ ἐλέαιρε λίθος.
Αἴτιος ἀμφοτέροισιν ἔρως, ὀχετηγὸς ἀνίης,
Τῇ Νιόβῃ τεκέων, αὐτὰρ ἐμοὶ παθέων.
Ad Nioben pastor plorantem substitit olim,
Miratus posset si lacrymare lapis.
At nihil Euhippe tota me nocte gemente
Flectitur: Euhippe quid nisi viva silex?
Causa amor est utrique: fluunt hoc fonte dolores,
Quos Niobe proles fecit, amica mihi.

77. *An Praxiteles.*] Praxiteli tanto post Plinium temporis intervallo intrepide adscribit Ausonius in Epitaphiis, num. 28. pag. 61.

Vivebam, sum facta silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu:
Hunc ego cum læsi numina, non habui.

Item auctor incertus Epigrammatis in statuam Niobes, in Anthol. lib. 4. cap. 9.

Ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.
Ex viva lapidem me Dii fecere: sed ecce
Praxitelis vivam me facit ex lapide.

Sunt ibi pervenusta alia de eodem argumento epigrammata, quæ consule.

78. *In suo templo.*] Templum Jani, teste P. Victore, in regione Urbis octava fuit, in qua & forum Romanum.

79. *Utrius manus sit.*] Praxitelis, an Scopæ.

80. *Et auro occultatus.*] Celat aurum, quo marmor integitur, indicia vestigiaque, quibus internosci commode possit auctor.

81. *In Curia Octaviæ.*] Porticus Octaviæ, de qua lib. 35. sect. 37. ædificia multa complectebatur, Scholam, Curiam, Bibliothecam, templa Junonis, & Apollinis.

82. *Palla velatum Veneris.*] Sic Reg. 2. aliique, & quos Barbarus vidit. Item Parmensis editio, aliæque, ante Gelenium, qui maluit, *palla velatum humeris*. Palla vestimentum honestarum mulierum, inquit Nonius. An satius *Veneri* legi?

83. *Alter Liberam similiter.*] Sic libri omnes tum MSS. tum editi, ante Hermolaum, qui *Liberum similiter*, vel *Liberum Semeles* jussit reponi. Liberum Liberamque simul appellant passim auctores antiqui: Livius, lib. 33. pag. 398. *Cereri, Liberoque & Liberæ tria signa ænea posuerunt.* Cicero, lib. 2. de Nat. Deor. num. 62. *Hunc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, non eum quem nostri majores auguste sancteque Liberum cum Cerere & Libera consecraverunt.... Idcirco Cerere nati nominati sunt Liber & Libera.* Apud Livium, lib. 3. pag. 60. *Ædes Cereris, Liberi Liberæque.*

84. *In Septis.*] In Campo Martio fuere Septa: locus nimirum, quo populus conveniebat ad ferenda suffragia in Comitiis, qui primo ligneis cancellis, mox & marmoreis septus est. Quare propter similitudinem caularum, & Ovile dictum.

85. *Olympum & Pana.*] Olympum Apollinis discipulum, tibiis victorem, ut refert Hyginus, cap. 273. Pana, qui fistulæ cantum primus invenit, ut idem ait cap. 274. *qui primus calamos cera conjungere plures instituit*, ut cecinit Virgilius, Eclog. 2.

86. *Chironemque.*] Chironem scilicet præbentem Achilli hastam illam suam medendi vi præditam, qua Telephum sanasse dicitur, cui vulnus intulerat. Hyginus, fab. 101.

87. *Bryaxin, &c.*] Βρύαξιν Pausanias laudat in Atticis, lib. 1. pag. 75. Τιμόθεον, in Corinth. lib. 2. pag. 146. Λεωχάρη denique in Eliac. prior. lib. 5. pag. 317.

88. *Pariter cælavere, Mausolo, &c.*] Inseruere his ista interpolatores, *cælavere Mausoleum. Sepulcrum hoc est ab uxore Artemisia factum, Mausolo, &c.* quæ MSS. nulli agnoscunt: cum satis intelligatur ex subsequente oratione, *regina Artemisia, quæ mariti memoriæ id opus exstrui jusserat.*

89. *Centesima sextæ.*] Sic Reg. 2. & alii. Typi *centesimæ* tantum, mendose. Vide quæ dicemus inferius, sect. VI.

90. *Inter septem miracula.*] Hæc vulgo censentur: 1. Muri Babylonici. 2. Dianæ Ephesiæ templum. 3. Jovis Olympii simulacrum. 4. Pyramides Ægyptiæ. 5. Mausoleum. 6. Colossus Rhodius. 7. Cyri regia.

91. *A frontibus.*] Ab oriente Sole, & ab occidente.

92. *Toto circuitu.*] Opus ipsum circuibat cingebatque vel fossa, vel murus exterior, aliquantum ab ipso opere dissitus: quare totus Mausolei ambitus pedum fuit CCCCXI.

93. *Cingitur columnis.*] Quarum altitudo cum minime sit expressa, existimare licet fuisse tantam, quantæ Ephesii templi columnæ fuere, ipso Plinio teste, sect. XXI. libri hujus, hoc est, LX. pedum, aut fortassis etiam plurium.

94. *Pteron vocavere.*] Has voces typi hactenus vulgati prætermisere; quas & in vetustis codicibus Turnebus ante

[91] Ab oriente cælavit Scopas, a septentrione Bryaxis, a meridie Timotheus, ab occasu Leochares. Priusque quam peragerent, regina Artemisia, quæ mariti memoriæ id opus exstrui jusserat, obiit. Non tamen recesserunt, nisi absoluto jam, id gloriæ ipsorum artisque monumentum judicantes: [96] hodieque certant manus. Accessit & quintus artifex. Namque supra pteron, pyramis altitudine inferiorem æquavit, [97] vigintiquatuor gradibus in metæ cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit [98] Pythis. [99] Hæc adjecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit.

10. Timothei manu Diana Romæ est in Palatio, Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulanius Evander. In magna admiratione est & Hercules [100] Menestrati: & [101] Hecate Ephesi in templo Dianæ post ædem, in cujus contemplatione admonent æditui parcere oculis, tanta marmoris radiatio est. Non postferuntur & [a] Charites in [b] propylæo Atheniensium, quas Socrates fecit, [102] alius ille quam pictor: idem, ut aliqui putant. [103] Nam Myronis illius, qui in ære laudatur, anus ebria est Smyrnæ in primis inclyta. Pollio Asinius, ut fuit acris vehementiæ, sic quoque spectari monumenta sua voluit. In iis sunt Centauri Nymphas gerentes [104] Archesitæ, [105] Thespiades Cleomenis, Oceanus & Juppiter Entochi, [106] Hippiades Stephani, [107] Hermerotes Taurisci, non [108] cælatoris illius, sed Tralliani. [109] Juppiter Hospitalis Pamphili Praxitelis discipuli. [110] Zethus & Amphion ac Dirce & taurus, vinculumque, [111] ex eodem lapide, Rhodo

INTERPRETATIO.

a *Charites.*] Gratiæ.

b *Propylæo.*] Arcis vestibulo.

NOTÆ.

nos vidit. Πτερὰ in re ædificatoria, muri duo sunt in altitudinem consurgentes, alarum instar. Vide Strabonem, lib. 17. pag. 805. Itaque pteri, seu alarum vice, columnæ ex fuere, quibus imposita deinde pyramis altera, ut mox dicetur, inferiori operi altitudine par.

95. *Ab oriente.*] Vitruvius in præfatione libri septimi, pag. 125. *Namque singulis frontibus* (Mausolei) *singuli artifices sumserunt certatim partes ad ornandum: Leochares, Bryaxes, Scopas, Praxiteles, nonnulli etiam putant Timotheum: quorum artis eminens excellentia coegit ad septem miraculorum ejus operis pervenire famam.* Libro vero 2. cap. 8. cave credas ab eo scriptore Mausoleum describi: quod viros eruditos in fraudem impulit.

96. *Hodieque.*] Hodieque contentio est, quæ cujus artificis manus in eo opere primas obtineat.

97. *Viginti quatuor gradibus.*] Errant Dalecampius & Allatius, qui hos XXIV gradus ad basin pyramidis fuisse autumant: nulli enim gradus ad pyramidis basin fuere: ipsa pyramis gradibus XXIV. constabat, quibus ipsa ascendebatur, ut satis perspicue ex Plinii verbis liquet.

98. *Pythis.*] Πύθις sculptor.

99. *Hæc adjecta CXL. pedum.*] Columnis primum, quibus opus inferius cingebatur includebaturque, altitudo fuit, uti conjecimus, pedum ut minimum LX. Operi deinde his imposito, seu pyramidi superiori, altitudo inferiori par, hoc est, XXV. cubitorum, seu, quod idem est, pedum VII. & XXX. cum semisse: nam cubitus pedem cum semisse obtinet. Sunt hi pedes ferme centum. Quare quadraginta quadrigæ cum triumphali curru ut plurimum tribuentur. Nihil hic Allatius vidit, in librum Philonis, De septem orbis miraculis: nihil Dalecampius, qui prævit Allatio.

100. *Menestrati.*] Μενέστρατον hunc laudat Tatianus, in orat. contra Græcos, pag. 182.

101. *Hecate.*] Sic poetæ Lunam, Proserpinam, Dianam ipsam vocant.

102. *Alius ille quam pictor.*] Ita libri omnes, etiam MSS. Qui alium existimarunt Socratem hunc esse, quam pictorem, de quo lib. 35. cap. 40. num. 31. Philosophum eum esse censuerunt Platonis magistrum. Ex horum numero Pausanias extitit, tum lib. 9. pag. 596. Σωκράτης δὲ ὁ Σωφρονίσκου πρὸ τῆς ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἐσόδου, Χαρίτων εἰργάσατο ἀγάλματα Ἀθηναίοις, &c. *Socrates ante arcis vestibulum, Gratiarum Atheniensibus e marmore signa fecit.* Paulo etiam distinctius, lib. 1. in Atticis, pag. 40. Ἑρμῆν ὃν Προπύλαιον ὀνομάζουσι, καὶ Χάριτας Σωκράτην ποιῆσαι τὸν Σωφρονίσκου λέγουσιν, ᾧ σοφῷ γενέσθαι μάλιστα ἀνθρώπων ἐστὶν ἡ Πυθία μάρτυς. *In ipso introitu arcis, Mercurium, quem Propylæum vocant, Gratiasque, Socratem fecisse ferunt, Sophronisci filium; quem sater hominum maxime sapientem fuisse, Pythia testis.* Adnotat Laertius in Socratis vita, lib. 2. pag. 37. cum nudæ alias Gratiæ fingerentur, eas Socratem veste amictas posuisse. Vide & Suidam, in Σωκράτης. Πρότερον γενόμενος λιθοξόος, ὅθεν καί φασιν αὐτοῦ εἶναι τὰς Ἀθήνησιν ἐνδεδυμένας Χάριτας, &c. Nudas nummi duo exhibent, alter ΑΔΡΙΑΝΟ ΠΟΛΕΙΤΩΝ: alter, COL. FL. PAC. DEVLT. Describuntur a Seneca oratione satis quidem compta, lib. 1. de Benef. cap. 3. Fuerunt eæ omnino tres: quare quam pulcritudinis dote pollere mulierem veteres volebant significare, hanc quartam esse Charitem dicebant: Venerem quoque Paphiam alteram, decimamque Musam. Rufini epigramma, in Anthol. lib. 7.

> Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφίαι δύο, καὶ δέκα Μοῦσαι,
> Δερκυλὶς ἐν πάσαις, Μοῦσα, Χάρις, Παφίη.
> *Bina Venus, Musæque decem, bis Gratia bina:*
> *Dercylis est eadem Gratia, Musa, Venus.*

103. *Nam Myronis illius.*] De quo dictum est lib. 34. sect. 19. num. 3.

104. *Archesitæ.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Mallem *Arcesilæ*, vel *Arcesilai*: quo nomine appellatum superiore libro pictorem memini: Cælatorem e marmore alterum inferius, num. 13.

105. *Thespiades.*] Musæ Thespias (est id Bœotiæ oppidum) incolentes.

106. *Hippiades Stephani.*] Caret his verbis & Regius 2. codex, & Pintiani. Hippiades videntur esse statuæ equestres, verbi gratia, Amazonum.

107. *Hermerotes.*] Sic libri omnes. Mercurii & Cupidinis simul juncta in uno lapide simulacra vox ea sonat. Sic Hermathena, de qua nos alibi, Mercurium & Minervam indicat. In uno lapide tria interdum numina copulata esse Philodemi de Panos effigie epigramma testatur, in Anthol. lib. 14. cap. 12. Φιλοδήμου εἰς ἕτερον ἄγαλμα Πανός.

> Τρισσοὺς ἀθανάτους χωρεῖ λίθος· αἱ κεφαλαὶ γὰρ
> Μανύει τρισσὰς Πᾶνα τὸν αἰγίκερων.
> Στέρνα δὲ καὶ νηδὺς Ἡρακλέα· λοιπὰ δὲ μηρῶν
> Καὶ κνήμας Ἑρμῆς ὁ πτερόπους ἔλαχεν.
> Θύειν ἀρνήσῃ ξεῖνε μηκέτι. τοῦ γὰρ ἑνός σοι
> Θύματος οἱ τρισσοὶ δαίμονες ἀντόμεθα.
> *Ne sperne hunc lapidem: tria numina continet unus:*
> *Nam Pan cornigero nascitur ex capite.*
> *Herculis est pectus validi, cum ventre: quod infra est*
> *In femore & suris, penniger Arcas habet.*
> *Hic igitur numquam parcas adolere, Viator:*
> *Victima nam ternos obligat una deos.*

Alias in Hermetis seu Mercurii statuis solum caput eminebat, reliquum corpus erat rude & informe, & sine manibus. Unde apud Juvenalem, Satyra 8. vers. 53.

> *Truncoque simillimus Hermæ,*

de inerti dicitur.

108. *Cælatoris illius.*] Cyziceni, de quo lib. 33. sect. 55.

109. *Juppiter hospitalis.*] Ξένιος Ζεὺς, Jovis epithetum, apud Homerum, Odyss. Ξ. vers. 283. & alibi passim. Hinc Maro:

> *Juppiter: hospitibus nam te dare jura loquuntur, &c.*

110. *Zethus & Amphion, &c.*] Ζῆθος & Ἀμφίων fratres, a quibus Thebas esse conditas auctor est ex Homero Pausanias, lib. 2. Corinth. pag. 96. *Hi Dircen ad taurum indomitum deligatam vita privarunt*, inquit Hyginus, fab. 7. Vide & Suidam, verbo Ἀντιόπη, & Apollodor. lib. 3. de Diis, pag. 179. & Propertium, lib. 3. Eleg. 13. Hodieque id simulacrum visitur in Palatio Farnesiorum: unde & illi Romanorum vulgus nomen indidit, *Il Toro Farnese*, hoc est, Taurus Farnesianus.

111. *Ex eodem lapide.*] Id vero in primis singulare est: quod & in alio opere pariter Plato demiratur hoc versiculo,

advecta opera Apollonii & Taurisci. [112] Parentum ii certamen de se fecere: Menecratem videri professi, sed esse naturalem Artemidorum. Eodem loco Liber Pater [113] Eutychidis laudatur. Ad Octaviæ vero porticum Apollo Philisci Rhodii [114] in delubro suo. Item Latona & Diana, & Musæ novem, & alter Apollo nudus. Eum, qui citharam in eodem templo tenet, [115] Timarchides fecit. Intra Octaviæ vero porticus, in æde Junonis, [116] ipsam Deam Dionysius, & [117] Polycles aliam: Venerem eodem loco Philiscus: cetera signa Praxiteles. [118] Timarchidis filii Jovem, qui est [119] in proxima æde, fecerunt. [120] Pana & Olympum luctantes, eodem loco Heliodorus, quod est alterum in terris [121] symplegma nobile. Venerem lavantem sese: Dædalum stantem Polycharmus. Ex honore apparet in magna auctoritate habitum Lysiæ opus, quod in Palatio super arcum Divus Augustus honori Octavii patris sui dicavit, in ædicula columnis adornata. Id est quadriga currusque, & Apollo ac Diana ex uno lapide. In hortis Servilianis reperio laudatos, [122] Calamidis Apollinem illius cælatoris, [123] Dercylidis pyctas, [124] Amphistrati [125] Callisthenem historiarum scriptorem.

11. [a] Nec multo plurium fama est, quorumdam claritati in operibus eximiis obstante numero artificum, quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari possunt, [126] sicut in Laocoonte, qui est [127] in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & picturæ & statuariæ artis præponendum. Ex uno lapide eum & liberos draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices, Agesander & Polydorus & Athenodorus Rhodii. Similiter [128] Palatinas domos Cæsarum replevere probatissimis signis, [129] Craterus cum Pythodoro, Polydectes cum Hermolao, Pythodorus alius cum Artemone, & singularis Aphrodisius Trallianus. Agrippæ Pantheum decoravit Diogenes Atheniensis: [130] & Caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum: sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata.

12. [131] Inhonorus est, nec in templo ullo Hercules, [132] ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificaverunt victima, humi stans, ante aditum [133] porticus Ad Nationes.

Interpretatio.

a *Nec multo.*] Nec multo plures pervenere ad famam.

Notæ.

libro 4 Anthologiæ, cap 18.

Εἶτ λίγος, ἅρμ', ἐλατὴρ, ἵπποι, ζυγὰ, ἡνία, μάστιξ.
Flagrum, currus, equi, frenum, juga, vir, lapis unus.

112. *Parentum ii.*] Fecere ii ut certarent inter se duo, uter verius parens ipsorum diceretur: cum professi sunt in statuarum inscriptionibus videri quidem esse Menecratem, sed naturalem Artemidorum esse. Incertum sic relinquere uter parens verius foret: cum alteri amborum artem, alteri lucem deberent.

113. *Eutychidis.*] Sic libri etiam MSS. Eutychides Sicyonius Lysippi statuarii discipulus laudatur a Pausania, in Eliac. post. sive lib. 6. pag. 346. Ille nimirum, quem inter fictores ex ære Plinius ante annumeravit, lib 34 sect. 19. At hic ab eo diversus: nam Milesius appellatur in Epigrammate sat vetusto apud Gruterum, pag. MCXLVII.

Πραξιτέλους ἴσθας λαοξόος οὐκ ἐπὶ χερείων,
Εἰς δ' ἱκέτευε θανὼν ἤλυθον ὀγδοάδας.
Οὔνομα δ' Εὐτυχίδης· ψευδώνυμον αὐτὰ με δαίμων
Θῆκε ἀφαρπάξας ὠκὺν ἐς ἀΐδην.
Par ego Praxiteli formare in marmore vultus:
Tota sed annorum vita bis octo fuit,
Eutychides mihi nomen erat: sed fecit ut esset
Hoc falsum, rapiens me cito Parca nimis.

114. *In delubro suo.*] Inter Octaviæ opera, ut sæpius diximus, cum porticu fuere ædes Apollinis & Junonis.

115. *Timarchides.*] Τιμαρχίδης statuarius a Pausania laudatur in primis, lib. 10. Phocic pag. 675.

116. *Ipsam Deam.*] Junonem.

117. *Polycles.*] Πολυκλῆς, idem, opinor, quem inter fictores ex ære appellatum superius vidimus, lib. 34. sect. 19.

118. *Timarchidis filii.*] In libris hactenus editis, *Item Polycles & Dionysius Timarchidis filii*; At priora verba inserta huc temere, repetitaque ex antecedentibus quis non intelligit? Desunt ea certe in nostris codicibus: & deesse in suis sensit Pintianus. Quod si iis nominibus Timarchidis filii fuere, dici id prius oportuit, non in istum locum conjici.

119. *In proxima æde.*] Jovis. In fragmentis vestigii veteris Romæ, Tabula II. ædes Jovis & Junonis in Octaviæ porticibus exhibentur hoc modo: PORTICVS OCTAVIÆ. AEDIS IOVIS. AEDIS. IVNONIS. AEDIS. HERCVLIS. MVSARVM. Cognomen adhuc retinet ædes S. Mariæ in Porticu, nunc sanctæ Galliæ, quæ Junonis ædes: altera proxima S. Nicolai, quæ Jovis fuisse dicitur. Sed sunt hi spurii tituli: Numinum nomina inscribi delubris, moris antiqui sane fuit: at adjici verbum ÆDES, ab omni prorsus fuit usu alienum. Deinde unde confictus fuerit Herculei Musarum superius ostendimus, pag. 691.

120. *Pana & Olympum.*] De quibus jam antea, num. 8.

121. *Symplegma.*] De ea voce num. 6.

122. *Calamidis .... illius cælatoris.*] De quo lib. 34 sect. 19. n. xi Pausan. in Atticis, pag. 6. Οἱ δὲ πυλῶσιν Ἀπόλλωνα Ἀλεξίκακον, Κάλαμις ἐποίησεν. *Apollinem cognomento Averruncum Calamis fecit* Causam hujus appellationis disce ex ipso, si vacat.

123. *Dercylidis pyctas.*] Hoc est, pugiles. Usum ea voce Plinium haud semel, ex Indice intelliges. Ita porro scripsimus, ex fide Regii 2. cod & Pintiani quoque admonitu, cum prius legeretur, *Dactylidis Pythias.* Alias Dercylis feminæ nomen est, ut paulo antea hac sect. vidimus.

124. *Amphistrati.*] Ἀμφίστρατον statuarium laudat & Tatianus, in orat. contra Græcos, pag 182.

125. *Callisthenem.*] De quo nos in Auctorum Indice. Hunc Alexander Magnus interemit. Vide Senecam, lib. 6. Natur. quæst. cap. 23. pag. 911.

126. *Sicut in Laocoonte.*] Historia quam simulacrum id exhibet, ex Marone repetenda, lib. 2. Æneid. Nunc in hortis Vaticani Pontificis asservatur. Negat autem Trulliius quidam, in Actis eruditorum Lipsiensibus, anni 1697. pag. 144 ex uno lapide confectam statuam illam esse; *plus minus quatuor compaginibus accurate ferruminatam circumlitamque esse* contendit.

127. *In Titi .... domo.* Titi Thermas in regione Urbis tertia a P. Victore video collocari: num procul inde domus abfuerit, adhuc inexploratum.

128. *Palatinas domos.*] Ædibus Cæsarum nomen dedit Palatinus mons, in quo illæ ædificatæ, decima regione Urbis. Ibi domus Augustana, & Tiberiana a P. Victore statuitur: accessere Caii deinde ædes, ac Domitiani, aliæque.

129. *Craterus cum Pythodoro.*] Κρατερὸς, Πυθόδωρος, Πολυδέκτης, Ἑρμόλαος, Ἀφροδίσιος. Ex his unum Pythodorum novimus, Thebanum statuarium, cujus mentio apud Pausaniam in Bœot. lib. 9. pag. 594 nisi forte Artemon idem, qui fuit in pictorum albo supra recensitus, l. 35 sect. 40. num. 32.

130. *Et Caryatides.*] De his supra, num. 5.

131. *Inhonorus est, nec in templo ullo Hercules.* Vide Notas & Emend. num. III

132. *Ad quem Pœni.*] Saturno quoque mactari infantes a Carthaginiensibus solitos, auctores sunt Lactantius, Arnobius, Silius, Isidorus.

133. *Porticus Ad Nationes.*] Servius, ad illud Maronis 8. Æneid. *Aptatque superbis Postibus*: *Porticum enim*, inquit, *Augustus fecerat, in qua simulacra omnium gentium collocaverat, quæ Porticus appellabatur Ad Nationes.*

Sitæ fuere & [134] Thespiades ad ædem Felicitatis, quarum unam adamavit Eques Romanus Junius Pisciculus, ut tradit Varro: admiratur & [135] Pasiteles, qui & quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe. [136] Natus hic in Græcia Italiæ ora, & civitate Romana donatus [137] cum iis oppidis, [138] Jovem fecit eboreum [139] in Metelli æde, [140] qua Campus petitur. Accidit ei, [141] cum in navalibus, ubi feræ Africanæ erant, per caveam intuens leonem cælaret, ut ex alia cavea panthera erumperet, non levi periculo diligentissimi artificis. Fecisse opera complura dicitur: sed quæ fecerit, nominatim non refertur.

13. [142] Arcesilaum quoque magnificat Varro, cujus se marmoteam habuisse leænam tradit, aligerosque ludentes cum ea Cupidines, quorum alii religatam tenerent, alii e cornu cogerent bibere, alii calcearent soccis, omnes ex uno lapide. Idem & a Coponio [143] XIV. nationes, quæ sunt circa Pompeii, factas auctor est.

14. Invenio & [144] Canachum laudatum inter statuarios, fecisse marmorea. Nec Sauron atque Batrachum obliterari convenit, [145] qui fecere templa Octaviæ porticibus inclusa, natione ipsi Lacones. Quidam & opibus præpotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes. Qua negata, hoc tamen alio loco & modo usurpasse. Sunt certe etiamnum [146] in columnarum spiris inscalpta nominum eorum argumenta, [147] lacerta atque rana. In Jovis æde exstitisse picturam, [a] cultusque reliquos omnes femineis argumentis constat. Etenim facta Junonis æde cum inferrentur signa, [b] permutasse geruli traduntur: & id religione custoditum, velut ipsis Diis sedem ita partitis. Ergo & in Junonis æde cultus est, qui Jovis esse debebat.

15. Sunt & in parvis marmoreis famam consecuti, [148] Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca: & Callicrates, cujus formicarum pedes atque alia membra pervidere non est.

CAP. VI.

V. Hæc sint dicta de marmorum scalptoribus, summaque claritate artificum: quo in tractatu subit mentem non fuisse tum auctoritatem maculoso marmori: [1] Fecere e Thasio Cycladum insularum, æque & e Lesbio: lividius hoc paulo. Versicolores quidem maculas, & in totum marmorum apparatum [2] Menander etiam diligentissimus luxuriæ interpres, primus & raro attigit. Columnis demum utebantur in templis, nec lautitiæ causa, nondum enim ista intelligebantur: sed quia firmiores aliter statui non poterant. [3] Sic est inchoatum Athenis templum Jovis Olympii, ex quo Sylla Capitolinis ædibus advexerat columnas. Fuit tamen inter lapidem atque marmor differentia jam & apud Homerum. [4] Dicit enim marmoreo saxo percussum: [c] sed hactenus. Regias quoque domos cum laudatissime præter æs, aurum, electrum, argentum, [5] ebore tantum adornans. Primum (ut arbitror) versicolores istas maculas Chiorum lapicidinæ ostenderunt, cum exstrue-

INTERPRETATIO.

a *Cultusque.*] Signa & ararum ornatus, quæ sacris Dearum cærimoniis magis congruerent

b *Permutasse.*] Quæ Jovis templo destinata erant, in Junonis æde posuisse: & vice versa.

c *Sed hactenus.*] Sed non ultra marmoris mentionem fecit.

NOTÆ.

134. *Thespiades.*] De his, num. 18. & lib. 34. sect. 19. num 7. Signa hæc Tullius intellexit, sub initium libri 4. in Verrem: *Itaque ille L. Mummius* Achaicus, *cum Thespiis ea quæ ad ædem Felicitatis sunt, ceteraque profana ex illo oppido signa tolleret*, &c.

135. *Pasiteles.*] Quem idem Varro superius quoque laudat, lib 35 sect 45 Egimus de eo in Auctorum indice.

136. *Natus hic in Græcia.*] In Magna Græcia, quæ Italiæ ora, ut dictum est lib. 3. sect. XV.

137. *Cum iis oppidis.*] Quæ scilicet Magna Græcia continentur: quibus civitatem jam tum Varronis ævo donatam innuit.

138. *Jovem fecit eboreum.*] Sic MSS. omnes, non *eburneum*. Plautus *eburatum* dixit, nec semel.

139. *In Metelli æde*] Macedonici nimirum, *qui primus omnium Romæ ædem ex marmore molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit*, inquit Velleius, lib. 1. pag 5.

140. *Qua Campus petitur.*] Campus Martius.

141. *Cum in navalibus.*] Erat in tertiadecima Urbis regione ad Aventinum, & prima Urbis mœnia navale fuit, τὸ νεώριον Plutarcho in Catone minore. Livius, lib. 3. pag. 51. *L. Quinctius trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, colebat agrum*, &c.

142. *Arcesilaum.*] Plasten illum videlicet, quem idem Varro superius laudavit, lib. 35. sect. 45.

143 *XIV. Nationes.*] Gentium imagines & simulacra intelligit, de quibus Suetonius in Claudio, cap. 46 *A simulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum*, &c. In regione Urbis nona. De his & Servius egit, loco a nobis superius laudato, nota 133.

144. *Canachum laudatum.*] Libro 34. sect. 19. num. 14.

145. *Qui fecere templa.*] Junonis & Apollinis, ut alibi diximus.

146. *In columnarum spiris.*] Dicemus de his sect. 56.

147. *Lacerta atque rana.*] Nempe lacertam Græci σαῦραν & σαύραν vocant: βάτραχον ranam.

148 *Myrmecides.*] Et aliam ex ebore, præter hanc marmoream, quadrigam is fecit, de qua dictum est lib. 7. sect. 21. ut & Callicrates, cujus artificio delectatum Periclem in primis scribit Plutarchus in Pericle, pag. 159.

Sect. V. 1. *Fecere.*] Statuas Thasii lapidis apud Senecam mentio, epist 86. cujus initium, *In ipsa Scipionis Africani villa*. Lesbii marmoris, apud Isidorum lib. 16. Orig cap. 5. quod & lividius esse constetur.

2. *Menander.*] Comicus, qui luxuriæ genus omne pulcre callebat. Phædrus, lib. 5. Fabular.

> *In queis Menander nobilis comœdiis,*
> *Unguento delibutus, vestitu adfluens,*
> *Veniebat gressu delicato & languido*, &c.

3. *Sic est inchoatum*] Inchoatum pariter ait Tranquillus in Augusto, cap 60. Perfectum vero dedicatumque ab Hadriano, Spartianus, in ejus vita: & Pausanias in Atticis.

4. *Dicit enim.*] Addunt libri editi, *Dicit enim Paridis os marmoreo*, &c. At has voces duas *Paridis os* MSS. nulli agnoscunt · nec de Paride id usquam, quod quidem meminerim, Homerus prodidit, sed de Cebrione Hectoris auriga, Iliad. π'. vers. 735.

5. *Ebore tantum.*] Nulla marmoris facta mentione. Locum Homeri attulimus, lib. 33. sect. 23.

rent muros, faceto in id M. Ciceronis sale: omnibus enim ostentabant, ut magnificum: Multo, inquir, magis mirarer, [6] si Tiburtino lapide fecissetis. Et hercules, non fuisset picturæ honos ullus, non modo tantus, in aliqua marmorum auctoritate.

VI. Secandi marmor in crustas nescio [1] an Cariæ fuerit inventum. Antiquissima, quod equidem inveniam, Halicarnassi [2] Mausoli domus Proconnesio marmore exculta est, lateritiis parietibus. Is obiit [3] Olympiadis CVI. anno secundo, Urbis Romæ [4] anno CCCCIIII.

VII. Primum Romæ parietes [1] crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, Equitem Romanum, [2] Præfectum fabrûm C. Cæsaris in Gallia. Neque indignatio sit tali auctore inventa re. Hic namque est [3] Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, [a] [4] quem & res, & domus ipsius clarius, quam Catullus, dixit habere, quidquid habuisset Comata Gallia. Namque adjecit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuisse, omnes solidas [5] e Carystio aut Lunensi.

VIII. M. Lepidus Catuli in Consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprehensione. Is fuit Consul [1] anno Urbis DCLXXVI. Hoc primum invecti Numidici marmoris vestigium invenio, [2] non in columnis tamen crustisve, ut supra Carystii: sed in massa ac [3] vilissimo liminum usu. Post hunc Lepidum ferme quadriennio L. Lucullus Consul fuit, qui nomen (ut apparet ex re) Luculleo marmori dedit, admodum delectatus illo: primusque Romam invexit, atrum alioqui: cum cetera maculis aut coloribus commendentur. Nascitur autem [5] in Nili insula, solumque pæne horum marmorum [6] ab amatore nomen accepit. [7] Inter hos primum, ut arbitror, marmoreos parietes habuit [8] scena M. Scauri, non facile dixerim sectos, an solidis [b] glebis positos, sicuti est hodie Jovis Tonantis ædes [9] in Capitolio. Nondum enim secti marmoris vestigia invenerat Italia.

IX. Sed quisquis primum invenit secare, luxuriamque dividere, importuni ingenii fuit. Arena hoc fit, & ferro videtur fieri, serra in prætenui linea premente arenas, versandoque,

INTERPRETATIO.

a *Quem & res.*] Quem & res familiaris, *sive opes*.

b *Glebis.*] Molibus.

NOTÆ.

6. *Si Tiburtino lapide.*] Qui Romæ vulgaris, in eam advectus insulam, accepisset fortassis ab loci, unde peteretur, intercapedine pretium.

Sect. VI. 1. *An Cariæ.*] Cui Mausolus regulus jura dabat.

2. *Mausoli domus.*] Hæc pariter traduntur a Vitruvio, lib. 2. cap 8 pag. 29. *Item Halicarnassi*, inquit ille, *potentissimi regis Mausoli domus cum Proconnesio marmore omnia haberet ornata, parietes habet latere structos, qui ad hoc tempus egregiam præstant firmitatem, ita tectoriis operibus expoliti, ut vitri perlucditatem videantur habere.*

3. *Olympiadis CVI.*] Sic Reg. 2. & in Colb. 3. atque in editione Parmensi, Tarvisina, aliisque vetustioribus, *centesima sexta*, sine ullis compendiorum notis. Libri posterius editi, *Olympiadis* C. mendose.

4. *Anno* CCCCIIII.] Ita codices Regii quatuor, & Vaticani duo In Colb. 3. & vet. codice Dalecampii, CCCCIL. Lege *Olympiadis* CX *anno secundo*, *Urbis Romæ anno* CCCCIIII. & omnia ad Plinii mentem veritatemque congruent. Est hic annus 350 ante Christum In libris hactenus editis, CCCII errore minime obscuro.

Sect. VII. 1 *Crusta marmoris.*] Id non aliud fuit, quam marmor in tenues crustas varii coloris sectum parieti ferre imponere, & pro tectorio ei dare. Lucanus, lib. 10. vers. 114.

> *Nec summis crustata domus, sectisque nitebat*
> *Marmoribus.*

Declamator apud Senecam patrem · *In hos ergo exitus varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat.* Has marmorum crustas Græci πλάκας vocabant, & μαρμάρου πλακώσεις.

2. *Præfectum fabrûm.*] Habebat unaquæque legio fabros tignarios, carpentarios, ferrarios, structores, reliquosque artifices ad hibernorum ædificia, ad machinas, turresque ligneas, ceteraque. Horum judex proprius erat Præfectus fabrûm Sic *Præfectus fabrûm Cn. Pompeii*, apud Cicer. lib. 9. ad Attic epist. 8.

3. *Mamurra Catulli.*] Carm. 30. in Cæsarem:

> *Quis hoc potest videre? quis potest pati,*
> *Nisi impudicus, & vorax, & aleo?*
> *Mamurram habere, quod Comata Gallia*
> *Habebat unctum, & ultima Britannia?*

De Mamurræ divitiis, Tullium vide, lib. 7. epist. 7. ad Atticum.

4. *Quem, ut res est*] Vide Notas & Emend. num. IV.

5. *E Carystio.*] De Carysto, lib. 4 sect. 21. Carystiarum columnarum meminere Stephanus. Strabo, & alii. Tibullus, lib. 3. Eleg. 3.

> *Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis?*
> *Tænare sive tuis, sive Caryste tuis?*

De Lunensi supra diximus, sect. 4 num 2.

Sect. VIII. 1 *Anno Urbis* DCLXXVI.] Ita Reg. 2. quod & temporum ratio, Fastique Consulares postulant. In libris hactenus editis, DCLXVI.

2. *Non in columnis tamen.*] Sic MSS. Reg. 2. & alii, non vero *tantum*. Favet Isidorus, lib. 16 Orig. cap. 5. *Numidicum marmor Numidia mittit, ad cutem succum dimittit croco similem: non crustis, sed in massa, & liminum usu aptum.* Ævo tamen subsequente, Neronis scilicet principatu, & crustas e marmore Numidico inductas legimus. Seneca, epist. 86. pag. 372. *Alexandrina*, inquit, *marmora, Numidicis crustis distincta.* Et Sidonius, lib. 2. epist. 2. balneolum suum describens: *Non illic Paros*, inquit, *Carystos, Phryges, Numida, rupium variarum posuere crustas.*

3. *Vilissimo liminum usu.*] Limen inferum portarum ut hoc loco intelligatur, vilissimus qui nunc dicitur usus, admonet.

4. *Lucullus Consul.*] Anno Urbis DCLXXX. Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig cap. 5.

5. *In Nili insula.*] Reg 2. & Colb 3. *in Nilo insula.* Pintianus conjiciebat *in Melo* legi posse commodius. Nos *in Chio*, Isidoro auctore, qui hunc locum exscripsit.

6. *Ab amatore.*] Lucullo videlicet, qui admodum delectatus illo. Sic Isidorus loco cit. *Solumque pæne hoc marmor ab amatore nomen accepit.*

7. *Inter hos.*] Inter Lepidi & Luculli Consulatum. Igitur anno fere DCLXXVIII. ædilitatem gessit M Scaurus, quam in annum abhinc duodevicesimum ex inani conjectura rejicit Pighius in Annalibus, hoc est, in Consulatum Gabinii & Pisonis, anno Urbis DCXCVI.

8. *Scena.*] Scena theatri pars ea dicitur, quæ inter duo cornua pertenditur.

9. *In Capitolio.*] Ædem Jovis Tonantis in Capitolio extruxit Augustus. Sueton. cap. 29 *Marmorare* porro dixere veteres, quod nos deinde *vestire marmore.* In vetusto lapide apud Gruterum, pag. 129. AEDEM MARMORAVIT.

[a] tractu ipso secante. Æthiopica ad hæc maxime probatur. Nam id quoque accessit, [1] ut ad Æthiopas usque peteretur, [2] quod faceret marmora: immo vero in Indos, quo margaritas quoque peti severis moribus indignum erat. [b] Hæc proxime laudatur. Mollior tamen quæ Æthiopica. Illa nulla scabritie secat. Indica non æque lævigat: sed ea combusta polientes marmora fricare jubentur. Simile & Naxiæ vitium est, [3] & Coptidi, quæ vocatur Ægyptia. Hæc fuere antiqua genera marmoribus secandis. Postea reperta est arena non minus probanda, ex quodam Adriatici maris vado, æstu nudante, observatione non facili. Jam quidem quacumque arena secare e fluviis omnibus fraus artificum ausa est: quod dispendium admodum pauci intelligunt. Crassior enim arena laxioribus segmentis terit, & plus erodit marmoris, [c] majusque opus scabritia polituræ relinquit. Ita sectæ attenuantur crustæ. Rursusque Thebaïca polituris accommodatur, & quæ fit e poro lapide, aut e pumice.

X. Signis e marmore poliendis, gemmisque etiam scalpendis, atque limandis, Naxium diu placuit ante alia: ita vocantur [1] cotes in Cypro insula genitæ. Vicere postea [2] ex Armenia vectæ. CAP. VII.

XI. Marmorum genera & colores non attinet dicere in tanta notitia: nec facile est enumerare in tanta multitudine. [1]. Quoto cuique enim loco non suum marmor invenitur? Et tamen celeberrimi generis dicta sunt [2] in ambitu terrarum cum gentibus suis. [3] Non omnia tamen in lapicidinis gignuntur, sed multa & sub terra sparsa. Pretiosissimi quædam generis, sicuti [4] Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius. Sic & Augustum, ac deinde Tiberium, in Ægypto Augusti ac Tiberii primum principatu reperta. Differentiaque eorum est ab ophite, cum sit illud serpentium maculis simile, [5] unde & nomen accepit: quod hæc maculas diverso modo colligunt, Augustum undatim crispum [6] in vertices, [7] Tiberium sparsa, non convoluta canitie.

Neque ex ophite columnæ, nisi parvæ admodum, inveniuntur. [8] Duo ejus genera: molle candidum, nigricans durum. [9] Dicuntur ambo capitis dolores sedare adalligati, & serpentium ictus. [10] Quidam phreneticis ac lethargicis adalligari jubent candicantem. [11] Contra serpentes autem a quibusdam laudatur præcipue ex his, quem [12] tephriam appellant, a colore cineris. [13] Vocatur & Memphites a loco, [14] gemmantis naturæ. [15] Hujus usus conteri; & iis, quæ urenda sint aut secanda, ex aceto illini. Obstupescit ita corpus, nec sentit cruciatum.

[16] Rubet porphyrites in eadem Ægypto: [d] ex eo candidis intervenientibus punctis [17] Lepto-

INTERPRETATIO.

a *Tractu.*] Dum trahitur serra, secat, premendo arenas prætenui acie sua.

b *Hæc.*] Indica post Æthiopicam proxime laudatur.

c *Majusque.*] Et plus laboris scabritia relinquit polituræ, *quæ fit post sectionem marmoris.*

d *Ex eo.*] Ex eo marmore genus illud quod punctis candidis distinguitur, ob exiguitatem dicitur Leptopsephon, hoc est, minutus calculus.

NOTÆ.

Sect. IX. 1. *Ut ad Æthiopas . . . . . peteretur.*] Similes loquendi formulas ex Pliniano indice pete

2. *Quod faceret marmora.*] Sic etiam MSS. Forte, *quod secaret.* Vel, *quod laceraret.* Sed & *faceret* quoque satisfacit: est enim *facere marmora*, ex rudibus impolitisque glebis, facere polita, & ædibus ornandis idonea.

3. *Et Coptidi.*] E Copto Ægypti oppido

Sect. X. 1. *Cotes in Cypro.*] In Cypro quidem genitæ, sed ex oppido Cretæ Naxo, ubi parari eas & concinnari mos erat, Romam advectæ: inde Naxii nomen. Suidas: Ναξία λίθος, ἡ Κρητικὴ ἀκόνη. Νάξος γὰρ πόλις Κρήτης. Sic ficum Cypriam nuncupari in Creta Theophrastus est auctor, quoniam eo e Cypro translata, lib. 4. hist. plant. cap. 2.

2. *Ex Armenia.*] Laudat eas Theophr. lib. de lapidibus, pag. 9.

Sect. XI. 1. *Quoto cuique enim loco.*] Et in Gallia quoque nuper, haud procul regia Fontis Bellaquei basilica, ingens reperta est egregii marmoris fodina.

2. *In ambitu terrarum.*] In libris Geographicis.

3. *Non omnia tamen.*] Transcripsit hæc Isidorus, libro 16. Orig. cap 5. totidem plane verbis ac syllabis, usque ad eum locum, *Neque ex ophite.* &c.

4. *Lacedæmonium*] Prudentius, lib. 2. contra Symmach. vers. 246.

Et quæ saxa Paros secat, & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synnas.

Sidonius in Paneg. Majoriani:

Post caute Laconum
Marmoris herbosi radians intertexeret ordo.

5. *Unde & nomen.*] Nam ὄφις Græce serpentem sonat.

6. *In vertices.*] Sic etiam MSS. At lib. 13. sect. 30 eodem sensu, *in vortices parvos.*

7. *Tiberium sparsa.*] Sententia est, in marmore, quod in Tiberii nomen adscitum est, fuisse maculas candidas, non convolutas quidem in vortices, ut in Augusteo, sed sparsas. Vide Notas & Emend. num. V. In Colb. 3. *Augusteum, & Tiberianum* legitur.

8 *Duo ejus genera.*] Hæc totidem verbis Isidorus, libro 16. Orig. cap. 5.

9. *Dicuntur ambo.*] Diosc. lib. 5. cap. 162. totidem verbis, & Oribasius, lib. 13 fol. 230.

10 *Quidam, &c.*] Diosc. loco cit.

11. *Contra serpentes autem, &c.*] Isidorus iisdem verbis, loco cit.

12. *Tephriam.*] Τεφρίαν, quod genus est ophitis tertium, ἀπὸ τῆς χρόας, colore cinereo a Dioscoride appellatum, punctisque distinctum: unde Lucanus, lib. 9 vers. 714.

Quam parvis tinctus maculis Thebanus ophites.

Nam & τέφρα Græcis, & σποδὸς cinerem significat.

13. *Vocatur & Memphites.*] Novum lapidis seu marmoris genus, ab Ægypti oppido Memphi nominatum: de quo totidem verba faciunt, Diosc. lib. 5. cap. 158. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 4.

14. *Gemmantis natura.*] Gemmarum magnitudinem ac lucem imitatur. Diosc. loc. cit. Ἔχει ψηφίδων μέγεθος, λιπαρὸς δὲ καὶ ποικίλος, *calculorum magnitudine, pinguis & versicolor.*

15. *Hujus usus.*] Diosc. loc. cit. Οὗτος ἐπιχριόμενος λεῖος ἐπὶ τῶν μελλόντων τέμνεσθαι ἢ καίεσθαι τόπων, ἀναισθησίαν ἀκινδύνως ἐπιφέρει. *Hoc tradunt trita & illita partes quæ urenda secandave sunt, citra periculum ita obstupescere, ut non sentiant cruciatum.*

16. *Rubet porphyrites.*] Aliud rursus marmoris genus. Isidorus, libro 16. Orig. cap. 5. *Porphyrites ex Ægypto, est rubens, candidis intervenientibus punctis.*

17. *Leptopsephos.*] Λεπτόψηφος, quod nempe, ut Memphites, de quo dictum est proxime, calculorum magnitudinem id genus, quod est candidis punctis interstinctum, non superet. Hunc Plinii locum Salmasius præpostere ac-

psephos vocatur. [18] Quantislibet molibus cædendis sufficiunt lapicidinæ. Statuas ex eo Claudio Cæsari procurator ejus in Urbem ex Ægypto advexit [19] Vitrasius Pollio, non admodum probata novitate. Nemo certe postea imitatus est. Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia, [20] quem vocant basalten, ferrei coloris atque duritiæ. Unde & nomen ei de-
5 dit. Numquam hic major repertus est, quam in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus: [a] argumento Nili, [21] XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Non absimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statua dicatus: quem quotidiano Solis ortu contactum radiis [22] crepare dicunt.

10 XII. Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, nec usquam alibi, nasci putavere nostri veteres: Sudines in Germania. [1] Potoriis primum vasis inde factis, dein pedibus lectorum sellisque: Nepos Cornelius tradit magno fuisse miraculo, cum [2] P. Lentulus Spinter amphoras ex eo [3] Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde triginta duorum pedum longitudine columnas vidisse se. Variatum in hoc lapide
15 postea est. Namque pro miraculo insigni, quatuor modicas [4] in theatro suo Cornelius Balbus posuit. Nos ampliores triginta vidimus [5] in cœnatione, quam [6] Callistus Cæsaris
* CAP. VIII. Claudii libertorum potentia notus sibi exædificaverat. * [7] Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, [b] quoniam optime servare incorrupta dicitur. [9] Idem exustus emplastris convenit. [10] Nascitur circa Thebas Ægyptias, & Damas-
20 cum Syriæ. Hic ceteris candidior: probatissimus vero in Carmania, mox in India: jam quidem & in Syria Asiaque. Vilissimus autem & sine ullo nitore in Cappadocia. Probantur quam maxime mellei coloris, [11] in vertices maculosi, atque non translucidi. Vitia in iis, corneus color aut candidus, & quidquid simile vitro est.

XIII. Paulum distare ab eo [b] in unguentorum fide multi existimant [1] Lygdinos in
25 Paro repertos: amplitudine, qua lances craterasque non excedant, antea ex Arabia tantum advehi solitos, candoris eximii.

Interpretatio.

a *Argumento.*] Argumentum cælaturæ in lapide, Nilus, & pueri sedecim .... quibus intelligitur summum Nili exundantis incrementum.

b *In unguentorum.*] In unguentis diu incorruptis servandis.

Notæ.

cepit, in Solinum, pag. 562. qui a punctorum seu furfurum candore, qui in posteriore illo porphyritis genere spargantur, Leptopsephi cognomen inditum putavit. In libris hactenus editis, *leucostictos*, ex eruditorum intespolatione legebatur. At Reg. 2. Colb. 3. & Pintiani codex, *Leptosephos*, unde nos *leptopsephos* effecimus.

18. *Quantislibet molibus.*] Id vero de priore porphyritis genere accipiendum est.

19. *Vitrasius Pollio.*] Meminit hujus Dio, uti dicemus in Notis & Emend. num. VI.

20. *Quem vocant basalten.*] Ægyptio ac peregrino vocabulo, non oris Latini Græcive. Ex eo lapide mortaria fieri auctor est Strabo, lib. 17. pag. 818. Locum hunc non bene exscripsit Isidorus, loc. cit.

21. *XVI. liberis*] Visitur hodieque id marmor in Vaticanis hortis. Expressere ejus effigiem Ortelius in ipsa operis Geographici fronte, & Oiselius in calce Thesauri Numismatum. Philostratus: Περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις ἀθύρουσι, παιδία ξύμμετρα τῷ ὀνόματι· ὁ δὲ Νεῖλος αὐτοῖς ὑπεργάννυται, καὶ τι ἄλλο, ὅτι κηρύττουσιν αὐτὸν, ὅσος Αἰγυπτίοις ἀπεχύθη. *Cubiti circa Nilum ludunt, pueri corporis quantitate cognomines, quibus Nilus summopere oblectatur, tum ob alia, tum vel maxime, quod ipsum quantum Ægyptiis profusus sit, enuncient.* Libro primo iconum, pag. 737. Reliqua descriptio simili nitet lepore. De Nili incremento vide quæ diximus lib. 5. sect. 10. Est Hadriani Aug. nummus ex ære magno, in Gaza Parmensi, in quo Nilus decumbens pingitur, cum arundine & Cornucopiæ: infra, hippopotamus. In imo, L. ΤΡΙΣΚΑΙΔ. *Anno* XIII Hadriani. Supra, ις. *Sedecim* cubiti, ad quos eo anno Nilus excrevit. Anno præcedente, sive duodecimo Hadriani idem notatur, in nummo æreo pariter e Museo nostro: L. ΔΩΔΕΚ. Supra, ις.

22. *Crepare dicunt.*] Vocem fundere, φθέγξασθαι, si Philostrato credimus, lib. 6. de vita Apoll. cap. 3. pag. 263. Tacitus, lib. 2. Annal. pag. 61. *Memnonis saxea effigies, ubi radiis Solis icta est, vocalem sonum reddens.* De simulacris imaginibusque loquentibus multa congessit pro more Grotius in Explic. Decalogi, pag. 29. Verum *Memnonis* legi hic oportere, non *Memnonis*, fidem faciunt ex quæ diximus ad lib. VI. sect. XXXV. & lib. X. sect. XXXVII.

Sect. XII. 1. *Potoriis primum.*] Hic locus ostendit, ut recte Dalecampius animadvertit, murrhina vasa alia fuisse, quam quæ ex onyche fierent. Τὰς ὀνυχίνας ποτηρίας meminit Athenæus, lib. XI. pag. 494. & ὀνυχίνων σκύφων, pag. 495. ex Posidonio Philosopho. Cave porro onychem hoc loco putes a Plinio pro gemma ea accipi, quam nostri vocant *Cassidoine*, ut plerisque visum: cum sit onyx modo aliud nihil præter marmorei lapidis genus quoddam, quem & alabastriten prisci appellarunt.

2. *P. Lentulus*] Qui Ædilis fuit Cicerone Consule.

3. *Chiorum.*] Horatius, lib. 3. Ode 19.

Quo Chium pretio cadum
Mercemur.

Romæ cadus quanta mensura fuerit, diximus lib. 14. sect. 17. Χῖον πίθον meminit Lucianus, lib. 2. veræ hist.

4. *In theatro suo*] Quod ille, nempe Corn. Balbus alter, anno Urbis DCCXLI. Tiberio Claudio Nerone, P. Quintilio Varo Coss. dedicavit, ut auctor est Dio, lib. 54. pag. 539.

5. *In cœnatione.*] Cœnatio, locus est ad cœnandum. Suetonius, in Nerone, cap. 31. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis, & unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda,* &c.

6. *Callistus.*] De quo superius, lib. 33. sect. 47.

7. *Hunc aliqui.*] Onychem videlicet. Ex horum est numero Diosc. lib. 5. cap. 153. Apparet quam imperite divulsa hæc fuerint a pristinis Plinii editoribus, ut novum ab iis verbis caput auspicarentur. Hunc porro locum plane ad verbum exscripsit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 5.

8. *Quoniam optime.*] Plinius, libro 13. sect. 3. *Unguenta optime servantur in alabastris.* Horatius, lib. 4. Ode 12.

Nardo parvus onyx eliciet cadum:

Hoc est, vasculum ex onyche. Et Martialis, lib. 7. Epigr. 93. de Papilo male olente:

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

9. *Idem exustus.*] Diosc. lib. 5. cap. 153. Λίθος ἀλαβαστρίτης, ὁ καλούμενος ὄνυξ, καυθεὶς κηρωτῇ μιγεὶς ..., διαφορεῖ σκληρίας, &c. *Alabastrites vocatus onyx, exustus, & resina aut pice exceptus, duritias discutit,* &c. Galenus similiter, lib. 9. de fac. simp. med. pag. 257.

10. *Nascitur, &c.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 5.

11. *In vertices maculosi.*] Hoc est, in parvos vortices habentes crispatas maculas. Sic Reg. 2. & alii.

Sect. XIII. 1. *Lygdinos in Paro.*] Vide Notas & Emend. num. VII.

[2] Magnus & duobus contrariæ inter se naturæ honos: [3] Coralitico in Asia reperto, mensuræ non ultra bina cubita, candore proximo ebori, & quadam similitudine. E diverso niger est Alabandicus terræ suæ nomine, quanquam & Mileti nascens, ad purpuram tamen magis aspectu declinante. Idemque liquatur igni, ac funditur ad usum vitri. [4] Thebaïcus interstinctus aureis guttis, invenitur in Africæ parte Ægypto adscriptæ, [5] coticulis ad terenda collyria quadam utilitate naturali conveniens.

Circa Syenen vero Thebaïdis Syenites, quem ante [6] pyropœcilon vocabant.

XIV. Trabes ex eo fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. [a] Radiorum ejus argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægyptio.

1. Primus omnium id instituit [1] Mestres, qui [2] in Solis urbe regnabat, somnio jussus: hoc ipsum inscriptum in eo: etenim scalpturæ illæ effigiesque, quas videmus, Ægyptiæ sunt litteræ.

2. [3] Postea & alii regum in supra dicta urbe, [4] Sothis [5] quatuor numero, quadragenûm octonûm cubitorum longitudine: [6] Ramises autem is, quo regnante Ilium captum est, [7] quadraginta cubitorum. Idem digressus inde, ubi fuit [8] Mnevidis regia, [9] posuit alium, longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor. * Opus id fecisse dicuntur CXX. M. hominum. Ipse rex, cum subrecturus esset, vereretur que ne machinæ ponderi non sufficerent, quo majus periculum curæ artificum denunciaret, filium suum adalligavit cacumini, ut salus ejus apud molientes prodesset & lapidi. Hac admiratione operis effectum est, ut cum oppidum id expugnaret Cambyses rex, ventumque esset incendio ad crepidines obelisci, extingui ignem juberet molis reverentia, qui urbis nullam habuerat.

* Cap. IX.

3. Sunt & alii duo, [10] unus a Smarre positus, alter [11] ab Eraphio, [12] sine notis, quadragenûm octonûm cubitorum. Alexandriæ statuit unum octoginta cubitorum Ptolemæus Philadelphus, quem exciderat [13] Nectabis rex purum: majusque opus fuit in devehendo statuendove multo, quam in excidendo. [14] A Satyro architecto aliqui devectum tradunt rate: [15] Callisthenes a Phœnice, fossa perducta usque ad jacentem obeliscum e Nilo. Navesque duas in latitudinem patulas, [b] pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita ut subirent obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrimque: postea egestis laterculis allevatas naves excepisse onus statutum. Excisos autem sex tales in monte eodem, & artificem donatum [16] talentis quinqua-

Interpretatio.

a *Radiorum.*] Excogitata obeliscorum effigies est, ad significandos Solis radios: & radium quidem Ægyptii obeliscum vocant.

b *Pedalibus.*] Pedalibus *laterculis* ex eodem lapide naves oneratas duplo magis quam esset pondus obelisci: sic æstimato pondere, ut laterculi congererentur in navem, quot obelisci longitudinem bis adæquarent: Sic naves eo pondere pressæ, subiere obeliscum, qui duabus suis extremitatibus ripæ amnis interfluentis incumbebat. Postea egestis laterculis, naves sublevatæ excepere onus.

Notæ.

2. *Magnus & duobus.*] Subintellige, lapidum, sive marmorum generibus.

3. *Coralitico, &c.*] De Coralitico, Alabandicoque totidem verba facit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 5. Vide & Marbod. lib. de lapid pret. cap. 8. & Aetium, lib. 2. de re med. cap. 33 pag. 53. In Indice, *Coralitico.*

4. *Thebaicus*] Isidorus hæc de Thebaico lapide pariter totidem verbis ac syllabis, loc. cit.

5. *Coticulis.*] Præbet, inquit, hic lapis coticulas, usus eximii, ad terenda collyria. Sic libri omnes, etiam MSS. Sic & Isidorus, loco cit. Salmasius tamen in Solin. pag. 1051. *toticulas* legi mavult Cotes in poliendo marmore superius commendavit Plinius, sect. 10

6. *Pyropœcilon.*] Πυροποίκιλον, punctis ignei coloris distinctum & varium

Sect. XIV. 1. *Mestres.*] Sic Reg. 2. & Vaticana exemplaria, Kirchero nostro teste, lib. 1. de origine & erectione Obeliscorum, cap. 4. non, ut editi, *Mitres.* Hunc autem Ægypti regem, atque adeo & consequentes, longe post Mosis ætatem imperitasse credimus

2. *In Solis urbe.*] Heliopoli, ut diximus lib. 5. sect. xi. Obeliscos porro a Mestre conditos, Kircherus, loco cit. cap. 8. eos esse suspicatur, qui Romæ etiamnum Mahutæus, Medicæus, & Scauro-Cælius appellantur: minoris quidem formæ, ut prima rerum esse principia solent.

3. *Postea & alii regum.*] Reg. 2. *& alii eorum*, quod eodem recidit.

4. *Sothis.*] In MSS. *Sochis.* Alias τὸν Σῶθιν Ægyptii Caniculam vocant, ut diximus lib. 2. sect 40. ex Damascio apud Photium.

5. *Quatuor numero, &c.*] Tum ex ratione mensuræ, tum ex hieroglyphicorum characterum interpretatione, Kircherus colligit, ex iis quatuor obeliscis, eum unum esse, qui Pamphilus appellatus ab Innocentio X. Pontifice, a quo nuper erectus, cum diu prostratus jacuisset.

6. *Ramises autem.*] Hunc Tacitus Rhamsen, lib. 2. Annal. pag 61. Ῥεμφὶς Diodorus Sic. lib. 1. Bibl. pag. 55. Josephus Ramphem, Herodotus Rampsinitum vocat, libro 2. Euterpe, num 21.

7. *Quadraginta cubitorum.*] Subintellige, totidem ab illo positos, quot & a patre, hoc est, quatuor, sed cubitorum tantum quadragenûm Ita Kircherus, loco cit.

8. *Mnevidis regia.*] Haud procul Heliopoli: nam apud hujus oppidi cives Mnevis bos colebatur; apud Memphitas Apis. Testis est Strabo, lib. 17. pag 803.

9. *Posuit alium.*] Hic ille insignis Obeliscus, quem Sixtus V. erutum e Circo maximo, ubi a Constantio Constantini M. F. fuerat olim erectus, teste quidem Ammiano, lib. 17. ante Basilicam Lateranensem ingenti ausu erexit, anno MDLXXXVIII.

10. *Unus a Smarre.*] Eumdem hunc esse quidam existimant, qui Eusebio in Chron. Ammerres Æthiops appellatur.

11. *Ab Eraphio.*] Qui Uaphres ab Eusebio in Chronico appellatur, ut nonnulli putant.

12. *Sine notis.*] Forsan, quod erant alienigenæ, Æthiopes nimirum, Ægyptiorum hieroglyphicas notas haud satis edocti.

13. *Nectabis.*] Qui Eusebio in Chron. Nectanebis, cujus ætas Alexandri M. tempora vix XL. annis antecessit.

14. *A Satyro.*] Quem de Mausoleo librum condidisse auctor est Vitruvius, in præf libri 7. pag. 125.

15. *Callisthenes.*] Sic MSS. non *Callixenus*, ut editi. Egimus de eo in Auctorum Indice.

16. *Talentis quinquaginta.*] Talenta hæc Ægyptia inter-

ginta. Hic fuit in [a] in Arsinoëo positus [17] a rege supra dicto, munus amoris in conjugem, [18] eamdemque sororem [19] Arsinoën. Inde eum navalibus incommodum Maximus quidam Præfectus Ægypti transtulit in forum, reciso cacumine, dum vult fastigium addere auratum, quod postea omisit.

4. Et alii duo sunt Alexandriæ ad portum, in Cæsaris templo, quos excidit [20] Mestres rex quadragenûm binûm cubitorum. Super omnia accessit difficultas mari Romam devehendi, [b] spectatis admodum navibus. Divus Augustus priorem advexerat, miraculique gratia Puteolis navalibus perpetuis dicaverat: sed incendio consumpta est. Divus Claudius aliquot per annos asservatam, [21] qua Caïus Cæsar importaverat, omnibus quæ umquam in mari visæ sunt, mirabiliorem, turribus [22] Puteolano ex pulvere exædificatis, perductam Ostiam, portus gratia mersit: [c] alia ex hoc cura navium, quæ Tiberi subvehant. Quo experimento patuit, non minus aquarum huic amni esse, quam Nilo.

5. [23] Is autem obeliscus, quem Divus Augustus [24] in Circo magno statuit, excisus est a rege [25] Semnesertæo, [26] quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum, [d] & dodrantis, præter basim ejusdem lapidis: Is vero, qui est in Campo Martio, novem pedibus minor, [27] a Sesostride. Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum [28] Philosophiâ continent.

CAP. X. XV. [1] Ei, qui est in Campo, Divus Augustus addidit [2] mirabilem usum, ad depre-

Interpretatio.

a *In Arsinoëo.*] In monumento Arsinoës.

b *Spectatis.*] Insignibus admodum structis in eam rem navibus.

c *Alia.*] Alia deinde subiit cura naves struendi, quæ Tiberi obeliscum subveherent.

d *Et dodrantis.*] Et pollicum novem.

Notæ.

pretor, quorum singula cum argenti libras octoginta capiant, ut ex Varrone vidimus, lib. 33. sect. 15. efficient quinquagenas monetæ nostratis libras, ut vocant, seu florenos, 134400.

17. *A rege supradicto.*] Ptolemæo Philadelpho, qui uxori eidemque sorori suæ monumentum exstruxit, Ἀρσινόειον appellatum. Sic Iseom Isidis monumentum vocant.

18. *Eamdemque sororem*] Ægyptiorum ille regum mos fuit. Testis insignis præ ceteris in Thesauro Regio nummus aureus, cujus pars prior capita duo exhibet, quorum alterum alteri applicitum est: epigraphe, ΘΕΩΝ. Posterior capita duo alia, & alterum similiter applicitum alteri: epigraphe: ΑΔΕΛΦΩΝ. Vidimus & alium pondo aureorum Francicorum trium. Θεὸς nemo regum Ægypti vel Syriæ dictus est vel dici potuit ante Philometorem, vel æqualem ejus Antiochum Θεὸς. Nunc pars jure conjux Philometoris Θεὰ appellatur: quæ, nisi soror ejusdem esset, esse Θεὰ, vel omnino Cleopatra dici non potuit. In altera hujus nummi parte sunt utriusque parentes, Ptolemæos Philopator, qui & Tryphon, cum conjuge eademque sorore. Unde & ambo ΑΔΕΛΦΟΙ vocantur. Philometor igitur, cum Cleopatra conjuge & eadem sorore, in hoc nummo pingitur parte una; & ambo ibi ΘΕΟΙ: in altera deinde ΑΔΕΛΦΩΝ, hoc est, fratris & sororis pariter regum (nam sunt omnium capita cincta diademate) filii appellantur. Θεοὶ ἀδελφοὶ dicuntur, qua forma & *Alexander Philippi*, subintellecto filii nomine, nuncupatur. Vidimus ex auro similem pulcherrimum apud D. DE BOZE; in quo æque atque in aliis, & sunt clausis oculis Ptolemæus Philopator & uxor, ut jam fato functi; & majorem præferunt ætatem, quibus nomen ΑΔΕΛΦΩΝ superscriptum est; quam quibus ΘΕΩΝ: quoniam videlicet illi parentes, hi liberi sunt: ideoque hi non clausis oculis, sed apertis, ut vivi, pinguntur. Itaque Θεοὶ ἀδελφῶν ii dicuntur: id quod idem valet ac si dicas; Orti ambo ex patre, avo, proavo, abavoque regibus; neque hoc tantum; sed & iidem ambo filii filiorum regum; hoc est, ex matre etiam nati ambo, siquidem fratres, quæ ipsa esset ex patre, avo, & proavo regibus orta: *Roi & Reine nez de frere & de sœur issus de trois Rois.* Voces enim ambas, ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ conjungi oportere, manifeste docet nummus alter, in quo unicam epigraphen partis anticæ voces eæ duæ efficiunt: tametsi vultus iidem quatuor utramque implent paginam, hoc est, nummi aream. Θεὸς in nummis Ægypti vel Syriæ regum, non Divum significat, sive relatum inter divos, aut consecratum. Neque enim consecrat, aut inter divos reponit, nisi potestas superior eo qui consecratur. Ea causa est, cur nulli regum in Græcia, Syria, vel Ægypto consecrati appareant, ne ipse quidem Alexander Magnus; quippe qui sint ipso jure natalium Divi post mortem Reges, hoc est, ut Gallice dicimus, *de glorieuse & triomphante memoire.* Atque hinc intelliges, id quod multis aliunde constat argumentis, Imperatores Romanos Senatui fuisse subjectos, a quo utique consecrabantur ii, qui hunc sibi post obitum deferri honorem in vita meruissent. Hoc fuit acta eorum omnia rata haberi, & publica auctoritate confirmari. Denique hinc quoque disces, falsam illam fictamque inscriptionem esse, ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙ, quæ dicata Ptolemæo Soteri & conjugi dicitur.

19. *Arsinoën.*] Nummus tetradrachmæ pondere ex auro eximius, quem vidimus apud D. de Clesres, caput velatum ex una parte exhibet, cum loto in vertice: quod velum matronarum insigne est; ut lotus, Ægypti: ex altera parte geminum Cornucopiæ, cum hac epigraphe: ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Hinc L ΛΓ *Anno* XXXIII. inde ΠΑ: hoc est, Πάφιων. Infra litteras ΠΑ columba est, quoniam columbæ Cypriæ etiam hodieque celebratissimæ sunt ob cristæ venustatem. Hinc Arsinoë profitetur æque sui principatus ac suæ ditionis Ægyptum esse, atque fratris ejusdemque mariti sui. Notandum in eo nummo præterea est, litteram L pro λυκάβαντος adscitam ab Ægyptiis fuisse ex alphabeto Romano, priusquam in Asia sive Syria.

20. *Mestres rex.*] Ita codices nostri & Pintiani, ut supra, num. 8. non, ut editi, *Mesphees.*

21. *Qua Caius Cæsar.*] Navim qua Caius Caligola obeliscum importaverat ex Ægypto. Tranquillus in Claudio, cap. 20. *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus: congestisque pilis superposuit altissimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.*

22. *Puteolano ex pulvere.*] Quem diximus libro sup. sect. 47 mersum mari fieri lapidem inexpugnabilem undis.

23 *Is autem obeliscus.*] Eum esse Kircherus existimat, quem e Circo erutum, post alteram ruinam, ante ædem B. Virginis *del Popolo* Sixtus V. erexit.

24. *In Circo magno.*] Quem Circum Maximum fere vocant, regione Urbis undecima.

25. *Semnesertæo*] Psammamirteum verius, & ad Ægyptiacæ linguæ proprietatem affinius dici scribique Kircherus existimat, loc. cit.

26 *Quo regnante Pythagoras.*] Laertius tamen, non Semneserteo, sed Amaside regnante, venisse in Ægyptum Pythagoram prodidit, in ejus vita, lib. 8 pag 214. commendatumque ei per litteras a Polycrate Samiorum tyranno. Id quoque testatur Tzetzes, Chil XI. hist. 366. vers. 72. Numa Pompilio rege Romanorum paulo priorem Pythagoram Plinius facit, lib XIII. sect XXVII.

27. *A Sesostride.*] Diximus de eo, lib. 6. sect. 33. Fuit Tholæ Israelitarum Judici coævus, regum Ægypti potentissimus.

28. *Philosophia.*] Ex philosophia Ægyptiorum. In libris editis, *philosophia* legebatur. MSS *philosophiæ.*

Sect. XV. 1. *Ei qui est in Campo.*] In Campo Martio. Obelisci hujus vestigia quædam adhuc exstare, cernique per cellam quamdam cryptamve subterraneam, quo ex loco celsissimo dejectus, temporum diuturnitate terra subrutus, ignobilis vilium ædificiorum fundamentis servire cogitur, testis est αὐτόπτης Kircherus, libro cit. cap. 9.

2. *Mirabilem usum.*] Nempe, ut esset in horologio solahendendas

hendendas Solis umbras, dierumque ac noctium ita magnitudines, strato lapide [3] ad magnitudinem obelisci, [4] cui par fieret umbra, [5] brumæ confectæ die, [6] sexta hora, paulatimque [7] per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus [8] decresceret, ac rursus augesceret: digna cognitu res & [9] ingenio fecundo Mathematici. Apici auratam pilam addidit, [a] [10] cujus umbra vertice colligeretur in se ipsa, alias enormiter jaculante apice, ratione (ut ferunt) [11] a capite hominis intellecta. Hæc observatio triginta jam fere annis non congruit, sive Solis ipsius dissono cursu, & cæli aliqua ratione mutato, sive universa tellure aliquid a centro suo dimota, ut deprehendi & in aliis locis accipio: sive Urbis tremoribus, ibi tantum gnomone intorto: sive inundationibus Tiberis [b] sedimento molis facto: quanquam ad altitudinem [12] impositi oneris in terram quoque dicantur acta fundamenta.

7. [13] Tertius Romæ in Vaticano [14] Caii & Neronis Principum Circo, ex omnibus unus omnino [15] factus est imitatione ejus, quem fecerat [16] Sesostridis filius [17] Nuncoreus. Ejusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem visu reddito, ex oraculo Soli sacravit. (CAP. XI.)

XVI. Dicantur obiter & pyramides in eadem Ægypto, regum pecuniæ otiosa ac stulta ostentatio. Quippe cum faciendi eas causa a plerisque tradatur: ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset otiosa. Multa circa hoc vanitas illorum hominum fuit, vestigiaque complurium inchoatarum exstant. Una est in Arsinoite nomo, duæ in Memphite, non procul labyrintho, [1] de quo & ipso dicemus. [2] Totidem, ubi fuit [3] Mœridis lacus, hoc est, fossa grandis. Sed Ægyptus inter mira ac memoranda [4] narrat harum cacumina extrema, quæ eminere dicuntur. Reliquæ tres, quæ orbem terrarum implevere fama, sane conspicuæ undique adnavigantibus, sitæ sunt in parte Africæ, monte saxeo sterilique, inter Memphim oppidum, & quod appellari diximus Delta, [5] a Nilo minus quatuor millia passuum, a Memphi VII. M. D. vico ap- (CAP. XII.)

INTERPRETATIO.

a *Cujus umbra.*] Cujus pilæ umbra in verticis modum colligeretur in seipsa: cum alioqui apex obelisci amplior quam par sit, enormem laxamque nimis jacularetur umbram.

b *Sedimento.*] Mole subsidente.

NOTÆ.

ri pro gnomone. In Indice hujus loci; *De eo obelisco, qui pro gnomone in Campo Martio.*

3. *Ad magnitudinem obelisci.*] Ita libri omnes, nequicquam hæc mutante Scaligero ad Manil. pag 250. Stratum illud lapideum pro plano fuit, in quo describerentur horæ: obeliscus pro gnomone, ut diximus.

4. *Cui par fieret.*] Quantam umbram faciebat obeliscus die brumæ in meridie, tantum erat lapideum illud stratum, media sui parte, qua horam illam signabat

5. *Bruma confecta die.*] Ita Reg 2. aliique codices, & ipse Scaliger, loco cit. non, ut hactenus editi, *Romæ confecta die*, quod insulsum. Brumæ confectus dies appellatur is, quo bruma committitur. Sic lib. 36. sect. 36. sidus confectum Plinius, pro peracto solstitio dixit, quod & alibi ab eo usurpatum ex indice intelliges.

6. *Sexta hora*] Quam nos duodecimam, seu meridiem appellamus.

7. *Per regulas.*] Lineolas æreas.

8. *Decresceret.*] A bruma ad solstitium: vicissimque a solstitio ad brumam augesceret Fuit hæc igitur forma horologii: In prægrandi lapide plano, qui in mille amplius palmorum spatium extendebatur, descripti arcus curvi ab ortu ad occasum, exhibebant magnitudines dierum ac noctium. Umbra enim obelisci in unum illorum incidens, ostendebat horarum, verbi gratia, quindecim diem esse, novemque noctem Lineæ vero quæ arcus illos intersecabant, situm & ordinem horarum antiquarum signabant: ita ut hora prima appellaretur ea quæ Solis ortum proxime sequeretur; sexta, quæ medium diem signaret; duodecima, quæ Solis occasum. Eo enim horologii genere veteres usi sunt, quod singulos dies ac noctes divideret in duodecim æquales horas, sive eæ longiores fuerint, ut diurnæ æstate, bruma nocturnæ; sive breviores, ut hieme diurnæ, nocturnæ solstitio. Unde Aug. lib. de vera Relig. *Hora*, inquit, *brumalis æstivæ comparata minor est* Lineæ porro istæ ex æneis laminis confectæ, horizontali plano insertæ, gratum ex altiore loco spectaculum intuentibus præbebant. Horologii ejus iconem delineavit accurate Jacobus Masus, e Societate nostra, Syracusanus.

9. *Ingenio fecundo Mathematici.*] Quis ille Mathematicus fuerit, codices MSS. non indicant. Typi interpolati sic exhibent · *& ingenio fecundo. Manlius Mathematicus apici*, &c. Nobis a vetustiorum exemplarium fide desciscere religio est. Vidit hoc & Pintianus.

10. *Cujus umbra vertice.*] In verticis seu vorticis modum. Sic paulo ante, sect. XI. *crispum in vertices* dixit, & sect. 12. *maculosum in vertices.* Vide Notas & Emend. num. VIII.

11. *A capite hominis.*] Cujus umbra colligitur, in pilæ modum, pressiorque est, quam quæ reliquo corpore jactatur umbra.

12. *Impositi oneris.*] Sic Reg 2. & Pintiani codex, non *imposita res*: & mox *acta*, non *jacta*. Altitudinem fundamentorum magnitudini obelisci parem fuisse significat

13. *Tertius.*] Hunc Sixtus V. e Circo Vaticano ante S Petri ædem transtulit, & sanctæ Cruci dedicavit.

14. *Caii.*] Quem Caligulam appellarunt. Circum hunc a Caio, ut credimus, cœptum, a Nerone perfectum. Tacitus haud obscure signat, lib. 14. Annal. *Clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos Nero regeret haud promiscuo spectaculo.*

15. *Factus est imitatione.*] Vide Notas & Emend. num. IX.

16. *Sesostridis.*] MSS. *Sesosidis*; vetustæ editiones, *Sesoidis*: quod idem est.

17. *Nuncoreum.*] Pheronem appellat Herodotus, lib. 2 Euterpe, num. CXI. pag. 129. Defuncto patre Sesostride, regnum administrasse: luminibus interim captum esse: restituto visu obeliscos duos Soli sacrasse, longitudinis centenum cubitorum, octonûm latitudinis. Σεσώστριος ἢ τελευτήσαντος ἐκδέξασθαι τὴν βασιληΐην τὸν παῖδα αὐτοῦ Φέρωνα, &c. Eadem refert & Diodorus Sicul. lib 1. Bibl. pag. 54. qui hunc Sesostridis filium Sesostrin secundum vocat

Sect. XVI. 1. *De quo & ipso dicemus.*] Sect. 19.

2. *Totidem.*] Pyramides duæ. A rege Mœride exstructas ait Herod. lib 2. Euterpe, p. 126. num. 101. in media palude: passus L. ab aqua exstare, &c. Diodorus item lib 1 Bibl. pag 48 ab eo rege duas ibi pyramides positas, alteram sibi, uxori alteram.

3. *Mœridis lacus.*] Diximus de eo, lib. 5. sect. 9.

4. *Narrat harum.*] MSS. *narratio harum.* Pintianus, *narrat erarum.*

5. *A Nilo minus*] Paululum discrepat Diodorus, lib. 1. Bibl. pag. 57. Nam is a Nilo stadia XLV. πέντε πρὸς τοῖς τετταράκοντα, hoc est, passuum amplius quinque millia statuit: a Memphi, CXX. hoc est, XV. mil pass. De hisce pyramidibus exstat epigramma, lib. 4. Anthol. cap. 17. εἰς τὰς ἐν Μέμφει πυραμίδας.

Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ καὶ Πήλιον ὕψι τεθέντα
Φλεγῖται ἴστησαν ῥεῖα αἰνοπλάσταν.
Πυραμίδες δ' ἐπὶ τοῦ Νειλῶιδος, ἄγχι μένοντα,
Κορυφαὶ χρυσέαις ἄστρα Πληϊάδων.

Pelion atque Ossam dorso frondentis Olympi

posito, quem vocant Busirin, in quo sunt assueti scandere illas.

XVII. 2. [a] [1] Ante has est Sphinx, vel magis narranda, quasi silvestre numen accolentium. [2] Amasin regem putant in ea conditum, & volunt invectam videri. Est autem saxo naturali elaborata, & [b] lubrica. Capitis monstri ambitus per frontem centum duos pedes colligit, longitudo pedum CXLIII. est, altitudo a ventre ad summam [c] apsidem in capite, LXII.

3. [3] Pyramis amplissima ex Arabicis lapicidinis constat. [4] Trecenta LXVI. hominum millia [5] annis XX. eam construxisse produntur. Tres vero factæ annis LXXVIII. & mensibus IV. Qui de iis scripserint, sunt [6] Herodotus, Euhemerus, Duris Samius, Aristagoras, Dionysius, Artemidorus, Alexander Polyhistor, [7] Butorides, Antisthenes, Demetrius, Demoteles, Apion. Inter omnes eos non constat a quibus factæ sint, justissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus. Aliqui ex his prodiderunt, [9] in raphanos, & allium, ac cæpas, [10] mille sexcenta talenta erogata. [11] Amplissima octo jugera obtinet soli, quatuor angulorum paribus intervallis, per octingentos octoginta tres pedes singulorum laterum, [13] altitudo a cacumine, pedes XV. S. Alterius intervalla singula per quatuor angulos pares, [15] DCCXXXVII. S. comprehendunt. Tertia minor quidem prædictis, sed multo spectatior, [16] Æthiopicis lapidibus, assurgit CCCLXII. pedibus [17] inter angulos. [18] Vestigia ædificationum nulla exstant. Arena late pura circum, lentis similitudine, qualis in majori parte Africæ. Quæstionum summa est, quanam ratione in tantam altitudinem subvecta sint cæmenta. [d] [19] Alii enim nitro ac sale adaggeratis cum crescente opere, ac peracto fluminis irrigatione dilutis: alii lateribus e luto factis, [20] in privatas domos distributis. Nilum enim non putant rigare potuisse, multo humiliorem. In pyramide maxima est intus puteus octoginta sex cubitorum, flumen illo admissum arbitrantur. Mensuram altitudinis earum omniumque similium deprehendere invenit [21] Thales Milesius, umbram metiendo, qua hora par esse corpori solet. Hæc sunt pyramidum miracula: supremumque illud, ne quis regum opus, miretur minimam ex his, sed laudatissimam,

Interpretatio.

a *Ante has.*] Ante Pyramidas sphinx occurrit, opere mirabili.

b *Lubrica.*] Polita, lævigata.

c *Apsidem.*] Curvaturam.

d *Alii.*] Alii enim aggeribus e nitro & sale, simul ut crescebat opus, factis, subvecta cæmenta aiunt: qui aggeres, opere peracto diluti sint fluminis per canales immissi irrigatione.

Notæ.

Falsa loquens vatum fama superposuit.
Pyramides sed adhuc terra Niloide tangunt
Aurea Pleiadum sidera fronte sua

Sect. XVII. 1. *Ante has est Sphinx.*] Durare adhuc Sphingem hanc in Ægypto, auctor est testis oculatus Petrus Bellonius, lib. de admirab. operum præstantia, cap. 2. Ausonius, de sphinge, in grypho ternarii:

Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

2. *Amasin regem*] De eo diximus lib. 10. sect. XI. Hunc certe in Saite nomo colossos posuisse & *ἀνδρόσφιγγας*, scribit Herodot. lib. 2. Euterpe, num. 175. pag. 157. At sepultum in pyramide Lucanus credidit, lib. 9. vers. 155.

Non mihi pyramidum tumulis evulsus Amasis.

Et sane in MSS Reg. 2. aliisque, non *Amasin* hoc loco, sed *Armain* clare legitur: quem in Ægypti regibus Eusebius enumerat, eumdemque altero nomine Danaum appellatum prodit.

3. *Pyramis.*] Quam excitari jussit Cheops Ægypti rex, ex Arabicis lapidibus, inquit Herod. lib. 2. num. 124.

4. *Trecenta.*] Centum hominum millia solum Herodotus habet, lib. 2. Euterpe, num. 124. pag. 137. hoc est, myriades decem. At Diodorus Sic. lib. 1. Bibl. pag. 57. triginta sex myriades, hoc est, hominum millia CCCLX.

5. *Annis XX.*] Priore decennio advecta saxa esse narrat Herodotus, loc. cit. altero fabricam absolutam. Diodorus, loc. cit. *Τὸ δὲ σύμπαν ἔργον ... μόλις ἐτῶν εἴκοσι διατελεσθῆναι.*

6. *Herodotus, Euhemerus, &c.*] De his egimus in Auctorum indice.

7. *Butorides.*] In MSS. *Butoridas.*

8. *Inter omnes eos.*] Discrepantes Auctorum sententias refert Diodorus Sic. lib. 1. Bibl. pag. 59.

9. *In raphanos, &c.*] Herod. loc. cit. pag. 138. Vide Notas & Emend. num. X.

10. *Mille sexcenta talenta.*] Ægyptiaca scilicet, quæ ex Varronis æstimatione, quam attulimus, lib. 33. sect. 15. monetæ nostratis efficiunt libras, seu florenos 4300800.

11. *Amplissima.*] E tribus supradictis. Herodot. pag. 137. singulas frontes quadratæ pyramidis ait obtinuisse *ὀκτὼ πλέθρα μέτωπον ἕκαστον.* In Reg. 2. *septem jugera.* Mela, lib. 1. cap. 9. quatuor tantum jugera, quæ sunt Herodoti *πλέθρα ὀκτώ.*

12. *Per octingentos, &c.*] Sic etiam MSS.

13. *Altitudo a cacumine, pedes XV. S.*] Sic MSS. Hoc est, quindecim millia pedum, cum semisse. Prius legebatur, *latitudo ... pedes XXV.*

14. *Alterius.*] Secundæ e tribus superius memoratis.

15. *DCCXXXVII. S.*] Hoc est, pedes DCCXXXVII. cum semisse. Sic MSS.

16. *Æthiopicis lapidibus.*] Æthiopico lapide, ad medium usque, esse conflatam, Herodotus est auctor, lib. 2. Euterpe, num. 134.

17. *Inter angulos.*] Inter pares angulos: erat enim quadrata. Singulis lateribus tria *πλέθρα*, sive tria semijugera Herodotus attribuit, loc. cit.

18. *Vestigia.*] Totidem verbis hæc Diodorus Sicul. lib. 1. Bibl. p. 57. *Καὶ τὸ θαυμασιώτατον, τηλικούτων ἔργων κατεσκευασμένων, καὶ τοῦ περιέχοντος τόπου πάντος ἀμμώδους ὄντος, οὐδὲν ἴχνος, οὔτε τοῦ χώματος, οὔτε τῆς τῶν λίθων ξεσουργίας ἀπολείπεσθαι· ὥστε δοκεῖν μὴ κατ' ὀλίγον ὑπ' ἀνθρώπων ἐργασίας, ἀλλὰ συλλήβδην καὶ ὀργῷ, ὥσπερ ὑπὸ θεοῦ τινὸς τὸ κατασκεύασμα τεθῆναι τοῖς ἐν τῇ περιέχοντι ἄμμοις.* Et quod maximam pariat admirationem, substructio tam insana perfecta est in loco qui totus circumquaque arenosus est, ut ne vestigium quidem, tum aggeris, tum cæsi & politi lapidis sit reliquum. Unde non paulatim hominum ope, sed conjunctim & semel, seu a Deo quopiam, tota illa moles in circumfusis arenis collocata videatur.

19. *Alii enim nitro.*] Diodorus Siculus, loc. cit. postquam aggerum adminiculo deportatos lapides dixit ad pyramidum structuram, hæc statim subjungit: *Ἐπιχειροῦσι δέ τινες τῶν Αἰγυπτίων τερατολογεῖν καὶ μῦθους περὶ τούτων, λέγοντες ὡς ἐξ ἁλῶν καὶ νίτρου τῶν χωμάτων γεγονότων, ἐπαφεθεὶς ὁ ποταμὸς ἔτηξε καὶ διέλυσεν αὐτά, καὶ παντελῶς ἠφάνισεν, ἄνευ τῆς χειροποιήτου πραγματείας.* Ægyptiorum nonnulli prodigiose de his loqui, & nescio quas fabulas conantur obtrudere: quod nimirum cum aggeres isti e sale & nitro constarent, fluvius immissus eos liquarit, dissolutosque prorsus aboleverit, intacta operis absoluti structura.

20. *In privatas domos distributis.*] Peracto opere.

21. *Thales Milesius*] Apud Plutarchum in Convivio sapientum, p. 147. Thaletem Niloxenus sic compellat: *Ἔπειτα καὶ τὰ ἄλλα θαυμάζει, καὶ τῆς πυραμίδος τὴν μέτρησιν ὑπερφυῶς ἠγάπησεν, ὅτι πάνυ ἀπόνως, καὶ μήτε πραγματείας, μήτε τινὸς ὀργάνου δεηθείς, ἀλλὰ τὴν βακτηρίαν στήσας ἐπὶ τῷ πέρατι τῆς σκιᾶς, ἣν ἡ πυραμὶς ἐποίει,*

[21] a Rhodope meretricula factam. Æsopi fabularum Philosophi conserva quondam & contubernalis hæc fuit, majore miraculo tantas opes meretricio esse conquisitas quæstu.

XVIII. 4. Magnificatur & alia turris a rege facta in insula Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam constitisse [1] octingentis talentis tradunt: magno animo, ne quid omittamus, [2] Ptolemæi regis, quod in ea permiserit [3] Sostrati Gnidii architecti structuræ ipsius nomen inscribi. Usus ejus, nocturno navium cursu ignes ostendere, ad prænuncianda vada, portusque introitum: [4] quales jam compluribus locis flagrant, ut Ostiæ, ac Ravennæ. Periculum in continuatione ignium, ne sidus existimetur, quoniam e longinquo similis flammarum aspectus est. Hic idem architectus primus omnium pensilem [5] ambulationem Gnidi fecisse traditur.

XIX. Dicamus & labyrinthos, vel portentosissimum [1] humani impendii opus, sed non, ut existimari potest, falsum. CAP. XIII.

1. Durat etiam nunc in Ægypto Heracleopolite nomo, qui primus factus est ante annos, ut tradunt, quater mille sexcentos, [2] a Petesucco rege, sive Tithoë. Quanquam [3] Herodotus totum opus regum esse dicit, novissimique Psammetichi. Causam faciendi varie interpretantur. Demoteles regiam Motherudis fuisse, Lyceas sepulcrum Mœridis: plures Soli sacrum id exstructum, quod maxime creditur.

2. [4] Hinc utique sumpsisse Dædalum exemplar ejus labyrinthi, quem fecit [5] in Creta, non est dubium, sed centesimam tantum portionem ejus imitatum, quæ itinerum ambages occursusque, ac recursus inexplicabiles continet: non ([6] ut in pavimentis, puerorumve ludicris campestribus videmus) [a] brevi lacinia millia passuum plura ambulationis continentem: sed crebris foribus inditis, ad fallendos occursus, redeundumque in errores eosdem. Secundus hic fuit ab Ægyptio labyrinthus: tertius in Lemno: quartus in Italia. Omnes lapide polito fornicibus tectis: Ægyptius [7] (quod miror equidem) [8] introitu lapide e Pario: columnis reliquis, e Syenite: molibus compositis, quas dissolvere ne sæcula quidem possint: adjuvantibus Heracleopolitis, [9] qui id opus invisum mire infestavere. [10] Positionem operis ejus singulasque partes enarrare non est, cum sit in regiones divisum, atque in præfecturas [11] (quas vocavi nomos) [12] sedecim nominibus earum, totidem vastis domibus attributis: præterea templa omnium Ægypti Deorum contineat, superque [13] Nemeses quindecim ædiculis incluserit, pyramides complures quadragenarum ulnarum, [14] senas radicum oras obtinentes. Fessi jam eundo perveniunt ad viarum illum inexplica-

INTERPRETATIO.

a *Brevi lacinia.*] Humili, instar laciniæ, *buxo vel herba.*

NOTÆ.

γενομένων τῇ ἐπαφῇ τῆς ἀκτῖνος δυοῖν τριγώνων, ἔδειξας, ὃν ἡ σκιὰ πρὸς τὴν σκιὰν λόγον εἶχε, τὴν πυραμίδα πρὸς τὴν βακτηρίαν ἔχουσαν. Nam cum te quoque ob alia quædam suspicit, Amasias videlicet Ægypti rex, *tum vero mirum in modum te arridet, quod Pyramidis altitudinem absque ullo labore, aut instrumento dimensus es, sed scipione, ad umbra, quam jaciebat pyramis, finem erecto, ac tactu radiorum duobus triangulis constitutis, demonstravisti altitudinem pyramidis ad scipionis altitudinem ea esse proportione, quam umbra illius ad hujus umbram haberet.*

21. *A Rhodope.*] Negat hoc esse verum Herodotus, lib. 2. Euterpe, num. 134. jactitatum id falso a Græcis ait: conditam pyramideno eam esse a Mycerino Cheopis filio, Ægypti rege. Sed fuere, ut dictum est supra, de pyramidarum auctoribus discrepantes sententiæ. Rhodopeo hanc factam esse Ægypti reginam, Ælianus affirmat lib. 13. Var. hist. cap. 33. & Strabo, lib. 17. pag. 808.

Sect. XVIII. 1. *Octingentis talentis.*] Attica hæc ego talenta interpretor, quoniam a Principe e Græcia oriundo persoluta: quæ monetæ nostratis efficiunt libras, seu florenos 1720000. Si Ægyptiaca magis placet intelligi, libras accipe 2150400. Non alia Plinius talenta laudat toto opere, præter Ægyptiaca, Atticave.

2. *Ptolemæi regis.*] Lagi F. qui primus post Alexandrum Ægypto præfuit.

3. *Sostrati Cnidii.*] Inscriptionem recitat Strabo, lib 17. pag 791. ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ. ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ. ΚΝΙΔΙΟΣ. ΘΕΟΙΣ. ΣΩΤΗΡΣΙΝ. ΥΠΕΡ. ΤΩΝ. ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. SOSTRATVS. CNIDIVS. DEXIPHANIS F. DIIS. SERVATORIBVS. PRO SALVTE. NAVIGANTIVM. Refert & Lucianus, lib. quomodo historia sit conscribenda: dolumque simul aperit, quo id fuerit peractum a Sostrato.

4. *Quales jam.*] Vide Notas & Emend. num XI.

5. *Ambulationem.*] Ambulatio, locus est ad deambulandum. Qua de voce Lexicographos consule.

Sect. XIX. 1. *Humani impendii.*] Profusi sumptus. Ita Reg. 2. non *ingenii*, ut editi & Colb. 3. Favet ipse Plinius in calce hujus sectionis: *Adeo vesana dementia, quæsisse gloriam impendio nulli profuturo.* Vidit hoc & Pintianus.

2. *A Petesucco.*] Si Diodoro fides, lib. 1. Bibl. pag 55. a Mende potius rege, quem & nonnulli Maron appellant.

3. *Herodotus.*] Ægyptios Herodotus ait, lib 2. Euterpe, num 147. & 148. recuperata libertate, duodecim sibi reges delegisse, in totidem partes Ægypto distributa. Horum unum fuisse Psammetichum, qui ceteris deinde sublatis e medio, novissimus ipse solusque regnarit. Eos communi consilio, in sui nominis monumentum, labyrinthum fecisse Anno Urbis Romæ LXXXVI. Manasse regis Juda temporibus, Psammetichus Ægypti tenuit principatum.

4. *Hinc utique.*] Sic Diodorus Siculus, lib. 1. Bibl. pag 55.

5. *In Creta.*] Juxta Gnossum. Pausanias in Atticis, aliique.

6. *Ut in pavimentis.*] Ut & in hortis fingi e buxo solent: quibus in labyrinthis per limites exiguos, humili buxo vel herba præcinctos (Plinius laciniam vocat) millia passuum plura conficiuntur.

7. *Quod miror equidem.*] Mirari jure subit, cum Ægyptus tot marmorum generibus domi abundet, e Paro quæsisse, ut ad introitum labyrinthi columnas ex eo excideret, componeretque structis ea eo lapide molibus.

8. *Introitu*, &c.] Vide Notas & Emend. num. XII.

9. *Qui id opus invisum*] M S S. *qui ad opus in usu.*

10. *Positionem operis ejus.*] Eleganter a Mela describitur, lib 1. cap. 9. pag 13. *Psammetichi opus labyrinthus, domos ter mille, & regias duodecim, perpetuo parietis ambitu, amplexus, marmore exstructus ac tectus, unum in se descensum habet, intus pene innumerabiles vias*, &c.

11. *Quas vocavi nomos.*] Libro quinto scilicet, sect. 9. Sic porro M S S. non, ut editi, *quas vocant.*

12. *Sedecim.*] Plures Strabo, Herodotus pauciores habet.

13. *Nemeses.*] De Nemesi diximus, sect 4. libri hujus, num. 3.

14. *Senas radicum oras.*] Ita clare M S S. omnes. Ad radices pyramidis intelligi ab eo arbitramur, spatiosiora fuisse

bilem errorem. Quin & cœnacula prius excelsa, porticusque ascenduntur nonagenis gradibus omnes: intus columnæ de porphyrite lapide, Deorum simulacra, regum statuæ, monstriferæ effigies. Quarumdam autem domorum talis est situs, ut adaperientibus fores, tonitruum intus terribile existat. Majore autem in parte transitus est per tenebras: aliæque rursus extra murum labyrinthi ædificiorum moles, [15] pteron appellant. Inde aliæ perfossis cuniculis subterraneæ domus. Refecit unus omnino pauca ibi Circummon spado Nectabis regis, ante Alexandrum Magnum annis quingentis. Id quoque traditur, [a] fulsisse [16] trabibus spinæ oleo incoctæ, dum fornices quadrati lapidis assurgerent. De Ægyptio & Cretico labyrinthis, satis dictum est.

3. Lemnius similis illis, columnis tantum centum quinquaginta mirabilior fuit: [17] quarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. Architecti illum fecere Zmilus & Rholus, & [18] Theodorus indigena. Exstantque adhuc reliquiæ ejus, cum Cretici Italicique nulla vestigia exstent.

4. Namque & Italicum dici convenit, quem fecit sibi Porsenna rex Etruriæ sepulcri causa, simul ut externorum regum vanitas quoque ab Italis superetur. Sed cum excedat omnia fabulositas, utemur ipsius M. Varronis in expositione ejus verbis: Sepultus est, inquit, sub urbe Clusio: in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm: inque basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem: quo si quis [b] improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque, quatuor in angulis, in medio una: in imo latæ pedum quinûm septuagenûm, altæ centum quinquagenûm: ita fastigatæ, ut in summo orbis æneus & [19] petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant [20] exapta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longe sonitus referant, [21] ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem quatuor pyramides insuper, singulæ exstant altæ pedum centenûm. Supra quas [c] uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adjicere. Fabulæ Etruscæ tradunt eamdem fuisse, quam totius operis: adeo vesana dementia quæsisse gloriam impendio nulli profuturo. Præterea fatigasse regni vires, ut tamen laus major artificis esset.

Cap. xiv. XX. Legitur & pensilis hortus, immo vero totum oppidum Ægyptiæ Thebæ, exercitus armatos subter educere solitis regibus, nullo oppidanorum sentiente. Etiamnum hoc minus mirum, quam quod flumine medium oppidum interfluente. Quæ si fuissent, non dubium est Homerum dicturum fuisse, [1] cum centum portas ibi prædicaret.

XXI. Magnificentiæ vera admiratio exstat templum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum [2] a tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere [3] carbonibus, dein velleribus lanæ. Universo templo longitudo est CCCCXXV. pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem a singulis regibus factæ, LX. pedum altitudine: ex iis XXXVI. cælatæ, una a Scopa. Operi præfuit [4] Chersiphron architectus. Summa miracula, [5] epistylia tantæ molis attolli po-

Interpretatio.

a *Fulsisse.*] Dicitur sustentasse id opus trabibus Ægyptiæ spinæ, oleo incoctæ

b *Improperet.*] Introire properet.

c *Uno solo.*] In eadem planitie.

Notæ.

damenta, ceu gradus quosdam, per quos introïtus pyramidis peteretur. Libri editi, *femos radice muros.*

15. *Pteron appellant.*] Πτερὰ sunt in re ædificatoria, ut alibi diximus, muri duo in altitudinem consurgentes, alarum instar

16. *Trabibus spinæ.*] Spinæ Ægyptiæ, sive Arabicæ, de qua lib. 24. sect. 65.

17. *Quarum ... turbines.*] Quarum cardines & axes in torno ita librati temperatique, ut puero rotam circumagente, cujus illæ erant axi implicitæ, tornarentur ab opifice

18. *Theodorus indigena.*] Lemnius igitur. Est is fortassis, quem de æde Dorica Junonis, quæ est Sami, commentarium condidisse Vitruvius prodidit, in præfatione libri 7. pag. 124

19. *Petasus.*] Galeri forma.

20. *Exapta catenis.*] Hoc est, aptata, conjuncta, *συναρμόσμενα, ἐξηρμοσμένα.* Sic MSS Reg. 2. & alii: non, ut in editis legitur, *excepta* Usus ea voce Lucretius, lib. 4. vers. 827.

Brachia tum porro validis exapta lacertis.

Et Lucilius, lib 10.

Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens.

21. *Ut Dodonæ olim.*] Ubi columnæ fuere duæ sublimes, quarum in altera posita pelvis ærea esset: in altera pensile pueri simulacrum, flagellum æreum manu tollentis. Quoties vero vehementior paulo ventus afflaret, impulsa scutica pelvim feriret sæpiuscule, quæ diu post tinnitum referret. Unde parœmia: *Δωδωναῖον χαλκεῖον, Dodonæum æs.*

Sect. XX. 1. *Cum centum portas.*] Iliad. ί. vers. 382.

Sect. XXI. 1. *Templum Ephesiæ.*] Robertus Cenalis, lib. 2. hist. Gall. perioche 3. pag. 130 subductis accurate calculis splendide demonstrat templum B. Virginis Parisiis sacrum, majus esse multo ac splendidius, quam fuerit Ephesinum, mensuris utriusque collatis, atque operosius fabricatum.

2. *A tota Asia.*] Livius, lib. 1 pag. 16. *Jam tum erat inclytum Dianæ Ephesiæ fanum: id communiter a civitatibus Asiæ factum fama ferebat.*

3. *Carbonibus.*] August. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 4. *Quid? in carbonibus, nonne miranda est, & tanta infirmitas, ut ictu levissimo frangantur, pressu facillimo conterantur: & tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, usque adeo ut eos substernere soleant .... Quis eos in terra humida effossos, ubi ligna putrescerent, tamdiu durare incorruptibiliter posse, nisi rerum ille corruptor ignis, effecit?* Hujus consilii auctorem Theodorum Samium, Rhœci filium fuisse, scribit Diogenes Laertius, lib. 2. in Aristippo, pag. 58.

4. *Chersiphron.*] Χερσίφρων pariter Straboni, lib. 14. pag. 640.

5. *Epistylia.*] Egimus de ea voce, libro sup. sect 49.

fuisse. Id consecutus est ille ª [6] æronibus arena plenis, molli clivo super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, ut sensim [8] opus in cubili sederet. Difficillime hoc contigit in limine ipso quod foribus imponebat. Etenim ea maxima moles fuit: nec sedit in cubili, anxio artifice, ᵇ mortis destinatione suprema. Traduntque in ea cogitatione fessum nocturno tempore in quiete vidisse præsentem Deam, cui templum fiebat, hortantem ut viveret: se composuisse lapidem: atque ita postero die apparuit, & ᶜ pondere ipso correctus videbatur. Cetera ejus operis ornamenta plurium librorum instar obtinent, nihil ᵈ ad speciem Naturæ pertinentia.

XXII. Durat & Cyzaci delubrum, in quo filum aureum ᵉ commissuris omnibus politi lapidis subjecit artifex, eboreum Jovem dicaturus intus, coronante eum marmoreo Apolline. [1] Translucet ergo pictura tenuissimis capillamentis, lenique ᶠ afflatu simulacra refovente, præter ingenium artificis, ipsa materia, quamvis occulta, in pretio operis intelligitur. CAP. XV.

XXIII. Eodem in oppido est lapis, fugitivus appellatus: [1] Argonautæ eo pro ancora usi ibi reliquerant. [2] Hunc e Prytaneo (ita vocatur locus) sæpe profugum vinxere plumbo. [3] Eadem in urbe juxta portam, [4] quæ Trachia vocatur, turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant: nomenque huic miraculo Echo est a Græcis datum. Hoc quidem natura locorum evenit, & plerumque convallium: ibi casu accidit. Olympiæ autem arte, mirabili modo, in porticu, quam ob id [5] heptaphonon appellant, quoniam septies eadem vox redditur. Cyzici & [6] buleuterion vocant ædificium amplum, sine ferreo clavo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes ᵍ sine fulturis, ac reponantur. Quod item Romæ [7] in ponte Sublicio religiosum est, posteaquam [8] Coclite Horatio defendente ægre revulsus est.

XXIV. Verum & ad Urbis nostræ miracula transire conveniat, ʰ nongentorumque annorum dociles scrutari vires, & sic quoque terrarum orbem victum ostendere: quod accidisse toties pæne, quot referentur miracula, apparebit: universitate vero acervata, & in quemdam unum cumulum conjecta, non alia magnitudo exsurgit, quam si mundus alius quidam in uno loco narraretur.

INTERPRETATIO.

a *Æronibus.*] Sportulis.
b *Mortis.*] Cum destinaret sibi necem inferre.
c *Pondere.*] Et suo se pondere lapis ad debitum situm statumque revocarat.
d *Ad speciem.*] Ad commendationem.
e *Commissuris.*] Juncturis.
f *Afflatu.*] Auri fulgore simulacra ea leniter feriente, præter ingenium artificis, ipsa simulacrorum materia, ob *repercussum auri*, quamvis occulto nitore ex lapidum juncturis, addit operi pretium.
g *Sine.*] Sine fulcimento aliquo.
h *Nongentorumque.*] Scrutari quid potuerit nongentis annis ingenii sui docilitate assequi populus Romanus.

NOTÆ.

6. *Æronibus.*] Ita Reg. 1. Colb. 3. aliique. In editis perperam legitur, *peronibus*. De *æronum* voce & significatu vide Vossium in Etymol. Sententia hujus loci est, arena saccis convecta excitatum collem fuisse, qui summas columnas excederet: Per eum clivum epistylia attolli in altum facile potuisse: tum ab imo exinanitum collem fuisse, quamdiu sederet epistylium in columnæ abaco, quod suum erat epistylio cubile.

7. *Molli clivo.*] Sic MSS. supra laudati. Libri vulgati, *molli pulvino*. Apud Quintil. lib. 12. cap. 10. *Mollietur clivus elatius solum.* Ubi hodie perperam legitur, *Mollietur divus & latius solum.* Sunt qui legant, *Mollietur clivus & elatius solum.*

8. *Opus in cubili sederet.*] Libri hactenus editi, *ut sensim totum insideret.* Reg. 1. *ut sensim motus in culo sederet.* Salmasius, in Solin. pag. 818. *moles in cubili sederet.* Forte, quoniam sequitur: *Etenim ea maxima moles fuit: nec sedit in cubili.* Apud Vitruvium, lib. 2. cap. 8. pag. 28. *cubilia* lapidum, & lib. 4. cap. 2. pag. 64. *tignorum cubilia*, ubi lapides & tigna sedent & conquiescunt.

Sect. XXII. 1. *Translucet.*] Sic MSS. omnes, Reg. 2. Colb. 3. &c. In editis, *Tralucent ergo juncturæ.* Parm. editio, Ven. Brix. & aliæ ante Frobenium, *Tralucent ergo picturæ.*

Sect. XXIII. 1. *Argonautæ.*] Qui fanum Dindymenes Matris Deorum in ea civitate ædificarunt. Strabo, lib. 12. pag. 575.

2. *Hunc e Prytaneo.*] Πρυτανεῖον Græcis. Livius, lib. 41. pag. 527. *Cyzici in Prytaneum, id est, penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur*, &c. Vide Lexicon Constantini.

3. *Eadem in urbe.*] Simile est quod de Byzantio Dio refert, in Severo, lib. 74. pag. 847. Ἑπτὰ μὲν γὰρ δὴ ἀπὸ τῶν Θρᾳκίων πυλῶν πύργοι κατατείνοντες πρὸς τὴν θάλασσαν ἦσαν· τούτων δ' εἰ μὲν τις ἄλλῳ τῳ προσεχώρει, ἥσυχος ἦν· εἰ δὲ τῷ πρώτῳ ἐνεβόησέ τι, ἢ καὶ λίθον ἐνέῤῥιψεν, αὐτός τε ἐφθέγγετο καὶ ἐλάλει, καὶ τῷ δευτέρῳ τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιεῖν παρεδίδου· καὶ οὕτω διὰ πάντων ὁμοίως ἐχώρει, οὐδ' ἐπετάραττον ἀλλήλους, ἀλλ' ἐν τῷ μέρει πάντες, παρὰ τοῦ πρὸ αὐτοῦ ἕτερος, τήν τε ἠχὼ καὶ τὴν φωνὴν διεδέχοντό τε καὶ παρεπέμποντο. *Ibi septem turres a portis Thraciis ad mare stabant. Harum ad aliam quampiam si quis se contulisset, ea silebat. Sin autem in primam quis voces aliquas emisisset, aut lapidem injecisset, tum ipsa per machinam loquebatur, tum id ipsum alteri faciendum tradebat: atque ita per omnes illud eodem modo pertinebat. neque altera alteram turbabat: sed unaquæque per vices a proxime antecedente sonum vocemque acceptam ad sequentem transmittebat.*

4. *Quæ Trachia.*] Τραχεῖα *aspera*. Sic MSS. non, ut editi, *Thracia*.

5. *Heptaphonon.*] Ἑπτάφωνον, quasi septies vocalem. Vide Plutarchum, lib. 4. de placitis Philos. cap. 20. pag. 903. Idem lib. de Garrul. pag. 505. porticum hanc ipsam commemorat, quæ Olympiæ fuit, ἑπτάφωνον appellatam, quia vocem iciscet septies iteraret. Lucretius, lib. 4.

Sex etiam, aut septem loca vidi reddere voces,
Unam cum jaceres: ita colles collibus ipsi
Verba repulsantes iterabant dicta referre: &c.

Quem in locum Lambinus ait, in Carentonio vico, qui vicus tribus passuum millibus ab urbe Parisiorum abest, auditam a se Echo fuisse voces septies regerentem: Ticini in aula magnæ Basilicæ ter & decies vocem referri.

6. *Buleuterion.*] Βουλευτήριον Curiam, Senatum, consilii locum.

7. *In ponte Sublicio.*] Nomen is habet a sublicis, hoc est, a tignis, quibus pons innititur. Sic enim Formiani ea tigna nuncupabant. Auctor Festus. Idem roboreus, a trabium materia dictus Ovidio lib. 5. Fastor. vers. 622. quare & ξυλίνην γέφυραν Plutarchus appellat in Gracchis. Æmilius quoque P. Victori, in descriptione Romæ, *Pons Æmilius, qui ante Sublicius.* Dum trabibus sive sublicis sine ære aut ferro stetit, vel clavum ei addere religioni fuit: quare pons sacer tum habitus, & ἱερὰ γέφυρα Græci nominarunt.

8. *Coclite Horatio.*] Vide quæ diximus lib. 34. sect. 11.

1. Nam ut Circum maximum [1] a Cæsare Dictatore exstructum longitudine [a] stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis [3] jugerum quaternûm, [4] ad sedem CCLX. millium inter magna opera dicamus: nonne inter magnifica [5] basilicam Pauli columnis e Phrygibus mirabilem, [6] forumque Divi Augusti, & [7] templum Pacis Vespasiani Imperatoris Augusti, pulcherrima operum, quæ unquam: [8] Pantheon Jovi Ultori ab Agrippa factum, cum theatrum ante texerit Romæ Valerius Ostiensis architectus [9] ludis Libonis?

2. Pyramidas regum miramur, cum solum tantum foro exstruendo [10] H-S millies Cæsar Dictator emerit: & si quidem impensæ movent captos avaritia animos, P. Clodius, quem Milo occidit, [11] sestertiûm centies & quadragies octies domo empta habitaverit: quod equidem non secus, ac regum insaniam, miror. Itaque & ipsum Milonem [12] sestertiûm septingenties æris alieni debuisse, inter prodigia animi humani duco. Sed tunc senes [13] aggeris vastum spatium, & substructiones insanas Capitolii mirabantur: [14] præterea cloacas: operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque [15] (ut paulo ante retulimus) urbe pensili, subterque navigata.

3. A M. Agrippa in Ædilitate post Consulatum, per meatus corrivati [16] septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti, insuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando [a] Tiberis retro. infusi recipiunt

* Interpretatio.

a *Tiberis.*] Tiberis exundantis.

Notæ.

Sect. XXIV. 1. *A Cæsare Dictatore.*] Designatum jam olim a Tarquinio Prisco Romanorum rege, inter Aventinum & Palatium.

2. *Stadiorum trium.*] Hoc est, passuum CCCLXXV. Nam *stadium*, inquit Plinius, lib. 2. sect. 21. *centum viginti quinque nostros efficit passus.*

3. *Jugerum quaternûm.*] Singula jugera ex eodem Plinio, lib. 18. sect. 3. pedes continent CCXL.

4. *Ad sedem* CCLX.] Reg. 1. & Colb. 3. ac vetus Dalec. CCL. At P. Victor, in descript. Romæ, regione Urbis undecima, *Circus Maximus, qui capit loca trecenta octoginta quinque millia.* Certe Trajanus quinque millia locorum adjecit: forte & alii plura.

5. *Basilicam Pauli.*] Fuit hic L. Æmilius Paulus, qui C. Marcelli in Consulatu collega, anno Urbis DCCIII. in medio foro, ut quidem Cicero scribit ad Atticum, lib. 4. epist. 16. basilicam novam magnificentissimam exstruxit. Exstat hujus insigne monumentum in nummo vetere gentis Æmiliæ, quem Patinus exhibet, lib. de famil. Rom. pag. 7. Meminere Plutarchus in Cæsare, Dio lib. 49. P. Victor, in descript. Romæ, regione octava, ubi & Forum Romanum, *Basilica Pauli cum Phrygiis columnis.*

6. *Forumque D. Augusti.*] P. Victor, loco cit. *Forum Augusti, cum æde Martis Ultoris.* Vide Sueton. in Aug. cap. 29.

7. *Templum Pacis.*] Foro proximum, ut alibi diximus.

8. *Pantheum Jovi Ultori.*] Nunc ædes est Deiparæ sacra. Rotundam a forma structuræ vocant. Est enim, ut ait Ammianus, lib. 16. *Speciosa celsitudine fornicata.*

9. *Ludis Libonis.*] Scribonii Libonis, qui Ciceronia Consulatu ædilitatem gessit. Hujus est nummus argenteus in Museo nostro, & apud Patinum, in Famill. pag. 249. Caput Concordiæ velatum exhibet, & nomina Paulli Lepidi, ut jam superius vidimus, ad librum XXXIII. qui *Paullus* ex patre, *Lepidus* ex matre fuit, filia Lepidi Triumviri. Ex altera parte in ambitu legitur, PVTEAL SCRIBON. Infra LIBO: in medio, compages lignea quadrata, sertis ac floribus circumdata: hinc inde pendent velut arculæ duæ, vel sacculi forenses duo, in quibus essent instrumenta litium: in imo, malleolus, quo signum a Prætore daretur Prætorii dimittendi. Curiæ ea septa sive claustra sunt, cujusmodi apud nos est, quod vocant, *le Parquet.* Prætor Urbanus, cum hic nummus cuderetur, Scribonius Libo fuit, & idem primus auctor hæc claustra construendi. Hujus meminit Horatius, libro 1. epist. XIX. vers. 8.

Forum PVTEAL *que Libonis*
Mandabo siccis:

Quoniam siccos oportet esse, non madidos, qui coram Libone Prætore perorarent. Et libro 2. Satyra VI. vers. 35.

Roscius orabat sibi adesses ad PVTEAL *cras.*

Nimirum ut apud Prætorem causam ipsius actitaret. Claustra illa septave, quod putei crepidinem repræsentarent, Romani *Puteal* appellarunt. Fuit Prætor Urbanus Scribonius Libo e gente patricia: cujus e posteris C. Scribonius Consul a Plinio memoratur, libro 2. sect XXXV. Vidimus & alium pariter ex argento nummum, parte una simili forma putealis: superne, PVTEAL: infra, SCRIBON. Parte altera caput Augusti nudum, CAESAR AVGVSTVS. Alius est Statius Libo, cujus est nummus ex ære mediocri, in Thesauro Regio, & apud Patinum, pag. 266. Caput Augusti nudum exhibet. epigraphe, CN. STATI. LIBO. *Cneius Statius* (non *Statilius*) *Libo*, Triumvir Monetalis. .)(. Clypeus votivus rotundus, dextro latere: sinistro, urceus, insigne sacerdotum: infra, SACXRDOS. Sententia est: *Solidum Auro Clypeum Eduæ Restitutori Donavit Ordo Sacerdotum*, Cæsari Augusto scilicet, cujus hic vultus est, ut recte agnovit D. Vaillant, in Famil. Ab Augusto enimvero Eduæ deinceps cognomen Augustæ fuit, quoniam collapsam restituit.

10. *H-S. millies.*] Sestertiûm millies, hoc est, millies centenis millibus sestertiûm monetæ nostratis libræ sunt seu floreni 10000000. seu deni milliones. Suetonius in Julio, cap. 26. *Forum de manubiis inchoavit, cujus area super H-S. millies constitit.*

11. *Sestertiûm centies*, &c.] Sic etiam MSS. omnes, nequicquam obstrepente Gronovio, lib. 3. de sest. cap. 16. pag. 547. Summa hæc libras nostrates seu florenos efficit 1480000. ipsa digna regum, quæ mox irridetur, insania.

12. *Sestertiûm septingenties.*] Sic libri omnes, MSS. quoque, Reg. 2. aliique probatiores: etsi Budæus lib. 3. fol. 39. talenta pro sestertiis ex corrupto aliquo exemplari reponere nititur. Sunt autem sestertiûm septingenties centena millia, monetæ Gallicæ libræ 7000000. seu septem omnino milliones.

13. *Aggeris vastum spatium.*] Plinius lib. 3. sect. 9. pag. 332. de urbe Roma: *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano.* Inter portam Esquilinam, & Collinam Dionysius. Halic. lib. 9. aggerem hunc situm affirmat. Servio Tullio adscribere id opus Strabo videtur, lib. 5. pag 234.

14. *Præterea cloacas.*] Dionys. Halic. lib. 3. Antiq. Rom. pag. 200. Ἤρξατο δὲ καὶ τὰς ὑπονόμους ὀρύττειν, δι᾽ ὧν ἐπὶ τὸν Τίβεριν ὀχετεύεται πᾶν τὸ συῤῥέον ἐκ τῶν στενωπῶν ὕδωρ, &c. *Cœpit & cloacas Tarquinius Priscus fodere, quibus in Tiberim corrivatur, quidquid aquarum est per vias: dici vix potest quam mirabili opere. Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani imperii: Aquæductus, Via strata, & hæ Cloacæ: reputanti non solum utilitatem operum, verum etiam impensarum magnitudinem: quam vel hinc liceat conjicere, quod neglectas aliquando cloacas, & non transmittentes aquas, Censores mille talentis purgandas locaverint*, hoc est, monetæ Gallicæ libris seu florenis 2400000. Cloacarum major admiratio est, quod earum fornicibus firmo tanquam solo altissimæ domorum niterentur moles: quod in pontibus Sequanæ impositis mirabiliore, ut credimus, opere, Parisiis fit. Has Urbis Romæ cloacas, dum refici imperat Italiæ Rex Theodoricus, idem impense prædicat, apud Cassiod. lib. 3. Var. ep. 30. *Splendida Romanæ civitatis cloacæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios, quasi montibus concavis clausos.... Videas structis navibus per aquas rapidas non minima solicitudine navigari: ne præcipitato torrenti marina possint naufragia sustinere. Hinc Roma singularis, quanta in te sit, potest colligi magnitudo. Quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire?*

15. *Ut paulo ante retulimus.*] Nempe de Thebis Ægyptiis, sect. 10.

16. *Septem amnes.*] Rivi septem ex aquis per Urbem fluca-

fluctus, [17] pugnantque diversi aquarum impetus intus: & tamen obnixa firmitas resistit. [a] Trahuntur moles internæ tantæ, non succumbentibus [18] causis operis: pulsant ruinæ sponte præcipites, aut impactæ incendiis: quatitur solum terræ motibus: durant tamen a Tarquinio Prisco annis DCC. prope inexpugnabiles: non omittendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis [b] rerum conditoribus omissum est: cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret: essetque labor, incertum longior an periculosior, passim [19] conscita nece, Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea posteaque [20] remedium invenit ille rex: ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda civibus, simul & feris volucribusque laceranda. Quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas servavit in præliis, tunc quoque subvenit: [c] sed illo tempore imposuit, jam erubescens, cum puderet vivos, tamquam puditurum esset extinctos. Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, [21] ut vehem feni large onustam transmitteret.

4. Parva sunt cuncta, quæ diximus, & omnia uni comparanda miraculo, antequam nova attingam. [22] M. Lepido, Q. Catulo Coss. ut constat inter diligentissimos auctores, domus pulcrior non fuit Romæ quam Lepidi ipsius. At hercule intra annos XXXV. eadem centesimum locum non obtinuit. Computet in hac æstimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, [23] & cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos: posteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas. Profecto incendia puniunt luxum: nec tamen effici potest, ut mores aliquid ipso homine mortalius intelligant.

5. Sed eas omnes duæ domus vicerunt. [24] Bis vidimus Urbem totam cingi domibus Principum [25] Caïi & Neronis, & hujus quidem (ne quid deesset) aurea. [26] Nimirum sic habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes triumphosque referendos [27] ab aratro aut foco exeuntes, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, [28] quam sellariæ istorum.

6. Subit vero cogitatio, quota portio harum fuerint areæ illæ, quas invictis Imperatoribus decernebant publice ad ædificandas domos: summusque illarum honos erat, [29] sicut in L. Valerio Publicola, qui primus Consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, [30] & fratre

INTERPRETATIO.

a *Trahuntur.*] Trahuntur intus purgamentorum moles ingentes, nec tamen parietes fornicesque succumbunt, quibus fulcitur opus. Pulsant urbem ruinæ domorum quæ aut sponte aut incendiorum vi cadunt, &c.

b *Rerum.*] Historiarum.

c *Sed illo.*] Sed imposuit illis pudor, ipse jam erubescens, eum ob eam rem puderet vivos, quod, ut quidem rebantur, puditurum esset extinctos.

NOTÆ.

tibus collectisque corrivati. Nam vis ingens aquarum, quæ per aquæductus in usum civitatis effluxit, receptacula, quo illaberetur, poscebat. Ex his præcipua septem fuere, minutiora plura.

17. *Pugnantque diversi.*] Firmitatem operis commendare aggreditur, causasque quatuor commemorat, quarum vel singulæ firmissima opera evertant, cum universæ non labefactent illud. Nimirum, pugna aquarum, & copia intus: moles purgamentorum ac lapidum quas aquæ volvunt: ruinæ variæ & pondera incidentium ædificiorum: denique validi aliquot terræ motus.

18. *Causis operis*, &c.] Ita MSS. omnes, frustra rescribente Reinesio, lib. 2. Var. lect. cap. 7. pag. 175. *cavis operis*: quanquam & cavas fuisse cloacas per se satis intelligitur, & mox a Plinio cavorum ejusmodi amplitudo describitur.

19. *Conscita nece.*] Voluntaria morte quæsita, tædio operis.

20. *Remedium invenit.*] Refert hoc quoque Tarquinii factum ex Cassio Hemina Servius. Simile est quod de Milesiis virginibus Gellius & Plutarchus narrant, omnibus notum.

21. *Ut vehem feni.*] Prodidit id quoque Strabo, lib. 5. pag. 235. Marlianus, qui dimensus est, pedum sedecim latitudinem se reperisse ait. Cum hoc autem opus Tarquinii jam durasse annis DCC. Plinius testatur, cum hæc scriberet, hoc est, anno Urbis DCCCXXX. manifeste indicat, cœptum saltem hoc opus a Tarquinio fuisse anno Urbis CXXX. ac proinde regnare cœpisse eum circiter ineuntem annum Urbis CXXVIII. Non obiit autem ante annum Urbis CLXXXIII. ut diximus ad lib. XV. sect. 1. Igitur regnavit annos LVI. vixit annos LXXXVI. si regnum suscepit annos natus, ut verisimile est, tricenos: vel XCI. si triginta quinque. Inde ei certe *Prisci* cognomen verius existimamus inditum, quam ex eo quod alterum cognominem Tarquinium præcessit: nam si hæc causa foret, tantum Tarquinius prior, ut Africanus prior, a Plinio, credo, diceretur.

22. *M. Lepido.*] Anno post Syllæ obitum: Urbis, DCLXXVI. ut diximus, sect. 8.

23. *Et cum pulcherrima.*] Cum M. Lepidi domo.

24. *Bis vidimus.*] Vulgatum illud in eam rem de Nerone carmen recitat Tranquillus, in ejus vita, cap. 39.

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites:
Si non & Veios occupat ista domus.

25. *Caii, & Neronis.*] Caii Germanici Cæsaris, & Neronis. Domus illius in Palatio fuit: istius, a Colle Palatino, Palatioque Principum, totas fere Exquilias occupavit: ut non immerito de ea Martialis cecinerit in Spectac. libro, Epigr. 2.

Unaque jam tota stabat in Urbe domus.

Simile illud Olympiodori, in Bibl. Photii, cod. LXXX. pag. 197.

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει. πόλις ἄστεα μυρία τεύχει,
Una domus urbs est: urbs oppida plurima claudit.

Suetonius, in Nerone, cap. 31. *Domum a Palatio Exquilias usque fecit, quam primo transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque, Auream nominavit*, &c. Et in Othone, cap. 7. *Quingenties sestertium ad peragendam* Neronis *Auream domum* Otho *subscripsit.*

26. *Nimirum.*] Dictum εἰρωνικῶς.

27. *Ab aratro aut foco.*] Ab aratro, ut Quinctius Cincinnatus, de quo lib. 18. sect. 4. A foco, ut Fabricius, de quo Seneca, lib. de Provid. cap. 3. *Infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum a Republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum cœnat illas ipsas radices, & herbas, quas in agro repurgando triumphalis senex vulsit?* &c.

28. *Quam sellariæ istorum.*] Loca in quibus sedes disponi solent. Vide Notas & Emendationes, num. XIII. Similis Valerii Maximi sententia, legitur, lib. 4. Exemplorum, cap. 4. *Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.*

29. *Sicut in L. Valerio.*] Publium appellat Livius, lib. 2. pag. 23. non L. hoc est, Lucium, ut Pliniani libri omnes. Hoc adjutore Junius Brutus Consulum primus, ejus collega, reges ejecit.

30. *Et fratre ejus.*] M. Valerio, de cujus gemina e Sabi-

ejus, qui bis in eodem [a] magistratu Sabinos devicerat, [31] adjici decreto, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur. Hoc erat clarissimum insigne inter [32] triumphales quoque domos.

7. Non patiemur duos Caios, vel duos Nerones, ne hac quidem gloria famæ frui: docebimusque etiam insaniam eorum victam privatis operibus M. Scauri, cujus nescio an [33] Ædilitas maxime prostraverit mores civiles, majusne sit Syllæ malum, [34] tanta privigni potentia, quam proscriptio tot millium. Hic fecit in Ædilitate sua opus maximum omnium, quæ umquam fuere humana manu facta, [35] non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. [36] Scena ei triplex in altitudinem CCCLX. columnarum, in ea civitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro [37] civis amplissimi. Ima pars scenæ e marmore fuit: media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ: [38] summa, e tabulis inauratis. Columnæ, [39] ut diximus, [40] imæ duodequadragenûm pedum. Signa ærea inter columnas, [41] ut indicavimus, fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum LXXX. millia: cum Pompeiani theatri toties multiplicata Urbe, tantoque majore populo, sufficiat large [42] quadraginta millibus. Sed & reliquus apparatus, tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque [b] [43] choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis [44] quæ superfluebant [c] quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur [45] ad H S. millies.

8. Aufert animum, & a destinato itinere digredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliamque connecti majorem insaniam e ligno. [46] C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, [d] funebri patris munere, cum opibus apparatuque non posset superare Scaurum, [47] (unde enim illi vitricus Sylla, & Metella mater proscriptionum [48] sectrix? unde M. Scaurus pater, toties Princeps civitatis, [49] & Marianis sodalitiis rapinarum provincialium [e] sinus?) cum jam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certe incendii illius præmium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus, ut nemo postea par esset insaniæ illi. Ingenio ergo utendum fuit: operæ pretium est scire quid invenerit, & gaudere moribus nostris, ac nostro modo [50] nos vocare majores. Theatra duo juxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito [51] inter sese aversis, [f] ne invicem obstreperent scenæ: repente circumactis [g] ut contra starent, postremo jam

INTERPRETATIO.

a *Magistratu.*] In Consulatu.
b *Choragio.*] Apparatu scenæ.
c *Quotidiani.*] Ad delicias quotidianas.
d *Funebri.*] Ludis in funere patris exhibitis.
e *Sinus.*] Receptaculum.
f *Ne invicem.*] Ne se invicem actores in scena exaudirent.
g *Ut contra.*] Ut utriusque theatri frontes adversæ starent.

NOTÆ.

nis reportata victoria, vide Dionys. Halic. lib. 6. Antiq. Rom. pag. 349. & 373.

31. *Adjici decreto*, &c.] Respublica L. Valerio aream ad ædificandum donavit in præcipua parte Palatii: sumptus in ædificium præbuit ex ærario: & hujus domus valvæ solæ, inter omnes Urbis & publicas & privatas ædes, dum aperitur janua, revolvuntur in Viam publicam. Ita Dionys. Halic. lib. 5. Antiq. Rom. pag. 307.

32. *Triumphales domos.*] Ab his habitatas, qui triumphales, hoc est, dignas triumpho reportassent. In nummo argenteo Constantis Aug. OB VICTORIAM TRIUMPHALEM. Est alius argenteus apud Patinum, pag. 228. num. 4. & in Museo nostro quinarius, exhibens una parte caput Concordiæ: retro, ROM. Infra, M. CATO PROPR. *Marcus Cato Proprætore.* In altera sedens Victoria, dextram extendit, sinistro humero palmam gerit. Infra, VICTRIX. Sententia sub his litteris latens hæc est: *Victoria Imperatoris Cæsaris Triumphalis Nona.* Colligatæ hic sunt litteræ duæ, T & R: quoniam eæ ad eamdem vocem pertinent. IMP. CAESAR nomen fuit Octavii Cæsaris, post devictum Antonium, præsertim antequam Augustus cognominaretur.

33. *Ædilitas.*] In quod illa tempus inciderit, contra Pighium diximus, sect. 8.

34. *Tanta privigni potentia.*] Cæciliam M. Æmilii Scauri, ejus qui princeps Senatus fuit, uxorem, hujus Ædilis Scauri parentem, Sylla duxerat in matrimonium. Plutarchus in Sylla, pag. 473.

35. *Non temporaria.*] Etiamsi non modico temporis spatio, sed in omne ævum destinasset animo id opus duraturum. *Temporarium* pariter Scauri *euripum* ipse laudat, libro 3. sect. 40.

36. *Scena ei triplex*] Hoc est, triplex columnatio: tergeminus sursum versus columnarum ordo.

37. *Civis amplissimi.*] L. Crassi, ut dictum est libro 17. sect. 1. & libri hujus sect. 3.

38. *Summa e tabulis.*] Vide Notas & Emendationes num. XIV.

39. *Ut diximus.*] Sect. 2.

40. *Imæ.*] Quæ & maximæ, ut operis & architecturæ ratio postulat.

41. *Ut indicavimus.*] Libro 34. sect. 17

42. *Quadraginta millibus.*] Minorem dimidio Pompeiani theatri caveam fuisse indicat, quam Scauriani, etsi majore tum civium numero, quam ævo Scauri fuisset. Vide Notas & Emend. num. XV.

43. *Choragio.*] Χορήγιον scenicum instrumentum vocant, quo scena instruitur, & apparatur. Dicitur & choragium funeris, pro funebri apparatu.

44. *Quæ superfluebant.*] Quæ redundabant. Sic MSS At in editis, *quæ superfuerant*: forte, post domum urbanam ex scenico eo instrumento ornatam, quæ supererant, rejecta in villam ut intelligantur.

45. *Ad H S. millies.*] MSS. *concremaretur H S. millies.* Ut libro 37. sect. 6 *Datum mille talentûm* Sestertiûm millies centena millia, (est enim id semper subintelligendum) monetæ nostratis libras seu florenos efficiunt 10000000. hoc est, decem milliones

46. *C. Curio.*] Ad Curionem plurimæ Ciceronis exstant epistolæ

47. *Unde enim ille.*] Non erat, inquit, Curioni, ut Scauro, vitricus Sylla, tot proscriptor civium: non Metella Cæcilia mater, filia Cæcilii Metelli Pii Pontificis, &c.

48. *Sectrix.*] Sectores dicti sunt, inquit Asconius, in 3. Verr. æstimatores, redemptoresque bonorum damnati, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur. Unde Antonius a Cicerone, 2. Philip. num. 75. sector Pompeii appellatur, quoniam in subhastatione bona Cn. Pompeii redemerat.

49. *Et Marianis.*] Marii partes in bello civili foverat. Jugurthæ largitionibus locupletatum, avaritiamque suam callide occultasse, Sallustius est auctor, in bello Jugurthino.

50. *Nos vocare majores.*] Nos credere majoribus nostris pares, nec minus severis moribus: cum simus Curionis ævo severiores.

51. *Inter sese aversis.*] Ut tergo sese ac posteriore parte theatra contingerent.

die

die [51] discedentibus tabulis, & cornibus in se coëuntibus faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis [52] auctoratum populum Rom. circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inventorem, an inventum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an jubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & [54] regna [a] diribet, jura externis mittit, Deorum quædam immortalium [55] generi humano portio, in machina pendens, ad periculum suum plaudens. [56] Quæ vilitas animarum ista? aut quæ querela de Cannis? Quantum mali potuit accidere? Hauriri urbes terræ hiatibus, publicus mortalium dolor est. Ecce populus Romanus universus velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & se ipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis: & per hoc quæritur in Tribuniciis concionibus gratia, ut pensiles tribus faceret. [57] Qualis hic in Rostris? Quid non ausurus apud eos, quibus hoc persuaserit? Vera namque confitentibus populus Romanus funebri munere ad tumulum patris ejus depugnavit universus. Variavit hanc suam magnificentiam [b] fessis turbatisque cardinibus: & amphitheatri forma custodita, novissimo die duabus [c] per medium scenis athletas edidit, [d] raptisque e contrario repente [58] pulpitis eodem die victores e gladiatoribus suis produxit. Nec fuit rex Curio, aut gentium Imperator, non opibus insignis, ut qui nihil in censu habuerit, præter discordiam Principum.

9. Sed dicantur vera æstimatione invicta miracula, quæ [59] Q. Marcius Rex fecit. Is jussus a Senatu aquarum, [60] Appiæ, [61] Aniensis, Tepulæ, ductus reficere, [62] novam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Præturæ suæ tempus adduxit. [63] Agrippa vero in ædilitate sua, adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, [64] lacus septingentos fecit: præterea [65] salientes centum quinque: [66] castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spatio. Adjicit ipse in Ædilitatis suæ commemoratione, & ludos undesexaginta diebus factos, [67] & gratuita præbita balinea centum septuaginta, quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum.

Interpretatio.

a *Diribet.*] Distribuit, dividit.
b *Fessis.*] Pondere totius machinæ.
c *Per medium.*] In medio amphitheatro.
d *Raptisque.*] Raptimque excitatis contra medium amphitheatri pulpitis duobus &c.

Notæ.

51. *Discedentibus tabulis.*] Tota lignea machina, sedilibusque simul a priore situ discedentibus, & circumactis. Huc certe Virgilius respexit, cum cecinit, lib 3. Georg. vers. 22.

Jam nunc solemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:
Vel scena ut versis discedat frontibus.

Tamen in Reg. 2. legitur, *postremos dies etiam sedentibus aliquis, corribus in se*, &c.

53. *Auctoratum*] Mori destinantem, & ad id quasi pretio obligatum. Plinius, lib. 14 sect. 3 *Vindemitor auctoratus rogum ac tumulum excipit* Horatius, libro 2. Satyr. 7. versu 58.

Quid refert, uri virgis, ferroque necari
Auctoratus eas?

54. *Regna diribet.*] Ita legimus in nummis Trajani Imp. REGNA ADSIGNATA: &, REX PARTHIS DATVS. In nummis Antonini Pii: REX ARMENIIS DATVS, & REX QVADIS DATVS.

55. *Generi humano*] Reg. 2. *genere*. Malim ego, repetita e superiore voce litterula *m*, divulsaque, legi, *in genere humano*. Defendi tamen & vulgata lectio poterit, ut sit sententia, instar Deorum esse humano generi Senatum populumque Romanum, qui gentes & regna diribet, &c.

56. *Quæ vilitas.*] Adeone vilis populi Rom. vita videatur, ut sic certæ morti objici impune possit? Quid de Cannensi clade querimur, cum major hic fieri, luxata machina, potuisset?

57. *Qualis hic in Rostris?*] Unde nimirum concionabantur Tribuni, Consulesque, ad populum. Qualis, inquit, hic fuit, qui id populo Rom. persuaserit in concione?

58. *Pulpitis.*] Pulpitum locus est ante scenam editior, in quo omnis comœdia recitatur. Plinius junior, libro 4. epist 25. *Inde ista ludibria, scena & pulpito digna.* Ibi actores gerebant partes.

59. *Q. Marcius Rex.*] In Julio Frontino, lib. 1. de Aquæduct. legimus aquam Marciam a M. Titio Prætore (pro *Marcio Prætore*) perductam anno Urbis DCX. Ser. Sulpicio Galba, L. Aurelio Cotta Coss. Concipi aquam eam idem via Valeria admonet, &c.

60. *Appius.*] Appius Claudius Cœcus aquam adduxit, quam & suo prænomine Appiam, ut scriptores plerique appellant; vel e nomine Claudiam, ut Cassiodorus, & alii, nuncupavit. Livium vide, lib 9 pag. 162. Vetus inscriptio apud Gruterum, pag. 489. sed ficta:

APPIVS. CLAVDIVS.
C. F. CAECVS.
VIAM. APPIAM. STRAVIT.
ET AQVAM IN.
VRBEM. ADDVXIT.

Unde aqua ea deducta sit, docet Frontinus, libro 1. de Aquæduct.

61. *Aniensis.*] Ab Aniene amne deductæ, de quo lib 3. sect. 17 Apud Jul. Frontin. lib de Aquæduct. exstat Senatusconsultum. DE. RIVIS. SPECVBVS. FORNICIBVSQVE. IVLIAE. MARCIAE. APPIAE. TEPVLAE ANIONIS REFICIENDIS. Et initio libri primi, Anionem veterem, & Anionem novum, inter aquas appellat, quæ in Urbem influunt. Anionem veterem a M' Curio Dentato, qui Censuram cum L. Papirio Cursore gessit, ex manubiis de Pyrrho captis, perductum in Urbem. De hoc Plinius agit. Anio novus deinde Claudio Principe consummatus. Tepulam vero ex agro Luculano, quem quidam Tusculanum credunt, Cn. Servilius Cæpio, & L. Cassius Longinus Censores, anno DCXXIX. M. Plautio Hypsæo, M Fulvio Flacco Coss. Romam & in Capitolium adducendam curaverunt. *Concipitur via Latina*, inquit idem Frontinus, &c.

62. *Novam a nomine suo.*] Aquam Marciam cognominatam. Vide quæ de ea diximus, lib. 31. sect. 24.

63. *Agrippa*] Vide quæ dicta sunt superius a nobis, lib. 31 sect. 24. Gessit is Ædilitatem anno Urbis DCCXXI. Auctor Dio, lib. 49. pag 417.

64. *Lacus.*] *Des abreuvoirs.*

65. *Salientes.*] Scatutigines aquarum quæ tubulis emittuntur, & fistulis. *Des Fontaines*

66. *Castella.*] De hac voce diximus libro 31. sect 31.

67. *Et gratuita præbita balinea.*] Dio Cassius, lib. 49. pag. 419. de Agrippæ muneribus in Ædilitate agens: *καὶ τὰ βαλανεῖα δι' ὅλου τοῦ ἔτους καὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶν ἀτελῆ παρέσχε. Et anno toto balneorum lavacra tam viris quam mulieribus gratuito præbuit*, &c.

10. Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati [68] a Caio Cæsare, & peracti [69] a Claudio. [70] Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus [71] sestertiûm $\overline{\text{LV}}$. $\overline{\text{D}}$. Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, [a] spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.

11. [72] Ejusdem Claudii inter maxime memoranda equidem duxerim, quamvis destitutum [73] successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio, & operarum multitudine per tot annos: cum aut corrivatio aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut silex cæderetur: omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, nisi ab iis qui vidêre, neque humano sermone enarrari possunt.

12. [74] Nam portus Ostiensis opus prætereo: item vias inter montes excisas: mare Tyrrhenum [75] a Lucrino molibus seclusum: tot pontes tantis impendiis factos. Et inter plurima alia Italiæ miracula, ipsa marmora in lapicidinis crescere auctor est Papirius Fabianus, naturæ rerum peritissimus: exemptores quoque affirmant compleri sponte illa montium hulcera. Quæ si vera sunt, spes est numquam defuturam luxuriam.

CAP. XVI. XXV. A marmoribus digredienti ad reliquorum lapidum insignes naturas, quis dubitet in primis magnetem occurrere? quid enim mirabilius? aut qua in parte Naturæ major improbitas? Dederat vocem saxis, [1] ut diximus, respondentem homini, immo vero & obloquentem. Quid lapidis rigore pigrius? Ecce sensus manusque tribuit illi. Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit, [b] & patitur mores: trahitur namque a magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia [c] ad inane nescio quid currit: atque ut propius venit, assistit, teneturque, complexuque hæret. [2] Sideritin ob hoc alio nomine appellant, quidam

INTERPRETATIO.

a *Spatioque.*] Toto spatio quo aqua advenit in urbem.

b *Et patitur.*] Et mitiores videtur induere & accipere mores.

c *Ad inane.*] Ad aliquid quod videri oculis nequit.

NOTÆ.

68. *A C. Cæsare.*] Germanici filio. Suetonius in Claudio, cap. 10.

69. *A Claudio.*] Suetonius, loco cit *Claudiæ aquæ gelidos atque uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albano nomen est, simulque rivum Anienis novi, lapideo opere in Urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus.* Ad Aventini caput esse perductam notat Cassiodorus, libro 7. formula 6.

70. *Quippe a lapide quadragesimo.*] Frontinus, paulo minore intervallo spatium definit, libro de Aquæduct. num. 20. *Claudia, inquit, concipitur via Sublacensi ad milliarium XXXVIII. diverticulo sinistrorsus, intra passus CCC. ex fontibus duobus amplissimis, & speciosis: Cæruleo, qui a similitudine appellatus est, & Curtio.* Huc pertinent inscriptiones tres, quas refert Gruterus, pag. 176. sed recentes: duæ priores, cum falsa adnotatione, IMP. XV. & IMP. XVII.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX.
MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XV. P. P. COS. DESIG. IV.
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS DISTVRBATOS. PER. C CAESAREM.
A FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT.

Altera, cui plane similem in Claudii nummo epigraphen vidimus, sed adulterino: ut ipsi Patino suboluit, in Thesauro Numismatum pag. 103.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF.
MAXIM.
TR. POT. XII. IMP. XVII. S P. Q. R P. P.
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR CAERVLEVS.
ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV.
ITEM. ANIENEM. NOVAM A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN.
VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT. COS. V.

Has deinde post Plinii obitum, Vespasiani pater & filius restituisse leguntur. Gruterus, loc. cit.

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX.
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A DIVO. CLAVDIO.
ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE
PER. ANNOS. NOVEM SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.

Similis & Titi inscriptio ibidem.

71. *Sestertiûm* $\overline{\text{LV}}$. D] Hoc est, sestertiûm quinquagies quinquies, & quingenties centenis millibus. Monetæ Gallicæ libræ sunt seu florens, 5150000. Sic Reg. 2. probatioresque ceteri codices Budæus id quoque in suis codicibus vidit, interpretatusque est, *sestertia quingenta* LV. M. quod & Parmensis editio habet, & Frobenius in sua secutus est. Efficit autem ea Budæi summa monetæ nostratis, libras 51500 Libri alii perperam, *sestertiûm ter millies.*

72. *Ejusdem Claudii.*] Tranquillus in Claudio, cap. 20. *Fucinum lacum aggressus est, non minus compendii spe, quam gloria, cum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, & post undecim annos, quamvis continuis XXX. hominum millibus sine intermissione laborantibus.*

73. *Successoris odio.*] Neronis. At post Plinii obitum perficiundo operi manum admovit Hadrianus, ut quidem auctor est Spartianus in ejus vita, pag. 21.

74. *Nam portus Ostiensis.*] Suetonius in Claudio, cap. 20. *Portum Ostiæ exstruxit*, &c.

75. *A Lucrino*] A Lucrino lacu, de quo lib. 3. sect. 9. pag. 327.

Sect XXV. 1. *Ut diximus.*] Sect. 23.

2. *Sideritin.*] Σιδηρίτης Hesychius.

[3] Heracleon. [4] Magnes appellatus est ab inventore (ut auctor est Nicander) in Ida repertus, namque & passim invenitur, ut in Hispania quoque. [5] Invenisse autem fertur, clavis crepidarum & baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret. Quinque genera magnetis Sotacus demonstrat: Æthiopicum: e Magnesia Macedoniæ contermina, Bœbeïda lacum petentibus dextra: tertium [6] in Hyrietico Bæotiæ: quartum circa Alexandriam Troadem: quintum in Magnesia Asiæ. Differentia prima, mas sit an femina: proxima in colore. Nam qui in Magnesia Macedonica reperiuntur, rufi nigrique sunt. Bœotius vero rufi coloris plus habet, quam nigri. Is qui in Troade invenitur, niger est & feminei sexus, ideoque sine viribus. Deterrimus autem in Magnesia Asiæ, candidus neque attrahens ferrum, similisque pumici. [7] Compertum tanto meliores esse, quanto sunt magis cærulei. Æthiopico laus summa datur, pondusque argento rependitur. Invenitur hic in Æthiopiæ Zimiri: ita vocatur regio arenosa. [8] Ibi & hæmatites magnes sanguinei coloris, sanguinemque reddens, si teratur, sed & crocum. In attrahendo ferro non eadem hæmatitæ natura, quæ magneti. Æthiopici argumentum est, quod magnetem quoque alium ad se trahit. [9] Omnes autem ii oculorum medicamentis prosunt, ad suam quisque portionem: maximeque epiphoras sistunt. [10] Sanant & adusta cremati tritique. Alius rursus in eadem Æthiopia non procul mons gignit lapidem theameden, qui ferrum omne abigit, respuitque. De utraque natura [11] sæpius diximus.

XXVI. [1] Lapidem e Scyto insula integrum fluctuare tradunt, eumdem comminutum mergi.

XXVII. In Asso Troadis sarcophagus lapis [1] fissili vena scinditur. [2] Corpora defunctorum condita in eo, absumi constat intra XL. diem, exceptis dentibus. Mucianus specula quoque, & strigiles, & vestes, & calciamenta [3] illata mortuis lapidea fieri, auctor est. [4] Ejus generis & in Lycia saxa sunt, & in Oriente, quæ viventibus quoque adalligata, erodunt corpora. — Cap. XVII.

XXVIII. Mitior est autem servandis corporibus, nec absumendis [1] chernites, ebori simillimus, in quo Darium conditum ferunt: Parioque similis candore & duritia, minus tamen ponderosus, [2] qui porus vocatur. [3] Theophrastus auctor est & translucidi lapidis in Ægypto, quem Chio similem ait: [a] quod fortassis tunc fuerit, quoniam & ii desinunt, & novi reperiuntur. [4] Assius gustu salsus [5] podagras lenit, pedibus [6] in vase ex eo cavato inditis. Præterea omnia crurum vitia in iis lapicidinis sanantur, cum in metallis omnibus

Interpretatio.

a *Quod.*] Quod fortassis tunc fuerit ibi iste lapis: at nunc novi ibi reperiuntur.

Notæ.

3. *Heracleon.*] Subintellige, lapidem. Hesychius, p. 427. Ἡράκλεια λίθος, ἣν οἱ μὲν μαγνῆτιν λέγουσιν .... καλεῖται δὲ ἀπὸ Ἡρακλείας τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως. Διό φησι Σοφοκλῆς Λυδίαν λίθον αὐτὴν καλεῖ. οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ Ἡρακλεῶτιν. Ab Heraclea Lydiæ civitate id ei nomen hæsisse significat. Μάγνησσα λίθος & Ἡράκλεια Tzetzæ, Chiliad. 6. v. 627.

4. *Magnes appellatur.*] Isidorus, lib 16 Orig cap. 4 Sane Magnes viri proprium nomen est, atque eo nomine Comicus apud Athenæum laudatur, lib. 9. pag. 367. Vide Notas & Emend. num. X V I.

5. *Invenisse autem.*] Isidorus, loco cit.

6. *In Hyrietico Bæotiæ.*] In agro, Hyrien Bœotiæ oppidum circumjacente. De eo oppido, lib. 4. sect. 12. Vide Notas & Emend, num. X V I I.

7. *Compertum.*] Sic Diosc. lib. 5. cap. 146. Ἄριστός ἐστιν ὃς σίδηρον εὐχερῶς ἕλκει, & τὴν χρόαν κυανίζων, πυκνός τε καὶ οὐκ ἄγαν βαρύς.

8. *Ibi & hæmatites.*] Magnetis genus, αἱματίτης, cui a colore sanguineo nomen.

9. *Omnes autem.*] Hoc de hæmatite lapide speciatim tradit & Diosc. lib. 5. cap. 144.

10. *Sanant, &c.*] Plinius Valer lib 3. cap. 36.

11. *Sæpius diximus.*] In primis, lib. 20. sect 1. Vide quæ adjecimus in Notis & Emend. ad eum librum, num. I. Simile est quod Plinius ante retulit, libro 2 sect. 98. *Duo sunt montes juxta flumen Indum: alteri natura est, ut ferrum omne teneat, alteri ut respuat. Itaque si sint clavi in calciamento, vestigia avelli in altero non posse, in altero sisti non posse.* In Reg. 2 cod. hoc tantum: *Alius rursus in eadem Æthiopia non procul mons ferrum omne abigit, respuitque.*

Sect. XXVI. 1. *Lapidem e Scyro.*] Id ante diximus in Notis & Emend. ad librum 2. num. XC. Egimus de ea insula in Geographicis, lib. 4. sect. 23. Vide Notas & Emend. num. X V I I I.

Sect. XXVII. 1. *Fissili vena scinditur.*] Hoc est, in assulas, seu laminas potius.

2. *Corpora*] Sic Diosc. lib. 5. cap. 142. ex Assio lapide, qui hic ipse est, quem Plinius a re ipsa, seu vi corpora exedendi σαρκοφάγον vocat, loculos fieri ait, qui defunctorum carnes exedant. Plinius ipse, lib 2. sect 98. *At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: sarcophagus vocatur.* Theophr. lib. de igne, pag 142. Albertus M. lib 2. tract. 2 de mineral. cap. 17.

3. *Illata mortuis.*] Sic Reg 2. Colb. 3. vetus Dalec. aliique: non, ut editi libri, *illata omnia.* Reculas ejuscemodi, quibus vivi usi fuerant, aut delectati, in eodem sepulcro mortuis inferri solita, tralatitium est

4. *Ejus generis.*] Isidorus, lib. 16. Orig cap. 4. Refert auctor libri de admir. Auscult. Pergami ad metalla Crœsi fugisse quosdam propter hostium metum: clausis vero metallorum ostiis suffocatos ibi esse, mox longo post tempore effossis puteis eorum ossa lapidea reperta esse, vasaque pariter, quibus usi in latebris fuissent.

Sect. XXVIII. 1. *Chernites.*] Theophr libro περὶ λίθων, pag 2. Καὶ ὁ τῷ ἐλέφαντι ὅμοιος, χερνίτης καλούμενος, ἐν ᾧ φασὶ καὶ Δαρεῖον κεῖσθαι. Καὶ ὁ Πῶρος ὅμοιος τῷ χρώματι καὶ τῇ πυκνότητι τῷ Παρίῳ. τὴν δὲ κουφότητα μόνον ἔχει τοῦ πώρου. Quæ sunt Plinianis verbis de chernite, poroque, plane similia.

2. *Qui porus.*] Πῶρος. Suidas, Hesychius, aliique.

3. *Theophrastus.*] Vide Notas & Emend. num. X I X.

4. *Assius.*] Redit ad Assium lapidem, a quo paulisper discesserat, ut contrariam & in chernite & in poro vim asservandi corpora obiter indicaret: nunc ad Assii lapidis medicinas revertitur, quas in Indice hujus loci ita designat: *De sarcophago, medicinæ X. De Chernite, de poro. De lapidibus osseis.* &c Quo ex loco apparet non existimasse Plinium a sarcophago differre Assium lapidem, ut Salmasius in Solin. pag. 1203. & Dalecampius, censuere.

5. *Podagras, &c.*] Diosc. lib. 5. cap. 142 Celsus, lib. 4. cap. 24. *Lapis etiam, qui carnem exedit, quem σαρκοφάγον Græci vocant, excisus sic ut pedes capiat, demissos eos, cum dolent, retentosque ibi, levare consuevit: ex quo in Asia lapidi Assio gratia est.*

6. *In vase.*] Sic etiam M S S. omnes. Solium, loculum, πύελον Dioscorides appellat, loc. cit. Salmasius ἀφροβαφῆ

eruta vitientur. [a] [7] Ejusdem lapidis flos appellatur, in farinam mollis, ad quædam perinde efficax. [8] Est autem similis pumici ruso. Admixtus æri Cyprio mammarum vitia emendat: [9] pici autem resinæve, strumas & panos discutit. [10] Prodest & phthisicis linctu. [11] Cum melle vetera hulcera ad cicatricem perducit: excrescentia erodit. Et ad bestiarum morsus
5 utilis. [12] Repugnantia curationi, ac suppurata siccat. [13] Fit & cataplasma ex eo podagricis, mixto fabæ lomento.

CAP. XVIII. XXIX. [1] Idem Theophrastus & Mucianus esse aliquos lapides qui pariant, credunt. [2] Theophrastus auctor est & ebur fossile, candido & nigro colore inveniri, & ossa e terra nasci, invenitique lapides osseos. [b] Palmati circa Mundam in Hispania, ubi Cæsar Di-
10 ctator [3] Pompeium vicit, reperiuntur, idque quoties fregeris. Sunt & nigri, quorum auctoritas [c] venit in marmora, [4] sicut Tænarius. Varro nigros ex Africa firmiores esse tradit, quam in Italia. E diverso albos tornis duriores, quam Parios. Idem Lunensem silicem serra secari: [5] at Tusculanum dissilire igni. Sabinum fuscum addito oleo etiam lucere. [6] Item molas versatiles Volsiniis iuventas, aliquas & sponte motas in-
15 venimus in prodigiis.

XXX. [d] Nusquam hic utilior, quam in Italia, gignitur: lapisque, non saxum, est. In quibusdam vero provinciis omnino non invenitur. Sunt quidam in eo genere molliores, qui & cote lævigantur, ut procul intuentibus [1] ophitæ videri possint. Neque est alius firmior: quando & lapidis natura, ut lignum, similiter imbres Solesque aut hiemes non
20 patitur, in aliis atque aliis generibus. Sunt qui & Lunam non tolerent, & qui vetustate rubiginem trahant, coloremve candidum oleo mutent.

CAP. XIX. [2] Molarem quidam pyriten vocant, [3] quoniam sit plurimus ignis illi: [4] sed est alius etiamnum pyrites similitudine æris. In Cypro eum reperiri volunt, & in metallis, quæ sunt circa Acarnaniam, [5] unum argenteo colore, alterum aureo. [6] Coquuntur varie ab aliis
25 iterum tertioque in melle, donec consumatur liquor: ab aliis pruna prius, dein melle, & postea lavantur, ut æs. [7] Usus eorum in medicina, excalfacere, siccare, discutere, humorem extenuare, duritias nimias mollire. Utuntur & crudis rusisque ad strumas atque furunculos. [8] Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus, & ponderosissimi sunt. Hi exploratoribus castrorum maxime ne-
30 cessarii, qui clavo vel altero lapide percussi, scintillas edunt: quæ exceptæ sulphure aut fungis aridis, vel foliis, dicto celerius [9] ignem trahunt.

INTERPRETATIO.

a *Ejusdem.*] Est ejusdem lapidis quod flos appelletur, nempe farina mollis, &c.

b *Palmati.*] Qui palmæ intus fracti effigiem referant.

c *Venit.*] Tantam habent *in ædificiis* auctoritatem, quantam ipsa marmora.

d *Nusquam hic.*] Nusquam lapis *molaris* utilior ... lapisque *fossilis* est, non saxi duritia.

NOTÆ.

cum *embasi ex eo cavata* legit.

7. *Ejusdem lapidis.*] Vide Notas & Emend. num. XX.

8 *Est autem similis.*] Flos ille lapidis Assii colore pumicem refert. Diosc. loc. cit.

9. *Pici autem*, &c] Diosc. loc. cit.

10. *Prodest & phthisicis.* Diosc. loc. cit. Ἐκλειχόμενον δ' σὺν μέλιτι, φθισικοὺς ὠφελεῖ.

11. *Cum melle*, &c.] Diosc. loc. cit. Πληροῖ δὲ καὶ τὰ κοῖλα τῶν ἑλκῶν ... σὺν μέλιτι.

12. *Repugnantia*] Vetera, & cicatrici repugnantia hulcera: τὰ παλαιὰ, καὶ δυσεπούλωτα ἕλκη, Diosc. loc. cit.

13 *Fit &* .... *podagricis.*] Sic Reg. 2. & alii, non *podagris* Diosc. loc. cit. Καὶ ποδαγρικοῖς ἐν καταπλάσμασι μετ' ὀρόβου.

Sect. XXIX. 1. *Idem Theophrastus.*] Adde Democritum apud Albertum M. lib. 1. Miner. tract. 1. cap 4. E recentioribus Cardanum, & alios. Clarius vero Rueus, lib. 1. de gemmis, cap. 1. ubi relatum sibi ab integerrimæ fidei hominibus ait, duos sibi domi esse ex avita hereditate adamantes, qui alios subinde gignant, plane ut intuentes congenerem sibi prolem eniti illos putent: aëre fortassis circumfuso, vi quadam adamanti ei ingenita, in aquam primum transmutato, mox indurato in adamantem.

2. *Theophrastus auctor est.*] Vide Theophrastum, libro περὶ λίθων, pag. 8.

3. *Pompeium.*] Cneium Pompeii M. filium, ut diximus lib. 3 sect. 3.

4 *Sicut Tænarius.*] De Tænariis lapicidinis, vide Strabonem, lib 8. pag 367.

5. *At Tusculanum dissilire igni.*] Sic in igne crepitat, quem Galli *Ardoesam* appellant, paratque fere ad tegulatum usum. Frequens in Aremoricis Britonibus, Andegavisque.

6 *Item molas versatiles.*] Quarum circumactu cultri, ac novaculæ acuuntur.

Sect. XXX. 1. *Ophitæ.*] Marmoris genus illud est, de quo superius, sect. 11.

2. *Molarem quidam.*] Plinii editores ab iis verbis novum caput auspicati, titulum præfixere, *De curalio vel pyrite*, quo fingi nihil absurdius potuit. Videre illi in quibusdam exemplaribus, extrita priore littera, *olarem quidam*. mox aliis permutatis, *curalium* ibi latere commenti sunt. Nihil habet ejusmodi germanus Plinii Index: *De molaribus lapidibus*: de quibus nempe dictum est proxime: *Pyrites, medicina ex eo*, &c.

3. *Quoniam sit.*] Πυρίτης λίθος appellatur lapis quilibet, ex quo ignis excutitur.

4. *Sed est alius.*] Dioscor lib 5. cap 143 Πυρίτης εἶδός ἐστι λίθου, ἀφ' οὗ χαλκὸς μεταλλεύεται· ληπτέον μὲν τοι τὸν χαλκοειδῆ, &c. *Pyrites lapidis genus est, ex quo æs conflatur. Eligi debet æris similitudine*, &c.

5. *Unum argenteo.*] Aetius, lib. 2. cap. 20. pag. 51. ex MS. Græco. Ὁ πυρίτης ὀνομαζόμενος, ἐοικὼς ἀργύρῳ τὴν χρόαν, &c.

6. *Coquuntur varie.*] Hi copturæ modi latius a Dioscoride exponuntur, lib. 5 cap 143.

7. *Usus eorum.*] Diosc loc. cit. Δύναμιν δὲ ἔχει θερμαντικὴν καὶ ... ἀποσμηκτικὴν ... τῆς ὄψεως. διαφορητικὴν τε καὶ πεπτικὴν σκληρασμάτων. *Vis est ustis crudisque excalfacere, abstergere, offusam oculis caliginem expurgare, duritias & discutere, & maturare* In MSS. *Et duritias sinus tenere.* Forte, *sinus*. Theod. Priscianus, lib. 1. cap. 9. ubi de furunculis, strumis, duritiisque maturandis: *Hoc*, inquit, *lapis molaris facit, tusus & cribellatus, & resinæ commixtus.*

8. *Pyritarum*, &c.] Isidorus, lib. 16 Orig. cap. 4. Hoc pyritarum genus, seu igniariorum lapidum, *pierres a feu, pierres a fusil*, vulgus vocat. Vide Scaligerum, Exercit. 16. pag. 77.

9. *Ignem trahunt.*] Sic MSS. non *ignem prabent*, ut editi. Ignem trahere, scite dicitur, pro excipere, concipere. Sic lib. 12. sect. 14. *juniperi bacca piperis vim mire trahere* ac transferre in se dicuntur. Libro 7. sect. 15. *Dentes candorem trahunt*. Libro 12. sect. 27. *celeriter situm trahens*, hoc est, contrahens. Et libro 14. sect. 27. *vinum odorem trahit* Iterumque sect. 19. num. 5. *Mira vitium natura, saporem alienum in se trahendi.* Plura vide in Indice.

XXXI. [1] Ostracitæ similitudinem testæ habent. Usus eorum pro pumice ad lævigandam cutem. [2] Poti sanguinem sistunt: [3] & illiti cum melle hulcera, doloresque mammarum sanant. [4] Amiantus alumini similis, nihil igni deperdit. [5] Hic veneficiis resistit omnibus, privatim Magorum.

XXXII. [1] Geoden ex argumento appellant, quoniam complexus est terram, oculorum medicamentis utilissimum: item mammarum ac testium vitiis.

XXXIII. [1] Melitites lapis succum remittit dulcem mellitumque. Tusus & ceræ mixtus, eruptionibus pituitæ, maculisque corporis medetur, & faucium exhulcerationi. Epinyctidas tollit, & vulvarum dolores impositus velleri.

XXXIV. [1] Gagates lapis nomen habet loci & amnis Gagis Lyciæ. [2] Aiunt & in Leucolla expelli mari, atque [3] intra XII. stadia colligi. [4] Niger est, planus, pumicosus, non multum a ligno differens, levis, fragilis: odore, si teratur, gravis. [5] Fictilia ex eo inscripta non delentur. [6] Cum uritur, odorem sulphureum reddit. [7] Mirumque, accenditur aqua, oleo restinguitur. [8] Fugat serpentes ita, [9] recreatque vulvæ strangulationes. Deprehendit [10] sonticum morbum, [11] & virginitatem, suffitus. Idem ex vino decoctus, [12] dentibus medetur, [13] strumisque ceræ permixtus. Hoc dicuntur uti Magi in ea, quam vocant [14] axinomantiam: [15] & peruri negant, si eventurum sit, quod aliquis optet.

XXXV. [1] Spongiæ lapides inveniuntur in spongiis, & sunt nativi. [2] Quidam eos tecolithos vocant, quoniam vesicæ medentur: calculos rumpunt in vino poti.

XXXVI. [1] Phrygius lapis gentis nomen habet. [2] Est autem gleba pumicosa. [3] Uritur ante vino perfusus, flaturque follibus, donec rubescat, ac rursus dulci vino extinguitur, & hoc ternis vicibus: [4] tingendis vestibus tantum utilis.

XXXVII. Schistos & hæmatites [1] cognationem habent. Hæmatites invenitur in me- Cap. xx.

Notæ.

Sect. XXXI. *Ostracitæ.*] Totidem verbis Dioscor. lib. 5. cap. 165. *Λίθος ὀστρακίτης ὅμοιός ἐστιν ὀστράκῳ, πλακώδης καὶ εὔθρυπτος, ᾧ χρῶνται ἀντὶ κισήρεως πρὸς τὸ τὰς τρίχας ἀφαιρεῖν αἱ γυναῖκες. Ostracites testæ similitudinem habet, crustosus, & in laminas fissilis, quo mulieres ad pilos amovendos pro pumice utuntur.* Ὄστρακον Græcis testa dicitur.

2. *Poti sanguinem.*] Potu eo sisti menses feminarum ait Diosc. loc. cit.

3. *Et illiti, &c.*] Totidem verbis Diosc loc cit.

4. *Amiantus.*] Diosc. l. 5. c. 158. Ἀμίαντος λίθος γεννᾶται μὲν ἐν Κύπρῳ, στυπτηρίᾳ σχιστῇ ἐοικώς· ὃν ἐργαζόμενοι ὑφάσματα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ ὄντος ἱμαντώδους πρὸς θέαν· ἃ βληθέντα εἰς πῦρ, φλογοῦται μὲν, λαμπρότερα δὲ ἐξέρχεται, μὴ κατακαιόμενα. *Amiantus lapis in Cypro nascitur, scissili alumini similis, e quo elaborato, utpote flexili, telas spectaculi gratia texunt: quæ ignibus injectæ ardent quidem, sed flammis invictæ splendidiores exeunt.* Et hinc effecta quondam ellychnia crediderim, quæ nihil igne deperderent. Anastasius, in S. Silvestro, pag. 19. *Ubi candela est .... mixum vero ex stupa amianti.* Lege, *myxum vero ex stupa amianti.* Rob. Constantinus, verbo Σπιλιαζία, putat esse alumen plumosum officinarum. *Alun de plume.*

5. *Hic veneficiis.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap 4.

Sect. XXXII. 1. *Geoden.*] Habet is ex re ipsa nomen, nempe ex terra, Græci γῆν vocant, quam intra se complectitur. Diosc. lib. 5. cap. 169. Λίθος γεώδης στύφει, ξηραίνει, ἀποσμήχει καὶ ἐπικεραστικῶς τοῖς ὀφθαλμοῖς... Hujus icones varias exhibet Aldrovandus, lib. 4. de metal. cap. 5. pag. 591.

Sect. XXXIII. 1. *Melitites.*] Μελιτίτης λίθος, Diosc. lib. 5. cap. 151. Locum hunc Isidorus exscripsit, lib 16. Orig. cap. 4. Sed apud eum mendose *melanites* pro *melitites*.

Sect. XXXIV. 1. *Gagates lapis.*] Nomen habet a Gage urbe Lyciæ, de qua lib. 5. sect 28. & ab amne præterfluente. Dioscor. lib. 5. cap 149. Καλεῖται δὲ ὁ τόπος καὶ ὁ ποταμὸς Γάγας, παρ' οὗ τῷ τόπῳ... εὑρίσκονται οἱ λίθοι. *Vocatur autem Gagas & locus & amnis, ad cujus ostium id genus lapidum invenitur.* Ambram nigram esse censet Aldrovandus, l. 3. de metall c. 19. p. 418. Cardanum, & alios secutus. Paleas eo attrahi auctor est Marbod. c 29. libro de lapid. pret.

Vicinas paleas trahit attritu calefactus.

Sic & Albertus M. lib. 2. de miner. tract. 2. c. 7. de gagate: *Confricatum autem trahit paleas, & incensum ardet sicut thus.*

2. *Aiunt & in Leucolla.*] Promontorium id, oppidumque Pamphyliæ, de quo lib. 5. sect. 26.

3. *Intra XII. stadia.*] M. D. pass.

4. *Niger est, &c.*] Diosc. loc cit. Μέλας δὲ ...ὑπόχλωρος καὶ ... ὢν δὲ πλακώδης καὶ κοῦφος ἄγαν. *Est autem niger plerumque, & squalidus, prætereaque crustosus, & perquam levis.*

5. *Fictilia, &c.*] Isidorus, lib 16. Orig. cap 4.

9 *Cum uritur.*] Diosc. loc. cit. odorem bituminis accenso eo reddi ait. Sulphureum, auctor libri de simp. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 993.

7. *Mirumque.*] Solinus, cap. 22 pag. 43. Isidorus, loc. cit. Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 29. de gagate:

Ardet aqua lotus, restinguitur unctus olivo.
Per suffumigium mulieri menstrua reddit.
Accensus prodit fumi nidore caducos, &c.

8. *Fugat serpentes ita.*] Hoc est, cum uritur, nidore suo. Isidorus, loc. cit. & Diosc lib. 5. cap. 140 Item auctor Kiraonidum, lib 2. pag. 75. Nicander, in Theriac. pag. 3. Vide & ejus Scholiasten, pag. 7.

9. *Recreatque vulvæ.*] Diosc. lib 5. cap. 146.

10 *Sonticum.*] Hoc est, epilepticum, seu comitialem. Nam suffitu prodit eos qui sunt ei morbo obnoxii: statim enim correpti eo caduntur. Diosc. loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ ἐπιληπτικῶν ἔλεγχος ὑποθυμιώμενος, &c. Aëtius item, lib. 2. cap. 34. pag. 53. Isidorus, loc. cit. Apuleius, in Apologia. Theodorus Priscianus, lib. 2. *Latentes epilepticos, gagatis lapidis admotum fumigium, semper repentinis casibus publicavit.*

11. *Et virginitatem.*] Isidorus, loc. cit. Albertus M. lib 2. de mineral. tract. 2. cap. 7. pag. 231 de Gagate: *Aiunt autem de expertis esse, quod si colatura, & ejus lotura cum rasura detur virgini, bibita retinebit eam, quod non minget. Si autem non est virgo, statim minget: & sic debet probari an sit virgo.* Hoc ipsum recentiores de ambra nigra prædicant.

12. *Dentibus medetur.*] *Fluidos firmat dentes, ut aiunt,* inquit Albertus, loc. cit. Marbod item, loc. cit.

Et dilutus aqua dentes firmat labefactos.

13. *Strumisque.*] Aetius, loc. cit.

14. *Axinomantiam.*] Sic libri omnes etiam M S S. Ἀξινομαντεία divinatio est, quæ fit securibus, ut dictum est lib. 30 sect. 5. Salmasius in Solin. pag. 251. inauditum Magis divinationis genus comminiscitur, quod in hunc Plinii locum obtrudat, spreta lectione vetere, *...*

15. *Et peruri negant*] Alio scilicet a superiore illo divinationis genere, quocumque id demum nomine appellari oporteat.

Sect. XXXV. 1 *Spongiæ.*] Diosc. lib. 5. cap. 53 Λίθοι οἱ ἐν τοῖς σπόγγοις εὑρισκόμενοι, σὺν οἴνῳ πινόμενοι, τοὺς ἐν κύστει λίθους θρύπτουσι.

2. *Quidam eos tecolithos*] Τηκόλιθος, quod lapides in vesica rumpunt, & atterunt, ut ex Diosc diximus. Galenus, lib. 9. de fac. simpl. med. pag. 258. non vesicæ, sed renum calculos rumpi eo ait.

Sect XXXVI. 1. *Phrygius lapis.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 4. *Phrygius lapis ex loco traxit vocabulum: nascitur enim in Phrygia, &c.* Et in Cappadocia nasci tradit Dioscor. lib. 5. cap. 41.

2. *Est autem gleba pumicosa.*] Pumicum instar, modice ponderosus, corporis compage minime solida, μέσως βαρὺς, οὐκ ἀσφαλὴς τῇ συγκρίσει δὲ κίσηρος. Diosc. loc. cit.

3. *Uritur, &c.*] Totidem verbis hæc Dioscor & Isidorus, locis cit.

4. *Tingendis vestibus*] Diosc loc. cit. Λίθος Φρύγιος, ᾧ οἱ βαφεῖς ἐν Φρυγίᾳ χρῶνται. *Phrygius lapis, quo infectores in Phrygia utuntur.* Sed & ad alios usus Græci medici lapidem eum adsciscunt: Diosc. loc. cit. Galenus, lib. 9. de fac. simp. med. pag 256 & alii.

Sect. XXXVII. 1. *Cognationem habent.*] Quare & hæma-

tallis: [2] Ustus minii colorem imitatur. [3] Uritur ut Phrygius, sed non restinguitur vino. Adulteratum schisto hæmatiten discernunt venæ rubentes, & friabilis natura. [4] Oculis cruore suffusis mire convenit. [5] Sistit profluvium mulierum potus. [6] Bibunt eum & qui sanguinem rejecerunt, cum succo Punici mali. [7] Et in vesicæ vitiis efficax. [8] Bibitur & in vino contra serpentium ictus. [9] Infirmior ad omnia hæc eadem est, quem schiston appellant. [10] Sed in iis commodior croco similis, peculiarius splendet. [11] Proficit oculorum lacrymis in lacte muliebri: procidentesque oculos præclare cohibet. Hæc est sententia eorum, qui nuperrime scripsere.

XXXVIII. Sotacus e vetustissimis auctoribus quinque genera hæmatitarum tradit, [1] præter magnetem. Principatum dat ex iis Æthiopico, oculorum medicamentis utilissimo, & iis [2] quæ panchresta appellant: item ambustis. [3] Alterum androdamanta dicit vocari, colore nigro, pondere ac duritia insignem, [4] & inde nomen traxisse, præcipueque in Africa repertum. [5] Trahere autem in se argentum, æs, ferrum. Experimentum ejus esse [6] in cote ex lapide basanite. Reddere enim succum sanguineum, & esse ad jocineris vitia præcipui remedii. Tertium genus Arabici facit, simili duritie, vix reddentis succum [7] ad cotem aquariam, aliquando croco similem. Quarti generis [8] elatiten vocari, quamdiu crudus sit: coctum vero miltiten, utilem ambustis, ad omnia [9] utiliorem rubrica. Quinti generis schiston, hæmorroïdas reprimentem. In totum autem hæmatitas omnes tritos in oleo trium drachmarum pondere a jejunis sumendos, ad vitia sanguinis. Idem auctor, schiston alterius generis [10] quam hæmatiten tradit, quem vocant [11] anthraciten. Nasci in Africa nigrum, attritum aquariis cotibus reddere ab ea parte, quæ fuerit [a] ab radice, nigrum colorem: ab altera, croci. Ipsum utilem esse oculorum medicamentis.

Cap. XXI. XXXIX. [1] Aëtitæ lapides ex argumento nominis magnam famam habent. Reperiuntur in nidis aquilarum, [2] sicut in decimo volumine diximus. Aiunt binos inveniri, marem & feminam. Nec sine iis parere, [3] quas diximus, aquilas: [4] & ideo binos tantum. [5] Genera eorum quatuor. In Africa nascentem pusillum ac mollem, intra se & velut in alvo habentem argillam suavem, candidam: ipsum friabilem, quem feminei sexus putant. Marem autem, qui in Arabia nascitur, durum, gallæ similem, aut subrutilum, in alvo habentem durum lapidem. Tertius in Cypro invenitur, colore illis in Africa nascentibus similis, amplior tamen atque dilatatus: ceteris enim globosa facies. Habet in alvo arenam jucundam & lapillos: ipse tam mollis, ut etiam digitis frietur. Quarti generis Taphiusius appellatur, nascens juxta Leucadem, [6] ubi est mons Taphius, qui locatus est dextra na-

Interpretatio.

a *Ab radice.*] Ab humo cui lapis hæret.

Notæ.

tites schisto adulteratur Diosc. lib. 5. pag 144. moxque ipse Plinius. A colore sanguineo, quem reddit is cum teritur, nomen accepit, teste Aetio, lib. 2. cap. 13. pag. 50. Nec schiston recentiorum ulli, nec hæmatiten norunt.

2. *Ustus minii.*] Diosc. loc. cit. ὃ κινναβάριζει.

3. *Uritur*, &c.] Diosc. loc. cit.

4. *Oculis*] Diosc loc. cit. totidem verbis · Galenus, lib. 9. de fac. simpl. med. pag. 254. & 255. & Marbod. lib. 1. de lap pret. cap 36. de hæmatite

5. *Sistit.*] Diosc. & Marbod. locis cit.

6. *Bibunt eum.*] Dioscor. & Galenus, locis cit. & Marbodæus:

Ejus ramentis si glarea mixta sit ovi,
Succo dilutus quem Punica mala remittunt,
Vel resolutus aqua: juvat hos qui sanguinis ore
Grumos emittunt, &c.

7 *Et in vesica.*] Diosc. & Marbod. locis cit.

8 *Bibitur &c.*] Marbodeus:

Vino dilutus veteri, bibitusque frequenter
Serpentis morsus, vel quod fit ab aspide vulnus,
Egregie curat.

9. *Infirmior.*] Totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 145. & Aetius, lib. 2. cap. 14. pag. 50 Galenus item, loc cit.

10. *Sed in iis.*] Sed e schistis lapidibus, inquit, ille probatior multo est, qui croci colorem æmulatur Diosc. loc. cit. Σχιστὸς ὁ λίθος.... ἄριστος εἶναι δοκεῖ ὁ προσεμφερὴς τῷ κρόκῳ, &c. Idemque commodior, mitior, in usu jucundior, πρᾳότερος. inquit Galenus, loc. cit. pag 255.

11. *Proficit.*] Diosc loc cit.

Sect. XXXVIII. 1 *Præter magnetem.*] Præter id magnetis genus, quod hæmatiten pariter appellari superius dictum est, sect. 25.

2. *Quæ panchresta.*] Πάγχρηστα, perbenigna, prorsus utilia.

3. *Alterum androdamanta*] Locum hunc plane ad verbum exscripsit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 4.

4. *Et inde nomen*] Quod hominum conatus in frangendo domet, ἀνδροδάμας.

5. *Trahere autem in se.*] Ut ferrum a magnete trahitur. Isidorus, loc. cit.

6. *In cote ex basanite.*] Qui lapis nullum ex se succum aut colorem remittit. Pro cote mortarium dicere Plinium debuisse, contendit Salmasius in Solin pag. 1333 Frustra: tum quod ex attrito ad cotem lapide haud secus reddi succus intelligatur, quam ex eodem, si teratur in mortariis · tum quod ipsa mortaria cotes appellari recte possint, quod ex cote fiunt. Unde lib. 37. sect. 54. num. 1. de achate: *Medici coticulas inde faciunt.*

7. *Ad cotem aquariam.*] Quæ aqua aspergitur.

8. *Elatiten.*] Qui colorem habet ἐλάτης, hoc est, abietis: ut miltites, μίλτου, hoc est, rubricæ

9. *Utiliorem rubrica.*] Cujus vires in medicina superius prodidit, lib 35. sect. 14.

10. *Quam hæmatiten.*] Supra dictum sect. 37. nam & ipse suo modo σχιστὸς, scissilis est, quod per venarum longiusculos ductus diffringitur. Diosc. lib. 5. cap. 144.

11. *Anthraciten.*] Qui carbonum ἀνθράκων colorem imitatur.

Sect. XXXIX. 1. *Aëtitæ.*] Totidem verbis hæc Isidorus, lib. 16. Orig cap 4 Nomen habet ab ἀετοῖς, hoc est, ab aquilis, quarum in nido reperitur.

2. *Sicut in decimo.*] Libro 10. sect. 4.

3. *Quas diximus.*] Loco proxime citato, his verbis: *Tribus primis, & quinto aquilarum generi inædificatur nido lapis aëtites*, &c. Vide Philostr. lib. 2. de vita Apollonii, cap. 7. pag. 74.

4 *Et ideo binos tantum.*] Libro 10. sect. 4. *Excludunt pullos binos: visi sunt & tres aliquando.*

5. *Genera eorum quatuor.*] Duo priora Isidorus agnoscit, lib. 16. Orig. cap 4.

6. *Ubi est mons.*] Taphiassus collis, de quo diximus in Geographicis, lib 4. sect. 3. Hunc locum ex fide codicis Colb 3. repræsentamus: cum libri hactenus editi insulse hunc locum ita referant: *juxta Leucadem, in Taphiusa, qui locus est dextra navigantibus ex hac ad Leucadem.*

vigantibus ad Leucadem. Invenitur in fluminibus candidus & rotundus. Huic est in alvo lapis, qui vocatur [7] callimus, nec quidquam tenerius. [8] Aëtitæ omnes gravidis adalligati mulieribus, vel quadrupedibus, in pelliculis sacrificatorum animalium, [9] continent partus, [10] non nisi parturiant removendi: alioqui [11] vulvæ excidium fit. Sed nisi parturientibus auferantur, omnino non pariunt. 5

XL. [1] Est lapis Samius in eadem insula, [2] ubi terram laudavimus, poliendo auro utilis. [3] Utilis & in medicina oculorum hulceribus cum lacte, [4] quo supra dictum est modo contra veteres lacrymationes. [5] Prodest & contra vitia stomachi potus: [6] vertigines sedat: mentes commotas restituit. Quidam & morbis comitialibus utiliter dari putant, & ad urinæ difficultates. Acopis etiam miscetur, [7] Probatur gravitate & candore. [8] Vulvas & partus contineri adalligato eo tradunt. 10

XLI. [1] Arabus lapis ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus. Privatim hæmorrhoïdas sanat [2] cum lanugine linteorum, linteolis insuper impositis.

XLII. Non prætermittenda est & pumicum natura. Appellantur quidem ita & erosa saxa, in ædificiis, [1] quæ musea vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam: sed & ii pumices, qui sunt [2] in usu corporum lævigandorum feminis, jam quidem & viris, atque [3] (ut ait Catullus) libris, laudatissimi sunt [4] in Melo, Nisyro, & Æoliis insulis. Probatio in candore minimoque pondere, & ut quam maxime spongiosi aridique sint, ac teri faciles, nec arenosi in fricando. Vis eorum in medicina, extenuare, siccare, [6] tertia ustione, ita ut torreantur carbone puro, ac toties vino restinguantur albo. Lavantur deinde, [7] ut cadmia, & siccati conduntur, quam minime uliginoso loco. [8] Usus farinæ ejus oculorum maxime medicamentis: hulcera purgat eorum leniter, expletque cicatrices, & emendat. [9] Quidam tertia ustione refrigeratos potius quam restinctos, terere malunt ex vino. Adduntur etiam ad malagmata, capitum verendorumque hulceribus. [10] Utilissima fiunt ex his dentifricia. Theophrastus auctor est, potores in certamine bibendi præsumere farinam eam: sed nisi immenso potu impleantur, periclitari: tantamque refrigerandi naturam esse, ut musta fervere desinant pumice addito. 15 20 25

NOTÆ.

7. *Callimus.*] *Κάλλιμος pulcherrimus*, a nomine κάλλος. Ita Reg. 2. probatiorésque codices. Tamen in Colb. 3. *calatinus*: sed, ut reor, mendose quanquam lectionem eam avide Salmasius arripit, in Solin pag. 713.

8. *Aëtitæ omnes.*] Aetius, lib. 2. cap. 32. pag. 54. post Diosc lib. 5. cap. 161.

9. *Continent partus.*] Solini paraphrasis, cap. 37. pag. 67. *Spem uteri defendit a fluxibus abortivis.*

10. *Nonnisi parturiant*] Nonnisi cum parturiunt removendi: tum vero maxime auferendi, alioqui vulva corrumpitur, retento diutius partu.

11. *Vulvæ excidium fit.*] Ita Reg. 2. non ut vulgo, *vulvæ excidunt*, quanquam ita Isidorus lib. 16. Orig. 4. aliudque vulvæ vitium, quam procidentiam ejusdem. esse hoc intelligimus: cum & contineri partus adalligato lapide proxime dictum sit, tantaque vis in continendo statim significetur, ut nisi parturientibus auferatur, omnino non pariant. Qui hunc locum ante nos intelligeret, ut alia plurima, vidimus neminem: qui trajectione, aut simili vitio laborare dicerent, sed desperatione ad id adacti, complures. Res tamen ita se habere, comprobatamque multis recentiorum medicorum experimentis hanc lapidis aetitæ vim, discere ex Schenkio possis, libr 4. Observ. Medic. pag. 647.

Sect. XL. 1. *Est & lapis Samius.*] Isidorus, lib 16. Orig. cap. 4. Diosc. lib. 5. cap. 173. Εὑρίσκεται δέ τις ἐν τῇ Σαμίᾳ γῇ λίθος, ᾧ οἱ χρυσοχόοι χρῶνται ... τὸ λαμπρὸν καὶ στιλβοῦν.

2. *Ubi terram laudavimus.*] Libro 35. sect. 53.

3. *Utilis*, &c.] Diosc. loc. cit.

4. *Quo supra dictum est modo.*] Hoc est, cum lacte muliebri: ut de schisto proxime dictum est, sect. 37. *Proficit oculorum lacrymis in lacte muliebri.*

5. *Prodest & contra.*] Diosc. loc cit.

6. *Vertigines*, &c.] Dioscorides hæc paulo obscurius, loc. cit. cum ait hanc inesse vim Samio lapidi, ut instrumenta sensuum adjuvet, & ab injuria vindicet.

7. *Probatur gravitate*, &c.] Diosc. loc. cit. Διαφέρει δὲ ὁ λευκὸς, καὶ στιφρός.

8. *Vulvas*, &c.] Diosc. loc. cit. Δοκεῖ δὲ καὶ ἐγκυμόνων ... φυλακτήριον ... συλλήψεως, ... *Creditur & adalligatus accelerare partus, & conceptus feminarum custodire.*

Sect. XLI. 1. *Arabus lapis.*] Sic MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice. Arabium Galenus vocat, lib. 9. de fac. simp. med pag. 257. Ὅ γε μὴν Ἀράβιος καλούμενος λίθος, ἐοικὼς ἐλέφαντι, ξηραντικῆς ... δυνάμεως. Diosc. lib. 5. pag. 149. Ἀραβικός. Isidorus item, lib. 16. cap 4 Arabum pro Arabico antiqui dixere: Ovidius, in epist. Sapphus, vers. 76.

Non Arabo noster rore capillus olet:

Hoc est, myrrha Arabica. Quæ porro de viribus Arabi lapidis produntur a Plinio, hæc verbis fere totidem Diosc. loc. cit. Qui porro sit lapis Arabicus, non satis constat.

2. *Cum lanugine.*] Hoc est, ut alibi dixit, cum linteolis conceptis. *Charpie.*

Sect. XLII. 1. *Quæ musea vocant*] Μουσεῖα, hoc est, diversoria eruditorum. Plinius junior, lib. 1. Epist 9. *O mare! o litus! verumque secretumque μουσεῖον, quam multa invenitis? quam multa dictatis?* Aliud longe est, quod Mosaïcum opus appellamus, de quo nos alibi dicturi sumus: etsi placuisse aliter intelligo viris eruditis.

2. *In usu corporum.*] Pullulantem in corporibus pubertatem pumicibus eradebant. Martialis, lib 14. Epigr. 205.

Sit nobis ætate puer, non pumice, lævis.

Hinc apud Plinium juniorem, lib 2. ep. 11. *Homo comptus, & pumicatus.* Nam eo mollitiei, non dicam elegantiæ, devoluti erant, ut & manus, & alias corporis partes pumice sibi lævigarent. Ovidius:

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crura teras.

Martialis, lib. 5. Epigr. 42.

Et pumicatas pauperes manus monstras.

3. *Ut ait Catullus.*] Epigr. 1.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?

Quem in locum Muretus: *Pellibus*, inquit, *ut nunc fit, libri etiam olim integebantur, easque pumice polire ac lævigare solebant.* Lepide Martialis, de bibliopola, apud quem libri ejus prostabant venales, lib. 1. Epigr. 118.

De primo dabit alterove nido
Rasum pumice, purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.

4. *In Melo, Nisyro.*] Vide Notas & Emend. num. XXI.

5. *Probatio*, &c.] Totidem verbis Diosc. lib. 5. cap. 125. & Oribasius, lib. 13. pag. 228

6. *Tertia ustione*] Post tertiam ustionem. Diosc. & Oribas. locis cit.

7. *Ut cadmia*] De cujus lotione dictum est lib. 34. sect. 22.

8. *Usus farinæ*, &c.] Pumicis in tenuissimam farinam triti. Adhibetur a Dioscor. ad purganda ea quæ pupillis offundunt caliginem: & ad explenda hulcera, perducendaque ad cicatricem.

9. *Quidam . . . . refrigeratos.*] Per se scilicet ac sponte refrigeratos potius, quam vino restinctos. In horum est numero Dioscorides, loc. cit. & qui Dioscoridem fere sequitur, Oribasius.

10. *Utilissima*] E farina pumicis. Κάλλιστα σμήγματα ὀδόντων λίαν. Diosc. loc. cit.

11. *Tantamque.*] Hoc pariter Diosc. loc. cit. totidem verbis

CAP. XXII. XLIII. Auctoribus curæ fuere lapides mortariorum quoque, [1] nec medicinalium tantum, [2] aut ad pigmenta pertinentium. [3] Etesium lapidem in iis prætulere ceteris: mox & Thebaïcum, quem [4] pyropœcilon appellavimus: [5] aliqui psaronium vocant. Tertium [6] ex chalazio chrysiten. Medici autem & basaniten. Hic enim lapis [a] nihil ex sese remittit. Ii au-5 rem lapides qui succum reddunt, oculorum medicamentis utiles existimantur: ideoque Æthiopici maxime ad ea probantur. Tænarium vero lapidem [7] & Pœnicum, & hæmatiten iis medicamentis prodesse tradunt, quæ ex croco componantur: [8] ex alio Tænario, qui niger est, & ex Pario lapide, non æque medicis utilem: potiorem ex alabastrite Ægyptio, vel ex ophite albo. Est enim hoc genus ophitis, ex quo vasa etiam & cados 10 faciunt.

XLIV. [1] In Siphno lapis est, qui cavatur tornaturque in vasa coquendis cibis utilia, vel ad esculentorum usus: quod in Comensi Italiæ lapide viridi accidere scimus. [2] Sed in Siphnio singulare, quod excalfactus oleo nigrescit, durescitque, natura mollissimus. Tanta qualitatum differentia est. Nam mollitiæ & trans Alpes præcipua sunt exempla. [3] In 15 Belgica provincia candidum lapidem serra, qua lignum, faciliusque etiam, secant, ad tegularum & imbricum vicem: vel si libeat, ad quæ vocant [4] pavonacea tegendi genera: & hi quidem sectiles sunt.

XLV. [1] Specularis vero (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues crustas. [2] Hispania hunc olim citerior tantum dabat, nec 20 tota, sed intra centum millia passuum circa Segobricam urbem: jam & Cypros, [3] & Cappadocia, & Sicilia, & nuper inventum Africa: postferendos omnes tamen Hispaniæ, [4] & Cappadociæ, mollissimis & amplissimæ magnitudinis, sed obscuris. [5] Sunt & in Bononiensi Italiæ parte breves, maculosi, complexu silicis alligati, quorum tamen appareat natura similis eis, qui in Hispania puteis effodiuntur profunda altitudine. Necnon & saxo 25 inclusus sub terra invenitur, extrahiturque, aut exciditur. Sed majori parte fossili natura, [b] absolutus segmenti modo, numquam adhuc quinque pedum longitudine amplior. Humorem hunc terræ quidam autumant crystalli modo glaciari. Et in lapidem concrescere manifesto apparet, quod cum feræ decidêre in puteos tales, medullæ in ossibus earum post unam hiemem in eamdem lapidis naturam figurantur. Invenitur & niger aliquando. Sed 30 candido natura mira, cum sit mollitia nota, perpetiendi Soles rigoresque: nec senescit, si modo injuriâ non arsit; cum hoc etiam in cæmentis multorum generum accidat. Invenere & alium usum in ramentis quoque, Circum maximum ludis Circensibus sternendi, ut sit in commendatione candor.

XLVI. Nerone Principe [1] in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candi-35 dus atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, [2] ex argumento phengites

INTERPRETATIO.

a *Nihil.*] Nullum succum ex se se remittit, *cum teritur.*

b *Absolutus.*] A saxo terraque *tenui vena seu rima* divisus, & tamquam resectus.

NOTÆ.

bis ex Theophrasto, cujus in historiæ plantarum libro nono, cap 18 hæc produntur.

Sect. XLIII. 1. *Nec medicinalium.*] In quibus medicamenta pistillo teruntur.

2. *Aut ad pigmenta.*] Ad colores terendos. Ζωγράφων θύαι.

3. *Etesium.*] Ἐτήσιον. Vide Notas & Emendationes, num. XXII.

4. *Pyropœcilon appellavimus.*] Sic MSS. recte, non *pyrrhopœcilon.* Egimus de ea voce cum Plinio, sect. 13.

5. *Aliqui psaronium.*] Ψαρώνιος, hoc est, variegati coloris, a ψαρός. Hesychius. ψαροί, ποικίλοι, εἶδος χρώματος. ψάρον, ποικίλον, σποδοειδές.

6. *Ex chalazio chrysiten.*] Qui grandinum colorem imitatur aureis intervenientibus punctis. In indice similiter, *Etesius lapis, Thebaicus, Chalazius.* Χάλαζα grandinem, χρυσὸς aurum sonat.

7. *Et Pœnicum.*] Punicum, Carthaginiensem.

8. *Ex alio Tænario.*] Succum subintellige, ex alio Tænario lapide, qui niger est.

Sect. XLIV. 1. *In Siphno.*] Σίφνιοι ποτήριον Stephano, verbo Σίφνος

2. *Sed in Siphnio.*] Isidorus totidem verbis, lib. 16. Orig. cap. 4. Plinium secutus. Theophrastus, libro περὶ λίθων, pag 9.

3. *In Belgica, . . . candidum lapidem.*] In Picardia *Pierre franche* vulgus appellat.

4 *Pavonacea*] Tecta scilicet e lapide fissili, in squamam secto & composito, in pavonum caudæ similitudinem picto: quem morem & in viridi lapide, qui sectilis est, (ardoesam vocant, de qua nos egimus lib 16. sect. 15) observant etiam nostrates. Pannum pavonatilem dixit ætas sequior, pro variegato in pavonum caudæ speciem. Vide D. Du-Cange, in Glossario.

Sect. XLV. 1. *Specularis vero.*] Nomen hic lapis invenit a natura tralucente. Quadræ ex eo fiebant, sive orbes, fenestris inserti, ad immittendam lucem, ad ventos excludendos, ad vicem & usum vitreorum. Nunc sit-ne in notitia, nescio: in usu certe non est: at olim in frequenti, qui Augusti fere temporibus cœpit. Seneca, epist. 60. *Quædam nostra demum prodisse memoria scimus, ut specularium usum perlucente testa clarum transmittente lumen.* Λίθος διαυγάζων a Basilio dicitur, homil 3. in Hex. pag. 34. Vide Licetum, lib. 1. de quæsitis per epist. pag. 117. Adi, si lubet, & Matthæum Silvaticum, cap 479.

2. *Hispania.*] Hæc pariter Isidorus, lib. 16. Orig cap. 4.

3. *Et Cappadocia.*] De speculari lapide Cappadocico, vide Strabonem, lib. 12. pag. 540.

4. *Et Cappadociæ.*] Subintellige, lapidibus. Locum hunc uti edidimus, sic typi omnes, manuscriptique probatissimi repræsentant, Reg. 2. & alii. In quibusdam tamen, sed sane mendose, legas: *Præferendum tamen omnibus Hispaniæ . . . . sed obscurum.* Qua, quæso, dote specularis lapis commendari possit, si sit obscurus, nec idem tamen mollis aut amplus?

5. *Sunt & in Bononiensi.*] Hunc esse quem Talcum appellant, credimus

Sect. XLVI. 1. *In Cappadocia repertus est.*] Isidorus lib. 16. Orig. cap. 4.

2. *Ex argumento phengites*] Ex re ipsa. Nam φέγγος splendorem sonat. Meminit hujus lapidis Tranquillus in Domitiano, cap. 14. his nempe verbis: *Tempore quoque suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticuum, in quibus spa-*

appellatus,

appellatus. [3] Hoc construxerat ædem Fortunæ, [4] quam Seiam appellant, [5] a Servio rege sacratam, [6] aurea domo complexus. [7] Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, [8] alio quam specularium modo, tamquam inclusa luce, non transmissa. In Arabia quoque esse lapidem vitri modo translucidum, quo utuntur pro specularibus, Juba auctor est.

XLVII. Nunc ad operarios lapides transisse conveniat, primumque cotes ferro acuendo. Multa earum genera: [1] Creticæ diu maximam laudem habuere: secundam Laconicæ ex Taygeto monte, utræque oleo indigentes. [2] Inter aquarias Naxiæ laus maxima fuit: mox Armeniacæ, [3] de quibus diximus. Ex oleo & aqua Ciliciæ pollent, ex aqua [4] Arsinoëticæ. Repertæ sunt & in Italia aqua [a] trahentes aciem acerrimo effectu. Necnon & trans Alpes, quas [6] passernices vocant. [b] Quarta ratio est saliva hominis proficientium, in tonstrinarum officinis, inutilis fragili mollitia. [7] Flaminitanæ ex Hispania citeriore in eo genere præcipuæ.

XLVIII. [1] E reliqua multitudine lapidum, tofus ædificiis inutilis est [c] mortalitate mollitiæ. Quædam tamen loca non alium habent, sicut Carthago in Africa. Exercetur halitu maris, fricatur vento, [2] & verberatur imbri. Sed cura tuentur picando parietes, quoniam & tectorii calce roditur. Sciteque dictum est, ad tecta eos pice, ad vinum calce uti, quoniam [3] sic musta condiunt. [4] Alia mollitia circa Romam Fidenati, & Albano. In Liguria quoque, [5] Umbria, & Venetia, albus lapis dentata serra secatur. Hi tractabiles in opere, [d] laborem quoque tolerant, [6] sub tecto dumtaxat. Aspergine & gelu pruinisque rumpuntur in testas: nec contra humores & auram maris robusti. Tiburtini ad reliqua fortes, [e] [7] vapore dissiliunt.

XLIX. Nigri silices optimi: quibusdam in locis & rubentes. [1] Nonnusquam vero & albi, sicut in Tarquiniensi [2] Anicianis lapicidinis circa lacum [3] Volsiniensem. Et in Sta-

Interpretatio.

a *Trahentes.*] Acutam reddentes aciem cultrorum, ut quam acerrime postea secent.

b *Quarta.*] Quartum obtinent locum eæ cotes quæ saliva asperguntur, & molliores fiunt.

c *Mortalitate.*] Ob mollitiem minime durabilis.

d *Laborem.*] Onera tectorum.

e *Vapore.*] Calore.

Notæ.

tiari consueverat, parietes phengite lapide distinxit, e cujus splendore per imagines quidquid a tergo fieret, provideret.

3. *Hoc construxerat.*] Nero scilicet, quo Principe is inventus est lapis, quique aurea sua domo hanc ædem complexus dicitur, quando & hoc lapide ædem construxit.

4. *Quam Seiam.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Gruteri inscriptio, pag. 79 SIEIAE FORTVNAE, mendose, credo, pro *Seiæ.* Seiam Deam a ferendo dictam vidimus supra, lib. 18. sect. 2.

5. *A Servio Rege.*] De hac æde Fortunæ a Servio Tullio dedicatam, Livius sub finem libri 10. pag. 187 Fortunæ brevi sacratam ait Plutarchus, in quæst. Rom pag. 281. Διὰ τί Μινυῆς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο Σερούιος Τύλλιος ὁ βασιλεὺς, ὃν Βρίσκην καλοῦσιν;

6. *Aurea domo.*] Hanc Fortunæ ædem aurea Neronis domo, de qua sect. 24 num. 5. inclusam significat.

7. *Quare etiam foribus opertis.*] Vide Notas & Emend. num. XXIII.

8. *Alio quam specularium modo.*] Nam speculares lucem transmittunt, non includunt, transmissaque luce domum illuminant: Phengites lapis lucem in æde includit, & ex se fundit.

Sect. XLVII. 1. *Creticæ diu.*] Alfenus, in leg. Cæsar, 15. Dig de Publicanis: *Cæsar cum insula Creta cotarias locaret, legem ita dixerat: Ne quis præter redemptorem post Idus Martias cotem ex insula Creta fodito, neve eximito, neve avellito. Cujusdam navis onusta cotibus.* &c.

2. *Inter aquarias.*] Quæ aqua indigent, quæ asperguntur aqua.

3. *De quibus diximus.*] Sect. 10.

4. *Arsinoëticæ.*] Vel ex oppido Cypri Arsinoë, de quo lib. 5. sect. 35. Nam & Cypriis cotibus commendatio præcipua fuit, ut dictum est sect. 10. Vel, quod similius veri arbitror, ex Arsinoe Ciliciæ oppido, de quo libro 5. sect. 22. quod hujus regionis cotes proxime pollere ex oleo & aqua dictum est, uti has ex aqua.

5. *Trahentes aciem.*] Vide quæ de hac voce diximus, sect. 30. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 3. *E cotibus aliæ aquariæ sunt, aliæ oleo indigent in acuendo: sed oleum lenem, aquaria aciem acerrimam reddunt.*

6. *Passernices.*] Vox Celtica.

7. *Flaminitanæ.*] Sic etiam MSS. Forte *Flaminianæ* a Flaminio quopiam redemptore, seu publicano: ut a metallorum dominis Livianum æs, & Sallustianum, appellatum esse meminimus, lib. 34. sect. 2. Vel *Damanitanæ* a Damania, Hispaniæ citerioris oppido, de quo diximus lib. 3. sect. 4.

Sect. XLVIII. 1. *E reliqua.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIV. Tofum nostrates vocant, *du Tuf.* Laquearibus olim cum pumice expetitus. Ovid. lib. 2. Fastor.

Antra subit tofis laqueata, & pumice vivo:
Garrulus in primo limine ritus erat.

2. *Et verberatur imbri.*] Non insueta Plinio locutio. Vide lib 14 sect. 27. extrema.

3. *Sic musta condiunt.*] Plinius lib. 14 sect. 24. *Africa gypso mitigat asperitatem vini, nec non aliquibus sui partibus calce.*

4. *Alia mollitia.*] Vitruvius, lib. 2. cap. 7. pag. 26. de lapicidinis: *Sunt enim*, inquit, *aliæ molles, uti sunt circa Urbem rubra, Pallienses, Fidenates, Albana*, &c.

5. *Umbria*, &c.] Vitruvius loc. cit. *In Umbria, & Piceno, & Venetia, tofus albus, qui etiam serra dentata, uti lignum secatur.*

6. *Sub tecto dumtaxat.*] Vitruvius, loc. cit. *Si sunt in apertis & patentibus locis, gelicidiis & pruinis congesta, friantur & dissolvuntur. item secundum oras maritimas ab salsugine exesa diffluunt, neque perferunt æstus.*

7. *Vapore dissiliunt.*] Vitruvius: *Tiburtina vero, & quæ eodem genere sunt omnia, sufferunt, & ab oneribus, & a tempestatibus injurias: sed ab igni non possunt esse tuta: simulque ut sunt ab eo tacta, dissiliunt & dissipantur: ideo quod temperatura naturali parvo sunt humore*, &c.

Sect. XLIX. 1. *Nonnusquam vero.*] Quæ contractiore paulo oratione Plinius, hæc fusiore & explanatiore multo Vitruvius, lib. 2 cap. 7. pag. 27. *Sunt vero*, inquit, *lapicidinæ complures in finibus Tarquiniensium, quæ dicuntur Anicianæ: colore quidem quemadmodum Albanæ, quarum officinæ maxime sunt circa lacum Vulsiniensem: item præfectura Statoniensi. Eæ autem habent infinitas virtutes: neque enim his gelicidiorum tempestas, neque tactus ignis potest nocere: sed sunt firmæ, & ad vetustatem permanentes.... Id autem maxime judicare licet e monumentis quæ sunt circa municipium Ferenti ex his facta lapicidinis: namque habent & statuas amplas factas egregie, & minora sigilla, floresque, & acanthos eleganter scalptos: quæ cum sint vetusta, sic apparent recentia, uti sint modo facta. Non minus etiam fabri ærarii de his lapicidinis in æris flatura formas habent comparatas, & ex his ad æs fundendum maximas utilitates*, &c. Hunc Plinii locum exscripsit Isidorus, lib. 19. Orig. cap. 10.

2. *Anicianis.*] Sive ex aliquo Etruriæ loco, ut suspicabamur ad librum 3. sect. 8. seu, quod nunc verius reimur, ab Anicia familia, penes quam ejus loci possessio fuerit, nomen id tractum sit. Nam Boetius, qui ex ea familia fuit, sibi prædia villasque in montibus Aureliæ fuisse testatur.

3. *Et in Statoniensi.*] Vulgo, *Lago di Mezzano.* Est & lapis

tonienfi funt, quibus ne ignis quidem nocet. Iidem & in monumentis fcalpti, contra vetuftatem quoque incorrupti permanent. [4] Ex iis formæ fiunt, in quibus æra funduntur. [5] Eft & viridis filex, vehementer igni refiftens, fed nufquam copiofus: & ubi invenitur, lapis, [6] non faxum, eft. E reliquis pallidus in cæmento raro utilis. [7] Globofus, contra injurias fortis, fed ad ftructuram infidelis, nifi multa [8] fuffrenatione devinctus. [9] Nec certior fluviatilis, femper veluti madens.

L. [1] Remedium eft in lapide rubro, æftate eum eximere, nec ante biennium eum inferere tecto, domitum tempeftatibus. [2] Quæ ex eo [a] læfa fuerint, in fubterranea ftructura aptantur utilius. Quæ reftiterint, tutum eft [3] vel cælo committere.

LI. [1] Græci e lapide duro, aut filice [b] æquato conftruunt veluti lateritios parietes. Cum ita fecerint, [2] ifodomon vocant genus ftructuræ. At cum inæquali craffitudine ftructa funt, pfeudifodomon. [3] Tertium eft emplecton, tantummodo frontibus politis: reliqua fortuito collocant. [4] Alternas coagmentationes fieri, ut commiffuras antecedentium medii lapides obtineant, neceffarium eft in medio quoque pariete, fi res patitur: fi minus, utique a lateribus. Medios parietes farcire fractis cæmentis, [5] diamicton vocant. [6] Reticulata ftructura, qua frequentiffime Romæ ftruunt, rimis opportuna eft. [7] Structuram ad normam & libellam fieri, & ad perpendiculum refpondere oportet.

CAP. XXIII. LII. Et cifternas arenæ puræ & afperæ quinque partibus, calcis quam vehementiffimæ duabus conftrui convenit, fragmentis filicis non excedentibus libras. Ita ferratis vectibus calcari folum, parietefque fimiliter. Utilius geminas effe, ut in priore vitia confidant aquæ, atque per colum in proximam tranfeat maxime pura aqua.

LIII. Calcem e vario lapide [1] Cato Cenforius improbat. [2] Ex albo melior. Quæ ex duro, ftructuræ utilior: quæ ex fiftulofo, tectoriis. [3] Ad utrumque damnatur ex filice. Utilior eadem ex effoffo lapide, quam ex ripis fluminum collecto. [4] Utilior e molari, quia eft quædam pinguior natura ejus. Mirum, aliquid, poftquam arferit, accendi aquis.

LIV. Arenæ tria genera. [1] Foffitia, cui quarta pars calcis addi debet: fluviatili aut marinæ, tertia. [2] Si & teftæ tufæ tertia pars addatur, melior materia erit. Ab Apennino ad Padum non invenitur foffitia, nec trans maria.

INTERPRETATIO.

a *Læfa.*] A tempeftatibus.

b *Æquato.*] Æqualis craffitudinis ac latitudinis.

NOTÆ.

Gabinus pariter igni impervius, Tacito tefte, lib. 15. Annal, pag. 254.

4. *Ex iis formæ.*] Gallis, *des moules*, in quibus nummi, ftaticulæ, aliaque ejufmodi, ex ære, argento, auro, plumbo. Trebellius Pollio, in Victoria, pag 200. *Cufi funt ejus nummi ærei, aurei & argentei: quorum hodieque forma extftat apud Treviros.* Prius enim nummi fundebantur, tum deinde ad fummam perfectionem atque abfolutionem feriebantur. Unde Triumviri monetales, æri, auro, argentove flando fimul ac feriundo præfici dicebantur.

5. *Eft & viridis filex.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXV.

6. *Non faxum eft.*] Quod majus, afperius, duriufque, quam lapis, eft.

7. *Globofus.*] Sic etiam MSS. omnes, Reg. Colb. alii. Ifidorus, lib. 19. Orig. cap. 10. *Globus.* Quid fi *galbus*, vel *gilvus* legas? nam de filicum coloribus, nigro, rubro, albo, viridi, pallido, eft eo fermo. Nec *globofus* tamen omnino difplicet, ob ea quæ fequuntur: Et quod fect. 62. extrema, globofi lapidis mentio fit.

8. *Suffrenatione.*] Colligatione, arctaque ftructura, quæ lapidem veluti freno retineat. Sic Ifidorus, lib 19. Orig. cap. 10. *Globus contra injurias fortis, fed in ftructuris infidus: nifi fuerit multa fuffrenatione devinctus.*

9. *Nec certior fluviatilis.*] Silex nimirum. Ifidorus, loc. cit. *Fluviatilis filex femper veluti madens eft.*

Sect. L. 1. *Remedium eft, in lapide rubro.*] Contra nimiam lapidis rubri mollitiam, remedium eft, eum biennio fub dio finere, ut dometur tempeftatibus, antequam in ædificiis adhibeatur. Vide Notas & Emend. num. XXVI.

2. *Quæ ex eo.*] Vitruvius, lib. 2. cap. 7 pag. 27.

3. *Vel cælo committere.*] Ex eo lapide fupra terram ædificare. Vitruvius, loc. cit.

Sect. LI. 1. *Græci e lapide.*] Hæc totidem verbis Vitruvius, lib. 2. cap. 8. pag. 28.

2. *Ifodomon vocant.*] Ἰσόδομον, cum omnes lapidum ordines in ftructura æquales funt: cum vero funt inæquales, ita ut verfus inferior exempli caufa fit lapidum fefqui pedalium, pedalium vero fuperior, tunc ψευδισόδομον Græci vocant.

3. *Tertium eft emplecton.*] Vitruvius, loc. cit. *Altera ftructura eft, quam ἔμπλεκτον appellant, qua etiam noftri ruftici utuntur: quum frontes poliuntur, reliqua ita ut funt nata, cum materia collocata, alternis alligant coagmentis. Sed noftri celeritati ftudentes, erecta coria locantes, frontibus ferviunt, & in medio farciunt .... Ita tres fufcitantur in ftructura crufta: duæ frontium, & una media fracturæ.*

4. *Alternas.*] Tum fiunt alternæ coagmentationes, cum majores lapides minoribus inferuntur vicibus alternis.

5. *Diamicton vocant.*] Διὰ μικτῶν, ob immixta, five injecta inter medios parietes cæmento. Vide Notas & Emend. num. XXVII.

6. *Reticulata.*] Reticulatum opus dicitur, cum lapides in quadrum fecti, non jacentes, fed in latus ftantes collocantur, inftar fcutariarum teffellarum, *en lofange.* Noftri vocant, *Maffonnerie maillée.* Vitruvius, lib. 2. cap. 8. pag. 27 *Structurarum genera funt hæc. Reticulatum, quo nunc omnes utuntur, & antiquum, quod incertum dicitur. Ex his venuftius eft reticulatum: fed ad rumas (an rimas) faciendas ideo paratum, quod in omnes partes diffoluta habet cubicula & coagmenta.*

7. *Structuram ad normam*] Norma, *l'equerre.* Libella, *le niveau.* Perpendiculum, *le plomb.*

Sect. LIII. 1. *Cato Cenforius.*] Libro de re ruft. cap 38. pag. 33. *Lapidem bonum in fornacem, quam candidiffimum, quam minime varium indito.*

2. *Ex albo melior.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVIII.

3. *Ad utrumque.*] Sentire contra Vitruvius videtur, lib. 2. cap. 5. pag. 24

4. *Utilior eadem.*] Ita Vitruvius, lib 2. cap. 4 pag 23.

Sect. LIV. 1. *Foffitia, &c.*] Hæc pariter Vitruvius, lib. 2. cap. 5. pag. 24. Sic & Palladius, lib. 1. cap 10. pag. 14. apud quem *tefta trita*, pro *trita*, perperam legi credimus.

2. *Si & tefta.*] Vitruvius, loc. cit.

3. *Ab Apennino.*] Vitruvius, lib. 2. cap. 6. pag 26 *Maxime vero licet confiderare, quod qua mons Appenninus regiones Italiæ Etruriæque circumcingit, prope omnibus locis non defunt foffitia arenaria: trans Apenninum vero, quæ pars eft ad Adriaticum mare, nulla inveniuntur: item Achaia, Afia, & omnino trans mare, ne nominantur quidem.* Sed Philandri notas ad eum locum confule.

LV. Ruinarum Urbis ea maxime causa, [1] quod furto calcis sine ferrumine suo cæmenta componuntur. [2] Intrita quoque quo vetustior, eo melior. In antiquarum ædium legibus invenitur, ne recentiore trima uteretur [3] redemptor. Ideo nulla tectoria eorum rimæ fœdavere. [4] Tectorium quidem, nisi ter [5] arenato, & bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet. [a] Uliginosa, & ubi salsugo vitiat, [6] testaceo sublini utilius. In Græcia tectoriis etiam arenatum quod inducturi sunt, [7] prius in mortario ligneis vectibus subigunt. [8] Experimentum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohæreat. [9] Contra in albario opere, ut macerata calx [10] ceu glutinum hæreat. [11] Macerari nonnisi [b] ex gleba oportet. In Elide ædes est Minervæ, in qua frater Phidiæ Panænus tectorium induxit lacte & croco subactum, ut ferunt: ideoque si teratur in ea hodieque saliva pollice, odorem croci saporemque reddit.

LVI. Columnæ in æde [1] densius positæ crassiores videntur. [2] Genera earum quatuor. Quæ sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Doricæ vocantur: quæ nonam, Ionicæ: quæ septimam, [3] Tuscanicæ. Corinthiis eadem ratio, quæ Ionicis. [4] Et differentia, quoniam capitulis Corinthiarum eadem est altitudo, quæ colligitur crassitudine ima: ideoque graciliores videntur: Ionici enim capituli altitudo, tertia pars est crassitudinis. [5] Antiqua ratio erat columnarum altitudinis, tertia pars latitudinum delubri. In Ephesiæ Dianæ æde, [6] de qua prius fuit sermo, primum columnis [7] spiræ subditæ, [8] & capitula addita. Placuitque altitudinis octava pars in crassitudine, [c] & ut spiræ haberent crassitudinis dimidium, septimæque partes detraherentur summarum crassitudini. Præter has sunt, quæ vocantur Atticæ columnæ, quaternis angulis, pari laterum intervallo.

LVII. Calcis & in medicina magnus usus. [1] Eligitur recens, nec aspersa aquis: urit, discutit, extrahit, [2] incipientesque serpere hulcerum impetus coërcet. [3] Aceto & rosaceo

Cap. XXIV.

Interpretatio.

a *Uliginosa.*] Loca humida & salsugine infecta, tectorio sublini debent, quod fiat e testis tusis.
b *Ex gleba.*] Cum in gleba est.
c *Et ut spiræ.*] Et ut basis in altitudine haberet dimidium crassitudinis columnarum: & ei dimidiæ crassitudini pars septima detraheretur, ut fieret justa mensura crassitudinis summæ columnæ, sive capituli.

Notæ.

Sect. LV. 1. *Quod furto calcis.*] Ut pingentium furtum in minio, lib. 33. sect. 40. sic modo in calce tectorum rapinam coarguere, plane videtur. Ferrumen, id quod alligat, glutinatque, Latini vocant: unde ferruminare, pro glutinare, tralatitium est. In tectoriis calx ferruminis vicem præbet, quod cæmenta ligat, ut dicetur sect. 68. Eo destituta, rimas fere agere, ac dissolvi necesse est. Huc Caius Cæsar Germanicus alludebat, cum teste Tranquillo, cap 53. *Senecam tum maxime placentem, commissiones meras componere, & arenam esse sine calce diceret.*

2. *Intrita quoque.*] Intritam calcem vocat, ut cum Hermolao, aliisque credimus, quæ longo tempore macerata sit, ac fermentata Vitruvium lege toto capite secundo libri septimi, pag. 129.

3. *Redemptor.*] Redemptores, proprie & ex antiqua consuetudine dicebantur, qui certo pretio conducebant universum aliquod opus faciendum.

4. *Tectorium quidem.*] Vitruvius, lib 7. cap. 3. pag. 132. & Palladius, lib. 1. cap. 15. tria arenæ coria, tria marmoris desiderant, ut sit opus & solidum, & adeo nitens, ut etiam expressas imagines aspicientibus remittat. Tectorium, illinimentum est, & quasi incrustatio parietis, quæ fit gypso, calce, &c. Constat pluribus coriis, *plusieurs couches de chaux & de plastre. Calicata ædificia* Festus appellat, quæ sunt *calce polita.*

5. *Arenato.*] Hodie *mortarium* appellamus, quod fit ex arena & calce. Marmoratum, quod e marmore trito & calce: Nam cæmenta marmorea, sive assulæ, quas marmorarii ex operibus dejiciunt, pilis ferreis contunduntur, cribrisque excernuntur. Eæ autem excretæ calci miscentur. Vitruvium vide, lib. 7. cap. 6. pag. 138. & Diosc. libro 5. cap. 133. Galli marmoratum vocant, *du stuc.*

6. *Testaceo.*] Vitruvius, lib. 7. cap. 4. *de politionibus in humidis locis*, pag. 134 *Pro arenato testa trulissetur.*

7. *Prius in mortario.*] Mortarium dicit pro alveo, loco, conceptaculo, ubi adnitente certatim hominum multitudine materia pinsitur, ac subigitur. Vitruvius, lib 7 cap. 3. pag. 133. *Græcorum vero tectores, non solum his rationibus utendo faciunt opera firma, sed etiam mortario collocato, calce & arena ibi confusa, decuria hominum inducta ligneis vectibus pinsunt materiam: & ita ad certamen subacta tunc utuntur.*

8. *Experimentum*] Vitruvius quasi paraphrastes esto, loco cit. pag. 132. *Marmorati ita materies temperetur, uti cum subigitur, non hæreat ad rutrum, sed purum ferrum e mortario liberetur.* Rutrum instrumentum est, quo structores utuntur, ad inducenda parietibus tectoria: *une Truelle.*

9. *Contra in albario opere.*] Albarium opus fit ex calce sola, vel solo gypso: eaque re a ceteris tectorii generibus discriminatur, quæ arenam aut marmor adsciscunt. Opifices in eo genere ALBARII in vetusto lapide appellantur, apud Gruterum, pag. 642.

10. *Ceu glutinum.*] Ita Vitruvius, lib. 7. cap. 2. pag. 130, & post eum Palladius, lib. 1. cap. 14. pag. 25. *Opus quoque albarium sæpe delectat, cui calcem debebimus adhibere, cum multo tempore fuerit macerata. Ergo ut utilem probes, ascia calcem quasi lignum dolabis. Si nusquam acies eius offenderit, & si quod ascia adhæret, fuerit molle atque viscosum, constat albariis operibus convenire.*

11. *Macerari*] Vitruvius, loco cit. pag. 129. *Erit albarium opus recte, si glebæ calcis optimæ ante multo tempore, quam opus fuerit, macerabuntur*, &c.

Sect. LVI. 1. *Densius positæ*] Cum angustius est inter columnas spatium. Tullius *intercolumnium* nuncupat: Galli, *l'espacement des colonnes.*

2. *Genera earum quatuor.*] Totidem Vitruvius enumerat, lib. 4. cap. 6. extremo, pag 73. Nostrates vocant, *l'ordre Dorique, l'Ionique, l'ordre Toscan, l'ordre Corinthien.* Quintum adjiciunt, ex Ionico, Corinthioque, compositum, *l'ordre composite.*

3. *Tuscanicæ.*] Vitruvius, libro 4. cap. 7. pag. 75. de Tuscanica ratione: *Columnæ, inquit, sint ima crassitudine, altitudinis parte septima.*

4. *Et differentia.*] Vitruvius, lib. 4. cap. 1. pag. 59 *Ionici capituli altitudo, tertia pars est crassitudinis columnæ: Corinthii, tota crassitudo scapi.* Scapum nostrates vocant, *le vif de la colonne.*

5. *Antiqua ratio.*] De qua Vitruvius, lib. 4. cap. 7. pag. 75.

6. *De qua prius fuit sermo.*] Sect. 21.

7. *Spiræ subditæ.*] Spiræ sunt tori sive annuli basium, qui serpentium, seu funis convoluti similitudinem referunt: *les rondeaux, anelets, astragales, ou tondins, le tore ou le baton, qui composent la base de la colonne.* Ex his & basis ipsa spira nuncupatur. Festus: *Spira dicitur basis columnæ, unius tori, aut duorum.*

8. *Et capitula.*] *Le chapiteau de la colonne.*

Sect. LVII. 1. *Eligitur, &c.*] Hæc totidem verbis Diosc. lib. 5. cap 133.

2. *Incipientesque.*] Diosc. loc. cit. Marcellus Empiricus, cap. 4. pag. 42. & Plinius Valer lib. 3. cap. 22.

3. *Aceto, &c.*] Auctores iidem proxime appellati.

temperata perducit ad cicatricem. Luxatis quoque cum adipe fuillo, aut liquida resina ex melle medetur: [4] eadem compositione & strumis.

LVIII. [1] Maltha e calce fit recenri. [2] Gleba vino restinguitur: mox tunditur cum adipe suillo & fico, [3] duplici linamento: quæ res omnium tenacissima, & duritiam lapidis
5 antecedens. Quod malthatur, oleo perfricatur ante.

LIX. Cognata calci res gypsum est. Plura ejus genera. [1] Nam e lapide coquitur, ut in Syria ac Thuriis: & e terra foditur, ut in Cypro, [2] ac Perrhæbis: e summa tellure & Tymphaïcum est. Qui coquitur lapis, non dissimilis alabastritæ esse debet, [3] aut marmoroso. In Syria durissimos ad id eligunt, coquuntque fimo bubulo, ut celerius urantur. [4] Om-
10 nium autem optimum fieri compertum est e lapide speculari, squamamve talem habente. Gypso madido statim utendum est, quoniam celerrime coït ac siccatur: tamen rursus tundi & in farinam resolvi patitur. Usus gypsi in albariis, [5] sigillis ædificiorum [6] & coronis gratissimus. Exemplum illustre, C. Proculeïum, Augusti Cæsaris familiaritate subnixum, in maximo stomachi dolore [8] gypso poto, conscivisse sibi mortem.

15 LX. Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, [1] donec lithostrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami stravit quem vocant [2] asaroton œcon, [3] quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, [a] veluti relicta, fecerat parvis e testulis tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliæ [4] scabentes
20 sese in canthari labro.

LXI. Pavimenta credo primum facta quæ nunc vocamus barbarica, atque [1] subtegulanea, in Italia [2] fistucis pavita: hoc certe [3] ex nomine ipso intelligi potest. Romæ [b] scalpturatum in Jovis Capitolini æde primum factum est post tertium Punicum bellum initum. Frequentata vero pavimenta ante Cimbricum magna gratia animorum, indicio
25 est [4] Lucilianus ille versus:

Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

LXII. [c] [1] Subdialia Græci invenere talibus domos contegentes [d] tractu tepente:

INTERPRETATIO.

a *Veluti.*] Quasi relicta ibi fuissent, in pavimento erant elaborata e testulis, tinctis in varios colores.

b *Scalpturatum.*] Variis scalpturis elegantius factum.

c *Subdialia*] Quæ sunt sub dio.

d *Tractu.*] Calidiore cæli tractu.

NOTÆ.

4. *Eadem compositione.*] Plinius Valer. lib 3. cap. 29.

Sect. LVIII. 1. *Maltha e calce.*] Palladius, libro 1. cap. 17. pag. 16. *Hoc genus malthæ adhibebimus...... picis liquidæ quantum volueris, & tantumdem sumes unguinis, quod vocamus axungiam, vel sevum. Tunc in olla utrumque miscebis, & coques, donec spumet; deinde ab igne removebis. Cum fuerit eadem refrigerata permixtio, calcem minutim superadjicies, & ad unum corpus omnia mixta revocabis.* Et cap 41. pag 35. *Malthæ caldaria compositio talis est. Hammoniacum vernissum, ficum, stupam, picem liquidam .... item sevum liquefactum*, &c. Alites Festus: *Maltha dicitur a Græcis pix cum cera mixta.*

2 *Gleba.*] Gleba calcis.

3 *Duplici linamento.*] Sic typi omnes. MSS. *liniamento.* Forte, *linimento*: ut sit sententia, duplici corio malthæ si tectoria parietum inducantur, nihil fore tenacius.

Sect. LIX. 1. *Nam & e lapide.*] Quæ deinceps sequuntur, usque ad ea verba, *Usus gypsi*, &c. tradita totidem verbis a Theophrasto, lib. περὶ λίθων, pag. 13. & 14.

2. *Ac Perrhæbis.*] Περὶ Τυμφαίαν, καὶ περὶ Περραιβίαν, inquit Theophrast. loc. cit. De his utrisque Ætoliæ populis, Plinius, lib. 4. sect. 3.

3. *Aut marmoroso.*] Lapidi marmoreo, hoc est, marmori. Theophr. loc. cit. Καίουσι μαρμάρους, &c.

4. *Omnium autem.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap 3. *Gypsi plura genera: Omnium autem optimum, lapis specularis: Est enim signis ædificiorum, & coronis gratissimus.*

5. *Sigillis.*] Parvis signis, seu statuis, & simulacris.

6. *Et coronis.*] Coronicem nostrates vocant, *la corniche.* Vide Baldum, de signific. Vocabulorum Vitruvian. verbo, *Corona.* Coronides eæ sunt in contignationibus, ornamenti magis causa, quam necessitatis.

7. *C. Proculeium*] Egimus de eo, lib. 7. sect. 46.

8 *Gypso poto.*] Gypsum epotum strangulare scribit pariter Diosc. libro 5. cap. 134. Ποθεῖσα δὲ πνίγει τῷ συνιστάναι πήγνυσθαι ... [illegible]

Sect. LX. 1. *Donec lithostrota.*] Λιθόστρωτα, *Lapidibus strata*, significat. Pavimenti genus, teste Isidoro, libro 15. Orig. cap 8 e parvulis crustis, tessellisque tinctis in varios colores. Sic modo & e latere coctili, atque adeo e ligno fiunt variis figuris sectilia pavimenta. Nunc vulgo Musaica nuncupant.

2. *Asaroton œcon.*] Ἀσάρωτον οἶκον domum sonat, quam verrere scopis omiserint, ab α & σαίρω: nam in iis pavimentis quasi purgamenta cœnæ remansissent humi, sic erant depicta. Usi hac voce Sidonius, aliique. Papinius in primis, lib. 1. Sil. ubi sic canit:

Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes. Nam splendor ab alto
Defluens, & nitidum referentes aera testa
Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantque novis asarota figuris.

Hoc poeta significat: tam solum marmoreis tessellis pictum ac variegatum fuisse, quam tectum ipsum ac fornicem pellucidis ac splendidissimis testis obductum: a quibus lux splendorque longe lateque quodammodo deflueret. Eas porro nitidissimi speculi more modoque pavimenti figuras, atque asarota repræsentasse. Cum igitur eo pervenisset Statius, atque oculos huc illucque circumduceret, necdum ad solum oculos adjecisset, non ante quid calcaret animadvertisse, quam sublatis oculis pavimentum per testulas illas transpiceret. Ita Petavius in Notis ad orat. Themistii XVIII. pag 486

3. *Quoniam purgamenta.*] Inerant & aliæ figuræ ibi pictæ, ut ex sequentibus intelligetur. *Mirabilis ibi*, &c.

4. *Scabentes se se.*] Sic omnes editi, cum Reg. 2. In Colb. 3. *lavantes.*

Sect. LXI. 1. *Subtegulanea.*] Quæ sunt sub tegulis, in cavis ædium, ὑπόστεγα, quibus subdialia opponuntur, ὑπαίθρα.

2 *Fistucis pavita.*] De fistuca diximus jamdudum. Machina est vulgo nota, qua pavitores utuntur ad complananda pavimenta, & est utrimque ansata: *belier, hie, Demoiselle.*

3. *Ex nomine ipso.*] Nam pavimenta a paviendo dicta, id est, feriendo: ut ipsum instrumentum pavicula appellatur.

4. *Lucilianus.*] Versus Lucilii hi sunt:

Lexes compostæ, ut tesserulæ omnes
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Hoc est, dictiones compositæ, quemadmodum sunt tesserulæ in pavimento ex arte & emblemate picto tinctove.

Sect. LXII. 1. *Subdialia.*] Vitruvius, libro 7. pag. 128. *Sub dio vero maxime idonea facienda sunt pavimenta*, &c. Ὕπαιθρα Græci vocant: nostri, *des terrasses*: In ædificiorum scilicet summa parte detectas ambulationes, auræ captandæ

sed fallax, ubicumque imbres gelant. [2] Necessarium [a] binas per diversum coassationes substerni, [3] capita earum præfigi ne torqueantur, & [4] ruderi novo tertiam partem testæ tusæ addi: deinde rudus, [5] in quo duæ quintæ calcis misceantur, pedali crassitudine [6] fistucari. [b] [7] Tunc nucleo crasso sex digitos induci, [8] & ex tessera grandi non minus alta duos digitos strui. [c] Fastigium vero servari in pedes denos sesquuncem: ac diligenter cote [9] despumare: [10] quernisque axibus contabulare. Quæ torquentur, inutilia putant: immo [11] & filicem aut paleam substerni melius esse, quo minor vis calcis perveniat. [12] Necessarium & globosum lapidem subjici. Similiter fiunt [13] spicata testacea.

L X I I I. Non negligendum est etiamnum unum genus [1] Græcanici. Solo fistucato injicitur rudus aut testaceum pavimentum: dein spisse calcatis carbonibus inducitur, sabulo, calce, ac favilla mixtis: materia crassitudine semipedali ad regulam & libellam exigitur, & est forma terrena. [2] Si vero cote depolitum est, nigri pavimenti visum obtinet.

L X I V. [1] Lithostrota acceptavere jam sub Sylla: parvulis certe crustis [2] exstat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneste fecit. [3] Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere, e vitro: novitium & hoc inventum. Agrippa certe [4] in Thermis, quas Romæ fecit, [5] figlinum opus [6] encausto pinxit: in reliquis albaria adornavit: non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset, aut a parietibus scenæ, [7] ut diximus, Scauri, pervenisset in cameras. Quamobrem & vitri natura indicanda est.

CAPUT XXVI.

L X V. [1] Pars est Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Judææ, intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur Cendevia. Ex ea creditur nasci Belus amnis,

INTERPRETATIO.

a *Binas.*] Duplex substerni debet tabularum ordo contrario situ, directus scilicet atque transversus: extremitates earum clavis figendæ, ne torqueantur.

b *Tunc*] Tunc alterum corium ruderis alterius crassum sex digitis inducatur.

c *Fastigium*] Fastigium pavimenti sic paulisper attolli debet, ut in singulos denos pedes attollatur pollice uno cum dimidio: tum cote lævigandum est. E quercu tabulæ sive asseres eligendi.

NOTÆ.

gratia relictas, præsertim in calidioribus regionibus.

2. *Necessarium.*] Vitruvius, libro 7. cap. 1. pag. 128. *Cum coassatum fuerit, super altera coassatio transversa sternatur, clavisque fixa duplicem præbeat contignationis loricationem. Deinde ruderi novo tertia pars testæ tusæ admisceatur: calcisque duæ partes ad quinque mortaris mixtionibus præstent responsum. Statuminatione facta rudus inducatur, idque pinsum absolutum, ne minus pede sit crassum. Tunc autem nucleo inducto, uti supra scriptum est, pavimentum e tessera grandi circiter binûm digitûm cæsa struatur, fastigium habens in pedes denos, digitos binos.* Sic etiam Palladius, lib. 1. cap. 9.

3. *Capita earum.*] Vitruvius, pag. 127. *In singulis tignis extremis partibus axis, bini clavi figantur, uti nulla ex parte possint se torquendo angulos excitare.*

4. *Ruderi novo.*] Rudus novum est materia pavimenti, hoc est, saxa recens contusa, seu testæ confractæ cum calce ad pavimentum faciendum. Vitruvius, loco cit. mortarium vocat. Ruderationem facere Galli, *bourder*.

5. *In quo duæ quintæ.*] Legendum ex Vitruvii loco allato videtur, permutatis vocibus duabus, *in quo quinta duæ calcis misceantur*: hoc est, in quo quintæ parti ruderis sive mortarii duæ calcis partes misceantur: Nam ille, *calcisque duæ partes ad quinque mortarii*, &c.

6. *Fistucari.*] Fistucationibus magna cura solidari, inquit Vitruvius, pag. 126. hoc est, fistuca exæquari. De fistuca diximus sect. sup.

7. *Tunc nucleo.*] Vitruvius, pag. 127. *Insuper ex testa nucleus inducatur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis, uti ne minore sit crassitudine pavimentum, digitorum senûm. Supra nucleum, ad regulam & libellam exacta, pavimenta struantur sive sectilibus, seu tesseris.*

8. *Et ex tessera.*] Tesseras sive scutulas in pavimento vocant frustra quadrata & rotunda.

9. *Despumare.*] Polire, abstergere, fricare, uti nulli gradus sint in scutulis, aut quadratis. Vitruv. loc. cit. qui & ea despumandi voce usus, lib. 7. cap. 4. pag. 135.

10. *Quernisque axibus.*] Quernis esculinos Vitruvius anteponit, loco cit. nisi querni tenuiores secti sint. Sic & Palladius, lib. 1. cap. 9.

11. *Et filicem.*] Sic Reg. 2. non, ut editi, *silice.* Vitruvius, lib. 7. cap. 1. pag. 127. *Coassationibus factis, si erit, filex: si non, palea substernatur, uti materies ab calcis vitiis defendatur.* Palladius item, loc. cit.

12. *Necessarium.*] Vitruvius, loco cit. *Tunc insuper statuminetur, nec minore saxo, quam quod possit manum implere: statuminibus inductis, ruderetur*, &c. Statumen, pavimentorum imum stratum est.

13. *Spicata testacea.*] Hoc est, pavimenta e testis seu laterculis, in formam spicæ dispositis. Vitruvius, lib. 7. cap. 1. pag. 128. *Item testacea spicata Tiburtina sunt diligenter exigenda*, &c. Spicati operis iconem Philander exhibet ad eum Vitruvii locum, pag. 129.

Sect. LXIII. 1. *Græcanici*] Subintellige, pavimenti Vitruvius, libro 7. cap. 4. pag. 135. *Græcorum hibernaculorum usus, qui minime sumptuosus est, sed utilis apparatus. Foditur enim intra libramentum triclinii altitudo circiter pedum binûm: & solo fistucato inducitur aut rudus, aut testaceum pavimentum.... Deinde congestis & spisse calcatis carbonibus, inducitur ex sabulone, & calce, & favilla mixta materies, crassitudine semipedali, ad regulam & libellam: & summo libramento cote despumato, redditur species nigri pavimenti. Ita conviviis eorum, & quod poculis & sputismatis effunditur, simul atque cadit, siccescit: quique versantur ibi ministrantes, etsi nudis pedibus fuerint, non recipiunt frigus ab ejusmodi genere pavimenti.*

2. *Si vero cote depolitum.*] Plane perpolitum. Festus: *Depolitum, perfectum*, &c.

Sect. LXIV. 1. *Lithostrota acceptavere.*] Sic MSS. non *coeptavere.* Subintellige, Romani, sive Latini, seu prisci.

2. *Exstat*] Pavimentum scilicet λιθόστρωτον.

3. *Pulsa deinde*] Hoc est, ut prius pavimenta, ita postea & cameræ tessellato opere contexi coeptæ sunt: & quidem ex vitro, seu vitri partibus quadratis, aut trigonis, aut hexagonis: ex quibus quoddam quasi tessellatum, ac musivum, sive mosaicum, e vitro opus fiebat. Glossæ MSS. *Musivum, quod fit de vitro in parietibus.* Vita sancti Laurentii Ep. Sipontini, cap. 2. *Ex minutis vitreis lapidibus*, &c. Paulinus, epist. 12. *Camera musivo illusa.* Ex Leone Ostiensi, lib. 3. cap. 27. intelligitur musivi operis artifices appellatos, *qui absidas & arcus musivo componerent: quadratarios vero, qui pavimentum lapideum pulcra varietate consternerent.* Plura de hoc argumento V. Cl. Du-Cangius congessit in Glossario, verbo *Musivum opus*, unde hæc fere delibavimus. Parmensis editio: *Pulsa deinde .... in cameras transiere, e vitro novitium. Et hoc inventum Agrippæ. Certe*, &c. penitus aspernanda lectione.

4. *In Thermis.*] Thermæ Agrippæ in regione Urbis nona, a Publio Victore collocantur, in descript. Romæ.

5. *Figlinum opus*] Parietes lateritios. Sic MSS. omnes, Reg. 2. aliique. Colbert. 3. *figulinum.* Nullus *Signinum*, ut Salmasius interpolat, in Solin. pag. 1225. Nec jam de pavimentis sermo.

6. *Encausto.*] Hoc est, ceris coloratis, & igne resolutis. Vide quæ diximus lib. 35. sect. 41.

7. *Ut diximus*] Sect. 24. num. 7. *Ima pars scenæ e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ*, &c.

Sect. LXV. 1. *Pars est Syriæ.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig. c. 15. Vide quæ diximus lib. 5. sect. 17.

quinque M. pass. spatio in mare perfluens, juxta Ptolemaïdem coloniam. Lentus hic currit, insalubri potu, sed cærimoniis sacer, limosus, vado profundus. [2] Non nisi refuso mari arenas fatetur: fluctibus enim volutatæ nitescunt, detritis sordibus. [3] Nunc & a marino creduntur adstringi morsu, non prius utiles. Quingentorum est passuum non amplius litoris spatium, [4] idque tantum multa per sæcula gignendo fuit vitro. [5] Fama est, appulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per litus epulas pararent, nec esset [6] cortinis attollendis lapidum occasio, [7] glebas nitri e nave subdidisse. Quibus accensis permixta arena litoris, translucentes [8] novi liquoris fluxisse rivos, & hanc fuisse originem vitri.

LXVI. Mox, ut est astuta & ingeniosa solertia, non fuit contenta nitrum miscuisse: cœptus addi & magnes lapis: quoniam in se liquorem vitri quoque, ut ferrum, trahere creditur. Simili modo & calculi splendentes multifariam cœpti uri: deinde conchæ, & fossiles arenæ. Auctores sunt, in India et crystallo fracta fieri, & ob id nullum comparari Indico. [1] Levibus autem aridisque lignis coquitur, [2] addito Cyprio, ac nitro, [3] maxime Ophirio. [4] Continuis fornacibus, ut æs, liquatur, massæque fiunt colore pingui nigricantes. Acies tanta est [5] quacumque, ut citra ullum sensum ad ossa consecet, quidquid afflaverit corporis. [6] Ex massis rursus funditur in officinis, tingiturque. [7] Et aliud flatu figuratur, [8] aliud torno teritur, [9] aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili: siquidem etiam specula excogitaverat. Hæc fuit antiqua ratio vitri. Jam vero & in [10] Vulturno mari Italiæ arena alba nascens, sex M. pass. litore, inter Cumas [11] atque Liternum, [12] quæ mollissima est, pila molaque teritur. Dein miscetur tribus partibus nitri pondere vel mensura, ac liquata in alias fornaces transfunditur. Ibi fit massa, quæ vocatur [13] ammonitrum: atque hæc recoquitur, & fit vitrum purum, ac massa vitri candidi. [14] Jam vero per Gallias Hispaniasque simili modo arenæ temperantur. Ferunt Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, [15] ut flexibile esset: & totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri, metallis pretia detraherentur: eaque fama crebrior diu, quam certior fuit. Sed quid refert? Neronis principatu reperta vitri arte, quæ modicos calices duos, quos appellabant [16] pterotos, [17] H-S. sex millibus venderet.

LXVII. In genere vitri [1] & Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis, quem in Æthiopia invenit [2] Obsidius, [3] nigerrimi coloris, aliquando & translucidi,

NOTÆ.

2. *Nonnisi refuso.*] Belus amnis, cum limosus sit natura, infusi maris vi arenas fateri, & agnoscere quasi cogitur. Sic & Tacitus refert, lib 5. hist. & Josephus belli Jud. lib. 2. cap. 9

3. *Nunc & a marino.*] Salis acrimonia ac mordacitate, vim eam vitri conflandi creduntur accipere, non prius utiles.

4 *Idque tantum.*] Ex tam exiguo spatio cum arenas convehant quotannis onustæ naves plurimæ, sufficiunt tamen semper recentes, quibus ille locus impellente vento impletur. Josephus loc cit. Tacitus, lib. 5. hist. pag 117. *Et Belus amnis Judaico mari illabitur: circa cujus os collectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur. Modicum id litus, sed egerentibus inexhaustum.*

5. *Fama est.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig cap. 15.

6. *Cortinis.*] Isidorus, *vasis.*

7. *Glebas nitri.*] E succis concretis, qui cum lapidibus liquescentibus ad vitrum conficiendum naturali cognatione junguntur, primæ nitro deferuntur: secundæ sali, &c. Vide Agricolam, lib. 12. de re metall. pag. 470.

8. *Novi liquoris.*] Sic MSS. omnes, & Isidorus: non, ut typi, *nobilis liquoris.*

Sect. LXVI. 1. *Levibus autem.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 15.

2. *Addito Cyprio.*] Hoc est, ære Cyprio. Isidorus, *addito cupro.*

3. *Maxime Ophirio.*] MSS. *Ofrio*, & *Offrio.* Quid si *Ophrynio*, ab oppido Troadis cognomine, cujus meminere Strabo, libro 13. pag. 595. Harpocration, aliique? Quid si potius *aphronitro*?

4. *Continuis.*] Sic Isidorus totidem verbis. Vitrariis aliis hodie tres sunt fornaces, aliis duæ, aliis una. Quibus tres, hi in prima coquunt materiam, in secunda recoquunt, in tertia refrigerant vitrea vasa, ceteraque opera candentia. Agricola, lib. 12. de re metall. pag. 471.

5 *Quacumque.*] Quocumque quid massæ vitri ferventis inciderit.

6. *Ex massis.*] Isidorus, loc. cit.

7. *Et aliud flatu.*] Uti nunc moris est in vitrariis.

8. *Aliud torno.*] Hoc olim: nunc obmutuit. Torno formati calices e vitro, audaces dicebantur, & plebeii tamen erant, & parvo venibant. Martialis, libro 14. Epigr. 94. cujus lemma, *Calices audaces:*

Nos sumus audacis plebeia toreumata vitri,
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

9. *Aliud argenti.*] Achilles Tatius, lib. 2. de amoribus Clitophontis, & Leucippes, poculum e vitro cælato describit: [illegible] &c. In scalpendo porro cælandove, ne frangerentur vitra, magna cautio fuit: nam, ut cecinit Martialis, lib. 14. Epigr. 115. cujus lemma, *Calices vitrei:*

Quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus!

10 *Vulturno mari.*] Quod circa ostium Vulturni amnis, quo de amne diximus libro 3. sect. 9. pag. 326. appellatione maris quod eam oram alluit, nulli alteri scriptori, quod quidem sciam, usurpata.

11. *Atque Liternum.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXIX.

12. *Quæ mollissima, &c.*] Hæc deinceps totidem verbis Isidorus, lib 16 Orig. cap. 15

13. *Ammonitrum*] Ἀμμόνιτρον, voce conflata ab *ἄμμος arena*, & *νίτρον nitrum.* Hodie opifices *Fritta* nuncupant, teste Cæsalpino.

14. *Jam vero.*] Isidorus, loc. cit.

15. *Ut flexibile esset.*] Et flecti sane, si debite incalescat, potest: malleo duci in tenues laminas, quemadmodum visum est Isidoro, lib. 16 Orig. cap. 15. non potest: quantumlibet suffragari ei Dio videatur, qui hoc Tiberiani artificis factum amplificat, lib. 59. pag. 617. multo minus caute quam Plinius, qui ne flectendi quidem excogitatam ab eo rationem, liquido asseverat; sed crebriore id modo prodit, quam certiore fama pervulgatum.

16. *Pterotos.*] Πτερωτοὺς, quasi pinnatos, duabus ansis appositis. In Reg. 2. & Colb. 3. *petrotos.*

17. *H-S. sex millibus.*] Sestertiûm sex millia, monetæ nostratis libras efficiunt, sive florenos 600.

Sect. LXVII. 1. *Et Obsidiana*] Pocula fuere ista factitia, ad similitudinem Obsidiani ex Æthiopia lapidis.

2. *Obsidius.*] Gruteri inscriptio, pag. 72. OBSIDIVS. RVFVS.

3. *Nigerrimi coloris.*] Isidorus lib. 16. Orig cap. 15. *Est autem*

[4]crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddente. [5] Gemmas multi ex eo faciunt: vidimusque & solidas imagines Divi Augusti, capti materiæ hujus crassitudine: dicavitque ipse pro miraculo [6] in templo Concordiæ Obsidianos quatuor elephantos. Remisit & Tiberius Cæsar Heliopolitarum cærimoniis repertam ibi in hereditate ejus qui præfuerat Ægypto, Obsidianam imaginem [7] Menelaï. Ex quo apparet antiquior materiæ origo, nunc vitri similitudine interpolata. Xenocrates Obsidianum lapidem in India [8] & in Samnio Italiæ, & ad Oceanum [9] in Hispania nasci tradit. [a] [10] Fit & tincturæ genere Obsidianum, ad escaria varia vasa, & totum rubens vitrum, atque non translucens, [11] hæmatinon appellatum. [12] Fit & album, & murrhinum, aut hyacinthos sapphirosque imitatum, & omnibus aliis coloribus. [13] Nec est alia nunc materia sequacior, aut etiam picturæ accommodatior. Maximus tamen honos in candido translucentibus, quam proxima crystalli similitudine. Usus vero ad potandum argenti metalla & auri pepulit. [b] Est autem caloris impatiens, ni præcedat frigidus liquor: cum addita aqua [14] vitreæ pilæ Sole adverso, in tantum excandescant, ut vestes exurant. Fragmenta teporata agglutinantur tantum: rursus tota fundi non queunt, præterquam abrupta sibimet. [15] Tingit ars, veluti cum [16] calculi fiunt, quos quidam abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis versicolores. Vitrum sulphuri concoctum [c] ferruminatur in lapidem.

LXVIII. At peractis omnibus, quæ constant ingenio, artem Natura faciente, succurrit mirari, nihil pæne non igni perfici. * Ignis accipit arenas, ex quibus alibi vitrum, alibi argentum, alibi minium, alibi plumbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. [1] Igne lapides in æs solvuntur, igne ferrum gignitur: ac domatur, [2] igne cremato lapide cæmenta in tectis ligantur. Alia sæpius uri prodest. Eademque materia aliud gignit primis ignibus, aliud secundis, aliud tertiis: quando ipse carbo vires habere incipit restinctus, atque interiisse creditus, majoris fit virtutis. Immensa & improba rerum naturæ portio: & in qua dubium sit, plura absumat, an pariat.

*Cap. XXVIII.

LXIX. Est & ipsis ignibus medica vis. Pestilentiæ, quæ Solis obscuratione contrahitur, ignis suffitu multiformiter auxiliari certum est. Empedocles & Hippocrates id demonstravere diversis locis. Ad convulsa viscera, aut contusa, ut M. Varro: ipsis enim verbis ejus utar: Lix cinis est, inquit, foci. Inde enim cinis luxatis potus medetur: ut licet videre gladiatores, [2] cum deluserunt, hac juvari potione. Quin & carbunculum genus morbi,

INTERPRETATIO.

a *Fit &c.*] Fit etiam certo quodam tincturæ genere, ut lapidem Obsidianum rubens vitrum æmuletur.

b *Est autem.*] Calorem ferre vitreus calix non potest, sed igni applicitus frangitur, nisi aqua interveniat: cum tamen orbes vitrei aqua pleni Solis radiis sic excandescant, &c.

c *Ferruminatur.*] In lapidis modum induratur.

NOTÆ.

tem niger interdum, & virens aliquando, & translucidus, crassiore visu, & in speculis parietum pro imagine umbras reddente. Et cap. 4. *Obsidius lapis niger est, translucidus, & vitri habens similitudinem. Ponitur in speculis parietum, propter imaginum umbras reddendas.*

4. *Crassiore visu.*] Crassius multo, quam vitrum, lucem transmittit.

5. *Gemmas multi.*] Isidorus, locis cit. Gemmas, lapides anulorum vocat.

6. *In templo Concordiæ.*] Regione Urbis octava. Hoc loco *Obsidianos* etiam scribit Reg. 2. alibi *Obsianos* & *Obsianum*: sed mendose. Index: *De Obsidianis.* Tamen Arriano: Ὀψιανὸς λίθος. Et Isidoro, *Obsius lapis.* In Pandectis, *Obsidianus lapis.* Forte ἀπὸ τῆς ὄψεως, a visu, seu translucente natura.

7. *Menelai.*] Helenæ mariti, qui Græciam repetens in Ægyptum est tempestate delatus. Vide Hygin. fab. 118.

8. *Et in Samnio.*] Isidorum hinc emendabis, qui locis cit. *in Samo Italiæ* dixit.

9. *In Hispania.*] In Lusitania certe reperiri, visamque a se ollam ex eo lapide perpolitam, scribit Vasconcellius.

10. *Fit & tinctura*, &c.] Sic typi omnes, & MSS. nequicquam immutante Salmasio, in Solin. pag. 9. *Fit & tinctura ex genere Obsidiani*, &c.

11. *Hæmatinon.*] Αἱμάτινον, sanguineum.

12. *Fit & album, & murrhinum.*] Quod murrhinos calices imitetur, aut hyacinthi, sapphirive colorem. Isidorus lib. 16. Orig. cap. 15.

13. *Nec est alia nunc materia sequacior.*] Dum flatu figuratur. Isidorus hunc locum legisse aliter videtur: *Neque est alia*, inquit loc. cit. *speculis aptior materia, vel picturæ accommodatior. Maximus tamen honor in candido vitro*, &c.

14. *Vitreæ pilæ.*] Lactantius, lib. de ira Dei, cap. 10 pag. 508. *Orbem vitreum plenum aqua si tenueris in Sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur, etiam in durissimo frigore.* Plinius lib. 37 sect. 10. *Invenio medicos, quæ sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam crystallina pila adversis posita Solis radiis.*

15. *Tingit ars.*] Vitra scilicet. Non habent has voces libri hactenus editi. Reg. 2. *Tingunt has.* Colb. 3. *tingunt.* Quid propius vero videretur, nihil occurrit aliud, quam *tingit ars.* Cum præsertim sequenti proxime sectione legatur: *Peractis omnibus quæ constant ingenio, artem natura faciente*.

16. *Calculi .. quos ... abaculos.*] Scrupos, opinor, lusorios intelligit, qui versicolores erant. *Des dames.* Alii calculos intelligunt, quibus in supputatione nummorum utimur. *Des jettons.*

Sect. LXVIII. 1. *Igne lapides.*] Libro 34. sect. 2.

2. *Igne cremato lapide.*] Ex quo calx efficitur.

3. *Eademque materia.*] Ut de plumbo dictum est, lib. 33. sect. 47. *Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum*, &c.

Sect. LXIX. 1. *Cinis luxatis.*] Sic recte Romana vetus editio: non, ut Dalecampius, *cinis lixivus.* Cinis lixivus dicitur, non cinis ipse modo qui aqua est percolatus, sed ipsum lixivium liquidum. Sic enim accepit & Scribonius Largus, cap. 216. *Hoc teritur ex cinere lixivo, donec leve factum habeat mellis spissitudinem.* Iterum: *Hoc terere oportet ex cinere lixivo e caprifico vel sarmentis, donec levia habeant temperamentum.* A Plinio tamen, ut ex sequentibus liquet, pro cinere ipso accipitur.

2. *Cum deluserunt.*] Delusisse gladiatores dicuntur, quum, ut in digladiando fit, aliquod membrum luxarunt, aut læserunt, ut jam ludere non possint. Turnebus, lib. 22. Advers. cap. 5. pag. 709. Vel potius deludere est, ita infeliciter ludere, ut vel nimio æstu, vel causa simili morbum aliquem, dolorem verbi gratia lateris contrahas: cui morbo cinerem commode adhiberi dicit inscriptio vetus, apud Gruterum, pag. 71. sed ficta ac recens: ΛΟΥΚΙΩ ΠΛΕΥΡΕΙΤΙΚΩ ΚΑΙ ΑΠΗΛΠΙΣΜΕΝΩ ΥΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ ΕΧΡΗΜΑΤΙΣΕΝ Ο ΘΕΟΣ ΕΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΑΡΑΙ ΤΕΦΡΑΝ ΚΑΙ ΜΕΤ' ΟΙΝΟΥ ΑΝΑΦΥΡΑΣΑΙ ΚΑΙ ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟ ΠΛΕΥΡΟΝ ΚΑΙ ΕΣΩΘΗ ΚΑΙ ΔΗΜΟΣΙΑ ΗΥΧΑΡΙΣΤΗ-

quo duos Consulares nuper absumptos [3] indicavimus, querneus carbo tritus cum melle sanat. Adeo in rebus damnatis quoque, [4] ac jam nullis, sunt aliqua remedia, ut in carbone ecce & cinere.

LXX. Non præteribo & unum foci exemplum, Romanis litteris clarum. [1] Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco ejus comparuisse genitale e cinere masculini sexus, eamque quæ insederat ibi Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captivam, consurrexisse gravidam. Ita Servium Tullium natum, qui regno successit. [2] Inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium: [3] ob id Compitalia & ludos Laribus primum instituisse.

NOTÆ.

ΣΕΝ ΤΩ ΘΕΩ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΣΥΝΕΧΑΡΗ ΑΥΤΩ. *Lucio lateris dolore affecto, & desperato ab omnibus hominibus oraculum Deus reddidit. Veniret, & ex ara tolleret cinerem, & cum vino misceret, imponeretque lateri. Et convaluit, & publice gratias egit, & gratulatus ei populus est.* Græca apud Gruterum mendis scatent.

3. *Indicavimus.*] Libro 26. sect. 4.

4. *Ac jam nullis.*] Igne consumptis Sic lib. 2. sect. 63. mortuos *jam nullos* vocat.

Sect. LXX 1. *Tarquinio.*] Narrat hoc & Dionys. Halic, fabulisque accenset, lib, 4. Antiq. Rom. pag. 207. Arnobius, lib. 5. adversus gentes, pag. 169. *Sed & Deos Conserentes .... taceamus, quos cum ceteris scribit Flaccus in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri, qui sub alitula fuerat factus externum: quem cum Tanaquil dimoverit Etruria disciplinarum perita, surrexisse se Deos, & nervis obduruisse divinis:* &c. Pudet tam obscena, quamvis Arnobio præeunte, chartis mandare.

2. *Inde & in regia.*] Sic Dionys. loc. cit. Livius, lib 1. pag. 15. Florus, lib. 1. cap. 6. pag. 17. Vide quæ diximus, lib. 2. sect. CXI pag 259.

3. *Ob id Compitalia.*] De his egimus in Notis & Emend. ad librum 3. num. XLVI.

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXXVI.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 4. I. ANTHERMUS *Chius, cujus filii Bupalus & Anthermus, clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis poetæ ætate.*] Sic libri omnes tum manu exarati, tum editi, a vetustissimis ad recentissimos: quibus proinde tutius credas, quam Suidæ, qui pro Antehermo habet Athenidem. Sic enim verbo Ἱππῶναξ. Γράφει δὲ εἰς Βούπαλον, καὶ Ἄθηνιν ἀγαλματοποιούς, ὅτι αὐτοῦ εἰκόνας ἐπὶ ὕβρει εἰργάσαντο. *Scripsit Hipponax in Bupalum & Athenidem statuarios, quod suas imagines in ipsum contumeliam fecissent.* Quam porro carminum amaritudinem distrinxisse in Bupalum aliosque adversarios Hipponax a Plinio hoc loco dicitur, ea egregie sugillatur quibusdam epigrammatis, in Anthologia, lib. 3. cap. 26. in primisque illo, Mimnermi, sive Philippi:

> Ὦ ξεῖνε, φεῦγε τὸν χαλαζεπῆ τάφον,
> Τὸν φρικτὸν, Ἱππώνακτος· οὗ τε χ' ἁ τέφρα
> Ἰαμβίζει Βουπάλειον εἰς ἔχθος.
> Μήπως ἐγείρῃς σφῆκα τὸν κοιμώμενον,
> Ὃς οὐδ' ἐν ᾅδῃ νῦν κεκοίμηκεν χόλον,
> Σκάζουσι μέτροις ὀρθὰ τοξεύσας ἔπη.
> *Hunc grandinantem, si sapis, tumulum fuge,*
> *Viator, Hipponactis: hostis Bupali*
> *Atrox iambis stridet ipse etiam cinis.*
> *Vide crabronem ne cubantem suscites:*
> *Nondum quiescit ejus apud orcum furor:*
> *Sed recta vibrat tela claudo carmine.*

Alterum Leonidæ, huic simile:

> Ἀτρέμα τὸν τύμβον παραμείβετε, μὴ τὸν ἐν ὕπνῳ
> Πικρὸν ἐγείρητε σφῆκ' ἀναπαυόμενον.
> Ἄρτι γὰρ Ἱππώνακτος ὁ καὶ τοκέωνε βαΰξας,
> Ἄρτι κεκοίμηται θυμὸς ἐν ἡσυχίῃ.
> Ἀλλὰ προμηθήσασθε· τὰ γὰρ πεπυρωμένα κείνου
> Ῥήματα πημαίνειν οἶδε καὶ εἰν Ἀΐδῃ.
> *Quam potes hac tacitus transi, ne forte crabronem*
> *Expergefacias, quem sopor altus habet.*
> *Hipponactis enim, qui natos sæva latravit*
> *Ira suos, multa nunc cubat in requie.*
> *Sed cave nunc etiam, sodes: ex ipsius aula*
> *Ditis adhuc lædunt ignea dicta viri.*

Mollius paulo istud Theocriti:

> Ὁ μουσοποιὸς ἐνθάδ' Ἱππῶναξ κεῖται·
> Εἰ μὲν πονηρὸς, μὴ προσέρχευ τῷ τύμβῳ.
> Εἰ δ' ἐσσὶ κρήγυός τε, καὶ παρὰ χρηστῶν,
> Θαρσέων καθίζευ, κἢν θέλῃς, ἀπόβριξον.
> *Vates sepultus hic quiescit Hipponax:*
> *Abscede busto, si quis es mala mente:*
> *Quod si bonus sis ipse de bonis natus,*
> *Tutus sedeto: si libebit, & dormi.*

Quartum, quod Alcæi est, haud ægre omittimus: quod non æque ac superiora arrideat.

Ibid. II. *Ejusdem discipulus fuit Agoracritus Parius, et ætate gratus. Itaque e suis operibus pleraque nomini ejus donasse fertur.*] Sic libri omnes, etiam MSS. quibus invitis corrigit Pintianus, *par ei arte, sed gratus.* At inferiorem arte fuisse, gratum tamen Phidiæ, amatumque ab ipso ob juniorem ætatem, testatur & Tzetzes, Chiliad. 7. hist. 154. vers. 90.

> Φειδίας ὁ περίδρομος ὁ Ἀττικὸς ὁ πλάστης,
> Ἀγορακρίτῳ χάριτι ποιῶν τῷ ἐρωμένῳ,
> Ἀνθρώπῳ πρὶν οὐκ εὐφυεῖ περὶ τὴν πλαστουργίαν
> Ἀγαλματώσας κάλλιστα Φειδιακῇ τῇ τέχνῃ
> Τὸ ἐν Ῥαμνοῦντι ἄγαλμα Νεμέσεως, Διός τε,
> Ἐκείνῳ ἀνατέθεικεν ἐπιγραφὴν χαράξας,
> Ἀγορακρίτου ἄγαλμα τοῦτ' ἐστὶ Παρίου.
> *Phidias celebratus Atticus fictor,*
> *Agoracrito gratiam faciens sibi dilecto,*
> *Homini licet manu non apto ad statuariam,*
> *Cum fecisset statuam optime Phidiaca arte,*
> *Quæ in Rhamnunte est statua Nemesis, Jovisque,*
> *Illi attribuit, titulum scalpens,*
> *Agoracriti statua hæc est Parii.*

Ibid. III. *Inhonorus est, nec in templo ullo Hercules, ad quem Pœni . . . . humi stans, ante aditum Porticus ad Nationes.*] Sic MSS. veteres, Reg. 2. Colb. 3. ceterique omnes, atque adeo probatiores editiones, ut Elzeviriana, Gronoviana. At sunt aliæ non paucæ, in quibus, auctore ac suasore, ut credimus, Beroaldo, contraria plane sententia legitur, *In honore & in templo illo*: quod sane ineptum est: nam si in Templo, non igitur ante aditum porticus fuit, quem tamen ejus simulacri situm fuisse verbis conceptis Plinius asseverat.

Sect. 7. IV. *Quem & res, & domus ipsius, clarius, quam Catullus, dixit habere, quidquid habuisset Comata Gallia.*] Sic totidem fere apicibus libri manu exarati: cum in editis ad hunc diem libris edatur, *Quem, ut res est, domus ipsius*, vel nulla, vel implicata nimis sententia. Legebat olim Scaliger ex conjectura, *Metrodorus Scepsius*, horum verborum vice, *ut res est domus ipsius.* Acute magis quam solide excogitatum. Quid enim apertius, quam quod illis verbis significatur? Rem familiarem, seu opes Mamurræ, domumque ejus clarius illum ipsum declarasse, quod Catullus exprobrarat, quam hunc ipsum poetam suis carminibus: corrasum scilicet ab illo, congestumque in illam domum, quidquid opum foret in Comata Gallia. *Rem* dici de pecunia opibusque tralatitium est. Hinc apud Tullium, aliosque idoneos Latinitatis auctores passim offendas, *Augere rem*, *Habere rem*, *Facere rem*, &c.

Sect. 11. V. *Augustum undatim crispum in vertices, Tiberium sparsa, non convoluta canitie.*] Sic MSS. Reg. 2. Colb. 3. & Pintiani. In editis ad hanc diem libris, contraria plane sententia, vel potius nulla, legebatur, *Tiberium sparsum convoluta canitie.* Nos & conditivorum exemplarium auctoritatem secuti sumus, ipsamque loci sententiam, & Isidori fidem, qui hunc locum totidem verbis exscripsit, lib. 16. Orig. cap. 5.

Ibid. VI. *Satuas ex eo Claudio Cæsari . . . . ex Ægypto advexit Vitrasius Pollio.*] Libri hactenus fere editi, *Triarius Pollio*. Parm. editio. *Tris Asinius Pollio.* At Reg. 2. & Colb. 3. *Vitrasius Pollio.* Nos tum ex Dione, tum ex antiquis monumentis Vitrasium scripsimus. Dio lib. 58. pag. 633. Καὶ τούτῳ Οὐιτρασίῳ Πωλίωνι τῷ τῆς Αἰγύπτου ἄρχοντι τελευτήσαντι, &c. *Iterum Vitrasio Pollione Ægypti præfecto vita functo*, &c. Et Gruterus, pag. 302. VITRASIUS POLIO. Et pag. 192.

DEDICATA. VI. IDUS AUG.
T. VITRASIO. POLLIONE. II. M.
FLAVIO. ARGO.

Et alibi Vitrasiæ gentis frequens occurrit mentio.

Sect. 13. VII. *Lygdinos in Paro repertos, amplitudine, qua lances, craterasque non excedant.*] Libri omnes editi, *in Tauro.* Reg. 2. *in Taro.* Nos ex Isidoro, lib. 16. Orig. cap. 5. *in Paro. Parius lapis*, inquit, *Lygdinus cognomento. hic apud Paron insulam nascitur: unde & Parius nuncupatus. Magnitudo ejus, qua lances craterasque non excedat: unguentis & ipse aptus.* Hesychius: Λύγδινος λίθος. . . . ὁ Πάριος.

Sect. 15. VIII. *Cujus umbra vertice colligeretur in se ipsa, aliis enormiter jaculante apice.*] Sic totidem plane apicibus syllabisque, Reg. 2. codex, & Pintiani, nisi quod *in ipsa*, non *in se ipsa* habent. Sic & MSS. alii omnes, probatioris notæ. At in editis ad hunc diem libris prodigiose hæc corrupta: *Cujus vertice umbra colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa jaculantem apice.* Quam sunt porro hæc corrupta, tam sunt obscura quæ Salmasius affert in Solinum, pag. 640. ad interpretationem hujus loci, quem ex suis quoque codicibus restituit, æque ac Pintianus.

Ibid. IX. *Tertius . . . . ex omnibus unus omnino factus est imitatione ejus quem fecerat Sesostridis filius*] Locum hunc integerrima fide repræsentamus, qualem exhibent MSS. codices, Colb. 3. vetus Dalecampii, & Vaticana quoque exemplaria, teste Mattio lib. 2. Orig. cap. 14. & Kirchero nostro, lib 1. de orig. Obeliscorum, cap. 9. Ceteri, nempe editi, cum Reg. 2. *fractus est in molitione, quem.* Haud dubie mutile ac falso. Nam qui videre, ac diligenter exploravere, integrum

adhuc esse renunciant.

Sect. 17. X. *In raphanos . . . mille sexcenta talenta.*] Sic Reg. 2. ceterique codices manu exarati. In editis perperam *mille octingenta.* Manuscriptis favet Herodotus, lib. 2. Euterpe, num. 125. pag. 138. Ἐς τε συρμαίην καὶ κρόμμυα, καὶ σκόροδα . . . ἑξακόσια καὶ χίλια τάλαντα ἀργυρίου τετελέσθαι. *In raphanos, cepas, & allia . . . mille & sexcenta talenta pecuniæ esse insumpta.* Diodorus Siculus similiter, lib. 1. Bibl. pag. 58. τάλαντα πλείω τῶν χιλίων καὶ ἑξακοσίων

Sect. 18. XI. *Quales jam compluribus locis flagrant, ut Ostia ac Ravenna.*] E nostra id conjectatione est. Nam in editis hactenus libris: *Sicut jam tales compluribus locis flagrant, ut Puteolis ac Ravennæ.* At Reg. 2 *Quales jam compluribus locis flagrant, cuosiste ac Ravenna.* Unde haud pœnitenda emendatio, *ut Ostia.* Nam Ostiæ certe a Claudio Imperatore erectam esse *altissimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent*, auctor est Tranquillus in ejus vita, cap. 20.

Sect. 19. XII. *Introitu lapide e Pario, columnis reliquis e Syenite, molibus compositis, &c.*] Prius legebatur, *Introitu lapidis columnisque reliquis, e molibus compositis.* Adjuvit promovitque emendationem Regius 2. codex, in quo sic legitur, *Introitu lapidis e Paro, columnis reliqua Syenite molibus compositis.* Sic etiam Colb. 3 aliique probatioris notæ.

Sect. 24. XIII. *Quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam sellaria istorum.*] Prius *cellaria* legebatur. In Reg 2. *sellaria.* In Colb. 3. *sellaria*, optime. Sellaria locus est, in quo sedes disponuntur. Plinius supra lib. 34. sect. 19. num. 24. *Violentia Neronis in Urbem convecta, & in sellariis domus aureæ disposita.* De hac aurea domo nunc agitur. Suetonius, in Tiberio, cap 43. *Secessu vero Capreensi, etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum*, &c.

Ibid. XIV. *Ima pars scenæ e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ: summa e tabulis inauratis. Columnæ, ut diximus, imæ duodequadragenûm pedum.* Vel unius litterulæ immutatio quantas sententiarum varietates afferat, ex hoc loco intelligere licet, quam libri vulgati hactenus sic repræsentant: *Summa tabulis inauratis columnæ, ut diximus: imæ duodequadragenûm pedum.* Atqui summas tabulis inauratis columnas nusquam dixit: Columnas imas, quæ fuere eædem maximæ, duodequadragenûm pedum fuisse superius admonuit, sect. 2. *Etiamne tacuerunt*, inquit, *maximas earum columnarum, atque adeo duodequadragenûm pedum Lucullei marmoris in atrio Scauri collocari*, translatas e scena scilicet. Denique cum scena triplex exstiterit, imaque dicatur e marmore, e vitro media, quæ summæ materia fuerit, cui non illico aperitur?

Ibid. XV. *Cavea ipsa cepit hominum LXXX. millia: cum Pompeiani theatri toties multiplicata urbe . . . sufficiat large quadraginta millibus.*] Sic totidem plane litteris, apicibusque Regius 2. codex, cum in libris ad hunc diem editis, *Pompeii amphitheatri*, & mox, *quadringentis millibus* legatur, gemino errore: nam, ut a posteriore incipiam, cum ei consilium sit amplitudinem theatri, quod Scaurus edidit, tanto majorem ostendere, quam fuerit Pompeii, etsi multiplicata numero civium urbe: non potuit quadringenta millia Pompeianum capere, si fuit illud alterum LXXX. tantum millium capax. Quod ad alterum attinet, Pompeiani certe theatri, (quod & ex suo exemplari Pintianus vidit scribi hoc loco oportere) meminere omnes: amphitheatri, nemo. P. Victor, in descript. Romæ, regione octava, *Theatrum Pompeii.* Tacitus lib. 14 Annal. *Quippe erant, qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus, & scena ad tempus structa*, ut temporario Scauri theatro, *ludos edi solitos, vel si vetustiora repetantur, stantem populum spectavisse.* Theatrum hemicycli specie constructum fuit: amphitheatri forma rotunda, & veluti ex duobus constans theatris: unde & nomen.

Sect. 25. XVI. *Magnes appellatus est ab inventore . . . in Ida repertus.*] Sic libri omnes, etiam MSS. Nec tantum Isidoro tribuendum putamus, ut quidquam moveamus hoc loco, quanquam ille Pliniana hæc ex more transcribens, lib. 16. Orig. cap 4 *in India* legisse videatur, ut & Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 43. fol 41.

Magnetes lapis est inventus apud Troglodytas,
Quem lapidum genitrix nihilominus India mittit

Inventoris certe, a quo magneti ea indita appellatio est, viri proprium apud Græcos nomen esse docuimus.

Ibid. XVII *Tertium in Hyrietico Bœotiæ.*] Libri hactenus editi, *in Echio Bœotia* Reg. 2. & Pintiani, *in Hyrtio.* Colb. 3 *in Hyetico.* Nihil visum est veræ lectioni propius, quam *Hyrietico*, ab oppido Bœotiæ, ut diximus, de quo lib. 4. sect. 12.

Sect. 26. XVIII. *Lapidem e Scyro insula &c.*] *E Syro*, non *a Scyro*, libri quidam MSS. præferunt. Ego vero de Scyro ut hæc potius accipienda putem, faveamque vulgatæ hactenus lectioni, facit Eustathii in primis auctoritas, qui ad Dionys. vers 521. pag. 71. Σκῦρον Scyrum insulam sic esse appellatam prodidit, quod sit petrosa, σκυρώδης: atque e lapicidinis ejus variegatos lapides, qui Scyrii appellentur: μέταλλα δὲ αἰεὶ ποικίλων λίθων, Σκυρίας λεγομένας. Et in Proverbiis Zenobii, Centur. 1. num 32. Πετρώδης καὶ λυπηρὰ ἐστι ἡ Σκῦρος. Ac Suidas idem habet, & Apostolius Suidam secutus. De Syro nihil legas usquam ejuscemodi. Isidorus incaute, locum hunc exscribens, lib 16. Orig. cap. 4. *Syrius lapis*, inquit, *a Syro, ubi reperitur, appellatur: hic integer fluctuare traditur, comminutus mergi.* Isidori errorem sequitur Albertus, lib. 2. tract. 2. de miner. cap. 17.

Sect. 28. XIX. *Theophrastus auctor est & translucidi lapidis in Ægypto, quem Chio similem ait.*] Sic Reg. 2. Colb. 3. & Pintiani codex, excepto quod *Phio*, non *Chio*, sed mendose, legunt. Theophrastos, lib de lapid. pag. 2 Μάλιστα αὐτὸ δ' (ἐν Αἰγύπτῳ) διαφανὴς ὅμοιος τῷ Χίῳ. Nec latuit hoc Pintiano & Hermolao. In libris hactenus editis, *& translucidos lapides in Ægypto inveniri, quos ophitæ similes ait*, interpolantium manu.

Ibid. XX. *Ejusdem lapis flos appellatur, in farinam mollis, ad quædam perinde efficax.*] Sic libri omnes editi: sic Reg 2. totidem syllabis apicibusque. Salmasius tamen in Solinum, pag. 1204 ex nescio quibus codicibus, corruptis certe & interpolatis, sic emendat: *Ejusdem lapidis flos appellatur, farina ex eo quædam perinde efficax.* Ut videatur esse sententia, in farinam, seu tenuissimum pulverem teri hunc lapidem, qui pulvis flos appelletur. Id vero quam longe & a scriptoris mente, & a rei veritate abhorreat, testis Aetius, lib 2. de re med, cap. 23. pag. 51. ubi de lapide Asio: *Huic*, inquit, *quiddam agnascitur, pulvisculo farinæ pistrinorum parietibus insidenti simile, quod florem Asiæ petræ vocant.* Græcus MS. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος λίθος, . . . ὃν δὴ καλοῦσιν Ἀσσίον πυρρώδης κατὰ τὴν χροιὰν καὶ τὴν σύστασιν . . . Ἐπιτρέχει δὲ αὐτῷ τι χνοῶδες · ἐοικὸς λεπτοτάτῳ τῷ ἐπιπάττοντι τοῖς τοίχοις τῶν μυλώνων, Insidet itaque flos ille lapidi: non ex eodem comminuto, aut friato, tritove fit. Sic Oribasius, lib. 13. pag. 259. *Lapidis Assii flos est salsugo summo lapidi insidens*, &c post Diosc. lib. 4 cap. 142. & Galenum, lib. 9. de fac. simp med. pag. 257.

Sect. 40. XXI *Laudatissimi sunt in Melo, Nisyro, & Æoliis insulis.*] De pumicibus agitur. Prius, *in Melo, Scyro*, legebatur. Ex suis exemplaribus *in Syro* Pintianus rescribere nitebatur. Atque ita sane Reg. 2. At Colb. 3. *in Melonis Scyro* Nos, *in Melo, Nisyro*, indubitata conjectura reponimus. Auctor ita emendandi, præter vestigia codicum omnium, Theophrastus, qui libro περὶ λίθων, pag. 5. pumices laudat in primis eos qui & ἐν Νισύρῳ, & ἐν Μήλῳ reperiuntur. Eustathius item, in Dionys. vers. 526. pag 76. molares lapides e Nisyro commendat, Νίσυρος μυλώδης ἐπὶ λίθῳ μυλίῳ.

Ibid. XXII. *Etesium lapidem in iis prætulere ceteris.*] Sic MSS. omnes, Reg. 2. aliique. Sic & Plinius ipse in Indice libri hujus. In libris hactenus editis, *Ephesium*, mendose. Isidorus, lib. 16 Orig cap 4. *Lapides quoque medicinalium mortariorum, & pigmentorum usibus apti, Edesius præcipuus, & inde calaticus: Thebaicus quoque, & balanites lapides, vel ex se se remittentes.* Lege, ex Plinio: *Etesius præcipuus, & inde chalazius. Thebaicus quoque, & basanites lapides, nil ex se se remittentes* Lexicon Chymiæ · Βασανίτης, μυλίτης, καὶ ἰνδικός.

Sect. 46. XXIII. *Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, alio quam specularium modo, tamquam inclusa luce, non transmissa.*] Sic Reg 2. & Pintiani codex, rectissime. Prius legebatur insulse, *foribus apertis:* & mox, *haud alio quam specularium modo*, quod verbis statim sequentibus adversatur: Emendationem nostram Isidori calculo comprobamus: *Phengites*, inquit ille, lib. 16. Orig cap 4 *Cappadociæ lapis, duritia marmoris, candidus atque translucidus: ex quo quondam templum constructum est a quodam rege foribus aureis, quibus clausis claritas diurna erat.* Pliniana hæc narratio, quæ fidem excedere quibusdam videtur, non paucis comprobatur exemplis. Novum inter alia Florentiæ in ecclesia S. Miniatis fenestras esse, in quibus pro vitro tabulæ sunt ex alabastrite, quindecim pedes altæ: & ecclesia tamen, foribus quamvis opertis, luce perfunditur.

Sect. 48. XXIV. *In eo genere præcipue, E reliqua multitudine lapidum, tofus ædificiis inutilis est, mortalitate mollitia*] In libris hactenus editis, *Reliqua multitudo lapidum in totum ædificiis inutilis est*, quod abhorret sane a similitudine veri longissime. Regius 2 codex: *Reliqua multitudine lapidum totus ædificius*, &c. Nos e superiore voce litterula repetita, *E reliqua multitudine*, & mox indubitata emendatione *tofus* scripsimus. Emendandi auctor Isidorus, lib. 19. Orig cap. 10. ubi hunc locum exscribit. *Tofus*, inquit, *ædificiis inutilis est, fundamentis aptus, mortalitate mollitia. Ex æstu enim & halitu maris friatur, & verberatur imbribus.* Et Plinianus Index: XLVII. *De cotibus* XLVIII. *De tophis.* XLIX. *De silicum naturis* Tophum alii, alii tofum scribunt. Vossium vide in Etymol.

Sect. 49. XXV. *Est & viridis silex, vehementer igni resistens, sed nusquam copiosus: & ubi invenitur, lapis, non saxum est E reliquis pallidus in cæmento raro utilis. Globosus*, &c.] Libri hactenus editi, etiam & MSS. quidam, *est & viridis lapis* At de silicum universo genere nunc esse sermonem, non antecedentia modo suadent, sed & ea quoque quæ subsequuntur. De nigris hactenus, rubentibusque, & albis: nunc de viridi, pallido, globoso, fluviatilique silice agit Admonuit erroris Isidorus, qui locum hunc integerrima fide descripsit, lib. 19. Orig cap 10 *Viridis silex*, inquit, *vehementer & ipse igni resistens, sed nusquam copiosus, & ubi invenitur, lapis, non saxum*

est. Pallidus in caemento raro utilis. Globus contra injurias fortis, &c.

Ibid. XXVI. *Remedium est in lapide rubro, aestate eum eximere, nec ante biennium eum inferere tecta, domitum tempestatibus.*] Vidit Pintianus hunc locum in mendo cubare, cum legeretur, *Remedium est in lapide dubio*: itaque, *udo*, vel *humido* potius, legi censuit oportere. Nos *rubro*, auctore Vitruvio. Sic enim ille, lib. 2 cap. 7. pag. 27. *Cum ergo propter propinquitatem necessitas cogat ex rubris lapicidinis, & quae sunt Urbi proximae, copiis uti: si qui voluerint sine vitiis perficere, ita erit praeparandum: Cum aedificandum fuerit, ante biennium ea saxa non hieme, sed aestate eximantur, & jacentia permaneant in locis patentibus. Quae autem a tempestatibus eo biennio tacta laesa fuerint, ea in fundamenta conjiciantur: cetera quae non erunt vitiata, ab natura rerum probata, durare poterunt supra terram aedificata.* Vitruvianae orationi simillimam esse Plinianam, perspicuum est. Remedium, inquit, in rubro lapide, qui circa Urbem eruitur, & mollior est, &c. Nam molliorem esse eum, ipse prius admonuit superiore sect. *Alia mollitia*, inquit, *circa Romam*: quod ex Vitruvio pariter liquet, ita scribente: *Sunt enim alia lapicidinae molles, ut sunt circa Urbem rubra*, &c. ut suo loco indicavimus.

Sect. 51. XXVII. *Si minus, utique a lateribus. Medios parietes farcire fractis caementis, diamicton vocant. Reticulata structura, qua Romae struunt, rimis opportuna est.*] Locum hunc interpolatores hactenus corrupere insigniter, & praepostera interpunctione, & totius perturbatione sententiae, in hunc modum: *Si minus utique a lateribus medios parietes farcire fractis caementis. Dictyotheton vocant reticulatam structuram, quam frequentissime Romae struunt, rimis opportunam.* Nos conditivorum librorum fidem integerrime secuti suo nitori locum restituimus. Et Pintianus in suo codice *Diamicton* legit. Διὰ μέσου architecti genus illud structurae nuncupavere scilicet, ut medici sua medicamenta Διὰ καδμίας, aliaque similia nuncuparunt.

Sect. 53. XXVIII. *Ex albo melior. Quae ex duro, structura utilior: quae ex fistuloso, tectoriis.*] Prius legebatur, *ex albo melior, quam ex duro, & structura utilior.* Erroris admonuit, non Pintiani modo codex, sed & Vitruvius, lib. 2. cap. 5 pag. 24. *De calce*, inquit, *diligentia est adhibenda, uti de albo saxo aut silice coquatur: & quae erit ex spisso & duriore, erit utilior in structura: quae autem ex fistuloso, in tectoriis.* Sic etiam Palladius, lib. 1. de re rust. cap. 10. pag. 14. *Calcem quoque ex albo saxo duro, vel Tiburtino . . . coquemus . . . Quae erit ex spisso & duro saxo, structuris convenit: ex fistuloso vero, aut molliori lapide, tectoriis adhibetur utilius.*

Sect. 68. XXIX. *Vulturno mari Italiae . . . . sex M. pass. litore inter Cumas atque Literum.*] In libris hactenus vulgatis, *Cumas atque Lucrinum.* In Reg. 2. & Colb. 3. *atque literum.* Indubitata emendatio est, *atque Literum.* Tum ex Antonino, sive Aethico, qui in itinere a Tarracina Neapolim, Literno Cumas tanto distare intervallo docet, quantum illud modo litus esse dicitur, quo Vulturnum mare nuncupatur, hoc est, VI. M. P. Tum ex Plinio ipso, qui lib. 3. sect. 9. haec esse vicina inter se admonet, Vulturnum, unde mari appellatio, Liternum, Cumas: *In ora . . Vulturnum oppidum cum amne, Liternum, Cumae Chalcidensium.* Suboluit hic ejus loci error Camillo Pellegrino, lib. de Campania Felice, pag. 183.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XXXVII.

I. UT nihil instituto operi desit, gemmæ supersunt, & in arctum coacta rerum naturæ majestas, multis nulla sui parte mirabilior. Tantum tribuunt varietati, coloribus, materiæ, decori: violari etiam signis gemmas nefas ducentes. Aliquas vero extra pretia ulla, taxationemque humanatum opum arbitrantes, ut plerisque ad summam absolutamque rerum naturæ contemplationem satis sit una aliqua gemma. Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initiis in tantum admiratio hæc exarsit, [1] diximus quadamtenus in mentione auri anulorumque. [2] Fabulæ primordium a rupe Caucasea tradunt: Promethei vinculorum interpretatione [3] fatali: primumque saxi hujus fragmentum inclusum ferro, ac digito circumdatum, [4] hoc fuisse anulum, & hoc gemmam.

CAP. I. II. His initiis cœpit auctoritas, in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio severo insularum ac litorum tyranno, [a] felicitatis suæ, quam nimiam fatebatur etiam ipse, satis piamenti in unius gemmæ voluntario damno videretur, si cum fortunæ volubilitate [1] paria faceret: planeque ab invidia ejus abunde se redimi putaret, si hoc unum doluisset. Assiduo ergo gaudio lassus, profectus navigio in altum, anulum mersit. At illum piscis eximia magnitudine Regi natus, escæ vice raptum, ut faceret ostentum, in culinam domini rursus [2] Fortunæ insidiantis manu reddidit. [3] Sardonychem eam gemmam fuisse constat: ostenduntque Romæ, si credimus, [4] Concordiæ delubro, cornu aureo [5] Augusti dono inclusam, & novissimum prope locum [b] tot prælatis obtinentem.

III. Post hunc anulum regia fama est gemmæ [1] Pyrrhi illius, qui adversus Romanos bellum gessit. [2] Namque habuisse traditur achaten, in qua novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, [3] ut Mu-

INTERPRETATIO.

a *Felicitatis.*] Felicitatem suam satis minuendam arbitratus est, unam eam gemmam si sponte perderet, si hoc fortunæ semper alias blandienti quasi vicissim traderet, ne in aliis rebus adversam sentiret.

b *Tot prælatis.*] Cum tot alii ipsi præferantur.

NOTÆ.

Sect. I. 1 *Diximus quadamtenus.*] Libro 33. sect. 4. *Nam de Promethei vincula fabulosa arbitror, quanquam illi quoque ferreum anulum dedit antiquitas: vinculumque id, non gestamen, intelligi voluit.*

2. *Fabulæ.*] Vide Servium in sextam Virgilii eglogam. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 16. *Primordia gemmarum*, inquit, *a rupe Caucasi fabulæ ferunt Prometheum primum fragmentum saxi ejusdem inclusisse ferro, ac digito circumdedisse: hisque initiis cœpisse anulum atque gemmam.* Sic & Marbodeus in præfat.

3. *Fatali.*] Infelici. Ita libri omnes: non, ut quibusdam placet, *fatidi.*

4 *Hoc fuisse.*] Sententia est, ferrum digito circumdatum, anuli vicem præbuisse: gemmæ, saxi fragmentum ferro inclusum.

Sect. II. 1. *Paria faceret.*] Diximus de ea forma loquendi, lib. 2. sect. 88. nota 4. Referunt hanc historiam auctores alii appellati a nobis, lib 33. sect. 6.

2. *Fortunæ insidiantis.*] Blandientis nunc quidem, sed paulo mox necem molientis, ut diximus lib. 33. sect. 6.

3. *Sardonychem.*] Ita & Solinus, cap. 33. pag. 63. Smaragdum alii aiunt fuisse, inter quos Herodotus in Thalia, lib. 3. num 41. pag. 178.

4 *In Concordiæ.*] Urbis regione octava.

5. *Augusti.*] Sic MSS. omnes, non *Augustæ*, ut editi, quod hoc loco absonum.

Sect. III. 1 *Pyrrhi illius.*] Regis Epirotarum, qui bellum adversus Romanos decennio toto pro Tarentinis gessit, ante Punicum primum.

2. *Namque habuisse.*] Solinus iisdem verbis, cap. 5. pag. 21. Marbodeus, lib de lapid. pret. cap 2. fol. 10. & alii. Similem achaten, in quo Christi Domini nomen affabre delineatum cernatur, asservat gazophylacium Augusti Romanorum Imperatoris, teste Lambecio, lib. 1. de Bibl. Cæsar fol. 25. § 27. Alium, in quo B. Virginis cum puero Jesu effigies, sponte naturæ depicta esset, vidisse se Aldrovandus ait, lib. 4. de metallis, cap. 73 pag 107. Vide & Pancirolum, lib. rerum memorab. tit. 16. pag. 43. & scriptores Ephemerid Germ tom. 1. Observ. 156. pag 336. & Kircherum denique nostrum, lib 8. de mundo subterran. sect. 1.

3. *Ut Musis quoque singulis.*] Musarum insignia ex vetere tabula recitantur in Museo Cospiano, pag. 450. Calliope alphabeti elementa quatuor & viginti depicta gerit in tabella: quoniam libris totidem heroum facta, ut Achillis & Ulyssis contineantur. Ausonius Idyl. 20.

Carmina Calliope libris heroïca mandat.

Clio ante pedes abjectos historiarum libros habet:

Clio gesta canens transactis tempora reddit.

Erato lyra canit:

Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.

sis quoque singulis redderentur insignia. Nec deinde alia, quæ tradatur, magnopere gemmarum claritas exstat apud auctores: præterquam [4] Ismeniam [5] choraulem, multis fulgentibusque uti solitum, comitante fabula vanitatem ejus, [a] indicato in Cypro [6] sex aureis denariis smaragdo, in quo fuerat sculpta [7] Amymone, jussisse numerari: [8] & cum duo relati essent, imminuto pretio, [b] male hercules curatum, dixisse: multum enim detractum [9] gemmæ dignitati. Hic videtur instituisse, ut [10] omnes musicæ artis hac quoque ostentatione censerentur, veluti Dionysodorus æqualis ejus & æmulus, ut sic quoque par videretur. Tertius, qui eodem tempore fuit inter musicos, Nicomachus, multas gemmas habuisse traditur, sed nulla peritia electas: sorte quadam his exemplis [c] initio voluminis oblatis adversus istos, qui sibi hanc ostentationem arrogant, ut palam sit eos tibicinum gloria tumere.

IV. Polycratis gemma, quæ demonstratur, illibata intactaque est. [1] Ismeniæ ætate multos post annos, apparet scalpi etiam smaragdos solitos. Confirmat hanc eamdem opinionem [2] edictum Alexandri Magni, quo vetuit in gemma se ab alio scalpi, quam a Pyrgotele, non dubie clarissimo artis ejus. Post eum Apollonides & Cronius in gloria fuere: quique Divi Augusti imaginem similem expressit, [3] qua postea Principes signabant, [4] Dioscorides. Sylla Dictator [5] traditione Jugurthæ semper signavit. Est apud auctores, & [6] Intercatiensem illum, cujus patrem [7] Scipio Æmilianus ex provocatione interfecerat, pugnæ ejus effigie signasse: vulgato [8] Stilonis Præconini sale, quidnam fuisse facturum eum, si Scipio a patre ejus interemptus esset. Divus Augustus inter initia [9] Sphinge signavit. Duas in matris anulis jam indiscretæ similitudinis invenerat. Altera per bella civilia, absente eo, amici signavere epistolas & edicta, quæ ratio temporum nomine ejus reddi postulabat, non infaceto lepôre accipientium, ænigmata afferre eam sphingem. Quin etiam [10] Mæcenatis rana, per collationem pecuniarum in magno terrore erat. Augustus postea ad evitanda convicia sphingis, Alexandri Magni imagine signavit.

V. Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine [1] dactyliothecam, primus om-

INTERPRETATIO.

a *Indicato.*] Æstimato.

b *Male.*] Male profecto provisum a mercatore.

c *Initio.*] Initio hujus libri his exemplis casu propositis adversus eos &c.

NOTÆ.

Thalia in viridanti luco obambulat·
Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
Melpomene librum apertum manu gestat·
Melpomene tragico proclamat mæsta boatu.
Terpsichore, citharam:
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Euterpe, fistulam:
Dulciloquas calamos Euterpe flatibus urget.
Polyhymnia, duplicem citharam:
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.
Urania sphæram, circinumque:
Uranie cæli motus scrutatur, & astra.

4. *Ismeniam.*] Ἰσμηνίαν, tibicinem Thebanum, de quo Plutarchus, lib. adversus Epicurum, pag. 1095. & in Pericle. *Cum audisset*, inquit, *Antisthenes Ismeniam optimum esse tibicinem, respondit: Malus igitur: nam si probus esset, tibicen non esset.*

5. *Choraulem.*] Χοραύλην, tibicinem qui in choro tibia canit. Olim quippe in comœdiis, *quando chorus canebat, choreis tibiis, id est, choraulicis, artifex concinebat*, inquit Diomedes, lib. 3. pag. 489. Apud Gruter. pag. 1035. GLAPHYRI CHORAVLÆ mentio. In conviviis etiam cecinisse choraulas, ex Martiali scimus, lib. 9. Epigr.
Quod optimum sit quæritis convivium?
In quod choraules non venit.

6. *Sex aureis denariis.*] Denarios, nummosve aureos hic interpretamur, quorum quadraginta octo in libras auri fierent, singuli sex scripulorum, quorum unumquodque vicenis sestertiis communibus, hoc est, duorum assium cum semisse singulis, æstimaretur, ac proinde quinque denariis argenteis; monetæ nostræ (ut superius denarium argenteum assibus nostris octo taxavimus) assibus quadraginta. Ita aureus quisque denarius, qui esset sex scripulorum, ac proinde CXX sestertiorum, sive XXX denariorum argenti, esset monetæ nostratis, librarum duodecim, *douze francs*. Sex denarii, septuaginta duæ libræ, *soixante-douze livres, ou vingt-quatre écus.*

7. *Amymone.*] Danaï filia, cujus fabulam vide apud Hyginum, fol. 169.

8. *Et cum duo relati.*] Mercatorem puduit tanti æstimasse vel unicum, pretio persoluto, duos emptori obtulit.

9. *Gemmæ dignitati.*] Cui gemma ex majore pretio major dignitas accessisset.

10. *Omnes musicæ artis.*] Subintellige, periti. Sic lib. 7. sect. 40. *Grammaticæ artis Daphni Gnatio.*

Sect. IV. 1. *Ismeniæ ætate*] Vixit is fere annis centum post Polycratem: hic Tarquinii Superbi Romanorum regis ætate.

2. *Edictum Alexandri.*] De quo diximus antea, lib. 7. sect. 38.

3. *Qua postea principes.*] Suetonius, loc. cit. Dio, lib. 49. pag. 417.

4. *Dioscorides.*] Mentio hujus apud Tranquillum, in Augusto, cap. 50.

5. *Traditione Jugurthæ.*] Hoc est, sigillo in quo Bocchus erat insculptus, Jugurtham Syllæ tradens. Plutarchus in Mario, pag. 411. *Αὐτός τε Σύλλας σφραγῖδα ποιησάμενος ἐφόρει, γλυφὴν ἔχουσαν ἐγκεχαραγμένην ὑπὸ τοῦ Βόκχου, τὸν Ἰουγούρθαν αὐτῷ, καὶ ταύτῃ χρώμενος ἀεὶ διετέλει.* Hoc ipsum repetit iterum, pag. 424. & in Sylla, pag. 452. & libro de Reip. gerendæ præceptis, pag. 806. Valerius Max. lib. 8. cap. 14. pag. 408. *L. Sylla .... Jugurtha a Baccho rege ad Marium perducti totam sibi laudem tam cupide asseruit, ut anulo quo signatorio utebatur, inscriptam illam traditionem haberet.* Bocchus Jugurtham Syllæ dedidit, cum is a Mario legatum ageret, anno V. C. DCXLVIII. Exstat ejus facti memoria in nummis, apud Patinum, pag. 88. Vide Notas & Emend. ad librum VII. num. CXVIII.

6. *Intercatiensem.*] Ab Intercatia Hispaniæ citerioris oppido, de quo lib. 3. sect. 4. num. 4.

7. *Scipio Æmilianus.*] Idem Africanus posterior appellatus, qui Carthaginem Numantiamque delevit. Epitome Livii, lib. 48. *In Hispania P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Pauli F. Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum Tribunus militum occidit.*

8. *Stilonis.*] De eo in Auctorum Indice diximus, verbo *Ælius Stilo*. In Colb. 3. aliter hæc leguntur, sed mendose, credo: *vulgato stilo, plerumque incommodum valere aliquid: non enim hoc fuisse acturum eum, si*, &c.

9. *Sphinge signavit.*] Dio Cassius, lib. 49. pag. 417. Tranquillus in Augusto, cap. 50. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis, initio sphinge usus est: mox imagine Magni Alexandri: novissime sua, Dioscoridis manu sculpta: qua signare insecuti quoque principes perseverarunt.* Sigilli hujus, sive sphingis effigiem disce ex Plinio, lib. VIII. sect. XXX.

10. *Mæcenatis rana.*] Quod in anulo signum habebat, id ob exactiones pecuniarum, quæ Augusti nomine fiebant, magnos terrores ingerebat: infausto enimvero omine coaxare ea rana jactabatur.

Sect. V. 1. *Dactyliothecam.*] Δακτυλιοθήκην, anulorum repositorium.

nium habuit Romæ privignus Syllæ [2] Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompeïus Magnus eam quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam [3] Scauri. Hoc exemplo Cæsar Dictator sex dactyliothecas [4] in æde Veneris Genetricis consecravit: Marcel-5 lus [5] Octavia genitus in Palatina [6] Apollinis cella unam.

VI. Victoria tamen illa Pompeii primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit: sicut [1] L. Scipionis, [2] & Cn. Manlii ad cælatum argentum, vestes Attalicas, triclinia [CAP. II.] ærata: sicut [3] L. Mummii, ad Corinthia & tabulas pictas. [*] Id uti planius noscatur, verba ex ipsis Pompeii triumphorum actis subjiciam. Ergo tertio triumpho, quem de 10 piratis, Asia, Ponto, gentibusque & regibus [4] in septimo operis hujus volumine indicatis, [5] M. Pisone, M. Messala Consulibus, pridie Kalend. Octob. [6] die natalis sui egit, transtulit [7] alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor: (& ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente, in ea fuit Luna aurea pondo 15 XXX.) lectos tricliniares tres: vasa ex auro & gemmis [a] abacorum novem: signa aurea tria, Minervæ, Martis, & Apollinis: coronas ex margaritis triginta tres: montem aureum quadratum cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea: [8] Museum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat: Imago Cn. Pompeii e margaritis, illa regio honore grata, [9] illius probi oris venerandique per cunctas gentes, illa, inquam, 20 ex margaritis, severitate victa, [b] & veriore luxuriæ triumpho. [10] Profecto inter molles viros durasset cognomen Magni, si [11] prima victoria sic triumphasses. E margaritis, Magne, tam prodiga re, [c] & feminis reperta, quam gerere te fas non sit, hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? Nonne illa similior tui est imago, quam [12] Pyrenæi jugis imposuisti? Grave profecto fœdumque probrum erat, ni verius iræ Deorum osten-25 tum credi oporteret, clareque intelligi posset, [13] jam tum illud caput, Orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum. Cetera triumphi ejusdem quam virilia! [14] Reipublicæ & Quæstoribus, qui oram maris defendissent datum mille talentûm: militibus singulis [15] [16] sena millia sestertiûm. Tolerabiliorem tamen fecit causam [17] Caii Principis, [d] qui super omnia muliebria, socculos induebat e margaritis: & Neronis Principis, qui sceptra 30 [18] & personas histrionum, & cubilia amatoria unionibus construebat. Quin immo etiam jus videmur perdidisse [e] corripiendi gemmata potoria, & varia supellectilis genera, [f] anulos

INTERPRETATIO.

a *Abacorum.*] Quæ novem abacis onerandis paria forent.
b *Et veriore.*] Et verius luxuriæ, quam Pompeii triumpho.
c *Et feminis.*] In feminarum usum.
d *Qui super.*] Qui inter alios mores muliebres.
e *Corripiendi.*] Reprehendendi.
f *Anulos.*] Quando de anulis silemus. Quæ enim non luxuria præ illa innocentior videatur?

NOTÆ.

2. *Scaurus.*] Ædilis ille, de quo lib. 36. sect. 24. num. 7.
3. *Scauri.*] Subintellige, dactyliothecæ.
4. *In æde Veneris.*] In Foro.
5. *Octavia genitus.*] Fuit ea Augusti Principis soror, cujus ille nomine & Bibliothecam condidit, Octavianam appellatam. Dio, lib. 49. pag. 417. De hoc Marcello Maro, lib 6. Æneid.

Tu Marcellus eris.

6. *Apollinis cella.*] Cella pars templi sacratior, in quam ingredi nefas fuit. Sic MSS non, ut editi, *Apollinis æde.* Fuit autem hæc ædes in Palatio, decima Urbis regione, unde Palatina dicta. Sic Gellius, lib 7. cap. 1. ait *Scipionem Africanum solitavisse noctis extremo, prius quam dilucularet, in Capitolium ventitare, ac juberet aperiri cellam Jovis, atque ibi solum diu demorari, quasi consultaturum de Republica cum Jove,* &c

Sect. VI. 1. *L. Scipionis.*] Asiatici, de quo lib. 33. sect. 53. & alibi sæpius.
2. *Et Cn. Manlii.*] De eo, lib. 34. sect. 8.
3. *L. Mummii.*] Achaici, qui Corinthum cepit, anno DCVIII.
4 *In septimo.*] Libro 7. sect. 27.
5. *M. Pisone, &c.*] Anno Urbis DCXCIII.
6. *Die natalis sui.*] Unicum triumpho diem Plinius adsignat. Vide Plutarchum in Pompeio.
7 *Alveum .... lusorium*] *Un damier, ou un échiquier.*
8. *Museum.*] Μουσεῖον simulacrum esse ædiculæ Musis dicatæ videtur. Sic Ἰσεῖον Isidis monumentum, ut alibi diximus.
9 *Illius probi oris.*] In quo forma & species est liberalis Familiaris Plinio locutio, usurpata superius, lib. 7. sect. 21.
10. *Profecto.*] Profecto & molles viri ad Magni cognomen aspirassent, si prima victoria sic triumphasses: cum incertum foret, virtutine tum, an luxuria triumpharet. A profuso quidem sumptu in exstructionem Pompeiani theatri, Magni ei cognomen hæsisse, sensit Cassiod lib 4. Var. epist. 51. falso, ut constat ex Plinio, libro VII. sect. XXVII. Nam ex Africa tota subacta & in ditionem redacta id cognomen tulit. Transiit illud ad posteros cognominis vice. Vide Notas & Emend. num. I.
11. *Prima victoria.*] Africa nempe subacta, unde Magni cognomen tulit, ut dictum est proxime: etsi victoriæ antea illius aliæ commemorantur.
12. *Pyrenæi jugis*] Vide quæ dicta sunt lib. 7. sect. 27.
13. *Jam tum illud caput.*] Quod e margaritis, hoc est, Orientis opibus, thorace tenus, ut solet, conflatum, ea triumphi pompa delatum est: perinde ac si sævum illud deorum ostentum esset, fore aliquando ut caput ejus præcisum Orienti toti sine reliquo corpore ostentaretur. Ptolemæi scilicet regis Ægypti jussu trucidatus est, ut quidem referunt scriptores rerum Romanarum omnes.
14. *Respublica,* &c] Vide Notas & Emend. num. II.
15. *Mille talentûm*] Sic Tullius, 6. Philipp. 15. *Quis Inventus est, qui L. Antonio mille nummûm ferret expensum?* Talenta porro Attica mille (nam de his accipiendum id puto) monetæ nostratis libras seu florenos faciunt omnino 1400000
16. *Sena millia sestertiûm.*] Monetæ Gallicæ, libras sexcentas.
17. *Caii.*] Cæsaris Germanici. Indutum hunc muliebribus vestimentis, progressum in publicum, prodidere etiam Josephus, lib. 19. Antiq. Jud. cap. 1. & Tranquillus in ejus vita, cap. 52. *Vestitu, calceatuque, & cetero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas ...., ac modo in crepidis, vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnumquam socco muliebri,* &c.
18. *Et personas,* &c.] Sic Reg. 1. codex. In Colb. 3. *& cubilia victoria.* In libris hactenus editis, *& personas, & cu-*

transeuntes. Quæ enim non luxuria innocentior existimari possit?

VII. Eadem victoria primum in Urbem murrhina invexit: primusque [1] Pompeius lapides & pocula ex eo triumpho Capitolino Jovi dicavit: quæ protinus ad hominum usum transiere, [2] abacis etiam escariisque vasis inde expetitis. Excrescitque in dies ejus rei luxus, murrhino [3] LXX. talentis empto, capaci plane [4] ad sextarios tres calice. Potavit ex eo ante hos annos Consularis, [5] ob amorem abroso ejus margine, ut tamen injuria illa pretium augeret: neque est hodie murrhini alterius [a] [6] præstantior indicatura. Idem in reliquis generis ejus quantum voraverit, licet existimare ex multitudine, quæ tanta fuit, [b] ut auferente liberis ejus Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim [7] hortis exposita occuparent: quod a populo impleri canente se, [c] [8] dum Pompeïano præludit, etiam Neroni satis erat: qui vidit tunc annumerari unius scyphi fracta membra: quæ [d] in dolorem, credo, sæculi, invidiamque fortunæ, tamquam [9] Alexandri Magni corpus, in conditorio servari, ut ostentarentur, placebat. [10] T. Petronius Consularis moriturus, invidia Neronis Principis, ut mensam ejus [e] exheredaret, [11] trullam murrhinam [12] trecentis talentis emptam fregit. Sed Nero, ut par erat Principem, vicit omnes, trecentis talentis [13] capidem unam parando. Memoranda res tanti Imperatorem patremque patriæ bibisse.

VIII. [1] Oriens murrhina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus maxime Parthici regni: præcipue tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam [2] parvos excedunt abacos: [3] crassitudine raro, quanta dictum est vasi potorio. [4] Splendor his sine viribus: nitorque verius, quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremque, & tertium ex utroque ignescentem, veluti per transitum coloris, [f] [5] in purpura, aut rubescente lacteo. Sunt qui maxime in iis laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cælesti arcu spectantur. His maculæ pingues placent: translucere quidquam aut pallere, vitium est. Item sales, verrucæque non eminentes, sed ut in corpore etiam plerumque [g] sessiles. [6] Aliqua & in odore commendatio est.

INTERPRETATIO.

a *Præstantior.*] Majus pretium.
b *Vi auferente.*] Ut cum Nero Cæsar ea pocula liberis ejus auferret.
c *Dum.*] Dum se parat ad canendum in Pompeii theatro.
d *In dolorem.*] Ut doleret præsens sæculum, invideretque fortunæ superioris ætatis.
e *Exheredaret.*] Heredi auferret.
f *In purpura.*] *Cum murrhinis area* vel purpurea sit, vel lactei coloris simul ac rubescentis.
g *Sessiles.*] Depressæ.

NOTÆ.

pocula victoria, histrionum voce prætermissa, ceterisque immutatis.

Sect. VII. 1. *Pompeius, &c.*] Vide Notas & Emendationes, num. III.

2. *Abacis etiam*] Abacos vocat fulcra, pluteosque, quibus vasa, candelabraque, & alia imponimus. *Des gueridons.*

3. *LXX talentis*] Ita Reg. 2. Colb 3. vet. Dalec Monetæ nostræ libræ sunt, seu floreni 168000 De talentis Atticis hæc accipimus, de quibus alibi Typi vulgati hactenus, LXXX. *sestertiis*, nullo codice suffragante.

4. *Ad sextarios tres.*] Mensura Gallica, *deux pintes & demi-septier.* Vide quæ diximus lib. 14. sect. 6.

5. *Ob amorem.*] Quo calicem hunc deperibat.

6. *Præstantior indicatura.*] Diximus de hac voce, in præfat. ad Titum, & lib. 29 sect 8.

7. *Hortis.*] In hortis suis, Neronis scilicet. P. Victor in descript. Romæ, regione XIV. *Trans Tiberim .... Hortus Domitii.*

8. *Dum Pompeiano.*] Theatrum illud Transtiberinum innuit Pompeiani fuisse præludium. Nam Nero priusquam bene perfricuisset frontem, minoribus se ostentavit theatris: postremo in Pompeii theatro, in conspectu totius populi Romani inepire non erubuit, sive cantando, sive aurigando. Tranquillus in Nerone, cap 22. *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in Hortis, inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in Circo maximo præbuit.* Et antea, cap. 21. *Cum magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutam diem revocavit: Flagitantibusque cunctis cælestem vocem, respondit quidem in Hortis se copiam volentibus facturum.*

9. *Alexandri.*] *Magni Alexandri thoracem repetitum a Caligula e conditorio eius*, scribit Tranquillus, cap. 52. in Caio. Fuit illud Alexandriæ, aureum primo, mox vitreum, cum sublatum furto aureum fuisset. Strabo, lib 17. pag. 794.

10. *T. Petronius.*] Titum quoque Plutarchus appellat, lib. de discrimine adulatoris & amici: ubi exprobratam ab eo Neroni tenuitatem ac sordes refert. Caium Tacitus non semel appellat: in primis, lib. 16. Annal. pag. 271. obi de hoc ipso loqui eum, de quo & Plinius agit, res ipsa indicio est. Ibi Proconsul Bithyniæ, mox Consul, dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium assumptus a Nerone dicitur. Et pag. 272. *Flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque, & novitate cujusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni, &c.* Quibus verbis opus illud signari quidam arbitrantur, quod Petronii Arbitri Satyricon appellatur: quibus non ego credulus.

11. *Trullam.*] Trullam glossæ χέρνιβον & *aquiminale*, seu pollubrum interpretantur, *un bassin à laver.*

12. *Trecentis talentis.*] Sic MSS. omnes. Monetæ Gallicæ floreni seu libræ sunt, 720000. Attica talenta ubique interpretor. Libri hactenus editi, & hoc loco, & eo qui proxime sequitur, *trecentis sestertiis* legunt, nullo adstipulante vetere exemplari.

13. *Capidem unam.*] Capis genus est poculi a capiendo dictum, auctore Festo. Livius, lib. 10. *Cum capide ac lituo capite velato, victimam cadat.* In MSS. *jaspidem*, sed mendose.

Sect. VIII. 1. *Oriens murrhina.*] Glossarium vetus Latino-Gallicum, murrhina vasa vocat *Hanaps de madre.* Sed madrata hæc opera e ligno fuisse verius alii censent cum Ruellio, quem secuti sumus lib. 13. sect. 30. Vasa fuere ex pretioso lapide sui nominis, suique generis. De his multa eleganter & accurate Gretserus noster, & qui ex eo fecit epitomen Raderus item noster in Martialem, lib. 14. pag. 860. & seq Quare eadem hic adtexere supersedemus, ne actum agere videamur. Vide quæ obiter perstrinximus, lib. 33. sect. 2. & adde ea quæ Passeratius habet in Propertium lib. 4. elegia 5. Hunc Plinii locum totidem fere verbis exscripsit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 12.

2. *Parvos ... abacos*] *Des gueridons*, ut diximus sup. sect.

3. *Crassitudine.*] Raro, inquit, murrhini lapidis crassitudo tanta est, ut excavari possit in eam altitudinem, quæ vasi potorio superiore sect. attributa est, *capaci plane ad sextarios tres calice.*

4. *Splendor his sine viribus.*] Neque enim erant translucida, nisi forte, ut Plinii verbis utar, crassiore visu.

5. *In purpura, aut rubescente lacteo.*] Sic MSS. omnes. Editi corrupte, *purpura rubescente, aut lacte candescente.* Isidorus, qui hunc locum totidem alioqui verbis expressit, voces eas omnino neglexit. *Varietas eius*, inquit, lib. 16. Orig. cap 12. *in purpuram candoremque, & ignem, cum quibusdam colorum repercussionibus, quales in cælesti arcu spectantur.*

6. *Aliqua & in odore.*] E murrhinis calicibus vina potabant,

IX. [1] Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto. [2] Non alibi certe reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent: [3] glaciemque esse certum est: [4] unde & nomen Græci dedere. Oriens & hanc mittit, [5] quoniam Indicæ nulla præfertur. [6] Nascitur & in Asia vilissima circa Alabanda, & Orthosiam, finitimisque montibus, item in Cypro. Sed laudata in Europæ [7] Alpium jugis. Juba auctor est, & in quadam insula Rubri maris ante Arabiam sita nasci, [8] quæ Necron vocetur, [9] & in ea quæ juxta gemmam topazion ferat, [10] cubitalemque effossam a Pythagora Ptolemæi regis præfecto. [11] Cornelius Bocchus & in Lusitania nasci perquam mirandi ponderis [12] Ammaënsibus jugis, depressis [13] ad libramentum aquæ puteis. Mirum & quod Xenocrates tradit Ephesius, aratro in Asia & Cypro excitari. Non enim inveniri in terreno, nec nisi inter cautes creditum fuerat. Similius vero est, quod idem Xenocrates tradit, torrentibus sæpe deportari. Sudines vero negat, nisi ad meridiem spectantibus locis nasci: quod certum est: non enim reperitur in aquosis, quanquam in regione prægelida, vel si ad vada usque glacientur amnes. Cælesti humore, parvaque nive id fieri necesse est: ideo caloris impatiens, [14] nisi frigido potui addicitur. Quare sexangulis nascatur lateribus, [15] non facile ratio inveniri potest: [16] eo magis quod neque mucronibus eadem species est, & ita absolutus est laterum lævor, ut nulla id arte possit æquari.

X. [1] Magnitudo amplissima adhuc visa nobis erat, quam in Capitolio [2] Livia Augusta dicaverat, librarum [3] circiter quinquaginta. Xenocrates auctor est, [4] vas amphorale visum: & aliqui, ex India crystallum: [5] sextariorum quatuor. Nos liquido affirmare possumus, in cautibus Alpium nasci, atque adeo inviis: ut plerumque [6] fune pendentes eam extrahant. Peritis signa & indicia nota sunt. [7] Infestantur plurimis vitiis: scabro ferrumine, maculosa nube, [8] occulta aliqua vomica, præduro fragilique [9] centro: [10] item sale appellato. Est & rufa aliquibus rubigo; aliis capillamentum rimæ simile. Hoc artifices cæ-

NOTÆ.

quod ex illo vasis genere gratiorem ea traherent saporem. Martialis, lib. 13 Epigr 113. cui lemma: *Myrrhina.*

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

Sect. IX. 1. *Contraria.*] Ad verbum hæc Isidorus, loc. cit. Et cap. 13. *Crystallus resplendens & aquosus colore. Traditur quod nix sit glacie durata per annos: Unde & nomen ei Græci dedere.* Statius item in Epithalamio Stellæ:

Raraque longævis nivibus crystalla gelari.

Seneca, lib. 3. Natural quæst. cap 25. *Quis non gravissimas esse aquas credat, quæ in crystallum coeunt? Contra autem est: tenuissimis enim hoc evenit, quas frigus ob ipsam tenuitatem facillime gelat. Unde autem fiat ejusmodi lapis, apud Græcos ex ipso nomine apparet. Κρύσταλλον enim appellant æque hunc perlucidum lapidem, quam illam glaciem, ex qua fieri creditur* &c. Basilius quoque, homil 3. in Hexaem. pag. 34. Diodorus Siculus, lib. 2. Bibl. pag. 134 crystallum ait quidem ex aqua purissima in glaciem indurata coalescere: non quidem a frigore, sed divini ignis potentia.

2. *Non alibi.*] Id vero alii negant, ut Marbodeus cecinit, lib. de lapid pret cap. 23.

Pars negat, & multi perhibent in partibus orbis
Crystallum nasci, quæ non vis frigoris ulla est,
Nec glacians hiems, &c.

Sequitur nempe Solinum, cap. 15 pag. 36.

3. *Glaciemque esse.*] Glaciem intellige, non cælestem aquam, in extimis montium jugis, sed succum potius in terræ visceribus, atque inter cautes, uti mox dicetur, vehementiore gelu concretam: frigoris vi conglutinatum & coactum.

4. *Unde & nomen.*] Κρύσταλλος a frigore, ἀπὸ τοῦ κρύους.

5. *Quoniam Indicæ.*] Vide Notas & Emendationes, num. IV. Nunc per universam Indiam reperiri nullam crystallum aiunt: Fuisse olim, luculentus est auctor Strabo, lib. 15. pag. 717. Solinus item, & Marbodeus, laudandi inferius, sect. 15.

6. *Nascitur & in Asia.*] Solinus, cap. 15. pag. 36. in Scythia Strabo, lib 15 pag. 140. in Cappadocia. De Alabandis, Orthosiaque, lib. 5. sect 29.

7. *Alpium jugis.*] Sic Isidorus, lib 16. Orig. cap. 13.

8. *Quæ Necron vocetur.*] Sic MSS. omnes: Reg. 2. Colb. 3. vetus Dalec &c. Τῶν νεκρῶν insula, *Necronnesos*, hoc est, mortuorum: ut Macaronnesos, τῶν μακάρων. Libri editi, *Neron*, mendose.

9. *Et in ea quæ juxta.*] De hac insula dictum est, lib. 6. sect. 34.

10. *Cubitalemque.*] Crystallum.

11. *Cornelius Bocchus.*] Laudatur hic sane in Indice hujus libri, ex MSS. omnibus. Hoc loco tamen quidam codices, non *Bocchus*, sed *Nepos* habent: mendose. Nam & vetustæ editiones *Bocchus* habent; & ipse Plinius hoc ipsum repetens inferius, sect. 43. *Bocchus*, inquit, *auctor est, & in Hispania repertas, quo in loco crystallum dixit ad libramentum aquæ puteis defossis inde erutam.*

12. *Ammaensibus jugis.*] Vide Notas & Emendationes, num. V.

13. *Ad libramentum aquæ.*] Ubi fodiuntur scrobes seu putei ad ducendam ex libramento aquam. De hac voce diximus lib. 31. sect. 31.

14. *Nonnisi frigido.*] Vide Notas & Emend. num. VI.

15. *Non facile ratio.*] Assignare tamen Cardanus est ausus, quem ob eam rem Scaliger exagitat, Exercit. 118.

16. *Eo magis.*] Mucronum quidem numerum servat natura diligenter: speciem, sive formam, ac similitudinem, non item. Nicol. Chorier, lib. 1. hist. Delph. pag. 72. auctor est, in montibus Ebrodunensibus, Diensibusque, in Delphinatu, crystallum ejuscemodi crebro passimque reperiri.

Sect. X. 1. *Magnitudo.*] Solinus hæc ad verbum exscripsit, cap. 15. pag. 36.

2. *Livia Augusta.*] Sic etiam Solinus. At MSS. *Divus Augustus.*

3. *Circiter quinquaginta.*] Sic etiam MSS. At Solinus, CL.

4. *Vas amphorale.*] Quid sit amphora, diximus lib. 14. sect. 5.

5. *Sextariorum quatuor.*] Tres *pintas* vulgus Lutetiæ vocat.

6. *Fune pendentes.*] E summis cautibus, jugisque montium.

7. *Infestantur.*] Crystallis, inquit, hæc vitia sunt, scabrities ac ferrugo, seu qualis in ferro rubigo cernitur, (MSS. *ferrumine* hoc loco agnoscunt, non, ut editi, *scabro, ferrugine*) maculosa nubes, &c.

8. *Occulta aliqua vomica.*] Vomica proprie tumor est excrescens in aliqua parte corporis, saniem fluidam continens in se se. Ad hujus similitudinem in crystallo vomicam Plinius, opinor, intelligit, occultam in media crystallo aquæ guttulam, quæ nondum fuerit gelu concreta. Exstat in similem crystallum epigramma Claudiani geminum, in Anthologia, lib. 4. tit. 18. Κλαυδιανοῦ εἰς κρύσταλλον ἐντὸς ὕδωρ ἔχουσαν.

Χιονέη κρύσταλλος ὑπ᾽ ἀέρος ἀντηθεῖσα,
Δεῖξεν ἀμηχανίην παμπόλλου εἰκόνα κόσμου,
Οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχουσα βαρύνεται ἔνδοθι πόντου.

De crystallo intus aquam habente:

Aeris ingenio glaciei fortita figuram,
Exhibet immensum nobis in imagine mundum,
Æthera qui fluctus pelagi complectitur in se.

Alterum priore haud setius elegantia, ejusmodi:

Εἰπέ μοι, κρύσταλλε, λίθῳ πεπτωμένον ὕδωρ,
Τίς πῆξεν; Βορέης. Τίς δ᾽ ἔλυσε; Νότος.

Dic, aqua sub lapidis glaciali tegmine, quo tu
Compacta es Borea, vel resoluta Noto?

9. *Centro.*] Quid centrum sit, diximus lib. 16. sect. 76.

10. *Item sale.*] Verrucarum instar non eminentium, vitium id esse non in crystallis modo, sed & in murrhinis intelligitur ex his Plinii verbis, sect. 8. *Murrhinis translucere quidquam, aut*

latura

latura occultant. Quæ vero ſine vitio ſunt, puras eſſe malunt, [11] aceteta appellantes: [12] nec ſpumæ colore, ſed limpidæ aquæ. Poſtremo auctoritas in pondere eſt. [13] Invenio medicos, quæ ſunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam cryſtallina pila adverſis poſita Solis radiis. Alius hic furor, [14] H S. CL. M. [15] trullam unam non ante multos annos mercatam a matre familias, nec divite. [16] Idem Nero amiſſarum rerum 5 nuncio accepto, duos calices cryſtallinos in ſuprema ira fregit illiſos. Hæc fuit ratio ſæculum ſuum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta ſarciri nullo modo queunt. Mire ad ſimilitudinem acceſſere vitrea, ſed prodigii modo, ut ſuum pretium auxerint cryſtalli, non diminuerint.

XI. 1. Proximum locum in deliciis, [1] feminarum tamen adhuc tantum, [2] ſuccina 10 obtinent: eamdemque omnia hæc, quam gemmæ, auctoritatem: ſane majorem aliquibus de cauſis cryſtallina & murrhina, [3] rigidi potus utraque. In ſuccinis cauſam ne deliciæ CAP. VII. quidem adhuc excogitaverunt. Occaſio eſt vanitas Græcorum diligentiæ. Legentes modo æque perpetiantur me de ortu eorum, cum hoc quoque interſit vitæ, ſcire poſteros quidquid illi prodidere mirandum. [4] Phaëthontis fulmine icti ſorores fletu mutatas in arbores 15 populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere juxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus: & electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus ſit [5] Elector, plurimi Poëtæ dixere, primique, ut arbitror, Æſchylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Quod eſſe falſum, Italiæ teſtimonio patet. [6] Diligentiores eorum, Electridas inſulas in mari Adriatico eſſe dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. Qua appellatione nullas unquam ibi 20 fuiſſe, certum eſt: nec vero ullas ibi appoſitas eſſe, in quas quidquam curſu Padi devehi poſſit. Nam quod Æſchylus in Iberia, [7] hoc eſt, in Hiſpania, Eridanum eſſe dixit, eumdemque appellari Rhodanum: Euripides rurſus, [8] & Apollonius in Adriatico litore confluere Rhodanum & Padum: [a] faciliorem veniam facit ignorati ſuccini, in tanta orbis ignorantia. Modeſtiores, ſed æque falſum prodidere, in extremis Adriatici ſinus rupibus 25 inviis arbores ſtare, quæ Canis ortu hoc effunderent gummi. [9] Theophraſtus in Liguria effodi dixit. Chares vero Phaëthontem in Æthiopia Hammonis obiiſſe: ob id delubrum ibi eſſe atque oraculum, electrumque gigni. Philemon foſſile eſſe, & in Scythia erui duobus locis: candidum atque cerei coloris, quod vocaretur electrum: in alio loco fulvum, quod appellaretur ſubalternicum. Demoſtratus [10] lyncurion id vocat, & fieri ex urina lyncum 30 beſtiarum, e maribus fulvum & igneum, e feminis languidius atque candidum. Alii dixere langurium, & eſſe in Italia beſtias langurias. Zenothemis langas vocat eaſdem, & circa Padum iis vitam aſſignat. Sudines arborem quæ gignat in Liguria. In eadem ſententia & Metrodorus fuit. Sotacus credidit in Britannia [11] petris effluere, quas electridas vocat. Pytheas [12] Guttonibus Germaniæ genti accoli æſtuarium Oceani, Mentonomon no- 35 mine, ſpatio ſtadiorum ſex millium: ab hoc diei navigatione inſulam abeſſe Abalum:

INTERPRETATIO.

a *Faciliorem.*] Venia digni, quod ſuccini ortum ignorarint, qui vel orbis ſitum ipſum neſcierunt.

NOTÆ.

fallere, vitium eſt. Item ſales verrucæque non eminentes, ſed ut in corpore etiam plerumque ſeſſiles.

11. *Acenteta.*] Ἀκέντητα, ſine cælatura, de qua dictum eſt proxime: ſive quæ ſcalpri puncturam non ſenſerunt. *Aſyntheta* legit hoc loco vir doctus in primis, informemque cryſtallum interpretatus eſt, Notis in Alexiad. pag. 279. Nos a MSS. non diſcedimus.

12. *Nec ſpumæ colore.*] Solinus, cap. 15. pag. 36. *Qui eligunt, puriſſimum captant: ne quod rufum, ne quod nubilum, vel ſpumis obſitum, arceat perſpicuitatem.* Prius legebatur, *nec ſpumei coloris limpidæ aquæ.*

13. *Invenio medicos.*] Vide quæ diximus lib. 36. ſect. 67. Expertum id a ſe feliciter teſtatur Matthiolus, in lib. 5. Dioſc. cap. 116. pag. 1388.

14. *H-S. CL. M.*] Seſtertiûm centum quinquaginta millia, monetæ noſtratis efficiunt libras, ſeu florenos 15000.

15. *Trullam unam.*] Cryſtallinam: *un baſſin de criſtal.*

16. *Idem Nero.*] Tranquillus in Nerone, cap. 47. *Nunciata interim defectione .... duos ſcyphos, gratiſſimi uſus, quos Homericos, a cælatura carminum Homeri vocabat, ſolo illiſit, &c.*

Sect. XI. 1. *Feminarum tamen.*] Hinc Ovidius, lib. 2. Metam. verſ. 364.

Inde fluunt lacrymæ, ſtillataque Sole rigeſcunt
De ramis electra novis: quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

2. *Succina.*] Quæ electra vocant, *L'ambre jaune* Ruellius, lib. 1. de nat. ſtirp. cap. 39. pag. 115. *Succinum noſtræ officinæ, paſſimque, & vulgus medicorum Ambram vocant citrinam: Mauritani Karabe. Geſtant noſtræ mulieres decoris cauſa, quadam monilium vice: alii orbiculos ex eo efficiunt, quibus ſuas preces numerant.* Alia res omnino eſt, quam Ambram griſeam vocitant.

3. *Rigidi potus.*] Sic libri omnes: hoc eſt, frigidi. Tamen & ad calidos potus murrhina Martialis adhibet, laudatus a nobis paulo antea, ſect. 8.

4. *Phaëthontis.*] Naſonem vide, loc. cit.

5. *Elector.*] Ἠλέκτωρ, quod homines ἀλέκτρας, id eſt, ſine lecto faciat, hoc eſt, excitet a ſomno: ſeu potius id ei nomen eſt ab electri ſplendore.

6. *Diligentiores eorum.*] Apollonius Rhodius, lib. 4. Argon. verſ. 506. Qui Radaunum amnem (is Dantiſcum præterfluit) pro Rhodano acceptum a veteribus volunt, λῆρος λήρεις.

7. *Hoc eſt, in Hiſpania.*] At Iberiæ nomine vetuſtiſſimi ſcriptores intellexere tractum omnem illum terrarum, qui a Rhodano ad Gades pertinet, teſte quidem Strabone lib. 3. pag. 166.

8. *Et Apollonius.*] Idem qui ſupra Rhodius appellatus, lib. 4. Argon. verſ. 627.

9. *Theophraſtus.*] Theophraſtus, libro περὶ λίθων, pag. 6. Ἐστὶ δὲ καὶ τὸ ἤλεκτρον λίθος, καὶ γὰρ ὀρυκτὸν τὸ περὶ Λιγυστικήν.

10. *Lyncurion.*] De lyncurio diximus, lib. 8. ſect. 57. Strabo ſimiliter, lib. 4. pag. 202. ubi de Liguribus: Πλεονάζει δὲ καὶ τὸ λιγγύριον παρ' αὐτοῖς, ὅ τινες ἤλεκτρον προσαγορεύουσι. *Copioſum eſt apud illos lyngurium, quod nonnulli cognominant electrum.*

11. *Petris effluere.*] Sic Reg. 1. Colb. 3. Chiffl. vet. Dalec. aliique. In editis perperam, *arboribus effluere.*

12. *Guttonibus.*] De his egimus lib. 4. ſect. 28.

[13] illuc vere fluctibus advehi, & esse concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximisque Teutonis vendere. Huic & Timæus credidit, sed insulam [14] Basiliam vocavit. Philemon ait flammam ab electro reddi. Nicias Solis radiorum succum intelligi voluit. Hos circa occasum credit vehementiores in terram actos, pinguem sudorem in ea parte Oceani relinquere, deinde æstibus in Germanorum litora ejici. Et in Ægypto nasci simili modo, [15] & vocari Sacal: item in India, gratiusque thure esse Indis. In Syria quoque feminas [16] verticillos inde facere: [17] & vocare harpaga, quia folia & paleas, vestiumque fimbrias rapiat. [18] Theochrestus Oceano id exæstuante ad Pyrenæi promontoria ejici: quod & Xenocrates credidit, qui de iis nuperrime scripsit. Vivit adhuc Asarubas, qui tradidit juxta Atlanticum mare esse lacum Cephisiada, quem Mauri vocant Electrum. Hunc Sole excalfactum e limo dare electrum fluitans. [19] Mnaseas Africæ locum Sicyonem appellat, & Crathin amnem in Oceanum effluentem e lacu, in quo aves, quas Meleagridas [20] & Penelopas vocat: [21] & vere ibi nasci, ratione eadem, [22] qua supra dictum est de Electride lacu. Theomenes, juxta Syrtim magnam hortum Hesperidum esse, ex quo in stagnum cadat, colligi vero a virginibus Hesperidum. [23] Ctesias Indis flumen esse Hypobarum, quo vocabulo significetur [24] omnia in se ferre bona: fluere a Septemtrione in exortivum Oceanum juxta montem silvestrem arboribus electrum ferentibus. Arbores eas [25] siptachoras vocati, qua appellatione significetur prædulcis suavitas. Mithridates in Germaniæ litoribus esse insulam, vocarique eam Oseri&tam, cedri genere silvosam: inde defluere in petras. Xenocrates non succinum tantum in Italia, verum etiam [26] thyon vocari, a Scythis vero sacrium, quoniam & ibi nascatur. Alios putare in Numidia gigni. Super omnes est Sophocles tragicus poeta, quod equidem miror [a] tanta [27] gravitate cothurni, & præterea vitæ fama, alias principe loco genitus Athenis, [28] rebus gestis, exercitu ducto. Hic ultra Indiam fieri dixit e lacrymis Meleagridum avium [29] Meleagrum deflentium. Quod & credidisse eum, vel sperasse aliis persuaderi posse, quis non miretur? quamve pueritiam tam imperitam posse reperiri, quæ avium ploratus annuos credat, lacrymasve tam grandes, avesque e Græcia, ubi Meleager periit, ploratum isse in Indos? Quid ergo? non multa æque fabulosa produnt poetæ? Sed hoc ea in re, [30] quæ quotidie inveniatur atque abundet, & hoc mendacium coarguat, serio quemquam dixisse, summa hominum contemptio est, & intoleranda mendaciorum impunitas.

CAP. III. 2. [31] Certum est gigni in insulis septemtrionalis Oceani, & a Germanis appellari [32] glessum: [33] itaque & a nostris unam insularum ob id Glessariam appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, Austraviam a barbaris dictam. [34] Nascitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, [35] resina pinis. Erumpit

INTERPRETATIO.

a *Tanta.*] Tanta in poesi gravitate.

NOTÆ.

13. *Illuc vere fluctibus advehi.*] Subintellige, succinum.

14. *Basiliam vocavit.*] Sic MSS. omnes, non *Baltiam*. Sic Pytheas lib. 4. sect. 27.

15. *Et vocari Sacal.*] Lingua Ægyptiaca, non Hebræa.

16. *Verticillos.*] Verticilli instrumenta sunt, quæ fuso adhibentur, ut facilius vertantur.

17. *Et vocare harpaga.*] Succinum videlicet. Ἅρπαξ Græcis rapacem, seu raptorem sonat. Exscripsit hunc locum Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 8.

18. *Theochrestus.*] Sic Reg. 2. Colb. 3. aliique. Sic loci hujus Index. Non, ut editi, *Theophrastus.*

19. *Mnaseas.*] Sic MSS. proxime laudati: sic Index. In editis male, *Mnesias.*

20. *Et Penelopas.*] Πηνέλοπες, quas qui non viderunt, aquaticas esse, anatibusque similes comminiscuntur.

21. *Et vere ibi nasci.*] Subintellige, electrum.

22. *Qua supra dictum.*] Proxime antea, de Cephisiade lacu.

23. *Ctesias.*] In libro de rebus Indicis, apud Photium in Bibl. cod. 72. pag. 149. Ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς διαρρέων διὰ τῆς Ἰνδικῆς ..... ὄνομα δὲ τῷ ποταμῷ Ἰνδιστὶ μὲν Ὕπαρχος (rectius Ὑπόβαρος) Ἑλληνιστὶ δὲ, φέρων πάντα τὰ ἀγαθά. Οὗτος τοῦ ἐνιαυτοῦ λ' ἡμέρας ἤλεκτρον καταρρεῖ, &c. *Est & fluvius Indiam interlabens, ... qui ab Indis Hypobarus appellatur, quod Græce sonat, Ferens omnia bona. Triginta diebus per singulos annos succinum undis vehit*, &c.

24. *Omnia in se ferre bona.*] Sic ex conjectura, favente Ctesiæ loco ante allato scripsimus, mutilis hac parte libris. Editi hactenus typi, *omnia vasa ferre bona.*

25. *Siptachoras.*] Non, ut typi hactenus vulgari, *Aphytacoras.* Ctesias, loc. cit. Τὰ δένδρα δὲ τούτων ὄνομα ἐστι Ἰνδιστὶ Σιπταχόρα, Ἑλληνιστὶ σημαίνει ἡδονὴ, ἡδύ. Quod idem iterum repetit, pag. 52. De ea arbore vide ibi plura.

26. *Thyon vocari.*] Quo nomine veteres arboris genus appellarunt, quod esset cedro citrove affine, ut diximus lib. 13. sect. 30.

27. *Gravitate cothurni.*] De eo genere loquendi diximus lib. 35. sect. 36. num. 23.

28. *Rebus gestis.*] Quas a Suida accurate recensitas vide.

29. *Meleagrum deflentium.*] A matre interfectum: quem cum sorores ejus deflerent, Deorum voluntate in aves sunt transfiguratæ, quæ Meleagrides vocantur. Hyginus, fabula 174.

30. *Quæ quotidie inveniatur.*] Sic MSS. Prius editi, *invehatur.*

31. *Certum est gigni.*] Hæc totidem verbis Solinus, cap. 20. pag. 40.

32. *Glessum.*] Tacitus, lib. de moribus Germ. pag. 138. *Sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glessum vocant, inter vada, atque in ipso litore legunt*, &c.

33. *Itaque & a nostris.*] A Romanis militibus. De Glessariis insulis egimus lib. 4. sect. 30.

34. *Nascitur autem.*] Ita Solinus, loco cit. Subscribit & Olaus Magnus, lib. 12. hist. cap. 8. pag. 500. *Abietes*, inquit, *seu piceæ arbores, natura sua resinosæ, excelsa proceritate, sive super litora maris, sive super rivos, vel alias silvarum declivitates crescentes, succinum sudant, maxime dum maturis frugibus Solis fervor*, &c. Sed altera præterea succini generatio est, e terra scilicet: cum sit picis fossilis, seu bituminis genus: quod non in litore modo Prussiaci maris, sed & in locis ab eo pluribus passuum millibus disjunctis, atque adeo in ipsis montibus reperitur. Vide Kircherum, lib. 8. de mundo subterr. cap. 13. pag. 75. Succinum e cetaceorum piscium spermate fieri, recentioribus quibusdam negotiatoribus Sarmaticis credidit Alciatus, lib. 7. Parerg. juris, cap. 4. fol. 151. tom. 6. Consule de hoc argumento historiam Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1705. pag. 43.

35. *Resina pinis.*] Sic MSS. omnes, non *pineis*. Sextus hic casus, a *pinus, pini*, secundæ declinationis.

humoris abundantia: densatur rigore [36] vel tepore autumnali. [37] Cum intumescens æstus rapuit ex insulis, certe in litora expellitur, ita volubile, [38] ut pendere videatur, atque considere in vado: [39] quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pineæ autem arboris esse indicio est pineus in attritu odor, & [40] quod accensum tedæ modo ac nidore flagret. Affirmatur a Germanis [41] ideo maxime appetitam 5 provinciam: & inde advectos primum, quos Græci [42] macatos vocabant. Famam rei fecere proximæ Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. [43] Pado vero annexæ fabulæ videtur causa, hodieque [44] Transpadanorum agrestibus feminis, monilium vice succina gestantibus, maxime decoris gratia, [45] sed & medicinæ: quando tonsillis creditur resistere, & faucium vitiis, [46] vario genere aquarum juxta infestante guttura [47] ac 10 vicinas carnes. Sexcentis fere M. pass. a Carnunto Pannoniæ abest litus id Germaniæ, ex quo invehitur, percognitum nuper. Vidit enim Eques Romanus, missus ad id comparandum a Juliano curante [48] gladiatorium munus Neronis Principis, qui hæc commercia & litora peragravit, tanta copia invecta, ut retia arcendis feris [49] podium protegentia [50] succino nodarentur: arma vero, [51] & libitina, [52] totusque unius diei apparatus esset e succino. [53] Maximum pondus is glebæ attulit XIII. librarum. [54] Nasci & in 15 India certum est. [55] Archelaüs, qui regnavit in Cappadocia, illinc [56] pineo cortice inhærente tradit advehi rude, polirique adipe suis lactentis incoctum. [57] Liquidum primo destillare, argumento sunt quædam intus translucentia, [58] ut formicæ, aut culices, lacertæque, quas adhæsisse [a] musteo non est dubium, & inclusas induruisse. 20

XII. Genera ejus plura. Candida odoris præstantissimi. Sed nec his, nec cereis pretium: fulvis major auctoritas. Ex iis etiamnum amplior translucentibus, præterquam si nimio ardore flagrent: imaginemque igneam inesse, non ignem, placet. [1] Summa laus

Interpretatio.

a *Musteo.*] Recenti.

Notæ.

36. *Vel tepore autumnali*] Solinus, loc. cit. At Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 8. *vel tempore*, mendose.

37. *Cum intumescens.*] Tacitus, loc. cit. *Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quæ vicini Solis radiis expressa, atque liquentia, in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant.*

38. *Ut pendere.*] Ut modo pendere in aquis, modo in vado considere videatur. Ita MSS. omnes. Salmasius in Solin pag. 234. legit, *atque non sidere.* Tacitus, loco cit. inter vada succinum peti ait.

39. *Quod arboris succum, esse prisci nostri.*] Priscos illos secutus est Nepos Cornelius, uti ex Cassiodoro intelligimus, lib. 5. Var. epist. 2. Solinus, loc. cit. *Succum esse arboris de nominis significatione capessas. verum unde profluat, si ussceris, odor indicabit.*

40. *Et quod accensum*] Tacitus, loco cit *Si naturam succini admoto igne tentes, in modum tedæ accenditur: alitque flammam pinguem & olentem mox ut in picem resinamve lentescit.*

41. *Ideo maxime*] Propter succinum Notat luxuriam suorum temporum Vide Notas & Emend num. VII.

42. *Macatos vocabant.*] Majores succini glebas, vel pretiosiores, μακάρας.

43. *Pado vero.*] Solini paraphrasis, cap. 20. pag. 40. de succino. *Pretium opera est ire longius, ne Padana silvæ credantur lapidem flevisse. Hanc speciem in Illyricum barbari intulerunt, quæ cum per Pannonica commercia usu ad Transpadanos homines foret devoluta, quod ibi primum nostri viderant, ibi etiam natum putaverunt.*

44. *Transpadanorum.*] Sic MSS. non *Transpadanarum.* Isidorus, lib 16. Orig cap 8 *E succino fiunt decoris gratia agrestium feminarum monilia.* Ovidius supra laudatus,

Nuribus gestanda Latinis.

45. *Sed & medicinæ.*] Vide Matthiolum in Diosc. lib. 1. cap. 93. pag. 139.

46 *Vario genere aquarum.*] Præsertim nivalium, quæ ex sommis Alpium jugis liquatæ cum amnibus corrivantur. Inde strumis eorum amnium accolæ pororesque obnoxii.

47. *Ac vicinas carnes.*] Nullus est e MSS codicibus qui Salmasio faveat, ita legenti: *juxta sic infestante guttura, ac vicinas Carnis.*

48 *Gladiatorium munus.*] Quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni spatium fabricato dedit Suetonius in Nerone, cap. 12.

49. *Podium.*] Orchestra, in qua erant Senatorum designata loca, Romæ inter cuneos & scenam interjecta erat, producta muro pedem unum alto, quod podium dicebatur: qui murus columnis tres pedes altis ornabatur, quibus spectatores inniti possent. Erat orchestra graduum quatuor aut quinque, longa dimidiam scenæ partem. Gradus orchestræ dignissimus imus fuit, podio proximus, & scenæ. Juvenalis, Satyra 2. versu 145.

Et Capitolinis generosior, & Marcellis,
Et Catuli, Paulique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus: his licet ipsum
Admoveas, cujus tunc munere retia misit.

50. *Succino nodarentur.*] Nodos habebant e succino. Sic MSS. Reg. 2. Colb. 3. aliique: non *succinis notarentur*, ut editi.

51. *Et libitina.*] Lectus quo gladiatores in arena mortui statim efferebantur, Libitina dicebatur: quoniam in æde Libitinæ Deæ pararentur omnia necessaria ad funebrem apparatum. Horatius:

Multaque pars mei Vitabit Libitinam.

52. *Totusque unius diei.*] Solinus, cap. 20. pag. 40.

53. *Maximum .... XIII. librarum.*] Hoc est, Solino interprete, loco cit. XIII. millium librarum. Massam succini equo majorem ad litus Schetlandiæ appulisse aliquando prodidit Hector Boetius, in hist Scotorum.

54. *Nasci & in India.*] Solinus, cap. 20. pag. 41. Ctesias in Indicis, apud Photium, cod. 73. pag. 152.

55. *Archelaus.*] Cujus regnum in formam provinciæ Tiberius redegit, ut Suetonius prodidit, cap 36.

56. *Pineo cortice.*] Vocem *pineo* ex MSS. addidimus. Solinus paraphrastes, cap 20. pag. 41. de succino. *Rude primum nascitur & corticosum, deinde incoctum adipe lactentis suis expolitur, ad quem videmus nitorem.*

57. *Liquidum primo.*] Hoc ipsum experimenta confirmant summorum virorum hujus etiam ævi. Vide Kircherum nostrum, tom. 2 mundi subt pag. 75. & 76.

58. *Ut formica.*] Martialis, lib. 6. Epigr. 15.

Dum Phaethontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modo quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Et lib. 4. Epigr. 32. de api electro inclusa:

Et latet, & lucet, Phaethontide condita gemma,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum,
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Et Epigr. 59. de vipera electro inclusa:

Flentibus Heliadum ramis, dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram.
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro:
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

Vide & Tacitum, lib. de moribus German. pag. 178 Kircherus in suo Museo servare se ait, loc. cit. precariam decadem, quam Rosarium vocant, in qua quot succinei globi spectantur, tot differentes muscæ sunt.

Sect. XII. 1. *Summa laus Falernis.*] Solinus, cap. 20. pag.

Falernis a vini colore dictis, molli fulgore perspicuis. Sunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat. [2] Verum hoc quoque notum fieri oportet, quocumque libeat, tingi, hœdorum sevo, & anchusæ radice: quippe etiam conchylio inficiuntur. Ceterum attritu digitorum [3] accepta caloris anima trahunt in se paleas ac folia arida, quæ levia sunt: ac
5 ut magnes lapis, ferri ramenta quoque. Succina oleo addita flagrant dilucidius diutiusque, [5] quam lini medulla. Taxatio in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiumque pretia superet: prorsus [a] ut castigatio una non sit satis. In Corinthiis æs placet auro argentoque mixtum, in cælatis ars & ingenia. Murrhinorum & crystallinorum diximus gratiam: uniones, [6] quod capite circumferuntur, gemmæ digitis:
10 in omnibus denique aliis vitiis ostentatio aut usus placet: in succinis deliciarum tantum conscientia. [7] Domitius Nero in ceteris vitæ suæ portentis, capillos quoque conjugis suæ Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine succina appellando. Et quoniam nullis vitiis desunt pretiosa nomina, ex eo [8] tertius quidam hic colos cœpit expeti a matronis. Usus tamen succinorum invenitur aliquis in medicina: sed non ob hoc fœminis
15 placent. Infantibus adalligari amuleti ratione prodest. Callistratus & cuicumque ætati contra lymphationes prodesse tradit, & urinæ difficultatibus potum, adalligatumque. Hic & differentiam novam attulit, appellando [9] chryselectrum, quasi coloris aurei, & matutino gratissimi aspectus, rapacissimum ignium, & si juxta fuerint, celerrime ardescens. Hoc collo adalligatum, mederi febribus & morbis: tritum cum melle ac rosaceo, aurium vitiis:
20 & si cum melle Attico conteratur, oculorum quoque obscuritatibus. [10] Stomachi etiam vitiis vel per se farina ejus sumpta, vel cum mastiche ex aqua pota. Succina etiam gemmis, quæ sunt translucidæ, adulterandis magnum habent locum, maxime amethystis, cum omni, [11] ut diximus, colore tingantur.

XIII. De lyncurio proxime dici cogit auctorum pertinacia. Quippe, etiam si non ele-
25 ctrum id esset, [1] lyncurium tamen gemmam esse contendunt. Fieri autem ex urina quidem lyncis, sed egestam terra protinus bestia operiente eam, quoniam invideat hominum usui. Esse autem qualem in igneis succinis, colorem, [2] scalpique. Nec folia tantum aut stramenta ad se rapere, [3] sed æris etiam ac ferri laminas, quod Diocles quidem & Theophrastus credit. [4] Ego falsum id totum arbitror, nec visum in ævo nostro gemmam
30 ullam ea appellatione: & quod de medicina simul proditur, [5] calculos vesicæ eo poto elidi, & morbo regio occurri, si ex vino bibatur, aut si portetur etiam.

XIV. Nunc gemmarum confessa genera dicemus, a laudatissimis orsi. Nec vero id solum agemus, sed ad majorem utilitatem vitæ obiter coarguetur Magorum infanda vanitas, quando illi vel plurima prodidere de gemmis, [b] medicinæ ex his blanda specie pro-
35 digia transgressi.

CAP. IV. XV. Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non nisi regibus & iis admodum paucis cognitus, [1] auri modo in metallis repertus,

INTERPRETATIO.

a *Vt castigatio.* Ut castigasse invehique in mores semel obiter non sit satis.

b *Medicinæ.*] Omnia medicinæ prodigia superantes, blandis pollicitationibus remediorum a gemmis, *quæ sunt incertæ dubiæ & falsæ.*

NOTÆ.

41. de succino: *Pro facie habet nomina: melleum dicitur, & Falernum: utrumque de similitudine aut vini, aut utique mellis.*

2. *Verum hoc quoque.*] Isidorus hæc breviter, lib. 16. Orig. cap 8. de succino: *Quocumque autem modo libeat, tingitur: Nam anchusæ radice conchylioque inficitur.*

3. *Accepta caloris anima.*] Hoc est, *vi caloris.* Vide Notas & Emend. num. VIII. De attractiva electri virtute, multa Kircherus noster erudite, tom. 2. mundi subterr. libro 8 pag. 76.

4. *Ferri ramenta quoque*] Non levia modo, sed & ponderosissima omnis generis metalla, ferrum, argentum, aurum, plumbum, ad x. ac xx. libras, ligneos baculos, hastas, chirothecas, succini frusto attraxisse se Kircherus idem contestatur, pag. 77. Quod porro Geoponicon auctor, lib. 15. cap 1. pag 406. famaque vulgi ocimum excipit, quod a succino posse trahi negat, ἀχύρωδη καὶ κάρφη ἕλκει πρὸς ἑαυτὸ, πλὴν ὠκίμου, id variis experimentis falsum esse & ipsi scimus, & idem Kircherus vidit.

5. *Quam lini medulla.*] Ita libri omnes: haud dubie tamen, *quam pini medulla*, legi satius fuerit. Quid enim *lini medulla?* Stupane, quæ medullæ proxima? Vereor ut id satis dicatur apposite. Pini vero medullam, quam Græci καρδίαν vocant, Theophr. lib. 3. hist. plant. cap. 9 maxime ἐνδᾳδον esse vere pronunciavit, hoc est, teda refertam.

6. *Quod capite.*] Auribus

7. *Domitius Nero.*] Vide Auctorum Indicem.

8. *Tertius quidam hic colos.*] Post aurum, & uniones: quæ pariter matronæ gestant.

9. *Chryselectrum, &c.*] Hæc iisdem fere verbis Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 17.

10. *Stomachi etiam.*] Id quoque de suo electro πτερυγοφόρῳ Dioscorides, lib. 2. cap. 100.

11. *Vt diximus.*] Hac ipsa sect.

Sect. XIII. 1. *Lyncurium tamen.*] Hæc totidem verbis Solinus, cap 2. pag. 15. ac pro veris habuit. Item auctor Kiranidum, pag. 42. Vide quæ de Lyncurio dicta sunt, lib. 8. sect. 57.

2. *Sculpique.*] Non scalpi quidem, sed scalpendis gemmis eam esse idoneam prodidit Phile, lib. de propr. anim. pag. 108.

Οὖρον δ' λυγξὸς ἀπ[illegible] εἰς λίθον,
Στιῤῥὸς τίς ἐστ' ἐγγλυπτὸς πρὸς τοὺς λίθους.

3. *Sed æris etiam ac ferri.*] Quod lyncurium ii scilicet electrum esse arbitrarentur. Nam succino vim eam inesse paulo antea diximus. Hæc totidem verbis apud Theophrastum leguntur, lib. περὶ λίθων, pag. 6.

4. *Ego falsum id.*] Falsum id quoque Diosc. arbitratur, lib. 2. cap. 100

5. *Calculos vesicæ.*] Vide quæ dicta sunt lib. 28 sect. 32.

Sect XV. 1. *Auri modo.*] Sic Reg. 2. & Colb. 3. In editis vitiose, *unus modo.* Nec minus corrupte in Chiffl. *auri modus*, quanquam id intelligo placere Salmasio, in Solin. pag. 1037. Ariolantur qui Plinium hallucinatum hoc loco putant, ac spumam auri, quam id dum excoquitur, exspuit,

perquam raro: comes auri, [2] nec nisi in auro nasci videbatur. Veteres eum in Æthiopum tantum metallis inveniri existimavere, inter delubrum Mercurii, atque insulam Meroën: dixeruntque non ampliorem cucumis semine, aut colore dissimilem inveniri. Nunc genera ejus sex noscuntur: Indici, non in auro nascentis, [3] sed quadam crystalli cognatione. Siquidem & colore translucido non differt, & laterum sexangulo lævore turbinatus in mucronem: [4] aut duabus contrariis partibus, ut si duo turbines latissimis suis partibus jungantur: magnitudine vero etiam avellanæ nuclei. Similis est huic quidem Arabicus, [5] minor tantum, [6] similiter & nascens: [7] ceteris pallor argenti, & in auro non nisi excellentissimo natales. [8] Incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes ictum, ut ferrum utrimque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. [9] Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & numquam incalescens. [10] Unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. Unum ex iis vocant [11] cenchron, quod est milii magnitudine. Alterum Macedonicum [12] in Philippico auro repertum: & hic est cucumis semini par. Post hos Cyprius vocatur in Cypro repertus, vergens [13] in aërium colorem, sed in medicina, [14] ut dicemus, efficacissimus. [15] Post hunc est siderites ferrei splendoris, pondere ante ceteros, sed natura dissimilis. [16] Nam & ictibus frangitur, & alio adamante perforari potest: quod & Cyprio evenit: breviterque, ut degeneres, nominis tantum auctoritatem habent. Idque, quod totis voluminibus his docere & mandare conati sumus, de discordia rerum concordiaque, quam antipathiam ac sympathiam appellavere Græci, non aliter clarius intelligi potest. [17] Siquidem illa invicta vis duarum violentissimarum naturæ rerum, ferri ignisque, contemptrix, [18] hircino rumpitur sanguine; neque aliter quam recenti calidoque macerata, & sic quoque multis ictibus: tunc etiam, præterquam eximias, incudes malleosque frangens. Cujus hoc ingenio inventum? quove casu repertum? aut quæ fuit conjectura experiendi rem immensi secreti, & in fœdissimo animalium? Numinum profecto muneris talis inventio omnis est. Nec quærenda in ulla parte naturæ ratio, sed voluntas. Et cum feliciter rumpere contigit, in tam parvas frangitur crustas, ut cerni vix possint. [19] Expetuntur a scalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cavantes. [20] Adamas dissidet cum magnete lapide in tantum, ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi: aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat, atque

NOTÆ.

(Græci nonnulli ἀδάμαντας nuncupant) pro adamante gemma accepisse autumant.

2. *Nec nisi in auro.*] Mox, *& in auro nonnisi excellentissimo natales.*

3. *Sed quadam crystalli.*] Fere crystalli similis. Solinus, cap. 52. pag 81. de adamante: *In quadam crystalli genere invenitur, materiæ, in qua nascitur, adeque similis, splendore liquidissimo, in mucronem sexangulum utrimque secus leniter turbinatus, nec umquam ultra magnitudinem nuclei avellanæ repertus.* Expressit hoc idem versu Marbodeus, lib de lapidib pret. cap. 1.

Vltima præcipuum genus India fert adamantis,
De crystallorum natum fumpeunte metallis:
Hunc ita fulgentem crystallina reddit origo,
Vt ferruginei non desinat esse coloris.
Hic sed avellana major nuce non reperitur.

Genera adamantum a Plinio, ceterisque veterum proposita, ætati huic nostræ ignota censemus, cum Aldrovando, lib. 4. de metall. cap 78. pag. 947.

4 *Aut duabus contrariis partibus.*] Subintellige, acuminatus, seu turbinatus in mucronem, ab utraque parte. Gallice, *en lozange.*

5. *Minor tantum.*] Hæc verba sic Marbodeus accepit, ut minoris pretii quidem, non item molis esse intellexerit, loco cit.

Alterius generis producit Arabs adamantem,
Non sic intactum: nam frangitur absque cruore:
Nec par huic autor est, pretiique minoris habetur:
Pondere sit quamvis, & enormi corpore major.

6. *Similiter & nascens.*] Hoc est, ut Indicus, non in auro nascens, sed quadam crystalli cognatione.

7. *Ceteris pallor argenti.*] Ceteris adamantis generibus, præter Arabicum, Indicumque, pallor est argenti, natales in excellentissimi auri metallis. Vide Notas & Emend. num. XI.

8 *Incudibus hi.*] Marbodeus Indico soli hanc dotem assignat. Solinus, cap 52. pag. 82. Indico & alteri generi, cujus natales in auro: *Nec ferro vincuntur*, inquit, *nec igne domantur.*

9 *Quippe duritia.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib 16. Orig. cap. 13. Vide egregiam de ea re dissertationem, apud Theophyl. Simocattam, phys. quæst. 1. Nostri tamen adamantes adeo non ictum mallei respuunt, ut etiam in scobem malleolo redigantur Facillime vero pistillo ferreo in mortario confringi & atteri solent, ut eorum scobe adamantes alii poliantur. Vide Garciam ab Horto, in Arom. hist. cap. 47.

10. *Vnde & nomen.*] Ἀδάμας, ἀπὸ τοῦ α καὶ δαμάζω, id est, *domo*, quod nulli materiæ cedat.

11. *Cenchron*] Ita clare Colb 3. aliique MSS. & typi omnes. Et κέγχρος quidem milium sonat, unde ei adamanti nomen. Nodum quærit in scirpo Salmasius, in Solin pag. 1074 qui *centron* reponere conatur, hoc est, centrum, seu nodum, nodosamve duritiem, quæ in gemmis reperitur interdum.

12. *In Philippico auro.*] In metallis aurariis, quæ sunt in Philippensi Macedoniæ agro. In ferrariis dixit Marbodeus, loco cit.

Tertius est adamas, quem dat maris insula Cypros.
Quartum producit ferraria vena Philippis.

At falso, cum his generibus natales in auro esse Plinius præmonuerit. Sed Solinum ille transscripsit, qui quartum similiter genus adamantis metallis ferrariis adjudicat, non tamen Philippensibus: cum neque in ullis, ut mox dicemus, reperiri possit.

13. *In aerium colorem.*] Vel cæruleum, vel in translucido liquidum Vide Notas & Emend. num. X.

14. *Vt dicemus.*] Sub finem hujus sectionis.

15. *Post hunc est.*] Σιδηρίτης, non quod in ferrariis metallis invenitur, ut Solinus somniavit, cap. 52. pag. 81. sed quod est ille ferrei coloris.

16. *Nam & ictibus.*] Totidem verbis hæc Solinus, loco citato.

17. *Siquidem illa invicta.*] Hæc Solinus ad verbum, loco cit. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap 13.

18. *Hircino rumpitur sanguine.*] Negant hoc esse verum recentiores physici, nisi hircus antea petroselino ac silere montano pastus sit: his herbis frangendi vim hircinum sanguinem adipisci: adeo ut ruta muraria sola hirco enutrito, per dies quadraginta, prohibitoque ab omni potu, nisi ut sub noctem pluviam decidentem lamberet, interfecti sanguinem leniter exsiccatum, comminuendi calculi causa ægris propinatum esse, felicissimo eventu.

19. *Expetuntur.*] Solinus, loco cit. *Fragmenta scalptoribus in usum insigniendæ cujuscumque modi gemmæ expetuntur.* Isidorus, lib. 16 Orig. cap. 8. *Adamantis fragmentis scalptores pro gemmis insigniendis perforandisque utuntur.* Albertus Magnus, libro 2. de mineral. tract 2. pag. 227. *Hic autem lapis penetrat ferrum, & ceteras gemmas omnes, præter chalybem, in quo retinetur.*

20. *Adamas.*] Ita Solinus, Isidorus, Albertus, locis cit. Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 1.

auferat. [11] Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente: & ob id quidam eum [12] anachiten vocavere. Metrodorus Scepsius, in eadem Germania & Basilia insula nasci, in qua & succinum, quod equidem legerim, solus dicit: & præfert Arabicis: quod falsum esse quis dubitet?

XVI. Proximum apud nos Indicis Arabicisque margaritis pretium est, de quibus [1] in nono diximus volumine inter res marinas.

CAP. V. [2] Tertia auctoritas smaragdis perhibetur pluribus de causis. Nullius coloris aspectus jucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesque avide spectamus: Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. [3] Præterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Quin & ab intentione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. [4] Scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio est: ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. [a] Præterea longinquo amplificantur visu, [5] inficientes circa se repercussum aëra: [6] non Sole mutati, non umbra, non lucernis, semperque sensim radiantes, & visum admittentes, [b] ad crassitudinem sui facilitate translucida: [7] quod etiam in aquis nos juvat. Iidem plerumque & concavi, [8] ut visum colligant. [9] Quapropter decreto hominum iis parcitur, scalpi vetitis. [10] Quanquam Scythicorum Ægyptiorumque duritia tanta est, ut nequeant vulnerari. [11] Quorum vero corpus extensum est, eadem, qua specula, ratione supini imagines rerum reddunt. [12] Nero Princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo.

XVII. [1] Genera eorum duodecim; [2] Nobilissimi Scytbici, ab ea gente, in qua reperiuntur, appellati. [3] Nullis major austeritas, nec minus vitii. Et quantum smaragdi a gemmis distant, tantum Scythici a ceteris smaragdis. [4] Proximam laudem habent, sicut & sedem, Bactriani; quos in commissuris saxorum colligere dicuntur Etesiis flantibus. Tunc enim [5] tellure internitent, quia iis ventis maxime arenæ moventur. Sed hos minores multo Scythicis esse tradunt. [6] Tertium locum Ægyptii habent, qui eruuntur circa Copton oppidum Thebaïdis in collibus, ex cautibus. [7] Reliqua genera in metallis æraríis

INTERPRETATIO.

a *Præterea.*] Præterea ex longo spatii intervallo oculos feriunt, & amplissimam emittunt ex se lucem.

b *Ad crassitudinem*] Ad intimam usque sui crassitudinem; quoniam translucida est, & facile visum transmittit.

NOTÆ.

Omnibus aqua tamen vis est adducere ferrum:
Quod facit & magnes absente potens adamante:
Nam præsens adamas magneti quod rapit, aufert.

Non habet hanc vim adamas orbi nostro nunc cognitus.

11. *Adamas & venena.*] Solinus, & Isidorus, locis citat. Albertus his amplius, loco cit. *Dicuntque Magi, quod lacerto sinistro alligatus, valet contra hostes, & insaniam, & indomitas bestias, & feros homines, & contra jurgia & rixas, & contra venena, & incursus phantasmatum, & incuborum.* Marbodeus, loco cit.

Et nocturnos lemures, & somnia vana repellit,
Atra venena fugat. &c.

12. *Anachiten.*] Sic libri fere omnes editi. In Parmensi edit. *anchiten.* Reg. 1. & Colb. 3. *quondam eunaesten.* An ἀνανκίτην, quod metus a lecto somnoque pellat? nam & ἄνα & κοίτη lectus dicitur. Salmasius in Solin. ἀναγκίτην legit, pag. 1085. quod metus sedet: nam metum ille, ceterosque animi affectus, quæ πάθη Græci vocant, ἀνάγκας appellari posse, credi cogit. Pareant, quibus ille jusserit.

Sect. XVI. 1. *In nono diximus.*] Libro 9. sect. 54. & seqq.

2. *Tertia.... smaragdis.*] Hæc iisdem fere verbis Solinus, cap. 15. pag. 35. Isidorus item, lib. 16. Orig. cap. 7. Maragdum absque prævio sibilo scribendum esse contendit Athenæus, lib. 3. pag. 94. quod ἀπὸ τῶ μαρμαίρειν, hoc est, a splendore nomen habere vult. Nostris, *Emeraude.*

3. *Præterea soli, &c.*] Solinus, ex Theophrasto, & Isidorus, locis cit.

4. *Scalpentibusque.*] Solinus, loc. cit. *Deinde obtutus fatigatos coloris reficiunt lenitate: nam visus, quos alterius gemmæ fulgor retuderit, smaragdi recreant & exacuunt.*

5. *Inficientes.*] Eadem ambage sermonis, Solinus, pag. 36. *Proxima sibi inficiunt aëre repercusso* Isidorus, loc. cit. *Inficiunt circa se viriditate repercussum aerem.* Albertus M. pag. 139. lib. 2. de miner. *Vicinum aerem sua videtur tingere viriditate.*

6. *Non Sole mutati.*] Nec Sol, nec umbra, nec lucernæ, vividam eam viriditatem auferunt.

7. *Quod etiam in aquis nos juvat.*] Sic MSS. Reg. 2. Colb. 3. aliique, non, ut editi perperam, *quod etiam in aquis non fit.* Sententia est, in aquis etiam juvare hoc ac delectare plurimum, si vitrea ac pellucida perspicuitate, ad imum usque fundum, visus admittant. Hinc illud de fonte pervulgatum, ut sit

Vitreis pellucidus undis.

8. *Ut visum colligant.*] Ut aspectum cogant, nec radios, quos vocant visuales, dissipent. Dignus risu ac sibilo Solinus, qui cap. 15. pag. 36. hunc Plinii locum sic interpretatur: *Cum concavi sunt* smaragdi, *inspectantium facies aggulantur.*

9. *Quapropter decreto.*] Solini paraphrasis: *Nec aliam ob causam placuit ut non scalperentur, ne offensum decus imaginum lacunis corrumperetur.*

10. *Quanquam Scythicorum, &c.*] Solinus, loc. cit.

11. *Quorum vero.*] Solinus item loc. cit. & Isidorus, lib. 16. Orig. 7. Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 54.

Optimus hic situs est, quorum sunt corpora plana.

12. *Nero Princeps.*] Isidorus, loc. cit. Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 54.

Omne virens superat forma viridante smaragdus,
Cujus bis quino species binaque feruntur:
Præcipuus Scythicus honos est, & gratia major.
His usum speculis testatur fama Neronem,
Cum gladiatorum pugnas spectare libebat.

Sect. XVII. 1. *Genera eorum.*] Albertus M. lib. 2. de mineral. pag. 136. *Smaragdi, propter planities & coloris varietatem, dicunt esse diversitates duodecim.* Nunc genera tantum bina noscuntur; orientale & occidentale: ab Indiis unde advehuntur.

2. *Nobilissimi.*] Isidorus & Solinus, locis cit. Scythidem gemmam appellat Martianus, lib. 1. pag. 18. & 20.

3. *Nullis major austeritas*] Solinus, loc. cit. *Laudantur austeri*, hoc est, saturi coloris. MSS. tamen Reg. & Colb. *Nullis major auctoritas*, sed mendose: cum iidem sect. seq. clare exhibeant, *tenorem illum Scythicæ austeritatis non semper custodiunt.*

4. *Proximam laudem.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. & Theophr. lib. περὶ λίθων, pag. 7. Ubi tamen, ut optime Dalecampius animadvertit, aliique post eum, nihil ille de commissuris saxorum: sed inter solum smaragdos calcibus gemmatis, εἰς τὰ λιθόκολλα: colligi eosdem in arena Etesiis flantibus, quia venti ii movent arenas, ac tellure detersa internitentes smaragdus aperiunt.

5. *Tellure internitent*] Solinus, loc. cit. *Inveniuntur Etesiis flantibus: tunc enim detecto solo facillime internitent: nam Etesiæ plurimum arenas movent.* Isidorus similiter, loc. cit. *Tellure deoperta intermicant.* Theophr. loc. cit. τότε γὰρ ἐμφανεῖς γίνονται.

6. *Tertium locum.*] Isidorus, loc. cit.

7. *Reliqua genera.*] Solinus & Isidorus, locis cit.

inveniuntur. Quapropter principatum ex iis Cyprii obtinent: dosque eorum est nec in colore liquido, nec diluto, verum ex humido pingui, quaque perspiciatur, imitante translucidum mare: [8] pariterque translucentem colorem expellit, & aciem reficit. Ferunt in ea insula tumulo reguli [9] Hermiæ, juxta cetarias, marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi refugerent thynni: diu mirantibus novitatem piscatoribus, donec mutavere oculis gemmas.

XVIII. Sed & vitia demonstrari oportet in tam proclivi erratu. Sunt quidem omnium eadem. Quædam tamen nationum peculiaria, sicut in homine. Ergo Cyprii varie glauci, magisque ac minus in eodem smaragdo aliis partibus tenorem illum [1] Scythicæ austeritatis non semper custodiunt. Ad hoc quibusdam intercurrit umbra, [a] surdusque fit colos, qui improbatur, etiam dilutior. Hinc genera distinguuntur. Sunt aliqui obscuri, [2] quos vocant cæcos: alii densi, nec e liquido translucidi: quidam varia nubecula improbati. Aliud est hoc, quam umbra, [3] de qua diximus. Nubecula enim [b] albicantis est vitium, cum viridis non pertransit aspectus, sed aut intus occurrit, aut excipit in fine visum candor. Hæc coloris vitia: [4] illa corporis, capillamentum, sal, plumbago. Ab iis Æthiopici laudantur a Copto dierum trium itinere, ut auctor est Juba, [5] acriter virides, sed non facile puri aut concolores. Democritus in hoc genere ponit [6] Hermeos, & Persicos: illos extumescentes: Persicos vero non translucidos, sed jucundi tenoris, visum implere, quem non admittant, felium pantherarumque oculis similes: Namque & illos radiare, nec perspici: eosdem in Sole hebetari: in umbra refulgere, & longius, quam ceteros, nitere. Omnium horum etiamnum vitium, [7] quod fellis colorem, aut æris habet. In Sole dilucidi quidem ac liquidi, sed non virides. Hæc vitia & Atticis maxime sentiuntur, in argentariis metallis repertis, in loco qui [8] Thoricos vocatur, semper minus pingues, & e longinquo speciosiores. Frequens & iis plumbago, [9] hoc est, ut in Sole plumbei videantur. Illud peculiare, quod quidam ex his senescunt, paulatim viriditate evanida, & Sole læduntur. [10] Post hos Medici [11] plurimum viriditatis habent, [c] interdum & e sapphiro. Ii sunt fluctuosi, ac rerum imagines complexi, ut verbi gratia papaverum, aut avium, pinnarumque [12] vel capillorum, aut similium. [13] Qui non omnino virides nascuntur, vino & oleo meliores fiunt: neque est aliorum magnitudo amplior.

[14] Calchedonii nescio an in totum exoleverint, postquam metalla æris ibi defecerunt: & semper tamen viles fuere, minimique. Iidem fragiles, sed colore incerti, & virentium in caudis pavonum columbarumque collo plumis similes, [d] ad inclinationem magis aut minus lucidi, venosi quidem squamosique. Peculiare erat in his vitium [15] sarcion appellatum: hoc est, quædam gemmæ caro. [16] Mons juxta Calchedonem, in quo legebantur, Smaragdites vocatus est. Juba est auctor, smaragdum, quem [17] cholan vocant, in Arabia ædificiorum ornamentis includi, & lapidem quem alabastriten Ægyptii vocant. Complures vero [e] e proximo, Laconicos in Taygeto monte erui, Medicis similes, & alios in Sicilia.

XIX. Inseritur smaragdis & quæ vocatur tanos, e Persis veniens gemma, ingrate vi-

INTERPRETATIO.

a *Surdusque.*] Hebesque.
b *Albicantis.*] Smaragdi.
c *Interdum.*] Interdum & sapphirum imitatur.
d *Ad inclinationem.*] Ut supini vel proni inclinantur.
e *E proximo.*] E locis Italiæ proximis, non alios propiores esse quam Laconicos & Siculos.

NOTÆ.

8. *Pariterque.*] Æque atque mare, colorem emittit translucentem, aciemque reficit. Sic MSS. omnes: Typi interpolati: *pariterque transfluces & nitet, hoc est, colorem expellit, & aciem recipit.*

9. *Hermiæ.*] De illo Suidas: Ἑρμίας ὁ εὐνοῦχος, &c.

Sect. XVIII. 1. *Scythicæ austeritatis.*] De qua dictum est sup sect. Sic MSS Reg. 2. Colb. 3. Fux. & alii omnes. Editi male, *auctoritatis.*

2. *Quos vocant cæcos.*] Marbodeus, lib. de lapid. pret. in præf. de gemmis:

Quæ non transflucent, cæcas voluere vocari.

3. *De qua diximus.*] Paulo ante, ac plane modo.

4. *Illa corporis.*] Solinus, cap. 15. pag 36. de smaragdis: *Vitiosi eorum intrinsecus quasdam sordes habent, vel plumbo, vel capillamentis, vel etiam salis similis*, hoc est, grano salis, sive verrucæ, ut dictum antea. De plumbo, sive plumbagine, ipse mox. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. hunc locum exscribens, *lapillamentis* mendose, pro capillamentis posuit.

5. *Acriter virides.*] MSS. omnes, *alacriter virides.* Reg. 2. Colb 3. Fux. alii

6. *Hermeos.*] Sic iidem MSS. non *Hermineos.* Ab Hermia supra dicto hi nomen habent.

7. *Quod fellis.*] Vide Notas & Emend. num. XI. Albertus M. lib. 2. de mineral. pag. 236. *Aliquando quoddam fel nigrum per modum virgularum permixtum habet.*

8. *Thoricos*] Libro 4. sect. xi. *Thoricos promontorium.*

9. *Hoc est, ut in Sole.*] Ita melius Romana & Parmensis editio, quam MSS. quidam, *in solo.*

10. *Post hos Medici.*] Horum meminit etiam Solinus, cap. 15. pag 35. E Media, quæ Persidis regio est, advehuntur.

11. *Plurimum viriditatis.*] MSS. omnes, *varietatis*, minus recte

12. *Vel capillorum.*] Sic MSS. omnes. Editi, *catulorum.*

13. *Qui non omnino.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. Solinus, cap. 15. pag. 36. *Mero & viridi proficiunt oleo, quamvis natura imbuuntur.*

14 *Calchedonii.*] A Calchedone smaragdi ii nomen habent Sic MSS omnes, Reg 2. Colb. 3. & aliis; non, ut editi libri, *Carchedonii*, a Carchedone, hoc est, a Carthagine: etsi Carchedonios Marbodeus vocat, lib. de lapid. pret. cap 54. de smaragdis: sed mendose.

15. *Sarcion.*] Σαρκίον, *caruncula.*

16. *Mons juxta Calchedonem.*] Theophrasto, lib. περὶ λίθων, insula est, ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι, lege Καλχηδόνι.

17. *Cholan vocant.*] Ita MSS. omnes: nec tamen Arabica vox ea est, neque Græca.

ridis, atque intus fordida. [1] Item chalcofmaragdos e Cypro, turbida æreis venis. [2] Theophraftus tradit in Ægyptiorum commentariis reperiri, regi eorum a rege Babylonio miffum fmaragdum munere IV. cubitorum longitudine, & trium latitudine. Et fuiffe apud eos in Jovis delubro obelifcum e IV. fmaragdis, XL. cubitorum longitudine, latitudine vero in parte quatuor, in parte duorum. Se autem fcribente, [3] effe in Tyro Herculis templo ftantem pilam e fmaragdo, [4] nifi potius pfeudofmaragdus fit. Nam & hoc genus reperiri, & in Cypro inventum ex dimidia parte fmaragdum, ex dimidia iafpidem, [5] nondum humore in totum transfigurato. Apion cognominatus Pliftonices, paulo ante fcriptum reliquit, effe etiam nunc in labyrintho Ægypti coloffeum [6] Serapin e fmaragdo novem cubitorum.

XX. [1] Eamdem multis naturam aut certe fimilem habere [2] beryIli videntur. India eos gignit, [3] raro alibi repertos. [4] Poliuntur omnes fexangula figura artificum ingeniis, quoniam hebefcunt, [5] ni color furdus repercuffu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eumdem. [6] Probatiffimi funt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi, qui vocantur chryfoberylli, & funt paulo pallidiores, fed in aureum colorem [7] exeunte fulgore. Vicinum genus huic eft pallidius, & a quibufdam [8] proprii generis exiftimatur, vocaturque chryfoprafus. Quarto loco numerantur [9] hyacinthizontes. Quinto, quos [10] aëroïdes vocant. [11] Poft eos autem cerini: ac deinde oleagini, hoc eft, colore olei. [12] Poftremi cryftallis fere fimiles. Hi capillamenta habent, fordefque: alioqui [a] evanidi: quæ funt omnium vitia. [13] Indi mire gaudent longitudine eorum, folofque gemmarum effe prædicant, qui [14] carere auro malint: ob id perforatos elephantorum fetis religant. [b] Aliis convenit non oportere perforari, quorum fit abfoluta bonitas, [15] umbilicis tantum ex auro capita comprehendentibus. Ideo cylindros ex iis facere malunt, [16] quam gemmas, quoniam eft fumma commendatio in longitudine. Quidam & angulofos putant ftatim nafci, & perforatos gratiores fieri [c] medulla candoris exempta, additoque auro repercuffu, aut omnino caftigata, caufa perfpicuitatis, [17] craffitudine. Vitia, [18] præter jam dicta, eadem fere, quæ in fmaragdis, [19] & pterygia. In noftro orbe aliquando circa Pontum inveniri putantur. Indi & alias quidem gemmas cryftal-

INTERPRETATIO.

a *Evanidi.*] Senefcentes, paulatim fplendore evanefcente: quæ funt omnium gemmarum vitia.

b *Aliis.*] Inter alias gentes convenit.

c *Medulla.*] Medulla candidiore fic exempta.

NOTÆ.

Sect. XIX. 1. *Item Chalcofmaragdos, &c.*] Iifdem verbis Ifidorus, lib. 16. Orig. cap 7.

2. *Theophraftus.*] Libro περὶ λίθων, pag. 5 & 6. quibus fimillima funt Pliniana, ufque ad eum locum, *Apion cognominatus, &c.*

3. *Effe in Tyro.*] Et hunc Tyrium fmaragdum, templumque, vifum a fe pariter Herodotus conteftatur, lib. 2. Euterpe, num. 44. pag. 107.

4. *Nifi potius.*] Theophr. εἰ μὴ ἄρα ψευδὴς σμάραγδος.

5. *Nondum humore.*] Humore eo fcilicet, qui e cautibus defluens in fmaragdum indurefcit.

6. *Serapin.*] Sic Jovem vel Solem, Naturamve per fidus Solis largitricem frumenti Ægyptus appellavit: & Græcia, in nummo Odeffitarum Thraciæ, a nobis olim explicato: ΘΕΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΚΥΡΣΑ. Κυρίου Σαράπιδος. Item e Gallia Lugdunenfi & Narbonenfi fub Juliano ethnici qui gratulantes fibi, quod poftquam Religio Chriftiana, quam oderant, fub Conftantino & fucceffonbus diu floruiffet, demum haberent Imperatorem fuperftitioni fuæ addictum, nummum infcripferunt, DEO SERAPIDI: hoc eft, *Dudum Expetitum Orbi* SERAPIS *Iulianum Dedit Imperatorem*: ut jam in fimili fere alio diximus, ad librum XVIII. fect. XLVII.

Sect. XX. 1. *Eamdem multis naturam.*] Hæc totidem fere verbis Solinus, cap. 52. pag. 82. Ifidorus, lib. 16. Orig. cap 7. Marbod. lib. de lapid. pret. cap. 9.

2. *Berylli.*] Græcis βήρυλλοι. Cryftalli fpecies videtur.

3. *Raro alibi.*] Juxta Babylonem etiam reperiri fcribit Dionyf. Perieg. verf. 1012.

4. *Poliuntur.*] Ifidorus & Solinus, locis cit.

5. *Ni color furdus.*] Solini paraphrafis, loco cit. *Beryllos in fexangulas formas Indi atterunt: ut hebetem coloris lenitatem angulorum repercuffu excitent ad vigorem.*

6. *Probatiffimi.*] Solinus & Ifidorus, locis cit.

7. *Exeunte fulgore.*] Hoc eft, ad aureum nitorem inclinante fulgore. Solinus, cap 52. pag 82. abfone vocem eam interpretatur: *Chryfoberylli, inquit, languidius micantes nube aurea circumfunduntur.* Exiftimat chryfoberyllos in exitu, hoc eft, in ora extima nube aurea circumcingi: quod ineptum, ac falfum. Rectius Ifidorus, loc. cit. *Chryfoberyllus dictus, quod pallida ejus viriditas in aureum colorem refplendeat.*

8. *Proprii generis.*] Peculiaris, & a beryllis diverfi. Χρυσόπρασον vocari ait Ifidorus, locis cit. *quod colore porri fuccum referat, aureis intervenientibus guttis.* Solinus, *quod ex auro & porraceo mixtam lucem trahat.*

9. *Hyacinthizontes.*] Qui hyacinthos prope referant, inquit Solinus, loc. cit. Epiphanius, de 12. gemmis, pag. 230. Λίθος βηρύλλιος γλαυκίζων μέν ἐστι, θαλασσίζων, ἤγουν ἰσῶδες ἔχων τὸ ὑδροειδὲς ὑακινθου. Beryllus gemma glauca eft, colore maris, aut hyacinthi dilutioris.

10. *Aeroides.*] Ἀεροειδεῖς, colore aeri affines.

11. *Poft eos autem cerini.*] Ceret coloris Epiphanius, loc. cit. de beryllorum generibus: ἔστι δὲ καὶ ἄλλη πάλιν ὁμοία κηρῷ.

12. *Poftremi cryftallis, &c.*] Solinus, cap. 52. pag. 82. *Eos vero beryllos, qui cryftallo fimiles, capillamentis intercurrentibus obfcurantur: hoc enim vitio illorum nomen eft. fcientiffimi lapidum plebi dederunt.* Ifidorus item, lib 16. Orig. cap. 9.

13. *Indi mire.*] Solini paraphrafis, loc. cit. *Indici reges hoc genus gemmas in longiffimos cylindros amant fingere, eofque perforatos elephantorum fetis fufpendunt, ac monilia habent: aut ex utroque capite inferunt aureos umbilicos, ut marcentem faciem ad nitelam incendant pinguiorem: quo per induftriam metallo hinc inde addito, fulgentiorem trahant lucem.*

14. *Carere auro.*] Sine auro geftari, quoniam vel fic melius niteant.

15. *Umbilicis tantum.*] Sic MSS. omnes, non *flammi*, ut editi: ita ipfa quoque poftulante loci fententia. Sunt autem umbilici, ornamenta quævis, five lignea, five eborea, five aurea demum, quæ abfolutis olim voluminibus addebantur, quæ capita elenchorum, feu cylindrorum ornabant. Unde ducta parœmia, *Ad umbilicum ducere*, hoc eft, abfolvere ac finire.

16. *Quam gemmas.*] Anulis fcilicet inclufos lapides, σφραγῖδας. Nam, uti dictum eft fect 12. *gemmæ digitis circumferuntur.* Cylindri aptantur enfibus. Tertul. lib. 1. de cultu femin. cap. 6. *Latent in circulis fmaragdi, & cylindros vaginæ fuæ folus gladius fub finu novit.*

17. *Craffitudine.*] Quoniam aliquid de craffitudine demitur, fieri ait idcirco magis perfpicuos Ita Reg. 2. Colb. 3. & alii. Prius, *ad craffitudinem*, legebatur.

18. *Præter jam dicta.*] Sect. 18.

19. *Et pterygia.*] Πτερύγια, nubeculæ inftar unguium.

lum

lum tinguendo adulterare repererunt, sed præcipue beryllos.

XXI. [1] Plurimum ab iis differunt [2] opali, smaragdis tamen cedentes. [3] India sola & horum est mater. [4] Atque in pretiosissimarum gemmarum gloria compositi, maxime inenarrabilem difficultatem dederunt. [5] Est enim in iis carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est smaragdi [6] virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. Alii summo fulgoris augmento, colores pigmentorum æquavere: alii sulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accensi. Magnitudo nucem avellanam æquat, insigni apud nos historia. Siquidem exstat hodieque hujus generis gemma, propter quam [7] ab Antonio proscriptus Nonius Senator est, filius Strumæ Nonii ejus, [8] quem Q. Catullus poëta in sella curuli visum indigne tulit: avusque Servilii Noniani, [9] quem Consulem vidimus: ille proscriptus fugiens, hunc e fortunis suis omnibus anulum abstulit secum, quem certum est [10] sestertiûm viginti millibus æstimatum. Sed mira Antonii feritas atque luxuria, propter gemmam proscribentis: nec minor Nonii contumacia, proscriptionem suam amantis, [11] cum etiam feræ abrosas partes corporis relinquant, propter quas se periclitari sciant.

XXII. Vitia opali, si color in florem herbæ, quæ vocatur heliotropium, exeat, aut crystallum, aut grandinem: [1] si sal interveniat, aut scabritia, aut puncta oculis occursantia: nullosque magis India [a] similitudine indiscreta vitro adulterat. Experimentum in Sole tantum. Falsis enim contra radios [b] libratis, digito ac pollice unus atque idem translucet colos [c] in se consumptus. [d] Veri fulgor subinde variat, & plus huc illucque spargit, & fulgor lucis in digitos funditur. Hanc gemmam propter eximiam gratiam plerique appellavere [2] pæderota. [3] Sunt & qui privatum genus ejus faciunt, sangenonque ab Indis vocari dicunt. Traduntur nasci & in Ægypto, & in Arabia, & vilissimi in Ponto. Item in Galatia, ac Thaso, & Cypro. Quippe opali gratiam habet: sed mollius niter, raro non scaber. Summa coloris [4] ex aëre & purpura constat: viriditas smaragdi deest. Constatque melior ille, cujus fulgor vini colore fuscatur, quam qui diluitur aqua.

XXIII. Hactenus de principatu convenit, mulierum maxime Senatusconsulto. Minus certa sunt, de quibus & viri judicant. Singulorum enim libido singulis pretia facit, & præcipue regum. Claudius Cæsar smaragdos induebat, & sardonychas. Primus autem Ro-

CAP. VI. 5 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Similitudine.*] Tanta similitudine ut vix falsos discernere liceat a veris.
b *Libratis.*] Versatis.
c *In se.*] Nihil extra se lucis ejiciens, aut spargens.
d *Veri.*] Veri autem opali.

NOTÆ.

Sect. XXI. 1. *Plurimum ab iis.*] Libri hactenus editi, *Minimum, iidemque plurimum ab iis.* At voces duas priores, quæ certe sunt spuriæ, nullus codex MS. ex iis quos terimus, repræsentat. Nec Fuxensis item.

2. *Opali, smaragdi.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 12.

3. *India sola.*] Isidorus, loc. cit.

4. *Atque in.*] Et cum pretiosissimis gemmis comparati, maxime inenarrabilem dedere difficultatem, num gemmis aliis, quarum similitudinem referunt, potiores eos haberi oporteret. Vide Notas & Emend. num. XII.

5. *Est enim in iis.*] Hæc totidem verbis Isidorus, loc. cit.

6. *Virens mare.*] Isidorus, *virens viriditas.*

7. *Ab Antonio.*] Triumviro, a quo & proscriptus Cicero.

8. *Quem Q. Catullus.*] Hoc ei prænomen MSS. asserunt: typi sustulerunt. Catulli versus sunt isti, Carm. 53.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet.

9. *Quem Consulem vidimus.*] Supremis fere Tiberii temporibus, cum C. Cestio Gallo, M. Servilius M. F. Rufus Nonianus gessit Consulatum, anno Urbis DCCLXXXVII. ex Fastis. Hic animadverte ex descriptione generis Servilii Noniani, hanc fuisse rationem cognominum apud Romanos, ut desinentia in *anus* conjugem vel matrem significarent. Sic enim Nonius Senator, avus Servilii Noniani fuit: En schema generis:

Nonius Struma,
|
Nonius Senator,
|
Nonia, conjux Servilii, qui Nonianus ex eo conjugio nominatus est.
|
Servilius Nonianus, Nonii Senatoris nepos.

Fuit ex hac gente Nonia Sex. Nonius, cujus est in Thesauro Regio, & apud Patin. in Famil. pag. 88. num. 1 nummus argenteus. In eo Antoninus Imp clypeo insidet, dextra tenens bacillum Imperatorium · a tergo Victoria palmam sinistra tenet; dextra coronam Antonino imponit. Infra, SEX. NONI. In ambitu, PR. L. V. P. F.)(. Caput Senatus laureatum, vultu senili, cum litteris S. C. retro adscriptus, & sceptro, insigni potestatis. Deinde sinistro latere, SVFENAS. Integra hæc sententia est: SEXtus NONIus PRætor *Ludos Votivos Publicos Fecit: Sacra Victoriæ Fieri Edixit Narbone, Antonino Sospite. Senatus Consulto* Ita congruit egregie titulus cum pictura. At cave Nonianum aliquem in altero isto numismate designari, quod ex auro est apud Gorlæum: in gente Considia: ex argento apud Patinum, pag. 80. num. 5. Hinc habet Deæ Veneris myrto cinctum caput; latere dextro, C. CONSIDI NONIANI: sinistro, ad imum, SC. In altera parte, claustra sunt affabre facta, cum Porta, qua patet iter ad Templum in colle positum. In ipso colle scriptum est ERVC. quod cave similiter referas ad Venerem Erycinam. Vox NONIANI admonet, neque ipsam, neque priorem proinde, C. CONSIDI nomen hic esse Neque enim in genitivo casu nomina virorum leguntur in nummis Latinis. Et quæ in I ibi desinunt, legenda sunt, ut exeuntia in *ius*. Sic AVRELI *Aurelius* est · CASSI *Cassius*, & sic cetera omnia. Sententia igitur integra est, *Capitolium Condidere Narbone Senatores, Inclitis Decurionum Impensis: Narbonenses Optavere Nomen Impons ANtonini Imperatoris.* Deinde ERVC interpretare, *Exorabilis Romanis Venus Capitolina.* Capitolium Narbonæ exstitisse, ex nummis & ex historicis ostendimus in Nummis Populorum & Urbium.

10. *Sestertiûm viginti millibus.*] In MSS. Reg. 2. Colb. 3. ceterisque, *viginti mille nummûm*, quod idem est. Monetæ nostratis libræ sunt omnino bis mille.

11. *Cum etiam feræ.*] Castores significat, de quibus lib. 8. sect. 47.

Sect. XXII. 1. *Si sal.*] Verrucæ genus, instar grani salis.

2. *Pæderota.*] Παιδέρωτα, venustum æque ac puerum: vel lævore puerili corpori similem. Orpheus, περὶ λίθων, tit. Ὀπάλλιος.

Φασὶ δέ τοι τέρψιν καὶ ὁμιλίῃσιν ἱμερόεσσαν,
Ἀγλαΐην, ἱμερτοῦ τέρενα χρόα παιδὸς ἔχοντα.

3. *Sunt & qui.*] Sunt qui pæderota velint esse gemmam propria generis, & ab opalo diversi.

4. *Ex aere & purpura.*] Sic Reg. 2. & Colb. 3. aliique. Editi hactenus libri, mendose, *ex ære.* Plinius inferius, sect. 46. *Coeunt in translucidam crystallum viridis suo modo aer, simulque purpura,* &c.

manorum sardonyche usus est [1] prior Africanus, ut in historia tradit Demostratus, [2] & inde Romanis hanc gemmam fuisse celeberrimam. Quamobrem proximum ei dabimus locum. [3] Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore [4] in sarda, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito, & utroque translucido. Tales esse Indicas tradunt, Ismenias, Demostratus, Zenothemis, Sotacus: hi quidem duo reliquas omnes, quæ non transluceant, cœcas appellantes, quæ nunc nomen abstulere. [a] Nullo sardarum vestigio Arabicæ sunt: cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigra, aut cæruleum imitante, [b] & ungue [5] minium, incretum candido pingui, nec sine quadam spe purpuræ candore in minium transeunte. Has Indis non habitas in honore Zenothemis scribit: tantæ alias magnitudinis, ut inde [c] capulos factitarent. [6] Etenim constat ibi torrentibus detegi. Et placuisse in nostro orbe initio, quoniam solæ prope gemmarum scalptæ [d] [7] ceram non auferrent. Persuasimus deinde & Indis, ut ipsi quoque iis gauderent. Utiturque perforatis utique vulgus, tantum in collo. Et hoc est nunc Indicarum argumentum. Arabicæ excellunt candore circuli prælucido atque non gracili, [e] neque in recessu gemmæ, aut in dejectu [8] ridente, [9] sed in ipsis umbonibus nitente, præterea substrato nigerrimo colore. Et hoc in Indicis cereum aut corneum invenitur, etiam circuli albi: quædam in iis [10] cælestis arcus anhelatio est. Superficies vero [11] locustarum maris crustis rubentior. Jam melleæ, aut fæculentæ, (hoc enim nomen est vitio) improbantur: [12] [f] & si zona alba fundat se, non colligat. Simili modo, si ex alio colore in se admittat aliquid enormiter. Nihil enim in sua sede alieno interpellari placet. Sunt & Armeniacæ, cetero probandæ, sed pallida zona.

XXIV. [1] Exponenda est & onychis ipsius natura, propter nominis societatem: hoc in gemmam transilit ex lapide Carmaniæ. [2] Sudines dicit in gemma esse candorem unguis humani similitudine: item chrysolithi colorem, sardæ, & iaspidis. Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, intervenientibus [3] quarumdam oculis obliquis venis. [4] Sotacus & Arabicam onychem tradit: sed eam a ceteris distare, quod Indica igniculos habeat, albis cingentibus zonis singulis, pluribusve, aliter quam in sardonyche Indica. [g] Illic enim momentum esse, hic circulum. Arabicas onychas nigras inveniri candidis zonis. Satyrus carnosas esse Indicas, parte carbunculi, parte chrysolithi, & amethysti, totum-

Interpretatio.

a *Nullo.*] Nullum vestigium bonitatis sardarum gemmarum referunt Arabicæ sardonyches: sed aliis cognoscuntur coloribus, & quidem in una eademque gemma pluribus. Nam radix &c.

b *Et ungue.*] Et id quod ungui humano simile est, minium imitatur, velut innatum candori pingui, qui subesse intelligitur, idemque in purpuram inclinat & minium.

c *Capulos.*] Gladiorum manubria.

d *Ceram.*] In signando partem ceræ non teneat.

e *Neque.*] Neque cum longius gemma summovetur, aut cum dejicitur, arridet: sed in ipso umbilico, cui substernitur niger color: in Indicis sardonychibus, cereus etiam, corneusve: qui color & albi quoque circuli aliquando est: quædam & in ipsis arcus cælestis expressio est.

f *Et si zona.*] Et si circulus candidus in vicinos colores effundat se, non in se sistat.

g *Illic enim.*] In sardonyche Indica punctis constat is circulus: in onyche, linea perpetua & crassiore.

Notæ.

Sect. XXIII. 1. *Prior Africanus*] Scipio Africanus prior, qui bello Punico secundo, ut ab Italia revocaret Hannibalem, transportavit bellum in Africam, Pœnosque debellavit.

2. *Et inde Romanis.*] Huc pertinet illud Martialis, lib. 2. Epigr. 28.

Rufe, vides illum subsellia prima tenentem,
Cujus & hinc lucet sardonychata manus.

Anulum enim gerebant Equites Romani, ac Senatores, cum gemma sardonyche, eo inclusa.

3. *Sardonyches.*] Hæc totidem fere verbis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 8. Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 56.

Sardonychem faciunt duo nomina, sardus, onyxque.

Græcis *σαρδόνυξ*, nostris *Sardoine*.

4. *In sarda.*] Hoc est, candore addito colori sardæ gemmæ, de qua inferius, sect. 31. Sardius autem lapis piscem cognominem colore æmulatur. Epiphanius, de 12. gemmis, pag. 22. *Λίθος σάρδιος ὁ Βαβυλώνιος, ὄψει πυρώδης, ἐστὶ δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματώδης, σαρδίῳ τῷ ἰχθύϊ τεταριχευμένῳ ὅμοιος. διὸ καὶ σάρδιος λέγεται, ἀπὸ τοῦ εἴδους λαβὼν τὸ ἐπώνυμον.* Hoc est, Petavio nostro interprete: *Sardius Babylonius, forma est ignea, & quæ sanguinis colorem referat, sardio pisci sale condito & inveterato similis: qua de causa etiam Sardius dicitur, a forma* seu colore *nomine desumpto.* De sarda pisce, lib. 32. sect. 53.

5. *Minium incretum, &c.*] Vide Notas & Emendationes, num. XIII.

6. *Etenim constat.*] Isidorus, loc. cit. de sardonyche: *Reperitur autem apud Indos & Arabes detecta torrentibus.*

7. *Ceram non auferrent.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 8. de sardonyche: *Hæc sola*, inquit, *in signando nihil ceræ evellit.* Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 56.

Hic solus lapidum ceram convellere nescit.

8. *Ridente.*] In MSS. *rimæ ridente.* Libri vulgati, *renidente.*

9. *Sed in ipsis umbonibus.*] Paraphrasis Solini, cap. 33. pag. 63. de Sardonyche: *Medietas circuitur limite candicante .... reliqua nigra finiuntur.*

10. *Cælestis arcus anhelatio.*] Adumbratio, inchoatio: atque illa coloris unius in alterum inclinatio: & in transitu quidam labor & anhelatio. Sic MSS. omnes, & typi.

11. *Locustarum maris.*] De his lib. 32. sect. 53. Hoc multo brevius Solinus, cap. 33. pag. 63. prætermissa locustarum commemoratione: *Superficies ejus probatur, si meracius rubeat: arguitur, si fuerit fæculentior.*

12. *Et si zona alba.*] Hoc est, circulus ille prælucidus supra dictus, atque non gracilis. Solini paraphrasis, loc. cit. *Optima est, si nec colorem suum spargat in proximum, nec ipsa ex altero mutuetur.*

Sect. XXIV. 1. *Exponenda est & onychis.*] Differt onyx gemma ab onyche marmore, & vase, de quo diximus libro superiore sect. 12. Nunc *Cameo* vocatur, teste Kirchero, lib. 8. mundi subterr. pag. 81.

2. *Sudines dicit.*] Et Isidorus lib. 16. Oryg. cap. 8. *Onyx appellata, quia habet in se permixtum candorem in similitudinem unguis humani. Græci enim unguem ὄνυχα dicunt.*

3. *Quarumdam.*] Gemmarum onychum.

4. *Sotacus.*] Isidorus quoque, loc. cit. de onyche: *Hanc India & Arabia gignit: distant autem invicem. Nam Indica igniculos habet albos cingentibus zonis: Arabica autem nigra est cum candidis zonis.*

que id genus [a] abdicat. Veram autem onychem plurimas variasque cum lacteis zonis habere venas, [b] omnium in transitu colore inenarrabili, & in unum redeunte concentum, suavitate grata. [5] Nec sardæ natura differenda est, [6] dividuæ ex eodem nomine: obiterque ardentium gemmarum indicanda.

CAP. VII.

XXV. Principatum habent [1] carbunculi, a similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id a quibusdam [2] acausti vocati. Horum genera, Indici, & Garamantici, quos & [3] Carchedonios vocant, propter opulentiam Carthaginis magnæ. Adjiciunt Æthiopicos & Alabandicos, [4] in Orthosia caute nascentes, sed qui perficiantur Alabandis. Præterea in omni genere masculi appellati acrius, at feminæ languidius refulgentes. In masculis quoque observant [5] liquidioris alios flammæ, nigrioris alios, & quosdam [c] ex alio lucidos, ac magis ceteris in Sole flagrantes. Optimos vero [6] amethystizontas, hoc est, quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat: proximos illis, quos vocant [7] sititas, innato fulgore radiantes. Inveniri autem ubicumque, maxime Solis repercussu. Satyrus Indicos non esse claros dicit, ac plerumque sordidos ac semper [8] fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes, aut fundentes, [d] sed convoluto igne flagrare. Callistratus fulgorem carbunculi debere candidum esse [e] positi, extremo visu nubilantem: si attollatur, exardescentem: ob id a plerisque hunc carbunculum candidum vocari. Qui languidius ac lividius ex Indicis lucent, [9] lithizontas appellari. Carchedonios multo minores esse: Indicos etiam [10] in sextarii unius mensuram cavari. Archelaus, Carchedonios nigrioris aspectus esse, sed igne, vel Sole, [f] inclinatione acrius, quam ceteros, excitari. Eosdem [g] umbrante tecto purpureos videri, sub cælo flammeos, contra radios Solis & scintillare: ceras signantibus his liquescere, quamvis in opaco. Multi Indicos Carchedoniis candidiores esse, & e diverso inclinatione hebetari scripsere: etiamnum in Carchedoniis maribus [11] stellas intus ardere, feminas fulgorem universum fundere extra se. Alabandicos ceteris nigriores esse scabrosque. Nascuntur & in Thracia coloris ejusdem, ignem minime sentientes. [12] Theophrastus auctor est, & in Orchomeno Arcadiæ inveniri, & in Chio. [13] Illos nigriores, e quibus & specula fieri. [14] Esse & Trœzenios varios intervenientibus maculis albis: [15] item Corinthios, & pallidiores, & candidos. [16] Bocchus & in Olisiponensi erui scripsit, magno labore, [17] ob argillam [18] Sole adustis saltibus.

XXVI. Nec est aliud difficilius, quam discernere hæc genera: tanta est in eis occasio artis, [h] subditis per quæ translucere cogantur. Aïunt ab Æthiopibus hebetiores in aceto maceratos quatuordecim diebus nitescere, totidem mensibus durante fulgore. Adulterantur vitro simillime: [1] sed cote deprehenduntur, sicut aliæ gemmæ factitiæ: mollior enim

INTERPRETATIO.

a *Abdicat.*] Improbat.
b *Omnium.*] In transitu a quovis colore ad alterum fit color inexplicabilis, ex utriusque confinio conflatus.
c *Ex alio.*] Aliena Solis luce.
d *Sed convoluto.*] Collecto in se igne, nec sparso.
e *Positi.*] Humi dejecti ac residentis, extremo ambitu nubium quamdam speciem referat.
f *Et inclinatione.*] Cum leviter inclinantur.
g *Umbrante.*] Sub tecto, & in umbra.
h *Subditis.*] Subditis bracteis coloratis.

NOTÆ.

5. *Nec sardæ natura differenda.*] Prius tamen ardentes gemmæ indicabuntur: post de sarda dicetur sect. 31.

6. *Dividuæ ex eodem nomine.*] Quæ cum sardonyche dividuum sive dimidium nomen communicat: nam sarda ea appellatur.

Sect. XXV. 1. *Carbunculi.*] Hodie rubinos vocamus, *des Rubis.* Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 10.

> *Ardentes gemmas superat carbunculus omnes:*
> *Nam velut ignitus radios jacit undique carbo,*
> *Nominis unde sui causam traxisse videtur.*

Epiphan. de 12. gemmis, pag. 227. Λίθος ἄνθραξ, &c.

2. *Acausti vocati.*] Ἄκαυστοι, inusti, ustionem non experti. Vide Notas & Emend. num. XIV.

3. *Carchedonios.*] A Carthagine, quæ Græcis Καρχηδὼν, unde advehitur, teste Theophrasto, lib. περὶ λίθων, pag. 4. ἄγεται ἐκ Καρχηδόνος. Vide inferius sect. 30. Epiphanius, loc. cit. Γίνεται δὲ ἐν Καρχηδόνι τῇ Λιβύης, ἥ τις Ἀφρικὴ καλεῖται. Petronius, in Satyr. pag. 207. *Quo Carchedonios optas ignes lapideos?*

4. *In Orthosia caute.*] Juxta urbem cognominem, de qua lib. 5. sect. 29.

5. *Liquidioris.*] Dilutioris. Sic lib. 3. sect. 14. pag. 349. *Strongyle a Lipara liquidiore flamma tantum differt.*

6. *Amethystizontas.*] Ἀμεθυστίζοντας. Hæc totidem syllabis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 9. At MSS. non *in amethysti violam*, sed *in amethystum* dumtaxat legunt.

7. *Sititas, innato fulgore.*] Σιτίτας, quasi saginatos, ob colorem saturum, eumdemque innatum: qua dote ab superioribus discrepant, qui dicuntur ex alio lucidi. MSS. omnes, *sititas pinnato*: editi, *syrtitas*, exhibent: sed mendose, ut arbitramur. Nam quid est tandem pinnatus fulgor? Et vox *Syrtitas* habere hic locum nequit. Salmasius, aliquanto, ut quidem videtur, confidentius, in Solin. pag. 380. *Autitas, innato fulgore*: perinde quasi αὐτίτας ἄνθρακας usurpaverit Græcia aliquando, ut innato fulgore, non accersito radiantem carbunculum significaret.

8. *Fulgoris horridi.*] Sic MSS. omnes: non *retorridi*.

9. *Lithizontas.*] Λιθίζοντας, lapidis qualitatem potius quam gemmæ referentes.

10. *In sextarii unius.*] Parisini dicunt, *trois demi-septiers.* Vide quæ diximus lib. 14. sect. 6.

11. *Stellas intus ardere.*] Veluti scintillantes intus stellas apparere.

12. *Theophrastus.*] Libro περὶ λίθων, pag. 7. ubi hæc totidem verbis exstant.

13. *Illos nigriores.*] Orchomenios. Theophr. loc. cit. Ἔστι δ' οὗτος μελάντερος τοῦ Χίου, κάτοπτρα δὲ ἐξ αὐτοῦ ποιοῦσι.

14. *Esse & Trœzenios.*] Theophr. loc. cit.

15. *Item Corinthios.*] Theophr. Ποικίλος δὲ καὶ ὁ Κορίνθιος, &c.

16. *Bocchus & in Olisiponensi erui.*] Sic MSS. omnes. Editi hactenus libri, *Massilia quoque importari Bocchus, & Olisipone scripsit.* De Massilia Theophrastus quoque confitetur, lib. περὶ λίθων, pag. 4. sed Pliniani codices silent.

17. *Ob argillam.*] Qua obvolutæ hæ gemmæ vix deteguntur.

18. *Sole adustis saltibus.*] Lectio hæc librorum visa sincerior, quam manu scriptorum, *ob argillam solis adustis saltibus*, sic enim Reg. 2. Colb. 3. & alii: vel quod Salmasius suggerit in Solin. pag. 277. *ob argillam soli adustis solibus.*

Sect. XXVI. 1. *Sed cote deprehenduntur.*] Mola, ad quam gemmæ poliuntur, quæ e cote fit.

materia, & fragilis: [2] & centrosa scobe depreheuduntur, & pondere, quod minus est vitreis: aliquando & pustulis argenti modo relucentibus.

XXVII. [1] Est & anthracitis appellata in Thesprotia fossilis, carbonibus similis. Falsum arbitror, quod & in Liguria nasci tradiderunt, nisi forte tunc nascebantur. [2] Esse 5 in iis & præcinctæ candida vena traduntur: harum igneus color, ut superiorum, est: peculiare quidem, quod jactaæ in ignem velut intermortuæ extinguuntur, contra aquis perfusæ exardescunt.

XXVIII. Cognata est huic sandaresus, quam aliqui Garamantiten vocant: [1] nascitur in India, loco ejusdem nominis. Gignitur & in Arabia ad meridiem versa. Commenda- 10 tio summa, quod velut in translucido [2] [b] ignis obtentus, celantesque se transfulgent aureæ guttæ, semper in corpore, numquam in cute. Accedit religio narrata, a siderum cognatione, ab inspectoribus, quoniam fere stellarum Hyadum & numero & dispositione stellantur, ob id Chaldæis in cærimoniis habitæ. [3] Et hic mares austeritas distinguit, quodam vigore apposita tingens. Indicæ quidem etiam hebetare visus dicuntur. Blandior 15 feminis flamma: alliciens magis, quam accendens. Sunt qui præferant Arabicas Indicis, fumidoque chrysolitho illas similes dicant. Ismenias vero negat poliri sandareson, propter teneritatem: & ob id in magno errore sunt, qui sandaricas vocent. Inter omnes constat, quantum numero stellarum accedat, tantum & pretio accedere. Affert errorem aliquando similitudo nominis, sandasel, [4] quod Nicander sandareseon vocat, alii sandare- 20 son. Quidam vero hanc sandastron, [5] illam sandaresum, [6] in India nascentem illam quoque, & loci nomen custodientem: mali colore, aut olei viridis, omnibus improbatam.

XXIX. [1] Ex eodem genere ardentium, lychnis appellata a lucernarum accensu, [2] tamen præcipuæ gratiæ. Nascitur circa Orthosiam, totaque Caria, ac vicinis locis: sed 25 probatissima [3] in Indis, [4] quam quidam remissiorem carbunculum esse dixerunt. Secunda bonitate similis est, Ionia appellata [5] a prælatis floribus. [6] Et inter has invenio differentiam: unam quæ purpurâ radiat: alteram quæ cocco: a Sole excalfactas, aut digitorum atritu, paleas, [7] & chartarum folia ad se rapere.

XXX. [1] Hoc idem & Carchedonius facere dicitur, quanquam multo vilior prædictis. 30 Nascitur apud Nasamonas in montibus, ut incolæ putant, imbre divino. Invenitur ad repercussum Lunæ, maxime plenæ. Carthaginem quondam deportabatur. Archelaus & in Ægypto circa Thebas nasci tradit, fragiles, venosas, morientibus carbonibus similes. Potoria vasa & ex hoc lapide, & ex lychnite factitata invenio. [2] Omnia autem hæc genera scalpturæ contumaciter resistunt, partemque ceræ in signo tenent.

35 XXXI. [1] E diverso ad hoc sarda utilissima, quæ nomen cum sardonyche communicavit. Ipsa gemma vulgaris, & primum [2] Sardibus reperta, sed laudatissima circa Babylo-

INTERPRETATIO.

b *Ignis.*] Ignis intus conditus, ac veluti abscondentes sese aureæ guttæ.

NOTÆ.

2. *Et centrosa scobe.*] Scobe exsiliente, quoniam in gemmis illas adulterinas centrum intervenit, quod esse duritiem quamdam ac veluti callum nodumve, alibi diximus.

Sect. XXVII. 1. *Est & anthracitis.*] Ἀνθρακῖτις, quod carbonum ardentium speciem referat.

2. *Esse in iis, &c.*] Hæc deinceps totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 3.

Sect. XXVIII. 1. *Nascitur in India.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 13. *Sandaresus* (sic enim legi necesse est, tum ex hoc loco, tum ex indice: non *sandastros*.) *nascitur in India, loco ejusdem nominis.*

2. *Ignis obtentus.*] Sic MSS. omnes, quos inspeximus. Prius legebatur, *velut in translucido stellantes intus fulgent aureæ guttæ.* Isidorus, loc. cit. *Quod veluti intro lucido igne intus fulgent aureæ guttæ. Constat autem inter omnes, quantus numerus stellarum accedit, tanto & pretium accedere.*

3. *Et hic.*] Ut in carbunculis, sect. 25.

4. *Quod Nicander.*] Sic MSS. omnes, & hoc loco, & in indice. Typi omnes perperam, *Nicanor.*

5. *Illam sandaresum.*] De qua dictum est initio hujus sect.

6. *In India .... illam quoque.*] De qua plane modo Nicander.

Sect. XXIX. 1. *Ex eodem genere.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 13. *Lychnis ex eodem genere ardentium est appellata, a lucernarum flagrantia.*

2. *Tamen præcipua gratia.*] Sic Reg. 2. Sic paulo antea, sect. 21. *smaragdis tamen cedentes.* In Colb. 3. *tum præcipua gratia*. quasi cum lucernæ accenduntur, tum gemmæ illius vigorem excitari significet. Quæ mens Isidori certe non fuit, cujus verba proxime retulimus: at fuit Solini, cap. 52. pag. 82. *Lychniten perinde fert India, cujus lucis vigorem ardor excitat lucernarum, qua ex causa lychniten Græci vocaverunt.*

3. *In Indis.*] Isidorus, loc. cit. Plutarchus, lib. de fluviis, pag. 1149. juxta Hydaspen amnem reperiri asseverat: Γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ λίθος λυχνὶς καλουμένη· ἐλαιώδης δ' ἐστὶ τῇ χρόᾳ, καὶ θερμὸς πάνυ.

4. *Quam quidam.*] Isidorus loc. cit. Remissior carbunculus a nostris appellatur, *Rubis balais.*

5. *A prælatis floribus.*] A præcipuis floribus, nempe viola, cujus colorem refert. Ἴον Græcis viola est. Ἰωνιά, locus violis consitus.

6. *Et inter has.*] Sic MSS. omnes, non *& alias invenio*, ut editi. Habet hæc quoque Isidorus, loc. cit. Solinus, cap. 52. pag. 82. *Duplex ei facies: aut enim purpurea emicat claritate, aut meracius suffunditur cocci rubore. At si excandens radiis Solis incita, vel ad calorem digitorum attritu excitata est, aut palearum cassa, aut chartarum fila ad se rapit, &c.*

7. *Et chartarum folia.*] Sic MSS. Reg. 2. Colb. 3. Fux. & alii. Tamen editi hactenus libri, & Isidorus, ac Solinus, *fila.*

Sect. XXX. 1. *Hoc idem & Carchedonius.*] Superius jam obiter indicatus, sect. 25. *Garamantica carbunculo, quos & Carchedonios vocant, propter opulentiam Carthaginis magnæ*, quo scilicet deportabantur, ut mox ipse Plinius subjicit. Nunc vocant *Calcedoine.* Isidorus hæc iisdem verbis, lib. 16. Orig. cap. 13. *Carchedonius, hoc quod & lychnites facere dicitur, quanquam multum vilior prædictis. Nascitur apud Nasamonas, &c.*

2. *Omnia autem hæc.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 13.

Sect. XXXI. 1. *E diverso ad hoc.*] Ad signum scilicet; quod ceram in signando sarda non retineat. Ita MSS. Editi, *ad hæc*, hoc est, ad utrumque, ad scalpturam, & ad signum: quoniam nec sit ἀγλυπτος, nec ceram in signo auferat. Sardam nostrates vocant, *Cornaline.*

2. *Sardibus.*] In Lydia. Nunc in Sardinia probæ notæ re-

niam, [3] cum lapicidinæ quædam aperirentur, hærens in saxo cordis modo. Hoc metallum apud Persas defecisse traditur. Sed inveniuntur compluribus aliis locis, sicut [4] in Paro, & Asso. In India trium generum: rubrum, [5] & quod dionum vocant a magnitudine: tertium quod [6] argenteis bracteis sublinitur. Indicæ perlucent: crassiores sunt Arabicæ. Inveniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Ægyptum, quæ bractea aurea sublinuntur. Et in his autem mares excitatius fulgent: feminæ [7] pigriores sunt, & crassius nitent. Nec fuit alia gemma apud antiquos usu frequentior. Hac certe [8] apud Menandrum & Philemonem fabulæ superbiunt. Nec ulla est translucentium, quæ tardius suffuso humore hebetetur, oleoque magis, quam alio liquore. Damnantur ex iis melleæ, & validius [9] testaceæ.

XXXII. [1] Egregia etiamnunc topazio gloria est, suo virenti genere, & cum reperta est, prælatæ omnibus. Id accidit in Arabiæ insula, [2] quæ Cytis vocatur: in qua Trogodytæ prædones, diutius fame & [3] tempestate pressi, cum herbas radicesque effoderent, eruerunt topazion. Hæc Archelai sententia est. Juba [4] Topazon insulam, in Rubro mari a continente [5] diei navigatione abesse tradit, nebulosam, & ideo quæsitam sæpe navigantibus, ex ea causa nomen accepisse. [6] Topazin enim Trogodytarum lingua significationem habere quærendi. Ex hac primum importatam Berenicæ reginæ, quæ fuit mater [7] sequentis Ptolemæi, a Philemone præfecto regis, ac mire placuisse: & inde factam statuam Arsinoæ Ptolemæi [8] Philadelphi uxori, quatuor cubitorum, sacratam in delubro, quod aureum cognominabatur. Recentissimi auctores & circa Thebaïdis Alabastrum oppidum nasci dicunt: & duo ejus genera faciunt, [9] prasoïdem atque chrysopteron, similem chrysopraso. Ejus enim tota similitudo ad porri succum dirigitur. Est autem amplissima gemmarum. Eadem sola nobilium limam sentit: ceteræ [10] Naxio & cotibus poliuntur. Hæc & usu atteritur.

XXXIII. Comitatur eam similitudine propior, quam auctoritate, [1] callaïs, e viridi pallens. Nascitur [a] post aversa Indiæ, apud incolas Caucasi montis Phycaros, [2] apud Sacas & Dahas, amplitudine conspicua, sed fistulosa ac sordium plena. Sincerior multo præstantiorque [3] in Carmania. Utrobique autem in rupibus inviis & gelidis, oculi figura extuberans, leviterque adhærens, nec ut agnata petris, sed ut apposita. Quamobrem scandere ad eam pigritia pedum equestres populos tædet, simul & periculum terret. Ergo fundis e longinquo incessunt, & cum toto musco excutiunt. Hoc vectigal, hoc est gestamen in cervice ac digitis gratissimum. Hic census, hæc gloria a pueritia dejectorum numerum prædicantium, in quo varia fortuna. Quidam ictu primo cepere præclaras, multi insectando nullas. Et venatus quidem callaïdis talis. Sectura formantur, alias fragiles.

Interpretatio.

a *Post aversa.*] Post ultimam Indiam.

Notæ.

periri Kircherus noster affirmat, lib. 8. Mundi subterr. pag. 81.

3. *Cum lapicidinæ.*] Theophr lib. περὶ λίθων, pag. 7. Εὑρίσκεται δὲ καὶ τὸ σάρδιον διακοπτομένων τῶν πετρῶν.

4. *In Paro & Asso.*] Hoc a Gelenio est. MSS. omnes, *In Ephiro*. An *in Epiro*? Mox certe sequitur, *Inveniuntur & circa Leucada Epiri.*

5. *Et quod dionum vocant, a magnitudine.*] Secuti fidem eorumdem codicum MSS. neglesimus typos, qui præ se ferunt, *Et quod dinium vocant a pinguedine.* Δίωνον vel barbara Indorum lingua dictum putamus: vel, si Græca, quasi δὶς ὤνιος, quod duplicato pretio ob magnitudinem comparari possit. Δίπονον Salmasius dum reponit, in Solin. pag. 183. ut omitteam cetera, MSS. codicum consensum nauci facit.

6. *Argenteis bracteis.*] Subditis nimirum, ut translucere vel sic cogantur.

7. *Pigriores.*] Ita MSS. non *pinguiores*. Sic ipse sect. 25. de carbunculis: *Masculi acrius, feminæ languidius refulgentes.*

8. *Apud Menandrum*] Ex Menandri comœdia, quæ Πλόκιον inscribitur, (an Παιδίον potius?) apud Athen. lib. 3. pag. 94. retitatur hic versiculus:

Μαργαρίδας εἶναι τοῦδ' ἴδοις καὶ σάρδιον.

9. *Testaceæ.*] Quæ testam colore referunt.

Sect. XXXII. 1. *Egregia .... topazio.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. Chrysolithorum generis esse nunc a peritis existimatur.

2. *Quæ Cytis.*] De ea, lib. 6. sect. 34. In MSS. *quæ Trogodytis vocatur, in qua prædones &c.* mendose.

3. *Tempestate pressi.*] MSS. omnes, *fessi*: & Isidorus similiter, loc. cit.

4. *Topazon insulam.*] Libro 6. sect. 34.

5. *Diei navigatione.*] Sic MSS. omnes fere, Reg. Colb. Fux. At Chiffl. CC. *stadiis*, horum verborum vice legit. Libri omnes editi, *stadiis* CCC. hoc est, XXXVII. M. D pass.

6. *Topazin.*] Isidorus loco citato, hæc totidem verbis: *Nam τοπάζειν Trogodytarum lingua significationem habet quærendi.*

7. *Sequentis Ptolemæi.*] Hoc est, secundi, sive Philadelphi: eademque uxor Ptolemæi Lagi, qui princeps post Alexandri obitum Ægypto potitus est. Sic Africanum sequentem sæpe Plinius, hoc est, posteriorem vocat. De ejusdem Berenices adamante Juvenalis, Satyra 6. vers. 155.

Murrhina: deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ: dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

8. *Philadelphi uxori.*] Pariter & sorori.

9. *Prasoïdem.*] Πρασοειδῆ, colore porraceo: & Χρυσόπτερον, vel uti exhibent MSS. omnes, χρυσόχροον, a pallore videlicet, qui vergat in colorem aureum. Denique χρυσόπρασον, a colore porri viridi, aureoque misto.

10. *Naxio.*] Naxo e Creta advectas cotes, Naxium appellabant. Plinius, lib 36. sect. 10. *Signis e marmore poliendis, gemmisque etiam scalpendis, atque limandis, Naxium diu placuit ante alia: ita vocantur cotes in Cypro insula genitæ.* Nunc igitur ad gemmas limandas, & cotes Naxias, & alias inferioris notæ advocat.

Sect. XXXIII. 1. *Callaïs.*] Turchesiam hanc esse falso quidam autumant, *la Turquoise*: cum an veteribus cognita omnino Turquesia fuerit, haud sane satis sit exploratum: E Samarcanda Tartariæ citerioris provincia ad nos advehitur. Callaïs vero ab Isidoro Callaica appellatur, libro 16. Orig. cap. 7. & a Solino similiter, cap. 50. pag. 41.

2. *Apud Sacas & Dahas*] De his egimus libro 6. Vide Notas & Emend. num. XV.

3. *In Carmania.*] Vide Notas & Emend. num. XVI.

Optimus color [a] smaragdi: ut tamen apparet, [4] ex alieno est quod placeant. Inclusæ decorantur auro, aurumque nullæ magis decent. Quæ sunt earum pulcriores, oleo, unguento, & mero colorem deperdunt. Viliores constantius [b] repræsentant: [c] neque est imitabilior alia mendacio vitri. [5] Sunt qui in Arabia inveniri eas dicant in nidis avium, quas melancoryphos vocant.

XXXIV. Viridantium & alia plura sunt genera. [1] Vilioris est turbæ prasius: cujus alterum genus sanguineis punctis abhorret: tertium est virgulis tribus distinctum candidis. [2] Præfertur his chrysoprasius, porri succum & ipsa referens, sed hæc paulum declinans a topazio in aurum. Huic & amplitudo ea est, ut cymbia etiam ex ea fiant: cylindri quidem celerrime.

XXXV. Indiæ & has generat, [1] & Nilion, fulgore hebeti ac brevi, & cum intueare, fallaci. Sudines dicit & in Syvero Atticæ flumine nasci. Est autem color fumidæ topazii, aut aliquando melleæ. Juba in Æthiopia gigni tradit, in litoribus amnis, quem Nilum vocamus, & inde nomen trahere.

XXXVI. [1] Non translucet molochites, spissius virens, & crassius quam smaragdus, a colore malvæ nomine accepto, reddendis laudata signis, [2] & infantium custodia quadam, innato contra pericula ipsorum medicamine. Nascitur in Arabia.

XXXVII. Viret, & sæpe translucet iaspis, etiam si victa a multis, antiquitatis tamen gloriam retinens. Plurimæ ferunt eam gentes: [1] smaragdo similem Indi: Cypros duram [2] glaucoque pingui: Persæ aëri similem: ob id vocatur [3] aërizusa. Talis & Caspia est: cærulea, circa Thermodoontem amnem: in Phrygia, purpurea: in Cappadocia, ex purpura cærulea, atque non refulgens. Amisos Indicæ similem mittit, Calchedon turbidam. Sed minus refert nationes, quam bonitates, distinguere. Optima ergo, quæ purpuræ quidquam habet: secunda, quæ rosæ: tertia, quæ smaragdi. Singulis autem Græci [4] nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur [5] Borea, cælo autumnali matutino similis: & hæc erit illa, quæ vocatur aërizusa. Similis est & sardæ, [d] imitata & violas. Non minus multæ species reliquæ, sed omnes in vitio cæruleæ, aut crystallo similes, [6] aut myxis. [7] Item terebinthizusa, improprio (ut arbitror) cognomine, velut e multis ejusdem generis composita gemmis. Quamobrem præstantiores [e] [8] funda clauduntur patentes, nec præterquam margines auro amplectente. Vitium est & brevis in iis nitor, & longe splendens, & sal, [9] & omnia quæ in ceteris. Et vitro adulterantur: [f] quod manifestum fit, cum extra fulgorem spargunt, atque non in se continent. [g] Nec diversæ, quas sphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantum dato, quoniam optime signent. * Totus vero Oriens [10] pro amuletis traditur gestare eam, quæ ex iis sma-

* Cap. IX.

Interpretatio.

a *Smaragdi.*] Qualis in smaragdo cernitur.
b *Repræsentant.*] Servant colorem.
c *Neque est.*] Neque est alia gemma, quam melius vitium mentita similitudine imitetur.
d *Imitata.*] Est & quæ violas imitatur.
e *Funda.*] Anuli umbilico cinguntur ita, ut omnino emineant, solos margines amplectente aureo circulo.
f *Quod.*] Quod vitium.
g *Nec diversa.*] Nec sunt diversæ ab iaspide gemmæ eæ, quas σφραγῖδας vocant, hoc est, signatorias.

Notæ.

4. *Ex alieno.*] Ex accersito nitore: nempe ex auro quo inclusæ decorantur.
5. *Sunt qui in Arabia.*] Solinus, cap. 20 pag. 41.
Sect. XXXIV. 1. *Vilioris est turbæ prasius, &c.*] A colore nomen habet: Est enim πράσιος Græce viridis. Æruginei coloris, ἰώδης τῇ χρόᾳ a Theophr. dicitur, lib. περὶ λίθων, pag. 8. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. *Prasius pro viridante colore dictus, sed vilis. Cujus alterum genus sanguineis punctis abhorret.* (Sic & Pliniani codices: forte *abhorret*:) *Tertium distinctum virgulis tribus candidis.* Sic & Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 52.
2. *Præfertur his chrysoprasius*] Mixto colore auri cum viridi. A nostris appellatur, *Prime-d'emeraude.*
Sect. XXXV. 1. *Et Nilion.*] Dictam ab amne Nilo.
Sect XXXVI. 1. *Non translucet molochites.*] Hæc Isidorus plane ad verbum, lib 16 Orig. cap. 7. Μολόχη, vel μαλάχη malvam sonat. Hinc Molochinus color apud Nonium, cap. 16. num 2. Et molochinarii, apud Plautum, ut diximus lib 21. sect. 22. nota 7. Vide Notas & Emendat. num. XVII.
2 *Et infantium.*] Solinus, cap. 33 pag. 63. & Marbod. lib. de lapid. pret. cap 44.
Sect. XXXVII. 1. *Smaragdo.*] Ἴασπις σμαραγδίζων, Dioscorid, lib. 5 cap. 160.
2 *Glaucoque pingui.*] Saturi coloris.
3. *Aerizusa.*] Ἀερίζουσα. Hanc esse quam Turchesiam nostri vocent, Salmasius existimat, in Solin. pag. 202. secutus Agricolam. Dioscorid, loc. cit. est ἴασπις ἀερίζων.
4. *Nomina ex argumento.*] Nempe πορφυρίζοντας ἰασπίδας, ῥοδίζοντας, σμαραγδίζοντας.
5. *Borea.*] Βόρειος septemtrionalem sonat.
6. *Aut myxis.*] De myxis egimus lib. 15. sect. 12. & 13. Frustra sunt qui *mucis* hic reponunt, cum Salmasio in Solinum, pag. 131. quam vocem numero multitudinis, pro pituita nasi, nusquam me legere memini. Nam quæ pituitæ ei similis esse a Diosc. perhibetur, ea ipsa est, quæ crystallum refert: ὁ δὲ κρυσταλλώδης ἐοικὼς φλέγματι. Quæ vero est myxis affinis, a crystallina discrepare facie nunc affirmatur.
7. *Item terebinthizusa.*] Τερεβινθίζων Dioscoridi loco cit. quod terebinthi colorem repræsentet. Cum porro velut e multis composita gemmis videatur, magis proprie ex ea re, inquit auctor, quam ex terebintho appellationem duceret.
8. *Funda clauduntur.*] Funda, ut ex hoc loco intelligitur, circulus est ex auro, altove metallo, quo gemmæ ita nectuntur, ut aurum nonnisi margines amplectatur. Palam anuli alii appellant, quo sensu & σφενδόνην Plato dixit, τὸ περιφερὲς ἢ δακτυλίου. Idem Plinius infra, sect. 43. de chrysolithis: *Funda includuntur perspicuæ.*
9. *Et omnia, quæ in ceteris.*] Vitia superius recensita fere sect. 18.
10. *Pro amuletis.*] Priscianus in Periegesi, pag. 384.
Atque malos lemures quod pellit munus, iaspin.
Omnia iaspidis genera pro amuletis gestari promiscue auctor est Diosc. lib. 5. cap. 160 Δοκοῦσι δὲ πάντες εἶναι φυλακτήρια περίαπτα. Codices e quibus refingere hunc locum aliter Salmasius nititur, in Solin. pag. 131. mutili sunt ac vitiosi.

tagdo similis est, & per transversum linea alba media præcingitur, & [11] grammatias vocatur: [a] quæ pluribus, polygrammos. [12] Licet obiter vanitatem Magicam hic quoque coarguere, quoniam hanc concionantibus utilem esse prodiderunt. [13] Est & onychipuncta, quæ iasponyx vocatur: & nubem complexa, & nives in summitate. Est & stellata rutilis punctis: est & salem imitata: & veluti fumo infecta, quæ [14] capnias vocatur. Magnitudinem iaspidis quindecim unciarum vidimus: formatamque inde effigiem Neronis thoracatam.

XXXVIII. [b] Reddetur & per se [1] cyanos, accommodata gratia paulo ante nominato colore cæruleo. [3] Optima Scythica, dein Cypria, postremo Ægyptia. [4] Adulteratur maxime tinctura, idque in gloria regis Ægypti adscribitur, qui primus eam tinxit. [5] Dividitur autem & hæc in mares feminasque. [6] Inest ei aliquando & aureus pulvis, non qualis in sapphirinis.

XXXIX. In sapphiris enim [c] [1] aurum punctis collucet cæruleis. Sapphirorum, quæ [d] [2] cum purpura, [3] optimæ apud Medos: nusquam tamen perlucidæ. Præterea inutiles scalpturæ, intervenientibus [e] crystallinis centris. Quæ sunt ex iis cyanei coloris, mares existimantur.

XL. Alius ex hoc ordo purpureis dabitur, [f] & ab illis descendentibus. [1] Principatum amethysti Indicæ tenent. Sed in Arabiæ quoque parte, quæ finitima Syriæ Petræa vocatur, & in Armenia minore, & in Ægypto, & [2] in Galatia reperiuntur: sordidissimæ autem vilissimæque, [3] in Thaso & Cypro. [4] Causam nominis afferunt, quod usque ad vini colorem non accedunt: prius quam enim degustent, in violam desinit fulgor. Aliqua siquidem in illis purpura, non ex toto in igneum, sed in vini colorem deficiens. [5] Perlucent autem omnes violaceo colore, scalpturis faciles: Indicæ absolutum felicis purpuræ colorem habent: [6] ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundunt autem eum aspectu leniter blandum: neque in oculos, ut carbunculi, vibrant. [7] Alterum earum genus [g] descendit ad hyacinthos. Hunc colorem Indi sacon vocant, talemque gemmam sa-

Interpretatio.

a *Quæ pluribus.*] Quæ pluribus lineis cingitur.
b *Reddetur.*] Appellabitur & seorsim cyanos, cui gratia est a colore cæruleo paulo ante nominato.
c *Aurum.*] Aureus sapphiri colos cæruleis punctis inspergitur.
d *Cum purpura.*] Cum punctis purpureis.
e *Crystallinis.*] Duritie crystallina.
f *Et ab illis.*] Et iis, qui sunt affines purpuræ, coloribus.
g *Descendit.*] Accedit.

Notæ.

11. *Grammatias.*] Γραμματίας. Γράμμα Græcis lineam sonat.

12. *Licet obiter.*] Adde quæ habet Albertus M. libro 2. de mineε. pag. 232. *Aiunt quod gestantem se a luxuria prohibet. In magicis etiam legitur, quod si incantatus est, reddit gratum, & potentem*, &c.

13. *Est & onychipuncta.*] Onychinis distincta punctis: quamobrem & composita voce ἰασπόνυξ a Græcis vocatur.

14. *Capnias.*] Καπνίας. Fumum Græce καπνὸς sonat. De hac gemma rursum infertus, sect. 56. num. 3.

Sect. XXXVIII. 1. *Cyanos.*] Κύανος, a colore cæruleo. Hæc sapphiro simillima est: unde a gemmariis nostris indiscreto nomine sapphirus appellatur: nec Turchina sane ea est, ut nonnullis visum.

2. *Accommodata gratia, &c.*] Sic Reg. 2. Colb 3. Fux. aliique. In editis, interpolata omnia: *Accommodata paulo ante iaspidis nomine, colore cæruleo.* Colorem cæruleum Plinius paulo antea nominavit superiore sectione, cum in vitio dixit esse ante dictarum gemmarum.

3. *Optima Scythica.*] In pigmento contra, quod cæruleum appellatum est, lib. 33. sect. 57. primas Ægyptium obtinet, Cyprium secundas, postremas Scythicum.

4. *Adulteratur maxime tinctura.*] Vitro scilicet in eum colorem tincto: fusa materia, & colore imbuta cæruleo. Theophrast. lib. περὶ λίθων.

5. *Dividitur autem.*] Theophr. περὶ λίθων, pag. 7.

6. *Inest ei aliquando.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap 9.

Sect. XXXIX. 1. *Aurum punctis collucet cæruleis.*] Aureis punctis sapphiri cutem esse inspersam, & pariter cæruleis, purpureisve, quod alterum sapphiri genus est mox appellandum, indicat. Unde intelligitur, quantum sapphirus Pliniana a nostra discrepet, quæ & tota cærulea est, & perlucida: nec apud Medos solum Indosve, sed & apud nos in Europa natales habet. Plinius infra, sect. 54. *Corallo-achates guttis aureis sapphiri modo sparsa.*

2. *Cum purpura.*] Epiphanius, de 12. gemmis, pag. 227. Λίθος σάπφειρος πορφυρίζων .... Πολλὰ δὲ γένη τούτου ὑπάρχει· ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς, χρυσοστικτὸς· ὁ καὶ αὐτὸς δὲ οὗτος θαυμαζόμενος, καὶ ὅπως πορφυρίζων· καὶ οὗτος δὲ λέγεται εἶναι ἐν τῇ Ἰνδίᾳ, καὶ Αἰθιοπίᾳ. *Sapphirus gemma purpurascit .... Multa sunt ejus genera. Est enim regius aureis punctis varius. Non est vero hic in tanta admiratione, quanta ille qui prorsus purpurascit. Et hic dicitur esse cum in India, tum etiam in Æthiopia.* Vide Notas & Emend. num XVIII.

3. *Optimæ apud Medos.*] Marbodeus, lib. de lapidib. pret. cap. 53. de sapphiro:

> *Ille sed optimus est, quem tellus Medica gignit:*
> *Qui tamen asseritur numquam transmittere visum.*

Sect. XL. 1. *Principatum amethysti.*] Ἀμέθυστος, vel quod ebrietati resistit, vel quod vini colorem trahit. *Ametiste* ou *amatiste.* Elegantia duo epigrammata de amethysto vide in Antholog. Gr. libro 4. tit. 18. Alterum Platonis junioris, de Baccho sculpto in amethysto: Πλάτωνος νεωτέρου, εἰς Διόνυσον γεγλυμμένον ἐν ἀμεθύσῳ·

> Ἁ λίθος ἐστ' ἀμέθυστος· ἐγὼ δ' ὁ πότας Διόνυσος.
> Ἢ νηφέιν πείσει, ἢ μαθέτω μεθύειν.
> *Hæc gemma est amethystus: amans ego vina Lyæus:*
> *Pota sit, aut ut sim sobrius, efficiat.*

Asclepiadæ alterum:

> Εἰμὶ μέθη τὸ γλύμμα σοφῆς χερὸς, ἐν δ' ἀμεθύσῳ
> Γέγλυμμαι, τέχνης δ' ἡ λίθος ἀλλοτρίη.
> Ἀλλὰ Κλεοπάτρης ἱερὸν κτέαρ. ἐν γὰρ ἀνάσσης
> Χειρὶ θεὸν νήφειν καὶ μεθύουσαν ἔδει.
> *Ebrietas ego sum: qui fert lapis est amethystus:*
> *Ingenio gemma diffidet artis opus.*
> *Sed quia me Cleopatra, tenet, Dea concita vino*
> *Est in regina sobria facta manu.*

Generis est ea vox apud Plinium feminini: masculini, Ovidio.

2. *In Galatia.*] Sic MSS. omnes. Editi hactenus, *in Gallia.*

3. *In Thaso.*] Reg. 2. Colb. 3. & alii, *in Tarso.*

4. *Causam nominis.*] Hæc totidem fere verbis Isidorus, lib 16. Orig. cap. 9. Vide Notas & Emendationes, num. XIX.

5. *Perlucent, &c.*] Isidorus, loco citato.

6. *Ad hancque.*] Ut in lana quæ tingitur purpuræ succo, amethysti color eluceat. Vide lib. 9. sect. 62.

7. *Alterum earum.*] Isidorus, loco cit. Epiphan. pag 229. de 12. gemmis: Ὁ μὲν γὰρ αὐτὸς ἐστιν οἰνωδέστερος πορφυροειδής.

condion. [8] Dilutior eadem & ſapenos vocatur. [9] Eadem & Pharanitis in contermino Arabiæ, gentis nomine. Quartum genus colorem vini habet. Quintum ad viciniam cryſtalli deſcendit, albicante [a] [10] purpuræ defectu. Hoc & minime probatur, quando præcellens debet eſſe [b] [11] in ſuſpectu, velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roſeus nitor. Tales aliqui malunt [12] pæderotas vocari, alii anterotas, multi Veneris gemmam, quod maxime videtur decere [13] & ſpecies & colos. Eas gemmas [14] Magorum vanitas reſiſtere ebrietati promittit, & inde appellatas. Præterea ſi Lunæ nomen aut Solis inſeratur in iis, atque ita ſuſpendantur collo e capillis cynocephali, vel plumis hirundinis, reſiſtere veneficiis. Jam quoque adeſſe reges adituris. Grandinem avertere, & locuſtas, precatione addita, quam demonſtrant. Nam ſmaragdis quoque ſimilia promiſere, ſi aquilæ ſcalperentur, aut ſcarabæi: quæ quidem ſcripſiſſe eos non ſine contemptu & irriſu generis humani arbitror.

XLI. Multum ab ea diſtat [1] hyacinthos, tamen e vicino deſcendens. Differentia hæc, quod ille emicans in amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in hyacintho. Primo quoque aſpectu gratus, evaneſcit antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, ut pæne non attingat, marceſcens celerius [2] nominis ſui flore.

XLII. Hyacinthos Æthiopia mittit, & [1] chryſolithos, aureo fulgore tranſlucentes. Præferuntur iis [2] Indicæ, & ſi variæ non ſint, [3] Tibaranæ. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ ſunt & variæ, [4] & fulgentes interpellatæ nubilo macularum, etiam quæ limpidæ contigere, veluti ſcobe ſua refertæ. Optimæ vero ſunt, quæ [c] in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. [5] Funda includuntur perſpicuæ. [d] Ceteris ſubjicitur aurichalcum.

XLIII. [1] Jam etiam expertes gemmarum uſu, appellantur aliqui & [2] chryſelectri, in colorem electri declinantes, matutino tantum aſpectu jucundi. [3] Ponticas deprehendit levitas. Quædam in iis duræ ſunt rufæque, quædam molles & ſordidæ. Bocchus auctor eſt, & in Hiſpania repertas, quo in loco cryſtallum dicit [4] ad libramentum aquæ puteis [e] depreſſis erutam, chryſolithon XII. pondo a ſe viſam.

XLIV. [1] Fiunt & leucochryſi, interveniente candida vena. Sunt in hoc genere

INTERPRETATIO.

a *Purpura.*] Purpuræ colore in albicantem deficiente.

b *In ſuſpectu.*] Cum ſublimis aſpicitur: veluti ſi tunc ex carbunculo refulgeret nitor cum purpura roſeus.

c *In collatione*] Quando cum auro confertur & componitur.

d *Ceteris.*] Ceteris chryſolithis, *quæ non ſunt optimæ notæ;* ſubjicitur aurichalci bractea, *quæ tranſlucere cogat.*

e *Depreſſis.*] Defoſſis ad ducendam ex libramento aquam puteis.

NOTÆ.

8. *Dilutior eadem.*] Hoc tertium amethyſti genus, dilutioris paulo coloris. Ex quo intelliges perperam hunc locum a Salmaſio in Solin. pag. 566. ſic emendari: *Talemque gemmam Sacondion dilutiorem. Eadem & Sapenos vocatur, &c.* Nam hæc ad genus amethyſti pertinere neceſſe eſt, ſi ita legatur. Ubi igitur tertii generis mentio, cum quartum quintumque proxime ſequatur?

9. *Eadem & Pharanitis.*] Sic Reg. 2. Colb. 3. aliique, non *paranites*, ut editi. Pharan urbs eſt Arabiæ juxta Saracenos, de qua Euſebius & Hieronymus conſulendi, in locis Hebraicis.

10. *Purpura defectu.*] Sic MSS. ſupra laudati: non *dejectu*, ut in libris vulgatis. Sententia eſt, ubi purpura deficit, in extremis videlicet oris albicare gemmam. Epiphanius, de 12. gemmis, pag. 229. Λίθος ἀμέθυςος. Οὗτος κατὰ τὴν αὐτοῦ περιφέρειαν φλογίζων ἐν βάθει· ἡ δὲ αὐτὴ ἐν λευκότητι, ἐκ δὲ μέσου οἰνωπὸν ἀποπέμπων εἶδος. *Circumferentiam habet profundo ceu colore flammæ ardentem. Eſt autem cujus circumferentia albicet, e medio ſui fundens vini colorem.* Etſi hunc locum aliter vertit doctus Interpres.

11. *In ſuſpectu.*] Occurrit vox ea jam ſuperius, lib. 21. ſect. 22.

12. *Pæderotas.*] Παιδέρωτας, & ἀντέρωτας, quod æque venuſti ſint atque puelluli, immo atque ipſe Amor. Hinc apud Vopiſcum *Oxypæderotinus color*, qualis nimirum in pæderote gemma, & intenſius quidem, id enim ὀξὺς ſonat, ſive, ut Plinius ipſe ait plane modo, præcellens in ſuſpectu, & veluti ex carbunculo præfulgens color roſeus, purpura leviter mixtus.

13. *Et ſpecies, & colos. Eas gemmas*] Sic MSS. proxime appellati. Prius inepte: *Et ſpecie & colore extremo gemmæ. Magorum ... ebrietatis eas, &c.*

14. *Magorum.*] Marbodeus, lib. de lapidib. pret. cap. 4. Albertus Magnus, lib. 2. de miner. pag. 228. de amethyſto: *Operatur autem contra ebrietatem, ut dicit Aaron, & facit vigilem, &c.*

Sect. XLI. 1. *Hyacinthos.*] Ὑάκινθος, colore ſubpurpureo, ὑποπορφυρίζων, inquit Epiphanius, pag. 228. Hyacinthum ex rubinorum eſſe genere quidam volunt, ut animadvertit Garcias ab Horto, in hiſt. Arom. pag. 221.

2. *Nominis ſui flore.*] Hyacintho, *qui maxime durat*, ut dictum eſt lib. 21. ſect. 38.

Sect. XLII. 1. *Chryſolithos.*] Χρυσόλιθος, ab aureo colore: χρυσίζων μὲν ἐστι, inquit Epiphanius, pag. 229. Gemmarii hodierni Topazium vocant. Marbodeus, cap. 11.

Æthiopes legimus nobis hanc mittere gemmam, &c.

2. *Indicæ.*] Chryſolithi ſcilicet.

3. *Tibaranæ*] In MSS. Reg. & Colb. *Zibaranæ.* Nos *Tibaranæ* ſcripſimus, & quod Ponticas paulo poſt gemmas ejuſdem fere generis Plinius commendat: & quod Tibareni, ſeu Tibarani populi, ad Pontum ſiti ſunt, ut diximus lib. 6. ſect. 4. Libri editi, *Bactrianæ*, male.

4. *Et fulgentes interpellatæ.*] Sic MSS. omnes. Editi: *& fulgoris interpellati.*

5. *Funda &c.*] Vide quæ de hac voce ac forma loquendi diximus, ſect. 37.

Sect. XLIII. 1. *Jam etiam expertes gemmarum uſu.*] Quoniam nec funda includuntur, nec ſunt ad ſignandum utiles, ut gemmæ reliquæ. Hæc in MSS ſic leguntur, *tam etiam ex parte de gemmarum uſu.* In editis, *tametſi jam expertes gemmarum uſu. Expertem famæ & fortunis*, Salluſtius: *expertem metu, expertem domo*, Plautus dixit. Conjiciebat Salmaſius, in Solin. pag. 407. *quondam etiam & per ſe gemmarum in uſu. Appellantur*, &c. ut eſſet ſententia, aurichalcum olim & per ſe in uſu gemmarum diu apud veteres in admiratione fuiſſe: Quis vero uſus ille fuerit, nec ipſe expedit, neque me fateor intelligere.

2. *Chryſelectri.*] Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. *Chryſelectrus ſimilis auro, ſed in colorem electri vergens, matutino tantum aſpectu jucundus, rapaciſſimus ignium, & ſi juxta fuerit, celerrime ardeſcens.*

3. *Ponticas.*] Chryſolithos.

4. *Ad libramentum aquæ*] Hanc ipſam ſententiam explicuimus ſect. 9. Porro MSS. omnes *depreſſis*, ut edidimus, atque ut ipſe Plinius loco nunc citato, non *defoſſis*, ut hactenus vulgati, exhibent.

Sect. XLIV. 1. *Fiunt & leucochryſi.*] Iſidorus, loco cit. Λευκόχρυσοι.

[1] capinæ,

[2] capniæ. Sunt & vitreis similes, [3] veluti croco refulgentes. Vitrei vero ut visu discerni non possint, tactus deprehendit, tepidior in vitreis.

XLV. [1] In eodem genere sunt melichrysi, qui veluti per aurum sincero melle transflucent. [2] Has India mittit, quanquam [3] in duritia fragiles. [4] In eadem & xanthi, plebeïa ibi gemma.

XLVI. Candidarum dux est pæderos: quanquam potest quæri, [a] an in colore numerari debeat, [1] toties jactati per alienas pulcritudines nominis: adeo decoris prærogativa in vocabulo facta est. [b] Est & suum genus [2] exspectatione tanta dignum. Coëunt intus translucida crystallus, viridis suo modo aër, simulque purpura, & quidam [3] vini ac croci nitor, semper [4] extremus in visu: sed purpura coronatus, & his pariter omnibus. Nec gemmarum ulla est [5] liquidior, [6] capitis jucunda vanitate oculis. Laudatissima est in Indis, apud quos [7] sagenon vocatur. Proxima apud Ægyptios, ubi Tenites. Tertia in Arabia, verum scabra. Mollius radiat Pontica & Asiatica. Ipsæ vero molliores sunt [8] Galatica, & Thracia, & Cypria. Vitia earum languor, aut alienis turbari coloribus, [9] & quæ ceterarum.

XLVII. Proxima candicantium est [1] Asteria, principatum habens proprietate naturæ, quod inclusam lucem pupillæ modo quamdam continet, ac transfundit [c] cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eademque contraria Soli regerens candicantes radios, [2] unde nomen invenit, difficilis ad cælandum. Indicæ præfertur in Carmania nata.

XLVIII. Similiter candida est, [1] quæ vocatur astrios, crystallo propinqua, in India nascens, & in Pallenes litoribus: intus a centro ceu stella lucet fulgore Lunæ plenæ. Quidam causam nominis reddunt, quod astris opposita fulgorem rapiat, ac regerat. Optimam in Carmania gigni, nullique obnoxiam vitio. [2] Ceraunian enim vocari, quæ sit deterior. Pessimam lucernarum lumini similem.

XLIX. [1] Celebrant & astroïten, mirasque laudes ejus in Magicis artibus Zoroastrem cecinisse, qui circa eas diligentes sunt, produnt.

L. [1] Astrobolon Sudines dicit oculis piscium similem esse, & radiare candido, in Sole.

LI. [1] Est inter candidas & quæ ceramnia vocatur, fulgorem siderum rapiens. Ipsa crystallina, splendoris cærulei, [2] in Carmania nascens. Albam esse Zenothemis fatetur, sed habere intus stellam concursantem. Fieri & ceraunias, quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas concipere stellam eam, quæ post totidem menses relanguescat. Sotacus & alia duo genera fecit ceraunia, nigræ rubentisque, ac similes eas esse securibus: iis, quæ nigræ sunt & rotundæ, urbes expugnari & classes, easque betulos vocari: quæ vero longæ sunt, ceraunias. Faciunt & aliam raram admodum, & Parthorum Magis quæsitam,

INTERPRETATIO.

a *An in colore.*] An inter gemmas peculiaris cujusdam coloris censeri pæderos debeat, cum id nomen toties usurpetur in aliis generibus, in quibus eæ, quæ habent decoris prærogativam, id sibi pariter nomen adsciscunt. At est præterea sui generis gemma nunc explicanda, tanto digna nomine.

b *Est &c.*] Est & peculiare pæderotis genus, tam nobili appellatione dignum.

c *Cum inclinatione.*] Quando leviter inclinatur.

NOTÆ.

2. *Capnia.*] Καπνίαι, veluti fumo infecti.

3. *Veluti croco.*] Mallem, *Et veluti croco.*

Sect. XLV. 1. *In eodem genere.*] Isidorus, loco cit. *Melichrysos.*

2. *Has India.*] Subintellige, gemmas.

3. *In duritia fragiles.*] Sic MSS. omnes, Reg. 2. Colb. 3. Fux. vet. Dalec. & ceteri. Editi corrupte, *ad injuriam fragiles.*

4. *In eadem & Xanthi.*] Reg. 2. Colb. 3. hoc loco *Xinthi.* At in Indice *Xanthi.* Libri hactenus vulgati, *Eadem & xysthon parit*, interpolantium scilicet manu. Eadem gemma hæc est, de qua inferius, sect. 60. *Est & alia quæ vocatur Memvi ab Indis, Xanthos appellata Græcis, e fulvo candidans.*

Sect. XLVI. 1. *Toties jactati.*] Nam & opalum sect. 22. & amethystum sect. 40. pæderotas appellari prodidit.

2. *Exspectatione.*] MSS. Reg. & Colb. *spectatione.*

3. *Vini ac croci nitor.*] Vide Notas & Emend. num. XX.

4. *Extremus in visu.*] Solini paraphrasis, cap. 33. pag. 64. *In ovarum extimis corona crocea velut e liquido renidante.*

5. *Liquidior.*] Liquidæ gemmæ dicuntur, quæ sunt diluti admodum coloris, non per quas facile pertransit aspectus, ut visum est Salmasio in Solinum, pag. 567.

6. *Capitis jucunda.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colb. Fux. &c. non ut libri editi hactenus, *capiti jucunda, fumos & oculis.* Solinus certe loc. cit. de capite nihil. *Hac suavitate*, inquit, *oculos afficit, visum allicit, detinet intuentes.* Legi potest & *suavitate.*

7. *Sagenon.*] Ita MSS. omnes, tum hoc loco, tum in Indice; & mox *Tenites*, non *argenon* & *senites*, ut editi. Forte *Tenites*, pro *Tanites*, a præfectura ejus nominis in Ægypto.

8. *Galatica.*] Hoc est, mollior Indica, Ægyptia, Arabica, quam Galatica, &c.

9. *Et quæ ceterarum.*] Vitia gemmarum superius enumerata, sect. 18.

Sect. XLVII. 1. *Asteria.*] Variis in locis Italiæ reperitur. Gemmarii nostri vocant *Girasole.* Isidorus hæc totidem verbis de asteria, quæ Plinius: sed asteriten vocat, lib. 16. Orig. cap. 10.

2. *Unde nomen.*] Ἀστρία, ab ἀστὴρ, quæ vox stellam, scintillantesque radios sonat.

Sect. XLVIII. 1. *Quæ vocatur astrios.*] Isidorus ad verbum hæc transscribit, lib. 16. Orig. cap. 13. *Astrion ex India est, crystallo propinqua: in cujus centro stella lucet fulgore Lunæ plenæ. Sumpsit autem nomen, quod astris opposita fulgorem rapit ac regerit.* Forte ἀστρίος dicta, quasi parvum astrum, seu μικρὸς ἀστήρ.

2. *Ceraunian.*] Quasi ictam fulmine. Κεραυνὸς fulmen est.

Sect. XLIX. 1. *Celebrant & astroïten.*] Sic libri hujus Index. In quibusdam MSS. *astrionem.* In Reg. 1. *astryten.* Ut sit ἀστρίτης, vel ἀστροειδής.

Sect. L. 1. *Astrobolon.*] MSS. quidam *astolon* mendose.

Sect. LI. 1. *Est inter candidas.*] Hæc Isidorus ad verbum, lib. 16. Orig. cap. 13.

2. *In Carmania.*] Vide Notas & Emend. num. XXI.

[3] quoniam non alibi inveniatur, quam in loco fulmine icto.

LII. [1] Proximum ceraunię nomen apud eos habet, quę appellatur iris. Effoditur in quadam insula Rubri maris, quę distat a Berenice urbe sexaginta millia pass. cetera sui parte crystallus. Itaque quidam radicem crystalli esse dixerunt. [2] Vocatur ex argumento 5 iris. Nam sub tecto percussa Sole, species & colores arcus cęlestis in proximos parietes ejaculatur, subinde mutans, magnaque varietate admirationem sui augens. Sexangulam esse, ut crystallum, constat. Sed esse aliquas scabris lateribus, & angulis inęqualibus dicunt, in Sole aperto projectas, radios in se cadentes discutere: aliquas vero ante se projecto nitore adjacentia illustrare. Colores vero non nisi ex opaco reddunt, nec ut ipsę 10 habeant, sed ut repercussu parietum elidant: optimaque, quę maximos arcus facit, simillimosque cęlestibus. Est & alia iris, cetero similis, at prędura: quam Horus crematam tusamque ad ichneumonum morsus remedio esse, nasci autem in Perside tradit.

LIII. Similis est aspectu, sed non ejusdem effectus, quę vocatur zeros, alba nigraque macula in transversum distingnente crystallum.

15 LIV. Expositis per genera colorum principalium gemmis, reliquas litterarum ordine explicabimus.

Cap. x. [1] Achates in magna fuit auctoritate, [2] nunc in nulla. [3] Reperta primum [4] in Sicilia juxta flumen ejusdem nominis, postea plurimis locis, excedens amplitudine, varietatibus numerosa. Multa & cognomina ejus. [5] Vocatur enim iaspachates, [6] cerachates, [7] sar-20 dachates, [8] hęmachates, [9] leucachates, [10] dendrachates, velut arbuscula insignis: [11] autachates, cum uritur, myrrham redolens: [12] coralloachates guttis aureis sapphiri modo sparsa, qualis copiosissima in Creta, sacra appellata. Putant eam contra araneorum & scorpionum ictus prodesse. Quod in Siculis utique crediderim, quoniam primum ejus provincię afflatu [a] scorpionum pestis extinguitur. Et in India inventę contra eadem pol-25 lent, & aliis magnis miraculis. [13] Reddunt enim species fluminum, nemorum, & jumentorum, etiam esseda, [14] & staticula, & equorum ornamenta. [15] Medici coticulas inde faciunt. [16] Spectasse etiam prodest oculis. [17] Sitim quoque sedant in os additę. Phrygię viridia non habent. Thebis Ęgyptiis repertę carent rubentibus venis & albis. Et hę quoque contra scorpiones validę. Eadem auctoritas & Cypriis est. [18] Sunt qui maxime probent 30 vitream perspicuitatem in his. Reperiuntur & in Thracia, & circa Oetam, & in Parnas-

Interpretatio.

a *Scorpionum.*] Qui a scorpione icti sunt, ea peste levantur, ubi attigere auram Siculi cęli.

Notę.

3. *Quoniam non alibi.*] Isidorus, loc. cit. Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 22.

Ventorum rabie cum turbidus ęstuat aër,
Cum tonat horrendum, cum fulminat igneus ęther,
Nubibus elisis cęlo cadit iste lapillus,
Cujus apud Gręcos exstat de fulmine nomen:
Illis quippe locis quos constat fulmine tactos,
Iste lapis tantum reperiri posse putatur.

De lapidibus ceraunus, qui de cęlo decidere creduntur, vide plura apud scriptores Miscellaneorum Curiosorum, sive Ephemeridum Germanicarum, anno VIII. pag. 156. ubi describuntur ii, quos delapsos aiunt mense Maio, anno MDCLXVII. Ceranniam unam in Museo nostro Parisiensi servamus.

Sect. LII. *Proximum ceraunię.*] Quoniam ut a fulmine ceraunia, sic ab arcu cęlesti iris nomen habet: utraque ex similitudine rei alicujus in aëre genitę.

2. *Vocatur ex argumento.*] Hoc est, ex re ipsa. Hęc totidem verbis Solinus, cap. 33 pag. 63. & 64. Isidorus, lib. 16. cap. 13. & Marbodeus, cap. 40.

Sect. LIII. *Quę vocatur zeros.*] In MSS. hoc loco, *erros.* In Indice, *lepor.*

Sect. LIV. 1. *Achates*, &c.] Hęc totidem verbis Solinus, cap. 5. pag. 21. Isidorus, lib. 16. cap. 11. & Marbod. lib. de lapid pret. cap. 2. Nostris, *Agate.*

2. *Nunc in nulla.*] Fecit vilitatem copia.

3. *Reperta primum.*] Nempe gemma, ea quę achates dicitur. Alias enim masculini generis ὁ ἀχάτης.

4. *In Sicilia.*] Theophr. lib. περὶ λίθων. Καλὸς δὲ λίθος καὶ ὁ Ἀχάτης ὁ ἀπὸ τοῦ Ἀχάτου ποταμοῦ τοῦ ἐν Σικελίᾳ.

5. *Vocatur enim iaspachates.*] Ab affinitate cum iaspide, ut supra iasponyx, sect. 37. Aëtius, lib. 2. de re med. cap. 37 pag. 54. *Iaspachates, inter iaspidem, qui smaragdo assimilatur: & achatem, medius* Ἰασπαχάτης, ὁ ἐν τῷ σμαραγδίζοντι ἰάσπιδι, καὶ τῷ ἀχάτῃ. Vide Notas & Emendat. num. XXII.

6. *Cerachates.*] De hoc genere Solinus, cap. 5. pag. 21. *Quę sunt facie cerea, abundantes trivialiter, negliguntur.* Marbodeus cap. 2. de achate:

Cerea, cui facies, quia crebor, vilis habetur.

7. *Sardachates.*] Ob aliquam cum sarda similitudinem. Meminit hujus Orpheus, tit. Ἀχάτης.

8. *Hęmachates.*] Solinus, loc. cit. *Hęmachates sanguineis maculis rubescit.* Αἱμαχάτης. Meminit & Marbodeus, loc. cit.

9. *Leucachates.*] Λευκαχάτης. A colore albicante nomen.

10. *Dendrachates.*] Δενδραχάτης. Non una modo arbuscula, sed viridarii integri, seu nemoris specie insignem esse Orpheus cecinit:

Εἰ καὶ δενδρήεντα φέροις τρόχον ἐν χερσὶν ἀχάτην
Μάλλον καὶ τέρψειας θεοὺς σὺ μεῖζον ἄγων,
Δένδρεα γὰρ μάλα πολλὰ περιπλέγδην ἐπὶ οἱ ὑπέρ
Ἀνθήσαντα, κλάδοισιν ἐπιπλοκίμοις κομόωντα
Τοῖος οἱ καὶ φαίνεται Ἀχάτης δενδρήεις
Θήσαν ἐπισταμένως, &c.

11. *Autachates.*] Sic MSS. omnes. Editi, *antachates* Salmasius, in Solin. pag. 133. conjiciebat *stactachates:* cui vellem codex aliquis probę notę faveret. Stacten scio myrrham appellari. De hoc genere tacito illius nomine, Marbodeus, loc. cit.

Est & qui myrrha succensus spirat odorem.

12. *Coralloachates.*] Marbodeus, loc. cit.

Hunc quoque corallo similem gerit insula Creta:
Cujus planities croceis est illita venis.
Iste nepa virus fugat, & quod vipera fundit.

Solinus, cap. 5. pag. 21. *Dat Creta, quem coralloachaten vocant, corallo similem; sed illitum guttis auro micantibus, & scorpionum ictibus resistentem.*

13. *Reddunt enim.*] Marbodeus & Solinus, locis cit.

14. *Et staticula.*] Quid sint staticula, diximus lib. 34. sect. 45.

15. *Medici coticulas.*] Mortaria parva, ut quidem interpretati sumus, lib. 36. sect. 38 quod frequenter ex cote fiunt.

16. *Spectasse.*] Solinus & Marbod. locis cit. Item Albertus M. lib. 2. de miner. pag. 228.

17. *Sitim quoque.*] Auctores proxime appellati.

18. *Sunt qui maxime.*] Solinus loc. cit. *Qui maxime probant*

so, & in Lesbo, ac Messene, similes [a] limitum floribus, & in Rhodo. Aliæ apud Magos differentiæ. Leoninæ pelli similes, potentiam habere contra scorpiones dicuntur. In Persis vero suffitu earum tempestates averti, [19] & præterea fulmina. Argumentum esse, si in ferventes cortinas additæ refrigerent: sed ut prosint, [b] [20] leoninis jubis alligandas: nam hyænæ pelli similem abominantur, discordialem domibus. Eam vero, [21] quæ unius coloris sit, [22] invictam athletis esse. Argumentum ejus, quod in olla plena olei cocta cum pigmentis, & intra duas horas subfervefacta, unum colorem ex omnibus faciat [23] minii. [24] Acopos nitro similis est, pumicosa, aureis guttis stellata. Cum hac oleum subfervefactum perunctis lassitudinem (si credimus) solvit. [25] Alabastrites nascitur in Alabastro Ægypti, & in Syriæ Damasco, candore interstincto variis coloribus. [26] Hæc cremata cum fossili sale ac trita, gravitates oris & dentium extenuare dicitur. [27] Alectorias vocant in ventriculis gallinaceorum inventas, crystallina specie, magnitudine fabæ: [28] quibus Milonem Crotoniensem usum in certaminibus, invictum fuisse videri volunt. [29] Androdamas argenti nitorem habet, ut adamas, quadrata, semperque tessellis similis. [30] Magi putant nomen impositum ab eo, quod impetus hominum, & iracundias domet. Eadem sit, an alia, [31] argyrodamas, auctores non explicant. [32] Antipathes nigra non translucet. Experimentum ejus si coquatur in lacte: facit enim hoc myrrhæ simile immissa. Eam contra effascinationes auxiliari Magi volunt. [33] Arabica ebori simillima est: & hoc videretur, nisi abnueret duritia. Putant contra dolores nervorum prodesse habentibus. [34] Aromatites & ipsa in Arabia traditur gigni, sed & in Ægypto circa Pyras, ubique lapidosa, & myrrhæ coloris, & odoris, ob hoc reginis frequentata. [35] Asbestos in Arcadiæ montibus nascitur, coloris ferrei. [36] Aspilaten Democritus in Arabia gigni tradit, ignei coloris. Eam oportere cameli pilo splenicis alligari: invenirique in nido [37] Arabicarum alitum. Et aliam eodem nomine ibi in Leucopetra nasci argentei coloris, radiantem, [38] contra lymphatum habendam. [39] Atizoën in India & in Perside ac Ida monte nasci tradit, argenteo nitore fulgentem, magnitudine trium digitorum, ad lenticulæ figuram, odoris jucundi, necessariam Magis [40] regem constituentibus. [41] Augites multis alia videtur esse, quam quæ callaïs. [42] Amphitane alio nomine appellatur chrysocolla, in Indiæ parte, ubi for-

INTERPRETATIO.

a *Limitum.*] Floribus qui in limitibus agrorum nascuntur.

b *Leoninis.*] Pilo e jubis leonum.

NOTÆ.

tur, *vitream habent perspicuitatem, ut Cyprus.*

19. *Et præterea flumina.*] Isidorus, lib. 16. cap. x11 de achate. *Magi*, inquit, *suffitu earum, si creditur, tempestates avertunt, flumina sistunt.* Ex Plinianis codicibus, *fulmina* legi multo malim.

20. *Leoninis jubis.*] Sic infra, num. 10. Aspilaten ait cameli pilo splenicis alligari oportere.

21. *Quæ unius coloris sit.*] Sic MSS. omnes, editique libri, rectissime: non *minii coloris*, ut visum est nonnemini.

22. *Invictam.*] Invictos reddere athletas Vires conferre corporibus dixit Albertus M. lib 2. de mineral. pag. 228. Scilicet quod omnia pigmenta quibuscum incoquebatur, intra duas horas colorem suum miniaceum sorbere adigebat, eo argumento athletæ invictam eam esse pronunciabant.

23. *Minii.*] Miniacei coloris achaten laudat & Orpheus, tit. Ἀχάτην.

Ἐν δ' ἄγε μιλτοπύρηον, &c.

24. *Acopos.*] Ἄκοπος, quod laborem, τὸν κόπον, & lassitudinem levare creditur.

25. *Alabastrites.*] Ἀλαβαστρίτης. Gemma hæc diversa a marmore ejusdem nominis, de quo lib. 36. sect. 12.

26 *Hæc cremata.*] Apollonius apud Galenum, lib. 5. κατὰ τόπους, pag. 548 alabastriten ustum cum sale & pumice tostis valde commendat ad emendandam dentium nigritiem.

27. *Alectorias vocant*, &c.] *Alectoria* in Indice: ut gemmas subintelligas. Hæc iisdem verbis Solinus, cap. 1. pag. 8. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 13. Ab ἀλέκτωρ, quæ vox gallum sonat, nomen huic gemmæ datum. Marbodeus, lib. de lap. pret. cap 3.

Ventriculo galli qui testibus est viduatus,
Cum tribus ad minimum factus spado vixerit annis,
Nascitur ille lapis, cujus non ultima laus est,
Et per bis binos capit incrementa sequentes:
Hinc alectorio nomen posuere priores:
Mensuramque fabæ crescens excedere nescit:
Crystallo similis, vel aquæ, cum limpida paret.
Invictum reddit lapis hic quemcumque gerentem.
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præside vicit, &c.
Vt bona tot præstet, clausus portetur in ore.

28. *Quibus Milonem.*] De eo in Anthologia, lib. 3. cap. 2.

Μίλωνος τόδ' ἄγαλμα καλοῦ καλὸν, ὃς ποτε Πίσῃ
Ἑπτάκις νικήσας, ἐς γόνατ' οὐκ ἔπεσεν.
Pulcra hæc Milonis statua est, cui præmia septem
Pisa dedit lapso nec semel in genua.

29. *Androdamas.*] Ἀνδροδάμας, παρὰ τὸ τοὺς ἄνδρας δαμάζειν. Solinus hæc pariter totidem verbis, cap. 33. pag. 64. & Isidorus, lib. 16 Orig cap. 14. Marbodeus, cap. 5. addit in mari Rubro hunc lapidem inveniri.

30. *Magi putant.*] Sic Auctores proxime appellati.

31. *Argyrodamas.*] Vel argyradamas, quasi argenteus adamas: quod, ut androdamas, argenti nitorem habet.

32. *Antipathes.*] Ἀντιπαθής. Gemmæ ei nomen ex eo quod veneficiis resistere existimatur Ctesias apud Stobæum, sermone de morbis, λίθον ἀντιπαθῆ, e Mysiæ monte effossum, tritum impositumque ait lepram sanare ac vitiligines. Dioscoridi lib. 5. cap. 140. ἀντιπαθὲς corallium est coloris nigri.

33. *Arabica.*] Isidorus hæc quoque, lib. 16. Orig. cap. 14. Forte idem qui *Arabus lapis* superius appellatus est, *eburi similis*, lib. 36. sect. 41.

34. *Aromatites.*] Ἀρωματίτης, cui ab odoramentis nomen. Cæsalpinus existimat Ambram esse, *l'Ambre gris.*

35. *Asbestos.*] Ἄσβεστος, *cui nomen est*, inquit Solinus, cap. 7. pag. 22. *quod accensus semel extingui nequit.* Isidorus, lib. 16. cap. 4. Albertus, tract. 2. pag. 217. Marbodeus, cap. 7. Linum asbestinum, de quo lib. 19. sect. 4. fieri ex eo lapide in fila tenuia deducto, quod vulgo creditum est, falsum est.

36. *Aspilaten.*] In Indice *Aspisatis.* Incognita.

37. *Arabicarum alitum.*] Quas melancoryphos vocant, ut dictum est sect. 33.

38. *Contra lymphatum.*] Rectius forte, *contra lymphationes.* Sed nihil simile MSS. codices habent: in quibus clare, *radiantem cum Luna habitum habentium*, ut apparet, corrupte.

39. *Atizoen.*] Index, *Atizone*

40. *Regem constituentibus.*] MSS. omnes, *regum constitutionibus.*

41. *Augites.*] Αὐγίτης, cui a splendore, αὐγή, sive perspicuitate, nomen. De callaide, sect. 33.

42. *Amphitane.*] MSS. *Ampitanes.* Sed Index e probatissimis exemplaribus, *Aphidane*, nomine, ut videtur, barbarico. Habet hæc eadem, quæ Plinius, de chrysocolla, Isido-

micæ eruunt aurum, in qua invenitur auro similis quadrata figura: affirmaturque natura ejus, quæ magnetis: nisi quod trahere quoque aurum traditur. [43] Aphrodisiace ex candido rufa est. [44] Apsyctos septenis diebus calorem tenet excalfacta igni, nigra ac ponderosa, distinguentibus eam venis rubentibus. Putant prodesse contra frigora. [45] Ægyptillam Iacchus intelligit, [a] per alvum [46] sarda, nigraque venis transeuntibus: [47] vulgus autem in nigra radice cæruleam facit.

LV. [1] Balanitæ duo genera habent, subvirides, & Corinthii æris similitudine. Illa Coptos, hæc ex Troglodytica veniens, medias secante flammea vena. Coptos & [2] Batrachitas mittit: unam ranæ similem colore: [3] alteram ebeni [4]: tertiam rubentis e nigro. [5] Baptes, mollis alioqui, odore excellens. [6] Beli oculus albicans pupillam cingit nigram, e medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter speciem sacratissimo [7] Assyriorum Deo dicatur. Aliam autem quam Belum vocant, in Arbelis nasci, Democritus tradit, nucis juglandis magnitudine, vitrea specie. [8] Batoptenus, sive barippe, nigra, sanguineis & albis nodis: [9] aliis sacra dicitur, velut portentosa. [10] Botryites alia nigra est, [11] alia pinea, incipienti uvæ similis. Zoroastres crinibus mulierum similiorem [12] Bostrychiten vocat. [13] Bucardia bubulo cordi similis, Babylone tantum nascitur. [14] Bronte e capitibus testudinum tonitribus cadit: putantque ea restingui fulmine ictum, si credimus. [15] Bolæ nimbo inveniuntur, glebæ similitudine.

LVI. [1] Cadmitis eadem esset, quam Ostracitin vocant: nisi quod hanc cæruleæ interdum cingunt bullæ. Callaïs sapphirum imitatur, candidior, & [2] litoroso mari similis. [3] Capnitis quibusdam videtur suum genus habere, plurimis spiris fumida, ut suo loco diximus. [4] Cappadocia in Phrygia nascitur, ebori similis. Callaïnas vocant e turbido callaïno. Ferunt plures simul inveniri conjunctas. [6] Catochiris Corsicæ lapis est, ceteris major: mirabilis, si vera traduntur, impositam manum veluti gummi retinens. [7] Catopyritis e Cappadocia provenit. [8] Cepitis, sive cepolatitis, candida est, venarum nodis coëun-

Interpretatio.

a *Per alvum.*] Per medium discurrentibus venis rubris nigrisque.

Notæ.

rus, lib. 16. Orig cap. 14.

43. *Aphrodisiace.*] Quasi Veneris gemma, quod nomen vidimus cum aliis pariter communicatum, sect. 44. Achatæ speciem esse Dalecampius conjicit.

44. *Apsyctos.*] Sic etiam in Indice. Libri hactenus editi, *Absyctos*. Albertus M lib. 2. de miner. pag. 227. & Marbodeus, cap. 6. qui hæc totidem verbis referunt, *Absinthos* mendose, pro *Apsyctos* habent Isidorus, lib. 16 cap 11. item vitiose, *absectos*. Ἄψυκτος Græce intelligitur, qui refrigerari nequit, qui non inalgescit.

45. *Ægyptillam.*] Sic ab Ægypto Isidorus quoque appellat. Ugutio quoque in Glossario MS. *Ægyptilla, gemma, ab Ægypto, ubi invenitur.* Tamen in Indice *Ægypulla*. Reg. 2. Colb 3 & Fux. alii, *Agystilla*.

46. *Sarda nigraque.*] Sardæ gemmæ colorem rubrum esse superius vidimus, sect. 31. Locum hunc codicum ope sanavimus, Reg. 1. Colb. 3. Fux &c. Prius legebatur, *per album sarda nigraque vena transeunte.*

47. *Vulgus autem.*] Et Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 11. *Ægyptilla*, inquit, *nigra est radice, cærulea facie: ex Ægypto ubi invenitur, vocata.*

Sect. LV. 1. *Balanita.*] Hæc Isidorus ad verbum, lib. 16. Orig. cap. 14 A glandium forma, τῶν βαλάνων, & magnitudine, accepisse nomen videntur. Lapidem Judaicum nunc appellant, ovali figura ad similitudinem olivæ.

2. *Batrachitas.*] Βατραχίτης nomen habet a rana, βάτραχος, cujus colorem refert. Ex Ægypto afferri ait pariter auctor libri de simp. med. ad Patern. tom. 13. operum Galeni, pag. 995. Cum hoc nomine tantum, non natura convenit lapis qui in bufonis capite reperitur, vulgo *Crapaudine*, Græcis similiter, βατραχίτης λίθος.

3. *Alteram ebeni.*] Sic MSS. omnes. In editis, *ebori*, male.

4. *Tertiam rubentis*] Subintellige, coloris.

5. *Baptes.*] Sic libri omnes. Βαπτὸς Græce fucatus, sive tinctus intelligitur. Ambræ herbarum colore infectæ genus illud videtur.

6. *Beli oculus.*] Iisdem verbis hæc Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 10. *Beli oculus albicans pupillam cingit*, &c. Sic etiam MSS. omnes, non ut editi, *pingit*. Cingere autem dictum ibi pro delineare in orbem. Oculum catti seu felis nunc vocant, *Oeil de chat.*

7. *Assyriorum Deo.*] Isidorus, *Assyriorum regi Belo*, qui primus Assyriam tenuit, Nini pater. At Jovem ipsum Assyrii Belum vocant. Diosc. Sic lib. 2. Bibl. Δίος ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον.

8. *Batoptenus, sive barippe.*] In Indice, *Barice*.

9. *Aliis sacra.*] Sic MSS. omnes. Prius *alligata* legebatur. Sed & pro *nodis*, sitne *notis* legi aliquantu latius, viderint alii. Legit certe Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 11. *Baripeus*, inquit, *nigra est, cum sanguineis & albis notis.*

10. *Botryites.*] Βοτρυΐτης, ab uvæ sive racemi, τῆς βότρυος, similitudine.

11. *Alia pinea.*] Sic Reg. Colb. 3. ceterique omnes. Editi, *pampinea*.

12. *Bostrychiten*] Βοστρυχίτην, a cincinno mulierum, ἀπὸ τοῦ βοστρύχου. Gestari hunc lapidem ad aciem oculorum tuendam suadet Marcellus Empir. cap. 8 pag. 61.

13. *Bucardia.*] Βουκαρδία. Turchesiæ genus quoddam esse arbitrantur, figuræ cordis.

14. *Bronte e capitibus.*] Hunc locum ex MSS. codicum fide restituimus Totidem ferme verbis exscripsit Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

15. *Bolæ nimbo.*] Subintellige cadere, ex antecedentibus. Βῶλαι Græce glebas sonat.

Sect. LVI. 1. MSS. *Calemitis.*] Ostraciti ostrea nomen ob similitudinem dedere. Dicemus de ea inferius, sect. 65. num. 4

2. *Litoroso mari.*] Aquæ qua litora alluuntur. Callaidis e viridi pallens superius dicta est, sect. 33.

3. *Capnitis.*] Eadem paulo antea, sect. 37. Capnias appellata, in iaspidum generibus, *Est & veluti fumo infecta, quæ Capnias vocatur.*

4 *Cappadocia.*] Vide Notas & Emend num. XXIII. Nomen habet hæc gemma a Cappadocum officinis, in quibus ea poliri, unde Romam advehi solita olim est

5. *Callaïnas vocant e turbido callaïno.*] Hoc est, callaini coloris, qualis in gemma callaide, sed turbidi. Has voces porro, *vocant e turbido callaïno*, adjecimus e MSS. exemplaribus, cum a typis eæ abessent In Indice, *Callaina.* Ὀφθαλμοῦ καλλαΐνου tritum, dentibus denigratis, gingivisque stabiliendis, affricat Galenus, lib. 5. κατὰ τόπους, pag. 548.

6. *Catochitis.*] Κατοχίτης λίθος, a retinendo, παρὰ τὸ κατέχειν, nomen accepit. Succini species, seu bituminis videtur Solinus, cap. 3. pag 17. *Κατοχίτην vocant lapidem fama dignissimum. Major est ceteris, quo ad ornatum destinantur: nec tam gemma, quam cautes.* &c.

7. *Catopyritis.*] Subintellige, gemma.

8. *Cepitis*, &c.] Sic in indice hujus libri. MSS. hoc loco, *Cepitis*, sive *cepolatitis*. Ab horto, ἀπὸ τοῦ κήπου, appellationem trahere ea videtur, ob odorum varietatem.

tibus, candore imaginem regerens. [9] Ceramites, restæ colorem habet. [10] Cinædiæ inveniuntur in cerebro piscis ejusdem nominis, candidæ & oblongæ, eventuque mirandæ, si modo est] fides, præsagire eas habitum maris, nubilo colote aut tranquillitate. [11] Ceritis ceræ similis est: [12] Circos accipitri: [13] Corsoïdes canitiei hominis: [14] Coralloachates corallo aureis guttis distinctæ. Corallis minio similis gignitur in India & Syene. [15] Craterites inter chrysolithum & electrum colorem habet, prædura naturæ. Crocallis cerasum repræsentat. [16] Cytis circa Copton nascitur candida, & videtur intus habere [17] petram, quæ sentiatur etiam strepitu. [18] Chalcophonos nigra est, sed illisa æris tinnitum reddit, tragœdis, ut suadent, gestanda. [19] Chelidoniæ duorum sunt generum: [a] hirundinum colore: & altera parte purpureæ nigris interpellantibus maculis. [20] Chelonia oculus est Indicæ testudinis, vel portenrosissima Magorum mendaciis. [21] Melle enim colluram, & linguæ impositam futurorum scientiam præstare promittunt: quintadecima Luna, [b] & silenre, tota die: decrescenre vero, ante Solis ortum: ceteris diebus, a prima [22] in sextam horam. [23] Sunt & chelonitides testudinum similes, ex quibus ad tempestates sedandas multa vaticinantur. Ea vero, quæ sit aureis guttis, cum scarabæo decocta, & dejecta in aquam ferventem, tempestates moveti. [24] Chloritis herbacei coloris est, quam dicunr Magi inveniri in [25] motacillæ avis ventre, congenitam ei: fetroque includi jubent, ad quædam prodigiosa moris sui. [26] Choaspitis a flumine dicta est viridis, fulgoris aurei. [27] Chrysolampis in Æthiopia nascitur, pallida die, & in nocte ignea. [28] Chrysopis aurum videtur esse. [29] Ceponides in Æolidis Atarne, nunc pago, quondam oppido, nascuntur, multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias crystallinæ, alias iaspideæ. Sed & sordidis tantus est niror, ut imagines reddant, ceu specula.

LVII. [1] Daphniam Zoroastres morbis comitialibus demonstrat. [2] Diadochos beryllo similis est. [3] Diphyes duplex, candida ac nigra, mas ac femina, genitale utriusque sexus distinguente linea. [4] Dionysias nigra ac dura mixtis rubentibus maculis: ex aqua trita saporem vini facit, & ebrietati resistere putatur. [5] Dracontites, sive dracontia, e cerebro fit draconum: sed nisi viventibus abscisso numquam gemmescit, invidia animalis mori

INTERPRETATIO.

a *Hirundinum.*] Priores hirundinum colore: posteriores altera parte purpureæ, cum nigris maculis.

b *Et silente.*] Et interlunii die tota.

NOTÆ.

9. *Ceramites.*] Κέραμος testam sonat.

10. *Cinædiæ.*] Iisdem verbis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 10 Cinædi pisces superius appellati, lib. 32 sect. 53. De lapillis ejusmodi, vide quæ diximus lib. 29 sect. 38.

11. *Ceritis.*] Ἀπὸ τοῦ κηροῦ, a cera.

12. *Circos accipitri.*] Vide Notas & Emend. num XXIV.

13. *Corsoïdes.*] Κορσοειδὴς, a κόρση, quæ vox capillum Græce sonat, ἀπὸ τοῦ κείρειν.

14. *Coralloachates.*] De ea jam supra, sect. 54.

15. *Craterites.*] A prædura natura ei nomen, διὰ τὸ κρατερὸν, seu καρτερὸν εἶναι.

16. *Cytis*] Sic libri hujus Index, non, ut hoc loco typi, *cissites.* Ἀπὸ τοῦ κύειν, a conceptu, quasi gravida, sortita est hanc appellationem.

17. *Petram, quæ.*] Sic MSS. omnes. Libri editi, *partum quo.*

18. *Chalcophonos.*] Ad verbum hæc Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. Χαλκόφωνος, ab æris sonitu. Solinus, cap. 37. pag. 67. *Chalcophthongos resonat ut pulsa æra: pudice habitus, servat vocis claritatem.* Habet eadem Marbodeus, cap. 16. adjicitque esse nigri coloris.

19. *Chelidoniæ.*] Χελιδόνιαι. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 9. *Chelidonia ex hirundinum vocata colore: & duorum est generum: quarum una ex altera parte purpurea: & altera purpurea nigris intervenientibus maculis.* Christoph. Encelius, lib. 3. de re metall. & gemmis, cap. 44. visos a se lapides ait in ventriculis pullorum hirundinum, primo partu exclusorum, magnitudine seminis lini: quorum alter niger, rufus alter esset. Addit idem ad epilepsiam conferre.

20. *Chelonia.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. Marbodeus, cap. 19.

Indica testudo mittit lapidem Cheloniten,
Gratum purpureo, varioque colore nitentem.
Quem si sub lingua loto quis gesserit ore,
Posse Magi credunt hunc divinare futura.
Orto mane die sextam dumtaxat ad horam,
Tempore quo Luna succrescens cernitur orbis.
Sed Luna prima lapidis prædicta potestas
Totius fertur spatio durare diei.
Quinta post decimam concordant tempora prima.
At decrementi lunaris tempore toto
Ante diem lapidi tantum manet illa potestas.

21. *Melle enim.*] Mallem ego, *mane enim.* Nam Marbodeus, *Orto mane die:* de melle, nihil.

22. *In sextam horam.*] Quæ nobis duodecima est, sive meridies.

23. *Sunt & chelonitides.*] Testudinibus, ταῖς χελώναις, colore similes.

24. *Chloritis.*] A colore viridi, quem Græci χλωρὸν dicunt.

25. *Motacillæ avis.*] Quæ a crebra agitatione clunium & caudæ σεισοπυγὶς Græce & κίγκλος dicitur: Gallis, *Battemare, Lavandiere, Bergeronnette,* Bellon. lib. 7. cap. 10.

26. *Choaspitis*] A Choaspe fluvio, de quo lib. 6. sect. 31. Hæc Isidorus iisdem verbis, lib. 16 Orig. cap. 7.

27. *Chrysolampis.*] Sic libri omnes. Χρυσόλαμπις. Chrysopastum Solinus vocat, cap. 30. pag. 57. Chrysoprasium Marbodeus, cap. 13 Isidorus item, lib. 16. Orig. cap. 16: *Chrysoprasius Æthiopicus est, quem lapidem lux celat, prodit obscuritas.* Idem cap. 14 Chrysolampin appellat, atque iisdem verbis describit.

28. *Chrysopis.*] Χρυσῶπις, ab auri aspectu & specie. Sic MSS. omnes, & Index, non ut editi vulgo libri, *Chrysophis.* Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

29. *Ceponides*] Sic MSS. omnes hoc loco: in Indice variant: Ab horto, quem Græci κῆπον vocant, nomen traxit, ob colorum varietatem.

Sect. LVII. 1. *Daphniam.*] Δαφνίαν, quasi lauream.

2. *Diadochos.*] Διάδοχος, quasi berylli vicaria, eidemque substituta. Apud Albertum M. lib. 2 de miner. pag. 230 *Diacodos*, mendose. Marbodeus, cap 24.

Diadochos, perquam responsa petentibus aptus,
Dæmonis effigies varias ostendere fertur, &c.
Hunc autem perhibent similem fulgore beryllo, &c.

3. *Diphyes.*] Sic etiam Index: non *diphris.* Græcis διφυὴς, quasi biformis, aut ancipitis naturæ: quod utriusque sexus in se delineatum genitale exhibet.

4. *Dionysias.*] Διονυσιάς. Solinus cap. 37. pag. 67. *Dionysias fuscus est,* &c. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 21. Marbodeus, cap. 25.

Nigra micat rubeis Dionysia consita guttis.
Hanc in aqua tritam vinum fragrare loquuntur,
Et tamen ebrietas ipsius odore fugatur, &c.

5. *Dracontites.*] Sic Isidorus, lib. 16. Orig. cap 13. Albertus M. lib. 2. de mineral. tract. 2. pag 230. Solinus, cap. 30 pag. 56. *Excidiтur e cerebris draconum dracontias lapis, sed lapis non est, nisi detrahatur viventibus: nam si obeat prius serpens, cum anima simul evanescit, duritie soluta.*

se sentientis. Igitur dormientibus amputant. ⁶ Sotacus qui visam eam gemmam sibi apud regem scripsit, bigis vehi quærentes tradit: & viso dracone spargere somnifica medicamenta, atque ita præcidere. ⁷ Esse autem candore translucido, nec postea poliri, aut artem admittere.

LVIII. ¹ Encardia cognominatur & aristе: una, in qua nigra effigies cordis eminet: altera eodem nomine, viridi colore, cordis speciem repræsentat: tertia cor nigrum ostendit, reliqua sui parte candida. ² Enorchis candida est, divisaque fragmentis restium effigiem repræsentat. ³ Exebenum Zoroastres speciosam & candidam tradit, qua aurifices aurum poliunt. ⁴ Eristalis cum sit candida, ad inclinationes rubescere videtur. ⁵ Erotylos, eadem amphicome, & hieromnemon, a Democrito laudatur in argumentis divinationum. ⁶ Eumeces in Bactris nascitur, silici similis: sed capiti supposita visa nocturna oraculi modo reddit. ⁷ Eumithren Beli gemmam, sanctissimi Deorum sibi, Assyrii appellant, porracei coloris, superstitionibus gratam. ⁸ Eupetalos quatuor colores habet, cæruleum, igneum, minii, mali. ⁹ Euneos nucleo olivæ similis est, striata concharum modo, non adeo candida. ¹⁰ Eurotias situ videtur operire nigritiam. ¹¹ Ensebes ex eo lapide est, ex quo traditur Tyri in Herculis templo facta sedes, ex qua Dii facile [a] surgebant. ¹² Epimelas fit, cum candida gemma superne nigricat color.

LIX. ¹ Galaxiam aliqui galactiten vocant, similem proxime dictis, sed intercurrentibus sanguineis aut candidis venis. ² Galactitis ex Nilo, colore lactis est. Eamdem dicunt ³ leucogæam, & leucographiam appellant, & synophiten, tritam lactis succo ac sapore notabilem. ⁴ In educatione nutricibus lactis fecunditatem: infantium quoque alligata collo salivam facere dicitur, in ore autem liquescere. ⁵ Eamdem memoriam adimere dicunt. Mittit eam & Achelous amnis. ⁶ Sunt qui smaragdum albis venis circumligatum galactiten vocent. ⁷ Gallaica argyrodamanti similis est, paulo sordidior: inveniuntur autem binæ vel ternæ. ⁸ Gasidanem Medi mittunt, ⁹ coloris orobini, velut floribus sparsam. Nascitur & in Arbelis. ¹⁰ Hæc quoque gemma concipere dicitur, & intra se partum fateri concussa, concipere autem trimestri spatio. ¹¹ Glossopetra linguæ similis humanæ non in terra nasci dicitur, sed deficiente Luna cælo decidere, ¹² memoriæ quoque necessaria. Quod ne credamus, promissi quoque vanitas facit: Ventos enim ea comprimi narrant. ¹³ Gorgonia nihil aliud est, quam corallium: nominis causa, quod in duritiam lapidis mutatur. ¹⁴ Emollit maria. Fulminibus & typhoni resistere affirmant. ¹⁵ Ganiæam eadem vanitate inimicorum pœnas efficere promittunt.

LX. ¹ Heliotropium nascitur in Æthiopia, Africa, Africa, Cypro, porracei coloris,

INTERPRETATIO.

a *Surgebant.*] Eminebant, exstabant.

NOTÆ.

6. *Sotacus.*] Solini paraphrasis, loc. cit. *Auctor Sotacus gemmam hanc etiam visam sibi scribit, & quibus intercipiatur modis, edocet. Præstantissimi audacia viri explorant anguium foveas, & receptus: inde præstolati ad pastum exeuntes, prætervectique pernicis cursibus, obiiciunt gramina medicata, quantum potest, ad incitandum soporem: ita somno obsopitis, e capitibus exsecant lapides,* &c. Tradit hæc pariter Isidorus, loc. cit.

7. *Esse autem.*] Isidorus, loc. cit.

Sect. LVIII. 1. *Encardia ... & ariste*] Sic Reg. 2. Colb. 3. aliique, & Index: non, ut editi libri, *& cardisce.* Ἐγκαρδία nomen, habet a similitudine cordis. Turchesiæ genus videtur esse.

2. *Enorchis.*] Ἔνορχις, a testium, τῶν ὄρχεων, figura.

3. *Exebenum*] Isidorus hæc totidem verbis, lib. 16. Orig. cap. 10. Ἐξέβενος.

4. *Eristalis.*] In MSS. hoc loco, *Eristille.* Forte, *erythria*, a rubro colore quem exhibet, cum inclinatur.

5. *Erotylos*] In Indice, *Erotillos*, *sive amphicome*, &c. In MSS Reg. & Colb. hoc loco, *Erichilos.* Forte ἱερόχειλος, a labiis, ἀπὸ τῶν χειλῶν, in divinatione futurorum aperiendis. Eadem ἀμφίκομος, quasi pulcre comata: & ἱερομνήμων, rerum sacrarum abditarumque designatrix gemma.

6. *Eumeces.*] Εὐμήκης, gemma procera, prælonga.

7. *Eumithren.*] Videtur ex hoc loco Mithres, ut apud Persas Solo, sic Beli apud Assyrios nomen fuisse.

8. *Eupetalos.*] Εὐπέταλος Græce virescens intelligitur.

9. *Euneos.*] Εὔνεος. Sic & in Indice, & hoc loco MSS. omnes.

10. *Eurotias.*] Nomen habet ex argumento: nam εὐρῶτα Græci situm vocant, cariem, putredinem: εὐρωτιάω, putresco.

11. *Eusebes.*] Εὐσεβὴς, religiosa, & sacris dicata gemma.

12. *Epimelas.*] Ἐπιμέλας, nigricans. Utitur hac voce Theophrastus.

Sect. LIX. 1. *Galaxiam.*] A recto *Galaxias*, ut in Indice. Γαλαξίας idem qui Μόροχθος inferius, sect. 63. lacte sudare dicitur. Dioscor. lib. 5. cap. 152. Λίθος μόροχθος, ὃν ἔνιοι γαλαξίαν, &c.

2. *Galactitis ex Nilo, colore lactis est.*] Hoc est, succum emittit, cum subigitur, colore lactis. Diosc. lib. 5. cap. 150. Vide Notas & Emend. num. XXV.

3. *Leucogæam*, &c.] Λευκογαίαν, λευκογραφίαν, συνοφίτην.

4. *In educatione*] Orpheus, de lapid. tit. Γαλακτίτης. Solinus, cap. 7. pag 22. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 10. Albertus M de mineral. pag. 232.

5. *Eamdem memoriam.*] Auctores proxime appellati, & Marbodeus, cap. 32.

6. *Sunt qui smaragdum*] Isidorus, loc. cit.

7. *Gallaica.*] Sic libri omnes, etiam MSS.

8. *Gasidanem.*] Index, *Gassidana.* MSS. hoc loco, *Gassinaden*, voce Magorum propria, non Græci Latinive oris.

9. *Coloris orobini.*] Hoc est, ervi: nam ὄροβος ervum est.

10. *Hæc quoque gemma.*] Perinde atque aëtites, de quo lib. 36 sect. 39.

11. *Glossopetra.*] Solinus, cap. 37. pag. 67. *Glossopetra deficientibus Lunis cælo cadit, linguæ similis humanæ: non modicæ, ut Magi ferunt, potestatis, quæ ex ea lunares motus excitari putant*, hoc est, ventos. Sic etiam Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

12. *Memoriæ quoque.*] Sic Reg. 2. Colb. 3. & alii. In editis insulse, *& lenocinantis necessaria creditur.*

13. *Gorgonia.*] Γοργονία. Inde factum nomen, quod in duritiam lapidis verteretur, uti iis fabulæ ferunt contigisse, qui Gorgonis caput inspicerent. Nomen id corallio datum a Metrodoro, si Solino credimus.

14. *Emollit maria.*] Vide Notas & Emendationes, num. XXVI.

15. *Ganiæam.*] Sic Index. MSS. hoc loco discrepant. Reg. 2. *Ganiom.* Colb 3. *Ganem.* Editi libri vulgo, *Gemanta.*

Sect. LX. 1. *Heliotropium*] E genere est illius gemmæ, quam nostri nunc vocant, *Prime-d'emeraude.* Solinus hæc totis

ſanguineis venis diſtincta. [1] Cauſa nominis, quoniam dejecta in vas aquæ, fulgorem Solis accendit ſanguineo repercuſſu, maxime Æthiopica. [3] Eadem extra aquam ſpeculi modo Solem accipit, deprehenditque defectus, ſubeuntem Lunam oſtendens. [4] Magorum impudentiæ vel manifeſtiſſimum hoc quoque exemplum eſt, quoniam admixta herba heliotropio, quibuſdam quoque additis præcantationibus, gerentem conſpici negent. [5] Hephæſtitis quoque ſpeculi naturam habet in reddendis imaginibus, quanquam rutilans. Experimentum eſt, ſi ferventem aquam addita ſtatim refrigeret: [6] aut ſi in Sole addita aridam materiam accendat. [7] Naſcitur in Coryco. [8] Horminodes, ex argumento viriditatis in candida gemma vel nigra, & aliquando pallida, ambiente circulo aurei coloris, appellatur. [9] Hexecontalithos in parva magnitudine multicolor, hoc ſibi nomen adoptavit. Reperitur in Troglodytica regione. [10] Hieracitis alternat milvinis nigriſque veluti plumis. [11] Hammitis ovis piſcium ſimilis eſt, [12] & alia velut nitro compoſita, prædura alioqui. [13] Hammonis cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiem reddens, promittitur prædivina ſomnia repræſentare. [14] Hormeſion inter gratiſſimas aſpicitur, ex igneo colore radians auro, portante ſecum in extremitatibus candidam lucem. [15] Hyæniæ ex oculis hyænæ, [16] & ob id invaſæ, inveniri dicuntur: [17] &, ſi credimus, linguæ hominis ſubditæ futura præcinere. [18] Hæmatites in Æthiopia quidem principalis, ſed & in Arabia & Africa invenitur, ſanguineo colore, non omittenda [a] [19] promiſſis ad coarguendas barbarorum inſidias. Zachalias Babylonius in his libris quos ſcripſit ad regem Mithridatem, humana gemmis attribuit fata: hanc non contentus oculorum & jocinerum medicina decoraſſe, a rege etiam aliquid petituris dedit, & litibus judiciiſque interpoſuit: in præliis etiam ex ea ungi ſalutare pronunciavit. Eſt & alia ejuſdem generis, quæ vocatur Menui ab Indis, [20] xanthos appellata Græcis, e fulvo candicans.

LXI. [1] Idæi dactyli in Creta, ferreo colore pollicem humanum exprimunt. [2] Icterias aliti lurido ſimilis, ideo exiſtimatur ſalubris contra regios morbos. Eſt & alia eodem nomine liquidior. Tertia folio viridi ſimilis, latior prioribus, pæne ſine pondere, venis luridis. Quartum genus in eodem colore nigris venis diſcurrentibus. Jovis gemma candida eſt, non ponderoſa, tenera. Indica gentium ſuarum habet nomen, ſubruſo colore, in attritu ſudorem purpureum manat. Alia eodem nomine candida, pulvereo aſpectu. [3] Ion apud Indos violacea eſt, [4] ſed raro ſaturo colore lucet.

INTERPRETATIO.

a *Promiſſis.*] Ob promiſſa Magorum, utilem fore hunc lapidem ad detegendas inſidias.

NOTÆ.

dem verbis, cap. 27. pag. 52. Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. Marbodeus, cap. 34. de heliotropio:

Hanc nunc Æthiopes, nunc Cyprus, & Africa mittit:
Sanguinis aſperſam guttis, ſimilemque ſmaragdo.

2. *Cauſa nominis.*] Marbodeus, loc. cit.

Ex re nomen habens eſt Heliotropia gemma,
Quæ Solis radiis in aqua ſubjecta batillo,
Sanguineum reddit mutato lumine Solem,
Eclipſimque novam terris effundere cogit.

Habet hæc pariter Solinus, & Iſidorus, locis citatis. Albertus item de mineral. pag. 230.

3. *Eadem extra aquam.*] Iſidorus, loco cit.

4. *Magorum*, &c.] Solinus, Iſidorus, Albertus, Marbodeus, locis cit.

5. *Hephæſtitis.*] Totidem verbis Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. Ἡφαιςίτις, quaſi gemma Vulcania.

6. *Aut ſi in Sole.*] *Aut ſi Soli oppoſita*, Iſidorus.

7. *Naſcitur in Coryco.*] Cum hæc raptim curſimque Marbodeus legeret, vidiſſe ſe *in Corintho* credidit, itaque cecinit, cap. 35.

Naſcitur in bimari, pretioſior ære, Corintho
Dictus Hephæſtites rutilans lapis, & rubicundus:
Qui ſi ferventi fuerit conjectus aheno,
Ignibus exſultans prius, illico ſiſtitur unda,
Frigida poſt modicum lapidis virtute futura.

Iſidorus *in Coryco* legit.

8. *Horminodes.*] A ſimilitudine nimirum cum hormino: ὅρμινον Græci vocant herbæ genus, de quo diximus lib. 18. ſect. 22. MSS. tamen omnes hoc loco *hermeodes* exhibent.

9. *Hexecontalithos.*] Solinus, cap. 31. pag. 58. de Troglodytis: *Tantum lapide uno gloriantur, quem Ἑξηκοντάλιθον nominamus, tam diverſis notis ſparſum, ut ſexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendantur.* Hæc totidem verbis Marbodeus, cap. 37. Albertus, pag. 231. Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 12.

10. *Hieracitis.*] Ab ἱέραξ, quæ vox accipitrem & milvum ſonat. Ἱερακίτης λίθος, Aetio, libro 2. cap. 30. ex MS. cod. ὑπόχλωρος μέν ἐςι, καὶ ὥσπερ τὸ μέλαν ἐντετραμμένον, ἐπιτρεχόμενος χροιαῖς ἑτέραις, ὡς ποικίλος εἶναι, ὡς φησὶ Διονύσιος ἐν τῷ περὶ λίθων. *Lapis ſubviridis, ad nigredinem vergens, aliiſque ſubinde alternatis coloribus toto corpore interſtinctus, ut varii coloris dici poſſit.*

11. *Hammitis.*] Quod ἄμμος, hoc eſt, ſabulum vix mole ſuperet, aut quod eodem recidit, piſcium ova.

12. *Et alia velut nitro.*] *Hammites ſimilis nitro, ſed durior*, inquit Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 4. *Gignitur in Æthiopia & Arabia;* &c.

13. *Hammonis cornu.*] Vel ex hoc loco intelligitur Jovis Hammonis effigiem cornu arietinum in fronte geſtaſſe, quale in nummo Cyrenæorum argenteo conſpicitur, qui ubique eſt obvius.

14. *Hormeſion.*] In Indice *hormiſion.* Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 13. *Ermiſcion*, mendoſe: alioqui cetera de gemma ea totidem verbis refert.

15. *Hyænia ex oculis.*] Solinus, cap. 27. pag. 52. Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. Albertus M. de mineral. pag. 232.

16. *Et ob id invaſæ.*] Et ob id quæſitæ venatu, ut dictum eſt de draconitide lapide, ſect. 57.

17. *Et ſi credimus.*] Solinus, & Iſidorus, locis citatis. Item Marbodeus, cap. 33.

18. *Hæmatites.*] Ille nimirum, de quo jam ſuperius dictum eſt, lib. 36. ſect. 25. Hæc iiſdem fere verbis, Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 8. & Marbod. cap. 36.

19. *Promiſſis.*] Plinii interpres Iſidorus, loc. cit. de hæmatite: *De qua promittunt Magi quiddam ad coarguendas barbarorum inſidias.*

20. *Xanthos*] De ea diximus ſect. 45. Vide & Theophr. lib. περὶ λίθων, pag. 8.

Sect. LXI. 1. *Idæi dactyli.*] Ἰδαῖοι δάκτυλοι. Totidem verbis hæc Solinus, cap. 11. pag. 30. & Iſidorus, lib. 16. Orig. cap. 4. Ab Ida monte Cretenſi, ex quo eruuntur, cognomen habent: nomen a forma digiti pollicisve.

2. *Icterias aliti lurido*] Galgulo, quem ἴκτερον Græci vocant, communi cum morbo regio, ſive arquato, appellatione. In MSS. aliter hæc leguntur, ſed corrupte, credo: *Icterias mali cute, aureis mamillis: ideo*, &c.

3. *Ion.*] Ἴον viola nigra Græcis.

4. *Sed raro.*] In MSS. Reg. 2. Colb. 3. Fux. &c. *Rarum in alio colore lucent.*

LXII. [1] Lepidotis squamas piscium variis coloribus imitatur. Lesbias Lesbi patriæ nomen habens: invenitur & in India. [2] Leucophthalmos rutila alias, oculi speciem candidam, nigramque continet. [3] Leucopœcilos candorem lineis ex auro distinguit. [4] Libanochrus thuris similitudinem ostendit, sed succum mellis. [5] Limoniatis eadem videtur, quæ
5 smaragdus. [6] De lipare hoc tantum traditur, suffita ea omnes bestias evocari. Lysimachus Rhodio marmori similis est aureis venis: politur ex marmore, amplitudine in angustias coëunte, ut inutilia exterantur. [7] Leucochrysos sicut crystallus albicat.

LXIII. Mennonia qualis sit, non traditur. [1] Medea nigra est, a Medea illa fabulose inventa: habet venas aurei coloris: sudorem reddit croci, saporem autem vini. [2] Meconi-
10 tes papaver exprimit. [3] Mithrax a Persis accepta est, & Rubri maris montibus: multicolor, contra Solem varie refulgens. [4] Morochites porracea, lacte sudat. [5] Morio in India, quæ nigerrimo colore translucet, vocatur Pramnion: in qua miscetur & carbunculi colos, Alexandrinum; ubi sardæ, Cyprium. Nascitur, & in Tyro, & in Galatia. Xenocrates & sub Alpibus nasci tradit. Hæ sunt gemmæ, quæ [6] ad ectypas scalpturas aptantur.
15 [7] Myrrhites myrrhæ colorem habet, facie minima gemma: odorem attrita, etiam nardi. [8] Myrmecias nigra habet eminentias similes verrucis. [9] Myrsinites melleum colorem habet, myrti odorem. [10] Mesoleucos est, mediam gemmam candida distinguente linea. Mesomelas, nigra vena quamlibet colorem secante per medium.

LXIV. [1] Nasamonitis est sanguinea, nigris venis. [2] Nebritis Libero Patri sacra, no-
20 men traxit a nebridum ejus similitudine. Sunt & aliæ nigræ generis ejusdem. Nympharena urbis & gentis Persicæ nomen habet, similis hippopotami dentibus.

LXV. [1] Olca barbari nominis, e nigro fulvoque, & candido placet. [2] Ombria, quam aliqui notiam vocant, sicut ceraunia & brontia, cadere cum imbribus & fulminibus dicitur: eumdemque effectum habere, quem brontia, narratur. Præterea in aras addita ea,
25 libamenta non amburi. [3] Oritis globosa specie, a quibusdam & sideritis vocatur, ignem non sentiens. [4] Ostracias, sive Ostracitis, est testacea durior: altera achatæ similis, nisi quod achates politura pinguescit: duriori tanta inest vis, ut aliæ gemmæ scalpantur fragmentis ejus. Ostracitidi ostrea nomen & similitudinem dedere. [5] Ophicardelon barbari vocant, nigrum colorem binis lineis albis includentibus. [6] De Obsidiano lapide disimus
30 superiore libro. Inveniuntur & gemmæ eodem nomine ac colore, non solum in Æthiopia Indiaque, sed etiam [7] in Samnio, ut aliqui putant, & in litoribus Hispaniensis Oceani.

LXVI. [1] Panchrus fere ex omnibus coloribus constat. [2] Pangonius non longior digito, ne crystallus videatur, numero plurium angulorum cavet. [3] Paneros qualis sit, a
35 Metrodoro non dicitur: sed carmen Timaridis reginæ [4] in eadem dicatum Veneri non

NOTÆ.

Sect. LXII. 1. Λεπιδωτὸς, vel λεπιδωτὶς, squamosa.

2. *Leucophthalmos.*] Λευκόφθαλμος.

3. *Leucopœcilos.*] Λευκοποίκιλος, candore alternato. Vide Notas & Emend. num. XXVII.

4. *Libanochrus.*] Λιβανόχρυς, a thuris colore.

5. *Limoniatis.*] Λειμωνιάτης λίθος, a virore pratensi.

6. *De lipare.*] Marbodeus, cap. 42.

Partibus in Lybycis lapis est Lipares vocitatus,
Ad quem sponte sua properat genus omne ferarum,
Quas venatorum satis labor exagitare:
Non eget ergo canum morsu, curave sagaci,
Saltus perlustrans, lapidem qui gesserit istum,
Sternenda satis est venabula tollere prædæ.

Vide & Isidorum lib. 16. Orig. cap. 14. & Albertum, de mineral. 233. Λιπαρὴ Græce opimam & pinguem sonat.

7. *Leucochrysos.*] Λευκόχρυσος. Nomen indicat gemmam aurei coloris, quæ in crystalli modum albicet. In libris hactenus vulgatis sic legebatur: *Leucochrysos fit chrysolitho intervalbicante*, contra omnium MSS. fidem.

Sect. LXIII. 1. *Medea*, &c.] Hæc verbis totidem Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 11.

2. *Meconites.*] Μήκωνα Græci papaver nuncupant. Hæc pariter Solinus, cap. 37. pag. 67. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

3. *Mithrax a Persis.*] Qui Solem ipsum Mithran vocant, ut Strabo prodidit, lib 15. Hinc vetustæ inscriptiones passim: SOLI INVICTO. MITHRAE. Tamen Herodotus, lib. 1. Clio, Mitram dicit a Persis Venerem fuisse appellatam. Hæc gemma dicitur a Solino, loc. cit. & Isidoro, lib. 16. Orig. cap. 12. *Mithridax*, mendose. Pliniani omnes libri, *Mitrax* habent.

4. *Morochitis.*] Sic libri omnes. Morochitis gemma, inquit, quanquam per se porracea, viridisque, trita tamen candicat. Vide Notas & Emend. num. XXVIII.

5. *Morio in India.*] Indicum id barbaricum vocabulumque esse significat: Græca, quæ subsequuntur: πράμνιον, &c.

6. *Ad ectypas scalpturas.*] Ad scalpturas imaginum, quæ ceræ apprimuntur. Diximus de ea voce *ectypon*, lib. 35. sect. 43

7 *Myrrhites.*] Solinus, cap. 37. pag. 67. Priscianus, in Periegesi, pag. 393.

Myrrhitenque, bonum nardi cum reddat odorem.

8 *Myrmecias.*] Μυρμηκίας, a similitudine verrucæ, quam Græci μυρμηκίαν nuncupant.

9. *Myrsinites.*] Ab odore myrti, quæ Græcis μυρσίνη.

10. *Mesoleucos.*] Μεσόλευκος & μεσόμελας, contrariis ex causis habent nomina, ut apparet. Ista apud Isidorum, lib. 16. Orig. cap. 21. mendose *Meramelas* appellatur.

Sect. LXIV. 1. *Nasamonites.*] Solinus, cap. 27. pag. 52. *Nasamoniten lapidem Nasamones dant, sanguineum universum, nigris venulis adumbratum.*

2 *Nebritis.*] A pellium cervinarum similitudine, quas νεβρίδας appellabant, quibus usus olim Bacchus, ac deinde qui sacris ejus initiati. Vide Suidam, & Mythologos.

Sect. LXV. 1. *Olca.*] Sic MSS. Sic Isidorus ipse hæc transscribens, lib. 16. Orig. cap. 1. In editis, male, *Orca*.

2. *Ombria, quam aliqui notiam*] Ὀμβρία ab imbribus: ab humido Noto, Austrove, Νοτία appellata est.

3 *Oritis*] Quod globosa specie montis effigiem referat, τοῦ ὄρους. Plura de ea vide apud Marbod. cap. 47.

4. *Ostracitis*, &c.] Hæc verbis totidem Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. Ὄστρακον ostreorum testam Græci dixere.

5. *Ophicardelon.*] Barbara, ut Plinius prodit ipse, vox: non originationis Græcæ.

6. *De Obsidiano....*] Libro 36. sect. 67.

7. *In Samnio, ut aliqui putant.*] Xenocratem intelligit, quem clare testem ejus rei appellavit, loco proxime citato.

Sect. LXVI. 1. *Panchrus*] Πάγχρουν, quasi *omnicolor*. Mendose *Pantheros* legitur apud Albertum, de mineral. pag. 235 & apud Marbodeum, cap. 49.

2. *Pangonius*] Παγγώνιος, omniangulus, ab omni parte angulos habens: cum sint tantum sexti crystallo.

3. *Paneros.*] Πανέρως, omni amore digna.

4. *In eadem.*] In eadem gemma insculptum, dicatum

inelegans

inelegans ponit, ex quo intelligitur additam ei fecunditatem. Quidam hanc [5] panfebaston vocant. [6] Ponticarum plura sunt genera. Est stellata nunc sanguineis, nunc auratis guttis, [7] quæ inter sacras habetur. [8] Alia pro stellis ejusdem coloris lineas habet, alia montium convalliumque effigies. [9] Phloginos, quem & chrysiten vocant, [10] ochræ Atticæ assimilata, invenitur in Ægypto. [11] Phœnicitis ex balani similitudine appellatur. [12] Phycitis, algæ. [13] Perileucos, fit ab ora gemmæ ad radicem usque candido descendente. [14] Pæantides, quas quidam gemonidas vocant, prægnantes fieri & parere dicuntur, medentque parturientibus. [15] Nam tales in Macedonia juxta monumentum Tiresiæ inveniuntur, specie aquæ glaciatæ. 5

LXVII. [1] Solis gemma candida est, & ad speciem sideris in orbem fulgentes spargit radios. [2] Sagdam Chaldæi adhærescentem navibus inveniunt, prasini coloris. Samothracia insula ejusdem nominis gemmam dat nigram, ac sine pondere, ligno similem. [3] Sauritin in ventre viridis lacerti arundine dissecti tradunt inveniri. [4] Sarcitis bubulas carnes repræsentat. [5] Selenitis ex candido translucet melleo fulgore, imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies singulos, crescentis minuentisque numeris: [6] nascitur in Arabia. [7] Sideritis ferro similis, litigio illata discordias facit: quæque nascitur in Æthiopia [8] Siderpœcilos, ex ea fit, variantibus guttis. Spongitis spongiæ nomen repræsentat. Synodontitis e cerebro piscium est, [9] qui synodontes vocantur. [10] Syrtides in litore Syrtium, jam quidem & in Lucania inveniuntur, e melleo colore croco refulgentes: intus autem stellas continent languidas. [11] Syringitis stipulæ internodio similis, perpetua fistula cavatur. 10 15 20

LXVIII. [1] Trichrus ex Africa nigra est, sed tres succos reddit, a radice nitrum, medio sanguinem, summo ochram. [2] Telirrhizos cinerei coloris aut rufi, candidis radicibus spectatur. Telicardios colore cordis. Persas, apud quos gignitur, magnopere delectat: muchulam appellant. [3] Thracia trium generum est, viridis, aut pallidior, tertia sanguineis

NOTÆ.

que Veneri, nec inelegans: unde intelligitur dotem ei gemmæ aliquam ad fecunditatem inesse.

5. *Panfebaston.*] Πανσέβαστον, omnino augustam. MSS. Reg. & Colb. *panebaston.* In Indice, *pederastos*, quod sincerius videtur.

6. *Ponticarum.*] Nomen habent a Ponto, unde advehuntur. Hæc quoque Solinus, cap. 13. pag. 33. Harum icones Aldrovandus exhibet, lib. 4. de metall. cap. 578. Vide Notas & Emend. num. XXIX.

7. *Quæ inter sacras.*] Quoniam, ut Isidorus ait, lib. 16. Orig. cap. 14. *dicunt per eam interrogari dæmones, & fugari.*

8. *Alia pro stellis.*] Solinus, loc. cit. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 12.

9. *Phloginos.*] Φλόγινος flammeum sonat, χρυσίτης auri colorem igneum.

10. *Ochræ Atticæ assimilata.*] Hoc est, sili Attico, de quo dictum est lib. 33. sect. 56. Prius legebatur, *ostreæ Atticæ*, ridicule. MSS omnes, *ostracia.* Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 4. mendose, *ocrea.*

11. *Phœnicitis*] Φοίνιξ palmulam quoque significat, hoc est, palmæ fructum, quem & balanum, seu glandem vocant.

12. *Phycitis.*] Φῦκος, alga.

13. *Perileucos.*] Περίλευκος, circumductum in orbem candorem indicat.

14. *Pæantides.*] Pæanitem lapidem appellat Solinus, cap. 9. pag. 27. Marbodeus, *Peanitem*, cap. 51.

Gignitur in Macedûm regione lapis Peanites,
Femineos sexus referens imitando labores:
Sed quibus ex causis dubium: nam tempore certo
Concipit, & parit, & parientibus auxiliatur,
Ultima quas vexat dubii discriminis hora.

MSS. omnes, *Peanides.* Forte a Macedoniæ regione Pæonia, *Pæonides* appellandæ. Quod ad alterum nomen spectat, non *gemonidas* MSS. codices, tum hoc loco, tum in Indice, sed *geanidas* repræsentant.

15. *Nam tales.*] Solinus, loco citato.

Sect. LXVII. 1. *Solis gemma.*] Solinus, iisdem verbis, c. 37. p. 67. & Isidorus, lib. 16. Orig. c. 10. Photius, in Bibl. cod. CCLII. pag. 1065. ex Damascio: [illegible] *Solarem etiam lapidem ait se vidisse, non qualem multi vidimus, radios ex se se aureos emittentem: sed Solis effigie discum in medio lapide esse, & inde globum ignis videri, ab eoque radios exsilire usque ad circumferentiam: esse enim globosum integrumque lapidem.*

2. *Sagdam.*] De sagda multo plura Solinus, cap. 37. pag. 65. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 7. Marbodeus, c. 58.

Difficilis gemmas super omnes Sagda reperta,
Est autem morsu natis sic fixa tenaci,
Quod nequit abrasa ligni sine parte revelli.
Huic prasinus color est: regio, Chaldæa tellus.

Prasinus color idem, qui porraceus, viridisque: πράσινος.

3. *Sauriten.*] Habet a lacerto nomen, quem σαύραν vocant.

4. *Sarcitis.*] ἀπὸ τῆς σαρκός, a carne nomen.

5. *Selenitis.*] Σεληνίτης, a Luna, quæ Græce σελήνη. Refert hæc iisdem verbis Augustinus, lib. 21. de Civit. Dei, cap. 5. Solinus, cap. 37. pag. 67. Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 10. Marbodeus, cap. 57. Priscianus in Periegesi, pag. 393.

Atque Selenites, lunaris imagine lucis,
Quis decus & numen proprii splendoris, & auget.

De lapide selenite, Diosc. lib. 5. cap. 159. sed oratione perobscura, atque, ut quidem suspicamur, mutila. Photius, in Bibl. cod. CCXLII. pag. 1065. ex Damascio: Καὶ δὴ Σεβῆρος, ἀνὴρ τῶν Ῥωμαίων Πατρίκιος, ἄλλα τε διηγεῖτο ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συνδιατρίβων, καὶ ὅτι λίθον ἰδεῖν, ἐν ᾧ Σελήνη [illegible] *Severus Patricius Romanus tum alia multa narrabat, dum Alexandriæ degeret, tum se vidisse lapidem, in quo Lunæ effigies essent, varie formam mutantis, ad Solem crescentis, minuentisve: & in eodem lapide Sol inerat: quare ii lapides Synodica vocati, quasi* comites viæ. Συνοδικὴ σελήνη, Luna coiens est. Apud Photium alia ejusmodi vide.

6. *Nascitur in Arabia.*] Isidorus, & Marbodeus, locis citatis, *in Perside.*

7. *Sideritis.*] Σιδηρῖτις a colore ferri. Solinus, cap. 37. pag. 67. *Siderites a contemplatione ferri nihil dissonat: verum maleficus quoque infertur, discordiam excitat.* Sic & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

8. *Siderpœcilos ex ea fit.*]. Hoc est, sideritis alias quidem persimilis est, sed præterea variis est aspersa guttis, unde nomen σιδηροποίκιλος.

9. *Qui synodontes.*] Συνόδοντες Græcis poëtis apud Athenæum, lib. 1. pag. 5. & lib. 7. pag. 322. Denticem Latine Gaza reddidit. Et denticem certe piscem cum aurata & mugile laudat Apicius, lib. 4. cap. 2. pag. 17. Italis *Dentale*: Massiliensibus *Dente*: inGallia Narbonensi, *Marme*. Sic Rondeletius, lib. 5. cap. 19. apud quem iconem piscis hujus vide.

10. *Syrtides.*] Solinus, cap. 2. pag 16. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 13. totidem verbis. In Indice *Syrtitis.*

11. *Syringitis.*] Quidquid fistulosum est & cavernosum, σύριγγα Græci nuncupant.

Sect. LXVIII. 1. *Trichrus*] Τρίχρους a triplici succo, seu colore. Vide Notas & Emend. num. XXX.

2. *Telirrhizos.*] Τελείρριζος, quasi perfecta radix. Τελεικάρδιος a similitudine cordis absoluta. Persæ barbarico nomine muchulam (sic enim ex Indice rescribendum, pro *mochulam*) appellabant.

3. *Thracia.*] Sic libri editi hactenus, & Index ipse. At

guttis. [4] Tephritis novæ Lunæ speciem habet curvatæ in cornua, quamvis cinerei coloris. [5] Tecolithos oleæ nucleus videtur: neque est ei gemmæ honos, sed unguentium calculos frangit pellitque.

LXIX. [1] Veneris crinis nigerrimi nitoris continet speciem rufi crinis. [2] Veientana Italica gemma est, Veiis reperta, nigram materiam distinguente limite albo.

LXX. Zanthenem in Media nasci Democritus tradit, electri colore, & si quis terat in vino palmeo, & croco, ceræ modo lentescere, odore magnæ suavitatis. [1] Zmilampis in Euphrate nascitur, Proconnesio marmori similis, medio colore glauco. [2] Zoranisceos in Indo flumine nascitur: Magorum gemma esse narratur: neque aliud amplius de ea.

CAP. XI. LXXI. Est etiamnum alia distinctio, quam equidem fecerim, subinde variata expositione. Siquidem a membris corporum habent nomina: [1] hepatitis a jocinere: steatitis singulorum animalium adipe numerosa. [2] Adadunephros, ejusdem oculus, ac digitus Dei: & hic colitur a Syris. Triophthalmos cum onyche nascitur, tres hominis oculos simul exprimens.

LXXII. [1] Ab animalibus cognominantur, carcinias marini cancri colore, echitis viperæ, scorpitis scorpionis [2] aut colore, aut effigie: scaritis scari piscis, triglitis mulli, [3] ægophthalmos caprino oculo: [4] item alia suillo: & [5] a gruis collo geranitis, hieracitis accipitris. Aëtitis a colore [6] aquilæ candicante cauda. [7] Myrmecitis innatam repentis formicæ effigiem habet, scarabæorum cantharias. [8] Lycophthalmos quatuor est colorum, ex rutilo sanguinea: in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia similis. [9] Taos pavoni est similis, item aspidi, [10] quam vocari chelidoniam invenio.

LXXIII. [1] Arenarum similitudo est in hammochryso, velut auro arenis mixto. [2] Cenchritis milii granis velut sparsis. Dryïtis e truncis arborum: hæc & ligni modo ardet. Cissitis in candido perlucet ederæ foliis, quæ totam tenent. [3] Narcissitis venis & odore distincta. Cyamea nigra est, sed fracta ex se fabæ similitudinem parit. Pyren ab olivæ nucleo dicta est: huic aliquando inesse piscium spinæ videntur. [4] Chalazias grandinum & candorem & figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in ignem additæ manere suum frigus: [5] Pyritis nigra quidem, sed attritu digitos adurit. Polyzonos nigra multis zonis candicat. [6] Astrapiæ in nigro aut cyaneo, discurrunt e medio fulminis radii. [7] In phlogitide intus ardere quædam videtur flamma, quæ non exeat. [8] In anthracitide scintil-

NOTÆ.

MSS. hoc loco *Tragia*, a τράγος. quæ vox hircum sonat.

4. *Tephritis.*] A colore cinereo: τέφρα Græce cinis.

5. *Tecolithos.*] Τηκόλιθος. ab attenuandis in vesica calculis. παρὰ τὸ τήκειν τοὺς λίθους. Lapidem Judaicum appellant, Dioscorides, lib. 5. cap. 155. Aetius, lib. 2. cap. 19. aliique. Vide Notas & Emend. num. XXXI.

Sect. LXIX. 1. *Veneris crinis.*] Solinus, cap. 37. pag. 67. *Veneris crinis nitet nigro, internis ductibus ostentans rufororum criminum simulacrum* Isidorus, lib 16. Orig. cap 11. totidem litteris atque apicibus Plinium transscripsit. In Indice, *Veneris crines.*

2. *Vesentana.*] Iisdem verbis Solinus, cap. 2. pag. 16. Pro limite albo Isidorus, loc. cit. dixit *albas intermicantes notas*, minus recte.

Sect. LXX. 1. *Zmilampis.*] Sic MSS. omnes, Reg. 2. Colb. 3. Fux. vet. Dalec. &c. Solino tamen, cap. 37. pag 66. *Zmilanthis.* Isidoro, lib. 16. Orig. cap. 14. *Zmilanteus.* Libri hactenus vulgati, *Zmilaces.*

2. *Zoraniscaeos.*] Sic MSS. modo citati. Index, *Zoramea*, & *Zoronisceos.*

Sect. LXXI. 1. *Hepatitis*, &c.] Ἧπαρ jecur, στέαρ adipem sonat.

2. *Adadunephros.*] Tergeminam hoc loco gemmam intelligimus: Ἀδάδου νεφρὸν, Ἀδάδου ὀφθαλμὸς, Ἀδάδου δάκτυλον, *Adadi renes*, *Adadi oculum*, *Adadi* denique *digitum*. Fuit autem Adadus unus e priscis illis Syrorum regibus, cujus sacra Hebræorum historia meminit. Hunc Syri ob merita consecrarunt in cælitum numerum retulerunt. Immo Jovem ipsum, Solemve ab Assyriis eo signari nomine, auctor est Macrobius, lib. 1. Saturnalium, cap. 18. Etiam & Phryges, si fides Hesychio, divinis cum honoribus coluere: Ἀδαγδος θεός τις παρὰ Φρυξὶ καλούμενος, ἑρμαφρόδιτος. Vide Notat & Emend. num. XXXII.

Sect. LXXII. 1. *Ab animalibus.*] Quorum hæc videlicet nomina. Καρκῖνος cancer. Ἔχις vipera. Σκόρπιος scorpius. Σκάρος scarus. Τρίγλα mullus. Αἴξ capra. Γέρανος grus Ἱέραξ accipiter, &c. Carciniæ lapidis meminit Isidorus, lib. 16. Orig cap. 14 Echitæ Solinus, cap. 37. pag. 67. *Echites vipereas habet maculas*; & Isidorus, loc. cit. ubi & scorpitæ mentio.

2. *Aut colore, aut effigie.*] Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. *&* *colore & effigie.*

3. *Ægophthalmos.*] Isidorus, loc. cit.

4. *Item alia suillo.*] Ὑόφθαλμος.

5. *A gruis collo.*] Sic libri omnes. Rectius tamen forte *colore*, nisi colli ipsius colorem intelligas, quod sane verum videtur.

6. *Aquilæ candicante cauda.*] E secundo aquilarum genere, de quo Plinius lib. 10. sect. 3. ubi de aquilis: *Secundi generis est pygargus, albicante cauda.*

7. *Myrmecitis*] Μύρμηξ formica est, κάνθαρος scarabæus. De myrmecite lapide totidem verba facit Solinus, cap. 37. pag. 97. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

8. *Lycophthalmos.*] Isidorus, loc. cit. Λυκόφθαλμος, oculus lupi intelligitur

9. *Taos.*] Isidorus, loc. cit. Græce ταὼς pavonem sonat.

10. *Quam vocari Chelidoniam invenio.*] Non habent has voces MSS. codices, quos inspeximus.

Sect. LXXIII. 1. *Arenarum.*] Iisdem ferme verbis Solinus, cap. 37. pag. 67. & Isidorus, lib Orig. cap. 14.

2. *Cenchritis*, &c.] Κέγχρος milium est. Δρῦς quercus, unde gemma δρυΐτις. Sed libri quidam *Dendritis* a δένδρον, hoc loco habent. Κισσὸς edera Κύαμος faba. Πυρὴν, seu πυρήν, olivæ nucleus, &c. In quibusdam MSS. *Pyrene.*

3. *Narcissitis venis & odore*] Narcissi videlicet. Dionysius in Perieg. vers. 1031. ἀφροσίην ναρκισσίτην vocat. Prius legebatur, *Venis etiam edera*, contra omnium codicum fidem

4. *Chalazias grandinum, & candorem.*] Sic MSS omnes, non *colorem*. Sic & Solinus, cap. 37 pag. 67. & Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 10 & Marbodeus, cap. 18. Albertus denique, de mineral. pag. 235.

5. *Pyritis.*] Ab igne, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quod ignis instar urit. Priscianus in Periegesi, pag. 393

Necnon pyrites, digitos qui strictus adurit.

Meminere Isidorus, lib. 16. Orig. cap 11. Mardodeus, cap. 50. Solinus, cap. 37. pag 67. *Pyrites fulvus est* (lege *furvus*) *tenerique se vehementius non permittit: at si quando arctiori manu premitur, digitos adurit*

6. *Astrapiæ.*] Ἀστραπίας ab ἀστραπῇ, coruscatione, sive fulgetro.

7. *In Phlogitide.*] Solinus, cap 37. pag. 67. *Phlogites ostentat intra se quasi flammas æstuantes.* Isidorus, lib. 16 Orig. cap. 13. *Phlogites ex Perside est, ostentans intra se quasi flammas æstuantes, quæ non exeant.* Φλὸξ Græcis flammam sonat.

8. *In anthracitide*] Ἄνθραξ est Græce carbo. Solinus, cap 37. pag. 67. *Anthracias coruscat velut scintillantibus stellis.*

læ discurrere aliquando videntur. [9] Enhydros semper rotunditatis absolutæ, in candore est lævis, sed ad motum fluctuat intus in ea veluti in ovis liquor. [10] Polytrichos in viridi capillatur, sed defluvia comarum facere dicitur. Sunt & a leonis pelle & pantheræ nominatæ, leontios, pardalios. colos appellavit chrysolithum aureus, chrysoprasium herbaceus, melleus melichrota: quamvis plura ejus genera sint. [11] Melichloros est geminus, parte flavus, parte melleus: [12] Crocia Croci: Polia, canitiem quamdam sparti indicat: eamdem duriorem, nigra spartopolios. [13] Rhoditis a rosa est. Melitis, mali coloris. Chalcitis, æris. Sycitis, fici. Ratio nominum non est [14] in Borsycite, in nigro ramosa, candidis aut sanguineis frondibus: nec Gemite, velut in petra candidis manibus inter se complexis. [15] Ananchitide [16] in hydromantia dicunt evocari [17] imagines deorum: Synochitide umbras inferorum evocatas teneri: [18] Dendritide alba defossa sub arbore, quæ cædatur, securis aciem non hebetari. Et sunt multo plures, magisque monstrificæ, quibus barbari dedere nomina, confessi lapides esse. Nobis satis erit in his coarguisse dira mendacia.

LXXIV. Gemmæ nascuntur & repente novæ, ac sine nominibus: ut Lampsaci in metallis aurariis una inventa, quæ propter pulcritudinem Alexandro regi missa fuit, ut auctor est [1] Theophrastus. [2] Cochlides quoque nunc vulgatissimæ, fiunt verius, quam nascuntur: in Arabia repertis ingentibus glebis, melle excoqui tradunt septenis diebus noctibusque sine intermissione: ita omni [a] terreno, vitiosoque decusso, purgatam puramque glebam, artificum ingenio varie distribui in venas, ductusque maculatum, quam maxime vendibili ratione [3] sectantium: quondamque tantæ magnitudinis fecere, ut equis regum in Oriente [4] frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent. Et alias omnes gemmæ mellis decoctu nitescunt, præcipue Corsici: in omni alio usu [5] acrimoniam abhorrentes. Quæ variæ sunt, & ad novitatem accedere calliditate ingeniorum contigit, ut nomen usitatum non habeant, [6] physes appellant, velut ipsius Naturæ admirationem in iis venditantes, cum finis nominum non sit, quæ persequi non equidem cogito, innumera ex Græca vanitate conficta. Indicatis nobilibus gemmis, etiam plebeiis rariorum genetum, dictu dignas distinxisse satis erat. Illud modo meminisse conveniet, increscentibus varie maculis ac verrucis, lineatumque interveniente multiplici ductu & colore, mutata sæpius nomina in eadem plerumque materia.

LXXV. Nunc communiter ad omnium gemmatum observationem pertinentia discemus, opiniones secuti auctorum. Cavæ aut extuberantes viliores videntur æqualibus. Figura oblonga maxime probatur: deinde quæ vocatur [1] lenticula: postea [2] cycloïdes & rotunda: angulosis autem minima gratia. [3] Veras a falsis discernendi magna difficultas: quippe cum inventum sit, [4] ex veris gemmis in alterius generis falsas traducere. [5] Sardonyches e ternis glutinantur gemmis, ita ut deprehendi ars non possit: aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio, sumptis omnibus in suo genere probatissimis. Quin immo etiam exstant commentarii auctorum, quos non equidem demonstrarim, [6] quibus modis ex crystallo tinguantur smaragdi, aliæque translucentes, sardonyx e sarda, item ceteræ ex aliis. Neque est ulla fraus vitæ lucrosior.

INTERPRETATIO.

a *Terreno.*] Terreno *pulvere adhærescente.*

NOTÆ.

9. *Enhydros.*] Ἔνυδρος, aquosus, madidus Nomen ex argumento. Vide Notas & Emend num XXXIII.

10. *Polytrichos.*] Πολύτριχος, quasi capillosa gemma

11. *Melichloros.*] Μελίχλωρος geminos in se colores colligit, μελιχρὸν videlicet, melleum, & χλωρὸν flavum seu luteum Isidorus, lib. 16. Orig. cap 7. *Melichloros est bicolor*, &c.

12. *Crocia.*] Κρόκος crocum, πολιὸς canum, πολιότης canitiem sonat. De sparto diximus, lib. 19. sub initium Glossæ: Σπαρτοπόλιος, *incanus.* Usus ea voce & Pollux, lib 4.

13. *Rhoditis.*] Rhoditis a ῥόδον, melitis a μῆλον, a χαλκὸς chalcitis, a σῦκον, hoc est, a fico, sycitis.

14 *In Borsycite.*] Et borsyciten & gemiten, barbara esse vocabula indicat. *Borsycitis*, quasi *Borasycitis* dici vult Turnebus, lib 1. Adverf. cap 17 pag. 18.

15. *Ananchitide*] Sic Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14. inter superstitiosas gemmas: *Ananchitide in Necromantia demonum imagines evocare dicuntur. Synochitide umbras inferorum evocatas tenere dicuntur.* Turnebus, lib 1. Adverf. cap. 17. pag. 18. mavult *Anancitide*, ab ἀνάγκη legi, hoc est, a necessitate: ut συνοχῖτις a continendo Salmasius in Solinum, pag. 1091. Ἀναγκίτην ἀπὸ τῆς ἀνάγκης.

16. *In hydromantia.*] Sic MSS. omnes. Isidorus, *necromantia.*

17. *Imagines deorum*] Manium videlicet, sive inferorum.

18. *Dendritide.*] Δένδρον arbor est: inde gemma δενδρῖτις.

Sect. LXXIV. 1. *Theophrastus.*] Nunc legitur in libro περὶ λίθων. Ἐν Λαμψάκῳ δὲ ποτ' ἐν τοῖς χρυσείοις, εὑρέθη θαυμαστὴ λίθος, ἐξ ἧς ἀνενεχθείσης πρὸς σφραγίδα γλαφυρὸς ἀνεπέμφθη βασιλεῖ διὰ τὸ περιττόν. *At Lampsaci*, inquit, *in aurifodinis inventa est aliquando gemma admirandæ, ex qua, cum ad malleum relata esset, sigillum sculptile missum est regi propter præstantiam.*

2. *Cochlides.*] Κοχλίδες, a similitudine cochlearum.

3. *Sectantium.*] Forte *secantium*, hoc est, polientium.

4. *Frontalia.*] Ornamenta equorum fronti, sive elephantorum, imponi solita. Occurrit vox ea & apud Livium In MSS. Reg. Colb. & Fux. hæc brevius, *ut equis regum in Oriente phaleras facerent.* Sunt autem phaleræ, quævis equorum ornamenta

5. *Acrimoniam abhorrentes.*] Sic MSS. omnes. Editi, *acrimoniam.*

6. *Physes.*] Φύσεις, naturas, seu naturæ opera.

Sect. LXXV. 1. *Lenticula.*] An a similitudine lentis aliqua? an ab affinitate cum vasis genere quodam, quod & lenticula appellatur, a figura lentis?

2. *Cycloides.*] Prius legebatur *clypeides*, tamquam a similitudine clypei. At displicet hybrida vox. Κυκλοειδὴς magis arrisit. In MSS. omnibus, *cotedes.*

3 *Veras a falsis.*] Hæc totidem verbis Isidorus, lib. 16. Orig. cap. 14.

4. *Ex veris gemmis.*] Ut ex electro amethystus, smaragdus e crystallo fingitur.

5. *Sardonyches e ternis.*] Vide Notas & Emendat. num. XXXIV.

6. *Quibus modis ex crystallo.*] Hoc est, ut Isidorus ait. loc. cit. *quibus modis pro lapide pretiosissimo smaragdo vitrum aug*

CAP. XII. LXXVI. Nos contra rationem deprehendendi falsas demonstrabimus, (quando etiam luxuriam adversus fraudes muniri decet:) præter illa, quæ in principalibus quibusque generibus privatim diximus. Translucentes matutino probari censent: aut si necesse est, [1] in quartam horam, postea vetant. Experimenta pluribus modis constant. Primum pondere, si graviores sentiuntur: post hæc, corpore. Fictitiis pusulæ in profundo apparent, scabritia in cute, in capillamento fulgoris inconstantia, & prius quam ad oculos perveniat, desinens nitor. Decussi fragmenti paulum, [2] quod in lamina ferrea teratur, efficacissimum experimento excusant mangones gemmarum. Recusant similiter & limæ probationem. [a] [3] Obsidianæ fragmenta veras gemmas [4] non scarificant. [5] Fictitiæ, scarificationes candicantium fugiunt. Tantaque differentia est, ut aliæ ferro scalpi non possint, aliæ non nisi retuso, verum [6] omnes adamante. [7] Plurimum vero in his terebrarum proficit fervor. Gemmiferi amnes sunt Acesines & Ganges: terrarum autem omnium maxime India.

LXXVII. Et jam peractis omnibus Naturæ operibus, discrimen quoddam rerum ipsarum atque terrarum facere conveniat. Ergo in toto orbe & quacumque cæli convexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebusque merito principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix parensque mundi altera, viris, feminis, ducibus, militibus, servitiis, artium præstantia, ingeniorum claritatibus, jam situ ac salubritate cæli atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, litoribus portuosis, benigno ventorum afflatu, (etenim contingit procurrentis positio in partem utilissimam, & inter ortus occasusque mediam:) aquarum copia, nemorum salubritate, [1] montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli ubertate. Quidquid est, quo carere vita non debeat, nusquam est præstantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci. Ne equos quidem [2] in trigariis præferri ullos [3] vernaculis animadverto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessit: & iis nunc in se gravida pro omni dote varios succos, & frugum pomorumque sapores fundit. Ab ea, exceptis Indiæ fabulosis, proxime quidem duxerim Hispaniam, quacumque ambitur mari.

INTERPRETATIO.

a *Obsidianæ.*] Obsidianæ gemmæ fragmenta aliis gemmis poliendis non sunt idonea.

NOTÆ.

crystallus *arte inficiatur, ut fallat oculos sub dolo quædam falsa viriditas*, &c.

Sect. LXXVI. 1. *In quartam horam.*] Post Solis exortum scilicet: duabus ante meridiem horis.

2. *Quod in lamina.*] Sub lamina teratur. Nam quæ sunt sinceræ, in exiguum pulverem atteruntur.

3. *Obsidianæ.*] De Obsidiano lapide, sive gemma, dictum est lib. 36 sect. 67.

4. *Non scarificant.*] MSS. omnes, ut sæpe monuimus, *scarifant.* Sic paulo antea Plinius, sect. 65. ostracitidi *durior tanta inest vis, ut aliæ gemmæ scalpantur fragmentis ejus.* Unde scarifare hoc etiam loco pro *scalpere* accipi non incommode forsan possit.

5. *Fictitiæ.*] Gemmæ scilicet fictitiæ falsæque, quia duritie carent, cælaturam refugiunt candicantium gemmarum, quæ veræ sunt ac prædurae, ut *Asteria difficilis ad cælandum,* supra, sect. 47.

6. *Omnes adamante.*] Hodieque adamante in minutissimum pulverem contrito ceteras gemmas poliunt gemmarii. Smiride quoque, de quo Diosc. *Σμίρις λίθος ἐστὶν, ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι, quo gemmas atterunt gemmarum scalptores.* Hesychius: *Σμύρις, ἄμμου εἶδος, ᾗ σμήχονται σκληροὶ τῶν λίθων.* Nostris, *de l'Emeri.*

7. *Plurimum vero in his.*] In scalpendis gemmis prius calfieri terebras decet.

Sect. LXXVII. 1. *Montium articulis.*] Saltibus, colliculis.

2. *In trigariis.*] De ea voce diximus lib. 28. sect. 52.

3. *Vernaculis.*] Italicis.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM XXXVII.

NATURALIS HISTORIÆ

C. PLINII SECUNDI.

Sect. 6. I. PROFECTO *inter molles viros durasset cognomen Magni, si prima victoria sic triumphasset.*] Sic totidem apicibus ac syllabis Reg. 2. Colb. 3. aliique MSS. Quibus verbis cum subsit sententia paulo reconditior, nec statim legentibus obvia, Pliniani interpolatores hactenus ita edidere: *Quam profecto*, vel *Quod profecto inter illos viros durasset*, &c.

Ibid. II. *Reipublicæ, & quæstoribus, qui oram maris defendissent, datum mille talentûm: militibus singulis sena millia sestertiûm.*] Nusquam grassata liberius, quam in hunc locum, editorum audacia: sic enim typi hactenus vulgati: *Reipublicæ datum mille talentûm: legatis & quæstoribus, qui oras maris defendissent, H S. bina millia: commilitibus singulis quinquagena.* Quis umquam in Latina lingua *commilites* audiit? Nos exemplarium vetustissimorum, integerrimorumque, secuti sumus fidem, in primis Reg. 2. & Colb. 3. in quibus totidem syllabis & apicibus locus hic exhibetur, quot repræsentamus: neque in iis modo, sed & in illis quos Budæus inspexit, lib. 3. de asse, fol. 82. De portione certe præmiorum, quæ sunt militibus singulis distributa, ad nostrum codicum fidem, quos secuti sumus, accedit auctoritas Appiani ac Plutarchi, a quibus illud ipsum memoriæ traditum est. Ille enim, lib. de bellis Mithrid. pag. 252. iste in Pompeio, pag. 642. viritim singulis collatas aiunt drachmas Atticas mille & quingentas, καθ' ἕκαστον ἄνδρα χιλίας πεντακοσίας Ἀττικὰς δραχμάς. Sunt autem drachmæ seu denarii M. D. sena millia sestertiûm, ut liquet.

Sect. 7. III. *Primusque Pompeius lapides & pocula ex eo triumpho Capitolio Jovi dicavit: quæ protinus ad hominum usum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis.*] A codicum fidu & conspirante consensu non discedimus, Reg. 2. Colb. 3. vetere Dalecampii exemplari, aliisque. Typi hactenus vulgati id exhibent solum: *Pompeius sex pocula*: insigni admodum interpolatione: nam e sex poculis, abacos & vasa escaria, id quod statim affirmatur a Plinio, conflata umquam, aut conflari umquam posse, quis credat?

Sect. 9. IV. *Oriens & hanc mittit, quoniam Indica nulla præfertur.*] Sic MSS. Reg. 2. Colb. 3. aliique. Libri hactenus editi: *sed Indica nulla præfertur*: Male. Sententia est, etiam in Oriente gigni crystallum, idque vel ex eo argumento constare, quod vulgo crystallo Indicæ nulla præfertur.

Ibid. V. *Et in Lusitania vasti . . . . . Ammænsibus jugis.*] Prius legebatur, *immensis jugis*. In MSS. Reg. 2. & Colb. 3. *Ammensibus* & *Amnensibus jugis*. Salmasius in Solinum, pag. 407. *Lunensibus jugis* legi conjiciebat posse, quoniam, credo, Σελήνης ὄρος Lunæ promontorium in Lusitania Ptolemæus agnoverit: satis audaci conjectura. Adjicit idem posse scribi *Anensibus*, ut de jugis intelligatur, unde Ana fluvius oritur, perinde quasi in Lusitania is, non in Hispania citeriore oriatur, ut diximus lib. 3. sect. 2. pag. 288. Ammienses, sive Ammaenses in Lusitania populos novimus appellatos, lib. 4. sect. 35. Hinc juga Ammaensia.

Ibid. VI. *Ideo caloris impatiens, nonnisi frigido potui addicitur.*] Libri hactenus vulgati, *nisi frigido poto abdicatur*. At MSS. Reg. 2. Colb. 3. aliique, ut edidimus. Adjuvat & Solinus cap. 15. pag. 36. de crystallo: *Multus ad pocula destinatur, quamlibet nihil aliud quam frigidum pati possit.*

Sect. XI. VII. *Affirmatur a Germanis ideo maxime appetitam provinciam: & inde advectus primum quos Græci macatos vocabant. Famam rei fecere proxima Pannonia, id accipientes circa mare Adriaticum.*] Nec syllabam, nec apicem quidem manuscriptis codicibus Reg. 2. Colb. 3. aliisque adjicimus aut detrahimus. Fecere id audacius, qui Plinium aut edidere primum, aut emendare deinde conati sunt. Parmensis editio: *Affertur a Germanis in Pannoniam, inde per provinciam. Inde Venetis primum, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere. Proxima Pannonia id accipientes circa mare Adriaticum.* Aliæ mox secutæ: *Affertur a Germanis in Pannoniam maxime provinciam. Inde Venetis primum, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere, proximi Pannoniæ.* &c. Salmasius, in Solin. pag. 235. *Affertur a Germanis in Pannoniam, ideo maxime appetitam provinciam: & inde ad Venetos primum, quos Græci Henetos vocabant. Hi rei famam fecere proximi Pannoniæ.* &c. Quam ista nobis frigida, quam alieno loco posita videntur. *quos Græci Henetos vocabant?* & mox *proximi Pannoniæ?* In MSS. ut apparet, nulla Venetorum mentio est, nulla apud Solinum, qui hunc locum exscripsit, cap. 20. pag. 40. Neque vero vocem hanc *macatos* deploratam nescimus: sed repræsentari tamen vel sic a nobis oportuit, quibus religio est vel latum unguem a codicum antiquorum fidu desciscere: hanc enim omnes clare præ se ferunt. Et spes est fortassis fore ut ex iis vestigiis, quæ sincera vox ibi delitescat, felicior aliquis aliquando conjector eruat.

Sect. 11. VIII. *Ceterum attritu digitorum accepta caloris anima trahunt in se paleas*, &c.] In MSS. Reg. 2. & Colb. 3. *accepta vi caloris attrahunt*, &c. Tamen vulgatæ lectioni favet Isidorus, qui exscripsisse ad verbum integra fide hunc locum videtur, lib. 16. Orig. cap. 8. *Vocari autem*, inquit, *a quibusdam harpaga, eo quod attritu digitorum accepta caloris anima, folia paleasque . . . . rapiat, sicut magnes ferrum.* Mox vero, ubi prius legebatur, *ac folia arida, ac philyras*, ut *magnes lapis ferrum. Ramenta quoque eius in oleo addita flagrant dilucidius, diutiusque, quam lini medulla*, eosdem secuti codices ad suum nitorem plane hunc locum restituimus, ut cuivis singula expendenti constabit.

Sect. 15. IX. *Ceteris pallor argenti, & in auro nonnisi excellentissimo natales. Incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes ictum . . . . . Unum ex iis vocant cenchron*, &c.] Libri hactenus editi insulsi, *ceteris pallor gentis*. Alii, *pallor ingens*, reponere nitebantur. Reg. 2. & Colb. 3. *ceteris pallidior argento & auro*. Salmasius in Solinum, pag. 1094. *ceteris pallidior ad argentum, & in auro . . . . natales*, ut hæc ad Arabicum adamantem referantur, de quo proxime antea sermo fuit. Mox idem, *incudibus is deprehenditur, ita respuens ictum*, &c. Quæ sunt omnia a scriptoris mente admodum abhorrentia: Nam Arabicum primum adamantem *similiter* atque Indicum *nasci* ante prodidit, hoc est, *non in auro, sed quadam crystalli cognatione*: ceterisque generibus communes deinceps dotes eas esse velle, palloris nimirum argentei, viriumque incudibus indomitarum, aperte prodit, cum subjicit: *Unum ex iis vocant cenchron*, ex iis scilicet generibus, quæ generatim modo complectitur, dotibus assignatis, quæ sunt omnibus iis communes. Errandi argumentum & causam Salmasio Solinus objecit, cap. 52. pag. 82. ubi posteaquam de Indico adamante dixit, Arabico neglecto, transilit ad unum e reliquis generibus, de quo sic ille: *Hunc proximus, in excellentissimo auro deprehenditur, pallidior, ac magis ad argenti colorem veniens.* Quæ Salmasius ad Arabicum adamantem, quem Plinius Indico proximum facit, pertinere credidit. Sed adamantis genera Plinius, quam Solinus, plura agnovit: iste quaterna tantum: sena ille, ac diversa.

Ibid. X. *In Cypro vergens in æreum colorem.*] Ita clare Colb. 3. In aliis *aureum*, errore minime dubio. Epiphanius, de gemmis, pag. 230. Ὁ λίθος ὁ ἀδάμας εὑρίσκεται ἐν τῇ Κύπρῳ, τὴν χροιὰν τοῦ αἴθοψ. Et pag. 231. Οὗτος ὁ δηλωθεὶς ἀδάμας, τὴν χροιὰν αἰθίζων. Hoc loco corruptis Plinii codicibus usum Solinum intelliges, qui & *aureum* legit, & æreum adamantem commentus est, & Cyprum pro cupro, sive pro ære interpretatus est. *Tertium*, inquit, cap. 52. pag. 82. *in venis cupri apparet propior ad aream faciem.* Similemque alium subtexit errorem, cum eum quem Plinius sideriten dixit, quod ferrei sit coloris, ipse in ferrariis officinis colligi somniavit. *Quartus*, inquit, *in metallis ferrariis legitur, pondere ceteros antecedens*, &c.

Sect. 18. XI. *Omnium horum etiamnum vitium, quod fellis colorem, aut æris habet.*] Prius legebatur, *aut aeris*. MSS. Reg. 2. Colb. 3. Fux. alii, *æris olei* exhibent, credo mendose. Æris certe color fellis est colori affinis. Et Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap. 54. de smaragdis:

Sunt & qui venis nasci perhibentur in æris,
Quos maculis vitiosa notat natura smaragdis.

Rubiginis æris habere viriditatem ait Albertus M. lib. 2. de mineral. tract. 2. pag. 237. *& qui in venis æris nascuntur, mag*

culosos, quod admixturam habent cum illo lapide.

Sect. 21. XII. *Atque in pretiosissimarum gemmarum gloria compositi, maxime inenarrabilem difficultatem dederunt.*] Sic totidem apicibus syllabisque codices MSS. omnes, Reg. 2. Colb 3. aliique: neque quicquam est ea oratione planius: nihil tamen obscurius, si libros hactenus vulgatos sequare, qui locum hunc sic temeratum prodigiose referunt: *Atque ideo eis pretiosissimam gloriam compositores gemmarum, & maxime inenarrabilem difficultatem dederunt.*

Sect. 21. XIII. *Radice nigra, aut cæruleum imitante, & ungue minium, increvtum candore in minium transeunte.*] Locum hunc interpolatores Pliniani in libris hactenus editis sic vitiarunt: *& unguem: creditum enim candido pingui*, &c. Reg. 2. Colb. 3. vetus codex Dalec. ceterique: *& ungue minium creditum candido*, &c. Nos a MSS. codicum fide non discedimus, nisi qua vitiati ipsi merito credi possunt, *increvtumque* pro *credito* scribimus, auctore Isidoro, qui lib. 16. Orig. cap. 8. de sardonyche, ex hoc Plinii loco haud dubie epitomen faciens, ex sinceriore exemplari: *Constat autem*, inquit, *tribus coloribus: subterius nigro, medio candido, superius mineo.* Marbodeus similiter, lib. de lapid. pret. cap. 56. de sardonyche:

> *Tres capit ex binis unus lapis iste colores;*
> *Albus, & hunc niger est, rubens supereminet albo.*

Uterque, ut apparet, ungui, seu superiori & extimæ lapidis parti minii, colorem assignat, mediæ sive intimæ candidum, quod minio subsit. Plinius ipse sect. 75. sardonychi tergeminum colorem adjudicat, nigrum, candidum, minium.

Sect. 25. XIV. *Carbunculi.... cum ipsi non sentiant ignes, ob id a quibusdam acaupsi vocati.*] Prius legebatur, *apyroi vocati.* Parmensis editio, *apyrusta.* Antiqua codicum veterum lectio, ipso Barbaro teste, *acrusb*: nos *acausti* ἄκαυςοι scripsimus, Theophrasto auctore, lib. περὶ λίθων, pag. 4. Ἄκαυςοι ὄλως, &c. Inanis Salmasii conjectura in Solin. pag 277. legentis, *pyropi.*

Sect. 31. XV. *Apud Sacas & Dahas.*] Permutato verborum ordine in Reg. 2. & Colb *Sacas apud Dahas* legitur. At in libris hactenus editis corrupte ex gemina voce una conflatur, *in Asiatas.*

Ibid. XVI. *In Carmania.*] Sic libri omnes vulgati, ut opinor, recte. Nihilominus MSS. omnes, *in Germania.* Quin & Solinus, cap. 20. pag. 41 postquam de succino Germaniæ egit, *In Germania continentibus*, inquit, *Callaica reperitur, quam gemmam Arabicis antepenunt.* Isidorus item, lib. 16. Orig. cap. 7. *Nascitur in India, vel Germania, in rupibus gelidis, oculi modo extuberans.* Verum cum *equestres populos* harum gemmarum scrutatores Plinius paulo mox appellat, Carmanos potius quam Germanos, quivis, credo, cordatus intelligat.

Sect. 36. XVII. *Non translucet molochites, spissius virens, & crassius quam smaragdus.*] Has postremas voces, *& crassius quam smaragdus*, adjecimus nunc primum, non solum admonitu codicum Reg 2. Colb 1 Fux, &c. sed & Isidori hunc locum ita reddentis, lib. 16. Orig. cap. 7. *Molochites spissius virens, & crassior quam smaragdus, a colore malvæ nomen accepit: in reddendis laudat. signos. Nascitur in Arabia.* Solini pariter, cap. 33. pag 63. *Et molochiten Arabs invenit, virentem crassius quam smaragdus, contra infantum pericula ingenita vi resistentem.* Sed & mox quoque ex eorumdem codicum & auctorum fide addidimus, *Nascitur in Arabia*, quæ voces a libris omnibus editis aberant.

Sect. 39. XVIII. *In sapphiris enim aurum punctis collucet cæruleis. Sapphirorum quæ cum purpura, optimæ apud Medos:.... Quæ sunt in iis cyanei coloris, mares existimantur.*] Hæc totidem syllabis, apicibusque repræsentamus, quot sunt in codicibus MSS Reg. 2 Colb. 3. Fux. & aliis: miro in libris editis hactenus interpolata: *Sapphirum enim & aureis punctis collucent. Cæruleæ & sapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos*, &c. Quæ in hujus interpretatione loci Salmasius in Solin. pag 132. σφάλματα committit, nec enumerare vacat, nec refellere. Sed neque Isidoro crede, lib. 16. Orig. cap. 9. hunc Plinii de sapphiro locum ex depravatis exemplaribus describenti.

Sect. 40. XIX. *Causam nominis afferunt, quod usque ad vini colorem non accedens: priusquam enim degustent, in violam desinit fulgor. Aliqua siquidem in illis purpura, non ex toto in igneum, sed in vini colorem deficiens.*] Locum hunc integra fide ex MSS. Reg. 2. Colb. 1. Fux. & aliis repræsentamus. Prius legebatur: *Quod usque ad vini colorem accedens, priusquam eum degustet, in violam desinat: fulgorque quidam in illa purpura, non ex toto igneus*, &c. Nostris exemplaribus favet Isidorus, lib. 16. Orig cap. 9. *Causam nominis ejus afferunt, quia sit quiddam in purpura illius, non ex toto igneum, sed vini colorem habens.*

Sect. 46. XX. *Et quidam vini ac croci nitor, semper extremus in visu, sed purpura coronatus, & his pariter omnibus.*] Prius legebatur: *Et quidam vini aureus nitor.... sed purpura coronatus, madere singulis videtur his, & pariter omnibus.* Ex interpolantium scilicet officina In MSS. Reg. 2. Colb. 3. Fux *vini aurei nitor*: cetera, uti edidimus. At vini aurei nitorem, vinumve aureum, qui viderit, requiro Nos interim *vini ac croci* rescripsimus, indubitata emendatione, cujus auctor Solinus, cap. 11. pag. 64. dum ex hoc Plinii loco epitomen facit: *In paderote*, inquit, *congruit quidquid eximium est, quadam decoris prærogativa: crystallinum lucet, rubet purpura, in oraruum extimis corona crocea, velut e liquido renidente: hac suavitate oculos afficit, visum illicit, detinet intuentes.*

Sect. 52. XXI. *In Carmania nascens.*] Sic libri omnes editi. At MSS. ut sect. 33. sic & ista, *in Germania nascens.* Sic Plinii simius & transcriptor Solinus, cap. 20 pag. 41. ubi postquam de succino Germaniæ disputavit, subjicit statim: *Ceraunorum porro genera diversa sunt: Germanicum candidum est: splendet tamen cæruleo: & si sub divo habeas, fulgorem rapit siderum.* Marbodeus similiter, cap. 22. de ceraunia:

> *Crystallo similem Germania mittere fertur,*
> *Cæruleo tantum infertum, rutiloque colore.*

Certior his omnibus auctor Albertus M. lib. de mineral. pag. 515. *Iris*, inquit, *lapis est crystallo similis, & est ut frequentius hexagonus. Dicit autem Evax, quod ex Arabia venit, & in mari Rubro nascitur. Nos autem invenimus maximam copiam horum lapidum in montibus Germaniæ, qui sunt inter Rhenum fluvium, & Treverensem civitatem: & diversæ quantitatis omnes sunt hexagoni.*

Sect. 54. XXII. *Vocatur enim iaspachates.*] Prius legebatur in Plinianis libris vulgatis, *passachates*, insulse. In MSS. Reg. 2. Colb. 3. aliisque, *psapsachates.* Nos certissima conjectura, *iaspachates* rescripsimus, non Aetii modo, quem in prioribus Notis laudavimus, auctoritate nisi, sed & poetæ, Orphei, iaspachaten describentis, & sardachaten, tit. Ἀχάτης, vers. 3.

> Πολλαὶ μὲν καὶ ῥίαι γ' ἴσαι Ἀχάτου χροιὰν ἰδέσθ·
> Ἐν γὰρ οἱ δίνος ὄρων ἰάσπιδος ἰκέλον,
> Σάρδιῳ δ' ἰσμπατέοντα, καὶ ἀργυφέοντα μάρμαρόν.

Sect. 56. XXIII. *Cappadocia in Phrygia nascitur, ebori similis.*] Sic totidem syllabis MSS. omnes. Qui Plinio edendo hactenus navarunt operam, cum gemmæ nomen esse Cappadociam non intelligerent, id quod ex indice discere eos oportebat, ita scripsere: *In Cappadocia & in Phrygia nascitur, ebori similis.*

Ibid. XXIV. *Circos, accipitri.*] Subintellige, similis est, ex antecedente sententia. Libri omnes hactenus editi: *Circos pyrus.* Turnebus, lib. 28. Advers. cap 16. pag 1021. conjiciebat *speris*, hoc est, circulis, quod circum appellari gemmam intelligeret. At vocibus Græcis fere gemmæ omnes redduntur a Plinio, non Latinis. MSS. Reg. 2. Colb. 3. & alii, *Circos acapiri.* Unde indubitatam lectionem eruimus, *Circos accipitri.* Nam κίρκος ex accipitrum genere esse, qui cum vulpibus inimicitias gerat naturæ repugnantia, quis ignorat, qui Græcas litteras vel labris ultimis degustarit?

Sect. 59. XXV. *Galactites ex Nilo, colore lactis est..... Mittit eam & Achelous amnis.*] Prius legebatur, *Galactites ex vivo colore lactis est.* MSS. *ex imo.* Nos certissima conjectura, *ex Nilo.* Auctor sic emendandi, Solinus primum, cap 7. pag. 22 ubi de galactite: *Quem post Nilum*, inquit, *Achelous dat, nec alter alius.* Albertus M de mineral pag 232. *Galactites lapis est similis cineri, & secundum plurimum invenitur in Nilo & Acheloo fluviis. Hic tritus dat saporem lactis: & succus ejus in ore clausus ambat mentem*, &c. Isidorus, lib. 16 Orig cap. 10. *Mittunt eam Nilus & Achelous amnes*, &c. Marbodeus denique, cap. 31.

> *Hunc mittit Nilus, producit & hunc Achelous.*
> *Hunc lapidem cineri similem, Galactida dicunt.*
> *Lactis dat succum tritus, lactisque saporem;*
> *Sed turbat mentes, & clausus in ore liquescit.*

Ibid. XXVI. *Gorgonia nihil aliud est, quam corallium: nominis causa, quod in duritiam lapidis mutatur. Emollit maria. Fulminibus & typhoni resistere affirmant.*] Sic libri omnes, sive publici, sive conditivi Ut inanis Salmasii emendatio videatur, ita legentis in Solinum, pag 90. *in duritiam lapidis mutatur e molli marina*, quod nec Plinianam quoque orationem resipit, & aberrat a mente scriptoris. Expressit eam satis accurate Marbodeus, lib. de lapidib. pret. cap. de corallio, quod esse idem cum Gorgonia Plinius ipse admonuit:

> *Fulmina, typhonas, tempestatesque repellit,*
> *A rate, vel tecto.*

Sect. 62. XXVII. *Leucopœcilos candorem lineis ex auro distinguit.*] Prius legebatur, *Leucopetalos candorem nitens ex aureo distinguit.* Reg. 2. & Colb. 1 *Leucopetilos*, ceteraque uti edidimus: In Indice, *Leucopœcilos*, quod nomen sincerum est, ex argumento candoris cum lineis ex auro alternati, ut variegata ποικίλος, seu multicolor gemma videatur.

Sect. 63. XXVIII. *Morochites porracea, lacte sudat.*] Ita rescripsimus ope codicum Reg. 2. Colb. 1. & Indicis, in quo *Morochites*, non ut in libris vulgatis, *Merocles.* Moroxus idem & Leucographus appellatur ab Aetio, lib. 2. de re med. cap 16. pag 51 & a Galeno quoque: subviridis ipse quidem, sed ubi cote vel asperiore sudumento teritur, aperte candicans. Codex MS. Τῶν δὲ καὶ χρῶσι ὑπαλλοφύλων, ἔστι δὲ ὁ ἀπ' Αἰγύπτου γεώμορφος λίθος, ᾧ χρῶνται ὀθονοποιοὶ τὰς ὀθόνας οἱ μὲν Μόροχθον, οἱ δὲ λευκογραφίδα καλοῦσι· ὑπόχλωρος μὲν γεώμορφος ἐστι, ... Sic etiam Galenus, lib. 9. de fac. simp. med. pag 255. Dioscorides, lib. 5. cap 152. Λίθος μόροχθος, ὃν ἔνιοι Γαλαξίαν, &c.

Sect. 66. XXIX. *Ponticarum plura sunt genera. Est stellata nunc sanguineis, nunc auratis guttis, &c.*] Prius legebatur, *atris gut-*

tis. At MSS. Reg. 2. Colb. 3 Fux. & alii, *auratis*. In quibusdam etiam *aureis*. Solinus hunc locum exscribens, cap. 13. pag 33. *Mittit Pontus & gemmas*, inquit, *quas a patria Ponticas diximus, genere diverso · quippe aliæ aureas, aliæ sanguineas habent stellas . & ea quidem inter sacras habentur, &c.* Isidorus item, lib. 16. Orig. cap. 12. *Pontica a Ponto dicuntur : genere diverso : nunc sanguineis, nunc auratis guttis micantes : aliæ habentes stellas : aliæ longis colorum ductibus lineatæ.*

Sect. 68 XXX. *Triebrus ex Africa nigra est · sed tres succos reddit, a radice nitrum, medio sanguinem, summo ochram.*] Prius legebatur, *a radice nigrum, medio sanguineum, summo candidum.* Nos sincera fide totidem syllabis apicibusque locum repræsentamus, quot sunt in MSS Reg 2. Colb. 3. vet. Dalec. aliisque. Adjuvat ex parte Isidorus, lib 16. Orig. cap. 11. *Triceus*, inquit, (lege *Triebrus*) *ex Africa nigra est · sed tres succos reddit · a radice nigrum*, (scribe *nitrum*) *medio sanguinem : e summo ocræ*, (lege *ochra*.)

Ibid. XXXI. *Tecolithos oleæ nucleus videtur . . . sed ungentium calculos frangit, pellitque.*] Sic MSS. omnes, Reg. Colb vet. Dalec. aliique : a quibus discedunt libri hactenus vulgati, in quibus *oleæ nucleo similis*, & mox, *sed lingentium* legebatur Equidem non eo inficias, tritum hunc lapidem, potumque, prodesse calculosis, cum id diserte proditum a Dioscoride intelligam, lib 5. cap 155. a Solino, cap 37. pag. 67. Alberto M. de mineral pag. 229. Marbodeo, lib. de lapid. pret cap. 60 Prisciano in Periegesi, pag. 393. aliisque : & linctu, sive in ecligmate sumpta medicamenta complura auxiliari ægris scio. Verum hoc loco, aut lingi commode dictum a Plinio, quod tritum hauriri potu oporteat, aut non *ungentium*, quod MSS. omnes præ se ferunt, defendi oportere, id vero nego. Secutus enim Necepson refert Aetius, lib. 2. de re med. cap. 19. pag. 51. tecolithum lapidem, quem & Judaicum, & Syriacum appellat, tritum potumque ex aqua calida renum quidem calculos pellere : sed ad vesicæ calculos inutile esse : subactum tamen ex aqua ad glutinis consistentiam, atque abrasis pilis pubi applicatum, frangere ac comminuere ipsos vesicæ calculos. Sic ille ex MS. Græco : Ἐν δὲ τοῖς ἐν νεφροῖς συνισταμένοις λίθοις θραυόμενος, ἀνισχυρὸς ἐπ' ἄγωνας, καὶ πινόμενος δι' ὕδατος θερμοῦ. ἐπὶ δὲ τοὺς ἐν κύστει λίθους οὐδὲν ἰσχύει αὐτός· ὁ δὲ Νεχεψὼς φησι, ... τὴν ... καὶ ... ἐπιτίθεσθαι, καὶ τήκει τὸν λίθον τὸν ἐν τῇ κύστει.

XXXII. *Adadunephros, ejusdem oculus, ac digitus Dei · & hic colitur a Syris.*] Prius legebatur corruptissime : *Adadunephros ejusdem oculus dicitur : Deus & hic colitur Syris.* Sic triplex gemma in unicam conflabatur. In Reg. 2. *ejusdem oculus, digitus Dei, & hic colitur a Syris.* Nos adjecta vocula *ac*, suum Plinianæ orationi nitorem sensumque reddidimus. Sic & Indicem hujusce loci refinximus, *Adadunephros, Adaduophthalmos. Adadudactylos* : cum in MSS. legeretur admodum vitiose, *Adadunepros, Adaduophthalmus, Adaduosculus.* — Sect. 71.

Sect. 73. XXXIII. *Enhydros semper rotunditatis absolutæ, in candore est lævis, sed ad motum fluctuat intus in ea veluti in ovis liquor.*] Sic libri omnes editi. At in MSS Reg. 2. Colb. 3. vet. Dalec. ceterisque, *notus liquor*. Et sane nihil de ovo Solinus, cap. 37. pag. 67. *Enhydros exsudat*, inquit, *ut clausam in eo putes fontaneam scaturiginem.* Nihil Isidorus, qui Solinum exscripsit, lib 16. Orig. cap. 13. Nihil denique Marbodeus, lib. de lapid. pret. cap 28.

Sect. 75. XXXIV. *Sardonyches e ternis glutinantur gemmis, ita ut deprehendi ars non possit · aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio, &c.*] Prius legebatur, *Sardonyches e ceraunus*. MSS. Regius 2. Colbert. 3. *e granatis*. Alterum interpolantium conjectura, vitio amanuensium alterum temere oblatum. Nos *e ternis*, tum ex conjectura, quod sequantur proxime tergemini ii colores, qui simul glutinati sardonychem repræsentare dicuntur : tum auctore Isidoro, locum hunc Plinii exscribente, ex sincerioribus, ut apparet, exemplaribus, lib. 16. Orig. cap. 14. *Quippe cum inventum sit*, inquit, *ex vero genere alterius in alia falsa transducere · ut sardonyches quæ ternis glutinantur gemmis, ita ut deprehendi non possint : fingunt enim eas ex diverso genere, nigro, candido, miniatoque colore.* Et sane tres eos colores sardonychum proprios esse Plinius ipse admonuit, sect. 23.

INDEX EMENDATIONUM TOMI SECUNDI.

Partim ex MSS. codicum fide, quos priore tomo appellavimus: partim ex veterum Auctorum collatione, qui sunt in eodem argumento versati; partim ex certissimis conjecturis, ut suis ostendimus locis.

LIBRO DECIMO SEXTO.

Sect. 1.	DElicias immiscere.	DElicias miscere, *ex mss.*
	Quæ primo victum	Quæ primæ victum, *ex mss.*
	Dubiumque, terræ sit.	Dubiamque, terræ sit, *ex mss.*
	Potus ut nonnisi.	Potu nonnisi, *ex mss.*
Sect. 2.	Ut turmas equitum transmittant. CAP. IV. Glandiferi maxime generis.	Ut turmas equitum transmittant: glandiferi maxime generis.
Sect. 5.	Utque servatus.	Ut servatus, *ex mss.*
	Clara professione, servari quidem hominem nefas esse.	Clare professi, ne servari quidem hominem fas esse, *ex mss.*
Sect. 6.	In montosis.	In montuosis, *ex mss.*
Sect. 7.	Ac levissimum.	Atque e levissimis, *ex mss.*
Sect. 8.	Continentur hispido calyce.	Continetur hispido calyce, *ex mss.*
	Nec dum cadunt.	Nec cum cadunt, *ex mss.*
	Smilaces ... Græcis dictæ, in provinciis aquifoliæ.	Smilaces . Græcis dictæ. In provinciis sunt aquifoliæ.
	Maris spissior.	Mari spissior, *ex mss.*
	Distant autem inter se.	Distant inter se, *ex mss.*
	Atque carbone dotata, vitiis obnoxia est.	Atque carboni: dolata, vitiis obnoxia est.
	Item e novellis.	Idem e novellis.
	Ac ne eæ quidem.	Ac ne hæ quidem, *ex mss.*
	Diffusam & gravissimam, & ipsa glandium æque dulcissima.	Diffusam: gravissima & ipsa glandium, atque dulcissima, *ex mss.*
	Sordidiorem carnem.	Solidiorem carnem.
Sect. 9.	Sed leviorem.	Sed læviorem
Sect. 11.	Cum folia cœperint.	Cum folia cœpere, *ex mss.*
Sect. 12.	Seu scapus fruticis.	Ceu scabies fruticis.
Sect. 13.	Panos arentes.	Pannos arentes
Sect. 17.	Pene resina.	Pæne sine resina, *ex mss.*
Sect. 19.	Emori contumax.	Mori contumax, *ex mss.*
Sect. 20.	Parcior liquidiorque quam picea.	Parciore liquidioreque, quam in picea, *ex mss.*
	Minus virens.	Minime virens, *ex mss.*
Sect. 22.	Et quod pinguior est. E teda omnia illa fiunt. E picea resina.	Et quod pinguior est reliqua. Omnia illa fiunt e picea resina.
	In id fere.	Ad id fere, *ex mss.*
Sect. 23.	In montosis.	In montuosis, *ex mss.*
	Feritate paulum mitigata.	Feritatis paulum mitigatæ, *ex mss.*
Sect. 24.	Citro similis.	Cedro similis.
	Si fronde ea gyro .... in ignem.	Si fronde ea gyroque .... in ignes, *ex mss.*
Sect. 25.	Materies maris dura.	Materies mari dura, *ex mss.*
	Tenues tunicas.	Tenues tunicæ, *ex mss.*
Sect. 26.	Antiquorumque honore.	Antiquorum honore, *ex mss.*
Sect. 29.	Cedro secundum.	Citro secundum.
Sect. 30.	Montosam.	Montuosam, *ex mss.*
	Ad lineamenta.	Ad linamenta.
	Corbium sportis.	Corbium costis.
Sect. 31.	In Gallia vero etiam purpurea, tingendi causa.	In Gallia vero purpuræ tingendæ causa.
Sect. 32.	Ergo mites.	Hæ mites, *ex mss.*
Sect. 34.	Quodam veneno.	Et quodam veneno, *ex mss.*
	Nec interest.	Neque interest, *ex mss.*
	Quod evenit circa solstitium. Maxime foliorum unitas.	Quod evenit circa solstitia. *Sect.* XXXV. Foliorum unitas, *ex mss.*
Sect. 35.	Alba, nigra.	Alba, ac nigra, *ex mss.*
	Huic, nigræ, ut crotoni.	Huic nigræque, & crotoni, *ex mss.*
	Lanugo. Evolat candidæ tradita folio numerosiore candida, ut iulus.	Lanugo evolat: candidæ, traditæ folio numerosiore, candida, & ut villi.
Sect. 39.	Circiter fere sexto Idus .... Hoc enim maritantur .... quo etiam equæ.	Circiter fere sextum Idus ... Hoc maritantur ... quippe cum etiam equæ, *ex mss.*
	Hoc & germinatio. Arborum flos est pleni veris indicium.	Hoc, & germinatio, laborum. *Sect.* XL. Flos est pleni veris indicium.
Sect. 41.	Primo Favonio germinat cornus.	Primo Favonio cornus, *ex mss.*
	Ideo & inter squamas.	Ideo & ter squamas
	Sic fit ut quima.	Sit fit ut prima, *ex mss.*
Sect. 44.	Zamiæ vocantur.	Azaniæ vocantur.
Sect. 46	Secutaque ætas.	Secuta ætas, *ex mss.*
Sect. 47.	Fiunt vero .... & loci vitio.	Fiunt vero ... loci vitio, *ex mss.*
Sect. 49.	Eidemque	Et demum, *ex mss.*
Sect. 50.	Smyrnæ apud mare.	Smyrnæ apud Matroum.
	Fertilior est arbutus, quercus.	Fertiliores, arbutus, quercus, *ex mss.*
	Fici, marisfcæ.	Fici marisfcæ.
	Non maturescunt.	Nec maturescunt, *ex mss.*
Sect. 51.	Fructibus minime laborans.	Fructu minime laborans, *ex mss.*
Sect. 52.	Carthegon.	Cratægum.

Arborum

Arborum quædam.	Arbores quædam, *ex mss.*	*Sect. 53.*
Per totum.	Per totam, *ex mss.*	*Sect. 54.*
Minimis in latera.	Minutis in latera, *ex mss.*	*Sect. 56.*
Malis & cupressu.	Malisque, & cupressis, *ex mss.*	
Reviviscere.	Vivescere.	*Sect. 58.*
Populo Rom. Quiritibus.	Populi Rom. Quiritibus.	*Sect. 59.*
Hocque alias . . . transferuntur.	Hoc alias . . . transferantur, *ex mss.*	
Ex India nave.	Ex India, & nave, *ex mss.*	
Vixit & in Lydia.	Vixit in Lydia, *ex mss.*	
In iisdem locis, atque.	In iisdem, atque, *ex mss.*	
At in Lyciis.	Et in Lyciis, *ex mss.*	
Opere historiali.	Operis topiarii.	*Sect. 60.*
Super vestiens.	Semper vestiens, *ex mss.*	
Quanquam Cato.	Cum Cato, *ex mss.*	
Quocumque loco.	Quocumque in loco, *ex mss.*	
Nisi feratur alia.	Vi naturali.	
Temporaria vis : imbres aliquæ plerumque.	Temporaria vis imbrium. Aquæ plerumque.	*Sect. 61.*
Sepulcraque ac muros.	Sepulcra, muros, *ex mss.*	*Sect. 62.*
Fruticosa ramis.	Frutectosa ramis, *ex mss.*	*Sect. 63.*
Levem sonum.	Lenem sonum, *ex mss.*	
Ex ligno ejus . . . . si quæ.	E ligno ejus . . . . si qua, *ex mss.*	
Lævi fastigio.	Leni fastigio, *ex mss.*	*Sect. 64.*
Æqua fere.	Æqua ferme, *ex mss.*	*Sect. 65.*
Contra flatus.	Et contra flatus, *ex mss.*	
In rotunditatem.	In rotunditate, *ex mss.*	
Verum robore & colore.	Verum & colore.	*Sect. 66.*
Valida Laconicis, & ab una parte.	Varia Laconicis, & ab ima parte.	
Et cortice.	Ex cortice, *ex mss.*	
Infausto Atheniensium prælio, & apud Lebadiam sæpe notatur influente Cephisso.	Infausto Atheniensium, & sæpe: Lebaida vocatur influente Cephiso.	
Cædi solebant tempestive.	Cædi solebant tempestivæ, *ex mss.*	
Antigenem	Antigenidem.	
Levique tractatu.	Lenique tractatu, *ex mss.*	*Sect. 68.*
Candidiorque Amerina.	Candidior Amerina, *ex mss.*	*Sect. 69.*
Eamdem purpuream.	Eamdemque purpuream, *ex mss.*	
Sed fruticosi.	Sed frutectosi, *ex mss.*	*Sect. 71.*
Mirum, hic . . . . fere.	Mirum : is . . . . vere.	*Sect. 72.*
Neutrum habet.	Neutrum habent, *ex mss.*	
Quibusdam sunt tubera, sicut sunt in carne glandia.	Quibus sunt tubera, sic sunt in carne glandia, *ex mss.*	*Sect. 73.*
Cedro & acere.	Citro & acere.	
Larix feminam habet.	Larix femina habet, *ex mss.*	
Græci vocavere. Cedrus quoque.	Græci vocant. Cedri quoque, *ex mss.*	*Sect. 74.*
Reddentur suo loco . . . Ne quæ dedolandæ arbores sternantur.	Reddetur suo loco. . . . Ne qua dedolanda arbos sternatur, *ex mss.*	
Alii interlunium.	Alii interlunii, *ex mss.*	
Caveto . . . . intermestri Luna, atque dimidiata . . . diebus quatuor.	Cavetoque . . . . intermestri, Lunaque dimidiata. . . . diebus septem.	*Sect. 75.*
Propter lævitatem.	Propter levitatem.	*Sect. 76.*
Deteriores.	Deterior, *ex mss.*	
Maximæque baccæ ejus.	Maximeque Vaccæis.	
Octoginta nummorum.	Octoginta nummûm, *ex mss.*	
Facillime conceptum.	Facillimo conceptu, *ex mss.*	*Sect. 77.*
Omnes autem etiam ad cistas.	Omnes autem ad cistas, *ex mss.*	
Assamentisque.	Crassamentisque.	
Palma est mollis, & suber.	Palmæ est mollis & suberis materies, *ex mss.*	
Nec non acer, sed fragilis.	Nec non acer, sed fragile, *ex mss.*	
Olea. Buxum maxime æternam putant, ebenum & cupressum.	Olea, buxus. *Sect.* LXXIX. Maxime æterna putant ebenum, & cupressum.	*Sect. 78.*
Elegisse eamdem, Canetiam nomen.	Elegisse Pandemion : etiam nomen.	*Sect. 79.*
A condita Urbe DLI.	A condita Urbe DCLXI.	
Annis mille centum octoginta octo.	Annis MCLXXVIII.	
Quorum quidem alii.	Et eorum alii, *ex mss.*	*Sect. 80.*
Aliis duritia.	In aliis duritia, *ex mss.*	
Et palmæ arbor invalida : in diversum enim curvatur. At populus contra omnia inferiora pandatur : palma e contrario fornicatur.	Et palmæ arbor valida : in diversum enim curvatur, & populus. Cetera omnia inferiora pandantur : palma e contrario fornicatim.	*Sect. 81.*
Frangique se.	Frangi se, *ex mss.*	
Firmissima ad tectum abies.	Firmissima in rectum abies.	*Sect. 82.*
Et vocant fertilem.	Et vocant ferulam.	*Sect. 83.*
Lacrymose crispa. In omni genere & glutinum abdicant quædam.	Laciniose crispa in omni genere. Et glutinum abdicant quædam.	
Durabilia.	Serrabilia.	
Arida enim lætius, quam viridia, ferris cedunt : præter robur & buxum, pertinacius resistunt.	Arida enim lentius ferræ cedunt : viridia, præter robur & buxum, pertinacius resistunt.	
Gallica vero . . . . flexibilis. Vitem æmularetur ulmus.	Gallica, ... flexibilis, vitem æmularetur ulmus.	
Majores quoque e pinu.	Majoresque e pinu, *ex mss.*	*Sect. 84.*
Mediaque pars.	Media pars, *ex mss.*	
Cortice fieri, ut una arbor sæpius veniret. Excogitatæ sunt, &c.	Cortice fieri. Ut una arbor sæpius veniret, excogitatæ sunt, &c.	
Jam lignum emi testudinem facit.	Jam lignum enim e testudine facit.	
Anno . . . CCCLXIX.	Anno . . . . . CCCLXXIX.	*Sect. 85.*
Jam tunc.	Jam tum, *ex mss.*	*Sect. 87.*
Omnibus ephebiis ejus.	Omnibus ævis.	*Sect. 88.*
Argis olea nunc etiam.	Argis olea etiamnum, *ex mss.*	*Sect. 89.*
Ibique quercus.	Ibi quercus, *ex mss.*	
Portus est Amyco Bebrycum rege.	Portus Amyci est Bebryce rege, *ex mss.*	
Pependit Marsyas.	Pependerit Marsyas, *ex mss.*	
Calyculis manibus.	Capitulis manibus, *ex mss.*	*Sect. 92.*
In utroque visco amarum & lentum.	Utrobique visci amaro & lento, *ex mss.*	*Sect. 93.*
Ullo modo.	Nullo modo, *ex mss.*	
Fruticosi.	Frutectosi, *ex mss.*	

Sect. 94.	Juglandis oleo fobactum.	Oleo fubactum, *ex mss.*
	In qua gignantur	In qua gignarur, *ex mss.*
	Cuicumque animali . . . . contraque venena.	Cuicumque animalium . , . contra venena, *ex mss.*

LIBRO DECIMO SEPTIMO.

Sect. 1.	Quæ abſtulimus penuria.	Qua retulimus penuria, *ex mss.*
	Poſt Conſulatum.	Poſt Conſulatus, *ex mss.*
	Ita enim appellatur.	Ita appellatur, *ex mss.*
	Unde & pampinatio.	Inde & pampinatio, *ex mss.*
	Futuraſne.	Venturaſne, *ex mss.*
Sect. 2.	Sequentur imbres.	Sequuntur imbres, *ex mss.*
	Etiam ipſæ moriuntur.	Etiam ipſæ moriantur, *ex mss.*
	Quoniam veſtire.	Quando veſture, *ex mss.*
	Iiſdem imbribus quædam lædi videas, alia juvari.	Eiſdem imbribus aliqua lædi videas, aliqua juvari, *ex mss.*
	Montoſa.	Montuoſa, *ex mss.*
	Ad cæli cujuſque minores.	Ad cæli cujuſque mores.
	Et ſi viti inutile, colono ſalubre.	Viti inutile, colono inſalubre.
	Miſcebit ſolum cælo, cum Virgilius occaſus improbet. Nec de ſeptemtrione, &c.	Miſcebit ſolum cælo. Cum Virgilius occaſus improbet, nec de ſeptemtrione, &c.
	Ceteri vero fere.	Ceteri fere, *ex mss.*
	Diximus in ſecundo.	Diximus ſecundo, *ex mss.*
	Admovere ſatis.	Admoveri ſatis, *ex mss.*
	Et æſtuantia.	Aut æſtuantia, *ex mss.*
Sect. 3.	Non hercule magis.	Non herculet magis, *ex mss.*
	Punica vina.	Pucina vina.
	Et ſoli varietas.	Ac ſoli varietas, *ex mss.*
	Demonſtrant eam.	Demonſtrant eas.
	Redeamus ad ligni &c.	Redigamus ad ligni, &c.
	Erit igitur hæc optima & operi ſatior.	Erit igitur hæc optima & operi, & ſatis.
	Quid enim poteſt ſperare.	Quid poteſt ſperare, *ex mss.*
Sect. 4.	Illas . . . . locupletantes.	Illam . . . . locupletantem, *ex mss.*
	Capnumargos.	Acaunumarga.
	Durat annis.	Durant annis.
	Gliſchromargon.	Glyſſomargam.
	Cymini modo.	Signini modo.
	Temperata.	Temperato, *ex mss.*
Sect. 6.	Stercutio.	Stercuto.
	Plus jam ibi male.	Plus jam ibi mali.
	Frondemque putridam.	Frondemque putidam.
	Vinea ſi macruerit.	Vinea ſi macra erit.
Sect. 7.	Et quia ſalſum eſt hordeum.	Et quia ſalſum eſt : hordeum.
Sect. 8.	Fieri jubet.	Fieri jubent, *ex mss.*
Sect. 9.	De his arboribus dicemus.	De his arboribus dicimus, *ex mss.*
Sect. 10.	Viviſceret.	Viveſceret, *ex mss.*
Sect. 11.	Reſtem circumlini.	Reſte circumlini, *ex mss.*
Sect. 14.	Ne ſe inter ſe contingant. Præter alia vitia, etiam verminoſa fiunt.	Nam ſi inter ſe contingant, præter alia vitia, etiam verminoſa fiunt, *ex mss.*
	Retorqueturque.	Torqueturque, *ex mss.*
	Parcitur veſtigiis.	Pavitur veſtigiis.
	Aquaſque poſtea odere.	Aquaſque odere, *ex mss.*
Sect. 15.	Folio veſtiantur.	Foliis veſtiantur, *ex mss.*
	Differendæ.	Deferendæ, *ex mss.*
	In unamquamque partem.	In quamque partem, *ex mss.*
	Aridiores ſerendas.	Rariores ſerendas.
	Quocumque modo.	Quoquo modo, *ex mss.*
Sect. 16.	In prinis	In pronis.
	Deſtringi ſecurius ſe teſte, innoxium abradi partes, quæ ſe nudaverint terra. Aliqui lapides rotundos.	Deſtringi ſecures juſſit. Eſt innoxium abradi partes, quæ ſe nudaverint. Teſtas, aliqui lapides rotundos.
	Et hoc proderit.	Et ad hæc proderit, *ex mss.*
	Transferri jubeat Procul dubio utiliſſimequidam.	Transferri jubeat, procul dubio utiliſſime. Idem, *ex mss.*
	Quo vitio non carent.	Quo vitio carent, *ex mss.*
Sect. 18.	Necat germina	Necat gramina.
	Quoniam & protecta.	Qua jam & protecta.
	Ulmorum levis.	Ulmorum lenis, *ex mss.*
Sect. 19.	In quæſtione.	Inquiſitione, *ex mss.*
	Etiam in macro.	Aut in macro, *ex mss.*
	Inſcitiam.	Inſcientiam, *ex mss.*
	Multo ut.	Multo jam ut, *ex mss.*
Sect. 20.	Cypirus & pſeudocypirus.	Cyprus & pſeudocyprus, *ex mss.*
Sect. 21.	Terraque circumpactis.	Terraque circumfartis.
	In ſumma enim.	In ſumma etenim, *ex mss.*
	Serunt & ramo.	Seritur & ramo, *ex mss.*
Sect. 24.	Mox inforare auſi.	Mox imperare auſi.
	Oleis circa mediar.	Oleis circa media, *ex mss.*
	Gemmatione turgentes.	Germinatione turgantes.
	Bimi utrique, nec tenuiores digito medio.	Bimi utique, nec tenuiores digito minimo, *ex mss.*
	Paleato luto libros farcire.	Paleato limo libro farcire.
	Utrimque terra obſtructos. CAP. XV Vitium vero.	Utrimque terra obſtructos : vitium vero.
Sect. 26.	Non humorem, non afflatum.	Nec humorem, nec afflatum, *ex mss.*
	Dicitur platanus . . . . corrumpunt.	Ducitur platanus . . . . . corrumpit, *ex mss.*
	Poſtea hæres ejuſdem.	Poſtea Etereius.
	Iterum inſeruit.	Iterum inſevit, *ex mss.*
	Hæc corelliana melior.	Hæc Etereiana melior.
Sect. 28.	Quoniam ramo eam ſeri.	Quoniam in ulmo eam inſeri.
Sect. 29.	In olearum cultura.	In olearum cura, *ex mss.*
	Cum taleam demittis.	Cum taleam demittes, *ex mss.*
	Ne librum ſcindas. Cum adigis, palo prius locum feceris . . . ita melius vivet talea Et ubi trimæ ſunt &c.	Ne librum ſcindas, cum adiges. Palo prius locum ſi feceris . . . ita melius vivet. Taleæ ubi trimæ ſunt. &c. *ex mss.*
	Aut in ſulcis feras . . . . . Eas divaricato.	Aut in ſulcis feres . . . . Eaſque divaricato, *ex mss.*
	Emineant, vel oculos ſerito.	Emineant, gemma vel oculo ſervato.
Sect. 30.	Ea omnia eximito.	Inde ea omnia eximito, *ex mss.*

Autumne.	Autumoitate.	
XIII. soli dies sunt	Quatuor soli dies sunt.	
Adoptione virga emissa.	Adoptione virga emissa, *ex mss.*	
Aut Septemtrionem.	Aut Septemtriones, *ex mss.*	
Cos insula & vites : tuoc feri apud Græcos.	Cos insula & vites tunc ferit : ceteri apud Græcos, *ex mss.*	
Sed arborem.	Sed arbores, *ex mss.*	
Et avellanæ, Græcæ.	Et avellanæ, & Græcæ, *ex mss.*	
Est etiam nova.	Est etiam nunc nova, *ex mss.*	
Mihi certe.	Aut mihi certe, *ex mss.*	
Sarciunt locum.	Resarciunt locum, *ex mss.*	*Sect.* 32.
Oculum appellant.	Oculum vocaot, *ex mss.*	*Sect.* 33.
Tempus inferendi.	Tempus conferendi, *ex mss.*	
Hoc lignom, quod tempestivam.	Hoc lignum tempestivam, *ex mss.*	
Necnon arenosum.	Nec tamen arenosum.	
Recusat eadem Gallicam rubricam.	Recusat eadem glaream, rubricam.	*Sect.* 34.
Tunc ex cacumine super terram.	Tum ex cacumine supra terram, *ex mss.*	
Cæsura triennio serior, nimis morosa nasci.	Cæsura triennio senior, minus matosa nasci, *ex mss.*	
Læsumque maxime fruticat.	Cæsumque maxime fruticat, *ex mss.*	
Vitium surculi . . . geniculatis scaporum nodis.	Vitium surculis . . . . gēniculati scaporum nodi, *ex mss.*	*Sect.* 35.
Nodis pervia patet fistula.	Nodi pervia patet fistula, *ex mss.*	
Paxillo solo patefacto feruntur.	Paxilli solo patefacto feruntur.	
Quaternûm pedum ferramento.	Quaternûm pedum fermento.	
Et eodem paxillo.	Eodem paxillo.	
Vel per coacta fictilia.	Vel per colla fictilia, *ex mss.*	
Uvamque fert, & omnium corporum suorum acinos.	Vvaque fert omnium corporum suorum acinos, *ex mss.*	
Et medulla adempta nasci. Surculis etiam quibusnam sit.	Medulla adempta. Nasci surculos etiam quibus non sit, &c.	
Brundisioque	Brundisuqoe, *ex mss.*	
In media scrobe.	Io medio scrobe, *ex mss.*	
Ut viviradix.	Ut & viviradix, *ex mss.*	
Ac emucida.	Atque ejuncida.	
Sambuco.	Sabuco, *ex mss.*	
Noxia injuria longius evocent.	Longius evocent, noxia injuria, *ex mss.*	
Palmites saluentur.	Palmites salventur, *ex mss.*	
Etiamsi vires habebit.	Etiamsi vires habebit, *ex mss.*	
Fructuarium relinquitur sub jugo, & qui vocatur custos.	Fructuarium. Relinquitur sub jugo & qui vocatur custos.	
Evanescit.	Ejuncescit.	
Caveas circumdant.	Cannas circumdant.	
Et canis ortu.	Et canis ortum, *ex mss.*	
Conveoit putare.	Cooveniat putare, *ex mss.*	
Plagaque convelata.	Plagaque conlævata.	
Si opus fuerit.	Si opus erit, *ex mss.*	
Quæ ubi recte steterint.	Ubi recte steterint, *ex mss.*	
Dumtaxat brachium crassum primum deputato.	Dumtaxat brachium crassum licebit. Primum deputato, *ex mss.*	
Vineam statuminato . . . , laxatoque.	Vineam statuito . . . . flexatoque.	
Sarsennæ.	Sasernæ.	
Nisi uni Italiæ.	Nisi Italiæ.	
Et arbores eliguntur.	Et arbores religantur.	
Seriora fere anno ad fructum arbusta, quam vitis jugata.	Seriore fere anno ad fructum arbusta vite, quam jugata, *ex mss.*	
Inferantur.	Ingerantur, *ex mss.*	
Quæ proxime tulerint.	Quæ proxime tulerunt, *ex mss.*	
Æmiliæ viæ in ridicas.	Æmiliæ viæ in radices.	
Sub ramo vinculo.	Sub rāmo vitem vinculo, *ex mss.*	
Quando contineri debet.	Contineri debet, *ex mss.*	
Ut putatæ rursus.	Putatæ rursus, *ex mss.*	
Si pes quadrageno.	Si pars quadrageno, *ex mss.*	
Incipientes marescere.	Incipientesque marescere, *ex mss.*	
Quam detorquere.	Et detorquere, *ex mss.*	
Nonne & vites.	Non & vites, *ex mss.*	
Ab ortu Canis.	Sub ortu canis, *ex mss.*	*Sect.* 37.
Nimia & fertilitas.	Et nimia fertilitas, *ex mss.*	
Erumpit vis morbi.	Irrumpit vis morbi, *ex mss.*	
Tabes morbusque.	Tabes morsque, *ex mss.*	
Ceterum si cadunt, sive imbres nimii fuere . alio modo, &c.	Et grossi cadunt, si vel imbres nimii fuere. Alio modo, &c.	
Certoque temperamento fiunt. Et culpa vinitorum colentium.	Certoque temperamento. Fiunt & culpa vites colentium, *ex mss.*	
Quando subeunt nati.	Quando sub cute nati.	
Dicuntur morbi.	Dicantur morbi, *ex mss.*	
Quod cum evenerit.	Quod cum venit, *ex mss.*	
Reviviscendt . . . . reviviscunt.	Revivescendi . . . . revivescunt.	
Quod si angusta.	Quæ si angusta, *ex mss.*	
Et cytisus, nec auro, quod halimon vocant Græci.	Et cytisus necatur eo quod halimon vocant Græci.	
Olfactatrix.	Olfactrix, *ex mss.*	
Raphanum mandi.	Raphanus ut mandatur, *ex mss.*	
Non semper prodigiosæ : & maxime.	Non semper prodigiose : ex maxime, *ex mss.*	*Sect.* 38.
Et arva rigantur.	Et arva tigant, *ex mss.*	*Sect.* 41.
Nam caprificatione maturata, in ea culices nasci.	Nam caprificatio maturat. *Sect.* XLIV. In ea culices nasci.	*Sect.* 43.
Fucis apum.	Fucis apium, *ex mss.*	*Sect.* 44.
Italicam lentiscum.	Taleam lentisci.	
Ac ne raduntur quidem nisi vere putatione. Plagæ.	Ac ne taduntur quidem, nisi vere. Putatione plagæ.	*Sect.* 45.
Ac lupinum circa radicer.	Aut lupinum circum radices, *ex mss.*	*Sect.* 47.
Et hæc ante omnia poma.	Et hoc autem, & omnia poma, *ex mss.*	
Ut qoæ relicta sone.	Ut quæ relicta sint, *ex mss.*	
Et cinis . . . . habet.	Et cineres . . . . habent, *ex mss.*	
Ideo ficis asperguntur ruta.	Ideo fici asperguntur, rutaque, *ex mss.*	
Veterem terram.	Vere terram.	
Congios duos decoctos.	Congios duos decoqui, *ex mss.*	
Alii volvocem.	Alii volucre.	
Multi & has & talpas.	Multi & talpas, *ex mss.*	
Rationem quoque.	Rationem, precationemque, *ex mss.*	

LIBRO DECIMO OCTAVO.

Sect. 1.	Sed quis invenit.	Ecquis invenit, *ex mss.*
	Etenim complura.	Etiam quando plura, *ex mss.*
Sect. 2.	Nutrice sua, spicea corona.	Nutrice sua genitos, spicea corona, *ex mss.*
	Tertiam ex iis.	Tertiam ex his, *ex mss.*
Sect. 3.	Jugerum vocabatur .... cum aratur.	Jugum vocabatur .... cum aratro.
	Contarrationis.	Confarreationis.
	Noxamve duplionemve decerni.	Noxiamque duplione decerni, *ex mss.*
	Ignominiæ efiet.	Ignominia efiet, *ex mss.*
	Equidem etiam.	Equidem ipsa etiam, *ex mss.*
Sect. 4.	Majorem ea ætate, quam.	Majorem ea æstate messem, quam.
	Inscripti vultus.	Inscriptique vultus, *ex mss.*
	Et indigne ferente.	Et indignata, *ex mss.*
Sect. 6.	Quibusvis oratoribus potius.	Quibusvis potius, *ex mss.*
	Aquarum vim.	Aquam, viam.
	In bona est .... nitere	In bona enim .... bene nitent, *ex mss.*
Sect. 7.	Sabulum etiam, nisi id pertenue.	Sabulumque, nisi id etiam pertenue, *ex mss.*
	Quamproximum domino cordi.	Quam proximum domino corde, *mss. omnes.*
	Penitus existimetur.	Penitus æstimetur, *ex mss.*
	Colendoque in gloriam. Internecionem ergo, &c.	Colendoque. In gloria internecionem ergo, &c.
	Sobole sua, colonove pascendis.	Sobole, suo colono, aut pascendis, *ex mss.*
Sect. 8.	Alioqui domino	Alioqui colente domino, *ex mss.*
	Qualiter defendi.	Qualiterque defendi, *ex mss.*
	Filiam validam	Familiam validam.
	Absolutus. Itaque est profecto, &c.	Absolutus itaque est. Profecto.
Sect. 10.	Quas existimamus.	Nos existimamus, *ex mss.*
	Fastigiantur.	Fastigantur, *ex mss.*
	Milium, ac panicum .... exposita sunt.	Milium, & panicum .... expositum est, *ex mss.*
	Mammoso .... racemato .... distinguuntur .... LX. enim pondo.	Mammosa .... racemata .... distinguitur .... LX. pondo, *ex mss.*
	In tertio geniculo.	In tertio genu, *ex mss.*
	Frumentum, & hordeum, u[illegible]que.	Frumentum vero & hordeum, viciaque.
	Qualiter moluntur.	Qualiter moluntur, *ex mss.*
Sect. 11.	Bra[illegible] vocant .... fan[illegible]	Bracem vocant .... sandalam.
	Veri[illegible] tradidit	Verrius tradit, *ex mss.*
Sect. 12.	Deinde Ægyptio.	Deinde & Ægyptio, *ex mss.*
	Lex certa naturæ.	Lex certe naturæ, *ex mss.*
	Modio tritici .... pondo XXX	Modio tritici .... pondo XXXV. *ex mss.*
	Quibusdam in binis.	Quibusdam binis, *ex mss.*
	Trimestria invenit	Trimestre invenit, *ex mss.*
	Circa [illegible] num.	Circa Thraciæ Ænum, *ex mss.*
	Græci [illegible]	Græci setanion.
Sect. 13.	Dies [illegible]	Dies serendo, *ex mss.*
	Panis apud eos præcipuus. Italica maxime quidam oryza gaudent.	Panis apud eos præcipuus, & alica. Maxime quidem oryza gaudent
	Oryzæ quidem folia.	Oryzæ folia, *ex mss.*
Sect. 14.	Siccentque prius.	Et siccent prius, *ex mss.*
	Coriandri selibras.	Coriandri selibram, *ex mss.*
	In subtilem farinam.	In subtilem farinam, *ex mss.*
	Quadrupedumque tradidit refectibus.	Quadrupedumque fere cibus est, *ex mss.*
Sect. 15.	In Ægypto vero ea est.	In Ægypto vero est, *ex mss.*
Sect. 17.	Proximum e trimestri quodam minime ponderoso.	Proximum trimestri, quod e minime ponderoso, *ex mss.*
	Ita ut misceatur pariter emollitum, priusquam acescat. Linteo aut sportis siccatum.	Ita ut misceatur pariter. Emollitum prius quam acescat, linteo aut sportis saccatum.
	Levitate ac lævore.	Lævore & levitate, *ex mss.*
	Jam & Catoni dictum. Apud nos hordei farina.	Jam & Catoni dictum apud nos. *Sect.* XVII. Hordei farina.
Sect. 18.	Quia tollitur ante quam.	Quia ante tollitur quam, *ex mss.*
Sect. 19.	Neque ubi.	Nec ubi, *ex mss.*
	Pulte fi[illegible]lla.	Pulte fritilla.
Sect. 20.	Ponderosior vero cretacea.	Ponderosiorque cretacea. *ex mss.*
	Similago [illegible] autem XVII. .... tritici XXX.	Semel tempore L. Pauli nata, XVII... XVIII. terri[illegible]
	Et arinca	Ex atinca, *ex mss.*
	Siligo excepticia.	Siligo excepta.
	Ejusdem generis.	Ejusdem est generis, *ex mss.*
Sect. 21.	Alat hominem.	Alebat hominem, *ex mss.*
	CCCXL. stipulas.	CCCLX stipulas, *ex mss.*
	Centigranum.	Centigranium, *ex mss.*
Sect. 23.	Quippe & Hetruria.	Quippe Etruria, *ex mss.*
	Ferroque frangantur.	Ferrumque frangatur, *ex mss.*
	Frigidæ immergi.	Frigida mergi, *ex mss.*
Sect. 25.	Panico Galliæ quædam.	Panico & Galliæ quidem, *ex mss.*
Sect. 26.	Erviliæ aut cicerculæ farina ei præfermentabatur.	Ervi aut cicerculæ farina ipse fermentabatur, *ex mss.*
	Palamque natura est.	Palamque naturam est.
Sect. 27.	E Parthis invecto.	E parthis invectus, *ex mss.*
	Quidam & ovis.	Quidam ex ovis, *ex mss.*
Sect. 28.	Romæ non fuerunt.	Romæ non fuere, *ex mss.*
	Tostum panem.	Coquos tum panem.
Sect. 29.	Indubitanter.	Indubitata, *ex mss.*
	Fistulans.	Fistulosa, *ex mss.*
	Nam lapidis duritia conteritur.	Ne lapidis duritia conterat, *ex mss.*
Sect. 30.	Ex omni legumine.	Et omni legumine, *ex mss.*
	Refrina .... eam adhiberi.	Refetiva .... adhibere eam.
	Trimestrem fructum ejus. Nam siliquæ.	Trimestrem fructum. Ejus namque siliquæ.
	Florere incepit.	Florere cœpit, *ex mss.*
Sect. 32.	Ita appellatur.	Ita appellant, *ex mss.*
Sect. 33.	Cylindraceæ.	Cylindratæ, *ex mss.*
	Cum .... cœperint.	Cum .... cœperunt, *ex mss.*
Sect. 34.	Flaccidorum.	Flavidorum.
Sect. 39.	Atque farrago.	Ac farrago, *ex mss.*
	Ad arcendam famem utile.	Ad [illegible]cendam famem, *ex mss.*

Sura Manlius.	Sura Mamilius.	*Sect.* 42.
Quod [illegible].	Quod [illegible], *ex mss.*	*Sect.* 43.
Cum uno satu.	Cum ex uno satu, *ex mss.*	
Volumen .... confusim.	Volumen .... confusum, *ex mss.*	
Cavendum ne.	Movendum ne.	
De vitiis quoque.	De morbis quoque, *ex mss.*	
Cum diutius.	St diutius, *ex mss.*	*Sect.* 44.
Incluserit.	Inclusit, *ex mss.*	
Aut vermem.	Aut vermes, *ex mss.*	*Sect.* 45.
Transit in earum folia.	Transit in ea folia, *ex mss.*	
Cum centesimo quinquagesimo.	Cum centesimo, *ex mss.*	
Quam diutissime aqua rigandi.	Quam diutissime. Aquari gaudet.	
Et cicer, exceptis leguminibus.	Et, cicere excepto, legumina.	*Sect.* 46.
Levior terra.	Lenior terra.	
Aut nova Luna.	Et nova Luna, *ex mss.*	*Sect.* 47.
Babyloniæ Seleuciæ.	Babyloniæ Seleuciæ.	
Sed exacutior .... fastigiata.	Et acutior .... fastigata, *ex mss.*	*Sect.* 48.
Id non pridem inventum in Rhætia. Galliæ duas addiderunt tali rotulas.	Non pridem inventum in Rhætia Galliæ, ut duas adderent, alii rotulas.	
Porcellis binis.	Protelis binis.	
Melius caloribus.	Medius caloribus, *ex mss.*	*Sect.* 49.
Priusquam ares.	Priusquam aras, *ex mss.*	
Atque requieto necessarium est.	Æque necessarium est, *ex mss.*	
Striare in actu sæpius.	Strigare in actu spiritus.	
Cuspidatus rulla.	Cuspidatus rallo, *ex mss.*	
Aquam deducant.	Aquam educant, *ex mss.*	
Operientes semina.	Operiente semina, *ex mss.*	
Messes duplicatæ.	Messes multiplicatæ, *ex mss.*	
Eadem.	Eademque, *ex mss.*	*Sect.* 50.
Magna riguis est. In Narbonensi.	Magna riguis. Est in Narbonensi.	*Sect.* 51.
Eo condito raphanus.	Eo condito, rapa, *ex mss.*	*Sect.* 52.
Aut ante hiemalem .... Nec non minus pinguis.	Ita ut ante hiemalem .... Nimis pinguis.	
Hoc tantum unum.	Hoc tantum enim.	*Sect.* 53.
Aut jactato semine.	Aut jacto semine.	
Priusquam serat, ante pulverem.	Priusquam sarriat, aviarii pulvere.	
Macies enim soli major, nisi.	Macies enim soli, nisi, *ex mss.*	*Sect.* 55.
Ex una seminis radice.	Ex uno semine, *ex mss.*	
Ante brumam nata.	Ante brumam sata, *ex mss.*	*Sect.* 56.
Quam male in autumno.	Quam malo autumno, *ex mss.*	
Quod deinde.	Quo deinde, *ex mss.*	
Unde vulgo.	Vulgo *tantum*, *ex mss.*	*Sect.* 57.
Mundi convexitate.	Mundi convexitas, *ex mss.*	
Diligentior esset ceteris.	Diligentior ceteris, *ex mss.*	
Ut legentes tantum.	Legentes tantum, *ex mss.*	
Ad VIII Calendas.	A. d. VIII. Calendas.	*Sect.* 59.
Hiemem die XLIII.	Hiemem die XLIV.	
Exortus matutinus.	Exortu matutino, *ex mss.*	
Fieri putant. Aliqui ad III .... servant, quoniam id sidus etiam vestis institoris est.	Fieri putant aliqui, a. d. III. Servantque id sidus etiam vestis institores.	*Sect.* 60.
Quæ tibi in satione superant.	Quæ tibi usioni supererunt.	*Sect.* 61.
Torcular levare.	Torcular lavare.	*Sect.* 62.
XVII. Calendas.	XIV. Calendas.	*Sect.* 65.
Vindemiatoris .... Milvium.	Vindemitoris .... Milvum, *ex mss.*	
Hordeum nisi sicco ne serito.	Hordeum nisi siccum ne sarrito.	
Oleas, prata.	Oleas seri: prata, *ex mss.*	
Postea utique.	Postea uti quæque, *ex mss.*	
Ad VIII. Calend.	A. d. VIII. Calend.	
Palilicium.	Parilicium.	
Ad VIII. Calend.	A. d. VIII. Calend.	
Atque etiam in eodem arvo. Estque signum.	Atque etiam in eodem arvo est signum.	
Arcturi occasus matutini.	Arcturi occasus matutinus, *ex mss.*	*Sect.* 67.
Siliqua etiam dira: senilecis invisa & equiselis est.	Siliquas etiam diras ferentis. Invisa & equisetis est.	
Limæ vicem.	Limæ vite, *ex mss.*	
Consilium dabit optimum, maxime quadrigarum quæstu.	Consilium dabit, optimo maxime quadrigarum quæstu, *ex mss.*	
Sexto Calendas Junii.	Sexto Calendas Julii, *ex mss.*	
Minorem canem, sane ut in astris.	Minorem canem, ut in astris, *ex mss.*	*Sect.* 68.
XVIII. Calend. Augusti.	XIII. Calend. Augusti.	
Gelidas facit noctes.	Frigidas facit noctes, *ex mss.*	
Ad XIII. Calend.	A. d. XIII. Calend.	*Sect.* 69.
Ad septimum Calend.	A. d. septimum Calend.	
Et in hoc mirabilem admirari.	Et in hoc admirari, *ex mss.*	
Singillatim.	Singulatim, *ex mss.*	
Caritas operarum.	Caritas operariorum, *ex mss.*	*Sect.* 72.
Operosa.	Operose, *ex mss.*	
Significatur .... Vindemiator.	Significant .... Vindemitor, *ex mss.*	*Sect.* 73.
Eudoxus .... Ion. IV. Calend.	Eudoxus, IV. Calend. *ex mss.*	*Sect.* 74.
Acino plurimum refert.	Acinos plurimos fert, *ex mss.*	
Item ventos.	Idem ventos, *ex mss.*	*Sect.* 78.
Aut nigri, aut interrupti.	Aut nigri, interrupti, *ex mss.*	*Sect.* 79.
In quartum parte.	In quotum parte, *ex mss.*	*Sect.* 80.
Fulget, pluviæ erunt, & tonitrua, & hiemabit.	Fulgetræ erunt & tonitrua, & adhiemabit, *ex mss.*	*Sect.* 81.
In vallibus sedentes.	In vallibus sidentes, *ex mss.*	*Sect.* 82.

LIBRO DECIMO NONO.

Contigit C Flacco.	Contigit C. Flavio.	*Sect.* 2.
A terra tolli.	A tellure tolli, *ex mss.*	
Sed passum tusumque.	Sed fractum tusumque.	
Injuria naturæ, ac summa audacia, & quo pervenire nulla execratio sufficit.	Injuria, ac summa audacia, eo pervenire. Nulla exsecratio sufficit.	
Ratione alia.	Regione Alliana.	*Sect.* 3.

	Et hæ caſſeſve ferri aciem vincunt.	Et hi caſſes vel ferri aciem vincunt.
Sect. 6.	Calend. Auguſti.	A. d. Calendas Auguſti, *ex mſs*
	Per rudentes, terra etiam in amphitheatro .... rubente : in cavis, &c.	Per rudentes ære etiam in amphitheatro ... Rubent in cavis, &c. *ex mſs.*
Sect. 7.	Manibuſque tectis manicis.	Manu reſtiſque manicis, *ex mſs.*
	In hiemem vix.	In hiemem juxta.
Sect. 10.	Ex qua inapalia .... conficiuntur.	Ex qua impilia .... conficiant.
	CCCCXC. annis.	CCCXC. annis.
Sect. 11.	Quod certum eſt ex iis quæ naſcuntur.	Quod certum eſt, ex iis erunt quæ naſcantur, *ex mſs.*
Sect. 12.	Et quod in Thracia ceraunium.	Et quod in Thracia iron, & quod in Græcia geranion.
Sect. 15.	Laſerpitii pondo CXI.	Laſerpitii pondo MD.
	Haud ſimili craſſitudine.	Aut ſimili craſſitudine.
	Folium ipſum vere deciduum.	Folium ipſum vero deciduum.
	Atque caulias : vilior ille.	Atque caulias vilior illo.
	Super terram.	Supra terram, *ex mſs*
Sect. 16.	Alteſum genus eſt.	Alterum genus ejus eſt, *ex mſs.*
Sect. 18	Et ingenti.	Et unguentis.
Sect. 19.	Hortoſque & focos .... dicari videmus. In remedio, &c.	Hortoque & foco .... dicari videmus in remedio, &c.
	Nihil itaque	Nihil utique, *ex mſſ.*
	Mors enim certe.	Mox enim certe.
	Nec caules.	Sed nec caules, *ex mſſ.*
	Proſpectus omnis .... innumeratæ.	Proſpectus omnes .... innumeræ, *ex mſſ.*
Sect. 20.	Profluo amne .... e puteo pertica.	Præfluo amne .... e puteo rota.
Sect. 21.	Baculorum uſum.	Baculorumque uſum, *ex mſſ.*
Sect. 23.	Et cærini.	Et cerini
	Adrepunt : contra oleum refugiunt : aut ſi quod obſtet, vel ſi pendeant, curvantur : idque vel una nocte.	Adrepunt aut ſi quid obſtet, verſi paudantur, curvanturque : id vel una nocte.
	Creſcit qua cogitur.	Creſcitque qua cogitur, *ex mſſ.*
	Cibus ſaluber ac lenis .... exiſtimatur.	Cibos ſalubres ac lenes .... exiſtimant, *ex mſſ.*
Sect. 25.	Quorum tenuiora.	Quorum tenuia, *ex mſſ.*
Sect. 26	Differentia ſeminis.	Differentia a ſemine, *ex mſſ.*
Sect. 27.	Cujus genera etiam quatuor fecere. Inter medica dicendum ſiſer. & ipſum Tiberius, &c.	Cujus genera etiam quatuor fecere, inter medica dicendum. *Sect.* XXVIII. Siſer & ipſum Tiberius, &c.
Sect. 28.	Flagitans .... a Germania.	Flagitans .... e Germania, *ex mſſ.*
Sect. 29.	Et hæc autem ſeritur, & ſiſer.	Et hæc autem, & ſiſer, *ex mſſ.*
	Nullare minus.	Inula ne minus.
Sect. 30.	Niſi ex ſemine .... ſed & Præneſtinis.	Niſi e ſemine .... ſed & in Præneſtinis, *ex mſſ.*
Sect. 31.	Silveſtri minores tumidæ.	Silveſtre minor & humula.
	Florent cum fraxino ſerpyllum.	Florent conſertum ſerpyllum.
Sect. 32.	Samo enim.	In Iſſo enim.
	Tuſculana, Amiternina.	Tuſculana, Aſcalonia, Amiternina, *ex mſſ.*
Sect. 33.	Stercoraturque ſemper : outritur in capita, antequam ſecetur. Cum increvit, &c.	Stercoraturque ſemper Si nutritur in capita, antequam ſecetur, cum increvit, &c.
	Mox Orchiæ.	Mox Oſtiæ, *ex mſſ.*
	Suavioris folii.	Pallidioris folii, *ex mſſ.*
Sect. 34.	Craſſitudine caput efficitur.	Craſſitudinem capite efficit, *ex mſſ.*
	Sationis gratia .... intingenda.	Satus gratia .... ungenda, *ex mſſ.*
	Et ſi paulum commoravere.	Et ſi paulum commovere.
Sect. 35.	Cucumere.	Cucumi, *ex mſſ.*
Sect. 36.	Item duritiæ Surculacea in folliculo.	Item duritie ſurculacea. In folliculo.
Sect. 38.	Allylida.	Alytida.
	Cum priores caverent, religione nunc omni caret.	Cum prioris Cameliu religio nimia eam negaret.
	Ecce cum maxime.	Et ecce cum maxime, *ex mſſ.*
Sect. 39.	Nec ex eodem.	Neque ex eodem, *ex mſſ*
	Hiemis impatientiores.	Hiemis patientiores, *ex mſſ*
Sect. 41.	Proceritate luxurioſa attollentes ſe.	Attollentes ſe proceritate luxurioſa, *ex mſſ.*
Sect. 42.	Aliud herbaſceret.	Aliud herbas erect, *ex mſſ.*
	Græci orminum	Græci hormenum
Sect. 43.	Seſtertia ſena millia, & parcius, reddere.	Seſtertiûm ſena millia e parvis reddere areis, *ex mſſ.*
Sect. 45.	Æquinoctio autumni.	Æquinoctio autumno, *ex mſſ.*
	Provenientibus hulceribus.	Pruritivis hulceribus.
Sect. 48.	Quippe cum capparis.	Quippe cum cappari, *ex mſſ.*
Sect. 49.	Conyroides.	Conyzam, id eſt, *ex mſſ.*
Sect. 55.	Ubi aquæ deferunt ex iis.	Utique deferunt ex his.
Sect. 56.	Eo tenerior.	Eo tenuior.
	Laudatiſſimum.	Laudatiſſima, *ex mſſ.*
Sect. 57.	Ab imo dorſa.	Ab limodoro
Sect. 58.	Cunilis & ultra.	Culinis & ultra.
Sect. 61.	Acuti, tantum cunilæ.	Acuti, thymi, culinæ.
	Et circulis tantum aquæ : ut intelligatur.	Ut cicerculis tantum. *Sect.* LXII. Atque ut intelligatur.
Sect. 62.	Murrha myrrhæ.	Smyrnium myrrhæ.

LIBRO VICESIMO.

Sect. 1.	Aquam Sole.	Aquas Sole, *ex mſſ.*
	Ab hortenſibus.	Ab hortenſiis, *ex mſſ.*
Sect. 3.	Elaterium tempeſtivum eſt.	Elaterio tempeſtivus eſt, *ex mſſ.*
	Protinus ab exitu	Protinus ab enixu, *ex mſſ*
	Mox Cyrenis, alii in Arcadia.	Mox in Arcadia, Cyrenis alii, *ex mſſ.*
	Nucis juglandis ſemen. Eſſe autem ad ſpeciem ſcorpionis cauda reflexa	Nucis juglandis. Semen autem eſſe ad ſpeciem ſcorpionis cauda replexa, *ex mſſ.*
	Et hydropiſes.	Et hydropicis
Sect. 4.	Sparſa mures de ejus medicina non attingunt.	Sparſa mures non attingunt, *ex mſſ.*
	Cum articulorum morbis.	Cum articuli morbis, *ex mſſ.*
	Solo ſiccato.	Sole ſiccato, *ex mſſ.*
Sect. 6.	Eadem contra vomitiones.	Eadem contrahit vomitiones.
	Spea Græci.	Sepa Græci.
Sect. 7.	Somphos	Spongos.
Sect. 8.	Omnium vitiis.	Omnibus vitiis, *ex mſſ.*
	Sic tuſſienti infunditur obolis quatuor.	Sic tutiſſimo infunduntur oboli quatuor.
Sect. 9.	Item frigus pellit e pedibus aqua decoctum Et jus fervens.	Item frigus pellit e pedibus. Aqua decocti ejus fervens, *ex mſſ.* &c.

Costa quoque	Tosta quoque.	
Mixta urina pari mensura. Ervi, hordei, tritici, & lupini radix ad omnia inutilis.	Mixta farina, pari mensura, ervi, hordei, tritici, & lupini. Radix ad omnia inutilis.	*Sect.* 10.
Laudatissimum	Laudatissimus, *ex mss.*	*Sect.* 12.
Cetero bilem detrahunt. Præterea cortices in vino. Præter ea quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant. Est & sativi usus in Italia, & armoraciam vocant. Et sativi vero decocti, &c.	Cetero æstivo usus in Italia, & armoraciam vocant. *Sect.* XIII. Et sativi vero, præter ea quæ circa eos dicta sunt, stomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant, bilem detrahunt. Præterea cortices in vino decocti, &c.	
Cetero & scorpionibus.	Ceraltis & scorpionibus.	*Sect.* 13.
At purulenta.	Ac purulenta, *ex mss.*	
In luto illitos malunt.	In luto malunt, *ex mss.*	
Cum vino enterocelis prosunt.	Cum vino. Enterocelis prosunt.	
Quod pastinacam erraticam vocant.	Quod pastinacam vocant, *ex mss.*	*Sect.* 15.
Conceptus adjuvare.	Conceptus adjuvari, *ex mss.*	
Fastidium absterget. Ex aceto .... vel ex garo urinam ciet.	Fastidium absterget, ex aceto .... vel ex garo. Urinam ciet.	*Sect.* 17.
Vulgaris notitiæ.	Vulgaræ notitiæ, *ex mss.*	*Sect.* 18.
Semen ejus esse.	Semen esse, *ex mss.*	
Illinitur.	Illinuntur, *ex mss.*	
Sic & tritæ sanant.	Sic & aterna sanant.	*Sect.* 20.
Et omnia hulcera.	Et omnia vulnera, *ex mss.*	
Ipsasque multipedæ.	Sepisque multipedæ, *ex mss.*	
Utilia esse.	Utiles esse, *ex mss.*	
Pustulas.	Pusulas. *Sic ubique mss.*	*Sect.* 21.
Vel si purulenta.	Vel si pura, *ex mss.*	*Sect.* 22.
Aliqui crudum id dedere.	Aliqui crudum ad tritum dedere, *ex mss.*	*Sect.* 23.
Et prurigines.	Et porrigines.	
Vel purulenta.	Vel pura, *ex mss.*	
Græci esopon.	Græci cæsapon.	
Quarto infectores lanarum utuntur: quod glastum vocant, simile erat .... nisi quod plura habet.	Quarto infectores lanarum utuntur: simile erat .... nisi plura haberet, *ex mss.*	*Sect.* 25.
Arcet nubeculas.	Argema, nubeculas, *ex mss.*	*Sect.* 26.
Et folia tosta thyrsique.	Et folia thyrsique, *ex mss.*	
Ructusque lenes faciunt, concoctiones adjuvant. Cruditatem ipsæ nequaquam faciunt. Nec ulla.	Ructusque lenes faciunt. Nec ulla, *ex mss.*	
Sicut summo sativa.	Sicut somno æstiva, *ex mss.*	
Validius cocto.	Validius cocta, *ex mss.*	*Sect.* 27.
Undecim sæpe caulium.	Undecim sæpe, caule lilii.	*Sect.* 28.
Guttantia adstringunt.	Gostantium os adstringunt.	
Idem cum vino .... ambugiam.	Idemque cum vino .... ambulam.	
Utraque tamen stomacho.	Utraque amara, stomacho, *ex mss.*	*Sect.* 29.
Item quibus .... fluit.	Item quibus .... fluat, *ex mss.*	*Sect.* 32.
Antilegomena.	Anthologoumena.	
Selinada.	Selinoidea, *ex mss.*	
Dein levem.	Dein lævem.	*Sect.* 33.
Fistulas eluxatas, & tumores.	Fistulas, & luxata, & humores.	
Item spleneticis.	Item splenicis, *ex mss. ubique.*	
Folia habet bina.	Folia habet una.	*Sect.* 34.
Fungorumque venena.	Fungos, *ex mss.*	*Sect.* 36.
Tinctæ animæ.	Extinctæ animæ, *ex mss.*	
Ne hydropici sitim sentiant.	Ne hydropici sitiant, *ex mss.*	*Sect.* 39.
Ex eo cocta.	Ex oleo cocta, *ex mss.*	
Asparagi, ut traditur.	Asparagi traduntur, *ex mss.*	
Præterquam quod vesicam.	Prætetquam vesicam, *ex mss.*	*Sect.* 42.
Trito cum oleo.	Trito ex oleo, *ex mss.*	
Aliqui corrudam, aliqui Libycum .... orminium.	Aliqui Libycum, ... hormenum, *ex mss.*	
Ternis utrumque obolis.	Ternis utriusque obolis, *ex mss.*	*Sect.* 43.
Apio gratia vulgo est.	Apio gratia in vulgo est, *ex mss.*	
At secundos partus	Ac secundas partus	*Sect.* 44.
Torminibus, interaneis.	Torminibus, & interaneis, *ex mss.*	
A proximo.	Ex proximo, *ex mss.*	*Sect.* 46.
Contra bestiarum morsus radix in vino est.	Contraque bestiarum morsus e vino radice, *ex mss.*	*Sect.* 48.
Valent & contra scorpionum ictus, & araneorum.	Valent & contra scorpionum & contra araneorum, *ex mss.*	
Falso.	Falsum, *ex mss.*	*Sect.* 51.
Oculorum causa. Cum pane quoque vel nasturtio sativæ atque silvestris propter visum. Ut aiunt, multi succo ejus.	Oculorum causa, cum pane vel nasturtio: capræ quoque silvestres propter visum, ut aiunt. Multi succo ejus.	
Epiphoras cum polenta imposito. Lenit autem capitis dolores.	Epiphoras cum polenta imposita lenit. Item capitis dolores, *ex mss.*	
Cum ficu.	Cum fico, *ex mss.*	
Custodito, ut diximus, modo. E silvestri vero contra tarditatem & sonitum.	Custodito, ut diximus, modo in silvestri. Contra tarditatem vero sonitumque, *ex mss.*	
Ut in homine temperato.	Ut in homine temperata, *ex mss.*	
Adversusque omnia .... fugat scorpiones.	Adversus omnia .... fugat etiam scorpiones, *ex mss.*	
Sed partus necat ..... cholericis.	Sed partus necat. Ruptis, convulsis, sed parcius .... choleris, *ex mss.*	*Sect.* 52.
Densari.	Denseri, *ex mss.*	
Syriation ..... vulvæ curavit. Ille & jocinorum vitia.	Syriation ... vulvæ curavit illa. Jocinorum vitia, *ex mss.*	*Sect.* 53.
E pulegio corona vertigini.	E pulegio corona Varroni.	*Sect.* 54.
Litteras mutantes.	Littera mutata, *ex mss.*	
In tussi ex perfrictione.	Tussi in perfrictione, *ex mss.*	*Sect.* 55.
Quos acriore vi urina mordeat.	Quos acrior urina mordeat, *ex mss.*	
Panibus ..... subditur.	Punis ..... subjicitur, *ex mss.*	*Sect.* 57.
Splenicis.	Splenicis, *ex mss. ubique.*	*Sect.* 58.
Dant & ad tineas.	Dant & ad tænias, *ex mss.*	*Sect.* 59.
Stomacho inutile est.	Stomacho utile est.	
In hunc usum panacem vocant.	In hoc usu panaceam vocant, *ex mss.*	*Sect.* 60.
Cunilæ æmulatur.	Cunilam æmulatur, *ex mss.*	*Sect.* 61.
Et cruditates.	Et contra cruditates, *ex mss.*	*Sect.* 67.
Smyrnæum. Deinde heracleoticum.	Smyrnæum, odorius. Heracleoticum.	
Compescere dolorem.	Convertere dolorem.	*Sect.* 69.
Lac mulierum.	Lacte mulierum.	*Sect.* 70.
Linteolo alligatis.	Linteolo deligatis, *ex mss.*	*Sect.* 71.
E vino radicem .... imponit Iollas. Ipsum cum croco.	Evenor radicem .... imponit. Iollas ipsum cum croco.	*Sect.* 73.

	Prodest ejus & capitis.	Prodest & capitis, *ex mss.*
	E vino radicem ad renes.	Evenor radicem ad renes.
	Illinunt vel recens.	Illinivit recens, *ex mss.*
	Strangulationes vulvæ.	Strangulatus vulvæ.
Sect. 76.	Papaveris sative diximus genera .... sed sativi albi calyx.	Papaveris sativi tria diximus genera .... E sativis albi calyx, *ex mss.*
	Sapor gignitur.	Sopor gignitur.
	Hora diei sereni.	Hora sereni diei, *ex mss.*
	Per somnum.	Per somnos.
	Licinii Cæcinnæ.	P. Licinii Cæcinæ.
	Sativum omne magis rotundat capita. At silvestri longum ac pusillum .... valentius.	Sativum omne majus: rotunda ei capita. At silvestri longa ac pusilla .... valentiora, *ex mss.*
	Ubi raro pluit.	Ubi raro pluat, *ex mss.*
	Aut extinctum.	Et ut extinctum, *ex mss.*
	Quia nebula innatat.	Quoniam in nubila innatat.
	Mnesicles.	Mnesides.
Sect. 79.	Speciem passerum repræsentantibus.	Speciem passerum præbentibus, *ex mss.*
Sect. 80.	Folio lævi.	Folio lini.
Sect. 81.	Est & portulaca, quam peplion.	Est & porcilaca, quam peplin.
	Si procident, prodest	Si procidant oculi, *ex mss.*
	Et lini semine, pari mensura.	Et lini semine, & melle, pari mensura, *ex mss.*
	Cum melle & Cimolia creta.	Cum melle, aut Cimolia creta, *ex mss.*
	Et ita liberatum.	Ita liberatum, *ex mss.*
Sect. 82.	Rem, si vera est	Rem miram, si vera est, *ex mss.*
Sect. 83.	Atriplex & silvestre est, accusatum a Pythagora, &c.	Atriples & silvestre & sativum est. Pythagoras, &c. *ex mss.*
	Coqueretur	Concoqueretur, *ex mss.*
	Ad supra dicta.	Ad supra scripta, *ex mss.*
Sect. 84.	Aristalthæa.	Phistolycia.
	Efficacior vis.	Efficax vis, *ex mss.*
	Venena restringunt.	Venena restinguunt, *ex mss.*
	Punge.	Pungunt, *ex mss.*
	Quin & semen tritum adalligant.	Quin & semen adalligant, *ex mss.*
	Item tres radices.	Itemque tres radices, *ex mss.*
Sect. 85.	Sativo proximum.	Sapore proximum, *ex mss.*
	Sativo item similius.	Sativo idem similius, *ex mss.*
	Et jure exiguo.	Et thure exiguo, *ex mss.*
Sect. 86.	Radice meliceridas.	Radice lichenas.
	Poto vino & lienes, cœliacos.	Pota vino, & lienes illita, cœliacos, *ex mss.*
	Potum ex vino.	Potæ ex vino, *ex mss.*
Sect. 87.	Ternis partibus comitiali morbo. Et vulvarum.	Ternis partibus. Comitiali morbo, & vulvarum.
	In quacumque corporis.	In quacumque parte corporis, *ex mss.*
	Vehementior urigo.	Vehementior ustio.
	Saluberrimo genere medicinæ.	Saluberrimæ genere medicinæ.
	Ex aceto.	In aceto, *ex mss.*
Sect. 89.	Cum addito.	Tum addito, *ex mss.*
	Exscreationes pectoris purgat. Cum iride & melle urinam ciet.	Exscreationes pectoris purgat cum iride & melle. Urinam ciet.
	Dicitur succus claritatem.	Dicitur succus & claritatem, *ex mss.*
Sect. 90.	Ad palmi altitudinem.	Ad palmæ altitudinem.
	In vino	Ex vino, *ex mss.*
Sect. 91.	Epiphoras. Alii.	Epiphoras, ut Philinus tradit. Alii, *ex mss.*
Sect. 92.	In oleo, & melle.	In oleo, aut melle, *ex mss.*
Sect. 95.	Etiam e radicibus.	Etiam & e radicibus, *ex mss.*
Sect. 96.	Petridius .... Miction.	Petrichus .... Miction.
Sect. 97.	Nigriore folio & asperiore.	Nigrior foliis, & asperior, *ex mss.*
Sect. 98.	Et viridi ferula ramusculus, utilis est ad omnia ea vitia.	E viridi medulla vulvis utilis, & ad omnia ea vitia.
Sect. 99.	Manducatus carduus.	Mastiche cardui.
Sect. 100.	Ab hortensibus.	Ab hortensiis, *ex mss.*
	Et misi .... anethi & feniculi seminis, & anisi, & ammii.	Et mei .... anesi & feniculi seminis, & ammii.

LIBRO VICESIMO PRIMO.

Sect. 1.	Felicitatis tam varie ludenti.	Felicitatis tam variæ ludenti, *ex mss.*
	Mixturarum varietati.	Mixturarumque varietati, *ex mss.*
Sect. 2.	Strophia appellantes.	Stroppos appellantes.
Sect. 3.	Mixtura versicolori. Florumque invicem.	Mixtura versicolori florum, quæ invicem, *ex mss.*
	Stephanoplocos.	Stephaneplocos.
Sect. 5.	Virtutis ergo arguitur.	Virtutis ergo, duitor ei.
Sect. 6.	Et hinc severitas.	Et hic severitas, *ex mss.*
Sect. 8.	Sutiles aliorum sacris.	Sutiles Saliorum sacris, *ex mss.*
Sect. 9.	Mnestheus.	Mnesitheus.
	Namque apparatu.	Namque in apparatu, *ex mss.*
	Chare Antoni.	Marce Antoni, *ex mss.*
	Illico exspirante.	Illico exspirantem, *ex mss.*
	Extra supra dictos.	Supra dictos.
Sect. 10.	Fastigiato .... inungendis.	Fastigato .... perungendis, *ex mss.*
	Cujus sit .... excedentis.	Cui sit .... excedenti, *ex mss.*
	Utilissimam vero.	Vilissimam vero.
	Nec odore, nec specie probabilem, & quæ Græca.	Nec odore, nec specie probabilis est quæ Græca.
	Violæ magnitudine.	Violæque magnitudine, *ex mss.*
	Præterea locis omnis.	Præterea omnis, *ex mss.*
	Præcox Campana.	Præcox Campana est, *ex mss.*
Sect. 11.	Foliis foris striatis, ... se se laxantibus.	Foris striatis .... se se laxantis, *ex mss.*
Sect. 13.	Mirumque ita ringi.	Mirumque tingi, *ex mss.*
Sect. 14.	Earum plura genera.	Earumque plura genera, *ex mss.*
	Appellata ia, ut ab his .... sed sativis.	Appellatæ ia, & ab his .... E sativis, *ex mss.*
Sect. 15.	Gravis caltha.	Gravis calthæ, *ex mss.*
Sect. 16.	Nec hæc sunt tantum, sed eorum quoque.	Hæc sunt tantum. Sed eorum quoque.
	In coronis non addatur.	In coronas non addatur, *ex mss.*
Sect. 17.	Sed multo levius degenerans. Sed nec ubique fecundum.	Sed multo lenius, degenerans ubique, nec fecundum, *ex mss.*
	Cum sit medio candidum.	Cum sit mediocre.

Et brevibus capillis.	Et brevis capilli, *ex mss*	
Cum virent.... Hortensium.	Cum virent... Hortensiorum, *ex mss.*	*Sect.* 18.
A similitudine, quæ & melior: thizotomos.	A similitudine: & quæ melior, thizotomos, *ex mss*	*Sect.* 19.
Atque septemtrionale.	Atque e septemtrionalibus, *ex mss.*	
Salionca foliosa quidem est, sed brevis, & quæ necti non possit.	Saliunca folio quidem subbrevi, & quod necti non possit, *ex mss.*	*Sect.* 20.
Unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu.... qui in viola.... vegetissime.	Rubentem in cocco, qui a rosis migrante gratia idem trahitur suspectu.... quæ a viola.... vegetissimus.	*Sect.* 22.
Mirumque.	Mireque, *ex mss.*	*Sect.* 23.
Spireon, trigonon.	Spiræa, origanon.	*Sect.* 29.
Coronas ex hac.	Coronas ex ea, *ex mss.*	
Femina acrior.	Femina acutior.	*Sect.* 32.
Abrototonum.... floret æstate. Flos.	Abrotonum.... floret. Est autem flos.	*Sect.* 34.
Ritu vitis.	Rutæ vice	
Vivacius prædictis.	Vivacius supradictis, *ex mss.*	*Sect.* 35.
In summo terræ	In summa terra, *ex mss.*	
Coloris ignei, foliis spinæ.	Coloris hysgini, folio spinæ.	*Sect.* 36.
Nyctilopa.	Nyctalopa.	
Odoracior & candida.	Odoratior candida, *ex mss.*	*Sect.* 37.
Quæ appellatur purpurea.	Quæ ion appellatur, & purpurea.	*Sect.* 38.
Codiaminon.	Cyclaminum	
Melanion.	Melanthum.	
Purgata.	Perpurgata, *ex mss*	*Sect.* 40.
Nam flore.... alvo concita.	Flore ... alvo cita, *ex mss.*	*Sect.* 42.
Sternutamenta.	Sternumenta, *ex mss.*	*Sect.* 44.
In eodem Ponto.	In eodem Ponti situ, *ex mss.*	*Sect.* 45.
Parum enim erat.	Parum erat, *ex mss*	
Non enim ipsi melli, sed apibus jam.	Non enim & ipsis jam apibus, *ex mss.*	
Alvearia.... alveos.... magnus sit alveus.	Alvos .. alvos magna... sit alvus, *ubique sic mss.*	*Sect.* 47.
Papilionum major pestis.	Papilio pestis major, *ex mss.*	
Tollitur vero.	Tollitur vere.	
Conveniet.	Conveniat, *ex mss.*	*Sect.* 48.
Alveorum.... aut medios.	Alvorum .... aut medias, *ex mss.*	
Sub dio	Sub divo, *ex mss.*	*Sect.* 49.
Siccantes, ne liquefaciant.	Sol siccat: & ne liquefaciat, *ex mss.*	
Ad reddendas similitudines.	Ad edendas similitudines, *ex mss.*	
Tanum.... hortensianam.	Tamnum .... hortensiam, *ex mss.*	*Sect.* 50.
Acinos, quam epipetron.	Acinos, epipetron, *ex mss.*	*Sect.* 52.
Glycyrrhizon.	Glycyrrhizo, *ex mss.*	*Sect.* 54.
Ut phleos.	Ut pheos.	
Tributa proprietas.	Tribulo proprietas.	
Quam feminam vocant, mitior.	Quam & feminam vocant: mitiorque, *ex mss.*	
Simul cocta. Quæ innoxia, morsu carens.	Simulque cocta innoxia est. Morsu carens, *ex mss.*	
Carduus & folio & caule spinosas lanugines habet.	Carduus & folia & caules spinosæ lanuginis habet, *ex mss.*	*Sect.* 56.
Neque in omnibus terris est, radice foliosa.	Neque in omnibus terris: est a radice foliosa, *ex mss.*	
Et ipsa, cujus in terra.	Et ipse: in terra, *ex mss.*	*Sect.* 57.
Foliatum.	Foliatu, *ex mss.*	*Sect.* 58.
Et crepis, & apate.	Et crepis, & lotos.	*Sect.* 59.
Onocichlæ.	Onochile.	*Sect.* 60.
Adianto.	Adianto, polio, *ex mss.*	
Ortyga vocant.	Ortygeth vocant, *ex mss.*	*Sect.* 61.
Intra se germinat.	Intra seminat.	*Sect.* 64.
Et acri.... succo.	Et acris... succi, *ex mss.*	*Sect.* 65.
Tria tempora sationum.	Tria tempora arationum, *ex mss.*	*Sect.* 66.
Et semine toto.	Et semine tosto.	*Sect.* 68.
Hastulam regiam. Ea est & caulis acinosi. Ejus duo.	Hastulatum regiam, caulis acinosi: ac duo, *ex mss.*	
Item pistanam.	Idem pistanam, *ex mss.*	
Mariscon appellant	Mariscon appellat, *ex mss.*	*Sect.* 69.
Adversus calculosos, eo fovet.	Adversus calculos os eo fovet, *ex mss.*	
Et non egredi domibus.	Et non egredi die omni, *ex mss.*	
Etiam fieri.	Etiam in dies fieri, *ex mss.*	
Thracio.	Theræo.	*Sect.* 70.
Sed cyperos.	Sed cypiros, *ex mss.*	
Quæ cyperis.	Quæ cypira.	
Præsertim remedio est.	Præsenti remedio est, *ex mss.*	
Capitisque dolores facit. At qui vocatur holoschœnos.	Capitis dolores facit, qui vocatur holoschœnos, *ex mss Diosc.*	*Sect.* 71.
Cum resina arida imponitur. Excalfactoria & rosa uteros adstringit.	Cum resina arida imponitur, excalfactoria. *Sect.* LXXIII. Et rosa adstringit.	*Sect.* 72.
In folia & flores, Capita foliorum, partesque candidæ.	In folia, & flores, & capita. Foliorum partes quæ candidæ, *ex mss.*	*Sect.* 73.
Aliud capillus in capite, aliud calyx.	Aliud capillus: In capite aliud cortex: aliud calyx, *ex mss.*	
Silvestris cum adipe.	Silvestris pilulæ cum adipe, *ex mss.*	
In melle cum hyoscyamo.	Melius cum hyoscyamo, *ex mss.*	
Coquendas.	Concoquendas, *ex mss.*	*Sect.* 74.
Aoribus est utilissimus: sed capitis.	Auribus utilissimum: sed & capitis, *ex mss.*	
Olfactuve.	Olfactuque,, *ex mss.*	*Sect.* 75.
Perpensam.	Perpressam.	*Sect.* 76.
Conditur cum diapasmate.	Tunditur & in diapasmata, *ex mss.*	*Sect.* 77.
Strangulationes.	Strangulatus, *ex mss.*	
Urinam.... sentiunt, ebrietati eo resistunt.	Urinas... sentient, ebrietati resistent, *ex mss.*	*Sect.* 80.
Ex eo quoque expresso.	Fæx quoque expressi, *ex mss.*	*Sect.* 81.
Urinas magis excalfacit.	Urinas. Magis excalfacit.	*Sect.* 82.
Guttarum	Gostatu, *ex mss.*	
Sinistra manu lecta ad hos usus.	Sinistra manu ad hos usus, *ex mss.*	
Aperitur.	Aperietur, *ex mss*	*Sect.* 83.
Dignationis gratia, gloriæque avidos.	Dignationis gloriæque avidos, *ex mss.*	
Tractare, colere.... substernitur, vel portatur. Medici in vino decoquunt.... illinuntque: vel spleneticis.	Tractari, coli.... substerni, uri vel portari: In vino decoqui.... illinique. Splenicis, *ex mss.*	*Sect.* 84.
Partusque.... expellit.	Partusque.... pellit, *ex mss.*	
Mellitide	Melittæna, *ex mss.*	
Et araneorum.	Et similium, sicut araneorum, *ex mss.*	*Sect.* 86.
Cum sale decocta. Succus feminas.... & inflationes.	Cum sale. Decoctæ succus feminas.... & inflammationes, *ex mss.*	

Sect. 87.	Cum lacte, aut cum lini semine.	Cum luteo ovi, aut lini semine.
Sect. 88.	Simus quoque medicus.	Simus quoque e medicis, ex mss.
Sect. 89.	Si lateralis dolor.	Si lateris dolor, ex mss.
	Anhelationi.	Anhelatoribus, ex mss.
	Aot vesicæ dolor.	Aut si vesicæ dolor, ex mss.
	Coxendicibus imponitur, & articularibus morbis.	Coxendicibus imponitur cum vino, & articularis morbis, ex mss.
Sect. 90.	Aqoam pellit.	Aquas pellit, ex mss.
Sect. 92.	Usus est & foliis .... orthopnoicis.	Usus & foliis .... orthopnœæ, ex mss.
	Cotoneo malo concocto.	Cum cotoneo malo cocto, ex mss.
Sect. 93.	Fit ex eo oleum.	Fit ex eo & oleum, ex mss.
Sect. 94.	Phenion.	Phrenion.
	Hujusque plures.	Hujos plures, ex mss.
	Nomen accepit .... latioribus foliis.	Nomen accepere .... latioribusque foliis, ex mss.
	Oculorum epiphoras. Magi.	Oculorum epiphoras, & cicatrices. Magi, ex mss.
Sect. 96.	Folia ejus trium obolorum.	Folia ejus trita trium obolorum, ex mss.
Sect. 97.	Eximie provenit. Hoc ibi pro cocco hysginum tingitur.	Maxime provenit. Hoc ibi fuco hysginum tingunt.
Sect. 100.	Ex ea sextarium.	Ex eo sextarium, ex mss.
	Cauliculis ejus in vino & aceto tritis.	Cauliculis ejus ex aceto tritis, ex mss.
	Tosta & contusa.	Cruda & contusa, ex mss.
Sect. 103.	Est & herba.	Sed est herba, ex mss.
	Anticellion vocant.	Anthyllum vocant, ex mss.
	Renumque doloribus.	Renumque arenis, ex mss.
Sect. 104.	Leucanthem, alii tamnacum.	Leuchantes, alii amaracum.
	Muralium .... decoctæ.	Muralem .... decoctum, ex mss.
Sect. 105.	Strychno .... trychnon.	Trychno .... strychnon, ex mss.
	Demonstranda.	Demonstrando, ex mss.
	Spectaverant.	Insectabantur.
	Neurida .... ne cavendi quidem causa.	Neurada .... cavendi causa, ex mss.
	Halicacabo uni exceptionem addidere.	Halicacabo in vino: Exceptionem addidere.
	Gigni eo Nec demonstranda.	Gigni. En demonstranda, ex mss.
	Commendatur & in cibis .... hortensis.	Commendatur ergo in cibis .... hortensium, ex mss.
Sect. 109.	Eadem sex obolos.	Eademque sex obolos, ex mss.
	Cyathus pendet per se drachmas X.	Cyathus pendet drachmas X. ex mss.

LIBRO VICESIMO SECUNDO.

Sect. 1.	Complesse poterant.	Implesse poterant, ex mss.
Sect. 3.	Seseque objiciendo.	Seque objiciendo, ex mss.
	Stans & in sicco carpit quod frugi mundos exculpat: his alioqui fugientibus instrui.	Stans & in sicco carpit, quo fruges modo: sed culpa non ablui usu: alioqui fulgentium instrui.
	Nunc propositum .... non est.	Non est nunc propositum, ex mss.
	Subjiciendo utiliora, luxuriam utilitate circumscribamus.	Subjiciendo tutiora, luxuriam vilitate circumscribamus.
	Interim fortius augetur auctoritas: quæ quanta debeatur.	Interim fortius agetur: auctoritasque quanta debeatur, ex mss.
	Ac semper & legati.	Ac semper e legatis, ex mss.
Sect. 6.	Exclusam ab hoc.	Exclusam ab hoste, ex mss.
	Manlio Cos. tribus cohortibus.	Manlio Cos. cohortibus ex mss.
	Augustus adscripsit.	Augustus subscripsit, ex mss.
	Augustum cum M. Cicerone filio Consulem Idibus Septembribus.	Augustum M. Cicerone filio Consule Idibus Septembris, ex mss.
Sect. 7.	Addidere vivendi pretio.	Addidere vivendi pretia, ex mss.
	Aliorum hanc operæ credimus, ac nec mandato quidem nostro .... medicisque provisum esse. Proh! bonis ipsi fruimur voluptatis.	Aliorum hanc operæ esse credimus, ne mandato quidem nostro .... Medicisque provisum esse pro nobis. Ipsi fruimur voluptatibus, ex mss.
	Magna .... solatia.	Magno .... solatio, ex mss.
	Satis admirari.	Satis mirari, ex mss.
	Inde cogitavit.	Excogitavit, ex mss.
Sect. 8.	Et clara .... venenata ... Omnibus vero contra.	Clara .... venena. . Omnibus contra, ex mss.
Sect. 9.	Opisthotonicis, spasmis.	Opisthotonicis spasmis.
Sect. 11.	Longa ceu viti, coloris buxei. Meliorque nigra, quæque lenta, &c.	Longa, ceu vitium: coloris buxei melior, quam nigra: quæque lenta, &c. ex mss.
	Usus .... decocta.	Usus .... decoctæ, ex mss.
Sect. 14.	Est altera hippope.	Fit altera hippophyes, ex mss.
	Ad gerenda præsidia.	Ad generanda præsidia, ex mss.
	Ut aliis prosit atque aliis horis.	Ut aliis prosit aliud horis, ex mss.
Sect. 15.	Succus quoque.	Succo quoque, ex mss.
Sect. 16.	Radice alligata.	Radicem alligatam, ex mss.
	Et dicatur quæ, & cui .... liberari.	Dicaturque cui .... liberare, ex mss.
Sect. 17.	Scorpius herba.	Scorpio herba, ex mss.
Sect. 18.	Dolorem sedat.	Dolores sedat, ex mss.
	Eademque ruptis.	Eadem ruptis, ex mss.
Sect. 19.	Sanat ignes sacros, & tumores, collectionesque omnes, & adusta. Panos succus ejus cum psimmythio, ignes sacros, tumores, collectionesque, & guttura.	Sanat ignes sacros, & tumores, collectionesque omnes, & adusta. Panos succus cum psimmythio, & guttura, ex mss.
Sect. 20.	Pota. Et contra .... Vernula.	Potu. Sed contra .... Verna, ex mss.
Sect. 21.	Canes suesque .... juvencas.	Et canes, suesque .... juvencos, ex mss.
Sect. 24.	Enchusa.	Echis, ex mss.
	Radix oleum non fundit, sed rubentem succum.	Radix in oleo non fundit rubentem succum.
	Febribus alligari.	Febribus adalligari, ex mss.
Sect. 29.	Et contra scorpiones.	Sed contra scorpiones, ex mss.
Sect. 30.	Aliud trichomanes.	Aliqui trichomanes.
	Ne pereant	Ne perurant, ex mss.
Sect. 32.	Decoctis magis medici utuntur.	Magis decoctis utuntur, ex mss.
	Et quarta die solvatur.	Quartoque die solvatur, ex mss.
	Et psoras radice.	Psoras, lepras, radice, ex mss.
	Semen ejus.	Semine ejus, ex mss.
Sect. 33.	Coquitur autem hoc.	Coqui autem hæc, ex mss.
	In rotunditate ...... lenire.	In rotunditatem .... leniri, ex mss.
	Opisthotonicis.	Opisthotonis, ex mss.
Sect. 36.	Qam potu.	Quam pota ea, ex mss.
Sect. 37.	Simili effigie.	Siliis effigie.

Coli quoque tormenta.	Colique tormenta, *ex mss.*	
Contra serpentium ictus non facit eam deteriorem.	Contra serpentium ictus facit eam deteriorem, *ex mss.*	
Perquam commodatus.	Perquam commendatus, *ex mss.*	*Sect.* 40.
Limonion.	Limonium.	*Sect.* 43.
Lactucarum modo. Erasistratus.	Lactucarum modo, ex embammate. Erasistratus, *ex mss.*	*Sect.* 44.
Eadem decocto.	Eadem decocta, *ex mss.*	
Caulem minus pedalem.	Caulem minus pedali, *ex mss.*	*Sect.* 45.
Mox in pediculi.	Mox increscente in pediculi.	*Sect.* 46.
Deprehendisseque nisi ... nunc quidem ... si patescentes.	Deprehendisse qui nisi ..... & quidem ..... si parescentem, *ex mss.*	
Accommodatissimum.	Accommodatissimi, *ex mss.*	*Sect.* 47.
Et centuriones.	Centurionesque, *ex mss.*	
His aberit veneni argumentum.	Hic habebit veneni argumentum.	
Lentigines .... in oculorum medicamenta.	Lentigines .... oculorum medicamento.	
Tutiores fient	Tutiores fiunt, *ex mss.*	
Nam folia ad expurgandas vulvas.	Foliorum ad purgandas vulvas, *ex mss.*	*Sect.* 48.
Pluribus.	Plurimis, *ex mss.*	*Sect.* 49.
Clavis pedum, qui vulgo ..... nitro misto, ante subactum. Carnes replet.	Clavis, qui vulgo .... nitro mixto. Alopecias nitro ante subactas replet.	
Est & ratio.	Et est ratio, *ex mss.*	*Sect.* 51.
Pollionis Romuli.	Pollionis Romulii, *ex mss.*	*Sect.* 53.
Non fecit cerata.	Non fecit cerotum, *ex mss.*	*Sect.* 56.
Sine his.	Sine istis, *ex mss.*	
Est in farre.	Est & in farre, *ex mss.*	*Sect.* 57.
Atharam.	Atheram, *ex mss.*	
Lenit & concoquit ..... Ad jocineris dolores eam cum posca.	Lenit concoquitque ..... Jocineris doloribus cum posca, *ex mss.*	*Sect.* 58.
Et impubis pueri urina. Cum oleo, & feno Græco.	Et impubis pueri urina, cum oleo. Cum Græco feno.	
Suo dicemus loco. Granum sesamæ datur in vino.	Suo dicemus loco: granum sesamæ. Datur in vino.	*Sect.* 64.
Novemque granis.	Novem granis, *ex mss.*	*Sect.* 65.
Innocentior est alica? Hippocrates tantum.	Innocentior alica? Hippocrates tamen, *ex mss.*	
Vocis studiosos.	Vocis studiosis, *ex mss.*	*Sect.* 68.
Eaque quæ	Et ea quæ, *ex mss.*	*Sect.* 70.
In iis .... exigunt.	In his .... exigant, *ex mss.*	
Torrere aut tundere.	Torrere, & ante tundere, *ex mss.*	
In aqua non fluente.	In aqua non profluente, *ex mss.*	
Est & silvestris .... Est ea .... silvestris.	Est silvestris & ... Ea est ... silvestratur, *ex mss.*	*Sect.* 71.
Farina ejus, ut ait Varro, maculas.	Farina ejus varos, sed & maculas.	*Sect.* 73.
Aut maturant. Cocti ex aceto.	Aut maturant. Cocti ex aceto.	*Sect.* 74.
Galli velarum.	Galli velam.	*Sect.* 75.
Per se illitum ex aqua.	Per se illito ex aqua, *ex mss.*	*Sect.* 76.
Cauliculus est sine foliis, pinguis, rubens.	Cauliculus est sine sanguine, foliis rubens.	*Sect.* 80.
Solifugarum.	Solipugarum.	*Sect.* 81.

LIBRO VICESIMO TERTIO.

Odorumque gratia .... pendentibus quoque dedit.	Odorumve gratia .... & pendentibus dedit, *ex mss.*	*Sect.* 1.
Et sic inductos.	Et sic inducto, *ex mss.*	
Nec curvo adoranda aratro, nec cura laboranda, sed sese.	Nec curvo laboranda, sed sese.	*Sect.* 3.
Maximeque aqua, quam virides.	Maximeque, quam virides, *ex mss.*	
Succo & thure impetigines.	Succo impetigines, *ex mss.*	
Et intertrigines, & pilos absumit.	Et intertrigini: & pilos absumit, *ex mss.*	
Frangitur vehementia ejus.	Mitigatur vehementia ejus, *ex mss.*	*Sect.* 4.
Dysentericis, cœliacis, cholericis.	Dysentericis, *tantum*, *ex mss.*	*Sect.* 5.
Ac sedi. Cum melle & croco alvum sistit.	Ac sedi, cum melle & croco. Alvum sistit.	
Exscreationem.	Exscreationes, *ex mss.*	
Articularibus morbis.	Articularis morbis, *ex mss.*	*Sect.* 12.
Epinyctidas, & dysenteriam.	Epinictidas, & ceria: dysenteriam.	
Et variis coxendicum .... vitiis.	Et varos: coxendicum .... vitiis.	*Sect.* 14.
Mangonizat corpora: serpentes fugat.	Mangonizat corpora, *tantum*, *ex mss.*	*Sect.* 16.
Si quis villam ea tinxerit.	Si quis villam ea præcinxerit.	*Sect.* 17.
Phlegma.	Flemina.	
Unquam.	Usquam, *ex mss.*	*Sect.* 20.
Videntur sententiæ victoriam.	Videntur victoriam, *ex mss.*	
Surrentino .... Albano .... Falerno.	Surrentina ... Albana .... Falerna habent, *ex mss.*	*Sect.* 21.
Ætatem ademere.	Ætatem addi, *ex mss.*	*Sect.* 22.
Inutilissimum est. Curas vigoremque animi impendit, ad procinctum.	Inutilissimum est curis, vigoremque animi ad procinctum.	*Sect.* 23.
Superbibere ebrietati: quam quidem.	Superbibere. Ebrietatem quidem.	
Vomitoribus.	Vomitionibus, *ex mss.*	*Sect.* 24.
Veteribus ægris vinum: nec.	Veteribus ægris: nec, *ex mss.*	
Cum febre .... neu palpebris.	Cum febris .... palpebrisve, *ex mss.*	
Supervacaneum.	Supervacuum, *ex mss.*	*Sect.* 26.
Saluberrimum. Plurimum fotu medetur post uredines.	Saluberrimum fotu. Medetur potæ hirudini.	*Sect.* 27.
In spongia appositum adjecto.	In spongia, adjecto, *ex mss.*	
Sistit alvos.	Sistit alvum, *ex mss.*	
Tosto pane, aut vino.	Usto pane, aut cum vino, *ex mss.*	
Salis marini pondo, thymbræ quadrantem.	Salis marini pondo libram & quadrantem.	*Sect.* 29.
Et anginas.	Et anginis, *ex mss.*	
Fæx, sui cujusque generis.	Fæx, cujusque generis, *ex mss.*	*Sect.* 31.
Cum exspiraverit.	Cum exspiravit, *ex mss.*	*Sect.* 32.
Sæpe fæce.	Sapæ fæce.	*Sect.* 33.
Hulceribus excrescentibus.	Hulceribus, & putrescentibus, *ex mss.*	*Sect.* 34.
Et saniem manantibus.	Et sanie manantibus, *ex mss.*	
Quærendam.	Quærendum, *ex mss.*	*Sect.* 35.
Item dentibus aut attritis.	Item dentibus carnem mandendo attritis, *ex mss.*	*Sect.* 36.
Cupreo vase.	Cyprio vase, *ex mss.*	*Sect.* 37.
Articularibus morbis.	Articularis morbis, *ex mss.*	
Podagris foveri.	Podagras foveri, *ex mss.*	
Siccat .... Danturque .... oleum tamen acrius, atque efficacius: & os quoque colluitur illo ad dentium infirmitatem.	Siccatque .... & dantur .... oleum tantum acrius, efficaciusque: & de eo os quoque colluitur ad dentium firmitatem, *ex mss.*	*Sect.* 38.

Sect. 39.	Utilissimum est omphacinum.	Utilissimum esse omphacium, *ex mss.*
Sect. 40.	Contra omnia supra dicta laudatissimum.	Contra omnia supra dicta, *tantum*, *ex mss.*
	Magis auxiliare.	Auxiliare, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 45.	Capitis doloribus.	Capitis dolori, *ex mss.*
Sect. 47.	Utendum modice.	Utendum modico, *ex mss.*
Sect. 49.	Utilius.	Utile est, *ex mss.*
	Iguini.	Iguvini, *ex mss.*
Sect. 50.	Alvum emollit.	Alvum solvit, *ex mss.*
Sect. 51.	Corpus augent.	Corpus alunt, *ex mss.*
	Intestinis. Cum cotoneis & cera & croco sugillata emendant.	Intestinis, cum cotoneis & cera & croco. Sugillata emendant.
Sect. 52.	Menses sistit.	Menses ciet.
Sect. 53.	Palma, sive elate.	Palma elate, *ex mss.*
Sect. 54.	Non idem possunt.	Non idem prosunt, *ex mss.*
	Carbunculos sanat, cocta in vino & illita cum cera. Alopeciis &c.	Carbunculos sanat. Cocta in vino, & illita cum cera, alopecias, &c.
	Qui facit.	Qui id faciet, *ex mss.*
Sect. 56.	Collutio.	Colluti, *ex mss.*
Sect. 57.	Et stomacho prosunt.	Et stomachum, *tantum*, *ex mss.*
	Decocto.	Decoctum, *ex mss.*
Sect. 58.	Operculo indito .... tostum.	Cooperculo indito .... exustum.
Sect. 59.	Passirum.	Passirus, *ex mss.*
Sect. 60.	Tineas.	Tænias, *ubique*, *ex mss.*
Sect. 62.	Potum.	Potu, *ex mss.*
	Feni Græci.	Græci feni, *ex mss.*
	Sunt .... Præstant hæc.	Sint ... Præstant hoc, *ex mss.*
	Recolligentibus.	Recolligenti, *ex mss.*
	Et tumorem maxillarum, & furunculos, &c.	Et tumores maxillarum Ad furunculos, &c. *ex mss.*
	Alvum sistunt manducatæ.	Manducatæ alvum sistunt, *ex mss.*
	Cinis non ex alia arbore aciem purgat acrior.	Cinis non ex alia arbore acrior: purgat.
	Atque in aluta.	Atque cum aluta, *ex mss.*
Sect. 64.	Podagris cum farina feni Græci.	Podagris cum farina Græci feni, *ex mss.*
	In cavis eorum.	In cava eorum, *ex mss.*
	Adjiciunt.	Adjicitur, *ex mss.*
	Et omnium collectionem.	Et omnem collectionem, *ex mss.*
	Cum melle item & foliis.	Cum melle foliis.
	Inflammationes.	Inflationes, *ex mss.*
Sect. 66	In vino decocta, & subinde.	In vino decocto ea subinde, *ex mss.*
	Stomacho vero utilissima.	Stomacho non utilissima.
Sect. 67.	In aceto & oleo.	Cum oleo & aceto, *ex mss.*
Sect. 70.	Spleneticis bibitur. Illinitur & contra perfrictiones.	Spleneticis bibitur, atque illinitur, & contra perfrictiones, *ex mss.*
	Nec .... pituitasque ac tineas.	Neque .... pituitas tæniasque, *ex mss.*
Sect. 71.	Levi vapore.	Leni vapore, *ex mss.*
	Quam in folia exeant.	Quam folia exeant, *ex mss.*
	Vel Sole torrebant.	Ad Solem torrebant
Sect. 74.	In singulis.	In singulas, *ex mss.*
	Portulacæ ..... renum.	Porcilacæ .... renes, *ex mss.*
Sect. 75.	Et aquæ sextario, & sanguinem sistunt. Cum amylo & menta lethargicis.	Et aquæ sextario. Et sanguinem sistunt cum amylo & menta. Lethargicis.
	E vino veteri.	E vino vetere, *ex mss.*
Sect. 76.	Tussi & sanguinis rejectioni prodest.	Tussis & sanguinis rejectio, *ex mss.*
Sect. 77.	Hocque minore momento, sed.	Hoc minore tormento, &c.
	Et dysentericis prodest.	Et dysentericis, *tantum*, *ex mss.*
	Canis morsus.	Canis morsum, *ex mss.*
Sect. 78.	Pinguedini.	Pinguitudini, *ex mss.*
Sect. 80.	Foliorumque.	Foliorumve, *ex mss.*
	Quinæ denæve.	Quinæ denæ.
Sect. 81.	Synaristusæ.	Synaristosæ
Sect. 82.	Appositum fotu.	Apposita, fotu, *ex mss.*

LIBRO VICESIMO QUARTO.

Sect. 1.	Ipsumque olus.	Ipsum olus, *ex mss.*
	Quæ sternuntur.	Quæ sternantur, *ex mss.*
	Gratissima sunt in pabulo.	Gratissimo sunt in pabulo, *ex mss.*
	Ex quibus vivimus.	Et quibus vivimus, *ex mss.*
	Vincendo victi .... imperat.	Vincendoque victi .... imperaverunt, *ex mss.*
Sect. 5.	Excrescentia . .. tollit.	Excrescentia . .. tollunt, *ex mss*
	Omnes capillos denigrant.	Omnis capillos denigrat, *ex mss.*
Sect. 11.	Ni capitis dolorem inferret.	Ni capiti dolorem inferret, *ex mss.*
	Defunctis.	Defunctisque, *ex mss.*
Sect. 17.	Infusum .... illitum.	Infusa .... illita, *ex vet. edit.*
	Cum vino ac resina .... junipero.	Cum vino autem ac resina .... juniperis, *ex mss.*
Sect. 20.	Parvulo cauliculo, crassitudine digitali.	Parvula, cauliculo crassitudine digitali, *ex mss.*
	Cum ficu .... Lumborum quoque dolorem.	Cum fico .... Lumborum dolorem, *ex mss.*
	Potaque.	Et pota, *ex mss.*
Sect. 22.	Nam cæ ferunt.	Nam & cæ ferunt, *ex mss.*
	Item pectoris vitia. Terebinthina illinitur: & eadem calida ..... spatiisque illinitur in Sole, totisque corporibus.	Item pectoris vitia, terebinthina. Illinitur eadem calida .... spatiisque in Sole. Illinitur & totis corporibus, *ex mss.*
Sect. 23.	Sternutamentis. Purulentis auribus.	Sernutamentis a pituita. Auribus, *ex mss.*
	Sic & hulcera purgat: explet cum uva passa & axungia. Carbunculos purgat.	Sic & hulcera purgat, explet. Cum uva passa & axungia, carbunculos purgat.
Sect. 28.	Lentisci & arbores.	Lentisci ex arbore, *ex mss.*
Sect. 29.	Scillitæ .... Melanias quoque.	Scilliti ... melaniasque, *ex mss.*
	Folia eorum tenerrima.	Foliorum tenerrima, *ex mss.*
Sect. 30.	Quinque cyathis.	Quinis cyathis, *ex mss.*
Sect. 31.	Radix contusa jocineris.	Radix contusa e vino jocineris, *ex mss.*
Sect. 32.	Papulasque & attrita corporis.	Papulasque ex attritu ortas.
	Et foliis	Et in foliis, *ex mss*
	Gutta quoque aquæ propolis ex aqua remedium quam efficax.	Gutta æque propoli ex aqua efficax.
Sect. 33.	Et tiliæ cortices.	Et tiliæ corticis, *ex mss.*
Sect. 37.	Gummi modo.	Cummium modo, *ex mss.*

Oleo

Oleo admistum.	Oleo admixto, *ex mss.*	*Sect.* 38.
Cinctu.	In cinctu, *ex mss.*	
Quam & tamaricen.	Quam ericen.	*Sect.* 41.
Bryoniam vocant.	Bryam vocant.	*Sect.* 42.
Vice gallæ, & in.	Vice gallæ in, *ex mss.*	
Radix ad eadem: similiter & folia. Hæc amplius.	Radix ad eadem similiter. Folia hoc amplius, *ex mss.*	
Ligustrum eadem arbor.	Ligustrum, si eadem.	*Sect.* 45.
Per urinam educit.	Urina educit, *ex mss.*	*Sect.* 47.
Decocta in vino.	Decocta quæcumque in vino, *ex mss.*	
Spleneticos.	Splenicos, *ubique. ex mss.*	
Hypocisthis, quam inter ederas diximus.	Hypocisthis, quam inter herbas dicemus.	*Sect.* 48.
Tantamque vim accipiunt .... detrahant.	Tantam vim acini aiunt .... detrahat.	*Sect.* 49.
Illa natura.	Illa naturæ vi, *ex mss.*	*Sect.* 50.
Io India.	In Judæa	
Quæ venena & tineas.	Quæ tineas, *tantum, ex mss.*	*Sect.* 54.
Rhus, quæ erythros appellatur, frutex est: & hujus fruticis semen vim habet.	Rhus, qui erythros appellatur, semen est hujus fruticis. Vim habet.	*Sect.* 55.
Alia est.	Alia res, *ex mss.*	*Sect.* 56.
Folia & capillum tingunt.	Folia & capillum inficiunt, *ex mss.*	
A cane commorsos.	A cane morsos, *ex mss.*	*Sect.* 57.
Decoctu ejus potu.	Decocto ejus potu, *ex mss.*	*Sect.* 58.
Ad sternutamenta.	Sternutamento, *ex mss.*	
Purgat &.	Purgat etiam, *ex mss.*	*Sect.* 59.
Præponuntur aut prunorum.	Præponuntur autem prunorum, *ex mss.*	*Sect.* 64.
Conveniunt e spina Ægyptia. CAP. XII. Spinæ Arabicæ.	Conveniunt. *Sect.* LXV. Spinæ Ægyptiæ, sive Arabicæ.	
Est & acaciæ spina.	Est & acacia e spina.	*Sect.* 67.
Alii adipsatheon, sive dipsacon.	Alii adipsatheon, *tantum, ex mss.*	*Sect.* 69.
Inflationes potu. Discutit & strangurias cortex Sanguinem reddentibus medetur decoctum ejus Alvum sistit cortex. Similia &c.	Inflationes potu discutit, & stranguriás. Cortex sanguinem reddentibus medetur. Decoctum ejus alvum sistit. Similia &c *ex mss.*	
Pyracanthi.	Pyracanthæ.	*Sect.* 70.
Alii folia .... morbis imponunt Prosunt &c.	Agrifolia .... morbis. Prosunt &c.	*Sect.* 72.
Itemque baculum.	Item baculum, *ex mss.*	
Ideoque ex eis mora vel hominibus.	Ideoque & mora his, hoc est, vel hominibus, *ex mss.*	*Sect.* 73.
Vel præsentaneum.	Uvæ præsentaneum.	
Vel cum efficaciorem.	Vel efficaciorem, *ex mss.*	
Eademque.	Eadem, *ex mss.*	
In Ida, non alias, nascitur.	In Ida non alius nascitur.	*Sect.* 75.
Stomaticisque.	Stomachicisque.	
Aut si ex hulceribus.	Aut si ex vulneribus.	*Sect.* 77.
Acrimonia dulcem.	Acrimonia dulcem, gummosam, *ex mss.*	*Sect.* 78.
Rhus Syrtacon.	Rhun Syriacon, *ex mss.*	*Sect.* 79.
Trissago .... chamædropem.	Trixago .... chamæropem, *ex mss*	*Sect.* 80.
Ex aqua. Ad supradicta sanat & vomicas.	Ex aqua, ad supra dicta. Sanat & vomicas.	
Folio tenui, lauri similitudine.	Folia tenuiora lauri folio, *ex mss.*	*Sect.* 81.
Admistum foliis.	Adnixum foliis.	
Qooquo modo collectam.	Quoquo modo vero collectam, *ex mss.*	*Sect.* 82.
Farranum.	Farfarum, *ex mss.*	*Sect.* 85.
Secundum fluvios.	Secus fluvios.	
Florum ambitu.	Foliorum ambitu.	*Sect.* 87.
Itali centunculum vocant, rostratis foliis, ad similitudinem .... Græci autem clematidem. Est ejus egregius effectus.	Centunculum vocant nostri, foliis ad similitudinem ... Græci clematidem: egregii effectus, *ex mss.*	*Sect.* 88.
Et pedales .... scammoniæ ramos habet.	Ramos habet bipedales .... scammoniæ, *ex mss.*	*Sect.* 89.
In vino.	Ex vino, *ex mss.*	
Ex aceto dentium dolores sedant Venerem stimulant.	Ex aceto edentium Venerem stimulant, *ex mss.*	
Adversus .... aspides	Adversus .... aspidas, *ex mss.*	*Sect.* 90.
Ægyptus hanc maxime gignit. CAP. XVI. Quæ & aron.	Ægyptus hanc maxime gignit: quæ & aron.	*Sect.* 91.
Appellaverunt.	Appellarunt, *ex mss.*	
Tantumque inesse ei virus.	Tantumque ei virus, *ex mss.*	*Sect.* 92.
Infundere	Infudere, *ex mss.*	
Et purulenta.	Et pura, *ex mss.*	
Etiam luxatis .... quaslibet.	Et luxatis .... utralibet, *ex mss.*	
Ac fistulis. Collyrio immisso nomas sistunt, decoctarum in aqua, &c.	Ac fistulis, collyrio immisso. Nomas sistunt decocta earum in aqua, &c.	*Sect.* 94.
Aiunt quoque eamdem.	Aiunt eamdem, *ex mss.*	*Sect.* 97.
Coracesia.	Coracesia, *ex mss.*	*Sect.* 99.
Menaidem .... corinthadem.	Minyada .... corysidiam.	*Sect.* 100.
Insanabiles perire.	Insanabili leto perire, *ex mss.*	
Achæmenidon.	Achæmenida, *ex mss.*	
Hippophovada.	Hippophobada, *ex mss.*	
Meroidem .... Dictæis.	Meroida .... Dicte, *ex mss.*	
Syssitieterida, ... qui primatum.	Hestiaterida .... qua primatum, *ex mss.*	
Helianthen .... in Themiscyra regione.	Helianthes .... in Themiscyrena regione, *ex mss.*	
Crocidem.	Crocida, *ex mss.*	
Stratiotis.	Stratiotes, *ex mss.*	*Sect.* 105.
Contra tertianas adalligata.	Adalligata, *tantum, ex mss.*	*Sect.* 107.
Capitella.	Capitula, *ex mss.*	*Sect.* 113.
Veternosa curat .... vocatur. Nodia herba .... mularis dicitur, aliisque nominibus.	Veterno liberat .... vocatur, nodia herba .... mularis est aliis, aliisve nominibus, *ex mss.*	*Sect.* 115.
Capitis dolores sedantur.	Capitis dolores sedat, *ex mss.*	*Sect.* 116.
Suibus hæc effossa.	Suibus effossa, *ex mss.*	
Tordilen.	Tordylon.	*Sect.* 117.
Hulceribus vesicæ.	Hulceribusque vesicæ, *ex mss.*	*Sect.* 118.
Nos falicam, quod quomodo.	Nos filiciam: quomodo, *ex mss.*	*Sect.* 120.
Perungique præcipiens.	Perungique prohibens.	
Feno Græco miscent.	Feno miscent, *ex mss.*	
Damon feni Græci semen acetabuli dimidia mensura.	Damon feni semen acetabuli dimidii mensura, *ex mss.*	
Decoctum feni Græci semen emendat.	Decoctum feni emendat, *ex mss.*	

LIBRO VICESIMO QUINTO.

Sect. 1.	Quod non prodesse.	Quodque non prodesse, *ex mss.*
	Sed culmina.	Culmina, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 2.	Medicetur.	Mederetur, *ex mss.*
Sect. 3.	Animadverto.	Animo adverto, *ex mss.*
	Ab hominibus.	Ab omnibus, *ex mss.*
	Grammaticæ artis doctissimum jussit.	Grammatice artis, jussit.
Sect. 4.	Ex his Evax rex fi Arabum, qui de simplicium effectibus ad Neronem scripsit: Cratevas.	Ex his Cratevas.
Sect. 5.	Nec aliud.	Neque aliud, *ex mss.*
Sect. 6.	Insanabiles.	Insanabile.
	Remedium. Alius est, quam.	Remedio: alium, quam, *ex mss.*
	Et serpentes.	Et contra serpentes, *ex mss.*
Sect. 7.	Ut res tanta debeatur.	Tanta res videbatur, *ex mss.*
	Et nomina quæ... stultitia.	Et quæ nomina... stultitiæ, *ex mss.*
Sect. 8.	Homero.	Homero teste, *ex mss.*
Sect. 11.	Quo fieret modo.	Quonam fieret modo, *ex mss.*
	Argumentum est... adulterati.	Argumento est,... adulterati, *ex mss.*
Sect. 14.	In controversiam.	In controversia, *ex mss.*
	Levioris folii,... tenuioris.	Lævioris,... tenuius, *ex mss.*
Sect. 17.	Altercum, sive altercangenon, apud.	Altercum, apud, *ex mss.*
	Nonnunquam ante candidum.	Nonnunquam autem candidum, *ex mss.*
Sect. 19.	Ex cuspide.	A cuspide, *ex mss*
	Capitibus marrubii.	Capitulis marrubii, *ex mss.*
	Scopas regias.	Scopam regiam.
Sect. 21.	Radice vibrata.	Radice fimbriata.
	Entomon.	Ectomon.
Sect. 24.	Sternutamentum.	Sternumentum, *ubique fere*, *ex mss.*
	Impatibiles.	Impetibiles, *ex mss.*
	In lacte aut pulte.	In lente aut pulte, *ex mss. & Diosc.*
	Elephantiæ albæ.	Elephantiasi albæ.
	Clinicis...	Cynicis.
	Inflammationibus.	Inflationibus, *ex mss.*
Sect. 25.	Mimineve... polenta.	Minime,... polentæ, *ex mss.*
Sect. 26.	Mithridation.	Mithridatiam, *ex mss.*
Sect. 29.	Aliquanto amplioris.	Aliquando amplioris, *ex mss.*
Sect. 30.	Centaurea.	Centaurio, *ex mss*
	Et Lycæo... Quidam & ex ea.	Et Lycia... In Lycia quidem & ex ea, *ex mss.*
	Medetur & ovium morbis.	Medetur & iisdem morbis.
Sect. 32.	Triorches... tradidit.	Triorchis,... tradit, *ex mss.*
Sect. 33.	Clymenos.	Clymenus, *ex mss.*
Sect. 37.	Capiti papaveris. In caule secatur autumno.	Capite papaveris, tenui caule. secatur autumno, *ex mss & Diosc.*
Sect. 38.	Medici sui nomine & fratris Musæ.	Medici sui nomine. Frater is fuit Musæ, *ex mss.*
	Adstringi	Adstringere, *ex mss.*
	Spectatur foliis acanthinis.	Specie thyrsi, foliis acanthinis.
	Subditur excipulus.	Subditis excipulis, *ex mss*
Sect. 43.	Prædulcis. Aliam utilissimam.	Prædulcem alias, utilissimamque.
Sect. 44.	Hippice.	Hippace.
Sect. 46.	Ceitron	Cestros, *ex mss.*
Sect. 47.	Inventa est.	Inventa sic, *ex mss*
Sect. 53.	Paitæ.... procedente.	Pastu,... præcedente, *ex mss.*
	Asini	Et asini, *ex mss.*
Sect. 54.	Radicis... cui sit... clematis.	Radicum.... cujus sit... clematitis, *ex mss.*
	Pistolochia.	Plistolochia.
	In mari.	In mare, *ex mss.*
	Semen pleuriticos & nervos confirmare, excalfacere Eadem satyrion est.	Semine pleuriticis & nervis: confirmare, excalfacere, eadem satyrion esse.
Sect. 58.	Quidam arcion.	Quidam echion.
Sect. 60.	Blattariam vocant.	Blattaria vocatur, *ex mss.*
Sect. 64.	Probatissimæ	Probatissimi, *ex mss*
	Sed cum inaruit	Et cum inaruit, *ex mss.*
	Ex Creta radicis dulcis, & magis ad serpentes est. Bibitur.	Ex Cretico, radicis: magis ad serpentes bibitur, *ex mss.*
Sect. 67.	Narrantque.	Narrant, *ex mss.*
Sect. 70.	Caulis est ei.	Caulis ei, *ex mss.*
	Pluribus.	Plurimis, *ex mss.*
Sect. 72.	Alligata.	Adalligata, *ex mss.*
Sect. 77.	Mero veteri.	Mero vetere, *ex mss.*
Sect. 83	Polytricha distat a callitricha.	Polythrix distat a callitriche, *ex mss.*
Sect. 86	Folia sunt lenticulæ similia: caules juncis tenuissimis.	Folia sunt lenticulæ: caules junci tenuis similes, *ex mss.*
Sect. 90.	Sicelion.	Sicelicon, *ex mss*
	Densat... & aristolochia.	Densat se... aristolochia, *ex mss.*
Sect. 91.	Radix.... imponitur.	Radicem... imponunt, *ex mss.*
	Collyriis acrioribus.	Collyriis quoque acrioribus, *ex mss.*
Sect. 92.	De euphorbio satis dictum est, cujus succus lippitudini, si tumor erit, item absinthium.	De euphorbii succo satis dictum est. Lippitudini, si tumor erit, absinthium, *ex mss.*
Sect. 94.	Circeium.	Circæum.
	Quæ femina.	Qui femina, *ex mss.*
	Et iis semen... arsen.	Et in iis semen... arsena, *ex mss.*
	Mandantur.	Manduntur, *ex mss.*
Sect. 95.	Levis hic.	Lævis hic.
	Quæ si enecat... perveniatur.	Quos enecat,... perveniat, *ex mss.*
Sect. 100.	Acoros.	Acoron.
Sect. 102.	Et surfum.	Et foliosum, *ex mss.*
Sect. 103.	Purgant... explent... deglutinant.	Purgat... explet... deglutinat, *ex mss.*
	Perfrigerare.	Refrigerare, *ex mss.*
	Linteolo colatus... cum opus est.	Linteo colatus... & cum opus sit, *ex mss.*
Sect. 105.	Gingivæ putrescant, vel sanguinis sit rejectio.	Gingivæ putrescant, *tantum*, *ex mss.*
	Manducata.	Commanducata, *ex mss.*

Demonstrarunt.	Demonstrarent, *ex mss.*	*Sect. 106.*
Pustulatque . . sternutamentum.	Pusulatque . . steroumentum, *ex mss.*	*Sect. 109.*
Optimum est	Ex usu est, *ex mss.*	*Sect. 110.*
Mandragora illita.	Mandragoras illitus, *ex mss.*	

LIBRO VICESIMO SEXTO.

Nec tota.	Non tota, *ex mss.*	*Sect. 1.*
Ex Prætoriis.	E Prætoriis, *ex mss.*	*Sect. 3.*
Inscitia . . . varicis modo.	Inscientia . . . . vari modo, *ex mss.*	*Sect. 4.*
Invalescente . . . dura seu.	Inarescente . . dura alibi ceu, *ex mss.*	*Sect. 5.*
In balineis folia.	In balineis folia, *ex mss.*	
Descendente.	Defendente.	*Sect. 6.*
Ut ad alia sagacis.	Ut ad alia, quam forum, sagacis, *ex mss.*	*Sect. 7.*
Conjecturam fecit.	Conjecturæ fecit, *ex mss.*	
Quorum cura . . rudis.	In antiquorum cura . . . rudia, *ex mss.*	*Sect. 8.*
In urbe umbrosa.	In urbe nimbosa.	
Æthiopide	Meroide, *ex mss.*	*Sect. 9.*
Cur nunquam.	Cui umquam, *ex mss.*	
Ficulnei caules.	Ficulni caules, *ex mss.*	*Sect. 10.*
Cujus flos . . . Hyssopi quoque quinque.	Cujus flos est . . . Hyssopi quinque, *ex mss.*	*Sect. 15.*
Pectoris dolores.	Pectoris doloribus, *ex mss.*	*Sect. 18.*
In frigida.	In frigidæ, *ex mss.*	*Sect. 19.*
Caucon, quæ & ephedra.	Ephedra, *tantum*, *ex mss.*	*Sect. 20.*
Phthisis tentat. Radix herbæ.	Phthisis tentat, radix herbæ.	*Sect. 21.*
Symphonia, vel gromphæoa.	Gromphæna, *tantum*, *ex mss.*	*Sect. 23.*
Melandryum.	Malundrum.	*Sect. 24.*
Raræ radicis.	Radicis, *tantum*, *ex mss.*	*Sect. 26.*
Eosdem effectus lateris doloribus.	Eosdem effectus in lateris doloribus, *ex mss.*	*Sect. 27.*
Utilitatem ejus.	Vilitatem ejus, *ex mss.*	*Sect. 28.*
Lada appellatur.	Ledon appellatur.	*Sect. 30.*
Orobation.	Orobethron.	*Sect. 31.*
Paulatum supereminens extra aquam, peculiariter refrigerat, spissat. Usus in foliis, cruribus.	Paulum supereminens extra aquam. Usus in foliis: refrigerant, spissant: peculiariter cruribus.	*Sect. 33.*
Qui venantur illos.	Qui venantur, *tantum*, *ex mss.*	
Duûm	Duorum, *ex mss.*	*Sect. 34.*
Et rarioribus.	Et acrioribus.	*Sect. 36.*
Et capnos strumam discutit.	Et panos discutit.	
Madefacta, ipsa concisa.	Madefactæ, ipsa minute concisa, *ex mss.*	*Sect. 37.*
Vel cum pulticula.	Aut cum pulticula, *ex mss.*	
Flores.	Florem, *ex mss.*	
Cummosum.	Gnomminosum, *ex mss.*	*Sect. 38.*
Excalfacit bulbi more . . . nec postea utile	Excalfacit. Usus bimo . . . nec postea utili.	
Rugosis . . . foliis pendulis.	Succosis . . . . foliis pæne oleæ.	*Sect. 39.*
Portulacæ.	Porcilacæ, *ex mss.*	*Sect. 42.*
Quod colligitur incipiente ova.	*Absunt hæc a mss omnibus.*	
In vini non veteris cyathis I V.	In vini cyathis I V. non veteris, *ex mss.*	*Sect. 47.*
Cum farina feni Græci, vesicæ malis . . . auxilio est. Polemonia	Cum farina feni Græci. *Sect. 49.* Vesicæ malis . . . auxilio est Polemonia.	*Sect. 48.*
Crethmo . . . laudata. Est.	Crethmo . . . laudatæ. Est, *ex mss.*	*Sect. 50.*
Hortensis.	Hortensiæ, *ex mss.*	
Folia pinguia, albicant . . . crassiora, & salsa gustu.	Folio pingui, albicante . . . crassiore, & salso gustu, *ex mss.*	
Ad calculos vesicæ.	Vesicæ, *tantum*, *ex mss.*	*Sect. 53.*
Leniter suave, aculeatum.	Suave, leniter acutum, *ex mss.*	*Sect. 54.*
Inflationem facit enterocelis.	Inflationem facit, *tantum*, *ex mss.*	
Callitrichon . . . foliis . . . & chrysanthemum primum.	Callithrix . . . cum foliis . . . & chrysanthemum, *ex mss.*	*Sect. 55.*
Panace pota . . . sedem conversam . . . Anagallis cærulea.	Panace poto . . . sedem eversam . . . Anagallidum cæruleu.	*Sect. 58.*
Inguinaria.	Inguinalis, *ex mss.*	
Quam nuda virgo.	Cui nuda virgo, *ex mss.*	*Sect. 60.*
Læviori ac minori . . . Ejusque radices . . . Satyrion orchis.	Læviore ac minore . . . Radices . . . Satyrios orchis, *ex mss.*	*Sect. 62.*
Vitia partium earum erumpentia cum polenta . . . vel per se trita	Vitia partium earum cum polenta . . . vel per se, *ex mss.*	
Sapore subducere.	Sapore subdulce *ex mss.*	*Sect. 63.*
Et thelygonon posuit.	Et thelygonon, & arrhenogonon, *ex mss.*	
Speciemque non posuit.	Genusque non posuit, *ex mss.*	
Et sine dolore præstat.	Et sine dolore persanat, *ex mss.*	*Sect. 64.*
Et sponte desiit.	Et in multis sponte desiit, *ex mss.*	
In ejus decocto.	In aqua in qua decocta fit, *ex mss.*	
Vestes tinguntur.	Vestes tingunt, *ex mss.*	*Sect. 66.*
Cubitorum ac pedum.	Digitorum in pedibus.	
Obligatur.	Obligatus, *ex mss.*	
Perniunculos curat & cotyledon.	Perniunculos & cotyledon, *ex mss.*	
Ante omnes potam.	Ante omnes potandam, *ex mss.*	*Sect. 67.*
Vettonica phthisicis.	Vettonica vero phthisicis, *ex mss.*	*Sect. 69.*
Sine modo excedentium.	Sine modo esurientium, *ex mss.*	
Flore rosaceo . . . post cibos.	Flore roseo . . . post cibum, *ex mss.*	*Sect. 70.*
Heracliam.	Heraclion, *ex mss.*	*Sect. 72.*
Sed cum ammineo pota.	Sed anno pota.	
Cum coriandro.	Cum coriandri uno, *ex mss.*	
Obolis tribus.	Tres obolos, *ex mss.*	
Ac perungi eo.	Perungique eo, *ex mss.*	
Characites . . . . panaces, plantago.	Characias, . . . plantago, *ex mss.*	*Sect. 73.*
Quantum duo digiti.	Quod duo digiti, *ex mss.*	
Cum melle . . . . contrita.	E melle . . . trita, *ex mss.*	
Siccatur in aere.	Secatur in asses.	*Sect. 74.*
Ac maximo incommodo.	Maxima incommoda, *ex mss.*	*Sect. 77.*
Sinus corporis. Illecebra omnia	Sinus corporis, illecebra. Omnia.	*Sect. 79.*
Arcio.	Arctio.	*Sect. 80.*
Opisthotonicis perungi.	Et opisthotonicis perungui, *ex mss.*	*Sect. 81.*
Cyclaminos.	Clymenos.	*Sect. 82.*
Et pratis . . . . lienem.	Et in pratis . . . lienes, *ex mss.*	*Sect. 83.*

	Quod etiam sanguinis profluvia vel tacto ea homine sistat.	Sanguinis profluvia vel tacto homine ea sisti, *ex mss.*
	Fluxitque	Fluxitve, *ex mss.*
Sect. 85.	Agaricum. Item contusis.	Agaricum item contusis.
Sect. 87.	Igne mollita.	Igni emollita, *ex mss.*
	In hulceribus natos.	In hulcere natos, *ex mss.*
	Ut saniem ossibus.	Ur squamam ossibus.
	Oenothera efferentia sese hulcera.	Onothera efferantia sese hulcera.
	Scythica vulnera curant.	Scythæ vulnera scythice curant, *ex mss.*
Sect. 88.	Quæ ferro factis.	Ferro factis, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 89.	Genera verrucarum omnium.	Genera verrucarum omnia, *ex mss.*
Sect. 90.	Purgat vulvas.	Corrigit vulvas, *ex mss.*
	Menses alvosque.	Menses albos.
	Cum vino & sulphure	Cum vivo sulphure.
	Alvi profluvia sistit & contrahit batrachion.	Contra facit batrachion.
	Inflammationibusque vulvarum.	Inflationibusque vulvarum.
	Vettonicæ farina.	Item Vettonicæ farina. *ex mss.*
Sect. 92.	Indita... & tineas.	Illita... & tetlas.

LIBRO VICESIMO SEPTIMO.

Sect. 1.	Mæotidis paludibus.	Mæotis paludibus, *ex mss.*
Sect. 2.	Peroratio, ejus in digito mortuas. Fabulæ narravere spumis.	Peroratio ejus in digitum. Ortum fabulæ narravere, e spumis.
	Auxiliatur eis... Quod si quis illa.	Auxiliatur his... Quæ si quis ullo, *ex mss.*
Sect. 3.	Similem arcio.	Similem arctio.
Sect. 4.	Vulvamque... Causa nominis non hæc,	Vulvasque... Causa nominis, quoniam, *ex mss.*
Sect. 5.	Drachmæ pondere ex aqua.	Drachma ex aqua.
	Cum mellis decocto.	Cum melle decocto.
Sect. 6.	Qui & peristereon	Quæ aristereon.
Sect. 9.	Idem effectus est & femini.	Idem effectus, & feminis, *ex mss.*
Sect. 10.	Ischiadicis	Ischiadi, *ex mss.*
Sect. 11.	Fruticem unum habet densum, ramosum... radice breviorem, foliis rutæ. Circa imum caulem in ramulis semen est.	Unam habet certam, densam, ramosam... radice breviore, foliis rutæ circa imum caulem. In ramulis semen est.
Sect. 12.	Odore jucundo.	Odore jucunda, *ex mss.*
Sect. 13.	Drachmæ pondere bibuntur.	Drachma bibuntur.
Sect. 17.	Hujus foliorum jure in aceto decocto.	Hujus foliorum in aceto decocto, *ex mss.*
Sect. 21.	Aphace... & madidiora, & minora lenticula.	Aphaca... & madidiora lenticula, *ex mss.*
Sect. 22.	Et bibi jubent.	Et bibi, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 24.	Lateribus, lienibus, renibus	Lateribus, renibus, *ex mss.*
	Et convulsis, lieni, interaneis.	Et contusis: lenit interanea, *ex mss.*
Sect. 25.	Alga rubra.	Alga rufa, *ex mss.*
Sect. 28.	Italico amarius	Italicum amarius, *ex mss.*
	Percolatum herba lente coquitur.	Percolatum lente coquitur, *ex mss.*
	Addito pulegio: alii contra paralysin: alii pueris folia in fico, sic ut amaritudinem fallerent.	Addito pulegio: alii pueris in fico sicca, ut amaritudinem fallerent, *ex mss.*
	Cum opio.	Cum apio.
	Si manat sanies.	Si manet sanie, *ex mss.*
	Nauseas maris.	Nauseam maris, *ex mss.*
Sect. 30.	Balloten... melamprasion.	Balloten... porrum nigrum.
	Imposita.	Impositæ, *ex mss.*
Sect. 31.	Circa totam.	Circa totos, *ex mss.*
Sect. 33.	Bryon, marina herba.	Bryon marinum, herba, *ex mss.*
Sect. 36	Calla.	Calsa. *ex mss.*
	Item caules... sanant.	Item caulis... sanat, *ex mss.*
Sect. 40.	Cratæogonon, sive cratæogona.	Cratægon, sive cratægona, *ex mss.*
Sect. 41.	Chamæleontis.	Chamæleonis, *ex mss.*
Sect. 42.	Inventi.	Inventæ. *ex mss.*
	Adversatur alter alteri.	Adversantur alter alteri, *ex mss.*
Sect. 44.	Cucubali folia.	Cuculi folia.
	Item capitis doloribus	Item capitis dolori, *ex mss.*
Sect. 47.	Sistit alvum. Dipsacos folia habet lactucæ.	Sistit alvum dipsacos: folia habet lactucæ.
	In quo subsistit.	In quo sublitit, *ex mss.*
	In fistula... mitti.	In fistulas... mitti, *ex mss.*
Sect. 51.	Empetron.	Empetros, *ex mss.*
Sect. 53.	Epimenidion	Epimedion
Sect. 57.	Et decocto succu fovere.	Et decoctæ succo fovere, *ex mss.*
Sect. 60.	Matricem autem.	Arteriam autem, *ex mss.*
Sect. 61.	Pro tormento.	Pro tomento.
Sect. 61.	Galedragon.	Gallidragam, *ex mss.*
	Attigerit.	Attigerint, *ex mss.*
Sect. 65.	Vulnera quoque.	Et vulnera quoque, *ex mss.*
Sect. 69.	Alvum.	Ipsa alvum, *ex mss.*
Sect. 70.	Phaselion.	Phasiolon, *ex mss.*
Sect. 71.	Cum folliculis ipsi sumunt ea.	Cum folliculis ipsis sumunt ea, *ex mss.*
Sect. 73.	Lycopsis... Sudorem.	Lycapsos,... Sudores, *ex mss.*
Sect. 80.	Fibrata..	Fimbriata... *e mss.*
Sect. 85.	Othone... leviter.	Othonna.... leniter, *ex mss.*
Sect. 91.	Excretionesque eruentas.	Exscreationesque cruentas, *ex mss.*
Sect. 82.	Spleoeticis... Propter	Spleneticis.... Daot & propter, *ex mss.*
Sect. 93.	Peplos... alii meconion aphrodes.	Peplis... alii meconion, alii mecona aphrode, *ex mss.*
	Subjectis aquis in quas excidat.	Subjectis in quæ excidat, *ex mss.*
Sect. 94.	Difficile evellatur.	Difficile vellatur, *ex mss.*
Sect. 95.	Additur in antidotis.	Additur in antidota, *ex mss.*
Sect. 98.	Radice herbacei coloris.	Radice tenui herbacei coloris, *ex mss.*
Sect. 99.	Phyteuma qualis sit.	Phyteoma quale sit, *ex mss.*
Sect. 104	Et oleo.	Et oleo e mænis.
Sect. 105.	Sive intus, sive extra.	Sic & in tussi vetere, *ex mss.*
	Imposita purgat	Imposita sanat, *ex mss.*
Sect. 109	In elixis carnibus simul. Concoctiones facit.	In elixis carnibus. Sinon concoctiones facit.
Sect. 111.	Succus cohibet capillos.	Illitum cohibet capillos.
Sect. 112.	Thalietrum.	Thalitruum.
Sect. 115.	Vel semel.	Vel semen, *ex mss.*

Et

Et animalium quidem ceterorum.	Et animalium quidem exterorum.	*Sect.* 118.
Spondyli.	Spondyle, *ex mss.*	

LIBRO VICESIMO OCTAVO.

Quin omnem.	Omnesque, *ex mss.*	*Sect.* 1.
Sorberi.	Sorbere, *ex mss.*	*Sect.* 2.
Antheus .... in eaque id.	Antæus... idque in ea, *ex mss.*	*Sect.* 3.
Impetratis.	Impetritis.	
Durantque ... conjectatione.	Durat... conjectione, *ex mss.*	*Sect.* 4.
Missis ob id a Senatu legatis.	Missis ob id a se legatis.	
Aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve.	Aut ampliorem apud Romanos cultum, *ex mss.*	
Durat	Et durat, *ex mss.*	
Serpentes ipsas incantari.	Serpentes ipsas recanere, *ex mss.*	
Licet hanc in partem .... conscientiam coarguere.	Liber hanc partem... conscientia coarguere, *ex mss.*	*Sect.* 5.
Nullum ponere.	Anulum ponere.	
Videmus etiam, quoniam.	Videmus. Quin etiam.	
Sub mensis.	Sub mensas.	
Qua in re famæ labor.	Isque famæ labor, *ex mss.*	
Negantur prodesse.	Negant prodesse. *ex mss.*	*Sect.* 6.
Exagon.	Evagon, *ex mss.*	
Læva manu extrahi. CAP. IV. Pythagoræ inventis.	Læva manu extrahi: E Pythagoræ inventis.	
Oculorumve.	Oculive, *ex mss.*	
Atque effectus.	Atque ita effectus, *ex mss.*	*Sect.* 7.
Quanquam religione mutatur & Fascinus, &c.	Quanquam illos religione tutatur & Fascinus &c	
Jubetque eosdem respicere. Similis medicina linguæ.	Jubetque eosdem recipere similis medicina linguæ.	
Alligatus.	Alligatusque, *ex mss.*	*Sect.* 9.
Ex crematorum cinere.	Excrementorum cinere.	*Sect.* 10.
Aut si non id contingat.	Aut si hoc non contingit, *ex mss.*	
Cujusque defuncti... ex calvaria.	Cujuscumque defuncti ... e calvaria, *ex mss.*	*Sect.* 11.
Item.	Idem, *ex mss.*	
Inguina adalligantes licio. Et clavum aliudve.	Inguini adalligantes. Licio & clavum aliudve, *ex mss.*	*Sect.* 12.
Comprehendere,... cum cadat.	Apprehendere,... cum cadit, *ex mss.*	
Ex eodem osse.	Ex eodem pisce.	*Sect.* 13.
Permisto cœno.	Permixta cœno, *ex mss.*	
Unguere fricari.	Ungui, fricari.	*Sect.* 14.
Circa vernum.	Circa ver, *ex mss.*	
Solum quoque.	Sol quoque.	
In varietate victus observata.	Varietatem victus inobservatam, *ex mss.*	
Deducebatur.	Dejiciebatur.	
Sternutamenta.	Sternumenta, *ubique fere*, *ex mss.*	*Sect.* 15.
Muris nares.	Mulæ nares	
Si tussis concitet, salivam &c.	Si tussim concitet saliva, &c. *ex mss.*	*Sect.* 17.
Messium.	Melissum	
Lippitudines.	Lippitudinem, *ex mss.*	
Confestim perfuso.	Confestim per se.	*Sect.* 18.
Sissi illico.	Sissi illito.	*Sect.* 20.
Rosionibus ... geminos peperit mares	Rosionibusque .... geminos mares, *ex mss.*	
Stillaturque. Qui simul ... liberari oculorum metu ... modice admisto oleo: aut si ab ictu dolent.	Instillaturque. Eum qui simul .... liberari omni oculorum metu.... admixto modice oleo: aut si ab ictu doleant, *ex mss.*	
Ut Aristoteles.	Et, ut Aristoteles, *ex mss.*	*Sect.* 21.
Mulieris salivam quoque.	Mulieris quoque salivam, *ex mss.*	*Sect.* 22.
Et silente Luna.	Et in silente Luna, *ex mss.*	*Sect.* 23.
Linaque ... virus.	Lina.... virus odoris, *ex mss.*	
In virginea ætate spontanea.	In virgine ætatis sponte, *ex mss.*	
Vestis omnino.	Vel omnino vestis, *ex mss.*	
Elui.	Ablui, *ex mss.*	
Primis annis.	Per se annis.	
Quantave onxa, si transferunt morbos ad innocentiores. Ex his.	Quantave noxia, si transferunt morbos? Innocentiores ex his, *ex mss.*	
Apud reges populosve.	Apud populos regesve, *ex mss.*	*Sect.* 25.
Barbaros constat eam.	Barbaros eam, *ex mss.*	*Sect.* 26.
Adalligatas.	Alligatas, *ex mss.*	
Traduntur ...de corio earum.	Traditur ... e corio ejus, *ex mss.*	*Sect.* 27.
Prægressi.	Prætergressi, *ex mss.*	
Ex corde mandendum.	Ex corde coctum mandendum, *ex mss.*	
Promittunt. Venerem stimulari genitali... sumpto.	Promittuntur. Venerem stimulare genitalia...... sumpta, *ex mss.*	
Quem spinæ ... Maxillæ parte.	Hunc spinæ ....Maxilla, *ex mss.*	
Jecur potum	Jecur in potu datum, *ex mss.*	
Et nervorum, lassitudini renum. Nervos.	Et nervorum lassitudini. Renium nervos, *ex mss.*	
Contineat.	Continuerit, *ex mss.*	
Non modo pudicos, sed & severos mores induere.	Severos, non modo pudicos, mores induere, *ex mss.*	
Ingenio quoque illo.	Ingens quoque ille, *ex mss.*	*Sect.* 28.
Infra magnitudinem.	Infra magnitudine. *ex mss.*	
Nidore farcta.	Nidore referta, *ex mss.*	
Omnesque maculas.	Maculasque omnes, *ex mss.*	
Vapore ejus.	Vapore ejusdem, *ex mss.*	
Supra volantem,	Supervolantem, *ex mss.*	*Sect.* 29.
Quæ etiam ... in ligneo vase.	Quæ æque... in ligneum vas, *ex mss.*	
Quos fecerit dextrum.	Quos fecerit dexter.	
Intestina & fimum eorum.	Intestina & fartum eorum, *ex mss.*	
Candidiore tantum.	Candidior autem, *ex mss.*	*Sect.* 30.
Squamarum seta.	Squamarum serie, *ex mss.*	
Minus inflat.	Minus autem inflat, *ex mss.*	*Sect.* 33.
Jam musto.	Jam mulso.	
Et si uratur dysenteria.	Et si urat dysenteria, *ex mss.*	
Et contra serpentium ictus: phthisicis, cantharidum, aut salamandræ, aut buprestis, aut pityocampes venenis.	Et propter serpentium ictus: potisve pityocampes, buprestis, cantharidum, aut salamandræ venenis.	
Aut si in exitu cibi.	Aut si exitus cibi, *ex mss.*	

	Si hoc non esset, habuerunt e caprino.	Si hoc non esset, caprini, *ex mss.*
	Hoc & mulieri.	Hoc & mulieribus, *ex mss.*
Sect. 35.	Laudatissimus cibus.	Lautissimus cibus, *ex mss.*
	Reliqua	Reliquum, *ex mss.*
Sect. 36.	Acescere.	Inacescere, *ex mss.*
Sect. 37.	Adipis . . . suilli . . . religiosi.	Adipi. . . suillo . . . religiosius, *ex mss.*
	Axungiam etiam Græci appellavere eum in &c.	Axungiam Græci etiam appellavere ∣ m in &c. *ex mss.*
	Si vero permaneat.	Si vero permanet, *ex mss.*
	Quintoque die.	Quarto quoque die, *ex mss.*
	Quæ non pepererit.	Quæ non peperit, *ex mss.*
	E toto resideant.	E toto resilent, *ex mss.*
	L X X X V. pondo.	L X X V. X ponderi, *ex mss.*
	Et inungi . . . & exemptis.	Inungi, . . . exemptisque, *ex mss.*
Sect. 38.	Aspersum marina.	Aspersa marina, *ex mss.*
Sect. 39.	In umbra per cribrum. Dein liquatæ.	In umbra : per cribrum dein liquatæ, *ex mss.*
Sect. 41.	Tribunus plebis	Tribunus plebei, *ex mss.*
	Hircorum sanguinis.	Hircorum sanguini, *ex mss.*
	Scabritia tollatur.	Scabritia polliatur, *ex mss.*
Sect. 42.	In animalia singula.	In mala singula.
	Cornus si uratur.	Cornus eorum si uratur, *ex mss.*
	Item ventres qui centipelliones vocantur	Item venter, quem centipellionem vocant.
	Cervi aut hinuli	Cervi, aut vituli, *ex mss.*
	Serpentes dicunt.	Serpentes tradunt, *ex mss.*
	Exemptis dumtaxat fibris, quatuor obolorum pondere.	Et fellis dumtaxat fibra, x. quatuor pondere.
	Cineremque eorum.	Cineremque e cornu, *ex mss.*
Sect. 43.	Canis rabidi.	Canis rabiosi, *ex mss.*
	Laudant hirci jecur, quo imposito.	Hirci jecore imposito,
	Ex vino illitum aut melle.	Ex vino illitum, *ex mss.*
Sect. 45.	Seu bubulum	Vel bubulum, *ex mss.*
	Multipedum morsus.	Multipedæ morsus, *ex mss.*
	Coagulum ex aceto.	Coagulum est ex aceto, *ex mss.*
Sect. 46.	Capillis inhærescant.	Capillis increscant.
	Item fel hircinum.	Item fel scrofinum.
	Et canitie vindicari.	Et a canitie vindicari, *ex mss.*
	Sed præcipue fel, fimum.	Sed præcipue felis fimum
	Sicut & canis cinere.	Sicuti carnis cinere, *ex mss.*
	Dolores sedat.	Dolorem sedat, *ex mss.*
	Vel rosaceo.	Aut rosaceo, *ex mss.*
Sect. 47.	Scabrities eorum.	Scabritias eorumdem, *ex mss.*
	Calliblepharique . . . inunguntur.	Calliblephari . . . inunguot, *ex mss.*
	Tostis.	Exultis, *ex mss.*
	Et quoniam . . . quoque cernant. Sanguine hircino.	Et quoniam . . . quoque cernant, sanguine hircino.
	Vaporari præcipiunt.	Vaporari his præcipiunt, *ex mss.*
	Si rutili coloris fuerint.	Ut rutili coloris fuerit, *ex mss.*
	Inunctio.	Unctio, *ex mss.*
	Ad omnia autem inveterata fel.	Ad omnia inveteratum fel.
	Sedat caliginem.	Et ad caligines, *ex mss.*
Sect. 48.	Vel apri.	Fel apri.
	In gravitate aures.	Ingravatas aures.
	Includunt lanas ante aqua calida collutas.	Includunt lana, collutas ante calida aqua.
	Vel cum myrrha.	Fel cum myrrha, *ex mss.*
	Capri vel tauri, vel fullonia.	Capræ vel tauri, aut fullonia, *ex mss.*
	Vel bubulum.	Fel bubulum
	Sagapeni.	Sacopeni, *ex mss.*
Sect. 49.	In elychniis.	In lychnis, *ex mss.*
Sect. 50.	Quotidie D	Quotidie septingenties.
	Sic folio temperato.	Solia sic temperans, *ex mss.*
	Adipe anseris . . . sevo.	Adipe anserino . . . e sevo, *ex mss.*
	Jusque.	Et jus, *ex mss.*
	Tauri, vel addito nitro.	Tauri fel adito nitro, *ex mss.*
	Et in taurino sevo, vitulinove felle.	Et in taurino vitulinove felle, *ex mss.*
	Ac vivo sulphure.	Cum vivo sulphure, *ex mss.*
	Lentiginem . . . Magicæ . . . . usum.	Lentigines . . Magices . . . usus, *ex mss.*
Sect. 51.	Levantur.	Juvantur, *ex mss.*
	Ex oleo aqua illitus.	Ex oleo vel aqua illitus, *ex mss.*
	Gallorum . . . ex sevo & cinere.	Galliarum . . . Fit ex sebo & cinere, *ex mss.*
Sect. 52.	Fel taurinum.	Fel tauri aridum, *ex mss.*
Sect. 53.	Potu eam mori tradunt	Pota : at equum mori tradunt.
	Maluerunt.	Maluere, *ex mss.*
Sect. 55.	Asininum jecur . . . ac melle.	Asini jecur . . . ex melle, *ex mss.*
	Nasturtii albi.	Nasturtii, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 56.	Perfricare.	Fricari, *ex mss.*
	Sentiatur pervenire.	Pervenisse sentiatur, *ex mss.*
Sect. 57.	Datur	Dant, *ex mss.*
Sect. 58.	Cervinus sanguis . . . . in vini hemina.	Cervi sanguis . . . . . . ad quintam heminam in vino, *ex mss.*
	Aluminis modico	Aluminis momento, *ex mss.*
	Butyrum largius sumptum cœliacis & dysentericis medetur, & jecur vaccinum	Butyrum largius sumptum Cœliacis & dysentericis medetur jecur vaccinum.
	Hippacen vocant.	Hippacen appellant, *ex mss.*
	Et cera exiguoque oleo.	Et ceræ exiguo. & oleo *ex mss.*
	Protinusque modice frigidam.	Protinus : inque modice frigida, *ex mss.*
	Potus decoctus.	Potus decocti, *ex mss.*
Sect. 59.	Voluntas egerendi.	Voluntas desurgendi.
	Tinearum.	Tæniarum.
Sect. 60.	In perna suis.	In perna suum, *ex mss.*
	Asinini renes.	Asini renes, *ex mss.*
	Ac muria.	Ac myrrha.
	Vel caprinum.	Fel caprinum.
Sect. 61.	Linteolis conceptis.	Linteolis concerptis.
	Hircorumque . . . fel ursinum, sive verrinum . . . . inguinibusque.	Hircorum quoque . . . . . verrinum fel . . . . . inguinibus, *ex mss.*

Podagras quidam ... & si.	Podagras quidem ... etsi, *ex mss.*	*Sect. 62.*
Et suppurationes minantia. Eadem res & podagricis.	Et suppurationes. Sed podagricis, *ex mss.*	
Asperti.	Inspersi, *ex mss*	*Sect. 63.*
Sub limine ex aqua.	Ex aqua sublime, *ex mss.*	
Accessionem.	Accessiones, *ex mss.*	*Sect. 66.*
Cochleariorum.	Cochlearium, *ex mss tum hic, tum sect. seq.*	*Sect. 67.*
Fimi cervini maxime subulonis, sed.	Fimi taurini maxime, sed, *ex mss.*	*Sect. 68.*
De armentinis.	De armentivis, *ex mss.*	
Fimi vituli.	Fimi vitulipi, *ex mss.*	
Bubula caro imposita tumores sanat. Fimum suillum &c.	Bubula caro imposita. Tumores sanat. Fimum suillum, &c.	*Sect. 70.*
Tollit optime. Adeps e lupis illitus.	Mollit optime adeps e lupis illitus.	
Sed caprarum.	Et caprarum, *ex mss.*	*Sect. 71.*
Item ex fimo asinino cinis: & pilorum quidam cinis illitus.	Item ex fimo asini cinis illitus, *tantum, ex mss.*	*Sect. 73.*
Aut fimo caprino, aut hircino.	Aut irino, *tantum. ex mss.*	*Sect. 74.*
Et adversus carbunculos.	Et ad carbunculos, *ex mss.*	
Urinæ.	Et urinæ, *ex mss.*	*Sect. 75.*
Fel taurinum lana.	Fel tauri in lana, *ex mss.*	*Sect. 77.*
Etiam jecur.	Earum jecur, *ex mss.*	
Per dies XX.	Per dies XL. *ex mss.*	
Addito melle ... si in purgationibus fuerit.	Ac melle ... in purgationibus, *ex mss.*	
Ad opii tertiam.	Opii tertia, *ex mss.*	
Et pellis asinina.	Et pellis asini, *ex mss.*	*Sect. 78.*
In VII. dies.	In VIII. dies, *ex mss.*	*Sect. 79.*
Adipe permisto.	Adipe admixto, *ex mss.*	*Sect. 80.*
Jecur leporum.	Jecur luporum, *ex mss.*	*Sect. 81.*
Omissum.	Omissum est, *ex mss.*	
Nulli animalium.	Nulli animali, *ex mss.*	

LIBRO VICESIMO NONO.

Præteritorum.	Præceptorum.	*Sect. 1.*
Quam steriles gratiæ, difficultates.	Tam sterilis gratiæ, tantæque difficultatis, *ex mss.*	
Tyndariden.	Tyndareum.	
Jam templo ... discipulus ejus.	Templo .... e discipulis ejus, *ex mss.*	*Sect. 2.*
Etiam ex Chrysippo.	Et ex Chrysippo, *e mss.*	*Sect. 3.*
Se cognominans.	Cognominant, *ex mss.*	*Sect. 4.*
Ex schola.	Hæ diu scholæ, *ex mss.*	*Sect. 5.*
Calpitanos, ... CCL.	Calpetanos ... ducena quinquagena, *ex mss.*	
Mœnibus quoque aliis.	Mœnibusque aliis, *ex mss*	
Aucupantes animas statim nostras negotiari.	Aucupantes anima statim nostra negotiari, *ex mss.*	
Ex antiquis.	Ex antiquissimis, *ex mss.*	*Sect. 6.*
M. Livio Coss	Luc. Julio Coss *ex mss.*	
Eum tradunt fuisse vocatum.	Eum fuisse e re dictum, *ex mss.*	
Eorum litteras ... sed hoc ipsum.	Illorum litteras .... Et hoc ipsum, *ex mss.*	*Sect. 7.*
Nonnisi die XL. quinque electis viris.	Nonnisi XLV. electis viris, *ex mss.*	*Sect. 8.*
Non deseram.	Non deseram, *ex mss.*	
Conductum.	Reconductum, *ex mss.*	
Extrema pretia.	Externa pretia, *ex mss.*	
Ejusdem in semetipsis fatentur.	Ejus de semet ipsi fateantur, *ex mss.*	
Etiam si.	Etiam sic, *ex mss.*	*Sect. 9.*
Alii vero evulsam .... utrumque.	Alii evulsam ... uruntque, *ex mss.*	
In æneo vase ... siccatur.	In æneo .... saccatur.	*Sect. 10.*
Pinguedinem.	Pinguitudinem, *ex mss.*	
Cum jure.	Cum cinere.	*Sect. 11.*
Sic & lienicis.	Sic & lientericis.	
Ac vino .... ex aqua.	Aut vino ... ex aqua, *ex mss.*	
Schista, ... incubata.	Sitista .... incubita, *ex mss.*	
Quod rhus.	Quod rhum, *ex mss.*	
Cum aliis spicis quatuor una atterendo.	Cum allii spicis quatuor una terendo.	
Ac subitos.	Aut subitos, *ex mss.*	*Sect. 13.*
Subfervefactis.	Subfervefactum, *ex mss.*	
Æque quam capris.	Æque quam in capris, *ex mss.*	
Juventutis.	Juventatis.	*Sect. 14.*
Genito mane.	Genitæ Manæ.	
Putatur	Putant, *ex mss.*	
Ac decrescente.	Atque decrescente, *ex mss.*	*Sect. 15.*
Distant.	Distans, *ex mss.*	*Sect. 16.*
Quod dicunt ... carnes quoque.	Quod dicant .... carnesque, *ex mss.*	*Sect. 17.*
Et stranguriæ fistulæque.	Et in stranguria, fistulæ, *ex mss.*	
Rosaceo panno ... enecat.	Roseo panno ... necat, *ex mss.*	
Curari.	Sanari, *ex mss.*	*Sect. 18.*
Serpentes ipsi ... alios.	Serpentes ipsæ ... alias, *ex mss.*	*Sect. 19.*
Promittunt.	Promittitur, *ex mss.*	*Sect. 20.*
Pedibus caprearum.	Pellibus caprearum.	
Contra serpentes.	Contraria serpentibus, *ex mss.*	
Hæc morborum veneficia.	Hæc morum veneficia.	
Item virus ichneumonum: & cutis cinere.	Item, si uratur, ichneumonum: fugiunt & urticis tritis.	
Præcavere.	Præcanere.	*Sect. 21.*
Quaternis digitis.	Ternis digitis.	
Ut dicemus.	Ut digeremus.	*Sect. 22.*
Atqui anguis Æsculapius.	Anguis Æsculapius, *tantum, ex mss.*	
Quod in aqua.	Quod & in aqua, *ex mss.*	
Ac tanta vis veneni ... suibus ... domante.	Ac tanti veneni .. subus ... domioante, *ex mss.*	*Sect. 23.*
Exstingui ... verisimile est. Quæ prodantur.	Restingui ... ex his verisimile est, quæ produntur, *ex mss.*	
Ex ipsis.	Ex ipsa, *ex mss.*	
In auxilio .... primum vultur est.	In auxilium ... primi vultures, *ex mss.*	*Sect. 24.*
Ita ut tepeant.	Ita ut tepebant, *ex mss.*	*Sect. 25.*
Et capitis doloribus.	Et in capitis doloribus, *ex mss.*	
Addito collo.	Addito in collum, *ex mss.*	
Concepta.	Conceptas, *ex mss*	*Sect. 26.*
Fortiores fieri ... ad capillos.	Fortes fieri .... ad capillum, *ex mss.*	

	Circumlatum … ſurſum in ſuperliminari.	Circumraptum … in ſupero limine, *ex mſſ.*
Sect. 17.	Servantur, cum mortui inveniuntur. E cortices eorum contriti.	Servantur mortui. Invenimus & cortices eorum, qui triti, *ex mſſ.*
	Labefactantur.	Labefactat, *ex mſſ.*
	Remedium eſt.	Remedio eſt, *ex mſſ.*
Sect. 28.	Fertur enim.	Ferunt enim, *ex mſſ.*
Sect. 29.	Appuſitus plagæ.	Impoſitus plagæ, *ex mſſ.*
	Cantharides, ut diximus.	Cantharidas diximus reſiſtere, *ex mſſ.*
Sect. 30.	Convenit tamen.	Convenit tantum, *ex mſſ.*
	Interiores.	Inertiores minutæ, *ex mſſ.*
	Seſtertiis L X X X.	Seſtertiis X X X. *ex mſſ.*
Sect. 32.	In canis rabidi.	In canis rabioſi, *ex mſſ.*
	Menſtruave in panno.	Menſtruave canis in panno, *ex mſſ.*
	Græcis lytra.	Græcis lytra.
	Aiunt & criſtam.	Aiunt & criſtam galli, *ex mſſ.*
	Cum cancro maſculo, trita.	Cum cancro maſculo, ex vino trita, *ex mſſ.*
	Dicitur ſentire.	Sentire dicunt, *ex mſſ.*
Sect. 33.	Venena fungorum boletorumque aſtringit.	Contra venena fungorum, boletorumque, *tantum*, *ex mſſ.*
	Caulis jus ex carne.	Jus ex carne, *tantum*, *ex mſſ.*
	Præterquam.	Præterque.
Sect. 34.	Quæ de herinaceis.	Quæ de herinaceo, *ex mſſ.*
	Nigritiam capillis affert.	Nigritiam capilli affert, *ex mſſ.*
	Nocte concubia.	Nocte in concubia, *ex mſſ.*
Sect. 36.	Illita capiti.	Linito capite, *ex mſſ.*
	Item ægypii oſſa e capite, aut vulturis … cum oleo cedrino.	Item œſypum: oſſa e capite vulturis … cum oleo & cedria.
	Cum roſaceo coctus. Matutino paſcentis hirundinis caput præciſum.	Cum roſaceo. Cochleæ matutino paſcentis arundine caput præciſum.
Sect. 37.	Penicillo illitum.	Specillo illitum
Sect. 38.	Noctuarum eſt id genus maximum.	Noctuarum eſt id genus, *tantum*, *ex mſſ.*
	Stibi, quod quid ſit.	Stibis quid eſt, *ex mſſ.*
	Item albugines oculorum.	Item albugines, *tantum*, *ex mſſ.*
	Sic & ſolatis proſunt.	Sic & ſolatis, id eſt, Sole correptis, proſunt.
	Donec liqueſcat humor: quatuor.	Donec liqueſcat: quatuor.
	Oculos inungunt.	Oculos inungit, *ex mſſ.*
	Item in gallinacei felle alligato ad argema.	Item in gallinacei fimo ad argema, *ex mſſ.*
	Luſcioſis illinendum.	Luſcioſis illini, *ex mſſ.*
	Fimum columbarium.	Fimum quoque columbarium, *ex mſſ.*
	Hyſſopo & melle.	Oeſypo & melle.
	Ad claritatem dorcados, Hippocratis, ut putant, auctoritate adjicietur.	Ad claritatem, Hippocratis putant auctoritate adjici.
	Superimponi … aut vino.	Superponi, … ac vino, *ex mſſ.*
	Illinunt.	Illinere, *ex mſſ.*
	Novem ſingulos ſignis.	Novem ſignis, *ex mſſ.*
	Apparuerit … ſtibio.	Apparuit ….. ſtibi, *ex mſſ.*
	Ad duo tempora, ita ut.	Ad duo tempora, in ſplenio aliquo, ita ut.
Sect. 39.	Anſerum quoque & omnium avium.	Anſerum omniumque avium, *ex mſſ.*
	Inteſtinis exemptis … ſed medica.	Inteſtiniſque exemptis … medica, *ex mſſ.*
	Adipe anſeris.	Cum adipe anſeris, *ex mſſ.*
	Contuſi.	Contuſas
	Efficaciter ſanat aurium dolores.	Efficacem narrant ad aurium dolores, *ex mſſ.*
	Circumligato capillo.	Circumligata capillo, *ex mſſ.*

LIBRO TRICESIMO.

Sect. 1.	Antecedentis operis parte.	Antecedente operis parte, *ex mſſ.*
	Redegit.	Redigit, *ex mſſ.*
	Sanctioremque quam medicinam.	Sanctioremque medicinam.
Sect. 2.	Babyloniumque Marmaridum, & Arabem Hippocum, aut Aſſyrium vero Zarmocenidam.	Babyloniiſque Marmarum, & Arabantiphocum, aut Aſſyrium Tarmoëndam.
	Inferorum evocatione.	Inferûm evocatione, *ex mſſ.*
	Theſſalas urbes.	Theſſalas matres.
	Cognominarit …. ad vicinas uſque ſuperſtitiones.	Cognominaret …. ad vicina uſque, ſuperſtitionem, *ex mſſ.*
	Primus exſtat.	Primus, quod exſtet, *ex mſſ.*
	Apolloniceem Captidenem.	Apollobechen Coptiten.
	A Moſe & Jamne & Jotape.	A Moſe etiamnum & Lotapea, *ex mſſ.*
Sect. 3.	Exſtatu itaque ….. priori.	Exſtant certe ….. priore, *ex mſſ.*
	Palamque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata.	Palamque fuit in tempus illud ſacri prodigioſi celebratio.
Sect. 4.	Non ſatis.	Nec ſatis, *ex mſſ.*
Sect. 5.	Et ex aqua & ex ſphæris & ex aëre.	Et aqua, & ſphæris, & aëre, *ex mſſ.*
	Voluit.	Valuit, *ex mſſ.*
	Diſcendi ingenium.	Diſcentis ingenium, *ex mſſ.*
Sect. 6.	Ut cerni non poſſint. Forte hoc.	Aut cerni. Obſtat forte hoc.
	Nam hominem.	Nam homines, *ex mſſ.*
	Sed ſi eu … qua patria.	Sed ſi tota …. quanam patria, *ex mſſ.*
Sect. 7.	Devorarit …. Cetero ex eo.	Devoret …. Cetera ex eo, *ex mſſ.*
Sect. 8.	Ceterum	Cetero, *ex mſſ.*
	Scarificant & oſſibus.	Scarificantur oſſibus, *ex mſſ.*
	Caveri.	Cavere, *ex mſſ.*
	Canis ortu … membranam exuere, … dolores minuit.	Circa Canis ortum …. membranam eam exuere …, dolores mitigat, *ex mſſ.*
Sect. 10.	Pſoriſque, & lepris, & lentigini.	Pſoriſque, & lentigini, *ex mſſ.*
	Herculaneas appellati.	Herculaneas appellatas, *ex mſſ.*
Sect. 11.	Nares murinas	Nares mulinas.
	Cum fico arido ac nitro impoſitum extra. Aſperitatem faucium … leniunt cochleæ: coqui debent in lacte.	Cum fico arida ac nitro impoſitum extra, aſperitatem faucium … leniunt. Cochleæ coqui debent illotæ.
	Efficaciſſime putant, & in iis ſmegma.	Efficaciſſimas putent, & ſmegma, *ex mſſ.*
Sect. 12.	Surculus vitis.	Surculus viticis.
	Aiunt & in cibo.	Aiunt & cibo, *ex mſſ.*
	Servant. Ad feminarum ſtrumas veteres cochleæ.	Servant, ad feminarum ſtrumas. Veteres cochleæ.
	Avenaceave	Aut avenacea, *ex mſſ.*
Sect. 13.	Ne ſint malæ hirſutæ.	Ne ſint alæ hirſutæ.

profuſoque

Profusoque vino.	Perfusoque vino, *ex mss.*	
Pulmonum vitiis.	Pulmonis quoque vitiis, *ex mss.*	*Sect.* 14.
Sumant.... Siculæ.	Sumantur,.... & Siculæ, *ex mss.*	*Sect.* 15.
Nec non silvestres, stomacho inutiles.	Nec silvestres stomacho utiles.	
Multifariamque.	Multifariam, *ex mss.*	
Jocinerum.... & ex aqua calda dari.	Jocineris.... & ex aqua dari, *ex mss.*	*Sect.* 16.
Trixalis.... vocatur.... nomen noo habet, ut aliqui..... pauciores.	Troxalis.... vocetur.... nomen non habeat, aliqui..... pauci auctores, *ex mss.*	
Sint emortuæ.	Sint demortuæ, *ex mss.*	
Si febris absit.... decocta sunt.	Si febres absint,.... decocta sint, *ex mss.*	
Post hæc.... tectove.	Post hoc.... tectorio.	*Sect.* 17
Duorum dierum.	Duûm dierum, *ex mss.*	
Cui medetur.	Cui medeatur, *ex mss.*	
In adversum.	In aversum, *ex mss.*	*Sect.* 18.
Decoctusque & in cibo.	Decoctus æque & in cibo, *ex mss.*	*Sect.* 19.
Sed veteris gallinacei vehementius. Salsum jus alvum ciet.	Sed veteris gallinacei vehementius salsum jus alvum ciet.	
Abstinere	Abstineri, *ex mss.*	
Subvenire. Sistit alvum & cochlea.	Subvenuri Sistit alvum primum cochlea, *ex mss.*	*Sect.* 20.
Cum ventriculi membrana.	Aut ventriculi membrana, *ex mss.*	
Tormina sanat lien.	Tormina lien, *ex mss.*	
In formam camini.	Ad formam camini, *ex mss.*	
Aut per dolorem.	Aut in dolore, *ex mss.*	
Stillicidia vesicæ.	Stillicidia in vesica, *ex mss.*	*Sect.* 21.
Uti suspiriosis.	Ut in suspiriosis, *ex mss.*	
Ut stillicidia.	Ut stillicidium, *ex mss.*	
Cochlearibus tribus e nido hirundinum. Gryllum dilutum ex aqua calida.	Cochlearibus tribus. E nido hirundinum glebulam dilutam ex aqua calida	
Et eodem verrucas.	Eodemque & verrucas, *ex mss.*	*Sect.* 22.
Procidentia alvi.	Procidentia ibi.	
Illita depellit	Illitu repellit, *ex mss.*	
Vel herinacei, cum vespertilionis cerebro.	Fel herinacei, cum vespertilionis: & anserinus cum cerebro.	
Infricatur.	Infricatus, *ex mss.*	
Contritæ ex aceto, vel cinis ejus.	Contritæ ex aceto: senectus anguium ex aceto, vel cinis ejus.	
Interaneisque demptis.	Interaneis ademptis, *ex mss.*	
Sicut ad urinæ incontinentiam Caninum adipem.	Sicut ad urinæ incontinentiam, caninum adipem.	
Aperiunt.	Auferunt, *ex mss.*	
Cum mellis cyathis tribus.	Cum melle cyathis tribus, *ex mss.*	*Sect.* 23.
Aut si pedes sanguinent cum urtica: vel pennis eorum.	Aut si pedes sanguine cum urtica: vel pennis palumborum.	
Tragacantho.	Tragacantha, *ex mss.*	
Quod si putrida sint hulcera, cera addita.	Quod si pura sint, hulcera cera addita.	
Vel gryllorum.	Vel glirium.	
Fimique gallinacei..... columbini fimi cinis ex oleo.	Fimi gallinarum.... columbini fimi ex oleo, *ex mss.*	
In locis olhorum.	In loticis olhorum.	*Sect.* 27.
Inunctos sanat.	Unctu sanat, *ex mss.*	
Quem primum peperit.	Quem primum pepererit, *ex mss.*	
Cinis palmarum.	Cinis plumarum, *ex mss.*	*Sect.* 28.
Nam non modo muris.... verum etiam.	Nam muriæ.... vel etiam, *ex mss.*	*Sect.* 29.
Paucis exemplaribus docebo.	Paucis e pluribus edocebo, *ex mss.*	
Lacertæ viridis vivæ.	Lacertæ vivæ, *ex mss.*	*Sect.* 30.
Qui pilulas voluit.	Qui pilas volvit.	
Cor anguinum	Cor anguium, *ex mss.*	
Si cujusquam cura efficacior esset ad inquirendum.	Si cujus cura efficacior esset inquirentis, *ex mss.*	
In longissimis morbis.	In longis morbis, *ex mss.*	
Miseria spei delectat.	Miserias copia spei delectat.	
Specu tuto resina ceraque.	In splenio resinæ ceræque.	
Et oleum myrteum.	Ex vino myrteo.	*Sect.* 31.
In melle sunt immortuæ.	In melle sint mortuæ, *ex mss.*	*Sect.* 33.
Si in verendis sit,.... opus sit.	In verendis,... opus est, *ex mss.*	
Tertia die.... nec postea.	Tertio die... ne postea, *ex mss.*	
Et eo cui medebitur.	Et cui is medebitur, *ex mss.*	
Fimum ovium cum cera commistum. Murium cinis, & cochleatum: idque sic.	Fimum ovium cum cera. Murium cinis: cochleatum quoque: sic, *ex mss.*	*Sect.* 35.
Nervorum nodis medetur capitis..... ex oleo cyprino illitus.... Dolores tollit eorum.	Nervorum nodis capitis.... ex oleo cyprino.... Doloribus, *ex mss.*	*Sect.* 36.
Aut locustæ frictæ cum sevo.	Aut locustæ cum sevo, *ex mss.*	*Sect.* 37.
Aranei telæ suppositæ.	Aranei tela, *tantum*, *ex mss.*	*Sect.* 38.
Vel sanguinis profluvia.	Vel sanguis, profluvia.	
Item columbinus sanguis ob id.	Item columbinus ob id.	
Aut cinere.	Aut in cinere, *ex mss.*	*Sect.* 39.
Trahant.... pulmonibus quoque arietum.	Trahunt... pulmonibus præcipue arietum, *ex mss.*	
Sub testa.	Sub testo	
Infra septimum.... persuasum sit.	Intra septimum... persuasio sit, *ex mss.*	
Siccatus Sole.	Siccatus in Sole, *ex mss.*	
Recentibus plagis, sale.... sumpto. Tradunt.... & sanari.	Recentibus plagis. Sale ... sumpto, tradunt.... ac sanari.	
Antonius Musa medicus.	Antonius quidem medicus, *ex mss.*	
Trixalidum.	Troxalidum, *ex mss.*	
Aut cum vermium terrenorum cinere, qui.	Aut vermium terrenorum, qui, *ex mss.*	*Sect.* 40.
Ex melle.	Cum melle, *ex mss.*	*Sect.* 41.
Exhulceratiooem multam.	Exhulcerationem altam, *ex mss.*	
Cum farina hordeacea.	Cum farina hordei, *ex mss.*	*Sect.* 42.
Mammas.... tumescentes.	Mammas.... tumentes, *ex mss.*	*Sect.* 43.
In cervices & scapulas, ne nervi.	Ne cervicis scapularumque oervi.	
Gravidis secundas.	Graves secundas.	
Et in gramine vermiculi.	Et vermiculi, *ex mss.*	
Additis mellis cochlearibus quatuor.	Addito melle cochlearibus quatuor, *ex mss.*	
Baculus.... trixalidum.	Baculum ... troxalidum.	*Sect.* 44.
Transgressus abortus asperos faciat.	Transgressis abortum per os faciat.	
Nisi erucæ.	Nisi ærugo.	*Sect.* 46.
Et jecur ejus.	Et jecur ejusdem, *ex mss.*	
Item per se cinis cum lacte canis.	Item per se cinis Lacte canis.	
Aut si vitium coagulato lacte.	Aut si coagulatio lactis, *ex mss.*	*Sect.* 47.
Ad dentitionem.	Ad dentitiones, *ex mss.*	

	E. ovi albi fucco.	Ex uvis albo fucco.
	Ad idem valent.	Idem valent, *ex mss.*
	Bovis capiti.	Bovæ capiti.
Sect. 49.	Ejus qui biberit, cohibet.	Ejus qui fecerit, inhibet.
Sect. 50.	Triduo inhibet.	Triduo necat, *ex mss.*
Sect. 52.	Sirulugum … byturos.	Subjugum …. biuros.
Sect. 53.	Eos, a quibus.	Eum a quo, *ex mss.*
	Contritis uno die, dejectisque.	Contritis una, dejectisque, *ex mss.*
	In alvearia …. non lassescere.	In alvos …. non lassari, *ex mss.*

EX LIBRO TRICESIMO PRIMO.

Sect. 1.	Exerente vires.	Exercente vires, *ex mss.*
	Sæpe etiam lapides subvehunt.	Sæpe etiam lapides: subeuntque, *ex mss.*
Sect. 2.	Auxilia … conferentes.	Auxilia …. proficentes, *ex mss.*
Sect. 3.	Sanant hulcera.	Sanant vulnera, *ex mss.*
	Quam & vocabat M. Cicero.	Quam vocabat Cicero, *ex mss.*
	Monumentum sibi.	Monumenta sibi.
	Ministerium ejus ex illa majestate. Ponam.	Ministeriorum haustus ex illa majestate ingenii. Ponam.
Sect. 7.	Custodit autem partum	Custodit autem fetum, *ex mss.*
Sect. 8.	Ad postremum.	Ac postremo, *ex mss.*
Sect. 9.	Melan.	Nelea.
Sect. 10.	Nam qui Sybarin.	Nam qui e Sybari, *ex mss.*
	Ex Crathide.	Ex Crathi, *ex mss.*
Sect. 12.	Oppidum Crefeum.	Oppidum Cescum.
Sect. 13.	Vinum tædio venire …. biberant. At Eudoxus & Theopompus.	Vinum in tædium venire …. biberint, ait Eudoxus: Theopompus.
Sect. 14.	Polyclytus.	Polycritus.
	Ejusdem virtutis	Ejusdem nominis, *ex mss.*
Sect. 16.	Ut nullum non pondus.	Ut nulla mora pondus, *ex mss.*
Sect. 18.	Cujus gurgite perjurus notantur pati.	Cujus gurgitem perjuri negantur pati.
	In augurio.	In xuguris, *ex mss.*
	Vasto amne. Singulis siccantur duodecies diebus, aliquando vicies.	Vasto singuli amne. Siccantur duodecim diebus, aliquando vicenis.
	Post septem dies accidit.	Post septem enim dies occidit, *ex mss.*
Sect. 19.	Intelligitur fama.	Intelligit fama, *ex mss.*
	In Arcadia.	In Achaia.
	Styx appellata.	Styx appellatur, *ex mss.*
	Si quisquam biberit.	Quam quis biberit, *ex mss.*
	Avesque gustaverint.	Aves quæ degustaverint, *ex mss.*
Sect. 20.	Qui quacumque rigat, lapideam facit terram …… Namque alluit rivus.	Quamcumque rigat, lapideam facit terram ….. Nam qua cadit rivus, *ex mss.*
	In quo lateres. … distillantes.	Quo lateres . … destillantes, *ex mss.*
	Decidere . . . ut Phausia.	Cecidere …. ut in Phausia, *ex mss.*
Sect. 21.	Velut ad infinitum	Velut affinium.
Sect. 22.	Quæ scrobem statim implent.	Quæ cum sorbentur, statim implent.
	Vasa ære inficiunt.	Vasa ærea inficiunt, *ex mss.*
	Caburæ.	Chabura, *ex mss.*
Sect. 23.	Quin exhaustam vasis.	Quin & haustam vasis, *ex mss.*
	Aqua frigida injecta.	Aqua frigida ingesta, *ex mss.*
Sect. 24.	Piconia.	Pitonia.
	Mox specu mersa.	Mox in specus mersa, *ex mss.*
Sect. 25.	Decoquentibus.	Detorquentibus.
Sect. 27.	Aliqui loco.	Alicui loco, *ex mss.*
	Aut edera	Aut arundo, aut edera, *ex mss.*
	Ex quoquo loco.	Ex quoque loco, *ex mss.*
Sect. 28.	Figulari. … adimitur spes.	Figularis …. adimit spes, *ex mss.*
	Levesque facit.	Levissimasque facit, *ex mss.*
	Fodiuntur	Fodiunt, *ex mss.*
	Sine arena	Sine arenato.
	Nam ipsa æstate.	Non ipsa æstate, *ex mss.*
Sect. 30.	Posteaquam cœptus est coli.	Posteaque cœptus est coli, *ex mss.*
	Alias non mutato sapore.	Salis non mutato sapore, *ex mss.*
	Babyloniæ	Babylone, *ex mss.*
Sect. 31.	In centenos pedes sursum elici.	In centenos pedes scilicet.
	Si una cuniculo veniet, in binos actus: laminæ esse debebunt, per quas surgere in sublime opus fuerit, e plumbo. Subit altitudinem exortus sui, si longiore tractu.	Si cuniculo veniet, in binos actus lumina esse debebunt Quam surgere in sublime opus fuerit, e plumbo veniat. Subit altitudinem exortus sui. Si longiore tractu.
Sect. 32.	Aut simili morbo.	Aut simili modo, *ex mss.*
	Cutilia, utilis est bibendo.	Cutilia, bibendo, *ex mss.*
	Quo quidam plurimo potu gloriantur.	Quam plurimo potu gloriantium, *ex mss.*
	In Egesta	In Segesta.
Sect. 33.	Ferruminant & fracturas …. corpora siccant.	Ferruminandas fracturas, …. corpora siccanda, *ex mss.*
	Et quartanis.	Et in quartanis, *ex mss.*
	Articularibusque.	Articularisque, *ex mss.*
	Qui parum dedere.	Qui puram dedere.
Sect. 34.	Supervacanea	Supervacua, *ex mss.*
	Cum quatuor aquæ sextariis.	In quatuor aquæ sextarios, *ex mss.*
	Calefaciat.	Excalefaciat, *ex mss.*
Sect. 35.	Quod vocatur.	Et quod vocant, *ex mss.*
Sect. 36.	Appetentibus vinum.	Appetentibus vini ægris, *ex mss.*
Sect. 37.	In mari.	In mare, *ex mss.*
	Luxata hominum corpora …. cujuslibet.	Luxata corpora & hominum …. cujus libeat, *ex mss.*
Sect. 38.	Et solibus candens.	Et Sole candens, *ex mss.*
Sect. 39.	Noctu.	Nocte, *ex mss.*
	Extrahunt lacu.	Extrahunt e lacu, *ex mss.*
	Amnis Ochus & Oxus.	Amnes Ochus & Oxus, *ex mss.*
	Ex eo est, quam ex auro.	Ex eo, quam ex auro est, *ex mss.*
	Carrhis Arabiæ.	Gerrhis Arabiæ
	Inter hæc est.	Intra hæc est, *ex mss.*
Sect. 40.	Imbrios.	Umbros.

At e stagnis.	De stagnis, *ex mss.*	*Sect.* 41.
Illinunt . . . . Sal siccissimus.	Illinunt . . . . sal siccissimus, *ex mss.*	
Odoribus additus.	Odoribus additis, *ex mss.*	
Nequit degere.	Non quit degere, *ex mss.*	
Sal . . . . consueverat.	Salem . . . . convenerat, *ex mss.*	
Modia sex millia.	Modios sea mille, *ex mss.*	
Estitasse enim salem cum pane & caseo, ut proverbio.	Et salem cum pane esitasse eos proverbio, *ex mss.*	
Quadam favilla.	Quamdam favillam, *ex mss.*	*Sect.* 42.
Acopicis & smegmaticis.	Acopis & smegmatis, *ex mss.*	
Morantes . . . . pæne binos.	Monitrantes . . . . fere binos, *ex mss.*	*Sect.* 43.
Bæticaque & Carteia	Bæticæque Carteia, *ex mss.*	
Ad cæremoniarum superstitionem, etiam sacris.	Cæremoniarum superstitioni, sacrisque, *ex mss.*	*Sect.* 44.
Conceptus . . . . morsus.	Conceptus . . . . morsum, *ex mss.*	
Neque putrescere.	Nec putrescere, *ex mss.*	*Sect.* 45.
In vino mistus. Idem noxia, & tinearum genera.	In vino miarus innoxie: & tæniarum genera, *ex mss.*	
Usurpanda observatione circa humeros.	Circa humeros, *tantum*, *ex mss.*	
Observanda usurpatione, qua quidam totis . . . . dicunt.	Usurpanda observatione, quæ totis . . . . dixit, *ex mss.*	
Tritus cum farina	Tottus cum farina.	
Hulceribus.	Hulcerum, *ex mss.*	
Ita ut baturentur antehac hulcera.	Ita ut paverentur ante hic hulcera.	
Cum aceto & fotu	Cum aceto fotus, *ex mss.*	
Smegmaticis ad extendendam cutem lævandamque.	Smegmatis ad extenuandam cutem levandamque, *ex mss.*	
In Clytis	In Litis.	*Sect.* 46.
Nec augeri, nec effluere.	Neque augeri, neque fluere, *ex mss.*	
Excedente Nilo siccantur, decedente madent.	Hæ cedente Nilo madent, *ex mss.*	
Nitrariæ egregiæ Ægyptus. Nam circa . . . . tumuli.	Nitrariæ Ægypti circa . . . . cumuli, *ex mss.*	
Alii operimentum.	Alii acervorum.	
Optimum putant.	Optimum putatur, *ex mss.*	
Acrimoniam nitro.	Acrimoniam nitri, *ex mss.*	
Ciet & sudorem.	Ciet & sudores, *ex mss.*	
Nitrum claritatem visus.	Claritatem visus, *tantum*, *ex mss.*	
Renum . . . . In vino exterminat potum.	Renium . . . . extenuat in potione vini, *ex mss.*	
Pruriginem.	Porriginem	
Sic & adversus lepras.	Sicut adversus lepras, *ex mss.*	
Et quæ tinguntur	Quæ & tinguntur, *ex mss.*	*Sect.* 47.
Veteres conglutinant vulnera	Veteres non glutinant vulnera.	
Nunc ea acero inspersæ, nunc e vino, nunc ex aqua.	Nunc aceto aspersæ, nunc vinu, nunc aqua, *ex mss.*	
Sed fluctuatione.	Sed fluctione	
Salsa madidæ.	E salsa, *tantum*, *ex mss.*	
Sed spleneticis.	Sed splenicis, *ex mss.*	
Abunde subinde.	Subinde, *tantum*, *ex mss.*	

EX LIBRO TRICESIMO SECUNDO.

Hæc tantilla est satis.	Hoc tantulo satis est.	*Sect.* 2.
Remigantis.	Renavigantis, *ex mss.*	
Alligato eo.	Adalligato eo, *ex mss.*	
Odynolyontem.	Odynolyten.	
Mitulos.	Mitulos marinos.	*Sect.* 4.
Negotiatores.	Mercatores negotiatos.	
Perungere.	Perungi, *ex mss.*	
Nixus erumpentis.	Nisus erumpentis, *ex mss.*	*Sect.* 5.
Ita conditum transire rete.	Ita condi, dum transeat rete.	
Excutiat cibos.	Excutiat cibum, *ex mss.*	
Pytheas tradit. Idem infixam hamo invertere se, quoniam dorso cultellato, spinaque.	Anthiam tradit idem infixo hamo invertere se, quoniam sit in dorso cultellato ei spina, eaque.	
Lactatu.	Jactatu.	
Gotta.	Cotta.	*Sect.* 6.
Labradii Jovis.	Labrandei Jovis.	*Sect.* 7.
Recentia effici constat.	Refici constat.	*Sect.* 9.
Patrimonia.	Parsimonia.	*Sect.* 10.
Circa Helian.	Circa Æolias.	*Sect.* 11.
Et ideo utilissimum.	Et ideo vilissimum.	
Hac de causa.	Qua de causa, *ex mss.*	
Scabrosum . . . . vel rursus inane, aut concavum.	Scabiosum . . . . aut rursus inane, & concavum, *ex mss.*	
Conjicientibus gummi cum sale Hammoniaco.	Conjicientium gummi cum sanguine, aut Hammoniacum.	*Sect.* 13.
Odoris gravis . . . . Ponto Galatiæ, mox Africæ.	Odore graves . . . . Ponto Galatiaque, mox Africa, *ex mss.*	
Effectus quoque pari honore habendi.	Effectusque pas: honore habendo, *ex mss.*	*Sect.* 14.
Has quidem.	Has quidam, *ex mss.*	
Ac similium, & ranarum venena.	Ac similium venena, *ex mss.*	
Inarescere autem eum.	Inarescere eum, *ex mss.*	
Sanguis heminis tribus aceti, hemina vini addita.	Sanguinis heminis tribus, aceti hemina, vino addito, *ex mss.*	
Post aliquot dies vespera.	Post aliquos dies bina vespera, *ex mss.*	
Per annos.	Ter anno.	
Item ardentium testium.	Item testium, *ex mss.*	
Sed diu in vino . . . . Oculorum quoque vitia . . . . suffusiones etiam marinæ fel cum fluviatilis sanguine, & lacte mulierum. Capillus mulierum inficitur felle. Contra salamandras vel succum decoctum bibisse.	Sed vino . . . . Oculorum utique vitia . . . . suffusiones etiam. Marinæ felle cum fluviatilis sanguine, & lacte, capillus mulierum inficitur. Fel contra salamandras, vel succum decoctæ bibisse, *ex mss.*	
Incurva calyce.	Curvata calyce, *ex mss.*	
Instillatus crebros capitis dolores.	Instillatus cerebro capitis dolores.	
Sunt qui . . . . jubeant.	Sunt qui . . . . jubent, *ex mss.*	
Qui esset scincus . . . . Veneficium menstruis.	Quid esset scincus . . . . venefici in menstruis, *ex mss.*	*Sect.* 16.
Idem & cybii profectus.	Idem & cybio effectus, *ex mss.*	*Sect.* 17.
Fluviatilea.	E fluviatilibus, *ex mss.*	*Sect.* 18.
Hamo additis	In hamum additis, *ex mss.*	
Quæ fiant ex ipsis auxiliatur. Cor vero etiam efficacius est. Coluber est in qua vivens.	Quæ fiant ex ipsis *Sect.* XIX. Auxiliatur vero etiam efficacius colubra in aqua vivens.	*Sect.* 19.
Et oleum.	Et oleo, *ex mss.*	*Sect.* 20.
Præcipue ejus jure.	Præcipue jure, *ex mss.*	
Contra leporis marini venena & ostrea adversantur. Idem vi-	Contra leporis marini venena. *Sect.* XXI. Et ostrea adversan-	

Sect.	Lectio	Emendatio
	detur, nec potest videri .... cum palma mensarum diu jam tribuatur illis.	tur iisdem Nec potest videri .... cum palma mensarum diu victum attribuatur illis.
Sect. 21.	Ideo pelagia	Pelagia, *tantum, ex mss.*
	Minora in aliis locis, reperiantur.	Minora in alto reperiantur.
	Opacitas enim prohibet.	Opacitas cohibet, *ex mss.*
	In Hispania .... in Illyrico.	Hispaniæ, . . Illyrico, *ex mss.*
	Suaviora Edulis.	Suaviora Medulis.
	Dos eorum in medicina.	Dos eorum medica, *ex mss.*
	Eadem cocta.	Eadem quoque cocta, *ex mss.*
	In conchis suis.	Cocta in conchis suis.
Sect. 23.	Hippocampinus cinis.	Hippocampi cinis, *ex mss.*
	Præparat cutem .... medicamentis. Cutem replet & muris.	Præparant autem .... medicamentis cutem, & muris.
	Tantam vim habere tradit.	Tantam vim hanc tradit, *ex mss.*
	Denigrare dicat	Denigrari dicat, *ex mss.*
Sect. 24.	Liquefactus oleo admixto melle.	Liquefactus Sole admixto melle.
	Cum lacte mulieris ... mitigant nocte.	Cum lacte mulierum ... mitigant, *tantum, ex mss.*
	Adjiciunt & officulis.	Aiunt & officulo, *ex mss.*
	Candicans.	Candida, *ex mss.*
	In fictili novo .... succum earum ..... admiscent lacrymæ, quæ ex alba vite emanat.	In fictile novum .... succoque earum .... admiscent vitis albæ lacrymam, *ex mss.*
	Et hoc utebatur.	Et ad hoc utebatur, *ex mss.*
Sect. 25.	Bati piscis ... banchi .... pedunculos .... gari excellentis sociorum cyathum.	Batiæ piscis .... bacchi ..... pediculos ..... gari excellentis cyathum, *ex mss.*
Sect. 26.	Deinde trita .... edendas.	Dein trita . . . mandendas, *ex mss.*
	Dentes labantes.	Dentium labantes, *ex mss.*
	Ex marina tanto efficaciora.	Ex marina rana efficaciora, *ex mss.*
	Atque fricari.	Atque ita fricari, *ex mss*
	Coluber in aquis vivens.	Colubra in aqua vivens.
Sect. 27.	Et delphini	Aut delphini, *ex mss.*
	Similitudine olei.	Similis oleo, *ex mss.*
	Græci colycia.	Græci colurbia.
	Dein contusa, colluta, & subacta.	Dein contusa, & subacta, *ex mss.*
	Spongiæque putri simile, pene purpureum.	Spongiæque putri simile. Pæne purpureum.
	Thynni recentioris adipe ad hulcera.	Thynni adipe recenti ad otis hulcera, *ex mss.*
Sect. 28.	Murænarum muria.	Mænarum muria.
	De cauda .... lepore marino.	E cauda . . lepori marino, *ex mss.*
	Et scari piscis.	Et sauri piscis.
	Tetano .... aut calida.	Et tetano .... & calida, *ex mss*
Sect. 29.	Castoreum .... utilissime potatur.	Castorea ... utilissima potu, *ex mss.*
	Et ex ea.	Atque ex ea, *ex mss.*
Sect. 31.	Pituitas .... pituitæque.	Pituitam .... pituitæ, *ex mss.*
	Cinis eorum potus.	Cinis eorum lotus.
	Myscas .... duriores.	Myiscas ... dulciores, *ex mss.*
	Et pelorides .... volunt uti .... radicis siccæ.	At pelorides .... volunt .... radicis siccatæ, *ex mss.*
	Castoreum..... cum aceto vino misto.	Castorea .... cum anetho ex vino mixto.
	Fel sive cor earum.	Vel cor earum, *ex mss.*
Sect. 32.	Scorpius marinus.	Scorpio marinus, *ex mss.*
	Blenniorum .... banchi.	Blendiorum .... bacchi.
Sect. 33.	Enterocelæ .... aquatici colubri.	Enterocelicis .... aquaticæ colubræ, *ex mss.*
Sect. 36.	Articularibusque morbis .... decocta est rana, & ipsius intestina.	Articularisque morbis ..... decocta sint ranarum intestina, *ex mss.*
	Trium generum.	Trium rerum, *ex mss.*
	Item & bryon.	Necnon & bryon, *ex mss.*
	Impositum .... de qua supra.	Impositumque . . . . de qua ipsa, *ex mss.*
	Quas quidam dissectas.	Quidam dissectas, *ex mss.*
Sect. 38.	Et ipsi adalligantur .... ranæ vero in.	Et ipsi alligantur .... ranæ in, *ex mss.*
	Oculis earum ... ita ut cæcas.	Oculis eorum ... ita ut cæcos, *ex mss.*
	In lethargumque ... Aliqui.	In lethargum ... alii, *ex mss.*
	Spondylus per se.	Spondylus percæ.
Sect. 39.	Tetheæ utiles.	Tethea utilia, *ex mss.*
Sect. 40.	Cum cancrorum fluviatilium.	Cum ranarum fluviatilium.
	Prodest & febri ranarum fellis cinis.	Prodest & fibrinarum pellium cinis.
Sect. 41.	Lethargicos.	Tetanicos.
	Tremulos juvat castoreum.	Tremulos castoreum, *ex mss.*
Sect. 42.	Cinerem fieri.	Sanguinem cineremve fieri, *ex mss.*
	Cucurbitarum.	Cucurbitularum, *ex mss.*
Sect. 44.	Et quæ ex iis.	Et quæ in his, *ex mss.*
	Vermes vero innati	Vermes innati, *ex mss.*
	Ut salpe expurgat hulcera.	Et alex expurgat hulcera.
Sect. 46.	Item scombri .... extrahit.	Item strombi ... detrahit, *ex mss.*
	Et cum coagulo ejusdem.	Coagulo ejusdem, *ex mss.*
	Pulmonis marini cinis adalligatus egregie profluvia purgat.	Pulmo marinus alligatus purgat egregie profluvia, *ex mss.*
	Item in jure	Idem in jure, *ex mss.*
	Cum Luna in Libra fuerit.	Cum Luna in Libra sit, *ex mss.*
	Quoties inferatur ... æstimatur.	Quoties inferetur, existimatur, *ex mss.*
Sect. 47.	Eadem vis est pulmonis marini: leporis marini sanguine & felle: vel si in oleo lepus hic necetur.	Eadem vis pulmoni marino: leporis marini sanguini & felli: vel si in oleo hic necetur, *ex mss.*
	Illitum XVI. Luna.	Illito sexta Luna, *ex mss.*
Sect. 48.	Multum confert .... Adalligatusque.	Plurimum confert .... Adalligatus, *ex mss.*
Sect. 50.	Pellis in linteolo.	Pellis in agnina.
Sect. 51.	Aiuntque .... Et salpe.	Aiunt .... Salpe, *ex mss.*
Sect. 52.	Si aures intraverit.	Si aures intravit, *ex mss.*
	Rubeta decocta & in aqua potu data ..... vel cujuscumque.	Rubeta incocta aquæ potui data ... vel cujusque, *ex mss.*
Sect. 53.	Animalia CLXVI.	Animalia CLXIV.
	Peculiaris autem.	Peculiares autem, *ex mss.*
	Cytharus, Chrombrorum genera, cyprinus.	Citharus e rhomborum genere pessimus.
	Lacertorum minima.	Lacertorum minimi.
	Chamæ trachea, chamæleos.	Chamæ striatæ, chamæ læves.
	Colycia sive corophya.	Coluthia sive corythea.
	Pentadactyles.	Pentadactyli, *ex mss.*
	Extra has.	Extra hæc, *ex mss.*
	Cucumis, cynopus, cammarus, cynosdexia.	Cucumis, cynosdexia.

Est

Est autem graculo similis.	Est autem gerriculæ similis.	
Forficulis.	Forficibus, *ex mss.*	
Smyrus, scepini.	Smyrus, sepia.	
Tomus Thurianus.	Thynnus, thranis.	
Urenæ.	Veneriæ.	
Apud Ovidium.	Ab Ovidio, *ex mss.*	*Sect. 54.*
Bopgyrum.	Bovem, cercyrum.	
Parvum teragum.	Parvum rragum, *ex mss.*	
Latine appellata, a Græcis.	Latine appellatus, Græcis, *ex mss*	
Sed tamen non degener	Sed non degener, *ex mss.*	
In Ænaria insula captum caput exerentem. Præter hæc.	In Ænaria insula captum. Exeunt præter hæc, *ex mss.*	

LIBRO TRICESIMO TERTIO.

Inquirente cura.	Exquirente cura, *ex mss*	*Sect. 1.*
Quaqua calcatur. Inter hæc.	Quaqna secatur. Et inter hæc, *ex mss.*	
Quæ prosunt.	Quæcumque prosunt, *ex mss.*	
Quæ non nascuntur: ut repente mens ad inane evolans.	Quæ non nascuntur repente. Mens ad inane evolans.	
Penetret avaritia .... si nihil aliud.	Penetratura avaritia ...., si nihil aliunde, *ex mss.*	
Parum enim erat.	Parum erat, *ex mss.*	*Sect. 2.*
Accessit ars picturæ: & aurum argentumque cælando carius fecimus.	Accessit ars picturæ ad aurum & argentum, quæ cælando cariora fecimus, *ex mss.*	
Abdicari aurum, sacra fames.	Abdicari, sacrum fame.	*Sect. 3.*
Inventa.	Invecta, *ex mss*	
Et ipse miratus aurum.	Et ipse miratur auri.	
Qui anulum primus.	Qui id primus.	*Sect. 4.*
Dederit .... voluerit.	Dedit .... voluit, *ex mss.*	
Quorum more ferreum id erat, & bellicæ virtutis insigne.	Quarum mere ferreum id erat, ut virtutis bellicæ, insigne, *ex mss.*	
Utantur.	Utuntur, *ex mss.*	
Sponsæ anulus ferreus mittitur.	Sponsæ muneri ferreus anulus mittitur, *ex mss.*	
Nec Iliacis.	Equidem nec Iliacis, *ex mss.*	
Et latentibus.	Latentibusque, *ex mss.*	
Consertoris usu argumentum est.	Sertoris usus argumentum est.	
Romæ quidem non fuit.	Romæ ne fuit quidem, *ex mss.*	*Sect. 5.*
Mille pondo essici potuere.	Mille pondo potuere, *ex mss.*	
Millia quingenti LXXX.	Millia quingenti LXXIII. *ex mss.*	
VII. millia.	VI. millia, *ex mss.*	
C. Pætilio.	C. Pœtelio.	*Sect. 6.*
Qui tum .... Est enim adjectum .... propter quæ.	Quod tum .... Etenim adjectum .... propterea que, *ex mss.*	
Centum quatuor annis.	Trecentis quatuor annis.	
L. Fufidium.	L. Fufidium.	
Summus oratorum Græciæ.	Summus Græciæ orator, *ex mss.*	
Et Senatum concilians.	Catilinanis rebus.	*Sect. 8.*
Quin etiam ipsum equitum nomen.	Equitum quidem etiam nomen ipsum, *ex mss.*	*Sect. 9.*
Ideo quia .... pudet eo nomine appellari. Et causam, quæ supra indicata est, exponit, invitosque etiamnum tamen trossulos vocari.	Ideoque quia .... pudet trossulos vocari, *tantum*, *ex mss.*	
Auxiliares quippe.	Auxilia quippe.	*Sect. 10.*
A L. Pisone traditur. A Posthumius Dictator apud lacum Regillum, ... ex præda dedit.	A L. Pisone traditur A. Postumius Dictator: Apud lacum Regillum .... ex præda is dedit, *ex mss.*	*Sect. 11.*
Serg. Cornelio.	Servio Cornelio.	
Sed quinque librarum corona Piso.	Sed huic quinque librarum. Piso, *ex mss.*	
Reipublicæ legavit	Et prælegavit.	
At hercules, idem tu Brute.	Ita hercules: idem enim, tu Brute, *ex mss.*	*Sect. 12.*
Cujus sceleris nos coarguimus illum primum, qui auro.	Et nos sceleris arguimus illum, qui primus auro, *ex mss.*	
Dardanum .... viriæ, ... viriles.	Dardanum .... viriolæ .... viriæ.	
Ut in summo quoque.	Ut in somno quoque.	
Vespasiani principis	Vespasiani Imperatoris, *ex mss.*	
Librales, unde .... & dipondius appendebatur assis	Librales (unde .... & dupondius) appendebantur asses.	*Sect. 13.*
Militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ, pensatores.	Militum stipendia, hoc est, stipis pondera, dispensatores.	
Remeus tradit.	Timæus tradit.	
Anno Urbis DLXXXV.	Anno Urbis CCCCLXXXV.	
Denarius .... quinarius.	Denarium .... quinarium.	
Libræ autem pondus æris.	Librale autem pondus æris.	
Triuncis vocatus.	Teruncius vocatus.	
Quod efficit.	Quod effecit.	
Post hæc placuit XL. millia signari.	Post hæc placuit X. XL. signari.	
Minutissimus vero ad XLV M.	Minutissime Nero ad XLV	
Prima est origo avaritiæ excogitata, fœnore quæstuosa segnitia	Prima origo avaritiæ, fœnore excogitata, quæstuosaque segnitia, *ex mss.*	*Sect. 14.*
Auro repensum.	Auro rependendum, *ex mss.*	
Tam aurea quam aurata.	Tam inaurata quam aurea, *ex mss.*	
Antonius.	Antonius apud nos, *ex mss.*	
Opus proscriptione dignum. Sed præter alia equidem miror.	Proscriptione dignum, sed Spartaci. *Sect.* XV. Equidem miror.	
Nam Midas .... in infinitum.	Jam Midas .... infinitum.	*Sect. 15.*
Capere Varro tradit.	Patere Varro tradit.	
In Samnorum gente.	In Suanorum gente.	
Parallatæ.	Paralllaticæ.	
Sicque triomphare.	Atque ita triumphare, *ex mss*	
Incessere, tum primum visum. Mox quod etiam.	Incessivere tum primum noxu, quod etiam.	*Sect. 16.*
Unam VII. pondo habuit .... Hispania citerior alteram IX. quam Gallia Comata, sicut titulus indicavit.	VII. pondo habere .... Hispania citerior: IX. quam Gallia Comata, titulis indicavit, *ex mss.*	
Et quota pars ea apparatus fuit,	Et quota pars ea fuit, *ex mss.*	
Pondo CCXXVII. argenti nonaginta duo millia, & extra numerum CCC. & LXXXV M.	Pondo XVI. DCCCX. argenti XXII. LXX. & in numerato LXII. CCCC.	*Sect. 17.*
Belli socialis initio DCCCXLVI auri pondo. C. Cæsar.	Belli socialis initio, auri XVI. XX. DCCC. XXIX. C. Cæsar.	
Laterum aureorum XXVI. M. & id numerato pondo CCC.	Laterum aureorum XXV. M. argenteorum XXXV. & in numerato HS. CCCC.	

Sect.	Lectio	Emendatio
	Perseo rege Macedonico devicto, prædam pondo trium millium.	Perseo victo e Macedonica præda HS. MM. CC.
Sect. 18.	In cameras: in parietes quoque.	In cameras quoque & parietes.
Sect. 19.	In incendiis rogisque durante materia.	In incendiis rogisque, tantum, ex mss.
	Auri experimento ignis est... rubeat, quo ignis: atque ipsum obryzum vocant.	Auri experimentum ignis est..... rubeat, ignescatque. id ipsum obrussam vocant, ex mss.
	Cum cetera metallis.	Cum cetera in metallis.
	Verrius tradit.	Verrius docet, ex mss.
Sect 22.	Gryphibus apud Scythas.	Apud Scythas gryphus.
	Cursu ipso.	Ut cursu ipso, ex mss.
	Alveus ubi id est.	Alveus hic est, ex mss.
	Capitur, ut inveniatur.	Capitur. Invenitur, ex mss.
	Cum jam inventum in summo cespite. Alutationem vocant, &c.	Gummi inventum est in summo cespite, alutatium, &c.
	Ceterum montes	Cetero montes, ex mss.
	Hi venarum canales per marmor vagantur, & latera.	Vagantur hi venarum canales per latera, ex mss.
	Nam quod ad pilas cudunt, apilascudem vocant: argentum, quod exit a fornacis sudore. Quæ e catino jactatus spurcitia in omni metallo, vocatur scoria. Hæc in auro coquitur, iterum & tunditur.	Ac pilis cudunt. Vocant argentum, quod exit a fornace: sudorisque, quæ e catino jactatur spurcitia, in omni metallo scoria appellatur. Hæc in auro tunditur, iterumque coquitur.
	Hæc est terra.... ac ardentem.	Hoc est terra.... & ardentem, ex mss.
	Operarios.	Operatos.
	C L. libras ferri terram agentibus.	C L. libras fere agentibus.
	Latus sequitur. Possunt ambiri quiete.	Latus sequitur fossa, ambitque.
	Facilius existimatur.	Facilior existimatur, ex mss.
	Dantque signum ruinæ.	Dat signum ruina, ex mss.
	Hic voce ictuve repente operarios revocari jubet.	Hic voce ictuve evocari jubet operas.
	Cadit e se se longo fragore.	Cadit ab se se longe, fragore, ex mss.
	Ad pericula evincenda.	Ad pericula & impendia.
	Alius par est labor, vel hoc majoris impendii.	Alius par labor, ac vel majoris impendii, ex mss.
	Præcepisse libramento oportet, ut fruatur quando instat.	Præcepisse libramentum oportet, ut ferat is qua influat.
	Species nefaria quidem	Species ne ferarum quidem
	Lineas itineri præfigunt.	Lineas itineri præducunt, ex mss.
	Manes trahuntur ad homines, ut vitium importent.	Manus trahunt omne vitium in sportis.
	Urion vocant.	Urium vocant, ex mss.
	Fossæ in quas.	Fossæ per quas, ex mss.
	Gradatim. Frutex est ulex roris marini.	Gradatim ulice. Frutex est roris marini, ex mss.
	Tradiderunt.	Prodiderunt, ex mss.
	Italiæ parcitum est... ut diximus.	Italiæ parci.... diximus, ex mss.
	Qua in Vercellensi agro cavebatur.	Vercellensi agro, qua cavebatur, ex mss.
Sect. 22.	Est etiam una satio.	Est etiamnum una ratio, ex mss.
	Libræ X I V.	Libræ x. i v.
Sect. 23.	Quod in situ terrarum nomine hoc.	Quo sit situ terrarum nomen hoc, ex mss.
	Ex ea rapina esse	Ex ea rapina, tantum, ex mss.
Sect. 25.	Torretur & cum salis grumo, pondere triplici musto.	Torretur & cum salis gemino pondere, triplici misceos.
	Quod si trito spuma adjicitur.	Quod si tritus pumex adjicitur.
	Verrucas curari eo M. Varro est auctor.	Auro verrucas curari M. Varro auctor est, ex mss.
Sect. 26.	Herba quam luteam appellant.	Herba quam lutum appellant, ex mss.
	Cribro secernitur.... tenuius sic cribratur.	Cribro cernitur... tenuius cribratur, ex mss.
	Adduntur & schytanum.	Adduntur Scytanum, &c. ex mss.
Sect. 27.	Summa commendationis, ut colorum herbæ.	Summa commendationis, colorem in herba, ex mss.
	Aurigaturus esset, introducta opificum turba. Tribus eam generibus distinguunt.	Aurigaturus esset Indocta opificum turba tribus eam generibus distinguit.
	In libras v i i.	In libras denarios v i i.
	A lutea herba.	A luto herba.
	Utilissimo genere.	Vilissimo genere, ex mss.
Sect 28.	Miscenda.	Lingenda, ex mss.
Sect. 29.	Cyprio in ære.	Cyprio ære.
Sect. 31.	Bebelò.	Bebulo, ex mss.
	Nullum finem spei fecit.	Finem spei fecit, ex mss.
Sect. 32.	In vasis, ita vitiis abjectis, ut ipsum ab auro discedat. In pelles subactas.	In vasis, vestibus injectis Sed ut ipsum ab auro discedat, in pelles subactas.
Sect. 34.	Aqua pluviali.	Aqua pluvia, ex mss.
	Quod ibi subsidit.	Quod ibi subsedit, ex mss.
Sect 35.	Convoluta veruculo.	Convoluta. tantum, ex mss.
	Fervescentis & futuræ materiæ.	Fervescentis materiæ.
Sect. 36.	Cujus rei quidem causam.	Cujus rei causam equidem, ex mss.
	In Hispaniis	In Hispania, ex mss.
Sect. 40.	Hermogenes.	Timagenes.
	L X X. in libras.	H S L X X. in libras.
	Scytico... Scyticum.	Syrico... Syricum.
	Excoquitur: auri modo probatur. Auro candente fucatum nigrescit.	Excoquitur auri modo. Probatur auro candente: fucatum nigrescit.
Sect. 41.	Fortasse, quod illitum capiti ventrive, sanguinem sistit.	Fortassis illito capite ventreve, sanguinem sistendum, ex mss.
Sect. 43.	Scrupulari.	Scripulari, ex mss.
Sect. 45.	Expulsis intus crebris seu speculis.	Exsculptis intus crebris ceu speculis, ex mss.
	Auro apposito.	Auro opposito
Sect. 46.	Miscentur argento tertia pars æris.	Miscentur argento tertiæ æris, ex mss.
	Miscuit æri falsæ monetæ.	Miscentur æra falsæ monetæ.
Sect. 47.	In agris suis.	In agris, tantum, ex mss.
	Atque ut nomen quidem optimi occupaverit.	Atque in memo iam quidem optimum occupavit.
	Ad v i Kal.	A. d. vi. Kal.
Sect. 49.	Furniana.	Firmiana, ex mss.
	Queritur.	Quiritat, ex mss.
	Induere solebat.	Induere, tantum, ex mss.
Sect. 50.	Quater millies C C C C L X X.	Quatuor millia C C C L X X X. ex mss.
	Quod nunc in mensarum est apparatu. Postea victa Numantia & deleta.	Quot mensarum potius apparatu victa? Numantia quidem deleta, ex mss.
	Militibus x v i i. millia pondo dedit.	Militibus x. vii. dedit.
	Mille pondo habuit.	Pondo mille habuit, ex mss.
	X I. millia.	X. tantum, ex mss.
	Paterna quoque gente pulsum.	Paternaque gente pollitum.

Sed Punica. Idem & aureos fecit.	Sed Punicana. Eadem & aureos fecit, *ex mss.*	*Sect.* 51.
Octo quinquaginta librarum	Octo DCCCL. librarum.	*Sect.* 52.
Fenestella dicit.	Fenestella, *tantum*, *ex mss.*	
Fuerit vitæ . . manupretium.	Futuri vita . . . manupretiis, *ex mss.*	*Sect.* 53.
Quinis millibus sestertiis.	Quinis millibus sestertium, *ex mss.*	
VI millibus sestertiis.	VI. sestertium millibus, *ex mss.*	
Pondo centum millia.	Pondo MD.	
Asia domata.	Asia donata.	
Urbis anno DCXXVI.	Urbis anno DCXXII.	
Quinquaginta sex annis.	Quinquaginta septem annis.	
Et liceret peccaro, & dignatione hinc alicui veterum.	Et liceret. Petere & dignationem hinc aliqui veterum.	
Statuas primum ad honorem Divi Augusti in adulatione.	Statuas primum Divi Augusti in adulatione, *ex mss.*	*Sect.* 54.
Argentum succedit ex re.	Argentum succedit, *tantum*, *ex mss.*	
Fastidio.	Fastidito, *ex mss.*	
Vaginæ batillis.	Vaginæ catillis.	
Quatuor paria denique.	Quatuor paria, *tantum*, *ex mss.*	*Sect.* 55.
Dicitur. Ephesiæ Dianæ templum jacet, Capitolium incendiis.	Dicitur, Ephesiæ Dianæ templi, aut Capitolini incendiis.	
Venatio in scyphis magnam famam habuit.	Venatus in scyphis magna fama, *ex mss.*	
Unciæ viginti venierunt.	Unciæ X. venierunt	
Pretium in libras XXXII.	Pretium in pondo libras, X. II *ex mss.*	*Sect.* 58.
Sub dimidio.	Dimidio, *tantum*, *ex mss.*	
Pretium in libras hujus	Pretium in libras, *tantum*, *ex mss.*	
Candidiorem, nigrioremve, crassiorem tenuioremve.	Candidiorem tenuioremve, *tantum.*	*Sect.* 59.
Et hoc est . . . . . . Pretia ejus XXXII. in libras: cærulei XVIII.	Hoc est . . . Pretia ejus X. X. in libras: cærulei, X. VIII.	
Nestorianum.	Vestorianum.	
Pretium ejus XI. in libras.	Pretium ejus X. I. in libras.	
Præterquam ad fenestras.	Preterque ad fenestras, *ex mss.*	
Cujus pretium XVII. in libras.	Cujus pretium X. VIII. in libras.	
Teritur.	Teritur autem, *ex mss.*	

LIBRO TRICESIMO QUARTO.

Proxime dicantur.	Proxima dicantur, *ex mss.*	*Sect.* 1.
Ouærati ab ære dicti.	Obærati, & ære diruti	
Usus esset, & alia quæ vetustas tradidit, cum æqualem.... declararet.	Usu. Sed & alia vetustas æqualem . . . . declarat.	
Hic est exemplar . . . Illoque ære . . . Æmulatio autem.	Hoc erit exemplar . . . Illo ære . . . Æmulatio iis, *ex mss.*	*Sect.* 5.
Antiqui pingebant eas bitumine.	Bitumine antiqui tinguebant eas, *ex mss.*	*Sect.* 9.
Equestres utique.	Equestres vero, *ex mss.*	*Sect.* 10.
Unde & nostris currus in his	Unde & nostri currus nati in his.	
Acti Navii.	Atti Navii	*Sect.* 11.
Et alia auctoritas major in Horatii statua.	Alia auctoritas M. Horatii statuæ, *ex mss.*	
Restituit	Instituit, *ex mss.*	
Tulli Cælti	Tulli Clœlii.	
Hoc a Romano populo.	Hoc a republica, *ex mss.*	
C. Octavium, ob unum verbum.	Cn. Octavium, ob unum scilicet verbum, *ex mss.*	
Græcorum gentis.	Graiæ gentis, *ex mss.*	*Sect.* 12.
Donec Sylla.	Ea stetere, donec Sylla.	
Quas mox laceraverunt, nondum . . . excedente.	Nondum... excedente, quas mox laceravere, *ex mss.*	
Cum nec Lucretiæ, nec Bruto . . . decernerentur.	Cum Lucretiæ ac Bruto . . . non decernerentur, *ex mss.*	*Sect.* 13.
Hanc primam & Horatii Coclitis.	Hanc primam cum Coclitis. *ex mss.*	
Ante enim sibi ac Sibyllæ.	Atto enim ac Sibyllæ.	
Nisi Clœliæ	Nisi Clœliæ quoque, *ex mss.*	
Passimque clientes in clientelas ita recepti.	Passimque gentes in clientelas ita receptæ, *ex mss.*	*Sect.* 15.
Ut ferunt.	Ut produnt, *ex mss.*	*Sect.* 16.
Ad sexcenta x. opera fecisse prodatur.	Ad M. D. opera fecisse dicatur, *ex mss.*	*Sect.* 17.
Deponere.	Seponere, *ex mss.*	
Deorum hominumve.	Deorum hominisve, *ex mss.*	
Quas colossos vocant.	Quas colosseas vocant, *ex mss.*	*Sect.* 18.
CL talentas, . . . a Claudio.	Quingentis talentis . . a Divo Claudio, *ex mss.*	
Apollinem . . . . Aviti Tuscanicum.	Tuscanicum Apollinem . . . . Augusti, *ex mss.*	
Cassio Syllano.	Cassio Silano.	
Olympiade LXXXIII.	Olympiade LXXXIV.	*Sect.* 19.
Phragmon.	Phradmon.	
Dameam . . . Myronem Lycium.	Damiam . . . . Myron Lycium.	
Cephisodorus.	Cephisodotus	
Et cum eo Alexander.	Cum & Alexander, *ex mss.*	
Lahippus.	Dahippus.	
Antheus.	Antæus	
Ctesilæ.	Cresilai, *ex mss.*	
Ut a forma cognomen.	Ut formæ cognomen, *ex mss.*	*Num.* 1.
Ad ædem Fortunæ dedicavit.	Ad ædem Fortunæ hujusque diei dedicavit.	
Antæum a terra sustinentem.	Alexetera arma sumentem.	*Num.* 2.
Ageladis.	Ageladæ, *ex mss.*	*Num.* 3.
Et Leontius	Et Leontinus.	*Num.* 4.
Item Apollinem citharœdum, ... qui Dicæus, ... quod cum	Item Apollinem . . . citharœdum, Dicæus . . . quoniam cum, *ex mss.*	
Fortunæ hujusce diei.	Fortunæ hujusque diei.	*Num.* 5.
Conscissuris	Concisuris, *ex mss.*	*Num.* 6.
Ad Trophonii oraculum.	Simulacrum Trophonii ad oraculum, *ex mss.*	*Num.* 7.
Ubi habitaverat, latuerint.	Habitaverit, ubi latuerint, *ex mss.*	*Num.* 9.
Catagusam, & Ebrietatem, & Liberum patrem, nobilemque	Catagusam, & Liberum Patrem, & Ebrietatem, nobilemque, *ex mss.*	*Num.* 10.
Fecit & puberem,	Fecit & puberem Apollinem.	
Et Iphicratis.	Tisicratis.	*Num.* 12.
Excruciata, tyrannus.	Excruciata a tyrannis, *ex mss.*	
Ctesilas.	Cresilaus.	*Num.* 14.
Equitem Simenem.	Equitem Simonem.	*Num.* 15.
Ministrantem.	Admirantem.	*Num.* 16.

	Ante ædem Jovis Tonantis.	Ante ædem Iovis Tonantis, Hegesiæ, *ex mss.*
Num. 27.	Buthyreus Lycius.	Eleuthereus Lycius.
	Leocras.	Leochares.
Num. 19.	Niceraies.	Niceratus, *ex mss.*
Num. 21.	Apollodorum fecit.	Apollodorum fudit, *ex mss.*
	Satiare cupiditatem nequit artis.	Satiari cupiditate artis non quit, *ex mss.*
Num. 24.	Clarissima quæque in urbe.	Clarissima quæque, *tantum, ex mss.*
Num. 25.	Calias, Clesias.	Calliades, Ctesias.
Num. 27.	Colothas.	Colotes.
Num. 28.	Daiphoron.	Daiphron.
Num. 32.	Pisicrates bigæ Pitho.	Tisicratis bigæ Piston.
	Qui taurum.	Cui taurum, *ex mss.*
Num. 34.	Leophon.	Lophon, *ex mss.*
Sect. 20.	In Cyprio coronarium & regulare est, utrumque ductile. Coronarium tenuatur.	In Cyprio coronarium tenuatur, *tantum, ex mss.*
	Et lene recoquunt.	Et bene recoquunt, *ex mss.*
Sect. 22.	Namque ipse lapis .... Hic rursus.	Namque ut ipse lapis ... sic rursus.
	Eluctantur	Eructantur, *ex mss.*
	Fluunt & ex ea... onychis macula ... & ceteratum.	Fluunt ex ea ... onychitæ maculis ... & e ceteris, *ex mss.*
Sect. 23.	Aqua pluvia lavatur, minoro effectu.	Aqua pluvia lavatur, *tantum, ex mss.*
Sect. 24.	Ut squama venear pro eo. Est autem squama hæc decussa vi clavis, per quos.	Ut squama veneat decussa vi clavis, in quos.
	In Cypris maxime.	In Cypri maxime, *ex mss.*
Sect. 25.	Pars major & nominibus.	Para major & nomina, *ex mss.*
	Seplasiæ, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti: factaque jampridem emplastra ... Fraus Seplasiæ.	Seplasiæ omnia corrumpenti: Iam quidem facta emplastra... aut fraus Seplasiæ.
	Et hulcera oris.	Et uvas oris
	Squama Cypria longe efficacior.	Squama longe Cypria inefficacior, *ex mss.*
Sect. 26	Contrahit coronarum æruginem, recisamentis.	Contingit coronariorum recisamentis, *ex mss.*
Sect. 28.	Scoleciam.	Scoleca
Sect. 29	Acrius etiamnum & vehementius.	Etiamnum vehementius, *ex mss.*
Sect. 30.	Et misy est lapidosius.	Ut misy, & est lapidosius.
Sect. 32.	Fit & in Hispania e puteis.	Fit in Hispaniæ puteis, *ex mss.*
	Leucoion appellant.	Lonchoton appellant.
	Dolorique, nec non & caligini.	Dolorive, & caligini,
	Purganda vulnera	Purganda hulcera, *ex mss.*
	Et gravitati aurium ... inspiratur.	Si gravitati aurium ... inspiretur, *ex mss.*
	Sed stringit.	Sed tingit, *ex mss.*
Sect. 33.	Quem vocant.	Quæ vocant, *ex mss.*
	Conventque.	Convenit, *ex mss.*
Sect. 34.	Levissime hæc.	Levissimum hoc.
	Quod minus candidum ex ea.	Quod minus candidum ex eo, *ex mss.*
	Hoc quidem.	Hoc quidam, *ex mss.*
	Collyrus oculorum nimium vigilia fatigatorum apta.	Collyrus oculorum minus epta, *ex mss.*
Sect. 35.	Cydonii mali.	Cotonei mali, *ex mss.*
Sect. 36.	Stratum esse debet.	Esse stratum debet, *ex mss.*
Sect. 37.	Differentia est siquidem.	Differentiæ siquidem, *ex mss.*
Sect. 39.	Intutum est.	Intutum, *ex mss.*
Sect. 40.	Non desiis.	Non desinit, *ex mss.*
	Pœnitentiamque, ferrum & æs.	Pœnitentia, æs ferrumque, *ex mss.*
	Hodie.	Hodierno die, *ex mss.*
	Obsistit eadem.	Obsistit eadem, *ex mss.*
Sect. 41.	Alia molle ... stricturæque vocantur eæ.	Aliæ molle ... Stricturæ vocantur hæ, *ex mss.*
	In iis equidem nucleus	Nucleusque quidem.
	Alioque modo	Aliæque modo, *ex mss.*
	Admiscetur. Mollior complexus in nostro orbe Alubi.	Admiscetur mollior complexus. In nostro orbe alubi.
Sect. 42.	Bubbatione.	Bullatione
	Ferri utique inficit aciem, ut magnes. Eodem lapide Dinocrates.	Ferrum utique inficit eadem vi. Magnete lapide Dinochares.
Sect. 43.	Vinxerat pontem.	Junxerat pontem, *ex mss.*
Sect. 44.	Vis ejus ... restringere.	Potentia ejus .... sistere.
Sect. 46.	Obolis ex Cimolia creta duobus, drachmis sex ex ære, totidem ex squama ferri, totidem ceræ, ex olei sextario.	Picis oboli sex: Cimoliæ cretæ drachmæ sex: æris tusi drachmæ duæ: squamæ ferreæ totidem: ceræ, sex: olei sextarius.
Sect. 47.	Quæ eluvia.	Quæ aluta.
	Nec ex albo argento	Nec ex albo argentum, *ex mss.*
	Quæ portio est tertia addita venæ.	Quæ est tertia portio additæ venæ, *ex mss.*
Sect. 8.	Æris tertia portione candidi.	Æris candidi tertia portione, *ex mss.*
	In libras triginta	In libras, X. X.
	In pondo centum triginta. In libras albo.	In pondo C. L X. X. Albo.
	Pretia sunt triginta, nigro sexdecim.	Pretia sunt X. X. nigro, septem.
	Flura aridi.	Plus aridi, *ex mss.*
	Liquescit argentum.	Liquescit argentum. Confirmant, quod si minus albo nigri quam satis sit misceatur, erodi ab eo argentum, *ex mss.*
Sect. 49.	Discerni queat.	Discerni possit, *ex mss.*
	Jovetanum.	Ovetanum.
	Relaxatis .... fecundior abortus facere	Laxatis .... fecundiores facere abortus, *ex mss.*
	Locari solitum decem libris per C C. ante annos .... L V. locatum est.	Locari solitum X. C C. M. annuis ... C C L V. locatum est.
Sect. 50.	Sulphure minuto.	Sulphuria minuto
	Plumbi e fornacibus.	Plumbi fornacium, *ex mss.*
	Ut stibi & cadmia	Et teritur, ut cadmia.
	Et inanitatem, & holcerum excrescentia.	Et inanitatem hulcerum, excrescentiave.
	Elimatam scobem.	Limatam scobem, *ex mss.*
Sect. 51.	Quod vilissimum est.	Quod utilissimum est, *ex mss. & ex re ipsa.*
Sect. 52.	In aqua cælesti.	Aqua cælesti, *ex mss.*
Sect. 53.	Alibi galenam ...., plumbi & argenti vena.	Alio loco galenam . .. vena argenti plumbique, *ex mss.*
Sect. 55.	Cum melle sumpta. Vocem limpidam ac canoram facit.	*Nulli codices mss. hoc habent.* Vocem &c.
	Itidem medetur.	Iisdem medetur, *ex mss.*
Sect. 56.	Similius est.	Simile est. *ex mss.*

LIBRO

LIBRO TRICESIMO QUINTO.

Adnascentium quoque.	Agnascentiumque, *ex mss.*	*Sect.* 1.
In crustis inserendo.	Crustis inserendo, *ex mss.*	
Nonnisi pretio.	Nonnisi in pretio, *ex mss.*	*Sect.* 2.
Animorum ingentium.	Domitarum gentium.	
Refringere liceret.	Refigere liceret.	
Scipionis Africani.	Scipionis Pomponiani.	
In iisdem locis ubi loquuntur.	In locis iisdem loquuntur, *ex mss.*	
Imaginum amorem flagrasse.	Imaginum amore flagrasse, *ex mss.*	
Inventione muneris .... invidiosus.	Inventor muneris .... invidiosi, *ex mss.*	
Si liberorum turba parvulis.	Si liberorum parvulis, *ex mss.*	*Sect.* 3.
Invenit quæ Marcius.	Invenit Marcius.	*Sect.* 4.
Pontius legatus Caii Principis.	Caius Princeps.	*Sect.* 6.
Atcrius Labeo	Antistius Labeo, *ex mss.*	*Sect.* 7.
Fecit hoc quidem.	Fecit hoc idem, *ex mss.*	
Tradunt iratum, haud immerito, quoniam.	Tradunt, haud immerito, quando, *ex mss.*	
Expugnationesque.	Oppugnationesque, *ex mss.*	
VI aull. sest. .... Aristidis tabulam, Liberum Patrem continentem, pretium.	VI. sest. .... tabulam Aristidæ, Liberum Patrem, pretium, *ex mss.*	*Sect.* 8.
Legatus .... æstimaret, respondit.	Legatus respondit .... æstimaret.	
HS. XII M.	X. III.	*Sect.* 9.
XIII denarii.	X. III. *ex mss.*	*Sect.* 13.
Dabant minio proximam. Hæc est	Dabant. Minio proxima hæc est, *ex mss.*	*Sect.* 14.
Sorbentur. Picturis autem apte nascitur.	Sorbentur picturis. Nascitur autem, *ex mss.*	*Sect.* 15.
In pondo sexdecim.	In pondo sex, X. I.	*Sect.* 18.
In libras æris quinque.	In libras, X. VI.	*Sect.* 20.
Intelligitur.	Intelligunt, *ex mss.*	*Sect.* 21.
Sed inde non pervehuntur.	Inde nunc pervehuntur.	*Sect.* 22.
Sed importuna.	Importuna, *tantum*, *ex mss.*	*Sect.* 25.
E liquidis coloribus.	E reliquis coloribus, *ex mss.*	*Sect.* 26.
Indico stercora.	Indico tingunt stercora, *ex mss.*	*Sect.* 27.
Odorem maris olet.	Odorem maris, *tantum*, *ex mss.*	
Denarii viginti in libras.	X X in libras.	
Optimumque est quod maxime viret.	Optimusque est, qui maxime vicinus est.	*Sect.* 28.
Utilitas redit.	Vilitas redit, *ex mss.*	
Colores e vilissimis.	Colores & vilissimi, *ex mss.*	*Sect.* 29.
Et quod chrysocollam luteam mentitur.	Et chrysocollam mentitur, *ex mss.*	
Cretulam amare .... iisdem his coloribus.	Cretulam amant .... iisdem coloribus, *ex mss.*	*Sect.* 31.
In Lamianis hortis.	In Maianis hortis.	*Sect.* 33.
Tam multas post.	Multas post, *ex mss.*	*Sect.* 34.
Quam statuarios auctores.	Quam statuarios, ac toreutas.	
Clypeumque Athenis.	Olympiumque Athenis.	
Panæum fratrem.... intus pinxit, & in Ægide Minervæ.	Panænum fratrem.... intus pinxit, Elide, Minervæ.	
Hygiænontem .... Charmam.	Hygiemonem .... Charmadam.	
Discreverit .... excoluerit.	Discrevit .... excoluit, *ex mss.*	
Percrebuerat.	Increbruerat, *ex mss.*	
Nonagesima tertia Olympiade.	Nonagesima quarta Olympiade, *ex mss.*	*Sect.* 36.
		Num. 1.
Agrigentinis.	Agragantinis.	*Num.* 2.
Advolassent aves.	Advolasset avis, *ex mss.*	*Num.* 4.
Idem pinxit & Thesea.	Idem pinxit Thesea, *ex mss.*	*Num.* 5.
Hoplitides: alter.	Hoplitites alter.	
Pamphili pictura est cognatio.	Pamphili, cognatio.	*Num.* 8.
Et Apelles & Melanthius ei dedere.	Et Apelles & Melanthius dedere, *ex mss.*	
Diagraphicen.	Graphicen.	
Adipiscens regnum.	Regnum adipiscens, *ex mss.*	*Num.* 9.
Apelles, eousque Olympiade CXII. in pictura provectus ut plura solus .... contulerit.	Apelles Cous, Olympiade CXII. Picturæ plura solus ...... contulit.	*Num.* 10.
Nesciret tollere.	Non sciret tollere, *ex mss.*	
Magnæ amplitudinis.	Amplæ magnitudinis, *ex mss.*	*Num.* 11.
Consumptam eam constat priore .... in palatio, avide ante a nobis spectatam, spatiosore amplitudine nihil aliud.	Consumptam eam priore ... in palatio audio: spectatam olim tanto spatio nihil aliud.	
Vetuit edicto .... ei honorem.	Vetuerat edicto .... honorem ei, *ex mss.*	*Num.* 12.
Qoanti licitatetur.	Quanti liceret.	*Num.* 13.
Imagines.	Imaginem, *ex mss.*	*Num.* 14.
Viginti talentis auri.	Viginti talentis.	*Num.* 15.
Sed legentes.	Legentes, *tantum*, *ex mss.*	
Manipretium ejus tabulæ in nummo aureo mensura accepit.	Tabulæ pretium accepit aureos, mensura.	
Et ei galeam poscenti.	Galeam poscenti, *tantum*, *ex mss.*	*Num.* 16.
Abronem.	Habronem.	
Ceraunobolon.	Ceraunobolian.	*Num.* 17.
Sensus omnes expressit, quos vocant Græci etha.	Sensus hominis expressis, quæ vocant Græci ethe, *ex mss.*	*Num.* 19.
Sanguinem infans lambat.	Sanguinem lambat, *ex mss.*	
Propter fratris amorem morientem.	Propter fratris amorem, *tantum*, *ex mss.*	
Hemionida.	Hammoniada.	*Num.* 20.
Casus & ars pinxerit.	Casus pinxerit.	
Sed accitus .... illi cum Rhodiis.	Nisi accitus .... cum Rhodiis illi, *ex mss.*	
Tibias tenens.	Tenentem tibias, *ex mss.*	
Qui etiam suadebat.	Qui ei suadebat.	
Ita ut vetusta opera pingeret propter æternitatem rerum, impetuosi animi, & cui pauci comparentur.	Ita ut venustate ei pauci comparentur.	*Num.* 23.
Qui hujus fuit ætatis. Aristidis Thebani discipuli fuerunt & filii.	Hujus fueras ætatis Aristides Thebani discipulus. Fuerunt & filii.	
Aristippus .... Discipuli ejus fuerunt Antorides.	Ariston .... Discipuli Antorides, *ex mss.*	
Supremæ conjugis.	Supremi conjugis.	*Sect.* 37.
Qualia quis optarat	Qualia quis optaret, *ex mss.*	
Succollantium specie mulieres, labentes trepidæque .... facetissimi sales.	Succollatis sponsione mulieribus, labantes, trepidique ... facetissimi salis.	
Encaustica.	Encausta, *ex mss.*	*Sect.* 40.

Num. 24	A Dionysio.	Dionysius.
	Unde & abunde.	Et abonde, *ex mss.*
Num. 29	Polygynæcon.	Syngenicon.
	Et in una tabula.	Et in una tabula, sex signa, *ex mss.*
Num. 30.	Quod ita quoque Paulus.	Quod ita Paulus quoque, *ex mss.*
	Ajacem et pinxit & Medeam.	Ajacem, & Medeam pinxit, *ex mss.*
Num. 31.	Sed & multus.	Et ſile multus.
	Taleſque ſont ejus picturæ, cum.	Tales ſunt cum, *ex mss.*
Num. 32.	Apoſcoponta.	Apoſcopevonta.
	Dolon.	Dolus.
	Nobiliſſimis autem quæ ſunt in porticibus Octaviæ operibus.	Nobiliſſimas autem, quæ ſunt in Octaviæ operibus.
	Olympiæ citra pulveris jactum .... Cœnus ſtemmata	Olympia citra pulveris tactum ... conus Nemeæa.
Num. 33.	Cleon Admeto.	Cleon Cadmo.
	In Pompeio pinxit.	In Pompeo pinxit.
	Eutychides bigam : regit.	Eutychidis bigam regit, *ex mss.*
Num. 35.	Iphis ... Abron.	Hippias ... Aabron
Num. 40.	Theodorus vero & emungentem.	Theodorus & mungentem.
Num. 42.	Arceſilas ... Mnaſitheus ... Ariſtonidis .. Stadius.	Arceſilaus ... Mneſitheus ... Ariſtonidæ ... Stadeus, *ex mss.*
Num. 43.	Neapolitanum.	Neapoli anum.
	Sopylon.	Sopolin.
Sect. 42.	Digerit eos ex vino.	Digerit ex uno, *ex mss.*
Sect. 43.	Ante Battiadas.	Ante Bacchiadas.
	Propter hunc.	Propter hanc, *ex mss.*
Sect. 45.	A parte læva.	Ab læva, *ex mss.*
	A quo factas Romæ uvas, item piſces, ita ut non ſit aſpectu.	A quo facta poma & uva, ut non poſſes aſpectu.
Sect. 46.	Certiora auro.	Sanctiora auro.
	Quæque adhuc diximus.	Quæ adhuc diximus, *ex mss.*
	Vel quæ aſſiduitate ſatiant figlinarum opera imbricibus, tubulis teguliſque, ad balneas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis, frontatiſque, aut quæ rota fiont, etiam fictilibus doliis ad vina excogitatis, & ad aquas. Propter quæ.	Vel aſſiduitate ſatiant figlinarum opera, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balneas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis, frontatiſque. Ob quæ.
	Fictilibus doliis.	Fictilibus foliis.
	Officinis Erythris. Hodieque in templo.	Officinis Erythris in templo hodieque, *ex mss.*
	L X. patinas.	L X X. patinas.
	C C. ſeſtertus.	X. ſeſtertus.
	Amputant .... ſi M. Cælio.	Amputare ... M. Cælio, *ex mss.*
Sect. 47.	Alia ſegmenta	Alia commenta.
	Aulidem uſque.	Aulida uſque, *ex mss.*
Sect. 49.	Diduron, quo utimur.	Lydion, quo utimur.
	Maſſia & Calento.	Maxlua & Calenro.
	Ideo & in publica opera & regias domos adducuntur. Sic ſtruaere murom .... Sic Patris.	De eo & publica opera & regias domos ſtruxere : murum.... Patris, *ex mss.*
	Quod opus cum per ſe.	Cum opus per ſe, *ex mss.*
Sect. 50.	Quod eſt cuniculis.	Ibi e cuniculis.
	Hoc eſt, glebosom. Eo ſolo	Hoc eſt, gleba : quo ſolum.
	Cetera enim .... vivum autem effoditur.	Solum (cetera enim ..) vivum effoditur, *ex mss.*
Sect. 51.	Gignitur & pingue .... leve.	Gignitur etiam pingue .... læve, *ex mss.*
	Procidentia ſedis ſuffitu.	Procidentes ſuffitu, *ex mss.*
Sect. 52.	Pallidæ & ſcabræ naturæ, & quod inficitur galla.	Pallidi & ſcabri, & quod inficiatur galla.
	Pellendumque pruritum & per urinam languinem.	Pellendumque per urinam ſanguinem, *ex mss.*
	Hoc genus aluminis ſiccat, minuiſque iſtis.	Hoc genus aluminis minus ſiſtit, *ex mss.*
	Pterygia, perniones.	Pterygia, ac perniones, *ex mss.*
	Cum ſero & pice.	Cum ſero picis.
Sect. 53.	Quæ ſyropicon.	Quæ collyrium.
Sect. 54.	Si æra præducantur.	Si ære perducatur, *ex mss.*
Sect. 56.	Effectus ejus.	Effectus ejuſdem, *ex mss.*
Sect. 57.	Et pedum tumores ſanat : ita ut .... ut poſt ſex.	Et pedum tumores : ita ut .... & poſt ſex, *ex mss.*
	Cypria cera.	Cypro & cera.
Sect. 58.	Mallium Antiochum.	Manilium Antiochum, *ex mss.*
	Taberium	Staberium.

LIBRO TRICESIMO SEXTO.

Sect. 1.	Cryſtalli cum murrhinis.	Cryſtallinis, murrhiniſque, *ex mss.*
	Huc illucque portantur juga montium, majore etiamnum veſania.	Huc illuc portantur juga, majore etiamnum venia, *ex mss.*
	Quæ pretia .... quas vehi .... ſed & quam ſine his ... beatior vita, ad quamque multorum neces ſit neceſſe facere.	Cum pretia ... cum vehi ... quam ſine his ... beatior vita : illa facere, *ex mss.*
	Quos ad uſus.	Quos ob uſus, *ex mss.*
Sect. 2.	Enimvero non alio	Quo enim alio, *ex mss.*
	Damni infecti egit.	Damni infecti coegit, *ex mss.*
	Quam tacere.	Tacuere, *ex mss.*
Sect. 3.	Vitæ rudimentu. Jam eum L.	Vitu rudimento. Jam L. *ex mss.*
	Qui nos ſequentur, meliores non eſſe probabunt.	Sed & qui ſequentur, meliores eſſe nos probabunt, *ex mss.*
	Præferenda dicamus pretia.	Proferenda judicamus pretia.
Sect. 4.	Sicyonios ſames.	Sicyunem ſames, *ex mss.*
Num. 1.		
Num. 3.	L X X X I I I. Olympiade.	L X X X I I I I. Olympiade, *ex mss.*
Num. 4.	Compacta artis illios fuere.	Capacia artis illi fuere.
	Dii ſunt X X X..... & ſub ipſa.	Dii ſunt X X .... ne ſub ipſa, *ex mss.*
Num. 5.	Prætulerunt optione.	Prætulerunt, *tamen*, *ex mss.*
	Praxitelicæ.	Praxitelis, *ex mss.*
	In hortis Servilianis ... Aſinii Pollionis.	In hortis Servilii ... Pollionis Aſinii, *ex mss.*
Num. 6.	Rei & artis heres.	Et artis heres, *tantum*, *ex mss.*
	Aſinii Pollionis.	Pollionis Aſinii, *ex mss.*
Num. 7.	Samothraciæ.	Samothrace, *ex mss.*
	Canephorus.	Canephoros.
	Apud Circum eumdem ad Labicanam portam eunti.	Apud Circum eumdem.
Num. 8.	Praxitelicam illam Gnidiam antecedens.	Praxiteliam illam antecedens, *ex mss.*

Palla velatus humeris præfert : alter Liberum.	Palla velatum Veneris præfert : alter Liberam.	
Pariter cælavere Mausoleum. Sepulcrum hoc est ab uxore Artemisia factum Mausolo.	Pariter cælavere, Mausolo.	*Num. 9.*
Olympiadis centesimæ	Olympiadis centesimæ sextæ.	
Columnis triginta sex.	Columnis triginta sex, pteron vocavere.	
Item Polycles & Dionysius Timarchidis filii.	Timarchidis filii, *tantum.*	*Num. 10.*
Dactylidis Pythias.	Dercylidis pyctas	
Deinde multorum obscurior fama est.	Nec multo plurium fama est, *ex mss.*	*Num. 11.*
Præferendum	Præponendum, *ex mss.*	
In templo illo.	In templo ullo, *ex mss.*	*Num. 12.*
Jovem fecit eburneum.	Jovem fecit eboreum.	
Argumento, rana atque lacerta.	Argumenta, lacerta atque rana, *ex mss.*	*Num. 14.*
Dicit enim Paridis os marmoreo.	Dicit enim marmoreo	*Sect. 5.*
Olympiadis c.... anno CCCII.	Olympiadis CVI.... anno CCCCIIII.	*Sect. 6.*
Præfectum fabrorum.	Præfectum fabrûm, *ex mss.*	*Sect. 7.*
Quem, ut res est, domus ipsius.	Quem & res & domus ipsius.	
Denique M. Lepidus.	M Lepidus, *tantum, ex mss.*	*Sect. 8.*
Non in columnis tantum crustisse, Mamurra Carystium posuit. sed.	Non in columnis tamen, crustisse, ut supra Carystii sed, *ex mss.*	
Æthiopica hæc.	Æthiopica ad hæc, *ex mss.*	*Sect. 9.*
Imo vero etiam in Indos, unde.	Immo vero in Indos, quo, *ex mss.*	
Quoto quoque.	Quoto coique, *ex mss.*	*Sect. 11.*
Pretiosissimi quidem generis, Lacedæmonium.	Pretiosissimi quædam generis, sicut Lacedæmonium, *ex mss.*	
Tiberium sparsim.	Tiberium sparsa, *ex mss.*	
Leucostictos.	Leucopsephos.	
Titarius Pollio.	Vitrasius Pollio.	
Cubiti.... Memnonis statua.	Cubita.... Memnonis statuæ, *ex mss.*	
Cornelius Nepos tradit fuisse magno.	Nepos Cornelius tradit magno fuisse, *ex mss.*	*Sect. 12.*
Idem & ustus.	Idem exustus, *ex mss.*	
In vertice masculosi:	In vertices maculosi, *ex mss.*	
In Tauro repertos.	In Paro repertos.	*Sect. 13.*
Mitres.... & hoc ipsum inscriptum est.	Mestres.... hoc ipsum inscriptum, *ex mss.*	*Sect. 14.*
XX. M. hominum.	CXX M. hominum, *ex mss.*	*Num. 2.*
Prodesset lapidi.	Prodesset & lapidi, *ex mss.*	
Eraphilo	Eraphio, *ex mss.*	*Num. 3.*
Calixenus.	Callisthenes.	
Hic autem obeliscus fuit in Arsinoe.	Hic fuit in Arsinoëo, *ex mss.*	
In conjuge eademque.	In conjugem, eamdemque sororem Arsinoën, *ex mss.*	
In portu ad Cæsaris templum.	Ad portum: in Cæsaris templo, *ex mss.*	*Num. 4.*
Mesphees.	Mestres.	
Ægyptiorom opera philosophiæ.	Ægyptiorom philosophia, *ex mss.*	*Num. 5.*
Ac noctium magnitudines..... ad obelisci magnitudinem.	Ac noctium ita magnitudines... ad magnitudinem obelisci, *ex mss.*	*Sect. 15.*
Romæ confecto die	Brumæ confectæ die.	
Ingenio fecundo. Manlius Mathematicus apici	Ingenio fecundo Mathematici Apici	
Cujus vertice umbram colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa jaculantem apice.	Cujus umbra vertice colligeretur in se ipsa, alias enormiter jaculante apice.	
Impositæ rei.	Impositi oneris.	*Num. 7.*
Factus est in molitione.	Factus est, imitatione ejus.	*Sect. 16.*
A Memphi sex.	A Memphi VII. M. D. *ex mss.*	*Num. 2.*
Vel magis miranda.	Vel magis narranda, *ex mss.*	
Ad summum apicem.	Ad summam apsidem, *ex mss.*	*Num. 3.*
Sed Pyramis.	Pyramis, *tantum, ex mss.*	
Octingenta talenta.	Sexcenta talenta, *ex mss.*	
Pedes XXV.......... DCCXXXVII.	Pedes XX S..... DCCXXXVII. S.	
Minor prædictis.	Minor quidem prædictis, *ex mss.*	
E luto factis exstructos pontes, peracto opere in privatas domos distributos.	E luto factis, in privatas domos distributis, *ex mss.*	
Sicut jam tales... Ut Puteolis & Ravennæ.	Quales jam.... ut Ostiæ ac Ravennæ, *ex mss.*	*Num. 4.*
In corrivatione ignium.	In continuatione ignium, *ex mss.*	
Humani ingenii.	Humani impendii.	*Sect. 19.*
IIIMDC.	Quarer mille sexcentos, *ex mss.*	
Novissimaque Psammetichi.	Novissimique Psammetichi, *ex mss.*	
Puerumve.	Puerorumve, *ex mss.*	*Num. 2.*
Introitu columnisque reliquis e mollibus.	Introitu lapide e Parin, columnis reliquis e Syenite, molibus.	
Quas vocant.	Quas vocavi.	
Senos radice muros.	Senas radicum oras.	
Monstrificæ effigies	Monstriferæ effigies, *ex mss.*	
Circammon.	Circummon, *ex mss.*	*Num. 3.*
Centum quadraginta.	Centum quinquaginta, *ex mss.*	
Superaretur.	Superetur, *ex mss.*	
Septuagenûm quinûm.	Quinûm septuagenûm, *ex mss.*	
Excepta catenis.	Exapta catenis.	
Perontibus.... molli pulvino.	Ærontibus.... molli clivo.	*Sect. 21.*
Totum insideret.	Opus in cubili sederet.	
Pondereque ipso.	Pondere ipso, *ex mss.*	
Eburneum Jovem.	Eboreum Jovem, *ex mss.*	*Sect. 22.*
Tralucent ergo juncturæ.	Translucet ergo pictura.	
Fixere plumbo.	Vinxere plumbo, *ex mss.*	*Sect. 23.*
Thracia vocatur.	Trachia vocatur.	
Exsurget..... narretur.	Exsurgit,.... narraretur, *ex mss.*	*Sect. 24.*
Pyramides regum miramur opera.	Pyramidas regum miramur, *tantum, ex mss.*	*Num. 2.*
Tum erubescens.	Jam erubescens, *ex mss.*	*Num. 3.*
Ad exædificandas.	Ad ædificandas, *ex mss.*	*Num. 6.*
Summæ tabulis inauratis columnæ, ut diximus: imæ &c.	Summa, e tabulis inauratis. Columnæ, ut diximus, imæ &c.	*Num. 7.*
Pompeii amphitheatri.	Pompeiani theatri, *ex mss.*	
Quadringentis millibus.	Quadraginta millibus, *ex mss.*	
Superfuerant.	Superfluebant	
Et repente.... descendentibus tabulis.... inter se coëuntibus.	Repente... discedentibus tabulis..... in se coeuntibus, *ex mss.*	*Num. 8.*
Sestertiûm ter millies.	Sestertiûm LV D.	*Num. 10.*
In Echio Bœotiæ.	In Hyrietuco Bœotiæ.	*Sect. 25.*

Sect.	Lectio	Emendatio
	In Macedonia & Magnesia.	In Magnesia Macedonica.
	Non eadem, quæ magneti, hæmatitæ natura.	Non eadem hæmatitæ natura, quæ magneti, *ex msf.*
Sect. 27.	Illata omnia.	Illata mortuis, *ex msf.*
Sect. 28.	Et translucidos lapides in Ægypto inveniri, quos ophitæ similes ait.	Et translucidi lapidis, quem Chio similem ait.
	Ex eo podagris.	Ex eo podagricis.
Sect. 30.	Ususque eorum .... sulphuratis.	Usus eorum ... sulphure, *ex msf.*
	Ignem præbent.	Ignem trahunt.
Sect. 33.	Mellitumque tusus. Et ceræ mistus.	Mellitumque. Tusus & ceræ mixtus.
Sect. 34.	Infra XII. stadia.	Intra XII. stadia, *ex mss.*
Sect. 36.	Trinis vicibus.	Ternis vicibus, *ex mss.*
Sect. 37.	Adulteratur schisto. Hæmatiten discernunt...... friabilis est natura.	Adulteratum schisto hæmatiten discernunt ... friabilis natura, *ex mss.*
Sect. 38.	Sed Sotacus.	Sotacus, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 39.	Actites lapides.	Actitæ lapides.
	Ubi Taphiusa, qui locatus est dextra navigantibus ex hac ad Leucadem.	Ubi est mons Taphius, qui locus est dextra navigantibus ad Leucadem.
	Vulvæ excidunt.	Vulvæ excidium fit.
Sect. 42.	Melo, Scyro.	Melo, Nisyro.
	Trina ustione.	Tertia ustione, *ex msf.*
	Farinam ejus.	Farinam eam, *ex mss.*
Sect. 43.	Ephesiumque lapidem.	Eresium lapidem.
Sect. 45.	Et medullæ ex ossibus earum in eamdem lapidis naturam post unam hiemem figurantur.	Medullæ in ossibus earum post unam hiemem in eamdem lapidis naturam figurantur, *ex msf.*
	Perpetiendi Solis rigorisque.	Perpetiendi Soles rigoresque, *ex msf.*
	Si modo injuria absit.	Si modo injuria non arsit, *ex msf.*
Sect. 46.	Apertis interdiu.	Opertis interdiu.
	Haud alios quam	Alio quam, *ex msf.*
Sect. 47.	Aquæ trahentes aciem acerrimo affectu.	Aqua trahentes aciem acerrimo effectu, *ex msf.*
Sect. 48.	Reliqua multitudo lapidum in totum ædificiis inutilis est.	E reliqua multitudine lapidum, tofus ædificiis inutilis est.
Sect. 49.	Est & viridis lapis.	Est & viridis silex.
Sect. 50.	In lapide dubio.	In lapide rubro.
Sect. 51.	Ac silice æquato	Aut silice æquato, *ex msf.*
	Dictyotheron vocant reticulatam structuram, quam ... rimis opportunam	Diamicton vocant. Reticulata structura, qua .... rimis opportuna est.
Sect. 53.	Ex albo melior quam ex duro, & structuræ utilior.	Ex albo melior. Quæ ex duro, structuræ utilior.
Sect. 55.	Tectoriumque.	Tectorium quidem, *ex msf.*
	Sed macerari.... a gleba.	Macerari..... ex gleba, *ex msf.*
	Panneus.	Panænus.
	Saporemque reddere traditur.	Saporemque reddit, *ex msf.*
Sect. 56.	Columellæ.	Columnæ, *ex msf.*
	Et capitella addita.	Et capitula addita, *ex msf.*
Sect. 60.	Pergami statuit.	Pergami stravit, *ex msf.*
	E testiculis.	E testulis, *ex msf.*
Sect. 61.	Quæ nunc revocamus, barbarica.	Quæ nunc vocamus barbarica, *ex msf.*
	Ante pavimenta, atque emblemata vermiculata.	Arte pavimento, atque emblemate vermiculato, *ex msf.*
Sect. 62.	Facile tractu repente.	Tractu tepente, *ex msf.*
	Et silice aut palea.	Et silicem aut paleam, *ex msf*
Sect. 63.	Græcanicum .... festucato.	Græcanici .... fistucato, *ex msf.*
Sect. 64.	Lithostrota cœptavere.	Lithostrota acceptavere.
Sect. 65.	Nobilis liquoris.	Novi liquoris.
Sect. 66.	Atque Lucrinum.	Atque Liternum.
Sect. 67.	Materiam ... crassitudinis.	Materiæ .... crassitudine, *ex msf.*
	Rursus affundi ... sibimet: veluti cum calculi.	Rursus tota fundi ..., sibimet. Tingit ars, veluti cum calculi, *ex msf.*
Sect. 69.	M. Varro auctor est.	M. Varro, *tantum*, *ex msf.*
Sect. 70.	Apparuisse.	Comparuisse, *ex msf.*

EX LIBRO TRICESIMO SEPTIMO.

Sect.	Lectio	Emendatio
Sect. 1.	Anulum & hoc gemmam.	Huc fuisse anulum, & hoc gemmam, *ex mss.*
Sect. 2.	Augustæ dono.	Augusti dono.
Sect. 3.	Me hercules.	Hercules, *tantum*, *ex mss.*
Sect. 5.	Arrogent.	Arrogant, *ex mss.*
Sect. 6.	Apollinis æde.	Apollinis cella.
	Quam profecto inter illos viros.	Profecto inter molles viros.
	Et margaritis.	E margaritis, *ex mss.*
	Reipublicæ datum mille talentum, legatis & quæstoribus, qui oras maris defendissent, H S. bina millia, commilitibus singulis quinquaginta.	Reipublicæ, & quæstoribus qui oram maris defendissent, datum mille talentûm: militibus singulis sena millia sestertiûm.
	Et personas & cubicula viatoria.	Et personas histrionum, & cubilia amatoria.
Sect. 7.	Induxit .... Pompeius sex pocula.	Invexit ... Pompeius lapides & pocula, *ex mss.*
	Octoginta sestertiis.	LXX. talentis.
	Trecentis sestertiis, *bis.*	Trecentis talantis.
Sect. 8.	Purpura rubescente, aut lacte candescente.	In purpura, aut rubescente lacteo.
Sect. 9.	Sed Indicæ.	Quoniam Indicæ, *ex msf.*
	Quæ Neron vocetur.	Quæ Necruo vocetur.
	Immensis jugis.	Ammaensibus jugis.
	Nisi in frigido potu abdicatur.	Nonnisi frigido potui addicitur.
Sect. 10.	Scabro, ferrugine ... aliquando vomica .... & sale.	Scabro ferrumine .... aliqua vomica .... item sale, *ex msf.*
	Nec spumei coloris limpidæ aquæ.	Nec spumæ colore, sed limpidæ aquæ, *ex msf.*
Sect. 11.	Phaethontem.	Chares vero Phaethontem, *ex msf.*
Num. 1.	Sualternicum.	Subalternicum, *ex msf.*
	Iis vitam affirmat.	Iis vitam assignat
	In Britannia arboribus affluere.	In Britannia petris effluere.
	Vocavit.... illo vere.	Vocat ... illuc vere, *ex msf.*
	Balciam ... negavit.	Basiliam ... ait, *ex msf.*
	Niceas .. æstibus	Nicias ... æstatibus, *ex msf.*
	Theophrastus.	Theochrestus.
	Promontorium ... Cephisida.	Promontoria ... Cephisiada, *ex msf.*
	Mnesias ... appellatum.	Mnaseas ... appellat, *ex msf.*

Vocat vivere. Ibi nasci.	Vocat : & vere ibi nasci, *ex mss.*	
Theomenes dicit.	Theomenes, *tantum*, *ex mss.*	
Omnia vasa ferre bona.	Omnia in se ferre bona.	
Aphytacoras.	SipTachoras.	
Thium vocari.	Thyon vocari, *ex mss.*	
Quod flagrat.	Quod flagret.	
Affertur a Germanis in Pannoniam maxime provinciam. Inde Veneti primum quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere, primi Pannoniæ.	Albrmatur a Germanis ideo maxime appetitam provinciam & inde advectos primum quos Græci maçatos vocabant Famam rei fecere proximæ Pannoniæ.	*Num.* 2.
Transpadanarum.	Transpadanorum.	
Juxta illos infestante.	Juxra iofestante, *ex mss.*	
Succinis notarentur.	Succino nodarentur.	
Illinc cortice.	Illinc pineo cortice.	
Ac folia arida, ac philyras, ut magnes lapis ferrum. Ramenta quoque ejus in oleo addita.	Ac folia arida, quæ levia sunt · ac, ut magnes lapis, ferri ramenta quoque Succino oleo addita.	*Sect.* 12.
Argentoque mislo.	Argentoque mixtum, *ex mss.*	
Gratissimo aspectu.	Gratissimi aspectus, *ex mss.*	
Credidit.	Credit, *ex mss.*	*Sect.* 13.
Species blando prodigio transgressi.	Blanda specie prodigia transgressi, *ex mss.*	*Sect.* 14.
Unus modo.	Auri modo.	*Sect.* 15.
Aut duabus contrariis partibus, quo magis miremur.	Aut duabus contrariis partibus, *tantum*, *ex mss.*	
Ceteris pallor gentis .... natalis.	Ceteris pallor argenti ... natales :	
Io æreum colorem.	In aerium colorem.	
Violentissimæ	Violentissimarum, *ex mss.*	
Malleosque ferreos frangens.	Malleosque frangens, *ex mss.*	
Et cum ... contingit.	Et cum ... contigit, *ex mss.*	
Et Baltia.	Et Basilia, *ex mss.*	
In aquis non fit.	In aquis nos juvat.	*Sect.* 16.
Et cautibus	Ex cautibus, *ex mss.*	*Sect.* 17.
Pariter transflucet & niter, hoc est, colorem expellit, & aciem recipit.	Pariterque transflucentem colorem expellit, & aciem reficit.	
Ut territi instrumenta refugerent.	Ut territi refugerent, *tantum*, *ex mss.*	
Scythicæ auctoritatis.	Scythicæ aulleritatis.	
Hermmeos.	Hermeos.	*Sect.* 18.
Extumescentis pinguiret.	Extumescentes, *tantum*, *ex mss.*	
Umbris refulgere.	In umbra refulgere, *ex mss.*	
Aut æris.	Aut aeris	
Vel catulorum.	Vel capillorum.	
Vilissimi fuere.	Viles fuere ; *ex mss.*	
Cholon vocant.	Cholan vocant, *ex mss.*	
E proximis.	E proximo, *ex mss.*	
In India originem habentes, raro alibi reperti.	India eos gignit, raro alibi repertos, *ex mss.*	*Sect.* 20.
Et alios convenit.	Alius convenit, *ex mss.*	
Umbilicis flatum ex auro.	Umbilicis tantum ex auro.	
Ad crassitudinem.	Crassitudine.	
Cryftallo invento.	Cryftallum tinguendo, *ex mss.*	
Minimum, iidemque plurimum ab iis differunt opali, smaragdis tantum cedentes.	Plurimum ab iis differunt opali, smaragdis tamen cedentes.	*Sect.* 21.
Atque ideo eis pretiosissimam gloriam compositores gemmarum & maxime.	Atque in pretiosissimarum gemmarum gloria compositi maxime.	
Fulgoris argumento.	Fulgoris augmento, *ex mss.*	
Illeque ... sestertus.	Ille ... sestertium, *ex mss.*	
Summa coloris ea ære.	Summa coloris ex aere.	
Constatque melior ille color, cujus.	Constatque melior ille, cujus, *ex mss.*	*Sect.* 22.
Ut tradit.	Ut in historia tradit, *ex mss.*	
Talesque esse.	Tales esse, *ex mss.*	*Sect.* 23.
Et unguem : creditum enim candido.	Et ungue minium, incretum candido.	
In dejectu renidente.	In dejectu ridente.	
Apyroti vocati.	Acauti vocati.	
Carchedonios vocavere	Carchedonios vocant, *ex mss.*	*Sect.* 25.
Appellantur acriores.	Appellati acrtus, *ex mss.*	
Quosdam lucidius.	Quosdam ex alio lucidos, *ex mss.*	
Volant Syrtitas.	Vocant sititas.	
Fulgoris retorridi.	Fulgoris horridi.	
Non emittentes, sed.	Noo emittentes, aut fundentes, sed, *ex mss.*	
Ex pallidiore candidos. Massilia quoque importari Bocchus & Olysilipone scripsit.	Et pallidiores & candidos. Bocchus & in Olisiponensi erui scripsit.	
Cognata est huic sandastros.	Cognata est huic sandaresus, *ex mss.*	
Velut in translucido stellantes intus fulgent aureæ guttæ.	Velut in translucido ignis obtentus, celantesque se transfulgent aureæ guttæ	*Sect.* 28.
Sunt qui ... fumidæque ... dicunt .... sandaseron vocavit, alii sandaseron	Sunt qui ... fumidoque ... dicant, *ex mss.*	
Sandaresion vocant.	Sandaricas vocent, *ex mss.*	
Nicanor sandaseron vocavit, alii sandaseron.	Nicander sandaresceon vocat, alii sandaresion, *ex mss.*	
Sandaresion.	Sandaresum, *ex mss.*	
Lychnites ... accensarum præcipua gratia ... Ionis.	Lychnis ... accensu, tamen præcipuæ gratiæ ... Ionia, *ex mss.*	*Sect.* 29.
Et altas invenio differentias.	Et inter has invenio differentiam, *ex mss.*	
Fila ad se rapere.	Folia ad se rapere.	
Nasci tradidit .. morienti carboni.	Nasci tradit ... morientibus carbonibus, *ex mss.*	
E diverso ad hæc.	E diverso ab hoc.	*Sect.* 30.
In saxi corde. Hocque modo metallum.	In saxo, cordis modo. Hoc metallum, *ex mss.*	*Sect.* 31.
Et quod demium vocant a pinguedine.	Et quod dioeum vocant a magnitudine.	
Feminæ pinguiores.	Feminæ pigriores, *ex mss.*	
Nec ullæ .. tardius ... habetantur.	Nec ulla est ... quæ tardius ... hebetetur, *ex mss.*	
Egregia etiamnum.	Egregia etiamnunc, *ex mss.*	
Quæ Chitis.	Quæ Cytis.	*Sect.* 32.
Cum diutius ... herbas.	Diutius .. cum herbas, *ex mss.*	
Stadiis c c c.	Diei navigatione.	
Troglodytæ.	Trogodytæ, *ex mss.*	
Naxiis cotibus.	Naxio & cotibus, *ex mss.*	
Ac Asdatas.	Apud Sacas & Dahas.	*Sect.* 33.
Quapropter scandere.	Quamobrem scandere, *ex mss.*	

	Hocque gestamen divites in cervice gratissimum norunt.	Hoc gestamen in cervice ac digitis gratissimum, *ex mss.*
Sect. 34.	Tertium virgulis tribus distinctum est candidum.	Tertium est virgulis tribus distinctum candidis, *ex mss.*
Sect. 36.	Spissius virens, a calore malvæ.	Spissius virens, & crassius quam smaragdus, a colore malvæ.
	Medicamine.	Medicamine. Nascitur in Arabia.
Sect. 37.	Funda clauduntur, id est, patentes.	Funda clauduntur patentes, *ex mss.*
	Et transversa linea.	Et per transversum linea, *ex mss.*
	Et nives imitata. Hæc stellata .... & sali Megarico similis.	Et nives in summitate. Est & stellata... & salem imitata, *ex mss.*
	Undecim unciarum	Quindecim unciarum, *ex mss.*
Sect. 38.	Accommodato paulo ante iaspidis nomine, colore cæruleo.	Accommodata gratia paulo ante nominato colore cæruleo.
Sect. 39.	Sapphirus enim & aurum punctis collucet Cærulea & sapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos.	In sapphiris enim aurum punctis collucet cæruleis. Sapphirorum, quæ cum purpura, optimæ apud Medos.
Sect. 40.	Et in Gallia.	Et in Galatia.
	Ad vini colorem accedens, prius quam eum degustet, in violam desinat: fulgorque quidam in illa purpuræ, non ea toto igneus, sed in vini colorem deficiens.	Ad vini colorem non accedunt: prius quam enim degustent, in violam desinit fulgor. Aliqua siquidem in illis purpura, non ex toto in igneum, sed in vini colorem deficiens.
	Fundit autem ... vibrat.	Fundunt autem ... vibrant.
	Talem gemmam sacodion.	Talemque gemmam sacondion, *ex mss.*
	Dilutior ex eodem sapinos vocatur.	Dilutior eadem & sapenos vocatur.
	Eadem paranites.	Eadem & Pharanitis.
	Purpuræ dejectu.	Purpuræ defecta.
	Et specie & colore extremo gemmæ. Magorum . eas promittit.	Et species & colos. Eas gemmas Magorum ... promittit.
	Ac solis scribatur.	Aut Solis inseratur, *ex mss.*
	E collo capillis.	Collo e capillis, *ex mss.*
	Jam vero quoquo modo adesse.	Jam quoque adesse, *ex mss.*
	Grandinem quo avertere, ac similia, & locustas ... Nam e smaragdis.	Grandinem avertere, & locustas ... Nam smaragdis, *ex mss.*
Sect. 41.	Aurea colore.	Aurea fulgore, *ex mss.*
	Bactrianæ	Tibaranæ.
Sect. 43.	Tametsi jam expertes.	Jam etiam expertes.
	Matutino aspectu jucundiore.	Matutino tantum aspectu jucundi, *ex mss.*
	Puteis defossis inde erutam. Et chrysolithon.	Puteis depressis erutam, chrysolithon, *ex mss.*
Sect. 44.	Vitreæ vero ... tactus autem deprehendit.	Vitrei vero ... tactus deprehendit, *ex mss.*
Sect. 45.	Veluti per aurum . quas India.. ad injuriam fragiles.	Qui veluti per aurum .. Has India . in duritia fragiles, *ex mss.*
	Eadem & xystion parit, plebeiam ibi gemmam.	In eadem & xanthi, plebeia ibi gemma, *ex mss.*
Sect. 46.	Coeunt in translucidam crystallum.	Coeunt intus translucida crystallus, *ex mss.*
	Vini aureus nitor.	Vini ac croci nitor.
	Sed purpura coronatus, madere singulis videtur his, & pariter omnibus.	Sed purpura coronatus, & his pariter omnibus.
	Capiti jucunda, suavis & oculis.	Captis jucunda varietate oculis, *ex mss.*
	Argenon vocatur.	Sagenon vocatur.
	Ubi senites.	Ubi Tenites.
Sect. 48.	Crystallo propinquans.	Crystallo propinqua, *ex mss.*
	Nullamque minus obnoxiam vitio.	Nullisque obnoxiam vitio, *ex mss.*
Sect. 49.	Cecinisse. Quidam diligentius de ea produnt.	Cecinisse, qui circa eas diligentes sunt, produnt, *ex mss.*
Sect. 50.	Radiare candido, ut Solem.	Radiare candida, in Sole, *ex mss.*
Sect. 51.	Nigras rubentesque ... per illas, quæ.	Nigræ, rubentisque .... iis quæ, *ex mss.*
Sect. 52.	Est & alia iris, ceræ similis, prædura.	Est & alia iris, cetero similis, at prædura, *ex mss.*
	Nunc in nulla est.	Nunc in nulla, *ex mss.*
Sect. 54.	Numerosa varietatibus diversis mutantibus cognomina ejus.	Varietatibus numerosa. Multa & cognomina ejus, *ex mss.*
	Passarhates.	Iaspachates.
	Antachates, .., sapphiri modo distincta.	Autachates... sapphiri modo sparsa, *ex mss.*
	Et præterea flumina sisti.	Et præterea fulmina, *ex mss.*
	Facit mitis. Acopis.	Faciat mitius. Acopos, *ex mss.*
	Eamque contra.	Eam contra, *ex mss.*
	Spleneticis.	Splenicis, *ex mss.*
	Augites non multis alia.	Augites multis non alia, *ex mss.*
	Asyctos.	Apsyctos.
	Per album sarda nigraque vena transeunte.	Per alvum sarda nigraque venis transeuntibus.
Sect. 55.	Odore excellit ... pingit ... suam speciem.	Odore excellens ... cingit ... speciem, *ex mss.*
	Sive baroptis.	Sive barippe, *ex mss.*
	Alligata dicitur.	Aliis sacra dicitur.
	Alia pampinea.	Alia pinea.
	Brontia capitibus testudinum similis, & cum tonitruis cadens, ut putant, fulmine icta restingui.	Bronte e capitibus testudinum, tonitribus cadens, putantque ea restingui fulmine ictum.
Sect. 56.	In Cappadocia & in Phrygia	Cappadocia in Phrygia.
	Callainas ferunt plures conjunctos semper inveniri.	Callainas vocant e turbido callaino. Ferunt plures simul inveniri conjunctas.
	Catopyrites in Cappadocia.	Catopyritis e Cappadocia, *ex mss.*
	Cepites, sive cepocapites.	Cepitis, sive cepolatitis, *ex mss.*
	Cerites ... Circos pyris.	Ceritis ... Circos accipitri.
	Corsoites ... Corallis minio.	Corsoides... Corallis minio similis, *ex mss.*
	Cissites ... intus habere partum, qui.	Cytis ... intus habere petram, quæ.
	Colluto ore impositam linguæ futurorum divinationem præstare.	Collutam, & linguæ impositam futurorum scientiam præstare, *ex mss.*
	Cum scarabæo dejecta ... tempestates averti	Cum scarabæo decocta & dejecta.. tempestates movari, *ex mss.*
	Chlorites ... Choaspites.	Chloritis ... Choaspitis, *ex mss.*
	Pallidi coloris die, noctu ignei.	Pallida die, & in nocte ignea, *ex mss.*
	Chrysophis ... Cepionides.	Chrysopis, .. Ceponides, *ex mss.*
Sect. 57.	Diadochus ... Diphris.	Diadochos .... Diphyes.
	Draconites.	Dracontites, *ex mss.*
Sect. 58.	Et cardisce.	Et ariste.
	Et capiti.	Sed capiti, *ex mss.*
	Eumetres.	Eumithren, *ex mss.*
	Eureos.	Eunens.
Sect. 59.	Galactites ex vivo ... leucam ... & synephiten.	Galactitis ex Nilo ... leucogæan ... & synophiten, *ex mss.*
	Galaicos.	Gallaica, *ex mss.*
	In terra non nascitur.	Non in terra nasci dicitur, *ex mss.*
	Et lenocinanti necessaria creditur.	Memoriæ quoque necessaria.
	Gemanen.	Ganzam.
Sect. 60.	Accedentem percussu sanguineo mutat.	Accendit sanguineo repercussu, *ex mss.*
	In hac quoque ... precationibus.	Hoc quoque ... præcantationibus, *ex mss.*
	Hieracites alternat tota milvinis nigricans veluti plumis.	Hieracitis alternat milvinis nigrisque veluti plumis, *ex mss.*

Et ob id in vase inveniri.	Et ob invasa, inveniri, *ex mss.*	
Futura prædicere.	Futurara præcinere, *ex mss.*	
In prælus etiam eas salutares.	Io prælus etiam ex ea ungi salutare, *ex mss.*	
Venis descendentibus.	Venis discurrentibus, *ex mss.*	*Sect. 61.*
Lepidotes.	Lepidotis, *ex mss.*	*Sect. 62.*
Leucopetalos candorem nivis ex aureo distinguit.	Leucopæcilos candorem lineis ex auro distinguit.	
Libanocros ... Limoniates.	Libanochrus ... Limoniatis, *ex mss.*	
Fit chrysolitho interalbicante.	Sicut crystallus albicat.	
Memnonia ... fabulosa ... papavera.	Mennonia ... fabulose ... papaver, *ex mss.*	*Sect. 63.*
Meroctes ... Morion Indica.	Morochites ... Morio in India, *ex mss.*	
Faciemque minimæ gemmæ, unguenti odorem attrita.	Facie minima gemma : odorem attrita, *ex mss.*	
Nasamonites ... Nebrites	Nasamonitis ... Nebritis, *ex mss.*	*Sect. 64.*
Orca ... fulvoque ac viridi.	Olea ... fulvoque, *tantum*, *ex mss.*	*Sect. 65.*
Traditur libamenta.	Libamenta, *tantum*, *ex mss.*	
Cavetur	Cavet, *ex mss.*	*Sect. 66.*
Nunc atris guttis,	Nunc auraris guttis, *ex mss.*	
Ostreæ Atticæ.	Ochræ Atticæ.	
Perileucos, filo ab ore gemmæ.	Perileucos, fit ab ora gemmæ, *ex mss.*	
Nascique putatur in Arabia.	Nascitur in Arabia, *ex mss.*	*Sect. 67.*
Syrtites.	Syrtides, *ex mss.*	
Summo candidum.	Summo ochram.	*Sect. 68.*
Maculamque appellant.	Muchulam appellant.	
Oleæ nucleo similis videtur.	Oleæ nucleus videtur, *ex mss.*	
Sed lingentium calculos.	Sed ungentium calculos.	
Veneris crines ... continent in speciem.	Veneris crinis ... continet speciem, *ex mss.*	*Sect. 69.*
Zmilaces ... Zoronisios	Zmilampis .. Zoranisceos.	*Sect. 70.*
A membris corporis ... Hepatites.	A membris corporum ... Hepatitis, *ex mss.*	*Sect. 71.*
Adadunephros, ejusdem oculus dicitur : Deus & hic colitur Syris.	Adadunephros, ejusdem oculus, ac digitus Dei : & hic colitur a Syris.	
Dryites ... Cissites ... collucet.	Dryitis ... Cissitis ... perlucet, *ex mss.*	*Sect. 73.*
Venis etiam ederæ distincta.	Venis & odore distincta.	
Grandinum & colorem.	Grandinum & candorem.	
Astrapiæ in candido.	Astrapiæ in nigro, *ex mss.*	
In phlegontide	In phlogitide, *ex mss.*	
Est levis ... veluti in ovis liquor. Polytrix.	Est lævis ... veluti novus liquor. Polytrichos, *ex mss. sed in ovis legi visum est satius.*	
Melichloron ... Crociam.	Melichloros ... Crocia, *ex mss.*	
Melites ... Sicites.	Melitis ... Sycitis, *ex mss.*	
Rarorum generum.	Rariorum generum, *ex mss.*	
Illud vero ... mutari.	Illud modo ... mutata, *ex mss.*	*Sect. 74.*
Observationes.	Observationem, *ex mss.*	
Clypeidos.	Cycloides.	*Sect. 75.*
Angulosis.	Angulosis autem, *ex mss.*	
Sardonyches e ceraunis.	Sardonyches e ternis.	
Factitiis pusulæ ... prius.	Fictitis pusulæ ... & prius. *ex mss.*	*Sect. 76.*
Factitiæ scarificationis candicantiam fugiunt.	Fictitiæ, scarificationes candicantium fugiunt, *ex mss.*	
Recurrentis positio.	Procursentis positio, *ex mss.*	*Sect. 77.*

EMENDANDA QUÆDAM vel ADDENDA:

TOMO PRIMO.

IN *Præfatione*; versu *ultimo*, obitus, *lege*, oblitus.
Post Præfationem, *col.* 4. *Sub finem*, De nominnibus, *lege*, De nominibus.

In Pliniano contextu.

Pag. 629. *versu* 1. vetustatis pariens, *lege*, patiens.

IN NOTIS.

Pag. 73. *nota* 5. *adde*: Quod sequitur de Jove fulminante, admonet ut de nummo dicamus inscripto, JOVI FULGERATORI: vel JOVI FULGURATORI: nam utroque modo legitur in nummis aureis, e Thesauro Regio, & apud D. de Clesves, & alibi Jovem stantem exhibet, cui caput tectum pileo Romano: dextra fulmen intentans, læva pallium sublevat: pede sinistro virum calcat nudum, pavido similem, dextra manu elata averti a se fulmen deprecantem; pedum effigie serpentina. Optime hic nummus delineatur in Thesauro Brandeburgico, pag. 777. At non est ille percussus adversus Christianos, ut Begerus ibi conjecit; sed contra illius ævi Germanos, qui Treverorum agros infestarent. Sententia enim prioris est: JOVI FULgurante, GERmanos Arcenti Treveris, Osores Romani Imperii. Posterioris illa: JOVI FULGURanti, Arcenti Treveris Osores Romani Imperii. Infra, P. R. Populi Rogatu: quod est Græce Δήμου Εὐχῇ. Ex altera parte, INP. C. C. VAL. DIOCLETIANUS P. F. AUG. Capite laureato. Neutra vox alioqui, *Fulgerator*, aut *Fulgurator*, Latina est. Sed postremæ litteræ, primæ sunt totidem vocum, ex quibus ingeniosa exsilit sententia, quæ picturæ eximie respondet. Nam & serpentes loco pedum odii symbolum præbent, & calliditatis ad alienos agros occupandos. Nam & *serpens callidior cunctis animantibus terræ*, subrepsit in paradisum, Gen. III, 1. Ab ethnicis hic fecisse Diocletianus Jovis ope dicitur, quod de Deo vero cecinit David, Ps. CXLIII, 6. *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Habet D. de Ballonfleaux, Consiliarius Regius Luxemburgi, huic nummo similem ex auro, alibi nusquam visum, Maximiani Imp. nomine: IMP. MAXIMIANUS P. AUG. .)(. JOVI FULGERATORI.

Pag. 74. *col.* 1. *versu* 4. *adde*: Quod autem addit Plinius, nec Deum quidem posse revocare defunctos, contra Christianos Romæ tunc degentes, dictum videri potest: quorum ex placitis illud pæne præcipuum fuit.

Pag. 79. *nota* 4. *adde*: Quod autem Imperator Atheniensium Nicias appellatur, & libro sexto Hanno Imperator Pœnorum; admonet inquirendum, quis primus dici cœperit *Imperator Romanorum.* Nam in nummis certe Augustorum, ante sæculum XIII non occurrit. Cave enim credas sincerum esse sigillum saltem plumbeum, ex diplomate Placentino allatum a Mabillonio, in Itinere Italico, pag. 109. & ita inscriptum Ludovici II ut aiunt, nomine: HLVDOVVICVS IMP. R. *Imperator Romanorum.* In aversa parte, CL. AVG. DEC. IMP. ubi, quod Mabillonium fugit, legi sigilli fictor voluit; CLementia AVGusti, DECus IMPerii. Non solent autem similes sententiæ in genuinis scribi sigillis, nec solent esse plumbea Imperatorum sigilla.

Pag. 91. *col.* 1. *versu.* 10. capessendum: *adde*: nisi forte, quod alicui forte magis arridebit, *pater* ipse Dictator a Plinio appellatur, cujus Divi F. *filius* in nummis Augustus scribitur.

Ibidem, *versu* 14. *ante finem*: DCCX. *lege*, DCCXI.

Pag. 101, *nota* 5. Nihilominus in nummis JOVIS STATOR inscriptis, si quis legi malit, JOVe Imperii Servatore STAT Orbis Romanus, haud moleste feremus.

Pag. 141. *col.* 2. *nota* 27. *adde*: Sed ad Vascones, quos eo nomine nostra nunc ætas agnoscit, pertinet eximius, at longe posterioris ævi nummus, variis eruditorum conjectationibus celebratus. Vidimus ex argento, qui palmam manus magnitudine impleat. In parte priore Princeps sedet in throno sub tentorio, cujus velum hinc & inde tenent, ut intus Princeps appareat, bini cælestes Genii, quales pingi solent in insignibus Regum Francorum. Gestat Princeps in capite coronam ex Lilii floribus, quæ lilia vulgus appellat: dextra tenet nudum & erectum ensem: sinistra libellos supplices, a subjectis jus sibi reddi petentibus porrectos Principi, ut supremo Judici: ad pedes scutum est quadripartitum lineis directis, insignia bis exhibens Franciæ & Aquitaniæ. Epigraphe in ambitu hæc est, picturæ respondens: DEVS IVDICIVM TVVM REGI DA: ET IVSTITIAM TVAM FILIO REGIS. In parte aversa idem pingitur in equo splendide ornato decurrens, & armatus, galea munitus, cujus apicem decorat Lilii flos unus: dextra tenet nudum ensem ulatum: est autem in circuitu hæc inscriptio. DEVS: KAROLVS: MARINVS: AQVITANORVM: DVR. ET. FRANCORVM: FILIVS. Hic alii alium Principem pictum suspicantur, alii aliter inscriptionem hanc posteriorem accipiunt. Nos neminem arguentes, sic totum exponimus. Princeps Carolus, filius Caroli VII. Francorum Regis alter, frater Ludovici XI. regis, idemque Dux Aquitaniæ hic exhibetur, ac de eo in inscriptione prædicatur, id quod ipsa pictura clamat: *Defendit Ense Vascones Suos* KAROLVS NARIMVS, AQVITANORVM DVX, ET FRANCOrum *Regis Vere Magni* FILIUS. Dici *Vere Magnus* Carolus VII. profecto jure potuit, qui regni Franciæ magna parte potitos Anglos, penitus demum e Galliis expulit. Ejusdem Karoli Ducis alter ille nummus est, quem laudat Historia Regiæ Inscriptionum Academiæ, tomo 1. pag. 186 KAROLVS: REGIS: FRANCORVN: FILIVS: AQVITANORVM. DVR. Leonem discerpit. .)(: FORTITVDO: MEA: ET: LAVS: MEA TV: ES: DNE: DEVS: MEVS: Crux, quam hiatam vocant, cum floribus Lilii, & pardis: quæ sunt Aquitaniæ insignia.

Pag. 169. *col.* 2. *nota* 2. *in fine*, vendicarunt: *lege*, vindicarunt.

Pag. 225. *col.* 2. *versu* 7. *Romani Imperii*: *adde*: Aut verius, quia simplicius; *Eduensi Apollini*, *Servatori Populi Eduorum*, *Tutatori* &c.

Pag. 270 *nota* 28 *urbe* Ἀναζάρβου: *adde*: Fuit ante annos aliquot in Cimelio Viri Clariss. D. DE BOZE, Custodiæ Regiorum Numismatum nunc Præfecti, nummus ex ære minimo: hinc capite laureato, cum spicis duabus: inde capite turrito; cum epigraphe. ΚΑΙΣΑΡ ΠΡ ΑΝΑΖΑΡ *Καισαρέων τῶν* Ἀναζαρβ. ΓΑΡ. Anno æræ Anazarbensium, CXXXIII.

Pag. 290. *nota* 17. Lystiani, *lege*, Lystram.

Pag. 353. *nota* XXXIII. *adde in fine*. Nummum vero ΑΡΜΟΣΑΙΤΤΗΝΩΝ nobis idcirco suspectum esse non diffitemur: quod M. Antoninus Armeniam aut Orientem non vidit, sed L. Verus frater: qui ex ea causa ARM. PART. appellatur. Marcus autem Antoninus GERM. & SARM. tantum, ex Occidente non progressus.

Pag. 365. *col* 1. *ante med. Caput amnis* Danubii dixit: *adde*: & libro VIII. sect. XXXII. *Nili caput.*

Pag. 398. *col.* 1 *nota* 14. *adde*: Hereditarium illud cognomen transmisit ad posteros: e quibus fuit Felix Præses Judææ, cujus uxor Drusilla, e gente Claudia: qui & perorantem se judice Paulum audivit, ut in Actis narratur, cap. XXIII.

Pag. 401. *ad notam* 26. *ubi de vocabulo* Juventus, *& de Principe Juventutis*, *adde*: Gratiani Aug. nummus est perpulcher & peritatus ex auro, apud P. Chamollart: depictus etiam inter Arschotanos, sed inscriptione mutila, Tab. lviii. D. N. GRATIANVS P. F AVG. Capite cincto gemmis.)(. PRINCIPIVM JVVENTVTIS. Infra, SMTR *Societas Mercatorum Treverorum.* Stat ipse paludatus, cum hasta, quam dextra gerit transversam; & orbe Romano, quem læva tenet. Capiti præterea cincto gemmis circulus circumducitur. Inscriptio hanc igitur habet sententiam: PRINCIPI *Universæ Militiæ* JVVENTVTIS. Gallice: *Au Colonel General de toute l'Infanterie de l'Empire.* Circulus capiti circumductus interminata significat potestate redimitum in pedestres copias universæ rotunditatis Orbis Romani, quem sinistra manu portat, & quas designat vocabulum JVVENTVTIS. Nam circulus initio & fine caret. Principes Juventutis nulli fuere post Constantinum, Constantium, & Constantem fratres Cæsares, usque ad Gratianum Aug nulli post eum. (Frates dico, ex ipsismet nummis antiquis: ex quibus unicum tamen adhuc vidimus in Cimelio D. DE SVRBECK, Antiquariis prius inexploratum: FL. IVL CONSTANTINVS NO. C.) Fuerat inter hos Crispo Cæsari nummus dicatus, PRINCIPI A IVVENTVTIS: hoc est, *Principi primo Juventutis*: primo utique inter pares: Gratianus autem solus est ex Augustis, qui cum eo fuere.

Pag. 413. *nota* 15. *versu* 3. litterarum esse: *adde*: Non quod

ab omni æternitate censeat vel homines esse, vel litterarum apud eos usum: quippe qui dicat, libro XIV. sect. V. *Tam prope ab origine rerum sumus.*

Pag. 433. *col.* 1. *Lingua tertia* quæ sit, Eccli. XXVIII. 16, 19.

Pag. 463. *col.* 2. *versu* 5. Viridio, *lege*, Viridis.

Pag. 618. *col.* 2. *nota* 1. *adde*: Sed quiddam hic Plinius tradit simile, ac libro XX. sect. XX. ubi *cepas delacrymationi caligini mederi* docet.

Pag. 689. *col.* 2. *adde in fine*: Sed Homerum a Plinio prave hic intellectum fuisse, jam alibi monuimus.

Pag. 790. *col.* 2. *versu* 9. Pag. 545. *nota* CVIII. lege, Pag. 543. *nota* CVIII.

TOMO II.

In Pliniano contextu.

Pag. 30. *versu* 7. baltheus, *lege*, balteus.

Pag. 32. *versu* 4. in cisuris, *lege*, incisuris.

Pag. 105. *versu* 7. Fruamenta, *lege*, Frumenta.

Pag. 126. *versu* 14. ceteris, *lege*, certis.

Pag. 331. *versu* 13. apposita, *lege*, appositu.

Pag. 724. *versu* 15. Lesbo, & in insula, *lege*, & in Lesbo insula.

IN NOTIS.

Pag. 47. *col.* 2. *nota* 9. *adde*: Nobilissimi jam tum dicebantur viri discreti genere illustri a ceteris. quamvis in nummis antiquis Cæsarum primus inscribitur Nobilissimus, M. IVL. PHILIPPVS NOB. CAES. hoc est, nobilissima gente Marciorum Philippotum, quæ esset vetustior quam Cæsarea. Trahebat enim genus ex Anco Marcio rege Romanorum. Unde & *Nobilitas Philippi* alterius ex eadem gente celebratur a Plinio, libro IX. sect. LXIX. & *Marcius princeps Romanorum*, libro 2. sect. LII.

Pag. 99. *col.* 2. *nota* 4. *Sub finem, versu penultimo*, haud obscure significat unicum semper, *corrige*, cave propterea credas unicum umquam.

Pag. 100. *col.* 1. *nota* 18. *adde*: In nummis familiæ Quinctiæ, apud Patinum, pag. 236. num. 3. ex ære mediocri, legitur in ambitu: T. QVINCTIVS CRISPINVS IIIVIR. A. A. A. F. F. In medio, S C. In altera parte, intra coronam querceam, ob cives servatos, AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Verum perpulcrum ac singularem alterum ex auro vidimus nuper in hac urbe, apud D. DE CLESVES, qui nummus fuit hactenus Antiquariis inexploratus. Prior superficies vultum exhibet hujus Quinctii Cincinnati, quem Plinius nunc celebrat: impexa cæsarie, barba veluti haud dudum rasa: sic ut annos præferat vix quadraginta. In altera pagina stat Victoria alata, læva palmam gestans, dextra coronam: qualis omnino pingitur in nummis Alexandri Magni. Latere dextro, QVINCTI. *Quinctius*: sine prænomine vel cognomine: quæ nota utraque caput hunc fuisse Quinctiæ gentis indicat: ut & Victoria, hostium Reipublicæ domitorem in Dictatura; & capilli sponte flexi, Cincinnatum; quod ei cognomen primo datum ex joco, postea laudi & gloriæ fuit. Cum esset igitur T. Quinctius sub Augusto Triumvir Auro Argento Ære flando feriundo, in honorem illius ex atavis suis, qui esset celebratissimus, & ex quo se genus trahere gloriaretur, nummum cudit aureum istum eximium: fecitque ejusdem ponderis, cujus sunt Alexandri Magni aurea numismata. Vultum virorum insignium in nummis ferre Romæ non licuit ante Pompeii tempora: anteriores, quorum vultus in nummis cernimus, ab eorum posteris, si quidem Triumviri Monetales essent, aut eorumdem jussu vel permissu, si Consules; hunc sub Cæsaribus honorem obtinuere, in auro vel argento; ut in nummis Syllæ Felicis observavimus.

Pag. 105. *nota* 23. *adde in fine*: Quidam malunt esse, *le blé d'Inde.*

Pag. 123. *nota* 1. *adde*: cum Plinius ipse, libro XXXVI. sect. XI. *templum Serapis* scribat, non *Serapidis.* Tamen ævo Gallieni & Postumi video nummos inscriptos, SERAPIDI COMITI AVG. sed ex inscitia fortassis Grammaticorum posterioris illius ævi.

Pag. 163. *col.* 2. *versu* 9. radiatum, *adde*: in alio, laureatum.

Pag. 196. *col.* 2. *nota* 39. tex. pag. 224. *lege*, tex. 24. pag. 224.

Pag. 245. *col.* 1. *nota* 5. *adde*: Quid si ambo, Theophrastus & Athenæus Latinum hic quempiam auctorem transcripsere, & inconsiderate tumulos *τάφρυς* pro *βωμὺς* verterunt?

Pag. 264. *col.* 2. *in medio*: pag. 293. *lege*, pag. 273.

Pag. 280. *col.* 2. *in medio*, Agusti, *lege* Augusti.

Pag. 307. *col.* 1. *nota* 3. *λογχίνας*, *lege λογχῖνας.*

Pag. 351. *col.* 2. *versu* 2. *ἄγος lege ἦλος.*

Pag. 362. *col.* 1. *nota* 5. *adde*: Parmensis editio, & codex Chiffletianus, forte melius, *morte conscita.*

Pag. 426. *col.* 2. *versu* 4. *ante finem paginæ*: In parte eversa, *lege*, aversa.

Pag. 432. *col.* 2. *sub finem*: 2. *Sed dulce*: lege, *Fel dulce.*

Pag. 448. *nota* 16. *adde in fine*: Veri tamen similius est, *adorandi* verbo Plinium hoc loco adorationem Numinum intellexisse, æque quam altero hujus orationis membro; sive circumlatione corporis. Hunc ipsum adorandi luminaria cæli ritum apud nationes Jobus ipse respicit, cap. XXXI, 26, 27. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.* Pervasit hæc idololatria, sive cultus Solis ac Lunæ in Judæam ipsam sub Manasse, ex IV. Reg. XXIII. 5.

Pag. 517. *ad notam* 34. *adde*: Libro IV. Reg. cap. VI, 25. ubi *venumdata* dicitur *quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*, intellige columbinum intestinum cum suo stercore.

Pag. 524. *col.* 2. *nota* 2. *Namque Tiberii*: adde in fine: Cum vero Plinius hoc loco Druidas vates medicosque, alibi Magos alterve appellat, ostendit eos nonnisi Magos fuisse, qui ex Magice & Astrologia, aliisque studiis, medicinam exercerent.

Pag. 552. *col.* 2. *nota* 2. *versu* 5. *θερμαινόμενον, lege θερμαινόμενοι.*

Pag. 601. *col.* 1. *ante med. nota* 6. *Et aurum, adde in fine*: At ea quæ proxime antecedit, forma loquendi, *tenere Indiam*, admonet ut obiter interpretemur nummum ex auro perrarum, delineatum a D. le Blanc, pag. 282. In antica superficie S. Joannes Baptista fert crucem oblongam, & e regione delphinus est. Epigraphe, S. JOHANNES B. Parte altera, cum flore Lilii, inscriptus in ambitu titulus est, hinc FRA inde NTIA. Percussus hic nummus est anno 1357. vel 1358. cum captivo in Anglia Johanne Rege Francorum, Regente Carolo ejus filio regnum, Navarrus Rex omnia turbaret in Gallia, Parisiis dominaretur, & in Insula Franciæ: regnum demum invadere omnino tentaret. Ergo ingemiscens Præfectus Monetæ calamitosum hunc rerum statum in illo titulo ingeniose exponit, dum ait: FRA*nciam Navarrus Tenet, Johannem Anglus.* Delphinus post divi Johannis Baptistæ nomen adpictus, Carolum prædictum designat, Regnum tum Regentem absente patre, eumdemque primum e regio sanguine Delphinum Viennensem.

Pag. 615. *col.* 2. *versu* 11. *Imperator Augustus*: adde: Cave enim legas *Theodeberti* in genitivo casu: cum neque in nummis Latinis nomina Principum in alio umquam casu, quam in recto scribantur; & alia Theodeberti numismata integrum nomen THEODEBERTVS exhibeant: & in THEODEBERTI PP. AVG. æque legi *Imperator* debeat, atque in nummis æqualis ipsius IVSTINIANI PP. AVG. *Et in fine Notæ hujus adde*: Insignis ac perrarus in eo genere triens aureus est, apud D. de Clesves in hac civitate: Theodeberti Aug. honori percussus, cum mentione tributi, quod subinde Edui Augustis Regibusque solverent. Hinc Principis caput cinctum gemmis exhibet, cum litteris, METALS: quarum sententia est: *Mercatores Edui Theodeberto Augusto L quinquagesimam Solverunt.* Gallice dicimus, *le cinquantième denier.* Pars altera, cum cruce in medio, habet has in ambitu litteras. TEVD E⊥SILVS: hoc sensu: TEVD*eberto Edui* ⊥*ributum Sexagesimæ Invicto Liberatori Urbis Solverunt.*

Pag. 629. *col.* 2. *nota* 1. *sub finem*: IMP *Imperator* dicitur *adde*: Veremur tamen ob eam ipsam causam, quod Augustus hic appellatur, nec tamen IMP quod ab illius sæculi consuetudine abhorret; Veremur, inquam, ne nos species & elegans & ad similitudinem vetustatis proxime accedens nummi fabrica deceperit; sitque recens illu & adulterinus; fictus ab inconsiderato nummorum adulteratore, qui nesciret Gordianum filium, æque ac patrem, in suis nummis esse semper IMP. Imperatorem.

Pag. 645. *col.* 1. *nota* 3. *adde*: In nummis antiquis casus Gracchi nominativus semper GRACCVS scribitur, non GRACCHVS: quamvis apud Plutarchum *Γράκχος* sit.

Ibidem, *Sect.* XV. *nota* 1. *adde*: Ex affinitate cum Cæsaribus nobilitatem adepta est familia una ex Ælia gente: ex qua se ob eam causam Ælium Cæsarem, non Ælium simpliciter & absolute, Antoninus Pius appellat.

Pag. 670. *nota* 11. *adde*: Mox deinde plumbaginem appellat, argenti venam plumbo mixtam.

Pag. 728. *col.* 1. *nota* 75. *adde in fine*: In nummo Græco, cujus effigiem expressam in cera servamus, scribitur, ΕΠΙ ΣΩΣΣΙΟΥ: Aries currens pingitur, cum superposito Solis sidere, symbolo Orientis, & laudatissimi in Syria Antiochena arietini velleris. Sub alvo arietis, ΔΓ *Δόγματι Γερουσίας*: *Edicto* vel *Decreto Senatus.* In parte antica caput Jovis est laureatum. Est ex ære minimo.


Pag. 744. *nota* 31. L. Valerio, *lege*, M. Valerio.

In numismatibus æri incisis.


Tab. VI. in nummo Trajani inscripto VIA TRAIANA, pingi debuit averso sinistrorsum vultu Dea.

Tab. IX. in ultimi numismatis imo margine, adde IIIVIR.


Gravé par Maurice Baquoy



1 – 4 – 101


DANVBIVS
Pag. 695.
KAI ΩN
Pag. 700
AVRELIVS CAESAR AVG PII FIL
IVVENTAS
Pag. 736
ΘΕΩΝ
ΑΔΕΛΦΩΝ
ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ
Pag. 736
ΑΡΣΙΝΟΗ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ
Pag. 740.
PAVLLVS LEPIDVS CONCORDIA
PVTEAL SCRIBON
LIBO
Pag. 742
CN STATI LIBO
SACERDOS
Pag. 749
ROM
M CATO PROPR
VICTRIX
ΘΕΟΣΕΡΑΠΙΔΙ
Pag. 777
S.C. SVENAS
SEX NONI
Pag. 777
ERVC
ANNO
THEUPO
ΘΥΠΟΑ
In Addendis Tom. 2
P S
SISIN
DEO
ΑΒΡΑΣΑΞ
Gravée par Maurice Baquoy